ACTA
SANCTORUM

PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY, VIA GARANCIÈRE, 5



PARISIIS & ROMÆ, APVD VICTOREM PALME. M. DCCC. LXVII

ACTA SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLECTA, DIGESTA, ILLUSTRATA A

GODEFRIDO HENSCHENIO ET DANIELE PAPEBROCHIO

FRANCISCO BAERTIO ET CONRADO IANNINGO

E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS

EDITIO NOVISSIMA, CURANTE JOANNE CARNANDET

JUNII TOMUS QUARTUS

SANCTOS A DIE XVI AD XX COLENDOS COMPLEXUS

CUM TRACTATU PRÆLIMINARI

QUI CONTINET

LEGES PALATINAS

JACOBI II REGIS MAJORICÆ

SIMILITER ILLUSTRATAS

PARISIIS ET ROMÆ

APUD VICTOREM PALMÉ, BIBLIOPOLAM

1867



JOSEPHO

ROMANORUM REGI

SEMPER AUGUSTO,

REGI GERMANIÆ, HUNGARIÆ,

DALMATIÆ, CHOATIÆ, SCLAVONIÆ

ARCHIDUCI AUSTRIÆ

DUCI BURGUNDIÆ STYRIÆ

CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, WIRTEMBERGÆ,

COMITI TYROLIS, GORITIÆ ETC.

Imperatoribus nostris Augustissimis, Leopoldo atque Eleonoræ, stitimus non ita pridem, utriusque nomini inscripta et honori dedicata, tribus in tomis Acta Sanctorum Junii, natalis Augustissimo mensis. Nunc quartus ejusdem Junii tomus sistere se audet Augusto Romanorum Regi, Augustissimis Imperatoribus, religiosissimis Parentibus suis, non minus religione quam majestate proximo. Tibi, inquam, faustissimi nominis et ominis, Josephe : sistuntque se uno hoc in tomo Majestati Tuæ Sancti plus quam sexcenti et septuaginta, partim suis nominibus expressi, partim anonymi ; omnes suis Commentariis varie illustrati; in iisque non pauci, qui per Imperium Regnaque Tua, Romanorum, Germaniæ et Hungariæ, celeberrimi fuerunt gestorum gloria, virtutum fama, miraculorum claritate : nec desunt qui per gloriam in terris bellicam sibi viam triumphalem fecerunt ad Capitolium cœleste. Quales enim sunt! (ut nonnullos annumerem) tres sanctæ Sorores Virgines, Cunegundis, Mechtundis et Christiana, cum ancilla sua sancta Wibrande ; quæ totam diœcesim Constantiensem ejusque viciniam late implent cœlestibus beneficiis et miraculis quotidianis ; sepultæ prope Rhenofeldam, antiquissimam juxta ac munitissimam, et Austriacæ Familiæ Tuæ hereditariam urbem. Quales ! sancta Euphemia, e nobilissimo Andecensi sanguine prognata ; et sancta Elisabetha, mirabilibus a Deo visionibus illustrata ; utraque Abbatissa, illa monasterii S. Altonis in Bavaria, hæc Schonaugiæ in diœcesi Trevirensi. Qualis ! sanctus Benno, nobilis Comes, qui Ger-

 A maniam

maniam non uno loco commoratione sua beavit; natus Hildesii, monachus et Abbas in Monasterio S. Michaelis, Canonicus Goslariæ, Episcopus Misnæ, depositus et miraculis clarus Monachii in civitate Electorali. Quid dicam de Sanctis duobus anonymis in oppido S. Hippolyti Austriæ inferioris, ubi corpora eorum frequentibus olim fulsere miraculis; nunc autem obliterata esset memoria omnis, nisi aliqua uno in codice manu scripto conservata fuisset in bibliotheca Cæsarea Viennæ, ejusmodi thesauro litterario ditissima? Ad hanc, magno librorum, ex occupata feliciter Buda advectorum, numero egregie auctam, nos anno MDCLXXXVIII per gratiam Augustissimi parentis Tui admissi, atque describere quidquid ad Sanctos spectat permissi, vindicavimus ab interitu, et conservavimus æternitati prædictam duorum Sanctorum memoriam, extractis ex indicato codice, et hic modo impressis eorumdem miraculis: quemadmodum in primo Junii tomo ex eadem bibliotheca Cæsarea impressam dedimus, non amplius perdendam, Vitam S. Bardonis, Archiepiscopi olim Moguntini; quæ pridem a multis desiderata, et ubique per Germaniam Galliamque frustra fuit quæsita. Præmittitur Sanctorum Actis (quemadmodum palatio regio propylæum) codex Legum Palatinarum regiùs, quibus ipse conditor Rex sibi aliisque Regibus Christianis aditum pandit ad palatium veræ gloriæ regnumque sempiternum. Sunt Leges istæ, quas dico, Regis Majoricæ Jacobi, nomine illo Secundi; atque placituræ Majestati Vestræ, tum quia Regiæ sunt, tum quia relictæ a Majoribus Tuis. Regiæ quidem sunt, quia conditæ a Rege, Regiæ familiæ datæ, Regia in aula observatæ, Regio in codice conscriptæ, non nisi Regibus offerendæ. Conditæ autem sunt et relictæ a Rege inter Majores Tuos, Regia Majestate conspicuos, non postremo; ut pote qui regnum Majoricæ, comitatum Ruscinonis et Ceretaniæ, nec non dominium Montispessulani gloriose possedit; quique Regum Aragoniæ, Jacobi primi ex filio, et Petri tertii ex fratre, pronepos; Petri vero quarti sororius fuit; per illosque et eorum successores, sanguinem suum nobilissimum transfudit ad Majestatem Tuam, non minus longa serie proavorum, Aragonicæ familiæ Regum, quam Austriacæ Imperatorum, Serenissimum Augustumque Nepotem. Quantum porro admirabilitatis habet, quod eædem Leges, jam dudum mundo ignotæ ac in tenebris sepultæ, nunc demum inde resurgant lucemque aspiciant, unico tantum in codice manu exarato superstites; isque codex, auro minioque distinctus, e Majorica per alias manus varia fortuna ad nostrum Antuerpiæ museum tandem delatus, et nunc typorum beneficio multiplicatus, una cum Actis Sanctorum sese Majestati Vestræ, cui sanguinis ac hereditatis jure quodammodo debetur, sistere gestiat; hisce præsertim temporibus, quibus Deo auspice

auspice inducta in thalamum regalem lectissima sponsa intra biennium feliciter peperit Majestati Vestræ delicias suas filium filiamque: quibus olim usuveniet ex codice illo discere, quid Deo quid Augustis Parentibus, quid sibi suisque debeant; et quibus præcipue virtutibus enituerint Majores sui, Aragonici sanguinis: iisdem scilicet, plane Regiis, quibus enituisse Imperatores sanguinis Habsburgici Austriacique, lecturi sunt in annalibus suis domesticis Imperatorum: et quibus Augustissimam hodiedum enitere Domum Tuam, in religiosissimis Parentibus, in Te Augusto Rege, in Serenissimis Germanis Tuis, orbis Christianus videt cum admiratione universus; et sæpe oculis vidisti Ipse tuis, et exemplo monstrasti. Quæ enim in Legibus suis, tum sibi, tum aliis familiæ Regiæ præscribit Rex Jacobus, de religione in Deum, de veneratione Sanctorum, de cura animi, de exercitiis pietatis, de caritate in pauperes, aliaque ejus generis plura; nescio profecto an accuratius ipse scripserit, an observata fuerint Domi Tuæ. Vidit quippe in illa Majestas Vestra, Familiam, orbi terrarum imperantem, præcipua solicitudine satagere, necubi suorum aliquis offendat Deum. Vidit, domesticos inter parietes ab illa tot obiri devotionis opera, et tam religiose, ut religiosa in domo vix plura aut majori cum reverentia possint. Vidit, et tota quanta est Vienna quotannis videt, publica ejusdem Familiæ Tuæ exercitia pietas constantissime peragi plena in luce, sive illa obeunda sint ad Pyramidem sanctissimæ atque adorandæ Triados, a religiosissimo Patre Tuo recens erectam; sive in sodalitio sanctæ Crucis, ubi pientissima Mater Tua præsidere amat; sive coram statua Deiparæ Virginis, sine macula contagionis conceptæ, ab Avo Tuo gloriosæ memoriæ Ferdinando III sublimi columnæ imposita; sive in publicis totius urbis supplicationibus, sive in solennioribus Ordinum Religiosorum festis, sive aliis locis temporibusve. Talia, inquam, Auguste Rex, vidisti in Parentibus, didicisti a Parentibus, una fecisti cum Parentibus Adolescens; atque ita Tibi crevit in Familia tam sancta cum ætate pietas, cum notitia Dei odium peccati, cum numero annorum exercitia bonorum operum ac Regiæ virtutes. Testis mihi sit auspicatissimus dies, septimus Kalendas Augusti, gloriosæ Dei Genitricis Matri sacer, et Majestati Vestræ Natalis. Vidit ille dies incrementa pietatis virtutumque Tuarum, cum recurrens per annos singulos vidit Serenissimum Josephum celebrare Natalem suum, vocatis ad regias epulas tot pauperibus, quot ipse annos tunc complebat ætatis; quibus et cibos apponebat ad manducandum, et vinum fundebat ad bibendum; exorsus tam pulchrum in filio Imperatoris Romani, quam est vile in servo, ministerium ab ipsa propemodum infantia et uberibus nutricis: quod et pulchrius reddidisti, cum anno ætatis decimo Rex Hungariæ coronatus, atque

que una in corona regna decem complexus; proximo inde Natali Tuo decem pauperibus eadem manu, qua modo sceptrum regale exceperas, in mensa, uti solebas, servivisti seposita corona; nisi dicere malimus, pro una corona decem acquisivisse Majestatem Tuam per ministerium gloriosæ humilitatis et caritatis, totidem pauperibus impensum; ut par numerus coronarum foret ac regnorum. Perrexisti deinde annis singulis pro numero Natalium augere etiam numerum pauperum; et perrexit similiter Deus augere numerum coronarum, superaddens post biennium omnibus fulgentiorem Regis Romanorum et Germaniæ; ut videri possit in sensum absolutum commutare velle, quod sub conditione pridem cecinit, quando Decennis regale sceptrum et coronam Hungariæ, eique annexorum regnorum portare cœpisti, ingeniosus poeta:

Tot numeras, Josephe, annos quot sceptra recenses,
Quando annus decimus dat tibi regna decem;
Annis et sceptris paribus si crescere pergis,
Unus ad imperium non satis orbis erit.

Quid enim neget virtuti Tuæ, jam adulti, Deus, qui pietatem pene infantis tot sceptris coronisque remuneratus est? quique Te et nasci voluit inter strepitus bellorum, et adolescere inter victorias, et extendere terminos Hungariæ Tuæ adhuc adolescentem, quousque viri, quantumvis bellicosi, Progenitores Tui penetrare numquam potuerunt; qui denique corpus Tibi paravit laboribus aptum, ferendisque assuetum; et quod summum est, animo indidit victricem illam virtutem, Religionem erga sanctissimum Eucharistiæ mysterium singularem. Quæ virtus, ut summa sit, semperque fuerit in Domo Tua, a Majoribus veluti cum sanguine propagata ad nepotes, nescio quomodo primas obtinet in animo Majestatis Vestræ; ut, nescia arctis claudi penetralibus pectoris, Tibi ac Deo solis nota, eluctetur subinde prodeatque in publicum, ac totam rapiat in admirationem Tui suique Viennam, spectantem Dominum suum Archiducem, Hungariæque et Romanorum Regem, publicis in viis genibus flexum, venerari sacram Eucharistiam. Rapuit certe tunc, cum anno superiore Idibus Julii exhibuit spectaculum Deo dignum, Sanctis imitandum; Majestatem Tuam campestri habitu, citatissimo cursu per civitatem Leopoldinam a venatione redeuntem, ad conspectum sanctissimi Sacramenti, quod forte illac ad moribundum portabatur, sistere continuo equos, desilire Primam e curru, sequentibus exemplum comitibus, procumbere humi, atque inclinato reverenter capite, Pronam adorare comitarique sub velamine panis, quem regnare credimus in cœlis, Deum atque hominem Christum Jesum. Dixisses nobilem Venatorem laqueis suis, aut sui potius in Deum amoris atque religionis, captum et irretitum teneri. Hæc eadem victrix il-

la

la virtus est, quæ meruit in Rudolfo Habsburgico a quatuor et amplius seculis Coronam Imperialem : hæc ipsam in tot Augustissimis Posteris ejus continuata serie conservavit: hæc eamdem in Augustissimo Parente Tuo augustiorem fecit, capta Buda debellatoque magna parte Imperio Turcico: hæc, quod super est debellandum, subjiciet victricibus Mejestatis Tuæ armis (ita ominor voveoque, et memorata virtus Tua promittit) donec etiam capiantur Belgradum atque Byzantium, Nam

Integra divictis ut sit victoria Turcis,
Littera Christicolis B capienda ter est.
Capta Buda est: superest Belgradum et Regia magni
Mœnia Byzanti : cetera ludus erunt

Tuis nempe, Rex Magne, armis ; Tuæ in Deum Religioni, in Eucharistam Pietati. Quod enim Majoribus Tuis domi militiæque, et pluribus in hocce tomo Sanctis, illa Pietas præstitit ; hoc Tibi Tua promittit ; si non et præstare cœperit saltem Domi, cum binos biennio promeruit Tibi liberos, delicias Parentum, solamen Avorum, columen Augustissimæ Domus, votum bonorum omnium ; ut securius speres parem militiæ fortunam, Deo ac Te Ducibus, aliquando fore. Eo conferent quoque plurimum exempla atque intercessiones Sanctorum, qui in hoc tomo veniunt ad Majestatem Vestram, initio novi hujus seculi,

MeCænate LeopolDo I,

Augustissimo Augustæ Majestatis Vestræ Genitore : ut seculum quidem Tibi faciant Sancti illi a principio fortunatissimum totum; tomum vero, in quo veniunt, faciat Tibi gratiorem Augustissimus Mecænas, per cujus sacratas manus audet ipsum, qua par est reverentia, offerre

AUGUSTÆ MAJESTATI VESTRÆ

Devotissimus cliens
CONRADUS **JANNINGUS**,
Cum magistro suo, DANIELE **PAPEBROCHIO**,
Et collegis { FRANCISCO **BAERTIO**
FRANCISCO **VERHOVIO**
E Societate Jesu.

SYNOPSIS

SYNOPSIS ACTORUM

TOMI QUARTI

Sancti in tomum quartum Junii, quatuor dumtaxat dies complexum, illati, sunt amplius sexcenti septuaginta, partim expressi nominibus suis, partim anonymi cum notitia plurium aliorum prætermissorum, vel ad alios menses diesve relatorum. Illorum præcipui, more nostro triplicem in classem, juxta statum ecclesiasticum, monasticum atque secularem distributi mox indicabuntur.

Præmitto pauca de pulcherrimo codice MS. quem, horum Sanctorum Actis, tamquam prælucinare opus, præmisimus impressum. Continet is Leges Palatinas, in classes octo distributas, quas Jacobus II, Rex Majoricæ sibi et familiæ suæ ac ministris præscripsit, anno MCCCXXXVII : sanctissimas sane, et dignas, quæ in omnibus Principum palatiis proponantur atque observentur. Suus illic singulis Ministris familiæ Regiæ, a summis usque ad imos, præscribitur modus, quo injunctum sibi munus obire debeant; atque in capitali cujusque rubricæ littera depicta est figura, quæ repræsentat personas, de quibus agitur, cum suo habitu; operi, quod exercere debent, intentas. Illæ ipsæ figuræ, partim singulis classibus præfiguntur partim simul collectæ, et quatuor grandioribus laminis æreis incisæ, hic etiam subjiciuntur oculis curiosorum antiquitatis æstimatorum, præter aliam ejusdem magnitudinis figuram, ubi Rex in throno considens coram aliquot hinc et inde Magnatibus suis, Leges promulgat, ac specimen scripturæ originalis, qua codex exaratus est, spectandum datur.

Hunc Tractatum si quis fortassis voluerit seorsim imprimendum curare, faciat id Nobis non modo non invitis ; sed etiam paratis juvare, commodando laminas eo spectantes, et ecgraphum alterius similis codicis, quo Petrus IV, alias III, Rex Aragoniæ anno MCCCXXXXIV digessit Constitutiones et Ordinationes Palatii sui lingua Catalana : quod ex autographo archivii Barcinonensis nunc demum nacti sumus, cum antea solum Prologum haberemus, syllabumque rubricarum, qualem hic invenies pag. VI : unde multum lucis affundi Majoricensibus Legibus poterit. Monendus est tamen, quisquis ejusmodi consilium capiet, ut a nobis petat expectetque exemplar Majoricensium, nova diligentia ad autographum collatum, expurgatum a typographicis mendis non paucis : nonnullisque etiam locis per transcribentis incuriam vitiatis, genuinæ integritati restitutum. Fatetur enim ingenue Papebrochius ipso quo hæc imprimebantur tempore, supervenisse occupationes gravissimas alias ; et sociis partim absentibus, partim ægris vel impeditis, plus se credidisse oculis suis caligantibus, quam expediebat accurandæ impressioni. Quod interim benevolus Lector excusare dignabitur non tantum in hisce Legibus, verum etiam quoties aliquid ejusmodi mendorum per totum tomum observabit : majorem autem accurationem expectare in Tomis quinto et septimo, nunc sub prælo versantibus. Præter jam dictas figuras, quibus ornantur Leges, eidem huic Quarto Tomo inseruntur aliæ octo figuræ grandiores integræ paginæ, et plus quam viginti minores textui insertæ ; Diploma S. Henrici Imperatoris, pro ecclesia Heilighenstadiensi datum, integro expansum folio, ad formam membranæ originalis.

Porro Sanctorum in hoc Tomo distinctius illustratorum, præcipui sunt.

IN STATU ECCLESIASTICO

Plurimi veniunt Sancti. *Judas*, vocatus *Apostolus* ex LXXII Discipulis Domini, diversus a Juda Thadæo, Apostolo ex XII ; martyrizatus Araræ in Armenia.

Episcopi in Orientali Ecclesia *Marcus* Appolloniade, qui et Martyr ; *Tycho Thaumaturgus*, Amathunte in Cypro insula.

In Italia Episcopi, *Cechardus*, Lunensis Martyr, Carrariæ in Tuscia. *Hymerius*, Ameriensis in Umbria, *Agrippinus*, Comensis in Gallia Cisalpina. *Nazarius*, Justinopolitanus in Istria. Inventio et Miracula ex Italico Manzoli. Item in agro Spoletino Presbyter *Maurus*, cum filio *Felice* ejusque Nutrice, ex Syria in Italiam peregrinati.

In Gallia Episcopi, *Aurelianus*, Arelatensis. Inventio anno 1308. *Domnolus* Viennensis. *Similianus* Namnetensis. *Gundulfus* incerti loci, cujus celebris cultus in agro Bituricensi. Historia Translationis et Miraculorum. *Adulfus*, verosimiliter Trajectensis ad Rhenum, cum *Botulfo* Abbate, in Anglia depositus. *Veredemus* Avenionensis. *Amandus* Burdegalensis. *Fortunatus*, in agro Senonensi quiescens. *Aubertus* Abrincensis ; qui Angelo Michaeli, ejus monitu ac revelatione, in monte Tumba templum excitavit, annuo peregrinantium concursu ex tota Gallia frequentatissimum. *Innocentius* Cenomanensis, cum Chronologia Episcoporum tam decessorum ejus usque ad an. MCCLV. *Deodatus*, Nivernensis ; deinde Abbas Vallis Galilææ in Vosago. Acta ex codicibus MSS. ac editis ; in quibus multa de S. Hidulfo ejus successore in monasterio. Uti ille ex Episcopo Abbas, sic *Odo*, ex Abbate factus Episcopus Cameracensis, illa tamen Sede exclusus, quod recusaret Investituram accipere ab Imperatore. Vita duplex. Presbyter in Gallia, *Ferreolus* cum *Ferrutio* Diacono ; Martyres ambo, Vesuntione in Burgundia. Illorum Acta antiqua ; Missa propria ex vetusto codice. Inventio Corporum, et variæ Translationes. *Berthaldus et Amandus* in diœcesi Remensi, vita solitaria conspicui. *Verolus*, Castellione ad Sequanam et Marcennaci. Miracula a contemporaneo scripta. Ibidem *Possennus*.

Germaniam illustrant Episcopi ; *Benno* Misnensis in Saxonia, Sclavorum Apostolus ; Monachii in Bavaria depositus, ibidemque miraculis quotidianis clarus : quorum magnus numerus Vitæ subjungitur : uti et repræsentatio ipsius sacelli Monachii. Clari item sunt Miraculis non paucioribus Moguntiæ atque Heilighenstadii, *Aureus* Episcopus, *Justinus* Diaconus, *Justina* soror Aurei, et plures alii ab Hunnis Duce Attila cæsi. Duorum primorum monumentum, prout Heilighenstadii extat, exhibetur in æs incisum, necnon specimina nummorum bracteatorum in agra vicino repertorum.

Ad Galliam Germaniamque pari jure pertinet *Hildegrimus*, Catalaunensis et Halberstadensis Episcopus ; frater S. Ludgeri, primi Episcopi Mimigardifordensis, vulgo Monasteriensis in Westphalia. Adde his unum in Hibernia Episcopum Fernensem *Molingum* ; et *Bonifacium* Archiepiscopum Apostolicum circa Russiam, Ordinis Camaldulensis Protomartyrem : nec non Clericum Martyremque *Bonmercatum* Ferrariæ in Italia Vita et miracula ex MS. Italico, cum figura martyrium exhibente.

IN STATU MONASTICO

Illustravit Orientem, præter aliquot Anachoretas, *Hypatius* Presbyter, et Monasterii Rufiniani in Bithynia Hegumenus. Vita Græca a coævo auctore præclare et prolixe scripta, nunc primum latinitate ac typis donata. Anachoretæ illi, quos dico, floruerunt in Ægypto, *Joseph*, *Pior*, *Bessarion*, cum *Zenone* multorum miraculorum patratore. In Æthiopia apud Habessinos *Petrus*, Prior monasterii Eygag et gentis Doctor.

Occidentem plures ornant, Benedictino, aut nulli certo Ordini adscripti ; *Ramuoldus* Abbas Ratisponæ in Bavaria. Acta ab auctore fere suppari scripta. *Avitus*, Abbas Miciacensis apud Aurelianos in Gallia. Acta præclara auctoris contemporanei. *Huvarnus* sive *Hervæus*, Abbas in Britannia minore. *Julianus* in monasterio Arenæ sive Hareæ. *Elisabeth*, *Schonaugiensis* vulgo dicta, a loco habitationis, ubi et Abbatissa fuit ; mirabilis, si qua alia, variis visionibus, a germano fratre ejus Egberto, ipsa dictante; cum reliqua vitæ mortisque ejusdem historia, conscriptis. *Euphemia*, et ipsa Abbatissa, monasterii Virginum S. Altonis in Bavaria.

Celeberrima in Belgio *Lutgardis* Virgo Monialis, a Benedictinis Trudonopoli ad Cistercienses Aquiriæ transgressa. Vita tribus libris accurate scripta a coævo et familiari. Ejusdem Ordinis Cisterciensis sunt Sorores et *Sanctæ Reginæ* vulgo appellatæ, Sancii Regis filiæ, *Tarasia* vidua, et *Sancia* Virgo, Lorvanii in Lusitania. Vita recenter composita. Miracula ex Processibus Canonizationis ; cum utriusque effigie.

Gerlandus, Eques Ordinis S. Joannis Hierosolymitani Hospitalariorum Calatagironi in Sicilia. Inventio et Miracula ex originali MS.

Petrus, *Gambacurta* a familia, *Pisanus* a patria cognominatus, Fundator Ordinis Eremitarum, S. Hieronymi vulgo dictorum ; Pisis natus, Venetiis mortuus. Gesta ex antiquo compendio Latino, per Vitam Italicam illustrato, cum Chronologia Ordinis et Generalium ejus. Additur effigies Beati ex antiquissima pictura Venetiis apud Moniales S. Hieronymi servata ; et prospectus primi eremitorii, ab ipso fundati in Montebello apud Urbinates. Item aliæ ejusdem et Sociorum imagines. Magis solitariam amarunt vitam Eremitæ alii, *Avitus* apud Petracoricos in Gallia. Acta ex duobus MSS. *Raynerius* Pisis in Hetruria. Gesta, a familiari ample conscripta, atque Translatio recens solenniter instituta ; cum novi et elegantis depositi delineatione in æs incisa. *Calogerus* Presbyter cum *Sterio* discipulo suo, in Agrigentina Siciliæ diœcesi.

Virgines, ex variis Religiosorum institutis ad cœlum translatæ, *Marina*, Fundatrix Monasterii S. Martini, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, Spoleti in Umbria. Imago exhibetur corporis prout nunc est, cum monumento, æri incisa *Osanna Andreasia*, tectii Ordinis S. Dominici Mantuæ in Italia. Acta duplicia, utraque a familiariter notis et rerum ipsius internarum consciis posteritati relicta. Monumentum etiam perpulcrum cum duplici effigie, altera ipsam, prout hodie lum est in tumba ; altera prout in monumento excisa est, repræsentante. *Juliana Falconeria*, similiter tertii Ordinis, sed Servorum B. Mariæ, Florentiæ. Vita datur ex MS. Italico Gianii latine reddita ; cum miraculis recenter factis et effigie antiqua. Hisce accedat *Michelina* vidua, et ipsa tertii Ordinis, seu Pœnitentium S. Francisci, Pisauri in Ducatu Urbinate. Vita duplex ex MS. Adest quoque duplex imago ; altera ipsam veluti in extasi constitutam, altera in sepulcro positam repræsentans.

Virgines, nulli Religioso Ordini adscriptæ, *Cunigundis*, *Mechtundis*, *et Wibrandis*, cum famula sua *Chrischona*, inter peregrinandum evocatæ omnes ad cœlum in Constantiensi Germaniæ diœcesi. Processus pro Canonizatione fabricatus.

Virgines Martyres, *Actinæa et Græciniana*, Volaterræ in Hetruria, sæpe inventæ et non ita pridem solenniter translatæ. *Alena*, Foresti in Brabantia. Gesta ex Dilbecano MS. cum appendice eorum quæ Gallice et Belgice edita sunt. In eadem Brabantia prope Bruxellas *Maria Dolorosa*, sic dicta Virgo ; quæ postquam pro castitate tuenda viriliter restiterat, injuste accusata, damnata et cæsa, miraculis claruit, suoque accusatori, exinde mente capto sanitatem restituit. Acta ejus authentica habentur et miracula ex MSS.

IN STATU SECULARI

Martyres in Oriente, Antiocheni *Quiricus*, *Julitta*, et Socii quadringenti quatuor. Ab hisce distinguuntur *Julitta*, vidua Iconiensis, et *Quiricus* ejus filiolus Tarsi in Cilicia martyrio affecti. Acta horum, diversa ab iis, quæ olim censuravit Gelasius Papa, scripta sunt a Theodoro Ep. Iconiensi. Utraque dantur, uti et translatio Quirici ad Elnonense S. Amandi Monasterium. *Isaurus* Diaconus, *Innocentius*, *Felix*, *Hermias*, et *Peregrinus*, Apolloniæ. *Manuel*, *Sabel et Ismael*, ex Perside fratres, Constantinopoli. Acta græco latina vetustiora. *Leontius*, *Hypatius* ac *Theodulus*, Milites, Tripoli in Phœnicia. Duplicia Acta græco-latina. *Marina et Theonas* Alexandriæ. *Moyses* Æthiops cum septem Anachoretis in Ægypto. *Zosimus*, Miles in Pisidia. Acta græco-latina.

In Occidente Martyres, *Nicander* cum *Daria* uxore, *Marciano* et *Pasicrate*, Atinæ et Venafri in Campania. Acta vetera græco-latina Alia recentiora. *Montanus* miles, Tarracinæ et Cajetæ in eadem Campania. *Digna-merita* cum filiis duobus, Brixiæ in Gallia Cisalpina. *Blastus* Tribunus, cum ducentis septuaginta Romæ passus, et cum duobus ex sociis Lucam translatus *Cyria*, *Musca*, *Valeriana*, *Maria*, Aquileiæ. *Marcus et Marcellianus* Nobiles Romani via Ardeatina, depositi in ecclesia Sanctorum Cosmi ac Damiani. *Martyrius*, *Felix*, *Æmilius*, *Crispinus*, Ravennæ. *Cyriacus et Paula*, Malacæ in Hispania. *Elpidius*, Brivate in Arvernia, cum *Archontio* Confessore. *Potentinus*, *Felicius et Simplicius*, Patroni Steinfeldiæ in diœcesi Coloniensi. Martyresne an Confessores? Eadem dubitatio cadit in *Gregorium*, Episcopum, *Demetrium* ejus Diaconum, et *Calogerum* Hegumenum ; in Fragalatensi Siciliæ monasterio. *Ursicinus* Medicus, Ravennæ in Italiæ. *Gervasius et Protasius*, fratres, Mediolani in Insubria. Inventio Corporum ex SS. Ambrosio, Augustino et Paulino, præter quæ Epistola ad Italiæ Episcopos de eorumdem Passione expenditur, et S. Ambrosio perperam adscripta esse docetur ; idemque accidisse ostenditur SS. Nazario, Victori, Syro et Hermagoræ per Acta coævis Auctoribus male supposita. Tum agitur de priorum Reliquiis toto Occidenti jam olim communicatis : Corporum item possessione inter Mediolanenses et Brisacenses controversa, ac denique variis antiqui cultus monumentis, partim certis partim ambiguis. *Honorius*, *Evodius Petrus* Romæ. *Gaudentius* Episcopus, *Culmatius* Diaconus, *Andreas* et alii LII, Aretii in Hetruria. *Anonymi duo*, in oppido S. Hippolyti, Austriæ inferioris, seculo XII inventii et Miraculis illustrati. *Ratho*, Comes Andecensis, bello clarus, Werdæ in Bavaria. Miracula ejus plurima, usque ad finem seculi XVII patrata, cum lapide sepulcrali effigiato, et Vita, quam sub annum 1512 collegit Decanus Diessensis.

FACULTAS

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS
SOCIETATIS JESU FLANDROBELGICÆ,
ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI

Cum Edictis Philippi II Hispaniarum Regis, deinde Serenissimorum Archiducum Alberti et Isabellæ Belgii Principum, rursumque Philippi III, ac novissime Caroli II Regum, confirmatis 2 Decembris 1692, et 19 Junii 1694, Provincialibus Societatis Jesu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, potestas facta sit eligendi Typographos et Bibliopolas, qui, ad quorumcumque exclusionem, soli imprimere ac reimprimere possint libros et opera quælibet, rite approbata, curantibusque ejusdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, sub consueto suæ Majestatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in scriptis obtenta et præexhibita licentia prædicti Provincialis; idque sub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impressa importantes statutis, ut latius in ipsis patentibus litteris apparet. Cum etiam sua Cæsarea Majestas idem valere voluerit in ditionibus S. R. Imperio subjectis;

Ego infrascriptus, S. J. per Flandrobelgicam Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præposito Generali Thyrsi Gonzales, concedo Viduæ Henrici Thieullier, *quondam Typographæ et Bibliopoli Antuerpiensis, facultatem imprimendi, et per se aliosque vendendi eæ more nostræ Societatis (quod hisce attestor) recognitum et approbatum Tomum IV de Actis Sanctorum Junii, collectis digestis et illustratis per Godefridum Henschenium p. m. Danielem Papebrochium, Franciscum Baertium, et Conradum Janningum, Societatis nostræ presbyteros Theologos cum Legibus Palatinis Jacobi II Regis Majoricensis. In quorum fidem hasce manu nostra subscriptas, consuetoque officii sigillo munitas, dedi Antuerpiæ. anno 1701, Martii.*

SUMMA PRIVILEGII REGII

Carolus, Dei gratia Hispaniarum Indiarumque Rex, Dux Burgundiæ, Brabantiæ etc. Serenissimus Belgarum Princeps, Diplomate suo sanxit, ne quis citra voluntatem P. Danielis Papebrochii e Societate Jesu, ullo modo imprimat vel aliunde invehat ac venum exponat, per proximum decennium Acta Sanctorum : qui secus faxit confiscatione exemplarium, et aliis gravibus pœnis mulctabitur : sicut latius patet in litteris datis Bruxellæ XIII Februarii MDCXCII.

Signat. LOYENS.

Et Ego Daniel Papebrochius, Societatis Jesu, Viduæ Henrici Thieullier, Typographi quondam et Bibliopolæ Antuerpiensis, permitto ut imprimat et distrahat Tomum quartum de Actis Sanctorum Junii. Datum Antuerpiæ 1696, I Octobris.

APPROBATIO ORDINARII


Tomus tertius de Actis Sanctorum mensis Junii, a Societatis Jesu Sacerdotibus Theologis, Godefrido Henschenio, Daniele Papebrochio, Francisco Baertio, et Conrado Janningo, erudite illustratus, una cum Tractatu Præliminari, continente Leges Palatinas Jacobi II Regis Majoricæ, similiter illustratas, utiliter publicabitur. Dabam Antuerpiæ 7 Martii 1701.

ANTONIUS HOEFSLAGH
Eccl. Cathedr. Canon. Grad. Libr. Censor.

PROTESTATIO AUCTORUM

Quod ante prægressos quinque menses identidem sumus protestati, nos in hoc de Actis Sanctorum opere servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones; neque nostris, aliorumve huc referendis Commentariis aliud pondus tribui, quam est historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ; idem ante hunc quartum Tomum Junii denuo protestamur.

AD


Incipit prologus siue promulgatio constitutionum siue ordinationum atque legum editarum per illustrissimum dominum iacobum secundum regem maioricarum. Comitem Rossil' et ceritan' atque dominum montispessulani super bono statu et regimine atque ornatu et iustitia sacre sue domus regie
Iacobus dei gratia rex maioricarum comes Rossil' et ceritan' ac dominus montispessulani Ad perpetuam rei memoriam. In recta dispensatione regiminis hoc potentius solicitudini presidentis incumbit ut ad res gerendas et officia gubernanda ydoneos ministros instituat. quibus singulis singula officia diuisim regenda committat. Sciatis tamen soleter ut conuenit iuxta officiorum exigentiam gradu debito ac congruenti ordine: ministrorum. Sic etenim cunctorum officiorum decens geretur administratio. si debitus inter ministros differentie ordo seruetur. quo uidelicet minores potioribus pareant maioresque minoribus directionem in deuius zelo sincere dilectionis impendant. Porro non minus in officiorum distributione debet attendi. ne uni soli quantumlibet exercitate persone plura simul committantur officia nec enim facile putandum est unam personam pluribus officijs recte gerendis sufficere cum uix possit aliquis unum dumtaxat diligenter explere. qp

AD LEGES PALATINAS

JACOBI II

REGIS MAJORICARUM ETC.

PRÆFATIO GENEALOGICA

DANIELIS PAPEBROCHII S. J. T.

Et primæ frontis explicatio.

Jacobus Patruo Sancio succedens,

Jacobus II, *Primi hoc nomine Majoricarum Regis ex filio secundo genito* Ferdinando *Nepos, Patruo suo* Sancio, *Regi secundo Majoricensi, circa annum* MCCCXXIV *successit ex testamento, tredennis dumtaxat vel duodennis puer. Sed adversarium mox passus est* Jacobum II Aragoniæ Regem, *prædicti Ferdinandi patris sui patruelem, Jacobi I Aragonum Regis ex Petro III, item Rege, nepotem; asserentem, duobus se gradibus propius accedere ad vindicem Majoricarum insularum, Saracenis anno* MCCXXX *ereptarum; et regni Majoricensis conditorem;* Jacobum, *inquam,* Primum; *Aragoniæ solius, non etiam Majoricarum Regem dictum, dicendumque. Alias enim hic de quo agimus, esset nominandus Tertius : quod ipsiusmet auctoritate tam clare refellitur, ut nemini putem in dubium id venturum fuisse, si hoc authenticum ejus scriptum, Aragoniis hujus ævi scriptoribus notum fuisset.*

2 *Erat* Jacobus II Aragoniæ Rex, *eo Princeps ingenio; ut* Justi *cognomen apud suos obtineret; itaque* Philippus, patruus ac tutor Jacobi Majoricensis, *idemque Presbiterali Ordini adscriptus, pupilli Regi causam haud ægre peregit, pace inter duos* Jacobos Secundos *ea lege conciliata, ut hic illius neptem* Constantiam *uxorem duceret, ac veluti dotali jure regnum Majoricense retineret. Tenuit autem ipsum quietus, quoad Constantiæ avus paterque rexerunt; sed illius frater* Petrus IV, Ceremoniosus *dictus, Patri suo Alphonso IV succedens anno* MCCCXXXVI, *æquum putavit, clientelari jure sibi subjici regnum Majoricense, quod a Tritavo* Jacobo I *fundatum, ab avo* Jacobo II *titulo dotis abdicatum fuerat. Sororium ergo, pacifica tredecim annorum possessione securum, armis aggressus, cum uxore et liberis regno expulit, anno* MCCCXLIII *: sua deinde repetentem post annos sex, prælio vicit, eoque cæso regnum Majoricense Aragonico annexuit.*

et ducta Jacobi Aragonii nepte confirmatus in regno,

3 *Ad hæc distinctius faciliusque comprehendenda, faciet duplex tabula, ab Eruditissimo viro* Joanne Jacobo Chiffletio, *Archiatro Regio, quondam sic concinnata, ut prima exhibeat* Reges Aragoniæ, *secunda* Reges Majoricæ.

post leges has scriptas inde expulsus ab uxoris fratre,

REGES ARAGONIÆ

JACOBUS I VICTOR, *Majoricam Insulam Mauris bello eripuit* 1230, *obiit an.* 1276 *: Ex hoc, et Violante, Andreæ II Regis Ungariæ filia nati*

PETRUS III *R. Aragoniæ, cognom.* MAGNUS, *obiit an.* 1285 *: ex quo et Constantia, Manfredi Siciliæ R. filia, nati duo successive Reges ;*

JACOBUS I *Rex Majoricæ, Comes Ruscinonis et Ceritaniæ, Dominus Montispelerii, cujus posteritas infra explicatur.*

ALPHONSUS III, *cogn.* BENEFICUS, *qui Minoricam Mauris eripuit an.* 1287, *et cælebs obiit anno* 1291.

JACOBUS II *cognom.* JUSTUS, *obiit anno* 1327, *unde et ex Blanca, Caroli Regis Neapolitani filia,*

ALPHONSUS IV *cognom.* BENIGNUS, *obiit* 1336 *: ex quo et ejus uxore Teresia de Entenzas Urgelli Comitissa processerant,*

PETRUS IV CEREMONIOSUS, *qui victo Sororio, Majoricas adjunxit Aragoniæ, et obiit an.* 1387.

CONSTANTIA, *Jacobi II Majoricensis uxor regno spoliata a fratre suo* 1343

Aragon. R. Petro IV.

4 Petrum IV *dico, ex usu Historicorum hujus atque superioris seculi; quamvis ipse, in fine Præfationis ad Leges suas Palatinas, editas anno* MCCCXLIV, Tertium *sese appellet, scilicet secundæ stirpis; sicuti* Ludovici *in Francia, numerantur a Ludovico Pio, Caroli Magni filio, nulla habita ratione* Chlodovæorum *stirpis Merovingicæ; et* Eduardi *in Anglia, incipiendo ab eo, qui pulsis Danis Monarchiam restauravit, etsi alias ejus nominis tertio. Prima enim Regum Navarræ atque Aragoniæ linea masculina defecit in tribus Sancii III filiis, successive regnantibus; quorum primus, ordine et nomine,* Petrus *nullam post se prolem vivam reliquit: non item secundus eorum Alphonsus; tertius autem Raimirus, unicam tantum filiam Petronillam, quæ, Raymundo Comiti Barcinonensi nupta, Catalauniam Aragoniæ junxit, et Regibus secundæ stirpis initium dedit, in quorum serie* Petrus *fuit, ut dixi,* Tertius, *passim ab Historicis appellatus* Quartus.

5 *Secunda Tabula exhibentur, ad signum * in priori Tabula dimissi, et huc delati posteri Jacobi Majoricensis, ex secundo genito Principis Ferdinandi.*

A D

REGES MAJORICÆ

JACOBUS I, *Jacobi I Aragoniæ Regis filius, Majoricensis Rex mortuo patre, ab anno* 1276 *ad* 1312 *Uxorem habuit Esclaramundam, Rogerii Bernardi Comitis Fuxensis filiam, ex qua nati*

JACOBUS INFANS, *institutum S. Francisci professus obiit* 1304 *patre adhuc vivo.*	SANCIUS REX, *nullos ex Maria, Caroli II Siciliæ R filia, susceptis liberis, obiit* 1324.	FERDINANDUS INFANS *obiit anno* 1315 *: ex cujus duabus uxoribus relicti*	PHILIPPUS *Sacerdos, et tutor Nepotis sui Jacobi II R. ex Sancti Fratris testamento.*	SANCIA, *uxor Roberti Siciliæ R.* 1335 *obiit Neapoli, sub Regula S. Francisci* 1345.

JACOBUS II *Rex, natus ex Isabella de Adria Morex Domina, patruo successit an.* 1324, *condit Leges Palatinas* 1337, *regno pulsus* 1343, *prælio denique cæsus occubuit* 1349 : *ex quo, et ex Constantia Sorore Petri IV Aragonum Regis*

FERDINANDUS, *natus ex N. Cypri Regis nepte, matrimonio junctus cum Sciva, Hugonis IV Cypri Regis filia, cujus posteritas : si qua fuit, huc non spectat, sed alibi requirenda et illustranda dimittitur.*

JACOBUS INFANS, *duxit anno* 1362 *Joannam I Neapolis Reginam quartus ejus, sed brevi tempore, maritus; nullaque suscepta prole obiit* 1375.

ISABELLA, *uxor Joannis Montisferrati Marchionis,* 1358 *vivebat in Aragonia, usque ad obitum fratris, inde transiit in Vasconiam.*

Codicis MS. frontalis pagina

6 *His prænotatis, exhibeo Regii nostri Codicis primam paginam, auro minioque ornatiorem multo quam sint sequentes, ornatæ tamen etiam ipsæ insigniter, iis* B *omnibus locis, ubi nova Rubrica seu Caput inchoatur a grandi ac figurata littera initiali, suis infra supraque procursibus integram columnam complexa. Regio in solio viridanti, coccineaque veste instrato, residet coronatus Rex, supra flavi marmoris gradus, cærulea in tunica, argenteisque atque in speciem gemmeis Crucibus distincta; dextra Sceptrum, sinistra Virgam gestans, utrumque regiæ majestatis insigne, ipsemet* Jacobus Legislator *esse videtur. Gladius quoque ad dextram exertus, supremi judicii potestatem; et Aragoniæ familiæ scutum, cum suis omnibus parergis, regii sanguinis nobilitatem declarant. A dexteris qui assident, militari omnes habitu, omnes Aragonicis scutis conspicui sunt; trabes quatuor rubras, fundum aureum perpendiculariter secantes habentibus. Iisdem coloribus etiam distinguitur sagum, in quo, ad primam nominis sui litteram exprimendam, iterum adstat* Rex Jacobus, *in habitu militari supra regium Leonem. Sagum ejus, per lacinias circumflexum, farcitur viridis coloris serico : qui etiam color, sed albo interstinctus, marmorei est solii, quo aula comitialis insternitur. Dorsalis post utrimque considentes Proceres tapes, tesselatim contextus est, rubro, cæruleo, ac flavo colore : et hi colores passim etiam observantur in circumeuntibus paginas omnes miniaturis, nisi quod pro coccineo rubro colore adhibea-* C *tur fere color roseus. Denique in infima limbi ora, rursum exprimatur scutum Aragonicum purum, tale procul dubio, quali utebatur Rex ille. Nunc tamen Majoricarum scutum pingitur, ducta in decussatim linea aurea sectum : ex eo fortassis tempore, quo insulas illas Aragoniæ annexuit Petrus, qui tali scuti Majoricensis fractione significatam voluerit superioritatem Aragoniensis regni supra Majoricense.*

Legislatorem habet sedentem in Concilius,

assidentibus ad lævam Prælatis,

7 *Lævi lateris Proceres ecclesiastici, quinam hic designentur, difficile est divinare; difficilius, quinam ex ordine equestri. Nam in primo quidem, ante se habente exposita ipsarum (ut conjectare licet) Legum promulgandarum exempla, haud videtur ambigendum, quin* Archiepiscopus Tarraconensis *designetur, cui utique et Majoricæ, et Ruscino, atque Ceritania tunc suberant. Fuit autem hic (teste Tamayo ad v Julii, in Notis ad Hispanicum Martyrologium) ab anno* MCCCXXXIV *ad* MCCCXLVI Arnaldus *hujus nominis* I *cognomento* Ayerbe. *Huic suffraganei fuerint hic expressi,* Helenensis *seu* Elnenensis *in Ruscinone, et* Urgellitanus *in Ceritania. Circa dextrum latus ambigua magis vacillat conjectura. Primus et throno proximus, scutum Aragonicum habet Hungarico junctum : secundus clava Ducali caret, tertius videtur habere sago suo assutam a dextris*

ad dextram Proceribus.

Crucem Montesii Ordinis equestris; Credere possis, omnes esse Proceres ejusdem familiæ, Legum ipsarum promulgationi præsentes, licet ex Historia ægre nominabiles. Cetera Aragonicarum et Majoricensium anti- E *quitatum peritioribus definienda committo. Quod attinet ad dextri lævique loci rationem; licet inter Paralipomena ad Chronologiam Pontificiam num.* 22 *pag.* 33 *dubium fecerim, utrum latus in Regiis Franciæ comitiis potius censeatur; nullum tamen de dextro dubitandi locum his relinquit* Rex Jacobus, *num.* 276 *statuens,* ut, sicut humani corporis dexteræ partes et membra, ab ipso corpore fomenta majora suscipiunt, et majori robore solidantur; sic regales Comites, Barones, et Milites, parte dextra nostri corporis in Consilio decorentur : Prælati vero et ceteri Clerici, a sinistra suis sedibus honorentur.

ut loco digniori.

Majoricarum situs

8 *A frontali Pagina transeo ad titulos Legislatoris nostri : ac primum* Majoricas, *uno communiter nomine dictas, noto esse, duas veterum* Baleares, *Tarraconensi objectas littori in Mediterraneo, ex intervallo leucarum viginti circiter; sumpta appellatione a potiori atque majori; cum altera proprio nomine, ex ipsa quoque resumpto, vocetur* Minorica. *Hanc autem ideo fortassis a Mauris recuperasse dicitur* ALFONSUS III, *quia pro* Jacobo, *jam pridem Majoricæ Rege, ipse eam expugnavit, exercitum ducens, opibusque et copiis juvans, ut isto præclaro ac Christiano facinore regni sui initia nobilitaret. Certe vix est credibile, Alfonsi fratrem* Jacobum alterum, *qui de jure in Majoricam ipsam disputaverit cum pupillo, patrui Jacobi nepote, ultro* F *ejusdem ditioni adjecisse* Minoricam, *simul cum Constantia nepte sua habendam. Ut ut est, dubitare non possumus, quin utramque simul* Jacobus Legislator *possederit; nec tantum in Insulas Baleares jus dixerit, tamquam supremus Dominus;* sed et in insulis adjacentibus, *ut indicatur num.* 283. *Sunt autem Majori Baleari,* Capraria *ad Meridiem, ad Occasum* Draconaria; *præter ignobiles quosdam, scopulos potius, quam insulas. Quin etiam longius remotæ, interque Majoricam et Valentina littora, mediæ* Pithyusæ, *eodem videntur pertinuisse;* Ebysus *scilicet et* Ophiusa, *hodie* Yvica, *Minoricæ suppar, et* Formentera, *forte a frumenti copia id nominis adepta, quasi* frumentaria. *Atque hæc ex successione Patrui sui Sancii obtinuerit Legislator : quidni autem a patre suo Ferdinando hereditaverit* Comitatus Rossilionis et Ceritaniæ; *cum æquum sit credere, quod Jacobus I, Sancio primogenito regnum relinquens, secundogenito dimiserit Comitatus istos, jure beneficiario tenendos a Rege fratre, et posteris relinquendos; sic partitis ditionibus, ut primo genito* Sancio *relinqueretur Regnum; Comitatus, secundogenito.*

et insularum adjunctarum;

iis additi Comitatus duo

9 Monpellerii Dominium, *sive (ut alii appellant)* Montispessulani,

A Montispessulani, *ad Aragonios pervenit, cum ultima illius hærede* Maria, filia Guilielmi IV, *anno* MCCXIX *in prælio Muretano cæsi: quæ circa annum* MCC *nupta* Petro II Aragoniæ Regi, *Jacobum I ei genuit, Petri III et Jacobi I Majoricensis (ut dictum est) patrem. Omnium porro ditionum jam nominatarum situm ut oculis objectum habeat Lector, atque intelligat quam facile fuerit Aragonio, Catalauniam obtinenti, eadem occupare, topographicam ipsarum tabulam hic vide.*


et Montispessulani Dominium.



Codex a profugo auctore delatus fuit in Franciam

10 *Hæc omnia, annis jam viginti et pluribus, possidebat* Jacobus Legislator, *quando maturæ jam ætatis vir, inter trecenarium et quadragenarium, dictavit hunc Codicem; cujus elegantissimum ecgraphum, et regio descriptum splendore, ipsemet fortassis in Galliam attulit, profugus et auxilia petiturus ad amissa recuperanda; dignum sane munus, quod offerretur* Philippo VI. *tunc in Gallia dominanti. Hujus filius et successor* Joannes *eumdem regium Codicem donaverit* Philippo *secundogenito suo, constituto a se* Burgundiæ Duci; *atque ita perseveraverit liber haberi inter cimelia aulæ Burgundicæ. In hac certe eum reperisse et* C *hinc accepisse videtur* nobilis et potens Dominus, Domnus Guilielmus de la Baume, Toparcha de Illems, Eques honorarius Dominæ Ducissæ Burgundiæ; *puta* Isabellæ Borboniæ, *Philippo Bono nuptæ, et anno* MCCCCLXV *defunctæ, atque hic Antuerpiæ tumulatæ; vel neptis ejus, unicæque post Carolum Pugnacem heredi* Mariæ, *nuptæ Maximiliano Romanorum Regi, et anno* MCCCCLXXXII *Brugis in Flandria tumulatæ. Utri harum servierit* Guilliemus *præfatus, incerta mihi pendet conjectura: nam adeo breve quod utramque intercessit temporis spatium, adimit facultatem judicandi de ætate possessoris, ex chirographo, ejus manu vel jussu ad calcem libri expresso, sub ejus gentilitio scuto, hoc modo.*

inde transiit ad aulam Burgundicam,



Ce livre cy est a noble puissant seigur messire guille de la baume seignr d'illems' cher d'oneur de madame La duchesse de bourgongne

11 *Hactenus etiam rescire non potui, ipsius an alterius dono idem liber pervenerit in proprietatem Collegii ejus, quod Ruremondæ in Geldria nostra Societas habere cœpit ab anno* MDCIX. *Ibi ipsum circa annum* MDCXX *cum invenisset, antiquitatum æstimandarum scientissimus, noster* Andreas Scottus, *cum bona venia Patrum Ruremondensium, aliis quotidiani usus libris magis egentium, facta commutatione eumdem traduxit ad Bibliothecam domus Professæ Antuerpiæ, cœpitque de* E *ejus editione conferre per litteras cum P. Andrea Moraghes, Majoricensi in Collegio litteris et eruditione conspicuo, editisque in lucem poematis Elegiacis noto. Sed hic per sua rescripta, adhortationis ac laudis multum, consilio tali adjecit; auxilii vero omnino nihil, propterea quod ibi nulla memoria talium Ordinationum inveniretur, nedum exemplum: et titulus* Secundi *multum ambiguitatis Moraghio pariebat. Immortuus interim cogitationi præclaræ est Scottus anno post nono, eodem quo etiam* Heribertus Rosweydus, *designatus a se pridem Sanctorum Actis: et relicta ab utroque manuscripta tradita* P. Joanni Bollando *sunt. Huic, inter magni operis jacienda fundamenta, ac porro educenda in lucem, non vacabat animum alio divertere: quapropter, edere ipsum atque illustrare volenti* Joanni Jacobo Chiffletio *prælaudato, haud ægre concessit, verum hic quoque aliis urgentioribus distentus, nihil ultra promovit, quam ut aliquas de Balearibus notitias,* F *ex veteribus scriptoribus raptim colligeret in schedam, postea digerendas in formam Præfationis. Præmissas etiam duas genealogicas tabulas ordinavit, ac seriem Rubricarum, in quas liber dividitur.*

ac denique Ruremunda Antuerpiam circa 1620;

cujus editio a Scoto et Chiffletio cogitata,

12 *Ita in Museo nostro delituit liber, curiosioribus ad illud subinde admissis monstrandus, donec provecto ad medietatem opere, expertus ego, quam gratum saporem quatuor a me editis mensibus apud Eruditos dedissent quædam hujusmodi rariora veteris litteraturæ monumenta singulis addita tomis; cœpi cogitare, istud quoque gratum fore* Augustissimo Imperatori, *Juniu et seculurorum eatinde mensium se Patronum professo, aut ejus filio Serenissimo, Romanorum atque Hungariæ Regi; maxime si ad argumenti curiositatem accederet ornatus a sculptura, qui a pictura dari non poterat tot exemplaribus imprimendis. Igitur præter libri frontem, sculpi etiam jussi titulares icones, secunda ac reliquarum partium initiis præfixas, restrictis tamen ad quantitatem librorum nostrorum latitudine ac longitudine, in membraneo codice aliquantum amplioribus: tum aliis in laminis collegi expressas cujusque officii iconismos, quales includebantur initialium ad singulas Rubricas litterarum formis; quas tamen formas superfluum duxi pariter totas exprimere, cum ex tribus, integre in lamina secunda exaratis, reliquarum omnium figura satis posset intelligi.*

nunc demum suscipitur;

additis ex originali iconibus.

Ex illo Petrus Rex suas leges accepit,

13 *Quo tempore istis sculptor occupabatur, et transscribendo ad prælum codici intendebat librarius; libuit datis in Catalauniam litteris solicitare eruditissimum Principem, nostrique studii fautorem singularem, Excellentissimum D.* Alexandrum II, Bournonvillæ Ducem etc. *tunc Regiorum ibidem armorum Capitaneum generalem, si forte, quod frustra Scottus tentarat, per ipsum posset obtineri notitia aliorum, istis in partibus servatorum exemplarium. Nec vero infra dignitatem suam esse duxit ille, eruditos alibi viros ad operam conferendam invitare, atque præ aliis,* D. Petrum Valerium Diaz, *præcipui nominis in supremo Arragoniæ Senatu Consiliarium et Magnum Justitiarium, cujus ibi post Vice-regem prima auctoritas est. Hic, dum Barcinone, Valentia, et Majorica plurium expectat responsa, penes se esse indicavit exemplar MS. similium Ordinationum, a prænominato* Petro IV *Aragoniæ Rege anno* MCCCXLIV *editarum, lingua vulgari ejus ævi. utque appareret, eas magnam partem transsumptas esse, ex isto quem tractamus Regis Majoricensis libro; misit initium Procemii, non quidem ipsa originali lingua (cujus transscriptio operosior erat, cum tempore tamen promittebatur integra) verum ex versione ejusdem in linguam Castellanam, facta anno* MDLXII *a Protonotario* Michaele Clemente, *de mandato* Caroli Austriaci, *primogeniti Regis Hispaniarum, cum officiosa ad Principem ipsum Epistola, quam sic Latine reddo.*

Catalana lingua promulgatas an. 1344, 1562 et anno in Castellanam traductas

14 Anni tres sunt, quod Celsitudo Tua imperavit mihi Vallisoleti, ut sibi exhiberem librum Ordinationum domus Regalis Aragoniæ, quem, ratione officii mei in his tuis regnis, sub mea custodia servo. Cumque eum penes se habuisset diebus aliquot Celsitudo Tua, eum remisit ad me, jubendo, ut ejus exemplar ipsi describerem, nec non traducerem eumdem in linguam Hispanicam, ex veteri Catalauna; seu potius Lemovicina, qua scriptus est liber, et cujus tunc usus erat in Curia Regis Petri, cum Leges istas compilari fecit. *Et paulo infra.* Huic Regiæ tuæ jussioni obediens, ut teneor, mitto transsumptum, ex ipsa lingua originali, eodem tenore et ordine quo præd. Sereniss. Rex Petrus ipsum collegit, sicut in Proœmio profitetur, et quemadmodum servatur in archivio Barcinonensi, manu ejus correctum et consignatum. Primus labor, licet fuerit solius transscriptionis, tamen magnus fuit, propter linguæ vetustatem; multo autem major fuit labor traductionis ex lingua, ipsismet Catalanis difficili, eo quod vocabula complura jam desierint usurpari, phrasis autem multum ex eo tempore variata sit. Conatus sum tamen, ut melius, potui obedire etc.

Hujus quoque ectypum sperabatur;

15 *Nihil propius erat, quam ut, accepto sic istius codicis (quem in plerisque convenire cum priori indiculus Rubricarum nobis transmissus indicabat) collatis inter se textibus, vel utrumque conjunctim pararem prælo (nam etiam exoletarum jam linguarum monumenta, non modicam habent apud litteratos gratiam) vel unum ex altero pro modulo meo illustrarem; cum Excellentiss. Ducis nuntiata mors, quæ annis postea paucis contigit, omnem ejusmodi spem elisit; abrupitque commercium litterarum, quod mihi cum D. Valerio esse cœperat, ipso mediante. Volui quidem aliquoties deinde cum ipso agere immediate; sed quascumque litteras Cæsaraugustam postea dedi ad humanissimum virum, et cuncta bona officia pollicitum, non invenerunt aut istic præsentem, aut in vivis agentem; certe responsum nullum perlatum huc fuit, neque ab ipso, neque a nostris quibus rem commendaveram Patribus; ut dubitare possim, an, ardente istic bello inter Hispanos ac Francos, transitus satis tutus litteris fuerit. Neque pax tandem constituta hactenus mihi dedit commoditatem plus aliquid obtinendi, aliis urgentioribus rebus curandis occupato.*

cum Majoricensi conferendum:

16 *Ad gustum interim aliquem secundi istius Codicis dandum, non gravabor Prologo primi Codicis subjungere Prologum secundi, sicut eum accepi; ut cum utrobique eumdem sensum viderit lector, ipse apud se statuat, utrum* Rex Petrus *Leges* Jacobi *in suum converterit usum, an vero uterque communem unum fontem habuerit, puta antiquiorem aliquem Aragonicarum Observationum Codicem, eumque Latine conscriptum, qui nunc frustra requireretur, et cui uterque addiderit, detraxerit, vel mutaverit, quod visum sibi fuit. Jacobus certe num. 4 Prologi;* De dudum servatis observantiis, *inquit,* aliquas innovavimus, adjiciendo eisdem, vel detrahendo aliquid vel supplendo, et quandoque tollendo penitus vel immutando, prout rerum utilitas potior, vel status nostri convenientia decentior faciendum postulat et requirit: *quæ verba, totidem verbis Catalanicis, exprimuntur in Prologo Regis Petri.*

sed, eo non comparente, datur simul uterque Prologus.

17 *Utræque autem Leges, non solum informant Ministros domus Regiæ, quid cuique in suo officio agendum, quid cavendum sit; sed etiam testantur Regum ejus temporis virtutes insignes, puta studium servandi puritatem conscientiæ Christum honorandi in suis pauperibus, omnem a subditis injuriam arcendi, curandi decorem officii ecclesiastici, suumque cuique tribuendi, et cetera. Hinc num. 185 statuit Rex Jacobus, ut* Directores conscientiæ regiæ *(quos vult esse Episcopos aut Doctores)* scientes vere, aut ab aliis audientes aliqua, *ipsum* quoquomodo facere, vel fecisse quæcumque, quæ secundum divinas regulas, justæ conscientiæ aliquatenus adversari opinentur, *sibi* illa... dicere seu scribere teneantur, suo arbitrio fideliter consulentes. *Ac num.* 200 Confessarium, *inquit,* nostrum, adstringi volumus, ut nos solicitet ad opera pietatis, et ad ea quæ devotionem introducunt; ut si videt quod omitteremus aliqua, ex iis præsertim quæ insuevimus facere, forsitan ex oblivione vel alias; debeat nobis hæc ad memoriam reducere, et interdum nos increpare secrete, specialiter si (quod absit) viderit nos aliquid facere vel dicere, quod in Dei offensam posset cedere quovis modo. *Hinc est quod num.* 140 *Servientibus armorum, personam regiam foris versantem comitaturis, sic mandat:* Quando Nos venando vel itinerando damnum bladis vel vineis dederimus, ut ipsi fideliter super hoc provideant... se informando de damno ad quantum poterit ascendere: et deinde tam Nos quam Confessorem nostrum et Directores conscientiæ solicitare ne obliviscantur, donec effectualiter per Nos fuerit satisfactum.

Relucet autem in hisce Legibus magna cura conscientiæ,

18 *Ad pauperes quod attinet, quam humiliter eos ac reverenter tractaret, apparet num.* 112, *ubi ait:* Cum aliquo casu impediti pedes pauperum abluere, quolibet die jovis, ut consuevimus, minime convenienter poterimus, tunc Nobilis *Camerlingus*, aut ille de Militibus qui prioritate in officio gubernabit..... loco nostro præfatam ablutionem peragat in nostra præsentia, si commode fieri potest: ut quæ impediti non facimus, ad minus videndo ad devotionem provocemur. *Ex numero autem* 432 *intelligitur Pauperes fuisse* septem.... *et* in illa die jovis, in qua Salvator noster, nobis exemplum relinquens Apostolorum pedes lavit, tredecim: *quibus et eleemosynam insuper dandam definiverat, numero* 16 *ordinans, quomodo per* Majorem Domus *nobiliorem*, aqua et alia necessaria debeant ministrari, quando, *inquit,* in Palatio manus pauperum in mensa existentium abluemus, instructi divinis exemplis et doctrinis. *Pro captivis solicitus, vult num.* 191 *ut Auditores regii, uterque vel eorum unus,* una die cujuslibet septimanæ, et carcerem accedere sint adstricti, et ibi videant incarceratos, eorum querimonias cum patientia audientes; et omnia ad statum propitium reducentes, diffugia judicialia nitantur penitus evitare;

pauperum,

tare ; ut eosdem incarceratos, convictos velox pœna subducat ; aut liberandos carceralis custodia longa non deprimat perperam et injuste. *Quod attinet justitiam, sine ullo cujusquam, etiam ipsius Regis respectu administrandam ; pulchrum est, quod suo Thesaurario mandans prompte solvi pecuniam, ad quam forte Procuratores sui regio nomine damnati fuerint, num.* 240, Rationi, *inquit*, consonum est, ut de Nobis ipsis aliis promptam exhibeamus justitiam, qui etiam alios ad hoc cogimus, prout ex debito adstringimur et tenemur.

captivorum, justitiæ ;

19 *De studio religionis et sacrorum cultu quid dicam?* Cum Nos, *inquit* 199, Horas dicemus, debebit *Confessor* eas nobiscum dicere : *et num.* 203, si ex oblivione vel aliquali negligentia tardaremus vel omitteremus forte ministerium divinum audire ; *Sacerdotes ad Capellam deputati*, debebunt nobis ad memoriam revocare : et si forte talem infirmitatem pateremur, quod non posset cum decentia dici solenniter coram nobis ; eo casu caveant non omittere, quin saltem coram janua cameræ nostræ dicant omnia solenniter, ac si plena frueremur corporis sanitate, ut saltem laus divina minime omittatur. *Eadem solicitudine itineranti similia curari sibi ibidem mandat. Neque communi pro tempore Officio contentus, jubet num.* 428 Omni tempore, quo non sint Missæ solennes cum Diacono et Subdiacono, post finitam Missam dicatur Officium sive Missa sicca B. Mariæ.... nisi esset dies Sabbati, qua post Missam principalem dicatur. Et idem, *inquit*, diebus Veneris volumus observari, si Missa major de Cruce non fuerit celebrata.

divini cultus, B. Virgini et S. Crucis,

20 *Non posset sane Ceremoniarum Magister aliquis, aut Rituum sacrorum Præses, accuratius definire regiæ capellæ ordinem, quoad qualitatem aut colorem paramentorum, luminarium numerum, iconum, crucium, textuum, candelabrorum etc. dispositionem in altari, quam facit Rex Jacobus pro omni sigillatim festo.*

Rituumque sacrorum.

21 *Considerationes etiam valde pias admiscet iisdem sanctionibus super colorum distinctione, oblationum numero et qualitate, aliisque hujus generis, de quibus agit num.* 264, 363 *et sequentibus : universim autem sic præfatur num.* 365 Non erubescendo Reges prioribus temporibus, de divinis se intromittere officiis ; ea quæ necessaria cultui divino inerant, ordinarunt.... *Nos quoque* ut de ordinatione nostræ Capellæ ordinemus, verecundari non debemus ; sed potius ut servitium ipsius, qui voluntarie nobis honoris statum conferre dignatus est, in nostra præsentia fiat, adstrictos Nos necessario recognoscimus.

PROLOGUS SIVE PROMULGATIO

CONSTITUTIONUM SIVE ORDINATIONUM ATQUE LEGUM

Editarum per Illustrissimum Dominum

D. JACOBUM II

Regem Majoricarum, Comitem Rossilionis et Ceritaniæ, atque Dominum Montispelerii,

Super bono statu et regimine atque ornatu et justitia Sacræ suæ Domus Regiæ.

JACOBUS, Dei gratia Rex Majoricarum, Comes Rossilionis et Ceritaniæ ac Dominus Montispelerii, ad perpetuam rei memoriam.

1 In recta dispensatione regiminis hoc propensius solicitudini præsidentis incumbit, ut ad res gerendas et officia gubernanda idoneos ministros instituat, quibus singulis singula officia diversis temporibus committat : servatis tamen solerter ut convenit, juxta officiorum exigentiam, gradu debito ac congruenti ordine ministrorum : sic enim cunctorum officiorum decenter geretur administratio, si debitus inter ministros differentiæ ordo servetur : quo videlicet minores potioribus pareant, majoresque minoribus directionem in deviis zelo sinceræ dilectionis impendant.

Recta administratio requirit varietatem officiorum :

2 Porro non minus in officiorum distributione debet attendi, ne uni soli quantumlibet exercitatæ personæ plura simul committantur officia. Nec enim facile putandum est, unam personam pluribus officiis recte gerendis sufficere, cum vix possit aliquis unum dumtaxat diligenter explere. Quippe si unius gestioni affuerit, alterius se habet de necessitate subtrahere ; sique in utrumque festinaverit, neutrum peragere sufficiet ut deceret. Adhuc autem, cum singula ministeria sunt per singulos distributa, is quidem qui ad peragendum qualevis officium se specialiter deputatum fore perpenderit, curiosius illi insistet, diligentius ingruet, reique gerendæ periculum sibi esse magis formidabile recognoscet. Insuper etiam officiorum varietas, in diversas distributa personas, venustatem quamdam ac decorem in regimine repræsentat : pulchra enim admodum et placida est regiminis dispositio, cum varietates officiorum sunt in personas totidem distributæ ; ad instar humani corporis ; in quo siquidem ex membrorum varietate ad diversa deputatorum officia, resultat elegans totius corporalis pulchritudo.

nec convenit uni plura officia committi, sed singulis singula,

3 Sic etiam exemplo Regis regum nostri Salvatoris instituimur : qui, secundum veridicam Apostoli sententiam, gratias prout vult diversas diversis distribuens, divisiones operationum divisionesque ministrationum esse disposuit : ipse autem verus Rector et Dominus omnia solus in omnibus operatur. Ipsius igitur ducti exemplo, cujus omnis actio debet nostra esse instructio, in præsentiarum decernimus, singula Domus et Curiæ nostræ officia separatim per se distinguere : et quæ unicuique pro debito sui incumbant officii ; quidve quisque agere, regere seu administrare debeat ; et quam, et in quibus personis, rebusque et casibus habeat potestatem ; nec non et qualiter, quando, et quomodo singuli in suis debeant servire officiis, seriatim disponimus ordinare : ut sic promiscuis actibus rerum non conturbentur officia, quatenus suo quisque fruatur decenter officio, nec passim vel indebite se immisceat alieno : utque etiam unusquisque minister officii in agendis reddatur instructior, ac per hoc ad peragenda illa quæ suo incumbunt regimini diligentiorem solito curam gerat.

exemplo Christi ; singulis autem aptæ præscribendæ leges

addendo vel demendo veteribus quædam.

4 At vero ultra morem prædecessorum nostrorum aliqua noviter superinducimus officia, ac insuper quibusdam antiquis officiis plures solitos personas adjunximus, et de dudum servatis observantiis aliquas innovavimus, adjiciendo eisdem, vel detrahendo aliquid, vel supplendo, et quandoque tollendo penitus vel immutando, prout rerum utilitas potior, vel status nostri convenientia decentior faciendum postulat et requirit. Sane in quatuor principaliter Officiales regimen Curiæ nostræ divisimus, qui quidem in gerendis officiis præcipui [essent, et quibus ceteri submittentur.

Omnia autem rediguntur ad quatuor suprema,

5 Majores enim domus nostræ seu Magistri hospitii, qui generalem in omnes et quoslibet qui de domo et familia nostra sunt], et in illorum familias omnimodam jurisdictionem habebunt, tam in criminalibus quam in civilibus causis, [secundum modum et formam suo loco in ipsis nostris Ordinationibus annotatam ; et in hoc omnibus Officialibus aliis eminebunt ; sed et specialiter sub se habebunt omnes familiares domus nostræ ; qui tamen Camerlingis, Cancellario vel Magistro rationali minime sunt subjecti. Praeterea Camerlingi, quo ad personæ nostræ custodiam et familiarem assistentiam, potiores omnibus censebuntur : qui et omnibus præerunt Officialibus, aliquod officium in camera nostra seu reposito exercentibus, ac insuper iis qui ad immediatum personæ nostræ servitium nobis familiariter obsequuntur.

scilicet Majoriisdomus

Camerlingi

6 Insuper autem Cancellarius, quoad ordinationem consilii, ceteros antecellet : qui etiam omnibus specialiter præerit litteratis et clericis, qui in cancellaria nostra vel alibi quævis nostra officia subministrant. Demum vero Magister rationalis, quoad administrationem nostri patrimonii, vel cujuscumque pecuniarii commodi procurationem, et quoad solicitandum illos qui habent talia procurare, omnibus major erit, et iisdem ipsum præesse declaramus : de quibus omnibus, secundum suum ordinem, et iis quæ circa ipsos ordinamus, de singulis seriose in primis nostris Ordinationibus est insertum.

Cancellarii

et Magistri rationalis,

7 Quas quidem Ordinationes nostras, in nostroque consilio plene lectas, prout in scriptis nostro mandato redactæ sunt, ab omnibus, prout cuique congruit, districte præcipimus observari. Si quæ autem observationes vel ordinantiæ extent inde, dummodo non obvient hujusmodi nostris Ordinationibus, illas ex his non intendimus revocare ; immo eas, quoad omnia quæ ipsis nostris contraria non fuerint, volumus observari. Datum in civitate Majoricensi, sub Bulla nostra plumbea, septimo Idus Maji, anno Domini MCCCXXX septimo.

sicut hic promulgantur.

PROLOGUS AD LEGES PALATINAS

PETRI IV, *alias* III, ARAGONUM REGIS

lingua Catalana promulgatas Anno Domini 1344

Ex autographo Barcinonensis Archivii.

Ordinations fetes per lo Senyor en Pere terc, Rey d'Arago, sobre lo regiment de tots les Officials de la sua cort.

Nos en Pere, per la gratia de Deu Rey Darago, de Valencia, de Mallorcha, de Cerdenya, e de Corcega, e Conte de Barçelona, de Rosello, e de Cerdania.

1 A memoria eternal e dreta dispensatio de regiment, molt se pertany a la diligencia del President, que a les coses faedores tals officis regidors, sufficiens officials a ordonats quals officials singularment, e departida sengles officis a cascun coman a regir. Servat empero diligentment, segons que pertany, e segons que la manera dels officis o requer, grau degut, e convinent orden dels officials. E axi convinentment seran aministrats e regits los officis si orde degutes servat de diferencia entrels officials, ço es quels menors als mayors obeesquen, e quels mayors als menors, en ço que falliran o fallir poran, corrigen.

2 En apres se deu haver esgart en la distributio de sengles officis, que a una persona, quant que sia exercitada e apte, non sien ensemps comanats molts officis : per tal cor no es leu de creure, que una persona a molts officis ben regir puga bastar, con envides negun non puga a un tan solament ben complir. Per tal cor quant al regiment de un entendre, del altre de necessitad se havra a tostrer. E axi volem en cascun entendre, nenguno complira segons ques pertanyera. En cara con sengles officis son per sengles officials distribuits, aquell qui specialment pena sara si esser a qualque sia offici deputat, pus curosament e pus diligentment en aquell atendra, sab de la cosa a ell comanada lo perils a el pertanyen, pus temerosament regonexera. Et encara que varietat de officis en diverses persones distribuyda noblea alguna e bellea, en lo regiment representa. Corbella e placent es disposicio de regiment, quant les varietats dels officis son en atretantes persones distribuydes a semblança de cors human, en lo qual per varietat de membres ha diverses deputats resulta elegant bellea de tot lo cors.

3 En axi encara per exempli del Rey dels Reys Salvador nostre som instruits, qui segons la vera sentencia del Apostol, les gracies diverses segons que ell vol a diverses distribuen, divisions dobres, e divisions administrations esser disposa. E ellempero ver regidor e Senyor tot sols en tots obre. Emperamor daço per exempli dell enseyants, del qual tota actio deu esser nostra instructio, de present havem ordonat sengles officis de nostra casa e cort, separadament per si divisir : e que pertanyera a cascun per deute de son offici, e que havia cascun aser, regir, e ministrar, e quin poder havra e en quals persones, e en quals coses, e en quins cases, e encare en quinya manera, e quant, e con cascuns en sos officis, ordonadament degen servir, havem disposat e ordonat, per tal che axi que mesclant los fets de les coses la un ad altre, les officis no sien torbats, e cascum puscha convinentment usar de son offici, e que indiferentment, o no degada, nos mescle en offici daltre. E encara que cascun ministre dofficì en les coses faedores endevenga plus instruit, e encara per so que ales coses faedores, que a son regimen pertanyen, pus diligent cura haia que no havia.

4 E oltra la usança de nostres predecessors alcuns officis, novellament havem ordenats, e a alscuns antichs officis mes persones que no era acostumat, havem ajustades, e de les observacions ça entras servades alscunes naves innovades, ajustant a aquelles e destrahents alscunes coses, o suplent, e alscunes vegades removent de tot omudant, segons que la utilitat de les coses mes val, o la convenencia pus decent de nostre estament faedor, o demana, e requer.

5 E certes en IIII Officials principalment lo regiment de la cort nostra havem devesit, los quals en los officis regidors pus senyoreyants seran meses. Com los Majordomes nostres, en tots, e sengles qui de Casa nostra e de la Companyona nostra seran, e les Companyes generalment havran, axi com a majors en nostra hostal o cort, segons la manera e forma en son loch en nostres Ordenacions annotada. E en asso a tots nostres Officials seran majors : mas empero en especial sots si havran tots los familiars de casa nostra, los quals empero als Camarlenchs o al Canceller, o al Maestre racional no seran sotmeses. En apres los Camerlenchs, quanta custodia e a familiar assistencia de nostra persona, pus poderoses de tots altres seran enteses, qui denant seran a tots altres officials alcun offici en la camera nostra e rebots exercents. Et encara qui a serveyseus miga de nostra persona a nos familiarment estanen torn.

6 En apres lo Canceller, quanta ordonacio de nostre Consell, sobre tots los altres sero, lo qual encara denant sera en especial a tots litterats, e clergues, qui en nostra Cancelleria, o en altre loch qualsque officis nostres ammistraran. En apres lo Maestre racional, quant al ammistratio de nostre patrimoni e de qualque altre procuratio de prosit pecuniari, e quant a sollicitar aquells qui seran ay tals coses a procurar, a tots sera mayor, e ell davant esser a els declaram. Dels quals tots segons son orde, e daquells qui en torn dells avem ordonat de cascunas per orde, en les nostres ordinations es insert

7 Les quals nostres Ordinations e en nostre Consell plenament lettes, segons que enscrit de nostre manament son posades, per tots segons que a cascun se pertany, destretament manam esser observades. Esi alcunes ordinations o observations estan daqui, sol que no contrasten a aquestes nostres ordinations, aquelles per aquestes revocar no entenem, ans aquelles, en tot ço que a les dites nostres ordinations noseran contraries, volem esser observades. Dat. Barchn XV. Kalend s Novembris. Anno Dni, M. CCC. Quadragesimo IV.

SYLLABUS RUBRICARUM

Pro majori Lectoris commodo collectus, additis cuique etiam numeris, qui in autographo regio desunt.

A 10 De taxationibus Litterarum.
11 De Beneficiis conferendis.
12 De ordinatione Capellæ.
13 In Vigilia, [et die] Navititatis.
14 In die S. Joannis Apost. et Evang. Circumcisionis, Epiphaniæ, Conversionis S. Pauli et Cathedræ S. Petri, Ramis palmarum, Jovis cœnæ Domini, in Parasceve Domini, in Vigilia et die resurrectionis Domini. die Lunæ et Martis sequentibus de festo Inventionis S. Crucis, de Inventione S. Michaelis, De festo Ascensionis Domini, Vigilia et die Pentecostes, ac die Lunæ et Martis sequentibus, Corporis Christi, Nativitatis B. Joannis Baptistæ, S. Annæ, Transfigurationis Domini, Exaltationis S. Crucis, in Dedicatione S. Michaelis, in die omnium Sanctorum, de Mortuis, Passionis Imaginis Domini, de Trinitate, festivitatibus B. Mariæ, Martyribus, Confessoribus, Virginibus; Octavis festorum Domini, Beatæ Virginis, et aliorum Sanctorum: diebus Sabbatinis, ferialibus diebus. Quatuor temporibus. *Singula per singulas Rublicas usque ad Rub. 48 scriba omissam, quam ex contextu apparet sic scribendam fuisse;*

B 48 [De Paramentis, Processionibus, Incenso, Officii beatæ Virginis.]
49 De helemosina, per Helemosinarios distribuenda.
Incipit octava particula de Ordinationibus ad officium Magistri rationis, et sibi subjectos pertinentibus.
De Fallis ℞ 1.
2 De loqueriis animalium.

*Confer nunc cum præmissis Rubricas sive Titulos Ordinationum Aragonicarum Regis Petri, ex versione Hispanica Protonotarii Michaelis Clementis, sicut eas accepi, et ex apposito numero disce, cuinam Rubricæ Majoricensis libri respondeant singulæ: ex signo autem * distingue eas quæ non in hoc sed in isto reperiuntur, additæ a Petro, qui potissimum sibi indulsisse videtur, in festis multiplicandis, ut hic vides.*

FABRICA DA LOS CAPITULOS

el libro de las Ordinaciones del Rey don Pedro, fecho en Barcelona as 8 de Ottubre anno 1344.

PARTE PRIMERA.

De los Major-domos. 1
De los Coperos 2
De los Botilleros Mayores. 3
De los Botilleros comunes. 5
De los que traen aqua ala Botilleria. 6
De los Panaderos mayores. 4
Del que masa el Pan *
De los Escuderos que cortan delante el S. Rey. 7
De los Sobre cocineros. *
De los Cocineros mayores 10
De la plata de la Cocina del S. Rey. 11
De los Cocineros comunes. 12
Del Dispensero 13
Del Menuerer o Repartidor. *
De los Argentarios de la Cocina comun. 14
Del Aguador de la Cocina.
De los Escuderos que traen los manjares 16
Del Comprador 9
De los Cavalmizos. 17
Del Alveytar 17
Del Agente depie. *
Del Alconero mayor. 21
De los Alconeros. 22
De los Cazadores o Perreros. 23
De los Sobre-Acemilleros, y del sota-smillero. 26
De los Azemilleros. 27
Ee los Tannedores. 28

D

SEGUNDA PARTE.

Del officio de los Camareros. 1
De los Escuderos de Camara. 2
De los Ayudantes. 3
Del Barbero. 4
Del Phisico 5
Del Churugiano. 6
De los Escrivanos. Secretarios. 7
Del Armero Real 11
De la Guarda de las tiendas. 19
Del Sastre y sus Ayudantes. 12
Del Boticario 14
De los Reposteros mayores 16
De la Custurera y su Ayudante. 13
De los Reposteros comunes. *
Del Barendero del Palacio y del que laba la plata. 20
De los Uxeres de Armas. 8
De los Porteros de maza. 10
De los Porteros en la puerta principal. *
Del Aposentador. 17
De los Alguaciles. *
De los Ministros del Alguacil. *

TERCERA PARTE.

Del Canciller 1
Del Vice-canciller, 2
Del Proto-Notario tiniente de los sellos. * E
De los Escrivanos de mandamiento. 3
De los Ayudantes de la escribania. *
De los Mensageros de vara. *
Del Escalentador de cera. *
De los Selladores. *
De los Promovedores. 6
De los Enderezadores de la conciencia. 4
De los Oydores 5
De los Porteros y Sotaporteros de los Oydores. *
Del Confessor. 7
Del Abad de Santas Creus. *
De los Monjes de la Capilla. 9
De los Limosneros. 10
Del Escholano de la limosna. 11
De los Correos. 13
Del Servidor de la limosna. 12

QUARTA PARTE.

Del Maestre Racional. 1
Del Lugarteniente y Escrivanos del Maestre-Racional. 2
Del Thesorero 3
Del Lugarteniente y Escrivanos del Thesorero. 4
Del Escrivano de Racion. 5
Del Lugarteniente del Escrivano de Racion. 6
De los Combites. 1
De las viandas. 2 *Pars V,*
De la manera de dar las raciones. *
De los frenos y otros aparejos de cavallos. 3
De los vestidos y otros atavios. 1
De las ofrendas 2 *Pars VI,*
De las honras que pertenecen hacerse algunos 3 F
De las frutas que se han de servir enea mesa. 4
De las lumbres de la Real Corte. 5
De la luminaria quando se celebra por difunto. *
De la plata de la Corte Real. 6
De los Consejeros. 1
De la manera de asentarse y proponerse en Consep. 2 *Pars VII,*
De los servicios 3
De los salarios de Comisarios. 4
De la manera de escrivir a diversas personnas. 5
De la manera de sellar con sello de cera y bulla. 9
De la tassa de las cartas y letras R. 10
De los beneficios que se oviesen de dar. 11
De la ordinacion de la Real Capilla. 12
De la Vigilia y Navidad de nostre Segnor.
De la fiesta de San Juan Evangelista.
De la fiesta de la circuncision de nostre Segnor.
De la fiesta de los Reyes
De la conversion de San Pablo.
De la Cathedra de San Pedro.
De la fiesta de Ramos
Del Juebes de la Cena.
Del Viernes Santo.
De la vigilia del dia de la Resurrexion de nost. S.
Dellunes y Martes siguientes.
De la fiesta de la Invencion de S. Cruz.
De la fiesta de la Ascension de nostre Segnor.
De la Vigilia de Pentecostes, y del dia y Lunes y Martes siguientes.

Del


Scutelliferi Regii
Aquæductor Botelleriæ 6
Aqua-portitores Domest 15
Marescallus equorum 19
Falconerius minor 22
Venator 23
Zomblerius maior 25.27

His præmissis redeo ad codicem Majoricensem; cujus Rubricas seu Titulos currenti charactere exprimam; textum autem, sicut in Prologo cœpi, pergam more nostro distinguere in numeros seu paragraphos, licet ipse codex aliam nullam intersectionem noverit quam Rubricarum; nisi quod in principio adhibeantur hæc signa ¶ alternis, rubro cæruleoque notati; pro quibus porro pingendis spatia relinquuntur vacua: sed nec hoc constanter observatur, et fere ad arbitrium transcribentis, nobis non magni faciendum. Hunc vero sicubi appareat voculam aliquam omisisse, non verebor eam supplere ex proprio, inter hos [ ] uncos, ut alias sæpe, pro majori legentium commodo. Nunc ergo *Incipiunt Sanctiones Regiæ, sacram ipsam domum concernentes: et primo de officio Majorum-domus sive Hospitii magistrorum, et eorum qui immediate eis subjacere dignoscuntur.* E

INCIPIT PRIMA PARS.

9 *De officio Magistrorum hospitii sive Majorum-domus* ℟. I.

Major-domus sit Miles nobilis,

Utilitatem et ornatum nostræ Curiæ regiæ concernentes, cogitamus quam plurimum expedire, ut quædam, quæ per Majorum-domus sive Magistrorum-hospitii officium olim debite observata sunt, absque Constitutione regia constitentia, nostræ auctoritatis præsidio approbentur; et quæ alias incongrue observata, corrigantur remedio, nostræ Serenitatis provido consilio, introducto. Unde hoc edicto decernimus observandum, quod in nostra Curia regia unus nobilis Miles et duo Milites, Majorum officio, seu hospitii Magisterio, illustrentur. Inter hos vero unum nobilem Militem fore congruit evidenter: quia cum quædam ex iis, quæ expedienda istorum incumbunt officio, sint magnifica et majora; exercentis officium statum exigunt celsiorem. Expedit etiam duos esse Milites, decoratos officio memorato. Quia cum frequenter propter multa contingere possit, unum ex eis cui serviendi continue necessitas imponitur, ob necessitatem vel alias quomodocumque abesse; [convenit ut] per præsentem et remanentem officia valeant adimpleri, nec absens habeat alteri committere vices suas: nam tanta et talia non debent per aliquem expediri, nisi per unum ex iis, quos ob eorum singularem industriam exploratis eorum fide et gravitate, ad hujusmodi officii magnitudinem adhibemus. Præfati autem Milites dicto Nobili obtemperabunt, in iis quæ concernunt eorum officia, per omnia ut Majori.

cui duo, Milites adjungantur, C *et ejus impediti vices suppleant.*

10 Horum quidem officio injunguntur officia quæ sequuntur. Major-domus namque seu Magister-hospitii, serviens secundum voluntatem nostram, quam scire die qualibet teneatur, pro persona nostra cibaria faciat præparari; sitque solicitus cum effectu, quod dicta cibaria et alia in nostro palatio ministranda, sint hora congrua præparata. Faciat etiam nobis * mandantibus in nostro palatio mensas poni, et alia ibi necessaria expediri. Et cum ad mensam erimus proxime accessuri, suscipere non differat nostrum jussum per quem, quas personas, et quo ordine in nostra mensa sedere debeant, imponatur. Coram Nobis etiam, euntibus causa comedendi ad palatium et redeuntibus, incedere teneatur vadatque ad coquinam cum uno Serviente armorum *a* et nostris Scutiferis, *b* ad deferendum cibaria deputatis.

Illi incumbit cura ciborum, *an manducantibus? ad mensam inferendorum:* a b

11 Et ut omnis occasio miscendi noxium in nostris cibariis cuicumque facinoroso homini auferatur, cum suprema diligentia per præmissos, non tantum probatæ fidelitatis intuitu, nostræ vitæ pericula evitantes, imo etiam vitæ propriæ periculum imminere non modicum concernentes; et ut, si præfata perniciosa mixtio fieret a quocumque, tanti facinoris insania maculato, valeret discerni antequam dicta cibaria ad nostram mensam pervenire; volumus et jubemus, ut dictus Major-domus seu Magister-hospitii ante omnia in coquina, a Coquinariis ac Emptoribus et Sub-emptoribus [aliquid] ferculorum omnium quæ nobis sunt deferenda, diligenter faciat degustari; et deinde ipse idem Major-domus sive Magister-hospitii de eisdem cibariis gustum ibidem facere non omittat: demumque Camerlengo vel Scutifero cameræ, si ibi præsens fuerit loco Camerlengi, det de illis ad gustandum.

eosque prægustandi *quod etiam faciet Camerlingus;* F

12 Ipse autem Major-domus rediens de coquina, sequatur Scutiferos cibaria deferentes: quos quidem dictus Serviens-armorum antecedat: idemque Major-domus diebus festivis atque conviviis subcriptis scutellam nostram deferat, et sumpto gustu coram nobis apponat: et si ultra scutellam quam ipse portavit nulla alia sit, tunc etiam incisorium vel incisorios, coram nobis primitus sumpto gustu; et dato illi seu illis qui ipsum vel ipsos cisorios portaverint, ponere non omittat: si autem alia scutella fuerit quam sua posita, nihil aliud ponere teneatur. Et hoc ab eo fieri volumus in quolibet cibario, quod in nostra comestione deferendum et apponendum fuerit coram nobis; et in casu quo aliquod ferculum ad nos esset deferendum per unam personam tantum, illam esse volumus Majorem-domus sive Magistrum-hospitii supradictum, qui illud deferat et apponat coram nobis, per eum facto gustu.

idque ad singula fercula,

13 Etiam volumus quod nostro Botellerio sive Sub-botellerio, de pane et vino et aliis quæ in nostram mensam ex suo officio ministrandi causa pro nobis, de illis, antequam nobis in mensam vel alias ministrentur, curet dare gustum, et ipsemet degustet; pari modo et Camerlengo vel Scutifero-cameræ, si

prius autem degustari eos faciat a Botellerio.

A si ibi præsens fuerit loco Camerlengi, det postea ad degustandum. Habeat etiam nobis comedentibus per palatium incedere, et providere ut sit victualium nec non aliarum rerum exuberantia, conveniens Regiæ majestati; et ut ordo debitus in palatio circa omnia observetur; et si defectum videat quoquo modo, deficientes corripiat, modis congruis observatis. Prædictus vero Major-domus serviens virgam deferat, tamquam signum indicans præcipiendi auctoritatem, serviendi exercitio congruentem. Per ipsum insuper nobis administretur panis et alia cibaria mensæ, ad officium Apothecarii vel Fructerii pertinentia, si aliquo casu ultra mensam comedere nos contingat.

Idem virgam ferat signum potestatis,

14 Unde, servitia prædicta per Majores-domus fieri disponentes, statuimus, quod in festis Paschæ, et Pentecostes, ac Nativitatis Domini, nec non S. Annæ si Majoricis simus, *c* et exaltationis S. Crucis si Perpiniani simus, ac quotiescumque, solenne convivium faciemus, serviat Nobilis Major-domus, aliis Majoribus-domus sibi etiam sociatis; ut sic præfatorum dierum sublimitas decenter, talis Majoris-domus servientis assistentia, decoretur: si B vero quandoque contingat dictis diebus Nobilem Majorem-domus abesse, vel adesse et impeditum fore casu aliquo accidente; tunc serviat ille, Major-domus, qui prius ad dictum officium fuerit convocatus, altero Milite Majore domus sibi etiam sociato: quibus diebus prædictos ministros, de coquina cum cibariis redeuntes, ut præmittitur, duo Servientes armorum antecedant.

majoribus festis duplicentur ministri, c servientes:

15 In ceteris autem diebus continue servire teneatur unus ex dictis duobus Militibus, videlicet ille qui prius adeptus fuerit ex dictis Militibus officium sæpe dictum: quo absente vel præsente et impedito servire casu aliquo accidente, servire habeat alter Miles. Quem ordinem inter eosdem Milites ideo observamus, quia debent pares in titulis, consideratione tantum temporis anteire. Si tamen in prædictis ceteris diebus non solennibus velit servire dictus Nobilis, hoc facere valeat quandocumque, et sibi cedere habeat ille ex dictis Militibus, quem secundum prædicta servire alias oporteret: nec putet ille Miles honori suo aliquid esse detractum, cum inferior gradus meritum superioris agnoscere teneatur. Si vero dictos duos Milites abesse, vel adesse et impeditos servire fore contingeret quandocumque, dicto Nobili Majori-Domus, præsenti et non impedito, serviendi etiam dictis ceteris diebus C non solennibus necessitas imponitur hoc edicto.

Servientium Militum quis ordo tenendus;

16 Sane volumus quod quando in palatio manus pauperum in mensa existentium *d* abluemus, instructi divinis actibus, et doctrinis; aqua et alia ad hoc necessaria nobis debeant ministrari per Majores domus, prærogativa honoris Nobili Majori-domus, et post eum illi Militi qui prius admissus fuerit ad officium antedictum, ut congruit, observata.

d quomodo aqua ministrando?

17 Denique jubemus, quod illis qui de domo nostra existunt, per Majorem-domus servientem recedendi licentia tribuatur (nam ipse, qualitatem et quantitatem servitiorum cum cura meditando, poterit congrue arbitrari, quibus dictæ licentiæ sint concedendæ) alius vero Major-domus, non serviens licentias *e* dare non valeat ullo modo, nisi Nobilis Major-domus, qui non serviens prædictas licentias possit dare, vocato tamen alio serviente, ut per ejus consilium sciat, an sint multum necessarii in servitiis Curiæ illi qui præfatas licentias postulabunt. Nolumus tamen quod subjectis regimini Camerlingorum, vel Cancellarii, vel Magistri rationalis per aliquem Majorem-domus recedendi licentiæ tribuantur, nec alicui qui [de] nostro sit Consilio vel officio Secretarii illustratus: nam nostræ tantum Majestati talem licentiam Consiliariorum vel Secre- D tariorum merito retinemus. Præterea per dictos Majores-domus licentiæ abstrahendi panem, et vinum, et carnes, et alia cibaria de nostra Curia, secundum quod eis videbitur rationabile, tribuantur.

Majori domus subsunt omnes domestici, quoad licentias petendas, e præter eos qui Camerlingo vel Cancellario subsunt:

18 Verum, quia in administrationis Officialium nostrorum discutienda ratione, Majoris-domus officium agitatur; expedit per quosdam Officiales nostræ Curiæ, videlicet Emptores victualium, et Apothecarium ac Zembleriuin, tantum pro sumptibus, ob necessitates *f* Zemblis nostris congruas peragendis, nec non et Civaderium, et Falconerium illum, qui emerit necessaria avibus nostris, administrationis suæ rationem reddi, et per Majorem-domus cum Scriptore-rationis eamdem discuti et audiri; ut sic bonorum fidelitas cum laudis encomio elucescat, et malorum effrænata voracitas expavescat. Sed unum Militem Majorem-domus, saltem semel in septimana, cum dicto Scriptore-rationis adesse oporteat in hoc actu; ut sic administrationis ratio, quæ tot ac tantis varietatibus implicatur, melius duorum judicio comprobetur. Quando autem assistit etiam in dicto actu Nobilis Major domus, ejusdem committimus voluntati; necessitatem vero sibi in hoc E nullatenus imponimus, suo gradui deferentes: quia iste actus, licet laudabilis censeatur, tamen est sæpissime tædiosus.

eidem teneantur illi rationes reddere, f

19 Quin imo omnes Majores-domus provideant diligenter, quod per Officiales boteleriæ et coquinæ bene omnia imposita suis officiis, peragantur: et quod per Officiales *g* repositis bene fiant illa injuncta eorum officiis, quæ ad servitia palatii diriguntur: et quod in Serviente armorum, deputatum ad assignandum hospitia, ac Folrerium et ejus coadjutorem, quibus præsint, in agendis ratione sui officii extra nostrum hospitium bene agantur, quæ ex suis officiis sunt fieri ordinata. Et ut iidem Majores domus hanc provisionem melius valeant adimplere, teneant transcripta Ordinationum, disponentium quæ servitium palatii, et assignationem hospitiorum et Folreriæ concernentia, prædictorum officiis injunguntur.

qui cum adjunctis invigilabit ceteris, g et eorum leges scriptas tenebit,

20 Porro consuetudo egregia introducit, quod in omnibus existentibus de nostra domo vel Reginæ, nec non in familiaribus vel sequacibus eorumdem, sive sint de regno nostro vel aliis terris nostris, præmissum officium habeat quamcumque jurisdictionalem legitime potestatem: quam quidem consuetudinem concernentes, per hoc præsens edictum no- F tum facimus universis, quod quicumque existens de regno nostro aut aliis terris nostris, aut existens extraneus (ut est dictum) receptus fuerit de domo nostra vel Reginæ, intelligat ipso facto receptionis præfatæ se subjecisse prædictorum Majorum domus omni juridictionali legitimæ potestati, atque omni franquisiæ *h* sive privilegio alicujus loci se renuntiasse; in quantum præfatos Majores domus in aliquo impedire possent, ne secundum leges vel consuetudines terræ per nos approbatas debitæ procederent: cum hoc dictæ receptioni inesse intendamus, quamvis de hoc in recipiendo nulla mentio fuerit habita quoquomodo. Unde prædictam jurisdictionalem legitimam potestatem exponentes sancimus, quod sæpe dicti Majores-domus omnium civilium et criminalium causarum cognitionem habeant, ut eorum quæ subjiciemus series explicabit.

eidem subeiunt quomodocumque admissi in aulam h in civilibus et criminalibus;

21 Omnium quidem parvarum causarum civilium et criminalium cognitio, per omnes simul vel per duos ex iis in solidum, præsentes vel præsentem, prius per actorum vel accusatorum qualemcumque instantiam requisitos vel requisitum, seu quibus vel criminum commissorum denuntiatio prius facta extiterit

aliter tamen parvæ,

titerit, seu quibus vel cui per Nos aut per nostrum Cancellarium vel Vicecancellarium, in ipsius tamen Cancellarii absentia, vel Auditores nostros, ei remissa fuerit supplicatio de dictis causis facta, debeant expediri.

aliter magnæ causæ judicabuntur :

22 Magnarum autem causarum civilium et criminalium cognitio fieri debeat per Nobilem Majoremdomus, et unum ex Militibus qui prius adeptus fuerit officium antedictum. Per hos quidem duos fiat cognitio : si [vero] omnes Majores-domus sint præsentes, tunc quidem de dictis causis fiet requisitio per actoris vel accusatoris instantiam qualemcumque, vel quando fiet denuntiatio criminum commissorum, vel quando per Nos aut Cancellarium vel Vicecancellarium (ut est dictum) vel per Auditores nostros remittetur ei supplicatio de iis facta. Si autem tunc unus ex Majoribus-domus tantum absit, per reliquos duos præsentes fiat cognitio memorata; si vero tunc duo de Majoribus domus absint, per unum præsentem non possit fieri cognitio prælibata. Quia cum in magnis causis vertatur periculum majus quam in aliis, ibi cautius est agendum ; nisi quando ille unus præsens, esset Nobilis Major-domus : nam per eum tunc præsentem, aliis duobus Majoribus-domus absentibus, fieri valeat magnarum causarum cognitio sæpedicta.

distinguendo utrarumque initium et finem.

23 His addimus utiliter providentes, quod Majores-domus, assistente nostro Vice-cancellario, et in ejus absentia uno ex Auditoribus Doctore, quem voluerint Assessore, cognoscentes de magnis vel parvis causis civilibus aut criminalibus, in principio causæ adesse oporteat et in fine. Principium autem causæ non dicimus esse, donec actori vel accusatori reus responderit prout decet; vel ubi in causa criminali, non accusando sed aliter proceditur; donec confessiones receptæ fuerint delatorum : finem vero causæ dicimus esse, probationem sententiæ diffinitivæ, quam per eos Majores-domus, assistente dicto Assessore, proferri præcipimus, sic ut per alium partibus valeat in judicio recitari : adjicientes etiam quod per eosdem Majores-domus, assistente præfato Assessore, sententiæ interlocutoriæ proferantur : in aliis autem actitandis eos adesse non oporteat, sed possint iidem Majores-domus alicui idoneo, peritiam juris habenti, committere vices suas : qui sine alterius assistentia procedere valeat in eisdem prædictis ; adjicientes, quod quoties præfati Majores-domus vel alter eorum ratione sui Scriptore indigebunt, unum ex Notariis nostræ Cancellariæ assumere non omittant.

Quinam censendi Servientes præsentes ?

24 Quoniam vero verborum præmissorum declarationem annectimus, istius edicti sensum clariorem efficere cupientes ; unde præsentes Majores-domus dicimus esse illos, qui nos sequentes existent in loco ubi erimus vel ejus pertinentiis, nostris actibus præparati. Non est etiam ignorandum, quod intelligimus magnas causas criminales esse illas, quæ, de juris consuetudine seu nostra ordinatione, pœnam inferunt mortis, vel membri abscissionis, vel perpetui exilii, de publicis criminibus proponuntur ; parvas vero causas esse ipsas, quæ de aliis criminibus agitantur : nec non magnas civiles fore illas, quæ sunt de quantitate quingentarum librarum Barcinonensium vel Majoricensium, aut de re quam valere præsentes libras vel plus asseritur per actorem : ceteras autem causas civiles dicimus fore parvas, imponentes actori necessitatem exprimendi, in supplicatione vel querimonia aut libello, quantum esse rei pretium æstimabit; ut ex hoc, qui cognoscere habent, secundum prædictorum seriem discernant. Idem etiam generaliter volumus observari, si petatur factum vel aliquid aliud, cujus pretium æstimari valeat ullo modo.

quæ causæ magnæ, parvæ?

In istis quid Regi reservetur ?

25 Congruum autem fore sancimus, ut sententiam aliquam, infligentem ultimum supplicium, vel abscissionem membrorum, aut exilium vel privationem officii vel beneficii nostræ domus, Majores-domus non proferant contra aliquem ex Baronibus, vel ex Militibus aut ex Scutiferis, vel ex Secretariis aut ex Uxeriis, vel ex Servientibus armorum aut ex Consiliariis, absque nostro consilio et consensu : hoc namque æquissime disponimus, prædictorum statui deferentes, et severitatem dictarum sententiarum etiam concernentes.

quid servandum in causis eorum qui Camerlingo subsunt,

26 Quandocumque vero causa aliqua, civilis aut criminalis, contra aliquem ex subjectis Camerlingorum officio dirigatur ; Majores domus cognoscentes, in principio causæ et in fine, debeant unius ex Camerlingis assistentiam adhibere : præcaventes etiam quod nullum ex Scutiferis nostræ Cameræ, absque fugæ metu seu rationabili præsumptione ipsius fugæ, capiant capive faciant, nostræ Majestatis scientia et consensu prætermissis : cum hoc privilegium ex consortio familiaris servitii, ad quod admissi sunt, merito habere mereantur. Si autem in causa criminali vel civili contra aliquem ex subjectis Cancellarii officio procedatur ; Majores-domus cognoscentes, in causæ principio et in fine, Cancellarii, vel eo absente aut impedito Vice-cancellarii, assistentiam habeant adhibere.

vel Cancellario,

aut Magistrorationis,

27 Sed si contra aliquem ex subjectis Magistrirationalis officio aliqua causa civilis aut criminalis dirigatur ; Majores-domus cognoscentes annectere, in causæ principio ac in fine, Magistri-rationalis assistentiam teneantur. Si autem causa aliqua civilis vel criminalis contra aliquem de domo Reginæ existentem dirigi cognoscatur ; Majores-domus cognoscentes, in causæ principio et in fine, unius ex Majoribus-domus Reginæ assistentiam habeant adhibere : eademque disponimus observari, si contra aliquem ex familiaribus vel sequacibus præmissorum causa aliqua dirigatur : causæ vero principii atque finis daclarationem supradisposita clarissime attestantur.

cui solvendæ mulctæ ?

Quando vero continget Majoris-domus aliquem ex nostris domesticis pecuniariter ultræ *i* quitationem condemnare ; Thesaurario ipsam condemnationem debeant reserare, ac per eum illam executioni demandare.

Contra Camerlingos tamen non procedatur nisi ex commissione Regis.

28 Plane subjiciendum credimus expedire, quod Majores-domus, vel quivis alius, contra aliquem ex Camerlingis, in quacumque magna vel parva causa, civili vel criminali, non procedat, nisi eis per nos specialiter committatur : nam nostri Camerlingi tali immunitate digni siunt, quia militia decorantur, et Consiliariorum nostrorum numero adscribuntur, et nostræ personæ familiari assistentia illustrantur.

Potestas criminosos capiendi data Magistro-domus,

29 Volentes quoque criminosorum fugæ periculo providere, adjicimus, quod ubicumque de criminosis nostræ Curiæ existentis, cujuscumque status vel officii sive gradus, fuga sit dubitandum ; unusquisque Major-domus possit capere criminosum, licet etiam in causa talis criminosi non posset procedere absolute. Ultra etiam jurisdictionem supra expositam, in qua non decet nisi judicialiter procedere, unicuique eorum potestatem ad quitationem alicujus temporis, secundum quod factum hoc exposcet, condemnandi et suspendendi ab officio, et etiam causa correctionis, capiendi tribuimus per præsentem ; si tamen hoc defectu vel culpa præcedente, viderint expedire. Quam potestatem extendi volumus in omnibus qui de nostra fuerint familia, Camerlingis vel Camerario aut Magistro rationali nostro minime subjectis. Nec est nostræ voluntatis ut prænominata suspicione utantur in Militibus, nec in Scutiferis nostris ; nec etiam ultra juris formam, causa correctionis prætactæ, aliquem ex Baronibus,

non tamen circa quoslibet:

ronibus, qui sacræ Domus nostræ esse meruerunt, capiant, nobis inconsultis et nescientibus. Prædictas autem extrajudiciales condemnationes unusquisque eorum qui eas fecerit remittere possit, ut sibi expediens videbitur. Nobilis vero, esto quod ipse non inflixerit prædictas condemnationes, informato se primitus de causa cum illo qui eas fecerit, remittere valeant pro optatu culpæ vel defectu semper attento.

Omnes vero teneantur ad homagium,

30 Ceterum annectimus, obviare periculis cupientes, ut ab omnibus Officialibus botelleriæ et coquinæ, et ab illo qui officium pistoris exercebit, nostro Pistore absente vel impedito: et a Marescallo et Civadero et illis de stabulis, tam domesticis quam logaderiis *k*, et a Falconerio ac canum-Custode, Nobilis Major-domus, aut alius Major-domus servitia faciens, homagium juramento subnixum recipiant; quod, quantum poterunt atque scient, curabunt omnia pericula [cavere] nostræ personæ possibilia contingere, ex his rebus quæ per eos exercentes sua officia tenebuntur; quæ etiam pericula, ad ipsorum notitiam pervenientia, nullo modo Nobilis differant reserare vel Majoribus-domus, si Nobis sine mora dicere commode non valerent. Et etiam a nostro Alguezirio *l* et Procuratore fiscali nostræ domus ac Nuntiis-virgæ *m*, in agendis per eos in officio Alguezirii, juramentum tantum, de fideliter agendo, recipere non omittant; et quod non fecerunt nec facient aliquid, quod prædictis præmissis efficaciter observandis obstare aliquatenus dignoscatur. Ab his autem dispositis exceptione idonea subducuntur illi Officiales botelleriæ et coquinæ, qui ratione suorum officiorum Nobis immediate facere homagia compelluntur.

in ejus manibus Regi præstandum:

exceptis qui immediate id faciunt:

sicut faciunt ipsi Majores domus.

31 Postremo adjicimus, ut omnes Majores-domus Nobis homagium, juramenti præsidio roboratum facientes, promittere sint adstricti, quod, quantum poterunt atque scient, evitabunt omnia pericula, quæ nostræ personæ essent possibilia evenire; quod etiam pericula imminentia, ad ipsorum notitiam pervenientia quoquomodo, Nobis celeriter reserabunt, et non fecerunt nec facient aliquid, quod dictis præmissis inviolabiliter observandis valeat obviare. Ipsi quoque omnes Majores-domus Nobis per juramentum tantum promittere teneantur, quod bene et fideliter eorum officium exercebunt. Et cum, juxta nostram Regiam ordinationem de Consiliariis, Majores-domus seu Magistri-hospitii Consiliarii nostri censeantur; volumus quod juramentum, in dicta ordinatione ordinatum, præfati Majores-domus seu Magistri-hospitii nostri Nobis faciant cum effectu.

ANNOTATA D. P.

a Servientes armorum, *Gallicæ* Sergens d'armes, *cum massis seu claris argenteis Principem præcedere, eique assistere solent. quorum officium pluribus vide apud Cangium. An diversi ab iis quos supra simpliciter Milites dixit? Non videtur: alias ipsis propria sua Rubrica competeret.*

b Scutiferi *Gallice* Escuyers, *proximus infra* Milites, *id est,* Equites *seu* Cavalerios *gradus: supra hos autem sunt* Milites nobiles, *quos* Equites auratos *sive* torquatos *possis æstimare.*

c *Hinc intellige festa hæc, ipsis respective in locis, solennissima esse, et Paschati ac Pentecostæ æqualia. Est autem* Perpinianum, *alias* Papyrianum, *Ruscinonensis Comitatus Caput, nunc etiam Elnensis Episcopi Sedes.*

d *Laudabilis profecto Regum eo tempore mos, imitantium in eo S. Ludovicum, eorum pauperum manus lavare solitum quos habiturus erat convivas statis diebus, et quidem ad numerum centum viginti.*

e *Licentiam intelligo recedendi a curia ad tempus, et officium tantisper committendi substitutis.*

f Zembla *infra num. Rubr.* 27 *intelligetur esse* Saumarius, *id est, jumentum sarcinarium, unde* Zemblerius, *qui animalia curat: sed hæc aliaque suo loco proprio occursura, ut* Civaderius, Folrerius *hic nihil attinet anticipato declarare.*

g Repositum *ex num.* 5 *supra intelligitur, idem esse quod* Camera; *et quidem secretior, Gallice* Cabinet.

h *Franchire, Franquire, a* Franco *liber, immunem facere, unde* Frankisia *immunitas.*

i Quitatio, *solutio* (*a* quyten, *solvere*) *in hisce legibus sæpe idem est quod stipendium, ut infra variis locis patebit.*

k Logaderios *intelligo* Locatarios, *qui locatam in aula habitationem tenent, eoque eximuntur a jurisdictione magistratus civilis: nisi malis intelligere* Loquerios, *de quibus* R. *ult. p.* 8 *qui suam vel suorum jumentorum operam locant ejus rei præfecto Zemblerio aut subzemblerio.*

l *De* Alguezirio, *id est Satellitii seu carceris Præfecto, agit* R. 24.

m *Scriptum erat, et hic et num.* 110 *ac* 115, Supportariis: *sed verbo hoc transfixo seu deleto, suprascriptum, minori ubique alterius formæ, sed non minoris vetustatis charactere (ut appareat correctionem antiquitus factam dum liber publicandus relegeretur)* nutius ungnæ: *quod infra num.* 135 *et alias recte scriptum* Nuntius Virgæ.

De Scutiferis, potum nobis ministrantibus. R. II.

Si illa quæ nostro Regali palatio incumbunt officia, singulis seu certis personis committimus peragenda, ut rectiori exitu valeant consummari; tanto magis nostrum decet Regale fastigium, ut speciali cura circa [ea] curemus attendere, quæ nostram videntur concernere Majestatem; et tales nostro conspectui assistentes præ aliis eligere, qui non solum aspectus decore præfulgeant, imo morum et generis prærogativa decorentur, ut mens nostra in eorum præsentia lætantius conquiescat.

Quatuor hos esse decernitur:

32 Hac igitur nostra Constitutione perpetua ducimus statuendum, ut tres vel quatuor Scutiferi, aspectu decori, moribus et genere Militari insigniti, eligantur pro potu in mensa et alibi nostræ Celsitudini ministrando: quorum unum de nobili genere seu Baronia volumus assumendum, non tamen Militiæ cingulo circumfulsum. Qui Nobilis, quoties præsens fuerit et commode fieri poterit, aquam, prægustu de ipsa prius facto, Nobis præbeat ad lavandum; et vinum præbere noverit ad bibendum, prægustu de ipso nullo modo prætermisso: ut, quia in salute nostra subditorum salutem cupimus conservari, ipsam a nocivis intactam valeamus præservare.

quorum primus Nobilis,

necdum Miles,

aquam et vinum Regi prægustet,

33 Ceteri vero tres, antedicto Nobili excluso, omnia vasa, quæ ad potum in mensa nostra Regia fore ordinata dignoscuntur, hora decenti a nostra botelleria portent, et mensæ nostræ apponere ad se pertinere non ignorent; præcaventes diligenter et attente, quod dicta vasa munda, et ab immundis sæpius apponantur recensita, sic quod nulla possint perpendi nostris oculis abhorrenda: et præmissa omnia hora congrua ad botelleriam reducere non postponant: quæ omnia fienda volumus per antiquiorem in gradu supratacto. Nebulas *a* vero et alia, quæ per Botellerium sunt procuranda in mensa ante Nos, antiquior in dicto officio præsens post Servientem, gustatas per ipsum Botellerium et Scutiferum, ponere non omittat.

alii tres vasa curent,

ut munda inferantur.

A *primique vices dum opus suppleant,*

34 Nobili vero prædicto vel absente vel aliter proprium servitium non faciente, alii curent diligenter adimplere quod prædictus Nobilis facturus existebat, unusquisque in suo ordine, prout in dicto officio fuerit præassumptus ; de his etiam quæ ad ipsos ex eorum officio pertinent, tam in præsentia quam in absentia prædicti Nobilis, nihil omittendo. Si vero aliquo casu eveniret, quod nullus de Scutiferis nostris, ad cuidendum *b* coram nobis destinatis, præsens esset ; tunc unus istorum qui potus curam habent, qui antiquior erit in officio post illum qui tunc Nobis vinum ministrabit, officium prædictorum absentium sibi assumat faciendum. Illum vero qui tunc Nobis vinum, ministrabit, nolumus ejus officium, pro alio assumendo, relinquere imperfectum ; quod quidem in omnibus infrascriptis ordinibus volumus observari. Si autem omnes illi, qui Nobis scutellam deferunt, deficerent ; eo casu ille qui supererit in officio potus antedicti, officium scutellæ prædictorum absentium noscat sibi peragendum ; nisi tunc ultra servientes in officio cuidendi et cissoria *c* portandi aliquis superesset ; quo casu ipsos istis de potu volumus anteferri. Et idem statuimus observandum, si omnes absentes existant ad portandum cissoria ordinati ; videlicet quod qui de servitio potus supererit, post illum qui tunc ministrabit, ille officium cissorii curet peragendum : et hoc volumus esse, nisi tunc aliqui de officio cuidendi et scutellæ deferendæ, præter illos qui tunc servirent, superessent : quo casu suo ordine prædictis de potu dicimus præferendos.

b aut etiam eorum qui scutellam inferunt,

c aut cissoria,

B

servato cujusque ordine : d

15 In præmissis vero gradibus superius ordinatis ita ducimus providendum, quod unusquisque aliena officia (ut est dictum) exercendo, ordinem prioritatis suæ *d* matriculæ, ac si proprium exerceret officium, attentius studeat observare. Porro si in duobus officiis deficerent servientes, et de isto tot superessent quod possent dictis duobus officiis providere, juxta per Nos superius constituta, istorum antiquior ad faciendum nobilius officium admittatur ; quia cuidere reputamus post illud ferre scutellam et post cissorium.

præsint Botelleriis,

36 Præfatos vero Scutiferos omnibus de botelleria, in his quæ ad eorum officium pertinent, præesse volumus et mandamus, et ipsis obedire non differant in præmissis. Salvo tamen, quod si vellent aliquem extrahere de Regio hospitio, in his obedire minime teneantur. Ipsi vero non solum in jurisdictione, ut ceteri familiares, nostris Majoribus-domus subsint ; sed immediate ratione eorum officii iis obedire tenentur. Sacramentum vero fidelitatis et homagii Nobis præbeant ore et manibus commendatum, quod non solum salutem nostram illæsam pro posse observabunt, imo quantum poterunt eidem contraria effugabunt : et si eodem notitiæ talia everent, Nobis protinus intimabunt ; et quod nihil fecerunt, neque in futurum facient, quo minus valeant [prædicta] observare.

C *subsint Majori-domus.*

ANNOTATA D. P.

a Nebula, *Hispanis* Nivem *significat ; cum autem his agatur de re ad potum pertinente, Nives autem in calidioribus regionibus pertineant ad delicias potus. eas potius hic intelligas, quam scriblita seu tenuissimos panis orbiculos vulgo* oblatas, *Gallice* oblies, *quæ etiam nebularum nomine veniunt, ut videre est in Glossario Cangii : et hoc sensu infra usurpantur num.* 40.

b Cuida *Hispanis* cura, *unde* cuidar, curare : *Franci etiam* Cuider *dicunt : sed ipsis idem valet quod opinari. Hic vero videtur* cuidere *esse* 3 *Conjugationis, et significat* satagere, *seu* solicite intendere rebus agendis.

c *De* cissoriis, *id est, orbibus seu quadris inferendis vide infra* T. 16

D

d Matriculam *vides, non solum in ecclesia, sed etiam in aula, esse seriem seu Catalogum officialium adscriptorum.*

De Botellerio (a) *majori et Speciali aulæ nostræ Regalis, et Subbotellerio* R. II.

a

Ad hujus officium recte deferendum creditur,

Illa merito officia perfectius suo ordine peraguntur, quæ singulis seu certis personis committuntur peragenda : nam licet unum corpus diversis membris adornetur, singulis tamen præmissorum certum et limitatum officium coaptatur ; et sic indecorum in corpore humano reputatur, ut alterum membrum alterius fungatur officio : itaque nimium noxium simulque turpissimum æstimatur, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa.

37 Cupientes igitur singula officia in nostro palatio Regio cum maturo et digesto consilio instituta, ac in posterum prout optimum fuerit facienda, recti tramitis cursu prævio, consummari ; et ne aliquis officio botelleriæ nostræ institutus, inani quidam velamine, quid agere debeat ignorantiam valeat allegare ; quæ ad ejus curam pertinere dignoscuntur præsenti Constitutione seu Ordinatione fieri volumus manifesta.

E

ut ipse vinum, aquam

38 Hac igitur generali Constitutione nostra, perpetuis duratura temporibus, ducimus ordinandum, quod aliqua bona persona, morum honestate et fidelitate præfulgens, prædicto per Nos officio deputetur, nostro arbitrio eligenda ; quæ aquæ et vinis oris nostri custodiam habeat diligentem ; et ipsam aquam atque vinum munde et in poculis et mappis seu manutergiis sinceris et mundis nostro Scutifero, vinum Nobis ministrandi destinato, subministret : panem vero Scutifero coram nobis scindenti tradere non omittat : nec non ille, qui mensæ nostræ Regiæ præeminentia honoris sedentibus ministrabit, Vasa etiam ad potum nostrum deputata, in absentia Scutiferorum, qui hoc facere debent, ad locum ubi comedemus seu potabimus deferre non omittat.

et panem præbeat Scutiferis ... [illegible]

prægustatis [illegible]

39 Et quia in Nobis negligere non debemus salutem observare, qui subjectos nostros quantum Dominus sinit in pace et salute confovemus ; volumus quod quoties prædictus Botellerius prædicto Scutifero nostro prædicta pro potu nostro ministrabit, toties de prædictis aqua et vino, separatim vel mixtim, non omittat prægustare : ut si ibidem aqua nociva (quod Deus avertat) existeret, valeamus evitare et salutem ad commodum subjectorum conservare. Nec immemor existat, imo caute præcaveat et attente, ne aliquem, ad quem ex officio minime pertineat, et maxime extraneum, repositorio seu *b* dressatorio (quod in proximiori loco mensæ, quo fieri poterit bono modo, esse volumus) panis, vini et aquæ Nobis in mensa [apponendorum] sinat appropinquare vel eorum aliquid quoquomodo pertractare ; vasaque nostra aurea et argentea, vel alia ad potum nostrum ordinata, pro prædictis assignata, munda et nitida conservare non postponat, sic quod non sit aliquid horridum quod oculos nostræ possit offendere Majestatis, si condignam voluerit effugere ultionem. Quæ quidem vasa aurea et argentea et alia, pro nostro potu prædicto ordinata, a Camerlengis nostris cum inventario recognoscat se tenere.

F

b

[illegible] ac vasa servet,

40 Volumus etiam ipsum non ignorare, ejus curæ pertinere, panes et vina emere copiose, quæ in nostra domo seu curia expendentur, prout ejus discretio noverit faciendum. Et quia tanto melius sanitas in quocumque conservatur, quanto melioribus cibariis

caveat meliora emere in pane et vino,

rius enutritur; sit solicitus et attentus, quod meliora quæ inveniri poterunt procurare non omittat : cum dignum extimemus aulam nostram Regiam talia habere meliora. Volentes tamen quod quotiens vinum aut panis in nostra botelleria ita deteriorari contigerit, quod convenientes non essent nostris domesticis ad ponendum; idem Botellerius eleemosynæ nostræ curet cum diligentia protinus assignare. Quando vero Nos itinerare continget, et in loco, in quo nostram recipiendam refectionem duxerimus, panis vel vinum aliqualiter remanerent, eleemosynariis, ibi statim per eos Christi pauperibus erogandum, distribui per eumdem Botellerium volumus specialiter et jubemus. Curam etiam habeat diligentem, uno cum Flaquerio seu Pistore, de artocreis seu pastillis et nebulis *c* seu aliis, quæ pro persona nostra et mensa Regia in furnis vel alias apparantur, quod caute et mundissime fiant ac separatim et discrete per Pistorem antedictum, ne aliqua nociva admisceri valeant, quæ saluti nostræ et subjectorum nostrorum optimæ possent obviare.

deteriorata eleemosynario tradat,

in itinere mensæ reliquias pauperibus erogel,

c Pistori superintendat,

41 Ordinamus insuper ut prædictus Botellerius totius panis et vini curiæ nostræ Regiæ custodiam habeat diligentem, per ipsum nostræ curiæ, juxta ipsius officium, discrete dispensanda. Nectar *d* etiam et similia quæ de vino fiunt, per ipsum, quantum necessarium pro nostra mensa fuerit, fieri volumus et jubemus : ad usum vero curiæ per ipsos de Botelleria hoc, absque defectu et reprehensionis nota, volumus adimpleri. Si vero contingat Nos de loco ad locum, in regno et terris nostris, vel alibi proficisci; dictus Botellerius vel saltem Sub-bottellerius noster, pro illis quæ ad ejus officium spectant procurandis et complendis antecedat; ne si tardius accederet, aliqua sibi incumbentia remanerent imperfecta, quod summe cupimus evitari. De administratis etiam et emptis et expensis per eumdem Botellerium ante dictum, prout ad ipsius officium pertinere dignoscitur, Scriptori nostro majori rationis rationem seu computum ordinamus redditurum, totiens quotiens præfato nostro Scriptori videbitur opportunum.

et Curiæ toti potum ministret,

d

Regem iter agentem præcedat,

rationem reddat ejus scriptori,

42 Et quia tam propter nefandissimam infidelitatem aliquorum ministrorum, quam ipsorum negligentiam quæ est totius boni inimica, qua ministrante omittuntur præcavenda, audivimus pluries tam Regibus quam aliis Principibus maxima pericula evenisse, quod est plus quam summe abhorrendum et a fidelitate præmissa penitus alienum; volumus et firmiter statuimus, quod prædictus Botellerius, sacramentum fidelitatis et homagium Nobis faciat, ore et manibus commendatum, quod personam nostram et salutem incolumem pro posse conservabit, et contraria radicitus extirpabit, et si quæ, maxime ratione sui officii personæ et saluti nostræ nociva possent evenire, confestim revelabit : et quod nihil fecit, quo minus prædicta valeat et debeat adimplere. Et nihilominus sacramentum præstabit nostro Majori-domus, quod ejus officium et singula quæ ad ipsum pertinent pro posse fideliter exercebit. Et ut perfectius et liberius præmissa compleri valeant, ipse vel Subbottellerius in botelleria continue jaceant supradicta, ne extra vagando dictum officium aliquam patiatur læsionem. Prædictum autem nostrum Botellerium omnibus aliis de botelleria præesse volumus et mandamus. Et nostris Scutiferis, ad dandum Nobis potum ordinatis, in tangentibus eorum officium post Majores-domus obediant firmiter et pareant.

ipsi Regi homagium et fidelitatem juret,

nec non Majori-domus:

43 Ordinamus quoque in botelleria nostra esse deputatum unum aptum et sufficientem, qui Subbotellerius nuncupetur, et juvet nostrum Botellerium in quibus poterit tangentibus suum officium fideliter atque prompte. Et quotiens ipse Botellerius, propter infirmitatem vel alias, ad suum officium agendum vacare nequeat vel absens fuerit, idem Subbotellerius ipsum officium exerceat plenarie et integre. Sane etiam in præsentia nostri Botellerii illa quæ empta fuerint per ipsum Botellerium, quotiens commode fieri poterit, scribat diligenter : et ut de omnibus quæ sunt agenda ex ipso officio notitiam plenam habeat, transcriptum penes se teneat eorumdem; eademque sacramenta et homagium faciat, et obedientiam servet, quam Botellerius facere est adstrictus.

et habeat idoneum Subbotellerium

qui absentis vices suppleat.

ANNOTATA D. P.

a Botellerius *a* Botella *sive* Buticula, *diminutive ex* Bota, *vas, poculum; Teutonice* Pot, *sed significatione magis generica, quæ etiam olla significetur : cum* Bota, bouteille *Francis, proprie pertineat ad potum.*

b Dressatorium, *aliis etiam* Dressorium, *Gallice* Dressoir, *Abacus, in quo ordinate disponuntur vasa ad potus et mensæ ministerium, a verbo* Dresser, *ordinate collocare, ex Latino* Dirigere *detortum verbum.*

c *Hic omnino sumitur* Nebula *pro crustula panis tenui ac transparente.*

d Nectaris *nomine videtur venire vinum quodcumque conditum,* Hypocraticum *nonnulli vocant.*

De Pistore Regio Rꝰ. IV.

Magistra rerum experientia nos docuit, et rerum exitus manifeste demonstrat, ut illa perfectiori exitu finem recipiant, quæ speciali demandatione et industria personæ electæ fieri eliguntur.

44 Igitur hac præsenti nostra Constitutione ordinamus, quod Pistor sive Flequerius *a* domus nostræ Regiæ, panem quo in mensa nostra utemur, sive illi qui in præfata mensa sedebunt, aut artocrea sive pastillos sive alia quæcumque, quæ ad ipsius artem pertinere dignoscuntur, per se pistare et alias præparare debeat, et non per alium quoquomodo, nisi prout inferius est insertum; solertem diligentiam adhibendo, ut caute et munde fiant, et in loco penitus segregato, taliter quod via malignandi per difficilem aditum cuilibet sit præclusa.

a Pistor per se opus suum exerceat accurate,

45 Cum vero ad mensam pro refectione accedemus vel ante, tempore convenienti Botellerio majori panem, quo reficiendi erimus, non differat ministrare, ipso tamen primitus prægustato, quod quidem oblivioni minime relinquatur. Nec ignoret ad ipsum pertinere omnia, quæ ipsum officium pistariæ concernunt, pro omnibus familiaribus et domesticis nostris, Subbotellerio procurare. Super quibus talem curet diligentiam adhibere, ne ejus ministerium defectum aliquem patiatur : et de his omnibus quæ ratione sui officii procuraverit seu alias concesserit, rationem reddere non differat Scriptori nostro rationis.

et Botellerio adferat

46 Si vero infirmitate vel alias impeditus fuerit, quæ per eum pro nostra persona fienda sunt, cum licentia Majoris-domus tunc servitium facientis et scientia nostri majoris Botellerii, alicui bono et sufficienti pistori committat. Ipse etiam in tangentibus suum officium, Scutiferis ad nostrum potum deputatis et Botellerio et Subbotellerio oris nostri, post Majores-domus, obedire recognoscat se adstrictum. Simile vero juramentum et homagium Nobis et Majori-domus præstare teneatur, quod Botellerius noster Nobis et ipsi in præcedenti nostra constitutione præstare est adstrictus.

nisi infirmus vel impeditus:

ubique subjectus sit.

ANNOTATA

ANNOTATA D. P.

a Flequerius *supra num.* 40 Flaquerius, *Cangio ex veteribus chartis* Flecarius, *Catalanis usitata vox, Panificum notans; an quia* Flaka *ipsis est panis?*

De Botelleriis, pro nostris familiaribus deputatis. ℟. V.

Dignum et consonum rationi existimamus, ut omnia quæ intra palatium nostrum sunt agenda, tali ordine exitum recipiant, ut nullum sequi valeat imperfectum, sed potius omnia perfecte suo ordine dirigantur.

Quod isti esse debeant, duo vel quatuor,

47 Hac igitur præsenti Constitutione perpetuo valitura sancimus, ut in nostra aula seu palatio Regio duo vel quatuor Botellerii communes domesticorum nostrorum, juvenes boni et humiles, assumantur : qui tabulis erectis et mappis extensis, panem, vinum et aquam apponere studeant agiliter et ornate. Et ne aliquis defectus præmissorum existat, diligenter præcaveant et attente, per mensas discurrendo et attentius circa prædicta intuendo.

subditi Botelleriis oris Regii,

Qui quidem Botellerio et Subbotellerio nostris circa eorum officia obedire teneantur : singulis vero diebus jejuniorum nostris domesticis in sero potare volentibus, et in palatio vel alibi juxta nostrum hospitium congregatis, vinum et aquam parent et exhibeant abundanter : idemque faciant, quotiens præsentes cum nostris domesticis potum petere Nos continget.

et quid agere,

Verum si contingat Nos de loco in locum proficisci, unus ipsorum ad locum in quo ordinavimus declinare, continue præcedat festinanter : ne occasione moræ circa eorum officium aliquid incompositum sequatur.

quando illorum vices supplere,

48 Volumus etiam, quod saltem unus ipsorum, infra botelleriam nostram, vel saltem prope nostrum hospitium jaceat, si fieri possit bono modo : ne loci distantia aliquod impedimentum afferre valeat eorum officio antedicto, quo minus libere valeat adimpleri. Si vero Botellerium et Subbotellerium nostrum specialem abesse contingeret, quod ipsi facturi erant studeant solicite adimplere : hæc vero per illum fieri volumus, qui in officio prius fuerit assumptus:

debent obedire Scutiferis ad potum,

unde in scriptis, quæ per nostrum Botellerium sunt agenda, secum teneant et in casu isto diligenter observent : et Scutiferis, ad dandum Nobis potum deputatis, in tangentibus eorum officium, post Majores-domus obedire teneantur. Et quia in præsenti casu et alias possent plures vina nostra; et alia quibus nostra utitur Celsitudo, pertractare ; ne in ipsis

et Majori-domus fidelitatem jurare

omittere negligenter videamur quod in aliis Nobis ministrantibus duximus præcavendum ; ordinamus quod tale juramentum et homagium uni de Majoribus nostræ domus facere sint adstricti, quale Botellerius noster specialis nobis facere est adstrictus; sicque nefandam occasionis rabiem nobis nociva ministrandi, valeamus quantum poterimus effugare.

De Servitoribus, sive Aquæductoribus Botelleriæ. ℟. VI.

Ordine rationis adstringimur, ut diversa nostri palatii officia diversis perficienda committamus ; ne, ob defectum ministrorum, officia maneant incompleta, et ut confusionem, quam in nostro palatio nostris temporibus abhorremus, quantum poterimus evitemus.

Quid agere illi debeant ?

49 Per hanc igitur præsentem nostram perpetuam Ordinationem statuimus, quod tres ministri, boni et fideles eligantur, qui aquam ad bottelleriam nostram habeant apportare : et ipsam, nec non et per prædictum palatium nostrum de prædicta aqua abundans tenere debeant et completum, sic et tam copiose, quod nullus defectus in aliquo locorum prædictorum valeat inveniri : et nihilominus soliciti sint et attenti, quod vasa, in quibus aquam contigerit ministrari, munda existant, et ab immundis sæpius recensita ; quod præsertim in æstate volumus observari : ordinantes quod dicti ministri Scutiferis nostris, Nobis potum ministrantibus, Botellerio et Subbotellerio nostris specialibus, in iis quæ ad ipsos pertinent, post Majores-domus, minime obedire recusent : qui etiam Botellerios communes palatii et domesticorum nostrorum non prætermittant in eorum officio adjuvare, ut qui socii consolationis existunt fiant et socii laboris.

quibus subesse?

et cui fidelitatem jurare

50 Et quia sæpe contingit nos de loco ad locum peragere iter nostrum, volumus et nihilominus ordinamus, quod unus istorum ante præcurrat, eorum officium quam melius sciverit et poterit completurus. Verum quia dubium non existit, quin plures prædicti ministri aquam, qua nostra Serenitas est usura, primitus habeant pertractare ; ordinamus ut tale sacramentum et homagium uni de Magistris nostri hospitii præstare teneantur, quale de Botellerio et Subbotellerio nostro speciali, in alia superiori nostra Constitutione, extitit ordinatum.

De Scutiferis ad scindendum coram Nobis destinatis, ℟. VII.

Rationi consonum et decens culmini Regio judicamus, si tales nostro conspectui et servitio præoptamus, quos in assumpto officio experientia magistra rerum noscitur docuisse, nec non nobilis natura generis ad præmissa cernitur impulisse : tales namque, et merito, nostro servitio dignum eligere reputamus, qui cæteris paribus in prædictis ceteros antecellant.

Genere Militari sint,

51 Hac igitur præsenti nostra sanctione ducimus statuendum, quod tres vel quatuor Scutiferi, natalibus seu privilegiis Militaribus insigniti, ad scindendum coram Nobis et aliis peragendis, quæ pro comestione erunt Nobis apposita, assumantur, qui in talibus magis experti videbuntur : quorum unum Nobilem esse volumus, cingulo Militiæ minime insignitum : qui primitus, cum in mensa erimus, manutergium, quo in mensa ad tergendum utimur, Nobis parent; et panem a Botellerio nostro ibi præsenti recipere, et in mensa coram Nobis apponere non differant quoquomodo ; nec ignorent eorum solicitudini pertinere, quod cultellos mundos et bene scindentes habeant providere, ne ex inhabilitate scindendi vel alias aliquod fastidium nobis valeat generari : sal vero et cissoria, panem et aquam coram Nobis apponere non retardent.

unusque eorum etiam Nobilis,

qui Regi scindant

prægustata :

52 Et quia cibaria, quibus nostra utitur Celsitudo, antequam ad Nos perveniant, per diversas manus oportet ut plurimum pertransire ; ut salutis nostræ periculum evitemus, statuimus firmiter observandum, quod de omnibus et quibuscumque cibariis quæ Nobis apponentur, prædicti nostri Scutiferi non omittant prægustare, facto etiam primitus prægustu per illos, qui cibaria a dictis nostris Scutiferis Nobis ministranda, tradiderunt supradicta.

qui eorum vices supplere debeat ;

53 In prædictis vero superius ordinatis prædictum Nobilem, quotiescumque commode fieri poterit, et ipso absente vel alias prædicta non faciente, illum qui in dicto officio fuerit antepositus, volumus anteferri. Ubi vero casus eveniret quod omnes illi absentes essent, qui Nobis potum debent ministrare; tunc per illum antiquiorem qui supererit in officio cuidendi ante dicto, præter illum qui suum tunc officium exercebit Nobis potum ministrari procuret.

Simili

et ipsi quorum vice servire possint :

Simili modo perinde ducimus observandum, si omnes de officio Scutellæ contigerit absentari, tunc prædictus antiquior superexistens in officio scindendi sæpe dictum eorum officium peragere non omittat, nisi ultra portantes cissoria aliquis de ipso officio superesse dignoscatur : quia tunc ad illum spectare volumus et jubemus.

In hoc tamen servandus ordo,

54 Quod vero de absentibus Scutellæ ministris ducimus ordinandum, idem omnibus de cissorio absentibus, per dictum superstitem in officio cindendi ut est dictum, volumus observari, nisi de officio scutellæ aliquis tunc superexistat præter illum qui officium faciet ante dictum : quo casu officium cissorii debet ante istum peragere : cum prædicta officia, quasi connexa ad invicem, concomitantia fore probentur. In prædictis vero casibus ducimus declarandum, quod nullus officium suum proprium, eidem incumbens peragendum, propter aliud imperfectum relinquat. Super quibus omnibus officiis vice aliorum peragendis ordinem prioritatis ordinis præcipimus observari : cum laudabile existat atque dignum, ut illi ceteros antecedant, quos prioritas temporis et stipendia longiora fecerunt anteire. Porro si in duobus officiis deficerent servientes, et de istis superessent tot quod possent dictis duobus officiis providere, juxta per Nos superius constituta, istorum antiquior ad faciendum nobilius officium admittatur. Et quia verti posset in dubium, quod ex dictis officiis nobilius reputetur, dandi potum officium potius ac nobilius esse sancimus, deinde Scutellas deferentium, postremo illorum qui cissoria deferant coram Nobis.

ut servitio et officio priores, præcedant alios.

Cui subesse illi et parere debeant

55 Volumus etiam eos non solum jurisdictioni, ut ceteri familiares nostri Majoribus-domus esse subjectos, sed etiam immediate ratione eorum officii, eis obediant firmiter et pareant. Et quia eadem ratio in ipsis esse agnoscitur, quæ in aliis Scutiferis potum nobis ministrantibus esse videtur ; igitur simile sacramentum et homagium per ipsos Nobis præstandum ordinamus, quale in prædictis superius est insertum,

De Scutelliferis Regiis. Rj. VIII.

Domicelli sint, a

Ad decorem nostrum respicere credimus, quod Domicelli *a* nostræ personæ servitio deputandi, præsertim illi qui Nobis cibaria ministrabunt, sint apti, provadi et experti, et sint ministrando cauti, quod defectus aliquis reprehensione dignus nequeat apparere. Inter quos illos præcipue tales esse volumus, qui ad Scutellam Nobis in mensa deferendam fuerint destinati.

et inter hos Nobilis unus ; b

56 Ordinamus itaque et statuimus, quod tres vel quatuor Domicelli, quorum unus debeat esse Nobilis, pro dicta nostra Scutella deferenda sint in nostra curia deputati ; qui omnia cibaria, quæ ad scutellam*b* pertinent, Nobis portare teneantur, ac etiam alia cibaria quæ ad scutellam non pertinent, licet ea dicti Scutelliferi non portaverint ; coram Nobis in mensa ponere teneantur ; exceptis tamen cibariis, quæ interdum Magistri hospitii sive Majores-domus in propria persona deferunt, quæ poterunt etiam dicti Magistri ponere, illa videlicet quæ portaverint ipsi Majores-domus et aliter : si tamen ultra scutellam quæ per ipsos portata fuerit, alia per ipsos minime deferatur : primitus tamen de prædictis cibariis sumpto gustu per dictos Domicellos, quando ea posuerunt coram Nobis.

eorum munus ad mensam Regis,

et jus supra ministros coquinæ.

57 Volumus etiam quod dicti Domicelli et eorum quilibet præsint illis qui in coquina nostra ministrant, et eis mandare possint quod licite viderint expedire ; dum tamen non mandent aliquem extra nostrum hospitium extrahendum. Volumus insuper quod de dictis tribus vel quatuor Domicellis, ille qui Nobilis est officium faciat, quotiens præsens erit, et ipsum commode facere poterit. Nobili vero Domicello absente, vel præsente et officium facere nequeunte ; unus de aliis qui prior in dicto officio assumptus fuerit id facere teneatur. Declaramus etiam et volumus, quod si duo vel tres Domicelli diversas portent scutellas, Nobis ille ponere debeat ante omnes illos qui scutellam deferret principalem. Ordinamus etiam quod ille qui principalem scutellam nobis deferet, manutergia munda et alba in promptu habeat, ut ea in collo suo ponat, et cum eis scutellam cooperiat, et sic coopertam deferat coram Nobis.

Ordo et modus scutellas inferendi,

et supplendi vices Majorum domus,

58 Jubemus insuper quod in absentia omnium Magistrorum hospitii dicti Scutelliferi, quoad officium Magistrorum absentium, faciant ; sed propterea scutellam et cibaria Nobis deferre non omittant; exceptis diebus festivis et aliis, quibus officium hujusmodi per Majorem seu Magistrum hospitii debere fieri decernimus, quorum dierum ordinationem ipsius officii nobis merito retinemus : volentes tamen quod super his tunc Nos solicitent diligenter et attente. Præcipimus etiam quod in casu, quo omnes Domicelli, ad officium cissorii destinati. Sint absentes ; tunc Scutelliferi, qui ultra illos Nobis necessarios pro scutella supererunt, (cum non deceat quod omnes suum proprium officium relinquant) faciant dicti superstites officium cissorii, servato ordine prioritatis inter Scutelliferos, sicut in proprio officio est superius ordinatum.

nec non in officiis scissorii,

scindendo

59 Simili modo si Domicelli, qui coram Nobis scindere debent, omnes sint absentes : tunc Scutelliferi qui supererunt, eo modo quo supra proxime est expressum, officium scindendi peragant ; nisi superfuerit de illis qui potum ministrant, ad quos eo casu volumus pertinere. Si vero domicelli qui nobis potum ministrant sint absentes, illi qui coram nobis scindere debent ultra Nobis servientem minime sint præsentes (quia primo spectat officium dandi potum ad illos scindentes) tunc Scutelliferi nostri qui supererunt, servato prioritatis ordine inter eos, officium exerceant dandi potum. Porro si in duobus officiis deficerent servientes, et de isto superessent tot quod possent dictis duobus officiis providere, juxta per Nos superius constituta ; istorum antiquior ad faciendum nobilius officium admittatur, quia dare potum reputamus [nobilius] post illud scindere, tertium portare cissorium, ut prædicta sunt per nos jam alias *c* declarata.

ac potum ministrando.

c

Horum s ordinatio st homagium.

60 Decernentes quod non solum in jurisdictione, ut ceteri nostri familiares, Majoribus-domus subsint; sed etiam immediate ratione eorum officii eis obedire sint adstricti. Prædicti vero Scutelliferi, priusquam officium suum exerceant, juramentum et homagium Nobis præstent, super forma expressa in juramento quod præstant Nobis potum ministrantes.

ANNOTATA D. P.

a Domicelli *etiam* Damicelli *dicti, olim quidem Magnatum filii, postea etiam Militum quorumvis necdum cingulo donati, de quibus multa Cangius.*

b *Quænam cibaria* ad scutellam *pertineant quænam ad* Cisorium *de quo infra* Rj. 16 *difficile est definire : nam et ibi in principio num.* 74 *appellantur non solum* Cisoria : *sed ipso in principio* fercula seu incisoria : *et qui ipsa adferunt non permittuntur (nisi in defectu aliorum) ea mensæ imponere quia hoc Scutelliferis proprie attribuitur. Videat lector, quid lucis ad hunc locum accipere poscit ex Rub.* 3 *Partis* 5 *ubi definiuntur pro Regia mensa ordinaria duo, et in festivitatibus*

tria

A *tria fercula, id est missus ; et de singulis* in Cissorio Regis *jubetur poni pro octo personis* ; in Cissorio Cardinalium et Archiepiscoporum *tantumdem, in* Cissorio Episcoporum *pro quatuor.*

c *Supra num.* 53 : *ast infra num.* 76 tertium *censetur officium* Scutellæ : *quod aliunde velim illustrari.*

De Emptore et Subemptore, ℞. IX.

Cum salus et profectus reipublicæ salutem Principis principaliter prospiciant et concernant, legesque et edicta Principum curam carnis emendæ ad profectum pertinere pro salute statuant subjectorum; quanto magis ipse Princeps, qui salutem populi tuetur prospicere debet, ut cura carnis, in ejus sacra domo edendæ, certis suis fidelibus specialiter committatur.

Quæ emere ipse ex officio debeat,

61 His igitur in consideratione deductis, statuimus et ordinamus, ut Emptor domus nostræ, qui est vel qui pro tempore fuerit, in emendis carnibus, curiæ nostræ necessariis, solerter invigilet et insistat; hoc videlicet modo, ut recepta a Scriptore-rationis sufficienti pecunia, carnes, pisces, et alia cibaria, nec non ligna aliaque necessaria, quæ in B nostra coquina tam pro Nobis quam domesticis nostris, sint vel fuerint necessaria, et ad coquinam spectantia; una cum Subemptore, quotiescumque eum habere poterit, fideliter emat, et illa decoqui faciat et parari; summa diligentia præcavendo, quod nec in cisione carnium prædictarum seu alias, fraus committi valeat quoquo modo; et quod omnia et singula bene et decenter, ut Regiam decet curiam, præparentur. Insuper ad ipsius volumus officium pertinere, diligenter sclicitare Magistrum hospitii, tunc officium facientem, de cibariis quæ sumus in crastinum comesturi.

quid providere?

cui rationem reddere quotidie?

62 Sane ut singula suo ordine fidelius peragantur, volumus quod dictus Emptor de cibariis nostris in coquina degustet, antequam per servitores nostros ad nostri præsentiam deferantur. Et ut clarius dictus Emptor Scriptori-rationis reddere valeat rationem, quam dicto Scriptori qualibet die de acceptis reddere jubemus; volumus et etiam ordinamus, ut dictus Emptor exacta diligentia qualibet die de numero in nostra curia comedentium veraciter se informet, et de ipsis in redditione calculi faciat mentionem.

quibus præesse,

63 Porro ut majores præsint minoribus, ut poscit C ordo juris; volumus quod dictus Emptor præsit in suo officio cuilibet de coquina. Adjicientesque jubemus, quod, quando nos itinerare contigerit, dictus Emptor vel Subemptor primo accedat, et secum Ordinationem de *a* cibariis deferat, et eam diligenter observet. Et ut officium suum fidelius exequatur, volumus ut Nobis et Magistro-hospitii juramenta præstet, et Nobis dumtaxat homagium, sicut Botellerius oris nostri. Volumus etiam quod Scutiferis scutellam nostram portantibus dictus Emptor vel Subemptor post Majores domus obediant, in iis dumtaxat quæ eorum tangunt officium.

a

quibus subesse

Officium Subemptoris.

64 Et unam insuper personam eligi volumus, qui Subemptor nominetur, qui cibaria coram comedentibus in nostro palatio ponat atque poni faciat diligenter; et quæ per Emptorem ementur scribere teneatur, quotiens commode fieri poterit et fuerit opportunum. Et Emptorem juvet in suo officio, et prægustet de nostris cibariis sicut Emptor; et in sui absentia suum officium plene peragat, et juramentum præstet et homagium faciat, et nostris Majoribus-domus obtemperet et obediat, sicut dictus Emptor. Et ut melius hæc peragere possit, in scriptis, quæ per ipsum Emptorem fienda sunt, habere non prætermittat.

D

ANNOTATA D. P.

a *Est quidem Parte* 5 *Rub.* 2 de ferculis *num.* 249; *sed eorum ibi numerus definitur, non qualitas. Ob hunc ergo locum aliaque nonnulla verosimile existimo, quod præter hac leges, fuerint speciales aliæ Ordinationes plurium officiorum, quæ hic non inseruntur sed supponuntur, non solum a majoribus latæ* (*quas num.* 7 non intendimus inquit revocare; imo omnia quæ ipsis nostris contraria non fuerint, volumus observari) *sed etiam propriæ ipsiusmet Jacobi.*

De ministris Coquinæ oris Regii. ℞. X.

Quanto magis officia personæ nostræ sunt propinqua, tanto diligentiori cura fidelibus sunt committenda personis; ne ille totius fraudis inventor, omnium bonorum inimicus diabolus, suo milleno ingenio laqueis quamplurimis præfulcitus, saluti hominum insidias per appositionem nocivorum valeat præparare; quod Nobis valde præcavendum dignissimum ac necessarium reputamus.

Duo illi statuti,

65 Et ut præmissa facilius evitemus, hac præ- E senti nostra Ordinatione ducimus statuendum, quod duo boni homines et fideles Coqui, pro nostra speciali coquina assumantur, per Nos eligendi, qui in officio prædicto scientifici existant et experti: qui quidem cibaria nostra per Nos, et per illos quos nostra duxerit Serenitas eligendos, assumenda habeant decoquere, et alias cum summa diligentia caute et munde præparare; taliter quod prædicta in loco tuto et secreto, et aliquantisper segregato præparentur; sic quod ad ipsum aditus paucis præbeatur, et occasio mali quantum est possibile restringatur: [quique] cum ad nos prædicta cibaria erunt deferenda, minime gustare prætermittant. Cum vero de loco ad locum erimus profecturi; alter prædictorum ad locum ad quem erimus accessuri antecedat, ut ea quæ ad ipsorum spectant officium potuerit prævidisse: quia probabilibus prævenire reputatur, quam a tempore præveniri.

quæ cautela uti debeant,

quibus subesse,

66 Quos etiam Coquos post Majores-domus, tam Scutiferis nostris ad scutellam nostram deferendam deputatis, quam Emptori et Subemptori nostræ curiæ obedire ordinamus, quantum ad eorum officium pertinebit. Volumus etiam, quod in absentia Emptoris et Subemptoris nostri antedicti, alter ipsorum qui in officio antedicto fuerit præassumptus F eorum officium assumat antedictum. Et ne vagan lo prædictum officium detrimentum aliquod patiatur, quod unus ipsorum infra hospitium in coquina prædicta speciali jaceat aut prope ipsam, ducimus ordinandum. Simile vero sacramentum et homagium Nobis præstabunt, quale Botellerii nostri Speciales Nobis præstare superius sunt astricti.

quorum vices supplere.

De Argentario coquinæ oris Regii, ℞. XI.

Huic incumbit curare vasa,

Rationabiliter attentis quæ sunt agenda non modica per ministros, ad cibaria nostri oris dispositos [et] Magistraliter præparanda, ut illa complete sicut decet omnia peragantur; ideo unum hominem aptum volumus eis tradi, qui coquinæ oris Regii Argentarius *a* nominetur.

a

præparare coquenda,

67 Die quolibet horis debitis in ipsa coquina ignem incendere non omittat, ollasque et caldarias cum aqua ponat supra illum; gallinas et volatilia plumet etiam, et alias carnes ac pisces lavet ac mundet; nec non et veru vertere, dictosque ministros sive Coquos nostri oris adjuvare procuret diligenter, prout sibi per eos et Emptorem præceptum fuerit atque jussum. Etiam aquam necessariam, pro

nostris

A nostris epulis dumtaxat præparandis, ad ipsam coquinam per eum ferri volumus et portari : volentes quod nostris Scutiferis, ad scutellam nostram deferendam deputatis, et dictis Emptori, in tangentibus eorum officium post Majores domus obedire sit astrictus. Nobisque sacramentum et homagium, ut dicti Ministri nobis fecerunt [facere] teneatur.

et Coquo parere.

ANNOTATA D. P.

a Argentarii *nomen, qua ratione pertineat ad hujus ministerii humilitatem, equidem nequeo divinare, cum argenteæ supellectilis nihil ab eo tractetur.* Marmitones *Franci a* Marmita *id est, cacabo nuncupant,* Lixas *Latini. Infra Argentarios tamen istos sunt* Aquæ portitores, *de quibus postea. Veri autem nominis* Argentarium, *id est pretiosæ ad mensas suppellectilis vasorumque curatorem, informat Rubr.* 16 *Partis* 2. *num.* 158.

De Coquinariis pro communi coquina] Regiorum domesticorum. ℞. XII.

Quia perspeximus fore dignum et consonum rationi, B quod in nostra domo seu curia nulla vacua existant officia, quo minus in eisdem certi et fideles ministri assignentur, quibus dicta officia valeant gubernari : idcirco ducimus statuendum, quod

68 Duo coqui, fideles et boni, in coquina communi nostræ familiæ præponantur, qui cibaria, per domesticos nostros absumenda, curent vigili studio munde et caute præparare, ut potius valeant commendari quam in aliquo reprehendi : quorum unus, Nobis alibi proficiscentibus antecedat, sic quod imperfectioni locus minime relinquatur. Ubi vero accideret quod ambo Coqui speciales oris nostri absentes forent aliquo casu vel causa imminente ; eo casu non ignorent curam ad eos pertinere nostra cibaria præparandi, modo et forma prædictis Coquis oris nostri in præcedenti constitutione assignatis. Aliquos etiam de coquina tam majores quam minores adjuvare eos volumus, cum in proprio officio non fuerint occupati : ordinantes quod nostris Scutiferis deputatis ad scutellam deferendam, et Emptori et Subemptori, post Majores domus, obediant in tangentibus eorum officium memoratum.

Quid domi

quid foris agere debeant,

quorum vices supplere,

69 Et quia pericula, quæ pluribus non est dubium frequenter evenisse, Nos cautiores faciunt in C futurum ; [mandamus] ut prædicti quoque tale sacramentum et homagium Majori domus nostræ præstent, quale Coqui oris nostri Nobis præbent ; et inscriptis quæ per ipsos Coquos nostri oris sunt agenda penes se habere minime obliviscantur.

quibus subesse.

De Museo (a) ℞. XIII.

a

Si super cunctis ad usum nostrum et ornatum necessariis, curam et diligentem custodiam certis personis committendam esse decrevimus [ideoque] necessarium fore perspicimus et congruum, quod super rebus, pro esu victuque nostro comparatis, alicui fideli custodiam committere debeamus.

70 Ordinamus itaque et volumus, quod unus, bonus et legalis, qui cognominetur Museu, ex nostris Coquinariis deputetur, qui clavem reservatorii nostræ coquinæ teneat et deferat ; nec non die quolibet carnes, quæ emptæ et portatæ ad dictam coquinam per Emptorem vel Subemptorem fuerint, ante illarum fractionem, præsentibus Scriptore-rationis vel ejus Scriptore, et altero dictorum Emptore, reponderare fideliter non omittat. Quibus sic reponderatis, faciendo certas pecias scindat, et frangat diligenter easdem : et etiam pisces frangere teneatur. Et illas quæ pro nostra persona emptæ fuerint et fractæ, Coquinariis ad fercula pro ipsa nostra persona præparanda et decoquenda ; et alias carnes, emptas et fractas ad opus nostrorum domesticorum, Coquinariis, ad illas præparandas et decoquendas deputatis, tradat ordinate. Præmissas vero carnes, quæ erunt præparandæ pro Nobis, ad partem et non nisi præsentibus prænominatis reponderet atque frangat, ut suspicione careant miscendi nocivorum. Eisdemque Coquinariis de rebus in dicto reservatorio existentibus, prout ad dicta fercula præparanda et facienda necessarium fuerit, ministret indilate : et his peractis ad coquinam deputatam ad fercula oris nostri confestim se conferat, et ad præparanda illa juvare non remittat.

Hic penus custodiæ deputatus,

D

emptas carnes ac pisces suscipit,

et scissas exhibet cocis :

71 Cum vero ipsa fercula erunt peracta, et nostri domestici ad mensam accesserint, palatium simul cum argentariis, qui carnes vel pisces deferant usque ad dressatorium, intrare procuret immediate ; ibique cissoria ipsarum carnium vel piscium, juxta tenorem Ordinationis nostræ super hoc editæ, ordinet et faciat cum effectu ; et illa sic facta tradat Subemptori, et aliis personis ex Coquinariis sive E Argentariis ibi præsentibus, in mensis coram comedentibus ponenda seriatim. Illa insuper quæ in coquina decocta, post nostram comestionem et domesticorum, super fuerint, eleemosynæ aut ejus servitoribus curet tradere sine fraude.

coctas quoque infert abaco,

reliquias defert ad eleemosynarium ;

72 Decernentes et volentes, quod continue in dicto reservatorio rerum infra scriptarum copia inveniatur ; videlicet zucharis, ziziberi, et aliarum specierum tritarum ; mellis, olei, carnium falsarum, caseorum, piscium salsorum, vini aceti *b*, sagiminorum et aliorum *c* similium comestibilium, ad dicta fercula congruentium, quæ absque metu quotidianæ destructionis poterunt vel consueverunt reservari. Etsi aliqua ex his deficere viderit, incontinenti solicitet præfatos Emptorem et Subemptorem, ut illud emant, et in dicta despensa sive reservatorio reponant cum effectu. Et omnia dictus Museu in ejus diligenti et fideli custodia habeat et teneat ; Nobisque sacramentum et homagium, ut alter Coquinarius, ad nostra fercula præparanda destinatus, facere sit astrictus : nostros Scutiferos ad scutellam nostram deferendam deputatos, et etiam prædictos Emptorem et Subemptorem, post Majores domus, in tangentibus suum officium, sibi præesse agnoscendo.

b

c

aromata quoque ne desint curat et alia condimenta.

ANNOTATA D. P.

F

a *Apparet* Museum *hic dici ; etsi nominis ratio lateat, eum qui penui præest : eidem officio in legibus R. Petri duæ destinantur Rubricæ,* Del Dispensere *et* del Menuerero reparditor, *apparet ex toto contextu ; et siquidem hæc ultima recte reddatur Latine* de Minutario seu distributare, *libenter intelligam quid inter hunc et* Dispensatorem *intersit, quod viso textu apparebit.*

b Vin-acetum, *Hispanis* Vin-agre.

c Sagimen, *adeps, landum,* Sagimina Sagiminorum, *necdum alibi legi.*

De Argentariis coquinæ domesticorum Regiorum. ℞. XIV.

Congruum est ut Coquinarii communes nostrum domesticorum, defectibus coadjutorum carere dignoscantur.

73 Eapropter in coquina eorumdem domesticorum, duos ad hoc aptos homines volumus deputari, qui Argentarii coquinæ ipsius nuncupentur. Erunt quidem

Quid agere.

quibus parere debeant.

quidem ut die quolibet hora debita in eadem coquina ignes incendant soliciti et attenti, et caldarias cum aqua ponant super illos, gallinasque et alia volatilia plument etiam, et alias carnes et pisces lavent et parent ad coquendum, et illa in caldariis et verubus ponant, etiam de carnibus assandis verubus curam, eaque revolvendi habeant diligentem, et his actis per eos, Coquinarios in quibus poterunt adjuvent supradictos; specialiter Museum, in ferculis ad palatium portandis, juvare non omittant. Volentes quod nostris Scutiferis pro scutella nostra ordinatis, et dictis, Emptori et Subemptori ac Coquis, in tangentibus eorum officium obediant et pareant fideliter cum effectu.

De Aquæ-portitoribus ad aquam domesticorum Regiorum. ℞. XV.

Cum in coquina nostrorum domesticorum sint peragenda quædam, quæ per Argentarios in ea dispositos non posse congrue fieri perpendimus; ideo

Incumbit eis allata aqua

74 Præter prædictas dispositas duas personas, quæ vocentur Aquæ-portitores, in coquina ipsa admitti ducimus ordinandum. Deferant quoque istæ duæ personæ aquam ad ipsam coquinam quantum fuerit opportunum. Caldarias etiam et scutellas post comestiones nostrorum domesticorum lavent et mundent diligenter, nunc non et coquinam scopent cum necessarium fuerit, et alia agant similia, quæ et nostri Scutiferi ad scutellam deputati ac Emptor vel ejus Subemptor, Argentarii ejusdem coquinæ seu unus eorum eis vel alteri eorum duxerint injungenda; quibus obedire post Majores-domus teneantur.

vasa et scutellas eluere.

De Scutiferis deferentibus (a) *cissorium Regium.* ℞. XVI.

Quia vero perfectum nihil dicitur, nisi de omnibus suis partibus faciat mentionem; et ne quod omittimus, negligere videamur;

Fercula adferunt,

75 De modo servientium in aula nostra regia ducimus ordinandum, ut Scutiferi qui ad portanda nostra fercula seu incissoria per Nos fuerint constituti, recte ad mensam nostram coram Nobis veniant et assistant; et tamen per se ponere non præsumant: ne promiscuis actibus rerum turbentur officia, et quod alii conceditur per alium subtrahatur; cum per solos portantes scutellam nostram hoc fieri velimus et mandemus, advertentes [quia] quod pluribus committitur securius expeditur. Verumtamen cum cibaria posita fuerint coram Nobis, iidem portantes sint soliciti et attenti, ut ab inscindente Scutifero coram nobis vel ab illo qui posuerit ante dicta sibi dari faciant ad gustandum, ut ob hoc Nos et ipsi sinistra suspicione careamus.

non inferunt mensæ,

et unus inter eos Nobilis esse debet,

76 Sane ut inordinatum nihil maneat vel confusum, tres vel quatuor Scutiferos huic officio destinamus, quorum unus inter Nobiles assumatur, qui semper servitium faciat si existat: cum nostra intersit quemlibet juxta sui decentiam honorare: quem si abesse contigerit vel alias impediri, qui primo assumptus fuerit in hujusmodi officio locum suum teneat in portando, ut is gradu cetero antecedat cui laboris assiduitas suffragatur. Quod si plura fuerint cissoria deferenda, isti soli faciant servitium existentes, honore semper antiquioribus reservato. Qui autem principalem nostrum portabit scissorium in collo portare manutergia non omittat, cum quibus cibaria cooperiat.

in defectu scutelli ferorum,

77 Et quia in necessitatibus legem servare non convenit, imo quæ unius sunt aliorum usibus applicantur; si casu contigerit quod omnes deficerent qui debent scutellæ servitium ministrare, et in hujusmodi scissorii officio supersint (primitus eorum proprio officio satisfacto, quod nolumus omittere pro subventione aliorum; cum plus expediat vacare propriis quam intendere alienis) antiquior in officio post illos qui proprium gerunt officium, scutellæ servitio subveniat supradicto: et si plures deficiant et ii plures supersint, omnes idem faciant ordinatim. Quod si omnes illi qui in cidendi officio esse debent, abfuerint, et in scutellæ officio non fuerint præter officio proprio assistentes, nec de potus officio valeat provideri, quia solus unus sit qui Nobis præbeat ad potandum, tunc istorum scindat antiquior, qui remanet ultra illos qui proprio officio militabunt. Simili modo si omnes de potu deficiant, istorum antiquior, eorum officio satisfacto, Nobis tribuat ad potandum; dummodo nullus existat gladii vel scutellæ præter proprium officium facientes, quoniam illi ad dicti potus officium vocarentur. Porro si in duobus officiis deficerent servientes, et de istis superessent tot quod possent dictis duobus officiis providere, juxta per Nos superius constituta, istorum antiquior ad faciendum nobilius officium admittatur; quia dare potum reputamus *b* [nobilius] post illud scindere, tertium est scutellæ.

horum et scissorum vices supplere possunt,

Majori-domus subditi sunt illi.

78 Et non solum in jurisdictione, ut ceteri nostri familiares, subsint Majoribus domus, imo immediate ratione eorum officiu obedire se agnoscant obligatos. Hi vero, ut alii ad potum nostrum destinati, cum juramento homagium Nobis faciant, prout decet.

ANNOTATA D. P.

a Cisorium *et* Cissorium *mox infra* Ferculum *seu* Incisorium, *videtur accipi hic pro minuscula lance sive orbiculo: et sic Franci* Porte assiette *dicunt eos circulos quibus tales imponuntur: Nota porro quod,* Cidere *et* Scindere *pro uno eodemque accipiatur;* Cisoria *vero seu* Scissoria *proprie dicantur orbes, in quibus cibi scinduntur, singuli convivis apponi soliti, et ad quoslibet missus mutari, Gallice* Tranchoir, Tailloir: *Latini a diversa omnino figura appellabant* Quadras; *quales revera memini an.* 1660 *in mensa Electoris Moguntini vidisse.*

b *Non solum hic sed etiam supra num.* 58 *vocem hanc supplendam duxi ex num.* 53 *quo ille remittitur: miror tamen utramque omissionem, cum sine ista voce sensus non habeatur perfectus.*

c *Miror etiam magis,* scutellæ *officium hic tertium dici; quo loco utrobique supra ponitur officium* Cisorii. *Oedipo hic opus sit.*

De Magistris (a *equorum et Stratoribus qui Cavalericii* (b) *nuncupantur.* ℞. XVII.

Huic officio deputantur

Cum ad decorem Principis pertineat et ornatum, equis ac palafredis *c* sibi condecentibus, ac diversis jumentorum generibus abundare, nec non variis equestribus ornamentis; deceatque ad prædictorum gubernationem et custodiam aliquos instituere præsidentes, qui Stratorum fungantur officio, quorum cura et solicitudine prædicta omnia et singula custodiantur et fideliter gubernentur.

scutiferi duo,

79 Præmissis igitur circumspectis, volumus et etiam ordinamus, duos Scutiferos de domo nostra prædicto præesse officio, et curam gerere præmissorum. Hoc modo videlicet, quod sint soliciti et attenti, ut equi et alia animalia, quæ ad equitandum tenemus, necessaria habeant; et per personas idoneas bene pensentur, et custodiantur, et quod suis

suis temporibus flebotomentur *d*. Et si morbus contingat procurent exacta diligentia per Marescallos curari, et remedia fieri opportuna, taliter quod de negligentia non possint modo aliquo reprehendi. Et cum voluerimus equitare curent a Nobis certificari, quis Nobis equus vel equi parabuntur ad equitandum : ante vero dictam equitationem calcaria calceare, et postea discalceare non omittant. In hoc autem petendo et faciendo, pariter ac in ceteris prærogativis honoris, illum esse volumus potiorem, qui prius hujusmodi officium fuerit assecutus. Præterea adjicimus, quod dicti Magistri præsint omnibus qui sunt de stabulo, et ipsi eis obedire teneantur, et possint eos condemnare, ubi in eorum officio eos contigerit deliquisse, ad mittendum quitationem decem dierum pro qualibet vice.

d qui equos curant,

præsint omnibus stabuli ministris,

80 Sellæ autem et fræna, quibus communiter utimur, poterunt committi, cum inventario tamen, illi qui tenet equorum annonam, qui Civaderius nuncupatur. Rursus illi qui antiquior fuerit in officio, et in ejus absentia alter qui post illum in ipso officio erit assumptus, anno quolibet etiam a Nobis scire teneatur numerum equorum, et palafredorum, et aliorum animalium, quæ ad nostræ personæ servitium tenere voluerimus ; et habere etiam, quotiens guerram expectaremus habere, aut propter dona quæ de illis fecerimus, vel alias, in magno numero [si vero eorum scirent paucitatem, Nos tunc de illis sollicitent cum effectu, et nostram inde procurent scire voluntatem. Hoc quippe idem faciant de illis *e* armorum, tenendis nostro signo decoratis, pro faciendo in eis equitare de nostris Baronibus et Militibus, cum vel si expediens discerneremus. Etiam habeant secum et teneant Ordinationem quam fecimus de tenendis et faciendis aliis sellis, et quibusdam aliis ordinate : quam observent et teneantur observare sub pœna quitationis anni medii amittendi per eorum [quemlibet] qui repertus fuerit in culpa.

satagant pro numero competenti habendo,

e Regi et Militibus ejus,

81 Volentes, quod ille qui primus assecutus fuerit officium hujusmodi supradictum, teneat prædictas sellas et fræna et alia ornamenta equestria : sed alius de prædictis habeat inventarium, et in absentia primi ipse teneat et custodiat supradicta. Sane sint diligentes quod nec in sellis nostris, nec habenis seu ornamentis equestribus quibuscumque, nocivum aliquid imponatur : imo adeo sint diligentes, quod quando Nos contigerit equitare, antequam equitemus, sellæ prædictæ et habenæ et alia ornamenta diligentius perscrutentur et mundentur, taliter quod ab omnibus nocivis prosus fiant aliena. Insuper cum diligentia recognoscant, quod fræna et alia, in quibus periculum posset universaliter imminere, sint firma et fortia, hoc recognoscendo quotienscumque volumus equitare.

fræna et sella aptent,

81 Insuper ordinamus, quod rationem et computum reddant de iis quæ expenderint, in faciendo fieri sellas, fræna, et alia ornamenta equestria Magistro-rationali : sed pecuniam ad hæc necessariam a nostro Thesaurario accipere non omittant. Et cum Nos itinerare contigerit, sint soliciti, ut equi nostri ad equitandum deputati loca decentia et utilia habeant ; taliter facientes, quod semper ad minus unus equus vel duo prope sint cameræ ubi nos jacebimus : et semper faciant posse suum, quod sint magis prope, secundum quod fieri poterit condecenter. Et quia ubi majus periculum noscitur, cautius est agendum ; volumus quod tempore guerræ vel exercitus magis sint soliciti et attenti, quod dicti equi juxta nos nullo modo discedant, imo juxta nos sint semper et jaceant. Præterea ad eorum volumus spectare officium, equos corporis nostri munire et muniri armaturis, ab Armatore receptis.

reddentes de iis rationem,

curent quoque prope et in promptu habere semper aliquos :

82 Porro si necesse fuerit liceat eis habere mancipia adductitia, ad pensanda *f* seu procuranda animalia supradicta ; quando videlicet illi, qui ad hoc deputati sunt minime sufficere possunt : et liceat eis dicta conductitia mancipia non solum corripere, sed penitus removere. Nihilominus damus eis licentiam, cum eis visum fuerit, equitandi dictos equos nostros, cum nos propter infirmitatem seu alias eos equitare minime valeremus. Volentes, quod non solum in jurisdictione, ut ceteri nostri domestici, Majoribus-domus sint subjecti, sed etiam eis immediate ratione eorum officii obedire teneantur. Et quod juramentum et homagium nobis faciant, quod per factum eorum nullum nocumentum personæ nostræ eveniet, neque nocivum aut equis aut arnesiis *g* ipsorum inferent, imo ne inferatur vel misceatur toto posse evitabunt ; et quod non fecerunt neque facient tale quid, quo minus hæc valeant observare.

f jus habent in mancipia sibi subdita

et ipsi Majori-domus subsint.

g

ANNOTATA D. P.

a Comitem-stabuli, Comestabilem, Conestabilem *dicebat antiquitas ; sed titulus hic postea transiit ad Copiarum-duces.*

b *A* caballo, *equo, dicitur* Cavalerius, *eques et hinc augmentative* Cavaleritius, *quasi Major eques : dicitur etiam* Cavalaritium facere *etc. Equo militare, vel servire.*

c Palafredus *seu* Parafrenus, *antiquius* Paraveredus, *quia ad veredorum usum in publico cursu dispositi habebantur : a quo usu ad omnes* gradarios *sive* sellarios *aut* dextrarios *equos, (horum enim omnium idem usus est) appellatio transiit, eorumque curatores, unius litteræ alteratione* Parafrenarii ; *et* Palfrenarii *dicuntur.*

d φλεβοτομεῖν, venam secare : *hinc* Phlebotomia, venæ sectio, *et barbarum* Palebotomare, *ac* Flebotomare, *seu* Flebotomizare.

e *Idiotismus, quo substantivum ejus de qua agitur rei subintelligitur ; sic* illi armorum, *sunt equi, armis id est, insignibus regis, (quæ* arma *vocant) inusti, seu notati.*

f Pensare *medicinam facere, etiam Hispanice et Gallice dicitur.*

g Arnez *Hispanis, quod Belgæ in* Harnas *converterunt, cataphractorum seu loricatorum proprie armatura, transfertur ad quemlibet apparatum, equorum corporibus aptum, qui hic proprie videtur intelligi. Itali etiam ad homines vocem illam transferunt, et vestes intelligunt.*

De Civaderio. ℟. XVIII.

Justum est quod animalibus ratione carentibus, illis præcipue quæ nobis serviunt, papulum non desit, sed eis ad sufficientiam ministretur, et quod sic fiat alicui idoneo cura specialiter injungantur.

83 Quapropter statuimus et ordinamus quod in nostra curia aliquis idoneus et fidelis assumatur, qui *a* Civaderius nuncupetur : ad cujus spectat officium civadam sive avenam et herbam et paleas et his similia procurare ; et a Procuratoribus illius loci, quo præsentes erimus, prædicta omnia accipiat, vel aliunde emat, accepta pecunia a Scriptore-rationis ; et ea mancipiis stabulorum ad opus animalium tradat. Ejus insuper officio incumbat custodire et in Inventario ponere sellas et fræna, quibus communiter utimur ; cum sibi per nostros Cavaleritios tradita fuerint custodienda. Debet insuper reddere computum de administratis per eum Scriptori ; sed et Cavaleritiis post Majores-domus obedire.

a Hujus est equis curare pabulum

sellas et fræna servare,

A *mantam equi post Regem portare.* b

84 Sit etiam solicitus, quod animalibus, cum Nos itinerare contigerit, aliqua de prædictis non desint; et maxime in tempore quo in exercitu essemus, diligentiam super præmissis adhibeat. Mantam etiam *b* equi nostri retro nos a longe portet, quotiens nos equitare contingat : Et si ipsum abesse contigerit, committat de voluntate Cavelericiorum uni de mancipiis stabulorum suum officium peragendum. Communiter etiam, sicut et attento ipsius expedit officio, in stabulis aut prope jacere non omittat. Volumus tamen et ordinamus, quod antequam suum exerceat officium, juramentum et homagium uni Majori-domus præstet, juxta formam in officio ipsorum Majorum-domus insertam.

ANNOTATA D. P.

a Cevada, *Hispanis proprie* Hordeum *dicitur, hic etiam pro* avena, *ac generice pro quorumque equorum pabulo sumitur. Et vero a Latino* cibatu *nomen tractum videtur et sic hic scribitur* Civaderius. *Cangius notat Occitanis* Cibato *et* Sivado *dici, itemque* Civatam.

B b Manta, Mantum, *tapes, stragulum, equo insternendum, cum ex eo Rex descenderit; hinc diminutivum* Mantellus, *ad pallia hominum translatum.*

De Marescallo equorum. ℟. XIX.

Equorum cura non solum consistit in victualibus ministrandis, sed etiam in ferraturis eorum pedibus affigendis, ægritudinibusque curandis et minutionibus faciendis, quæ omnia solent per Marescallos *a* expediri.

Præter officium suum ferrandi et curandi equos.

85 Ordinamus itaque quod in nostra curia debeat esse persona aliqua, fidelis et experta in prædictis, quæ officium marescalliæ exerceat et Mariscallus nuncupetur : cujus officium consistat in faciendo omnia quæ sunt equis necessaria et de arte marescalliæ. Qui etiam Marescallus nobis itinerantibus a nostra comitiva non recedat, munitus clavis et *b* ferris, et his similibus, maxime tempore guerræ cum in exercitu essemus ; et equos nostros frequentare eo tempore sæpius non omittat. Debetque obedire Cavellericiis post Majores-domus in iis quæ ipsius officium spectare noscuntur. Volumus etiam, pro eo quod officium Civaderii propter ejus absentiam debet peragere, et quod habeat sæpe in stabulis conversari, quod præstet juramentum et homagium Majori-domus, secundum formam in officio Cavellericiorum expressam.

b etiam Civaderii vices supplet C

ANNOTATA D. P.

a Mar *equum,* Schalk *peritum, expertumque significant : hinc* Marescalcus, *et leniori pronuntiatione* Mareschallus ; *idem olim quod Comes stabuli, postea ad copiarum Duces translatus titulus : nec non relictus Ferratoribus, qui ferreas soleas equorum ungulis affigunt, eorumque morbos curant : et talis hic intelligitur, apto ad ministerium vocabulo.*

b Ferra, *communi vulgaribus linguis fere omnibus idiotismo, antonomastice vocantur* soleæ ferreæ equorum.

De Mancipiis stabulorum. ℟. XX.

Decens et honori nostro conveniens reputamus, si equi pro nostræ personæ servitio per electa tractentur [mancipia] et pensentur præ ceteris curiose : quodque pro pensandis equis singulis singula mancipia destinentur.

86 Ordinamus itaque quod in nostris stabulis ordinarie sint, numero, nostro arbitrio eligendo, mancipia destinata ; quorum incumbat officio pensare de equis nostris, et aliis animalibus ad nostrum servitium ordinatis, et eis ad pensandum traditis : et sic se diligentes ostendant, quod equi nostri in eorum necessariis nullum defectum habeant. Volumus etiam quod dicta mancipia nostris Cavallericiis post Majores-domus obedire teneantur et juramentum ac homagium præstent Majoribus-domus, secundum formam in officio Cavalericiorum insertam. Hæc omnia volumus etiam fieri per mancipia conductitia, nostris stabulis inferenda.

D *Commendatur iis diligentia et subjectio*

De Falconerio majori. ℟. XXI.

Non debet reprehensibile judicari, si post labores nimios, quos pro republica confovenda voluntarios appetimus ; et ut subjectis nostris quietem præparemus, noctes cura vigili pertransimus; aliquam recreationem licitam et honestam perquirimus quæ menti nostræ, profundo maris pelago præ multitudine agendorum fluctuanti, et quasi flatu ventorum agitatæ, quietem saltem modico duraturam valeat præparare ; quia onus importabile præassumptum diu alias non patitur sustinendum.

Ad recreationem honestam, E

87 [Igitur] hac etiam præsenti nostra Ordinatione duximus statuendum, quod unus Scutifer, expertus in talibus, Falconerius noster major eligatur, qui de nostris falconibus, austuribus *a*, et aliis quibuscumque avibus ad venandum deputatis, curam gerat [diligentem] et solertem, necessaria eisdem absque defectu ministrando. Et nihilo minus præcaveat diligenter, quod prædictæ aves, quælibet pro suo tempore, sic inveniantur præparatæ, quod fervidæ existant ad volandum, et complete faciendum ea ad quæ fuerunt afeitatæ, *b* cum contigerit nos cum prædictis velle meditari ; taliter, ne unde speramus recreari merito, inde vale unus offendiculum aliquod reportare. Et ut præmissa facilius valeat evitare in venatione, nos consulere non omittat, cum quibus avibus secundum sua tempora ad venationem accedere proponemus, ut illas melius valuerit præparasse : cum quibus avibus etiam sine nobis venari valeat, prout dictis avibus viderit expedire.

comparatas aves curet, a b *et quidquid eas spectat,*

88 Nec ignoret ejus curæ pertinere omnia eis necessaria procurare ; veluti logres, *c* capucia, *d* longas, *e* et alia arnesia ad rostrum et *f* manus ipsarum præparandis, et etiam quæcumque alia necessaria providebit Pro quibus necessariis pecuniam a nostro recipiat Thesaurario condecenter, de quibus omnibus rationem et computum Magistro nostro rationali reddere teneatur. Pecuniam vero pro gallinis et aliis carnibus et medicamentis avibus necessariis supra dictis, a nostro Scriptore recipiat rationis : cui per se vel alium de aliis Falconeriis, cui emptionem carnium et medicinarum, committat rationem, sive computum reddat de præmissis.

c d e f F *ut necessaria emat.*

89 Prædictum vero Falconerium nostrum majorem, omnibus aliis Falconeriis, et Venatori nostro, sive illi qui canes nostros custodiet, præesse volumus et mandamus ; taliter quod eos a receptione eorum quitationis suspendere valeat per quindecim dies et non ultra, si in eorum officio invenerit negligentes Cum vero prædictum Falconerium abesse contigerit, uni de Scutiferis mensæ nostræ, cui melius viderit expedire, suum officium valeat committere peragendum. Si autem tanta esset copia avium prædictarum, quod omnes nostri Falconerii non sufficerent ad ipsas gubernandas, tunc prædictus Falconerius alios tantum conductitios festinet procurare, quos pro suo libitu licentiare valeat quandocumque.

præsitque totì venationi,

g et adjutores sibi conducat dum opus erit

cumque. Et si aliqua ratione vel causa aliquas aves alicui de Militibus nostris *g* committamus gubernandas, talibus dictum Falconerium præesse ordinamus, et eidem tales in quantum tanget regimen avium prædictarum præcipimus obedire. Ipse vero non solum in jurisdictione, ut ceteri nostri familiares, subsunt Majoribus domus, sed etiam eis immediate ratione eorum officii obedire non omittat.

juretque fidelitatem.

90 Verum quia necessitate contingit evenire, quod tam cum majori Falconerio quam cum aliis pluries habemus familiariter conversari, et aves et alia quæ ad eorum officium pertinent tam in venando quam alias pertractare; firmiter ducimus ordinandum, quod dictus Major Falconerius sacramentum fidelitatis et homagium Nobis præstet, quod omne periculum personæ nostræ imminens pro posse evitabit, atque si sciret Nobis revelabit; præsertim circa ea quæ per ejus officium per appositionem possent evenire.

ANNOTATA D. P.

a Austur, *Julio Firmico* Astur, Astor *Italis*, Autour *Gallis; item* Austurco *et* Austurcus, *est* Accipiter major.

b Afleytar *Hispanis* adornare, apparare *quasi a Latino* allectare *: magis huc facit quod* affecter *Gallis etiam est* destinare.

c Lura *Hispanis*, *Gallis* Leurre, *illicium plumarium, cui ejusmodi aves assuescunt dum cicurantur, objecta avium specie : hinc metaphorice dicimus* Leurrer, *vana spe allicere et illudere quempiam*.

d Capucia *ad oculos obvelandos faciunt.*

e Longæ, *habenæ seu lora, quibus adstringuntur pedes, ex re nomen habent.*

f Manus *dicuntur, non solum hominum, sed apud Francos etiam anteriores pedes* equorum *atque* ursorum, *item quarumcumque avium rapacium.*

g *Tributi quædam species est, quod Reges nobilibus, quibus falconeriæ id est aucupii cum falcone faciendi jus competit, vasallis suis imponunt : unde* Falconagium *dictum existimat Cangius, verbum ad quascumque alias servitii præstationes traductum.*

De Falconeriis minoribus. R/. XXII.

Non est novum nec dissonum rationi, ut ea quæ per singulos non valent adimpleri, per plures coadjuvantes finem accipiant præoptatum : cum difficile imo quasi impossibile dignoscatur, plura et diversa per unum, uno præsertim instanti, finem perfectum reportare.

Hi sex esse jubentur.

90 Idcirco prævidimus statuendum, quod sex alii Falconerii, non tamen generosi, in nostra domo assumantur, per Nos eligendi, qui curam habeant de nostris falconibus et aliis avibus ad venandum deputatis diligentem, prout major noster Falconerius eis ordinabit, cui post Majores-domus obediri volumus per eosdem : præcaventes ne ob negligentiam ipsorum aliquid contingens omittatur, quod possit motum nostri animi provocare, Per quos quidem sacramentum et homagium Majoribus-domus volumus præstitum.

De Venatore seu Custodiente canes venatorios. R/. XXIII.

Illæ meditationes sive recreationes magis avidius assumuntur, quæ non circa unum tantum, sed circa diversa, licita tamen et honesta, occupationem capere dignoscuntur; ac tanto fortius quisque ab otio totius bonitatis inimico elongatur, quanto in diversis tamen licitis præoccupatur.

Commendatur ei cura sedula,

91 Igitur præsenti Constitutione ducimus ordinandum, quod una bona persona in domo nostra regia assumatur, qui Venator nominetur et existat; qui canes nostros venaticos custodiat, et de ipsis curam gerat : cum quibus quotiens decens fuerit et Nobis placuerit meditemur. Quo casu Nobiscum una cum canibus accedat ad locum, ubi venari fuerit ordinatum : nec non curam habeat efficacem de omnibus quæ ad venationem, secundum sua tempora et naturam venationis antedictæ, pertinebunt, nihil incuriose omittendo de præmissis. Pecuniam vero pro expensis canum et venationis supradictæ a nostro Scriptore recipiat rationis, cui de omnibus prædictis expensis per eumdem reddi volumus rationem. Qui quidem Venator Falconerio nostro majori se subesse cognoscat.

et jubetur jurare Majori-domus. a

92 Et quia evitare non valemus quin venando et alias cum prædicto Venatore conversemur, et claves *a* et alia quæ ad venationem pertinent [tractemus] quatenus ne pericula incurrere valeamus, imo potius ministrante Domino evitare, quæ pluribus divis Principibus audivimus evenisse; volumus et districte ordinamus, quod dictus Venator sacramentum et homagium Majori-domus faciat, cum ad ejusmodi officium assumetur; quod omne periculum, quod Nobis per positiones abit, alias posset evenire, præsertim occasioni, sui officii [insidiarunt] vel fideliter evitabit; et quod non fecit aliquid, quo minus prædicta juramentum et homagium servare possit vel neque faciet in futurum.

ANNOTATA D. P.

a Claves, *numellarum scilicet et habenarum quibus canes bini aut terni copulantur, non nisi in ipsa venatione solvendi, quod sæpe ipsimet Domini faciunt.*

De Algotzirio (a). XXIV.

Talis etiam habendus in Curia

Ut obvietur fugiendi promptitudini, terrori pœnarum infligendarum delatis de criminibus sæpissime inhærenti : expedit esse in omni curia Custodem carceris curiæ Majoris-domus, qui consuevit Algotzirius nuncupari : et sic in hoc adhuc [nomine] more vetustatis fidelissime retinemus.

pro reis subjectis, Majori-domus etc.

93 Unde iste Algotzirius conetur criminosos, foro Majoris-domus subjectos, in carcerali custodia tutissima detinere. Non solum vero ipse Algotzirius ad mandatum nostrorum Majorum-domus, imo ad mandatum Camerlengorum, Cancellarii, et Magistri-rationalis, vel unius eorum, omnes eis submissos debeat capere cum affectu. Et si in his et aliis suum officium tangentibus indigeret personarum juvamine, de Subportariis nostris, quos viderit esse necessarios, qui ei ad hoc tenentur obedire, secum habere non omittat. Præterea idem Algotzirius ferat, tamquam signum sui officii, baculum argento munitum : ipsumque Majoribus-domus, non solum jurisdictione, sed etiam in aliis subesse volumus et mandamus. Præcipimus præterea ut idem Algotzirius, in principio adeptionis sui officii, juramentum, uni de Majoribus-domus faciat de bene et legaliter custodiendo incarceratos, absque fraude malitiosa quacumque.

cum signo potestatis.

ANNOTATA D. P.

a Algotzirius *Catalanis*, Algozio *apud Cangium, cui non assentior, idem esse volenti quod* Alguazil *Hispanis; hoc enim honorifico titulo ipsis appellantur omnes, non solum ministri, sed præfecti Justitiæ, etiam summi. Pictor autem litterarum maluit, non ipsum cum baculo suæ potestatis signo, sed duos cippo clau-*

sos

A *sos exprimere : quod nobis difficilem reddidit epigraphen tabellæ, dum sub aliis omnibus invenitur expressus is, quem Rubricæ titulus nominat : pro quo sculptus* Algortzirii carcer, *ipsi figuræ conveniens, meo jussu nominatus legitur, in tabula Officialium, primæ parti præposita.*

De Procuratore fiscali in curia Magistri seu Majoris-Domus. ℟. XXV.

Justitia, si usquam, est maxime tenenda in Curia.

Digna vox est majestate regnantis, legibus, per quas illa inæstimabilis virtus justitiæ, (quæ est constans et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens : negligendo propriam voluntatem ut servet communem æquitatem) colitur, alligatum se ipsum Principem confiteri. Et revera majus Regno nostro [decus] existimamus submittere legibus Principatum. Unde licet per omnes curias leges, tam nostras quam alias per nos approbatas, observari cupiamus ; multo fortius in Curia nostri hospitii, quæ Nobis magis propinqua est, custodire desideramus : nam dum a Nobis tradita observamus, aliis non contemnenda demonstramus.

B

ideo instituitur Fiscalis,

94 Quare ducimus providendum, ordinem rectum juris amplectendo, quod in curia nostrorum Magistrorum hospitii sive Majorum-domus unus sufficiens Procurator fiscalis, qui continue nostram sacram Curiam sequi teneatur, instituatur : qui facta et causas in ipsa curia promoveat atque prosequatur ; prout ille, qui investigat iniquitatem patrum in filios, sibi administrabit : et de consilio Promotoris, qui Advocatus in prænominata Curia est repererit fore faciendum : ut sic ordo juris servetur, et delicta investigentur, et investigata (excepto de illis quæ ad Nos retinemus) talia puniantur, quod ad nos vindicta, non crimina referantur. Nam in nostris curiis, præsertim in aliis quæ nostræ Majestati magis sunt contiguæ, ordinem juris et formam debitam non servare, et delicta impunita remanere, secta Christianorum non patitur. Decernentes ipsum nostris Majoribus domus esse subjectum : quibus idem [vel] uni ipsorum juramentum de legaliter officium suum gerendo, et de servitiis ab illis qui causas in curia Majorum domus ducent, minime recipiendis facit cum effectu.

Promotori Curiæ subjectus

et Majori-domus.

De Emblerio majori et Zemblerio. ℟. XXVI.

a

Prospicimus officium *a* Zemblerii majoris in nostra regia curia fore utile atque decens, ut per infra scriptorum seriem comprobatur : quare

C

Hujus est curare jumenta sarcinaria,

95 Unum præesse Subzemblerio et Embleriis nostris volumus, qui Emblerius major debeat nuncupari, et de nostris emblis sit solicitus, ut ejusdem industriæ videbitur expedire. Quinimo quandocumque per itinera ad loca aliqua erimus accessuri, omnia animalia et plaustra et navigia, in transitu aquarum cum itineramus pro usu nostræ curiæ conducenda, ipse conducere sit astrictus. Idemque pro victu illorum animalium et hominum qui illa sequentur, sumptus facere, ac eorum mercedes solvere teneatur, secundum nostram super hoc Ordinationem editam ; quam secum teneat in scriptis, et observet diligenter, et faciat observari suo utendo officio memorato.

in itineribus faciendis,

eaque onerare et ex onerare

96 Præterea sit solicitus, cum Nos velle itinerare contigerit, seu mutare de uno loco ad alium, quod omnia quæ Nobiscum erunt deferenda, usui nostræ curiæ necessaria, in animalibus onerentur : et quod nihil in alio loco de illis propter negligentiam remaneat quoquomodo. Concedentes præfato Zemblerio majori, quod Subzemblerium et Emblerios, tam illos qui de nostra domo fuerint quam conductitios, si in tangentibus [suum officium] eos inobedientes invenerit vel negligentes, ad amittendam quitationem eorum quinque dierum vel infra, prout sibi videbitur, valeat condemnare. Pro quibus præmissis pecuniam a Thesaurario accipere non omittat, nec non de iis Magistro-rationali reddat etiam rationem. Quæ autem expendentur per Zemblas nostras proprias, a Scriptore rationis recipiat, et eidem computum super hoc reddat : vel, si magis expediens esset, a Procuratoribus terrarum in quibus Nos essemus, civatam et herbam et alia recipiat. Attento præterea quod multa per eum contractatur pecunia, de bene et fideliter in suo officio se habendo præstet uni de nostris Majoribus-domus juramentum, et ipsis Majoribus-domus inviolabiliter obtemperet et obediat cum effectu.

D

et causa pecuniæ quam tractat jurare fidelitatem ;

eique adjungitur Zemblerius.

97 Demum cupientes quod dictum officium bene peragatur, ideo unam personam per Nos volumus eligi, quæ Subzemblerius nominetur, qui præfatum Zemblerium majorem in suo juvet officio diligenter, sibique post Majores domus obediat in tangentibus ipsum officium et pareat cum effectu ; et in illius absentia ejusdem officium in omnibus facere non omittat : et juramentum præstet, ut Zemblerius major antecedens.

E

ANNOTATA D. P.

a *Sicut promiscue in hac et sequenti Rubrica modo* Embla *modo* Zembla *scribitur ; sic etiam* Emblerius *et* Zemblerius, *ubi littera Z videtur euphoniæ solius causa adjici : nomen autem sumptum ab* Embola *quæ litterate diceretur* injectio, *est autem juxta Cangium* Transvectio rerum quæ navibus injiciuntur : *et hic sumitur pro jumento sarcinario, ad supellectilem reguam de loco in locum transvehendam comparato, et qui ejusmodi jumentis atque transvectionibus præest* Emblerius *sive* Zemblerius. *Mallem ego in titulo scribere de* Emblerio et Subemblerio, *vel* Zemblerio et Subzemblerio *ne sit difformitas ; sed nihil mutare volui.*

De Zembleriis (a). ℟. XXVII.

a

b

A Zemblis seu Saumariis *b*, nostris, illis præcipue qui nostra deferunt ornamenta, cura debetur solicita, quam volumus per speciales, et certos Zemblerios adhiberi.

98 Ordinamus itaque quod in officio isto quatuor assignentur idonei, ad quos nostris pertineat Saumariis necessaria procurare ; majorem Zemblerium super iis excitando : et eos majori Zemblerio subesse volumus. Spectetque ad eorum officium juvare ad plicandum et displicandum lectos nostros, et alia paramenta quæ per nostros saumarios deferentur. Debeant insuper ire et se tenere cum saumariis : et debeant esse solliciti, quod omni die bona hora sint in loco ubi dictum nostram complebimus, cum Nos itinerare continget. Ipsi vero nostris Majoribus-domus immediate subesse teneantur, nec non juramentum præstent, ut Zemblerii supra dicti.

F

Sunt hi ad sarcinas complicandas et explicandas.

ANNOTATA D. P.

a *Quia imago nihil differebat ab imagine Rubricæ præcedentis, et lamina utramque non capiebat hanc omisi.*

b Sagma, Salma, Sauma, *Gallice* Somme *onus jumenti, unde dicti* Sagmarii Saumarii, *vide pluribus Cangium.*

De Mimis (a) *et Joculatoribus.* ℟. XXVIII.

In domibus Principum, ut tradit antiquitas, mimi seu

seu jaculatores licite possunt esse: nam illorum officium tribuit lætitiam, quam Principes debent summe appetere, et cum honestate servare, ut per eam tristitiam et iram abjiciant, et omnibus se exhibeant gratiores.

Ex quibus quæ sint tubicines 2 tympanista 1,

99 Quapropter volumus et ordinamus, quod in nostra curia mimi debeant esse quinque, quorum duo sint tubicinatores *b* et tertius sit tabelerius ad quorum spectet officium, quod semper Nobis, publice concedentibus, in principio tubicinent *c*; et tabelerius suum officium simul cum eis exerceat, ac etiam idem faciant in fine comestionis nostræ; nisi mimi extranei vel nostri qui tantum instrumenta sonant in fine mensæ vellent Nobis volentibus instrumenta sua sonare.

ad recreationem mensæ

100 Ceterum nolumus quod in Quadragesima nec in diebus veneris nisi festum magnum esset, dicti tubicinatores et tabelerius suum officium faciant in principio mensæ nec in fine. Alii vero duo mimi sint, qui sciant instrumenta *d* sonare: et isti, tam diebus festivis quam aliis prout opportunum fuerit instrumenta sua sonare debeant coram Nobis; Diebus tamen Veneris Quadragesimæ, eo modo quo supradictum est, duntaxat exceptis. Jubemus etiam quod tempore guerræ, tam tubicinatores quam alii quisi esset mimus de tali instrumento quod tunc sonari non conveniret) plus solito sint diligentes in suo officio, et ita nobis [prope] existentes, quod cum opus erit promptos inveniamus ad suum officium peragendum. Majores etiam domus sive Magistros hospitii ne vilipendant, imo firmiter [eis] obediant.

nisi in jejunio; et fidicines 2, priorum usus præsertim in bello.

ANNOTATA D. P.

a *Nullus in MS. hic erat titulus, sed spatium eidem rubricæ scribendo vacuum: eum ergo hic adscribimus. Nota autem in textu semper scribi* Mami *quasi* Mimmi; *idem certe sensus est, nec tamen (ut hic apparet) idem quo prisci dicebant* Mimos, *id est, morologos, sapientes stultitiæ imitatores. Idem dixerim de voce* Joculator *alias* Joculares, *a* Joculando *seu* Jocando *dictos; sed eo sensu, quo* Jocari *dicimus pro ludere instrumentis musicis.*

b Tabelerium *intelligi Tympanistam, icon primæ litteræ rubricali inclusa, indicat: dicitur ergo pro* Tabulario *vel potius* Taburario, *a* Tabur *vel* Tabor, *tympano, quod ex Arabico melius* Tambor, *vel* Tambour *pronuntiatur ac scribitur a nonnullis.*

c Tubicinare, *a Tubicen ductum verbum: quid ni sicut a* buccina, buccinare?

INCIPIT SECUNDA PARS

Super officio (*a*) Camerlingorum, et eis subjectorum.

a *Multo de* Camerariis, *Cangius*, Camerlengos *nusquam reperit; est tamen terminatio in* ling *seu* leng *Teutonibus usitatissima, in derivatis a verbo aut nomine, ut* Hoveling *Aulicus,* Hureling *qui agrum aut domum conductam habet. Est autem* Camerlengi *in hac Curia magna præcellentia supra* Camerarios, *ut patet his speciali Rubrica* de Camerariis *post secundam de* Scutiferis Cameræ: *primi autem* de Camerlingis, *nullam habet propriam sui officii iconem insertam litteræ initiali, quia pictori placuit eos exprimere in prævia ad totam hanc secundam partem imagine: ubi repræsentatur, Rex ad Oblationem sub Missa faciendam accedens, et stolam sacrificantis deosculans pone genuflectente ministro cum pelvi, qua excipiat Oblationem regiam. Hanc autem juxta num.* 103 *Regi porrigit ex officio* Camerlengus *primus qui ideo hic adstat genuflexus post Regem, pone stantibus primum* Falconerio majori, *tum* Scutiferis cameræ; *quorum Rubricæ nulla quoque icon præmittitur, ideo quia hic exprimuntur.*

Notabilia autem in hac frontali imagine sunt, primo Capella regia bifariam divisa; sic ut posteriore altioreque parte altare habebat totum rubro pallio vestitum nulla uspiam sindone seu mappa apparente, præter Corporale suppositum hostiæ; 2 *quod ex veteri more ex tholo dependeat argenteum sacræ Eucharistiæ conditorium, turricula rubra tectum.* 3 *quod Sacerdote ad ostium chori stante, Rex maneat ante illud, sicque oblationem faciat.* 4 *quod parietes capellæ colore viridi picti sint toti, laquearia vero nigro ac flavo quasi reticulata, qui colores etiam in frontalibus reliquiarum omnium partium observantur: unde hic semel præmonuisse sit satis, quod color viridis æque sit regius ac rubeus, quorum hic a festo Sanctorum omnium adhiberi jubetur usque ad Pascha, iste a Paschate usque ad festum prædictum num.* 256 *in Rubrica* I *partis* 6 *de vestibus et ornamentis.*

De officio Camerlingorum. R. I.

Quia ministerio interiori potiori diligenda est cura,

Si de forinsecis rebus debite gubernandis nobis propenso studio imminere debeat solers cura; non minus sedula mente curare nos convenit, ut tam ad nostræ personæ custodiam, quam impendenda obsequia quæ statui nostro rationabiliter congruunt, præsertim ad continuam assistentiam nostro lateri, nec non ad communicationem domesticam nostrorum familiariorum secretorum, personas fidelitate probatas statusque non infimi deputemus.

statuuntur tres, quorum primus sit Baro, et Milites 2 alii.

101 Ordinamus igitur ad prædicta præcipuos esse Camerlengos, siquidem quos præcipue nostri lateris comitatus illustrent, quique sint ad nostræ personæ custodiam specialius deputati. Volumus autem eos esse tres numero, quatenus, defectum absentiæ vel occupationis unius, alter reparare valeat et supplere. At vero unus ex eis erit Nobilis seu Baro, qui Camerlengus major vocabitur, alii duo simplices Milites, omnes autem tres erunt Militiæ cingulo insigniti: sed tamen major præsidebit ceteris, quamdiu in curia nostra extiterit: duo autem reliqui obtemperabunt eidem in his quæ concernunt eorum officium per omnia ut majori.

Prior festis majoribus in persona

102 Porro in majoribus et præcipuis festis anni utpote Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ et Pentecostes, ac in festo B. Annæ cum erimus Majoricæ, et Exaltationis S. Crucis in Perpiniano; in quibus locis et diebus in reverentia sanctarum Reliquiarum festivare consuevimus; major Camerlengus, si præsens fuerit, suum debebit officium personaliter exercere: videlicet sigillum nostrum secretum portare, oblationem Nobis in Missa, juxta nostram Ordinationem super hoc editam (quam in scriptis habeat) debeat tradere; species et confectas



Camerarius 3 | Barbitonsor 4 | Medici 5 | Chirurgicus 6

Secretarius 7 | Uxerius armorum 8 | Armator Regis 11 | Sartor 12

Sutrix 13 | Apothecarius 14 | Fructerius 15 | Argentarius 16

Folrerius | Parator 18 | Custos tentoriorum 19 | Scopatores 20

A fectas et fructus, et similia ad officium Apothecarii pertinentia, quæ extra mensam comederemus, facto gustu Nobis ministrare; nec non semper, cum commode fieri potest, prope nos ad pedes lecti nostri jacere, ac in secretis naturæ nobis assistere ut incumbet. Diebus vero aliis a prædictis, vel eisdem absente Majore, præmissa fient per alios Camerlingos, sic tamen quod ille qui prior et antiquior in officio fuerit, si præsens extiterit: illa tenebitur exercere, eoque absente vel occupato tertius suum officium exercebit.

aliis diebus alii.

103 Volumus tamen quod Major, cum præsens erit, quotiens et quandocumque sibi placuerit (quod quidem per sigilli secreti receptionem ostendat) præmissa possit facere; licet ex officii debito, nisi in præmissis solennitatibus, minime adstringatur. Cum vero Nos aliquotiens commode ad oblationem ire non poterimus; tunc ille qui Officiabit (ut dictum est) oblationem majori et nobiliori viro qui præsens fuerit (dum tamen sit Miles, vel persona quæ loco Militis sua magnitudine haberetur) tradat ut eam loco nostri offerat: in casu vero ubi Nobilis aliquis præsens non esset, ipsemet pro Nobis ad offerendam oblationem accedat. Pecuniam vero, B quæ pro nostris oblationibus necessaria fuerit, a nostro Thesaurario procuret recipere cum effectu.

Idem in sacris curam habeat Oblationis Regiæ.

104 Verum quia Camerlengi nostri hujusmodi, velut protectores et domestici personæ nostræ præ ceteris, in omnibus quæ corporis nostri salutem concernunt, specialius curam habent, eos nimirum assistere volumus aliis officialibus, qui Nobis ex incumbentis illis officio in cibis subministrant. Ordinamus igitur quod Camerlengus ille, qui secundum ordinata superius onus suffert serviendi, quando Nobis portari debebunt cibaria, vadat personaliter ad coquinam; provideatque quod Majordomus seu Magister hospitii nostri, qui servitium suum per nos ordinatum faciet, vel alius qui quoad hoc locum Majoris-domus tenuerit; ante omnia coquinarius et Emptori vel Subemptori ciborum omnia Nobis proponenda cibaria faciat degustari, ac deinde idem ipse Major-domus de eisdem cibariis gustum ibidem facere non omittat: demumque ipse Camerlengus manu Majoris domus vel ejus locum gerentis bolum degustationis recipiat et degustet: et quod idem fiat de iis quæ per Botellerium vel Subbotellerium, in palatio vel aliis locis opportunis ad opus nostræ personæ ministranda fuerint, antequam Nobis exhibeantur, sit diligens et attentus. C Si autem quivis ex illis qui aliquid habent degustare illud facere recusaret; hoc quidem improperet ei viriliter et insultet, illudque Nobis celeriter manifestet.

curet ut cibi apponendi prægustentur, ab omnibus, quos par est, dein prægustet etiam ipse.

105 Idem vero quod de gustu cibariorum statuimus, ipsos Camerlengos observare volumus, cum fructus vel caseus vel aliquid aliud sumendum in mensa proponitur coram Nobis, antequam per Scutiferos Nobis ministrentur. Adjicientes quod diebus festivis supranominatis, et quotienscumque solenne peragemus convivium, major Camerlengus si præsens fuerit, vel in ejus absentia antiquior in ipso officio, fructus et electuaria et omnia ad officium Apothecarii et Fructerii pertinentia apponere non prætermittant: qui tunc gustum coram Nobis faciant, ut Scutiferi aliis diebus faciunt.

idemque fiat de fructibus et electuariis:

106 Sane non minus ipsos Camerlengos jubemus esse solicitos, præsertim illum qui officiabit et sigillum portabit, ut nocte qualibet januæ recognoscantur hospitii, ubi Nos pernoctare continget; vel per alium ex Camerlingis vel ex Scutiferis cameræ vel Uxeriis: jubeatque illi qui recognoverit claves domus sedule custodire, ne (quod absit) ex incauta custodia præbeatur occasio scandalorum. Omnes autem Camerlengi infra domum nostram jacere poterunt, quando volent: unus tamen eorum ad minus, si sanus et præsens extiterit, ad hoc ex debito astringatur; præcipue quando quemvis ex eis jacere conveniet coram Nobis. Attamen ipsorum quilibet qui juxta domum nostram quomodolibet jacuerit, pro uberiori securitate personæ nostræ, militaria arma secum et prope semper parata habeat et completa: et si hoc facere neglexerit, quitatione sua unius diei, singulis vicibus quibus dicta arma parata habere (ut est dictum) omiserit, ipsos fore decernimus puniendos.

commendatur eis visitare sub noctem ostia hospitii R.

D *et ut unus semper accubet armatus:*

107 Insuper etiam, ad quemcumque locum erimus, semper Camerlengi nostro debent insistere lateri, præcedendo Nos, vel alias prout occurrerit, Nobis de prope assistendo. Eisque injungimus præcavere, ut a conspectu nostro amoveri faciant ea quæ esse perpendunt indecentia vel nociva. Hoc quoque ab ipsorum spectare declaramus officium, Nos videlicet induere et spoliare, aquamque ministrare cum pedes lavamus pauperibus, vel actus similes exercemus, qui ad mensam minime spectant. Volumus autem quod in exhibitione servitiorum hujusmodi, honoris inter ipsos prærogativa servetur, ut major Camerlengus præ aliis, et vero de duobus ceteris vetustior in officio semper præferatur in talibus servitiis minori. Adhuc etiam ordinamus, ipsos Camerlengos, quos pro familiariori exhibitione servitii ad multas prærogativas admisimus, potestatem habere in domibus, ad quas Nos declinare continget, illis personis, quæ habent ex Ordinatione nostra infra domum nostram jacere ex debito, singulis juxta congruentiam hospitii cameras assignandi; ac etiam disponendi circa opera, quæ in nostro hospitio fuerint extruenda.

alii ubique adhæreant lateri, E *a! ministeria corporis Regii, et domesticis assignent cameras:*

108 Præterea quia, ubi majus eminet periculum, cautius est agendum; Camerlengos solerter curare præcipimus, ut guerrarum tempore, cum ad quemvis exercitum personaliter accedere nos continget, circa tentoria nostra semper provisi sint, et maxime de nocte ad securitatem personæ nostræ, de omnibus opportune, præsertim de sufficienti custodia hominum armatorum. Habeant insuper Nos solicitare de providendo, ut ad frænum equi nostri viri idonei, armorum aptitudine et numero deputentur; et etiam clientes numero convenienti et sufficienti ad custodiam nostræ personæ, eo tempore cum equitabimus cum exercitu aut sine exercitu, ordinare nullatenus prætermittant. F

securitati quoque et custodiæ Regis prospiciant.

109 Hoc amplius ordinamus, ut Camerlengus qui inter Milites simplices obtinet primum gradum, facto prius inventario de omnibus quæ sunt in reposito nostro et quæ tenentur per Armatorem, et de rebus quæ pro quotidiano servitio aliis Officialibus eis submissis committuntur, ut Argentario et aliis, diligentiam in custodiendo adhibeat opportunam; præcavendo ne alicui absque albarrano *a* nostro sigillo sigillato det, ullatenus de prædictis. Eo nempe absente remittet custodiam cum inventario ad tertium Camerlengum: ambobus vero absentibus ad Nobilem Scutiferum Cameræ si est præsens; ad illum vero ex Scutiferis cameræ, qui antiquior extiterit in officio, rerum præmissarum custodia per eum cum inventario committatur.

Primus curam supremam habeat supellectilis, *a* *quæ possit etiam Scutiferis committi.*

110 Attamen non negamus; quin major Camerlengus etiam continue, servitium tamen faciendo, si ei placuerit, possit præmissa omnia sub inventario custodire. Volumus autem quod ille quicumque fuerit, qui per majorem partem anni præmissa omnia sub custodia sua tenuerit, Magistro rationali domus nostræ præsentibus aliis, si tamen in Curia nostra tunc fuerint, semel in anno de omnibus rationem reddere teneatur.

Quinam illis subjecti :

111 Profecto quidem ut gradus inferior semper, ut congruit, meritum sui superioris agnoscit, ipsis Camerlingis, secundum gradum attributum cuilibet, in omnes qui aliquod habent officium concernens cameram vel repositum, tribuimus potestatem : videlicet in omnes Scutiferos cameræ, Secretarios, Scriptores, Medicos, Camerarios, Barbitonsores, Uxerios, atque servientes armorum : quos siquidem omnes, si in officio suo defecerint, poterunt eorum quitatione privare ad tempus, statuendum pro modo insolentiæ vel defectus ; nec non omnes præmissos poterunt capi facere, si eorum demerita hoc requirant. At vero in Armatorem *b* et in Sartorem personæ nostræ, Spalmatorem et Apothecarium fructuum, Argentarium, Paratores cameræ, et etiam in Nuntios virgæ, *c* et Excubitores, nec non in Custodem tentoriorum et in eorum coadjutores, damus eis simplicem potestatem : et insuper ut istos posterius nominatos possint ab officiis eorum suspendere, si consideratis culpis hoc eis videbitur faciendum : et etiam eis prædicta remittere possint, si hoc viderint expedire : quæ quidem remissio fiat per illum vel per illos qui condemnationem fecerint, et non per alium : excepto Camerlengo majore, cui, licet condemnationem non fecerit, remittendi tribuimus potestatem, informato tamen se primitus cum illo qui fecerit, de causa condemnationis et culpæ merito : quare pœnam seu condemnationem meruit reportare. Insuper etiam siquis delinquat intra cameram nostram, illum capi facient, licet ad eos non pertineat punitio. Istis etiam supranominatis licentiam recedendi a Curia dare possunt, exceptis Secretariis, quibus per nostram tantum Majestatem est licentia concedenda.

cum potestate in reos animadvertendi, b

c

et licentiam dandi,

112 At vero ut vestes nostræ et alia paramenta, quibus vicissim utimur, semper, quando eis uti voluerimus, parata sint secundum convenientiam status nostri ; volumus ut ipsi Camerlengi in scriptis habeant ordinationem super hoc per Nos factam ; ne prætextu ignorantiæ ab aliquo contingente defectu se valeant excusare. Quinimo interminamur pœnam privationis omnium jurium, quæ percipit ratione officii, illi Camerlengo, qui prior est inter duos Milites ; alii vero posteriori pœnam amissionis medietatis eorumdem, si in formam dictæ Ordinationis nostræ, super hujusmodi vestium et ornamentorum præparatione, ex defectu reperti fuerint transgressores.

Pœna Camerlingi si quid deficiat in vestitu vel ornatu :

113 Cum aliquo casu impediti pedes pauperum abluere, qualibet die Jovis, ut consuevimus, minime convenienter poterimus tunc Nobilis sæpedictus, aut ille de Militibus qui prioritate in officio gubernabit, si præsentes fuerint ; et in ipsorum absentia alius Miles, qui novissime in officium fuerit vocatus, loco nostro præfatam ablutionem peragant in nostra præsentia si commode fieri potest ut quæ impediti non faciemus, ad minus videndo ad devotionem provocemur. Soliciti insuper sint, ut quando nos taliter infirmitate (quod Deus avertat) gravati essemus quod non possemus de talibus recordari quod Officium coram Nobis vel janua nostræ cameræ celebretur horis debitis et opportunis ne ex nostra infirmitate laus divina amittatur. Præterea cum sciverint Nos velle pro alicujus defuncti anima solennem Missam facere celebrari, mandent incontinenti, facta Nobis per eos vel alterum eorum mentione, de numero torticiorum *d* quæ in ipsa Missa illuminari voluerimus nostro Apothecario, qui illos de hoc tenetur solicitare, ut ipsa tortitia accendere in ipsa Missa cum effectu procuret.

idem vice Regis lavet pauperibus pedes

et curet divina celebrari :

d ac Missam pro defunctis

114 Adjicimus equidem Ordinationibus istis, ut omnes Camerlengi nostri singula exempla hujus nostræ Constitutionis, in quantum eos aut illos qui eis submissi sunt tanget, conscribi faciant seriose, eaque legant frequenter vel faciant sibi legi ; quatenus non ignorent quid eorum incumbat officio, sed observent ; ac insuper si aliorum culpa defectus in aliquo contigerit, debite possint ipsi corrigere inferiorum insolentias ministrorum.

Regulas suas frequenter legat,

115 Novissime etiam statuimus, quod Camerlengi, qui pro tempore fuerint, in principio sui officii, super sancta Dei Evangelia Nobis jurent, et per exhibitionem homagii Nobis personaliter se astringant ; quod cum omni posse et ingenio suo damnum personæ nostræ et periculum evitabunt, quod imminere sciverint ; salutemque nostram et statum, quantum eis possibile fuerit, conservabunt : et si ab aliquo quocumque damnum personæ vel status nostri sciverint, vel cum verisimilitudine audiverint, procurari, illud Nobis quam citius poterunt revelabunt : quodque si aliquam secretam infirmitatem corpori nostro (quod absit) contingeret evenire ; illud nemini sine nostri licentia revelabunt : item quod sigillo nostro secreto, quod eis committimus, non sigillabunt alicubi, nisi ibi viderent nostri impressionem annuli vel aliud signum nostrum, quo pro tunc in similibus uteremur : item quod aliquid non facient nec fecerunt, quo minus possent plene hæc omnia adimplere. Nimium si hoc casu, ubi de nostræ conservatione salutis agitur, exigemus, imo si pro unius modici castri custodia homagium exigere est et fuit hactenus moris nostri...

et cum sociis homagium juret ipsi Regi,

tum fidelitatem

tum secreti custodiam,

115 Postremo etiam injungimus Camerlengis, ut ille ex eis qui sigillum portaverit, corporale juramentum exigat et homagium recipiat, in principio cum primum ad officium vocabuntur ; scilicet a Paratore cameræ et ejus coadjutore, nec non etiam a Nuntiis virgæ, et Argentario, et ab eo qui tentoriorum habet officium et adjutoribus eorumdem, et ab aliis de reposito, a quibus nos non recipimus ; quod bene et legaliter circa eorum officium se habebunt, specialiter circa conservationem personæ et status nostrorum, damna pro posse vitando, utilia procurando, et revelando si qua contra nos incommoda scirent per quosvis alios procurari ; vel, si Nobis revelare non possent, hoc revelabunt alicui ex Camerlengis, taliter quod possit ad nostram notitiam pervenire. Cum vero præfati nostri Camerlengi, juxta nostram Regiam Ordinationem de Consiliariis nostri consilii [esse] dignoscantur ; volumus quod juramentum, in dicta Ordinatione ordinatum præfati Camerlengi Nobis facere teneantur.

ipsumque exigat a sibi subjectis :

idem præstabit tamquam Consiliarius.

ANNOTATA D. P.

a Albarranum, *breviculus*, *Hispanis* Albala, *vox Maurica, Catalanis et Aragonius usitata Exempla vide apud Cangium, ubi ex translatione S. Honorati Arelat. allegatur* Albarannum verbis sequentibus inventum *etc. vide pluries hanc vocem Rubr.* 7 *de Secretariis.*

b Spalmator, *a* Spalmando *dicitur : infra autem num.* 150 *datur Sartori, qui eum juvet* in mundando vel spalmando vestes, *id est ad pulveres palmis excutiendos.*

c *Etiam hic scriptum fuerat primitus* Supportarios, *et num.* 115 ; *sed manu correctum eo modo quem supra explicui ad* Rubr. 1 *Annot.* m.

d Torticius, Intorticium, *tæda circum torto cereo obvoluta ; sed et pro quovis funalium, majorum genere usurpatur, Francis* Torche, Antorcha *Hispanis ; itaque hic dici patebit num.* 270.

e *Hæret hic imperfectus sensus, quem opto aliunde certius suppleri, quam per conjecturam cuique liberam.*

De

De Scutiferis cameræ. ℟. II.

Sex illi sint, eorumque unus ex Baronibus,

Ad domesticum personæ nostræ servitium, quo Scutiferi cameræ intra nostri secreta cubiculi nobis familiarius obsequuntur, sex vel septem numero volumus deputari : ex quibus unus erit semper Nobilis Baro vel ex Baronibus genitus, qui et prærogativa gaudebit ceteris potiori. Omnes autem Scutiferi cameræ subjicientur et obedient Camerlengis, in iis videlicet quæ contingent quomodolibet officium eorumdem.

Camerlengis subjecti;

excubantes per vices,

116 Sane ut injunctum eis servitium possint absque gravamine levius supportare, statuimus ipsos inter se duos de seipsis deputare per vices : quos quidem jacere volumus in nostra Regali camera omni nocte, ut nos videlicet calceent et discalceent, aliaque similia impendant servitia, quæ præberi Nobis convenit familiariter et privatim. Insuper etiam eisdem injungimus et mandamus, ut ubicumque in domo nostra jacendo ipsos pernoctare contigerit, semper prope se arma personæ suæ habeant decentia et completa; ut si aliquis casus necessitatis occurrerit, non reperiantur omnimode improvisi : et si hoc aliquando neglexerint, quitatione unius diei singulis vicibus puniantur.

et semper armati :

Regis ensem ac pallium post ipsum ferant :

117 Consequenter autem ad Scutiferorum officium pertinere disponimus, ensem Nobis cum æquitare volumus ministrare, vel eumdem ante Nos deferre, si hoc jusserimus faciendum : portare etiam galerum seu capellum solis vel pluviæ; insuper et vestes quascumque portari fecimus coram Nobis ipsos quidem ad hæc et ad consimilia officia semper volumus esse paratos. Adjicimus etiam ut post Camerlengos quanto magis commode fieri poterit, vadant prope Nos præcedendo, vel alias ut magis fuerit conveniens et opportunum; salvo tantum quod in præmissis exhibendis servitiis ceteri Scutiferi deferant Nobili seu Baroni : at vero inter ceteros ille qui in servitio vetustior fuerit, novioribus quoad hoc potior habeatur. Denuo etiam portare debebunt Scutiferi galeam et scutum et lanceam, cum parvo vexillo, quæ quinque coram Nobis ex more deferri facimus, tam guerræ tempore quam alias, locis et temporibus opportunis; ille videlicet quem nos pro qualibet vice duxerimus eligendum : injungentes Nobili præfato, ut tam tempore guerræ in exercitu quam alias volendo itinerare, a Nobis scire minime prætermittat, per quem, an per eum vel alium vellemus prædicta portari; ut sic Nos, inspecta loci et temporis qualitate, ordinare de hoc melius valeamus.

item galeam, scutum, lanceam,

bellaria mensæ inferant, a

118 Ad curam eorum etiam injungimus, ut Nobilis, si præsens fuerit, et in sui absentia antiquior in officio, saleria *a*, fructus, et, omnia ad officium Apothecarii et Fructerii vel aliquorum de reposito pertinentia ad mensam nostram deferent; et sumpto fideliter gustu, tam de ipsis quam de aqua vel vino, cum quo lavabuntur ea quæ commode lavari possunt, coram Nobis apponant : exceptis illis diebus, quibus id Camerlengis injungitur.

suppleant vices eorum qui mensæ ministrare debent;

119 Porro, quia rationi consonum est, diversa officia, sub eodem duce vel capite, cum casus forsitan imminet, debere se invicem adjuvare; et defectum unius alter consors teneatur ex æquo regere et supplere; eapropter statuimus, ut si Scutiferos, qui habent nobis servire in mensa, contigerit absentes existere vel alias occupatos, vel nos sic secrete esse vellemus, quod ipsos minime admitteremus; eo casu Scutiferi cameræ illorum officium habeant exercere : sic tamen quod Scutifer Nobilis vel alius quem præferre vellemus primo, demum ex aliis ille qui in officio vetustior fuerit, illud exerceat et supportet. At vero in omnium nostrorum Camerlengorum absentia, eisve sic alias impeditis ut non possint in suis officiis deservire; volumus ut Nobilis Scutifer Cameræ primo, si præsens sit, alias ille qui prior vocatus fuerit ad officium, exhibeat Nobis omnia quæ ad Camerlengorum officium ordinavimus pertinere : quam Ordinationem nostram, factam de Camerlingorum officio, ac insuper et præsentem volumus Scutiferos cameræ singulos in scriptis habere; quo videlicet esse valeant in agendis cauti peramplius et solertes. Postremo statuimus, ut Scutiferi cameræ juramentum et homagium præstent Nobis, sub forma quam Camerlengi debent præstare, juxta ea quæ per Nos sunt alibi de Camerlengis ordinata.

et Camerlengorum :

et idem quod hi jurent.

ANNOTATA D. P.

a Salerium ; *Francis* Salade, *Hispanis* Ensalada, *proprie est ferculum ex herbis, oleo et aceto ac sale conditis ; a quo nomen istud. Latine Commodius*, Acetarium *dicimus.*

De Camerariis. ℟. III.

Duo sint,

Duos viros, industriosos et fideles, Camerarios cameræ nostræ volumus deputari, qui etiam circa illa quæ suum concernent officium parebunt et suberunt Camerlengis.

ad usus cubiculi,

120 Hi siquidem Camerarii debent vestes et calceamenta personæ nostræ munde et honeste tenere; jocalia quibus quotidie utimur cum inventario Camerlengis custodire; lectum nostrum facere et parare; utque camera nostra sit convenienter ornata, et ea quæ ibi sunt debite ordinata, cavere; et his similia servitia in camere exercera ; et debet in retro-camera *a* unus semper necessario jacere. Insuper eorum incumbit sollicitudini, et qualibet nocte præcaveant, ne sit aliquis defectus in camera nostra illarum rerum, quæ in illa solita sunt immitti; utpote quod sit ibi vinum et aqua sufficiens ad bibendum, propter casus qui quandoque de nocte eveniunt improvise : item aquæ abundantia ad lavandum : candelæ et tortitia ad illuminandum, species confectæ ad comedendum; arma etiam decentia personæ nostræ completa unius militis, quæ debent qualibet nocte prope nos ponere ad pericula quæ possent occurrere præcavendum.

a e quo necessaria curanda.

121 Quæ quidem omnia et singula recipiant ab aliis officialibus domus nostræ, ad quos pertinet singula hujusmodi singulariter ministrare. Aquam etiam benedictam, ad satisfactionem devotionis nostræ, jubemus eos qualibet nocte ponere ad caput lecti nostri : De his et similibus curam habeant diligentem. Sane cum nos nocte qualibet lectum intrare continget, unus ex Camerariis antiquior in officio si præsto est, alius secundus in officio debet scissitari et petere a Nobis, quas vestes in crastinum disposuerimus deportare, ut illas de sero præparet quas potius duxerimus eligendas.

Illi incumbit providere in crastinum :

122 Adhuc etiam ordinamus, ut cum nos aliquod viagium *b* facere, vel aliter itinerare, seu ad alium locum transferre continget; unus ex eis, prout inter se convenient, semper præcedat Nos ante, cum ornamentis unius lecti nostri; ut cum ad locum destinatum venerimus, inveniamus ibi pro persona nostra cameram præparatam. Curam etiam eos volumus habere diligentem, ut omnia quæ personæ nostræ sunt approximanda, vel per Nos quoquomodo contrectanda, taliter perscrutentur, quod ab omnibus nostræ personæ nocivis penitus fiant alieni. Maxime hoc per eos observetur in sotularibus *c* et aliis, quæ per aliquem de curia et domo nostra minime fient ; quos vero sotulares, recepta prius

b præcedere iter agentem Regem,

calceos curare,

c et homagium facere.

prius propter hoc a Thesaurario pecunia, præcipimus facere fieri per eosdem. Postremo quia Camerarii isti in camera, in multis familiaribus servitiis, nobis adsunt : volumus eos, cum primum ad suum assumentur officium, juramento et homagio constringi consimilibus illis, quibus adstringi disposuimus Camerlengos, et in forma per Nos, in Capitulo de Camerlengis superius ordinata.

ANNOTATA D. P.

a Retro-camera : *sic* Retrobanaum, Retrofeudum, Retroguardiam *aliaque similia reperias in Glossario Cangii : quæ Franci per adverbium* Arriere *efferunt.*

b *A* Via *deducitur* Viagium, *iter, peregrinatio.*

c Sotulares, *Calceamenta, quasi* subtalares.

De Barbitonsoribus. Rj. IV.

Duo sint,

Pro humanis necessitatibus, quibus natura hominem, quantacumque fretum potentia, nullum fecit expertem, etiam nos Barbitonsorum officio indigemus : quos quidem duos esse volumus nostro servitio deputatos, qui nempe Camerlengis suberunt et parebunt.

curando nitori capitis,

123 Hi autem, circa ea quæ suum concernunt officium, esse debent erga personæ nostræ servitium diligentes : ut videlicet caput nostrum pectinent opportuno tempore, lavent etiam cum Nobis expedire videbitur, primitus facto gustu ; et similia faciant, ad quæ sunt specialiter deputati : debent etiam tenere munde et decenter bacinum, *a* et alia instrumenta, quibus ut debent suum officium exercendo. Porro erunt in servitio Cameræ, adjuvantes Camerarios in præparatione et ordinatione vestium, nec non et lecti et alterius cujusvis ornatus cameræ. Cumque continget abesse Camerarios, omnia servitia, et ordinationem vestium nostrarum, isti Barbitonsores facient et supplebunt, et infra hospitium nostrum, cum Camerariis vel alibi, unus ipsorum jacere astringatur.

et adjuvando Camerario,

ac ferentes per iter malettam, b

124 At vero cum Nos alibi transferre continget, unus ex Barbitonsoribus, prout concordabunt inter se, portabit maletam *b* cum vestibus corporis nostri, quas mandabimus deportari, de quo etiam primitus interrogare Nos debebunt. Sane in exhibendis præmissis et aliis incumbentibus, servitiis semper is qui prius assumptus est ad servitium alii præferetur. Consequenter etiam, quia exigente officio quod habent impendere Barbitonsores, frequenter ad personam nostram plus ceteris appropinquant : ordinamus, ut in novitate receptionis servitii, quilibet eorum tale præstet juramentum et homagium, quale præstare disposuimus Camerlengos.

ANNOTATA D. P.

a Bacinum, *pelvis, voce diminutiva a* Bak *vas, alveus.*

b Maleta, *pera vestiaria, diminutivum a* Mala, *quod equestrem sarcinam interpretatur Cangius, estque a Teutonibus sumpta vox.*

De Medicis. Rj. V.

Attenta medicorum habendorum necessitate ;

Qui fragilitatis humanæ varietatem recte pensando conjiciunt, quomodo videlicet infirmitas discursu sine intermissione deficiat, quantæve molis onusta gravedine in corruptionis exterminium continue defluat et labatur ; profecto luculenter agnoscent, qualis sit Medicorum utilitas, quamque sit illorum exquisita necessitas quorum arte ac industria plerumque sanitas conservatur jam habita, nec non et deperdita restauratur.

statuuntur duo,

125 Ordinamus igitur, ut in curia nostra ordinarie sint duo periti Medici, probatique in medicina seu physica, qui perspicaciter insistant pro nostræ conservatione salutis, Nobisque suggerant ac dicant intrepide, ut prosequamur et utamur iis quæ fuerint nostræ saluti accommoda, quæque noxia fuerint evitemus. Die namque qualibet de mane urinam nostram debent inspicere, ut corporis nostri quotidie dispositionem agnoscant ; et si viderint in nobis aliquam immutationem fieri, statim de salubri curent remedio providere. Insuper et si aliqua corporali necessitate, vel quavis infirmitate corpus nostrum gravatum esse perspexerint ; de nostra curatione indefessa et solicita diligentia curam agant : et si forte aliqua medicinalia sumenda Nobis porrexerint, primo de illis gustum faciant coram Nobis. Præterea etiam eisdem Medicis nostris injungimus, ut cum aliqui ex domesticis nostris vel familiaribus inciderint in aliquam discrasiam, *a* de iis etiam curam habeant diligentem, illisque pro salutis restauratione provideant, prout melius poterunt, juxta peritiam artis suæ : et maxime de personis Nobis propinquis, vel conjunctis sanguine, seu gradu aliquo parentelæ.

qui sanitati tum Regis

tum aulicorum attendant.

Unus Regi comedenti semper adsit, b

126 At vero Nobis in mensa comedentibus, Medicos nostros ambo præsto jubemus assistere, quatenus Nos solerter incautent *b* præcavere a cibis incompetentibus et nocivis : et si qualitercumque aliquid coram Nobis venenosum apponi, vel aliquovis modo adesse conspiciant, illud continuo abjici faciant et recondi. Sin vero [contingat] quod avertat Deus! aliquo casu vel facto sinistro [Nos] illud venenosum improvise et subito sumere, confestim remedient, ut viderint expedire. Sane unus ex Medicis ad minus infra domum nostram de nocte jacere debebit : ut si forsan illa hora Nobis vel cuivis ex nostris aliquid accidens evenerit, Medicus sit promptus non a longe remedium adhibere. Porro si ex Medicis nostris alter tantum fuerit in Medicina Magister, ille in prærogativis honoris alii præferetur : ubi vero ambo Magistri vel alias paris conditionis extiterint, tunc ille esse debebit in honore potior, qui prius ad nostrum servitium fuerit evocatus. Consequenter autem sciant quod Apothecarius noster et ejus adjutor ipsis obedire habent quoad ea, quæ illis facienda injunxerint ipsi Medici, suam exercendo scientiam Medicinæ : ipsi autem equidem Medici suberunt Camerlingis : qui videlicet Camerlingi ad curam omnium quæ concernunt personæ nostræ custodiam specialius sunt assumpti.

Apothecarios sub se habeant,

et pareant Camerlengo,

sub juramento Regi facto.

127 Postremo, cum Medici primo ad nostrum assumentur servitium ; juramentum Nobis et homagium præstabunt, quod bene et legaliter suum officium exercebunt, vitando omnia quæ saluti nostræ contraria et personæ nostræ fore periculosa prospicient : et si scirent aliquem nostræ insidiari saluti, Nobis hoc quam citius poterunt revelabunt ; nostrasque infirmitates secretas nemini manifestabunt, nisi de nostra licentia speciali : quodque nihil fecerunt vel facient, quare prædicta juramentum et homagium non valeant observare.

ANNOTATA D. P.

a Δυσκρασία Intemperies.

b Incautare, *cautum reddere, alibi necdum legimus : imo Salvianus* Incautelam *contrario sensu usurpat, pro* Inadvertentia.

De Sirurgicis. R'. VI.

Quia medicinam duas partes habere incognitum non

Hi quoque a

A non est, quarum una *a* Physica, alia Sirurgica vocatur, jamque super primam providerimus, ordinantes quod Physici in nostra sint curia, super secunda in præsenti, casibus qui Nobis aut nostris familiaribus evenire possent providendo, ducimus ordinandum, quod

duo sint,

128 Duo in Sirurgia experti in nostra habeamus curia : ipsi vero illa quæ necessaria secundum eorum artem habent, penes se teneant, ut de officio sibi injuncto tam Nobis, si casus (quod Deus avertat) contingeret, quam familiaribus nostris, servire melius possint. Et si tempore pacis per eos circa ista diligentiam habere volumus, multo fortius tempore guerræ, cum Nos in exercitu fuerimus, cura eis esse debet. Superaddentes, quod prope tentoria nostra aut loco in quo Nos stabimus, tunc temporis jaceant et remaneant. Omnia quæ gustari commode poterunt, antequam personæ nostræ apponantur, gustent fideliter. Camerlingis sicut et Physici suberunt : et hoc quia in nostra persona operari secundum eorum officium habent, juramentum et homagium ut Physici præstent.

maxime in bello.

B

ANNOTATA D. P.

a Chirurgus, *qui merum medicum facit vulgo* Sirurgicus ; *qui vero ductarit consilio* Physicus *medico ævo dictus, hodieque sic dictus Italis : plura ... apud Cangium.*

De Secretariis scriptoribus. R. VII.

a

Consequentia nomina rebus, esse *a* studentes [norunt] et congruam nominis officii Secretariorum impositionem existere ipsius officii qualitas attestatur : quia plura secreta illis officium exercentium fideli industriæ committuntur.

Duo sint

129 Unde taliter providentes disponimus, quod duo Notarii, boni et sufficientes, ad officium secretariæ deputentur, qui Nobis litteras secretas scribant ; et omnes scripturas, quæ secreto nostro sigillo debent sigillari, et libros nostros teneant, et de iis curam gerant. Unus eorum bonus sit calculator *b*, ut quando computa nostra videre voluerimus, ipse super illis informare nos valeat ; et libros aliquos computorum secum teneat, ut quando in illis ad nostri certificationem aliquid videre cupiemus, prompte habere eos possimus. Ad mandatumque cujuslibet de nostro Consilio litteras vel albarana faciant, cum ea postea videre et signare habeamus.

b

quibus arcana scribenda et servanda credantur,

C

Quæ vero in Consilio nobis præsentibus, tam super supplicationibus quam aliis scribuntur, unus ipsorum scribere teneatur. De factis quæ in nostro Consilio determinabuntur, vel ad memoriam reducentur, quæ tunc terminari non poterunt, memoriale faciant, ut terminata executioni per illum ad quem pertinebunt mandentur, et non determinata loco et tempore opportunis discutiantur. Ex hoc enim unum semper necessario ; quando consilium tenebimus, volumus esse præsentem, licet ambo habeant interesse.

130 Verum quia scribere litteras vanum et sine fructu esset, nisi ipsæ litteræ ad illos ad quos dirigentur, mitterentur ; volumus ut Cursoribus, in mittendo eos cum nostris litteris, præsint, et si in negligentia eos inveniunt, ad unius mensis quitationem privare ipsos secundum quod ipsis videbitur, valeant atque possint. Ipsi tamen Secretarii sub Camerlengis esse astrictos se cognoscant ; excepto quod nec Camerlingis nec alicui, sine nostra speciali licentia, scripta secreta sive litteras nostras Secretas ostendant ullo modo.

ipsi præsint cursoribus,

131 Unus ipsorum necessario ad minus infra nostrum hospitium in loco convenienti, ut cito si necesse contingeret eum adscribendum qualicumque hora habere possimus, jaceat. Committere insuper adscribendum, in casu quo multis litteris occupati sufficere non possent, illis de Cancellaria possint, dum tamen non essent multum secreta : quo casu nolumus absque nostra fieri licentia speciali. Volumus etiam, et sub pœna duorum mensium amittendæ quitationem pro qualibet vice eis mandamus, ut omnes litteras et albarana, quas et quæ per ipsos fieri contingerit, registrent ; et etiam illas, quas nos manu propria scribemus, nisi de nostra voluntate non prætermittent. Nec non volumus, quod a nostra curia, nisi obtenta speciali a Nobis licentia, se non absentent quoquomodo.

132 Postremo, quia antiquiori per novissimum honos debetur, ut per aliquem qui primus fuerit in officio memorato honoretur, præcipimus et ordinamus, ut in omnibus officium tangentibus, primus prærogativa præ alio gaudeat. Juramentum Nobis faciant, quod bene et legaliter in eorum officio se habebunt ; et quod quæ nostri sunt secreti, quæ ipsi tam per litteras quas scribent, quam in Consilio scient, tenebunt secrete. Insuper et quia multimode officii Nobiscum diversis habent participare modis, et per Nos litteræ et aliæ per ipsos scripta contrectantur, districte providentes mandamus, ut et juramentum et homagium Nobis faciant, de evitando omne nostræ saluti esse contraria : et si ea scirent, Nobis illa debeant protinus revelare; adjicientes quod per eos non est factum neque fiet, quominus juramenta et homagium prædicta in sua possint stare roboris firmitate.

ANNOTATA D. P.

a MS. et studentes coar tuam, *nullo sensu ; quomodo ... esse debeat curiosus lector.*

b Calculator, *id est*, Calculator, *ex eo quod calculi ad computandos adhibebantur.*

De Uxeriis armorum. R. VIII.

Cum Regalis status terribiliter conveniat, ut sine differentia personarum fiendo, unicuique ad personam suam appropinquandi pandatur aditus ; sed condignum sit, ut tam causa honoris, quam etiam periculi evitandi, quod secundum gradus et conditiones personarum licentia approximandi unicuique tribuatur : ideo

133 Ordinamus, quod quatuor (ut melius laborem, quem propter officium eorum habebunt, sustinere valeant) ad retro Nos eundum, tam equitando, quam peditando, ut custodiant ne omnibus personis nisi secundum quod expediens fuerit, secundum nostrum statum et conditionem, nec non et secundum tempus, aditus ad Nos concedatur, deputentur. Et ut melius aliqua quæ secundum eorum officium eis incumbent, valeant adimplere, virgam per quemlibet ipsorum portari jubemus : *a* Uxerios armorum autem eos vocari volumus, ut nomina convenientia sint rebus.

134 Et quia expertis in quocumque facto est credendum, ordinamus quod prædicti militares sint personæ, non tamen cingulo Militiæ præditi : militares enim personas tam genere quam experientia, quæ ad arma spectant et pertinent, scire et facere præ aliis incognitum non est. Quique etiam loca ad quæ qualicumque ratione intrare habebimus, tam per eos quam per Servientes armorum, secundum quod loca erunt, solicite ne insidiæ sint prævideant. Predictorum etiam ad minus necessario unus foris coram janua cameræ, in qua Nos jacebimus, jaceat : quotiescumque vero coram dicta janua

nua cameræ, ut dictum est, contigerit eos jacere, quod jam declaravimus esse necessitati; arma militaria completa in capite sui lecti teneant; ensem tamen semper deferant; et arma alia tam secrete quam apparenter, quando et secundum quod fuerit opportunum: in hoc autem et loci conditio et temporis qualitas sunt inspicienda: nam eis et nomine et officio, præ aliis, servitio et custodiæ nostræ personæ deputatis, congruit evidenter. Et siquidem dicta arma deferre et tenere, ut superius est ordinatum, neglexerint, pœna quitationis unius diei singulis vicibus eosdem decernimus puniendos.

et armis semper paratis instructi,

135 Ad eorum officium etiam pertinet, ut quando divina coram Nobis celebrantur; in janua loci ubi nos stabimus, aut prope cortinam nostri oratorii extra vel infra, secundum quod locus fuerit, stent. Si vero coram Nobis in Consilio extraneæ personæ proponere haberent, aut quæcumque litigarent; tunc ipsi cum Servientibus armorum intus ad custodiam nostræ personæ ingrediantur et maneant, nisi eis ex causa prohiberetur. Cum Nos vero cum illis de camera tantum esse voluerimus secrete, ut Nos cubando vel surgendo, aut alias Nos induendo, pectinando, et alia similia faciendo, vel etiam si Nos expresse mandaremus, unus tantum ipsorum infra locum ubi prædicta faciemus esse possit, qui curam habeat ne tunc aliqui ingrediantur, nisi qui de camera fuerint aut alii quos ex speciali causa ad hoc admittere dignaremur; et si ultra prædictos ibi esse reperiret, nisi ex causa Nos prohiberemus, exire eum faciat: honestatis enim minime esse judicamus si ad nostra secreta, præter qui ad ipsa sunt deputati aut admissi, interessent. Nuntii virgæ sub ipsorum sint obedientia; et si eidem Virgæ-nuntii in eorum delinquerent officio, ad quitationem unius mensis tantum condemnare eos pro qualibet vice possint. Ipsi vero Camerlingis subsunt.

etiam sub sacro,

et coram extraneis:

arceant autem importunos,

præsint Nuntiis virgæ,

136 Quia vero isti sic ad officium nostræ personæ, ut dictum est, sunt annexi, a juramento et homagio Nobis præstandis nolumus esse immunes, sed volumus ut juramentum et homagium Nobis faciant, quod pericula quæ nostræ personæ evenire scirent pro posse evitabunt et Nobis revelabunt: et quod bene et legaliter in eorum officio ad personæ nostræ tuitionem se habebunt; quodque nostra specialia et expressa mandata efficaciter exequentur, et secreta nostræ personæ aut nostri consilii, quæ occasione eorum officii scirent vel audirent aut alias scirent, minime revelabunt: et quod nunquam fecerunt neque facient tale quod obstet ad ista servanda.

et homagium Regi faciant.

ANNOTATA D. P.

a Uxerius *alias* Usserius, Huisserius, *ostium observans sive cameræ sive palatii: ita dictus vel a Teutonico* Huys *domus, vel potius a veteri Gallico* Huis, *ostium, sive (ut medio ævo scribebatur)* Hostium; *Belgice ac propriissime* Doorwaerder *custos ostii, sed restrictiori significato, ad significandum Apparitorem Curiæ judicialis devotatarat. Hic vero* Uxerius *proprie significat regii corporis custodem. Qui cum jubeatur in signum potestatis virgam gestare, mirum est in fundo litteræ initialis ipsum cum ea non exprimi, potius quam cum scuto et galea.*

De Servientibus armorum. R'. IX.

Decet etiam Regalem majestatem, quæ subditos diversis modis in pace et justitia tuetur, ut ad custodiam personæ suæ variis modis et cum diversis officiis providendo provideat.

Item ad custodiam Regis,

137 Ideo ultra Uxerios-armorum, quos adhoc deputavimus: Armorum-servientes ad custodiam nostræ personæ ordinarie octo esse ordinamus, qui ante portam cameræ, ubi Nos jacebimus, jaceant, data Uxerio sive Uxeriis-armorum prærogativa in propinquitate jacendi et in aliis. Et volumus quod omnes qui in curia nostra præsentes fuerint, et minime morbo aliquo gravati, ad hoc teneantur, exceptis duobus qui jacere non teneantur: hoc enim remedium, si bene inter se divident et æqualiter, ad eorum negotia peragenda sufficiet. Ceterum ut non tantum ab Uxeriis aditus illiciti ad nostram personam prohibeantur; ipsos coram Nobis (nullis inter Nos et ipsos, exceptis Camerlingis aut aliquibus cameræ Scutiferis, et eundo et redeundo de mensa, Magistris-hospitii sive Majoribus domus, aut aliis paucis, quo sex speciali causa ibi esse vellemus, ire permissis) tam equitando quam alias incedere mandamus.

Octo esse jubentur:

Regemque antecedere et sequi,

138 Curent etiam quod loca, ubi Nos stare seu ire debemus, provideant taliter quod nullum Nobis inde possit periculum imminere. Et quotiescumque multitudo gentium, seu personæ incognitæ vel extraneæ coram Nobis venire contingeret, vel coram Nobis litigarent, in tali loco, non obliviscantur se ponere, quod per eos possemus a quibuscumque inopinatis periculis protegi et defendi; ad hoc enim conditionem personarum et statum etiam considerare eos oportet. Eis etiam injungimus, quod duo continue Nobis palam comedentibus ante mensam stent; custodiendo ne nisi qui debent ad mensam appropinquent: et quod unus alius ad coquinam, ante illos qui nostra deferre debent cibaria eundo et redeundo, coram cibariis quæ Nobis deferentur, vadat. Tanta etiam et talis multitudo posset esse gentium, quod plures stare coram mensa et etiam ad coquinam ire et redire vellemus secundum quod ipsimet cernere poterunt, aut secundum quod eis specialiter mandaretur.

mensæ etiam assistere per vices,

139 Semper vero ut in custodia nostræ personæ, si necessarium esset, parati inveniantur, arma militaria, coram janua cameræ nostræ jacentes, juxta se habeant. Tempore autem guerræ sive exercitus continue coram Nobis euntibus, tam equitando quam peditando, arma militaria et discooperte portent: pacis vero tempore necessario ensem et massam *a* deferre habeant, etiam et arma completa, quando et si eis injunctum fuerit, attentis prudenter attendendis. Et si præmissa arma, ut superius est per nos ordinatum, deferre et tenere omiserint, eos pœna quitationis unius diei singulis vicibus puniendos declaramus.

armaque in promptu habeant:

140 Nobis vero itinerare debentibus, unus ipsorum primus cum nostro Folrerio, qui ad recipiendum hospitio tam Nobis quam nostræ comitivæ est ordinatus, vadat; et hoc per illum, qui ad hoc qualibet vice per nostros Camerlengos fuerit deputatus, fieri jubemus. Nam per nostros Officiales et alios quoscumque, tam infra terras nostras quam extra, melius uni ipsorum quam Folrerio, non est dubium, obedietur. Volentes quod Serviens armorum iste, in assignandis hospitiis nostris sequacibus, et aliis quibus hospitia fuerit assignanda extra nostrum hospitium, pareat nostris Majoribus domus firmiter in omnibus et intendat. Insuper qui antiquior fuerit in officio injungimus, et etiam alii in sui absentia Servienti-armorum, qui post antiquiorem immediate acceptus fuerit ad officium, quod quando Nos venando vel itinerando (qui ista quidem quasi necessario secundum conditionem nostri status facere habemus) vel alias, damnum sive nocumentum bladis *b* vel vineis aut aliis expletis *c* dederimus, seu occasione nostri damnum fuerit; ut ipsi fideliter,

quorum unus pariter præcedat cum Folrerio,

subjectus Majori-domus,

et sanciat damna per eum facta.

super

A super hoc eorum conscientias onerantes, provideant, æstimantes; et cum damnum passis vel aliis se informando de damno, ad quantum poterit ascendere; et deinde tam Nos, quam Confessorem nostrum et directores conscientiæ sollicitare ne obliviscantur, donec effectualiter per Nos fuerit satisfactum *d*.

d

Iidem suppleant vices Uxeriorum,

141 In absentia tandem Uxeriorum, et ad standum ubi Uxerii stant, cum divina coram Nobis celebrantur, et ad retro nos eundum eos ducimus admittendos: volentes ut tunc ad tuitionem nostræ personæ circa ista duo se habeant diligenter. Insuper juramentum et homagium Nobis faciant quod bene et legaliter circa custodiam nostræ personæ se habebunt, evitando omnia quæ nostræ personæ nociva esse possent et quod nostra mandata expressa et specialia firmiter exequantur, periculum mortis pro tuitione nostræ personæ minime evitando: et quod per eos aliquid factum non est neque fiet, quominus prædicta valeant firmiter observare.

et Regi jurent.

ANNOTATA D. P.

B a Massa, *Italis* Mazza, *Francis* Massue l. *Clava, qualem magistra tui præferunt* Accensi, *Italis* Massieri, *quasi* Clavarii, *Nescio autem cur* Servientem armorum *pictor cum hac non expresserit intra litteram initialem, sed etiam reliquerit absque icone; quæ similiter deest initiali litteræ Rubricæ sequentis.*

b Blada, *fruges cujuscumque speciei Italis* Biada *Francis* Bled.

c Expletum, *dicitur pravis terræ proventus; ut pluribus apud Cangium videre est.*

d *Laudabilis profecto cura, et non solum Principibus, sed etiam Nobilibus quibuscumque venandi jus habentibus commendanda.*

a

De Nuntiis Virgæ (*a*) ℟. X.

Quia vero, propter custodiam nostræ personæ, Servientes-armorum decens non est quod frequenter mittantur.

Quatuor hi sint,

142 Ideo providimus; quod quatuor ad minus ordinarie Nuntii-virgæ sint, in nostro hospitio deputati, qui ratione eorum officii Virgam deferre non omittant: ad mandatum vero Servientium armorum infra, villam in qua Nos fuerimus, ire, et complere eorum mandata prout poterunt teneantur; nec non ad Consiliarios nostros, cum consilium tenere vellemus, et similia faciant cum effectu, etiam ad mandatum Consiliariorum nostrorum et Secretariorum, per villam prædictam, quo voluerint eos mittere, accedere non renuant. Cum vero per villam solenniter equitabimus, peditando prope Nos gradiantur, providendo ne ad nos approximetur aliquid minus decens: nam aliquando contingit melius talia per eos fieri, quam per armorum Uxerios equitantes.

C

ad mandata quœlibet et ad quoslibet ferenda,

b

ab iis signum buccina dandum per iter,

143 Buccinam *b* vero, Nobis volentibus equitare per villam, et specialiter ubi sciunt nostros morari domesticos, procurent buccinare; ut iidem nostri domestici sciant, nos velle equitare, et ad nos veniant cum suis equitaturis indilate. Hoc vero faciat alter illorum ex ipsis, qui in nostro hospitio jacuerint proxime nocte lapsa. Januas etiam nostrorum palatiorum et nostrarum camerarum foris tantum per eos volumus custodiri, quando aliis nostris negotiis non erunt occupati: custodiant autem taliter, quod argentum, quo in nostro palatio tam per Nos quam per nostros domesticos fruimur, nec eleemosyna valeat defraudari; et quod nisi prout debitum fuerit ad nostras cameras et palatia aditus per eos non pandatur: gerantque curam, quod in palatio omnes cibaria ordinate habeant comedentes. Præterea ordinamus, quod dicti Nuntii-virgæ tam in mensa coram nobis quam alibi, excepto quando secrete fuerimus, vel per loca secreta infra nostras cameras ibimus, teneant et deferant tortitia illuminata. Duo autem ipsorum in foribus nostrarum camerarum, post Servientes-armorum, jaceant de nocte, et Camerlengis et Uxeriis sint subjecti.

excu an..um ad

D

faces præferendæ.

144 Insuper ordinamus, quod nostrum Algotzirium, in omnibus suum tangentibus officium, juvare teneantur: super quibus Majoribus-domus et ipsi Algotzirio obediant effectualiter atque prompte, quotiens per ipsos vel aliquem ex eis injunctum eis fuerit, dimissis negotiis aliis quibuscumque. Nec non volumus, quod in absentia dicti Algotzirii, antiquoir in officio ex ipsis Nuntiis-virgæ, eorum qui præsentes fuerint, officium ejusdem Algotzirii exercere fideliter sit astrictus. Camerlengis vero pro tangentibus servitium nostræ personæ juramentum et homagium præstent, promittentes quod quidquid scient ad læsionem nostræ personæ reverti posse, illud pro posse evitabunt, et Nobis aut ipsis Camerlengis confestim revelabunt; et quod numquam aliquid fecerunt, propter quod præmissa nequeant firmiter observare. Et Majoribus domus, ratione agendorum in officio Algotzirii, faciant juramentum, per quod promittant quod in illis fideliter se habebunt.

Tenentur Algotzirium juvare

et jurare Camerlengo ac Majori dom.

E

ANNOTATA D. P.

a *Ita hic expresse eadem diversissima manu in margine scriptum, qua alia hinc inde inter relegendum correcta sunt; et quidem lineola transmissa per prioris scripturæ titulum qui erat,* De Uxeriis aulæ sive Subporteriis, *quod mutatum credo, quia* Nuntionem *eis munus potius quam* Portariorum *injungitur.*

b *Hoc quoque signo distingui poterant intra litteram initialem, si hanc ornare aliqua icone placuisset.*

De Armatore Regis ℟ XI.

Culmen Regalis solii, permaxime in justitiæ rectitudine stabilitum, pro illius cultu ac subministratione frequenter et plurimum aget in armis.

145 Hinc est quod Nos ad ea volentes attendere, quatenus arma nostri corporis, cum decoris pulchritudine et congruentia illæsa serventur et integra; ne videlicet corrodantur rubigine, vel alio eventu forinseco consumantur; ordinamus ad armorum nostrorum custodiam unum deputari virum, idoneum et fidelem, qui Armator ab officii convenientia nuncupetur: qui et arma nostra diligenter custodiat, caveatque quod ea munde teneat et honeste; videat etiam frequenter, an reparatione vel renovatione indigeant, ut confestim defectum corrigat, vel faciat ab artificibus emendari. Sane in reparatione armorum nostrorum facienda talem mandamus ipsum Armatorem adhibere cautelam, ut fabrum seu opificem, ad locum ubi arma servantur seu reponuntur, adducat; vel si taliter fuerit reparatio facienda, quod necessario portari ad domum artificis sit necesse; tunc non palam, sed in secreto loco ea faciat reparari. Nec enim nostræ congruit honestati, ut ea quæ sunt personæ nostræ usui deputata, per manus diversas sic patenter discurrant, ut ea possit pro voto quilibet contrectare.

Hic arma regia curare debet,

F

idque caute cum erunt reparanda,

146 Ordinantes, quod pro nostræ personæ servitio, ad minus arma completa, meliora quæ inveniri seu fieri poterunt, modorum diversorum, pro octo Militibus et equis totidem debite armandis, per Armatorem prædictum teneantur parata continue atque prompte: inter quæ adesse secreta aliqua non omittat, quæ secrete locis opportunis deferre valeamus.

et habere completa pro 8 personis et equis.

A mus. Teneat etiam octo paramenta militaria, et alia octo equestria: et hæc teneri volumus ultra alia quæ causa donandi vel alia de causa tenere vellemus. Nec non teneat vexilla parva et magna et similia, secundum quod status noster duxerit exposcendum. Statuentes, quod si defectus intervenerit ejus culpa, medietatem quitationis unius anni perdet, quam de curia percipere consuevit.

ac singulatim ferre post Regem,

147 Consequenter autem ordinamus, ut nocte qualibet Armator tradere debeat, alteri ex Camerariis nostris, arma completa nostræ personæ, ut ea ponat de prope lectum nostrum. Et si ex aliqua causa forsitan mandaverimus, arma nostra juxta Nos alicubi equitando portari, ultra illa quæ scutiferi habent ferre, ipse Armator una secum deferat sic prope Nos, ut cum ea petierimus sint parata. Hic quoque Armator erit Camerlengis subditus: quibus etiam, cum petent, de armis nostris habebit reddere rationem: sed et Magistro rationali nostro annis singulis rationem reddere constringetur de his quæ in factione sive reparatione armorum fuerunt expensa. Unde caveat, quod cum inventario omnia arma recipiat; sitque cautus in scriptis redigere, cum alicui personæ quævis arma tradi jusserimus

eorumque servare Inventarium,

B vel donari. Attente tamen præcaveat ne præstet nec tradat alicui de prædictis absque Albarano, sigillo nostro secreto seu Camerlingorum nostrorum signato.

148 Porro cum Nos contingat arma velle assumere, maxime guerræ tempore, sit Armator solers, diligens et impiger, ut arma Nobis necessaria teneat semper prompta; atque illa tempore guerræ frequentius solito recognoscat; ne, cum illis uti voluerimus, defectus aliquis valeat reperiri. At vero si Armator fuerit aliquando in infirmitate, vel absentia, vel alias rationabiliter impeditus; eo casu suum committat officium uni ex Servientibus armorum seu Portariis; et inventarium, quod habet de armis, tradat eidem, quem Nos vel Camerlengi nostri ad hoc duxerimus pro vice qualibet nominandum. Demum autem volumus, quod Nobis præstet Armator juramentum et homagium, quod per factum suum, damnum personæ nostræ non veniet, imo evitabit pro posse damnum, quod sciret Nobis posse quomodolibet evenire, præcipue per illa quæ suæ custodiæ sunt commissa: illud quoque Nobis nihilominus non differet revelare: quodque nihil fecit vel faciet, quod minus possit prædicta omnia debite
C observare.

satagat præcipue tempore belli;

et qui Regi juret fidem.

De Sartore et ejus coadjutore Rj. XII.

In decore et compositione vestium est attendenda conditio personarum; quæ scilicet indumenta, quibus personis conveniant. Etenim pretiositas circa vestes, quæ in personis humilibus superstitiosa notaretur et vana, ex auctoritate dignitatis in aliis reputatur conveniens et honesta: quia amictus corporis et incessus enuntiant sapientem, ut alibi Sapiens attestatur.

Honestas vestium Regem decet.

Ecli 17, 29

149 Ut autem vestes nostræ congruentes statui semper, cum opus et tempus fuerit, sint paratæ; ordinamus, quod in curia nostra sit unus Sartor sufficiens, qui infra domum nostram faciat omnes vestes, ad usum nostri corporis deputandas: caveatque, quod aliqua persona incognita, vel quovis modo suspecta vestes hujusmodi non contractet; quodque non in publico prospectu gentium eas faciat; sed in aliquo loco separato ab incessu communi, quatenus undique periculum et omnis suspicio extranea devitetur. Insuper etiam volumus, Sartorem istum omnem diligentiam adhibere, ut nullus defectus sit, quo minus vestes novas certis temporibus et festivitatibus per Nos ordinatis habeamus:

ideo Sartor unus

eam curet,

D quodque super hoc, et super emendis omnibus necessariis ad istud, scilicet Camerlengos et alios, ad quos viderit pertinere; vel etiam, si necesse est, ipse emat: alioquin, si ipse in culpa fuerit, quo minus vestes habeamus temporibus per Nos alibi ordinatis, privari eum volumus media parte quitationis anni, quam a domo nostra percipiet mandantes nempe eidem, ne possit illius Ordinationis ignorantiam prætendere, ut eam in scriptis habeat et observet.

pro loco ac tempore;

puniendus si quid neglexerit,

150 Præterea disponimus ut Sartor reddat rationem, de receptis et expensis, quas facere habet ratione sui officii, Magistro rationali Curiæ nostræ: scitque se fore subditum Camerlengis: faciet autem juramentum et hominium, ut Armator. Consequenter ordinamus, ut unus aptus juvenis per Nos eligatur, qui eo absente, vel alias rationabiliter occupato, in faciendo vestes nostras suppleat vices suas: qui etiam ipsum Sartorem adjuvet in suendo si opportunum fuerit, nec non et in mundando vel spalmando cum opus fuerit vestes nostras, et similia faciendo in aliquo loco mundo et secreto ad hoc apto. Hunc
E autem volumus exhibere Sartori honorem ratione officii: attamen erit subditus Camerlengis, et præbebit juramentum et homagium Nobis, sicut Sartor.

et habeat juvenem adjutorem.

De Sutrice et ejus coadjutrice Rj. XIII

Quod in vestibus nostris præcipimus et volumus observari, ne nisi per Sartorem certum ad hoc deputatum et juratum infra hospitium nostrum fiant; multo magis in interulis sive camisiis, et similibus quæ magis quam aliæ vestes, nostræ approximant personæ, servari volumus.

151 Ordinantes, quod una bona mulier Sutrix in nostra curia admittatur; quæ infra nostrum hospitium interulas nostras et similia scindat et faciat diligenter: et illa cum opportunum fuerit, etiam pannos lecti nostri et mensæ, in loco secreto lavet et mundet cum effectu, taliter quod ista sic secreta videri per aliquos nequeant nec tractari. Et pecuniam necessariam pro interulis, et aliis suo officio Sutricis pertinentibus, a nostro Thesaurario, et pecuniam necessariam pro abluendis interulis, linteaminibus, mappis et aliis, a Scriptore rationis exigere et recipere non omittat. Camerlingis etiam submissa sit: nobis tamen juramentum et homagium faciat sicut Sartor. Coadjutrix vero sua, per Nos
F eligenda, in sui absentia vel alias impedita, quæ erunt nostræ personæ lavare teneatur; et alia faciat prout poterit, quæ dicta Sutrix erat factura: etiam in ejus præsentia eam adjuvet: mappasque, quæ in nostra curia tenentur, et pannos lectorum eorum qui in nostro jacent hospitio, cum necessarium fuerit lavet; et sit sub Camerlengis, et uni ex Camerlengis faciat homagium cum juramento ut Sutrix prædicta.

Eadem consuat

et habeat coadjutricem.

De Apothecario et ejus Coadjutore Rj. XIV.

Quæcumque per modum medicinæ vel cibi nobis sumenda vel ingerenda præstari contingat, decet non quidem per incognitam, sed fidelem et probatam, confici et contrectari personam; quo videlicet magis munde et honeste confecta, nulla possit inibi notari suspicio, nulla præbeatur occasio cuiquam extraneo immiscendi nocivum aliquid vel impurum.

152 Ordinamus igitur, quod in curia nostra sit semper unus bonus et fidelis Apothecarius principalis, qui confectiones quascumque pro persona nostra ipse conficiat; et si propter aliquam necessitatem personæ nostræ indigeremus aliquibus electuariis

Confectiones omnes ipse faciat,

A riis vel zirupis, seu quibusvis aliis medicinis, idem Apothecarius illa personaliter faciet et secrete, gustumque de illis faciat, si sint res gustabiles, antequam nobis sumenda, vel alias quomodolibet præbeantur. Insuper debebit etiam providere Apothecarius ut ipse conficiat vel aliunde procuret confectiones seu confectas species pro aliis personis quam pro Nobis, nec non etiam de luminaribus cereis, torticiis videlicet et candelis, servata Ordinatione nostra quam *a* super hoc fecimus: quam quidem Ordinationem habeat in scriptis, ut illam melius absque violatione custodiat et observet. Caveatque idem Apothecarius, cujus curæ specialiter hoc sciat incumbere, ut de præmissis confectionibus et luminaribus nullus in nostra curia sit defectus. Et quotiens ad nos tortitia erunt deferenda ubique extra nostram curiam secretam cameram, ea nostris Subportariis et in eorum defectu cursoribus et juvenibus de stabulis tradi procuret cum effectu.

cereos curet, a et luminaria.

153 Sane cum itinerando ad locum aliquem accedemus, debebit Apothecarius coadjutorem suum præmittere, ut nec in loco unde recedemus, nec in loco destinato ad quem ibimus, de confectionibus vel luminaribus reperiatur carentia vel defectus. Nec B enim volumus quod hæc, vel alia quæ ad suum spectant officium, committat alii personæ quam illi qui sibi adjunctus fuerit coadjutor. Verum cum sciverit nos velle pro anima alicujus defuncti missam solennem facere celebrari, ut addiscat nostram voluntatem super numero tortitiorum illuminandorum, in dicta Missa nostros Camerlengos solicitet diligenter. Singulis vero diebus jejuniorum in sero, et Dominicis Quadragesimæ Domini in prandio, nostris domesticis de confectionibus sive speciebus confectis ministret copiose, et aliis diebus quibuscumque cum Nos de illis petierimus. Præterea ordinamus, quod vel ipse principalis Apothecarius, vel ejus coadjutor semper in domo nostra jaceant, parati siquis casus occurreret suum in omnibus exercere officium.

utque in hoc habeat adjutorem. et ad curanda omnibus electuaria

154 Porro debebit Apothecarius obedire Medicis, in iis quæ per ipsum facienda erunt, concernentibus Medicinas; sed erit subditus Camerlengis. Verumtamen de iis quæ administrat emendo et distribuendo, Scriptori rationis curiæ nostræ tenebitur reddere rationem, et ab ipso cum necesse erit recipere pecuniam pro prædictis. Juramentum autem et homagium nobis faciet ut Armator; addito, quod si ratione sui officii infirmitatem secretam in nostra C persona sciret, illam nemini revelabit. Postremo volumus quod Apothecarius unum coadjutorem habeat per Nos eligendum, in officio suæ apothecariæ intelligentem aliqualiter et expertum, qui ipsum in conficiendo si necesse sit et alia faciendo coadjuvet, cuique et in sua absentia committat illa, quæ suo officio incumbentia sunt vel commissa. Qui coadjutor debeat adjuvare alios Officiales repositi, cum in officio suo proprio ipsum vacare non oportuerit. Hic equidem coadjutor jurabit et homagium faciet Nobis, et Camerlengis obediet, sicut ipse Apothecarius jacere et obedire est adstrictus.

subditur Camerlingo, sicut et coadjutor ejus.

ANNOTATA D. P.

a *Vide Partem* 6 *Rub.* 5 *de* Illuminatione.

De Fructerio, et ejus coadjutore. R. XV.

Hujus erit

Ad omnia quæ nobis proponuntur in cibum, decet pro eorum procuratione vel circa, electam potius et de fidelitate probatam semper assumi personam; quæ et sciat meliora discernere, et periculo, quod posset ex talibus personæ nostræ contingere, sciat curiosius præcavere.

155 Eapropter in curia seu reposito nostro unum D volumus virum deputatum fidelem, cui sit cura principalior emere fructus, caseos, ac sal, et similia, quæ tam pro Nobis quam pro familiaribus in nostra curia expendentur. Volumus etiam quotienscumque caseos aut fructus ita deteriorari contingeret, quod coram nostris domesticis non essent competentes adponendum; per dictum *a* Fructerium statim eleemosynariis distribui; et per dictos eleemosynarios Christi pauperibus elargiri præcipimus et mandamus. Et ita dum nos itinerare contigerit ea præcipimus pariter observanda.

fructus, caseos, etc emere, a

156 Prædicta autem omnia emat, quotiens commode fieri poterit, præsente ejus coadjutore et scribente, servata ordinatione alias per Nos facta super hoc, quam in scriptis habeat et observet; caveatque quod gustum faciat de omnibus præmissis, quæ Nobis sumenda debebunt quomodolibet anteponi. De omnibus autem quæ expendet emendo talia debebit a Scriptore rationis habere pecuniam, et ipsi Scriptori-rationis curiæ nostræ reddere rationem. Cum autem Nos itinerare continget, ipse vel coadjutor suus semper prius antecedat, ut caveat ne defectus esse possit de iis quæ spectant ad ejus officium in E prandio vel in cœna. Debebit etiam cum poterit sine detrimento officii sui si necesse fuerit alios Officiales repositi adjuvare. Præterea volumus eum esse subjectum Camerlengis; faciet autem Nobis juramentum et homagium, sub forma per Nos de Armatore superius ordinata.

præsente adjutore; præcedere debet itinerantem Regem, et tam ipse

157 Coadjutor autem Fructerii, qui per Nos deputabitur, in emptionibus per prædictum Fructerium fiendis, rebus prædictis interesse debere personaliter, et illas scribere se agnoscat obligatum, quotiens hoc commode fieri poterit et non erit inopportunum ipsumque Fructerium debet in adimplendo suo officio adjuvare, supplereque vices ejus illo quomodolibet impedito. Debet etiam adjuvare alios de reposito, cum in suo officio non fuerit occupatus. Subjiciuntur etiam Camerlengis, ad quorum mandatum, quæ scribenda fuerint in nostro Regio reposito, scribat diligenter: Nobis autem juramentum et homagium faciet, prout Fructerius principalis.

quam suus coadjutor illi fidem juret.

ANNOTATA D. P.

a *Vide Partem* 6 *Rub.* 4 de Fructibus in mensa F ministrandis.

De Argentario et ejus coadjutore. R. XVI.

Ut servitia nostræ personæ, complete ut decet et absque defectu fiant, diversas personas, secundum diversitatem officiorum, instituisse necessitatis existimamus.

158 Unde Argentarium in nostro deposito ducimus decernendum, qui ad nostrum palatium argentum, seu vasa aurea et argentea; mappas [item] quibus tam Nos quam nostri domestici comedentes potimur, deferre teneatur (exceptis amphoris et aliis ad nostrum potum necessariis) et abinde illud et illas ad repositum reportare. Argentum vero deferendum ad coquinam tradat illi ad hoc deputato, a quo post comestionem recuperare procuret diligenter. Quæ vasa aurea et argentea et Mappas, sub Camerlengo Milite, admisso primitus in officio, facto inde inventario, teneat et custodiat fideliter; et de illis Camerlengis rationem reddat, quotiens ab eis fuerit postulata: nostramque mensam ponat atque paret.

Supellectilem mensarum auream, argenteam, lineam curare obligatur,

159 Tempore vero, quo nos itinerare contigerit, ipse vel ejus Coadjutor, primus vadat; et sic faciat V quod

cum Coadjutore

quod ubicumque accedemus, ut nostram decet Celsitudinem, ad servitium nostrum argenti inveniamus complementum. Suum vero officium, itinerando vel non, suo Coadjutori, quando necessarium fuerit, possit committere exercendum; sic ut nullum defectum propter ejus absentiam officium patiatur: sitque solicitus habere et tenere in scriptis modum, qui servatur in tenendo *a* argento præhibato. Insuper in reposito ipsum vel ejus coadjutorem jacere volumus et mandamus. Tenere vero aquam paratam cum ad mensam accedere debemus, pro nostris manibus et pauperum lavandis, et aliorum qui ibi fuerint lavandi, cum bacinis argenteis, nullo modo omittat. Camerlingis autem ipsum volumus esse subjectum, quorum uni juramentum faciat, quod bene et fideliter dictum argentum custodiet, ac suum officium faciet; ac homagium, quod per suum officium damnum nostræ personæ nullum eveniet quoquomodo, sed illud evitabit toto posse; nobisque, si sciret ullum, vel Camerlengis confestim revelabit: et quod nihil fecit quominus prædicta firmiter nequeat adimplere.

a item aquam pro manibus ante mensam lavandis

Camerlengo juratus

160 Et ut prædicta plenius valeant perfici, una persona apta per Nos deputatur, qui Camerlengis sit subjectus, et Coadjutor Argentarii nominetur: et eumdem Argentarium, in quibus poterit, juvare non omittat; et in sui absentia suum officium exerceat et peragat diligenter. In absentia etiam Scopatorum, aquam nostris domesticis post comestionem manibus exhibere sit astrictus: et etiam ante comestionem, nisi lavatorium sit ibi decens et optimum. Et faciat juramentum et homagium, quod per prædictum Argentarium est fieri ordinatum.

uti et Coadjutor ejus.

ANNOTATA D. P.

a *Hoc facere videtur partis* 6 *Rub.* 6 *non tamen hoc; sed aliud omnino est, quod hic jubetur* in Scriptis tenere *Argentarius.*

De Folrerio. Rj. XVII.

Non solum hospitia, ad quæ Principes et magni Domini declinare valeant, sunt assignanda; imo quod ea decenter parata et fornita, *a* scamnis, lectis, et aliis similibus inveniant, fore necessarium arbitramur.

Foris agenti Regi cum suis

161 Volumus quidem unum aptum et sufficientem hominem in nostra curia deputari, qui Folrerius *b* nuncupetur: qui hospitia tam pro Nobis quam pro nostris domesticis recipiat et assignet, quotiens ejus officium duxerimus requirendum. Emat etiam omnes paleas emendas, tam pro lectis ad opus nostræ personæ præparandis, quam eorum qui intus nostrum hospitium debebunt jacere quorumcumque, etiam nobis itinerantibus: procuretque habere diligenter pannos pro lectis in nostro hospitio fiendis, illis videlicet qui pannis indigebunt: et illos ministret et tradat, ut optimum fuerit et congruum, melioribus tradendo meliores: pro quibus lectis locatis per eum, solutionem, prout sibi conveniens videbitur, jussimus tribuendam. Decernentes ad suum officium pertinere, lectos de dictis paleis facere, vel fieri facere, tam pro Nobis quam aliis quos intus nostram cameram jacere continget, prout per nostros Camerarios vel eorum aliquem eidem injungetur.

hospitia paret

et lectos,

162 Et provideat, ut melius poterit, nobis itinerantibus, quod in hospitiis, quæ pro nostris sequacibus assignata fuerint per ipsum, lecti decentes et alia opportuna ipsis ac suis familiis et equitaturis inveniantur complete per eosdem. [Volumus etiam tunc quod in hospitio, ad quod Nos declinaverimus, mensarum et scamnorum, in quibus cum nostris sequacibus epulari et sedere possimus, complementum reperiatur, eumdem procurare; et ad dictum hospitium, nisi in eo sit, deferri facere teneatur. Nec non etiam ad suum officium volumus pertinere: in æstate procurare virentia, et in hieme stramina et ligna, pro ignibus in nostris cameris et palatiis fiendis, vel similia juxta temporis qualitatem. Ac insuper in die Ramis-Palmarum Ramos, qui in processione deferuntur, procurare pro Nobis et nostris familiaribus sit adstrictus. Et ordinamus, quod pro præmissis sic agendis a nostro Scriptore rationis pecuniam accipere non omittat: et de ea computum et rationem eidem Scriptori reddere sit astrictus: cui quantum adhoc et Camerlengis, in agendis per eum ex suo officio intus nostrum hospitium, et in aliis Majoribusdomus submissum se agnoscet: et quod fideliter in suo officio se habebit, nostris juramentum faciet Camerlengis.

ac reliquam supellectilem,

ramos æstate et ligna hieme.

ANNOTATA D. P.

a Fornire, furnire, *providere de necessariis; incertæ etymologiæ vox. Cangius a* furnis *eam petit, qui panibus impleri solent, quod nondum satis placet eruditis.*

b *Gallice* Fourrir, *quod Cangius haud incommode deducit a* Frodrariis, *quasi primitus Foreriis incubuerit* Fodrum *procurare. Ego ab adverbio* Foris *trahere mallem quia foris agenti Principi et curiæ ejus hospitia designent;* Metatores *Latine diceremus ab iis qui castris ponendis metas ponebant. Hic autem* Folrerius *scribitur, addito* l, *cujus ratio non apparet.*

De Paratore (a) *et ejus Coadjutore* Rj. XVIII.

Cameras seu cubicula nostra decet esse convenienter ornata, non quidem superstitiosis apparatibus, sed undique servetur honestas nostro congrua statui, et modestia congruens pudicis moribus inibi perseveret.

163 Quapropter ordinamus in nostro reposito unum deputari specialiter virum, qui paramenta et cortinas apponat circa lectos nostros et ordinet, nec non et sedilia nostra quæ tenere consuevimus in consilio et in mensa, caveatque quod super appositione paramentorum nostram super hoc alias factam *b* ordinationem, observet, quam in scriptis habeat, ne possit circa id ignorantiam allegare. Insuper etiam ad istius officium spectat, quando itinerabimus, sellam pro secretis naturæ, et quæ ad illa fuerint necessaria portare. Item etiam facere lectos eorum qui habent in camera nostra jacere; aquamque necessariam pro usu nostræ cameræ deportare, et ne de ea defectus ibi sit sedule providere. Cum autem nos iter facere alicubi continget, debebit aquam, ornamenta, paramentave, et argentea vasa portare, cum quibus transire *c* possimus, ad usum nostrum; si forte saumarii, portantes arnesia et supellectilia nostra, hora congrua non venissent. Eoque tempore cum viagium faciemus, ipse vel coadjutor suus semper antecedere debebit, ad præparandum illa omnia, quæ sibi ex officio sunt injuncta. Cum autem in suo officio alicubi non fuerit occupatus, debebit alios Officiales nostri repositi adjuvare.

Committitur ei cura paramentorum cameræ Regiæ,

et aquæ in eam ferendæ,

164 Demum ordinamus, quod pro nostris pedibus lavandis aquam parare non omittat, cum opportunum fuerit vel ei injunctum per aliquem ex nostris Camerlengis, aut Scutiferis cameræ vel Camerariis. Et idem faciet cum pedes pauperum velle abluere nos continget. Camerlingis autem erit subditus: quibus equidem juramentum præstabit et homagium in forma quam ordinamus de Sartore. Coadjutor autem, qui per Nos eligetur Paratoris, debebit ipsum in omnibus ad ejus officium pertinentibus adjuvare, eidemque

etiam ad pedes lavandos,

daturque Coadjutor

eidemque deferre in omnibus prærogativas honoris, maxime quoad ea quæ officium suum spectant; debebit etiam alios de reposito adjuvare: suberit etiam Camerlengis, quibus juramentum et homagium faciet, sicuti principalis.

ANNOTATA D. P.

a *Dicitur* Parator *a* parando, *sicut et* paramenta, *adeoque in propria vocum notione, a qua deflectens usus Francorum* Paratores *nominavit Sartores; et nunc quoque eosdem a paramentis faciendis appellat* Parmentiers, *quasi* Paramentarios.

b *Vide Partis* 5 *Rubricam* 3.

c Transire, *contentum pro tempore esse etiam idiotismo Francico dicitur*, se passer.

De Custode-tentoriorum et ejus Coadjutore. ℞ XIX

Pro subministratione justitiæ, qua terras et subditos nostros ab indebitis vexationibus defensare tenemur, indita Nobis quandoque necessitate bellandi, pro obsidendo forsitam inimicos seu aliis consimilibus causis, quibus ad arma nos oporteret intendere, opus habemus plerumque castrametari, et sub tentoriis et papilionibus immorari.

Tempore belli ne desint tentoria,

165 Ut igitur præsto sint hujusmodi tentoria, cum casus talis necessitatis occurret, ordinamus in curia nostra unum deputari hominem, subtilem et aptum, qui semper, etiam pacis tempore, tentoria nostra custodiat et servet integra et parata, eaque recognoscat frequenter et resarciat, si quid ruptum ibi fuerit vel alias reparandum; recepta a Thesaurario pecunia ad hoc necessaria, de qua per ipsum Rationali computum reddi jubemus. Cum autem nos in expeditione sub ipsis tentoriis esse continget, tunc ille diligenter et solerter plus solito ipsa tentoria recognoscat, et ea die noctuque custodiat; et si aliquis defectus in iis fuerit vel ruptura, confestim reparet et emendet. Volumusque quod tunc secum habeat aliquas personas in hoc expertas, quæ sciant et possint ipsum cum opus fuerit in talibus adjuvare, ipse autem eo tempore prope tentoria nostra continue jaceat et pernoctet.

curanda sunt etiam tempore pacis: cui rei præfectus,

166 At vero cum tempus pacis extiterit, nec iste fuerit in suo officio occupatus, tunc eum teneri volumus, cum ad mensam intrare voluerimus, vasa argentea ad usum coquinæ necessaria, de palatio nostro ad coquinam portare, ac demum de coquina ad repositum reportare, et ibidem tradere illi qui habet ea ex officio custodire. Cum vero iste circa præmissa occupatus non fuerit, tunc tenebitur alios Officiales de reposito nostro adjuvare. Demum autem, quoad omnia quæ facere habet, volumus ipsum esse subditum Camerlengis, eisque juramentum et homagium faciet, quale Armator facere debet Nobis.

etiam curabit ministerium argentarii

167 Coadjutor autem istius, qui per Nos constituetur, si absentia vel infirmitate vel quovis modo alias iste rationabiliter occupetur, tenebitur omnia facere quæ principalis facere tenebatur. Cumque principalis circa tentoria occupabitur, coadjutor habebit vasa argentea ad coquinam portare et reportare ab inde. Cum vero in iis quæ sui sunt officii non occupabitur coadjutor, tunc illos de reposito consimiliter adjuvabit. Etiam in absentia Scopatorum in palatio domesticis nostris ante eorum comestionem aquam manibus præbere non omittat, nisi ibi lavatorium decens fuerit præparatum; post vero comestionem dictis domesticis, antequam de mensa surgant, aquam dare manibus teneatur. Insuper etiam Camerlengis erit subditus, facietque eis juramentum et homagium sicut facit alius principalis.

et in utroque habebit adjutorem.

De Scopatoribus. ℞. XX.

Quia in tanta fragilitate natura humana posita est et constituta, quod pluribus servitiis indiget, et etiam aliquotiens de minimis rebus est opus ei: ideo hoc in consideratione deducto, Nos qui de majoribus officiis tractavimus, de minoribus convenit etiam ordinare, de quo minime verecundamur.

Quia curanda officia, etiam vilia,

168 Ordinamus igitur quod in nostro reposito sint duæ personæ quæ Excupatores *a* nominentur. Ipsi enim tam cameras nostras quam palatia scobare et mundare teneantur, et in eis ignes incendere et parare a festo omnium Sanctorum usque ad festum Paschæ, et quotiens aliis temporibus eis fuerit injunctum; et mensas nostrorum domesticorum ponere in palatio, præter nostram; et illas præparare; aquamque nostris domesticis ante comestionem in manibus lavandis dent et ministrent, nisi ibi decens fuerit lavatorium præparatum: et etiam post comestionem dictis domesticis, antequam de mensa surgant [aquam] præbeant diligenter: nec non juncum et stramenta et alia in dictis nostris cameris et palatiis, a Forrerio recepta, debitis spargant temporibus. Faciant etiam lectos nostrorum servientium armorum, quos ante januam nostræ cameræ jacere continget. Cum vero itinerabimus, alter ipsorum primus accedat, ut suum faciat officium.

a scopatores statuuntur, qui focum quoque instruant, aquam domesticis ad mensam infundent etc.

169 Subjecti autem sint Camerlengis et omnibus de nostra camera in iis quæ per eos sunt agenda in camera cum effectu. Pigri insuper non sint, cum circa eorum officium vacare non oportuerit, alios de reposito si opus fuerit adjuvare. Camerlengis juramentum faciant et homagium, quod per officium eorum malum nostræ personæ non veniet, imo evitabunt et revelabunt si scirent: et quod nihil per ipsos factum est neque fiet, quod obstare videatur ad observantiam prædictorum.

omnibus de Camera subditi.

ANNOTATA D. P,

a Excupare, *quasi* exscopare, *scopis purgare.*

INCIPIT TERTIA PARS

Super officio Cancellarii, et eorum qui illi subesse dignoscuntur.

Qui in hujus partis frontali imagine, quasi in senatu, præsidet Cancellarius, pingitur tunica laxiori, coloris violacei, cum epomide speciali albis pelliculis suffulta; alii alio colore singuli, sed æque ac ipse pileolis nigris caput tecti, quorum omnium vestis paulo brevior, sed duplex, laxioribus ad humeros manicis. In his censeas licet Vice cancellarium, auditorem curiæ ac Promotorem, qui vero capite nudo in simplici vestitu cæruleo assistit, quasi aliquam scripturam legens, posset scriptor seu Notarius videri.

De

De Officio Cancellarii. R. I.

Quia Majestas Regia gradu eximio sublimatur, et plerumque erga magna negotia agitatur, merito litteræ ab eadem procedentes sunt excellentis viri judicio corrigendæ, et ad formam juri rationique congruam reducendæ.

Committuntur ei sigilla,

170 Jubemus igitur hac utili sanctione, quod in nostra cancellaria præsit unus Cancellarius, excellens Legum Doctor : qui quidem sigilla nostra teneat et custodiat diligenter, excepto sigillo secreto, quod per Camerlengos teneri decrevimus fore optimum. Idem Cancellarius etiam litteras nostras legere et corrigere, ad formam idoneam reducendo, et sigillo nostro postea communire teneatur ; illas videlicet dumtaxat, quæ per nos aut aliquem de nostro consilio vel Secretarios ipsi Cancellario vel Vice cancellario, aut alicui ex Notariis Cancellariæ prædictæ, jussæ fuerint seu injunctæ, modo et forma per Nos super hoc editis in omnibus observatis. Et ut omnia secundum voluntatem nostram melius procedant, ipsi Cancellario jubemus, ut nullum privilegium perpetuum seu privilegiorum confirmationem, aut rerum immobilium seu jurisdictionis dationem, sigillare præsumat, nisi primitus subscriptione nostra fuerint roborata. Nec non solicitus sit de omnibus, quæ ad Cancellariam nostram pertinere aliquatenus dignoscuntur.

sed subscriptio non nisi a Rege applicanda

B

quæ si incongrua videantur,

171 Volentes tamen, quod si per Nos immediate, vel ex parte nostra per aliquem de nostro consilio aut Secretariis mandentur, aut per Auditores, sicut ex eorum officio posse mandare ordinavimus, non obstante quod ex parte nostra minime mandarentur, præmissis Cancellario, vel Vice cancellario, aut Scriptoribus dictæ Cancellariæ, vel alicui eorum quædam litteræ, quæ injustæ vel quoquomodo incongruæ, arbitrio Cancellarii censeantur, recuset tales litteras nostro sigillo communire, nisi secunda jussio nostra ex certa scientia fuerit subsecuta. Insuper, quia cui conceditur quod plus est, etiam quod minus est concedere iniquum minime reputatur ; litteras justitiæ, continentes etiam Summariam seu absque lite expeditionem, proprio motu mandare et sigillare valeat, sicut ab aliis mandatas corrigere posse dignoscitur. Caveat tamen ne præsenti cencessione taliter abutatur, quod officium Auditorum annihilari possit quoquomodo, seu evidenter impediri. Et ut ne ultra nostram Ordinationem aliquid per nostrum Vice cancellarium, aut aliquem ex Scriptoribus dictæ Cancellariæ, pro instrumentis vel litteris fiendis recipiatur, vel agatur, penes se idem Cancellarius transscriptum ejus Ordinationis, et agendorum per eosdem Vice-cancellarium et Scriptores, tenere non omittat.

iteratam jussionem expectet.

Idem potest summarie decidere causas ;

C

curet ne exigatur quod ultra taxam ;

172 Cum vero taxationes pretiorum dictorum instrumentorum et litterarum, aut alicujus eorum, quæ taxationes per Vice cancellarium prædictum, et in ejus absentia per aliquem ex scriptoribus dictæ Cancelleriæ, quem dictus Cancellarius ad hoc deputandum duxerit, in aliqua inferiori parte instrumentorum et litterarum prædictarum scribi debent, juxta dictam ordinationem, viderit excessivas, ipsas taxationes minuat et debite corrigat, prout suæ conscientiæ Dominus ministrabit : quam suam conscientiam super iis totaliter oneramus : quodque ipse Cancellarius demum taxaverit, recipi per Vicecancellarium, aut in ejus absentia per dictum Scriptorem permittat et haberi faciat, et non ultra. Dictus Vice-cancellarius, vel in ejus absentia dictus Scriptor, de pecunia quæ inde venerit reddat computum, de tribus in tribus mensibus, Magistro rationali.

et taxationes adscriptas,

recognoscat,

deque receptis reddat rationem ·

curet ut sententiam

173 Quia vero in nostris consiliis per nostros Consiliarios indicendis per eos consulendo, sit Ordo debitus merito observandus ; ducimus statuendum hoc edicto, quod conscientiæ numquam in nostris consiliis discrucientur; quædam super quibus unumquemque ex Consiliariis Clericis tantum, vel unumquemque ex Consiliariis quibuscumque suum dicere consilium oportebit: injungat prius ceteris quam majoribus, quod dicant quæ sciverint consulendo : quia melius est quod ceterorum dicta corrigantur per majorum dicta postea subsecuta, quam si majorum dicta corrigerentur per ceterorum dicta postea subsecuta et si majores prius dicerent quæ concernerent consulenda, forte talis detestandæ absurditatis occasio præberetur, quod ceteri nolentes favore : aut non audentes timore discedere ab eisdem, omitterent dicere quæ opinarentur consulenda, intellectum proprium enormiter subvertentes.

minores dicant ante majores ·

supplicationes expediat,

173 Præterea volumus, quod ipse Cancellarius disponat alia, quæ præsentibus Nobis in consilio fuerint peragenda, modum standi, et proponendi, et similia, perspectis personarum statibus ibidem, juxta nostram super his editam ordinationem, ejus copiam apud se habeant decernendo. Nec non expeditiones supplicationum, scribendas in exterioribus partibus earumdem, in consilio dictet et ordinet, prout fuerit concordatum sive concessum per nostram Regiam Majestatem. Verum responsiones, faciendas in dicto consilio ex parte nostra, quascumque et quibuscumque (nisi alii expresse committeremus aliquas ex illis) facere verbotenus se sciat obligatum. Curamque etiam volumus haberi, ut ordinationem, quam super salariis commissionum fecimus, observari faciat cum effectu : nec non illa quæ ad arbitrium taxari habent, ipse, observato moderamine et inspecto labore, arbitrari non omittat.

verbotenus exponat Consilio responsa Regia,

E

examinet promovendos ad judicaturam et tabellionatum ;

174 Ordinantes insuper et volentes ad suum pertinere officium, ut omnes quoscumque, quibus publicum officium judicaturæ et tabellionatus erit committendum, de sufficientia et aliis decentibus examinet diligenter ; et quos sufficientes fore noverit, ipsos expediat, tradendo illis officium destinatum. Si vero contigerit ipsum Cancellarium aliquo casu nostram non valere sequi cancellariam, tunc locum suum et sigilla nostra prædicta nostro Vicecancellario committere et tradere non omittat. Postremo eidem Cancellario debite corrigendi et puniendi, tam amissione quitationis vel suspensione officii ad tempus, submissos per Nos sibi, si eos in officio eorum sciverit deliquisse ; quam etiam capiendi et faciendi capere, ex certa scientia concedimus facultatem. Sed nullum qui sit in Consiliarium nostrum assumptus, absque nostra scientia et consensu, possit ab officio sive consilio suspendere quoquo modo.

et corrigat delinquentes,

sibi subditos

F

quibus et licentiam dare possit,

175 Declarantes eidem fore submissos, omnes Prælatos, Capellanos, Clericos, Doctores, Jurisperitos, de consilio aut domo nostra existentes ; in casibus tamen in quibus non contradicunt Canonicæ sanctiones. Et Auditores et Promotorem Milites ; nec non omnes Judices, Notarios et Scriptores, in nostris terris commorantes ; Secretariis nostris et Scriptori-rationali nostræ curiæ, ratione sui officii, submissis dumtaxat exclusis : et iis licentiam recedendi a curia nostra, secundum quod ei videbitur, possit tribuere, exceptis illis qui nostro Consilio fuerint decorati : nam florentissimis Consiliariis nostris per Nos tantum est talis licentia concedenda. Possitque idem Cancellarius Cursores nostros, si negligentes eos invenerit in eorum officio, corrigere et

non tamen Consiliarii,


Cancellarius 1
Vice-cancellarius 2
Directores conſciā Regis 4
Auditores 5
Promotores 6
Confeſſor 7
riptor Cancell.æ
Capellanus 8
Scholaris Capellæ 9
Scholaris Eleemoſ.æ 11
Eleemoſynarius 10
Servitores Eleemoſ.æ 12
Curſores 13

A et punire quitatione unius mensis aut infra, prout sibi videbitur faciendum.

et homagium Regi faciens, 176 Ut autem bene et legaliter supradicta omnia peragantur, per dictum Cancellarium, ipse Cancellarius juramentum Nobis facere sit astrictus, quodque non fecit aliquid quod prædicto juramento inviolabiliter observando valeat obviare. A nostræ vero Capellæ Scholari et Eleemosynæ, et a pueris qui de eleemosyna nutriantur, juramentum et homagium recipere non omittat, *ipsum exigat a ministris capellæ.* quod per factum vel consilium eorum damnum personæ nostræ non eveniet, maxime per illa quæ ipsi contractant et quæ Nos etiam contractamus: et quod nihil fecerint nec facient, quo minus prædicta non debeant nec possint firmiter observari. Nec non cum noster Cancellarius, juxta nostram ordinationem, de Consiliariis esse censeatur; volumus ut juramentum, præter prædictum, prout in dicta ordinatione est ordinatum, Nobis faciat cum effectu.

De Vice-cancellario ℟. II

Sum humana fragilitas non continue hominem incolumitate corporis perfrui patiatur; cupientes ut officium non modicum nostræ Cancellariæ, in qua B omnia negotia justitiam concernentia quæ ad nostram devolvuntur curiam, existunt expedienda aliquo accidente indigere valeat gubernare; ideo. *Infirmi Cancellarii,*

177 Ordinamus quod in nostra præfata Cancellaria unus vir fidelis et sapiens, et in jure civili peritus, post Cancellarium proponatur, vinculo alicujus sacri Ordinis minime alligatus; ut si forte quid per Cancellarium in criminalibus fieri non poterit, per istum suppleatur. *vices ille gerat,* Qui quidem Vice-cancellarius ut litteræ in illa conficiendæ bene ut convenit sint dictatæ, et ut de jure procedant, laboret diligenter; provideatque quod omnes litteræ, quæ per Nos aut aliquem ex nostris Consiliariis vel Secretariis ex parte nostra, per Cancellarium aut per Auditores, licet ex parte nostra mandatæ non sint, secundum quod ratione sui officii hoc eos facere posse declaravimus, fieri in dicta Cancellaria præceptæ fuerint, expediat vel expediri faciat, quantum in eo fuerit, effectualiter absque mora. *eumque juvet,* Et ut omnia in nostra Cancellaria debite peragantur, circa ea post Cancellarium attendat cum effectu.

178 Indefessam etiam eum volumus habere diligentiam, ut litteræ quæ super supplicationibus emanantur, complete contineant factum, quod in supplicatione viderit contineri: taliter quod in hoc C defectus, qui nostris gentibus gravamen non modicum posset inferre, minime reperiatur. *litteras recognoscat,* Decernentes, ipsum esse astrictum scribere manu propria in inferioribus partibus dictarum litterarum, cum deferendæ Cancellario, causa corrigendi et sigillandi, fuerint quantitates pecuniæ, quas ipse Vice-cancellarius pro jure Cancellariæ debere recipere pro illis cujus copiam, juxta nostram ordinationem super iis factam (penes se habeat) fuerit arbitratus; *taxasque recipiat:* quas quantitates, prout per Cancellarium fuerint approbatæ, recipere et aggregare, ac de illis de tribus in tribus mensibus rationali nostræ curiæ reddere computum teneatur.

179 Ordinantes insuper quod quotiens nostrum Cancellarium sequi nostram Cancellariam non posse contingat, nostra sigilla, quæ per ipsum Cancellarium teneri sunt ordinata, et alia agenda ex officio ipsius Cancellarii, præfatus Vice-cancellarius tenere et peragere in omnibus non omittat, excepta jurisdictione eidem Cancellario attributa. *sigilla pro Cancellario servet,* Quare officium Cancellarii, et omnia quæ Cancellarius in scriptis habere tenetur, penes se in scriptis habere minime prætermittat. Cum vero et quotiens nostri Majoresdomus, exercentes jurisdictionem per Nos eis attributam, ipsum Vice-cancellarium in assessorem assumere voluerint, eis assistat in omnibus fideliter ut assessor: *Majoridomus assistat requisitus.* D concedentes, inquam, eidem Vice-cancellario, quod Cursores nostros, si circa eorum officium exercendum negligentes invenerit, possit eos quitatione unius mensis vel infra punire, prout suæ discretioni videbitur faciendum. *Cursorum defectus puniat.* Juramentaque, quæ Cancellarius facturus existit, Vice-cancellarius Nobis faciat cum effectu.

De Scriptoribus Cancellariæ. ℟. III.

Cancellariam nostram taliter disponere cupientes, quod universis, pro suis negotiis ad eam accedentibus, celeris expeditio præparetur; et quod in ea scribendi officium perfectius et facilius explicetur;

180 Sancimus et ordinamus, quod deinceps in dicta nostra Cancellaria ordinarie sint Scriptores seu Notarii quatuor, boni, sufficientes et fideles, *Notarii 4 adsint,* qui litteras scribant et omnes alias scripturas ad Cancellariam pertinentes, et ea omnia in registris reponant. Nec non volumus quod in litteris, quæ supplicationibus concedentur et fient, factum in E supplicatione contentum breviter inserant in effectu, non quod supplicationem prout jacet, includant. *et modum sibi præscriptum observent,* Volumus insuper quod in scribendis litteris modum debitum servent, juxta nostram Ordinationem *a* super dicto modo scribendi editam, quam præcipimus per dictos Scriptores teneri et in scriptis haberi.

181 Jubemus etiam quod ad mandatum omnium de nostro Consilio et etiam Secretariorum nostrorum factum ex parte nostra, vel per Cancellarium aut Auditores, si non nostro mandato, prout ad illorum officium pertinet, litteras et alias scripturas eis injunctas faciant; sed nomina illorum, qui litteras et alias scripturas facere mandaverint in eis apponant, in partibus inferioribus litterarum; in hunc videlicet modum. Nam si mandentur per nos in Consilio, hæc verba. Per Dominum Regem in Consilio, in parte dextra ipsarum litterarum subscribantur. Si vero mandentur per Nos extra Consilium, hæc verba. Per Dominum Regem, subscribantur in loco et litteris antedictis. Si autem mandentur per Cancellarium, hæc verba Per Dominum Regem ad relationem nostram scribantur in loco et litteris memoratis, nisi ipse per se mandaverit et F tunc scribatur. Ad relationem nostram. Sed si mandentur per aliquem ex Consiliariis vel Secretariis, hæc verba exprimentia nomen illius Per Dominum Regem, ad relationem talis vel talium, subscribantur in loco et litteris sæpedictis. In partibus vero eisdem, immediate post dictas subscriptiones propria nomina scribere non omittant. Volentes tamen, quod cum mandabuntur eis litteræ per aliquem ex nostris Consiliariis aut Secretariis ex parte nostra, antequam ipsas litteras sigillandas portent, eas ostendant illis qui eis mandaverunt; ut illi mandantes videant, an juxta nostrum procedunt mandatum. Ubi vero Auditores ratione eorum officii de iis quæ fieri nostra potestate, nostra Serenitate inconsulta, expedire possunt, litteras per ea quæ in supplicationibus scribi jusserint mandaverint; nomina eorum in dextera inferiori parte litteræ apponere minime omittant, in hunc videlicet modum: Per auditores *b*. . . .et. . . . *b*

182 Præcipimus etiam, quod unus vel duo ipsorum, prout per Cancellarium vel Vice-cancellarium ordinabitur, Auditores continuent *c* et sequantur, quorum jussu scribunt super supplicationibus, quæ per Auditores eis scribenda mandabuntur, et nomina illorum qui eas expedierint; dummmodo ipsi Auditores

tores potestatem per Nos eis attributam sive Ordinationem super iis factam (cujus copiam dicti Scriptores sive Notarii in scriptis teneant) ad unguem observabunt. Scribant etiam litteras, quæ ex parte dictorum Auditorum ratione sui officii quibusvis dirigentur. Nec non etiam tam acta quam alias scripturas, quæ in causis quæ coram nostris Majoribus domus agitantur, scribere teneantur, quando per ipsos Majores-domus fuerint evocati. Prædictos autem scriptores subesse volumus Cancellario et Vice cancellario nostris, et Auditoribus illos qui Audientiam sequentur; de iis tamen quæ officium concernunt Auditorum, et quamdiu Auditores sequentur.

pro iisque litteras scribant, et pro Majoribus-domus :

183 Caveant insuper Scriptores prædicti, ne litteras vel alias scripturas ad eorum officium pertinentes, alicui committant scribendas, nisi Secretariis nostris dumtaxat, et eo solum casu quo ipsis Scriptores ad scribendum prædicta sufficere non valerent. Caveant etiam ne scripturæ, quas ipsi facient, per alios possint inspici seu videri : nec transscriptum litteræ alicujus sumendum a registris vel aliis scripturis Cancellariæ, nisi de consensu Cancellarii vel Vice cancellarii, alicui personæ facere vel tradere audeant ullo modo.

aut per secretarios .

184 Mandamus insuper, quod prædicti Scriptores juramentum præstent et faciant Cancellario nostro, si tunc præsens fuerit cum ad officium fuerint assumpti ; seu eo absente Vice-cancellario, quod in eorum officio bene et fideliter se habebunt ; nihilque pro litteris seu scripturis aliis, quas ex officio scribere tenebuntur a gentibus *d* recipient nisi quantum et prout per Nos fuerit ordinatum : quodque nullum favorem inordinatum alicui dabunt, super iis quæ ad eorum spectant officium ; nullamque fraudem in eorum scripturis facient seu apponent ; neminique ea quæ de secretis nostris ratione eorum officii eos scire contigerit, revelabunt, sed ea secreta tenebunt; et si forsan in nostro Consilio, causa scribendi vel alias eos interesse contigerit, quæ ibi audient et percipient penes se secreta tenebunt, nemini revelantes. et quod per eos nihil actum est nec agetur, quo præsens juramentum minus valeat observari.

jurentque Cancellario fidem et secretum.

ANNOTATA D. P.

a *Vide Partis* 7 *Rubricam* 5 *et seq. usque ad* 10.

b *Hæc spatia sic expresse vacua relinquebantur, in originali, pro nominibus scribendis ut res feret : quæ vero superius occurrunt, absque punctis, solius claritatis causa ego induxi.*

c Continuare, *pro jugiter assistere, necdum alibi legi.*

d Gentes *vulgari plurium linguarum idiotismo ponuntur pro quibusvis personis.*

De Directoribus conscientiæ Regiæ. R'. IV.

Quoniam, divina præordinante clementia, solium Regiæ Majestatis conscendimus ; dignum est ut cujus præcellimus munere, illi omnino pareamus in opere ; prospera peragentes, et omnia quæ justæ conscientiæ adversantur secundum divina dogmata evitantes.

185 Quare Directores nostræ conscientiæ Regiæ esse disponimus, Episcopos et ceteros Prælatos atque Theologiæ Magistros, nec non Decretorum Doctores ac viros religiosos, nostros Consiliarios existentes, et qui aliud officium in nostro Consilio minime habeant . qui scientes vere, aut ab aliis audientes, aliqua nos quoquo modo facere vel fecisse quæcumque, quæ secundum divinas regulas justæ conscientiæ aliquatenus adversari opinentur; Nobis illa, aliis Consiliariis præsentibus vel absentibus, omnibus aut quibusdam, dicere seu scribere teneantur, suo arbitrio feliciter consulentes. Et ut hæc fideliter peragant, Nobis faciant juramentum, et etiam juramentum Consilii secundum nostram ordinationem faciant.

Sint ii Prælati vel Doctores, et libere arguant quæ notarint.

De Auditoribus. R'. V.

Laudabile est officium Auditorum, per quod supplicationes postulantium effectus congruos sortiuntur : et sic aliis officii Ministerio quandoque lapsa, justitiæ præsidio corriguntur, ac sæpe gratiæ tribuuntur.

186 Eapropter disponimus hoc edicto, quod in nostra curia sint duo Milites, et unus Doctor Decretorum et alter Regum, qui Auditores debeant nuncupari : eisque tradantur omnes supplicationes, quæ nostro Regio Culmini dirigentur. Ipsi namque omnes conjuncti, aut ex iis aliqui tres vel duo, videlicet Miles et alter Doctor, habeant expedire supplicationes, ut subjecta eloquia profitentur. Nam quascumque supplicationes, per justitiæ exercitium dirimendas, remittant illis, qui habent ex suis officiis cognoscere de eisdem ; vel remittant illis quos ut delegatos voluerint cognoscere de eisdem. Possint autem, quandocumque eis videbitur optimum, in remittendo vel committendo, adjicere quod summarie, simpliciter, et de plano, sine strepitu judicii et figura, aut quod lite cessante, aut quod lite et scriptis cessantibus, procedatur : per unum vero ex Scriptoribus Cancellariæ, in exterioribus partibus dictarum supplicationum, scribi faciant illa quæ remittendo vel committendo fuerint ordinata, nec non eorumdem nomina Auditorum ; post quæ præfatas supplicationes claudi, ac Sigillo Auditorum officii faciant communiri.

Sint hi quatuor, qui supplicationes excipiant et expediant, vel iis ad quos spectat committant

187 Super has quidem supplicationes, clausas ut præmittitur, quæ committentur aliquibus, qui ut delegati habebunt cognoscere, scribi faciant per hunc modum, Cancellariæ. Deinde supplicantibus eas tradi per dictum Scriptorem faciant : quas inde supplicantes aliis Scriptoribus, in nostra Cancellaria constitutis deferant, ut litteras nostræ commissionis Regiæ consequantur. Super illas autem supplicationes clausas ut prædicitur, quæ remittentur iis existentibus in loco, in quo Nos tunc erimus, vel in aliis locis non distantibus ultra duas leucas et dimidiam, qui debebunt ex suis officiis cognoscere ; nomina eorum scribere jubeant, et postea supplicantibus eas tradere non omittant : quas inde supplicantes ferant antedictis, quorum viderint nomina suprascripta. Super ceteras vero supplicationes, clausas ut anteponitur, quæ remittentur quibusdam existentibus in locis, distantibus a loco in quo tunc Nos erimus, ultra duas leucas et dimidiam, qui debebant ex suis officiis cognoscere, hoc verbum, Cancellariæ, scribere mandent ; deinde supplicantibus eas tradere faciant indilate ; quas inde supplicantes dictis aliis Notariis sive Scriptoribus nostræ Cancellariæ deferant, litteras nostræ remissionis Regiæ obtinentes.

ac Supplicantibus reddi faciant : hi clausas tradant statutis commissariis,

188 Reliquas autem supplicationes Nobis unusquisque deferat Auditorum : sicque unus post alium, juxta sedendi in Consilio ordinem contingentem, teneatur referre unam dumtaxat ex supplicationibus quas habebit ; et per Nos disposita in exterioribus partibus earum suplicationum scribi ; ac hæc, Per Regem subscribendo, per aliquem ex nostris Secretariis vel alium adjici faciemus : post quod illas supplicationes claudi et sigillo Auditorum officii sancimus communiri. Super eas vero clausas per unum ex Notariis Cancellariæ, ut superius est dictum

quasdam immediate præsentent Regi. tum nomen ejus ponant, ad quem is remittit ;

A ctum, hoc verbum Cancellariæ; vel, si Cancellariæ remittere non oportet, nomina illorum quibus remittitur scribantur, atque supplicantibus tradantur: quas iisdem supplicantes aliis Scriptoribus nostræ Cancellariæ deferant, ut per Nos disposita nanciscantur; vel aliis quibus diriguntur deferant, ut expeditionem secundum per Nos ordinata breviter consequantur.

quas si scriptores immediate velint tradere,

189 Verumtamen si Scriptor vel Scriptores dictæ Cancellariæ, cum scripserint expeditiones dictarum supplicationum, juxta voluntatem dictorum Auditorum, litteras quæ inde conficiendæ fuerint, intus vel extra Cancellariam scribere, aut dictas supplicationes expeditas ad dictam Cancellariam deferre voluerint, easdem eo tunc claudi et sigillari oportere non videbimus. Nam præfatam hujusmodi clausuram dictarum supplicationum, cum sigillo officii dictorum Auditorum, pro evitandis expensis eas offerentium (quos, pro deferendis ubi erant deferendæ per certas personas, indebita expensa oportebat, ut intelleximus facere) duntaxat duximus adhibendam.

non erit opus ipsas claudi.

B

Habeant Auditores sigilla 2

190 Disponimus etiam duo esse sigilla officii Auditorum, quæ dicti duo Milites Auditores teneant et custodiant diligenter: unusque illorum sigillare debeat supplicationes, ut prædictorum series attestatur. Plane unus Miles et unus Doctor saltem jacere teneantur in civitate, vel villa, vel castro, ubi nocte aliqua Nos contigerit jacere: si vero ibi jacere non valeant, propter loci parvitatem aut inopiam impediti; tunc in loco infra distantiam unius leucæ posito jacere habeant quoquo modo.

et 2 ex iis Regem comitentur,

191 Ceterum Nobis existentibus in aliquo loco in quo jurisdictionalis potestatis exercitium habeamus; duo ex Auditoribus memoratis, una die cujuslibet septimanæ, ad carcerem nostræ curiæ accedere sint astricti; et ibi, præsentibus Judicibus, et aliis eidem Curiæ præsidentibus, ac Procuratoribus fiscalibus et Carceris custodibus, videant incarceratos, eorum querimonias cum patientia audientes; et si defectus videant aliquorum, corripiant prout decet, omnia ad statum propitium reducentes: ipsique scientes quantum usque ad illam diem processum fuerit in causa incarceratorum diffugia judicialia nitantur penitus evitare; ut eosdem incarceratos, convictos velox pœna subducat; aut liberandos, carceralis custodia longa non deprimat perperam et injuste.

visitent et audiant carceratos.

192 Observabunt etiam Auditores, quod sicut prope nos existentes in locis, in quibus nonnulli supplicationes suas deferentes accessum ad Nos habere potuerint quandocumque; ut sic ipsi Auditores sint parati a præfatis supplicationes recipere eorumdem. Quin imo quando continget, absentibus Cancellario et Vice-cancellario, in nostris consiliis supplicationes aliquas expediri, unus Doctor Auditorum teneatur dictare, per quæ verba in exterioribus partibus earumdem supplicationum scribantur illa, quæ expedienda fuerint ordinata.

C

absentis Cancellarii et Vice-cancellarii locum suppleant,

193 Sane cum in nostris Consiliis debeant Consiliarii nostri, in iis quæ habent consulendo dicere, idoneum ordinem observare; disponimus hac consultissima sanctione, quod quotienscumque in nostris consiliis, absentibus Cancellario et Vice-cancellario discutientur quædam, super quibus unumquemque ex Consiliariis Clericis tantum, vel unumquemque ex Consiliariis quibuscumque dicere suum consilium oportebit, Auditor Miles, qui priusquam alter Miles, Auditorum consortio fuerit aggregatus; quo absente alter Miles injungat prius ceteris quam majoribus quod dicant quod senserint consulendo; quia melius est ut ceterorum dicta corrigantur per majorum dicta postea subsecuta quam si majorum dicta corrigerentur per ceterorum dicta postea subsecuta. Adjicimus prælibatis, quod quando continget, absentibus Cancellario et Vice-cancellario, in nostris consiliis expediri aliqua, de quibus oretenus aliquibus debeat responderi; hoc facere habeat Auditor Miles, qui priusquam alter Miles provectus fuerit ad Officium Auditoris: quo absente hoc debeat facere alter Miles, nisi hoc jusserimus aliquando per alterum nostrum Consiliarium adimpleri.

curentque ut in sententia dicenda ordo teneatur

D

194 Ne autem subjectorum nostrorum commoda negligere videamur; decernimus observari, quod quandocumque ad civitatem, aut castrum vel villam terrarum nostrarum itinerando vel alias contigerit nos venire; et ibi diebus quibusdam, vel die quodam aut diei parte aliquando remanere; duo ex Auditoribus, Miles et alius Doctor, aliquos probos homines, ibi domicilia habentes, et Consules seu Juratos siqui ibi sunt, debeant convocare, annectentes etiam Rectorem Majoris ecclesiæ ejusdem loci, si forte utile fuerit opinati: eisque dicere non omittant, quod cogitent, si aliqua sint illi loco utilia vel nociva, et si augmentum in ecclesia vel loco fieri valeat quoquo modo. Nam illa quæ per Auditorum officium poterunt expediri, facient adimpleri; alia vero, quæ provisionem exigent Regiæ Majestatis, reservabunt Nobis, cupientibus peragere quæcumque fuerint aliquatenus optima. Nihilominus ordinantes, quod omnes præfati Auditores, et eorum quilibet, ac Officiales nostri terræ in qua præsentes erimus potissime jurisdictionem exercentes, sint sufficientia præmuniti, se scire intromittant diligenter: et si aliquem ex illis minus sufficientem invenerint, Nos illico et donec de sufficienti providerimus solicitare omittant nullo modo.

Itinerante autem Rege et alicubi subsistente,

convocatis primoribus loci

E

explorent sufficientiam judicum,

195 Insuper omnia quæ ad officium nostri Locum-tenentis in nostra spectant absentia, ipsi Auditores aut tres vel duo eorum, dummodo unus sit Miles et alter Doctor, possint peragere cum effectu. Volumus, inquam, quod præfati Auditores Clerici et quilibet eorum, quotiens nostri Majores-domus vel alter eorum assessore Clerico indigebunt aut indigebit, exercendo jurisdictionem per Nos eis attributam, eis vel eorum alteri ipsorum, quem dicti Majores-domus assumere voluerint, tamquam assessor obedire et assistere, in absentia tamen Vice-cancellarii vel ipso impedito, et non aliter, teneatur. Verum omnes Auditores Nobis per juramentum promittere teneantur, quod bene et fideliter eorum officium exercebunt. Et cum juxta Regiam nostram ordinationem de Consiliariis, prædicti Auditores Consiliarii nostri censeantur; volumus quod aliud juramentum, fiendum per nostros Consiliarios in dicta ordinatione insertum, iidem Auditores nobis facere sint astricti.

assistant Majori-domus

et jurent Regi ut Consiliarii

F

De Promotoribus R̸. VI.

Sicut lædente negligentia negotia perimuntur, sic assistente diligentia negotia finem prosperum sortiuntur. Ideo officium Promotorum, quorum diligentia plurimum negotia diriguntur, summe decernimus expedire.

196 Ea propter unum Militem, et unum sufficienter in Jure civili peritum, qui in criminalibus immiscere se non renuat, esse volumus Promotores, ex qualitate exercendi officii nomen congruum assumentes. Negotia quidem præfati Promotores in nostris Consiliis promoveant earum personarum, quæ in terris nostris, excepta illa in qua Nos præsentes fuerimus, habere domicilia concernuntur, diligentiam adhibendo ut expediantur, et ad effectus idoneos perducantur.

Duo sint

ad causas promovendas,

197 Præterea attendentes decere Regale solium, in

et justitiam solidandam,

in justitiæ cultu ab Altiore destinatum, ut vigilet circa coercitionem excessuum Officialium suorum, ne terræ jurave fidelium illius, ex offensis justitiæ valeant periclitari ; ideo ordinamus quod dicti Promotores Nos annis singulis, opportune, ut Reformatores ad terras nostras a quibus absentes fuerimus, mittantur, solicitare curent cum effectu, donec effectualiter fuerint destinati, aut ex causa firmaverimus illud quoad tunc fieri minime oportere. Volumus, inquam, quod cum de certo sciunt, in terris nostris, a quibus absentes fuerimus, aliquem Officialem nostrum, jurisdictionem potissime exercentem fore minus sufficientem, Nos illico et donec de sufficienti providerimus, solicitent incessantes, pro quibus litteras procurare volumus, quod talis casus evenit per eosdem : et in his omnem quam poterunt adhibebunt diligentiam atque curam.

Officiales insufficientes deferendos,

198 Deinde ordinamus quod præfatus jurisperitus Promotor, officium Advocati fisci in curia nostrorum Majorum-domus, quotiens opportunum fuerit, exercere fideliter in omnibus teneatur, et nostrum Procuratorem fisci in nostra curia dirigat in agendis. Plane præfati Promotores per juramentum Nobis promittere teneantur, quod eorum officium exercebunt bene et fideliter, ac etiam diligenter : nec non Nobis juramentum facient, quod nostri Consiliarii Nobis facere sunt astricti, juxta formam in ordinatione nostra de Consiliariis expressatam, cum juxta tenorem præfatæ Ordinationis præfati Promotores in nostros Consiliarios admittantur.

Fiscalem juvandum

et sunt juramento obstricti.

De Confessore. ℟. VII.

Non minus pro animarum languore, quam corporum, peritus debet remediator exquiri ; a quo videlicet oppressus et morbidus congruentem exposcat suo lapsui medicinam : quinimo ubi majus imminet periculum, ibi semper cautius est agendum.

199 Providendum igitur Nobis est permaxime de idoneo animæ nostræ medico, confidentes, quod cum Nobis fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius disponemur. Et propter ad nostras Confessiones audiendas unum prudentem in domo nostra deputari volumus Sacerdotem, religiosum vel secularem, quem potius ad hoc eligendum duxerimus, qui in Theologia vel jure Canonico convenienter instructus existat, moribusque sinceris polleat ; et vitæ redoleat honestate. Hic siquidem semper debebit [adesse] cum divina coram Nobis officia celebrantur, ac insuper cum Nos Horas dicemus, debebit eas Nobiscum dicere : et cum festum solenne fuerit, quo quisque Catholicus audire Missam adstringitur ex præcepto, debebit Missæ officium legere coram Nobis.

Ad hoc minus a Rege ipso lectus,

adsit illi in divinis Officiis

200 Præterea ipsum Confessorem nostrum astringi volumus, ut Nos solicitet ad opera pietatis, et ad ea quæ devotionem introducunt ; ut si videt quod omitteremus aliqua, ex iis præsertim quæ consuevimus facere, forsitan ex oblivione vel alias ; debet Nobis hoc ad memoriam reducere, et interdum Nos increpare secrete ; specialiter si quod absit viderit Nos aliquid facere vel dicere, quod in Dei offensam posset cadere quovis modo. Ipsum quoque Confessorem nostrum in nostra domo jacere volumus, si est bono modo possibile ; vel saltem quanto magis poterit de propinquo, ut si aliquo casu occurrente ipso indigeremus ; subito possimus eum prope Nos reperire.

stimulet ad opera pietatis,

defectus corripiat,

201 Porro quia ex eventu præteritorum providendum est ad futura juxta illud : Felix quem faciunt aliena pericula cautum ; ordinamus quod Confessor noster nobis præstet juramentum et homagium, quod omne damnum quod sciret evenire personæ nostræ, pro posse vitabit, quodque illud Nobis qua citius poterit revelabit, nec factum vel verbum vel etiam consensum præbebit in aliquo ex quo Nobis possit qualevis incommodum evenire : et quod non fecit vel faciet aliquid, quo minus prædicta servare possit.

fidem juret,

De Sacerdotibus ad Capellam deputatis. ℟. VIII.

Juxta doctrinam sacrorum Canonum, tales ad divini cultus ministerium debent eligi Sacerdotes, qui digne valeant divina sacramenta tractare.

202 Quapropter in capella nostra usuali et quotidiana, duos honestos et bonos principales esse volumus Sacerdotes, qui et cum aliis Sacerdotibus Eleemosynariis per alternas septimanas Missas et alia divina Officia, Horas videlicet Canonicas cantando, celebrent quotidie coram Nobis, et mensam nostram præsentibus Nobis, antequam comedamus, benedicant, et post comestionem etiam gratias Deo agere non omittant. Sic quod alter, qui in celebrando septimanam suam finiverit, in sequenti septimana habeat, lecto Evangelio, Nobis textum Evangeliorum ad deosculandum, ac insuper Pacis osculum portare, nisi sit præsens aliquis Prælatus, vel alia ecclesiastica persona honorabilis, vel nisi Evangelium per Diaconem solenniter indutum fuerit decantatum : quia tunc per ipsum Diaconem, vel per alterum ex prædictis qui honoratior fuerit, debebunt Nobis præmissa hujusmodi ministrari ; Turibulum in Missa, diebus quibus incensatio debet Nobis dari, ferre ; etiam Nobis bacinum, quando ad Oblationem accedemus, tenere non omittat, quotiens Diaconus non fuerit in Missa indutus.

Duo sint ad Missas et Officia,

atque hebdomadatim per vices,

203 Ille vero qui primus in officio assumptus est, et, eo absente, alius die qualibet nos interrogare debeat de loco et hora quibus eam voluerimus celebrari. Sane si ex oblivione vel aliquali negligentia tardaremus nimis vel omitteremus forte ministerium divinum audire ; debebunt isti Nobis ad memoriam reducere. Et si forte talem infirmitatem pateremur, quod non posset cum decentia dici solenniter coram Nobis, eo casu caveant non omittere hoc, quin saltem coram janua cameræ nostræ dicant omnia solenniter, ac si plena frueremur corporis sanitate, ut saltem laus divina minime omittatur. Præterea, quando nos itinerare continget, ille ex ipsis qui antiquior in officio fuerit, vel, eo absente, alius, debebit nos sero præcedenti interrogare, ubi in crastinum Missam audire volemus ; et illic præcedere ipse, vel mandare uni vel pluribus quod præcedant ; sic quod cum Nos ad locum venerimus, omnia sint, prout congruit, præparata. Provideat insuper quod semper Nobis itinerantibus, unus de pueris qui nutriuntur de eleemosyna, de mane antequam Missam audiverimus, cum uno saumario Nobiscum vadat, cum ornamentis et libris et aliis necessariis ; taliter quod si ad locum, ubi de sero disposuerimus Missam audire, commode accedere non possemus, vel alias propositum mutaremus : in quocumque loco Missam audire valeremus.

qui Regem tardantem venire moneant ;

imo et absente eo sacra peragant.

Unus in itinere præcedat et paret omnia in crastinum ;

204 Porro quando instabit dies solennis, quo Vesperas et Matutinas audire solenniter debebimus, cum paramentis alteris, Secundum Ordinationem *a* quam fecimus super hoc ; tunc antiquior, ut est dictum, vel ipso absente vel impedito ille qui ultimo ad officium evocatus fuerit, congruo tempore debebit Nobis prædicere, ut Nos ad audiendum debite properemus. Et si forte instet dies celebrioris festivitatis, debebunt Nos interrogare, si, vel per quos Prælatos, vel aliam personam, volemus prædicari ante Nos

a Solennioribus festis provideant

A Nos verbum Dei et Officium fieri. Voluntatem nostram insuper scire ne omittant, de quibus personis Anniversarium annuatim fieri erit nostræ devotionis; ut ea temporibus quibus erunt, nobis ad memoriam reducant, et Prælatum, per quem Officium vellemus fieri, a Nobis addiscant. Et generaliter pertinebit ad eos curam habere de ecclesiastico Officio, et omni eo quod pertinet ad Capellam; et defectum omnem corrigere, si aliquem perspexerint ibi esse. Debebunt equidem Sacerdotes ipsi in domo nostra jacere, si fieri potest commode, alias quantum poterunt magis prope.

de Prælato officiante,

et Capellam, regat :

205 Insuper quoque, quando sacrosanctam Dominici Corporis Communionem sumere Nos continget, tunc alter ex eis debebit ante eligere et parare hostiam consecrandam; sic quod electa ad hoc per illum una hostia ex pluribus absque fraude, de una alia illi consimili hostia pro Communione electa frangatur, et deinde de illa per illum fiat gustus; et Scholaris qui in sua custodia hostias tenet, gustum idem fieri faciat; et consimiliter de vino, quo post Communionem debebimus os lavare. Quandoque etenim, satagente satore malorum, repertum est quosdam maleficos, etiam in hujusmodi salutifero Sacra- B mento abominandas insidias machinari.

Hostiam Regi consecrandam probet,

206 Amplius etiam absente vel occupato Confessore nostro, Sacerdos Capellæ, qui et quando septimanam ultimo fecerit, debebit Nobiscum Horas dicere, et Officium Missæ diebus festivis legere coram Nobis. Etiam debebit custodire, per se vel per Scholarem Capellæ, et etiam quando Missam audiemus ministrare Nobis libros, quibus soliti sumus uti in Missis et in aliis Horis divinis. Deinde vero ordinamus pertinere ad curam illius ex Sacerdotibus, qui antiquiori tempore ad servitium Capellæ nostræ fuerit evocatus paramenta et ornamenta Capellæ nostræ quæcumque et qualiacumque sint custodire : quæ quidem, facto de omnibus inventario, teneat. Sed et alter Sacerdos qui ultimo assumptus fuerit, habeat illius inventarii copiam, ut et ipse illa servet et custodiat, quando primus absens fuerit vel alias impeditus. Illa autem ornamenta, quæ deputata sunt ad quotidianum usum, poterunt Scholaribus Capellæ custodienda committere cum inventario. Caveant autem quod in scriptis ambo habeant et inviolabiliter observent Ordinationem super paramentis et aliis ornamentis Capellæ, ponendis et mutandis, secundum varietatem dierum solemnium et festorum.

vices supplicat Confessarii

paramenta custodiat,

et mutet ut opus erit,

207 Nec non ordinamus, quod Sacerdos ille qui C septimanam venturam facere debebit, quando Diaconus et Subdiaconus induti in Missa non erunt (quia tunc, per illum qui in Diaconum indutus fuerit, volumus fieri) hostias, vinum, aquam, et totum servitium sacramento Eucharistiæ necessarium faciat diligenter. Consequenter etiam ille Sacerdos qui ornamenta custodiet, provideat circa reparationes eorum cum opus fuerit; vel faciendo etiam aliqua de novo fieri, juxta ordinationem quam fecimus circa ista : recipiantque pecuniam ad hoc faciendum a Thesaurario nostro. Sed et tam de pecunia illa, quam et de omnibus ornamentis quæ sub inventario custodiunt, curent Magistro-rationali nostro annis singulis, vel citius si requisiti per eum fuerint, fidelem reddere rationem.

ac sarcienda curet,

208 Novissime vero ordinamus eos subesse Cancellario et eidem obedire debere. Scholaris autem Capellæ nec non Scholaris eleemosynæ et omnes qui in capella versantur, ipsis Sacerdotibus obedire debebunt, quoad servitium quod facere habent in capella. Quem Scholarem Capellæ prædicti Sacerdotes vel alter eorum, si inobedientem aut negligentem in dicto servitio invenerint, ad amissionem suæ quitationis decem diebus vel infra valeant condemnare. Postremo autem volumus ipsos Nobis sacramentum et homagium præstare, quod per factum D vel consilium eorum damnum personæ nostræ non veniet, maxime per illa quæ ipsi tractamus : et quod nihil per eos est factum neque fiet, quominus ista juramentum et homagium possint observare.

præsitque Scholaribus capellæ

a *Vide Partis 7 Rubr.* 12 *pro singulis festis in particulari et in genere.*

De Scholari Capellæ. ℞. IX.

Dignum et Deo gratum esse perpendimus, si ea quæ divino cultui sunt destinata prudenter et honeste tractentur, ac diligenti custodia conserventur, quodque vel negligentia vel errore defectus aliquis non appareat in eisdem.

209 Ut igitur Capellæ nostræ super iis constantius sit provisum, statuimus et ordinamus, quod unus Scholaris in Capella nostra instituatur, cujus incumbat officio recipere a Capellanis dictæ Capellæ ornamenta ad Capellam pertinentia, et ea debeat in altari reponere, ut eis uti liceat, sicut in altera nostra Ordinatione est expressum quam quidem ordinationem secum scriptam teneat, et eam observet E diligenter. Debebit etiam dictus Scholaris recipere ab Apothecario luminaria, ad usum nostræ Capellæ necessaria, secundum formam super dicta luminaria ordinatam. At etiam cum Nos pro anima alicujus defuncti celebrari vellemus, hoc ipsi Apothecario non tardet revelare, ut super tortitiis debite provideatur. Ad curam etiam ejus pertineat, quod post Capellanos ad Capellam deputatos, intromittere se debeat, ut non sit defectus in Capella de iis quæ necessaria sunt Capellæ. Nec non quod ipse in persona propria facere debeat illa, quæ honeste non convenit facere Capellanos.

Paramenta a Capellanis,

luminaria sumat ab Apothecario :

210 Volumus etiam, quod dictus Scholaris post Cancellarium subsit et obediat Capellæ Sacerdotibus : et si necesse fuerit, aut suo officio commode vacare non poterit, possit committere vices suas Scholari eleemosynæ deputato, hoc excepto, quod sine voluntate dictorum Sacerdotum, non possit committere dicto Scholari vel alii paramenta et alia, de quibus communiter et quasi quotidiane uti habent, quæ sub Sacerdotibus prædictis tenet cum inventario et custodit. Teneatur etiam dictus Scholaris juvare prædictos Capellanos, ad Officium celebrandum et Horas dicendum, quotiens p terit, et ob hoc non sit in suo officio impeditus. Libros etiam, ad officium capellæ necessarios per ipsum teneri et custodiri volumus : F unde curam solertem gerat, quod cum nos itinerabimus, tam ipse quam Scholaris eleemosynæ libros ad Horas dicendas necessarios in promptu deferant; sic quod ubicumque Nobis magis placeat, Horas audire valeamus.

juvetur a Scholari Eleemosynæ,

ac libros custodiat,

211 Ipse etiam ad Dominici Corporis elevationem, una cum Scholari eleemosynæ, tortitia tenere non omittat : et diebus quibus multa tortitia teneri convenit, ad ea tenenda habeat et procuret tam pueros eleemosynæ quam alios. Thuribulum cum thure et carbonibus accensis, tam Diacono quam illi qui nobis illud erit impensurus, etiam volumus per ipsum ministrari. Volumusque quod officium Scholaris eleemosynæ in illius absentia faciat in omnibus diligenter. Jubemus etiam, quod ex eo quod dictus Scholaris multa tenere et tractare habet quibus nos utimur, veluti libros qui per Capellanos Capellæ committuntur et aliquotiens et similia, præstet Cancellario juramentum cum homagio, secundum formam, in juramento quod præstant dicti Capellani, expressatam.

sub Missa lumen

et thus ministret.

A

De Eleemosynariis. ℞. X.

Commissa Nobis a Deo de temporalibus rebus dispensandi auctoritas satagit et exposcit, ut de illis, quantum Nobis conveniens fuerit, personis egentibus eleemosynarum sufficientiam largiamur.

Sint hi Sacerdotes duo,

212 Ad quarum distributionem siquidem duos bonos et probos deputari volumus Sacerdotes, qui Eleemosynarii nuncupentur; quorum cura esse debebit, fragmenta mensarum curiæ nostræ facere ne pereant, honeste recolligi, ac demum distribui per Scholarem vel Servitores eleemosynæ, sicut fuerit opportunum. Debebunt equidem solicitare Majores-domus, ut quæ mensis supposita fuerint ad eleemosynam debite faciant custodiri, ne per aliquos lecatores *a* forsitan vel gulosos aliquid de illis juri eleemosynæ subtrahatur. Unus autem eorum, cum Nos comedemus, ante mensam nostram stare debebit; et navem *b* argenteam, in qua fragmenta aliquando deponuntur ponat: et ipsam navem et ipsas mappas de mensa levare non omittat. Videlicet in diebus solennibus, quando Majores officiorum servient, ea quæ de mensa nostra levabuntur nisi aliter de ipsis ordinare vellemus, absque interceptione recipiant, et per Scholarem eleemosynæ totum ad eleemosynam faciant deportari.

qui faciant colligi reliquias mensæ

a

b

B

et diebus lautioribus eas ipsimet excipiant

213 Sane Eleemosynarius antiquior in officio debebit pecuniam, et omnia alia quæ secundum ordinationem nostram ad eleemosynam *c* sunt deputata, recipere, ac in usus pios amore Dei distribuere, ubi magis fuerit congruum; super quo ejus conscientiam oneramus. Alter vero Sacerdos eleemosynarius, omnia recepta et distributa per alium, in scriptis ponat, et in alterius primi absentia officium ejus exerceat. In præsentia vero illum juvet in faciendo ea quæ ad officium eorum pertinebunt. Uterque etiam eorum ordinationem nostram quam fecimus de rebus deputatis ad eleemosynam, in scriptis habeant, ut eamdem melius teneant et observent, et Nos si opus fuerit ad servandum solicitent et inducant. Præterea cum ex more nostro pedes vel manus pauperum lavabimus, vel actus similes faciemus; Eleemosynarii debent Nobis stare, ut in lavando pedes, post Camerlengos; in lavatione vero manuum post Majores-domus, isti quidem ea quæ necessaria fuerint subministrent; denique illis pauperibus [serviant] tam pro refectione quam [ad] alia, per nos, in Ordinatione quam fecimus super hoc ordinata. In his tamen servitiis exhibendis, antiquior in officio semper noviori potior habeatur.

alter alterius vices suppleat;

c

juvent abluere pedes ac manus pauperum:

C

214 Volumus etiam quod de iis quæ ad eleemosynam deputavimus, teneant duos vel plures, si eis videbitur pauperes pueros Clericos bene cantantes, amore Dei, qui tamen continuent divina Officia quæ Nos audimus. Ordinamus insuper quod isti Eleemosynarii præsint tam Scholari et Servitoribus eleemosynæ, quam pauperibus pueris Clericis, qui de eleemosyna nutriuntur; eosque corrigant, si viderint in eorum officio deficere vel esse quomodolibet negligentes; et eos quitationis amissione, si viderint faciendam, decem dierum vel infra valeant condemnare. Ipsi vero Eleemosynarii, Cancellario sint subjecti. Pecuniam autem distribuendam, secundum nostram ordinationem in eleemosynis, a Thesaurario nostro recipient: sed tamen Magistro-rationali de datis et acceptis rationem reddere tenebuntur.

præsint pueris ex eleemosyna viventibus,

215 Adhuc autem eos teneri volumus Missas coram Nobis celebrare et facere septimanas alternas cum aliis Sacerdotibus ad capellam deputatis, et eos juvare tam ad Missam quam ad alia officia divina coram Nobis solenniter celebranda: et etiam in Benedictione mensæ, et in Gratiis in fine mensæ peragendis interesse, ut Sacerdotes Capellæ, eos volumus et mandamus. Ille autem qui ultimo fecerit septimanam, debebit textum Evangelii et Pacis osculum Nobis in Missa portare, nisi præsens fuert aliqua persona insignis, vel nisi fuerit Diaconus solenniter indutus ad Missam, tunc enim illud per illos fieri ordinamus. Incensum etiam Nobis diebus ordinatis, et bacinum pro nostra oblatione in eo recipienda, quotiens in ipsa Diaconus solenniter non fuerit indutus. Ille vero qui septimanam venturam facere debebit quando Diaconus et Subdiaconus in Missa induti non erunt, hostias, vinum, aquam, et totum servitium, Sacramento Eucharistiæ necessarium, faciat diligenter.

alternis hebdomadis,

D

faciant officium Capellæ

216 At vero si Confessor noster præsens non fuerit, ille qui et quando penultimo septimanam ad Missam fecerit, debebit Horas nobiscum dicere, et diebus festivis, illis scilicet quibus quisque fidelis Missam tenetur audire, Officium Missæ in oratorio nostro legere coram Nobis. Item, quia propter exercendum eorum officium multotiens habent Nobis assistere; volumus quod Nobis præstent juramentum et homagium, quod damnum personæ nostræ pro viribus evitabunt; et quod per aliquid quod eorum concernat officium, periculum Nobis non veniet; et si aliunde procurari sciverint Nobis revelabunt: et quod nihil fecerunt nec facient quo minus hæc servari possint.

et suppleant vices Confessarii.

E

ANNOTATA D. P.

a Leccator *Belgis* Lecker *a* Lecken, *lingere ligurire, passim scurram notat, vide multa apud Cangium.*

b *Glaber Rodulphus lib.* 3 *cap.* 2 *apud cumdem* naves aureas *nominat, scutellas scilicet longas et profundas in forma navis,* Alveolos *vocare possemus; aut si grandior est,* Alveum.

c *Vide Partis* 7 *Rubricam ult.* de Eleemosyna per Eleemosynarios distribuenda.

De Scholari eleemosynæ ℞. XI.

Summe laudabile atque bonum, nec non caritati consonum judicamus, ut de iis quæ in mensa nostra pro refectione, tam Nobis quam aliis in eadem sedentibus, apponuntur, partem optimis nostris Xiis *a* Christi pauperibus, imo ipsi a quo omnia recipimus, tribuamus, ut illius sacræ Scripturæ exordium non lædamus, quæ ita valentibus admonet præparare ut minime præparare valentibus valeant erogare.

Ut eleemosyna decentius fiat

F

217 Igitur ut liberius effectum capiant quæ optamus, et ne pars Christi pauperibus ordinata impie valeat deperire; hac nostra Ordinatione duximus providendum, ut unus Clericus, satis juvenis, agilis et aptus, vita et moribus adornatus, Sacerdotibus nostris Eleemosynariis ac nostræ Eleemosynæ assistens, et eis post Cancellarium obediens assumatur, qui fragmenta omnia mensæ nostræ recipiat, per Eleemosynarios nostros antedictos primus recollecta, et in loco ad prædicta destinato curet reponere festinanter: et ut fragmenta prædicta ne pereant curam vigilem procuret adhibere: et de mensa nostra quæ superaverunt, fragmenta recolligere, de prædicta eleemosyna cura habita diligenti: et navim argenteam ubi fragmenta colliguntur coram nobis ponere: et ipsam navim ac mappas levare [minime prætermittant;] diebus tamen quibus Sacerdos Eleemosynarius illam ponere in mensa tenetur, dumtaxat exceptis.

Clericus unus accipiat recollecta

ab Eleemosynariis,

eorumque vices ad mensam suppleat,

218 Adjicimus insuper, ut Clericus sive Scholaris antedictus ad Subdiaconatus Ordinem sit promotus

Clericus Capellæ juvet.

A tus et Clericos Capellæ nostræ teneatur in Horis et aliis divinis officiis adjuvare, Epistolam regulariter in Missa nostra decantando : et dum non fuerit indutus pro ipsa Epistola, teneat unum tortitium quando Corpus Dominicum elevatur. Volumus etiam eum habere custodiam cortinarum et aliorum paramentorum, quæ pro sede sive *b* recubili nostro oratorio, divina audiendo fuerint ordinata. Quam quidem sedem sive oratorium antedictum, una cum pueris qui de dicta eleemosyna nutriuntur, cum cortinis et aliis paramentis supratactis, ante Missæ introitum studeat adornare, secundum varietatem temporum, ut per Nos est ordinatum : cujus ordinationis, in quantum hoc tangit, copiam *c* in scriptis habeat, ut eam valeat melius absque defectu observare. Et idem fieri volumus in Vesperis et solennibus Matutinis, quibus, secundum aliam nostram Ordinationem, altare nostrum in prædictis Vesperis et Matutinis fuerit adornandum. Itinerando vero omnia quæ circa Oratorium prædictum superius modis prædictis ordinantur, sive per se sive per alios pueros antedictos studeat diligenter adimplere ; B et partem librorum ad Horas dicendas sive cantandas, simul cum Scholari Capellæ deferat, taliter quod ubicumque magis placebit, Horas possimus audire.

et oratorium Regis ornet, b

c

219 Si vero aliquo casu fuerit impeditus, quo minus peragere valeat supradicta, ejus officium quod in palatio nostro facturus existebat, nec non dicendam Epistolam Scholari nostræ Capellæ valeat delegare : alia vero per ipsum facienda committere possit uni de pueris eleemosynæ suprascriptis, etiam dicendam Epistolam si aliquis idoneus ad hoc repertus fuerit inter ipsos. Ipsum namque subesse volumus Sacerdotibus Eleemosynariis. Et quia per præmissa liquide innotescit, quod aliquando habet præparare, et alias frequentius pertractare, quæ satis personæ nostræ sunt propinqua ; ideo ad præstandum fidelitatis juramentum et homagium Cancellario est astrictus, quod salutem nostram incolumem, præsertim quantum ad ejus officium pertinere dignoscitur, pro posse conservabit, et contrarium evitabit juxta posse; et nihilominus si talia præsciret, revelabit : et quod nihil fecit vel faciet, quo minus prædicta valeat fideliter observare.

Vices ejus suppleat Scholaris Capellæ,

vel aliquis puerorum,

et juret Cancellario.

ANNOTATA D. P.

C a Xiis *expresse scriptum, non præsumpsi per conjecturam mutare : nam* Zius *sæpe invenit Cangius* Zio *Italis,* Tio *Hispanis,* Patruus *est. Quid autem si* Xius *hic idem valeat quod* Patronus, *sitque honoris titulus Curiæ illi usitatus?*

b Recubile. i. reclinatorium, *cui genuflexus ad orationem incumbit : quod ideo Franci* Priez-Dieu *appellant : et nunc quoque ejusmodi scabellum vocamus* Oratorium, *hujusmodi autem una cum Sede ponitur Principi intra Cortinam suam, seu locum cortinis circumductum, in quo ille sacra audit, secretus a vulgo.*

D c Copia, *usitata vulgo phrasi,* exemplum *est;* Copiare, *exemplum sumere, transcribere : videtur autem indicari Partis* 7 *Rubr.* 12, *vel potius partis* 6 *Rubr.* i, de Paramentis.

De Servitoribus Eleemosynæ. ℞. XII.

Necessitatis vinculum nos astringit, ut ad ea quæ per singulos non possent commode adimpleri, tot et tales qui sufficiant admittamus, maxime ubi de tali consideratur eventu, qui omissus pietatis officio aliquam affert læsionem.

220 Hac igitur præsenti Ordinatione statuimus, ut de cetero tres Servitores idonei et fideles eleemosynæ eligantur, qui de mensis in palatio nostro vescentium fragmenta ne pereant in loco destinato recolligant fideliter et attente, et sic recollecta caute non omittant custodire. Præterea vero ad mandatum Eleemosynariorum prædictorum, prout etiam est alias ordinatum, fragmenta supra dicta Christi pauperibus, bonis hujusmodi seculi denudatis cura fideli studeant erogare. Qui quidem post Cancellarium, Sacerdotibus nostris Eleemosynariis se subesse cognoscant. E Cum vero contigerit nos itinerare et alibi proficisci, unus ipsorum in loco ubi erimus semper adsit, pro ejus supradicto officio attentius peragendo, ne ob ejus defectum fideles Christi pauperes suo fragili solatio valeant defraudari.

Tres sint qui de mensis aliorum reliquias colligant.

De Cursoribus ℞. XIII.

Cursorum munus quam sit necessarium nemo ambigit : cum enim Principes ad diversas mundi partes habeant litteras suas dirigere, et quam plurima negotia nuntiare, quæ forte celeritatem exigunt; convenit ut illi qui current aliis celerius præmissa debeant explicare.


Ad celerem expeditionem

221 Ordinamus itaque quod Cursores sint ordinarie in curia nostra octo, qui litteras nostras mittendas portare debeant, præcaventes quod a Dominis quibus mittentur, nihil petant. Debent insuper obedire nostris Cancellario et Vice-cancellario, ac nostris Secretariis ac aliis etiam de Cancellaria. Volumus etiam quod cum erunt præsentes, ad requisitionem Apothecarii nostri vel ejus coadjutoris, tortitia coram Nobis tenere debeant et deferre.

statuuntur octo.

ADDE IN ℞. III.

F *Hoc loco supplendus venit defectus, per transcribentis incuriam commissus supra num.* 182 *ad signum * ubi festinanti nimium exciderunt sequentia :* Et inter cætera attendant diligenter, quod nisi quoad munus ipsorum auditorum, quorum unus sit Miles et alter Doctor, in expediendis dictis supplicationibus concorditer consenserint ; eas, in illis in quibus discordes fuerint [non scribant] nec alteri eorum obediant ullo modo.



INCIPIT QUARTA PARS

Super officio Magistri-rationalis, et eorum qui sibi sunt subjecti.

Icones litterarum initialium in hac quarta parte vide ad Partem quintam, una cum reliquis ceterarum Partium, in unam tabulam relatas.

De Magistro Rationali. R^t 1.

Cum Regi propter magnitudinem sumptuum

Inter solicitudines Regias, per quas utilitati reipublicæ consulitur, et honor Regius conservatur, illa demum cor Principis debet astringere, quod ejus domus per omnia provide disponatur.

necessaria sit moderatio,

222 Cum enim domus Regia, in signum præeminentiæ, universis ad eam recurrentibus liberalis esse debeat et aperta, et ob hoc sic infinitis et excessivis est exposita sumptibus et expensis, quæ vix humano possint ingenio moderari; summe convenit Principem debere prospicere, quod in regimine domus suæ mensura præ ceteris observetur, ne contingat quod scribitur :

oportet eum nosse facultates suas

Vix sine mensura durabit Regia cura.

Quia vero non potest in expensis, præsertim Regiis, mensura faciliter adhiberi, nisi Principi veniat in aperto, quantam summam capiunt redditus, obventiones, et alia jura fiscalia, quæ singulis annis in suum ærarium deferuntur; ideo necessarium fore dignoscitur, quod in domo cujusque Principis aliqua persona fidelis et providens præfici debeat, cujus incumbat officio de redditibus, proventibus, et juribus Regalibus cujuscumque anni perquirere veritatem, et de eorum summa Principi reddere rationem.

B

instituitur Magister rationalis

223 Nos igitur, cupientes domum nostram regiam et omnes actus nostros cum mensura disponere ac modum et viam quærere quibus mensuram possimus congruentius observare; scientes quod ex hoc honori nostro prospicitur et subjectorum commodis providetur; statuimus et ordinamus, quod in nostra curia sit deinceps aliquis, in officio reddendarum Nobis rationum principaliter institutus, qui Magister-rationalis *a* nuncupetur. In quo officio personam talem assumi volumus, quæ sit fidelis et provida, et in compotis et rationibus ordinandis, et aliis quæ hujusmodi incumbunt officio, bene sibi conscia pariter et experta, sic quod nullum fallere debeat, nec ab aliis facile possit falli. Et ne Magister-rationalis noviter institutus, propter oblivionem vel ignorantiam, aliqua de iis quæ ad ejus spectant officium prætermittere valeat, quæ sunt multa; illa seriatim describemus.

x

cui incumbit,

rationes Officialium excipere,

224 In primis itaque Magister-rationalis sciat ad solicitudinem sui officii pertinere, quod audiat rationes et compota recipiat a Camerlengis nostris, et a nostro Cancellario sive Vice-cancellario, a Thesaurario et Scriptore rationis, et etiam ab Armatore nostro et Folrerio, et a nostri etiam Cavalericiis ac Procuratoribus nostrorum reddituum, et a quibuscumque nostris Officialibus et personis aliis, ex administratione officii vel alias de juribus nostris quidquam recipientibus vel expendentibus quoquomodo, nisi ab illis qui in parte vel in toto Scriptori-rationis vel Procuratoribus reddere sunt astricti, a quibus necessario non habet audire : sed si vellet examinare, maxime ex causa, facere potest.

minorum vero si ita videatur,

reliquatarios denuntiare,

E

225 Et si forsan reperiat quod aliquis officialium prædictorum, post redditas rationes, juribus nostræ curiæ teneatur aliquid reddere vel restituere, de hoc certificet illico Thesaurarium nostrum cum proprio Albaranno; vel Scriptorem rationis si ad ejus officium id noverit pertinere; et sibi caveat quod interim non expediat illum qui restituere tenebitur: nec computo suo finem ponat, donec per albaranum Thesaurarii vel Scriptoris-rationum, si ad eum pertineat, constet sibi quod illi restituerit id quod reddere tenebatur : si vero id quod debet reddere contradicat, compellat ipsum per captionem pignorum vel aliis remediis quibus decet. Cum vero restituerit et compleverit id quod debet, tunc Magister-rationalis faciat sibi albarannum de computo reddito per eumdem, et ut remittat expeditum. Si vero facto compoto appareat aliquid esse restituendum illi compotum reddenti, tunc Magister-rationalis faciat sibi duo albaranna, unum testimoniale de compoto per eum reddito, alterum per quod solvatur quantitas sibi reddenda : et hæc duo albaranna dirigantur Thesaurario, vel alii si ad alterius spectet officium.

ad solutionem cogere,

super erogata reddenda curare,

deficientes in exhibendis apochis

226 Prospiciat insuper Magister-rationalis, quod si Officiales qui de sua administratione cum eo computabunt, non exhibeant vel non tradant sibi complete instrumenta vel apochas vel albarana pro illo compoto necessaria, vel ad compotum spectantia, vel alias defectuose computabunt; statim dictus

Rationalis

A Rationalis dictos defectus Scripturarum et alios in suo memoriali reponat, quos Nobis exponere sigillatim properet, vel alii cui duxerimus committendum : et illos defectus dumtaxat annullet et cancellet in suo memoriali, quos Nos vel illi quibus commissum fuerit, ei duxerimus cancellandos : et de aliis non cancellatis, sibi faciat fieri complementum, per illum qui reddet computum; vel alium, si alius tenetur id complere : alias illi qui computum reddent, non sint de suis compotis expediti : et ultra hæc, si facto computo appareat ipsos aliquid debere, confestim ad id restituendum compellantur.

non absolvere inscio Rege;

227 Ceterum Procuratores reddituum nostrorum, quorumlibet terrarum nostrarum, in compotis suis quæ reddent quocumque anno, per dictum Rationalem, minime compellantur ipsi Rationali exhibere apochas sive albarana solutionum, quæ fieri debent ordinarie, et annuatim pro salariis tam Locum tenentibus nostris quam Judicibus seu Assessoribus et Bajulis et Vicariis et Castellanis ac Notariis et aliis quibus dantur certa salaria seu annuæ pensiones; quorum salariorum seu pensionum annuarum quantitates, scriptis teneat dictus Rationalis in libro B suo Notamentorum, et scripta etiam teneat omnia quæ dicti Procuratores nostri ordinarie tenentur solvere quibusvis personis quoquo anno. Teneatur etiam Rationalis dare fidem dictis nostris Procuratoribus in suis compotis, super expensis quas asserent se fecisse ex justis causis et rationabilibus.

illas tamen non exigere a Procuratoribus reddituum

228 Sit etiam solicitus Magister-rationalis, quod recipiat in scriptis a Procuratoribus nostris pretia quorumlibet reddituum nostrorum incontinenti, cum dicti redditus quolibet anno venditi erunt per Procuratores prædictos : post quod dicta pretia scribat et reponat in suo libro. Nec non sit solicitus quantum poterit quod sciat veritatem falliarum *b* quæ fient tam per nostros domesticos quam per alios nostros Officiales fallias facientes; et illas executioni debitæ faciat demandari, ob hoc ut ipsi domestici et alii prædicti occasionem non habeant falliandi. Recognoscat etiam Rationalis de medio in medium annum, et quotiens voluerit et opus erit, omnia recepta per Procuratores et soluta, et etiam quantum erit penes eos in moneta, et quæ erunt per eos debita. Provideat etiam et Procuratores nostros solicitet, quod in capite cujusque anni completi sint Procuratores absque defectu ad reddenda compota sua pro toto illo anno complete.

qui solum illorum pretia annua tenentur indicare,

b Ejusdem est mulctare absentes,

excipere rationes Procuratorum,

C 229 Jubemus etiam quod Magister Rationalis habeat et teneat quatuor libros ordinarios : quorum unus vocetur Liber notamentorum communium, in quo notet et scribat omnia, quæ recognoverit se recepisse a Thesaurario seu aliis Officialibus, nostris ad finem quod in computis cum eis fiendis videre possit Rationalis, quæ dant alii pro receptis. Eodem modo notet in dicto libro omnia quæ facere possent ad Clerici Rationalis instructionem, et eorum qui cum eo debent computare. Teneat etiam secundum librum, qui vocetur Liber de affinamentis computorum, in quo notet et scribat omnia recepta et data seu soluta per illos qui reddent computa sua, et etiam scribat *c* finantias omnium compotorum. Retineat etiam penes se librum illum seu scripturam cum qua computaverit ille cum eodem Rationali, et etiam retineat apochas et albarana, cum quibus facient sibi fidem de datis et solutis, computa sua recolentes. Habeat etiam tertium librum, qui vocetur Liber ordinarius, *d* in quo scribat omnes receptas nostras et datas. Habeat insuper quartum librum, in quo faciat registrari omnes apochas et omnia albarana, quæ ratione sui officii facere et tradere tenebitur; et omnes etiam apochas et albarana quæ recipiet quoquo modo.

libros habere Notamentorum,

c de affinamentis computorum

Ordinariorum d

4 Apocharum

230 Magister rationalis etiam in capite cujusque D anni, quem annum incipere volumus prima die mensis Aprilis, finabit Nobiscum (præsente Thesaurario nostro, et aliis ad hoc vocatis, vel per Nos ad hoc ordinatis) reliqua quæ supererunt anno quolibet de redditibus nostris illius anni : deductis tamen expensis domus nostræ, et aliis expensis tam ordinariis quam extraordinariis terrarum nostrarum et expeditionum nostrarum : et illam finantiam cujusque anni scribi jubemus in quodam libro pergameni, qui liber penes Nos remanebit secrete quoquo anno; ut proinde scire possimus, quantum crescent vel decrescent anno quolibet redditus patrimonii nostri et expensæ, compensatis oneribus expeditionum nostrarum, quæ secundum majus et minus evenerint; et quod tunc erit in reliquis annuatim.

quotannis Aprilis concludere rationes suas cum Rege

et hinc finantiam ferre in librum specialem,

231 Recipiat etiam Rationalis a Thesaurario nostro computum de sex in sex mensibus anno quolibet, et recipiat in compoto omnes quantitates quas dixerit se solvisse pro donis quæ fecerimus, usque ad quantitatem centum solidorum licet de quantitate illa vel minori nullum ostendat albaranum vel mandatum, solo enim verbo suo super hoc credi E volumus. Ultra vero quantitatem prædictam, non aliter in compoto recipiat, nisi ostenderet albaranum vel litteram aut mandatum nostrum scriptum, et nostro sigillo vel annulo sigillatum, vel nisi ostenderet Thesaurarius albaranum ipsius Magistri Rationalis alicujus debiti, vel litteram alicujus Judicis vel Commissarii nostri aut Auditorum omnium quatuor vel duorum, dum tamen unus sit Miles et alius Doctor, executoriam alicujus sententiæ contra Nos latæ, et apocham de soluto factam per illum cui dicti debiti solutio esset facta.

recipere singulis semestribus computus Thesaurarii,

232 Reddito autem compoto per Thesaurarium et finato, Rationalis teneatur sibi facere albaranum, in testimoniale et completum : juxta cujus formam et continentiam Nos possimus facere dicto Thesaurario, de bono et vero compoto reddito, quitationis et finis instrumentum : certificato tamen per litteram Procuratorum de quantitatibus omnibus, per eos ipsi Thesaurario datis : et quod cum compoto Thesaurarii prædicti concordet certificatio memorata, et ostensio per Thesaurarium; quod omnia etiam concambia, *e* quæ se contraxisse vel fecisse dixerit de consensu ipsius Rationalis vel aliter de nostro mandato contraxerit et fecerit; servatisque prædictis et aliis, quæ in tanto compoto pro verificatione ejusdem viderit servanda.

eique dare apocham Regi exhibendam

e

233 Damus insuper Magistro-Rationali potesta- F tem corrigendi omnes et singulos, qui suo subsunt regimini, et in suis officiis errorem vel excessum commiserint; et eos etiam puniendi et privandi a quitationibus suis pro tempore quanto sibi videbitur; nec non quod eos possit a suis officiis suspendere, culpa exigente; et in persona capere, si talis sit excessus. Excipimus tamen Thesaurarium, quem non possit ab officio suspendere, nec in ejus personam manum apponere, sine nostra licentia et assensu. Et hoc idem, quantum ad suspensionem Scriptoris Rationis a suo officio, volumus observari. Sin autem contingeret, quod aliquis præter Thesaurarium de subjectis sibi in numero Consiliariorum nostrorum fuerit assumptus, ipsum capere aut suspendere ab officio minime possit. Officiales autem qui Magistri Rationalis subsunt regimini, et quos potest corrigere, ut est dictum sunt hi : Thesaurarius, Scriptor rationis et eorum Scriptores. Scriptor ipsius Rationalis, Procuratores reddituum nostrorum et eorum Locum-tenentes et Scriptores eorum : et licentiam recedendi a curia vel ab officiis suis posse declaramus tribuere; exceptis Thesaurario et aliis qui essent de nostro Consilio, quibus per nos solos est tribuenda.

Officiales sibi subditos corrigere,

et exceptis Thesaurario

Scriptore

et Consiliariis;

et eam suspendere ab officio,

et suspendio punire

A tribuenda. Concedimus etiam Magistro Rationali, quod si quis compotum debens reddere nolit, seu reddere contradicat; possit eidem quitationem quam a Nobis recipit emparare. f

Eorumdem leges habere in Scriptis,

234 Habeat etiam penes se in scriptis Magister Rationalis omnia quæ tenentur facere ratione sui officii prædicti Officiales qui sibi subsunt, pro tanto quod si deficerent vel errent in suo officio melius scire poterit veritatem, et eos congruentius corrigere vel punire. Faciatque memorialia de omnibus concambiis, quæ Thesaurarius contrahet vel faciet de consensu ipsius Rationalis, et modis et cum quibus illa fient; ut tempore quo Thesaurarius reddet compotum, de illis liqueat sibi plene. Sciat amplius ad suum officium pertinere, quod omnes falsarios monetarum nostrarum vel circa eas delinquentes faciat capere et ordinarii delinquentium ad ejus requisitionem eos capere teneatur. Si vero delinquens sit de familia et domo nostra, tunc Major-domus ad ejus requisitionem delinquentem capiat, aut noster Algotzirius ad mandatum Rationalis illum capere teneatur. Amplius volumus, quod si Vice-cancellarius in compoto suo aliqua debita det Magistro Rationali, illa non recipiat Rationalis, sed remaneant super humeros Vice-cancellarii, nisi forte illa debita essent facta de mandato nostro speciali.

capere falsarios monetæ,

B

initio officii jurare Regi.

235 Insuper ordinantes, quod præfatus Magister Rationalis, ante suæ administrationis ingressum, juramentum nobis præstare teneatur, quod in suo officio bene et fideliter se habebit. Jurabit insuper et homagium Nobis faciet, quod nulli personæ, nisi Nobis seu illis quibus occasione et ex causa sui officii competit, revelabit quantitatem seu summam annuam nostrorum redditnum; et proventuum thesauri nostri quantitatem. Rursus tenebitur in nostro Consilio promovere causas et jura nostri patrimonii et eas defendere juxta posse. Caveat tamen in hoc quod nulla per eum calumnia intercedat; sed alleget pro jure nostro quod poterit, justitia in aliquo non offensa. Nec non etiam, cum in nostrum Consiliarium Magister Rationalis, juxta nostram Regiam ordinationem de Consiliariis, admittatur; Nobis juramentum, per Consiliarios expressatum in dicta Ordinatione, faciat et facere teneatur.

ANNOTATA D. P.

a *Ex pluribus a Cangio allegatis audiatur hic Ammianus,* Rationales *appellant* Procuratores *Regum, qui* rationes et computa dispungunt. *Francis,* Maistres des comptes, *Belgis* Reken-meestres: *ubi nota in hoc codice semper per* o *scribi* compotum *pro* computo.

C

b Fallia, *uti ex propria Rubrica Partis* 8 *intelligitur, est a Francico* Failler, *Teutonico* Falen, *deficere, defectus scilicet præsentiæ in Curia pro eo tempore, quo quemque ratione officii adesse convenit; et cujus defectus luitur subtractione stipendii ex parte vel toto.*

c Financia *Cangio est* Præstatio pecuniaria *et sic qui talibus recipiendis præest vocatur in Belgio* Commissus Financiarum, *ibi nunc* Financiæ *sumuntur pro tribunali ad ipsarum, id est proventuum regionum rationes tenendas. Interim apparet hic, juxta etymon a* finiendo *sumptum,* Finantias *et consequenter etiam* Affinamenta, *dici computus finitos seu conclusos, quorum notitiam servet liber hic secundus: et sic infra jubetur hic Magister quotannis semel cum Rege* finare, *id est rationes suas omnes concludere.*

d Ordinarium *dici credo librum Ephemericum, ubi notatur quid quotidie recipiatur expendaturve;* Diurnum *Mercatores vocant, Franci* Journal

e Concambium, *commutatio: idem quod* Cambium *a* Cambio campsi, campsum, *muto, permuto; unde* Campsor.

f Emparare, Amparare, Imparare, *invadere, occupare, accipere Teutonice* Invaren. *De illis fuse Cangius, Deque variis inde derivatis.*

D

De Scriptore Magistri Rationalis Rubr. II.

Ne hic nimius Scripturis gravetur

Quia Magistri Rationalis officium est pluribus et diversis expeditionibus oneratum, quæ fieri debent necessario per scripturam; ne idem Rationalis in scripturis hujusmodi nimium occupetur, et ob hoc negotiorum expeditio retardetur.

additur ei Scriptor:

236 Statuimus et ordinamus, quod Magister Rationalis, statim cum fuerit institutus, procuret sibi et habeat unum Scriptorem idoneum et fidelem, nostro arbitrio eligendum, cujus incumbat officio scribere universa quæ Magister Rationalis scribere tenetur; præsertim in absentia Magistri sui; scribat compota, et recipiat et audiat, et nobis referenda procuret. et quoad hoc solum, absente dicto Rationali, officium ejus peragat, et dicto Rationali obediat. Juramentum etiam præstet dictus Scriptor Nobis sub tali forma, qua jurare tenetur Magister Rationalis, eo excepto quod secretum Consilii servare non jurabit. Præstabit insuper juramentum et homagium faciet, quod quantitatem seu summam reddituum nostrorum annualium nulli personæ revelabit, nisi Nobis aut illis qui ratione sui officii dictam quantitatem scire possunt.

qui etiam vices absentis suppleat.

E

De Thesaurario. Rubr. III.

Sicut de Principis liberalitate procedit, thesaurum et pecunias, ubi et quando congruit, mensurata moderatione dispergere; sic et ejus prudentiæ convenit honeste congregata in ipsius opportunum servitium conservare.

Huic incumbit

237 Thesaurum igitur et pecunias nostras recipiendas et conservandas uni committi volumus fideli et industrioso viro, qui Thesaurarius a rei convenientia nominetur; quique taliter in congregando seu recipiendo sit diligens, ut et cum asperitate nimia non exigat, et in conservando ac distribuendo commoda nostra non intercipiat ac elidat.

redditunm pecunias recipere a Procuratoribus,

238 Habebit ergo Thesaurarius pecuniam a Procuratoribus nostrorum reddituum, et partem Nos contingentem ex emolumentis Cancellariæ, et condemnationes faciendas per nostros Majores-domus pecuniarias in domesticis et nostram curiam sequentibus, recipere; et exinde tradere tam Scriptori-rationis quam aliis, qui ex officio eis incumbente illam habent expendere quovis modo. Nec non etiam, si exemptione nomine nostro facta vel ex alia causa, de qua sibi constet alicui teneamur; volumus quod de illo per Thesaurarium nostrum satisfiat, habita inde apocha de soluto. Sed extra causas præscriptas jubemus eidem, ne alicui personæ de pecunia nostra solvat una ultra summam centum solidorum, absque nostro albarano sigillo sive annulo sigillato. Porro eidem etiam inhibemus ne aliquod cambium recipiat absque consensu Magistri-rationalis, et eo absente ejusdem Rationalis Scriptoris, nisi hoc aliter fieri de nostro mandato procederet vel licentia speciali, quæ etiam appareat per scripturam.

tradere Officialibus eas expensuris,

debita solvere ad Regis mandatum,

rationes reddere singulis semestribus,

239 Cum autem Thesaurarius rationem habebit reddere, per unum mensem vel quindecim diebus ante, procuret habere litteram a Procuratoribus terrarum nostrarum, a quibus recepit pecuniam, quæ contineat quantam summam recepit ab eisdem. Deinde teneatur de sex in sex mensibus Magistro rationali, secundum formam eidem Rationali traditam, reddere rationem: nam in hoc volumus Thesaurarium illi subesse, ac debere illi quoad hoc obedire. Sane si ipsum Thesaurarium aliquando absentare oporteat,

non nisi Scriptori suas vices committere,



Scriptor Magr. Rat.
Thesaurarius
Scriptor Thesaur
Scriptor Rationis
Scriptor Script. Rat.
De conviviis.
De Feroulis.
De Sellis, Frænis &c.
De Vestibus &c
De Oblationibus.
De honoribus quibuslibet ut convenit exhibendis.
De Fructibus mini strandis in mensa
De Illuminatione.
Argentarii.
Consiliarius.
De sessione in Consilio
De Muneribus.
De salariis Comissarior
De modo Scribendi lras ad diversas personas.
De modo Sigillandi.
De taxatione lra,
De beneficiis confer
De ordinatione Capellæ
De eleemosyna
De Fallus.
De loqueriis aialium
Guil de Balma.

oporteat, non committat alicui vices suas nisi tantummodo suo Scriptori, qui eo tunc officium illius exerceat, nisi nos vellemus aliud specialiter ordinare. Insuper etiam ad suum agnoscat officium Thesaurarius pertinere, defendere et promovere in nostro Consilio ea quæ nostrum concernunt patrimonium: caveat tamen in hoc quod nulla per eum calumnia intercedat, sed alleget pro jure nostro quod poterit justitia non offensa.

jura Regis tueri,

240 Præterea volumus et mandamus, ut si per aliquos Commissarios nostros, in vim executionis alicujus sententiæ contra nos latæ, mandari contingat vel requiri Thesaurarium, ut aliquam pecuniam, ad quam forsitan Procurator noster, nostro nomine condemnatus extiterit, alicui personæ persolvere illam, ipse Thesaurarius confestim illis in hoc habeat obedire. Nam et rationi consonum est, ut de Nobis ipsis aliis promptam exhibeamus justitiam, qui alios etiam ad hoc cogimus, prout ex debito astringimur et tenemur. Et ut Thesaurarius de iis quæ hac ratione persolvit, possit Rationali facere fidem; habeat, antequam illa persolvat, a dictis Commissariis vel Judicibus aut Auditoribus mandatum seu requisitionem in scriptis, et a personis quibus pecuniæ solventur apocham de soluto.

parere sententiis contra Regem latis,

241 Postremo quidem juramentum et homagium Nobis præstare debebit Thesaurarius, quod thesaurum et pecunias nostras fideliter custodiat, quodque pecunias nostras in usus suos proprios aliqualiter non convertet, nec eas mutuabit alicui, sine nostri licentia speciali, quam in scriptis valeat exhibere: ac etiam quod nihil fecit vel faciet, quo minus possit præmissum juramentum atque homagium servare. Item quod summam nostri thesauri et redditaum nostrorum nemini revelabit, nisi Nobis et Magistro Rationali, vel etiam Scriptori suo, quibus ex officio competit illud scire. Nec non, cum juxta Regiam nostram ordinationem de Consiliariis, noster Thesaurarius in nostrum Consiliarium admittatur; volumus quod juramentum fiendum per Consiliarios, in dicta ordinatione annexum præfatus Thesaurarius Nobis facere teneatur. Item quod non recipiat vestes *a* alicujus neque molarium *b*; nec erit de domo aut consilio alicujus, cujuscumque sit conditionis, nisi a Nobis petita licentia et obtenta.

et fidem illi jurare.

etiam ut Consiliarius

ANNOTATA D. P.

a Vestes *intelligo* tesserarias, *quibus se alterius clientem quis profitetur, forma vel colore distinctas.*

b Molarium *arbitror, dici Numisma honorarium, alterius vultu effigiatum, itaque dictum a* Mola *seu* Modulo, *id est typo, cui infusum metallum formam recipit, Hispanis* Moida, *Francis* Moule, *Teutonibus* Mol : *unde* Moler, Moldar *typo exprimere.*

De Scriptore Thesaurarii. ℟. IV.

Scriptor Thesaurarii, per Nos eligendus, habet scribere in libris rationes ipsius Thesaurarii, et in ipsius Thesaurarii absentia officium ejus peraget, ipsique Thesaurario obediat post Magistrum Rationalem. Præstabit autem juramentum et homagium, quæ præstare debet Thesaurarius: dempto tamen juramento quod concernit Consilium, ad quod non admittatur iste Scriptor.

Potest ejus supplere vices.

De Scriptore-rationis. ℟ V.

Cum in nostra Regia curia magnos et plures sumptus oportere et debere fieri dignoscamus, in iis peragendis virum legalem et diligentem, nec non calculare et scribere scientem, volumus assignari, commodissime providentes; quæ Scriptorem-rationis disponimus nuncupari.

Hujus est

243 Ipse vero omnibus nostris familiaribus quitationes, quæ et prout unicuique eorum erunt persolvendæ; etiam tempore guerræ stipendiariis quibuscumque actus armorum exercentibus solvere fideliter teneatur: a quibus stipendiariis de solutis eis per eum recognitionem seu apocham habere procuret cum effectu. Pecuniam autem per quosdam Officiales nostræ curiæ, videlicet Emptores victualium et Apothecarium et per Falconerium, emendem avibus quoad victum necessaria ac per Follerium nostrum et per Sutricem pro linteaminibus, mappis et aliis abluendis; et per canum Custodem ac Zemblerium majorem, dumtaxat pro sumptibus pro nostris propriis zemblis faciendis; et Civaderium, in curia ipsa expendendam, eisdem et aliis quibus ipse Scriptor rationis, juxta nostras ordinationes, pecuniam est traditurus et existat; idem Scriptor tradere non Omittat: et ab ipsis diebus singulis, prahabita per se vel per Scriptorem oculata certitudine de numero eorum qui comederint in curia ipsis diebus, compotum, præsente altero Majorumdomus, si interesse voluerit, exigat et recipiat diligenter. Et ipse Scriptor rationis de omnibus prædictis Rationali, quotiens idem Rationalis voluerit, compotum et rationem reddere teneatur, præfato vero Scriptori-rationis tradatur per Thesaurarium pecunia pro sumptibus prælibatis.

cuique suum stipendium dare,

et pro sumptibus in curia faciendis pecuniam,

a Thesaurario accipiam

244 Quodque dictus Scriptor rationis (Sub tamen Majoribus domus, continue videat et intendat circa quæ acta fuerint et agenda in eorum officiis per Officiales qui immediate subsunt Majoribus-domus: quos in tangentibus dicta officia, ut sibi visum fuerit, instruere et corrigere verbo valeat et mandare; ac eos qui ei compota reddere tenebuntur, ea reddere recusantes, quitationem mensis unius vel infra etiam privare. Præterea volumus, quod dictus Scriptor-rationis condemnationes, quæ fient per habentes potestatem, de quitationibus nostrorum domesticorum executioni tradendo, illas Eleemosynario non omittat demandare: eisque nostris domesticis quitationes eorum et alia per eos a nostra curia recipienda donec per eos cum albarano, quod Nobis juramenta et homagia per eos fienda, juxta nostram Ordinationem, præstiterint) persolvat nullo modo.

intendere subditis Majori-domus

mulctas tradere Eleemosynario.

245 Statuentes insuper quod ipse Scriptor rationis, sub pœna sui officii amittendi, aliqua ratione vel necessitate de dicta pecunia, nisi pro dicto suo officio debite exercendo, accipere audeat attentare; nec accommodare alicui, sub pœna quitationis suæ unius anni amittendæ, ultra quitationem trium mensium futurorum circa quæ moderate se habeat et discrete. Solerter autem præcaveat idem Scriptor-rationis, ne per Nos aliquem de domo nostra receptum scribat in libro nostræ Matriculæ, absque nostro speciali mandato: ex quo constare sibi, per litteram inde factam vel albaranum nostro sigillo munitum, volumus specialiter et mandamus. Nec non volumus ad ejus officium pertinere, quod incontinenti, facto per Nos aliquo viagio, se informet cum majori Zemblerio nostræ curiæ, de numero animalium, quæ conduxerit occasione nostri viagii supradicti, quem ipsum numerum, Magistro rationali nostræ curiæ per suam scripturam debeat intimare. Annectimus etiam quod præmissus Scriptor-rationis, Nobis, quod bene et fideliter in ipsius officio se habebit, faciat sacramentum: et quod nihil fecit neque faciet propter quod ipsum sacramentum nequeat observare.

nec præsumat pecuniam accipere,

aut cuiquam commodare,


aut aliquem immatriculare arbitrio suo

in itineribus factos sumptus colligat statim.

De

De Scriptoris Scriptore-rationis R'.

Ordinamus autem quod Scriptor-rationis habeat sub se Scriptorem, per nos eligendum, qui sibi post Rationalem obediat : per quem scribatur fideliter, quidquid de dicta pecunia per dictum Scriptorem-rationis fuerit exolutum : et alia etiam fiant tangentia ipsum officium, quæ ipse Scriptor-rationis sibi duxerit injungenda. Juramentum Magistro rationali et Scriptori-rationis, quale ipse Scriptor nobis facere tenetur, exhibere sit astrictus.



INCIPIT QUINTA PARS

De ordinationibus ad officium Majoris-domus sive eorum qui ei sunt immediate submissi pertinentibus.

In hac tabella noto Majorem-domus, virga suæ potestatis instructum, in mensa autem apposita pocula aurea, cisoria sive orbes argenteos : tectum triclinii pomis rubeis coronatum : intra primam autem litteram idem Major-domus ministros instruere, aut invitatos videtur introducere.

De Conviviis. R' I.

C

Caritatis erga subditos causa

Quamvis reprehendantur illa convivia, quæ absque caritate et timore divino ingluviei deserviunt; tamen quæ ex caritate, quæ nos sola Deo gratos facit, prodeunt, in quibus nulla vita mordetur absentium, non reprehensa inveniuntur, sed laudata.

ordinantur 4 festa Domini,

247 Ideo Nos, qui caritatem, dilectionem inter Nos et populum, Nobis ab illo, qui nimia caritate et amore Filium in terris mittere est dignatus, commissum, conservare desideramus, excogitavimus prudenter, ut festivitatibus Paschæ, Pentecostes, Natalis Domini et Epiphaniæ convivium faciamus; ut Nos, qui caritatem subditis communiter ostendere non possumus, ne eos a disciplinæ metu resolveremus, si nostro regimini hilaritatis fræna relaxaremus (quia dum Nos quidam licentius lætos aspicerent, avidius ipsi ad illicita resolverentur) ad minus diebus istis vultum nostrum hilarem omnes vivendi habeant facultatem : ex hoc enim multum dilectio inter Principem et subditos conservatur. Quia sicut (ut diximus) hilaritas nimia nocet subditis aliquando; ita et prodest Principibus, ut temporibus debitis lætitiam et hilaritatem demonstrent. Nam qui præsunt populi, si volunt firmum esse solium, sub hilaritate vultus et gratia plenos exhibeant; ne, per arrogantiam rigidi, plebis odium incurrant.

quibus illi Regem videant epulantem,

et gratiose hilarem,

item alia 2 Perpiniano et Majoricæ propria.

248 Hoc autem fieri diebus seu festivitatibus prædictis fore faciendum decernimus, ut tanti dies et sic solennes, nostros (ut dictum est) populo providendo absque solennitate minime transeant. In festo autem S. Crucis, si in Perpiniano, et S. Annæ, si in civitate Majoricæ præsentialiter fuerimus constituti, solenne convivium propter festum, quod ad honorem Reliquiarum in nostris capellis ipsorum locorum collocatarum agimus, tam pia devotione moti, quam rituum prædecessorum nostrorum observantes, fieri mandamus. In his vero conviviis per nostros Majores-domus bonas et honorabiles personas, non tales de quibus convivium potius deturpetur, quam honorificetur volumus evocari.

F

De ferculis. R'. II.

Licet deceat curias Regum et Principum diversis ac variis abundare, quia plerumque tamen plures epulæ, præsertim labore ac magno ministerio conquisitæ, morbos ingerunt, hebetant sensum, vitia inferunt, virtutes evellunt, nisi remedietur temperantiæ medicina, quæ castitatis mater existit.

Hæc ordinariæ duo sint,

249 Cupientes igitur saluti tam mentis quam corporis salubri remedio providere, statuimus ut curia nostra regulariter in prandio duobus dumtaxat

A taxat ferculis sit contenta. Volumus tamen aliquoties ultra hoc, ad cognitionem nostræ curiæ Magistri, de aliquo interferculo præparari: in cœna vero uno continue, vel duobus aliquotiens, prout dicto Magistro videbitur expedire. Porro, convivium faciemus, dum tria fercula dentur ac unum interferculum: et tunc coqui et alii coquinæ ministri plus solito sint intenti, ut omnia et singula ad dictam coquinam spectantia, solerter et bene, nec non absque reprehensionis macula condiantur.

tria conviviis,

250 Sane ubi virum magni status et eminentiæ per Nos contigerit invitari, volumus omnia prædicta cessare, et dictum ordinem minime observari: sed secundum Ordinationem nostram Regiam et specialem, omnia et singula disponantur. Rursus volumus et jubemus, quod in curia nostra dentur cibaria meliora quæ poterunt reperiri, tam de volatilibus quam de aliis carnibus grossis: ita quod in septimana, dentur gallinæ in hieme, pulli vero in æstate. Nam hæc et alia cibaria præparari volumus, juxta temporis qualitatem; in hieme, quæ congruunt hiemi; et in æstate, quæ congruentia sunt æstati. Adjicientes quod de dictis cibariis unum genus B decoquatur in aqua, aliud in veru vel alio modo, sic quod dicta fercula prorsus sint dissimilia et diversa.

plura cum aderit eminens hospes

cetera pro temporis ratione,

251 Quantum autem de dictis ferculis, tam de carnibus quam de volatilibus, coram Nobis, et Prælatis, et Baronibus, et aliis personis cujuscumque conditionis existant, fuerit apponendum, hunc ordinem volumus observari. Videlicet quod dictus Magister curiæ nostræ prospiciat diligenter, ut abunde sine excessus vitio, coram uno quoque de dictis cibariis apponatur: taliter circa hoc suum exercendo officium, quod indigentiam fugiat et superfluitatem prorsus evitet. Et quia in appositione prædicta decet aliquos, juxta status conditionem, plus ceteris honorari, volumus quod in cissorio nostro pro octo personis de dictis cibariis apponatur, et tantumdem in cissoriis Cardinalium seu Patriarcharum nec non Archiepiscoporum, si eos per nos contingeret invitari: in cissoriis vero Episcoporum, pro sex; Abbatum vero et Baronum, Militum et Vicecomitum (quamvis Milites non existant) et Priorum, pro quatuor jubemus apponi. Sed in cissoriis aliorum inferioris gradus, juxta consuetudinem in nostra curia diutius observatam, æqualiter apponatur, nisi dictus nostræ curiæ Magister prospiceret aliquem debere plus ceteris honorari. Si autem qui C in nostra mensa sedebunt, ut Barones, licet inferioris sint gradus, quoad hoc habeantur.

quoad quantitatem,

spectandæ personæ

et dignioribus apponendum in Cissorio amplius.

De sellis, frœnis, et aliis paramentis equorum. R/. III.

Quia quæ in Principibus geruntur facile a subditis in exemplum trahuntur, attendendum fore judicamus, quod in omnibus gestis nostris, sicut Regale fastigium non modicum exposcit, honeste et temperate nos habeamus: sic quod sapientes in bonum confirmentur, et insipientes vanitatibusque vacantes ad temperantiam provocentur. D

Ut hic quoque appareat moderatio,

252 Unde superfluitatem vitantes, maxime in iis quæ ordinarie habent fieri, volumus quod ordinarie, nisi ex alia causa alias facere mandaremus, quatuor sellæ palafrenales cum suis frænis, signis quarumdam personarum militia pollentium, *a* ut nobis videbitur, decoratæ, sint nostræ personæ servitio præparatæ: quarum duæ habeant coria cooperta veluto, auro et serico comminuto: reliquæ autem duæ habeant coria non cooperta veluto, secundum modum paraturæ nostro affectui accedentem. Dictarum vero duarum sellarum, habentium coria cooperta veluto, *b* anno quolibet, una proxime ante festum Nativitatis gloriosi Salvatoris humani generis peragatur; altera autem fiat proxime ante festum Resurrectionis gloriosi Salvatoris humani generis memorati: reliquarum vero duarum sellarum habentium coria non cooperta veluto, anno quolibet unam proxime ante festum B. Joannis Baptistæ fieri hoc edicto laudabili ordinamus: alteram proxime ante festum B. Michaelis Archangeli volumus adimpleri.

sint duæ sellæ tectæ serico a

2 simplici corio, et quotannis mutentur: b

253 Præterea octo saltem sellas, armorum usui destinatas, pro nostræ personæ servitio habeamus, quarum duæ sint nostro signo Regio penitus decoratæ: reliquæ vera sint aliis operibus nostræ voluntati placentibus exornatæ. Jubemus etiam quod quatuor saltem mantæ *c* continue sint paratæ ad tegendum dictas sellas nostræ personæ servitio destinatas: quarum duæ sint nostri signi Regii in suis partibus universis, aliæ autem duæ sint diversis operibus communitæ. Postremo subjungimus prælibatis, quod adsit continue copia mantarum ac aliarum rerum necessariarum equis et ceteris animalibus antedictis: quarum quidem mantarum, illæ quæ æstatis tempore tenebuntur, sint albæ, signis Nostris Regiis exornatæ: aliæ vero quæ hiemis tempore tenebuntur, sint rubeæ, signis nostris Regiis communitæ.

Item octo speciosiores pro persona Regis.

c cum 4 mantis,


pro æstate albis, rubris pro hyeme.

ANNOTATA D. P.

a *An viventium? Immo potius mortuorum, et quidem veterum; ex historia aut fabula Heroum.* F

b Velutum *Italis et Hispanis communis vox, Francis* Veloux, *pannus est holosericus Villosus, a* villo (*nisi fallor*) *originem trahens. Mirum id non reperiri apud Cangium.*

c Mantas *jam dixi esse dorsalia equorum stragula.*



INCIPIT SEXTA PARS

De ordinationibus od officium Camerlingorum et eis subjectorum pertinentibus.

De vestibus et aliis ornamentis. R/. I.

Regalis providentia cuncta bene disponere cupiens, summe debet intendere quod in vestibus et aliis ornamentis temperet gestum suum, superfluitatem excessivam vestium, quæ potius ad fastum adscribitur quam ad laudem, præcipue reprimendo; in ceteris ornamentis etiam honestatem debitam observando : quid enim laudabilius circa statum Principis reperitur, quam ordinare gestum suum taliter, quod gratus omnibus appareat et honestus? Ex hoc enim cunctis hoc videntibus elationis inordinatæ tolletur occasio, et honestæ conversationis imprimetur affectio.

Boni exempli causa,

254 Cupientes igitur ex causis prædictis et rationibus, in ornamentis et vestibus gestus servare sobrium et honestum : non ideo quod expensis parcere super hoc intendamus, sed ut bonum exemplum ceteris præparemus, statuimus et ordinamus ac servari præcipimus, quod pro persona nostra vestienda fiant anno quolibet ordinarie vestes in festivitatibus quæ sequuntur. Nativitatis Domini, Purificationis B. Mariæ Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Assumptionis B. Mariæ et Sanctorum omnium : quæ vestes ut decet sutæ ac pannis variis sint folratæ, *a* exceptis vestibus Pentecostes quæ de sindone *b* sint folrandæ.

ordinatur ut pro Rege C

vestes fiant quotannis in 7 festivitatibus,

a *b*

255 Volumus tamen quod cum illis quæ fient in dictis festivitatibus Natalis et Resurrectionis Domini et Pentecostes, fiant chlamydes, quibus Reges in mensa, solenni comitiva decorati, assueverunt illustrari. Et cum Chlamyde, in forma istis simili, in festo Apparitionis Domini, panni aurei etiam fiant vestes, in prandio festi ipsius dumtaxat deferendæ. Fiant etiam bis in anno vestes et capelli *c* solis, quibus utamur equitando. Primæ enim vestes et dicti capelli sint factæ in festo B. Michaelis, aliæ vero mensis Martii prima die. Haberi etiam et teneri duo capelli solis, pulchris operibus et margaritis, decorati minime omittantur.

4 etiam chlamydes,

c *et bis quotannis galeri.*

256 Ordinamus insuper quod de duobus in duobus annis in festo Paschæ Domini sit paratus et factus noviter unus lectus cum omni suo apparatu de sindone viridi, ac etiam ejusdem coloris coopertorium pro lecto Camerlengorum in nostra camera jacentium. Et fiant etiam cossini *d* cooperti de veluto viridi pro sedendo et in eis recumbendo : et panni ad ornatum lecti, in solo *e* stare deputati. Qui lectus cum prædictis apparamentis, ac etiam teneantur quotidie a festo Paschæ Domini usque ad festum Sanctorum omnium, anno quolibet duorum annorum prædictorum. Simili modo volumus et jubemus, quod de duobus in duobus annis fiat noviter alter lectus in festo Sanctorum omnium de sindone rubea cum omnibus apparamentis, in alio lecto, supra proxime ordinatis : qui lectus paretur, cum apparatibus ad ipsum pertinentibus, a dicto festo omnium Sanctorum usque ad festum Paschæ Domini anno quolibet duorum annorum prædictorum.

lectisternium annis alternis innovetur, *d*

e

ad Pascha

et Sanctorum omnium :

257 Volumus etiam quod de quatuor in quatuor annis fiat unus lectus cum suis apparamentis debitis de sindonibus de nostro signo Regali, et quatuor cussini ejusdem coloris et quadrati ; quo lectus paretur in camera nostri Consilii, totiens quotiens duæ cameræ parabuntur, et sic servari volumus continue infra dictos quatuor annos. Ordinamus insuper quod fiant præter prædicta [quatuor] coopertoria de sindone viridi, et alia quatuor de sindone rubea, quæ serviant tam Domicellis nostris Cubiculariis et aliis Cambereriis *f* qui jacent in nostra camera vel retro-camera, quam Nobis in strato nostro, quod paratur in camera nostri Consilii vel alibi. Et serviant coopertoria de sindone viridi eo tempore, quo lecti nostri supradicti coloris viridis parabuntur : coopertoria vero coloris rubei serviant eo tempore, quo lecti nostri coloris rubei parabuntur. Jubemus insuper quod teneatur continue pro Nobis unus lectus vel duo lecti de sindone, cujusvis coloris cum suis apparamentis : qui Nobis serviant quotiens Nos itinerare contigerit, in eis quiescendo de die, et etiam dormiendo, vel alia similia faciendo.

F *pro Rege autem annis quaternis in camera Consilii,*

f *et lecti 4 pro cubicularius coloris regii ;*

item alius ad iter paratus

258 Ordinamus etiam, quod cortinæ semper teneantur de sindone viridi et de rubea ; et sint ultra illas

A illas quæ sunt junctæ cortinis superpositis lectis nostris : et cortinæ jam dictæ sint talis longitudinis, quod serviant, tam ad ponendum eas ante lectum nostrum cum opus fuerit, quam ad mediandum sive per medium dividendum unam cameram vel aliam magnam domum, vel usus alios similes. Et volumus quod cortinæ virides parentur cum opus fuerit eo tempore, quo lecti coloris viridis sunt parati ; et rubei quando lectus tenebitur rubeus. Volumus insuper quod duodecim cortinæ, videlicet sex de sindone rubeo et aliæ sex de sindone viridi teneantur, cum quibus parentur Nobis oratoria, quoties divinum Officium contigerit nos audire : quibus utatur, prout utetur coloribus lectorum.

item cortinæ ejusdem coloris,

259 Jubemus etiam quod panni lanæ continue habeantur, quatuor coloris rubei et alii quatuor coloris viridis ; et isti panni sint amplius delicati quam illi qui ponuntur in terra circa lectum. Insuper octo cussini longi, de veluto rubeo. Fiant etiam alii octo cussini quadrati de veluto viridi, et sex communis formæ, non ita magni, qui etiam sint historiati ut priores ; de veluto rubeo : et serviant dicti panni et cussini tam in oratorio nostro tenendo, B quam etiam in consilio, eos ponendo retro. Nos, in parietibus extentos et affixos, scilicet pannos : et serviant dicti panni et cussini rubei coloris, eo tempore quo lecti nostri rubei parabuntur ; panni vero coloris viridis serviant eo tempore, quo lecti coloris viridis parabuntur.

item stragula,

cussini longi,

260 Volumus etiam quod teneantur panni linei et historiati, qui serviant nobis cum erimus in mensa, ponendo eos retro nos in parietibus affixos, vel etiam eos in capite lecti nostri ponendo, cum Nos contigerit in tali loco esse, ubi non pararetur pro Nobis lectus cum superposito parameno. De quibus quidem pannis aliqui ipsorum sint magni, pulchritudine aliis præeminendo, ut solennioribus diebus, ut nostrum exposcit Fastigium, absque deturbatione solennitatis valeant deservire.

dorsalia ad mensam,

261 Ordinamus, etiam quod fiant octo nova *g* banchalia lanea, bene diversi coloris operata, quæ Nobis serviant in scamno nostro, quo sedebimus quando comedemus et in mensa erimus. Et etiam fiant duo cussini longi de velutis talis coloris cujus sunt arma nostra Regalia ; *h* quæ Nobis serviant pro sedendo, quotiens comedemus et in mensa erimus. Jubemus etiam quod fiant duo retrodorsaria et banchalia et cussini longi et quadrati qui omnes sint de panno aureo ejusdem coloris, qui Nobis serviant cum Nos populo nostro ob aliquam causam C loqui debebimus, et eos ad conspectum nostrum vocabimus ; vel in alio usu nobis serviant, prout nostræ placuerit voluntati. Ordinamus insuper quod fiant duo coopertoria lanea, pellibus variis folrata, quæ ponantur super lectum nostrum, cum nos de nocte vel de die jacere contigerit aut dormire. Volumus etiam quod continue ; habeantur et teneantur in promptu, vannæ *i*, linteamina, coopertoria et aliæ decentes vestes, ultra illas vestes quæ pro lectis nostris sunt ordinatæ ; ut si casu aliquæ, excellentia spoliatis, infra seu extra nostrum hospitium jacentibus, de ipsis pannis providere vellemus, ex defectu ipsorum minime nostro desiderio defraudati remaneamus.

g banchalia,

h

etiam ex panno aureo dum populus alloquendus,

aliaque supellectilia,

i

262 Prædicta autem omnia (præter illa, de quibus est dictum, quibus temporibus fieri debent) mutentur et alia de novo fiant quotienscumque necessarium fuerit, et etiam opportunum et nostris Camerlengis visum fuerit faciendum : attendentes quidem ipsi Camerlengi, quod in sufficienti numero semper de ipsis habeantur, secundum quod actus, ad quos prædicta ordinavimus, requirunt : taliter facientes, quod non solum uno ornatu pro quolibet actu contententur, imo diversis et cujuslibet coloris, D per Nos superius ordinatis : taliter quod quando continget Nos pro uno actu in diversis locis paramenta præparare, ex carentia prædictorum ordinatio nostra præsens, neque in modo neque in coloribus, valeat prætergredi quoquo modo.

mutanda quoties opus erit

ANNOTATA D. P.

a Fodrum Foderum *et* fodrum *est duplicatura levioris panni, graviori subsuti, dicitur etiam de pellibus ad eumdem finem adhibitis ; Teutonice* fouder, vouder, *hic autem primum invenitur* l *pro* d.

b Sindon *videtur hic accipi pro bysso tenui, alias* Taffetta *dicto.*

c Capellis solis, *dicitur* galerus, *qui solem arcet : qualis forma ejus fuerit Jacobo Regi, vide in imagine frontali Partis* 8.

d Cossinus, cussinus, Cusinus *pulvinus, diminutivum, Furetterius in Dictionario Universali* Coite *indicat, nunc fere exoletam vocem, lectum plumeum significare ; ut omnia videri possint derivata a* quiete, *unde* Coy, *quietus.*

e *Humiles, ut puto, et solo sternendi, nec in fulcra* E *elati.*

f *Uti ex* Camera, *fit* Cambra, *sic etiam* Cambrerius., *pro* Cameririus *hic scribitur.*

g Bancus, *Teutonibus* Bank, *scamnum ; hinc* Bancale, *pannus scamno insternendus,*

h *Rubro scilicet ac flavo virgulata.*

i Vannæ, *nusquam alibi adhuc inventæ, quid sint, non divino ; nam* Vanni *ad rem frumentariam spectantes, nihil huc faciunt.*

De Oblationibus. R/. II.

Attendentes, quod ante Dei oculos numquam est vacua manus a munere, si arca cordis sit bona voluntate repleta ; nec Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt.

Quia hæ non sunt

263 Volentes de oblationibus, quas in Missis in manus offerimus Sacerdotis, ordinare, non ad quantitatem, ut illi, qui quando Sacerdotibus suis dant, quodammodo se monstrando (illo Dominico verbo oblivioni tradito, in quo ne manus dextra eleemosynam quam sinistra faciet, et e converso, sciat, cavetur) totum in oblatione, quam offerunt in Missis ponunt : sed ad significationem tantum, (postquam sicut duo decet Sacerdotibus nostris aliter providemus, respectum habemus : ordinantes quod diebus F Paschæ, Ascensionis Domini, et in festo Pentecostes, et Corporis Christi, Omnium Sanctorum et Trinitatis et Natalis Domini, et in quatuor festivitatibus B. Mariæ, nec non etiam in festo Exaltationis S. Crucis in Perpiniano, et in die S. Annæ (si tamen in ipsa die, scilicet S. Annæ, in civitate Majoricarum fuerimus constituti) xv denarii ad oblationem majoris Missæ nobis parentur et habeantur : ad alias vero Missas, si quas audiremus, v ; et ad *a* Corporalia, VII.

æstimandæ ex quantitate;

jubentur pro majoribus festis denarii 15, alias 5 parari,

et septem ad osculum corporalis

a

264 In festo autem apparitionis Stellæ, quia illa die per Reges aurum, myrrha et thus oblata fuerunt Christo Salvatori nostro, volumus ut offeramus in Missa majori unum aureum, et myrrham et thus in modica quantitate ; quia solum hoc ad significationem facimus : ad Corporalia vero unum aureum tantum ; et in aliis Missis si quas illa die audiremus v denarios. In Parasceve etiam xxx argenteos, quando ad adorandum Crucem accedemus, offerre volumus ; ut sicut ille proditor Judas impie Salvatorem ac Redemptorem nostrum triginta venumdavit argenteis ; Nos pie eos offerendo, traditionem et deinde mortem secutam Regia nostra mente recolamus.

in Epiphania aurum, thus, Myrrha,

in Parasceve denarii 30,

in Duplicibus 7, et ad corporale 5,

mus. In diebus vero, quibus præter prænominatos Duplex festum in nostra Capella fit (exceptis diebus Sabbatinis quibus ex devotione communiter Officium Beatæ *b* Virginis Duplex coram nobis celebratur) ad majorem Missam VII denarios, et ad Corporalia V; et ad alias Missas, siquas devotione moti vel ex ordinatione audiremus, tres offerre in præsenti ordinamus. Reliquis vero festivitatibus sive diebus anni, in Missa sive missis, sive ad Corporalia, tres denarios tantum.

cum pia ad quemque numerum consideratione.

265 Prædicta autem tali consideratione fecimus, ut III denarii ad honorem Trinitatis offerri intelligantur; et V, ut quinque hominum sensus significent, quos Deo offerre debemus omnimode eos mortificando; VII autem, ut dimissio septem peccatorum mortalium cum recuperatione septem donorum Spiritus sancti designentur: XV vero, in templo enim XV gradibus ascendebatur; ut ex ipsa ejus ascensione discamus, quatenus per VII et VIII etiam temporalis solicite dispensetur actio, et perinde æterna mansio requiratur.

ANNOTATA D. P.

a *Cum anno* 1693 15 *Octobris Antuerpia transiens in Germaniam, Eduardi Palatini filia relicta Ducis Hanoverani Catholici, Catholica etiam ipsa Missam in ecclesia nostræ Professæ domus audiret, vidimus ea absoluta complicatum Corporale ipsi a Capellano deferri ad osculum, ac deinde duabus ejus filiabus. Durat ergo hic mos etiamnum in Gallia, unde illa veniebat; aveo scire an etiam in Arragonia et Catalaunia.*

b *Mabilio, in Præfat. ad Seculum* V *Benedictinum, quod est* X *Christi, num.* 117, *breviter, sed erudite ostendit, talis Officii usum jam tunc innotuisse.*

De honoribus quibusdam personis ut congruit adhibendis. ℟. III.

Quæcumque honoris causa præcedere dignoscuntur, fore melioris schematis sanciuntur, unde honorem debitum concernentia præsentis ordinationis serie promulgamus.

Cardinales similesque Prælatos sibi præponi Rex jubet,

267 Quandocumque Cardinales aut Patriarchas aut Archiepiscopos aut Episcopos Nobiscum comedere contigerit ubicumque, eos Nobis præferri volumus in sedendo: si vero ipsi Nobiscum iverint aliquando, et simul incedere non valuerimus cum eisdem; hos præcedere Nos, esse congruum arbitramur. Nam inter egregias laudes pollentis Regia dignitate, more irradiantis sideris elucescit, quod intuitu sanctæ fidei reverentiam multifarie exhibeat iis, qui tantis ecclesiasticis dignitatibus illustrantur.

et religiosum qui ipso die fuerit concionatus, assidere in mensa:

Plane Religiosi, quicumque, in mensa nostra sedeant, comedentes illis diebus, quibus eos coram Nobis contigerit prædicare: quia iidem venerabilis Religionis nexu divinis servitiis continue inhærentes, quibus diebus assumuntur, eximiæ nostræ utilitatis et non modicæ auctoritatis docendi exercitium, divina eloquia proferentes, merito honore magis quam diebus ceteris decorantur.

Illis et magnatibus, externis occurrere decernit

268 Ceterum quandocumque Cardinales aut Reges, vel fratres Regum, aut filii Regum vel alii quam plurimum Regibus conjuncti fœdere naturali, qui de nostra minime procederent domo; aut Duces vel Comites magnæ potentiæ partium remotarum ingredientur terrarum nostrarum villam aliquam, aut aliquod castrum, vel aliquam civitatem; Nos ibi tunc existentes occurrentis eis, recolligentes ipsos, ut optimum videbitur, cum honore. Nam cupienda est honoris exhibitio, cum illum qui eumdem honorem aliis dignis exhibet, faciat cum laudis præconio insigniri.

cum suas ditiones intrabunt.

De fructibus in ministrandis ℟. IV.

Licet usus fructuum non multorum per Physicos approbetur; ipsi tamen hominis gratia sunt producti, et ad gustum humanum naturaliter ordinati. Quapropter in regionibus quibus crescunt, de bona consuetudine, tam in prandio quam in cœna, communiter ministrantur.

Ministrandi sunt pro tempore fructus in prandio et cœna.

269 Statuimus igitur et jubemus, quod æstatis tempore, et etiam alio, prout tempori convenientes fructus commode poterunt reperiri, semper detur de illis in principio prandii, de duobus, et in principio cœnæ, de uno dumtaxat: in fine vero prandii non dentur ordinarie fructus aliqui, nisi Nobis et illis qui in mensa nostra sedent; et tunc etiam dentur fructus, prout tunc per Nos fuerit ordinatum. Diebus vero quibus fiet convivium ac jejuniorum diebus, dentur de uno vel duobus fructibus tempori congruentibus, in fine mensæ, nisi nebulæ *a* cum nectare ministrentur. In fine vero cœnæ dentur semper de uno vel duobus fructibus, si possint reperiri vel saltem loco fructuum caseus ministretur. Caveant tamen Officiales, quibus competit dictorum fructuum ministratio quod fructus prædictos tam siccos quam maturos, bonos et sinceros habeant et ministrent.

a Nectar, *videtur hic accipi pro vino condito aut alias præstantiori, etsi refrigerando* Nebulæ *id est, nives, ministrentur.*

De illuminatione. ℟. V.

Quia celsitudo Regia status eminentia insignitur, merito in ipsius curia illuminatio magnifica observatur.

Definitur quot intortitia a

270 Ideo jubemus hac idonea sanctione, quod qualibet nocte in camera nostra quatuor accensi brandones *a* et duo intortia habeantur. Sane ubicumque nocturno tempore comedemus, juxta nostram mensam duo accensa tortitia teneantur, vel plura, si inspectis comedentium multitudine aut mensæ magnitudine expediens videatur. Præterea nocturno tempore in nostro palatio talis adsit illuminatio copiosa, quod unus brando accensus ponatur coram tribus comedentibus quibuscumque. Quandocumque autem nocturno tempore per nostræ habitationis hospitium incedere nos contingat, quatuor accensa tortitia deferantur. Si vero extra nostræ habitationis hospitium equitando vel peditando incedamus, tempore prælibato; decem accensa tortitia deferri hac sanctione congrua imperamus. Verum quando nocturno tempore dormiemus in camera, in qua jacebimus, stadallus *b* factus, candelæ similitudine observata, et unus cereus mediæ libræ, continue accensi teneantur; juxta quos duodecim candelæ et brandones quatuor habeantur.

Brandones et candelæ vesperi et noctu ardere debeant

271 Annectimus quantitatem etiam præmissorum, ut unumquodque tortitium sex librarum ponderis habeatur: quilibet autem Brando tres uncias habeat ponderare, mediæ cannæ Montispessullani longitudinem obtinendo, candelas vero disponimus esse tales, quod XL *c* unitate unius libræ ponderis videantur. Disponimus etiam observare quod anno quolibet, in festo Purificationis Virginis gloriosæ Nos Missæ, divina solennia audientes, teneamus cereum saltem unius libræ ponderis ceræ albæ. Omnibus autem ibi existentibus, ubi præfata divina solennia audiemus, dentur cerei ponderum diversorum, secundum status eorum varias qualitates. Nobili quidem, Militi vel Vicecomiti, quamvis Miles non existeret, et etiam Prælatis (exceptis Episcopis, quibus octo unicarum tradere jubemus) cuilibet

et cujus ponderis esse singula, itemque cerei in festo purificationis tenendi.

bet cereus quinque unciarum et mediæ ponderis præbeatur: unicuique vero Militum, Sacerdotum et aliorum qui meruerint cum eis numerari, cereus trium unciarum et mediæ ponderis tribuatur: cuilibet autem ex Scutiferis et aliis incedentibus equitando, cereus duarum unciarum et mediæ ponderis præbeatur; ceterorum vero unicuique cereus unius unciæ et dimidiæ ponderis tribuatur. Novissime subjungimus antedictis, quod cerei singuli ponderis unius libræ, et alii singuli ponderis mediæ libræ, et alii singuli ponderis duarum unciarum per nostrum Apothecarium fiant, pro divino servitio, in nostra capella ut congruit peragendo.

ANNOTATA D. P.

a Brandones *a Teutonico* branden *ardere dictos, satis per se patet; exempla apud Cangium vide.* Intortitiorum *seu* torticiorum, *formam icon lateralis repræsentat;* candelæ *infra definiuntur tam exiguæ, ut* 40 *simul unam tantum libram faciant.*

b Stadallus, *a stando dici videtur: qui factus ad similitudinem candelæ, renovat mihi formam lampadum in Italia adhuc frequentium, quorum scapus superne oleo fartus et formam et vicem candelæ præbet, candelabro impositæ.*

c *Tam exigui Cereoli modo non mererentur* candelæ *nomen; et accensi singuli dimidio vix horæ quadrante durarent: ut vix capere possim quis eorum usus in mensa vel camera fuerit.* Unitatæ *autem dicuntur id est* unitæ.

De honoribus exhibendis (a) ℞. VI.

a

Quamquam Regiæ conveniat Majestati, ut ejus curia tam de vasis aureis quam argenteis decoretur; decet tamen erga subditos gradum et ordinem observare, ut ii dictorum vasorum prærogativa lætentur, quos nobilitas generis vel eminentia dignitatis seu proximitas Principis insigniunt.

ut dignitati cujuscumque respondeant vossa,

272 Statuimus igitur ut omnes in nostro palatio cujuscumque status existant, in scutellis argenteis comedant, et in tacetis *b*, non tamen deauratis bibant. Barones vero qui Milites fuerint, Abbates et Priores, nec non Vice comites, licet Milites non existant, et Barones non Milites, qui nostro Consilio meruerint aggregari; taceas argenteas deauratas et majores aliis habeant ad potandum; et cibaria eis in platellis *c* argenteis deferantur, et habeant pelvim et biterjam *d* argenteam ad lavandum: et qui ad latus nostrum comedunt, decet plus ceteris honorari.

alii pure argenteis,

b alii inauratis bibant,

c

d

273 Volumus ut omnes qui in nostra mensa comedent, in platellis argenteis comedant, et in ipsis eorum fercula deferantur, sed non cooperiantur, nisi Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos et similes, seu filios Regum aut fratres per Nos contingeret invitari; veluti qui de domo nostra descenderent, fratre vel filiis nostris dumtaxat exceptis. Omnibus autem Militibus, Doctoribus seu Sacerdotibus, et aliis personis magni status cum pelvi et petreria argenteis in fine mensæ præbeatur lavandi facultas.

omnes argenteis comedant,

pauci cooperti

ANNOTATA D. P.

a *Suprascriptum erat* de argento: *Chiffletius titulos colligens et substantiam legis considerans, scripserat.* De honoribus in auro et argento exhibendis.

b Taceta. tacetta, *diminutivum* a Tassa, *crater, patera: etiam* Taceam *invenit Cangius in quodam Aragonico scripto.*

c Platella, *lanx, scutella, diminutivum a* Plata: *origo autem Teutonico a* Plat, *planum, ratione formæ.*

d *Ita scriptum his distincte et quidem mutata prius posita littera* p *in* b *infra tamen scribitur, nec correctum invenitur* Petreria, *cum duplici* r: *nec dubium quin intelligatur Guttus, quo aqua infunditur lavantium, manibus, supposita pelvi sive lance. Nominis rationem quis divinabit, maxime si a* Petra *deductum sit, sicuti in alio sensu* Petraria *dicitur, tormentum bellicum quo lapides excutiuntur in hostem. An forte aliqua fuerit inter illam et guttum similitudo formæ; quis divinabit?*



INCIPIT SEPTIMA PARS

De ordinationibus ad officium Cancellarii et sibi subjectorum pertinentibus.

Repræsentat frontalis hæc tabella Regem, rosei coloris toga indutum, velut in suo utriusque ordinis Ecclesiastici ac Laici Parlamento. Cum autem de ordine sessionis comitum ac regiæ dictum superius sit, quo Ecclesiasticis latus Regis sinistrum velut dignius conceditur : hic solum notandus restat color rubeus, tam capetis desuper pendentis quam oblongi post dorsum sedentis cussini. Stellulæ capeti insparsæ, aureæ sunt.

De Consiliariis (a) ℟. I

Ad commodius regimen deliguntur Consiliarii,

Subjectorum nostrorum regimen nos habemus, ut eosdem illæsos servemus, facientes justitiam, nec non utilitatem reipublicæ cupientes. Igitur erga tanta et talia debemus provisionis suffragia adhibere, quod consilio virorum prudentum et rerum experientia ac proposito fideli pollentium dirigi Nos oportet : quia quæ consilio peraguntur, effectus propitios nanciscuntur : nec meretur subjectos regere, qui negligit discretorum consilio adhærere.

ex Officialibus Curiæ præcipui 14,

274 Unde ad tantum officium Consiliariorum nostræ Serenitatis Regiæ admittantur, Cancellarius et Vice-cancellarius, Auditores, promotores Majoresdomus, B Camerlengi, Magistri-rationalis, Thesaurarius, nec non Secretarii, qui intersint in illo, ac etiam alii quicumque quos ad hoc voluerimus provehendos.

qui numquam sine speciali licentia absint a Curia,

Statuentes pro utilitate reipublicæ, quam nostris temporibus cupimus conservare, quod nullus ex nostris Consiliariis a loco, in quo personaliter sumus constituti, se audeant absentare, nec accedere ad aliquod convivium, nec aliqua etiam in sua persona peragere, quibus accessus ad nos si vocaretur, possit aliquatenus impediri, nisi a nostra primitus Serenitate licentiam super prædictis obtinuerit specialem.

et speciali homagio adstringuntur.

275 Insuper ordinamus, quod nostri Consiliarii nobis per juramentum promittere teneantur, quod quantum valebunt, Nobis præbebunt bonum consilium et fidele, dicentes quæ sciunt consulenda, favore et odio ac timore cujuscumque personæ penitus resecatis : quodque nostri Consilii secretum servabunt fideliter et tenebunt : etiam quod non fecerunt aliquid nec facient, in futurum, quod prædictis sub juramento promissis observandis obviare valeat quoquomodo.

a *Neque hic neque sequens titulus adest in Codice originali ; sed nec locus ei pingendo relictus vacuus : titulum ergo hic appositum æque ac sequentem manu sua notavit Ciffletius, argumento congruum.*

De sessione in Consilio ℟. II.

Ut suus cuique ordo servetur in Consilio,

Si circa ordinationem rei privatæ domus nostræ curam gessimus ; et Deo auctore in ea nihil, quantum in Nobis est, omisimus imperfectum ; tanto magis circa illorum gradum et ordinem, qui circa latus nostrum militant, et pars nostri corporis esse censentur, operam dare debemus, ne cuiquam liceat aliquando graduum seriem conturbare, et temporum ratione calcata dudum militantibus anteferri.

Comites a dextris

Prælati a sinistris sedeant

276 Sancimus [igitur] ut sicut humani corporis dexteræ partes et membra, ab ipso corpore fomenta majora suscipiunt, et majori robore solidantur ; sic Regales Comites, Barones et ceteri Milites parte dextera nostri corporis in Consilio decorentur : Prælati vero et ceteri Clerici a parte sinistra suis sedibus honorentur. Et quia plerumque in nostro Consilio ex dictis Consiliariis aliqui per se seu conjunctis Patronorum funguntur officiis ; dignum judicamus, ut dicti Consiliarii, quam diu aliquid proponere vel allegare voluerint, vel aliquis pro eis, in loco

stent autem cum patronos agant,

loco consueto non sedeant, sed statim assurgant et circulum Consilii exeant; nisi Nos aliqua causa motis eis deferre vellemus. Æquum enim esse censemus, ut standi aut sedendi qualitate pensata, quis Consiliarii aut Patroni partem sustineat faciliter agnoscatur; si autem aliquis ex nostris Consiliariis suo officio aut ex nostra commissione aliquid in dicto Consilio proponere sint adstricti, sedendo suo loco solito præmissa proponere possit.

sicut et alii aliquod habentes proponendum,

nisi summa conditionis sint,

277 Sane quicumque cujusvis conditionis existant, qui cœtui nostrorum Consiliariorum minime sunt aggregati, sive pro se vel pro aliis coram Nobis in dicto Consilio voluerint aliquid proponere, seu pro aliis postulare; stare necesse habeant: nisi Nos forsan, eorum dignitate inspecta, in sedendo eos specialiter voluerimus honorare. Et si aliquos maximarum culmina dignitatum adeptos juxta nos sedere contigerit, et aliquid pro se dicere seu allegare voluerint, illico ad alium locum se transferant, et sedilia juxta eorum condecentiam præparentur, nisi nos in hac parte specialiter eis deferre vellemus.

b puta Legati et Episcopi.

278 Porro Ambaxiatores *b* Papæ, Imperatoris, Regum, vel Fratrum, vel Civitatum eorumdem, vel ipsis similes, in circulo Consiliariorum nostrorum sedere possint. Et si aliquis ex dictis Ambaxatoribus esset Archiepiscopus vel Episcopus, sedeat sicut ceteri de Consilio nostro, acsi nihil proponere vellent: et si aliquis ex dictis Ambaxiatoribus pro suo proprio facto aliquid proponere vellet, servetur modus supra proxime ordinatus, vel aliorum Magnatum, quos speciali ex causa honorare vellemus.

ANNOTATA D. P.

a *Cum spatium initialis litteræ non pateretur, ut pingeretur in eo integer locus Consilii, sedentes Consiliarios, stantes Advocatos repræsentaturus; satis habuit pictor, utriusque Ordinis personam unam exhibere. Titulus (ut jam dixi) nullus scriptus erat.*

b *Sic etiam Hispanice scribitur* Ambaxador, *sed littera* X *pronuntiatur ut χ Græcum: alias* Ambaxiator Ambassiator *et* Ambasciator *scribitur; a radice* bas, bassus, baxo, *subtus, infra, ut intelligatur a sublimiori potestate ac throno delegatus ac demissus: qua de re legendus Cangius.*

De Servitiis (*a*) ℞. III.

a Quia munera, præsertim realia,

Licet tres sint munerum acceptiones, quibus contra justitiam humanæ naturæ militari dignoscitur; favor amicitiarum videlicet, adulatio laudis, et corporalis acceptio muneris; facilius tamen pervertitur animus rei corporeæ munere, quam gratiæ laudisque favore.

pervertunt animos;

eorum receptio vetatur Consiliariis,

279 Unde volentes evitare, ne Consiliarii nostri, qui pars nostri corporis existimantur, aliqua agant, ex quibus in dando Nobis (quod Deus avertat) consilium possint turbari; volumus et sancimus, ut iidem nostri Consiliarii ab acceptione munerum et servitiorum, quæ oculos excæcant judicum, nisi essent consanguinei vel consiliarii, abstineant cum effectu: nam oblatio, et multo fortius receptio muneris, tinea est regiminis.

comestibilia tamen ad 20 solidos annue sinuntur accipere,

280 Verumtamen ne nimis eos astringere videamur, et ipsis Consiliariis quod ex nostra faciunt prohibitione, possit per inscientes et extraneos in aliud denotari; ut secundum formam quæ sequitur, possint dumtaxat recipere; eis licentiam tribuimus, per præsentem laudabilem sanctionem; videlicet omnia comestibilia; dum tamen ab una persona ultra xx solidos monetæ currentis in anno, in terra ubi fuerint, summa non excedat quod receperint. Et quia personarum conditiones sunt quam plurimum attendendæ, ubi prædicta comestibilia in Prælatis, Baronibus, Universitatibus villarum seu aliis corporibus clericorum seu laicorum, aut etiam Judæorum et cujuscumque Collegii, approbati vel non approbati, dum tamen non sit reprobatum darentur, prædictam xx solidorum summam usque ad L solidos in anno extendimus. Ultra etiam comestibilia, jocalia, valentia x solidos non plus, recipiendi ipsis tribuimus facultatem.

a majoribus autem ad 50,

in Legationibus etiam vestes, etc.

281 In casu tamen, quo aliquis Princeps vel alius, ad quem per Nos essent destinati, eis aliquod donum vel vestes facere vellet, possint illud vel illas recipere, hac sanctione Regia non obstante, ob honorem Principis vel alius supradicti. Nam si nuntii per Principes et magnos Dominos ad Nos transmissi, donum eis ex parte nostra exhibitum admittere recusarent, hoc nostris affectibus ingratum merito occurreret; et nobis non cederet ad honorem.

sed nihil a litigantibus.

282 Verum quia libertatem arguendi videtur amittere et amittit, qui ab eo accipit qui ideo dat ne corrigatur, præfatam licentiam locum habere nolumus in illis personis, qui in nostra Curia tunc temporis causas ducerent vel in brevi ducere sperarent (si tamen ad eorum pervenerit scientiam) licet essent consanguinei vel consiliarii, imo expresse prohibemus. Si quis autem in aliquo absque nostra expressa licentia, quam in scriptis per albaranum nostro sigillo sigillatum habeant, contra vel ultra formam prædictam receperit, et numero nostrorum debebitur Consiliariorum, et ultra nostro magis arbitrio punietur.

a *Chiffletius explicationis puto causa in margine scripsit* de muneribus.

De Salariis. ℞. VI.

Ne delegati judices

Qui recte judicant, et præmium pecuniariæ remunerationis expectant, fraudem quodammodo perpetrant; quia justitiam, quam gratis impertiri deberent, pecuniarum acceptione mercantur. Est enim omnium malorum occasio totiusque nequitiæ principium, cum a Judicibus tale a partibus suffragium accipitur, ut non dantis benevolentia, sed cupida recipientis avaritia, ex quantitate et modo recepti muneris, denotatur. Sane delegatis a Nobis Judicibus, qui nec a fisco nostro, nec alias de publico salaria capiunt, sed ex nostra delegatione munus subeunt judicandi, non decet omnino sine mercede laborem inire; sed magis convenit, ut eis tam moderatæ sportulæ a partibus ministrentur, ut attenta conditione causæ in judicium deducitur, gravamen non magnum ipsis litigantibus ingeratur.

omnino careant mercede laboris,

permittitur eis pecuniaria lite decisa,

283 Ordinamus igitur, sequentes consuetudinem in hoc antiquitus observatam, ut cum aliquam causam ex delegatione nostra alicui personæ judicandam committimus, per quam aliqua pecuniæ quantitas judicialiter ab aliquo postulatur; tunc delegatus judex, negotio cognito et finito, a partibus ipsis ambabus viii denarios, id est a parte qualibet tantummodo recipiat iv denarios, pro libra totius quantitatis quæ est in judicium deducta: sic tamen quod tota summa, quæ pro sportulis delegati judicii exigetur, etiam ab utraque partium, xl librarum monetæ regalium minutorum Majoricensium, in regno Majoricæ et in insulis eidem adjacentibus, non excedat; in Comitatibus vero nostris Rossilionis et Ceritaniæ et aliis ultra marinis usque ad xxxv libras monetæ Barcinonensis sportulas hujusmodi volumus posse ascendere non ultra.

accipere denarios per libram,

284 Volumus insuper; quod statim in ipsius litis exordio, hoc est cum bis fuerit contestata, ubi proceditur

A

ejusque 8, lite contestata

ceditur servato solito judiciorum ordine, vel ubi responsum est capitulis vel articulis vel alicui pro loco petitionis proponitur quando proceditur ex natura causæ, vel ex nostræ commissionis tenore, simpliciter et de plano, vel sine strepitu judicii et figura, vel alias sine scriptis et lite, tertia pars quantitatis hujus exigi possit a partibus, altera vero tertia tempore publicationis testium, residua vero tertia demum cum causa fuerit finaliter terminata. Si vero causa hujusmodi compositione amicabili, vel alias quam per diffinitivam sententiam finem sumat; tunc, si ante litem contestatam modis præmissis a judicio discedatur, nihil prorsus a partibus volumus exigi; si vero lite contestata hoc fiat antequam testes sint publicati, solum tertiam partem sportularum Judex ille recipere valeat et non ultra: si vero post publicationem ante sententiam, duas partes recipiat: si vero jam fuerit in causa conclusum, tunc integras sportulas possit exigere, licet nondum tulerit sententiam, cum nec a modo stet per eum quo minus sententiam ibi ferat. Si autem ita sit modica quantitas quæ petitur, quod sportulæ ab utraque parte exigendæ x solidos non ascendant; tunc Judex qui feret sententiam possit x solidos exigere et habere.

publicata et finita,

nisi interveniat compositio,

vel summa exigua sit.

B

In aliis rebus secundum earum æstimationem;

285 Cum vero alia res petitur, non pecunia numerata, utpote res qualiscumque immobilis sive soli, vel etiam mobilis, vel se movent, vel forte ejus aliquod incorporale; tunc respectu habito ad veram et rectam æstimationem rei ipsius, tantum recipiatur pro sportulis, quantum peti posset si æstimatio pecuniaria peteretur. Si autem possessorio agatur judicio, tunc medietatem sportularum quæ in causa proprietatis reciperetur, tantummodo recipiant delegati. Sed et ubi de modica re ageretur, caveant ne res ipsas æstiment immoderate, super quo ipsorum delegatorum Judicum conscientias oneramus. Si tamen in taxatione vel æstimatione salarii pars aliqua se gravatam reputaverit; Cancellarius noster debebit salarium æquo moderamine regulare. Si autem de libertate alicujus hominis agitur, utpote qui de servitute in libertatem provocet vel econtra, tunc facta æstimatione in tantum quantum ille valeret si vere servus esset et non plus, tantum recipiatur pro sportulis, quantum posset peti, si ejus pecuniaria æstimatio peteretur.

dimidium autem ex judicio possessorio.

C

Si solum incidens aliquod dijudicandum est,

286 Porro si ex speciali nostra commissione aliquis delegatus cognoscat de aliquo articulo, utpote quia causa principalis non est commissa; sed aliquis articulus committitur decidendus, utpote si commissum esse noscatur, an aliqua cautio sit præstita juste vel non; vel si agatur, an cautio aliqua casu sit præstanda vel non; et sic de similibus; tunc, si cognoscatur summarie et de plano, non exigatur pro sportulis ab utraque parte seu inter partes utrasque ultra x libras. Sed si causa brevis fuerit, et cognitio breviter expedita (maxime si de modica re vel inter modici status personas actum est) tunc volumus minus etiam pro sportulis recipi, et super hoc etiam recipientium conscientias oneramus, quod modum rationalem non excedant: et si aliqua per partem querimonia facta fuerit, Cancellarius noster excessum debeat moderari.

nil exigatur ultra 10 libras

et in appellatione non ultra dimidium,

287 Insuper etiam in causis appellationum sic ducimus ordinandum: quod si partes causam appellationis velint justificare vel impugnare ex actis prioris judicii; sic quod nulla productio testium vel instrumentorum facta fuerit de novo; eo casu volumus, quod ultra medietatem ejus quod in causa principali est præstitum, non possit extendi tota quantitas sportularum. Idem etiam observari volumus si producantur instrumenta modica et brevia, et quæ magna examinatione non indigent; alias si essent plura et quæ magna examinatione et labore inspici et videri haberent, tunc volumus quod ad arbitrium Cancellarii possint augeri pro labore sportulæ: sic tamen quod quantitatem, supra in causa principali taxatam aliquatenus non excedant. At vero si in causa appellationis fiat nova productio testium, vel producantur aliquis vel aliqui processus ad probationem, forte ultra processum principalem causæ, tunc salarium seu quantitas sportularum possit ad majorem summam ascendere, scilicet usque ad quantitatem superius expressatam.

D

nisi nova et magna accedant,

aut novi testes producantur.

288 Sane quia in causis criminalibus, ubi de pœna mortis vel menbri abscissionis corporali infligenda agitur, quandoque contingit excessum fieri in sportularum exactione, ab ipsis judicibus delegatis; volumus quod si bona personæ delatæ de crimine sint modica, utpote quia usque ad centum libras valoris in bonis habeant tantummodo; tunc centum solidi ab illa possint exigi et non ultra: et si a centum libris usque ad ducentas in bonis habeant, peti possint ad plus decem libræ: si vero in bonis habeat ultra ducentas libras, tunc salarium integrum peti possit: salvo tamen quod in causis appellationis, in criminalibus causis servetur quod in causa civili est superius ordinatum; ut, si non fiat aliqua productio, salarium minuatur in dimidia; vel augmentetur usque ad medium legitimum, secundum modum productionis factæ in causa hujusmodi vel laboris. Ubi vero ageretur de infligenda pœna aliqua modica, utpote relegationis vel simili, tunc etiam minuantur sportulæ in dimidia ejus quod pro magna et corporali pœna recipi consuevit. At vero si de pœna bonorum vel alia pœna pecuniaria infligenda agatur, tunc ad ipsam pecuniam habeatur ratio in sportularum exactione, ac si aliud debitum pecuniarium peteretur, ut servetur id quod est superius in talibus ordinatum.

In causis criminalibus

E

secundum facultates condemnati,

et rationem inflictæ pœnæ, exigatur salarium.

289 In exactionibus vero sportularum, pro relationibus coram Nobis faciendis, sic ducimus ordinandum: quod si ad alicujus supplicationem vel instantiam dicentis, forsitan aliquid factum esse in ejus præjudicium contra privilegia vel litteras a Nobis vel a nostris prædecessoribus concessas; ipsa privilegia vel litteras videri mandamus et perlegi, Nobisque relationem fieri de illorum tenore eo casu ordinamus; et volumus quod Cancellarius noster ad id teneri debeat ex suo officio, cum de talibus agatur litteris; quæ de nostra Cancellaria aliquando emanarunt: quodque illa videat et perlegat, Nobisque fideliter referat, nullis habitis inde sportulis, nec exactis quibuscumque salariis vel servitiis a parte vel partibus; nec petitis directe vel indirecte, per se vel per alium, nec receptis.

Simplex cognitio Privilegii Regii,

committitur Cancellario facienda gratia.

F

290 Si vero aliqua instrumenta vel litteræ qualescumque, productæ coram Nobis vel alias ex quacumque causa, de mandato nostro vel Cancellarii nostri, commendantur alicui de Consilio nostro videnda et perlegenda, ut sic de eorum tenore relationem faciat coram Nobis, ad nostram forte vel Consilii nostri informationem super aliquo facto, ad finem quod melius simus instructi, quid agere in tali negotio debeamus; ita quod solum committatur visio instrumentorum et litterarum, et relatio de tenore illorum tantummodo facienda; tunc sive unum sit sive plura instrumenta, ille de Consilio vel alius, cui commissum fuerit hoc, nihil prorsus exigat hac de causa, nec alias quovis modo occasione illa recipiat a parte vel a partibus, quas hoc tangit.

etiam cum relatio de eo facienda erit Regi.

291 Sane si aliquando processum, factum coram aliquo Judice subdito nostro, vel alio, alicui de nostro Consilio videndum commiserimus, ad finem

Pro revidendo processu informativo

A nem quod super illo coram nobis ordinetur, quid secundum justitiam fuerit faciendum ; tunc si ille processus solum contineat aliquam informationem, factam ex officio, solennitate judicii non servata, vel non auditis rationibus et allegationibus partium ad plenum ; tunc a parte, quæ hoc requisiverit faciendum, solummodo recipi volumus centum solidos, et non ultra. At vero si processus ille completus fuerit, et partium rationes plene auditæ et allegationes hinc inde ; tunc possint tantummodo recipi x libræ. Salvo tamen, quod si processus esset nimis longus, forte propter longas et diffusas attestationes testium, vel alias propter multimodos anfractus litigiorum ; tunc si ad notitiam Cancellarii visum fuerit, quod plus pro laboris multitudine debeatur ; volumus quod augeri possit per Cancellarium in centum solidos, sic quod plus xv librarum pro tota relatione tantummodo peti possint.

indulgentur 100 solidi : aut si res prolixior fuerit 15 libræ,

292 Porro si processus sint plures, ad eamdem decisionem tendentes, super quibus relatio est facienda ; siquidem in omnibus si processuum, partium forte allegationibus non auditis, x libræ recipiantur B tantummodo : si vero sint plures processus, in quibus et ad plenum allegationes partium auditæ fuerint, tunc ad plus xv libræ recipiantur. Si tamen vel propter multitudinem attestationum, vel alias propter laboris magnitudinem videatur Cancellario plus deberi, eo casu ipse Cancellarius possit in centum solidos tantum salarium augmentare.

nisi plures processus simul jungantur

293 Hæc autem præmissa observari volumus, quando de processibus alibi factis, vel coram aliis judicibus erit relatio facienda : si enim causa coram ipsis de Consilio nostro ventilata fuerit, circa exactionem sportularum nihil intendimus immutare ; quin servetur et tantum recipiatur pro sportulis, quantum si causa esset per eumdem sententialiter terminata. Item cum aliquando, supplicatione Nobis porrecta per aliquem, mandamus alicui de Consilio nostro, quod se informet super facto in supplicatione contento, vel quomodolibet tangente illud ; atque nobis referat ad finem, quod tutius est magis deliberate respondemus ad ea quæ fuerunt in ipsa supplicatione petita ; tunc volumus etiam et mandamus, nihil recipi aliqua occasione, pro informatione hujusmodi facienda. Hujus autem Constitutionis transgressores, et ad salarium debitum, cum hoc quod ultra receperint, restituendum compellantur, C et a Consilio nostro vel officio cujuscumque [gradus] merito delebuntur.

Alii item casus, quibus nihil recipiendum decernitur.

De modo scribendi litteras ad diversas personas. ℟. V.

Quoniam in scribendis litteris quæ per Nos ad diversas diversique status personas, ex causis diversis et variis, undique transmittuntur, est modus conveniens observandus ; videlicet tam in ordine præmittendi præponendive personas, tam etiam in forma seu titulo cognominandi easdem, nec non et in salutatione subscribenda, secundum gradum et statum varium earumdem ; ut videlicet illius, cui litteræ diriguntur, honor non minuatur in aliquo juxta exigentiam sui status, nostrique status decentia per omnia conservetur ; ideo ne per ignorantiam vel alias ex scriptornm imperitia ipsos in talibus errare contingat ; ordinamus et volumus quod in Cancellaria nostra circa modum scribendi, servetur forma in subsequentibus annotata.

Ne cujusquam honori aliquid detrahatur,

Quæ personæ præmitti debeant. ℟. VI.

Cum igitur litteras dirigemus Domino Papæ, vel alicui Cardinali, vel Patriarchæ, vel Archiepiscopo, D vel Primati ; nec non etiam cum scribemus Imperatori, vel alicui Regi vel Duci perpetuo, et qui per successionem ducatus fungitur dignitate, vel alicui fratri vel filio Regis, qui tamen de alia quam de nostra domo Regali processerit ; vel etiam cum scribemus Magistro generali Ordinis militiæ hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, vel ejusdem Ordinis Conventui ultramarino seu Capitulo generali : quibus propter honorem militarem et potentiam Ordinis in hoc deferre volumus ; omnes præmissas personas in litteris quas mittemus eisdem, volumus antescribi.

definitur quæ personæ in litteris scribendis præponi,

Quæ personæ postponi debeant. ℟. VII

At vero cum alicui personæ alii a prædictis scribere nos continget ; utpote Episcopis, Abbatibus, Prioribus, seu quibuscumque inferioris gradus personis, vel etiam Magistris Generalibus Ordinum quorumcumque (excepto Magistro militiæ Hospitalis S. Joannis prædicto) vel etiam si scribamus aliis quibuscumque, Capitulis etiam generalibus Ecclesiarum vel Ordinum, vel etiam quibusvis ecclesiasticis personis, aliis a prædictis superius nominatis ; E nec non etiam in litteris quas mittemus Comitibus, Marchionibus, vel Delfinis, seu etiam Duci Venetiarum, qui Ducatum habet temporaliter et ad vitam; et aliis quibuscumque gradus inferioris personis, secularibus vel regularibus, militaribus vel plebeis, ac etiam si scribamus alicui Communitati seu Universitati cujusvis civitatis vel loci alterius semper in litteris quas mittemus nomen nostrum volumus anteponi ; nisi forte in aliqua ex præmissis personis aliqua ratio specialis concurrerit, propter quam esset merito præponenda ; ut puta si fratres vel filii Regum fuerint (ut est dictum) dummodo de alia quam de nostra Regia domo processerint ; illos enim postponi volumus qui nostra Regia domo processerint vel procedent. Insuper etiamsi Marchio aliquis, vel Comes, vel Delfinus, vel similes tantæ potentiæ fuerint, quod notabiliter alios sui gradus excedant : ipsosque in litteris quas scribemus eisdem volumus anteponi. Sane cum scribemus alicui Dominæ servetur idem modus, qui servaretur si earum maritis litteras mitteremus.

quæ postponi debeant nomini Regis.

Quomodo debet scribi diversis personis secundum gradum cujuslibet ; et primo de iis qui in litteris præponuntur ℟. VIII.

F In modo et titulo scribendi et cognominandi personam, cui mittuntur litteræ, multum est status et conditio attendenda ; ideoque decernimus, servari formam in inferioribus ordinatam.

Forma inscriptionis facienda,

Domino Papæ scribendum est per hunc modum.

297 Sanctissimo et Beatissimo in Christo Patri Domino Benedicto *a*, digna Dei providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici, devotus ejus filius Jacobus Rex Majoricensis pedum oscula beatorum.

a Papæ

De modo scribendi Cardinalibus.

298 Sciendum est quod inter Cardinales, [quidam Presbyteri], quidam Diaconi; unde in scribendo eisdem notanda est differentia aliqualis.

Episcopis Cardinalibus scribitur per hunc modum.

299 Reverendo in Christo Patri Domino *b* Petro Dei gratia Episcopo Prænestino, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Jacobus eadem gratia Rex

b Cardinali Episcopo,

Rex Majoricensis, salutem cum prosperitate votiva gratiæ salutaris, vel salutem et successus felicium gaudiorum, vel Salutem cum plenitudine gratiæ vel Salutem et longævis honoribus in Domino prosperari vel Salutem et felicia gratiæ incrementa.

Presbyteris vero Cardinalibus scribitur per hunc modum.

300 Reverendo in Christo Patri Domino T. *c* Dei gratia tit. S. Petri ad vincula Presbytero Cardinali, Jacobus eadem gratia Rex Majoricensis, Salutem, etc. ut supra de Episcopis Cardinalibus.

Diaconis Cardinalibus semper scribitur per hunc modum.

301 Reverendo in Christo Patri Domino N. *d* Dei gratia S. Adriani Diacono Cardinali, Jacobus etc. ut supra in aliis Cardinalibus.

Sacro vero Collegio Cardinalium scribitur per hunc modum.

302 Reverendis in Christo Patribus, Sacro Collegio Dominorum Cardinalium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, specialibus amicis ac benevolis nostris, Jacobus Dei gratia Rex Majoricensis, Salutem ut supra de Cardinalibus.

Patriarchis autem scribitur per hunc modum.

303 Reverendo in Christo Patri D. *e* Dei gratia Sanctæ Alexandrinæ Ecclesiæ Patriarchæ, Jacobus eadem Gratia Rex Majoricensis, Salutem in vero salutis auctore vel Salutem et sinceram in Domino caritatem vel Salutem et donum gratiæ salutaris vel Salutem in plenitudine gratiarum,

Primatibus autem sic scribitur.

304 Reverendo in Christo Patri Domino G. *f* Dei gratia Cantuariensi Archiepiscopo Angliæque Primati. Jacobus etc. ut supra de Patriarchis.

Archiepiscopis non Primatibus (g) *per hunc modum.*

305 Reverendo in Christo Patri Domino B. *h* Dei gratia Archiepiscopo Narbonensi Jacobus eadem Dei gratia etc. ut supra de Patriarchis.

Si vero Archiepiscopus cui scribitur teneat aliquid in feudum a Nobis scribatur sic.

306 Reverendo in Christo Patri A. *i* Dei gratia Tarraconensi Archiepiscopo, amico et Fideli nostro Jacobus etc. ut supra de aliis.

Magistro vero Ordinis hospitalis S. Joannis, qui etiam præmittitur in litteris scribetur sic

307 Honorabili ac religioso viro Fratri Fulconi *k*, Magistro Ordinis militiæ Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, Jacobus etc. ut supra in Patriarchis vel Honorabili ac religioso viro Fratri F. sacræ domus hospitalis S. Joannis Hierosolymitanis Magistro etc. Jacobus etc. ut supra,

Cum autem scribere Imperatori vel Regi alicui Christiano scribetur sic.

308 Serenissimo Principi vel Magnifico vel Excellenti Domino P. *l* Dei gratia Aragoniæ Regi illustri, Jacobus, eadem gratiæ Rex Majoricensis, Salutem et prosperorum successuum incrementa, vel Salutem ac prosperos ad vota successus, vel Salutem votivis successibus cumulatam, vel Salutem magnificis honoribus prosperari.

Per eumdem modum scribitur Reginis, facta mutatione in feminino, ut sic.

309 Serenissimæ vel Excellent. Principissæ Dominæ N. *m* Dei gratia Reginæ etc.

Si vero Rex, cui scribitur, sit nobis conjunctus aliqualiter parentela, tunc post verbum Aragoniæ Regi illustri, addetur.

310 Carissimo consanguineo nostro etc.

Regibus vero Saracenis scribitur in lingua materna, ut melius legantur eisdem per mercatores vel alios laicos quæ in litteris continentur.

311 Alt molt Alt e excellent Princep, Albubequier Rey de Maroc, de Nos En Jacob per la gratia, de Deu, Rey de Malorch, saluts axi, com a Rey per qui volem honor e multa bonaventura *n*.

Filiis vero Regum primogenitis scribitur in hunc modum (o).

312 Magnifico viro Domino Philippo *p*, Domini Regis Franciæ illustris primogenito Jacobus Rex Majoricensis etc. ut in Regibus est dictum; vel scribetur: Egregio et Magnifico viro etc. Item sciendum est, quod filiis Regum omnium qui sunt de Regibus Hispaniæ, ut puta Aragoniæ, Castellæ, Portugalliæ, scribitur. Domino Infanti Ferrando, Domini Regis Aragonum primogenito etc. Aliis autem filiis Regum, scilicet Franciæ vel Angliæ et aliorum Regum mundi non consuevit scribi, Infanti, sed simpliciter, Domino etc.

313 Si autem essent filii Regum non primogeniti, tunc scribetur eis sic: Inclito Domino Infanti P. *q* illustris Domini Regis Aragoniæ filio Jacobus Rex Majoricensis Salutem, ut supra in aliis. Si tamen essent filii Regis defuncti adderetur in scribendo sic: Illustris Domini Regis Aragonum bonæ memoriæ filio etc. Semper tamen est attendendum, quod non scribatur Infanti, nisi filiis illorum Regum, de quibus est fieri consuetum, ut supra dictum est.

314 Si autem sunt fratres alicujus Regis quorum pater non fuit Rex, scribetur sic: Inclito viro Domino Carolo *r*, Illustris Domini Regis Francorum germano, Jacobus etc. ut in aliis. Advertendum tamen est, quod ultra præmissum titulum addatur titulus Ducatus vel Comitatus, vel alius titulus, si habent illi quibus scribitur.

315 Sane cum scribemus litteras alicui Duci, vel forte alicui Comiti, vel Marchioni vel Delfino potenti: quod ipsum velimus præmittere in litteris, secundum illa quæ sunt per nos superius ordinata, tunc etiam scribetur illis per modum suprascriptum sic: Magnifico viro Domino Ludovico, *s* Duci Borbonii Jacobus etc. ut supra.

316 Ulterius videndum de modo scribendi illis personis, quæ sunt postponendæ nobis in litteris, secundum ea quæ sunt superius ordinata; et primo de Episcopis qui sunt extra regnum vel terras nostras, scribetur sic: Jacobus Dei gratia Rex Majoricensis etc. venerabili in Christo Patri G. *t* Episcopo Biterrensi, salutem et sinceram in Domino caritatem vel Salutem in actore salutis.

317 Si vero sit Episcopus in regno vel terris nostris, vel alius Episcopus qui tamen a Nobis aliquid infeudum teneat, scribetur ei in hunc modum. Jacobus Dei gratia Rex etc. Venerabili in Christo Patri G. Elnenensi *u* Episcopo, amabili et fideli nostro

A nostro Salutem etc. ut supra, vel Salutem et dilectionis affectum vel Salutem et dilectionis sinceritatem.

Abbates, 318 Abbatibus vero qui sunt Caput alicujus Ordinis, ut Cluniacensi vel Cisterciensi, vel qui alias sunt magni nominis ; notabiliter propter nobilitatem suorum ministeriorum, scribetur sic : Jacobus etc. Venerabili in Christo Patri Fratri P. *x* Abbati Cluniacensi, Salutem etc, ut in Episcopis qui non sunt de regno nostro, supra scriptum est.

319 Aliis vero Abbatibus scribetur simpliciter [Fratri], et non Patri, in hunc modum videlicet Jacobus etc. Venerabili Fratri G. Abbati Crassensi *y* Salutem, ut supra de Episcopis.

320 Si autem sint Abbates de regno vel terris nostris, aut alias pro Nobis feudum teneant, addetur sic Jacobus Dei gratia etc. Venerabili Fratri B. Abbati Arularum *z*, dilecto et fideli nostro Salutem et dilectionem.

Priores, 321 Prioribus autem regularibus scribetur sic Jacobus etc. Religioso Fratri B. Priori monasterii de Asprano Salutem et dilectionem. Si autem a Nobis aliquid in feudum teneat, addetur post titulum Prioratus sui, Dilecto et fideli nostro etc.

Clerici, 322 Si vero scribatur alicui Clerico seculari, in B dignitate aliqua constituto, utopte Decano, Archidiacono, vel simili (si tamen habeat extra terras nostras dignitatem illam) scribetur, Jacobus etc. Venerabili viro P. Archidiacono Narbonensi Salutem et dilectionem sinceram. Aliis autem qui habent infra terras nostras dignitatem, subsiletur tantummodo, Salutem et dilectionem. Item non scribetur, Viro ; sed simpliciter ; Venerabili G. Archidiacono Elnenensi.

323 Si autem est scribendum alicui alii Clerico simplici, vel alicui cuicumque non habenti dignitatem, scribetur sic. Jacobus etc. dilecto R. Canonico Urgellensi, Salutem et dilectionem.

Generales Ordinis, Equestris 324 Item si est scribendum alicui Magistro generali Ordinis militaris, tunc scribatur in hunc modum. Jacobus etc. Venerabili et Religioso Fratri P. Magistro Ordinis militiæ Calatravensis, *α* Salutem etc. ut in Episcopis.

vel mendicantis Ordinis, 325 Sed si sit scribendum Generalibus Ministris vel Magistris alicujus Ordinis mendicantis vel aliis qui non sunt Abbates, sed forte Priores generales alicujus Ordinis cujuscumque, tunc scribetur sic C Jacobus etc. Venerabili ac religioso Patri Fratri Geraldo *β* Ordinis Fratrum Minori generali Ministro ; vel Fratri Hugoni *γ* Ordinis Prædicatorum generali Magistro Salutem etc. ut supra de Episcopis.

Provinciales etc. 326 Prioribus autem Provincialibus et aliis inferioribus, vel etiam Prioribus et aliis Præceptoribus, Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani scribatur similiter. Jacobus etc. Religioso viro Fratri etc, Salutem etc. ut in Abbatibus, servato aliqualiter gradu eorum quibus scribitur.

Capitula Regularia 327 Capitulis vero generalibus et provincialibus Religiosorum scribitur Jacobus etc. Venerabilibus et religiosis viris Fratribus, Capitulo generali Ordinis Prædicatorum etc. ut in Abbatibus.

vel Cathedralia, 328 Capitulis vero Ecclesiarum Cathedralium extra terras nostras scribitur : Jacobus etc. Venerabilibus viris Capitulo Ecclesiæ Narbonensis Salutem etc. ut supra in Episcopis. Capitulis vero Cathedralium Ecclesiarum, quæ sunt in terris nostris, scribitur sic : Jacobus etc. Prudentibus viris, dilectis nostris, Capitulo Majoricensi, Salutem et dilectionem sinceram.

aut Collegialia. 329 Si autem scribatur Capitulis alicujus Ecclesiæ Collegiatæ secularis, scribatur : Jacobus etc. Discretis viris capitulo Ecclesiæ S. Pauli Narbonensis Salutem et dilectionem. Si autem alicui Con- D ventui cujuscumque Religionis scribatur, dicetur sic : Jacobus etc. Religiosis Fratribus Conventui monasterii etc.

330 Sed si essent Ecclesiæ Cathedrales non scribetur Conventui, sed Capitulo Ecclesiæ Terragonensis etc. ut dictum est supra de Capitulis Ecclesiarum Cathedralium.

Marchioni Comiti etc. 331 Insuper autem cum scribemus alicui Marchioni, vel Comiti, vel Duci Venetiarum *δ*, qui temporalis est ; vel Vice-comiti, vel Baroni non subditis nostris, scribetur sic Jacobus etc. Nobili viro Gastoni Comiti Fuxi *ε*, vel G. Marchioni Montis-ferrati *ϛ* vel Amalrico *ζ* Vice-comiti Narbonensi vel Joanni de Leuis Domino Mirapeis *γ* salutem et dilectionem sinceram. vel Sinceræ dilectionis affectum.

Nobili subdito 332 Si autem sint subditi vel vassalli nostri scribetur sic : Jacobus etc. Nobili R. Vicecomiti de Caneto *ϑ*, devoto et fideli nostro : vel Dilecto et fideli nostro, salutem etc. ut supra proxime.

vel non subdito, 333 Aliis autem generosis personis non subditis, qui Barones non fuerint, scribetur sic Jacobus etc. Dilecto nostro P. de Petra pertusæ *ι*, Militi Domino.... loci Salutem etc. ut supra.

334 Si autem sunt subditi vel vassalli nostri scri- E betur : Jacobus etc. dilecto et fideli nostro etc. salutem et dilectionem.

Officiali majori, 335 Cum vero scribitur Senescallo *x* alicujus Regis vel alicui Majori vel simili Officiali, utpote Rectori Venerabilis Domini *λ* pro Domino Papa, scribitur : Jacobus etc. Nobili viro R. Senescallo Carcassone pro Domino Rege Francorum, salutem et dilectionem sinceram, vel Sinceræ dilectionis affectum.

vel minori, 336 Aliis autem Officialibus aliorum Principum, qui tamen generosi sunt, vel etiam quibuscumque Consiliariis aliorum Regum, qui tamen Barones non sunt, licet etiam non essent nobiles genere, scribitur : Jacobus etc. dilecto nostro etc. Salutem etc. : ut supra proxime : vel si esset personna nobilis scribitur : Prudenti viro dilecto nostro etc.

Communitati integræ 337 Quando autem scribimus alicui magnæ Communitati, Nobis non subditæ, scribetur : Jacobus etc. prudentibus et discretis viris Communitati et Populo civitatis Genariæ *μ* Secundum tamen diversitatem terrarum diversimode scribitur. Quibusdam enim scribitur, Consulibus et Universitati ; quando- F que, Probis hominibus et Universitati ; quandoque, Juratis et Universitati ; quandoque Civibus et Populo . unde circa hoc servetur quod fuerit consuetum, Salutem etc. ut in Baronibus supra proxime.

vel ejus Prætori 338 Quando autem scribitur Potestati vel Capitaneo alicujus civitatis, si est magna et multum insignis scribetur : Jacobus etc. Nobili viro P. *ν* Potestati civitatis Florentinæ, Salutem etc. ut in Baronibus supra proxime. Si est autem civitatis mediocris, scribetur Jacobus etc. Venerabili viro etc

339 Item quando scribemus Consulibus vel Juratis alicujus Universitatis Nobis subditæ, scribetur sic, Jacobus etc. fidelibus nostris Juratis civitatis Majoricensis vel Consulibus villæ nostræ de Perpiniano, Salutem et gratiam.

et officialibus subditis. 340 Item quando scribemus alicui Officiali nostro, siquidem est generosa persona vel si est de Consilio nostro, licet non sit alias generosus, scribetur sic, Jacobus etc. dilecto et fideli nostro Consiliario, salutem et dilectionem. Si autem est Officialis noster non generosus, vel alius quicumque noster *aut privatis.* subditus, non generosus, scribetur ei tantummodo Jacobus etc. fideli nostro salutem et gratiam. Quando autem alicui Consiliario vel Officiali nostro vel de domo nostra, licet non sit de terris nostris, vel

vel feudum a Nobis non teneat, semper scribatur, Fideli. In aliis servatur forma prædicta, Filiis et Fratribus Regum, a domo nostra alienis, exceptis.

ANNOTATA D. P.

a Benedictus XII *sedit ab an.* 1334 *ad* 1342. *Quæ autem sequuntur omnia scripta quidem sunt rubrica, prout hic Italico charactere exprimuntur, sed ita ut nunc addatur signum* R. *nunc omittatur, ac denique prorsus negligatur; æque ac titulus cujusque Paragraphi littera rubra scribendus. Quapropter placet omnia prosequi sub uno unius rubricæ titulo, interpositis iis qui inveniuntur titulis, et quatenus inveniuntur.*

b Petrus a Prato Cardinalis *creatus an.* 1320 *mox* Cancellarius S.R.E *deinde* Episcopus Prænestinus, *hic præ aliis nominatur, quia Regiæ epistolæ potissimum spectare debebant Ecclesiæ Cancellarium; quod ille tunc erat, cum Leges hæc condebantur, et fuit usque ad an.* 1361.

c Talairandus *hic, est Cardinalis creatus* 1331 25 *Maji, in gradu Presbyteri etiam Cardinalis constitit usque ad* 1348, *quando factus fuit Episcopus Albanensis.*

d Neapoleo Ursinus, *jam inde a tempore Nicolai IV et anno* 1288 *Diaconus Cardinalis, totos* 60 *annos in eo gradu vixit, septem Pontificum electionibus præsens, usque ad* 1347.

e *Titularis solum Patriarcha fuerit hic* D. Alexandrinus, *cujus integrum nomen et ætatem suggerat qui potest. Possem si quis ex Registris Vaticanis vellet Patriarchas Latinos titulares colligere, mihique subministrare, addendos Græcorum Patriarcharum Catalogis; quorum Hierosolymitanos jam dudum paratos habet et Alexandrinos, Antiochenos et Constantinopolitanos suo tempore collecturus: sed absque titularibus illis; qui post amissum ultimo ac denuo Urbis Constantinopolitanæ Imperium, Latinis ereptum, instituti cœpti; non aliunde quam ex Pontificiarum litterarum regesto erui possent nec nisi labore infinito.*

f *Archiepiscopus* Cantuariensis *ab anno* 1333 *ad* 1348 *fuit* Joannes Statford : *oportet igitur ut concipiamus* Joannis *nomen ea ætate saltem in Catalaunia scriptum fuisse per* G, *sicut hodiedum Italis scribitur* Giovanni, *Jacobus* Giacomo; *ac venerabile nomen* Jesus, Giesu. *Certe toto* 14 *seculo usque ad annum* 67 *nemo Ecclesiæ isti præfuit, cujus nomen inchoaretur a* G.

g *Sic habet authentica post facta correctio primitus legebatur,* Archiepiscopis non Primatibus, non scribitur Domino, sed sic.

h Bernardus de Fargis, *Clementis V propinquus, ad Narbonensem Metropolim promotus fuit an.* 1331, *eamque tenuit ad* 1340.

i *Tamayus de Salazar, ad diem* V *Julii in suo Hisp. Martyrologio, Catalogum texit Antistitum Tarraconensium et ab anno* 1315 *ad* 1318 *nominat* D. Eximinium *sui primum et hactenus unicum :* Aximinus *fortassis scribebatur eo loco et ætate : nam præter Eximinii decessorem nullus* G. *invenitur Tarracone in dicto Catalogo. Interim* Eximius *quidam* Aucensis *in Hispania Tarraconensi* Episcopus *invenitur, anno* 1063, *in Concilio* Mantuano; *et diminutiva nominis terminatione* Eximinus de Aymar Archidiaconus mensæ in Ecclesia Pampelonensi, *anno* 1425 *præsens Concilio Constantiensi.*

k *Præfuit* Fulco de Villarete, *Magister Hospitalis, ab an.* 1308. *Hunc Bosius in Historia Ordinis renuntiasse dicit an.* 1323 *et recitat Epitaphium in quo dicitur obiisse* anno Domini 1327 prima Septembris : *ubi suspicari posset typothetico errore irrepsisse* 2 *pro* 3, *adeoque adhuc in vivis fuisse Fulconem cum hæc scriberentur, et quamvis deposito relictum titulum. Nam quis credat Jacobo Regi Majoricarum ignotam fuisse Electionem* Elionis de Villa-nova? *Nodum aliter solvat qui potest.*

l Petro *utique* IV, *qui patri Alfonso recenter successerat.*

m *Habuit Petrus, post duas Leonoras, (alteram Petri Siciliæ Regis, alteram Alfonsi Lusitani filiam) uxorem tertiam* Mariam Navarræam, *teste Antonio Albizio in Stemmatis Principum.*

n *Id est* Admodum sublimi et excellenti Principi Albubequerio Regi Marocci, a Nobis, Don Jacobo per gratiam Dei, Rege, Majoricæ, Salus sit; tamquam Regi cui volumus honorem et multam felicitatem : *ubi vides Aragoniis* En *esse appellationem honoris, qualis Castellanis aliisque Hispanis est* Don : *de isto Marocci Rege tunc potero reddere rationem, cum ejus regni historiam vel saltem seriem Regum invenero.*

o *Posthac reliqua tota Rubrica nihil amplius minio scriptum invenitur, sed atro colore omnia : solaque distinctionem facit initialis littera elegantius picta.*

p Philippus, *Caroli Comitis Valesii filius defuncto sine liberis masculis Carolo IV, jure proximitatis successit, an.* 1328, *annos natus* 36; *adeoque annorum erat* 22 *quando secundum Sammarthanos; sub an.* 1313 *sponsam accepit Joannam, filiam Roberti II Burgundiæ Ducis, mortui anno* 1309, *Labbeus in tabulis Genealogicis vivente adhuc Roberto contractum matrimonium supponit, cum ejus primogenitum Joannem II, deinde Regem, mortuum* 1364, *dicit vixisse annis* 55 *nondum plene exactis, et natum* 1309. *Ut ut est, nullum is Philippum genuisse scitur ex historia Franciæ ante annum* 1336. *Ut omnino de hoc* Joanne *etiam dicendum videatur quod de Philippi V filio primogenito* Joanne *in cunis fere mortuo dixit idem Labbeus;* Philippum *quoque nominatum fuisse.*

q *Gravior hic prioribus nodus est; nam* Petrus, *cum hæc scriberentur Aragoniæ Rex, juvenis et primum matrimonio junctus, nullos adhuc liberos habebat : quem autem deinde habuit primogenitum, vocatus est Joannes. Nec fratrem idem Petrus habuit seniorem se* Ferdinandum, *sed Juniorem, quem deinde ipsemet occidit an.* 1358. *Quidni tamen ex Petro et Maria natus primo conjugio anno* Ferdinandus *aliquis puer obierit, qui cum victurus diu speraretur, hic per prolepsim* vir *intitulandus præscribatur.*

q *Nec tamen filium cujus nomen inchoaretur, a* P. *habuit postea Petrus Rex; sed cum hæc scribantur in futurum, potuit Jacobus præsumpsisse, eum qui secundus post jam natum Ferdinandum nasceretur, aut alium juniorem, nomine Patris appellatum iri* Petrum.

r Carolus Valesius, Comes Alensonii, *frater Philippi VI, prænominati, mortuus in pugna Creciacensi anno* 1346.

s Ludovicus, *S. Ludovici ex sextogenito Roberto nepos, vixit usque ad an.* 1342. *Exhinc porro non pingitur littera initialis cujusque articuli : sed nominis regii prima littera* I *elegantius pingitur usque ad finem hujus prolixioris Rubricæ.*

t Guilielmus, *Episc. Biterrensis ab an.* 1316 *ad* 1349.

u Helena *vulgo* Elna, *cujus Episcopatus anno* 1604 *Perpinianum translatus est. Episcoporum Catalogum necdum reperi, unde sciam,* Guilielmus *an* Gerardus, *vel simili nomine alio dictus fuerit is, de quo hic agitur.*

x Petrus II de Chaslus, *Ab. Cluniacensis apud Sammarthanos ab an.* 1322 *ad* 1342.

y Grassa, *inter Narbonam et Carcassonam Ord. Benedictini, habuit anno* 1317 Guilielmum *Abbatem, et anno* 1340 Guidonem. *Sammarthani pro anno* 1336 *interjiciunt* Nicolaum : *et hic jam inde ab anno* 1330

Archiepiscopus

A *Archiepiscopus Rotomagensis, ut summum potuit habuisse Abbatiam, mortuo Gulielmo, ad breve tempus commendatam, prius quam* Guido *institueretur.*

z Arularum *Abbatiam ejusque Abbates ubi inveniam necdum scio, uti nec sequens monasterium* Aspiranense.

α *Franciscus Carus de Torres, in Historia trium Ordinum cap.* 37 *et* 39 *nullum alium hoc tempore agnoscit Calatravæ Magistrum qui super inductus sit Garcia Lopez de Padilla jam seni post infelicem pugnam circa Baenam contra Mauros Granatenses, circa an.* 1320 *aut* 1330 *et Magisterium tenuerit, usque ad an.* 1355, *ut secundum illum nulli P. locus sit, nisi forte in schismate, isque ignotus Marianæ lib.* 16 *cap.* 14 *de illo agenti, aliisque.*

β Gerardus Odonis, *an.* 1329 *in Capitulo Generali Parisiis creatus, et anno* 1342 *ad Patriarchatum Antiochenum promotus Vicarium assumpsit, juxta Waddingum.*

γ Hugo Gallicus, *electus an* 1333, *præfecturam tenuit usque ad* 1341, *Magister* 17; *teste Leandro Alberto lib.* 1 *de Viris illustr.*

δ *Anno* 1336 Andreas Dandalus *Dux creatus, fœdus init cum Aragoniis : Hic autem quomodo dicitur* B temporalis? *Credo quia ad Senatus arbitrium amovibilis : alias ad mortem usque solent Veneti Magistratum istum continuare.*

ε Fuxi *Comitatus in Occitania, haud procul a Pyrenæis, a castro suo præcipuo nomen habet. Comitum seriem necdum reperi,*

ς *Montisferrati sub alpibus Italicis Marchionatus juxta Pedemontium, ad Palæologos Constantinopolitanos devolutus, per ultimæ heredis Yolandæ matrimonium cum Andronico Palæologo seniore, dicitur usque ad annum* 1338 *fuisse penes illorum filium Theodorum Palæologum ; cui Joannes Palæologus succedens, vixerit usque ad* 1371 ; *sed quid si Yolanda post viri mortem an.* 1325 *obitum, vidua, et usque ad* 1341 *superstes, secundas nuptias cum aliquo G contraxerit, qui etiam uxorio jure Marchio dicebatur ?*

ς Aimbricus VII *Vicecomes, Narbonensis ab an.* 1325 *ad* 1336 *successorem habuit filium suum* Aimdricum IV, *qui vixit usque* 1341.

η Mirapisca, *alias* Mirapinaca, *vulgo* Mirapoix, *civitas Episcopalis Occitaniæ sub Archiep. Tolosano est.*

θ Canetum *Italiæ oppidum, inter Mantuam et Cremonam.*

ι *Vulgo* Pierre-pertui.

C κ Senescallus, *seu* Senescalcus, *familiæ præpositus, a Teutonico* Sen, Sin, *cum præpositione collectiva* Ghesin, *atque composite* Huysghesin *domus, familia ; adeo ut quoad etymon nihil differat ab Œconomo, alias Majore domus, quod et Cangius probat.*

λ Vindoscinus Comitatus, *le Venaisin dictus a* Vindasca, *Venasque ; una cum Comitatu Avenionensi a Joanna Neapolitana Pontifici venditus dicitur an.* 1348 : *sed hunc suadetur antiquiorem cum possessionem esse.*

μ Cenariam civitatem *nullam novimus, sed scriptum suspicamur pro* Senarum *quæ olim cum Florentina de primatu Hetruriæ certabat, hac multo antiquior.*

ν *Semestris hic Magistratus, quem anno* 1337 *ineunte suscepit* Nicolaus della Serra *Eugubinus (nam moris erat Jurisperitos clariores ad id aliunde peti) quis autem pro altero semestri, successerit non distincte reperio : suspicor quod* Petrus Tarlati *Aretinus, cujus fortitudine et industria factum erat, ut Aretium Florentinis se subjiceret, unam cum ipsis rempublicam deinceps facturi.*

D

De modo sigillandi. R. IX.

Quia sigilli impressio, ad fidem pleniorem rei quæ geritur habendam est potissimum adinventa, ut fides litteræ seu chartæ resultet potissimum ex sigillo ; ideo dignum est, ut pro majoritate et varietate rerum concessarum per Nos vel pro duratione diuturniori inducatur et statuatur varietas sigillorum, ut etiam ex iis quæ ordinare disposuimus circa modum sigillandi vel bullandi, agnoscatur veritas vel falsitas litterarum.

Ad fidem certius faciendam,

341 Ordinamus igitur in Cancellaria nostra modum triplicem sigillandi : videlicet ut quandoque cum Bulla plumbea vel aurea ; quandoque cum magno sigillo, habente duas impressiones æqualiter ab utroque latere imprimentes, licet impressio sit dissimilis et diversa (quod quidem sigillum Flahon *a* vulgariter nominatur) quandoque vero cum alio sigillo minori, quod sigillum commune dicitur, litteræ quæ de nostra Cancellaria exeunt sigillentur, secundum formam inferius annotatam.

Ordinatur triplex modus sigillandi, per Bullam *a* *et Commune sigillum*

342 Insuper declaramus, quod in bulla debeat esse ex una parte Regalis imago quæ sedeat super solium, in manu dextra sceptrum et in sinistra pomum tenens, et chlamyde induta, et corona Regia in capite decorata, et in circuitu litteræ, nostrum proprium nomen cum titulo nostri Regni tantum continentes : et ex alia parte miles cum corona armatus super equo, quem Militem armis nostri scuti Regalis munitum et ensem evaginatum tenentem esse volumus, in circuitu vero litteræ sint, quæ Comitatus et alios titulos nostros exprimant *b*. Hoc idem quod de Bulla ordinamus et in Flahone volumus observari, excepto quod loco pomi in manu sinistra Regale baculum teneat. In sigillo vero communi Regalis imago sit per modum, quem in prima parte Bullæ diximus ; sed litteræ quæ in circuitu erunt, non solum regnum, sed omnes nostros titulos contineant. Insuper unum parvum contra sigillum, in quo sit clypeus nostris armis decoratus, cum corona quæ sit super ipso clypeo, sed in circuitu litteræ minime sculpantur.

In ... bulla ... solium ... coronat ... *b,* *et in altera facie equitem,* *b* *... contra sigillum arma,*

343 Cum ergo litteræ de communi justitia, vel commissiones earum seu aliorum negotiorum, etiam habentes aliquas clausulas speciales, vel alia quæcumque quæ in papyro scribentur, de nostra Cancellaria exhibentur clausæ vel apertæ ; tunc cum solo illo sigillo minore quod dicitur commune sigillum, in dorso vel super apertura, litteræ quæ clauduntur, sigillentur. Si vero aliquando gratia per Nos fiat ad tempus alicui personæ, utpote dando violarium vel aliquid simile, ita quod litteræ sint in pergameno scribendæ, tunc sigillentur litteræ hujusmodi, cum eodem sigillo in pendenti de corda, juxta modum infra determinandum : sed et sigillum illud pendens in alia parte dorsi impressionem habeat contra sigilli, quod ad hoc diximus ordinandum. Porro cordula hujusmodi, in qua sigillum pendebit, versicolor erit de serico videlicet croceo et rubeo ; ita quod sit lata et tenuis, et sit tota in longum quasi de nostris armis Regalibus facta, contineat videlicet quinque fascias vel vias in longum, quarum tres, foraneæ *c* scilicet duæ et una media sint coloris crocei ; aliæ vero duæ, quæ erunt scilicet inter utramque foraneam et mediam erunt coloris rubei : sed et quælibet et duabus foraneis octo fila de serico croceo, et non minus nec amplius continebunt ; tres vero, duæ scilicet rubeæ et una crocea, continebunt quælibet septem fila, nec habeant amplius neque minus.

... communium ... et gratiæ temporales *vel pendenti* *... cordulæ croceæ rubræque colores :* *c*

344 Sane si gratiæ per nos fiendæ erunt perpetuæ, ut puta quando concedemus militare privilegium

gium alicui personæ, vel aliquod simile in privilegium seu gratiam perpetuam alicui universitati vel personæ, cui facere volumus pro se et successoribus suis vel posteris gratiam specialem; vel etiam si aliquem Procuratorem ex quavis causa constituimus; eo casu litteræ quæ super hoc fient in pergameno, sigillentur in pendenti cum magno sigillo, ab utraque parte impressionem æqualem habendo; licet non similem, quod sigillum Fladon vulgariter nominatur; pendet autem ipsum sigillum in cordula de serico, coloris et modi per omnia illius alterius, de qua est superius ordinatum.

sub magno sigillo pendente,

345 Si tamen ipsæ concessiones vel privilegia essent magni honoris vel ponderis, utpote de Vicecomitatu vel magna dignitate per Nos creando vel si alicui Universitati aliquod privilegium magni ponderis concederemus ad in perpetuum, ut puta ad immunitatem talliarum vel contributionum, vel de fori declinatione contra jus commune, vel aliud quod concerneret universaliter vel etiam particulariter omnes cives, vel aliquid simile de quo Nos arbitraremur specialiter; vel etiam si procuratorium quod esset, per Nos faciendum vel constituendum, super aliquo facto arduo vel insigni; vel legem sive constitutionem promulgaremus; eo casu volumus quod litteræ super hoc fiendæ, cum Bulla plumbea vel aurea, secundum quod exquiret qualitas negotii sigillentur vel etiam muniantur.

Quod si res mandanda majoris honoris vel momenti sit, adhibeatur Bulla plumbea vel aurea,

346 Eo insuper casu Bullæ appensio non fieret in cordula, sed in filis de serico sejunctis et separatis divisim adhibendo; videlicet octodecim fila de serico rubro, et viginti unum filum de serico rubeo, et viginti unum filum de serico croceo, qui adjungentur a parte inferiori litteræ, et sic duplicabuntur inferius, et erunt in numero septuaginta fila, et in iis bulla aurea vel plumbea appendetur: quem filorum numerum, nihil addendo vel minuendo perpetuo volumus in similibus observari. Ceram vero dictorum sigillorum, croceam, statuimus debere esse: et nisi talis esset, illis adhibeatur nulla fides.

ex pluribus filis pendens, omnis autem cera sit flava.

ANNOTATA D. P.

a *An quia cera orbicularis, eminentibus post sigilli impressionem marginibus formam habet* Flatonis *seu* Fladonis, *placentæ Teutonibus* Vlade *dictæ?*

b *Sic supra num.* 240 (*nisi* molarium *legi debeat tam hic quam ibi*) *Ut est, videtur hic significari quædam species privilegii vel immunitatis: aut ad vitam pensionis ad vitam: sic enim infra dicitur* ad violarium vel ad annos aliquot, *ut hæc videantur contra distingui inter se, ac si diceretur* ad vitam vel ad tempus

c Foraniæ, *fasciæ dici videntur, quæ in anaglypho opere foras prominent.*

De taxatione litterarum. R. x.

Tunc nimirum crescit mortalis anxietas, cum pro labore quis damnum consequitur, vel frustratur condigno laboris præmio vel mercede.

347 Sane quidem dignum est, ut pro scriptura et dictamine litterarum, quæ de nostra Cancellaria exeunt, sic laborantibus merces contribuatur consona, quod per immoderatam exactionem non sit impetrantibus litteras nimium onerosa, maxime cum per litteras ipsas executio vel subministratio justitiæ demandatur. Nam cum aliquis per nostras litteras non meram justitiam, sed gratiam ex liberalitate nostra consequitur; æquum est ut qui liberalitatem recipit, etiam pro satisfactione litterarum se reddat potius liberalem. Ea propter circa taxationem litterarum Cancellariæ nostræ infrascriptam ordinationem præcipimus observari; nec pro litteris scribendis vel sigillandis aliquid ulterius exigi vel haberi.

Ne litteris laborantibus merces cedat,

348 Ordinamus igitur quod pro litteris simplicis justitiæ, ab aliqua singulari persona, solummodo dentur v solidi, illius monetæ quæ curret in terra ubi littera scripta fuerit et concessa. Si tamen in aliqua terra nostra fuerit concessa; de moneta quæ curret in terris nostris, loco in quo (ut dictum est) fuerit scripta et concessa magis propinquis, prædicti v solidi solvantur. Si vero aliqua Universitas vel Collegium qualecumque dictas etiam simplicis justitiæ impetret litteras; decem solidos ejusdem monetæ solvere teneatur: itemque solvantur decem solidi si impetrans Judæus fuerit vel alias infidelis. At vero ubi impetrantes sunt de Religiosis mendicantibus, vel aliæ personæ pauperes et miserabiles, nihil prorsus volumus pro hujusmodi litteris exigi ab eisdem.

ordinantur 5 solidi pro litteris simplicis justitiæ a persona singulari solvendi, 10 a communitatibus vel Judæis, nihil a pauperibus:

349 Porro si littera illa contineat aliquam dispensationem vel aliquam clausulam specialem, quæ non sit de mera justitia, sed aliqualem contineat gratiam, tunc decem solidi pro littera exigantur. Item si nos contingat facere gratiam alicui, remittendo aliquid pecuniarium debitum, ad quod Nobis tenetur, ex causa judicati forsitan vel quocumque contractu alio, vel ex causa condemnationis alicujus, vel etiam ex causa alia qualicumque; tunc ille cui facta est remissio pecuniæ hujusmodi, solvat pro littera remissionis XII denarios pro libra qualibet totius ejus quæ sibi remissa fuerit quantitatis. Si vero aliquam pœnam corporalem gratis et absolute alicui remittamus, ad quam jam extitit condemnatus; tunc, si auris amissio vel fustigationis executio remissa fuerit, decem solidos solvat pro littera: sed pro manus vel pedis vel linguæ amissione remissa quadraginta solidos solvere teneatur: sed et si pœna mortis remissa fuerit, solvat pro littera centum solidos.

pro gratiosis litteris dentur 10, pro debiti relaxatione 12 in libram, pro remissione pœnæ juxta hujus gravitatem,

350 Hoc autem volumus observari si ille, cui facta est remissio præmissarum pœnarum, habeat in bonis centum libras vel infra: quia si esset ditior, plus ab eo exigatur pro litteris, habita ratione quantitatis bonorum, quæ repertus fuerit habere, secundum modum proxime jam taxatum. At vero si pro remissione pœnæ hujusmodi corporalis, per nostros Procuratores habita fuerit aliqualis pecunia, forsitan ex compositione vel pœnæ mutatione licite facta; tunc, pro littera facta inde, recipiatur tantummodo medietas pretii illius quod debuisset recipi, si fuisset remissio facta gratis secundum proxime ordinata.

aut etiam facultates rei; nisi jam aliquid datum fuerit Procuratori regio,

351 Cum autem alicui remittemus exilium perpetuum, solvat pro littera medietatem ejus quantitatis, quæ deberetur, si fuisset pœna mortis remissa: pro temporali vero exilio, siquidem biennium vel infra remissum fuerit, viginti solidos: si autem ultra biennium usque ad quadriennium, XXX solidos, a quadriennio usque ad quantumcumque fuerit, XL solidos solvat pro littera habita tamen ratione divitiarum illius cui remittitur pœna exilii, prout supra dictum est, et remittitur pœna vel alia corporalis. Porro si aliquis in judicio fuerit condemnatus pro crimine, sed in fuga existens, a Nobis forsitan ad rogatum alicujus personæ remissionem obtinuerit pœnæ, quæ fuisset sibi pro crimine imponenda: tunc, quia non debet esse melioris conditionis fugiens quam detentus, attendatur crimen pro quo se in fuga constituit; et si tale est crimen pro quo mors debuisset inferri eidem probato crimine contra eum; tunc tantum solvat pro littera, quantum si revera condemnatus fuisset:

pro remissione exilii pro hujus durationem, eadem præstanda a fugitivis, delicti remissionem impetrantibus.

A fuisset : si autem non pœna mortis, sed alia ; tunc tantum solvat quantum pro remissione pedis vel manus fuit superius ordinatum. Hoc quidem intelligimus de remissione solius corporalis pœnæ ; quia si remittantur per Nos bona, jam Nobis ex annotatione fugientis quæsita ; tunc servetur id, quod fuit super remissione pecuniarii debiti ordinatum.

Quid dandum pro gratuito dono,

352 Porro si Nos alicui personæ gratiam volentes facere, aliquam summam pecuniæ donari mandemus, semel tantum solvendam, tunc recipiatur pro littera, ad rationem de sex denariis pro libra ; ubi vero daremus ad violarium vel ad annos aliquos plures aliquam summam pecuniæ, tunc pro pretio litteræ recipiantur xii denarii pro libra, de summa illa quæ in litteris est contenta. Si autem daremus terram in perpetuum vel redditus sibi et suis ; tunc æstimatione facta rei donatæ ad xii denarios pro libra pro littera exolvatur.

quid pro sententia in causa pecuniaria aut simili,

353 At vero, si super aliqua pecuniaria causa, vel super aliqua re in specie consistente quacumque, sententia lata sit mandato nostro vel coram Nobis quasi in persona nostra, et de hoc petantur litteræ ; tunc pro litteris una sive pluribus solvetur B ad rationem de xii denariis pro libra, de quantitate vel æstimatione rei, supra qua sententia est prolata. Si autem feratur sententia super aliquo jure, utpote super aliquo privilegio vel jure, de quo est contentio inter partes ; tunc, si agatur inter magnas personas, utpote inter aliquas Universitates nobiles et potentes, vel inter Prælatos vel Barones, inter se vel contra aliquam Universitatem ; tunc habita ratione negotii et personarum inter quas agitur, poterit recipi plus vel minus ; salvo tamen quod quinquaginta libras aliquatenus pro qualibet littera non excedat.

quid pro lata in causa juris,

quid pro litteris tutelæ,

354 Item si per litteras nostras petatur mandari de tutore vel curatore dando personæ vel bonis alicujus ; si bona quibus providebitur valent quinquaginta libras vel infra, solvantur pro littera v solidi : si autem ultra valeant usque ad centum libras ; tunc x solidi recipiantur pro littera ; et sic deinceps usque ad quinquaginta solidos. Volumus enim quod ultra quinquaginta solidos nullo modo pretium litteræ non ascendat. Item si aliqua singularis persona petat a Nobis litteras securi conductus per terras nostras ; recipiantur pro littera v solidi. Si vero sint plures personæ conducendæ, vel si sint mercaturæ vel aliæ res, pro quibus etiam C securus conductus petitur ; tunc x solidos solvere teneatur. At vero si concedatur per Nos alicui conductus vel assecuratio, quod scilicet capi non possit ratione debiti civilis, ad quod tamquam principalis vel ut fide jussor est alicui forsitan obligatus, tunc pro littera solvat solidos quinquaginta.

aut tuti conductus.

a aut immunitatis a vectigalibus,

355 Item si de gratia concedamus alicui, quod non teneatur ad tallias *a* vel collectas vel ad contributiones alias, temporaliter vel ad vitam ; tunc habita æstimatione bonorum suorum et gratiæ, solvat pro littera ad rationem de xii denariis pro libra. Si vero alicui hoc concedatur perpetuo pro se et suis, aut si forte concedetur per nos alicui privilegium militare ; habebitur etiam ratio bonorum suorum, quæ eximentur a talliis vel collectis, et solvet pro littera ad rationem de ii solidis pro libra.

bc vel onere militari,

356 At vero cum aliquibus hominibus, qui, tempore quo guerram habemus, vocantur per Nos ad hostem *b* et cavalcatam *c* gratiam facere volumus pro illa vice, ut non vadant, sed quod pro eo aliquando exolvant Procuratoribus nostris pecuniam; tunc pro littera inde fienda solvat de quinquaginta libris vel infra donandis Nobis ex illa causa D decem solidos : deinceps vero usque ad centum libras dentur xx solidi pro littera quam habebunt : et sic gradatim, si data fuerit major summa. Si vero gratis absque solutione pecuniæ tale quid remittatur, tunc si habet in bonis centum libras vel infra xx solidos solvat pro littera. Si autem ultra habeat in bonis, tunc augmentetur, quantitas ut de cc libris xl solidi solvantur : et sic gradatim, si plus ascenderent illius bona. Item de litteris gratiæ, quam quandoque facimus de extrahendo aliquas res vetitas de terris nostris qualescumque res fuerint, facta æstimatione rerum quæ extrahi debebunt, solvant pro libra, ad rationem de quatuor denariis pro libra valoris, quo res ipsa fuerit æstimata.

vel contrahando

357 Præterea cum aliquos creabimus Notarios publicos speciales, tamen ad conficiendum instrumenta in certis aliquibus terris nostris, solventur pro littera centum solidi, illius monetæ, quæ curret in terris illis nostris, ubi habebunt specialiter conficere instrumenta : quod si erunt creandi in Monte pessullano tunc de Turonensibus ; si vero in Majorica, tunc de illa moneta, si vero in Comitatibus Rossilionis vel Ceritaniæ, de moneta Barchinonensi erunt centum solidi pro illa littera exolvendi : Si vero creantur ad omnes terras nostras Notarii generales, tunc octo libræ monetæ Barchinonensis pro littera persolvuntur. Item cum alicui loco concedemus quod mercatum vel nundinas facere valeant ; recipiatur pro littera, habita ratione loci cui concedetur, ad rationem multitudinis domorum seu ignium, ut pro quolibet igne loci illius, cui nundinæ vel mercatum concedetur, duo solidi exolventur pro littera illius monetæ quæ curret in loco cui gratia concedetur.

Quid pro litteris de Notariatu

pro mercatus publici, E

358 Insuper autem si elongamentum ne ad certum tempus cogatur a suis creditoribus aliquis solvere conceditur ; si debitum est viginti quinque librarum vel infra, tunc quinque solidi pro quolibet anno elongamenti solventur. Si autem debitum est de quinquaginta libris, tunc x solidi pro anno quolibet exolvantur ; et sic deinceps de majori quantitate, secundum rationem prædictam, major quantitas pro littera exolvetur.

dilatione solutionis

359 Consequenter etiam si alicui aliquod officium regendum concedamus vel ecclesiasticum beneficium ; siquidem hoc ex proprio nostro motu concedimus, pro littera nihil solvat : si vero ad supplicationem sui vel alterius committamus, tunc ratione habita ejus quod recipit pro salario uno anno, ad xii denarios pro libra solvat pro littera prima vice, quia pro aliis vicibus nihil solvi volumus, si illud idem eidem personæ vel etiam aliud officium committamus.

beneficio ecclesiastico, F

360 Amplius etiam si Universitati alicui concedamus, ex causa aliqua, forte propter necessitatem aliquando illius cui hoc concedimus, ut possit alicubi talliam vel cisiam vel quamcumque aliam contributionem, in quibus minime extranei vel privilegiatæ personæ contribuant ad tempus certis hominibus imponere ; tunc x solidi tantum (cum hoc quasi justitiam concernat, pro pretio litteræ exolvantur : si vero extranei seu privilegiatæ personæ, secundum per Nos concessa, contribuere haberent ; tunc xii denarii pro libra de quantitate ad quam exactio ipsa ascendere poterit pro littera habeantur. Nolumus tamen quod ad plus quam ultra quingentas libras ascendat. Ubi vero Prælati et Barones vel alii quicumque gratiam a Nobis obtinerent, quod ab hominibus eorum subsidium possent exigere, xii denarii pro libra de tali gratia pro littera exigantur.

pro exactione ...

361 Porro multotiens concedimus aliquibus personis, religiosis sive vel universitatibus, privilegia perpetuo duratura, vel etiam quandoque antiqua privilegia confirmamus, vel etiam certis personis jacentibus aliquod corpus, de quibus recipi volumus pro littera ad arbitrium rationabile Cancellarii nostri, habita ratione rei seu privilegii quod concedetur, et illius cui concessum est : nam in talibus non potest commode regula certa dari. Præterea, quia quæ majori gaudent firmitate magis possunt aggravari, volumus quod de privilegiis, quæ secundum nostram ordinationem debent cum bulla plumbea vel aurea sigillari, ultra quantitatem quæ ratione privilegii habetur, XX solidi elemosynæ applicandi, exigantur.

ac privilegio perpetuo — *aut etiam bullato*

362 Volumus etiam et mandamus, quod Cancellarius et Vicecancellarius nostri solerter conditiones personarum attendant, ut pauperibus pretia litterarum rationabiliter moderentur : sed in omnibus caveant quod pretia non augeant ; imo ubi justum et rationabile viderint, minuant potius quam augmentent. Nolumus tamen quod a nostris, vel consortibus nostræ Regiæ domus familiaribus, pro litteris justitiæ vel pro litteris precatoriis aliquid exigatur. Sed etiam Consiliarios nostros hoc volumus gaudere favore, ut etiam de aliis litteris gratiarum quas eis faciemus, nihil solvatur pro litteris ; nisi illud quod illis daremus, vel concederemus, esset terra vel privilegium ad perpetuum, quod etiam esset ad successores vel posteros, transiturum.

In omnibus autem commendatur moderatio.

ANNOTATA D. P.

a Tallia, *a talliando, tallier, i. scindendo dicta ex vi etymi. Idem est quod* accisia, *infra num.* 360 Cisia *dicta ab* accidendo ; *et utrumque super merces invehendas vel evehendas accipitur, illud autem est a Teutonica radice* Thail, *Belgis* deel.

b Hostis *etiam exercitum et castra significat Gallis* Host ; *atque inde transfertur ad quodvis servitium militare.*

c Cavalcata, *necessitas præstandi caballum unum aut plures.*

d Precaria, *inquit Cangius, est acceptio* allodii aut prædii ab ecclesia ad vitam, quasi precario possidendi ; *quibusdam* Precatio *dicitur : pudui etiam* Precamen ? *Non ausim id asseverare.*

De beneficiis conferendis R. XI.

Cum juxta sanctorum Patrum admonitionem atque decreta, beneficia ecclesiastica non nisi sufficientibus ac bonis personis conferri debeant sive dari ; et per Principes, qui a Deo in terris ordinati sunt ut gubernent talia, potius debeant observari quam violari.

363 Ideo nos cum deliberato consilio, pro magna nostræ animæ securitate, et propriæ conscientiæ exoneratione ordinamus, quod a modo cum beneficiis, in quibus tantum præsentationem habemus, seu de illis quorum collatio ad Nos spectat, quotiescumque voluerimus providere, proprio nostro motu vel ad preces cujusquam ; seu cum Domino summo Pontifice, proprio nostro motu vel ad alicujus instantiam ; seu cuicumque alii scribere voluerimus pro aliquo seu aliquibus, pro aliquo beneficio ecclesiastico ; hæc non fiant nisi prius examinatione facta de illorum vita et moribus ac aliis prout decet, per quatuor probos viros ad hoc a Nobis singulis vicibus deputandos, quorum duo ad minus Theologica Canonica, aut Legum scientiis sunt eruditi.

Nullus præsentetur a Rege ad beneficium aliquod, nisi vita examinetur,

364 Qui quatuor si decenter deputari non possent, tunc per tres seu per duos examinatio ipsa fiat, quorum unus esset, ad minus decenter in sacra Pagina aut Canonicæ eruditus, vel quod Juris civilis professor esset, dum tamen statum Clericalem teneret, et in sacris esset Ordinibus constitutus, alias non : quod etiam in casu ubi essent quatuor hoc observari volumus, nisi unus vel plures ex eis essent in aliis scientiis eruditi, quia tunc, etiamsi vitam Clericalem non duceret, vel esset in sacris Ordinibus constitutus volumus posse esse Legistam.

saltem a tribus vel duobus viris doctis, iisque Clericis,

365 Et si ille cui provideri vel pro quo scribi debebit, absens fuerit ; examinatio de illo fiat, pro testimonio vitæ et morum et aliorum de quibus decet, per dictos quatuor vel alios ut præfertur : qui sub juramento referent juxta videre eorum, an cum bona et tuta conscientia ille præsentari valeat, aut beneficium conferri eidem, aut scribi et rogari pro illo. Et si secus quam ut præmittitur a Nobis, præmissa obtineantur, irrita et cassa esse volumus, et nulla firmitate gaudere, nisi de certa scientia et non in facto unius, sed in omnibus, ordinationem nostram cessaremus præsentem.

et si absens sit, curatis eum dignum esse.

De ordinatione Capellæ. R. XII.

Non erubescendo Reges prioribus temporibus de divinis se intromittere officiis, ea quæ necessaria cultui divino exstiterant ordinarunt ; in tantum quod Sacerdos illius, a quo recta dispositione Sacerdotium et Imperium distribuuntur, et cujus gratia nostrum gubernamus regnum, esse minime Salem *a* Rex renuere in sacris Litteris reperitur ; sed panem et vinum illi, in quo saturamur atque pascimur, offerre ut Sacerdos dignoscitur. respicientes, quod in quantum etiam uberantius munerum largitor circa nonnullum se habuit, quis in tantum magis obligatus recognoscere, naturali ratione non est incognitum ; præcipue tamen gratiarum dispensatori, cujus sola permissione quæ Nobis dedit servari fatemur considerantes ; Nos, ut de ordinatione nostræ Capellæ ordinemus, verecundari non oportet ; sed potius ut servitium ipsius qui voluntarie Nobis honoris statum conferre dignatus est, honorifice in nostra præsentia, (ne simus *b* incogniti tanti beneficii) fiat, adstrictos necessario recognoscamus. Frustra enim differentiam statuum in humanum genus, qui carnem humanam sumens Deus altissimus ad infima descendit, posuisset ; nisi differentiam majores a minoribus in honorando ipsum facerent.

sicut Rex Salem Melchisedech Dei Sacerdos fuit. — et qui plus recepit gratior esse debet, — honori sibi ducit Rex sacra curare,

366 Ad quod quidem complendum, ut ornamenta, tam pannorum, pulchra, quam auri et argenti, plura et nobilia (secundum quod, præmissis non oblivioni traditus, attenta decentia nostri status, non modicum exposcit) habeamus, non vanum, sed veracius necessitatis esse nostra pia devotio cogitur existimare : et ut tanta et sic sufficiens copia sit et tantarum varietatum, quod secundum diversitatem temporum et festorum, sicut non insubtiliter sed rationabiliter ut non solum locus sit auctoritati, sed etiam principaliter rationi et congruitati) ordinare inferius, minime negligentia omnia *c* lædente illecebrati, oblivione procul pellita *d*, nostra diligentia non prætermittat, non tantum honorificum sed et devotissimum judicamus. Nam cum oculi differentiarum varietatem cernunt, quare fit, animus excogitat, et sic devotio augmentatur : et anima ad gratiam præparatur.

varietatemque et copiam ornamentorum — utilem ad animi devotionem ciendam ;

367 Varietates vero pannorum in quatuor coloribus consistere conveniens arbitramur. In rubeis : qui tam in festivitatibus Domini, in quibus proprie rubeus color rationibus et significationibus debitis convenit ; nec non in quibus vestigia illius, qui viam se esse attestatur, per martyrium secuti sunt, Sanctorum solennitatibus sanguinem quem effuderunt demonstrent.

dum rubens color Martyrum,

A *albus virginitatem.* demonstrent. Et in albis, ut virginitatem illius, quæ etiam post partum nostræ redemptionis virgo permansit; nec non Sanctarum, quæ Agnum ubicumque erit, sequuntur Virginum, in ipsarum solennitatibus denotent; et diebus celebribus aliis, in quibus non ex vana consideratione congruant, teneri possint. *viridis rigorem animi,* In viridibus seu Violatis etiam, qui tam festivitatibus Domini quibus convenient, et in diebus illorum qui quasi jaspis viridis est coloris jaspidea propugnacula a triumphatore positi sunt, sanctorum Doctorum et aliorum Confessorum, qui contra adversarios pro sanctæ Ecclesiæ defensione objecti sunt, et qui internis desideriis ferventes nulla temporis reprobi ariditate marcescunt, teneantur. Et in lividis, *violaceus et niger pœnitentiam significant.* qui tam in diebus Veneris et aliis diebus festivis tam Altissimi quam Sanctorum, nec non et quando pro defunctis Officium agitur, in quibus honestas et mortificatio minime inconvenienter ostendi debet, demonstrare congrue possunt.

368 *Pro majoribus etiam festis pretiosiora habeantur,* Et de istis quidem coloribus non solum de quolibet una capella contenti sumus, sed diversas (ut secundum quod dies, in quibusdam ejusdem coloris paramenta propria significatione teneri debent B solenniores aliis aliqui reperientur, solennioribus paramentis, licet ejusdem coloris, decorentur) habere cupimus: ordinantes quod in nostra Capella de pannis sericis rubeis, cum historiis et de velutis rubeis, cum aurifrizio, et de pannis aureis trahentes ad rubicundum colorem, et de sericis rubeis pannis cum aureis operibus seminatis; et de pannis sericis albis *atque de singulis capella integra.* cum historiis et de aureis ad albedinem trahentes; et de pannis aureis ad lividum vel viridem seu violatum colores trahentes; et de sericis viridibus pannis cum paratura; et de lividis sericis cum paraturo completæ capellæ sint (Dicitur autem completa capella, *e* Pallium et Retroaltare et *e* Retro-tabularium, et indumenta Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi et tres cappæ) et de pannis sericis rubeis, albis, viridibus et lividis, sine operibus et paratura, Pallium et Retroaltare et Presbyteri indumentum, in quo sit aurifrezum tantum, habere volumus: et de sericis pannis ad croceum colorem trahentibus, hoc idem esse in nostra Capella præcipimus: nec non *f g* tuabolæ *f* et cuzini et frontalium *g* et alia, de quibus in ecclesia copiose haberi nostræ intentionis est.

C 369 *et sicut vetus Sanctuarium instrui jussit Deus,* Et quia ab illo, a quo non nisi ordinatissime omnia procedere firma fides nostra credit, in opere Sanctuarii, quoad divinum cultum in veteri Testamento constructum fuit, vasa nec non aliqua aurea argenteave ad decorem Sanctuarii esse ordinata, sicut debemus (omni a nostra Regali majestate oblivione ut decet penitus eradicata) recordantes, in *sic præcipit Rex in capella sua haberi vasa pretiosa,* nostra Capella tam vasa quam alia ornamenta, ad divinum servitium et honorem illius, qui tantum Nos in terris honorare dignatus est, ut nomine Regis vocari mereamur, de auro et argento et etiam cum gemmis pretiosis, ut melius operi Sanctuarii assimiletur, esse cupimus.

370 *retro tabularium elegans, h* Præcipientes ergo quod sint primo unum pulchrum retrotabularium *h* argenteum cum imaginibus, quod solennitates, quæ non immerito in diebus altissimæ Majestati dedicatis et ad suæ Matris et Filii honorem ordinatis celebrantur, intuentibus ignorare non permittat. Necessarium siquidem existimamus quod ad solennitatem ostendendam aliqua demonstrentur, ut qui per scientiam et litteras scire *ad rudium instructionem,* minime possunt, per aspectionem oculorum talia videant, quod eis suppleat et emendet quod scientia litterarum caruerunt. Nam picturas et talia litteras rusticorum esse constat; et ideo in ecclesiis ad illiteratorum informationem et doctrinam, prædicta communiter non irrationabiliter ponuntur.

Junii T. IV

371 *5 vel 6 Cruces pretiosas,* D Tam de auro quam de argento atque crystallo, quinque vel sex Cruces, cum gemmis pretiosis et aliis operibus (ut sicut Crux nostræ salutis, tantum pretiosa et incorruptibili margarita, sicut illius qui proprio filio non pepercit, fuit decorata, ita et istæ, quæ ad illius repræsentationem factæ sunt, corruptibilibus gemmis margaritisve ornentur mandamus esse. Et quia plures, ut apparet, haberi ordinamus: hoc enim fecimus, ut secundum dies aut omnes aut aliquæ aut una tantum, secundum quod decens in nostra inferius secutura ordinatione Nobis videbitur, fore teneantur. Taliter autem expedit esse ordinatum de Crucibus et aliis, quod differentiæ (ut diximus) rationabiliter fieri possint.

373 *i 7 lipsanothecas,* Ad reliquias tam Domini quam Sanctorum tenendas, septem incastamenta *i* haberi ordinamus custodiæ, in qua corpus D. N. Jesu Christi in aliquibus locis portatur scilicet de crystallo argento inaurato munita cum operibus convenientibus; et duo in formam cassæ, ut copiosius Reliquiæ in eis valeant detineri, de crystallo eodem modo; ut reliquiæ quæ intus sunt possint videri: et unum de crystallo, quod per argenteos deauratos Angelos E teneatur, in quo pretiosiores reliquiæ reponi digne possint (excepto Ligno vitæ, nostræ quod melius et decentius in una de Crucibus aureis incastari potest) et alia duo aut de crystallo aut de argento seu de alia pretiosa re, esse declaramus.

378 *argenteam iconem B. V. M. k* Pulchram de argento deaurato incorruptæ Virginis Mariæ imaginem, ut in festivitatibus suis et aliis convenientibus diebus memoria ipsius minime relinquatur: et duos Textus *k*, et duos bacinos de argento cum imaginibus Domini et Sanctorum deauratis, ad nostri altaris et nostræ capellæ decorem et ornatum, ultra quæ prædiximus, necessaria quodammodo existimamus. *3 Calices aureos l* Tres calices cum canadellis *l* suis sint de auro, et unus pretiosior sit altero qui in magnis festis serviat: Conveniens enim Nobis videtur, ut post quam terrenales Principes, ad utendum in mensis aureis calicibus, dignos se existimant; ut ad Sanguinem D. N. Jesu Christi conficiendum in mensa altaris, in qua pene non corruptibili servitute utimur, calix aureus deputetur. Alius vero argenteus inauratus, ut serviat si necessitas immineret, esse potest. *6 candelabra argentea, 2 thuribula etc.* Sex candelabra argentea, et duo thuribula, cum suis navibus, ad tenendum thus deputatis; quorum unum sit deauratum et altero nobilius; et duo paria bacinorum ar- F genti; et vas argenteum ad aquam benedictionis tenendam, cum suo hyssopo ad servitium nostræ [capellæ] esse convenienter mandamus.

379 Superfluum judicantes aliquid componere et facere, nisi per distinctiones et ordinationes dividatur, ut confusum inutile, sic utile et bonum efficiatur: *Istis omnibus quando et quomodo utendum* nam incertum non est primum elementa præfuisse, nisi ille supernus Artifex per diversas varietates sapienter distinxisset. Cum igitur in superioribus paramenta pannorum et ornamenta auri et argenti, quanta et qualia sint, declaravimus; inane tamen existimaremus, nisi, quando iis utendum sit, dilucide indicaremus: et frustra prædicta haberemus, si non eis convenienter uteremur: thesaurus enim absconditus nulli prodest.

380 *regulis traditur generalibus;* Quare (prout ille, qui ordinationem tabernaculi fœderis Moysi declaravit, Nobis ministrabit) de festis et aliis diebus, sub regulis, ne nimis ad specialia descendamus, providebimus. Solet enim aliquotiens etiam sapientissimo redarguere nimia ad specialia descensio; et a peccato minime carere, qui multis verbis in talibus utitur. *sed prius in particulari agitur de festis.* Tamen quia aliqui sunt, quæ sub generalitatibus et regulis contineri non possunt, de diebus festivis Domini et Sanctorum (quæ, nisi specialiter et singulariter dicerentur,

 dubitationem

A dubitationem non modicam et per consequens defectus importarent, aliqua primo particulariter et specialiter posuimus.

ANNOTATA D. P.

a Melchisedech, Rex Salem, Sacerdos *Alias sic :* Dei, a *quo etc.*

b Incognitus, *ingratus, Gallice* Mescognoissant.

c *MS.* ou ma ardens illucebrati. *An recte connexuerim judicet lector.*

d Pellitus, *participium a* pello, *pro* pulsus, *nescio an alibi inveniatur.*

e *Si Codex hic formam plenam capellæ ornatæ exhiberet distinctius, intelligeremus quid sint* Retro-altare *et* Retro tabularium.

f Tobalia *nisi fallor, est mappa altari insternenda Teutonibus* dwale.

g Frontalium, *quod ante altare collocatur, non confundendum cum pallio, quod antiquitus sub mappa sternebatur, per omnia latera dependens; et summam frontalis oram complectens : pro quibus nunc unicum paramentum, ante altare positum, utroque gaudet nomine : et huic forte respondebat* Retro-Altare.

B h Tabularium *Sanctarum imaginum, ex eo quod ultimum locum teneat in altari post omnia illius instrumenta, Cruces, candelabra, etc. dici videtur* Retro-tabularium. *Et nunc quidem supra ipsum erigi solet picta tabula grandior, ad mensuram loci, olim vero varii pro tempore coloris tapes tegebat parietem, et forte hoc nominabatur Retro-altare. Dedi ad 26 Maji, inter Acta S. Augustini Anglorum Apostoli, iconem Sanctuarii ipsi dicati, quam hic non gravabor reproducere, quia in eo manifeste apparet forma retro-tabularii, sed puri, absque imaginibus; ubi pro Retroaltari videntur collocatæ Lipsanothecæ variæ cum effigie Christi; non tamen satis discernitur, utrum hæc imposita sint Retro tabulario, an vero ad parietem, ab ipso altari separatum eo intervallo, quantum satis est vestiendis Officianti aliisque usibus. In Cathedrali Paterbornensi vidisse tale quid memini, ubi magna illa moles, ornans tabulam pictam, columnis statuisque educta in altum, ipsi adhærebat parieti, minimum* 15 *pedes remoto ab altari : licet eminus intuenti videretur continuari cum altaris retro-tabulario jam dicto.*

i Incastamentum, *velut* incassamentum, *ab incastato* casta, *pro* cassa; *Lipsanothecam hic significat.*

k Textus *videlicet Evangeliorum opertoria aut [illegible], ad usum Solemnis Missæ, pluribus autem in-fra sæpius ac solum ornatum ponitur, id est clausi : pro non vero solemnitate [illegible], sic ut utrosque hinc et inde ponantur utraque facies : separabiles ergo erant tabulæ opertoria, tum a codice seu scripturæ, tum a se invicem.*

C

l Canna, *Cantharus, poculum ; unde diminutivum* Cannadellæ, *ad Missam usurpandæ, alii* Ampullulas *vocant, et abbreviate* pallalas.

De Vigilia et die Nativitatis Domini. R). XIII.

a In Vigilia ponenda imago D. V. inter 2 textus

Vigilia Nativitatis ejus illius, qui pro nobis redimendis non abhorruit Virginis uterum, veniente, memoria ipsius est facienda : unde ut partum Virginis, qui cum summa puritate processit, intuitu nostro, ut devotio ad cor devote distillet, præsentetur; tam paramenta altaris quam indumenta alba esse volumus; volentes ut illa paramenta alba cum operibus aureis expressis teneantur; et ad majorem memoriam ipsius Virginis, quæ tam salubrem die crastino sequenti nobis exhibuit fructum, ut in eo vivamus, et simus, atque ipso fruamur; [juxta] imaginem suam argenteam in Medio retro-altaris, et hinc et inde duo Textus separati divisim apponantur. Die

sint paramenta tam et tunc et postridie alba.

vero Natalis Domini, ad prædictam puritatem partus denotandam, nec non genitricis virginitatem, quæ et ante et post pactum virgo permansit, considerandam, alba paramenta et indumenta teneri volumus; sed, quia dies hoc exposcit, excellentiora esse jubemus; declarantes ut paramenta alba historiata teneantur atque indumenta. In vesp ris Vigiliæ, et diei, et in prima Missa, et majori, in tertia vero Missa, quæ non est tantæ solennitatis, illa indumenta alba cum operibus aureis seminatis dumtaxat habeantur. D

sed minus pretiosa in Vesperis ac Missa :

382 Et ut tantus dies, ut decet, non solum in significatione paramentorum decoretur, sed et copiositate Reliquiarum et aureorum argenteorumve jocalium illustretur ; volumus quod in altiori retro-tabularii gradu, retro-tabularium argenteum ponatur; et omnes Reliquiæ, et omnes cruces, et Textus, et bassini; et imago Beatæ Mariæ post Reliquias, cum una de Crucibus sit in medio; et honorabiliores Reliquiæ ponantur, ut magis proxime poterunt, juxta Crucem in retro altari : Textus vero sint in utroque capite retro altaris, quilibet cum una Cruce; et imago Virginis in medio retro-altari ponatur : et bassini, et aliæ Cruces, et Reliquiæ, quæ non poterunt recipi in retro-altari, ponantur in loco super altari, ubi convenientius poterunt collocari. E

omnia autem aurea et argentea præcipua

ponantur in altari

ANNOTATA D. P.

a *Sicut Romanæ Ecclesiæ nunc ubique receptior usus habet, cursum ecclesiasticorum Officiorum in Missalibus ac Breviariis ordiri a Vigilia primæ Dominicæ Adventus : ita superioribus seculis plurimæ eumdem ordiebantur a Vigilia Nativitatis; quod et in plerisque Martyrologiis MSS. videre est. Et hic quidem initiali littera, in tabulis nostris prætermissa, repræsentatur Deipara, natum infantem linteis involvens et in præsepio reclinans. Ceterarum exhinc Rubricarum litteræ, licet auro minioque ornatæ, figuram nullam repræsentant.*

In die S. Joannis Apostoli et Evangelistæ. R). XIV.

Licet B. Joannes, Confessor fidei Catholicæ inveniatur; tum quia virgo est a Deo electus, et virgo Dei Genitrix sibi fuit commendata ; non immerito ut de Virginibus non Martyribus, tam in paramentis quam in aliis, uti volumus et mandamus.

Paramenta alba ut de Virginem

F

In die circumcisionis Domini. R). XV.

Quamvis istud festum Octava Natalis Domini sit, unde esset paramentis albis utendum ; attento tamen quod Salvator noster, qui natus erat sub lege, legem adimplens, sanguinem proprium tali die per circumcisionem effundere dignatus est ; juste ordinamus, ut paramenta et indumenta rubea teneantur, illa videlicet panni aurei ad rubedinem trahentia. Ad quam quidem significationem etiam una Crux in medio retro-altaris apponatur, et aliæ duæ Cruces inter Textus separatos, de quibus subjicietur : et imago Virginis ad ejus pedem. Et ut memoria Nativitatis habeatur, hinc inde ornamenti gratia duo Textus separati, et divisim ponantur, et inter duos textus in retro-altari bassini apponantur.

Rubea ob fusum tunc sanguinem

In die Epiphaniæ. R). XVI.

Quia per stellam, ad adorandum filium Dei, Reges ab Oriente ducti sunt (quæ stella, secundum quod legimus, inæstimabili claritate et splendore præfulgebat, et quia in tali etiam die ille qui non indige

Alba ob claritatem stellæ

bat,



Anõ Dñi MCCXL, istud altare dedicat: in honorẽ Aplor Pet: et Pauli et scĩ. Augustini V. Kal Nov.
Anõ Dñi MCCCXXV istud altare dedicat. in honore Apost Pet: et Pauli Scĩ. Augustini Anglor Apli. et Scĩ Æthelberti Regis. Kal. Martij à Petro Epõ Corbaniensi.

A *et munditiem baptismi.*

bat, in Jordane aqua baptismatis fuit lavatus : merito animus noster ad ordinandum, ut, ad præfatam Stellæ claritatem et baptismatis munditiam mænigmatandam, paramentis et vestibus albis ista die in nostra capella [uti] teneantur, devote monetur; mandantes, quod in omnibus, ut in festo Nativitatis Domini, observetur.

In conversione S. Pauli et Cathedræ S. Petri. ℟. XVII.

Fiat ut de Confessore :

In Conversione S. Pauli, quia tali die divinitus gratiam meruit adipisci, per quam ad cognitionem fidei venit Christianæ, et fideliter fidem ipsam, tam operibus quam prædicatione, de quo multi non modicum admirabantur, est confessus; tamquam de Confessore de isto fieri jubemus. Eademque ratione moti, quia tali die, qualis est S. Petri Cathedra, fuit nostra fides ampliata, et sic confessio ipsius magis firmata; eodem modo ut de Confessore esse fiendum judicamus.

In die Ramis-palmarum. ℟. XVIII.

B *Viridia propter Ramos,*

Cum nulli dubium est, attento nomine istius festivitatis et re, scilicet quod rami excisi fuerunt de arboribus, dum ille, qui in arbore Crucis salvos nos fecit, civitatem Jerusalem humiliter super asinam ingressus fuit; quin paramentis et indumentis viridibus sit utendum; unde illa die palmæ virides cum paratura teneantur. Et quia in isto die Passio legitur, et ad calicem passionis recipiendum Christus tali die Jerusalem, ut est dictum, intravit; tres Cruces, unam in medio, et alias in extremis retroaltaris esse jubemus : et etiam solennitatis gratia duo Textus juncti, unus ex una parte et alius ex alia inter Cruces in ipso retro-altari apponantur.

addantur tres Cruces ac Textus

De die Jovis Cœnæ-Domini. ℟. XIX.

Rubea propter passionem tunc cœptam

Considerantes, quod tali die ille redemptor noster Jesus Christus corpus suum, ad sumendum ab Apostolis, et sanguinem suum confecit, atque etiam ad potandum sub specie vini tradidit; nec non etiam attendentes, quod ipsa nocte traditus fuit, et ipsemet se esse per unum ex suis tradendum attestatus est; de quo non modica contristatio inter ipsos orta fuisse legitur; merito jam Passionem ista die repræsentare debemus : unde ordinamus quod tam paramenta quam indumenta panni aurei et ad rubedinem trahentia teneantur : propter quod etiam una Crux in medio apponatur retro-altaris, et bassini; in extremis retro altaris, cum Textibus junctis ex utraque parte, inter bassinos et Crucem, ponantur in ipso retro-altari prædicto.

C

In Parasceve Domini. ℟. XX.

Nigra absque ornatu ullo altaris.

Licet ista die a morte gehennæ, per mortem illius, cui non pepercit patibulum, liberati sumus et ad vitam evocati; tamen nulla solennitas est fienda, sed potius perrationabilis dolor et tristitia exhibendi sunt, cum irrationabilia tali die contristationem ostenderint : nam et solem et lunam obscuratos, et petras scissas, et terræ-motus fuisse legimus. Unde in altari paramenta et ornamenta minime apponantur, nisi Crux quæ adoratur. Indumenta autem, ad prædictam tristitiam ostentandam, illa livida cum paratura teneantur : sed Diaconus et Subdiaconus Dalmaticis non induantur.

In vigilia et die Resurrectionis. ℟. XXI.

D *Alba indumenta in Vigilia*

Quod in Resurrectione Domini in albis vestimentis et paramentis utendum sit, ad glorificationem corporis, quam in resurrectione habuit : et Angeli qui in albis mulieribus in sepulcro apparuerunt, nostræ Regali devotioni manifestissime innuunt atque demonstrant evidenter. Unde sic duximus ordinandum, quod in Vigilia teneantur indumenta alba, cum operibus aureis ex per eis *a* : et ne memoria passionis Dominicæ penitus adhuc relinquatur, paramenta rubea cum operibus aureis seminatis habeantur : et propter hoc melius in cordibus intuentium imprimendum, una Crux in medio retro altaris apponatur, et ad ejus pedem imago beatæ Virginis, cui totam fidem certum est tantum remansisse. Insuper Textus juncti in utroque capite retroaltaris : et inter ipsos et Crucem in ipso retroaltari bassini collocentur. In die vero Resurrectionis Domini dignioribus est utendum : unde tam paramenta quam indumenta illa panni aurei ad Albedinem trahentia teneantur : Reliquiis et argento, ut in festo Natalis Domini altare illustretur.

a paramenta Rubra.

ipsa die Rubra utraque

a Perlas, *et* Perulas *dici notat Cangius, quasi* Sphærulas *a rotunditate. Inveniuntur tamen quædam, non Sphæricæ, sed oblongæ ac pyriformes, unde suspicari quis posse a Teutonico* Peer, *formatum* Perel.

E

De die Lunæ et Martis sequentis. ℟. XXII.

item biduo sequenti

Die vero Lunæ et Martis sequentibus, ut in Vigilia tam in paramentis quam in argento fiat; excepto quod paramenta sint alba, illa videlicet de indumentis, et Crux non apponatur, sed imago Virginis, quæ quod gaudium de filii sui resurrectione habuit, ad exprimendum minime dignos nos existimamus : quæ in Vigilia in pede Crucis stare erat disposita, ubi Crux stabat collocetur.

De festo inventionis S. Crucis. ℟. XXIII.

Rubra

Ambiguum non est, quin, quando festum Crucis celebratur, memoria Passionis adesse debeat; maxime quia festum de Cruce minime celebratur, nisi quia in ipsa fuit nostra redemptio, et hoc per mortem illius, qui in ipsa, præ nimia caritate nos diligens, voluit crucifigi. Unde ad præsentationem sanguinis, quem in Cruce ipse Redemptor noster effundere dignatus est, paramentis et indumentis rubeis uti volumus, illis videlicet historiatis. Reliquiæ vero et alia ornamenta, ut in festo Natalis Domini apponantur, excepto retrotabulario argenteo, quod ad differentiam alterius festi minime apponitur.

F

In inventione S. Michaelis. ℟. XXIV.

Alba.

In hac enim die rationibus, quibus in dedicatione declarabimus quam plurimum moti, paramenta alba teneri conveniens reputamus : tamen quia tantæ solennitatis minime, sicut dedicatio, festum illud esse constat, illa teneantur sine operibus et paratura. Paramenta et indumenta cum aurifrizo, Crucem etiam cum uno Textu disjuncto, scilicet medietatem in una parte, et medietatem ex alia : et in extremis bassinos in retroaltari poni et teneri mandamus.

De festo Ascensionis Domini. ℟. XXV.

Alba.

Si locus auctoritatis, in iis quæ per terrenales Principes aguntur, reperitur; quanto magis in iis quæ per cœlestem Regem fiunt, auctoritas sibi locum vendicat? qui licet omnia possit, nihil tamen nisi rationabile potest velle, cum sit summum bonum increatum. Unde, quare albis vestimentis et paramentis ista die sit utendum, ponere rationem vere esset

esset superfluum : cum sufficit pro ratione illud quod divina dispositione in Salvatoris Ascensione ostensum fuit de viris, qui in albis vestibus apparuerunt : quare in omnibus, ut in die Paschæ præcipimus observari.

De vigilia et die Pentecostes, ac die Lunæ et Martis sequentibus. ℟. XXVI

Rubea

Quia adveniente Spiritu sancto super Apostolos apparuerunt eis dispertitæ linguæ ignis, certe nobis ostenditur quod ad prædictas linguas igneas significandas paramentis indumentis rubeis ista die est utendum : tamen inter istos dies discrimen sic esse volumus ; ordinantes, quod in Vigilia et in duobus diebus post festum venientibus, illa paramenta et vestimenta rubea cum operibus aureis expertis teneantur ; et una de Crucibus in medio retro altaris, et ad pedem ejus imago Virginis, quæ cum Apostolis Spiritum sanctum recepit : et in extremis retro-altaris Textus juncti ; et inter Crucem et Textus, bassini in retro altari habeantur. In die vero Pentecostes, illa indumenta et paramenta rubea de veluto teneri jubemus ; et sicut in die Natalis Domini, quando Deus filium suum misit in terris ; sic et ista die, qua Spiritum sanctum super Apostolos effundere dignatus est, quoad Reliquias et ornamenta tam aurea quam argentea et alia, volumus observari.

De festo Corporis Christi. ℟. XXVII.

Rubea

Quamvis de isto festo jam supra in Cœna Domini ordinavimus, tamen quia summe rationabiliter per Ecclesiam est ordinatum, quod ista die ejusdem festivitatis fiat commemoratio ; ne solemnitas, quam tempus Passionis tunc impedivit, prætermittatur ; sed majori cum lætitia nunc celebretur, non in colore aliquid mutando (cum valde convenientem colorem rubeum, propter Corporis et Sanguinis Domini confectionem, reputemus) sed in solennitate addendo, ordinamus, paramenta atque indumenta rubea de veluto teneri in hac die : et Reliquiis et aliis ornamentis tam aureis quam argenteis, et aliis ut in festo Nativitatis, altare decoretur.

In festo Nativitatis B. Joannis Baptistæ. ℟. XXVIII.

Ut de Confessore

Quos post mortem nostri Redemptoris in Catholica fide perseverantes, atque in confessione ipsius fidei morientes invenimus, Confessores, cum per Ecclesiam sunt canonizati, appellamus : quanto igitur magis iste, qui Christum confessus fuit, et non negavit, et vias ejus præparavit, Confessor ? cum per verbum Salvatoris canonizatus (attestante [ipso] sibi, inter natos mulierum minime majorem surrexisse) veraciter dici potest. Providimus ergo taliter, quod in festo isto Nativitatis suæ, paramenta et indumenta, quæ in Confessoribus ordinata sunt, teneantur ; et maxime cum in die Decollationis Martyrium valeat in paramentis [rubeis] repræsentari. Insuper imaginem illius, ad cujus salutationem ipse adhuc in utero existens exultavit, in medio retro-altaris poni mandamus ; et postmodum Textus juncti ex utraque parte, et post eos Cruces, propter pœnitentiam quam prædicavit denotandam : et in extremis bassini apponantur.

cum B. V. et Crucibus

In festo S. Annæ. ℟. XXIX.

Hac etiam festivitate ducimus ordinandum, quod si in civitate Majoricensi simus constituti, altare in aureis et argenteis atque in aliis jocalibus, etiam Reliquiis, ut in Nativitate Domini, adornetur.

Majoricæ celebretur,

In festo transfigurationis Domini. ℟. XXX.

Alba.

In die ista, in qua vestimenta Redemptoris, cum coram aliquibus ex Apostolis transfiguratus fuit, alba ut nix facta fuisse attestantur : merito tam indumenta quam paramenta alba teneri volumus, illa videlicet panni aurei ad albedinem trahentia. Postremo tribus Crucibus, una in medio retro altaris, et aliæ post Textus junctos, quos ab utroque latere Crucis mediæ esse ordinamus ; et bassinis, qui post Cruces in ipso retro-altari apponantur ; et imagine Virginis quæ in pede mediæ Crucis collocetur, altare esse volumus adornatum.

cum 3 crucibus et B. M.

De festo Exaltationis S. Crucis. ℟. XXXI.

Eadem consideratione sicut in Inventione moti, ut de illo festo ordinavimus volumus servari ; excepto quod retro-tabularium argenteum minime detrahatur.

ut in festos Invent.

In Dedicatione S. Michael ℟. XXXII.

Alba

Festivitas Angelorum cum summa exultatione est celebranda, cum ipsi a diaboli laqueis nos tuentur et defendunt. Et licet Angelicæ substantiæ speciem solus qui Creator est novit, tamen Angelorum naturam purissimam esse credimus : unde ad præfatam puritatem demonstrandam, vestimentis et paramentis albis est utendum. Et quia ministrantibus Angelis Sancti et Patriarchæ et Prophetæ cognitionem Salvatoris et deinde Passionis habuerunt, tres Cruces esse volumus, unam videlicet in medio et alias in extremis retro-altaris ; nec non merito imaginem illius quæ per Angelum fuit salutata in pede Crucis, quæ stat in medio, collocetur. Inter Cruces vero ex utraque parte retro altaris Textus juncti apponantur ; et in extremis bassini collocentur.

cum 3 crucibus et B. V.

In die omnium Sanctorum. ℟. XXXIII.

Rubea.

Ad illam caritatem et amoris ardorem quibus Sancti in patria cum Deo atque invicem conjunguntur, denotandam, paramentis atque indumentis rubeis uti volumus in hac die : in Reliquiis et in argento et auro atque in aliis ornamentis hac solenni die, in qua Virginis, et Archangelorum Angelorumve Prophetarum, Apostolorum, et omnium aliorum Sanctorum festivitas celebratur, volumus ut in Nativitate Domini esse altare magnificatum.

cætera ut in Nativitate

De mortuis. ℟. XXXIV.

Violacea

Quotiens vero pro defunctis officium agitur, mortificatio et honestas sunt ostendendæ : nam si bene mortem inevitabilem consideraremus, in luctu viveremus. Unde ducimus providendum, quod ista die, et etiam quando contigerit pro defunctis Officium celebrari, paramenta et indumenta livida cum paratura teneantur ; et una Crux in medio retroaltari, et duo Textus disjuncti ab utraque parte, et bassini inter Textus disjunctos inferius in altari apponantur.

In festo Passionis imaginis Domini. ℟. XXXV.

Merito in hac die, in qua ille qui diversis miraculis populum suum Israeliticum instruere olim dignatus est, novissimis temporibus populum Judaicum tanto miraculo, ut ab imagine Crucifixi sanguis emanaret

a,

A *a*, voluit redarguere : paramentis et indumentis rubeis, ad prædictum sanguinem denotandum ; uti volumus, illis videlicet panni aurei ad rubedinem trahentibus. Insuper tres Cruces in retro altari poni jubemus, quarum una in medio et aliæ in extremitatibus retro-altaris collocentur : et inter dictas Cruces Textus juncti ab utraque parte ponantur : bassini etiam in pedibus Crucium in extremis positarum collocentur. Merito enim hac die pluribus Crucibus altare est adornandum, si intime miraculi qualitas attendatur.

a

a *Miraculum istud* Beryti in Syria *contigit, vero similiter circa tempora Constantini et Irenes, quorum anno 8, Christi* 787, *Nicæna 2 Synodus celebrata est, et ab eis flagitatum,* ut per annos singulos... nona dies Novembris, non minori reverentia quam Natalis Domini aut Paschatis ipsa dies, præcipua observatione colatur : *et ipsius Synodi Actis tota historiæ series inseritur.*

De Trinitate. ℟. XXXVI.

Summe pertimescendum est, cum de Trinitate tractatur; quia nihil periculosius alicubi erratur nec laboriosius aliquid quæritur nec fructuosius aliquid invenitur. Tamen quia in qua omnimoda æqualitas viget, internam caritatem esse firmiter credimus et simpliciter confitemur ; ad præfatum caritatis ardorem innotescendum, indumentis et paramentis rubeis esse utendum in hac die in nostra capella declaramus. Volentes ut sicut indumentis, etiam Reliquiis et aliis ornamentis in hac Dominica peragatur.

Rubea propter caritatem.

B

De festivitatibus B. Mariæ. ℟. XXXVII.

In festivitatibus B. Mariæ, in qua velut in speculo virginitas et species castitatis refulsit, et quæ virgo peperit et virgo post partum permansit, paramenta et indumenta alba historiata tenere decernimus. Insuper, quia tantæ dignitatis honore fuit exaltata, ut mater Dei effici mereretur, in Reliquiis et in aliis ornamentis, ut Nativitate Domini, præcipimus observari.

Alba propter Virginitatem

De Martyribus. ℟. XXXVIII.

In festivitatibus illorum qui post Christum, sanguinem suum fuderunt, ut memoria Martyrii habeatur, indumenta et paramenta rubea, ut jam superius insinuavimus, teneri declaravimus ; hoc videlicet modo observato, quod in omnibus festivitatibus Martyrum duplicibus vel Apostolorum, paramenta altaris et vestimenta de panno aureo trahentia ad rubedinem teneantur. Et in medio retro-altaris una Crux est ponenda ; et in qualibet parte retro altaris versus finem alia, ut per Crucem illius quem ipsi secuti sunt eorum Martyrium repræsentetur : et inter dictam Crucem mediam et alias ponantur ab utraque parte Textus conjuncti et in utroque capite dicti retro-altaris ponatur unus bassinus post dictas Cruces.

Rubea,

C

sed in duplicibus de panno aureo,

cum textu inter Cruces,

407 Et si sit festum novem Lectionum non duplex vel festum quod colitur communiter per populum tunc paramenta et indumenta de panno serico cum operibus auri sparsis habeantur et in medio retroaltaris una Crux ponatur, et hinc inde inter extremam partem dicti retroaltaris et Crucis, quæ est in medio, apponantur Textus conjuncti. Si vero sit festum tantum trium Lectionum, tunc paramenta et indumenta de serico rubro sine operibus et paramentura teneantur : et in medio retroaltaris ponatur una Crux, et in utroque capite bassini apponantur, et in medio bassinorum et dictæ Crucis ponantur duo Textus separati, a parte utraque videlicet, quod medietas Textus sit ex una parte et alia medietas ex alia.

alias de serico tantum,

cum una Cruce et textibus separatis.

D

De Confessoribus. ℟. XXXIX.

Quia qui Confessores per Ecclesiam nominantur, internis desideriis virentes nulla temporis reprobi ariditate marcescunt, ut superius in principio præsentis Constitutionis legimus ; indumentis et paramentis viridibus uti volumus ; per hunc videlicet modum, quod in festivitatibus Confessorum, si duplices vel Doctores existant paramenta altaris et indumenta de panno aureo quasi viridi livido et violato *a* habeantur ; et in medio retroaltaris ponantur textus adjuncti ; et in utroque capite retroaltaris alii Textus separati, et in medio Textuum hinc et inde bassini apponantur. Et si festa sint novem Lectionum vel alias colenda, tunc paramenta et alia indumenta de panno serico viridium paratura teneantur ; et in medio retroaltaris ponatur. Textus adjunctus : et in utroque capite retroaltaris alii textus separati ; bassini vero non apponantur. Si vero sint festa trium lectionum, tunc de panno serico viridi sine operibus et aliquibus paramenturis ; cetera vero ut supra proxime, excepto quod Textus apponantur in capite retroaltaris ante dicti.

Viridia

a

magis vel minus pretiosa

E

a A viola, violatum ; *sicut a* Rosa, Rosatum. *Italis* Pavonaceus *color a Pavon : magis et re quam Teutonice* Peersch, *id est Perseus.*

De Virginibus. ℟. XL.

Quod in diebus illarum, quæ tantum per virginitatem aureolam habere meruerunt, paramentura et indumenta alba ; et in illarum quæ in femineo pectore virilem animum gerentes ; coronam martyrii virginitatis merito addiderunt, rubea et alba teneantur, per quæ virginitas et martyrium lucide innotescunt, [omnino convenit]. Unde duximus ordinandum, quod in festis sanctarum Virginum, quæ duplicia sunt et Martyres non existunt, teneantur paramenta in altari et vestimenta de panno auri quasi albo et si martyres existunt habentes duplex festum, paramenta altaris de panno aureo quasi rubro apponantur, et indumenta de panno aureo quasi rubeo assumantur. Et in medio retroaltaris una Crux est ponenda, et in pede Crucis in dicto retroaltari imago B. Mariæ apponatur, et in utroque capite retroaltaris Textus conjunctus apponatur ; et hinc inde post imaginem bassini sunt ponendi, et in medio dictorum bassinorum et Textuum prædictorum ab utraque parte una Crux est ponenda : ut tam per Cruces quam per imaginem illius, cujus sunt sequela, et martyrium et virginitas valeat insinuari.

Alba Virginibus tantum

cum Martyres alba et rubea.

410 Si vero sint festa novem Lectionum vel alias colenda et non sint Martyres, paramentis et indumentis de panno serico albo cum operibus auri sparsis induantur : si autem sunt Martyres paramenta altaris de panno serico albo cum operibus auri sparsis ; et indumenta de panno serico rubeo, cum operibus auri sparsis assumantur. Et in medio retro altaris Crux de medio tantum apponatur, et imago B. Mariæ supradicta ad pedem suum, et bassini in extremis retroaltaris : et inter Crucem et bassinos in ipso retroaltaris medietas textus separatim apponatur. Si autem sunt festa trium tantum Lectionum et non sint Martyres, tam paramenta quam alia sint de serico albo, sine operibus et paratura aliquali : si vero sint Martyres et trium Lectionum, paramenta altaris de serico albo existant, indumenta vero de panno serico rubeo cum aurifrisiis adornata. Et una Crux

et cum aliqua varietate in festis 9 et 3 Lectionum

Crux ponatur in medio retroaltaris, in cujus pede imago B. Mariæ est ponenda in altari; et in utroque capite retro altaris bassini apponantur. Et si talis Virgo, etsi sit duplex et novem Lectionum, non est Martyr, eodem modo observetur, excepto quod tunc nulla Crux apponatur.

De Octavis festorum Domini. R/. XLI *et beatæ Virginis et aliorum Sanctorum.*

In octavis ut in festis principalibus,

In omnibus vero Octavis festorum, in quibus Ecclesia Octavas facere dignoscitur, similia paramenta et vestimenta teneantur, quæ festa principalia tenuerunt; excepto quod ita bona et excellentia esse non inerentur. Ita videlicet, quod si in festo paramentis et vestimentis de panno aureo violato viridi vel livido usi fuerint infra Octavas illa die eodem colore, de serico tamen, cum paratura, teneantur: et si in festo tenuerint unum de dictis coloribus cum operibus et paratura, infra Octavas similia teneant,

sed minori pretio,

absque tamen operibus et paratura aliquali: et idem per modum similem de aliis volumus observari. Ducimus tamen attendendum, quod si in festo paramenta et indumenta alba sive rubea historiata apposita fuerint, infra Octavas alba de panno aureo quasi albo, vel illa de veluto rubeo nullo minime teneantur; sed solum illa tunc infra Octavas teneri volumus de panno serico, alba vel rubea, cum operibus auri sparsis. Si vero contigerit quod in festo paramenta unius coloris et indumenta alterius apposita dignoscuntur, sic per eosdem colores infra Octavas volumus observari, hoc tamen salvo, quod semper meliora in festo quam in Octavis apponantur, prout supra est expressum. Et quod diximus infra Octavas observandum, idem volumus in Octavis festi observari, excepto in Octavis festorum Domini et ejus genetricis B. Mariæ, in quibus eadem indumenta deferantur, quæ delata fuerunt in festo principali.

(exceptis Octavis Domini et B. M.)

412 Quantum vero ponenda alia in ipsis Octavis ornamenta [attinet], sic duximus particulariter statuendum, quod in omnibus Octavis festorum Domini in medio retro-altaris una Crux apponatur, in pede cujus in retro altari unus Textus conjunctus est ponendus, et in utroque capite dicti retroaltaris Textus disjuncti apponantur, et inter dictos Textus conjunctos et separatos bassini sunt ponendi: excepto quod in Octavis Paschæ Ascensionis et Pentecostes Crux minime apponatur: nam Paschalis lætitia Passionis memoriam non exposcit. Et ita ducimus observandum infra Octavas festorum præmissorum, excepto quod Textus separati in capite retro-altaris non ponantur: cum dies infra Octavas non tantæ esse solemnitatis, quantum dies Octavas constet evidenter. In omnibus autem Octavis festorum B. Mariæ, in medio retroaltaris imago B. Mariæ est ponenda, et hinc inde prope dictam imaginem Textus juncti poni debent in retro-altari, et in utroque capite retro-altaris bassini apponantur.

cum aliis ornamentis, et cruce,

Omittenda in Octavis nonnulla quædam

413 In omnibus vero aliis Octavis Sanctorum seu Sanctarum Martyrum ponatur in medio retroaltaris una Crux et in utroque capite retro-altaris Textus conjuncti apponantur. Si vero sint Octavæ Sanctarum Virginum et Martyrum simili modo volumus observari, hoc tamen addito, quod tunc imago B. Mariæ in pede Crucis apponatur in altari. Si vero sint Octavæ virginum non Martyrum, imago B. Mariæ apponatur in loco Crucis antedictæ. Et idem infra Octavas festorum prædictorum volumus observari; quantum ad imaginem et Cruces supradictas: et quod bassini in utroque capite retro-altaris sunt ponendi; et in medio inter dictos bassinos et Crucem sive imaginem, positam in medio, Textus apponantur separati. Si vero fuerint Octavæ Confessorum, unus Textus junctus in medio retroaltaris est ponendus, et in utroque capite Textus separati sunt ponendi: et idem infra Octavas volumus observari; hoc tamen adjuncto, quod in loco Textuum, qui ponuntur in utroque capite retro-altaris, ponuntur bassini et non Textus supradicti.

Crux ponenda omnibus Martyribus

et non B. M. Virginibus non Martyribus

Confessoribus Textus.

In Vigiliis festorum. R/. XLII.

In Vigiliis festorum, quæ secundum Ecclesiam Vigiliam habent, circa ornamenta et indumenta, observetur prout infra Octavas festorum est superius ordinatum; exceptis Vigiliis in quibus specialiter duximus providendum.

Ut infra Octavas.

De Dominicis diebus. R/. XLIII.

In omnibus Dominicis anni diebus paramenta [altaris] et indumenta ministrorum de panno viridi cum paratura apponantur; exceptis Dominicis Quadragesimæ, quibus uti volumus paramentis et indumentis lividis cum paratura, ut tempus mœroris et luctus valeant nostris oculis præsentare. Insuper statuimus observandum, quod in omnibus Dominicis anni diebus ponatur una Crux in medio, retro altaris, et in pede Crucis unus Textus conjunctus apponatur in retro-altari prædicto, in cujus capitibus alii Textus separati apponantur; ita quod, inter Textus junctos et Textus separatos ante dictos bassini apponantur; excepto quod in diebus Dominicis de Pascha usque ad Pentecosten Crux minime apponatur: et in diebus Dominicis ab Adventu usque ad Purificationem imago B. Mariæ ponatur in medio retro altaris, et Textus conjuncti in utroque capite retro-altaris antedicti apponantur; et nihilominus hinc inde prope dictam imaginem bassini supradicti.

Viridia

seu Violacea in Quadragesima,

Crux cum Textu:

isto tempore Paschali omittitur,

et in adventu ponitur B. V. usque ad Purificationem,

416 In diebus vero Dominicis in quibus fuerit faciendum de aliqua Octava et non de ipsa Dominica, teneantur paramenta et indumenta sicut in die festi, si tamen festum fuerit novem Lectionum tantum, modo consimili etiam ponatur argentum etiam in altari, sicut in die festi de quo fit Officium erat apponendum. Si vero fuerit Duplex et fieret de Octava, tunc omnia prædicta teneantur, sicut in die festi novem Lectionum est superius ordinatum. In Dominicis vero diebus, quæ infra Adventum occurrerint paramenta et indumenta de panno serico albo uti volumus, cum operibus auri sparsis sæpedictis. Et idem fiat a Nativitate Domini usque ad Purificationem: nam etiam isto tempore memoria partus virginis, in quo vivimus, sumus, et movemur, qui cum summa puritate processit, est fienda: et idem fiat a Pascha usque ad Ascensionem, ut lætitia Paschalis ostendatur.

cum paramentis Albis

uti et tempore Paschali

De diebus Veneris. R/. XLIV.

In omnibus vero diebus Veneris, quibus Missa erit de Cruce teneantur paramenta altaris et indumenta de panno serico rubeo cum operibus auri sparsis; ut sic mortificationem, quam a nobis tali die debemus habere, per paramenta altaris, ostensa memoria sanguinis, quem pro nobis Christus effudit, minime relinquatur. In medio vero altaris una Crux apponatur, et in utroque capite dicti retro-altaris bassini ante dicti, et inter Crucem et prædictos bassinos ab utroque latere Textus apponuntur separati.

Rubea,

cum Cruce.

De diebus Sabbatinis. R/. XLV.

In diebus namque Sabbatinis, quibus Missa erit

Alba cum statua B. V.

de B. Maria, paramenta et vestimenta de panno serico albo, cum operibus auri semitatis, teneantur, ut ex hac summa ipsius virginitatis repræsentetur : et in medio altaris imago B. Mariæ apponatur, et in utroque capite ipsius Textus apponantur separati ; et inter imaginem et dictos Textus alii Textus separati sunt ponendi; et inter dictos Textus hinc et inde inferius in altari bassini apponantur.

De ferialibus diebus. Rª. XLVI.

Crocea, per annum ;

In ferialibus autem diebus teneantur paramenta et indumenta de pannis sericis ad colorem croceum trahentia. Verum quia secundum tempora est fienda differentia; volumus quod ab Adventu usque ad Purificationem, ad honorem Virginis et a Pascha usque ad Ascensionem, propter Paschalem lætitiam teneantur illa de pannis albis absque operibus auri et paratura : in Quadragesima etiam illis lividis sine paratura et aureis operibus altare paretur atque Sacerdos induatur : ista enim præ ceteris honestiora Quadragesimali tempore duximus eligenda. Circa cetera ornamenta statuimus, quod in prædictis ferialis diebus, in quibus non fit de aliquo festo nec etiam de Octavis, ponatur una Crux in medio retroaltaris, et Textus disjuncti hinc inde inter extrema retro altaris et dictam Crucem : ita tamen quod in Adventu Domini, loco prædictæ Crucis, imago B. Mariæ sit ponenda.

in Adventu et Paschate Alba,

violacea in Quadrag.

Crux cum Textu.

De quatuor temporibus anni. Rª. XLVII.

Ut in Quadragesima.

Mortificationem et luctum in Ecclesia ostendere oportet temporibus, quibus, ad carnis vitia comprimenda, pœnitentia per jejunium agitur : unde in jejuniis quæ Quatuor tempora nominantur, ut in diebus ferialibus Quadragesimæ ordinamus tam in paramentis quam in argento fore penitus observandum.

De reliquo sacro apparatu et officiis variis (a) Rª. XLVIII.

a

Quando Altare parandum,

Omnibus diebus non paratur altare in Vesperis nec in Matutinis, nisi solum in Missa; nisi esset festum duplex, quia tunc debet parari in Vesperis et in Matutinis. Retroaltare vero majus paramentare non teneatur, nisi esset festum Duplex. Officium vero duplex fiat illis diebus, quibus per Ecclesiam ordinatur; et in Vigilia Natalis Domini et Pentecostes, et in festo S. Crucis de Majo, S. Annæ, S. Ludovici Episcopi, et S. Ludovici Regis; et in festo XI millia Virginum, et Imaginis Passionis Christi, et S. Elizabeth, et in omnibus diebus Sabbatinis, quibus cantatur de S. Maria in Missa solum quantum ad diem sabbati. Et volumus quod de omnibus festis superius nominatis fiat Officium, licet in Kalendariis minime habeantur. Et idem volumus observari de festo S. Claræ ; non tamen quod duplex fiat.

Officium duplex faciendum,

422 Item ordinamus, quod in festo seu officio duplici Diaconus et Subdiaconus præparentur, et quatuor capæ per ministros teneantur, de quibus duæ sint de paramentis altaris, et aliæ duæ de indumentis Sacerdotis; si indumenta et paramenta sint diversa : et si non, magis similes quam poterunt illis de prædictis paramentis inveniri. Et in omni festo quod colitur, licet non sit duplex, teneantur duæ capæ similes Sacerdotalibus indumentis. Item ordinamus quod in festo Natalis Domini, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, S. Annæ (si Nos tunc in Majorica existamus), S. Crucis Septembris (si simus in Perpiniano) Omnium Sanctorum, S. Trinitatis, et in quatuor festis B. Mariæ sex capæ teneantur, de quibus duæ sint de paramentis altaris, et reliquæ quatuor sint, ut magis poterunt, similes duabus antedictis, nisi indumenta a prædictis paramentis sint diversa : quo casu duæ capæ de quatuor supradictis sint de indumentis antedictis.

quæ et quot cappæ adhibendæ,

423 Item volumus et ordinamus, quod continue duo tortitia in Elevatione Corporis Christi habeantur; excepto quod in diebus solennibus, quibus sex capæ in divinis Officiis tenebuntur, sex tortitia in Elevatione prædicta sint habenda : et quodlibet tortitium sit ponderis sex librarum. Item ordinamus, quod omnibus diebus ferialis et in festo trium Lectionum, qui quidem non coluntur, teneantur duo cerei in Missa, quilibet de uno quartone *b*; et in omnibus diebus Veneris, quibus officium fiet de Cruce ; et cum festo non duplici novem Lectionum, licet non colatur, habeantur in Missa duo cerei, uterque de media libra, sed in officio seu festo duplici quatuor teneantur, quorum duorum quilibet sit de uno quartone, et alii duo quilibet de media libra. In omnibus vero festivitatibus quibus sex capæ habentur, duodecim cerei teneantur, quorum duo sint quilibet de uno quartone, et alii duo quilibet de media libra, ceteri vero quilibet unam libram habeant ponderare.

quot tortitia sub elevatione

et cerei in Missa; b

424 Item diximus pie providendum quod in festo Natalis Domini, S. Joannis Evangelistæ, S. Silvestri, Circumcisionis, Epiphaniæ, Purificationis B. Mariæ, Ramis palmarum, diei Veneris sancti, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, S. Petri, S. Pauli, S. Annæ (si in Majorica eo tunc existimus) Assumptionis B. Mariæ, S. Ludovici Regis Franciæ, Nativitatis B. Mariæ, S. Crucis Septembris, S. Michaelis, Omnium Sanctorum, S. Trinitatis, S. Elisabeth, et in omnibus diebus Dominicis Adventus et Quadragesimæ, sermo in capella nostra seu coram Nobis habeatur, hoc observato ordine, quod de Religiosis, ad divinum verbum prædicandum deputatis, habeatur una die prædicator de uno ordine, et alia die de alio, donec omnes, qui in loco fuerint, sic transierint.

quibus diebus sermo habendus,

et a quibus

425 Item ordinando ducimus providendum, quod in festo S. Silvestri, Purificationis B. Mariæ, et in die Ramis palmarum, Ascensionis, festo Corporis Christi, S. Annæ (si in Majorica existimus) et Assumptionis B. Mariæ, et sanctæ Crucis Septembris, solennis processio fiat cum capis ; excepto quod die Ramis-palmarum duæ capæ solum habeantur. In processionibus vero S. Crucis, quæ fient in Perpiniano, et S. Annæ quæ fient in Majorica, omnes Reliquiæ, tam illæ quæ sunt in Capellis Regiis locorum prædictorum, quam illæ quas nos in propria nostra Capella habemus, honorifice deportentur. Et quod Prælati, si possibile extiterit, ipsas portare teneantur, quilibet digniores juxta suum gradum : et in defectu Prælatorum, ipsas portare habeant Priores Ordinum paupertatis, vel Guardianus Minorum, vel alii Clerici in gradibus magis honorati. Et portentur pulchriores capæ, quæ poterunt, bono modo.

quando ducenda processio,

Reliquiæ deferendæ,

a quibus,

426 Et Capellani qui administrationem habent Capellæ, tunc provideant attente, quod colores caparum concordent, ut magis poterunt, conditioni Reliquiarum prædictarum : videlicet, quod illi qui Reliquias Martyrum portabunt: capas portent rubicundas ; et sic de aliis, juxta propriam significationem colorum, quæ superius per nos extitit declarata : et sint octo vel decem intortitia incensa in processionibus supradictis. In processione vero Corporis Christi, portetur Corpus ipsius in quadam custodia valde pulchra, taliter quod videri possit claro modo : super

quo ornatu capparum,

quo comitatu ministrorum,

A super quod honorifice super-cœlum c apportetur una cum octo vel decem intortitiis supradictis.

c

427 In quibus omnibus processionibus unus Textus per Subdiaconum apportetur, qui illum qui facere debet Officium antecedat: et in utroque latere dicti Subdiaconi sit unus Scholaris, cum candelabris et cereis accensis, quolibet ponderis libræ unius: et duo Clerici sive Scholares, qui ante Subdiaconum incensum præferant continue et attente. Ille vero, qui in prædictis processionibus Crucem deportabit, Dalmatica induatur, et in utroque latere unum Clericum sive Scholarem habeat: qui cereos, quemlibet unius libræ ponderis lumine incensos, ornate deferant et honeste. Omni vero tempore quo Diaconus et Subdiaconus in Missa existent, duo cerei incensi Sacerdoti terti ad Missam in introitu antecedant: et tunc altare incensetur: quod quidem modo simili, cum Evangelium incipietur, volumus observari; nisi in die Veneris sancta, et si de Mortuis contingeret celebrari. Item in omni festo Duplici ad Magnificat in utrisque Vesperis, et ad Benedictus in Matutinis, et in Missa post Oblationem, incensum ministretur: et idem observetur in Missis etiam festorum colendorum d, licet Duplicia non existant.

quibus item utendum in solenni Missa

et Officio

B

d

De Dua quando dicendum ;

428 Omni vero tempore, quo non sunt Missæ solennes cum Diacono et Subdiacono, post finitam Missam, dicatur Officium sive Missa e sicca B. Mariæ, nisi dicta dies esset Vigilia vel festum alterius Sancti: quo casu Officium dictæ Vigiliæ vel dicti Sancti dicatur, Officio B. Mariæ prætermisso. Si vero illa dies esset festum alicujus Sancti et Vigilia, vel essent Octavæ simul, vel festum duorum Sanctorum simul, ultra illud de quo Missa fuerit principaliter celebrata, dicatur Missa sicca de ambobus supradictis. Et quando Missa solennis cum Diacono et Subdiacono fuerit celebrata, nisi illa die fuerit festum Domini, vel B. Mariæ, vel omnium Sanctorum: quantum ad Officia Vigiliarum et Octavarum et Sanctarum idem volumus observandum. Officium vero sive Missa sicca B. Mariæ non dicatur in diebus, quibus Missa cum Diacono et Subdiacono celebratur, nisi esset dies Sabbati, qua post Missam principalem dicatur. Et idem in diebus Veneris volumus observari, si Missa Major de Cruce non fuerit celebrata.

e

quando Missa sicca ?

ANNOTATA D. P.

C

a *Non solum locus scribendæ Rubricæ relictus Vacuus, sed etiam quadrata initio littera, demonstrant novum caput hic inchoari, cui Rubrica propria debeatur: hanc ergo suppleo.*

b Quarto *pars quarta libræ, quantitas sive ejusque: dicitur de liquidis, de* Quarto *et* Carto, *vide Cangium.*

c Supercœlum, *vulgo Baldachinum, umbella.*

d Colentia festa, *id est, a populo feriato colenda.*

e *De* Missa sicca *vide Cangium, ubi ex Echio definitam leges,* Simulationem Missæ, Sacerdote agente quæ sunt celebrantis cum Introitu, Collecta, Epistola, Evangelio et Canticis: qui tamen quia non vult communicare, non consecrat; ita ut Missa sit sine Corpore et Sanguine Domini. *Et talis Missæ frequens usus erat olim, in navibus; legimus etiam aliquos pios Sacerdotes peracto Sacrificio, subjungere solitos ex privata devotione quatuor vel sex istiusmodi Missas: Differunt autem a* Missis Præsanctificatorum, *quibus utuntur Græci in diebus jejunii, quia in istis non consecratur quidem, communicatur tamen ex Sacrificio diei vel Dominicæ præcedentis.*

D

De Eleemosyna, per Eleemosynarios distribuenda. R'. XLIX.

Intuentes ac nostræ Memoriæ commendantes verbum Dominicum, quod suis dixis discipulis, Pauperes vobiscum habebitis; ac etiam verbum Propheticum, Frange esurienti panem tuum, ac egenos vagosque induc in domum tuam; pietatis ac caritatis impulsu constringimur, quod ad sustentationem pauperum nostrum animum convertamus: et iisdem cum eleemosynis et cum aliis piis subsidiis, non ut tenemur, sed ut possumus, misericorditer succurramus.

Misericordiæ a Deo præceptæ intuitu. Mat. 26, 11. Is. 58, 7.

429 Ordinamus itaque et statuimus, quod anno quolibet assignentur pro eleemosyna extra illam, quam alias tam in Religiosos quam in alias personas erogamus per alios nostros Officiales) dandas pauperibus et distribuendas, quingentas libras Barcinonenses. Item eidem Eleemosynæ tres solidos in octo denariis ipsius monetæ, per Eleemosynarios a nostro Botellerio percipiendos diebus singulis assignamus, de quibus panis ematur, continue ante portam nostri hospitii Regii Christi pauperibus erogandus: ac etiam dari volumus die qualibet per emptorem carnium medium arietem pauperibus supradictis. In diebus vero jejunalibus, puta in Quadragesima et aliis quibus a carnibus abstinetur, volumus quod tantum detur pauperibus in pecunia per emptores prædictos, quantum valet medius aries, et sic præcipimus inviolabiliter observari.

definiuntur quotannis distribuendæ libræ 500

et quotidie 3 solidi cum 8 denariis in panem,

E

cum medio ariete aut ejus valore:

430 Fragmenta insuper, quæ supersunt, de mensa nostra et domesticorum nostrorum dentur et distribuantur in porta nostri hospitii, qualibet septimana per tres dies. Die videlicet Dominica dentur fragmenta prædicta: et ultra illa, ac etiam panes, quos Eleemosynarius recipiet a Botellerio nostro prædicto; XV solidi et unus aries et medius dictis pauperibus. Die vero Martis sequenti, X solidi et unus aries; ac die Jovis sequenti, alii X solidi et unus aries pauperibus erogentur. Et ultra prædicta, volumus jam dictæ eleemosynæ, in porta nostri hospitii dandæ, fragmenta quæ supererunt in coquina, tam in carnibus quam aliis cibariis assignari. A prædictis vero excipimus eleemosynam, dandam diebus quibus nos itinerare continget, quam diebus singulis dari volumus, et non ter in septimana, ut est dictum.

item ter in hebdomade reliquiæ mensarum

cum ariete uno et aliquot solidis

in itinere autem quoti-
:

431 Ulterius panem et vinum, quos in nostra botellaria ita deteriorari contigerit, quod coram nostris domesticis ad ponendum convenientes non essent: nec non fructus et caseos, qui hujusmodi in nostra fructeria reperti fuerint; et nobis itinerantibus, si panis vel vinum, fructus aut casei penes eosdem Botellerium et Fructerium remanerent, qui communiter per ipsos portari non possent, eidem eleemosynæ, quoties taliter evenire contigerit, assignamus. Nec non assignamus eidem eleemosynæ omnia tortitia et cereos, libram unam non excedentes, quæ ad servitium nostræ Capellæ ministrantur, incontinenti cum medietas ceræ cujuslibet illorum servierit, vel combusta in servitio ipsius Capellæ fuerit; et non ante.

F

item quæ in botelleria deteriorari contigerit,

aut in fructeria

et ceræ ac medietatem combustæ in usu capellæ.

432 Præterea assignamus præfatæ eleemosynæ omnes condemnationes, quæ de nostrorum domesticorum quitationibus fierent perhabentes potestatem: quas condemnationes præfati Eleemosynarii a Scriptore rationis habere procurent cum effectu. Quæ condemnationes, simul cum alia pecunia eleemosynæ, Christi pauperibus erogentur: et illud quod pro Bullis plumbeis vel aureis, privilegiis imponendis, in nostra recipitur, secundum per nos ordinata, Cancellaria. Etiam dentur ultra prædicta, qualibet die

item mulctæ domesticorum,

et pretia bullarum :

quid dandum Pauperibus quorum pedes,

A die Jovis, septem pauperibus, quibus pedes lavamus, cuilibet xvi denarii, et in illa die Jovis, in qua Salvator noster, nobis exemplum relinquens, Apostolorum pedes lavit, tredecim pauperibus, quibus etiam ducti exemplo nos lavamus, cuilibet pannum lanæ pro uno supertunicali, *a* et una tunica, et pannum lini pro una camisia *b* completa, et pileo, et xvi denarii pro consuturis; et alii xvi denarii post pedum ablutionem, quibus prandium in nostro palatio præbeatur. Præterea etiam singulis diebus detur prandium in nostra curia septem pauperibus, ut devotionem Regiam lavandi eis manus, ob honorem illius, in cujus manu corda regum esse dignoscuntur, exsequi possimus ut optamus. In Parasceve autem Domini, tredecim, quibus ultra manuum ablutionem, ad honorem illius dulcis Jesu, qui propter suam passionem incorruptibili cibo æternæ gloriæ hac die nos satiavit, genibus flexis cibaria ponimus.

aut manus Rex lavat,

quid Ordinibus mendicantibus

433 Volumus insuper Ordinibus paupertatis terræ nostræ eleemosynas elargiri per modum qui sequitur, ultra alias eleemosynas, quas recipiunt in nostra absentia: videlicet cum eramus in terra B Rossilionis, dentur anno quolibet ante festum Natalis Domini, Prædicatoribus *c* Perpiniani, in adjutorium vestitus, x libræ; ac illis de Cocolibero *d* dentur v libræ; et de Podio Ceritano *e* v libræ. Fratribus etiam Minoribus Perpiniani dentur x libræ; de Villa Franca, *f* v libræ; et Sororibus S. Claræ de Perpiniano, vi libræ et x solidi; et Dominabus S. Salvatoris de Perpiniano, v libræ. Cum vero in insula Majorica vel aliis insulis nos esse

per varia loca.

contigerit, vel etiam in Monte-pessulano, anno D quolibet prope festum omnium Sanctorum dentur singulis Ordinibus civitatis Majoricensis et etiam insularum, pro eorumdem vestitu quantitates supradictæ; hoc excepto, quod si dicto tempore nos in Monte-pessulano esse contigerit, volumus quod Conventui Prædicatorum dicti loci dentur xv libræ, et Sororibus Minoribus ejusdem loci x libræ, ac etiam Sororibus Ordinis Prædicatorum aliæ x libræ.

ANNOTATA D. P.

a Supertunicale, *intelligo togam vel chlamydem.*

b Camisia, *a* Cama *lecto, indusium dicitur sive interula:* completa *autem censeri videtur, quando additur sudarium cum calceolis lineis, aliove apparatu interiori.*


c *De Conventu Prædicatorum Perpiniani egi 24 Junii, ubi de S. Joanne Bapt. occasione manus sinistræ istic servatæ.*

d Caucoliberis, *vulgo* Collibre *Hispanis, Francis* Collievre, *oppidum littorale in Russinonensi comitatu ad radices Pyrenæorum, 5 leucis a Perpiniano. Nondum is conventus venerat in censum a Bartholomæo Pisano collectum an.* 1400.

E

e Podium-Ceritaniæ *vulgo* Puicerda *caput Provinciale istius.*

f Villa franca, *ad aliarum synonymarum distinctionem* Confluentum, *vulgo* de Conflent *dicta,* 10 *leucis abest Perpiniano ad radices Pyrenæorum, in comitatu Ruscinonensi.*



INCIPIT OCTAVA PARTICULA

De ordinationibus ad officium Magistri-rationalis et sibi subjectorum pertinentibus *a.*

a *Frontalis imago, præter Cancellarii figuram exhibere videtur Regem, alba mula invectum, cum sella rubra veste rosacei coloris, pileo seu galero ceruleo, rubri serici paratura subterto. Fundus tabulæ hac parte purus relictus a sculptore, in ipso codice distinguitur violaceis tessellis ad eum modum quo ceruleis distinguitur similis fundus post imaginem Regis Jacobi, facientis primam sui libri litteram in tabula* 1.

De falliis. Rꝟ. I.

Ne facile a Curia absint domestici,

Cum deceat Principes providos, circa ea quæ eorum honores videntur concernere, ingenuis prævidere; sitque honor non modicus illis, habere continue penes se præsentias suorum domesticorum, quorum plures, si absentes a Curia sua gagia *a* sive quitationes reciperent; forte, imo sine forte, frequenter ipsam continuarent et associare curiam omitterent.

statuitur, ut nemo pro se vel suis animalibus gagia accipiat

434 Ideo statuimus et etiam ordinamus, quod nostris domesticis quibuscumque, nisi pro illis dumtaxat diebus, per quos in nostra Curia præsentes, saltem aliqua hora diei vel noctis, affuerint, ex suis gagiis vel quitationibus eis pro animalibus aut animali, per ipsos tenendis, aut pro victu dari ordinatis, aliquid eis minime præbeatur. Decernentes quod omnes, a nostra curia quitationes recipientes, pro duobus vel pluribus animalibus, medietatem nimirum ipsorum animalium in equo vel equis tenere sunt adstricti. Et si contra fecerint sexdecim dierum pro quolibet equo, et octo dierum pro singulis aliis animalibus tenere omissis, in suis quitationibus die quolibet aggraventur. Illis vero tenere debentibus unum animal, qui illud tenere omiserint; licet diebus singulis præsentes in curia fuerint; tantum medietatem dictorum gagiorum sive quitationum eisdem solvi debere declaramus.

nisi pro diebus quibus servierit:

nec qui abfuerint die Pentecostes, b

435 Præterea declarantes, quod recipientibus pecuniam a nostra Curia; nihil nisi illis qui in nostra Curia festo Pentecostes præsentes fuerint, nisi aliter, dando eis *b* pannos, ordinaremus, exolvatur: nec etiam jura alia eis, ultra quitationes pro animalibus assignata, nisi semel ad minus in anno in Curia nostra fuerint visi, solvantur ullo modo. Illis vero qui a nostra Curia vinum et ceram et panes recipiunt, pro diebus quibus in Curia fuerint, præstetur tantummodo. Nuntiis autem per Nos ex dictis domesticis destinandis, si durante hujusmodi destinatione eis de nostra pecunia necessaria fuerint exhibita, de qua reddant Rationali computum, fiant falliæ in omnibus, prout supra, excepto in vestitu, si infra ipsum tempus festum Pentecostes contigerit evenire. Veruntamen si Nuntii prædicti mare transfretare haberent, et ex hoc sua animalia secum ducere non valerent, eo tunc sua gagia seu quitationes pro ipsis animalibus, hic hac de causa dimissis, etiam expensas pro personis de illis pensantibus recipiant integras et habeant.

exceptis nuntiis, si fuerint a Curia alio missi.

ANNOTATA D. P.

a *Vide Cangium ad vocem* Vadium, *unde* Gagium *duci creditur, et significat stipendium famulare vel militare; atque hinc* gagiare, *stipendio conducere. Significat etiam* Gagium *mulctam pecuniariam.*

b *Quid hic proprie significet* pannus, *non facile divinaverim. Cangio quidem videtur posse sumi pro parte vestis, sive pro segmentis panni, quæ ex thoracibus pendent, sed neque hic neque alius sensus Gallicæ vocis* Pan *quidquam ad* Gagia *facit, quod ego quidem divinando assequar.*

De Logueriis animalium. Rꝟ. II.

Cum quis ad laborem admissus, a condigna non sit mercede depellendus; ideo statuendum ducimus et ordinandum, quod personis quibuscumque solitis eorum bigas et suorum animalium, locare, quæ cum animali, vel sine animali, pro nobis aut nostris negotiis, sponte vel coacti, in officio nostri Majoris Zemblerii servitium impenderint, decentia impendantur logueria.

Ut animalium locationes rite solvantur,

436 Ordinamus igitur, quod cuilibet personæ, quæ cum animali, sive de sella, sive de bast *a* fuerit, per nostrum majorem Zemblerium vel Subzemblerium, pro nostris negotiis conducta, per ipsum Zemblerium de nostra pecunia, pro unaquaque die, qua in nostro fuerit servitio, tam pro se quam pro animali, sexdecim denarii Barcinonenses, et magis unus denarius Barcinonensis pro ferraturis ipsius animalis, etiam et omnes expensæ quas dicta persona pro suo victu et animalis fecerit existens in ipso nostro servitio, dentur plenarie et solvantur. Cuilibet vero personæ sine animali, pro nostris negotiis per dictum Zemblerium, vel ejus nomine alium conducendæ, dentur eidem per eumdem de loguerio XII denarii Barcinonenses: nisi majus vel minus ipse Zemblerius illi viderit fore dandum.

a statuuntur 16 denarii ductori, præter expensas faciendas, et 12 pro animali,

437 Insuper ordinantes, quod animalia conducendi per nostrum prædictum Zemblerium, deferre quamlibet sarcinam, ponderantem ultra tria *b* quintalia, minime teneantur. Verum si præfatus Zemblerius, vel alius quicumque, aliquod animal ex prædictis animalibus oneravit, invito ductore illius, contra hujusmodi nostram ordinationem, et ex hoc illud animal mortuum vel debilitatum fuerit; eo tunc dictus Zemblerius, vel alius qui inde culpabilis extiterit, de suo proprio valorem dicti animalis sic mortui, vel minus valentiam, ubi non mortuum, sed debilitatum fuerit, soluturum dicto ductori merito agnoscat obligatum. Et quoties dictus Zemblerius per ductores dictorum animalium fuerit rogatus, ponderet in illorum præsentia sarcinas, seu cargas eis ordinatas ad portandum. *c*.

non nisi ad 300 lib. onerando, b

alias damnum resarciet Zemblerius c

ANNOTATA D. P.

a Bastum, *Clitellæ dicuntur, a Teutonico* bast *funis, quia funibus adstringuntur, non loris, ut sellæ equestres.*

b Quintale *sive* Quintallus *definit Hovedenus* pondus centum librarum *de quo vide Cangium.*

c *Quod vacuum erat ultimæ paginæ implebat scutum Domini Guilielmi de la Baume, scripto Codice tunc appictum, cum is venit in potestatem dicti Nobilis viri. Omnia duplo minora in Præfatione exhibuimus.* 10.

DE

BREVIS HISTORIA
REGUM MAJORICENSIUM

§. I. *Insulæ et regis Majoricensis expugnatio, Mauris inde ejectis.*

Regni Majoricensis conditor

Index Comitum Ruscinonensium, anno MDCXLII *Tolosæ in Aquitania editus a Joanne Samblancato, viro istic erudito, declarat, quomodo extincta, prima comitum ab Unfredo ductorum stirpe, octavus in possessionem Ruscinonis ac Ceritaniæ venerit* Alfonsus *Aragonum Rex eo nomine primus, anno ab incarnatione Domini* MCLXXVIII. *Filius ejus* Petrus II *ipsas patruo* Sanctio *proprias habere permisit. Hujus filio* Nunnio *sine liberis defuncto, decimus. Comes nominatur* Jacobus I Rex Aragoniæ, *qui pulsis Balearium possessione Mauris, gloriosum Conquæstoris titulum meruit; felicissimus ætatis suæ Princeps dicendus, si quem facile a Francis, aliquid veteris juris in istas sibi confines provincias prætendendibus, obtinuit pacem eamque perhonorificam; tam firmam domi pater inter filios stabilivisset concordiam. Quomodo autem hoc frustratus, illa potitus sit, priusquam ex Samblancato narrem, et deinde Majoricensium Regum historiam prosequar, placet exponere Balearium expugnationem, obiter in Præfatione delibatam, sicut eam lib.* 12 *rerum Hispanicarum cap.* 14 *exponit Joannes Mariana noster in compendium redigens, quæ Hieronymus Zurita prolixius refert primis decem capitulis libri* 3 *Annalium Aragoniæ. Opportunus utique ingressus hinc dabitur in Historiam eorum, qui ex Jacobo Conquæstore prognati regnum istud tenuere, aut eo pulsi jus in ipsum.*

Jacobus I Aragoniæ Rex,

intellecta fertilitate Balearium,

2 Jacobum Aragoniæ Regem qui compositis Procerum motibus specimen indolis egregiæ dederat. atque præstantis, una belli adversus Mauros sumendi cura, dies noctesque solicitabat. Accidit, ut Tarracone in convivio, quo splendide acceptus erat a cive ejus urbis primario Petro Martello, (forte erat prospectus in mare) remotis mensis, inter varios sermones, ut fit, de vicinis insulis disputatio iniretur. Petrus occasione arrepta, quanta esset commoditas Balearium atque nobilitas, quanta fertilitas agri, damnaque, quæ propter locorum vicinitatem nostris littoribus inferrentur, longa oratione disseruit, rerum et locorum a multo usu peritissimus. Retabohihes earum insularum Rex erat, religione Maurus. Forte acciderat, ut naves aliquot Catalaunicæ ab insulanis essent captæ. Missus socialis damna ut reponeret, et naves restitueret Maurum postulavit Regis Aragonii nomine. Maurus insigni fastu, ecquemnam Regem nominaret, rogavit. Ille Aragonio, inquit, Rege illo genitum, cujus virtute ad saltum Castulonensem gens vestra cæsa, et profligata est. Parum abfuit eo responso reddito, quin violaretur: jus tamen gentium valuit; ita ut continuo ex insula cogeretur abscedere.

et privatis injuriis motus,

3 His injuriis Aragonius Rex provocatus, libentius bellum sumpsit. Barcinone in conventu procerum, de totius belli ratione coram Rege disputatum. Sancitum ut mense Majo dimidiato, copiæ omnes ad portum Salonium convenirent, unde parata classe trajiciendum erat. Hæc omnia tam propensa provincialium voluntate audiuntur, ut Bovaticum semel tantum Regibus concedi solitum, populis volentibus denuo fuerit impetratum.

in eos proximo Majo decernit expeditionem;

4 Rex soluto conventu, Tarraconem ad tempus præsignatum discedens, æstatis reliquum classe comparanda, instruenda ornandaque exegit. Magnus undique ad Regem militum concursus fiebat, eo Duce quodvis periculum adire cupientium. Mense Septembri milites in naves impositi e portu solverunt, numero ad quindecim millia peditum, equites mille quingenti. Classis centum quinquaginta quinque naves numerabat, onerarias quinque et viginti, Longas duodecim, reliquas speculatorias, victuarias, hippagines. Provectos in mare, ac ferme in conspectum majoris Balearis, quo navigabant, progressos ventorum procella disjecit tanta, ut cursum teneri posse non sperarent. Vicit tamen Regis constantia; et ad occasum Solis Euronoto remittente, cui ea loca obnoxia sunt, commutatoque in Circium, quod navigationis reliquum erat, prospere confecerunt.

et magna classe instructa,

5 Insulæ quadrata forma est. Quatuor anguli totidem cœli plagas spectant. Palumbariæ portus, cui Columbaria insula objecta est, ad Occasum pertinet. Promontorium Salinarum ad Meridiem. Medio fere intervallo Majorica urbs Insulæ caput interjacet. Petræ et S. Vincentii promontoria, ad Orientem vergunt et Septemtriones. Petræ promontorio Polentia haud remota est, olim Romanorum colonia, nunc modicum oppidum, sed portu insigne; eum quia classis tenere non potuit venti flatu prohibita, Palumbariam necessario petiit, triginta millibus passuum ab urbe dissitam. Regia triremis in eum portum plenis velis invecta primum est: deinde reliqua classis nulla navi desiderata. Verum cum præ Maurorum multitudine, descensus in terram tutus non esset, ad Sanctæ Pontiæ portum, ulterius aliquanto versus Meridiem et Occasum itum est. Ibi excensione prohiberi nostri non potuere. Levia modo prælia fuere, nostris prospera, barbaris semper adversa.

in Majoricam tendit:

excensionem facit in portum S. Pontiæ.

6 In urbis Majoricæ expugnatione summa totius expeditionis vertebatur. Cui urbs cederet, ei insulæ imperium contingere necesse erat, quod neutra pars ignorabat. Rex Maurus Portopineum, vicinum urbi montem, castris occupabat, numerosis copiis, quas magnis delectibus conflarat ferox magis quam validus. Nostri dum incautius iter faciunt, longiusque hostem abesse credunt, pene oppressi ex insidiis sunt. Ac Gulielmus Moncada Bearnie regulus, et Raymundus Moncada pluresque alii ex ea gente, qui in prima acie curabant, et sinistrum cornu hostium agressi erant, in primo conflictu occubuerunt. Grave id detrimentum fuit. Cujus Rex inscius, reliqua Maurorum agmina magno impetu invasit.

Urbem assessurus

cladem aliquam ex insidiis patitur,

7 Erat genus pugnæ, quale barbaris esse consuevit, perturbatæ atque tumultuariæ. Ordines non magnopere servabant rari modo, modo conferti pugnabant. Si premerentur, pedem referre et loco excedere soliti, collectis rursus viribus repetebant pugnam. Res proxima periculo fuit, ne nostrorum virtus ab hostium circumfusa multitudine opprimeretur. Omnia tamen Regis sive virtus superavit sive felicitas. Barbari primum loco moti, deinde in fugam compulsi: cum se in castra retulissent, superato monte captisque castris, omni ex parte victi sunt. Fugientes sequi non placuit: quod proximus illis receptus esset: regii continenti totius diei labore defatigati, equi, hominesque.

acie confligit;

tandemque repulso hoste,

8 Admota subinde urbi castra. Et quoniam Mauri copioso commeatu instructi, nihil voluntate facturi videbantur,

castra ponit.

A videbantur, quæ expugnandis urbibus usui esse solent, magna diligentia comparata. Machinæ quatiendis mœnibus extructæ : balistæ catapultæque, plutei vineæque subruendo muro. Fossa, urbis profunda lataque, materia repleta. Hæc non paucis diebus administrata : cum opera per se difficilia, hostes impetu et ex insidiis disturbare conarentur. Vinearum ope muro tandem succeditur. Dolabris quatuor turrium imi lapides convulsi : eæque contis sustentatæ, uno tempore igne supposito corruerunt. Barbari ex iis rebus metu perculsi, conditionis primum spem, deinde ea cogitatione depulsi, deditionis tentarunt, salutem pacti, atque facultatem, qui vellent in Africam Regem Maurum sequi, cum rebus suis navigandi. Æqua ea conditio plerisque proceribus videbatur, Nunnio præsertim Ruscinonensi Comiti, cui cum Rege barbaro de ea re colloquium fuerat. Verum Bearnensis reguli, propinqui et necessarii pulcherrimum consilium, sævo vindictæ studio, disturbarunt : cum ignominiosum fore, atque fœdum dicerent, nisi Maurorum excidio tantis Principibus vindicatis, bello finem imponere.

oblatas deditionis conditiones rejicit.

9 Obsessi desperatione salutis in furorem acti, B majori quam antea animo urbem defendunt, sæpe nostrorum non exigua cæde : prorsus ut jam atrocis consilii auctores ipsos pœniteret, si liceret, retractare parati. Ad extremum muri magna parte prostrata, per strages et lapidum rudera evadendum erat. Noctu quidam irrumpendum disputabant, quo tempore urbis vigiliæ remiserant. Rex veritus nocturni temporis licentiam, portas murosque asservari jubet, ne hostis effugeret. Ubi illuxit, instructa acie urbi proximus ex loco unde exaudiri posset, hanc ad milites orationem habuit. « Parem vestris » laboribus gratiam rependere nostræ facultatis non » est. Habete tamen quam desistam. En nova merenti » offertur occasio. Urbem opulentissimam expugnare » hodierno die paratis, cujus spoliis divites evadetis » haud dubium, beatique adeo. Civium strage amis» sos injuria socios, amicos et necessarios vindica» bitis. Nobis vestro labore novum imperium, no» vumque regnum paratur. Obsessi confecti inedia » sunt, imminuti numero, metu debilitati. Pergite » ergo, magno animo in urbem invadite. Numen » propitium habetis. Hæc meta laborum erit, glo» riam conciliabit et immortalitatem. Is maximum » periculum, qui hostium congressum formidabunt, » Audaces, comantes proteget.

extremum assultum facturus,

hortatus milites,

10 » Hæc ubi dixit, semel iterum et tertio pa- C » gnæ signum dat. Milites tamen insolitus aut stu» por, nescio quis occuparat. Rex, Quid inquit, ir» ruere cessatis ? Magno agite animo, invadite. Ad eam vocem magno clamore editio in urbem irrumpitur. Mauri desperata salute locis omnibus occurrunt. Pugna multis partibus fit. Nostri tandem cæsis fugatisque adversariis urbe potiuntur. Regem Maurum in latebras compactum, Jacobus Rex barba apprehensum (nam ita se facturum antea jurarat bono animo esse jubet, atque de salute bene sperare. Arx continuo dedita est, atque in ea Regis filius captus, tredecim natus annos : cui postea Christianis sacris imbuto, Jacobo nomen fuit : prædiaque deinceps in agro Valentino, Gotoriumque oppidum, utrumque Jacobi Regis dono.

urbem et cepit,

facta deditione

11 Capta est urbs Majorica pridie Kalendas Januarii, initio anni millesimi ducentesimi trigesimi. Sedes Episcopi ac domicilium in ea urbe constitutum : tametsi Barcinonenses sacerdotes disputabant, sui juris effectum esse ex tabulis nimirum vetustate obsoletis. Reliqua insulæ oppida, et arces brevi in potestatem redactæ : rebusque omnibus compositis, militum primum maxima pars in patriam dilapsa est : deinde Rex in Catalauniam navigavit.

fundataque ibi Ecclesia victor redit

12 *Hactenus Mariana ex Zurita contracta, quibus libenter ex eodem addiderim, quomodo Majoris Balearis fortunam secuta Minor ac reliquæ deinceps insulæ sint, ut ille sic narrat tom. 3. lib. 32. cap. 6. in fine :* Minorica cernens hanc Majoricæ fortunam, facta est tributaria Regi Jacobo. Duobus annis post Guilielmus Mengri, Electus Tarraconensis vicit Yvisam anno 1230; quando se sponte quidem, sed metu tamen etiam dediderunt insulæ, Formentera, Cunicularia, et Capraria. D

ceteræ insulæ veniunt in potestatem.

13 *Poterat exhinc Jacobus* Rex Aragoniæ et Majoricæ *dici; sed grandiori titulo contentum vixisse, donec ex ejus diplomatis quæ necdum vidi, probetur contrarium, tamdiu credam, quamdiu videbo in hisce Legibus Palatinis auctorem dici* Jacobum II, *qui alias respectu avi sui, de quo mox, Jacobus III nominandus fuisset. Igitur Majoricense regnum tunc primum institutum fuisse dicam, cum ipsum secundo genito suo Jacobo, Regum Majoricensium primo, tradidit Jacobus Conquestor. Hoc autem regnum, cum fuerit ejus virtute acquisitum, neque Aragoniæ Coronæ unquam antea subjunctum, potuit illud sine justa cujusquam querela dare cui vellet, etiam externo, summo jure tenendum : de Ruscinonensi et Ceritaniæ Comitatibus non item : quippe Alfonso I jam antea acquisitis, et per Nunnii Comitis beneficiarii mortem denuo reductis ad jus coronæ : a quo non videbantur posse sic absolvi, quin supremum in eos jus penes Regem remaneret ; ut de Francorum Regibus taceam, qui etiam ipsi juris aliquid in eosdem Comitatus, inter Aquitaniam et Catalauniam medios, prætendebant : unde difficultates utrinque extiterunt uti pergo verbis Samblancati narrare.* E

Rex, Aragoniæ titulo contentus.

§. II. *Initium regni Majoricensis, in eoque primus Jacobus Jacobi Aragoniæ R. secundogenitus.*

Jacobus opibus Nunnii defuncti, et orbitate potitus est, eoque imperitante, Ruscino Cateloniæ nomine comprehensa est. Nam anno millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, cum in conventu Barcinonensi de finibus ageretur definitum, Cateloniam ab Hispania Sicori et Cinga fluminibus, a Gallia Salsulis terminari : idque inconsulto Gallorum Rege. . . . . Sed jam Aragonii pro regibus se ferebant, nullo ad Gallos respectu. Neque re ea movebatur, propter, sequitur. . . . . Ludovicus nonus, cui mortuo divini honores decreti, jura ab aliis pœne fastidita repetivit. Ibatur in bellum, F nisi Jacobus Ludovico Corbolium obviam venisset anno MCCLVIII. Ibi congruentia tempori et rei utrimque dicta, atque Ludovicus blanditiis retentus, ne jus suum persequeretur, et ad sanctiora aversus : convenitque ut Philippus Ludovici filius Isabellam filiam Jacobi in matrimonium acciperet. Hoc fœdere, et complexu amico Ludovicum præoccupatum sacri belli consiliis Jacobus pervertit. Quippe cautum, ut alter alteri jus suum remitteret, neque Ludovicus imperium ullum trans Pyrenæum, neque Jacobus cis Salsulas quidquam reposceret. . . . . Tanti fuit affinitas, ne nurum cum dotalibus discordiis domum deduceret. Anno millesimo ducentesimo sexagesimo sexto nuptiarum solemnia Arverni celebrantur.

Rex et Comes institutus Jacobus

rebus cum Gallo compositis

15 Ex tam illustri connubio, et summa in Cateloniam potestate comparata Jacobus gaudium agitabat : non tamen sincerum erat, quia filii de imperio patre vivo inter se contendebant. Tantus est ambitionis, et spei conceptæ impetus, ut nec patris majestas, nec fraterna caritas Petrum remoretur. Ne ab altercatione ad mortes iretur, Rex in comitiis Barcinonensibus voluntatem suam vulgavit, ut eam consensu populorum, et auctoritate firmaret ;

filiique

filiique non odia et dissensiones, sed concordiam, animosque fraternos ad successionem afferrent. Quid Ferdinandus et Sanctius ex bonis paternis habuerint, scire nihil attinet. Cæteris hac forma imperium divisit. Petro majori natu Aragonibus, Valentinis, et Catelanis imperitare concessum. Jacobo ætate proximo Balearem majorem, et Ebusam cum nomine Regio, et insignibus legat, et præterea Ceretaniam, Ruscinonem, et Monpellerium optimo jure possideret, nec fratri parere cogeretur: præscriptumque, ut alter alterius orbam sine posteris domum obtineret. Hæc tunc accepta. At Jacobus concordiam cum Gallo sincera fide coluit, fœderisque recentis legibus constrictus discordias procul habuit, neque passus est Petrum filium bellum inferre Ludovico Regi, ad quem ex pactis cum Tolosate initis, omnis illius ditio accesserat.

secundo genitum suum declarat Regem Majoricensem

16 Petrus inquies, cum omnia conturbare vellet, Raymundum Comitem, quem præteritorum pœnitebat, primo impulerat ad dimittendam uxorem, suscipiendosque ex alia liberos, qui priora fœdera Gallica contunderet. Ubi frustra erat, et Comes vita excessit, sese a Comite ad imperium ultima voluntate vocatum esse, vocarique a Tolosatibus vulgabat. Itaque conquirere juventutem, copias expedire, et suis viribus tantam molem invito patre suscipere velle. Eo tempore Queribuscum a Ludovico in finibus Septimaniæ conditum Tantabello adversum, ut eo præsidio aditus obtineret. Sed miles Hispanus jussis Regis obtemperavit, eoque se suas in sedes recipiente, et per invidiam fratrum Petrus destitutus, antequam quidquam conaretur, defecit. Deseruerat bellum, turbidis tamen clamoribus rapi sibi Tolosates querebatur, suo tempore arma repetiturus. Domestica certamina eum tenuere: ad fratres æmulationis suspectos, patremque fatigandum conversus est. Jacobus Rex utcumque coercitis suorum odiis adversum Mauros bellum movit, in quo multa ipsi prospera evenere. Tandem profectus ad Montesianorum rebellionem puniendam adversa valetudine corripitur Setabi. Antequam admoveretur ultimis, personam Regis posuit, et in monasterium Populeti se intrat, ut Cisterciensi disciplina informatus tranquillius agitaret. Cum in pejus iret valetudo, Valentiam delatus ibi mortem obiit anno millesimo ducentesimo septuagesimo sexto. Princeps cognitus utriusque fortunæ experimentis, cuique neque moderatio inter prospera, neque constantia in adversis defuit. Clementia vero singulari extitit: cumque omnem ætatem egerit inter suorum factiones in neminem ferociam prompsit, præterquam in hostes: atque hac æquitate animi meruit non tantum inter bonos Principes, sed etiam clarissimos censeri.

non sine sensu primogeniti Petri

eum tamen dissimulantis

dum Tolosano Comitatui inhiat.

17 Post mortem Jacobi Regis iterum filii, ex Violantilla uxore suscepti, in discordiam prorupere. Petrus iniquo animo ferebat Jacobum fratrem amplo et opulento patrimonio donatum esse, et dissolutionem esse regni, si quæ unita esse oporteret, separata obtineret, querebatur: vivoque Jacobo contestatus fuerat, si quid per patriam potestatem probare cogeretur, id pro vano et irrito se habiturum. Itaque urgebat fratrem, ut a se Balearem, aliaque tanquam sub litus acciperet, Regibusque Aragoniis in posterum reverentiam haberet. Jacobus primo testamentum patris obtendere, fratremque rogare ne illius voluntatem conturbatum iret, seque suam dignitatem cum splendore obtinere pateretur. Ubi gravior necessitas est admota, concessit anno millesimo ducentesimo septuagesimo nono, ut in fide fratris esset, regumque sequentium, non sine ultionis cupidine palamque conquestus sibi per vim prærepta, quæ donatione patris deferebantur, satis habuit hoc sibi concedi, ne omni imperio spoliaretur. Neque tamen Jacobus fratrem observare destitit, eumque Tolosam sequenti anno comitatus est, ubi inter eos et Philippum Francum de ditione Monpellerii actum: convenitque, ne obtentu permutationis cum Episcopo Magalonensi factæ, Philippus veteri jure Jacobum deturbaret. Petrus vero non tantum in fratrem, sed etiam in totius Christiani nominis parentem, ingenii acerbitatem protulit, neque solitam prioribus regibus venerationem erga summum Pontificem exhibuit; et tributum pendi solitum Sedi Apostolicæ, ex quo Petrus secundus regnum vectigale fecerat, solvere abnuit. Cum monitus per nuntios ad obsequium non rediret, et frustra pœnitentia sperabatur, Diis inferis a Pontifice devovetur: eodemque decernente regnum Carolo Philippi Franci filio quasi præda divisum anno millesimo ducentesimo octuagesimo quinto.

Rege patre mortuo erumpit dissidium

inter fratres.

18 Ubi a Philippo expedita sunt arma, et instructo agmine incedere cœpit, ut filium in possessionem Aragoniæ deduceret. Petrus Perpinianum Jacobo per vim ademit: seu eximius dabatur inclinatio in Gallum: seu invisus erat, quod gratia Pontificis Maximi subniteretur, passusque esset regnum Valentinum sibi offerri: seu cum bellum Galli cum in expectatione esset, eo præsidio aditus in Catelaniam obstruebantur. Philippus tamen progressus est cum exercitu, et a Jacobo, cui ipse sinum adversus vim Aragonii obtulerat, urbibus ditionis Ruscinonensis comiter exceptus. Ibi absentiam Petri rebus Siculis intenti occasionem suam faciens, Perpinianum obsidet, capitque; breviquo omnem regionem finitimam in potestatem redigit. Gerundam usque arma proferuntur; qua capta, quod satis arduum fuit, senescere vires et morbis carpi; paulatimque corruptiore aere luem magis magisque vulgari; Philippus ipse febricitare. Tunc omisso bello cura valetudinis subiit, flexitque Perpinianum, ibique extinctus est anno millesimo ducentesimo octuagesimo quinto. Duce mortuo bellum minuebat: quia Philippus filius dignus ad suscipiendum jus et imperium relinquebatur, verum Belgicis tumultibus abstractus, omnem Aragonii procellam Jacobi sustinendam reliquit. Petrus enim liberatus hoste Gallo ex prima consternatione excitatur: redeunt paulatim animi atque vires; nec tantum par defensioni erat, sed etiam ultionem parabat. In medio apparatu abreptus morbo bellum et vitam deseruit anno ducentesimo octuagesimo quinto supra millesimum. Mutatus erat dux non hostis. Nam Alfonso filio mandata erat expeditio Balearica, qui festinavit, ut patri lætitiæ materiam præberet æmulo everso: eo infestior Jacobo, quo eum minus propinqua necessitudine contingebat. Is igitur male affectus in patruum, odio celeritatem addidit, effecitque, ut pæne eadem dies jussa patris, et exsecutionem conjungeret, statimque Jacobi præsidia Baleari et appositis insulis dejecta.

Aragonius Perpinianum occupat,

et plures ejus civitates,

19 Neque Jacobus hæc vulnera compressis manibus ferebat; sed averso Aragonio, et flagrante seditione Procerum regni, ipse novam flammam inferebat, Emporitanum agrum oppugnabat, gravisque erat minoribus oppidis, validis urbibus graviora minabatur. Hos animos faciebat Philippus Pulcher, qui rursus Aragonium invadere destinabat, icto fœdere cum Sanctio Castulonensi, a quo hostilis æmulatio cum Aragonio exercebatur. Hanc belli molem Carolus Neapolitanus pactis induciis discussit, ad Juncarias congressus cum Alfonso. His via patefacta est ad pacem conciliandam, quæ tandem Cardinalium interventu Tarascone in Gallia firmata est. Non contendit Francus jure, quod ex sanctionibus Pontificum

quibus per pacem receptis

A Pontificum in ditiones Aragonii usurpabat. De Baleari restituenda nihil cautum ad præsens, quamvis mentio injecta, quam mors Alfonsi oppressit. Res Aragonias Jacobus Alfonsi frater adeptus erat. Apud eum non defuit Gallus pro Beleariço deprecator; tarde tamen, nec nisi anno millesimo ducentesimo nonagesimo quinto Anagniæ ad Bonifacii Papæ auctoritatem concessum, ut Jacobus regnum reciperet. Quamvis Aragonius fidem per legatos obstrinxisset, non nisi tertio post anno explevit. Adeo facilius est sua dare, quam alia reddere; quia ibi gratia liberalitatis inest, hic rei violentiam retentæ professio. Argiliense castellum Ruscinonis constituitur Regum colloquio, ut coram finirent, quæ per nuntios ægre expediebantur. Ibi concordiam inter se sanciunt. Belearicus recipit regiam dignitatem coercita potestate: sed dictio aucta, ut donum esset suæ dignitatis Aragonius imperium protulit minori Beleari adjecta: summum jus retinuit. Deus testis firmandæ pacis adhibetur.

Majoricensis Aragonium juvat

20 Redintegrata per novum fœdus amicitia fidem utrinque inviolabilem. Aragonius quidem Sancto Balearici filio Mariam filiam Caroli Neapolitani Regis per legatos impetravit uxorem, ita ut Robertus Dux B Calabriæ Sanciam Sancti sororem in matrimonium acciperet. Eas affinitates validas ducebat, queis res Aragoniæ, et Siculæ continerentur. At Ferdinandus frater Sanctii, ut Aragonio gratiam referret; in expeditione Almariensi promptissimum studium exercuit, gloriæque suæ, et utilitati Aragonii consuluit. Cum maxime obsideretur Almaria, nuntiatur Regem

ad capiendam Almariam

Granatensem inclusis in subsidium adventare. Jacobus Aragonius, cum satis virium esset capessendo prælio, et obsidioni continuandæ, Ferdinandum castra, et obsidium curare jubet, cum mandatis, ut se munimentis teneat, et tantum ex commodo suo pugnet: ipse cum robore exercitus obviam procedit hosti, congressusque eum fundit. Par ad urbem fortuna fuit: Ferdinandus præsidium erumpens compressit, in murosque compulit ad sua tutanda, qui obsidentium munitiones exscindendas sumpserant. Ita feliciter a Rege et a Legato pugnatum; ambo que subnixi victoria acrius urbi instabant. Illa, cum nihil opis in suis aut externis videret, sese victoribus permisit. Captæ gloria maxima ex parte ad Ferdinandum redundavit. Atque ita concordia inter Aragonium et Balearicum non tam vinculis pacis, quam mutuis officiis coaluit. Hujus concordiæ fru- C ctum Jacobus aliquot annis percepit eo jucundius, quo gravioribus casibus jactatus fuerat. Decessit anno millesimo trecentesimo duodecimo, varia primo fortuna conflictatus, nec tantum sedibus ejectus, fractoque solio, verum etiam animo: imperium tamen recepit, et fide stabile reliquit.

21 Jacobus autem Sclaramundam Rogeri. Bernardi Fuxensis Comitis filiam ab anno millesimo ducentesimo septuagesimo tenebat matrimonio, prius frustra pactus nuptias filiæ Comitis Nivernensis.

Illius successori filio

Ex ea filios quatuor susceperat. Jacobus ætate prior, cum indole esset rerum civilium parum capaci, apud Sodales D. Francisci vestem mutavit. Philippus fratrum novissimus divino cultui sacrisque se addixit, eoque ambo paterni regni expertes. Ad Sanctium imperium Balearicum cum omni patris ditione delatum. Is statim se in fide Aragonii futurum juratus promisit. Ita jam consuetudo ferebat, tutiorque ipsi dominatio contingebat manenti in potentioris fide, quam si ad libertatem et spes incertas respexisset.

Montem pessulanum Francis cedunt,

Nam illi de Monpellerio controversia facta a Ludovico Francorum Rege, diesque constituta, qua coram senatu Parisiensi responderet. Sanctio cum potiorem jure, et armis validiorem vincere non posset, consultius fuit precibus aggredi. Aragonius adhibitus, qui cum auctoritate regia, tum verbis D supplicis orans, ne per tot annos omissa resumeret, atque veteri possessione depelleret propinquum suum, ut interim jura sua Francus dissimulatione transmitteret.

quia Aragoniis in Sardiniam moturis

22 Exin Sanctius res pacatas habuit, ne tamen erga Aragonium immemor beneficii ageret, aut resides populos attineret, ducere in hostem statuit, quem Aragonius fecerat. Pisani partim Pontificum auctoritate, partim violentia supremam dominationem in Sardinia habebant, cujus imperium Petrus Aragonius affectaverat. Consilii irritus, animum eumdem in successores transmiserat: qui aliis curis intenti distulerunt spem, non dimiserunt, et interim arma Aragonio minitabantur potius, quam inferebant.

se jungit contra Pisanos

et bello confecto moritur, 1324.

Nam Jacobus secundus, ut Alfonsum filium velut æmulum, et regnanti gravem amoliretur, ostentat illi Sardiniam. Alfonsus fervidi animi Princeps anno millesimo trecentesimo vicesimo secundo rapit occasionem, multosque incœpti fama evocavit, quasi non ad labores, et bellum gerendum, sed ad prædam dividendam, et regnum auspicandum invitarentur. Ea cœpta in primis Sanctius juvit, comparata viginti amplius navium classe, datisque militi in quatuor menses stipendiis. Ubi va- E rio marte res gerebatur, et arma utrimque exitiosa erant, bellum pactionibus compositum. Pisanis, gentilem mari Vandalæ, vectigalia relicta: regium insulæ arbitrium penes Aragonios mansit. Non longe ultra eam expeditionem Sanctius vitam produxit, et anno millesimo trecentesimo vicesimo quarto agens Formicariis oppido Ceretaniæ, fato sine liberis concessit.

§. *III. Jacobi II fortuna fere constanter adversa, et infelix exitus.*

Sanctii nepos Jacobus ex fratre Ferdinando,

Alfonsus qui ulteriores populos lacessiverat, ditiones Sanctii tam opportunas morte Principis vacuas invasit: populos volentes in fide recipiens, repugnantibus necessitate illata. Jacobus, quem Sanctius patruus heredem instituerat, tunc minus erat idoneus regno. Quippe deerat robur ætatis, nondum undecimum annum egresso. Regiam tamen indolem præ se ferebat, multumque ad splendorem et gratiam conferebat gloria Ferdinandi patris. Is cum ex patriis facultatibus perparum delibasset *(nec enim conjectura de Ruscinonensi et Ceritano Comitatibus ipsi a patre attributis, in Præfatione num. 8* F *proposita, aliunde confirmatur)* cum in paam, de patriis facultatibus perparum delibasset. Fratris Sanctii Regis opes animo æquavit, atque a virtute imperium petivit.

rebus in Catalonia et Sicilia bene gestis claro

24 Id temporis sub annum millesimum trecentesimum decimum tertium Græcia discors inter se a Latinis in prædam dividebatur, atque Catelani facto globo concurrentes, Ferdinandum in partem victoriæ vocabant, tradito imperio. Neque illos ducis primo, neque illum militiæ pœnitebat. Mox cum orta inter alios duces seditio, cædes, et graviora facinora eliceret, atque arma in hostes parata in sese verterentur; Ferdinandus talem militiam detestatus navem conscendit, retro concessurus in Siciliam, ubi minus periculi, et nihil infamiæ apparebat. Antequam appelleret, captus, ab iis, qui maris custodiæ præerant, aliquamdiu in potestate Roberti Neapolitani fuit, donec libertatem precio redimeret. Tunc partibus Siculis se aggregat, favitque Friderico. Bellum inter Robertum et Fridericum convaluit accessione et ope Ferdinandi, quod postea per inducias discussum.

et Peloponesi principatum consecuto per uxorem.

25 Inter hæc Isabella, Ludovici ultimi Principis Peloponesi filia, uxor Ferdinandi anno millesimo trecentesimo

A trecentesimo decimo quinto Jacobum Catanæ peperit : atque vixdum tricesimus a partu dies et ipsa decessit. Principatum Peloponesi in viri domum intulerat, dotalem hactenus, ut causas belli præberet. At Ferdinandus haud rudis periculorum erat, atque hinc blandiente spe amplæ ditionis, inde magnæ gloriæ ex difficultate incepti, instructa classe in Græciam trajecit; ususque fideli opera Catelanorum brevi omnem Peloponesum recepit. Sed brevis ejus victoriæ fructus fuit, victore in medio cursu rerum intercepto. Illius morte fortuna in aliud latus inclinavit, resque Peloponesiacæ pessum ierunt, posteris sub tanta mole oneri cedentibus. Verum paterna decora invalida erant Jacobo munimenta adversus cupidinem Aragonii, nisi Sanctius in fide Philippi fratris viri sacrati omnia reposuisset, eo rerum pupilli procuratore constituto. Ille statim recte sibi mandatam hanc præfecturam ostendit. Quippe adito Cæsaraugustæ Jacobo Aragonio, nunc jura, mox necessitudinem, aliquando miser cordiam objiciens, efficit ut omnia medio connubio coirent. Constantia neptis Jacobi, filia Alfonsi, quinquennis conjugali fœdere juncta est Balearico. Dos dicta ab

in regnum succedit alterius patrui sui auxilio

anno 1328.

B avo ex maternis avitisque bonis : ipsi in paterna bona imperium restituitur : qui mox expleta ætia, anno millesimo trecentesimo vicesimo octavo pueri Aragonio jus supremum in omnes ditiones suas sacramento secundum veterem formulam sanxit.

26 Hæc concordia deinde tenuit, neque quidquam turbatum dum socer et prosocer imperarunt. Ubi Petrus quartus rerum potius est mutata est facies, statimque indicia futuræ calamitatis apparuerunt. Nam ægerrime, et post multas ambages anno millesimo trecentesimo tricesimo nono Petrus Jacobum admisit ad solemne sacramentum. Ut autem averso animo acceptus, ita infenso Perpinianum discessit. Sed etiam atque etiam cogitans adversus potentiorem quiete sibi opus esse : bellum perniciem allaturum : statuit obsequii simulatione hominem violentum remorari. Itaque eum apparatu, et comitatu quam maxime potuit splendido Avenionem visendo Pontifici maximo prosecutus est : neque minima pars pompæ fuit, cum Petrus urbem intraret medius inter Convenatem Cardinalem, et Ursinum Collegii Decanum: Sed unde gratia sperabatur, inde orta est odii occasio propter stratorem Balearici, qui in transvectione Petrum incautus ministerii offenderat, dum habena equum Jacobo admovet.

qui sibi infensum Petrum Aragonium conciliaturus,

eum infelici consilio Avenionem comitatur

C Quod cum fortuitum esset, Petrus in deterius interpretatum, tantum non in mortem medio foro ferrum distrinxit, non Regem, non ex gente Aragonia, aut proxima affinitate conjunctum cogitans, sed uti alienum, et plebæi generis aspernatus. Iram tamen recondidit, quæ non multo post majore impetu erumperet.

27 Forte accidit anno millesimo trecentesimo quadragesimo primo ut Francus Balearico rursus impingeret litem intermissam de Mompellerio, Carladesio, et Omeladesio, in iis jus summum vindicans. Jamque arces præsidiis obtinebat. Balearicus Petrum respicere, et submissis precibus poscere, ut sibi affini subveniat : illius maxime rem agi ; quippe in iis, quæ ipse regeret, illum regnare. Ille haud diu cunctatus Balearicine rebus labentibus succurreret sibine consuleret, ubi cupiditas prævalebat, adeo non tulit opem imploranti fidem, ut novum illi periculum instrueret : in conventum Barcinonensem vocaret, intenderetque majestatis crimen, quod nummi, contra quam cautum esset, Perpiniani cuderentur, alia conficta, aut longe petita aggerans. Ex eo Petrus haud prospera fama fuit. Quippe omnibus constabat illum non aliena crimina, sed suæ

et bello Gallico occupatus

impotentiæ confessionem edere. At Jacobus, ubi apud affinem perfidia, penes Gallum vis et arma, ipsi in viribus nullum præsidium, Clementi sexto querimonias defert. Ille licet rogaret, ne ante armis quam jure experiretur cum affini : oblivisceretur illum Jacobum, virum sororis suæ cogitaret ; neque oppugnaret, quem avus paterque sublevarant : et sacrosanctam auctoritatem interponeret violentiæ Aragonii ; non suppressit illius consilium omnia per injuriam gerendi. Nondum bellum erat, sed minæ et strepitus armorum audiebantur, cum Jacobus comite Constantia uxore Barcinonem venit anno millesimo trecentesimo quadragesimo secundo.

D *frustra ejus opem implorat ;*

28 Exceptus est humanius quam pro spe, Petrusque speciem reconciliati animi præbuit. Sed ea tranquillitas proximæ tempestatis præsagium fuit. Nam statim criminatur Jacobum molitum sibi, fratri patruoque, exitium, deprehensas insidias, et sibi pereundum esse, nisi illum perderet. Hæc non juris præsidia, sed velamenta cupiditatis erant. Unde enim eæ vires suppeterent, ut omnem regiam familiam corriperet, classisve parata, qua eam in Baleares deportaret ? His enim criminationibus petebatur.

Petrus intercedente Pontifice reconciliationem fingit

E Petrus tamen Jacobum inviolatum dimisit, ne quæstus sacram nova contumelia intenderet, Constantiam illius uxorem retinuit. Inde bellum motum, et copiæ Ceritanos, Ruscinonensesque irrumpunt ; atque omnia armis tumultuque miscentur, avaritia militis, et ducum imperio. Jacobus quacumque prospiceret, omnia adversa, neminem adjutorem partium videbat. Amici aut invalidi, aut periculi aliena defugientes, miserationem potius, quam spem auxilii ostendebant. Itaque sibi et fortunæ relictus mari se committit, et in Balearem majorem defertur, non eam sedem belli facturus, sed perfugium quærens Aragonio minus obvium, quo se præsenti periculo subduceret. Ibi modicam manum conflat. Mille et quingenti pedites, trecenti equites facti, custodia potius corporis, quam exercitus adversus hostem. Longinqua et secreta loca eum parum texere : nam illi, ubicumque haberetur, infestus erat Petrus : qui quam primum bellum finire cupiens hoste oppresso, quæ classi erant emisit, et ab ostio Rubricati fluminis classem solvens prospero cursu ad Baleares pervehitur anno millesimo trecentesimo quadragesimo quarto. Cum Jacobo confligit : quemque prius sententia perculerat, victum prælio sedibus exuit. Ipse ad priores titulos nomen Balearici adjungit.

nora a lo præterita comitatus invadit :

F Ea provincia confecta Barcinonem refertur, factusque alacrior per successus cetera aggreditur. Pyrenæum superat, Ruscinonensemque agrum invadit : multas arces oppugnat : neque resistit, nisi objectu Cardinalis Rhodensis, cujus hortatu omnia Jacobo amica pollicetur, si sui suarumque rerum arbitrium permitteret.

29 Haud crediderim hominem percitum ad preces summi Pontificis impetum suppressisse ; sed opportunitatem temporis exspectasse. Certe nihil est infirmius fide hominum et spe, quæ alienis opibus fulcitur. Nam Petrus post fidem obstrictam, bona Jacobi solemni sententia fisco addixit, et postquam hyems decessit, ad arma reversus est. Tunc ex mora collecto impetu non inducias dare, non ferre nomen pacis, minis amicos absterrere, vix Armandum Archiepiscopum Auscorum Clementis Legatum audire. Promissis tamen Jacobum illexit, fide data vim abfuturam. Jacobus, ubi multi precatores, et irriti intercesserant, impar adversus vim et pertinaciam Aragonii, coactus est preces suspicere, et coram hostis clementiam experiri. Ruscinonem pergit habitu supplicis, et qui maxime fortunam ostenderet, Petrus ex priore superbia egit, adeoque non est motus animo, ut auferri in custodiam juberet, bellumque

Jacobus in Majoricam fugit

ubi prælio victus

A que nullo adversante persequeretur. Eo patrato congressum Jacobo permisit. Colloquentis os dejectum, preces demissæ, et veniam petentes.

vana spe obtinendæ a consanguineo clementia

30 Quod cernis, inquit, supplicem, Rex maxime, » non fortunæ injuria est, sed animi devotio. Multi » me toto sinu invitabant, nec deerant vires. Ve» rum omnes merito me alienum a domo Aragonia » dignumque præsente fortuna existimassent, si te » obvio aliud perfugium petissem. Satius duxi ser» vari beneficio tuo, quam spem armorum, aut aliud » quodcumque præsidium experiri. Sic preces pro» pius audire licet, perspectamque calamitatem » præsente indulgentia sublevare. Documentum de» disti, quantum armis valeres: nunc comiter de » affini statuere decet, et Regem uti potius amico » Rege, quam solio evolutum proculcare, velut » hostem. A potentia ad clementiam provocavi. » Equidem hi et adversis casibus afflictus, ea spe » maxime afficior, quod ex victoria minus fructus, » quam gloriæ petere soleas, quæ magis in dando » imperio, quam in eripiendo consistit. Sic usi sunt » potentia Aragonii. Factum tueri poteris exemplis » non procul; sed domo tua repetitis; quæ, si de» forent, Regnum esset, iust tuere. Jamdudum est, » cum majores mei ditiones suas subdidere majori» bus tuis, ne alio subsidio res nostræ, quam tutela » Aragoniorum niterentur. Hinc obsequio, inde » gratia probata est fides, coaluitque. Cur igitur » causam meam dissocias a rationibus parentum » meorum, quos non magis sanguine, quam fide » conjunxit? Non faciam invidiam commemorando, » si quid officii propenso et obsequenti animo obivi: » præterita valeant, quod res et tempus ferebant » præstiti: Explora modo venerationem tui: ad jus » ducendi in hostem; objice quibuscumque pericu» lis aut innocentiam meam, aut saltem peniten» tiam intelligentes.

et victoris ad genua supplex

et se eique committit

31 Nemo erat, quem non flecteret oratio. Petrus usu superbiæ præfactus mansit: cupiditatem illius, qui crebris pollicitationibus clementiam suam obstrinxerat, si fieret disceptator, nulla demissio explebat. Provolutum pedibus videbat opportuniorem injuriæ, commiserationisque causa ferociam intendebat. Primo jure et rationibus agit: nec Regi deesse poterant de regno contendenti: mox minis in eum intonat; arrogantiam exprobrat, quod neque ad comitia, neque ad purgandum se vocatus venisset: deinde arguit fœderis infracti, percussa Perpiniani moneta: ac postremo perduellionis insi-

Sed superbe exceptus

ditionibus omnibus spoliatur

C mulat, quod petenti jugulum non præbuisset, sed adversus ictus objecisset armatam manum. Tandem ne præsens invidiam, et miserationem mitigaret, Bergam dimittit operiturum quamcumque fortunam illi daret. Frequentes circumstabant Aulici, ne testes deessent ad convincendam Petri superbiam. Nec multum moratus eum per sententiam dejicit rebus summis, omnibusque fortunæ insignibusque exuit, oblatis in annuos sumptus decem millibus librarum, concessoque illi jure, quod cumque Jacobus in Mompellerium, Omeladesii, et Cardalesii regiones obtinebat. Ita lenitatem sæpius obstrictam exsolvebat. His conditionibus non stetit Jacobus, neque stare debuit. Verum cum tenuis aura superesset retinendi Ceretanos, eo animum armaque convertit, si virtute corrigere posset, quæ fortuna deliquerat. Sed quocumque vela dabat, adversi erant venti.

excepto Montepessulano,

32 Desertus, relictusque suo gladio est. Nihil restabat, quam ut in eum incumberet, omni præsidio sublato. Petrus interim eo usque crevit superbia, ut Perpinianum intrare statueret eadem pompa, qua quondam triumphi instruebantur. Quippe turpia non minus improbos, quam præclara bonos oblectant. Sed cura Divini Numinis, imbribus opportune

quibus injuriis motus

effusis, eam infamiam prohibuit. Eadem arrogantia D in summum Pontificem egit, nihilque illi deprecanti, ut Jacobum in paterna bona restitueret, concessit, quam Constantiam uxorem. Effusus in omnem injuriam animus nulla petentis verecundia poterat retardari. Illum tantum verebat Gallus, cujus ut potentiam non timeret, finitimum suspectabat; injecitque belli metum apparatus: quem tamen Petrus discussit, depravatis primum, qui in Aula Philippi Valesii vigebant gratia, mox etiam Rege ipso per connubia constricto. Sub idem tempus pari felicitate conspirationem in caput suum factam restinxit. Nam cæteris mutatis, aut metu exterritis, Ruscinonenses toti adhuc Jacobi erant, sive calamitas studia accenderat, sive sævitia Petri populorum odia merebatur: quæ adeo non nocuere, ut sanguine nocentium sint compressa. Verum, cum Petrus externis factionibus attineretur, domesticæ emerserunt; quique affinem oppresserat, intestino bello petitus est a Jacobo fratre. Is avidus potentiæ indignabatur ereptam sibi procurationem Valentini regni, popularesque ad arma facile concitaverat spe mollioris servitii: ut est populus arrectus ad nomen libertatis; et si, ad eam vocetur, nimium obsequens. E Ea opportunitate usus Jacobus Balearicus copias maritimas comparat: Carolum Grimaldum, qui portum Monœci præsidio tenebat, classi præficit.

et turbis in Aragonia ortis fretus

in spem novam erigitur,

33 Anno millesimo trecentesimo quadragesimo septimo pervectus est in Balearem majorem, abjudicato regno recuperando, si quam inclinationem rerum faceret insularium in veterem dominum propensio. Quod cum sine ullo memorabili eventu tentasset, Illiberim refertur; atque inde pari spe in Confluentem regionem pergit, compositus quidem ad pericula, non tamen infesto agmine, ut populi cum Rege amico rem esse intelligerent. Nihilominus adventantis Petri terror eos in obsequio retinuit: mox præsentis arma Jacobum spem belli in eo limite omittere coegerunt. Eodem tempore inter Aragonios fratres convenit, odiumque specie concordiæ, et facinus beneficio tectum. Procuratio Jacobo fratri restituta, ut inermis opprimeretur. Quippe consensu traditur veneno sublatum fuisse a Petro, qui haud talium rudis: cum interim nihil acciderit, quod iram Numinis testificaretur, quam ipse scelerum successus, sed ut in obsesso perniciosis humoribus corpore, ubi unum ulcus sanescit, alterum F rumpitur, ita interfecto Jacobo Ferdinandus insurrexit in Valentinis, seu fratris vindictam petens, seu cupidus altioris fastigii. At Jacobus Balearicus, qui nullum honestum ex periculis exitum videbat præter pericula, cuncta facilius processura ratus, Petro inter suorum certamina occupato, Mompellerium, aliamque circum ditionem, centum et viginti aureorum millibus, addicit Philippo Valesio Francorum Regi.

Majoricam frustra repetit,

et oppignerato Francis Montepessulano

34 Ex ea pecunia classem, aut potius extremum discrimen sibi instruit, eodemque Grimaldo Præfecto solvit anno millesimo trecentesimo quadragesimo nono, hactenus prospera navigatione usus, ut oram Balearis majoris impetu caperet. Nam ad urbem pergens obvio Gilaberto Fruillia insulæ Prætore, statim ultimum casum experitur, victusque prælio cadit, Princeps in fortunæ ludibrium natus. Solio regio dejectus est, antequam conscenderet, receptique dotale potius quam suum: in quo deinceps stetit magis, quam sedit lubricum suspectans, neque supremam auctoritatem tutatus est, nisi patientia pene servili, intento ad criminationes Aragonio, a quo tamquam ex alio genere mortalium habebatur, quamvis proxima affinitate conjunctus. Facile inducor credere, insignem in lætis virum futurum,

classem instruit an. 1349,

iterumque in Majoricam appulsus

occubuit in prælio

turum, qui tantum per adversa inclaruit. Neque enim modo fortunam, quæ illum sursum deorsum per omnes calamitatum fluctus jactabat constanter excepit; verum etiam ultro lacessivit. Quare cum res tutas et inturbidas habere posset, et otio frui, maluit in periculis gloriose versari, quam cum infamia injuriæ concedere. In Bello illi erepta est vita, quæ diuturna esse non poterat: gloria adhuc viget, quod non tantum arma, sed etiam pugnam capessivit.

præclarus sed infelix Princeps.

Ejus filius Jacobus III carceri traditus et morti destinatus

35 At Petrus ne quidem victoria, aut sanguine Jacobi placatus, quin in gentem illius ultra sæviret, Jacobum filium eo prælio captum diuturna captivitate detinuit in Barcinonis arce, liberiore custodia; sed suspecto noctis tempore in ferream caveam conjectus, qualemcumque lucis benignitatem vespertinæ sævitiæ patientia anteiebat. Frustra necessitudinum nomina memorabantur apud eum, qui, non nisi sanguine totius familiæ exhausto, securam pacem existimabat sancire se posse. Isabellam illius sororem, a qua nihil periculi imminebat, Marchioni Monferrati nuptum dat anno millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo, desponsam prius Joanni Comitis Armeniacensis filio, dotemque dicit quinquaginta millia Florenorum: ita ut regno Balearico, reliquisque facultatibus paternis cederet. Neque aliter spolia bello parta se jure retinere posse ducebat. Præterea Jacobum interficere decreverat, ut sanguine heredis possessionem firmaret, offensus longiore illius vita, quodque mortem sponte non sumeret. Anno millesimo trecentesimo sexagesimo secundo Kalendis Maji hoc improviso supplicio se exemit: corrumpit claves, refringit claustra, custodes cædit, et resumit libertatem. Sed quis rerum humanarum inconstantiam, variumque, et mutabile fortunæ ingenium satis mirari possit? Quis in tranquillitate naufragium non metuat, aut in gravi tempestate portum non spetet? Qui sanguine luiturus erat claritudinem generis, si biduo proximo in carcere fuisset, anno nondum circumacto nuptias Joannæ Reginæ paciscitur, quartus post Brunsuicensem, Hungarum, et Tarentinum. Sed ut febri sine ratione decedente brevis est sanitas; ita diuturna non fuit tanta fortunæ indulgentia; brevique simillimam prioris vitæ expertus est. Non tamen consuluit prius deliciis, quam decori: quin ne uxori Regium nomen deberet, resumpsit arma majoribus animis, quam auspicatis omnibus: cumque partes facere non posset, et auspiciis propriis Aragonios invadere, Petro Crudeli Aragoniorum hosti se adjunxit.

inde elapsus Rex Neapolis,

et Petro Castellano contra Henricum fratrem militante,

36 Pugnæ ad urbem Najaram interfuit: ubi ingenti clade perculsus Henricus nothus, qui se Castellæ Regem ferebat favore popularium, atque opibus Francorum sublevatus. Tam claris majoribus orto plurimum debebatur. Sed postquam Henricus animum probasset, præmium virtuti redditum, et custodia Burgorum illi mandata. Verum cum non multo post refectæ essent Henrico vires, Carolo Francorum Rege subveniente, et Petri crudelitas populos ad defectionem commovisset, Burgi, Jacobusque Præfectus Henrico traduntur. Militabat in Henrici castris Gueschinus Gallus, dux multa bellorum experientia, ejusque opera haud irrita, successusque rerum cumulum stipendiorum auxerant. Major erat nexus quam ut præsente pecunia posset dissolvi. Ne tamen Henricus meritis tanti viri et honori deesset, Jacobo potestatem fecit sese liberandi, consulens potius clementer captivo, quam permittens infensi Aragonii iræ, qui Jacobum hostem metuens illius libertati intercedebat. Joanna uxor septuaginta millia aureorum Gueschino appendit pretium redemptionis. At quamvis Jacobus bello parum profecisset, non tamen ad otium inclinabat, eumdemque bellandi vitæque finem facturus in Gallia exercitum conflat, sæpiusque irruptionem ostendit in Ruscinonenses agros, sed nullo conatu memorabili ante annum millesimum trecentesimum septuagesimum quartum. Eo anno ingenti et infesto agmine irrumpit, quacumque arma verteret, terribilis incedens.

ab hoc regnum adepto Burgis capitur,

dimissus invadit Ruscinonem,

37 Cum is terror omnem Cataloniam concuteret, in Urgelitanam regionem vis maxime incubuit. Patentia omni clade deformata: neque Aragonius par ad prohibendos incursus videbatur, nisi Aragoniæ ad alia mala accessisset fames. Nihil illi æque saluti fuit, quam quæ ceteris est exitio. Frugum inopia exercitus limite excedere coactus. Inde paulatim vires absumi, et Jacobus ipse tædio affici, donec anno millesimo trecentesimo septuagesimo quinto Soriæ fato concederet. Ad B. Francisci tumulo illatus. Haud spernendus erat consilio aut manu, nisi fortuna illi paterna omnia eripuisset, præter calamitatem: adeo tamen non est fatigatus illius incursibus, ut illam sæpe irritarit. Quare ut nullus ex conatu fructus, ita multum gloriæ provenit; effecitque, ut jure prospera meritis illius, adversa fortunæ tribuamus.

et generoso conatu immoratur;

38 Ejus morte non potuit pax gigni. Jacobus Isabellam sororem viduam, quæ fratri comitem se adjunxerat in eam expeditionem, atque omnes casus heredem scripsit. Illa per aspera itinera, et hostilibus præsidiis septa copias in Aquitaniam reduxit, Joanne Malestito duce, et provisu Castellæ Regis. Mox advertens onera, et pericula hereditatis, infaustas divitias, sese imparem tantis rebus, et propter sexum injuriæ obnoxiam, successione paterna fraternaque cessit Ludovico Andegavensi, vindictæ manifesta, quod cum vis ad bellandum deesset, confessa est spiritus gentiles, animumque armatum: quippe additum, ne cum Aragonio pacem componeret.

soror Isabella jus suum legat Ludovico Andegavensi.

INDEX
SANCTORUM
ET MATERIARUM
AD QUARTUM TOMUM JUNII PERTINENTIUM

Litteræ Mrol. **Martyrologium** ***indicant, mroli.*** **Martyrologia,** ***MS.*** **Manuscriptum,** ***MSS.*** **Manuscripta,** ***M.*** **Martyr,** ***MM.*** **Martyres,** ***V. Virgo, VV.*** **Virgines,** ***Vid.*** **Vidua,** ***Conf.*** **Confessor,** ***Pont.*** **Pontifex,** ***Patr.*** **Patriarcha,** ***Ar-Ep.*** **Archiepiscopus,** ***Ep.*** **Episcopus,** ***Ab.*** **Abbas** ***Abb.*** **Abbatissa,** ***Presb.*** **Presbyter,** ***Diac.*** **Diaconus,** ***Mon.*** **Monachus,** ***Er.*** **Eremita,** ***Impr.*** **Imperator,** ***R.*** **Rex** ***Reg.*** **Regina,** ***Pr.*** **Princeps.** ***Com.*** **Comes,** ***et alia similia truncatarum vocum initia facile cuivis intelligibilia erunt. Numerus cujusque Sancti nomine præfixus significat diem Mensis.***

H

P

Q

R

INDEX CHRONOLOGICUS

1424

SECULO XVI.

SECULUM XVII.

1644

EPISTOLA

CONRADI JANNINGI

AD SUPERIORES SOCIETATIS JESU

Per Provinciam Flandro-belgicam, super morte

R. P. FRANCISCI VERHOVII.

Vanæ cogitationes hominum ! Putabatur Bollandum atque Henschenium ætate superaturus, electus e pluribus ad continuanda, quæ illi illustrare cœperunt, Acta Sanctorum, P. Franciscus Verhoeven. Sed aliter Deo Sanctisque visum est, malentibus eum sibi, suoque consortio cito jungi, divinæ claritatis lumine æternum illustrandum in cælis, quam per laboriosa studia illustrare gloriam ipsorum in terris. Ingressus fuit hunc mundum Brugis anno MDCLXVI die XXI Septembris ; Societatem Jesu post annos octodecim secunda Octobris, absoluto interea curriculo scholarum inferiorum. Post tirocinium, positaque ibi solida vi tutum religiosarum fundamenta, applicitus ad studia altiora, impendit biennium, Philosophiam audiendo; annum unum, humaniores litteras repetendo sibi ; quinquennium, easdem aliis prælegendo in numeroso Bruxellensi Gymnasio. Hinc evocatus Lovanium initiatusque anno MDCXCVII sacris Ordinibus, quadriennali Theologiæ studio, per publicas scriptorum suorum defensiores anno sequenti finem imposuit ut præmissis omnibus studiis imposuerat) communi tam Superiorum quam æqualium suorum approbatione ac laude. Imo et Romam pervolavit fama ingenii ejus, assiduitatisque in studendo et sedulitatis in indagando verum ; permovitque admodum Rev. Patrem Nostrum Generalem, ut ipsum, absoluta per compendium tertii anni Probatione, juberet properare Antuerpiam, ibique operam navare Sanctis ac Patri Papebrochio. Fecit imperata P. Franciscus prompte ac libenter, et animo majore melioreque, quam valetudine, quæ spatio primi et secundi anni semel iterumque tentata, hoc tertio videbatur firmata esse ; cum a diebus octo gravi catarrho et pleuritide, seu vera seu spuria, non sine periculo, judicio medici. laborare cœpit : et passus subinde, modo in uno,modo in altero latere acerbissimos dolores (quinis venarum incisionibus atque iteratis cucurbitis, nihil aut perparum levaminis afferentibus) violento malo succumbere incipiebat, coarctatoque magis et magis pectore, spiritum paulatim intercludente, a biduo vita ejus medicis desperata fuit. Et vero, noctem subsequentem, quasi cum morte luctans, transegit totam. At superveniente die quietior et meliuscule habens, spem nobis, ipsisque etiam medicis dabat vitæ longioris : non tamen sibi ipse dabat. Nam illa eadem die non semel, nec uni tantum, dixit, sequentem, id est hodiernam, sibi supremam fore : idque etiam hodie, quinque ante obitum horis, confirmavit , cum advocans Patrum aliquem nomine suo, quasi opera ejus usurus, ita appellavit accedentem propius, vultu hilari ; Equidem abimus. Et quo, interrogante Patre, reposuit Ex hac vita, etiam hodie. Vera prædixit. Hodie namque tribus et aliquanto amplius post meridiem horis, præsentibus Patribus Fratribusque, placidissime animam, quam creberrime, et singulari pietatis fiduciæque expressione, in manus Domini commendaverat, eo emisit; triduo ante sacro Viatico, et ante biduum sacro Oleo ad extremam luctam rite munitus. Vitam viri, quam æque placidam ubique vixit ac finivit, describere pluribus non est hujus loci nec temporis : et memoria virtutum ejus recens est apud omnes, qui cum ipso Lovanii nuper vixerunt, per totam provinciam nunc dispersos Caritas ejus, mansuetudo et pacis studium (ne nihil tangam) in oculos plurium incurrisse videntur : quorum alii sancte affirmant, numquam se, licet diu in eodem domicilio cum ipso commoratos, observasse in P. Francisco, quod communem caritatem, aut ullum in particulari inter tot Socios, verbo factove læserit. Alii, se numquam ab ipso officium caritatis petiisse, quin prompte præstitum fuerit. Alii, verbis paucis complexi multa, asserunt ; omnibus ipsum omnia semper factum fuisse Neque intra domesticos parietes ejus caritas se continebat: ad alias quoque familias Religiosas se penetrabat, et qua poterat, ac per occupationes licebat. conabatur in illis conciliare animos dissidentium, commendare mansuetudinem ac mutuam reparare caritatem. Fuerunt quoque juvenculi aliquot, qui operam typis dant, ac propterea sæpe eum convenire, dum valebat, pro correctione imprimendorum consueverant. Hos ad infirmum et jam depositum a medicis, adductos, suprema ab ore ejus monita et benedictionem accepturos, paucis, sed gravibus verbis, cohortatus est, pacem ut servarent, Deum timerent, Dei Matrem semper gestarent corde, animo venerarentur, loquerentur ore; post Deum ac Redemptorem nostrum præcipuam haberent Ipsam, suæ salutis fiduciam, suis in periculis confugium, in recessitibus matrem. Talia paucis ille dixit; sed tam profunde impressit animis juvenilibus, ut hi negent unquam futurum, ut eorum obliviscantur. Nihilo minor virtutibus in eo fuit scientia et plura sciendi amor. Cum Philosophia quippe et sacra Theologia pridem conjunxerat Mathematicam, eaque delectabatur summopere, et plurimos sibi ad ejus usum comparaverat libros atque instrumenta omnis generis. Per amorem sciendi, se aptiorem quotidie reddebat studiis, quæ tractabat. Jamque didicerat apud Hagiographos linguas Italicam, Hispanicam, et Græcam Belgica et Gallica vernaculæ ei erant) omnesque interpretabatur expedite, ac transferebat in Latinam. Aliquot ejus rei specimina jam impressa sunt inter Acta Sanctorum Junii : alia subinde imprimentur Hæc inter, sunt Vitæ duæ prolixæ sanctorum Theodosii Cœnobiarchæ et Euthymii, a Cyrillo Monacho conscriptæ ; quas e Græco nuper Latinas fecit pro Supplemento Januarii ; ultimæ nondum absolutæ immortuus. Plura a præclaris hisce principiis sperabamus emolumenta in publicam Ecclesiæ totius, et Societatis nostræ commendationem ; sed mors invidit, rapuitque dignum vita longiore, ac transtulit, uti merito confidimus, ad meliorem : à qua, ne quid forte animam ejus ad tempus excludat, rogo Reverentiam vestram, ut suffragia suorum piacularia, Societati consueta, conjungere cum nostris velit; meique in sanctissimis Sacrificiis pariter meminisse. Antuerpiæ XIX Aprilis 1701.

DIE DECIMA SEXTA JUNII

SANCTI QUI XVI KALENDAS JULII COLUNTUR

Sanctus Ferreolus Presbyter,
S. Ferrutius Diaconus, } Martyres, Vesontione in Burgundia.

S. Ilpidius, Martyr in Gabalitano Galliæ agro.

S. Quiricus,
S. Julitta,
Sancti CCCCIV, } Martyres Antiochiæ.

S. Julitta Vidua
S. Quiricus filius } Martyres, Tarsi in Cilicia.

S. Cyriacus,
S. Valeria,
S. Marcia,
S. Diogenes,
S. Mica, } Martyres in Africa.

S. Saturninus,
S. Cendenus, } Martyres, Messanæ in Sicilia.

S. Actinæa,
S. Græciniana, } Virgines et Martyres Volaterræ in Hetruria.

S. Marcus, Episcopus Apolloniadis, Martyr.

Sancti quinque Martyres, Nicomediæ in Bithynia.

Sancti quadraginta Martyres Romani.

S. Similinus sive Similianus, Episcopus Namnetensis, in Gallia.

S. Aureus Episcopus,
S. Justina Soror ejus,
S. Justinus Diaconus et plures alii, } Martyres Moguntiæ et Heiligenstadii

. Tycho Thaumaturgus, Episcopus Amathuntis in Cypro insula.

S. Bertholdus,
S. Amandus, } Presbyteri Eremitæ, in Remensi Galliæ diœcesi.

S. Aurelianus, Episcopus Arelatensis, in Gallia.

S. Maurus Presb.
S. Felix filius,
S. Nutrix ejus, } Advenæ ex Syria in Umbria.

S. Cunigundis,
S. Mechtundis,
S. Wibrandis,
S. Chrischona seu Christiana, } Virgines Peregrinæ in Alemannia.

S. Donnolus, Episcopus Viennensis in Gallia.

S. Cechardus, Episcopus Lunensis Martyr Carrariæ in Tuscia. NOT. 1

S. Benno, Episcopus Misniensis, Monachii in Bavaria depositus.

S. Lutgardis Virgo, Sanctimonialis Ordinis Cisterciensis, Aquiriæ in Brabantia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Opera R. P. Godefridi Henschenii piæ memoriæ nisi aliud indicent litteræ in margine adjectæ.

Sanctus Fursæus *indicatur in Catalogo præcipuorum Sanctorum Hiberniæ apud Henricum Fitz-Simon. Non est nobis notus, nisi is cujus Acta dedimus* XVI Januarii.

S. Paulus, qui a fornicaria femina recessit, et supra Petram stetit quoad dæmonem vicisset; *invocatur ab Hagiologio Habessino. Est discipulus S. Antonii, cognomento* Simplex, *de quo egimus* VII Martii.

S. Richardi Episcopi Cicestrensis in Anglia, translatio corporis *celebratur in Martyrologio Anglicano, MS. Florario; itemque a Grevено, Molano, Canisio, et aliis. Vitam illustravimus* III Aprilis.

S. Wilhelmus Abbas *indicatur in MS. Usuardo, in Alsatia aucto.* Fuit is Abbas Roschildensis in Dania (*non in Anglia, ut perperam addebatur,*) Ordinis Canonicorum *Regularium S. Victoris: qui hoc die colitur in Breviario Slesvicensi anno* 1512 *excuso, et illic habet propriam Orationem in Bulla Canonizationis præscriptam, nec non lectiones ser de Vita, quam dedimus die quo obiit* VI Aprilis.

S. Jero vel Gero, Abbas Scotorum ad S. Pantaleonis Coloniæ. De eo varii, sed præter alios Historia Inventionis S. Maurini. *Ita Camerarius. Gelenius lib.* 3 *Magnitudinis Coloniensis Syntag.* 12 §. 2 *describit viros claros monasterii S. Pantaleonis absque mentione* Jeronis, *aut* Geronis Abbatis *de* S. Maurino *egimus* X Junii.

Nicolaus Assisias, Laicus Ordinis S. Francisci, *memoratur ab Arturo: de eo egimus inter Prætermissos* XII Junii.

S. Antonii de Padua Canonizatio, *hoc die facta et celebrari quotannis solita, notatur ad ejus Vitam* XIII Junii.

S. Fandila, Martyr Cordubæ in Hispania, *consignatur a Ferrario, citatis* Tabulis Ecclesiæ Cordubensis. *Alii colunt eum* XIII Junii.

SS. Vitus, Modestus et Crescentia Martyres *celebrantur in MS. Augustano, Gellonensi et aliis. De iis egimus* XV Junii.

S. Quirini Mart. in *Tegernzeense monasterium* Translatio, *sub hujus diei nota invenitur descripta in quodam Cæsareæ Bibliothecæ MS. Colitur ipse* XXV Martii.

Solemnitas Sanctissimæ Deiparæ Pera in Eudocianis *celebratur in MS. Synaxariis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quod plane illud nobis videtur* esse templum in Steno ad Freti fauces conditum, ab Eudocia Augusta Constantini Ducæ Imperatoris uxore, *memoratum a Nicephoro Briennio lib.* 1 *cap.* 20, *et Carolo du Cange lib.* 4 *Constantinopolis Christianæ cap.* 15 *num.* 16.

Modestus

D. P. Modestus, Crescentius, Julius, cum quadringentis Militibus, *inveniuntur Florentiæ in MSS. Laurentianæ et Strozzianæ Bibliothecæ, et in hac etiam reperto impresso anni* 1486, *tamquam* apud Antiochiam *passi : pro quibus in MS. Florario solum ponitur*, Item Domesti, cum aliis quadringentis Militibus. *Nobis videtur, per errorem scriptoris, omissum, quod primo loco alii posuerant, nomen* Cyrici : Cyrico *autem et* Julittæ *(quod hic* Julio *legitur) interponi nomina, ad præcedentem diem pertinentia, sed deformata ; sicut ex* Modesto *factus sit* Domestus, *et* Crescentius *ex* Crescentia : *distinguendos autem puto* Cyricum *et* Julittam, *hac die passos Antiochiæ; ab aliis ejusdem nominis, mense Julio, sine Sociis, passis Tharsi in Cilicia.*

S. Flavii-Petri Translatio, *facta hac die anno* 1647, *ex Cœmeterio Calixti ad Collegia tam S. Mariæ, in* Colle-Scipionis *vulgo* Coldiscepoli, *Umbriæ Oppido Reatinæ diœcesis, ibidem quotannis celebratur, tamquam* Romani Martyris, *quando ipsius corpus repositum fuit sub altari, dedicato Sanctissimæ Trinitati : idque cum approbatione Cardinalis Ghinetti Vices-gerentis, nobis transmissa, et licentia facta P. Petro Giarina S. J. Presbytero : ex quorum litteris intelligitur*, Ossa corporis S. Flavii-Petri Martyris, cum lapide sepulcrali sic inscripto, FL. PETRUS. Q. AN. XV. ET D. XXXVI ✝, in cœmeterio Calixti inventa, et de mandato Card. Alterii sub Urbano VIII Vices gerentis extracta fuisse. *Non existimo sacram Rituum Congregationem, (quæ signa Martyrii, ab iis quorum corpora sic eruuntur vere tolerati, multo arctioribus quam olim limitibus nuper circumscripsit) hodie approbaturam quod factum tunc videtur ex consueta indulgentia pristini temporis Martyres eos omnes credentis, qui fuerunt in sacris cœmeteriis inter Martyres conditi; nisi evidentiora alia adfuerint signa Martyrii, quam sit ✝ in lapide, post simplex epitaphium nobilis alicujus adolescentis Christiani, ex Gente* Flavia, *unde Constantinus Magnus processit qui* Obiit annos XV et dies XXXVI *natus : si tamen seculo* III *ille obiit, et non potius diu post, quando titulus* Flavii; *idem sonabat Latinis, Græcis et Gothis Italia potitis seculo* V *et* VI *quod postea* Illustris. *Non est meum, contra id quod jam usu receptum est, præscribere quidpiam : quid reipsa habeatur exposui, et liberum cuique judicium relinquo de Sanctitate illius corporis; quam fortassis etiam per miracula, fideliter ipsum honorantibus præstita, Deus videbitur confirmasse : interim probare non possum, quod ex nomine* Petri, *tamquam ad primum ac proprium nomen addito, aliquis præsumpserit asseverare,* a Petro Apostolo baptizatum *adolescentem fuisse.*

S. Petrus Sacerdos *indicatur in MS. Kalendario, ante Officia S. Isidori etiam Romæ MSS. reperta. Nobis ignotus, forsan ab aliquo suggerenda ejus Acta aut aliqua notitia.*

Aurelius, Episcopus Arelatensis, *indicatur a Ferrario in Catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano : sed in hoc est suo proprio nomine* Aurelianus, *et de eo infra hoc die agitur.*

Rolandus, filius Milonis Ducis Angariæ, *ut* Martyr sanctus *indicatur a Joanne Velde in fastis Westphalicis, de eo multa fabulatur Turpinus. Nos certiora libenter acciperemus.*

Sonderoldus, *aliis* Sonzo, Archiepiscopus Moguntinus, anno DCCCXC, *a Normannis in prælio occisus, a Ferrario titulo* Sancti *et* Martyris *honoratus ad hunc diem, quem Rhegino et Trithemius asserunt occisum* VI *Kalendas Julii sive* XXII *Junii. Consule Serrarium lib.* 4, *qui ab omni titulo* Sancti *aut* Beati *abstinet, addens improprie ab aliquibus* Martyrem *appellari; cui assentitur Mabilio sec.* 4 *Benedict. p.* 2.

Poppo, *ex Marchionibus Austriæ Archiepiscopus Trevirensis, anno* MXLVII *hoc* XVI *Junii, ab aliis* XVI *Aprilis, mortuus dicitur; et ob corpus ejus, jussu Maximiliani Imp. anno* MDXVII *quæsitum et integrum repertum, propter excellentem virtutis opinionem Sanctus a nonnullis appellatur. Verum a Joanne Scheckmanno in Medulla Gestorum Trevirensium, ubi de Ecclesia S. Symeonis ab eo constructa agit, ejusque ibi sepulturam et corporis inventionem describit,* Inclytus Poppo *solum appellatur ; uti etiam in titulo Vitæ, quam idem Scheckmannus composuit, quod librum prioris Vitæ satis distortum se vidisse et inordinatum asserat. Acta illa omnia habemus et antiquiora ex codice MS. S. Maximini, ubi in titulo* S. Poppo *appellatur, sed ex communi phrasi, cum sub finem dicatur* a religiosis Clericis pro ejus requie die ac noctu preces fundi. *De multis eo agitur* I *Junii in et ad Vitam S. Symeonis, quem habuit itineris Hierosolymitani comitem, et postea inclusit, atque post obitum miraculis clarum procuravit Sanctis adscribi. Non reperimus nomen ejus ullis fastis sacris insertum, neque est in MS. Catalogo Sanctorum Trevirensium : ac propterea quæ habemus Acta non damus, cum possint pleraque legi in Annalibus Trevirensibus Christophori Broweri; et in Officiis propriis Ecclesiæ Trevirensis anno* 1645 *excusis præscribitur* Memoria, sub ritu Officii *Defunctorum.*

Leofgarius, Ethilstano anno 1056, 10 Februarii mortuo, factus Herefordensis Episcopus, sed a Griffino Walorum Rege cum Clericis et Aliis hoc XVII Junii ejusdem anni occisus, *refertur a Dunelmensi, et Wigorniensi ; laudaturque a Westmonasteriensi, ut* Ecclesiarum amator, pauperum recreator, viduarum et orphanorum defensor, oppressorum subventor, virginitatis possessor, Dei famulus in omni religione perfectus. *Ideo inscriptus est Martyrologio Anglicano Wilsoni. Optaremus testimonium antiquioris alicujus Martyrologii, aut indicium cultus, olim ei ut Sancto delati. Ceterum dedimus quæ in illo habentur. Quando Ferrarius, præter dictum Martyrologium, addit* tabulas Ecclesiæ Herefordensis, *intelligit librum Godwini de Episcopis Angliæ, qui in Herefordensibus de illo agit, et a Wilsono citatur. Sic cum ad* XIV *Septembris agit de* Alberto, *a Vercellensi ecclesia ad Hierosolymitanam translato (uti notavimus ad* VIII *Maji quando colitur a Carmelitis, scripta Regula ab eo informatis) allegat* Tabulas Ecclesiæ Vercellensis ; *nec tamen intelligit aliud quam Stephani Ferrerii Episc. Vercellensis de S. Eusebio ejusque successoribus librum, ubi illius vita ac mors ex veteri membrana datur, sed absque omni titulo. Notandum ergo bene, quod iste Ferrarius, varie utatur vel abutatur nomine* Tabularum, *eoque multos in errorem inducat; dum existimant, omnes eos, quos ex Tabulis alicujus Ecclesiæ velut Sanctos refert, in tali Ecclesia cultum publicum habere. Proinde, Vercellensibus ipsis, negantibus apud se coli Albertum, major habenda fides, quam male intellecto Ferrario; quidquid aliqui illis libeat obgannire, quia dicimus eum a solis Carmelitis, jure tamen optimo, coli ; nuper autem a Canonicis Regularibus Lateranensibus, velut suum, etiam coli cœpisse an.* 1662 ; *quod in nostram notitiam non statim venisse, non debebat magno crimini verti. Eccum autem etiam tertium in eodem Ferrario exemplum, usitatæ in talibus levitatis, fideique non magnæ.*

Wideradus, Abbas Fuldensis XXIV, *cum titulo* Sancti *proponitur in Catalogo generali Ferrarii, et citatur* Martyrologium Canisii, et Tabulæ Ecclesiæ Fuldensis *ex quibus scribit Browerus lib.* 4 *Antiquitatum Fuldensium pag.* 294 *eum anno* MLXXV, XVII

Kalendas

Kalendas Augusti (*is est dies* XVI *non Junii, sed Julii*) vita innocenter acta, rebus humanis exemptum, *absque ullo titulo* Sancti *aut* Beati, *neque ejus meminerunt Benedictini in suis fastis. Plura exempla citatarum minus apte a Ferrario Tabularum si quis desideret, inveniet toto opere nostro, sed non ita expresse notata : sufficit id semel hic fecisse.*

Gebhehardus Archiepiscopus Salisburgensis, *hoc die obiit, anno* 1088, *exul pro constantia fidei erga Sedem Romanam. Hic quia in Admontensis cœnobii, quod fundaverat, ecclesia tumulatus nonnullis miraculis claruit; ideo Henricus Canisius, tom.* 6 *Antiqq. Lectionum,* vitam ejus daturus, cum reliqua *Archiepiscoporum successorum Chronica, usque ad an.* 1177 *ab eodem auctore descripta; dedit ei titulum* Sancti : *quod mox secutus est Card. Baronius, in addendis ad an.* 1088. *Baronii exemplo motus Ferrarius, in Catalogo generali eorum qui non sunt in Romano, adnotavit :* Apud alios 30. Julii. *Vellem istos* Alios *nominasset; nec enim reperire hactenus potui Salisburgensia Chronica ex Bibliotheca Alberti Hungeri, consequenter post Vitam prædictam edita et usque ad* 1475 *deducta. Suscepti ab eo Episcopatus et exilii aditi meminit, sed omni religioso titulo abstinet. Abstinet eodem etiam Hundius, in Catalogo Archiepiscoporum, quem suæ Metropoli Salisburgensi præponendum absolvit anno* 1581. *Solum in MS. Monasterii Mellicensis in Austria, continente Acta Sanctorum Novembris fol.* 249 *inveniuntur* Nomina et Ordo successionis Salzburgensium Episcoporum, *usque ad* Adelbertum Archiepiscopum *anno* 1168 *Ordinatum; ibique sic scribitur :* S. Gebehardus Arch. S. Thiemo Arch. Chunradus Arch. S. Eberhardus Arch. Chunradus Arch. Adilbertus Arch. *ex quo etiam MS. vel alio simili videtur Canisius suum edidisse Brevem Catalogum, ipsius* Gebehardi *Vitæ præfixum, cum titulo* Sanctus *ad eadem tria nomina. Interim nullum eorum invenimus in Kalendario istius ecclesiæ, cum officiis et propriis impresso sub an.* 1647 : *quare non valde necessarium videtur nobis eam Vitam hic recudendam dare, maxime cum satis inveniri possit in novissima auctioris Surii editione cui habetur inserta, donec de aliquo publico cultu, saltem apud Admontenses eidem delato, constet. Vita prædicta habetur etiam proprio libello edita Augustæ Vindelicorum an.* 1619 *post Vitas SS. Adalberonis Herbipolensis et Altmanni Pataviensis Episcoporum.*

B. David, Archiepiscopatu S. Andreæ in Scotia relicto, habitum Cisterciensem indutus, *memoratur a Chrysostomo Henriquez in Menologio Cisterciensi, citato Cantipratano lib.* 2 *de Apibus cap.* 10, *ubi de* S. Alexandro *ejus fratre agit. Egimus de* B. Alexandro 3 Maji, *ubi absque nomine fratris et Sede, asserit Cantipratanus habuisse* fratrem Archiepiscopum, qui relicto regimine Ordinem Cisterciensem intravit. *Scripsit postea de Sanctis Cisterciensibus Claudius Chalemot, et passim descripsit Chrysostomum, sed de* Davide *silet, silent de eo quoque Dempsterus et Camerarius ad augendum patriorum Sanctorum numerum, nominibus etiam fictis, minime parci.*

S. Lagani Presbyteri de Kill-Aithir in Hibernia, natalem celebrari, *indicat Colganus ad Vitam S. Patricii per Jocelinum annotatione* 104.

Guilielmus a Corteuilio, sepultus cum hoc Epitaphio Bononiæ Guilelmus alter nomine, sacro pollens eloquio, urbis istius incolas in viam traxit Domini. *Laudatur a Waddingo ad an.* 1220 *num.* 11, *et anno* 1305 : *num.* 3 *appellatur* Guielmus de Placentia, vir sanctus et perfectus, S. Francisci sectator. *Interim abstinet a titulo* Beati, *uti et Haroldus; illum tamen ei tribuunt Arturus et Masinus. Secuti Aloysium de Sartis-Plani, sive (ut vero utar nomine, quod nobis Ghirardaccius Augustinianus prodidit p.* 1. *Hist. Bon. l.* 18 *pag.* 606) *secuti inquam, Philippum de Blanchis : qui edito sub annum* 1589 *Thesauro Indulgentiarum Bononiensium, subtexuit indiculum Sanctorum ac Beatorum illius urbis, ubi pag.* 437 *nominatur* B. Guilielmus, Ordinis Minorum, apud Sorores S. Bernardini : *Harum siquidem* locus primos incolas habuit S. Franciscum ac socios ejus; quorum ubi plures sepulti sunt, *inquit in sua ad me epistola Comes Valerius de Zanis;* sed nullus eorum, uti nec Guilielmus, aliquem ibi cultum habet : *simpler autem nomenclatura* Beati, *sic populariter attributa, sola nobis non sufficit, donec ulterius progressa Ordinariorum diuturna a tempore immemorabili tolerantia comprobetur. Aliis, cultum aliquem habentibus, idem Aloysius sive Philippus diem cuique suum adscribit : hic Guilielmo nullum. Elegit ergo hunc suo arbitratu Arturus, Masinoque præivit; nobis non satis idoneus in talibus Auctor, præsertim nullo extante publici cultus vestigio.*

Martinus
Joannes
Martinus alius — Ordinis S. Francisci, anno 1562 a Calvinistis interfecti. Prior Martinus Laicus in Conventu Burgi S. Andeoli a dictis Calvinistis Combusto, ipse æger cum strato, subjecto igne fuit concrematus. At Donzenactii in Aquitania alii duo, quod Romano Pontifici parendum esse assererent, gladiis eorumdem trucidati sunt. *Ita post alios a se citatos Arturus in Martyrologio Franciscano, eosdem et* Beatos *et* Martyres *appellans.*

Joannes Ravennas in Romandiola
Angelus Danasius in Monte Politiano
Catharina de Guevarra in Hispania — *laudantur cum titulo* Beati *ab Arturo in Martyrol. Francis. et* Catharina *etiam in ejus Gynæceo.*

Joannes Alburquercius, Goanus Episcopus, *ut* Beatus *refertur ab Arturo. Laudatus fuit a S. Francisco Xaverio, Horatio Tursellino, Maffeio et Tarrico Scriptoribus Societatis Jesu. Loca ab Arturo citantur : sed nemo illorum* Beatum *dixit aut ut talem coli neque hactenus dies vel annus mortis nobis innotuit.*

S. Verolus Presbyter, in territorio Lingonensi, *indicatur a Ferrario, et nonnullis MS. Acta ejus damus* XVII Junii. NOT. 3

SS. Nicander et Marcianus Martyres, *indicantur in antiquo MS. Casinensi, ab aliis* XVII Junii.

S. Martialis Episcopus, Alpinianus et Austriclinianus Presbyteri, Martyres Lemovicis *celebrantur in Martyrologio Ordinis Prædicatorum sub officio trium lectionum colendi : Apud alios horum solemnitas fit* XXX Junii.

S. Aurelianus, Episcopus Lugdunensis, *refertur in supplemento Saussayi, et hinc in Menologio Bucelini, sed per errorem nominis, acceptus pro Arelatensi : de Lugdunensi agendum esset quando in Catalogis Episcopalibus refertur apud Severtium* VI Februarii *vel* IV Julii.

S. Vitaliani Episcopi Inventio corporis, Auximini in Piceno, *indicatur a Ferrario, in Notis asserente,* fuisse Episcoporum Capuanum, *de quo in Martyrologio Romano agitur* XVI Julii.

S. Alexis Confessor *indicatur in Martyrologio, sub nomine Bedæ excuso. Colitur* S. Alexius XVII Julii.

S. Lewinnæ Martyris translatio corporis ex Anglia Bergas ad monasterium S. Winoci, *refertur a Molano, Galesinio, Ferrario, Saussayo. Natalis est* XXII Julii.

S. Legonti
S. Phronimii — Epp. Metensium Translatio, *in Mart. Metensi, Ferrario, Greveno Florario*

Florario, ac magis perspicue ac Martyrol. Gallicano Saussayi. De S. Legontio *egimus* xviii Febru.
De S. Phronimio *agemus* xxvii Julii.

S. Altmanni, Episcopi Passaviensis, translatio *indicatur in Menologio Bucelini. Dies ejus natalis est* viii Augusti.

S. Flavianus *notatur in quodam MS. S. Lazari Augustoduni. Videtur intelligi* S. Flavinianus Episcopus Augustodunensis, *cujus natalis convenit in diem* xxiii Augusti.

S. Fiacrius *indicatur in scriptis additionibus Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Dies natalis est* xxx Augusti.

S. Bertini Abbatis, in monasterio Sithiu, inventio corporis, *describitur a Molano, Wione, Dorganio, Menardo, Bucelino, Dempstero, Ferrario. De quo agemus ad Vitam ejus* v Septembris.

S. Adriani et comitum passio Nicomediæ *celebratur in MS. Tornacensi monasterii S. Martini; ab aliis* viii Septembris.

S. Mamiliani, Episcopi Panormitani, Inventio prima corporis, Suanæ Tusciæ urbe, *indicatur ab Octavio Cajetano in Martyrologio Siculo, ubi in Notis meminit ejus Baronius die x Novembris, quo die obitus iterum celebratur a Cajetano, Ferrario, et Pirrho in Episcopis Panormitanis : et forte aperientur acta pro die* xv Septembris.

Dedicatio ecclesiæ extructæ filiis Theodadæ, *memoratur in Hagiologio Æthiopico videntur hi omnino esse SS.* Cosmas *et* Damianus *cum tribus fratribus filiis* Theodotes *secundum Græcos, quos latini colunt* xxvii Septembris.

Algerius *sive* Adalgerius de Villalta *Episcopus Bellunensis, mortuus anno* 1290 *ultima Septembris, inventus fuit* 16 *Junii* 1525 *uti narrat Georgius Piloni in Historia sua, venetiis impressa* 1607 *corpore fere toto integer, apparetque statura fuisse admodum procera. Marmoreæ arcæ, qua conditus fuerat loco eminentiore in ecclesia principe Belluni, quæque supererat saltem tempore quo edidit librum suum citatus auctor, insculptum fuit, etiam tum legibile, sequens Epitaphium :*

Præsul honoratus, Villaltea prole creatus,
Algerius, tectus jacet hoc sub marmore : lectus
Marmoris esset ei, sua sitque facella quiei.
Mille ducentenis Domini, deciesque novenis
Annis ; Septembris finem dedit ultima membris
Præsulis. O! Christe tecum sit Episcopus iste.

Elatior sepultura et integritas corporis tam diuturna movere poterunt Bellunenses ad indagandum in certiora Sanctitatis ejus indicia : eaque, si tamen invenerint nobiscum communicando, usu ventura pro die, qua obiit, xxx Septembris.

S. Wibrandis, Virgo Ursulana, *indicatur in Catalogo Henrici Fitz Simon citato Martyrologio Canisii, cujus duplicem editionem habemus absque ejus mentione. Verum apud Crombach in Historia Ursulana pag.* 757 *est* Wibrandis, non Martyr, circa Basileam. *De qua, si monstrentur diversa a referendis* iii *Julii) poterit agi cum* S. Ursula xxi Octobris.

S. Similianus, Episcopus et Confessor Nannetæ in Britannia minori, *inscriptus est Martyrologio monastico Arnoldi Wionis, et* Viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 42 ; *a* quo, *inquit Wion,* Abbas Cauracensis et S. Ethbini præceptor vocatur, dicitur que floruisse anno Domini 600. De Episcopatu tamen ejus nihil dicit. *Et bene, quia, qui indicatur* S. Similianus, *Episcopus Nannetensis, seculo Christi quarto mortuus est, et hac die colitur. Occasione cujus Wion alterum* Simil anum *protrudit, de cujus die Natali nihil constat. Interim etiam ut* Episcopus *refertur a Dorganio, in Kalendario Benedictino. At Menardus* Abbatem *statuit, et errorem Wionis corrigit. Verum Bucelinus omnia confundit, quasi circa annum* 600 *fuisset Abbas, ac dein* Episcopus Nannetensis *scilicet seculo quarto Saussayus, secutus Menardum, retulit eumdem in supplemento. Quæ omnia falso fundamento nituntur. Si probetur cultus sacer abbatis poterit agi de eo cum* S. Ethbino *discipulo* xix Octobris.

S. Nicolai Episcopi Confessoris, ordinatio *proponitur in Martyrologio Coloniæ et Lubecæ excuso, in MS. Florario ; item a Greveno et Canisio. Videtur intelligi* Mirensis Episcopus *referendus* vi Decembris.

DE SS. FERREOLO PRESBYTERO

ET FERRUTIONE AUT FERRUCIO DIAC.

MARTYRIBUS VESONTIONE IN BURGUNDIA

G. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De eorum cultu, actis, translationibus et tempore Martyrii.

ANTE AN. CCXII.

Vesontio, *in provincia maxima Sequanorum metropolis habita, ex antiquis Notitiis provinciarum et civitatum Galliæ, atque etiamnum urbs Archiepiscopalis in Comitatu Burgundiæ fuit. Primos ea fidei Christianæ sibi missos præcones agnoscit* SS. Ferreolum Presbyterum et Ferrutionem Diaconum, *viros Apostolicos et illustres Martyres, amicitia conjunctos cum* SS. Felice Presbytero, Fortunato et Achillæo Diaconis, *ab eodem S. Irenæo Episcopo Lugdunensi, a quo ipse Vesontionem, missis Valentiam ad Rhodanum urbem illustrem, atque ibidem martyrio coronatis* xxiii *Aprilis, eodem anno* ccxii *quo hi pro Christo Vesontione passi sunt* xvi *Junii.*

2 *Trium Valentinorum Martyrum Acta dedimus, tamquam ab auctore coævo scripta, neque ab ea sententia etiamnum recedimus; et quæ istic de duobus hic occurrentibus inseruntur, omni acceptione dignissima, putamus occasionem dedisse, ad concinnanda ea, quæ velut ipsis propria jam damus, ex quatuor potissimum codicibus MSS. aliquo scilicet Romano, altero Treverensi monasterii S. Maximini, tertio Reginæ Sueciæ quod numero* 81 *signatur, ac quarto insigni codice nostro : putamus autem concinnata fuisse seculo Christi quinto vel sexto. Contulimus illa diligenter cum Actis, a Mosandro primum, tomo septimo Appendicis ad Acta Surii, editis; deinde suo ordine ad hunc* xvi *Junii relatis per subsequentes Surianorum Actorum editiones.*

Acta antiqua dantur ex 4 MSS.

alia recentiora indicantur.

3 *Joannes Jacobus Chifletius parte* 2 *Vesontionis pag.* 17 ex libris Ecclesiæ Bisuntinæ *alia quædam habuit*

habuit, et omisso initio pro majori parte transcripsit: quæ vel inde apparet fuisse variis locis a posteris amplificata: uti in Annotatis observatur: Accepimus eadem nos, ex legendariis ecclesiæ SS. Joannis et Stephani, initio sane multum diversa a primis (quod studiose videtur dissimulasse Chiffletius); sed in progressu partim verbotenus fere ex illis sumpta, partim ex iisdem ut diximus amplificata licentius, atque in Lectiones novem distributa; quarum prima, Prologi loco, in hunc modum recitatur. Cum summa veneratione, quos sui Redemptoris mortis, generi humano pernecessariæ, testes noverit exstitisse, Beata Mater amplectatur Ecclesia; præcipue ac venerabiliori laudum studio illorum meritum extollit, quos in suis principiis adhuc tenera, in vinea sua cultores infatigabiles habuit. De quorum numero hos germanos fratres, Ferreolum scilicet ac Ferrutionem, veri solis jubare afflatos, doctrinæ Apostolicæ sapienter ad summum eruditos, ad prædicandum verbum Dei Gentibus divina gratia prelegit; et hoc suo admirabili nutu, ut quos genuerat Græcia, prædicatores haberet Burgundia.

ubi et Burgundia præpostere,

4 *Neminem latere puto, quanto recentius nomen* Burgundiæ *sit, quam ut aptari Sanctorum prætitulatorum ætati possit: multo autem id magis dixerim de nomine* Chrysopolis, *quod Vesontionensibus medio ævo mirabiliter placuit, postquam eos aliquis docuisset, in quadam libello Provinciarum, sub* Provincia Sequanorum *sic haberi*: Metropolis civitas Chrysopolitanorum, hoc est Vesontionum, *quam* Chrysopolitanorum *debere legi mox cœpit a sciolis pleris que credi, ac pro indubitata veritate haberi. Deinceps usque nunc. Sed a vulgatis amogentis, ac Fratris etiam sui sensu, parte I pag. 5. explicato, longe recedit Petrus Franciscus Chiffletius noster, in Dissertatione de loco et tempore conversionis Constantinianæ, quæ inter* [illegible] *ejus sub vita posthuma 1676 edita, secunda est. Ibi enim, utitur MS Notitia Galliæ, ex qua Josephum Scaligerum, ubi legitur,* Provincia Lugdunensis quinta, Metropolis civitas Crispolinorum, id est, Vesontio; *probare conatur, Constantinum, Crispi filii, per novercæ calumniam injuste enecandi, caede mærentem, jussisse ut Vesontio, in qua ille cum avia Helena multum fuerat commoratus,* Crispolis, *quasi* Crispopolis *diceretur, et cives* Chrispolini. *Ut ut est, neque ætate Sanctorum, neque etiam cum scripta sunt secunda Acta, nota erat ejusmodi appellatio; sed medio ut puto ævo, non* [illegible]; *et* Chrysopolis *ab Auro cœpta vocari, ex rationibus, si minus veræ, certe plausibili... utitur a Joanne Jacobo Chiffletio, et pag. 52 ac seqq. deductis.*

et Chrysopolis Vesontio ex usu medii ævi nominatur;

5 *Jam quod sanctos Martyres Græcia genuisse dicitur, et quidem (ut mox subditur)* Athenienses, *quod et manuscripti et typis editi Breviarii habent; id non elle puto [illegible] credi, quam quod cum S. Irenæo Græco, ex Græcia advenerint. Verum Latina eorum aliorumque trium Valentinorum passorum nomina, in diversam conjecturam inclinant animum: ut scilicet nati omnes in Galliis, sed studiorum causa profecti in Græciam ad S. Polycarpum venerint; a quo Christi fidem edocti, et ejus gentilibus suis prædicandæ cupidi fuerint sacris Ordinibus ad eum finem initiati; additoque ipsis magistro S. Irenæo, eumdem in rem ordinato Episcopo, remissi in Galliam. Atque hæc occasione tertiorum Actorum dicta sunto.*

et Sancti dicuntur nati in Græcia

Prima Acta citata a Greg. Turonensi.

6 *Nunc his dimissis, ad prima Acta redeamus. Habuit illa et allegavit Gregorius Turonensis lib. 1 de Gloria Martyrum cap. 71, cujus verba infra, ubi de Inventione corporum agimus, proferuntur. Venerabilis Beda, in genuino suo Martyrologio, a nobis ante tomum 2 Martii edito, hæc inde excerpsit:* XVI Calendas Julii Ferreoli Presbyteri et Ferrutionis Diaconi, qui sub Claudio Judice ad trochleas extenti et flagellati, deinde in carcerem reclusi, mane amputatis linguis prædicabant verbum Dei. Post hæc subulæ triginta utrisque infixæ, in manibus, et pedibus, et pectore; ad ultimum gladio feriuntur. *Hæc ille, quæ plane eadem Rabanus suo Martyrologio inscripsit. Usuardus ista habet*: In Galliis apud urbem Vesontionem sanctorum Martyrum Ferreoli Presbyteri et Ferrutionis Diaconi, qui a B. Irenæo Episcopo ad prædicandum verbum Dei missi, postea sub Claudio Judice excruciati pœnis, gladio feriuntur. *Ado ex elogio Bedæ tormenta illata adjungit. Similia habent passim recentiores, cum hodierno Martyrologio Romano, cujus verba ex Usuardo desumpta sunt. Habemus antiquum MS. Breviarium Ecclesiæ Bisuntinæ, in quo præscribitur festum solemnissime [illegible] celebrandum, et in eo propria Hymni, Antiphonæ, Responsoria et Lectiones recitandæ, unde nonnulli ipsis Actis accedit confirmatio, cum tota materia [illegible] inde sit desumpta. Eadem Invenimus in anno MDX, in Breviario Bisuntino, jussu Ferdinandi de Rye Archiepiscopi Bisuntini. In Breviario autem Lugdunensi anni MDCIX præscribitur eorum veneratio sub ritu duplici: in Codice nostro antiquo monasterii Kalendario recitatur apud Martinum lib. 4 cap. 6 de Ritibus Monachorum præscribitur festum faciendum in albis de quinque cereis.*

AUCTORE G. H. in festis Beda,

Usuard.

et aliis;

cum assensu Breviariorum.

7 *Actis prætitulatis subjungimus primo ex Missali Gallicano ante annos non pentes conscripto veterem Missam, in specimen ritus antiquioris; deinde ea ex postremis tria inventorum ac translatorum corporum: ac primo [illegible] mus ad diem quintum Septembris festum inventionis solenniter celebrari in jam citatis Breviariis, tam manu exarato quam typis excuso. Et hic dies est quo ista natalis eorum habita ac etiam [illegible] sunt sub primum antiqua Martyrologium Hieronymianum apographis, item Martyrologiis Rabani, Wandelberti, Maurolyci, et aliorum. Secundæ autem Translationis anni MLXIII, facta est XXX Maji: et in eosdem Breviariis refertur: non tamen die illa in ecclesia S. Vincentii peracta est anno MCCXXI. Aliæ alius annis factæ infra memorantur. Præter tamen translationes una etiam citatur a Ferrario eumque secuto Saussayo, ad diem XXX Martii, citatum pro illa Breviarium Vesontionensis, sed per errorem: cum in prædictis Breviariis non ad* XXX Martii, *sed ad* XXX *diem mensis Maji ea legitur: ejusmodi autem errores, quibus unus mensis pro alio recitati nominis citatur, licebit etiam alias subinde animadvertere.*

Missa antiqua

Instrumenta Inventionis et Translationis

8 *Tempus martyrii indicamus, ante annum* CCXVII, *sub M. Aurelio Antonino Caracalla, qui Severo patri anno* CCXI *succedens, creditur esse, vel ex parte a patre persecutionem continuari jussisse Provinciarum Præsides, cum pro suo arbitratu et occasione oblata ea usi fuisse; ut factam dicitur Valentiæ, a Cornelio duce, tempore Aureliani Principis. Pro his in quibusdam Actis perperam semper nominatur Aurelianus Imperator, tamquam Vesontionensibus notior; utpote apud quos eminentum pro parte dimidia superest pulcherrime sculptus arcus triumphalis, ejus honori erectus, qualem Chiffletius in suo exhibet ante suam Vesontionem. Allegantur hic quidem num 6 sacratissimorum Principum præcepta, tamquam duorum conregnantium sed verior ne non auctoris ipsius sit, minime credi, qualis [illegible] Valentinorum Martyrum hic delibata Acta scripsisse; ubi idem Cornelius Valentiam ingressus, audita psallentium voce, cum admiratione interrogat.* Numquid post Severi Principis severam laudabilemque Lugdunensium tribulationem, *anno* CCII, *quando ipse S. Irenæus Martyrii lauream est adeptus* in his locis aliqua Christianitatis vestigia remanserunt? *Supponitur igitur jam mortuus Severus; obierat autem anno* CCXI IV *Febr. relictis (ut ad Acta prodicta docetur) duobus filiis conregnaturis, quorum junior Geta, ante biennium, fuerat ex decreto Senatus declaratus Imperator, verosimiliter postquam pater majorem*

Tempus Martyrii,

ante an. 217

et post 212

A *jorem natu per se dixerat Cæsarem: sed vix uno a morte ejus anno elapso senior juniorem in sinu matris trucidarit. Ab hoc et fautorum fratris omnium cæde, mirum non fuerit, si homo truculentus etiam in Christianos sævitiam verterit, aut verti permiserit; et sic haud diu post annum CCXII, tam isti Valentiæ quam hi de quibus agimus Vesontione sint passi; nam duobus fratribus, vel simul per annum unum, vel cum patre per duos tresve regnantibus, communi nomine renovata edicta, aut persecutionem resuscitatam, nulla docent argumenta.*

Non fuit Episcopus Vesontione S. Ferreolus,

9 *Putant Vesontionenses, ipsum hunc* S. Ferreolum *esse eumdem, qui eorum censetur secundus post* Linum *Episcopus; sed, uti, in Annotatis ad Chiffletianum Chronotaxim, Cap. 5 Illustrationum Claudianarum §. 1 dixi nulla idonea auctoritas suadet, tantum abest ut cogat, vel* Linum *istum identificare cum Romano S. Petri successore: vel* Ferrutium Episcopum *cum Presbytero Martyre. Potuit hic jecisse Evangelicum semen, civesque non paucos adduxisse ad fidem; quibus deinde ut fieri solebat missus Episcopus* Linus *Roma sit, post prædictum Martyrium: Secundus deinde sederit* Ferrutius, *ex ipso Vesontionensis Cleri corpore lectus. Si tamen, præter* Linum, *S. Protadio nominatum, alius est Episcoporum Vesontionensium, cujus nomen ad posteros pervenit ante* S. Hilarium. *Vide quæ* XXIX *Junii dicemus, post Acta S. Maximini Treverensis occasione sacelli quod in diœcesi Bisontina habet, unde sumpta occasio hujus nominis aliquem istic statuendi.*

sed forte alius eo junior.

B

ACTA

Ex variis MSS. collata cum aliis.

a *b*

Eodem tempore, *a* cum Sacerdos et Martyr Ecclesiæ Lugdunensium S. Irenæus Episcopus *b*, missus fuisset, jubente S. Joanne Evangelista ab Epheso; ducente Domino una cum discipulis suis, Lugdunum civitatem pervenit; ibique Christi lumine splendens, æternum splendorem justitiæ publice sua prædicatione in Galliis auxiliante domino declarabat, et assidue verbum Domini nostri Jesu Christi prædicabat, Sanctum vero Ferreolum Presbyterum et S. Ferrutium diaconem, Vesontianensem *c* civitatem, veruti fundamentum fortissimum ad fundandam supra petram Christi Ecclesiam, misit. Qui sicut angulares lapides sponsi cœlestis, et margaritæ splendentes fulgebant; per quos nomen Domini et splendor gloriæ gentibus quæ in tenebris subjacebant, resplenduit, eorumque prædicatione multi ad baptismatis gratiam convolabant, in quibus erat mira virtus Christi. In verbo enim et sapientia strenui, vultum Angelicum habentes, Deum [illegible] manifestis populis demonstrab[illegible] Catholica fides, [illegible] diabolo, quotidie Christiani [illegible], sequebantur Christi vestigia.

A S. Irenæo missi Vesontionem *c* *convertunt cives ad Christum,*

2 Similiter etiam S. I[illegible] Felicem Presbyterum, Fortunatum atque Achilleum Diacones, Ex suo latere segregatos, ante gloriosum Martyrium suum ad Valentiam direxit urbem. Quibus ingressis tantam Dominus Athletis suis contulit gratiam, ut illa Paganorum multitudo, quæ in tenebris subjacebat, eos plenissimo affectu diligeret: erantque in eis mirabilis Christi gratia, vultu namque placidissimo erant, profusique in verbis, et dum corporali consortio fruerentur in terris, sursum corda suspensa habebant, et Angelis jam anima sociati splendebant in cœlis. Qui cum Spiritu sancto repleti essent, spiritus immundos verbo purgabant, ægritudine oppressos sanitati reddebant. Humana enarrare lingua non sufficit, quantas virtutes quantaque signa et prodigia per eos Dominus noster Jesus Christus Gentibus demonstrabat. Hi ergo beatissimi tres Martyres et Confessores Christi, extra civitatem Valentiam contra Orientem, sibi tuguriunculum de lignis contextum, in locum Oratorii, dedicaverunt: ibique die ac nocte indesinenter domino Jesu Christo gratias agere non cessabant. Ad hos itaque, sacrificia divina celebrantes, multitudo Gentium baptismatis gratia convolavit.

sicut SS. Felix, Fortunatus et Achilleus *d* *Valentinos,*

D

3 Dum hæc igitur agerentur contigit B. Felici cum se sopori dedisset, visionem vidisse, quam fratribus narrans, dixit: Vidi locum mirabilem fratres carissimi splendore munitum, diversis floribus adornatum, florum et aromatum suavitate mirisque odoribus fragrantem: in quo erat tabernaculum auro gemmisque insignibus constructum. Vidi etiam quinque agnos, sine macula mundos, candore splendidos, qui in eodem atrio lilia depascebant. Dum hanc mirabilem visionem intuitus essem, audivi vocem terribilem dicentem mihi: Euge, euge, servi boni et fideles, quia super pauca fuistis fideles, super multa vos constituam, intrate in gaudium Domini Dei vestri: Venite Irenæi discipuli, sociate vos cum fratribus vestris. Et factum est, dum de hac tam præclara visione B. Felicis invicem sermocinarentur, repleti Spiritu sancto Fortunatus et Achilleus dixerunt: Gloria tibi Jesu Christe, lumen æternum, splendor gratia gloria Angelorum totius cœli et terræ Dominus; qui non indignos famulos tuos per servum tuum Felicem lætificare dignatus es, et promissione tua non fraudasti. Nunc ergo, Domine, Rex Regum, reple nos servos tuos cœlesti consolatione, ut digne consequi passionem valeamus: Infunde super nos tui muneris gratiam, quos tuum verbum annuntiando testes tuos esse voluisti. Non enim, Domine nostræ virtutis est, insidiis jaculisque perversi hostis posse resistere, et nec tormentorum immanitates ferre, nisi tua muniti convalescamus protectione.

hi visione facta S. Felici

E *invitati ad cœleste gaudium*

laudant Deum:

4 Hæc igitur completa oratione, ecce quidam e fratribus, a Ferreolo et Ferrutio beatissimis viris missus, epistolam ejusmodi scriptam protulit relegendam: Dominis piissimis et in Christo fratribus, Felici Fortunato, et Achilleo. Ferreolus et Ferrutius in domino salutem. Qui moderanter regit secula et disponit totius mundi suffragia, ipse servis suis, ad invitationem bonæ confessionis, arcana sui pectoris non negavit. Cum vigilata nocte me sopori dedissem, vidi revolutam cœli paginam, et quinque coronas miro splendore fulgentes, auro gemmisque insignibus adornatas sidereo fulgore coruscantes, quæ singulis Angelorum manibus deportatæ, signum Crucis in medio earum scriptum monstrabant. Quod dum admirarer, audivi vocem terribilem mihi dicentem: Venite Irenæi discipuli: percipite promissum Patris, vobis paratum, et sicut una fecistis voluntatem Dei in terris, ita pariter percipiatis regnum promissum in cœlis. Credo, sanctissimi fratres, quod nos Dominus ad Martyrium vocat. Confortati igitur, vigilemus et oremus, spiritu ferventes, ne diabolus veniens furetur thesaurum nostrum. Ad hæc Felix similiter Sanctis Ferreolo et Ferrutio, quæ viderant per epistolam narravit: sicque factum est, ut diebus ac noctibus psalmis et hymnis indesinenter dominum Jesum Christum laudarent in æternum.

Istis indicant SS Ferreolus et Ferrutius suam visionem,

F

qua ad Martyrium vocantur.

5 Nunc igitur ad eorum venerandam passionem auxiliante Domino veniamus. Eodem tempore, quidam vir *e*, Claudius nomine, a civitate Bisontiensi ad Cornelium Ducem exercitus *f* Aureliani Imperatoris Valentiam veniens. Cum vidisset quod Cornelius Dux in Sanctos Dei, id est, Felicem Presbyterum

e *f*

hi accusantur a quodam Claudio apud Cornelium Ducem exercitus

A byterum, Fortunatum, Achilleum Diacones rabiem suam taliter exercebat, de Ferreolo ac Ferrutio ei narrare cœpit, dicens: Sunt hujusmodi duæ personæ in civitate nostra, per quos jam medius populus vester, ad hanc religionem, id est per Ferreolum et Ferrutium fratres, conversus est: et colunt Deum qui ab hominibus crucifixus est. Etiam et ancillam vestram conjugem meam hujusmodi seducentes, Christianam fecerunt: virginibus suadent ne nubant; deorum nostrorum tam gravis est despectio, ut nullus eos jam deos esse dicat. Jam sacrificia vel thura, quod est placibile diis nostris, propter eos nullus offerre præsumit. Non autem eis solum sacrificare prohibent, sed et malleis ea perfringere præsumunt. Quo audito, Cornelius ait: o invictissimi dii, ut quid virtutes vestræ ad nihilum rediguntur, ut jam nullus locus sit, in quo despectio vestra per hujus Christianitatis titulum non sublevetur. Et quid frater Claudi, agimus, si diis patrum nostrorum non succurrimus? Pene omnis terra se tradere habet. Ut quid tam terribile est signum illius Christi crucifixi, ut ante eum dii nostri tabescunt? Sed nec lex illa Christianorum aliquando commisceri potest legibus deorum nostrorum. Nunc igitur B accipe litteras, et accedens ad locum, hujus legis doctores diversis pœnis interfice, ut ceteri metum habeant. Claudius respondit: Quæ dictis jubes, factis probabo: Et acceptis litteris nequissimi Cornelii Bisontiensem repetivit urbem.

g

6 Tunc g Claudius SS. Ferreolum Presbyterum et Ferrutium Diaconem comprehendi præcepit, et qui in crypta parvula latere solebant, tunc Christum publice populis prædicabant. Quibus Comprehensis ait: Sacratissimorum principum præcepta sanxerunt, quo aut sacrificaveritis diis, aut diversis pœnis vos interficiam, ut ceteri metum habeant. Quod si sacrificaveritis diis nostris, ex ærario publico remuneratos vos incolumes abire permittam *h*; Tunc Ferreolus et Ferrutius aspicientes in cœlum, signo Crucis Dominicæ muniti, dixerunt: Ecce nos paratos habes: quod tibi pater tuus diabolus dictavit, fac. Nos autem in nomine Domini Jesu Christi semper speramus, et quamtumlibet nos diversis cruciatibus affligas, ipsum tamen Redemptorem nostrum et Reparatorem vitæ nostræ credentes, cum ipso semper erimus. Pecunia tua tecum sit in perditionem: nobis autem sufficit unum Deum colere. Tunc Claudius eos ad trochleas extendi et flagellis cedi jussit; et cum flagellarentur, nihil dolorum C sentiebant; sed omnipotens Deus, qui semper protegit suos, ita hos Martyres dignatus est custodire, ut quamvis carnali cruciarentur pœna, Angelico tamen habitu et virtute, mirabili in vultibus resplenderent: quod videntes populi mirabantur.

et comprehensi nec nimis nec promissis avertuntur:

h

flagellis cæsi non sentiunt dolorem:

7 Deinde reclusos in carcerem post triduum jussit sibi præsentari tyrannus, et ait: Sacrificabitis diis, an non? SS. Ferreolus, et Ferrutius dixerunt: Non sacrificabimus, nec a bona Christi Confessione recedere optamus. Tunc carnifex, ira et furore magno repletus, linguas eis amputare jussit. Quibus amputatis, illi magis acceperunt organum linguæ spiritale ad confirmandos fratres, et ad prædicandum verbum Domini. Dicebant enim: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur; beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et ad Claudium conversi dicebant: Cognosce miser, quia dii tui non possunt facere sine linguis homines loqui, cum ipsi nec hi qui possint nec audire: sed respice in nos, et convertere, et Baptismi ablutione perfundere, et ex toto corde in Christum crede, et indulgentiam mereberis peccatorum obtinere.

linguis excisis prædicant,

et ducem monent:

8 Tunc Claudius, ira et furore magno repletus, D acutissimas fabulas triginta uni, et triginta alteri, tam in manibus quam in pedibus sive in pectoribus vel ceteris corporis compaginibus, malleis ferreis transfigi jussit: et omnia hæc tormenta, tamquam ros suavissimus, qui de cœlo descendit, magis eis refrigerium quam dolorem præstabat *i*. Cum igitur nullum dolorem sensissent, tyrannumque verbis superassent, gladio eos percuti jussit: quibus percussis tantus odor suavitatis, et miri timoris locum illum perterruit, ut æstimaret se populus gratia divinitatis obumbrari. Tunc Christiani nocte sublata eorum corpora in eadem crypta sepelierunt, ubi semper orationibus, psalmis, et hymnis quotidie Domino gratia agentes habitare solebant. Ipsi intercessores sint pro nobis ad Dominum. Quod si imitari eos non videmus martyrio, bonarum fructu ditati virtutum, sic in hujus ergastulo vitæ degentes corpora rogamus, ut cum eis in æterna felicitate gaudeamus. Acta sunt hæc circa Sanctos Dei Ferreolum Presbyterum et Ferrutium Diaconem, sexto decimo Kalendas Julii, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, virtus et potestas, per infinita secula seculorum. Amen.

ex MSS. subulis transfixi absque sensu doloris

i

gladio percutiuntur

E

ANNOTATA D. P.

a *Videtur aliquis Prologus præcessisse, quales a Legendarum collectoribus haud leri sæpe cum damno dolemus omissos. Acta 2 sic ordiuntur:* Ea tempestate, cum B. Joannes, Apostolus et Evangelista, dilectus Domini, plenus gratia Spiritus sancti, a Pathmo insula, ubi relegatus jussu Domitiani fuerat, rediit, Polycarpus ejus alumnus, omnium virtutum dono repletus, qui postmodum factus est Smyrnensium Ecclesiæ Episcopus sanctæ prædicationis ministerio præditus, ad excolendam Domini vineam, transmisit B. Irenæum, cum innumera multitudine prædicatorum, quoque gentium a sancto Spiritu prævio ducerentur, in quibus etiam direxit Ferreolum atque Ferrutium genere Athenienses. *De genere quid potius cogitandum diximus. Domitianus obiit, et Joannes ab exilio rediit anno* 95.

b *Imo missus a S. Polycarpo Episcopo Smyrnensi, olim discipulo S. Joannis, qui ex spiritu ab hoc accepto solicitus fuit in fide ubique spargenda, uti liquet ex Vita illius ad diem 26 Januarii illustrata, et infra constabit ex Vita S. Irenæi.*

F

c *In aliis Actis ea sic amplificantur:* Audivit vero Irenæus, summus Sacerdos, quod civitas Chrysopolis, præ ceteris civitatum civitas, in Burgundia, regali cultu et decore præpollebat, Romanorum Imperatorum carissima sedes, munitissima ædificiis et nativo munimine insuperabilis; sui situs amœnitate sive pulchritudine super omnes laudabilis; unde Græco eloquio Chrysopolim appellatam, sermo Latinus Auream exprimit civitatem. Sed cum foret multum .... nobilis, idolorum cultibus et ceremoniis deserviebat; rejectisque prædicatoribus Roma sibi transmissis a B. Petro Apostolo, dura cervice resistebat; et suffocato spiritu corporali contagione auctorem sui et omnium ignorabat. Hac igitur de causa memoratur Præsul, geminos fratres Ferreolum et Ferrutium, sibi consocios et regni Dei coheredes futuros, ad hanc civitatem properare admonuit. *Ex hinc paulatim magis magisque ad primorum Actorum tenorem accedito, ut videre est in ea parte quam Chifletius in lucem producendam censuit, prioribus istis merito diffisus.*

d *Horum Acta, ex quibus sequentia omnia usque ad num.* 5 *accepta sunt, jam dedimus et illustravimus* 23 *Aprilis.*

e Claudium *istum fuisse Vesontioni pro Romanis Præfectum*

A *Præfectum, arbitratur Chiffletius : tacent de eo, deque delatis per eum Sanctis, trium Valentinorum antiquiora Acta.*

f *Quædam MSS.* cum exercitu Aureliani : *sed jam* dixi Aurelii *legi in Actis Martyrum Valentinorum, Severi filium ; et ipsum omnino hic intelligendum.*

g *Hæc ita amplificata leguntur in MS. et Chiffletium.* Claudius de jussione Cornelii, sicut erat immanissimæ feritatis rabie repletus, de Sanctis Domini facta inquisitione quid agerent, reperit eos divinis operibus insistentes, sanctæ prædicationi continue vacantes, fidem Catholicam adaugentes. Erat autem ab urbe milliario *et* semis specus solitaria et silvarum conclusa arboribus ; ubi sanctissimi Doctores nocturno tempore, remota turba, liberius Domino excubabant ; diluculo vero revertentes ad civitatem, verbum Domini indesinenter prædicabant. Sed quamquam specus, horrentibus umbris, ante horum adventum, obtenebrosa ac sine luce fuerat ; lux tanta tamen ipsis præsentibus assistebat, quod ultra fulgorem solis radiabat : nec mirum, si locum tenebræ non habebant, ubi duo soles orbem terræ illuminantes prælucebant. Quos Claudius B jubens comprehendi, ac locum, ubi judicium fieret, diversis ornatibus decorari ; ipse pro tribunali sedens imperat eos adduci : quibus adductis ait. Sacratissimorum Principum etc.

h *Additur in MS. et apud Chiffletium :* Et in conspectu Principum nostrorum magnis cumulatos honoribus adstare faciam : *sed jam dixi, videri hæc gesta, solo* M. Aurelio Antonio Caracalla *regnante post an.* 212.

i *Sequentia rursus in MS. et apud Chiffletium amplificata ita narrantur :* Igitur cum nullum dolorem sensissent, exquisitis cunctorum tormentorum suppliciis, cum se jam victum cerneret in cunctis, jubet tandem gladio in eos animadverti, quos præ sui pudoris magnitudine ultra non poterat pati. Eorum ergo percussione, tanta odoris fragrantia emanavit, ac si cuncta eo loci thymiamata inferluissent, si omne balsamum redoleret, si cunctorum genera pigmentorum locus ille portaret. Odor namque ille suavitatis Dei præsentiam circa Sanctorum corpora adesse demonstrabat : suavitas Paradisi obviam eis veniens, nuntiabat quam amœnum, quamque suavissimum habitaculum illis præparabat. Tanta namque jucunditatis gratia tamque miri timoris fulgore locus ille a circumstantibus visus est C illustrari, ut æstimaret se populus Deitatis gloria obumbrari. Binæ olivæ et duo candelabra ante Dei faciem semper lucentia, margaritis et inæstimabilibus laureati coronis consederunt in cœlis, quia armati lorica fidei et gladio verbi Dei, fortiter egerunt in terris.

MISSA VETUS

Ex editione Romana, juxta antiquissimum MS. Missalis Gothici, verius Gallicani.

D. P. Missale hoc vetustum ab exemplo Gallicano

P*rodierunt Romæ anno* MDCLXXX Codices Sacramentorum, nongentis annis vetustiores, *cura et studio Josephi Mariæ Thomasii ; in quibus, a Gelasiano trium librorum Sacramentario, proximum locum tenet* Missale Gothicum, *quia id præfert titulus recentiori manu inditus præfixus, in Bibliotheca Reginæ Sueciæ, nunc ad Vaticanam addita. Tali titulo ut tribuerit aliquid Cardinalis Bona, Rerum Liturgic. lib.* 1 *cap.* 12, *licet Gallicanum esse agnosceret (quis enim posset dubitare, sex ibi officia legens Galliæ propria ?) censuit tamen, pertinuisse ad Galliam Narbonensem, Gothorum regno olim subjectam : et huic conjecturæ favet,* D *quid ibidem etiam reperiatur* Missa de S. Eulalia, *Virgine ac Martyre Barcinonensi,* XII *Februarii. Certe ex Concilio Toletano* IV, *can.* 12, 13 *et* 14 *haud obscure monstratur, eumdem ritum, qui postea per Mozarabes continuatus utcumque est, per Hispaniam æque ac per Galliam viguisse, mallem tamen simpliciter* Gallicanum *dicere, ex Gallicano scilicet exemplari, Barcinonæ in Hispania Tarraconensi, tempore Gothorum descriptum, addita illa missa de* S. Eulalia *Barcinonensium Patrona, nulliusque alterius ; quamvis ex interiori Hispania illustriores aliqui sancti potuissent addi, si scriptori cura fuisset Missale conscribere Gothis Gallisque commune. Scripsit autem multo prius quam Pipino Caroloque agentibus, Romani ritus, secundum ordinem S. Gregorii, inducerentur in Galliam. Placeat ergo antiquioris Missæ, et valde discrepantis a ritu Romano, non solum Gregoriano, sed etiam Gelasiano, hoc specimen accipere ; correctis tamen mendis quæ fidelis editio Romana attingere noluit.*

descriptum Barcinone, addita Missa unica de S. Eulalia.

2 MISSA (*sive* Introitus ad missam) Sanctorum Ferreoli et Ferrutii. Dominum Deum nostrum Fratres carissimi, supplices exoremus : qui sanctis E Martyribus suis, Ferreolo et Ferrutioni, quædam tribuit futurorum præmia gaudiorum in ipsa præsentium conditione certaminum : dum * per inextinguibilem sui amoris ardorem intelligunt suavitatem vitæ damnis acquirere, et mortem, moriendo, calcare : quibus dum prætervolans hic dies, per urgentium pœnarum * acerbitatem, concluditur ; aditus æternæ lucis aperitur. Det nobis famulis suis ; ut, sicut illos nulla tormentorum genera, corpore licet deficiente, fregerunt : ita nos nullæ mundi hujus illecebræ a suæ proposito servitutis pernicioso securitate deflectant : ut virtutem fidei nostræ divinus ille suæ caritatis [ignis] accendat ; et omnia in nobis corporalium vitiorum * fomenta *consumat.*

perire ext.

*acerbitate

*fundamenta

3 COLLECTIO (*nos* Collectam *dicimus*) Deus, cujus * amorem piissimi Confessores et * Martyres tui, Ferreolus * et Ferrutio, cruore asserunt et morte confirmant, qui, dum tibi tam libenter sumptum a te vitæ munus impendunt, neminem non pro * te mori [debere] testantur : concede, ut fidem, quam cordibus nostris proprio inscriptam sanguine reliquerunt : vitæ meritis excolamus ; et quod in eis admiramur, imitemur ; quod colimus, diligamus ; quod laude prosequimur, conversatione sectemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

* amore Martyris

*Ferreoli et Ferrucionis

*Vitæ

F 4 POST NOMINA *vivorum vel defunctorum, facta oblatione panis ac vini, solita recitari ex diptycho.* Recensitis nominibus Fratrum carorumque nostrorum, oremus Dominicam misericordiam, ut in medio Jerusalem, in congregatione Sanctorum, hæc nomina sibi faciat, ab Angelo Sanctificationis in * beatitudine æterni gaudii recenseri : Sacrificiumque hoc nostrum, sicut in * præformatione Melchisedech, in virtute sanctificet ; preces quoque offerentium in hac * oblatione propitiatus exaudias, commemorationem [facientium] beatissimorum Martyrum Ferreoli et Ferrutionis omniumque Sanctorum ; ut eorum precibus adjuti, non solum viventibus præsidia, verum etiam defunctis caris nostris requiem obtinere mereantur. Per.

*beatitudinem

præformationem

*oblationem

5 COLL. AD PACEM, *quam dato invicem osculo apprecabantur fideles,* Mirabilis in sanctis tuis, Domine virtutum ; peccatoribus nobis beatissimorum Martyrum tuorum, Ferreoli et Ferrutionis, patrocinio [pacem] largire ; [ut sicut] illi coronas, insignes gemmis * et lapidibus pretiosis, Martyrii virtute meruerunt ; [ita] nos eorum suffragiis, te donante, delictorum veniam consequamur ; et concede nobis, ut conjunctio labiorum, copula efficiatur animorum ; et ministerium osculi, perpetuæ consulat caritati. Per D. N.

*gemmibus lap.

6 Contestatio *(alias* Immolatio Missæ *in hodierno ritu* Præfatio *Canonis nuncupata, ad* Dignum et justum est, *ubi subjungit sacerdos* Vere dignum et justum est, quotiescumque pugnas Sanctorum * recolimus, te * laudemus, et * id quod [in] Martyrum * tuorum Ferreoli et Ferrutionis [honore] proferimus, tuis laudibus * adscribamus : quia illorum corona, tua est gloria, qui per unicum filium tuum Jesum Christum Dominum ac Salvatorem nostrum, mortalia corpora docuisti pretiosi palmam portare martyrii. Juste autem tuis meritis exhibemus, quo fortissimorum Martyrum facta veneramur ; qui humanas mentes, ad certamen cœlestis gloriæ, amore tuæ pietatis accendis. Tuæ namque virtutis est præmium, pœna Sanctorum : nam in qua subjacuerunt sævi [tiæ] membra carnificis, tibi servit Martyrum effusus sanguis, tibi triumphum reportat manus cruenta lictoris : quique gladio voluntaria colla * supposuerunt quique ungulis flammisque * subjacuerunt tui palmam nominis * reportaverunt. Habes ergo Domine, in quo exultes, quotiescumque tantæ virtutis memoriam recolimus ; nec * immerito singulis quibusque cœlestia dona disponis, qui tantum per Sanctos tuos undique amorem * acquiris. Quis non, post tantam pietatis tuæ magnificentiam, animum ad Martyrii vota componat ? aut quis non * provocatur ad pugnam, cum videat magno laboris fructu remuneratam Martyrum fuisse victoriam? Rogamus ergo Domine; ut in * commemoratione Sanctorum tuorum Ferreoli et Ferrutionis illorum pretiosæ virtutis memoriam recolentes, [in] partem remunerationis admittas; * et præstes, ut familia tua * perseveranter cursum cœpti laboris expediat : quatenus qui in te credunt, et tibi serviunt, etsi non in prima, vel in secunda remunerationis sorte locum apud te mereantur obtinere justitiæ; et ideo cum Angelis atque Archangelis clamant, dicentes ; Sanctus, Sanctus, Sanctus etc.

* recolemus, *laudamus *in quo *Martyres tuos *adscribamur. *supposuit *subjacuit, *reportavit *immeritu *acquires *pio vocitur *commemorationem *hæc *perseverare

7 *Hactenus Missa, ut habetur impressa. Canon fere verbotenus idem qui Romanus, nisi quod vivorum mortuorumque commemorationes, ritu Gallicano (ut vidimus) præmissas, non habeat ; aliæque sub ipso et post ipsam intelligibili voce recitandæ sint preces, partim cum Romano communes, partim Gallicano propriæ : quæ tamen neque in hoc, neque in aliis Sanctorum Missis hoc in Codice ponuntur ; eo quod essent in communi Missæ ordine requirendæ. Certe Missa de S. Germano Episcopo, sicut post hoc Missale (uti appellatur Gothicum, excusa habetur, initio Missalis Gallicani veteris, seu potius fragmentorum ejus, propria de illo, qualia de sanctis* Ferreolo et Ferrutione *hic ponuntur, plura quidem subjungit, a Romano peregrina ; sed nihil ad S. Germanum facientia ; et cuicumque Missæ, etiam de Tempore, (ut Rubricæ nostræ nunc loquuntur) communia. Quod autem idem Ordo, per Gallias usitatus, etiam per Hispanias obtinuerit, non solum sub Gothis, sed etiam ante eorum adventum sub Romanis, apparet ex libro* 1 *S. Isidori Hispal. de Officiis Ecclesiast. cap.* 15. de Missa et de orationibus, *quod hic placet transcribere.*

Cætera fuerunt ex Communi sumenda.

8 Ordo Missæ vel Orationum, quibus oblato Deo sacrificio consecrantur, primum a S. Petro est institutus, cujus celebrationem uno eodemque modo universus peragit orbis · *per Occidentem scilicet : neque enim Orientalium Ecclesiarum ritus speciales vel scivisse vel respexisse Isidorus videtur, cum hæc scripsit : et quoad Occidentales videtur Isidorus præcipue intelligendus de Canone, cetera enim jam multum erant mutata Romæ a S. Gelasii decessoribus.* Prima, *inquit Isidorus,* earumdem Orationum, admonitionis est erga populum, ut excitentur ad exorandum Deum. Secunda, invocationis ad Deum, ut clementer suscipiat preces fidelium oblationemque.

Priora autem fuisse quoad Ordinem apud Hispanos usitata,

Junii T. IV

..... Tertia autem effunditur pro offerentibus, sive pro defunctis fidelibus, ut per idem Sacrificium veniam consequantur. Quarta post hæc infertur pro osculo pacis, ut caritate omnes reconciliati invicem digni Sacramento Corporis et Sanguinis Christi consocientur. Quinta infertur, Illatio in sanctificatione oblationis, in qua etiam ad Dei laudem terrestrium creatura, virtutumque cœlestium universalitas provocatur, et Hosanna in excelsis cantatur..... Porro sexta ex hinc succedit, confirmatio Sacramenti, ut oblatio quæ Deo offertur, sanctificata per Spiritum sanctum, Corporis et sanguinis confirmetur. Harum ultima est Oratio, quam Dominus noster discipulos suos instituit dicens ; Pater noster qui es in cœlis. *Ubi vides quinque prioribus partibus, respondere quinque articulos propriæ de SS.* Ferreolo et Ferrutione *Missæ, prout supra sunt positi.*

EX MSS.

probat S. Isidorus, cum ordinem describens

INVENTIO CORPORUM

Ex MSS. Legendariis ecclesiæ SS Joannis et Stephani.

In Civitate, quæ a temporibus antiquis Crysopolis appellata est (multi enim cultus et ornatus extitit; ut de pulchritudine suæ formæ hoc nomen acceperit, beati Martyres Ferreolus ac Ferrutius, sicut germanam una similitudinem generis in Vita tulerunt, ita et Martyria pro Christi nomine pariter persecutoris funesta supplicii pertulerunt. Hæc vero civitas et bisuntica dicitur, opinione quoque pristina veterum habitatorum Memoriæ juniorum redditur : unde Bisuntica appellatur. Eo namque tempore quo restaurabatur, silvester adhuc locus cum esset, Vison ibi fera reperta fuit et inde vocabulum perenne est sortita ; id est bisuntica, B pro V littera, sicut earum est affinitas, posita, verumque nomen ut ætas cognovit nostra. Postquam enim barbarica irruptione, multis annorum curriculis dignitate servata, velut Romanorum Sedes excellentissima, quia negatum est summis in hoc mundo diu stare, succubuit; vocabulum primæ dignitatis (ut fert antiquorum opinio veraque relatio) temporaneæ perdidit, et ferarum habitatio aliquamdiu fuit.

II Bisuntica civitate,

2 De hinc vero in suæ dignitatis Dominium restituta magno illic Gentilium populo constituto, et Deorum ceremonias pro ritu Romanorum exhibente, beatissimos Martyres Ferreolum ac Ferrutium prædicatores egregios, Aureliano Principe indigno, divina prædestinatione suscepit ; quos spinarum et veprium a campo infidelitatis doctos eradicatores habuit, atque doctissimos florum, rosarum, ac liliorum, in agro fidei plantatores cognovit. Hi itaque germani Fratres cum essent sancti Spiritus doctrina affluenter edocti, illius dispositionis summo judicio quo cuncta reguntur, a B. Joanne Evangelista Domini dilecto a Græcorum partibus una cum Beato Irenæo Lugdunensium Episcopo, ad prædicandum Dei filium Burgundiæ sunt destinati. Quorum quidem documentis atque insignibus miraculis, quæ per eos sacrilicus operabatur Spiritus urbs Bisuntica errorem antiquæ vetustatis exuit : atque obfirmata in fide catholica, remota dæmonum superstitione, vitæ æternæ auctorem cognovit. Verum insanientis Aureliani jussu indicta in Christianos persecutione, agente quoque Principum insania, Cornelii videlicet Ducis et Claudii in eadem Civitate, sicut eorum veneranda descripta testatur passio, gloriosi palmam sumpsere Martyrii.

SS. Ferreoli et Ferrucii prædicationibus conversa ;

et ipsis ibidem passis ac tumulatis ;

3 Horum vero sanctissima corpora Christicolæ ab urbe milliario ac semis, quodam in secessu, ubi tempore prædicationis beati Martyres locum orandi sibi delegerant, sepulturæ tradiderunt : ubi longævitate

A vitate temporum succedente, Clerum et populum, quibus in illis summum erat præsidium, latuerunt. Fides autem rei Aureliano Episcopo intimante, nobis comperta et cognita est: per quem ædes Martyrum fundata est et condita. Beato denique Sanctoque Pontifice Aniano intimante, Sanctorum Martyrum miracula, sive gloriosa eorum quæque certamina, manifeste revelata sunt et ostensa. Nam cum in prædicta civitate Episcopali fungeretur officio; Tribunus quidam militum, qui ad custodiam civitatis fuerat destinatus, venandi studio, Milliarii ac semis fere spatio ab urbe, est progressus. Cumque repertam vulpem a canibus sequeretur; in antiquam monumenti Martyrum foveam casu vulpes fugit: sed Tribunus, dum pertinaciter insistit, militibus fossorium afferri jussit. Hæc dum per foveam inquiritur, latens ædes, ubi Sanctorum Martyrum corpora requiescebant, reperitur. Vere Deus vere admirabilis, vere in cunctis suis operibus laudabilis! animal irrationale ratione utentibus viam salutis aperit thesaurum incomparabilem ac præ cunctis opibus desiderabilem eis ostendit. Vulpes, inter bruta animalia sagacissimum, ad sui tuitionem amans tenebras, lucem reperit; quia peccatrix anima sceleris conscia, dum mortis metu afficitur, ipsius mortis tenebrosis latebris occupatur, ac per hoc non numquam propitiante Domino ad lucem perducitur. Quæ vulpes non tantum inventa luce seipsam salvavit; verum ratione degentibus, in inventione sanctorum Martyrum, maximam salutem edidit: quia conversa anima de tenebris ad lucem, non sibi dumtaxat proficit, sed etiam Angelicis agminibus quibus est sociunda gaudium ingerit. Nuntius itaque statim B. Aniano destinatur. At ille festinus occurrit: quia jam hoc opinione vulgi antea audierat; et quoniam Spiritus sancti gratia afflatus erat, Divinitatis eum in hujusmodi miserationibus pietas non latebat. Martyrum ergo sepultura ejus jussu detegitur, statimque Sanctorum corpora in monumento reperiuntur.

EX MSS. a S. Aniano Ep. elevantur corpora, — VI — *indicio vulpis reperta,* — B

4 Sanctorum igitur Martyrum corpora, suæ passionis virtutisque mirificæ, in semetipsis monstraverunt insignia. Nam eorum capitibus trabales clavi malleis ferreis impulsi, affixi inventi sunt. Palmæ vero Dominicæ passionis signum aperiunt; quia se perforatas clavis ostendunt. Et quamquam abscissionem capitum egregii Martyres excepissent, ordo tamen clavorum in eorum capitibus quasi coronam agebat, quæ totius compagem orbis possidebat. In ceteris undique membrorum juncturis inventæ sunt subulæ, compactæ malleis. Hæc sunt quidem passionis Sanctorum insignia, in quibus divinæ remunerationis monstrantur et merita. Clavi namque diversis infirmitatibus medelam multis præstant temporibus; subulæ quoque, omni auro pretiosissimo pretiosiores, omnique Margaritarum decore decentiores vim totius medelæ credentibus exhibeant. O impiissimi vesania tyranni! Martyres animæ privantur, his auditus aurium aufertur, oris et linguæ sermo amputatur, eorumque junctura pectorum tunduntur, ac de vertice capitis totius corporis supplicia capiuntur. Non sufficerat persecutoribus custodia carceris, vincula catenarum, suppliciorum diversa genera: Sanctorum namque fides persecutorum tentamenta constanter sustinuit, nullius circumstantis populi adjuta solatiis, nullius freta terrenæ spe regnantis; sed cælestis patriæ jam secura de præmiis.

VII — *una cum clavis et subulis, passionis instrumentis* — C — VIII

5 Beatus itaque Anianus Archiepiscopus, Tribunus quoque cum militibus ad civitatem redeunt cum triumpho et excubiis maximis Præsidis corpora Sanctorum ad matrem Ecclesiam S. Joannis Evangelistæ cujus fuerant discipuli, summa cum reverentia deferunt quibus ipsa civitas ab oppugnatione barbarica defenditur et a superstitione Gentili absolvitur. Ubi se virtutibus innotescunt, dum digniter orantium vota suscipiunt: infirmitates quoque ac langores depellunt, immundos Spiritus effugant, libertatem captivis corporibus præstant. Interim vero a beatissimo præfato Aniano, in loco sepulturæ ædificatur Ecclesia, Sanctorum corpora ibidem denuo cum aromatibus sepeliuntur. Conventus fratrum ad Domino serviendum, in Sanctorum veneratione Martyrum, constituitur. Clavi vero, ab eorum capitibus per Sanctorum manus Sacerdotum sublati, retinentur: per quos sæpe infirmitatibus diversis hominum medela impertitur. Beatorum igitur Martyrum Ferreoli Presbyteri et Ferrutii diaconi Christo annuente Nonis Septembris inventionem celebramus, ut quoniam eorum victoriæ recensentur in cælis ab Angelis, laus Jesu Christi ac redemptoris nostri, qui semper triumphat in sanctis de ore et mente hominum numquam recedat in terris. Sed quoniam hæc a Sanctissimo Patre nostro Aniano Archiepiscopo cognovimus, ejusque vitam inæstimabilem non seriatim sed transeundo; tetigimus dignum est ut pro nostræ fragilitatis modulo ejus beatissimum finem proferamus. Peractis namque non nullorum annorum curriculis, post Sanctorum corporum inventionem; eadem die ejusdem inventionis; sicut interiorem hominem servaverat immaculatum, ita, ipsis deferentibus Martyribus quibus devote servierat, transmisit ad Dominum.

et tantisper in Cathedrali deposita, — D — *referuntur in ædificatum loco sepulturæ monasterium,* — IX — *ubi Inventio celebratur 5 Sept.* — *cujus anniversario obit S. Anianus* — E

6 Hæc itaque de triumpho Sanctorum Martyrum eorumque revelatione, de transitu Patris nostri Aniani, ad confirmandos Catholicæ plebis animos Christo auctore mente devota conscripsimus; non nostris confisi meritis, sed eorum orationum subsidiis. Cum enim Sanctorum omnium quos in conspectu altissimi perenni luce perfrui credimus, auxilium imploramus, eorumque venerabiliter pro necessariis confidenter subsidium postulamus; præsertim ad eorum præsidium specialiter atque fiducialius jure recurrimus, quos in fidei spei caritatisque soliditate prædicatores habuimus. Hos ergo confidenter exposcamus, ad hos devota mente recurramus, his omni devotæ mentis conatu supplicemus; ut dum eorum festivitas ipsis patrocinantibus felici tempore, revolutis in Domino anni circulis celebratur; ipsi pro statu Catholicæ religionis, pro defensione propriæ urbis, pro salute summi pontificis, pro conservatione ejusdem urbis Pastoris, pro regis et principum felicitate, pro totius plebis liberatione, pro Sanctarum congregationum stabilitate; pro cunctorum fidelium necessitate, indulti Patroni ac Martyres Christum Dominum deprecentur; eumque ex pietatis suæ atque misericordiæ censu, qui hæc obedienter composuit remunerare dignentur; ipso adjuvante, cui ante secula virtus et honor, Majestas et imperium, laus et jubilatio, decus et potestas, per cuncta seculorum secula. Gloria tibi Domine, gloria Unigenite, una cum sancto Spiritu in sempiterna secula. Amen.

qui simul cum illis invocatur: — F

7 *Hactenus MSS. illa in* IX *Lectiones distributa, et pro parte descripta a Chiffletio:* Aurelianum Imperatorem, *ex jam recepto et supra notato errore, nominant etiam ipsa: quorum illud etiam accepimus compendium, quo usus ad operis sui editionem Chiffletius, initio atque in decursu variatis quibusdam ad historiam minus facientibus. Interpretationem dare malui, ut melius de auctoris ætate judicaretur: ubi que ne ipsas quidem populares de urbis nuncupatione fabellas, initio positas omittendas cum Chiffletio censui. Quamquam autem* a Sanctissimo Patre Aniano *cognita sibi profiteatur Auctor, quæ scribat; apparet tamen id ita intelligendum, ut per manus tradita, nec nisi mediate*

D. P. — *mortuus an* 374.

A *diate a Sancto sumpta notitia illa credatur. Dicitur is, Juliani Apostatæ ætate, et imperantibus Valentiniano atque Valente, Sanctorum corpora invenisse; obiisse autem anno* CCCLXXIV *: hic vero identidem* Vesontio *nominatur* Chrysopolis ; *cum tamen is qui cognominari hinc malait* Chrysopolitanus, *primus hactenus inveniatur Theodoricus fuisse. Nam in Epistolis Joannis Papæ VIII, datis anno* DCCCLXXVIII *nominatur* Bisuntinensis *vel* Bisunticensis Archiepiscopus ; *in datis autem anno* DCCCLXXX *intitulatur* Sanctæ Chrysopolitanæ Sedis *vel* Ecclesiæ Archiepiscopus : *adeo ut isto fere anno videatur mutata nuncupatio non multis seculis duratura ; nec admodum diu post scripta, tum recentiora Acta, tum inventionis historia.*

8 *Miracula, quibus post inventionem claruisse feruntur vel nemo scribere curavit, vel scripta perierunt injuria temporis : unum tamen ex S. Gregorio Turonensi lib. 1 de gloria Martyrum cap. 71, proferre licet quod est hujusmodi* Vesonticorum civitas propriis illustrata Martyribus, plerumque miraculis præsentibus gaudet. Huic in abdito cryptæ duo, ut Passio declarat, Martyres Ferreolus, atque Ferrutio sunt sepulti : Factum est autem quodam tempore, ut vir sororis

Febris molesta pellitur.

B meæ invalescente febre graviter ægrotaret. Cumque jam quarti mensis spatio lectulo anhelus occumberet, ut nihil aliud conjux mœsta, nisi quæ sepulturæ erant necessaria, cogitaret; Sanctorum basilicam flens ac tristis expetiit, provolutaque coram sepulcris, palmis ac facie rigente opprimit pavimentum. Accidit autem fortuito, ut extensa dexteræ manus palma folium herbæ silvæ, quod pro honore Martyrum in crypta conspersum fuerat operiret. Postquam autem fusa oratione cum lacrymis surrexit a tumulis, putans aliquid de linteaminibus, quibus induta erat, manu prehendisse, ut adsolet, volam continuit clausam : egressaque basilicam, patefacta manu, folium herbæ miratur. Obstupefacta vero quid hoc esset, munus cœleste indultum sibi divinitus recognoscit : ut scilicet per eam virtus Martyrum infirmo succurreret. Domum igitur jam lætior rediens, folium dilutum aqua, viro porrexit ad bibendum. Qui ut hausit, plenus fide protinus sanitatem plenissimam meruit obtinere. *Hæc Gregorius Turonensis. At quomodo postea Sacra ossa Vesontionem translata fuerint anno* MLXIII *die* XXX *Maji ex vetustis codicibus S. Joannis et S. Stephani ita descriptum accepimus.*

C

TRANSLATIONES VARIÆ

Ex ejusdem Ecclesiæ Cathedralis MSS.

I Priorum Patrum moralis institutio, cum hujus vitæ ordinem castitate morum, seu gravitatis honestate recte procedere instituat; tum illius theoricæ jucunditatis quodam modo gaudium exhilenti ingenio denuntiat : cum exultantibus animis in sanctorum solemnitatibus hominum mentes tripudiare edoceat. Hi sunt enim qui summæ illius contemplationis dulcedine perenniter satiantur, quique summo bono adhærentes æternæ lætitiæ gaudiis perfruuntur.

Auctor

II Horum denique memoriam miro amore concelebrare debemus : quorum, in amore Dei persistentium, non fuit alter amor ; et qui de carcere carnis euntes, per tenebrosam mundi noctem perennem diem meruere : Beatorum itaque Martyrum Ferreoli et Ferrutii festa devotissime celebrantes, ad commendandam fideli populo hujus rei notitiam, qualiter eorum beatissima corpora a loco antiquæ sepulturæ ad urbem sint translata oportunum notificare stylo officio duximus, ut qui eorum præsentia roborati utriusque hostis, mentis videlicet et corporis, machinamenta superare valeamus; in hac quidem die, quam fecit nobis Dominus, in qua etiam ad communem humani generis lætitiam tam pretiosum thesaurum suscepimus, gaudeamus præ ceteris et exultemus.

memoriam commendandam,

D *EX MSS.*

III 2 Cum ergo sint magni meriti apud Dominum hi sanctissimi Martyres et Apostoli, qui pro Christi fide pugnantes in sui agone certaminis, aciem vicerunt diaboli ; quoties fidelis anima in eorum laboris ac præmii certationem cogitatione dicitur, eorum

IV *scribere intendit*

societatem jam sitiens, merito in laudem ipsorum et prædicationem roboratur, quos in summi Regis conspectu candidatos ac diademate coronatos, sui vigoris acumine contemplatur. Hi sunt enim viri sancti, a divina providentia in perfectæ caritatis vinculum electi, quos fecit Dominus et ostendit nobis ; quibus dedit gloriam sempiternam : quorum doctrina ad solis et lunæ comparationem prætulget Ecclesia ; quorum corpora licet non separentur a terris, animæ tamen eorum merito Sanctorum coæquales existunt in cœlis. Horum itaque sub Aureliano Imperatore, jubente duce Cornelio, agente Claudio Chrysopoli Civitati præsidente, passio veneranda eamdem Chrysopolim illustravit : et cum

quomodo olim passi,

E esset pro ritu Gentium inter urbes Gallicanas cunctis nobilior, in Christi cultura nobilissime decusavit. Derelicto enim idolorum cultu spurcissimo, Christo Domino eorum prædicatione ac meritis se substravit ; ac peccatorum eruta nigredine, candore fidei et sanctæ religionis habitu passim enituit.

V 3 Tempore igitur passionis sanctorum Martyrum, Christiani eorum prædicatione in fidei petra solidati, sanctissimas glebas nocturno tempore extra civitatem, rabiem tyrannicam metuentem, in unius ac semis milliarii spatio probantur detulisse : ibique, sicut vetus refert historia, in loco eremi quam habitare solebant, Angelorum societas non defuit; virtutum cœlestium beata multitudo ad eorum exequias obsequium præbuit, quorum quidem animas ad cœlos usque cum magno gaudio prius evexit. Longo * itaque ætatis tempore transacto, cum ipsorum passionem priorum cura fidelium devotioni tradidisset, ignotum de sepultura erat. Sed Valentiniano et Valente regnantibus, B. Aniano in

et sesquimilliario ab urbe sepulti,

VI sanctæ Bisuntionensis Ecclesiæ Cathedra præsidente, mira Dei dispositione sunt reperti ; quemadmodum in ipsius inventionis narratione digesta potest reperiri. Beatus vero Anianus, Christianæ fidei prædicator egregius, de reperto Domini thesauro incomparabiliter dives, in eo loco ædificavit

F ecclesiam, ubi Monachorum sacrosanctam vitam instituens, sicut erat totius religionis perfectione repletus, in brevi effecit Monasterium, necessariis ejus providentia attributis satis contentum. Diu itaque in statu suo, monasterio permanente, peccatis

atque a S. Aniano condito istic monasterio elevati ;

VII populi id agentibus, Dei permissu, cujus occulta sunt judicia, Pastorum negligentia ingruente, ad id devenit ut sicut fuerat summæ religionis domicilium ita fieret irreligiositatis contubernium. Nam laicorum voluntati, a quodam Præsule inde consulto, prædiis ad eum locum pertinentibus traditis in beneficium, in brevi ita dilapsum est, ut destructa congregatione, ad beatorum Martyrum servitutem, præter admodum paucos Sacerdotes idiotas et indociles, nullus remanserit.

eodem desolato, translati sunt

VIII 4 Cum * ergo communi in excidio totius patriæ, ut in propatulo positi sancti Martyres jacerent (quippe quos latrones de Francia ad Burgundiæ perniciem conabantur auferre) sempiterna pietas Christi populum suum tanto patrocinio destitui non permittens, non hominum custodia, non murorum clausura, non denique loci illius firmitate aliqua, sed sua nobis eos tamdiu reservavit admirabili gratia. Henrici itaque Imperatoris secundi tempore,

ab Hugone Archiepiscopo

Domnus

EX MSS.

Domnus Hugo Archiepiscopus, cui hoc amicorum diligentia summum periculum intimarat, id gerens voti, quatenus eos ad civitatem transferret, habebat occultum: quærebat tamen temporis opportunitatem ad id agendum.

5 Tertio denique Kalendas Junii, quod erat crastinum Ascensionis Dominicæ, orandi gratia jussit illo Clerum et populum Archiepiscopus (ut eorum consuetudo fuerat) convenire. Ipso vero eo veniente, Missaque per se celebrata, itur ad sepulcrum: ubi pausabant præclara cœli duo luminaria, gemini fratres, patriam illuminantes, pacem gentibus conferentes, Dei populum liberantes. Sarcophago autem aperto, inæstimabilis suavitatis fragrantia totius ecclesiæ ambitum respersit, quæ Dei præsentiam adesse sine dubio signavit. Quosdam vero e cernentibus qui aderant, visus eorum ossibus, divinus timor quasi positos in extasi tenuit. Cernere erat Clerum et populum mixtum præ gaudio, multo lacrymarum imbre madentem, Dei laudibus comminiter exultantem. Mirabile visu, tanta multitudo hominum, cum nulli nuntiatum fuerit, ibi subito affuit, ut nullus unquam in tam brevi temporis articulo tot convenisse meminerit, non tantum cives, non tantum vicina incolentes, sed de remotis longe partibus occurrentes.

30 Maji: *eoque jubente fuit apertus Sarcophagus*

6 Horum autem sacratissimorum corporum partem minorem Domnus Metropolitanus, sagaci usus consilio, ad loci conservationem, qui in eorum honore dedicatus erat, sub principali altari ibidem locavit: majorem vero portionem, quæ sibi semper foret præsidium, ad civitatem cum hymnis et laudibus detulit, atque in B. Joannis Evangelistæ, in altari beatissimæ Dei Genitricis Mariæ gloriose recondidit: ubi gloriosi Martyres, a se confugientibus divinum præstant refugium, petentibus patrocinium, ad laudem Domini, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Pars minor sub altari ibidem se ponitur, *major defertur ad Ecclesiam S. Joannis*

7 *Hæc ibi similiter in* IX *Lectiones divisa, et descripta a Chiffletio: in quibus notatur triplex temporis character: primus* Henrici secundi Imperatoris, *anno* MLVI *vita functi, relicto filio Henrico tertio, puero septem aut octo annorum, sub regimine Agnetis matris, videntur autem illius aliqui anni Henrico secundo tributi. Alter character est in* Hugone *primo* Archiepiscopo Bisuntino, *qui dicitur præfuisse ab anno* MXXXI, *usque ad annum* MLXVII. *Hujus temporis tantum semel Pascha, incidit in diem* XX *Aprilis* festum Ascensionis *in* XXIX *Maji, ac consequenter dies* XXX Maji *seu tertius Kalendas Junii fuit crastinum Ascensionis Domini, qui est tertius character, proinde contigit ea Translatio anno* MLXIII. *Ipse vero* Hugo sanctæ etiam Chrysopolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus dictus, *a Chiffletio* Beatus *nuncupatur, mortuus* VI *Kal. Augusti, et conditus eo tumulo, quem in medio navi S. Pauli ipse sibi erexerat: cujus tumulum trecentis post annis, una cum reliquo ecclesiæ pavimento, fuisse elevatum indicari videtur his versibus annum mortis diem iterum notantibus, hoc modo:*

G. ii.

anno 1063.

Hugo iste an Beatus?

Anno milleno, tercentum, septuageno,
Adjunge primo, Pater Hugo reconditur imo;
Cum superet quinta Julii lux, ex Libitina.

Quibus intelligis anno MCCCLXXI, *ipso anniversario mortis die, id factum esse. De quibus plura forte ad diem* XXVII *Julii, si interim cultus titulusque* Beati, *a quo abstinent Claudius Robertus, Sammarthani et alii, probatus nobis fuerit.*

8 *Uno interim seculo priusquam ista fierent, prædictam partem majorem sacrorum Corporum, quam ad ecclesiam S. Joannis anno* MLXIII *translatam diximus, ibidem fuisse relevatam, indicatur apud Chiffletium pag.* 272 *ex Martyrologio S. Joannis his verbis:* Anno Domini MCCXLVI, IV Nonas Septembris, residente apud Lugdunum Innocentio Papa IV; facta est in hac ecclesia revelatio *forte potius* relevatio, sanctorum Martyrum Ferreoli et Ferrutii, prædicatorum hujus urbis per venerabiles Patres Wilelmum Archiepiscopum Bisuntinum, Joannem Lausanensem, Seguinum Matisconensem, Alexandrum Cabilonensem, Antericum... et alios Prælatos civitatis et diœcesis Bisuntinæ. *Hæc ibi. Addit Chiffletius* hanc revelationem nihil aliud fuisse quam sacrorum corporum collocationem, in capsis aut thecis ex ligno deaurato affabre factis; *existimatque* eodem tempore mediam fere sacrarum Reliquiarum partem ad ecclesiam S. Vincentii fuisse translatam. *Submisit nobis Petrus Franciscus Chiffletius Societatis Jesu duas Chartas, in quarum priore indicatur translatio Reliquiarum S. Ferreoli in Ecclesia S. Vincentii his verbis:* Die penultima mensis Maji in Vigilia Pentecostes, anno Domini MCCCCXXI Reliquiæ S. Ferreoli translatæ fuerunt, per Reverendum in Christo Patrem ac Dominum, Dominum Robertum de Courbeton, Abbatem S. Pauli Bisuntini, de cassa antiqua ad præsentem novam in ecclesia S. Vincentii Bisuntini; et fuerunt ibidem religiosi viri Domini Joannes de Villanova, Prior, Aymo de Vaitus, Infirmarius, Petrus de Myone, Sacrista; Bertenius de Devissen, Refectuarius; et Joannes de Melincuria, Presbyteri Monachi monasterii dictæ ecclesiæ, et plures cives Bisuntini in d. ecclesia. *Hæc ibi cum optimo consensu dierum et anni indicatorum. Nam dicto anno* MCCCCXXI, *littera Dominicali* D, *Pascha celebratum fuit die* XII *Aprilis, et festum Pentecostes* XXXI *Maji. In altera Chiffletii charta ista indicantur:*

Nova relevatio anni 1246, 2 Septemb.

aliquæ Reliquiæ datæ Ecclesiæ S. Vincentii *anno 1421 translatæ*

9 Anno Domini MCCCCXXIV, die VIII mensis Maji, reverendissimus in Christo Pater ac Dominus, Dominus Theobaldus de Rubeo monte, Dei gratia Archiepiscopus Bisuntinus transtulit Reliquias corporum SS. Ferreoli et Ferrutii, de veteri capsa in novam: de quibus quidem Reliquiis tradidit Ecclesiæ B. Mariæ Magdalenæ Bisuntinæ unam costam, ecclesiæ S. Petri Bisuntinæ mediam costam. Fratribus Ordinis Minorum de Saleriis, unum parvum os; et ipse reverendissimus Pater retinuit duos dentes, cum parte maxillæ; et tradidit Joanni Porcelleti unum os, præsentibus ibidem Dominis Joanne de Thorasia, Jacobo Moschet de Bisuntio Militibus, Magistro Egidio Grusigneti, Nicolao de Vourlans Canonicis Bisuntinis, et pluribus aliis testibus, sub signeto secreto dicti reverendissimi Patris, et signo manuali Secretarii. Signatum G. Gaji, cum sigillo dicti reverendissimi Domini in cera viridi.

Aliæ in novam capsam positæ anno 1424 *et ossa alius data,*

10 *Prætera Joannes Jacobus Chiffletius part. 2 Vesontionis pag.* 307. Anno MDXXXIX, *in quit,* die Lunæ post festum Resurrectionis Dominicæ, in ecclesia Metropolitana S. Joannis Evangelistæ Bisuntina, Gubernatoribus civitatis, et maxima Cleri ac populi multitudine ibidem congregatis, R. Domino Francisco Symard Episcopo Nicopolitano et Suffraganeo Bisuntino Missam celebrante; post Offertorium facta est, magna suavitate vocum et totius officii majestate translatio sacrarum Reliquiarum, sanctorum Martyrum Ferreoli et Ferrutii, de vetere in novam capsam, per manus Domini Archiepiscopi, Antonii de Vergejio. Ex Actis Capituli Bisuntini. Eam capsam ex argento, vel mole vel operis elegantia præcipuam, Gubernatores et Canonici Bisuntini conflari curaverunt, ut notatur in Actis Capituli annis MDXVIII et MDXXV. *Hæc dictus Joannes Jacobus Chiffletius. At frater ejus Petrus Franciscus ista insuper indicavit:* XII Junii anni MDCXXXVI. Franci Dolam obsidentes, e suis castris Vesontionem usque facta excursione, ecclesiam SS. Ferreoli et Ferrutii tertio ab urbe milliario incenderunt, et a tergo altaris everterunt capsam Reliquiarum, quæ deinde

circa annum 1539 in capsam argenteam translata

A deinde Vesontionem ad S. Vincentium translatæ sunt. *Videtur illa ecclesia fuisse villa, quæ in Vita S. Germani Martyris describitur a priore Chiffletio pag. 62: quæ, inquit,* Grandem-fontem inter et D Vesontionem media via interjacet; *nam ibi et Basilicam et sacra λείψανα fuisse indicat.*

DE S. ILPIDIO MARTYRE

IN GABALITANO GALLIÆ AGRO

Ex Martyrologio Gallicano Andreæ Saussayi.

D. P.

SUB VALERIANO

Elogium ex Saussayo

Horum *Martyrum memoria celebratur a Saussayo in Supplemento Martyrologii Gallicani his verbis:* In agro Gabalitano S. Ilpidii Martyris, qui usque ad senium, pietatis officiis deditus, et humandis sacris Martyrum corporibus [illegible] invigilans, inde [illegible] distributis in usus pauperum propriis commodis, in altum montis cacumen juxta Elaveris ripam se recepit: ubi cum per biennium esset commoratus, ob conversos ad Christum populos, sub Valeriano et B Gallieno Principibus martyrii laurea donatus est. *Hæc Saussayus quæ utinam ex propriis Officiis Ecclesiæ Gabalitanæ haberemus stabilita.*

2 *Primaria ejus ditionis urbs Episcopalis,* Mimatum *seu* Mimata, Gabalum *seu* Gabalorum, *subinde etiam* Gabala *dicitur, habuitque et colit Episcopos Sanctos,* Severianum *de quo Bollandus noster XXV Januarii ex Usuardo, [illegible] XXXI;* Privatum, *sub [illegible] Martyrio coronatum et [illegible] XIII Novembris [illegible], de quo [illegible] ex Gregorio Turonensi agendum;* Firminum *de quo vide dicta XIV Januarii;* S. Hilarium, *XXV Octobris commemorandum;* S. Ilerum *vel* Iserum, de quo, *inquiunt Sammarthani,* plura in Officio Sanctorum particularium Ecclesiæ Mimatensis: *[illegible] ad [illegible], quem Saussayus, non solum [illegible] Decembris non longo elogio, sed iterum [illegible] die sexta Octobris; ac denique* Fredaldum, IV *Septembris, pro quo similiter Officium proprium allegatur. Optandum igitur nobis est, ut Officia istæc propria, necdum nobis visa, accipere inde aliquando possimus.*

ejus et aliorum quinque

E

Acta desiderantur

DE SANCTIS MARTYRIBUS ANTIOCHENIS

QUIRICO, JULITTA

ET SOCIIS CCCCIIII.

Ex Hieronymiano Martyrologio et aliis.

D. P.

Magnus Latinorum Fastorum consensus, de Quadringentis

S*æpius allegata, et sæpius allegenda, quatuor Hieronymiani Martyrologii vetusta Apographa, Epternacense, Corbeiense, Lucense, et Blumianum, magno cum consensu de [illegible] Martyribus ita legunt.* In Antiochia Quirici, et Julittæ matris ejus, et aliorum CCCCIIII Martyrum; *nisi quod Lucense expressus dicat;* Et cum eis CCCCIIII Martyrum. *Corbeiense vero, rotundo contentum numero, superadditos* Quatuor *prætermittat; Blumianum denique* C *scribat nomina* Cyrici *et* Julitæ. *Illud quod Rosa Aquileiam transmissum [illegible] Albo, [illegible] accedit ad priora; solamque omittit vocem* Martyrum; *[illegible],* Multum *habent Augustanum S. Ultrici et Gellonense: sed inter nomina* Cyrici et Julittæ *ponunt* Vitum, Modestum, et Crescentiam *[illegible] ex præcedenti die assumptos. [illegible] et Romanum S. Cyriaci [illegible] SS. Ferreolo et Ferrutio, omissoque nomine* Antiochiæ, *solum ponunt* Et alibi. *Socios Martyres omittit vetus Vallicellanum Romæ. In duplici MSS. Florentino, quorum unum Laurentianæ, alterum Strozzianæ bibliothecæ erat; et in consono illis impresso ibidem Florentiæ apud Franciscum de Bonacursiis, sic legitur:* Apud Antiochiam, Sanctorum Martyrum Domesti, Crescentii, et Julii cum quadringentis militibus: *a quibus non longe abscedens MS. Florarium nostrum sic habet* Item Domesti Martyris, cum aliis quadringentis militibus. *In istis omnibus merito videri potest, per librariorum socordiam, ex* Modesto *factus* Domestus *esse; ex* Crescentia *formatus* Crescentius *(ut etiam in Hieronymianis quibusdam accidisse notavimus præcedenti die; ac denique* Julitta *(inter cujus nomen et nomen* Cyrici, *[illegible] Julium [illegible]; [illegible] pueri [illegible], quæ insuper Hieronymiana Apographa habent, quadringentos.*

et quoad locum;

nonnulla quoad socios diversitas,

2 *Nunc [illegible]* Passio Quirici et Julittæ Apocrypha *a Gelasio Papa censetur,* in [illegible] librorum apocryphorum qui non recipiuntur, *[illegible] in Notis ad Romanum Martyrologium existimavit Baronius, ex istis sumpsisse Latinos plerosque occasionem,* Antiochiæ *[illegible] Acta [illegible] passos [illegible]* Tarsi in Cilicia *[illegible] aliquid* Antiochiæ *ad [illegible] Thraciæ, [illegible]. [illegible]* Acta, quæ S. Gelasius Papa, ut commentum hæreticorum, quibus ne subsannandi tribueretur occasio, [illegible]. *[illegible] MS. [illegible] Patre [illegible] et [illegible] veterum Actorum [illegible]; [illegible] possum dubitare, quin illa ipsa apocrypha Acta habeam, quæ excidisse prorsus existimabat Baronius. Cumque nulla [illegible] mentio* Antiochiæ, *tam constanter ab omnibus Martyrologiis nominatæ, quorum tamen originale primum ex Eusebii collectione [illegible], quem credibile non est ita alia Apocrypha habuisse magis propendeo, ut sinceram eam esse lectionem credam; et expungenda potius verba* Matris ejus: *tamquam addita perperam ab interpolatrice manu, præter mentem primi auctoris, sed et, quia in ecclesiis Latinis, præsertim Gallicanis, celeberrimi erant* Quiricus

F

Idem non videtur corrigendum nomen [illegible]

sed potius expungendum τὸ Matris ejus.

AUCTORE D. P.

Quiricus et Julitta, *quorum habebantur Apocrypha Acta, mortem ipsorum ad mensem Junium referentia, ipsos esse indubitanter putaverit Interpolator, quorum nomina legebantur in primo omnium Martyrologio, adeoque esse filii et matris; nec putarit sibi laborandum de loco aut die, qui alii in Actis qualibuscumque, alii in Martyrologio nominabantur.*

ut additur ab aliquo, passos Antiochiæ 16 Junii

3 *Sed here, quod habeantur istorum sinceriora Acta apud Græcos: ex quibus non solum constat, illum cum matre Tharsi passum, sed passum XV* Julii, *quæ duo puncta Apocryphorum Auctor ignorans, (necdum enim scripta Græca erant, post rem solicite examinatam) satis habuit mensem invenisse talibus nominibus insignitum, cui applicaret quæ de ejusdem nominis Martyribus fama ei [illegible] videlicet, [illegible] a se compo[illegible]. Quos autem addidit* Quadringentos quadraginta quattuor *Socios martyres, eos [illegible] Martyrologio [illegible] fabulose [illegible], quem [illegible] suo [illegible]. Quamquam enim fieri potuerit, ut qui [illegible]* Matris ejus *[illegible]; nihil tamen est quod hic [illegible], cum [illegible] se [illegible], duosque certe nomine Antiochiæ habuisse [illegible]* Quiricum et Julittam. *Petrus de Natalibus, licet lib. 6 cap.* 101 *agat de* SS. Quirico et Julitta *ex genuinis eorum Actis; addit tamen, ubi non reperies* 44 Gentiles,

confundente cum synonymis Tharsi 15 Julii coronatis,

quasi eorum exemplo ad Christum conversi, et ab Alexandro detenti, post menses X martyrio coronati sint; de quibus supra dictum est, *inquit,* pridie Nonas Junii, *scilicet lib. 5 cap. 86, ubi eos dicit* Iconii *passos, et* in eadem civitate *tumulatos, quod utrumque suo ipse definivit arbitrio.*

sicut etiam fecit Petrus de Natalibus lib. 5.

4 *Porro si recipiatur quod dixi de Synonymis duobus Martyrum paribus, per duo loca duosque mensis Junii dividendis, ut modo quam fieri potest commodissimo salvetur auctoritas tam Actorum veriorum quam vetustioris Martyrologii; non pergam ulterius divinare, quænam hic [illegible] matris* Antiochia *intelligatur; quamvis præsumptio stare possit pro famosiori in Syria: neque definiam, sitne* Julitta *Antiochensis, ad hunc diem proprie pertinens, vir an femina. Cur enim non æque viri [illegible] nomen possit, quam* Jovitæ, *qui cum Faustino passus colitur* XV *Februarii; et* Mauritta, *commemorandi* XIV *Julii cum Archidiacono Salutari, ac similes alii? Denique non quæram quo tempore, aut sub quo Imperatore passi sint; cum eo non doceant antiqua martyrologia; Sed transibo ad eos, qui sic distincti ab Antiochenis, non aliter ad hunc mensem referri poterunt, quam per [illegible]; ne eos ad mensem Julium differendo, videar immutatum velle diem cultus, quem nunc passim in Latinis ecclesiis habent Filius ac Mater apud Tharsum coronati.*

DE S. JULITTA VIDUA ICONIENSI

ET FILIOLO EJUS S. CERICO VEL QUIRICO

MARTYRIBUS TARSI IN CILICIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§. I. De vario eorum apud Græcos et Latinos cultu, Actis a Gelasio Papa censuratis, verioribus editis a Theodoro Episc. Iconiensi.

D. P.

SUB DIOCLET.

Bedæ prætermissi ob deficientia Acta,

Venerabilis *Beda, cujus Martyrologium genuinum protulimus ante* II *Tomum Martii, cum propositum haberet, eorum dumtaxat nomina per festos dies ordinare, quorum invenerat Acta; Sanctorum autem prætitulatorum vel nulla invenerat, vel nisi apocrypha condemnanda judicavit: eorum nomina tacitus præteriens, sicuti fecit SS. Ferreoli et Ferrucionis elogium hunc diem ornare: nec enim ille, sed potius Adonis est, qui sub Bedæ nomine circumfertur libellus cum ipsorum memoria Adonis verbis contexta. Bedæ vestigiis insistens Florus Lugdunensis, et relictos a Beda dies supplens [illegible] MSS [illegible] scripsisse [illegible] eumdem Flori [illegible]* Libello, in quo *teste Usuardo,* multa, quæ in priore [illegible] erat, et correxit et addidit.

Florus editione 2 retulit cum elogio,

2 *Verum non alia quam apocrypha Acta accepit Florus, quæ in compendium hoc modo collegit;* Apud Antiochiam passio S. Cyrici et Julittæ matris ejus: quorum prior, post dira verbera, etiam calcem cum aceto et sinapi in os accepit: deinde pariter clavis confixi, evulsis oculis in carcerem trusi sunt. Post hæc decalvati et excoriati, super carbones in lecto æneo assati sunt. Qui regnante Alexandro, martyrii sui cursum obtruncatione capitis impleverunt. Passi sunt autem cum eis et alii quadringenti quadraginta quatuor. *Ubi Florus sicut accepit ex Martyrologio* XVI Junii *licet in Actis notaretur dies* Iduum Junii, *id est,* XIII; *fortassis per errorem, pro die* Iduum Julii; *qui verus Martyrii dies est; ita retinuit* Antiochiam,

sed sumpto ex apocryphis,

licet eam nusquam legisset in Actis; persuasus illuc translata fuisse corpora, ante scriptum Martyrologium ideoque ipsam ibi nominari. Tarsum *tamen, in Actis lectam, dimisit; fortasse dubium lectorem redderet, an ad nominatos in Junio pertinerent ii de quibus agebat. Per scriptum Elogium secuti sunt mox, Usuardus et Ado; hic prorsus, et iisdem fere quibus Florus, verbis; nisi quod sublatis* quadraginta, *maluit cum Martyrologio solum* CCCC *[illegible]; brevius autem Usuardus, hoc modo* Antiochiæ Natalis sanctorum Martyrum Cyrici et Julittæ matris ejus, qui, post dira verbera et gravia tormenta, martyrii sui cursum capitis obtruncatione impleverunt. *Atque hoc una cum Usuardi martyrologio transiit in usum omnium fere Europæ Ecclesiarum, etiam Romanæ; ut patet ex eo quod habemus, secundum morem Romanæ Curiæ, a Bellino de Padua excusum Venetiis, recusumque anno* MCCCCXCVIII *et* MDXLVIII.

Florumque secuti Usuardus, Ado etc.

3 *Postquam tamen prodiit Catalogus Sanctorum Petri de Natalibus, eoque compendiarum ad quod Martyrii, majorem veri speciem præ se ferens, licet a veteris fabulositatis fermento non prorsus purum; ipsumque narrans ad peractum* Idibus Julii; *placuit curatoribus Romani Kalendarii, Missalibus Breviariisque præfigendi, ad talem diem addere nomina* Cyrici et Julittæ, *uti nos docent excusa ab anno* MCCCCLXXIX *fortasse in ordine ad simplicem eorum Commemorationem, pro arbitrio usurpandam. Nihil tamen de illis legebatur in contextu, usque ad annum* MDXXII, *quando prodiit Venetus* Breviarium ex ritu Romano integris officiis historiisque propriis, quæ deerant multis festis

in Kalendario autem Rom. olim notabantur 15 Junii

A festis sanctorum compendiose in Lectiones collectis *auctum. In eo inveniuntur pro festo* Cirici et Julittæ Martyrum *Lectiones tres: non tamen ex Petro de Natalibus, sed ex apocryphis Actis sumptæ, quas apparet Romæ displicuisse, cum in postea secutis editionibus omissæ sint, ac tandem sub Pio V etiam expuncta e kalendario nomina, prout hodiedum expuncta manent, fortassis propter alium diem, in Martyrologiis omnibus Latinis notatum, scilicet hunc* XVI Junii.

Rom. Martyrologio redditi 16 Jun.

4 *Cum autem Pii successor Gregorius XIII etiam Romanum Martyrologium recognosci jussisset, seu potius novum unum multo amplius auctiusque condi; dubitatum fuit a viris eruditis ei curæ præfectis, quorum princeps Baronius, quid faciendum esset horum Sanctorum memoriæ, a verioribus Actis prorsus discrepanti. Visum vero est, non esse expungendos, quos passim in Junio nominabant omnium fere transmontanarum Ecclesiarum Kalendaria; sed novum ex dictis verioribus Actis concinnandum Elogium, quod nunc recitatur his verbis.* Tarsi in Cilicia, sanctorum Martyrum Quirici et Julittæ Matris ejus, sub Diocletiano Imperatore: quorum Quiricus triennis puellus, cum matrem, quæ ante Alexandrum Præsidem dirissime cædebatur, implacabili luctu lugeret, ad

cum elogio ex verioribus Actis

B gradus tribunalis illisus interiit; Julitta vero, post dira verbera et gravia tormenta Martyrii sui cursum obtruncatione capitis implevit. *Conveniunt hæc quoad substantiam cum verbis Sirleti ad* XV *Julii in Menologio, per ipsum ad usum Baronii concinnato ex Synaxariis Græcorum ubi modo* Κήρικος *modo* Κήρυκος *scribitur, et quidem (ut ex versu apparet) penultima longa* Cericus *licet secundum accentum proparoxytonon nomen sit: quomodo etiam scribi tur* Κύρικος, *penultima brevi, ductum a* Κύριος Dominus *quasi* Dominicus, *quod respondet Latino* Quiricus. *Synaxariorum istorum vetustissimum in MS. Cryptæferratæ, sub nomine Basilii Imperatoris editum, ita habet.*

5 Ἰουλίττα, ἡ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς, ὑπῆρχεν ἐπὶ Διοκλητιανοῦ τοῦ Βασιλέως ἐκ τῆς πόλεως Ἰκονίου· διὰ δὲ τὸν ἐπικρατοῦντα διωγμὸν ἐξ Ἰκονίου ἀναχωροῦσα, Κύρικον υἱὸν αὐτῆς τριετῆ ὄντα, ἀπῆλθεν εἰς Σελευκίαν· καὶ εὑροῦσα καὶ ἐκεῖ τὸν αὐτὸν διωγμὸν, παρεγένετο εἰς Ταρσὸν, ἔνθα καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Ἡγεμὼν, ὠμὸς καὶ ἀπηνὴς ὢν ἄνθρωπος, ἐβασάνιζε τοὺς Ἁγίους. Καὶ κρατηθεῖσα, καὶ τοῦ παιδὸς ἀποχωρισθεῖσα, ἐτιμωρεῖτο. Τὸ δὲ παιδίον λαβὼν ἐπὶ τῶν γονάτων ὁ Ἡγεμὼν ἐκολάκευε· τὸ δὲ οὐκ ἐπεστρέφετο πρὸς αὐτὸν, ἀλλὰ τὸ ὅλον ἔβλεπεν σπουδῆς πρὸς τὴν μητέρα, καὶ ψελλιζούσῃ τῇ φωνῇ, τὸ μὲν τοῦ Χριστοῦ ἐκάλει ὄνομα, πρὸς δὲ τὴν μητέρα ἐπεπόθει ἀπελθεῖν. Καὶ χολέσας ὁ ἀλιτήριος θὴρ, ἐλάκτισεν αὐτὸν,

C ῥίψας ἀπὸ τῶν βαθμίδων· καὶ συντριβείσης τῆς κεφαλῆς, ἀφῆκε τὴν ψυχήν. Καὶ δοξάζουσα τὸν Θεὸν ἡ μήτηρ αὐτοῦ, μετὰ πολλὰς τὰς βασάνους, ἀπεκεφαλίσθη καὶ αὐτή.

et ex synaxario Basilii Imp.

6 Julitta Christi Martyr, fuit tempore Diocletiani Imperatoris, in civitate Iconio: sed propter grassantem hic persecutionem accepit trimulum filium suum Cyricum abiitque Seleuciam. Verum etiam hic inveniens eamdem persecutionem, transiit Tarsum, ubi Alexander Proconsul, homo crudelis ac ferox, Sanctos cruciabat. Comprehensa ergo, et a filio separata, torquebatur; puerum vero genibus excipiens Proconsul, blandiebatur ei. Ast hic nequaquam ipsi attendebat, sed oculos continuo vertebat ad matrem, ac voce balbutienti invocabat nomen Christi, nitebaturque ad matrem abire. Tunc ira commota efferа bestia, percussum pedem dejecit de gradibus; qui alliso ad petram capite, emisit spiritum: Mater vero glorificans Deum, post multos cruciatus, decollata est.

7 *Extat a Francisco Combefisio, ex Græcis Regiæ Parisiis Bibliothecæ monumentis, inter illustrium Christi Martyrum lectos triumphos,* Θεοδώρου Ἐπισκόπου Ἰκονίου ἐπιστολὴ, δηλοῦσα τὸ μαρτύριον τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Κηρύκου, καὶ τῆς τούτου μητρὸς Ἰουλίττης, Theodori Episcopi Iconiensis Epistola, qua declaratur Martyrium sancti Martyris Cerici, ac ejus Matris Julittæ. *Eadem Epistola, sed phrasi contractiori et sub initium satis diversa, indicatur ab Allatio in Diatriba de Simeonum scriptis, pag.* 91 *hoc principio:* Ἐπειδὴ ὁ τῷ καλῷ σπέρματι εἴωθεν ἐπισπείρειν ὁ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἐχθρὸς τὰ ζιζάνια: Quandoquidem solet naturæ humanæ inimicus bono semini superseminare Zizania: *dicitur que esse* Theodori Episcopi *et inscribitur,* Μαρτύριον τῶν ἁγίων καὶ καλλινίκων Μαρτύρων Κηρύκου καὶ Ἰουλίττης, Passio Sanctorum que ad que gloriosorum Martyrum Cerici et Julittæ; *ejusque antiqua versio, allegata a Baronio in Notis ad Romanum Martyrologium, inventa a Nobis in Codicibus Vaticanæ ac Vallicellanæ Bibliothecæ transcriptaque, fuit etiam in Belgica quondam reperta a Joanne Molano, indicaturque in ejus Annotatis ad Usuardum anno* 1573, *sub hoc quod illa est Romanorum MSS. principio;* Domino Fratri et Coepiscopo Zosimo Theodorus, *ubi inter alia præfatur Auctor, quod cum frustra satageret ex gnaris aliquid de argumento proposito scitari* tandem Marcianus, a Justino piissimo nostro Imperatore Notarius et Cancellarius institutus (*Acta Combefisiana* Justinianum *nominant*, Justini *successorem*) hæc quæ subnexa sunt ore proprio intimavit, *accepta per* quemdam senem provinciæ Isaurorum, (*cujus caput Iconium*) qui se jactabat prognatum eorumdem Sanctorum prosapia.

D

AUCTORE D. P. Haustum est illud ex Epistola Theodori Episc. Iconiensis,

cujus duplex habetur contextus.

E

§ II. Quæ acta, et quare hic danda. Aliorum de eisdem Sanctis scripta, Latina ac Græca.

8 Alteratrum Theodorianæ Epistolæ contextum habuit is qui Sermonem composuit, inter Vitas Lipomanni Suriique legendum, quem mihi necdum contigit Græcum videre; vidit autem Allatius ejusque hoc Latinæ versioni consonum initium allegat pag. 115 Ὥσπερ ὁ ... ἐστι συνεχόμενον τοῦ Κηρύκου Ἰουλίττης, *titulum autem* Εἰς τοὺς ἁγίους καὶ ἐνδόξους Μεγαλομάρτυρας Κήρυκον καὶ Ἰουλίτταν. *Auctorem vulgo Metaphrastem faciunt: Allatius* Nicetam Rhetorem; *cujus incomperta ætas ut sit, Theodoro tamen auctore Epistolæ multo esse recentiorem facile apparet ex stylo, multum accedente ad stylum seculi IX quo erat* Nicetas David *cognomento* Paphlago, *uno seculo Metaphraste senior, et idem fortasse* Rhetor *dictus, cujus plures encomiasticos sermones edidit Combefisius in Bibliotheca Græcorum Patrum. Nihil hic sermo doceri nova vel potest; quare, deficiente textu Græco, Latinam recudere versionem non foret operæ pretium. Alia ratio est Epistolæ brevioris, quamvis solum Latine habeatur; cum enim ob melius servatam in ea epistolæ formam, priorem altera esse judicem et forte priorem ea quam Græcolatine Combefisius dedit genuinam: hanc illam præponendam censeo. Utrique placet subjungere et Codice Bodecensi Acta apocrypha, ut per se cognoscere et æstimare Lector possit, quid ibi tenebrarum lateat, minusque miretur, non magnam a nobis haberi rationem eorum, quæ Hucbaldus Prior Elnonensis, et* Philippus et ab Eleemosyna Bonæ-spei Abbas *ediderunt, nihil quam illa prius oculis habentes; quæ pro multa correctione egere, facilius illi notare potuerunt, quam recte corrigere, congruo instrumento destituti.*

Nicetas in Encomio prolixiori secutus Epistolam Theodori:

F

datur hæc ex veteri versione deinde Græcolatinæ a Combefisio,

denique Acta apocrypha

9 *Philippi compositio extat inter opera ejus, cum* Epistola ad Dominum Joannem, ecclesiæ S. Amandi Abbatem; *cujus auctoritate coactum, et affectu caritatis excitatum, fatetur ad corrigenda Acta Passionis hujus,* quam et nebula vetustatis obfuscat, et

quæ rescissis majoribus ineptiis exornata habentur a Philippo Ab.

inter

AUCTORE D. P.

incompositi schematis obumbrat objectio : quæ etsi inter apocrypha computatur, non tamen victoriæ Martyrum nubem falsitatis importat. *Rexit monasterium Elnonense Joannes Prædictus ab anno* MCLXXIX *ad* XCII *et Philippo cum apocryphis Actis videtur Hucbaldi compositionem misisse : hujus enim vestigiis illam presse insistere, et floridiori duntaxat stylo rem eamdem ornare, utramque conferendo deprehendi manifeste potest. Hucbaldum autem, ex Chronico Elnonensi discimus obiisse anno* DCCCCXXX, *ubi hoc ejus recitatur Epitaphium :*

et prius ab Hucbaldo Elnonensi,

Dormit in hac tumba simplex sine felle columba,
Doctor, flos, et honor, tam Cleri quam Monachorum,
Hucbaldus : cujus famam, per climata mundi,
Edita Sanctorum modulamina gestaque clamant,
Hic Cyrici membra pretiosa, reperta Nivernis,
Nostris invexit oris, scripsitque triumphum.

10 *Scripsit enim Hucbaldus cum Prologo, cujus principium ;* Sanctorum Christi Martyrum pia certamina, veneratione debita recolentes, mirabilem Dominum in Sanctis suis collaudemus. *Passionem vero sic est exorsus :* Sextæ quæ nunc agitur ætatis initium, suo Dominus Jesus Christus...... consecrare dignatus est adventu. *Sic habemus in nostro quodam insigni Legendario manuscripto, quod olim Valcellensis monasterii fuit ; habemus autem etiam transcriptum, ex simili Camomacensi..., et invenimus in alio Reginæ Sueciæ ; cujus ab hoc diversus Codex, qui Massiliensis olim ecclesiæ fuisse notabatur, eamdem Passionem exhibuit, sed multum contractam ; quæ integra, et ut metricus Prologus, alibi non reperitur, habet*

in pluribus MSS.

Falsiloquis scriptis charta procul usque repulsis. *legitur in MS. Cardinalis Barberini ; ex quo etiam infra edimus aliquid de corporum translatione in Galliam ; et in quo prænotantur* Idus Julii, *licet in contextu sub finem legatur, uti scripsit Hucbaldus, quod* compleverunt hi sancti felicis martyrium certaminis sui XVI Kal. Julii. *Similiter contractiora sunt, quæ Romæ invenimus, per octo Lectiones distributa in Codice Vallicellano sub littera* X ; *et in Legendario S. Mariæ ad Martyres, sed absque ulla quem omissum apparet, Prologo sic ordientia ;* Sub Alexandro igitur iniquissimo Præside, qui Principatum Antiochenæ civitatis usurpative quodammodo præripuerat, Diocletiano et Maximiano Augustis ; sæva adversus Christianos et truculenta usquequaque orta est persecutio. *Hæc recitare volui, ut appareret auctorem, licet in progressu totus esset immersus apocryphis, initio tamen voluisse conciliare quodammodo Martyrologia cum Actis, nominando civitatem Antiochenam, et Acta Latina corrigere ex Græcis, loco Alexandri Imperatoris substituendo* Diocletianum et Maximianum.

Alia alibi contractiora

11 *Præter jam indicatam sub nomine Theodori Epistolam, et Nicetæ Panegyrim, habemus die* XV *Julii Officium plenum, cum Canone, per* S. Josephum Hymnographum *compositum, cujus hæc Acrostichis.*

Canon Josephi Hymnogr.

Κήρυκα ὑμνῶ σὺν τεκούσῃ προφρόνως Ἰωσήφ.

Cum matre Ciricum concino prompte Joseph.

post Canonem autem quatuor adduntur Stichera sive Versus quatuor illustrium inter Hymnographos scriptorum. Primum primi toni Sticherum Germani *nomine insignitur, Sancti videlicet Constantinopolitani Patriarchæ, his verbis deductum,* Τὸν γενναῖον ἀθλητὴν καὶ κήρυκα τῆς πίστεως, σὺν μητρὶ θεόφρονι, ἐπαξίως μακαρίζωμεν. Οὗτοι γὰρ καρτερῶς ἐναθλήσαντες, τὸν ἀρχέκακον ἐχθρὸν τῇ δυνάμει τοῦ σταυροῦ ἀνδρείως κατέβαλον· διὸ στεφάνους ἔλαβον παρὰ τοῦ ἀθλοθέτου Θεοῦ, καὶ πρεσβεύουσιν αὐτῷ ἐν παρρησίᾳ ἀκαταπαύστως σωθῆναι τοὺς ἐν πίστει ἐκτελοῦντας τὴν ἱερὰν αὐτῶν ἄθλησιν. Generosum pugilem et præconem fidei, cum matre divina sapiente, digne beatificemus. Etenim fortiter depugnantes, malum a principio inimicum virtute Crucis strenue prostraverunt : quapropter coronas receperunt a certaminis sui præside Deo ; et coram ipso cum fiducia supplicant indefesse, ut salvi fiant quotquot eorum sanctum agonem ex fide celebrant.

stichiron S. Germani Patr. CP.

12 *Alterum* Byzantii, *ad modulos toni secundi canendum :* Δεῦτε πιστοὶ ἐπαίνοις συνελθόντες στέψωμεν δυάδα πανσεπτον, Τριάδος σέβας κατέχουσαν. Τῶν γὰρ εἰδώλων τὴν πλάνην καὶ τῶν τυράννων τὴν ἐπίνοιαν τοῖς ἑαυτῶν ποσὶ κατεπάτησαν. Τούτους ἀνευφημοῦντες ἀνακράζωμεν λέγοντες. Χαίροις Ἰουλίττα πανσεβάσμιε, ἡ τὴν γυναικείαν ἀσθένειαν ἀπορρίψασα καὶ ἀνδρικῶς ἀγωνισαμένη· Χαίροις Κήρυκε παμμακάριστε, ὁ τριετὴς τῇ ἡλικίᾳ, καὶ τὸν πολυμήχανον ἐχθρὸν καταβαλών· Χαίρετε τὸ ἡμέτερον κλέος καὶ καύχημα τῶν ἐν πίστει ἑορταζόντων τὴν ἱερὰν ὑμῶν ἄθλησιν, οὓς ἱκετεύομεν πρεσβεύειν ἀεὶ τὸν τῶν ὅλων Κύριον, κόσμῳ δωρηθῆναι εἰρήνην, καὶ ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν τὸ μέγα ἔλεος. Venite, fideles, ad laudes Sanctorum congregati ; coronemus sanctissimam dualitatem, quæ Trinitatis cultum continet. Etenim idolorum errorem et tyrannorum adinventiones pedibus suis conculcaverunt. Hos acclamationibus faustis prosequamur, dicentes ; Salve Julitta colendissima, quæ muliebrem exuta infirmitatem, viriliter decertasti : Salve, Ceryce beatissime, qui triennis ætate multis machinis instructum hostem subegisti ; Salvete decus et gloriatio nostrum omnium, qui vestrum sanctum agonem festive fidenterque recolimus ; rogantes, ut semper apud universorum Dominum deprecemini, quo pacem quidem mundo, animabus autem nostris concedat magnam misericordiam.

aliud Byzantii,

13 *Tertium, eodem secundo tono proferendum, est* Mauroleontis : Ὁ ἐκ σπαργάνων πεπληρωμένος χάριτος, καὶ ἐσχηκὼς πεπολισμένον φρόνημα, ἐν τῇ νίκῃ τῶν ἀγώνων σου Μάρτυς Κήρυκε, αἴτησαι σὺν τῇ Μητρί σου Χριστὸν τὸν Θεὸν, δωρηθῆναι εἰρήνην τῷ κόσμῳ, ὡς τῆς Τριάδος μέγας ὁμολογητής. Ab utero replete gratia, et canum sortite intellectum, in victoria agonum tuorum, Martyr Ceryce, velut Trinitatis magnus Confessor deprecare cum matre tua Christum Deum, ut mundo pacem largiatur. *Hoc modo in suo Canone etiam* S. Joseph, *aliquoties ita admiratur et extollit agones* S. Cyrici *ut videatur non parum credidisse Apocryphis Actis, de prudentia pueri supra ætatem respondentis et multa garrientis, cum Ode* 4, *ait,* Νηπιάζοντι σώματι καὶ τελειοτάτῳ φρονήματι τὸν ἀρχέκακον κατέβαλες. Infantili corpore et consummato sensu diabolum prostravisti : *ac rursum in Tractu Canonem sequenti,* Τὴν ἡλικίαν ἀπείρως, ἐν φρονήσει τελεία ὑπῆρξας θαυμαστότατα, Κήρυκε ἀθλοφόρε· Immaturus ætate, perfecto sensu, sustinuisti admiratione dignissima, victor Ceryce. *Ante Canonem in principio Officii post tres primos Versiculos Similares* (Στιχηρὰ προσόμοια) *et primum in* Gloria, *idem Josephus vel quisquis Officium ordinavit, sese vetuit abripi vel ab æstro poetico, vel ab apocryphorum mendacitate, cum sic cecinit :* Δεῦτε καὶ θεάσασθε ἅπαντες ξένον θέαμα καὶ παράδοξον. Τίς ἑώρακεν νήπιον, τρέμον ὄντα τύραννον αἰσχύνοντα ; Ὢ τοῦ θαύματος! Μητέρα ἐθήλαζε, καὶ τὴν γαλουχοῦσαν ἐβόα· Μὴ πτοοῦ, μῆτέρ μου, τὰς βασάνους τοῦ δεινοῦ κοσμοκράτορος· Χριστὸς γὰρ ἐστιν ἡ ἰσχὺς τῶν πιστευόντων εἰς αὐτόν. Venite et videte omnes novum atque insolitum spectaculum. Quis vidit tyrannum a tremulo infante confusum ? O rem miram ! Materna sugebat ubera, lactensque lactanti clamabat : Ne expaveris, mater, tormenta sævi in hoc mundo rectoris : Christus namque est fortitudo eorum qui in ipsum credunt. *Ita ille, quasi non satis admirationis haberet tremulum voce balbutiente inter materna tormenta ipsam imitando, clamasse,*

Mauroleontis,

Josephi,

A *masse*, Christianus sum ; *quod solum dicunt veriora Acta.*

14 *Quartum denique Sticheron, quarto tono adscriptum, præfert nomen* Anatolii, *et incipit a gratulatione, hoc modo :* Ἀγάλλου τέρπου, καὶ εὐφραίνου Ἰκονιέων ἡ πόλις, ὅτι ἐκ σοῦ ἀνεβλάστησε καρπὸς εὐκλεής, Ἰουλίττα ἡ πανεύφημος καὶ καλλίνικος Μάρτυς, καὶ ἐξ αὐτῆς ὁ φερώνυμος υἱὸς Κήρυκος πᾶσαν γὰρ μηχανὴν τοῦ τυράννου βελιὰρ ἀνδρικῶς καταπατήσαντες, τοὺς στεφάνους τῆς νίκης ἀξίως ἐκομίσαντο, κηρύξαντες λαοῖς σέβεσθαι καὶ προσκυνεῖν τὴν ἁγίαν Τριάδα· ὅθεν καὶ ἡμεῖς παῤῥησίᾳ βοῶμεν τούτους, δοξάζοντι Χριστῷ τῷ Θεῷ ἡμῶν, εἰρηνῶσαι τὸν κόσμον καὶ σῶσαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν. Exulta, gaude et lætare civitas Iconiensium, quia ex te prodiit gloriosus fructus : Julitta, gloriosa et laudatissima Martyr, et nomini suo respondens venerandus filius ejus Cerycus : omnem enim diaboli machinam viriliter proculcantes victoriæ coronas adepti sunt, prædicando populis sanctæ adorationem Trinitatis, unde et nos fiducialiter clamamus ad Christum Deum nostrum, qui ipsos glorificavit, ut mundum pacificare et animas nostras salvare dignetur. *Ubi ad onomatopœjam respicitur, sumptam ἀπὸ τοῦ κήρυκος, præcone, prædicatore, quasi hæc genuina potius sit scri-* B *ptio quam* Κύρικος *Latino* Quiricus *respondens : quare etiam ipsum in titulo præposui.*

et S. Anatolii etiam Patr.

15 *Sedit* Anatolius Constantinopolitanus Patriarcha *ab anno* CCCCXLIX *ad* LVIII, *majori doctrinæ laude quam orthodoxiæ firmitate clarus ; ut qui machinatione Dioscori Alexandrini, in locum S. Flaviani, ab Ephesino conciliabulo injuste depositi, et quatriduo post mortui, substitutus ; licet Marciano Imperatori ac Papæ Leoni rectam suam fidem modis omnibus conatus sit probare ; non tamen cavere potuit, quo minus favere hæreticis crederetur. Sed et hanc notam eluit, ab ipsimet sublatus de medio, sicut ad* III *Julii de eo Menæa referunt. Certior tamen, apud Latinos æque ac Græcos, fuit fama* S. Germani ; *qui anno* DCCXV *a Cyziceno Episcopatu ad Patriarchalem translatus cathedram, anno* DCCXXX, *Leoni Isaurico, contra sacras imagines nefarie insurgenti, generose opposuit se, atque in exilio vitam Confessor finivit, sicuti apparet ex dictis* XII *Maji.* Byzantius *in Catena Hymnographorum sacrorum et Hagiopoetarum Tom. 2 Jun. p.* XX, *in sinistra parte ubi Monachi, post SS. Joannem Damascenum, Cosmam, Josephum, Theophanem, quintus collocatur ante Stephanum Hagiopoliten, ut credi possit floruisse seculo* IX, *quo plerique eorum* Mauroleon *nec nomine quidem suo nobis aliunde innotuit adhuc ;* Josephi *autem, qui Canonem composuit, anno* DCCCLXXXIII *egre-* C *gia Confessione clari, Acta illustravimus* III *Aprilis.*

quæ illorum ætas ?

§. III. De Sanctorum cultu et Reliquiis per Gallias.

P*rælaudatus* S. Josephi *Canon Odem nonam sic exorditur :* Ἴαμα φέρει ἡ σορὸς τῶν ἐνδόξων ἀθλοφόρων, τῆς χάριτος τοῦ θείου Πνεύματος ἐπαρδομένη· δεῦτε ἀρρύσασθε, καὶ ἁγιάσθητε ψυχάς, καὶ νόσων καθάρθητε, οἱ φιλομάρτυρες. Tumultus gloriosorum Pugilum , gratia Spiritus divini irrigatus , sanitatem confert. Eia, plaudite, philomartyres ; sanctificamini in anima, et a morbis purgamini. *Sed ubinam tunc corpora essent, aut esse crederentur, non explicat Poeta.* Theodorus *ait, quod famulæ* Julittæ, *noctu post passionem civitate egressæ,* Dominorum corpora in spelunca Tarso contermina occultarunt : *quibus sub Constantino, per earum unam adhuc superstitem indicatis ;* devotissimi populi cursitantes, quiddam sibi rapere ad Medelam animi festinabant ; *ut dicere videatur, sacras Reliquias in varia loca distractas fuisse, sic ut potuerit bona earum pars, non solum Antiochiam ad Pergamum , sed etiam Antiochiam Syriæ*

Tumulus dicitur clarere miraculis,

sub Constantino excitatus juxta Tarsum ;

successu temporis fuisse perlata hac XVI *Junii, in-* D *deque factum esse, ut Martyrologio Hieronymiano inscriberentur* SS. Quiricus et Julitta, *velut* Antiochiæ *requirendi, et sic non foret necessarium distinguere duo paria Synonymorum Martyrum, nisi distinguendos suaderet societas tot aliorum, ab iisdem Martyrologiis hoc mense asserta, et neque ad Julium differenda , neque suspectanda fictionis, propter omnium antiquioris Martyrologii auctoritatem.*

D. P.

17 *Ut ut est, non remanserunt in Oriente sacra corpora et diu ante quam S. Joseph Hymnographus nasceretur, ablata inde sunt ; si credimus MS. quod Romæ repertum allegat Henschenius* 1 *Maji ad Vitam S. Amatoris num.* 8, *sub hoc titulo :* Incipiunt Miracula SS. Quirici et Julittæ, quæ Teterius Sophista, eorum servus, edidit, de corporibus eorum, a S. Amatore Antiochiæ repertis. *Natus est ante annum* CCCXLIV S. Amator, *et Episcopus consecratus anno ejusdem seculi* LXXXVIII, *obiit sequentis seculi anno* XVIII. *Vita autem ejus primum scripta habetur anno circiter* DLXXX. *Quare, licet in ea nihil de ejusmodi* S. Amatoris *peregrinatione legatur, non debet ea prorsus incredibilis videri ; cum ad finem ejusdem quinti seculi, cujus initio* Amator *obiit, adeo passim nota fuerit Passio* SS. Quirici et Julittæ *apocrypha (utique cum Reliquiis perlata ex Oriente, et eodem tempore* E *Latine reddita), ut Gelasius Papa de ea necesse habuerit judicium ferre. Post præmissum ergo Titulum , ea in dicto MS. leguntur, quæ in MS. Barberino immediate subjiciuntur Legendæ per Hucbaldum compositæ.*

unde tamen ablatæ pridem Reliquiæ S. Cyrici,

18 Quoniam igitur Quirici sancti pueruli, et Julittæ matris ejus veneranda Passio, diverso quidem relatu, sed vero et pari martyrio bene nota constat esse populo Christiano ; de insuperabili miraculorum profunditate suorum, quibus in seculo Deo disponente claruerunt, veluti quemdam rivulum deducens, pauca libare curavi, et ad honorem Ecclesiæ paginis indere studui. Annorum igitur multorum excurso tempore, post perceptam martyrii coronam, Sanctus Amator, Autissiodorensis Episcopus, Clarissimo Savino comite, fines Antiochiæ peragrans, sacratissima corpora illorum, cooperante Christi gratia, reperit : quæ cum magnæ venerationis cultu rediens in partes attulit Galliarum ; et Autrice urbe delata, solo tantum pueri brachio Savini precibus concesso, in domo qua idem Præsul, meritorum gloria pollens, a fidelibus veneratur, iterum tumulavit. Hunc enim incomparabilem thesaurum ideo civitas illa, multorum Sanctorum titulis exornata, sibi dari a Deo promeruit, ut et salus corporum et F animarum inde proveniret populo suo, * et Dei ordinatio, qua idem Martyr Neversium Pater futurus erat, ea *Julitta* interim servatrice, quanto lætius assidua suis fidelibus fieret. Amen. *Eadem usque ad * leguntur apud Mombritium tomo 2. post eamdem ab Hucbaldo compositam Vitam ; et citantur ex Mombritio, in Notis Baronii ad Martyrologium hoc die.*

a S. Amatore Autissiodorum translatæ,

inde Nivernos,

19 *Nos* S. Savinum *vel* Sabinum *tota Gallia nullum novimus, qui ad hæc tempora possit referri ; iste igitur* S. Amatoris *comes ad sacram peregrinationem, Diaconus illius aliquis vel Presbyter fuerit, Ordinis sui jure antiquitus usitato* Sanctus *dictus. Hoc interim patienter ignoramus ; dolentius ferimus, scripta non inveniri, quæ in Titulo promittebantur Miracula, et quomodo Sanctorum Reliquiæ Augustoduno Nivernos translatæ sint, ubi ipsa quoque Miracula patrata fuisse opinamur. Sammarthani, in Gallia Christiana tom.* 2 *pag.* 791, *notant, Cathedralem istic ecclesiam habere* Patronum S. Cyricum, jam inde a tempore Caroli Calvi, *id est a medio seculo* IX ; *itaque pag.* 794 *profertur Ludovici Balbi diploma, Abboni Episcopo datum anno* MCCCLXXVII, *ostendenti* præcepta genitoris Caroli

ubi ei sacra ecclesia Cathedra

sec. 9 nota ;

roli, piæ memoriæ Imperatoris Augusti; in quibus erat insertum, qualiter idem Dominus genitor, quasdam res suæ proprietatis et mancipia, Ecclesiæ Nivernensi, quæ est in honore S. Cyrici Martyris constructa, contulerat. *Nivernis porro accepit Hucbaldus, quas ad suum Elnonense S. Amandi deferret monasterium. Non tamen Hucbaldus ipse, quod mireris, rem a se actam descripsit; sed aliquot seculis postea Philippus Abbas, de quo supra, sicut in Claromarescano et Valcellensi nostro MS. habetur, et inter ipsius Philippi opera excusum legitur.*

ac denique Elnonem, unde scripta Translatio.

20 *Earumdem, vel certe ejusdem nominis Reliquiarum partes insignes, variæ etiam aliæ per Gallias Ecclesiæ habere gloriantur: quarum causa in Martyrologio Gallicano Saussayus, sic de eis magnifice gloriatur, post laudatos SS. Ferreolum et Ferrutionem:* Eodem die, Natalis sanctorum Martyrum Cyrici puerili et Julittæ matris ejus... quorum sacratissima pignora Autissiodoro in Gallias per S. Amatorem... allata, ambitiosaque populorum ambitione dispertita, sacraria plurimarum Ecclesiarum ditaverunt; eamque in ipsos Martyres excitaverunt Christianæ gentis devotionem, ut Basilicæ multæ, in eorum Cœlitum honorem mox fuerint conditæ, monasteria sacrata, trophæaque alia permulta gloriosæ eorum memoriæ, passim ea in amplissima regione, erecta. At maxime tantorum Beatorum est in his locis Natalis hodie conspicuus et celebris, ubi vel deposita eorum sacra lipsana requiescunt, vel venerandi patrocinii titulus fulget triumphalis: Nivernis scilicet cujus civitatis Cathedralis ecclesia, sacræ est eorum nuncupationis nobilitata insigniis, aliquotque etiam ornata Reliquiis: Tolosæ item, et Arelate, ubi præcipua ipsorum pignora reposita sunt, hic in sanctissimæ Trinitatis æde, illic in ecclesia S. Saturnini: item in Elnonensi cœnobio in Hannonia; nec non in monasterio ipsis Martyribus sacro in diœcesi Carnotensi; et Arvernis in antiquissima ipsorum nominis ecclesia, in qua hodie cantatur Officium ipsorum Martyrum, olim memoriter recitatum per Sidonium Apollinarem, hujus municipii Præsulem: item in agro Parisiensi vico Villæ-Judeæ dicto, ubi antiqua est ecclesia parœcialis, eorum nomine et lipsanis aliquot prædita.

Cultus per varias Galliæ ecclesias

et monasteria, Carnuti et in Arvernia:

21 *Pro Arvernia testem habemus S. Gregorium Turonensem, lib. de Gloria Confessorum cap. 3, productum die præcedenti ad Vitam S. Abrahami ejusdem Abbatis, qui* ad Basilicam S. Cyrici monasterium collocavit. *Nicolaus Bertrandi, fol. 5 v. inter Reliquias ecclesiæ Tolosanæ recenset* Corpora sanctorum Cyrici et Julittæ ejus matris, *sed unde vel quomodo allata ignorat, scribens initio seculi* XVI. *Villa-Judæa Parisiis ad meridiem duabus paulo plus leucis distat. Cum ejusdem* Villam Julittæ *vocat, speratque, ut factum Nivernis, sic etiam inde proscindenda* Acta, Gelasio proscripta, quæ ad nostra usque tempora, *inquit, (id est annum* 1660 *quo scribebat,* servata, pluque rusticanæ plebis simplicitate religiosius habita, ac publice ex suggestu antiquo more, semel iterumque ac tertio per annum, magno populi concursu, legi solita, vix tandem nuper Sacerdotum loci diligentia suppressa fuerunt. Ex iis quæ declamat P. Porée Ordinis Præmonstratensis, libello eo argumento Parisiis edito anno 1644, unum hoc commodum intelligatur, eos veterum Actorum Quirici ac Julittæ furfures late Galliam pervasisse; iisque fere locis susceptos, quibus ei Patroni per eam coluntur, nec Gelasii censuram iis hactenus offecisse. Novus hic declamator, ne micam judicii prodere videatur, ea maxime effert ac miraculo habet, quæ nugas majores præferunt, magisque ab ecclesiastica abhorrent regula, Quirico prædicante, Julitta tingente, etc.

corpus Tolosæ esse dicitur,

et prope Parisios,

ubi adhuc legitur censurata Passio

§. IV. Antiquus S. Quirici, ac forsan alterius, in Hispaniam cultus, novitiis figmentis obscuratus. Reliquiæ Ravennæ in Italia.

Non satis erat fabularum, nisi novæ ex Hispania accessissent, hac occasione. Est in urbe Burgensi, Castellæ veteris olim Regia, ecclesia (ut Bivarius asserit pag. 274 Commentariorum in Dextrum) Abbatiali infula decorata, *sub nomine* S. Quirici; *cujus ibi* corpus cum magno honore requiescit; et multis in urbibus Hispaniæ ecclesias habet, paulolum mutato nomine vocatas San-Quirce, qualis est monasterium Cisterciensium Monialium Vallisoletanarum. *Corpus illud, vel corporis pars aliqua, si adhuc habetur, ex ipsa mensura ossium cognosci satis posset, sitne triennis pueri, an ætate adultioris; sed qui hoc scrutari curaverit hactenus nemo fuit: placuit enim credere ejus pueri esse, cujus Acta apocrypha facile potuerunt ex Gallia in Hispaniam transiisse. Revera autem sic transiisse, probatur ex Hispanicis Breviariis, a Tamayo Salazario allegatis, imprimis Burgensi, quod habemus impressum Burgis* MDII, *cum novem brevibus inde sumptis Lectionibus, quarum Prima incipit:* Facta igitur persecutione Christianorum sub Alexandro Imperatore. *Et in Quarta, Judici interroganti* cujus esset provinciæ vel civitatis, respondit *Julitta* de Isauria quidem Provincia, et de primis civitatis Iconiorum progenita, ad Ciliciæ, tuas devitans persecutiones, demigravi loca, Tarsoque sum immorata. *Satis utique bene et conformiter veritati, nisi fontem apocryphum proderet* Alexandri Imperatoris *nomen, et pueri cum judice sapiens disputatio, Lectionem* IX *constituens: quibus haud dubie successissent ex eodem fonte delecta alia, de toleratis tormentis variis, et vita gladio finita, si Breviarii ratio id permisisset.*

Ab cujus sic vocati Corpus Burgis in Castella esse dicitur:

et plures ecclesiæ in Hispania:

istic Officium ex Apocryphis sumptum.

23 *Interea, sive* Sanctus Quiricus, *vulgo* Quirce *dictus, fuerit revera Hispanus Martyr, fortassis in Maurica persecutione passus; sive Roma allatus quispiam (quorum alterutrum credam, si grandiuscula sint ossa, vel eo numero ut possint corpus nominari) caput ab aliquibus credi indigena; itaque sub medium seculi* XV *apud Damianum a Goes in sua Hispania, inter Hispaniæ illustratæ auctores pag.* 1165, *Hispanorum Sanctorum Indici inseritur* S. Cericus, *et inter feminas* S. Julitta mater S. Cerici. *Cum Damiano Tamayus allegat ejusdem fere ætatis auctores, Joannem Vasæum, et Franciscum Tarrapham, ibidem requirendos; sed imprimis Lucium Marinæum Siculum, qui sub Carolo V scripsit rerum Hispanicarum libros* 22; *quorum 5 de Sanctis agens, pag.* 337 *tomi præcitati, Burgensis quidem Breviarii Lectiones verbotenus exhibet; sed* Hispaniam *pro* Isauria *et* Siciliam *pro* Cilicia *substituit,* Tharsum *tamen retinuit ad quam ex Hispania transiisse* Julittam, *et ibi eumdem quem istic fugerat, tyrannum* Alexandrum *invenisse; cum per se minime credibile videtur, maxime, ubi dicitur;* teneram feminam cum tenerrimo infantulo *iter ingressam; pro* Tharso *suggerit legendam* Tartessum, *veteris Hispaniæ notam urbem, quam Salomonis classibus navigatam Tarsum esse auriferacem multi volunt.*

Hinc cœptus sec. 15 Hispanus dici,

substituta Hispania pro Hysauria,

et pro Tarso Tartesso

24 *Figmentis, istis, seu stabiliendis, seu magis intricandis, paulo post accessit subsidium, ex* Topographia Sanctorum Christi Martyrum quasi per primum Cabilonensem Episcopum ac Theologum, anno salutis MCCCCL olim composita, et nunc demum recognita, *id est sub annum* MDLXVIII, *editaque Venetiis cum Martyrologio Francisci Maurolyci Abbatis Messanensis. Libellus hic, nulli eatenus nominatus, unde prodierit nescio; Auctoris nomen, ac verisimiliter etiam ætatem, supponi potuisse ab aliquo, cui vel minima esset*

Favet Topographia Primi Ep. Cabilonensis.

A *esset rerum Cabilonensium notitia, non credo; cum nec in totis quidem Galliis ullus inveniatur extitisse Episcopus, cui nomen esset* Primus, *Cabilone autem ab anno* MCCCCXXXVI, *ad* LX, *Episcopum sedisse Joannem hujus nominis XI, certissimo liquet ex publicis instrumentis per Sammarthanos allegatis. Quod autem* Primus *iste eruditis fuerit semper, ut minimum dicam, suspectus, vel ex hoc liquet; quod Gesnerus in sua Bibliotheca, ubi Maurolyci lucubrationes enumerat, Martyrologium quidem recenset, in quo* addita sunt civitatum ac locorum nomina, in quibus sancti Martyres passi sunt atque eorum corpora requiescunt; *dissimulat autem, tum hic, tum alibi sub littera* P, *atque silentio præterit Topographiæ auctorem* Primum. *Idem fecit Philippus Labbe in Bibliotheca Chronologica ecclesiasticorum Scriptorum.*

[*auctori prorsus suppositu D P*]

25 *Atque hæc dicta sunto, ad supplendum locum Bollandianæ Præfationis Generalis cap.* 4 § 9; *ubi simpliciter recensens Martyrologia recentiorum obiter meminit* Primi, *a Maurolyco editi: et ad retractandum, si quid alibi ex ipso necdum examinato hausimus. Ad rem præsentem facit, quod iste qualiscumque* Primus, *supinam quamdam ignorantiam prodat sub littera* I, *distinguendo duplex* Iconium, *cum sic ait:* Iconium B Cappadociæ civitas. Hic Conon cum filio puero sub Aureliano Martyr XXIX *Maji*; hic Amphilochius Episcopus, qui Magni Basilii Vitam scripsit, migrat Confessor XXIII *Novembris*: Hic et S. Thecla Virgo patitur XXIII *Septembris*: *et rursum infra*, Iconium civitas Hispaniæ. Hinc fuit Quiricus, puer triennis, qui cum Julitta matre in Ciliciam profectus anno Domini CCXXX, Julii XV, sub Alexandro Imperatore, Martyrium passus. *Deceperit hyperbolymæum Primum* Hysauriæ *nomen (sic enim passim medii ævi scripta) unde vel ipse vel alius* Hispaniæ *nomen fecerit.*

[*qui male distinxit duplex Iconium.*]

26 *Istis autem sic parum inter se et cum veritate cohærentibus, is qui deinde confinxit Dextrinum Chronicon, licitum sibi credidit quidquid de* Iconio, et Cilicia Tarsoque *legebatur flocci facere, tamquam ex Apocryphis Gelasio Papæ damnatis sumptum; retentaque ex Primo ac Lucio Marinæo* Hispania, *sub nota anni* CCXXII, *commentus est novum aliquid sic scribendo.* Hippone in Carpetania, sancti Christi Martyres Cyricus et Julitta, sub Imperatore Alexandro Lauream consequuntur; *et sub nota anni* CCC: Istonii in Hispania, reperta sunt corpora sanctissimorum Cyrici et Julittæ Martyrum, aliunde illic quondam allata: *ubi ridendum se præbet Tamayus cum pro* τῷ aliunde *jubet* ex MSS. correctioribus *legi* Hippone; *cum neminem ipsorummet defensorum lateat, unicum solum* C *prætendi MS. Fuldense, quod Higuera ait a se decriptum, Fuldenses autem jurant numquam apud se visum. Quænam ergo illa* correctiora MSS * *nisi Higueræ; non semper sui memoris, ursinumque fœtum suum successive lambentis, ac varias prout sors ferebat lacinias amicis communicantis, et commendantis commenta sua, mutato subinde vel addito verbo, prout in calamum veniebat. Interim non prævidebat ex hujusmodi laciniis inter se collatis, aliquando se convincendum apud posteros mendacii, quo sua ipsius somnia obtrudere mundo præsumpsit, sub nomine Dextrini Chronici, Fuldæ reperti.*

[*Pseudo-dexter Hippone passos sanctos*]

[*et Istonii reperta corpora finxit.*]

27 *Ad fidem igitur supradictis conciliandam non sufficit, quod apud Livium lib.* 39 *inveniamus, pugnatum a pabulatoribus Romanis* in Carpetania, haud procul Hippone et Toleto urbibus, *ubi inter Toletum et Talaveram reperiendum* Hiepes *veteris nominis* Hippo *vestigium servet; quodque prope Sahelices et Villam excusam, ditionis Conchensis oppida, sit quidam locus,* Histo *hodieque dictus, qui possit* Istonium *videri a Ptolomæo Celtiberis attributum. Ut autem hæc nihil illis prosunt, sic nec magnopere obsunt. Juliani æque spuria adversaria, quæ* de nobili familia Istoniorum Celtiberorum *natos SS. Cyricum et Julittam,* D *metu persecutionis in Ciliciam fugisse, et* Tarsi *passos asserunt; ipsosque distinguunt ab ejusdem nominis aliis, qui* XVI Julii sub Nerone *passi etiam* Tarsi *sint*, nati Amphilochii in Celtiberia Provinciæ Gallæciæ. *Ejusdem istæc omnia farinæ sunt, et nec ab ipso quidem Tamayo digna judicata, quorum rationem in Julio haberet: satisque ei fuit, tamquam de unico* Quirico, *in Junio scribere quod ejus* sacra Lipsana Burgis, in ecclesia suo nomine dicata, quiescunt.

[*Pseu-Julianus duo paria finxit*]

28 *Multo rationabilius procedit prætensio Ravennatium in Italia, innixa veteri traditioni, de Reliquiarum præsentia in ecclesia S. Joannis Baptistæ, ibidem anno* CCCCXXXVIII *consecrata. Cum enim decimo post anno Ravennæ moreretur S. Amatoris Antissiodorensis successor*, S. Germanus, *ut est in vita* XXXI *Julii illustranda;* Regina Placidia, *prædictæ fundatrix ecclesiæ, aliis alia defunctis spolia inter se partientibus, ipsa,* solius bene lectionis hæres, capsulam cum sanctis suscepit, *utique Reliquiis, ac verosimiliter ex iis quas Altissiodorum detulerat* S. Amator, *in præsidium viæ assumptus. Has quia illa sub aram principem locavisse vulgo credebatur; Petrus Aldobrandinus Archiepiscopus Ravennas et Cardinalis, in prima sua hujus ecclesiæ visitatione circa annum* MDCV, *talem tulit sententiam:* Ad altare majus, licet mensa marmorea nullum consecrationis signum præferat; non tamen videtur egere consecratione, quod sub ea credantur requiescere corpora Sanctorum Quirici et Julittæ. *Ita ille apud Hieronymum Fabri, in Memoriis sacris antiquæ Ravennæ pag.* 201; *ubi etiam allegatur Breviarium Carmelitanum anni* MDLX *vel* LXX, *impressum mandato Generalis Rubei, ubi notantur*, in Conventu Ravennæ corpora S. Quirici et Julittæ.

[*Ravennæ in ecclesia S. Jo. Bapt.*]

E

29 Porro, *inquit Fabri*, cum vellent prædicti Patres quam diligentissime illa requirere; scirentque quod anno MDCVIII, occasione mutandi situs, apertum altare, inventum fuerit continere capsulam eburneam sacris Reliquiis (ut præsumere licebat) refertam; interventu Illustrissimi Lucæ Turrigiani Archiepiscopi, *ordinati anno* MDCXLV, *et cum Fabri sua ederet vigesimum in ea Cathedra annum explentis*, aperuerunt marmoream arcam, quæ est sub altari S. Teresiæ intra quam tunc posuerant capsulam illam; et ipsis Reliquiis, curiosius per anatomicos peritos consideratis, judicatum fuit ossa quædam muliebria, quædam puerilia esse. Quia tamen nulla aderat lamina vel aliud publicæ formæ scriptum, nihil ultra movendum censuerunt; sed omnia inter F ipsam arcam reponenda ut prius, donec Deo placuerit honorare sanctos suos, certum testimonium præbendo veritati Reliquiarum prædictarum; interim vero instauraverunt usum festivitatis annuæ, celebrandæ die Passionis ipsorum XVI Junii. Et quia reperta fuit arca plena aqua, istuc subingressa in memorabili inundatione anni MDCXXXVI, eaque clarissima ac limpidissima; conservandam illam collegerunt in magno quodam vase, conservantque hodiedum, et distribuunt infirmis cum plurimo frequentium gratiarum inde haustarum fructu.

[*putantur ab an. 428 esse ossa quædam*]

[*sub ara principe, unde accepta aqua salutifera est*]

EPISTOLA THEODORI EP.

De passione SS. Quirici et Julittæ

Jam olim latine reddita ex MSS. Romanis.

Charissimo Fratri et sancto Coepiscopo *a* Zosimo Theodorus, annuente domino Præsul, salutem in Domino. Quia bono semini hostis humanæ conditionis solitus est superseminare Zizania; oportet, ea alumnos Ecclesiæ Vigilanter custodire, ut nequaquam commisceantur, sed adolendo semen illud

penes

THEODORO EP. EX MSS.

Propter apocrypha Iconii legi solita,

A penes dominum cumuletur; et tales prorumpat in fructus, de quibus alantur, qui properant Sanctorum vestigia sequi. Hoc autem, Frater Carissime, tuæ dilectioni sum prosecutus, qui meam humilitatem directis consuluisti apicibus; quod in urbe Iconiensi, unde Martyr Julitta ejusque gloriosus filius orti creduntur, vidisses a nonnullis, maxime a rusticanis hominibus eorundem frequentari Martyrium, quod adeo enerti erat stylo prolatum, ut multa contra veritatem oblatrans, et grammaticam non curans regulam, clarius ostenderet suum mendacium.

rogatus veritatem quærere Theodorus;

2 Hoc ergo protinus utpote præ manibus habens studiosius revolvens, veridicum te, honestissime Frater inveni: nam tali erat exaratione digestum, ut merito huic computaretur illa sententia, quam quidam protulit Patrum; Vere, inquam, ranæ et culices *b* digni sunt ista scriptura. Tamen quia se textus ipsius satis declarat datur conjici, Deo amabilis, ut Manichæorum sit ita descriptio, vel Ethnicorum labor; qui veritatem prædicationis irridentes, crucem Christi, scandalum putant. Sed nos hujusmodi verbositate despecta, præcepto tuo obtemperantes conandum summopere duximus, quatenus aliquod dignum memoriæ de sanctissima illa femina investigaremus.

ipsa quidem condemnat;

B

promittit autem scribere accepta

3 Quod cum diu satagerem et nullo modo ad effectum pertingerem, tandem Martianus Christo amabilis Tribunus, qui a Justino *c* piissimo nostro imperatore notarius et Cancellarius institutus, hæc quæ subnexa sunt ore proprio intimavit. Asserebat enim se cum principatu militari potiretur, Zenone sagacissimo Isauriorum *d* Antistite vidisse quemdam *e* senem ipsius provinciæ, qui se jactabat procreatum eorundem Sanctorum prosapia, ac per hoc etiam semper voti compotem, in annua illorum festivitate.

a sene quodam ex ipsorum familia: juxta quem

Julitta nobiliter nata Iconii,

4 Hic itaque prælibatam asserebat Martyrem Augustali de stemmate procreatam, et antiquam genealogiam, non solum actibus morum, verum et fide morem decorantem. Continentiæ *f* quippe proposito studens, sedulo devotionis obsequio famulabatur [Christo]. At ubi in Christianos procella persecutionis intonuit, Domitianus quidam vir ferus, et Christiani cruoris sitibundus effusor, Comes est Lycaoniæ subrogatus. Hujus ergo sævitiam B. Julitta declinans, omni sua substantia, quamquam plurima esset, derelicta; cum duabus tantum ancillis et Quirico filio parvo, trium scilicet annorum, Seleuciam fugit, quæ est metropolis Isauriæ *g* gentis, et innumeratas *h* ibidem reperit perturbationes. Nam et Alexander quidam, noviter illic a Diocletiano Præses effectus, injunctum habebat perimere sacrificare nolentes.

Seleuciam fugit, cum filio et 2 ancillis.

C

5 Sancta Julitta continuo, ne semet sponte periculis dederet, memor illius sententiæ, Date locum iræ, Tharsum primæ Ciliciæ metropolim secessit. Introeunte vero ea (mira res!) quasi ex decreto Alexandri et Domitiani, sæviori pœna beata arctatur Julitta, gerens in ulnis filium suum Quiricum Sanctum. Mox famulæ, fugæ subsidio ereptæ, dominam a longe sequentes, anhelabant; addiscere cupientes extrinsecus, quid ei accideret. Constantissima itaque Julitta est ibi ante tribunal Alexandri præsentata: et nomen, et fortunam, patriamque interrogata, nihil nisi Christi nomen, seque verissimam profitebatur Christianam.

Rom. 12, 19

inde Tharsum.

ibi capitur cum parvulo

6 Tunc insanus Alexander, furiis actus, imperat parvulum, negotii omnis ignarum, ab ea divelli, sibique afferri, et matrem acrius crudis flagellari nervis. Protinus satellites jussa perficientes cædebant Julittam, se Christicolam, et numquam immolaturam vociferantem; infantulum vero, vi multa materno ex complexu revulsum Præsidi lugentem obtulerunt. Quem ille manus inter accipiens, genibusque imponens gratulabundus, osculis et puerilibus permulcere studebat oblectamentis.

qui abstractus a matre,

D

Præsidi traditur.

7 At infans econtra genitricem intendens, non solum Præsidem detestabatur, sed etiam caput, et vultum illius ungulis laniabat obluctans; et quasi turturis pullus, de nido proclamans, consonas voces matri reddebat; Et ego Christianus sum: diuque circumvago nisu obluctans Præsidem *i* momordit in latere: Pro nefas! Extemplo cruentissima bellua (indecens quippe est hominem appellare, qui puero non est compassus) furore repletus, solio eundem turbabat ab alto. Qui præceps a capite in partem graduum ruens, totum tribunal quassat, verticis cruore fœdabat: sicque paulatim exhalans secundum quod scriptum est, Animæ justorum in manu Dei sunt, spiritum tradidit Christo.

quem ille: aversatur

caput ad tribunal eliditur.

Sap. 3, 1.

8 Cernens itaque S. Julitta, sic suam expirasse prolem, magno referta tripudio; gratias inquit tibi ago, Domine Jesu Christe, qui dignatus es filium meum ante me vocare, et immarcessibili diademate coronare. Mox sævus Præsens indignans, a vertice præcepit extensam decoriari eam, et lebetem bulliente pice refertam, super ejus illabi pedes; voce præconia intonans; Julitta, miserere tibi, et immola, ne crudelem sicut filius tuus, compellaris incurrere necem. At illa, virili robore animata, clamabat: Ego numquam sacrificabo dæmoniis, sed Christo famulabor Dei Filio, per quem Pater creavit cuncta: et consequens filium meum, regna pariter cœlestia capescemus. Videns itaque Judex væcors tantam mulieris obstinationem, capitalem dictavit sententiam; et filii cadaver inter peremptos damnaticos projiciendum mandavit.

Mater ardenti pice perfusa,

E

capitis damnatur.

9 Mox scelestissimi apparitores, jussa implere accelerantes, ori ejus protinus camo *k* immisso, solitum festinabant ad locum. Tunc Julitta postulavit, ut paulisper sinerent eam Deo suo fundere preces. Accepta itaque licentia, flexis ita rogavit poplitibus: Gratias tibi, Domine Jesu Christe, devotas persolvo, quia filium meum, priusquam me, de hoc væcordi seculo migrare jussisti, et sanctis tuis participare. Et nunc, Domine totius misericordiæ, connumera et etiam socia me, indignam ancillam tuam, cum sapientissimis Virginibus, quatenus merear æternæ incarnationis adipisci thalamum; et benedicat spiritus meus Patrem tuum Dominum omnipotentem, creatorem omnium, simulque Spiritum sanctum, in secula seculorum. Amen. Completa vero oratione, spiculator exerens gladium, uno ictu caput ejus abscidit; corpusculum autem ejus, cum filii est corpore sociatum.

et facta prece

decollatur

F

10 Beata igitur Julitta, ejusque gloriosus filius, in nomine Christi, Regis omnium Regum, per martyrium migrarunt e mundo, quinta decima die mensis Julii. Duæ namque famulæ ejus, altera die nocturno silentio venientes, sublata dominorum corpuscula, in spelunca Tharso contermina occultarunt: et usque ad Constantini Cæsaris tempora, quando lux Christianis effulsit, celata manserunt. Ubi autem Ecclesiæ primatum sunt consecutæ, una quæ superstitit famularum ejus patefecit loculum monilium pretiosissimorum. Tunc devotissimi populi cursitantes, quidquam sibi rapere ad medelam animæ festinabant, Hæc omnia utpote veritatem esse considero, et mandavi Deo amabili animæ tuæ: quæ et tu manda fidelibus hominibus, ut discant, non fabulosis scripturis, sed veritati consentire, in Christo Jesu domino nostro, cui est cum Patre et sancto Spiritu, gloria, honor, potestas, in secula seculorum. Amen.

15 Julii

Corpora annis aliquot occulta sub Constantino M. revelantur.

ANNOTATA

ANNOTATA D. P.

a Nomen Zosimi *huic vetustæ versioni debemus : nam Combefisii versio nullum habet, utpote carens inscriptione ; accidit autem Baronio in Notis, ut semel scriberet* Zenonem *pro* Zosimo ; *quod occasionem dedit eidem Combefisio, ipsam hanc versionem, alias nusquam visam, sugillandi quasi ipsa sibi contradicat.*

b *Hucbaldus Elnonensis, eisdem Actis jam olim tota Gallia sparsis, ignorans e Græco (quod hinc patet) inepto, ineptius traducta, Sanctorum sibi optat suffragari merita*, quorum, *inquit*, mira strictim narrare suscepimus certamina : abdicantes quæ a quodam idiota, mimographo et falsiloquo, sunt ineptissime propalata, et idcirco a fidelibus Christianis, maxime a Gelasio Papa, jure sunt inter cetera apocrypha repudiata. *Philippus Abbas censuræ vim conatus emollire ;* Apocryphum, *inquit*, secreti clausuram, non vitium falsitatis elicit ; cum rei manifestæ scriptor ignotus est, et actionis claræ tractator occultus : quem admodum liber Job, licet pro incerto Auctore dicatur Apocryphus, meriti tamen excellentia inter Hagiographa numeratur. *Plus tamen aliquid, quodque revera vitiosum sit, notasse se indicat, sic porro loquens :* Omissis igitur, quæ in ea *(historia)* loquacitas extulit, depressit inscitia, corrupit annositas, incuria profligavit, exemplarium transfusio negligenter egesta confudit, dejecit falsitatis coannexa suspicio; quod ab emendatioribus sumptum est scriptis, stylo veritatis expressi. *Optimo uterque conatu, pro ea quæ tunc aderat scriptorum veriorum penuria ; Combefisii ferulam, Præmonstratensi declamatori impactam facile evasuri. Etenim ea fere omnia omiserunt, quæ maxime reprobanda erant, et manifestam fabulam sapiebant ; nihil nisi in genere, de tormentis supra veri speciem exaggeratis, deque Cyrici argutis verbosisque supra ætatem sermonibus, locuti.*

c *Apud Combefisium* Justiniano, *qui successit* Justino, *an.* 527.

d *Idem miratur* Isauriæ Episcopum *dici* non Seleuciæ in Isauria, *v. g.* vel quid simile *secutus scilicet descriptionem geminam Provinciarum apud Carolum a S. Paulo in Geographia sacra, juxta quam in Patriarchatu Antiocheno adscribuntur* Isauriæ, *sub uno Præside,* Urbes 23, *intra fluvios Cydnum et Fragum : quæ alius Cilicia Aspera nominatur. Sed præter hanc alia est, et sola Ptolomæo* Isauria *dicitur, reliquiæ cula Lycaoniæ contermina, quæ Cappadociæ ambo attribuuntur, Constantinopolitano subjectæ Patriarchatui, et communem metropolim habentes* Iconium : *unde ea urbs alterutri indifferenter adscribitur ; illa autem* Isauria *nomen habet ab* Isaura *civitate ; quæ si dicatur* Isauropolis *in Concilio Chalcedonensi, et apud Photium* Isauropolis, *id est* Isauriorum *vel* Isaurorum civitas ; *qualis etiam eorumdem* Episcopus? *Videtur tamen, ex Græco apud Combefisium textu intelligi,* Zeno *hic non* Ἐπίσκοπος, *sed* Ἐπίτροπος, Procurator *fuisse, quippe* Σύνεδρος, *id est* Collega, *prænominati Martiani, militari potestate fungentis ; quod interpreti erit, non auctori, imputandum.*

e *Alius textus pro* sene *uno,* plures Εὐπατρίδας, Nobiliores, *ita narrasse scribit.*

f *Sic indicatur fuisse* Vidua, *quod alibi omittitur.*

g Isauriæ *scilicet latius sumptæ . sed vereor ne hoc sit glossema Interpretis, alibi melius omissum.*

h *Fortassis,* jam memoratas.

i *Concinnius alibi,* Calcibus Judæis latus petebat.

k *Martyres ad mortem ducendi, immisso in os* Camo *seu fræno, prohibebantur turbis, per quas transitus erat, salutaria loqui. Sic etiam de S. Heliodoro* 19 *Novemb. habent Menæa, quod diu cruciatum, tandem* camo imposito extra urbem traxerunt, ibi decollandum.

EADEM EPISTOLA GRÆCOLATINA

Ex editione et versioni Francisci Combefisii Ord. Prædic.

Πευσαμένης τῆς σῆς Τιμιότητος, διὰ προσκυνουμένων σου συλλαβῶν, πρὸς τῆς ἡμετέρας ἐλεεινότητος, περὶ τοῦ παρὰ πολλοῖς θρυλλουμένου μαθεῖν μαρτυρογραφίου· λέγω δὴ Κηρύκου, καὶ τῆς τούτου μητρὸς Ἰουλίττης· εἰ καὶ ἐν τῇ Ἰκονιέων πόλει, ὅθεν καὶ ὡρμᾶσθαι λέγεται ἡ καλλίνικος Μάρτυς Ἰουλίττα, καὶ ὁ αὐτῆς ἐπίδοξος υἱὸς Κήρυκος, τὸ αὐτῶν μαρτυρογράφιον παρειλήπται· ὡς οἷα τῆς αὐτῶν ὁρμωμένων γῆς καὶ καταγομένων· διὰ τό τινα ἐν αὐτῷ ἐμφέρεσθαι ὑπέρογκα ῥήματα καὶ ἀνάρμοστα καὶ ξένα τῆς παρὰ Χριστιανοῖς ἐλπίδος περιέχοντα βαττολογήματα· καὶ εἰ ἔστιν εὑρεῖν τὸ κατ' ἀλήθειαν αὐτῶν μαρτυρογράφιον, τοῦτο στεῖλαι τῇ σῇ Τελειότητι. Ταῦτά σου τὰ θεῖα γράμματα δεξάμενος, καὶ σφόδρα τοῦ σοῦ φροντίσας ἐπιτάγματος, καὶ μετὰ συντόνου σπουδῆς τὸ μαρτυρογράφιον τῶν ἁγίων Κηρύκου καὶ Ἰουλίττης τῆς αὐτοῦ μητρὸς μετὰ χεῖρας λαβών· ἀναπτύξας τε καὶ ἀναγνοὺς ἐν πολλῇ ἀκριβείᾳ, ἐπαληθεύοντα σε εὗρον, ὁσιώτατε πατέρων, καὶ ἱερέων εὐδοκιμώτατε· βατράχων γὰρ ἢ κολοιῶν ἀπηχήματα, δικαίως ἄν τις ταῦτα καλέσειεν. Μανιχαίων γὰρ, ὡς οἶμαι, ἢ καὶ ἑτέρων αἱρετικῶν ἑτεροδόξων τινῶν ὑπάρχει τεχνολογήματα, τῶν διαπαιζόντων καὶ χλεύην καὶ τιμωρίαν ἡγουμένων τὸ μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον.

Cum venerabilis Pietas tua, per colendas litteras tuas, ex misella mea tenuitate percontata esset, ut quæ ad martyrium vulgo decantatum, ac fama celeberrimum, spectat ; Cyrici inquam, ejusque matris Julittæ, doceereris ; num et Iconii, unde fama est inclytam victoriæ laude Martyrem Julittam, ejusque gloriosum filium Cyricum, ortos esse, martyrii ejusdem tabulæ habeantur ; tanquam scilicet illorum patria : quod nimirum in eorum martyrii Actis verba quædam extent prætumida, ac inconsona, nugasque abs spe Christiana extraneas continentia ; Num item vera illorum martyrii Acta inveniri possent, tuæ hoc Perfectioni scriberem. Hisce abs te sacris acceptis apicibus, valde solicitus ut tuum illud præceptum implerem, contento studio, ac diligenti admodum opera, sanctorum Cyrici ac ejus matris Julittæ Martyrii Acta in manus sumpsi, evolvensque, ac quam sedulo legens, vera te loqui inveni, sanctissime Pater, Sacerdosque probatissime : ranarum enim ac graculorum garrulos sonos hæc quis merito appellaverit. Plane Manichæorum (ni mea me fallit opinio) seu aliorum quorumdam hæreticorum aliena sentientium arte conficta, ut temere illudentes, in ludibrium censuramque ducant magnum pietatis mysterium.

Regatus Auctor veriora scribere.

ea quod vulgata valde inepta sunt.

2 Ἀλλ' ἐπειδὴ πολλὴν ζήτησίν τε καὶ ἔρευναν κατὰ δύναμιν ἡμετέραν ποιούμενοι, ἠνύσαμεν πλέον οὐδὲν, τοὺς ἐν τέλει ἐπιχωρίους καὶ τοὺς τὰ πρῶτα τοῦ τῶν Ἰσαύρων

2 Cum tamen, multa perquisitione facta, ac diligenti rei indagine, amplius nihil actum nobis esset ; indigenas, viros nobiles; ac prima inter Isauros

A Theodoro Ip. scribit narrata ab iis

ros generis claritate fulgentes, percontabamur, num quam paternæ saltem traditionis relatu seriem nancisci liceret, ex qua sanctorum Martyrum certis notis patesceret certamen. Marcianus igitur vir religiosus et Justiniani Imperatoris Notariorum pridem Tribunus ac Cancellarius, dum is copiis cum magistratu præfectus esset; Zenoque vir sapientissimus illius tunc assessor seu consiliarius, quod spectat ad Sanctos, isthæc narraverunt. Audisse se

qui consanguineos, sanctis se dicebant:

a nobilibus Patriciis, extitisse iis affinem, primi Lycaoniæ sanguinis florem, sempiterna colendam memoria Martyrem Julittam, vitæ integerrimæ fœminam; cujus ii ritu annuo memoriam celebrent, eo vel maxime nomine, quod sui eam generis, ac cognationis jure conjunctam agnoscant.

3 Hæc porro regio orta semine, cum vehementior sæviret in Christianos persecutio, (Domitiano Lycaoniæ Comite, viro scilicet quam maxime fero, truceque, ut qui Martyrum cumprimis fuso cruore

Iconii nobiliter natam Julittam

gauderet) fuga se cum duabus ancillis trimuloque filio (præclaro scilicet victore Martyre Cyryco) Iconio, unde et orta erat, proripuit. Substantia itaque, qua valde locuples erat, relicta, Seleuciam pervenit: quo ipso loco turbatas magis res Christianorum offendens, Alexandro quodam Seleuciæ Præside a

fugisse Seleuciam

Diocletiano constituto, a quo ipso recens edictum accepisset, quo jubebantur omni tormentorum genere excruciari, qui idolis (queis falso ii Deorum nomen adscribebant) non immolarent; cogitans illa, id quod in Scriptura habetur, *Date locum iræ*; ne

Rom. 12, 19 et inde Tarsum:

se ipsa periculis dederet; hinc quoque profuga, Tarsum abit, quæ primæ Ciliciæ provinciæ princeps civitas est.

4 Velut autem ex condicto, commigrante illuc immani ac durissimo Alexandro, qui scilicet Domitiani sævitiam multis partibus superaret, comprehenditur inclita victrix Martyr Julitta, suis ipsa

ubi comprehensa

ulnis, tenella valde ætate puellum (a Deo nempe vocatum Martyrem Cyrycum) complectens. Post eam comprehensam, ancillæ, ea relicta, fugam arripuerunt; forisque supplicia tyranni in ea in agone atque ipsius spectabant. Tum illa tribunali adhibita, nomenque ac fortunam, patriamque ab Alexandro rogata, præfidentiam suo respondens Judici, Domini

seque Christianam professa;

nostri Jesu Christi sibi nomen ascivit, dicens, *Christiana sum.* Ira itaque accensus Alexander, tolli ab ea puerum jussit, ac ad se adduci; quippe elegantem, ac necdum per ætatem quidquam scientem, quod ex proposito, mentisque liberæ sit: matrem vero suppliciis aptatam, atque distentam crudis nervis immaniter cædi imperavit. Vi autem

quam cruciari videns filius trimulus,

abs strenuæ Martyris sinu avulsum puerum, totumque in matrem gestientem, nec ab ea ocellos avocantem, carnifices Prætori afferunt; in illam vero, quod erant jussi, diris verberibus cruciantes adimplent; cum illa id unum responderet, Christianam se esse, nec fore ut dæmoniis unquam immolaret.

placari se non sinit a Judice blandiente:

5 Dum igitur in statuæ modum inanimis, valide plagis conscinditur, eandemque incessanter inclamat vocem; acceptum Prætor manu puerum, blande deliniens a fletu cohibere omnino nitebatur; genibusque impositum accipere osculo conabatur. Puer vero intentis in matrem luminibus, Prætorem abs se submovebat, ac caput avertebat; manibusque obnitens, Prætoris faciem unguiculis scalpebat: velut denique castæ turturis pullus, æmulam sanctus Cyrycus vocem pronuntiavit, eandem ipsam matris prædicationem edens, ac clamans,

et Christum balbutiens

Christianus sum. Calcibus quoque judicis latus petebat: solet enim fere infantilis ætas, hujuscemodi gestibus incomposite agi, iraque constrepere. Quamobrem excandescens agrestis illa fera (nec enim

γένους ἀνθοῦντας ἐνωτώμεν, ὅπως ἂν δυνηθείημέν τινα κἂν ἐκ πατροπαραδότου διηγήσεως εἱρμὸν λαβεῖν, δηλοῦντα τὴν τῶν ἁγίων μαρτύρων ἄθλησιν. Μαρκιανὸς τοιγαροῦν ἀνὴρ φιλόχριστος Τριβουνοτάριος καὶ Καγκελλάριος γενόμενος Ἰουστινιανοῦ τοῦ βασιλέως, ἡνίκα ἦρχεν τῆς στρατοπεδαρχικῆς ἀρχῆς· καὶ Ζήνων, ὁ σοφώτατος, καὶ αὐτὸς γενόμενος αὐτοῦ τηνικαῦτα σύνεδρος, ταῦτα περὶ τῶν ἁγίων διεξῆλθον, ὡς παρά τινων ἀκηκοασι τῶν εὐπατριδῶν, ὅτι προσγενὴς αὐτῶν ὑπῆρχεν, πρώτου αἵματος τῆς Λυκαονίας ἄνθος ὑπάρχουσα ἡ ἀείμνηστος μάρτυς Ἰουλίττα, βίου ἀνεπιλήπτου τυγχάνουσα, ὥστε μνείαν αὐτῆς ἐπιτελεῖν κατὰ ἔτος ἕκαστον· ἐξαιρέτως τοῦτο πράττοντας διὰ τὴν συγγένειαν.

3 Αὕτη δὲ βασιλικοῦ αἵματος κατάγουσα· διωγμοῦ πνεύσαντος κατὰ τῶν Χριστιανῶν ἐπὶ Δομετιανοῦ, Κόμητος καταστάντος τῆς Λυκαονίας, ἀνδρὸς θηριωδεστάτου, καὶ σφόδρα χαίροντος τῇ τῶν μαρτυρικῶν αἱμάτων ἐκχύσει, φυγὰς αὕτη γέγονεν μετὰ δύο θεραπαινίδων καὶ τριετοῦς παιδὸς, φημὶ δὴ τοῦ καλλινίκου μάρτυρος Κηρύκου ἐκ τῆς Ἰκονιέων πόλεως, ἐξ ἧς καὶ ὥρματο. Τὴν μὲν οὖν οὐσίαν ἱκανὴν οὖσαν καταλιποῦσα, καταλαμβάνει τὴν Σελεύκειαν· καὶ ἐπὶ ταύτην δὲ πλείονα ταραχὴν τῶν Χριστιανῶν εὑροῦσα, Ἀλεξάνδρου τινὸς ὑπὸ Διοκλητιανοῦ τοῦ βασιλέως, ἡγεμόνος καταστάντος ἐν τῇ Σελευκέων πόλει, καὶ πρόσφατον δεξαμένου βασιλικὸν διάταγμα παρακελευόμενον πάντως τιμωρεῖσθαι τοὺς μὴ θύοντας τοῖς εἰδώλοις ὥσπερ Θεοὺς ἐπεγράφοντο τοὺς μὴ ὄντας Θεούς· λογισαμένη ἐκεῖνο τὸ τῇ θείᾳ γραφῇ περιεχόμενον, Δότε τόπον τῇ ὀργῇ, ὡς ἂν μὴ ἐπιδοίη τοῖς κινδύνοις, κἀκεῖθεν φυγοῦσα, ᾤχετο κατὰ τὴν Ταρσὸν ἥτις ἐστὶν μητρόπολις τῆς πρώτης τῶν Κιλικίων ἐπαρχίας.

4 Ὥσπερ δὲ ἐξ ἐπιτάγματος μεταστάντος ἐν αὐτῇ τοῦ ἀπηνοῦς καὶ ἀγριωδεστάτου Ἀλεξάνδρου κατὰ πολὺ τὸν Δομετιανὸν ὑπερακοντίσαντος, συλλαμβάνεται ἡ καλλίνικος μάρτυς Ἰουλίττα, τὸν αὐτῆς υἱὸν ταῖς ἀγκάλαις περιέχουσα, πάνυ νήπιον ὄντα, τὸν θεόκλητον λέγω μάρτυρα Κήρυκον. ὡς δὲ ταύτην συνέχον, αἱ θεράπαιναι αὐτῆς καταλιποῦσαι αὐτὴν, ἀπῆλθον ἀποδράσασαι. ἔξωθεν δὲ θεωροὶ τῶν εἰς αὐτὴν πραττομένων ἐγίνοντο, εἶτα παραστᾶσα αὐτὴ τοῖς δικαστικοῖς βήμασιν, τοῦ Ἀλεξάνδρου πυθομένου προσηγορίαν, καὶ τύχην καὶ πατρίδα παρρησιαζομένη πρὸς τὸν δικαστὴν τὸ τοῦ Κυρίου ὄνομα Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐπεγράφετο, λέγουσα, Χριστιανή εἰμι. Θυμομαχήσας οὖν ὁ Ἀλέξανδρος, ἐκέλευσεν ἀφελῆναι ἀπ' αὐτῆς τὸν παῖδα, καὶ προσαγαγεῖν αὐτῷ, οἷα δὴ καὶ ἀστεῖον ὄντα, καὶ μηδὲν τῶν κατὰ πρόθεσιν εἰδότα· ταύτην δὲ σχηματισθεῖσαν, καὶ ἀναδεθεῖσαν ὠμοῖς νεύροις ἀφειδῶς τύπτεσθαι ἐπέτρεψεν. ὡς δὲ τοῦτον βίᾳ ἐκ τῶν τῆς γενναίας μάρτυρος ἀγκαλῶν ἀφελκύσαντες οἱ δήμιοι ἐνθουσιάζοντα, καὶ πρὸς τὴν οἰκείαν παλινοστεῖν μητέρα ἐθέλοντα, καὶ εἰς αὐτὴν ἀφορῶντα, ἄγουσιν τῷ Ἡγεμόνι· καὶ ἐπ' αὐτῇ δὲ τὸ προσταχθὲν ἐποίουν οἱ ὑπηρέται, ἀνηλεῶς τύπτοντες, μηδὲν ἕτερον ἀποκρινομένης, ἀλλ' Ὅτι Χριστιανή εἰμι, καὶ δαίμοσιν οὐ θύω.

5 Ἐκείνης τοίνυν ὡς ἀνδριάντος τινὸς ἀψύχου εὐτόνως ταῖς πληγαῖς ξεομένης, καὶ τὴν αὐτὴν φωνὴν ἀπαύστως βοώσης, ὁ Ἡγεμὼν ταῖς χερσὶν λαβόμενος τὸ παιδίον, θωπείαις ἐπειρᾶτο δυσωπεῖν μὴ ἀποκλαίεσθαι καὶ τοῖς αὐτοῦ γόνασιν ἐπετίθει, καὶ φιλεῖν ἐπεχείρει. Ὁ παῖς δὲ πρὸς τὴν μητέρα ἀτενίζων, ἀπεσείετο μὲν τὸν Ἡγεμόνα, καὶ τὴν ἑαυτοῦ ἀφίστα κεφαλήν· ταῖς δὲ χερσὶν ἀντιβαίνων, τοῖς ἰδίοις ὄνυξιν τὴν ὄψιν τοῦ Ἡγεμόνος ἀπέκνιζεν· καὶ ὥς τις σώφρονος τρυγόνος νεοσσὸς μιμηλὴν ἀπεφθέγγετο φωνὴν ὁ ἅγιος Κήρυκος, αὐτὸ τὸ ὑπὸ τῆς μητρὸς λεγόμενον κήρυγμα κράζων, καὶ λέγων, Χριστιανός εἰμι· καὶ λὰξ ἐντείνει τῷ δικαστῇ κατὰ τοῦ πλευροῦ· φιλεῖ γὰρ ὡς τὰ πολλὰ ἡ νηπιάζουσα φύσις ἐν τοῖς τοιούτοις σχήμασιν κινεῖσθαι ἀτάκτως· ὥστε θυμωθέντα τὸν ἄγριον θῆρα ἐκεῖνον· οὐ γὰρ ἄνθρωπον αὐτὸν προσαγορευτέον,

μὴ

A μὴ συγγνώμονα τῆς ἀθλοῦς πράξεως καταστάντα, ἐκ τοῦ ποδὸς αὐτὸν ἐπιλαβόμενος, ἐδάφισαι κατὰ γῆς ἀπὸ τοῦ ὑψηλοῦ βήματος τὸν παῖδα· τοῦ δὲ κρανίου τοῦ καλλινίκου μάρτυρος ἐπὶ τοιαύτῃ ὁμολογίᾳ μετὰ τῆς τῶν βαθμῶν γωνίας προσραγέντος, καὶ τῷ ὀξεῖ τῆς ἀντιτυπίας καταθρυβέντος, αἵματος μὲν ἐπληροῦτο τὰ πρὸ τοῦ βήματος· εἰς χεῖρας δὲ Θεοῦ ἀπεδίδου τὸ πνεῦμα τὸ θεοτεκνον βρέφος· ψυχαὶ γὰρ δικαίων, ἐν χειρὶ Θεοῦ.

6 Τοῦτο τοίνυν θεασαμένη ἡ ἁγία Ἰουλίττα, καὶ ὥσπερ χαρᾶς πληρωθεῖσα, Εὐχαριστῶ σοι Κύριε, ἔλεγεν, ὅτι κατηξίωσας τὸν ἐμὸν υἱὸν πρὸ ἐμοῦ τελειωθέντα, τοῦ ἀμαράντου τυχεῖν στεφάνου. Σχετλιάσας δὲ καὶ πρὸς τοῦτο ὁ δικαστής, κελεύει ἁρμενταρίῳ ἀναρτηθεῖσαν αὐτὴν εὐτόνως ξέεσθαι καὶ ἀπὸ τοῦ λέβητος ἀντλεῖσθαι πίσσαν κοχλάζουσαν, καὶ τοῖς ποσὶν αὐτῆς ἐπιχέεσθαι. Τοῦ δὲ δικαστοῦ διὰ τοῦ κήρυκος παρακελευομένου λέγεσθαι αὐτῇ, Ἰουλίττα ἐλέησον σεαυτήν, καὶ θῦσον τοῖς Θεοῖς καὶ ἀπαλλάγηθι τῶν βασάνων, μήποτε τὸν τοῦ υἱοῦ σου μόρον ἀπενέγκῃς· γενναίως ὑπέμεινεν ἡ ἀθληφόρος τὰς βασάνους, κράζουσα καὶ λέγουσα, Ἐγὼ δαίμοσιν οὐ θύω κωφοῖς καὶ ἀλάλοις ξοάνοις· σέβομαι δὲ Χριστὸν τὸν μονογενῆ τοῦ Θεοῦ Υἱόν, δι' οὗ τὰ πάντα ἐποίησεν ὁ Πατήρ· καὶ ἐπείγομαι τὸν ἐμὸν καταλαβεῖν υἱόν, ἵνα σὺν αὐτῷ καταξιωθῶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. Ὡς δὲ
B ἑώρα ὁ πᾶσαν μανίαν ὑπεραίρων ἀνήμερος δικαστὴς τὴν τῆς μάρτυρος ἐπίμονον ἔνστασιν, ἀποφαίνεται κατ' αὐτῆς, ξίφει μὲν τὴν κεφαλὴν αὐτῆς ἀποτμηθῆναι προστάξας· τὸ δὲ λείψανον τοῦ ταύτης υἱοῦ εἰς τὸν τῶν καταδίκων τόπον ῥιφῆναι.

7 Καὶ οἱ δήμιοι τὸν χαλινὸν κατὰ τοῦ στόματος αὐτῆς ἐπιθέντες, ἀπήγαγον εἰς τὸν εἰθισμένον τόπον πληρῶσαι τὸ προσταχθέν. Ἰουλίττα δὲ μικρὸν τοὺς δημίους ἐπισχεῖν παρεκάλει, ἕως ἂν προσεύξηται τῷ μόνῳ ἀγαθῷ Θεῷ· καὶ τῶν δημίων ἐπικαμφθέντων, καὶ πρὸς ὀλίγον ἐνδοσάντων, κλίνασα τὰ γόνατα προσηύξατο, λέγουσα· Εὐχαριστῶ σοι Κύριε, τῷ προσκαλεσαμένῳ πρὸ ἐμοῦ τὸν ἐμὸν υἱόν, καὶ καταξιώσαντι διὰ τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον καὶ φοβερόν, τὴν πρόσκαιρον ταύτην καὶ ματαίαν καταλιπεῖν ζωήν, καὶ τῇ αἰωνίῳ ζωῇ μετὰ τῶν ἁγίων συναφθῆναι· καὶ με δέξαι τὴν ἀναξίαν δούλην σου καὶ τοῦ μεγάλου τούτου ἀγαθοῦ ποίησον ἐπιτυχεῖν, ἵνα ἐφάμιλλος γένωμαι τῶν φρονίμων παρθένων τῶν ἀξιωθεισῶν εἰσελθεῖν εἰς τὸν αἰώνιον καὶ ἄφθαρτόν σου νυμφῶνα· καὶ εὐλογείτω τὸ πνεῦμά μου τὸν σὸν Πατέρα τὸν παντοκράτορα Θεὸν καὶ δημιουργὸν τῶν ἁπάντων, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον εἰς τοὺς αἰῶνας, Ἀμήν. Ὡς δὲ τὸ Ἀμὴν ἐπλήρωσεν, παραθήξας ὁ σπεκουλάτωρ τὸ ξίφος, ἀπέτεμεν τὸν γενναῖον αὐτῆς τράχηλον, ἔξω τῆς πόλεως. τὸ ταύτης σῶμα ῥίψας, ἔνθα καὶ τὸ λείψανον τοῦ καλλινίκου μάρτυρος ἀπέκειτο. Τελειοῦται δὲ τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι,
C ἥτε ἀθλοφόρος μάρτυς Ἰουλίττα, καὶ ὁ ταύτης ἐπίδοξος υἱὸς Κήρυκος τῇ πεντεκαιδεκάτῃ τῶν Ἰουλίου μηνός.

8 Τῇ δὲ ἑξῆς ἡμέρᾳ, αἱ ταύτης δύο θεραπαινίδες ἀνελόμεναι τὰ σώματα ἐν νυκτί, πόρρω ἀποθέμεναι κατέκρυψαν εἰς τὴν χώραν τῆς Ταρσέων ἐνορίας. Μέχρι δὲ τῶν χρόνων Κωνσταντίνου τοῦ εὐσεβοῦς βασιλέως ἡ μία τῶν θεραπαινίδων ἐπιβιώσασα, ὅτε ἡ ἀλήθεια εἰς φῶς ἦλθε, καὶ αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Θεοῦ παρρησίαν διὰ τῆς χάριτος ἔλαβον, ἐμφανίζει τὸν τόπον· καὶ πᾶς τις τῶν πιστῶν ἔσπευδεν παραγενόμενος ἐκ τῶν λειψάνων τῶν Ἁγίων εἰς σύστασιν τῆς ἑαυτῶν ζωῆς λαβεῖν, καὶ εἰς δόξαν τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ ἡμῶν. Ταῦτα τοίνυν ἐν ἀληθείᾳ πραχθέντα, καὶ ἐσήμανα τῇ φιλοθέῳ ὑμῶν ψυχῇ· ἅτινα παράθου πιστοῖς ἀνθρώποις οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται καὶ πληροφορῆσαι μὴ τοῖς προδήλως μυθώδεσι συγγράμμασι περιφέρεσθαι, ἀλλ' αὐτῇ ἀληθείᾳ πείθεσθαι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, μεθ' οὗ τῷ Πατρὶ σὺν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, δόξα, τιμή, κράτος, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

homo nuncupandus sit qui nec in rudem, ac innoxiam mitescat ætatem, eique indulgeat; pede arreptum, e sublimi solio puerum terræ allidit. Præclari vero Martyris cerebro ea in confessione ad graduum angulos colliso, gravique ictu contrito, circum late tribunalis area cruore opplebatur: infansque, divina soboles, in Dei manus spiritum reddebat, *Justorum* namque *animæ in manu Dei sunt.* D

A Theodoro e tribunali allidiur

Sap. 3. v. 1.

6 Id itaque S. Julitta conspicata, velutque exuperanti gaudio repleta, Gratias tibi ago, Domine, aiebat, quod filium me priorem consummatum, immarcessibilem coronam dignanter consequi voluisti. Hinc Judex sortem ipse deplorans factoque ejulans, suspensæ e ligno seu equuleo, valide fodi latera, exque lebete haustam picem bullientem pedibus affundi jubet. Tumque præconis voce jubente atque dicente, Julitta tui ipsa miserere, diisque sacrifica, ac libera esto a tormentis, ne eumdem ac filius malam necem reportaveris; generoso illa proposito tormenta pertulit, clamans ac dicens, Ego dæmonibus (surdis scilicet ac mutis statuis) non sacrifico, sed Christum Dei Filium unigenitum colo, per quem Pater condidit omnia; ac festino meum assequi filium quo illi socia in regno cœlorum efficiar. Ubi omnem vincens insaniam sævus judex, constantem in pugna advertit Martyris animum, adversus eam sententiam dicit; cædi gladio fœminæ cervicem, filii cadaver in damnatorum locum projici, jubens. E

Gratulatur Julitta ejus Martyrio,

et post novos cruciatus

morti adjudicatur

7 Carnifices igitur, ejus ore camo obstructo ac alligato, in solitum carnificinæ locum, quod jussi erant impleturi, duxerunt. Rogat Julitta tantisper consistere, donec supplex ad Deum, qui solus bonus est, precata sit. Inflexis animo carnificibus, ac quid modicum ad moras orandi condonantibus, positis illa genibus oravit, dicens, Gratias tibi ago, Domine, qui priorem me filium meum vocasti; et ut præsenti hac vanaque relicta vita, æternæ ille cum Sanctis jungeretur, propter sanctum ac tremendum nomen tuum dignanter voluisti; me quoque suscipe indignam ancillam tuam, facque ut ingens illud bonum nanciscar quo prudentibus Virginibus, quibus indultum ut in cœlestem ac incorruptum thalamum ingrederentur, accensear; ac benedicat Spiritus meus Patrem tuum Deum omnium conservatorem ac universorum opificem sanctumque Spiritum in secula, Amen. Ubi Amen compleverat, vibrans spiculator gladium, fortissimam ejus abscidit cervicem: projecto corpore extra civitatem; quo ipso loco præclarissimi laureati Martyris cadaver positum erat. Consummatur autem Christi gratia, tum triumphatrix Martyr Julitta, tum gloriosus atque inclitus ejus filius Cyricus, ad xvii. Kalend. Augusti. F

Camo os obstructa

post piam precationem,

capite plectitur.

8 Postridie vero ambæ ejus ancillæ sublata noctu cadavera, procul deposita humo condiderunt in Tarsi urbis agro. Ad Constantini autem religiosissimi Imperatoris tempora superstes ancillarum altera, cum veritas in lucem producta, Deique Ecclesiæ ipsius munere nactæ sunt libertatem, locum prodit. Tumque fideles quique, aliquid ex sacris pignoribus ad suæ vitæ munimen ac præsidium accepturi, atque ad Dei nostri optimi gloriam, properarunt, ac locum frequentarunt. Hæc igitur reipsa gesta sunt, quæ et religiosissimo animo vestro annotavi. Tu vero viris fidelibus deposito trade, qui scilicet, alios quoque docere sufficiant, ac certam eis fidem facere; ne iis libellis, qui manifeste fabulosi sunt, circumferantur; sed ipsi credant veritati in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri, ac Spiritui sancto, gloria, honor, potestas in secula seculorum, Amen.

Noctu ab ancillis sepulta cum filio

ACTA

ACTA APOCRYPHA

Ex MS. Monasterii Bodecensis in Westphalia.

CAPUT PRIMUM.

Sanctorum comprehensio et primæ diei acta incredibilia.

b Tarsi deprehensa Julitta,

In diebus Alexandri, *b* magni Præsidis, motus magnus factus est in Ecclesia Christi ita ut multi Christiani pœnis excruciarentur, aliqui vero pœnis expavescentes latibulis se abscondere niterentur; unde contigit ut Julitta mulier quædam, Dominum timens ab adolescentia sua, audiens tyrannidem Præsidis, timore coacta fugeret in Tharsum Ciliciæ, ut ibi absconditi posset a facie iniquissimi Præsidis Alexandri. At ille audiens multos Christianos ibi esse absconsos, urbem illam ingressus est, et cepit studiose quærere Christicolas, et inventos pœnis cruciare. Ministri autem compre- B hendentes Julittam, perduxerunt ad Præsidem, dicentes de ea: Hæc est malefica illa, quæ fugit a te, ut hic homines circumveniat, et decipiat, ne diis sacrificent, dicens eos nihil esse. Quam cum vidisset Præses dixit ei ex qua provincia es, aut quod est nomen tuum. Julitta respondit: Ego sum de provincia Isauriæ, et prima civitatis Iconiensis, *c* nomine Julitta: quæ te fugiens ad hanc deveni civitatem: nunc vero quia Dominus expectat coronam meam, hic manus tuas incurri. Dicit ad eam impiissimus Præses: Si ergo nosti, quia a facie mea abscondi non poteris; audi patienter, et sacrifica diis, ne pereas in pœnis. Julitta respondit: Ego immundis dæmonibus numquam sacrificabo.

et oblata Præsidi Alexandro

c

petit puerum triennem adduci, quem interroget:

2 Dicit ei præses, Crede mihi et sacrifica diis, quia aliter non evades pœnas mortis. Julitta dixit si vis ut sacrificem, mitte in civitatem, quærens puerum triennem: qui cum venerit, quem verum Dominum profitebitur, ipsi serviamus: nam in præsenti scias quia soli Domino Jesu Christo servire desidero. Tunc Præses mittens in civitatem cœpit quærere puerum: sed ministri non invenerunt eum: omnes enim qui illic habebant infantes, ob impiissimi Præsidis timorem, abscondebant *d* eos. Exeuntes tamen de civitate invenerunt puerum; et adstantibus dixerunt. Quot annorum est hic puer? Qui C dixerunt. Trium annorum nondum est. Hic est filius mulieris Christianæ, quæ de Iconio fugiens venit in istum locum. Comprehendentes igitur ministri puerum, perduxerunt ad Præsidem, dixitque puer prior ad Præsidem: Ego sum de radice Christianorum.

adductus autem Quiricus, seque Christianum professus,

3 Unde miratus Præses, salutavit eum, et dixit. Salve, care puerule, noli mihi obsecro talia loqui, Puer dixit, Quare mihi dicis, Salve? cum nec ipse salutem habeas, nec aliis salutem conferre possis. Præses dixit, non de hac re interrogo te, sed ad alia quædam præcepi te adduci. Puer dixit Quæcumque interrogaveris me, respondebo tibi. Præses dixit, Quod est nomen tuum? Puer respondit, Mater mea et Sacerdos qui me baptizavit, Cyricum me nominavit. Præses dixit: Sacrifica diis, et honorem magnum accipies a Principibus, sed et divitias multas inter electos imprimis. Puer respondit argentum tuum et aurum tecum sit in perditionem. Præses dixit: A matre vel a patre tuo, an ab aliquo vicino tuo hoc didicisti? Puer ait, spuma et sine ratione, puerum duorum annorum et novem mensium interrogas, et dicis si a patre vel a matre, vel a vicino hoc didicerim, quod locutus sum per Spiritum sanctum? non eras dignus audire verba Dei, quæ loquitur per os meum: sed audies ob circumstantes.

sapientibus responsis suis Præsidem confundit:

4 Tunc iratus Præses jussit contristari puerum, et catomis *e* cædi. Intendens autem puer corde ad Deum, et oculos elevans in cœlum, dixit: Domine Jesu Christe, tibi gratias ago ex tota anima mea, et orationem ad te fundo: exaltabo te in gaudio gloriæ tuæ, volens in seculo hoc pro amore tuo sustinere corporis passionem, ut in regno tuo suscipias animam meam: ideo enim confugi ad te et virtutem tuam: prædico rex immortalis ut tu mei miserearis. E Hæc eo orante, cædentes eum defecerunt; cumque deposuissent illum, viderunt eum sanum absque omni læsione, acsi nullas plagas sustinuisset.

e

cæsus gratias Christo agit:

5 Miratus autem Præses jussit matrem ejus adduci, et ait ei, Julitta, ecce puer confessus est Deos volens sacrificare eis: tu vero quid dicis? Illa ait: volo audire vocem filii mei. Quem cum vidisset constantem et laudantem Deum, extendens manum in cœlum dixit: Gratias ago tibi, Domine omnipotens, quia dignam me fecisti videre filium meum ante tribunal Judicis, agonizantem pro nomine tuo: te ergo confiteor, Domine Jesu Christe, Deus immortalis, qui cœlum palmo mensurasti, mare limite signasti, æthera stellis ornasti, et terram multitudine florum decorasti. Da, Domine, filio meo coronam immarcessibilem qui viriliter confessus est nomen tuum * Tunc audita est vox de *f* cœlo dicens, Audi, filia, hic filius tuus magnus erit in gloria æterna, sed tua corona perpetua est in regno Dei. Confortamini igitur in Domino, ut possitis sufferre pœnas, quas habent isti homines vobis imponere; et perseverate in opere cœpto, pro gloria Dei, ut impii Pagani, videntes in vobis Christi magnalia confundantur, et per vos, populi multi convertantur.

et illæsus apparet

Ad ejus conspectum læta mater,

f

tum cœlesti,

6 Orante autem illa dixit filius ejus ad eam: Mater, sublatum est a te opprobrium tuum: vidi enim gloriam Dei super te, et vocem consolationis tuæ audivi: ne timeas de me, quia Dominus Jesus Christus nobiscum est, qui induit me immarcessibili veste, pro baptismo quem accepi in nomine ejus. Præses dixit: Hæc, ut video, apud se decrevit ut ab hac vita tollatur. Puer dixit: Vita tua mors est: nam tu es de quo propheta dicit, Væ dicenti dulce amarum, et amarum dulce. Præses ait ministris afferte mihi acetum et sinapi, et imponite naribus ejus: quod cum factum fuisset, puer dicit: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine. Præses iterum ait ad suos, Afferte mihi quatuordecim clavos ferreos, acutos, ferventes: et septem infigite matri et totidem filio; duos insuper mittite in aures pueri, et perforate auditum ejus, ut cæcatis oculis perveniat dolor usque ad calcaneum ejus. Ministris itaque jussionem Præsidis *g* implentibus, ex jussione Dei frigidi facti sunt clavi quasi cristallus nivis; et puer sanctus laudavit Dominum in tam magnis mirabilibus suis. Tunc Præses iratus dixit ad ministros: Ligate utrosque simul, et mittite in carcerem, quousque cogitemus quomodo perdamus eos. At illi ligantes eos, posuerunt in carcere. Sanctus autem Cyricus *h* psallebat hunc psalmum; Deus

tum ipsius voce magis animatur:

nare puer aceto sinapi et clavis ignitis torquetur:

g

in carcerem adductus psallit:

h

A Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est : locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis : sed tu, Domine, fac mecum propter nomen tuum ut videant qui me oderunt, et confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti et consolatus es me. Vespere vero psallebat dicens : Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum Sacrificium vespertinum.

confundit dæmonem se tentantem,

7 Orante autem eo, apparuit diabolus in Schemate Angeli, et ait ei in somnis. Quid exaltas, puer, vocem tuam in conspectu Domini? Dominus avertit faciem suam ab oratione tua : ideoque jussit me venire ad te, ut dicam tibi ; ut si milites eduxerint te, et Præses tibi aliquid dixerit, consenti ei per omnia et eris amicus *f* Principum et quæ sunt cœlestia lucraberis. Intelligens itaque puer Cyricus artem iniquam iniquissimi diaboli, dixit, Vade maledicte, pirata diabole, quia non est tibi pars aut hæreditas cum Sanctis Dei. Submergat te Christus in altum tartarum, quem aperuisti. Ad hæc verba Diabolus erubescens, exiit dicens, si mihi nunc nocuisti, ingrediar certe in cor Præsidis, et obstruam os ejus ne loquatur tibi : sicque contingat ut non accipias coronam quam desiderasti. Ingrediar etiam matrem tuam, et avertam eam a via veritatis. Sanctus Cyricus dixit : Vade a me sathanas, vincat te omnipotens Dominus. Et statim velut fumus exivit de carcere. Sanctus itaque puer ait matri suæ ; Vigilemus semper, o Carissima mater, ne iterum veniat circumventor iniquus, et dormientibus nobis tollat thesaurum nostrum. Audientes hæc qui erant in carcere cum eis compuncti sunt corde, et crediderunt in Domino.

et multa frustra minatum.

B

D. P. ANNOTATA ET CENSURÆ.

a *Titulus hic erat :* Incipit Passio Sanctorum Cyrici et Julittæ matris ejus, quorum festum colitur Idus Junii : *quæ cum non cadant in diem mensis* 16, *sed* 13 ; Idus *autem* Julii *cadant in* 15, *quibus et passos sanctos etiam Græci, et post illos Petrus de Natalibus dicunt, et nomina inscripta olim Kalendariis erant ; augetur suspicio erroris antiqui, in nominando mense.*

b *Hucbaldus multa hic præmittit de Octaviano Augusto, cujus anno* 42 *natus sit Christus, a quo vigesimus fuerit* Aurelius Alexander, *anno plus minus* 226 *factus Imperator ; et quomodo sub eo Martyrizatus Callixtus Papa, successorem nactus sit Urbanum ; quæ nihil attinet exequi singula.*

C

c *Ita distincte MS. neque satis mihi est compertum, an idem non legerit etiam Hucbaldus. Apud Mombritium nominatur civitas* Hyboniarum, *unde potuit aliquis postea fecisse* Hispaniarum, *at in Claromarescano MS. legitur* Ychoniorum.

d *Quasi non satis multi fuerint ibi Gentiles, quorum liberis nihil erat a Præside timendum : cautius igitur Hucbaldus fingit, nominatim quæsitum* Quiricum *suggerente,* et filium veluti prodente matre, *de ipso solicita.*

e *Quid sit Catomis cædi et quam ea pœna propria sit puerorum, explicat die præcedenti, ad Acta SS. Viti et Modesti, cap.* 1 *litt.* d.

f *Ecce vocem de cœlo, nec enim frequentius quidquam in omnibus sequioris notæ Passionibus, cum in gentenis nihil reperiatur rarius.*

g *Idem matrem cum filio psallentem inducit.*

h *Hucbaldus omnia hæc tormenta prætermittit, ut incredibilia ; similiterque concertationem pueri cum diabolo in carcere.*

i *Iterum hic inculcantur* Principes, *cum solus et absque Collega regnarit Alexander.*

D

EX MSS.

CAPUT II.
Alia S. Cyrici miracula, prorsus paradoxa et incredibilia.

Postera die puer pari constantia utitur,

Postero die Præses fecit eos ante tribunal suum duci, dixitque ad S. Cyricum : Non quæro jam tunc a te, ut sacrifices : sed tantum dic hunc Sermonem, Fumigo te Serapis, et demitto te, et liberaberis a tormentis. S. Cyricus dixit : Nunc vero agnosco quia sathanas pater tuus ingressus est os tuum, sicuti hesterna die ostensum est mihi. Numquam ego dicam sermonem hunc quem persuades, sed dicam potius, Subvertat te tuosque Dominus Jesus Christus. Venit interim Angelus Dei de cœlo, et evertit domum Præsidis, idolorum videlicet pulchritudines et imagines simulacrorum tredecim, comminuens in pulverem. Tunc B. Cyricus ait : Vides nunc Præses quia Dii tui facti sunt velut stercus, nam a facie Dei mei comminuti sunt et ad nihilum redacti. Dominus enim Jesus Christus contrivit eos velut arenam, quia vani sunt et mendaces : et spiritus qui habitat in eis deducit et fallit corda simplicium, qui eos adorant et colunt. Attamen, o Præses, quod dico tibi fac : Accipe Deos tuos, et involve eos linteo mundo et perfunde eos oleo et sale, et permitte eos tam diu jacere donec ipsi surgant et adjuvent se ipsos : nam alios adjuvare non possunt. Fecit ergo Præses *a* juxta vocem pueri : et non erat in eis aliqua substantia, qua se sustollere posset a terra.

idolis fractis insultat,

E

et Præsidem confundit :

a

pro eodem obmutescente loquitur,

9 Confusus itaque Præses dixit, Vocate mihi fabrum ærarium, ut inveniat tormenta contra istos, quibus superentur. Cumque venisset faber ærarius, ingressus est diabolus cor Præsidis, juxta quod locutus fuerat ; et non permisit eum loqui vel aliquid disponere de opere fabrili ; sperans per hæc beatum puerum corona martyrii posse privari. Quod intelligens sanctus puer, dixit ærario : Potes mihi vasa tormentorum facere, in quibus torquear ego, et mater mea? quia Præses nil inde potest tibi ostendere. Ærarius respondit : Dic, puer, quomodo velis, et ego pro posse satisfaciam tibi. S. Cyricus dixit : Fac uncinos ferreos duos ad mensuram palmi, mihi unum et matri unum : fac capitifragium et uncinos ad oculos evellendos, et forfices dentium, et genufragium et nervorum incisiles, et lectum æreum in similitudinem crucis, et ibi configes clavos tres ferreos et tres plumbeos secundum ætatem meam, et scribes in capite eorum ; Trinitas inseparabilis, ne separeris ab invocantibus te. Facies quoque lectulos *b* duos, et ollam æneam ; et pones ibi trullas duas. Hæc erunt nobis vasa tormentorum, et quidquid super hæc nosti fac.

et instrumenta pœnarum componi mandat

F

b

ad horrorem ipsiusmet fabri.

10 Ærarius vero tremefactus ait ad Præsidem, Numquam ego audivi tantam sapientiam ab iis qui fuerunt ante nos, numquam ego audivi vel didici talia facere. Tunc jubente Præside adducti sunt alii peritiores ærarii, qui possent facere prædicta tormenta quæ voluerat, et dederunt manus Præsidi ut infra dies quadraginta explerent jussionem ejus. Interea reclusi sunt in carcere mater cum filio, ubi et alii quadringenti quadraginta quatuor clausi habebantur, qui tamen in prædicatione duorum omnes ad fidem Christi conversi, perseverabant cum eis in jejuniis et orationibus, gratias agentes Deo pro collatis beneficiis per merita sanctorum, et dicentes ; benedictus es Domine, Dominus qui facis mirabilia solus, qui dedisti virtutem puero tuo Cyrico et matri ejus. Adjuva nunc etiam nos, quia credimus in te ; et da nobis de mensa tua cœlestis cibum perennis vitæ.

EX MSS.

c Postea adductis et frustra tortis Sanctis

A 11 Post dies vero quadraginta *c* allata sunt ante conspectum Præsidis tormentorum genera, prout ipse disposuerat de singulis faciendis. Qui draco jussit adduci Sanctos Dei, et dixit ad puerum Cyricum, Noli putare, quia pro ludo exhibita sunt tot genera tormentorum. Sanctus puer respondit : Sine lege et sine sensu pessime belligerator Sathanæ non pertimesco pœnas tuas : habeo enim Dominum meum Jesum Christum adjutorem. Præses ait ministris : Tollite pellem de capitibus eorum, et supponite eis carbones ignis, quo facto, extracti sunt continuo carbones ; et lucebant capita eorum, sicut radius solis lucet supra terram. Eadem hora aperti sunt carceres, et exierunt omnes Christiani qui intro fuerunt reclusi; et venientes ante conspectum Præsidis clamabant dicentes, et nos quoque Christiani sumus, o Præses, sicut et isti. Præses dixit : Quid factum ut ista prosequamini ? responderunt, Nonne vides, insensate, coronas paratas sanctis Dei, quos jubes sine causa torqueri. Hæc et his similia illis prosequentibus, Præses jussit eos extra civitatem duci, et decollari. Qui exeuntes de civitate signaverunt se signo crucis, et decollati coronam martyrii consecuti sunt. *d*

ultro se sistunt

44 a ... in carcere conversi,

et decollantur.

d

S. Cyricus, a craticula liberatus,

B 12 Jussit post hæc Præses afferri lectum æreum, et imponi sanctum puerum supra eum ; clavosque acutos infigi capiti ejus, dicens ad eum si habes Deum certum, liberet te nunc de manibus meis : et statim Angelus Domini de cœlo veniens, extraxit claves qui fuerant infixi, et ad terram usque dejecit Præsidem a loco in quo sedebat. At ille voce magna clamabat, dicens : Puer sancte, adjuva me : nesciebam enim quia Dominus quem tu colis tantæ potentiæ esset. Sanctus puer respondit ; Novi quidem quia non habes credere : sed tamen propter eos qui credituri sunt faciam tecum misericordiam, et mox posuit manum supra eum. Tunc Præses clamavit voce magna et dixit, Gratias ago diis meis, per quos jam nunc liberatus sum. Dicit ei Cyricus, Modo existimas te re te fecisse ? Male dixisti, quia dii tui non liberaverunt te ; sed Deus omnipotens precibus meis salvavit te. Quia igitur ingratus beneficiis Domini, cujus gratia vivis iterum senties plagam flagelli ejus, et iterum tunc rogabis me ut orem pro te.

sanat Præsidem per ursum :

qui rursum conatus aliquid et vulneratus.

13 Iratus autem Præses, eo quod obcæcasset diabolus cor ejus, jussit afferri omnia tormenta quæ parata sunt ut ponerentur in conspectu Sanctorum. Quod cum factum fuisset præcepit Præses cervi-

C fragio guttur pueri strangulari, volens uno momento suffocare, ne ab eo majores injurias pateretur. Accipiens autem in manum Præses ferramentum, cum voluisset strangulare uno ictu puerum, percussit seipsum in faciem, et confregit nares et deturpavit vultum suum, ita ut informis aspectu et habitu videretur. Puer autem Cyricus, videns flagellum Præsidis, dixit ad eum : Malefice et perdite, bene prophetatum est de te, quoniam expugnantes ipsi expugnantur, et ira eorum cadet super eos. Præses dixit, Video quia maleficus es, sed ora Deum ut sanetur facies mea. S. Cyricus dixit, Impie et Dei omnipotentis inimice, non ultra tentabis Dominum per mendacium tuum. Tunc indignatus Præses dixit ministris afferte serras, et secate eos. Fecerunt ergo ministri secundum præceptum Præsidis afferentes serras, ut secarent Martyres Christi per medium. Videbant illi Dominum, et S. Cyricus extendens manus ad cœlum dixit : Domine Dominus omnipotens, libenter quidem parerem in conspectu tuo, sed nec adhuc impleta est plenarie corona mea : quia jam accepi fortitudinem, ut transeam omnes pœnas, sufferens incomparabilem tyrannum, propter voluntatem, qua desidero venire ad te. Et

jubet sanctos serrari per medium ;

D ecce vox de cœlo dicens ; Venite, et accipite virtutem patientiæ, ut confidenter respondeatis.

quod cum ferro ac ligno frustra tentatum esset

14 Iterum ante tribunal Præsidis positæ jam erant serræ supra corpora Sanctorum : sed ex jussione Dei transversatæ sunt, et tenentes eas secabant semetipsos. Sanctus igitur Cyricus ait ad Præsidem : Si vis ut secemur, jube fieri serras ligneas, et tolle a nobis ferreas et secabis nos. Præses dixit : Facite secundum quod locutus est puer. Et fecerunt fieri serras ligneas, et secaverunt eos. Illi autem confortati in brachio virtutis Domini, licet gravissimæ pœnæ subjacerent superari vel extingui minime potuerunt. Tunc Præses centarioni Demetrio dixit : Magnæ artes fortissime adjuvant puerum et matrem ejus. Quidam interim Eusebius nomine, vir nobilissimus, habens causam adversus homines plusquam mille, causavit eos apud præsidem et obtinuit ut occiderentur : orante autem pro eis beato puero Cyrico, descendit Salvator cum Archangelis septem ad locum ubi decollati fuerant, sicut idem beatus puer spiritualibus oculis aspexit, et excitavit eos a mortuis : dansque

et mille mortui suscitati ;

E omnibus Spiritum sanctum, ait ad eos : Ite confidenter ante tribunal Præsidis, et dicite ei, Oportet nos iterum a te occidi.

hæsitante adhuc Præside et aliud signum petente,

15 His ita gestis, omnes illi, una cum sancto puero Cyrico et matre ejus Julitta, venerunt ante conspectum Præsidis, clamantes unanimiter atque dicentes, Unus est verus Dominus, et non alius, qui mortuos resuscitat. Præses itaque præ admiratione nimia in stuporem versus, dixit : Ista omnia, phantasmata sunt : peto tamen aliquod signum a te fieri : ut credam quia hæc omnia vera sunt. Si enim credere debeam quod hi omnes a mortuis resurrexerint, tollantur calceamenta pedum meorum, et fiant viva, loquantur et moveantur, comedant et bibant : et tunc credo quod e mortuis hi omnes resurrexerunt. Tunc Sanctus Cyricus oravit ad Dominum et dixit, Domine Dominus virtutum, qui fecisti cœlum et terram qui sapientia firmasti hominem, et signum dedisti ei vitæ ; da nunc, Domine, signum incorruptibile huic Præsidi, licet duritia mentis obstinato ; ut sciat quia nihil impossibile est ; quatenus nondum intelligentes, intelligant magnalia virtutis tuæ. Hæc et his similia orante puero, aperta sunt repente calceamenta Præsidis, et facta sunt taurus miræ magnitudinis : exivit etiam de cervice tauri hœdus caprarum, et saliens stetit ante Præsidem.

calcei ejus in taurum et hœdum mutantur

F Quod cum videret multitudo Paganorum, clamaverunt una voce dicentes, Justus est Dominus et rectum judicium ejus. Dicit eis Præses, Nolite seduci, carissimi, quia hæc omnia phantasmata sunt. Comedant ergo et bibant, ut credamus quia vera sunt hæc. Sanctus Cyricus dixit; afferatur eis fœnum et aqua ad bibendum. Quæ cum allata fuissent, manducabat taurus et hœdus : et mirati sunt omnes. Præses dixit, Occidite taurum et hœdum, et fiat ex eis prandium populo. Quod cum fieret, undecim millia hominum commanducantes ex iis saturati sunt, et remanserunt quinque cophini pleni carnibus : ut magis miraretur Præses cum populo, et scirent quia Domino non est impossibile [multis] sat facere de modico.

ANNOTATA D. P.

a *Quam stolidum, ut Martyri fingatur obdurat Præses, aliquid ad Deorum suorum contemptum suggerenti, tum hic tum infra aliquoties ubi instrumenta tormentorum ipse Martyr facienda locare et præscribere fingitur.*

b *A num. 5 ad * usque omnia expungenda judicavit*

vit Huchaldus (et merito) et solum meminit moræ, dum tormenta parantur, in carcere ductæ.

c *Idem abstinet a definiendo dierum numero, instructionem neophytorum in carcere fusius prosequitur.*

d *Addit Huchaldus,* pridie Nonas Junii: *quod MS. huic videtur excidisse : nam tali die, ut inter prætermissos diximus, referuntur a Petro de Natalibus aliisque, sed imminuto multum numero, et tamquam apud Iconium passi. Reliqua autem hujus Capitis omnia merito prætermittuntur.*

CAPUT III.

Vacillans ad tormenta mater confortari fingitur, et simul cum filio capite plecti.

Amputata lingua loquitur sanctus.

Impiissimus autem Præses non est compunctus ex omnibus his, sed repletus diabolo vocavit medicum, dicens, Incidite puero linguam : non enim ferre possum [vincere] incantationes et magicas artes ejus. Cumque et hoc factum esset, divina virtute cepit loqui sanctus puer dixitque ad Præsidem : Æstimasti mihi verba posse auferri cum lingua ; sed ego accepi a Deo Spiritum organi, quem nec tu nec pater tuus diabolus extinguere potestis, ut insultem maliciosæ infidelitati tuæ, quia te extollis contra Deum. Præses dixit ministris : Fustibus cædite medicum, quia non recte abscidit linguam pueri, sicut præcepi ei. Medicus dixit, ecce adhuc præ manibus habeo eam : quod si jubes, adducatur porcus, et incido sibi linguam. Qui si ultra vocem emiserit, morti me trade. Adducto ergo porco cum linguam medicus incidisset, vocem ultra emittere non valens, subito expiravit : et sic medicus mortis periculum evasit. Iterum Præses, conversus ad puerum, dixit : Non quæro a te ut sacrifices diis, sed tantum ut de carnibus et de vino quæ in ara sunt gustes, et liberaberis a tormentis. Sanctus Cyricus dixit : non degustem carnes immundas, et vinum diabolo libatum non introeat in os meum.

Immittendus in cacabum ignitæ picis

17 Ait Præses ministris ; afferte carnes Sacrificiorum et vinum libaminum, et aperientes os ejus immittite ei invito. Sanctus Cyricus dixit : Numquam tibi bene sit, inimice Dei et noster, qui sumus servi Christi ex omnibus præcordiis nostris : et Præses dixit afferte cacabum, et mittite in eo picem, ceram, stuppam, et adhibete ignem. Carnifices igitur succendentes cacabum, dixerunt ad Præsidem, Domine jube adduci eos, quos cruciare desideras, quia cacabus jam fervet ubique. Erat enim vox *a* tonitrui, et fervor ejus ascendebat cubitis quatuordecim. Misit ergo Præses, et vocavit viros illos quos Sanctus Cyricus suscitavit a mortuis, ut viderent tormentum illud immanissimum, et pertimescentes abnegarent Christum. Qui venientes exspectabant cum patientia tormenta sanctorum Martyrum, qui mittendi erant in cacabum ferventissimum.

matrem ejus aspectu vacillantem roborat,

18 Julitta autem videns ferventem cacabum expavit, volens abnegare thesaurum, quem habebat repositum, Ne tam grande pateretur tormentum. Quod intelligens filius ejus Cyricus, confortabat eam in fide, et dixit : Domina mater, confortare in Domino, et non timeas tormentum mortis hujus, quia cito tibi aderit corona quam exspectas a Deo. Memor esto quomodo creator omnium et liberator Dominus omnipotens, tres pueros de camino ignis eripuit : nam ita poterit nos de cacabo hoc liberare. Si ergo fugere vis tormenta, quæ sunt in terra, cave ne incidas forsitan in illud tormentum quod æternum est, et quod nullus subterfugere potest, nisi qui hic pro Christo tentatus et probatus, fidelis in omnibus invenitur. Noli, mater, titubare in fide Domini nostri Jesu Christi : ipse enim præsto est omnibus qui pro nomine ejus affliguntur, et non permittit eos tentari et pati supra id quod possunt ferre, quia fidelis est et verax in omnibus promissionibus suis. Ipse liberavit Susannam de falso crimine, et Danielem de lacu leonum. Ipse nunc in præsenti adest, adjuvare et liberare animas nostras de immanitate tormenti hujus : quod si voluerit Dominus accipere animas nostras *b* magano isto, sustinebimus patienter securi quod ad æternam vitam quantocius sine diffidentia veniemus.

EX MSS. oratque pro ea:

b

qui animo resumpto,

19 Hæc et his similia dicens beatus puer levavit manus suas, et dixit ; Domine Jesu Christe, qui misereris omnium te invocantium et confitentium tibi ; miserere matri meæ et revoca mentem ejus ad soliditatem fidei et amoris tui. Quod si oblitus es ejus, et laboris ac devotionis illius, dele etiam me de libro quem scripsisti. Domine Dominus omnipotens, respice eam, et ne perire patiaris ; ne dicant qui te oderunt, Ubi nunc est Dominus eorum, qui fecit mirabilia magna per eos : quod si invocassent Deos nostros, utique liberassent eos. Deus enim eorum deseruit eos, et in necessitate fugit ab eis, qui eos adjuvare non potuit. Sed tu, Domine propitius tende manus, ut non dominetur diabolus in nobis, et dicat, Prævalui adversus eos. Da ergo Domine spiritum intelligentiæ et Sapientiæ ancillæ tuæ matri meæ. Orante autem sancto puero, venit super eam Spiritus sanctus, et diabolus recessit ab ea. Confortata igitur B. Julitta in Domino, ait filio suo Cyrico : Gratias ago tibi, fili, quia orationibus tuis confortavit me Spiritus sanctus in fide Domini mei Jesu Christi. Veni jam nunc, fili, eamus cum fiducia et securitate ad repositum nobis agonem, et suscipiamus coronam justitiæ, quam repromisit Deus diligentibus se : ego enim non amplius timeo tormenta, quæ inferuntur nobis ; non expavesco cacabum bullientem, quoniam qui absconsus erat in me longe recessit a me. Sic Deo favente, respicio cacabum non jam fervorem, sed refrigerium nobis præstantem ; sicut ros qui de cælo descendit, et sicut suavissimus odor qui de paradiso venit.

ipsamet filium invitat ad cacabum.

hic illum cum ea ingressus,

20 Hæc dicens B. Julitta, ingressa sponte in cacabum cum filio, benedixit Deum, et non est contristata ab igne, neque læsa, Sanctus autem Cyricus orabat cum lacrymis, dicens : Domine Jesu Christe qui inter tres pueros in camino ignis ardentis apparuisti ; Esto hic nobiscum, et defende nos ubique, sicut defendisti illos. Peracta vero oratione, tollens de cacabo aquam, aspersit supra præfatos viros, quos a mortuis suscitaverat, qui et astabant, et dixit : fiat vobis hæc aqua in baptismum pœnitentiæ in vitam æternam. Videns hoc Præses, indignatus est, et dixit : Etiam in igne maleficia ejus prævalent, ita ut aspersi madidi fiant. S. Cyricus dixit Hoc maleficium non est, sed virtus et omnipotentia Dei. Intingens autem S. Cyricus tres digitos suos in cacabum, pertudit brachium Præsidis : et statim ustulavit brachium Præsidis, et totum corpus ejus ardere cœpit, et nihil ex eo nisi ossa remansit. Tunc Præses, compulsus hoc tormento, clamavit et dixit : sancte Dei, adjuva me : nunc enim vere cognovi, quia verum Deum habes adjutorem et defensorem : solum hoc superest, ut si sanaveris me, statim credam in te. Cui S. Cyricus dixit ; Scio quia credere non habes, in quo nulla voluntas religionis est : sed propter eos qui per virtutem Domini mei Jesu Christi credituri sunt in eum, ecce nunc sano te. Et oravit ad Dominum, et dixit ; Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, sana corpus Præsidis ; non propter eum, sed propter illos qui tua virtute commoniti credere habent in te.

baptizat inde mille resuscitatos,

Præsidem vero adurit,

ac rursum sanat.

EX MSS.

A 21 Cumque sanatus fuisset Præses, cœpit clamare dicens. Gratias ago diis meis, qui sanaverunt corpus meum. Sanctus vero Cyricus dixit : Maledicte et insensate fili Diaboli, quare prius dæmones non invocasti cum arderes? et modo, postquam a Deo meo sanatus es, quare dæmones honoras? nemo enim potest duobus Dominis servire : aut unum odiet et alterum diliget; aut uni adhærebit et alterum contemnet : sic et tu non poteris uno ore invocare Dominum et Diabolum. Tu facis sicut Judæi qui derelinquentes Deum, idola adoraverunt. Dicit ei impiissimus Præses : Ego Deos laudo per quos liberatus sum de magicis artibus tuis. Fuit autem forte tunc Præses in loco quodam, ubi invenit grande saxum, quod vix septuaginta viri movere poterant, quod statim, diabolica cogitatione raptus jussit sculpi, et sanctos martyres imponi usque ad verticem eorum : ut cum perfunderentur plumbo et ære fervente, saxum præ nimia soliditate non rumperetur. Cumque per medium fervorem traherentur, ut membratim consumi potuissent, Angelus Domini veniens de cœlo liberavit eos, saxo penitus disrupto, et ignis fervore consumpto.

Is ad nova tormenta procedens frustra

B 22 Videns hoc Præses indignatus est, et dixit, Nisi istos interfecero gladio, non possum eos perdere aliis tormentis. Hæc dicens dedit sententiam de eis ut capite plecterentur. Veniens autem S. Cyricus cum matre sua ad locum ubi decollandi erant, oravit cum lacrymis, ut Deus omnipotens mitteret Angelos suos, ad suscipiendas animas eorum. Descendit itaque Salvator cum Angelis suis ad orationem eorum, et stabant circa illos. Sanctus itaque Cyricus, videns Salvatorem cum Angelorum multitudine venientem ad se, prostravit se in orationem, et oravit ad Dominum, et dixit : Domine Deus meus Jesu Christe, fili Dei vivi, quod oro te præsta mihi; aut si non exaudieris me, dele me de libro quem scripsisti. Respondit Salvator et dixit : Pete quod vis, et dabo tibi. Domine ait, oro, ut quicumque in nomine meo quidquam petierint, impetrent pro necessitatibus misericordiæ tuæ dona, et consolationem vitæ. Da eis, Domine mercedem qui me in hac vita honorificaverint de sua substantia, vel a fructu terræ ipsorum ; benedicas vinum, et oleum atque frumentum ipsorum multiplices et omnem substantiam dilates : Quicumque coluerit vel scribi fecerit passionem meam, vitæ æternæ recipiat mercedem. In locum autem ubi fuerit tabernaculum martyrii, non veniat grando neque mortalitas hominum, nec fames nec sterilitas, et dæmonum incursus : et qui coluerit vel invocaverit meum etiam nomine meo, da eis mercedem bonam, et si habuerint peccata, et ex toto corde pœnituerint, absolvantur.

c
tandem capite plecti jubet sanctos :

quibus ad locum supplicii ductis

orat Cyricus pro se cultoris :

C 23 Completa autem oratione, ait Salvator : Fili, omnia quæ petisti dabuntur tibi. Sanctus es, qui in hora passionis tuæ omnium hominum necessitatibus condoluisti. Veni, dilecte mi, percipe coronam quam præparavi tibi in regno Patris mei. Hora autem erat noctis quasi Sexta : et fuit lux maxima supra illos, quam non alius vidit nisi hi qui per eos crediderant, quorum maxima multitudo ibi aderat. Complevit itaque sanctus Cyricus martyrium suum, una cum matre sua Julitta, nocte media : et decollatus, coronatus est de manu Salvatoris die Idem Junii; et ab Angelis ad requiem vitæ æternæ perlatus est. Altera die, congregavit impius Præses multitudinem militum, jussitque corpora membratim dispergi, ne a Christianis raperentur. Angelus vero Domini custodiebat corpora eorum. Passi sunt etiam cum beato puero et matre ejus homines qui, ut præfati sumus, per ejus orationem a mortuis resuscitati sunt, numero plus quam mille, qui a Christo palmam vitæ æternæ, sub eodem tempore et ab eodem impio judice decollati, perceperunt.

et mortem subit 13 Junii,

cum aliis plus quam 1000.

D 24 Pro nobis igitur, qui ejus memoriam colimus oret beatus Cyricus, puus puer et gloriosus martyr; et semper stet ad dextram Domini, jugi supplicatione interpellans pro nobis Dominum omnipotentem, ut et nos ad requiem vitæ æternæ pervenire mereamur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, per omnia secula seculorum. Amen.

Invocatur ab Auctore.

ANNOTATA D. P.

a *Hæc ineptissimæ hyperbolæ similis est illa, quæ supra num. 6 clavi igniti acuti facti* frigidi, sicut crystallus nivis. *Sed et hæc et reliqua Capitis hujus transilit Hucbaldus, usque ad num. 22 ; solumque dicit quod sancti,* posteaquam passionibus suis et Cruciatibus frequenter glorificaverunt Deum, dum de vinculis ad tribunalia, de tribunali revocantur ad vincula ; inter horrifica et exquisitissima tormentorum genera, vicissim sibi succedentia, cum pretiosa Christi Martyrum membra variis distenderentur cruciatibus, consolatione semper cœlesti a cunctis eruebantur tribulationibus.

b Magonarium, *a e* [illegible] *dicta quod* Machina. *Istud autem sæpius recurrere* in Passione S. Lupercii *notat Cangius in Glossario. Ego aliis etiam legisse aliquoties memini.* S. Lupercium *vero hic eo libentius nominavi, quod ejus acta* [illegible] *nobis tandem* [illegible] *possit eruditissimus amicus. Bene pro nobis contulerit, quis cumque latentem thesaurum indicaverit.*

E

c *Hic ad orationem rursus redit Hucbaldus, et cum Hucbaldo Philippus, quasi Hucbaldi scriptum stylo solum stylo transferens. Quæ autem illi omiserunt, non est opus prolixiori censura singulatim persequi, cum ea retulisse censurasse sit : tam manifesta tamque inconcinna ubique apparet fingendi protervia.*

TRANSLATIO S. CYRICI

Ad Elnonense S. Amandi monasterium Auctore Philippo Abbate Bonæ-spei Ordinis Præmonstratensis in Hannonia.

Ex Operibus editis et duplici MS.

Laudemus viros gloriosos et patres nostros in generatione sua, quibus multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua. Olim in loco Elnonensis monasterii, ubi sanctus Amandus corpore quiescit, divitiæ salutis, hoc est, sapientia et scientia affatim exuberaverunt: atque odorem suum quaquaversum diffuderant : ita ut inde multi haurirent, unde suis potum *a* porrigerent. Verum quia scientia inflat, caritas vero ædificat ; per inflationem scientiæ, visa est sapiens caritas, et cara sapientia eo loci rarescere, sicut in consequentibus erit videre. Denique inibi vigebat studio quisquam sapiens, nomine *b* Milo ; qui sub aliis scholarium nepotem suum fovebat Hucbaldum, liberalium artium emolumento. Assecla nempe, ut ingenii sui caperet experimentum, composuit de S. Andrea modulamen Antiphonarum : sed et quarumdam Laudum, habentium, Quæ vere pia laus, initium. Quod ubi didascalus vix tandem agnovit, graviter tulit, atque ei scholarum aditum denegavit, conquerens eum velle, super se nomen usurpare Philosophi. Et quia locus tunc temporis carebat *c* Abbate : accedens ad Priorem, nimiæ discipulum infamat arrogantiæ : protestatusque est, se et illum, nequaquam posse in eodem habitaculo degere. Ille accersens Hucbaldum, rogavit majori cedere ; donec mitigata ejus animositate, quæ tunc recens

F
Ex Abbatia Elnonensi,

a

b
Milonis nepos Hucbaldus

c

A recens fervebat, ad locum repedaret proprium cum pace. Cujus acquiescens consilio urbem expetiit Nivernensem : quam quidem fundaverat *d* Nivo.

d
e

2 Ubi cum moraretur cum Episcopo *e*, ita ejus hæsit contubernio, ut comes ipsius fieret in omni negotio. Nam idem Pontifex eum sic accivit familiarem; ut suam ei crederet supellectilem. Et quia Antistes educendæ pubertatis incrementum acceperat Rhemis; jussit eum modulatorem fieri, super historia *f* B. Ciliniæ S. Remigii matris. Habebat autem supradictus Pontifex secum inter secreta ministeria, corpus S. Cyrici, pueri infantis et magni Martyris. Accidit vero ut fatigaretur Præsul acri dolore corporis, ac mortis periculum sibi sentiret adesse. Tunc advocans Hucbaldum, hoc tali modo alloquitur amicum : Gravissimæ invaletudinis infantium affligor tædio, ut intelligam me posse nullius medelæ juvari adminiculo, neque levari remedio. Quocirca, Frater amantissime, quia meis usibus hactenus te devote novi deservisse, nolo nunc ingratum dimittere. Quia ergo mea omnia tibi sunt notitia, pande quid habeam, unde tibi fieri valeat recompensatio digna. Quod audiens Hucbaldus, respondit Episcopo, jam hilarior factus : Unum est,

f
ubi jussus scribere de Sancta Cilinia,

B Domine Pater, in tua possessione, quod si mihi contingat habere, magnipendam devotionem servitutis meæ. Quantitatem auri vel argenti minime quæro, aut ceterorum hujusmodi : sed tantum corpus S. Cyrici. Hoc audito Episcopus vultu subtristi respondit Hucbaldo : Excedit quidem modum tua petitio : tamen ne videar velle fraudare te promisso, discede quantocius arrepto Corpore sancto. Tum ille asportans clam Martyris ossa, in sitarciis suis reposuit, fidem furto sagaciter adjungens in lustrum; scilicet ut tam manibus tutioris curæ, inter mundana minime quæreretur vasa.

S. Cyrici corpus sibi ab Episcopo petit ;

eoque connivente aufert ;

3 Interim Clerici et famuli, diversis negotiis occupati, postquam didicerunt Hucbaldum abscessisse, cœperunt mutuo loqui, ne quod detrimentum reliquerit post se : quippe cui cura rei familiaris credita fuerat a Pontifice. Tandem illo jam longius progrediente ab urbe, confabulantes ad locum pervenerunt, ubi Martyris corpus conservari arbitrabantur. Quo non invento, animadverterunt se sub dole præventos familiari damno. Quid multis morer? Illo fugam accelerante, isti fugientem prosequi maturavere. Respiciens autem Hucbaldus, ubi se circumventum ab hostibus vidit, silvam contra se positam penetrans, ab equo descendit ; genua flexit,

C orationem fudit, votum etiam vovit : quod si se perferri sanctus Martyr, Christo auxiliante, permitteret ad cœnobium Elnonense ; in medio templi atrio locatus, singulariter veneraretur a plebe. Moxque conscendens equum ; juxta vellet suum, est saltum transmeat ipsum. Illi vero, ut nec vestigia ejus reperire potuerint, per silvam errantes, redierunt, eum alio iter habere conjicientes.

4 At ille, gavisus se cum thesauro illo cœlesti evasisse, pergebat, ad monasterium usque properans Elnonense. Igitur nocte quæ diem præcedebat, quando ingressurus esset S. Amandi oratorium : apparuit ipse S. Amandus cuidam Monacho clinico in domo infirmorum, cui paralysis dissolverat compages membrorum : et digito tangens ejus vitalia pectoris, Surge ait, incolumis : atque hoc signo commone Fratres, ut præparent se ad obviandum Hucbaldo cum crucibus et cereis, afferenti corpus S. Cyrici Martyris. Qui parens jubentis mandato, interfuit processioni, haud sine stupore cernentium præmaximo. Tum vero Hucbaldus, sui memor voti, accelerans artifices lignorum, fecit in media templi testudine congruum pro posse habitaculum construi, quo locarentur sancti ossa. Quod cum omni factum

Elnonenses miraculo moniti,

est velocitate, ac eo sanctæ positæ sunt Reliquiæ. Quare ædificatum est ibi altare : coram quo incubans crebro Hucbaldus, devotis interpellabat Martyrem precibus : unde contigit ei quoddam præsagium, quod nequaquam silentio duximus comprimendum.

D

ex MSS illud pie excipiunt

5 Cujusdam denique noctis conticinio, quiescente ipso cum Fratribus, adest in visu ei S. Cyricus, a quo tali alloquio perterrefactus : Noveris vitæ tuæ cursum in brevi terminandum ; scilicet hoc anno, die quinto post passionis meæ triumphum. Quære ergo antequam de cœlestis curiæ Primatibus, qui tibi exstat apud Judicem districtum consulens. Statim Hucbaldus somno excitus, minime adhibuit fidem visioni ; nisi rem a Deo dispararet prostratus sancto Martyri. Nam veniens ad ecclesiam, ante altare ejus solito stratus humo, devote supplicavit, flendo, quatenus utrum esset vera visio an phantasmatis illusio, certius revelaretur, ipsius interventu. Cumque oraret attentius, surrepsit ei somnus : et ecce Sanctum sibi astare intuetur oculis intellectualibus atque iterare quæ dixerat verbis amicabilibus : Ne ambigas, inquit, super his quæ dixi : sed quia te hactenus in multorum memoria Sanctorum exercuisti, priusquam ante praesentem ista vita decedas, satage in ecclesia per te plus solito fieri commemorationem cœlestis Clavigeri. Ad hæc ille expergefactus sustinuit, donec Fratrum fieret conventus : et tunc cum satisfactione, quæ viderat, quæque audierat, notificavit omnibus.

ipse brevi se moriturum intelligit ;

E

jubetur que S. Petri Officium componere,

6 Licet vero quodam affligeretur tædio animi, quippe qui crederet sibi diem extremum imminere, conditione communi ; de historia S. Petri cœpit ut assuetus ab infantia dulce modulari : In plateis, dicens ponebantur infirmi. Cui cum proximus foret dies, quo didicerat hinc migraturum se : cœpit languentibus membris, viribus corporis deficere. Perveniens quoque, ut ita dixerim usque ad portas mortis, accepit Viaticum Dominici corporis et sacræ Unctionis : atque nonagenarius circiter annorum, sub anno Domini nongentesimo tricesimo, die Dominico, duodecimo *g* Calendas Julii decumbebat ; quemadmodum audierat in somnis. Fratres autem, cernentes visionem prædictam nullatenus cassari : sed, veluti auribus hauserant, consequenter rata fieri, jam quieta mente tenuerunt ante diem de præsentia Sancti, ducti prudentia ipsi et omnes alii extulerunt se in laudes Dei. Verum quia deerat ipsis, unde decorarent mausoleum tanti Martyris, tabescebant utique animis.

coque facto obit anno 930.

g

F

7 Processu vero temporis, successoribus eorum sese ammonita est super hoc clementia Salvatoris. Matrona nobilis ac prœpotens, Susanna videlicet *h* Regina, lectitans decenti gratia ceteris rationibus condignam habere thecam tanti Martyris ossa ; cœpit cogitationibus fluctuare intra suorum interiorum secreta, quo pacto corrigere valeret, quæ circa ipsum erant hactenus neglecta. Tandem igitur animo roborata, non distulit admovere artificium, nec non et cæmentariorum molimina : de Elnoneo per Monachos auri et argenti plurima, deauratis formis opere anaglypho, feretrum tabulasque celatas aliaris, ac desuper ipsius passionis gesta : sed et in circuitu decenter distingui, purpura atque nigro, admodum speciosæ amœna : quod adhibere industria insistentes sagaci, mirifice manciparunt effectui. Hoc autem opus, omni dignum admiratione, perseveravit usque ad concremationem ecclesiæ. Non ergo pigeat, Fratres frequentare memoriam ipsius, ad quos sponte sua tantus perlatus est thesaurus : quoniam ut ante nos dictum est, laus quæ de membris dicitur, ad caput referri non dubitatur. Ita denuo præsenti illius suffragio liberabuntur veneratores ejus

h

S. Cyrici feretrum fabricatur.

ejus ab omni malo, largiente rege superno : qui vires ad toleranda tormentorum acerba suppleverat ipsi tenello, atque facundiam suggesserat infantulo, quo intercedente liberet nos quæsumus ab omni hoste, qui cum Spiritu sancto regnat Deus, in Patris majestate. Amen.

ANNOTATA D. P.

a *Hinc illud in Monasteriologia MS. Prioris Aquicinctini tom. 8 parte 1 fol. 218, de etruæ* Elnonem concurritur ergo. Undique

Mitis en gemini Rex quoque Calve tuis
Quos sacra posteritas primo in flore, Pipinus
Unus erat dictus, Drogo sed alter erat.
Et in eorum honorem stat Epitaphium.
Quisquis videns nostras sculptis cordis figuras,
Aspice quam subito deficit orbis honor.
Rege satis stirpis, omnes qui nomine duxit
De Magno Magnus, de Carolo Carolus.
Non licuit totum vitæ complecti annum,
Sed rapuit nostras debita mors animas.
Si genitor nostrum ... vivere ... ;
Rex, nostros obitus ne doleas, petimus.
Terris sublati, placide regnare ... ,
Cum Sanctis requie perpetuo fruimur.
Vos nostri memores fideles este parentes :
Hoc Pipinus ego posco, simulque Drogo.
Hi, si recte intelligam, ... fratres ... obiisse; ... faciet ... causa, cujus nondum capax ... erat, sed ... Pipino ... quia eorum Frater Carlomannus *illorum Abbatis Elnonensis ... post ... Abbatem* XXIV, *... ad ... Episcopatum. Sed cujus Sedis? ... fatentur Elnonenses. Ratio temporum mihi suadet, Ultrajectinum Archiepiscopum factum, qui ab anno* 838 *ad* 845 *... quod alias nomen* Alfridi *nusquam inter Episcopos occurrit.*

b *De hoc* Milone *ejusque scriptis, pluribus egit Henschenius, ante Acta S. Amandi 6 Febr. num.* 125 *et seqq. Hic, ex Monasteriologia jam dicta, Epitaphium ejus accipe.*

Milo, Poeta, Sophus, cubat hoc sub marmore [clausus ;]
Carmine dulcisono qui librum sobrietatis
Edidit, et Sanctum pulchre depinxit Amandum ;
Floribus exornans, metro prosaque venustans
Tanti Pontificis palmam, caput, atque coronam.
Dicitur obiisse anno 871.

c *Qui scilicet præsens regebat ; nam* Alfridus *quidem ad Archiepiscopatum promotus erat.* Carlomannus *vero, cujus tempore ... res acta videtur, vixit quidem usque ad an.* 873 *vel ut alii* 886 *, sed ... patris ... nusquam minus erat quam in sua Abbatia ; ubi tamen sepulturam obtinuit, Epternaco translatus ab Hucbaldo præfato : quemadmodum intelligitur ex his quæ ibidem de utroque leguntur versibus.*

Auspice cœnobiis patre Carlomannus adauctus
Pluribus, ad Scarpæ jus quoque duxit aquas :
Plurima qui claustris, patrio indulgente favore,
Munera largitur, Cæsare digna patre.
Exhaustus bello genitor, quæ vertere sævi
Martis in expensas, dum repetita parat :
Filius obsistit, fera suscitat arma parenti,
Hostibus et patriis additur ille comes.
Devictus bello capitur; victumque teneri
Sylvanectensi Cæsar in urbe jubet.
Candenti et gemino mulctatum lumine ferro
Privari radiis, lucide Phœbe, tuis.
Tempore propitio quo Hucbaldus Apolline Cal- [vus]
Elnonis illatum composuitque loco.
Hic aliquando sacram somno correptus ad aram,
Edidicit tempus funeris ipse sui.
Busta tenet, patrui tumulo conjuncta Milonis,
Qua sacra colitur claviger æde Petrus.
Hinc etiam istud utrique commune :
Philosophi simul hic pausant celebresque Magi- [stri,]
Ecclesiæ nostræ flores, per secula clari :
Alter discipulus fuerat, didascalus alter.
Quæ alio ... facile reperienda hic congerere placuit occasione Hucbaldi.

d *Fabulam sapit hic* Nivo : *magis placet a* Nivori *flumine cognominatum* Nivernum *ducere, alias etiam* Nividunum.

e *Ut ... est ex mole notatis in epitaphio nostro ... annum translationis, ita et nomen Episcopi : nam folio quidem* 219 *legitur* Translatio S. Cyrici et Julittæ in ecclesiam nostram, per eumdem Hucbaldum facta est ab Ecclesia Nivernensi anno 800 ; *nec ... adhibenda correctio, nulla ... placet ... quam* 860, *ut vivente adhuc patruo Elnonem Hucbaldus venerit ; et sic ... Episcopatus* Herimanus, *ab anno* 849 *usque ad* 862 *ex ... monumentis notus. Ast fol.* 220 *... ita scripsit :* Transfertur S. Cyrici corpus a Nivernis Elnonem 830 : *sed ... mendum, probat, quod mox additur* Obiit Hucbald. an. 930 *... confirmet ...*

f S. *Cyrici ... solam ... monasterio ...* 21 *Oct. ab Reliquiis ejus ... Ejus Vitam pulchro carmine celebrasse dicitur Hucbaldus, apud Marlotum hist. Rem. lib.* 4 *cap.* 4. *... optamus ... Interim non ... quo fundamento idem Marlotus dicat, quod Hucbaldus Nivernis ... Philosophiam cum fama sui nominis est professus, in restitutis sub Fulcone Archiepiscopo scholis. Primo apud Bertinianos Monachum fuisse quod idem ait : facile crediderim, cum Elnone advenam fuisse ex dictis appareat.*

g *Conveniunt characteres, quia annus* 930 *habuit litteram Dominic. C.*

h *Chronicon Amandinum, ubi de* Werico *Abbate* XXXI : Eo tempore Susanna Regina manens ante cœnobium nostrum, in palatio Regum Franciæ, Mauritaniam, Castellum Bricillum, et Felinas cum appendiciis tenuit ; sicque de jure S. Amandi in manum Comitis Flandriæ transiit. Obiit autem Susanna Regina anno 1004, quæ in auro et argento magnifice exornavit feretrum S. Cyrici. *Quod : Chronologus Amandinus hisce versibus illustravit*

Illius *(Werici)* illustrat variis virtutibus ævum,
Regalis consors clara Susanna thori.
Orba viro, sed sub tecta locavit Amandi
Prædia, ducta sacri religione loci :
Quem variis cumulat donis, monumentaque pro- [fert]
Sinceræ mentis religiosa suæ.
Excultam Pario tabulam tibi, Cyrice saxo,
Martyrii pœnam quæ seriemque refert.
Additur in Margine fuisse Roberti Regis Francorum uxor *sed hic ... quam contra fas duxerat Bertha, an.* 999 *sumpsit Constantiam, Comitis Arelatensis filiam, cum qua vixit quoad obiit an.* 1031 *: intelligenda igitur, Arnulfi Junioris Flandriæ comitis uxor, quæ ei Balduinum Barbatum peperit, et mortuo sub an.* 988 *supervixit ;* Regina *dicta, quia erat filia* Berengarii Regis Italiæ, *juxta Vredium, in Genealogia Comitum Flandriæ.*

i Lambertus, qui et Fulcardus, Abbas eligitur an. 1065. Sui regiminis anno secundo, incendio vastatur ecclesia nostra cum ædificiis tertio Idus Febr. Sabbato die, *adeoque an.* 1067 *habente litt. Dom.*

A *Dom. A* : quæ ecclesia auro et argento varioque decore tabularum Pario marmore interius decenter ornata, exterius plumbeis tabulis tecta, dum vastissimo undique flagraret incendio, campanæ numero sedecim nullo impediente simul insonuerunt : donec fundendo in pulverem redactæ sunt : cum quo omne claustrum, etiam SS. Petri et Pauli et S. Andreæ ecclesiæ, a S. Amando constructæ, combustæ sunt. *Vide Miracula S. Amandi, quæ occasione per Franciam circumlati, a Gilberto Monacho descripta cap.* 1. *Ab hoc eam cladem prolixiori Carmine descriptam fuisse Amandinus Poeta testatur cum ipsam sic explicans.*

Imperio succedit annis Fulcardus honesti,
Humida qui mœstis fletibus ora gerit ;
Ob sacras rapidis violatas ignibus ædes,
Ustaque fortuita claustra domumque face.
Contigit hic quædam memori res digna relatu,
Carminis officio nec reticenda mei.
Cum turrim horrendo grassatrix turbine flamma
Corriperet, templi depopulata decus ;
Nullius acta manu, nec sævis excita ventis
Æra, simul solo per onnere loco.
Nec fecere modum mœsto clangore crepandi,
Excidii sortem plangere visa sui ;
In tenuem donec liquefacta abiere favillam,
Non intermissis igne furente modis.
Susceptam querulo Guilbertus carmine cladem,
Concelebrat, mœstis prosequiturque modis.

D EX MSS.

Quod opus videtur intercidisse.

DE SANCTIS CYRIACO, VALERIA,

MARCIA, DIOGENE, ET MICA

MARTYRIBUS IN AFRICA

B G. H.

Ex Martyrologio Hieronymiano et aliis antiquis.

XVI JUNII E

Antiqua Martyrologia Hieronymiani apographa circa XI, ab his Sanctis auspicantur : de quibus in vetustissimo Epternacensi ita legitur, XVI Kalendas Julii. In Africa, Cyriaci, Valeriæ, Marciæ, Diogenis, Micæ. *At, primo omisso, reliqui in aliis tribus apographis Lucensi, Corbeiensi, et Blumiano hoc ordine proponuntur* : In Africa Diogenis, Micæ, Valeriæ, Marciæ. *In MS. Barberino tres ita referuntur* : In Africa natalis SS. Diogenis, Valeriæ, Marciæ, *MS. Aquisgranense habet* : In Africa Quiriaci, Valeriæ, Marciæ, Diogenis. *MSS. Richenoviense et Rinnoviense* : In Africa Quiriaci, Valeriæ. *MS. Ascetrii monasterii S. Laurentii apud Leodium et MS. Florarium.* In Africa natale SS. Diogenis et Valeriæ, *Solius* Diogenis *memoria celebratur in MSS. Florentinis Magni Ducis et Senatoris Strozzii, item in MSS. Augustano S. Udalrici, Bruxellensi S. Gudilæ, Parisiensi Labbei, Gellonensi S. Guilielmi de Deserto, atque alio S. Galli in Helvetia.*

DE SANCTIS SATURNINO ET CENDENO

MARTYRIBUS MESSANÆ IN SICILIA

Ex iisdem antiquioribus Martyrologiis.

XVI JUNII G. H.

C *Hoc par Martyrum secundo loco celebratur in præcitatis quatuor antiquis Martyrologii Hieronymiani apographis, et in vetustissimo Epternacensi his verbis* : In Sicilia civitate Misana, Saturnini, Cendini. *In apographis Lucensi et Blumiano.* In Sicilia, Saturnini, Cendeni. *In Corbeiensi Parisiis excuso* : In Sicilia civitate, Saturnini, Cendei. *At MS. Richnoviense in Suevia ita habet*, Sicilia civitate Messena, Saturnini, Cendeni. *In MS. Rhinoviensi omittitur* Cendenus, *at reliqua cum præcedenti conveniunt. Palestra vero omissa, memoria* Saturnini *habetur in MSS. Florentinis Magni Ducis et Senatoris Strozzii. Item in MSS. Aquisgranensi, Augustano Gellonensi et Parisiensi.* F

DE SANCTIS VIRGINIBUS ET MARTYRIBUS

ACTINEA ET GRÆCINIANA

VOLATERRÆ IN HETRURIA

COMMENTARIUS HISTORICUS.

G. H.

De earum cultu, Reliquiarumque inventione, translationibus, et inspectionibus variis.

SUB DIOCLET. EX MAX.

Egimus die V Junii de SS. Justo et Clemente Patronis urbis Volaterranæ, et initium duximus a Commentario nobis ab ipsis Volaterranis de Sanctis hisce submisso : ex quo nunc pergimus memoriam et cultum prætitulatarum harum Sanctarum illustrare incipientes ab inventione, conjuncta cum inventione dicti S. Clementis : quæ refertur hoc modo.

Acta ex Commentario submisso.

2 Anno MXL, corpus S. Clementis Monachi Camaldulenses monasterii SS. Justi et Clementis requirentes, in antiquo ejus tumulo invenerunt. Sed altius terram effodientes, prope murum repererunt lapidem,

Anno 1140 repertis casu nominibus,

lapidem, in quo insculptæ litteræ legebantur SS. Actineam et Græcinianam esse in eodem loco sepultas. Nomina tantum legi potuerunt : reliqua vero inscriptionis elementa, tempore et uligine corrosa, quamvis ad eorum indaginem quisque latentis acuminis attendisset nulla tamen propter absumptos litterarum apices legere datum est. Hoc minus potuit haberi certa cognitio ipsius loci, in quo Sanctarum corpora condita jacerent. Monachi, ergo cum ibi multos dies frustra laborando requisissent;

per revelationem reperiuntur et corpora,

Deus quædam Vulterranum, vitæ integrum et multa devotione virum, in somnis admonuit de ipso loco, ubi Sanctarum Reliquiæ delitescerent : in quo cum sub muro Boream versus terram effoderent, unum corpus ab altero non longe cum lamina plumbea, in qua hæc erat insculpta inscriptio, invenerunt : HIC DORMIUNT, ACTINEA ET GRÆCINIANA, TEMPORE DIOCLETIANI MAXIMIANI PASSÆ.

3 Quidam item dæmone obsessus, cum ad Sanctarum Reliquias divina operante virtute, invitus, traheretur ; a se prolatis, … delatum, atque carnificum animos in Virgines, quæ semper constantissimæ fuerunt, irritatos fuisse, … est : et alteram, diversos post cruciatus, abscisso capite, ad Martyrii palmam evolasse ; alteram plurimis jaculis transfixam ictibus, ad duplex Virginitatis et passionis præmium pervenisse aperuit. Quod monachi in Sanctorum corporibus … remanentes … Actineæ cervicibus, trajectionem vero jaculi in Græcinianæ … invenerunt : hujus rei fama celeriter divulgata, Adimarus Episcopus, cum Clero, Magistratibus et Vulterrano populo, a Divi Justi Ecclesia in S. Salvatoris Abbatiæ S. Justi templum, solemni pompa … Sanctarum Reliquias, transferendas curavit ; quas XVI die Junii, sub majori altari, honorifice conditas, collocarunt. Quæ dies a Vulterranis, Innocentii secundi diplomate, festiva habetur, et solemni ritu in earum honorem officium celebratur. Quod totum referunt in prædictarum Sanctarum Lectionibus et hymno, quos ex Leonis X præcepto Vulterrana recitat Ecclesia et memoriales Abbatiæ libri, idem Dominus Augustinus Fortunius in S. Justi Vita, omnesque alii recentiores testantur.

et dæmon genus martyrii indicat ;

translata feruntur illa 16. Junii

quo coluntur,

4 Verumtamen ex ipsius urnæ S. Clementis inscriptione evidentissime constat, hos ultimos Auctores circa tempus erravisse. Quemadmodum divi Clementis corpus fuit a Monachis inventum ibique repositum anno MCXL : Reliquiæ vero Sanctarum, in S. Clementis corpore pergameno, fuerunt ab illis repertæ ; igitur ipsæ quoque anno MCXL detectæ fuerunt. Neque obstat diploma, quo Innocentius Papa earum festum mandavit celebrandum : quia cum revulsum sigilli plumbum deperdisset, nosci minime potest an fuerit Innocentius tertius : sed potius credendum est, hunc fuisse Innocentium secundum, qui anno MCXL sedebat.... Ex quo satis apparet Raphaelem Volaterranum temporis certitudinem assecutum non fuisse, neque sub quo Innocentio fuerit harum Virginum Martyrum ossa reperta : forsan quia ipsum prælatæ urnæ inscriptio latuerat. Ergo corpora Sanctarum sub Innocentio secundo anno prædicto MCXL, non autem MCC nec MCXC, ut plurimi asseruere, fuerunt inventa.

tempore Innocentii II,

non Tertii

5 Postea ab Abbate Justo Bonvicinio, anno MCCCCXCII, item anno MDLXXII ab Abbate Philippo Francesino in præsentia Cleri et Magistratuum Vulterranorum, pariter ab Episcopo Luca Alamannio anno MDC, retecta et recognita fuerunt : cui agnitioni duo e publico civitatis Concilio deputati interfuerunt, *prout in publicis Diariis sibi visis lectisque constare profitetur mox nominandus Notarius : qui novissimæ recognitionis Actis inserit verba inscriptionis,*

ac P. recognita an 1494 et 1600

tunc inventæ in marmore, quod manet insertum pavimento Chori a parte posteriori altaris majoris hoc tenore : Hic intra reservantur Reliquiæ SS. Actinæ et Græcinianæ, passæ in undecima persecutione, sub Diocletiano et Maximiano Imperatoribus, et (ut creditur) sub Marcellino summo Pontifice. Latuerunt in ecclesia SS. Justi et Clementis annis circiter 384, inventæ postmodum sub Innocentio Tertio, et translatæ fuerunt ad hanc S. Salvatoris ecclesiam, cum Stat. quotid. mem. artic. et hæc Samuel anno 1600. *Hic autem in … errores arguit Commentator* non tantum in tempore inventionis, *nominando Innocentium Tertium, pro secundo ;* sed etiam in asserendo, has Reliquias CCCLXXXIV annis in ecclesia SS. Justi et Clementis latuisse ; cum constet ab Imperio Diocletiani, ad annum MCXL, centum annos amplius quam MCXXXV fuisse decursos. *Veram non vidit Commentator sensum inscriptionis ….* *Non enim illa dicit sepultas … corpora latuisse, sed …* in ecclesia SS. Justi et Clementis : *atqui hæc … condita est seculo* VI vel VII, *cum Martyrum Corpora e tempore … certe … essent aut … condita super eam … propria de qua infra, … illuc, ubi … annum MCXL, … Cum … sub Innocentio III inventas … Samuel, id est post initium anni* MCXCVIII *quo ille est ordinatus ; consequens solum fit, … Translationem … posteriorem … dicantur … circa annum* DCCXVI *… Samuelis … fuisse aliunde … Si autem, sicut Florentia, sic et Volaterræ … destructæ … asserit Joannes Villanius Hist. Florent. lib.* 2 *cap.* 3, *factum … concipere possumus, destructam quæ tunc erat Sanctarum ecclesiam, … annis delituisse Sanctas, priusquam ad SS. Justi et Clementis ecclesiam transferrentur. Atque his omnibus consentit Æmilius … in Memoriis Volaterranis MSS. quas ad initium seculi* XVII *perductas, et elegantissimo charactere transcriptas jam pridem nuper Romæ accepimus Italica lingua : ultra quas nihil invenimus usque ad novissimam Sacrorum pignorum recognitionem.*

sub inscriptione, quæ dicit ante inventionem latuisse ibi Sanctas annos 384,

adeoque translatas illuc fuisse circa an. 186.

6 *Facta est hæc ad prælaudati Commentarii instructionem … anni* MDCXLII *… nostro more a Kalendis Januarii annum auspicando,* XLVIII *atque hoc … Cum D. Mallianus e Deputatis alter abesset ab urbe, eumque Domini* Ecclesiastici diversis negotiis multiplicibusque causis forent impediti, *ut … quos ex parte Civitatis et Cleri … deputatos nominavimus, … urbe Reliquiarum recognitionem instituendam* ne tempus prolatando differretur in descriptione Reliquiarum SS. Actinæ et Græcinianæ Illustriss. DD. Priores per litteras, Reverendiss. P. D. Augustinum Cavallum Abbatiæ S. Justi Abbatem efflagitaverunt, ut cum aliis ad earumdem Reliquiarum agnitionem et descriptionem conveniret. Qui cum Monachus vota Illustriss. Priorum secundavit : quod totum patet ex Instrumento ser-Hieronymi de Compagnis, civis et Notarii publici Vulterrani, sub die XIV prædicti mensis Januarii : quod instrumentum ab eodem ser-Hieronymo Dominis Deputatis allatum mihique Notario infrascripto *Francisco qui Sebastiani Augustini de Contis* traditum, summatim continet ; quod cum se ad præfatam Abbatiam contulissent Illustriss. Domini, D. Franciscus, qu. D. Equitis Joannis Inghiramii, pro Religione S. Stephani Prior Burgi S. Sepulcri tunc modernus Præpositus Magistratus Illustrissimorum Dominorum Priorum populi et civitatis

D. P. Anno 1640 novum recognitionem per mittere rogatur Abbas;

quo et Deputatis a civitate præsentibus,

tatis Vulterrannæ, et Dominus Franciscus Leonorius, unus e numero dictorum Priorum. Et habito colloquio cum Reverendissimo Patre Abbate, unanimiter cum eo et cum pluribus Monachis prædictæ Abbatiæ in choro dictæ ecclesiæ devenerunt ad prædictæ agnitionis actum. Et imprimis inspectum fuit, in pavimento dicti chori, a parte posteriori altaris majoris, adesse in marmore sculptam inscriptionem, hujus tenoris : HIC INTRA RESERVANTUR. etc

G. H.

in medio altaris invenitur arca

7 Postea visum fuit in vacuo muro, a parte posteriori altaris majoris, in medio ipsius esse ostiolum, divisum in duas partes, ex ligno nucis cum clave, asservata penes prædictum Abbatem, clausum : quo ipsa clavi aperto visum fuit aliud ostiolum in medio parietis ipsius altaris, velo serico rubri coloris tantum coopertum, per quod est aditus in vacuum dicti altaris : in cujus medio in prospectu cratis ferreæ, existentis in pariete ipsius altaris Ecclesiam versus, visa et reperta fuit cassula ex ligno nucis instar sepulcri, cubitum unum cum dimidio longa, alta tres in quatuor cubiti partes vel circa, in parte anteriori deaurata. Qua cassula per dicta ostiola a monachis ex dicto altari extracta et posita supra tabulam in dicto choro ad hunc finem paratam, pluribus luminibus accensis, visa est in medio faciei hæc inscriptio. RELIQUIÆ SS. VV. ET MM. ACTINIÆ ET GRÆCINIANÆ. clausa erat arca duabus clavibus quarum altera ad Illustrissimam Communitatem Vulterranam et altera ad Reverendissimum Patrem Abbatem prout ipse asseruit spectat. Cassula aperta, visum fuit illam intro esse coopertam rubeo serico : quo sublato conspectum est arcam in duas partes esse divisam cum tabula lignea : et in una quaque ex dictis partibus adesse magnam quantitatem ossium candidissimorum. Et in parte dextera in dicta tabula divisoria descriptum nomen S. ACTINIÆ, et ibidem inter ossa esse caput, in quo solum defuit pars latitudinis quatuor digitorum vel circa ex parte dextera. In alia vero parte cassulæ; ubi erat inscriptio et sunt ossa S. GRÆCINIANÆ, visa fuerunt inter alia ossa nonnullæ partes capitis, atque omnia diligenter conservari.

cum inscriptione,

in eaque ossa S. Actiniæ,

et S. Græcinianæ

8 Atque in sinistra parte dictæ cassulæ fuit reperta lamina plumbea, longa medio cubito vel infra, lata vero quinque digitis vel circa. In altera vero parte ipsius laminæ hujusmodi inscriptio erat incisa.

cum inscriptionibus, de anno 1571

Hæc translatio Sanctarum Virginum Actiniæ et Græcinianæ facta fuit MDLXXI regnante Pio V Pontif. Max. et Maximiliano Imperatore, tempore Domini Philippi de Jantonibus Abbatis dictæ Abbatiæ.

Et in altera ejusdem laminæ facie hæc inscriptio erat inscripta.

et 1600.

Die XXIX Aprilis MDC cum vetustate capsula, in qua reconditæ erant inscriptæ Reliquiæ consumpta esset; in hanc repositæ fuerunt per Ill.mum ac R.m D. Lucam de Alamannis, Episcopum Volaterranum, tempore admodum Reverendi Domini Samuelis Rissalii Casentinensis, Abbatis.

Hæc omnia ex instrumento Hieronymi de Compagnis sunt accepta.

9 Facta igitur earum Sanctarum recognitione fuit in dicta cassula reposita inscriptio in charta membrana hujus tenoris videlicet.

Ossa Sanctorum Virginum ac Martyrum Actiniæ et Græcinianæ Vulterranarum civium quæ in persecutione Diocletiani et Maximiani fidem Christi altera capite ense absciso, altera sagitta transfixa, passæ; sunt a fidelibus cum Lapideo et plumbeo monumento sepultæ : anno Domini MDXL in antiquissima SS. Justi et Clementis a monachis effossa et solemni pompa a Clero et a populo Vulterrano in hanc Ecclesiam translata ; et sub hac majori ara collocata XVI Kalendas Julii ejusdem anni, Innocentio secundo summo Pontifice, qui ipsam translationis diem colendam venerandamque accolis demandavit. Demum a D. Justo Bonvicinio Pratricio Vulterrano hujus monasterii Abbate anno MCCCCXCII reficiente, arca iterum decentius rursus hic recondita. Hoc anno MCCXLVII Reverendissim. D. Augustinus Cavallus Apuanus hujus cœnobii dignissimus Abbas hoc die XIV Januarii rocognovit. Ex instrumento recepto per Hieronymum Compagnum civem ac Notarium publicum Vulterranum.

AUCTORE G. H. et alia facta est ipso an. 1140.

Secundum stylum istic usitatum, nobis enim annum a Januario inchoantibus notandus erat (ut jam dixi) XLVIII.

Dicta casula postea clausa fuit, clavi, cum qua fuit aperta a dicto Illustrissimo Domino Petro Franciscano, uti Præposito ante dicto, et arca reposita fuit subter dictum altare in suo solito loco, unde fuerat extracta : et ostiolum supradictum cum clave Patris Abbatis clausum.

10 His peractis de mandato prædicti Reverendissimi Patris Abbatis fuerunt a Sacrario dictæ Ecclesiæ translata in chorum supra eadem tabula duo capita argentea, cum pectore æreo deaurato, et cum corona simili super capitibus, cum quadam apertura ornata in medio pectoris, Crystallo, cooperta, per quam respicitur intus talis inscriptio aureatis litteris, nempe in una :

Recognita deinde capita argentea cum Reliquiis,

Reliquiæ hic conduntur capitis Actiniæ Virg. et Mart.

et in alia

Reliquiæ hic conduntur capitis Græcinianæ Virg. et Mart.

et in utriusque basi reperitur hæc inscriptio :

Hoc opus Domina Camilla de Cerchis Volaterrana, pietatis et devotionis causa fieri fecit anno Domini MDCVIII.

Et in parte posteriori ambarum basium fuit visum esse clausas cum duabus seris : quarum una clavis asservatur penes Illustrissimam Communitatem, et altera penes Reverendissimum Abbatem pro tempore. Quibus visis et consideratis capita fuerunt reposita in locum suum in dicta sacristia. Harum Sanctarum Virginum et Martyrum Reliquiæ, ingruente alicujus calamitatis vel necessitatis titulo, per urbem solenni lustratione aliquando solent magna devotione deferri.

deferuntur in supplicatione.

11 De harum Sanctarum vita nihil aliud compertum est, nisi quod pro Christi fide passæ fuerunt in Diocletiani et Maximiani persecutione anno Domini CCCIII, quo ipso tempore in Hetruria persecutio grassabatur : in qua Actiniæ caput abscissum, Græcinianæ vero pectus jaculo transfixum. Rerum ab ipsis gestarum obscuritas ab edictis severissimis crudelium illorum Imperatorum dimanavit quando ecclesiæ solo æquatæ et scripturæ Christianorum igne absumptæ. Unde non tantum istarum Sanctarum memoriæ perierunt, sed quam plurimorum

Acta frustra nunc requiruntur ;

A

Auctore G. H.

rum quoque Martyrum qui in hac urbe martyrium subeuntes fuerunt immaniter occisi. *Hæc omnia ex Commentario Volaterrensium collegimus, et in hunc ordinem redegimus. Habemus Officia propria Sanctorum Volaterrensium anno* MDXIX *excusa; in quibus ad hunc* XVI *Junii præscribuntur tres lectiones propriæ cum hymno. Item habemus Vitam et miracula SS. Justi et Clementis anno* MDLXVIII *typis edita, et ibidem capite 28 agitur de hisce Sanctis : sed quæ indigent aliqua correctione supra indicata et reliqua melius explicantur in jam prolato Commentario ubi tamen plusculum videtur tribui parvo cuidam libro, pariter ad instructionem Deputatorum allato.*

et solum habentur recentiores quædam memoriæ,

12 *Ibi* inter res alias memoria dignas, erat earumdem Sanctarum Vita ab Equit-Æmilio Feo descripta; cujus scribentis manus, forma, character a Dominis Deputatis optime fuerant cognita; qui eo quod multæ lectionis et eruditionis vir fuit, multumque insudavit in memorias, scripturas, et tabularia hujus civitatis, magis abstrusa et abscondita indagando, dignus est cui plurimum credatur; tum quia vetustissima monumenta eliciuit, tum quia ex antiquissimis Abbatiæ S. Justi Breviariis MSS, et ex Raphaelis volaterrani litteris excerpsisse testatur. *Equidem nunquam crediderim magno judicio usum illum, aut fide digna documenta secutum, quando scripsit,* Sanctas virgines natas *fuisse* ex antiqua familia Tavianellorum; habitasse in ea parte civitatis, quæ hodie Florentiola dicitur, e regione arcis supra rupem positæ, in qua tunc Prætor ab Imperatoribus constitutus morabatur; a ministris, ad ipsarum comprehensionem missis, repertas genuflexas ante statuam Deiparæ Virginis, filium inter brachia tenentis; qui impie ausi sint divino puerulo caput abscindere, quomodo ibidem videre adhuc erat cum totius populi admiratione et veneratione.

D. P. et vita per Æmilium Feum ornata circumstantiis,

B

non satis verosimilibus

D

13 *Equidem popularibus traditionibus aliquid subinde tribuendum non ivero inficias, quarum quidem juxta probatur antiquitas; sed tales esse quæ per recentioris notæ familias antiquissimos quosque Sanctos dispertiuntur, nemo prudenter crediderit. Quod autem ad Deiparæ imaginem attinet, una cum ædibus diutius asservatam; ipsæ ædes fortassis verosimilius dicentur inædificatæ reliquiis vetustioris ecclesiæ, supra Sanctarum corpora antiquitus fabricatæ, sub cujus ruinis diu delitescentia illa, tandem ad SS. Justi et Clementis ecclesiam translata sint; remanente tamen ibidem semper aliqua ipsarum memoria, propter repertam istic, miraculo forsan aliquo, statuam Virginis absque capite Jesuli; unde nata sit de injuriosa mutilatione fabella. Ut ut est,* Hac nostra ætate, *inquit Auctor Commentarii* prædictæ domus vestigia nulla sunt; sancta vero imago in antiquo Confraternitatis S. Petri oratorio conservatur, quo in altare ad dexteram fuit translata. Quamvis autem Petrus Ciacchius eam studuerit ritu moderno novisque coloribus ornare, et eidem figuræ veram antiquitatis formam speciemque abstulisset, hodie tamen graphice ejus pulchritudo dignoscitur, et spirat animabus devotionem.

de earum prosapia et ædibus

ibique reperta statua Deiparæ.

E

14 *Porro ipsas Sanctas Virgines (quarum teneram ætatem exilitas ossium testari dicitur) ad hunc diem celebrat Ferrarius in Catalogo generali et alio Sanctorum Italiæ, uti etiam Italice Silvanus Razzius in Vitis Sanctorum Hetruriæ pag.* 401, *et Augustinus Florentinus part. 2 historiarum Camaldulensium lib. 2 cap.* 6.

Alii de illis scriptores

DE S. MARCO MARTYRE

EPISCOPO APOLLONIADIS IN ASIA MINORE

D. P.

Notitia ex Synaxario MS. Collegii Divionensis.

Sedes Episcopalis,

Stephanus Byzantius in suo opere de Urbibus, enumerat urbes Apolloniæ nomine appellatas quinque et viginti: a quibus omnibus alia videtur esse Apollonias *hic memorata, sive ista urbs Cariæ fuerit, cujus Episcopus Tyncharius creditur fuisse in Concilio Chalcedonensi, licet Græce non addatur Cariæ: sive potius urbs Bithyniæ Episcopalis sub Archiepiscopatu Nicomediensi, sita in confinio Mysiæ ad Rhindacem fluvium, unde etiam Mysiæ tribui videtur a Stephano, a Propontide ad* XII *M. P. dissita in Austrum, et totidem a Cyzico urbe. Mentio hujus Sedis in Concilio primo Niceno fit his verbis:* Gorgonius, Episcopus Apolloniensis, ab Apolloniade, *scilicet ut ab aliis urbibus Apolloniensibus distingueretur. Illius autem Apolloniadis Episcopum* Marcum *sub Ethnicis Imperatoribus passum esse arbitramur, qui in Menæis MSS. Divione apud Petrum Franciscum Chiffletium Societatis Jesu repertis, ita ad hunc* XV *Junii refertur :* Ὁ ἅγιος Μάρκος Ἐπίσκοπος Ἀπολλωνιάδος, λίθων ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ κρεμασθέντων ἐξαρθωθεὶς, τελειοῦται. Sanctus Marcus Episcopus Apolloniadis, lapidibus ad manus ejus appensis sursum tractus vitam finivit. *Deinde adjunguntur Versus alludentes ad similitudinem lancium, ex jugo libræ pendentium, quam sic gravatæ manus præferebant.*

C

et mortis genus.

F

Ζυγὸς σε, Μάρκε, τῷ βάρει τῷ τῶν λίθων
Τὰς χεῖρας ὡς πλάστιγγας ἐκκρέμων κάτω.
Jugum tibi Marce, pondere lapidum gravi
Ambas deorsum inclinat, ut lances, manus.

Alius ab hoc S. Marco videtur esse senior Marcus, consobrinus Barnabæ *appellatus a S. Paulo, in Epistola ad Colossenses, de quo supra egimus die* XI *hujus ejusdem mensis inter Acta S. Barnabæ ubi probabile fecimus eum esse* Marcum *Evangelistam.*

DE

DE SANCTIS QUINQUE NICOMEDIENSIBUS

MARTYRIBUS APUD GRÆCOS

Ex eodem MS. Synaxario.

D. P.

Nicomedia, *Sedes Imperatorum Ethnicorum, palæstra fuit plurium Martyrum, quam ulla alia Orientis civitas. Eos et nominibus suis expressos, et magno sæpe numero indicatos absque nominibus hoc toto opere nostro identidem præfe-rimus : ad hunc autem* XVI *diem Junii ex MS. Menæis Divionensis collegii Societatis Jesu, a Petro Francisco Chiffletio illuc damus* Sanctos quinque Martyres *prætitulatos; quos non tam ibi passos, quam indidem ortos vel adductos ad judicem, indicare videtur collector libri, quando scribit.* Οἱ ἅγιοι ε΄ Μάρτυρες, οἱ ἐν Νικομηδείᾳ ξίφει τελειοῦνται. Sancti v martyres, ex Nicomedia, gladio consummantur: *in subjecto autem disticho comparantur turri, terræ motu concussæ, hoc modo :*

Πίπτει συναθλῶν πέντε πύργιον μέγα,
Σεισμῷ κλονηθὲν τῷ ξίφει τοῦ δημίου
Coathletarum turris excellens cadit,
Lictoris ense concussa ut terræ motu.

DE SANCTIS QUADRAGINTA

MARTYRIBUS ROMANIS

B

Ex eodem Divionensi Synaxario.

E

D. P.

In *eisdem Menæis Divionensibus, sic referuntur ad hunc eumdem* XVI *diem Junii* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, οἱ ἅγιοι μ΄ Ῥωμαῖοι, πυρὶ τελειοῦνται. Sancti quadraginta Romani eodem die igne vitam finiunt. *Hujusmodi hactenus non habuimus, saltem tali numero. Istis illi honorantur Versibus, frigidis sane, hic tamen ponendis, dum aliud nihil de illis nobis suppetit.*

Τοὺς πέντε, πέντε, πέντε, πέντε γεννάδας
Πῦρ πέντε, πέντε, πέντε, καὶ πέντε φλέγει.
Hi quinque, quinque, quinque, quinque pugiles
Et quinque quinque, quinque quinque conflagrant.

DE S. SIMILINO, SIVE SIMILIANO

EPISCOPO NAMNETENSI IN GALLIA

SYLLOGE HISTORICA

Ex S. Gregorio Turon. de antiquo ejus cultu ; et conjecturis recentiorum.

G. H.

SEC. IV

Apud Greg. Turonensem, Memoria

Noti *sunt* Namnetes *populi, eorumque urbs antiqua, in ea veteris Galliæ parte, quæ nunc Britannia Minor dicitur, sive Armorica, ad Ligerim fluvium, de qua egimus* XXIV *Maji ad Acta SS. Donatiani et Rogatiani, sub Diocletiano coronatorum. Horum simul et S. Similini illustris* C *mentio est apud S. Gregorium Episcopum Turonensem libro de Gloria Martyrum cap.* 60 *his verbis.* Apud urbem Namneticam duo sunt Martyres, pro Christi nomine jugulati : quorum unus Rogatianus, alter Donatianus est vocitatus. Habetur ibi etiam et Similinus magnus Confessor. Igitur cum supradicta civitas tempore Chlodovehi Regis barbarica vallaretur obsidione, et jam sexaginta dies in hac ærumna fluxissent; media fere nocte apparuerunt populis viri cum albis vestibus, radiantibus cereis a basilica beatorum Martyrum egredi ; et ecce alius chorus huic similis de basilica procedere Antistitis Similini. Cumque conjungentes se, data salutatione, orationi incubuissent; recesserunt unusquisque ad locum unde progresus fuerat: ac protinus omnis phalanga hostilis, immenso pavore exterrita, ita subito impetu a loco discessit, ut facta luce nullus ex his reperiri posset. Apparuit ante dicta visio Chilloni cuidam, qui tunc huic exercitui præerat, qui necdum erat ex aqua et Spiritu sancto renatus: qui statim compunctus corde, conversus ad Dominum, iterata nativitate progenitus, Christum esse filium Dei vivi clara voce testatus est. *Hæc S. Gregorius Turonensis seculo Christi Sexto, ex quo scimus sub Chlodovæo primo circa annum quingentesimum,* S. Similino Antistiti *sive* Episcopo *Namnetibus extitisse jam ante erectam basilicam, et confirmatam habemus antiquam ejus venerationem, quæ etiam stabilitur ex antiquis Martyrologiis. Ac primum in apographo Martyrologii Hieronymiani Lucensi ad hunc* XVI *Junii sub finem ista leguntur adjuncta :* In civitate Namnetis natalis S. Similini, *vel* Similiani ; *uti exaratum est in apographis Epternacensi et Corbeiensi. Secuti deinde Usuardus, Ado, Bellinus, aliique recentiores hisce ubique verbis:* Civitate Namnetis S. Similiani Episcopi et Confessoris. *Habet autem ibi ecclesiam et suburbium sui nominis vulgo* Saint Sembein *In Martyrologio Romano additur,* Namnetes in Britannia minori esse. *In Cathedrali istic Ecclesia colitur hoc* XVI *Junii festum SS. Quirici et Julittæ Martyrum ritu duplici, et festum* S. Similiani *transfertur in diem sequentem* XVII *Junii, ac tum ista de eo recitantur in secundo Nocturno ad Matutinum.*

liberatæ per eum et alios sanctos Urbis obsessæ.

Nomen in antiquis Martyrologiis hac die :

F

nunc 17 colitur

2 Similianus, Episcopus Namnetensis, omni genere virtutum fulgens, cum Ecclesiam suam Pastorali vigilanti a fideliter rexisset, in cœlum migravit. Ejus autem corpus Christiani sepelierunt eo in loco, ubi postea ipsius nomine ædificata est Basilica. Quæ ex longa Northmannorum vastitate eversa, tempore Walterii Episcopi Canonicis Namnetensibus jure

in ecclesia sui nominis,

Jure hereditario concessa est, ut eam instaurarent. In ea autem basilica extat puteus, in quem caput sancti Pontificis Similiani a Paganis fertur fuisse injectum: de cujus aqua infirmi bibentes, optatam recipiebant sanitatem. Mulier quædam, dum inspiceret aliquando in hunc puteum, oculis statim capta est. Sed perducta ad ecclesiam in die festo S. Similiani anno revoluto, cum per totam noctem ejus efflagitasset auxilium, Missarum expletis solenniis, plena fide de hac aqua bibens, suosque lavans oculos, visum, quem sua temeritate perdiderat, meritis sancti Pontificis recepit. Civitatem etiam Namneticam a Paganis obsessam suo patrocinio liberavit. *Hæc ibi. Reliqua sunt ex eloquio Gregorii Turonensis desumpta, et a nobis supra relata. Et hæc sunt certiora de* S. Similiano.

ubi est puteus, ex attactu sacri capitis salubris ægris.

3 *Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano juvenili eloquentiæ et ad conjecturas propensioni plurimum indulgens ad hunc* XVI *Junii istud elogium texuit, multa asserens, digna quæ graviori probarentur Auctore. Lege et perpende.* Ipsomet die Namnetis in Armorica S. Similiani Episcopi et Confessoris, qui sub Diocletiani et Maximiani sævissimo principatu clavum mysticæ navis, fluctibus gravissimis et flatibus horridis quassatæ, intrepide gerens, in serenas auras felici remigatione cymbam creditam direxit. Superatis enim procellis, primus in hac urbe Antistitum Christianæ religionis, tot martyrum cruoribus purpuratæ, splendidum meridiem aspexit: cujus et pacem piis sudoribus promeritus est. Se enim non semel, dum impiorum ferocia magis arderet, Pastor bonus, ut oves suas tegeret et protegeret, rabidis lupis objecit: quorum et diras minas seu iras frequens perpessus, Dei ope semper evicit aut evasit. His in colluctationibus occumbentes gloriosos Christi pugiles Donatianum ac Rogatianum sanctissimus Antistes propriis manibus sepelivit, atque congruo honore funeratus est. Tandem gloriosis perfunctus laboribus, Ecclesia in tranquillum de lucta, mirisque sanctitatis suæ meritis illustrata, vir sanctus æternæ pacis candidatus, quievit in Domino. Colit veneranda ejus ossa eo impensiori cultu Ecclesia Nannetensis, quo arctiori devotæ recordationis nexu se eidem devinctam confitetur: ejus enim ac prædictorum Martyrum præsidiis civitatem ipsam perenniter recolit dudum fuisse liberatam a barbarorum obsidentium furore.

Andreas Saussayus

4 *Albertus le Grand in Vitis Sanctorum Britanniæ Armoricæ Gallice editis, inseruit etiam Acta S. Similiani, in quibus simili libertate usus, primo asserit,* S. Donatianum ab eo conversum, et baptizatum; fratrem quoque ejus Rogatianum, ab isto similiter conversum, etiam sacro baptismate initiatum. *Edidimus horum Martyrum Acta die* XXIV *Maji absque ulla* S. Similiani *mentione sola proinde temporis, quo hic vixisse putatur, congruentia nititur omne Officium, quod ipsis impendisse Sanctus Episcopus absque teste præsumitur. Secundo idem Albertus asserit,* Corpus S. Similiani mox ab obitu extra urbem in Oratorio ibidem erecto sepultum, pluribus miraculis claruisse, ac non diu post ibidem ædificatam supra sepulcrum ecclesiam et ab Eumelio in Episcopatu successore dedicatam; Sacrum item corpus elevatum, et ab eo caput separatum atque intra arcam egregie exornatam in thesauro Ecclesiæ fuisse depositum, reliqua vero ossa sepulcro lapideo inclusa: ibique a peregrinis etiam e longinquo advenientibus visitata.

et Albertus le Grand adjungunt alia,

5 *Longa opus sit conjecturarum catena, et quasi harpagonibus multis, ut ex S. Gregorio Turonensi, qui solus hactenus auctor profertur extrahantur elicianturve istæc omnia et alia. quæ prætereo, quæque ambo isti Scriptores tanta cum asseverantia proferunt, ac si planissime scripta in monumentis certissimis reperissent. Hoc autem sæpius animadverso, non potest non utriusque fides plurimum vacillare apud cordatos lectores; quibus ejusmodi exemplis necessitas quædam imponitur formidandi, ne aliæ multæ Sanctorum Vitæ, per similem conjectandi licentiam sint consarcinatæ: sed uti prudentis non est, quidlibet credere; sic neque fictionis arguere aliquid ante serium examen per singulas propositæ narrationis partes ductum. Hoc autem in præsenti opere facientes, non timemus, ne omnibus universim Sanctorum Actis præjudicemus, ut arbitrantur quidam; sed credimus de singulis bene mereri nos, distinguendo certitudinis aut probabilitatis gradus, in quo locanda quæque sint. Quod autem ad conjecturas attinet, eas adeo non rejicimus, ut utiles sæpe et quandoque necessario censeamus adhibendas, dum veritas quæritur non aliter quam per indaginem reperienda: sed conjecturas volumus proponi ut conjecturas, et a certo compertaque veritate distingui: quod si prædicti Auctores duo fecissent semper, tum sibi tum Sanctis melius consuluissent.*

ex meris conjecturis

6 *Potuit igitur Albertus, de quo agimus, ut conjecturam proponere, quod anno* CCCX *mortuus* S. Similianus *sit; et conjecturæ fundamenta, si quas habuit, exponere arbitrio Lectoris: non potuit autem absolute definire quidpiam. Porro dum non videmus idoneum fundandæ pro tali anno conjecturæ argumentum, satis habemus definire seculum, quo oportet decessisse Episcopum Sanctum, qui Martyr obiisse non dicitur, et tamen seculo* VI *habebat miraculis celebrem sui nominis ecclesiam, in qua hæc de eo, ad ipsum festum, quotannis recitatur Oratio:* Omnipotens sempiterne Deus, qui nos Beati Similiani, Confessoris tui atque Pontificis, solennia colere docuisti; concede propitius, ut ejus meritis et precibus ad gaudia pervenire mereamur æterna. *Quomodo idem* S. Similianus Episcopus Namnetensis *inscriptus sit Martyrologio monastico Arnoldi Wionis, inter Prætermissos dicimus, ejusque et aliorum errores detegimus.*

Interim manet cultus certus

DE

DE SANCTIS MARTYRIBUS MOGUNTINIS

AUREO VEL AURÆO EPISC.

JUSTINA EJUS SORORE VIRG.

PROMISCUA UTRIUSQUE SEXUS MULTITUDINE

ET JUSTINO DIACONO

COMMENTARIUS PRÆVIUS

D. P.

§. I. De eorum Moguntiæ cultu; et tempore passionis et inventionis.

ANNO CCCCLI

Postquam Romanarum Provinciarum, primitus sub Augusto constitutarum, numerum augere placuit, pro commodiori earumdem gubernatione; Belgicaque, longe patens a Sequana et Matrona usque ad Rhenum, bifariam divisa est, in Primam, quæ Orientem; et Secundam, quæ Occidentem spectaret; hæc Remorum, ista Trevirorum civitas Metropolis fuit. Et Secunda quidem, ut instituta est sic mansit, quoad Imperium stetit: Prima, quæ Teutonicæ linguæ sive Germanicæ usum tota retinuit, trifariam morsita secta est, ut Belgicæ primæ nomen retineret, quidquid Mosella flumine irrigatur; utrimque vero recessisse partes secundum Rhenum; Meridionalis quidem, Germanica prima; Septentrionalis, Secunda dici cœperunt; et hæc quidem Agrippinam Coloniam, ista Maguntiacum sive Maguntiam, Archiepiscopalis habere. Omnes autem tres ipsaque etiam secunda Belgica, ab inundantibus Hunnis sub Attila anno CCCCLI diram perpessæ vastationem, non prius ad antiquum splendorem et Hierarchicique status integritatem redierunt, quam Francicum in iis Imperium constitutum haberetur: posterior tamen omnium, Germanica prima, a Slavis insuper multum passa, pene ad antiquam barbariem redierat, quando S. Bonifacius, de quo egimus die v Junii, sub Rege Pippino, Archiepiscopus Moguntinus est constitutus, seculo Christi VIII.

Moguntiæ, quæ Germaniæ I Metropolis,

circa Hunnorum sub Attila irruptionem

2 Numerantur nihilominus Ordine continuo Episcopi Moguntini quadraginta, a S. Crescente, qui Pauli Apostoli discipulus fuisse putatur, usque ad prædictum S. Bonifacium: quorum viginti habentur Sancti, atque in primis S. Aureus etiam Martyr habitus; hodie recensitus utriusque memoria, Usuardi exemplaribus pro Germania auctis, passim inscripta. Primus quod ego quidem sciam ad id faciendum exemplo præivit B. Rabanus Maurus quintus post S. Bonifacium Archiepiscopus: primus inquam; nam Beda et Ado, licet a Baronio in Notis allegati, in suis genuinis Martyrologiis illius non meminerunt: Rabanus autem, in suo etiam Justinam addens, post SS. Ferreoli et Ferrutionis elogium, præteritis SS. Cyrico et Julitta, diem finit his verbis: Et in civitate Moguntiaca, passio SS. Aurei Episcopi et Justinæ Sororis ejus, qui ab Hunnis vastantibus prædictam civitatem in ecclesia occisi sunt.

Episcopus Aureus,

primum Rabani Mrtio adscriptus cum Justina,

3 Usuardi quatuor habemus exempla membranea: unum Ultrajecto allatum, alterum in Alsatia ad usum cujusdam Commendariæ Teutonicæ scriptum anno MCCCCXII; tertium, ab Henrico Ranzaw Equite Lubecæ emptum anno MDLXXXIV, ut centum minimum annis sit vetustius ibi aut in vicinia scriptum nobisque donatum in Pragensi Collegio; quartum in folio, grandi et elegantissimo charactere Teutonico, ut et aliud, nescio unde nobis missum in his omnibus eodem prorsus tenore, sic legitur: Apud Moguntiam civitatem, sanctorum Martyrum Aurei ejusdem civitatis Episcopi, et Justinæ sororis ejus. Rabani verba in suis Additionibus transcripsit Molanus, aliaque ante illum Coloniæ excusa auctaque Martyrologia, verbis hinc inde truncatis, pluribus autem Basileense, excusum anno MDLXXXIII, hoc modo: Moguntiæ passio Sanctorum Aurei et Justinæ Sororis et ceterorum Martyrum, qui agentes Synaxim, ab Hunnis, Germaniam diripientibus, improviso impetu aggressi, in ecclesia trucidati sunt. In Mainzer additur A. D. 454. Recognitores Romani sub Gregorio XIII, Basileense transcripserunt; itaque hodie prædictis duobus, qui soli antiquitus commemorabantur, accessit reliqua Sacris præsentium turba idque minime gratis, cum Sigehardus infra num. 11 testetur, anno MCLXXV et MCLXXVII, eorum multa corpora, cum certis Martyrii indiciis, reperta fuisse. Addo autem et Justinum Diaconum una cum S. Aureo Heiligenstadensium Patronum. Quæ per Italiam Galliamque plurima vidimus Usuardi manuscripta, ad variarum ecclesiarum usum aucta, omnia de eis tacent, nisi quod Conventualium Cameracensium in Sabaudia unum, post nomen S. Veroli Confessoris, habeat nomen S. Justinæ Virginis.

tum variis in Germania exemplaribus, Usuardi,

ac tandem Basiliensi et Romano cum Sociis.

4 Non æque facile, ut Martyrologiis, addi poterant nomina nova Kalendariis Ecclesiasticis; ea sola continere solitis, de quibus Officium aliquod faciendum: hoc autem sine speciali ac propria aliqua causa non fiebat. Itaque in veteribus Breviariis vicinarum ecclesiarum kalendaria omnia vacant ad XVI kalendas Julii. In solis ergo Moguntinis nomina SS. Aurei et Justinæ nobis se offerunt, ut Officio ecclesiastico festive celebranda. In iis quæ excusa habemus anno MCCCCXCV et MDVII, sola additur in contextu; Aurei et Justinæ celebriter cui opponitur [illegible] Officium, quod Simplex nunc dicimus: sicut de Martyribus in Communi Sanctorum; solumque hæc propria additur Oratio: Deus qui glorificaris in concilio Sanctorum Martyrum tuorum Aurei et Justinæ, respice ad preces humilitatis nostræ, et quorum solennia celebramus, eorum precibus adjuvari mereamur. Successit impressio anni MDLXX, a cujus kalendario absunt hæ voces, Festive, Ferialiter; sed in contextu satis ostenditur, festive peragendum Officium; cum præscribuntur tria Nocturna, et ad primum tres propriæ, de Sanctis in Calendario notatis, Lectiones: quod deinde etiam vicinos Wormatienses movit, ut in kalendario anni MDLXXVI, nomini Fereoli adderentur nomina Aurei et Justinæ; et in Breviario præscriberetur Officium de Martyribus trium Lectionum, scilicet commune, cum hac Oratione: Deus qui nos concedis sanctorum Martyrum tuorum Fereoli, Aurei et Justinæ natalitia colere; da nobis in æterna lætitia de eorum societate gaudere.

Idem Kalendarii Moguntinis solis

festive inscripti

cum Oratione in Breviario

A AUCTORE D. P.

An cæsus in Dalheim?

5 *Latomus apud Serarium, in sui: ad Breviarium Moguntinum Notis,* passus, *inquit,* memoratur S. Aureus in sacello prope Dalheim, ubi adhuc martyrico sanguine altare rubricatum monstratur, non absque miraculo. *Proximus hic locus est cæmentitiis illis extra urbem molibus, quæ utrum aquæ ductuum potius quam murorum reliquiæ sint, controvertitur; et inter eum locum atque hodiernam urbem ponitur* S. Aurei, *olim* S. Hilarii *ecclesia. Fortassis etiam monstratur ibidem adhuc* Puteus, *in quem fuerit dejectum a sacrilegis cadaver. Sed si apud Heiligenstadium, de quo mox, interfectus est Episcopus ille sanctus prædicta de sanguine et puteo referenda erunt ad sororem* S. Justinam, *quæque socios, Clericos et Laicos utriusque sexus; quorum aliquis ad aram fuerit, vel ad eam confugiens, potuit ipsam suo sanguine aspersisse* Ceterum nescio, *inquit Latomus,* quam belle Aureum dicamus, media producta. *Serarius suspicatur, dictum* Auræum, *vel* Araum, *aut* Oræum, *græco scilicet nomine, ab* Αὔρα, Ventus lenis, Ἄρης Mars, *vel* Ὄρος Mons. *Ego nullam puto quærendam usus rationem: non magis, quam cur* Diva Helena, *Magni Constantini mater, Treviris, ubi palatium habuit, et alibi per utramque Germaniam, et Galliam passim vo-* B *cetur, penultima similiter producta* Helena, Helene.

et quomodo vulgo dictus Auræus?

6 *Nominis rationem et pronuntiationem genuinam incertam manere, minus incommodum est; quam ambiguum esse tempus gesti a* S. Aureo *vel* Auræo *Episcopatus; ut qui ætate Caroli IV Imperatoris credebatur fuisse* primus Præsul Moguntinus, *Serario autem numeretur* vigesimus quartus, *Sigehardo,* juxta veterem *ut præfatur* Catalogum Episcoporum, sit sextus a S. Crescente; ante magnum autem Bonifacium, excluso Gotelone, decimus, *imminuto infra dimidium numero Præsulum nunc recepto. De* Crescente, *S. Pauli discipulo, agam* XXVII *hujus Junii; et verosimile faciam, Moguntinensem (siquis fuit) ejus nominis Episcopum, melius ab illo distingui. Hic dixerim, quod in plurimis video conjecturam, qua Moguntinus* Crescens *et* Crescentius *eadem censebatur persona; cui successerit* Marinus *vel* Martinus, *nihil melius quam ille distractus in duos; tum* SS. Ciriacus et Hilarius, *ecclesiæ in Dalheim prior titularis; ex hinc alii aliquot, usque ad* S. Maximum; *et rursus aliquot, usque ad* S. Aureum, *numero et ordine necdum comperto.*

Quotus in ordine Episcoporum,

et qui primi fuerint?

7 *Sigehardus, mortem* S. Aurei *narraturus, Cap. nobis* 10; Eo tempore, *inquit,* Opilione et Vincomalo Consulibus, post Theodosium Juniorem, Marcianus in Oriente Valentinianus in Occidente præerant Romanis Imperii fascibus; summus et universalis habebatur Romanæ Ecclesiæ Episcopus Leo Papa, hujus nominis primus; agebatur autem post Incarnationem Domini his diebus quadringentesimus quinquagesimus quartus annus: *Et rursus, Capite nobis* 20 *et ultimo totum museriptionem sic finit* Ceterum ut passionis Sanctorum tempus breviter, o Lector, invenias; passi sunt Martyres sancti, Aureus et Justina cum Sociis, sub Attila Hunnorum Rege, XVI kal. Julii, Marciano et Valentiniano Imperatoribus, Apostolicæ Sedi Leone hujus nominis primo præsidente anno post partum Virginis CCCCLIV, regnante in perpetuum filio Virginis Rege Martyrum D. N. Jesu Christo, cui est cum Deo Patre etc. *Idem annus notatur, ut dixi, in margine Martyrologii Basileensis, quod ex Sigehardo sumptum vel hinc apparet.*

Annus cædis male notatus 454,

C

8 *Consules quidem superius signati, in correctioribus fastis notantur anno præcedenti, quo anno etiam Attila obiit: sed vastitas ab eo illata Belgicis Germanicisque provinciis, omnino pertinet ad annum* L *et* LI *istius seculi. Hinc ille in Gallias transiit; et (non obstante gravi, quam in Catalaunicis seu potius Segalaunicis campis, ab Aetio Romanorum Duce passus est, clade ducentorum fere millium) in Italiam transit anno* LII; *atque ad mandatum Leonis Papæ regressus in Pannoniam, ibidem ut dixi obiit anno* LIII. *Corrigenda ergo Sigehardi chronologia est, et Passio Sanctorum adscribenda anno* LI *seculo* V. *Quo modo autem eo tempore, aut etiam annis aliquam multis præcedentibus, quibus possit* Aureus *præsedisse, tantum valuisse Ariani apud Moguntiam potuerint, quantum Sigehardus præsumit, ipsis cædem Episcopi imputans, non satis video; multumque vereor, ne illis, in S. Aurei cædem adducendis, solus præluxerit Trithemius, auctoritatis vel antiquis historiis non magnæ scriptor; in Vita S. Maximi,* XVIII *Novembris examinanda, asserens; quod illius decessor S. Lucius ab Arianis occisus sit anno* CCCXLIII *et ipse ab eisdem plurima passus.*

potius dicendus 451.

D *qui tunc Moguntiæ Ariani?*

§. II. De Goswino et Sigehardo Monachis scriptoribus Translationis et miraculorum, Passio Heiligenstadii scripta.

Molanus, *in Annotationibus ad suum Usuardum, ex variarum Ecclesiarum usu auctum, sic scribit:* de Auræo (vel Aureo potius et Justina breviter Breviarium Moguntinum et Cochlæus, in Catalogo de Episcopis Moguntiæ, quem Walafrido subjunxit. Annotatum est ad dictum Breviarium, quod feratur libellus perscriptus de Miraculis Auræi ad Adalbertum Episcopum circa annum MCXXXVII. *Manu id adscripserat aliquis: nihil enim tale in Breviario reperisum: verum esse probat nobis ipsum opusculum, quod Moguntiæ diu frustra quæsitum, reperimus in Passionali insigni Monasterii Bodecensis in diœcesi Paderbornensi ipsorumque Religiosorum manibus transcriptum curante R. D. Francisco Poppenschutzio loci Priore, misit Joannes Kloppenborgius, Paderbornensis historiæ post Schatenum defunctum sedulus continuator. Sigehardus Monachus Santalbanensis, infra in Analectis num.* 8, Goswinum Monachum *Auctorem nominat, haud dubie ex certa apud suos Sanctalbanenses traditione. Ille autem ipsum dividit in tres libros, professus initio lib.* 1 *propositum sibi* nonnulla dumtaxat mirabilia referre; nec alia, quam quæ oculis vidit, et magnarum personarum certa relatione didicit. *Præfigitur autem Dedicatoria Epistola* Werneri Abbatis *cujus jussu res scripta fuerat,* ad Adelbertum sanctæ Moguntinensis Sedis Archiepiscopum.

E *Inventionis anno 1137 descriptæ et miraculorum libellus,*

auctore Goswino teste oculato datur ex MS.

10 *In isto opere quod* libellum *plerisque placuit appellare) nihil de vita aut martyrio Sanctorum continetur; quia forte nihil de eo satis certo dici posse judicabat Goswinus; aut quia Religiosorum discrepabant sententiæ, aliis cum Rabano tenentibus, mortem utrique illatam ab Hunnis, cum alii verosimilius esse crederent cædem inter Sacra patratam ab Arianis, quod postea sub annum* MCCXCVIII *scripsit jam aliquoties nominatus Sigehardus Heiligenstadiensis, in Sanctorum* Aurei et Justini, *non* Justinæ, *Passione, infra danda, ex ipsius loci membraneo codice, non solum illos ab Hunnis martyrizatos tenent, sed apud se, eo ipso loco, ubi corpora ipsorum Dagobertus Francorum Rex invenit et civitatem condidit, in eorumdem honorem* Heyligen-stat, *id est* Sanctorum civitas *seu* Hagiopolis *nuncupatam. Et hoc verosimile fit vel ex ipso Goswino, dum num.* 23 *meminit Cerei* in prima revelationis *a se descriptæ* gloria *cœlitus accensi,* quem de Heiligenstat attulerat totius plebis ac Monachorum devotio; *utique velut ad suos etiam tunc Patronos, et quorum corpora olim possiderant, si non etiam tunc bona ex parte possidebant, de quo infra. Interim satis causæ habere mihi visus sum, ad distinguendum* S. Justinum *a* S. Justina, *absque formidine ne hic*

F *Ab Hunnis, an ab Arrianis cæsi Sancti dubitatur;*

item, Moguntiæ an Heiligenstadii.

pro

A *pro illa suppositus sit, cum eum, ut talem agnoscant Moguntinenses Archiepiscopi,* Arribo *sub annum* MXXI, Gerlacus *anno* MCCCLXII *et* Bertholdus MCCCCXCIX. *Sigehardus quidem* S. Justini *alicujus meminit, cujus etiam corpus ad S. Albani sit; sed* Confessoris *et ex* Heistettin *eo transmissi: Heiligenstadiensis autem prætensionis pro corpore* S. Aurei *nec meminit quidem; nedum Legendæ apud illos scriptæ et inter sacra recitari solitæ: quam profecto non ausim affirmare jam tunc extitisse; sed potius aliquamdiu post fabricatam ex populari traditione, nec sine mendis; quibus tantisper dissimulatis, transeo ad Sanctalbanensem Sigehardum.*

Qui sub an. 1298 scripsit Sigehardus,

11 *Serarius lib. 2 cap. 17, acturus de S. Aureo;* In manuscriptorum, inquit, quibus utor, duobus describitur Sancti hujus Martyrium copiosissime, ita ut Lectiones, seu (ut eorum alter appellat) Capitula contineat LX, præter duo Prooemia, quorum prius est ad S. Albani Abbatem Conradum, totumque Fratrum illius Collegium; alterum, ad Lectorem. Illud incipit, *Spiritalis militiæ tironibus;* hoc vero, *Hortante Propheta Deum in Sanctis laudare;* ipsa Historia, *Consubstantialis Patri.* Auctor fuit in B eodem S. Albani monasterio Cœnobita, de quo lib. 1 cap. 40. *Ibi scilicet* Sigeardum *vel* Sighardum *nominat;* sed quia interdum sola littera S indicetur, Nova, *inquit,* cujusdam non satis perita manu adscribebatur, Sigebertus: scripsit autem sub MCCXCVIII. *Addit eodem quod* multa de Moguntiæ natalibus aliisque similibus, fidei parum probæ, inseruntur: *quapropter istis omissis, Lectorem contentum esse Serarius voluit iis, quæ in Breviario Moguntino,* uti brevius, ita certius *referre ipse censet.*

in nostro ecgrapho numerans capita 20,

12 *Opus illud* ex MS. apographo Carthusiæ Coloniensis, non antiquo *ad usum Bollandi descripsit anno* MDCXXXVIII *Joannes Gamansius, sub hoc titulo;* Incipit Vita et Passio S. Auræi, gloriosi viri, quondam sanctæ Moguntinensis Sedis Episcopi, ac S. Justinæ Virginis Sororis ejus. Et in hac Passione continetur etiam, ex magna parte, vetus Historia primæ constitutionis sive ædificationis civitatis Moguntiæ; sed et destructionis ac reædificationis et translationis ejusdem, et multorum gestorum longe ante actorum, ut patebit in processu. *Sed ecgraphum istud neutrum solum in XX Capita distinguitur (ut omnino suspicer erranti calamo Serarii adscribendum, quod LX num'rasse videatur) nomen vero Auctoris neque integre neque per initialem litteram apparet uspiam; sed spatium illi scribendo semel iterumque vacuum relinquitur. Suam tamen ætatem eam requirentibus satis* C *indicat Auctor, dum in Epistola se profitetur procedere,* ex libris Chronicorum Godefridi Viterbiensis, ac Martini novelli temporum scriptoris, secundum rationem et supputationem eorum verissimam: *Martinus enim Polonus Chronicam perduxit usque ad Joannem Papam* XXI *et obiit anno* MCCLIX. *Narrat autem Sigehardus Inventionem secundam, ut suo tempore, anno* MCCXCVII *factam.*

multa hic resecanda addit, de ipsa civitate.

13 *Quod Historiam S. Auræi* brevius *proponat Breviarium quam Auctor hic, res ipsa loquitur; quod etiam* verius, *ut præfatur Serarius, eatenus solum admisero, quatenus ibi omittuntur parerga plurima jam indicata, quibus multum furfurem erroris et fabulositatis inspergi, agnosco. Nam quod ipsummet* S. Auræum *ejusque* Sororem *attinet; id ita refertur, longiori licet verborum anfractu, ut collectorem Breviarii appareat nihil aliud habuisse præ oculis quam Sighardi librum. Proinde quidquid in Breviario est historiæ (veritatis, non ausim dicere) ultra id quod in Martyrologio suo Rabanus paucis verbis præscripsit, id totum ex Sighardi calamo fluxit; ut non immerito Serarius prædicato lib. 1 cap. 4 dixerit eas esse ipsius* quisquilias, e quibus tamen auri aliquid colligi a non imperitissimis queat. *Id facere conatus est, earum Auctor Lectionum, quas sub annum* MDLXX *compositas exhibet prælaudatum Breviarium, Ecclesiæ Moguntinensis et hic transcribere grave non fuerit.* I. Quo tempore Hunnorum frequentes incursiones Rhenanas provincias infestarent, omnesque Christi Ecclesias Arriana perfidia miserabiliter perturbaret; contigit inter ceteros B. Auræum, Moguntinæ Sedis Episcopum, doctrina et sanctitate celeberrimum, ipsa Sede sua Pontificali atque urbe pelli: quem in exilium prosecuta est Soror ejus Justina, sacra Virgo, una cum aliis quibusdam orthodoxis hominibus. Postquam autem barbarorum et infidelium incursionibus tota eversa civitas esset: tandem Episcopus reversus, ac dispersas oves colligens, omnia boni Pastoris munera diligenter obire cœpit.

Cetera quoad substantiam collecta in Breviario habentur,

D AUCTORE D. P.

in Lectiones distributa,

14 II. Id cum Arriani, ex inveterato in Catholicam fidem odio, perquam molestum esset; opportunitatem nacti, Præsulem, in altari sacra facientem, crudelissime cum Sorore trucidant, atque in puteum vicinum præcipitant. In quo cum permultos annos ruderibus obruti jacuissent, ab Riculfo Archiepiscopo, qui Carolo Magno imperante Ecclesiæ præfuit, in cœnobium Divi Albani, quod splendidissime ædificaverat, honorifice sunt translati. III. Eo quoque E loco cum Martyrum loculi posteris essent incogniti; accidit ut pavimenta monasterii, vetustate attrita, renovarentur; ubi inter alia Beatorum quoque Auræi et Justinæ corpora,.... reperta sunt... quæ statim Martyrum Deus tantis miraculis illustravit, et consequentibus temporibus tam innumeris erga humanum genus curationum sanitatumque, per Sanctas illorum Reliquias, beneficiis cohonestavit; ut non immerito religiosus tantos Patronos, et apud Deum intercessores Moguntina colat Ecclesia. *Hactenus Breviarium, sequens relationem Sighardi, aliquid etiam de* SS. Auræi et Justinæ *corporibus addens, quasi sic* reperta *forent,* ac si communis natura nil plane juris in illos habuisset; *quod nec Sighardus; nec quem descripsit Gosuinus asserunt; nec omnino credibile apparet, multis de causis: quare id expunxi et.... notavi.*

ubi mentio incorruptorum diu corporum·

15 *Ipse porro Sighardus de suo nihil commentus, præsumi potest, quia in Epistola ad Conradum Abbatem sic præfatur:* De Sanctorum stirpe vel patria, quo loco quibusve parentibus fuerint geniti, si requiratur cur stylus non explicet; respondeo: intentionem scribentis in hoc stare, ut scilicet vera tantum et cognita, non incerta et dubia persequatur: nam de hoc diligenti quidem inquisitione et multa sollicitudine percunctatus, nihil me fateor invenisse vel scripturæ commendatum, vel memoriæ (ut assolet) posterorum, traditione antiquorum, transmissum. Licet enim nulli possit esse dubium, tam præcipuorum Martyrum originem, vitam, passionem seu gesta ad memoriam futurorum fuisse conscripta; casibus tamen fortuitis accidere poterat, ut hæc vel hæreticorum ejusdem temporis machinatione suppressa, vel propter diuturnitatem temporis non diligenter prodita, aut antiquo Urbis excidio consumpta, aut certe longæva oblivione delata sint, vel (si dici liceat) antiquorum desidia non curata.

suntque bona fide scripta,

F

16 Et siquis quærat, quæ meum ad scribendum mentis intentio animum impulit; respondeo! Videns ego ecclesiam S. Albani, imo ipsam dominam urbium Moguntiam, Sanctorum Auræi et Justinæ Virginis sanguine dedicatam, eorum pignoribus decorari ac patrocinio sustentari; relictisque miraculis admirandis, quæ per eos dignatus est Opifex rerum operari; ægre meus tulit animus, nulla tantos Martyres, præsertim ecclesiæ nostræ singulares Patronos, speciali cantus veneratione laudari; passionisque eorum notitiam a memoria hominum prorsus

omissis miraculis in inventione patratis,

AUCTORE D. P.

A sus abolitam: [et ideo] præsumpsi, licet insufficiens, delique ad laborem tenuem ingenii venam; ut tam eximiæ passionis memoria, saltem ex parte, apud vos esset, ad posterosque transiret; et eorum solennitas gloriosa, debito laudis munere non careret. Quapropter Passionis eorum compilavi historiam: in Antiphonis vero et Responsoriis, harmonicæ dulcedinis contexui cantilenam. *Hæc seorsim descripta, cum Notis quas vocant, in Antiphonario, an hactenus servata fuerint, nihil magnopere attinet scrutari. Historia ex Sant-Albanensis ecclesiæ Passionali (ut appellabant) legebatur in die festivitatis et per Octavam; quoad usque prolixioris lectionis tædium suasit, grandibus illis voluminibus sepositis, Historiarum de Sanctis formare Breviaria; quæ iis quæbus nunc utimur, divini Officii per annum totum libris, inserta deinde sunt.*

ad usum Chori prosa et rythmo

17 *Quod pro Santalbanensibus, apud Moguntiam,* Sigehardus; *Heiligenstadii, nescio quis alius fecerat, diu ante novum ibi extructum Chorum, adeoque ante annum* MCCLXXVIII, *scripserat per Legendam in multis valde diversam ab ea quam postea edidit Sigehardus, de* Sanctorum Aurei et Justini *passione, et corpore alibi ibidem præsentia. Ibidem quoque fuit compositum (incertum quando) Officium vetus in Antiphonis, Hymnis, Versiculis, Responsoriis, Sequentia, ac Lectionibus, quomodo illud etiam nunc ibidem reperitur, post vetustissimum quoddam Graduale, Rubrica distinctum. Ea omnia ibidem etiam nunc usurpantur, præter Lectiones, quas nunc pro majori commoditate malunt ex impresso Moguntinensium Breviario accipere. Rem totam, ut reperit, ita descripsit anno* MDCXCIII, *Joannes Knackrich; nostri ibidem Collegii tunc Rector; qui nihil prætermissum reliquit quod posset ex litterarum ibi asservatarum monumentis erui ad nos instruendos pro causa Heiligenstadiensium suorum confirmanda.*

Idem factum Heiligenstadii,

B

18 *Inter illa primum composita videtur Legenda qualiscumque; ex hac deinde sumpta verba, dispersa per Antiphonas, Responsoriaque etc. sed adeo invenusta, ut ea absque cantu legi inamœnum prorsus videretur: quare, cum hæc nihil contineant, quod in Legenda non legatur clarius, hanc solam exhibere placet; sed non sine censura aliqua. Etenim* SS. Aurei ac Justini *passionem, ipsamque corporum primam inventionem, factam seculo* VII, *ut implicat circumstantiis; quæ rem totam fabulosam videri facerent, nisi aliunde verosimile fieret, Sanctos prope Heiligenstadium cæsos fuisse, non Moguntiæ. Sub hac præcautione, primo loco dato Heiligenstadiensium* Legendam, *a reliquo adjunctam Officio; tum Goswini* Libellum de SS. Aurei et Justinæ inventione et miraculis *in ecclesia S. Albani anno* MCXXXVII; *ac denique* Analecta, *primum quidem ex Sigehardo, Moguntiam spectantia; deinde ex Heiligenstadiensium monumentis.*

unde accepta Legenda hic datur:

tum libellus Miraculorum Moguntiæ factorum,

C

ac denique Analecta.

§. III. Causa Heilighenstadiensium pro cæsis et tumulatis apud se SS. Aureo Episcopo et Justino Subdiacono per verosimiles conjecturas discussa.

Eisfeldia *vel* Eichsfeldia *Regiuncula, in Confiniis Hassiæ atque Thuringiæ sita diu ante S. Bonifacium ad Christi fidem reducta fuit; hodieque, post variam sub variis Dominis fortunam, pertinet ad jus Archiepiscoporum Moguntinorum, sæpius illis aut vendita aut oppignorata. Caput censetur* Heiligenstadium, *id est,* Hagiopolis, *pridem ante S. Bonifacii tempora, sub Francorum Rege* Dagoberto, *id nominis accepisse credita, cum is a lepra (ut aiunt) mundatus eo loco fuisset, ubi humata jacebant quædam Sanctorum corpora, quorum tumulum ipse elevans, conditæ desuper ecclesiæ incluserit; Sancti isti ibidem appellantur Aureus et Justinus suntque etiam nunc primarii ipsius civitatis patroni: unde inveniuntur litteræ Senatus anno* MCCCLXXXIII *lingua germanica statuentes* ut dies Sanctorum Aurei et Justini nostrorum principalium patronorum ad honorem Dei solennius et perpetuo celebretur etc. *et assignantur in illum finem duæ Marcæ argenteæ ab oppidanis Heiligenstadiensibus eo die dandæ, quamquam autem eadem ecclesia restaurata sub Archiepiscopo Moguntino Rabano transierit in titulum S. Martini quem etiam exhibet Sigillum capituli canonicorum istic tunc fortassis primum institutorum; servatur tamen hodiedum Sigillum Præpositi antiquum anni* MDXXXVI *et alterum* MDXCI, *in quibus repræsentantur imagines Sanctorum prædictorum cum litteris circumferentialibus satis legibilibus, et tale putatur Præpositis semper in usu fuisse. In eadem civitate habet Societas nostra Collegium cum vetussissima S. Mariæ Ecclesia a cujus sub annum* MDCXCIII *Rectore R. P. Joanne Knackrichio accepimus officium indicatum num.* 17.

Heiligenstadium cum ecclesia

D

primum a SS. Aureo et Justino

deinde a S. Martino nuncupato

20 *Locus non nisi octoginta duos agros intra muros suos complectitur ædificia autem non multo plura quam sexcenta, multis tamen privilegiis seu libera civitas dotatur. Distat ad Euroboream, a sua Metropoli, cum qua de priori Sanctorum ipsorum possessione contendit, leucis horariis minimum quinquaginta; de quo ex Matthæi Meriani topographia agens Henschenius noster, in Diatriba de tribus* Dagobertis *Francorum Regibus, lib. 2 cap. 2, verosimile esse censet, quod hujus nominis secundus, et primi nepos ex S. Sigeberto Austrasiorum Rege, cum ex Hibernia, quo detrusus fuerat rediit, regnare ibidem sit exorsus, habens vicinum ibi castrum,* Altenborg *seu* Burgum-vetus *dictum, unde paulatim progrediens viribus auctior, primo Alsatiam aliasque Adrhenanas provincias, ac denique totam Austrasiam recuperavit, ab anno* DCLXI *usque* LXXX *haud infelix Rex; felicior etiam vitæ sanctitate, si ipse is est, qui Sathanaci ut Martyr colitur, quemadmodum in posterius recognita Diatriba sua censuit prælaudatus Magister meus. Traditioni Heiligenstadiensium favet vetus consuetudo Canonicorum, circa festum S. Mariæ solenniter procedentium ad montem, in quo Dagobertini castri rudera ac parietinæ monstrantur: quodque Thuringia ad quam olim scitur Eichsfeldia pertinuisse, S. Sigeberto paruerit, aliquando etiam contra Radulphum ducem sibi rebellantem armis vindicata.*

videtur a Dagoberto Austrasio fundatum

E

post an. 661,

21 *Heiligenstadienses, uti* Dagobertum *illum Henschenianum, ingrata plusquam mille annorum oblivione apud Historicos sepultum, semper ignorarunt; ita ad illius avum,* Dagobertum primum, *referunt originem suam: nam tertius, si non obiit puer et absque liberis, Thuringiam tamen numquam attigit. Hæc autem jam inde a tempore primorum Franciæ Regum genti illi amica, Childericum I, suis exosum, excepit profugum, et octo annis aluit apud Basinum Regem, quoad usque in suum ipse regnum rediit, uti narrat S. Gregorius Turonensis. Eamdem Turingiam bello aggressus Chlodovæus, tributariam sibi fecit; et a Clothario perdomita S. Radegundem ei dedit captivam, mox futuram uxorem, Dagobertum quoque I, cum adhuc solius Austrasiæ Rex esset, Moguntiæ aliquando moratum scimus, sed usque in Eichsfeldiam transiisse, ita saltem ut sedem ibi fixam haberet, condita ibi nominis sui civitate et Altenburgica arce prope Heiligenstadium, nulla ratio cogit præsumere; adeoque justior præsumptio stat pro* Dagoberto II, *diutius istic et stabiliter commorato, quousque per mortem patruelis sui Childerici in pacificam reliquæ Austrasiæ possessionem receptus, Metas Austrasiæ veterem regiam, migravit. Si quis tamen pro Dagoberto Primo contendere velit, ipsum fuisse Sanctorum corporum inventorem, vel saltem arcis prædictæ conditorem, nolim cum eo disputationis serram reciprocare; quia scio plurima ejusdem Dagoberti æque ac aliorum veterum Regum Francorum gesta per Turingiam*

potius quam ab ejus avo Dagoberto I;

F

qui tamen potuit etiam fuisse in Eichsfeldia,

A *giam præterita fuisse in Annalibus gentis, quorum non pauca indicia habentur ex ipsorum locorum monumentis vel traditionibus. Sed plerumque quoad tempora confusis propter Synonymiam plurium. Legenda quidem nullum Regem nominat, antiquæ tamen de* Dagoberto *aliquot traditionis testis est Bertholdus Archiepiscopus Moguntinus, in suo diplomate anni* MCCCCXCIX, *jubens,* apertis janis et pulsatis campanis *post festa Christi et Sanctorum, celebrari* anniversarium gloriosissimi quondam Principis Dagoberti Francorum incliti Regis, fundatoris ecclesiæ Collegiatæ S. Martini Heiligenstadiensis; *Si tamen hic titulus tam antiquus est, nec eum alius præcesserit a* S. Aureo et Justino *sumptus præcipuis etiamnum ibi Patronis*

inventis ibi SS. Aurei et Justini corporibus;

22 *Non est autem dissimile vero, et si id scriptores Moguntini ipsique Sant-Albanenses Monachi semper ignoraverint, aut nescire simulaverint, quod* S. Aureus *cum Subdiacono suo* Justino *Moguntia abfuerit occupatus Evangelio in Eichsfeldia prædicando; quando Moguntiam invadentes Hunni sororem ejus* Justinam Virginem, *in promiscua civium suorum cæde in ecclesia congregatorum Martyrio affecerunt, quæ peculiari loculo ibi postea fuerit honorata ab iis, qui* B *paulo post a dispersione collecti, cæsos omnes contumularunt in Monte-Martyrum, nunc S. Albani, istic ubi sub hujus nomine condita anno* DCCCV *ecclesia fuit: ipsi vero Hunni eodem populationis impetu torrentis instar rapti in Eichsfeldiam ibique S. Aureum cum Justino nacti pariter interfecerunt eodem forte modo quo S. Nicasium Rhemensem et alios alibi SS. Episcopos irruentibus lupis obviam pro suo grege progressos mactarunt. Denique non est incredibile quod Sacrorum Corporum inventor Dagobertus eorum alterum vel partem illius transmiserit Moguntiam velut ad propriam suam Sedem: vel quod Aribo Archiepiscopus, qui anno* DCCCCXV *istuc intulit primorum* X *Episcoporum Moguntinorum corpora, partem aliquam de corpore* S. Aurei *Heiligenstadio acceperit, eique proprium construxerit tumulum; inter quem et tumulum sororis* Justinæ *collocaverit grandiorem decem Episcoporum arcam, sicuti omnes tres arcæ anno* MCXXVII *inventæ sunt, sub veteri pavimento, uti num.* 17. *Sigehardus explicat.*

quorum unius pars Moguntiam relata sit,

et juncta corpori sororis suæ S. Justinæ,

23 *Istis autem positis æqualiter utrisque Heiligenstadiensibus et Sant-Albanensibus relinquitur* S. Auræus, *numquam prioribus sic allatus totus, ut de ejus præsentia non potuerint porro gloriari: ipsique Archiepiscopi Moguntini id eis concedere, maxime habentibus adhuc totum* S. Justinum, *sicut habebant Sant-Albanenses* Justinam; *quæ etiam sæpe sola nominatur, velut præ-* C *cipua in veneratione civium, propter sepulcrum habita ab illis prius quam* Aureum, *sic ut dixi, acciperent. Refragatur quidem dictis Sigehardus, quatenus num.* 3 *ipsum quoque* S. Aureum *in monte-Martyrum primo sepultum ait cum sorore. Sed potuit id, alterius sepulturæ inscius, scripsisse ex propria conjectura; sicut, ex sua vel aliena sententia, ab Hunnis ad Arianos transtulit cædem Sanctorum, contra tanto se senioris ejusdemque Archiepiscopi Rabani assertum quod ignoscendum Auctori post tantas rerum conversiones scribenti vetustis omnibus monumentis deperditis.*

licet aliter sentiant Moguntini.

24 *Distat Heiligenstadio unius solum æstivi diei itinere Hertzfeldensis Abbatia unde anno* MDCXXIII *ad Eystadiensem nostræ Societatis ecclesiam allatas* S. Justini *Martyris Reliquias dixi ad* XIII *Aprilis, ubi de S. Justino Philosopho num.* 21; *hinc suspicionem non ineptam movet prænominatus Rector Heiligenstadiensis, quod ipsæ reliquiæ Heiligenstadio Hertzfeldiam translatæ sint, per illius loci Abbatem. Idem etiam fecerit Corbeiæ in Saxonia Abbas Wichbaldus, et de Reliquiis* S. Justini *acceperit, quod ejus postea successor Bodo, anno* MCCCLXXV *misit Carolo* IV *Imperatori, per litteras, quas recitat Pragensis Decanus in Phosphoro* pag. 476, *professus auxilium sperare se a Carolo contra opprimentium violentiam*, per Sacro-sanctas Reliquias S. Justini Martyris gloriosi et B. Sophiæ Virginis venerandæ quas Excellentiæ vestræ, *inquit*, mittimus, atque veras conscientiis nostris puris profitemur. *Nec ab ista dimovemur conjectura, quia idem Abbas consequenter dicit, quod* piæ memoriæ Ludovicus Imperator cœnobium istud in honorem Sanctorum Martyrum Stephani, Viti atque Justini studiose construxit. *Quasi jam tunc illatis eo omnium trium Reliquiis: constat enim ex ipsius fundatoris litteris in solius S. Stephani honorem erectum monasterium, cui tamen mox accesserit S. Viti Patrocinium, corpore ejus Romæ allato sicut dictum* XV *hujus; ut autem Abbatia ex tunc primum cœpit dici* SS. Stephani et Viti, ita Patronus *tertius, cujus antiquior nulla scriptura meminit, potuit multo serius accessisse duobus prioribus, ad quod Abbas Bodo animum non adverterit, cum jam duo secula fluxissent.*

Reliquiæ S. Justini an Eystadii

ac etiam Corbeiæ

AUCTORE D. P. et inde Pragæ?

D

VETUS LEGENDA

In veteri Membraneo MS. Heiligenstadiensi, ad usum Officii Matutinalis digesta.

E

CAPUT I.

Passio Sanctorum licentius exornata.

Ortum et vitam Sancti Aurei explicare cupiens, prout novi, et ab aliis didici, ac *a* divina revelatione accepi; omnes in Christo devotos scire desidero, quod verum ejus ortum et vitam invenient subsequenter. Aureus, progenie nobilis, unicus *b* parentum suorum filius, ab infantia litterarum studiis imbutus, et mire virtutum operibus intentus: qui dum adolescentiæ suæ tempora complesset et utroque parente orbatus esset, et dictum Dominicum attendisset, Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, partem regni mei non percipiet; universam substantiam, a parentibus suis relictam, in pios *c* usus distribuit, mediam partem in structuram ecclesiarum, et reliquam in consolationes pauperum.

a Probe a puero institutus,

b

et parentibus orbus, facultates distribuit,

c

2 Domo et rebus distributis, et omnibus his renuntiatis, Deo se totum tradidit, et ad partes Rheni secessit, quærens nemorum densitates et montium cavernas: quibus inventis, et secundum inceptum suæ voluntatis existentibus, Deo gratias retulit, et ibidem se recepit, vitamque eremiticam *d* per plures annos peregit. Interea non nullas passus est tentationes diabolicas: quibus omnibus, misericordia Dei protectus restitit, et in orationibus die noctuque permansit.

seque ad cremum recipit.

F

d

3 Quodam vero tempore, cum Deum orationibus exorasset, et sopori se dedisset: apparuit ei Angelus Domini dicens ei, Auree, amice Dei, surge et in civitatem quæ Moguntia dicitur vade, ubi verbum Domini pronunties: quod ex eo consequeris in futurum percipies. His dictis ab eo Angelus discessit: Qui surrexit, et juxta Angelicam admonitionem fecit: ivit ad civitatem, perrexit ad quemdam virum devotum et humilem, cum quo pernoctavit et eum divinis colloquiis multipliciter illuminavit.

Moguntiam ire ab Angelo jussus,

4 Altera die appropinquante surrexit hospes ille, et omnes sibi familiares convocavit, quibus cum magno gaudio dixit: Grates Deo ad plenum reddere non sufficimus; quod misericordia sua motus, nobis misit hominem, Angelicam vitam et virtutem habentem; mediante cujus gratia nos salvari possumus et tota terra. Apud quos beatus Aureus aliquo tempore permansit; et eos ac omnes ad ipsum confluentes

civibus verbo et exemplo prodest:

Ex MS.

fluentes, multa bona, æternam vitam præstantia, docuit; multosque a variis languoribus, præstante Domino misericorditer liberavit : qui cunctis cognitus, valedicens omnibus, ad locum unde venerat regressus est.

e mortuo dein eorum Episcopo, successor eligitur

5 Non post multum vero temporis obiit Episcopus *e* dictæ urbis, quo ut decuit sepulto, et omni populo super alio cogitante Episcopo, in unum omnes convenerunt : et in electione, cum concordes fieri non potuerunt, statuerunt seniores et devotiores civitatis, ut illi eligerent *f* pro omnibus, qui super electionem convenissent, et hinc inde habitis diversis tractatibus cogitassent; omnes [autem] in hoc concordabant et simul una voce dicebant : si Aureus inveniri et haberi potest, qui nuper hic constitutus fuerat, ulterior eo non esset. Sic inter se duos elegerunt, quibus summa diligentia commiserunt, ut eum modo diligentiori, quo possent, quærerent, et ipso invento, eum ad hoc precibus et supplicationibus tenerent, quo se de cura Episcopatus intromitteret.

g et requisitus inventusque, onus admittere persuadetur.

6 Quibus pro investigatione sancti Aurei ut in commisso acceperant, euntibus, cum familiæ magna multitudine et canibus : et cum hinc inde silvas transivissent, et eum non invenissent; tandem eum canes in quadam spelunca invenerunt, et eum latratu suo prodiderunt; sic dicti Commissarii ad *g* eum perrexerunt; in terramque coram eo procidentes, cum diversis precibus exoraverunt ut cum eis dignaretur ire ad civitatem ; et totius populi vacante Episcopatu, facere voluntatem, qui eum unanimi voce postularent in Episcopum, et totius terræ provisorem et Dominum *h*. Tandem eorum precibus diversis et supplicationibus inclinatus, cum eis vadens, tanta solennitate et gaudio ab omnibus fuit susceptus, sicut unquam aliquis Episcopus. Ipse etiam victus prece Populi, de Episcopatus regimine et ad preces omnium se intromittens; dictum Angelicum tunc in se completum esse sentiens, cum magno honore plures annos ecclesiæ suæ præfuit, et multum populum dictis, prodigiis, et exemplis Deo acquisivit *i*.

k Hunnorum Regi et tyranno adductus cum Justino Diac. et carceri traditus,

7 Crescente Dei Ecclesia beati Aurei tempore, et se in omnibus augmentante, Magno vero Hunnorum *k* Rege eodem tempore regnante, et ipsam Ecclesiam totis viribus destruente fuit beatus Aureus proditus, quod fide vir totus esset Catholicus. Quare Rex sævitia et furore contra eum succensus, terras cum magno apparatu circuire incipiens, omnes in Christo credentes sævissimis suppliciis destruens; cum ad beatum Aureum pervenisset, et ipse sibi cum Justino Diacono ministro suo captus præsentatus fuisset; in crastinum eos in carcerem jussit recludi, et sub magna custodia haberi; donec cum suis cogitaret, quid cum eis facturus esset.

Christum ei intrepide prædicat;

8 Noctis silentio adveniente, Aureo et Justino sedentibus in carcere, Angelus Domini apparuit, ipsos confortando ait; Crastina die cum in conspectu Regis apparebitis, quid loquamini non cogitetis: in illa enim hora dabitur vobis quid loqui debeatis. Ipsis Regi præsentatis, et eis ad sacrificandum *l* Idolis diversis minis compulsis; ipsi Regi responderunt, audacique voce dixerunt : Alius non est Deus, nisi Dominus noster Jesus Christus; incipiens sibi de Incarnatione Jesu Christi et de ejus causis dicere; deinde de Nativitate, Passione, Resurrectione et Ascensione. His dictis et aliis, Regem ad horam prandii tenuerunt et multa sibi de fide Catholica recitaverunt. Rex fatigatus volens discumbere, eis dixit, Ista superstitiosa verba prætermittite. Decem quoque de servis suis dixit : Accedite, et mihi eos bene ad pœnam reservate.

a custodibus liber dimittitur;

9 Rege vero discumbente, et magnas delitias habente, Custodes Aureum et Justinium deduxerunt, et eis, Abite, dixerunt : sentimus enim omnia vestra verba, quæ Regi de Christo dixistis, esse vera : fugam date, et ite in pace : Regem enim in tantum non timemus, quod a dictis vestris recedere nos velimus. Credimus quod dicta vestra habeant veritatem, et omne dictum de Idolis nostris inducat falsitatem. Mox sancti eos in hoc confortabant, et cum ingenti gaudio dicebant : In hoc non dubitamus, quia jam vobiscum sit Dominus noster Jesus Christus : et eum, si in fide hujusmodi perseverabitis, qui verus Deus est facie ad faciem videbitis. Sic Custodes in hoc proposito firmiter steterunt, et ad Regis curiam redierunt : Sancti vero recedebant, et prout eis Deus disposuit, faciebant.

quibus ideo interfici jussis,

10 Postquam Rex discubuit, Aureum et Justinum sibi præsentari jussit; statim ministri ad Custodes currentes, jussum Regis eis nuntiantes, Custodes Regem adierunt, et sibi intrepide dixerunt. Homines nostræ custodiæ commissos abire fecimus, quod ipsos justos esse cognovimus; ideoque una cum ipsis servis Jesu Christi facti sumus, quia verus Deus est, quod in veritate negare non potest. Tunc Rex per longam horam præ nimio furore loqui non potuit. Tandem cum magna vehementia et alta voce suis dixit : Hos insanos et deliros cito tollite, fustibus cædite, et gladio perimite : sic ordinantes ne alicui hominum appareant viventes. Qui Regis mandatum impleverunt et eos pro nomine Jesu Christi decollaverunt.

mittitur qui fugitivos investiget.

11 Regi super his quæ acciderant cogitante, et quid facturus esset nesciente; ad se suum vocavit Præfectum, virum tyrannum et omni sævitia plenum, dicens ei : Elige tibi viros competenter convenientes et tuis jussionibus obedientes; et insequere magos qui nos deceperunt, et totam terram suis fallaciis ad malitiosam sectam perduxerunt : et non die ac nocte quiescas, quin ipsos invenias : et eis inventis ad sacrificandum Diis nostris ipsos compellas diris suppliciis. Quod si renuerint, et in secta sua perseveraverint, ipsos diversis cruciatibus punies, et morte turpissima quam excogitare poteris damnes; ut aliis exemplum præbeant, ne talia facere præsumant : et non ad me revertaris, nisi mandatum hujusmodi totaliter adimpleveris.

Hic in Rustenfeld deprehensos,

12 Præfectus, quod Rex jussit, fecit : et magnam familiam sibi assumpsit, vadens de civitate in civitatem, de villa in villam; et semper pro duobus, vestibus talibus vestitis, interrogavit, et hoc quinque diebus continuavit, et tamen nihil profecit. Tandem perrexit ad quemdam nobilem, supra *m* Rustenvelde mansionem decentem habentem, cum quo pernoctavit; qui sibi de prædictis interrogatus, dixit : Hodie duo ad allodium meum Rustenvelde venerunt, qui consimilibus vestiti fuerunt; si illi pro quibus interrogatis, sint, nescio. Præfectus dixit, hoc perscrutari volo : et statim ad Allodium descendit, et eos ibidem invenit. Mox ipsos captivos secum duxit ad hospitium, et famulis suis eos per noctem tradidit ad custodiendum.

frustra idola venerari suadet.

13 Altera vero die Aureo et Justino Præfectus dixit : Rex mihi sub periculo corporis mandavit, quod debeam a vobis investigare si diis nostris velitis sacrificare, et vestram erroneam sectam de Christo deponere : et si hoc feceritis, magni in Curia Regis esse debeatis : si autem facere nolueritis, quod vos damnare debeam gravissimis tormentis. Modo statim eligite quid velitis facere. Qui sibi responderunt : Dii vestri surdi et muti sunt, per se nihil facere valentes, sed omnia operatione dæmoniaca perficientes : ideo nullam communionem cum ipsis volumus habere, neque sacrificiis nec orationibus; sed Domino nostro Jesu Christo volumus servire

A servire, qui habet animas hominum perdere et salvare.

14 Præfectus videns Aureum et Justinum flecti tantum verbis nos posse, Diis sacrificare, et Christo abrenuntiare; magnum tormentum excogitavit; quo ipsos ad hoc faciendum compellere voluit. Quatuor calceos magnos procuravit fieri, quibus acutissima *n* rasoria jussit innecti, putans ipsos hoc tormentum in tantum abhorrere, quod a Christo deberent recedere. Sic calceos eis proposuit et ipsos [induere] jubendo ait; Hos Calceos induite, et in eis incedite; vel nostris tamquam veris diis sacrificate Mox ipsi, in nomine Jesu Christi calceos induentes, in eis supra rasoria gradientes, per longam viam iverunt, et absque ulla læsione permanserunt.

Ideo calceantur ab eo rasoriis,

15 Præfecto suo tormento, quod excogitaverat, nihil proficiente, et ipso intime hoc dolente, concepit aliam pœnam, ipsis Aureo et Justino infligendam. Fecit parare duas ferreas galeas *o* de extentis laminibus ferri ad modum craticulæ transverse confabricatas: quas in ignem jussit poni, et supra modum ardore ignis incendi: quibus mire incensis ipsis dixit: Ardore istarum galearum perire debetis, nisi Christo Domino vestro abrenuntietis. Qui intrepidi B responderunt Præfecto et dixerunt: A Christo non recedemus, quia pro nomine illius mori parati sumus; qui pro salute nostra mortem subiit in cruce suspensus. Tunc ardentes galeas ipsis superposuit et malleo eas ipsis Sanctis incuti fecit: ipsi vero illæsi permanserunt, et galeæ extinctæ ad terram corruerunt.

ignitis galeis cruciantur.

16 Præfectus super præmissis commotus nimisque perturbatus, quod Rex sibi mandaverat, præ oculis habuit: Aureo et Justino dixit: Nihil est quod facitis, quod ita magicas artes exercetis, cum per eas putatis vos mortem evadere: sciatis per eas vos mortem incidere: nescitis quod hic circumquaque sunt Nemora et omnia loca deserta, in quibus feroces sunt feræ nemini scientes parcere: quarum esca eritis, nisi mihi in vobis sæpius repetitis acquiescatis. Qui responderunt, Magicas artes nescimus, sed gratia Domini nostri Jesu Christi per omnia operatur in nobis, cujus servi sumus: et ideo tormenta tua non timemus

et feris per noctem exponuntur:

17 Præfectus dixit Temeritas vestra perire vos facit. Deinde duxit eos ad nemus, ubi sibi videbatur esse locus horribilis, et eos ibi fabricari *p* fecit ad duas arbores, cum catenis et compedibus per fabros, C ponens duos custodes super arborem: qui vigilarent per totam noctem, ut destructionem eorum viderent, et hanc sibi vero modo de mane recitarent. Nocte vero instante Sancti signaculo sanctæ Crucis se signaverunt. Deinde infinitæ feræ diversi generis coram eis convenerunt, pacifice inter se et cum eis jacentes, omnino nullas insolentias moventes. Duo etiam magni cerei, modo mirabili formati et ornati, coram ipsis tota nocte ardentes steterunt. Hæc omnia Custodes in arbore sedentes viderunt.

appositis qui observent custodibus;

18 Præfectus surgens valde mane, quomodo Aureo et Justino successisset, scire cupiens toto corde; cum ad eos pervenit, omnes feras quæ ibi fuerant, miti modo abire conspexit; et multum fuit admiratus, quod eorum nullus ab ipsis fuit læsus. Tunc omnes secum existentes convocavit, et commoto animo dixit: Per Herculem! si ego consentirem, isti per suum Jesum me deluderent usque infinitum. Consulo quod breviter decollentur, et quod ad Dominum nostrum Regem revertamur. Dolerem quod ipse sciret dominus Rex, quod tanto tempore ab ipsis sum delusus: hoc apud ipsum numquam *q* recuperem. Ergo imponere volo finem; in hoc omnes secum concordabant et dicebant, ista fiant.

sed cum sic quoque servati essent,

19 Præfecto Aureum et Justinum ferreis vinculis absolvi jubente, et fabro ad jussum suum hoc faciente; statuit unum famulum, qui præparavit suum gladium, ut eos decollaret. Tunc petierunt sibi concedi, ut adorarent suum dominum Jesum Christum. Hoc fuit eis concessum. Dixerunt; Petimus, domine Jesu Christe, nos venire ad te, et ut omnis homo, qui nobis omni die honorem exhibuerit in tuo nomine, corporis et rerum gaudeat prosperitate *r* et animæ Salvatione. Quibus desuper est responsum; Quod petistis est exauditum: et inclinatis capitibus, decollati sunt duobus gladii ictibus *s*. Statim Præfectus et omnes alii assumptis sibi capitibus recesserunt; et corpora avibus et bestiis ad devorandum reliquerunt. Tunc de Rustevelde Colonus, et unus Sanctorum famulus, corpora acceperunt et ea devote sepelierunt.

D *EXMS. capite plectuntur:*

20 Præfecto cum gaudio recedente, et ad Dominum suum Regem regrediente in via dixit suis famulis: Mirari non sufficio de istis fatuis hominibus, quod libentius volebant mori misere, quam vivere cum magno honore. Ad hæc Custodes, qui de nocte in arbore sedebant, unanimi voce dicebant: Vere, Domine Præfecte numquam volumus ista negare: Ipsi justi et sancti fuerunt et omnia vera [sunt] quæ de Domino nostro Jesu Christo dixerunt. Illa nocte, E cum in arbore supra eos sedebamus, signa vidimus magna et audivimus. Vidimus duos speciosissimos cereos, non hominum manibus factos, coram ipsis tota nocte ardere, et de se non humanum dare splendorem: ipsos quoque audivimus per totam noctem orationibus læto animo Deum adorare et Angelos ad orationes suas eis respondere. Etiam feræ silvarum innumerabiles quæ diversi generis fuerant, coram eis tamquam oves tota nocte jacebant. Ergo a Jesu Christo eorum Domino non recedemus: sed servi ipsius mori volumus. Præfectus statim dixit, uni famulo; occidas eos gladio; si [cum] istis fabulis ad Regem veniremus, omnes perditi essemus: sic isti duo fuerunt interfecti pro nomine Jesu Christi.

sicut etiam custodes, quid vidissent confessi.

21 Præfectus vero cum ad dominum suum Regem pervenisset, et omnia per eum cum Aureo et Justino perpetrata sibi recitasset, eique capita ipsorum præsentasset; Rex eum in omnibus quæ gesta fuerant, multum commendavit; et eum altiori dignitate per solemnius officium sublimavit, totique Curiæ dixit: Omnia quæ ad hanc Provinciam venire nos moverunt, pro omni nostra voluntate consummata sunt, ergo ad partes [nostras] redire volumus. In nomine F Jovis eamus. Qui dum ad Regionem suam pervenissent, et prosperis successibus sacrificassent, Præfectus quoque magnam jactantiam de exaltatione sua fecisset, quæ sibi propter damnationem prædictorum Sanctorum evenisset; accidit ex permissione divina, quod ipse Præfectus et tota familia sua, qui rei in sanctorum Martyrum Aurei et Justini passione fuerunt, omnibus in Curia Regis existentibus videntibus, et timentibus, mala morte perierunt.

Regressus ad Regem cum capitibus Præfectus

et honoribus auctus male perit.

ANNOTATA D. P.

a *Verba hæc respiciunt ad num.* 25, *ubi dicitur quod Regina in somnis monitæ ex sene quodam intelligere qui essent sancti quorum corpora inventa erant: ille* continuo vitam Beatorum Martyrum Aurei et Justini suprascriptam de verbo ad verbum declaravit. *Sed unde auctor sibi majorem putavit fidem conciliare, suspectum se facit fictionis culpabilioris: qui etiam hic in persona prima loquitur, quasi ipse senex esset is, qui ista Reginæ narravit, velut sibi divinitus post tantum fluxum temporis revelata.*

b *Titulus unici filii, non excludit sororem: dubitat tamen Knackrichius noster, an omnino debeat* Aurei *soror*

EX MS.

soror carnalis credi S. Justina; *eoque adducit Catalogum veterem Reliquiarum Corbeiensium, inter quas habentur*, Notabiles Reliquiæ S. Aurei et Justinæ sororis societatis; *et suspicatur forte indicari* Mulierem sororem, *quales circumducebant Apostoli* 1 *Cor.* 9. *sed absit ut exemplum quod nec in Oriente quidem diu valuit, et quo Apostolus gentium uti noluit, ut esset expeditior, ad Germaniæ Apostolos post tot secula suspicemur transiisse. Potius opinabor ducere voluisse scriptorem Catalogi, quod eæ* Reliquiæ *sint aliquorum* ex societate Aurei et Justinæ sororis.

c *Facultates distribuere* in pios usus *vetustissima fidelium pietas est, phrasis, ævi omnino recentioris. Interim qui tam distinctam certamque notitiam vitæ affectat, velut antiquissimus scriptor silentio suo fatetur et patriæ et Regum sub quibus Sanctus aut passus est aut revelatus, ignota sibi nomina fuisse, quæ alii deinde antiquitatis historicæ scientiores, ex verosimili definiverunt.*

d *Ita scilicet fecerat S. Florentius, tempore Dagoberti Austrasii, Argentinensis post S. Arbogastum Episcopus, ab eremo, ut habet Vita apud Surium 7 Novemb. protractus ad Cathedram.*

e *Hunc quoque nescivit auctor nominare. Serarius* Marianum *appellat; estque hic Episcopus in ordine vigesimus quartus.*

f *Electionis per compromissum faciendæ exempla, nescio an uspiam inveniri possint tantæ antiquitatis.*

g Commissarios *non reperit Cangius in antiquiori scripto nominatos, quam in statutis Venetorum anni* 1242 *lib.* 4 *cap.* 17 *et seqq.*

h *si de* Dominio *temporali agitur, quale nunc habent Archiepiscopi et Episcopi S. R. I. Principes; non pertinebat ad veteres ante Bonifacium Episcopos; qui an illud acceperit a Pipino Rege, an vero successorum aliquis, puta Guilielmus, a patre suo Ottono Imp. non explicat Serarius, nec ego præsumo definire.*

i *Hactenus Lectiones sex pro die festo: deinde interpositis Responsoriis tribus, pro Lectionibus tertii Nocturni describitur reliquum diei Officium, usque ad secundas Vesperas inclusive: post quas successive, et sine ulla interpolatione iterum ponuntur quindecim Lectiones de legenda, ut sint quotidie tres, pro sex diebus per Octavam; ac tandem pro Octava ipsa iterum sex, sub eadem, qua hic utimur, divisione.*

k Attilam *merito credidit posterior ætas.*

l *Hunnos fuisse ethnicos, et Christianæ religionis exortes, ejusque hostes; uti sunt Saraceni ac Tartari, nullus equidem dubito; et, quod consequens est, superstitionibus variis addictos; idemque de eorum Rege* Attila *dixerim: non tamen aut hunc, aut illos coluisse idola eaque Romana. Quin, si verum est, quod Olaus Magnus ait, ipsum nominari voluisse* Flagellum Dei, *haud alium quam unum verum Deum intellexerit: quem utcumque agnosceret ille, non tamen ut Deum glorificabat. Sic in Vita S. Lupi Trecensis, qui ab illius sævitia urbem suam precibus liberavit, legitur quod ad hujus conspectum divinitus motus* immanis ille ac ferox Attila, fidem sancti viri altiori sensu suspiciens, pro sua exercitusque sui salute et incolumitate secum eum voluit proficisci ad Rhenum usque: *reditu autem concesso*, oravit obnixe sanctum virum, ut velit pro ipso Dominum deprecari. *An hæc, et quæ deinde occurrente S. Leone Papa egit, idololatriam sapiunt? Varios ille quidem Episcopos Martyrio affecit, sed crudelitate potius quam superstitione motus: nec cuiquam illorum legitur vitam obtulisse si discederent a Christo ad idola colenda. Atque hinc intelligat Lector, quam parum certioris scientiæ ad scribendum contulerit auctor hujus Legendæ; ac verosimiliter aliud nihil, quam quod de Sanctorum adventu Heiligenstadium ibique tolerata morte habebat traditio popularis; cetera dicta factaque commentus ex ingenio suo, qualia dici et fieri potuisse cogitavit.*

m *Accuratior Saxoniæ superioris tabula, Eichsfeldiam complexa, notat una hora ab Heiligenstadio, versus Occasum,* Rostenfelt *et* Rostenberg.

n Rasorium *scriptoriæ supellectili accensetur in statutis Carthusiensium pro* Scalpello: *et in hac significatione eadem voce utitur is, qui Græcos Hesychii libros in Leviticum Latine reddidit ante seculum* 9; *nec facile alium antiquiorem reperies: nunc Francis vox illa* Novacalam *tonsoriam significat sed necdum sic inventa est apud aliquem paulo antiquiorem. Qui autem hic* rasoria *innexuit calceis, videtur intellexisse ferreas radulas jam olim latinis notas* raspe *Belgis et Germanis dictas.*

o *Hic quoque ægre concipias formam* Galeæ: *fingamus enim reticulatum capitis tegmen; non id ex* laminis extentis *(quas* Lamina *in neutro plurali alius hactenus non legitur appellasse), sed ex filamentis seu lineis ferreis factum concipias oportet.*

p Fabricari *pro* clavis figere, *nescio ubi inventurus quis sit.*

q *Similis barbariei, nec vetustæ, est* Recuperare, *pro Excusare.*

r *Jam sæpius monui hujusmodi morientium Martyrum preces, non nisi in sequioris ævi ac fidei Passionibus legi: uti etiam illas de cælo voces, in veris ac genuinis Actis rarissimas esse.*

s *Credo hoc commentum Auctorem, quia tum ista scribebat, cum Heiligenstadii non amplius inveniebantur capita, pridem alio translata.*

CAPUT II.

Sacrorum corporum inventio et elevatio: ecclesiæ Heiligenstadiensis prima fundatio. a

Rex Francorum leprosus,

Post multa vero tempora, dum quasi Aurei et Justini extincta esset memoria, surrexit Rex Francorum, magnus Christianorum Dominus, et gratiosus: qui dum longo tempore regnasset, et omnia sibi *b* subjugasset; accidit ex divina permissione, quod lepræ percussus fuit *c* infirmitate. Quam cum in se sensisset, dixit omnibus suis, quod peregre proficisci vellet. Sic regnum filio suo *d* et suis Secretariis regendum commisit in omnibus donec rediret de peregrinatione, et sic recessit cum Regina *e* uxore sua. Et dum aliquam diu terras circuivissent, et locum pro voluntate eorum existentem non invenissent, tandem, divina gratia disponente, quod eis aptum propter subsequentia deberent invenire; ad locum qui Altenborg vocatur venerunt: ubi cum tota familia sua requieverunt; ibi denique mansionem decentem fecerunt, et cappellam *f* in honore Dei, Mariæ Virginis, et beati Petri Apostoli construxerunt.

cum uxore peregrinatur usque in Altemborg,

ubi amœno in loco requiescens, et rore tinctis manu ac facie,

23 Quodam vero tempore, cum Rex esset in venatione, venit ad amœnum locum in silva, ubi steterunt pulchra gramina, quæ diversis fuerunt permixta floribus, mire bonis odoribus fragrantibus; ubi supra modum delectabatur quiescere, parumperque dormire. Credidit si hoc non faceret, quod eum mori oporteret: sicque ad gramina se posuit, et modicum dormivit. Et cum evigilasset, et manum juxta se ad gramina extendisset; eadem perfusa et madidata rore, se cum ea linivit in facie; statimque surrexit, et ad mansionem suam rediit. Suæ quoque conthorali Reginæ læto animo dixit; Breviorem et dulciorem somnum cepi, quam unquam diebus vitæ meæ feci. Regina respondit: Bene credo, quia in manu tua et in facie hoc bene video, quæ Dei gratia sunt curata, et omni carent infirmitate; de quo Deo gratias referamus et omnia sibi committamus.

24 Regina super his quæ Regi evenerant cogitante

et toto deinde corpore,

tante, et ea ex divina gratia processisse æstimante statim Regi istis loquebatur verbis : Rogo, Domine mi Rex, ut mihi dicas, si locum ubi dormivisti denuo invenire valeas. Ad ista respondit Rex : Bene ipsum volo invenire : eamque statim secum ad locum duxit, et omnia sibi ostendit. Statim Regina omnia judicavit, et Regi his verbis jussit : Cito omnes vestes tuas depone, et rori te immerge, rore te ubique linendo, nullam partem corporis tui prætermittendo. Rex fecit quod fuit jussus : et mox ab infirmitate totaliter fuit purgatus. Rex videns, et sentiens se esse curatum, magnum æstimabat esse miraculum; devote Deo gratias retulit, læto quoque animo dixit : Vere, aut hic Sancti jacent : aut locus iste sanctus est. Volo ergo quod locus iste in perpetuum vocetur Locus-Sanctus : aut Locus-Sanctorum : deinde ambo, Rex et Regina ad filium suum læti redierunt *g*, et votum peregrinationis se adimplevisse dixerunt.

persanatur, locumque jubet Heiligerstad vocari.

25 Quadam nocte, cum Regina dormiret, vox divina de quodam sene viro devoto ei dixit : Ipsum, quomodo Rex curatus fuerit, interroga ; hoc ipse tibi dicet, in veritate non ficta. Regina prout in nocte audierat, adveniente die senem interrogavit ; et tamen prius omnia, quæ Regi acciderant, sibi recitavit. Senex autem hanc allocutionem, factam Reginæ, sciens a Deo procedere ; continuo ei vitam beatorum Martyrum Aurei et Justini suprascriptam, de verbo ad verbum *h*, declaravit. Quo facto ipsi Reginæ dixit : Isti duo Aureus et Justinus, in loco illo ubi Rex fuit curatus pro nomine Jesu Christi fuerunt Martyrizati ; et ibidem jacent adhuc sepulti, per quos Domino annuente Rex curatus est a peste Corporis *i* et animæ. Et si meis consiliis acquiescitis, propter hoc Deo et ipsis Sanctis speciale servitium exhibebitis.

Intelligit ibi jacere corpora Sanctorum,

26 Regina omnia Regi exponente, Rex ei respondit : Credo omnia quæ mihi dixisti esse vera : et gratias Deo refero de sua misericordia. Exinde de servitio, Deo et Sanctis exhibendo, cogitavit : sicque ipsos *k* canonizari procuravit ; et in loco Sepulchri Ecclesiam construendam erexit ; cui Præpositum et duodecim Canonicos præfecit, quibus pro sustentatione allodia, decimas et multa Bona donavit ; eisque injunxit et dixit : Ædificia *l* ædificetis, et locum pro toto posse vestro emendetis. Sic ipsi Præpositus et Canonici ecclesiam, et juxta eam urbem construxerunt, deinde opem et operam ad hoc præstiterunt, quod rustici Villæ quæ Zuenchem *m* vocabatur : quæ in modica distantia juxta prædictam ecclesiam fuit sita : et omnes alii de universis terris venientes, civitates construxerunt, et ei nomen Heiligenstatt, quod Rex nominaverat, imposuerunt. Sic ecclesia Heiligenstadensis et civitas per Dominum Regem prædictum sunt fundatæ, cujus anima *n* requiescat in sancta pace. Amen.

et super ea ecclesiam construit,

fundatque Capitulum et civitatem.

27 Post hæc Reverendus in Christo Pater ac Dominus, devotus Archi-Episcopus *o* Moguntinus, venit Heiligenstat propria in persona. Qui dum vidisset et cognovisset omnia, quæ per Dominum Regem supradictum, intuitu Dei et sanctorum Aurei et Justini Martyrum, fuerunt fundata et instaurata ; multum laudavit eaque approbavit, et libere confirmavit : magnam quoque Indulgentiam *p* omnibus Benefactoribus dictæ Ecclesiæ Heiligenstadiensi de misericordia Dei omnipotentis, cum quo ipse regnet, largitus est. Etiam ejusdem ecclesiæ Dominis Præposito et Canonicis multa privilegia, libertates, decimationes et alia *q* bona intuitu Dei et beatorum Martyrum ac cultus divini, tradidit et concessit ; ubi Deo die noctuque fiunt servitia Cui est honor, laus et gloria per infinita secula seculorum. Amen.

Fundata confirmat Archiep. Moguntinus.

EX MS

ANNOTATA D. P.

a *Hujus capitis argumentum, licet in mera traditione funditum plus tamen solidæ veritatis continet, quam primum ; ubi apparet multa ex ingenio Auctoris composita aut conficta esse, non parum tamen ille etiam hic sibi indulsit : cœpto autem semel stylo progrediens, a nominandis personis abstinet.*

b *Solum, ut dixi* Dagobertum I *ex historia cognoscens scriptor, solum eum licet non nominet, nobis videtur describere, qui vivente adhuc patre regnare exorsus in Austrasia an.* 622, *eoque mortuo etiam in Neustria an.* 628, *atque biennio post Monarcha factus, solus imperavit annis* 8, *post Moguntiæ eversionem annis* 180 *circiter. Ast nepos ejus in Thuringia regnare exorsus an.* 661, *deinde reliqua potitus Austrasia, totum paternum S. Sigeberti regnum tenuit, ab anno* 675 *ad* 680, *adeoque totis* 19 *annis Rex dictus*

c *Dagoberti I gesta prolixe et accurate descripserunt primi Fredegarius, Monachus Sandionysianus et Aimoinus, primus cæterus, nec ultra annum* 642 *scribendo progressus (alius enim est ejus Chronicon prosecutus) præfatur autem ille,* se Acta Regum et bella gerentium, quæ legendo simul et audiendo, etiam et videndo *(utique Dagoberti)* cognovit, scribere..... curiosissime... studuisse : *Nepotis ejus obscuriora sunt Acta, et per Henschenium vix demum discreta ab Actis primi postremique Dagoberti ut de eo facilius præsumi possit gravis aliquis, imo sonticus morbus, qui ipsum coegerit, ut mox dicitur, publica rerum administratione abstinere ad tempus, translato in filium tantisper regimine : nam hoc (ut de morbo taceam) nimis publicum, et nimis notabile est, quam ut a curiosissimo Fredegario præteriri potuerit.*

d *Filios Dagobertus I habuit.* S. Sigebertum *ex Ragnetrude, quam an.* 632 *trimulum constituit adhuc vivens Austrasiæ Regem, sicut prior ipse fuerat, erat enim Austrasia prima ac potior Francici Imperii pars) et ex Nanthilde* Chlodovæum II, *qui in Neustria atque Burgundia morienti patri successit quinquennis an.* 638, *adeo ut neuter vivente patre aptus per se fuerit regimini, idque gerere debuerit, non per Secretarios, ut hic comminiscitur (quorum nomen latava primum apud Monachos invenitur seculo* XI, *et ab iis paulatim ad officia civilia transiit) sed per* Majores domus, *id est Palatii, qualis sub Dagoberto I in Austrasia fuit* B. Pippinus, *in Neustria* S. Arnulfus, *sub nepote autem Rege Austrasiæ* Ansegisus S. *Beggæ maritus ; quando Dagobertus iste* II, *filium habebat* Sigebertum, Regem *etiam dictum in Actis S. Gertrudis, sed una cum patre occisum. Huic ergo jam adolescenti simul et* Ansegiso *committi potuit Austrasiæ regnum ; et leprosus pater ad extima regni Eichsfeldiam scilicet secessisse : quod de primo* Dagoberto *ejusque filiis non tam commode intelliges.*

e *Henschenius in sua de tribus Dagobertis Diatriba, ante tomum 3 Aprilis impressa, num.* 47, Mechtildem, Saxonum Ducissam, *ductam ait a* Dagoberto Austrasio, *in sola adhuc Thuringia regnante ; ex eaque copiosam satis posteritatem recenset, sanctitate magis quam gestis secularibus claram ; adeo ut in Eichsfeldiam recedens Rex, proxime accesserit ad uxoris suæ patriam, Francorum oculos fugitans.*

f Extant adhuc, *inquit in suis ad me P. Knackrich,* parietinæ depressi sub terra sacelli domestici, cum exigua parte fornicis, et ingens acervus sectorum lapidum de castro, quod parva hora ab Heiligenstadio ædificasse Rex perhibetur, et Alteriburgum hodie vocatur ; *a suo autem conditore nomen aliud potuit prius tulisse : atque ex hoc ipso intelligitur recentior ætas auctoris, cujus ætate locus jam nominabatur a vetustate ; qui cum ædificabatur potius* Neoburgum *dictus*

dictus fuisset, forte autem Dags-burgum *dictus fuit.*

g *Dagoberti* I *regia fere* Parisiis ; *Austrasii*, Metis *habebatur.*

h *Revelationem aliquam seni isti factam hæc videntur supponere : per quam potuerint illi divinitus indicata fuisse nomina Sanctorum (uti Quatuor Coronatorum nomina, post corporum inventionem, revelata sunt) item in genere aliquid de morte ipsis allata ab infidelibus. Sed nimium credulos sibi poscit lectores, qui præmissæ Legendæ toti* de verbo ad verbum *fidem petit, et quidem post tot secula ; nisi hoc quoque credi velit, vel senem istum vel Reginam omnia sic scribi jussisse, et tale scriptum ad manus hujus Auctoris pervenisse : neutrum credere nos prudenter possumus.*

i *Nota est Dagoberti I lascivia, ad quam fortassis hic auctor respexit : de Austrasio, quem tamen hic potius intelligere malumus, nihil turpe refertur, utpote procul ab aulæ deliciis educato in Hibernia, et per S. Wilfridum Eboracensem, cujus ope reductus in regnum fuit, optime instituto, ac denique Sancto habito.*

k Canonizationis *nomen seculo illo necdum audiebatur : cum vero quæ Pontificis Romani auctoritate fieri dicitur, primum usurpari seculo* 10 *cœpit. Qua de re vide propriam nostram Dissertationem, ad Pontificatum Joannis XV ; et Mabilionem, ad Acta Benedictina ante Seculum V, nec non dicta in Embolismo, ad Acta S. Simeonis Trevirensis,* I *Junii ; atque ex omnibus disce, primum fuisse S. Udalricum Augustanum Episcopum, cui sciatur an.* 983 *talis honor ab Apostolica sede obtigisse.*

l *Canonicis illis, ex sua institutione in commune viventibus pro more illius temporis, cum ecclesia ædificatum* Monasterium *quod adhuc stabat (licet forte aliquoties reparatum an.* 1022, *quando S. Henricus locum ditavit ut infra dicetur : nunc circum ecclesiam diversis in domibus, ut seculares solent, Canonici habitant : et fortassis sic etiam habitabant, jam plene secularizati, cum hæc scriberentur.*

m *Knackrichius dubitat an vel in vetustissimis tabulis ejus villæ notitia inveniri possit et* creditur *inquit*, fuisse vicus civitatis nunc Gruickhan appellatus.

n Anniversarii Dagobertini *meminit Bertholdus Moguntinus in diplomate anni* 1499, *diem aveo scire.* Dagobertus I *obiit* 19 *Januarii ;* Austrasius *Sathanaci colitur* 10 *Septembris.*

o *Difficile est definire nomen ejus, qui tunc Moguntiæ præerat, Episcopi : hoc certum, præmature hic usurpari titulum Archiepiscopi. Concilio Remensi an.* 630 Lupoaldus Moguntiacensis *interfuit, qui cadit in tempora Dagoberti I, post quem tres ultimi ante S. Bonifacium primum Archiepiscopum nominantur Richbertus, Geroldus et Gerviho quorum duo a Carolo Martello, adeoque post annum* 716 *promoti dicuntur, et nomina forte nonnullorum aliorum exciderunt. Interim vix dubito, quin Dagobertinæ ecclesiæ consecrator, prius etiam quam illa conderetur, Sanctorum corpora effoderit primus, et in illam arcam transtulerit, in qua reperta infra narrantur post aliquot secula : quod hic prætermitti miror ; infra autem vix obscure innuitur, cum dicitur esse* tempus ut *illa* secundario exhumentur.

p *Jam sæpe dictum, Indulgentias loca pia visitantibus vel juvantibus, non cœptas dari ante seculum* XI ; *omnino autem videtur Auctor confudisse cum prima fundatione, restaurationem factam post annum* 1276 *ad quam promovendam Wernherus Archiepiscopus ;* 17 *Julii, largitus est dies* XI, nihilominus ratas habens *etiam eas, quas eodem anno die* 24 *Aprilis, alii* Archiepiscopi et Episcopi ad ejusmodi opus contulerunt vel adhuc duxerint concedendas : *ubi potissimum respicitur ad eas, quas pro subsidio circumeuntibus per diœceses et territoria, eo anno largiti erant illi, aut largituri, sicut ex infra proferendis bullis patebit.*

q *Scribitur mihi, ex Thuringiæ historiis haberi, quod Otho Dux Thuringiæ, Imperator creatus, filio suo naturali Guilielmo quem fecerat an.* 954 *Archiepiscopum Moguntinum eligi, in proprietatem contulerit ex integro Turingiam Hassiamque, unde Knackrichius suspicatur hunc esse* devotum *illum* Archiepiscopum, *qui Dagobertinam fundationem confirmarit, neque alium ab Auctore intelligi. Quid autem si intelligatur* S. Willigisus, *qui sicuti sub finem seculi* 10 *Moguntiæ novam Cathedralem* S. Stephano *dedicavit ; sic etiam restauratam suo tempore Heiligstadiensem* S. Martino *nuncupaverit. Certe non prius illi hoc nominis fuisse existimat Knachrichius. Ceterum sive hic sive ille tam liberalis erga ecclesiam istam fuit, apparet quanto diu post scripserit, qui neminem scivit distincte nominare.*

CAPUT III.

De exhumatione et translatione sacrarum Reliquiarum Aurei et Justini. a

a Ministri ecclesiæ viso in ea nocturno lumine

Gloriosus Deus in Sanctis suis, gratiam et misericordiam in honore Sanctorum Martyrum Aurei et Justini facere volens hominibus : magnos cereos ardentes nocturno tempore appareri, et dulcissimum cantum audiri concessit, in Choro ecclesiæ Heiligenstadiensis, antiquo, parvo *b* et depresso. Quod cum ministri et servitores ecclesiæ pluribus vicibus vidissent et audivissent, dignum æstimabant hoc se Dominis suis, Domino Decano et Capitulo revelare. Et quodam tempore, dum ipsi Domini in loco Capitulari essent constituti, ipsi ministri eos accesserunt, et omnia quæ viderant et audierant eis dixerunt. Super quo Domini *c* multipliciter solicitati [sunt] diversimode cogitantes et quid sibi hoc vellet nescientes. Et cum talibus meditationibus aliquo tempore inter se occupati fuissent, et in gaudio, tristitia ac timore perstitissent ; tandem uni ipsorum valde devoto vox divina quadam nocte in somnis dixit ; Tempus est ut sacræ sanctæ Reliquiæ Martyrum Aurei et Justini, qui in Choro jacent sepulti, secundario, propter expugnationem *d* civitatis, in loco in quo sanguinem suum pro nomine Jesu Christi effuderunt, exhumentur, et ut dignis laudibus super terram ab hominibus venerentur. Ergo festines, et non tardes, et non omittas ; nisi cum Fratribus tuis ordines, et procures, ut omnia, tibi de istis Reliquiis dicta, perficiendo consummentur.

c rem Canonicis indicant.

29 Quam revelationem idem Dominus statim de mane dixit Fratribus suis, et Domino Decano, et Capitulo : quia pro tunc non habebatur in ecclesia aliquis e Vicariis. Qui Domini statim unanimi consensu hujusmodi Reliquias fodiendo quærere conceperunt : et sic fodere incipientes, pluribus diebus in vanum laborarunt, penitus nihil invenientes. Quadam autem die, videlicet feria quinta ante festum *f* Walpurgis, hora *g* Macelli, sarcophagum lapideum miro modo et plane sectum, prout apparet et perpetue *h* apparebit, omnibus videre volentibus, invenerunt (de quo sarcophago non habetur indicium, si factus sit per manus hominum) in quo Reliquias Sanctorum Martyrum Aurei et Justini invenerunt : quas tangere et transferre non ausi fuerunt : sed eas superioribus suis *i* et dignioribus exhumandas reservaverunt : custodes quoque armatos constituerunt, qui eas die noctuque custodierunt, donec ista superioribus suis exponendo reseraverunt.

Hi sancta corpora jussi redefore, e

f g ea inveniunt 30 Aprilis! h

30 Quo facto exhumandi et transferendi Reliquias, videlicet dies *k* ipsorum Martyrum Aurei et Justini immediatus fuit generaliter omnibus præfixus Quo die adveniente Venerabiles in Christo Patres ac Domini, Episcopi, Abbates *l*, Præpositi, Decani

k Curatur translatio 17 Junii,

A ni, Canonici, Plebani *m* ac Religiosi innumerabiles convenerunt, et officium Missæ humiliter et devote ac sôlenni voce decantaverunt. Quo completo Sanctorum Reliquias, Te Deum *n* et alias laudes devotas cantando, transtulerunt; et ad novum scrinium *o*, ad hoc præparatum, deposuerunt; et magnam Indulgentiam, et multas Fraternitates et Karenas, omnibus Benefactoribus Ecclesiæ contulerunt.

m multiplicantur eleemosynæ, n o

31 Omnes quoque qui aderant odore suavissimo et minus solito replebantur, omnes etiam infirmi qui convenerant, quibuscumque languoribus fuerant perplexi, cæci, surdi, muti, contracti, paralytici, claudi, obsessi, omnes fuerunt curati. Tantus etiam populus convenerat de universis terrarum finibus, quod se in civitate non poterat continere, sed totus campus inter civitatem et Paphenbruele, ac monticulum Steygere plenus *p* fuit populis et hominibus. Etiam innumerabiles fuerant ibi prædicatores, qui in civitate et extra civitatem prædicabant, populo valde multum offerente, in clenodiis aureis, argenteis, equis et rebus aliis, ita quod Petitores, ad hoc rogati et deputati, ad plenum oblationes recipere et capere non potuerunt: sed quicumque Dei intuitu facere voluit, pileum suum extendit, et eum plenum B pecunia et aliis oblationibus statim cepit. Et sic in tantum fuit oblatum, quod de talibus oblationibus, ac aliis postmodum intuitu sanctorum Martyrum Aurei et Justini oblatis, solennis Chorus, perpetue duraturus, est constructus: in quo Deo fiunt die noctuque servitia, qui nos salvet per æterna secula. Amen.

novus chorus construitur.

p

ANNOTATA D. P.

a *Sub hoc titulo sequens Narratio, non distinguitur, ut priora omnia, in Lectiones; sed veluti ad complementum per modum Appendicis videtur addita, et una cum Officio reliquo post Legendam composita; descriptaque cum illa invenitur ante Sequentiam pro Missa: nec omnino ausim affirmare et istam et Legendam esse unius ejusdemque Auctoris.*

b *Tantum abest ut hinc conficiam, hæc scripta esse ante annum* 1276, *quo cogitatum fuit de reparatione ecclesiæ ruinam minitantis, quasi jam pridem steterit magnus ille Chorus, de quo postea: sed contrarium potius. Licet enim litteris Geriaci Archiepiscopi, datis an.* 1363 *aforis adscriptum legatur, nescio qua certitudine,* Rabanus Magnentius Maurus, tertius Archiepiscopus, hanc ecclesiam dedicavit kal. Novembris, *et hic obierit an.* 856; *non tamen necesse est ut ab eo* C *quoque dedicatus fuerit novus Chorus: cum sæpe videamus veteri ac parvo Choro additam novi operis ecclesiam. Et hoc potius factum reor; adeoque parvum Chorum Dagobertinum adhuc stetisse seculo* 13, *opere verosimiliter firmiori structum, aut saltem Canonicis satis amplum licet ecclesia propter peregrinorum confluxum Rabani tempore fuerit amplianda.*

c *Hoc quoque recentioris styli est: antiquior et simplicior ætas non* Dominos, *sed* Fratres *dixisset.*

d *In Heiligenstadiensi Collegio nostro reperitur scriptum quoddam unius, ut videtur ex primis illius incolis, ante centum annos exaratum in quo diligenter collegit auctor, totam Eichsfeldiæ et ejus de qua agimus civitatis fortunam; ubi inter communes utrique calamitates, quarum distinctior memoria extat, primam numeret,* tempore Adelberti *Archiepiscopi,* a quo severius in Eichsfeldia exactæ Decimæ viginti millibus Hassorum ac Thuringorum occasionem præbuerunt circa an. 1124, ut Erphordiam, quo ille fugerat, gravissima obsidione premerent; tum et Conradi tempore, quem Sacerdotio exutum Fredericus Barbarossa acerbissime oderat, eo quod nollet constituto ab eo Antipapæ Octaviano subscribere: tunc enim id est anno circiter 1165 devastatæ arces Rustenberga et Horburgum, et mœnia urbis Erphordiensis solo æquata sunt. *Quidni etiam proximum Rustenbergæ* Heiligenstadium *captum tunc sit? Aut denique idem acciderit* post annum 1256, *quando* Gerardus Archiepiscopus non longe a Mulhusio captus in potestatem venit Alberti Brandeburgici, qui et fratrem ejus Theodoricum Comitem Eberstenium e pedibus suspensum triduo cruciavit. *Accedit autem hoc tempus propius ad illud, quo elevationem factam opinamur. Certiora si quis doceat, libenter excipiam.* D

EX MS.

e *Similiter gratum erit discere, an et quales Vicarios nunc habeant Heiligenstadienses et quando eos habere cœperint. Suspicor intelligi* Vicarios Archiepiscopales *seu* Vice-dominos *juri dicendo præfectos, ut inter Canonicorum ædes domum splendidam habent, de qua infra in Appendice num.* 19. *Knackrichius existimat intelligi Vicarium perpetuum Præpositi vel Decani absentis eoque adducit Dominum Vicarii in variis litteris notæ pro seculo* XIV: *sed tales Vicarii neque tantæ dignitatis videntur fuisse quanta hic supponitur præ aliis Canonicis, neque probantur antiquiores Vicedominis, sive ut Heiligenstadienses loquuntur Archisatrapis fuisse; adeoque eorum defectus non probat magnam Legendæ antiquitatem; sed potius novitatem:* E *æque ac si in Legenda notaretur quod tempore translationis nondum erant Archisatrapæ qui non fuerunt antequam Eichsfeldia dono Otthonis I Imperatoris venisset in jus Archiepiscopi Moguntini.*

f *Obiit S.* Walburgis *an.* 780, 25 *Februarii; ad quem diem ejus Acta illustrans Henschenius,* § 4 *docet, corpus ejus ante an.* 870 *translatum Eystadium, ubi ejus rei memoria solennissime colitur* 1 *Maji: et hunc diem, ut celeberrimum in Ringavia notat Gosuinus infra num.* 55. *Idem si velimus credere de Eichsfeldia, Moguntino Archiepiscopo æque subdita, videri poterit facta inventio anno* 1271, *quo, per litteram Dominicalem* D, *dies* 30 *Aprilis, immediate præcedens festum, cadebat in feriam* V; *et sic quarto post anno cœptæ sunt eleemosynæ colligi pro ecclesia restauranda, Choro novo jam stante.*

g Hora macelli *quæ dicatur necdum comperi.*

h In choro, *inquit P. Knackrichius,* extat ab immemorabili tempore grandis ac solidissimus lapis, in quo, absque scriptura ulla, imago SS. Aurei et Justini Martyrum affabre est incisa, in justa ac procera statura, partimque auro picta, erectis circum circa ligneis ac solidissimis tabulis, quibus multæ Sanctorum parvæ statuæ aforis sunt affixæ; et superne tecta duabus alis sive ostiolis, quæ facile aperiri possunt, sic tamen ut ipsæ circumstantes tabulæ altius emineant quam lapis, ad modum veterum Judæorum sepulcrorum. Huic Martyrum sarcophago, superius in altissima chori abside eadem imago vultuum utriusque respondet; sic ut illi recta ac perpendiculari linea respiciant corpora, quæ interne lapidi illi grandi sunt incisa, ac si aspectu illo suo testentur ibi suam fuisse sepulturam. F *Ut pictura fornicis non excedit antiquitate restaurationem factam seculo* 13, *ita fortassis non excedit etiam sculptura lapidis; juvat tamen hic formam ejus qualiscumque antiquitatis æri incisam exhibere.*

i *Episcopos et Abbates vicinos intelligo, a quibus deinde impetratæ commendatitiæ anno* 1276 *ac sequentibus pro restauratione loci; proximæ autem Episcopales urbes ab intervallo leucarum* 20, *Halberstadensis et Hildesiensis ad Septemtrionem, Paderbornensis ad occasum jacent; Moguntina vero Metropolis, inter Occasum et Meridiem sita, duplo longius abest.*

k *Quia* feria V ante Walpurgis *inventa corpora dicuntur, usque transferendis constitutus* dies ipsorum Martyrum immediatus; *nonnemini consequens esse videtur, ut festo Walpurgis proximum fuerit* festum Sanctorum. *Ego vero potius contrarium existimo, et ut*

ut minimum tantum temporis indulgendum consultandis Superioribus, ac die ex ipsorum sententia statuto congregandis, quantum inter 1 *Maji et* 16 *Junii intercedit ; nec aliunde quam a Moguntina ecclesia sumptum diem, quando subsequens anno* 1271 *dies* 17 *Junii, cadebat in feriam* IV ; *in quam absque suarum ecclesiarum incommodo, et Dominicæ diei in illis celebrandæ impedimento, convenire Prælati poterant, atque domum regredi ante Dominicam.*

l *Episcopos viciniores jam indicari : Abbates et Præpositi infra in Analectis notantur, Ryphenstenii, Buræ, Treistumburgi, Cellæ, Annenrodii, Gernodii, et Witzenhusii.*

m Plebes *antiquitus dictas Parochias Fidelium, omnino invenies : harum tamen Presbyteros,* Plebanos *dictos vix invenies ante seculum* 14. *Similiter nec* Religiosos *pro* Monachis *dictos : nam Salvianus ea voce usus sub finem seculi* 5, *non videtur ita scripsisse ex usu vulgi, sed ex affectatione purioris Latinitatis, cujus hic noster curam nullam habuit, ut apparet. Imo ipsum* Religionis *nomen, unde dicuntur* Religiosi; *non videtur usurpari cœpisse ad significandum peculiare aliquod Regularium institutum ante Ordinum Mendicantium exordia, quando* Religiosi *titulus cœpit iterum promiscue usurpari, pro quocumque claustrali, cum antea solis Abbatibus competeret ut appellarentur viri Religiosi : sicut Reges* Viri Illustres, *Episcopi* viri Reverendi *nuncupabantur; quamquam Episcoporum et Abbatum titulus* Venerabilis *sæpe confunderentur.*

n *Hymnus* Te Deum, *cujus mentio in Concilio Triburiensi an.* 821, *in Breviorio Casinensi Parisiis servato et scriptum post annum* 1200, *alioque Bibliothecæ Vaticanæ Codice, inscribitur* Hymnus Sisebuti Monachi ; *Usserius in Anglia antiquiorem unum et sub Henrico I scriptum reperit, ubi intitulatur* Hymnus S. Nicetii, *an forte quia hujus tempore in Lugdunensi ecclesia primum cœptus usurpari? Mos nunc obtinuit ut* Ambrosianus *vocetur.*

o *Neque* Fraternitatum, *Laicis per Monachos vel Canonicos communicandarum exempla, neque* Karenarum, (*quæ sunt jejuniorum pœnitentiæ causa impositorum relaxationes*), *mentionem inveni Cangius ante seculum* 12.

p *Sic, ex MS. Chronico Moguntino, indicat Serarius pag.* 837, *quod an.* 1239, *ad majoris ecclesiæ, per Siffridum Archiepiscopum restauratæ, dedicationem* tanta populorum multitudo convenerat, ut omnes non civitas ipsa nec campus caperet ; sed trans Rhenum apud castellum et in insulis stationes fieri oportebat. *De Psaffenbule et steyger interrogatus Knackrichius, quæ loca essent, respondit primum quidem videri collem illum cui inædificata erat S. Martini Ecclesia, ubi inventa corpora erant ; et circum quam etiam nunc consistunt ædes Canonicorum, quos inde vulgus* die pfassen auf dem bergh *nominat : alterum cui insistit S. Mariæ Ecclesia nunc Societati nostræ addicta . est enim, inquit Knackrichius* tricollis civitas Heyligenstadium et steygere *Germanice* clivum *sonat : uti Buil collem unde rectius scribetur Pfaffenbuil.*

q *Quia nulla hic sit mentio restauratæ postea totius ecclesiæ, ideo hæc scripta existimo ante annum* 1276, *quo cœptum est de ea agi : sed non multo citius. Quod si non arsit Chorus ille celebri anni* 1333 *incendio, stat verosimiliter idem adhuc.*

Hic consequentur ponenda erat Additio de *Veteri ac nova Sanctorum capsa aliisque lipsanothecis : sed casu quodam prætermissa reperit locum in* Appendice *cujus faciet* §. 5.

INVENTIO ET MIRACULA SS. AUREI ET JUSTINÆ

Moguntiæ in Ecclesia S. Albani. Auctore Goswino ibidem Monacho

Ex MS. Cœnobii Bodecensis in Westphalia.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Venerando in Christo Patri Adalberto, sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopo, et Apostolicæ Sedis Legato ; Wernherus, S. Albani minister licet indignus, cum omnibus sibi commissis, illius semper gratiam, qui pro omnibus posuit animam suam.

E

Indicat et communicat gaudium,

Expedit salutis et veritatis, ut salutaribus pii Pastoris occursibus gaudeat subjecti gregis devotio. Gaudium igitur nostrum, gaudium esse vestrum credimus, super omnibus quæ ostendit nobis, qui facit mirabilia magna solus. Quod enim scriptum legimus et audivimus, Pater meus usque modo operatur, et ego operor, impletum videmus et veneramur ; atque hæc vestris et nostris temporibus, in quos fines seculorum devenerunt, fieri non parum gratulamur. Pater enim familias, qui profert de thesauro suo nova et vetera ; qui dicit, Nihil opertum quod non reveletur (gratias ipsi) quod docuit, per seipsum implesse videtur. Siquidem cum nostræ ecclesiæ pavimenta, vetustate detrita quorumdam fidelium impensa renovare studeremus, inventi sunt loculi impares tam qualitate quam quantitate: quos, primum cum Fratribus inito consilio, ac cum summa devotione divini cultus ritu præmisso, aperientes, invenimus thesaurum, pretiosum super omne aurum et topazion : Corpora videlicet sanctorum Martyrum Aurei et Justinæ quorum quædam pars in pulverem redacta, sententiam quæ dixit, Terra es et in terram ibis, confirmat: quædam vero, ebore antiquo rubicundior, erat sanguine adhuc madida, quasi præsens adesset martyrium ; quædam vero candens ut lilium, futuræ resurrectionis gloriam præferebat. Horum quæ sint in cœlis merita testantur mox secuta, et quæ quotidie adhuc ibi fiunt miracula. Hæc vestræ Paternitati nota fieri dignum duximus ; inter preces et gratiarum actiones, quas pro tantis beneficiis Deo grati persolvimus, vestrum ad nos introitum desiderantes, ut quod minus nostra valet humilitas, tanta patrocinia tanti Pastoris commendet auctoritas, ad nostræ omniumque salutis profectum, et ad eorum de quibus loquimur gloriam; ad laudem vero ejus, qui per omnia secula benedictus Deus.

Joan. 5, 17

Luc. 12, 2

de inventis sub ecclesiæ pavimento

F

SS. Aurei et Justinæ corporibus,

et ad Translationem invitat.

PROLOGUS AUCTORIS.

Ps. 67, 36.

Licet prædestinatis ab æterno sanctis

Testatur Propheta, Spiritu sancto repletus , quod mirabilis sit Deus in Sanctis suis. Testamur et nos, licet fragiles, ejusdem Spiritus pignus habentes, quia magna sit virtus ejus, qui primus et unus ab initio condidit omnia solus. Apud ipsum vero cum non sit transmutatio nec vicissitudinis obumbratio ; per suam tamen sapientiam, cujus non est numerus, ante tempora prædestinavit, quos in fine temporum vocatos et justificatos, ad suum tandem nostræque salutis profectum, mirabiliter glorificavit: quorum immortali memoriæ, apud Deum et homines notæ, nos


tom.3 TVMBA SCRVM MTRVM pag.156
AUREI EPI. IUSTINI DIAC.
Heiligenstadii.
Frons periboli lignei, tumbam marmoream ambientis cui latera cetera respondent

A *nihil addi a se ad gloriam possit·* nos aliquid addere, temeritatis esse fatemur. Sed occurrit nobis ille nequam in Evangelio servus, pro unius talenti non reportato lucro a Domino judicatus ; et quod secreta Regis celare, gloriosum ; facta vero præclara silentio tegere, non minus est periculosum. Cum igitur in templo Dei, quod est Ecclesia, non solum phialas, sed et cyathos, magna videlicet atque parva scientiæ sacramenta, contineri non dubium sit ; nosmetipsos metientes, et *superiorum tamen parens mandato,* obedientiæ, quæ sacrificiis præfertur, memores ; illius magni Regis mensæ, deposito supercilio, participare cupientibus, in hoc nostræ parvitatis proposito, non phialam, sed cyathum propinamus: et omissis superborum Regum donariis, auro scilicet et argento, purpura et bysso; cum pauperibus Christi pilos caprarum, suis locis aptos, in gazophylacium mittimus. Ad hoc dat nostræ pusillanimitati fiduciam, sublimium personarum, hoc est Ecclesiæ nostræ Patris Wernheri, et gloriosissimi Matris Ecclesiæ filii et Majoris domus Præpositi Henrici, et Decani Domni Hartmanni, et Cantoris Gotzberti, et aliorum ejusdem Ecclesiæ Dominorum, præcipue Fratrum et Dominorum nostrorum, frequens ac devota supplicatio: apud quos siquam (quod absit) incurrimus B negligentiam, perfacile speramus mereri veniam, *aggreditur scriptionem,* cum longo nostræ secum conversationis tempore nostram noverint imperitiam. Sed adsit, qui ubi vult et quando vult spirat, qui munita quæque et clausa aperit et reserat; qui rugitus bruti animalis sermonibus informans humanis, jura naturæ suæ subdidit omnipotentiæ.

Gaudendum est igitur nobis, imo cunctis fidelibus, *et omnes invitat ad congaudendum* quia misericordiam suam facit nobiscum Dominus. Coæternus namque æterno Patri Filius postquam de Spiritu sancto conceptus, et de Virgine perpetua. Altissimi virtute obumbrata, natus, passus, sepultus, omnia quæ sunt hominis absque peccato consummavit ; et destructo mortis imperio resurgens, captivitatem nostram ducens captivam, Patris in dextera collocavit ; cum superabundante iniquitate charitas multorum refrigesceret ; et grassante crudelitate, impietas impietatem, quasi sanguis sanguinem, tangeret ; impletum esse nemo est qui dubitet, Si granum frumenti cadens in terram *Joan. 12, 24* mortuum fuerit, multum fructum affert. Nonnullis siquidem, imo nobis, non Deo, innumerabilis Sanctorum est numerus, quibus dicitur, Qui mihi ministrat me sequatur; *et 26* qui summa devotione Christum amplectens, fide fundati, spe roborati, felici constantia, C tradiderunt corpora sua ad supplicia: de quibus quia scriptum est, Sancti possidebunt in terram *Is. 61, 7* sua duplicia; terra videlicet illa de qua dicit Psalmista, Credo videre bona Domini in terra viventium ; *Ps 26, 13* singulis stolis albis, id est animæ immortalitate glorificati, de sub altari, pro sui sanguinis vindicta, ad Dominum vociferantur; sed pro responso super fratrum expectatione, carnis immortalitatem, quasi alteram stolam, felice desiderio præstolantur. Quorum spiritus cum semper sint ante Dominum, non omnium adhuc, sed quorumdam corpora, qui potuit, produxit in medium ; *in horum Sanctorum revelatione* quæ sibi commendata, tamquam dulci gremio, occultaverat terra mater omnium : et quos pro se passos, suæ gloriæ consortes esse voluit, in se credentibus, pro meritorum qualitate ac temporum varietate, Patronos constituit. Sed cum quæque gens atque natio speciali suorum Sanctorum glorietur patrocinio, ampliori tibi est exultandum lætitia, principi provinciarum ac dominæ gentium Moguntia, pro magni Pastoris *et miraculis, in tres libros dividendis* tui Aurei sororisque suæ Justinæ Virginis atque Martyris manifestata gloria : de quorum virtutibus signis atque miraculis, sive quæ vel in eorum inventione vel Corporum translatione, seu postmodum facta sunt vel fiunt; pauca de pluribus ponentes, et D legentium utilitati consulentes, Capitula singulorum *AUCT. GOSWINO EX MS* breviter supponimus ; et in Trinitatis nomine dividentes hoc opus exiguum, in tres sectiones librorum, benigni Lectoris animum refovere curamus.

VETUS DIVISIO OPERIS

Incipit de miraculis SS. Aurei et Justinæ Liber primus, quorum Passio agitur XVI kalendas Julii ; Inventio vero V Idus Maji.

Finitur Liber primus, incipit Prologus libri secundi. *Num. 40*

AUCT. GOSWINO EX MS.

Incipit Prologus in Librum Tertium. *Num.* 50

Hæc nos more nostro in pauciora Capita partituri libro primo Capita duo; secundo ac tertio, duo alia deputabimus.

CAPUT I.

De inventione Sanctorum, atque miraculis ante et post eam, per dies proximos decem, patratis.

Prius quam an. 1137, 3 Maji,

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo tricesimo septimo, Indictione quinta decima, quinto Idus Maji, cum in ecclesia S. Albani Martyris pavimenta vetustate attrita, quorundam fidelium renovarentur impensa; inventi sunt loculi, tam quantitate quam qualitate impares; et in eis corpora, quorum pars quædam in pulverem redacta fuerat, quædam ebore antiquo rubicundior sanguine adhuc madida, tamquam in præsentiarum passi fuissent, apparebat; C quædam vero candens ut lilium futuræ resurrectionis gloriam præferebat. *a* Illorum igitur quæ sint in cælis merita, testantur mox subsecuta, et quæ quotidie adhuc ibi fiunt mirabilia. De quibus nonnulla (neque enim ad omnia sufficit aliqua manus vel lingua) hic inserere dignum duximus. Nec alia quidem, quam quæ oculis vidimus, et magnarum personarum certa relatione didicimus. Quas si, propter oblatrantem invidiam, produxerimus in medium, obmutescet procul dubio omnis contradictio infidelium. Libet vero referre prius ad nostri sermonis confirmationem, quod factum comperimus, ante eorum de quibus loquimur revelationem.

a inveniuntur Sanctorum corpora;

b in Dominica Palmarum sepulcris Sanctorum insidens quidam,

c

2 Erat dies solemnis, qui dicitur *b* Palmarum, et ad commune gaudium tantæ solennitatis, ex more solito non minima multitudo civitatis convenerat. Cumque tantæ diei solennia agerentur, et suis quique locis reverentissime contenti viderentur; quidam ex populo sepulcrum Episcoporum, qui ibidem sepulti sunt conscendit; et, dimissis pedibus super sepulcrum *c* Virginis et Martyris, lætabundus consedit. Et ecce subito humi prostratus, cum sonitu miro corruit in faciem; clare demonstrans, quod talem non merebatur sedem. Compescuit illico voces psallentium in Choro, strepitus et clamor utriusque D concurrentium sexus: omnes enim qui aderant, stupore in eo quod acciderat perterriti conveniunt: et subitæ alicujus infirmitatis causam rati, manibus sublatum extra limen ecclesiæ deferunt. Qui cum, aqua ei in faciem aspersa manibus attrectantium, ut fieri solet, vix tandem respiraret; quærunt circumstantes sollicite, quænam fuerit causa tam subitæ ruinæ. Refert ille se valde mirari, eos super hoc, quod secum viderant et audierant, percunctari. Videlicet personam egregiam, forma speciosam vestitu decoro de tumulo exisse; et ictum, quem vix mortalis quisquam ferret, sibi dedisse. Quo audito expavit omnium conscientia, ac deinde loco illi atque Sanctis ibi sepultis excrevit reverentia, nullum meritis Sanctorum finem habitura. Sed ne sermonis prolixitas auditori fastidium generet, his breviter prælibatis, Sanctorum Martyrum merita recensentes, licet indigni, ad propositum revertamur: ut per illos, quos vera scribendo supplices veneramur, æternæ gloriæ consortes fieri mereamur.

et invisibili manu excussus.

a sancta inde egressa id factum narrat.

Postea vero sanatur puer a nativitate quartanum patiens:

3 Primum quod post Inventionem Sanctorum factum est miraculum non parvum nobis aliisque multis lætitiæ dedit incrementum. Habebat namque et dolebat mulier quædam puerum ex se natum, a nativitate quartanis febribus miserabiliter vexatum. E Cui, videlicet ut propriis visceribus, mater condolens; et in eo, qui non derelinquit in se confidentes, spem suam ponens; sepulcro sanctorum Martyrum, quorum merita multorum jam relatione didicerat, curandum superimponebat. Mox ergo fugatis doloribus, coram multis Christi laudes personantibus, sanum illum sustulit; atque vestem, quam in baptismate manu baptizantis puer induerat, apud se reconditam (sicut cernere licet) inter cætera virtutum indicia dependi fecit, ob donatæ sanitatis memoriam.

mulieri uni contracta manus,

4 Non minus est mirabile, quod eadem fere hora contigit in muliere, tam nobis quam multis aliis nota non minus nomine quam facie; quæ cum pro manu contracta, et nullis prorsus usibus apta, gemitus funderet et lacrymas; mox (mirabile dictu) extenta et sanata manu, omnes secum hortatur ad agendum Deo gratias. Cumulantur gaudia gaudiis, meritis Sanctorum sequentibus signis.

d alteri cæcæ visus redditur,

5 Nam, post ea quæ dicta et facta sunt, proxima die *d* Dominica, mulier quædam, quinque annis oculorum lumine non cordis privata, audita Martyrum virtute, et multorum eorum meritis salute; memor viduæ, duo minuta deferentis et a Domino laudatæ, F inter nobiles et divites pretiosa quæque ferentes, nummum, quem solum habuit, sanctis in holocaustum obtulit. Quo sepulchris eorum imposito, ac protinus recepto, locis tenebrarum signum salutis impressit; et mox fugatis tenebris, desideratæ claritatis particeps, in laudes ejus qui eam illuminavit, astantium corda atque linguas excitavit.

tertiæ sistitur fluxus sanguinis.

6 Ad hujus rei præconium, si fas est Evangelii conferatur sacramentum. Illic enim mulier, decem et octo annis fluxu sanguinis vexata, tactu fimbriæ vestimenti Salvatoris memoratur esse salvata: hic mulier, eadem quam prædiximus Dominica, a fluxu sanguinis, quem duobus annis passa fuerat, ad tactum sepulcri Sanctorum est curata. In quibus licet personarum sit differentia, non multum dissimilis est virtutis potentia. Hæc tua Christe sunt opera, hæc tua mirabilia. Hic vero impleta est tua sententia, quæ dicit; Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet. Quæ cum ita sint; si fideles majora facturos diceremus, procul dubio absurdum videretur, si ipsius veritatis testimonio non probaretur. Quod quia, sanctorum Patrum explanatione, haud aliter esse dedicimus; hæc suis in locis dicendo

Joan. 14, 12

cenda prætermittentes, ad ea quæ non minus ad laudem Dei et Sanctoram gloriam spectant, veniam.

erigitur claudus.

7 Feria quarta post prædictam Dominicam, quidam claudus pene universæ civitati notus, non ad speciosam portam templi petiturus eleemosynam, sed ad gloriosam Sanctorum sedit memoriam, fide vera præstolans Christi misericordiam. Cum subito sanus quamvis non juberet Petrus et Joannes, exiliens et ambulans, fit causa lætitiæ astantibus, et in eo quod contigerat admirantibus.

Sanantur paralyticæ 2.

8 Adhuc populo in laudibus Dei exultante, duæ mulieres paralyticæ, Sanctorum meritis, gratiam consecutæ sunt sanitatis.

9 Similiter et filia cujusdam de civitate nostra bene noti, et puer quodam simili dolore gravatus, id est dorso incurvo usque ac pedes incircatus; vultus et manus in cœlum levantes, post sanitatem obliti doloris sui, laudes persolvunt Martyribus et omnipotentiæ Creatoris.

E maxillæ cujusdam

10 Inter hæc non est silendum, quod non parum laudis addidit gloriæ Sanctorum et hoc miraculum. Erat quidam vir, possessionibus et nomine notus in civitate, insolita gutturis maxillæ circumdatus infirmitate; adeo ut instar lepræ candentis facie fœdatus, consortio fidelium judicaretur indignus. Qui cum diu, quod saluti competeret, cibi aut potus nihil perciperet, atque omnis in eo medicorum cura cessasset; quod solum restabat, fide ac spe roboratus, meritis Sanctorum se obtulit; et humi prostratus, cum votis et precibus lacrymas sui doloris testes ubertim effudit. Sed Deus, qui desiderium pauperum exaudit, vota cum precibus non spernens, beneficia distulit; quatenus desideria dilatione crescerent, et beneficia collata memoriæ altius impressa remanerent. Sequenti enim die post

exemptus calculus palam ostenditur.

orationem domum reversus, et posita mensa pro reparatione virium aliquid cibi sumpturus; stomacho quasi ad vomitum æstuante, mensam reliquit: atque præ dolore guttur atque arterias manu constringens, (dictu mirabile!) calculum per poros maxillæ egressum sustulit, tam liber a corporis fœditate, quam lætus de percepta meritis Sanctorum sanitate. Nobis vero narrationibus multorum fidem dare nolentibus, et, cum Thoma dubitante, tangere et videre narrata cupientibus, procedit in conventum homo, videndum atque manibus tangendum manu ferens calculum. Adest frater suus, nobis et populo satis notus: quin et parentum plures numero, testes idonei, exultantes. Ille, tam pro salutis remedio, quam super fidelium gavisus testimonio, argento circumdatum suæ liberationis indicium appendit memoriæ Sanctorum.

Matrona Altavillana, Sanctos veneratum veniens,

11 Hic quiddam, dignum posterorum memoria, multorum rogatu cogimur inserere. Matrona quædam de Altavilla, divitiis et nomine satis nota, ad communia gaudia vicinis suis ire paratis, ceteros devotione ac labore præveniens, alveo Rheni transito gramineum campi verticem, laxatis sinubus æstum relevatura, cum multis aliis conscendit; et monile aureum, quod pretiosum pectori præferebat, solutum humi deposuit; atque turbis supervenientibus monilis immemor, iter quod cœperat devote peregit. Ventum est ad orationis locum; et invocatis patrociniis Sanctorum, Matrona quid perdiderit ab amicis aliisque notis docetur; atque ut ad regrediendum cito reverti debeat, monetur. Illa fide plena, de damno secura, Hoc, inquit, mihi ad quos

indeque amisso monili recepto,

confugi servabunt Sanctorum merita. Dixit: et post refectionem, multorumque in civitate salutationem, ad propria revertens, inter multa millia euntium et redeuntium, monile ubi posuerat, cunctis admirantibus et Deo Sanctisque suis laudes personantibus invenit. Licet supra ostensis virtutibus Sanctorum dictum sit: Tua sunt hæc, Christe, opera; non tamen coæterna et coæqualis Patris ac Spiritus sancti excluditur potentia. Cum enim non aliud, sed alius sit, Pater et filius et Spiritus sanctus, impium est in eorum operatione aliquid divisum rimari in quorum voluntate nihil potest diversorum æstimari. Verum cum per omnia Divinitatis ac potentiæ teneat æqualitatem veræ fidei confessio, Personis tamen quiddam quasi proprium, non tamen contrarium, omnipotentis Trinitatis disposuit dignatio. Postquam

V. GOSW. EX MS eodem ubi reliquerat loco invenit,

enim a paradisi gaudiis ille primus parens expulsus, in hanc convallem lacrymarum cum sua posteritate corruerat; exigebat humanæ salutis ratio, ut placaretur, qui per hostis invidiam atque hominis inobedientiam offensus fuerat. Sed quoniam hoc nulli conveniebat creaturæ, mittitur filius, unius per omnia naturæ, qui sine peccato peccati formam indueret, et per Obedientiam placando patrem, inobedientiæ maculam deleret. Adest ubique Spiritus Sanctus, cooperator amborum, patris scilicet et filii, nexus et amor. Hujus virtus in principio ferebatur super aquas; hujus virtus salvandis animabus fœcundat aquas: sed de tanto ac tali velle quid quam loqui, nec nostræ virtutis, nec nostri fuit propositi. Unde juxta hoc quod scriptum est. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes; et Altiora ne quæsieris; ad ea quæ supra diximus, quæque postea facta sunt, jungere styli officium cupimus.

singulari unius ac trini Dei beneficio.

Rom 12, Eccli 3, 22

12 Sicut hagion Pneuma, olim de cœlo descendens, Apostolos omnium linguis gentium glorificavit; sic nunc in die sui adventus, id est Pentecostes, e Sanctos suos, nostros autem Patronos, signis et virtutibus mirificavit. Vidimus enim nonnullos paralysi; quam plures vero utriusque sexus et ætatis, manuum, brachiorum, pedum, ceterorumque corporis membrorum mira varietate distortos, ad suum statum redisse: tres mulieres, diu oculorum lumine privatas, visum; quartam vero puellam a nativitate mutam, linguæ officium recepisse. Ad hæc comprobanda, secundam, quartam, sextam feriam ponere quid refert, cum eum in sua festivitate, qui omnia continens etiam scientiam habet vocis, hæc fecisse luce clarius constet; cumque pro his atque his similibus Omnipotens et summe bonus digne laudetur; quis creaturam creatori virtutibus assimilari non admiretur. Nec tamen ea haud aliter esse quisquam negabit, si in Omnipotenti unitos omnia posse non dubitabit.

Infra dies Pentecostes curantur varii,

13 Hinc, quod nec sperare potueramus, Domini nostri ac Patroni, consortes summi ac fine carentis boni, non ut olim Reges ac potentes, suos natales sumptibus ac vanis laudibus, sed signis et virtutibus sui natalitia illustrant. In sua enim post Pentecostem proxima festivitate cæcis visus, claudis gressus, et surdis auditus restituuntur; quodque majus est omnibus, pro commissis tristes teste conscientia, quasi percepta venia læti efficiuntur. Quod quia rarum, non ut omne rarum, carum, sed quia salutare carum, referre non absurdum duximus, in ejus laudem qui est super omnia benedictus. Licet inter hæc intueri quæ sit jam virtus operum Dei, cum dicat Psalmista, Universæ viæ Domini misericordia et veritas. Variis obnoxia eventibus humana monstratur fragilitas, veritatis siquidem est et justitiæ, quod pro commissis corporis infirmitates patimur; misericordiæ vero, quod flagellis emendati cœlestis vitæ consortium adipiscimur. Animadvertendum vero, non semper propter peccata, sed plerumque ad laudem Dei infirmitates contingere: quod diligens lector quanque modis facile potest ostendere. Scriptum namque est, Abyssus abyssum invocat: quia utriusque Testamenti consona auctoritas approbando invitat. Job, simplex et rectus

ac rursum in festo ipsorum sanctorum,

Ps. 24, 10

diro

A. GOSW. EX MS

Ps 41, 18

diro vulnere; Thobias, æque laudabilis, ad probationem aliorumque consolationem cæcitate plectitur; angelus Sathanæ, custos humilitatis, a Vase electionis nullis precibus tollitur; homo ille Evangelicus, neque suo neque parentum peccato cæcus natus, ad laudem Dei illuminatur; Lazarus ille quatriduanus, coram multis Dominum laudantibus, ad superos revocatur. Est et infirmitas, quam qui potest procul avertat, quæ hic inchoata pro meritorum qualitate ac justi Judicis examine, fine non carebit, æternis pœnis sociata: de qua quoniam sine gemitu loqui non possumus, illius infirmitatis modum ponamus, in quo et Creatoris misericordia, et Sanctorum suorum manifestatur gloria. Vere enim Scriptum est; Quem diligit pater, corripit. Flagellat plerosque Deus, ut intus a peccato coerceat, et exterius sanandos meritis Sanctorum suorum relinquat: cujus rei evidens indicium sequens narratio demonstrat.

a morbis vario fine immissis,

14 Matrona quædam, per annos quatuor paralysi laborans, omnium membrorum viribus destituta, strato jacebat; quia nec caput quidem ad percipiendum quidquam cibi vel potus, levare valebat. Interea, auditis virtutibus Sanctorum, sperans se eorum meritis consequi posse finem dolorum, amicorum manibus vehiculo imponitur; et ad loca Sanctorum deducta, post vota et lacrymas, voti compos, ad sua sospes revertitur.

quadrienni paralysi laborans erigitur.

15 Nec mora quin eadem hora, cunctis cernentibus, quidam claudus meritis Sanctorum est sanatus; atque omnium Datori bonorum vox exultationis resonat in tabernaculis Justorum. Quia vero nonnunquam prospera adversa, et adversis mutantur prospera, quæ parum circumspecte fragilis perpendit natura; dignum duximus hic inserere, atque exemplis probare, quod nonnulli beneficiorum ingrati, nonnulli votorum immemores, ad eos quos misericorditer evaserant non injuste revolvuntur dolores: quidam tamen ad gratiam redituri, quidam vero superbiæ ac negligentiæ offensam sine fine luituri. Hinc in Evangelio decem leprosis mundatis, unus cum gratiarum actione reversus, pro fidei merito laudatur; sed novem, cum ab eo quem nulla latent secreta requiruntur, reprobi inveniuntur: nescire enim Dei, reprobare est.

Item claudus

16 Suffragatur huic nostræ affectioni quædam persona, in civitate longa ægritudine, non aliunde satis nota. Hæc in summo spiritu constituta, omniumque membrorum utilitate destituta, ad suffragia sanctæ Virgini et Martyris Justinæ perducitur: ubi fusis cum oratione lacrymis, meritis Sanctorum sospes erigitur, sed infelix post acceptam sanitatis gratiam, immemor Psalmistæ dicentis, Adjutor meus tibi psallam, sine voce laudis ad sua revertitur; et non multo post ampliori quam prius dolore lecto prosternitur. Sed ne apud minus devotos, veritatis testes inidonei judicemur, non hæc visu (utpote nostræ professionis studiis a secretis detenti,) sed fidelium relatione, nos cognovisse fatemur; Quæ, quia non vidimus, si quis improbare tentaverit; improbet prius, si valet, quæ in divinis humanisque scripturis audit, legit et intelligit. Si enim his, quæ non vidit, detrectat credere; non dicimus hoc insipientiæ, sed extremæ esse dementiæ. Hæc vero quia propter ingratos et beneficiorum immemores breviter perstrinximus; propter eos qui vovent et non solvunt; cum scriptum sit, Vovete et reddite; non parvi pendendum dictu mirabile factum supponimus.

Ingrata pro beneficio,

Ps. 58,

in paralysim relabitur

Ps 75, 12

17 Cum signis et virtutibus late manifestata Sanctorum gloria multos ad melioris vitæ studium invitaret; quidam vir, prosperæ salutis accepta pœnitentia, vovit se sanctæ Virginis et Martyris Justinæ deinceps celebraturum solemnia: sed quis hujus voti fuerit spiritus, sequens manifestavit eventus. Ipso namque die sanctæ festivitatis, pauperum more pauperem vitam gerens, saccum frumento plenum asino imposuit: et civitatem quæ vico proxima erat et est, vendito frumento, quasi aliquid commodi acturus adiit, atque pro voto de omnibus male securus, ad sua rediit. Cunctis autem ad festum Sanctorum concurrentibus, ipse quoque socius itineris efficitur: sed aliis ecclesiam intrantibus, procul ab ingressu repellitur. Qui tamen secundo, et tertio, et eo amplius, dum regredi nititur ad ecclesiam; cunctis cernentibus ignominiosam patitur repulsam, quod justo Dei atque Sanctorum judicio agi (utpote animalis, qui non percipit quæ Dei sunt) non intelligens, et quæ circa se agantur parvi pendens, ad sua unde venerat, nihil veritus, redire properat. Tum subito in itinere, de asello quem insidebat, humi lapsus, totius corporis membra confractus, magnum dolorem magnis testatur clamoribus. Qui occurrentium auxilio vehiculo impositus, ad ecclesiam reportatur; sed, velut ante, ecclesiam intrandi facultas sibi negatur. Unde adstantium hortatu in se reversus, commissum fatetur, et citius dicto hactenus negatum ingressum meretur; et inter gemitus et lacrymas orantium surgens, salutis dedit indicium. Quis interea se a lacrymis, quis a laudibus contineret, cum in una persona, uno eodemque die, duo contraria, infirmitatis videlicet et salutis, miracula videret?

Votum negligens,

graviter colliditur ex lapsu

et punitur.

ANNOTATA D. P.

a *Mirum profecto, quod adeo strictim hæc narret Auctor, neque distinctius explicet situm ac formam sepulcrorum; horum item numerum et si quæ aderant Epitaphia, altare, unde discerni potuerint, quæ quorum essent. Breviarium, rem valde alterat, cum id quod de parte quadam quorumdam innominatorum corporum sive ossium dicunt Goswinus et Sigehardus, sic amplificat, quasi nominatim* Beatorum *Aurei et Justinæ corpora,* copioso etiam tum quidem sanguine perfusa, et tanta oris venustate et membrorum omnium integritate reperta sint, ut plane nil juris communis natura in illos habuisse videretur: *quæ si vera essent, non solum rueret tota Heiligenstadensium prætensio, sed vero etiam contra ipsosmet Moguntinos sequeretur incongrua, qui tam miraculose conservatas Reliquias, adeo habuerint negligenter, ut rursus eas terræ infoderint et ita pene amiserint de memoria, donec nunc iterum retegerentur. SS. Gervasii et Protasii ossa sanguini copioso innatantia reperisse S. Ambrosium non corpora integra videbimus* 19 *hujus. Putat Knackrichius in ipso tempore inventionis factæ* 3 *Maji anni* 1137 *magnam inveniri difficultatem eo quod Archiepiscopus Albertus a medio Aprili usque ad medium Junium debuerit abfuisse Moguntia, nec forte regressus absque eo mortuo est quo mox obiit* 23 *ejusdem mensis, vel ut alii* 14 *Julii. Quod igitur tempus, inquit ille, inveniri poterit, quo celebraverit tantæ solemnitatis celebrationem, quantam merebatur tam miraculosa tantorum Patronorum inventio? quomodo talem rem neque Serarius neque Moguntiacarum rerum scriptor aliquis tam memorabilis actionis mentionem aliquam apud veteres reperit? absentiam Antistitis pro eo tempore evidenter probat Chronicon Monasterii Walckenredensis Diœcesis Halberstadiensis in quo sic legitur:* Anno Christi MCXXXIII, 11 Maji magna solemnitate consecratum est Monasterium Walckenredense in honorem B. Mariæ semper virginis et S. Martini Episcopi, ab Alberto Archiepiscopo Moguntiæ præsentibus multis Episcopis, Abbatibus, Præpositis, Dominisque secularibus. Archiepiscopus aram primariam

A mariam consecravit. *Alii quinque Episcopi totidem alias. Sed quid si ipsa Archiepiscopi absentia Sintalbanensibus causa fuerit minoris celebritatis adhibendæ ad eam actionem quam deproperari suadebant crebrescentia mox miracula, quorum hic præcipua decem narrantur facta ante Pentecosten id est ante* 30 *Maji. Manet tamen scrupulus, quod scriptor iterum et reliquorum, nullam fecerit mentionem elevatorum quomodocumque corporum vel hoc reliquo vel sequenti anno: ut si aliqua elevatio facta postmodum sit, facta esse debuerit, si non sub ejusdem nominis successore intra biennium defuncto, aut sub Arnolpho Aschaffenburgensi æque brevis temporis Pontifice, saltem sub Henrico I vel sub Rudolpho qui usque ad annum* 1168 *Sedem successive tenuerunt. Hoc autem an dissimulaturus fuerit Sigehardus, si scivit, aut ignorare potuerit, si factum fuerit, lector dijudicet.*

b *Sigehardus annum notat* 1137, *tunc autem celebratum fuit Pascha* 11 *Aprilis, atque adeo hæc facta sunt die* 4 *ejusdem.*

c *Sigehardus num.* 7 *distinctius appellat* memoriam, *ipsi sepulcro, quod sub pavimento latebat, superstructam: quæ ut alii memoriæ simili* S. Auræi *sic contigua erat et eminentis altius memoriæ Episcoporum, ut tetragonum faceret.*

B

d *Dies Maji, quo inventio celebrari dicitur in ipso titulo hujus operis, anno isto concurrit cum feria* 3, *adeoque die* 16 *actum est quod narratur.*

e *Is fuit tunc actus die* 30 *Maji.*

CAPUT II.

Reliqua libri I *miracula, a die* 21 *Junii.*

In festo S. Albani,

Sunt quidem laude digna quæ dicuntur, sunt non minus etiam miranda quæ sequuntur. Cum enim virtutibus Sanctorum merita recolimus; tamen, etsi meritis impares, ad eos mentis oculos tollimus; qui, quamvis impares merito, alieni a domo illius non sunt, qui dixit; In domo patris mei mansiones multæ sunt. Hic namque concors est et æterna omnium gloria, ubi locum non habet discordiæ mater invidia. Hinc excluditur illud poetæ terrena sapientis: Nulla fides regni socius: quia hic per fidem et caritatem sociatis, æqualitas permanet virtutum et potestatis. hinc est quod in sua festivitate, Aureus et Justina diversis beneficiis sua declarant merita. Hinc etiam quod Albanus, tamquam Dominus Domus, in sua festivitate pro omnibus signis et virtutibus glorificatur. Ipso quippe die, quinque mulieres sunt a languoribus variis curatæ: una, brachii miro modo reflexi restitutionem; illa, oculorum recepit lumen, tres, diu negatum, et vir unus, ambulandi receperunt usum.

Joa 14, 2

5 mulieres infirmæ curantur.

C

In Nativitate Joan. Bapt. illuminantur 2

19 Dant etiam lætitiæ incrementa duo cæci: qui lumina recipiunt in ejus solennitate, de quo scriptum est, multi in nativitate ejus gaudebunt. Inter hæc atque his similia, ad effugandas infidelitatis tenebras, suæ claritatis splendorem oculis omnium infudit cœli majestas.

Cereus ultro accenditur 21 Junii,

20 Superius quippe dicta die sancti Martyris, Vespertinis laudibus expletis, atque ex more omnibus luminibus extinctis, cereus ab aliis extinctus, eadem fere hora cœlesti lumine in conspectu omnium est accensus.

et iterum die 30,

Matt. 4. 5.

21 Nec prætereundum, quod contigit in festivitate Apostolorum Petri et Pauli, haud dissimile, sed plus habens stuporis ac miraculi; haud dubium quin ad gloriam eorum, quibus Dominus dixit: Vos estis lux mundi. Extinctus siquidem post Vesperas cum aliis luminibus cereus unus, accenditur; sed quasi extinctus non fuerit, a non videntibus ministrorum negligentia arguitur. Quo mox ut prius extincto, cum ad luminare minus (ut plerumque fit D accensum) supponeretur; mirum in modum, quod extinctum fuerat, cœlesti virtute accensum supra se accensi luminis flammas superat; atque omnis plebs (multa enim aderat) super tantis mirabilibus, lucis auctorem glorificat.

A. GWOS, EX MS

atque 21 Martii:

22 Et quoniam tempore et virtute operum res proxima est, sit proximum nostræ huic insertioni, quod vidimus in festivitate S. P. nostri Benedicti. Tunc etenim coram multis utriusque Professionis, sexus, ætatis et conditionis, simili, ut supra, imo per omnia eodem modo, ad tumulum Archiepiscopi Hildiberti, cereus inflammatur: et superne insolita plus solito in laudem Dei exultantium vox diutissime in aera sublevatur.

quod etiam factum erat 19 Junii

23 Hæc Trinitatis opera præcesserat etiam cœlitus accensi cerei gloria, quem in primo revelationis exordio de Heilingenstat attulerat totius plebis ac Monachorum devotio: ubi si quod interest ordinis, non mirabitur benignus auditor cum constet diversæ virtus operationis.

24 Unde ad supradictam Patroni nostri festivitatem jam recurrimus, memoriæ mandare cupientes, E mira et insolita, quæ coram positi vidimus. Quidam indutus tunica nimis stricta, et stultorum more corrigiis utrimque consuta, ad orationem a dexteris festinavit. Sed nec orare nec inclinare se valens, nimiis doloribus tamquam catenis totum corpus suum constringi exclamavit. Cunctis autem qui aderant exclamantibus et admirantibus; ipse causam rei nutu Dei perpendens, ab aliis tunica exui, quod ipse non poterat, precabatur. Qua exutus tamquam veste vanitatis et causa doloris, est sanitati donatus.

Vestitus vanitas in ecclesia castigatur.

Festum violanti adhæret manui globus,

25 Ipso itidem die quod diu detestati sumus Deo execrabile atque cunctis fidelibus execrandum, manifeste didicimus. Servus enim cujusdam potentis (potens vero ille est Franco de Walderp) aliis sibi similibus sociatus, cum luderet globo: globus, quem manu mittere volebat, mox contractis digitis manui arctius adhæsit. Quem tota die ac nocte nulla ratione excutere valens, cum legatis Domini sui ad loca Sanctorum sequenti die venit, ubi fide ac devotione humiliatus, extenta manu, inter voces laudantium Dominum globum deposuit; quem, in testimonium tantæ virtutis, ibi relinquens, sospes ac lætus rediit.

26 Sed parvipendenda est lætitia, quam juste sequitur major tristitia. Ecce enim, non post multos dies, idem servus, cum aliquid ludis aptum incideret, et de his quæ sibi acciderant quoddam risibile insereret; cultellus miro modo manui incidere volentis adhæsit ut manumittere non valeret; quousque ad memoriam Virginis cultellum deposuit, factus omni populo, qui aderat, causa tam admirationis quam jubilationis; quod quare evenerit parum constat, nisi quod in simili pœna et salute, miraculi iteratio Sanctorum virtutis sit confirmatio.

F

apud sanctos excutitur;

iterque cultellus alius ...

Sanantur infirmæ tres una die

27 Nec prætereundum silentio quod non multo, aliquo tamen temporis intervallo in tribus mulieribus ostendit sancta Martyris intercessio. una enim de Pingvia, nomine Guta, Eubriconis filia, præ nimia et insolita infirmitate, paralysi, id est defectione totius corporis, viribus destituta, manibus famulantium gestatorio imposita, meritis Sanctorum præsentata est. Ubi mox reddita sanitati, id in quo apportata fuerat, in suæ fidei ac sospitatis testimonium reliquit. Cum ecce mulier de Bacharata; eamdem diu passa infirmitatem, Sanctis præsentata, desideratam obtinuit sanitatem. Tertia mulier de Hoenburg, fide S. Trinitatis fundata, ac sanctæ professionis habitu induta, cum nimia et feminarum naturæ contraria infirmitate diu gravaretur sanctæ

Virgini

AUCT. GOSWINO EX MS.

Virgini Justinæ perpetuæ devotionis obsequium spopondit, si advenientc ejus die sanari mereretur. Promissum igitur aggressa iter, sicut decem dum irent leprosi mundati sunt, vix emenso dimidii itineris spatio, quod nec sperare poterat, se nihil doloris sentire miratur et exultat. Verum ne beneficii ingrata videretur, iter quod cœperat devote peregit: et post gratiarum actiones coram Sanctis, causam itineris et gratiam donatæ sospitatis idoneis personis aperuit.

Majori miraculo,

28 Hinc nobis ad majora tendentibus, non incongrue nobiscum sentiunt, qui quod sequitur supradictis dissimile, pro mirabili accipiunt. Et siquidem non minus venerandum quam mirabile, ad laudem ipsius, cui nihil est impossibile, quem solum constat dominari in cælo, terra et mari, et in omnibus abyssis. Hujus dextra Janitorem cæli in mari, ne mergeretur, elevavit: hæc Vas electionis tertio de profundo pelagi liberavit: hæc dextera (ut innumerabilia, quibus semper in suis Sanctis gloriosus apparuit, prætermittam) sicut olim confessoris *a* sui meritis puerum aquarum gurgite mersum conservavit, haud aliter nunc meritis sanctæ Virginis suæ et martyris Justinæ, puerum quemdam diu aquis suffocatum, vitæ redonavit. Cujus rei locum et eventus qualitatem, sicut didicimus, paucis hic subdere dignum duximus. Factum est in una dierum æstus apud Frankenfurt, cum nonnulli utriusque ætatis lavandi gratia ad flumen *b* pergerent, ut duo parvuli, unius patris filii, viri præclari, accurrerent. Ubi post impleta desideria, cum quisque reversus est ad sua, alter quoque puerorum, major natu, domum lætabundus rediit; nesciens quod frater ejus, undarum mole victus, submersus interiit. Patre vero ac matre eventum rei ignorantibus, ac reditum pueri mœsta sollicitudine præstolantibus; quidam de molendino egressus, conscensa navicula ad littus tendebat, cum ecce corpus super aquas ferri cernebat. Super quo satis admiratus, ac primum cadaver aliquod esse ratus piscis aut belluæ, ubi propius accedens humanam faciem agnovit, corpus exanime navicula imponens, ad littus usque perduxit. Adest uterque parens, cum plebe innumerabili, magnitudinem dolorum contestans voce lacrymabili. Testatur lacrymabilis devotio, quæ fuerit super his omnium illorum mirabilis compassio. Denique deposita omni spe vitæ, nutu Dei corpus exanime defertur in templum *c* S. Bartholomæi ubi inter voces et lacrymas ac Sanctorum litanias, quasi unicum refugium, S. Justinæ Virginis et Martyris invocatur auxilium. Ad cujus nominis invocationem (dictu mirabile!) singultus pectus emisit exanime, atque hoc signo misericordiam Dei exspectantibus, recuperato spiritu vitales omnibus exhibuit vultus. Nil jam triste sonat ibi, sed qui vivere donat, solus laudatur et in sanctis glorificatur. Dat locum præsenti lætitiæ quantitas prioris tristitiæ: unde bene dicit Propheta: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Pater vero nil moratus, ne tanti beneficii videretur ingratus, puerum servitio Dei et Sanctorum in perpetuum donavit, quorum virtute sibi illum redditum fore non dubitavit.

puer in mari submersus, indeque relatus mortuus, invocata S. Justina resuscitatur.

Ps. 93, 19

Alius aquis suffocatus,

29 His, pro rerum varietate ac nostri sensus pusillanimitate, breviter enumeratis; dum ad diversa stylum vertere nitimur, eadem fere cogit nos replicare alterius, sed quasi ejusdem rei eventus, et renovata ejusdem miraculi memoria. In vico qui dicitur Werstat, juxta castrum nomine Epperstein, quidam parvulus, utroque parente febrium immanitate lecto prostrato, dum juxta molendinum in ripa fluminis luderet, arena ac limo pedes obvolutus corruit; et a prima hora diei, usque ad primam horam alterius diei, obrutus limo latuit. Interea quidam domo ac familiaritate proximus, accepta securi arborem in ripa paludis, aliquid inde more solito excissurus, ascendit; cumque eminus parvulum aspiciens, et suum filium (parvulum enim habebat) credens, non sine magna corporis læsione descendit: et primo intuitu, cujus esset filius, agnoscens, in manus illum sustulit; patrem tamen ac matrem, ob nimium eorum dolorem, eventum rei celare studuit. Affuerunt protinus, rei novitate acciti, pene omnes vici illius cives et incolæ: qui unanimiter cœperunt Dei omnipotentiam et sanctam ejus Virginem invocare Justinam, cujus meritis constat procul dubio quantum valeat veræ fidei devotio. Os enim pueri, cujus lingua dentium collisione perforata, adhuc sanguine madebat, cultello aperientes, aquæ guttas gutturi instillabant, et si quis spiritus vitalis corpori inesset scire tentabant. Sed qui non erat, mox rediit, procul dubio ipsius meritis, quam Christo commendat effusio immaculati sanguinis. Pater igitur et mater, tam pro reddita sibi sanitate, quam pro filii sospitate, vitæ Datori gratias retulerunt; et continuo dispositis ad iter rebus necessariis, cum puero et oblationibus ad memoriam Sanctorum venerunt, ibique coram clero ac populo, quorum multitudo tunc aderat, ordinem rei exponentes, et pro puero singulis annis oblationis quantitatem vovere studentes, post indicium suæ fidei atque devotionis, cum ceteris fidelibus jubilabant Deo in voce exultationis.

et inde post horas 24 extractus, eadem implorata reviviscit, et parentes ejus sanantur a febri.

30 Adhuc pro gloria Sanctorum, ad laudem Dei, cum aliqua hic inserere meditaremur; multitudinem mirabilium ejus considerantes, magis silere quam minus digna dicere decrevimus: ne mira et inscrutabilia præ oculis, quasi abyssum maris habentes, vela ventis cum periculo daremus, qui jacta fidei anchora in firma statione sedem locavimus. Non enim immemores sumus illius in Evangelio, qui visa piscium multitudine dixit: Exi a me, quia peccator sum, Domine. Est quippe veræ virtutis proprium, ut in contemplatione sublimium non deserat humilitatis consortium: unde scriptum est, Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tui? Quia enim carne fragilitas, ossibus vero fortitudo signatur perfectorum virtus qualiscumque, summæ virtuti comparata, dissimilis comprobatur. Hinc est quod ille fortis olim (Sampsonis pater) Manue, oblato et suscepto sacrificio, per *d* Angelicam visionem vitæ incurrit desperationem: qui ubi quæ gesta sunt uxori retulit, per ejus consolationem mortis timore caruit. Bene autem compunguntur uxor et maritus, id est spes et fortitudo, quoniam his duobus, humilitate socia, omnis perfectorum commendatur beatitudo. Cum enim virtutum studio, quasi fidei sacrificio, Angelicæ visionis, quod est cælestium contemplationis gratia, sublimantur; humanæ fragilitatis conscientia quasi mortis periculo, humiliantur: qui tamen a rectitudinis suæ statu non dejiciuntur, quoniam spe concepta de prioribus, quasi fida uxore, ad sublimia eriguntur. Hinc est quod marito uxor dixit, si Deus nos occidere voluisset, nunquam de manibus nostris sacrificium suscepisset. Nos ergo quia cœlestis gratiæ dona nostris meritis majora percepimus, ad commemorandum aliqua, quæ magnitudine mirabilium perterriti adhuc intermisimus, sublata formidine redeamus: sperantes in eum, qui sperantes in se non derelinquit: qui ubique præsens, ubique Sanctorum merita invocantes misericorditer exaudit: sic enim mortui vivificantur, sic debilia et contracta membra curantur, sic aperiuntur oculi cæcorum, sic solvuntur vincula compeditorum: quorum cum facile comprehendi non valeat numerus; tribus hic positis, quartum melius silere, quam referre

Auctor miraculorum magnitudine sicut Manue pater Sampsonis territus; sed sicut ille spe animatus,

Luc. 5, 8

Ps. 33, 10

referre propter discordiæ malum duximus; secundum illud, Providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus; quapropter illos, quos veritatis testis conscientia accusat, illi quem nulla latent [secreta] relinquamus; et eos, qui ad invocationem Virginis et Martyris Justinæ vitæ periculum evaserunt, hic inferamus.

Rom. 12, 17.

narrat qualiter pauper tortus ob debitum

31 Quidam nomine Bern, de loco qui dicitur Arnestein, quemdam pauperem, sibi satis notum, injuste jam captivatum custodiæ deputavit, quousque commodatam pecuniæ quantitatem persolveret, qui nimirum præter miseram animam nihil proprii possidens, et injusti exactoris desiderium implere non valens, ducitur ad silvam, ad arborem ligatur, demissis pedibus in vallem quæ proxima erat, plena diversis ac mortiferis reptilibus. Aliquot ergo diebus inibi atque noctibus, sub Altissimi protectione, commoratus; ad locum primæ captivitatis deducitur, atque in corte imminenti et omnium oculis patente vinctus ponitur; habens pro caligis compedes et catenas, pro strato crates ligneas, sudibus peracutis undique prominentibus contextas: ubi vitam morte graviorem aliquamdiu agens, tandem quarumdam matronarum, quæ prope adstabant, admonitu, Christi Martyrem Justinam invocat; et citius dicto confractis compedibus et catenis, solutus exultat. Quid tamen ageret? Erat præ oculis aliud genus mortis, scilicet ingens præcipitium, quod si eligeret, non evaderet vitæ exitium. Denique (juxta id quod dicitur, Liceat sperare timenti) timore deposito, rursus Christi et Virginis suæ Justinæ se committit auxilio; et per crates dependentes descendens, carnibus lacrymabiliter laceratis, ad terram pervenit: nihilque moratus, ad memoriam sanctæ Virginis veniens, vocis exultatione et sanguinis sui perfusione, propriæ liberationis fidem fecit: omnisque populus salvatori Christo super his laudem dedit. Sicut ad gloriam Dei spectat virtus Sanctorum, sic nimirum ad hostis confusionem crudelitas impiorum: utrumque vero ad consolationem cœlestis patriæ peregrinorum. Sic ille summus Pater-familias in domo sua qualecumque vas vult [habere]; quo (utpote summe bonus) bene utitur per suam sapientiam, cum cœli ac terræ patriam unam facit rem publicam; cujus judicio, injusto numquam, plerumque impius pio dominatur: quod per eos quos supponimus facile comprobatur.

ex dira captivitate

Sancta invocata evasit.

Alius simili ex causa vinctus,

32 Quidam de loco qui dicitur Eppenstein, nomine Hapens, pro danda sibi pecunia quemdam dure circumvenit. Sed cum non haberet quod daret, nec tamen persecutor furoris habenas laxaret: quidam notus ac primus illius vici, impetratis induciis, sponsor pro ipso intervenit, nec tamen minus innocens impio jure injuriatur: sed vinctus catenis in loco sublimi custodiæ mancipatur; ubi aliquamdiu omni consolatione destitutus, dum sponsoris sui præstolatur reditum, devotissime sanctæ Martyris Justinæ invocat auxilium. Nec mira, juxta quod scriptum est, Fides tua te salvum fecit, confractis catenis, solutus a vinculis, Dei virtutem intellexit. Unde circumspiciens, et custodum accursus metuens, præ gaudio altitudinis immemor, de sublimibus ad ima se dedit: et quasi mollibus susceptus (mirabile dictu!) incolumis consedit. Interea, multis sibi sociatis, sedebant in portis filii iniquitatis; ut observarent insidias fuga forte elabentis. Quibus visis, timor in eo renovatur: sed cum Giezi et Elisæo mente junctus, illos videns; ab illis, licet oculos serenos habentibus, non videbatur. Quos ubi illæsus pertransiit; ut Petrus ad se reversus, cursum init: nec erat parva currentis velocitas, cujus pedibus timor addidit alas. Venit ergo gaudens et exultans ad sacræ Virginis Mausoleum, cum omnibus qui aderant, clara voce magnificans Deum.

Mar 10, 52

simili auxilio evadit coram oculis custodum:

A GOSW. EX MS.

item tertius,

33 De tribus quæ proposuimus virtutum insignibus, duobus utcumque expositis; tertium, promissionis memores hic subdere non dubitamus, tametsi auditoris fastidium timeamus: in hoc quippe cum sit rei ac miraculi fere identitas, sola personarum ac locorum inest diversitas. Quidam enim peractis negotiis aliunde rediens, a Volkmaro de Betthelenheim ejusque complicibus comprehenditur; et spe quæstus vinculatus, locis pœnarum deputatur. Hic post invocationem sacræ virginis Justinæ confractis catenis se absolutum cum gaudio miratur. Nec mora, dimissis catenis, quarum sonitu comprehendi metuebat, liber egressus; alias pretio comparavit, quas (sicuti ibi adhuc cernere licet) in testimonium suæ liberationis, ecclesiæ Christi et Christo consecratæ Virgini cum laudibus præsentavit.

ac quartus

34 Præterea quartum (tamen contra nostrum propositum) alio tempore, alio loco, sed satis noto, ad invocationem prædictæ semperque dicendæ Martyris et Virginis, laxatis vinculis, solutis compedibus, liberatum hic inserere dignum ducimus: non curantes subsannationem et dentem invidiæ, dum votis fidelium, et de meritis Sanctorum lætantium, magnalia Dei eloqui valeamus e.

Vitali motui redduntur 2 fratres eo privati.

35 Non minus ad Christi Martyrumque spectat gloriam, quod tam futuris quam præsentibus revocamus in memoriam. Videtur quippe omnibus quæ prædicta sunt, laude dignius, quod de duobus fratribus, patris ac matris et amicorum suorum relatione, didicimus. Alter siquidem horum subita ac mira infirmitate circumventus, triduo mutus ac velut exanimis jacebat, alter vero sex diebus omnibus sensibus corporis privatus nihil signi quod vitæ competeret prætendebat. Interim dum ex more tristes exequiæ parantur, virtutum, quas audierant qui affuere præconia memorantur: ac perceptis quibusdam vitæ indiciis, cum fide ac spe currunt ad suffragia Justinæ Virginis et Martyris ad cujus nomen, tamquam ad novissimæ tubæ vocem, videres omnia membra moveri et jacentes apertis oculis adstantes clare intueri: eademque hora spiritu illis plene reddito, et soluta lingua resonante vocis organo, vocem præ gaudio flentium, compescuit vox Deo laudes canentium. Quod si quis præ magnitudine rei parum credens, verum abnuat, vicum, qui Wenheim in regione Berestrata dicitur consulat, ibique omnem veritatem edoctus, cum vivificatis nostræque ecclesiæ, tum multorum testimonio credens, auctori salutis gratias agat.

Curantur cæci, vir f

36 Silentio præterire non audemus, quod o sanctissime præsul Servati, per quem innumerabiles homines sanitatis gratia sunt donati, qui de Salvatoris f nostri stirpe gloriosam sanguinis ducis originem, tuis meritis dignaris proponere nostram Martyrem et Virginem. Quidam enim de Masetricht, pauper et cæcus; spe luminis, cum multis votis tibi excubias celebrare fuerat suetus: audiens vero apud nos novæ præconia gratiæ, non sine divino (ut credimus) nutu ad nos venire disposuit; et in eundo, meritis ipsius de qua loquimur, illuminari meruit. Qui iter cœptum peragens, ad nos pervenit, testis suæ salutis, et præco magnæ Sanctorum virtutis, omnibus qui aderant laudes Deo resonantibus.

et puella

37 In octava sanctæ Dei genitricis, puella quædam, oculorum lumine diu privata, cunctis cernentibus est illuminata; haud dubium illius prece et meritis, quæ genuit mundo Auctorem æterni luminis.

Heb. 10, 38
Mar. 10, 15

Puer necdum baptizatus,

38 Quia scriptum est, Justus ex fide vivit; et alibi; Fides tua te salvum fecit, ex hujus virtute, quoniam se occasio obtulit, hic aliqua inserere visum nobis fuit. Per hanc enim omnium seculorum patres,

A. GOSW. EX MSS

A tres, legis et gratiæ præcones superatis regnis, opibus, justitiæ adepti sunt repromissiones. Sed ne minus docti sapientibus, nota replicantes, oneri simus; plenius instrui volentes, ad eum, qui in terra positus cœlorum secreta videre meruit, remittimus; nobis vero ad præsens ostendere sufficiat, qualiter non credentibus, nec etiam fonte salutari renatis, credentium fides subveniat. Mulier quædam parvulum, quem, juxta Psalmistæ vocem, in iniquitate conceperat, secundum illud, In dolore paries filios, in dolore peperit: qui natus, non minus patri quam matri, majoris fletus est causa doloris. Quid ergo? Ubi est bone Jesu, vita et salus omnium, quod dixisti, mulier cum parit tristitiam habet; cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium quia natus est homo in mundum? Verum est plane, nec aliquid sonat contrarium, sacramento plenum, veritatis testimonium. Est enim mulier mater, Ecclesia, filios adoptionis pariens cum tristitia: quæ bene dicere potest cum Apostolo; Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Hæc, immemor tristitiæ, plene lætabitur, cum laboris sui fructu in cœlis donabitur. Bene igitur, Christe, ad tuam quæ cuncta B disponens non fallitur, providentiam; et ad tuorum, quæ dicimus, spectant gloriam. Puer enim natus, in una manu et utroque pede carnem, in modum globi habens dependentem, et caput usque ad inspectionem cerebri divisum, suis horrendum ac miserabile spectaculum præbebat. Horruit pater, expavit mater, quod suo semine tale quid genuissent. Incerti quid agerent, an exilium præ pudore eligerent; tandem, fide roborati, S. Justinæ auxilium flagitabant. Qua fiducia confortatus pater, arrepto ferro omnem carnem superfluam amputavit; manibusque compressum caput signo Crucis et nomine Virginis consolidavit; adeo ut nec in capite divisionis, nec aliis membris aliquod vestigium appareret incisionis. Puer vero ætatis dies quinque tantum habens, nondum baptismi gratiam perceperat. Constat igitur jam, quid valeat vera fides, ut prædiximus probat: enim ille paralyticus, ante Jesum per tegulas, in lecto demissus; probat etiam ille surdus et mutus, fide offerentium ab ipso curatus. Veniunt ergo parentes, puerum portantes, et cum eis non minima utriusque sexus multitudo fidelium, nobis hæc cum lacrymis referentes, et auctori salutis suisque Sanctis laudes persolventes.

Gen. 3, 16

Joan 16, 21

a natiua monstrositate,

Gal 4, 19

post incisionem a patre factam, liberatur.

39 Populis adhuc Dei laudes personantibus, su- C per his quæ in puero nondum baptizato facta supra retulimus; ecce adfuit quædam femina cum amicis et notis loquens Dei magnalia. Hæc enim, ut asserebat quamvis gravida, aliquid operis actura, ventris pondere depressa, humi corruit; et brachio dextro duobus locis confracto, per multa horarum spatia velut exanimis jacuit; atque in hujus doloris angustia octo dierum [transegit] tempora; sed laus et salus mundi Christus, meritis Sanctorum omne triste convertit in gaudium. Denique ad invocationem sanctissimæ Justinæ Virginis, recepta tam brachii quam ventris sanitate, ad nos pervenit; quæ sibi contigerant memorans cum lacrymis.

Brachium prægnanti fractum

redintegratur.

ANNOTATA D. P.

a *Etsi talia miracula narrentur de pluribus: specialiter tamen videtur intelligi S. Benedictus, cujus mandato obediens ejus Discipulus Maurus, condiscipulum Placidum, tunc adhuc puerum, puer ipse abstraxit ab aquis, super ipsas ad illum progressus.*

b *Scilicet* Mœnum *supra quem ipsum Francofurtum est situm.*

c *Ibidem ecclesia* S. Bartholomæi *Collegiata et præcipua.* D

d *MS. Bodec.* Evangelicam: *sed scripturas scienti apparet legendum* Angelicam, *et supra inserenda duo verba fuisse.*

e *Nihil hic deesse vix ausim affirmare. Quarti autem hujus liberatio, post tres alios sub numero unius Capitis 30 conjunctos, sola faciebat Caput 31: nobis satius visum, dimissa veteri divisione, Caput illud prolixius in tres Paragraphos partiri, et exhinc numero auctiori pergere, usque ad librum 2, cujus post Prologum Caput 1 erit nobis num. 41 et sic porro procedendo ad librum 3, hujus quoque Caput 1, fiet num. 51.*

f *De S. Servatio Trajectensium Patrono fabulosa cum Christo cognatione sufficiunt dicta in Tractatu de Trajectensibus Episcopis quorum primus habetur, translata Tungris Sede.*

CAPUT III.

Miracula reliqui primi anni Libro secundo digesta.

Enumeratis paucis, ex innumerabilibus signis et virtutibus, quas meritis Virginis et Martyris suæ Justinæ dignatus est ostendere, qui operatur omnia in omnibus, cogitis nos per Deum, carissime (haud dubium quin studio duntaxat pietatis, utpote amator virtutum et religionis) silentium quod proposuimus rumpere, et velut in Dedali labyrintho, per vestigia in se redeuntia, expertas latebras repetere; de quibus haud facilis patet reditus ob innumerabiles, et difficiles tenebrosi itineris anfractus. Quid vero dicimus labyrinthum? qui si nostræ executionis propositum, in quo prædicta ac fere eadem repetentes dum primum medio, medium ne discrepet imo nitimur; quid aliud quam per emensas ac rursus in se reflexas semitas gradimur? Huc accedit, quod juxta vias, actiones videlicet nostras, quod est gravius, malignorum spirituum patimur insidias: qui dum nos ad veritatis lumen assurgere conspiciunt, malignitatis suæ tenebras oculis nostræ mentis objiciunt; variarum scilicet rerum cogitationes, ac noxias humanæ conditionis delectationes: fitque ut mens, quæ contemplationis penna se ad sublimia elevat, phantasmatum occursu reverberata in imis remaneat. Propter quod Propheta, Declinate, inquit, a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei; sciens difficile simul et cœlestia scrutari, et malignorum hostium insidiis molestari. His consonat divina historia, ubi patris nostri Isaac et allophylorum referuntur facta. Nemo enim legens scripturas est qui nesciat, quod puteos, quos Isaac fodiebat, allophylorum invidiosa contentio aggere terræ replebat. Nos vero cum Isaac, qui Gaudium dicitur, puteos fodimus; cum in mandatis Dei mysteriorum profunda quærimus, quæ allophyli, qui maligni dicuntur spiritus, immundis cogitationibus, quasi aggere terræ, nobis obruere nituntur.

E

Prologus:

excusat, quod prioribus similia hic liber subjungat;

Ps. 118 115

F

ad suscitandam mentem distractionibus obnoxiam:

Hinc flentes et sedentes super Babylonis flumina, in salicibus ejus suspendimus organa nostra, dissonum judicantes, his qui captivos nos ducunt, interrogantibus cantica, cantare canticum Domini in terra aliena, memores tui semper Sion, dulcis pacis visio; ubi est vere concors civium Sanctorum habitatio; ubi redolentia ut cynnamomum et balsamum jugiter sonant organa Sanctorum; ubi sine fine lætitiæ cantus, quem nullius incommodi interrumpit planctus. Hic jam Virgo et Martyr felix Justina, cum fratre Aureo tripudians, redimita decore roseo, hic pascentem in liliis, ac septum virginum choris, Agnum sponsum, quocunque ierit, sequeris; cujus recordans, quod voluptati est Agnum sequi cœli civibus, adhuc in terra peregrinis, benigne compateris;

et Justinam in cœlis beatam invocat.

A teris; et per omnipotentem, cum quo unus spiritus es, te fideliter invocantibus, ubique succurrere cognosceris. Testantur hoc tam ea quæ prædiximus, quam ea quæ hic subdere dignum duximus.

41 Inter virtutum insignia ac multa hominum millia, ductus est aliquando ad sepulcrum prædictæ Martyris quidam, tam vultu quam habitu terribilis utpote (pro dolor!) factus possessio dæmonis, qui volens similis esse Altissimo factus est infimus, et ob hoc generi invidit humano. Qualis vero sit possessor, possesso credite: nihil enim humanum sonat, sed fari gestiens, non verba, sed sonos confusos promebat; non solum manu, sed stridore dentium exhibens se cunctis metuendum et per horarum spatia renovatis doloribus, miris omnem replebat ecclesiam clamoribus. Quapropter trusus extra septa ecclesiæ, in loco congruo catenatur, usque ad tempus misericordiæ. Ducebatur autem maxime matutinis horis, manibus famulantium, ad memoriam Christi Virginis; ubi inter voces flentium hic solos promebat stridores dentium. At ubi venit tempus miserendi ejus, meritis suæ Virginis respexit illum B Deus; et ad nomen Justinæ, vas quod possedit prædo malignus relinquens, confusus discessit. Stat liber solutus vinculis, qui ligatus venerat; stat hilaris et lætus, nec ut ante ferus, sed ut mansuetus. Os prius blasphemum et obscœnis sermonibus plenum, resonat Salvatoris laudes, palam protestans et detestans iniqui pervasoris fraudes. Quid plura? Pro tam manifesta ejus gloria, in laudibus Justinæ exultat tota ecclesia. Ille vero, post gratiarum actiones, redit ad propria; notis et amicis, pro tristitia, optata relaturus gaudia: et plateas et vicos omnes, quos contristaverat, in testimonium receptæ sanitatis benedictionibus lætificabat.

et mulier

42 Ecce iterum serpens antiquus, humanæ salutis inimicus, immemor maledictionis antiquæ, qua conculcandus denuntiatur mulieris semine, expulsus a viro mulieris imperio, in sexu femineo debacchatur malignitatis antiquæ studio. Sed frustra: nam rursus per mulieris Virginis meritum, de subsellio familiari expulsus, suum recognoscit interitum; quod non minus ad confusionem maligni invasoris, quam ad laudem benigni Creatoris pertinere, sequentis testatur ordo narrationis. Quoniam ad declaranda Sanctorum merita operam qualemcumque debimus, hoc quoque non prætermittendum credimus, quod meritis sanctæ Virginis, virtus Regis immensi ostendit in Episcopatu Spirensi. Erat ibi non mediocris sub- C stantiæ et famæ quædam femina, caduci morbi incommodis multo tempore anxiata; quæ ex frequenti casu non tantum memoria, sed et vultu contracta, vix formam prætendebat hominis. Quæ cum diu vitam morte graviorem ageret, nec medicorum aut parentum ope quidquam proficeret: tandem aliquando cœlitus procul dubio inspirata, cum votis ad memoriam Sanctorum ire disposuit: emensoque parvi itineris spatio, tam membrorum infirmitate, quam vultus deformitate caruit. Tunc animum convertens ad laudes Salvatoris, deposita omni formidine doloris, ad ecclesiam lætabunda pervenit, et nobis casus suos ex ordine retulit, et Dei laudes cum lacrymis et cordis gaudio subintulit. Ubi post verba consolationis, causam auxit admirationis: nam facta palam peccatorum confessione, et percepta sacramentorum Christi communione, in utroque homine salvata, laudes Deo et Sanctis, nobis vero gaudia cumulavit maxima.

pridem morbo caduco laborans.

Innocens furti damnatus

43 Non minus est mirabile, quod non multo post tempore contigit in Wetereiba, meritis sanctæ Martyris et Virginis Justinæ. Quidam inimicorum invidiosa relatione in conventu populi accusatus, impia judicum sententia, quasi reus furti, suspendio fuerat damnatus. Qui, utpote pauper, consilio et D auxilio carens, nec objecti criminis notam solus, multis accusantibus, revellere valens; vestem qua indutus erat exuens, S. Justinæ pro peccatis suis donavit; omniumque inspectorem, testem veritatis Deum, cum lacrymis invocavit; dataque sententia mortis, insons suspensus, usque in diem alterum sic permansit. Tunc cum forte quidam iter agens huc accederet, et pendentem eminus aspiceret compunctus; Ubi nunc, exclamat, virtus tua Virgo et Martyr Christi Justina? nihilque cunctatus, evaginato quo erat accinctus gladio, laqueum concidit; moxque corpus, adhuc palpitans, humi corruit. Quo viso, lætus ac fide plenus, sæpius ingeminans Justinam, imo Justinæ meritis potentiam divinam; quem credidit exanimem, sanum vultuque lætum conspicit: iterque pietatis studio omissum repetit, magnificans eum, qui facit mirabilia merito Sanctorum suorum. Alter vero, spiritu recuperato, et corpore alimentis recreato, per dies aliquot laqueum collo ferens, plateas omnes circuibat eventum rei narrans, videntesque et audientesque admiratione E replens, denique memor sui adjutoris quem invocaverat, et S. Justinæ cui se commendaverat; cum multis novitatem rei attestantibus ad nos venit, in collo adhuc recentem ostendens dolorem et in manu torquem doloris auctorem. Quibus visis, omni dubitatione remota, gaudentes fidem dedimus omnibus, quæ fama præcurrente prius didicimus: Deo autem et Sanctis ejus multa plebis numerositate conclamante super istis mirabilibus.

A. GOSW. EX MS.

et suspensus,

altero die vivus deponitur e furca.

Energumena

44 Hinc cum ad ea, quæ proxime contigerunt, calamum verteremus; occurrit quod dignum memoria silentio præterire non audemus, de muliere sex annis dæmone gravata, et secunda die adventus ejus ad nos hoc ordine liberata. Erat ei maritus tam compassione quam fide devotissimus, ejusque laboris ac itineris comes indefessus: circuiens cum ea Sanctorum Jacobi Apostoli, Ægidii, Godehardi aliorumque multorum limina devotissime ubique implorans suffragia, nusquam tamen voti compos efficitur quamvis scriptum sit, Pulsanti aperietur; illius haud dubium nutu, qui solus, cui vult, et quando vult, et ubi vult miseretur. Sed ut alios omittamus, quorum tam manifestis signis et virtutibus derogare fas non est, numquid, Apostole Dei, hoc non poteras; qui cum consortibus tui Apostolatus potestatem super omnem virtutem inimici acceperas? Fatemur, et credimus, te hæc et majora potuisse; sed Justinæ tuæ consorti gloriæ, ad declarandum ejus meritum, F hoc donum permisisse. Nam post multas, ad tuam memoriam, sine fructu excubias; et post emensas laboriosi itineris vias; prædicta mulier ad nostram venit ecclesiam. Interim quanto poterat conatu silentio comprimens se inimicus, qui in ea latitabat, quia se divinitus expelli metuebat; posquam ecclesiam introivit mox ululatu et diro clamore, quid pateretur, innotuit. Cum vero post inceptam Missam Evangelium legeretur; inimicus, salutis verba non ferens altius quam dici queat exclamat, ferarum ac bestiarum sonos confundens, ingemiscat terribiliter ac miserabiliter; adeo ut homines compatientes lacrymis perfunderentur hæc videntes, et nonnulli ecclesiam egrederentur, hæc ferre non valentes. Quapropter post aliqua horarum spatia foras ecclesiam ducta, sed quinta quasi hora ad memoriam Sanctorum reducta, sumpto in aqua de pulvere sepulcri sanctæ Virginis, ad invocationem ejus nominis dæmone protinus caruit; et prima exultans in laude Dei, cunctis causa lætitiæ fuit.

frustra ad S. Jacobum aliosque ducta,

Matt. 7, 8

ad S. Justinæ sepulcrum liberatur:

45 Nec hoc silemus, quod eodem tempore meritis S. Justinæ factum gaudemus. Erant duo fratres inter suos genere et substantia novissimi, sed fide ac

A. GOSW. EX MSS. Fratres duo per fraudem capti,

ac morum qualitate præ ceteris conspicui. Horum optimis successibus more suo invidit humanæ salutis inimicus, excitans contra eos fortiorem quemdam, qui invidiæ stimulis et avaritiæ facibus inflammatus, eorum appetebat substantiam. Tempus igitur conceptæ iniquitati idoneum nactus, alterum dolo circumvenit, comprehensumque ac compede constrictum custodiæ mancipavit; alteri deinde mandans ut veniret, nihilque metuens spud se, si pro fratre solis precibus interveniret. Qui non columbæ simplicitatis, sed serpentis sapientiæ expers, verbis fidem dans, cum venisset comprehenditur, et uno pede cum altero pede fratris una compede diligenter constringitur. Stat perfidus prædo exultans, et manibus plaudens cum sociis suæ iniquitatis, quod desideraverat se implevisse gaudens; ignorans miser, prope esse Dei misericordiam omnibus, meritis Sanctorum suam invocantibus potentiam. Nam ad invocationem S. Justinæ, citius dicto laxata compede, stat liber uterque, retracto ad se pede; cunctis qui aderant cernentibus, nec manifestæ Dei virtuti contradicere præsumentibus. Liberati, protinus veniunt ad loca Sanctorum, gaudentes, et per omnia, (ut dictum est) gestæ rei ordinem referentes. Hic non incongrue occurrit nobis Leviathan ille, cujus maxilla perforata est armilla, quid enim aliud est armilla, quam omnia complectens divina misericordia quæ Leviathan, serpentis scilicet antiqui, maxillam perforavit; ut quos illeastutia perversæ suasionis absorptos tenebat; post perpetrata scelera, per pœnitentiam ad veniam redeuntes, confusus amittat. Stat confusus et iste, qui dum plus justo appetit, quod forsan competeret juste amittit.

ruptis ultro vinculis evadunt.

46 His aliisque virtutibus, per Sanctorum merita longe lateque coruscantibus, dignum duximus hoc referre miraculum, quod die Dominicæ Nativitatis nobis ostendit Altissimus. Eodem namque die, primo mane dum Officio, Lux fulgebit, Concentu adderetur, ubi dicitur, Nova luce verbi tui perfundimur; pius et sanctus in omnibus suis Deus, cereum, qui tunc forte ad honorem Sanctorum positus fuerat, cœlesti et invisibili lumine accendit. Unde præ subitatione insperatæ salutis, adstantium corda stupor ingens invadit, et gaudio cœlestis lætitiæ perfundit. O lumen verum, perlustrans intima rerum? o ineffabilis claritas, quæ numquam corda fidelium obscurare patitur perfidiæ tenebras! Quid agitur? Adstans turba præ gaudio exclamat in laudibus Christi: Fratres vero addita melodia jubilabant gloriam Dei. Nos igitur eorum etiam laudi communicantes, per omnia glorificemus Dominum, qui se glorificantes conservat in secula.

In Natali Domini accenditur divinitus cereus;

47 Invidus et humani generis inimicus, semper impediens bona opera hominum, frequenter circuiens studia singulorum, ut si quem inveniat incautum ad suum trahat exitium; etiam nunc suum effundendo venenum, festinat infligere et evertere cor humanum. Sed ne ambagibus ut videmur, suffragantibus meritis S. Justinæ Virginis ac Martyris utique evacuato veneno maligni serpentis, laus et salus atque gloria prædicatur nostri Redemptoris. Accidit namque, ut quidam rusticus in villa Liderbach, secus flumen Mogum, costam porci igni assandam apponeret. Verum ille qui Cain in cædem fratris animavit, permiscens tristia lætis, quidquid gaudii erat perturbavit. Accurrens enim subito canis apertis rictibus costam rapere volebat. Sed villanus baculo, quem forte manu tenebat, eum minitans, proprium filium adhuc nutantem percussit; ut statim velut exanguis ad terram caderet, et sine halitu exanimis remaneret. Quid pater ageret, cum hæc videret? mater enim domo forte exiverat. Clamat, lamentatur, donec mater per lamenta revocatur.

Jacto in canem baculo exerrante

Quæ veniens stupefacta, querula voce replet aera, scissisque vestibus dolorem ingeminat; et quid agere debeat, ignorat. Sed quis matrem, in funere nati, flere vetet? Mater luget, vicini flent, cognati et amici plorant: et quid super hac re dicant vel decernant, prorsus dubitant et ignorant. Alii clamant sepeliendum, alii custodiendum; mater vero B. Justinæ offerendum. Inter hæc omnia matris intentione perficiente, vovetur puer beatæ virgini Justinæ. Quid ergo? Numquid justis petitionibus misericordia Dei elongabitur? Absit. Nam Dominus, per beatæ Martyris Justinæ merita, vota suscipiens humilium, corda intuens contritorum, more Prophetæ in solario suscitantis puerum, solitum credentibus expandit suffragium. Ergo dum pro sepultura parentes in itinere ferunt puerum; subito divinitus factum cernunt in eo miraculum. Nam sanctæ Virginis ope, elevantem oculos aspiciunt respirantemque per suspiria, sanum et incolumem recipiunt: tandem sicut disposuerant, ad limina Sanctorum cum laudibus proficiscuntur, et vota cum gratiarum actione persolvuntur: quibus peractis, via qua venerant redeunt in domum suam reddentes Deo semper laudem et gloriam.

occisus a patre infans resuscitatur.

48 Nec minus laude dignum, quod non multo post, per invocationem S. Justinæ in vico Nitgowe in villa quæ diciter Colla, non tam mirabile, quam laudabile factum est signum; in qua villa, ut est consuetudo pueralis, cum vitreis pueriliter ludere annulis, quidam eorum unum forte absorbuit: quem quia, difficiliter laborans, hæsitantem gutture excutere non valuit, suffocato similis, sine voce sine halitu terræ exanimis cecidit. Quid parentes, de subito nati periculo perterriti, agerent, nisi quod solum potuere, plangerent? Subitum quippe interitum voce lamentabili plorantes beatæ tamen Justinæ commendantes puerum ad ipsius limina deferentes, ejus consolationem humiliter implorant. Nec mora, beatissima Virgo, ac si diceret, Vocastis me, ecce adsum; non differt devotis conferre suffragium. Puer namque, qui jam pene cunctis defunctus æstimabatur, ad honorem ipsius, qui facit mirabilia solus, et laudem beatæ Justinæ, evomens quod nocivum sumpserat, coram astantibus liberatur, suisque incolumis datur.

Puer annulo vitreo absorpto suffocandus, voto pro eo facto servatur:

49 Contigit etiam in eodem pago, quemdam sine custodia in cunis relinqui parvulum: cujus faciem casu adveniens porcus morsibus, sic, ut nec humanum vultum habere videretur, dilaniavit; confusumque facie deformem et querulum cruentumque reliquit. Parentes denique ejus venientes, dolorem cordis clamore indicabant; et vicini ac noti clamoribus concitati, conveniebant; et quid consilii aut medelæ adhibeant, conversis in se doloribus deliberabant. Sed postremo tale solamen inveniunt, ut ad medelam B. Justinæ confugium faciant. O mira Dei providentia, contra quem nec est consilium, nec scientia! Nam statim ad invocationem beatæ Virginis, ille qui Naaman Syri lepram mundavit, præfati pueri vultum, ac si vulnus numquam sensisset, sanavit.

alius faciem a porco corrosus priori formæ restituitur

CAPUT IV.

Prosecutio similium Miraculorum.

Cum aliquis ad scribendum amore studii vel exercitatione ingenii applicat animum, gestæ rei seu gerendæ expositurus seriem, tale profecto tenere debet medium, ne intentio ejus (secundum illud Apostoli, Unusquisque in suo sensu abundet) excedit ingenium. Sunt namque nonnulli, qui in scribendo sic appetunt altiora ut non redire valeant ad inferiora

Prologus. petit auxilium spiritus

* Rom. 14

A riora. Hi nimirum, quando æmulorum incusantes vecordiam, propriam non reprehendunt inertiam, animi negligentioris non corrigunt desidiam; nos nunc parvitatem nostri considerantes ingenii, sæpius iterando, Noli altum sapere, sed time; positum vereamur tertio responsamini calamum. Sed sunt duo quæ cogunt; amor et timor. Amor scilicet secundæ revelationis sanctarum Reliquiarum Aurei Episcopi et Justinæ Sororis ejus; timor vero, ne si silentio transeamus, desides judicemur. Scriptum namque est, Qui meos erubuerit sermones hunc erubescet filius hominis, quæ in aure audistis, prædicate super tecta. Aspiret itaque, qui aspirando omnes implet.

ad enarranda postrema prodigia.
* Ib. 11, 20
* Matt 23,27

51 Anno ab inventione sanctarum Reliquiarum in se revoluto, quam pluribus in ecclesia S. Albani Patroni nostri signis per invocationem præfatorum Martyrum coruscantibus; multis tamen adhuc, utrum vere eorum ibi forent corpora nec ne, dubitantibus; ea die, qua ipsa inventio celebris habebatur inter nocturnas mediæ noctis orationes, cuidam famulæ Dei boni testimonii notus, et sanctæ conversationis Frater noster, qui jam dudum vita excesserat, ejusdemque aliquando fidelis custos ecclesiæ, si B dormiret inquirens, apparuit: illaque se dormire negante, addidit: Ne dubites, sed pro certo noveris, tu et quique fideles, miserationes Dei, quæ in hac multiplicantur basilica, B. Justinæ veraciter hic quiescentis et manentis hic fore subsidia, omni mundo his temporibus valde necessaria. Famula itaque Dei tam de insolita visione perterrita, quam de extasi mentis ad se reversa, unius horæ spatio fere transacto, Quid reverende, inquit, Pater et senior de Virginis, fratre dicitis [Respondit ille] Quæ de sorore, omni dubio [procul], senties et de fratre. Hæc et his similia conferentibus corpore et anima, ne de magnitudine revelationis Dei famula extolleretur, sibimet ipsa facta est stimulus, cum orationis instantia. Verumtamen ad ultimum in hoc verbo confisa, Spiritum nolite extinguere, Patri Monasterii, quæ viderat, intimare non formidat velocius; teste illo et eodem revelante, qui est secretorum conscius, qui suis differens non minuit præmia, ipsi laus, honor, pietas et gloria.

An. 1138 dubitantibus nonnullis,
præsentia S. Justinæ certificatur per visum.
Thes. 5, 19

52 Subsecutis igitur paucis diebus, cum Sanctorum Martyrum diei festi Vigiliæ agerentur, et votorum actiones ibi devotissime solverentur, et diversarum plebium quotidie illuc confluerent turbæ; C tum tamen plus solito multitudo languentium propter solemnitatem catervatim ruebat, et beatorum Martyrum subsidia singultuosis precibus implorabat. Sicut enim illa dies ceteris habebatur celebrior, sic omni credenti impertita est gratia largior. Mulier quædam de Fritzlaer, visu diu orbata, iter arripiens ad suffragia Sanctorum, in ipso itinere ad [eorum] invocationem, est illuminata. Ipsa tamen iter perficiens, vota resolvit; vocemque, coram omni populo laudans Dominum, videns ad glorificationem Sanctorum, extollit.

In Vigilia sanctorum
illuminatur cæca,

53 Nec solum his (ut diximus) virtutibus nostra florebat vicinia, verum etiam extranearum gentium B. Justinæ et fratris Aurei interventum sentientes, congratulabantur confinia. Igitur in civitate Noricorum Ratisbona, secus flumen Danubium, mira, quæ Deus in suis operatur sanctis, non sunt occulta filiis hominum. Hæc sicut inter omnes illius regionis extat nominatissima, ita relatu ad se confluentium est famosissima, agris fertilis, nobilis ædificiis, omnibusque affluens deliciis. Ex hac ergo quidam quadam die, qua non licebat (celebris enim erat tempore messis egrediens metere, non timebat opus illicitum ad manus incontinenter mittere: illicitum enim erat quod dies sacra vetabat. Sed is qui sacræ diei sprevit celebrationem, continuo divinam sensit ultionem; manubrium enim quod metens manu trahebat (mirabile dictu!) ac si naturaliter concretum fuisset, indissolubiliter palmæ inhærebat. Ille miser, sicut erat debilitatus, beatæ Virginis nomen, de quo per famam audierat, invocabat; arreptoque itinere, per abrupta viarum ad ipsius solatium properabat; sicque properando vota solvens, manu recepta solvitur; solutusque Dei misericordiam laudando et glorificando ad propria revertitur.

Ratisbonæ festum violans punitur,
D
V. GOSW. EX MS.
et pœnitens manus usum recipit:

54 His ita gestis, quædam mulier de villa Altsigen, visu destituta, cum multis ad suffragia Sanctorum tendentibus ducitur et spe quæ non confundit consolata, fide quæ omnia operatur confirmata, suo itinere proficiscitur. Ventum est ad locum ubi misericordia quæritur, gratia invenitur; ubi laus ex ore hominum non deficiet, cor contritum et humiliatum Deus non despiciet. Nam mulier visu viduata, pro se rogat accepta fiducia; cujus nimirum dolori non differt misereri, apud quem sunt omnia vera et justa judicia, qui justas non dedignatur petitiones intueri. Intuentibus quippe multis et astantibus, ad invocationem B. Justinæ, quæ venerat cæca, illuminatur; et Deus, qui est benedictus in sæcula, ab omni populo glorificatur.

et cæca visum.
F

55 Item quidam in villa Winculo, in pago qui dicitur Rueggowe, pauper nec ignotus, non infimus genere, sed moribus (nam lascivus erat) cum nihil haberet præter simplex vas, aptum vino quod tunnam vocant cum ceteris [ludens] globos discurrendo (juxta id Poeticum; Quæ non perdiderit non cessat perdere lusor) ludendo perdit. A parentibus autem (ut fieri solet) multa passus, duriter reprehenditur. Vovet igitur B. Justinæ, se ad hunc ludum non deinceps reversurum. Deinde non multis diebus intercedentibus, cum Walburgæ, adveniente die festo beatorum Apostolorum Philippi et Jacobi quæ dies habebatur ibidem celebris, multi propter festum circumquaque confluerent, variisque jocis more fluxæ et lascivæ ætatis, intenderent; ille, cujus mentio est, immemor verbi, Vovete et reddite, ad ludum quem devoverat revertitur, sicque ad facta votis contraria. Quid secus? Inimica potestas, nisi bonum impediat propositum, numquam cessat. Sed videte, fratres, quam misere plectuntur, qui recedentes, quid vel cui voverint non reminiscuntur. Miser etenim iste transgrediens vota, visu orbatur terræque prosternitur; lascivus humiliatur, et B. Justinæ nomen sine intermissione invocatur. Omnes qui hæc audierant et viderant, pro vindicta et miraculo reputant. Ipse vero, de quo sermo, ad suffragia Sanctorum ducitur. Omnipotens ergo Deus, qui placatur per pœnitentiam sicut ipse dicit: convertimini ad me et ego convertar ad vos, non differt misericordiam. Nam is qui miserabiliter visu dolens privatur, ad laudem B. Justinæ gaudens misericorditer illuminatur. Nemo desperet; nemo diffidat: miser est, qui ad fontem misericordiæ formidat. Formidemus autem abhorrentes peccare; non formidemus per pœnitentiam, quod deviavimus emendare. Emendationem enim diligit et pœnitentiam, qui nos de morte ad vitam revocat, per remissionem peccatorum et pœnitentiam.

Contra votum repetens lusum,
excæcatur,
* Ps. 75, 12
F
et pœnitens illuminatur,
Zach. 1, 13

56 Scimus et fatemur nomen æternæ Trinitatis tribus in Personis, unius ejusdemque essentiam fore Divinitatis. Testatur hoc Pater multarum gentium, qui tres videns unum adoravit; cum Principe Apostolorum, qui post ternam negationem, unum verum Deum indivisibiliter confessus, adoravit. Parum [tamen] confert cum confessione invocatio, nisi fidem vivificans fidelis subsequatur operatio: opus quippe bonum est in fide constantia, si (juxta illud

In SS. Trinitatis honorem

A. 1098. EX MS. Mat. 7, 7

illud, Qui perseveravit in finem salvus erit) salvetur perseverantia. Verum quo his prælibatis tendamus, in subsequentibus diligenter audiamus. Erat quidam urbi satis notus, in civitate Wangionum Wormatia, membratim adeo contractus, ut crure ad collum suspenso, vix gestatorio veheretur contractus. Hic cum diuturno languore miserabiliter sic torqueretur, se curandum non dubitat, si super memoriam eorum suffragiis Sanctorum præsentetur. Cum ceteris igitur illuc properantibus ducitur; sed ipse, multis ibi votorum suorum effectum consequentibus, semel et iterum ductus et reductus, nullam misericordiæ gratiam consequitur: quod unde fuerit, illi, sub cujus nutu mors et vita, languor et valetudo pendet, dimittamus. Verumtamen de quo sermo dicitur, Evangelii non surdus auditor efficitur; ubi dictum est, Pulsate et aperietur vobis: sed ad exemplum illius, qui propter improbitatem media nocte surgentis amici tres necessarios accepit panes, instat opportune importune, et patienter exspectans tempus miserendi, tertio reducitur. Dum itaque cum cætera multitudine proficiscitur, in itinere subito exclamat, licet diu dilatum, non tamen sibi fuisse opus misericordiæ sublatum. O vere longanimis et multum misericors Deus, cujus misericordiæ non est numerus; qui ideo petenti non differt, ut subtrahat, sublimiam, sed ut augeat desiderium. Nam iste languidus, de quo dicimus, ad valvas basilicæ Sanctorum ductus, liberatus exultat; totaque ecclesia in ejus laudem, qui omnem languorem sanat et infirmitatem, congaudendo resultat.

ter ductus ad sanctos contractus

Luc 11, 19

tandem erigitur:

57 Serpens, insidiator humani generis, patrata ab initio in creatione mulieris nondum obliviscitur sceleris: ipse enim invidens æternitati hominis, cui primo fuit causa ruinæ, renovare non cessat poculum mortis, quod primo parenti propinaverat. Idcirco adeo maledictus, ut de primas excussit versutias, super proprium gradiens pectus, in mulierem ipsiusque semen quotidianas exercet inimicitias. Quædam igitur puella, a parentibus tenere dilecta elegantem formam habens hominis, cum foret sensatæ similis, subito fit possessio mirabiliter dæmonis: cujus evidenter manifestat passio, quam nequam possessoris facta sit possessio. Semetipsam namque discerpens terribiliter, probrosis verbis bacchatur; stridensque dentibus, manibus ac pedibus colligatur; miseris tamen parentibus, cum ipsa sicut erat, ad suffragia Sanctorum tendentibus. Ubi cum aliquot dies, exspectans misericordiam, fideliter exagitata, ageret; populusque hæc videns, una cum parentibus, nomen B. Justinæ invocando plangeret; factum est ut feria quarta quasi somnolenta aliquantulum a furore cessaret; ita ut nemo per merita beatæ Virginis ejusque fratris Aurei, hostem devictum et ejectum (sicut erat) dubitaret.

puella energumena liberatur,

58 Quædam puella de villa S. Goaris, super flumen Rhenum posita, cum esset clauda, semel et iterum ducta ad suffragia Sanctorum; tertio pro Sanctorum reverentia, Trinitatis ostendit in se ipsa potentiam. Quæ enim prius clauda et debilis, supra se ipsam plangens; ejulabat integre recepta sanitate per merita Sanctorum cum cæteris Deum laudantibus hilaris exultabat.

rectificatur clauda

59 Subsequentis aliquot diebus, cum universis regionibus plenius illuxisset, qua et qualis Dei omnipotentia suis sanctis præmia mirabiliter contulisset, innovantur signa, immutantur mirabilia, non solum admiratione digna, verum etiam fidelibus in augmentum fidei utilia. Cum ceteris namque ad suffragia Sanctorum properantibus, salutisque suæ auctorem illic humiliter invocantibus, quidam sui corporis gravedine anxiatus, jumento subvectus, oratione facta, cum reliquis hospitio receptus est invitatus. Is itaque cum fatigata ex itinere quieti membra dedisset, summo mane, cum primo dies illuxisset, jumentum non invenit quod adduxerat: fur enim, sub silenti nocte, suo more subduxerat. Quid ageret? B. Justinæ quod acciderat committit, verbaque exclamatoria in hunc modum cum fletibus emittit. Justina Martyr, Justina Virgo, credito etiam, ut tibi perfectius credam; ac si diceret; Adjuva me, quia potes: a te enim nisi recepto quod amisi, non discedam. Hæc et his similia per totum ingeminans triduum, Trinitatis tertia nocte sensit subsidium. Nam qui furtum in tenebris fecerat, nova forsan luce perfusus, clam advenerat; Peregrine, clamans, peregrine, festina, alligatum parieti recipe, quod me tibi sublatum B. Justina vetat abducere: sicque factum est, ut instans oratione quod omiserat reciperet; furque pœnitendo proficeret, jam non furis gerens officium, sed reatus sui puræ confessionis indicium. Quis exactor, Fratres mei vel judex hunc reflexit a furis ferocitate, nisi qui dixit, Omne Pater judicium posuit in mea potestate? Quis eumdem a latrocinii pertinacia revocavit, nisi qui latronem pœnitentem ad amœna paradisi revocavit? Invocemus et nos eum qui est auctor, per Crucis trophæum, ut nos custodiat ab inimica subreptione, cui peregrinus laudes persolvit cum omni devotione.

Infirmi peregrini jumentum furatus,

ipsum cogi sur 3 nocte restituere

Joa. 5, 22

60 Accidit interea ut quædam puella paralytica, de villa Breidereuda, jam decem habens annos in infirmitate sua, ter ad beneficia Sanctorum ducta venisset, et nullam salutis opem executa fuisset. Sed Deus omnipotens ideo petentibus non differt ut subtrahat, sed ut in fide augeantur et justa crescant desideria. Nam hæc eadem, cum in festo pretiosorum Martyrum Victoris et sociorum ejus, quarto ad misericordiam reduceretur; voti compos effecta, salutis suæ auctorem, prima omnium elevata voce multis præsentibus laudare non veretur. Nemo dubitet, eorum ea die plurimum posse merita in cælis, qua ipsorum venerabilis [Memoria] apud nos agebatur in terra. Accedit huic testimonio, quod eodem die hoc usi sumus Evangelio, in quo Salvator, Tolle grabbatum tuum et vade, dixit paralytico. Tollamus et nos testimonium, postponentes transitoria, proponentes nobismet ipsis cœlestia, quo nos perducat, qui solus vivit et regnat in secula

curatur paralytica.

*Joa 11, 12.

61 Consideremus quam misera vita est, quam non sequitur nisi luctus: cujus cum ignoretur terminus, diuturna spe vivendi fere omnes decipimur. Hoc autem ideo dixerim, quia sunt nonnulli qui omni hora ita mortem suspectam habent, ut peccare timeant, delinquere formident. Hi nimirum, principium habentes intelligentiam, præteritorum non postponentes memoriam, futurorum desiderantes providentiam, suis custodientes vigilias, labentis seculi nullas timent insidias; illuc suorum dirigentes semitas gressuum, unde vitæ sumpserunt exordium. Verumtamen, sicut unaquæque domus et malos continet et bonos, sic ecclesia et fovet electos, et sustinet reprobos; quorum reproborum contumacia et supereffluens superbia, uti in multis Martyrum apparet nullibus, electorum humilitatem mittit ad coronam vitæ. Tyrocinium tale cur istis permissum non sit, quia subtilius indagare pertimescimus, multum justo et occulto Dei judicio discutiendum committimus. Israel Deo videns dicitur, sed judaicus populus, qui carnaliter Israel dictus est, nequaquam Deum videt, in quem minime credere habet: congregatus vero gentium populus, in unitatem fidei propitiationem accepit; redemptus sanguine filii Dei. Unde dictum est: Quia apud

o culto Dei indicio

A apud te propitiatio est. Dei namque propitiatio, est peccatorum accusatio, et per remissionem omnia credendi et sperandi, cœlestis regni; et per innocentiam et puram confessionem, mundæ conscientiæ possessio [obtinetur]. Quo vero hic sermonis nostri intentio dirigatur, sequentibus fraternitati vestræ diligentius intimatur. Contigit in pago qui dicitur Bertstraza, ut quidam servus, propriis contentus ab inimicis, qui et ipsum propria possessione denudaverant ob invidiam, de nocturno incendio incusaretur, incusatus quadam die, forte ipsis obvius comprehenderetur; comprehensus per devia silvarum et per abrupta montium crudeliter tractus, sine judicio turpi suspendio innocens addiceretur. Ille vero, ut erat inter vitam et mortem positus, gemens et trepidus, puram hujus rei testatur esse conscientiam; orans Deum et deprecans, ne sibi pro hujus reatus fœditate tam turpiter donaretur mori in stipite: sicque Deo et B. Justinæ suam cum omni devotione commendat innocentiam. O inimica potestas; cur innocentis aspernaris conscientiam! Num ignoras, in die tribulationis clamantibus, Dei maxime adesse clementiam? Sed quoniam multæ sunt tribulationes justorum, ideo veri liberatoris in ipsis superabundat auxilium. Quid ergo Confratres porro? [Innocentem] suspendi supplicio, omnium stupet auditus. Tota vicinia, cum notis et amicis, suspensum investigant: sed toto biduo per obscura silvarum latibula, non reperitur quæsitus. Tertio tandem die omnibus perlustratis, ad locum suspendii Deo ducente perveniunt, et inter condensa veprium, pendentem et adhuc palpitantem inveniunt: statimque solutum, signis quibus potuit, (loqui enim attenuatus spiritu non valuit) Confessionis et Viatici desiderium innotescentem secum ad ecclesiam......... deferunt: ubi non sicut latro vel paganus, sed quasi fidelis Christianus, non in stipite, quod Beatæ commendaverat; sed super terram, unde assumptus fuerat, plenus fide exspiravit. Quis non credat hunc talem exitum a Deo per interventum B. Justinæ obtinuisse, cui suam innocentiam vera relatione creditur commisisse. Hæc, sunt Fratres, opera innocentiæ: hæc est bonæ victoria conscientiæ: quam ita unanimiter perseverantes imitari studeamus, ut æternæ retributionis compotes inveniamur.

Psal. 129, 4

innocens furti damnatus

et suspensus,

servatur ad suscipienda extrema.

62 Alme Deus, conditor orbis, omnium creator, rex Christe superne, qui solus sustines circumsitam aquis molem terræ, cujus majestatis est universa posse, incomputabilia sub numero nosse, sicut stellas nominatim, sic et imbres guttatim: omnia tu cernis, connectens ima supernis. Novit, o Deus, tui solius potentia, cur aliquando petentibus quadam dilatione subtrahuntur beneficia: sed forsan hoc fit, ut ipse ais, Nonne duodecim sunt horæ diei) pro temporum differentia secundum illud Sapientis, Omnia tempus habent. Omnia fiunt, ut credimus, certis temporum dimensionibus. Paulatim itaque elabente aliquo temporis spatio, cum in præfata Sanctorum basilica paulisper solita cessassent beneficia, nec tamen ibi votorum minus haberent crementum desideria; quidam satis notus, nomine Grimno de Aschaphenburg, omnibus membris toto triennio miserabiliter contractus, notis et amicis, parentibus et cognatis, laboris testimonium et doloris etiam miserabile factus [erat]. Hic namque, cum ad suffragia Sanctorum semel et iterum qualicumque gestatione revectus, nec tamen desideratam diu salutis opem esset adeptus; non tamen propter debilitatem corporis tædio afficitur; sed, quod solum potuit, ipso instigante amicos et monente, tertio ad locum misericordiæ, in Passionis Dominica reducitur. Ubi dum fuisset vicinius locatus,

Post aliquam cessationem mirabulor

Joa. 11, 9

Eccle. 3, 1,

ter revectus contractus

D præsentes omnes voce qua potuit lacrymabiliter admonuit, quatenus pro se dignarentur orare, ut Deo donante et S. Justina intercedente, sanitatem corporis mereretur accipere. Quod cum factum fuisset, et omnis Ecclesia pro eo preces ad Deum fudisset; nulla fit salutis dilatio, ubi talis apud Deum prævaluit oratio. Illi enim, cui ad salutaria loca tertia facta est iteratio, individuæ Trinitatis se confestim obtulit salubriter miseratio. Quid ergo? Videres claudum, sanitati integræ restitutum exilire; videres contractum, magis glorificatione, in Dei laudibus subito prosilire. O vere longanimis multumque misericors Deus, qui non differt ut subtrahat auxilia! Ideo in ejus laudibus, pro tantis mirabilibus, tota cum gaudio personat ecclesia.

A. GOSW. EX MS.

curatur

63 Post hæc, lapso aliquanti temporis spatio, cum ubique terrarum Sanctorum declararetur meritum, in quibusdam paupercalis mulieribus de Nytea, matre scilicet et filia, Dei indigentibus misericordia, cœlestis manifestatur gloria. Altera etenim, mater, tanta paralysis debilitate contracta jacebat, ut nulla membrorum uti posset motione, nisi cum magno dolore totiusque corporis sublevatione: altera vero, adeo miserabiliter facta est dæmonis ludibrium, ut, locum nacta solitarium, multoties sibimet præparasset suspendium; et hoc sæpius E perpetrasset, si propinquorum cautelis prohibita non fuisset. Verumtamen, ne iniqui pervasoris ex toto cassaretur instigatio, in semetipsa ostensa est frequenter cruentissima laceratio. O res miseranda! Altera debilitate corporis gravata, altera velut amens ligata, circumquaque volutatur. At mater sui doloris obliviscitur, filiæque miseriis seu propriis visceribus compatitur. Invocat Deum, et sanctæ Virginis implorat auxilium: omnes orare adhortatur, quo jugis oratio pro filiæ liberatione ad Deum fundatur: similis Chananææ efficitur, dum magis pro filia quam pro se intimo corde Dominum precatur. Sed verax et justus Deus, qui quando vult miseretur et commodat, contritionem cordis exaudiens, patienti animæ velox desiderium præsentat; cum filia, seu jam a vinculis soluta, matri protestatur, se in visu ad B. Justinæ vocatam fuisse subsidia. Cui mater: Quis, inquit, me languente te perducet? At illa, jam sanæ mentis effecta, Mater, ait, qui ubi et quando vult salvat, ipse mihi per visum manifestavit, quia et itineris mei eris socia, et sanitatis consors per Sanctorum suffragia. F Factumque est, ut, dum ad locum misericordiæ jugiter orantes gradiuntur, sui desiderii redintegrata sanitate, sub multorum hominum testimonio, Deum super omnibus quæ viderant laudantium; compotes voti efficiuntur. Nam altera, gestatorio quo vehebatur subito exiliens; altera, ab hoste liberata, congratulantes domum ambæ cum gaudio revertuntur, omnesque qui aderant in laudem Auctoris omnium bonorum accenduntur, cui est honor et gloria, per infinita secula seculorum. Amen.

Item paralytica mater

et filia energumena

ANALECTA D. P.

Ex libro Sigehardi Monachi Sant-Albanensis

Qui extat in MS. Carthusiæ Coloniensis.

§. I. Diversa a priori narratio Passionis et sepulturæ; Inventio seculo XII distinctius proposita.

Quia de hoc libro ejusque ætate et Auctore, satis actum in Commentario prævio est, nec totum dignum prælo censemus; placet sub titulo Analectorum colligere

præcipu

EX SIGEHARDO.

A *præcipua loca huc spectantia; omissoque duplici Prologo, cum tribus primis lacrimosis Capitulis, a Capite 4 initium ducere, aliis pene quam opus est; non tamen inutiliter ad rerum Moguntinarum cognitionem distinctionem. Cum ergo scripsisset Sygehardus, quod* Urbs Moguntia, non in eo quo modo sita est; sed in alio a Rheno longius distante loco fundata *fuit, ut* Tradit antiquitas, *imo et* (imo communis habet opinio) prima istius urbis mœnia, in campestri loco spatioso, ubi nunc est domus dominorum Gozi, *id est leprosorum* et ecclesia Sanctimonialium S. Mariæ, quæ Sacra-vallis dicitur, fuisse constructa. Ex qua relatione verisimiliter potest argui, locum, ubi nunc est capella S. Hilarii Episcoporum tunc extitisse: hic nempe decem Episcoporum, qui ante tempora magni Bonifacii Moguntinam rexerunt ecclesiam, corpora quæ nunc in ecclesia S. Albani quiescunt, fuere recondita. Præsumptio enim vehemens est, ponens adhuc existentibus Collegiatis ecclesiis, nusquam eos potius quam in sua Cathedrali ecclesia locum sepulturæ elegisse.... Assertioni autem meæ, super priori civitatis Moguntiæ loco, consentiunt super tales in eadem planitie murorum particulæ, et fundamenta subterranea circumcirca reperta, imo etiam superstites theatri ruinæ,

B quod more Romanorum, ad ludos Circenses seu gladiatoreos et ad spectacula publica, constructum fuisse extra urbem, vulgo demonstratur; nec non et tituli, gesta, atque nomina diversorum Principum lapidibus insculpta, qui infra et extra urbem pluribus in locis inveniuntur esse disjecti.

Vetus urbs ante vastationem

longius a Rheni ripa.

2 In eorum ergo Episcoporum numero, qui, ut prædictum est, Moguntinam rexerunt Ecclesiam, ante tempora sanctissimi Bonifacii beatissimus vir Aureus, ... sane vir totus Apostolicus, Pontificalis Cathedræ dignitatem assecutus, olim nomini sanctissima vita atque divinis operibus adornans, commissum sibi Ecclesiæ regimen strenuissime gubernabat, licet totus orbis terrarum diversis et præcipue Arianæ hæresis quateretur procellis... quæ pestis apud regiæ nobilitatis urbem Moguntiam in tantum involverat, ut vix aliquis auderet manifeste se Catholicum profiteri. Sed beatissimus Pontifex Aureus, huic errori palam obvians, visibiliterque resistens, hæreticorumque rationes divinarum Scripturarum testimoniis redarguens, convincebat; et tamquam verus pastor, non mercenarius, pro veritate, proque commisso sibi populo mori gratum ducens, oves sibi creditas, a luporum faucibus abstractas, eripere satagebat..... Videntes igitur hæreticæ

C pravitatis alumni, veritatis se rationibus confutari; in beatum virum ferali more debacchabantur..... Ejicitur ergo a sede sua beatus Pontifex... excutiens pulverem pedum suorum super eos, suaque diœcesis loca visitans circumquaque et quos poterat ab errore revocans, opus implebat Evangelistæ... Comitata autem est beati viri vestigia, non tam mutatione loci vel incessu pedum, quam actionibus et vitæ munditia, sacratissima virgo Justina, tam fide quam sanguine soror ejus germana, passionisque ejus fida comes et socia post futura... Complures etiam aliæ religiosæ personæ, viri et feminæ, qui a fidei veritate ac integritate recedere nefas ducebant..... pari cum sancto Episcopo sententia ejecti sunt.....

CAP. VIII. ejus olim bis opus Aureus,

inde ab Arianis ejicitur

CAP. IX.

cum sorore Justina et multis orthodoxis.

3 *Interim,* sicut testatur B. Hieronymus in epistola quam ad Ageruchiam viduam nobilem scripsit, innumerabiles et ferocissimæ gentes universas Gallias occuparunt: quidquid inter Alpes et Pyrenæum Oceano et Rheno includitur Wandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Burgundiones, Alemanni; et (o lugenda respublica!) hostes Pannonii vastaverunt. Etenim Assur venit cum illis: Moguntia quoque, nobilis quondam civitas, capta atque

CAP. XI. Interim vastatur ab Hunnis civitas,

D subversa est, et in ecclesiis ejus multa millia hominum trucidata.... *Itaque* dum beatissimus Pastor et Pontifex Aureus, cum sua Justina aliisque fideli comitatu ad sedis suæ urbem, de qua per Arianorum insolentiam ac persecutionis rabiem dudum ejectus fuerat, reverteretur, invenit eam solotenus eversam..... et perfidus Attila Rex, regionem ipsam et provinciam adhuc undique gyrans, omnia igne ferroque vastabat.... anno CCCCLI) Sanctissimus tamen Pontifex, non veritus increduli Regis sævitiam, gentisque perversæ bestialem infamiam, in medio nationis pravæ atque perversæ pertransiens, evangelizabat et prædicabat publice Christum ..... confortans mentes singulorum, et admonens, ne, amore vitæ hujus in lubrico positæ decepti, mori pro veritate dubitarent. ...

in cujus ruinas reversus Aureus,

4 Cujus salutifero admonitionis verbo sacratissima Virgo Justina,... cum illo fidelium grege parvulo, qui exsulantem ab Urbe Sedeque sua dudum ejectum Pastorem secuti fuerant, animati, passioni se ultro ingerere desiderabant.....* Completo autem sacræ eruditionis verbo, beatus Sacerdos Aureus Sancta

suosque ad Martyrium animans,

* c XIII.

E Sanctorum ingressus est, pro se proque commisso sibi populo, redemptionis nostræ pretium oblaturus, Beatissima Justina ceterisque, quos fidei sinceritas et caritatis erga tantum Patrem dilectio non permisit separari, adstantibus. Ubi dum ad altare stans Missarum solemnia celebraret, seque ipse contrito corde et humiliato mactans offerret Domino; repente turba Hunnorum pariterque Arianorum irruentes, circumdederunt eum, nec non et fideles qui erant cum eo: et in Sanctos Dei gladios furoris sui et arma convertentes primum beatum Antistitem crudeliter trucidatum mactant, deinde venerabilem Virginem Justinam cum ceteris fidelibus qui pariter adstabant.....

Inter Sacra cum illis occiditur,

5 *Jam olim quidem,* fervente universo orbe persecutionis procella. ... infinita Sanctorum agmina, Martyrium pro Christi nomine passa in monte ubi nunc est ecclesia S. Albani extra muros urbis, qui apud Gentiles Mons-Martis vocabatur constat esse sepulta..... quem eliminata jam penitus idololatria, Christiani, mutato meliori nomine, Martyrum montem ex re ipsa et facti evidentia congrue appellarunt.....* Sanctissima itaque Beatorum Aurei, Justinæ, Sociorumque corpora ad Montem-Martyrum superius dictum, secundum exigentiam et qualitatem temporis, admodum honorifice sunt humata; ubi per multa temporum curricula jacuerunt, hominibus, ceteris incognita et propterea quasi sine honore despecta et abjecta. ... Postea autem reddita

C VI. et sepelitur in monte Martyrum nunc S. Albani.

* c XIV

F jam pace Ecclesiis, regnantibusque Catholicis Principibus, de restauratione urbium, de reformatione ecclesiarum, ad honorem Dei laudemque Sanctorum, cœperunt ipsi Principes cogitare..... civitatemque insignem Moguntiam, ab Attila (ut dictum est) eversam, non in eo in quo condita prius fuerat loco, sed in alio fluentis Rheni magis propinquo ubi hodieque sita est, multo honestius quam prius restauraverunt..... *Hactenus ille, Moguntini Breviarii compilatoribus præiens verba, quæ sub compendio sequentur: mihi valde incerta omnia, propter locum, modum et auctores Martyrii, de quibus antiquiores illo ut videmus, longe diversa scripserunt Heiligenstadienses vero tradunt contraria omnia. Progrediamur ad certiora quæ ex Gosvini tractatu idem Sygehardus decerpsit. cap. XIV et seqq.*

Urbe deinde restaurata,

CAP XV.

6 Procedente autem tempore; anno videlicet orthodoxi Principis et Catholici Imperatoris Caroli magni tricesimo octavo, qui fuit dominicæ incarnationis octingentesimus quintus, passionis autem Sanctorum Aurei et Justinæ tricentesimus quintus* cum

conditur sub an 805 S. Albani ecclesia

* imo CCC. quinquagesimus quintus

A cum memorandus ille Richolphus, tertius a beato Bonifacio sanctae Moguntinae Sedis Archiepiscopus, auctoritate jam dicti principis Caroli Magni, in supra nominato Monte-Martyrum super sacros-Cineres B. Albani Martyris Ecclesiam sumptuoso opere sicut hodie cernitur fundaret, tam B. Albani quam etiam sanctorum Aurei et Justinae sociorumque eorum ac multorum aliorum Martyrum corpora loculis, magis decentibus et honestis (sicut postea repertum est) commendare curavit; occulte tamen et sub paucorum testimonio, quia timebat Sanctum dare canibus, et margaritas Reliquiarum tam pretiosarum mittere ante porcos exactis autem post hanc secundam inhumationem Sanctorum, annis centum triginta, qui fuit incarnationis Domini annus nongentesimus tricesimus quintus, tempore Henrici hujus nominis primi Romanorum Regis, Hildebertus, a Praesulatu magni B nifacii dudum annus S... tae Moguntinae Sedis post Hergerum venerabilis Archiepiscopus, Reliquias sive ossa decem Episcoporum, qui ante tempora sanctissimi Bonifacii Moguntinam rexerunt ecclesiam, videlicet Crescentii, Martini, Bodadi, Suffronii, Maximi, Sydonii, Sigemundi, Leutgasii, Lantwaldi, et Liboaldi, de Ca-

et inferuntur in eam Sancta corpora:

quibus adduntur an. 935 alia 10 SS. Episcoporum,

B pella S. Hilarii, cujus superius habita est mentio, ubi iidem Episcopi fuerant sepulti prius tus, ad monasterium S. Albani transtulit, comitante Clero ac populo civitatis, cum processione solenni; ipsasque Reliquias ante altare Apostolorum, (quod etiam S. Vincentii, propter ejus sanctissimum corpus, in eodem altari tunc reconditum, vocant) in unius sarcophagi receptaculo collocavit, pridie Iduum Martiarum.

7 Adjunctis etiam tumbae sive sarcophago, in quo reverendus Archipontifex Hildebertus decem Episcoporum ossa translata reposuerat, absque intermedio duobus aliis loculis decentibus et honestis, in singulis singula beatorum Aurei et Justinae corpora reverendissime collocavit; ac strato desuper gemino pavimento, terrae superficiem complanavit. In quo loco, post Sanctorum inventionem, tres solennes extructae sunt memoriae: quae forma tetragona contiguae, imo continuae, marmoreo dispositae tabulato, a terra paulatim surgere videntur; quarum adhuc vestigia restant. Ad quorum Sanctorum memoriam quot et quanta miraculorum et gratiarum beneficia, eorum meritis, dignatus fuit mirabilis in Sanctis suis Dominus operari, nec lingua referre, nec scribentis sufficeret calamus explicare. *Liceat hic mihi Sigehardi contextum interpolare paucis versibus, quibus praenotatae translationis memoriam consignavit illo longe antiquior, si non fallor, Poeta, cratis a Knuchrichio nostro.*

communi super extructa memoria,

multis miraculis deinde claro.

C

A Bonifacio meruit qui Pallia primo,
Is Pater Hilwertus, Archipraesul duodenus,
Comperit ossa Patrum [quondam] veneranda, [relicta
Intra basilicam nunc Hilarii sacro-sanctam,
E quibus huc denos transvexit in ordine pri [scos;
Ut locus insignis conservet pignora dignis.
Attendens merita, simul ipsorum pia gesta,
Huic ut confratres Aureo collaterales
Efficit, et tumulo structo conclusit in isto;
Christi nongentos, X ter, semel V legis annos,
Et decimam quartam lucem vult Martius addam.

Vetus ea de re carmen,

Fuit haec dies anno DCCCCXXXV, quo Pascha celebrandum erat XXIX Martii litt. Dom. D. sabbatum ante Dominicam Passionis.

id factum notat. 14 Martii.

8 Locus autem ipse (inquit porro Sigehardus) ubi beatorum Martyrum corpora sacra fuerant recondita, ut jam dictum est, postea non satis certus est factus; et interveniente oblivionis vitio ac

D diuturnitate temporis, ab ipsis etiam ecclesiae Fratribus quodam modo ignorabatur. Latuerunt ergo post hanc a memorando Hildeberto Sanctam inhumationem, sive sepulturis translationem vel tradicere, beatissimorum Martyrum Aurei et Justinae pignora, terrae matris gremio occultata, usque ad tempus Lotharii Imperatoris. Qui Lotharius Dux Principesque Saxonum, Henrico quinto hujus nominis in Romano successit Imperio, post annos circiter ducentos et duos; imperii siquidem hujus anno undecimo qui fuit Incarnationis Dominicae millesimus centesimus tricesimus septimus, sanctorum Patronorum nostrorum saepius nominatorum corpora revelante domino Deo, manifestata sunt hoc modo. Cum apud Fratres ipsius ecclesiae scilicet S. Albani, non esset ambiguum, Reliquias sanctorum Aurei et Justinae cum suis in ecclesia eadem quiescere; certo tamen in loco, ubi laterent reconditae, prorsus ignorabatur. Quidam ergo fidelium religiosa mente bonoque ducti spiritu, speciali erga ecclesiam S. Albani devotione incitati, pavimenta ejus, nimia vetustate consumpta et contrita, ad honorem Dei et Sanctorum, obque suorum peccaminum remissionem, propriis decreverunt sumptibus renovare. Ubi dum veteris pavimenti sublata esset superficies,

IN SIGEHARDO

et sic latuerunt usque ad 1137,

C XVI.

quando in pavimenti veteris renovatione

E inventi sunt repente sarcophagi, sive loculi tam qualitate quam quantitate ab invicem differentes, multorum ac diversi temporis Sanctorum corpora seu cineres continentes: quorum quaedam pars in terram ut videbatur reversa, quaedam admodum incorrupta candorem superabat lilii, futurae resurrectionis gloriam praemonstrans; quaedam etiam eorum rubicundo colore antiquo, recenti adhuc madens sanguine tam puro in ipso fusset effusus temporis puncto, passionis eorum et fidei indicia apertissima et evidentissima praeferebat. Inter has siquidem loculis sanctorum Aurei Episcopi et Justinae Virginis sororis ejus corpora, ad sepulturam decem Episcoporum, quos memorabilem Hildebertum Archiepiscopum paulo superius memini ad Ecclesiam S. Albani transtulisse, cum gaudio sunt reperta. Quo autem apud Deum praefulgeant sanctitatis merito, testatur ut dictum est) ad eorum Reliquias venerabiles miraculorum gratia exhibita: quo quae quotidie exhibet Sanctorum meritis non desinit multitudo gratiarum. Inventionis autem sanctorum Aurei et Justinae historiam, necnon et miracula, quae et ante et post inventionem eorum Dominus operari non cessat, ad plenum qui scire desiderat, libellum Goswini monachi, ad Adalbertum sanctae Moguntinae Sedis Archiepiscopum, a B. Bonifacio vicesimum sextum super hoc legat editum: ibique reperiet, quo tempore, ordine, et cum quibus miraculorum gratiis beatorum Martyrum Reliquias, super aurum, et topazion pretiosas, revelaverit ille, qui Sanctos suos digne glorificat.

refectis omnium loculis,

reperta sunt corpora SS. Aurei et Justinae,

F

et miracula descripta.

§. II. Sanctorum corporalis praesentia miraculis confirmata; aliorum plurium inventio duplex.

Quia dubitatum est aliquando apud extraneos, utrum vere beatorum Aurei et Justinae corpora in Ecclesia S. Albani quiescerent, an non; ad tollendum omne hujusmodi dubium a fidelium cordibus, duo relatione digna huic opusculo duxi inserenda; unum scilicet ante et aliud post Sanctorum de quibus loquimur, inventionem sacram, miraculose patrata hoc modo. Erat dies solennis Dominicae Palmarum, in qua omnium ecclesiarum Collegiatarum communis statio ad ecclesiam S. Albani solet de approbata et ex antiqua consuetudine celebrari. Cumque

C XVII

Ad stationem in S. Albani collecto Clero populoque

EX SIGEHARDO

A Cumque ad tantæ gaudium festivitatis multitudo civitatis non parva convenisset; et singulis singula loca tenentibus cum suis in Choro Clericis, tam Canonici quam Monachi cum multa reverentia divinis essent intenti; quidam e populo incestuosus, et (ut præsumi potest) minus devotus, reverentiam loci non veritus, ignoranter errans, supra dictum decem Episcoporum sanctorumque Aurei et Justinæ sepulcrum conscendit, et subito dimissis debilitatisque poplitibus super tumulum beatissimæ Virginis et Martyris Justinæ semivivus resedit; emissoque diræ vocis horribili sonitu, psallentes in Choro, non sine magno terrore et admiratione, compescuit. Concurrentibus autem ad eum iis qui prope astabant; cum sublato eo extra limina ecclesiæ, missa in os ejus, ut fieri solet, aqua, ipse tandem resumptis viribus vix respiraret; cœperunt circumstantes ab eo inquirere solicite, quæ fuerit causa vocis tam clamosæ et tam inopinatæ ruinæ. Quibus ille, ut potuit, respondens; Miror, inquit, quia hoc a me discere vultis, quod oculis vestris omnes qui hic adfuistis, mecum pariter vidistis. Cum enim super sepulcrum ascendens ibi me cohærere cogitarem; repente persona egregia facie decora, in habitu virginis, de

quidam Sanctorum sepulcro insistens,

a S. Justina apparente percutitur.

B tumulo prodiit; et ictum, quem vix ferret homo, mihi dedit in faciem, meque jam semimortuum sic clamare et ruere coegit. O laudanda divinæ operationis dispensatio, cujus nutum ignorantiæ delictum corrigens, delinquenti intellectum dedit vexatio. Ex eo ergo tempore, sublato omni ambiguo de thesauri tam pretiosi possessione, non tam inchoata, quam renovata, Deo et Sanctis ejus excrevit reverentia, sacris eorum meritis finem nullatenus habitura.

An. 1138 Recluse apparens defunctus Sacrista,

10 Anno itidem post inventas sacras Reliquias in se exacto, innumerisque ad Sanctorum memoriam miraculorum beneficiis exhibitis; cum ut supra dictum utrum hæc Sanctorum Aurei et Justinæ meritis fierent, et an vere ibi requiescerent, adhuc nonnulli dubitarent; cuidam Sanctimoniali, feminæ religiosæ ac Deo devotæ, apud idem Monasterium inclusæ (nam antiquis temporibus cella Inclusarum apud nos extitit, monasterio penitus contigua, ita ut unum et eumdem Monasterium et cella haberent ab una parte parietem.) Frater quidam Monachus ipsius ecclesiæ, qui custos quondam fidelis ejusdem Monasterii extiterat, et jam dudum vita excesserat, per visum apparuit. Vocansque eam ex nomine, an dormiret interrogavit. Qua se dormire negante, hic qui apparuit subjunxit; Ne dubites, inquit, sed pro certo noveris tu et quique fidelis, beneficia et miraculorum gratiam, quæ in hac

C Deo dante multipliciter exhibentur ecclesia, sacratissimæ virginis et Martyris Justinæ, in hac veraciter quiescentis basilica, esse suffragia. Illa vero alacrior jam facta, et quid, inquit, Reverende Pater et senior de Beato Pontifice et Martyre Aureo, virginis fratre, dicis? Cui ille: eadem, inquit, quæ de sorore Virgine, remota penitus omni ambiguitate, sentias ac firmiter credas, tu et quique fideles Christiani, de fratre. Et his dictis disparuit quæ loquebatur ei visio: et quia hæc duo miracula idcirco hic inserta sunt ut prædictum est, ut non liceat alicui dubitare Sanctorum Aurei et Justinæ, imo etiam Sociorum eorum corpora in ecclesia S. Albani, et non alibi, omni abjecto dubio repausare.

certam esse jubet de Sancti utriusque præsentia.

11 *Hic porro interponere juvat, quæ Sigehardus, quem describimus; de aliis in eodem monte repertis corporibus capite* VI *præmiserat, his verbis*: Antiquorum etiam et valde veterum solers et fida, senioribus nostris tradita relatio ad nos usque devenit: Ducem quemdam (ut vere præsumitur) Catholicum, cum magno promiscui sexus exercitu, in ipso monte occisum fuisse et sepultum: qui cujus professionis

Alii multi Martyres eodem in monte sepulti,

D extiterit, quoniam nec ipsius historia, nec veterum docet relatio, post multa temporum curricula clarent evidenter; licet non uno et eodem, imo diversis temporibus, indicia fidei eorum patuerint. Anno denique Dominicæ Incarnationis MCLXXV, post inventionem vero Sanctorum Aurei et Justinæ anno XXXVIII, imperante Romanorum Imperatore Friderico hujus nominis primo, Moguntinæ autem sanctæ Sedis Cathedram Conrado Archiepiscopo post B. Bonifacium trigesimo gubernante; ille qui in Sanctis suis est gloriosus et mirabilis Deus, quique arcana mysteriorum revelat, Electorum suorum, quæ in Australi latere monasterii S. Albani latebant corpora, una vice dignatus est mirabiliter revelare. Itemque secunda vice anno MCCLXVII, vacante tunc Romano Imperio, Moguntinæ autem Cathedræ glorioso Wernero Archiepiscopo, a Præsulatu almi Bonifacii trigesimo sexto præsidente, multiplicatis beneficiis, de eorum qui remanserant pignoribus, revelationem dignatus est Dominus iterare.

inveniuntur an. 1175,

et rursum an. 1267

12 Ea tam prima quam secunda beatorum Martyrum inventio seu revelatio, quia sufficienter a prioribus nostris ad memoriam posterorum est litteris annotata, eam hic sub silentio, quasi cognitam, duxi relinquendam. Hoc unum certe ad ipsorum

E glorificationem ratihabendum sufficiat, quia signa evidentissima atque notissima, fidei, Martyrii ac sanctitatis eorum, revelante Deo, nostris manifeste claruerunt temporibus. Fidei quidem; quia apertis eorum sepulcris, quæ licet præ sui multitudine numerum excederent, valde tamen accurate atque honeste facta erant, signum salutis nostræ in lapidibus sepulcra claudentibus intus et extra sculptum plerumque probavimus: Martyrii autem eorum ex hoc evidens patuit judicium, quia in ipsis eorum sepulcris corpora quædam sine capitibus, capita etiam quædam sine corporibus, truncationem pedum aut manuum, aliorumve membrorum defectum invenimus: quod propter impedimenta persecutionis factum fuisse non dubitamus. Sanctitatis autem eorum jam non est necesse rationem quærere, cum in diebus nostris innumerabilis utriusque sexus et ætatis populus, ad sacratissimas eorum Reliquias a diversis sanati languoribus, sanctitatis ipsorum merita experimento docuerint, et quotidie docere non cessent. *Hactenus loco citato Sigehardus: optare autem magis quam sperare licet, ut scripta ista de duplici Sanctorum istorum inventione reperiantur.*

cum certis veri martyrii et sanctitatis indiciis.

Desideratur rei gestæ historia.

§. *III. Nova seculo* XIII *exeunte Sanctorum inventio Reliquiæ alibi.*

Ad principale propositum *de SS. Aureo et Justina*, rediens calamus, quid nostris temporibus, *inquit Sigehardus*, de eorum sacris Reliquiis actum sit, breviter et fideliter studeat explicare. Anno siquidem post ultimam quam (*num.* 8) prælibavimus, Sanctorum revelationem centesimo sexagesimo, qui fuit annus Dominicæ incarnationis millesimus ducentesimus nonagesimus septimus, Bonifacio Papa hujus nominis octavo Sedem Apostolicam gubernante, Romani imperii fascibus Adolpho Rege sublimato, sanctæ vero Moguntinæ Ecclesiæ Gerardo hujus nominis secundo Archipræsule, a Beato Bonifacio tricesimo octavo, præsidente; destructa jam sine spe potioris restaurationis, propter nimiam sui vetustatem, ecclesia S. Albani, in ea parte, in qua pretiosæ Sanctorum Reliquiæ servabantur, in loco qui jam superius assignatus est, cogitaverunt Fratres, Sanctorum Patronorum suorum pignora typo devotionis

C. XVII. An. 1298 aperto Sanctorum sepulcro.

transferuntur corpora SS. Aurei et Justinæ :

A devotionis de terra levare ; et magis decentibus, Sanctitatique eorum magis congruis loculis conservanda mandare. Qua propter, habito religioso super tam pio opere consilio, majoris Ecclesiæ Moguntinæ Canonicis ad eorum postulationem venientibus cum processione solenni, sepulturæ Sanctorum locum cum summa reverentia et devotione aperuerunt ; et pretiosissimos Reliquiarum thesauros eorum, prout a venerabili Domino Hildeberto Archiepiscopo ibi reconditæ fuerant, in modum superius expressum per omnia invenerunt. Quis cum magno timore et gaudio, laudes Deo personantes et cantica, venerantes tollentes, honestis repositis scriniis, ad principale altare monasterii S. Albani, cum hymnis et laudum carminibus, transtulerunt. Hi quoque petitionibus Canonicorum præfatorum, quas ipsa eorum devotio parturire videbatur, Fratres sæpe dictæ Ecclesiæ humiliter annuentes, partem solemnem sanctarum Reliquiarum, brachium videlicet sacratissimæ Virginis et Martyris Justinæ, eis pro speciali præmio, donativum nobile et munus excellens, in signum unionis fraternæ ac pignus amicitiæ mutuæ cum hilari animo donaverunt ; quod quidem in Cathedrali Ecclesia Moguntina ad S. Martinum de domo B delatum in multo honore et veneratione servatur.

hujus brachium Canonicis donatur.

14 Felicem igitur dixerim civitatem Moguntinam quæ talium Patronorum subsistit patrocinio ; feliciorem ecclesiam Moguntinam, quæ tam præcipuorum Martyrum decoratur Martyrio ; felicissimamque S. Albani basilicam, quæ corporali Reliquiarum eorum præsentia et suffragio decorari meruit a Domino. Felix Societas ! beatum collegium ! Sancta congregatio, tot Christi testium in ecclesia S. Albani, tamquam in domo magni patris familias adunatorum ! Illic Dominus domus, inclitus et gloriosus Martyr Albanus, hospitio fovens jucunde magnum illum Hispaniæ alumnum Vincentium, Martyrem et Diaconum, ab orthodoxo Imperatore Carolo illuc translatum : illic Aureus Episcopus et Martyr, Sedis suæ protector et singularis Patronus ; ibi soror ejus Virgo et Martyr Justina, inter hospites tam excellentes non infima, familiæ Domini Patrona præcipua. Te quoque, Martyr Christi inclyte Theodore, cum Sergio illo beato primicerio, gratissimos hic hospites, imo speciales patronos nostræ veneramur ecclesiæ.

Sancti alii quorum ad S. Albani corpora aut Reliquiæ ;

scilicet, Vincentius, Theodorus, Sergius MM.

Justinus Conf.

15 Et numquid Confessor Domini, Justine alme, ab hac sacratissima te excludi patieris societate? Absit. Te enim advenam acceptissimum in hac C Sanctorum familia, transmisit nobis *Heostedon* tua Basilica ; ecclesiæ S. Albani spiritalis atque specialis filia. Adhuc sunt in [hoc] numero Deo dicata virgo Innocentia, materque ejus B. Vincentia : quas loci nostri Patronas et propitias Protectrices, ab Italiæ partibus de urbe Ravenna ad hanc societatem beatissimum Divina direxit clementia, Otgario post Præsulatum sancti Bonifacii quinto Moguntino Archiepiscopo, transferente. Talibus Athletis nominatis et principalibus gloriatur aurea Moguntia. His tam præcipuis Patribus, Principibus Patronis et Protectoribus S. Albani floret ecclesia ; totaque gloriatur Germania. Licet præter istos, in ipsa basilica sive monte, infinita Sanctorum contineantur corpora ; quorum quamvis nobis incognita, Deus tamen omnium novit nomina. Unde sufficiat cuilibet Christiano ibi fideliter eorum expetere et efficaciter impetrare suffragia, cum nulli postulanti in fide recta, et non hæsitanti ; eorum patrocinio neget Dominus optata beneficia.

Innocentia et Vincentia.

16 *De* S. Albano *agemus* XXI *Junii hujus ; de* S. Vincentio *egimus* XXII *Januarii, deque Corpore vel Reliquiis in varias regiones translatis ; non tamen istic nominatur Moguntinensis S. Albani ecclesia ; proinde* D *in supplemento istius mensis etiam Moguntinorum causa tractanda veniet.* Caput huc a Carolo Magno translatum *Serrarius lib.* 1 *cap.* 17 *de* Moguntinis Sanctis IV *loco numerat.* Theodorum *et* Sergium *idem præterit, neque quorum istæ Reliquiæ sint, in concursu plurium ejusdem nominis Martyrum, facile est definire.* S. Justini Confessoris *festum* solemniter, *cum* IX Lectionibus *colendum præscribitur in antiquioribus Breviariis Moguntinis* IV Augusti ; *quod cur in Breviario anni* MDLXX *omissum sit, nescio ; nisi forte, quia festum istud, monachis S. Albani proprium, non spectabat Canonicos Moguntinos. Interim cupio edoceri, quænam sit illa* Heostedinensis S. Justini basilica, *unde ablatum vel Corpus vel insignis Reliquia indicatur. Hactenus nihil propius occurrit quam* Hoogstetten *in Suevia sed nimis incerta est conjectura in sola nominis affinitate fundata. Si quis autem de ejusmodi Confessoris Vita vel miraculis novit aliquid, et quod novit suggerat, gratias agens expectetur ad prænotatum diem* IV *Augusti. De* SS. Vincentiæ *et* Innocentiæ *translatione facta Moguntiam anno* DCCCXXIV, *egimus* I *Februarii ad Vitam S. Severi, Mutii ac Patris ; ubi in Supplemento licebit addere, quod hic dicitur de altera ad S. Albani ecclesiam translatione.*

EX SIGEHARDO

E 17 *In Martyrologio Ecclesiæ Pragensis ut cetera de* SS. Aureo et Justina *prosequar, ita legitur :* XVI Kal. Julii. In Moguntia Aurei, Archiepiscopi et Martyris, cujus partem Brachii Carolus Rex (IV) obtinuit in monasterio S. Albani in Moguntia, et decoratum dedit ecclesiæ Pragensi. Eadem die, Justinæ Virginis et Martyris, sororis S. Aurei, cujus Caput in eodem monasterio obtinuit Carolus, et dedit ecclesiæ Pragensi. *Compositum fuit Martyrologium istud, seu potius scriptum, et additamentis propriis auctum, seculo ut summum* XV ; *et pluribus apud nos annis latens, tandem repertum ac restitutum est Patri Ganiusio pater conmodaverat, transcriptis quæ propria erant. Ipsas Caroli litteras, ad universos Regni Bohemiæ Status, Moguntia datas anno* MCCCLIV, *die* IV *Januarii, de istis et aliis quam pluribus insignibus Reliquiis, itinere Germanico per illum acquisitis, recitat integras in Phosphoro Metropolitanæ S. Viti ecclesiæ Thomas Joannes Pessina, ipsius ecclesiæ Decanus ac deinde Samandriensis in Hungaria Episcopus pag.* 433 *et seqq. ubi inter alia,* in civitate Moguntinensi, per Venerabilem Archiepiscopum et Abbatem monasterii, sibi data in ipso monasterio, recenset magnam partem corporis B. Albani, magnam partem capitis B. Justinæ M. et V. et partem Brachii B. Aurei M. primi Præsulis seu Pontificis Moguntini.

S. Aurei brachium et caput S. Justinæ

a Carolo IV data ecclesiæ Prag. an. 1354.

F 18 *De* S. Justini Martyris *Reliquiis, Heiligenstadio verosimiliter ad Corbeiam Saxonicam delatis, et anno* MCCCLXXV *a Bodone Abbate ad eumdem Carolum missis, egi num.* 24 *Comm. præcit. Hic addo, eas vel non fuisse additas Pragensis ecclesiæ aut Carlsteinensis arcis Reliquiis, vel occultas latere sub nomine* S. Justinæ : *nam Pessina Decanus, nihil de* Justino *invenisse se profitetur pag.* 477 *Phosphori sui : sed in Consignatione Reliquiarum, descripta anno* MCCCLXXIX, *ubi jam solum quarto post prædictam donationem ; iterumque in ea quæ scripta fuit anno* MCCCLXXXVII, *sic legi invenerit :* Item costa S. Justinæ, Martyris Altissiodorensis, in argento deaurato. Item costa S. Zophiæ Virginis, similiter circumdata argento deaurato. *Videtur autem Decanus præsumere, per errorem factum esse, ut ita scriberetur, mutatisque leviter epigraphis legi debuisse.* Costa S. Justini Martyris, Costa S. Zophiæ Virginis Autissiodorensis. *Verum* Sophiam *aut* Zophiam *non modo non invenio Autissiodori, sed nec in tota reliqua Gallia ;* Justinam Virginem, *nescio quam,* XXX *Decembris nominat Henricus Canisius in Martyrologio Germanico :*

Aliquid S. Justini Corbeiam eidem missum an. 1375,

forsitan costa, sub nomine Justinæ latens.

A *ego fateor mihi de* Justina et Sophia, *ibi nominatis, nihil liquere : de* Justini *reliquiis Corbeia missis nequeo dubitare ; quod autem Heiligenstadio sint acceptæ puto per verosimilem conjecturam teneri posse.*

APPENDIX D. P.

De Heiligenstadiensi Sanctorum ecclesia.

§. I. *Dagobertinæ Sanctorum ecclesiæ prima restauratio ac dedicatio seculo* IX, *sub titulo S. Martini ac Privilegia ei concessa.*

Henrici Imp. liberalitas:

Meretur egregia Knackrichii nostri diligentia, ut quæ ille in sanctorum Aurei atque Justini honorem operose collegit ex prætitulatæ ecclesiæ authenticis monumentis, nescio quo usu in nostro Collegio repertis, et nunc demum Capitulo redditis, ad publicam traducantur notitiam. Postquam ergo satis docuit de prima ipsius loci origine ab aliquo Francorum Regum eoque verosimiliter Dagoberto ducta ; pergit declarare quibus ille Dominis successive paruerit, ac primo Francorum B Regibus substituit Turingiæ Comites, quibus Archiepiscopi Moguntini successerint, non solum in Heiligenstadiensis civitatis plena possessione, sed reliquæ paulatim Eichsfeldiæ per coemptionem variorum in ea allodiorum ; magnoque sanctorum ibi Patronorum beneficio imputat, quod Catholica fides hactenus ibi conservata sit sub obedientia Electoris et Archiepiscopi Moguntini, licet tam procul a sua Metropoli et a circumfrementibus hæreticorum oppidis sæpius ad defectionem solicitata, armis etiam ad persuasionem adhibitis.*

prima Ecclesia supra SS. Corpora ædificata

eorum nomine videtur nominata fuisse.

2 *Sicut autem perpetua majorum traditione creditur primam ibi ecclesiam super istic inventa Sanctorum corpora fuisse extructam ita credibile est eorum nomine eamdem quoque dictam ab initio fuisse ; et hoc nominis diu mansisse Choro, quem satis amplum fuisse oportet : siquidem in eo S. Willegisus Archiepiscopus consecrasse legitur S. Burchardum Episcopum Wormatiensem anno* DCCCCXCII, *quæ ante eumdem Chorum tunc adhuc stabat ecclesia vetus in majorem ampliorem-que formam postea reædificata fuit quam* Rabanus Magnentius Maurus, sextus Archiepiscopus Moguntinus dedicavit kal. Novembris *sicuti legitur scriptum in dorso Diplomatis anno* MCCCLXIII *dati a Gerlaco Archiepiscopo, et additur.* Vide chartam inclusam. *Sed ejusmodi charta periit Concedit autem eo diplomate* C *Archiepiscopus ut ea Dedicatio, ad quam in ista frigidissima regione non sine molestia accedebatur hiemali tempore, Kalendis istis exordiente, translata in diem beatorum Aurei et Justini Martyrum (puta circa annum* MCCLXXX) *iterum transferatur in secundam Feriam Pentecostes ; credo ut omnes per Eichsfeldiam accolæ, quibus Sanctorum dies Heiligenstadiensibus solis festivus, a servili opere feriatus non erat, absque dispendio possent illuc accedere per opportunitatem diei omnibus communiter feriatæ. Ipsum sic sonat.*

Nova an. 1363 dedicatur 1 Nov.

cujus festum transfertur in 16 Junii ac deinde in 2 fer. Pent.

3 Gerlacus Dei gratia sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, universis Christi fidelibus, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in Domino sempiternam. Constituti in Provincia nostra Devoti nostri, Decanus et Canonici Ecclesiæ Heiligenstadiensis, nostræ diœcesis, nobis humiliter supplicarunt, ut festum Dedicationis prædictæ Ecclesiæ, quod solitum est peragi in die Beatorum Aurei et Justini Martyrum, in feriam secundam post diem Pentecostes immediate subsequentem, ex certis causis per eos coram Nobis allegatis, transferre dignaremur. Cum igitur non debeat reprehensibile judicari, ut consideratis loci et temporis qualita- D tibus, ea quæ minus provide ordinata sunt, in melius reformentur : dictorum Decani et Canonicorum precibus annuentes, præfatum festum Dedicationis ad dictam Feriam secundam. præmissis et aliis certis causis Nos ad hoc moventibus, duximus transponendum : statuentes et ordinantes, ut ipsum, cum Octavis suis de cetero, cum divinis Officiis et aliis solennitatibus debitis et consuetis, singulis annis in prædicta Feria secunda devote celebretur. Et ut eadem ecclesia Heiligenstadiensis a cunctis Christi fidelibus frequentius veneretur ; omnibus et singulis vere Pœnitentibus et confessis, qui ad ipsam in præfato festo Dedicationis et per Octavas ejusdem, causa devotionis accesserint ; de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, nec non sancti Martini Patroni nostri, meritis et auctoritate confisi, quadraginta dies de injuncta eis pœnitentia misericorditer in Domino relaxamus : ac nihilominus omnes et singulas Indulgentias, per quoscumque Archiepiscopos et Episcopos Catholicos, gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habentes, dictæ Ecclesiæ in festo Dedicationis istius concessas, in quantum de jure possumus, approbamus et confirmamus. In cujus rei Testimonium præsentes litteras fieri fecimus, et E sigilli nostri appensione muniri. Datum Heiligenstadii, XVII die mensis Junii, Anno Domini MCCCLXIII. *Idem iisdem fere verbis invenitur confirmasse Gerlaci successor Joannes anno* MCCCLXXI.

auctoritate Gerlaci Archiep. Mogunt.

4 *Serarius lib.* 1 *cap.* 30 *docet quod* Metropolitana *Moguntiæ* ecclesia fuit olim in S. Stephani honorem dicata : sed cum novum, quod S. Stephani vocatur templum Willegisus Archiepiscopus construxisset, fuit illa in S. Martini honorem commutata. *Nempe ut in quadam ad Vitam S. Bonifacii Præfatione legitur,* Gallia atque Germania Martini clypeo defensi præcipue gloriantur, qui easdem partim absens verbo edocuit, partim sua venerabili præsentia a malis imminentibus liberavit. Sic igitur quemadmodum et Apostoli (*puto* SS. Petrum et Paulum *intelligi, quibus multæ Cathedrales ecclesiæ dedicatæ habentur toto orbe Christiano*) post transitum suum, sub titulo nominis sui, Sedes Pontificales habere promeruit ; ob singularem credo doctrinam, qua ita Ecclesiam Dei illuminavit, ut neminem primis gentium Doctoribus imitationem proximiorem dicas... Harum, quas dixi, ecclesiarum una est Turonica... altera Moguntiaca, tertia Trajectensis. Verum has duas, Moguntiacam dico et Trajectensem, post annos a transitu ejus plurimos, ob nimium ejus amorem, privilegio memorandi nominis ejus insignitæ sunt : in quibus usque hodie Martinus a fidelibus laudatur et honoratur F propter admirandas et multiplices sanitates quas ibidem plerique ægroti a D. N. Jesu Christo, per suffragia tanti meriti consequuntur. *Et de Moguntiaca quidem quæ parte vetustissima est testatur Browerus, supra januam arcuatam legi hæc verba* SANCTOS MARTINOS *indeque spectari* Episcopi effigiem dextra templum sustinentis, *ea prorsus idea qua hodie visitur Cathedralis, læva vero librum tenentis cum inscripto* PAX HUIC DOMUI ET OMNI HABITANTI IN EA.

porro sicut cathedralis Moguntina

aliæque plures,

nuncupata fuit S. Martino Turonensi a Willegiso Archiep.

5 *Eodem quo Willegisus priditu et affectu erga communem Patronum* Martinum, *videri etiam potest Rabanus illi dedicasse novam Heiligenstadiensem ecclesiam, veteri choro remanente ut erat a Dagoberto constructus : ex indeque assumptus est ille in sigillum tam Capituli quam Civitatis cum hoc discrimine, quod Capitulum utatur Martino sedente in Pontificalibus in actu benedicentis; Civitas eumdem effingat equitem cum scuto et gladio, eoque discrimine putat Knackrichius duplicem Archiepiscopi Moguntini in Heiligenstadienses jurisdictionem, ecclesiasticam et secularem designari, quæ res aliquid infra luminis accipiet ex veteribus in*

ita Rabanus eidem videtur ecclesiam Heiligenstad.

veteri Choro præstructam effigies ejusdem S. sigillis impressa

co

In nomine scae & indiuiduae trinitatis Heinricus diuina fauente clementia romanorum imperator Augustus. Si uenerabilia aecclesiarum dei loca aliquo bono commodo ditare studuerimus

nobis id regniq; nri statui profuturum esse minime dubitamus. Quapropter nouerit omniu xpi fideliu nrorumq; uniuersitas qualiter nos premedio animae atque parent n roru nec non pinteruentu

dilectissimae comectidis nrae CUNIGUNDAE uidelicet imperatricis augustae. atq; Erchenbaldi mogontiacensis aecclaeuenerabilis archiepi cuidam ei monasterio heiligonstat dicto ubi preciosa martyrum

aurei atq; iustini corpora requiescunt. ad usum frm ibidem do seruientium mansum unum & duo curtificia sita in ulla Genzlaha dicta in pago uero Cichesuelt. & in comitatu Willihelmi

comitis. cum omnib. eius appendiciis. terris. cultis & incultis. pratis. pascuis. siluis. uenationib; aquis aquarumue decursib; piscationib; uiis & inuiis. exitib; & reditib; quesitis & inquirendis


ceterisq; omnibus quequomodocuq; dici siue scribi. aut nominari possunt utilitatib; ad ipsum mansum ptinentibus per hanc nostram imperialem paginam concedimus

atq; largimur. & de nro iure ac dominio in eius ius & dominiu omnino transfundimus. Ea uidelicet ratione ut Rubbertus eiusdem monasterii prepositus

sibiq; post hinc succedentes liberam habeant de eodem manso eiusq; pertinentiis facultatem. quicquid eis placuerit ad usu aecclae faciendi. omnium

hominum regni nostri contradictione remota. Et ut haec nostrae ingenuitatis auctoritas stabilis & inconuulsa omni posthinc permaneat tempore

hoc preceptum inde conscriptu manu ppria confirmantes sigilli nostri impressione precepimus insigniri;

Signum domni Heinrici romanorum inuictissimi  imperatoris augusti;



Sigillorum quorundam Heiligenstadentium ectypa.



Guntherius cancellarius uice erkanbaldi archicapellani recognouit;;;

Data. V. ID. DECEB. Indict. V. Anno dnicae incarnat. MXXII. anno domni heinrici scdi regnant XXI. Imperii aute. VIII. Actum. Gronaha.

Loco rejulsi ab autographa membrana sigilli Imperialis, aliud hic positum vides, sumptum ex charta ab eodem olim Rege in favorem Paderbornensis Ecclesiae

data. IIII. NON. Aprit. Anno dominicae incarn. MIIII. Indict. I. Anno II domni Heinrici reg. I. Actum quidilingaburc.

eo districtu repertis nummis. Ex hinc illi ecclesiam istam curaverint ut suam, ejusque profectui favorem impenderint suum apud Imperatores inter quos præ aliis dignus memorari S. Henricus, ejusdem ecclesiæ insignis benefactor per diploma, quod pro tanti sancti veneratione optavit Reverendissimus Capituli Decanus, eo quo scriptum habetur charactere spectandum exhibere in tabula opposita: tenorem communibus litteris hic expressum lege.

dederat eidem S. Henricus Imp. an. 1022

6 In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Heinricus, divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus. Si venerabilia Ecclesiarum Dei loca alicujus doni commodo ditare studuerimus, Nobis id Regnique nostri statui profuturum esse minime dubitamus. Quapropter noverit omnium Christi fidelium nostrorumque universitas, qualiter Nos, pro remedio animæ atque Parentum nostrorum; nec non pro interventu Dilectissimæ contectidis nostræ, CUNIGUNDÆ videlicet Imperatricis Augustæ: atque Aribonis, Moguntiacensis Ecclesiæ Venerabilis Archi-Episcopi, cuidam ejus monasterio, Heiligenstat dicto, ubi pretiosa Martyrum Aurei atque Justini corpora requiescunt, ad usum Fratrum ibidem Deo servientium, mansum unum et duo curtilia, sita in villa Geislaha dicta, in pago vero Eichesvelt, et in Comitatu Willihelmi Comitis, cum omnibus ejus appendiciis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, viis et inviis, exitibus et reditibus, quæsitis et acquirendis, cæterisque omnibus, quæ quomodocumque dici sive scribi aut nominari possunt utilitatibus, ad ipsum mansum pertinentibus, per hanc nostram Imperialem paginam concedimus atque largimur; et de nostro jure et Dominio in ejus jus et Dominium omnino transfundimus: ea videlicet ratione, ut Richbertus, ejusdem Monasterii Præpositus sibique post hunc succedentes, liberam habeant de eodem manso ejusque pertinentiis facultatem, quidquid eis placuerit, ad usum Ecclesiæ faciendi; omnium hominum Regni nostri contradictione remota. Et ut hæc nostræ ingenuitatis auctoritas stabilis et inconvulsa omni post hinc permaneat tempore hoc præceptum inde conscriptum, manu propria confirmantes, sigilli nostri impressione præcepimus insigniri.

varia prædia in honorem SS Aurei et Justini;

Signum Domini Heinrici Romanorum Invictissimi Imperatoris Augusti.

Guntherus Cancellarius, vice Aribonis Arhicappellani, recognovit.

Data v. Id. Decemb. Indict. v. Anno Dom. Incarn. Millesimo vigesimo 2. Anno Domini Heinrici secundi regnantis XXI. Imperii autem octavo. Actum Gronaha.

7 *Eadem seu felicitate seu diligentia qua Henricianum istud privilegium autographum, conservata fuerunt quædam alia uno alterove seculo recentiora, quæ in gratiam Heiligenstadiensium hic juvat proferre; ut constet quam indubitanter tenuerunt illi SS Aureum et Justinum apud se passos et sepultos: quandoquidem eorum causa fuerit ipsorum ecclesia ædificata variisque beneficiis aucta. Ac primum noto quod Knackrichius indicet invenisse se litteras Germanice scriptas de anno* MC *in quibus fit mentio* factæ alicujus venditionis per Nobilem Lambertum a Westhusen Domino Henrico Heibeden Vicario ecclesiæ S. Martini pro Vicaria sua ad S. Laurentium ibidem. *Hoc autem ideo notasse juverit ut intelligatur Vicariorum institutio cujus antiquitatem requirebamus ad Legendam SS. Aurei et Justini cap. 3 lit.* E *saltem ad seculum* XI *pertinere; adeoque nihil, eatenus saltem, obesse quominus ipsa Legenda scripta fuerit circa initium ejusdem seculi, de aliis quæ promittebam instrumentis facta authentica recognitio, mihique a Knackrichio transcripta probat,*

aliunde scitur ibi fuisse vicarios sec XI

quod licet veteri a Dagoberto fundatæ parochiæ et civitati nova addita sit ab Archiepiscopo Moguntino Syffrido I qui sedem tenuit ab anno circiter MLX *ad* MLXXXIV *nihil tamen inde decesserit juribus veteris parochiæ in totam civitatem. Scribit autem Serarius de rebus Moguntiacis fol. 768 quod Syffridus ille vel Sigefridus Gregorii IX sententiam contra uxoratos et concubinarios sacerdotes per Synodum Erphordiæ exequi volens facto tumultu, urbe ea excedere coactus fuerit cum aliis nonnullis Archiepiscopis veneritque Heiligenstadium ubi notabilem anni partem usque ad Epiphaniam manserit et omnibus rerum divinarum solemnitatibus interfuerit circa annum* MLXXIII *qua occasione videri potest novæ Parochiæ instituendæ animum adjecisse, nisi potius id fecerit Syffridus III ab anno* MCC *ad* XXV *respectu tertii, immediate succedentis dictus* Senior.

AUCLORE D. P.

§. II. *Jus Patronatus novæ civitatis Ecclesias veteri parochiæ adjudicatum et confirmatum.*

In nomine Domini. Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum seu transcriptum pateat Universis, quod anno a Nativitate ejusdem MCCCXXXVIII. Indictione sexta, sexta die mensis Novembris, quæ fuit Feria sexta proxima post festum omnium Sanctorum hora ejusdem diei prima vel quasi, in Choro ecclesiæ sancti Martini in oppido Heiligenstad ante summum altare, Moguntinæ diœcesis. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac Domini... Domini Benedicti divina providentia Papæ XII anno quarto, Constituti honorabiles viri ac Domini Hartmannus decanus, Hugo Scholasticus, Theodorus Cantor, Gotfridus Camerarius et Joannes Ottonis de Aldendorf, Canonici Ecclesiæ Heiligenstadiensis prædictæ, in mei Notarii publici infrascripti et testium subscriptorum præsentia, et mihi Notario subscripto, suo et Capituli sæpe dictæ Ecclesiæ Heiligenstat nomine, quædam quatuor infrascripta Privilegia obtulerunt ad transcribendum et in publicam formam redigendum. Quæ quidem quatuor Privilegia sigillata in manu tenui, de verbo ad verbum legi et diligenter examinavi. Quorum quidem Privilegiorum primum fuit sigillo Reverendi in Christo Patris ac Domini... Domini Syffridi felicis recordationis quondam Archiepiscopi Moguntini, et Capituli Moguntinensis, filis sericis integre sigillatum. Cujus Privilegii scilicet primi tenor talis est.

et ex aliis privilegiis an. 1338 *transcriptis*

9 Syffridus Dei gratia Sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopus Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius. Cum quod rationabiliter et in opere Charitatis agitur in æternam memoriam sit ducendum; Nosce volumus in Christo fideles universos præsentem paginam inspecturos; quod dilectus in Christo filius Henricus, Præpositus Ecclesiæ Heiligenstadiensis in emendationem stipendiorum ejusdem loci Capituli, et salutem propriam in conspectu altissimi ampliandam; de nostra et Capituli Moguntini conniventia et consensu Jus Patronatus Parochiæ Veteris-Villæ in Heiligenstad cum eadem Ecclesia et pertinentibus ad eamdem eidem Capitulo suo tam liberaliter contulit quam devote a Nobis et Capitulo Mogunt. humiliter postulans, quod cum olim venerabilis Pater et Dominus Syffridus bonæ memoriæ Archiepiscopus Prædecessor noster in Parochiæ dictæ limitibus de novo construxerat villam quamdam novum videlicet Oppidum Heiligenstad et nasci novam Parochiam voluit in eadem, cujus jus Patronatus ad successores suos spectaret; et vero quia factam ex hoc sibi Præpositus reputabat injuriam, eo quod sua sibi esset Parochia diminuta.

quod Syffridus Archiep.

novam parochiam

10 Nos Collationem suam factam Heiligenstadiensi Capitulo tamquam piam respicere dignaremur et

Auct. D. P. a Syffrido priore institutam,

A et contribuere sibi in Heiligenstadiensi Capitulo Jus Patronatus illius Ecclesiæ novæ; quod prædecessor noster præfatus acquisierat nobis et Ecclesiæ Moguntinensi. . . .Nos igitur attendentes et Præpositi memorati obsequia, valde grata, et illam quam in hac parte circa Capitulum suum exercuit pietatem, ejus profectibus intendendo, et collationem factam ab ipso ratam habemus, et quod postulavit a nobis benignius ei duximus indulgendum. Volentes et de Capituli nostri conniventia statuentes, ut cum vacare contigerit Parochias supradictas, Capitulum eas liceat, pro suæ commodo voluntatis. Proviso ne vel Nos, et successores nostri, vel Archidiaconus loci, qui pro tempore fuerit, nostris fraudemur Juribus in eisdem. Nulli ergo hominum liceat hanc nostræ concessionis Paginam infringere vel ei ausu temerario contraire. Quod si quis attentaverit, indignationem Dei omnipotentis, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, ac Beati Martini et nostræ excommunicationis sententiam se noverit incursurum. Datum Moguntiæ Anno Incarnationis Dominicæ MCCXXXIX tertio Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Decimo.

veteri S. Martini subjecerit anno. 1239

11 Secundum vero Privilegium fuit Sigillo Reve-B. rendi in Christo Patris ac Domini Domini Conradi olim Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopi pro tunc Apostolicæ Sedis Legati, filis sericis integre sigillatum; cujus quidem secundi Privilegii tenor talis est. Conradus Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus Sacri imperii per Italiam Archicancellarius, Apostolicæ Sedis Legatus, Dilectis in Christo. . . Decano et Capitulo Ecclesiæ Heiligenstadiensis Moguntinæ Diœcesis salutem in Domino. . Licet Christi fidelibus quibuscumque simus beneficentiæ, cujus pos umus, debitores, his tamen quæ cedunt Ecclesiarum commodo, præcipue favoris benevolentiam liberaliter impertiri tenemur. Sane de parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, quod, quia Præbendarum vestrarum redditus, alias tenues et exiles propter malitiam præsentis temporis, et turbationem Ecclesiæ generalis, sint plurimum imminuti, usque adeo, quod de ipsis non possitis commode sustentari; Ecclesias veteris et novi oppidi in Heiligenstad, curam habentes animarum annexam, quarum Jus Patronatus bonæ memoriæ Syffridus quondam Archiepiscopus Moguntinus, et Henricus olim Ecclesiæ vestræ Præpositus, accedente ad hoc consensu Capituli Moguntini vobis et Ecclesiæ vestræ pia liberalitate et providentia con-C tulerunt, sicut in eorum litteris super hoc conscriptis dicitur contineri, retinendas in usus proprios vobis concedere curaremus

quod Conradus Archiep. Colon ut legatus Apostol.

12 Nos igitur vestræ inopiæ pio compatientes affectu et supplicationibus vestris benigno et favorabili concurrentes assensu authoritate vobis Sedis Apostolicæ, qua fungimur indulgemus, ut præfatas Ecclesias, si vel vacant ad præsens, vel quam primum eas vacare contigerit, retinere in usus proprios libere valeatis. Proviso ut ne ipsæ Ecclesiæ debito divinorum fraudentur obsequio, et ne animarum cura ullatenus negligatur in illis, faciatis in ipsis per Sacerdotes idoneos deserviri; reservata illis de ipsarum Ecclesiarum proventibus congrua portione ad debita procurationum Episcopi et Archidiaconorum loci onera subeunda. In aliis diœcesani Episcopi Jure salvo. . . Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ concessionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Dei omnipotentis et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Coloniæ XII Kal. Januarii anno Domini MCCXL nono.

talem unionem Capitulo confirmaverit an. 1249

13 Tertium vero Privilegium fuit sigillatum integre filis sericis sigillo Venerabilis in Christo Patris D ac Domini. . .Domini Fratris Hugonis Miseratione divina tit. Sanctæ Sabinæ Presbyteri Cardinalis pro tunc Apostolicæ Sedis legati: cujus quidem tertii Privilegii honor talis est. Frater Hugo miseratione divina tit. Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, dilectis in Christo. . . Decano et Capitulo Ecclesiæ Heiligenstadiensis Mogunt. diœcesis salutem in Domino. Præsentata nobis ex parte vestra petitio continebat, quod bonæ memoriæ Syffridus Archiepiscopus Mog. antecedens, proinde, quod Præbendarum Ecclesiæ vestræ proventus erat propter malitiam temporis et inimicorum Ecclesiæ Romanæ incursus plurimum diminuti, adeo etiam quod de illis non poteratis commode sustentari de vetere et novo oppido in Heiligenstad Ecclesias Moguntinæ Diœcesis curam animarum habentes sui Capituli nec non Præpositi eorum, qui in Ecclesia ipsa de veteri oppido Jus Patronatus habebat, accedente consensu. Vobis et Ecclesiæ vestræ duxit deliberatione provida conferendas, prout in litteris suis super hoc confectis plenius dicitur contineri. Quam collationem per Venerabilem Patrem Archiepiscopum Coloniensem, tunc in partibus Alemanniæ legationis fungentem officio approbatam, nostræ postulastis confirmationis munimine E roborari. Nos igitur vestræ devotionis et precum Venerabilis Patris. . Episcopi Hildesemensis obtentu vestris precibus inclinati, quod ab eodem Archiepiscopo Mogunt. provide factum est in hac parte, ratum et gratum habentes, id auctoritate præsentium confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Dei omnipotentis et BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Hildeshem VIII Idus Martii, Pontificatus Domini Innocentii Papæ quarti anno nono.

idemque fecerit Hugo Card legatus,

ad preces Episcopi Hildesiensis;

14 Quartum vero Privilegium fuit sigillo Reverendi in Christo Patris ac Domini. .Domini Gerardi Sanctæ Moguntinæ Sedis quondam Archiepiscopi felicis recordationis filis sericis integre sigillatum. Cujus quidem quarti Privilegii tenor sequitur in hæc verba: Gerhardus Dei gratia Sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopus sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, recognoscimus et hac pagina protestamur; quod cum olim inter nos et dilectos in Christo. .Decanum et Capitulum Heiligenstadiense F super Jure Patronatus Ecclesiæ novi oppidi in Heiligenstad quæstio verteretur; idem Decanus et Capitulum suum, nos de ipso jure suo, per exhibita nobis Collationis Reverendæ memoriæ Domini Syffridi Prædecessoris nostri, de consensu Capituli Moguntinensis, ipsis factæ, sed et approbationis et confirmationis tam Venerabilis Domini Conradi Coloniensis Archiepiscopi, quam Venerabilis Patris ac Domini Hugonis, tit. Sanctæ Sabinæ Presbyteri Cardinalis tunc Sedis Apostolicæ legatorum Privilegia plenius docuerunt, adeo quod nos collationem hujusmodi gratam habentes, et ratam approbationi quoque et confirmationi per ipsos factis pio concurrentes affectu pariter et consensu, pacifica ipsos gaudere volumus et perpetua possessione ipsius Ecclesiæ et quiete: ita quod per se ipsos aut per aliam Personam idoneam eidem deserviant, sicut in suis eis Privilegiis est indultum, nolentes ut ab aliquo in præsentandis personis aut aliis juribus seu rebus etiam spectantibus ad eamdem aliquatenus molestentur. Cum de Provisione ipsorum Canonica quoad assecutionem Ecclesiæ memoratæ instructi simus legitimis documentis. Non obstante exceptione ex-

itemque Gerardus Archiep Mogunt

contra novi oppidi incolas immunitatem prætendentes.

exemptionis

emptionis cujusdam, qua ipsi cives nostri novi oppidi de Heiligenstad opponebant, cum iidem cives in probatione ejus defecerint in contradictorio Judicio coram nobis. Datum Rustenberg 13 Kal. Julii Anno Domini MCCLIV. Pontificatus vero nostri anno tertio. Acta sunt hæc Anno Domini, Indictione, die, mense, hora, loco et Pontificatu supradictis: Præsentibus discretis viris ac honestis Domino Conrado Rathardi de Aldendorf Vicario et Beneficiato in sæpe dicta Ecclesia Heiligenstadiensi, et Domino Hermanno de Gunterode Presbytero, nec non Hartmanno Subdiacono Ecclesiastico in eadem Ecclesia Heiligenstadiensi Mogunt. diœcesis pro testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Hermannus Bertradi de Aldendorf Clericus Moguntiæ Diœcesis Authoritate Imperiali Publicus Notarius, præmissis una cum prænominatis testibus præsens interfui, et præsens transcriptum seu præscripta quatuor Privilegia in hanc publicam formam redegi nil addens seu minuens quod sensum mutet vel intellectum vitiet, signoque meo solito et consueto signavi rogatus et requisitus. *Et his porro instrumentis haud obscure intelligitur jus patronatus in totam parochiam Heiligenstadiensem ad Præpositum et Capitulum Ecclesiæ Martinianæ pertinuisse priusquam de nova Parochia ibidem instituenda Archiepiscopi Moguntini cogitarent. Est autem verosimile jus istud non ab alio quam a Dagoberto Rege primæ isthic Ecclesiæ in honorem SS. Aurei et Justini constructæ fundatore ac dotatore fluxisse. Sunt autem et aliæ Heiligenstadii Ecclesiæ sub alterutra parochia comprehensæ de quibus sic mihi scribit Knachtrichius.*

aliæ ecclesiæ Heiligenstadienses, S. Nicolai

15 Post ecclesiam S. Martini, antiquissima creditur parva S. Nicolai ecclesia; in edito ac pene rotundo atque amœno colle extra civitatem sita ad ducentos circiter passus a civitate. *Huic ætate proximum censetur templum parochiale S. Ægidii, cujus turres geminæ ædificatæ fuerunt anno* MCCLXX, *testibus impolitis hisce versibus, dignis lapide æque impolito incidi aforis in muro, ubi sic inveniuntur:*

S. Ægidii

Anno milleno, tria, C, L X (*cl ix*) duplicato;
In festo Viti, sic debet littera legi,
Artificum manus cœperunt turrium opus.
Est bene fundatum, in lapide firmo locatum.
Continet in terra lapidum tria millia plaustra:
Vicenos lapides habet profunditas ejus,
Unum (*pedem*) addas quinque sic occupat spatium terræ.
Et operis latus tredecim pedum numeratur.

Dixi hic notari annum MCCXX *supponendo quod per* eL iX *conjunctim sumptis intelligatur numerus sexagenarius isque debeat duplicari: sic enim habentur centum viginti. Si quis tamen putet quinquagesimum* eL *solitarie numerandum et dumtaxat duplicandam esse ultimam litteram* iX *spectaret ædificatio illa ad annum* MCCLXX.

et S. Mariæ

16 *Simile illi est* templum S. Mariæ quod Societas Jesu nunc obtinet ornatum duabus sumptuosis ac magnis turribus ex mero lapide usque ad culmen eductis, in cujus infimo angulari lapide versus hortum visuntur incisæ hæ litteræ TH 151 *quas forte sic liceat interpretari ut* TH *significent* THAUSENT, mille, *atque adeo significetur annus* MCLI, *quo ecclesiam primo fundatam putaverit istarum litterarum Auctor, minime antiquus credendus, quando quidem nec usus zyfrarum, ad publicas ejusmodi inscriptiones antiquior est uno alterove seculo.* Omittimus recensere varia intra atque extra civitatem sacella, testimonia publicæ et constantis in populo religionis: unum addo, *inquit idem qui supra* inter ædes Canonicorum ecclesiam Collegiatam circumsistentes, haud parvum spatium occupari ab Archisatrapia seu habitatione Gratiosi Vice domini, qui est Judex primarius per

Archisatrapiæ fundatio

Eichsfeldiam: pro cujus fundo pendit Archiepiscopus Moguntinus ecclesiæ duodecim malteratritici annue: hoc ipso contestans, Decessores suos non fuisse fundatores ecclesiæ et temporale Dominium in civitate Regia vel Imperiali largitione acquisitum iis esse: nec enim in hanc profertur titulus emptionis quo alia nonnulla Eichsfeldiæ loca in eorumdem proprietatem venisse constat.

§ III. *Secunda post Sanctorum Translationem innovatio et Indulgentiæ ejus causa concessæ.*

Post hæc duo secula, cum ferme dimidio transierunt, et civitatem contigit a nescio quibus hostibus expugnari: uti supra vidimus, sed damnum ea clade illatum compensavit Deus, elevatis denuo corporum Sanctorum sacris ossibus; cum tanto ad eam actionem concursu fidelium et eleemosynarum ubertate ut ex iis constructus sit solemnis ille, qui hodieque superest, ut existimo chorus. Placuit deinde Canonicis ampliora moliri, et pro ea quam Rabanus dedicarat ecclesia jam in ruinam minante novam condere: ad quam visum est totius Imperii sollicitare liberalitatem, prout seculorum istorum usus ferebat, deputatis a Capitulo oratoribus qui per diœceses circuirent, instructi litteris commendatitiis septem Prælatorum Eischfeldensium, quorum qui primus nominatur Ryphensteinensis super totius regionis Status Primatum obtinet. Litterarum hic erat tenor.

Novus Chorus superexstruitur

deinde pro fabrica novæ ecclesiæ circumeunt quæstores

cum commendatus Prælatorum

18 Divina miseratione Abbas et Conventus in Ryphenstein, in Buren, in Teistungburg, in Cella, in Annenrode, in Gernrode et in Witzenhusen, Ecclesiarum Præpositi, Abbatissæ et Conventus, Universis Christi fidelibus salutem in eo qui est salus omnium. Licet generalis terræ status adeo turbulentus existat, quod jam fere omnia loca incendiis subjaceant et rapinis; maxime tamen Matrix nostra Heiligenstadiensis Ecclesia Domino annuente diversorum incursibus et hostium insultibus impugnatur, adeo etiam quod propter defectum proventuum præbendalium Decanus.... et Capitulum Domino famulari nequeant in eadem. Cum igitur prædicta Ecclesia pro maxima sui parte nutet, et ex vetustate nimia prout constat gravem minetur ruinam, ad cujus relevationem et reformationem Decano et.... Capitulo prædictis propter malitiam temporis propriæ non suppetunt facultates. Nos eidem Matrici nostræ non immerito compatientes et pietatis viscera misericorditer aperientes omnibus Benefactoribus ejusdem, litterarum præsentium testimonio plenam conferimus Fraternitatem et participationem Missarum tam pro vivis quam defunctis, vigiliarum, jejuniorum, orationum, corporalium disciplinarum, ac omnium bonorum quæ in Monasteriis nostris fiunt. Datum anno Domini MCCLXX sexto, secunda feria post Dominicam qua cantatur Misericordia.

19 *His litteris proprias suas Metropolita Moguntinus addidit in hunc modum.* Wernherus Dei gratia Sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopus sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, Universis Christi fidelibus per Moguntinam diœcesim constitutis salutem in omnium Salvatore. Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus sive bonum fuerit sive malum: oportet nos diem missionis extremæ, misericordiæ operibus prævenire ac æternorum intuitu seminare in terris quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere valeamus in cœlis; firmam spem fiduciamque tenentes, Quoniam qui parce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam æternam. Cum igitur dilecti in Christo..... Decanus et Capitulum Ecclesiæ Heiligenstadensis Moguæ

et Archiep. Werneri

Moguntinæ Diœcesis, sicut nobis insinuare curarunt, ipsius Ecclesiæ suæ Chorum ex nimia vetustate collapsum, ad Dei honorem desiderent reparare opere sumptuoso : nec eis ad id propriæ suppetant facultates. Universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, vobis in remissionem peccatorum injungentes, quatenus de bonis a Deo collatis pias eleemosynas et grata charitatis subsidia erogetis eisdem, ut per vestram subventionem prædictum opus valeat consummari : vosque per hæc et alia bona quæ Domino inspirante feceritis ad æterna gaudia pervenire possitis. Nos de omnipotentis Dei misericordia, Beatorum Apostolorum ejus Petri et Pauli ac Beati Martini meritis et auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui ad reparationem Chori prædicti manum porrexerint adjutricem ; Quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus : ratas nihilominus habentes et gratas Indulgentias quas Venerabiles Patres Archiepiscopi et Episcopi ad hujusmodi opus contulerunt, vel adhuc duxerint concedendas ; Præsentibus quas mitti per quæstuarios districtius inhibemus, eas si actum fuerit, carere viribus decernentes post consummationem operis minime valituras. Datum apud Vinarium Anno Domini MCCLXX Sexto XVI Kal. Augusti, Pontificatus vero nostri Anno septimo decimo.

Auct. D. P.

20 *Cœperintne eodem vel sequenti anno manus admoveri operi nescio, hoc scio ex Knackrichii instructione adhuc usque in annum MCCLXXVIII continuatam quæstuatam fuisse, aut novo tunc fervore resumptam, eumque in finem inveniri litteras quas dederunt* Thomas Masoviensis, VIII Kal. Martii ; Fredericus Merseburgensis, pridie Kalen. Martii, Ludolfus Halberstadensis, IV Idus Aprilis et Wernherus Culmensis VIII Maji, *omnes ejusdem aut similis tenoris. Satis habuit Knackrichius Halberstadense exemplar subjungere in specimen aliarum, estque ut sequitur.*

iterumque an. 1278 cum litteris ceterorum Episcoporum

21 Ludolfus Dei gratia quondam Halberstatensis Ecclesiæ Episcopus, Universis præsens scriptum inspecturis salutem in vero salutari. Cupientes quoslibet Christi Fideles ad pietatis opera speciali præmio invitare, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus meritis et auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui ad visitandas Reliquias Beatorum Martyrum Aurei et Justini, ad Ecclesiam Heiligenstadiensem Moguntinæ Diœcesis devote convenerint, seu eidem Ecclesiæ manum porrexerint adjutricem, quadraginta dies criminalium, annum venialium et karenam de injuncta sibi Pœnitentia misericorditer relaxamus : accedente consensu Venerabilis Patris Archiepiscopi Moguntini. Datum Anno Domini MCCLXXVIII quarto Idus Aprilis.

ad SS visitandos propositis Indulgentiis

22 *Capellæ ejus etiam indulgentiæ a prælatis in Pontificia Curia Avenione residentibus impetratæ fuerunt anno MCCCXXVIII sub ejusmodi litterarum tenore.* Universis ad quos Præsentes veniunt, Nos miseratione Divina Bonifacius Sulatanensis, Guilielmus Tergestensis, Antonius Sagonensis, Joannes Serbiensis, Melletius Gallipolitanus, Joannes Ameliensis, Jordanus Acernensis, Rudolfus Syriquensis, Madius Demitensis, et Curatius Senongensis Episcopi salutem in Domino sempiternam. Splendor Paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de ipsius clementissima Majestate sperantium tunc præcipue benigno favore prosequitur, cum ipsorum devota humilitas Sanctorum meritis et precibus adjuvatur. Cupientes igitur, ut collegiata Ecclesia B. Martini Heiligenstadiensis Moguntinæ Diœcesis et Capella S. Laurentii eidem annexa, congruis honoribus frequententur et a Christi fidelibus jugiter venerentur ; omnibus vere pœnitentibus et confessis qui ad Ecclesiam vel Capellam easdem in festivitatibus Natalis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Cœnæ, Resurrectionis et Ascensionis Domini, Pentecostes, Corporis Christi, in singulis festivitatibus Beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, sancti Joannis Baptistæ, S. Crucis, Michaelis Archangeli, Beatorum Petri et Pauli, Andreæ et Bartholomei Apostolorum, Lucæ Evangelistæ, omniumque aliorum Apostolorum et Evangelistarum, Sanctorum Laurentii et Vincentii : Aurei et Justini : Sergii et Bacchi, Viti et Galli Martyrum ; Sanctorum Nicolai, Martini, Gregorii, Ægidii, Clementis, Antonii, Ambrosii, Augustini, Bricii et Blasii Confessorum ; Sanctarum Catharinæ, Mariæ Magdalenæ, Margarethæ, Agnetis, Gertrudis, Agathæ, Dorotheæ, undecim millium Virginum, in Dedicatione tam Ecclesiæ quam Capellæ prædictarum et per Octavas prædictarum festivitatum Octavas habentium, singulisque diebus Dominicis et Sabbatis totius anni, causa devotionis, peregrinationis aut orationis : nec non qui ad fabricam, luminaria, ornamenta aut quælibet alia dictis Ecclesiæ vel Capellæ necessaria, manus porrexerint adjutrices : seu qui in extremis laborantes quidquam dictis Ecclesiæ vel Capellæ suarum legaverint facultatum : aut qui Missis, Prædicationibus, aut aliis Divinis officiis vel sepulturis defunctorum, pro defunctis orando interfuerint ibidem : seu qui Corpus Christi, vel Oleum sacrum, cum portantur infirmis, secuti fuerint : aut qui in serotina pulsatione campanæ flexis genibus ter Ave Maria dixerint, quotiescumque præmissa vel aliquid præmissorum devote fecerint, de omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, singuli Nostrum quadraginta dies Indulgentiarum, de injunctis eis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxamus ; dummodo Diœcesani voluntas ad id accesserit et consensus. In quorum testimonium præsentes litteras sigillorum nostrorum jussimus appensione muniri. Datum nono Kal. Julii Anno Domini millesimo Trecentesimo vicesimo octavo.

et anno 1328 alia impetrantur:

23 *Hactenus productis, similibusque diplomatis aliis, ut contra quoscumque temporum casus consuleretur adhibita, nescio quando (nec enim annus exprimitur) cautela fuit transcriptis exemplaribus ut vocant authenticis in hunc modum.* Ernestus Hopphe officialis Præposituræ Heiligenstadiensis Moguntinæ Diœcesis. Præsente publico instrumento notum facimus Universis, quod constituti nobis in judicio honorabiles viri Joannes de Roden Cantor, Joannes Archfeld, Martinus Dingelstede, Bertholdus de Hewenschusen et Wigandus de Cassele Canonici Ecclesiæ Heiligenstadiensis jam dictæ exhibuerant, præsentarunt et ostenderunt coram nobis et publico Notario ac authenticis personis fide dignis infrascriptis quædam Privilegia seu literas incorporationis duarum videlicet sanctæ Mariæ et Sancti Ægidii Ecclesiarum Parochialium Heiligenstadiensium : una cum aliis litteris gratiosis per ordinem suprascriptis, Indulgentias et Fraternitates in se continentes eidem Ecclesiæ Heiligenstadiensi Diœcesis Moguntinæ prædictæ pie concessas atque largitas, sigillis Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum et Præpositorum cum filis sericis ac cordulis rubeis, glandulis et pestulis pergamenis appensione sigillatas, non abolitas, non suspectas, non rasas, non cancellatas nec in aliqua sui parte vitiatas, sed prorsus omni vitio carentes, ut prima facie apparebant : quas siquidem litteras prædicti Domini instanter petierunt transcribi et in publicam formam redigi nostra auctoritate ordinaria et decreto. Ita ut eisdem litteris, visis copiis præsentis transsumpti plena

instaurato archivo rescribuntur veteres privilegiorum chartæ

circa annum 1370

A plena fides tam in Romana Curia quam extra deinceps in omnibus et per omnia adhibeatur et alibi ubi hoc necesse fuerit, sicuti litteris originalibus : quibus omnibus et singulis nostram auctoritatem ordinariam interposuimus et decreti de sculpturis, litteris circumferentialibus et imaginibus sigillorum earumdem litterarum causa brevitatis et nullam ad præsens mentionem facientes. In quorum omnium testimonium præsentes litteras seu publicum præsens instrumentum per Henricum de Worbizen Notarium publicum infrascriptum subscribi et publicari mandavimus, sub sigillo..... Venerabilis Patris Hermani Abbatis Monasterii in Ryphenstein ac nostri officialatus, et honorabilis Domini Krafft Præpositi Monasterii in Buren fecimus appensione muniri................ *Huc usque copiæ exceptis duabus supra memoratis. Annus non additur ex aliis actis conditis anno* MCCCLXIX. LXXIV. LXXV. LXXVII *præsentibus aliquibus prænominatorum Canonicorum circa eosdem annos rem peractam esse, conjicere possumus si perfectus haberetur catalogus Abbatum Cisterciensium Monasterii Ryphensteinensis certius ea definiretur : nunc quem habemus collectum ex residuis monumentis a Rmo. Philippo Busse sub annum* MDLXXXIX *electo* B *alios non exhibet Hermannos quam qui vixerunt annis* MCCLIX *et* MCCCCLXVII.

24 *Simile huic est quod dedit Dietherus Archiepiscopus anno* MCCCCLXI *nisi quod nomen* Justinæ *decessoribus expressum mutetur in nomen* Justinæ *casu an studio non divino, ipsum diploma sic sonat.* Dietherus Dei gratia sanctæ Moguntinæ Sedis electus et confirmatus Sacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarius ac Princeps Elector, Honorabilibus.. Decano et Capitulo ac singulis Personis et Beneficiatis Sancti Martini, Beatæ Mariæ et sancti Ægidii Heiligenstadiensium Ecclesiarum Plebanis et vice-Plebanis nostræ diœcesis, devotis nostris dilectis salutem in Domino sempiternam. Ad instar Indulgentiæ sive gratiæ per fel. recordationis Theodoricum Prædecessorem nostrum per certa festa annua revolutione succedentia vobis factæ præcipue ut divina officia in dictis vestris Ecclesiis januis apertis et pulsatis campanis in festis omnium Sanctorum, Ascensionis Domini, Corporis Christi, Beatæ Mariæ Virginis, in diebus Dedicationum dictarum Ecclesiarum et per eorum Octavas, Cœnæ Domini, Parasceves, Sabbathi Paschæ, Pentecostes, Epiphaniæ Domini, Joannis Bap. Cyriaci Martyris, Catherinæ Virginis, Laurentii : Patronorum dictarum Ecclesiarum, scilicet Sanctorum Martini Confessoris, Translationis ejusdem, Aurei et Justinæ, Sergii et Bacchi Martyrum et Ægidii Confessoris, Michaelis Archangeli, Circumcisionis Domini et omnium Apostolorum, Natalis S. Stephani Protomartyris, omnibus diebus Dominicis per circulum anni, nec non commemorationis omnium sanctarum animarum, atque in Anniversariis serenissimi Domini Dagoberti quondam Francorum Regis. Reverendi Patris Adolffi quondam Archiepiscopi Moguntinensis, nec non in quatuor anniversariis Fraternitatis dictæ Ecclesiæ S. Martini observare valeatis; præsentibus vobis et cuilibet vestrum facultatem impertimur de gratia speciali, utque effectus omnium sententiarum, cessationis divinorum et interdicti nostra sive Judicum nostrorum nobis subjectorum auctoritate latarum vel ferendarum, seu etiam virtute statutorum sacri Provincialis Mogunt. Concilii observatarum vel observandarum qualibet dictarum dierum debeant esse sublati ac etiam nostra auctoritate relaxati. Quas etiam nos eadem auctoritate ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc Dei nomine in his scriptis tollimus et relaxamus. Ita tamen quod festis et diebus prænotatis transactis dictæ sententiæ in suo robore maneant, sicut ante, proviso etiam, quod excommunicati et nominatim interdicti hujusmodi relaxationis tempore ut juris est, a divinorum officiis excludantur. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Aschaffenburgi die penultima mensis Julii, Anno Domini millesimo quadringentesimo, sexagesimo primo.

et anno 1461.

D AUCT D P

§. IV. Processio annua cum Reliquiis.

1 Octobris post incendium anni 1333

S*eculum* XIV *funestam civitati cladem et (nisi fallor) ecclesiæ quoque tectis attulit; cujus memoria, inscripta lapidi in pariete chori externo sic notatur, ut annum* MCCCXXXIII *notet et 1 Octobris.*

Anno milleno, tricenteno, tria deno,
Et terno Domini, nocte sancti Remigii,
Est Civitas sancta totaliter ista perusta,
Et plures igne quam deceat periere

Subtus autem descripta sunt nomina Architectorum per quos reparatum fuit damnum. Johannes Thene *et* Peter Arnknecht. *Quanto tempore ea reparatio eguerit nescio; sed intelligo habere patentes litteras Indulgentiarum aliquod ad fabricam conferentibus datarum anno mox sequenti* MCCCXXXIV, *quas tamen describendas Knauchenius non censuit.*

cito reparato damno,

E

adduntur vicariæ duæ,

Accesserunt deinde eidem ecclesiæ ornamenta et beneficia varia, ac nominatim institutio Vicariarum duarum sub titulo SS. Aurei et Justini Sanctique Liborii *Paterbornensis proximæ diœcesis Patroni per* Dominum Bertholdum Gebehard anno Domini MCCCLVIII : *Cujus fundationis originales litteras pariter non reperiebat Knauchenius, ex copiis, quamvis authenticatas non descripsit; sed indicavit, videri prius quam Vicariæ illæ instituerentur fuisse ordinatam ambulatem cum Sanctorum reliquiis pompam et habere Senatus ipsius publicas litteras, sed vulgari atque germanico stylo scriptas, signatas* anno MCCCXXXIV proximo Sabbato post festum Annuntiationis B. V. M. *tunc cadente in 1 Aprilis ante Dominicam* IV *Quadragesimæ quibus obligatum se fatetur, pro acceptis a Capitulo octo solidis aureis Rhenanis ad constituendum annis singulis viros honoratos et idoneos, qui in defectum Clericorum gestent arcam SS. Aurei et Justini, die festo ipsorum, circum muros civitatis. Comitantur pompam armati cives cum tympanis et . . . , et Archiepiscopus ab immemorabili tempore Senatui epulam, civibus autem duo plaustra cerevisiæ præbet.*

post institutionem processionis annuæ

cum SS Patronorum corporibus·

26 *Profecto sane universis Patronos habuisse sanctos anno* MCCCCIV, *quando urbs sacra valido confœderatorum Principum exercitu cincta fuit, prout in foro . . . habetur lapis in versibus . . . , sed rem clare satis significantibus sic descriptum.*

F

Mille post Incar. C quater, in die Margar,
His quatuor adde, regnante de Nassau Joanne;
Moguntinus hic Archiepiscopus erat fratri suo Adolfo post Conradum de Weinberg suffectus anno MCCCXCVI *qui sedit usque ad* MCCCCXIX).
De Brunswick Henrich, Dux Ott, Princeps illustris
Herman Hassorum, Balthsar Princeps Turingorum.
Marchio de Missen Wilhelmus cum sua turma,
Anhalt, Mansfelt, Rheinstein, Querfurt, Gleichen, quoque Honstein,
Alii quam plures hanc urbem circum vallantes;
Sed Civitas sancta ab his permansit invicta.

quorum meritis adscribi potest liberatio urbis an. 1404

Soluta autem obsidione credo istiusmodi supplicationem ambulatem institutam fuisse in gratiarum actionem Deo et Sanctis Patronis debitam. Hic addiderim diem istum ab Heiligenstadiensibus passim vocari der Gulder manner-dag, *id est* Aureorum virorum diem; *fortassis cum allusione ad nomen* Aurei *vel ab inauratis armis*

armis, in quibus soliti fuerint aliqui tunc procedere.

Auct. D. P.

27 *Eodem die post summum sacrum aperiri solet inaurata arca intra quam SS. Aurei et Justini ossa sacra indiscriminatim servantur, nam alias plures a variis Archiepiscopis donatæ eademque in arca repositæ sui, singulæ notantur nominibus. Decano claves custode eam proferente; exemptumque inde ex ossibus majoribus unum venerabundo populo deosculandum præbetur, post osculum in sinuatis eodem ossibus reponitur. Notat autem Knakrichius plerumque assumi os crurale sancto ad id inoletum, sed ad unam extremitatem serra imminutum: cetera autem sacra ossa (quæ sane adhuc multa supersunt: nam præter minora plura, majora ad minimum viginti numerasse se testatur Knakrichius, ejusque mensuræ talis, ut procerorum corporum esse appareat) cetera, inquam, divisim reperiuntur in duabus arcis, vetustissima una, altera nova in utroque chori latere collocatis. Talis porro qualem supra descripsi supplicatio, cum per turbas ab hæresi suscitatas superiori seculo, annis viginti intermissa fuisset,* anno MDLXXVII, XVI kal. Julii, supremi Præfecti mandatu SS. Aurei et Justini Reliquiæ iterum solemni gratulatione circum urbis muros sunt delatæ; *sicut in nostri P. Kopperi Adversariis reperisse se scribit Knakrichius, non tamen absque errore per quem eidem obrepserat nomen* Justinæ *pro* Justino: *qui error superiori seculo communis fuerit.*

Et Reliquiæ post sacrum ipso die annue ostenduntur.

Solemnitate an. 1577 resumpta.

28 *Porro ut redeam ad ecclesiæ ipsius historiam, ea ut dixi fuerit, reparatis tectis, post annum* MCCCXXXIII *incendium restituta pristino usui; non tamen inductus videtur ei fuisse fornix intra sesqui seculum: siquidem eidem fornici versus portam sic inscriptum legitur:* Completum hoc opus per me Johannem Wyrauch *anno Domini* MCCCCLXXXVII. *Knakrichius tamen putat illa inscriptione Chronica non notari tempus absoluti fornicis, sed alicujus alterius ornatus; quod Lectori dijudicandum relinquo. Eodem seculo exeunte plurimum auxit Archiepiscopus Moguntinus Indulgentiarum eadem in ecclesia obtinendarum dies, data hujusmodi Bulla:* Bertholdus Dei gratia Sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, Sacri Romani Imperii per Germaniam Archicancellarius, Princeps Elector, Honorabilibus, devotis nobis in Christo dilectis... Plebanis in oppido nostro Heiligenstad Salutem in Domino. Ut divina Officia in dictis vestris Ecclesiis januis apertis et pulsatis campanis in festis Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, Corporis Christi; In festo Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Præsentationis, Conceptionis, Purificationis et Annuntiationis gloriosæ Virginis Mariæ et per eorum Octavas, Inventionis et Exaltationis sanctæ Crucis, Bonifacii Martyris, Viti, Johannis Baptistæ, Nativitatis et Decollationis, Aurei et Justini, Sergii et Bacchi, et per eorum Octavas, Margaritæ, Divisionis Apostolorum, Mariæ Magdalenæ, Dominici, Annæ, Augustini, Ægidii, Michaelis, Hieronimi, Lucæ, Martini Confessoris, Elisabeth, Catherinæ, Barbaræ, Nicolai, Nativitatis Christi, Stephani Protomartyris, Circumcisionis, Epiphaniæ Domini, Conversionis Pauli, Cathedræ Petri et ad Vincula, Dominica Judica usque ad festum Paschæ et octo diebus sequentibus, Dedicationis, omnibus diebus Apostolorum et Evangelistarum, nec non omnibus diebus Dominicis per totum anni circulum, in quatuor Anniversariis Fraternitatis et in Anniversario Gloriosissimi quondam Principis Dagoberti Francorum incliti Regis Fundatoris Ecclesiæ Collegiatæ sancti Martini Heiligenstadensis; Domini Adolfi quondam Archiepiscopi Moguntini in ipsa Ecclesia sepulti et Domini Bertholdi quondam Episcopi Paneadensis observare valeatis, Præsentibus vobis et cuilibet vestrum facultatem impertimur de gratia speciali; utque effectus omnium sententiarum, Cessationis divinorum et interdicti, nostra sive Judicum nostrorum nobis subjectorum auctoritate latarum vel ferendarum: seu etiam virtute statutorum Sacri Provincialis Moguntini Concilii observatarum vel observandarum quolibet dictorum dierum debeant esse sublati ac etiam nostra auctoritate relaxati; excommunicatis tamen et nominatim interdictis exclusis, Datum apud arcem Sancti Martini in Civitate nostra Moguntina sub sigillo nostro vigesima septima Mensis Junii Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo nono. *Interrogatus D. Decanus de Anniversario Dagoberti Regis, Respondit in hæc verba: in hujus Ecclesiæ collegiatæ Registris de anno* MDLXIII, LXIV *et subsequentibus, inveni inter festa præsentiarum et Anniversariorum hanc notationem, proximis diebus post festum S. Matthiæ* Anniversarium pro fundatoribus. *Possunt hic fundatorum nomine Dagobertus Rex ejusque uxor ac filii intelligi: sed primus an secundus non potest hinc liquere: cum primus obierit* XIII *Decembris; secundus, Satanaci ubi occisus est, et martyr colitur* XVII *Januarii.*

Fornix ecclesiæ perfectæ an. 1487

Et an. 1499 augentur ab Archiepiscopo indulgentiæ.

Cum privilegio non cessandi in Interdicto.

Anniversarius Dagoberti R.

29 *Quod attinet ad SS. Sergium et Bacchum inter Heiligenstadiensium Patronos nominatos eos scilicet qui* VII *Octobris coluntur videntur eorum quoque insignes reliquiæ per bella sacra ex Syria in Europam translatæ ad S. Martini Ecclesiam pervenisse seculo* XIII *vel* XIV *et mox adeo celebrem cultum obtinuisse, ut æstimarentur Patroni illius Ecclesiæ ferme principales. Moguntini autem confidentes corpus S. Aurei atque ac S. Justini apud se esse, suspicati fuerunt vanam esse Heiligenstadiensium de SS. Aureo et Justino apud se passis et tumulatis gloriationem. Conjecturæ isti favet Bulla Pauli II absque ulla horum Sanctorum mentione cum luculenta aliorum duorum expressione anno* MCCCCLXIX *data hoc tenore.* Paulus Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Scholastico Ecclesiæ S. Stephani Moguntinæ salutem et Apostolicam benedictionem. Ad exequendum Pastoralis Officii debitum continuo solliciti votis illis gratum præstamus assensum per quem a singulis Ecclesiis præcipue Collegiatis benedicatur Altissimus ac Personæ Ecclesiasticæ in eis constitutæ temporalium rerum, sine quibus spiritualia diu subsistere non possunt, ubertate fruantur, sua quoque beneficia ad hunc effectum sponte resignantibus, ne rerum premantur inopia, utiliter et salubriter valeat provideri. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Decani et Capituli Ecclesiæ S. Martini oppidi Heiligenstad Moguntinæ diœcesis petitio continebat, quod Ecclesia ipsa insignis admodum vetusta et egregia in partibus illis reputatur, in eaque Beatorum Sergii et Bacchi corpora conservantur et in maxima veneratione habentur magnusque Populi concursus etiam pro Missis et aliis divinis Officiis audiendis ad prædictam Ecclesiam habetur: et licet fructus Mensæ Capitularis dictæ Ecclesiæ priscis temporibus adeo uberes esse consueverint, quod Decanus et Canonici ac aliæ Personæ Capituli ejusdem Ecclesiæ decenter ex eis vivere possent; tamen causantibus Guerrarum turbinibus, pestilentiis, calamitatibus, ærumnis et aliis sinistris eventibus, quibus partes illæ (pro dolor) afflictæ fuerunt, adeo tenues effecti sunt, quod Decanus, Canonici et aliæ personæ hujusmodi juxta earumdem decentiam ex eis se sustentare, Episcopalia Jura solvere, aliaque eis incumbentia onera commode perferre non possint, quodque si Sancti Cyriaci in Duderstat, cujus collatio ad venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Moguntinum, spectare dignoscitur, ac beatæ Mariæ et S. Ægydii oppidi Heyligenstadt dictæ diœcesis quæ ad præsentationem, dictorum Decani et Capituli spectant Parochiales Ecclesiæ eidem Mensæ perpetuo incorporarentur

Cultus SS. Sergii et Bacchi.

Paulus II an. 1469

corpora habere asserit:

Mensæ Capitulari unit Parochias 2,

A porarentur, unirentur et annecterentur, Præfati decanus, Canonici et aliæ personæ magnum in suis oportunitatibus susciperent relevamen. Nos itaque de præmissis certam notitiam non habentes hujusmodi supplicationibus inclinati..... Dat. Romæ apud S. Petrum anno Dominicæ Incarn. millesimo Quadringentesimo septuagesimo nono 13 Kal. Aug. 1.

§. V. De veteri ac nova Patronorum Heiligenstadiensium Arca aliisque ecclesiæ lipsanothecis.

Exhibita post tertium Caput Legendæ Heiligenstadiensis forma sepulcralis lapidis SS. Aurei et Justini imaginibus insculpti, consilium erat post cetera ad Caput illud Annotata distinctius agere de veteri ac nova Reliquiarum ad ipsos spectantium arca, nonnullisque aliis lipsanothecis in eadem ecclesia asservatis, quasi aliquid eorumdem Sanctorum continentibus: sed casu quodam accidit ut quod ea de re scriptum erat folium sub ipsum tempus impressionis procedentis loco non suo positum præteritum fuerit: quare illud hic accipe, postquam ecclesiæ ipsius præcipua monumenta legenda dedimus.

B 31 *Vox illa cælestis, quæ num. 28 Legendæ præfatæ dicitur monuisse tempus esse ut sacrosanctæ reliquiæ Martyrum Aurei et Justini, qui in choro jacebant iterato propter expugnationem civitatis, in loco in quo sanguinem suum effuderunt, exhumarentur; duo nos docent primo Reliquias illas non fuisse a Rege inventore et ecclesiæ fundatore supra terram retentas; sed eidem honorifice redditas postquam ipsas in tumbam marmoream transtulisset, in qua repertæ postea dicuntur. Secundo easdem dictæ tumbæ exemptas et iterato elevatas fuisse propter futuram expugnationem civitatis, unde nascituro periculo providebatur per translationem ipsarum in novum scrinium, portatile utique quocumque necessitas ferret. Tumbam illam marmoream fuisse indicat nobis is, qui eamdem requirendam et refodiendam curavit anno* MDCXCV, *exeunte Aprili prælaudatus Knackrichius et tamquam oculatus testis nos docuit intra eamdem reperta fuisse fragmina dumtaxat quædam ossium Sacrorum, qualia consecrandis altaribus imponi solent, cum multo pulvere et marcidis fragmentis ligneæ cujusdem arcæ, ejus verosimiliter in qua sacra corpora Rex invenerat, quæ solo digitorum attactu etiam ipsa dissolvebatur. Quin etiam ferrei circuli atque serai ejusdem arcæ inventa sunt plurimum situ corrosa; indicio manifesto quod arca illa diu sub humo jacuerit, antequam marmoreæ tumbæ imponeretur.*

D AUCT. D. P. Arca marmorea post 2 inventionem humi infossa

translatis in scrinium portatile Reliquiis refoditur an. 1695

et intra eam fragmina veteris lignei



C illius forma

32 *Eccum tibi accuratam delineationem, primum operculi* A *leniter per medium assurgentis, quo loculus tegebatur longus sex pedes cum dimidio, tres cum dimidio latus: intus autem concavitatem habens* B *novemdecim pollices profundam, latam viginti sex quinque pedes et totidem pollices; adeo ut ipsum saxum cui superne incastrato committitur operculum undequaque crassus sit pollices quinque: pila ergo hæc ossium supradicta fragmenta, et qualemcumque ligneam arcam continens, denuo defossa sub terram fuit immediate sub eo loco, in quo novi Chori fornix coit in lapidem orbicularem ipsorum Sanctorum effigiebus dimidiatis insignitum; quo sicut supra diximus Annot.* H *ad cap. 3 videtur significatum fuisse ipsos istic subtus vel jacuisse vel jacere. Quid autem factum novo scrinio in quod translatas sacras Reliquias saltem pro majori parte indicat Legenda num. 30? Huic sustinendo videtur conditus fuisse suggestus ille lapideus, qui nunc tumuli a terra exstantis formam habet; nisi jam inde a principio præfatæ translationis præparatus in summo altari locus fuit, uti variis in locis factum videmus. Ut ut est per incendium anni* MCCCXXXIII *credi potest combustum vel corruptum quidquid ibi antea steterat ligneum vel lapideum, damno autem reparato extructus sit supra locum eumdem, ille qui hodiedum cernitur tumulus ex solido lapide, sed vacuus totus repertus, cujus speciem effert tabella supra posita ad litteram* C.

et repositio in locum sepulturæ

infra superexstructum lapideum tumulum,

illius ultimum renovati figura.

33 *Hujus operculum non quidem marmoreum sed minus solido saxo et communiori cinerei coloris eleganti sculptura exhibet utriusque Sancti statuam quam supra spectandam dedimus: hic vero notamus quod ex ipsa sculpturæ elegantia facile appareat non esse multorum seculorum opus, hinc circumducto sepimento ligneo, cujus primam frontem distinctius expressam habet major tabula superne adhærentes valvæ ligneæ dum lapidem tegunt figuras ipsas integras conservant, nisi quod casu aliquo pars extima nasi in statua S. Justini leviter attrita conspiciatur. Has valvas cum submoveri jussisset Knackrichius ut pictori lapidem delineaturo ejus conspectum liberum undequaque offerret, caput per spatium ad margines patens digitis palpare illius circumferentiam, si qua forte inscriptio ipsam circumiret: sed deprehendit lævem totum exceptis pauculis cavitatibus quas reducto tantisper sepimento ligneo vidit pice vel bitumine oppletas: judicatumque fuit vestigia esse regularum et aurichalco, cupro vel stanno circum affixarum et sacrilega manu ablatarum, quibus inscriptum fuerit hujus tumuli argumentum. aliud violationis vel minimæ vestigium nullum usquam apparuit, adeoque nec indicium causæ per quam credi possint ablatæ*

supra muslapi insculptus SS iconibus

absque epitaphio, subtus autem vacuus,

AUCT. D. P.

reliquiæ intus repositæ. Hinc non extinctum sed simulatum magis desiderium alicujus scripturæ inveniendæ sub ipso lapide ac fortassis plurium intus Reliquiarum, ingessit cogitationem attollendi saxi, quamvis magni ac ponderosi; quod cum de consensu D. Decani fecissent sedecim robustissimi viri nulla uspiam reperta inscriptio est, imo omnino nihil sed vacuum totum usque ad terram cui immediate inædificatus erat tumulus. Tum vero humum fodicantes et hac illac contis ac terebro pertentantes senserunt sub humo saxum grande et a sepulchro concavo sonum edi; itaque apparuit quod supra dicta marmorea arca numquam verosimiliter loco mota fuerit, postquam inde erant ablatæ quas diximus reliquiæ. Maneat ergo omnes eas quæ intra marmoream arcam non sunt repertæ jam olim translatas fuisse in scrinium supra memoratum.

scrinium vetus retro altare

34 *De hoc interrogatus Knackrichius respondit anno supranotato die* v *Junii* quod cum socio Patres et cum D Cantore Chorum circumiens retro altare summum viderit sat longam, altam et per medium tumbæ superius acuminatam seu fastigiatam cistam quæ intus largissime argento, aforis auro oblita fuit, cui similes alias plures Romæ et Augustæ Vindelicorum se vidisse asseverabat pictor, erat ea pluribus Sanctorum imaginibus ornata, sed pulveribus plane obsita spuriisque gemmis ac vario decore interstincta tunc quidem vestes sacras ac varias continens, in qua verosimiliter sacræ Reliquiæ SS. Aurei et Justini primitus fuerint asservatæ.

nunc vacuum Reliquiis

Cum aliis deinde litteris rudem illius cistæ delineationem mittens die XIII *Julii indicavit* ipsam ex sententia pictoris eo tempore factam, quo ars ita pingendi in Germaniam venit (*annos ipse censebat octingentos aut plures; ego vix quadringentos ei dedero*) et quamvis lignea ea sit nec tantæ elegantiæ judicabat idem pictor infra centum ducatorum precium non esse confectam: simili formæ esse Sanctensem in Clivia, quæ tota ex argento deaurata continet reliquias S. Victoris et sociorum Martyrum oppidi et Collegiatæ ibidem ecclesiæ latronorum: stat autem supra altare capite uno supra aram porrecta quo modo alibi quoque aliæ collocatæ habentur et fortassis ipsa olim etiam apud nos ita stetit. *Hactenus ille qui deinde ipsam quoque misit accuratius delineatam nec tamen æri incisam exhibeo, propter nimium cariitos Sanctorum formas, quarum causa id curare potissimum voluissem.*

in arcam minorem translatis et nuper recognitis

35 *Hæc cista sive scrinium sic, ut dixi, obsoletum cum grandius esset quam requirebat paucitas Reliquiarum intus reconditarum, et quam congruebat annuæ supplicantium commoditati, ante hos centum circiter annos confecta est alia longa tres circiter pedes cum dimidio, et lata sesqui pedem. Ipsarum reliquiarum specificam enumerationem mittere rogatus Knackrichius accersito Notario et testibus arcam aperiri fecit, et quid intus invenerit hoc Notariali Instrumento describi* in nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis. Sacrorum ossium seu Reliquiarum SS. Martyrum Aurei Episcopi Moguntini, et Justini ejus Diaconi seu Levitæ, quas fide Majorum ut tales, proprias et nativas Ecclesia Collegiata Heiligenstadiensis ad S. Martinum dicta, in arca gestatoria coloribus illustrata et partim deaurata, ab immemoriali tempore huc usque asservat et veneratur.

1 Aliquot partes de brachio.
2 Aliquot partes de crure.
3 Os Subclavii.
4 Os Radius.
5 Ossa Ischii.
6 Partes aliquot vertebrarum.
7 Plures aliæ minus nominatæ.

Inspectæ sunt hæ omnes, præsentibus Adm. Rev. Domino Aureo Hunold Decano, Rev. Domino Joanne Valentino Hunold Cantore, Rev. Domino Joanne Rhim seniore, Rev. Domino Thoma Patzing Vicario et Parocho, Rev. Domino Sebastiano Gobz Vicario, Experientissimo Domino Bartholomæo Plitzenreuter Medicinæ Doctore, et Honoratis ac discretis viris et Civibus Laurentio Hartung, et Georgio Faupel, ad hoc Specialiter requisitis, Meque infra nominato Notario. In quorum fidem supra positam specificationem officii ac Notariatus mei sigillo communivi.

Acta sunt hæc Heiligenstadii, Vigesimo quarto Februarii, Anno Millesimo Sexcentesimo Nonagesimo nono.

Joannes Andreas Pleisser

Notar: Cæsar: Publicus M.

loco sigilli ✝

Sanctorum circum tumulum et arcam statunculi

Hæc minor capsa etiamnum exposita in altari cernitur e regione cujusdam novæ ante annos non multos confectæ, quæ sola hodiedum circumfertur cum parte aliqua prædictarum reliquiarum. Utraque habet inscripta nomina SS. Aurei et Justini: *de prima vero scribit Knackrichius per quam affabre esse sculptam, cum decem ad latera Sanctorum statunculis et S. Martino equestri in fronte, iisdem verosimiliter, qui fuerant in scrinio majori picti et sculpti in sepimento tumuli ligneo de quo supra, quos pictor judicabat ab ejusdem sculptoris manu esse. Numerabantur illæ olim in dicto sepimento omnino viginti, quorum magnam partem sustulit rapacitas, petulantia, vel impietas; qui autem supersunt octo vel novem sæpius fuerunt translati ab uno ad alios loculos. Simile judicium ferebat pictor de sedilibus Chori varie nec ineleganter sculptis, neque repugnat, quod statunculi in sepimento residui magis cariosi inveniantur, non item illi qui in sedilibus: hi enim ex duriori quercu esse debuerunt, isti coloribus et auro inducendi potuerunt ex tilia vel alia minus solida materia sumi. Magis dubium redditur pictoris judicium ex eo quod supra sedilia, sive stallal Canonicorum ut appellant, istic ubi Decanus residere consuevit hæc decurrant verba ligno incisa et argento illusa.* Anno MCCCCL in vigilia S. Thomæ apostoli completum est opus illud anno jubilæi *scilicet sub Nicolao Papa V cujus jubilæi insignem celebritatem fuisse testatur Odericus Reinaldus in suis Annalibus.*

an vetustiores an. 1450?

particulæ intra ligneam Christi statuam

36 *Paris vetustatis aut etiam majoris erat grandis illa ac pene Gigantæa Christi vel flagellati, vel post flagellationem Judæis a Pilato monstrati statua, diu per uncos ferreos ex columna quadam pendere visa; sed una cum aliis nimia vetustate aut deformitate contemptum potius quam devotionem movere aptis, jussu Archiepiscopi remota ab ecclesia, quod cum fieret deprehenderunt quidam ex nostris excavatum tergum et lamina ferrea crassiori obtectum; sub quo reperta est lipsanotheca orbicularis inter alias aliorum sanctorum particulas quasdam etiam continens SS. Aurei et Justini uti in breviculis additis legebatur. Hæc lipsanotheca reposita fuit intra vetus feretrum antequam fabricaretur nova et levior arca circumgestare solitum ut supra dictum. Similes particulæ habentur inclusæ duabus statuis pectoralibus in habitu Episcopali ac Diaconali effictis, et alibi forsan adhuc aliæ, ut non longe quærenda sit causa cur in præcipuis ipsarum reconditoriis inveniantur tam paucæ; quo etiam aliquid potuit contulisse hæreticorum militum protervia, quam sæpius in oppido grassatam nottant litteræ quædam; quæque videtur etiam aliquando processisse usque ad tumulorum effractionem. Argumento sit Archiepiscopi Adolphi Nassavii monumentum in quo apparet non solum*

et 2 pectorales.

deformata

A *deformata statuæ superincumbentis facies, sed etiam lapidis per medium diffracti commissura.*

. VI. De Castro Dagobertino et nummis Bracteatis in agro Heiligenstadiensi non ita pridem inventis.

Altenburg castrum Dagoberti Regis Fr.

Quandoquidem Heiligenstadienses quorum honori appendicem hanc atteximus Ecclesiæ et urbis suæ originem ad Dagobertum aliquem Francorum Regem ducunt, cujus apud illos castrum fuerit vulgo nunc Altenburgh *dictum ; non abs re erit hujus loci descriptionem qualem Knackrichius ad me misit ejus verbis hic apponere.* Certiora de Altenburg relaturus R.V. ipse me eo contuli et locum diligenter perlustrans, inveni tempelli seu sacelli domestici ibidem adhuc exstare depressos in terra parietes ad levam parvi Chori versus orientem ; ubi arcuatos sectosque lapides deprehendi ita coagmentatos, ut formam turris vel lapideæ cochleæ referant, per quam ex ea parte descensus fuit ad tempellum. Cui turri seu cochleæ B ab altera, id est dextera parte Chori alia similis respondisse videtur cochlea vel turricula, ut iterum ex arcuatis quibusdam lapidibus conjectari licet, per quam et ab illa parte ingressus ad dictum lararium fuit duabus portis instructum, quæ adhuc visuntur. Modicum quidem hoc tempellum est, latum 12, longum vero 18 circiter aut 20 pedes. Columnæ in eo visuntur 7 lapideæ, et parvæ, sic dispositæ ut a latere septemtrionali tres, a meridionali totidem et una ab occidentali, muro sint infixæ et secundum medietatem tantum prominentes : quibus in medio navis tres aliæ responderunt, Sacelli fornicem et desuper incumbentis ædificii partem forsitan sustinentes.

ejus adhuc residuæ parietinæ,

præsertim sacelli aulici,

38 Locum habitationis Regiæ reliquum sat amplum et in varias cellas ac recessus distinctum fuisse apparet ex ruderibus murorum et coagmentatorum lapidum, qui terra aliquantulum prominent; solum alias sterile, petrosum et eminens est : a lateribus tamen infraque, culturæ per quam idoneum, a tergo prærupto monte, a latere utrimque valle munitur, prospectumque ad alias plagas habet C amplum et amœnum. Infra per vallem duplex consociatusque amnis decurrit, qui ab altero eorum Leinæ nomen retinet et prope Mundam se exonerat in Visurgim. Pomerium Castri totum est vastatissimum exceptis quibusdam adjectis agris qui per famulum Rev. Domini Decani annuatim excoluntur : lapides adhuc multi secti, parvi et magni ad aliquot millia sparsim conjunctimque jacent. Nam plures ad proximos pagos et civitatem Heiligenstadiensem pro fabrica murorum et ædificiorum præterlapsis seculis furtim aut jure avectos fuisse mihi nullum est dubium. Quinam vero post Dagobertum habitationem eam aliquanto tempore incoluerint, nullis monumentis proditum est.

totius fabricæ situs percommodus.

39 Tempellum fuit humo et lapidibus multo tempore oppletum, quos extulerunt ante annos novem quidam devoti cives (ut mihi dux et author ejus consilii, vir optimus Fridericus Paschasius dictus retulit) volentes stationem ibi aliquam in honorem Montis Calvariæ erigere, quos plurimum Rev. Domini D. Commissarius ac D. Decanus retinendæ antiquæ memoriæ causa, ab incepto opere prohibuerunt, statuentes ex collecta dudum pecuniola, eam partem loci seu sacelli, suo tempore melius D perpurgare, et columnis tectum superimponere, quo festo S. Marci quotannis non tantum concio ut hactenus factum, sed et solenne sacrum in propatulo tamen, quo tota plebs cernat, celebrari ibidem possit. *Hactenus Knackrichius die* XXVIII *Martii* MDCXCIV *cum pridie adducti ad Magistratum essent captivi fossores quidam, accusati malis artibus didicisse locum latentis sub ædicula jam descripta thesauri, indeque abstulisse. Et ipse quidem ait se vidisse, ut sibi indicatum erat sparso per vulgus rumore : a dextera parte cochleæ seu turris memoratæ foramen quadratum tribus circiter spithamis longum et latum in muro, ex quo per istos vel alios extracta videtur cistula seu vas monetarum. Aliud cum neque tunc indicare potuerit Knackrichius de invento thesauro neque postea scripserit intelligitur, nihil ex captivis haberi potuisse quo reos esse constaret : accepit tamen indicium ablati inde aliquando thesauri ex ipsorum fossorum aliquo, secretius sibi fasso, se sociosque in talem spem inductos fuisse exemplo cujusdam Hassicassellensis, qui dicebatur ante plures annos idem facinus haud infeliciter tentasse. Et vero noverat ipse mulierem, quæ paulo post quam ipse illic foderat circa eumdem locum herbas colligens tres nummos repererat Imperialis unius magnitudine : quos rogatus ab illa requirere inspiciendos, aliud non attulit quam fragmentum unius, dicens mulierem cetera comminuisse aut perdidisse.*

cogitatur de illo restaurando,

AUCT. D. P.

quæsitus ibi thesaurus an inventus sit incertum.

certo inventi ibi postea sunt tres tenuis bracteæ nummi;

E

40 *Fragmentum hoc cum ad me misisset Knackrichius agnovi argenteæ bracteæ tenuissimæ formam similem iis nummis quos antea ab illo acceperam complures ex olla quam scribebat anno* MDCXCI *repertum longius ab Heiligenstadio, locum et factum sic describens in datis anni* XCIII VI *Decembris hoc tenore* Heiligenstadium inter et Duderstadium quæ sunt ambæ Civitates Eichsfeldiæ quatuor horis parvis ac pedestri itinere, a se invicem disjunctæ, hæc Septemtrionem, illa Meridiem spectans, pagus interjacet Nesselried dictus, in quo Ornatiss. et Consultissimus Dominus Jodocus Keysenberg, Civis et Senator Duderstadianus, ædificium habet cum Latifundio CCLX circiter agrorum sive semijugerum, quæ non continua sed interrupta serie ad varias plagas se porrigunt, aliqua contra planitiem, alia versus vallem ac silvulam per quam Etzenborna, Glasenhusio, Heiligenstadium itur : ubi locus visitur IV aut V agrorum circiter, in quo olim pagus stetisse certa traditione fertur Dudenborn appellatus : qui F in sat amplo et inculto cespite per defixam altam Crucem, ad quam ex Nesselried festo S. Marci singulis annis Processio instituitur, veteris templi ac cœmiterii spacium demonstrat.

quales an 1691 plures reperti in Nesselried,

Eichsfeldiæ pago,

41 Ad hujus extimum latus versus meridiem et plateam, duo agri jacent quorum alter ad rusticum Nesselredanum, alter ad prædictum Dominum pertinet : quem villicus ejus Joannes Rautz Anno Domini MDCXCI circa festum S. Michaelis, finis aratris proscindere et sementi parare jusserat filios suos : quorum natu minimus cum fratrem unum arantem a tergo sequeretur, vidit inter glebam operculum ferreum vomeri adhærere, quod tollentes; fratri seniori qui ex adversa parte altero aratro eidem operi instabat, ostendunt : qui cautius sulcationi intendens cum ad eam partem agri pervenisset, ubi operculum erutum fuerat, vomere suo ollam offendit capientem mensuras binas circiter (mensura hic est qualem vir sanus et mediocriter sitibundus quarto aut quinto sat largo haustu absumit

a pueris aratoribus

in fictili olla ipsis plena

sumit

AUCTORE D. P.

sumit) ex argilla alba et solidiore confectam variisque nummis terra commixtis et globatim sibi cohærentibus repletam conspicit; fit clamor, ut assolet, inter pueros: ad quos vicini aratores juvenes concurrunt, incipiuntque prædam sortiendo et quasi lusitando partiri, quam etiam ex æquo divisissent, nisi villicus interveniens ollam ad se rapuisset. Qui, ut mihi ipse retulit, altero die ad Nundinas hebdomadarias Duderstadium quod a loco non plane sesqui hora distat, contendit, rem Domino Keysenberg denuntiat, eique partem nummorum ostendit; quibus visis filiorum alter ejusdem Domini Henricus nomine vel a parente jussus, aut sua sponte, ægre refectus prandio, equum conscendit, Nesselredam properat; ollamque cum nummis, quos a juvenibus obtinere poterat, extorquet atque ad parentem Duderstadium defert; qui partem eorum per aurifabrum Nequi seu a scoria mundari, partem colliquari

ex quorum parte ad agri dominum allata

fecit. Idem villicus qui me jussu D. Keysenberg equo suo Heiligenstadium reduxit (nam illic nuperrime festo S. Andreæ accessi) mihi in via recensuit: visos sibi fuisse inter eos nummos, ex auro vel aurichalco quosdam, magnitudine Imperialium sola Cruce signatos: fuisse etiam inter eos globulos aliquos magnitudine glandis seu nucis avellanæ ex argento aurove quos memorati juvenes existimantes terram esse vel lapillos, humi abjecerint, collectos vero a rusticis postmodum Judæis venditos, qui percepta rei fama illico Nesselredam venerint nummos veteres novis commutaturi; atque hæc de loco Inventionis, ubi olim domus stetisse creditur, sub cujus limine in angulo thesaurus fuit infossus, ut partem a D. Keysenberg ejusque filiis, partim a villico audivi, qui simul interroganti mihi asseruit, agrum illum antea semper cultum fuisse, sed ab ea parte quasi perpetuo siccum et arentem mansisse.



42 *Ad hæc nuntia, et communicata nummorum specimina quorum aliqui S. Martini Episcopi s quo notabantur, duobus Sanctorum capitibus alii, alii Imperatorum aut Ducum seculi* XI *aut* XII, *optari plures nanscisci, et nactus continuo elegi præcipuos atque* **chalcographo commisi æreæ tabellæ insculpendos; cujus ectypa (res enim quæsitu digna videbatur mihi, qui** *tales nusquam alibi videram) in varias partes mitterem ad aliorum exploranda judicia; sed nemo fuit qui in Gallicis Italicisve, aut etiam Germanicis Belgicisve Gazophylaciis, quantumvis plura habeantur ab antiquis nummis instructissima, tales inveniri indicaret. Soli Turingi et Saxones noverant Nesselredenses istos, ex quorum judicio tabellam meam non nihil emendatiorem hic dedi ordine nullum quia nullo dare poteram necdum notis.*

præcipui aliqui hic exprimuntur

43 *Is cujus beneficio tabellam hanc emendatiorem damus Joannes Christophorus Olearius fuit, nummorum istiusmodi scrutator curiosissimus, et a Clarissimis viris* **Guilielmo Godefrido Leibenitio Sereniss. Electoris** *Hannoverani Consiliario, atque Wilhelmo Ernesto Tenzelio Saxoniæ Ducum Historiagrapho conciliatus et cum ipsorum nummorum explicatione brevi dignatus mecum communicare suam* Isagogen ad nummophylacium bracteatorum: *ubi de eorumdem nomenclatura materia, forma, usu, pretio, atque ætate, erudite disserit, et Syllogen plusquam centum talium paucis elucidatorum in specimen grandioris, quod pollicetur operis ipsorum aliorumque plurimorum chalgographice exhibendorum.*

Olearii ad tales nummos Isagoge laudatur,

44 *Summa Isagoges eo redit, ut a* Bractea *dicantur* bracteati, *usu jam istic inter eruditos recepto, licet fortassis aptius dicerentur* bracteoli *vel* bracteales, *sicut* aureolus, ferreolus; fluvialis, pluvialis, borealis etc. *nam quemadmodum* auratus, ferratus, laureatus, *etc. materiam non ex qua quid factum, sed qua quid circumdatum proprie significat, sic vox* bracteatus, *videtur aptius esse ad significandum, solidiores illos, sed adulterinos nummos qui interius ærei ferreive materiæ suæ vilitatem aurea argenteave bractea contegunt: sed valeat hæc de nomine quæstio; magis ad rem facit quod ex Isagoge prælaudata intelligatur ætas bracteatorum*

indeque docetur eorum ætas,

A *torum communiori sententia non attolli ultra Ottonum Imperatorum tempora: et paucos eorum aureos, plurimos argenteos varii usus, magnitudinis, ac pretii, pluribus jam locis erutos fuisse: eos autem sic cudendi ut pro sua tenuitate non admitterent nisi una ex parte typum, occasionem dedisse videtur frequens medio tempore adulterandæ monetæ fraus per quam subærati aut subferrati nummi pro aureis argenteisve venditabantur: cui fraudi nullus erat in bracteolis locus.*

occasio,

45 *Quia autem ipsa horum tenuitas eos fragiles admodum efficiebat, provisum a rei monetariæ curatoribus est, ut illi renovarentur certo annorum intervallo, post quod servati veteres minus valerent. Sic apud Olearium pag.* 16 *privilegio quodam Culmensi cavetur,* ut dicta moneta non nisi semel in singulis decenniis renovetur et quoties renovata fuerit, duodecim nummi novi pro quatuordecim veteribus cambiantur. *Ad majorem quoque commoditatem inventum est ut ejusdem generis ac moduli deni et deni inter se compingerentur, itaque per modum unius traderentur, et libratim numerarentur et hoc confirmare videtur, inquit Olearius pag.* 16 *copia illa bracteatorum annis superioribus Lipsiæ inventa, ubi id observatum. Illustrissimus Comes Schwarzburgico-Arnstadiensis, cujus* B *Nummophylacium plusquam bis mille bracteatos nunc numerat, cum Nesselriedenses hic propositos per me jam illis satis usum accepisset ipsis addendos, reciproce liberalis esse voluit remisso per Olearium insigni munere aliorum viginti quinque sic conglobatorum, quod munus licet ad manus meas non pervenerit, hic tamen gratanter volui profiteri et omissa eorumdem explicatione per epistolam mihi absque illis reddita, transeo ad aliam priorem Tenzelio inscriptam et respondentem nostro Nesselriendensium ectypo.*

usus.

Ejusdem Olearii judicium de Nesselriedensibus

46 Rarissime sane contingit, nummos antiquos, tenues imprimis argenteos, bracteatos quos dicimus, cultoribus rerum antiquarum afferri repertos, cum ad eorum plerumque perveniant manus, qui nummos hujusmodi vel corrumpere vel conflare solent. Celeberrimo itaque PAPEBROCHIO summopere gratulemur, cui bracteatos varios, quorum plena urna in Nesselried Eichsfeldiæ vico infra territorium Heiligenstadiense effossa est, licuit adipisci. Ubi publica laude dignum, quod hosce, qua modulum et figuras potissimum diversos, æri incisos communicare voluerit. Et cum per Te, Vir celeberrime, de iisdem meam exponere mentem fuerim invitatus, non potui non observatiunculas tradere C exiguas. Mihi vero in nummorum horum serie Fridericus Imperator occurrit primus, cujus non coronam solum, sceptrumque liliatum, sed inscriptionis quoque vestigia videmus. Literæ scilicet ——— RID —— CU —— indicant FRIDERICUM, testantibus id aliis ejusmodi nummis, qui sunt signati eadem figura et perspicua epigraphe. Crucem, quam tenet manu dextra, religionem denotare Christianam, est manifestum. Cæteroquin notandum, Friderici dubio procul Barbarossæ Imp. gloriosiss. hunc esse nummum; liliatumque sceptrum non semper Regum Francorum designare insignia, sed lilium tale vel ornatus causa fuisse additum, vel crucis formam seu vicem sustinere, ut ex aliis observatum monumentis. Hunc excipit Nummus II. in quo duo sanctorum capita conspiciuntur, quibus Templum quoddam in honorem et memoriam olim fuisse extructum videtur, et forsan non abs re nummum IX. huc refero illustrantem, in quo S. SIMON ET S. JUDAS APOstoli extant. Quales Goslariæ sunt cusi, et dantur solidi nummi, in quorum facie aversa S. SIMON ET S. JUDAS additis duobus capitibus, in latere altero legitur: MONETA. NOVA. GOSLARIENSIS Fidem et religionem Christianam indicant cruces, turres autem templum modo dictum. Hic porro nummus explicat D III. VI. XIII. Sequentes, modo Lilium in III. sanctitatis et castitatis vitæ monasticæ observes symbolum. Rarior est nummus IV. cujus inscriptio hæc est: MONETA COMITIS ADOLFI DE SCHavenburg. Ejusdem insignia, ad quæ etiam stellam pertinere in scuto, erudite docuit Spenerus Operis Heraldici Lib. I. c. 86. pag. 347. 348. ў. Nummus V. Anonymi Imp. præsentat figuram. Turres ad latera Majestatem, Dominium potestatemque innuunt, quam in quibusdam regionibus, quarum characteres sunt turres; habuerunt. Imperatoris quoque sedem aut ædificium aliud profanum a se vel aliis extructum his ipsis posse designari concedimus Joh. Andr. Schmidio Proffessori Publico Jenensi schediasmate de Nummis Cathedralium ecclesiarum pag. 5. De nummo VI. videatur Nummus II. Nummus VII. idem est cum I. de quibus supra Incerti Episcopi VIII. sequitur, ubi tamen notetur, manu sinistra ipsum tenere globum cruciatum, quem nonnulli pomum imperiale, alii forsan rectius Orbis Christiani redempti dicunt signum. In patria Saxo-Hallensi Bibliotheca vidi nummum, in quo sedens Episcopus sinistra librum, dextra globum geminatum cruce superaddita ornatum servabat, cujus inscriptio hæc erat; CONADUS EPISCOPS id est E Conradus Episcopus. Tale itaque pomum cruciatum geminatum an in sacris nummis fidem et religionem tantum designet, altioris est indaginis. Nummus IX a II. illustratur, in quo stella adjecta, rerum cœlestium seu divinarum denotat curam. Sedentem in X. cernimus Episco um, in cujus dextra Pedum officii, sinistra librum, Confessionis Christianæ Symbolum observamus. Reliqua exornant Nummos. Sequentem XI. vidi sæpius in Berolinensi imprimis Elect. Brandenb. et Arnstadiensi Schwartzburgico Gazophylacio, eumque admodum perspicuum: sed nullibi alias, nisi sequentes legi literas: HN CUS. IEX. PUNCU ——— HEVII PANOEA. Ex quibus nil certi. Priores ita sum interpretatus; HeiNriCUS REX, reliquas explicent alii, mea tamen non sine causa facta est interpretatio, cum abbreviaturæ tales et mutilatæ litteræ satis mihi sint cognitæ. Erat olim Vir quidam eruditus, qui nummum hunc a Regina Bohemiæ Libussa dicebat cusum, quæ equitans regio ornatu esset in nummo conspicua: priores literas putabat legendas HLIBUSIE, reliquas voces esse Bohemicas. Equidem non facile assentior, cum Bohemicæ linguæ sim ignarus, nec probare satis possim, quod tempore Lybussæ bracteati fuerint formati; impulsiva tamen F bracteatorum satis antiqua, quæ Romanorum monetarum erat corruptio, prorsus id negare non permittit, qua de re fusius in *Isag. mea ad Nummophylac. Bract.* p. 17. 25. Addita visuntur a dilicia et turres de quibus supra. Nummus XII. Landgravium denotat Thuringiæ, in cujus capite gestamen unionibus exornatum, a tergo cernimus castellum. Sequentem XIII. illustrat Nummus II. Porticus autem et cancelli sacrum indicant ædificium in Sancti cujusdam honorem exstructum. Nummus XIV. pertinet ad I. V. et VII. Episcopus in XV. tenet dextra crucem, sinistra Pedum. Epigraphe a læva ad dexteram legenda hæc est: CUNRADUS EPISCOPUS Litteræ admodum sunt obscuræ. Cunradus autem ille Episcopus alibi dicitur Erffurtensis; ejusdem enim moduli et picturæ nummum vidi Lipsiæ in Bibliotheca amplissimi senatus, in quo sequens inscriptio: EPISCOPUS CUNRADUS IN ERFURDIA. Nummus XVI. sistit Abbatissam, dextra librum, sinistra palmam Martyrii et victoriæ spiritualis tenet insigne; ubi notemus, non tantum Sanctis sed et sacris tribui palmam, cum in Monasterio Jerichovino extet

NUM. I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI.

AUCT. D. P.

AUCT. D. P.

extet monumentum Præpositi cujusdam palmam gerentis. Rari sane Abbatissarum sunt nummi, ipse tamen vel duodecim diversos Agnesæ Quedlinburgensis Abbatissæ hactenus collegi, aliam quoque in Cimeliarchio Meibomii vidi, Helmstadiensis Professoris celeberrimi, quæ dextra crucem sinistra tenet librum, hisce adjectis litteris : ADELAHIDIS. DEI. GRA. ABBATISSA. EST. id est Adelheidis Dei gratia Abbatissa Essensis; Harum bracteati cum aliis egregiis, sacris et profanis, numquam alibi visis, proxime Deo dante prodibunt in lucem. Nostram vero Abbatissam, puto Agnesam Quedlinburgensem esse, quam in aliis videmus iisdem insignibus et litteris perspicuis. Idem notemus de Nummo XVII, in quo eadem Abbatissa dextra tenet palmam, sinistra librum. Nummum XVIII. optimum judico. Inscriptio hæc est : OTTO. DEI. GRATIA. IM. id est Otto Dei gratia Imperator. Similem possidet amantissimus meus Parens in suo Cimeliarchio, in quo Leo coronatus extat gradiens et ista Epigraphe : OTTO. DEI. GRATIA. ROMANOV. IM. Ottonem quoque Equitem possidet idem, cui additum nomen solum OTTO. de quibus Isag. Bract. p. 36. num. 90. 91. Talis etiam Magdeburgi est apud Experientiss. Schafferum, ubi scilicet Otto eques dextra sceptrum, sinistra clypeum tenet, adjecta inscriptione : OTTO. IMPERATOR. Et hinc statuendum, Ottonicos bracteatos leone insignitos, esse Ottonis IV. Henrici Leonis Filii, hujus insigne Leonem a Patre acceptum ornavit corona Filius Imperator, qua de re *Meibomius in Notis ad Bullam auream Imp. Andronici*, p. 211. ∜ Reliqui vero Ottonici vetustiores vel ad ipsum Ottonem Magnum referendi sunt. Sed quid Nummus XIX? Certe, si Frisii errores in delineandis et explicandis nummis non essent satis cogniti, hunc subito diceremus explicatum; Frisius enim bracteatum, nostræ admodum similem, æri incisum dedit in speculo monetali p. 108. qui Heiligenstadii A. C. 1580. repertus cum aliis, eumque dicit Wilhelmi Ottonis Magni Filii, Moguntini Archiepiscopi. Sed minus recte, cum Rota Moguntinis longo post Wilhelmi obitum interjecto annorum spatio, a Willigiso sit tradita, et ab Henrico II, Imp. insignium ordinariorum loco Moguntinis confirmata. Vid. *Bruschium* de Germaniæ Episcopis pag. ∜, 7 *Mersæus* Catal. Elect. Eccles. pag. 193 ∜. *Spener*. Operis Heraldici Lib. I c. 64. p. 256. 257. ∜. Et hinc missis aliis conjecturis non inde judicant illi, qui nummum hunc ipsi Henrico II. tribuunt, quod nimirum a Moguntinis in ejusdem honorem et memoriam sit cusus : Henricus enim II. Rotam Moguntinis insignium loco confirmavit, in cujus beneficii memoriam dubio procul cudebant nummos tam bracteatos quam solidos a Frisio lit. c. memoratos. In XX cernitur SANCTUS STEPHANUS PRM. id est Proto-Martyr. Ejusdem nummos notavi plures *Isag. p.* 37. n. 98. 99. 100. Et ideo ad Halberstadienses referendus ille est, cui effigies addita est S. Stephani nimbo circumdata. Nummus XXI. est Bernhardi Ducis Saxoniæ, quem literæ DU idest DUx, et vexillum insignibus Ballenstedensi et Ascanensi ornatum indicant. Alibi additur vel integrum nomen vel litera B. qua de re Isag. p. 20, 29. 30. Nummus XXII idem est cum præcedenti. Sequens XXIII. in memoriam Henrici II. sculptus videtur. Et certe Imperatores tales gerebant baculos, teste *Carolo du Fresne in Glossar.* vocab. *Baculus Regius* p. 428. 429. De nummo XXIV. jam egi in explicatione nummi XX. Nummum XXV. illustrat I. De pomo imperiali gemmato hæc disserit *Schilterus* in Tractatu de Libertate Eccles. German. L. III. c. 9. §. 7. p. 405 : *In antiquis nummis Imperatorum et Regum Germanorum globus seu orbis duplex ad ea tempora referendus, quibus Imperium Occidentis in Orientem extendebant Imperatores nostri, aut saltem prætensionis reservandæ gratia etc.* Abbatissam in XXVI. videmus incognitam, quæ differt a prioribus XVI. et XVII : præsens enim dextra crucem servat. Nummus denique XXVII. mihi videtur Goslariensis, in quo S. Simon et S. Judas comparent, de quibus supra nummo II. Additum vero caput coronatum forsan designat Henricum Aucupem urbis hujus conditorem.

Et hæc sunt subitanea mea criteria, quibus addere lubet ex hisce nummis variis, uno tamen in loco repertis, demonstrari posse, bracteatos etiam usus communis fuisse : et certe hi nummi ob belli tumultus fuerunt absconditi, memoriales enim alia inveniuntur ratione. Qua de re *Isag. ad Nummophyl. Bract.* p. 25. 26. Cæteroquin meam si quibusdam placuisse intellexero operam, bene collocatos quales quales istos labores putabo. Vale et Fave. Dabam Arnstadii XII. Cal. Dec. CIƆIƆCVC.

47 *Hactenus Olearius cujus judicio standum puto : in palma tamen Abbatissis data non satis mihi acquiescit animus dum existimat illam in nostris nummis symbolum esse virginitatis Deo oblatæ, considerans enim tempus quo nummi isti cusi videntur seculo XII et sequentibus, suspicor palmam istam testimonium esse peregrinationis Hierosolymitanæ ex voto susceptæ, quemadmodum ea a pluribus omnis conditionis, ætatis, ac sexus tunc suscipiebatur : talium enim multi ad sepulchrum Domini sacræ istic militiæ adscripti revertebantur cum palma, deinceps in Dominica Palmarum ad illius diei Processionem circa Christi asino insidentis simulacrum, gestandam, et morientium sepulchro imponendam aut scuto tesserario juxta ipsum appendendam. Viget etiam hodie in Belgio et Germania ejusmodi Processionis ritus, et in familiis variis servantur palmarum rami, quos patres vel avi Hierosolymis attulerunt argenteo manubrio infixi. Quin etiam Antuerpiæ viget memoria Diderici van Paesschen, qui peregrinatione Hierosolymitana bis feliciter perfunctus, tertia quoque vice eo navigavit, parique successu regrediens, anno* MDII *solennissime exceptus fuit ab obviam progressis Primoribus urbis atque Balistariæ Societatis (Gildam vocant) Præfectis; cum quo comitatu appulsus ad urbem a reliquo Magistratu civibusque armatis deductus fuit in principem D. Virginis Ecclesiam, ubi diu pependerunt ex fornice enormis magnitudinis globi duo, Rhodo, quam frustra tunc oppugnaverant Turcæ, advecti, civitatique nostræ a militibus Rhodiis dono missi. Ejusdem Diderici extat apud Canonicas Regulares S. Augustini, vulgo Falcontinas, ex ceruleo saxo monumentum, tribus palmis supra scutum Hierosolymitanum exstantibus insculptum, circumscripto Teutonica lingua Epitaphio quod latine sic redditur :* Hic jacet Didericus van Paesschen, vita functus anno XVc. XVI. die XV. Maji, qui tertio, tamquam Capitanus Gildæ, Antuerpia Hierosolymam ducatum præbuit, *peregrinis scilicet civibus suis.*

Palma peregrinationis Hierosolymitanæ

48 *His ita deductis, imo jam recusis sed ex causa quadam recudendis, moneor a prælaudato Tentzelio, palmam, de qua supra, non solum peregrinationis, sed etiam Religionis Hierosolimitanæ insigne videri : hujus enim Sanctimonialem B. Ubaldescam Pisanam (cujus Vitam dedi die* XXVIII *Maji, unde eam constat numquam patria excessisse) ejusmodi palmam dextra gestare in pervetusta sua ex Bosio imagine. Obiit autem Ubaldesca anno Christi* MCCVII, *ætatis suæ* LXX, *adeoque coævam habuit Agnesiam prædictam ordinatam Abbatissam anno* MCCXXXI : *quæ proinde licet Hierosolymam profecta non fuisset, potuisset se adjunxisse consororibus Ordinis Hierosolymitani militum Teutonicorum, instituti anno* MCXC, *cui etiam suas Sorores religiosas fuisse ex vetustis codicibus adstruit Christophorus*

et Ordinis in te ducti signum,

phorus Harsknochius Dissert. 19 de rebus Prussicis num. 14 et 15 adjecta chronico Prussiæ Petri de Duisburg, ubi parte 1. cap. 1 pag. 15 inter prima ordinis membra memoratur Theodoricus Marchio Misnensis, Agnesæ Abbatissæ ex fratre Ottone divite nepos : de qua plura videre cupiens adeat ipsius Olearii schediasma superius promissum, nunc etiam editum sub titulo Anastasis Agnesæ, *hujus decem nummos in fronte exhibens.*

AUCT. D. P.

DE S. TYCHONE THAUMATURGO

EPISCOPO AMATHUNTIS IN CYPRO INSULA

SYLLOGE HISTORICA

De ejus cultu apud Græcos et Latinos, Officioque per S. Josephum Hymnographum, unde habetur Vitæ et Miraculorum epitome.

SEC. V.

Inter illustriores antiquitus Urbes Cypri insulæ, habita fuit Amathus, *unde et Cyprus* Amathusa *dicta, estque littoralis in ora Australi, memorata in Scylacis Periplo, itemque a Virgilio, Ovidio, Strabone, Plinio, Ptolomæo aliisque. Ubi Christi fides cœpit in hac insula annuntiari, Sedes* Amathunte *Episcopalis videtur erecta fuisse ; in qua claruerunt* Mnemenius *ejusque successor* S. Tychon Thaumaturgus, *consecratus a S. Epiphanio. Hic vero seculo Christi quarto floruit, mortuus anno* CCCCIII, *uti ad ejus Vitam* XII *Maji diximus. Celeberrima est autem memoria* S. Tychonis *apud Græcos ad hunc* XVI *Junii in omnibus plane libris Ritualibus, ut sunt Typicum S. Sabæ, Menologium Basilii Porphyrogeniti Imperatoris, in cujus elogio appellatur* ὁ ὅσιος Πατὴρ ἡμῶν καὶ θαυματουργὸς Τύχων, *uti etiam in MS. Synaxario Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ex quo mox elogium dabimus, quod similiter reperitur in variis Menæis MSS. Mediolanensibus, bibliothecæ Ambrosianæ ; Parisiensibus, Cardinalis Mazarini et Patrum Prædicatorum ; Divionensibus, Societatis Jesu ; Menæis Græcis excusis, in quibus totum hujus diei officium de* S. Tychone *recitatur : itemque apud Maximum Cytherorum Episcopum, cujus compendium extat in novo Anthologio græco, quod Antonius Arcudius Clementi VIII inscripsit. Aliud compendium in suo Menologio Latine edendum dedit Cardinalis Sirletus, quo citato per Baronium in Notis Martyrologii Romani, invenitur* S. Tychon Episcopus Amathunte in Cypro, tempore Theodosii Junioris. *Fuit hic declaratus Augustus anno* CCCCII, *sed a morte Arcadii patris anno* VIII *dicti seculi, cœpit imperare sub directione S. Pulcheriæ Sororis ; ad quod tempus aut ulterius num vixerit* S. Tychon, *nihil quo probetur aut improbetur reperimus. Meminerunt ejusdem Genebrardus in Kalendario Græcorum, et Molanus in Auctario Usuardi, et ab illo compellatur* miraculorum patrator, *ab hoc* sanctus clarusque miraculis ; *scilicet uti a Græcis* Thaumaturgus.

Tempus vitæ.

Memoria apud Græcos et Latinos.

2 *Canonem Sancto proprium, cum Sticheris Homœis, id est, Versiculis Similaribus, aliisque eo spectantibus composuit S. Joseph Hymnographus, cujus Canonis Acrostichis, sub qua eumdem placet Latinum etiam facere, hæc est.*

S. Josephi canon de S. Tychone

Τῷ θαυματούργῳ προσλαλήσω Ποιμένι ΙΩΣΗΦ.

Mira facientem Pastorem alloquor Joseph.

ODE PRIMA.

Τῷ θρόνῳ τοῦ Θεοῦ παρεστὼς στεφηφόρος, ὡς βιώσας ἐπὶ γῆς ὁσίως, καὶ φωτὶ ἀνεσπέρῳ λαμπόμενος, φώτισόν μου τὴν καρδίαν καὶ τὸν νοῦν ἀνυμνῆσαί σου τὸν ἰσάγγελον βίον, Μακάριε.

Majestati Dei coronatus assistens, ut qui sancte in terris vixisti, et luce numquam occidente resplenduisti ; illumina cor meum ac mentem, ut Angelicam vitam tuam dignis hymnis concinam, o Beate.

Ὡραίας εὐκλεοῦς μακαρίας τε ῥίζης ἐξεβλαστάνων, ἰδοὺ ὡς κλάδος ἀληθοῦς εὐκαρπίας, πληρούμενος πίστεώς τε καὶ ἀγάπης, καὶ χάριτος παραδόξων θαυμάτων, Θεόπνευστε.

Inclitam radicem atque felicem habens, ab utero sancte processisti, tamquam ramus veræ fœcunditatis, plenus fide, caritate, et gratia stupendorum miraculorum, o divinitus Inspirate.

Τυσίαν σεαυτὸν καθαρὰν καὶ τελείαν τῷ τυθέντι δι' ἡμᾶς προσήγαγες Χριστῷ, τὰ ψυχὴν ἀποκτένοντα πάθη ἐν σαυτῷ νεκρώσας, διὰ πόνων ἀσκήσεως ἐπιμόνου τε, Πάτερ, δεήσεως.

Rationabilem ac puram hostiam teipsum obtulisti Christo, pro nobis oblato ; passiones animam enecantes in te ipso mortificans exercitationis contentione et continenti obsecratione, o Pater.

ΘΕΟΤΟΚΙΟΝ.

Ἀνώρθωσας ἡμᾶς, ἀπωλείας εἰς βάθη πεπτωκότας, τὸν Χριστὸν κυήσασα, ἁγνή, ἐκ ἀχράντων λαγόνων σου.

Mariale.

Absorptos abysso perditionis erexisti, Christum ex immaculatis tuis visceribus pariens, o Immaculata.

A lata. Ipsum ergo, velut auctoritatem habens, deprecare, ut servos tuos a periculis liberet.

AUCT. D P.

τοῦτον οὖν, ὡς παῤῥησίαν κεκτημένη, ἱκέτευε, λυτρωθῆναι κινδύνων τοὺς δούλους σου. D

ODE TERTIA, *nam Secunda ex more petitur aliunde.*

Falce Sapientiæ tuæ radicitus exstirpans malitiæ sarmenta et ut ager fertilis o sancte, orationum sementem excolens spicas centuplicasti.

Ὕλην τῆς κακίας πρὸ ῥιζῶν ἐκτέμνων τῇ τῆς σοφίας σου δρεπάνῃ, τῶν εὐχῶν, ὡς γῆ κατάκαρπος, Ὅσιε, στάχυν ἐγεώργησας ἑκατοστεύοντα.

Ad vitam divinam ducentia solummodo desiderans, Pater, rectam irreflexo gressu viam tenuisti; quia habebas manuducentem te Spiritus gratiam.

Μόνα ποθήσας τὰ πρὸς θείαν ζωὴν ὁδηγοῦντά σε, τρίβους, Πατερ, δεξίας ἀνεπιστρόφως διώδευσας, ἔχων ὁδηγοῦσάν σε χάριν τοῦ Πνεύματος.

Cunctorum Sanctorum vitas imitatus es, o Divina sapiens, tamquam sanctus; et animæ impassibilitatem possedisti, cœlitus inspirate Tychon; et probatus es Spiritus sancti domus fuisse.

Ἁγίων βίους ἐμιμήσω, Θεόφρων, ὡς Ἅγνος, καὶ ἀπάθειαν ψυχῆς ἐκτήσω, Τύχων θεόπνευστε, οἶκος θείου Πνεύματος ἀποδεικνύμενος.

Quod Odem hanc ex more clausurum erat Theotokion, *cum ab eadem littera* T *inchoetur unde incipit Ode altera, nec tamen nisi unicum* T *requirat* Acrostichis *prænotata; sequitur poetica licentia ipsum hic geminari. Quare illud hic seorsim habe.*

Unum ex Trinitate peperisti, Immaculatissima, reformantem nos, qui eramus antea contriti, per nequitiam serpentis contra nos bellantis. B

Τὸν τῆς Τριάδος ἀπεκύησας ἕνα, Πανάμωμε, ἀναπλάττοντα ἡμᾶς, τοὺς συντριβέντας τὸ πρότερον, κακίᾳ τοῦ πολεμήτορος. E

ODE QUARTA

Illam tuam virtuosam vitam, stupenda miracula, fidem firmam, tolerantiam ac mansuetudinem intuentes pii fideles, Pontificem atque Pastorem palam te ordinaverunt, o Sancte.

Τὸν ἐνάρετόν σου βίον, τὰ περίδοξα θαύματα, τὴν βεβαίαν πίστιν, τὴν ὑπομονὴν, τὴν πραότητα οἱ εὐσεβεῖς καθορῶντες, ἱερέα σε καὶ ποιμένα σαφῶς προυχειρίσαντο, Ὅσιε.

Egentibus manu tua datum frumentum, o Beate, non imminuebatur, sed plurimum benedicebatur; cum horrea exhausta impleres divina gratia, o Hierarcha, vere multiplicans commissa.

Οὐκ ἠλάττωται ὁ σῖτος, ἐν δέεσι διδόμενος τῇ χειρί σου, Μάκαρ, μᾶλλον δὲ πλειόνως ηὐλογεῖται, τὰ κενωθέντα δοχεῖα θείᾳ χάριτι, Ἱεράρχα, πληρῶν ἀληθῶς πολυπλάσιων.

Nudis amictus, egenis thesaurus, orphanis defensor fuisti, Tychon gloriose; pandens eis commiserationis tuæ viscera, atque in eis serviens Christo Deo nostro.

Ὑπανοίγων τὴν καρδίαν συμπαθῶν, Τύχων ἔνδοξε, πενομένοις πλοῦτος καὶ περιβολὴ γυμνητεύουσι, τῶν ὀρφάνων προστάτης ἐχρημάτισας, θεραπεύων ἐν τούτοις Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν.

Mariale.

Totum [orbem] inertia obsitum, et passionum caligine obscuratum, atque peccato servientem, illumina atque ad vitam manuducito, quæ impeccabile Verbum genuisti.

ΘΕΟΤΟΚΙΟΝ

Ῥᾳθυμίᾳ συσχεθέντα [τὸν κόσμον] καὶ παθῶν ἀμαυρότητι ὅλον σκοτισθέντα, καὶ τῇ ἁμαρτίᾳ δουλεύσαντα ἡ Κυήσασα, τὸν ἀναμάρτητον Λόγον, φωταγώγησον, καὶ πρὸς ζωὴν χειραγώγησον.

C

ODE QUINTA F

Effœtas animas, tamquam bonus agricola innovans, Pater sapientissime, tuumque eis verbum velut bonum semen inserens, fecisti cœlestes cogitationes producere.

Γεωργὸς ὡς ἄριστος ἐνέωσας ψυχὰς χερσωθείσας, Πάτερ σοφὲ, καὶ ὡς σπόρον ἄριστον ἐνθεὶς τὸν λόγον σου, γεωργεῖν οὐράνια παρεσκεύασας νοήματα.

Malignorum spirituum factus es terriculamentum quia sancti Spiritus eras receptaculum, o Hierarcha; passionum expurgativum, et morborum medicamentum.

Ὡς τοῦ θείου Πνεύματος δοχεῖον γεγονὼς τῶν πνευμάτων πονηρῶν, Ἱεράρχα, πέφυκας φυγαδευτήριον καὶ παθῶν καθάρσιον, καὶ νοσούντων ἰατήριον.

Plenus aquis mysticis fluvius apparuisti, o Sacerdos; et fontes passionum exsiccasti, caritate irrigans animas pietatem germinantes.

Ποταμὸς πληρούμενος ναμάτων μυστικῶν ἐγνωρίσθης, Ἱερουργὲ, καὶ πηγὰς ἐξήρανας παθῶν ἐν χάριτι, καὶ ψυχὰς κατήρδευσας βλαστανούσας τὴν εὐσέβειαν.

Mariale.

Appare Intemerata, eruens ab hostium assultu, et barbarorum incursu servos tuos; habentes tuam potentem protectionem, et patrocinium inconfusibile.

ΘΕΟΤΟΚ.

Ῥυομένη φάνηθι ἐχθρῶν ἐπαγωγῆς καὶ βαρβάρων ἐπιδρομῆς τοὺς σοὺς δούλους, Ἄχραντε, τοὺς κεκτημένους σε κραταίαν ἀντίληψιν, καὶ πρεσβείαν ἀκαταίσχυντον.

ODE SEXTA

Sathan non commovit animæ tuæ domum, Pater:

Οὐκ ἔσεισε, Πάτερ, τῆς ψυχῆς σου ὁ πονηρὸς τὸν οἶκον.

A οἶκον· ἐν τῇ πέτρᾳ γὰρ τῆς ἀληθείας ὡς ἀληθῶς ἵστασο, Θεόπνευστε, θείῳ σθένει κρατυνόμενος.

stabas enim vere supra petram veritatis, o Divinitus inspirate, divina virtute confirmatus. D

Σοφίᾳ Θεοῦ κεκοσμένος, καὶ ἀρετῶν εἰς ὕψος, Ἱερώτατε, φθάσας, καθεῖλες τοῦ πονηροῦ τὰς ὑπάρσεις, χάριτι τὴν καρδίαν ταπεινούμενος.

Theosophia ornatus, et ad virtutum culmen evectus, o sanctissime, dæmonis elationem superasti, et corde humiliatus, in gratia perstitisti.

Λειμὼν εὐανθής, Τύχων, ὤφθης τῶν ἀρετῶν τὰ ἄνθη τῶν θαυμάτων εἰς τὴν εὐωδίαν πᾶσι πιστοῖς, Ἱεράρχα ὅσιε, θεοκρίτως προβαλλόμενος.

Omnium virtutum floridum pratum visus es, Tychon, cunctis fidelibus, cum discretione divina, proferens ad suaveolentiam flores tuorum miraculorum, o sanctissime Sacerdos.

ΘΕΟΤΟΚΙΟΝ·

Mariale.

Ἁγία Παρθένε, τὴν ψυχήν μου, ἣν ὁ ἐχθρὸς δολίως κατεσπίλωσε τῇ ἁμαρτίᾳ, ὡς ἀγαθή, δυσωπῶ, ἁγίασον καὶ φωτί σου καταλάμπρυνον.

Regina cœli, animam meam quam inimicus peccato fraudulenter inquinavit, sanctifica (ut quæ sancta es) et luce tua clarifica.

7 *Hic de more, post Tractum consuetum, interponitur Sancti elogium, sub hoc titulo:* Τῷ αὐτῷ μηνὶ ιϛʹ. Τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Τύχωνος, Ἐπισκόπου Ἀμαθοῦντος, πόλεως τῆς νήσου Κύπρου. Eodem mense (*Junio,* die XVI. Sancti Patris nostri Tychonis, Episcopi urbis Amathuntis, in insula Cypri. *Elogium infra dabo : nunc Canonem prosequor.*

ΩΔΗ

SEPTIMA

B

E

Λόγοις θείοις κατηρδεύθη, ἄμπελος ὡς ἀληθής, Τύχων, ἡ καρδία σου· καρποφορήσασα στάχυν θεογνωσίας, ἔβλυσε γλυκασμὸν ἰαμάτων ἡμῖν.

Emanans nobis dulcedinem curationum cor tuum, Tychon, irrigabatur divinis sermonibus; ut tamquam vera vitis, cognitionis divinæ botrum fructificares.

Ἤνθησας καθάπερ ῥόδον, ἔλαμψας ὥσπερ ἀστήρ, ἔφανας ὡς ἥλιος, Πάτερ, τοὺς βοῶντας φώτιζον, Εὐλογητὸς εἶ, ὦ Κύριε.

Mundo ut rosa floruisti, luxisti tamquam stella, apparuisti ut sol, Pater, illumina eos qui cum clamore dicunt : Benedictus es, Domine.

Στέφανος χαρίτων, Πάτερ, σῇ τῇ θείᾳ κορυφῇ ἐτέθη, Ὡς γέγραπται, νίκην κατ' ἐχθρῶν ἀραμένῳ καὶ μελῳδοῦντι, Κύριε ὁ Θεὸς ὁ τῶν πατέρων·

Ab inimicis Legitimam victoriam referenti tibi, Pater, imposita est capiti divino corona, sicuti scriptum legitur ; dum suaviter canis, Domine Deus Patrum nostrorum.

ΘΕΟΤΟΚΙΟΝ.

Mariale.

Πάντων ὤφθης ἀσωμάτων οἷα μήτηρ τοῦ Θεοῦ, ὄντως ὑπερέχουσα, ὃν ἐκδυσωποῦσα, Παρθένε ὑπέρτερόν μου δεῖξον τὸν λογισμὸν σαρκικῶν ἡδονῶν.

Longe super incorporea cuncta excellens, tamquam Dei mater, ipsum exora, Virgo ; meque fac habere mentem. carnis voluptatibus superiorem.

ΩΔΗ

OCTAVA

Οὐδαμῶς ἡδοναῖς ἀπενύσταξας, γρηγορῶς δὲ μᾶλλον παρέδραμες νύκτα τοῦ βίου, Ὅσιε· καὶ κοιμήσας τὰ πάθη σαρκός, πρὸς φέγγος ἀπαθείας ἐνθέως κατήντησας.

Omnino nusquam voluptati connivens, quin potius semper vigilans, noctem hujus vitæ percurristi, o Sancte ; et passionibus carnis sopitis, ad impassibilitatis claritatem divinitus adjutus pervenisti.

C

Ἰατρεῖον τῶν παθῶν ἀναδέδεικται ἡ σορὸς τῶν ἁγίων λειψάνων σου, ἥνπερ κυκλοῦντες μέλπομεν, Ἱερώτατε Τύχων, Πάντα τὰ ἔργα εὐλογεῖτε, ὑμνεῖτε.

Quasi medicamentorum officina, ad passiones animæ sanandas, videtur esse arca tuarum sacrarum Reliquiarum : quam circumeuntes, sanctissime Tychon, canimus hymnum, Benedicite omnia opera Domini Dominum.

ΜΕ, ἀλλὰ Νεῖς Χριστὸν Θεὸν ἡμῶν, ἐπακούσας φωνῆς πρὸς τὰ ἄνω σε περιφανῶν βασίλεια, πανσόφιμε Πάτερ, προσκαλουμένης, ὡς καλῶς καὶ ὁσίως βιώσαντα.

VOcem audiens Reverendissime Pater, quæ ad cœlestia beatorum regna te vocabat, ob vitam probe sancteque transactam, magnificas Christum Deum nostrum.

ΘΕΟΤΟΚΙΟΝ

Mariale.

Ἱερεῖς καὶ λαὸς εὐφημοῦσί σε, παντευλόγητε Κόρη παναμώμε, τὴν εὐλογίαις ἅπαντας στεφανώσασαν, πίστει τοὺς μελῳδοῦντας, Εὐλογεῖτε, ὑμνεῖτε τὸν Κύριον.

Immaculata et super omnes benedicta Puella, celebrant te Sacerdotes simul et Populus ; utque benedictionibus coronas omnes, qui cum fide concinentes Hymnum, dicunt, Benedicite et cantate Dominum.

ΩΔΗ

NONA

Ἰδού σοι τὸν δρόμον τὸν καλὸν τελέσαντι, καὶ τὴν πίστιν νῦν τηρήσαντι, Πάτερ θεόφρον, Ἱεράρχα, οὐράνια

O Pater et Archipræsul divine, ecce tibi, post consummatum cursum bonum fidemque hic servatam, aperiuntur

AUCTORE D. P.

aperiuntur cœlestia tabernacula; et splendidus te locus excipit, velut sanctitate circumfulgentem.

ἀνοίχθη σκηνώματα, καὶ τόπος φωταυγής σε ἐδέξατο· ἁγιωσύνῃ διαλάμποντα.

SErva et beatifica me, o beatissime Sacerdos, tamquam divinus Mysta, optimus Pastorum dux, stabilimentum Ecclesiæ, mirabilium Operator, meque Sancto Sanctorum omnium cœtui lætantem annumera.

Ὡς μύστης, ὡς θεῖος Ἱερεύς, ὡς ἄριστος Ποιμενάρχης, ὡς ἑδραίωμα τῆς Ἐκκλησίας, ὡς θαυμάτων, Παμμάκαρ, αὐτουργός με μακάρισαι, καὶ δήμοις ἱεροῖς συναρίθμησαι πάντων ἁγίων ἀγαλλόμενον.

Possidet Cyprus corpus tuum sanctum, o Sapiens, fontem curationum: omnis autem civitas, et regio prædicat vitam tuam, miracula tua, tuamque familiaritatem cum Domino, Tychon beatissime et bonis dignissime.

Ἡ Κύπρος τὸ σῶμά σου, Σοφέ, τὸ ἅγιον ἰαμάτων κρήνην κέκτηται· πᾶσα δὲ πόλις τε καὶ χώρα, κηρύττει σου τὸν βίον, τὰ θαύματα, καὶ τὴν πρὸς τὸν Δεσπότην οἰκείωσιν, Τύχων πάμμακαρ, ἀξιάγαστε.

Deiparæ.

ΘΕΟΤΟΚΙΟΝ

Habitaculum luminis, o Intemerata, est sanctissimus venter tuus; unde illuminati, liberamur a tenebris errorum; teque vero amore laudamus ac beatificamus, quæ sola es hominum reparatrix.

Φωτὸς οἰκητήριον ἡ σή, Πανάμωμε, παναγία μήτρα γέγονεν· ᾗ φωτιζόμενοι τοῦ σκότους τῆς πλάνης λυτρούμεθα, ὑμνοῦντές σε καὶ πόθῳ ἀληθεῖ μακαρίζοντες, μόνη ἀνθρώπων ἐπανόρθωσις.

10 *Hactenus Canon, cujus ipsissimam formam cum tibi vellem exhibere, additis etiam Theotokiis, quamvis ad Sanctum nil facientibus; deprehendi Poetam non admodum severe insistere legibus Acrostichorum; sed, quemadmodum pro commodo suo complendæ tertiæ Odæ, assumpsit superabundantem litteram unam, geminando T, quod in voce θαυματουργῷ simplex erat, nec duplicari patiebatur versus secundo loco Iambum requirens: ita in unam subinde Strophen compegit plures litteras, ne supra quaternarium stropharum excrescerent præter morem Odæ, VII, VIII et IX. Juverit id animadvertisse ei, qui Canonum Græcorum rationem volet penitus indagare, ne in talibus hæreat: putetque semper transcribentium vitio (quod aliquando mihi obvenisse fateor) factum esse, ut pluribus vel paucioribus litteris constet Acrostichis, quam inveniantur haberi strophæ. Venio nunc ad Epitomen Vitæ superius omissam, ut totus Canon consequenter legeretur. Eoque libentius seorsim eum exhibeo, quod ejusmodi sæpissime inveniantur seorsim descriptæ et collectæ in libris, quæ* Synaxaria *proprio nomine vocantur; sicuti etiam seorsim aliquando reperiuntur scripti* Canones; *et ex utrisque simul junctis* Menæa *exurgunt.*

ΣΥΝΑΞΑΡΙΟΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ

Exterminantis manibus elapsus, Tychon,
Vita potiri gaude non terminanda.

Βλάβην ὀλοθρεύοντος ἐκφυγών, Τύχων,
Ζωῆς τυχὼν γέγηθι τῆς ἀνωλέθρου.

Tum demum legitur vitæ epitome talis.

Epitome vitæ ex Synaxario,

11 Hic pios et Christi amantes nactus parentes, et ab ipsis Deo dicatus, litteraturæ Sacræ operam dedit; et in scripturæ exercitatione sufficienter instructus, primum sacrorum oraculorum Lector ad populum est designatus. Deinde, propter singularem vitæ honestatem integritatemque et morum inculpatam sanctimoniam, a Mnemonio Amathuntis Episcopo ordinatus est Diaconus. Cum vero ille e vita decessisset, ipse in thronum Episcopalem evehitur a Magno Epiphanio: ac multos a vana et stulta idolorum superstitione ad veram in Christo Deo nostro religionem convertit. Cum vero multa templa idololatrica evertisset, et in illis ipsa idola contregisset, et sacra Deo templa excitasset, et divinis anathematis exornasset, eademque consecrasset; ad Dominum est translatus, et miracula tam in vita complura quam post mortem perpetravit: ex quibus exempli causa unum alterumque, ut viri virtus eximia appareat, recensetur.

Οὗτος, εὐσεβεῖς καὶ φιλοχρίστους ἔχων γονεῖς, ἀφιερωθεὶς τῷ Θεῷ παρ' αὐτῶν, καὶ τὰ ἱερὰ μεμαθηκὼς γράμματα, καὶ ταῖς γραφαῖς ἱκανῶς ἐμμελετήσας, πρῶτον μὲν ὑπ' ἀναγινώσκειν τῷ λαῷ λόγια καὶ διδάγματα ἐτάχθη· Ἔπειτα δὲ διὰ τὴν ἐν πᾶσι αὐτοῦ ἀξιότητα καὶ τὸ τοῦ βίου καθαρόν τε καὶ ἀνεπίληπτον, παρὰ Μνημονίου, τοῦ ἁγιωτάτου Ἐπισκόπου Ἀμαθοῦντος, χειροτονεῖται Διάκονος. Ἐκείνου δὲ τὸν βίον ἀπολιπόντος αὐτὸς εἰς τὸν τῆς ἐπισκοπῆς ἀνάγεται θρόνον, παρὰ τοῦ μεγάλου Ἐπιφανίου. Ἐπιστρέψας δὲ πολλούς, ἀπὸ τῆς τῶν εἰδώλων πλάνης καὶ ματαιότητος, πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν καὶ Θεὸν ἡμῶν πίστιν, καὶ πολλοὺς ναοὺς τῶν εἰδώλων καθελὼν καὶ ἀνατρέψας, καὶ θείους ναοὺς ἀναγείρας, καὶ ἀναθήμασι θείοις κατακοσμήσας, καὶ τούτους καθαγιάσας, πρὸς Κύριον μετετέθη, θαυματουργίας πολλὰς ἔτι τε τῷ βίῳ περιών, καὶ μετὰ τελευτὴν ἐργασάμενος· ὧν ἓν ἢ δύο, δεῖγμα τῆς ἀρετῆς τοῦ ἀνδρός, ἐκτίθεσθαι ἄξιον.

Pro panibus in pauperes distributis

12 Initio vitæ suæ panes a patre accepit in foro vendendos (hoc enim illi opificium erat) ipsos vero omnes in pauperes distribuit. Quod cum pater resciens, indignamque rem arbitratus, eum ob id vehementer reprehenderet, Deo, inquit, se hos panes dedisse mutuos, et syngrapham ab eo acceptam habere quod esset recepturus. Et ecce mox verborum manifesta constitit demonstratio: granaria namque frumento pleniora sunt reperta, quam erant cum pater post collectam messem ea implerat, nec inde quidquam adhuc esset depromptum. Sed hoc miraculum aliquam habet comparationem, quia et ab aliis idem factitatum legitur, et beneficentiæ liberalitas ex Dei munificentia proficiscitur, qui ultra

plenum granarium patri redditum.

Ἔτι γὰρ ἐν ἀρχῇ τοῦ βίου, παρὰ τοῦ ἰδίου πατρὸς ἄρτους, πρὸς τὸ διαπωλῆσαι ἐν τῇ ἀγορᾷ, εἴληφε· τοῦτο γὰρ ἦν αὐτῷ τὸ ἐπιτήδευμα· αὐτὸς δὲ τοὺς ἄρτους τοῖς ἐνδεέσι παρέχει. Μαθόντος δὲ τοῦτο τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, καὶ χαλεπῶς φέροντος, ὠνειδίζετο παρ' αὐτοῦ· αὐτὸς δὲ τῷ Θεῷ τοὺς ἄρτους ἔφη δανείζειν καὶ γραμματεῖον παρ' αὐτοῦ κατέχειν τῆς ἀπολήψεως. Καὶ εὐθὺς τῶν λόγων περιίσταται ἡ ἀπόδειξις, τῶν σιτώνων πλήρη εὑρεθέντων μᾶλλον ἢ ὅτε τὴν συγκομιδὴν ὁ πατὴρ ἐποιήσατο. Καὶ τοῦτο μὲν τοσοῦτον ἦν, ὅμως ἔχει λόγον τινά, τὸ καὶ ἑτέρους τοιοῦτον πεποιηκέναι· ὡς ἂν τὸ τῆς εὐποιίας εἴη τὸ δαψιλὲς τοῦ Θεοῦ, τὸν σῖτον ἐπιμετροῦντος καὶ ἐπιβάλλοντος· ἐκεῖνο δὲ περιφανῶν εἰς δόξαν αὐτοῦ, καὶ αἰτίαν ἢ σύγκρισιν μὴ δεχόμενον.

Κληματίδα

A

Κληματίδα ξηρὰν τῇ γῇ παραθεὶς εὐθέως ῥιζωθῆναι εἶτα βλαστῆσαι καὶ πρὸ καιροῦ. Ποῦ γάρ; κατὰ τὴν ἑξαιδεκάτην τοῦ Ἰουνίου μηνὸς (ἐν ᾗ ἡ τοῦ Ἁγίου μνήμη τελεῖται, ὥριμος βότρυς; ἡ δὲ τέως, τῷ καιρῷ, προσφόρους ἔχουσα τοὺς καρποὺς, τῆς θείας ὑμνῳδίας καὶ λειτουργίας ἀρχομένης, περκάζοντας ἀποδείκνυσι· τελειουμένης δὲ τῆς ἱερᾶς θυσίας, πεπείρους καὶ τελεσφόρους καὶ εὐχαρίστους ἀποδείκνυσι πρὸς μετάληψιν, εἰς δόξαν Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος.

D

mensuram remetiri consuevit. Illud autem solius Tychonis laudem commendat et causam, quæ comparationem non amittit.

AUCT. D. P.

13 Aridus vitis surculus, humi depactus statim radices agit : deinde etiam ante tempus germinat et maturescit. Quonam autem loco die decima sexta Junii, qua Sancti memoria agitur maturus botrus invenitur? Ille vero surculus, usque tunc aptum tempori fructum habens, incipiente re divina et psalmorum cantu, uvas ostentat jam liventes et coloratas ; finito autem sacrificio exhibet easdem percoctas et maturas, atque palato gratissimas, ad laudem Patris et Filii et Spiritus sancti.

et annum uvæ sub sacro maturescentis miraculum,

Idem miraculum confirmat Versiculus, ante Canonem,

Θαύμασι Θεὸς σε ἐδόξαζων τοὺς αὐτὸν, Πάτερ, δοξάζοντας πιστῶς· ἐν καιρῷ γὰρ τῆς σεπτῆς καὶ θείας μνήμης σου, Σοφὲ, ὁρᾶται βότρυς πέπειρος γενόμενος ὑμνούντων τὸ παράδοξον τοῦ θαύματος· ἐξ οὗ οἱ πιστοὶ μετέχοντες, σὲ πρεσβευτὴν προβαλλόμεθα, ἱκέτευε τοῦ σωθῆναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

ex Similaribus tertius.

Deus, qui fideliter se glorificantes glorificat, miraculis te glorificavit, Pater; etenim tempore venerandæ tuæ ac divinæ memoriæ, o Sapiens, conspiciunt botrum maturum ii, qui ad miraculi novitatem effunduntur in hymnos, ex eoque gustantes fideles, te intercessorem adhibemus, dicentes : Deprecare ut salventur animæ nostræ.

de quo etiam Sticheron,

B

In Basilii Imperatoris MS. Synaxario, miraculum istud dicitur continuari, μέχρι τῆς σήμερον usque hodie. *Sed uti novum Anthologium, sub Clemente VIII excusum anno* MDXCVIII, *eadem utitur phrasi, utique ex auctore vetustiori descripta neque probat ipsius miraculum* hodiedum *perennare in Cypro, jam pridem a Turcis subacta; ita nec pro ætate Basilii, sive pro seculo* X, *idem efficaciter ex ejus verbis probatur, quæ similiter potuerunt aliunde sumpta esse. Si tamen aliquis adhuc cultus Sancti in Cypro superest, non mirarer adhuc continuari miraculum; cum pluribus exemplis docuerimus, miraculum Paschalis ignis, in ecclesia sanctæ R surrectionis Hierosolymis, divinitus haberi soliti, renovatum sæpius fuisse, etiam cum Urbs et Terra-sancta sub infidelibus erant. Vide nostrum de Episcopis et Patriarchis Hierosolymitanis Tractatum ante Tomum 3 Maji.*

E

an illud hodiedum duret?

DE SS. BERTHALDO ET AMANDO

EREMITIS ET PRESBYTERIS

IN REMENSI GALLIÆ DIOECESI.

D. P.

COMMENTARIUS HISTORICUS

§. *I. De actis et Cultu S. Berthaldi.*

SEC. VI

C

in Abbatia Calvimontis festum cum Octava

In *Campania Galliæ Provincia cujus metropolis Remi*, montes *duo sunt, quorum* Calvus *unus alter* Bellus *dicitur, vulgo* Chaumon et Baumont. *Suam hi celebritatem duobus ibidem eremitis debent, quos fama tenet a S. Remigio primo Remorum Episcopo presbyteros fuisse ordinatos, qui sanctissimus præsul floruit ab anno* CCCCLIX *usque ad* DXXXIII *adeo ut illi censeri possint ad seculum* VI *pertinere. Fuerunt isti* sancti Berthaldus *et* Amandus *de quibus hic consequenter agetur ex monumentis Calvimontensibus suppeditatis a R. D. Casimiro Oudin ordinis Præmonstratensis in Bucilliacensi prope Retestellam monasterio Religioso libris editis noto.* S. Berthaldi *vitam compendio tradunt Calvimontenses ad Matutinum in die festo et per Octavam sic recitari solitam.*

et officio proprio in quo dicitur,

2 Berthaldus, Theodi Scotiæ Regis et Berthæ filius a primis annis humanioribus litteris institutus, ac in pietate Christiana sancte educatus : excitatus illis verbis Apostoli, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus : imitatione Christi maluit illustris esse quam Regio sanguine.

Berthaldus natus in Scotia

Quamobrem compunctioni cordis adjuncta carnis maceratione, piaque ac salutari meditatione Passionis Dominicæ, religiosam peregrinationem suscepit ad ea loca, ubi Christus post ingentes labores ac supplicia, mortem pro nobis sustinuit. Quorum locorum aspectu et sanctitate factus ardentior in amore Dei, divinitus, ut quia vir desideriorum esset, egrederetur de terra et de Cognatione et de Domo patris sui ; adjuncto sibi comite S. Amando, ætate quidem juvene, sed fideli Christi servo : relictis parentibus, patria, confectoque (non sine multo labore) itinere longissimo, tandem pervenit in Comitatum Portiensem.

et Jerosolymam profectus cum S. Amando

F

3 Erat ibi mons, cui nomen Monscalvus plenus venenosis reptilibus ac serpentibus, et in quo malignorum spirituum clamores audiebantur. Ad eum pergit Berthaldus cum suo Amando, suisque precibus ac præsentia liberat ab illorum injuria, et in eo domunculam ex ramis et fustibus construit. Sed ecce dum sanctam paupertatem voluntariam pii viri colunt et ostiatim victum quærunt, incolæ suspicantur imminere sibi aliquid periculi ex adventu hominum externorum, insidiasque timentes clamant e patria esse abigendos.

in Galliam venisse ad montem Calvum,

4 Rebus sensim divina virtute sedatis, nomen, virtus et sanctitas servorum Dei longe lateque spargitur, visuntur a multis in solitudine, qui ab illis erudiuntur ad pietatem. Afflicti consolantur aut recuperata sanitate voti compotes secedunt. Cujus rei invidus communis noster adversarius, varios conflictus adversus eos instruit, quos constanti fide, oratione pioque exercitio fugant et superant.

miraculis claruisse.

Eo

Auct. B. P. presbyter ordinatus a S. Remigio

Eo tempore Remensem Ecclesiam regebat B. Remigius, cujus virtutibus et doctrina Berthaldus excitatus, ad eum cum suo Amando proficiscitur. A quo benigne susceptus et doctrina sacra institutus atque in filium spiritualem adoptatus, tandem ad sacrum Presbyteratus ordinem gradatim promovetur. Quo honore affectus ad solita cum socio lætanter revertitur: Missæ Sacrificium una cum precibus ac votis sancti et religiose oblaturus in oratorio quod non procul a domuncula sua construxerat, in quo divinis sæpe recreabatur visitationibus.

optimo omnibus fuisse exemplo,

5 Ab ipsis puerilibus annis viam mandatorum Dei ingressus, moribus præclaris relucens cunctis, juvenilia consortia ut venenum caute fugiebat, et senioribus sedule assistens, eorum conformem moribus sese fieri satagebat; ætate vero procedente, tanta virtutum honestate pollebat, tantoque humilitatis pondere actus proprios temperabat, ut eum intuentes Deum glorificarent. Ipse enim erat norma æquitatis, veritatis lumen, speculum castitatis, vinculum charitatis atque Christianæ paupertatis imago. Quantæ autem perfectionis fuerit, quantive honoris, vix referre quis possit. Nam tanta in eo sanctitas refulsit, ut mortuos suscitaret, a dæmonibus oppressos liberaret, cunctisque languentibus a se venientibus sanitatis opem conferret.

et post annos 50 piissime obiisse.

6 Porro cum B. Berthaldus in prædicto loco plus minus quinquaginta tribus annis fuisset omnibus speculum divinæ obedientiæ, abstinentiæ, castitatis patientiæ, voluntariæ paupertatis, humilitatis, et omnino tanquam exemplar veræ pietatis: jam dierum plenus, præsentiens suum obitum, vocat Amandum suum: cui postquam animi sui sensa exposuit et quo loco sepeliri vellet, voce magna clamans: In manus tuas, Jesu Christe, commendo spiritum meum, beatam animam tradidit in cœlum perferendam. Post sanctum ejus obitum, qui variis languoribus laborabant, venientes ad ejus sepulcrum sanabantur. Infinita postmodum miracula per eum facta sunt, et magnalia quotidie operatur præstante, qui trinus et unus vivit Deus benedictus in secula seculorum.

Elogium ex Breviario Remensi.

7 *Breviarium Metropolitanæ Ecclesiæ Remensis, Ludovici a Lotharingia Archiepiscopi Remensis auctoritate, atque ejusdem Ecclesiæ Capituli consensu editum anno* MDCXXX *ad diem* XVI *Junii continet Officium trium Lectionum de* S. Berthaldo, Confessore et Abbate, *cum peculiari Lectione tertia hujusmodi*, Bertaldus, Theoldi Scotiæ Regis filius, imitatione Christi malens illustris esse, quam regio sanguine; religiosam peregrinationem suscepit ad ea loca, ubi Christus mortem pro nobis sustinuit. Quorum locorum aspectu et sanctitate factus ardentior in amore Dei, relictis parentibus et patria, Deo bene favente, ex Hibernia pervenit ad Castricensem pagum, Amando comite, ætate quidem juvene, sed bono ac fideli Christi servo. Qui ex consilio S. Remigii locum ad inhabitandum sibi deligunt in Calvo-monte: in quo cum amplius quinquaginta annis Bertaldus fuisset omnibus specimen et exemplar obedientiæ, castitatis, paupertatis, et veræ pietatis; voce magna clamans; In manus tuas, Domine Jesu Christe, commendo spiritum meum, beatam animam Deo reddidit. *De* Amando *nihil ultra additur: sed communem utrique cultum haberi, apparebit ex sequentibus.*

Aliud apud Marlotum ex codem Remensi,

8 *Gulielmus Marlot lib.* 2 *Historiæ Remensis cap* 16, de Bertaldi secessu apud Calvummontem *agit, et ista scribit:* De Berthaldo admodum pauca, et quidem ex obscuris codicibus leguntur, quæ Flodoardum et ejusdem ævi auctores penitus latuerunt. Filius is dicitur Theoldi Regis, qui cum ex Hibernia in Castricensem pagum post multas peregrinationes, cum Amando sibi familiari et comite pervenisset, a B. Remigio locum hunc ad incolendum obtinuit: ubi quinquaginta annis pœnitens vixit. Ita codex Remensis.

et aliis:

Alii ab ineunte ætate in timore Dei enutritum, sacra Palestinæ loca visitandi desiderio flagrasse referunt, iterque suscepisse, Hierosolymæ ut supplex vota redderet, ubi mundi Servator pro nobis immolari voluit. Redux hic in patriam, arridentes sibi delicias conspiciens, mundanæ gloriæ apicem, fugacesque rosas, præ spinis Christi, paupertate et secessu, pro nihilo habere statuit. Quod ut facilius exequeretur, Oceanum trajecit cum Amando peregrinationum suarum socio. Remosque, emensis aliquot Galliarum regionibus, duce leone sospes pervenit, quem leonem comitis loco toto itinere habuisse narratur, donec ad Castricensem pagum perductus, apud Calvum-Montem constanter hæsit: quem spinis et sentibus laboriose purgatum, erecta in fastigio cellula, ardua pœnitentia sanctificavit.

fertur habuisse secum leonem,

Fertur prædictum leonem nusquam Bertaldum deseruisse, sed fidelem ubique habuisse comitem, etiam cum Remos pergeret S. Remigium visitaturus: a quo, cognita ipsius sanctimonia, ad sacros Ordines idoneus repertus, Presbyter ordinatur, data ei insuper facultate extruendi oratorium juxta cellulam, quod Calvo-montano cœnobio Præmonstratensis Ordinis dedit initium. Bertaldus, post aliquot annos in ascetica vita impensos, ex tirone fit sacræ philosophiæ pædagogus; discipulosque habere cœpit, quos ad virtutem informabat: inter quos duæ Virgines memorantur, Oliva et Libertas: quæ eo monente arctam vivendi rationem arripuerunt. Harum memoria adhuc viget in totidem fontibus, nomina Olivæ et Libertatis præferentibus, in saltu quem solitariam vitam degentes incoluerunt.

et miraculis claruisse:

Adhuc febricitantes et aliis morbis detenti, inde aquam hauriunt salubrem, ut fertur, pro sanitate recuperanda. Bertaldus post quinquaginta annos, abditæ quidem et latentis, sed Deo cognitæ pœnitentiæ transactos, haud absque gravi cum dæmonibus conflictu, eum a proposito avocare conantibus, vitæ miserias cum cœlestis gloriæ deliciis feliciter commutavit XVI Junii, anno circiter quingentesimo quadragesimo quinto, ætatis septuagesimo tertio *Hæc Marlotus proponit, ut a variis, licet non optimæ fidei auctoribus relata; quæ volumus a lectore, uti ab eo scripta sunt, excipi et æstimari. De leone ejus comite etiam legitur in Vita Gallica, quam F. I. Lietau, ipsius Abbatiæ Prior, imprimendam dedit Remis an.* MDCXXXIV, *locatis in frontali lamella* SS. Berthaldo et Amando *habitu eremitico.*

mortuus an 541.

S. Berthaldi notatur cultus;

9 *Apud Saussayum in Martyrologio Gallicano, ad hunc* XVI *Junii, celebratur* S. Berthaldus, Confessor Remis, emeritæ beatitudinis præclarus. *Eumdem Henricus Fitzsimon catalogo Sanctorum præcipuorum Hiberniæ ad hunc etiam diem inscripsit. At Grevenus in Auctario ad Usuardum, sub annum* MDXV *et* MDXXI *excuso, ad* XIV *Junii, refert* Bertholdum Confessorem, *quem hunc* Berthaldum *esse arbitramur.*

non persuadetur et vel Scoto patriam fuisse Hiberniam.

10 *Ad acta quod attinet vix dubitamus quin seculo* XI *vel* XII *aut forte serius ea conscripta fuerint, ex traditione simplici, itidem per secula quinque aut sex asservata. Unde nobis non usque adeo certa apparent, quæ de ejus patria aut parentibus proferuntur. Nam etsi per Scotiam cum Marloto, Fitzimone et Lectione supra relata intelligamus Hiberniam: ipsius* Berthaldi *et parentum* Theoldi et Bertæ *nomina non redolent aliquid Scoticum aut Hibernicum, sed potius Francicam seu Teutonicam linguam; ut parentes potuerint fuisse Toparchæ, nobilitate et divitiis potentes in aliqua harum regionum ditione.* Amandus, *nomen Romanum est; cujus parentes uti infra nominantur* Germanus *et* Amanda; *germani,* Lucius *atque* Proba; *nihil minus quam originem Scoticam ostentant: sed potius ipsius Galliæ aut vicinarum regionum indigenas fuisse omnes suadent,*

A *suadent; nam etiam post constitutum Francorum in Galliis regnum; ex veteribus prognati incolis, uti Romanis legibus utebantur, sic etiam fere nominibus.*

Alii ibidem Sancti.

11 *Non etiam satis compertum est nobis quales in Calvo-monte* Berthaldi *serventur Reliquiæ Sanctorum* Amandi *et* Viventii, *quorum hic colitur* VII *Septembris, sed* corpus donatum Clericis Braquensibus ad Mosam *scribunt Colvenerius, Saussayus, Sammarthani, et in Catalogo Sanctorum Remensium nobis submisso dicitur* Musomi potissimum coli, ubi ejus corpus habetur, *quod suo tempore examinabitur.*

§. II. *De Reliquiis et Miraculis S. Berthaldi atque indulgentiis loco concessis.*

translatio facta anno 1248:

P*rius quam agimus de varia Abbatiæ Calvimontensis fortuna, placet ex vita ipsius gallica quædam addere: in cujus cap.* 20 *dicit auctor Lictaudus:* Translationem sacrorum corporum a Religiosis eorumque Priore Fr. Nicolao Bugnet, permissu Archiepiscopi quam secretissime, ne populus eam impediret, factam esse in Vigilia S. Joannis Baptistæ et octava S. Berthaldi. *Quomodo autem diu antea scilicet anno*

B MCCXLVIII *eadem sacra corpora fuerint in novas translata capsas, constat ex sequenti Instrumento in archivio ipsius Abbatiæ servato.* Guido Dei gratia Suessionensis Episcopus, universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem in eo qui est salus omnium. Noverit universitas vestra quod Nos transtulimus Corpora Beatorum Confessorum Berthaldi, Viventii et Amandi, et sanctarum virginum Olivæ et Libertatis, de veteribus capsulis in novas, et eorundem Sanctorum nomina inspeximus in schedulis, cum eorum Corporibus positis, sicut didicimus ab viris fide dignis. Actum Anno Domini MCCXLVIII Kalendis Junii.

13 *Sub finem dictæ Vitæ Gallicæ notantur etiam duo miracula, anno* MDCXXXI *intercessione S. Berthaldi patrata hoc modo:* Anna de Bonnaria, vidua Guilielmi Rambaldi, in pago Harpy dicto, ex acuta quadam febri habuit cerebrum infectum: quo malo longo tempore fuit vexata, prout et verba quæ loquebatur, et reliquæ actiones præbebant testimonium, uti et parochiani et alii viderunt et declararunt. Ducta fuit circa Pascha hæc vidua a Margarita filia et Joanne Coutier genero ad ecclesiam et sacras Reliquias S. Berthaldi, et post continuatas de more per dies novem precationes, sana spiritu et intellectu

an. 1631 sanati phrenetici duo.

C reversa est et factam sibi gratiam declaravit cum filia et genero jam dictis et aliis pluribus, coram Quenteloto locum tenente justitiæ in dicto pago Harpy. Carolus de Sein, Maritus Nicolaæ Hardieburgæ, in pago Serincurto, post gravem morbum incidit in phrenesim et quamdam perturbationem spiritus. Ductus igitur a sua uxore et Joanne le Sein receptore dicti Serincurti, hujusque conjuge Anna Baviana; post plures disceptationes et stultas actiones, cum sacrificium Missæ a sacerdote coram sacris Reliquiis inchoaretur, æger exclamat, alloquens dictum Receptorem cognatum suum, Ne me diutius detineas: jam gratia Dei sanus sum. Et eodem instanti recipiens vestes, quas cum confusione abjecerat, servivit celebranti sacerdoti. Quod et ipse Carolus et alii supra nominati coram Judicibus Serincurtensibus attestati sunt.

14 *Ad commendandam S. Berthaldi memoriam faciunt indulgentiæ ipsius ecclesiam adeuntibus concessæ a variis Cardinalibus et Pontificibus sub tenoribus sequentibus.* Nicolaus Miseratione Divina tit. sanctæ Crucis in Jerusalem S. R. E. Presbyter Cardinalis, in Regno Franciæ et partibus adjacentibus Apostolicæ sedis Legatus, universis Christi fidelibus præsentes nostras litteras inspecturis, salutem in Domino. Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus

D ante Tribunal Christi, percepturi prout in Corpore gesserimus, sive bonum fuerit sive malum; oportet nos diem messis extremæ operibus misericordiæ prævenire, et in tantum id seminare in terris, quod cum multiplici fructu recolligere valeamus in cœlis; firmam spem fiduciamque tenentes, quod qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam æternam. Cupientes igitur ut Hospitale, quod in monasterio S. Bertaldi de Calvomonte, in Portuensi Remensis Diœcesis fundatum existit; in quo, ut accepimus, magna in Christi pauperes præstantur caritatis officia, et in ipsius ecclesiam seu oratorium plurimorum sanctorum Reliquiæ reconduntur; ubi dietim videntur per Sanctorum merita miracula coruscare; ut Domini cultus crescat augmento, et in consuetis caritatis officiis jugiter perseveret; ut eapropter fideles eo propensius suas eleemosynas largiantur, quo de cœlestis gratiæ dono uberius ibidem senserint se refectos; de omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et

Auct. D. P. Indulgentiæ concessæ an. 1435 a Nicolao Cardin S. Crucis,

E confessis, qui ad ipsius hospitalis fabricam vel ornatum manus porrexerint auxiliatrices, quotiens id fecerint, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum Atrebati, sub nostri expressione sigilli, die videlicet IX mensis Septembris, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXV, Pontificatus Domini nostri Eugenii Papæ quarti anno quarto.

15 Hugo Miseratione divina Episcopus Prænestinus S. R. E. Cardinalis, de Cypro nuncupatus, a Sacro sancta Basiliensi Synodo in spiritu sancto congregata, universalem Ecclesiam repræsentante, in regno Franciæ Legatus de latere deputatus, universis et singulis Christi fidelibus ad quos præsentes nostræ patentes litteræ pervenerint, salutem in eo qui est vera salus. Licet is, de cujus munere procedit ut sibi a fidelibus suis digne et laudabiliter serviatur, de suæ pietatis abundantia, quæ merita supplicum excedit et vota, bene servientibus sibi multo majora tribuat quam valeant promereri; nihilominus desiderantes populum Domino reddere acceptabilem, bonorum operum Sectatorem, fideles ipsos ad ei complacendum quasi quibusdam allectivis muneribus, spiritualibus indulgentiis videlicet ac remissionibus invitamus, ut inde reddantur Domini gratiæ aptiores. Cupientes igitur ut monasterium

aliæ ab Hugone Card. Cyprio,

F S. Berthaldi de Calvomonte Portuensi Diœcesis Remensis, sive hospitale in eo situm et noviter fundatum, atque novissime per guerras dicti regni desolatum, et adeo suis fructibus et redditibus attenuatum, quod sine dictorum fidelium eleemosynis infirmi pauperes et dementes, furiosique et malignis spiritibus et aliis infirmitatibus vexati, qui ibi confluunt, et miraculose ex devotione dicti S. Berthaldi liberantur, recipi et sustentari solito modo non possent, [nisi] in suis ædificiis reparetur et reformetur atque sustentatione dictorum pauperum infirmorum subveniatur, et dicti monasterii sive Hospitalis depauperati Divini cultus manutentioni et augmentationi provideatur: de omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus meritis et universalis Ecclesiæ auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui dictum monasterium sive Hospitale in diebus videlicet Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, et Corporis Domini Nostri Jesu Christi. Nec non Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis Beati Joannis, Petri et Pauli Apostolorum prædictorum, S. Berthaldi Patroni

AUCT. D. P.

troni ipsius Ecclesiæ, Inventionis et Exaltationis sanctæ Crucis, Dedicatione Ecclesiæ, et sancti Eligii Confessoris festivitatibus; nec non in celebritate omnium Sanctorum, et per ipsarum festivitatum Octavas, devote visitaverint annuatim, et pias de bonis sibi a Deo collatis exhibuerint eleemosynas, manusque ad præfati monasterii sive Hospitalis refectionem et reædificationem, dictorumque pauperum sustentationem, et divini cultus augmentationem porrexerint adjutrices; quotiens hoc fecerint centum dies Indulgentiarum, singulis diebus prædictis, de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus: in quorum fidem et testimonium præsentes nostras litteras fieri fecimus, nostrique sigilli magni jussimus appensione muniri. Datum Atrebati in domibus nostræ habitationis, situatis in Porta fori magni, die XIV mensis Septembris, anno Nativitatis Domini MCCCCXXXV Indictione XIII, sacro Basileensi vigente Concilio. Sic signatum, A Prato.

16 *Nec tantum Cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sed et summi Pontifices alias etiam dicto S. Berthaldi cœnobio, omnibus ecclesiam certis anni diebus visitantibus, Indulgentias concesserunt Nicolaus quintus, et Paulus secundus sequentis tenoris.*

Item a Nicolao Papa

Nicolaus Episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, præsentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem. Vitæ perennis gloria qua mire benignitas Conditoris omnium Beatam coronat aciem civium supernorum, quæ redemptis pretio sanguinis fusi de pretioso corpore Redemptoris, meritorum debet acquiri virtute, inter quæ illud esse prægrande noscitur, quod ubique, sed præcipue in Sanctorum ecclesiis, majestas Altissimi collaudetur. Cupientes igitur ut Ecclesia monasterii, S. Bertaldi de Calvomonte Remensis Diœcesis congruis honoribus vere pœnitentibus et confessis, qui ad dictam ecclesiam in Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, et ipsius B. Berthaldi Confessoris festivitatibus, et per octo dies festivitates ipsas immediate subsequentes, nec non et anniversario die Dedicationis ejusdem Ecclesiæ, devote accesserint annuatim, de omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, unum annum et quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum apud Urbem-veterem, quarto Nonas Augusti Pontificatus nostri anno quarto.

et Paulo II

17 Paulus Episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, præsentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem. Licet is de cujus munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de abundantia suæ pietatis quæ merita supplicum excedit et vota bene servientium sibi, multo majora retribuat quam valeant promereri; nihilominus desiderantes Domino populum reddere acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum sibi quibusdam allectivis muneribus, Indulgentiis videlicet et remissionibus, invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cum itaque, sicut accepimus, licet insigne monasterium S. Berthaldi de Calvomonte Præmonstratensis Ordinis, Diœcesis Remensis, in ejus primæva fundatione et vetusta fuerit in suis structuris et ædificiis sumptuose erectum et constructum et in fructibus, redditibus et proventibus opulenter dotatum, attamen immensis guerrarum turbinibus, aliisque quamplurimis causantibus sinistris eventibus, in tantam incidit ruinam, ipsiusque fructus, redditus et proventus adeo diminuti et tenues effecti sunt, quod dilecti filii modernus Abbas et Conventus dicti monasterii, ad illius manutentionem et reparationem intendere, atque Hospitalis in eodem monasterio absque ulla dotatione existentis onera consueta supportare, et innumerabiles pauperes, infirmos, et præsertim phreneticos, illuc dietim et assidue quadam singulari devotione ac sanitatis adipiscendæ causa undequaque transmissos et exinde inibi Dei auxilio atque ejusdem S. Bertaldi meritis suffragantibus sanitatem reportantes, sustentare non valent, nisi Christi fidelium caritativis subsidiis mediantibus; Nos cupientes ut Ecclesia dicti monasterii congruis honoribus ab eisdem Christi fidelibus frequentetur, illaque et dictum monasterium in suis structuris et ædificiis reparentur et manuteneantur, utque Hospitale dotetur, ut Abbas et Conventus nec non pauperes in infirmitatibus sustententur; ac ut fideles ipsi eo lubentius devotionis causa concurrant ad ecclesiam dicti monasterii; et ad reparationem, manutentionem, dotationem et sustentationem prædictas, manus promptius porrigant adjutrices, quo hoc ibidem cœlestis gratiæ Dono conspexerint se refectos; de omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui in S. Berthaldi et Dedicationis ecclesiæ prædictorum diebus, ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, et ad reparationem, manutentionem, dotationem, et sustentationem hujusmodi manus porrexerint adjutrices, quinque annos et totidem quadragenas, de injunctis eis pœnitentiis, in Domino misericorditer relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si alias ecclesiam ipsam visitantibus, et ad reparationem, manutentionem, dotationem et sustentationem easdem manus adjutrices porrigentibus, aut inibi pias eleemosynas erogantibus, seu alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eædem præsentes litteræ nullius existant roboris vel momenti. Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXVI, sexto idus Martii, Pontificatus nostri anno tertio.

celebrem peregrinationem affirmante.

§. III. *Historia Abbatiæ Calvimontis ex monumentis ipsius loci.*

Ejusmodi *historiam magna cum diligentia concinnatam subministravit nobis supra laudatus Casimirus Oudin sic exordiens : Nota pariter infimis ac summis, simplicibus ac litteratis, in Archiepiscopatu Remensi* Abbatia S. Berthaldi de Calvomonte, *ordinis Præmonstratensis, in tractu seu Comitatu Castri. Portiani vulgariter* (Chateauportien) *posita, copioseque dotata, quæ floret sufficienti Fratrum collegio et Regularibus observantiis. Distat hæc horis tribus Registelle, duabusque Castro præfato; ambabus urbibus ad Axonam positis, in summitate quadam arida satis, cui antiquitus Calvimontis nomen indidit ubi* S. Berthaldus *cum socio* Amando *e Scotia in Galliam adventans, fixit tabernaculum suum estque mortuus. Anno quovis, ad diem qua sanctus Eremita secessit ex hoc seculo, ingens multitudo vicinæ plebis ad hanc confluit Calvimontis Abbatiam veneratura Beatam illius memoriam in ecclesia ipsi consecrata, quæ pretiosum ejus corpus ac caput integram separatim custodit. Nec id solum ad diem festi annuam contingit, sed et per annum, ex variis dissitarum etiam partium urbibus atque oppidis itinerantur plurimi, qui insanos et maxime furiosos ad sancti Anachoretæ templum solvendi causa voti adducunt: quibus per Octavam illic manentibus, ac pro ejusmodi divinum Missæ novendium postulantibus, sæpissime fit ut sana mens insanis reddatur et furentium rabies compescatur.*

S. Berthaldi monasterium,

Fecle ix. Corpus,

19 *Fuerintne primi discipuli et successores* S. Berthaldi *Scoticum* S. Columbani *institutum professi, ut plura per Remensem diœcesim monasteria alia, sicuti suadere*

Cujuscumque instituti fuerint Calvi-Montenses primis seculis,

suadere posset ipsius Sancti genus ex Scotia ductum, si vere inde ductum est; an Benedictinum quod ibidem saltem postea susceptum esse exemplo reliquorum Galliæ monasteriorum verosimile est, non habeo unde definiam. Certum est quod primis inquilinis qualibuscumque dilapsis vel extinctis inducti illuc Canonici seculares sint, de quorum fundatione ita nobis scribit D. Casimirus.

circa 1045 fundatæ eorum novæ ecclesia, anno 1087 donatur Romancourt

20 Raynaldus Comes Castri-Portiani *seu (ut volunt antiqua monumenta)* Comes Portuensis, *anno* MXLV *vel circiter (nam de anno determinate non constat), ad honorem* S. Berthaldi Confessoris, *quem Deus ad locum Calvimontis, ut eum sua mansione sanctificaret, adduxerat; fundat collegium seu Ecclesiam Canonicorum secularium, sub dicti Bertaldi titulo; quibus in dotem magnam nemorum ibidem proximorum multitudinem. Decimam totius oppidi, variasque villas assignat liberalitate insigni, ut constabit ex quadam carta Domini Rodulphi Archiepiscopi Remensis, anni* MCXI *qua dictus* Raynaldus *fundator* Collegiatæ S. Berthaldi *Calvimontis asseritur. Hoc autem mortuo,* Rogerus Raynaldi filius, *ut sanguinis ita paternæ pietatis hæres, addidit anno* MLXXXVII, *ad ampliorem dictorum Canonicorum sustentationem, medietatem Remaldi-Curtis, tam in Decimis quam in justitia, cum omnibus incolis ad eamdem villam spectantibus, ut ex sequentibus patens est.*

21 In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti Amen. Notum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis, præsentibus et futuris, quod ego Rogerus Comes Portuensis territorii, villam mei juris dictam Remaldicurtem *(fuit ea deinde Prioratus Benedictinorum dependens ab Abbatia S. Huberti situs apud Castrum Portiani)* cum omnibus suis appendiciis, cum culturis et certis adjacentibus terris, cum silvis, pratis, aquis aquarumque decursibus, cum molendino, cum banno et omni justitia, cum omnibus incolis in eadem villa manentibus, et mihi subjectis, cum tota familia contradidi habendam et possidendam communiter per omnia, Ecclesiæ sancti Confessoris S. Theobaldi et ecclesiæ S. Berthaldi de Calvomonte, pro remedio animæ meæ, et Ermengardis uxoris meæ, et filiæ meæ Sebiliæ, omniumque progenitorum meorum quiete; et liberos, adstantibus nobilibus et ignobilibus feci, ut nemini successorum vel ministrorum meorum liceat quidquam reclamare. Nomina autem virorum et mulierum, quorum capitoria ad me solum spectabant, hæc sunt. Fulmarus et filii ejus; Rainoldus, Anselmus et Ermeslendis; Ermeslendis et filii ejus. Fulco, Rainoldus, Radulfus cum suis sororibus; Ermengardis et filii ejus, Everardus Constantius, Anselmus, Udela; Fulco villicus et ejus uxor Bertrada; Rodulfus, Uldesendis cum filiabus; Constantius, Josbertus, Herbertus calvus, cum filiis; Balduinus, Rainaldus, Odila soror eorum, Burgundus. Harduinus filius ejus cum Sororibus, Hersendis uxor Theobaldi. Hæc autem sunt nomina eorum, quorum servitia et advocationes sive in villa sive extra villam, mihi vendicabam: Joannes et filii ejus, Rainerus, Adelardus, Acclinus, Durannus filii Ermesendis; Albricus, Anselmus, Raynoldus miles cum familia; Anselmus qui et Bonellus cum uxore; Radulfus, filius Ermingardis; Thiebertus cum uxore Corbuzeia cum filiis; Theoldus, Harduinus filii Hordiardis; Anselmus, Rodulfus, Hordiardis, Udela uxor Guarnorii cum filiis; Anselmus cum familia tunc temporis villicus, Everardus cum familia, Albertus cum familia: sane nec hoc prætereundum est, quod si quæ deinceps in eadem villa et allodio acquiri poterunt, ab utraque ecclesia pariter acquirentur, et acquisita communiter partientur. Hujus donationis testes fuerunt, quorum nomina subscripta sunt, Et Rogeri Comitis et Alberti Comitis et Godefridi filii ejus, Ermengardis Comitissæ et Sebiliæ et Hugonis Scoti et Guiderici filii Gualcheri, et Haroldi, et Alemanni, et Raynaldi, et Gualteri, et Gerardi et Richeri et Rainaldi et Udonis, et aliorum multorum. Actum publice anno Incarnati Verbi, MLXXXVII Indictione X, regnante Rege Francorum Philippo XXVIII anno.

cum mancipiis.

AUCT. D. P.

Eidem donata Archiep. Remensis

22 Ego Rodulfus, divina bonitate, licet indignus, Remorum Archiepiscopus, omnibus sanguine Christi redemptis in unitate fidei perseverantiam. Ecclesiarum nobis commissarum solicitudinem gerentes, expressius officii administratione compellimur eorum res distractas colligere, collectas in statu suo pro posse nostro solidare; ut etsi suscepti dignitate sacerdotii non quantum debemus, nostri mensuram nominis vel aliquatenus expleamus. Quo circa Ecclesiam de Calvomonte, magnis quondam Portiensium Comitum prædiis, Raynaldi scilicet et Rogeri filii ejus, honorificentissime ditatam, Canonicis inibi deservientibus, cum omnibus ad eamdem pertinentibus auctoritate nostra concedimus tenendam, et tam ipsis quam eorum successoribus canonice substituendis, præfatam ecclesiam cum rebus suis, quorum subscripta sunt nomina, hac testamentali pagina perpetuo possidendam firmamus. Altare videlicet de Adun cum molendino, terra, pratis, altare de Zuizerco, mediam partem altaris de Trion cum medietate ecclesiæ; molendinum de Giriniaco, molendinum de Ronne; Campiniolas cum omnibus appendiciis; partem allodii de Herbiliaco; allodium de Justina, quod dedit Hugo Scotus; allodium de Ciresiaco, quod dedit Rodulfus Albus; quartam partem allodii de S. Ferreolo, quod dedit Radulfus filius Rohardi; mediam partem de Remaldicurte, cum omnibus appendiciis suis, quam dedit Rogerus Comes; allodium de Luziaco; allodium Heriberti, filii Theodorici de Burimachimonte; terram de Rosur; terram de Rubiniaco, Widerici filii Galcheri; allodium Dominæ Seigundis de Beheniaco; terram apud Meinbreciacum; terram de Gutsweio; terram Ohardi de Ultremonte; nonam partem de redditibus. Hoc autem auctoritatis nostræ præceptum indelebile permanere volentes, imagine nostra illud muniri fecimus, de probabilium personarum testimonio roboravimus. Signum Hugonis Altivillariensis Abbatis, Hugonis S. Basilii Abbatis, Joranni Abbatis S. Nicasii, et Harderici Mosomensis Abbatis, Rodulphi S. Theodorici Abbatis, et Bernardi Abbatis de Morimonte, et Fulconis Archidiaconi, et Ebali Præpositi, Joffridi Decani, Lamberti Cantoris, Cyrici Vicedomini, Bartholomæi Thesaurarii; Signum Odonis, Adæ, Elberti Presbyterorum; Signum Gerardi, Richardi Diaconorum; Signum Guidonis, Gualteri Subdiaconorum. Actum Remis anno Incarnati Verbi milesimo centesimo undecimo, Indictione quarta, regnante Ludovico Francorum Rege anno quarto, Archiepiscopatus autem Domini Rodulfi anno quinto Fulcradus Cancellarius scripsit et subscripsit. *Quod autem Canonici isti, non fuerint Regulares, uti absque probatione ulla asserit auctor Vitæ Gallicæ, sed seculares; patet ex commemoratione quadam, post Martyrologii lectionem fieri quotannis ibidem solita, secundum ordinem Necrologii antiquitus usurpati, his terminis,* IV Idus Septembris commemoratio Roberti Sacerdotis et Canonici secularis hujus ecclesiæ, qui in vita sua ecclesiæ nostræ novem sextaria frumenti dedit annuatim.

enumerat et confirmat

an 1111.

23 *Anno etiam* MCXLII *Henricus de Castello, Comes Portiensis, Calvimontis et Grandisprati; et Clarembaldus, Dominus de Roseto; viri seculo dignitateque clarissimi; assensu suorum consanguineorum et heredum, ut perpetuam Berthaldinæ virtutis haberent impressam imaginem*

AUCT. D. P. *Anachoresis fundata et approbata ab Archiepiscopo*

A *imaginem, erigunt anachoresim in loco ubi sanctus Eremita olim permanserat, eamque dotant ad æternam rei memoriam, in gratiam duorum Eremitarum Rodulfi et Guarnerii, quibus dant allodium in territorio silvæ, quæ Terrisola dicitur, ad rivulum quem accolæ vocant Urb et quidquid de circumstanti nemore per se vel per carrucas suas extirpare possent, quod totum confirmatur scripto authentico Domini Samsonis Remensis Archiepiscopi, sub tenore sequenti.* In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Samson, Divina miseratione Remorum Archiepiscopus, universis sanctæ Matris Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, in perpetuum. Cum inter ceteros humanæ fragilitatis defectus, etiam oblivione plurimorum tentamur, utile visum est litteris annotari, quod temporum evolutione cogimur oblivisci. Præsentibus igitur et futuris notum fieri volumus, quod Comes Henricus de Castello et Clarembaldus de Rofeto, uxoribus et filiis eorum concedentibus, Domno Rodulfo et Guernerio eremi cultoribus allodium in territorio silvæ quæ Terrisola nuncupatur supra rivulum quem accolæ Urb appellant, respectu supernæ remunerationis, absque ulla terragii vel cujuslibet B debiti exactione, libere donaverunt. Concesserunt etiam quod quidquid de circumstanti nemore per se vel per carrucas suas possent extirpare, cum aquis circumfluentibus quantum usibus eorum sufficeret, libere possiderent. Canonici etiam de Calvomonte totam Decimam ejusdem loci prædictis Fratribus donaverunt. Ut autem hujus nostræ confirmationis series rata et illibata imposterum permaneat, sigilli nostri impressione, et probabilium personarum intitulatione, eam corroborari fecimus. Actum Remis anno Incarnati verbi MCXLII, Indict. IV regnante Ludovico Francorum Rege anno VII. Archiepiscopatus Domini Samsonis anno III. Drogo Cancellarius recognovit, scripsit et subscripsit. *Ita ecgraphum ab Odino missum in quo errari aliquid, patet ex dissonantia prænotatorum characterum cum annus MCXLII numeret indictionem V et Ludovici Regis annum VI usque ad Augustum.*

an 1142,

24 *Ad istam porro anachoresim, ut et ad Ecclesiam S. Berthaldi Calvomontanam, legitimis earum possessoribus annuentibus, eorumque nonnullis ad strictiorem observantiam tendentibus, anno MCXLVII vel paulo antea, sollicitante Gualtero Abbate S. Martini Laudunensis, annuentibus et consentientibus Henrico Comite Grandisprati et Samsone Remorum Archiepiscopo, Canonicus ordo Præmonstratensium inductus est, quod uti et priora omnia cum certissimis constent documentis manifestius error irrepsisse deprehenditur in Necrologio l. c., ubi præscribitur* Commemoratio Reginaldi C de Roseto, qui hunc locum contulit Ordini Præmonstratensi, qui et nobis concessit furnum bannalem in hac villa. *Nec enim hic alius concipi potest, quam is quem supra diximus Canonicorum secularium Collegium ad S. Berthaldi ecclesiam instituisse. Ex Præmonstratensibus autem primus Abbas institutus fuit* Joannes S. Martini Laudunensis Canonicus, *qui anno præfato MCXLVII obtinuit prædictæ confirmationem introductionis, et omnium bonorum ad dictam spectantium Abbatiam, primam a Samsone loci Metropolitano, subscriptum manu Drogonis Cancellarii, ac postea eodem anno MCXLVII eodemque tenore alterum ab Eugenio III Summo Pontifice, datam Parisiis XVI, Calendas Junii per manum Hugonis Presbyteri Cardinalis, agentis vices Guidonis S. R. E. Diaconi Cardinalis et Cancellarii. Agebat* Joannes *hic in humanis, operabaturque adhuc ad novellæ plantationem Ecclesiæ anno MCLIV, ut constat ex privilegio quodam Henrici Leodiensis Episcopi, quo nonnullas Calvomonti bonorum donationes confirmat in cartulario pag.* 18. *Post hunc* Cæsarius *Abbas transigit anno MCLVIII cum Vidone*

traditur Præmonstratensibus an. 11

horum ibi Abbates

Abbate S. Nicasii Remensis ex Cartulario pag. 103. D *Tertius* Julianus *anno MCLXXII. Quartus* Alelmus *anno MCLXXXI et MCLXXXII ex dicto cartulario; tum anno MCXCII* Albricus.

25 *Longævus hic Abbas fuit si usque ad annum MCCXLI, ante quem nullus alius nominatus invenitur, cœnobium rexit; ad ejusque tempora referendum erit quod anno MCCXIX S.* Berthaldi *ecclesia ingens incrementum acceperit egregia beneficentia* Rogerii Domini de Roseto et de Calvo-monte *ex cujus super ea re instrumento fragmentum accipio quo idem* Rogerius *dotat* Ecclesiam B. Berthaldi Calvi-montis, quam *inquit*, præ ceteris ecclesiis sub dominio meo Deo servientibus diligo, et de qua ecclesia frater sum et esse volo tam in vita quam in morte, et in ea propriam meam cum solenni voto elegi sepulturam. *Deinde confirmat omnes ejus possessiones sub data anni præfati. Hactenus fragmentum illud cui adscriptum reperio prædicti Rogerii sepulturam nuper in Calvomonte fuisse repertam. Post Albricum inveniuntur nominati Abbates, anno MCCXLI* Odo, MCCXLVI Petrus, MCCLII Joannes, MCCLXXXV et MCCCX Simon, MCCCCXLI Petrus, MDXVII *alius* Petrus; *in qua serie certum est* E *aliquos desiderari, quorum nomina exciderint, aut acta nulla reperiantur; ultimus autem, idemque diuturnus Regularis Abbas, ab anno MDXXIV ad MDLXX, fuit* Gobertus Cousin, qui *sicut in ejus commemoratione legitur* multa vasa argentea in ecclesia fieri curavit, multasque possessiones huic monasterio acquisivit; obiit autem Parisiis et inhumatus est in ecclesia Augustinianorum. *Postea in Commendam* Mag. Claudii le Roy *Abbatia recidit, sub quo ab hæreticis Sedanensibus anno MDLXXXIX profanata ac desolata ibidem fuerunt omnia.*

eisdem nova dos accedit an 1219

26 *Ostendit interim misericors Dominus, quanti esset B. Berthaldus meriti, dum ex quo sanctus Confessor e terra ad cælos reversus est, ejusque nomini Ecclesiam construi voluit, hanc pro ejus invocationis intercessione variis per plura sæcula miraculis illustravit, et illustrat ad præsens tempus. Horum autem attestationem insignem contulerunt anno MCCCCXXX Vicarii Generales Remensis Archiepiscopatus, sub hac forma.* Nos Vicarii Generales in spiritualibus Reverendissimi in Christo Patris et Domini, Domini Raynaldi, Dei gratia Remensis Archiepiscopi, in suis civitate et diœcesi Remensibus obtentis, universis et singulis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis et audituris, salutem in Domino sempiternam. Ad futuram et sempiternam rei memoriam. Quia scrip- F tum est, opera Dei et Sanctorum manifestare honorificum est, et miracula evidentia ipsorum Sanctorum meritis et precibus quotidie occurrentia inter Christi fideles publicare; ut exinde Deo per veros Christicolas laudes et gratiarum actiones referantur, et etiam omnipotens Deus in Sanctis suis glorificetur; Notum facimus, et tenore præsentium veridice attestamur, quod ab anno, nec non duobus, tribus, sex, decem, viginti annis et ultra, in ecclesia seu monasterio S. Berthaldi de Calvo-monte in Portiano, Remensis Diœcesis, nonnulli infirmi utriusque sexus, tam mares quam mulieres, etiam infantes parvuli et adulti, qui vexabantur et sæpissime vexantur a Spiritibus immundis, quorum aliqui cum equis et curribus, alii pedestres, alii equestres, causa devotionis et sanitatis recuperandæ ad dictam ecclesiam seu monasterium de Calvo-monte in honore Dei et ipsius S. Berthaldi ædificatum et constructum adducti fuerunt et sæpisse adducuntur, qui fuerant antea et multoties sunt furiosi, dementes vel mente capti, ideoque ligatis manibus et pedibus oportebat, et multotiens oportet ipsos conservare, propter rabiem et furiam, quibus detinebantur, et de die in diem fama publica referente detinentur: procul dubio

Attestatio anni 1430

dæmoniaci nus S. Berthaldi invocatione curari solitis.

dubio tamen, ut in pluribus et pro majori parte, post novem dies, ab eorum infirmitatibus furiaque rabiei et dæmonum vexationibus, piis intercessionibus et meritis Beatissimi Berthaldi Dei Confessoris almi, ut pie creditur, liberati fuerunt, et pristinam sanitatem recuperaverunt, et de die in diem liberantur et sanitatem recuperant, et a dicto monasterio sani et incolumes sæpe et sæpius recesserunt et recedunt, Deum et B. Berthaldum laudantes et glorificantes : prout super his, ad requestam et supplicationem venerabilis in Christo Patris, Domini Abbatis dictæ ecclesiæ seu monasterii, Nobis extitit facta fides, ex nonnullorum fide dignorum testimonio, per nos, suis juramentis solenniter præstitis, in præsentia Notarii nostri subscripti examinatorum : quibus et eorum depositionibus fidem plenariam adhibemus. In quorum omnium et singulorum præmissorum testimonium, præsentibus litteris sigillum Metropolitanæ Curiæ Remensis, quo uti solemus, duximus apponendum. Datum et actum Remis anno Domini MCCCCXXX die XIX mensis Martii, secundum usum.

Post varias ærumnas in monte toleratas

27 *Porro Abbatia ab Hugonottis anno (ut dixi supra) MDLXXXIX expilata, nihilo melius habita fuit a Regiis militibus sub Comite S. Pauli; qui paucis hebdomadis post, pulsis inde Hugonottis, locum præsidio munierunt, ne iterum receptaculo ipsis esset. Interim vero Religiosi ad vicinum Castelli Portuensis municipium se receperant, suisque ibi officiis fungebantur in capella ibidem, pertinente ad monasterium S. Huberti. Quamvis autem Abbas Claudius Abbatiales ædes instauraverit aliquando, fortuito tamen incendio exustæ rursum illæ fuerunt. Ad hæc Calvi-montensis castri Domini temporales non desinebant dilectam Fratribus solitudinem inquietare : qui cum per se perque domesticos suos quosdam etiam illorum ausu sacrilegio percussissent, vulnerassent, et ad necem usque crudelem attrivissent; Stephanus Galmet Presbyter et Abbas Commendatarius secundus, transtulit hoc cœnobium ad vallem, una saltem hora Calvo monte distantem; vallem inquam amœnam, fertilem, cui vulgus Piscinæ nomen, ob fontis commoditatem, indidit. Inceptum opus anno MDCXXIII ut constat ex sequenti marmoris inscripto ad majorem ecclesiæ portam* Steph. Galmet Aurelianensis, Regi Christianissimo a Consiliis et Eleemosynis, Abbas Commendatarius, hoc monasterium, immunitatis Ecclesiasticæ conservandæ causa, transtulit ædificavitque anno Domini MDCXXIII. *Consummatum autem immenso sumptu, egregiis Abbatialibus, ædibus et amplo ambitu, sed templo et claustro modicis ac simplicibus, circa annum MDCXXXIV, quo ecclesia dedicata est ab Henrico Dei et sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Tarsensi Episcopo, ut patet ex immediate subjectis :*

an. 1623 transfertur Abbatia

28 Henricus Dei et sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Tarsensis, Episcopatus Abrincensis Coadjutor, necnon Illustrissimi et Reverendissimi Domini, Domini Henrici a Lotharingia, Archiepiscopi Ducis Remensis, Franciæ primi Paris, Vicarius generalis; Ecclesiam hanc cum altari, a Reverendissimo patre ac Domino, Domino Stephano Galmet, Regi a consiliis et eleemosynis, præsentisque monasterii Abbate Commendatario translatam, atque ædificatam in honorem Dei optimi maximi, sanctissimique Confessoris sui Berthaldi, consecravimus; omnibusque Christi fidelibus qui pie ac devote dictam ecclesiam in anniversario Consecrationis die visitaverint, singulis annis XL dies de vera indulgentia, in forma Ecclesiæ consueta, concessimus anno Domini MDCXXXIV mensis Maji Dominica prima. *Signatum* Henricus Episcopus Tarsensis. *Liethaudus, Prior ejusdem Abbatiæ, in Vita Gallica S. Berthaldi cap.* 10 *asserit, huic* Abbatiæ annexas duodecim ecclesias parochiales, cum aliquo Prioratu et diversis capellis, inter quas sunt duæ parochiæ in diœcesi Leodiensi, Ogii et Maisnil quarum collationes pertinent ad dictam Abbatiam.

Alt.r D. P.

Litaniæ de S. Berthaldo

29 *Finitur libellus iste Gallicus per Litanias,* S. Berthaldo *accini consuetas, in quibus appellatur,* Imitator Jesu Christi, Locorum sanctorum visitator; Amator crucis, caritatis, castitatis, omnium virtutum; Pater amabilis et admirabilis; Bonus custos fidelium suorum, Benignus dilector proximorum; Fidelis ut Abraham, Obediens ut Isaac; Luctator ut Jacob; Castus ut Joseph; Contemptor mundi, Profligator cacodæmonum, Patrator miraculorum, Sal et decus morum; Sectator humanitatis, Speculum perfectionis, Regula paupertatis, Norma abstinentiæ, Flos pietatis, Lux devotionis, orationis, contemplationis; Forma pœnitentiarum; Protector ad se clamantium, Refugium miserorum, Resuscitator mortuorum, Consors Sanctorum omnium : *atque hæc ad finem Oratio subjicitur :* Omnipotens sempiterne Deus, qui per gloriosa S. Berthaldi Confessoris exempla, humilitatis et paupertatis nobis triumphale iter ostendisti; da quæsumus, ut viam pœnitentiæ salutaris, per quam ille venerabilis Pater noster antecessit illæsus, ejus nos præclaris meritis adjuti, sine errore sequamur.

§. IV. *De S. Amando eremita Bellimontis ejusque Reliquiis et cultu Remis.*

ex Bellomonte ubi vixit S. Amandus et mortuus colebatur

Calvimontensia ex quibus hactenus processimus monumenta ita agunt de S. Amando, *ac si* S. Berthaldi *individuus per annos quinquaginta usque ad mortem comes nullam aliam sui memoriam, præter Reliquias corporis, posteris dimisisset, constat interim ex Bellimontensis monasterii nunc ad jus Calvimontensium devoluti, traditione, ipsum in Bellomonte sic instituisse eremiticam vitam, ut fundato istic monasterio prædicto initium dederit. Quin etiam Sancti Legenda, qualis postea una cum Reliquiis Remos translata est, tota decurrit, absque ulla Berthaldi mentione, cui si diu superstes fuit, ita apparet credibile, quod illius ipse discipulus et multo junior fuerit. Verosimilior forte conjectura foret* Amandum *cum* Berthaldo *sive ante sive post assumptam in suo cujusque loco, eremiticam vitam, pariter, non Hierosolymam, quo Berthaldus initio conversionis suæ profectus fuerat, sed Romam ad limina Apostolorum peregrinatum, familiaritatem coluisse, eique morienti adfuisse accersitum, jamque plurium discipulorum Abbatem etiam ipsum, æqualem ætate et fama virtutis; cujus deinde mortui corpus adhuc in Bellomonte fuerit, quando scribebatur Legenda prædicta. Desolato deinde loco notabilis pars corporis translata Remis sit ad majus ibidem Hospitale; pars retenta a Calvimontensibus.*

translatæ Reliquiæ in Calvum-montem

et Hospitale S. Mariæ Remensis

31 *Flodoardus Historiæ Remensis lib.* 3 *cap.* 10 *meminit Xenodochii ab Archiepiscopo Hincmaro qui seculo* IX *medio floruit, in eaque constructi ac dotati, his verbis :* Canonicis quoque hujus Remensis Ecclesiæ Hospitale constituit ad susceptionem peregrinorum vel pauperum, congruis ei ad rebus deputatis, cum consensu Coepiscoporum Remensis Diœcesos, atque subscriptionibus eorumdem. *Hospitale illud ipsum esse quod sub titulo S. Mariæ hodiedum superest Metropolitanæ ecclesiæ propinquum licet varios casus et mutationes passum, multis suadere nititur supralaudatus Marlotus lib.* 3 *cap.* 29, *atque habere* Velatas plus minus viginti per vices ægrotis necessaria subministrantes et Regulares Clericos quatuor, quibus animarum cura relicta. *Casimirus Oudin indicavit nobis non ita pridem factum esse quod velatæ, sive Sanctimoniales S. Augustini Regulam professæ, insignem quam habebant S.* Amandi *Reliquiam capsæ argenteæ ad majorem devotionem incluserint, item exstare*

Auct. D. P. unde accepta ex MS. Vita quæ dicit, quod

A *stare apud easdem codicem Choralem annorum plus quam ducentorum ex quo mittebat transcriptam ipsius* S. Amandi *Legendam cum Antiphonis, Responsoriis etc. modulatione rythmica non inculta quibus omissis satis habebo vitam hic dare.*

32 Amandus Domini nostri Jesu Christi Asceta. Natione Scotigena, extitit oriundus ex insigni prosapia. Pater vero ejus est dictus Germanus, mater autem ejus Amanda est nomine vocitata. Hi vero annuente Domino genuere tres proles, præfatum scilicet Amandum, atque Lucium ejus uterinum, unamque eorum sororulam, Probam Nomine dictam. At vero Amandus, bonæ Indolis puerulus, a religiosis parentibus est studio litterarum traditus. Qui in brevi tempore adeo hausit cunctum fontem spiritualis intellectus, quod nullo didascalo indigeret penitus, præter illum qui est Magister omnium. Nec mirum, ubi Spiritus sanctus Magister est, nulla discendi mora est. Dehinc vero nitebatur puer strenuus totis viribus fieri vir perfectus : parvipendebat præsentia veluti deveverat in pueritia, æstimans pro nihilo omnia præter id quod erat æternæ salutis gaudium. Postquam autem est quinque clavibus

post egregium profectum in studiis

B sophiæ imbutus, cœpit proficere de die in diem in melius : scilicet discordes ad concordiam revocare, egentes alere, nudos vestire, ecclesias multas pro Christi nomine petere. Ad hæc quid multa? Ad ultimum arbitrio sui Præsulis nactus est Presbyterii culmen Ordinis, atque tantum magis fervebat in divino opere quod sciebat summopere adstrictum se operibus et sermoni. Mactabat omni die holocaustum Domino, non ex pecore alieno, sed ex pectore proprio; idcirco quod erat auctus sacerdotali prælatione. Post alia vero et multa innumerabilia, inspirante eum divina gratia, ut desereret patrium solum, causa adipiscendi superni bravium, una cum parentibus et suis uterinis, et familia utriusque sexus decem et octo, aggressus est Romanus iter lætabundus. Deinde nimirum transeuntibus illis multa itinera periculosa, per rupes, petierunt Romam, præcedente eos spiritus sancti gratia. Ibi vero aliquantisper morati, visis Apostolorum et Martyrum quæ ibi requiescunt Reliquiis, has penitus habere frustratus pro Ecclesiis [suæ patriæ] pedibus nudis deliberaverat ad propria reverti.

Presbyter ordinatus,

Romamque peregrinatus,

33 Transeuntes autem Italiam et superiorem Galliam, petierunt Remensem provinciam, procurante ea tempestate S. Remigio Archipræsule pastoralem curam Remensis Ecclesiæ. Contigit vero Sanctis transire per quemdam locellum, in quodam

venit in diœcesim Remensem,

C nemore situm, qui nuncupatur a populo Pulchermons usque in hodiernum diem. Illic cupientes Sancti fessi corpora parumper dare quieti ob laborem itineris, prostraverunt se humi. Ibi sumpserunt elixum, herbis et radicibus appositum, nihil secum portantes præter baculum. Aggressa est autem tam magna sitis eos omnes, ut ferme exhalarent spiritum, quoniam incaluerat supra eos nimium, æstivum enim erat tunc tempus. Vociferantibus autem cunctis præ ardore sitis, maxime almi Amandi genitrice (quoniam jam erat evacuata et rugosa multo labore) audiens Confessor Christi clamorem qui erat secum populi, prostravit se genu tenus humi, cœpitque ex intimis labiis flagitare potentiam Cunctipotentis, qua dignaretur subvenire periclitantibus siti. Cœlum vero ejus patuit precibus, et oratio ascendit coram Deo velut incensi sumus. At mirum in modum egressus est divinitus, secus ejus qui erat in terra fixus baculum, fons largissimus, ita ut biberet ipse una cum genitrice sua siti arente, et cuncto collegio ejus. Intellexit protinus vir Dei illic fore januam cœli, votumque vovit Domino, numquam se recessurum a præfato locello, idcirco

fontem sitientibus precibus e terra elicuit

quod visus est sibi Deo acceptus, quoniam erat a

D seculo remotus, et undique nemoribus consitus. Igitur non quivit diutius latere lucerna sub modio, sed est imposita candelabro, ut luceret omnibus in Dei domo. Post talia vero aggressus est almus vir Clodovæum, Regem Francorum Christianum, a S. Remigio nuper baptizatum; et impetravit sibi dari præfatum locellum, cum omnibus quæ adjacent per gyrum. Regressus igitur vir Dei a Curia Regis construxit in præfato [loco] quamdam Basilicam sancti Petri Apostolorum principis. Cœpit vero undique populus ejus præsentiam videre, clementiamque Salvatoris laudare, atque de ipso sacratissimo fonte divinitus dato devotissime bibere : quoniam quidem inerat in eo talis virtus, quod nullus accedebat ad eum tam ægrotus; causa bibendi vel causa lavandi, quin recederet absque dilatione sospes domum. Nunc etiam operantur virtutes multæ in hoc loco, præfati sancti meritis, qui tumulatus est a S. Remigio. Illic redditur cæcis visus, gressus claudis, solatium mœstis, libertas dæmoniacis, veluti patet usque in hodiernum diem fidelibus cunctis. Non sunt prætereunda, sed memoriæ fidelium tradenda miracula, quæ sunt meritis sancti Amandi peracta.

et impetrata loci possessione ædem extruxit:

ibique a S. Remigio tumulatus.

E

34 Audiens vero populus Christianus prodigia et signa, que fiebant meritis Sancti largissima; cœpit catervatim frequentare locum ex omnibus partibus, quo erat homo Dei tumulatus. Videns vero [Remensis Præsul] ejus Basilicam nimium arctam fore, ad supervenientem plebem recipiendam; decrevit omnium consilio construere majorem. Postea vero aggressi sunt iter ad quemdam vicum in pago Laudunensi situm, cum curribus et plaustris, in quo erant quadrati lapides affatim frequentes, ex quibus oneraverunt currus et multa juga boum, et regressi sunt ad præfatum locellum, per cujusdam fluminis vadum, quod vulgo nuncupatur Asneum, admodum periculosum. Exeuntibus autem cunctis de vado, remansit quædam vidua paupercula retro, comitante eam unico proprio filio, quæ habebat ingentem lapidem quadratum super currum suum positum, tam onerosum quod frangeret axem currus, antequam peterent fluminis littus. Videns autem muliercula fracturam axis et casum saxi, quod erat aptum ad opus Dei; citissime transmeavit amnem, ceciditque prona in faciem. Dehinc igitur surrexit quantocius supra pedes, cœpitque obnixe clementiam Omnipotentis implorare, ne perderetur lapis adductus magno labore. Postea vero, illa hac et illac discurrente opemque quærente, ac sæpissime retro aspiciente, vidit divinitus præfatum saxum supra lympham natare, et binas columbas illud cum rostris ad littus trahere, non absque populi magna admiratione. Adhuc vero habetur ipse lapis in structura ejusdem Oratorii, ut liquet cernentibus cunctis, ad laudandum nomen supremi regis, qui extat mirabilis in cunctis.

Pro ampliori ecclesia struenda,

advectus lapis lapsusque in Axonam miraculo emergit.

F

35 Quadam vero die petiit quædam mulier libera, cum alia caterva, præfatam Basilicam causa orandi, ut aliquando dignarentur Sancti, quorum Corpora ibi requiescunt, suo interventu subvenire sibi. Oratione autem finita, est foras egressa. Videns vero cominus quamdam pyrum, quæ erat plantata secus monasterium, admodum pyris oneratam, cupiebat nimium sumere ejus fructum. Quæ protinus accessit ad arborem, manum extendens cuncto nisu, ut caperet ejus fructum. Pro dolor! Tam repente adhæsit manus ejus præfatæ pyri ramo, quod nullo modo quivit se movere ab ipso loco. Videns vero mulier propriam manum arbori hæsisse, medullitus cœpit queritare, clementiamque Salvatoris implorare; sanctumque Dei famulum Amandum nomine tenus vocitare, quod dignaretur sibi indulgentiam apud

Pyrum e loco carpentis manus

arbori adhærens, pænitenti solvitur

A apud Dominum impetrare, quatenus mereretur incolumis domum redire ejus sanctissima prece. Sed mirum in modum illico est restituta sibi pristina manus divinitus, obtentu Sanctorum qui ibi quiescunt et precibus. Qua de re compuncta muliercula iterum ingreditur oratorium, revisit Sanctorum corpora quæ ibi habentur, quatenus mereretur abolere offensum facinus, eorum sanctissimis precibus. Finita vero oratione, cum gratiarum actione, tradidit manu propria et ramo et gleba, quamdam culturam secus præfatam Basilicam admodum fertilem jacentem, in perpetuum eidem Ecclesiæ habendam. Et si quis ei aliquid quod absit distrahere vel defraudare Ecclesiæ voluerit, subjaceat excommunicationi authoritate sancti Petri et sancti Remigii Archipræsulis et sancti Amandi Confessoris, nec non et omnium Sanctorum quorum corpora in hac ecclesia requiescunt, annuente Domino nostro Jesu Christo, qui cum patre et Spiritu sancto vivit et regnat per cuncta secula. Amen.

Reliquiæ in novam capsam translatæ

36 *Hactenus Vita eodem inventa loco in quo Marlotus invenerat Legendam* S. Berthaldi, *summatim ut supra** *vidimus describendam. Hinc subit mirari adeo jejune ipsum agere de* S. Amando *ut ejus præmissam* B *Vitam non videatur legisse. Magis tamen mirum est quod præcitatum caput finiens cum enumeratione Reliquiarum in ipso Hospitali venerabiliter servatorum, non meminerit Amandinæ lipsanothecæ. Sed fortassis ea nondum confecta erat, quando anno* 1666 *evulgavit primum historiæ tomum. Ut ut est ex Gallica S. Berthaldi Vita scimus hujus quoque Reliquias aliquas ex Calvomonte ad ipsum Hospitale fuisse translatas una cum Legenda quam Marlotus descripsit atque ejus festum hoc die ibidem agi. Præcipue tamen istic coli* S. Amandum *atque die* XVI Augusti *propter tunc translatas prædictas ejus Reliquias ex arca veteri in novam argenteam, caput videlicet et ossa quædam, quæ ipsa Calvomonte Remos translata fuisse præsumit Lietaudus agnoscens illa in Calvomonte deesse. Mihi verosimilius apparet ex Bellomontensi cœnobio immediate allata fuisse; propter Legendam cujus in Calvomonte nulla videtur haberi notitia.*

AUCT. D. P.

die 16 Aug ea causa festivo

37 *Finio cum annotatione quadam Marloti in margine posita, qua monet* S. Amandum *fortassis* Altimundum *seu* Antimundum *esse, de quo cap.* 10 *egerat* quis hic Antimundus fuerit, *inquit ibidem*, aut quali vir præditus indole, tradit Matthæus de Pres in Morinensi Chronico, ubi ait, haud procul Remis degisse pauperem in tugurio, litterarum non omnino rudem, sed modestum: quem pietas a forensibus ad munus sacerdotale, dein ad segregem vitam avocarat. *Ubi iterum ad marginem annotat,* hunc Antimundum forsan B. Bertaldi comitem fuisse de quo cap. 16. *Quod minus placet: nam, etiam Marloto fatente, dicitur a S. Remigio ad excolendos Morinos* E *destinatus* Antimundus, *ac Teruanensis factus Episcopus: de quo consuli potest Malbrancus lib.* 2 *de Morinis cap.* 39, 43 *et* 44, *ubi diem obitus necdum se deprehendisse fatetur.*

DE SANCTO AURELIANO

EPISCOPO ARELATENSI IN GALLIA

SYLLOGE HISTORICA.

G. H.

De ejus initio et fine ex epistolis Vigilii Papæ, atque de cultu.

AN. DLI

Post S. Cæsarium et Auxanium

P*ræfuerunt Ecclesiæ Arelatensi, sexto Christi seculo, illustres Antistites. Horum unus* S. Cæsarius, *ex Monacho et Abbate Lerinensi, ob famam eximiam doctrinæ et sanctitatis, creatus Episcopus est anno* DII; *et post vitam præclare peractam migravit ad Dominum anno* DXLIII *die* XXVII C *Augusti, quo eruunt ejus Acta elucubranda. Huic tunc substitutus est* Auxianus, *Præfecto Prætorii patre natus, cui Vigilius Papa vices suas in Gallia anno* DXLV *delegavit. Verum ipso, anno sequenti* DXLVI *morte sublato, successit* S. Aurelianus, *de quo hic agimus, quem item Vigilius Papa Vicarium suum in Gallia constituit missa hac epistola.*

creatus Episcopus Arelatensis S Aurelianus

a Vigilio Papa designatus Vicarius,

2 Dilectissimo Fratri Aureliano Vigilius. Administrationem vicium nostrarum fraternitati vestræ animo libenti committimus, et credimus Caritatis vestræ officio actibus Deo placitis diligenter universa compleri; quando et summi Sacerdotii consortio vos dignos divina esse gratia judicavit; et gloriosissimi Childeberti Francorum Regis Christiana et Deo placita, in perhibendo vobis testimonio, voluntas accessit. Quapropter vices nostras vestræ Caritati hac auctoritate committimus, ut universa quæ decessorum nostrorum vel Canonum statuta sanxerunt, Deo congruis operibus faciendo atque servando, et nostrum et prædicti Regis judicium circa Caritatem tuam rectum fuisse possis ostendere. Sanctarum enim Scripturarum nos docet auctoritas, quia Christus Deus, Dominus et Salvator noster, prius universa quæ bona sunt facere voluit et docere. Scriptum est enim: Primum quidem sermonem feci, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere, usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est. Item quod commonendo Timotheum doctor gentium dicat Apostolus, Fraternitatem tuam semper ante oculos habere confidimus. Ait enim: Confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu: et quæ audisti per me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. Et item ipsa: Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem recte tractantem verbum veritatis. Et iterum: Labora sicut bonus miles Jesu Christi. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.

Act. 1

F

2 Tim. 2

ad discutiendas querelas,

3 Si quam ergo inter Fratres diabolus, humani generis hostis antiquus, zizaniam seminaverit, calliditate nequitiæ consueta; aut de aliquo Sacerdotum Fraternitati tuæ, servatis majorum per omnia constitutis, fuerit querela deposita; adhibitis tibi Fratribus et Coepiscopis, secundum qualitatem negotii numero competente; causam Canonica et Apostolica ordinatione discutiens, ea sententia definies, quæ et Decessorum nostrorum conveniat statutis, et Deo æquitatem in omnibus diligenti sit grata. Si quod vero de religione fidei, quod Deus avertat, fuerit certamen exortum, aut tale aliquod negotium fortassis emerserit, quod pro sui magnitudine ibidem nequeat definiri; veritate discussa, relationis serie distincta, ad nostræ Sedis consultationem potius ut remittas hortamur. Quia ita Decessores vestros, qui Decessorum nostrorum vices egisse monstrantur,

monetur graviores causas et fidei ad S. Sedem referre,

tur, fecisse testimonium nostri declarat scrinii : quatenus ea dispositione servata, Ecclesiæ unitas stabili firmitate persistens, pacis bono in omnibus perfruatur. Cujus velut hereditarium munus Christus Deus, et Dominus et Salvator noster, ad cœlos, unde numquam defuit rediturus, discipulis suis legatur reliquisse, dicens : Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Et ut universa fraternitas vestra diligenti possit ratione complere, Episcopis, quibus pro vice nostra te præesse voluimus, nos præcepta destinasse signamus ; ut et illi vobis obedientiam exhibere debeant competentem, et Fraternitas tua eos in Christi caritate complectens, exemplis bonorum potius operum, ad quæ sunt Deo placita facienda, semper invitet. Illud pari eis auctoritate signavimus, nequis sine Formata tuæ Fraternitatis ad longinqua loca audeat proficisci, sed ut consuetudinem illam debeant custodire, quam constat semper nostræ Sedis habuisse Vicarium, et a vobis Formatam postulent, si causarum suarum necessitate compulsi, ad longiora itinera destinare disponunt.

Joan 14

Episcopos diligere

4 Sed ne in aliquo Sedis nostræ Vicarius, minor suis Decessoribus videatur, necessarium fore credidimus Pallii vobis usum, quemadmodum Decessori vestro hactenus dederamus, præsenti auctoritate concedere ut meritorum et omnium bonorum rerum vobis, B. Petro Apostolo suffragante, non desit ornatus. Oportet ergo Caritatem vestram Sacerdotali semper studio inter Dominos filios nostros clementissimos Principes, et gloriosissimum virum filium nostrum Childebertum Regem, gratiæ intactæ fœdera custodire. Scire enim, nec vos convenit ignorare, quod necessario prædicatis, quia Scriptura pronuntiat, dicens : Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. Et hoc quoque vestrum facere desideramus affectum, ut glorioso viro filio nostro Patricio Belisario destinatis scriptis gratias referatis, qui homini vestro laborem ad clementissimum Principem abstulit transeundi ; sed mox ut responsum recepit, nobis suis litteris indicavit. Deus te incolumem custodiat, Frater carissime. Data x Kalendas Septembris, quinquies post Consulatum Basilii viri clarissimi. *Ergo anno Christi* DXLVI.

inter Imperatores et Regem Fr. pacem fovere,

Rom 10

et Belisario gratias agere,

5 *Aderat tunc Romæ* Belisarius *et restaurabat ejus* ***mœnia, Romanum imperium tenentibus*** Justiniano et Theodora *Augustis; inter quos et Childebertum Francorum Regem, cui Provinciam Ostrogothi excepta cesserat, pacem fovendam commendat Pontifex; satis etiam indicans sub hisce principiis non ita penitus extinctam Imperialis auctoritatis trans alpes umbram omnem, ut non adhuc eam respicerent Episcopi, Romanis ditionibus viciniores. Hoc etiam intelligitur ex simili ejusdem Pontificis ad Auxanium Decessorem Epistola, ubi eum sic monet.* Oportet ergo Fraternitatem vestram incessantibus supplicationibus Deo nostro preces effundere, ut Dominos filios nostros clementissimos Principes, Justinianum atque Theodoram sua semper protectione custodiat, qui pro his, vestræ caritati mandandis *(cum Vicaria scilicet potestate et Pallio)* suggerente gloriosissimo et excellentissimo filio nostro Belisario, præbuerunt consensum. Hortamur quoque, ut Sacerdotali opera inter gloriosissimum virum Childebertum Regem, sed et ante dictum Clementissimum Principem, conceptæ gratiæ documenta, paterna adhortatione servent. *Nempe desiderium expellendi Gothos ab Italia fecerat, ut Justinianus surgentes Francorum vires conciliandas sibi putaret, ideoque cum iis pacem optaret firmam.*

atque orare pro Imperatoribus,

sicut et decessori ejus Auxanio antea scripserat idem Vigilius,

6 *Misit tunc etiam supra citatam Epistolam Vigilius ad universos Episcopos in regno Childeberti constitutos, per quam ipsis sic mandat :* Quia dudum Auxanio, quondam Arelatensis civitatis Antistiti, vicem nostrarum solicitudinem dederamus, sed cursum vitæ præsentis implendo, de hac luce migravit; in cujus loco Aurelianus Frater noster residetur successisse; necessarium valde credidimus, solicitudinem hanc a nobis antefato debere committi, confidentes; illum et pro loci sui qualitate, bonis actibus universa quæ Deo placeant posse complere; et maxime cum gloriosus filius noster Childebertus Rex testimonium bonæ conscientiæ, pro Christianæ suæ voluntatis devotione, perhibuit. Oportet ergo, Caritatem vestram ei in omnibus, quæ servatis per cuncta Canonibus, salubriter secundum nostrorum definita Majorum pro nostra auctoritate censuerit, præbere obedientiam competentem. Et quia omnino necesse est, ut pro diversis cum Fratribus Deo juvante præstandis, statutis aptisque temporibus Episcoporum Synodus debeat congregari; ideireo præsenti auctoritate censemus, ut nullus ubi aut quando constiterit se audeat excusare, excepta infirmitatis causa, quam humana non potest evitare fragilitas, aut certe quem digna excusationis ratio fecerit non venire. *Inter Concilia fuit* Aurelianense quintum, *habitum* die v Kalendis Novembris, anno XXXIX Childeberti Regis, Indictione XIII, *ergo anno Christi* DXLIX; *cui præsedisse alii referunt* Sacerdotem, Ecclesiæ Lugdunensis Episcopum, *alii* Aurelianum Episcopum Ecclesiæ Arelatensis, *quod forte præscripto Vigilii Papæ conformius est.*

qui et commendat Episcopis ut Aureliano obedientiam præstent,

potissimum in veniendo ad Concilia.

7 *Cum autem idem Vigilius Papa, anno* DXLIV, XI *Aprilis pridie Paschatis, condemnasset tria Capitula et hæretici scriptis litteris vulgarent ipsum, tria damnando Capitula, impugnare Calcedonense Concilium, ideoque varii ab ejus communione discederent : S.* Aurelianus Episcopus Arelatensis *ad eum scripsit, an quæ spargerentur vera essent. Cui Papa respondit per epistolam, Collatione VII insertam, quæ sic incipit :* Fraternitatis vestræ litteras, pridie Idus Julias, Anastasio deferente suscepimus : et gratias referimus Divinæ clementiæ, quia solicitudinem vestram in fidei causa, vel in nostræ opinione personæ, sacris relegimus convenire mandatis, ut digne Caritati tuæ verba Dei et convenienter aptentur : quibus ait, Elegi te Sacerdotem ex omnibus, ut ascendas ad altare meum, et portes coram me nomen magnum cunctis diebus vitæ tuæ. Necesse ergo nobis est, Caritatis vestræ solicitudinem brevi interim, quantum pro temporis qualitate potuimus, relevare colloquio : quatenus modis omnibus confidatis nihil nos penitus admisisse, quod Decessorum nostrorum constitutis, vel sanctæ, quæ una eademque est fidei quatuor Synodorum, id est, Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ primæ atque Calcedonensis inveniatur (quod absit) esse contrarium; aut quod ad personarum injuriam pertineat, quæ definitioni ejusdem sanctæ fidei subscripserunt, vel Sanctorum Prædecessorum nostrorum Cœlestini, Xysti, Leonis, aliorumque præcedentium atque sequentium definitis reperiatur adversum : sed a nobis omnibus prædictis Synodis unam venerationem, unamque fidei credulitatem indubitabiliter exhiberi : et eos, qui omnes suprascriptas quatuor Synodos in rectitudine fidei non sequuntur, vel unam ex ipsis vel omnes in fide repravant aut repravare aut injuriare vel repudiare nituntur, abjicimus..... Fraternitas ergo tua quem Apostolicæ Sedis per nos constat esse Vicarium, universis Episcopis innotescat, ut nullis aut falsis scriptis aut mendacibus verbis aut nuntiis qualibet ratione turbentur........ Illud quoque credimus sperandum........ ut sit Fraternitas vestra in hac quoque parte solicita, et glorioso filio nostro Childeberto Regi (quem Christianitatis studio venerationem integram Sedi Apostolicæ, cui nos Deus præesse

Ob tria Capitula condemnata solicito Aureliano scribit ille

1 Reg 2

omnia in 4 Conciliis statuta, manere illibata,

et curet per eum Childebertum Regem rogari,

A præesse voluit cognovimus exhibere) supplicare non desinas, quatenus in tanta rerum necessitate circa Ecclesiam Dei solicitudinem, sicut et confidimus Christiana devotione, persolvat: ut quia Gothi cum Rege suo in civitate Romana perhibentur ingressi, hoc eis dignetur scribere, ne se in Ecclesiæ nostræ præjudicio, quippe velut alienæ legis, immisceat, et aliquid faciat, aut fieri qualibet ratione permittat, unde Catholica possit Ecclesia perturbari........ Festina ergo, Frater carissime, ut in sanctæ fidei sinceritate persistens, Ecclesiarum pacem, quæ vel a Deo per meritum Sacerdotii tibi commissa est, vel a Nobis per Apostolicam auctoritatem Vicaria potestate mandatur, competenti solicitudine Deo propitiante custodias, et Vicarium te Sedis nostræ dignis Deo manifestes operibus. Deus te conservet, Frater carissime. Datum III Kalendas Majas, Imperii Domini nostri Justiniani perpetuo Augusti anno XXIV, post Consulatum Basilii viri clarissimi anno VIII. *Is est annus Christi* DL, *cum anno præcedenti Totelas Romam occupasset.*

ne per Gothos fides perturbetur.

7 *Quam diu postea vixerit* S. Aurelianus, *non omnino constat, videtur tamen a Sammarthanis colligi ex Epistola ab Italiæ Clericis directa Legatis Francorum, qui Constantinopolim proficiscebantur, eum anno* DLII *adhuc vixisse, et forsan anno* DLIII *ex hac vita ad Dominum migrasse*, XVI *Kalendas Julii. Nam ejus successor* Sapaudus *præfuit* Arelatensi V Concilio, anno Childeberti Regis XLII, die IV Kalendas Julias *id est anno Christi* DLIII. *Mortuus autem est* S. Aurelianus *Lugduni dum transiret, sive ad Regem aut ad conventum aliquem proficiscens, sive inde desiderans ad propriam Sedem redire. Sed ea ratiocinatio Sammarthanorum parum certa est: Epistola enim, apud Sirmondum tomo* 1 *Conciliorum Galliæ edita, solum indicat, quod tunc adhuc vixerit* Anastasius quidam, quem *(ut etiam supra vidimus)* Sanctus Episcopus Aurelianus Arelatensis civitatis ad beatum Papam ante hoc biennium direxerat; *adeoque nihil vetat quin jam tum fato functus fuerit* Aurelianus, *siquidem id aliunde possit confirmari. Memoria ejus inscripta est Martyrologiis Usuardi, Adonis, Bellini et aliis cum Martyrologio Romano, ad hunc* XVI *Junii, eisdem ubique verbis.* Lugduni depositio B. Aureliani Episcopi Arelatensis. *Ejusque festum in Ecclesia et Diœcesi Arelatensi celebratur sub ritu duplici, argumento Lectionum secundi Nocturni: potissimum ex jam relatis epistolis desumpto: sed transfertur in diem sequentem ob solennitatem SS. Quirici et Julittæ, de quibus supra egimus.*

Videtur obiisse anno 553 Lugduni, B *aut etiam citius,* *inscriptus Fastis sacris 16 Junii.* C

8 *Saussayus in Martyrologio Gallicano præter elogium, quod de illo habet loco proprio, aliud adjungit in supplemento his verbis:* Lugduni S. Aureliani Episcopi, qui ex Abbate Alzanatensi ad Sedis hujus gubernacula evocatus, S. Remigii, cujus subiit locum, vestigia pura conversatione servavit, moribusque pussimis et claris religionis actibus nobilis, postquam Sacris Comitiis sæpius interfuisset, pro Ecclesiasticæ politiæ meliori constitutione, fine Christianissimo consummatus Sanctorum laborum pervenit ad præmium. *Hæc Saussayus; sed quæ cum sint intelligenda de multo juniore aliquo Aureliano, seculo nono Archiepiscopo Lugdunensi, videntur solum huc referri occasione* S. Aureliani Episcopi Arelatensis, *apud Lugdunum mortui. Etenim Jacobus Severtius asserit in Archiepiscopis Lugdunensibus,* non dubitari in Breviarii Lugdunensis editione hunc Aurelianum: sed in nonnullis exemplaribus Ecclesiæ S. Nicetii, calamo manuali adscribi ad mensem Junii, in eaque celebrari; et librum obituum dicere simplici verbo eum e vivis decessisse IV Nonas Julii absque anni nota. *Quo tamen die non reperimus ejus nomen in ullis Fastis. Si quis aliud suggesserit, unde probetur deberi ei veneratio Ecclesiastica, poterit de eo agi die* IV *Julii, aut certe* XXVIII *Octobris, quo relatus supra S. Remigius ejus Decessor refertur a Saussayo, quo etiam dicitur a Sammarthanis ad meliorem vitam translatus.*

Alius ab hoc Aurelianus Ep. Lugdunensis. D AUCT. G. H.

9 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano, ad hunc* XVI *Junii ita scribit* Arelati in Gallia S. Aurelii Episcopi Arelatensis, *idque annotat* ex tabulis et officiis Sanctorum Ecclesiæ Arelatensis ad se inde transmissis, ubi vita illius continetur, et legitur in Ecclesia. *Habemus nos Officia propria Sanctorum Ecclesiæ Arelatensis, anno* MDCXII *et anno* MDCLVI *excusa. In iis autem non* Aurelius *sed* Aurelianus *appellatur, et est ad hunc* XVI *Junii Martyrologio Romano insertus. Fatendum est tamen quod in Translatione S. Honorati Episcopi Arelatensis, etiam* Aurelius *scribitur, dum de Basilica S. Honorati dicitur*, Ibi B. Honorati corpus locello suo repositum est. Ibi beatorum Pontificum Aurelii, Concordii, Æonii, Virgilii, Rothlandi, beatissima membra loca prædicta sanctificant. *Ubi de Singulorum die natali agitur, et* S. Aurelius sive Aurelianus coli XVI Junii *dicitur.*

Idem Aurelius qui S Aurelianus.

ACTA INVENTIONIS E

S. Aureliano et aliis octo communis,

Publico instrumento consignata.

Ex collectaneis Petri Francisci Chiffletii.

Post *Syllogen istam, jam pridem ab Henschenio concinnatam, venit ad nos ex benevolentia Patrum nostrorum Parisiensium, agente Joanne Harduino, Bibliothecæ Præfecto et libris eruditis in lucem datis claro, magnus monumentorum sacrorum Thesaurus, in scriniis P. Petri Chiffletii istic mortui repertus; ex quo multa deprompsimus* VI *Junii, agentes de S. Claudio: hic vero ex Actis Inventionis prætitulatæ servituris pro supplemento Aprilis, eo quod die* II *occurrat festivitas S. Nicetii Lugdunensis Episcopi, in cujus ecclesia ipsius et aliorum octo monumenta recognita sunt) hæc inquam dabimus ea quæ spectant* S. Aurelianum; *non Lugdunensem, de quo supra Henschenius, quemque oportet alibi sepultum fuisse, aut certe omnino non habitum pro Sancto, nec inter Sanctos collocatum, sed* Arelatensem, *quod probant inscripti tumulo versus.* F *Intrumentum autem illud sic incipit.*

Recognoscentes anno 1308

2 In nomine Domini. Amen. Anno ejusdem MCCC octavo, die Veneris ante festum B. Bartholomæi Apostoli, Indictione VI, Pontificatus Domini Clementis Papæ quinti anno ipsius tertio, per præsens ac publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod nos Hugo Dei gratia Thabariensis Episcopus,... virtute commissionis nobis factæ *(ex parte Canonicorum S. Nicetii, supplicantium* attente, quod cum plura Sanctorum corpora in ecclesia S. Nicetii requiescant, quorum meritis prout Apostolicarum litterarum habet assertio, quam plura miracula claruerunt, ex nostra permissione liceret dicta Sanctorum corpora, servatis honore et solennitate solitis, facere relevari, ut apud eamdem ecclesiam locis congruis posita, devota fidelium veneratione et laudibus debitis attollantur) *Talis inquam* virtute commissionis; vocatis et assistentibus nobis religiosis viris, Fr. Jacobo Sacrista, et Fr. Guillermo de Lux, Ordinis Prædicatorum Conventus Lugdunensis, Fr. Dionysio tenente locum Guardiani, et Fr. Bernardo de Lugniaco Ordinis Minorum Conv. Lugdunensis, Priore Carmelitarum, et Fr. Joanne de Nauziaco ejusdem Ordinis Conv. Lugd. ac Tabellionibus

tumulos Sanctorum in ecclesia S. Nicetii, *ex commissione Capituli translationem cogitantis.*

AUCT. G. H.

bellionibus infrascriptis; ad ecclesiam S. Nicetii supradictam accessimus, et in præsentia prædictorum et plurium aliorum Clericorum et Laicorum fide dignorum testium, ad hoc vocatorum et rogatorum, invenimus retro altare majus dictæ ecclesiæ quædam parva altaria; juxta quæ erant in lapidibus marmoreis, supra terram apparentibus, quædam litteræ seu scripturæ antiquæ: quas scripturas vidimus, et eas pro majori parte transcribi fecimus per Notarios infrascriptos, et exemplificari deligenter præsentibus supradictis.

transcribunt Epitaphium S. Aureliani,

3 Et primo, in primo altari meridionali, quod vocatur altare B. Nicetii... Subsequenter prope altare S. Sacerdotis, invenimus tumbam S. Aureliani, prout in scriptura, in lapide marmoreo superposito comprehensa apparebat; quæ est inter alia talis.

Orbis celsa gravi * versantur culmina lapsu,
Urbis * cacumina fulmina clara ruunt
Atque ovium damna * Pastorum morte patescunt,
Cum sibi sublata mystica dicta * ferunt.
Et geminæ * genuina plebis lamenta resultant,
Cum * soliti pastus dogmata sancta darent.
Quo probat amissum populorum pectore, planctu,
Heu! decus, heu! * numen, Aureliane, tuum.
Pontifici claro fulsisti dogmate, cultu.
Cum * quo Arelas digno munere læta fuit.
Sed animas * sancta eripiunt consortia cœli,
Quas hinc corporibus laxat abire Deus.
Ergo omnes recte capiunt solatia dempti,
Quem * norunt meritis astra subisse poli.
Non retinet mundus * arctantis jure sepulcri,
Quem recipit summi dextera ampla Dei.
Nec * sua venturis morientur nomina seclis,
Vivere quem semper inclita * dogma docent.
* Præcipit heu! rursum, numerans quinquennia [quinque,
Et tribus * adjectis metas volventibus annis.
Deserui * fragilis terrestrem corporis usum,
Hic senibus linquens primævo tempore formam,
Illic suscipiens æterno tempore vitam,
Pollicita * plectens redemptis præmia Christi.
Quisquis solicitus lustras monumenta dolorum,
Hic parilem sortem ingemis ipse tuam.

* vexantur
* cumina est flumina
* positarum tenunt
* Gemina et jam
* Consulti.
* numina.
* cumque
* anima
* murum certantis vita
* suo.
* morietur nomine
* dogmata
* præcipit
* heu cursum numerum
* abjectis.
* fragilem
* Pollicitam pl. reddentis

4 Et sequuntur plures versus, qui propter fracturam marmoris legi non possunt: *uti non nisi imperfecte legi potuerunt ea omnia verba, quæ** notata exhibet margo, quæque in contextu per conjecturam correximus, ut Lectoris tædio consuleremus: etiam absque illis haud parum offendenti poesi istius temporis, non valde culta, uti vel hic apparet: si tamen sexti seculi illa est, et non posterioris alicujus quo isti versus sic compositi fuerint, vel potius renovati.* In margine tumuli est scriptum. Obiit XVI Kalendarum Juliarum undecies post Justini, Indict. XIIII: cui Obitui, concordat liber qui legitur ad Primam *puta Martyrologium per plura secula Lugduni usitatum. Sed quid est illud,* undecies post Justini? *Docet Pagius, in accuratissima sua dissertatione Hypatica pag.* 324, *annum* DXL *quem alii notabant* V P C. Paulini, *id est*, quintum post Consulatum Paulini, *notatum ab aliis* Justino Juniore solo. *Et hinc si cœperint Lugdunenses aliqui numerare post Consulatus illius, undecimus post primum erit annus* DLI; *qui cum etiam numerarit Indictionem* XIIII, *nihil potest optari convenientius: itaque solutum manebit dubium de anno mortis, supra propositum ab Henschenio, nec ad annum scriptæ ad Legatos Constantinopolim directos epistolæ, vivendo pervenerit* Aurelianus. *Huc enim facere non possunt Postconsulatus ejusdem Justini quos numerandos ipse instituit post annum* DLXVIII *quo jam Imperator solus iterum iniit Consulatum secundum: nec enim successorum Episcoporum tempus patitur* Aurelianum *ultra annum* LIII *istius seculi, nedum ultra* LXXV, *vixisse: et quæ post hunc currebat Indictio, non* XIIII *sed* VIIII *numerabatur. Ad hæc in tali calculo, necdum annum* XXIV *ætatis attigisset sanctus, cum fuit anno* DXLVI *donatus Pallio, siquidem cum obiit solum egit ætatis annum* LIII *hoc enim est quod dicitur,* usum corporis deseruisse.

unde intelligitur Sanctus obiisse Indict. 14, an. 551,

annoque ætatis 53;

— Rursum numerans quinquennia quinque.
Et tribus adjectis metas volventibus annis.

In isto autem qui omnino tenendus ostenditur calculo, fuerit natus Aurelianus *anno penultimo seculi* V; *adeoque factus Episcopus ætatis anno* XLVII: *solum sex annis Episcopatum tenuerit, immaturo sane meritoque lugendo funere elatus. Redeamus ad Instrumentum.*

5 Nos volentes *inquit Hugo prædictus, iis factis,* de et super præmissis, prout requirit facti qualitas, certiorari plenius de dictis scripturis, eorumque datis, fieri fecimus examen et collationem ad dictorum sanctorum Legendas, et ad librum Bedæ seu librum ad Primam legi solitum, habita ex alia parte et probatione Kalendarii. Præterea, quia inter cetera, concordantibus prædictis examinibus omnibus, unum nobis dubium videbatur, super quod in libro præd. Bedæ seu qui ad Primam legitur, videbamus contineri prædd. Sanctorum sepulturas esse Lugduni in ecclesia Apostolorum, de consilio prædd. nobis assistentium, ipsos Tabelliones infrascriptos ad ecclesiam Cathedralem cum dd. scripturis, per dictos Sacristam et Canonicos nobis ostensis, misimus, visuros, utrum liber qui ad Primam in majori ecclesia legitur, esset idem et similis ei quem nobis ostenderunt Sacrista et Canonici supradd. et ad inquirendum utrum ecclesia S. Nicetii ecclesia Apostolorum habeatur. Qui Tabelliones seu Notarii, certiorati super hoc, tam per visionem scripturarum et librorum, quam per assertionem et testimonium Decani et quorumdam seniorum fide dignorum d. majoris ecclesiæ, nobis retulerunt sic esse, prout dd. Sacrista et Canonici demonstrarant.

quibus ad vetera Martyrologia collatis,

probatur certitudo Epitaphii

6 *Tum vero placuit aperire tumulum* S. Annemundi, *Episcopi Lugdunensis, ad explorandum, an revera ibi adesset corpus, de quo nonnulli dubitabant: eoque inventto, prout refertur ad* XXVIII *Septembris, cultui ejus dicatum...* de prædictis omnibus et singulis sic prout dictum est inquisitis, factis et visis præcepimus per ipsos infrascriptos Notarios ad hoc vocatos dari et fieri publicum instrumentum. *Cur autem non similiter aperta tunc fuerunt aliorum, pariter et recognita reperta sanctorum monumenta? Credo quia de ipsorum corporum in iis præsentia non dubitabatur. Factum id forte postea est, si illa unquam fuerunt (quod intendi videbatur)* in locis *magis* congruis posita. *De quo cum nihil inveniatur scriptum, ac nominatim de corpore* S. Aureliani; *neque nos audemus quidquam vel divinando asserere: veremur autem ne in funesta illa sacrorum strage anni* MDLXI, *facto per Hugonottos, dissipata illa sint; gaudebimusque intelligere; in proximam supplendi Aprilis occasionem, quid factum sit corpore S. Nicetii aliorumque et hujus nominatim* S. Aureliani.

sed tumulus non reseratur

DE

DE SANCTIS EX SYRIA ADVENIS

MAURO PRESBYTERO

FILIOQUE FELICE ET HUJUS NUTRICE

IN AGRO UMBRIÆ SPOLETINO

G. H

COMMENTARIUS HISTORICUS

De cultu, ætate et vita ex vetustioribus MSS. collecta

SEC. VI

Cultus sacer

Hos duos sanctos floruisse apud Spoletum *asserit Ferrarius in Catalogo generali*, ex Tabulis Ecclesiæ Spoletinæ, illorum Natalem hac die colentis. Celebris est, *inquit*, horum memoria in valle Naris apud Spoletum, in qua vixissent. De eis in MSS. monumentis prædictæ Ecclesiæ licet in iis quædam minus probabilia B contineantur. Corpora in ecclesia S. Felicis in Castro ejusdem nominis ad Narem fluvium, in ea valle a Spoleto quindecim millibus passuum asservantur. *Hæc ibi. Locus in mappis Geographicis* S. Fele *annotatur, ad dictum fluvium Narem, qui inde Interamnam et Narniam alluens, postea in Tiberim delabitur. Dicta autem monumenta MSS. ea ipsa esse videntur, quæ post Vitam S. Sensii,* XXV *Maji illustratam, Ughellus accepit ex MSS. adm. Illustriss. ac Reverendiss. D. Philippi Jacobi Leoncilli, Spoletini Patricii et Prioris ecclesiæ Cathedralis; ipseque Ughellus nobis donavit hoc tenore :*

S. Maurus ab uxore territus,

2 Sanctus Maurus... antequam ex Syriæ civitate, nomine Cæsarea, discederet, Euphrosyna uxor sua multis lacrymis eum detinebat, ne Felicem infantem et unicum filium suum derelinqueret : et facile his persuasionibus ductus, jam cum aliis proficisci nolle constituerat. Tunc unus ex Sociis, nomine Christophorus, inquit ad eum : Scriptum est in Evangelio : qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. (Matth 37, 39.) Intellectu jam carere, Maure, videris, qui plus hominem ex limo formatum, quam creatorem tuum, qui homines facit resurgere, diligis. Ne tot socios derelinquas, obsecro, et potius nobiscum disponas esse : ut, si Deo placuerit, apud Italiam C martyrio coronari, una nobiscum cœlestis regni perennem et immarcessibilem vitam consequi valeas. Et his aliisque Evangelii dictis, Maurus valde incitatus, cum filio suo ad martyrium pergere disposuit. At Euphrosyna matre adhuc magis reclamante, Felix puer contra eam insurgens, talia verba protulit : Tune patris mei certamen, suadente diabolo, vis perturbare? Nescisne scriptum esse, quod mulier bona corona est viri sui, mala autem confusio? (Prov 12, 4) Cujus verbis adeo Euphrosyna permota fuit, ut facile assensum suum præstans, dixerit ad maritum : Prosperum iter faciat tibi Deus et Dominus noster Jesus Christus.

sed excitatus a sociis discedit

cum filio Felice, obsistente matre,

et eadem consentiente.

tempestas oratione sedatur :

3 Maurus autem cum filiolo ejusque nutrice, navem cum aliis sociis conscendit. Cumque et navis operiretur fluctibus, barbari ejus ductores ad pedes horum Sanctorum provoluti, dicebant : Obsecramus vos, dilecti Deo, ut pro nobis ad vestrum Christum preces effundatis, ut ab his fluctibus liberemur. Et cum viri Dei orarent, illico tempestas cessare visa est. Quo miraculo nautæ adducti, Christi fidem amplectuntur. Tandem Romam pervenerunt incolumes, sanctorumque Apostolorum limina, aliorumque Sanctorum Ecclesias et basilicas per aliquot dies inibi frequentarunt. Et cum per diversa Italiæ loca se disposuissent segregare (ut, postquam Christi fidelium persecutiones et martyria desierant, populos in fide Christi perseverare, aliaque pia opera facere, curare possent) S. Joannes Abbas, Maurus hic, S. Laurentius, S. Isaac Abbas S. Juliani, Umbriam et ad ejus civitatem Spoleti pervenerunt. At S. Maurus apud vallem Nariti prope Naris fluvii ripam E degere cum Felice filio voluit : ibique constructo domicilio, orationibus, vigiliis, ceterisque sanctis operibus assidue intentus, una cum Felice filio, qui cum annis in sapientia Deique gratia adoleverat, vitam agebat.

Romam templa visitantur :

deligitur locus habitationis :

4 *Hæc est prior pars vitæ MS. cui satis congruunt Acta Sanctorum proxime relatorum, quorum primus* S. Joannes Abbas Paranensis *prope Spoletum : cujus Acta ex MSS. et Mombritio dedimus* XIX *Martii. Alter est* Isaac Abbas Spoleti, *cujus Acta ex Dialogis S. Gregorii et aliis illustravimus ad* XI *Aprilis. Tertius et præcipuus est* S. Laurentius Illuminator *circa annum* DXLI *ordinatus Episcopus Spoletanus, cujus vita Italice scripta a Ludovico Jacobillo, Latine reddita cum longis annotatis et aliquibus in Appendice observatis edita est, ad diem* III *Februarii : Bernardinus de Comitibus Campelli, tomo* I *Historiæ Spoletanæ anno* MDLXXII *edito, lib. 10 asserit hos tres sanctos floruisse circa annum* DL. *Unde etiam constat eodem tempore et seculo in sanctitate vixisse* SS. Maurum et Felicem. *Innuebatur sub initium cum sociis trecentis ex Syria venisse* Maurus, *quem numerum, aliquantum suspectum, ne in limine Lector offenderetur, a nobis omissum indicamus. Sequebatur historia* de dracone *contagioso per* S. Maurum *occiso de quo Leoncillus ex judicio R. P. Antonii Gallonii Romani ad Vallicellam Presbyteri, atque eo prioris Cæsaris S. R. E. Card. Baronii agentis de S. Georgio, ita subjungit ad Vitæ finem :* Non ignoramus hanc occisi serpentis narrationem expugnati dæmonis symbolum esse posse, uti latius in Vita Sancti Sensiæ, in cujus Actis idem pene habetur, disserimus. *Sic præmonito Lectore rem ipsam subjicimus ejus judicio.*

explicatur sanctitas sociorum,

F

et quæ visus de dracone occiso :

5 Verum audita ab accolis eorum sanctitatis fama, Maurum adierunt, rogantes ut Dei virtute a contagioso Draconis flatu eos liberaret, quem tamen ubi lateret ignorabant : sed tantum scire, complures ob illius venenum periclitari. Maurus vero, facta ad Deum ferventi oratione, mane surgens cum ferreo quodam instrumento ad incidendos lapides, Deo ducente, ad locum draconis accessit : ibique signo Crucis prius edito, baculum, quem gestabat, defixit in terram, qui miraculose flores et folia statim emisit. Quod cum S. Maurus vidisset, maximo gaudio perfusus, lapidem cœpit incidere, animo constituendi ibi aliquod domicilium. Cum autem hujusmodi attentasset, quoddam manubrium in flumen Naris projecit : ut eo signo nutrix filii sui, ut prius fuerat

quæ rei antiquæ relatio,

Auct. G. H.

fuerat monita, horam afferendi cibi cognosceret : quæ statim cum cibo ad Maurum properavit. Et ipsa non animadvertente, Felix puer, contra ac pater monuerat, insecutus est. Qui cum ad flumen pervenisset, vidente nutrice, et de illius salute valde anxia, siccis pedibus puer per medium fluminis transgressus est : quod statim fluere desiit, duravitque ita per spatium duarum horarum. Cumque hoc B. Maurus a nutrice accepisset, Deo gratias egit : et sumpto cibo, iterum incidere lapides aggressus est. Denique a filio de flatu draconis admonitus, vidit illum e naribus nebulam, et ab oculis velut flammam ejicientem, et contra se advenientem : quem ferro, quod habebat præ manibus, percutiens interfecit, ac ejus caput abstulit. Et cum is draco præ illius longitudine (erat enim pedum fere nonaginta ejus mensura) tamquam vastum animal in flumen demergi non posset; unus Maurus, divina fretus virtute, illum in flumen præcipitem dedit; saxumque Dei miraculo evellens, super ejus corpus evolvit : a quo per trium dierum spatium tantum sanguinis emanavit, ut in flumen Tiberis a Nari exportatus fuerit.

ab aliis molerata.

6 *En secunda pars Vitæ de mirabili dracone occisione, de qua videtur Ferrarius, in Catalogo generali supra relatus, dixisse*, quædam minus probabilia contineri. *Interim idem Ferrarius, citatis* monumentis Ecclesiæ Spoletinæ, *in Catalogo Sanctorum Italiæ rem eamdem, mutatis circumstantiis, ita retulit :* Maurus, saxo tandem perfracto, serpentem quinque pedes longum, ignem ex ore tetrum proferentem, vidit : quem signo Crucis munitus, ferro aggressus interfecit. *Jacobillus de Sanctis Umbriæ pleraque ex Actis describit, sed* draconem *non* nonaginta, *sed* novem pedum *longitudinem habuisse ait. Quidni cum Leoncillo* expugnati dæmonis symbolum *esse asseramus? Sed ad tertiam partem Vitæ progredimur.*

Mortuus suscitatus, a S. Felice

7 Sanctus postea Felix, cum patre Mauro sanctis operibus insistens, magis in dies adolescere et intelligere incipiebat. Evenit autem, ut vidua quædam, cujus filius obierat, ad S. Felicem cucurrerit, ut ejus Dei virtute, qua pessimus draco obtruncatus fuerat, suum filium ad vitam revocaret. Tunc S. Felix ad demortui pueri cadaver accessit : cumque orasset ad Dominum pro illius vita et surrectione; Angelus apparuit, nuntiat gratiam a Deo obtinuisse : et protinus puer ille exuscitatus est. Nocte vero sequenti Angelus iterum S. Felici apparuit, et in libro vitæ ipsum ascriptum esse retulit; et post tres dies, una cum nutrice sua, e seculo migraturum prædixit. Quod cum patri retulisset, is maximo primum dolore effectus est. Verum sibi ac filio cœleste regnum paratum, et omnia ex Dei voluntate evenire intelligens, acquievit : et filio ejusque nutrici Ecclesiæ Sacramenta tradidit. Et dicto tempore ambo in Domino obdormiverunt, sexto decimo Kalendas Julii : quorum corpora S. Maurus juxta Narem fluvium sepelivit. Quo loco hodie sub ejusdem S. Felicis invocatione vetustum templum conspicitur : in cujus facie supra templi januam hæc omnia in tabula marmorea sculpta conspiciuntur, et ex hujus S. Felicis Vita, apud dictum locum reperta, referuntur.

et hic de morte sua præmonitus eam obit.

8 *Hactenus illa Vita, a Leoncillo, ex antiquioribus monumentis, quæ needum videre licuit, satis fideliter, nec sine censura descripta : unde, ob Sacramenta Filio hujusque Nutrici ministrata, intelligimus, ipsum S. Maurum fuisse Presbyterum; cui gradui cum usus Orientalium Ecclesiarum non interdicat unius uxoris usum; nolim divinando asserere, ipsum vel ante suum egressum e Syria ab illa abstinuisse, vel solum in Italia Presbyterum ordinatum fuisse. Jacobillus addit* annum quo obiit S. Felix quingentesimum trigesimum quintum : *sed forte obiit is multo serius, secundum supra relata ex Bernardino Campello. Arbitratur præterea Jacobillus*, S. Maurum viginti annos postea vixisse in erecto ibidem monasterio, assumptaque regula S. Benedicti, primum ibi extitisse Abbatem : ac forsan etiam die XVI Junii e vita decessisse, ibidemque fuisse sepultum. Templum ibidem constructum quasi duplex censeri *ait*, ob subterraneam ecclesiam, in qua extat altare, ad quod etiam Missa celebratur; et ad ejus latera visuntur sepulcra lapidea, in quibus ossa trium corporum cum totidem capitibus asservantur SS. Felicis, Mauri, et nutricis. Monasterium vero vicinum postmodum, indulto Clementis VII Pontificis, in Commendam, ut vocant, datum familiæ Lauri Spoletani, quæ illud etiamnum possidet.

S. Mauri gesta ultima

DE SANCTIS VIRGINIBUS PEREGRINIS,

CUNIGUNDE, MECHTUNDE, WIBBANDE,

ET CHRISCHONA SEU CHRISTIANA,

IN CONSTANTIENSI ALEMANNIÆ DIOECESI,

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De earum peregrinatione, cultu, elevatione, atque Processu ad eamdem facto.

Ursulanis nihilo rectius annumeratæ,

Iter Ursulanarum Virginum, adverso Rheno ascendentium, et secundo descendentium, Basilea Coloniam usque, quantumvis circumstantiis plane asystatis et adynatis implicatum, tam prona tamen populorum fide per superiorem inferioremque Germaniam susceptum fuit seculo XII *ac deinceps; ut secubi contingebat peregrinam aliquam Virginem, ab immemorabili cultam per totum Rheni tractum, inveniri; eam continuo opinarentur ex laureato illo agmine fuisse, vel relictam in via, vel servatam post cædem. Plura in decursu operis notaturus exempla, egi hujus mensis die* XII *de* S. Cunera, *oppidi Rhenensis in diœcesi Ultrajectensi Patrona; eamque ostendi, ex ipsa sua male consulta Legenda, non posse provehi ultra seculum* VIII, *quo partibus illis per S. Willebrordum Christianæ fidei lux affulsit : et tamen nemo istic nunc dubitat, quin fuerit illuc adducta a loci Domino, inter Hunnos militante, qui eam sub pallio suo absconderit, dum ceteræ mactabantur. Nunc se offerunt aliæ quatuor, ad superiorem Rhenum in Alemannia, et in Constantiensis Basileensisque diœceseon confiniis, quæ Roma regredientes, istic sunt infirmatæ ac mortuæ et sepultæ clarent miraculis.*

quam S. Cunera V. M. seculi 8 aut 9;

2 *Henricus Mureius, in Helvetia sua sancta, pag.* 169, *earum iter et exitum sic fere describit.* Transcursis Helvetiæ Montanis, Basileam petentes nobiles

defunctæ sunt, Roma regredientes, circa Basileam ad Rhenum;

A nobiles Virgines, Cunigundis, Mechtundis, et Christiana, cum sua ancilla Wibrande, ad vetustam civitatem Augustam (*est ea inter Rhenofeldam et Basileam oppidum, ab hac quam illa remotius*) infirmari cœperunt: transmissoque Rheno, cum ad Rapperswilæ vicum propinquassent, mortua est ibi Christiana, in hospitio prope Rhenum invento. Corpus tradendum sepulturæ, mansit immobile, quoad plaustro adjuncti juvenci indomiti duo, ipsum per dumos et saxa traxerunt in summum montem, in toparchia Richensi contra Istein positum, *quod oppidum fluvius dexter alluit una leuca infra Basileam, in sinistra ripa situm.* Aliæ autem in prædicto hospitio ægrotare perrexerunt: ac tandem mortuarum corpora, sicut petierant, similiter imposita carro, permissaque juvencis ei subjunctis, simili miraculo tracta sunt ad ingentem quandam quercum, quæ loco deinde nomen dedit ut Eychsel vocaretur, estque territorii Rhinofeldensis, adeoque ad Basileensem istæ tres, Christiana ad Constantiensem nostramque Helvetiam pertinet. *Ita fere Mureus, anno* 1648 *editus.*

et miraculo vectæ ad loca sepulturæ,

3 *Anno* MDIV. *Raymundus, titulo S. Pammachii Presbyter Cardinalis, Gurciensis dictus, et Sanctonensis Episcopus, Legatione Apostolica per Germaniam*

B *fungens; multa de illis Basileæ audivit, Processumque instituit super vita, cultu, et miraculis earum: quibus rite probatis earumdem Translationem celebravit; in* Eychsel *quidem* XXIX *Maji; in* monte autem S. Christianæ *dicto,* XVI *Junii. Processus latine conscriptus, typis Basileensibus prodiit anno proximo* MDV: *quo etiam anno prælaudatus Cardinalis, die* v *Septembris, Viterbii obiit septuagenarius, velut evocantibus illum sanctis Virginibus, ad piæ pro ipsis laboris præmium recipiendum. Ipsum sic excusum Processum cum deinde eum in sacrario Eychfeldensi reperisset,* Joannes Christophorus Haug, Doctor et Amptmannus Dynastiæ Rhenofeldensis, *eumque Germanice redditum Bruntruti, Basileensis Episcopi residentia, Episcopalibus typis imprimi curasset anno* MDCLXXIII, *sub auspiciis* Reverendissimi Principis ac Domini sui, D. Francisci Joannis, Episcopi Constantiensis et Divitis-Augiæ atque Oetingæ Domini; *eo quod Eychsellensis parochia cum Rhenofeldensi toparchia ad ejus diœcesim spectaret; fuit quidam nostri operis studiosus, qui non valens originalem Latinum contextum uspiam reperire, Germanicum fecit rursus Latinum, nobisque misit. Dignus ille profecto sua bona voluntate, cujus nomen hic apponeretur, ad aliorum in tales occasiones minus intentorum æmulationem laudabilem excitandam. Sed*

elevantur a Legato Apost. 29 Maji et 16 Junii 1504

post factum de cultu et miraculis Processum.

C *nomen ipse suum latere nos voluit, ut copiosiorem sui laboris mercedem reciperet a Sanctis. Is tamen necessarius in præsentiarum non fuerat, quia Hermannus Crombachius, in suis Vindiciis Ursulanis, ingenti volumine explicatis anno* MDCXLVII, *adeoque annis* XXVI, *prius quam traductio illa Germanica fieret, eumdem Processum ex Basiliensi originario totum edidit a pag.* 935 *ad* 966; *qualem hic dabimus, eo libentius, quod cum eo collatus Germanicus contextus merum videatur esse compendium qualia nostro in opere minus probantur.*

4 *Allegatur in isto Processu num.* 4 *Missale antiquum, in cujus Kalendario scriptum reperitur* II Maji, Kunegundis Virginis, quæ hic requiescit. *Item mensis Julii die* III Wibrandis Virginis quæ in hac ecclesia requiescit. Monegundis virginis quæ hic requiescit. *Plura testimonia, antiqui cultus diem designantia, ibi non inveniuntur. Interim Molanus, Martyrologium aliquod istius regionis secutus, quod indicat littera* q. *Additionibus ejus ad Usuardum editis, non solum scripsit,* II Maji. In Eischel S. Cunegundis Virginis; *et,* III Julii, SS. Wibrandis et Mechtundis Virginum (*eamdem intelligens quæ in*

Viter Kalendarius notatur 2 Maji et 3 Julii,

Kalendario Monegundis *nominatur*) *sed etiam ad* XVI Junii; In Eischel diœcesis Constantiensis Elevatio sanctarum Virginum Cunegundis, Mechtundis, et Wibrandis: *de quibus Eischellensis quidam Clericus, ac verosimiliter Parochus, rogatus respondere, ad hunc ultimum articulum rescripsit.* Confirmatur hoc juxta nostrum registrum. *Denique ad* XVII *Junii apud Molanum similiter ponitur,* In Constantiensi diœcesi Elevatio Christianæ Virginis; *cum tamen hæc Elevatio dicatur expresse in Processu facta* XVI Junii: *et aliarum trium* XXIX Maji *præcessisse; idque non in* Constantiensi *sed* Basiliensi *diœcesi.*

D *M. cr. D. P. Molanus communem tribus notat 16 Junii et Christianæ diem 17.*

5 *Molanus, ad istum* XVI *in Notis, addit tribus prædictis* Christianam; *et dicit, quod* translatæ sunt et elevatæ anno MDIV, jam antea canonizatæ; *quod ultimum probare etiam videntur Indulgentiæ, anno* MCCCCLXXXII *concessæ, pro earumdem trium diebus festis; ac denique, quod* Processus elevationis extat excusus circa eumdem annum MDIV. *Non tamen ipsum Processum vidisse Molanus videtur, alias non erraturus circa diem Translationis. Crediderim ergo eumdem diem* XVI *indicatum ipsi fuisse ex eodem, unde priora suggesta ei fuerant, Martyrologio; sed (quod hinc colligo) post annum* MDV *scripto; atque adeo hanc esse communem tribus festivitatem; quare simul omnes hac die refero, etiam* Christianam; *quæ hoc ipso, non sequenti die, elevata cognoscitur. Illud autem Martyrologium, unde præsumo diem* XVI, *suggestum Molano esse, proprium est Eischellensi Parochiæ: nam* Martyrologium Basileense, ad novam Kalendarii rationem et ecclesiasticæ historiæ veritatem restitutum, ac Jacobi Christophori Episcopi jussu editum Friburgi Brisgoiæ anno MDLXXXIV, *nihil de illis habet ad ullam prænotatorum dierum. Præsumo etiam, quod Molanus non acceperit, sed male præsumpserit diem Translationis esse, quia videbat proprios ipsis dies Natales alios assignari. Arnoldus Wion, alias presse secutus omnia Molani vestigia, etiam ubi ille errat; dum eas Martyrologio Monastico inscripsit nihil secutus esse potuit præter simplicem conjecturam: locum hunc nullum daturus, si conscius fuisset traditionis, omnes adscribentis Ursulanis, de quibus quia nihil hic in Kalendariis antiquis, nihil etiam hic Molanus attigit. Wionem secutus est Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino ad* XVI *Junii, Molanum allegans, apud quem nulla mentio Monachatus: sed satis ei erat Wionis exemplum, quod alibi passim sine examine ulteriori sequitur.*

Nos hic tenemus diem 16

E *ut omnibus communem.*

Non melius adscripta Benedictinis,

6 *Ceterum, rejecta semel traditione; per quam Ursulanis adnumerantur, primum verosimiliter nata seculo* XII *aut* XIII, *cum jam ubique per Germanicas Provincias spargerentur ea, quæ de peregrinatione ipsarum dicebatur Deus S. Elisabeth Schonaugiensi revelasse male inter se cohærentia; rejecta, inquam, traditione illa seculorum paucorum; nihil prohibet eas, de quibus agimus, differre ad seculum* IX *vel* X; *quando jam monasteriis plena erat Germania; quibus tamen illas non audemus adscribere, quia Romana peregrinatio convenientior fuit claustrali lege solutis Virginibus, quam ei adstrictis. Nomina etiam satis persuadent origine Teutonicas omnes fuisse quarum una* Chrischona, *quasi* Christ-schona, *id est* Christi formosa, *dicta proprio nomine sit; vel etiam appellativo addito titulo* Formosæ *ad nomen* Christinæ *seu* Christianæ. *Hujus* Crinale *adhuc apud ejus ecclesiam servabatur anno* MDIV, *serico, auro et gemmis contextum, sicut illud tunc vidit Cardinalis Legatus post celebratam translationem corporis, et describitur in Processu num.* 84, *insertis* 12 *Reliquiis, quam materia pretiosus. Sed dum inter eas numerantur ipsamet* XI Millia *sociarum* S. Ursulæ, S. Hilarius *et* S. Brigida; *apparet illam quæ ipso crinali usa fuisse creditur, multo illis Sanctis posteriorem fuisse.*

quam Ursulanis,

F

vixisse videntur sæc. 9 aut 10 et origine Teutonicæ.

AUCT. D. P. Parochia Eychsel quasi Cella ad quercum dicta,

7 *Locus, vulgo* Eixel *dictus sive* Eyksel, *a* quercu, *Teutonibus* Eyk. *nomen aut dubie habet : non placet tamen quod propter miracula* Eyksel *dictam velint, quasi* Quercum salutis : *cum similia loca* in sel *istic, puta* Bischofsel, *prope Constantiam* ; Aptensel, *prope S. Gallum, intelligantur esse* Episcopi *et* Abbatis cella : *unde suspicor revera ibi aliquem Benedictinorum Prioratum fuisse, occasione frequentium miraculorum fundatum sub Abbate S. Galli ; cum vetusto istic Missali MS. inveniatur adscripta donatio duorum jugerum terræ, in honorem S. Galli ac Sanctarum Virginum, facta loco per Conradum ab Adhelhausen et fratres ejus, Henricum Burkardum, et Rudolfum.*

videtur aliquando Monachos habuisse:

Quomodo autem idem locus, qui tempore ipsius Elevationis erat Diœcesis Constantiensis, *secundum dexteram Rheni ripam late extensæ, et Brisgoviam totam complexæ, deinde* Basileensi diœcesi *accesserit hoc seculo (nec enim suspicari possum Murerum hic errare) ac rursum* Constantiensi *sit reddita, non aliter factum concipio, quam per transactiones diversas inter Episcopos Constantienses cum Magistratu Basileensi hæretico ; qui sibi oppignoraverit libenter Toparchiam Rhinfeldensem, adeo suæ urbi vicinam, atque trans Rhenum extensam in ipsius civitatis conspectu : quo tamen nexu soluta citius illa, ac bellis cessantibus, ad primum suum Dominum redierit.*

quæ diœcesi Basileensi sub inde accensa

Episcopo Constantiensi subjerat an. 1663

8 *His prænotatis, priusquam transeam ad promissum ex Crombachio Processum, placet Latinam exhibere epistolam, sub qua Constantiensi Episcopo præfato dedicata invenitur editio Germanica, ea sic sonat.* Sub diocœsi Principalis Gratiæ tuæ, in parochia Eyxel, sita in Valle Rheni Rhenofeldensis districtus, quiescunt sanctæ Virgines, Kunegundis, Mechtundis, et Wibrandis, ex Ursulana societate : quarum sacra ossa, post varia miracula ipsis adscripta, elevata fuerunt anno MDIV ; et antequam bella subnascerentur, frequentabantur magno concursu populorum, variis suis necessitatibus opem ad illa sperantium et obtinentium. Ut igitur ulterius promoveatur gloria Dei (cum et Deus glorificetur in sanctis suis) morbidique et extremo afflicti mortales, majori cum fiducia earumdem implorent auxilium ; conatus fui ex antiquissimo originali Latino apud Eychsellensem Parochiam invento, traducere in Germanicam linguam, et Principali Tuæ Gratiæ, tamquam ipsius loci Ordinario ac Domino meo clementissimo, offerre ac dedicare ; Gratiæ tuæ impensissime commendando meipsum. Rhenofeldæ XXIII Junii MDCLXIII qui sum principalis Clementiæ Tuæ obedientissimus subditus, Joannes Christophorus Haug, Amptmannus Dynastiæ Rhenofeldensis. *Hæc ille, cujus sicut integre tradidi verba, non dissimulando memoratam ibi* Ursulanam societatem ; *sic multo magis abstinui a Latino contextu ea causa mutando, sed Lectori liberum relinquo statuere, quantum de Societate illa credere velit.*

quando ei dedicata fuit Germanica versio.

9 *Processui subjiciam Legendam, ex eo ejusdem Legati Raymundi auctoritate confectam ; quam circa idem tempus Basileæ impressam, cum ipsomet verosimiliter Processu, nactus Bollandus noster,* a tineis bene corrosam et perforatam, *amico suo Crombachio transmisit Coloniam ; qui ipsam fecit caput* XII *libri* IV *Vindiciarum suarum Ursulanarum. Distribuitur ea in Lectiones* IX, *disparis valde magnitudinis, sic ut postremæ tres, priorem sex mensuram excedant. Primæ duæ continent, qualemcumque Ursulanæ peregrinationis synopsim, veluti* tempore Martiani Imperatoris, sub Attila Hunnorum Rege, per Julium Principem, in confinio urbis Coloniensis Agrippinæ *Martyrium essent consecutæ,* anno Domini CCCCLIV,.... *postquam scilicet* Britanniæ finibus relictis, *subvectæ per Rhenum Basileam advenerant, et ob invento ibi Pontulo Episcopo Romam deductæ atque* a Cyriaco Papa exceptæ, *et aliquamdiu ibi commoratæ,* revertendo per Rheni littora, Basileorum urbi propinquæ perstantes remorabantur, fixæque manebant.

Una cum Processu habetur Legenda 9 capitum,

quorum septem dantur

10 *Hæc uti volet sic lector accipiat ; ego occasione* Cyriaci Papæ, *figmento eruditis ægre tolerabili huc intrusi, rem totam delibavi, verosimilioremque Ursulanæ peregrinationis passionisque modum conjectando quæsivi, in Conatu-Chronico historico ad Catalogi seriem Pontificalem parte* I *Propylæi Majalis, post S. Pontiani Pontificatum ; et rursum in Paralipomenis ad eumdem ; quæ lector consulat. Propius autem ad communem opinionem de Britannica* S. Ursulæ *origine accessi inter* Acta Sanctorum *per totum annum a me* breviter digesta pro menstrua *Patroni sortitione sic scribens* : Ursulanum Martyrium quam est piis fidelibus, propter revelationes et miracula, certum quoad substantiam facti ; tam est incertum eruditis, propter circumstantiam temporis. Verosimilior videtur opinio quæ ipsum adscribit anno CCCLXXXI ; quando a Valentiniano Juniore, contra Maximum tyrannum trans Alpes dominantem Hunni, totam ad Rhenum Alemanniam cum Gallia Belgica usque Tungros populati, innumeram captivorum multitudinem more gentis in captivitatem abducebant. Hi Coloniam Agrippinam, sibi resistere ausam, tunc obsidebant, cum (ex nostra conjectura) Ursula, Reguli alicujus Britannici fortassis filia, in consortio suarum quarumdam puellarum, redibat Roma. Sic nempe secundo Rheno descendens, inciderit in manus Hunnorum : qui metu instantis a tergo Maximi obsidionem solvere compulsi, ipsam mactaverunt, non solum cum sodalibus suis, (quas valde paucas fuisse suadet itineris ratio,) sed cum tota turba captivorum quos vel sexus vel imbecillior ætas accelerandæ fugæ faciebat ineptos ; in quibus ad undecim millia Virginum numerata dici, non mirabitur, qui meminerit Numerorum XXXI legi, abductas ex Madianitide vastata animas, quæ non cognoverunt virum ad triginta duo millia. *Quid enim est* Madianitis, *exigua regiuncula, ad vastum illum Provinciarum tractum quem populabundi Hunni, more nunc Tartarico, percurrerant?*

omissis primis 2 de S. Ursula et sociabus

de quibus verosimilior conjectura offertur.

PROCESSUS

Habitus et factus occasione translationum et elevationum Sanctarum Virginum, Kunegundis, Mechtundis, et Wibrandis; in Ecclesia Eichsel, Constantiensis Diœcesis; nec non Christianæ, in ecclesia montis sanctæ Christianæ dictæ Diœcesis requiescentium.

Ex editione Coloniensi Hermanni Crombachii S. J.

CAPUT I.

De argumentis veteris ab immemorabili cultus.

Reverendissimo in Christo Patri et Domino, Domino Raymundo, miseratione divina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, titulo S. Mariæ novæ Presbytero Cardinali Gurcensi ; ad universam Germaniam, Daciam, Sueciam, Norvegiam, Prussiam, omnesque et singulas earum provincias, civitates, terras, et loca etiam sacro Romano Imperio in ipsa Germania subjecta, ac eis adjacentia Apostolicæ Sedis de latere Legato, Domino nobis gratiosissimo, devoti ejusdem Reverendissimæ Paternitatis vestræ Bernardus Oegli, Decretorum Doctor, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Officialisque curiæ Episcopalis

Commissarii Apostolici

A palis Basileensis; Joannes Bergman de Olpe, Archidiaconus Ecclesiæ Brandivallensis, Basileensis Diœcesis, Joannes Hammannus sacræ Theologiæ Professor, Ordinis Prædicatorum: et Wolffgangus Boegkli, utriusque Juris Doctor; ac Franciscus Wiler, Prædicator Ordinis Fratrum Minorum, Civitatis Basileensis, obedientiam, reverentiam, et honorem, tum debitas, tumque condignas.

a Card. Gurcensi designati;

2 Noverit igitur vestra Reverendissima Paternitas, quod nos, tamquam Commissarii, ab eadem Reverendissima Paternitate vestra ad subscripta peragenda, in vim litterarum commissionis vestræ sub sigillo Reverendissimæ Paternitatis vestræ, sigillatarum, et nobis repræsentatarum; quarum tenor inferius est insertus, specialiter deputati, tamquam filii obedientiæ, die datarum præsentium, villagium Eichsel Constantiensis Diœcesis accessimus; ibidemque ecclesiam ipsam parochialem, ac sepulturas ibidem, juxta similem vestræ Paternitatis commissionem, quæsitas et repertas certarum trium beatarum Virginum, scilicet Kunegundis, Mechtundis, et Wibrandis (quarum corpora ibidem sepulta fore dicuntur) conspeximus, ac insuper libros ejusdem ecclesiæ vidimus, et nonnulla inibi B scripta per Notarium subscriptum extraximus; nonnullos etiam testes ad hoc vocatos et juratos receptos, diligenter in præsentia ejusdem Notarii publici et Scribæ infra scripti, juxta mentem et tenorem vestræ Reverendissimæ Paternitatis, commissionem litterarum ad nos datarum examinavimus. Quæ singula per nos visa, reperta, et extracta, ipsorumque testium examinatorum dicta et deposita, fideliter in scriptis redigi fecimus ac jussimus, ipsa eidem vestræ Reverendissimæ Paternitati ducentes exhibenda et transmittenda in modum, ut sequitur.

testantur, qualiter repererint Virginum sepulturæ,

3 Notificamus igitur, et attestamur his præsentibus, quod visis cum omni diligentia, dictis sepulturis, et corporibus inibi sepultis et jacentibus, reperimus unam sepulturam in cœmiterio dictæ ecclesiæ, muro quoque ipsius ecclesiæ contiguam perlongam. Et in eadem sepultura, quæ est lapidibus circumdata, ossa humani corporis adhuc adjacentia in debito suo ordine, quemadmodum dispositio hominis est, absque alienatione seu remotione alicujus membri, etiam cum testa capitis: licet propter lapidem, quo desuper cooperti fuerunt, ipsa testa aliquantulum sit rupta. Reperimus, inquam, C in ecclesia ante majus altare, in choroque ejusdem ecclesiæ repertam unam sepulturam, sive unum sepulcrum, latum *a* etiam cum lapidibus circumdatum in quo sepulcro ossa duorum corporum humanorum, in terræ pulvere seu luto per longum jacent, contigua insimul: per quæ luculenter et manifeste apparet et videtur, in uno tumulo sive sepulcro, simul et semel duo humana corpora fuisse et esse sepulta. ipsa tamen ossa eorumdem corporum, propter fossionem ibidem factam, in testis capitum ac aliis partibus sunt rupta et dislocata, sive a vero ordine membrorum hominis remota.

a

et libros ecclesiæ examinaverint.

4 Postquam itaque, Reverendissime Pater, nos præmissa sic cum diligentia vidimus, et perspeximus; ad conspectionem dehinc librorum ipsius ecclesiæ divertimus: quibus diligenter lectis et examinatis, reperimus in uno libro Missali, antiquissima scriptura, contineri scriptum inter alia ut sequitur. De anno Domini millesimo centesimo nonagesimo, Conradus de Adelhusen, et Fratres sui Albertus, Heinricus, Burchardus, Rudolffus, dederunt huic ecclesiæ duo jugera, in honorem sanctissimi Galli ac sanctarum Virginum, in remissionem omnium consanguineorum. Item in Kalendario ejusdem libri, sub littera C, secunda die et sexta [Nonas] Maji comperimus scriptum, ut sequitur: Kunegundis Virginis, quæ hic requiescit. Item in eodem D Kalendario in mensis Julii tertio die, continetur scriptum: Wibrandis Virginis, quæ in hac ecclesia requiescit. Munegundis Virginis, quæ hic requiescit.

E chronico ubi notantur dies cultus.

5 Consequenter viso et lecto per nos Libro-vitæ *b*, ipsius parochialis ecclesiæ antedictæ in Eishsel, reperimus inter alia scripta, ut sequitur: Sub anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, intrante mense Maji, Rector ecclesiæ de Eichsel hos libros Missales *c*, Matutinale, Psalteriolum, Obsequiale *d*, Passionale *e* Breviarium *f*, Librum-vitæ, et Casulas quatuor albas, quatuor lapides *g* Baptismi, Imaginem Beatæ Virginis, campanam majorem, calicem, vexillum; truncum quo servatur thesaurus ecclesiæ: tres lampades, ardentes ante sepulcra Virginum; capsam cum *h* sanctuario; ecclesiam ampliari in sedecim pedibus, et chorum in viginti duobus pedibus; altare ad fenestras et cetera ecclesiæ necessaria, in honore B. Galli et Beatarum Virginum. Hæc omnia fieri huic ecclesiæ procuravit. Item in eodem folio ejusdem libri inter alia continetur scriptum ut sequitur: Ordinavit dictus Bertholdus redditus duorum solidorum, ad E emendum oleum, ut lampades, quæ pendent supra sepulcra Virginum, in summis festivitatibus per hoc accendantur.

b Supellex ipsis oblata,

c

d e f

g

h fundatæ lampades

6 Similiter in eodem Libro-vitæ, in alio folio scriptum continetur, ut sequitur; Notum sit omnibus successoribus meis, quod ego Bertholdus de Heydelberg, Rector hujus ecclesiæ, ordinavi et constitui, cum voluntate et consensu Heinrici Dapiferi de Rhinfelden, Patroni *i* prædictæ ecclesiæ, [ordinationem] quæ de consensu et jussu omnium tunc in Eichsel processit subditorum, quod omnis Decima de arboribus quæ portant nuces, et illæ nuces quæ crescunt in cœmeterio, debent spectare ad lumen ecclesiæ, et qui hanc ordinationem impedivit, de libro viventium deleatur. Subsequenter in eodem Libro vitæ continetur et reperimus scriptum, ut sequitur: Anno millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, feria quinta proxime ante Galli, consecrata est hæc ecclesia in honore omnium Sanctorum subscriptorum. Et hæ sunt Indulgentiæ, quas ibidem consequuntur Christi fideles, datæ ab Episcopo Letanensi Ordinis Fratrum *k* Teutonicæ in die Martini, xl dies criminalium, et annus venialium in die Mauritii tantum *l*, in die Magni, in die F Erasmi tantum, in die Ursi tantum in die Arbogasti tantum, in festis Virginum, quarum corpora hic requiescunt, scilicet Wibrandis, Mechtundis, Kunegundis, xl dies criminalium et annus venialium. Item in Kalendario Libri-vitæ prædicti sic comperimus scriptum, ut sequitur sub littera C. VI. Non. Maji, Kunegundis Virginis, quæ hic requiescit. Item in eodem *m* Calendario Libri-vitæ sub mense Julii continetur in littera D *ergo V. Julii non 3 tio* Dep. Wibrandis, Munegundis Virginum, quæ hic requiescunt.

et luminaria.

i

concessæ Indulgentiæ,

k

l

m

7 Reperimus etiam tres sedes antiquas, quæ posita fuerunt super sepulcra dictarum Virginum; et in quolibet sede unam imaginem, ad similitudinem Virginis humanæ; quarum imaginum duæ de ligno sunt scissæ et figuratæ, tertia vero de cæmento quod nunc ipatur gypsum. Apparent quoque picturæ circum circa in eisdem sedibus factæ de signis, quæ antiquitus miraculose apparuerunt in hominibus, confluentibus ad Beatas Virgines in Eichsel. Sunt quoque hujusmodi imagines scissæ et figuratæ ad modum Virginum sanctarum, et ibidem supra sepulcra positæ, ut quivis confluens ad ipsam ecclesiam recognoscere posset, sanctas Virgines ibidem quiescere, et in quo loco essent sepultæ. Tenor vero

testantur imagines sculptas et pictas.

commissionis

commissionis litterarum, de quibus supra fit mentio, sequitur et est talis.

Ex Crombachio juxta Litteras Commissionis, præfatæ

8 Raymundus, miseratione divina Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ titulo S. Mariæ novæ Presbyter Cardinalis Gurcensis, ad universam Germaniam, Daciam, Sueciam, Norvegiam, Frisiam, Prussiam, omnesque alias et singulas illarum provincias, civitates, terras, et loca etiam sacro Romano Imperio in ipsa Germania subjecta, ac eis adjacentia, Apostolicæ sedis de latere Legatus, dilectis nobis in Christo Officiali Basileensi, et Archidiacono Ecclesiæ Grandisvallensis ejusdem Diœcesis, ac Joanni Hammani, sacræ Theologiæ Professori, Wolfgango Boeklin, utriusque juris Doctori ac Prædicatori conventus Ordinis Minorum Basileensium, salutem in Domino, et in commissis debitam diligentiam adhibere. Tunc nostræ Legationis officium recte peragere credimus, cum Sanctorum, qui varia tormentorum genera pro nostra fide subire non formidarunt, corpora, præsertim feminei sexus, debite veneremur, ipsaque laudabiliter in majori veneratione reverenter elevemus, prout salubrius in Domino conspexerimus expedire. Cum itaque, sicut plurium fide dignorum habet assertio, tria venerabilia corpora sanctarum Virginum, Wibrandis, Kunegundis, et Mechtundis, de societate et numero undecim millium Virginum, in Agrippinensi Civitate martyrium suum pro Christi nomine passarum in Villa Eichsel Constantiensis Diœcesis requiescere dicantur; nos pro veritatis indagine, et inquisitione corporum hujusmodi, certos nostros Commissarios deputavimus. Qui quidem hujusmodi eis per nos factæ commissionis prætextu, de prædictis corporibus diligenter inquirentes, tria ibidem corpora (ut asserunt) repererunt.

ubi dicuntur SS. Virgines esse de societate S. Ursulæ

3 Cum autem nos ad gloriam Dei, et sanctarum Virginum hujusmodi venerationem, ad ipsarum (sicut nobis ex nostræ legationis officio incumbit) levationem et honorationem, cum singulari reverentia Reverendissimi Patris Episcopi Constantiensis loci ordinarii consistentis, procedere intendamus, expedit ut præmissa per debita veritatis testimonia indagemus. Hac de causa, cum præmissis personaliter interesse nequeamus, Discretioni vestræ committimus, et mandamus, quatenus locum ipsum personaliter accedentes, de præmissis per debitam et diligentem inquisitionem ad plenum informetis. Testes autem, pro majoris agnitionis veritate, compellatis, etiam (si opus fuerit) sub censuris, veritati testimonium perhibere; ipsorumque depositiones, in scriptis debite in forma juris redactas, ac alia probabilia veritatis indicia, ad nos quantocyus reducatis; aliasque et alia faciatis, quæ in præmissis sunt necessaria, quomodolibet, et optima. In quorum fidem præsentes litteras fieri, nostrique sigilli jussimus appensione communiri. Datum Basileæ, anno Incarnationis domini Millesimo quingentesimo quarto, quinto Idus Maji, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri, Domini Julii, divina providentia Papæ Secundi, anno ejus primo.

et jubentur de omnibus testes audiri

ANNOTATA D. P.

a *Forte legendum,* Laterum, *ut intelligantur* lateres *coctiles, ipsi sepulcro circumpositi, in pavimento ecclesiæ.*

b Liber-vitæ *hic videtur appellari liber continens nomina benefactorum et Sanctorum, ac jura ecclesiæ.*

c *Forte* Missalem, *nisi plures fuerint et exciderit scriptori numerus.*

d Obsequium *et* Obsequias *habet Cangius in Glossario, pro exequiis et Officio funebri : hinc ergo dictus est liber, continens preces et ritus eo spectantes.*

e *Ita passim appellatur Codex, continens Passiones et Vitas Martyrum atque Sanctorum per anni circulum : sed hujusmodi desierunt nunc usurpari utinam non etiam lacerarentur !*

f *Testatur Cangius, Casini inventum librum scriptum Alexio Comneno imperante, id est circa an.* 1100, *sic prætitulatum,* Incipit Breviarium sive ordo Officiorum, per totam anni decursionem. *Liber is nunc Parisiis est, continet autem, teste eodem Cangio,* Totius Ecclesiastici Officii Rubricas, ritus etiam et ceremonias, tam Officii recitandi quam Missæ celebrandæ, nec non peculiares præcipuarum festivitatum observantias. *Unde viri eruditi recte colligunt* Breviarii *nomine solas olim venisse Rubricas etc. : quibus deinde additum fuerit totum officium et cursus primum Psalmorum cum Antiphonis etc., pro quibus alias habebatur liber proprius dictus* Antiphonarium ; *deinde etiam Lectiones ad Matutinum triplicis generis, ex scriptura, ex historia, ex homiliis Patrum, pro quibus olim habebantur totidem grandia volumina. Certe* Breviaria, *ejus quæ nunc in usu est formæ, cum Lectionibus ex Vita Sancti, nulla facile invenias ante annum* 1400.

g *An* Baptisterium *seu fontem* Baptismalem *intelligam, quadratum et compactum ex lapidibus quatuor?*

h Sanctuarium *hic forte designat* Hierothecam, *unde ægris Viaticum ministrabatur vel sanis Communio.*

i *Impressum erat,* Ordinavi.... Patronum prædictæ ecclesiæ, quæ *etc. sed ita nullus sensus habetur. Posui* Patroni, *referendo id ad nomen* Henrici ; *et supplendo accusativum* Ordinationem, *quem hic requiri indicat iterata mox mentio talis ordinationis.*

k Teutonicæ *lego non* Tentonice *ut Crombachius; et subintelligo* Militiæ. *Suspicor non* Letamensem, *qui nullus est, aut scitur fuisse usquam ; sed* Litaviensem Episcopum *legendum. Nam* Litavia *olim dicebatur quæ nunc* Lithuania, *vulgo* Littau, *cujus metropolis* Vilna *nunc Archiepiscopalis, olim Archiepiscopo Gnesnensi subdita : sed ea si anno* 1288 *Episcopum habuit, male diceretur primum condita an.* 1305.

l Tantum, *id est* Tantumdem ; *non vero ut significet* Dumtaxat.

m *Solum reperio impressum D, sed scribo* Dep. *ut legatur* Depositio.

CAPUT II.

Quid duodecim primi testes ex senioribus audiverint, de adventu Sanctarum, quid experti in se et suis ipsi sint.

Testis 1

Germannus Weichser de Aldenhusen, parochiæ Eichsel, ætatis annorum triginta trium vel circa, juratus, receptus; medioque suo juramento super sibi propositis, ratione beatarum Virginum, et insigniorum earum miraculorum, aliisque necessario interrogandis diligenter examinatus et interrogatus, non gratia, odio, amore, prece, pretio vel favore; sed solius justitiæ et veritatis intuitu, nulloque proprio commodo inspecto deponit, ut sequitur. Dicit enim esse verum, quod ipse testis, ante annos decem et octo proxime lapsos, a quondam suis parentibus legitimis et fide dignis, qui sibi testi dixerunt, audiverit, quod iidem sui parentes, etiam ab antiquissimis hominibus ipsis senioribus, semper, et communi voce et fama audivissent et accepissent, quod ante longissima tempora, dum sancta Ursula cum suis sodalibus per naves navigasset seu venisset super Rhenum usque in domum Bucken seu circa littus, illic exivissent tres Virgines, cum sancta

deponit, narratum sibi a parentibus adventum Virginum,

quæ in Roperswcil infirmatæ obierint;

A cta Ursula existentes, et fuissent infirmæ; venissentque usque ad quandam curiam nuncupatam Roperschwyl, quæ est in parochia Eichsel; dumque illud venissent ad inhabitatorem ejusdem curiæ, petiissentque eas hospitari; idem inhabitator respondisset eis, quod sibi hospiti videretur, ipsas Virgines talis dignitatis seu status fore, quod non bene sciret eas tenere, quia locus suus non esset pro ipsis: attamen ipsæ Virgines beatæ fuissent bene contentæ de suo hospitio, et ibidem permansissent propter earundem infirmitatem, et perduraverint ibidem, quousque spiritum Deo reddiderunt: ipsæque Beatæ Virgines ante earundem obitum commisissent, quod postquam eas ab hac luce migrare contingeret, quod deberent duo boves recipi, et illis mediantibus corpora ipsarum permitti vehi; et ubi boves cum corporibus suis permanerent, ibidem deberent sepeliri: quod sic fuerit factum.

a quibus dicuntur Fons et Via Virginum,

Quod testis similiter audiverit a quondam suis parentibus, quod ipse iidem sui parentes semper audivissent, quod dum ipsæ in itinere fuissent transeundi ad dictam curiam, exorta fuisset una fontana, quæ adhuc sit, et nomen habebat Fons beatarum Virginum; via etiam, quam ivissent, adhuc B vocetur Via Virginum. Dicit etiam testis, quod quondam Margareta, mater sui testis, habuerit, dum viveret, maximam incurabilem infirmitatem corporis; quæ mater dixerit testi, quod nulla medicina mediante potuisset curari: sed quam primum fecisset votum eundi ad BB. Virgines in Eichsel, ipsa fuisset ab hujusmodi infirmitate liberata, et pristinæ sanitati restituta. Aliud non constat sibi.

et morbus incurabilis voto facto sit sanatus.

11 Leonardus Zimmerman de Nider-Eichsel, ætatis annorum quinquaginta et ultra, avisatus de pœna perjurii, medioque suo juramento desuper de dicenda veritate præstito interrogatus et examinatus, non gratia, odio, amore, prece, pretio, favore, ira, timore, seu rancore; sed solius justitiæ et veritatis intuitu deponit. Dicens se a suis senioribus semper a juventute sua audivisse, quod in Eichsel requiescerent tres Beatæ Virgines, quæ de Societate S. Ursulæ fuerint et sint; et dum ipsa S. Ursula super Rhenum ad Coloniam navigasset, et venisset ad littus circa Villagium Weylen; tres Virgines beatæ, ut infirmæ, exivissent navim, et ivissent super montem Rierenbergh, et usque ad curiam nuncupatam Roperschwyl venissent, illic permanentes usque ad earundem obitum; et audiverit a suis senioribus dici, quod iidem sui testes seniores C etiam semper audivissent dici publica voce, et fama; quod postquam ipsæ Beatæ Virgines obierunt mortem, fuerit auditum ex voce cælesti, quod corpora earundem beatarum Virginum super currum deberent poni, et duo boves præponi currui; et quo ipsi boves corpora ipsarum veherent et stare permitterent, ibidem deberent sepeliri; sicque fuissent ductæ ad locum in Eichsel et ibidem sepultæ. Dicit etiam testis, quod semper a suis senioribus audiverit, quod hujusmodi tres beatæ Virgines in Eichsel fuerint ab hominibus fidelibus in devotionem eorum quæsitæ, vota illuc promissa, et pro sanctis Virginibus adoratæ seu imploratæ.

Testis II similiter deponit de adventu,

et modo ac loco sepulturæ cælitus indicato,

cultuque vetere:

12 Audivitque testis, quod quadam vice quidam Dux seu Princeps Austriæ commisisset, ut hujusmodi beatarum Virginum corpora quærerentur, et ex sepulturis earumdem reciperentur; et dum hi qui [missi erant] volebant aperire sepulcra earumdem, venit vox dicens, quod deberent cooperiri sepulcra hujusmodi, quia nondum esset tempus aperiendi; vulgo Dect zu es ist noch zu froh. Qua quidem audita, projecerunt iidem fodientes terram vice versa in sepulcra hujusmodi Virginum beatarum, et cessarunt ab eodem proposito. Testis etiam dicit

elevatione prohibita.

se vidisse, et audivisse, quod dum aliquando homi- D nes stabant super sepulcra Virginum, et ipsi sputum desuper projecerunt, quod inde in infirmitates inciderunt, quod vix ire poterant propter irreverentiam ipsis Sanctis factam. Item vidit, et audivit, quod qui se in suis infirmitatibus seu accidentibus adversitatibus illic ad beatas Virgines in Eichsel voverunt, quod fuerint sanctarum hujusmodi Virginum intercessione ab hujusmodi infirmitatibus liberati, et sanati. Audivitque communi voce, et fama a juventute sua testis a suis antiquioribus et senioribus, quod iidem se seniores semper audivissent, quod hujusmodi tres Virgines essent de societate seu sodalitate undecim milium Virginum. Viditque a juventute sua et audivit ipsas tres Virgines pro talibus teneri, implorari, haberi, et reputari, hodieque sic teneantur et reputentur. Aliud sibi non constat, nisi quod ipse testis etiam easdem pro talibus tenet et habet.

EX CRONBACHIO punita irreverentia,

Miraculis crebris.

13 Henricus Krebs de Nollingen quadraginta annorum et ultra, dicit se per triginta annos in villa Nollingen habitasse, ... et, quod villa Nollingen distet quasi dimidium milliare a villa Eichsel; sicque acciderit, quod ante certas septimanas præterlapsas infirmitas febris eum tetigerit, scilicet quotidiana; et eum E adeo infirmum et debilem fecerit, quod non habuisset spem amplius de vita sua; sic prout die lunæ proxime futura laberentur octo dies, ipse testis voverit, ire velle ad beatas tres Virgines in Eichsel, illudque votum adimpleverit; et quam primum ibidem venisset, cessaverit febris in eo, et postea ipsum amplius non tetigerit, hodieque ab hujusmodi febribus sit liberatus. Dicitque testis se habuisse socerum virum antiquissimum, qui sibi testi semper dixisset, quod in Eichsel requiescerent sepultæ tres beatæ Virgines, de undecim millibus Virginum; et testis firmiter credit, subsidio et ad implorationem beatarum Virginum trium in Eichsel, ab hujusmodi febribus se liberatum, et sanatum seu relevatum. Et communiter ab aliis, hujus villæ Eichsel notitiam habentibus, audivit, pro eo teneri, dici et haberi, quod ibidem in Eichsel tres beatæ Virgines requiescerent, prout etiam signa imaginum trium sanctarum Virginum antiquitus super sepulcra earumdem fuerint et sint posita, ut viderentur ibidem sepultæ, aliud non scit.

III. de febri sua ex voto curata.

14 Joannes Storb de Scopflen, sexaginta sex annorum suæ ætatis vel circa, de hujusmodi sanctis Virginibus, de iis quæ sibi ex propria scientia vel auditu, conscia fuerunt diligenter examinatus; ..... dicit et deponit, se per quinquaginta annos cum suis quondam parentibus, et post eorumdem obitum solum, fuisse et quæsivisse tres beatas Virgines, requiescentes in ecclesia et cœmiterio ejusdem ecclesiæ in Eichsel. Dicit etiam se a suis parentibus et senioribus sæpe audivisse, quod hujusmodi tres beatæ Virgines iverint in certo loco, ubi itur ad curiam Roperschwyl parochiæ Eichsel; fueritque una fossata ibidem, absque ponte: et dum illuc advenissent, statim habuissent pontem paratum ex virtute Dei, super quem pontem transiverint; et idem locus, et via ibidem adhuc habeant nomen, quod dicatur Fossa beatarum Virginum, et via earumdem; sitque quidam fons ibidem, qui dicatur Fons beatarum Virginum; unaque Virginum sanctarum hujusmodi sit sepulta in cœmiterio; et circa tumulum ejusdem vel super idem sepulcrum jacuerit quidam truncus arboris quercinæ; qui truncus interim quo super sepulcrum hujusmodi fuerat positus, saporem nobilissimum, sicut violæ flores habent, habuerit, et hoc viderit, et sæpius sapuerit; et viderit, quod quando aliquando homines, ac etiam testis petias de ligno sciderunt, ani-

IV. de peregrinatione crebra ad ipsas, F

ponte eis divinitus strato,

trunco super sepulturam unius odorifero,

EX CROMBACHIO.

mo secum ad domos portandi, quamprimum non fuerat super sepulcrum, quod tunc sapor cessaverit; prout etiam idem truncus nunc in toto depositus, saporem amiserit. Audivitque testis veridica relatione dici a suis senioribus, quod olim aliqui prætendissent, et cœpissent fodere circa sepulturas beatarum Virginum, animo earundem corpora effodiendi, et forsan inde alienandi et portandi, sicque fuerit audita ab iis vox quædam dicens : Vert zu / dert zu / est ist noch zu froh. Dicit etiam quod hujusmodi tres Virgines beatæ fuerint et sint ultra memoriam hominum, et prout semper a se senioribus audiverit, pro sanctis imploratæ, recursusque in infirmitatibus ad eas habitus, prout hodie taliter quærantur et implorentur; puerique primogeniti, juxta earundem sanctarum Virginum nomina propria fuerint nominati in baptismo, scilicet Kunegundis, Wibrandis, et Mechtundis. Ipseque testis pro eo habet, quod tres Virgines sanctæ ibidem requiescant. Nam viderit sedes cum imaginibus sanctarum Virginum, positas super loca, ubi credebatur ipsas sanctas Virgines sepultas requiescere. Aliud non scit.

nominibus ad baptismum assumptis.

15 Fridolinus Vogtlin, telonarius oppidi super pontem in Rhinfelden, testis, ætatis annorum quinquaginta vel circa,..... dicit esse verum, quod omni anno, de oppido Rhinfelden ad villam Eichsel, cum Reliquiis et processione transeatur ad beatas tres Virgines; ipseque testis sæpius etiam illuc iverit, et viderit tres sedes, ubi super qualibet sede sit posita imago sanctæ Virginis ex ligno scissa; et etiam super cœmeterium ejusdem ecclesiæ fuerit unum lignum ita saporosum, quod omnis homo de eo mirabatur. Tale lignum testis vidit, et saporem sentiit et odorem. Et a suis senioribus semper audiverit, quod Virgines Beatæ tres in ecclesia hujusmodi seu ejus cœmiterio essent sepultæ, et requiescerent ibidem. Viderit que a pluribus Christi fidelibus, easdem sanctas Virgines quæri, et ad locum hujusmodi propter eas recursum haberi ; non tamen scit de aliquibus signis seu miraculis ; sed pro sanctis Virginibus eas audiverit teneri, haberi, et reputari, ac venerari ; prout etiam ipse testis eas taliter teneat, et habeat, et credit verum esse, quod ibidem requiescant.

V, de annua ad ipsas processione

16 Verena Tentzel de oppido Rhinfelden, testis ætatis annorum septuaginta vel circa ... deponit et dicit, se nil aliud scire, nisi quod a juventute sua, a suis senioribus et se antiquioribus utriusque sexus hominibus, audiverit dici, quod in Eichsel essent sepultæ, et requiescerent tres Virgines beatæ, seu earundem corpora ; sicque fuerit habitum, tentum, nominatum, et reputatum, hodieque sic habeatur et teneatur. Aliud non scit.

VI, quod vere ibi sepultæ credantur.

17 Theodoricus de Meytre commorans in villa Nollingen, ætatis annorum triginta quinque vel circa..... deponit dicitque, sunt jam quatuor anni elapsi, quod sæpe habuerit ipse filium maxima infirmitate tunc laborantem, quod non erat spes de vita ejusdem pueri ; sic quadam nocte obvenit sibi testi in somno, quod deberet puerum hujusmodi vovere ad beatas Virgines in Eichsel ; quod et testis faciebat, et cum una libra ceræ ad Sanctas hujusmodi iverit ; qui quidem puer ab hujusmodi infirmitate fuit liberatus, et sanitati restitutus. Similiter dicit testis, se habuisse unam filiam infirmam, quam etiam ex consilio suæ uxoris vovit ad beatas tres Virgines cum dimidia libra ceræ ; sic exiverint de puero hujusmodi duo vermes cum crinibus, et longi fuerint, et alias circa ducentos vermes de eodem genere exiverint, sicque filia fuit facta sana, et adhuc vivat. Item testis dicit, quod anno præterito fuerit infectus peste epidemiæ ; et ipse fecit votum transeundi ad beatas Virgines in Eichsel cum duabus candelis, prout sibi in somno obveniebat, quod sic facere deberet ; ipse statim fuerit restitutus ad sanitatem, ipseque adimpleverit votum promissum, et credit firmiter subsidio et adjutorio beatarum Virginum in Eichsel, ipsum testem puerosque suos fuisse et esse sanatos per Dei gratiam. Aliud sibi non constat.

VII, de sanatis filio ac filia, et seipso a peste

18 Ursula, uxor ejusdem testis proxime prædeponentis, testis etiam jurata et recepta, dicit præcise sic esse actum cum Theodorico ejus marito et filiis eorumdem conjugum, quemadmodum ejus maritus deposuerit ; quem deponere vidit, et audivit, ac depositioni ejus præsens fuit, addens ad ea, et dicens : quod ipsa dudum unum habuerit infantem, seu puerum lactentem et sugentem adhuc ; qui puer in octo diebus ex quadam infirmitate incidenti non potuit lac de mammillis sugere : quem puerum feminei sexus ipsa deponens voverit portandum ad beatas tres Virgines in Eichsel, ipsamque filiam illuc portaverit ; et post hæc statim ipse puer incepit sugere, et vivit hodie, aliud sibi non constat.

VIII, de iisdem et filia sugere non valente.

19 Hermannus Miller alias Stroeli, de villa Tegerfeld, ætatis annorum quinquaginta vel circa..... deponit et dicit esse verum, quod eo teste existente in sexto anno suæ ætatis vel circa, acciderit sibi, quod quædam macula seu pellicula creverit in uno suo oculo, quod tandem in eodem oculo nil amplius potuit videre, sed erat cæcus in eodem ; sic mater ejus votum fecerit ejus ex parte transeundi ad beatas Virgines in Eichsel, cum cereo oculo et cereo equo. Et super hoc duxerit ipsum testem ad eumdem locum, ubi requiescere dicuntur beatæ tres Virgines, implorando easdem tres sanctas Virgines, quod intercederent apud Deum pro teste, quod oculus suus ad visum pristinum et sanitatem restitueretur. Dum itaque illuc venerit, et votum fecerit, ipse testis fuerit restitutus, et potuerit videre in uno oculo, sicut in alio, et hodie bene videat in ambobus oculis ; firmiterque credit, quod subsidio, sive adjutorio et intercessione earumdem beatarum Virginum ipse testis fuerit ad visum pristinum in oculo restitutus. Testis etiam a suis senioribus semper audiverit, in dicto loco requiescere tres Virgines, seu illarum corpora ; audivitque testis dici, quod ante [sua] tempora tres sedes fuerint, super quibus jacent tres imagines sanctarum Virginum, quæ fuerunt semper positæ in ecclesia super sepulcra earumdem sanctarum Virginum. Et quia una sedes solita erat poni extra ecclesiam super cœmiterium ; acciderit, quod quia nesciebatur pro certo, si hujusmodi Beatæ Virgines essent sepultæ in ecclesia vel extra, una sedium, stans extra ecclesiam in cœmiterio, portabatur etiam ad ecclesiam. Sed crastino mane post noctem dictæ diei, ipsa sedes vice versa fuit extra ecclesiam operatione divina in loco, ubi ipsa altera ex sanctis Virginibus fuit sepulta.

IX, de oculo sibi illuminato,

et sedium una ad cœmiterium divinitus relata.

20 Elizabetha Urbani, de oppido Rhinfelden, ætatis annorum quinquaginta et ultra... dicit esse verum, quod quondam mater testis habuerit mirabili passione et dolore calculum, quod aliquando quasi mortua decubuit ; sicque promisit velle visitare sanctas Virgines in Eichsel, ad hoc quod intercederent pro ea dictæ Virgines erga Deum, pro gratia obtinenda, quod mater testis ab hujusmodi infirmitate liberaretur ; quam etiam promissionem factam quondam mater testis adimpleverit, et quam primum ad Eichsel venerit, lapides calculi hujusmodi in copia exiverint, quod collecti tam magni fuerint sicut ovum gallinæ. Et testis dicit, quod semper a juventute sua a sibi senioribus audiverit dici, quod beatæ Virgines seu corpora ipsarum essent

X, de calculo matri suæ exempto.

A sent reposita in ecclesia Eichsel, et fuerit antiquitus magnus concursus ad eumdem locum; licet propter malitiam hominum, pro nunc et aliquot annis proxime præteritis, non fuerint beatæ Virgines multum et in tantum veneratæ, quemadmodum ante centum vel octuaginta annos. Nec aliud scit.

et remissiori ad præsens cultu.

21 Heinricus Weichser de Wiechs, ætatis suæ annorum quadraginta octo vel circa..... deponit, et dicit, quod ipse a juventute sua semper a senioribus et antiquioribus suis dici audiverit publice, quod olim ante annos longe memoriam hominum excedentes, venerint tres Virgines ad curiam Roperschwyl parochiæ Eichsel, et petierint quod receptarentur ibidem tamquam aliegenæ; vir tamen ibidem tunc existens eas recusasset hospitare, licet tandem precibus ipsarum devictus easdem penes se retinuerit; fuerintque ipsæ infirmæ; et demum videntes se morituras, dixerint, quod quando ipsæ eædem sorores ab hac luce decederent, corpora ipsarum super bigam seu currum deberent poni, et duobus bobus præpositis curru duci, quousque boves per se starent: et ubicunque boves eas ducerent, et ulterius non transirent, quod corpora B earundem trium Virginum ibidem deberent sepeliri. Sicque fuerint corpora earundem sanctarum Virginum ducta usque ad locum ecclesiæ in Eichsel, ibidemque sepulta. Dicit etiam quod audiverit a suis senioribus a juventute sua, quod eædem beatæ Virgines transiverint per quandam viam ultra unam fossatam, ubi dum ad fossatam venerint, non repererunt pontem: sed propter sanctitatem earundem ut procederent, ex divina voluntate, repererunt pontem, per quem transierunt. Sitque fons ibidem prope, qui habeat adhuc ab antiquo nomen Fons beatarum Virginum. Similiter via est ibidem, quæ hodie nuncupatur et semper nuncupata est Via beatarum Virginum. Ulterius dicit, quod quidam villanus, Olewinus Meyer de Oetlichem, fuerit mirabiliter male læsus a quadam arbore quæ ceciderit, ita quod de ejus vita amplius non erat spes; sed idem imploraverit beatas Virgines in Eichsel, et se illuc voverit cum eleemosyna, et fuerit restitutus pristinæ sanitati, per intercessionem beatarum Virginum Kunegundis, Mechtundis, et Wibrandis.

XI deponit audita de adventu, sepultura, et notis vulgo de ponte, fonte, ac via; item de oblæso ab arbore et sanato.

22 Agnes Gutymey, de oppido Rhinfelden, ætatis annorum quinquaginta vel circa, deponit et dicit sibi nil aliud constare, nisi quod audiverit, quod venerunt tres Virgines sanctæ in Roperschwyl; et C dum erant infirmæ, et jam mors eis appropinquaverit, jusserint, quod quando ab hac luce contingeret decedere, poni deberent earum corpora super currum, et duobus bobus præpositis duci permitti, [et quod] ubicumque tunc boves cum suis corporibus starent, non ultra transeundo, ibidem deberent corpora ipsarum ecclesiasticæ tradi sepulturæ, et talia fuerint facta, fuerintque corpora ipsarum beatarum Virginum in Eichsel tradita sepulturæ, prout etiam ab antiquo steterint super sepulturas earumdem Virgines tres in memoriam earumdem sanctarum Virginum trium factæ; talia audiverit testis a quondam ejus patre, et ab aliis senioribus, qui testi hæc dixerint; quodque magnus concursus antiquitus ad dictas tres Virgines fuerit. De signis et miraculis ac aliis nil sibi constat.

XII, de modo sepulturæ, imaginibus et concursu

CAPUT III.

Depositiones aliorum viginti testium usque ad XII Maji.

Joannes Oerthi advocatus in Tegerfeld, ætatis annorum quinquaginta,.... deponit, et dicit quod a tempore suæ discretionis semper audiverit requiescere in Eichsel tres sanctas Virgines, quæ etiam D pro sanctis Virginibus fuerint habitæ, tentæ, et reputatæ: sicque anno præsenti acciderit, quod quasi per sedecim septimanas ipse testis habuerit febres; et propter hoc ipse imploraverit sanctas Virgines in Eichsel, et illuc ad ipsas transiverit, et fuerit a febribus hujusmodi liberatus. Aliud sibi non constat.

XIII, de sanitate sibi reddita

EX CROMBACHIO

24 Euneha Utzenfeldin, de oppido Schopffen, erat annorum sexaginta, vel circa, ... dicit, quod ab ejus juventute semper a suis senioribus audiverit dici, puod in Eichsel requiescerent corpora trium sanctarum Virginum, quarum una haberet nomen Kunegundis, alia nomen Wibrandis, et tertia nomen Mechtundis; viderit que et audiverit pueros juxta nomina earumdem sanctarum Virginum in Baptismo nominari, et earum nomina imponi; ipsiusque testis mater dum viveret sibi testi sæpius dixerit, quod paucus honor nunc hujusmodi sanctis Virginibus fieret, sed antiquitus honorifice fuissent nominatæ. Nam antiquitus ex institutione, aut consuetudine fuerit, et hodie sit in usu, quod in vigilia corporis Christi annuatim itur cum Processione et Reliquiis ad Eichsel de oppido Scopffen; et audiverit testis ante quadraginta, et quinquaginta annos, quod olim certi Nobiles prætendissent effodere sanctas Virgines, seu corpora earum ex sepulturis suis; quibus venit vox dicens, Deet zu es ist noch zu froh. Sic ipsi cessassent, et eadem corpora ibidem jacere permisissent, nec aliud sibi constat.

XIV, de processione duci solita, et elevatione frustra tentata

E

25 Joannes Menley de villa Loerrach, quinquaginta annorum; et Joannes Goldsperg de eodem loco, quinquaginta sex annorum, testes a tota communitate Loerrach missi, ... deponunt et dicunt, se a suis senioribus sæpius audivisse, et etiam aliquando per se vidisse, quod tres sanctæ Virgines in Eichsel fuerint imploratæ a pluribus in infirmitatibus constitutis, tam pestis, quam etiam febris; et quando venerint ad locum scilicet ecclesiam Eichsel, in qua ultra centum annos fuerint sepulta corpora dictarum trium sanctarum Virginum, quod tunc fuerint liberati ab hujusmodi peste, et febribus. Dicunt etiam testes, quod de villa Loerrach ac diversis aliis villagiis, omni anno fiant processiones ad sanctas Virgines in Eichsel; et testes firmiter credunt, quod corpora dictarum trium sanctarum Virginum requiescant in ecclesia sive cœmiterio in Eichsel, et quod qui eas imploret in suis necessitatibus ab illis relevetur. Et dicunt easdem nominari, scilicet unam Kunegundem, aliam Widebrandem, F tertiam Mechtundem; aliud eis non constat, nisi quod dictum, habitum, nominatum, et reputatum fuerit: hodieque habeatur, nominetur, et reputetur, quod tres sanctæ Virgines in dicto loco sint et requiescant.

XV et XVI deponunt pro tota sua communitate.

26 Verena Folnini de Rhinfelden, septuaginta annorum suæ ætatis, ... dicit, sibi nil aliud constare, nisi quod a suis senioribus, etiam senissimis et antiquissimis hominibus utriusque sexus audiverit, quod in Eichsel esset gratiosus locus; et quod tres sanctæ Virgines ibidem requiescerent, et corpora earumdem ibidem essent sepulta; et quod antiquitus magnus fuerit concursus ad easdem sanctas Virgines, et qui eas imploraverit in sua infirmitate, fuerit relevatus; nec aliud sibi constat.

XVII, de vetustissima traditione et cultu

27 Joannes Burger, de Rhinfelden, septuaginta annorum vel circa ..... deponit, se a quondam matre sua, quæ fuerit antiqua mulier, audivisse, quod trium sanctarum Virginum corpora jacerent sepulta in cœmiterio sive ecclesia Parochiali in Eichsel; et quod ante longa tempora certi proposuissent effodere velle corpora hujusmodi Virginum subito tamen iidem audierunt vocem quamdam dicentem, Deet zu deet zu es ist noch zu froh. Nil aliud scit, nisi quod magnus

XVIII, de inceptа effossione,

A magnus aliquando concursus fuerit ad locum Eichsel ad dictas Virgines, nec aliud deponit.

EX COMPENDIO XIX. de votivis in Eischel peregrinationibus

28 Kungili Renck, de villa Eichsel, ætatis annorum quinquaginta vel circa, verum esse dicit, quod ipsa a juventute sua a suis senioribus audiverit semper, quod in Eichsel essent sepultæ sanctæ tres Virgines; viditque et audivit a multis diversis hominibus, quod vota fecerunt eundi ad beatas Virgines implorandas: quos audivit relevatos, et liberatos ab infirmitatibus suis quando illuc venerint, sitque verum, quod ibidem sunt tres imagines Virginum sanctarum; quæ antiquitus super sepulcra earumdem beatarum Virginum fuerunt positæ, ut videretur sanctas Virgines ibidem requiescere, et sepultas fore; ipsa etiam testis quadam vice fuerit infirma in uno oculo, et propterea imploraverit beatas Virgines in Eichsel, ut subvenirent ei, ne cæca fieret in oculo huiusmodi: sicque fuerit adjutorio Sanctarum hujusmodi sana facta. Aliud non scit.

et oculo sibi sanato

XX. de excæcato et fossore sanctarum,

29 Grelli Meyers de Tegerfeld, sexaginta annorum suæ ætatis, jurata, et examinata .... dicit, se a suis senioribus audivisse, quod olim nonnulli attentaverint effodere velle corpora sanctarum Virginum, quæ in Ecclesia Eichsel sepulta esse dicuntur: tunc venerit vox quædam dicens: Deck zu, deck zu, es ist noch zu froch. Audiveritque testis a suo
B patre dici, quod erat quidam Nobilis, qui non curaverit vocem hujusmodi, quod omnino volebat corpora Sanctarum hujusmodi effodere; et propterea idem fuerit effectus cæcus in oculis suis. Item dicit testis, quod olim ipse testis habuerit unum apostema magnum super humerum suum, et vovit se ad beatas Virgines in Eichsel, et fuerit sanata. Dicit quoque se testem habuisse puerum, qui in tribus annis propter infirmitates non potuerit ire. Et dum ipsa testis votum fecit ad beatas Virgines, ut puer ab hujusmodi infirmitate liberaretur, quam primum ipsa votum hujusmodi fecerit, idem puer fuerit factus sanus. Et credit firmiter, quod ad subventionem hujusmodi sanctarum Virginum, fuerit ipsa et filius sanati, nec aliud dicit.

Apostemate sanato et puero debili

XXI. de trunco odorato et sapido,

30 Dictus Schreiberhans de Mulberg, ætatis annorum quinquaginta vel circa, ... dicit, quod ipse olim a quondam Domino Fridolino Presbytero audiverit, quod tres Virgines essent sepultæ in Eichsel, scilicet duæ in ecclesia, et una extra ecclesiam, quæ essent Sanctæ: testisque fuit sæpius in Eichsel, et vidit quod quidam truncus, seu quoddam lignum arboris, fuit positum super sepulcrum
C unius ex sanctis Virginibus in Eichsel, quod ita bonum odorem habuerit, sicut esset odor violarum florum; hoc testis vidit, et odoravit, seu sapuit; et dicit quod quando aliquis aliquam petiam de ligno sciderit, quod hujusmodi petia abscissa nil plus sapuit, seu nullum amplius odorem dedit, ipseque truncus seu lignum, cum jam de sepulcro alterius sanctarum Virginum sit depositus, similiter amplius non sapiat seu det odorem ut antea. Audivitque testis a juventute sua, quod in Eichsel essent duo corpora sanctarum Virginum, sicque fuerit habitum, tentum, nominatum et reputatum, hodieque sic a teste, et aliis habetur, tenetur, et reputatur. Et ex Schöpflen et aliis villis transeatur ad beatas Virgines omni anno cum reliquiis: aliud non dicit.

quoad allatus a sepulcro est

31 Conradus Vogt de Nollingen, ætatis annorum sexaginta vel circa, ... dicit quod olim fuerit in humanis Cuninus Berg, Petrus Colinar, Heyninus Meyer, et Petrus Meyer; a quibus et nonnullis aliis sibi testi senioribus et antiquioribus utriusque sexus audiverit, quod in Eichsel requiescerent tria corpora sanctarum Virginum, de undecim mille Virginibus sanctis; et quod magna signa sæpius in hominibus confluentibus ad Ecclesiam Eichsel, ac ipsas

XXII. prædicta confirmat:

sanctas Virgines invocantibus fuerint facta, sic, quod D homines de præmissis infirmitatibus corporum et ab hujusmodi fuerint liberati. Quodque quadam vice, ante longa tempora, præsumpserit velle effodere corpora dictarum Virginum; sed audita fuerit per fodientes vox talis: Deck zu, es ist noch zu frohet dum hujusmodi vox fuit audita, ipsi cessarunt fodere. Dicitque testis, quod in Ecclesia Eichsel tres imagines in signum, et ad figurationem hujusmodi trium Sanctarum, longe ultra memoriam hominum, fuerint super sepulcra earumdem sanctarum Virginum posita, ut videretur Sanctas ibidem esse sepultas; aliud sibi non constat.

32 Joannes Henfli, Advocatus in Nollingen, ætatis annorum quinquaginta, ... dicit, se nil aliud scire, quam quod semper ab antiquis hominibus audiverit dici, quod trium sanctarum Virginum corpora jacerent sepulta in Ecclesia Eichsel, seu in cœmiterio ibidem; et scit quod magnus concursus ante viginti vel triginta annos ad easdem Sanctas fuerit hominum utriusque sexus, ob infirmitates aliquas; quia viderit et audiverit homines sic vota facere, et illuc ire: nec aliud sibi constat.

uti et XXIII,

33 Jacobus Vogelbach de Nollingen, ætatis qua- E draginta, vel circa, ... dicit se etiam nil scire, nisi quod a tempore suæ memoriæ, et discretionis, a suis senioribus semper audiverit, quod circa Ecclesiam Eichsel, aut in eadem essent sepulta et requiescerent tria corpora sanctarum Virginum, de undecim mille Virginibus; et scit, et audivit, quod fuit concursus ad quærendum easdem Virgines, licet in viginti annis hujusmodi concursus non fuerit magnus: tamen homines habentes infirmitates febris illuc iverint, et fuerint liberati; sicque fuerit creditum, habitum, tentum, et reputatum; nec aliud sibi constat.

atque XXIV

34 Jacobus Beler de Tegerfeld, ætatis annorum quinquaginta et ultra, ... dicit, se a suis senioribus semper audivisse, quod trium sanctarum Virginum corpora requiescerent in et extra Ecclesiam in Eichsel, in locis ubi repositæ forent imagines figuratæ ad modum sanctarum Virginum; quas imagines testis vidit: quodque tales Sanctæ essent de numero undecim mille sanctarum Virginum, et duarum corpora jacerent in ecclesia, et una extra Ecclesiam in cœmiterio. Dicit etiam, quod omni anno de villa Tegerfeld transeatur cum Reliquiis et processione ad beatas Virgines in Eichsel die lunæ Rogationum, et quod viderit et audiverit magnum concursum hominum frequentare easdem Sanctas, et ab omnibus habeatur id pro vero, quod hujus- F modi Sanctæ ibidem requiescant, nec aliud deponit.

XXV et XXVI, de processione

35 Leonardus Britzeker de Tegerfeld, ætatis annorum quinquaginta et ultra, juratus, receptus, et in præsentia Jacobi proxime supra deponentis contestis, examinatus, ut idem contestis ita similiter ipse deponit, sic se audivisse, et scit processionem annue fieri de Tegerfeld, pro custodia fructuum terræ, ad beatas tres Virgines; dicens, quod in cœmiterio ecclesiæ una arca seu sedes, super quam posita sit, sive jaceat imago, sive figura sanctæ Virginis, de ligno scissa ostendens sanctam Virginem; similiter in Ecclesia similes duæ sedes seu arcæ, super quas duæ imagines ad similitudinem sanctarum Virginum jaceant, sint super sepulturas ipsarum Virginum positæ; et audivit, quod semel fuerit sedes in cœmiterio existens portata, et posita in ecclesia; sed quando mane veniebant, fuerit reperta hujusmodi sedes vice versa extra ecclesiam, in loco suo priori. Aliud non scit, nisi quod semper audiverit, tres Virgines sanctas esse sepultas in Eichsel.

pro fructibus terræ;

et de transpositione sedis.

36 Conradus Gloter de Tegerfeld ætatis annorum quinquaginta

A quinquaginta, vel circa, juratus, receptus et examinatus in præsentia amborum suorum contestium proxime supra deponentium, dicit, se a quondam suo vitrico audivisse, quod sanctæ Virgines tres essent sepultæ in Eichsel; et dum in vita fuissent, ivissent ipsæ per certam viam, quæ adhuc nomen retinuerit, et dicatur Via sanctarum Virginum. Scitque, et vidit, ac audivit, quod hujusmodi tres Beatæ Virgines venerantur, et quæruntur in Eichsel, et magnus concursus aliquando ad hujusmodi locum fuerit ab hominibus ipsas Virgines quærentibus, nec aliud sibi constat.

XXVI, de via Virginum dicta.

37 Antsch Wieschel de Roperschwyl, curiæ parochiæ Eichsel, ætatis annorum quinquaginta vel circa..... deponit, quod ipse a quondam suis parentibus et senioribus, de Villa Eichsel et circum circa existentibus, sæpissime audiverit, quod in Eichsel essent sepultæ tres sanctæ Virgines, quarum corpora ibidem requiescerent, unius videlicet in cœmiterio, aliarum vero duarum in ecclesia; prout ostenderint imagines, quæ ad modum ipsarum sanctarum Virginum figuratæ sint, et super sepulcra, sive loca, ubi hujusmodi Sanctæ requiescunt, B solent poni. Sicque vidit testis, quod homines confluentiam habuerint, et recursum ad beatas easdem Virgines, prout et ipse testis recursum ad eas habuit, et in suis necessitatibus eas imploravit, quod per earum sacra merita pro eo apud Deum intercedere vellent ad sibi subveniendum: aliud non scit.

XXVIII, de imaginibus supra sepulcra.

38 Validus Vir Rudolfus in Graben, Schultetus in Rhinfelden, ætatis suæ annorum triginta vel circa, dicit quod dum ipse adhuc puer esset, idem phantasiam habuerit, quod de nocte e lectulo ivit, et in camera hinc inde in somno ambulavit; et tunc habuerit mater testis unam famulam, quæ semper testem regebat, custodiebat, et gubernabat; et adhuc ut hujusmodi phantasia amoveretur a teste, eadem famula voverit ipsum testem ad beatas tres Virgines in Eichsel, ipsumque testem secum illuc duxerit, et aliquod donum seu eleemosynam ibidem dimiserit; et ipse testis ab hujusmodi phantasia, de nocte in somno ambulandi seu transeundi, fuerit et sit liberatus, quod ipse interim non fecerit: aliasque audivit hujusmodi sanctas Virgines in Eichsel requiescere.

XXIX Prætor Rhinfeldensis, de sua pueri liberatione

39 Joannes Wieschel, de Roperschwyl Parochiæ Eichsel, ætatis annorum quinquaginta vel circa,... dicit et deponit, quod a suis senioribus semper audiverit, quod dum undecim mille Virgines veniebant C per navim usque ad Bucken navigantes, sive ad eumdem locum, quod ibidem exiverint tres Virgines, transeuntes usque curiam Roperschwyl, et ibidem permanserint tamquam infirmæ, et vitam earum ibidem finierint feliciter; quibus mortuis existentibus, consuluerint et repererint ibidem in dicta curia habitatores, quod reciperent duos boves, et permitterent trahere corpora ipsarum Virginum quocumque vellent; et ubi starent non ultra transeuntes, quod illic corpora earundem deberent sepeliri. Sic boves hujusmodi Beatarum Virginum corpora duxerint usque ad locum in Eichsel, ibidemque fuerint sepultæ; ipseque testis audiverit dici a suis senioribus, quod dum dictæ Virgines adhuc in vita fuissent, et ad dictam curiam ivissent, habuerit una earum sitim; et volentes requiescere modicum, una ex illis emiserit baculum suum, quem in manu tenebat in terram; tunc ortus fuit fons, qui adhuc sit, et vocatur Fons beatarum Virginum: et via, quam ipsæ fecerunt, retinuerit adhuc nomen, der heiligen Jungfrawen weg. Sicque pro beatis Virginibus semper fuerint habitæ, tentæ, nominatæ, ac reputatæ, hodieque sic habeantur, teneantur, nominentur, et reputentur; ipseque testis sic teneat. D Nihil aliud scit.

XXX, de loco execsionis,

fonte ad Virginum sitim elicito,

et via.

EX CROMBACHIO

40 Rudinus Rinck de Eichsel, ætatis annorum quinquaginta vel circa, juratus, receptus, et examinatus dicit, ut contestis suus proxime supra deposuit, quem deponere vidit, et audivit; et ultra hoc dicit, quod audiverit, quod semel fuerit venatus unus cervus, qui cucurrerit usque ad villam Eichsel; et dum cervus ibidem fuerat, non voluerit ulterius ire, et in cornibus suis in qualibet acie apparuerint candelæ, quæ per homines videbantur, alia non scit.

XXXI, de candelis inter cornua cervi;

41 Heinricus Pur de Nider-Eichsel ætatis quadraginta sex annorum et ultra... deponit, ut Joannes Wieschel contestis suus, proxime supra ante Rudinum deponens, quem deponere audivit, et ejus depositioni præsens fuit; et addit etiam, quod audiverit a suis senioribus sæpius dici, quod cervi et alia animalia venerint ad Eichsel et in cornibus cervorum fuerint visæ candelæ. Aliud non dicit, nec sibi constat, nisi quod ab omnibus vicinis in Eichsel viderit et audiverit, dici, et reputari, ac haberi pro eo, quod trium sanctarum Virginum corpora essent sepulta in Eichsel, et ibidem requie- E scerent, prout etiam pro Sanctis recursus ad eas ibidem habeantur. Datum et actum in Villagio Eichsel, anno domini millesimo quingentesimo quarto, duodecima die mensis Maji, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini Julii divina providentia Papæ Secundi, anno ejus primo, indictione septima: præsentibus ibidem nobilibus et validis honorabilibusque viris, Dominis Adelberto Truchses, Rudolfo in Graben laicis, nec non .... Doctore Canonico Ecclesiæ in oppido Rhinfelden; et Joanne Essenmacher Capellano ibidem, testibus, ad præmissa vocatis et rogatis. Gregorius Swegler Notarius curiæ Bas. subscripsit rogatus.

quod confirmat XXXII

an. 1504

CAPUT IV.

Reliquus processus usque ad finem mensis Maji.

De vero Martis, proxima ante festum Adscensionis Domini nostri Jesu Christi, scilicet decima quarta Maji, fuit in monasterio Carthusiensi minoris a Basileæ Constantiensis Diœcesis, examinatus religiosus vir Dominus Ludovicus Maser, Conventualis domus Carthusiensium Basileæ Constantiensis Diœcesis, sexaginta duorum annorum vel circa, F qui super his quæ sibi constent, ex parte Beatarum trium Virginum, in ecclesia parochiali Eichsel et ejus cœmiterio requiescentium diligenter examinatus deponit, dicitque esse verum, quod sint pro nunc quadraginta anni, postquam habuerit maximam conversationem cum nobilibus et strenuis viris Dominis Wernero Daptero Milite, ac Hermanno Truchses Milite; qui etiam ex speciali favore, quem gerebant ad ipsum testem, deponentem, sibi domino unam Capellaniam in Eichsel, Beatæ Mariæ Virginis altare contulerunt; ita quod ipse dominus testis magnam devotionem ad eundem locum habere consueverit, et proposuerit ibidem velle sibi ædificare domum, et illic habitationem suam continuam peragere, et modo tempore sæpius illuc iverit, et a senioribus ibidem circum circa residentibus interrogaverit, qualiter hujusmodi Sanctæ Virgines illuc venissent, vel quo modo res se teneret. Qui quidem seniores omnes a teste interrogati, sibi domino testi dixerunt; quod dum S. Ursula cum suis sodalibus per navim venisset, usque in locum Bucken vel circa; hujusmodi tres Virgines fuissent infirmæ, et ibidem navim exivissent, et venissent usque

XXXIII Carthusianus,

a

in loco versatus et exacte diligenter scrutatus.

a quod eæ hactenus semper exstitisse Sanctæ fuisse,

EX CROMBACHIO

usque ad certum locum qui jam dicitur Eichsel, ibidemque fuissent mortuæ. Et testis dicit, quod semper audiverit per dictum tempus, quod hujusmodi tres Virgines essent de numero undecim mille Virginum, fuerintque ipsæ Virgines habitæ, tentæ, ac veneratæ pro Virginibus sanctis : et credit firmiter, quod verum sit, quod sint de numero Sanctarum undecim mille Virginum, et pro eo habet.

seque expertum saporem ligni supra sepulcrum jacentis.

43 Etiam dicit testis, quod fuerit ossuarium defunctorum super cœmiterium Ecclesiæ in Eichsel, et in eodem ossuario quod muro contiguum erat, fuerit quoddam lignum, quod erat valde saporosum et saporem habuerit tamquam florem violarum, et dicebatur quod jaceret super sepulcrum seu tumulum unius ex sanctis Virginibus antedictis. Ipseque testis scidit aliquando particulas seu petias de hujusmodi ligno, propter amabilem saporem ejus, et viderit similiter alios petias inde scindere. Et ipse Dominus testis saporavit, habueritque propterea Dominus testis magnam inclinationem ad eumdem locum, et scit, quod fuerit concursus magnus ad easdem sanctas Virgines, an autem miracula aliqua facta fuerint aut sint, sibi Domino testi non constat. Sed hæc audiverit, quod olim prætendebatur per nonnullos effodi corpora dictarum Virginum ; et dum incepissent fodere venisset vox, quam fodere præsumentes audiverant, dicens : Dect zu es ist noch zu früh *b*. Testis etiam dicit, quod hujusmodi tres Virgines, ibidem in Eichsel requiescentes, fuerint ab hominibus, scientibus eas ibidem requiescere, pro hujusmodi Sanctis, de consortio undecim mille Virginum existentes habitæ, tentæ, nominatæ, et reputatæ, palam, publice et notorie, et sic fuerit et sit verum ; nec aliud sibi constat.

XXXV, de eadem Societate,

44 Dominus Rudolfus Ryat, Presbyter Capellanus ecclesiæ Basileensis, et Præsentiarius chori ejusdem ecclesiæ, testis examinatus dicit esse verum, quod ipse ante triginta annos fuerit in Retelen et circum circa, et deinde adeptus fuerit ecclesiam parochialem in Howangen Decanatus Wisental, et eo tempore quo in his partibus extiterit, ipse sæpissime a dictis annis transiverit ad villagium Eichsel, ibidem aliquando Missas celebrando, et quia viderit ibidem esse, et venerari tres Virgines, illasque pro Sanctis teneri et reputari : [et quod] ipse testis a senioribus ibidem ac circum circa residentibus villanis et incolis sæpe audiverit, quod olim, dum undecim mille Virgines cum S. Ursula navigaverint super Rhenum, et venerint ad illas partes circa Bucken ; eo tunc dictæ tres Virgines, scilicet Cunegundis, Wibrandis et Mechtundis exivissent tamquam infirmæ navim, et venissent usque ad locum sive curiam Roperschwyl, ibidemque permanserint ad earumdem mortem usque, et fuerint sepultæ in isto loco qui nunc dicitur Eichsel. Dicit etiam, quod viderit, a triginta annis et citra, magnum concursum hominum, dietim illuc ad istas beatas Virgines transeuntium, easque in suis necessitatibus implorantium ; prout etiam ipse testis magnam illuc devotionem habuit, propter hujusmodi Virgines, quas semper pro sanctis Virginibus, de societate et numero undecim mille Sanctarum Virginum tenuerit, et teneri viderit ac venerari ; et

de vexillis loci eas ut Patronas pictas habentibus,

Rector ac subditi in Eichsel, cum processione et Reliquiis transeuntes ad alias Ecclesias aliarum villarum, semper in suis et dictæ ecclesiæ in Eichsel vexillis portabant depictas Sanctas tres Virgines, cum S. Gallo, tamquam Patronas ejusdem Ecclesiæ ; sic quod testis pro eo habet, si hujusmodi tres Virgines non fuissent Sanctæ, quod Reverendus Pater Dominus Episcopus Constantiensis modernus, suique prædecessores Episcopi, non tolerassent tanto tempore talia fieri ; sed quia semper publica vox et fama fuit, quod essent Sanctæ Virgines, ideo sic fuerit toleratum, et pro Sanctis fuerint veneratæ.

de vermibus ad fontem versis in lapides,

45 De signis, autem et miraculis si quæ facta sint, sibi nil constat, nisi quod similiter ab antiquioribus audiverit, quod circa fontem, qui jam dicitur fons Virginum, olim fuerint multi magni vermes venenosi, quod nemo circa eumdem fontem poterat habitare. Et dum hæ Sanctæ Virgines illuc ad fontem veniunt, fuerint per virtutem Dei, propter hujusmodi Sanctas Virgines, dicti vermes conversi in lapides ; prout etiam adhuc appareant lapides esse diversarum formarum vermium, circa fontem ipsum jacentes. Testis quoque dicit, quod viderit lignum jacere extra ecclesiam Eichsel in ossuario contiguo ecclesiæ, pro tunc existente ; quod mirabiliter bonum odorem habuerit, quem etiam testis sapuerit ; et dicebatur communiter, quod jacuerit super sepulcrum sive tumulum sanctarum Virginum ; et quod fuerit sapor quasi flores violarum sapiunt ; nec aliud sibi constat.

et de ligno odorato;

XXXVI, uxor Consulis Basileensis peste liberata.

46 Domina Barbara zur Linden, uxor providi Friderici zur Linden, civis et Consulis civitatis Basileensis examinata dicit, quod duo anni vel quasi lapsi sint, quod ipsa fuerit infecta peste epidemiæ ; et consultum sibi fuerat, quod votum faceret eundi ad beatas Virgines in Eichsel, id ipsa fecerit, et fuerit iterum sanata ; ipsaque dehinc compleverit, seu adimplendo fecerit votum ; et habet pro eo, quod hujusmodi sanctæ Virgines, et beata Virgo Maria, quam etiam imploraverit, pro ea apud Deum intercesserint, quod evaserit mortem ; aliud non scit.

XXXVII de filia ac milite sic sanatis.

47 Domina Ennebina Armbrosterin, incola mercatrix Basileensis, dicit quod duo sint anni, dum pestilentia hic Basileæ regnaverat, et in domibus vicinis valde regnabat, sic quod multi homines moriebantur, et tandem filia sua Margareta etiam fuerat infecta ; quæ etiam se, et eamdem filiam suam, promiserat ituras et visitaturas Beatas Virgines in Eichsel ; et quamprimum hoc fecerit, fuerat dolor mitior, ita quod filia sua fuerat restituta sanitati, et hodie vivat. Et firmiter credit, quod Sanctæ Virgines per earum intercessiones apud Deum hujusmodi gratiam obtinuerint, quod Deus filiam ejus vivam dimiserit. Audiveritque, quod quidam Miles, se cum sua familia illuc ad Beatas Virgines voverit iturum, et fuerunt omnes defensi, quod nullum infirmitas epidemiæ sive pestis hujusmodi tetigit. Nescit tamen, qualiter Miles nuncupatur. Aliud sibi non constat, nisi quod etiam audiverit, quod sit quidam fons prope Eichsel, ubi fuerint multi vermes, qui propter beatas Virgines conversi fuerint in lapides, licet hoc non viderit, tamen pro vero sibi dictum est. Aliud non scit.

XXXVIII et XXXIX, de viri ac filiæ curatione a pustulis ;

48 Anno Domini et Indictione, ut supra, die vero lunæ festi Pentecostes ; constituti in civitate Basileensi discreti, Joannes Ritterman et Margareta Runis, conjuges legitimi de Brombach Constantiensis Diœcesis, examinatique mediis suis juramentis dicunt esse verum, publicum, et notorium, quod ipsi ambo habuerint pustulas per sex fere annos ; et in hujusmodi infirmitate procreaverint insimul puerum unum *c* feminei sexus Ennelinam, quæ etiam hujusmodi infirmitatem pustulæ secum in mundum portaverit ; sic quod idem puer pustulis infectus fuerit in utero matris, et hujusmodi pustulas habuerit per quatuor annos, quam ætatem habeat, et non ultra ; nec unquam potuerit ambulare seu ire, propter eamdem infirmitatem. Itaque cum pridie, videlicet Dominicæ Vocem *d* jucunditatis, apertæ fuerint sepulturæ beatarum Virginum, Cunegundis, Mechtundis et Wibrandis ; nonnulli homines

A

ipsaque puella quadrima in Eichsel eunte,

mines, ex Brombach, et aliis circum vicinis, ibidem in Eichsel fuerunt, et viderunt ipsas Beatas Virgines, et audiverunt quod signa per intercessionem hujusmodi Virginum erant peracta, quod homines a febribus et aliis infirmitatibus fuerunt liberati. Aliqui dixerunt, quod ipsi testes eorum puerum antedictum etiam cum illis ad easdem beatas Virgines deberent vovere, ipse puer prædictus talia audiens, continuo ex magno fervore, quem ut creditur instinctu Dei habuit, dixerit: Ego volo etiam ad beatas Virgines; volo etiam ad beatas Virgines, etc. et ex omni fortitudine, quam idem puer tunc habuerit, se in lecto, in quo decumbebat, erexerit. Cum autem mulier Elsa nominata, ipsius Joannis testis antedicti noverca, inclinationem pueri videbat; statim ipsa voverit puerum ad Beatas Virgines prædictas. Similiter fecerit Margareta testis, ejusdem pueri mater; et quam primum ipsum puerum illuc voverunt, ipse puer dixit; Ego volo ire, etc. Et puero de lecto levato, et ad terram posito per testes, ad statim idem puer, recepto in manus suas parvo baculo sive ligno, cum eodem baculo incepit ire; et iverit solus absque omni adjutorio,

B

quæ ante numquam ambularat.

licet antea numquam iverit, nec ire potuerit: sic ipsi conjuges votum prædictum compleverint cum puero, eumdem illuc ad beatas Virgines portantes secum: qui puer existens cum Sanctis, per se, mediante tamen baculo, transiverit in ecclesiam ad sanctas Virgines; et interim de die in diem magis potuerit ipse puer ambulare. Hæc non gratia, odio, amore, aut prece inducti, sed ex omni veritate dicunt, et publica præmissa fore ac vera asserunt.

XL, eadem septimana curatus a febribus

49 Religiosus Dominus Joannes Fabri, Conventualis Monasterii Ordinis Minorum de Observantia Basileæ, Presbyter, examinatus die Veneris post Pentecosten, dicit, quod sint pro nunc quinque dies, quod febres invaserint ipsum, et habuerit eas acutissimas; ita quod cum ipse alias inclinationem habuerit ad Sanctam Christianam, et ad tres Virgines antedictas in Eichsel, ipse fecerit votum ad ambas ecclesias hujusmodi, et ad beatas Virgines illic requiescentes: illudque votum die Sabbati ante Exaudi compleverit, et interim febris ipsum numquam tetigerit, nec eamdem senserit amplius. Et firma fide credit, se per intercessionem sanctarum Virginum, scilicet Sanctæ Christianæ, et Sanctarum Cunegundis, Wibrandis, et Mechtundis, fuisse liberatum a febribus.

C

29 Maji iterum omnia recognoscuntur in Eichsel

50 Die vero Mercurii vicesima nona mensis Maji, supradicti Reverendi Patres et Domini, Tilmannus Episcopus Tripolitanus, Reverendi in Christo Patris Domini Christophori Episcopi Basileensis Vicarius in Pontificalibus: nec non Joannes Kreutzer, Præpositus Ecclesiæ Cathedralis Constantiensis, a Reverendo Patre Domino Hugone Episcopo Constantiensi ad hæc missus, ex speciali commissione præfati Reverendissimi Domini Raymundi Legati de latere, eis viva voce facta; ecclesiam in Eichsel accesserunt, Beatarum trium Virginum sepulturas, et corpora, ac alia necessaria, videre, visa conspiciendo; repereruntque singula, ut supra scriptum est, fore vera, et ultra hoc litteras Indulgentiarum effectum continentes subscriptum; videlicet quod Reverendus Dominus Angelus, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Sursanensis et Caminensis e Episcopus, ad Alemanniam et universas et singulas Provincias, civitates, terras, et loca Germaniæ cum plena potestate Legati de latere Apostolicæ Sedis Nuntius et Commissarius, anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo, quarto mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri, Domini Sixti Papæ quarti, dedit Indulgentias ad Ecclesiam in Eichsel, auctoritate suæ Legationis,

e

visa et bulla Indulgentiarum a Nuntio Apost. data an. 1482.

omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui [eamdem ecclesiam] in Annuntiatione Beatæ Mariæ Virginis, ac S. Galli Confessoris, ac Sanctæ Trinitatis, nec non Beatarum Wibrandis, Cunegundis, et Mechtundis Martyrum festivitatum et dedicationum hujusmodi diebus devote visitaverint, et manus adjutrices porrexerint, singulis hujusmodi festivitatum diebus unum annum de injunctis pœnitentiis eis relaxavit, etc. perpetua litterarum valitudine sub sigillo ejus appenso: est actum ad instantiam strenui viri Hartmanni Truck-ses Militis.

D

EX CHRONICO

31 Maji Commissarii accedunt ad montem et ecclesiam S. Christianæ,

51 Die vero Veneris, ultima mensis Maji, supradicti Reverendus Pater Dominus Tilmannus, Episcopus Tripolitanensis, Reverendi in Christo Patris et Domini, Domini Christophori Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Basileensis, Vicarius in Pontificalibus Generalis; Venerabilesque Domini Joannes Hammannus, Sacræ Theologiæ Professor, Ordinis Prædicatorum; Joannes Berckman de Olpe, Archidiaconus Ecclesiæ Collegiatæ in Munster Basileensis Diœcesis, ad commissionem eis per præfatum Reverendissimum Dominum, Dominum Raymundum Cardinalem de latere Legatum, vivæ vocis oraculo factam; et voluntate etiam Reverendi in Christo Patris ac Domini, Domini Hugonis Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Constantiensis, per Reverendum Patrem Dominum Joannem Kreutzer, Præpositum Ecclesiæ Cathedralis Constantiensis, ab eodem Domino Episcopo missum adhibita; ecclesiam S. Christianæ in monte S. Christianæ Constantiensis diœcesis accesserunt; et ibidem in mei Notarii publici, et testium infrascriptorum præsentia; præsente etiam nobili et valido viro, Domicello Rudolfo de Blumneg, Armigero, Advocato castri, et Balivo dominii Rotelensis, illustris Principis, et Domini Christophori Marchionis inferioris Baden, ejusdemque castri et dominii; lapidem magnum et gravem super sepulcrum, in quo S. Christiana, quæ de societate S. Ursulæ et undecim mille Virginum, publice ab universis Christi fidelibus illius patriæ incolis et inhabitatoribus, esse asseritur, et pro tali habetur, et venerata existit, positum removerunt, et levarunt.

E

et sublato lapide conspiciente sepulcrum illius,

52 Quo quidem lapide hujusmodi amoto et levato, repererunt sepulcrum hujusmodi quatuor muris factum, et usque ad brachia viri profundum. Et in eodem sepulcro in medio positam unam sarcham f lapideam, cum ferris a duobus lateribus bene clausam et munitam; quam sarcham ex sepulcro hujusmodi levarunt illamque ab una parte, ferro cum quo clausa erat remoto, aperuerunt, et lapidem desuper coopertum levarunt. Quo levato viderunt et repererunt integrum corpus, sive omnia ossa Reliquiarum Sanctæ Christianæ, in eadem sarcha reclusa seu reclusum. Quibus sic visis, et cum omni gaudio et reverentia repertis, Reverendus Dominus Tilmannus, Episcopus Tripolitanensis præfatus, præmissis et completis antea orationibus et solemnitatibus, ad hæc requisitis et debitis, unam spatulam S. Christianæ Virginis ex hujusmodi lapidea capsa sive sarcha recepit, et super mundam g arcum papyri posuit, omnibus ibidem existentibus demonstrando; fuitque in hujusmodi spatula, et adhuc est, caro dictæ sanctæ Virginis; licet propter ejus antiquitatem hujusmodi caro facta sit quasi bombasum fusci coloris, sic tamen quod teneri, et retineri potest digitis. Quibus Reliquiis sic integre repertis, fuit ipsa spatula universa in capsam seu sarcham prædictam reposita, et reclusa cum omni reverentia et honore debitis, ipsaque sarcha, seu capsa lapidea in tumulum prædictum sive cavernam reposita, lapisque desuper repositus prædictus. Antequam omnia præmissa fuerunt peracta, tres Missæ habitæ et celebratæ

f

aperta etiam reclusa istic arca inveniunt integrum sceletum,

F

g

et ostenditur scapula, cui adhuc caro hæret.

EX CROMBACHIO

A celebratæ exstiterunt, cum omni devotione; præsentibus ibidem honorabili Domino Henrico Raf, Canonico in Colmar; et honestis, Joanne Advocato in Loerach, Joanne Wegner etiam olim in Loerach Advocato, Antonio Ziegler de Lerach, Joanne Orth Advocato in Richen, et Ludino Dorwart de Richen hospite, et pluribus aliis honestis hominibus utriusque sexus, pro testibus super præmissis rogatis et requisitis.

ANNOTATA D. P.

a Minor Basilæa, *Rheno interfluente distinguitur a Majori, et cum eadem ponte insigni connectitur.*

b *Ad verbum* Contege, præmaturum adhuc est.

c *Idiotismus Germanicus, cui vox* Kind, *puer, utrique sexui aptatur.*

d *Hæc est Dominica* V *post Pascha.*

e Caminum, *urbecula Pomeraniæ Episcopalis sub Archiepiscopo Gnesnensi; nec procul puto inveniendum* Sursanum.

f Sarchi, *Teutonice* Sark, *arca lapidea. Belgis sumitur etiam pro lapide grandi et quadrato, quibus solent consterni et tegi sepulcra.*

B g *Fortassis* arcum, *sed nihil muto, quippe nec hoc plene satisfacit.*

CAPUT V.

Legatus Apostolicus indicit festum Elevationis in Eichsel et Monte S. Christianæ.

Raymundus Legatus Apost. per datas 3 Junii,

Anno Domini, millesimo quingentesimo quarto supradicto, Indictione septima, die vero lunæ, tertia mensis Junii, Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus Raymundus, miseratione divina Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Apostolicæ Sedis de latere Legatus, litteras in forma subscripta emanandas, sub suæ paternitatis Reverendissimæ sigillo appresso munitas decrevit. Quarum tenor sequitur, et est talis. Raymundus, *etc. ut supra num.* 8. Apostolicæ Sedis de latere legatus, universis et singulis Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Decanis, parochialium ecclesiarum Rectoribus, et Plebanis, et Viceplebanis; Capellanis, Curatis, verbique divini Prædicatoribus secularibus et religiosis, ceterisque Presbyteris et Clericis per civitates et diœceses, tam Basileensis, Constantiensis, quam etiam Lausanensis, ac alias ubilibet constitutis, salutem in Domino, cum præsentium publicatione, et intimatione, ac fideli executione.

ubique promulgari jubet,

C 54 Tunc nostræ legationis officium, quo meritis licet imparibus fungimur, recte peregisse credimus; cum inter reliqua ejus opera nostras solicitudinis partes ad Sanctorum præsertim feminei sexus, qui varia tormentorum genera pro nostra fide subire non formidarunt, venerationem convertimus; ac alia, quæ veneratione debita carent, quantum cum Deo possumus, elevemus, prout auctore Domino salubrius conspeximus expedire. Cum itaque, sicut ad nostrum plurimum fide dignorum relatione pervenit auditum, in parochiali ecclesia villæ in Eichsel, dictæ Constantiensis Diœcesis prope Rhinfelden, ejusque cœmeterio, quædam corpora sub vocabulis, Cunegundis, Wibrandis, et Mechtundis; necnon in capella sita super montem Sanctæ Christianæ, corpus ejusdem Sanctæ Christianæ Virginis, quæ omnes de numero seu societate S. Ursulæ et undecim mille Virginum fuisse et esse reperiuntur, sepulta et recondita existant, ipsæque ecclesia et capella in honorem earumdem Sanctarum Virginum dedicatæ inveniantur; quæ ibidem non minimis miraculis refulserunt, et indies evidentioribus effulgent; et plurimorum Christi fidelium, ad eas in suis necessitatibus recurrentium et implorantium, voces exaudiunt, et apud Deum ferventer intercedunt; adeo quod plures, spe et fide firma ad eas recurrentes, et illic [vota] emissa persolventes, variis languoribus se senserunt redemptos et liberatos.

quod rogatus ut de SS. Virginum cultu et miraculis informatus,

D 55 Postquam igitur nobis, ab illorum locorum Potestatibus et Dominis temporalibus, expositis primitus per eos variis signis et miraculis, quæ ibidem contigisse asseruerunt, fuit humiliter supplicatum; quatenus, ad gloriam Dei, et majorem ipsarum Sanctarum Virginum venerationem et laudem, de miraculis hujusmodi per debitam inquisitionem nos informare; et si vera comperta fuerint, dictas beatas Virgines, et earum corpora, ibidem (ut præfertur) requiescentia, adhibitis debitis solennitatibus, nostræ Legationis auctoritate elevare et exaltare dignaremur. Nos igitur attendentes, quod ipsarum Sanctarum Virginum major veneratio, et plurimorum Christi fidelium devotio, ac nostra fides universalis non modicum exinde sumerent incrementum; de præmissis per debitam inquisitionem informari satagentes, cum personaliter interesse nequivimus,

earum corpora elevet;

E certis nostris Commissariis, de omnibus prænarratis et veritatis circumstantiis se ad plenum informandi, commissionem dedimus, cum singulari tamen favore et consensu Reverendi Patris Episcopi Constantiensis, loci Ordinarii. Qui quidem nostri Commissarii, nostræ eis factæ commissionis vigore, universis et singulas circumstantias et qualitates, in hujusmodi negotio per ipsorum corporum visitationem, inspectionem, et decalogorum, et aliarum sculpturarum visionem, testiumque ex fama continuata deponentium fidele et diligens examen, præmissa veritate fulciri compererunt omniumque et præmissorum testimonia nobis in scriptis debite redacta præsentarunt, exhibueruntque. Nosque ex hujusmodi diligenti inquisitione, et examinatione de sacri negotii meritis plenius informarunt.

per Commissarios suos omnia faceret examinari;

56 Et quia invenimus, plures sanctas Virgines de illa sacra Societate fuisse elevatas, post longa temporum intervalla ab elevatione prima; videlicet Sanctas Cordulam *a* et Odiliam; imo etiam in Colonia Agrippinensi circa tempora felic. record. Nicolai quinti papæ, inventum est quoddam reservaculum ossibus Sanctorum plenum *b* quod etiam elevatum et aliis Sanctis appositum existit; et ne novum alicui videri queat, sancta Mater ecclesia plures Martyres colit, qui tamen non gladio sed zelo martyrii ducti, diem clauserunt extremum.

et considerans quod plures Ursulanæ elevatæ sint, *a* *b*

F Legimus etiam in tractatulo famosissimi Sacræ Theologiæ Professoris Magistri Martini *c* Parisiensis, quem super libris Ethicorum edidit, ubi dicit; Etsi ad martyrium exigatur actualis contemptus mortis, semel a ratione imperatus; non tamen ad rationem martyrii exigitur universaliter tolerantia actualis mortis has Virgines, sacram cohortem ab Urbe secutas, et amore martyrii allectas, cum intellexerant S. Ursulam ex revelatione divina martyrium subituram, cum sua societate non dubitamus.

c *et ad Martyrii etiam sufficit prompta voluntas,*

57 Attendendum insuper quod dictam B. Ursulam (ut sacra enarrat historia) plures Virgines, viduæ, et aliæ utriusque sexus personæ secutæ, quas Spiritus sancti inspiratio et revelatio attraxerunt; inter quas fuisse legimus S. Cyriacum *d* Pontificem summum, duos Cardinales, duos Diaconos, tres Subdiaconos, et Archidiaconum Romanæ Ecclesiæ, quinque Episcopos de Anglia, videlicet Sanctos, Guilhelmum consobrinum Ursulæ, Jacobum Columbanum, Iwanum, Eleutherium ac Lotharium, ac Cæsarium Meldensem Episcopum; Sanctos Mauritium, et Clementem, Pantulum et Marculum; Reges, Etherium primum, Oliverium secundum

d

item quod Ursulam comitati sint utriusque sexus personæ plures,

secundum, Crophorum quartum, Lucium quintum, Clodoveum sextum, Canutum septimum, Pipinum de Oriente octavum, Adolfum nonum, Avitum decimum, Seranum undecimum Regem inclitum Danorum, Refridum, Bonifacium paganum cum filia ab Angelo monita; Regem Laurentium paganum cum suis subditis ac Reginis Constantinopolitanensibus, et aliis de Hibernia, Normannorum, Suevorum, et aliis cum multis Ducissis, adeo, quod numerus illorum se ad quadraginta millia extendit.

58 Præmissis igitur verissimis documentis nobis apparentibus, credentes Deum ex Sanctis suis pro nobis intercessoribus esse propitium, in hoc sancto elevationis negotio, cum singulari favore et assistentia præfati Episcopi Constantiensis, sub cujus diœcesis ipsa sancta corpora requiescunt, procedere desiderantes, ad eorundem corporum elevationem Canonicam; divina nobis gratia adspirante, proxima die Dominica, post Octavas festi Corporis Christi, mane circa horam quintam, post sermonem, ibidem in laudem Dei, et Sanctarum Virginum fiendum, procedere curabimus, prout id in Domino conspexerimus salubrius expedire. Ut igitur hæc elevatio et sanctarum Reliquiarum exaltatio, in gloriam Dei, et dictarum Virginum venerationem devotius et salubrius fieri possit de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ac de speciali indulto nobis desuper concesso, omnibus et singulis Christi fidelibus, qui isto die divinis Officiis, quæ adspirante nobis gratia Spiritus sancti in propria persona celebrare intendimus, corporum prædictorum elevationi, exaltationi, processioni, vel solenni benedictioni, sic ut præmittitur fiendis, devote interfuerint, et suas devotas ad Deum preces, pro universalis Ecclesiæ statu, et pro pace totius Imperii, summi Pontificis nostraque prosperitate, et animarum salute, semel orationem dominicam et salutationem angelicam devote dixerint; aut qui, quorum facultates suppetunt, suas pias eleemosynas et caritativa subsidia, cum hujusmodi elevatio et exaltatio absque gravissimis impensis minime fieri et peragi possit, pro expensarum supportatione, et capsarum, in quibus sancta corpora hujusmodi collocari et reservari debent, decentiori ornatu et decore, ipsis tribus diebus erogaverint, et administraverint, et ad gazophylacium ibidem ordinandum propriis manibus posuerint; absolutionem plenariam peccatorum de plenitudine nostræ Legationis et potestate, in forma Ecclesiæ consueta, in Domino concedimus. Si autem divina Officia per alium celebrari et teneri contigerit, ter orationem dominicam et totiens salutationem angelicam, ut prædicitur orantibus, decem annos et totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis in Domino auctoritate Legationis nostræ relaxamus. Et insuper ut Christi fideles ipsi ad hujusmodi indulgentias consequendas eo ardentiores et aptiores fiant, certos nostros Confessores, qui potestatem cunctos Christi fideles, qui peccata sua confessi fuerint, in casibus Sedi Apostolicæ specialiter non reservatis absolvere, et pœnitentiam eis salutarem injungere possint et valeant, ordinare et deputare curabimus, prout id salubrius in Domino conspexerimus expedire.

indicit diem elevationis,

cum indulgentiis plenariis,

et potestate absolvendi a reservatis,

59 Quæ omnia et singula vobis omnibus et singulis intimamus, insinuamus, et notificamus, ac ad vestram et cujuslibet vestrum notitiam indubitatam deducimus, præsentium per tenorem; vobisque et cuilibet vestrum auctoritate legationis nostræ prædictæ, districte præcipiendo mandamus, quatenus hujusmodi nostrum elevationis et exaltationis mandatum, in vestris ecclesiis sub Missarum solemniis, dum major populi multitudo ad divina audienda ibidem convenerint, publicare curetis, ut tantas peccatorum remissiones valeant promereri. Et ut Deus nobis suam gratiam in veneratione Sanctarum dare dignetur, eisdem vestris subditis nostra auctoritate præcipiatis, ut vigiliam elevationis fiendæ jejunent; diem vero lunæ festivent et celebrent, et orationibus suis devotis sanctificent; ut per hæc Deus omnipotens misericordiam et gratiam, ad illa quæ in fidei nostræ propagationem tendunt concedere et elargiri dignetur. In quorum fidem præsentes nostras litteras fieri, et per Notarium publicum subscribi, sigillique nostri impressione jussimus et fecimus communiri. Datum Basileæ, anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo quarto, Indictione septima, die vero lunæ tertia mensis Junii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Julii divina providentia Papæ secundi anno primo, præsentibus ibidem honorabilibus viris ac Dominis, Dionysio Jacoti Presbytero Bisontinensi et Gulielmo Bouse Clerico Morinensis Diœcesis, Camerariis nostris, testibus ad præmissa vocatis et rogatis.

atque hæc ubique publicari mandat

ex Cromb.

et festum cum jejunio indici.

De mandato dicti Reverendissimi Domini Cardinalis et Legati, Joannes Bernevelt, Notarius publicus subscripsit.

60 Eodem siquidem die lunæ tertia Junii, fuerunt examinati honesti viri Joannes Hymelrich, et Clewinus Erbesholter, ambo de Villagio Wylen Constantiensis Diœcesis, super his quæ ipsi sciunt, vel audiverunt a suis senioribus de Sancta Christiana. Qui etiam mediis suis desuper præstitis juramentis, dixerunt et deposuerunt, ut sequitur. Joannes Hymelrich, de villa Wylen Constantiensis Diœcesis, ætatis annorum octuaginta vel circa, juratus, receptus, et medio suo juramento examinatus, deponit et dicit esse verum, quod ipse ante annos sexaginta et sexaginta et septuaginta proxime lapsos, a quondam suis parentibus et aliis senioribus villagii Wylen, et aliarum villarum vicinarum audiverit; quod olim S. Ursula cum suis Sodalibus navigavit per Rhenum, veniendo de curia Romana, et S. Christiana fuerit secum; et dum erat circa littus prope Domum rubeam, seu monasterium Ordinis B. Pauli primi Eremitæ; eadem Sancta Christiana fuerit infirma, et petierit se emitti. Sicque ducta usque ad campum, prope villagia Krentzach et Wylen, ibidem [substiterit] in campo quadrato amplitudinis octuaginta pedum ab utraque parte, qui locus modicum elevatus est et altior, quam terra sive agri contigui eidem loco, qui quidem locus semper habuerit, et hodie habeat nomen, et nuncupetur Lectus Sanctæ Christianæ, ex causa illa, quod in eodem loco mortua fuit, sive diem vitæ suæ clausit extremum.

De S. Christiana narrat testis 1

audivisse a senioribus,

quod in loco dicto Lectus S. Christianæ obierit:

61 Audiveritque semper dici, quod fuisset differentia occasione limitorum seu limitum parochiarum; ita quod inhabitatores villagii Wylen prætendebant, corpus S. Christianæ debere duci ad ecclesiam ipsorum; Parochiani vero in Krentzach prætendebant, quod deberet duci ad ecclesiam eorumdem. Itaque cum hujusmodi differentia habita fuisset, quidam senex vir ita consuluit, quod corpus S. Christianæ deberet poni super curriculum, et deberent præponi duo boves, et illi boves permitti transvehere corpus; et ubi ducerent, quod ibidem sepeliretur Sancta Christiana; sicque factum fuerit, et boves hujusmodi iter receperint, adscendendo super altitudinem montis illic prope existentis; et bobus venientibus ad montem, idem mons per divinam potentiam se aperuisset, ita quod boves habuerunt viam adscendendi, et Sanctæ Christianæ corpus ducendi; quod etiam duxerint usque super montem, in quo hodie requiescit; sicque ibidem in honorem

de cujus corpore orta lis, diremta sit,

bobus ipsum in montem vehentibus

EX CROMBACHIO.

A S. Christianæ fuerit erecta ecclesia parochialis, quæ hodie parochialis ecclesia existat, habens subditos et limites proprios; fueritque maximus concursus a tempore memoriæ ipsius testis ad eamdem S. Christianam : et a suis senioribus semper audiverit concursum ad eamdem fuisse : sicque testis per se concursum vidit, et illuc ivit pro sua devotione ipsam in suis necessitatibus implorando. Hæc non gratia, odio, amore, seu lucri causa deponit, aut prece, pretio, vel favore; sed justitiæ intuitu.

Eadem confirmat testis II

62 Clewinus Erbesholter de Wylen, ætatis annorum nonaginta et ultra, testis juratus, receptus, et medio suo juramento examinatus dicit, et deponit similiter esse verum, quod ante octuaginta annos, a suis senioribus et parentibus, viris et personis utriusque sexus fide dignis, omnique exceptione majoribus; quod olim dum S. Ursula ex curia Romana venerit navigando per Rhenum cum suis Sodalibus, inter illas fuerit Sancta Christiana quæ erat adeo infirma, quod exiverit navim prope Rubeam domum, ubi sit Monasterium S. Pauli primi Eremitæ; et venerit usque ad quemdam locum agrorum, intra villas Wylen et Krentzach, et in eodem loco permanserit, B in campo, et diem ibidem vitæ suæ clauserit extremum; prout etiam locus ipse in quo ipsa obierit, hodie nuncupetur Lectus S. Christianæ, propterea quod in eodem loco mortua fuerit. Qua sic mortua, dicit testis se audivisse veridica relatione, quod corpus S. Christianæ fuerit positum super unum curriculum, et præpositis duobus bobus ductum, præter regimen hominum, ad placitum animalium hujusmodi, seu divina gratia mediante, usque ad montem, in quo S. Christiana adhuc requiescit.

nec non miraculum scissi montis,

63 Dicitque testis, se audivisse a parentibus et senioribus suis; quod mons, per quem corpus ducebatur, se aperuerit, et fuerit eis factum iter divina potentia; sic quod adhuc hodie vallis existat, et habeat eadem vallis nomen, quod dicitur via S. Christianæ, propterea quod per eamdem corpus ejus fuit sic per boves ductum. [Quando autem] corpus S. Christianæ sic erat super acumen montis ductum, ipsi boves steterunt illic non ultra gradientes : sic fuerit ibidem sepulta, prout adhuc requiescat in eodem monte, et sit ædificata ecclesia in ejus honore et in ejus nomine et honore dedicata, et nomen habeat ecclesia S. Christianæ, et sit ecclesia parochialis, et a tempore vitæ suæ fuerit magnus hominum concursus ad eamdem sanctam Virginem Christianam, tamquam ad unam de numero undecim C mille Virginum existentem; pro qua semper audivit et vidit eam venerari et nominari; et ipse testis eamdem sanctam Virginem Christianam pro Sancta tenuit, nominavit et honoravit. Hæc non gratia, odio, amore, prece, pretio, vel favore deponit.

et perseverantem cultum.

Unus ex familiaribus Legati testatur,

64 Die vero lunæ decima mensis Junii, coram Reverendissimo Domino, Domino Raymundo Cardinali et Legato, in civitate Basileensi apud Sanctum Leonardum constitutus, honorabilis vir Dominus Jacobus Merbolt Clericus Bambergensis Diœcesis, ejusdem Reverendissimi in Christo Patris et Domini, Domini Raymundi Cardinalis Sanctæ Sedis Apostolicæ de latere Legati familiaris, ab eodem Reverendissimo Domino Legato pridie ad villagium Eichsel, ubi Beatæ Virgines, scilicet Cunegundis, Wibrandis, et Mechtundis) corporaliter requiescunt, missus, et ibidem perseverando negotia sibi commissa expediens, reversusque ad Basileam, et de nonnullis miraculis, ibidem tempore quo inibi fuit factis, dicens medio suo juramento desuper examinatus, deponit et dicit esse verum; quod die Mercurii vigilia Corporis Christi, proxime præterito, venerit ad villam Eichsel quædam mulier, quæ fuerit in uno ejus oculo per sedecim annos cæca; et postquam illa se ad dictas Beatas Virgines voverit, statim D ipsa a cæcitate ejusdem oculi, intercedentibus Beatis Virginibus prædictis adjutorio Dei fuerit liberata, atque visum habuerit et habebat, ac si numquam visu caruisset. Hanc ipse testis vidit, et ab honestis hominibus audivit, ipsam dictis annis visu in dicto oculo suo hujusmodi orbatam fuisse, usque ad dictam diem voti facti.

quod in Eichsel vidit illuminari coclitem,

65 Similiter dicit esse verum, quod die Sabbati proxime præterita, venerit alia mulier, quadraginta annorum existens suæ ætatis, quæ fuerit contracta in cruribus suis, adeo quod per duos annos cum dimidio in lecto decubuerit, et ire seu ambulare non potuerit; eadem fecerit votum visitandi Beatas Virgines in Eichsel, et quam primum votum hujusmodi fecerit, ipsa absque alicujus hominis subsidio, de lecto surrexerit, et de domo sua usque ad beatas Virgines transire potuerit et transiverit, et hodie ire et ambulare possit quo velit. Hanc mulierem testis similiter viderit, et a fide dignis personis audiverit eam sic contractam fuisse, et per dictos annos in lecto decubuisse, et ambulare non potuisse.

contractum erigi,

66 Insuper testis idem dixit esse verum, quod E venerit in villagium Eichsel quidam socius sedecim vel viginti annorum; qui dum puer exstitit, propter coruscationem seu tonitrua aut tempestates sibi evenerit, quod non potuerit amplius loqui, sicque mutus exstiterit, et remanserit per quatuordecim annos; et postquam audiverit de dictis sanctis Virginibus, quod miracula ibidem varia fierent; ipse se etiam ad easdem voverit; quo voto facto, et adimpleto die Sabbati proxima, ipse ut prius loqui incœperit, et loqui possit; hunc testis viderit et a fide dignis personis audiverit ipsum dictis annis mutum fuisse, et loqui non potuisse : hæc non gratia, odio, amore, prece, vel pretio, vel favore deponit.

muto loquelam reddi:

67 Die vero decima quarta mensis Junii supradicti, Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus Raymundus miseratione divina Cardinalis, et Apostolicæ sedis Legatus præfatus, aliam intimationis scedulam emitti mandavit, et decrevit hujusmodi tenoris. Raymundus *etc. ut supra num. 8 :* universis, et singulis Christi fidelibus, præsentes litteras nostras inspecturis, notum facimus, quod die Dominica proxime futura mane circa horam quintam, ad elevationem trium corporum Sanctarum Virginum Cunegundis, Mechtundis, Wibrandis, in villa Eichsel prope Rhinfeldiam; die vero lunæ ex tunc proxime sequenti, ad elevationem S. Christianæ in monte S. Christianæ, divina nobis adsistente F gratia in propria persona procedere curabimus, juxta formam et tenorem, in prioribus nostris desuper emissis et publicatis contentam. In cujus testimonium præsentes litteras, nostro secreto inferius appresso, duximus muniendas. Datum Basileæ anno Domini millesimo quingentesimo quarto die decima quarta mensis Junii. Joannes Bernvelt Notarius subscripsit.

quare denuo indicitur Elevatio.

ANNOTATA D. P.

a S. Cordula *recolitur postridie S. Ursulæ* 22 *Octobris.* S. Odilia 18 *Julii, quæ an.* 1288 *translata Hujum fuit : an Ursulana tunc examinabimus. Interim vide Crombachium lib.* 8 *cap.* 26, *et seqq.*

b *Idem Crombachius cap.* 1 *Append. pag.* 1091 *et seqq. agit de* Martyrum Boppardiensium *corporibus inventis an.* 1280 *Nicolai PP. V an.* 3 *et ex numero Capitum, publicæ venerationi solitorum exponi, putat haud plures eos quam sedecim fuisse : pagina autem* 1128 *in Epitome Chronologica nullius alterius inventionis meminit nisi* S. Odiliæ. *Cumque nullum certum cultus anni diem habeant, putat iis apte assignari posse*

proximum

proximum post Octavam assumptæ Virginis 23 *Augusti.*

c *Hactenus nobis ignotus scriptor, et fortassis ipsismet Parisiensibus.*

d *De hoc* Cyriaco, *fabulose Romanis obtruso, pluribus egi in Conatu Chronologico, et simul docui quam incunctanter is creditus fuerit seculo* 14 *et* 15. *De aliis Episcopis, Regibus, Reginis hic recensitis nihil attinet dicere, cum in ipsis hominum locorumque nominibus satis multa, arguant fictionem manifestam.*

CAPUT VI.

Canonicorum et Consulum Rhinfeldensium Depositiones, secuta translatio Corporum sanctorum, et quorumdam miraculorum depositio.

Citati Canonici et Consules

Die vero sedecima mensis Junii, coram supradicto Reverendissimo Domino Raymundo Cardinali et Legato præfato in oppido Rhinfelden constituti, honorabiles nec non providi et honesti viri, Dominus Joannes Colmar, Joannes Lederschneider, Joannes Muller, Laurentius Truchses, et Berchtoldus Rudi, Canonici Ecclesiæ Collegiatæ in Rhinfelden; nec non Joannes Gebhart, Jacobus Abberg, Jacobus Unmous cives et ex Consulibus oppidi Rhinfelden, ac Georgius Fabri Pronotarius ibidem; et per eamdem suam Paternitatem Reverendissimam diligenter, occasione sanctarum Virginum trium in Eichsel requiescentium, mediis suis desuper præstitis juramentis requisiti et examinati, deposuerunt et dixerunt, et quilibet eorum dixit et deposuit, ut infra sequitur.

testantur de adventu Virginum ex auditu,

69 Dominus Joannes Colmar, Canonicus in Rhinfelden, ceterique Domini Canonici antedicti, ad mandatum eis sub excommunicationis pœna per præfatum Dominum Raymundum Cardinalem et Legatum de latere viva voce de dicenda veritate factum, mediisque suis juramentis Capitulo ipsorum præstitis examinati, deposuerunt et dixerunt, ac quilibet eorum deposuit et dixit esse verum, quod ipsi recordantur quadraginta annos, (dempto Domino Laurentio, qui recordatur triginta et ultra) et eisdem temporibus, ac ultra fuerint in oppido Rhinfelden, et visitaverint villagium et ecclesiam in Eichsel, et semper ab antiquioribus ejusdem villæ, ac etiam in oppido Rhinfelden ab antiquioribus audiverint, quod dicebatur, quod hujusmodi tres Sanctæ Virgines essent de societate undecim mille Virginum; et dum S. Ursula, ex curia Romana cum Sodalibus suis venisset navigando per Rhenum ad partes inferiores Rheni, dictæ tres Virgines, venientes usque ad locum qui dicitur Roperschwyl, prope villagium Eichsel, ibidem permanserint, usque ad earumdem obitum, et fuerint ac sint sepultæ in ecclesia Eichsel.

de cultu ex usu,

70 Similiter semper dici audiverint, viderintque, quod ad easdem post earumdem obitum, tamquam ad Sanctas Virgines de Societate S. Ursulæ existentes, fuerit magnus concursus populi, et præsertim ante quadraginta annos major quam hactenus fuerit. Ipsique testes et quilibet eorumdem similiter aliquando illuc transiverit ex devotione earumdem, ipsas Sanctas Virgines implorando, ecclesiaque ipsa in honore earumdem Sanctarum Virginum fuerit et sit dedicata. Ipsi autem testes non sciunt de aliquibus miraculis ibidem factis, quia de his non consideraverunt, nec interrogarunt; viderunt tamen, et quilibet eorum vidit tot et tanta insignia, ab antiquo in ecclesia Eichsel habita et facta, quod firmiter credunt hujusmodi tres Sanctas Virgines, de dicta societate S. Ursulæ existentes, ibidem requiescere. Hæc non gratia, odio, amore, prece, pretio vel favore, sed veritatis et justitiæ intuitu deponunt.

EX CROMBACHIO

71 Providi et honesti viri Joannes Gebhart, Jacobus Abbergh, Jacobus Unmuos, ex Consulibus Oppidi Rhinfelden; ac Georgius Fabri, Protonotarius ibidem; similiter ad mandatum præfati Reverendissimi Domini Legati, coram sua paternitate Reverendissima in oppido Rhinfelden constituti, mediis quoque suis juramentis, per eos et quemlibet eorumdem e Consulatu præstitis examinati, deposuerunt et dixerunt, ac quilibet eorum deposuit et dixit; esse verum, quod ipsi et quilibet eorum Consulum, ab annis quadraginta, et etiam quinquaginta; Protonotarius vero ab annis triginta elapsis; audiverint a suis senioribus et antiquioribus, honestis, et fide dignis personis, omni exceptione majoribus et gravibus, semper dici, qnod corpora sanctarum trium Virginum, Cunegundis, Wibrandis, et Mechtundis requiescerent in Ecclesia villæ Eichsel; et eædem tres Sanctæ Virgines essent de numero Sanctarum XI mille Virginum, et illuc venissent, dum S. Ursula ex curia Romana veniendo super Rhenum navigasset, et exivissent ipsæ tanquam infirmæ navim, et venissent ad istum locum; viderintque et audiverint semper easdem in ecclesia Eichsel pro sanctis Virginibus teneri, reputari et implorari; ipsique testes easdem pro talibus quæsiverint, habuerint, et imploraverint; audiverintque, quod ante quadraginta, et septuaginta annos, major concursus fuisset ad eumdem locum, propter easdem Sanctas Virgines, quam hactenus fuerit; nec contrarium unquam audiverunt, sed viderunt imagines scissas, et super sepulturas earumdem positas, ad modum Sanctarum Virginum Reginarum, pro intersignio, quod ibidem requiescerent Sanctæ Virgines, et eo citius venerarentur.

deque præsentia corporum in Eichsel,

et tentata sed prohibita effossione.

72 Additque dictus Dominus Protonotarius, quod ultra præmissa, ante triginta annos audiverit dici; quod olim quidam Dominus terræ attentasset ibidem fodere: et quod ruptum fuisset caput unius ex Sanctis Virginibus: et quod illo facto caput unius imaginis, superpositi tumulo earumdem Virginum sanctarum, similiter videbatur ex ea causa ruptum, prout etiam caput unius ex imaginibus adhuc videatur ruptum fore; firmiterque credunt testes ita esse, ut audiverunt a suis senioribus, et sicut etiam viderunt et deposuerunt: hæc non gratia, odio, amore, prece, pretio, vel favore deponentes.

Hinc in Eichsel progressus Legatus,

cum dignissimo comitatu,

73 Quibus quidem testibus singulis antedictis, uno post alium successive, per præfatum Reverendissimum Dominum Legatum auditis, dehinc idem Reverendissimus Dominus Raymundus Legatus, animo et intentione corpora dictarum sanctarum Virginum, ex locis suarum sepulturarum in quibus hactenus requieverunt et sepulta fuerunt, ad alium locum transferendi, et illas sanctas Virgines elevandi, villagium in Eichsel antedictum equester, una cum Reverendo in Christo Patre et Domino, Christophoro Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Basileensi, nec non Reverendis Patribus Dominis Tilmanno Episcopo Tripolitanensi, ejusdem Domini Episcopi Basileensis Vicario in Pontificalibus Generali; nec non Dominis, N. Abbate in sancto Blasio, Nigræ-silvæ Ordinis S. Benedicti Constantiensis diœcesis, ac N. Abbate Monasterii in Lutzella Ordinis Cisterciensis Basileensis diœcesis, pluribusque aliis Canonicis Ecclesiæ Basileensis, ac beneficiatis aliarum Ecclesiarum: nec non associatis sibi pluribus in magna multitudine utriusque status, tam spiritualibus quam secularibus hominibus, et utriusque sexus fidelibus appropinquavit, illucque accessit; et ecclesiam in Eichsel ingressus

EX CROMBACHIO

gressus est, cum dictis Dominis Prælatis, Episcopis, Abbatibus, ceterisque Presbyteris, et Clericis ad hoc specialiter vocatis.

elevata corpora defert ad altare, sub divale,

74 Eisque existentibus circa sepulturam dictarum Virginum jam apertam, præmissis decantationibus Litaniæ, Veni sancte Spiritus, aliisque Orationibus et Collectis, ac ceremoniis ad hæc requisitis, cum omni solemnitate præhabitis, idem Reverendissimus Dominus Legatus, ossa Reliquiarum dictarum Sanctarum Virginum de sepulturis suis, in quibus sepulta fuerunt, et a tempore obitus earundem Virginum sanctarum requieverunt, ad capsas sive arcas, ad hoc de novo factas posuit et inclusit, cum decantationibus Cantici Jubilationis, Te Deum Laudamus, etc. Ut sicque illas Sanctas Virgines, illarumque corpora elevando, eadem corpora sive reliquias earumdem sanctarum Virginum in dictis arcis jam per suam Paternitatem imposita et reclusa, aut repositas et reclusas, cum omni reverentia et honore, super altare, pro celebranda per suam Paternitatem Missa, extra ecclesiam propter multitudinem populi præparatum, solemniter deportari ordinavit et fecit.

ubi cantata Missa,

75 Dehincque sua Reverendissima Paternitas Missam solemnem propria in persona, ad laudem Dei et B. Mariæ Virginis, Sanctarumque Virginum prædictarum, omniumque aliorum Sanctorum, celebravit et decantavit. Et Missa hujusmodi cum omni solennitate decantata et finita, benedictioneque data, in præsentia horum plurimorum, forsan quinque millium, qui ob honorem Dei et B. Mariæ Virginis, ac sanctarum trium Virginum prædictarum, ibidem fuerant congregati. Deinde Reliquiæ dictarum sanctarum Virginum viceversa ad ipsam ecclesiam solenniter fuerunt et sunt transportatæ. Hujusmodique transportatione facta, idem Reverendissimus Dominus Legatus, de eo, quod nil aliud fecerit circa elevationem hujusmodi Sanctarum Virginum, quæ alias generaliter, cum undecim mille Virginibus, existerent per Sedem Apostolicam (ut præfertur) canonizatæ, nisi Reliquias earundem de uno loco ad alium transferendo, et eas elevando, solenniter protestatus fuit, atque protestabatur expresse, me Notarium infra scriptum desuper publice requirendo, præsentibus ibidem Reverendis in Christo Patribus et Dominis, Dominis Episcopis Basileensi ac Tripolitanensi, ac Abbatibus et Prælatis, pluribusque aliis personis in copiosa multitudine ibidem (ut præfertur) existentibus, pro testimonio ad hæc requisitis et rogatis.

referuntur Reliquiæ ad ecclesiam

Idem postridie facit corpori S. Christianæ,

76 Die vero lunæ, decima septima mensis Junii, supradicti Reverendissimus Dominus, Dominus Raymundus, Cardinalis et Legatus præfatus, ad elevationem S. Christianæ Virginis prædictæ procedere volens, ad Ecclesiam S. Christianæ accessit, eamque ingressus est, una cum præfatis Reverendis in Christo Patribus et Dominis, Dominis Christophoro Episcopo Basileensi, Tilmanno Tripolitanensi Episcopo, N. S. Blasii *a* Nigræ silvæ, N. in Luzella *b* monasteriorum Abbatibus, ceterisque pluribus spiritualibus, et secularibus Dominis, nobilibus et ignobilibus Prælatis, Presbyteris, Canonicis, Clericis [et fidelibus] utriusque sexus, in copiosa multitudine ibidem congregatis. Et ipsis sic in ecclesia existentibus habitisque et præmissis decantationibus Litaniæ, nec non Hymno Veni creator Spiritus etc. aliisque Orationibus et Collectis ac ceremoniis et solennitatibus debitis et requisitis, idem Reverendissimus Dominus Legatus ossa Reliquiarum S. Christianæ Virginis (quæ etiam una de societate undecim millium Virginum esse dignoscitur, et antea cum aliis undecim mille Virginibus Sanctis per sedem Apostolicam canonizata existit in communi) de loco sepulcri, in quo hujusmodi Reliquiæ antea fuerunt in una sacra lapidea reconditæ, ad alium locum ipsius ecclesiæ S. Christianæ, et extra sepulturam hujusmodi, transtulit, et solenniter cum decantatione cantici jubilationis, Te Deum laudamus etc. elevavit, et super altare pro celebranda per suam Reverendissimam Paternitatem Missa extra Ecclesiam ipsam præparatum, solenniter deportari ordinavit et fecit.

velut cum Insulanis canonizata,

coram sex fere millibus hominum

77 Dehinc sua reverendissima Paternitas solennem Missam propria in persona, ad laudem Dei, et Beatissimæ Virginis Mariæ, ac S. Christianæ Virginis prædictæ, omniumque Sanctorum aliorum, celebravit ac decantari fecit. Qua Missa sic cum omni hujusmodi solennitate debita, decantata et finita, benedictioneque data in præsentia hominum plurimorum, ad minus quinque vel sex millium, spiritualium et secularium, nobilium et ignobilium, qui ob honorem Dei, Beatæque Virginis Mariæ, ac Sanctæ Christianæ prædictæ ibidem fuerant congregati; deinde Reliquiæ dictæ Sanctæ Virginis Christianæ, viceversa ad ipsam ecclesiam S. Christianæ (in cujus honorem eadem ecclesia est consecrata, et in qua hactenus requievit) solenniter fuerunt et sunt reportatæ, Hujusmodi siquidem transportatione facta, omnibusque sic solenniter et devote peractis, præfatus Reverendissimus Dominus Legatus, de eo, quod quidquid ibidem fecerit, quod hæc ad instantiam supplicationis viri Rudolfi de Blumneg, Illustris Principis et Domini, Domini Christophori Marchgravii Badensis *c* inferioris, in castris et dominio Retelen Balivi fecerit, neque aliud fecerit sua Paternitas, nisi reliquias sanctæ Virginis Christianæ, quæ alias (ut præfertur) generaliter cum undecim mille sanctis Virginibus de societate S. Ursulæ existentibus, per Sedem Apostolicam canonizata existit, de uno loco ad alium transferendo, et illam elevando pro majori populi devotionis augmentatione solenniter protestatus fuit, et protestabatur expresse, me Notarium infrascriptum desuper publice requirendo, et mihi ut singula præmissa debite registrarem et conscriberem, prout res gesta esset, mandando: præsentibus ibidem Reverendis Patribus Dominis, Christophoro Episcopo Basileensi, Tilmanno Episcopo Tripolitano. N. Sancti Blasii Nigræ-silvæ, N. in Luzella Monasteriorum Abbatibus prædictis, ac dicto Nobili viro Domicello Rudolfo de Blumnegh Balivo, aliisque pluribus Presbyteris et Laicis, pro testibus ad id requisitis et rogatis.

protestans simplicem hanc esse translationem

Testatur Fr Minor

78 Die vero Jovis vigesima septima mensis Junii, supradicti, Religiosus vir Dominus Joannes Fabri Presbyter Conventualis monasterii Ordinis fratrum Minorum de observantia, civitatis Basileensis, super certis miraculis fore factis, de quibus sibi constare dicebatur, examinatus, medio suo juramento desuper specialiter præstito, deposuit et dixit, quod nuper (videlicet quinta feria ante festum S. Joannis Baptistæ, scilicet vicesima dicti mensis Junii) ad ipsum Fr. Joannem, in Villagio Eichsel, venerit quædam mulier de villagio Mulben, Constantiensis Diœcesis in Brisgavio *d*, quæ sibi dixerit; quod ipsa fuisset per quinque annos, et duodecim septimanas contracta, in manibus et pedibus suis, sic, quod iisdem annis non potuerit ad aliquem locum ire seu ambulare; et dum ad ejus notitiam devenisset, quod Reverendissimus Dominus Cardinalis Raymundus, Apostolicæ Sedis de latere Legatus S. Christianam voluisset elevare, ipsa ad eandem sanctam Virginem votum fecerit, et eam imploraverit, quod apud Deum pro eadem intercederet, quod pristinæ sanitati restitueretur; statimque hujusmodi voto præmisso, ipsa ex Dei gratia, per intercessionem ejusdem sanctæ Virginis Christianæ, potuerit ire, prout personaliter

mulierem contractam per annos 5

apud S. Christianam esse erectam,

personaliter cum duabus mulieribus honestis ad S. Christianam ivisset; sitque verum, quod eædem duæ mulieres (quarum nomina non consideraverit) similiter affirmaverint, quod dicta mulier per dictos annos, et septimanas sic fuisset contracta, usque quo votum prædictum fecisset.

Item alia per tres.

79 Similiter dicit et deponit dictus Fr. Joannes esse verum, quod pridie venerit ad ipsum in monte S. Christianæ quædam alia mulier, quæ etiam per tres annos integros fuerit contracta, de villa Luterbach Basileensis diœcesis; et se voverit ad S. Christianam; et quam primum hujusmodi votum fecerit, ipsa cum suo marito, una die quatuor milliaria transire potuerit atque transiverit, licet antea in tribus annis non potuisset ad aliquem locum transire, prout id omnibus suis vicinis fuerit et sit cognitum et manifestum. Hæc siquidem mulier sibi testi proprio ore dixerit, et similiter ejus maritus, quamvis de propriis eorum nominibus non interrogaverit. Aliud non scit, et hæc non gratia, odio, amore, prece, pretio, vel favore, sed solius justitiæ, et veritatis intuitu deponit.

Missus in Luterbach ad cognoscendum ibi factum miraculum,

80 Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo quarto, prædicto vero die Jovis quarta mensis Julii, honorabilis vir Magister Dominus Joannes Ochs, Rector Ecclesiæ Parochialis oppidi Sennheim Basileensis Diœcesis, Commissarius a Reverendissimo Domino, Domino Raymundo Cardinali, de latere Apostolicæ sedis Legato præfato, pro examine infrascripto, extra civitatem Basileensem faciendo specialiter deputatus; coram Venerabilibus Dominis Bernardo Egly, Doctore Canonico, nec non Joanne Berckman de Olpe, Commissariis supradictis, in hujusmodi negotio deputatis (ut præfertur) constitutus, et per eosdem super his, quæ in examine occasione subscripti miraculi repererit, medio suo desuper specialiter præstito juramento examinatus, dicit et deponit, se die secunda mensis Julii supradicti, in villa Luterbach, dictæ Diœcesis ad commissionem sibi factam (ut præfertur) ad honestum virum Henricum Biechlin, ibidem residentem, ejusque Henrici uxorem legitimam accessisse; et in ejusdem Henrici et quorumdam aliorum fide dignorum testium infrascriptorum præsentia, dicti Henrici Biecklin uxorem legitimam diligenter super miraculo, quod Deus per intercessionem Sanctarum Christianæ in monte S. Christianæ, nec non Cunegundis, Mechtundis, et Wibrandis Virginum, in ecclesia villæ Eichsel Constantiensis diœcesis, requiescentium et levatarum, ad quas ipsa se vovisse dicebatur, per suam clementiam et misericordiam operatus exstitit, examinasse et interrogasse quæ sic, medio suo desuper solenniter ad Sancta Dei Evangelia de veritate dicenda præstito juramento examinata, dixerit, et deposuerit, coram eodem Magistro Joanne Ochs, Decano in Sennhein, et imperiali auctoritate Notario, in testium subscriptorum præsentia ut sequitur.

deponit quod ibi a se examinata mulier

dixerit se an 1501 brachio sinistro debilitata

81 Primo videlicet dixerit et deposuerit esse verum, quod anno a nativitate Domini, millesimo quingentesimo primo proxime lapso, quarta quoque feria post Dominicam c Invocavit, in die fuerit sana corpore et nil senserit; et circa medium noctis ejusdem diei, ipsa mulier dicti Henrici uxor voluisset lactare unum suum puerum seu infantem; et dum ipsum infantem ex cunabulo levaverit, senserit in ejus sinistro brachio magnam infirmitatem sive magnum dolorem; dixeritque ad eumdem suum maritum, quod ipse deberet infantem accipere, donec ipsa se modicum moveret; [quoque] infirmitate et dolore hujusmodi dietim se augmentantibus, eo devenerit, quod ipsa præmissa circa festum Paschæ, tunc futurum dicti anni Domini millesimi quingentesimi primi, quod in tibia dextra ac in eodem latere corporis tam magnas et acutissimas passiones, dolores, et infirmitates habuerit; quod non potuerit die vel nocte quiescere, aut dormire; et fuerint tales passiones et dolores in eadem, quod die ac nocte clamaverit et cucurrerit hinc inde in domo, sic quod vicini sui audiebant, et compatientiam cum ea habuerint, et de hujusmodi dolore non potuerint satis admirari, timueritque ipsa mulier et ejus maritus, ac vicini ejus timorem habuerint, quod in dementiam incideret: neque panes scindere, nec alia cum brachio facere potuerit.

ex crom-brachio et doloribus per totum illud latus auctis,

an 1504 voverit adire 4 Sanctas,

82 Cumque ipsa hujusmodi infirmitatem continuatam habuisset, a prædicto anno usque ad mensem Junii, præsentis anni millesimi quingentesimi quarti; devenerit mulieri noctis tempore diei decimi noni dicti mensis, in somno ad ejus mentem, quod ipsa deberet se ad quatuor Sanctas Virgines, scilicet Christianam, Cunegundem, Mechtundem, et Wibrandem vovere, sicque crastino die mane se ad easdem sanctas Virgines voverit, et eodem die voti hujusmodi ad easdem sanctas Virgines transire proposuerit. Id [autem] maritus tulit male, quia fuisset dies pluviosa; et timuit, quod non posset ambulare; ipsa autem mulier noluerit permanere, sed votum emissum adimplere propria in persona, etiam si sola debuisset ivisse. Ita maritus, cum ipsa muliere ægrota sua uxore, die Sabbati ante Joannis Baptistæ, villam dictam exivit; et iverint ambo conjuges, una die primo ad S. Christianam, et viderunt Reliquias ejusdem S. Christianæ; et deinde iverint ad villagium Eichsel, ad sanctas tres Virgines scilicet Cunegundem, Mechtundem, et Wibrandem, ipsum votum emissum ibidem complendo. Subjungitque ipsa, quod quam primum votum hujusmodi fecerit, et adimpleverit, ipsa senserit continuo se melius et melius habere; infirmitates ejus asperrimas, quas habuerit, se minorasse; et lætanter in via ambulasse, et sic etiam se liberatam fore ab infirmitate.

atque in via sanari cœperit;

83 His maritus, per suum præstitum juramentum de veritate fidem dedit, et ea vera esse firmavit. Hujusmodi prædictæ depositioni mulieris, et Henrici ejus mariti, præsentes fuerunt honesti viri Hermannus Schillingh, Nicolaus Menly Scultetus in Luterbach, Henricus Buretsch antiquus Advocatus ibidem, Petrus Wezsel, Georgius Cerdonis, Elisabetha Fichserin, et Anna Bechlerin; qui testes omnes per sua juramenta desuper similiter præstita affirmarunt, per dicta tempora dictam mulierem sic claudam et infirmam habuisse ut deposuerit, et clamores et dolores maximos habuisse et fecisse diebus et noctibus, nec in triennio ambulasse, nisi aliquando ad Ecclesiam, et cum magno dolore et fletu ac hujusmodi auxilio. Dicuntque testes, dictum Henricum et ejus uxorem superius deponentes, esse et fuisse homines honestos, bonæ famæ, et laudatæ opinionis, omnique exceptione majores. Nec aliud scit.

quod et testes præsentes confirmarunt

ANNOTATA D. P.

a Nigra-silva, *Hercyniæ pars, in qua* S. Blasii celeberrimum potentissimumque Ordinis Benedictini cœnobium *fusius describit Bucelinus, tom.* 1 *parte* 2 *Germ. sacræ pag.* 15; *ubi an.* 1504 *Abbas* 31 *numeratur* Blasius, vir modestus, *usque ad an.* 1519, *ordinatus* 1493.

b Luzell *Cisterciensis Ordinis*, monasterium præpotens *dictum eidem Bucelino, ibid. pag.* 55 *sed Tom* 2 *pag.* 213 *Abbates recenset, et anno* 1498 *claruisse notat* Theobaldum Hillwekh, *cujus successor Henricus*

ricus Sapper claruerit 1531; *ut verosimile sit hic priorem indicari.*

EX CROMBACHIO

c *Poterat simpliciter* Badensis Marchio *dici* Christophorus; *si ejusdem Marchionatus partem superiorem jam tunc possidebat, per mortem Philippi Hoghbergensis, sine maribus liberis defuncti an.* 1503, *ut scribunt aliqui.*

d *Vulgo* Brisgaru, *Crombachius perperam* Brisgaudium *vocat.*

e *Hæc est prima Dominica Quadragesimæ; anno* 1501, *quo Pascha celebrandum erat* 11 *Aprilis, cadens in* 28 *Febr.*

CAPUT VIII.

Quædam miracula sequenti Julio examinata.

Adiens Legatus ecclesiam S. Christianæ

Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo quarto, Indictione et Pontificatu quibus supra, die vero Mercurii tertia mensis Julii, Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Raymundus Cardinalis et Legatus præfatus, quoddam Crinile sive sertum, quod S. Christiana in capite suo sancto, dum vixit tulisse et habuisse dicitur; et quod in ecclesia S. Christianæ, hactenus a tempore obitus ejusdem habitum et reservatum, et sibi Domino Reverendissimo Legato ad conspiciendum datum et præsentatum exstitit, et cum quo hactenus homines, ad ecclesiam S. Christianæ confluentes tacti, ipsis ad osculandum datum fuit, cum diligentia vidit, et perspexit; et in certis suis partibus, præsertim in pannis ipsi Crinili circumvolutis sericeis, et superpositis aperuit; et illo aperto, et pannis superpositis modicum remotis, reperit sua Reverendissima Paternitas, et vidit ipsum Crinile verum ex aureis argenteis et sericeis filis contextum fore, et cum perlis pulchris ac etiam lapidibus pretiosis et figuratis subtiliter nobilium more ornatum fuisse et esse; et in panno sericeo, quod desuper circumvolutum existitit, duodecim nodos reperit; in quibus nodis respectivæ Reliquiæ infrascriptæ erant reclusæ; videlicet petiola tunicæ Beatissimæ Virginis Mariæ, similiter, decem millium Martyrum *a* de societate S. Mauritii, de S. Bartholomæo Apostolo, de undecim mille *b* Virginibus, de sancta Cruce Christi, de S. Hilario, de S. Brigida, de S. Thoma Apostolo, de S. Nicolao, de S. Barbara, de S. Blasio. Ab interiori vero parte reperit circulum ferreum latitudinis ipsius Crinalis, intra tamen eundem ferreum circulum et Crinale panniceIlum sericeum, impedientem ne Crinale a ferro corroderetur aut consumeretur.

inspicit Crinale, illius esse creditum,

85 Quibus sic per suam Reverendissimam Paternitatem visis et repertis, cum admiratione permixto gaudio, ipsa sua Paternitas Reverendissima hujusmodi Crinale etiam Reverendo Patri Domino, Domino Christophoro, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Basileensi, et aliis spiritualibus et secularibus personis ostendit, et ostendi procuravit et jussit, ut de his testimonium dare possent. Dehinc quoque idipsum Crinale venerabilibus et devotis, Abbatissæ et Conventui monasterii in Gnadentall *c*, Ordinis S. Francisci, civitatis Basileensis de Observantia, existentibus ad Reparandum et recludendum Crinale, et Reliquias in debito ordine transmisit. Quo sic crinali ad monasterium ipsum misso, et per Dominas Abbatissam et Conventum penes se habito, post devenit ad aures dicti Reverendissimi Domini Cardinalis et Legati fide dignorum relatione veridica, quod inter ipsas Sorores ex Conventu dicti monasterii una exstitisset et esset, videcet religiosa Agnes Mederin, professa et conventualis ibidem, oriunda ex civitate Basileensi, quæ per viginti quasi annos in genibus suis ac tibiis maximas et graves passiones, contractiones, et dolores habuerit et sustinuerit, et tales, quod ipsa sine baculo, et etiam habito baculo in manibus, sine adjutorio alicujus ex sororibus genua flectere, et ad ecclesiam sive chorum ecclesiæ ingredi et transire, nec postquam genua flectebat surgere potuerit, nisi auxilio aliarum mulierum ipsius monasterii Sororum; et quandocunque ipsa se e lecto levare voluerit, id facere absque clamore et planctu doloris non valuerit.

et illud Clarissis ornandum committit:

deinde intelligens quod annis 20 debilis monialis

86 Et quod ipsa Soror Agnes Mederin prædicta semper ex intimo corde inclinationem habuit ad S. Christianam prædictam, ideo postquam audiverit et perceperit Crinale Sanctæ Christianæ in monasterium eorum prædictum fore portatum, ipsa ferventissime cupivit illud videre, petieritque id sibi ad conspiciendum et osculandum exhiberi; prout ipsa Domina Abbatissa ejusdem Monasterii id sibi ad conspiciendum et osculandum tradiderit. Dum autem ipsa Soror Agnes hujusmodi Crinale osculata fuit, ipsa ex intimo cordis fervore postulaverit a Domina Abbatissa, ut cum eodem Crinali et Reliquiis appositis genua ipsius Sororis Agnetis tangeret; spe tali freta, quod postquam cum illis tangeretur, intercessione Beatæ Christianæ, divinaque gratia assistente et auxiliante, per hujusmodi tactum sanaretur: præfata vero Domina Abbatissa se in hoc gravem reddidisset, talemque irreverentiam sanctis Reliquiis et Crinali exhibere distulerit. Attamen quia ipsa Soror Agnes tam ardenter et talibus ferventibus precibus humiliter institerit, pro præmissis faciendis eadem Abbatissa, cum consilio aliarum Sororum seniorum et prudentiorum, desuper habito, ipso Crinali S. Christianæ et sanctarum Reliquiarum appositarum, genua ipsius Sororis Agnetis, ea qua debuerunt et potuerunt reverentia et honore, tetigerunt: quo facto ad statim ipsa Agnes, Soror et conventualis prædicta, dixerit ad ipsas Dominas Abbatissam et alias Sorores ibidem præsentes, quod ipsæ deberent Deum laudare, quia ipsa sentiret leviationem suæ infirmitatis in genibus; et super hoc statim se levaverit, et absque baculo quo prius utebatur usque ad chorum, et ante altare ipsius chori transiverit; se ibidem prosternendo ad terram, et Deum laudando de tanta gratia sibi facta, quod fuisset sic sanata in genibus et cruribus suis, quod absque baculo et mulierum adjutorio potuit ire et ambulare: sit quoque verum, quod ipsa interim a dicto tempore fuerit, et remanserit, et hodie sana existat, et amplius dolores prædictos non senserit, quos prius habuerit.

quæ Crinale illud videre et genibus suis admoveri petierat,

subito convaluerit;

87 Quibus præmissis per Reverendissimum Dominum Legatum perceptis, eadem sua Paternitas Reverendissima, veritatem præmissarum a dictis Dominabus Abbatissæ et Sororibus audire cupiens ac volens, ad dictum monasterium propria in persona, die Dominica, septima mensis Julii, una cum Reverendis Patribus Dominis Christophoro Episcopo Basileensi, Tilmanno Episcopo Tripolitano, ipsius Domini Episcopi Basileensis Suffraganeo, Domino Henrico Sax Priore Monasterii Sancti Leonardi Ordinis Canonicorum regularium Sancti Augustini, et Joanne Bergkman de Olpe Cappellano Ecclesiæ Basileensis, Confraterniæque super atrium Decano, meque Notario subscripto hujus negotii, ingressus est: et sua Paternitate in eodem Monasterio et choro ejusdem existente, omnibus Sororibus convocatis præsentatis, eadem sua Paternitas super præmissis et illorum veritate inquisivit, et ipsas Abbatissam et Sorores, nec non præfatam Sororem Agnetem specialiter et diligenter examinavit, mandans eisdem et earum cuilibet sub pœna excommunicationis, ut veritatem

ad monasterium illud se confert

A veritatem dicerent et deponerent super eisdem.

et singularum depositiones excipit.

88 Quo quidem [modo] Soror Agnes Mederin, quæ (ut præfertur) infirma fuit et reconvaluit, sic interrogata, omnia et singula præmissa, quæ in corpore et persona ejus fuerunt, et prout Reverendissimo Domino Cardinali et Legato præfato de ea (ut præfertur) dicta fuerunt et sunt, per fidem suam nomine juramenti desuper præstitam affirmavit, et vera esse dixit; addens et dicens, quod quandocumque ante diem Mercuri prædictam, per dictos viginti annos, ipsa voluerit ire aut se levare, id facere non potuerit, præ nimio dolore et contractione crurium et in genibus, nisi cum adjutorio aliarum Sororum, quæ eam tenuerunt; et ipsa firmiter credat, adjutorio Dei, et per intercessionem B. Christianæ, quam intime imploraverit, et ex tactu Crinalis S. Christianæ ejusdem ac Reliquiarum appositarum, hujusmodi fuerit et sit liberata. Præmissa etiam, tam Domina Abbatissa quam ceteræ Sorores seniores, per suas fides vera fuisse et esse asserunt; astruendo, eamdem Agnetam, in anno et ultra proxime B lapso, nullam medicinam sive curam contra infirmitatem et dolorem hujusmodi accepisse, per quæ curari deberet. His quidem singulis fuerunt præsentes præfati Reverendi Domini, Christophorus Episcopus Basileensis, Tilmannus Tripolitanensis Suffraganeus, Henricus de Sax Prior, et Dominus Joannes Bergman de Olpe, pro testimonio ad hæc vocati et requisiti.

Ad extremum adest par conjugum

89 Die vero Martis decima mensis Julii supradicti, examinati fuerunt honesti homines, Cretzinger civis Basileensis et Elisabetha ejus uxor legitima; nec non Ennelina, relicta quondam Henslini Winstichers, dum vixit civis Basileensis; et Elsa, relicta quondam Joannis Rusdorff lapicidæ, dum vixit Basileensis; ac Agnes uxor Ludovici Malers; super quibusdam miraculis (ut asseritur) factis, qui etiam mediis suis juramentis dixerunt et deposuerunt respective, ut sequitur. Jacobus Cretzinger et Elsa ejus uxor præfati dicunt et deponunt, mediis suis juramentis desuper præstitis examinati diligenter, quod ipsi habeant filiam Anclinam nuncupatam, quæ prout in Quadragesima proxime præterita unus annus sit elapsus, inceperit conqueri de quadam infirmitate, quam patiebatur, accidentaliter eidem obveniente in sinistro ejus crure, retro in superior parte ultra genua; habuerit que maximos C dolores, et maximas passiones die noctuque in hujusmodi crure, sic quod sæpius contingebat, quod non potuerit in die ire, nec duabus noctibus aut tribus successive ambulare. Habueruntque consilia chirurgicorum et empiricorum, aliorumque se in his expertos asserentium, quodque permiserunt hujusmodi crus videre; nullus tamen eorum infirmitatem hujusmodi cognoverit, aut medicinam sive unguentum aut aliud curabile apponere sciverit, quo mediante dicta deponentium filia curaretur. Accideritque, quod in loco doloris inceperit cutis et caro se aperire taliter, quod aqua ex crure inde fluere cœperit, et sic duraverit usque quasi per tres partes anni, cum maximis doloribus et passionibus die et nocte.

deponitque quod filiæ eius immedicabiliter læsum

post votum pro ea factum S. Christianæ,

90 Postquam autem S. Christiana, per Reverendissimum Dominum Raymundum Cardinalem de latere Legatum præfatum, fuit elevata; et testes perceperunt, nonnullos homines utriusque sexus se ad eamdem S. Christianam vovisse, in suisque infirmitatibus implorasse, et ab hujusmodi infirmitatibus fuisse liberatos; præfati conjuges etiam filiam earumdem, ac se cum eadem, ad S. Christianam voverunt. Quo voto emisso, et nondum tamen facto; in crure dictæ filiæ testium, in loco infirmitatis, tria parva ossa per cutem et carnem se ostenderint; D quibus visis conjuges ipsi deponentes pro chirurgico miserint, illaque tria ossa parva sibi ostenderint. Quibus per chirurgicum visis, idem chirurgicus quodam instrumento ferreo, ad modum forcipis facto, dicta ossicula de crure dictæ filiæ extrahere attentaverit; sed extrahere minime potuerit, etiam fortiter trahendo, usque ad effusionem sanguinis ipsius puellæ. Videntes itaque parentes ipsius puellæ deponentes id non posse juvare; et [quod] prius etiam puellam ad S. Antonium, ad S. Quirinum, et alios Sanctos voverunt, et ab hac infirmitate liberari non poterat; iidem conjuges, ut præmittitur votum per ipsos emissum compleverunt. Quo quidem voto completo et peracto, de nocte diei ejusdem voti peracti, quoddam os cum tribus acuminibus, ad modum dentis antiqui, quod prius sic se ostendebat, jam exiverat, et mane in lecto ipsius puellæ prædictæ fuerat repertum: interimque dicta passio et infirmitas in ipsa puella cessavit. Et ob hoc os hujusmodi ad S. Christianam portaverint, et illic pro miraculo dimiserint; ipsaque filia puella jam quasi penitus pristinæ sanitati restituta existat. Et firmiter credunt, et indubie pro eo habent, E quod dicta filia, ad intercessionem dictæ S. Christianæ Virginis, ex misericordia Dei sit liberata, nec aliter dicunt.

[illegible] ultro excidente osse acuminato sanatum sit.

Alia deponit de alumno suo,

91 Ennelina, relicta quondam Henslini Winstichers, incola Basileensis, medio suo juramento examinata, deponit et dicit esse verum, quod circa festum omnium Sanctorum, proxime futurum antequam tres anni laberentur, quidam alienus venerit ad ipsam, et sibi conduxerit unum puerum masculum, forsan unius cum dimidio annorum [apud] illam educandum: et eo tempore idem puer fuerit multum infirmus, et non sciverit ire. Quem puerum sic habuerit per dictum tempus, et eodem numquam potuerit stare, nec ambulare, aut ire. Postquam autem Sanctæ Virgines, Cunegundis, Mechtundis, et Wibrandis, et S. Christiana novissime per Reverendissimum Dominum Raymundum legatum præfatum fuerunt elevatæ, ipsa fecerit votum nomine ipsius filii, cui nomen est Joannes. Et quam primum votum hujusmodi fecerit et adimpleverit, idem puer nocte ejusdem diei completi voti, inceperit ire per se, atque ire potuerit et possit: et firmiter credit, quod auxilio Dei, ad intercessiones et preces B. Christianæ, hæc facta sunt. Post hæc ipsa mulier etiam votum fecerit et compleverit, eundo nomine dicti pueri ad Sanctas tres Virgines, et etiam illic F transiverit. Sic similiter credit, quod auxiliante Deo, et intercedentibus dictis quatuor sanctis Virginibus, ipse puer de die in diem plus roboretur in suis viribus. Dictæ itaque mulieres duæ, scilicet Agnes Malerin, et Elsa Nusbeulin, per sua juramenta præstita desuper affirmant, præmissa vidisse; et verum esse, ut dicta Ennelina deposuit; et firmiter credunt, ad intercessionem Beatarum Virginum ipsum puerum reconvaluisse.

quod et impetrarit gradiendi facultatem.

92 In horum igitur omnium et singulorum præmissorum fidem et testimonium, ego Gregorius Brusweiler, alias Swegler, Clericus Constantiensis, publicus Apostolica et Imperiali auctoritatibus ac Venerabilis curiæ Episcopalis Basileensis Notarius, et præfati Reverendissimi Domini Legati, Domini mei gratiosissimi, in hujusmodi negotio Scriba specialiter assumptus; hoc præsens registrum, processum, et omnia præmissa in se continens, de dicti Domini Legati mandato et jussu, confeci, notavi, et publicavi; per aliumque fideliter scribi procuravi, manu aliena signo et nomine meo solitis et consuetis signavi et subscripsi, in fidem et testimonium omnium et singulorum præmissorum.

Totius Processus formatur exemplar authenticum.

Gregorius Swegler, Clericus Constantiensis, publica

blica et Imperiali auctoritatibus, venerabilisque Curiæ Episcopalis Basileensis Notarius collateralis et scriba præfatus, hic manu propria subscripsi.

EX CROMBACHIO NOT. 4

ANNOTATA D. P.

a *Confundi hic videntur* x Millia Martyrum in monte Ararath, *de quibus ad* 22 *Junii, cum* Legione Thebæa *millium* 6 *ut summum cujus ductor* S. Mauritius, 22 *Septembris.*

b *Hic jam apparet eum, qui Ursulanarum Reliquias gestabat ipsis multo posteriorem fuisse : idem probant* S. Hilarius ; *sive* Pictaviensis, *defunctus an.* 367, *de quo* 13 *Januarii ; sive* Arelatensis, *de quo* 5 *Maji mortuus* 454 ; *et magis* S. Brigida, *S. Patricii discipula* 1 *Februarii, cujus morti assignatur annus* 523 ; *ut taceam de* S. Nicolao, *qui fortassis, non sub Constantino Magno sec.* 4, *sed sub Constantino Pogonato sec.* 7 *floruit.*

c *Latine* Vallis gratiarum, *sed cujus nulla apud Waddingum aut Haroldum notitia.*

LEGENDA

Ex præmisso Processu collecta atque impressa

Et ab Hermanno Crombachio recusa.

Lectio III. Erant, prout veridica relatione antiquitus accepimus, inter sacratissimas Virgines, *S. Ursulam comitatas*, quatuor insignis virtutis et gratiæ, Deique timore perfectissimæ, omni præditæ morum honestate : quarum tres nobiliores genere, una Cunigundis, altera Mechtundis, tertia Christiana vocabatur ; quarta, quæ quasi famula ipsarum videbatur, nomine Wibrandis. Virgines sacratissimæ : quæ per *a* Duregaudiam ad Rheni pervenientes littora, infirmitate valida letalique gravatæ, iter suum Basileam usque perficere non valentes, divina disponente clementia, non longe a nobili quondam urbe, nunc vero vel terræ motu, vel temporum hominumque injuria, modico jure, Augusta Rauracorum dicta, substiterunt. Quod revera divina factum providentia creditur, quatenus et terra ipsa, tunc pene desolata colonisque destituta, meritis ipsarum, colonis impleretur, prout jam cernimus factum ; et patriæ nostræ fines, per tantarum patrocinia matronarum, divino super irradiaretur prospectu, supernorumque luminum illustraretur splendoribus.

ad Rhenum infirmatæ

2 Lect. iv Igitur Rheni transvadantes alveum, ambulabant per devia silvarumque dumeta, montium adeuntes juga et vallium prærupta, ceu ignaræ viarum ignotæque hominibus et linguæ, ad montana quæ incolis Spelte dicuntur, pervenerunt ; et quoddam villagium, nomine *b* Roppersweiler, impingentes, cujusdam pauperculi grangiam, utpote infirmæ et debiles, petierunt... Porro incolæ loci, cernentes personas tam venerabiles et honestas, ignotæ linguæ homines ; eas, ut erant, nobili prosapia genitas conjectabantur ; ipsasque hospitio, prout petebant receperunt ; et humanitatis obsequia, licet pauperes ruricolæ, pro posse exhibebant. Sed priusquam ad præfata pervenissent loca, sancta Virgo Dei Christiana, gravi languore præventa, paulum a littore Rheni in quodam loco substitit ; et languore ingravescente, oculos cum manibus in cœlos elevatos tenuit ; et orationem ad Christum Dei filium sponsum fundens Virginum, benedicens sanctam Trinitatem, in confessione veræ sempiterneque Deitatis, plena fide spiritum cœli Deo reddidit. Quam reperientes incolæ vicinorum locorum mortuam, nitebantur corpusculum sanctæ Virginis terræ glebis commendare : sed a loco nusquam moveri ope quacumque poterat.

eodem transmisso Rheno aut in Roppersweiler,

relicta cis Rhenum Christiana ibique defuncta,

3 Lect. v. Consilio tandem inito, plaustrum sumentes novum, eidem jungentes duas juvencas, jugo nondum subactas, corpus sanctæ Virginis impositum vehere permiserunt, quocumque ipsas flatus sancti Spiritus perurgebat. Quæ mox, sumptis viribus, ex adverso prærupti petrosique montis, gressibus æquis incedentes, substiterunt. Mirabile dictu ! Mox enim divina virtute petra se dividens, pervium iter pecudibus stupendo miraculo præstitit : quæ ipsam demum usque ad montis supercilii juga perducentes, sua pausatione locum quietis Corpusculi virginalis ostenderunt : quo loco, usque in præsentem diem in pace sepulta requiescit. Sacra demum Virgo superna irradiatione, Deo sanctam suam glorificante, illustrata, cœpit coruscare miraculis ; adeoque a Deo se glorificatam in cœlis, patefacere divinis beneficiis, ut cunctis claresceret, sanctam Dei Virginem omni veneratione condignam fore. Unde vicinorum devotione actum est fidelium, ejus assistentibus suffragiis, quod ecclesia in honore ipsius extitit fabricata, et consecrata in loco præfato, ubi requiescit.

et a bobus sibi permissis in montem evecta,

ubi miraculis claruit in ecclesia ipsi condita.

4 Lect. vi. Sed ad locum, unde digressi sumus, redeuntes, audiamus quam gloriosus fuerit Rex Israel, discooperiens se coram ancillis servorum suorum ; et aperte demonstrans, quam laude digna sit divina Majestas, mirificans Sanctos suos. Reliquum vitæ finem sanctarum Virginum, Cunigundis, Mechtundis, et Wibrandis videlicet, ad memoriam revocemus. Cumque sacratæ Virgines, jam valetudine ingravescente, sese morti vicinas agnoscerent ; et corpore defatigato, se migraturas minime dubitarent ; expetierunt Sacramenta ecclesiastica Sacerdotis Ministerio sibi apportari, asserentes se vere Christianas esse ; ut hunc firma fide puroque perciperent corde, quem in terris positæ tanta devotione ardoreque fidei dilexerant, ut mortem paratæ forent pro ipso per Martyrii palmam, prout revelatione didicerant, subire : et quantum in ipsis erat, subissent, nisi divina bonitas ad gloriam suam, nostris utilitatibus misericorditer condescendendo, aliud decrevisset. Igitur suscipientes divina Sacramenta ad mortem se, prout decuit, patientissime et constantissime disponentes, contra inimicum generis humani ejusque versutias dimicaturæ, se Domino et ejus gratiæ commendaverant. Cumque, accelerante vicinaque jam morte, interrogarentur, quo loco sepulturam sibi parari juberent ; memores Sodalis suæ Christianæ, responderunt, eo se modo sepeliri debere, quo ipsam terræ tradidissent. His rite gestis, sacratæ Christi sponsæ, inter manus devotorum ruralium, et ipsæ devotissime, cum hymnis et laudibus divinis, quibus sanctam Trinitatem Patrem, et Filium et Spiritum sanctum collaudantes invocabant gratias Deo agentes, sanctas animas, carne solutas, æterni Dei filio jugendas sponsalitio, tradiderunt, ad alta cœlorum conscensuras. Præmonuit autem S. Wibrandis moritura, se tanquam minus genere nobilem et meritis inferiorem, non debere cum aliis tumulari ; sed seorsum alio recondi locello : quod et factum est.

Aliæ tres in Roppersweiler

extremis sacramentis munitæ,

petunt eo modo quo Christiana sepeliri

Wibrandis autem alibi quam dominas suas loco.

5 Lect. vii. Cumque sepulturæ tradendæ, vitulis plaustro junctis superpositæ veherentur ; contigit animalia versus quercum proceræ altitudinis et magnitudinis miræ, iter agere ; ubi nec dextra nec sinistra propter veprium dumorumque densitatem, poterat teneri ; divina virtute grande hoc miraculum factum audivimus ab his, qui sacramento firmaverunt, se hoc ab antiquitate fide indubitata recepisse,

Vituli commissa sibi corpora vehunt in Eichsel,

A pisse, quercum ipsam supinatam in terram, ceu pontem oppositam se deflexisse, sicque perviam præbuisse, quod pecoribus per ipsam transire erat tutissimum; eoque eventu locus sepulturæ ipsarum, et villulæ istic postea extructæ, Eichsel dictus est, quasi Quercus salutis, quod nomen usque in hodiernum diem locellus ipse sortitur. Et plane mirabilis Deus in Sanctis suis, magnificus in Majestate, faciens prodigia. Quibus animadverti potest quanti sint apud ipsum meriti, qui divinis se mandatis consiliisque vincientes, et virtutibus se exercentes in terris, vitam cœlibem actitare satagunt. Quod nimirum luce clarius in hisce sanctissimis Virginibus ostensum noscitur, quæ in schola virtutis et Christianæ palestra militiæ, sub magisterio sanctissimæ Ursulæ se exercentes processerunt, ut magni meriti apud Christum sponsum suum inveniantur, totique mundo virtutis exemplum præbeant; omnium, fide et devotione sincera ipsas invocantium necessitates pia miseratione potenter relevent, et miraculis crebris Deo Sanctas suas illustrante, coruscare cernantur, quorum nonnulla inferius adnotantur c....

ubi omnes tres miraculis claruerunt

c

B

6 Lect. viii. Verum ut de multis miraculis, quibus Deus glorificavit sanctas has Virgines, aliqua in medium deducam, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et utilitatem legentium, ut Deus in Sanctis suis glorificetur, et Ecclesiæ Catholicæ sublimetur fides et roboretur; advertant universi fideles Christi, quod anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo quarto, tempore sanctissimi Domini nostri D. Julii Papæ secundi, cum reverendissimus in Christo Pater et Dominus noster D. Raymundus, Ecclesiæ S. Mariæ novæ Presbyter Cardinalis Gurciensis, et Legatus de latere per Germaniam missus, ad civitatem venisset Basileensem; audissetque, fama diffusa miraculorum, priscis actorum temporibus, sanctas Dei Virgines alias canonizatas, nec tamen a terra translatas; præcepit quatenus Sanctarum corpora inquirerentur, decernens propria tactus devotione, indignum ut tantus thesaurus mundo diuti s celaretur, lumenque clau e retur sub modio; sed super candelabro lumine exaltato, luceret omnibus qui in Ecclesiæ domo sunt, ac sic in refugium esset asylumque omnium, ad Sanctarum Virginum confugientium præsidium *d*.

quorum fama anno 1504 motus Card Legatus,

corpora earum requiri jussit;

d

7 Lect. ix. Attentione itaque facta, cum tumuli Sanctarum paterierent, tantus odor suavitatis, a quibusdam partui vicinis mulieribus (quarum una Barbara vocabatur, uxor Sculteti villagii dicti Krentzach; et quædam aliæ, quarum nomina mihi modo non occurrunt, quæ mihi hæc quæ scripsi revelatione veridica dixerunt) referabatur emanasse; ut quæ alias, propter tumultum pressuramque, jam pene videbantur defecisse, subito senserint se odore hujusmodi recreatas; quatenus omnibus innotesceret, Sanctarum Dei Virginum etiam ossa de loco suo pullulare, refertaque esse boni odoris spiramine. Statim namque, divini luminis vultu superirradiante, innovata sunt signa et immutata mirabilia, Deo glorificante dexteram suam. Erat namque in loco sepulturæ sanctarum Virginum quoddam lignum, quod miro semper fragrabat odore: et etiamsi jam esset aridum et vetustate pæne consumptum, semper tamen odorem spirabat violaceum; adeo ut nec si violas ipsas quis manibus tenuisset, tantum potuisset odorem suavitatis percepisse. Et quod plus mirandum est, idem lignum, cum jam propter vetustatem, quia sub divo manserat, de mausoleo *e* [super quo jacebat] amoveretur, protinus odorem suavitatisque spiramentum omne amisit. Nec sentiendum est hoc alia quam divina factum esse virtute, qui ad Sanctarum gloriam,

a quibus cœlestis fragrantia mox emanavit,

C

uti et a ligno supra sepulcrum posito.

e

quam pretiosa sit in conspectu Domini mors Sanctarum Virginum, hoc voluit demonstrare indicio.

D

8 Est et aliud quod relatione veridica, dicto juramento firmata perceptum est; quod tempore illo, quo nondum ecclesia in loco sepulturæ ædificata extitit; cervus egregiæ staturæ a venatoribus exploratus, cum per canes agitaretur, semper huic loco se ceu tuto commisit præsidio, nec quovis a loco vel canibus avelli, vel venabulo lædi poterat: cujus semper cornibus affixa videbantur tria luminaria: quibus exterriti venatores, tandem locum relinquentes, et dantes gloriam Deo ad propria redierunt. Ex quo indubitatum accipitur, sanctas has tres Virgines suis tutelis etiam muto huic pecori, ad ipsarum confugienti præsidium, tegumentum præstitisse et adjumentum salutis. Et quid mirum, si suffragia et intercessio sanctarum Virginum [quæ] poterat ratione carentibus esse adjutorio, tanto majori hominibus sit auxilio, quanto ratione utentes ipsa carentibus sunt præstantiores.

EX CROMBACHIO Olim extruendæ ibi ecclesiæ occasionem dederat

illuc solitus confugere cervus, candelas 3 in cornibus praeferens.

9 Denique retulit honestus vir, Joannes Rittermann, quod uxor ipsius Margarita Kungim, per plures annos clauda extiterit: quæ audiens sanctarum Virginum in operibus divinis gloriam, mox voto se [obstrinxit] ad ipsarum mausolea, si adjutorio sibi forent, visitanda, [et sic] integræ sanitati restituta est, surgens et exiliens et laudans Deum. Theodoricus de Meyere, filium habens, de cujus vita, morbo ingravescente, nulla spes ulterior a patre habita est: qui voto pro filii salute (in somnis tamen prius monitus emisso, mox integræ sanitati restitutum recepit incolumem. Idem Theodoricus filiam habuit, quam summo complectebatur amore, quæ ventris dolore gravata et umbelici, erat ex infirmitate diutina de vita pene desperata: qui monitus est ab uxore, quatenus voto et voce committeretur sanctis Virginibus, magnaque Dei pietate factum est, ut concito cum duabus candelis voto ad ipsas visitandas emisso, vermes duenti eoque amplius ab ipsa egrederentur puella; inter quos duo erant miræ longitudinis: qui quia pilosi erant, sua vilositate et populo magnum præbuere spectaculum, et omnes hoc cernentes, ad Deum in Sanctis suis glorificandum, excitaverunt. Retulit denique idem Theodoricus ac juramento firmavit, se febrium symptomata aliquanto sustinuisse tempore; qui valido tentus paroxysmo, votum emisit, se visitaturum virginalis requiei locum, cum duarum oblatione candelarum; et concito se sensit incolumitati restitutum integre, Virginum sanctarum intercessione.

E

Postea ex voto erecta clauda,

sanati puer moribundus,

puella vermibus plena

eique pater febri

F

10 Retulit denique Hermannus Muller, se per plura tempora, in uno oculorum suorum, lumine amisso, cæcum extitisse: qui patrocinio Sanctarum invocato, mox visu restituto clare se asserit videre. Ad hoc accedit quod mulier quædam, sedecim annis in uno oculorum lumine privata, voto ad sanctas Virgines emisso, plenum lumen adepta est oculorum suorum. Erat alia mulier, quæ, propter calculi acerbissimam adustionem, diutino languore tenebatur. Cumque dietim angustiantium [pœnarum] duris quateretur doloribus, voto ad has sacratissimas Virgines emisso, continuo ex vesicæ et renum angustis meatibus, tabulæ arenæ multitudine pruriente liberata existens, liberatricibus suis gratias agens, earum Reliquias visitatura, montem Spelte sine omni conscendit difficultate. Erat præterea et usque hodie limpidissimus fons, in continio locelli quo sanctæ Virgines requiescunt; qui ante harum sanctarum Virginum adventum, quia solitudo erat, tot venenatis exuberabat animalibus, ut nulli hominum usui esset aptus; qui post earum illic mansionem, ita cunctis usualis ef-

[illegible] oculo [illegible] duum,

[illegible] minuta [illegible]

[illegible] fontem [illegible]

fectus est, ut vermibus in lapides *f* conversis, omni sit sitienti potabilis.

EX CROMBACHIO

11 Erat denique puella quædam in villagio Brombach *g* quinque annorum, quæ vel vexatione horrida pustularum, vel alia quavis infirmitate tribus annis cum dimidio clauda extiterat, nec unquam gressum egerat; sed jacendo in calamitatis lectulo tempora consumebat clinica. Cumque audisset, tum parentum tumultu, tum aliorum hortatu se mutuo instigantes, ut ad Translationis festum sanctarum Virginum pergerent; ipsa puellula, clauda jacens, vociferari cœpit, se ad Sanctarum festa ituram. Cumque mater eam verbis sedare conaretur, illa rursum vociferabatur se ituram. Cui mater; Quid, inquit, ibis; cum per dies vitæ tuæ numquam pedibus tuis gressum feceris? At illa, ferventi animo et spiritu, se, quæ numquam ante erecta sederat, erigens [resedit]. Cumque mater, una cum aliis hominibus interessentibus, eam seipsam erigere cerneret; stupentes substiterunt; et mox unanimi voce, voto ad sanctas Virgines se constringendo, puellam super pedes erexerunt: quæ statim, omni semoto impedimento, [constitit], ambulans, et exiliens, et laudans Deum. Hanc puellam præfatus Reverendissimus Dominus, Cardinalis et Legatus, cum sua dignatione et humanitatis pietate, sacra sanctarum Virginum ossa, ad ipsa descendens in foveam et propriis manibus tumulo levans, transferret; et omnes nos, quotquot aderamus, vidimus ambulantem, et tota incolumitate lætantem, ad laudem et gloriam Dei nostri et Domini nostri Jesu Christi, et mirificationem sanctarum Virginum.

g Puella gradiendi facultate carens, et ad translationem ire volens, erigitur et sanatur :

12 Multa alia miracula, ad laudem Dei omnipotentis, intercessione sanctarum Virginum facta sunt, quæ nimis longo tractatu indigerent; sed hæc pauca satis ostendunt, Sanctas Dei glorificatas in cœlis, quarum ossa tam mirificis factis de locis suis pullulant in terris. Has imitari et digne venerari in præsenti concedat Jesus Dei Filius, earum Sponsus; et in futuro eum clare videre, visum diligere, et dilectum cum omnibus sanctis laudare. Amen.

cetera miracula hic omittuntur.

ANNOTATA D. P.

a Duregaudia, *alias* Torgovia, *vulgo* Turgau, *a flumine* Turo *nominata ultima Helvetiæ versus Constantiam et Rhenum provincia.*

b *Aliud utique ab eo quod* Rupelsweil *nominant tabulæ, hoc enim infra Basileam jacet, sex leucis a Rheno.*

c *Hic pluribus explicabantur visiones quæ Virginibus Ursulanis cœlitus oblatæ narrantur SS. Deiparæ, Michaelis, et Joannis Evangelistæ, quarum istas tres quoque participes fuisse præsumitur.*

d *Hinc usque ad finem continuatur ultima* IX *Lectio, quam more tamen nostro divisi in sex articulos.*

e *Crombachius* Sanctarum, *quod saltem hic mutandum fuit, quia ex processu constat non in ecclesia ubi sepultæ* Cunigundis et Mechtundis,*sed in cœmeterio, ubi seorsim sepulta erat* Wibrandis *inventum lignum, illud ipsum fortassis, quod sese inclinaverat transituris corporibus, quodque nomen loco fecerat ut* Eichsel *vocaretur.*

f *Vereor ne fundi ipsius seu fontis natura ab initio fuerit, quod miraculo imputat vulgi credulitas; ut cum adscribitur S. Patricio quod venenatis Hibernia careat, quod tamen ex Solino et aliis proprium insulæ fuit diu ante Patricii in illam adventum.*

g Crombach *in Brisgovia distat Basilea leucis tribus.*

DE S. CECHARDO

EPISCOPO LUNENSI ET MARTYRE

CARRARIÆ IN TUSCIA.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

D. P.

De loco, tempore et occasione Martyrii, ac præsenti sancti corporis cultu.

ANTE SEC. X

Extremus Hetruriæ versus Liguriam tractus in *Lunensi territorium desinit, vulgo* la Luneggiana *dictum; cui nomen fecit amplissima olim, et propter portus capacitatem opportunissima mercimoniis, nunc vero prorsus destructa civitas, adeo ut vix tenuia supersint vestigia, quæ hominum ibi habitationem fuisse persuadeant, tam insalubris ibi aer est; mansit tamen Lucensis Episcopatus titulus, ultra* Nicolai V tempora; qui *circa medietatem seculi* XV *(uti scribit Ughellus tom.* I *col.* 923) ecclesiam Lunensem cum Sarzanensi, *sub annum* MCCIV *ab Innocentio III instituta,* perpetuo univit, cum utriusque Ecclesiæ denominatione. *Antiquior tamen denominatio diuturna non fuit, cum evanescentibus magis magisque veteris Lunæ reliquiis, cito desierit etiam illa. Distat* Sarzana *ab ora maritima tribus circiter passuum millibus, in eademque aut paulo majori distantia, sita est* Massa, *versus Magni Ducatus confinia, ad* p. m. XII, *Sarzana recedens, nobilissimæ Cyborum familiæ Principalis Sedes: medio autem inter utrasque via, sed paulo quam ambæ illæ remotius a littore, posita est* Carraria, *Principatus titulo nunc quoque insignita, et Massæ ino unita.*

In Lunensi, nunc Sarzanensi diœcesi,

2 *Hanc Leander Albertus, post Volaterranum, comparat cum* Carrea, *Cisalpino apud Plinium Liguriæ oppido, sed non persuadet:* Carraria *enim, longius ab Alpibus remota, Tusciæ includitur. Minus etiam verosimile facit idem Leander, adeo antiquum esse nomen, ut ejus etymologia debeat veteri Hetruscorum lingua peti, qua* Lunam *dictam fuisse* Cariaram, *tam gratis fingitur, quam certum est nullam linguæ istius notitiam superesse in libris. Itaque, ut recentius nomen est, sic et etymologiam esse puto: et sicuti Florentiæ* la Carraya *dicitur ad pontem quemdam,per quem frequentissimi* Carri *Arnum transeant, Latine* Carrariam *diceremus; sic etiam istic ex eadem causa dictum oppidum censeo, eo quod præcipua victus ratio incolis consistat in carris commodandis, ad transvectionem marmorum, quorum maxima copia effoditur in montibus ad* IV *et* V P. M. *supra* Carrariam *sitis, quæque inde per Laventinam vallem deferuntur ad mare, imponenda navibus per totam Europam distracturis candidissimos illos lapides, quos Carrarienses vocamus, et præ alabastro æstimamus.*

sita Carraria,

3 *Eo in oppido præcipua ecclesia, Prioralis insignis titulo, S. Andreæ est: ubi in arca marmorea honoratur* S. Cechardus, *cum hac inscriptione:* Hic jacet corpus B. Cechardi, Episcopi Lunensis, qui

veneratur hoc die S. Cechardum I p. M.

A qui passus est Martyrium anno DC. *Ita Ughellus, in Episcopis Lunensibus et Sarzanensibus, tom.* I *Italiæ sacræ col.* 894 ; *addens, quod* zelo fidei accensus, pravorum hominum mores verbo et exemplo cum reprehendisset, ab efferatis comprehensus, tamdiu fustibus cæsus est, donec emitteret spiritum..... *Eo autem* in loco, ubi Martyrium passus est, extat fons in ædicula, cujus aqua febre capitisque dolore laborantibus usque in hodiernum diem prodesse fertur. Vocatur Fons S. Cechardi : ejusque memoria celebratur XVI Junii in eadem ecclesia. *Hactenus Ughellus, verbis transcriptis ex Catalogo Sanctorum Italiæ Philippi Ferrarii, allegantis Lectiones et Officia Ecclesiæ Lunensis, nec non Catalogum Sanctorum Lunensium Hippolyti Landinelli, quorum nihil adhuc vidimus. Idem in Catalogo generali eorum qui Romano Martyrologio desunt rursus* Cechardi *meminit : sed* corpus Massæ oppido proximo in finibus Carrariensium *esse annotat, haud satis memor aliis scriptorum. Reliquiæ forsan ibi sint aliquæ :* Seardi *etiam aliquas esse* Bononiæ apud Canonicos Regulares S. Joannis in monte *asserit Antonius Pauli Masini in Bononia perlustrata.*

B

translatum in novam arcam, circa an. 1600

4 *Accepi sub annum* MDCLXXV, *per P. Petrum Possinum nostrum, tunc Romæ degentem, ampliorem de eo Sancto informationem, Sarzana missam : qua dicitur,* eodem quo nunc colitur die factam esse translationem, ex veteri in novam istam arcam, sub exitum præcedentis seculi aut finem sequentis: atque adeo tempore Joannis Baptistæ Salvagi, ab anno MDXC ad MDCXXXI Sarzanensis Episcopi ; qui ossa omnia repererit integra, caput autem seorsim velo subtilissimo involutum, neque ulla parte notabiliter læsum : cumque pro sua devotione vellet ex superiori mandibula extrahere dentem, cœpisse exinde manare sanguinem ; ideoque ab incepto destitisse Episcopum, ac suo loco reliquisse dentem, qui etiamnum sanguinolentus conspiciatur : in quod miraculum Franciscus Berrettarii lusit hujusmodi Epigrammate.

non sine miraculo denis sanguinem stillantis

Cecardus nondum satiaverat arma tyranni,
Ipsa nec impietas mersa cruore satis :
Utque igitur ea plus possit vacuare, suumque
Gratius ante Deum reddere amoris opus ;
Natura mirante, decem ultra secla, per ossa
Arida vult etiam sanguinis unda fluat.

5 *Nominantur ab Ughello usque ad* Severum, *qui anno* DCLXXX *sub Agathone Papa Romanæ synodo interfuit, Lunenses Episcopi decem; ex quibus, præter hunc* Cechardum, *quinque omnino coluntur ut Sancti* Habet Deus, Terentius, Venantius, Basilius, Salarius, *omnes æque ac alii Latinis aut Græcis nominibus. Post illos Longobardicis nominibus veniunt, gente utique tota plus quam a quinquaginta annis Catholica,* Lentechorius, Theudolasius, Gualcharius, Odelbertus Anselmus, Adelbertus, Gotofredus etc. *Hinc merito suspecta mihi est conjectura, quæ Martyrium* S. Cechardi *(quod nomen utique Longobardum est) refert ad annum* DC. *Quasi circa illud tempus occupata a Longobardis Luna fuerit, cum promiscua Cleri ac populi cæde, quæ Episcopum etiam loci involverit ; quod non absimile vero est : potuit enim eorum viribus diutius urbs potens et mari subsidiisque inde accipiendis vicina ad illud usque tempus restitisse! sed quod Episcopus tunc cæsus fuerit Cechardus minime verosimile mihi fieri potest : verum id potius de S. Salario dixerim, qui ante prænominatum Severum nominatur quartus,* cujus extat in area Lunensis portus inter Erycem et S. Terentii castrum ecclesia cum pago, quo in loco Martyrium passus creditur, et solennitas XXII Octobris habetur.

non videtur passus an. 600 :

6 *Missa nobis informatio aliam* urbis cladem *indicat,* ab Hastingo Danorum seu Normannorum Duce, post vastatas impune Gallias Romam aspirantium , D patratam ; barbaris illis sacrilega simulatione usis quasi Dux suus extremum infirmus, pacem petierit a paratis ad bellum sustinendum, simulque baptismum ; quo utroque obtento, mortuum quoque se simulaverit ; quem ut talem ad exequias Christiano ritu celebrandas intulerit in urbem numerosa Paganorum pompa; et ipsa in ecclesia, Episcopo sacris operante, ac ceteris nihil minus suspicantibus, arma ad hoc occultata extulerit; itaque urbem fecerit potestatis suæ, spoliatamque incendio concremarit: elapso ad montes Carrarienses Episcopo Cechardo, qui istic vitam quasi eremiticam aliquamdiu duxerit, et ab alpestri ac rudi vulgo, admonitionum ejus impatiente, mortem tulerit capite amputato. *Hastingi illius in Lunensium excidio adornatam technam, ejusque successum, prolixe describit Dodo, S. Quintini Decanus, libro* I *de Moribus et gestis Normannorum, ad Adalberonem Episcopum, circa finem seculi* X *scripto; atque post multa,* Missarum, *inquit* solenniis decenter expletis, paulatimque Paganis congregatis, jussit Præsul corpus ad sepulturam deferri. Pagani cum magno clamore petebant feretrum, et dicebant alternatim, non eum sepeliendum. Stabant igitur Christiani super responsis eorum stupefacti. Tunc Hastingus feretro desiluit, ensemque fulgentem vagina diripuit. Invasit funestus Præsulem, librum manutenentem : jugulat Præsulem, prostrato et Comite, stantemque Clerum in ecclesia inermem..... Prosternuntur per mœnia urbis præliantes cives.... *interim* Gens quæ præerat navibus adest, portis vi patentibus : jungens se præliantibus.... crudeliter perimunt omnes, quoscumque reperiunt robustiores.

AUCT. D.P. non etiam is quem dicitur occidisse Hastingus Normannus,

per simulationem impiam, deceptis Episcopo et Comite, urbem occupans

E

7 *Qui gesta Normannorum ab anno* DCCCXXXVII, *usque ad* XCVI, *descripsit Auctor incertus, varios Normannorum Reges nominat : qui subinde expeditiones suorum præsentes instruxerunt, Duces particulares nullos; quos tamen oportet eos domi manentibus Regibus, sæpe habuisse , nullos inquam Duces appellat Auctor iste ante Rollonem, in cujus initiis finit. Regino Abbas Prumiensis in Chronico, seculum* IX *et* X *complexus, primam ea idem Normannorum in Galliam expeditionem adscribit anno* DCCCLIII, *secundam, cujus* Hastingus Dux *fuerit, anno* DCCCLXVII : *rursumque eusdem meminit , cum Britonibus in Armonica rem agentis, anno* LXXIV. *Guilielmus Monachus Gemmeticensis, qui Normannorum Historiam usque ad annum* MCXXXVII *deduxit, lib.* 10 *cap.* 10 *narrat , quomodo* Hastingus, *a Lothroco Daniæ Rege datus filio suo Bieri pædagogus, atque in expeditionem missus ab anno* DCCCLI *sequentibus continuis* XXX *annis, Gallias infestaverit ; postremo autem ad ulteriora se extendens consilia, Romam deliberarit clandestina irruptione obtinere ; utique anno* DCCCXCI, *cum novus Dux Rollo in Gallias irrupisset, alia classe aliaque exercitu instructus : sed tempestate compulsus, Lunam applicuerit eaque fecerit quæ narrat Dodo. Hoc posito eum, qui tunc in ecclesia dicitur obtruncatus Præsulem, dixerim fuisse* Gualcherium ; *sub idem enim tempus debuit iste Lunensem Ecclesiam tenuisse, cum de eo legatur.* quod amplissimum privilegium pro sua ecclesia recepit a Carolo Crasso imperatore , *hic autem imperavit ab anno* DCCCLXXXI *ad* LXXXVIII.

an. 891 :

F

hic enim videtur fuisse Gualcherius :

8 *Hæc aliaque Regum et Imperatorum præcedentium privilegia innovavit et confirmavit Rex Italiæ Berengarius, Papiæ* IX *Kal. Junii, anno regni sui* XII *adeoque anno Christi* DCCCXCV, *Indict.* XIII, *non vero uti per cyfram male descriptum est ab Ughello* an. 890 Ind. 3 , *quæ nec inter se conveniunt, neque cum annis Berengarii, Latino numero, ideoque certiori expressis a transcribente. Innovavit vero Privilegia prædicta Berengarius, sicut ab eo petebat* Odelbertus,

sed hujus ante Odelbertum et an. 895 *successor.*

sanctæ

A sanctæ Lunensis ecclesiæ Episcopus, *usque ad annum* DCCCCXLI *et ultra superstes; unde, et ex eo quod verosimile sit, ipsum sui Episcopatus initio gratiam talem postulasse, conjicio illum Episcopum factum, ipso anno* DCCCXCV *vel præcedenti. Quod autem est spatium intra hunc annum et annum occisi ab Hastingo Episcopi* Gualcherii, *putem dari posse* S. Cechardo : *qui mox a Normannorum recessu electus, tribus quatuorve annis occupatus fuerit, caustæ ecclesiæ et Episcopio reparandis : dumque curandorum ad eum finem marmorum causa in Carrariensibus latomiis ageret, occisus ibidem sit ; sicuti Mechliniæ S. Rumoldus ; vel pecuniæ qua instructus credebatur causa ; vel pro zelo justitiæ, ad urgendam divinarum ecclesiasticarumve legum observantiam flagrantiore, quam rusticana barbaries ferre poterat. Ut ut est, omnino crediderim non ante seculum Christi* x Cechardi *obitum contigisse (nam post* Odelbertum *satis constans habetur Lunensium Episcoporum successio), nec etiam ante seculum* x, *propter rationes jam indicatas.*

D. P.

circa atomias Carrarienses occisus.

9 Post corporis in novam arcam Translationem, fabricatum circa ipsam fuit ex marmore purissimo sacellum, ipso in loco in quo prima arca steterat, ad latus ecclesiæ ingredientibus dexterum seu cornu Evangelii ; in quo festum Sancti quotannis solennissime innovatur, et quamplurima votiva anathemata appensa spectantur. Habetur etiam S. Cechardus Patronus oppidi ; et ad eum recurritur in necessitatibus, tam publicis quam privatis, non sine successu maximarum continuarumque gratiarum. Denique prodiit anno MDCLXXIII Poema heroicum, cui titulus Luna, sive Pietas defraudata, opus prænominati Francisci Berettarii ; ubi S. Cechardus primam Theatri personam sustinet. *Ita informatio nobis missa. Poema istic indicatum non vidi, prodierit illud in parte* I *Carminum, quæ nondum ad manus meas pervenit : pervenit autem pars eorumdem Carminum* 2, *amicissimo nobis Antonio Magliabechio dedicata anno* MDCXCIII, *ubi librum secundum claudit aliud Poema æque heroicum* in festiva solennitate D. Cechardi Lun. Episc. et Mart. *cui titulus* Divinæ preces.

D

Sacellum ejus marmoreum, et cultus,

tamquam Patroni Carrariensis.

Berettarii de eo Carmina.

B

DE S. DOMNOLO

E

EPISCOPO VIENNENSI IN GALLIA

G. H.

COMMENTARIUS HISTORICUS

De ejus cultu, ætate, actis.

CIRCA DCXVII.

Nomen in Fastis.

Memoria sacra hujus sancti Episcopi est inserta MSS. Martyrologiis Adonis, Laubiensi S. Laurentii, et aliis; item excusa apud Mosandrum et Rosweydum, sed ab hoc ad appendicem rejecta ; nec non in MS. Bruxellensi S. Gudilæ, et MS. Florario Sanctorum, itemque in Martyrologio Coloniæ et Lubecæ sub annum* 1490 *excuso, his fere ubique verbis :* Apud Viennam S. Domnoli Episcopi. *At majus elogium est in MSS. Martyrologiis Ecclesiæ Viennensis, ubi ista leguntur :* Viennæ natale S. Domnoli Confessoris, et Archiepiscopi Viennensis vicesimi noni. Hic Pastor fuit dignissimus, ac præcipue in redimendis captivis Christianis assuetus, sicut quondam legitur de B. Paulino Nolæ Episcopo. Ipse etiam, Phoca imperante, ac Chlodoveo Francorum Rege regnante, opere ac consilio partes Divi Gregorii Magni adjuvit, ut insulam Anglicanam ac majorem Britanniam in fide confirmaret, unde ipse Divus Gregorius Apostolus Angliæ nuncupatur. Ipse autem Domnolus noster potens miraculis, feliciter in Domino obiit, et cum Antecessoribus tumulatus est. *Hæc ibi, quorum prima verba in Chronico dicti Adonis ad tempora Phocæ ita habentur :* Domnolus, Viennensis Episcopus, tunc florebat, vir strenuus, et in redimendis captivis piissimus. *Saussayus in Martyrologio Gallicano hoc eum exornat elogio :* Eodem die XVI *Junii* Viennæ Allobrogum S. Domnoli, Episcopi et Confessoris, qui S. Desiderio laborum præmiis coronato succedens, nova huic Ecclesiæ virtutum lumina ostendit : caritateque maxime affluens, in redimendis captivis plurimam impendit copiam et operam. Hinc pietatis ditatus cumulis, repromissam a Domino accepit misericordiæ viris mercedem.

elogium ex MS. Viennensi

C

et apud Saussayum

2 *Acta* S. Desiderii *dedimus* XXIII *Maji, diximusque eum e vita decessisse anno* DCVIII, *qui erat annus octavus* Phocæ Imperatoris, *post occisi. Ast apud Francos nomen* Chlodovei *perperam intrusum est ab auctore Viennensium Fastorum, quos dixi, minime antiquorum, idque loco* Chlotarii secundi, *qui tunc cum nepotibus Theodoberto et Theoderico regnabat. Apud hunc* Regem Chlotarium S. Rusticula, Abbatissa monasterii S. Cæsarii Arelatensis *(cujus Acta erunt elucidanda* XVI *Augusti)* falsis assertionibus condemnata, et sub custodia mancipata fuit. Verum Deus revelavit per Spiritum suum sanctum cuidam Apostolico viro, Episcopo civitatis Viennensis, nomine meritisque Domnulo, ut protinus ad Regem graderetur, et renuntiaret ipsi, gravem se offensionem Dei habere, quod injusto judicio condemnasset famulam Christi ; et protinus se a filio orbari pro tam immisericordi jussione. Audiens autem hæc Rex et Regina, cum magno honore et reverentia eam venerari cœperunt, et jusserunt ad propria remeare. *Hæc aliaque latius in istius Actis explicantur.* S. Domnolo *successit* S. Ætherius, *qui adhuc sub eodem Chlotario Rege ad annum* DCXXVIII *mortuo, ejusque filio Dagoberto dicitur præfuisse Ecclesiæ Viennensi, ut supra ad ejus natalem* XIV *Junii diximus : ita ut non diu post annum* DCXX *vixisse potuerit, si tam diu vixit* S. Domnolus.

Divinitus S. Rusticulam defendit.

F

DE

DE SANCTO BENNONE
EPISCOPO MISNENSI IN SAXONIA
ET SLAVORUM APOSTOLO
MONACHII IN BAVARIA DEPOSITO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De vitæ chronologia, Auctore, miraculis; et Canonizationem secuto cultu.

ANNO MCVI

Tempus nativitatis, *Monachatus,* *Canonicatus,* *Episcopatus,* *mortis*

Floruit seculo Christi undecimo et initio sequentis S. Benno, anno MX natus Hildesheimii in Saxonia inferiore, ac mox anno MXV traditus in obsequium S. Bernwardi, Episcopi Hildesheimensis, consanguinei sui; et ab eo tum vivente, tum moribundo, commendatus Wigero Præposito monasterii S. Michaelis, ut dignis moribus et studiis humanioribus instrueretur. Quibus aliquot annis debite peractis, in eodem monasterio anno MXXVIII vitam monasticam auspicatus est, atque ita profecit; ut anno MXXXV ad Diaconatum, et anno MXL ad Sacerdotium fuerit promovendus. Abbas etiam anno MXLII creatus, sed post tres menses ex toto suo ab eo munere fuit liberatus. Dum interim ab Imperatore Ecclesia Goslariensis construeretur, et a S. Leone IX Pontifice Romano consecraretur, S. Benno eodem in Magistrum et Canonicum anno MXLIX assumptus est, ut novæ congregationi Dux esset, et Ecclesiasticæ disciplinæ Præfectus. Quod cum decem et septem annos fecisset, anno MLXVI Episcopus Misnensis electus et consecratus est. Hac autem in dignitate perstitit annos quadraginta, verus suorum Pastor, paratus pro ovibus suis animam ponere, exilium passus et multas persecutiones; dum adhærens S. Gregorio VII Summo Pontifici, et Romam ad eum confugiens, rebellionem Henrici Imperatoris detestabatur. Demum Slavorum etiam Apostolus factus, plenus dierum et meritorum, ad cælestem patriam migravit anno MCVI die XVI Junii, miraculis in vita et post mortem clarus. Ut fides miraculorum apud posteros constaret, fuisse illa litteris, sigillis, testibus, vel tabellionum publica, vel amplissima Prælatorum auctoritate fulta, indicatur infra in Vita num. 43, imo et sacrum ejus corpus anno MCLXX, a Witigone Episcopo, ad medium ecclesiæ translatum. Indicatur etiam num. 53, antiquissimus vitæ illius libellus in Hildesheimensi monasterio nuper miraculose inventus, quem utinam denuo inveniri contingeret! Tandem vero, cum Romæ apud Alexandrum VI et Julium II sermo de ejus Canonizatione ageretur, Vitam ejusdem S. Bennonis accurate descripsit Hieronymus Emserus, sacrorum Canonum Doctor, et typis vulgavit anno MDXII, e Laurentio Surio recusam, quam et nos more nostro distinctam et notationibus illustratam damus. Extant ejusdem Hieronymi Emseri variæ lucubrationes, ante et postea editæ, quales sunt, Dialogus contra ebrios, Assertio Missæ contra Lutherum, de Canone Missæ contra Zuinglium, De eadem disputatione ad Decanum Pragensem, De disputatione Lipsica, et alii ejus libelli. Transtulit etiam in linguam Germanicam Testamentum novum, et eruditis annotationibus adornavit. Reliqua ejus doctrina ex hujus Vitæ lectione apparebit.

Post varia scripta

Vita edita auctore Hieronymo Emsero.

alia recens Germanice obiter indicata

2 A tali Auctore scripta et edita vita, quam diximus, et impressa una cum reliquis de eodem Sancto monumentis, totoque hoc Tomo, publicam jam lucem spectabat, quando lecto præsenti Commentario intercessit Excellentissimus Dominus de Prielmeyer, Serenissimo Electori Bavariæ Maximiliano Emmanueli a consiliis intimis, Bruxellis residens, atque pro suo in S. Bennonem Monachiensesque affectu rogavit tantillam ut moram indulgerem, qua consulto Illustri Capitulo S. Mariæ, in qua pretiosus sacrarum Reliquiarum S. Bennonis thesaurus asservatur et colitur, intelligi posset, num quid jam impressis additum optarent. Miserunt illi librum Germanicum bene spissum, ibidem impressum anno MDCXCVII, sub titulo, Latine sic reddendo: Vita et mirabilia opera S. Bennonis Episcopi et Confessoris; Monachii in civitate Electorali, Bavariæ primaria, et commoratione Serenissimi Ducis nobili; uti et ditionis totius communis Patroni et Protectoris; ex fide dignis auctoribus collecta, ac denuo typis edita Monachii anno MDCXCVII. Dedicata est illa Serenissimis Electoribus Maximiliano Emmanueli et Mariæ Theresiæ Cunigundi per Reverendissimos, Præpositum, Decanum, Seniorem et Capitulum Canonicorum S. Mariæ, ab antiquis Bavariæ Comitibus institutos, atque in eum finem capitulariter congregatos. Dividitur autem in tres libros, quorum primus continet vitam et mortem Sancti, secundus Canonizationem ejusdem, tertius miracula quingenta et ultra, usque ad annum ipsius editionis, et finitur cum devota pariter ac prolixa ad ipsum Sanctum oratione. Idem opus etiam Latine redditum, sed necdum impressum, atque a R. P. Theodoro Smackers Serenissimi Concionatore nobis missum, poterat non uno fortasse loco illustrare Commentarium hunc, si maturius allatum fuisset: nunc satis sit indicasse Lectori, quid inde sperari possit in Supplemento. Interim commendandus hic mihi zelus Reverendiss. Canonici Mandl, qui Bennoniani sacelli administratione suscepta, curavit eleganter delineandas sculpendasque tres tabulas, quarum prima exhibet formam elegantissimi sacelli; secunda Altare et arcam ex ebeno pulcherrime elaboratam gemmisque adornatam: tertia ejus Reliquiarium, in quo e regione Altaris apte collocata continentur Pedum, Casula et Mitra Sancti, quæ etiam majoribus Festis inde extracta insignique argenteo ornatu circumdata ipsi Altari imponuntur. Quas omnes tabulas Lector inveniet pag. 204.

Sacellum et altare Sancti

Hic interim pauca accipe et de vastiori ecclesia in qua fundato venerabili Collegio Canonicorum, tam ex iis quæ ipsimet coram vidimus Monachii, tum ex Topographia Bavariæ Matthæi Meriani, Germanice impressa. Dicit ille pag. 32 et nos cum ipso, quod inter res visu dignas Monachii, eluceat princeps templum, Sanctissimæ Virgini Mariæ consecratum; ædificium, si quod aliud alibi, magnificum et ex arte constructum; insigni frontispicio decorum, et præaltis duabus paris operis turribus nubes excedens. E turribus æra campana exquisita tota urbe et vicinia personant. In templo quaquaversum oculos flexeris, altaria conspiciuntur, divite ornatu non minus quam multitudine commendanda: interque ea, quod S. Bennoni sacrum est prope

a

AUCTORE G. H.

a Choro, aliorum Sanctorum Reliquiis, anathematis pluribus et suppellectili pretiosa circumornatissimum : ut nihil dicam de monumentis heroum e Domo Bavarica, Ludovici Imperatoris, plurimque Ducum, quæ in altum assurgunt, æreasque singulorum statuas et alia ornamenta exhibent spectanda.

Miracula

3 *His ex tali occasione præmissis, redeo ad Miracula. Fuerunt hæc Romæ anno* MDXXI *excusa, desumpta ex variis Processibus informativis; et folia ipsorum Processuum, tunc Romæ exhibitorum, ad marginem citantur cum numero testium; prout ea omnia exhibemus, additis hinc inde Annotationibus nostris.* * *Miraculis illis præmittitur* Vita, *per modum epistolæ, pro persuadenda Canonizatione* ad Leonem X Pontif. Max. *hoc principio :* Solebant majores nostri, Beatissime Pater, iis qui de nomine Christiano bene meriti essent, divinos honores decernere : a qua pietatis ratione nec Christiani homines ac nostra ætate minime abhorrent. Tu enim optimus es testis, quanto studio et diligentia Galli superiori anno contenderint, ut Franciscus Minimitanus (*ex typo* Minoritanus *obrepserat*) sanctissimus quidem ille, unus ex Divis optimis maximis a te judicaretur. Quorum Tu voluntati, justæ quidem et honestæ, pro tua singulari erga bonos omnes benignitate, deesse noluisti. Quod cum recte honesteque et libenter feceris, magnam Tu nobis spem ostendisti, nunc aliquando futurum, ut Bennonem, excellenti virtute præditum ac plane divinum, in Divorum numerum referas. Quod si ita, uti speramus, abs Te fiet; videberis Tu quidem Sanctissimo viro amplissimum virtutis fructum tribuere; id quod et Te dignum erit, et Christianis hominibus gratum ac salutare. Atque ut intelligas de quo viro loquamur, vitam Bennonis, et ea quæ post mortem ejus divinitus acciderunt, breviter referam... *Hoc facto sic concludit :* Habes, beatissime Pater, vitam Bennonis, et ea quæ post mortem illius haud obscura divinitus signa extiterunt. Restat nunc, ut virum tantum, pro maxima auctoritate tua, in Divorum numerum referas. Ex qua re magnum tu quidem fructum consequere : uno etenim atque eodem tempore, et divino Bennoni lucem afferes, et de Imperatore nostro *Carolo V*, Duce Saxoniæ, *Joannis Friderici patre, ejus quem postea Lutherus seduxit ;* cuncta denique Misnia, *cum titulo Marchionatus ad Saxones Electores pertinente,* bene mereberis.

cum duplici Actorum epitome,

ad Canonizationem oblata Leoni X

4 *Epistolam istam sequuntur, absque ullo titulo,* Vitæ gesta, *sicut in fine nominantur,* quæ in quam pluribus notabilium Ecclesiarum archivis annotata reperiuntur. *Sunt illa quidem hinc inde ad clariorem intellectum interpolata parenthesibus; eas tamen ubi reperio inter ( ) lunulas relinquens simul cum Actis istis, utpote brevibus et antiquis, præmittere prolixiori Vitæ placet, quoniam ad hanc componendam sic præluxisse videntur Auctori, ut nisi uno alterove loco aliquid haberet in Epitome ista non inveniendum, in ipsa putaretur esse libellus quem* Miraculose inventum *dixit. Istis porro impressis et Romæ longe lateque vulgatis, ab Adriano VI anno* MDXXIII *celebrata fuit in Dominica Trinitatis, quæ tunc erat ultima dies Maji, solennis Canonizatio, tum ipsius* S. Bennonis, *tum S. Antonini Archiepiscopi Florentini, jam ante a Leone decreta ; sicut eam in Gloria posthuma descriptam dabimus, ex Itinerario ipsius Adriani Papæ, quod tom.* 3. *Miscellaneorum suorum nobis edidit Stephanus Baluzius, per Blasium Ortizium, Canonicum Toletanum ac Vicarium Generalem, ipsiusque itineris comitem, in litteras accurate relatum. Bulla desuper confecta, quod quidem ad* S. Bennonem *attinet (nam de S. Antonino non nisi ab Hadriani successore Clemente VII edita est) continuo publicata fuit, prout habetur tomo* 3 *Bullarii, per Cherubinum Laertium collecti in Appendice : pro eademque majori etiam parte excusa fuit a Matthæo Radero tomo* 3 *Bavariæ Sanctæ. Ex illa autem, omissa quæ ibi eidem inserta legitur vitæ miraculorumque epitome, cetera ad historiam Canonizationis spectantia dabimus, sub eodem Posthumæ gloriæ titulo; et quid paulo insuper Monachio accepimus, de translato illuc corpore, sub annum* MDLXXVI *atque post quatuor annos in ecclesiam Deiparæ sacram et miraculis ibidem secutis.*

Illarum antiquior hic præponitur Vitæ,

cui subjungitur Gloria postuma,

ex Itinerario Adriani VI, Bulla Canonizationis,

5 *Hæc Germanice impressa, una cum Vita et translationis historia, partim Monachii anno* MDCII, *partim Frisingæ anno* MDCIV, *inveneramus, Romam euntes anno* MDCLX, *inter Collectanea Joannis Gamansii nostri, tunc Aschaffenburgi manentis. Cum autem eorum recordaretur Henschenius, hunc quem interpolamus Commentarium texens, biennio ante mortem, id est anno Christi* MDCLXXIX, *litteris datis ad R. P. Eusebium Truchses, tunc Monachiensis Collegii Rectorem, eumdem rogavit, ut istæc omnia curaret per suorum aliquem Latine reddenda. Recepit id ille libenter in se :* Cum enim hoc, *inquit,* maxime tempore S. Benno colatur ab incolis hujus civitatis, ut pestem ab illa procul arceat ; ego illum non alio magis obsequii genere propitiandum existimo, quam quod mihi a Rev. vestra imponitur. *Mox ergo P. Francisco Halden, suo tunc in ecclesia Deiparæ ecclesiastæ, una cum Henschenii litteris mandatum dedit, illas exequendi. Recurrebat tunc opportune annus a Corporis translatione centesimus, Principum ac Civitatis decreto solennissime celebrandus : sed simul distinebat Patrem Concionatorem cura panegyris, proximo Junio per integrum octiduum continuandæ : fortassis etiam, cum ex nostra parte nihil urgeret, tunc adhuc longe posita editione Junii, satius censuit expectandum sibi, donec solemnitate peracta addere posset, quidquid ea dignum memoria attulisset.*

Translatione Monachium, et factis ibi miraculis,

quæ an. 1680 post celebratum illius Jubilæum

6 *Interim paralysis Henschenium corripuit, studiaque ejus fere tota suspendit ; litteræ etiam quas Monachium dederat requirebantur, inter alias ut fit chartas abditæ : quare ipsius atque Truchsesii Rectoris admonitu novas litteras scripsi, quid vellemus reducturus in memoriam, quas excipiens successor Truchsesii tunc ad Regimen Provinciæ translati R. P. Jacobus Willi, operis nostri studiosissimus etiam ipse eumdem P. Franciscum, sponte sua currentem incitavit ad opus; quod cum deinde ad nos mitteret anno* MDCLXXXI, XXII *Octobris, jam ad suos ut confidimus Sanctos abierat Henschenius ; ipsis, quæ levato nonnihil malo resumpserat, studiis pene immortuus,* XI *die præcedentis Septembris. Quod igitur facere ipse non potuit supplevi ego, et versionis illius bonam partem inserui eidem Postumæ S. Bennonis gloriæ, ab Henschenio componi cœptæ. Nunc ad illius Commentarium revertor, quem reliquit sic finiendum.*

ex Germanico Latine redduntur.

7 *Assumptus est* S. Benno *in Patronum civitatis Monachiensis, et solenni cultu festum ejus, etiam in Religiosorum ecclesiis, celebratur. Habemus Officia propria Sanctorum diœcesis Wratislaviensis in Silesia, auctoritate et jussu Leopoldi Guilielmi Archiducis Austriæ et Episcopi Wratislaviensis anno* MDCLXXII *edita, uti et Officia propria Sanctorum Sacri Ordinis Crucigerorum cum rubra stella : in quibus sub ritu duplici festum præscribitur celebrandum, et tam Orationes quam Lectiones desumuntur ex Bulla Canonizationis. Habemus etiam Officia propria Ecclesiæ et diœcesis Hildesiensis anno* MDCLVII *excusa ; in quibus præscribitur Ecclesiastica veneratio* S. Bennonis. *Reliquiæ cum pluribus aliis ecclesiis communicatæ forsitan sunt : nostræ certe Antuerpiensi particula quædam obtigit, servaturque cum aliis Sanctorum Confessorum Reliquiis minoribus una in arca. Præterea memoria ejus inserta est Sacris Martyrologii Romani tabulis, fastis Benedictinis Wionis, Dorganii, Menardi*

Cultus sacer Monachii, Wratislaviæ,

Hildesii.

Memoria in fastis.

nardi, Bucelini, et Natalibus Sanctorum Canonicorum Constantini Ghinii, ubique ad hunc diem XVI *Junii. Præterea dicimus ad diem* XXXI *Maji in eisdem Fastis Benedictinis et apud Ferrarium memoriam fieri Canonizationis dicto die peractæ. Finimus cum voto Raderi.* Dive Benno, da postliminium etiam sanguini et patriæ ac Sedi tuæ. Nos fove : illos, velut aberrantes ab ovibus agnos, ad caulas justi Pastoris et Ecclesiæ reducito.

EPITOME VETUS ACTORUM

Ex editione Romana anni MDCXXI.

Nobiliter et pie educatus

Benno ex illustri et clarissima Comitum Saxoniæ prosapia, Federico et Bezela parentibus procreatus; Bernvardo, tunc Episcopo Hildesemensi qui ei consanguinitate jungebatur (quique postmodum, ob ejus vitæ merita, inter Sanctos est connumeratus) litteris et bonis moribus imbuendus traditus fuit. Ejusque cura et diligentia per Monasterii sancti Angeli (quod ipse propria impensa erexerat et dotaverat) tunc Abbatem, ac certos Monachos doctrina singulares, et probitate vitæ insignes, litteris apprime eruditus; et ita pudice et religiose vivere edoctus fuit, ut defuncto Bernvardo Episcopo, Religionis habitum in ipso Monasterio ultro susceperit, ac vitæ sanctimonia ita claruerit, ut deficiente Abbate (tamquam exemplar lucidissimum) Abbatiæ regimen, curam, et dignitatem suscipere coactus sit. Verum ambitione contempta (amans potius humiliter subesse, quam cum arrogantiæ periculo præesse) non multo post hujusmodi dignitate cessit.

fit Abbas S. Angeli,

Præpositus Goslarien.

2 At humilitatem ipsius respiciens Deus (qui deponit potentes de sede, et in humilium exaltatione delectatur) lumen in tenebris delitescere, nec ipsius vitæ merita passus est absque remuneratione transire : quandoquidem laudabilis famæ ejus rumor Henrici Imperatoris Tertii aures ita compleverit, ut eo de licentia Leonis Noni Romani Pontificis e Monasterio extracto, ad ecclesiæ Boslariensis (Imperialis Capellæ nuncupatæ) Præposituram (quam non nisi probatissimæ vitæ viris conferre consueverat) eumdem elegerit, et illam acceptare coegerit : fuerunt ex hisce Præpositis prædecessoribus suis quam plures ad dignitates Archiepiscopales et Episcopales evecti, nec pauci in numero Episcoporum redacti. Porro B. Benno (cui forsan illorum celebris vita calcar addidit) veluti qui ab eorum successione degenerare et vile et turpe arbitrabatur; sic in exercitio officii Præposituræ se gessit, ut illi nec dignitate, nec vitæ sanctimonia, impar fuerit. Quandoquidem (sic exigentibus ejus meritis) quinquagesimo sexto ætatis suæ anno ad Ecclesiæ Misnensis Episcopatum promotus : laudabiliter rexerit, illius jura et auctoritatem ejus ingenio et sollicitudine ita auxerit, curamque gregis sibi talem habuerit, ut nec ante nec post eum quisquam alius ipsius Ecclesiæ Episcopus merito ei æquari vel saltem præponi possit, prout ejus vitæ memoranda gesta facile demonstrant.

Episcopus Misnen.

Papæ Gregorio adhærens,

3 Hic cum Gregorius Papa Septimus et Imp. Henricus Quartus mutuo se odio prosequerentur, et alter in alterius depositionem enixe intenderet, et hujusmodi de causa per Imperatorem (cujus etiam in ecclesiasticis magna tunc fuit auctoritas) universale in Germania, et per Papam in Urbe Concilium congregaretur; et omnes prælati Germaniæ et Galliarum, ipsius Imperatoris metu territi, in Germania convenirent; inter paucos sanctæ Matris Ecclesiæ obediens inventus est filius; qui mandatis Pontificis obtemperans, Imperatorem et Marchionem Misnæ ei adhærentem, cum aliis eorum fautoribus colligatis et complicibus, in ecclesia Misnensi pro excommunicatis publice nuntiavit; ac ipsum Marchionem intrepidus ab ecclesia seclusit; illiusque foribus clausis, ne ei ad illam amplius pateret accessus; cum iter ad Pontificem dirigeret, claves in Albim flumen magnum et navigabile, projecit. Sed quod Pontificis partes sequeretur, et ejus Concilium accessisset, tanto Imperatori, qui eum extulerat, molestius fuit, quanto de eo magis meritum se sentiebat. Quam primum idcirco potuit, Bennonem in carcerem conjecit, et ipsius Ecclesiæ bona prædæ exposuit.

ex vet impr. excommunicatis Imp. Henrico et Marchione Misn. capitur :

4 Tandem tamen adjutore Deo (qui diligentes justitiam et odio habentes iniquitatem oleo lætitiæ solet ungere) liberatus, ad suam cum rediret Ecclesiam, in branciis piscis, ex flumine quo claves ecclesiæ projecerat sibi allati (pro stupor !) reperit, et cum gaudio illam reseravit : Clerum dispersum in unum redegit, et dissolutum composuit : certoque modo cantandi (qui usque in præsentia in ipsa ecclesia observatur) dato, divina hactenus neglecta reassumere fecit. Vandalos sive Sclavos, et quos alios suæ curæ creditos homines a fide defecisse, quosque illam numquam suscepisse comperit, æquanimiter ad eamdem convertit, et in eadem solidavit. Jurisdictiones etiam villarum et locorum, reditus et proventus, multaque alia bona, ejus industria Ecclesiæ donata et alias acquisita fuere. Ecclesiam collegiatam eo loco prope civitatem Misnensem, quo contemplationi vacare consuevit, erexit ac dotavit. In duabus villis, quarum alteram, ut tyrannidem Marchionis Misnæ aufugeret, alteram ut Vandalos ad fidem converteret, interdum habitavit. Hujus beati viri pedum vestigia, quæ tunc deambulando reliquit, minus herbarum excrescentia, aut alio accidenti in tam longo tempore læsa cernuntur (quod et visu et auditu mirabile est) quam si de recenti ictu oculi facta conspicerentur. Porro domus, quam apud Vandalos usu habuit, in qua nulla lapidum series nec cæmenti genus quo illi insimul conglutinari videantur, et tectum stramineum vetustate corrosum cernitur : et, si villa in qua sita est per hostes pluries depopulata : et igne consumpta sit, adhuc tamen in suis structuris et ædificiis ita illæsa et integra intuetur, ut videntes mirari cogantur, Deum habitationem et vestigia pedum Sanctorum suorum illæsa conservare.

deinde dimissus Clerum recolligit,

Slavis prædicat,

vestigia perennantia relinquit,

uti et domum ceteris absumptis salvam.

5 Hunc beatum virum quia bona et jura Ecclesiæ tueretur, illaque usurpantibus pro viribus resisteret, acri odio tunc Marchio Misnæ prosequebatur. Cumque semel ne de eis se intromitteret, et quæ indebite detinebat restitueret, benigne et cum caritate admoneretur; Ordine et dignitate Episcopali contemptis, ira fervida venerabilem senem, qui jam per quadraginta annos pastorale Officium cum omni laude administraverat, in maxilla percussit. Cui cum ipse divino afflatus spiritu ipsum hujus reatus pœnam in sequenti anno, eadem qua illud commisit die, recepturum vaticinaretur, eaque jam revoluto anno advenisset; Marchio illius (jam defuncti) vaticinium et ridiculose repetere, et opprobriose contemnere non expavit. Sed inter hæc loquendum subitanea et insperata morte defecit et comminatam pœnam non evasit. Hic, cum in ejus itineribus transeundi antedictum flumen Albim per pontem facultas ei aliquando foret intercepta, illud sicco pede pertransivit. Cumque, ut interdum consueverat, ad agricultores seu operarios in prato accessisset, et eos siti æstuare conspiceret; signo Crucis Christi (qui idem in Cana Galileæ fecit) aquam in vinum convertit. Cumque populum in certa valle eo prædicante etiam siti laborare cognosceret

alapa percussus a Marchione

pœnam ei prædicit,

Albim sicco pede transit,

aquam in vinum mutat.

A gnosceret; baculo, quo pro sua sustentatione utebatur, (non secus ac Moyses ex petra) terra percussa aquam et fontem, ex quo adhuc ea abundanter fluit, scaturire fecit: vocaturque usque in hodiernum fons ille sacer, et vallis ipsa sancta.

ex vet. impr. fontem elicit,

6 Campanellam in loco prope Misnam benedixit: cujus sonus, ut illius incolæ affirmant, totum etiam territorium ac districtum a fulgure et tempestate (etsi viciniora contigua loca sæpius ab illis lædantur) immunes et liberos usque in præsentia conservavit. Est insuper ager, per quem ipse iter frequenter habere consueverat; qui præ ceteris circumvicinis uberior et fertilior, ab omni tempestate semper liber existit. In Villa Naumburg nuncupata, in qua (ut orationi et contemplationi liberius vacare posset) aliquando secessit, et divina celebrans, eodemmet tempore in ecclesia Misnensi per viginti quatuor milliaria ab eadem distante, visus fuit, adesse miraculose. Sed quid moror? Ejus beatæ et angelicæ vitæ a die obitus usque modo, tot extant evidentissima signa et miranda prodigia, ut ejus semper hactenus fuerit et in dies crescat tam vehemens et celebris opinio, quod nullus, quavis aut incurabili infirmitate detentus fuerit, quin sanitatem, aut B oculorum lumine privatus, quin visum recuperare; nullusne in tam magno periculo inventus, quin illud evadere, ejus ope et auxilio imploratis, firmiter speraverit, totiesque obtinuerit, ut omnes ad eum (qui diversis et incurabilibus morbis infirmorum languentium membra sanitati et quam plures a mortuis ad vitales auras restituit) tamquam unicum et singulare præsidium confugiant.

campanæ contra tempestates benedicit,

duobus simul locis adest,

mortuus claret dono curationum,

7 Ex hisce vero miraculis, quam multis antiquis et apertissimis documentis, clarisve et illustribus testibus; innumerabilia vero, totius illius et circumvicinæ patriæ famosa vulgi opinione, lucidissima patent: non est in partibus illis qui nesciat, ejus sacerdotales vestes, quibus illud beatum corpus fuit indutum, e sepulchro in quo ultra ducentos annos reconditæ fuerant, eblossas, incorruptas et illæsas permansisse. Marchionemque Misniæ, Gulielmum nomine, qui ecclesiam ac Clerum intolerabilibus oneribus gravabat, et bona Præposituræ usurpabat, tribus sequentibus noctibus ab hoc Beato (qui ut creditur assiduis precibus Præpositi exoratur) illi in somnis apparebat: et ut illa restitueret, neve de ecclesiasticis personis aut rebus amplius se intromitteret, monitum (cum hujusmodi somnia ut C fantasmata floccipenderet, et non secus ac Pharaonis cor ejus induresceret, et ad insupportabiliora imponenda disponeretur) quarta nocte apparentis tactus candentis facis, quam ille (qui iterum ei in somnis apparuit) in manu gestare et in eum ferre videbatur, sinistro oculo absque ulla læsione excæcatum fore; et compunctum corde omnia usurpata Ecclesiæ restituisse, damna refecisse: dotem et ejus proventus ampliasse, quatuorque simplicia Beneficia Vicarias nuncupata, in ipsa ecclesia erexisse, ac de propriis bonis affluenter dotasse; in eaque etiam, ob reverentiam hujus Beati (quem in somnis vidisse gloriabatur) sepulturam elegisse.

vestes illæsas in sepulcro servat, annis 200,

Marchionem Misn. castigat

non sine fructu.

8 Hæc ipsius vitæ gesta, quæ in quampluribus notabilium ecclesiarum antiquis archiviis annotata reperiuntur, sunt in partibus illis plusquam famosa et nota. Quot vero quantisque post ejus obitum stupendis miraculis claruerit, et indies magis ac magis fulgeat, cum ex diligentissimis inquisitionibus, processibus, et plenis probationibus, toties pro illorum habenda veritate desuper habitis et confectis, ita pateant, ut jam in notorium transeant; superfluum visum est hic illa transcribere et membranas incassum occupare. *Extrema hæc verba sunt Editoris, et verosimiliter Procuratoris ad causam urgendam Romæ*

Epilogus Editoris

commorantis; sicut ejusdem etiam puto esse verba omnia, contextui, per Parenthesim ( ) inclusa. Ad ipsum autem contextum notavi nihil, licet hinc inde possem: eo quod singulæ Notæ, quarum hic usus fuisset, aptius legentur ad pleniorem Vitam. Hanc ergo consequenter accipe, præmissa quam Surius more suo omissam a se fatetur Dedicatoria epistola, sicut ea Monachio nobis transcripta venit. Licet enim ad historiam vitæ non pertinere videatur; est tamen semper etiam in talibus aliquid quod antiquitatis studiosos delectet. Certe minime otiosa Dedicatio hæc est, quæ Misnensium Principum originem ac præclara pietatis monumenta explicat: et scriptam se indicat ipsius auctoris natali die, anno MDXII. *Accipe etiam effigiem Sancti qualis ante libellum Romæ excusum ponitur cum pisce claves ecclesiæ referente, suique sigilli figura et Saxonum Electorum gentilitia tessera, qua eadem etiam Marchiones in Misnia utuntur sed Rutaceo serto in contrarium ducto: ubi sigillo impositum caput S. Joannis Baptistæ denotare videtur eumdem Ecclesiæ Misnensis Patronum. Solari hæc poterit desiderium alterius, quam in* D

Vitæ præfixa Dedicatoria

cum effigie Romæ curata,



Naumburg Misniæ oppido ad Comitatum Waldeckanum spectante, antiquissimam pictam videri testatur pro sua ætate Emseras num. 56, quamque inde sperare (si tamen superstit adhuc) vix audemus. Fortassis autem ipsa hæc est quam damus, omissis Sanctitatis indiciis sic sculpta Romæ, ne præverti videretur judicium ibi instituendum.

VITA

VITA

Auctore Hieronymo Emsero,

Collata cum iis, quæ ad Leonem X missa, et in Bulla Canonizationis continentur.

DEDICATIO

Clarissimo, Potentissimoque Principi, Georgio Saxoniæ Duci: Hassiæ Gubernatori, Lantgravio Thuringiæ, et Marchioni Misnæ, Domino suo Clementissimo, humillimus Orator Hieronymus Emser, Sacrorum Canonum Licentiatus, felicitatem et victoriam.

Divi Bennonis, Misnensis quondam Antistitis Vitam, Clarissime potentissimeque Princeps, si minus eleganter, diligenter tamen ac fideliter hoc anno a me conscriptam, illustri tuæ Claritati humiliter offero, ac dedico: tum quia tua liberalitate et clementia id tandem scribendi otium nactus sum; tum quia neminem magis deceat ejus libri dedicatio, quam eum, sub cujus potestate Misna, Saxoniæ olim filia, nunc autem *a* Domina, constituta est. Equidem Dei providentia factum esse arbitror, ut antiquissimi illi Saxoniæ Principes, Henricum *b* puto, et filium, ac Nepotem Ottonem, in condenda, erigenda, atque illustranda Misna tam fuerint diligentes atque soliciti, tamquam huc olim eorum nomen, huc arma et insignia esse *c* migratura, divinitus præcognoverint. Illud quoque admiratione dignum est, quod cum ipsis duæ illæ præ ceteris virtutes semper fuerint familiarissimæ, pulchra scilicet et magna facere, tum Divinum cultum quam latissime extendere; has sibi virtutes ambas incliti Misnæ principes ita fecerint peculiares et proprias, ut verissima Ottonum Soboles et progenies credi possint non immerito. Nam, ut de rebus gestis taceam, quemadmodum fere nulla Germaniæ Ecclesia reperitur, quæ Ottonum munificentiam et liberalitatem non olim senserit; ita ex inclyta domo *d* Misnensi vix ullus unquam exiit, qui pietatem suam erga Superos non insigni aliquo sive Monasterii sive Ecclesiæ ædificio, propria impensa munifice instituto, declaraverit. Testantur hoc non solum veterum Misnæ Principum tot monimenta per Saxoniam, Thuringiam ac Misnam hinc inde adjacentium utriusque sexus monasteriorum ac sacrarum ædium; verum hac nostra etiam ætate Ernesti *e* Magdenburgensis Archantistitis, ac Friderici *f* Electoris Hallensis ac Wittenburgensis, humanum prope ingenium excedentes Ecclesiæ, quibus nihil deesse passi sunt optimi Principes, quod vel ad summum domus Dei ornatum, vel ad ministrorum ipsorum usum desiderari queat. Nec tuæ etiam Celsitudinis devotus erga Deum animus, vel ex solo Fratrum Minorum Conventu et Cœnobio illo, quod propria etiam impensa illis in civitate Montis S. Annæ *g* e fundo nuper exstructum, majoribus in dies donis, ac beneficiis cumulas, latere potest. Quis enim taceat tam laudabilem ac sanctam Principum suorum consuetudinem? Quis tam divinam in eis virtutem non prædicet, commendet, et in cœlum usque extollat? Profecto numquam defuere nobilissimæ Domui Misnensi ab initio (propter hanc ipsam divini cultus æmulationem) res domi forisque fortiter gestæ. Non defuit illi divitiarum gloria, non Regum ac Imperatorum affinitates et necessitudines, non quidquid denique in magnis clarisque Principibus admirari solemus. Scriptorum tantum defuit sive negligentia sive invidia, quæ quidem præcipua mihi causa fuit, ut, intermisso Sacrorum Canonum et Theologiæ studio, ad scribendum me contulerim. Quia meo quidem judicio communi Misnensium famæ ac gloriæ melius consulere non potui, quam calamo exprimendo et in lucem edendo sanctissimi hujus Patris Angelicam vitam, pretiosam in conspectu Domini mortem, et evidentissima sanctitatis suæ signa ac prodigia; quibus hinc inde admixta sunt, tam Misnensium, quam exterarum rerum pleraque lectu dignissima. Accipe igitur, Clementissime Princeps sereno hilarique vultu primitias vatis tui; ac priusquam ad historiam ventum fuerit, gentis tuæ originem ac felicitatem perlege, ac vale, Nestoreos numeraturus annos. ex Dresda, Natali die, XXVI videlicet Martii, anno salutis MDXII.

Quia domus Saxoniæ Principum bene merita de Misnia fuit

et plurium cœnobiorum fundatrix

Montis S. Annæ fundatori

ex illis prægnato

hanc Vitam Auctor dicat an. 1512.

ANNOTATA D. P.

a *Nempe Electoratus Saxoniæ, in Anhaldica stirpe continuatus usque ad Albertum an.* 1422 *sine liberis defunctum; Sigismundi Imperatoris beneficio transierat ad Marchionem Misniæ Fridericum Bellicosum; a cujus filio Friderico Pacifico bifariam divisa stirps, hodiedum dignitatem obtinet, ab uno in alterum ramum translatam sub Carolo V.*

b Henricus I *Germaniæ Rex,* Auceps *dictus, Otthonis Saxoniæ Ducis filius, Misnensem Episcopatum fundavit, et filium habuit Otthonem I Imperatorem; nepotem, Otthonem II, quorum in ecclesiam Misnensem beneficia non vacat indagare.*

c *Factum id an.* 1126 *quo* Conradus, *Marchio Landsbergæ et Lusatiæ,* Misniæ *quoque* Marchio *investitus est, a Lothario Cæsare.*

d *Hujus Domus Arborem genealogicam expansam, vide inter Principum Christianorum stemmata, ab Antonio Albizio Florentino collecta; in cujus Annotationibus leges,* Themonem, *fundatorem cœnobii Niemecensis seculo* XI; *et* Conradum *prædictum, Lauterbergi denique Monachum factum multis haud dubie loco illi collatis prius beneficiis. Hic filios habuit* Otthonem *Veterocellensis*, Theodoricum *Dobrabucensis,* Dodonem *Cellensis, Fridericum* Buthamensis *cœnobiorum fundatores. Ceteros enumerent alii.*

e Ernestus Magdeburg, *ab anno* 1476 *ad* 1517.

f Fridericus Sapiens *illius frater, patri Ernesto successit an.* 1484, *defunctus* 1525, *Wittembergensis Academiæ fundator.*

g *Hic Conventus in distributione Provinciarum, anni* 1540 *apud Waddingum, numeratur* 21 *in Provincia Saxoniæ; sed nihil ibi lego de ejus fundatione, aut fundatore; quem hinc Ordinis Historici discent libenter: queritur enim Gonzaga quod conventuum istius Provinciæ, nullam ut in ceteris notitiam dare possit.*

PROLOGUS.

Beatissimi Patris Bennonis Bennopolitani, insignis Ecclesiæ Misnensis decimi quondam Episcopi, vitam descripturus; operæ pretium duxi ante omnia urbis ipsius Misnæ situm, originem, ac veteris Ecclesiasticæ disciplinæ, in hæc usque tempora servata vestigia, litteris demandare: tum quod id a nemine prius attentatum: tum quod indignum sit, eam urbem apud exteros esse incognitam, quæ caput et mater est populi Misnensis, Germanorum omnium (quod cum pace tamen aliorum dixerim) facile principis: nedum soli ubertate et bonorum omnium abundantia, verum etiam urbanitate ac moribus nitidissimis. Est enim idem populus Misnensis peculiariter

In regione populosa

et fertili

A. HIER. EMSER.

A liariter in Superos pius, in hospites liberalis, domi splendidus, foris compositus : ager vero non solum cerere et baccho, sed et auro et argento luxuriat. Ex gemmis adamanta, beryllum, jaspida, amethystrum, topazion, ac uniones parturit. Stanno, ferro et universo fere metalli genere scaturit : marmor præterea gignit, et omnium novissime repertum electrum ac succinum. Flumina colligit, ratibus ac navibus pervia *a* ; Albim Germaniæ olim terminum *b*, Muldam *c*, Tschoppen *d*, Ellestram, et alia quamplurima : torrentes vero ac rivulos pene innumeros. Nec desunt illi sylvæ cæduæ, et nemora stabula alta ferarum : nec læta pecoribus pascua, et florida prata. Aeris quoque tanta fruitur temperio, ut et crocum et nonnullos alios peregrinos frutices, non invite etiam nutriat. Huc ego tam mites ac placidos Misnensis populi mores, tamque formosa corpora referenda censeo : siquidem Aristotele etiam teste, haud parum refert, hac vel illa cœli facie homines procreari. Domos hic ædificant, vel sectili lapide excisas, vel coctili compactas.

a b — *c d* — *in quo urbes præcipue Misna Lipsia,*

2 Urbes quoque singulæ privum quid habent venerabile, et in quo ceteras antecellant : e quibus Misna caput Sede pontificali, et arce in summum usque verticem mire testudinata, insignis est. Lips studio sapientiæ clara, trinundinali etiam mercatorum conventu longe lateque celebratur. Dresda Principum sedes, pontem trans Albim habet saxeum viginti quatuor arcubus fornicatum ; opus haud minoris pretii, quam veterum quascumque sive pyramides sive colossos. Civitates præterea montanæ quatuor, haud obscuri nominis, ex solis argentariis, sive argenti fodinis (ut vocant) non ita multo ante tempore conditæ, et a singulis montibus cognominatæ sunt. E quibus omnium amplissima e S. Annæ, vix duodecim ante annis, quam ista scriberemus, sylva fuit. Mirum est, (ut domos taceam) tantum murorum ambitum, tot turres ac mœnia, tam exiguo tempore potuisse erigi. Verum de felicitate atque affluentia terræ populique Misnensis, hactenus : nunc vero ad ipsam urbem revertamur. Cujus prima fundamenta posuit Henricus cognomento Auceps, primus et ipse apud Germanos (Blondo Flavio Æneaque auctoribus) Imperator Augustus : vir insignis pietate ac modestia : cui Aucupis nomen idcirco fuit inditum, quod ii, qui eum, Principum delectu ad Imperium capessendum accersirent, offenderint simpliciter avibus tendentem insidias. Nec facto tam humili divinæ providentiæ mysterium defuit : siquidem is paulo post avium omnium cepit Reginam, Romanam puto Aquilam : ipsumque Romanum Imperium, magna tum sua ipsius, tum filii Ottonis Primi virtute, ad perpetuam Germanorum gloriam vendicavit.

B — *Dresda,* — *Mons S. Annæ. e* — *Henricus Auceps* — *C* — *Imperio dignus,*

3 Licet autem Italici quidam scriptores egregium hunc Aucupem nostrum inter Imperatores non recenseant (eo quod Italiam non fuerit ingressus, coronamque Pontificis manibus de more imponendam non susceperit) si tamen quis causas secum pensitaverit, quibus ille motus utrumque posthabuit, facile patebit, injuste nimis eas ob res, virum omni Imperatoria virtute præditum, solo Imperatoris privari nomine. Nam quod in Italiam non fuerit profectus, his eum verbis Francorum excusat historia, dicens ; quod in tantum Dei cultum, defensionem inopum ac viduarum, nec non servandæ pacis disciplinam, omni seculari dignitati prætulerit, ut nullam circa tyrannos ab Italia fugandos (qui quasi mercenarii conductitiique, alter alteri succedentes, laniabant Imperium) operam dare posset. Coronam autem, etiam ultro oblatam, capiti suo imponere abjuravit ; indignum ratus inde gloriam aucupari, unde Christus Rex suus fuisset illusus. Quod si in Germano damnant Itali : cur non itidem in suo Tito ? quem cum gentes finitimæ ob victoriam Judaicam coronare vellent, tali honore (ut scribit Philostratus) indignum se esse respondit. Non enim seipsum talium operum fuisse auctorem : sed Deo, iracundiam suam contra Judæos demonstranti, suas præbuisse manus. Quem Apollonius ille Tyanæus vehementer inde commendans, virum ingenio et modestia abundantem esse, testatus est. Sicut igitur nec Tito obfuit hoc ejus modestiæ exemplum, quo minus Imperator haberetur ; ita nec Henrico nostro obstare poterit, quin Imperatorum Albo dignissime veniat adsciscendus.

non tamen coronatur — *D*

4 Ejus igitur Imperii anno decimo, humanæ salutis DCCCCXXX, dum Albis ripam contra barbarorum insultus communiendo oberraret ; captus saltibus et amœnitate montis istius, quem adhuc Misna occupat, urbem ibidem felicibus ædificare cœpit auspiciis. Cui a Rivulo Missin, qui ad pedem montis ab Aquilone profluit, nomen imponens, tutum eam deinceps habuit contra hostes præsidium ; eo quod mons ille ex altera parte Albim fluvium haberet permaximum, ex altera vero duobus aliis montibus totidemque convallibus, veluti fossis quibusdam, natura esset munitus. Est autem urbis Misnæ idem fere, qui et totius patriæ situs. Orientem enim Albis fluvius excipit, Meridiem Bohemia, septentrionem Saxonia vendicat, Occidens vero Thuringos respicit. Hæc igitur urbis Misnæ origo, hic situs est. Conditor ipsius, anno dehinc tertio cum Hungaris, tunc Paganis, Saxoniam populantibus, bello congressus apud Merseborg Thuringorum, memorabili eos clade fudit ; et tributum, quod illis hucusque pendi solitum erat, in pauperes ac pios Ecclesiarum usus elargitus est. Centum millia *f* Hungarorum eo bello desiderati sunt, plures ducti captivi, plurimi fuga elapsi. Imperator post tam insignem victoriam, secum animo conceperat, in urbe Misnensi, cujus tempore Hungarici belli opportune usus fuerat, Pontificalem statuere Sedem : verum post multa virtutis documenta immatura morte *g* peremptus est, et negotium filio suo Ottoni, cognomento Magno, perficiundum reliquit.

Misnam construit anno 930 — *E* — *triennio post victor de Hungaris.* — *f* — *g*

5 Hic, ut vir erat omni pietate conspicuus, divinique cultus observantissimus, patris mandata haud segniter implens, Cathedralem, quæ adhuc extat, ponere cœpit Ecclesiam Deo Opt. Max. Divo Johanni Apostolo, *h* et Donato Episcopo ac Christi Martyri dicandam (cui terminos posuit *i* fontem Oderæ fluminis : ab eoque recta via usque ad *k* caput Albis, et dehinc ad Occidentalem plagam, ubi confinium est duarum regionum, Bohemiæ videlicet ac *l* Nisicensis ; indeque per silvam Occidentem versus usque ad *m* os Muldæ, et sic deorsum per utramque Muldæ ripam, donec is rursus se in Albim exonerat, horumque locorum homines et eorum fortunas, cum omni emolumento terræ, frugum, pecudum, omnibusque divitiis ac bonis, tam præsentibus quam futuris, auctoritate et sub diplomate *n* Joannis XIII Summi Pontificis dictæ Ecclesiæ Misnensi donavit ac consecravit. Qua tanta Imperatoris liberalitate motus idem Pontifex, ut liberaliter et ipse erga eum ageret, pulcherrimum novæ Ecclesiæ Misnensi privilegium tradidit : ut videlicet a primæva sui origine libera, nulli in perpetuum subesset sive Metropolitano, aut cuiquam quovis titulo vel honore prædito, nisi ipsi et successoribus suis Romanis Pontificibus.

Ecclesiam Cathedralem fundat Otto I — *h* — *i* — *k* — *l* — *m* — *n* — *soli Pontifici subjectam.*

6 Ecclesiæ hoc modo constitutæ Imperator *o* Burckhardum quemdam, primum destinavit Episcopum, virum venerabilem et multa religione insignem, a Joanne prædicto simul cum Episcopio ipso confirmatus, Collegium instituit Canonicorum et Sacerdotum

o — *Sub Burckhardo primo Episcopo.*

Canonici simul in communi degunt,

Sacerdotum Christi: qui instar temporum suorum, primo omnia habere communia, simulque una vesci mensa, et in uno condormire loco, Canonicas horas et divina omnia pariter et cum multa celebrare dignitate ac reverentia; neque in choro, neque extra chorum aliud agere, quam vel orare, vel supinis in cœlum rapi oculis ac manibus, nulla data in eodem loco (quæ multorum consuetudo est) confabulandi licentia: qui mos in hodiernum usque diem in Ecclesia Misnensi pie sancteque adservatur. Ubi enim Sacerdotes nulla ad chorum necessitate adstringuntur, in abditissimos angulos sese penetrant; et secretiora quæque templi loca petentes, aut genu flexo, aut toto prostrati corpore proni adorant. Idem etiam Burckhardus, vehementer desiderans Clerum Ecclesiæ suæ, sicuti morum vitæque honestate, ita habitu quoque a ceteris discerni, primus pallio nigro, linea veste super injecta, illos uti docuit: quo quidem amictu hodie etiam incedunt, non tamen nisi statis anni temporibus, et præcipue esurialibus Quadragesimæ feriis. Pari cura et solicitudine subsecuti Burckhardum Antistites, in primis tamen *p* Heico, Gerundus, Bruno secundus, Witigo, et is a quo cœpimus Benno: omnes equidem sanctitate vitæ spectabiles, omnem ecclesiasticam disciplinam ac honestatem ibibem plantaverunt, et ad posteros transmiserunt.

pallio nigro et linea veste induti.

7 Licet autem interjecto tempore, communis Cleri Misnensis vita, in propriam ac privatam sensim abierit: ex pristina tamen illa divini cultus æmulatione et observantia non solum nihil remissum est, verum etiam semper magis crevit in eo loco religio. Argumento cujus est, quod sicut veteris Cleri Misnensis devotione ac vitæ sanctimonia capti olim Imperatores Henrici, secundus, tertius, ac item quartus, Ecclesiæ Misnensi ultra Ottonum munificentiam, castella donarunt *q* Wutrze, Buche, Bock, Gedau, Breszuitz, et alia non parum multa; ita etiam incliti Misnæ Principes, non cessante antiqua Cleri consuetudine, non cessarunt et ipsi, antiquorum Imperatorum vestigia sectando, ecclesiam Misnensem in hodiernam usque diem semper magis ac magis ornare, variis structuris, altaribus, sacellis, ac eorum ministris, et donariis ex auro et argento, gemmis et aliis pretiosis rebus ac muneribus. Templum enim, duplo quam olim fuerat augustius, eorum opera et impensa ædificatum est: junctumque in fine sacellum, ubi mausoleum, et communis eorum sepultura: in quo etiam veteres pendent exuviæ, et rapta ex hoste trophæa.

Accessit Imperatorum et Principum Misnæ liberalitas; atque Capella Principum,

8 Nec omittendum hoc in loco, quando de incremento agimus religionis et divini cultus Ecclesiæ nostræ Misnensis, quod, cum olim certis ac statis solummodo horis divina in ea legerentur officia, hodie nulla hora, nullum tempus sive diurnum sive nocturnum, neque aliquod diei aut noctis spatium a cantu et Divorum vacat hymnis ac laudibus. In quo quidem Ecclesia Misnensis omnibus non solum Germaniæ, verum etiam urbis Romæ basilicis et sacris ædibus magnifice prælata est: solique ex omnibus terrenis fanis ac delubris cœlestem illum ac supra mundanum Angelorum concentum æmulatur ac repræsentat, ubi pariter sine intermissione dulces resonare sonos, sacra nostra Theologia testante didicimus. Ne vero cui mirum videatur, quonam tenore id fieri queat; omnem tam tenacis cultus ordinem hic opportune subjiciendum duximus, modo facessant nasutuli illi critici et Latinæ linguæ pensiculatores ac momi: quoniam res ista non Tullianis Gellianisve verborum lenociniis, sed ecclesiasticis nominibus nobis agenda erit, ne dum figuris circumlocutionibusque laboremus, obscurior interim fiat intentio nostra.

9 Principio igitur, ut diem Atheniensium more a meridie exordiamur, ubi jam duodecima meridiantis diei hora insonuit, Scholastici quidem pueri minores præcinunt Vigilias: sic enim hodie vocantur preces ac hymni isti, quas pro defunctis manibus Deo offerimus. Quibus exactis, illico adsunt constituti ad hoc Flamines octo, quos Principum Capellanos vocant: quia in eorum sacello primo etiam Vigilias, inde Vesperas ac Completorium canunt Dei Matris. His in secundam usque fere horam (minoris enim solarii computum *r* hic sequimur) protractis, Canonici et universus Clerus, suas etiam sine mora Vigilias (ubi dies postulat mox pensum legitimum, Vespertinam videlicet synaxim ac Completorium pro tempore absolvunt. Succedit his e vestigio alia quædam psallentium secta, (Grabatos vulgo nuncupant, eo quod juxta grabatum sive sepulcrum Principum consideant) qui et ipsi Vigilias primo, dehinc Vesperas etiam ac Completorium alternis diebus, modo de passione Christi, modo de Compassione Virginis Matris, tertio quoque die historiam Transfigurationis decantant. Et hi quidem eorum pensum usque in secundam aut tertiam noctis vigiliam producunt. Illis abeuntibus superveniunt Octaviani, sic dicti, quia ab octava noctis hora inchoantes, reliquum tempus ad intempestam usque noctem psallendo continuant. Horum laborem major item chorus excipiens, matutinale obsequium, medio noctis silentio, canore peragit. Interim alius paratur Grabatorum ordo: qui horas suas, secundum quod vesperi orsus est, persequitur. His rursum subeunt Principum Capellani, (ut eorum utar vocabulis) Matutinas ac reliquas magnæ Deiparæ horas, tum primam de ea Missam (est id summum Christiani sacrificii genus) et item alteram pro mortuis ordine suo quotidie celebrantes. Quibus expeditis, pueri illi scholastici in choro majori, sicuti sero Vigilias, ita mane etiam mortuorum sacra facientem cantillando adjuvant. Ubi dies illuxit, Primæ ac reliquæ divinorum Horæ, ut tempus exigit, concinne etiam aguntur. Et ante summum Sacrificium, ut plurimum duæ tresve Missæ solenniter antecedunt, glorioso Christi Corpori, aut victrici ipsius Cruci, seu Divis tutelaribus (quos Patronos vocant) destinatæ. Sacris omnibus litatis, reliquum tempus usque in duodecimam denuo meridiantis diei horam psalmorum carmine sine cessatione perficitur. Eodem momento, negotium eadem serie assiduis iteratur vicibus, damnato in perpetuum silentio.

A. HIER. EMSER. ac diu noctuque, perpetuus cantus:

10 Opus hoc tam præclarum *s* Ernesti et *t* Alberti fuit Principum, Saxoniæ Ducum et Misnæ Marchionum etc. Hi duo fratres clarissimi, germana devotione ac pietate, tam gratum cœlo obsequium meditati, communi ære et impensa, ministris horatim variantibus perpetua fundaverunt stipendia: digni ob hoc, ut qui sua tam hilariter Deo contulerunt, mercedem ab eo recipiant æternæ retributionis. Siquidem in hoc veterum Germanorum Principum, antiquum erga Superos zelum, quasi jam abolitum revocantes, filiis etiam suis ac nepotibus exempla reliquerunt divini cultus semper magis ac magis propagandi. Fuit eorum alter Ernestus scilicet, Romani Imperii Elector, cui Romæ olim a Sixto quarto aurea donata Rosa est: quam ille Ecclesiæ Misnensi rediens pro munere dedit, ubi inter sacras templi reliquias, quæ ibidem plurimæ habentur, et quidem pretiosissimæ, digne custoditur. Alter vero Albertus, ejusdem Imperii in Frederico III, tunc fere collapsi restaurator ac propugnator fidelissimus, nil habuit antiquius, quam idem Imperium Romanum, veterum Germanorum virtute nobis partum, totis tueri viribus, ac ab omni externa vendicare injuria: pro quo neque rebus suis, neque proprio

fundatis a duobus fratribus Ducibus Erneste Electore et Alberto

A Hier. Emser. qui Frisios Romano subdit Imperio.

A proprio pepercit sanguini. Primus hic Frisios et sibi et Romano subjugavit Imperio : cui etiam Innocentius VIII, in partibus inferioris Germaniæ tunc belligeranti, Rosam, ex solido auro conflatam ultro transmisit in testimonium virtutis et rerum bene gestarum : misit et epistolam, in qua eum dexteram Imperii manum appellitans, laudibus in cœlum usque extulit. Principis istius tam in pace quam in bello virtutem ac gloriam hic enarrare, neque facultatis nostræ est, neque præsentis instituti.

Corpus S. Bennonis ibidem miraculis claruit.

11 Ad Ecclesiam igitur Misnensem nobis redeundum est : in cujus meditullio corpus ejus, de quo agitur, venerandi scilicet Patris Bennonis, omni auro ac gemmis pretiosius, honorifice depositum supra quadringintos modo annos, crebris in Christo virtutibus ac miraculis coruscat : id quod pensiles illic tabellæ votivaque munera affatim ostentant. Cujus nos vitam, et exantlatos pro Christo labores, conversamque ab eo magna ex parte Sclavorum gentem et miracula tot retro seculis in hunc usque diem continuata, ad honorem summi Dei conscri- B pturi, feliciter aggrediamur.

ANNOTATA G. H.

a Albis *Germaniæ terminus, ob Sclavos, qui potissimum ultra Albim degebant ; quamvis et hi citra, et Germani alibi ultra Albim degerent. Huic in Misnia adjacent* Dresda, Misna *et* Turgovia.

b Mulda, *alius a Muldava, qui perluit Pragam, ac dein in Albim in Bohemia illabitur : hic autem Mulda alluit Friburgum, Vurzenam, et in Anhaltino Principatu se exonerat in Albim.*

c Tscheppen, *oppido et arci Misniæ,* Scopæ *seu* Tschopaugiæ *nomen dedit.*

d Elestra *fluens circa civitates Misniæ Aldenburgum, Geram, Lipsiam, transit Hallam et Comitatum Mansfeldicum, ac dein in Albim devolvitur.*

e Sant-Anneberg *anno* 1500 *a Georgio Duce Saxoniæ cœpta construi, et anno* 1503 *muris cingi.*

f *Hermannus Contractus Hungaros ab eo anno regni* 14 *interfectos asserit.*

g *Imo anno ætatis* 60, *mortuus est* 2 *Julii, anno* 936, *successitque ei filius Otto* 2, *postea Imperator.*

h *Hic videtur* S. Donatus Episcopus Aretinus, *ac celebris sub Juliano apostata Martyr, qui colitur* 7 *Augusti, etiam in Breviariis antiquis Saxonicis, sed* C *Misnense nobis deest. Infra in miraculis num* 1 *dicitur, ibidem coli ut* numen tutelare, *et* cranium *ibidem fuisse asseritur in Historia Translationis.*

i *In confiniis Silesiæ et Moraviæ : in hac oppidum Odera est, nec procul inde* fons Oderæ.

k Caput Albis *seu fons hujus est in septemtrionali Bohemia haud procul a Silesia ut hujus præcipua pars censeatur ejus Episcopatui tunc inclusa.*

l Nisicensis *a Ducatu Nissensi provincia Silesiæ dicta, tunc forte major districtus Silesiæ.*

m Os Muldæ *in Moravia, haud procul a Bohemia et Albi fluvio.*

n Joannes 13 *præfuit Ecclesiæ ab anno* 965 *ad annum* 972, *post quem anno sequenti mortuus est Otto primus.*

o Burchardus *anno* 970 *ab Adalberto, tunc Magdeburgensi Archiepiscopo constituto, ordinatus est Misnensis ; uti Boso Monachus, primus Merseburgensis ; et Hugo primus Citensis, Ita* [illegible] *S. nostrum Chronicon Saxoniæ.*

p *Ex his* Heico *tertius habetur Episcopus,* Gerundus *sive* Gerungus XVII, Bruno secundus XX, Witigo XXIV, *adeoque hi tres diu post S. Bennonem sederunt.*

q Heico *dicitur adjunxisse* oppida Vurzam, Bickam, Bucham, et Lubbentzam.

D r Minus Solarium *intelligo, quo in bis duodecim horas dividitur dies naturalis, a media in mediam notem ductus ; quem modum, Astrologis ideo probatum, quia ab invariabili semperque similiter recurrente puncto temporis initium ducit, tota sequitur Europa, solis Italis exceptis : qui cum horis Ecclesiasticis a solis ortu antea uterentur, aliquo medii ævi seculo (nescio quo primum auctore) instituerunt horas viginti quatuor a solis semper vario occasu numerandas ; et diurnas tamen actiones omnes a solis ortu auspicandas, necesse habent, horam mane surgendi, identidem aliam aliamque nominare ; horologiorumque rotatorum cursum accelerare vel retardare, prout sol citius seriusve oritur ; ut de solaribus taceam, quorum conficiendorum perplexior etiam ipsis ratio est. Rogatus aliquando Cardinalis Bellarminus, qui diu in Belgio vixerat, utrum Horologium Cismontanum an Transmontanum præferret ; argute respondit ; Non posse sibi non probum videri id in quod conspirent duæ, in omnibus fere rebus invicem sibi contrariæ nationes, Hispani ac Franci.*

r Ernestus *obiit anno* 1486 *avus Joannis Frederici, a Carolo* V *Electoratus dignitate privati.*

t Albertus *avus Mauritii, a Carolo* V *Electoris sub-* E *rogati, et Augusti Electoris, a quo hodierni Electores Saxones procedunt.*

VETUS DIVISIO.

I*ndicem Capitum. Vitæ præmissum omisit Surius : grave enim ei non erat singulis relinquere titulos, quos sigillatim inveniebat notatos ; nobis quia id commodum non est, longiora Capita facturis more jam recepto. Ipsos hic conjunctim accipe, cum numeris in nostra divisione cuique eorum responsuris.*

XXIII

CAPUT I.

S. Bennonis ortus, educatio, studia.

Cap. I Hildeshemii natus a

Inter claras Saxoniæ civitates ea, quæ nunc vulgo *a* Hildesheim, olim Bennopolis dicta est, a Bennone quodam (ut aiunt) conditore Frisio: hinc divo Bennoni nostro nomen, hinc Bennopolitano cognomen est. In ea enim urbe a teneris annis educatus, et sacra veste indutus, in eum crevit virum, qualem Deo propitio perscripturi sumus. Pater ipsius Comes *b* fuit Saxoniæ, non longe a Goslaria *c* habitans: mater vero Bezela, quasi bene zelans seu bonus *d* zelus dicta est. Hi ambo cum voluntatem facerent Altissimi, et in lege Dei sui fideles persisterent, duos illis Dominus dedit filios; Christophorum, qui patri in Comitatu postea successit, et Bennonem hunc nostrum, qui abdicato (ut dicemus) seculo, Christi quam mundi hujus Comes esse maluit. Horum autem duorum fratrum mentionem faciunt litteræ Henrici IV quæ habentur Goslariæ in monte S. Petri, confirmatæ postea per Adolphum Regem his verbis. Henricus divina favente clementia Rex: Omnibus Christi nostrique fidelibus, tam futuris quam præsentibus, notum esse volumus, qualiter nos, ob interventum et petitionem dilectæ genitricis nostræ Agnetis Imperatricis Augustæ, quoddam prædium, quod fuerat Christophori Comitis, suique fratris Bennonis nostri Capellani, in villa Partanıles, in pago Northdoringen, altare S. Petri, quod est in orientali plaga villæ Goslariensis, in monte quæ dicitur Mons S. Petri, etc. in proprium tradidimus, condonavimus etc. Data tertio die Martii, anno Dominicæ Incarnationis MLXII, anno vero ordinationis nostræ octavo, regni sexto, vitæ duodecimo. Hæc ibidem fideliter excerpta sunt. Quod autem Benno noster eisdem litteris Capellanus dicitur regius, causa est, quia eo tempore Canonicus fuit Goslariensis Ecclesiæ, quæ et ipsa Capella tunc regia, et Canonici ipsius omnes pro regiis Capellanis (ut eorum utar vocabulis) habiti et nominati sunt. Id quod infra suo loco planius enarrabimus. Hæc autem idcirco hic prælibanda duxi ut nullam lectori scrupulum, in ipso præsertim historiæ vestibulo, relinquerem; simulque tam claros Divi Bennonis natales, multis hactenus ob vetustatem temporum incognitos, in lucem aliquando ederem. Ceterum priusquam ulterius progrediar, haud absurdum erit nominis ipsius rationem exponere: et quot eo nomine viri fuerint illustres, paucis saltem attingere.

patre Comite Saxoniæ, b c d

cum fratre Christophoro

noto in litteris Henrici IV an. 1062

13 Benno veteri Sclavorum lingua idem esse dicitur, quod Latine *e* Benedictus. Floruerunt autem hoc nomine viri non incelebres; unus quidem Episcopus *f* Osnaburgensis, ob vitæ meritum in Sanctorum numerum relatus; alter Oldenburgensis *g* Antistes, vir opere et sermone potens, qui a Sclavis infidelibus Sede pulsus, ad B. Bernwardum *h* Episcopum tunc Bennopolitanum exul et profugus divertit; a quo benigne susceptus et hospitio dignatus, tandem in consecratione monasterii S. Michaelis, quod idem B. Bernwardus sua pecunia in parte septemtrionali civitatis Hildesheimensis a fundo extruxerat, pressura populi exanimatus, in eodem loco sepultus est, non sine opinione etiam sanctitatis: Episcopatum ejus tractu temporis ad Lubecam *i* civitatem maritimam translatum est. Tertius Trajectensis *k* Ecclesiæ Præsul extitit, publicis Principum conventibus et gravioribus regni negotiis ab Henrico *l* IV propter singularem ejus industriam frequenter adhibitus. Quartus Dux fuit *m* Saxoniæ, tempore Ottonis II, optimus quidem Princeps, et ecclesiarum strenuus defensor, præcipue contra Sclavos fidem nostram tunc passim oppugnantes: alios item fuisse *n* Bennones præter eos quos memoravimus, satis constat: nostri tamen incepti non est singulorum nomenclaturam hic ponere, quibus tot fuisse insignes abunde sufficiat.

Ex Vet. Impr. — Benno dictus, e f g h — nomine multis viris claris communi in Duce Saxoniæ, i k l m n

14 Quia in Sclavorum mentionem incidimus, scitu dignum est, eam gentem (sive ex Scythia olim, ut sentire videtur Sabellicus, sive aliunde digressam) non solum Illyricum, Histriam et Dalmatiam, verum etiam Septentrionem versus, magnam Saxoniæ partem, et omnem fere citeriorem Aquilonaris Oceani oram, ab Albi flumine usque ad mare Balthicum, armis sibi vendicasse. Quorum qui Nardavingi *o* dicti sunt, Thetmarciam, Sturmariam, Ducatum Holsatiensem, et Hamburgam civitatem maritimam quondam occuparunt: Runi, qui et Rugiani, Lubecam, *p* Sunden, Wismariam et finitimas urbes: post quos Pomerani et *q* Obotriti, qui tunc Magnopolenses *r* Brizani et Stoderani, nunc Havelburgenses et Brandenburgenses, suas singuli posuerunt sedes. Qui deinde trans Albim Nisici ac Lutici, (quos Lusatios hodie vocamus) citra Albim vero usque ad Salam Thuringorum fluvium, Sorabi appellati sunt: omnia enim ea loca Sclavi olim sibi usurpaverant. Sed et Bohemos ipsos et Polonos advenititios ac origine fuisse Sclavos, Aeneas Sylvius, non contemnendæ inter historicos fidei, auctor est. Quæ idcirco huic operi nostro inserenda putavimus, quoniam cum in omnibus his Christo convertendis non pauci olim sanctissimi viri, Episcopi, Presbyteri ac Monachi aliis aliis in locis desudaverint, donec gelidum hoc Aquilonis frigus calore verbi Dei fuerit resolutum; præcipue tamen noster hic Benno pro eis qui utramque Albis ripam in dioeces. sua circumsederant ab errore suo revocandis, sedulam navavit operam; eorumque plurimos crebris suis sermonibus ac signis ad fidem convertit, quemadmodum suo loco dilucide comprobabimus. Nec fugit me, ob hanc ipsam forte causam Divum Bennonem a multis hucusque Sclavum fuisse creditum: verum falsam hanc vulgi opinionem infra etiam diluam. Modo cœptam prosequamur historiam.

Sclavorum postea Apostolus, o p q r

15 Editus in hanc lucem Benno noster humanæ salutis anno MX. cum annum ætatis ageret quintum, puerulus adhuc, traditus est in obsequium præfati S. Bernwardi, Bennopolitani Episcopi: qui etiam ipse ex illustri Comitum sanguine procreatus, Bennonis nostri consanguineus fuit et affinis. Quamobrem memor illius, quod scriptum est, Initium sapientiæ timor Domini, puerum ei traditum primum omnium timere fecit Deum: eique litterario mox studio

a S. Bernwardo Episcopo pie ac docte educatus.

EX VET. IMPR. Psal. 110.

studio eruderando, præceptorem dedit Wigerum, Præpositum monasterii sui S. Michaelis, virum moribus ac litteris apprime decoratum Sub cujus disciplina brevi tantum profecit, ut optima puer indole ingentem de se spem polliceretur. Nam ut ætas illa erudita fuit, et humana colebat studia (id quod ex pluribus ejus temporis viris disertissimis et eorum monumentis videre licet) ita Wigerus noster puerum sibi commissum non passus est a politioribus abhorrere studiis : primoque in ducendis formandisque litterarum apicibus antiquis, et his quæ hodie per Venetos impressores in usum *s* revocatæ sunt eum luculenter instituit : quemadmodum litteræ manu sua conscriptæ, et apud ecclesiam suam Misnensem in hodiernum usque diem servatæ, facile arguunt : deinde carminibus etiam eum exercuit, non tamen nisi divinis et omni verborum obscœnitate carentibus. Nec difficili puer Minerva, versu jam ludere et hymnos componere didicerat. Quare cum omnes, tum maxime Patronum suum S. Bernwardum sibi plurimum devinxerat, eratque tam cœlo, quam hominibus gratissimus.

S. Bernwardo ægroquinquennis subvenit:

16 Sanctus vero Episcopus Bernwardus, extrema jam vitæ senecta febribus correptus, adeo pertinaciter ægrotare cœpit, ut toto decubaret quinquennio. Quo tempore unico illi solatio erat puer Benno, modo poetando, modo legendo, modo disputando, Imprimis autem pergratum illi erat diligentissimum pueri obsequium, qui nec momento quidam a sene abiit. Cum vero jam finis instaret beatissimi Patris Bernwardi, vocato puero una cum Wigero pædagogo suo, oratione ad eum usus est hujuscemodi : Vides, mi fili, assidua me febre confectum, et sinistram hanc corporis valetudinem, et quidquid adversi fuit, ad finem usque constanter pertulisse : neque enim ad Deum redire possumus, nisi tribulationum et adversitatis camino decocti. Quod si eos etiam, qui recte vixerint, conturbationes et dolores circumveniunt ; quanto magis justo Dei judicio istos, qui absque ullo Dei timore veluti pecora degunt, et hic infelicitas occupat, et in futurum miseria. Quare si sapis, aut si per ætatem sapere ipse nondum potes, saltem nostris acquiesce monitis ; atque hunc mundum, ærumnis et anxietatibus repletum ; dolo, fraude, mendaciis, insidiis ac laqueis refertum ; sanguine, scelere et iniquitatibus pollutum ceu pestem aliquam contagiosam ac virulentam fuge, execrare, ac despice, Deoque soli adhære. Quod ut facilius possis consequi, et ætas tua, adhuc cerea in vitium flecti, nulla malorum hominum tabe depravetur ; ab hujus præceptoris tui latere posthac nusquam discede : eique, si me amas, in omnibus patris loco obtemperes. His dictis, manum pueri deosculatus, Wigero Præposito eum iterum atque iterum commendavit. Ipse vero rebus suis omnibus dispositis, plenus dierum, dives bonorum operum, et securus paratæ sibi æthereæ mansionis, clausis subito oculis migravit ad Dominum, sepultus in monasterio suo *t* S. Michaelis, ubi et miraculis claret.

ab eo moriente commendatur Wiggero:

17 Vix dici queat, quanto beati hujus viri transitus cum civium suorum omnium, tum Divi Bennonis nostri animum mœrore ac luctu confecerit, non quia gloriam illi inviderent, ad quam invitatus abierat ; sed quia præ nimio ipsius amore, aut ipsum adhuc vivere, aut cum eo diem obiisse mallent extremum. Cum autem Wigerus (cui tutela pueri commissa fuerat) animadverteret eum od immodicum animi dolorem, quem frequentes prodebant gemitus ac lacrymæ, nimium macerari et contabescere ; cœpit blandis ipsum verbis modo consolarii, modo castigare, et effrænes juvenilis animi impetus senili gravitatis fræno cohibere ; asserens, communem hanc omnibus esse fati necessitatem, quam neque Christus (cum solus posset) evitare voluerit ; nec flendam esse muliebriter consanguinei sui mortem, quam ipse tam constanter atque æquanimiter tulerit ; præcipue cum tot in Christo virtutibus ac miraculis clarus, evidens suæ beatitudinis signum post se reliquerit. Addebat homo admodum disertus nil aliud esse mortem quam finem malorum hujus seculi, et initium vitæ melioris : cujus rei gratia Gaditanos olim templum morti et aram consecrasse, divinosque exhibuisse honores, tamquam communi quieti et miseriarum omnium portui. Quibus verbis placatus Benno, et dolori suo aliquantisper moderatus est, et ex eo tempore vanam mortalium sortem perosus, apud se firmiter decrevit, ubi primum per parentes sibi liceret, sacrum suscipere habitum ; et in eodem monasterio, quantulumcumque vitæ spatium fata concederent, Deo serviendo traducere, saluberrimo profecto vitæ instituto.

quo agente obitum illius fert moderatius;

conditque Epitaphium.

18 Epitaphion quoque tractu temporis condidit idem Benno beato viro Bernwardo, ut habetur adhuc hodie in eodem monasterio, et Fratres ipsius contestantur, hoc tenore :

Hac tumuli fossa clauduntur Præsulis ossa,
 Bernwardi miri magnificique viri.
Qui patriæ stemma, radians velut inclita gemma,
 Acceptus Domino, complacuit populo.
Nam fuit Ecclesiæ condignus Episcopus ille,
 Quem Deus Emmanuel diligat et Michael.
Tandem bissenis undeno mense Kalendis,
 Felix hanc vitam, mutat in Angelicam.

Ex quibus quidem versiculis satis apparet, nec artis metricæ eum fuisse ignarum, nec tamen fucati carminis affectatorem, sed tenui ac simplici stylo contentum.

29 Quod si delicatis auribus et rhinocerotis nasum habentibus, ridendus forte videbitur versiculus ille : Quem Deus Emmanuel diligat et Michael (ceteri enim satis belle habent) meminerint velim, beatum virum Bernwardum divo Michaeli singulariter fuisse devotum, et ob hoc monasterium, sua impensa constructum, ejus dicasse nomini, et ibidem voluisse quiescere. Quo bene ponderato constat, prædictum versiculum Divo Bennoni nostro non ita temere excidisse, ut prima fortassis fronte videri poterat. Sed hæc missa faciamus, quoniam qui intus divino aguntur spiritu, exteriorem verborum corticem flocci faciunt, et concinnam magis diligunt vitam quam orationem. Obiit autem sanctus Bernwardus anno salutis MXXII, quo tempore rigidissima fuit Bennopoli scholastica puerorum disciplina, quibus (ut in Annalibus eorum legitur) non solum choro, mensæ, aut dormitorio deesse, verum etiam tardius adesse, piaculum erat. Scripturam quoque quotidie Decano præsentare, et ipsos Psalmos reddere cogebantur : nec timidius in claustro, quam in scholis manum ferulæ subducere videbantur. Talibus igitur frænis Benno noster cohibitus, adolescentiæ etiam lubricum, quibus fere omnes labimur, fortiter calcavit.

Adolescit sub disciplinæ scholasticæ rigore.

ANNOTATA G. H.

a Hildesia *seu* Hildesheim *urbs hactenus Episcopalis, perstitit fere sola in Catholica religione in Saxonia inferiore inserta Ducatui Brunsuicensi.*

b Fridericus Bultenburgensis *et alibi* Bultenburgi Comes *appellatur pater, in Bulla Adriani Papæ ; et in epistola ad Leonem X Papam.*

c Goslaria *urbs Imperialis in eodem Ducatu Brunswicensi, quinque leucis Germanicis Hildesia dissita versus Eurum ad Hercyniam silvam, Bultenburgo vicina.*

d

A

d *Hujusmodi ad Latinam linguam allusiones seculis superioribus gratissimæ, merito nunc exploduntur a Saxonicæ veteris peritis, scientibus ab hac sola sperandas veras nominum Saxonicorum rationes.*

e *Teutonibus passim omnibus commune fuit truncare nomina longiora, non solum patria, sed etiam extera; eaque per* o *terminare : sic etiam Francis* Benedictus *redditur* Benoit. *Aliquando etiam* Benno *idem est quod* Berno *et sic diminutivum foret a* Bernardo, Bernulfo, *etc.*

f *Hujus* Bennonis *habetur mentio apud Krantzium lib.* 5 *Metropolis, ubi dicitur mortuus* 22 *Julii, idemque in Catalogo Episcoporum apud Blavium, in descriptione Episcopatus Osnabrugensis* Beatus *appellatur : at cultum non videtur habere, aut habuisse : nomen certe non invenitur in kalendariis istius ecclesiæ ante Breviaria cusis : sed iis mos est ponere solum celebriores.*

g *Hic* Benno, *a Krantzio lib.* 3 *Metropolis cap.* 51 *habetur* vir egregius, prudens, et magnæ sanctitatis cum industria, *laudaturque ab Helmodo lib.* 1 *Chronici Slavorum cap.* 17 *et* 18.

h S. Bernwardus *colitur sub ritu duplici in Ecclesia Hildesiensi* 20 *Novembris.*

B

i Lubeca *sub Conrado III primum muris cincta, Episcopalis facta dicitur an.* 1162.

k Benno *hic, aliis* Bernulphus *aut potius* Bernoldus 20 *Ultrajectinus Episcopus ordinatus anno* 1027, *mortuus* 1054, 19 *Julii, ut constat ex Epitaphio nostra memoria retecto, sub quo corpus ejus ad hæreticorum stuporem repertum incorruptum sacerdotaliterque vestitum cum calice; ex quo multi deinde pie bibentes sanitatem a febribus obtinuerunt, et alia quædam illustria miracula secuta feruntur.*

l *Imo* Henrici III *sub quo Benno sive Bernulphus vita functus.*

m *Hujus* Ducis Bennonis *meminit Helmoldus, asserens anno Ottonis primi* XI, *Christi* 971 *ducem factum et mortuum anno* X *S. Henrici Imp. Christi* 1011; *item Adamus Bremensis cap.* 85, *asseritque obiisse anno* 22 *Archiepiscopatus B. Libentii quæ et nos ad Vitam B. Libentii* 4 *Januarii num.* 13 *inde retulimus.*

n *Inter hos possunt censeri* Benno Episcopus Merensis, *et* Benno Episcopus Mechlenbugensis, *qui Sedem Suerinum transtulit.*

o Nordalbingi *Helmoldo lib.* 1 *cap.* 47, eorumque populi Sturmarii, Holzati, Thetmarzi.

p Stralsundiæ *nomine magis notum.*

q Obotritorum *Rex fuit S. Canutus Martyr, cujus*

C

Acta varia illustravimus 7 *Januarii, ubi et de his Slavis egimus. qui in Vita priori aliisque non nullis vocantur* Wandali : *quia in eas, unde ipsi olim excessere, terras successerunt.*

r Brizani, *circa Britzen, oppidum Marchiæ mediæ, ad Oderam et mare Balthicum sitas occuparunt.*

s *Latina seu Romanas litteras intelligit, quarum æque ac Græcarum typos, ante annum* 500, *primus Venetiis fabricandos instituit Aldus Manutius; cum ante solæ in usu typographorum essent Teutonicæ, quales primi artis inventores Moguntiæ et Harlemi formare docuerant.*

t *Ecclesia S. Michaelis, teste Meriano, una est ex iis sex, quas Augustanæ Confessionis Professoribus cedere coacti Catholici sunt.*

CAPUT II.

Monachus Hildesiæ : Canonicatus Goslariæ, Episcopatus Misnæ.

Magnæ spei adolescens Benno, et tam corporis quam animi dotibus amabilis, præceptoris sui monita, contra ejus ætatis morem ac consuetudinem, tum libenter audiebat, tum alacriter amplexabatur. Cumque jam sub ejus jugo ac disciplina ad pubescentes pervenisset annos, nulla unquam levitate notatus, nec alio quam communi Fratrum cibo usus, nec minori quam illi inedia ac labore fatigatus, ad omnem Christi militiam diligenter a magistro suo exercebatur. Nec gravis juveni hæc virtutis palæstra : quin lætabatur magis, ubi intelligeret senioribus etiam abstinentiæ ac tolerantiæ se esse exemplo. Sed nec amicorum dehortantium, et multis eum præclarisque conditionibus ad seculum invitantium, verbis blandiloquis, aut ulla suadendi arte ejus animus immutari poterat. Solidatus jam erat supra firmam petram : neque animo exciderat sana B. Bernwardi doctrina et ultimum vale. Accidit autem ut eodem tempore genitor ipsius, qui eum propagandæ stirpis gratia vehementius ad seculum invitaverat, ex humanis decederet; et ipse patria potestate solutus facile se speraret apud matrem, quam devotam ac religiosam noverat, intrandæ Religionis veniam consecuturum. Nec votis ipsius obstitit pia genitrix : quin eum vehementer inde collaudans, pollicita est, tenuem adhuc monasterii statum suis etiam opibus haud illiberaliter futuram : erat enim spectatæ religionis ac honestatis femina, et (ut uno absolvam verbo) tali digna filio.

D

EX VET. IMPR.
VIII
Illustribus dotibus ornatus :

patre mortuo,

piæ matris consensu,

E

21 Exhilaratus Benno tam benigno piæ matris assensu, cum jam virili togæ esset proximus, doctus a Spiritu sancto reprobare malum et eligere bonum duodevigesimo ætatis suæ anno sacrum suscepit habitum et cum eo sanctarum incrementa virtutum : moxque professus in eo, quod supra diximus, monasterio Hildesheimensi puerilia studia et poeticas nugas postponens, sacrosancta Prophetarum volumina et utrumque Testamentum, ac Patrum desuper commentaria, diu noctuque ruminabat. Orationibus, vigiliis, ac jejuniis impensius multo quam antea vacabat. Abstrusa quoque ac recondita Theologiæ sensa, quæ ceteris altius meditata explorataque habebat, non invitus reserabat. Qui (ut annales eorum docent) sacratissimo illius eloquio, in tristitia cujuslibet anxietatis consolati, et a laqueis antiqui hostis liberati, perpetuæ vitæ vias ingrediebantur. Ferunt etiam nonnulli, priusquam Religionem ingressus sit, in Francia Theologiæ studio dedisse operam, atque in ea facultate doctoralibus insigniis fuisse decoratum. qui honos tunc omnium fuit excellentissimus. Cui quidem opinioni non parum præstat fidei, tum titulus Magistri, quem inter monimenta Goslariensis Ecclesiæ (ut prædiximus) adhuc hodie obtinet; tum quod plures ejusdem seculi nobiles viri, ad idem Franciæ regnum, sacrarum litterarum gratia se contulerunt : quas Caroli Magni opera et impensa, Parisiensi *a* olim gymnasio esse invectas satis constat. Quare nihil prohibet Divum Bennonem, etiam post professionem, ab Abbate suo istuc studii gratia fuisse transmissum : ne tamen incerta pro certis asserere videamur, nos ista in medio relinquimus.

IX
fit monachus, et studia sacra amplectitur :

Doctor sacræ Theologiæ creatus :

F

22 A Tempore susceptæ religionis Benno usque in quintum et vicesimum ætatis suæ annum, in quo sacrum accepit Diaconatus ordinem, in oculis omnium sanctissime innocentissimeque conversatus est : atque ab eo tempore usque ad tricesimum vitæ annum semper magis ac magis in religione proficiens, humilitate et patientia omnibus prælucens, volente et jubente Abbate suo Adelberto, sacerdotio tandem initiatus est : quod ille tanta cum reverentia ac dignitate adiit, tanto munditia et puritate gessit, ut fratribus etiam stupori ac admirationi fuerit. Abstinentia autem tanta se inde macerabat, ut raro cœnam cum eis sumeret. In altari totus ardebat : nec unquam siccis rem divinam oculis perficere potuit.

a
X
consecratur Diaconus,

Sacerdos

Accidit

EX VET. INPR. dein Abbas tribus mensibus fuit.

Accidit igitur, ut anno dehinc quarto, defuncto Adelberto prædicto, pars Fratrum Bennonem hunc nostrum, pars vero Sigebertum quemdam, et ipsum quidem virum bonum, mitioris tamen vitæ, et secularibus negotiis magis deditum, eligerent. Cumque pluribus Benno suffragiis quam Sigebertus ipse uteretur, nihilominus illi libenter ac ultro cessit: supplicans electoribus suis, ne contemplativam ipsius vitam exterioribus curis ac actionibus impedirent: tribus tamen mensibus in officio stare coactus est donec flentibus sæpe oculis vacationem muneris obtinuit. Hinc est quod in catalogo Abbatum ejusdem monasterii suo ordine ac loco ita scribitur: Benno Frater ac Pater noster, Abbas eligitur: sed parvo tempore stetit in regimine, tribus scilicet XI mensibus: postea Misnensis Episcopus factus, miraculis claret; illic sepultus, ubi et in Præsulem est unctus. Hæc ibi.

Luc. 1.

Post ecclesiam Goslerii ab Henrico Imp. constructam, et a Leone Papa consecratam,

23 Deposita Ecclesiastica hac præfectura, Benno noster reliquam vitam in privato et vel in oratione, vel lectione divina), taciturna et transigere jam decreverat: verum omnipotens et gloriosus in Sanctis suis Deus, qui humiles corde sublimat, et superbos de sede deturbat, non passus est candelabrum hoc lucidissimum semper sub modio delitescere. Unde brevi postea contigit, ut piissimus Imperator Henricus, Rex III, Ecclesiam Goslariensem (cujus fundamenta jam antea jecerat *b* Conradus decessor, ipsius sive pater sive socer) magnifico ac Regio cultu absolutam dedicari faceret per manus beatissimi Pontificis Leonis *c* IX, præsentibus ibidem Cardinalibus, Episcopis, et Abbatibus, numero LXXIII. Quam quidem Ecclesiam cum idem Imperator dignissimus specialem deinceps (ut suis utar verbis) Imperii Capellam et Canonicos ipsius Capellanos regios (ut supra prælibavimus) passim haberi et nominari vellet; exactam dedit operam, ut viros tanto honore dignos, et tam litteris quam sanctæ conversationis moribus probatos, eidem Ecclesiæ præficeret: siquidem illic etiam Regni sedem constituerat. Lecti sunt igitur ex omni fere Germania viri cum doctissimi, tum religionis observantissimi: inter quos et venerabilis noster Benno, maximis Imperatoris precibus, annuente et jubente probato summo Pontifice, vix tandem monasterio suo extractus, ac dictæ Goslariensi Ecclesiæ quatenus novæ Congregationi spiritalis armaturæ dux esset, et Ecclesiasticæ eam disciplinæ tyrociniis erudiret, in Magistrum ac Canonicum præfectus est. Quam laudabilem vero ac sanctam olim vitam duxerit prima ea Goslariensium Canonicorum congregatio, documento esse potest, non solum id, quod plures ex eis Divorum numero adscripti, plurimi Beatorum appellatione (dum adhuc viverent) dignati sunt: verum illud etiam memoratu dignissimum, quod cum in potestate Imperatorum adhuc esset Episcoporum designatio, pauci aliunde quam ex eadem regia (ut dicebatur) Capella, tam sub prædicto Henrico III, quam filio ipsius IV, et XII nepote V æquivoci nominis Regibus, ad quæcumque etiam Episcopia conscenderint quod ut exemplo res agatur, nomina eorum, tum Sedium etiam, ad quas quisque sublimatus est, sequenti capite non indigne nobis recensenda veniunt.

fit ibidem Magister et Canonicus,

unde Episcopi 36 creati et 2 designati numerantur.

Rumoldus I Præpositus, postea Constantiensis Episcopus.
Engelhardus II Præpositus, Magdeburgensis Archiepiscopus.
Guntherus III, Bambergensis Episcopus.
Wernherus IV, Merseborgensis Episcopus.
Anno V, Coloniensis Archiepiscopus.
d Bibo VI, Tullonensis Episcopus.
Bruno VII Præpositus, Herbipolensis Episcopus.
Otto VIII, Ravennatensis Episcopus.
Sviderus IX, Bambergensis Episcopus, postea Papa Clemens II.
Hartwicus X, Magdeburgensis Archiepiscopus.
Wilhelmus XI, Veronensis Episcopus
Bertoldus XII, Interamnensis Episcopus.
Arnoldus XIII, Pataviensis Episcopus.
Bruno XIV, Wercellensis Episcopus.
Geroldus XV, Ravennatensis Episcopus.
Craft XVI, Misnensis Designatus.
e Benno Magister, Misnensis Episcopus.
Robertus XVII Præpositus, Bambergensis Episcopus.
Matro XVIII, Verdensis Episcopus.
Herebertus XIX, Leodiensis Episcopus.
Eckhardus XX, Poloniensis Episcopus.
Gotfridus XXI, Ratisponensis Episcopus.
Eppo XXII, Wormatiensis Episcopus.
Udalricus XXIII, Argentinensis Episcopus.
Cono XXIV, Frisingensis Episcopus.
Cunradus XXV, Trajectensis Episcopus.
Landolfus XXVI, Treverensis Archiepiscopus.
Ricolfus XXVII, Moguntinus Archiepiscopus.
Erpho XXVIII, Monasteriensis Episcopus,
Henricus XXIX, Augustensis Episcopus.
Hetzelinus XXX, Hildesheimensis Episcopus.
Henricus XXXI, Paderbornensis Episcopus.
Eylbertus XXXII, Namensis Episcopus.
Litmarus Magister, Hambergensis Archiepiscopus.
Hildolfus Magister, Coloniensis Archiepiscopus
Adelnogus XXXIII Præpositus, Hildesheimensis Episcopus.
Eckhardus XXXIV, Spirensis Episcopus.
Cunradus Canonicus, Hildesheimensis Episcopus.
Lutolfus Canonicus, Halberstatensis Episcopus.
Johannes Magister, Halberstatensis Major Præpositus
Rudolphus Vicedominus, Suerinensis Episcopus.
Cunradus Canonicus, Magdeburgensis Archiepiscopus.
Valentinus XXXV Præpositus, Mindensis Episcopus.
Guntherus Canonicus, Magdeburgensis Designatus.
Sigifridus XXXVI, Hildesheimensis Episcopus.
Arnoldus XXXVII, Bambergensis Episcopus.
Johannes Canonicus, Havelbergensis Episcopus.
Henricus Canonicus, Havelbergensis Episcopus.

Hos et alios antiquæ Goslariensis Ecclesiæ Præpositos et Canonicos, ad tam diversas Italiæ, Germaniæ, et Galliarum Sedes, Imperatorum olim nutu destinatos Episcopos, qui latius videre cupit: apud eamdem ecclesiam inveniet, simul cum aliis vetustatis monumentis dignissimis. Ad Bennonem nostra festinat oratio.

S. Benno liberalis erga illam ecclesiam:

25 Decem et septem annos venerabilis Benno noster Goslariæ conversatus est, quibus se in genere virtutum spectabilem præbuit, egitque Cano- XIII nicum ac Magistrum omnibus numeris absolutum; crebris vigiliis, frequenti inedia, assiduis orationibus, tum largis patrimonii sui eleemosynis: dedit enim ex bonis suis hereditariis prædictæ ecclesiæ Goslariensi non pauca prædia, molendinas, domos et census etiam perpetuos: quibus omnibus Canonici ejusdem ecclesiæ in hodiernum usque diem utuntur, et quorum desuper litteras, monumenta ac diplomata penes se habent reposita.

Arctius se jungit S. Annoni Præposito.

Quamquam autem vir beatissimus Benno omnium eorum, qui suo tempore secum in Ecclesia Goslariensi Deo militaverant, non vulgarem meruit gratiam; eo quod esset rectus ac integer, fraternæque pacis ac domesticæ concordiæ vehemens amator; præcipue tamen illi cum B. Annone, Goslariensi tunc Præposito, postea vero Coloniensi Archiepiscopo,

Archiepiscopo, arctissima fuit consuetudo et mutuus in Christo amor : siquidem unum erat illis velle ac nolle; velle scilicet bonum, et recedere a malo. Quapropter mirabile dictu est, quantum brevi simul apud Deum profecerint, et quam jucundam ac firmam amicitiam similes illis mores et idem cœli studium pepererit. Etenim vere tunc in eis completum fuit illud Psalmographi : Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. O legitimos Christi Sacerdotes! Utinam atque utinam is nodus atque hoc vinculum, Christi scilicet caritas, et divinarum rerum studium, nostros quoque jungeret Sacerdotes et Ecclesiarum Prælatos! Sic enim sublatis e medio occultis eorum simultatibus ac odiis, per fraternæ concordiæ nexum, tam suis essent honorabiliores, quam adversariis etiam formidabiliores : nec ita læderentur ecclesiæ, diriperentur earum bona, et omnis fere ecclesiastica deperiret auctoritas. Sed quorsum abii? Ad Orestem et Pyladem nostros, Annonem et Bennonem scilicet, revocandus est calamus. Quorum tantam inter se benevolentiam nulla res adeo fovit, ac ea, de qua modo dixeram, fraterna Christi caritas, quod, ut inquit Apostolus, perfectionis est vinculum. Hac igitur duce de virtute in virtutem ambulantes, qualiter uterque a Deo exaltatus, et in modico fidelis supra multa constitutus sit, quam brevissime potero, hinc subnectam.

Psal. 132. — *Col. 3.*

26 Anno salutis MLV beatissimus Anno, per Henricum III prædictum, magno bonorum omnium assensu, Agrippinæ urbis Sedem adeptus est, vir qui tot Rerum publicarum turbationes et incendia, quod suo tempore in Imperio passim extitere, solus vel æquanimiter ferre, vel ab urbe sua singulari prudentia noverit arcere. Valedicens igitur carissimo amico suo Bennoni, Macte virtute esto, inquit, Frater : nec putes velim, me tui fore immemorem, quin cœptam inter nos necessitudinem, ubi præsentia nequimus, saltem litteris fovebimus : Annonem igitur, ubicumque fuerit, tuum esse puta. Nec id tam humiliter pollicitus est, quam eventu postea explanavit. Mortuo enim paulo post Imperatore præfato, regnum filio suo Henrico IV, Aquisgrani non ita multo prius inuncto, concessit. Qui cum adhuc puer esset, apud matrem Agnetem Imperatricem aliquamdiu educatus est : brevique post tempore in tutelam venit præfati Annonis Coloniensis Antistitis : quibus ex causis, scriptores variant, neque huc pertinet. Certum tamen est, donec Rex pueriles absolveret annos, summam rerum, consensu omnium, apud Annonem resedisse : qui vacante sub id tempus Ecclesia Misnensi, per obitum Crafft Goslariensis paulo ante Præpositi, facile effecit, ut eadem Ecclesia Misnensis veteri amico suo Bennoni, cujus vitæ innocentiam et dignitatem dudum exploratam habebat, etiam nihil tale cogitanti, committeretur.

XIV dein Archiepiscopo Coloniensi, eoque procurante,

27 Renitentem (amore fortassis contemplativæ vitæ) litteris ut pusillanimum vehementer increpavit, et ad suscipiendum episcopium adhortatus est; asserens, satis jam satis spectatam esse Goslariæ virtutem suam : neque sanctissimos Apostolos olim uno semper in loco consenuisse; sed modo huc, modo illuc, per mare, per terras, divinæ plantationis surculos circumtulisse. Caveret igitur, ne talentum sibi traditum, cum Misnæ modo propter vicinam et incredulam Sclavorum gentem duplicare posset, abscondere potius, et labores pro Christo fugere videretur; id quod magis ignavi animi quam religiosi esset indicium : sic enim contemplationi vacandum esse, ut ab actione, in qua virtutis laus omnis consisteret, animus corpore non abhorresceret : sicque amandam esse Rachelis pulchritudinem, ne Liæ interim fœcunditas haberetur despectui. Quemadmodum enim stellæ a stellis differentes, unam cœli faciem decentissime pingerent; ita Ecclesiæ Christi uni et soli, utramque tam activam, quam speculativam vitam, non solum ornamento ac decori, verum etiam quam maxime esse necessariam. Quibus verbis non tam persuasus quam veluti compulsus Benno, oblatam tandem suscepit provinciam : non ignorans tamen (divino revelante Spiritu) quibus exagitandus fluctibus, quantasque in Episcopatu tribulationes et adversitates toleraturus esset : ad quæ omnia voluntariam se Deo hostiam obtulit.

et animum erigente, Misnensis eligitur Episcopus.

AUCT. EMSERO

28 Humanæ igitur reparationis anno MLXVI venerabilis Benno noster a f Wernhero Magdeburgensi Archiepiscopo Pontificali veste induitur, olei sacri liquore perfunditur, et inclitæ nostræ Misnensis Ecclesiæ Præsul, decimus a Burckhardo primo ejusdem Pastore, præficitur. Benedictione igitur de more percepta, mox Misnam acceleranti totius urbis Clerus ac populus gratulabundus venerabundusque occurrit : et in ecclesiam majorem festiviter adductum, in Sede eum Pontificali collocant, magno omnium plausu et ingenti totius civitatis gaudio. Ipse vero intra se habitans, præsentique honore nihil elatus, illud semper in ore habuit, tacitoque sub pectore volvit : Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Memor præterea illius quod scriptum est, Omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona ac sacrificia pro peccatis; primo omnium, in conspectu totius populi Sacra solemni more celebravit, tanta devotione tantoque lacrymarum fonte, ut siccis eum oculis hi, quibus etiam saxea erant corda, videre non possent. Sacris vero in medium deductis, ad plebem conversus, populari primo lingua, de Christianæ fidei præstantia ac dignitate, de colendo summo ac vero Deo, beatorumque spirituum gaudiis, et malorum tormentis, graphice magnaque admiratione omnium elocutus est.

XV a Magdeburgensi consecratus, f — *Psal. 113* — *lætanterque exceptus,* — *Hebr. 5.*

29 Deinde ad Canonicos Clerumque sermonem dirigens, tali eos oratione affatus est : Quando a Deo factum est, viri fratres ac domini, ut neque cogitanti mihi neque ambienti hic locus (quod nobis felix utrumque faustumque maneat) destinatus sit; ego deinceps Ecclesiæ huic vestræ dignissimæ, ejusque commodis ac honori hanc animam, et quidquid in me est, quod novi quam sit exiguum, totum polliceor ac devoveo. Neque ullus mihi labor gravis erit, nec amare pericula, quæ nobis tamen carissimi fratres (nisi ex alto Deus averterit) et multa et magna imminent; dummodo vestram, hujusque mihi commissæ Ecclesiæ salutem, honorem ac commodum, ita ut bonum decet Pastorem omnibus modis et pro virili promoveam : pro quo neque potentium timebo minas, neque rerum amittendarum, aut hujus etiam corpusculi jacturam magni faciam : vos autem orationibus ac precibus vestris me adjuvabitis. Summopere enim mihi placet devotio vestra, et bene instituta religio : quæ a decessoribus meis, sanctissimis proculdubio viris, tam decenter ordinata, Deum Opt. Max. oro ac obsecro meo etiam tempore in pejus non labatur, sed pro laude ac gloria ipsius semper magis ac magis crescat in hoc loco : ut pro communi tandem labore et vita bene acta, communem mereamur simul ingredi lætitiam, et optatæ beatitudinis consequi mercedulam. Sic fatus, et adstantibus lacrymas excussit, et ipse etiam flentibus oculis ad perficienda Sacra cœpta reversus est.

inter Sacra perorat ad populum et Clerum.

AUCT. EMSERO

ANNOTATA G. H.

a *De institutione Universitatis Parisiensis late agit Jacobus de Breul in Theatro Antiquitatum Parisiensium, a pagina* 390.

b *Hic est* Conradus Salicus anno 1039 Ultrajecti subito extinctus. *Post* hæc Henricus filius ejus communi electione paterno inthronizatus est solio. *Ita Chronicon MS. Saxoniæ, nec vidi qui eum generum Conradi appellet.*

c *Acta* S. Leonis IX *illustravimus ad diem* 19 *Aprilis, et ostendimus* anno 1049 adiisse Imperatorem in regione commorantem Saxoniæ, *quando potuit consecrasse hanc Ecclesiam.*

d *Catalogus Tolonensium Episcoporum apud Sammarthanos nullum ejusmodi nomen habet : inter Tullenses numeratur* XXXIX Pibo : *et simili ratione fortassis corrigenda sunt alia quædam tam Episcoporum quam Episcopatuum nomina librariorum vitio corrupta, puta infra* Eybertus Numensis Episcopus : *nam Episcopi* Numenses *nulli sunt ;* Nimenses *in Gallia id est* Nemausenses *Eubertum ignorant.*

e *Ex his inscripti sunt Martyrologio Romano* S. Anno Archiepiscopus Coloniensis 4 *Decembris* S. Bruno Episcopus Herbipolensis 17 *Maji, et* S. Benno *hoc* 16 *Junii, et forsan alii, qui modo non occurrunt.*

f Wernherus, *frater S. Annonis Archiepiscopi Coloniensis, admissus anno* 1064 *diœcesim dignissime administravit. Dum tuetur jura Pontificis a Cæsareis occisus* 7 *August. anno* 1078.

CAPUT III.

Cura Episcopalis, exilium, iter Romanum, Slavorum conversio miraculis firmata.

Præit exemplo.

Vetus proverbium est, Magistratus virum ostendit. Et profecto quanta fuerit prudentia beatissimus noster Benno, quam providus in consilio, quam justus in judicio, non ante apparuit, quam in tanto fastigio constitutus est : neque enim a dextris neque a sinistris recedens, omnia, quæcumque verbo monuit, factis ipse adimplevit. Non pomposus, non elatus : sed opera sua multa erga pauperes pietate ornabat ; suum hoc solum esse ratus, quod nudus in ipsque in hunc mundum venisset. Imprimis Ecclesiasticarum rerum et divini cultus solicita illi cura fuit. Unde cum antiquorum more irregulatus adhuc esset in ecclesia Misnensi cantus (id quod aliis etiam in locis videre licet ex antiquissimis quibusdam Gradualibus et Antiphonariis ut vocant in quibus unica, aut etiam nulla interdum linea, paucisque ac indiscretis notulis contenta fuit antiquitas) Benno noster data opera, regularem ac legitimum canendi usum, juxta Hildesheimensis Ecclesiæ ritum ac consuetudinem, ac Misnam primus traduxit, fecitque ut concinne atque eleganter in hodiernum usque diem cantetur; quidquid ipse instituit. Quas enim novas et exoticas quasdam hodie canunt historias, neotericorum inventum est, musicæ artis lege modoque carens.

regularem canendi usum tradit.

qualis Hildesii servabatur.

31 Hanc Hildesheimensis et Misnensis cantus analogiam et convenientiam, sive festivo, sive simplici more divina peraguntur officia primus omnium deprehendit venerabilis et egregius vir, Dominus Joannes Hennig, sacræ Theologiæ Professor et dictæ Ecclesiæ Misnensis Decanus dignissimus, cui nuper Saxones perlustranti, harum rerum gratia comes destinatus sum : ubi et a Saxonibus viris dignissimis perbenigne excepti sumus, et ea pleraque omnia, quæ hic inserta, partim oculis vidimus, partim ex litterarum hausimus monumentis. Sed hæc et alia dignissimus Pastor Benno circa cultum divinum, in Ecclesia sua Misnensi, prudenter ordinavit et constituit : erat enim ceremoniarum omnium doctissimus, et circa rem divinam ab infantia versatus : nec quiddam eum latebat quod Ecclesiasticæ interesset disciplinæ.

XVII *Visitat omnes suæ diœcesis ecclesias :*

32 His itaque recte se habentibus, mox animum adjecit beatissimus Pontifex ad visitandos singulos diœceseos suæ pagos et oppida, omnesque Ecclesias et earum Rectores ; id quod etiam quotannis in propria persona vicatim ostiatimque sedulo factitabat. Proinde circumspiciens utrimque animarum saluti, modo in Presbyteris, ut et verbo docerent, et opere doctrinam suam comprobarent ; ne forte aliis prædicantes, ipsi reprobi facti, auditoribus vilescerent ; modo in subditis, ut dicto Sacerdotum suorum obtemperantes, verbum salutis et quidquid ad fidem attinet, diligenter ab eis discerent et observarent. Quod si quos eo modo se habere comperit, vehementer laudavit : sin secus, leniter corripiendo in melius immutavit. Tanta autem gratia præditus erat, tantoque inter pauperes ac divites æquilibrio se pattiebatur, ut passim eum omnes amarent ; ejusque monitis obtemperantes, pacifice inter se viverent, et fraterno se invicem amore diligerent. Verbum Dei quoque ita luculenter, ita suaviter tractabat ac prædicabat ; ut per multa etiam milliaria, ejus audiendi gratia, confluerent.

et divertit ad propria castella. *a b c*

33 Habuit autem vir Dei, in singulis diœceseos suæ pagis, castellum unum, in quo visitationis suæ tempore diverteret : in Oriente videlicet et superiore Lusatia, *a* Godau ; in Meræhe, *b* Bresnitz : in Occidente, *c* Neoburgum vulgo Naumburg ; ad Aquilonem vero, non longe ab urbe Misnensi, Zscheylau, ubi hodie etiam Collegiata habetur ecclesia. Propter frequentes enim barbarorum incursus et hostiles vastitates, raræ tunc erant urbes in terra ista : nam et Stolpen, Wurtzen, ac Mogeln oppida multo post tempore in potestatem venerunt Misnensis Ecclesiæ. Prædicta vero castella, Bresnitz, Godau, et alia non parum multa, Henricus Imperator secundus, is qui Divorum numero postea adscriptus est, et ab Italis primus habetur, Ecclesiæ Misnensi olim dono dederat, ob preces Eiconis tertii Misnensis Episcopi. Qui et ipse excellentis meriti Præsul vitæ suæ sanctimoniam certis indicavit miraculis, quæ post obitum suum comperta et litteris mandata sunt ; cujus gloriosam vitam *d* Dietmarus Merseburgensis olim Episcopus, tam devote quam eleganter scriptitavit. Quare non est quod diutius hic immoremur : Bennonis enim non Eiconis res aguntur. Quod si vacaret, memorari possem utique complures Misnensis Ecclesiæ Antistites, tantæ olim fuisse religionis et munditiæ, ut Beatorum appellationem (dum etiam viverent) haud dubie meruerint. Verum habenda nobis ratio est, ne longius evagantes, et cœpti operis seriem interrumpamus, et lectorem simul tædio conficiamus.

quorum aliqua a S. Henrico Imp. obtenta.

d

XVIII *Ecclesiæ fundos curat augeri.*

34 Compositis his, quæ ad divinum cultum et animarum attinent salutem, sanctissimus Præsul Benno animadvertens Ecclesiastica stipendia, propter vicinorum, modo Sclavorum, modo Boemorum, improbitatem et prædandi consuetudinem, non parum esse extenuata : sedulam etiam adhibuit curam, ne Ecclesiæ suæ, vel ad divinum cultum, vel ad alendos pauperes quippiam deficeret : unde apud eos, quibus ipse cœlestia seminabat, temporalia Ecclesiæ subsidia suo quodam jure confidenter postulabat. E quibus Bor quidam, equestris Ordinis vir, magnæ devotionis, non pauca illi de bonis suis donavit, et Ecclesiæ Misnensi perpetuo jure appropriavit. Similiter et Henricus IV, ejus nominis Rex, dum

liberalitate tum aliorum tum matris suæ,

dum adhuc sub jugo esset B. Annonis Coloniensis Antistitis, Ecclesiæ Misnensi, nonnulla prædia ac bona, juxta regiam munificentiam liberaliter concessit. Sed et Bezela, mater Divi Bennonis, distractis omnibus bonis suis, filium post adeptum Episcopatum huc etiam secuta erat : cui ille *e* castellum Gedau habitandum indulsit, et quoties ibidem visitationis suæ munere fungeretur, anili et decrepitæ mulierculæ multo erat solatio. Quæ etiam adhuc vivens, et deinde post obitum suum (brevi enim post defuncta est) Ecclesiæ Misnensi, quidquid ex dotalitiis, paraphernalibus, aut aliis quibuscumque bonis relinqueret, testamento legavit : ex quibus eidem pientissimus natus perpetuam apud Ecclesiam memoriam, et Dominicale illud officium, quod Dominico quoque die ibidem peragunt, comparatis ad hoc censibus, instituit.

apud ipsum in Gedau commoratæ ac mortuæ.

35 Invaluit inde rumor apud posteros (ut supra innuimus) Divum Bennonem nostrum in Gedau fuisse natum : quoniam memoria proditum foret, et incolis in hodiernum usque diem etiam constat, matrem suam in Gedau aliquando habitasse. Verum falsam hanc imperitæ plebis opinionem facile explodit, tum nomen ipsius Benno, a Bennopoli patria ei inditum, tum antiquissima Hildesheimensis et Goslariensis monasteriorum monimenta, supra per nos exhibita. Non solum autem his et aliis incrementis ac bonis, beatissimus Pontifex Benno Ecclesiam suam Misnensem locupletavit et auxit ; verum etiam ea quæ tempore suo eidem vi et injuria sunt ablata, sub anathematis ac diris divinæ vindictæ imprecationibus restituere ac resarcire cœpit : de quo etiam infra suo loco singillatim commentabimur.

XIX *Slavis ab idolatria abducendis*

36 Supra memoratum est, Sclavorum ingentem multitudinem, gentili errore vagantem in diœcesi olim Misnensi, tam ultra quam citra Albim fluvium, desedisse : quos etsi Henricus Rex III pissimus epitheto perpetuo Imperator, non ita multo prius quam Episcopatum Benno susceperat, tributarios Imperio fecerat, et ad suscipiendam Christi fidem magna ex parte compulerat ; plurimi tamen ex eis retrospicientes, pagano ritu, honorem quem Christo debebant, idolis reponentes, relicta pietate fidei, antiquis se erroribus denuo involverant ; ex quibus *f* Radigast in magna apud eos veneratione erat. Inter omnia autem numina primatum tenebat *g* Swanthewitz : quem Deum deorum esse profitentes, ex ipsius oraculis et responsis res cunctas gerebant. Est autem Swanthe Sclavica lingua idem quod sanctum ; Witz vero lumen interpretatur. Cumque magorum constans sit sententia, dæmonia omnia sanguine invitari ; Sacerdos tamen Swanthewitz suis persuadebat, hunc nisi Christiano cruore placari non posse : unde quod abominabile etiam dictu est, illi quotannis hominem Christianum, quemcumque sors objecit, litare consueverant : atrum enim dæmonem, cui nomen Zeernebock, in cujus potestate omnia esse credebant, devotius honorabant, noxa deprecantes : Zeerne enim nigrum. Bock vero sive Boh Deum apud eos significat. His singuli dicati erant Flamines, et varia sacrificiorum libamenta, tum multiplex religionis cultus : quæ tamquam superstitiosa et relatu indigna consulto prætermus.

Fructu se intentus

37 Ingemiscens igitur pientissimus Pater Benno, miserum populum dæmonum præstigiis ita rapi præcipitem ; officii ac debiti pastoralis esse ratus est, cæcis lumen, ægris salutem, et errantibus viam ostendere. Cui quidem tam sancto operi cum se totum devovisset, et sapienter quidem primo lenia vulneribus fomenta adhibens, plures indies comitate sermonis sui ad Christum reduceret : insidiator diabolus, moleste ferens, inauctoratam sibi plebem, mystica adspergi unda, et a castris suis fieri transfugam (permittente Domino, quo virtus servi Dei, humanæ vitæ fluctibus agitata, magis inclaresceret) aliud illi negotium fecit, tantisque eum impulit tempestatibus et procellis, ut relicta Sclavorum cura coactus sit vela ventis committere. Et quia summa ipsius virtus et constantia tunc potissimum spectata fuit (quandoquidem explorant adversa viros) idcirco non injucundum fore puto, si statum eorumdem temporum explicavero. Non enim parum refert, ut dici solet, in quæ quisque tempora inciderit.

AUCT. EMSERO

XX

relegatur ab Henrico IV cum aliis Saxoniæ Proceribus :

38 Omnium primum tempestuosa ea reddidit tempora, famosissimum illud Saxonicum *h* bellum, quod cum Henrico IV magna utrimque animi pertinacia gestum est. A quo licet Benno noster innoxias habuerit manus, vicini tamen incendii flammas evadere non potuit ; vel ob hoc unum, quod et ipse ex primario Saxonum sanguine, qui Regi penitus invitus erat ; sive (quod magis credam) quia Deus vas suum ita voluit tribulationum camino excoquere, et velut aurum in igne probare. Permisit enim ut a prædicto Rege innocentissimus Præsul nullo suo delicto caperetur, et in exilium mitteretur : ubi et ceteri servabantur principes, videlicet Magnus *i* et *k* Hermanus Saxoniæ Duces *l*, Wetzilo (qui et Wernherus) Magdeburgensis Archiepiscopus *m*, Burckhardus Halberstatensis, et Wernherus *n* Merseburgensis Episcopi *o*, Fridericus Comes Palatinus Saxoniæ et plerique alii Primores viri : quorum omnium, propter implacabilem Regis iram, nulla erat salutis spes, nec alia quam vel citæ mortis vel perpetui carceris expectatio. Benno vero neque de vita sua, neque de captivitate solicitus, solius Ecclesiæ suæ casum inconsolabiliter, et causas tantorum malorum, tam verissime quam brevissime paululum hic deflebat; eo quod iratus Rex eam ipsam etiam, per Burckhardum quemdam, ferocem et militaris audaciæ hominem, misere vastaverat. Paulo enim ante id tempus diem obierat Dedo Marchio, relicto Henrico filio adhuc puero : quem Rex obsidem secum abduxit, et in aula regia educari fecit : dictum vero Burckardum præfectum Misniæ constituit, ut Marchiam interim in fide sua contineret, donec infans adolesceret.

quia illis videbatur favisse,

39 Hujus autem vastationis meminit Lampertus *p* Herveldensis monachus, nobilis historiarum scriptor, ubi de expeditione loquitur Regis prædicti : qui simulato in Hungariam itinere, exercitum per Boemiam et Marchiam Misnensem Saxonibus improvisis superinduxit, volens eos inter oscitantes (ut dici solet) opprimere. Sunt autem hæc Lamperti verba : Pervenit igitur Rex usque Missenen, urbem sitam in confinio Boemiæ et Saxoniæ ; ubi a civibus pacifice in civitatem susceptus, Episcopum civitatis ipsius comprehendit omnia et quæ ejus erant diripuit; hoc solo reum Majestatis adjudicans, quod toto tempore belli Saxonici nullos ad eum servatæ erga Rempublicam fidei indices nuntios vel litteras destinasset. Ceterum homo Ecclesiasticæ paupertatis, et nihil aut parum habens pompæ militaris, vota forsitan contra Rempublicam facere, *q* arma ferre non poterat : nec magnum vel his vel illis partibus momentum, amicus et inimicus extitisset. Hæc Lampertus noster ad verbum. Quibus amplum satis testimonium divo nostro Bennoni perhibet, virum eum fuisse ecclesiasticæ paupertatis neque divitiis inhiasse, neque gloriæ ; nec belli, sed pacis fuisse amicum.

Pag. 225

40 Alterum ejus tempestatis exitium, fuit ejusdem Henrici IV cum *r* Gregorio VII calamitosa seditio : ex qua etiam sancto viro Bennoni non parum

AUCT. EMSERO. *Deinde adhæret Gregorio VII,*

rum succrevit laboris et periculi. Discordantibus enim inter se summis orbis cardinibus, facta est confusio elementorum, hoc est, Prælatorum inferiorum : et percusso pastore, dispersæ sunt oves gregis. Nam ex omnibus Germaniæ Episcopis perpauci inventi sunt, qui Romano Pontifici tunc integram servarent fidem : e quibus fuere Anno Coloniensis, Wecilo Magdenburgensis, Bucco et Burckhardus Halberstatensis, Wernherus Merseburgensis, et Benno noster Misnensis : ceteri fere omnes regias partes secuti sunt. Omisso igitur paulisper Bennone, hujus etiam tam perniciosæ dissensionis causas breviter reponam. Defuncto Alexandro II suffectus est ei Gregorius prædictus, cui Hildebrando antea nomen fuit : et quia inconsulto Cæsare, solis scilicet Romanis faventibus, ad Apostolatus apicem conscenderat, hinc primum contra eum accusationis caput sumptum est : mos enim tunc erat, ne quis pro Romano Pontifice salutaretur, nisi quem Imperatoria destinasset probassetve auctoritas. Secundo invidiam etiam Pontifici peperit maximam, id, quod duobus maximis Sacerdotum vitiis extirpandis, simoniacæ videlicet pravitati et lasciviæ, tam constantem navabat operam, concubinarios et simoniacos omnes passim anathemate feriens. Sed et Cæsarem ipsum ob eadem causas, ad synodalia responsa sæpe frustra vocatum, tandem cum purgare se nollet, ab Ecclesia primum Petri amputavit gladio, deinde regno etiam exauctoravit, adempta omni regia administratione, et absolutis fidelitatis sacramento subditis. Quare confusus Imperator, habito apud Wormatiam concilio secum sentientium Episcoporum, Pontificem vice versa deposuit : datæque sunt ad eum litteræ conviciis plenæ : quibus ut seipsum Pontificatu, quem vi fraudeque rapuisset, ultro abdicaret, proterve mandatum est. Eo vesaniæ Imperatorem induxerat cæca Sacerdotum (qui tunc frequentes apud eum erant) libido. Timebant enim, si cum Pontifice in gratiam rediret, actum esse de concubinis suis, quas illi pluris quam vel propriam salutem, vel publicam pendebant honestatem.

Simoniacos et concubinarios persequenti,

quem Henricus dejectum volebat,

41 Cæterum quam indigne Gregorium sugillaverint, documento esse potest electionis suæ formula, quam Platina et Blondus Flavius Apostolici scriptores adnotaverunt his verbis : Nos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Presbyteri, præsentibus Episcopis, Abbatibus, multisque tum ecclesiastici tum laici ordinis, eligimus hodie, x Kalend Maji, in basilica S. Petri ad Vincula, anno salutis MLXXII, in verum Christi Vicarium Hildebrandum Archidiaconum, virum multæ doctrinæ, magnæ pietatis, prudentiæ, justitiæ, constantiæ, religionis, modestum, sobrium, continentem, domum suam honeste gubernantem, pauperibus hospitalem, in gremio sanctæ matris Ecclesiæ libere a teneris annis educatum : quem quidem cum ea potestate Ecclesiæ Dei præesse volumus, qua Petrus mandato Dei quondam præfuit. Hæc illi. Quam quidem optimam de se existimationem pius Pontifex nequaquam fefellit, sed ad finem usque legitime certando perduxit. Unde addit Platina, in calce rerum ab eo gestarum, quod demum in Salerno moritur, vir certe Deo gratus, prudens, justus, clemens, pauperum, pupillorum et viduarum Patronus, atque unicus Ecclesiæ Romanæ et acerrimus defensor, contra hæreticorum improbitatem, et malorum Principum potentiam, res ecclesiasticas per vim occupare conantium.

licet legitime electum contaret.

ANNOTATA G. H.

a Gedau *an forte* Zetau *seu* Zittaw, *ad Nissam fluvium, judicent Lusatii.*

b Bresnitz, *aliis* Prosnitz, *in media Moravia, haud procul Olomutio.*

c Neoburgum *seu* Nauburgum *urbs Misniæ ad Salam fluvium in confinus Thuringiæ, ad quam Episcopatus Citicensis fuit translatus.*

d *Ditmarus lib.* 7 *Chronici virtutes* Eiconis *sive* Eidi Episcopi *describit, asscritque* obiisse XIII Kalendas Januarii *sive* 20 *Decembris, ad quem diem si aliquid de ejus veneratione constet, de eo agi a posteris poterit.*

e Joannes Baptista van Hollandt societatis nostræ 27 Octobris ex castris Cæsareis ad nos scripsit ista : Decima Septima hujus Dorstensonius Sittaviam deseruit, et versus Albim cum toto exercitu perrexit ; nos vigesima istum insecuti, eadem qua nos præcesserat via perreximus versus Lubam, vigesima secunda, Bautzem ad latus relicto, castra posuimus in Pago Geda, ubi mater S. Bennonis olim sepulta fuit. Hic nomen pago dedit : cum enim quotidie templum nudis pedibus asperrima hieme adiret, ac a Capellano suo incitaretur ut calceos poneret, ne præ frigore pedes destruerentur; respondit, nullum se frigus persentiscere : fidem adhibere si nollet, vestigiis factis insisteret : cumque sæpius Capellanum suum admoneret Germanicis verbis. *Geet da* idest *Vade illuc*, Pagus nomen retinuit et in hanc horam *Geda* vocatur. *Idem de S. Wenceslao Bohemiæ Duce memoratur die* 28 *Sept. Sed vereor ne id quod additur de nomine pagi exinde sumpto, proni ad fabulas vulgi commentum sit, torquentis eo appellationem, aliunde sumptam, ac verosimiliter ex nomine alicujus rivuli* Geta *dicti, ut verum nomen sit* Get-au *id est Pascua ad Getam, quomodo passim in Germania humilia circa fluvios loca,* au *dicta, nomen ex fluvio sumptum formant.*

f Radegast *quasi dicas* Consilio-pollens. *Deus terræ Obotritorum, a Radegasto eorum Rege bellicosissimo pro numine habito coli putatur. Totum in urbe Rethra stetisse aureum indicat Helmoldus lib.* 1 *cap.* 2 *et iterum de eo agit cap.* 52, *ubi Bongertus ejus effigiem ex Chronico Saxonico exhibet. Capillis avis dissipatis alis inhæret : pectori affixum caput tauri nigrum dextera detinet, sinistra bipennem jactat : nomen autem habet a* Raden *consulere et* Gast, *non solum significat Hospitem, sed etiam clarum virum.*

g Swanthowitz *ex S. Vito Martyre originem accepisse, diximus ex Helmoldo et aliis ad diem* 15 *hujus Junii ; quemque Patronum ante habuerant Rugiani, cum a fide Christiana ad idololatriam defecissent, cœperunt habere loco numinis, ritibus idololatricis colendi.*

h *Anno* 1075. *Hujus belli historiam, a Frehero excusam tomo* 1 *inter Scriptores rerum Germanicarum, scripsit Bruno Clericus vel Monachus Merseburgensis: nam ex familia se esse præfatur Episcopi, cui historiam ipsam nuncupat.*

i Magnus *censetur post alvarum Billingum quintus Elector : vixit ad annum* 1106; *biennio inclusus dicitur a Brunone, ita ut nullus sciret ubi esset, aut utrum viveret.*

k Hermannus *Magni patruus, Comes Oldenburgicus.*

l Wetzilo, aliis Wernhernus *frater S. Annonis, de quo supra actum.*

m *Episcopus hic Halberstadensis a Krantzio lib.* 5 *Metropolis cap.* 13 *appellatur* Bucko *a Brunone* Burchardus, cui nomen Bodo ; *a Schafnaburgensi* Bucco *ab aliis* Bernardus *aut* Bernardus Bucho, *ejusque decessor dicitur consobrinus Archiepiscopi Magdeburgensis.* Burchardus, *cui anno* 1059 *vita functo successisset dictus* Bucko, *qui in seditione civili anno* 1088 *jactu sagittæ periisset : ubi confirmatum vide, quod supra dixi, nomina longiora truncari a Saxonibus aliisque Teutonibus, assumpta terminatione in* o; *quandoque*

doque etiam cum alteratione aliqua ejus quæ retinetur partis.

n Merseburgensis Episcopus, *a Lamberto Schafnaburgensi dicitur* missus in monasterium Loressan *Laurishamense ; de cujus origine egimus 6 Martii ad Vitam S. Godegrandi Episc. Metensis.*

o Fridericus, *Præfectus seu Comes Palatii appellatur a Brunone.*

p Lambertus Schafnaburgensis, *sive* Aschaffenburgensis, monachus Hirsfeldensis, *scripsit Chronicon usque ad annum* 1077, *quo vixit, quod extat a Pistorio editum.*

q *Apud Surium intrusa erat particula* aut, *et sensum turbabat.*

r S. Gregorius VII *inscriptus est Martyrologio Romano* 25 *Maji, ad quem diem varia ejus Acta illustravimus : ad eaque remittimus Lectorem.*

CAPUT IV.

Iter Romanum, reditus, Slavorum conversio, Vita solitaria, miracula.

Dimissus e carcere,

His igitur temporum ardoribus, cum Pontifex omnes tam Ecclesiasticos, quam seculares Principes, quibus cum Rege commercium erat ullum, dirissimis Ecclesiæ vinculis colligasset ; contraque Imperator aqua et igni interdiceret iis, qui Pontificis dicto parerent; adeo scissa est Ecclesia Dei, et regnum in se divisum, ut gravioribus inter Sacerdotium et Imperium odiis nullo unquam tempore laboratum sit : uterque enim, tam Pontifex quam Imperator, hic pro terreno, ille pro Dei regno causam suam constantissime agens, litem non nisi cum morte diremit. At vero Imperator, ubi intellexit Principum animos sub religionis prætextu sensim ab eo deficere ; dissimulato ad præsens odio, quod contra Saxones alebat, captivos ejus gentis (inter quos et Benno erat) deditione absolvit, et ad sua impune redire permisit, nihil aliud imperans, quam ut tanti beneficii memores integram sibi deinceps servarent fidem, et communis regni causam secum contra Pontificem defenderent. Illi abeuntes polliciti sunt, quoad juste Imperium administraret, et Ecclesiam Dei persequi desineret, se ejus commodo et honori nusquam defuturos. Qualem se vero deinde idem Rex, tam erga Sacro-sanctam Apostolicam Sedem, quam passim in Imperio exhibuerit, apud alios videre licet : ad nos enim nihil attinet, nisi quantum Divi nostri Bennonis interest.

suæque ecclesiæ restitutus,

solatur Canonicos,

43 Rediens igitur beatissimus Pastor Benno ad Ecclesiam suam Misnensem, desolatam vastatamque invenit, quam tanto prius studio ac decore ornaverat. Quæ quidem calamitas quamvis amarior illi esset, quam vel carceris vel exilii pœna fuisset ; spem tamen vultu simulans, premensque alto corde dolorem, Fratres suos Canonicos, flentibus illi oculis obviam factos, et fortunas suas querulantes, benigne amplexus atque consolatus est, iterum atque iterum illud ore repetens ; Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. Nec mora, quin illico infracto sese animo ad restaurandam ecclesiæ suæ ruinam totis viribus converterit : et nisi illi improbitas obstitisset Buckhardi Præfecti Misnensis, (cujus supra etiam meminimus) facile ablata omnia recuperasset. Erat idem Buckhardus ingenio malo, pravaque natura præditus, lingua præterea ac manu promptus. Cumque magis Cæsaris, quam Dei sui mandata observaret, beato viro Bennoni multas intulit molestias, piosque ejus conatus, quibus potuit artibus, fefellit. Non tamen impune : nam scelerum suorum mox justas dedit pœnas, a subditis suis propter crudelitatem et sævitiam misere necatus. Equus enim in quo fugam sperabat, alioqui celerrimus, tunc cum invaderetur, calcaribus utcumque admotis, pedem movere nequivit, donec sessor frequenti vulnere confossus miseram exhalavit animam. Atque hunc in modum liberatus est Divus Benno noster a tyrannide Buckhardi Præfecti.

Buckhardi morte liberatur ab ejus tyrannide.

AUCT. EMSERO.

XXIII *Gregorio Romam,*

44 Anno a natali Christiano MLXXVI, Papa Hildebrandus, frequentibus motus querimoniis, Concilium Romæ indixit ; Regemque per Legatos suos ad hoc legitime vocavit, ut adesset, de criminibus quæ illi ob venditas Ecclesiasticas dignitates (quæ tunc erant Imperatorum) objicerentur, causam dicturus ; alioqui sciret se absque omni procrastinatione, eodem die de corpore sanctæ Matris Ecclesiæ, Apostolico resecandum gladio. Quod audientes Episcopi Germaniæ et Galliæ, quibus nota erat Pontificis severitas, et vehemens erga domum Dei zelus, timentes ne forte simul cum Rege, ipsi durius aliquid pro factis suis paterentur, communibus consiliis Regem adeunt ; turbatumque super his, quæ a Pontifice nuntiata fuerant, palpando consolandoque, bono esse animo jubent ; irritum enim fore Concilium, neque parendum ei, qui injussu suo et præter majorum consuetudinem, seipsum ultro Ecclesiastico ingesserit culmini ; unicam scilicet salutem et honorum suorum stabilitatem in hoc verti cardine rati, si efficere possent, ut is non esset Apostolicus. Rex igitur suggestione eorum seductus, paulo ante statutum Concilii diem, omnes, qui in suo regno essent, Episcopos, Abbates et Ecclesiarum Prælatos Wormatiæ ut supradictum est convenire præcepit tractare cum eis volens ad deponendum Pontificem, si qua via, si qua ratio pateret. Cum igitur beatissimus Benno noster, tam Pontificis, quam Cæsaris edicto urgeretur et ab utroque sub diris comminationibus vocaretur, inter saxum et sacrum (ut est in proverbio) positus, in illud tandem Susannæ incidit ; Angustiæ sunt mihi undique, et quid eligam ignoro. Si enim Apostolicæ Sedis mandata contempsero, anathema sum, et extra Ecclesiam factus ; sin vero Imperatoris jussa neglexerim, tamquam perduellionis reus, notum antea carcerem et exilium non evadam.

Henrico Wormatiam omnes Episcopos vocantibus,

Dan. 13, 22

Romam ipse tendit ;

45 Demum excusso omni pavore secum statuit, relicta synagoga Sathanæ, Apostolicæ Sedis obedientiam ad mortem usque confiteri ; maxime cum non ignoraret, celebrandi Concilii jus, sacrorum Canonum sanctionibus, soli Romano Pontifici esse concessum. Itaque iter arripiens Romam versus, ad indictum Concilium, non sine multo labore et difficultate, pervenit : siquidem Imperator illuc tendentibus passim posuerat insidias, quas ille tamen divino fretus auxilio incolumis transivit. Veniens autem ad Pontificem, ab eo, quod *a* unus ex omnibus fere Germaniæ Episcopis, ausus fuisset plus Deo quam hominibus obedire, vehementer collaudatus, et in amicitiam non vulgarem receptus est. Ferunt constante adhuc fama, abeuntem claves ecclesiæ Misnensis duobus commisisse Fratribus suis Canonicis, ut si Rege excommunicato, hi qui suarum partium essent ab ecclesiæ ingressu non temperarent, obseratis januis, eas in Albim fluvium dejicerent, quod et factum est. Nam in dicto Concilio Rex, propter contumaciam suam, cum omnibus complicibus, gravi anathemate percussus est ; et synodaliter decretum, ne deinceps ulli hominum liceret vendere vel emere quascumque Ecclesiasticas dignitates : qui morbus tunc plurimum irrepserat, non tam Regis ipsius, magnanimi alioqui et omni Imperatoria virtute præditi viri, quam aulicorum suorum avaritia, et candidatorum ambitione. Id quod ex sequenti capite satis superque ostenditur.

jussis in Albim projici clavibus ecclesiæ si excommunicaretur Rex :

A

AUCT. EMSERO. XXIV qui promoto Simoniace Lamberto Monacho,

46 Execrabilem Simoniacæ pravitatis hæresim, propter quam tunc non solum Regis ipsius, sed etiam multorum Episcoporum, Abbatum, et Prælatorum fama periclitabatur, quæ etiam potissima causa fuit, propter quam Pontifex Ecclesiasticum contra eos gladium stringere coactus est; Lampertus nobilis Herveldensis Monachus in Chronica sua graphice taxat, sic inquiens: Eodem tempore Meginwardus *b* Abbas Augensis dignitate sua ultro se abdicavit: in locum ejus, non per electionis ostium, sed per Simoniacæ hæreseos cuniculum, protinus irrupit Rupertus Abbas Bambergensis cognomento Nummularius, annumeratis in ærarium Regis mille pondo argenti purissimi. Hic sordidissimis quæstibus et usuris, quas etiam privatus adhuc in monasterio exercuerat, infinitam sibi pecuniam conflaverat; et propterea mortes Episcoporum et Abbatum anxia exspectatione jamdudum suspiraverat. Cumque eos diutius vivendo, propter effrænatæ ambitionis impetum, quo præceps rapiebatur, morari graviter et impatientissime ferret; eo vesaniæ evasit, ut præter occulta munera, quibus auriculariorum favor redimendus erat, Regi etiam centum pondo auri promitteret, ut ejecto eximiæ sanctitatis viro Abbate *c* Widerado, sibi Abbatia Fuldensis traderetur. Et profecto quod nefarie conceperat, flagitiosissime obtinuisset, nisi pauci, quibus Ecclesiasticæ leges pecunia cariores erant, in faciem Regi, ne id faceret, obstitissent. Hujus igitur infausto novoque aucupii genere hæc in Ecclesiam introducta est consuetudo, ut dignitates publicæ venales prostituantur; et ecclesiastici viri non Innocentia æstimentur et integritate vitæ, sed quantitate pecuniæ; nec quæratur in promovendis, quis dignius præesse, sed quis carius possit emere. Hæc ille. Recte igitur optimus Pontifex Gregorius huic morbo forte paravit antidotum. Nam si hæc pestis illorum etiam animos venenavit, qui mundo huic mortui, et omnem ornatum hujus seculi despondisse videntur; quanto potius eorum etiam, qui summam felicitatem et ultimum beatitudinis finem in honoribus ac dignitatibus collocant, ad internecionem usque exulcerasset, corrupisset, vitiasset, nisi eam sapientissimus medicus excommunicationis cauterio inustam, vix tandem foras et extra Ecclesiam eliminasset? Quare non immerito Divus noster Benno tam sancto viro paruit, subscripsit, adhæsit.

b Pag. 184

B

c morem induxerat ecclesias vendendi

contra nitente Gregorio,

47 Immorante apud Pontificem Divo nostro Bennone, Romam venit quidam venerabilis Pater, nomine Theodoricus, Suffraganeus Episcoporum unus, qui causam Regis defendentes simul cum ipso execrati fuerunt. Quamobrem dictus Theodoricus, ne tanti se criminis participem faceret, Pontificem adiit, et cum pauper esset, vitæ ab eo petiit subsidium. Ille autem, quo diutius Divum Bennonem, cujus consuetudine plurimum delectabatur, secum detinere posset: eumdem Suffraganeum Divo Bennoni nostro suffecit, et Misnam destinavit, quatenus absente vero Pastore, Pontificalis interim officii ministerium adimpleret. Cui tam Apostolicis quam Divi Bennonis admoniti litteris Canonici, Præbendam unam in Ecclesia Misnensi assignarunt: inter quos aliquamdiu laudabiliter vixit, plenus virtutibus et honestæ conversationis moribus. Quadam vero die cum Episcopalis muneris gratia Colditz *d*, ejusdem diœceseos oppidum, simul cum Capellano suo peteret, multo senio gravatus; subito in via cœpit deficere: delatusque ad proximum molendinum, cui Komlitz adhuc hodie nomen est, magna devotione diem clausit extremum. Commiserat autem Capellano suo, ut appositis feretro asellis, quos molitor ad manus habebat, in quemcumque locum Ecclesiasticum casu duceretur, ibidem eum tumularet. Aselli itaque recta via versus Ecclesiam in pago Hart delati, causam dederunt ejus ibidem sepeliendi: cujus quidem pagani adhuc memores, nonnullis eum miraculis et signis illustrem perhibent. Et hic quidem Theoderici fuit exitus.

C

XXV qui ut diutius Bennonem retineret,

concedit ei Suffraganeum

d

D

48 Interim vero Principes, religione tacti, paulatim colla cœperunt ab Imperatoris jugo retrahere; jamque non solum clandestinis congressibus, verum publicis etiam conventibus, de surrogando alio Rege inter se tractare. Quamobrem fractis Imperatoris viribus, cum nil amplius timoris esset, Divus Benno, qui multo jam tempore Pontificis lateri adhæserat, reditum tandem ad ovile suum, vix magnis impetravit precibus. Cui abeunti Papa, in signum veræ dilectionis, non vulgares donavit Sanctorum Reliquias: quas ille toto tempore vitæ suæ religiose coluit, et tamquam cœlestem quemdam thesaurum veneratus est. Extat ex eisdem Reliquiis circa tumbam ipsius, in hodiernum usque diem, mirabile quoddam dictu: ut scilicet inclusæ argento, seu pacificali (ut vocant) petiunculæ, aliis quidem osculantibus appareant, aliis vero minime. Quin his etiam quibus videre eas contingit, non semper se ostentant: sed modo præsentes adsunt, modo veluti præstigio quodam cernentium oculos eludunt. Ferunt quidam Divum Bennonem nostrum aliis, etiam vicibus et sub aliis etiam Pontificibus, Victore scilicet et Urbano Gregorii successoribus, Romam itasse: verum nobis præter eam, quam modo descripsimus, peregrinationem, certi nihil constat. Quamobrem ad ipsius ex eadem profectione reditum sequens festinat oratio.

Tandem acceptis Reliquiis et Indulgentiis,

E

49 Beatissimus Pater Benno noster, expeditis apud Pontificem Ecclesiæ suæ negotiis, relicta tandem Roma, per declivia Apennini juga, per amœna Flaminiæ rura, per angustas Rhæticarum Alpium fauces, Vindelicos Noricosque transiens; ad civitatem suam Misnensem, pretiosissimis Reliquiis et indulgentiis onustus, feliciter pervenit. Ne autem sub primum ipsius adventum civitas commoveretur, neve illi Clerus cum solita ferculorum pompa in occursum procederet, sub peregrini specie ad hospitium publicum omnibus ignotus divertit. Memorant incolæ in hodiernum usque diem, hospitem, dum ingentem quemdam piscem, ex Albi flumine eadem forte hora allatum, exenterare cœpisset; sub brancis sive pinnis ipsius clavem reperisse Ecclesiæ, quam Divus Benno post abitum suum in eumdem fluvium projici mandaverat. Cujus rei fama cum mox totam replesset urbem, Canonici præfatum hospitium repente irruunt, et agnitum Pastorem suum, maximo totius urbis plausu, ad Ecclesiam suam conducunt. Qui populo de more benedicens, a turba usque in alterum diem vix demum se potuit avellere.

XXVI redit ad suam Ecclesiam Benno,

F

ejusque claves recipit cum pisce,

50 Mane vero, nulla tantæ viæ lassitudine obstante, illico Pastorale fecit officium; et inter sacrificandum, pro concione populo Apostolicam nuntiavit benedictionem et gratiam: eosque qui ob vitandam Regis indignationem, vel sola participatione colloquii Ecclesiasticis subjacebant censuris, simul omnes concessa sibi potestate absolvit et Ecclesiæ reconciliavit. Quare vix dici queat, quantus brevi factus sit ad eum concursus e vicinis oppidis ac populis, qui omnes uno ore clamabant; Advenisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris, ut educeres vinculatos de claustris. Erat enim eorum pars multo maxima excommunicationis vinculo irretita, quos pius Pater festino ad Ecclesiam suam gaudio reducens suscepit: et tamquam filio olim perdito vitulum saginatum, hoc est pinguem Christi panem injuncta prius pœnitentia sacramentaliter exhibuit; sicque perditionis filios in electionis vasa

et absolutis excommunicatis

Apostolica auctoritate

feliciter

A feliciter convertit. Dedit autem illi Dominus gratiam et malorum requiem, ut deinceps reliquos vitæ annos usque ad decrepitam senectam in pace agens, restaurandæ Ecclesiæ suæ et extirpandæ zizaniæ, quæ longo jam tempore in Dominico agro suppullulaverat, tranquillam posset operam impendere: quod et sedulo perfecit. Et quia præcipue ejus animo hærebat antiqua Sclavorum cura; idcirco quo studio, qua doctrina, quibusve miraculorum signis illos ab antiquis eorum erroribus ad infallibilem Christi veritatem tandem revocaverit, quam brevissime potero sequentibus complectar.

pacem deinde habet,

51 Meminisse hic oportet eorum, quæ supra de Sclavis disseruimus: qui scilicet utramque ripam Albis circumsidentes, gentili superstitiosoque ritu, honorem, quem Creatori debebant, rebus exhibebant creatis: lignum quod dolabant, et lapidem quem cædebant irrationabilem adorantes. De quorum moribus cum Divus Benno Gregorium Pontificem certiorem reddidisset, mandatum et Apostolicæ legationis munus ab eo recepit, cum potestate prædicandi eis verbum Dei, et absolvendi a certis casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis. Quare factus est indies major ad eum concursus populorum, præcipue Sclavorum, quorum aliqui memores adhuc pristinæ doctrinæ, quam illis pius pater, priusquam a Rege in exilium missus esset, tradiderat, præ desiderio et amore sacri ipsius eloquii, ultro se illi prostratos offerebant, et commissorum scelerum cum mœrore ac luctu veniam petebant. Ille autem, ut mitis erat corde et pronus ad ignoscendum, obviis eos manibus et veluti postliminii jure ad Christum redeuntes, excepit; Scripturasque illis tum veteris, tum novi Testamenti proponens, quantum cœli esset gaudium super uno etiam peccatore converso, non solum ad lacrymas, sed et ad condignam satisfactionem genus facile inducebat.

XXVII *Iterum Sclavis prædicans*

B *ad pœnitentiam fidemque adducit:*

52 Cum autem multitudinem confluentium civitas non caperet, locum concioni aptum delegit, vallem scilicet unam apricis saltibus amœnam, mille ab urbe passibus, inter Orientem et Aquilonem exposita. Huc igitur catervatim advolantia multa millia hominum, sacratissimos illius sermones, de summo ac vero Deo, de prima hominum origine et eorum lapsu, de Incarnatione Verbi, et humani generis restauratione, ceteraque id genus sacramenta arrectis hauriebant auribus. Plerique etiam spiritu ita compuncti sunt; ut idola, quæ domi habebant, sub conspectu viri sancti proferentes, frustatim comminuerent, sicque ductu et auspiciis Divi Bennonis animas suas salvas facerent. Quadam vero die cum populus ferventissimo solis æstu laborans, sitibunda amplius ora vix ferre posset, beatissimus Pater Benno, oculis sursum levatis, et oratione facta ad eum, qui convertit petram in stagna, et rupem in fontes aquarum, baculo Pastorali terram fervisse dicitur: ex qua mox fons aquæ salientis scaturiens, arida hominum labra cœlesti liquore proluit ac refocillavit. Testimonio ejus rei est, quod idem fons sacer, et vallis ipsa sancta in hodiernum usque diem ab incolis nuncupatur. Fecit item Vir Dei alia etiam in eodem loco miracula, quibus rudem ab initio Sclavorum gentem, non solum verbo, verum etiam facto doceret, quanta esset fidei Christianæ virtus ac potentia. Verum nos more nostro solidiora tantum amplectimur.

conversis persuadet ut idola confringant

C

Psal. 113 *ac sitientibus fontem elicit:*

e

53 Quamquam, ut dixi, multa divi Bennonis miracula, quæ vulgi celebrantur sermonibus, et majorum traditione ad posteros pervenerunt, hic præterire consilium est, eo maxime quod brevitate gaudemus omnes: illud tamen de aqua vino facta, et Albis transitu, quoniam præter communis famæ adstipulationem litteris etiam mandata sunt, in antiquissimo illo vitæ suæ libello, qui nuper in prædicto Hildesheimensi monasterio (ubi prima olim fecit spiritalis armaturæ stipendia) miraculose inventus est, taceri non ausim. Scribitur enim in eodem libro, quod cum divus Benno die quadam ad operarios in prato exiisset, illis siti ac labore fatigatis, signo Crucis edito, aquam in vinum commutarit. Quod cum puer suus animadvertisset, allata situla, En, dixit, faciam sicut Dominus meus. Qui interrogatus quidnam fecisset; Crucem, respondit, desuper edidit. Cumque puer idem faceret, meritis beati viri et simplicitate pueri aqua mox vini saporem induit.

XXVIII *aquam in vinum vertit ipse et puer ejus.*

D AUCT. EMSERO.

54 Cum autem jam dies ad occasum tenderet, et Divus Benno recta via per pontem ad civitatem pervenire non posset, iter ad proxima Albis fluenta deflexit, et Cruce se muniens, fluvium sicco pede pertransivit. Quod videns rusticus quidam, qui eum cum plaustro fœni sequebatur, protinus per aquam insecutus est, et incolumis transvexit: Benno autem audaciam hominis vehementer increpans, prohibuit tum ne id amplius faceret, tum ne cuiquam quod factum erat eo vivente detegeret. Solebat autem vir Dei nonnunquam orando meditandoque agros circumire: ubi, cum aliquando juxta paludem quamdam garrulæ limosis ranæ coaxarent aquis: ne contemplationem obturbarent, Seriphias esse jubet, sunt enim f Seriphiæ ranæ omnes quidem mutæ. Paulolum inde transgresso venit in mentem Danielis illud; Benedicite cete et omnia quæ moventur in aquis Domino: benedicite omnes bestiæ et pecora Domino. Timens igitur ne forte gratior esset Deo illarum cantus quam sua oratio, eis iterum mandavit, quatenus consueta voce Deum laudarent: quæ mox campos et aera stridoribus et garritu replent.

Albim sicco pede transit

E

indicit ranis silentium f

Dan. 3

ANNOTATA G. H.

a *In Bulla Canonizationis explicatur:* Solus B. Benno decreti Imperatoris auditor non fuit; quippe qui præclarum hoc certamen habebat, ut Ecclesiæ dignitatem, quoad ejus fieri posset, tueretur: atque ut suum erga Ecclesiam devotionem documentum daret, Imperatorem Marchionemque Misnensem hostes rebelliones pulsos ... excommunicavit. *Hæc illi, quæ fere ante habebantur in epistola ad Leonem* X.

b Meginwardus *Hildesii creatus anno* 1069, *obiit anno* 1071.

c Wideradus *creatus anno* 1060, *vita functus anno* 1075.

d Colditz *oppidum Misniæ ad fluvium Muldam cujus templa sunt dicata S.* [illegible] *et S. N*[illegible].

e *In Vita Germanica dicitur ea vallis ad mille passus distare ab urbe Misna.*

f *Plinius lib.* 8 *cap.* 58 [illegible] *est Seriphus insula in mari Ægeo, una ex Cycladibus, hodie Ser*[illegible] *dicta, inter Naxum insulam, et Argivam Peloponnesi provinciam.*

F

CAPUT V.

Virtutes, revelationes, obitus Translatio, miracula. Causa dilatæ Canonizationis.

Proditus tum his tum aliis Benno miraculis, vehementer apud se ambiit, timens, ne forte unde celebrior fieri inciperet apud homines ejus nominis fama, inde apud Deum magis ipse vilesceret, dicente Apostolo: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Ne igitur popularis auræ affectator haberetur, tacito secum egit consilio, quonam potissimum modo frequentiam hominum evitare, et in solitario aliquo loco delitescendo, soli Deo servire posset: atque

Gal. 1. *Vitare et Deo vacare volens in solitarium locum se recipit*

AUCT. EMSERO

atque idcirco, rebus apud ecclesiam suam accurate compositis, ipse Occidentem versus, ad extremos diœceseos suæ fines, villam scilicet Naumborg., paucis admodum viæ suæ consciis secessit: ibique ædiculam in honore divæ Parthenices et omnium cœli Indigetum consecrans, pretiosissimis eam donavis Reliquiis ac Indulgentiis, quas nuper Roma secum asportaverat. Juxta ædem vero, cellam unam humilem, pro se et Sacerdote quem secum habebat, eo ædificavit animo, ut deinceps, nisi Episcopalis curæ munere exigente, ab ea nusquam discederet. Verum quanto magis latere voluit humilis Christi servus, tanto eum magnificare dignata est propitia divinitas, in hodiernum usque diem testans, quam gratum cœlo fuerit hujus dilecti servi sui obsequium: In certis enim agrorum semitis, quas ille, ibidem more suo post divini Officii pensum deambulando meditandoque, pedibus suis sanctissimis calcavit, frumentum adhuc hodie citius flavescit maturescitque, quin fertilior etiam longe seges in eodem loco, quam per vicina circumquaque rura nascitur. Id quod ego non solum ex aliorum scriptis, verum etiam oculis meis compertum habeo: et vidi quia vere Deus mirabilis in Sanctis suis. Eadem autem præcox agri cujusdam fertilitas in Gedau, ubi pariter aliquando contemplabundus deambulavit, a Plebano ejusdem loci, medio nuper juramento, in examine testium quorumdam, deposita est.

et exinde ibi citius maturescunt fruges

Psal. 67.

56 Quid igitur? Taceamne, necne, quæ de agilitatis dote Divo nostro Bennoni omnipotens Deus contulit insignia? Minime gentium. Memoriæ enim hominum proditum est communi voce ac fama, quod cum beatissimus Benno frequenter post Sacramentorum tractationem ex oculis Capellani sui evanescere, et agilitatis munere in ecclesia sua Misnensi subito constitui, indeque Sacris omnibus confectis ad consuetam prandii horam cum Capellano suo iterum in dicta villa præsens adesse soleret; captum aliquando vehementi Capellanum admiratione, abeuntem mane herum diligentissime observasse mox, nec insecutum præter pauca in recenti pruina vestigia nihil reperisse indicii: sed statim veluti turbine arreptum, in dicta Misnensi ecclesia, post tergum Domini sui geniculantis, in pedes constitisse. Quem cum divus Pater in spiritu adesse sentiret, ipseque consummatis Sacris more suo mox iterum in cellam suam, Capellanus vero vix altero die reverteretur; (est enim distantia locorum XVIII, millium passuum *a*) graviter eum increpitasse, et sub anathematis nexu vetuisse, ne eo vivente cuiquam hominum quod factum erat proderet; adeo abfuit a beato viro, quod gloriam suam quæreret. Ceterum nos neque ista temere asserimus, neque proterve abnuimus: cum similia multa de Tutelaribus genitalis soli nostri, (Sueviam puto, Divis Cunrado videlicet *b* ac Udalrico, nec non aliis quibusdam sanctis Patribus scripta sint, et pro confesso habeantur. Præterea in memoriam Divi Bennonis adhuc hodie quotannis celebratur ingens populi concursus in dicta villa Naumborg, tribus diebus præcedentibus et sequentibus festum omnium Sanctorum, quorum nomini (ut prædiximus) pius Pontifex Ecclesiam suis olim manibus dicavit. Sunt etiam ibidem ruinæ cellæ ipsius et alia quædam monimenta, tum imago sua depicta in pariete interioris ecclesiæ, cum diademate et infula pontificali et cum titulo desuper perscripto: Sanctus Benno Episcopus *c*: quæ omnia spectatoribus devotionem augent et gratiam.

raptim divina virtute ad ecclesiam Misnensem.

a

b

Colitur in ecclesia a se in honorem omnium Sanctorum dedicata.

c

57 Dum B. Benno tumultum civitatis declinaret, cellæ suæ solitudine se oblectans, et divinarum rerum meditationi liberius quam antea vacans, multas habuit revelationes, quibus futuræ quietis dulcedinem, perfunctorie saltem et quantum viatori licet, degustasse creditur. Eisdem etiam revelationibus illuminatus, multa futura priusquam evenissent, prædixisse fertur: e quibus duo saltem minime contemnenda hic recitasse sufficiat. Quorum alterum in veteri Cella, insigni Misnensis diœceseos monasterio completum ac litteris mandatum est. Cum enim vir Dei longe olim ante Cellam conditam, transitum forte eo loci faceret, videretque columbarum illic turmam gregatim considentium ad comites conversus: En, ait, hic locus est, ad quem parvo post tempore nova quædam convolabit Religio cujus precibus mortalium turba magna salvabitur. Nec cassum fuit oraculum. Orto enim deinde divo Cisterciensium Ordine, Otto Misnensis *d* Marchio Cellense cœnobium dicto Ordini primus ipsius fundator sacrum fecit, et supra quam credi potest mirifice dotavit.

Revelationibus edoctus.

prædicit quædam de ordine Cistercien. e monasterio extruendo,

d

58 Alterum Divi Bennonis vaticinium fuit, quod Marchioni (quem Henricum Dedonis filium esse perhibent) in maxillam eum ferienti prædixisse fertur, quod eodem die anno revoluto alapam sibi datam vindicaturus esset. Erat idem Marchio Regi Henrico admodum devotus, eo quod apud eum (ut supra narravimus) a puero educatus esset. Cumque idem Rex, capularis jam senex, novos iterum in Imperio motus suscitans, decidua jamdudum cornua rursus in cœlum erigeret; a proprio filio carceri mancipatus, pollutam multo sanguine animam contra Poetæ sententiam *e*, sicca tandem morte ad inferos destinavit. Marchio autem præfatus, quoniam Apostolicam Sedem et Ecclesiasticas censuras contemnendo Regi plus justo complacere vellet, nec etiam ab Ecclesiæ Misnensis bonis jam olim a Rege ablatis abstineret, aut ea dictæ Ecclesiæ utcumque admonitus restituere intenderet; cumque quadam vice a Divo Bennone, ob hoc gravius argueretur, nec ratione objecta posset diluere; ira tandem percitus, nihil cano capiti, nihil sacro ordini deferens, venerabilem senem dura percussit alapa. Cui pius Pontifex, non suæ quidem injuriæ memor, sed cœlestis sententiæ spiritu revelante edoctus, futurum prædixit, ut anno sequente, eodem die, admissi sceleris pœnas daturus esset. Nec dicto fides abfuit. Circumacto enim anno cum dies ultioni dicta ad vesperum jam inclinasset; Marchio, qui duro corde facinoris tanti nedum ullam egerat pœnitentiam; verum etiam ludibrio habens sancti viri præsagium, ad Consiliarios suos conversus et veluti Dictator Cæsar *f* Spurinam olim auruspicem irridens; En, inquit, dies, quem atrum nobis Benno futurum interminatus fuerat, sine noxa adest: non considerans venisse quidem diem, sed nondum præteriisse. Itaque adhuc loquens, subito inevitabili Dei judicio non placido, ut antea, sed torvo terribilique vultu eum adorientem, pœnasque poscentem, videre visus est: erat enim paulo antea vita functus, suos igitur, ut suppetias illi ferrent, quoniam Divus Benno eum impeteret, frustra precatus, in genua concidens, subitanea morte periisse dicitur: non tam ob illatas manus violentas in Sanctum Domini, quam quod ut quidam tradiderunt, non ingrederetur ad eum causa pupilli et viduæ, sed magis, oppressor esset pauperum, et ecclesiasticarum rerum æruscator. Extant in eodem loco diversa signa *g* in lapide incisa, in memoriam ac monumentum ejus rei posteris relicta.

et alapa percussus

e

Marchioni Misnensi interitum,

f

terribiliter cum intuens.

g

59 Postquam beatissimus Pater Benno, laborioso hujus vitæ cursu ad extremam ætatem usque impigre constanterque emenso, festæ jam post plurima pericula puppi tutum adesse portum, et æternam instare sibi requiem spiritu revelante cognovit; festinus præ gaudio Fratribus suis Canonicis in unum convocatis

XXXI

ante mortem ad Canonicos perorat :

A vocatis, tali eos oratione alloquitur : Hora est, jucundissimi Fratres, quam ego multis retro annis, nescio an majore sollicitudine, an desiderio semper expectavi. Desiderabam quidem sæpe, ne mala viderem, quibus diebus meis jactata est S. Petri navicula : neve post hujus mihi commissæ Ecclesiæ profanata sanctuaria, et divisa inter hostes spolia, amplius superessem, miseram claudere vitam. Metuebam ex altera parte, ne forte vel hoc ipso, quod divinæ tentationis jacula parum constanter aut nimis molliter ferre viderer, omnipotentis Dei justam inciderem indignationem. Denique implorata Dei gratia, antiquorum Patrum zelum imitatus, Regis Henrici carcerem, et exilium, Buckhardi graves et insignes contumelias, Marchionis postremo ipsius minas et verbera, et quidquid sacrilegis in me manibus patrasse libuit, forti animo pertuli, donec impleta perfidorum hominum malitia divinæ providentiæ arcana sequerentur judicia. Nullam autem in me causam invenerunt, nisi quod sacro sanctæ Apostolicæ Sedis obedientiam confessus, sanctissimi viri Gregorii septimi et successorum suorum causam intrepide tutatus, resque Ecclesiæ meæ nequiter B ablatas, quibuscumque potui ecclesiasticis censuris ac pœnis, vendicare nisus sum. Hæc accusatoris in me summa fuit. Verum, id jurene fecerim an injuria, æterni Judicis tribunal appello, quo præsens hæc hora me vocat. Veniet autem cito post me Henricus Rex ac ceteri Ecclesiasticæ potestatis temeratores : quos inter et me Deus judicabit.

prædicit successorum futurum virum timentem Deum.

60 Sed quoniam vos propter discessum meum tristiores factos esse conspicio ; hanc interim a me consolationem accipite. Successorem in locum meum habebitis virum bonum et timentem Deum, qui Ecclesiasticam rem vestram magna ex parte augmentabit. Idque eo amplius, quod post obitum meum his, qui rem divinam hactenus impedire solebant, plus injicietur terroris et formidinis. Ego enim si, quam spero apud Deum gratiam invenero, susceptum semel hujus Ecclesiæ patrocinium per omnem tuebor ætatem et secula : causamque ipsius ac successorum assumens, accusare non cessabo eos, qui ausu temerario, sive in hanc Ecclesiam, sive in ipsius ministros ac bona committere præsumpserint, ne id impune tulerint. Quod si paululum in accusando visus fuero negligentior, sic sibi persuadeant successores mei, probari partim a Deo eorum patientiam, partim injuriantium expectari pœnitentiam. C Qui si indurati ab incepto desistere noluerint, sentient non longe abfore ab eis perditionem. Contra vero benefactoribus Ecclesiæ meæ omnia fausta ac prospera apud Deum exoraturus sum. Vos autem carissimi Fratres, si procul omni simultate et odio mutuam inter vos caritatem amplexi, non summis tantum labris, sed corde bono invicem salutantes, si divinum cultum haud segniter æmulati, si rempublicam denique Ecclesiasticam potius quam propria commoda et privatas inter vos causas tutati fueritis ; quanto in his omnibus fideliores sincerioresque vos Deus invenerit, tanto facilius me pro vobis interpellantem exaudiet. Quemadmodum igitur hic in terris fui, ita et apud Deum paratum me habebitis, prout singulorum merita vel demerita postulaverint, patronum vel vindicem. His severo admodum vultu et senili gravitate elocutis, singulorumque manibus pro more deosculatis, illos hymnis ac psalmis jussit insistere : ipse vero devota ad Deum oratione habita, accepto prius Ecclesiastico comeatu, fessi tandem corporis sarcinam deposuit. Ferunt illico dulci locum odore afflatum, cœleste quid omnium naribus inspirasse, donec ipsum, juxta Pontificalis muneris dignitatem, in Ecclesia sua Misnensi honorifice sepelierint. Obiit autem decimo sexto Kalendas Julii, anno salutis MCVI, ætatis D XCVI, Episcopatus vero XL.

suæ Ecclesiæ perpetuum suscipit patrocinium,

moritur anno 1106 16 Junii.

AUCT. EMSERO

moritur Henricus 4 ut prædixerat Benno:

61 Defuncto Bennone, Sedem ipsius accepit venerabilis Herwicus, Wurtzensis Ecclesiæ Collegiatæ fundator, quem consecravit Henricus *h* X, Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Ceterum, sicut prædixerat pius Pater, brevi post obitum suum, VII videlicet Idus Augusti, eodem anno prædictus Henricus Rex IV, quasi repetundarum ab eo postulatus, misere obiit. Cujus cadaver quinquennio (ut aiunt) ecclesiastica caruit sepultura. Obiit et Marchio, Divi Bennonis percussor, eo quo supra diximus modo. Quorum casu admoniti successores, Ecclesiæ Misnensis non solum ablata restituerunt, verum de suis etiam bonis semper magis ac magis addiderunt : propter quod in hunc usque diem semper magis ac magis etiam a Deo exaltati ac prosperati sunt. Beatissimus vero post mortem suam non minoribus apud Deum claruit meritis ac miraculis, quam olim in vita, confugientibus ad sepulcrum ipsius plurima impetrans beneficia : quorum quidam a variis languoribus curati, plerique a gravibus periculis et anxietatibus liberati, nonnulli etiam a E morte suscitati sunt. Quorum omnium fides *i* apud Ecclesiam Misnensem litteris, sigillis, testibus, et vel tabellione publico, vel Prælatorum auctoritate amplissima fulta est.

hic vero claret miraculis :

61 Translatio autem ipsius ex loco humili, ubi olim se tumulari jusserat, ad medium Ecclesiæ, ubi nunc tumba ipsius honorifice instructa cernitur, facta est circa annum Domini MCCLXX, quo tempore venerabilis Episcopus *k* Witigo, hujus nominis II, vehemens Divi Bennonis amator et prædicator, certas etiam Indulgentias ad eamdem translationem contulit, quo plenius esset devoti populi gaudium. Idem etiam Episcopus Witigo vino illo, quo Divi Bennonis ossa lota, et a terreno pulvere mundata fuerant, tamquam saluberrimo quodam olei rivo, ægros quamplurimos sanavit. Quorum omnium nomina et morborum species propria manu adnotavit, et apud Eccles. in Misnensem pariter in perpetuam rei memoriam recondidit. Casula vero qua indutus fuerat divus Pater Benno, et Baculus pastoralis, tamquam recens deposita, secum in sepulcro inventa sunt, absque omni cinefactione, quæ etiam non parvam a sanctissimo corpore virtutem attraxere. Nam, ut vetera taceam ; matrona quædam Misnensis diœceseos, ex villa Prentzindorff, prope Frebergam, nostra hac tempestate dæmonio F arrepta, ad sepulcrum Divi Bennonis adducta, cum nullis dæmon exorcismis ab ea fugari posset, induta est tandem Divi Bennonis Casula, et datus in manu Baculus pastoralis ; quo facto exclamavit dæmon : Nunc tempus est ut egrediar : relinquam tamen hospitæ meæ signum, quo mei perpetuo memor erit. Moxque aperto altero mulieris crure, terribiliter elisus est. Foramen autem quod ille fecerat, nulla medicorum arte sanabile, mulier adhuc hodie gestat, et (ut timendum est) dum vixerit non abolebitur.

transfertur anno 1270.

Casula incorrupta pellitur dæmon

63 Præterea, ut pius erga supplices, ita severus in obstinatos divus Pater, juxta promissa sua, sæpius inventus est. Marchionem enim Wilhelmum, eum qui Grymmis mortuus est, cum præpositus olim Misnensis Brutenus nomine sæpe adhortatus esset, ut ab exactionibus et servitiis, quibus colonos ac subditos Ecclesiæ Misnensis præter jus ac consuetudinem prægravabat, desisteret, nec eum ab incepto posset deflectere ; ad auxilium tandem Divi Bennonis confugit : qui exoratus tandem assiduis Præpositi precibus, Marchioni in somnis *l* apparuit, arguens et commonefaciens ad remittenda injusta gravamina. Cumque is Consiliariorum suorum suasu,

Marchioni ecclesiæ injurioso infestus apparens

dicentium

Auct. Emsero tandem oculum eruit.

dicentium non esse curanda somniorum deliramenta, in nullo se emendaret; alia vice per quietem, iterum visus est sibi Benno irruere, et face quam manu gestabat iterum ocellum inurere. Qui mane surgens et eluscatum sese sentiens, tandem compunctus corde, Ecclesiæ Misnensi non solum data resarcivit damna; verum insuper multa contulit donaria, quibus, ut sperandum est benedictionem pro maledictione a Deo promeruit. Legitur tamen tam hunc, quam Divi Bennonis percussorem, spe prolis a Deo frustratos absque legitimo decessisse herede, in pœnam læsæ ecclesiasticæ libertatis.

Canonicorum mortes prænuntiat:

64 Postremo quamvis beatissimus Benno Ecclesiam suam Misnensem et Canonicos ipsius a variis periculis et inimicorum insidiis clementer suis semper meritis eripuerit; nihilosecius tamen eis ipsis etiam, ubi quid delirarunt, non pepercit: sed durus duris pater filiis, gravi ac manifesto quidem supplicio, eorum delicta expiare solitus: mortes quoque ipsorum, præcedentibus paucis semper diebus, valido et vehementi *quodam ictu prænuntiare fertur: *m* monens nimirum eos, quatenus venturam iram celeri pœnitentiæ remedio declinent. Sunt præter hæc alia quoque multa numero præclara facta, dignissima scripto, et lectu jucunda, quæ de beatissimo Patre nostro Bennone referuntur Dei magnalia ac miracula: sed canendum nobis aliquando receptui et linquendus etiam posteris scribendi locus est: neque enim omnia omnes possumus assequi; nec ipse parum Misnensibus decoris ac ornamenti peperisse videbor, qui primus eorum divitias et cœlestem hanc margaritam, tot retro seculis absconditam, in lucem protulerim: satisque nobis id erit demonstrasse, Divum Bennonem nostrum ab incunabilis, usque ad extremum vitæ spiritum, virtutibus ac vitæ sanctimonia fuisse clarum: neque prophetiam illi defuisse, et cœlestium secretorum revelationem; neque gratiam sanitatum, et impiorum hominum ultionem; neque mortuorum denique suscitationem: quibus omnibus magnificavit eum Dominus, in conspectu Regum ac Principum, et in medio populi sui, illique coronam gloriæ perpetuam dedit.

Epilogus.

XXXIII

Dilata Canonizatio Dei providentia,

65 Quia nonnulli mirari solent, cur tanto tempore Canonizatio Divi Bennonis, quamvis sedulo quæsita, suos non habuerit successus; idcirco ne admiratio ista scrupulum tandem, ut fieri solet, cuiquam pariat; hoc ultimo tandem capite palam agendum esse duxi; quibus de causis opus hoc, tam cœlo gratum, quam hominibus proficuum et salutare, hucusque die in diem procrastinatum sit. Principio igitur constans omnium totius mundi sapientum assensus et in confesso est, mortalium cuncta a Divina pendere gubernarique providentia, quæ et velit et possit suo quæque tempore ac loco, prout magis opportuna noverit, hominibus adhiberi ministrarique. Quod si ita est, quis non crediderit opus hoc, tam pium et sanctum, occulta etiam quadam Dei providentia, tum ad majorem ipsius gloriam, tum ad ampliorem hominum profectum, hucusque tardatum iri et in meliora servari tempora? Atqui in agricolis videre hoc licet: quibus si per triduum octiduumve cœlum ad vota non influxerit, illico animum despondent, spemque deponunt; suspicantur male, timent deterius, conqueruntur actum esse de frugibus anni, ac si oblitus esset Deus solitæ mortalium curæ. At ubi mox contra spem omnium serenaverit, et discussis Phœbus nubibus, vitali terras calore refoverit; tunc demum Divinæ providentiæ opera collaudant, et erroris sui conscii fateri coguntur, optimum et temporum et rerum omnium moderatorem esse Deum; solemque longe afluisse tempestivius, quam si ipsi Phaethontis instar quadrigas ipsius suis aurigassent manibus. Haud secus nimirum optimo Deus tempori divi Bennoni apotheosim tacito secum consilio reservat. Facessat igitur mortalium solicitudo: quoniam ut scriptum est Dei perfecta sunt opera. Sed hæc ratio piis fortasse mentibus satisfecerit: verum pertinacibus et humanitus sapientibus, alias insuper hujus moræ causas edemus.

66 Defuncto siquidem mox Bennone, cum recens adhuc esset ejus cum hominibus conversatio, nemo fuit, qui tunc ad hanc rem adspirare auderet. Non enim peti solet vel etiam concedi Canonizationis beneficium, nisi longo tempore, gravique maturitate probatis miraculis ac vitæ sanctimonia; nec item nisi ingenti pecuniarum profusione et impensa. Sed quia sequentibus annorum curriculis, Ecclesia Misnensis multoties, propter incursiones barbarorum et bella finitima vastata atque depauperata est, idcirco ad faciendas tantas impensas facultas tunc nulla adfuit. Novissime vero cum ad *n* Alexandrum VI prima esset hujus rei facta relatio, idem Pontifex Commissarios destinavit, certos sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui causam examinarent: verum priusquam negotium conficeretur, Pontifex diem clausit extremum, deinde etiam Commissarii (quibus res jam nota erat) demortui sunt. Itaque Divo Julio, moderno urbis Romanæ Episcopo, denuo supplicatum est, qui et ipse huic operi Commissarios dedit Reverendissimos olim Cardinales, Raymundum Gurcensem, Melchiorem Brixinensem, et Dominum Alexandrinum: quorum omnium auctoritate et benevolentia; cum duo præcipue ex eis sepulcrum Bennonis, et quædam miracula propriis vidissent oculis, optatum jam finem haberemus proculdubio, nisi intempestiva eorum morte *o* Deus nobis manifeste ostendere voluisset, nondum venisse tempus huic operi sua providentia destinatum. Quæ etiam causa est, ut Domini Canonici et hi quorum interest, quamvis operam suam haud segniter adhibeant, præter modum tamen Pontificem non nimis urgeant; tum propter arduas suæ Sanctitatis tam domesticas quam publicas occupationes, et temporum istorum discrimina; tum quia de sanctitate divi Pastoris sui, quem penes se quotidie novis fulgere signis ac miraculis suis conspicantur oculis, nihil hæsitantes, præfinitum a Deo tempus æquiore præstolantur animo. His igitur ex causis in hunc usque diem tardata est Divi Bennonis Apotheosis sive Canonizatio, ut vocant, cum ipse tamen in privato nihilosecius, ut pius Christi Confessor, a plerisque veneretur ac invocetur. Siquidem ad Confessorum sanctimoniam probandam, non sanguinis quæritur effusio, aut ullum supplicii genus, sed miraculorum dumtaxat fides ac magnitudo: quibus ille multis jam millibus spectatus est, largiente altissimo Domino Deo nostro: cui sit laus, honor, claritas, et gratiarum actio per infinita secula seculorum.

ob miseriam temporis,

et mortem Alexandri VI ac Commissariorum.

ANNOTATA G. H.

a *In epistola ad Leonem X et Bulla Canonizationis ista habentur:* Neumberg pagus a Misna longissime cum absit, aliquando tamen divinitus accidit, ut uno eodemque tempore et illis rem sacram faceret Benno, et Misnæ rebus divinis interesse videretur.

b *Coluntur* S. Conradus Episcopus Constantiensis 26 *Novembris,* Udalricus Episcopus Augustanus 4 *Julii.*

c *Quam libenter hanc æri incisam exhiberem, si nancisci possim!*

d *Otto ibidem cum conjuge Hedwige sepultus. Est autem* Cella *monasterium ad flumen Muldam, erectum tempore Frederici Barbarossæ. Consule Marchiones Misnenses*

Misnenses carmine elegiaco a Fabricio editos. De Cisterciensis autem Ordinis initio an. 1098 *vide quæ diximus ad Vitam fundatoris Roberti,* 29 *Aprilis num.* 13.

e *Juvenalis Sat.* 10 v. 112. Ad generum Cereris sine cæde et vulnere pauci Descendunt Reges, et sicca morte Tyranni.

f Spurina *prædixerat Cæsari ut Martias caveret Idus, apud Valerium Maximum.*

g *Horum quoque figuras optaremus posse exhibere spectandas.*

h Henricus *aliis,* XI *valde laudatur a Krantzio lib.* 5 *Metropolis cap.* 27 *In Chronico nostro MS. Saxoniæ dicitur* ordinatus *anno* 1103, mortuus anno 1108.

i *Hinc dubium mihi nullum est, quin ex illis, siquidem adhuc servantur, longe amplior suisque circumstantiis ornatior series miraculorum texi possit quam sit mox danda collectio, singula summatim perstringens.*

k Witigo *hic secundum Catalogos hujus nominis primus est, et infra in Miraculis num.* 1 *Bitigo dicitur ad annum* 1281 ; *et num.* 11 *ad annum* 1277 *et* 1279 *ei successerunt Bernardus, Albertus II et dein Witigo II extinctus anno* 1347.

l Tertio apparuisse *dicitur in Bulla Canonizationis et apud alios, et quarta vice oculum excussisse ; hinc* Wilhelmus cocles *appellatur apud Fabricium.*

m *Vide simile quid* 25 *Maji de B. Clarito, Presbytero Florentino.*

n Alexander VI *creatus anno* 1491 *vita functus anno* 1503, *cui subrogatus* Pius III ; *sed eo intra* 27 *dies mortuo, successit* Julius II *vixitque usque ad annum* 1513,

o *Ex vita migrarunt* Raymundus 5 *Septemb. anni* 1505 *et* Melchior 2 *Maji anno* 1509, *itemque Joannes Antonius de S. Georgio, Episcopus Alexandrinus post quorum obitum hæc Vita scripta, et anno* 1512 *excusa est. Quod sequitur* Carmen *titulum quidem præfert* in Apoteosim Divi Bennonis ; *revera autem vocari potest*

VITÆ SYNOPSIS

Ab eodem Auctore elegiacis expressa.

Urbs antiqua jacet, vastis vicina Bohemis,
   Monte racemifero nobilis, atque solo :
Misnæ urbe libera
Nobilis argento, gemmis, omnisque mineræ
   Divitiis : Misnam Theutona lingua vocat.
Illius ad calcem frendens Aquiloneus Albis,
   Suspenso trabibus ponte superbus abit.
Ast in supremo sociata est vertice, pulchræ
   Pulchrior ecclesiæ regia, digna Jove
Regia quæ Pariis totum formosa columnis,
   Dardanias arces posthabuisse queat.
Hæc etenim secto lapide, et testudine mira,
   Vincit, quas omnes vidimus ante, domos.
Sed tamen Ecclesiæ junctæ non ultima laus est :
   Libera quod nulli, ni tibi Papa, subest.
Condita quod magnis quondam est Ottonibus, et [quod
   Misniaco semper principe tuta fuit.
Quoque ejus Clerus tota cultissimus urbe,
   Plenus honestatis, relligione, fide.
divinus cultus viget
A quibus assiduo laudantur carmine Divi :
   Hic cantant hymnos, nocte diuque sacros.
Hic ducibus, vel Præsidibus commune sepulcrum :
   Hic sunt Sanctorum corpora multa Patrum.
Hic jacet Albertus fama super æthera notus,
   Saxonicæ nuper gloria magna domus.
Hic trucibus pendent Frisiis oblata trophæa,
   Quos docuit Dux hic Saxona fræna pati.
Hic hic, inprimis, nostri farrago libelli,
   Benno jacet media conditus æde sacra,
Benno, qui hic quondam meritis dignissimus altis
   Præsul erat decimus, Pastor ubique bonus.
AUCT. B. SERO S. Benno Episcopus
Nam si vel vitam, vel si miracula spectes,
   Ostendunt sanctum singula facta virum.
Ostendunt siccis vel flumina pervia plantis,
   Aut in fluminibus squammea turba latens.
Illæsæ vestes, ossa inconsumpta fatentur,
   Plus sexaginta condita lustra solo.
Et quam perrexit unam via longa per horam,
   Fertilior sacro pressaque terra pede.
Lipsana portendunt occulto transfuga saltu,
   Cernere quæ tantum lumina casta querunt.
liberalis in pauperes,
Addunt hinc veteres mira et memoranda coloni,
   Cum quibus hic vixit non sine laude Pater.
Vixit enim viduis, pupillis, vixit egenis ;
   His quoque distribuit, non cumulavit opes.
Nec tulit in molli corpus torpescere pluma,
   Aut in purpurea luxuriare toga.
Quin indefessus justi zelator et æqui,
   Pro grege devovit remque animamque suo.
Pro grege porrecta, crudelia verbera, palma
   Pertulit, et pugnos exiliumque, suo.
multa passus
Hinc vivente illo pascenteque nemo tyrannus
   Lædere Bennonias tunc fuit ausus oves.
Aut si tentavit quisquam, nec mortuus illos
   Sustulit impunes, sed gravis ultor erat.
Pars pede succenso, tumido pars gutture sensit,
   Quid valeant sancti numina læsa viri.
Sunt qui luminibus capti, qui morte piati,
   Sacrilegum luerint eluerintque scelus.
Multa tamen majorque suæ pars conscia culpæ,
   Dum flevit cœpti facta nefanda sui,
Cumque dolens alto traxit suspiria corde,
   Promeruit veniam, restituitque duplum :
Nulla est tam vehemens pœna aut gravis ira Deo- [rum,
   Quin ubi pœniteat, flectere possit homo.
Quis petiit veniam non exauditus ab illis ?
   Quis frustra ingemuit ? quas renuere preces ?
Præcipue Benno, nullis mortalibus unquam
   Difficilis, nullis justa petita negans :
Ad cujus tumulum glomerantur pendula vota,
   Multus ut accepta contulit æger ope.
Cernitur hic lacero confossus pectora ferro :
   Hic alius fracto crure perire timet.
Hic cecidit summa quondam resupinus ab arce :
   Ille fuit rapidas obrutus inter aquas.
Hic trahit in mediis positus suspiria flammis :
   Hic cinctus valido corripit hoste fugam.
Miraculis ad sepulcrum claret
Hic queritur febres, alius fera tormina ventris ;
   Hic misero nervos vellet abesse pede.
Ille elephantiasim deplorat, hic enterocelas :
   Aut hæmorrhoides, lithiasinve dolet.
Denique quisquis adest placida redit inde salute.
   Nec patitur cassas Benno fuisse preces.
Sensit opem Princeps : sensit quoque regia conjux,
   Quæ prius ægroto fleverat usque viro :
Nunc formosa suo ridet conjuncta marito.
   Et pendit divo cærea vota Patri.
Inde frequens aliis etiam de gentibus illuc
   Accelerat variis turba gravata malis.
Huc veniunt Thuri, Pruteni, Sarmata, Sclavus ;
   Huc vicinus agit sæpe Bohemus iter.
Sæpe etiam admonitus media per somnia nocte,
   Huc tulit arctoo Cymber ab axe pedem.
Mille licet veniant, referunt quoque mille salutem :
   Arguit hoc sanctum scilicet esse virum.
Auctor equerulus de mora Canonizationis,
Nam licet hoc nulli sacro sine numine Divum :
   Nemo malus tanta et talia signa facit.
Et tamen (indignum !) quatuor modo secula et ultra,
   Dum pollet meritis his magis atque magis,
Nemo hunc Pontificum merito dignatus honore est,
   Nemo inter Sanctos rettulit, ante Sacrum.

Hoc

A

AUCT. EMSERO

Hoc ego dum mecum nuper stomachatus acerbe,
  Nunc hos nunc alios insimulando reos :
Ingenui tantam tanto latuisse tenebris
  Tempore virtutem. tot benefacta viri.
Scilicet invidia fieri potuisse putabam :
  (Quæ (nisi non valeat) supprimit omne bonum.
Accusabam omnes, quibus hic benefecerat olim :
  Sed plus Canonicos Misniacosque viros.

Inducit apparentem sibi Sanctum

Nec deerat multum quin tunc homines pie Deosque
  Dixissem ingratos immemoresque boni.
Donec in infuso, quo nescio numine, somno
  Benno mihi visus talia verba loqui :
Insimulas falso sanctos Hieronyme Patres,
  Frustra indignaris Fratribus inde meis.
Non est Pontificum, non est incuria Fratrum,
  Quod mihi nondum aras constituere sacras.
Nec minus ambrosia vescor, vel nectare potor :
  Nil facit ad Sanctos hic popularis honor.

monentemque ut ista colat.

Nec tantum gelidi superis libamina saxi,
  Quam pudor et probitas sanctaque vita placet.
Qui vitam innocue vixit, hic esto beatus ;
  Sive etiam rodant membra rejecta feræ.
Sed tu quando pio nostri succensus amore
  Tam petis in nostris thura adolere focis :

B

Ne dubita ventura suo stata tempore fato,
  Quæ Deus occulta nunc ratione tegit.
Interea nostros sine quæso quiescere manes :
  Et quem thure nequis, fac pietate colas.
His dictis, Benno subitis evanuit alis :
  His dictis, somno sum resolutus ego.

Hic sequebatur Bartholomæi Stenebergensis, Philosophi et Oratoris, Carmen lyricum ad Divum Bennonem, *stropha quinque contextum ; sed elegantia tam exigua, ut cum Hieronymi collatum versibus poema istud, censere omnino debeat non prorsus ἀρχὰς ὁδόντ*.

Ipso itaque omisso, finio cum Epigrammate, a quo Hieronymus editionem incipit, ipsum ante Dedicatoriam collocans in fronte libelli, post relatam a Sancto, pro impensa opera, gratiam desperatæ alias sanitatis.

Dive pater Benno pro vita suscipe vitam,
  Hoc hostimento nil tibi majus erit.
Tu mihi mortalem precibus producere vitam
  Visus, ubi medica destituebar ope.
Immortale tibi nomen vitamque repono,
  Nam vives scriptis nostra fide meis.

MIRACULA S. BENNONIS

PARS I,

C

Patrata ante Canonizationem.

Ex Impresso Romæ anno MDXXI.

MONITIUNCULA PRÆVIA.

Hæc miracula sanctitatem B. Bennonis plane declarant ; multa autem brevitatis causa prætermisimus, quæ superioribus temporibus in apertum fuerunt prolata. Edita autem sunt hæc Romæ, sub Pontificatu sanctissimi in Christo Patris Domini nostri, D. Leonis Papæ X, anno ejusdem nono, post Christum natum MDXXI, die XII Martii. *Ita legitur in fine libelli, quod inde ad initium retrahere malui, fidem facturum referendis infra : quorum aliqua cum plenius habeantur in Germanice editis ; apparet illa in ipsis Processibus notari distinctius, cum omnibus circumstantiis ; et fieri posse, ut ex ipsis (siquidem adhuc extent, ut existere videtur) aliquando conficiatur tractatus grandis, qualem de S. Francisco Paulano, Yvone Presbytero, similibusque collegimus. Nunc quod suppetit damus : Sed non eadem qua impressum est forma. Editionis nempe Romanæ curatori hoc propositum erat, ut Cardinales et alii cognitores causæ haberent Summarium miraculorum, quæ cum suis probationibus et circumstantiis legere in Processu possent : ergo imprimis curavit notare folium, ubi singula invenirentur, et numerum testium rem unamquamque affirmantium, quod fecit hoc modo*

D

	Testes	*Folium*
	II	*in Proc.*
	I	CL.
	V	CXXXVII

In contextu Capitis III. *quod caput, quia ceteris prolixius est in tria Capitula partior post singula miracula adjunit, quoti essent* in ordine examinatorum Testis *vel* Testes *in margine solo numero signati. Quæ omnia nobis, ipsos Processus non habentibus, servire non possunt ; præter numerum Testium, quem ex margine in textum transferam, notando post singula miracula quot fuerint cujusque miraculi* Testes II. III. V. VIII *etc. non quo ordine illi testimonium dixerint : Titulos autem præfixos singulis Paragraphis, vg.* E MORTUIS EXCITATI VIII. *quibus Capitali littera scriptis interpolatur contextus, in Margines conjiciam ; atque ita futurum puto, ut antiquæ illius editionis nihil desideret Lector, quod facere ad rem videatur.*

E

CAPUT I.

Miracula B. Bennonis, certis Testibus, per compulsum productis, confirmata.

Cunegundis, filia Henrici Preusleri viri nobilis, quinque annos nata ; cum una in lecto cum parentibus dormiret, casu nescio quo oppressa interiit. Quæ deinde ad sepulchrum Divi Bennonis delata : voto facto revixit anno MCCLXXVII *a*. Testes II. Conradus natans quidam in flumine Cana submersus, voto facto revixit Anno MCCLXXIX *b*. Test. II. Thomas quidam adolescens in pago Koczsperg magno terræ pondere obrutus, deinde vero e terra exanimis plane effossus : cum nulla spes vitæ aliunde ostenderetur ; fide Divi Bennonis implorata, excitatus est anno MCCLXXIX *c*. Testis I. Gutta, ancilla Hermani de Schirmeniez Equitis aurati, gravi casu emortua, post votum revixit anno MCCLXVII. Testis I. Puer sesqui annum natus, gravissimo morbo confectus, pro mortuo habebatur : post votum convaluit anno MCCCXCI. Test. II. Mulier quædam Misnæ infantem exanimem peperit, qui post votum spirare cœpit, et in vitam plane reductus est, anno MCCXCII Test. IV. Adolescens quidam, aquam ex fonte haurire cum vellet ; in fontem delapsus est, atque eo casu emortuus. Cumque a summo mane usque ad vesperum pro mortuo haberetur, tandem voto facto revixit anno MCCLXXIX Testes V. Cum aliquando Bitigo *d* Episcopus Misnensis in festo Divi Donati (quem ecclesia Misnensis ut numen tutelare colit) populum Christianum publice doceret, factum est : ut puer bimus, qui in puteo quodam interierat, ad sepulcrum Divi Bennonis deferretur, et eo ipso tempore subito revivisceret anno MCCLXXXI, Test. II. Item Rustico quidam puer bimus in aquis perierat, qui ad sepulcrum Divi Bennonis delatus revixit Test. I. Item puer septem annorum cujusdam Equitis aurati de porta in fossam deciderat indeque mortuus plane extractus, post votum revixit. Test. IV. Puella quædam, nomine Catharina, ex editiore ædium parte delapsa, per integram horam pro mortua hebebatur : voto facto revixit, Test. I.

Mortui excitati XI

a

b

c

d

F

d

2 Sutor quidam, nomine Theodoricus, gravissimo morbo confectus, et ita quidem ut medici vitam ejus penitus desperarent ; haustu vini illius quo lota erant ossa Divi Bennonis, convaluit anno *e* MCCLXVII. Testes VI. Bitigo Episcopus Misnensis divertens aliquando ad moderatorem parochiæ Dresdensis, invenit illic puellam quæ graviter ægrotabat

Periclitantes variis morbis servati VI

e

bat, et putredine tota consumebatur. Ea voto facto statim convaluit anno MCCLXXVII. Test. VIII. Uxor præfecti arcis Grocz filium male affectum ad sepulcrum Divi Bennonis adduxit : qui post votum convaluit, anno MCCXLIII. Test. I. Bitigone Episcopo Misnensi in oppido *f* Isenach pernoctante, civis quidam filiam habebat quæ diuturna ægritudine contabuerat : et ita quidem ut salus illius omnino desperata esset. Sed tandem ea ad sepulcrum Divi Bennonis deducta convaluit. Test. I. Puer novem annos natus tanto morbo affectus, ut viginti diebus nihil cibi caperet ; voto facto, incolumis evasit anno *g* MCCCXXXIX. Test. I. Nicolaus quidam homo rusticus fœdissimam faciei putredinem ex gliriuni urina contraxerat : ille post votum sanitatem recuperavit, anno MCCCXCIV. *h* Test. I.

Phrenetici liberati II

3 Puella dicta Elisabeth, phrenetica, manibus et pedibus ligata, retineri non poterat : facto voto ad se rediit anno MCCCXCIX. Test. I. Clara quædam furiosa erat, atque ea duodecim annos compedibus et catenis vincta, tandem ex voto sanatur anno MCCCXCIV. Test. I.

Obsessa quædam liberata

4 Mulier Gutta quatuor annos obsessa, sæpe eo dementiæ pervenit : ut sibi ipsi manus afferre vellet. Ut vero ad se rediit, votum Divo Bennoni faciens, illudque persolvens, dæmonibus liberata est, anno MCCCXCIV. Test. III.

Ex mutis loquentes II

5 Puer quindecimum annum agens obmutuit plane et usum loquendi penitus amisit. Cumque quinque hebdomadis et totidem diebus mutus esset ; ad sepulcrum Bennonis ductus voto facto loqui cœpit anno MCCX. Test. VIII. Item mulier Gertrudis quinque annis muta cum fuisset ; tandem ad sepulcrum Bennonis ducta, loquendi facultatem recuperavit, anno MCCLXXX *i*. Test. VIII.

Cæci et II qui oculis male affecti fuerunt VIII

6 Infans sex mensium oculis aliquamdiu orbatus, tandem voto facto usum recepit anno MCCLXXVII. Test. III. Item alius quidam puer altero oculo orbatus, numine Divi Bennonis invocato, visum cernendi recuperavit anno MCCCXCI. Test. I. Filia Nicolai fabri lignarii, excæcata penitus, facto voto cæcitate omni depulsa, rectissime vidit anno MCCCXCI. Test. I. Agnes femina Pragensis diuturna cæcitate vexata cum esset ; votum Divo Bennoni fecit : qui subito oculos illius aperuit. Illa vero immemor tanti beneficii votum persolvere distulit. Quo factum est ; ut ipsa iterum magno oculorum dolore affligeretur. Quamobrem ad pœnitentiam conversa (quippe quæ conscia erat ingratitudinis suæ) Divo Bennoni in duplo majus fecit votum. Quo facto, penitus convaluit. Quod ipsamet jurejurando coram Notario et testibus persancte affirmavit anno MCCCXCIV *k*. Item mulier quædam Misnæ habitans per decennium cæca, post votum sanata est anno MCCCXCV. Test. III. Civis quidam Misnensi gravissimo oculorum dolore affectus, tandem consilio uxoris usus, votum Divo Bennoni fecit : et statim convaluit, anno MCCCXCIV. *l*. Test. I. Elisabeth, uxor cujusdam Equitis aurati, undecim hebdomadis oculis *m* capta, voto facto melius se habere cœpit, deinde vero ad sepulcrum Divi Bennonis ducta, penitus sanata est, anno MCCCXIV. Test. I. Mulier quædam alterum oculum penitus amiserat, altero vero non satis recte cernebat. Cumque tum ipsum ligno quodam acuto ita læsisset, ut de omni visu actum esse timeret ; voto facto utroque oculo videre cœpit, anno MCCCXCIV. Test. I.

Surdi sanati II

7 Mulier quædam ex oppido *n* Dobeln surda ad sepulcrum Divi Bennonis confugit votumque illi fecit : et subito audire cœpit anno MCCLXXVII. Test. I. Item altera quædam mulier, longo temporis intervallo surda : voto facto audivit : idque coram Notario et testibus confessa est anno MCCCXCIV. Test. I. Homo quidam rusticus nomine Hieronymus sex annis surdus, voto facto audivit anno MCCCXCIV. Test. I.

Paralytici curati XI

8 Regutta mulier quædam in paralysim dum incidisset, sex menses decubuit : tandem cum voto ad sepulcrum Divi Bennonis delata, convaluit, anno MCCLXVII. Testis I. Ludovicus quidam sex mensibus paralysi implicatus, cum nulla medela curari posset ; voto facto pristinam incolumitatem recuperavit, anno MCCLXX *o*. Testis I. Cunigundis quædam mulier paralytica post votum convaluit anno MCCLXX. Testis I. Item puella de Pravehagen, tribus mensibus paralytica, post votum sanata est, anno MCCCXCIV. Testis I. Item Agnes quædam, per decennium paralytica, post votum convaluit, anno MCCCXCIV. Testes IV. Joannes rusticus quidam, per septennium paralyticus, post votum sanitati pristinæ restitutus est, anno MCCCXCIV. Testes IV. Mulier quædam ex *p* Northausen, quæ civitas Moguntiensis Diœcesis est, gravissimum pedum dolorem contraxerat. Quem morbum tunc persicam, nunc paralysim medici vocant : eu, cæpnam. mulier Divo Bennoni votum cum fecisset, penitus convaluit, anno MCCCXCIV. Test. III. Thomas Haveta, duodecim annis paralysi ita confectus, ut manus suas movere non posset ; voto facto, sanatus est, anno MCCCXCIV. Testis juratus. Puella duodecim annos tum paralytica tum lunatica, ex voto sanatur anno MCCCXCIV. Testis juratus I. Item mulier quædam duodecim annis paralytica : ex voto sanatur anno MCCCXCIV. Testis juratus I. Item alia quædam mulier, nomine Elisabeth, septem annis paralytica, voto facto, melius se habuit. Cumque ad votum persolvendum Misnam se conferret, in ipso itinere priori alterum votum addidit : atque illico sanitati pristinæ restituta est, anno MCCCXCIV. Testis juratus I.

Claudi curati IV

9 Homo quidam, nomine Conradus, quatuor annis claudus fuerat, et ita quidem ut quocumque ire vellet scipione niteretur : tandem ad sepulcrum Divi Bennonis confugiens, rectæ valetudini restitutus est : ut relicto illic scipione se domum incolumis, et recte incedens reciperet, anno MCCCXCIV. Testes 6. Mulier quædam pedibus per integrum annum ægra, et ita quidem ægra ut ne ingredi quidem posset : voto facto sanata est, anno MCCCXCIV. Testis I. Alia quædam in plantis pedum maximum dolorem contraxerat. Cumque plantæ putrefactæ consumerentur penitus, voto facto recte valere cœpit, anno MCCCXCV. *r* Testis I. Item alia jurejurando affirmavit, se ab ineunte ætate usque ad vigesimum ætatis suæ annum altero ex pede laborasse, ac tandem voto facto, sanatum esse, anno MCCCXCIV.

Inflati et hydropici curati VI

10 Uxor nobilis viri Ulmar. Canez, corpore ita inflata, ut nemo dubitaret quin moreretur, maritus tamen ejus, qui plurimi faciebat Divi Bennonis numen, pro ea votum fecit, tanquam ad sepulcrum Bennonis duxit. Quo factum est, ut illa statim convalesceret, anno MCCCXCII. Testes 4. Alia similiter inflata, Divi Bennoni precibus mariti sui, cum esset commendata, convaluit, anno MCCCXCII. Testes 2. Item adolescentis cujusdam, quatuordecim annos nati, pedes in maximo erant tumore. Qui a matre sua Divo Bennoni commendatus recte valere cœpit anno MCCCXCIV. *s* Testes 4.

Contracti restituti

11 In præsentia Bitigonis Episcopi Misnensis mulier quædam egena, diuturno tempore contracta, ad sepulcrum Divi Bennonis venit, quæ votum faciens, in conspectu omnium convaluit, anno MCCLXXIII *t*. Testes 6. Item alia simili modo quindecim annis contracta, voto facto sanata est, anno MCCLXXIX. Testis I. Erat aliquando Bitigo Episcopus Dresdæ : eo tempore mulier quædam puerum contractum peperit : Et ita quidem contractum, ut homini similis non

non esset. Is paucis post diebus ad sepulcrum Divi Bennonis cum voto delatus *u* rectam corporis formam et habitudinem consecutus est, anno MCCLXXVII. Testes 10. Filia Equitis cujusdam plantis transversis nata, post votum rectam pedum formam habere cœpit anno MCCCXC. Testes 2.

Ex vet. impr. *u*

Gibbosi a deformitate liberati. IV.

12 Nata est cuidam civi Misnensi filia, in pectore pariter et in dorso gibbosa : et ita quidem ut se elevare nullo modo posset. Ad hoc incommodum alterum accedebat, quod pedes habebat inversos : ea inquam, sextum cum ageret annum, a parentibus ad sepulcrum Divi Bennonis deducta, voto facto bonam corporis formam accepit, anno MCCLXXVII. Testes 2. Puer adeo gibbosus ut ire non posset, ad sepulcrum Bennonis delatus, voto facto, omni corporis deformitate liberatus est anno MCCLXXIX. Testes 4. Puer semestris gibbum habuit, qui eo magnitudinis creverat, ut capiti similis videretur. Is, inquam, puer ad sepulcrum Divi Bennonis delatus, illique impositus, statim deformitatem illam abjecit anno MCCLXXVIII. *x* Testes 3. Item puer bimus sex mensibus gibbosus, post votum deformitate liberatus est. Testes 5.

x

y *a Sanguinis fluxu curati* V

13 Mulier per integrum annum, *y* fluxu sanguinis laborans, ad sepulcrum Divi Bennonis ducta, convaluit anno MCCLXXVII. Testes 3. Item alia profluvio menstrui adeo debilitata, ut omnem spem vitæ amitteret : voto facto, recte valere cœpit, anno MCCXCI. Testes 2. Puer decem annorum, decem hebdomadis dissenteriæ implicatus, cum a medicis curari non posset : et usque eo debilitaretur, ut illi haud dubie moriendum esset : voto a parentibus facto convaluit, anno MCCCXCII. Testes 4. Incidit in dissenteriam puella decem annorum eaque cum per octo hebdomadas medela sanari non potuisset, post votum recte valere cœpit, anno M CCXCII Testes 2. Item mulier quædam per quinquennium fluxu sanguinis vexata, cum eam medici curare non possent, voto a marito facto, (qui tum Misnæ erat,) convaluit anno MCCCXCIV.

ab epilepsia sanati V.

14 Petriza mulier puerum decem annos natum habuit, qui morbo comitiali laborabat. Is statim post votum convaluit anno MCCLXXIV. Alius quidam puer eodem morbo laborans, post votum sanatus est. Oppidanus quidam Lejicensis, septem hebdomadis epilepticus, post votum convaluit, anno MCCCXCIV. Testes 4. Item puer quidam, per integrum annum epilepticus, voto facto pristinam incolumitatem recuperavit, anno MCCCXCIV. Testes 2. Alius quidam puer sesquiannum singulo quoque die, sexies morbo comitiali correptus, voto facto convaluit, anno MCCCXCIV. Testis I.

Peste et apostematibus liberati IV

15 Civis quidam Fribergensis squinantia laborans, et eo morbo ita debilitatus, ut ejus vita desperata esset ab omnibus, voto facto sanatus est anno MCCLXXVII. Testis unus Otto Erckenbirch filium habebat, in cujus collo apostema ingens nascebatur. Puer itaque cum cibum capere non posset, imploratum est Divi Bennonis auxilium. Cujus numen puero in extremum discrimen adducto subvenit anno MCCXCVII. Testis I. Mulier quædam peste infecta, voto facto servata est anno MCCCXCII. Testis unus Filia civis cujusdam *z* Hainensis in pestem incidit : cumque morbo ita confecta esset, ut quatuor horis exanimata jaceret, ad se tandem subito rediit, patremque admonuit, Divo Bennoni votum ut faceret ; quem sibi tum cum extra suam potestatem posita fuisset, apparuisse affirmavit. Pater itaque votum faciens, filiam servavit, anno MCCCXC. Testes 3.

z

Febricitans curatus I.

16 Rusticus quidam in gravissimam febrem incidit, cumque de ejus salute omnes desperarent, voto facto convaluit, anno MCCCXCIV. Testis I.

Leprosi sanati II

17 Mulier quædam, nomine Elisabeth, quatuor annis leprosa, post votum pristinæ sanitati restituta est, anno MCCCXCIV. Testis I. Alia quædam Misnæ habitans leprosa, voto facto confestim sanata est anno MCCCXCIV. Testis I *z*.

α *a calculo liberatus* I

18 Christianus, Episcopi Misnensis Marschalcus cum Domino suo peregre proficiscens, gravissimo renum dolore torqueri cœpit. Cumque se Divo Bennoni commendaret, calculus (qui tantæ magnitudinis erat, ut sine periculo vitæ expelli non posset) resolutus sua sponte per virgam virilem effluxit anno MCCCXCIV. Testes II.

Apoplexia liberati II

19 Ramnoldus Canonicus Misnensis dormitum cum ivisset, apoplexia correptus est : cumque maximo afficeretur dolore, opem Divi Bennonis imploravit : nec vero dolor quidquam remisit. Obdormiit ille, per quietem autem sibi visus est hanc vocem audire : Deus peccatores non exaudit. Postero itaque die peccata sua maxima cum pœnitentia confessus est, votumque persolvit, ac eamdem bonam valetudinem recuperavit, anno MCCCXCIV. Testis I. Joannes Coltener, Lipzensis Canonicus regularis apoplexia tactus est, et ita quidem tactus, ut per triduum nec edere posset nec loqui. Quarto demum die, cum ejus nomine quidam sepulcrum Divi Bennonis inviseret, votumque per eo faceret, convaluit, anno MCCCXCIV. Testes VI.

Manci sanati II.

20 Puer sesquiannum natus dextera manu mancus fuit, eo accessit maximus humeri dolor : relictus is a medicis, qui omnino desperabant, Divo Bennoni commendatus est, et statim convaluit anno MCCLXX. Test. III. Item alius XIV ætatis annum agens, utraque manu mancus erat. Cumque per integrum annum nunc tertio, nunc quarto quoque die gravissimo morbo affligeretur : aliquando ita debilitatus fuit : ut in terram caderet : et per XXX horas pro mortuo haberetur. Cum igitur votum pro eo fieret, et ipse revixit, et manibus mancus esse desiit, anno MCCLXXVIII. Testes V.

δ *Capti liberati* II.

21 Nicolaus *δ* Episcopus Misnensis aliquando captus cum esset ; implorata Divi Bennonis ope liberatus est. Id quod ipse in Capitulo Misnensi publice testatus est, anno MCCCXCI. Testes VI. Frater Joannes de Groneberg, qui præerat rebus sacris apud Sepulcrum Domini, una cum Duce Burgundiæ et Episcopo Constantiensi, Hierosolymam proficiscentibus, a Rege Aragoniæ captus ; cum multa alia vota fecit, tum auxilium Divi Bennonis imploravit. Qui illi per quietem apparuit canitie veneranda atque Episcopali habitu præditus, eumque bono animo esse jussit. Cras enim liberabimini, inquit. Id quod ita accidit. Nam Rex Cypriæ postero die illis subvenit anno MCCCXCIV. Testes XV *γ*.

γ *a languoribus quibusdam sanati* II.

22 Puer tres annos natus a vermibus ita cruciabatur, ut e naribus pariter et auribus multum sanguinis profunderet. Quid multa? medici desperarunt : Divo Bennoni factum est votum : puer convaluit, anno MCCLXX. Testes IV. Mulier quædam Lipsensis morbum fistulæ et quidem illum gravissimum in altero pede contraxerat. Cumque eo quatuor annis laborasset, tandem B. Bennonem invisere volens, eique votum faciens, in ipso itinere sanata est anno MCCCXCIV. Testis I.

ANNOTATA D. P.

a *In Germanico dicitur quod antea* diu periculose ægrotavit, *allataque ad sepulcrum*, paulatim movere se denuo cœpit.

b *Plenius in Germanicis narratum hoc accipies cap.* 6 *num.* 83.

c *Etiam hoc ibidem distinctius invenietur.*

d Bitigo *alis* Witigo I, *qui anno* 1270 *transtulit corpus S. Bennonis.*

e *Imo anno* MCCLXXII, *aut* LXXVII *quia tota sunt ossa anno* MCCLXX : *similia autem menda ex typothetarum incuria nonnumquam recurrent, fortasse non semper, nec tam certo observanda.*

f Henacum *oppidum Thuringiæ, ad confluentiam Nessæ et Horsel haud procul a confiniis Hassiæ, ducatus titulo illustre.*

g *Hic solum legebatur* CXXXIX, *quod supplendum fuit.*

h *In Germanicis hoc habetur quasi an.* 1300 *factum, pleniusque narratur num.* 87.

i *Etiam hoc testibus et circumstantiis affirmatum reperire num.* 84.

k *Testes allegantur* Nicolaus Homud Canonicus Wurzensis, Joannes Lobenizius Vicarius, Martinus Eziskou Notarius, *et mulier ipsa nominatur* Agnes Duhannus Krecowinna vidua, *resque adscribitur an.* 1300.

l *Rem eamdem vide cum circumstantiis num.* 90.

m *In Germ. dicuntur* oculi, post toleratos XI hebdomadis dolores, pustulis et glaucomate obducti *fuisse, et mulier curationem testata* 12 Junii.

n Dobel *oppidum Misniæ ad Muldam fluvium,* 4 *leucis horariis Misna distat. In Germanicis num.* 80 *infra, dicitur res acta cum* die tertia Pentecostes *id est* 18 *Maji, quia Pascha fuit* 28 *Martii. Misniæ in Nosocomio dedicatio templi celebraretur.*

o *Videri posset hic idem esse, de quo plenius num.* 78.

p Northusia *urbs Thuringiæ libera et Imperialis ad fluvium Zorgiam, media fere inter Erfurtum et Halberstadium.*

q *In Germanicis adscribitur an.* 1300, *et curatus dicitur* Glowizensis *fuisse, atque ægre Misniam pedibus adrepsisse : testesque adduntur, qui* miraculo adfuerunt, Nicolaus Esserwerthensis, Bernardus Eibbenwertensis, Nicolaus Schumans, Stephanus Mayr Notarius et alii 8 Augusti *narrantes, quod sciebant.*

r *Plenius hoc vide infra num.* 93.

s *Videtur esse, de quo num.* 90, *sed ille dicitur annos* 14 *sic laborasse.*

t *Et hic perperam erat impressum* MCCCXCIV ; *correctius et plenius German. num.* 79.

u *Ibidem dicitur puer allatus* cum jam tres hebdomades esset baptizatus, *idque testatos parentes* die 3 Pentecostes finita dedicationis celebritate et peracta re divina.

x *Idem omnino videtur de quo infra num.* 81.

y *Imo,* annum et trimestre, *venit autem* octavo post festum Apostolorum die, eratque e pago Brogtizio oriunda, *ut habet Germanicum.*

z Jacobi Doleber ; testes *autem* fuerunt Joannes Radeburg Vicarius et Jacobus Leitner mense Majo.

ɔ *Nominatur illa, resque plenius habetur num.* 91.

ϵ Nicolaus, *Episcopus* 32, *notatur in catalogis obiisse anno* 1385, *sed forte legendum anno* 1395.

γ *Hæc de itinere Hierosolymitano videntur obscura. Dux Burgundiæ anno* 1394 *erat* Philippus Audax *Burgundicæ Domus apud Belgas auctor, Hallis in Hannonia anno* 1404 *mortuus ; Constantiensis ad Rhenum Episcopus erat* Burchardus, *ejus Sedis* 70 ; *Constantiensis in Normannia Episcopus* Guilhelmus Crevecurius, *illius Sedis* 65. *Aragonum Rex* XX *erat* Joannes, *et Cypri Rex* Jacobus Lusignanus.

CAPUT II.

Miracula ex testimoniis certorum hominum in inquisitione generali.

Faber quidam lignarius, domui cuidam tectum imponere dum vellet, ex editiore parte (quæ altitudinem triginta cubitorum habebat) decidit, atque eo casu duas corporis costas infregit, alterumque brachium graviter læsit. Qui cum pro mortuo haberetur, voto a circumstantibus Divo Bennoni facto respirare cœpit, anno MCCCCXCVI. Test. I. Puer trium annorum *a* Fribergæ e fenestra (quæ altitudinem quindecim cubitorum habebat) delapsus, et aliquamdiu pro mortuo habitus, post votum revixit, anno MCCCCXCIX. Testis I. Civis quidam *b.* Budissensis tam graviter ægrotabat, ut medici, salute ejus desperata, hominem relinquerent. Unico autem custodi eumdem committebant ; qui cum videret aliquando ægrotum omni spiritu destitutum et exanimatum penitus : oculos illi (ut mortuis facere solemus) clausit, manusque composuit, et uxori illius mortem mariti nuntiavit. Quæ quidem vehementer perturbata, cum nihil spei usquam conspiceret ad Divum Bennonem confugit ab eoque piis precibus marito vitam impetravit, anno MCCCCXCV. Test. I. Est pagus quidam nomine Colni, ubi quinque homines, nescio quid venenatum comedentes, statim omnes miserabilem in modum exanimati conciderunt. Quod cum videret mulier quædam assistens, commiseratione adducta; pro illis Divo Bennoni votum fecit. Quo factum est, ut hi in vitam subito reducerentur, anno MCCCCXCV. Testes XXVI. Mulier quædam ex partu ita debilitata fuit, ut a matre aliisque mulieribus, quæ illi aderant, mortua judicaretur. At illa voto facto respirare cœpit, anno MCCCCXCVIII. Testes XXVI. Puer recenti partu editus, exanimis cum esset, mortuus credebatur ; pro eo itaque votum fiebat, et statim revixit, anno MCCCCXCVIII. Testes LXII. Item puer alius quidam, gravissimo morbo decumbens, mori videbatur : qui post votum factum revixit, anno MCCCCXCVIII. Testis I

Ex vet. impr. E Mortuis excitati et vitæ periculis liberati VIII

24 Quodam tempore magna erat Albis fluminis inundatio. Cumqua tres homines cymba transmittere vellent, factum est, ut vis fluminis cymbam everteret. Duo itaque eorum perierunt ; tertius utcumque adhærens, [cymbæ] opem Divi Bennonis imploravit eique votum fecit. Quapropter statim periculo liberatus est, anno MCCCCXLIX. Testes VII. Homo quidam de ponte Misnensi in Albim decidit : qui in tantum periculum adductus, Divum Bennonem imploravit ; igitur in quamdam insulam delatus evasit Dixitque sibi senem virum forma honesta cumprimis et veneranda, præsto fuisse, anno MCCCCLXXI. Testes VII.

In aquis periclitantes servati II

25 Sacerdos quædam Monialis, ex magna et diuturna ægritudine in furiam conversa, post votum ab Abbatissa ceterisque monialibus factum a se rediit, anno MCCCCXCIX. Test. III. Udalricus de Wulfferstorff Decanus Misnensis, vir e nobili loco natus et magna dignitate præditus : is, inquam, diuturna ægritudine confectus, tandem in phrenesim incidit. Cumque medici de ejus vita desperassent, auxilium Divi Bennonis imploratum est : ille igitur statim convaluit, anno MCCCCXCIII. Testes III. Mulier quædam ex improviso eo dementiæ veniebat, ut de vita illi nihil spei reliquum esset : quæ voto facto sanitatem recuperavit, anno MCCCCXCIX. Testis I.

Phrenetici furii liberati III

26 Moderator parochiæ Dresdensis febribus correptus, post votum convaluit, anno MCCCCXCVII. Zedena, Illustrissimi Principis nostri mater, in febrem gravissimum cum incidisset, voto facto convaluit, anno MCCCCXCIX. Testis I. Præfectus arcis Misnensis Joannes Helbick, febre correptus, accidente præterea morbo Persico, ad Divum Bennonem confugit, et illico sanatus est anno MCCCCXCIX. Testis I. Item duæ mulieres, febribus implicatæ, post votum convaluerunt : de quarum altera in folio processus, DCLI, de altera in fol. DCCXXIV invenies.

Febricitantes curati IV

EX VET. IMPR.

a calculo liberata I.

27 Zedena Illustrissimi Principis nostri mater, fœmina comprimis honesta ac pudica, calculo viginti annos laboraverat. Tandem vero Divo Bennoni votum faciens, calculo liberata est, anno MCCCCXCV. Testis I.

a Sanguinis profluvio curata I.

28 Mulier quædam Dresdensis profluvium habebat sanguinis neque ullo remedio curari poterat; tandem vero ad Divum Bennonem confugiens, illico convaluit, anno MCCCCXCV. Testis I.

Capitis dolore liberati III.

29 Mulier maximo capitis dolore cruciata post votum convaluit, anno MCCCCXCIX. Testis I. Nicolaus de Caraz Eques auratus, tantum capitis dolorem contraxerat, ut a medicis nullo remedio curari posset: post votum convaluit anno MCCCCXCVII. Testis I. Item alius quidam, eodem morbo plane exanimatus, post votum convaluit. Testis I.

Paralytica sanata I.

30 Mulier quædam paralytica voto facto statim post hebdomadam sanitatem recuperavit, anno MCCCCXCIX. Testis I.

c

Oculorum dolore liberati IV.

31 Mater et filia *c* Gorlicenses, oculis male affectis cum essent, post votum convaluerunt, anno MCCCCXCVIII. Test. VII. Sacerdos quidam maximum dolorem in altero oculo contraxerat: post votum sanatus est, anno MCCCCXCVII. Testes II. Item mulieri cuidam uterque oculus graviter dolebat; voto facto ipsa convaluit, anno MCCCCXCVIII. Testis I. Item alia, propter maximum dolorem, altero oculo pene excæcata, post votum convaluit, anno MCCCCXCVIII. Testis I.

d

Pedum dolore liberati VIII.

32 Andreas oppidanus quidam *d* Bischofuerdensis altero pede XV annos æger, voto facto, bonam valitudinem recuperavit, anno MCCCCXCVIII. Testis I. Moderator parochiæ cujusdam pagi maximis pedum doloribus excruciatus, post votum recte valere cœpit, anno MCCCCXCVIII. Testis I. Mulier quædam ex altero pede graviter laborans, post votum sanata est, anno MCCCCXCVIII. Test. I. Item alia in cruribus maximo dolore affecta, voto facto convaluit, anno MCCCCXCVII. Test. I. Item alia quædam nomine Elizabeth, Fribergensis pedibus ægra ad sepulcrum Divi Bennonis veniens, votum fecit quo factum est, ut incolumis se domum reciperet, anno MCCCCXCVIII. Testis I. Præpositus Canonicorum regularium S. Aphræ in civitate Misnensi quodam tempore alterum pedem graviter offenderat: cumque decem hebdomadas ex eo pede laborasset, tandem voto facto convaluit, anno MCCCCXCVI. Testis I. Rusticus quidam, pedibus æger, cum multa remedia adhibuisset, neque potuisset sanari; ad Divum Bennonem confugit et statim convaluit.

a Tumore corporis liberati IV.

e

33 Mulier, nescio quid venenatum comedens, periculosam scabiem, contraxit. Post votum illico sanata est anno MCCCCLXXIX. Testes II. Priorissa monasterii monialium proximi civitati Misnæ magnum tumorem in altero pede cum morbo persico *e* conjunctum contraxerat: post votum convaluit, anno MCCCCLXXIX. Oppidanus quidam Camiezensis, lacerta (quod genus animantis apud nos venenosum est) infectus, post votum incolumis evasit, anno MCCCCXCIX. Testes IV. Puero cuidam collum valde intumuerat, indeque maximum senserat dolorem: et ita quidem ut per sex hebdomadas quieti nihil dare posset: voto facto, recte is valere cœpit, anno MCCCCXCIX. Testis I.

Contracti sanati II.

34 Civis quidam Fribergensis, dextero pede contractus, post votum convaluit, anno MCCCCXCIX. Testis I. Mulier quædam Gorlicensis, ita contracta, ut nullis remediis curari posset: voto facto sanata est anno MCCCCXCIX. Testis I.

a Peste liberati III.

35 Mulier quædam Misnensis in pestem incidit, quæ voto facto servata est anno MCCCCXCVI. Test. I. Nicolaus quidam Civis Misnensis peste una cum uxore et filia infectus post est votum convaluerunt omnes, anno MCCCCXCVI. Testes IV. Nicolaus de Schonberg, nobilis puer, apostemate infectus, eamque ob rem VII hebdomadas decumbens, per votum convaluit anno MCCCCXCIX. Testes III.

a morbo Gallico liberati VII.

36 Puella quædam Gallico morbo correpta post votum convaluit, anno MCCCCXCIX. Testes II. Mulier quædam, Gallico morbo graviter confecta, post votum sanata est, anno MCCCCXCIX Testes V. Item Dorotheæ cuidam, eodem morbo laboranti, in extremo spiritu Divi Bennonis numen subvenit, anno MCCCCXCIX. Testes II. Civis quidam *f* Torgensis morbo Gallico infectus, post votum convaluit, anno MCCCCXCIX. Test. III. Sorores duæ quarum altera quatuor *g* annos, altera vero quatuordecim nata erat, morbo Gallico laborantes, post votum convaluerunt, anno MCCCCXCIX. Testes IV. Civis quidam Misnensis et uxor ejus in morbum Gallicum inciderant, post votum autem convaluerunt ambo, anno MCCCCXCIX. Testes II. Item alia quædam mulier morbo Gallico infecta sanari non poterat: quæ post votum convaluit anno MCCCCXCIX. Testes II.

f

g

h

Variis periculis liberati VIII.

37 Joannes Bose *h* Episcopus Mersburgensis magnus quidem vir et nobilis, cum aliquando Civitatem suam incendio flagrare videret, et ita quidem flagrare, ut ignis nullo humano consilio extingui posset, opem Divi Bennonis (quem semper plurimum coluerat) imploravit. Quo factum est, ut incendium illud statim extingueretur, anno MCCCCXCV. Testis I. Puella quædam in puteum profundum incidens, in ipso casu Divo Bennoni votum fecit. Antequam vero ad aquam usque delaberetur, sensit se sublevari, et servata est, anno MCCCCXCIX. Testis I. Puer quidam in puteo inciderat: cumque ille per triduum submersus jacuisset, tandem extractus est, et voto facto revixit, anno MCCCCXCIX. Testis I. Dresda (ut caput est nostræ terræ) ampla et magna civitas, incendio aliquando flagrabat: consumebantur autem ab incendio decem et octo ædes, quibus contigua erat domus honestæ cujusdam mulieris. Cumque ea domus ex ardore vicinarum ædium incenderetur, Domina Divi Bennonis opem imploravit; admonuitque circumstantes, idem facerent: voto igitur facto, ignis extinctus est, anno MCCCCLXXXVII. Testis I. Cum Misna incendio flagraret, mulier quædam omnem suppellectilem suam in testudinem quamdam conferens, domum suam, quam mox perituram existimabat, deseruit. Cumque ei in mentem veniret illorum, quæ sub numine Divi Bennonis quotidie fierent, votum fecit. Quo facto ignis extinctus est, anno MCCCCLI. Testis I. Georgius Huifener Gorlicensis, nescio quibus exagitatus, mortem sibi afferre cogitabat, quod cum animadverteret Thomas Nasonpis affinis ejus, hominem Divo Bennoni piis precibus et voto commendavit. Georgius itaque furia liberatus, secum esse cœpit, anno MCCCCXCVIII. Testes II. Mulier quædam in partu maxime laborabat, et ita quidem, ut salute ejus desperata, auxilium Divi Bennonis imploratum esset. Quo factum est, ut statim geminum partum ediderit, anno MCCCCXIV. Testis I. Item alia quædam mulier, eodem modo periclitans, voto facto feliciter enixa est, anno MCCCCXCV. Testis I. Item multæ aliæ mulieres, in partu laborantes, post votum enixæ sunt. De quibus passim in processu Fol. DCCCXCIII, DCXXIV, DCXLIV, DCCXXIV, DCCXXVII, et DCCXXXI.

Variis Morbis liberati XXIII

38 Decanus Fribergensis Misnam aliquando venit, atque ibi in gravissimum morbum incidit, de cujus vita medicus desperabat. Tum Zedena *i*, Illustrissimi Principis nostri mater, votum pro eo Divo Bennoni faciens, hominem servavit, anno MCCCCXCIV. Testes IV. Sacerdos quidam Gorlicensis, gravissimo morbo correptus, decubuit: persuasus is a moderatore parochiæ votum Divo Bennoni fecit

cit

cit, et statim convaluit, anno MCCCCXCIV. Testis I. Venit quodam tempore Misnam Civis quidam Budissensis, non ut Divum Bennonem coleret, sed ut negotia nescio quæ conficeret. Ab hospite vero ductus est ad sepulcrum Divi Bennonis. Cumque de sanctimonia Divi Bennonis miraculis et honore, quem illi populus Christianus haberet, doceretur; respondit ille, non decere eum qui Canonizatus non esset ita colere. Quasi hi qui Bennoni divinos haberent honores superstitiosi essent. Quid accidit? cum Budissensis ille domum reverteretur in morbum longe gravissimum incidit. Conscius eorum verborum, quibus Divum Bennonem contempserat, pœnitentia ductus, votum cum sacrificio illi fecit: statim itaque convaluit. Postea vero beneficii illius immemor votum persolvere in longum tempus distulit. Contigit autem ut casu quodam brachium infringeret, tum admonitus ingratitudinis suæ se votum illud quod fecisset persoluturum altero voto confirmavit: quocirca iterum sanatus est. Sed eodem ingratitudinis vitio quo antea deditus, Bennonem neglexit. Quid ergo? In cellam vinariam ex editiore loco maximo cum periculo decidit: illudque brachium, quod antea fregerat, graviter offendit. Tunc ad veram pœnitentiam conversus, tertium votum prioribus addidit: eaque simul omnia persolvit, ratus hæc sibi omnia ingratitudinis causa accidisse, anno MCCCCXCIII. Testes III. Rusticus quidam, octo hebdomadis disenteria laborans, post votum convaluit anno MCCCCXCVIII. Testis I. Mulier quædam per triduum maximis doloribus torquebatur: ea post votum convaluit, anno MCCCCXCIX. Testis I. Mulier quædam morbo repentino afflicta, voto facto sanata est, anno MCCCCXCIX. Testis I. Puella octo annorum, per gradus editissimos delapsa, dorsum fregerat: ea post votum convaluit, anno MCCCCXCIX. Testis I Mulier in tussim cum incidisset atque eo morbo septem hebdomadis laboraret, voto facto sanata est, anno MCCCCXCIX. Testis I. Illustrissimus Princeps Joannes, Illustrissimi k Georgii Ducis nostri filius, graviter ægrotans communi Monialium Fribergensium oratione Divo Bennoni commendatus illico convaluit. Id quod Illustrissima mater ejus testata est, anno MCCCCXIX. Testis I. Famulus Zedenæ Illustrissimæ fœminæ, gravi et diuturno morbo confectus, ab Illustrissima matrona Divo Bennoni commendatus, pristinam sanitatem recuperavit anno MCCCCXCV. Testis I. Abbatissa monasterii Misnensis pleurisi laborans, voto facto morbo liberata est, anno MCCCCXCIX. Testis I. Mater et filius gravissimo morbo laborantes post votum convaluerunt, anno MCCCCXCIX. Testes III. Invaserat quamdam mulierem repentinus quidam morbus, et ita quidem, ut omnino decumberet: voto facto sanata est, anno MCCCCXCIX. Testis I. Item alia quædam, per integrum annum acerbissimo morbo debilitata, post votum convaluit, anno MCCCCXCVII. Testis I. Item alia sex hebdomadis graviter affecta, post votum convaluit, anno MCCCCXCVIII. Testis I. Adolescens quidam gravissimo morbo implicatus, et ita quidem implicatus ut medici de ejus salute desperarent. Is voto facto convaluit, anno MCCCCXCVIII. Testes VI. Clericus quidam Misnensis propter gravem ægritudinem mente captus, facto voto, ad se rediit anno MCCCCXCIX. Testis I. Puer duos annos natus, et eo amplius, graviter ægrotans post votum convaluit. Cum autem parentes voto non satisfacerent, puer gravius, quam antea affectus erat, ægrotare cœpit. Quo factum est, ut parentes conscientia ingratitudinis suæ perciti duplex votum Divo Bennoni persolverint: puer itaque sanatus est. Civis quidam Misnensis gravissimum morbum contraxerat, post votum autem convaluit, anno MCCCCXCV. Testes II. Mulier quædam dolore maximo in altero brachio torquebatur: illa post votum sanata est anno MCCCCXCV. Testis I. Puer adversa valetudine graviter affectus fuit, et ita quidem affectus, ut illi moriendum omnino esset. Aderat autem illi Mulier quædam, nomine Agnes, quæ commiseratione adducta, votum pro illo fecit. Quo facto puer statim convaluit anno MCCCCXCIX. Testis I. Item alius puer eodem modo ægrotans, voto a patre facto convaluit, anno MCCCCLXXXIX. Testis I. Mulier quædam gravissima ægritudine oppressa, et a medicis relicta penitus, post votum pristinæ sanitati restituta est, anno MCCCCXCII. Testis I. Puer quidam morbo quodam vehementer debilitatus, ad sepulcrum Divi Bennonis deductus, convaluit, anno MCCCCXCII. Testis I.

Ex vet. impr.

ANNOTATA G. H.

a Friberga *ad Muldam fluvium, Misna 5 aut 6 leucis horariis dissita.*

b Budissina, *urbs Lusatiæ superioris ad Sprevum fluvium, vulgo* Bautzen.

c Gorlitium *etiam urbs Lusatiæ superioris ad Nissam fl. Academiam habet.*

d Bischosverda *in Misnia, ad confinia Lusatiæ, inter Dresdam et Budissinam, a S. Bennone traditur nomen sortita.*

e *Fallor si* morbus Persicus *hic et supra dictus, non sit* Erespelas, *Belgis vulgariter nominatus* Rosa, *a roseo seu Persico quam affectæ parti inducit colore.*

f Torgavia *urbs ad Albim in confiniis Misniæ et Saxoniæ superioris.*

g *Contagio scilicet contrahitur etiam morbus iste, et innocentes quoque inficit, quales hic aliqui curati notantur.*

h Joannes Bose 38 *Episcopus Merseburgensis ad Salam Misniæ fluvium.*

i Zedena, *sive* Sidonia, *filia Georgii Podiebracii Regis Bohemiæ, nupta Alberto Duci Electori Saxoniæ, anno* 1500 *mortui mater dicti Georgii, anno* 1510 *vita functa.*

k *Hic est* Georgius Barbatus Dux, *qui vixit usque ad annum* 1539 *: at* Joannes *ante patrem obiit anno* 1537.

CAPUT III.

Miracula Divi Bennonis Episcopi Misnensis, in secunda et speciali inquisitione in partibus conscripta.

E mortuis revocati.

Ad Misnam pagus est, quem incolæ Niderfere nuncupant. Hic uxor cujusdam Petri Pesches, infantem mortuum enixa est. Sicque cum duas horas puer mortuus perstitisset; voto D. Bennoni facto, ad vitam revocatus est, estque puero nomen Martinus impositum. Testes 3, examinatorum in ordine, 204. *Quæ ultima notitia, nobis neutiquam utilis, Processum non tabulatibus exhibere, posthac omittetur, solumque ex margine notabitur, quot cuique miraculo adscripti sint testes.* Non longe ab eodem loco subque Misnensis diœcesi in pago, Ubige nomine ad oppidum *a* Haynis, simili modo infans exanimis editus, post mediam horam voto D. Bennoni facto, revixit. Testes 5. In *b* Vallachia apud Moldum (quod oppidum diœcesis Molcofiensis est) Filiolus cujusdam pellionis, nocte inter lactandum a Matre oppressus, exanimisque sex horas habitus, D. Bennonis nomine invocato, ac voto per quemdam Fratrem Stephanum Minoritanum facto, vitæ restitutus est. Testes 2. Fribergi in Misnia ludi, ad exemplum passionis Dominicæ singulo septennio magnificentissime celebrantur

EX VET. IMPR.

lebrantur. Hic cum in turba cetera ducentorum ferme hominum, gradus nimio pondere depressi cum ipsis spectatoribus corruissent; adolescens decimum tertium agens annum, qui se sub eo ædificio collocarat, casu simul oppressus est, ita quidem ut initio nihil humanæ formæ appareret. Postea vero ex ruinis erutus, cum tres horas integras sine ullo vitæ indicio jacuisset, voto a circumstantibus B. Bennoni facto, brevi post tempore ad vitam rediit, ac sine ullo corporis vitio sanatus est. Testes fide dignissimi duo ex certa scientia.

Ab immundis spiritibus liberati 2.

40 Rector quidam Parochialis ecclesiæ Ciczko, integrum biennium dæmonio vexatus inhabitatusque, conjuratione facta per quemdam Joannem Schilda in D. Bennonis nomine, a dæmonio liberatus est. Testes 3. Mulier quoque, Anna nomine, pagi Preczendorff diœcesis Misnensis, cujus corpus cum immundorum spirituum domicilium esset constitutum, ad Divi Bennonis tumbam producta ejusque nomini invocato liberata est, dæmonesque fugati. Testes 3.

A cæcitate oculorumque doloribus liberati 6

41 Jam vero reliquis in morbis vitiisque cum corporum, tum animorum toties animadversum est Divinum Bennonis auxilium, ut ne comprehendi quidem numero omnia queant. Pauca tamen ex multis, eaque quæ non nisi gravissimis honestissimisque testibus confirmata sunt, non pigebit testimonii causa in medium adferre. Pellio municipii *c* Kemnicz, Michael Reichel nomine, annos continuos quadraginta gravissimos oculorum dolores patiebatur. Post varias medelas adhibitas ad ultimum excæcatus, cum annum integrum sic sine usu oculorum perstitisset, voto tandem facto, auxilio Bennonis divino, id integrum beneque sanum recepit, quod medicamentis humanis depravatum amiserat. Testis 1. Altera puella quadrimestris, Ursula vocata, cujusdam Ambrosii Sorge filia, usque ad decimum quintum ætatis annum gravissimis oculorum doloribus vexata, ac demum utroque lumine capta, voto facto, visum recepit; nec non apostemate quod illi altero in oculo deformem in modum excreverat, liberata est. Testis unus Conjunx cujusdam Valentini Cleringk, incolæ oppiduli *d* Oschacz diœcesis Misnensis, Lucia nomine, cum annum integrum oculorum doloribus graviter esset cruciata, nec non altero oculo quinque mensium spatio orba, voto facto illico curata est. Testes duo Altera femina quinquaginta octo annos nata Juliana Ranaferdine nomine, Misnensis diœcesis post quinquennium continui doloris excæcata, sextum annum totum cæca perstitit, quousque votum fecit : quo a cæcitate liberata est illico. Testes duo Henricus de Schlejinicz Baro, et Illustrissimi ducis Saxoniæ *e* Georgii Marschalcus, quo uno cæco nemo in provincia ea notior extitit : quinquaginta annorum ipse perpetuis oculorum doloribus ac magnis animi perturbationibus affectus, dum diuturnis medicamentis nil proficit, voto tandem facto Divino Bennonis auxilio convaluit. Testis unus Valpurgis vidua Thomæ molitoris Misnensis diœcesis biennium cæca persistens, ac non nisi longis doloribus excæcata ex voto illuminatur, Testes quatuor. Sigismundus Ihan municeps Misnensis filium habebat novem annorum, Dominicum vocatum : ejus pueri oculum fusi acies penetrarat cumque medelis nullis periculosum vulnus curari posset, voto facto brevi sanatur. Testis unus Catharina conjunx Christophori Augustini, ex municipio Budissiensi, quatuor annos oculorum dolores passa, ac quinto anno integro excæcata, voto facto lumen recepit. Testes duo Agatha, conjunx carpentarii cujusdam Michaelis, Misnensis diœcesis octo annis iisdem oculorum doloribus vexata, ac sinistro oculo capta, voto facto, curatur, oculumque recipit. Testes duo Puella duorum mensium Catherina vocata, filia Christiani Leonardi, ex municipio Torgensi ab eo tempore usque ad alterum ætatis annum, videre nihil visa est : eique post id tempus voto facto, oculi aperti statim sunt. Testis unus *f* Puer trimulus filius Joannis Niderau, oppiduli Dipesnalde, oculorum usu per annum integrum ex dolore carebat; facto voto lumen recepit. Testis unus Puella decem et octo annorum Margaretha nomine, annuo dolore excæcata, facto voto curatur. Pater puellæ Wolffgangus Leupolth cultor pagi Sichenbergk. Testes 2. Altera puella quadrimula, cui Annæ nomen, ex municipio Fribergensi, patre Valentino Unaner, octo mensium oculorum dolorem passa, ac nono excæcata, quarto post mense voto facto, restituitur. Testis 1. Margaretha uxor Joannis Peseler : municipii *g* Camiczensis, Misnensis diœcesis, plusquam annum iisdem oculorum doloribus vexata, et aliquamdiu cæca; cum nullis remediis humanis curari posset, ex voto, Divi Bennonis auxilio est curata. Testes 2. Franciscus Olsthleger ex municipio Gorlicensi, et ipse ex dolore utroque lumine viginti dierum spatio captus, vigesimo primo die facto voto sine mora restituitur. Testes 2.

Muti hominis lingua soluta

42 Municeps Remniczensis quidam, Gabriel Stolcze, filiam ex uxore susceperat et mutam et epilepticam; cumque eam sic affectam tum ad undecimum ætatis annum educasset; viro in mentem venit votum Bennoni pro filia facere. Quo facto puellæ uno eodemque tempore et vox restituta et sanitas : quarum rerum omnium testis ipsa extitit, ac DD. Commissariis coram ad interrogata singula respondit. Testes 4.

A phrenesi liberati 24

43 Pastor armentorum monialium Monasterii *h* Gerisvalde, ordinis S. Benedicti qui Simon vocabatur, lætali vulnere in capite percussus, ex eoque phreneticus effectus, voto facto conservatus est. Testes quatuor. Mulier Anna nomine uxor Laurentii Puchs, pagi Hermisdorff, Misnensis Diœcesis phrenesi correpta, Bennonis nomine appellato, placata est, et a morbo liberata. Testis unus. Puer quadrimulus, Wolffgangus nomine, patre Osvaldo Statuario Fribergensi per diutinam ægritudinem in phrenesim lapsus, voto facto liberatur. Testis unus. Magdalenam, conjugem cujusdam Valentini Altsthmer, a partu phrenesis invaserat; eaque biduum cum perdurasset, voto facto, aversa est. Testes duo. Altera Margareta, uxor Valentini Heckel, Kemniczensis, cum integrum annum eo ipso morbo laborasset ad tumbam Bennonis constituta curata est. Testes duo. Paulus Hase Misnensis Diœcesis, cum ex longa et acuta febri phrenesim pateretur quindecim dierum spatio, ex voto liberatur. Testis unus. Idem et in Cordula accidit, uxori Petri Cricz, Oppiduli *i* Rochlicz incolæ, quæ et ipsa ex diutina febri phrenetica, per votum liberata est. Testes tres. Idem et in Consule municipali oppiduli Piirn, Hieronymo Prommcz nomine, qui ex ægritudine triduo phrenesi correptus, voto facto et animo et corpore convaluit. Testes duo. Hic ipse de quo locutus sum paulo post, et in filia trimula, cui Walpurgis nomen indiderat, ea ipsa phrenesi laborante, Divini Bennonis auxilium iterum sensit, estque infans voto facto a morbo statim curata. Testes duo. Memorabile vero quod Antonio Czottel Misnensis diœcesis contigit. Is cum annum integrum per phrenesim consternatus esset, quoties ad tumbam Bennonis produceretur, toties ad rationem rediit : ac quamdiu illic detineretur, tam diu mentis compos perstitit. Cum vero rursus discederet, morbo invadebatur : ut facile intelligis, non solum cœlestibus illis divinorum hominum animis, sed ei etiam parti, quæ in terris relinquitur divinitatem plane inesse. Hic

Hic vero voto postea facto, ab ipso morbo in totum liberatus est. Testis 1. Conjunx Pauli Braven, Municipis Misnensis, Ursula nomine, continuato menstruorum fluxu, capitisque doloribus ingravescentibus, in phrenesim versa, bino voto qualibet vice facto curatur. Testes duo. Puer Baltasar nomine, filius Nicolai Schindelers Consulis municipalis Misnæ, quartum agens annum; rabidi canis morsu læsus, ac paulo post ipse quoque in rabiem versus, voto facto resipiscit, ac sanatus est. Testis 1. Puer sutorius Joannis Langi sutoris Lipsensis, ex ægritudine per duodecim dies phrenesi consternatus, voto facto statim ad se rediit, Testis 1. Sebastianus Gronevalt liberos habebat Sebastianum et Claram, quos utrosque eodem ferme tempore phrenesis invaserat; cumque medelis incassum laboraret, ad Divum Bennonem voto facto confugitur : estque morbo uterque liberatus. Testis 1. Agnes, uxor Joannis Rubelants, ex municipio Pirnensi post morbum corporis phrenesi correpta, ac tres menses vexata, tandem ex voto salvatur. Testes 2. Miles quidam ditionis Bambergensis, Conradus Falcke nomine, per pleuresim in phrenesim prolapsus, Divo Bennone invocato ac voto facto, sanus beneque rectus discedit. Testes 11. Mattheus Fabri ex municipio Fribergensi quatuor habebat liberos, qui omnes ex contactu rabidi canis, ipsi quoque in rabiem versi, ex miseratione divina voto Bennoni facto liberantur. Testis 1. Municeps Laubensis, Misnensis diœcesis, cui Laurentio Riederer nomen erat per diuturnam pleuresim ac febrim phrenesi correptus, voto facto ab omni molestia liberatus est. Testes 2. Joannes Barth Gosmgensis, qui pagus non longe a Misna distat, magnis animi perturbationibus in phrenesim conjectus; cumque sic affectus duos dies perstitisset, statim a voto facto liberatus est. Testes 2. Eadem phrenesis Cristinam, Matthæi cujusdam sartoris Camicensis conjugem, invaserat. Cumque præterea mulier ab immundis spiritibus vexari videretur, solo Bennonis nomine in aures aliquoties inclamato, ab omni Morbo ac gravedine liberata est. Testis 1. Matheus Richman, cui de Sacerdotio parochialis Ecclesiæ oppiduli *k* Luckau provisum erat, ab ægritudine quadam præcedenti in phrenesim inciderat, eaque tres dies vexatus, voto facto et animo et corpore restituitur. Testes 2. Puella decimum nonum nata annum, Bartholomæi Thomæ municipis Gorlicensis filia, Anna vocata, undecim continuos; menses phrenesi laborabat. Cumque nulla humana arte remedium inveniri posset, divino Bennonis auxilio; voto facto, sanata est. Testes 2. Vidua Elisabeth Michaelis Meders demortui, per ægritudinem triduum phrenetica, voto facto, salvatur. Testis 1. Altera puella sexdecim annorum, patre Martino Marcz, pagi Trium tabernarum, a morbo præcedenti in phrenesim versa, voto facto a phrenesi liberatur. Testis 1.

surdus restitutus

44 Ex tinnitu alterius auris, usu utrarumque privatus, ac tres menses surdus, Osnaldus Scheyn, Illustrissimi Ducis Saxoniæ Georgii ab ore proprio coquus, vir quinquaginta annos natus, voto pro auribus divo Bennoni facto, e vestigio sanatur. Testis I.

Claudus rectificatus.

45 Magnum vero, quod sequitur, ac memorabile fidei bonæque spei præconium : Petrus Colpe, municipii Ostbacensis, vir, sexagesimum septimum annum jam egressus, ad extremum sex ferme menses pedibus contractus, dum sic ut erat claudus, templum ingreditur, ac pro concione de miraculis ac sanctitate Bennonis oranti Sacerdoti fidem pie habet, ac spem concipit; sanus ac rectus abiit. Testis I.

Paralytici seu contracti sanati 14

46 Pedibus ac manibus contracti duo fratres Donatus et Lucas, filii Pauli Rubenczal pagi Baubenicz, votis factis, rectificantur. Testes duo. Petrus Richter, oppiduli Haynis incola, tres ferme menses manibus pedibusque contractus, voto facto sanus discessit. Testis unus. Cum pro infante vero trium annorum, filio Joannis Clarman municipii Prinensis, octo mensium spatiis contracto varia vota fierent; ad extremum solum illud, quod Bennoni factum erat, profuit : estque puer extemplo sanatus. Testes tres. Puella duodecim annorum Otilia nomine, filia cujusdam Georgii Bartisth oppidi *l* Witgenau, ex nimia membrorum contractione animam agebat : sed voto facto conservata ac sanata est. Testes tres. Filiola Georgii Saxoniæ Ducis bimula, cui *m* Magdalenæ nomen fecerant utroque pede contracta cum omnis medicorum ars incassum laboraret, voto sanata est. Testes tres Agricola pagi, qui Colonia vocitatur, Joannes Schuman nomine, nimio ac diutino e labore, quadragesimo ferme ætatis anno contractus; voto facto, restituitur. Testes tres Henricus Crautner, municipalis Consul Misnæ, colica passione sæpius infestabatur, ita ut nonnumquam viribus deficeret, ad tumbam Divi Bennonis constitutus ac pio affectu auxilium illius invocans, molestissimo morbo in totum liberatus est. Testis I. alter Consul ejusdem municipii, Lucas Pincker nomine, ex altero pede subito contractus, facto voto, subito, convalescit. Testis I. Margaretha, uxor cujusdam Thomæ Bohemi Misnensis diœcesis, sex menses ex pedibus contracta, voto restituitur. Testis I. Rusticus quidam pagi Matersdorff, Jacobus Ranfft vocatus, quadraginta annorum, in altero pede contractus, voto facto, sanatus est. Sed cum in persolutione voti negligentior esset, nec promissa impleret; ecce repente utroque pede contrahitur; seque deliquisse intelligens, alterum votum facit atque iterum in altero pede statim liberatus est. Altero vero non prius quam ad tumbam Divi Bennonis ipse accederet. Hoc documento apertius quid quæri potest? Testes I. Mulier quadraginta annorum, Barbara appellata, conjunx Joannis Uniurde municipis Lipsensis, quod oppidum Mersenbargensis est diœcesis, quinque ferme menses contracta, cum nullis medicorum remediis sanari posset, ad Divum Bennonem pio affectu cum refugisset, voto facto medicina divina restituta est. Testes 2. Joannes Molitoris, Rector Parochialis Ecclesiæ oppiduli Dypelswalde, LXII annorum, per omnia membra pene contractus, per tres dies ex voto repente sanatur. Testis I. Alius Rector parochialis Ecclesiæ pagi Pobericz, Caspar Schwenczer nomine, sexagesimo ætatis anno in altero pede ad quintam septimanam contractus, indiesque magis magisque invalescente malo, voto facto, illico convaluit. Testis I. Ex nobili genere natus Joannes de Lokericz, Lusatiæ inferioris, sexagesimum secundum agens annum, ex pedum contractione quatuor menses decubuerat, cum voto facto, illico sanatur. Testis I.

Inflati ad bonam habitudinem reducti 5

47 Mulercula gravida, uxor Wenczeslai Lipezigk, Elisabeth nomine, ad interfemineum inflata, voto facto, curatur. Testis I. Caspar Tile, municipalis magistratus oppiduli Kemnicz, tumore juxta ac dolore testiculorum vexatus per triduum, ex voto liberatur. Testis I. Agricola pagi Olern, Bartholomæus Lemam, spinam læserat, unde totum dorsum vehementer intumuerat : voto facto, liberatur. Testis I. Altera puella trium annorum, patre Joanne Schuman pagi Coln, subito inflata ac jam tum magis magisque increbescente malo; voto facto statim liberata est. Puellæ Margaretæ nomen erat. Testes III. Simon, infantulus semestris, filius Simonis Brethstneyders, cujus virga certo morbo infecta,

EX VET. IMPR.

infecta, enormiter intumuerat voto facto continuo sanatur. Testes 2. Stupendum quod sequitur. Infantulus, vixdum annum natus, patre Stephano Vulpe municipii Lipsensis, ex suggestione infidissimæ ancillæ octo acus deglutiverat, unde sauciatis intestinis continuo totum corpus inflari cœpit. Cumque omni humane remedio desperatum esset, Divi Bennonis fide pio voto implorata, acus per secessum egessit omnes, puerque conservatus est. Testes 2. Alter puer Misnæ, filius Casparis Gerlach, simili modo acum deglutierat, unde continuo intumescens ac nigrescens, moribundus cecidit: auxilio Divi Bennonis implorato, in vita conservatur, acumque per gingivam egerit. Testis 1. Mulier Hedwigis nomine, conjunx rustici cujusdam Blasii Naumans pagi Dalnicz, fluxu menstruorum per integrum triennium constipato enormiter intumuerat: ex voto statim solvitur. Testis 1.

ANNOTATA G. H.

a Haynis sive Hayna, *oppidum satis elegans ad Rederum fluvium, a Misna versus orientem et Lusatiam tribus leucis dissita.*

b Vallachia *regio nota est prope Danubium, cui adjacet* Moldavia, *a Moldavis fluvio, ubi prolati* Moldum *oppidum, ubi* Moleofriensis *regionem olim dictam fuisse, ibidemque antea Minoritas vixisse constat ex Francisco Gonzaga, dum agit de Provincia S. Mariæ in Ungaria.*

c Kemnicis *sive* Chemnitium, *ad fluvium cognominem urbs satis magnifica Misniæ, ab urbe Misna circiter leucis decem horariis versus Austrum dissita.*

d Oschats *oppidum inter Albim et Muldam, a Misna versus Boream quinque leucis horariis dissitum; habet monasterium Franciscanum, et templa S. Ægidio et S. Georgio dicata.*

e Georgius Dux *Catholicus, obiit mense Januario anni* 1539, *cui Henricus frater succedens et a fide orthodoxa deflectens, permisit mox festo Pentecostes Luthero concionem primam habere Lipsiæ.*

f Dippeswalde *sive* Dippoldisswalda, *oppidum haud procul Albi et munitione Pirna supra Dresdam, a qua vix tribus leucis distat.*

g Camitz *oppidum Lusatiæ superioris, haud procul a confiniis Misniæ.*

h Gerswalde *in territorio Misniæ Lipsiensi.*

i Rochlitz *oppidum in eodem Lipsiensi territorio, ubi ecclesia est S. Kunegundi dicata.*

k Lucka, *oppidum Ducatus Altenburgici, inter ipsum Altenburgum et Pyganiam situm, in ipsa Misnia.*

l Witgenau, *oppidum Lusatiæ superioris: pertinuit ad monasterium sanctimonialium Mariensternam, ibidem situm.*

m *Hæc illa* Magdalena *videtur esse, quæ anno* 1524 *Marchioni Brandeburgico Joachimo II nupta, vixit ad annum* 1534.

CAPUT IV.

Altera pars eorumdem Miraculorum.

Podagricus curatus. a

Podagram esse incurabilem multorum opinionibus receptum est: ea laborabat Plebanus Sacerdos ut nunc loquimur parochialis Ecclesiæ oppiduli *a* Sonnewalde, vir quinquagesimum quartum annum natus, qua vel ipsa ratione remedium omne desperabatur. Is tamen ceteris medicinis neglectis, ad Divum Bennonem postquam confugisset, voto facto, curatus est. Testis 1.

a Morbo comitiali seu epilepsia liberati XXIX.

49 Nec vero curatu faciliorem epilepsiam putant: ab hac tamen hos qui sequuntur omnes, voto tantum facto, auxilio Divi Bennonis liberatos et conservatos constat. Infantulum, filium Martini Lavenhayn Gerswaldensis. Testes 3. Alterum infantem semestrem, Antonium nomine, oppiduli Rosben, qui culpa patris Georgii Schockolth in morbum inciderat. Testis 1. Puellam Annam, patre Wolffgango Sricleman Kemniczensis quæ abortus hora usque ad tertium ætatis annum eodem morbo laboraverat. Testis 1. Alteram Apoloniam, filiam Gabrielis Stulcs Misnensis diœcesis, undecimo ætatis anno vexatam. Testes 2. Filium Balthasaris Schiferdeckers bimulum, Wolffgangum appellatum, qui tribus mensibus fere sine remissione eodem malo angebatur. Testis 1. Alterum Joannem, filium Erhardi sartoris, annum tantum natum, ac per mensem in cunis hoc morbo continue vexatum. Testis 1. Antonium Sculteti municipem Osthaczensem, quem bis hoc malum invaserat, et vigesimo sexto ætatis anno et trigesimo. Testes 2. Wolffgangum, filium Valentini Richter, duorum annorum infantem, octo dies continuos epilepsia prostratum. Testes 2. Alterum Wolffgangum, filium anniculum Pauli Reichs, agricolæ pagi Sthebnicz, cum eadem epilepsia infestaretur, voto facto *b* Divo Valentino, cui nostrates curam propriam hujus morbi dicarunt: quin et ipsi morbo Valentini nomen indiderunt, satis constat nihil esse perfectum. Quem postea Divi Bennonis auxilio per secundum votum invocato, continuo sanatum constat. Testes 2. Ad hunc quoque modum virguncula trium annorum, Ursula nomine, filia Andreæ Maurer, oppiduli Osthicz, cum et ipsa hoc malo infecta per varia vota circum diversa Sanctorum templa circumferretur, nec tamen quidquam proficeretur; ad ultimum voto Divo Bennoni facto, sanata est. Testis 1. Vigesimo tertio ætatis anno Wenezeslaus Podam, municeps Osciczensis, hoc morbo primum correptus, atque ab eo tempore usque in nonum annum vexatus, fide tandem Divi Bennonis per votum implorata, sanatus est. Testis 1. Annum nata puella, filia Georgii Bohemi oppiduli Coldicz, voto ab epilepsia erat liberata. Sed cum parentes in præstando lentius agerent, in morbum infans rursum incidit; nec prius liberatur quam secundo voto facto ac priori soluto. Testes 2. Walpurgis puella undecim annorum, patre Laurentio Cappe Pirnensi, ex defectu stomachi tribus septimanis nullum cibum nec continere nec digerere poterat. Unde paulo post in epilepsiam prolapsa, atque ex eo triduum muta, voto facto ab omni mala habitudine liberatur. Testes 2. Altera eodem nomine, filia Hieronimi Promnicz altero ætatis anno epilepsia quoque infestata, ex voto curata est. Testes 2.

50 Ac quamquam hac in parte exemplis maxime abundamus, prætereundum tamen non est, quod in municipio Camics accidit. Hic cum Canonici ac Clerus impense darent operam, ut nomen Divi Bennonis aliquando in Sanctorum Albo per Pontificem Romanum conscriberetur; hocque institutum cum quidam ex municipibus Wenezeslaus Eckelbergk appellatus, petulantius interpretaretur; subito pœna præsentanea plectitur, puero, quem in cunis habebat, epilepsia statim correpto. Ejusque rei, cum postea resipuisset ipse testis extitit: ut facile intelligamus, non solum opitulandi, sed et vindicandi potestatem cum Sanctis Dei communicatam esse. Testis 1. Puella sesquiannum nata, Anna nomine, patre Rustico pagi Ditmansdorff, Paulo Mildenbergk, spatio unius diei atque noctis ex eodem morbo duodecies conciderat. Cumque nulla non solum liberationis, sed ne vitæ quidem spes superesset; voto facto, et servata et curata est. Ex eodem pago Ursula, filia Simonis, sex annos nata, cum integrum

A grum annum eodem morbo laborasset, ex voto salvata est. Testis 1. Filia bimula Joannis Spindelers, ex municipio Misnensi, ab epilepsia ac paralysi uno eodemque voto liberata est. Testes 2. Joannes, filius Nicolai Wittich, municipis Misnensis trium annorum, voto facto liberatur. Testis 1. Lucas filius Thomæ Bohemi, ab hora ortus usque ad alterum ætatis annum, hoc morbo sæpe acriter vexatus, voto facto, curatur. Testes 3. Anna, filia bimula Gasparis Hawolt municipis Misnensis, eodem morbo sæpius decumbens, per votum liberatur. Testes 4. Andreas, filius Joannis Schubarth, pagi Oberbobericz, quintum natus annum, eodem morbo oppressus voto facto liberatur. Testis 1. Puella tertium agens annum, eadem epilepsia infestata, statim a voto liberatur: nomen puellæ Anna, patre Ambrosio pistore oppiduli c Mithvede. Testis 1. Donatus adolescens quatuordecim annorum, filius Simonis Mohs, ab eodem morbo solo voto liberatur. Testis 1. Valentinus quatuor annorum puer, patre Nicolao Hayn ex municipio Fribergensi iterum epilepsia prostratus, facto voto salvatur. Testis 1. Catharina conjunx Joannis Munczers Fribergensis, hominis ditissimi, B epilepsia iterum correpta, statim a voto curata est. Testis 1. Infans duorum annorum, Andreas filius Nicolai Rechel, ex municipio Gorliczensi, bis epilepsia correptus, statim facto voto purgatus est. Testis 1. Femina quadraginta annorum Catharina nomine, conjunx Bernardi Rose, eodem malo sæpius vexata, aliquando voto facto liberata est, Testes 2. Splendidissimo loco natus adolescens, ex Principum seu Illustrium ut vocant ordine, viginti duos annos natus, ipse quoque epilepsia laborans, voto Divo Bennoni facto, sanatus est; Episcopo hoc Brandeburgensi pro testimonio asserente. Testes 3.

a Peste liberati atque in vita conservati.

51 Wolffgangus Meyler ex municipio Osthaczen, ex peste animam agens, voto facto curatur. Testes 2. Municeps Misnensis triginta octo annorum, Nicolaus Fabri vocitatus, animadvertens se peste infectum, voto facto, eo ipso momento liberatur. Testis 1. Ejusdem cognominis Vincentius, simili modo infectus, voto liberatur. Testis 1. In pago Herolt quidam Volffgangus Lofer in subterraneis cuniculis metallo effodiendo incumbens, mercurio volanti lætaliter infectus, voto Divo Bennoni facto liberatur. Testis 1. Juvenis viginti quatuor annorum, Joannes Friso nomine, oppiduli Bischoffwerde, cum pestilens in corpore apostema tres menses gestasset, nec remedium inveniretur: quin malum C in dies magis magisque invalesceret, ipseque contabesceret; voto facto, servatus et curatus est. Testes 2.

Ex alto prolapsi et in vita conservati.

52 Franciscus Brose, vir in municipio Fribergensi haud obscuri nominis, prolapsus in cavernam mineralem tres scalas, hoc est, duodecim cannas altam, supra omnem captum humanum, per votum incolumis servatus est. Testis 1. Rusticus pagi Marthach, de procera quercu decidens, membris crudelem in modum contactu ramorum ac terræ dilaniatis, voto facto, supervixit. Nomen viri Nicolaus Cluge. Testes 2. Adolescens decimum octavum natus annum, Valentini Valentinus nomine, Cricz Kemniczensis, ex editiore domus parte in terram prolapsus, læso capite aliisque membris, in vita, voto facto, conservatus ac sanatus est. Testes 2. De Turre quadraginta cubitorum oppidi Mesnæ vigil decidens, cum inter cadendum Divi Bennonis inclamasset auxilium, incolumis ad terram delatus est, eoque casu eo in loco nihil celebrius. Testes 7. Sittich de Berlewicz, vir antiqua ac nobili familia natus, cum equum cui insidebat in saltum excitaret, ipso in saltu una cum equo moribundus corruit, ac quia meruit Divum Bennonem videre in spiritu, velut ab inferis revocatus ad vitam rediit. Testes 2. D Bernardus Freydiger Misnensis, in puteum non minus altum quam angustum prolapsus, voto facto, omnibus stupentibus salvus evasit. Testis 1. In alterum puteum adolescens undeviginti annos natus, Sebaldus Birckenaver nomine, oppiduli d Verzen inciderat, cumque in ipso casu Divi Bennonis memor fuisset, incolumis exivit. Testes 2 Georgius Moller pagi Hermsdorff, ab editiore domus parte prolapsus, capite aliisque membris collisis, voto facto, salvatus est. Testes 2. Puella quadrimula Catharina, filia Nicolai Dobet, oppiduli e Volckensteyn, ex alto habitaculo decidens, omnia pene membra confregerat, cumque ex eo casu horam integram sine spiritu jacuisset, voto facto ad vitam revocatur. Testis 1. Clericus Moguntinensis Andreas Stum, ex editiore loco super lapidum magnam congeriem prolapsus, omnibusque membris conusis, aliquamdiu exanimis habitus est. Cumque voto facto ad se rediisset, non secus ac qui spiritu Divi Bennonis opem sensisset, primum omnium illius nomen sine instinctu cujusquam consalutavit. Testis 1.

Ab Hydropisi curati 3

53 Joannes Offenstein, incola oppiduli f Lemniez, vir quadragesimum annum natus, ac triennium hydropicus voto facto liberatur, Testis 1. Mulier, quadragesimum septimum annum nata, Euphemia nomine conjunx Jacobi Hascke, oppiduli Reichenbach, ex priore quodam morbo in hydropisin prolapsa, ac sic duos annos vexata, cum interim per medicos nihil profectum esset, voto facto auxilio Divi Bennonis curata est. Testes 2. Altera Anna, uxor Michaelis Ripfuf Gorliczensis, nec non filia ex eadem nata, eodemque nomine vocata, utræque a morbo præcedenti in hydropisin lapsæ, votis alio post aliud factis, liberantur. Testis 1.

a Vertigine capitis liberati 2

54 Vir septuagesimum annum agens; Philippus Hentzel oppiduli g Rusben, quatuor annis vertigine capitis continua vexatus, voto, facto, liberatur. Testis 1. Alter quadraginta annorum Matthæus Reiceman Luckaniensis, geminο morbo vexatus, capitis vertigine necnon et alia quadam ægritudine, ex voto subito liberatur. Testes 2.

In aquis submersi ...

55 Puer bimulus, Henrici de Arnswalde, nobili familia viri, in arce Catzlitz, in vase lacte pleno per casum submersus ac postea extractus, cum duas horas sine spiritu persitisset, a voto facto statim revixit. Testis 1. Puella sex annorum Gertrudis, filia Valentini Ruswig pagi Causnitz, casu in fonte submersa, cum esset extracta, per mediam horam pro mortua habita est, donec voto facto in vitam revocatur. Testes 3. Tredecim homines in cymba flumen navigabant, cumque casu cymba esset subversa, tres qui in ipso periculo vota fecerant (inter quos quidam Georgius Vader civis Misnensis) ad secundum ripam incolumes evaserunt; reliqui omnes submersi. Testes 3. Pastor municipii Misnensis, cum in flumine, in quo inciderat, horam integram luctaretur, omnibus stupentibus voto facto, periculum evasit. Testis 1. Joannes Maurer Sonnewaldensis quinquagenarius, navigio in flumine periclitatus, simili modo per votum evasit. Testis 1. Filius Pistoris Misnensis, decimum annum natus, cum duas horas sub aquis jacuisset, et ab eo tempore exanimis extractus, voto facto revocatur ad vitam. Testes 2. Infans anniculus, Urbani Kuchenmeister Pretyvensis, quod Saxoniæ oppidum est; spina halecis, quæ puero deglutienti in spiritalibus gutturis adhaeserat, suffocatus; voto facto continuo solvitur, ac puer reviviscit. Testes 2. Apud Rusben oppidulum, filius molitoris cujusdam de flumine mortuus extractus, facto voto ad vitam rediit. Testes 2. Nicolaus Wittich Misnensis civis, repentinis aquarum inundationibus

EX VET. TYPR.

inundationibus correptus, atque in medios fluctus præcipitatus dum nullam spem vitæ reliquam videt, Divi Bennonis auxilio implorata incolumis evasit. Testis 1. Puer quinquennium natus, Mattheus filius Burchardi, municipis Misnensis flumine medio ereptus, dum exanimis in sinu matris aliquamdiu defletur voto facto repente reviviscit. Testes 2. Infans anniculus extractus, voto facto revocatur ad vitam, Puero Erasmo nomen, patre Matthæo Tachter. Testes 2. Joannes Neter ex municipio Lipsensi, viginti quatuor annorum, cum in flumine lavatur, natans fluctibus corripitur, ac submersus est: voto per fratrem facto periculum evadit. Testis 1. Hieronymus puer trimulus, Martini sartoris oppiduli Doblen filius, in vase aqua pleno suffocatus, ex voto ad vitam revocatur. Testis 1. Portitores ad Albim flumen cum tempore, quo glacies solvitur, ac per undas crustæ vi magna atque impetu feruntur, magno cum pondere flumen trajiciebant. Ac in medio fluminis tanta vi procellarum ac glaciei oppressi sunt, ut actum esse de salute putarent. Cumque tanto versarentur in periculo, ut se nulla ope humana liberari posse viderent, ad Divi Bennonis miserationem confugientes, votoque illi facto, conservati sunt: atque in secundam ripam incolumes delati. Testis 1.

a Pleuresi curati 5.

56 Juliana conjunx Wolfgangi Seydenhans Kemnitzensis, pleuresi cruciata tribus diebus ac noctibus continuis, voto facto, liberatur. Testis 1. Thomas Woyth Haynensis, quadragesimo tertio ætatis anno pleuresi in quintum usque mensem vexatus, vota facto liberatur. Testes 2. Antonius Bottel, trigesimum annum agens, tribus diebus atque noctibus continua pleuresi laborans, voto facto, liberatur. Testis 1. Conradus Falce, Bambergensis diœcesis, trigesimum septimum annum natus, et ipse gravi ac diuturna pleuresi necnon et febri tertiana vexatus, uno voto facto, sanatur. Testes 2. 2. Antonius Abbas Buche, quod est Monasterium Cisterciensis observationis diœcesis Misnensis, vir quinquagintaquinque annorum, octo dies pleuresi infestatus, cum medicorum remediis curari non posset, voto facto, Divi Bennonis auxilio curatus est. Testis 1.

Curati a Phthisi 3.

57 Simon, filius anniculus Nicolai Lebemans, incolæ pagi Marthbach, a phthisi, ex qua annum integrum, hoc est omnem ætatem laboraverat, voto facto, curatus est. Testis 1. Puella quintum annum nata, Margareta Joannis Bothners Pirnensis, quatuor menses eadem phthisi correpta, voto facto, liberatur. Testis 1. Vir septuagenarius, nobili familia natus, Mincquitz nomine, ex arce Sonnevalde. quinque annos eodem morbo infestatus ac consumptus, voto facto curatur. Testis 2.

Mutilati restituti 21

58 Vir nobilis ex familia Wedelstorf Halberstadensis diœcesis, cui equus ictu calcis pedem confregerat, voto facto, sine medicis in pede curatus est. Testis 1. Hic ipse aliquando gravi in capite vulnere accepto, cum spem tantum in Bennonem poneret, ut præ ea medicorum opem sperneret; ex voto iterum sanatur. Susanna, uxor Michaelis Kuchemeister Fribergensis, de ponticulo quopiam altiore decidens, crus confregerat, imploratoque Divi Bennonis auxilio, sine vitio sanata est. Testis 1. Philippus Henkel Rusbensis, rota prætereuntis currus secundum faciem crudeliter protritus, ita quidem ut actum esse de vita videretur; voto facto in vita conservatus est. Testis 1. Similem ad modum puella Sophia, piscatoris Marthbachensis filia, cujus caput cum pondere rotæ circumactæ diminutum esset; voto facto, in vita conservata est. Testes 3. Thomas Musigen Kemnicensis, letali vulnere in capite percussus, cranio atque etiam ipso cerebro confractis, deploratus a medicis, voto facto, in vita conservatur. Testis 1. Barbara; uxor Joannis Soldiner, tantum vulnus in brachio acceperat, ut illud extrema pellis parte tantum cohæreret: cumque medici recidendum suaderent, muliere ad Divi Bennonis miserationem confugiente, voto facto, brachium adhæsit ac sanatum est. Testis 1. Ad hunc ipsum modum quidam Baltasar Eryk Kemniczensis in digito percussus; qui cum minutissima tantum pelle propenderet, voto facto, adhæsit ac curatus est. Puer Rusticus septem annorum, filius Petri Groll pagi Schrebitz, fuste secundum tempora ita graviter percussus est, ut moribundus procumberet: cumque parentes remedium aliud non viderent, Divi Bennonis auxilium implorarunt; votumque postquam fecerunt, puer sanguinem multum evomere cœpit, ac conservatus est. Testis 1. Uxor vero cujusdam Laurentii Reyters in crure, [lesa erat] quod ita graviter erat confractum, ut ipsum tantum pelle contineretur; Divo Bennoni voto facto, sine alia humana medicina, triduo curata est. Testes 3. Eodem modo vir quadraginta annorum, Valentinus Clering, ex alto prolapsus, cum costam confregisset, sine aliis medicamentis ex solo voto sanatus est. Testes 2. Similiter et Mulier Elisabeth, Joannis Jeuczeler Pirnensis uxor, in brachio, quod et ipsum ruptum erat, ex solo voto sine medelis, idque brevissimo tempore, curata est. Testes 2. Clericus quidam Misnensis Ecclesiæ, massa plumbea in capite ita graviter percussus fuit ut moribundus prosterneretur. Cumque pro occiso sublatus esset, voto facto in vitam revocatur. Testes 2. Paulus Gravert, cum equo cui insidebat collapsus, crus confregerat, cumque a medicis sex mensium spatio curari non potuisset, dolorumque ac putredinis vis in diem invalesceret; Divo Bennoni voto facto, statim sanatur. Testis 1. Faber lignarius vehementi ac mortifero vulnere accepto, cum aliquamdiu e vita migrasse visus esset; voto facto, excitatur. Testis 1. Joannes Werner, letali vulnere in pectore accepto, ex eoque omni ratione ac sensu ablato, cum jam illius interitu propius esse nihil videretur, ex voto statim ad se rediit, ac sanatus est. Testis 1. Michael, Joannis Meuger Lipsensis quatuordecim annorum puer, in ventre secundum umbilicum cultello usque ad capulum incusso, per intestina sauciatus; cum medicis vivere posse nullo modo videretur, voto facto vixit ac sanatus est. Testes 3. Puella undecimum annum nata, Anna nomine, filia cujusdam Petri Meth Dobelensis, pondere prætereuntis rotæ oppressa atque extincta, voto facto, ad vitam revocatur. Testes 2. Puer trimulus Wolfgangus, ex nobili Dragensium familia natus, in latere sinistro per costas secundum præcordia fuso penetratus, voto Divo Bennoni facto, ab omni periculo conservatus est. Testes 2. Idem ipse de quo diximus, ætate jam adulta in fronte lancea percussus, profundissimum vulnus cum accepisset; voto facto, Divi Bennonis auxilium iterum sensit, conservatusque est et sanatus. Henricus *h* Saxoniæ Dux, cum equo corruens crus confregerat: cumque a medicis diu incassumque laboratum esset, vulnusque ipsum magis magisque recrudesceret, Divo Bennoni voto facto, in brevi postea tempore sanatus est.* Testis 1.

h

Igne sacro ardentes 7

59 Margareta, filia bimula Burchardi Losze, pagi Hermesdorf, igni sacro in pedibus accensa, cum una spes in incisione superesset, magno cum periculo conjuncta; voto facto, pedes, sine cauterio aut ulla ope humana, a corpore per se ipsi deciderunt. Testes 5 Puer sextum annum natus, Valentinus [nomine, filius] Martini Brosse Rusbensis, in brachio eodem malo flagravit: voto facto integer

A integer sanatus est. Testis 1. Mulier Gertrudis, conjunx Thomæ Cleyn Mersburgensis diœcesis, vulnere in altero pede accepto, cum id per negligentiam sacro igne esset succensum, voto facto, liberatur. Testis 1. Simili modo in altero pede accensa puella, octennium nata, Margareta filia Gasparis medicinæ doctoris Lipsensis; cum trium medicorum industria diu nihil proficeret, voto facto, curata est. Testes 3. Andreas Glaser Pirnensis, ex vulnere quod in manu sinistra acceperat per medici incuriam igne sacro afflatur, voto facto, liberatur illico. Testis 1. Petrus, Piscator pagi Oberboberick, in pede male affecto ex motu nimio igne sacro accensus, cum votum fecisset, liberatus est. Testis 1. Strachota Bohemus, nobili familia natus, Ducis Georgii Saxonis aulicus, cum in brachio eodem malo correptus esset; voto facto, liberatus est, ipso Duce Georgio hoc attestante. Testes 4.

ANNOTATA G. H.

a Sonewalda, *oppidum inferioris Lusatiæ, ad Dobrum fluvium: mox autem nominandum* Gerisvalde, B *sive* Gerinswalda, *oppidum est in territorio Misniæ Lipsiensi.*

b S. Valentinus *Presbyter et Martyr Romanus, et alii ejusdem nominis Sancti coluntur* 14 *Februarii, estque celebris ejus memoria in antiquis Breviariis ditionum Saxonicarum.*

c Mithweda *oppidum ad Scopam fluvium, sex circiter leucis horariis Misna dissitum.*

d Vortzen *sive* Wartzen *ad Muldam fluvium, Lipsia versus Ortum quinque leucis distat, infra dicitur oppidum Episcopale, ubi etiam corpus S. Bennonis delituit.*

e Volkenstein, *ad vicinum* Marienberg, *calidis balneis celebris, prope montes Bohemiæ.*

f Lommicz *distat ab Albi et Misna duabus leucis.*

g Rusben *seu* Ruspen *ad Muldam fl. Misna tribus leucis distat.*

h Henricus *cognomento Pius, Georgii Barbati frater, vixit usque ad an.* 1541.

CAPUT V.

Tertia pars similium Miraculorum.

a A Morbo Gallico necnon et aliis apostematibus curati 40

Puella tredecim annorum Margareta, Joannis balneatoris Rusbensis filia, morbo Gallico *a* ita graviter laborabat, ut oculum alterum penitus amitteret; per votum liberata est. Testes 2. Ejusdem C oppiduli Joannes, filius Michaelis Steyn morbo Gallico annum integrum vexatus, ex voto liberatur. Testes 2. Andreas filius Joannis Schultecz, 16 annorum, morbo Gallico per omnem faciem, crudelem in modum arrosus, voto facto, sanatur. Testis 1. Anna, Georgii Cunheit Nossensis quatuordecim annorum, anno integro pede altero morbum Gallicum passa, voto facto, illico convalescit. Testis 1. Annicula puella, Margareta nomine, Valentini carpentarii Kemnitzensis, viginti ulceribus duobus sesquimensem infecta: voto facto spatio decem dierum mundatur. Testis 1. Infantuli tres Andreæ Scribæ Kemnitzensis morbo Gallico una contagione simul infecti, et aliquamdiu crudeliter cruciati; voto facto, statim eodemque momento omnes liberati sunt. Testis 1. Adolescens Simon, patre Simone Siphen, a vigesimo ætatis anno per quadriennium integrum morbo Gallico exhaustus ac corrosus, voto facto, convalescit Testes. 2. Simili modo alter Joannes Rasphe Kemnitzensis triginta annorum, cum per quinquennium hoc ipso morbo crudelissime esset vexatus, voto facto liberatur Testis 1. Wolfgangus Baltasaris Schifferdeckers, ex diutino D morbo Gallico ita conctractus, ut paralytico non multum differret, atque ita cum aliquot annos fuisset, voto facto, curatur. Testis 1. Vix quadragesimum quintum natus annum, Paulus Leo, pagi Roffau tres menses ex morbo Gallico laborans; voto facto tridui spatio liberatur. Testes 3. Anna, filia Valentini Steinsetzers Lommitzensis, ex morbo Gallico trigesimo ætatis atatis anno paralytica et phrenetica, voto facto, ab omnibus simul, tribus scilicet gravissimis morbis, illico sanata est. Testes 2. Dorothea, Adam Keylbau, pagi Wachnitz, a septimo ætatis anno in octavum usque mensem per pleraque corporis membra ita crudeliter corrosa, ut ossa nuda sine carnibus extarent, voto facto, brevi tempore curatur ac restituitur, Testis 1.

61 Nicolaus Clinger pag. Pruber ad oppidulum Lommitz altero et quinquagesimo ætatis anno, in facie multis ulceribus infectus; cum votum Bennoni fecisset tertio post die quam malum contraxerat, liberatus est. Testis 1. Sartor Pirnnensis Joannes Tencler, vigesimo ætatis anno cum morbo Gallico infectus esset, eoque menses duos laborasset, nec potuisset interea ullis medelis curari; voto facto, illico convaluit. Testis 1. Idem ipse, de quo diximus, E nono post anno in lingua apostemate contracto; cum ex eo tres menses ægrotasset, voto facto, iterum curatus est. Testes 2. Quidam Urbanus Domsich Sacellanus Gorlitzensis, cum adolescens a morbo Gallico quo laborabat per votum esset liberatus, ac postea in præstando negligentior esset; eodem morbo iterum corripitur, nec prius liberatur, quam novo voto promisso ac veteri persoluto. Testis 1. Rusticus pagi Niderau, Urbanus Gosman, vir quadraginta octo annorum apostemate in gutture ita præter modum intumescente, ut parum abesset quin strangularetur, voto facto, liberatus est Testes 2. Vir sexagesimumquintum natus annum, Matthæus Hangk Misnensis et ipse morbo Gallico laborans, voto facto, curatus est statim: Testis 1. Ex nobili familia natus Urbanus Rhote, ex inferiori Lusatia oriundus, longo tempore morbo Gallico vexatus, voto facto, quam primum sanatur. Testes 5. Matthæus Fabri, Clericus oppidi Golsen, ab incurabili apostemate per votum subito liberatur. Testis 1. Simili modo quidam Martinus Cochel, Rusticus pagi Grobernensis, quadraginta annos natus, a periculoso et ipse apostemate, et quod medelam nullam admitteret, statim voto facto, sanatus est. Testes 2. Puella quadrimula, Catharina Michaelis Wincklers Belgerensis filia; ab eo tempore morbo Gallico correpta, F atque in decimum tertium ætatis annum usque vexata ac consumpta, demum voto facto, brevi tempore convalescit. Testes 2. Fil a Joannis Bavelbergk trimula apostemate ad magnitudinem ovi anserini in facie enato, cum nullis remediis curari posset; voto facto statim sanata est. Testis 1. Nicolaus Fabri sexagenarius, morbo Gallico infectus, auxilio Bennonis per votum implorato, octavo post die, quo morbum contraxerat, liberatus est. Testis 1. Istiusce morbum novem annos passa Anna, conjunx Philippi Asmansdagi Glocke, statim de voto facto sanata est. Testes 3. Alexius Wurlfpeil municipii Ceytz, cui cum sub mento apostema tantum erupisset, ut paulo post totam faciem occuparet atque corroderet, voto facto liberatus est. Testes 2. Petrus, filius Pauli Clementis Mersburgensis, viginti octo annorum, morbo Gallico infectus, post longos cruciatus et ipse ex voto liberatur. Testis 1. Vir nobili familia natus, Joannes de Crokau quinquagesimo ætatis anno, morbo Gallico in manibus contracto, cum sexdecim menses integros medelis incassum experiretur, tandem se ad Divi Bennonis opem convertens

A convertens, voto facto, sanatus est. Testis 1. Euphemia uxor Matthæi Elderich pagi Lupan, a vigesimo septimo ætatis anno, annum post integrum morbo Gallico vexata, voto facto sine ulla humana medicina sanata est. Testis 1. Pueruli tres Donati Globs Dresdensis nova quadam ac fœda scabie; quæque medicis omnibus ignota esset, una contagione infecti, voto facto, uno eodemque momento omnes liberantur: puerorum nomina, Baltasar, Georgius, Bonaventura. Testes 2.

IN VET. IMPR.

62 Aliud sequitur quo monemur de Sanctis Dei pie sentire nec petulanter loqui. Mulier Anna trigesimum quintum annum nata, uxor Joannis Scoppels Oschaczensis, morbo Gallico aliquandiu affecta, ad Divum Bennonem fugiens, voto facto, brevissimo tempore sanata erat. Cumque proba mulier quod promiserat jam præstare gestiret, adest vir, mulierem de proposito verbis deducens, atque interim Sanctorum auxilia mulierisque superstitionem irridens. Sed quid accidit? Vix mulier viri monitis obtemperaverat: ecce tibi pœna uterque plectitur præsentanea, nec jam ut ante mulier, sed qui ex utriusque natus erat et utrique æque cordi esset filio, eodem B morbo Gallico repente correpto. Quod cum vir animadverteret, errorisque pœniteret, Divi Bennonis miserationem implorans, votum ipse fieri pro filio jussit, et liberatus statim est. Testes 2. Vir sexagenarius Nicolaus Helsche, pagi Lavenheim, præ magno apostemate in gutture contracto, ut parum abesset, quin suffocaretur, voto facto, sine alia medela solutus est. Testis I. Ursula, conjunx Bartholomæi Reya, pagi Lavenheim, sex annos integros morbum Gallicum in pudibundis passa, cum ea putredine caro fere omnis ad ossa usque esset consumpta; voto facto absque aliis medelis continuo sanata est. Testis I. Catharina uxor Petri Wulke Hainensis integrum decennium eodem morbo laborans filiumque interea enixa eo ipso mala infectum: voto facto, brevi uno eodemque tempore sanatur. Testes 2. Christophorus Mending Brunbergensis, morbo gallico annos octo vexatus, voto per uxorem facto, sanatur Cumque mulier in præstando negligentior esset duabus magnis adversitatibus affecta est; et cum hanc voti neglecti causam esse arbitraretur; alio voto facto, liberata est. Testis I. Nicolaus Molitoris, et ipse Konsbergensis Clericus, morbo Gallico infectus, atque in facie crudeliter arrosus, ita quidem ut homines ejus congressum fugerent aversarenturque, quam ob causam homo magnis perturbationibus C affectus, Divi Bennonis miseratione per votum implorata, liberatus est. Testis I. Bonaventura Ruchler Gorlicensis quinquennium morbo Gallico infestatus, voto facto, liberatur. Testis I. Baltasar Schwarcze adolescens vigesimo ætatis anno, morbo Gallico ita per omnes venas infectus, ut medici non posse hominem curari dicerent; voto facto, sanatur. Testis I. Vir quinquagenarius Matthæus Sebe Gorliczensi, cum decennium integrum in pede altero, morbo Gallico infectus esset, ac octo annos operam medicorum frustra expertus esset; voto facto, brevi tempore sanatur. Testes 2. Joannes Alberti, Rector parochialis ecclesiæ oppidi Ploczke, morbum fistulæ passus unum et vigesimum annum, cum medicinis curari non posset; voto facto, sanatus est. Testis I. Valentinus Benis Cunsbergensis, morbo Gallico longo tempore vexatus, voto facto, absque ullis medicamentis sanatur. Testis I. Elisabeth, ex antiqua et nobili Luttichiorum familia nata, ficis morbi genere infecta, cum aliunde liberationis spes nulla ostenderetur; voto facto, convaluit. Testis I. R. P. Hieronymus Episcopus *a* Branenburgensis, morbo Gallico correptus; per votum illico sanatur. Testis I. Eques auratus ex familia Bugenhagensi, Marschalcus Ducis Pomeraniæ, morbo Gallico ita infectus, D ut a medicis curari non posset; voto facto, præter omnium opinionem liberatur. Testis I. Carolus *b* Munsterbergensis, Dux Silesiæ, morbo Gallico et ipse infectus, voto ad Divum Bennonem facto, eo ipso monumento liberatur. Testes 6.

b

63 In oppido Romnits Dorothea, uxor Michaelis Seidel, cum parturiens ita laborasset; ut obstetrix et reliquæ quæ aderant mulieres, fœtum necessario extinctum esse dicerent, ob eamque rem mulier manus sibi ipsa afferre conaretur: voto facto filius vivus ac validus editus est, Testes 2. Cordula, filia Petri Creytz Roehlitzensis, fœtum exanimem in quartam et vigesimam horam utero continens, necdum potis eniti; voto facto enixa est, et in vitam conservata. Testes 3. Ursula uxor Simonis Sthants, quater singulos fœtus exanimes enixa est, quod cum mulier graviter doleret, voto facto quintum vivum edidit. Testis I. Idem et in pago Geyl accidit Brigidæ cuidam, uxori Joannis Neuheyer, quæ et ipsa quatuor fœtus exanimes postquam edidisset, de voto facto quintum prospere peperit, vivumque puerum edidit. Testes 3. Elisabeth, uxor Clementis Cuntzel Haynensis, altero et quadragesimo ætatis anno gravida, tempore quo partus instabat, et ægrota et adeo E inflata, ut nulla spes ad salutem superesset; voto facto, omne periculum evasit. Testes 3. Puella vigesimum annum nata Margareta, uxor Georgii Bergers, in decimumquintum usque diem graviter in partu laborans; cum nulla industria liberari posset, voto facto, statim peperit. Testes 3. Altera puella Ursula nomine, conjunx Matthæi Burchardi pagi Bonsch, tum primum fœta, ac parturientium doloribus inassueta, ingruentibus doloribus sibi ipsa manus afferre conabatur: votis factis per eas quæ in partu aderant mulieres, mulier sensim placatur, ac prospere peperit. Testes 3. Elisabeth, uxor Matthæi Gabisch, repentino quodam metu perterrita, cum uterum gestaret, ad abortum faciendum adacta fuit cumque in ipso periculo votum fecisset, immaturum quidem fœtum, vivum tamen enixa est. Testis I. Margareta uxor Joannis Stormer, triduum in partu laborans; cum ex eo peritæ mulieres fœtum vivere non posse dicerent, et de matre periculum esset, voto facto, uterque salvatus est, estque scitus puer editus. Testes 2. Catharina, uxor Petri Sorgenfrei, cui cum ante partum ipse fœtus in utero extinctus esset, ac mulier in maximo periculo versaretur; voto facto, soluta est; infansque illæsa matre extractus. Testes 2. Margarita, uxor Michaelis Reichel F Diploswaldensis in partu et summis doloribus et maximo periculo subjecta, quia fœtus non directus in caput, ut reliqui, sed transversus exitum erat ingressus, voto facto liberata est, et prospere peperit. Testes 2. Barbara, uxor Martini Ulman Gorlitzensis quartumdecimum cum peperisset, ac perpetuo fœtus mortuos enixa esset, voto facto, tandem filiam vivam edidit Testis I. Uxor Pauli sartoris, obstructis meatibus parturiens cum in gravissimo periculo esset constituta, voto facto, monstrosum infantem edidit: qui et ipse paulo post simili voto facto rectificatus est. Testis I.

Parturientes a Periculis liberatæ 13.

64 Annicula puella, Margarita Valentini fabri lignarii Kennutzensis, in tertium decimum mensem febri vexata, voto facto eo momento liberatur. Testis I. Erasmus filius Valentini Fritzko, 17 ætatis anno febri continua in duodecimum usque diem laborans, voto facto liberatur. Testes 2. Baltasar Erik Zwickaviensis sextum et sexagesimum annum natus, integrum biennium febri vexatus: voto facto confirmaretur. Testis I. Georgius Albertus Rustensis, quinto ac vigesimo ætatis anno, sesquimensem febri ita graviter oppugnatus, ut omnem sensuum usum amitteret

a febribus liberati 16.

amitteret: ac quia in ea mentis alienatione Divum Bennonem videre sibi visus est; sanitati pristinæ, simul compos rationis factus, illico restituitur. Testes 2. Wolffgangus Leyptzik Oschaczensis, ex hujusmodi Divi Bennonis miraculis unum supprimens, febri continuo corripitur. Cumque hanc causam morbi ipse putaret, constituit secum miraculum diutius non tacere et illico convaluit. Testis 1. Joannes Tentzeler Pirnensis undetringinta annorum, plus minus tribus mensibus febri vexatus, necnon et in lingua ex alio quodam morbo laborans, uno eodemque voto, gemino malo liberatus est. Testes 2. Vir sexto ac septuagesimo ætatis anno Nicolaus Specht, Clericus Camitzensis, diutina febri ita exhaustus, ut eum non posse vivere medicis videretur, voto facto confirmatur. Testes 2. Gallus Franck, Rector Parochialis ecclesiæ Culmnitzensis sexagenarius, cum Romam pietatis causa proficiscitur, tam vehementi in Urbe febri correptus est, ut medicis non posse evadere videretur. Sed ecce dum in extremis luctatur, videre sibi visus est Divum Bennonem in spiritu, et insperato convaluit. Testes 2. Puella quinquennium nata, agens filia Joannis Cluge, in decimum quintum diem febri continua vexata, dum ad extremum deficere videtur, voto tum Bennoni facto liberata est. Testes 2. Vir septuagenarius Judocus Schmit, acutissima febri eaque continua in decimum usque diem vexatus, voto facto, liberatur illico. Testis 1. Nicolaus Keul, rusticus pagi Lupe a quadragesimo ætatis anno in tertium usque mensem febri laborans, ac vehementer exhaustus, voto facto confirmatur. Testis 1. Margarita, conjunx Petri Hase Gleisenbergensis, æstatem integram tertiana laborans, voto facto, confirmatur. Testis 1. Aliud exemplum, quo impia de sanctis incredulitas plectitur. Quidam Nicolaus Stoell filium habebat, Matthæum nomine, alterum et vigesimum tum ætatis annum agentem, is cum febri laboraret, mater votum Divo Bennoni pro filio facere voluit: quod dum maritus animadvertit homo durioris cervicis, mulierem a pio instituto absterret, imo prohibet, illius stultitiam ac superstitionem irridens. Quare haud ita multo post, ipse simul cum uxore, simili febri corripitur. Quod cum facile admoneret erroris sui hominem, pœnituit, ac cum Divi Bennonis auxilium pio affectu invocasset, voto facto, omnes simul liberati sunt. Testes 2. Barbaro, uxor Joannis Ecbler Gorlitzensis, vigesimo septimo ætatis anno, in decimumquartum usque diem febri continua exhausta, cum ad ultimum perventum esset, voto facto liberata est et conservata. Testis 1. Altera eodem nomine, sed major ætate, uxor Nicolai Reiche, postquam tertiana tres menses laborasset, voto facto, confirmata est, Testis 1. Walpurgis filia trimula Joannis Cathe agricolæ ad oppidum Mutzense, cum febricula intercutanea infecta, animam agere videretur; voto facto in vita conservatur ac liberatur, Testis 1.

a sanguinis fluxu nec non et menstruorum excessu liberati 7.

65 Simon Tischer Haynensis, trigesimum annum natus, ex diuturno per nares sanguinis fluxu deficiens, voto facto, confirmatur. Testes 3. Ursula, uxor Jacobi Tochen, pagi Wildenheym, vigesimo quinto ætatis anno, in tertium usque mensem menstruorum fluxum passa, voto facto, confirmatur. Testes 2. Gutta, uxor Christophori de Maltitz Equitis aurati, trigesimo quarto ætatis anno, longo ac continuo fluxu menstrui exhausta, voto facto, confirmatur. Testes 2. Barbara, uxor Stephani Wulpis Mersburgensis diœcesis, trigesimo ætatis anno perpetuo sanguinis fluxu vexata, cum a medicis desperatum esset, voto facto, illico curatur. Testes 2. Anna, uxor Andreæ Caterin civis Torgensis, triginta annorum, in alterum usque mensem fluxum sanguinis passa, voto facto sanatur. Testes 2. Altera eodem nomine, uxor Georgii Geys Dresdensis, vigesimo septimo ætatis anno, fluxu menstruorum ultra alterum mensem impedito, atque inde male affecta, voto facto, curatur. Testes 3. Nicolaus de Charis, vir nobili familia natus, sexagesimo quinto ætatis anno, sanguinis fluxu per nares ita invalescente, ut nulla medicorum ope prohiberi posset; voto facto, curatur. Testis 1.

a calculi cruciatibus liberati 5.

66 Jacobus Perkicht Remnitzensis, triginta annorum, calculi doloribus diu vexatus; cum medicorum opem diu frustra esset expertus, voto Divo Bennoni facto, liberatur. Testis 1. Erhardus, puer trimulus Georgii Coler Lommitzensis, diutino calculi dolore vexatus, voto facto, lapillum, nucleo pruni non minorem, per urinæ meatus ejecit. Testes 2. Fridericus de Witzleben, vir antiqua et nobili familia natus, nec non Eques auratus, vehementissimis calculorum doloribus excruciatus, medicorumque opem frustra expertus voto facto liberatur. Testis 1. Catharina, uxor Joannis Muntzer Fribergensis, calculi dolores aliquamdiu passa, cum a medicis curari non posset, voto facto, liberatur. Testis 1. Margareta, uxor Bartholomæi Biher pagi Gosser, quinquagesimum tertium annum nata, duodeviginti annis calculi doloribus vexata, voto facto liberatur. Testis 1.

de apoplexia liberati 5.

67 Georgius Henschel, pagi Weyschensis, dum ex terra aliquid graviore nisu levare contendit, apoplexia in manu corripitur: quæ cum in secundum usque mensem mortua perstitisset, voto facto, reviviscit. Testes III. Jacoba, uxor Friderici, ex familia Witzlebensi Equitis aurati, Halberstadensis diœcesis, nocturno tempore apoplexia correpta, voto a viro facto, liberatur. Testes 2. Christina, Prior (ut vocant) Cœnobii sanctæ Mariæ Magdalenæ de pœnitentia in oppido Lauben, Misnensis Diœcesis, apoplexia correpta, voto facto salvatur; nec non a morbo, quem in pede altero patiebatur, simul liberatur. Testes 2. R. P. Joannes Episcopus Numburgensis c sexagesimo ætatis anno apoplexia correptus, atque aliquamdiu a mente alienatus, voto facto ad se rediit. Testis 2. R. P. Martinus, Abbas Celleveteris, Misnensis diœcesis, apoplexia correptus, ope Divi Bennonis creditur conservatus. Testis 1.

Ab incendio seu ambustione liberati 2.

68 Puer bimus Georgii Bottiger, pagi Dithmandorf, Misnensis diœcesis, aqua bulienti ex imprudentia perfusus, cum puer semicoctus ex altero latere videretur, omnesque de salute desperarent, voto facto conservatur, Testes 3. Domus Martini fabri Clerici Goslariensis, cum oppidulum ipsum totum igne periret, atque omnes vicinæ ædes incendio flagrarent, voto facto, in mediis flammis intacta conservata est, Testis 1.

Monstrosi partus correcti 4.

69 Friberg puer æditus, secundum genua pedicis implicatus, qui voto a patre facto continuo liberatur: nomen patri Georgius Heidenreich. Testes 2. Marta, filia Martini Weber, pagi Raicczemtz, trimestris, apostemate in crure altero contracto, et ex eo clauda effecta; contactu Reliquiarum Divi Bennonis sanatur. Testes 3. Puer, ex nobili Dragensium familia, cui Wolffgango postea nomen factum est, editus cum duabus in ore linguis, voto facto emendatur, et altera lingua evanuit, Testes 2. Laurentius, filius Donati Keilenberg Strelensis, cum in naso, in quo erat offensus, opera medici utitur: narium usum omnem occluso meatu utroque amittit: sicque annum integrum cum perstitisset: voto facto restituitur, naresque aperiuntur. Testis 1.

amissus puer inventus

Puer trimulus Joannes Matthæi Wueys Olerensis in silvam oppido finitimam per casum evaserat, in eaque in tertiam usque noctem oberraverat, insciis interea omnibus quonam gentium puer abreptus esset; voto facto, recuperatur. Testis 1.

EX IMPR. GERM.
ex carcere, vinculis et obsidione liberati 3,

A 70 R. P. Hieronymus Episcopus Branderburgensis tum cum in minoribus esset a latrunculis spe prædæ captus, voto facto, salvis rebus omnibus evasit. Testis 1. Joannes Trischo Brizunezensis octogesimo ætatis anno ab hostibus sub spe mulctæ captus, voto facto liberatur. Testis 1. Henricus Saxoniæ Dux, gravi obsidione in Frisia per traditionem pressus, fœdissimo præterea mortis periculo proposito; cum spes nulla reliqua esset, quin in manus hostium perveniret; voto facto obsidio solvitur, ac hostium manus dispergitur. Testis 1.

Alia quædam auxilium Bennonis clare testantia

71 Jam vero prætereundum illud non est, quod in Misnensi ecclesia solet contingere. Ibi quoties ex Canonicorum numero unus aliquis diem obiturus est, toties nocte ea quæ mortis horam præcedit, tantus strepitus per templi totius pulpita ac sedilia exauditur, ut qui cantibus nocturnis in eodem templo destinati sunt, sæpe testati sint, se tanto horrore perculsos, ut cantum præ timore intermittere aliquamdiu fuerint coacti. Quod indicium cum et in aliis quibusdam Sanctis Dei sit probatum, nec in hoc unquam fefellisse sit compertum: nescio an non divinitatis firmissimum argumentum censeatur. Testes 2. De Marchionibus vero duobus in Vita

B Bennonis dictum: quorum alter, cum sanctissimum virum per contumeliam pulsasset, anno post eadem ipsa hora, qua illud factum erat, jam tum mortuo Bennone, qui hoc futurum prædixerat, cum Princeps sceleratus in ponte quodam deambularet, intra suorum manus de viso quodam, quod ex nubibus apparuerat, vita privatus est, ejusque cædis in eo ponte hodie visitur vestigium. Alter vero, cum ecclesiam injuriose tractaret, ejusque bona contra omne fasque usurparet, in somnis aliquoties a Divo Bennone frustra admonitus; cum inde non moveretur, oculo altero amisso pœnas dedit ac resipuit. Testes 3. Extat præterea et campana illa in pago Schonberg, quæ quod a Divo Bennone benedicta sit, ipso sonitu omnem vim cœli ab agris finitimis tuguriisque avertit, Testes 5. Non longe ab eodem loco, in pago Naumberg, semita est in hunc usque diem integra, deambulationibus Divi Bennonis confecta: in cujus ambitu nulla tempestatum procella rumve injuria hactenus est animadversa. Testes 4. Tugurium autem illud, in quo sanctissimum virum habitasse constat in pago Gehlin, quamvis humile, ad nunc illæsum tamen extat: et quod magis mirum est, cum hoc stramine contectum sit, ac ter interea viciniæ ædes omnes incendio conflagrarint,

C non sine divina voluntate intactum perpetuo conservatum est. Testes 90.

Conclusio

72 Hactenus quam brevissime fieri potuit, de iis quæ a Divo Bennone Divinitus ac miraculose gesta. Non quod non pleraque hic prætermissa sint, aut tanquam ea quæ hic dicta sunt satis copiose ac cum dignitate videantur esse narrata; sed quod ei cui indicem tantum earum rerum scribere erat propositum, nullius rei æque ac brevitatis ratio habenda fuit.

ANNOTATA G. H.

a *Quem alii* morbum regium, *hic et in præcedentibus Gallicum dici existimo, strumas ac Scrofulas, quarum curandarum speciale privilegium Regi Galliæ concessum vulgo scitur: absit enim ne in tantillæ ætatis ægris, et tam multis palam morbum confessis ex aliquorum usu vel potius abusu hic intelligatur lues venerea etiam ex innocenti contagio afflata.*

b *Episcopatus Brandeburgensis institutus est ab Ottone Magno Imperatore anno* 946: *abolitus per hæresim anno* 1561.

c *Munsterberga urbs Ducalis inferioris Silesiæ, nunc Regi Bohemiæ subjecta, haud procul a fonte Olaviæ fluvii.* D

d Numbergensis Episcopatus *tota Germania nullus est, sed nec alibi uspiam. Forte legendum* Hamburgensis, *cui una cum Bremensi seculo* 15 *præfuit Joannes Rode, ut est apud Krantzium in Metrop. lib.* 12 *cap.* 23.

APPENDIX

Ex Germanicis impressis Latine reddita.

Hactenus producta procedunt, indicatis dumtaxat curatorum nominibus atque mali depulsi genere: quæ scribendi ratio, cum parum facere videretur ad gustum piæ plebis; maluit is qui Acta Germanice legenda digessit, servato temporum ordine, colligere præcipua quædam, cum pluribus circumstantiis: quorum non nulla jam in notis attigimus, quædam in prædictis satis explicata omittimus, alia hoc ordine legenda proponimus.

An. 1270 curatur caput puellæ a vermibus exesum

74 Anno post Christi natalem MCCLXX, (*quo scilicet translatum et elevatum corpus fuerat*) Divo Bennoni gratum se Misnæ stitit Hermannus de Schilove, pro recuperata ejus Sancti patrocinio filiæ suæ triennis valetudine, cujus caput vermium quoddam genus E exedebat, ita indies ingravescente malo, ut medentium ars ei pellendo succubuerit. In tanto prolis suæ periculo pia mater, D. Bennoni pro ejus salute votum fecit, quod mox exsolvit. Quo facto, infans Divi tumulo imposita, extemplo convaluit. Mater, pro insigni hoc beneficio grata, voto se obstrinxit, puellam quamdiu per ætatem incedere non posset, se quotannis cum donativo ad Divi Bennonis tumbam deducturam. Cum vero exsolvere votum neglexisset, maritus ex arbore non admodum procera delapsus, statim apoplexia, et filia priore iterum morbo decubuit. Mater, voti sui memor, puellam et conjugem ad Divi tumulum Misnam adduxit; et utrique priorem et stabilem sanitatem recuperavit. Quæ omnia ipse Hermannus, et uxor ejus Agnes, unaque Hedwigis eorum vicina jurati dixerunt.

mater votum negligens punitur

curatur brachium debile.

75 Circa idem fere tempus Ludovicus de Gifridsbach cum a festi S. Thomæ usque ad Paschalia claudus graviter decubuisset, Divi Bennonis ope convaluit: qui, cunctis jam de ipsius salute desperantibus, admonitus in somnis, ut D. Bennoni votum faceret; ut primum somnis paruit, æger esse desiit. F Paulo post Petrus quidam piscator, Albis fluvii accola, una cum uxore sua Petrissa, testante Paulina vicina, juratus affirmavit, filium suum sesquiennem, ita subito in dextro brachio mutilem factum fuisse, ut de eo reparando medici desperaverant, dum tandem facto voto Divo Bennoni infantem commendarit: qui ad Sancti viri tumbam delatus, momento citius dolere brachio destitit.

mulier contracta tota,

76 Anno MCCLXXIII, cum in collegiata Misnæ Ecclesia inferioris chori ara Magnæ Virginis honore consecraretur, adfuit inter confertum populum mulier, ita omnibus membris capta, ut in globum contractæ genua pectus attingerent, multis jam annis pedum usu destituta, volvere se, et qua fulcris qua manibus repens propellere ab uno loco ad alium consueverat. Hæc tempore vespertino ita semet agendo, ad Divi Bennonis tumulum per medium populi multitudinem provoluta, ad noctem usque in precibus perseveravit: et cum jam claudendæ essent templi valvæ exclamavit: O sancte Benno, adsis miseræ mihi, poscenti auxilium tuum, ut afflicto huic corpusculo Jesus Christus sanitatem dignetur impertiri; e vestigio artubus suis vigor rediit. Quare illa, relictis ad Divi tumulum fulcris, multis qui huic prodigio interfuerunt, præsentibus, habita quæstione,

A ne, quamdiu ita misera fuisset; unde domo; quo cum habitasset; quem dare testem eorum, quæ diceret, posset: duas nobiles virgines nominavit in pago Heynizio habitantes, ad eas extemplo rei veritatem exploratum missi sunt, Theodorus ad D. Afram Præpositus Ordinis S. Augustini, et Conradus Ecclesiæ Misnensis Custos. Quibus virgines illæ cum tota familia juramento asseverarunt, prædictam fæminam, ultra medium annum omnibus membris captam, ipsarum stipe secum in eadem domo habitasse; totoque tempore, quo cum illis vixerit, somnum numquam capere potuisse; et præ doloris acerbitate tota nocte ejulantem, ne aliorum quietem turbaret, seorsim in aliud conclave amandandam necessario fuisse.

1277 apoplectica, gibbosa,

77 Anno MCCLXXVII, cum die tertio Pentecostes *a* Misnæ in nosocomio Dedicatio templi celebraretur, usum aurium recuperavit Meida, N. Dobelinensis, quam apoplexia sex menses lecto affixerat, invocato D. Bennonis auxilio ad ejus tumbam convaluit.

78 Henricus de Owa, cum uxore sua Jutha, asseruerunt, filiam suam etiam Jutham dictam, cum B gibbo natam fuisse qui in eam tandem paulatim molem excreverat, ut misera puella recta se attollere nequiverit: insuper inversis pedibus, ita ut eorum plantæ retrocesserint, incedebat. Postquam igitur sexennium attigit, puellam ad D. Bennonis tumbam cum voto deduxerunt: ibi gibbo et pedum inversione liberata, sospes domum cum parentibus repetiit.

et ulcerosi duo.

79 Lanio quidam Freiburgensis, Nicolaus nomine, magno et letifero ulcere dolebat: cui cum medicamenta adhiberentur, Nicolaus D. Bennonis opem inclamavit, quo facto, violenta tussi ulcus crepuit, quod mox sublato tumore resedit: Othonis Erckenbert, Misnensis municipis filius, tanto circa fauces ulcere intumuerat, ut infans neque materna trahere ubera, neque alio ullo alimento frui potuerit: facto a parentibus ad D. Bennonem voto, malo liberatus est.

1277, gibbosus

80 Tertio die Paschatis, anno MCCLXXVIII gratias *b* egerunt D. Bennoni, pro infantis sui sanitate; Nicolaus N. Grimmensis, et ejus uxor Christina; affirmante, semestrem infantem suum intra quatuor menses gibbo humani capitis magnitudine, intumuisse, commendato vero D. Bennoni infante, noxium tumorem recessisse. Testes jurati fuerunt tres vicini, Walterus, Joanna, Irmingardis, audientibus aliquot Canonicorum, et magna populi frequentia.

et manibus mancus.

C 81 Eodem anno narravit Petrus Burchardorssensis haud procul Joih Grimma, una cum uxore, filium suum Martinum, XIV annos natum, solidum annum utraque manu claudum fuisse, et singulis quatriduis humi prolapsum maximos dolores perpessum: cum vero die Sabbathi ante festum D. Michaelis rus petiisset, ad aratrum collapsum expirasse, et dimidii diei spatio pro mortuo habitum jacuisse. Dum tandem mater D. Bennoni pro illo se voto obstrinxit: quo facto adolescenti vitam una cum sanitate redisse. Rem jurejurando confirmarunt, audiente magna populi multitudine, Matthæus, Henricus, et Bertha, vicini illorum.

1279 subito mortuus reviviscit,

82 Coloni cujusdam Kozbrobensis, et Berthæ ejus uxoris decennis filius Albertus, herbam quamdam terra effossam deglutierat. Cum deinde fontanam in prandium afferre vellet, in reditu collapsus, occubuit. Vicini funestum casum parentibus quantocyus retulerunt: qui adolescentem usque ad noctem ita mortuum deplorarunt. Tandem facto ad D. Bennonem voto, iterum vivere incepit. Jurati dixerunt parentes, cum aliquot vicinis, Joanne Bauri, ejus uxore Christina, Petro, Andrea, Martino, Henrico, qui omnes rei gestæ interfuerunt, anno MCCLXXIX. Eodem anno feminæ Frejbergensi Petrisæ nomine, decennis filius Albertus, comitiali morbo D laborans, a matre per votum D. Bennoni commendatus, malo in perpetuum liberatus fuit. Eodem anno mulier quædam Berchtrada nomine, filium suum Nicolaum ad D. Bennonis tumulum adduxit, cui intra semestre [sic contracta sunt crura] ut recta se erigere, et incedere amplius nequierit: cum autem mater Divi tumbæ eum imposuisset, cereumque accendisset, puer bene se habere, et incedere posse, aiebat; dicto res ipsa fidem fecit. Affirmarunt jurati Berchtoldus faber ferrarius, et ejus uxor Kunigunda, apud quos prædicta Berchtrada duas noctes in hospitio fuit. Eodem anno die Natali *c* S. Donati, vidua quædam Elisabetha Hardeckensis, triginta milliarium iter emensa Misnam venit, quæ quindecim annos sinistra manu et pede clauda, loco se movere nisi maclinis nequiit. Loci ejus Curio ut se D. Bennoni commendaret suasit: cui cum paruisset, et pedis et sinistræ usum recuperavit, relatis in rei memoriam ad Divi tumbam fulcris, queis ad iter faciendum usa fuerat. Pede et manu captam fuisse juramento affirmarunt, Henricus Zan civis Misnensis, Mechtildis ejus uxor, et Gertrudis, eodem per duas noctes cum illa hospitio usa. Convalescentes vero viderunt aliquot Canonici, Decanus et Præpositus Budissensis, Custos Misnensis, Præpositus Wurzensis et alii. E

EX IMPR. GERM. erigitur contractus,

recuperatur usus pedis et manus sinistræ,

resuscitantur submersus,

83 Eodem anno, die D. Virginis in cœlum assumptæ festo, D. Bennoni gratam se stitit femina ad S. Gotthardum, Chanæ fluvii accola; Christina nomine; cujus filiolus Conradus sesqui annum natus, parentibus in novorum hospitum adventu celebrando inobservatus, in amnem prolapsus, mersusque, horæ intervallo sub undis jacuit. Quod advertens ancilla clamore suo Joannem Baur, loci ejus incolam excivit. Qui aquam ingressus, infantem in fundo repertum mortuum extraxit: quem D. Benno, voto facto sibi commendatum, mox vitæ restituit. Rem ita se habere, non modo parentes juramento affirmarunt, sed etiam vicini, Petrus, Bozlaus, et Benedictus, oculati testes dixerunt. Festo die S. Galli *d* colonus Petrus de Kozebrode, ad D. Bennonis tumulum cum decenni filio Thimone venit. Hic latomiam ingressus, corruente desuper solo, ita oppressus fuerat, ut terræ moles, quæ illum texerit, vix decem plaustris avehi potuerit, latuit sepultus sub hoc tumulo tanto tempore, quanto milliare eundo confici potest. Pater, audito luctuoso F nuntio accurrens cum aliis postquam amolitus est humum puerum mortuum extraxit, cui parens illico in genua provolutus vitam a D. Bennone recuperavit. Prædicto anno, die *e* S. Ursulæ, mulier ex Isenbergensi agro ad D. Bennonis tumbam secum adduxit filium suum Jacobum XV annos natum, testata audientibus ipsomet Misnensi Præsule Witigone secundo, Præposito, Decano, aliisque quam plurimis Canonicis, et utriusque ordinis hominibus, hunc filium suum olim secum Misnæ fuisse, in reditu vero prolapsum ita derepente obmutuisse, ut ad sex ferme Hebdomadas linguæ usu caruerit: tandem a vicinis admonitum se illum ad D. Bennonis tumbam deducturam vovisse, quo nunc facto, adolescenti loquelam redisse.

et ruina obrutus,

loquela muto redditur

84 Anno MCCXXXV die Sabbathi ante festum *f* S. Viti, Gertrudis Joannis de Ziegowe uxor, per quinquennium muta a die Pentecostes, usque ad dictum diem Sabbati D. Bennoni ad ejus tumulum pro linguæ usu supplex fuit, tempore vespertino tandem exaudita, loquelam recepit. Venere cum illa Misnam Nicolaus ejus civis Gubinensis, Gerhardi de Stadt filius, et Euphemia Nicolai Lerer, qui hoc præsentibus Petro Gutguardiano, et F. Felinberto Ordinis S. Francisci Ecclesiæ Misnensis Custodes, Hartmanno

et Reo mutæ.

A manno, et Joanne Vicariis jurati dixerunt.

EX IMPR. GERM. An. 1300 curatur tibia exulcerata,

85 Anno MCCCC una cum sorore sua Misniam venit Margaritula Fravesteinin, Lipsiensis vidua, quæ solido quatriennio pedum usu destituta, et acerbissimos perpessa cruciatus fuit, cum altera tibia novem foraminibus hians continuo fæda sanie manaret: tandem D. Bennoni votum nuncupavit se ejus tumulum invisuram, si per pedum valetudinem liceret. Quo facto, noxium pus continuo exaruit; et illa una cum sorore sua voto se exolvit. Id affirmanti adfuere Laurentius de Lockau, Joannes de Ester-Werth Sacerdos, Joannes Koch, et Stephanus Mayr, Notarius publicus. Eodem anno XXII Julii narravit Romfoldius Canonicus Misnensis, audientibus Henrico de Elsterberg, Ecclesiæ Misnensis Vicariis, Stephano Mayr Notario publico, se nuper sanum valentemque cubitum concessisse, noctu vero tantos cruciatus subito in altera tibia persensisse, ut doloris contagio paulatim etiam præcordia corripuerit, apoplexia se tactum credidisse, præsertim cum dexterum pedem movere loco non posset. In tanta calamitate confugisse se ad notam B. Bennoni sospitatricem opem, eique cereum anathema B vovisse: deinde cum paulisper obdormisset, auribus suis hanc vocem allapsam fuisse; *Non exaudit Deus peccatorum preces.* Quo audito se postera luce quam primum exomologesi animum lustrasse, fusumque ad Divi tumulum in preces, sanum vegetumque Domum rediisse, Deum in Sancto suo tam mirabilem sine fine laudibus extollentem.

et mulier paralysi tacta,

sed non nisi post confessa peccata

86 Postridie Kalendas Augusti, Catharina Myllerin Korsebogensis, infantem filium brachiis ad D. Bennonis tumbam attulerat, qui ex superiori domus contignatione præceps delapsus horæ spatio ut mortuus deploratus fuerat; quam primum vero Divo Bennoni nuncupato voto oblatus fuit, revixit. Matri id referenti adfuere Nicolaus, et Joannes, Elsterwerthenses fratres ambo sacerdotes, et Stephanus Mayr Notarius publicus. Eodem die etiam Joannes Benemeister Dresdensis, salutem suam D. Bennoni acceptam retulit, qui per sexennium claudo et male afflicto corpore decubuit. Apostolorum Principibus Romæ nequidquam pro recuperanda valetudine solicitatis. Domum ab Roma redux, multa passim narrari de D. Bennonis in morbidos clementia audit: quare etiam ipse voto se obstringendo ejus opem inclamavit. Quo perfecto, eodem adhuc temporis momento sanus evasit. Dixit juratus præsentibus Nicolao Elsterwerthensi Vicario, Joanne C Camenze Guilhelmi Marchionis aulico, Stephano Mayr Notario. Quinto Augusti Osterholta Northusana, quæ integro quinquennio sanguinis profluvio laboravit, a Medicis conclamata, D. Bennoni sanitatem debuit: eam maritus, cum Misniam venisset, D. Bennoni commendavit: quo domum reverso Osterholta sanitati restituta fuit. Narravit hoc palam audientibus Joanne Lobenizio, Conrado Eckerspergensi Vicario, Nicolao Elsterwerthensi sacerdote, Stephano Mayr Notario.

resuscitatur ex alto lapsus:

sanatur sexennio claudus,

quinquennio fluxus sanguinis,

87 Nicolaus Techwitz Ezizensis duos fere menses comitialis morbo laboravit, ita paulatim viribus destitutus, ut intra quatuor hebdomadas nec potum nec aliud gustaverit, solidumque octiduum ne verbum quidem ore proferre potuerit: quare desperata ejus vita cognati jam de hæreditate litigantes cereos ad solvenda ei justa comparaverant. Ejus uxor conclamatum ab omnibus maritum D. Bennoni promisso anathemate, commendavit, quo facto, ille altera luce melius habere cœpit, cibum potumque sumpsit, paulatim penitus convaluit. Ipse hæc omnia cum uxore dicto juramento affirmavit. D. Bennoni cumulatissime pro tanto beneficio gratias agens, audientibus Conrado Lobdano, Nicolao Elsterwerthensi sacerdote, Stephano Mayr Notario, D XIV Augusti. Nicolao Hofman Frebergensi glires faciem pestifera urina sua asperserant, ex quo infecere vultum venenata ulcera quædam; quibus putrefactis caro fœdum in modum e genis defluxit. Ille inopinato perculsus malo, ad D. Bennonis tumbam miseris asylum confugit, et nuncupato voto pristinam vultui sanitatem recuperavit. Audiere hæc de se testantem Joannes Wurzensis sacerdos, Andreas Hambergensis Notarius Joannes Godttfridt, Stephanus Mayr itidem Notarii, XVII Augusti. Thomas Hainensis XII annis articulari morbo laboravit adeo, ut pedes suo fungi officio, nisi admotis fulcris nequiverint: manu quoque sine aliorum auxilio potum ori admovere non valuit, postquam D. Bennonis opem edito eidem voto invocavit, ingredi pedibus sine ullo adminiculo potuit. Videre prodigium Bertholdus Gebesenus, Nicolaus Elsterwerthensis, Stephanus Mayr Notarius, XVIII Augusti.

a morbo comitiali depositus,

faciem fœde exesus,

artriticus,

88 Adelheidis Heringin Misnensis, X annis incredibili oculorum dolore excruciata fuit, et insuper integro mense pedibus laboravit: anathemate pro avertendo gemino malo ad D. Bennonis tumbam appenso, e vestigio voti compos fuit. Deoque et So- E spitatori suo Bennoni cumulatissime gratias egit. Adfuere rei gestæ Nicolaus Elsterwerthensis, Joannes Schreiber Halberstadiensis, Stephanus Mayr Notarius, XXIV Augusti. Kunne, Henrici Stammez uxor Northusana, XI annos inauditos in altero pede dolores sustinuit, præterea apoplexia, et ignis sacer non raro per intervalla miseram corripuit. Edito ad D. Bennonem voto, extra urbem Misnam ad S. Nicolaum concioni interfuit. Ibi visum ei est, omnes morbos velut aquam per ima pedum elabi: quo animadverso in pedes erecta (quod antea minime potuit) sospes domum rediit. Testati sunt Nicolaus Elsterwerthensis, Joanne Lobenizius Vicarius Misnensis, Stephanus Mayr Notarius, XXIV Augusti. Clara Schwydenizensis puella, XII annos morbo articulari, et apoplexia laboravit: singulis etiam mensibus ratione destituta tam insane deliravit, ut insertis vinculis per vim coercenda fuerit. Ut primum D. Bennoni pro salute sua se voto obstrinxit, utroque morbo liberata est. Adfuere miraculo Joannes Wurzin, Georgius Leitner Schilovensis, Stephanus Mayr Notarius, et Margareta Gommerfeldensis, quæ hæc omnia juramento confirmavit, XXIV Augusti.

oculis ac pedibus laborans,

et quædam morbis pluribus,

artritica et apoplectica,

F

epilepticus,

89 Joannes, Nicolai Eckerspergensis filius, solidum annum comitiali morbo laboravit, postquam parentes pro filii salute D. Bennoni votum nuncuparunt, tentari illo malo imposterum desiit. Sic testantur Nicolaus Elsterwerthensis sacerdos, Franciscus Suseliz Sutor Misnensis, et Stephanus Mayr XXX Augusti. Elisabetha de Borne XX annos articulari morbo decubuit, ut loco movere se non potuerit. In tam pertinaci calamitate ad D. Bennonis tumulum facto voto confugit, et mox recuperato membrorum usu convaluit. Id testanti de se adfuere Joannes Wurzensis, Nicolaus Elsterwerthensis sacerdotes, Nicolaus Cometavensis ex Pragensi Diœcesi, Stephanus Mayr Notarius, Pride Kal. Septembris. Eodem die Henricus Altendorff Windenborgensis, pro sequenti beneficio D. Bennoni Misnæ gratias egit. Die Mercurii *g*, qui festum B. V. in cœlum assumptæ excepit, turma sexcentorum equitum in eum regionis tractum, quo ipse habitabat, prædatum excurrerat, pecora obvia omnis generis abigens: Quo animadverso, Henricus, pro suis et vicinorum armentis, quæ sub puerorum custodia in proximo campo pascebant, sollicitus, Deum et D. Bennonem inclamavit, pollicitus intra XV dies se Divi tumulum invisurum, si pecus suum hostis intactum

artritica

g servantur a prædonibus armenta.

A tactum relinqueret. Rata etiam vota fuerunt: nam licet una equitum centuria haud procul ab illis pascuis erraret, pacata tamen inde abivit. Dixit hoc juratus, audientibus Fernardo Gebezensi, Joanne Lobeniz Vicariis Misnensibus, et Stephano Mayr Notario.

90 Nicolaus Voyt, civis Misnensis, diu ita oculis maxime cum dolore laboravit, ut parum a cæcitate abfuerit. Uxor eum admonuit, ut D. Bennonis opem invocaret. Probato consilio cereum Divo anathema vovit: quo facto, pus, ciceris magnitudine, ex oculis prolabi illi visum fuit, et eodem momento videre ut unquam alias cœpit. Testantibus Ramfoldo Canonico, Bertholdo Gebesensi Vicario, Alberto Cappelhauff cive Misnens., Jacobo Leitner, Stephano Mayr Notario, anno MCCCCXCIV, XII Junii. Petrus Keseler biennium et semestre comitiali morbo laboravit et sexies per diem non raro illo malo correptus fuit; unde in tam vehementem morbum incidit, ut sana ratione eum destitutum omnes crediderint: ad hæc omnia illum febris per XVII dies acerrimo frigore combussit. Ut primum D. Bennonis ope invocata, cereum eidem anathema vovit; utroque morbo liberatus fuit. Dixit hæc ipse juratus, audientibus Nicolao Elsterwerthensi, Matthia de Calou Vicariis, Stephano Mayr Notario, XVI Junii. Petrus quidam, e pago Alnensi oriundus, XVI annos pedibus ita laboravit, ut incedere non potuerit: pustulæ venenatæ, tumoresque id malum accersierant. Cum vero proxime una cum matre sua Misnam peregrinationis causa venisset, multaque de S. Bennonis in ægros beneficiis audisset, mater illum cereo anathemate Divo commendavit, eique sanitatem recuperavit. Hoc testantem audierunt Andreas Graff Cantor et Canonicus, Nicolaus Elsterwerthensis sacerdos, Sigismundus Fensterwaldensis, Nicolaus Pruchner Lubensis, Stephanus Mayr Notarius, XVI Junii.

1494 sanantur pene cæcus, epilepticus, claudus per 16 annos laborans,

91 Femina Misniensis, Ottilia nomine, quinquennium cocles fuit, altero etiam oculo ita inutili, ut eo raro admodum videre potuerit. Insuper excæcato oculo in præsentem sui lem... incurrerat, pupillamque pæne ex sede suam excusserat quod illi immanissimos dolores creavit. Postquam deinde miseriam suam sancto voto D. Bennoni conquesta fuit, utrique oculo lux rediit. Annotavere id ejus testimonium Nicolaus Elsterwerthensis, Jacobus Herzenbergensis, Stephanus Mayr Notarius, XVI Junii. Matrona Misnensis, cognomine Leubutin diu lepra tam vehementer infecta fuit, ut tota familia ejus consortium exhorruerit, et denique ab illa separari debuerit: in hac calamitate ad D. Bennonis tumbam precibus et votis confugit, brevique a lepra purgata fuit. Dixit hoc ipsa jurata, præsentibus Nicolao Palano, Nicolao Elsterwerthensi, Stephano Mayr Notario, XVI Junii.

cocles et cæcutiens, leprosa,

92 Eodem die D. Bennoni pro reddita sanitate gratias egerunt mater et filia, illa Adelheidis, hæc Kele nomine. Mater diu maximo dolore circa præcordia excruciata, filia vero ita pedibus ægra fuit, ut solidum annum neque consistere, neque ingredi potuerit. Utramque invocata D. Bennonis ope morbus suus dereliquit. Hoc de se asseverantibus adfuere, Joannes Hersteinius Canonicus, Henricus Sleinizius, Joannes Lobenizius, Vicarii; Nicolaus Elsterwerthensis sacerdos, Stephanus Mayr Notarius. Admodum Reverendus Pater Joannes Koltener, Canonicus Regularis S. Augustini Lipsiensis, in dextro brachio et lingua subito apoplecticus, neque vocem mittere neque cibum sumere per triduum potuit. Implorato vero D. Bennonis patrocinio, et linguæ et brachii usum morbo liberatus recepit. Hoc testantur Joannes Wurzensis, Joannes Stainbach Canonicus, Nicolaus Elsterwerthensis sacerdos, Stephanus Mayr Notarius. Kal. Septembris.

ægra duæ mater et filia, ex impr. germ.

93 Anno MCCCCXV, matrona quædam, cognomento Willenlow Aldendorffensis, qui locus decem milliaribus Erforda distat, multis annis acerbissimos dolores in pedum plantis sustinuit, quæ mox tumefactæ putrescere inceperunt, carne frustillatim decidente. Convertit se in hoc cruciatu ad D. Bennonis tumbam, et ejus opem cum lacrymis et precibus inclamavit, paulo post sanitati restituta. Misit illa hujus miraculi seriem Misnam, una cum argenteis soleis pro anathemate per nuntium, quem hæc ejus loco affirmantem audierunt Joannes Radeburg, et honesta femina civis Misnensis, Tannenanin cognomine, XV Junii. Elisabetha Redelehin, Laugenbutensis non procul Rochlitz, toto corpore paralysi et articulari morbo ægra, decubuit VII annorum spatio, neque incedere neque movere se valens. Vovit illa se D. Bennonis tumulum invisuram, si ejus patrocinio convaluisset. Statim in tantum melius habere se cœpit, ut pedetentim, ægre tamen, ingredi potuerit. Quare in viam Misnam versus se accinxit, et dum iter fecit, D. Bennonem iteratis precibus invocavit. Quo facto haud procul Rochlitz penitus convaluit. Juramento hæc affirmantis interfuere Andreas Graff Canonicus, Paulus Freybergensis, Joannes Radeburg Vicarius, Nicolaus Hon... Canonicus Wurzensis, XIX Junii. Canonicus quidam Misnensis, difficili morbo, et præcipue diuturnis capitis doloribus conflictatus, D. Bennoni, cujus ope sanitatem recepit, cereum pro anathemate suspendit, anno MCCCCLXXXIII.

1415 plantis exesa, paralytica et arthritica, dolor capitis, 1483.

ANNOTATA. D. P.

a *Pascha tunc fuit celebratum 28 Martii, adeoque feria 3 Pentecostes incidit in 18 Maji.*

b *Pascha an. 1278 actum fuit 7 Aprilis.*

c *Kalendariis inseritur S. Donatus 7 Augusti.*

d *Colitur S. Gallus Abbas 16 Octobris.*

e S. Ursula 21 *Octobris.*

f S. Vitus 15 *Junii; anno autem* 1280, *habente litteram Domin.* E, *ejus festum incidit in ipsam Dominicam.*

g *Anno* 1300 *(pro quo mittum numeri* 85, *relato omnia consequenter gesta videntur, subsequentibus ordine mensibus, sic ut nusquam appareat ad alium annum transiri littera Dom.* B, *festum Assumptionis incidit in diem Lunæ.*

EMBOLISMUS D. P.

De Canonizatione S. Bennonis, et corporis translatione Monachium.

§. I. Ordo prioris actus, ex Itinerario Adriani Papæ VI.

R*erum ordo postulat, ut relatis Miraculis quæ Canonizationem præcesserunt, non transeatur ad illa, quæ vigesimo post Translationem anno ... nec enim non ... Germanica, Latine reddita, de utroque Actu ... quæ ... Ad primum quod attinet præter Bullam Canonizationis, de qua* §. *sequ. habemus* Itinerarium Adriani VI, ab Hispania Romam usque, ac ipsius Pontificatus eventus, per Blasium Ortizium, in Decretis Doctorem Canonicumque Toletanum ac Generalem Vicarium, summa fide collectum; *inscriptumque* Illustrissimo ac Reverendiss. Domino D. Joanni Martino Siliceo, Archiepiscopo Toletano, Hispaniarumque Primati etc.; *in lucem vero editum,* ex veteri Codice MS. collegii

AUCT. D. P.

Collegii Navarrici *Parisiis, libro 3 Miscellaneorum Stephani Baluzii* MDCLXXX; *ubi Caput* XXX *inscribitur*, de Canonizatione Beatorum Antonini et Bennonis: *simul enim utraque celebrata Florentiæ est, anno* MDXXIII *die* XXXI *Maji; sed non simul edita utriusque Canonizationis Bulla.* Bennonis *enim publicata fuit vivente adhuc Adriano;* Antonini *autem, eo mortuo, a successore Clemente VII: sic tamen ut singulæ nusquam meminerint alterius simul canonizati: quemadmodum videre est ad diem* II *nostri Maji, in Gloria postuma S. Antonini* §. 2. *Caput illud* XXX *sic habet.*

habetur simul canonizatum fuisse S.

2 Quia inter alia gesta per Pontificem memoranda, potissimum fuit Canonizatio Beatorum, Antonini Florentiæ Archiepiscopi, nec non Bennonis Saxoniæ, quem Antoninum celebravit Calendis Maji *(imo Pridie kalendas Junii)* prædicti anni: propterea hunc opusculo, tamquam dignissimam rem, tali forma celebratam, annectere volui. Sed prius quærendum est, quid sit Canonizatio. Secundum Joannem Andream cap. I de reliquiis et veneratione Sanctorum, Canonizare, est aliquem per summum Pontificem Catalogo Sanctorum adscribere; cum nemini liceat aliquem, etiamsi miracula fecerit, ut Sanctum colere, quia sæpe per malos quædam quasi miracula fiunt. Magna præterea cum instantia petenda est Canonizatio; neque Papa facile moveri ad inquisitionem sanctimoniæ canonizandi, imo debet commissionem differre illius vitæ indagandæ, ut videatur interim an fama et miracula continuentur. Quod si fiat tunc committit inquisitionem super vita et miracula homini canonizandi, ut latius hæc traduntur in dicto capite primo.

idque ex forma consueta,

causa mature examinata et relata:

3 Et primum quidem causa prædictorum per Pontificem commissa fuit Judicibus, in locis Florentiæ et Saxoniæ, ut diligenter per Testes de vita, moribus, et miraculis præfatorum Antonini et Bennonis informarentur, sicut jura decernunt, præcipue textus Capitis, Venerabili, de Testibus, cujus littera talis est. Venerabili Fratri nostro Episcopo et Capitulo Corosopitensi ac universis Abbatibus, apud Cistercium in generali Capitulo congregatis. Et infra: Discretioni vestræ mandamus, quatenus Testes, quos Abbas et Monachi S. Martini Cisterciensis Ordinis, super Vita et miraculis piæ memoriæ M *(Mauritii)* Abbatis monasterii supradicti duxerint producendos, examinare sigillatim curetis, cum ea diligentia, quæ solet et debet in receptione testium adhiberi. Informatio itaque prædictorum Antonini et Bennonis, per Judices juxta mandatum Apostolicum habita, sub fideli custodia mittitur ad Papam: eamque ipse uni ex Auditoribus sacri Palatii examinandam tradidit; ut per eum discuteretur, an fuerit jure facta, et probationem sufficientem ad canonizationem fuisse perpenderet. Qui quidem idoneam se comperisse et juridicam Pontifici retulit. Quam iterum Pater sanctissimus Theologis commisit, qui dijudicarent, an mores, vita, et miracula Sanctorum digna essent nec ne ad illos canonizandos: et juxta eorum vota (quoniam omnia recte fuerunt reperta) adstantibus Sanctissimo Domino nostro Papæ, cum Reverendissimis Fratribus Prælatis, multis aliis viris litteratura et nobilitate claris, Canonizatio in publico Consistorio proposita fuit in hunc modum.

quam cum etiam Theologi expendissent,

4 Duo quidem Advocati consistoriales declamatorie, alter quidem unius, alter vero alterius vitam, miracula, et alia hujusmodi, ut manifesta fierent cunctis, radicitus exposuerunt; exorantes Beatissimum Papam, ut illos viros, qui sanctitate et exemplo in via suæ peregrinationis eminuerunt, Catalogo Sanctorum aggregare vellet. Deinde Pontifex, post illorum narrationem, gratias Deo egit, qui numquam usque ad finem seculorum Sanctos et Justos elargiri desinit: et ut sanctius omnia procederent, triduanum jejunium et preces Deo effundendas Prælatis omnibus indixit, ut ipsi sua bonitate in eorum corda, si vera essent miracula, eorum approbationem cœlitus infundere; sin autem falsa, avertere dignaretur. Et peracto jejunio, Cardinales et alii Præsules, cum Beatissimo Patre nostro, in palatium convenerunt: et in publica concione de eorum vita et sanctimonia, utrum approbatione vel improbatione digna essent, prout cuique desuper datum est, conferebant. Et licet multi ex Præsulibus, actum istum decorantibus, solenniter materiam disseruissent; præcipuus tamen fuit, integerrimus Pater, Dominus Didacus Ramirez, Episcopus Conchensis, prudentia et litteratura refertissimus. Et post longam altercationem inter omnes convenit, viros sanctos canonizari.

et consistorialiter judicatum esset ad Canonizationem procedendum;

post triduanum jejunium et iteratam suffragationem,

5 Itaque post biduum aut triduum, Sanctissimus cum Clero et Populo ad Basilicam Apostolorum, in locum contabulatum eminentiorem ascendens, inter Missarum solennia, alta et intelligibi voce ipsorum laudes pertractans, omnesque ad bene agendum exhortans, his verbis concionatus fuit: Gloriosus Deus in Sanctis suis et in majestate mirabilis; cujus ineffabilis altitudo prudentiæ, nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti censura judicii cœlestia pariter et terrena disponit; et si cunctos suos ministros magnificet, altis decoret honoribus, et cœlestis efficiat beatitudinis possessores; illos tamen, ut dignis digna rependat, potioribus attollit insigniis dignitatum, et præmiorum uberiori retributione prosequitur, quos digniores agnoscit et commendat ingentior excellentia meritorum. Sic et alma Mater Ecclesia, ejus sancta vestigia prosequens, et exemplo ducta laudabili; licet universos in regnis cœlestibus constitutos, studiis efferre solicitis, et sonoris efferre præconiis non desistat; Antoninum tamen et Bennonem, electos Dei athletas, specialibus disponit honoribus venerari. Ideoque circumspecta prudentia sanctæ Sedis, quæ actibus intenta salubribus et operibus exposita pietatis, libenter exequitur quæ sunt Dei; præmissa solicite digneque considerans, et debita meditatione perlustrans, ad divini nominis honorem et gloriam, exaltationem catholicæ fidei, salutemque fidelium, merito censuit riteque providit, servos Dei per sanctam et catholicam Ecclesiam esse colendos.

Pontifex in Basilica Vaticana,

populum pro concione allocutus,

6 Nos itaque, piis ducti consiliis, dignisque studiis excitati, nonnullos prædecessores nostros, Romanorum Pontificum specialis devotionis prosequentes affectu, imitari solicite intendentes, qui aliquos Sanctos canonizavere: de consensu Fratrum nostrorum pariter et assensu, Beatos Antoninum Florentiæ Archipræsulem, et Bennonem Saxonensem, Catalogo Sanctorum adscribimus, Festaque illorum, Missas, et Officia, in eorum commemorationem, per universas orbis ecclesias, singulis annis perpetuis futuris temporibus, celebrari concedimus et ordinamus. Adstantes vero concordi jubilo collaudaverunt Dominum, dicentes, Te Deum laudamus etc. Et quamvis summa pecuniarum non exigua in simili actu, tum in Pontificia familia toganda, tum in aliis impendiis soleat consumi; circumspectissimus tamen Papa tales sumptus, quasi alienos a sanctimonia et a puritate Canonizationis fieri vetuit. Quod raro (cum pecunia magno pretio habeatur) visum inter homines censeo: sed non absque querela familiarium aliorumque, suam mercedem expectantium, actum est.

ambos Sanctos habendos et colendos pronuntiat,

nihil patitur sumptum fieri,

7 *Locum hunc Ortizii cum ego Daniel Papebrochius ad Adriani Papæ laudem in Conatu Chronico-historico simpliciter transcripssem, nullo addito verbo quo istum*

in se suamque familiam

istum optimi Pontificis sensum videri deberem meum accre, in omni ea qua sumi fortassis posset latitudine; nec tamen quidquam restrictionis eidem adhibuissem, ratus neminem tam stolidum fore, ut existimaret Pontificem absolute damnavisse verbo factove, quod noverat a tot suis sanctissimis etiam decessoribus usurpatum; placuit adversariis meis terribilem accusationem formare coram Apostolica Sede. Equidem existimo abunde me diluisse calumniam Parte 1 *Responsionum mearum ad Exhibitionem errorum mihi imputatorum Art.* 2 § 18. *Hic tamen ejus volui meminisse, quia nunc primum ab Eruditissimo Magliabechio accipio prædictæ Canonizationis Acta, quatenus S. Antoninum spectant, accuratissime ac minutissime descripta a causæ totius Procuratore Dominicano; ex iisque varia intelligo, ab Ortizio non satis explicata. Ac primo non voluisse Pontificem ne sumptus ulli fierent, quasi ii essent absolute alieni a sanctitate et puritate talis actus, sed ne ii fierent in suam personam suamque familiam vestiendam etc: in ceteros autem usus voluisset moderationis aliquid, scilicet ut supplicantibus tantum remitteretur, quantum fieri honeste poterat, salva cuique mercede laboris, et majestate actionis tam magnificæ. Itaque Datario imperatum fuisse lego, ut eos sumptus ipse quam gratiosissime taxaret, hunc autem eos taxasse ad duo millia ducatorum de Camera, cujus summæ mille octingenti ducati, ex Florentinorum eleemosyna collecti repræsentati fuerint ab ipsomet Procuratore, prius quam ad Consistorium publicum procederetur, ipsomet Pontifice multum conferente ut tali summa expediri posset causa. Verosimile est ex parte Cæsaris, pro Bennone supplicantis, nihilo minorem aut etiam grandiorem summam expensam; ideoque tota illa Acta hic edi potuissent: sed quia in iis vix semel iterumque tum ipse Benno tum Legatus Cæsareus nominatur, congruentius censui relationem dignissimam legi, differre in supplementum Maji, quando S. Antonini Acta erunt ad incudem revocanda.*

et in ceteris eatenus favit,

ut restricti fuerint ad 1800 ducatos ex parte S. Antonini.

quidni etiam, ex parte S. Bennonis?

§. II. *Idem actus aliique prægressi, ex Bulla Canonizationis distinctius explicatur.*

In bulla post exquisitam vitam et miracula,

B*ulla extat tomo 3 Bullarii, per Cherubinum Laertium compilati, in Appendice, et incipit:* Excelsus Dominus militantem Ecclesiam pretiosorum lapidum vivorum, ipsi summo angulari lapidi Christo Jesu uniformium ornatissima varietate decoratam, structura mirabili fundare disposuit; *idque explicatur, descensione facta a Patriarchis et Prophetis, per ceteros Sanctorum ordines, usque ad Virgines et Viduas.* § 2 *declaratur, quomodo Deus in eadem Ecclesia suscitaverit* gloriosum Confessorem Beatum Bennonem, superno cœtui merito sociandum, imo verius sociatum; qui inter ceteros athletas, suis meritis et exemplis, ipsam sanctam Ecclesiam, divina cooperante gratia, multipliciter decoravit; præsentisque temporis caliginem, suæ lampadis fulgore, mirabiliter illustravit. *Quod ostenditur* § *3 et 4, ubi indicantur virtutes et aliqua miracula quibus in vita et post mortem claruit et quæ prætulimus. Deinde in dicta Bulla idem Pontifex ista addit:*

narrat quod rogatus a Carolo V. et aliis Principibus,

9 Possent hic quamplurima alia miracula afferri: multos enim divini Bennonis meritis e mortuis excitatos constat: multis variis morbis curatos; denique qui votum fecerit, neminem illius beneficium non sensisse. Propter quæ carissimus in Christo filius noster, Carolus Romanorum et Hispaniarum Rex Catholicus, in Imperatorem electus: et dilecti filii nostri, Albertus S. Petri ad vincula Presbyter, et Matthæus S. Angeli Diaconus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; ac venerabiles Fratres nostri, Richardus Trevirensis, et Hermannus Coloniensis Archiepiscopi, per eorum patentes litteras; nec non dilecti filii, nobiles viri, Ferdinandus Archidux Austriæ, ac Georgius et Henricus fratres germani, Duces Saxoniæ, Lantgravii Thuringiæ, et Marchiones Misniæ, per venerabilem Fratrem nostrum Joannem Episcopum Misnensem, Nuntium et Oratorem ad Nos ab eis destinatum, et dilectum filium Wilhelmum de Enkenvort, Electum Dertusensem, Datarium et Prælatum nostrum domesticum, eorum apud nos et Sedem Apostolicam etiam Oratorem et negotiorum Gestorem, humiliter supplicari fecerunt; ut præmissis diligenter inquisitis et exploratis, ad Beati viri Canonizationem procedere dignaremur. Quorum quidem precibus libenter annuere vellemus, summopereque gauderemus, hujusmodi Canonizationem nostris temporibus divino quodam ministerio contigisse: ac nobis justum videretur, ut idem B. Benno, quem jam Deus in cælesti gloria Sanctorum choro dignum fecisse, plurimis et manifestis indiciis et miraculis ostenderat, in terris etiam sibi debito Sanctorum honore non defraudaretur; non statim rem tanti ponderis ac momenti faciendam: sed, juxta veterem et laudabilem consuetudinem, cunctanter matureque considerandam duximus.

motusque miraculis,

10 Post triplicem igitur inquisitionem ex recolendæ memoriæ Alexandri sexti primo, et deinde Julii secundi, et successive Leonis decimi, prædecessorum etiam nostrorum commissionibus super hoc debite factam: tandem idem Leo decimus, tribus etiam Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ex tribus illorum ordinibus videlicet venerabilibus fratribus nostris, Bernardino Ostiensi sanctæ Crucis in Hierusalem, et Antonio Albanensi Episcopis, tunc titulo S. Vitalis Presbytero, ac Joanni SS. Cosmæ et Damiani Diacono, Cardinalibus de Fratrum suorum, (de quorum numero, licet absentes, tunc eramus) consilio et assensu commisit, ut ipsi, visis et examinatis Processibus, editis super ejusdem Beati viri vita, moribus, fama et miraculis, ante et post ipsius decessum ejus intercessionibus a Deo factis, aliisque cunctis ad Sanctorum Canonizationem hujusmodi necessariis, se super omnibus et singulis diligenter informarent; et per eos comperta, in suo secreto Consistorio, ut moris erat, fideliter referrent. Cumque ipsi Cardinales, visis et examinatis diversis Processibus, in partibus Germaniæ de Sedis prædictæ commissione habitis, et ad Curiam nostram transmissis; testiumque fide dignorum depositionibus, pro tantæ rei dignitate, debite ponderatis; de supradictis miraculis ac vitæ sanctimonia et aliis a jure requisitis, fidelem Nobis relationem in pluribus etiam secretis Consistoriis fecissent; Nosque ipsorum et omnium Cardinalium vota, pro celebranda dicta Canonizatione, convenientia et conformia invenissemus; et pro celebriori executione dilectus filius Joannes Baptista de Senis, utriusque Juris Doctor, et aulæ nostræ Consistorialis advocatus, in publico Consistorio omnia de ipsius Beati viri vita, moribus, fama et miraculis exposuisset; nobisque humiliter supplicasset, ut ad ejusdem Beati viri Canonizationem, matura deliberatione præhabita, procedere dignaremur.

per examinatos ter Processus probatis

votisque Cardinalium,

11 Nos, de relatis coram Nobis inprimis maximas omnipotenti Deo gratias agentes, rogavimus omnes in eodem publico Consistorio tunc astantes, ut suis orationibus et jejuniis Ecclesiam Dei juvarent; ac ne eam Altissimus modo aliquo in hujusmodi Canonizationis officio errare permitteret, instanter orarent. Demum post aliquot dies convocatis denuo in aula nostra Consistoriali, in palatio Apostolico, universis et singulis, qui tunc aderant in Romana Curia, Ecclesiasticis Prælatis, Patriarchis videlicet, Archiepiscopis, Episcopis, in præsentia eorumdem

post indictas orationes et jejunia

A eorumdem Fratrum nostrorum, dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, eosdem Processus super ejusdem Beati viri vita, moribus, fama, et miraculis editos, per eumdem Joannem Baptistam breviter summarieque repeti fecimus. Quæ cum ex serie, per Cardinales ac alios quibus id munus per Nos injunctum fuerat, enarrata et exposita fuissent; omnesque astantes Prælati, quod sibi super hujusmodi Canonizationis negotio videretur, interrogati, unanimi consensu, nullo penitus discrepante, respondissent, sibi videri, quod idem Beatus vir inter sanctos merito adscriberetur et connumeraretur; Nos iterum humiles ipsi omnipotenti Deo, quod ad Beatum servum suum debitis honoribus prosequendum, corda nostra illuminare dignatus esset, gratias agentes; ad ipsius Canonizationem, diem Dominicam primam post Pentecosten, quæ tunc occurrebat ultima die mensis Maji, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio, deputavimus: ac in Basilica Principis Apostolorum de Urbe, amplum suggestum ligneum de more parari et exornari jussimus. Super quo quidem hodie, astante universo Clero et populo, de vita, miraculis, et

die 31 Maji Dom. I. post Pent.

B fama ejusdem B. Bennonis, humili devotioneque pleno, ut moris est, sermone habito, deindeque Litania et hymno, Veni creator Spiritus, per omnia devote decantatis, nec non a Procuratoribus causæ ipsius Canonizationis, et ab ejusdem Caroli in Imperatorem electi apud Sedem prædictam constituto Oratore, a Nobis magna cum instantia petito pronuntiari, adscribi inter sanctos eumdem B. Bennonem: cum jam omnia consummata essent, omnesque Ecclesiæ ceremonias consuetas super ea re rite servavissemus: Deum præ oculis habentes, ad Canonizationem ejusdem Beati sub his verbis procedendum duximus et processimus.

12 Ad laudem et honorem sanctæ et individuæ Trinitatis, et exaltationem Fidei Catholicæ, et Christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum et Nostra, de Fratrum nostrorum consilio, decernimus et diffinimus; bonæ memoriæ Bennonem, olim Episcopum Misnensem, Sanctum esse, et in Sanctorum Catalogo adscribendum, ipsumque in eodem Sanctorum Confessorum Catalogo describimus: statuentes, ut ab universali Ecclesia quolibet anno festum ipsius et officium, sicut pro uno Confessore Pontifice, sexta decima die mensis Junii, hoc est die depositionis suæ, devote et solenniter

B. Bennonem Sanctorum Catalogo inscripsit:

C celebretur. Et insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui annis singulis ad sepulcrum ejusdem S. Bennonis eadem die accesserint, septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

13 Quibus debite peractis, incboatoque per Nos, ac decantato usque ad finem a cantoribus nostris, hymno, Te Deum laudamus; in illius etiam finem Cardinali Diacono in cantu dicente, Ora pro nobis B. Benno, a choroque responso, Ut digni efficiamur promissionibus Christi; Nos illico propriam Orationem de eodem Sancto alta voce decantavimus, dicentes: Deus, qui nos B. Bennonis Pontificis confessione gloriosa circumdas et protegis; da nobis et ejus imitatione proficere, et intercessione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Deinde vero a dicto choro responsum. Amen. Solennem illic Missam Nos ipsi celebravimus, de dicta tunc occurrente Dominica prima post Pentecostem. Collectas singulas sub una conclusione terminantes, additis etiam prædicta ceterisque specialibus ejusdem S. Bennonis Collectis immediate sequentibus: pro secreta vide-

et invocari orationibus propriis in Missa decantatis:

D licet: Sanctus tuus, quæsumus Domine, Benno Confessor et Pontifex nos ubique lætificet, ut dum ejus recolimus merita gloriosa, apud te semper patrocinia sentiamus: cum sua conclusione, videlicet Per Christum etc. Deinde vero Postcommunionem subjunximus, dicentes: Quæsumus Domine, salutaribus repleti mysteriis, ut Sancti tui Bennonis Confessoris et Pontificis, cujus solennia celebramus, etiam intercessione adjuvemur; cum simili conclusione. Et ita Missam ipsam ad finem usque, cum solitis ceremoniis, juxta Ordinarium Apostolicum, illic debite terminavimus; Indulgentiamque plenariam omnibus Officio hujusmodi tunc astantibus, devote elargiti sumus. Præsentes litteras in præmissorum testimonium concedentes, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, qui in sanctis suis mirabilis est, ac gloriosus vivit et regnat, benedictus in secula seculorum.

concedit Indulgentias,

14 Ceterum quia difficile foret easdem præsentes litteras ad omnium notitiam deferri, volumus et decernimus, quod earumdem transsumptis, manu Notarii publici subscriptis, sigilloque alicujus Prælati Ecclesiastici munitis, fides adhibeatur indubia, in

et concludit Bullam,

E omnibus et per omnia; et illis ubique stetur, ac si originales litteras hujusmodi essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti, diffinitionis, descriptionis, statuti, relaxationis, concessionis, et voluntatis infringere, et ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo tertio, pridie Kalendas Junii, Pontificatus nostri anno primo.

Ad. Castello.

Visa W. de Enkenvort

T. Hezius

Registrata apud me T. Hezium:

a tergo signatur Bullæ Apostolicæ.

Eadem omnia habes apud Matthæum Raderum, tom. 3 *Bavariæ Sanctæ pag.* 186 *et seqq. et quidem ex originali fidelius transcripta, quam impressa in Bullario: ubi Bulla data legitur,* anno Pontificatus sexto; *utique non per signum, quod in margine recte notatur* Dat. P. an. I, *sed numero ad longum expresso. Quod plus quam simplex ac veniale mendum, arguit hic aliam datam hypothesis hominibus ut plerumque ignorantissimis per longum extendendi numerales exemplarium ad prælum delatorum notas, cum periculo frequentissimorum ac gravissimorum errorum. Raderum autem ex originali transcriptam Bullam dare, probant etiam parerga Ministrorum subscribentium, solita in Bullario omitti, et hic studiose adnumerata, si non ad aliud, saltem in argumentum fidelis transcriptionis.*

ex originali ms sincerius editam a Radero

F

15 *Ea Canonizatio pessime habuit Lutherum, quem ait Raderus in Vita S. Bennonis,* doluisse vehementer, sua impia dogmata eodem tempore magnis D. Bennonis miraculis refutari. Itaque impium os in sanctum virum exeruit, et librum patria lingua protrusit, cui hanc Epigraphen fecit. Contra novum idolum et antiquum diabolum, Misnæ exaltandum. Has impias et Patroclianas Lutheri chartas Adamus Tanner, Societatis nostræ Theologus, et suis ingenii monumentis clarus, tribus orationibus diluit, Ingelstadii, anno MDCVIII, XIV Kalendas Quintiles editis: quibus has tres quæstiones tractat. Utrum Lutherus fuerit Germaniæ Propheta, speciatim vero ejus gloriæ, qua nunc S. Benno in Bavaria coruscat? Deinde: Utrum Lutherus præteritorum S. Bennonis illustrium factorum æquus sit æstimator? Tertio, Rectene Lutherus olim tam Canonizationi quam exaltationi S. Bennonis sese opposuerit? Ubi ostendit

ringente nequidquam Luthero

quem refutavit Tannerus:

A dit Tannerus Lutherum falsum Prophetam fuisse, et verum poetam, quamvis carmen nullum facere potuerit. Iniquissimum dein Judicem et censorem factorum S. Bennonis: impie denique se Canonizationi opposuisse.

Georgio autem Duce Saxoniæ miregaudente,

16 *Sed quantum indoluit impius hæresiarcha, amplificata* S. Bennonis *gloria, tantum gavisi sunt avitæ religionis in Germania tenaces Catholici: atque imprimis ille in Pontificiis litteris nominatus atque a Radero laudatus,* inclitus ille Saxoniæ heros, Misniæ Regulus Georgius, *qui in ea causa vehementissime laboraverat;* cumque, quod illius Majores et ipse maxime optaverat impetrasset, litteras ea de re dedit ad Bojorum Duces, Guilielmum et Ludovicum, quibus rogabat, uti Pontificis auctoritas, qua D. Bennonem inter Beatos versari, publicoque cultu venerandum denuntiarat, in suis Bojariæ provinciis et primariis civitatibus, Monachii, Ingolstadii, Landishutæ, Landspergæ, pro concione proclamaretur, et pro foribus templorum tabulæ ipsæ proponerentur. Servantur eæ Georgii Principis et Joannis Antistitis Misnensis litteræ in chartophylacio summæ ædis Monachii, quas ipse patria lingua conscriptas cum voluptate legi. *Ita Raderus;* B *cui cum in proposita sibi brevitate (quam tamen hic non mediocriter excedit) minime licuerit eas litteras Latine legendas exhibere; rem minime negligendam ego censui, neque tam insigne Saxonicæ pietatis monumentum subtrahendum posteris Principibus, per ipsius* S. Bennonis *apud Deum preces feliciter ad illam reduci cœptis. Sed alio non profecit conatus iste meus, quam ut Joannis litteræ aliæ originaliter in membrana descriptæ, et magno cereo sigillo munitæ reperirentur verbotenus tales, quales jam Henschenius ex ipso Radero transcriptas reliquerat, uti infra leguntur num.* 19. *Illæ autem præmemoratæ, si adhuc reperiantur, poterunt faciendo postmodum supplemento servire. Unum hic notaverim quod credam Translationem secuta miracula multa, quorum tamen notitia nulli scripto consignata perierit usque ad annum* MDXXXIX.

Bavaros etiam ad promulgandam bullam exhortante.

§. III. *Translatio corporis Misnia Monachium, miracula secuta. P.G.*

In prolata superiori §. Pontificia Bulla, laudantur Georgius et Henricus, fratres germani, Duces Saxoniæ, Lantgravii Thuringiæ, et Marchiones Misniæ; *qui* per Joannem Episcopum Misnensem, Nuntium C et Oratorem ad Pontificem Romanum a se destinatum, humiliter supplicari fecerunt, ut ad S. Bennonis Canonizationem procedere dignaretur. *Utinam sic pari passu processissent ambo! non adeo dissimilis utriusque fuisset exitus.* Henricus *Junior, a Luthero dementatus, in hæresim prolapsus omnem secum posteritatem traxit* senior Princeps Georgius (*verba sunt Laurentii Surii in Commentario rerum gestarum sui temporis*) generosa et plane Germana animi fortitudine, in avita Majorum suorum religione constantissimus, et Carolo V Cæsari longe optimo semper deditissimus, dignus profecto multis nominibus, quem omnis posteritas laudibus vehat, quem Lutherus egregie convitiis et contumeliis, et quidem impune, sæpe prosciderat, anno MDXXXIX diem vitæ clausit extremum Clarissimus et integerrimus Princeps Saxoniæ Georgius: cujus obitu maxima accepit incommoda religio Christiana. Nullos enim reliquit liberos. Itaque testamento scripsit heredem fratrem suum Henricum, et ejus filios Mauritium atque Augustum, ea conditione ne quidquam in religione mutarent. Missi fuerunt ad Henricum, qui hoc ei proponerent: sed interim mortuus est pius Princeps, et continuo Henricus ditionem omnem occupavit, atque in omnia Misniæ, Thuringiæ et Saxoniæ loca, quæ Georgio Principi paruerant, Lu- D theri dogmata invexit; *Hæc Surius: quæ apud Bzovium et alios Historicos etiam referuntur. Sed ad* S. Bennonem *redeamus.*

Georgio Duce Catholico defuncto,

et succedente Henrico fratre Lutherano,

AUCT. G. H.

18 *Raderus, hoc idem deplorans, sic progreditur:* Defuncto Georgio, cum quo simul Catholica pietas in Saxonia et Misnia sepulta est, secuta sunt miserrima et infesta cœlo terrisque tempora: quibus non satis fuit impiis, sacrilegas manus sacris Divorum sedibus et ædibus inferre, spoliare templa, polluere sacras aras, Cœlitum statuas confringere, omnia sacrariis ornamenta detrahere, aurum et argentum, pretiosas vestes et supellectilem auferre, sacra profanis, profanis sacra miscere, omnia profanare; nisi in viscera terræ irent, sacros cineres et manes Sanctorum inquietarent. Quorum tamen furorem Benno, per curam suorum successorum, declinavit, tantisper in arcanis conclavibus Episcoporum servatus, quoad Albertus V, inclitus Bojorum Dux, et magno Catholici nominis id ævi columen, per litteras sanctissimi illius Antistitis sacrum pignus enixe petivit, et anno MDLXXVI feliciter impetravit: uti publica Misnensis Pontificis et Collegii Sacerdotum testimonia, quæ subjicio testantur.

inter Sacrilegia hæreticorum,

Servatum Corpus S. Bennonis:

E

19 Nos Joannes, Dei gratia Episcopus Misnensis omnibus visuris has nostras patentes litteras, salutem in Domino precamur, attestamur et notum facimus. Cum Ecclesia Misnensis, Cathedralis et ingenua Episcopatus nostri, persecutionem pateretur a Lutheranis, sub Henrico Duce Saxoniæ; Reverendissimus Joannes, genere Maltizius, tunc temporis Episcopus, reveritus ne in illa perturbatione et irruptione templorum discussioneque imaginum, Sanctorum Reliquiæ ibidem longissimo tempore, magna cum veneratione custoditæ et conservatæ, diriperentur ac profanarentur, volens providere eiusmodi periculis, aperuit tumbam sive sepulcrum magnifice extructum; in quo D. Bennonis Episcopi corpus solenniter reconditum erat, atque ibidem longissimo tempore multis miraculis claruit, sanctissime visitatum et recolitum fuit, atque illas sanctas Reliquias integri corporis D. Bennonis, una cum cilicio, mitra, et baculo pastorali ejusdem Divi, aliisque Reliquiis, videlicet cranio D. Donati Martyris, quod tamen vetustate in petios dilapsum est, digito S. Pauli Apostoli et aliis quibusdam non cognitis Reliquiis, quod earum schedulæ vetustate periere, in capsula stannea reconditas amovit: et in sacellum arcis Stulpen, suam Sedem Episcopa- F lem, distantem sex milliaribus ab Ecclesia Misnensi, ejusdem Episcopatus transportavit. Quo in loco remanserunt, vivente supradicto Episcopo, et Successore ejus Nicolao Kerlewisio. In cujus loco cum nos quidem indigne in Episcopum electi succederemus, accidit ut statim initio Pastoratus nostri in exilium pulsi, dura pateremur.

a Joanne Maltizio Episcopo

in arcem Stulpem delatum:

20 Interim Reverendus Nicolaus Gruner, Presbyter grandævæ ætatis, cui erat sacristia ejus sacelli commissa et commendata, divina volente gratia, memoriam habuit reconditarum Reliquiarum in arce Stulpen, quas modo nominavimus, magnoque pietatis affectu, ad locum illum accelerans, ex supradicto sacello amovit, et intra lectum cubiculi reclusas sanctissime aliquantisper custodivit, donec nos ab exilio restituti; ingravescentis ætatis supradictus Sacerdos ad nostras manus, sanctas illas Reliquias fideliter tradidit. Post nostrum exilii reditum, transactum fuit, consentiente Capitulo nostro, ut arx Stulpen Illustrissimo Saxoniæ Duci Electori ex permutatione traderetur; idcirco supradictas Reliquias posuimus nostris manibus in sepulcrum Joannis Episcopi Misnensis genere Salhausen, prædecessoris nostri, quod sepulcrum adhuc hodie integre

dein infra lectum reclusum,

et in sepulcro unius Episcopi in oppido Vurzen depositum.

A extat in Collegiata Ecclesia B. Mariæ Virginis oppidi Episcopatus nostri Vurzen, hac nostra intentione, ut sanctæ hæ Reliquiæ ad extremum usque diem illic tuto remanere debeant.

AUCT. G. H.

21 At vero cum Illustrissimus Dux Bavariæ Albertus, intercessione Decani nostri Hieronymi de Komerstat, piæ memoriæ, Reliquias peteret; cogitavimus supradictas reconditas in tutiorem locum remittere. Extraximus ergo nostris manibus prænominatam capsulam, et sanctas Reliquias reperimus et recognovimus: et suæ Celsitudini, utpote Catholico Principi, lubenti ac devoto animo ad prohibendam profanationem submisse obtulimus, transmisimus et tradidimus. Attestamur iterum atque iterum prænominatas Reliquias in veritate a prædecessoribus nostris Episcopis, Clero et plebe, usque ad nostra tempora pie cultas et sanctissime conservatas fuisse, multisque claruisse miraculis: quarum indicem una cum descriptione Vitæ S. Bennonis quædam alia, Illustrissimæ Celsitudini Ducis Bavariæ tradidimus. Hujus rei pro majori fide, ad confirmandam ipsissimam veritatem, hoc nostrum diploma nostri magni sigilli impressione confirmavimus. Actum in Episcopatus nostri residentia oppidi nostri Vurzen, Dominica Lætare, anno reparatæ salutis millesimo septuagesimo sexto. Joannes, Dei et Apostolicæ Sedis gratia electus et confirmatus Episcopus Misnensis, nec non Præpositus Naumburgensis, ad majus et firmius testimonium manu propria subscripsit. *Hactenus diploma, in quo citatus* Joannes de Salhausen *floruit Episcopus* XL *Misnensis usque ad annum circiter* MDXVIII, *quo electus* Joannes de Schbeiniz, *qui missus Orator Romam interfuit Canonizationi S. Bennonis, cujus substitutus*, Joannes Maltizius *hic supra memoratus, ac vita functus anno* MDXLIX *habuit successorem* Nicolaum Kerlewisium, *cui se testatur successisse*, Joannes Haubitzius, *hujus diplomatis auctor et quasi cum corpore S. Bennonis, etiam divina protectio excessisset, Episcopatus deinceps devolutus est ad Principes Lutheranos, Augustum et Christianum Duces Saxoniæ, et Christianum Electorem, aliosque.*

post Alberti Duci Bavariæ donatum,

B

22 Monachium, *inquit Raderus*, anno MDLXXVI Divus Benno intravit, et in palatio Principis per quadriennium ut hospes cultus, 1 Anno demum MDLXXX magna ceremonia festaque, in ædem maximam Beatæ Virginis delatus, ibi pedem et sedem æternam fixit..... Conditum est illi ante summæ ædis chorum, in ipso templo, nobilissimum seu sacellum seu mausoleum: ubi in altari, ipsius nomini inscripto et initiato, sacræ illius Reliquiæ sunt collocatæ. Tanta porro frequentia confluentis populi cœpit coli, ut uno aliquo anno, qui tertius supra millesimum sexcentesimus fuit, octoginta parœciæ, cum signis et publicis supplicationibus, apud D. Bennonem apparuerint. Bojis tam carus est, et merito, ut nullis illum opibus et copiis permutare velint aut patiantur. *Hæc Raderus, qui addit se adolescentem anno* MDLXXX *in politioribus tum litteris versatum, sanctissimi triumphi, cum sacræ Reliquiæ ad ædem Deiparæ Virginis transferrentur, spectatorem, cultorem et admiratorem fuisse.*

quod nunc Monachii in sacello proprio honoratur,

C

cum accursu maximo et miraculis.

D P.

Eorum pleni libri requisiti:

23 *Hactenus Henschenius: qui cum apud eumdem Raderum vidisset, quod leguntur* integra volumina, quorum alterum post alterum est editum, quibus S. Bennonis prodigia copiose describuntur, quæ omnium manibus tractantur; *ea quidem diligenter requisivit, sed prius e vivis abiit quam illa adferrentur. Allata autem una est ex Germanico anni* MDCVIII *exemplari etiam aliquid de prænotata translatione paulo distinctior narratio in hunc sensum.* Allatæ Monachium Reliquiæ annorum aliquot spatio manserunt in quodam privato aulæ loco, donec anno MDLXXVIII Dominus Kommerstat piæ mem. Cameræ Ducalis Consiliarius, cuidam, qui a consiliis ecclesiasticis Serenissimi erat, rem altera vice aperuit. Hic, utpote vir spiritualis, his continuo intentus, ad alloquium Serenissimi admitti petiit; eumque in præsentia Serenissimæ Conjugis hac de re commonuit, cum demissa observantia insinuans, quam indecens sit, tantas Reliquias in loco quasi privato, sine honore et reverentia, jacere: pium consultumque fore, si ad serenissimos Antecessores, Cæsarum et Ducum tumulum, in Collegiatam Divæ Virginis transferrentur, ut annuo ibidem cultu Divus Benno honoraretur: futurum forte, ut Optimum Numen, ob hujus intercessionem plura miracula edat. Insumptis aliquot deliberationi hebdomadibus, vocato denuo ad se prædicto Ecclesiastico Consiliario, Sacras Reliquias ei indulsit; quarum tamen translationem varia impedimenta in annum millesimum quingentesimum rejecere: quando primum, licet non sine difficultate, in aliquos Serenissimorum Capitum comitatu, ad prædictam Ecclesiam præter alias Reliquias delatæ, et in summo altari depositæ fuerunt.

D

allata distinctior relatio Translationis,

facta anno 1580 ad ecclesiam D. V.

24 Et Divum hunc Beneficum varia mox suspensa anathemata demonstrarunt; uti et variæ schedæ, quæ hujus tenoris erant (Deus et Divus Benno, intercessione sua, me hoc et illo malo liberarunt) Ipse etiam Præsul ab Aw, jam ad extrema deductus, ac rationis usu destitutus, S. Bennonis patrocinio commendatus, ad mentem et sanitatem rediit. Alteri quoque Præsuli potus, in quo Divi hujus Reliquiæ positæ erant, malum, quo periculose ex improviso correptus fuerat, omne abstersit. Miracula hæc ob timendas hæreticorum et perfidorum calumnias diu supressa; aliud tandem manifestum miraculum, quod anno MDCI cum femina quæ afflicta erat pede, in ipsa ecclesia contigit, in lucem et venerationem traxit. Miraculum hoc tale fuerat, ut omnes hujus conscii prælo ipsum committi urgerent, quod et externorum regnorum devotos cultores exciret, et supplices eorumdem manus ad curandam argenteam Divi imaginem aperiret liberalitate summa, qua adjuta dein aliorum quoque pietate, eam, quam nunc videre est, argenteam Divo imaginem statuit. Adeo in dies peregrinantium accrescebat numerus, ut Ecclesiasticis in choro functionibus vix locum permitteret; quare S. Reliquiæ inde denuo amotæ in vacans aliquod altare repositæ fuere, usque dum Serenissimus Bavariæ Dux Guilhelmus cum contribuentibus etiam omnis status devotis aliis, in honorem Sancti hujus sacellum, vix ulli in Germania secundum exstrui curavit. Miraculorum finis nullus est; ita ut jure dicere liceat; Manus Domini non est abbreviata, ut Salvare nequeat; neque est aggravata auris ejus, ut non exaudiat. Isaiæ LIX et illud; Mirabilis Deus in sanctis suis. Porro cum mirabiles casus, in quos Divis Bennonis, ut dictum est, Reliquiæ devenere, sinistrorum discursuum hinc inde causam præbuerint; paucis rei seriem scientibus; placuit hanc veram relationem in lucem edere: cujus testes litteras et sigillum, ut et alia documenta Collegiata Monachiensis, habet Unde videre licet, quam mirabiliter hæ Reliquiæ; non solum contra hæreticos aliosque Ecclesiæ hostes conservatæ et defensæ; sed etiam quam celebres ab optimo Numine redditæ fuerunt.

E

secutis mox miraculis

His an 1601 publicari cœptis,


conficitur argentea statua,

F

et novum sacellum.

25 *Post hæc ex aliis Germanicis impressis, iis (credo) quorum meminisse Raderum dixi; allata est magna copia Miraculorum ab anno* MDCI *usque ad* XXII *ejusdem seculi Monachii patratorum, et Latine redditorum a P. Francisco Halder, quæ secundam nobis constituent hujus argumenti Partem, sed absque ullis Annotatis: nec enim operæ pretium videbatur cujusque curati patriam accuratius scrutari, cum aliud nihil*

Miracula celera quomodo hic dentur.



IN ÆDE COLLEGIATA S MARIÆ



MITRA, CASVLA, ET PEDVM S. BENNONIS

A *nihil fere occurreret, circa quod versari diligentia nostra posset. Unum monuerim, dies et annos illos notari, non quibus factum miraculum est; sed quibus testatum rite et in libros relatum fuit. Licentiam quoque mihi fieri peto, in gratiam externorum, complurium consonantium difficilem in eadem syllaba concursum in nominibus Bavaricis ægre passurorum, lævigandi illum interpositione secundæ vocalis iis locis, ubi lenior dialectus illam admittit, scribendo v. g. pro* Horl *num.* 7 Horel, *pro* Stadler *num.* 13 Stadeler, *pro* Sedlmayr *num.* 19 Sedelmayr, *pro* Hinstrmuller, *num.* 22 Hinstermuller, *aliaque similia. Quamquam non ignorem, illam secundæ vocalis ante liquidas elisionem, duarumque in unam syllabam contractionem, miram gratiam conciliare Germanicæ, ut nunc culta habetur, linguæ. Ne autem quemquam terreat* Schm, Schn, Schw *initio syllabarum positum, sciat istud* Sch *fere non plus valere quam sonorum* S *et* Schmid *vel* Schweick *vix aliter sonare quid* Smid, Sweik *ipsumque* ch *positum post* S *solummodo sibilum ipsius* S *roborare, ut acutior evadat. Denique scito hæc omnia accepta referenda curæ R. P. Friderici Milholtzer, anno* MDCXC *Rectoris in nostro Monachiensi collegio qui suo* B *ibidem concionatori P. Francisco Halder hoc operis demandavit.*

PARS II

Miracula Monachii patrata seculo XVII.

Ex impressis Germanis.

Interprete P. Francisco Halder S. J.

ANNO MDCI.

An. 1601, Mulier pro emortuo pede, ligneo utens,

Agatha Obermairin Wessofontana, XL annos nata, proximis feriis Pentecostes subito tam acerbos dolores in sinistra tibia sensit, ut diu noctuque quiescere numquam potuerit. Patrocinio deinde spectatorum hominum in electorale Nosocomium promota, XIV hebdomadas ibi decubuit, fulcri adminiculo ægre admodum incedens, dum tandem omnino ligneo pede, quem loris corpori alligabat, maxima tamen cum difficultate usa fuit. Et licet medici in admovendis omnis generis medicaminibus partes suas strenue egerint, operam tamen omnem perdiderunt, ita paulatim excrescente tibia, ut secari, uri, pungi, sine ullo ægrotæ sensu potuerit. Permisisset illa sibi pedem subter genu omnino abscindi, C nisi medici illam ab hoc præposito dehortati, calidum balneum in proximum æstatem præscripsissent. Forte circa diem D. D. Simoni, et Judæ sacram, extra nosocomium convivio adhibita, multa de S. Bennonis in morbidos prodigiis legi ex ejus historia audit: unde illa miseriæ suæ admonita, cum lacrymis in cœlum manus sustulit; pollicita, se, quam primum liceret, sacrum in D. Bennonis honorem fieri curaturam ad aram sanctæ Crucis, ubi diebus solennibus ejus Divi sacræ exuviæ populo spectandæ exhiberi solent; sperans se omnino D. Bennonis patrocinio a tanta calamitate posse liberari. Distulit illa hoc propositum in tertiam usque hebdomadem, licet continuo ut illud exequeretur in somnis admoneretur. Quare XIX Novembris anno MDCI Sacerdotem D. Leonhardum Haner, qui eidem postera luce Sacrum legeret, constituit. Mane confessa P. Carolo Leopold Societatis Jesu Concionatori et Theologo, in templo B. Virginis natæ sacro, cum aliis spectatis matronis, quas interesse voluerat, adfuit; et his cum iisdem ad oblationem ligneo pede aram accessit. Cum peracta oblatione in locum suum rediret, subito ceu deliquium pateretur, humi collapsa fuit; ubi esset, quid ageret, pæne ignorans. Cum tandem sublata, et in sellæ suæ perducta fuisset, ad se rediens, calorem quem-

auditis S. Bennonis miraculis mota,

dum 19 Nov. interest votivo ad reliquias sacro

D dam in emortuo pede sensit, eodemque temporis momento ejus digitos commovere potuit. Præ gaudio deinde vix sui compos, cultrum petiit; ruptisque lignei pedis vinculis eoque abjecto suis jam vestigiis aram accedens, ex Mystæ manibus sacram Synaxin sumpsit, corpore et anima, si unquam alias sanctissima. Hæc omnia sic gesta esse jurata dixit ipsa Agatha Obermayrin: idem testantur omnes Medici proprio chirographo, in quorum potestate suit; et Anna Gasnerin, Anna Kheprunnerin, Sybilla Gandnerin et aliæ. Ad perpetuam rei memoriam etiam ligneum fulcrum ad D. Bennonis aram asservatur.

EX IMPR. GERM. illum vitæ restitutum gaudet:

2 Uldrici Kracker civis Monachiensis uxor Maria, periculoso admodum puerperio difficulter fœtum enixa est. Infans vix sacro fonte ablutus fuerat, cum sinistrum ejus brachiolum intumescens, notabilem plagam contraxit. Humanæ opis, adhibita medicorum cura, omissum nihil est: omnia tamen frustra fuere; nam infantis brachium paulatim ita exaruit, ut tactum non amplius senserit. Sub hæc puerperam invisit Jacobi Zweng tum Consulis conjux, eamque consolata, retulit insolitum miraculum, quod S. Benno nuper in clauda fæmina E peregit; suadens, ut et ipsa infantis sui valetudinem per votum commendaret. Paruit illico mater: insequente nocte infans jam melius habuit: postera luce subsidente tumore omnino convaluit. Videre prodigium testes oculati Sigismundus Pochen et ejus magister, Chirurgi, Apolonia Nadlerin, Maria Segerin viduæ. Calendis Decembris.

curatur infantis emortuum brachium

3 Christophori Mayr, civis et tabellarii Monachiensis, filiolus Christophorus, sesquiannum natus, duo foramina in ore habuit, quæ eidem maximos dolores crearunt: et licet sollicita mater, usa medentium consiliis, et medicina diu vulnera hæc curare conata fuisset; operam tamen lusit, cum bina foramina in dies laxiora fierent, maximo cum periculo ne os omnino computresceret. Mater D. Bennonis memor, et de ejus prodigiis etiam somnio admonita, sacrum in ejus honorem dicendum, cum cereo anathemate vovit: quibus peractis cum infantem domum e templo retulissent, extemplo sine ulla alteriore medicina geminas has oris plagas amisit. Testes jurati fuere Joannes Pfanzelte, Anna Baumstauberin; et alii. XV Decembris.

et alterius duo in ore foramina.

Anno MDCII.

F 4 Anna Mittermayrin Antelingana prope Duntenhusium, XII annos ex tibiæ doloribus decubuit, ignota mali origine. Diu sub potestate medentium fuit; qui illam tandem omnino conclamarunt. Quare ligneo usa fulcro, in quod progressura toto corpore incumbere debuit, de recuperanda sanitate dudum desperaverat. Tandem Jacobi Zweng Consulis Monachiensis conjux, miseratione erga ærumnosam tacta, quam bene pridem jam noverat; misit ad illam, qui ei de D. Bennonis miraculis referret, suaderetque ut fieri in ejus honorem sacrum curaret, et voto se obligaret. Cui consilio cum illa paruisset, momento restituto pede sine ullo adminiculo domum rediit: testantur hæc omnia Jacobus Zwenz Consul. ejus Uxor, cum tota familia. VII Februarii.

1602 sanatur tibia inutilis,

5 Andreas Schmid, civis Monachiensis septuagenarius, XX annos herniosus fuit, maximis propterea excruciatus doloribus decies sexties de die non raro decumbere coactus fuit: cum vero multa de D. Bennonis prodigiis inaudisset, legissetque, pro recipienda sanitate in ejus honorem sacrum dici curavit, cereoque anathemate se obstrinxit. Peracto sacrificio recessit tam diuturnum malum, eique optima valetudo successit. Rei testes fuere Alexander Eurel Sacerdos, Andreæ ipsius uxor cum tota familia. XXVI Martii.

hernia vicennis,

6

EX IMPR. GERM.

Hæreticus sclopo incurabiliter vulneratus,

6 Daniel Molitor miles, Bamberga vetere oriundus, annos quinque supra triginta natus, cum in Hungaria militaret, decem ante Martinalia diebus, cum aliquot sclopetariis peditibus ad obsidendam arcem Lakam nomine prope Canischam missus fuerat Ibi a Turca quodam, e ligneo tuguriolo collimante, plumbea glande circa præcordia trajectus, solido triennio maximos dolores, fatigata nequidquam in curando vulnere medentium industria, exantlavit. Cum tandem Monachium devenisset, morbidus et pessime valens, de S. Bennone, multa narrari audivit, qui illi etiam xx Martii in somnio, Episcopi specie, apparuisse visus erat: cui (licet hæreticus Sacrum, cum cerea militis imagine vovit, cui ipsemet una cum uxore, aliisque multis in templo B. V. interfuit. Quo finito, cum paulatim remittente dolore plaga coiret; venit illi in mentem, Deum sibi homini hæretico conferentem singulare hoc sanitatis beneficium, fortasse ut evitaret perversam religionem, et ad Orthodoxam transiret monuisse. Quare Patrem Marquardum Leonem, Ordinis S. Francisci Lectorem, adiit; ibique edoctus Romanæ fidei capita, Catholicum professus est; certus, Orthodoxam fidei ad extremum usque spiritum propugnare. Rem, ut narrata est, multi summi et infimi Monachii testati sunt. VIII Aprilis.

et ex voto sanatus fit Catholicus.

cæcus illuminatur,

7 Georgius Horel, Civis Monachiensis sexagenarius, sesquiannum cæcus fuit, sinistro oculo lucem per chirurgum recuperavit: exinde tam acerbus dolor alterum oculum invasit, ut præ ejus vehementia ad insaniam deductum iri omnes crediderint. Duos menses tenuit pertinax cruciatus, dum tandem D. Bennonis opem promisso cereo anathemate invocavit, quo rite perpetrato, votoque soluto, dolor omnis temporis puncto abscessit. In gratiarum actionem integro anno quotidie rosarium se in honorem D. Bennonis recitaturum spopondit. Testes citavit uxorem, et totam familiam, omnemque viciniam. XXXI Maji.

sanatur dolor brachii,

8 Nobilis et spectabilis D. Anna Nothafftin etc., annos nata duos supra XXX, diu ex acerrimo brachii dolore decubuit, periculumque erat, nequid, quoniam gravida esset, fœtui accideret: gestare etiam brachium non potuit sine alieno adminiculo. Cum ejus soror jam de hac valetudine nuntium accepisset, cereum pro illa anathema Divo Bennoni sub Sacro vovit. Extemplo eam dolor, et brachii cruciatus reliquerunt. Indicavit hoc, ex mandato Dominæ suæ, missus Monachium Ernestus Cæsar; votumque ejus loco deligenter persolvit, XXI Julii.

apoplexia,

9 Die XXVI Julii allatum fuit in templum B. Virginis chirographum, cujusdam illustri principum genere orti, qui subito apoplexia tactus neque loqui, neque movere alterum lotus potuit. Cum vero ejus conjux, pro avertenda hac calamitate, voto Sacro et anathemate, apud D. Bennonem intercessisset, intra mediam horam recepto loquelæ usu convaluit.

dolor brachii,

10 Joannis Leckner uxor Helena, quadragenaria, per quatriduum tam acutos in lævo brachio dolores sustinuit, ut die ac nocte continuo præ nimis acri eorum sensu ejularet. Desperatis hominum remediis, illius maritus ad D. Bennonem confugiens, in ejus honorem Sacrum fieri curavit: quo finito statim Helena melius se habere cœpit, et proxima nocte penitus convaluit. Testati sunt Leonardus Harrer, Sacerdos, qui Sacrum fecit, Simon Franck, Andreas Engelsperger cum tota vicinia, XXIV Julii.

gravis 20 an. morbus,

11 Joannes Muller, Ottenhoflensis, XX annis gravi morbo implicitus fuit, quæ singulis hebdomadibus eum adeo exercuit per triduum integrum, ut sui non compos et lymphatus videretur. Quare D. Bennoni votum fecit, exinde morbo illo non amplius infestatus, III Octobris.

12 Georgius Kriminer annos quatuor supra L natus, Obermerbachensis, biennio tantos cruciatus in læva tibia perpessus est, ut duobus fulcris innixus incedere debuerit. Post hæc, malo ad alteram quoque tibiam transeunte, adhuc biennium decumbendum misero fuit. Tandem cum multa de S. Bennone audiret, et non raro etiam somnum de hoc Divo haberet; per ejus opem, promisso cereo anathemate cum sacro, extemplo convaluit. Testes fuere Joannes Gutgabler Parochus, Joannes Schmidt, Georgius Halzmayr Obermabackenses; VII Octobris.

cæcitas diuturna.

13 Georgius Stadeler Klainthalensis, septuagenarius, per sex hebdomades ita cæcus fuit, ut duce, si quando exire vellet, opus ei fuerit. Postquam se Divo Bennoni facto voto commendavit, sine ullius ductu Monachium venit, ibique votum persolvit. Testes produxit quatuor e vicinis una cum uxore, XXVIII Octobris.

genu invalidum,

14 Martinus Vischer totum annum genu laboravit, et tandem ingravescente malo duobus mensibus ingredi nequiit. Ut primum sacrum se in D. Bennonis honorem fieri curaturum vovit, intra triduum sanitatem recepit. Audiere hæc referentem Adm. Rev. D. Franciscus N. Licentiatus Decanus ab B. Virginis, Leonardus Hamer, Sacerdos, Joannes Scharman Custos, X Novembris.

epilepticus puer,

15 Leonardi Walther Tolzensis, trimulus infans, comitiali morbo adeo correptus fuerat, ut quotidie semel illum atrox malum exercuerit. Ex quo autem pater, pro infantis salute Sacrum D. Bennoni cum cereo anathemate vovit, nullum amplius morbi indicium reperitur. Retulit hoc ipse pater, præsentibus Leonardo Harrer, Paulo Greinwolt, Sacerdotibus ad D. Virginis.

pustulis obsita,

16 Christina Schmidin, XIII annorum puella, Oenipontana, VIII annis toto corpore pustulis et fœdis ulceribus ita obsita fuit, ut nullo medicamine curari potuerit; unde eo tandem miseriæ devenit, ut publica stipe ei ex commiseratione præbita victitarit. Soror ejus natu major, de maximis D. Bennonis miraculis admonita, puellæ salutem eidem, promisso ejus honori Sacro, commendavit. Quo facto, pustulæ et ulcera protinus sine ulla medicina evanuere, puellaque convaluit. Narravit, Elisabetha Schmidin puellæ soror, et Regina Chorantin Oenopontanæ, XIX Novembris.

gravis hernia,

17 Caspar Zolner, faber lignarius, in ædificio quodam opus faciens, dum trabes in altum cum aliis erigeret, herniam contraxit; unde factum est, ut opificio abdicato, corrogata stipe potissimum victitarit. Auditis vero D. Bennonis in ægros beneficiis, protinus ingressus templum B. Virginis, flexis genibus ad aram quamdam, pro sanitate sua preces ad Divum prædictum fudit. Quod dum ardenter facere perseveravit, visæ sunt illi a tergo hæ voces ad aures allabi: *Ne desisté, exaudieris:* Bis igitur circumspexit, humanam eam vocem ratus: post hæc statim melius habuit et ex integro convaluit. Testes fuere Kilianus Berthold medicus, et aliquot vicinorum, XXII Decembris.

Anno MDCIII.

utroque oculo orbi.

18 Apolonia Remtin Wilheimensis post puerperium utroque oculo capta fuit, et integro mense diem non vidit. Postquam vero piorum hominum usa consilio, D. Bennoni duo Sacra cum cereo anathemate vovit, paulatim visum recuperavit. Testatæ sunt hoc Maria Vierekin civis Monachiensis, Anna Wildin, Ursula Huberia, Weilheimenses, VII Aprilis.

triennio mutus.

19 Joannes N. sedecim annorum adolescens, Weissenfeldensis, triennio mutus Attingensi pago tintinnabulo pro loquela usus, diu corrogata stipe victitabat,

A victitabat, cum vero discurrente passim fama multa de S. Bennonis miraculis accepisset, XXIII Maji Sanctus hic Episcopus in somno illi apparuit: visumque est, moneri se, ut prædicti Divi patrocinio, Sacro et cereo anathemate voto se commendaret. Expergefactus statim verba quædam proferre potuit: subito deinde tanta adolescentem infirmitas per medium et integrum diem invasit, ut plerique animam agere crediderint. Mox tamen ex hoc morbo convalescens loquelæ usum penitus recepit. Rem, ut gesta est, testantur Paulus Kain, Georgius Pagel, Wolfgangus Sedelmayr, Matthæus Keller, Simon Kunder. Pridie Kal. Junii.

hydropica,

20 Euphrosyna Zechlingerin, adhuc puella adolescens, hydropisi ad extrema deducta erat: D. Bennoni autem voto commendata, sanitati iterum restituta fuit. Retulit Nobilis et strenuus D. Petrus Casull etc. puellæ tutor, qui ad perpetuam memoriam, rei gestæ seriem in picta tabula ad D. Bennonis aram suspendi curavit. VII Junii.

moribundus puer et fœde tumefactus,

21 Martinus Haberel, octo annorum puer, Autkirchensis, Margaretæ Haberlin filius, anno MDCII circa ferias Natalitias letifero correptus morbo, B in extremis jacuit, solido octiduo loquelæ expers: præterea toto corpore follis in modum intumescens, duobus mensibus sine ulla spe salutis decubuit. Denique cum mater pro prole sua D. Bennoni votum nuncupasset, eadem adhuc nocte tumor resedit, maneque puer sospes et incolumis surrexit. Testes oculati fuere omnes vicini. XXIX Junii.

epilepticus,

22 Leonardus Ehemon Frisingensis, comitiali morbo correptus, D. Bennoni Sacrum et cereum anathema ex voto nuncupavit; et illo malo mox in perpetuum liberatus fuit. Testes citavit Wolfgangum Zehentmayr, Wolfgangum Ehemon, Georgium Hinstermuller, Barbaram Zehentmayrin, Frisingenses. IV Julii.

moribunda una

23 Nobilis et strenui D. Sebastiani ab Haunsperg etc. conjux, toto mense letali morbo implicita, a medicis jam conclamata erat. Pro ejus salute argenteum pollicitus anathema ipse Nobilis et strenuus D. Sebastianus maritus, D. Bennonem invocavit: quæ statim convaluit. Pridie Calen. Augusti.

alteraque:

24 Joannis Feichtmayr Aubingensis filia Anna, XVII annos nata, ultra annum graviter ægrotavit, ultimis vero mensibus ita morbus invaluit, ut ne pedibus quidem consistere potuerit, mortique jam vicina crederetur In hoc rerum articulo D. Bennoni Sacrum cum anathemate vovit, ad quod per- C solvendum votum, illam pater Monachium in sella deportari curavit. Sed ne tum quidem melius habere cœpit, quin ne in reditu domum moreretur, periculum fuit. Tertia vero die infirmitas illam deseruit, valensque et sana ad agendas sospitatori suo gratias Monachium venit. Prodigium testimonio suo confirmant Wolfgangus Leander Parochus, Wolfgangus Gaspar, Sebastianus Schweickart, Aubingenses.

oculus festuca læsus,

25 Trimulus Joannis Baur Dietenhoffensis filius Thomas, forte prolapsus casu in acutissimum lignum sinistrum oculum induerat, acumen ultra mensem in infantis oculo remansit, non sine magno gravioris infortunii periculo. Ut primum D. Bennonis opem facto voto parentes implorarunt, apparuit ligni acumen, ut extrahi salva pupilla potuerit. Testantur Joannes Pihlmeyr Dictenhoffensis, et Joannes Mayr Lochkirchensis. XXII Septembris.

tibia bis fracta ex casu,

26 Georgius Urban, faber cæmentarius Dingelfingensis, ex summo ædificii in subjectum pavimentum dilapsus, dextram tibiam bis fregerat: ex quo graviter ægrotans sex hebdomadibus, multum sanguinis egessit. Forte ex commiserationis affectu nobilis, et pientissima virgo decumbentem invisit. Hæc illi magnopere suasit, ut S. Bennonis opem D pro recuperanda sanitate imploraret. Paruit illico æger et statim melius habere se sensit. Quia vero pedem movere adhuc nequiit, geminis usus fulcris ingressus est; continuo peregrinationem Monachium, quam D. Bennoni voverat, meditans. Cum deinde itineri faciendo sibi impar visus, rem diu distulisset, pes usque ad genu emortuus nullum amplius tactum sensit. Ille recenti hac calamitate conterritus iteratis ad D. Bennonem precibus, veniam negligentiæ suæ rogavit: utque sentire rursus pes cœpit, viæ se Monachium voti causa commisit, et intra novem dies ligneis innixus fulcris tredecim milliaria emensus est. Ingressus igitur templum B. Virginis, principem aram circuire parabat; cum illi in mentem venit tentare, num consistere pedibus aut ingredi valeret; translatoque in dextram utroque fulcro, totum chorum sine ullo adminiculo circumivit. Actis deinde sospitatori suo gratiis, lignea instrumenta, ad rei memoriam, ad ejus aram reliquit; sanusque et valens domum remeavit. XXVI Septembris.

ex improviso: et pes emortuus,

tibia infirma,

27 Georgii Perckhoffer Peisenbergensis filius, itidem Georgius, XVII annorum adolescens, undecim E hebdomadibus ex sinistra tibia decubuit, frustra medentium opera ad eam curandam adhibita: tandem parens D. Bennoni pro filii salute Sacrum cum cereo pede vovit: quo facto, coalescente vulnere, adolescens convaluit. Id testantur Georgius, Joannes Lander chirurgi; Georgius Leis, omnes Peisenbergenses.

tibia contracta,

28 Barbara Stolnreiterin, Eichenhusana, quinquagenaria, XV annis dextra tibia laborans, duobus fulcris incessit; acres, præsertim variante tempestate, dolores perpessa, unde attractis nervis pes altero brevior evasit. Quare ipsa quoque promisso Sacro, et cereo anathemate, apud D. Bennonem miseriæ suæ finem quæsivit. Exinde mox tantum dem melius habere cœpit ut aliquantulum viæ conficere sine fulcris potuerit. Cum vero ejus maritus, cui incredibile videbatur post tot annos uxorem suam rursus convalescere posse, votum pro illa exsolvere abnuisset; de novo dolor et cruciatus invaluit: Denique invito pæne viro suo Monachium se vehi curavit; ibique persoluto voto sana penitus domum repetiit. Confirmavit hoc testimonio suo Nobilis et strenuus D. Lagsalzeti, qui ægræ id votum suasit, et Georgius Niderreiter civis Monachiensis, Wolffgangus Bauschneider Eickenhusanus, XIV Octobris.

pes 7 plagis læsus,

29 Georgius Gern, Mittbachensis, Balthasaris F Gern decennis filius, solido quadriennio dextro pede septem plagis hiante laboravit, ex quo os digiti longitudine a carne separatum extractum fuerat. Quare diu nequicquam quæsito apud homines remedio, tandem pater pro filio ad D. Bennonem voto Sacro intercessit: qui illum intra quinque dies sanitati restituit. Testantur, Udalricus Chirurgus, Georgius Baur, Caspar Kirchlehter, Mittbachenses. XIV Octobris.

Anno MDCIV

ex utroque pede 24 plagis singulis;

30 Joannes Thal Thalrantensis XXX hebdomadibus pedibus laboravit, et in quolibet XII plagas apertas et hiantes numeravit. Varia namque tatu medicamina adhibens, tandem de humana spe desperavit. Forte die quadam venit ille in mentem D. Benno, quem Monachii prodigiis clarum inaudierat. Mox cum maxima recuperandæ sanitatis fiducia, legi in Divi honorem Sacrum se curaturum spopondit: post quæ, sine ulla ulteriore medicina, multiplicia ulcera coaluerunt. Hoc affirmant Cyriacus Wirth Tegernseensis, Caspar Thern, Mathæus Camerer Rothensis. XVI Februarii.

morbus ...tus,

31 Joannis Widhopff Ottendihelensis filius Georgius,

A gius, VII annis ex ignoto et incurabili morbo decubuit: Sacro vero et anathemate D. Bennoni commendatus, paulo post sanitatem recepit. Testati sunt D. Isaacus Schuefll Parochus, Georgius Schnebel cum tota vicinia. IV Martii.

EX IMPR. GERM. cocles,

32 Virgilius Hamzel XV annis cocles fuit, postquam deinde facto voto D. Bennonem Monachii ferventibus precibus invocavit, domum rediturus, oculum quo captus fuerat; sibi apertum sensit. Testes citavit omnes vicinos. III Maji.

tibia dolens,

33 Joannes Stemele Peisenbergensis, biennio acerbissimos dolores in dextra tibia sustinuit, adeo ut sæpissime decubuerit. Tandem cum D. Bennoni peregrinationem ad ejus aram Monachium, et certas preces vovisset, convaluit. Testes fuere Vitus Luzi Georgius Bermele ejus vicini. XXVII Maji.

et tibia ulcerosa,

34 Wolffgangi Rhainensis filiola Catharina, quinquennis, biennio magnos cruciatus in læva tibia, ex hiante et aperta plaga, sustinuit, illo toto tempore neque consistere neque incedere valens. In adhibenda medicina sumptui pater non pepercit: sed omnia frustra fuerunt. Ut primum pro puellæ valetudine, in honorem D. Bennonis, Monachii Sacrum fieri curavit, intra XIV dies noxium ulcus coaluit, et filiola sanitatem recuperavit. Rem testimonio suo confirmarunt Christophorus Masthel, Joannes B Kottenhauser vicini. III Junii.

35 Elisabetha Landesin Beissenbergensis, ultra septennium lævo brachio tribus ulceribus aperto laboravit, eoque tandem jam res deducta erat, ut abscindendum esse brachium Chirurgi consuerint. Illa in hac calamitate D. Bennonis memor, magna cum fiducia se eidem promisso cereo anathemate commendavit: qui illi intra breve tempus sanitatem et brachium restituit. Testes, præter maritum suum, citavit Georgium Haugenbacher, et totam viciniam, IX Junii.

item brachium abscindendum,

epileptica,

36 Ursula, Petri Zwaiger Woxavensis filia, diu morbo Herculeo correpta fuit, singulis pæne diebus horrenda illa rabie agitata. Pater multa de S. Bennonis miraculis passim narrari audiens, ejus opem etiam pro filia sua facto voto imploravit: quæ mox morbo liberata fuit. Testati sunt Petrus Angerer Parochus, Catharina Hilgethunin. XIV Junii. Prædicta Catharina Hilgethunin sexennium solidum magnis corporis doloribus conflictata, edito ad D. Bennonem peregrinationis voto, convaluit.

et toto corpore dolens,

pustulis debilitatus,

37 Wolffgangi Sigel Pruckensis uxor, Anna nomine, tota hieme graviter ægrotavit, geminis, iisque C grandibus pustulis ita infestata, ut sumente in dies incrementa morbo, etiam consistere pedibus, et ingredi nequiverit. Forte nocte quadam ejus maritus D. Bennonem in somnio vidit: et mox pro conjugis suæ valetudine se ejus aram Monachii invisurum vovit. Ex quo illa statim, sine ulla humana ope, sospes evasit. Rei testes fuere Georgius Chirurgus Ejus pachensis, Joachimus Stuber itidem Chirurgus, et Andreas Scharb. XVIII Junii.

herniosus,

38 Blasius Teudspeck civis Isensis, octo annos dolores et cruciatus ingentes ex hernia perpessus, edito ad D. Bennonem cum precibus voto, paulatim convaluit. Testes nominavit Joannem Meyrpocken, Casparem Pfleger, cives Isenses. VII Julii.

moribundus,

39 Balthasar Westenrieder Egelsingensis, integrum mensem lethaliter decubuit, sumptoque Eucharistico epulo mortem in momenta expectabat; cum illi filius, Fr. Kilianus Westenrieder, Professus et Sacerdos Pollingensis, impressa typis D. Bennonis miracula prælegit, ex quo statim hausta ad prædictum Sanctum fiducia, eidem cereum anathema vovit. Quatriduo post alter filius, Ambrosius Westenrieder, pro parente Monachii votum persolvit: domumque reversus, sanum et opus facientem invenit. Testes prædicti filii. Die ut supra. D

40 Dicti paulo ante Ambrosii Westenrieder quadriennis infans, maximos dolores ex ignoto morbi genere sustinuit. Cum vero parens proximo Festo Corporis Christi Monachium venisset, sub Sacro B. Bennonis patrocinium pro ægrota prole imploravit: domumque reversus infantem ea ipsa hora, qua pro ejus sanitate ad D. Bennonem preces fudisset, convaluisset intellexit. Testati fuerunt ejus Frater F. Kilianus Westenrieder, Wolfgangus Stromary, Georgius Brunhulter. Die ut supra.

graves cruciatus patiens,

41 Georgius Seiz, Rauchenleschbergensis miles, nunc Augustæ præsidiarius, in Hungaria prope Canscham, glande permediam tibiam trajectus, VII hebdomades ex vulnere decubuit · et cum omnis medentium industria operam lusisset, XXIV prætere a foramina illi pedem ruperunt, quæ toto triennio numquam coaluerunt. Tandem cum de S. Bennone multa fama accepisset, ferventibus precibns, votaque pro salute sua ad ejus aram peregrinatione, Divi opem invocavit: et inter breve tempus nihil præter cicatrices in pede noxium superfuit. Testes citavit Valentinum Schmid. Henricum Fux, Vitum Kesselbaur, Sebastianum Sackerar Capellanum ad E S. Mauritium Augustæ, XI Augusti.

tibia glande trajecta,

Anno MDCV.

42 Adamus Picker, Notarius publicus civitatis Spirensis, de nocte in dextro brachio vulneratus, ita sanguine fluxit, ut eum nemo medicorum supprimere potuerit. In extremum igitur adductus vitæ discrimen, sex hebdomades decubuit. Saluti fuit D. Bennonis meminisse, de cujus in morbidos prodigiis multa inaudierat. Quare ejus ope ardenter invocata, invisurum se Divi aram vovit, si illius patrocinio convalesceret: mox nullum habens penitus vulnus pristinam sanitatem recepit. Retulit hæc ipse audientibus D. Georgio Endres, D. Joanne Kemethulter, Leonardo Schmid Ingolstadiensi, Joanne Grafer. V Martii.

sanguis ex vulnere continuo fluens,

43 Catharinæ Strasserin Mayburgensis filius Jacobus, quinquennis, subito in lethalem morbum incidens tota hora ut mortuus deplorabatur; eique jam funebre linteum, cui involvendus erat, præparabant. Pater autem, singularem ferens in D. Bennonem fiduciam, illum pro pueri salute cum lacrymis deprecabatur, promisso cereo anathemate cum Sacro si in vita maneret: cum ecce tibi per jam sub linteo exclamat et reviviscit. Testes citavit pueri mater omnes vicinos. XVIII Aprilis. F

moribundus puer,

44 Regina Hucberin Arzingensis, casu sclopeto manuali in facie vulnerata ultra octiduum usa dextri oculi caruit: postquam vero D. Bennoni cereum anathema vovit, videre ut antea cœpit. VII Maji.

oculus sclopo læsus,

45 Georgii Schmid Pezkirchensis filius Joannes, tredecim annorum puer, ultra sesqui annum pedibus ita captus fuit, ut consistere nequierit. Ope tamen D. Bennonis, cui voto Sacro commendatus fuerat, intra XIV dies convaluit. Testati sunt Fratres Hieronymus, et Rupertus Engelschal Ordinis S. Augustini die ut supra.

pedibus captus,

46 Georgius Custer Mainburgensis, igne sacro jam inde a puero in sinistro pede infestatus fuit, et sæpius per annum duas aut quatuor hebdomades ex illo decubuit, cibi potusque præ doloris sensu pœne expers. Confugit itaque ad D. Bennonem, et in ejus honorem Sacrum se legi curaturum promisit, addito anathemate. Ab illo tempore morbus eum dereliquit. Confirmarunt hoc testimonio suo Michael Sachs, Joannes Schwegler, et alii omnes Mainburgenses, Pridie Kal. Junii.

et igne sacro exesus,

47 Joannis Repel Dendhusani filius Martinus, ultra annum pedibus ita captus fuit, ut illorum officiis, ceu penitus emortuorum, illi carendum fuerit

alius mancus,

A rit. Pater pro filii valetudine ad D. Bennonis aram Monachii Sacrum fieri curavit: cumque illo finito domum rediret, obviam facti vicini, filium domi sanum et incedere posse nuntiarunt. Id licet credere vix potuerit, ut domum venit, verum esse comperit. Testes fuere Georgius Gerel, Georgius Schwaiger, Joannes Epp, cum tota vicinia.

pes abscindendus,

48 Ursula Rosmundin, puella Monachiensis, solidum triennium fulcro usa ex lævo pede decubuit: et quia in missione sanguinis nervus erat abruptus, ita paulatim invaluit vis mali ut abscindendum esse pedem Medici censuerint. Quater in extremis propterea jacuit Ursula, semper adversus mortem ultimo viatico munita. Ad ultimum ei in mentem D. Benno venit; cujus illico auxilium, promisso in ejus honorem Sacro et anathemate, expetit. Cum igitur prædicto Sacro interesset, et nixa fulcro ad aram oblationis causa accedere vellet, fragorem quemdam in ægro pede audiit, eodemque momento se sanam esse advertit. Quare mox absque adminiculo aræ appropinquans, actis pro tanto beneficio gratiis, ligneum instrumentum ad Sospitatoris sui tumbam reliquit. Videre prodigium quotquot Sacro interfuerunt. x Junii.

triennio cæcus,

B 49 Leonardus Reichard Waidkirchensis quinquagenarius, triennio cæcus fuit, diuque ex omni parte miser vixit. Tandem ejus uxor Barbara, Divi Bennonis miracula continuo inculcans, perpulit, ut se Divo, nuncupato Sacro et voto, commendaret; quo peracto intra quatriduum cæcitatem amisit. Testati sunt Georgius Kral, Wolffgangus Mayr, Waidkirchenses. xxiv Junii.

pedibus capta,

50 Barbara, Joannis Reismuller Ascholdingensis uxor, totum annum pedibus capta fuit, neque progredi neque insistere plantis valens, maximis doloribus excruciata. Festo D. Præcursoris, D. Bennonis patrocinium pro sanitate, promisso solemni in ejus honorem Officio, imploravit. Voto persoluto, mox in tantum melius habuit, ut stare et ingredi potuerit, sed non sine fulcro. Tandem feriis Paschalibus, iterato per nuncupatum Sacrum voto, paulatim omnino convaluit. Testem nominavit totam viciniam. xxiv Junii.

ad mortem æger,

51 Simon Konig Aiblingensis ultra mensem letaliter decubuit. In hoc summo vitæ periculo apparuit illi in somnis D. Benno: cui cum, sumpta in ejus honorem sacra Synaxi, pro salute sua supplicasset e vestigio sanus et sospes surrexit. Testes secum adduxit N. Hofflaur, Margaretam Seiblin, C Barbaram et Margaretam Lidlin, Aiblingenses, xxvi Junii.

52 Erasmus Landrichter Kelheimensis, xvi annorum adolescens, solido quatriennio in dextra apertum, et fœda sanie fluens ulcus habuit: quæsitisque diu nequidquam Ingolstadii, Ratisbonæ, Monachii, sanandæ plagæ, apud varios Chirurgos et medicos, remediis, cum omnes abscindendum esse manum uno ore censerent; mater, edito ad D. Bennonem voto, filii dextræ intra triduum sanitatem impetravit. Testem prædicta mater nominavit Nobilem et strenuum D. Joannem Udalricum a Stingelhaim etc. Præfectum in Kelhaim, et Rupertum Landfridshaimer etc. xxviii Junii.

manus rescindenda,

53 Michael Holzhauser Dediswangensis, circa semestre herniosus, facto ab ejus parentibus ad D. Bennonem pro filio suo voto, protinus convaluit. Præter parentem hoc testati sunt, Michael Eberhard Parochus, Fridericus Zosmuller, Joannes Reiser, Dediswangenses.

herniosus,

54 Catharina Pesmullerin Neoburgensis, ultra annum ex vulnere inutile brachium habuit: auditis vero D. Bennonis miraculis, proprio instinctu, promissa ad ejus sacras Reliquias peregrinatione et D anathemate, pulsis paulo post doloribus, brachii sui usum recuperavit. Rem testimonio confirmarunt Sebastianus Forster, et ejus uxor. xxviii Augusti.

ex impr. germ.

ex maleficio paralyticus,

55 Joannes Fridericus Osterhaimer Trevir, chirurgus, xxii annos natus, ex propinato haustu quodam primum in capite, mox in toto corpore ægritudinem et virium infirmitatem contraxit; ut pedibus ire non valens, carris et plaustris ab uno loco ad alium vehi debuerit. Tandem etiam Monachium deportatus maxima spe recipiendæ sanitatis, D. Bennoni (de quo Ratisbonæ primum audierat) se voto obstrinxit, sexies se ad Divi aram Sacro interfuturum. Quo voto ut se exsolveret, maxima cum difficultate, magna ex parte reptando, tandem in templum B. Virginis venit, ibique ad D. Bennonis aram Sacrum audiens, ter ad oblationem baculo innixus processit. Quo facto fragorem quemdam in pedibus suis edi advertit. Gratulatus igitur sibi felix omen, et surgere connixus, se convaluisse penitus sensit. xxix Septembris.

hydropica,

56 Eva Knopflerin, Schrobenhusana, xxx annos nata, xvi annis ex hydropisi decubuit: conclamatæ E ab omnibus sanitatis habita, postquam D. Bennoni peregrinationem ad ejus aram vovit, paulatim resedit tumor, et hydrops evanuit. Testes rei fuerunt Joannes Schuster, Georgius Haskosser. xx Septembris.

Anno MDLVI.

phreneticus,

57 Augustinus Cammerer Landishutanus, annos natus unum supra viginti, præcedente anno Pfaffenhoffii, noctu circa horam nonam, ita subita phrenesi correptus fuit, ut nescius præ furore quid ageret, Dinglfingam usque excurrerit, ibique velut insanus aliquamdiu in vinculis detentus, postea Landishutum reductus fuit, et cum aliis phreneticis in ergastulum conclusus. Die quodam invisit eum Rev. D. Andreas Kreidenhuber Parochus ad S. Spiritum; suasitque, ut pro avertenda hac sua calamitate, D. Bennonis patrocinium imploraret. Paruit illico miser, et peregrinaturum se Monachium ad Divi aram cum anathemate spopondit. Quo facto detumuit illico phrenesis, et Augustinus ergastulo emissus est; catenæ tamen alligatus in nosocomio duas hebdomades, dum penitius dimitteretur. Rei testes fuere Wolfgangus Lachner, Georgius Mittermayr, Landishutani. x Maji.

herniosus,

58 Christiani Hayn Diligani filius Joannes Wolfgangus, biennio jam herniosus fuit. Anxius de prolis F sanitate pater, pro illa sacram Communionem et iter ad D. Bennonis aram vovit, cum Sacro in ejus honorem legendo. Postquam pater, persoluto hoc voto, Monachio domum rediit; infantem ex omni parte sanum reperit, et rem Leonardo Harrer, qui sacrum legit, litteris transcripsit, quæ adhuc exstant. Insuper testes nominavit, Michaelem Haffner Chirurgum, Ægidium Fischer, cives Dilinganos. xviii Maji.

pridem ex maleficio ulcerosus,

59 Adm. Rev. Mag. Balthasar Diedel, Parochus in Beurstatt, cum æger decumbens medicatam potionem sumpsisset, dolor et cruciatus omnis in sinistrum pedem descendit, qui mox grandi ulcere ruptus ad xv annos ægrotantem lecto affixit: humanæ opis, ad curandam plagam, nihil intermissum: sed omnia irrita fuere: Quare prædictus D. Parochus ad D. Bennonem confugiens, lecturum se in ejus honorem ad ejus aram Sacrum, si sanitati restitueretur, promisit. Edito hoc voto, sine ullo medicamine, mox convaluit. Testis fuit tota vicinia. Kalendis Junii.

oculo læsa,

60 Apolonia Weiglin, Joannis Weigel Oberzeitebbachensis filia, xvii annorum puella, diebus Saturnalibus per plateam transiens, in personatum quemdam incurrit; qui illam carbone denigraturus, ita

EX IMPR. GERM. et deinde fascino cæcata,

ita lævum oculum offendit, ut per totum semestre illo periclitata fuerit. Nam, præterquam quod pupillam glaucoma velaverit, tantos ex eo cruciatus perpessa fuit, ut pæne insanierit : tandem cum ad pellendum glaucoma nescio quo Chiromantis cujusdam carmine, ignara id prohibitum esse ab Ecclesia, se fascinari permisisset, etiam alterum oculum, jam omnino cæca, amisit ; manibus etiam follis instar intumescentibus. Post hæc mater et filia ad D. Bennonis patrocinium conversæ, invisuras se ejus aram oblato anathemate voverunt : brevi deinde filia visum recepit, Testium loco citavit totam viciniam. XXV Augusti.

paralyticus,

61 Wolfgangus Baur, Wahingensis, XL hebdomades paralyticus, letaliter decubuit. Cum vero illi Nobilis et strenuus D. Diepoldus a Burgau, multa de S. Bennonis miraculis narrassent, et ut in Divi honorem Sacrum fieri curaret, persuasisset ; paulatim ita convaluit, ut ad solvendum votum ire Monachium potuerit. Testes nominavit Georgium Wimer, Joannem Mandaler, cives Pfarkirchenses. VII Septembris.

per fascinum toto corpore graviter cruciata

62 Anna Burckmayrin, vidua Morenweisensis, XXIX annos nata, ex invidia ante quatriennium a circumforaneo quodam agyrta fascinata, acerbissimes primum dolores in capite, mox serpente latius malo, in toto corpore sensit. Integrum biennium semper incrementa sumpsit cruciatus, ut nec die nec nocte quietem capere misera potuerit. Quare Monachii in adelphotrophium admissæ, omnis generis medicamina adhibita sunt. Frustra tamen omnia fuere. Cum eo tandem miseriæ devenit, ut ingredi sine adminiculo nequierit. Post semestre igitur a medicis et chirurgis ut incurabilis dimissa, octo menses apud pium quoddam par conjugum, in maximis cruciatibus, sine ulla medicina habitavit : denique a D. Adamo Fabro medico denuo in Nosocomium S. Elisabethæ promota est. Ibi licet medici et Chirurgi in ea curanda omnem industriam posuerint, operam tamen omnem luserunt. Quocirca etiam ab his ut desperata post IV menses dimissa fuit, pie admonentibus, ut humanæ medelæ incapax ad D. Bennonis patrocinium, promisso in ejus honorem Sacro et Communione confugeret. Arripuit ægra illico salubre hoc consilium : et cum aliquot jam menses in hospitio semper decumbens aut sedens, lacrymis et precibus inter maximas ærumnas exegisset ; sacram Synaxin ad D. Bennonis aram sumere (id quod voverat) summo desiderio gestiebat. Hinc XXV Octobris mane, lustrata diligenti exomologesi anima, ad D. Bennonis aram se deportari curavit ; ibique Sacro apprime sui compos adfuit, quo finito, cum alterum Sacrum, quod illa pro se fieri jusserat, cœpit ; ita illam subito animus liquit, tantaque vertigo caput invasit, ut, quid ageret, ubi esset, nesciret ; licet externa corporis species sibi ita constiterit, ut perseverasse in precibus, et Eucharisticum Deum hiante et cupido ore excepisse, præsentes omnes testati fuerint. Quam primum autem sacram Synaxim sumpsit, ad se rediens surrexit ; et sellam, cui insederat, amovit. Accurrentibus deinde quæ illam in templum deportaverant, ut ægram rursum in sella collocarent, vetuit ; et se jam incedere posse, dixit. Mox genua accidens, et identidem resurgens, gressu ebriorum in morem adhuc titubante, cur non divinum epulum sibi impertiretur, quæsivit. Cumque eidem jam accubuisse ipsam asseverarent, penitus sibi reddita, actis pro beneficio tam singulari Divinæ clementiæ et Sospitatori suo gratiis, sana et incolumis mente et corpore domum repetivit. Dixit ipsamet omnia jurata ; testibus utriusque nosocomii, in quibus fuerat, medicis : præterquam quod multi utriusque ordinis mortales rei gestæ interfuerint.

et ex uno altero nosocomio ut incurabilis dimissa,

dum ex voto sacram audit et communicat,

sibi restituitur.

ANNO MDCVII

sanantur, delirus,

63 Nobilis et strenuus Dominus Joannes Georgius a Seibelstorff etc. tres anni quadrantes decumbens, deliravit : postquam vero Nobilis et strenua D. Anna Euphrosyna a Seibelstorff, prædicti strenui Domini conjux, D. Bennoni tria Sacra cum anathemate vovit, convaluit. Persolvere votum pro parente suo duæ filiæ virgines, quæ hæc testimonio suo confirmarunt.

incurabiliter ægra,

64 Joanna Feselmayrin Ingolstadiensis, integro mense ita vehementer ægrotavit, ut præ doloris sensu in nullum latus se versare in lecto potuerit. Medicamentis ad pellendum morbum plurimis usa est, sed omnia frustra fuerunt : tandem D. Bennonis memor, cum jam in extremis esse crederetur, Sacrum in ejus honorem legendum cum Communione et donario promisit, eodemque adhuc die sublato morbo decumbere desiit. Testem nominat totam familiam, et Mariam Walterin una cum vicinis. XXIV Aprilis.

pes exulceratus,

65 Ursula Hulberin Steinensis, annorum XVI puella, annum et tres menses dextro pede ex apertis et noxiis ulceribus laboravit : et licet adhibita curatione, una aut altera plaga caruerit, mox tamen repullularunt : malumque ita invaluit, et puella per tres menses pedibus insistere nequierit, abscindendam esse tibiam cunctis affirmantibus. Invocato autem ab ejus matre per votum D. Bennonis patrocinio, brevi sanitati restituta ipsamet puella votum exsolvit. Rei testes fuerunt Joannes N. chirurgus, Christophorus Hackner, et alii vicini. IV Maji.

humerus immobilis,

66 Wolfgangus Mayr, Mongelhamensis, biennium dextrum humerum movere nequiit, voto ad D. Bennonem facto, convaluit. Testes nominavit omnes vicinos, XXII Maji.

apoplecticus,

67 Stephanus Aumayr Nozingensis, per integrum semestre decubuit, et velut apoplexia tactus movere se nequiit, etiam loquela XIV diebus destitutus, quin ad extrema deductus, sacram Synaxin sumere non potuit. Tandem D. Bennoni, qui ei in somnis visus fuerat, voto commendatus, e vestigio sospes evasit. Testati sunt Joannes Otto Parochus, et Michael Aumayr die ut supra.

telo in frontem infixo læsa,

68 Michael Sax Alemmonensis, cum una cum aliis ad metam arcu feriis Paschalibûs jacularetur, subito respicienti nervus, quem jam intenderat, impositam sagittam insperato excussit, in puellæ lusum forte spectantis frontem, tam alte autem penetraverat telum, ut tota vi vix evelli potuerit. In hoc insperato infortunio cum maxima animi anxietate, nequid puellæ secius accideret, profugi instar vitabundus diem elegit. Denique recordatus D. Bennonis, ejus patrocinium pro puellæ salute, cum voto Sacri et Communionis, ardenter invocavit. Quo facto, illa statim hebdomade puella convaluit. Testes citavit Sebastianum Schlieffel, Thomam Brach, Joannem Nicolaum N. XXV Maji.

cæca,

69 Anna Mayrin Savelensis, paulatim visu omnino orbata fuit. Cum vero D. Bennonis auxilium, (qui ei in somnis visus fuerat) pro avertenda cæcitate, promissa ad ejus aram peregrinatione et Sacro, ardenter implorasset ; oculis suis lucem denuo recuperavit, quam primum votum in templo D. Virginis persolvit. Testimonio suo hoc affirmarunt Leonardus Bueller, Joannes Knobel, vicini. XXX Junii.

epileptica,

70 Joannis Zollner Haimhusani filia Anna, XV annorum puella, integrum annum comitiali morbo laboravit : omnium primo eam in Kohenbergensi templo sub re divina atrox malum ita corripuerat, ut statim e vivis excessura videretur, ipseque concionator relicto suggestu morienti adfuturus accurreret.

reret. Pater in hac prolis suæ miseria pro ejus valetudine D. Bennoni Sacrum, et iter ad ejus aram vovit : exinde morbus filiam penitus deseruit. Testem nominat Michaelem N. Parochum et Joannem Hoekel et alios. 11 Octobris.

Anno MDCVIII.

paralyticus, 71 Perillustris et prænobilis D. Jacobus Andreas a Prandis, liber Baro in Leonburg et Vorss etc. præcedentium annorum aliquo, tanta subito in toto corpore, ob humorum intemperiem, ægritudine correptus fuit, ut aliquot dies veluti paralyticus, immobilis decubuerit. Postquam vero pro valetudine sua D. Bennoni votum nuncupavit, denuo sanitati restitutum est. Anno deinde MDCVI cum *caput dolens,* idem perillustris Dominus capite gravissime diu laboraret, et medicorum in arcendo morbo industria irrita esset; ad D. Bennonis patrocinium confugiens iterato voto, quod ipse præsens persolvit, convaluit. Sed D. Bennonis potens manus, quam Perillustris Dominus jam bis sibi sospitatricem expertus fuerat, Perillustri ejus conjugi etiam non defuit. Hæc anno *ex puerperio periclitans;* MDCVII, XXVI Augusti felici quidem, sed ita difficili usa fuerat puerperio, ut infantem vix editum raptim sacro fonte abluere oportuerit. Paulo post puerpera gravi ægritudine ad extrema ferme deducta fuit; quæ, cum omnes ne quid illi humanitus accideret, timerent, sacro jam Viatico muniri debuit. Prædictus Perillustris Dominus notum sibi D. Bennonis asylum petens, pro carissimæ conjugis salute donarium eidem ex voto promisit. Exaudiit etiam in hac *infantula moribunda, semel* calamitate Divus, et illam valere jussit. Secundum hæc ipsa etiam infans, Anna Christina, vix convalescente matre, in periculosum morbum incidit, qui illam sic brevi tempore afflixit, ut pro mortua ab omnibus jam haberetur, nullo amplius vitalis spiritus indicio animadverso. Anxius Dominus parens, prolem suam D. Bennoni edito voto commendavit, ejus mox sanitatem recuperavit, qui cum deinde subdubitaret, an palam faceret hanc voti sui causam, vel ea suppressa intra domesticos parietes, privata pietate Divo sospitatori satisfaceret, secundum consilium cepit. Exinde infans statim priore morbo correpta, et ab omnibus conclamata fuit. In quo amittendæ prolis periculo, Dominus parens illico propositum suum renovavit : et iterato voto, ad ma- *et iterum;* jorem D. Bennonis gloriam, patentibus litteris, suoque chirographo manifestaturum se factum ante in prole sua prodigium promisit. Quo facto, suus illico vigor infanti et optima valetudo rediit. Exstat de his D. Bennonis mirabilibus beneficiis, ipsius Illustris Domini de Prandis chirographum quo hæc omnia proprio testimonio confirmavit. Cæterum rei gestæ interfuerunt Prænobiles Joanna Jacoba nata a Lamberg, prædictæ Illustris puerperæ soror germana : Elisabetha Schelerin ab Herdorem nata a Prandis, et aliæ. VI Februarii.

herniosus, 72 Caspar Pissenger Altinosensis, triennio herniosus, tantos cruciatus sustinuit, de ulteriore vita desperaverit. Postquam vero D. Bennoni votum fecit, statim penitus sanus, dolores nullos amplius sensit. Testati sunt Leonardus Fell, Leonardus Riegen cum tota vicinia. XXI Martii.

pes ulcerosus, 73 Margareta Schmidin, in Aurolzmuster, ex aperto dextri pedis ulcere XIV diebus maximos dolores perpessa fuit, frustra medicaminibus sanandæ plagæ adhibitis. Tandem cum multa de S. Bennonis miraculis audisset, edito certarum precum voto, tota vita persolvendarum, cum anathemate, e vestigio convaluit. Testes citavit Leonardum Fregschlag chirurgum, Christophorum Brunpeck, Joannem Diespeck. XXIX Aprilis.

sinciput exesum, 74 Wolfgangi Lechner Veldmachingensis filiolus, fœdo herpete, ita correptus fuit, ut morbi hujus violentia sinciput eidem corroserit. Solliciti pro prolis suæ salute parentes, eam D. Bennoni commendarunt, legendo in ejus honorem Sacro et anathemate promissis. Qui rata habens vota, illico filiolo sanitatem reddidit. Rem testimonio suo confirmarunt Joannes Scharp, Wolfgangus Psiemel. XXX Aprilis.

EX GERM. IMPR.

fœda ulcera, 75 Margareta Stanhlin Frisingensis, fœdis ulceribus solidum biennium infecta fuit : a parentibus suis D. Bennoni voto in ejus honorem facto, pristinam sanitatem recepit. Testes fuerunt Wolfgangus Angerer, Simon Baur. IX Maji.

epilepsia, 76 Anna Marcklin Pollingensis, ultra XIV annos comitiali morbo correpta fuit, ut primum D. Bennoni tria Sacra legenda vovit, malo illo tentari desiit. Testem nominavit totam viciniam. Die ut supra.

pupillæ exesæ restaurantur. 77 Quatuor mensium infans, triduo post sacrum baptisma, cum ab avia sua lavaretur, visum derepente amiserat, et cum ejus oculi aperirentur, pupilla subito nulla apparuit, fœda sanie loco illarum promanante. Quæ res, quia multos ut insolita attonuit, avia in suspicionem depravati infantis venit : quæ famæ suæ metuens illico ad D. Bennonem confugit: promissoque in ejus honorem Sacro infanti pupillas, pupillis lucem recuperavit. Testati sunt cum ipsa avia Georgius Zeizel, Georgius Clas, omnes Estingenses VI Maji.

servatur ab equis raptatus ad mortem. 78 Simon Baur Iedensingensis, cum in colle quodam araret, ab equis in furorem actis per ingens agri spatium tractus, raptusque fuit, capite et toto corpore vulneribus pessime multatus. Tandem a vicinis equos inhibentibus domum delatus, triduo solido loquelæ impotens, intra mortis confinia jacuit : ubi vero ægri amici pro ejus salute D. Bennoni votum nuncuparunt, brevi reddito linguæ usu penitus convaluit. Dixere jurati una cum ipso Wolfgangus Angerer, Leonardus Ziegelmuller. XIII Maji.

et hausto veneno ulcerosus totus, 79 Wolfgangus Angerer Iedensingensis, cum nescio quod venenatum pertransiret, ingentes pustulas, quæ postmodum in ulcerosa foramina ad XL eruperunt, fœda et noxia sanie continuo fluentia, XVI hebdomadibus, orti exinde immanes cruciatus, numquam mitigati, tenuerunt. Tandem ægro desperata humana medela, D. Benno de nocte apparuit : hortatus, ut, si sanus esse vellet, sibi votum faceret, Monachiumque ad aram suam proficisceretur una cum uxore. Paruit ille lætus, et cum conjuge votum ex Divi præscripto persolvit, ex quo protinus sanitas ægro rediit. Testati sunt Simon Baur, Magnus Fregenckher, vicini.

ex grandine epilepticus, 80 Nicolai Unbach Argavensis, XVII annorum filius Andreas, in alpibus grandine obrutus ita obriguit, ut morbum exinde gravem et comitiali similem contraxerit, sæpe per solidum horæ spatium pro mortuo habitus : promisso in D. Bennonis honorem pro ejus salute Sacro, e vestigio convaluit. Præter parentem testes fuere Laurentius Hueter, Paulus Rapp vicini. XXVI Maji.

suscitatur mortuus, 81 Adami Fertel quatriennis filiolus Joannes, casu quodam in tergum retro humi allisus, duabus horis ut mortuus deplorabatur. Postquam vero mater paratum jam funebre linteum cum cereo D. Bennoni vovit, movere se denuo puer et vivere incepit. Testes fuere D. Leonardus Armuller Parochus et vicini omnes. XXII Maji.

sanatur, puer cæcutiens, 82 Joannis Kobel Hellensteinensis filiolus Georgius, dextro oculo ex glaucomate cæcutiens, promisso ex voto parentum in D. Bennonis honorem Sacro cum anathemate cereo; et ad ejus aram profectione, visum ex integro recepit. Rem testimonio confirmarunt loci ejus Parochus, et Stephanus Magerer, die ut supra.

A EX IMPR. GERM. *paralytici tres,*

83 Joannis Kirchpainer Lauchovensis uxor, et duo filii, integro biennio paralytici, sine ullo per integrum mensem corporum motu fuerunt. Postquam pater legendum in D. Bennonis honorem Sacrum vovit, mox omnes convaluerunt. Testati sunt Sixtus, et Caspar Stindel Lauchovenses. XXX Maji.

pedibus capta puella,

84 Elisabethæ Hellingerin Sturzhaimensis XV annorum filia Christina, XI annis a nativitate paralytica fuit, pedum officio omnino destituta, matri, cum diu unde proli suæ salutem recuperaret, a Deo precibus exquisivisset, D. Benno sub noctem visus est. Fecit illico Divo huic votum, et mane filia omnino sana surrexit: quæ statim una cum matre Monachium, Sospitatori suo satisfactura, petiit. Testes adfuerunt Joannes Neumayr, Joannes Hulbar vicini. XIV Junii.

et puer unus

85 Walburgæ Gewolfin Straubinganæ filiolus, integrum biennium lævo pedi insistere nequiit, a matre autem D. Bennoni argenteo anathemate commendatus usum pedis brevi recuperavit. Rem testimonio suo affirmarunt Georgius Wienner, Joannes Abensperger. XVIII Junii.

atque alter, B

86 Richildis Sechoverin Geisenfeldensis filiosus Georgius, solidum biennium morbo correptus, etiam aliquamdiu pedibus captus fuit Mater, frustra quæsitis apud homines pharmacis, ad D. Bennonem voto pro prolis sanitate confugit, utroque eam malo liberavit XXVII Junii.

ex lapsu contritus,

87 Georgius Mayr Hergezwysensis, superiore anno ex ceraso in caput et brachia in terram delapsus, vitaque periclitatus fuit: siquidem ita ejus corpus casus hic afflixerat, ut trium hebdomadum spatio ori manum admovere nequierit. Ubi vero D. Bennoni votum cum anathemate nuncupavit, paulo post valetudinem pristinam recuperavit. Rei fidem, Testibus Caspare Landtman, et Michaele Gayl, confirmavit. IV Julii.

quadriennium infirma;

88 Margaretæ Paumanin Adelzhusanæ proles, integro quinquennio ægrota, D. Bennonis ope, quam mater facto voto ardentissime invocarat, sanitati restituta fuit. Præter matrem rem testati sunt Michael Leder, et vicini omnes, V Julii.

verruca periculosa,

89 Annæ Gramonin Pfaffenhoviensi faciem ingens verruca propter oculum diu infestarat, magno periculo, ne ex illa humores noxii in oculum descenderent. Nuncupato postmodum D. Bennoni anathemate, verruca nullo ante medicamine penitus curabilis, momento, nullo sui vestigio relicto, abscessit. Testes fuere Adamus Gram, Joannes Reinhardt C Pfaffenhovienses, XVI Octobris.

Anno MDCIX.

restinguitur pestis toto pago,

90 Mense Decembris anni superioris pestifera lues domum quamdam, in pago Mausichensi, ita corripuerat, ut brevi tempore novem mortales sustulerit. Vicini ne latius serperet contagio veriti, peregrinationem ad D. Bennonis aram Monachium, ex communi sententia, una cum Parocho suo voverunt: quo facto momento intra limites suos constitit pestilentia; etiam puellam XVI annorum, contagiosæ domus incolam, invadere reverita.

sanatur pes ab equo contritus,

92 Reginæ Stalmaisterin, ante IV annos, equus impacta ungula dextrum pedem comminuerat. quæ cum plagæ suæ curationem parum procedere advertit, D. Bennoni pro sanitate recuperanda votum fecit, ejusque mox damnata convaluit. Testis fuit Nobilis Ursula Pfalin ab Haselbach, cum aliis fide dignis XV Junii.

gressu privata parvula,

93 Apolloniæ Dembhauserin Ingolstadiensis filia Anna, VII annos et semestre nata, V annis neque ingredi neque insistere pedibus valuit. Mater prolis salutem D. Bennoni edito voto commendavit, eique intra triduum pedum usum recuperavit. Rem mater hominum fide dignorum testimonio confirmavit. XXI Junii.

D *herniosus,*

94 Georgii Mayr civis Monachiensis, et ad S. Michaelem musici, sexennis filiolus Martinus, jam a prima infantia herniosus fuerat, adhibitis incassum pellendo malo plurimis remediis. Tandem pater D. Bennoni pro prole sua supplex legendum in ejus honorem Sacrum promisit. ex quo statim melius habere puer, et omnino convalescere cœpit. Testes dixit pater Christophorum Chumpft, et vicinos omnes. XXII Junii.

pes emortuus,

95 Apolloniæ Obermayrin ante triennium derepente ita alter pes intumuit, et occalluit, ut eo velut emortuo sentire desierit. Et licet humanæ opis ægræ nihil deesset, in irritum tamen omnia reciderunt; cum etiam abscindendum pedem esse non pauci metuerent. In hunc modum desperata pæne ab omnibus, promisso D. Bennoni legendo Sacro, intra triduum sanitatem pedis recepit. Rem ut veram homines fide digni affirmarunt. XI Julii.

pedibus male affecta,

96 Catharina Luzin, Perwa oriunda, XVI annorum puella, totum triennium acerbissimos dolores in pedibus sustinuit, remedio nullo apud homines mitigandis cruciatibus invento. In qua calamitate puella mater Ursula, pro filia sua D. Bennoni anathema vovit, ex quo ægra paulatim a morbo derelicta fuit. Oculati testes fuere vicini omnes. Cæterum rem ut gesta est, audierunt referri Joannes Gallus, et Andreas Hulber. XVI Julii. E

herniosus,

97 Joannis Gerbel Ehingensis filia Anna, Viennæ in Austria habitans, infantem herniosum ediderat, quem ubi mater D. Bennoni promisso Sacro commendavit, mox sanum esse animadvertit. Dixit hoc juratus ipse Joannes Gerbel, puerperæ pater. Kalendis Augusti.

epilepticus,

98 Joannes Schon, Underknoringensis, ante biennium comitiali morbo correptus, quinquies variis temporibus ac locis horrendo et inaudito modo ab atrocissimo hoc malo invasus fuit. In tanta calamitate cum de humana ope desperasset, ad cœlestes confugit: quem in finem pro anathematis V vitreas laternas variis in templis, inter quas pulcherrimam optimamque D. Bennoni, legavit. Exinde cum diu cessante morbo adhuc de valetudinis suæ constantia dubitaret, precibus enixe Divinæ clementiæ supplicavit, ut eam sibi stabilem perpetuamque redderet. Quare octiduo ante D. Michaelis festum, mira illi sub noctem et Angelica species apparuit, suadens, ut, si firmam sanitati suæ stabilitatem ex animo optaret, Monachium ad D. Bennonem proficisceretur. Quod visum e somno expergefactus mox aliis F retulit, viamque Monachium versus voti causa arripuit, quod etiam ibi sumpta sacra Synaxi persolvit; haud dubia spe, valetudini suæ, quæ abhinc anno jam infestari comitiali morbo desiit, fidem constaturam. Testem dixit totam viciniam. X Septembris.

pede laborans,

99 Martinus Horl Riedensis, per integrum semestre incredibiles cruciatus in dextro pede infra genu perpessus fuit. Et quamvis medicaminum nihil deesse sibi passus fuerit, frustra tamen omnia fuere. Sub noctem venit ei in mentem D. Benno; cui statim profectionem ad ejus aram Monachium cum anathemate vovit, et intra dierum decadem convaluit. Testata fuit tota vicinia. XV Novembris.

Anno MDCX.

moribunda,

100 Ursula N. Georgii Storckzeiselmaurensis (qui locus Austriæ non procul Vienna est) affinis, ab omnibus conclamata, triduum in extremis jacuit non nisi immisso per avenæ culmum liquore refocillanda. Prædictus Georgius Storck, D. Bennonis memor, pro decumbente Sacrum in ejus honorem legendum promisit: quæ eadem adhuc nocte sanitati restituta est. Testem nominavit hic præsens Georgius Storck, totam viciniam. VIII Maji.

hemiplectica,

101 Elisabeta Mauselin, Winnigensis, solidum sexennium

A sexennium in sinistro corporis latere a pede usque ad humerum acerrimos cruciatus, adhibitis nequidquam medicamentis, exhausit, nec die nec nocte intermittente dolore. Tandem illi D. Benno, cujus opem promisso Sacro imploraverat, sanitatem reddidit. XIII Maji.

puer vitri fragmine suffocandus,

102 Sabina Hulberin Abperckensis, XVIII Aprilis, infantem suum, nondum unius anni, solum in cunis reliquerat, huic alius triennio acutam speculi crustulam in manus dederat, quam illico ori insertam absorpsit, et circa mediam horam in faucibus retinuit. Ex quo infans, intercluso pæne spiritu, mox præfocandus videbatur. Mater subito malo perterrita, vicinæ suæ Ursulæ Trinckgeltin opem inclamavit. Cum qua mox accurrente, D. Bennonis auxilium, promisso ex voto Sacro invocavit. Quo facto infans statim vitrum ex ore egessit, sanusque permansit. XXI Maji.

103 Georgius Mader, chirurgus Mulhusanus, feriis Natalitiis ita apoplexia correptus fuit, ut, quoties illum hoc malum exercuit, circa mediam diem loquelæ expers fuerit, immo aliquando duas ferme dies, et binas noctes fandi impotens exegerit. Secundum hæc pro valetudine sua D. Bennoni supplex, B ejus aram se invisurum vovit. Qui eum tam firmumque sospitemque, pulso ferali morbo, reddidit, ut decem horis XII milliaria voti causa Monachium decurrerit. Testes adhibuit Joannem Mayr, et Georgium Hulber, XXX Maji.

ex doloribus incurvus,

104 Georgius Turing Vochburgensis, solidum biennium magnos cruciatus in tergo, lumbis, et dextro pede sustinuit, ita ut velut gibbosus incurvato corpore incedere debuerit : desperata igitur hominum medela, valetudinem suam D. Bennoni cereo anathemate commendavit, votique mox sanus se damnatum sensit. Testes nominavit vicinos omnes. Die ut supra.

brachio debilis,

105 Georgius Purckel toto biennio altero brachio maximis cum doloribus laboravit, inani medentium conatu. Die quodam ei D. Benno apparuit, cui mox legendum Sacrum cum cereo anathemate vovit, et brevi brachii sui usum recepit. Testati sunt Georgius et Joannes Turinger fratres. Prid. Kal. Junii.

sacro igne correptus,

106 Agathæ Mozin civis Monachiensis filius Ludovicus, XVIII annorum adolescens, integrum sexennium sacro igne correptus fuit, maximis doloribus excruciatus ; manibusque follis in modum intumescens. Pro hujus sanitate mater ante biennium facto C voto apud D. Bennonem intercessit, eique, mox quod petierat, impetravit. VII Junii.

caput dolens,

107 Apollonia Hazelpastetin Vilbachensis, integro anno maximos capitis dolores toleravit : promisso autem D. Bennoni anathemate, convaluit. Testes citavit Manhardum Ziegler, Apolloniam Budlhoferin X Junii.

oppressus ab equo,

108 Georgius Schweller Fridburgensis, ante biennium die S. Magdalenæ sacro, ab equo humi collapso oppressus, circa mediam horam sub hoc onere vita periclitatus jacuit. In hoc casu D. Bennonis memor, peregrinationem ad ejus aram cum donario vovit, et mox incolumis ab equo liberatus surrexit. Testes fuere Christophorus Strohulbar, Bartholomæus Schonberger, Strafwalenses ex Diœcesi Salisburgensi. XI Junii.

epilepticus,

109 Bartholomæus Schonberger Straswalensis, ex Diœcesi Salisburgensi, solidum quadriennium morbo comitiali non multum absimili laboravit : qui et ipse, non invento apud homines mali remedio, D. Bennonis ope, cui peregrinationem ad suam aram voverat valetudinem recepit. Testati sunt Christophorus Strohulber Straswalensis, et Georgius Schweller Fridburgensis. Die ut supra.

EX IMPR. GERM. mamilla putrescens,

110 Elisabetha Stoklin Monachiensis, diu altera D mamilla laboravit, ratusque esse gangrænam medicus, desperare de recuperanda valetudine jussit. Illa vero dolorum impatiens, D. Bennoni cereum anathema ex voto nuncupavit : quo facto disruptum noxium ulcus una cum sanie dolores omnes evomuit, et ægræ sanitatem reddidit. Hæc de se referentem audierunt, Rex. D. Georgius Stalhalber Capellanus in Haudhausen, Joannes Grasser, Joannes Gallus N. XV Junii.

lapsu afflictus,

111 Stephanus Dischinger, faber lignarius Augiensis, dum opus faciebat, ex alto prolapsus, ita corpus humi afflixerat, ut actum esse de ejus vita medici et chirurgi asseverarent. Uxor pro marito suo ad D. Bennonem conversa, legendum in ejus honorem Sacrum vovit, et eidem intra breve tempus sanitatem recuperavit. Testes rei nominavit D. Joannem Stalhulber, qui Sacrum legit, Franciscum Praitenaicher, Sebastianum Hosman. XXII Augusti.

oculo laborantes duo,

112 Annæ Reuterin Pulavensis filiolus Joannes, circa medium annum altero oculo maximo cæcitatis discrimine laboravit, diuque ac noctu octo dies præ doloris acrimonia flebili ejulatu exegit. Postquam vero parentes pro prole sua ad D. Bennonem votum E fecerunt, malum brevi post evanuit. Testati sunt Leonardus Denkacke, Joannes Forster vicini ! die ut supra.

113 Wolffgangus Schober Hohenwartensis, solidum biennium cum maximo dolore oculis laboravit : ubi D. Bennoni votum nuncupavit, cruciatu omni liberatus est. XXVIII Augusti.

una igne sacro exesa,

114 Otilia Horlin Oezenhusana, ante biennium igni sacro correpta fuerat, grandesque pustulas in facie contraxerat, quæ illi tam acres dolores crearunt, ut quietem toto octiduo capere nequierit. Aperire illa pustulas sæpius in animo habuit, semper a familiaribus prohibita, ne visum omnino amitteret metuentibus. In tam acerbis cruciatibus inclamata frequenter cœlesti ope, D. Benno ægrotæ apparuit ; ut sibi Monachii ad aram suam Sacrum fieri curaret, sumptumque ad id mendicantis in modum corrogaret. Hoc viso lætæ visum est, majus fore Deo obsequium, si propria liberalitate et sua pecunia votum persolveret. Hæc animo volenti Divus Benno rursus adfuit, monentis specie ne consilium suum aspernaretur : quo avide mox arrepto, intra paucos dies et dolor et pustulæ evanuerunt.

ejusque filia scabiosa,

115 Prædictæ Otiliæ duodecennis filia Barbara, diu scabiosum caput circumtulit, plerisque porrigine infectam esse opinantibus : confugit mater F iterum ad D. Bennonis clementiam, eique pro prole sua cereum anathema vovit. Qui mox ratas habens preces, filiam intra octiduum a scabie omni purgavit : utrumque votum mater XI Sept. persolvit. Rei gestæ testimonia vicini omnes, si exigeretur, darent.

pedibus capta,

116 Casparis Weinhart Staingrissensis filiola Elisabetha, toto triennio pedibus capta repere tantum manibus genibusque ab uno loco ad alium solebat. A parentibus nuncupato in D. Bennonis honorem Sacro cum anathemate, de die in diem, melius habuit, dum tandem omnino pedibus ingredi potuit. Testes citavit pater Georgium Weinhart, et Michaelem Widman. XIII Septembris.

moribunda,

117 Mariæ Kolbin, Niderhoffensis XVIII annorum filia Anna, diu graviter decubuit XXIV horis loquelæ impotens. Territi hac calamitate parentes pro prole sua, D. Bennoni legendum Sacrum cum anathemate et donario voverunt. Exinde mitigato paulatim morbo, filia et loquelam et valetudinem recepit. Votum hoc cum peregrinatione mater et filia una cum Caspare Winen Chirurgo peregerunt. XXV Septembris.

118

EX IMPR. GERM.

brachio læsa,

118 Anna Wumerin Landishutana vidua, ante sexennium gravi casu humi collapsa, dextrum brachium læserat, in quo mox ingentes dolores persensit; qui ita paulatim invaluerunt, ut per solidum quadriennium dextram capiti imponere nequierit. In hac calamitate vicini non pauci illius miserti, auctores fuerunt, ut pro brachii sui sanitate D. Bennoni Sacrum et anathema voveret: quibus cum ægra paruisset, cessante brevi omni cruciatu, dextræ usum recuperavit. Testem dixit totam civitatem Landishutanam. XXVII Septembris.

servantur tres pueri aquis mersi,

119 XI Octobris Christophorus Scharbel Feldgedingensis, D. Bennoni Monachii pro sequenti beneficio gratias egit. Cum prædictus Christophorus Scharbel cum fœni plaustro, cui tres liberos, septennem unum Michaelem nomine, alterum IX annorum Sebastianum, et XIII annorum puellam Barbaram imposuerat, domum peteret; vado transire cum plaustro flumen, collapso tunc temporis ponte, debuit. Dum vehitur per undas, subito exortus turbo currum evertit, et liberos omnes fluvio mersit, quos ad CCC passus sub aquis nantes exerere subinde capita, præter filiam, quam jam periisse rebatur, conspicatus pater; ad alterum vadum prævenit, ut illuc appulsos extraheret. Inter hæc D. Bennonis memor, votum eidem pro liberorum vita fecit. Quo peracto, vidit a longe filium natu minimum Michaelem, arrepto cespite ex aqua se evolventem, unaque fratrem et sororem ex alveo extrahentem: qui omnes, haud dubia D. Bennonis ope, incolumes in siccum evaserunt. Testati sunt Sebastianus Scelmayr, Martinus Marckel.

sanatur genu ex lapsu inflatum,

120 Catharinæ Zeterpeurin Wasserburgensi, octodecenni puellæ, casu quodam humi afflictæ, genu capitis magnitudine intumuit. Magnos exinde passa dolores frustra medentium artem fatigavit; cum omnes ad ultimum de curatione desperantes abscindendum pedem asseverarent, ægra ad VI hebdomades pedibus insistere minime valens, ad hæc omnia toto corpore acerrimos cruciatus perpetiebatur: quare ad D. Bennonem, ab hominibus conclamata, confugit, et in ejus honorem legendum Sacrum cum donario promisit. Exinde mitigatis paulatim doloribus, tumoreque subsidente convaluit: votum suum una cum matre persolvit. XVIII Octobris.

manus ac pedes tumefacti,

121 Joannis Stubenbeck civis Monachiensis filius, XXVII annos natus, integrum biennium manibus pedibusque ita tumefactis fuit, ut nullum in his movere articulum potuerit. In tam diuturno morbo mater die quodam pro filii sanitate, in D. Bennonis honorem legendum Sacrum se curaturam, sumpturamque sacram Synaxin vovit. Post hoc votum illico decrevit tumor, paulatimque evanuit. Sospitatori satisfecerunt juvenis parentes, Casper Gabler, Joannes Rumpel cives Monachienses. XXII Octobris.

dolor totius corporis

122 Wolfgangus Zehetmayer Dagelsingensis octogenarius, XII annis maximis totius corporis doloribus conflictatus, postquam D. Bennoni solenne officium decantandum vovit, cruciatu omni liberatus fuit. Testes citavit Adm. Rev. D. M. Mayr. Parochum in Vering, qui officium decantavit, Bernardum Megerel Cantorem, Abrahamum Wisreutter Organœdum. XVIII Novembris.

Anno MDCXI.

scabiosa manus,

123 Michael Reumayr Zezeckhoffensis, ad XIII annos scabiosam manum habuit, nullo apud chirurgos pellendo malo medicamine invento. Cum eadem lues etiam alteram manum invasisset, veritus, ne quid deterius ex hoc sequeretur, in D. Bennonis honorem Sacrum legi curavit. Quo peracto brevi mundam manum recepit. Audiere hæc referentem Jacobus Mang Beneficiatus, ad B. Virginem, Georgius Weyer Subcustos ad S. Bennonem. X Febr.

artritica una

124 Joannis Lochner Geissenbrunnensis, XIX annorum filia Anna, VIII annos articulari morbo laboravit. Pro hujus valetudine pater D. Bennoni cereum anathema, et annuam quoad viveret ad ejus aram peregrinationem vovit: exinde mox melius habens, filia toto corpore convaluit. Testes fuere Joannes Neumayr, et Joannes Frid. Kal. Aprilis.

et altera,

125 Ursula Rhorlin, ante triennium articulari morbo correpta, X hebdomadibus pedibus incedere nequivit. Apparuit sic calamitosæ D. Benno, et ut se voto sibi pro valetudine obstringeret, Sacrumque in honorem suum fieri curaret, imperavit Illa læta alioquin hoc visu, ubinam S. Benno coleretur, ignorabat: quod ubi rescivit illico paruit Divo, et sanitatem recuperavit. Testatus est Georgius Iager, qui illam Monachium adduxit. Res relata est præsentibus Adm. Rev. M. Joanne Haselbeck, et Georgio Weyer Subcustode S. Bennonis. VII Aprilis.

tertia, etiam, muta.

126 Christophori Kolbinger Haidhusani tredecennis filia Margareta, præteritis feriis Natalitiis articulari morbo occupata fuerat, quo malo cum denuo liberata fuisset, subito loquelam amisit, rei causa latente omnes. Pater D. Bennoni edito voto, filiæ salutem commendavit, quæ mox loquelam recepit. Narranti hæc parenti adfuere Rev. P. Spizer, et Georgius Faustner. X Aprilis.

cæca,

127 Anna Gretterin Vottingensis integrum mensem oculis laboravit, visumque omnino amisit. Ut primum D. Bennoni Sacrum vovit, diem pupillis recuperavit, die ut supra.

paralytica,

128 Joannis Aman Grunwaldensis uxor Elisabetha, ante sexennium in puerperio nescio a quo perterrefacta, omnibus artibus paralytica evasit: bienno etiam ab hoc terrore deliravit. Postquam vero sanæ mentis denuo compos fuit, die Pentecostes ei D. Benno apparuit, Pontificio habitu splendidus, præcipiens ut Monachii in honorem suum Sacrum fieri curaret: cui mandato cum illico paruisset, brevi convaluit.

cæcus,

129 Idem Joannes Aman, filium genuit quinquennio cæcum, qui D. Bennoni nuncupato a patre anathemate commendatus, mox cæcutire desiit. Relatione utriusque prodigii interfuerunt Adm. Rev. P. Richardus Petenbeck Canonicus ad B. Virginis, Georgius Weyer Subcustos S. Bennonis, Joannes Gallus, Georgius Faustner. Die ut supra.

altero pede captus,

130 Antonius Widman, musicus Aulicus, feriis Paschalibus subito altero pede captus, incedere nequibat. Quo malo illum D. Benno, cui Sacrum sumptu ad id mendicato colligendo voverat, mox liberavit. Testati sunt Antonius Bullasi, et Joannes Hailgemayr aulici itidem musici: XVII Aprilis.

paralyticus

131 Joannes Angermuller Ingolstadiensis ex . . . . ante semestre ita paralysin contraxerat, ut XXI. hebdomades ingredi pedibus nequiverit. Cum itaque decumberet lecto, in somnum lapsus somniavit, se Monachii flexis genibus ad D. Bennonis aram preces fundere, iisque finitis domum pedibus redire. Cum evigilasset, civis cujusdam filiam, quæ ægro inserviebat, ad se vocavit. Hinc experturus an vera somniasset, se e lecto allevare jussit: quo facto in sistens pedibus medium mox cubiculum perambulare potuit, meliusque deinde quotidie habens, morbo omnino liberatus est. Testis fuit Adm. Rev. P. Jacobus Waizenberger S. Theol. Doctor, Parochus in Wembding, die ut supra.

surdus,

132 Michael Aechtler Staingadensis, superiore anno in balneo subito auditum amiserat, ita ut neque sclopetorum neque æris campani sonitum perciperet. In hoc tam funesto casu D. Bennoni Sacrum et anathema nuncupavit, qui illi aurium usum mox restituit. Rem testimonio suo confirmavit Reverendissimus D. Georgius Abbas, et Venerabilis Conventus Staingadensis:

gadensis: Itidem Joannes Weinhart chirurgus. xxviii Aprilis.

moribunda,

133 Matthæi Engelmayr Neustattensis conjux Anna, superiore anno ita gravi morbo decubuit, ut decem dies loquelæ expers vixerit. Ut primum ejus maritus D. Bennoni Sacrum et iv florenorum anathema vovit, convaluit. Testes fuerunt Joannis Vischer et Casper Mayr. v Maji.

pleuritica,

134 Maria Wurnhorin Dillingana, ante quadriennium diu dextro latere maximis cum doloribus laboravit. Vovit D. Bennoni ad ejus aram peregrinationem, et peracto voto infestari cruciatu lateris desiit. Narranti adfuere Georgius Weyer, Joannes Gallus, Michael Dorffschmid. x Maji.

pene insana ex luctu,

135 Apolloniæ Wildpoekin Khimerzhoffensis maritus, mane sanus valensque lignatum in silvam exiens, in via subita morte obreptus decessit: quo nuntio accepto illa adeo luctu exanimata est, ut paulo post puerpera haud procul abfuerit, quin sana ratione destitueretur. Amici jam pæne insanienti auctores fuerunt, ut D. Bennoni se voto commendaret, quo peracto, cum etiam se rem in commentarios referendam curaturam recepisset, paulo post melius habuit. Idem testatus est ejus vicinus Vitus Wanner. Relationem audiverunt Georgius Weyer Subcustcs, et Joannes Gallus. xii Maji.

herniosus,

136 Georgius Keller Eyssenspergensis, xvii annis maximis cum cruciatibus herniosus fuit. Ante quinquennium D. Bennoni cereum anathema, sumptu in id mendicato corrogando, et annuum donarium quoad viveret, vovit. Exinde cedente paulatim malo, jam a biennio dolores penitus sanus sentit nullos. Id de se narrantem audivere Rev. D. Balthasar Zwick et Georgius Weyer Custos. Die ut supra.

Paralyticus et furiosus,

137 Petrus Ruesfasis Sarnenss, die S. Jacobo sacro subito paralyticus, insequente festo D. Michaelis mente omnino captus est: et licet antea movere se nequierit, præ insania tamen ita furebat, ut omnes a se abigeret. Interea ejus uxori D. Benno apparuit, quo illa viso, læta extemplo, eidem pro viro suo Sacrum vovit: qui intra duas horas sana iterum ratione donatus fuit. Hoc testati sunt duo vicini Wiliwaldus Scheringer, et Joannes Prunaver. xxiii Maji.

brachiis debilis,

138 Apolonia Kainin, ultra quinquennium incredibili cum dolore utroque brachio laboravit; tandemque malum sic invaluit, ut induere sola vestimenta nequierit. In hac miseria geminum D. Bennoni Sacrum vovit, et convaluit. Rem retulit ipsa Joanni Gallo, Georgio Weyer Subcustodi. Die ut supra.

scabiosus,

139 Georgius Fottner Kiebachensis, puerum quem jam Michaelem Schumpff ab infantia domi suæ educaverat, duodecennem autem fœda scabies invaserat, quæ illum totum biennio magis magisque semper exercuit. Prædictus Fottner tandem pueri salutem D. Bennoni Sacro et cereo anathemate, sumptu ad id mendicantis in morem corrogando, commendavit. Ab illo tempore puerum morbus deseruit. Dixit hæc audientibus Jacobo Schiesl, Leonardo Schedl, Georgio Weyer Subcustode, Joanne Gallo. xxv Maji.

caput dolens,

140 Georgius Stain Michelavensis, integro mense maximis cum cruciatibus capite laboravit: ut primum D. Bennoni cereum anathema vovit, convaluit. Relationi interfuere Georgius Schwaiger, Joannes Gallus Subcustos D. Bennonis.

somni diu expers,

141 Catharina Haiderin solido anno somni expers vixit: per quod tempus ei D. Benno in mentem venit. Cui cum legendum Sacrum vovisset, somnus demum rediit. Dixit hoc præsentibus Joanne Gallo, et Michaele Dorffschmid Æditiune. Die ut supra.

EX IVPR GERM. scabiosa

142 Georgii Keckerel Dalhusani xiv annorum filia Maria, diu furfuroso capite fuit, metuentibus cunctis, puellam fœda porrigine infectam esse. Postquam autem pater pro filia nuncupato ex voto anathemate D. Bennoni supplicavit, a fœda scabie brevi mundata fuit. Die eodem narrata est res, audientibus Jacobo Sturmb, Martino Asam, Joanne Gallo, et Georgio Faussner.

surdus,

143 Joannes Simmer Ellenbergensis, multis hebdomadibus auribus captus fuit, D. Bennoni autem cereum anathema pollicitus illarum usum recepit. Audiere narrantem Christophorus Simer Ellenbergensis, Joannes Gallus Subcustos, et Georgius Faussner. Die ut supra.

cæcutiens,

144 Ursula Maschlin Deisenhaimensis, ante quadriennium male oculata fuit, adeo, ut dignoscere homines non amplius potuerit. In summo cæcitatis discrimine D. Bennonis memor, peregrinationem ad ejus aram Monachium vovit, qui ei paulo post priorem visus claritatem reddidit. Testes nominavit Sebastianum Reitler, Casparem Hulbec vicinos.

venenato dente læsus,

145 Baltasar Kegelsperger Kegelspergensis ante iii hebdomades venenatam mustelam, quam non noverat, cepit; a cujus pestifero morsu ita toto corpore intumuit, ut ab omnibus conclamatus circa mediam horam mortuus haberetur. In hoc vitæ discrimine uxor maritum suum, nuncupato ex voto Sacro, et peregrinatione ad ejus aram, D. Bennoni commendavit. Exinde resedit paulatim tumor, et ille convaluit. Relationi interfuere Joannes Gallus Subcustos, et Georgius Pall xii Junii.

manibus et oculis ægræ sorores,

146 Margareta Scheierlin civis Monachiensis duas filias habuit, quarum prima Anna nomine ix annorum ultra biennium manibus intumuit, sacro igne correptam multi rebantur; altera Margareta xi annorum male oculata integro biennio fuit, utraque apud homines incurabilis. Quare mater ad Cœlites confugiens, pro suis filiabus D. Bennoni Sacrum et anathema geminum promisit: et utraque sine ulla medicina sanitatem impetravit. Dixit hæc mater, præsentibus Rev. D. Joanne Halhulber, qui Sacrum legit, Joanne Gallo, et Caspare Schonaver xv Junii.

plaga pedis incurabilis, unus,

147 Joannes Witmayr Rehlinensis, xxv annis ex aperta pedis plaga maximis cum doloribus decubuit, nihil humanæ medelæ intermittens; omnia tamen frustra. Secundum hæc ante semestre D. Bennonis auxilium promisso anathemate imploravit: post hoc votum e vestigio melius habuit, pes et intra octiduum plaga coaluit sine ullo medicamine. Affuere hæc narranti Rev. D. Georgius Fischer Beneficiatus ad D. Petrum, Caspar Schonaver. xxviii Junii.

et alter,

148 Anna Walschin Underveringensis, xx annis eodem modo pede laboravit; incassum curatione plagæ adhibita, cum omnes incurabilem dicerent. In tam diuturna calamitate D. Bennoni Sacrum et anathema vovit, brevique sine ulla humana ope se sanam intellexit. Res relata est Rev. D. Balthasari Lehner Beneficiato, et Joanni Gallo Subcustodi vi Julii.

[illegible]

149 Sigismundus Seyfrid, Canonicus Preslaviensis, cum Ingolstadii studiis vacaret anno mdcx, xx Augusti decumbere cœpit, morbo mox accessit Hungarica febris una cum phthisi, naribus etiam sanguine continuo fluentibus: posthæc etiam pedibus diu intumuit, insomnesque noctes longo tempore transegit, tandem etiam articulari morbo correptus loco movere se non potuit ad tres menses: ad ultimum pleuritis, tabes, lagonoponus, uno agmine invadentes, ita ægrum macerarunt, ut spirans cadaver videretur. Qui tot gravibus morbis infestatus, ad D. Bennonem, nuncupato eidem Sacro et anathemate, confugit: quo voto edito e vestigio convaluit. vii Julii.

EX IN PR. GERM pedes rescindendi,

150 Lucia Klingenbergerin Ranzhofensis, xvii annis ex apertis pedum plagis decubuit, frustraque factis medicaminum causa plurimis expensis, de abscindendis pedibus sæpius consilium inibat. Inter hæc Sacerdotem quemdam, multa de D. Bennonis miraculis, quæ Monachii quotidie in morbidos ederet, narrantem audivit. Cepit illico magnam ad hunc D. fiduciam ægra, seque in ejus honorem Sacrum legi curaturam, ejusque aram Monachii invisuram vovit : quod votum cum persolvisset, statim melius habere pedes, et coire plagæ cœperunt. Relationi interfuere Rev. D. Balthasar Zwick, Melchior Miller, Joannes Gallo et alii. xvi Augusti.

ad mortem ægra,

151 Nobilis et Religiosa D. Catharina, de et in Schwanau nata Maschwanderin, Parthenonis Imbachensis in Austria Prior, letaliter decumbens, peregrinationem ad D. Bennonis aram cum donario vovit : qui illi mox pristinam valetudinem reddidit.

graviter læsus in capite, unus

152 Dicti parthenonis famulus et procurator Stephanus Schwabaur pedibus ab inimicis ex equo deturbatus, et in capite vulneratus, aliquot diebus vitæ dubius jacuit. Cujus salutem postquam prædicta Rel : D. Catharina, eodem, quod pro se nuncuparat, voto commendavit; convaluit, qui et pro se et pro illa xxv Augusti Sospitatori suo satisfecit Monachii.

et alter.

153 Wolffgangus Hulber Westhusanus, die S. Udalrico sacro, ab aliquo in nuptiis saxo ictus, tribus horis sanguine fluxit; et duabus horis sui non compos, ab omnibus pro mortuo habebatur. Ut primum autem ad se rediit, anathema D. Bennoni ex voto promisit : qui illum mox reddita valetudine exaudiit. xxx Octobris.

phreneticus item unus

154 Wolffangus Alzinger Grassavensis, subito phreneticus mente captus fuit, et ingentes xii hebdomadibus capitis cruciatus sustinuit. Cum alii propterea ariolos consulere vellent, id ille minime ferens, spes suas omnes in Divina clementia posuit. Die quodam in horto suo propter rivum ambulanti D. Benno apparuit, illa Specie, qua Monachii colentibus repræsentatur; et si sanus esse optaret, sibi Sacrum fieri curaret, suasit. Quod cum ille se facturum recepisset, de die in diem melius habuit. Differre autem voti solutionem in futurum ver statuit, priori mox insania et amentia exagitatus : ut primum vero resipiscens voto se exsolvere decrevit, malo atroci liberatus est. Testes dixit vicinos omnes xviii Novembris.

et alter,

155 Joannes Praun, ultra annum phreneticus, integrum mensem in catenis fuit, D. Bennoni a vicinis et amicis promisso Sacro et anathemate commendatus, a phrenesi relictus est. Testati sunt Martinus Ermayr, et Leonardus Abelzauser, vicini. xiii Decembris.

Anno MDCXII.

item mater cum prole,

156 Joannis Geltinger Langenpreisingensis uxor, phanatico quodam terrore lymphata, mente mota fuerat, quod malum etiam lactens infans a matre traxit, qui præ furore retineri in cunis non amplius poterat. Pater gemina hac calamitate ictus, D. Bennoni, nuncupato ex voto Sacro et anathemate, supplicavit : et illis mox sanam mentem recuperavit. Testes fuere Georgius Ehman, Joannes Haelber, vicini. v Januarii.

herniosus,

157 Joannis Pardiesser, trimulus infans, biennio herniosus fuit, magnos exinde dolores perpessus. Postquam parentes pro prole sua D. Bennoni votum fecerunt, eadem nocte puellus convaluit. Relationi interfuerunt Rev. et Rel. D. Paulus Grunwaedt, Balthasar Lechner Beneficiatus ad D. Virginis. x Martii. Joannis Mayr Zechenbrunnensis ix annorum filius, proximo autumno totum triduum epilepsia ita exercitus fuit, ut ab omnibus pro mortuo haberetur. Parentes pro prolis valetudine anxii, edito pro hac voto apud D. Bennonem intercesserunt, morbumque omnem a filio mox depulerunt. Testati sunt Joannes Dasse, et Christianus Eysenman, vicini. vii Martii.

epileptica,

et epileptici duo,

158 Sebastianum Winter Porenbachensem, superiore anno sedecies epilepsia exercuit, qui morbus aliquando eum 34. horis aurium usu spoliaverat dolens ægri vicem Caspar Winter ejus frater D. Bennoni Sacrum et cereum anathema vovit, quo facto mox fratrem suum morbo liberavit. Testes fuere Caspar Winter. Matthæus Kapp vicini. x. Aprilis. Casparem Stoekl ter epilepsia correptum, ejus uxor D. Bennoni nuncupato Sacro commendavit, quem illico morbus reliquit. ii Maji.

herniosus.

159 Martini Samb Eschenlachensis decennis filius Casper, cum hernia natus erat. Pro hoc parens D. Bennoni Sacrum cum donario ex voto nuncupavit. Quare delatum Monachium puerum, peracto Sacrificio, Tobiæ Geiger chirurgo sectionis causa traditurus, mali vestigium amplius haud ullum reperit. Testis fuit Tobias Geiger chirurgus, et vicinia. viii Maji.

cardiacus,

160 Joannes Zela Dillinganus ante triennium cardiaca graviter decubuit, siquidem præcordia grandibus foraminibus hiantia nulla curatione coibant. In tam periculoso morbo D. Bennoni Sacrum et anathema vovit : quo facto illico plagæ sine ullo medicamine coaluerunt. Rem referri audierunt Rev. D. Paulus Grienwaed, et Georgius Faussner. xxii Maji.

graviter audiens,

161 M. Michael Copp, priore anno gravi morbo implicitus, de amittendo auditu periclitabatur. In hoc rerum articulo D. Bennonis opem, promisso Sacro et anathemate, inclamavit, et e vestigio pristinæ sanitati restitutus est. Res narrata est præsentibus Rev. et Rel. D. Balthasare Leckner Beneficiato, et Joanne Gallo Subcustode. xxvi Maji.

herniosus,

162 Joannis Jais Derchingensis filius ix annorum puer Georgius, triennio herniosus fuit. Adhibitis medicaminibus cunctis in irritum recidentibus, suasum patri fuit, filium D. Bennonis patrocinio committere. Cui consilio cum ille, promisso Divo Sacro cum donario, statim paruisset, ramex evanuit. Testes dixit pater Georgium Mantel, Leonardum Wagner vicinos. xvi Junii.

163 Annæ Ainspackensis duodecennis filius Joannes, quadriennio claudus fuit : postquam autem mater pro illo D. Bennoni votum fecit, paullatim pedum officium recepit. Relationi interfuere D. Paulus Grienwaed, et Georgius Faussner. xxii Junii.

epilepticus,

164 Georgius Clas Derchingensis, integrum biennium comitiali morbo laboravit. Ut primum D. Bennonis aram se tribus annis invisurum, singulis vicibus cum anathemate vovit; agitari illo malo desiit. Referenti id de se adfuere Michael Dorffschmid æditaus, Caspar Schonaver, Georgius Faussner. Die ut supra.

infans adustus,

165 Wolffgandi Stainer Niderstroensis unius anni infans, in calefactam ollam inciderat, ex quo gravem morbum contraxit. Parentes D. Bennoni tantum ceræ, quantam infans pondere suo adæquaret, voverunt. Exinde prolem morbus extemplo deseruit. Retulit hæc pater Thomæ Niclas Chirurgo Inningensi, Christophoro Weber Lochkirchensi, Joanni Gallo Custodi etc. Die ut supra.

cardiacus,

166 Wolffgangus Marckel Heinckhusanus xiv annis cardiaca laboravit. Postquam vero proxima Quadragesima peregrinationem ad D. Bennonis aram cum anathemate ex voto promisit, illico melius habuit. Dixit hoc audientibus Rev. et Rel. D. Balthasare Leckner Beneficiato, et Caspare Schonaver. Itidem xxii Junii.

D

brachiis captus et oculis,

167 Catharinæ Brantlin Landishutanæ filius, xvii annorum adolescens, utroque brachio præterita Quadragesima captus, chirurgis et medicis incurabilis evasit : insuper ultra mensem cæcus, oculorum usu caruit. Mater D. Bennonis memor, pro filii salute D. Bennoni Sacrum et peregrinationem cum anathemate vovit, ex quo puer utroque malo liberatus est. Id referenti adfuere. Rev. M. Joachimus Schoffselmayr, Joannes Gallus, et alii xxiv Junii.

epilepticus,

168 Elisabethæ N. duodecennis filia Barbara, integrum octiduum epilepsia laboravit, triduoque loquelæ expers jacuit, postquam mater pro filiæ valetudine nuncupato ex voto Sacro apud D. Bennonem intercessit, intra mediæ horæ spatium convaluit. Testantem hæc matrem audierunt Rev. D. M. Joachimus Schoffselmayer, Caspar Schonaver, Leonardus Frolich. xxvi Junii.

cæcus,

169 Casparis Zigler Aismanschafftensis xix annorum filius Georgius, integro anno oculis laboravit, tandem iii hebdomades cæcus eorum usum omnino amisit. Omnibus itaque de adolescentis visu desperantibus, mater invocata Divina clementia, D. Bennoni Sacrum vovit, et filius paulatim pupillarum diem recuperavit. Relationi miraculi interfuerunt Caspar Schonaver, Joannes Gallus Subcustos ad S. Bennonem. ii Julii.

B

ex casu mortuus,

170 Apolloniæ Marcklin Monachiensis viduæ sexennis filius Caspar, e scalis delapsus, solidum horæ quadrantem pro mortuo habebatur : mater casu hoc attonita vicinas suas Annam Widmanin, Zettenpfeningin, inclamavit : quæ mox accurrentes nullo vitæ indicio in infante reperto, una cum matre D. Bennoni pro ejus incolumitate anathema voverunt. Post quæ mox puer lacrymari incipiens revixit. Narrata est res Michaeli Dorffschmid, Joanni Vicezfchneider, etc. Die ut supra.

tergoris dolor,

171 Mathias Rechter Ederhusanus, xxii annis magnos dolores in tergo perpessus, postquam D. Bennoni Sacrum et argenteum donarium ex voto nuncupavit, convaluit. Testes fuere Rev. D. M. Samuel Forster, Sacerdos ad S. Salvatorem in Bettpruun, et Michael Widman Konigslehensis, xii Julii.

surda,

172 Nobilis et spectabilis D. Scholastica Sperin, usu sinistræ auris totum quinquennium, mox dextræ per semestre caruit, tandem in summo amittendi auditus discrimine D. Bennoni, cum ejus die festo miracula promulgarentur, Sacrum et donarium vovit : eoque mox die Sacrum et donarium persolvit : quo facto paulatim convaluit. Annotavit hanc ejus relationem Rev. D. M. Georgius Hamermaister Cooperator, præsentibus Joanne Gallo, et Caspare Schonaver. xiv Julii.

C

morbus Hungaricus,

173 Spectabilis D. Euphrosyna Sturmin, civis Passaviensis, ii menses morbo, quem Hungaricum vocant, decubuit, a medicis et Confessariis conclamata. In tam gravi vitæ discrimine, D. Bennoni, de cujus in morbidos beneficiis multa inaudierat, argenteum anathema cum Sacro ex voto nuncupavit. Post quæ temporis momento iterum sui facta compos convaluit, et xxvii Julii, cum vicina sua Regina Mairwiserin (quæ et ipsa eodem morbo per aliquot hebdomades correpta D. Bennonis ope valetudinem receperat) persolvit. Rem narrari audierunt Rev. et Rel. D. D. Vitus Peil, Paulus Grienwald, Baltasar Lechner Beneficiatus etc.

dolores totius corporis,

174 Casparis Castermuller Augiensis uxor Barbara, vii hebdomadibus magnos toto corpore dolores, maxime pedibus, quibus insistere nequiit, sustinuit. In his cruciatibus noctu D. Benno illi in mentem venit, cui mox pro valetudine sua Sacrum vovit, exinde omni malo libera. Id testantem audierunt Rev. Otto Henricus Lindemayr, Georgius Goldtschmid.

D

ex improbum deglutito clavo suffocandus,

175 Catharina Streicherin Monachiensis trimulus filius Michael, ferreum clavum deglutierat. Nutrix extrahere conata operam lusit. In summo infantis discrimine mater D. Bennoni sacrum cum anathemate vovit, post quæ puer incolumis clavum egessit. Relationi interfuere Rex. D. Guilielmus Daumgartner, qui Sacrum fecit, Georgius Faussner et alii. xx Septembris.

pedibus capta,

176 Sebastiani Roggler Demingensis uxor Anna, utroque pede capta vi hebdomades decubuit, ingredi non valens, sed tantum genibus manibusque reptans. In hac calamitate D. Bennoni peregrinationem cum anathemate ex voto nuncupavit : exinde ita paulatim convaluit, ut votum ipsa præsens vi Octobris potuerit persolvere. Dixit hæc audientibus Rev. et nobili D. Caspare Hirschaver Canonico ad B. Virginis, M. Alberto Kircher. Testes fuere Andreas et Leonardus Kholch, vicini.

Anno MDCXIII.

sub plaustrum lapsus,

177 Georgium Gilg Augiensem xiv Januarii plaustrum vino oneratum oppresserat, sub quo pondere solidum horæ quadrantem vitæ dubius jacuit. Interea ipsi B. Virgo et D. Benno apparuerunt, quibus se mox edito voto commendavit; et statim nescius quo modo, incolumis e curru surrexit. Hæc testanti adfuerunt Rev. D. Vitus Peil, Joannes Gallus Subcustos Joannes Stockinger et alii.

E

pedibus capta,

178 Andreæ Reisser Vierkirchensis uxor Apollonia, semestre maximis cum doloribus, pedibus laboravit, quorum usu aliquot hebdomades caruit. Postquam vero D. Bennoni Sacrum et peregrinationem cum anathemate ex voto nuncupavit; mitigato paulatim cruciatu convaluit. Dixit hæc audientibus Rev. DD. Guilielmo Prumgarttner, Paulo Grienwald, et Joanne Gallo. ii Februarii.

pes rescindendus,

179 Michael Mayr Ainlingensis triennium ex ulceroso pede decubuit, Chirurgis in adhibenda curatione operam ludentibus. Tamen ne quid inexpertum relinqueret, Inderklingam in calidum balneum adivit. Ibi licet coiverint plagæ, paulo tamen post cum longe sæviore cruciatu proruperunt, quare medentes pedem ut incurabilem rescindendum omnino censebant. In hoc rerum articulo ægro D. Benno apparuit, cui ille, se promisso Sacro, peregrinatione, et anathemate voto obstrinxit. Exinde sine ulla medicina sanatus pes convaluit. Relationi interfuerunt Rev. D. M. Caspar Bogner Ceremoniarius ad B. Virginis, D. Balthasar Fischer, qui Sacrum legit, et Joannes Gallus Subcustos ad S. Bennonem. xxvii Februarii.

F

e tecto lapsus,

180 Joannes Schiessel civis Mosburgensis, cum excitato casu incendio ad id restinguendum accurrisset, e tecto delapsus sex horis vitæ dubius jacuit. Uxor in hoc mariti infortunio D. Bennoni peregrinationem et anathema vovit : post quæ mox conjux movere se denuo et convalescere cœpit. Testes citavit Rev. D. Jacobum Has Cappellanum, et alios vicinos. ii Martii.

manus rescinda,

181 Quirinus Fischer Utlingensis, cum in duello quodam se sequestrum interponeret, in dextra graviter sauciatus, tumidam et omnium medentium judicio incurabilem plagam contraxerat, resecandamque manum plerique censebant. Inter hæc ille D. Bennoni Sacrum ex voto nuncupavit, et spe recuperandæ dextræ plenus, Chirurgum insistere curationi jussit : post quæ sanata brevi tempore plaga, usum manus recepit. Retulit hæc præsentibus Rev. P. Balthasare Schonaver Ord. S. Francisci et Leonardo Haner Cooperatore ad D. Virginis. xiii Aprilis.

struma et aneurisma incurabiles,

182 viii Maji, pro liberorum suorum salute, D. Bennoni gratias egit Monachii Sebastianus Praitmayr

EX IMPR. GERM.

Praitmayr Weitericthensis; quorum primus IX annorum, Michael nomine, ante triennium strumam in collo contraxerat, nullo remedio depellendam: alter Joannes quinquennis II noctibus et diebus urinam facere nequiit. Pater ubi illos gemino voto D. Bennoni commendavit, malo utrumque liberavit. Audiere hæc referri Rev. et Religiosi DD. Caspar Pogner Ceremoniarius, Joannes Richardus Pettenbock, et Joannes Gallus.

infans ab ansere laniatus,

183 Joannis Rieger Merlbachensis filium Casparem, biennium et semestre natum, cum parentes rei divinæ interessent, anser morsibus suis ita laniaverat, ut labiis, et toto vultu intumescentibus, lævo oculo tridui spatio usus non fuerit. Mater domum reversa, miserabili spectaculo attonita, D. Bennoni pro filiolo Sacrum et anathema ex voto nuncupavit: qui mox et tumorem e vultu et tenebras ex oculo amisit. Relationi interfuere R. et Rel. D. Caspar Hirschaver Canonicus, et Rev. P. Guilielmus Faber Ord. S. Francisci Seraphici. XI Maji.

cæca,

184 Rosina Schmidin Rueperfellensis XVII annorum sex hebdomades ex glaucomate cæca, promissa a matre ad D. Bennonis aram ex voto peregrinatione, iterum ut ante vidit. Dixit hæc præsentibus Rev. D. M. Caspare Pogner Ceremoniario, Guilielmo Paumgarttner. XVIII Maji.

pedibus capta,

185 Stephani Hermansdorffer Hermansdorffensis IX annorum filia Christina, utroque pede capta, triennio nullo eorum articulum movere potuit. In hac calamitate pater ante sexennium pro prole sua D. Bennoni peregrinationem et anathema vovit, quæ intra octiduum pedum usum recuperavit, unaque cum parentibus XX Maji votum persolvit. Testes nominarunt omnes vicinos.

mutus unus,

186 Barbaræ Conradin filius Wolffgangus, anno MDCXI a rustico quodam vapulans, VII hebdomades loquelæ usu caruit, quam illi mater, ut primum D. Bennoni Sacrum vovit, recuperavit. Testem dixit viciniam omnem. XXVII Maji.

alius a nativitate,

187 Joannes N. XIII circiter annorum puer, a primis annis mutus diu in Diessenhoffensi pago corrogata stipe victitabat; et cum succedente ævo robustior factus esset, loci illius colonis operam suam in pascendo pecore elocabat. Tandem vicinarum quidam Georgius Kaifer, calamitosi misertus, illum in domum suam educandum, alendumque suscepit. Postea anno MDCXII pro ejus salute D. Bennoni Sacrum et peregrinationem ad ejus aram ex voto nuncupavit. Cum igitur sub Sacro Divina Hostia elevaretur, subito puer loqui incipiens, interrogavit prædictum Georgium Caiser, hicne D. Benno esset? Qui prodigio hoc lætus summopere, Divinæ clementiæ sine fine gratias egit. Relationi interfuere Rev. Nobiles Doctissimi DD. Joh. Pantaleon Pronners, Christophorus Ligsalz Canonici, et alii. IV Julii.

pede capta,

188 Joannis Schmutter Deissenhusani, prope Weilhemicum, uxor Felicitas, II menses dextro pedi insistere nequiit. Ut primum D. Bennoni Sacrum vovit, convaluit. Audiere hoc referri Georgius Khelteniessee vicinus, Georgius Faustner. XXIII Julii.

apoplecticus,

189 Michael Christel venator, die Jovis ante ferias Pentecostes, apoplexia tactus totum quatriduum mutus et sui impos jacuit. Postquam sibi redditus D. Bennoni nuncupato Sacro et donario se voto obstrinxit, sanitatem et vires pristinas recuperavit. Hæc testati sunt Simon Firsterwalter, et caupo Neukirchensis VIII Augusti.

gressu impedita,

190 Anna Eschelin Rothensio, die cinerum ex lævo pede decumbere cœpit, decemque diebus immanis in eo cruciatus tenuit, adeo ut aliquot hebdomadibus ingredi nequierit. Nocte quadam somniavit, se ad D. Bennonis aram Sacro interesse, et cereum pro pede suo anathema suspendere. Quod cum expergefacta se re ipsa facturam vovisset, triduo post mitigato dolore iterum vias suas ire ut antea potuit. Testes fuere Georgius Vogler, et ejus Confessarius P. Melchior Carl Monachus Rothensis. XXI Augusti.

dolores magni,

191 Georgius Oechniger Rottenburgensis, solidum anni quadrantem ingentes dolores in capite, manibus, pedibusque perpessus, ope D. Bennonis cui Sacrum et anathema nuncupavit. convaluit. Testimonia suo hæc confirmarunt Rev. P. Ernestus Pollner Ord. S. Francisci, et nobilis D. Paulus Mayr Cameræ Secretarius. XXVII Augusti.

toto corpore tumidus,

192 Georgius Hirschpock Wollenmesensis, toto mense hydropici instar tumidus jacuit: quamprimum vero D. Bennoni Sacrum et peregrinationem ex voto nuncupavit, resedente tumore pristinæ sanitati restitutus est. Testati sunt Wolfgangus Zail, Joannes Reitmayr vicini. Prid. Cal. Septembris.

pedibus capta,

193 Evæ Hechenriederin Friedlingensis VIII annorum filiola Regina, diu ingentes cruciatus in omnibus artubus sustinuit, circa semestre pedum officio carens. Nocte quadam D. Bennonem in somniis vidit: quod cum patri mane retulisset, ille, die S. Jacobo Sacro, D. Bennoni pro filia Sacrum et peregrinationem ad ejus aram vovit: qui mox priore eam sanitate donavit. Testes fuere Georgius Wolff, et vicini. XXIX Octobris.

hemiplecticus,

194 Martini Sedlmayr Lanzhofensis filius Wolffgangus, XXI annorum adolescens, triennio maximos dolores in dextro humero sustinuit, orique aut capiti admovere manum præ cruciatus acerbitate non potuit. Mater D. Bennonis memor, pro filio suo D. Bennoni peregrinationem et anathema ex voto promisit: qui illi, mitigato paulatim dolore, priorem valetudinem reddidit. Relationi interfuere Rev. et relig. D. Jacobus Mang Beneficiatus, et Christophorus Venator, die ut supra.

Anno MDCXIV.

herniosus,

195 Marcum Mayr Augustanum, ante biennium Augustæ tres inimici aggressi. verberibus ita contuderant, ut toto passim corpore sauciatus herniam contraxerit, ex qua toto triennio maximos dolores sustinuit. Tandem postquam se ad D. Bennonis aram Sacro interfuturum, sacramque ibi Synaxim sumpturum vovit, intra IV dies sine ulla humana ope malo illo liberatus est. Dixit hæc audientibus Reverendis et Doctissimis DD. Michaele Hartel Cappellano, et Jacobo Mang Beneficiato ad B. Virginis. XXII Februarii.

herniosus,

196 Wolffgangi Hulber Ruemershaimensis filius Joannes, XIII annorum, totum annum horrendo morbo, quem saltum S. Viti dicunt, conflictatus est: quod malum illum sæpe decies una die corripuit. Pater D. Bennonis memor, illi pueri salutem nuncupato ex voto Sacro cum anathemate commendavit. quem mox horrendus ille saltus reliquit. Dixit hæc Pater audientibus Rev. et Rel. DD. Caspare Pogner Ceremoniario, et Christophoro Venatore ad B. Virginis Canonico. XX Martii.

procidentia umbilici,

197 Georgii Lang Pulchschlagensis trimula filiola Anna, toto anno ex umbilico laboravit, sumente quotidie incrementa malo. Die quodam patri in mentem venit, pro filiæ valetudine D. Bennoni Sacrum et peregrinationem ad ejus aram vovere: quod cum fecisset, plaga umbilici coaluit. Relationi interfuerunt R. D. Casper Pogner Ceremoniarius, Casper Schiltaver Capellanus Innhusanus. III Maji.

oris exulceratio:

198 Georgii Hirler Hochhaltingensis filiolum Jacobum ante biennium ita oris exulcerationes infestarunt, ut contracta ex hac magna corporis infirmitate morti vicinus crederetur. Mater, quæ multa

de

A de D. Bennonis miraculis referri audierat, pro prolis salute eidem votum fecit. Exinde mox convalescere puer et vivere cœpit. Narratum hoc est præsentibus Rev. D. M. Caspare Pogner Ceremoniario, Joanne Gallo Subcustode, etc. vi Maji.

tumor oculi frequens, 199 Joannis Feldmayr Kurzenriedensis, xv annorum filiæ Walpurgæ, integrum quatriennium ii semper mensibus lævus oculus intumuit, humidus continuo, et lucis impatiens. Cum magnos exinde dolores exhauriret puella, parentes D. Bennonem, sacram peregrinationem et anathema voventes, invocarunt; eique mox sanitatem impetrarunt. Hæc testantes audierunt Rev. M. Casper Pogner, Christophorus Venator etc. Die ut supra.

pedibus capta, 200 Catharina Pierlin, Georgii Pierel Rattenbuchensis uxor, ante sexennium xiv dies omni pedum officio destituta decubuit. In hoc gravi morbo et magnis cruciatibus, D. Bennonis memor, continuo ejus opem, peregrinationem et Sacrum ex voto nuncupans, imploravit, brevique convaluit. Hæc de se testanti adfuere Rev. D. Christophorus Venator, Joannes Gallus, die ut supra.

epilepticus, 201 Barbaræ Clasin Assenhusanæ, xi annorum filium Martinum epilepsia tam vehementer exercuerat, ut diu mortuus putaretur. Unde territa mater cum duobus vicinis, potens D. Bennonis auxilium, nuncupato ex voto Sacro, peregrinatione, et donario, implorarunt : seque mox exauditas, sanato in perpetuum ab illo morbo puero, senserunt. Hoc referri audierunt Rev. M. Caspar Pogner Ceremoniarius Christophorus Venator etc. xiii Maji.

moribundus, 202 Barbaræ Bernhartin Herschensis filius Georgius, xviii annorum, biennium ex ignoti morbi genere decubuit; qui illum die quodam tam dire exercuit, ut iii horas sui impos et pro mortuo habitus fuerit. In hoc vitæ prolis suæ discrimine, mater D. Bennoni Sacrum vovit, eique intra horæ quadrantem sanitatem recuperavit. Annotavere prodigium Rev. M. Casper Pogner, Joannes Gallus Subcustos ad S. Bennonem. xviii Maji.

diu clinica: 203 Wolfgangi Schmid Pliemingensis sexennis filiola Anna, ante biennium a feriis Natalitiis usque ad pascha decumbens, magnos toto corpore dolores exantlavit. Quam primum vero pater prolis salutem D. Bennoni nuncupato Sacro commendavit, valetudinem recepit. Testem dixit pater viciniam omnem. xxv Maji.

avertitur incendium; 204 xvii Junii Christophorus Castel Olstatensis, C D. Bennoni pro sequenti beneficio gratias retulit. Festo Corporis Christi, in dicto Olstatensi pago, duæ ædes orto incendio deflagrarant, et ignis jam tertiæ, quæ prædicti Christophori Castel erat, imminebat. Hoc conspicatus frater ejus, D. Bennoni pro incolumitate domus vaccam et peregrinationem vovit. Exinde mox flante contrario vento, ignea pestis a fraterno tecto repulsa est. Relationi interfuere Rev. D. Richardus Pesenbeck Canonicus et Caspar Pogner Ceremoniarius ad B. Virginis.

curantur, puer strumosus, 205 Annæ Oberlin duodecennis filius Augustinus, cum struma ovi magnitudine natus erat. Postquam mater annuo quoad viveret donario se D. Bennonem remuneraturam promisit, fœdum illud excrementum paulatim evanuit. Prædicta Anna Oberlin attulit secum Monachium ferreum et incurvum clavum, quem alii liberi, dicto paulo ante Augustino adhuc in cunis jacenti in os inseruerant, *alius deglutito clavo suffocandus,* qui infanti illico in fauces devenit, quod ubi matri in area frumentum exterenti narratum est, illico accurrens extrahere ore clavum frustra conata est : cum eum multo magis in guttur demergeret, duabus, igitur horis infans ferreum uncum in faucibus mox horrendum in modum intumescentibus retinuit. Mater in hoc rerum articulo attonita, prius votum, addito in singulos annos auctario, iteravit. Extem- D plo ructare infans, et clavum incolumis ejicere cœpit : qui licet toto triduo, vulneratis graviter faucibus, cibi expers fuerit, brevi tamen convaluit. Rei relationem audierunt Rev. et Rel. PP. Franciscus Castner, et Augustinus Hengsperger Franciscani, Casper Pogner etc. xiv Junii. *EX IMPR. GERM.*

senex paralyticus, 206 Joannes Praum Isensis, centenarius senecio, totum annum paralyticus et immobilis decubuit. In hoc morbo cum ei D. Benno in mentem venisset, Sacrum ei et peregrinationem vovit Quod cum factum esset, de die in diem melius habens incedere denuo potuit. Votum pro patre suo, annis ad id invalido, impleverunt tres filii Melchior, Stephanus, Sabastianus, et eorum uxores, qui totam viciniam rei testem dixerunt. xxvii Julii.

surdus, 207 Michael Erl Hinderholzensis, ante semestre xii hebdomades auditu carens, hunc, nuncupato D. Bennoni ex voto Sacro et peregrinatione, intra xiv dies ut antea optimum recepit. Testem citavit fratrem suum Stephanum Erl, et totam viciniam. xxix Julii.

E *pes resecandus,* 208 Michaelis Tottenkolber Hobertshusani duodecennis filius Georgius, ingens in dextro pede apostema contraxerat; ex quo ita paulatim pes pessumibat, ut chirurgi, de curatione desperantes, resecandum censerent. Pater in hac calamitate, pro filio promissa ex voto peregrinatione et anathemate, ad D. Bennonem confugit : qui illi intra mensem sanitatem pedis reddidit. Testati sunt Joannes Heberzhoffer, et Joannes Huber. v Augusti.

capitis dolor, 209 Michaelis Schmeus Potemesensis trimula filiola Ursula, ii mensibus maximos capitis cruciatus sustinuit. Invocantibus vero parentibus edito voto D. Bennonis patrocinium, mitigato brevi cruciatu convaluit. Annotarunt hoc miraculum Georgius Schwaiger, et Joannes Gallus Subcustos. xxvii Septembris,

letaliter contusus, 210 Balthasarem Rieger Wolfratshusanum, elapsa hyeme, v inimici ita pugnis et alio telorum genere contuderant, ut viii menses et loquelæ et auditus expers fuerit. Medici interiora capitis omnino comminuta esse asserentes, actum de ejus vita affirmabant. In summo cruciatu, nocte quadam ægro D. Benno in mentem venit : cui illico peregrinationem et anathema vovit. Exinde statim mitigatis doloribus ingens vis saniei ex utraque aure effluxit, ægerque convaluit. Relationi interfuere Rev. D. M. Simon Perckhaimer, Georgius Faustner, etc. vi Octobris. F

211 Michael Nueber Kissingensis, cum in tota passim ejus vicinia pecus occumberet, pro armenti sui incolumitate D. Bennoni vitulum vovit : et hoc modo omne pecus suum sospes conservavit. Hoc testatus est præsentibus Rev. DD. Caspare Pogner Ceremoniario, Christophoro Venatore, etc. viii Octobris.

Anno MDCXV.

dormiendi facultate, privatus. 212 Nobilis et strenuus D. Joannes Simon Wageregg, xv Januarii morbo implicitus est, qui illi omnem mox somnum ademit. Qui paulo post sanguinis missione in febris cujusdam generis Synochum Medici vocant) mutatus, adhuc magis excluso sopore invaluit : et licet prædictus Nobilis et Strenuus Dominus de medentium sententia medicamenta soporifera sumpserit; humana tamen medela omnis effectu caruit. Quare ad cœlestia confugiens, erogata in pauperes stipe, in D. Bennonis honorem pro valetudine sua Sacrum fieri curavit, et diligenti exomologesi animum lustravit. Quo peracto, eadem mox nocte, sine ullo medicamine, somnus rediit : tandemque, non parum etiam in id conferente B. Virginis patrocinio, cui et ipsi votum fecerat, omnino convaluit.

A convaluit. Hoc miraculum ipsemet Nobilis et strenuus D. Wagneregg annotari jussit, et chirographo suo subscripsit.

EX IMP. GERM.

epilepticus.

213 Leonardi Nigelhaimer Weilensis IX annorum filium Jacobum, biennium et semestre quotidie sex, septem aut aucto vicibus epilepsia exercuit. Pluribus pellendo malo quæsitis nequidquam antidotis, loci illius Parochus auctor pueri patri fuit, D. Bennoni peregrinationem et anathema pro prolis salute vovendi. Quod consilium cum mox arripuisset, morbus filium reliquit. Testem nominavit parens Parochum suum et viciniam omnem. XXVI Aprilis.

suscitatur puer submersus,

214. N. Hochenmorger Hochenmorgensis quinquennis filiolus Thomas, haud procul domo sua in paludem prolapsus erat, insciis omnibus quamdiu inibi jacuerit. Forte servus cum equis aquatum ingressus undas, viso puero clamore sublato, parentes et familiam omnem excivit : qui expiscati jacentem, horæ spatio nullum in eo vitæ indicium repererunt. In miserabili hoc infortunio, parentes D. Bennonis opem inclamantes, peregrinationem et Sacrum cum anathemate ex voto nuncuparunt. Post quæ statim puer mota lingua, vitæ indicium dedit, et brevi sanus et incolumis revixit. Testem citavit pater totam B familiam suam, VI Maji.

arboris ruina contritus,

215 Cum Wilhelmus Gelb Pergensis in sylva quercum cæderet, findente se per medium illa arbore, grandis ejus pars decidens undecennem filium, qui una cum patre lignatum exierat, oppressit, sinciput comminuit, manu mutilavit, latera et ventrem ita perstrinxit, ut mox horrende intumuerint : pater circa mediam horam nullum in puero vitæ indicium notavit : dum itaque filium suum jam ut mortuum deplorabat, subito respicienti D. Benno in candida veste apparuit : cui mox pro prolis suæ vita Sacrum et peregrinationem vovit. Exinde statim puer, velut rhonchos traheret, ter insonuit ; et paulisper sibi redditus, copioso sanguine manavit. Quem pater toga sua involutum domum deportavit, brevique sanum et incolumem esse lætatus est. Rem testimonio suo confirmavit Parochus Paimbkirchensis, qui Sacrum fecit ; totam etiam viciniam id testari posse pater asseveravit. XIV Maji.

apoplectica,

216 Maria Falkerin Gallapachensis, cum molendinum peteret, subito apoplexia tacta, sinistram partem corporis omnem ut emortuam habuit : quamprimum vero D. Bennoni peregrinationem ex voto promisit, convaluit. Hæc testanti adfuere Rev. D. Thomas Westermayr Beneficiatus ad D. Petrum, C et Joannes Gallus Subcustos. XVII Maji.

ad mortem ægra,

217 Spectabilis D. Ursula Langin Weimbdingana, graviter priore anno decumbens, et a medicis, quos morbi notitia latebat, conclamata, D. Bennoni peregrinationem et denarium ex voto pro valetudine sua promisit ; brevique sana et valens evasit. Quare XXVI Maji voti rea, una cum conjuge suo, D. Bennoni duas argenteas tabulas ebeno incrustatas, quarum una imaginem Servatoris nostri, altera B. V. Mariam repræsentabat, obtulit ; et miraculum annotandum dictavit Rev. D. Richardo Petenbeck Canonico, et D. M. Caspari Pogner Ceremoniario.

ex pede laborans,

218 Georgii Ertl Loberweitingensis uxor Eva, circa semestre magno cum cruciatu lævo pede laboravit. In acerbissimis doloribus D. Bennoni peregrinationem, et Sacrum cum anathemate. ex voto nuncupavit. Exinde mox melius habens, licet chirurgos curationi adhibuerit, sanitatem tamen magis D. Bennonis patrocinio, quam horum arti retulit in acceptis. Hæc testantem audierunt Rev. et Rel. D. M. Caspar Pogner Ceremoniarius, Michael Cammermayr. XXIX Maji.

morti propinquus.

219 Casparis Forgs Peygartensis quadriennis filius, itidem Caspar, toto anno graviter decubuit : qui morbus puerum ita emaciavit, ut spirans cadaver esse videretur. Mater pro ejus valetudine D. Bennoni Sacrum et peregrinationem vovit, et mox impetravit. Relationi interfuere Rev. D. M. Caspar Pogner, et Ægidius Gabler. Cal. Junii. D

suscitatur ex equo lapsus,

220 Catharinæ Mortenin Pulchensis filius Andreas, annorum XI, cum una cum æqualibus suis equo decurreret in campo, ab illo excussus IX horis pro mortuo habitus fuit. Mater in tanta calamitate D. Bennoni peregrinationem et anathema ex voto promisit : post quæ puer illico revixit, et una cum parentibus votum persolvit. Audiere hæc referri Rev. et Rel. DD. MM. Joachimus Schoffelmayr, et Caspar Pogner, VI Junii.

curantur, oculis

221 Elisabetha Schneiderin octuagenaria Leidtsettensis, tota hieme cæca, edito ad D. Bennonem voto, visum recepit. VIII Junii.

et pedibus captæ,

Joannis Hechendorffer duæ filiolæ, Catharina biennis, Anna sexennis, XIV hebdomades pedibus laborarunt, iisque consistere nequierunt. Parentes sobolis suæ vicem anxii, D. Bennoni peregrinationem et Sacrum voverunt. Exinde mox utraque filia convaluit. Testem dixit pater viciniam omnem. Die ut supra.

E

herniosus,

222 Barbaræ N. Alenzhusanæ IX annorum filius primo infantiæ anno herniam contraxit, et tres anni quadrantes ex hac laboravit. Commendatus autem D. Bennoni a parentibus, eidem peregrinationem et anathema voventibus, sine ulla humana medela, sanitatem recepit.

pes incurabilis,

223 Wolfgangi Jacob Stainhartensis tredecennis filiola Magdalena, pede medicis incurabili laborans, D. Bennonis ope, cui peregrinationem et anathema ex voto nuncuparat, valetudini restituta est. Die ut supra.

desperabunda,

224 Apolloniam Preunerin infernalis hostis toto triennio ad desperationem variis tentamentis adigere conabatur. Die quodam cum eam, prope lacum quemdam lavantem, Orcus viribus totis oppugnaret, et pæne ut se in aquas præcipitaret, cogeret ; D. Bennonem edito voto inclamavit. Exinde illam allastor aggredi ejusmodi cogitationibus non amplius ausus est. XII Junii.

herniosus,

225 Lucretiæ Zimerin filius Joannes Udalricus, a nativitate tumefactum inguen habuit. Medici herniam rati scissionem suadebant. Quam cum mater, ut nimium asperum medicamen abominaretur, pro dicto filio D. Bennonis opem, nuncupatis ex voto geminis sacris cum anathemate, inclamavit : ex F quo continuo periculosus ille tumor sospite infante resedit.

periculosus tumor.

226 Prædictæ Lucretiæ Zimerin filiolæ Margaretæ Annæ, XIV adhuc dierum infanti, utraque mammula periculose admodum intumuerat, nullo medicorum præ ætatis teneritudine curationi manum admovere audente, et antidotis omnibus in irritum cadentibus. Mater rursus D. Bennonem, promisso ex voto Sacro et anathemate invocavit, sanitatemque infanti recuperavit. Testes dixit fide dignos homines.

sanantur paralysis,

227 Margareta Schmidin Alingensis, ante triennium XVII hebdomades paralytica, edito ad D. Bennonem voto, convaluit : quod persolvit XV Junii.

apostema in brachio,

228 Nobilis et doctissimus D. Christophorus Rumbler, J. V. Doctor, dextro brachio ex apostemate laborans, sanitati restituus est, postquam pro illo conjux ejus D. Bennoni Sacrum et aureum donarium vovit. XVI Junii.

dolor capitis,

229 Georgius Obermayr Aremriedensis, totum annum ingentibus corporis doloribus conflictatus est. Tentata nequidquam mortalium medela, ad D. Bennonem, Sacri et anathematis nuncupatione, confugiens, cruciatu omni liber evasit. XXIX Junii.

230 Joannis Loer Wangensis tredecennis filiola Maria, xiv Dies acerbissimos capitis dolores sustinuit. Edito autem a patre ad D. Bennonem voto, convaluit. iv Julii.

hernia,

231 Joannis Aumuller Hochenbergensis, unius anni infans Adamus, edito a matre ad D. Bennonem voto, hernia liberatus est. Votum persolvit pater cum filio. xv Julii.

delirium,

232 Michael Peidenrieder Hechendorffensis, tres hebdomades graviter decubuit, et durante morbo solidum octiduum deliravit : ejus uxor D. Bennonis memor, pro marito suo, Divo peregrinationem et donarium bovis vovit, eique mox valetudinem impetravit. xxvi Octobris.

paralysis,

233 D. Catharina Praxedis, Parthenonis Ratisbonensis Antistes, ante septennium gravi morbo implicita et paralytica jacuit. Post fatigatam nequidquam Medicorum artem, invocata D. Bennonis ope, convaluit.

hernia,

234 Georgii Sciz Bulchschlagensis triennio filiolus Joannes, cum hernia natus, triennio ex ea maximos dolores perpessus est : quare mater, in tam maligna prolis suæ valetudine, D. Bennoni Sacrum et anathema ex voto nuncupavit : qui infantem mox malo illo liberum præstitit. xii Septembris.

Anno MDCXVI.

apoplexia,

235 Georgii Reisner Wenigmunchensis filium itidem Georgium, apoplexia ante viii annos iii vicibus corripuit, eique sanguinem per utramque aurem expulit. Pater postquam pro filio D. Bennoni Sacrum nuncupavit, morbo in perpetuum liberavit. xii Januarii.

tergoris dolor,

236 Dicti Georgii Reisner uxor Catharina, sesqui annum incredibiles tergoris cruciatus exantlavit : eodem quo filius voto D. Bennoni a marito commendata, sanitatem recepit.

ophthalmia,

137 Christophori Menich Monachiensis quadriennis filius Melchior, xiv dies maximis cum doloribus oculis laborans, eorum valetudinem a D. Bennone, cui pater Sacrum et anathema voverat, recuperavit. xix Januarii

mutus,

248 Thomæ Psackhmayr Lucrensis itidem quadriennis filiolus Stephanus, usque in quartum ætatis annum mutus, D. Bennonis patrocinio loquela uti didicit, cui pater peregrinationem, Sacrum et anathema ex voto dicarat xix Augusti.

odontalgia,

239 Prænobilis D. D. Ifreda, nata a Perlach, xiv annis cum maximis cruciatibus dentibus laboravit, et præ illorum acerbitate, velut mente mota aut insana, custodiri debuit : cum itaque calamitatis suæ finem pæne desperaret, edito voto ad D. Bennonem confugit, quod x Martii, oblatis geminis iisque aureis armillis, persolvit; exinde omni dentium dolore libera.

dolor pedis:

240 Joannes Winckel, tota quinquennio maximo cum cruciatu dextro pede laborans, priore anno D. Bennonis patrocinio, cui sacrum et anathema voverat, convaluit. xxviii Octobris.

resuscitatur aqua mersus,

241 Georgii Walch Schaindorffensis biennis infans Jacobus, in vas aqua plenum lapsus, horæ quadrantem inibi jacuit, tandemque extractus tres quadrantes horæ pro mortuo habitus est. Matre vero D. Bennonis opem nuncupato ex voto anathemate invocante revixit. xxix Octobris.

dolor brachii sanatur

242 Catharina Obermayrin, triennio dolores in brachio perpessa, nuncupato D. Bennoni anathemate ejus sanitatem recuperavit. xxvi Novembris.

et gravis morbus.

243 Caspar Simon, gravi morbo implicitus D. Bennoni Sacrum legendum vovit, et mox convaluit : votum persolvit xxvii Novembris.

Anno MDCXVII.

Juvatur, surda,

244 Apollonia Schrancknerin Kapffstainensis ante xi annos auditum amiserat, et totum triduum ejus usu caruit : postquam vero D. Bennoni Sacrum et recitandum Rosarium ex voto promisit, audire denuo per quadriennium ut ante cœpit. Quia vero persolvere votum, licet etiam somniis admonita, distulit ; negligentiam suam priore surditate per vii annos, donec Divo Sospitatori satisfecit, luit. Voto peracto, auditus illi rediit. xiii Januarii.

EX IMPR. GERM.

arcetur incendium,

245 In pago Poswangensi, octiduo ante Festum D. Jacobi, novem ædes de cœlo tactæ conflagrarunt, flammæque jam Joannis Abel tectis imminebant : quod conspicata ejus uxor, D. Bennoni pro incolumitate domus suæ v florenos in donarium vovit ; exinde statim aversa ignea pestis et sopita est. Kal. Maji.

submergendus salvatur:

246 Georgius Pauchover civis Monachiensis, superiore anno in Isaram fluvium lapsus, necdum passus nandi rudis vorticibus abreptus, vita periclitabatur. Quare in summo hoc discrimine B. V. Mariæ patrocinium invocavit : et matrona quædam, Mariæ Rengoldin nomine, fluctuantem in ripa conspicata, D. Bennoni Sacrum pro ejus salute vovit. Quorum Divorum gemina ope mox incolumis in siccum emersit. xv Maji.

sanantur mamillæ tumidæ,

247 Agatha Stadlerin, vidua Peisenpergensis, in periculoso mamillarum tumore D. Bennoni Sacrum ex voto promisit, et mox convaluit. xxi Maji.

248 xxiv Maji. Georgius Foderel Rainburgensis, D. Bennoni votum suum cerea ædicula persolvit, quod a periculosissimo incendio xiv domos depascente ædem suam incolumem præstitit.

morbus triduanus,

259 Thomam Joannis Fackenzeller Schilperensis xiv annorum filium, D. Benno a gravi et triduano morbo liberavit, postquam ejus salutem pater dicto Divo, promisso Sacro et argenteo donario, commendavit.

Dominicæ violator correptus juvatur,

250 Georgius Sedelmayr Imingensis, die Dominica ante rem Divinam piscatum egressus, multum dehortante uxore ne id inaudito Sacro faceret, totum prope diem capiendis piscibus impendit. Tandem a quodam, quem tamen videre non licuit, correptus, in aquam projectus fuit. Ille territus, magni Bennonis opem promisso illico Sacro imploravit : et mox in siccum evasit ; interius admonitus, ut aquam relinqueret. Post quæ iterum ab invisibili luctatore humi prostratus, surrexit, domumque redux mente captus per xiv dies mansit. Adductus deinde in Benedictoburanum monasterium, cum etiam delirus nihil nisi S. Bennonem loqueretur, usum rationis denuo recepit. Quæ omnia et suo et fratris sui Joannis Sedelmayr testimonio confirmavit. xxii Junii.

epilepticus,

251 Casparis Grain Windingensis unius anni infantem Georgium, toto mense epilepsia exercuit. In hac prolis miseria parentes ad D. Bennonem nuncupato Sacro confugerunt : ex quo continuo morbus infantem reliquit. xii Julii.

caput dolens

252 Margaretæ Scheirerin Inderstorfensis, filia Anna tam vehementer capite laboravit, ut utriusque oculi usum amiserit. Parentes D. Bennoni Sacrum et anathema pro prole voverunt, cui mox visus rediit : votum persolverunt xiv Julii.

et epilepsia

253 Caspar Eisenreick solido anno graviter capite laboravit, cui postmodum febris et Epilepsia accessere : quæ ægrotantem aliquoties sana mente spoliarunt : uxor pro mariti sui salute sollicita, eum D. Bennoni commendavit, qui paulatim melius habens omnino convaluit. xv. Julii.

Epilepticus mergendus,

254 Joannes Langwiser Ingolstadiensis ante fexennium, de nocte in fluvium delapsus, tres horas alveum pervagando exitum nuspiam invenire potuit. In maximum igitur vitæ discrimen ab aqua hyemali frigore urente adductus, D. Bennoni peregrinationem, solenne Sacrum, et anathema vovit ; sospesque

que undis emersit. Votum pro marito suo uxor persolvit VIII Augusti.

EX IMPR. GERM.

resuscitatur fluvio immersus,

255 Mariæ Lundnerin Eistelfriedensis undecennis filius Michael, in amne lavans gurgitibus abreptus aliquamdiu sub undis mansit. Rem unica, quæ aderat, puella advertit; quæ Michaelem aquis submersum exclamans proximos, qui in campo fœnum tergebant, excivit. Ex quibus unus amnem ingressus, puerum extraxit, ultra mediam horam pro mortuo habitum. Interea una ecognatis dicti pueri, D. Bennonem, nuncupato ex voto Sacro et peregrinatione, ardenter imploravit. Post quæ mox ille vivere se revocato spiritu ostendit, et extemplo sanus et sospes evasit. Testes fuere quotquot in illo campo opus fecerunt. XIV. Augusti.

sanatur dolor umbilicalis gravis,

256 Georgii Widman Antorfensis decennis filius Sebastianus, toto sexennio incredibiles dolores in ventre subter umbilicum exantlavit. Quare parentes toto anno Chirurgum ejus curationi adhibuerunt: qui cum operam luderet, et in deterius omnia reciderent; peregrinationem ad D. Bennonis aram et legendum Sacrum ex voto promiserunt: quo facto puer in dies melius habere cœpit, et omnino convaluit. XXX Junii.

moribunda,

257 Catharina Eissenbergerin, superiore anno integrum mensem letaliter decubuit, quinque horis vitæ dubia, et ab omnibus conclamata. Durante hoc, ut omnes putabant, ultimo agone, subito exclamavit: Hic est D. Benno, quo audito ejus mater, maxima cum fiducia dicto Divo peregrinationem et Sacrum ex voto promisit. Filia postea intra sex dies sanitati restituta est.

258 Joanni Westermayr Hanfeldensi, novem hebdomades letaliter decumbenti, D. Benno apparuit, et si sanitatem ex animo optaret, sibi votum facere jussit. Paruit illico æger, Sacrumque et peregrinationem vovit; brevique sanus XII Septembris votum persolvit.

cæcæ dux,

259 Joannis Loderer Ainhofensis filiolam Mariam aphthe ita infestavit, ut totum annum visu caruerit. Postquam vero mater D. Bennoni pro ejus valetudine votum edidit, intra breve tempus oculorum usum recepit XXX Septembris.

260 Anna Fischerin Weingmunckensis, biennium gravissimos capitis et oculorum dolores perpessa, tandem omnino oculorum usum amisit, quem, ut primum D. Bennoni Sacrum vovit intra XIV dies recuperavit. Die ut supra.

curatur odontalgia,

261 Caspar Kholkauf Khimensterfensis dentium dolore pæne usque ad amentiam infestatus, nuncupata ex voto D. Bennoni peregrinatione cruciatu liberatus est. II Novembris.

Anno MDCXVIII.

et lippitudo:

262 Eva Schawaigerin Dinghartingensis superiore anno periculose dextro oculo laboravit: quem continuo lippientem ne omnino amitteret timebat: die quodam D. Bendo illi in mentem venit, cui quam primum se legi curaturam Sacrum promisit, oculum incolumem conservavit.

juvantur, prostratus ruina arboris,

263 Joannes Nydermayr Hernzellensis, mense Martio in sylva una cum servis suis quercum ceciderat; quæ cum corruens in aliam adversam arborem prolapsa esset, etiam hæc, ut illa collaberetur, exscindenda fuit. Quo facto dictus Nidermayr servis, ut fugerent, ne arboris ruina opprimerentur, suasit, quod consilium cum omnes arripuissent, heri caput tanta vi quercus ruina afflixit, ut humi prostratus solidam horam pro mortuo haberetur. Erat inter servos quidam Sebastianus Balter nomine: is herum suum magna cum fiducia D. Bennoni commendavit, qui mox ad se rediens incolumis domum regressus est.

tibia dolens,

264 Joannes Carel XX hebdomades sinistra tibia cum maximo cruciatu laboravit, pedique insistere nequiit. Nocte quadam decumbenti D. Benno in mentem venit: cui illico pro sanitate sua, Sacrum et anathema ex voto nuncupavit. Exinde mox mitigato dolore melius habuit, et voto se exsolvit XXII Maji.

sanguine fluens,

265 Anna Hillmayrin Allerzhusana solidum annum sanguinis profluvio laboravit. Postquam D. Bennoni peregrinationem et Sacrum vovit, intra biduum convaluit. IV Junii.

herniosus

266 Casparis Bistel Finsingensis tredecennis filius Joannes, in infantia herniam contraxerat. Qua calamitate territi parentes, D. Bennoni Sacrum et peregrinationem nuncuparunt, voto, si puer adultior fieret, persolvendo. Exinde malum intra paucos dies, sine ulla humana ope, evanuit. VI Maji.

hydropicus,

267 Margarethæ Weiherin Angiensis alumnus, sexennis puellus Christophorus, hydrope sic intumuit, ut XIV diebus præ doloris sensu quietem capere non potuerit, calculo quoque infestatus: tandem a nutrice sua D. Bennoni promisso anathemate commendatus, et tumore et cruciatibus omnibus liberatus est. Festo B. Virginis in cœlum Assumptæ.

cultro perfossus,

268 Mauritius Moringer Eichstettensis, XVI annorum adolescens studiosus, superiore anno a fratre suo natu minore in rixa cultro per latus dextrum transfossus de vita periclitabatur. Attonita infortunio hoc mater Eva Susanna, filii salutem D. Bennoni, nuncupato ex voto Sacro et argenteo donario, commendavit; vitamque adolescentis, gravi hoc ictu dubiam, incolumem præstitit. Votum persolvit una cum Mauritio Joannes Christophorus ejus pædagogus XXVIII Augusti.

cæcus natus,

269 Joannis Stadler Wessofontani XV annorum filius Petrus, ob tumorem oculorum a nativitate cæcus, III hebdomades lucem non aspexit. Cui tandem D. Benno, voventibus pro filio parentibus peregrinationes et Sacrum, pulso tumore visum dedit. XXVIII Augusti.

Anno MDCXIX.

ex puerperio periclitans;

270 Nobilis et spectabilis D. Renata Burmayrin, difficillimo usa puerperio maximos exinde totius corporis dolores perpessa est; quibus pæne ad extrema deducta, D. Bennonem maxima cum fiducia invocavit. Cui postquam Sacrum et floreni donarium vovit, valetudinem recepit. IX Aprilis.

caput dolens,

271 Margareta Schneiderin circa ferias Natalitias XVII hebdomadibus incredibiles capitis dolores pæne cum amittendæ rationis periculo sustinuit. In gravissimis hisce cruciatibus D. Benno ei visus est, sibi votum faceret præcipiens. Quod cum nuncupata peregrinatione et Sacro fecisset, omni dolore libera evasit. IV Maji.

sanguine fluens,

272 Ejusdem Divi clementi ope convaluit Agnes N. menses duos sanguinis profluvio laborans, postquam illi legendum Sacrum ex voto promisit. VIII Maji.

muti duo.

273 Leonardi Kholkauff decennis filius, totum quinquennium mutus, a D. Bennone, cui pater Sacrum voverat, loquelam impetravit. Die ut supra.

274 Catharinæ Planckin quinquennis filius Christophorus, et ipse per triennium loquelæ usu carens, D. Bennonis patrocinio, cui illum parentes, Sacrum et peregrinationem ex voto nuncupantes, commendarunt, loqui cœpit: quod miraculum persoluto voto XI Maji annotandum retulerunt.

275 Michaelis Lauttenschlager Khumatensis septennis filius Jacobus, gravi implicitus morbo, V dies cibi expers traduxit; pro quo jam conclamato, pater D. Bennoni votum fecit, vivumque et incolumem conservavit. XIV Maji.

276

herniosus,

276 Andreæ Seidel unius anni infans Joannes, a nativitate herniosus fuit. Quem cum pater chirurgo curandum tradidisset, ausus non est præ ætatis teneritudine aspero sectionis remedio uti; auctorque fuit patri, prolem D. Bennoni edito voto commendandi. Quod cum illico, promisso Sacro et peregrinatione, fecisset; hernia evanuit. Testis fuit Caspar Seidel dicti Andreæ frater. xx Maji.

pedibus debilis vir

277 Michael Hafner Deckendorffensis, integrum biennium pedibus laborans, fulcris uti debuit; postquam diu Chirurgorum medicorumque artem nequidquam fatigavit, ad D. Bennonem edito Sacri et peregrinationis voto, convaluit. Die ut supra.

et mulier;

278 Antonii Schlechneber Haugensis uxor Walburga, solido anno graviter decumbens omni pedum usu caruit. Pro qua cum ejus maritus D. Bennoni peregrinationem vovisset, intra octiduum sine ullo medicamine sana et sospes evasit. xxviii Maji.

ad mortem æger,

279 Joannes Konig Pretschlaipfensis, ante biennium periculose et sui impos xiv diebus ægrotavit. Filius ejus Georgius, pro patris salute D. Bennoni supplex, pictam tabulam, in qua SS. Triados effigies expressa erat, dicavit: qui mox rata habens vota, sanitatem ægrotanti reddidit. xxix Maji.

pede et brachio impeditus,

280 Joannes Schwailer, civis Monachiensis, ultra mensem dextro pede laborans, insistere eidem nequiit, insuper tantus subito dolor utrumque brachium excruciavit, ut neutra manu os attingere potuerit. In gemina hac calamitate D. Bennoni Sacrum et anathema ex voto promisit, ipsoque die Sospitatori suo sacro, convaluit. iv Julii.

febrientes duo,

281 Joannes Deuschel, itidem civis Monachiensis, una cum uxore sua Barbara, ix hebdomadibus ex febri decubuit: promisso D. Bennoni ex voto Sacro, ambo morbo liberati sunt. ix Julii.

apoplecticus,

282 Joannem Perlacher, e pago Perlachensi in urbem redeuntem, primo vertigo subita rotavit; qua brevi cessante, prope Isaræ pontem, utroque genu velut apoplexia tactus, humi collapsus, progredi ulterius nequiit, sed curru impositus domum revectus est. Cum igitur totum quatriduum pedibus captus decubuisset, ix Julii de nocte D. Benno apparuit, cui prius Sacram et anathema pro valetudine sua voverat: visusque est his sacro pede ægra genua tangere, hortatus (sic somniabat) ut se in portanda arcula quadam, cui sua imago imposita erat, adjuvaret: exinde illico ut antea pedibus ingredi valuit.

cæcus,

283 Joannis Grimb Dachoviensis sesquiannum natus infans Martinus, xi hebdomadibus cæcus fuit. In hac calamitate pater pro filiolo vitulum ex voto dicavit: qui intra octiduum alterum oculum (altero exarescente) recuperavit. xxviii Julii.

brachium dolens,

284 Catharina Clossim Puchnizensis, postquam D. Bennoni Sacrum vovit, brachii sanitatem, in quo solidum semestre maximos cruciatus pertulerat, recepit. vi Septembris.

angina laborans,

285 Catharinæ Jagerpeckin fauces ita intumuerant, ut cibo et potu carere debuerit, in hoc rerum articulo D. Bennoni cereum anathema ex voto nuncupavit, brevique melius habuit. xxiv Septembris.

phrenetica et pedibus capta,

286 Joannis Graff Mammendorffensis uxor, totum quinquennium delira et phrenetica solido triennio in vinculis haberi debuit, tandemque utroque pede capta est. Maritus pro conjugis salute D. Bennoni anathema ex voto promisit, quæ mox et pedum et mentis sanitatem recuperavit. v Novembris.

pedem dolens,

287 Joannes Mayr Wieblingensis, vi hebdomadibus acerrimis cum doloribus sinistro pede laboravit, sine ulla die ac nocte requie. Ejus uxor, cum diu humana remedia curando viro suo nequidquam adhibuisset, D. Bennoni Sacrum et peregrinationem vovit; qui intra breve tempus sanitatem eidem impertivit. xii Novembris.

EX IMPR. GERM.

Anno MDCXX.

et brachium,

288 Caspar Seelshover Perckusanus, xx annis venenata quadam in brachio sinistro porrigine infectus, magnis expensis sanitatem licitabatur nequidquam a chirurgis: quam tandem ante triennium, postquam D. Bennoni peregrinationem et sacram Communionem vovit, intra tres hebdomades recuperavit. Testem nominavit totam viciniam. xx Januarii.

ex apostemate periclitans,

289 Joannes Eberel Monachiensis, sex hebdomades graviter decumbens, periculoso insuper circa præcordia apostemate infestabatur: ab omnibus jam conclamatus, D. Bennoni Sacrum et donarium ex voto dicavit, post quæ mox rupto noxio ulcere, paulatim convaluit. xxv Martii.

ex puerperio delira,

290 Catharina N. Ante sexennium in periculosum morbum in puerperio incidit, velut mente capta delirans. Hoc modo calamitosa, cereum D. Bennoni anathema promisit, et morbo liberata est. xiv Aprilis.

apoplectica,

291 Wolffgangi Dumbperger Irenpergensis septennis filiola Barbara, abhinc anno aliquoties apoplexia correpta fuit: a parentibus, Sacrum et peregrinationem ex voto nuncupantibus, D. Bennonis patrocinio commendata, sanitati restituta est.

ex lapsu moribundus,

292 Georgius Enckel Underkaltenbachensis, ante biennium ex equo prolapsus noctem et medium diem sui impos, et pro mortuo habitus jacuit. Uxor pro mariti salute Sacrum et peregrinationem vovit: qui mox, edito vitæ indicio, intra octiduum sanus et sospes evasit. xxvii Julii.

hemiplecticus,

293 Christophori Ritter Kunsani filius xx annorum, ante decem annos sinistro brachio et pede captus, toto anno maximos dolores exhausit. Postquam pater D. Bennonis auxilium, edito Sacri voto, imploravit, brevi pristinam sanitatem recepit. xxviii Septembris.

Anno MDCXXI.

moribundus,

294 Georgius Gedaver Landshutanus, præteritis feriis Natalitiis in letalem morbum incidens, sine ulla salutis spe decubuit. Quamprimum ejus loco D. N. Imberlander D. Bennonem voto Sacro invocavit, intra paucos dies convaluit. viii Aprilis.

toto corpore cruciatus vir

295 Andreas Pfundmayr Bacherensis, abhinc biennio maximis omnium artuum doloribus conflictatus, solidum semestre decubuit. In tam gravi morbo ingenti recuperandæ valetudinis fiducia, D. Bennoni Sacri et peregrinationis votum edidit: intraque breve tempus, sine ulla humana medela, sospes et incolumis evasit; et votose, sine fine gratias Sospitatori suo agens, xxv Maji exsolvit

et puella

296 Feminæ cujusdam Dornhorensis filiola Barbara, postquam trimula facta est, toto triennio graviter ægrotavit toto corpore: voto autem D. Bennoni a matre anathemate, convaluit. xxi Maji.

moribundus,

297 Ejusdem Divi ope sexennis parvulus, ab omnibus conclamatus, valetudinem recepit: factusque ævo maturior, proprium chirographum tanti miraculi testem Sospitatoris sui aræ imposuit. Die ut supra.

icterica

298 Annam Eismanniz Detterriedensem aurigo tam vehementer corripuerat, ut nemo medentium ei curandæ manum adhibere auderet, naso jam putrefieri incipiente, quare humana ope destituta, a D. Bennone, cui Sacrum et anathema voverat, sanitatem impetravit. Die ut supra.

cardiaca,

299 Georgii Planck Wundensis uxor tantis capitis, et cordis doloribus infestata fuit, ut spe vitæ ulterioris excideret. Ut primum D. Bennonis opem Sacri voto inclamavit, sanitati restituta est. Eodem die quo supra.

herniosus, 300 Andreas Deer Oberfindingensis, solidum quinquennium herniosus; facto Sacri et peregrinationis ad D. Bennonem voto, malo illo liberatus est. Die supra dicto.

vertiginosus, 301 Georgii Ofner Germerswangensis filius itidem Georgius, VIII annorum, vertiginoso quodam capitis morbo infestabatur: qui ubi eum invasit, decumbere coegit. Pater pro prolis salute D. Bennoni supplex anathema eidem dicavit, filio mox ab omni morbo liberato. IX Junii.

cephalalgica, 302 Anna Kolzpelin Waidkirchensis, solidum quinquennium cum maximo cruciatu capite laboravit, præ dolore ne mente caperetur, cunctis metuentibus, postquam D. Bennoni anathema ex voto promisit, omni dolore libera evasit. Die ut supra.

corpore tumens, 303 Michaël Horman Harazellensis, decem hebdomades toto corpore tumefactus, et mente captus fuit. Ejus uxor adhibita frustra curationi medentium arte, ad D. Bennonem nuncupato ex voto anathemate et donario, confugit; maritoque concupitam valetudinem recuperavit. IX Junii.

febrim patiens, 303 Apolonia Magdlin Underumbachensis, edito ad D. Bennonem voto, Hungarica febri liberata est. Die supra dicto.

mutus et suffocandus, 304 Joannes Iserck ante sexennium subito loquelam amiserat, adeo insuper obstipatis ex apostemate faucibus, ut intercluso spiritu præfocandus videretur. Quo gemino malo brevi feliciter, edito ad D. Bennonem anathematis voto, liber evasit; tandemque votum, quod in hunc usque diem sustinuerat, somnio admonitus, XIV Junii persolvit.

caput dolens, 305 Anna Beurin, diuturnis capitis doloribus vexata, valetudinem suam D. Bennoni, cui anathema et donarium voverat, in acceptis retulit. Die ut supra.

alia pedem, 306 Magdalenæ Schwastetterin XX annorum filia Maria, tam acutos in dextro pede dolores perpessa est, ut incedere nequiverit. Pro qua postquam mater D. Bennonis patrocinium, peregrinationis et anathematis voto, imploravit; ab tunc jam triennio optima valetudine usa est. XIV Junii.

mutus, 307 Balthasaris Stepperel Monachiensis quinquennis filiolus, itidem Balthasar, solido quatriennio mutus fuit, cui D. Benno a parentibus, Sacrum et anathema voventibus, invocatus, loquelam dedit. XVIII Junii.

pedibus captus 308 Joannis Neimer Mitterwaldensis duodecennis filius Jacobus, jam V annos natus, pedibus insistere nequivit. Pater ne omnino illis caperetur veritus, D. Bennoni votum fecit; statimque puer eadem adhuc hebdomade incedere didicit. XXX Julii.

incendium arcetur, 309 Joannes Perger in periculoso totius viciniæ suæ incendio intra horæ quadrantem XIV domos depascente D. Bennoni vitulum vovit: qui mutato illico vento hujus cultoris sui domum, solam ex omnibus illis incolumem, conservavit V Octobris. Testes fuere vicini omnes.

Anno MDCXXII.

phrenesis curatur. 310 Margareta, Georgii Gebhart Ohenbachensis filia, ante quinquennium graviter phrenesi correpta fuit: qui morbus illam aliquoties atrociter exercuit. Postquam vero ejus pater D. Bennoni peregrinationem et Sacrum ex voto nuncupavit, malo illo in perpetuum liberata convaluit. XXVII Maji.

ANNUS MDCLXXX

a translato in Bavariam corpore centesimus.

Instituta solenni Processione, Anni hujus celebritas cœpta est XV Junii quando post meridiem ducta fuit supplicantium pompa splendidissima, per majorem urbis partem, adusque palatium Electorale. Præibant singularum Congregationum Sodales maximo numero: gestabantur vexilla, imagines ferculis ornatæ, sacræ Reliquiæ splendido cultu. Sequebantur Religiosorum familiæ omnes. Tum Clerus universus longo ordine, et Canonicorum Collegium. *circumferuntur Reliquiæ,* Gestabantur sacra Lipsana S. Bennonis pretiosæ tumbæ inclusa, et a serenissimo Maximiliano Philippo Bavariæ Duce, tunc Electoratus Bavarici Administratore, liberali et multo argento ornata. Supra tumbam Spectabatur S. Bennonis opere elegantissimo fabricata effigies argentea, quam matronæ perillustres auro, et gemmis donatam ornarant. Ad latus, sacerdotes Mitram sancti Præsulis, Pedum, et Pluviale portabant, quorum hoc ducentis annis in sepulcro mansit integrum. Post hæc serenissimus Elector Maximilianus Philippus, cum serenissima Conjuge comitabantur. Principum vestigia stipabant Proceres, Senatores, Nobiles ex aulica familia, urbs denique tota. Vesperas excepit hymnus Ambrosianus, ter gemino bombardarum fragore, a militibus in foro, et plateis, tum deinde, cum ingenti applausu, et festo æneorum machinarum bombo, ex gemina turri ædis B. Virginis, et per urbis munimenta, celebrior. *celebratur octava:* Habiti pro concione a nostro Ecclesiaste ordinario, per Octavam illam, sermones panegyrici de sancto Bennone, omnino undecim præsente semper Sereniss. Maximiliano Philippo Administratore cum serenissima Conjuge ac tota aula, et insolito urbis accursu. Ecclesia B. Virginis ubi hoc seculo servata sunt sacra Lipsana S. Bennonis, emblematis, Chronologicis, et in scriptionibus ingeniose ornata erat. Illud in primis memorabile: quod centum omnino annis, ex quo sacræ Reliquiæ S. Bennonis ex Misnia in Boicam migrarunt, ab earum adventu Monachium urbs illa Provinciæ Bojariæ regia, nulla pestilitatis aura unquam afflata est, illis præsentibus, adeo gratus Boiis incola est S. Benno. *dicitur nulla pestis fuisse præsente corpore.* Dixi, Præsentibus: nam anno hujus seculi XXXIV, cum pestilitas eam Monachii grassaretur, sacra S. Bennonis Lipsana Salisburgi (quæ urbs intra montis munitissima est) in fuga fuere, ut furori Suecico eriperentur. In reditu istarum Reliquiarum cessavit pestis, neque post hac ausa est succedere; et si hujus sæculi anno LXXIX et LXXX eadem lues vicinas Provincias infestarit. Toto hoc tempore singulis septimanis solenne Sacrum cantatum est in æde Divæ Virginis, in honorem S. Bennonis, cui hoc anno MDCLXXXI, ob servatam a peste urbem et totam patriam, tanquam Patrono, et Sospitatori, publice grates habitæ sunt per Processionem Solennem: in qua sacræ ejus Reliquiæ denuo per urbem gestatæ. Supplicationem hymnus Ambrosianus excepit, et absoluto festivo applausu denuo per urbis munimenta, et ex gemina turri, ad ædem B. Virginis tormenta bellica. Hæc ego Franciscus Halden Societatis Jesu indignus Concionator ad Divæ Virginis hic egi et spectavi, emblemata et chronologica typis impressa sunt.

DE

DE S. LUTGARDE VIRGINE,

SANCTIMONIALI ORDINIS CISTERCIENSIS,

AQUIRIÆ IN BRABANTIA,

G. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De cultu, vita, ætate et Reliquiis Sanctæ.

ANNO MCCXVI

Memoria in Fastis :

Memoria S. Lutgardis Virginis in Brabantia *inserta est ad hunc* XVI *Junii hodiernis Martyrologii Romani Tabulis, jam ante reperta in MS. Florario et aliis MSS. ad usum Ecclesiarum Belgicarum auctis, item a Greveno et Molano in Additionibus ad Usuardum, et ab hoc in Indiculo atque Natalibus Sanctorum Belgii proposita. Secuti eos sunt Miræus in Fastis Belgicis, Canisius in Martyrologio Germanico, Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus in Martyrologiis Benedictinis ; Henriquez, Chalemotus, in Menologiis Cisterciensibus ; Saussayus, in Martyrologio Gallicano ; Balinghemius, in Kalendario Mariano, aliique. Est autem* Aquiria *duplex, altera in Leodiensi diœcesi antiquior, altera in Namurcensi, olim Cameracensi sita, utraque vulgo dicto* Awieres, *de quibus Miræus in Chronico Cisterciensi hæc habet :* Quarto fere a Bruxella milliari sita est Aquiria Virginum Abbatia. Fuit ea primum fundata anno MCCII in vico Aquiria sive Aviria nuncupato, secundo milliario ab urbe Leodiensi, cumque annis ibi quatuor stetisset, bellis inter Principem Leodiensem et Comitem Namurcensem exortis, in Brabantiam tunc pacatam se Moniales contulerunt ; et in vico Allodiensi vulgo Aloux ; primo a Nivella lapide, anno MCCX domicilium collocarunt : sed cum aquarum ibi penuria laboraretur, anno MCCXVII ad locum, quem hodie obtinent, commigrarunt, *ac veteri nomine* Aquiriam *nuncuparunt, subsuntque in spiritualibus Abbati Alnensi. Hic vixit et obiit,* S. Ludgardis ; *non Abbatissa, uti per errorem Molanus, sed privata et omni regiminis onere libera.*

locus habitationis et cultus :

Vita scripta a Thoma Cantipratano,

2 *Vitam scripsit Thomas Cantipratanus, ita dictus a Cantiprato Canonicorum Regularium ad muros urbis Cameracensis, a quorum instituto ad Prædicatores transiit ; horum, cum hæc scriberet, Lovanii Prior, postea Suffraganeus Episcopi Cameracensis : qui præfatur se* plurima ab ore ipsius piæ Lutgardis, sicut familiarissimus ejus, accepisse ; cetera a fide dignis personis percepisse, *nominatim quandoque contestes allegans. Inscripsit* Halvidi Abbatissæ monasterii Aquiriensis, *quam* mortuam fuisse anno MCCXLVIII, *id est annis post obitum Sanctæ quatuor, scribit Bartholomæus Fisen in Floribus Ecclesiæ Leodiensis pag.* 278. *Certe ex paucitate miraculorum post mortem annotatorum, aliisque, facile colligitur, intra secundum vel tertium a Sanctæ obitu annum scripta esse omnia. Ipse tamen Thomas, nusquam* Sanctam *aut* Beatam, *sed semper* Piam Lutgardem *appellat. Dionysius Carthusianus libro de Quatuor novissimis articulo* 50, *appellat Thomam Cantipratanum* virum litteratum, religiosum Ordinis S. Benedicti *non bene ; et in libro de pluralitate beneficiorum art.* 7 secundum carnem nobiliter natum, sed secundum spiritum nobilius conversatum et magna scientia decoratum, qui et Episcopus Suffraganeus fuit. *Ejusdem Cantipratani laudes prosequuntur Henricus de Gandavo, de Ecclesiæ Scriptoribus cap.* 51, *ubi meminit* Vitæ S. Lutgardis *ab ipso Scriptæ ; Joannes Trithemius, Leander Albertus, Guilielmus Eysengrein, Antonius Senensis, Robertus Bellarminus, Justus Lipsius aliique, quorum testimonia profert Georgius Colvenerius, post Vitam Cantipratani a se illustratam.*

coævo et familiari,

3 *Vitam hanc edidit pridem Laurentius Surius, præfatus* stylum simpliciorem passim nonnihil a se emendatum : *addo, et eam pluribus omissis contractam. Nos integrum contextum Auctoris damus primogenia phrasi, ex tribus potissimum codicibus MSS. scilicet uno valde insigni Collegii nostri Brugensis ; altero, Bibliothecæ Canonicorum Regularium in Rubea valle prope Bruxellas, ubi illa legitur in secunda parte Hagiologii Brabantinorum ; ac tertio, nobis communicato ab Auberto Miræo, Ecclesiæ Cathedralis Antuerpiæ olim Decano, nostrorumque studiorum dum viveret amantissimo. Ex horum autem ad invicem collatione didicimus, Auctorem, aliquot annis postquam scripsisset Vitam qualis in Codice Brugensi habetur, et a pluribus forte transcripta jam erat, eamdem recognoscendam dedisse cuidam ipsius Sanctæ etiam familiarissimo,* Fr. Bernardo Ordinis Prædicatorum, et Pœnitentiario Domini, Papæ *Innocentii IV. Hic varia puncta addendo suggessit ; quæ ex duobus aliis MSS. in antiquiorem textum transtulimus uncis his* [ ] *notata ; sicut et alia quædam, ab Auctore ista occasione addita, qui subinde etiam aliquid in phrasi mutavit, haud satis dignum cui scrupulosius adnotando immoremur. Talem autem interpolationem possumus præsumere factam post obitum Innocentii IV, qui anno* MCCLIV *contigit, sexennio serius quam Abbatissa Hadwigis; cum scilicet e Curia rediisset* Bernardus, *et tamen adhuc viveret* Cantipratanus, *qui usque ad* MCCLXIII *superfuit. Habemus etiam eamdem Vitam, sed contractiorem, ex MSS. Ultrajectino Ecclesiæ S. Salvatoris. Eadem Vita a nostro Bernardino de Villegas habetur Hispanice edita sub hoc titulo* Sponsa Christi instituta ex Vita S. Ludgardis seu vita S. Ludgardis cum digressionibus exhortatoriis ad Moniales, *Madrit anno* MDCXXV : *quod utilissimum opus postea Italice redditum, Venetiis prodiit anno* MDCLXI. *Varia quoque ex eadem Vita compendia ediderunt, citatus supra Fisen, in Floribus Ecclesiæ Leodiensis ; Chrysostomus Henriquez, in Liliis Cistercii, de rebus gestis Sacrarum Virginum Cisterciensium ; Angelus Manrique, in Annalibus Cisterciensibus ; Lippeloos, Hæræus, aliique, qui Vitas Sanctorum quibuscumque linguis vulgaribus ediderunt et ipsam ex Surio desumpserunt simul cum* [illegible] *commissis : quorum unum circa ætatem* [illegible] *observamus.*

editur ex 3 MSS.

Compendia varia indicantur

4 *Sæpe infra in Actis mentio fit* Sibyllæ de Gagis, *quæ ut dicitur lib.* 2. *num.* 30, et ab [illegible] Ordinis devotissime servire consueverat. *D*[illegible] *Gazophil. Belg. pag.* 60, *Rayssius ista scribit.* Ossa ejus e tumulo extracta sunt anno Domini M[illegible]XI, septimo Idus Octobris, ab Henrico Welpen Abbate Alnensi Superiorum permissu. Magnus fit indies hominum confluxus, e dissitis etiam locis ad ejus Sepulcrum. Visitur fons a tempore elevationis juxta ejus tumulum :

Op[illegible] *sa*[illegible] *Sibylla*

A lum, ex quo advenientes peregrini levamen ab infirmitate, ubi aliquid ebiberint, miro modo persentiunt. Juxta quem, ut ante dixi, visitur, ac inani quodam spatio in ipsa parietis templi crassitie excavato, superneque fornicis seu arcus in formam clauso, comprehenditur : adhibitis deinde clathris aut cancellis ferreis, qui ipsum sepulcri aditum muniant ac firment. In ipsa vero fornicis curvatura, hos versus exaratos descripsimus.

AUCT. G. H.

Lux nona Octobris toto radiabat in orbe,
Abbas Henricus sapientis quando Sibyllæ
Ossa, pio populi applausu pompaque, locavit.

5 *Præter* Sibyllam, *sub eodem* Beatæ *titulo, ejusdemque Octobris ac diei* IX *nota, eo quod alius nullus occurreret aptior, refertur etiam a Rayssio,* Elisabetha de Wans, quæ quondam *(ut hic dicitur lib.* 3. *cap.* 21*)* in Campania Galliæ apud S. Desiderium fuerat Abbatissa, *abdicataque Prælatura Aquiriam transierat. De hac Cantipratanus lib.* 2. *cap.* 5. §. 4. *ait, quod* genere et vita nobilis, a cunabilis fere Christo devotissima fuit : cujus sanctitati parentes ejus simpliciter invidentes, eam Militi probatissimo, licet invitam, in conjugium tradiderunt, cum quo in uno lecto annum integrum agens, virgo tamen impolluta

et Elisabethæ Wans sociarum S. Ludgardis.

B permansit. *Addit ex MS. Hagiologio Sanctorum Brabantiæ Rayssius sequentia.* Hanc per letentium per tres circiter annos Christi ad Crucem affixi statua undique sequebatur; et si quando immundis ac fœdis vexaretur cogitationibus, manum de cruce porrectam suo superponebat pectori, et actutum perversas omnes animi cogitationes abigebat : sæpius etiam Angelicis colloquiis fruebatur. Ad amœna virentis paradisi die quadam evecta est; ubi quidem tam ex viventibus et natis, quam etiam nascituris, qui æterna gloria potituri erant; et, quod admirabilius est, in quo statu, virginitatis aut conjugii singuli glorificandi essent, spiritu revelante cognovit. Hos igitur cum postea in hac vita videret, quorum similitudines viderat in cœlis, licet et antea ignoti essent, ex facie specialissime agnoscebat; et subito in ictu oculi, in singulis meritorum ac statuum differentiam discernebat. Semel cum Elisabetham ab Asca Namurcenam videret, optime comptam et ornatam, utpote quam parentes matrimonii fœdere conjungere propagandæ stirpis causa, in animo duxissent; constanter ad eam dixit : Frustra tam pretiosis indueris vestibus; quoniam te in virginitatis statu victuram certo cognovi : quod uti dixit, ita

C evenit. Meruit etiam hæc S. Lutgardem, gloria coruscantem, ab ejus morte videre. Constat etiam spiritum habuisse prophetiæ; cum a principio mundi, ea quæ in fine futura sunt luculentissime contemplans, evidentissime prænuntiarit. Tandem, cum multis virtutum insignis claruisset vocata est ad thalamum cœlestis sponsi, cum quo in perpetuum victura hoc triste seculum deseruit. *Sepulturæ locus in oblivionem venisse videtur, alias credo eodem quo* Sibylla *præfata elevationis honore decorandam eodem auctore eademque occasione fuisse.*

6 *His interpositis redeo ad* Lutgardem. *De hac optime meritus fuit Joannes Molanus, quippe cujus ad Usuardum Additiones Baronio, ipsius scripta maximi facienti, momentum præcipuum attulerunt ad ejus nomen Romani Martyrologii fastis inserendum : is inter alia typis paratos reliquit, cum anno* MDLXXXV *moreretur, Natales Sanctorum Belgii. Eos Baronius videre non potuit cum Notas in Martyrologium scriberet; editi enim primum sunt duodennio post auctoris mortem : adeoque non potuit legisse Baronius quod Molanus ibidem notavit post Vitæ compendium;* Non est tamen, *inquiens,* ob meritorum suorum ut creditur, exigentiam Sanctorum Catalogo a Romana Sede subscripta, aut ex loco sepulturæ ad decentiorem levata. *Non videtur ex toto justa ea querela : cum inter Reliquias,* ex dono Margaretæ Austriacæ, Octavii Farnesii Parmæ et Ducis uxoris et Belgii pro Rege Catholico Gubernatricis, *anno Domini* MDLXV *perlatas ad Henricum Cardinalem, Portugalliæ Regem, numerentur aliquæ* S. Lutgardis Virginis Cisterciensis : *dicuntur autem in litteris Antonii, Regem Lusitaniæ se dicentis, easque tradentis filio suo Emmanueli anno* MDXCIV, Pars ex spina dorsi et cranii, *eaque satis notabilis, prout ipsi vidimus in Abbatia S. Salvatoris Antuerpiæ; ubi ex dicti Emmanuelis dono habentur, una cum aliorum Sanctorum* XXXIV *insignibus Reliquiis. Quod totum distinctius legere est in Aprilis nostri die* II, *ad Acta S. Mariæ Ægyptiacæ; atque in Appendice ad eumdem diem. Sed forte cum Molanus scriberet, ignorabatur etiam Aquiriæ, ubi corpus esset; postea autem quæsitum inventumque sit, ut de eo scribere potuerit Rayssius in suo Hierogazophylacio, edito sub annum* MDCXXVIII *pag.* 60, Ossa ejus elevata sunt, et in capsa sub altari, quod ejus honori erectum est, reconduntur. *Ita ille videtur modeste corrigere Molanum, dissimulando tamen annum, auctorem et circumstantias istius Elevationis.*

D

S. Lutgardi Reliquia Antuerpiæ.

E 7 *Obiisse Sanctam, ait Vita lib.* 3. *cap.* 16. anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentissimo quadragesimo sexto, mense Junio, sextodecimo Kal. Julii, Indictione quarta, anno ætatis suæ sexagesimo quarto, hora circa vesperam; *vel ut habent MSS. Rubeæ-Vallis ac Miræi,* in hora Vesperarum. *Hoc ultimum ex posteriori Thomæ correctione esse non dubito. Ast minime credo, quod eodem se corrigente factum sit, ut in iisdem MSS. legeretur Lutgardis* anno ætatis suæ quadragesimo quarto *ad cœlos evolasse. Potius censeo errore librarii, a cujus ecgrapho duo ista transsumpta fuerint, pro* LX *irrepsisse* XL, *facili calami lapsu; sed quem corrigendum monent pluribus locis ipsamet, quæ hic fallere possent MSS. Etenim illa æque ac Brugense lib.* 1. *cap.* 9. videre *jubent* Aquiriæ Moniales, quanti inter eas meriti quadraginta annis mulier habitavit : *et lib.* 2. *cap.* 1. *miratur Thomas eam Gallice loqui ægre quidquam scivisse, quæ* vix viginti quatuor annorum tempus attigerat, cum Aquiriam intravit, et quadraginta annis postea inter socias Gallicas vixit. *Venerat ergo ad illas anno* MCCVI. *Neque scrupulum contra hunc calculum movere potest, quod lib.* 1. *cap.* 2. *narratur de Abbate S. Trudonis qui* a Concilio Generali Lateranensi veniens, *ab ipsa, cum adhuc esset prope Tungros ad S. Catharinæ* Priorissa, *exceptus fuerit cum processione. Si enim nullum Concilium Generale celebratum est ab Innocentio Papa III, quando anno* MCCIV *contra Albigenses hæreticos Crucem prædicandam decrevit; eamque in rem expediit Legatos, quos nominat Odericus Raynaldus ad istum annum num.* 57; *si inquam an.* MCCIV *concilium nullum celebratum est, sed intelligi debeat illud omnibus notissimum ac vere Generale concilium habitum anno* MCCXV, *cui ad octingentos Abbates interfuere; potius dicendus erit Thomas memoria lapsus, circa causam qua Abbas Romam ierat; quam credetur errasse in re tam comperta Aquiriensibus, et* quadraginta *annos pro viginti adscripsisse Lutgardi Aquiriæ moranti; sic enim oportuisset hanc annorum* XIV *puellam (utpote in eo calculo natam anno* MCCII*) fuisse non solum velatam, sed etiam electam Priorissam Monasterii, Abbatissam soliti non habere, ut dicitur cap. priori. Quid quod* viginti *quatuor annorum ætas, antequam locum ordinemque mutaret Virgo, clarissime distinguatur lib.* 1? *cujus cap.* 1. *dicitur,* annorum paulo plusquam duodecim ætate adepta, inter Moniales Ordinis S. Benedicti divino servitio *mancipasse se : ac nihilominus, cum propter ætatem consecrari necdum posset* multis annis *procum importunum passa cap.* 4. *Hos annos saltem quinque vel sex oportet*

Obiit hæc anno 1246,

cum annis 40 *vixisset Aquiriæ,*

illuc ingressa an. 24, *Chr* 1206, *et nata* 1182,

F

non 1226; *neque mortua an. æt.* 44, *neque nata* 1202.

A *tet æstimari, ut nata anno* MCLXXXII, *consecrari sedecennis vel octodecennis potuerit, non potuisset etiam in tali calculo in Priorissam eligi nisi, sub anno ætatis* XXIII, *Christi* MCCIV ; *et paulo post, cum fuisset* in monasterio S. Catharinæ annis ferme duodecim Monialis *(ut dicitur cap. 22) mutandi loci et Ordinis consilium imo mandatum divinitus accepisset, jam fere* XXIV annos *nata.*

Non fuit Aquiriensis Abbatissa.

8 *Molanus in prævitatis Sanctarum Belgicarum Natalibus dicit, quod Sancta,* Abbatissa præfuit monasterio : *sed hunc memoriæ senilis lapsum Miræus in Chronico Cisterciensi notavit ; Amicus autem noster Generosus Dominus Jacobus Baro le Roy ad correctionem hunc probandam in sua Topographia historica Gallo-brabantiæ, post accuratissime descriptam originem ac progressum loci, etiam novam hanc diligentiam addidit, ut seriem Abbatissarum Aquiriensium daret, ex ipsius loci schedis propria manu transcriptam in qua nullus* S. Lutgardi *locus. Dedit ibidem, eleganti expressam scalpro, imaginem monasterii, sicuti sese conspectui offert a Septemtrione ; simulque tam ibi quam in toto illo opere exhibuit magnanimam diligentiam suam nulli nec labori nec sumptui parcens, ut quam* B *compertissima certissimaque scriberet; Specimen, ab ipso benigne huic loco commodatum, hic haberes nisi peregre obiisset : quo reverso locus ipsi fortassis dabitur in appendice vel supplemento.*

Iconismus Abbatiæ.

Abbatissarum series.

Abbatissarum series ab ipso collecta hæc est.
Maria, creata anno 1202
Woaris obiit, 1238
Agnes
Hadwidis 1258
Margarita Itterensis 1271
Lutgardis 1275
Benedicta
Maria 1341, 3 Martii
Extranea 1365, 18 Martii
M.
Maria del Haye 1371
Joanna del Haye 1389
Joanna 1401
Catharina Halbaizo 1413
Catharina Alpus 1414
Catharina Marike 1422
C Margareta Bertenchampt 1434
Maria du Bray 1437, 13 Junii.
Catharina Camprenoille 1510, 15 Febr.
Joanna Bernage 1533
Maria Marlecque 1593, 11 Febr.
Margareta de Marbais
Ludovica de Blaton 1632, 28 Febr.
Joanna Boulart.
Lutgardis de Lonchin 1670, 28 Oct.
Joanna Marsillo 1675, 10 Julii.
Benedicta de la Motte an. 1693 adhuc superstes.

VITA

Auct. Thoma Cantipratano coævo.

Ex tribus Codicibus MSS.

PROLOGUS.

Dominæ Reverendæ, et in Christo plurimum diligendæ Hawidi ; concessione divina in Aquiria Abbatissæ, totique cum ea sanctissimo Conventui, Frater officio Supprior, sed Fratrum Prædicatorum minimus, salutem ; et bene hoc, quod sibi. D

Vita libris 3 distinguitur ;

Officium personæ et Ordinis ; et si non nomen proprium, in salutatione posui ; ut scilicet autoritas in Officio et Ordine commendetur ; nec tamen opus sequens nominis insinuatione vilescat. Sicut me non solum vestra, immo multorum monasteriorum caritas et amor, quem specialissimum erga personam habebam, flagrantissimus incitavit. Vitam piæ Lutgardis utcumque descripsi ; tribus libris opus omne distinguens ; secundum triplicem statum in anima, inchoantium, proficientium, et perfectorum. Primus quidem, quomodo in ordine S. Benedicti conversionis sanctimoniam inchoavit : secundus quomodo) ad Cisterciensem Ordinem transeundo profecit : quid autem annis undecim ante mortem et in morte et post mortem per eam Dominus dignatus est operari, quasi perfectionis gradum liber tertius obtinebit et continebit.

ab ore S. Lutgardis aut a fide dignis accepta,

Nec credo vitam alicujus, quæ tot virtutum insignia et mirabilium ac miraculorum prærogativas in se contineat, a multis retroactis annis fuisse descriptam. Si autem quæritur, quomodo legentibus fidem faciam de iis omnibus, quæ conscripsi : breviter dico, quod ipse Christus testis et judex sit, F quod plurima ex iis ab ore ipsius piæ Lutgardis, sicut familiarissimus ejus accepi : et in iis nullum ita temerarium credo, qui ejus testimoniis contradicat ; cætera vero a talibus me percepisse profiteor, qui nequaquam a veritatis tramite deviarent. Pleraque etiam, et revera magnifica, scribere non consensi ; vel quia non intelligibilia rudibus essent, vel quia testimonium conveniens non inveni. Cum ergo caritas omnia credit, omnia sustinet ; peto ab iis, quibus Deus spiritum suæ caritatis infudit, ut credant his si qua sunt sancta, si qua utilia, si qua veritati consona proponuntur; simulque sustineant patienter, si qua minus litteratorie vel indiscrete posuero : quæ tamen propter hæc minus debite ab improbis repelluntur. Bonorum enim ingeniorum, ut dicit gloriosissimus Augustinus, insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Neque enim aurum minus pretiosum est, quod de terra tollitur; neque vinum minus sapidum, quod de vilibus lignis excipitur. Ergo non sol m vos, sed omnium monasteriorum Brabantiæ cœtus virginum, Vitam piæ Lutgardis suscipiant ; ut quæ in fama virtutis notissima omnibus fuit, ipsa brevi libelli hujus insinuatione plenius innotescat ; augeatque legentibus virtutem et meritum, quibus præscriptum aderit virtutis exemplum. Valeat vestra sancta et sincera benignitas, et mei vos memores in orationibus vestris Divina pietas incolumes tueatur ; Amen.

De Doctrina Christi . Lib. 4. cap 11. F

VETUS DIVISIO.

ix Quomodo B. Catharina apparuit ei.

x Quomodo visa est a toto conventu in aere suspendi.

xi Quomodo claritas solaris visa est de nocte ad eam descendere.

xii Quomodo Dominus compatienti infirmis, dedit ei gratiam sanitatum; et postea ut intelligeret Psalterium et postea ut, perditis istis, gratiam Dei, quoad viveret, impetravit.

xiii Quomodo in aliquo tribulata, rapiebatur in spiritu, et sugebat de latere Domini mirabilem dulcedinem.

xiv Quomodo apparuit ei Joannes Evangelista in modum aquilæ, et quid illi ostensum sit per illam aquilam.

xv Quomodo Christus sibi apparuit in cruce affixus, et ipsa osculata est vulnus ejus.

xvi Quomodo videbatur ei quod manus suæ oleum distillarent.

xvii Quomodo consecrata fuit, et qualiter visa fuit corona aurea poni super caput ejus; et hoc duobus videntibus.

xviii Quam perfecte Agnum secuta fuerit Christum.

xix Quomodo ipsi cantanti Christus visus est applaudere, in specie agni.

xx Quomodo Priorissa in monasterio S. Catharinæ facta est.

xxi Quomodo Christus manum suam mediam posuit, quando violentiam passa est in osculo cujusdam Abbatis in eodem monasterio: et quantum fugienda sunt oscula virorum feminis religiosis.

xxii Quomodo transivit ad Ordinem Cisterciensem, de Ordine S. Benedicti.

Lib. ii Cap. i. Quomodo B. Maria apparuit ei, cum timeret se eligi in Abbatissam; et quod miraculose non potuit Gallicum addiscere.

ii Quomodo B. Virgo conquesta est de gravitate Albigensium, et propter hoc jussa est septem annis continue jejunare in pane et cerevisia, tantum ut Dominus propitiaretur populo suo.

iii Quomodo Mag. Jacobum de Vitriaco liberavit a quadam gravissima tentatione.

iv Quomodo quemdam Simonem, Foviacensem Abbatem, liberavit a Purgatorio, violentissimis precibus ad Deum factis.

v Quomodo voluit certificari super statu suo; et apparuit omnibus videntibus juvenis splendidus ad consolandum eam.

vi Quomodo mori desiderabat, et apparuerunt ei vulnera Christi, clamantia ad eam pro peccatoribus.

vii Quomodo Innocentius Papa III mortuus, statim apparuit ei.

viii Quomodo Mag. Joannes de Liro apparuit ei statim mortuus; et quid Christus dixit ei, dum plangeret illum mortuum.

ix Quomodo secundo revelatum est ei, ut alios septem annos pro peccatoribus jejunaret: et sicut ipse Christus Patri se pro peccatoribus in sacramenti sacrificio quotidie se offerebat, sic et ista se Christo offerret.

x Quomodo dæmon apparuit ei, et dixit se decepisse quamdam Monialem; et quomodo illa Monialis liberata est.

xi Quomodo quædam Moniales ab incolis dæmonibus liberatæ sunt per eam.

xii Quomodo quædam Yolendis Monialis, præmonita ante mortem per eam, apparuit post eam.

xiii Quomodo soror sua mortua apparuit ei.

xiv Quomodo prohibita fuit omni die Dominico accedere ad Sacramentum Altaris.

xv Quomodo dæmon apparuit ei in morte cujusdam Sororis.

xvi Quomodo dæmones frequenter apparebant ei, et quomodo timebant eam.

xvii Quomodo metuebat se non bene semper dixisse Horas debitas: et propter hoc quidam missus a Domino, securam fecit eam.

xviii Quomodo flamma visa est exire de ore ejus, dum cantaret.

xix Quomodo communicata Corpori Domini, noluit carere prandio; sed dixit Domino ut quamdam debilem Monialem occuparet reliquiis cogitationum: et sic factum est et probatum.

xx Quomodo eadem Elisabeth curata fuit, ipsa orante.

xxi Quomodo desideravit martyrium pro Christo sustinere, et illo desiderio rupta est vena contra situm cordis sui, et in mirabili copia effudit sanguinem; et sic Dominus dixit ei, quod exinde acciperet meritum Agnetis in martyrio.

xxii Quomodo quædam Domina Machtildis Monialis recepit auditum perditum, per impositionem digiti ejus.

xxiii Quomodo memor passionis Christi, in contemplatione visa est a quodam Presbytero, quasi perfusa totaliter sanguine.

xxiv Quomodo quemdam Dominum Tymerum Militem, virum flagitiosum, violentissimis precibus convertit ad Dominum.

xxv Quomodo Monialem a tentationibus liberavit; et eadem miraculose, quod precabatur, obtinuit.

xxvi Quomodo cuidam mulieri graviter tentatæ prædixit, quod deberet in Parasceve mori.

xxvii Quomodo quidam vir, in solo conspectu ejus, est contritus pro peccatis, et satisfaciens liberatus.

xxviii Quomodo epilepticum sanavit.

xxix Quomodo in festo omnium Sanctorum ei multitudo Sanctorum apparuit.

xxx Quomodo Dominæ Sibyllæ, gravatæ servitio ejus, per vocem nocte responsum fuit.

xxxi Quomodo quidam desperatus, loquens ei, lucidissimam claritatem super eam vidit, et confortatus est.

xxxii Quomodo in Cantico, Te Deum laudamus, B. Virgo apparuit ei.

xxxiii Quomodo compatienti cuidam pauperculæ, Dominus dixit ei, Portio mea.

xxxiv Quomodo in multis spiritu prophetico claruit: quomodo et nomen et meritum cujusdam Virginis Osannæ designatum fuit per eam, quod per annos multos ignoratum erat.

xxxv Quomodo cujusdam apostatæ reditum ad Ordinem prædixit.

xxxvi Quomodo Ducissæ Brabantiæ mortem prædixit.

xxxvii Quomodo cuidam mulieri tentationem occultam prædixit, et liberavit eam.

xxxviii Quomodo quemdam, vexatum in Confessionibus audiendis, precibus liberavit.

xxxix Quomodo duo Angeli visi sunt deducere eam ad altare; et alia vice ante mortem B. V. Mariæ et B. Joannis Baptistæ adstare ei ex utroque latere.

xl Quomodo ignotæ linguæ scientiam habuit in consolatione cujusdam mulieris, quæ desperata fuerat: et quomodo liberata est per eam.

xli Quomodo diutius flenti pro peccatoribus apparuit Dominus, et manu propria abstersit lacrymas ab oculis ejus.

xlii Quomodo quinque annis quotidie visitata est ab Angelis, et frequenter a Matre Domini vel Apostolis; et tamen nihil sufficit ei nisi solus Deus.

xliii Quomodo vixit in triplici statu: et hoc fuit jacere

His ita præmissis, placet numeros Capitum servare et sequi in contextu per longiora capita, uti solemus, continuando; marginalem vero synopsim ad nostrum morem brevius formare.

LIBER PRIMUS

De vita S. Lutgardis in ordine Benedictino peracta.

CAPUT I.

A matrimonio et amore virorum animus avocatus amore divino constringitur.

E

Pia Lutgardis Virgo, ex illa quondam famosissima civitate Tungrensi, matre nobili, patre cive, originem duxit. Pater itaque tenerrime filiam diligens, et secundum fastum seculi eam cupiens prosperari; viginti marcas argenti, cum illa adhuc esset infantula, cuidam credidit mercatori, ut ex iis medio tempore, quo parvula cresceret, multiplicatis copiis paraphernalia nupturæ filiæ in dotibus augerentur. Puella autem crescens, et quid pro se fiebat agnoscens, prout talis ætas velle poterat, ad conjugium inhiabat. Sed pius Dominus, providus futurorum, qui vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt, frustrato patris consilio, de Lutgarde, sponsanda sibi, aliter disponebat. Ille enim qui deputatam Lutgardi pecuniam per mercationes susceperat ampliandam, frequenter in Angliam transiens, et per infortunia diversa dissiliens, usque ad unam marcam viginti marcas totaliter dissipavit. Nec ista tamen intentionem patris aut effrontem impudentiam filiæ a proposito revocassent; nisi piæ matris instantia mentem filiæ, modo minis, modo blanditiis evicisset. Dicebat enim mater filiæ, et hoc sæpius inculcabat: Si nubere Christo volueris, monasterium tibi, ubicumque volueris, honestissimum præparabo. Si vero virum mortalem elegeris, nullum alium nisi vaccarum custodem habebis. His ergo et hujusmodi verbis illa præclara mulier, et viri votum, et filiæ voluntatem ad melioris conditionis propositum inclinavit. Fuit tamen in ornatu vestium, quamdiu degit apud patrem; sed jocos inhonestos fugit, et amatorias confabulationes, et ineptias penitus puellares: et mirum in modum, cum necdum cognosceret Dominum nec enim ei tunc in aliquo fuerat revelatus in corde tamen, cum sola esset, sentiebat interius nescio quid divini. Et revera ex tunc sibi templum habitationis suæ dignissimum in Lutgarde Dominus præparabat. Obtinuit ergo cum gratia divina jus maternum in filia: et annorum paulo plus quam duodecim ætate adepta, in monasterio S. Catharinæ, juxta oppidum S. Trudonis in Hasbania, inter Moniales Ordinis S. Benedicti, divino servitio mancipatur.

Nata Tungris, et a patre nuptiis destinata,

ab iis a matre avertitur:

F

a Deo interius mota,

ingreditur ordinem S. Benedicti:

2 Quam cum juvenis, divitiis pollens et genere, procaretur, animum interdum cœpit verbis illius leniter inclinare. Cumque tempus et locum juvenis observaret, clam de nocte domum, in qua virgo jacebat, adire tentabat. Nec mora: cum accessisset, repentino timore correptus aufugit. Institit ergo diabolus miris modis, ut ad consensum puellarem animum

a procis juvenis amore

a Thom. Cantipr.

animum inclinaret; sed frustra, quia Omnipotens non permisit. Cumque ad colloquium juvenis simplex quandoque puella sederet, apparuit ipsi Christus in ipsa humanitatis forma, qua inter homines quondam fuerat conversatus; et pectori vestem detrahens, qua videbatur obtectus, vulnus lateris ostendit, quasi recenti sanguine cruentatum, dicens: Blanditias inepti amoris ulterius non requiras: hic jugiter contemplare quid diligas, et cur diligas: hic totius puritatis delicias tibi spondeo consequendas.

Christo apparente liberatur:

3 Tali igitur Lutgardis oraculo pavefacta, statim oculis cordis hæsit, quid vidisset excipere: et quasi columba meditans, in fenestra ad introitum solaris luminis, ostium crystallinum arcæ typici corporis Christi pertinaciter observabat. Mox flore carnis abeso, vultu palluit, ut omnis amans: et superno interius splendore lustrata, totius vanitatis se sensit amisisse caliginem. Quam dum die quadam matrona quædam nobilis et devota vidisset, spiritu prophetiæ intulit, quod subjungo: Tu, inquit, ut video, bona Agnes, et vere Agnes altera eris. Nec mora venit juvenis, et de proposito sermone cœpit replicare sermonem. Cui illa, ut quondam Agnes beatissima hianti ore respondit: Discede a me, pabulum mortis, nutrimentum facinoris, quoniam ab alio amatore præventa sum.

et sicut S. Agnes,

verbo illum repellit,

4 Sed et alius quidam juvenis, in armis Miles strenuus, Lutgardem, Deo jam sincerius inhærentem nihilominus adamavit. Hic cum multis jam annis renitentem animo procaretur; illa eum decenter primo, et postmodum seriosius avertebat. Cumque videret Militem in stultitia pertinacem, ab ea illo in tempore contumeliosis sermonibus est repulsus.

uti postea quemdam militem,

5 Despectum ergo se dolens Miles, quid facere possit excogitat; et accidit quod Lutgardis, a sorore sua per nuntios accersita, iter arriperet: cui juvenis obvius cum turba satellitum eam rapere nitebatur. Mox puella, equo quo sedebat exiliens, a manibus se juvenis violenter extorsit; et tota nocte fugiens, per ignota silvarum, Angelico ductu, ad domum nutricis mane pervenit. Quam ut nutrix vidit, suspicata raptum, dixit: Numquid te juvenis ille hac nocte violenter oppressit? Cui illa: Non inquit. Nec mirum si nutrix hoc suspicabatur, ut diximus: Servi enim *a* ejus, ut viderunt præcedenti vespere juvenem super se cum manu valida venientem, fugerunt; et ut in talibus mos est, inclamaverunt juvenem ut raptorem. Et ille voce clamantium pavefactus, cessavit a persecutione Virginis, et aufugit. Occasione igitur hujus clamoris et fugæ, in suspicionem hominum innocens puella devenit.

intentatam ab eo vim evadens

a

6 In hoc autem eventu quiddam factum est, quod nequaquam est silentio pertranseundum. Satelles quidam, cum ad rapiendum Miles equo eminus descendisset, in tenendo equo obsequium familiare præstabat. Hunc Virgo Lutgardis, frustratis viribus Militis, animo pertinacem inspiciens; non tam imprecata, quam prævidens, inclamavit: Manu, inquit, qua lora equi tenes Militis infestantis, opera in proximo facies, quibus in hoc seculo temporaliter confundaris. Vide ergo lector quam cito hoc sit et veraciter insecutum. Rediens enim domum, manu illa, qua frænum tenuerat, uxorem propriam mox occidit; et propter hoc expulsus de patria, bonis omnibus est privatus.

ejusque satelliti infortunium prædicens:

7 Nec multo post rediens a sorore in oppidum S. Trudonis, eques cum famulis veniebat. Concursu ergo populi curiosius glomerata, ibi immenso cœpit erubescentiæ pondere fatigari, statimque Christum reduxit ad mentem; et fortiter animo imperans, mox velum a facie manu injecta dimovit Christo sic inquiens: Pro nobis, innocentissime omnium Domine; pro nobis, pulcherrime, vestibus spoliatus, ad columnam ligatus es, et in derisionem furentis populi chlamyde purpurea indutus; et serto spineo coronatus, nudus in patibulo pependisti: nihil ergo inveniens quod rependam, pudorem istum tibi offero pro te spretum. Mira res vix verba complevit; et in revelatione faciei ejus confusa populi multitudo discessit. Ipsa vero ad monasterium rediens, in bonis potioribus Domini, ab illa die et deinceps proficiens, exultavit *b* [fratri quidem Bernardo, Fratri Ordinis Prædicatorum, et Pœnitentiario Domini *c* Papæ, non utique sicut mihi, quia digniori et magis ad capiendum idoneo spiritu, cuncta cordis sui secreta totaliter revelavit. Credo tamen quod non minus totaliter et si minus digno mihi hoc dixit: et ipse consentio, quod ante diu Dominum rogaverat, ut ei aliquando mitteret confusionem, in qua posset Passionis Dominicæ confusionem præsentialiter imitari.]

pudorem importunum pro Christo abjicit,

b

c

pro quo confundi optaverat:

8 Hinc igitur ab omni fere locutione et consolatione hominum sequestrata, tota cœlestibus inhiabat. Cumque nonnullæ æmulæ arctiorem ejus vitam carperent, quam non poterant imitari; dixerunt: Sinite eam adhuc, dum fervor in cursu est: postea videbitis, cum tepuerit, illam cum rubore repetere, quæ nunc stulta contemnit. Hæc cum Lutgardis audiret, cœpit humiliter de se ipsa pavere; et an forte futura essent, quæ ætate provectiores de ea dicerent, cum gemitu formidare. Cui B. Maria Virgo in vultu congratulantis apparens; Non, inquit, dilectissima filia, non ita erit, ut metuis; nec paveas recidivum: mea te solicitudine protegente firmaberis in salutem, nec minuetur in te virtutis actus aut gratia; sed de die in diem semper cumulabitur tibi ad coronam. Præclara utique et ineffabiliter amplectenda promissio. Verumtamen dum ipsa in oratione aut contemplatione Domino dulciter jungeretur, et eam aliquod urgens negotium evocaret, quasi amico familiariter loqueretur, Domino cum magna simplicitate et cordis puritate dicebat: Domine Jesu, expecta me hic: jam cito expedita revertar ad te. Mira demulcentis simplicitas! mira Redemptoris clementia circa eam! paratum enim eum illi in omni loco dominationis ejus, paratum in omni negotio comprobavit.

metuens de sui fervoris perseverantia,

secura per Deiparam redditur,

9 Sub eodem fere tempore beatissima virgo Catharina, Protectrix ipsius monasterii et Patrona, apparuit, in maxima gloria claritatis, flenti pariter et oranti. Cui cum pavidissime supplicaret, ut pro se Dominum exoraret; respondit B. Catharina, et dixit: Confide, filia, quia semper in te gratiam augebit Omnipotens, donec per summum vitæ fastigium, meritum inter Virgines potissimum consequaris. Hæc mihi sicut et alia plurima ipsamet ante mortem, sacramento a me constricta, narravit. Ut autem in ore duorum testium verbum subsisteret veritatis, cuidam beatissimæ feminæ B. Catharina apparuit, dicens: Lutgardem interventricem tibi quæras et matrem. Quæ ab omnipotente Domino par mihi meritum in cœlo obtinebit et locum. Videte ergo, o vos Aquiriæ Moniales, quanti inter vos meriti quadraginta annis mulier habitavit: quantum per eam profeceritis cernite: si dignam ei omnes reverentiam impendistis, diligentius pertractate. Certus sum enim, quod honorantibus meritum, negligentibus, si doluerint, veniam impetrabit.

et confortatur a S. Catharina V. M.

quæ ipsam sibi parem in gloria fore alteri indicat:

10 Ut ergo majora horum de ea credi pariter possint et probari, miraculum gloriosissimum votum pluribus enarrabo. In sancto die Pentecostes cum in choro a Monialibus, Veni creator Spiritus, cantaretur; ab his quæ in choro erant manifestissime visum est, Lutgardem ad duos cubitos a terra in

a toto conventu videtur in aere suspensa.

in aere sublimari. Nec mirum si corpus a terra ad cœlum suspensum sit, cujus anima mundo jam effecta sublimior, cœlum secundum promissum Domini possidebat; Omnis, inquit, locus quem calcaverit pes vester, vester erit. Pede utique affectus cœlum sine spatio illocale calcavit, quod ideo cœlibi mente calcatum, etiam corporis gestu pro sua possibilitate suscepit. Felix ergo Lutgardis per tantum miraculum, cujus corpus et anima exultaverunt in Deum vivum.

Jos 1, 3

de nocte cœlitus illustratur.

11 Nec non et istud solemnissimum fuit miraculum, quod subjungo. Perfectius, secundum quod ei promissum a matre Domini fuerat, de die in diem semet ipsam Domino in holocaustum gratuitum dedit, corpus affligens jejuniis, et ab oratione spiritum non relaxans. Ne autem in cordibus Sororum, quæ æmulari eam aliquantulum videbantur, suspicionis alicujus scrupulus remaneret; Christus sponsam suam hujusmodi miraculo decoravit. Lutgarde ergo crebrius continuante vigilias, accidit una nocte, ut super eam a Monialibus super solis splendorem per magnum spatium noctis, jubar luminis videretur. Quod utique lumen transfusum interius non solum in ipsam, sed et in illas, quæ viderunt illud, spiritalis vitæ gratiam augmentavit.

Præ data sibi curationum gratia,

12 Spiritu pietatis super infirmos et debiles mirabiliter movebatur, adeo ut cum afflictis ipsa magis in spiritu torqueretur. Dedit ergo ei Deus ita universaliter gratiam curationum, ut si esset macula in oculo, aut malum aliud in manu, pede, vel membris aliis, ad contractum salivæ vel manus illius protinus curabantur. Cumque in hac gratia multitudine hominum obrueretur, qui eam in oratione sæpius impedirent; dixit Domino: Quid mihi, Domine, ista gratia, per quam a vacando tibi frequenter impedior? Aufer eam a me, ita tamen ut mihi in melius gratia commutetur. Et Dominus; Quid vis, ait, ut pro hac gratia detur tibi? Et illa volo, inquit, ut ad majorem devotionem Psalterium, per quod orem, intelligam. Et factum est ita. Nam ut illo in tempore probatum est, Psalterium tanto lucidius intellexit, quando radiantiori lumine fuerat illustrata. Post hæc cum nondum se tantum, quantum putaverat, in hac gratia proficere comperisset, (reverentia enim velati mysterii mater est devotionis, et res celata avidius quæritur, et venerabilius absconsa conspicitur) dixit Domino, Quid mihi idiotæ et rusticæ, et Laicæ *d* Moniali Scripturæ secreta cognoscere? Cui Dominus: Quid vis? Volo, inquit, [cor tuum. Et Dominus, Quin ego potius et cor tuum volo. Cui illa: Ita sit Domine: sed tamen sic.] ut cordis tui amorem cordi meo contemperes et in te cor meum possideam; omni tempore tuo munimine jam securum. [Facta est ex tunc communicatio cordium quin potius unio spiritus increati et creati per excellentiam gratiæ: et hoc est quod Apostolus dicit. Quæ adhæret Deo, unus spiritus efficitur]. Attende, Lector, mira dicturus sum: Ab illo ergo die, sicut nutrix cum flabello infantulum custodit in cunis, ne eum muscarum protervitas inquietet; ita in ostio cordis ejus Christus ad custodiam hæsit: ut nec tentatio carnis, aut turpis saltem cogitatio, mentem ejus ad momenti spatium perturbaret Quid miri? quid novi? Idem ille est, qui dixerat ex antiquo; Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Oculis plus aliis membris cavere solemus. Quid novi igitur, si animæ piæ Lutgardis Christus cavit quam pupillæ sui oculi comparavit? Minus dixi quam debui. Dignior est quælibet anima fidelis, oculo corporis Christi, cujus oculus moriens caligavit, et totum corpus pro anima in redemptionis piaculum obtulit.

Psalterium intelligit,

d

et cor suum cum corde Christi commutari

Cor. 6, 17,

Zach. 2, 8

13 Sub eodem fere tempore, cum esset adhuc corpore et ætate tenerrima, nocte quadam circa Matutinarum tempus, sudor tam vehemens et naturalis invasit. Disponente ergo ea in corde a Matutinis quiescere, ut postea in Dei servitio fortior esset: (nimirum cum corpori suo utilem duceret esse sudorem illum) subita ad eam vox hujusmodi inclamavit: Surge cito: quid jaces? Oportet te modo pro peccatoribus, qui in suis jacent sordibus, pœnitentiam agere, non indulgere sudori. At illa, ad vocem hujusmodi pavefacta, cito surrexit; et inchoatis jam Matutinis ad ecclesiam festinavit. Nec mora. In ipso ostio ecclesiæ ei Christus cruci affixus cruentatus occurrit: deponensque brachium cruci affixum, amplexatus est occurrentem, et os ejus vulneri dextri lateris applicavit. Ubi tantum dulcedinis hausit, quod semper ex tunc in Dei servitio robustior et alacrior fuit. Referebant qui hæc illa revelante, illo in tempore et diu postea probaverunt, quod saliva oris ejus super omnem mellis dulcorem suavius sapiebat. Quid miri? Favus distillans labia tua, Sponsa; et mel divinitatis, et lac humanitatis Christi, etiam tacente lingua, cor interius ruminabat.

A THOM. CANTIP. Jussa ad Matutinum surgens,

vulnus lateris Christi osculatur.

ANNOTATA D. P.

a *Id est, qui erant in ejus comitatu, missi a Sorore ad ipsam deducendam: neque enim verosimile est, jam Religiosam, adjunctos sibi ex Monasterio servos post se traxisse: necdum tamen consecrata, videtur liberiorem habuisse foras progrediendi, et cum secularibus agendi potestatem. Credibile est autem tunc fuisse annorum* 17 *vel* 18.

b *Quæ sequuntur in MS. Brugensi desunt, erant in MS. Miræi et similia deinceps, indiem vel ex alio MS. suppleta notabuntur* [ ].

c *Fortassis* Gregorii IX *qui ab anno* 1227 *ad Augustum anni* 1241; *vel potius* Innocentii IV, *qui a Junio anni* 1243 *ad* 1254 *Pontifices fuerunt: nam intermedius* Cœlestinus IV *solum* 17 *diebus sedit. De ipso* Fr. Bernardo *nihil occurrit quod dicam; nisi quod supra indicavi, et consequentia patebit, ad ejus suggestionem, varia accessisse huic Vitæ, cum eam ipsi relegendam auctor recogniturus dedisset.*

d *Sic infra lib.* 2. *num.* 8 *et* 10 *dicitur, quædam divinitus audita Scripturæ verba, non nisi ab aliis interpretata intellexisse, sicut* laica Monialis. *Non ergo hic* Laicam *intelligas, quomodo nunc passim* Laicæ *vocantur Sorores Conversæ, et ad domestica ministeria adscitæ, ut distinguantur a Choro addictis atque velatis: sed ut* laicus *opponitur* litterato: *quod etiam clarius habetur num.* 16, *ubi dicitur, quod Lutgardis* nec Psalmos intelligeret, nec aliquid de Scripturis: *et rursum cap.* 20, *inducitur* litteratis Monialibus *indicans, quibus Scripturæ verbis ad se usus Dominus esset, eorumdemque explicationem requirens; ac denique lib.* 3 *cap.* 20 *patet* litteratas, *qualis erat* Sibylla, *auctor Epitaphii, fuisse latinæ linguæ scientissimas, et in bonorum Auctorum lectione versatas.*

e *Sequens Caput est ex MS Miræi: in Brugensi deerat, et ideo sequentes numeri ibi anticipantur.*

CAPUT II.

Variæ extases et visiones divinæ. Transitus a Benedictino ad Cisterciensem Ordinem.

Cum aliquo incommodo cordis aut corporis gravaretur, stabat ante imaginem Crucifixi: et cum diu fixis oculis imaginem inspexisset, clausis oculis et resolutis in terram membris, instar Danielis viri desideriorum, super pedes suos stare non poterat; sed elanguens prorsus rapiebatur in spiritu, et videbat

A. THOM. CANTIP.

relevatur afflicta aspectu Crucifixi: a

videbat Christum cum vulnere lateris cruentato; et exinde tantam dulcedinem apposito cordis ore sugebat, ut in nullo posset penitus tribulari. Unde aliquando accidit, ut acutissima febre laborans, statim ubi die debito *a* criticavit, de lecto surgens, sine omni difficultate, conventum et chorum ad cantandum intraret.

a S. Joan Evang in figura aquilæ illustratur:

15 Proinde ad recordationem illius acutissimæ visionis aquilæ, Joannis scilicet Evangelistæ, qui fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit; apparuit ei in spiritu aquila, tanto pennarum nitore refulgens, ut totus potuisset orbis illius claritatis radiis illustrari. Ad visionem ergo illius super id quod dici potest admiratione nimia stupefacta; præstolabatur ut Dominus, secundum capacitatem debilis aciei, tanti speculationis gloriam temperaret. Et factum est ita. Visionis ergo modum moderatius contemplata, vidit quod aquila ori suo rostrum imponeret, et animam ejus tam ineffabilis luminis coruscatione repleret, ut secundum id quod viventibus possibile est (quia Moysi dictum est; Non videbit me homo, et vivet) nulla eam divinitatis secreta laterent. Tanto enim de torrente voluptatis abundantius hausit in domo, quanto magnificentior aquila vas cordis ejus extensum desiderio magis invenit. In hoc autem ei secundum conscientiam, ut spero, non erroneum testimonium habebo; quod licet ipsa in communibus verbis, rudis quodammodo et simplicissima videretur et esset; tamen numquam ab ore alicujus ita sincera, ita ardentissima, ita secundum veritatis spiritum decisa verba, in spiritualis collationis secretis inveni; in tantum, ut rudem me prorsus et hebetem ad intellectum verborum ejus sæpissime reputarem. Loci adhuc et temporis memor, tantum me aliquando in verborum ejus subtilitate stupuisse profiteor; ut si diu me illa dulcis et ineffabilis admiratio tenuisset, aut amentem me utique, aut extinctum penitus reddidisset. Sed hoc non isto in tempore, de quo ad præsens scribo, sed ante mortem ejus, annis *b* ferme sedecim, fuit.

Ex. 33, 20

B

ad cœlestia cognoscenda,

b

c

visa sibi aliquando oleum digitis stillare.

16 Est oppidum in Hasbania quod dicitur *c* Los; juxta ecclesiam hujus oppidi quædam Reclusa, pro vitæ merito familiarissima piæ Lutgardi, Domino serviebat. Apud istam diebus quindecim morabatur; et accidit ut post orationis contemplationem, tanta spiritus dulcedine repleretur, quod vocata Reclusa manus suæ digitos ostendebat, et eos exprimendo dicebat: Ecce soror qualiter mecum agit Omnipotens; quia ex superabundanti gratia, repleor interius, etiam digiti mei exterius, ad significandam gratiam, velut oleo nunc distillant. Et hæc dicens quasi ebria, et vere ebria, cum gestu et tripudio mirabili, per reclusorium ferebatur. Quid miri? a sponso enim introducta in cellam vinariam, invitata erat; et postquam, ut cara, comedit, id est, cum labore edit pœnitentiæ panem; et ut carior, bibit abundantiam gratiarum; tandem, sicut carissima, inebriata est; et ideo modum excedens desipientium spiritu ineffabiliter lætabatur.

C

Cum aliis ab Episcopo benedicenda, e

17 Proinde anhelare cœpit, ut ministerio consecrationis per manus Episcopi uni viro Christo Domino perfectius jungeretur; et data est occasio ut Moniales plurimas congregatas Dominus *e* Huardus Leodiensis Episcopus statueret consecrare. Adducta est ergo et Lutgardis ad cœtum Virginum consecranda: quarum capitibus cum dictus Præsul, in signum coronæ aureolæ, sertum ex zonis factum innecteret, et ad Lutgardem in ordine pervenisset; cuidam viro sancto et simplici, qui adstabat, manifestissime visum est Episcopum coronam auream maximam capiti Lutgardis imponere, et eam præ aliis singulariter honorare. Hoc cum videri ab omnibus æstimaret; quæsivit ab astante presbytero:

visa loco vittæ lineæ accipere coronam auream,

D

A. THOM. CANTIP.

cur soli Dominæ Lutgardi Episcopus auream coronam imponeret. Quem presbyter, rei nescius, irrisit, dicens: Numquid oculos inversos habes, ut auream coronam dicas, quam lineam omnes vident. Siluit ergo vir beatus et risit, et in Lutgarde meritum singulare notavit. Sed et hinc testes duos veritas habuit, quoniam hoc idem quædam de consecratis Monialibus vidit. Mirandis plus miranda succedunt.

virtutes Christi perfecte imitatur:

18 Ex hinc Sponso suo perfectius adhærens, sequebatur Agnum quocumque iret: Si viam Christi humilem prædicamus; sequentem Lutgardem ita humilem videas, quam numquam superbia lacessivit. Si viam paupertatis intueor, adeo pauperem Lutgardem intelligas, quod nec quotidiani panis, quotidie tamen laborans manibus, alimoniam cogitaret. Si viam Christi in misericordia et pietate respiciam; misericordius aliquid Lutgarde in hac vita non vidi. Si viam Christi in tribulatione denuntiem; fatigationem Lutgardis in jejuniis et afflictionibus cogites, quam super omnes nostræ ætatis viros ac mulieres per totam vitam suam duxisse probabitur. Si viam Christi ad gloriam veneramur; Lutgardem conversatione in cœlis positam, ut in præsentiarum videre est, incomparabiliter extollamus. In his omnibus perfectissime Petrus, in his et Maria Magdalena Agnum secuti sunt; non tamen quocumque ivit. Lutgardis autem, cohortes virgineas sequaces habens, illa incorruptionis via Agnum secuta est, qua præcessit.

E

cantans versum de B. Maria vidit Christum in specie agni:

19 At quoniam Lutgardem per omnia Agnum secutam diximus, videas quid Agnus rependerit. Fas enim est sponsum sponsæ suæ vicem rependere. Sed vide quemadmodum reddidit. In monasterio S. Catharinæ, omni sexta feria in vespere sabbathi subsequentis, in venerationem beatissimæ Virginis Mariæ merito deputati, cum Versus super Responsorium *f* cantabatur (cujus utique versum ob gratiam devotionis Lutgardis sola cantare solebat) videbatur ei interim dum cantaret, quod Christus in specie Agni super pectus suum se tali modo locaret, ut unum pedem super humerum ejus dexterum alium super sinistrum, et os suum ori illius imponeret: et sic sugendo de pectore illius mirabilis melodiæ suavitatem extraheret. Nec dubitare quisquam poterat in hoc cantu, divinum adesse miraculum, cum in solo Versu illo vox in infinitum solito gratior audiretur. Unde et corda audientium ad devotionem interim mirabiliter movebantur.

f

creatur Priorissa:

20 Præterea, quoniam tantam lucernam latere sub modio non decebat, posita est super candelabrum; ut fulgor gratiæ ejus omnibus appareret. Præposita ergo, id est Priorissa ancillarum Dei in monasterio S. Catharinæ uno omnium consensu electa est, et concessa: Abbatissam enim habere in ipso monasterio non solebant. Sed quia gravissimam sibi in hoc factam injuriam æstimabat, mutare ex tunc locum et propositum disponebat *g*.

g

h

i

in osculo Abbatis vim passa, interposita manu Christi servatur

F

21 Medio autem tempore accidit, ut Abbas *h* S. Trudonis, Pater scilicet spiritualis ipsius monasterii S. Catharinæ a generali Concilio *i* Lateranensi veniens, cum processione a Monialibus exciperetur. Facta autem oratione in Ecclesia conventum totum ad Capitulum evocavit, et ut minus caute inter simplices est moris, osculum singulis dedit. Cumque ad Priorissam Lutgardem ventum esset, ut Abbati osculum daret, illa constanter renuit. Sed omnium in joco, manibus tenta, violentiamque passa, sustinuit. Sed summæ benignitatis Jesus misericordiæ suæ manum ita mediam posuit, ut nec primi motus contagium in viri osculo senserit. Erubescat heu! nostri temporis flagitiosa potius quam cæca devotio, in qua viri, speciem pietatis habentes, impune et sine offensa gratiæ divinæ et legis, putant

A putant se feminas et virgines osculari. Defensionem quidem erroris sui sumunt in dictis beatissimi Pauli Apostoli, ubi scribens Corinthiis; Salutate, inquit, invicem in osculo sancto. Quod utique non ita intelligi debet, ut viri feminas; sed secundum Augustinum, viri viros, et feminæ feminas osculentur: [in osculo sanctæ pacis]: alioquin manifestissimam impudicitiæ occasionem dedisset circumspectissimus pudicitiæ prædicator: unde alias dixit: Ab omni specie mala abstinete vos. An non mala species illa est ubi per contactum corporum corruptio sequitur animarum: et tantum utinam animorum? an non etiam corporum! Certus sum, si in consuetudinem ducatur, quod et corporum. Si enim ab Augustino Doctore omnium maximo, in Regula Canonicorum, fixus oculus prohibetur, et propter hunc quis a monastica projici societate præcipitur, quia per hujusmodi quisque, etiam remotus a femina *k*, mente corrumpitur; qualem pœnam censuisset in illos, qui turpitudinis incentivum concipiunt per sola oscula mulierum, ubi utique contactus est corporum? In libro de natura rerum Plinius dicit: Quod claucius *l* piscis ex adverso inescatos mordet hamos: in quo B quidem signantur illi, qui ipsum fornicationis opus quasi hamum vitant, sed delectationis mollitiem quasi escam captant: et dum mœchiæ turpitudinem, ut castitatis amatores, despiciunt; per oscula tamen et illicitas contrectationes in illud quod gravius est prolabuntur. Unde de talibus Paulus dixit: Dedit eos Deus in reprobum sensum ut faciant ea quæ non conveniunt. Censeo ergo ratione veridica tales esse fornicatoribus turpiores, et per hoc blasphemos in Spiritum sanctum; qui contra castitatem, castitatis inimici, castitatis se simulant amatores. Tu ergo Virgo, sponsa utique Christi, aut amatrix quælibet castitatis, cum Lutgarde fuge tales: flagitium abhorresce. Si quis te quasi ad sanctum osculum solicitare voluerit; si quis manu ad sinum, ad ubera, vel ad partes reliquas appropinquare tentaverit, sputum pro osculo reddas, et pugnum obvium contrectanti; nec Clerico in hoc deferas vel personæ: quia castitatem mentis etiam verbere tueri licet, sicut corporis vitam. Talem, inquam, non arbitreris servum Christi, sed satanæ; non spiritualem, sed animalem; non pudicitiæ sectatorem, sed revera vilissimum *m* leccatorem.

2 Cor. 13

1 Thes. 5

k dutque exemplum talia vitandi

l

Rom. 1, 28

m

22 Fuit autem præclara Lutgardis in monasterio S. Catharinæ annis ferme duodecim Monialis: et C erat illo in tempore Magister *n* Joannes de Liro diœcesis Leodiensis, vir utique in omni sanctitate præcipuus: qui beatæ ipsius feminæ propositum perfectissimum sciens, eam admonuit, ut in Aquiriam cœnobium ad Ordinem Cisterciensem, loco et Prælatione derelicta, transiret. Cumque linguæ diversitatem in Monialibus ibidem Gallicis causaretur; monasteriumque ejusdem Ordinis in *o* Herkenrode, ubi lingua Teutonica habebatur, intrare potius maluisset dixit ei Dominus: volo ut ad locum Aquiriæ finaliter pergas, et nisi facias ego te deseram. Sed et quædam beatissima virgo, *p* Christina nomine, cujus meminit venerabilis Jacobus in Vita beatæ Mariæ de Oignies, cujus quoque Vitam et ipsi descripsimus; spiritu compulsa divinitus ad eam accessit, in hæc verba prorumpens: Quid cunctaris, inquit, adimplere ea quæ tibi ex instinctu divino jubentur? Cui cum pia Lutgardis, illa quæ præmisimus linguæ diversitate, quantum ad hominem rationabiliter satis, opponeret; inspirata protinus Christina respondit. Potius vellem in Inferno esse cum Deo, quam in cœlo cum Angelis sine Deo. Revera bene et digne respondit. Ubicumque enim Christus, ibi et paradisus est: et hoc quia Veritas mentiri non potuit, quæ latroni in cruce dixit: Hodie mecum eris in Paradiso. Constat enim quod illa die nequaquam anima Christi in Paradisum D empyreum, aut terrestrem ascendit; sed cum Divinitate ad inferna descendit et cum eo latronis anima, quam secum futuram esse prædixit; et per hoc ubicumque esset, argumento necessario, per locum a causa, Paradisum esse probavit. Præsentia enim Christi locum, quantumque odibilem, reddit summe delectabilem et spectabilius appetendum..... Posito enim quod Infernus æquiparari non poterit simpliciter Paradiso, tamen fuit approbanda responsio; quoniam magis eligendum est, esse in quocumque loco cum summo et increato bono; quam in loco quantumcumque bono, vel terrestri vel empyreo Paradiso cum quolibet creato bono. Digne ergo, ad verba Christinæ confirmata, pia Lutgardis offert ad omnia se paratam: neque enim fuit difficile aliquid persuadere Lutgardi, in quo perfectioris vitæ sanctimonia videretur. Parens ergo monitis dicti Magistri, ad monasterium Ordinis Cisterciensis, quod dicitur Aquiria, in terra Ducis Brabantiæ, cum omni mentis tranquillitate transivit. Quo audito Moniales S. Catharinæ inconsolabiliter doluerunt: E dolorem vero earum Lutgardis comperiens, compassa est tribulatis. Cumque pro pace earum Domino supplicaret, apparuit ei gloriosa Virgo Maria, dulcissima consolatrix; et congratulata est ei quod Domum et Ordinem sibi specialiter dedicatum introisset: Domum vero, pro qua ipsa rogaret, et spiritualiter et temporaliter suis precibus promoveret: quod usque in hodiernum diem absque ullo dubio in ipsa S. Catharinæ Domo videmus, dum ubique fere Ordinis illius tepeat disciplina; ipsum vero monasterium, magis modo quam unquam antea, floreat in virtute, et temporalibus sit copiosius augmentatum. Consulo autem tibi, [o collegium sanctimonialium S. Catharinæ] ut adhuc pro te matrem flagites, ut quod hic quondam fecit in terris, idem faciat in supernis.

monitu Joannis de Liro

n

o

p instinctu cœlesti et adhortatione B. Christinæ mirabilis,

Luc 23, 43

A THOM. CANTIP.

transit Aquiriam Ordinis Cisterc.

priori nihilominus monasterio utilis

Hic liber primus de iis, quæ pia Lutgardis in Ordine S. Benedicti gessit, finem suscipiat: ut ad secundum librum expeditiori ordine procedamus.

ANNOTATA D. P.

a Criticare. i. *accessum febrilem pati, vox nondum ullibi lecta Cangio.*

b *Id est circa an.* 1230, *quando in ejus notitiam venisse videtur Auctor.*

c Los, Lossa *aut* Lossum *antiqui et amplissimi Comitatus caput, sesqui milliari Trudonopoli, quatuor Leodio distat. De hoc Comitatu ad Episcopos Leodienses translato passim agunt historici Leodienses. Consule Miræum in Notitia Ecclesiarum Belgii cap.* 87 *et* 146.

F

d *Fisen in Vita S. Lutgardis cap.* 3 Ivetam *appellat.*

e Huardus *in MS. et Surio. Hic Fiseno in Vita et Annalibus Leodiensibus ad* 1205, *est* Hugo Petropontius, *ordinatus anno* 1201, *mortuus anno* 1229. *Quidni, sicut notavit Rosweydus, fuerit S. Huardus Hugonis Suffraganeus? videntur autem hæc acta paulo post an.* 1200.

f *Scilicet* ℣. Diffusa est gratia in labiis tuis, *cui subjungitur* ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

g *Ergo circa an.* 1205.

h Christianus *nomine, Abbas* 35, *præfuit ab anno* 1193 *ad annum* 1222. *Ejus aliqua Vita profertur a Fiseno lib.* 2 *Paralipomenum pag.* 564 *ubi laudatur* a magna morum innocentia, divinarum meditationum studio, et monasticæ disciplinæ cultura eximia; *ejusque* corpus anno 1557 repertum est ab omni putredinis vitio intaminatum.

A. THOM. ANTIP.

i *Jam dixi Thomam vel memoria lapsum, Concilii causa Romam profectum Abbatem credidisse; vel an.* 1205 *aliquod revera habitum fuisse contra Albigenses, cujus distincta memoria nullibi nunc sit; istud enim celebre, cui* 800 *Abbates intervenerunt habitum fuit anno* 1115, *quando jam Aquiriæ degebat Sancta, ubi Abbas iste nihil juris habebat.*

k *Allegatur hic Regula, sicut habetur aptata viris: quam quia Sanctus non illis scripsit, sed feminis ut pulchre ostendit Nicolaus des Nos in suo Canonico seculari et Regulari, recteque censet viris primum aptatam circa an.* 820, *ideo in primigenio contextu virorum aspectus interdicitur. Digna autem sunt, inquit, quæ transcribantur verba*: Oculi vestri, etsi jaciantur in aliquem, figantur in neminem: neque enim quando proceditis viros videre prohibemini: sed appetere aut ab iis appeti velle. Non solo tactu, sed affectu quoque et aspectu appetitur et appetit femina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius: et cum se invicem sibi, etiam tacente lingua, conspectu mutuo corda nuntiant impudica, et secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet quæ in masculum figit oculum, et illius in seipsam diligit fixum, non ab aliis videri cum hoc facit: videtur omnino, et a quibus non arbitratur. Sed ecce lateat, et a nemine hominum videatur, quid faciet de illo superno inspectore, quem latere nihil potest? An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius, quanto sapientius? Illi ergo timeat sancta femina displicere, ne velit viro male placere; illum cogitet omnia videre, ne velit viro male videri ...... Quando ergo simul estis in ecclesia, et ubicumque ubi et viri sunt, invicem vestram pudicitiam custodite: Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis. Et si hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliqua vestrum advertentis, statim admonete, ne cœpta progrediantur, sed ex proximo corrigantur. Si autem et post admonitionem iterum, vel alio quocumque die id ipsum eam facere videritis; jam velut vulneratam, sanandam prodat, quæcumque invenire potuit hoc; prius tamen et alteri vel tertiæ demonstratam, ut duarum vel trium possit ore convinci, et competenti severitate coerceri .... convicta vero secundum Præpositæ vel Presbyteri arbitrium debet emendatoriam sustinere vindictam, quam si ferre recusaverit, et si ipsa non abscesserit, de vestra Societate projiciatur.

l Glauci piscis *meminit Plinius lib.* 32 *cap.* 11; *capite autem* 2 *agit de astu quorumdam piscium uti et lib.* 9, *cap.* 42 *et* 59 : *sed tale nihil ibi de illo lego.*

m Leccator 1. *scurra, a Teutonico* Lecken *lingere, ligurire, unde participiale substantivum vulgo* Lecker; *quod etiam adjective dicitur pro* delicatus; *sumptum a lautitus, quæ etiam lambi seu lingi solent ad diuturniorem gustum : multa de his Cangius verbo* Lecator.

n *Jacobus de Vitriaco in Historia Occidentali cap.* 9 *inter* veros prædicatores *censet* Magistrum Joannem de Lirot, ejusque socium Magistrum Joannem de Nivella, qui in agro Domini fideliter et prudenter laborantes, de cavernis petrarum et montibus bestias venabantur, de lacu fæcis et miseriæ, retibus et sagenis pisces extrahentes. *Quæ de conversione peccatorum intelliguntur.*

o Herkenroda, *primo lapide ab oppido Hasseleto cœnobium, a Gerardo Comite Lossensi anno* 1182 *fundatum.*

p. S. Christinæ mirabilis *Vita danda erit* 24 *Julii. Ejus, sed tacito nomine, meminit Jacobus de Vitriaco in Prologo ad Vitam B. Mariæ de Oignies, infra ad diem* 23 *Junii : ad quam Vitam refertur etiam Vita ipsius Jacobi, circa annum* 1226 *ut supra dictum.*

LIBER II.

Vita in Cisterciensi Ordine peracta.

CAPUT I.

Jejunio bis 7 annorum Animæ in purrgatorio adjutæ. Vexatæ a dæmonibus liberatæ.

Timens in Abbatissam eligi,

Igitur cum virtus piæ Lutgardis ubique crebresceret, cœperunt nova monasteria in Gallicis partibus construi et ad electionem illius, dum modo parum de Gallico didicisset, multipliciter anhelare. Quod ut pia Lutgardis cognovit, multum exhorruit; et conversa ad gloriosam virginem Mariam, eam ut hoc averteret cum lacrymis exoravit : cui beata Mater apparens ait : Nullo modo paveas in hoc verbo : quia scutum meæ protectionis opponam. Et vide, Lector, quali modo aversum hoc fuerit, et videbis quam mera veritas respondentis. Vix viginti quatuor annorum tempus attigerat, cum Aquiriam intravit; et tamen talis in quadraginta annis, quibus postea inter socias Gallicas vixit, tantum vix sermonis Gallici addiscere potuit, ut panem recto modo Gallice peteret, cum esurivit. Quod ubi palam omnibus factum est, dilecta hynnula Christi in somno contemplationis pausare permissa est; nec suscitavit eam aliquis, neque evigilare ad curam pastoralem fecit, donec ipsa vellet; nec unquam accidit, ut hoc vellet.

non potuit idioma Gallicum addiscere:

a ob hæresim Albigensium monitu Deiparæ

2 Imminente peste gravissima Albigensium *a* hæreticorum beatissima Virgo Maria apparuit ei vultu lugubri, et facie denigrata. Cui in visione compassa Lutgardis, cum magno rugitu cordis et vocis quæsivit ab ea : Quid habes, inquit, o piissima Domina, ut tanto pallore squalleat tua facies; plena omnium gratiarum. Et beata Virgo : Ecce, inquit, ab hæreticis et malis Christianis rursus crucifigitur Filius meus, rursus conspuitur. Tu ergo assume tibi lamentum, et jejuna annis septem continuis ut quiescat ira Filii mei, quæ generaliter imminet orbi terræ. Ex hinc ergo septem annis continuis Lutgardis in pane tantum et cerevisia jejunavit. Et magnitudinem vide miraculi. Obedientia sæpe coacta, pulmenti aliquid accipere in ore tentavit : sed nihil horum ad magnitudinem fabæ guttur ejus transire prævaluit. Et licet ipsamet mirabili quadam et incredibili abstinentia continue laboraret; gaudebat tamen, quando Conventus melius habebat in cibis; ita quod per mensem melius diceret se habere si quando conventus semel pitantiæ abundantiam habuisset. Non enim omnibus in exhibitione gratiæ commune posse esse sciebat, quod sibi singulari dono ad remedium multorum pietas divina contulerat : et hoc contra illos, qui fingunt laborem in præcepto, statuuntque communiter omnibus observandum, quod ipsi vel suffragante gratia, ve opitulante natura observare sine molestia potuerunt. [Ipsa autem quanto plus continuavit jejunia, tanto fuit corpore et corde robustior.]

jejunat 7 annis in pane et cerevisia:

num. 69 Jacobum de Vitriaco

3 Cum Magister Jacobus de Vitriaco ut ipse refert in * libro vitæ B. Mariæ de Oignies, ipsius venerabilis feminæ precibus prædicationis gratiam accepisset; factum est ut religiosam quamdam mulierem languentem in lecto, non turpi amore, sed nimis humano diligeret. Hujus igitur consolationi intentus assidue, prædicationis officium segniter omittebat. Pia ergo Lutgardis, vinculum cordis ejus et dolos diaboli in spiritu sentiens, aggressa est

est in multis lacrymis pro eo Dominum deprecari. Cumque nihil proficeret in orando, et Dominum super hoc argueret ut crudelem, respondit Dominus: Orationibus, inquit, tuis in contrarium homo nititur, pro quo petis: Hæc dicens, distulit Dominus quod petebatur implere. Quod ut vidit pia Lutgardis, impatientius agens, Domino magnis vocibus inclamavit: Quid est, ait, quod agis benignissime ac justissime Domine? aut separa me a te, aut hominem pro quo peto libera, etiam non volentem. Mira res! Nulla mora inter rogatum et factum penitus intervenit, sed prorsus et protinus liberatus, Liberatori suo et ejus famulæ benedixit; sensitque apertis oculis post liberationem periculum, quod ante, humano amore cæcatus, videre non poterat. Nec grande post hæc tempus excessit, cum idem venerabilis Jacobus ad Episcopatum *b* Acconensem in transmarinis partibus est electus.

liberat ab affectu nimio erga quamdam ægram.

4 Sub eodem fere tempore quidam Simon, vir nobilis de Teutonia natus, et optime litteris institutus, Ordinem Cisterciensem intrans, Fodiacensis *c* Abbas postea factus est: qui licet fervens esset desiderio, amaro tamen zelo in subjectos invectus, immatura morte præventus est. Hic cum piam Lutgardem pro sanctimonia vitæ dilectissimam habuisset, eam sua morte turbatam graviter dereliquit: pro quo mox afflictiones et jejunia faciens, rogavit Dominum, ut defuncti animam liberaret. Cumque multum precibus insisteret, respondit ei Dominus: Consolare, quia ob gratiam tui illi bene faciam, pro quo oras. Illa autem importunius instans, secundo responsum accepit, hominem debere in proximo liberari: Et illa; [Quidquid mihi vis dare solatii, illi animæ in purgatorio tribuas. Et subjunxit:] Nullo modo, o Domine desistam a fletibus, nec tuis unquam promissionibus consolabor, nisi illum liberatum viderim, pro quo peto. Nec passus est eam Dominus ulterius tribulari, sed apparuit ei Dominus et præsentaliter secum liberatam a purgatorio animam mox adduxit dicens: Consolare dilecta: ecce enim anima, pro qua petis. Nec mora: pia Lutgardis prostrata in faciem, super liberationem animæ Dominum benedixit. Anima autem exultabunda et laudans, piæ Lutgardi gratias retulit; et ad potiora transiens, in magna gloria cœlorum ardua penetravit. Iste idem Simon postea piæ Lutgardi frequenter apparuit; et inter cetera dixit ei, quod quadraginta annos in purgatorio peregisset, nisi eum oratio illius apud misericordem Dominum adjuvisset.

c Animam Abbatis impetrat importunis precibus: a purgatorio liberans:

5 Spiritu quoque timoris Domini pia Lutgardis humiliter insignita, quasi tumentes fluctus, super se Dominum metuebat, et omnia opera sua, velut facta in dubio, verebatur. Diu ergo ejulans quotidie Dominum precabatur, ut se certam redderet etiam in præsenti. In hoc autem desiderio prolixius constituta, die quadam vocem ad se manifestissime factam audivit: Secura jam esto, carissima, quia placet Domino vita tua. Ad horam ergo pia Lutgardis exultans, cœpit ut prius mundum minus formidare. Iterato autem ad eam vox facta divinitus dixit: Visne tu Dominam Mariam de *d* Roavia testem tuæ securitatis habere? Et illa: Non inquit, nimis timorata est, et diu jam anxie mihi differret revelare quæ sciret. Cui vox divina; Interim, inquit, quiesce, carissima: in proximo fies manifeste et perfecte secura. Exinde vix quatuor dierum spatium pertransivit, cum ecce vir spectabilis et ignotus omnibus, locutorium, ubi Moniales consederant, introivit. Salutatis ergo breviter omnibus, postulavit piam Lutgardem ocius accersiri. Quæ ut venit, salutavit eam; et omnibus audientibus dixit: Hæc tibi mandat Omnipotens: jam secura vivas de cetero: quia Domino in te bene complacuit. Hæc dicens juvenis sine mora disparuit; nec ultra restabat quærere, unde venerat, aut quis esset [Non multo post quidam sanctissimæ vitæ homo revelationem divinam accipiens, in Aquiriam venit, et eam in supradictis consolationibus confortavit.]

secura redditur quod placeat Deo:

A. THOM. CANTIP.

6 Hinc ergo animo ferventiori desiderans per excessum mortis ad perennia transmigrare, quotidie oculus ejus stillabat ad Dominum: et ecce Dominus clamores ejus mitigare festinans, apparuit ei et vulneribus manuum, pedumque et lateris patefactis, dixit: Ecce contemplare, carissima, quod vulnera mea clamant ad te; ne in vanum effuderim sanguinem; ne in vanum sustinuerim mortem. Hoc viso et audito pia Lutgardis pavefacta mirifice, cum timore et horrore quæsivit; quis esset clamor vulnerum Christi? et responsum est ei: Labore tuo et fletibus iram patris mitigabis accensam, ut non perdat peccatores in mortem, sed per misericordiam Dei convertantur et vivant.

aspectu vulnerum Christi docetur orare pro peccatoribus.

7 Sub isto fere tempore Dominus Innocentius Papa tertius, post celebratum Lateranense Concilium, ab hac vita *e* migravit: nec intercessit mora post obitum, cum ipse Papa piæ Lutgardi visibiliter apparuit. Illa autem ut vidit apparentem, maxima flamma circumdatum; quis sic esset, interrogat: Et ille: Ego sum, inquit, Innocentius Papa. Et illa cum gemitu; Quid est, inquit, te nostrum omnium Patrem tanto supplicio cruciari? Cui ille; Tres, inquit, causæ sunt, quare sic crucior: per has autem eram dignissimus æterno supplicio tradi: sed per intercessionem piissimæ Virginis Mariæ, cui Monasterium ædificavi, in fine pœnitui, et æternam mortem evasi. Cruciabor tamen atrocissimis pœnis usque in diem extremi judicii. Hoc ipsum autem, quod ad te petiturus suffragia venire potui, mihi utique a suo Filio, misericordiæ Mater obtinuit. Hæc cum dixisset, repente disparuit. Lutgardis autem obitum et necessitatem defuncti Sororibus, ut ei succurrerent, indicavit. Ipsamet autem animo compassa tanto piaculo, mirabili se pro illo, qui apparuit, afflixit supplicio. Nota autem Lector, quod ex revelatione piæ Lutgardis ipsas tres causas accepimus; sed eas ob tanti Pontificis reverentiam subticemus.

Innocentio 3 Papæ ex purgatorio sibi apparenti succurrit, et succurri petit.

8 Consimilis in genere, sed in piaculo multum dissimilis visio, Lutgardi per idem fere tempus apparuit. Prædictus venerabilis Joannes de Liro, vivens cum Lutgarde pactum inierat, ut qui prius ex ipsis a mundo decederet, post mortem superstiti appareret. Curiam ergo Romanam idem Joannes pro negotiis aliquas religiosarum mulierum, quæ per Brabantiam ab æmulis turbabantur; veniens circa montes Alpium, est defunctus. Nec mora sub ejusdem mortis articulo, apparuit visibiliter Lutgardi, in claustri ambitu stanti. Vivere ergo illum credens, manu innuit, ut locutorium introiret: ubi scilicet loqui secundum ordinem posset. Cui ille; Ego, inquit sum mortuus et ab hoc seculo transii: et ut veritatem Dei implerem, quæ inter nos ex pacto convenerat, tibi defunctus apparui. Et mox illa in terram prostrata quæsivit: Quid autem significat vestimentum triplex, quo tanta gloria potitus indueris? Et ille Vestimentum, inquit; nive candidum, virgineæ carnis meæ, quam ab utero inpollutam servavi, innocentiam signat: rubicundum vero, labores et tolerantias, quibus ad mortem perductus sum, quas multo tempore pro justitia et veritate sustinui, apte demonstrat: cæruleum vero, quo in superficie vestior, spiritualis vitæ perfectionem significat. Hæc dicens ab oculis mirantis evanuit. Illa autem et visionem et obitum dicti Magistri, sorori ejus carnali et aliis monialibus

Joannem de Liro videt a morte in gloria, et intelligit quid triplex vestis ejus designet.

A THOM. CANTIP. eumque flere prohibetur.

bus indicavit. Verumtamen cum ipsa pia Lutgardis dictum venerabilem virum, et si Deo datum, sibi tamen defleret ablatum; in ipso luctu ei Dominus per hæc verba respondit: Cur fles, Lutgardis? et quamobrem affligitur cor tuum? Numquid non melior sum tibi, quam *f* decem filii? Hæc igitur, sicut Laica Monialis, cum non intelligeret, interpretata audisset, non ultra defunctum luxit; sed in morte illius Dominum per omnia benedixit.

Alios 7 annis jejunare jubetur in pane et olere

9 Expletis præterea supradictis septem annis, quibus in pane et cerevisia jejunavit, iterato revelatum est ei, ut pro peccatoribus universaliter jejunaret. Quod illa gratanter accepit; et alios septem annos in pane tamen et olere jejunavit. Adjecit autem Dominus visionem, et rapta in spiritu vidit salutis nostræ Principem Jesum, cum vulneribus quasi recentibus atque rubentibus, vultui Patris astantem, et Patri pro peccatoribus supplicantem. Qui conversus Lutgardi dixit: Videsne tu, quemadmodum me totum Patri pro meis peccatoribus offero? Sic etiam volo, ut te mihi totam pro meis peccatoribus offeras, et zelum contra illos in vindictam accensum avertas. Hoc idem ei Dominus Jesus in sacrificio Missæ quotidie fere dicebat:

pro peccatoribus:

Quod autem preces et jejunia atque labores B. Lutgardis virtutem magnam haberent, in morte testata est illa beatissima Maria de Oignies; ubi velo ipsius caput suum velans ac ligans, spiritu propheticæ tacta prædixit: Sub cœlo, ait, non habet mundus Domina Lutgarde fideliorem, et magis efficacem in precibus pro liberandis animabus a Purgatorio, et pro peccatoribus exoratricem. Spiritualia miracula in vita sua nunc facit; corporalia post mortem efficiet. Quam vera ista sint, multi et in vita ejus experti sunt, et post mortem; sicut postea præsens scriptura testabitur, non desinit operari.

10 Cum quædam religiosissima Monialis in revelationibus, quasi a Deo sibi factis per diabolum deciperetur, pia Lutgarde orante pro illa Dominum, respondit Dominus; Illumina his qui in tenebris et umbra mortis sedent. Cumque hæc verba Domini, utpote laica, non intelligeret; quæsivit ea a quadam Moniali, et intellecta recepit. Instantius ergo ipsa Dominum supplicante, apparuit ei dæmon, dicens: Ego sum spiritus mendax, qui illam decipio Monialem. Cui illa, Vade, inquit, ad Fratrem Simonem, in Alna monasterio degentem; et idem dicas ei, ut testem habeam veritatis. Nec mora, obedit Diabolus; et Frater *g* Simon in Aquiriam venit. Erat autem idem Simon vir Dei spiritu plenus; et (sicut liber ejus vitæ testatur), cui Dominus plurima revelavit. In unum ergo pia Lutgardis et Frater Simon secundum revelationem Domini concordantes, Monialem protinus *h* mandaverunt. Nec mora manus et membra Monialis contrahebantur rigore fortissimo, et os ejus adeo fortiter claudebatur, ut cultello non posset aliquatenus aperiri. Videntes ergo turbabantur timore horribili; et flexis in oratione genibus, pro tanto piaculo misericordem Dominum exorabant. Quid ergo factum est? Nequaquam fas erat in tantorum precibus inexorabilem Dominum inveniri. Mox ergo ut ab oratione Dei suppplices surrexerunt, Monialis membra ad statum pristinum redierunt; aperuitque os, et cibum sumens confortata est; et ab illo die ac deinceps a deceptionis spiritu liberata. Tantis autem postea prærogativis vitæ meritis, ut ipsemet vidi, condonata est, ut non solum illuminata in tenebris dici posset; sed etiam alios multos, existentes in tenebris, morum exemplis illuminaret.

cognoscit sanctimonialem deceptam a dæmone, et cum B. Simone id comperit atque illam liberat:

11 Vidi ego ipse Cisterciencis Ordinis Monialem quæ multis annis a dæmone vexata, ad eam adducta est; et per maximam ejus precum instantiam liberata. Vidi et aliam quæ a dæmone incubo annis plurimis mirabiliter fatigata, per preces ejus erepta est et mundata: fuit autem, ut ipsa mihi frequentissime testabatur, nequissimus ille dæmon, qui eam vexaverat et tanta spurcitia inquinaverat corpus ejus, ut nisi maxima violentia precum repressa fuisset, sæpius se ad publicum meretricium obtulisset. Liberata autem per preces Dominæ Lutgardis, in tanta pace peregit vitam, ac si numquam eam dæmoniacæ vexationis stimulus agitasset. Mira certe, et mira valde permissio Salvatoris ac Redemptoris; quod potestatem accipit Satan in mundo corpore, et hoc corpore virginali: quæ potestas non tantum exercetur, ad carnis inquinamentum, verum etiam vix fieri potest quin procedat ad corruptionem mentis, et animæ detrimentum. Quid mundius sponsa Christi? quid mundius Virgine, quæ est sancta corpore et spiritu? et tamen in talem fieri ista percepimus. Quid restat ergo nisi exclamare cum Apostolo: O altitudo divitiarum sapientiæ, et scienciæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Credimus tamen quod occulto et justo Dei judicio, mulieres ad istud inquinamentum, per excessum tentationis illicitum, perducantur: quomodo autem aliter, non videmus.

liberat aliam ab incubo fatigatam,

12 Quædam Yolendis, Monialis nigra, in monasterio super Sambram, mundi illecebris dedita, ad monasterium de Aquiria hortatu piæ feminæ convolavit; fuit autem nobilis genere, et delicatissimi corporis femina. Pro hac pia Lutgardis mira precum instantia Dominum exoravit ut ei peccata dimitteret, et gratiam infunderet devotionis. Nec potuit Christus negare quod petiit: sed mulierem ad sanctæ conversationis statum perduxit. Cum ergo ibidem annis pluribus Domino deserviret; obitum suum Domino revelante cognovit: et accessit ad piam matrem suam Dominam Lutgardem: Pro me, inquit, instantissime Dominum depreceris, quoniam vitæ meæ instat jam finis. Cui pia Lutgardis: Constanter, inquit, expecta Dominum, quia certa sum, quod tecum misericorditer aget: et in proximo te a pœnis, quas vereris, eripiet; Tu autem post mortem revertaris ad me; et rediens primo mihi dicito; Benedicite: deinde Pater noster cum Salutatione Angelica perorabis, ne solito diabolus aliquod figmentum adducat. Mortua est ergo, ut prædixit, in miro fervore spiritus *i* Monialis: et nec triginta dierum tempus excessit, cum ecce, orante pia Lutgarde, mortua ei Yolendis apparuit; et sicut in vita rogata fuerat, primo dixit Benedicite, et cetera quæ prædixi: Pia ergo Lutgarde respondente; Dominus, statim intulit; Quomodo est, inquit, tibi? Et mortua, Dominus, inquit, non abhorruit me pro meorum enormitate peccatorum, sed ob gratiam tui magnam consecuta sum misericordiam. Et hoc dicto disparuit. Lutgardis autem cum multis lacrymis divinam super peccatores misericordiam benedixit.

aliam ad piam vitam adduxit, et a morte redire jussam salvatam intelligit:

13 Sed et soror sua carnalis, de mundo ad purgatorium transiens, antequam piæ Lutgardi mors sororis indicaretur, ei subito in aere vox horribilis et lamentabilis inclamavit: Miserere, soror carissima, miserere mei, et mihi misericordiam eamdem, quam aliis animabus præstitisti, clementer impendas. Intellexit autem prostrata in precibus, quod anima sororis suæ orationum suffragia postularet: et mox exegit ab omnibus, ut Conventus illam in multis disciplinis, et orationibus adjuvaret.

sorori propriæ in purgatorio succurrit.

14 Eodem fere in tempore res apud multos pro animi admiratione habita contigit, quam subjungo. Cum enim pia Lutgardis secundum consilium Augustini

A gustini omni die Dominica perciperet Corpus Christi, prohibita est pia Lutgardis a Domina k Agnete minus discreto usa consilio, tunc temporis Abbatissa, sumere omni die Dominico sacramenta. [Cui pia Lutgardis dixit: Obediens quidem ero, Mater charissima, sed hoc certissime præcognosco, quod in carne tua Christus hanc injuriam vindicabit.] Nec mora: in vindictam facti, in tantum a Domino per intolerabilem infirmitatem afflicta est, quod ecclesiam ingredi non valeret; nec cessavit dolor per momenta concrescens, donec reatum indiscretionis agnosceret, et prohibitionem in pia Lutgarde pœnitens relaxaret: sed et illæ quæ in hoc facto fuerant contra illam, aut notabiliter ab hac luce subtracta sunt, vel se ad illam humilitatis spiritu converterunt. Dignus zelus Sponsi erga sponsæ suæ improbos turbatores.

noxit moribundis ob sororum preces recessisse dæmonis,

15 Spiritus ejus super morientes in magna semper misericordia ferebatur: visitabat ergo eos ad confessionem peccatorum admonens et impellens, spem certam pœnitentibus, et peracta pænitentia gloriam repromittens. Cum ergo quædam Soror ageret in agone, et sine gravissimo vexaretur, apparuit B ei dæmon insultando et dixit: Ecce vexavi Sororem illam: sed cum venisset populus nihil amplius prævalui in ea. Populum autem conventum vocavit, qui ad commendandam animam Sororis veniens, vires illius precibus enervavit. Sanctum ergo et pium est assistere morientibus, et eos contra dæmones, qui finis nostri calcaneo semper insidiantur precibus adjuvare.

eosque facile ipsa pellit a se

16 Frequenter quoque ad eam dæmones veniebant, et funestum vel triste aliquid annuntiabant: illa autem conspuebat eos, et importunos Crucis signaculo depellebat. Adeo dæmones timebant eam, ut etiam locum orationis ejus, quasi ferrum candens, vitarent attingere. Et ipsa quidem cum nec Psalmos intelligeret, nec aliquid de Scripturis, in ruminatione tamen illius Psalmi: Deus in adjutorium meum intende: et aliorum quorumdam versuum in Psalterio videbat dæmones miro horrore diffugere, et a mali suggestione cessare. Unde intelligebat virtute verborum etiam a se non intellectorum præsentias dæmonum propulsari, et eorum in tentationibus potentiam enervari. [Refert Frater Bernardus quod eam secreto dicentem audivit, nihil se timere diabolum, nec in ullo deceptionis modo, adversus eam, posset aliquatenus prævalere; Sed C secundum promissum Domini, ipsa caput, id est initium tentationum ejus, virtutum pede potentissime conterebat.]

ANNOTATA D. P.

a *Anno* 1208 *suscepta a Cruce signatis fuit expeditio ad exterminium Albigensium et ad hunc annum videtur initium hujus jejunii spectare, etsi aliquanto citius grassari, et seducere a Christo fideles per Galliam cœperint.*

b Accon *seu* Ptolemaïs *urbs maritima Palæstinæ, ubi, post Hierosolymam amissam, refugium suum habuisse Patriarchas Hierosolymitanos, diximus* 8 *Aprilis ad Vitam B. Alberti Patriarchæ num.* 25 *De dicta urbe a Christianis capta, agit Jacobus a Vitriaco in Historia Orientali cap.* 25, *factus ipse Acconensis Episcopus post an.* 1217.

c Fodiensis *seu* Foviensis *vel* Faviacensis *Surio* Foncensis *Abbatia nusquam occurrit: quid si* Fossæ *seu* Fossense S. Foillani *in Hannonia monasterium, antequam Præmonstratensibus traderetur, fuerit Ordinis Cisterciensis: Miræus in Chronico Præmonstrat. fatetur nesciri quando Præmonstratensibus obvenerit; sed refert diploma Episc. Cameracensis Burchardi an.* 1125 *jubentis ut si eo loci aliquando constituatur Abbas, is Pastorale pedum deferat ad Capitulum Fossense et quotannis eidem solvat unum denarium aureum, vel decem argenteos.* D

A. THOM. CANTIP.

d Maria de Roavia, *aliis MSS.* Roania, Maura *Surio* Rona.

e *Innocentius Papa mortuus est* 16 *Julii anni* 1216: *cum autem Pontifex iste, fuerit optimus, illusionem hic vel fabulam esse volunt aliqui, quod hic narratur: sed numquid judicia Dei abyssus multa? et ab hominum judiciis sæpe diversissima?*

f *Verba sunt Elcanæ ad Annam uxorem, sterilitatem suam plorantis* 2 Reg. 1, 8 *quæ hic aptantur filiis spiritualibus, qualis* S. Lutgardi *erat* Mag. Joannes.

g B. Simon *a multis refertur* 24 *Februarii, a Miræo* 6 *Novemb. in Vita MS. (quæ penes nos est ad* 6 *Decemb. in qua hujus relationis mentio habetur.*

h Mandaverunt, *aliis* demandaverunt. I. *tenere mandarunt.*

i *Sepulta etiam in ecclesia Aquiriensi ut notat Rayssius pag.* 61: *ubi et* Beatam *ac* Pœnitentem *appellat.*

k *Agnes* 2 *Abbatissa, successit Mariæ primæ Abbatissæ; de qua supra num.* 5. E

l *Ut primis in Aquiria annis hanc juverit Lutgardis annos* 24 *circiter natam, itaque non nisi annorum* 66 *fuerit cum hæc scribebat Auctor.*

CAPUT .

Orationis efficacia: desiderium Martyrii: auxilia tentatis et peccatoribus, imo et ægris præstita.

Pia itaque Lutgardis, cum ad omnem perfectionem mirabiliter anhelaret, cœpit miro modo insistere, ut omnem pœnitus cogitationem, non tantum malas, verum etiam bonas, a se in dicendis Horis repelleret; et, quod in statu vitæ mortalis impossibile est, eo solo quod diceret animum occuparet. Cumque hoc efficere minime potuisset, cœpit semetipsam grandi mentis scrupulo perturbare; et, quasi nihil dixisset, secundo vel tertio Horas singulas iterare. Lugebat ergo in isto necessario vitæ defectu, et a nullo amicorum suorum in hoc potuit consolari. Fiebant autem orationes ad Deum pro ea, ut eam Dominus ab hoc scrupulo liberaret. Nec eos fefellit Omnipotens. Inopinate enim, induit Pastorem Dominus, oviculas insequentem, ad instar Amos Prophetæ et in ore ejus verbum consolationis posuit pius Pater. Oves igitur mox dimittens rudis pastor, ad tredecim milliaria in Aquiriam venit: et accersita pia Lutgarde, audientibus etiam aliis, dixit: Hæc dicit Dominus: Nullo ulterius pro dicendis Horis dolore torquearis aut scrupulo: placibiles sunt orationes tuæ et in conspectu meo gratanter acceptæ. Hæc ut dixit pastor, repente diffugit: nec locus fuit, quis esset, quærere, vel aliquid amplius scire: postea tamen notum factum est quis [esset aut] fuisset. [Sed et per seipsum Dominus dixit ei, Nihil verearis ulterius, quoniam in te istum supplebo defectum.] Pia autem Lutgardis verbum utrobique de ore Domini prolatum sentiens, in pace conscientiæ requievit, nec amplius eam postea super hoc inordinatus scrupulus fatigavit.

A scrupulo ob distractiones in Horis,

F *liberatur ab ovili one divinitus submisso,*

et a Christo:

18 Itaque non posset credi de facili, cum quanta spiritus alacritate in cantandis Horis Domino deserviret. Cum ergo die quadam in Vesperis cantaret in choro, Monialis quædam, quæ ab opposita parte in choro stabat, visibilibus oculis corporalis luminis, flammam de ore ejus vidit ascendere, et in sublimi aere penetrare. Ad cujus visum insolitum timida et pavefacta puella, fere exanimis facta est. Finitis

inter cantandum videtur ex ore flammam emittere.

A THOM. CANTIP.

Finitis ergo Vesperis, pia Lutgardis Monialem dulciter consolata, tandem adhuc timenti dixit : Nolo te filia carissima, ista visione terreri; quia in veritate divinitus factam intelligas. Nota ergo Lector, quod de multis hoc legitur accidisse : et corporalem flammam in eis visam, fervidæ orationis desiderium figurasse. [Plerique minus spirituales mirati sunt, quomodo in factis tam magnificis calcare humanam gloriam potuisset. Et, respondeo : Adeo (ut mihi ipsamet dixit) spirituali et solida interius gloria plena fuit, quod nulla eam forinsecus inanis gloria vexare potuit; sed veluti columnam Spiritus sanctus eam immobilem fixit].

Post communionem refectura corpus,

19 Cum Augustinus, Doctorum omnium maximus, in libro de Civitate Dei dicat, quod in cunctis nobis semper debeat præesse discretio et quasi moderando singulas discernere voluntates; piam utique Lutgardem discretione maxima novimus viguisse, quod patet in hoc capitulo quod subjungo. Die quadam Dominica, cum Sacramentum salutare Christi corporis accepisset, et reliquiæ cogitationis diem festum in ea agerent Salvatori, ita quod grave esset ei ad mensam cibi corporalis accedere, dixit; Domine Jesu, non est modo mihi congruum tempus tuis deliciis occupari, sed vade ad Elizabet quæ una hora a cibis abstinere non potest, et occupa cor ejus : me autem comedere permittas et refici. Erat enim ibidem quædam Monialis, quæ infirmitate hujusmodi laborabat, ut pluries in die et pluries in nocte eam refici oporteret. Ad verbum ergo piæ Lutgardis mox Christus obediens, ad Monialem repente transivit, et cor ejus tanta suavitate replevit, ut a corporali cibo contra consuetudinem sine ulla molestia per longum temporis spatium abstineret. In hoc ergo notari potest discretio magna piæ Lutgardis, quod debilitare noluit corpus suum occupatione etiam spirituali : utilius ducens illud ad multos alios labores animabus utiles conservare, quam extra horam (quia omnia tempus habent) ad destructionem sui inutiliter fatigari. Et hoc quidem contra illos, qui semel aut bis spiritus suavitate degustata, sibimet inimici crudeliter corpus abjiciunt; et dum in Deum per hoc tendunt spiritu fortiori, corpus in adjutorium spiritus datum destruunt; et sic spiritum, per destructionem corporis impotentem effectum, miris sinunt miseriis aggravari : Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam. Contra quos expertissimus Doctor loquitur Paulus : Nemo, inquit, carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam : Nutrit utique, non ad delectationem, sed ad sustentationem. Abraham montem visionis ascendens, dimisso sacrificio ad asinum redit : cui Salomon onus jubet imponi, et postea paleam dari. De his Lector quid agat, excogitet : nos autem brevitatis causa ad reliqua transeamus.

Christum rogat alio divertere;

docetque inter delicias spiritus,

Ephes. 5, 29, cavendam corporis destructionem.

20 De eadem Elizabeth inopinabile multum miraculum accidit, quod subjungo. Sicut enim diximus, omni fere hora eam comedere non solum diebus, sed etiam noctibus quandoque oportebat : et tamen ita debilis erat, quod nullo modo in pedibus stare posset, sed in lecto continue decumbebat. Cum ergo in pia Lutgarde, virtutem orationis luce clarius agnovisset; rogavit eam cum magna cordis instantia, quatenus pro ea Dominum exoraret, ut ei ante mortem, possibilitatem surgendi, et conventum frequentandi concederet, ut per hoc ante finem vitæ suæ Domino Jesu Christo plenius deserviret. Annuit ergo illa pro ea Dominum deprecari. Cui Dominus in hæc eadem verba respondit : Elevare, inquit, elevare consurge filia Hierusalem quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus. Hanc ergo responsionem Domini et causam responsionis, cum litteratis Monialibus indicasset, adverterunt ex ægritudinis lecto Elizabeth elevandam, et consurrecturam in sanum statum; in quo solvenda erant vincla colli ejus, et captivitas elidenda, quibus in infirmaria debiles, non tantum modestis, verum etiam discolis subjici ministris oportet, voluntarios pariter et invitos. Et factum est sicut ei Dominus dixerat : elevataque Elizabeth de lecto ægritudinis, in quo jacuerat annis multis, consurrexit ad onus Ordinis indefesse, et perfectissima sanitate diu postea Christo Domino deservivit.

Contra famelabor anti est semper claudo,

impetrat sanitatem ad annos longos:

21 Recogitabat eum, qui talem a peccatoribus sustinuit tribulationem, et miro modo accensa est Christo vicem rependere, et pro eo martyrium sustinere. Sed, quia tempus Martyrii velut hiems transiit, imber abiit et recessit; Christus ei aliud genus, etiam corporalis martyrii præparavit. Accidit enim nocte quadam, ut dicto Completorio ante lectum suum in dormitorio staret, orationibus occupata. Ecce incidit illi cogitatio de præmissis, cœpitque miro et ineffabili modo desiderare, ut pro Christo, sicut Agnes beatissima, martyrium sustineret. Cumque tantum in tali desiderio æstuaret, ut jam se mori præ desiderio crederet; rupta est ei vena contra situm cordis extrinsecus; et exinde tantum sanguinis fluxit, ut tunicæ ejus et cuculla copiosissime rigarentur. Debilitata ergo resedit paululum : et statim apparuit ei Christus, in vultu congratulantis, et dixit : Pro desiderantissimo fervore martyrii, quem in effusione istius sanguinis habuisti; idem martyrii meritum in cœlo recipies, quod Agnes beatissima, pro fide mea in capitis abscissione suscepit : quia martyrium ejus tuo desiderio in sanguine compensasti. Hoc concordat illi quod in principio libri primi posuimus ubi matrona quædam nobilis et devota piæ Lutgardi adhuc juvenculæ dixisse refertur * : Tu, ait, bona Agnes et vere Agnes altera eris. O plane beatissima mulier, quam ipse Christus in pacis tempore corona martyrii decoravit. Hujus gloriosissimi facti testes duæ de Monialibus extiterunt, Margareta et Lutgardis cognomento Limmos devotissimæ feminæ; quæ, post effusionem sanguinis, piæ Lutgardis vestimenta laverunt. Testis quoque fuit et cicatrix ruptæ venæ, usque in diem, qua felix ejus anima ab hoc seculo transmigravit. Testis cessatio vexationis fuit, qua Deus in Evæ sexu superbiam mitigavit : fuit autem annorum viginti et octo quando ei ista contigisse feruntur.

desiderans martyrium,

ex rupta vena copiosum sanguinem emittit,

** Lib. 1, n. 3*

in hoc æquanda S. Agneti:

22 Machtildis matrona nobilis, de partibus nata Leodii, filios milites heredes relinquens, in Aquiria Domino serviebat. Senio autem et debilitate confecta, quod inde consequi solet, auditum penitus perdidit. In Vesperis autem solemnibus die quadam, cum Moniales alta voce cantarent, et hoc quædam Monialis dictæ matronæ surdæ signo innueret; illaque signum intelligens, suam surditatem defleret; adveniens pia Lutgardis, signo, cur fleret, interrogat. Et illa : Ego, inquit, miserrima quare non fleam, quæ in tantum privor auditu, ut solennitatem cantus, quo Deo servitur, audire non possim. Mox pia Lutgardis compassa ploranti, et ad orationem paululum inclinata, surrexit; et duos digitos suos sputo liniens, auribus surdis imposuit. Mira res! Repente mulier cum fragore rumpi interius oppilationem audiens aurium, patefactis ad plenum auribus mox audivit : et in tanto miraculo virtutem piæ Lutgardis sentiens, Dominum magnifice benedixit.

surdam precibus et saliva sua sanat.

23 Quoties, rapta in spiritu, passionis Dominicæ, memor erat; videbatur ei, quod essentialiter per totum corpus sanguine perfusa ruberet. Hoc cum quidam religiosus Presbyter secretius audivisset, observans eam tempore opportuno, quo dubium non

In contemplatione passionis Christi,

sanguine perfusa conspicitur,

A non erat, secundum tempus Christi fore memorem passionis; aggressus est illam videre: ubi acclinis ad parietem in contemplatione jacebat. Et ecce, vidit faciem ejus et manus, quæ tantum nudæ patebant, quasi recenti perfusas sanguine relucere: cincinnos vero ejus, quasi guttis noctium, infusos sanguine. Quod videns, clam forcipe partem illorum in partem tulit; et ad lucem eos in manu ferens, cum supra modum attonitus miraretur, pia Lutgarde de raptu contemplationis ad sensum forinsecus revertente, cincinni quoque in manu stupentis ad colorem naturalem protinus revertuntur. Qui statim ultra quam credi potest, ad tam ingens spectaculum pavefactus, fere cecidit resupinus. Nota autem Lector, quod nimirum pia Lutgardis rubere sanguine visa est, quia de illis specialissime fuit in vita, qui laverunt stolas suas in sanguine Agni: ex intellectuali enim consideratione mentis interius, similitudinem traxit corpus exterius.

uti et crines furtim tunc abscissi:

24 Miles quidam, genere et divitiis pollens, filiam in Aquiria habuit Monialem: quæ cum patrem suum diversis flagitiis irretitum, eum ad hoc induxit, ut a pia Lutgarde orationes peteret; et se ab illa, sicut in talibus mos est, in spiritualem

virum flagitiis deditum convertit,

B filium recipi postularet. Annuit illa, adiitque pro illo Dominum deprecari. Et ecce apparuit satan cuidam in eodem monasterio Moniali, dicens: Ecce mititur Domina Lutgardis de vinculis meis Militem Tymerum, qui mihi tot annis servivit, eripere. Sine illam: non est opus parvi temporis, quod incepit: ego autem, et si nihil aliud, id tamen efficiam, ut in camino paupertatis cor ejus fervere faciam, et tabescet ejus anima, sicut caro frixari assolet in patella. Et tu, Lector, vide, quam mira veritas in mendace. Et quidem cum ipse Miles illo in tempore maximis possessionibus et divitiis abundaret, ita successione parvi temporis est dilapsus, ut pecuniam paratam ad mille quingentas libras expenderet: et venditis postea possessionibus, ad tantam pauperiem deveniret, ut vix panem in suprema necessitate haberet. In his omnibus tamen tantam patientiam noscitur habuisse, ut nullus hæsitaret piæ Lutgardis preces Militi adfuisse. Hunc ergo in Affligemio, omnium illius Ordinis ordinatissimo cœnobio, monachum vidimus: et pro mirabili conversatione in tali ætate et patientia, ab omnibus venerari. Tali et consimili modo pia Lutgardis precibus suis a diaboli laqueis plures eripuit, et ad correctiorem statum bonæ vitæ perduxit.

qui bonis omnibus amissis.

fit Affligemii monachus.

C 25 Puella quædam Ordinis Cisterciensis, cum gravissimo tentationum incommodo gravaretur, vidit ante annos multos sibi piam Lutgardem in somnis apparere, dictumque est ei, illius debere se precibus liberari. Dia ergo postea ad eam in Aquiriam venit, ejusque faciem, in somnis tamen prius cognitam, recognovit: quam etiam, secundum quod prædiximus, maxima precum instantia ab omni tentationum incommodo liberavit. Tunc illa, piæ Lutgardis in sui liberatione experta virtutem, rogavit eam, quatenus ab Omnipotente Deo precibus impetraret, ut Ordinis sui sustinere labores, et carere esu carnium posset: ab infantia enim puella languerat, et vix diebus jejunii carere carnibus poterat. Pia autem Lutgardis, cum ætatem puellæ nimis teneram in tali abstinentia causaretur, et puella tamen impleri votum instantissime precaretur, tandem ejus lacrymis victa dixit: Vadas hinc: et ab ista die potestatem habebis, ut et carnibus careas, et tuum Ordinem teneas, ac super addere quod placebit. Mirum vere et stupendum miraculum. regressa puella ad locum suum, ei, secundum quod consuetum erat, in infirmaria carnes apponebantur: quas ubi intuita est, in simillima specie pudibundæ,

Puellam a gravi tentatione liberat,

eamque facit carnes abhorrere.

D vix in disco propositos visu mox horruit, ita quod prorsus comedere facie aversa non potuit. Quod ubi sæpe tentatum est, tantam abominationem carnium in mente concepit, quod numquam post verba piæ Lutgardis carnes comedit; et non solum labores Ordinis, verum etiam quidquid in mortificationem sui corporis sustinere voluit, ipsi sine omni molestia facillimum fuit. Hæc mihi eadem puella, jam admodum vetula facta, et in regimine monasterii posita Abbatissa, cum maxima verecundia retulit: sed eam laus piæ Lutgardis ista utique narrare coegit.

A. THOM. CANTIP.

26 Hespelendis quædam religiosa puella, in tentationum excessu præ nimia tristitia desperata, cum piæ Lutgardis orationum suffragia postulasset, et illa pro ea orationes et lacrymas copiose fudisset; Domino revelante respondit, Consolari, inquit, te oportet, carissima: quia in Parasceve, cum post adorationem Crucis Sacerdos exaltando Crucem dixerit, Ecce lignum Crucis; tu ab omni tentationem impetu liberaberis, et consolationis fiduciam consequeris. Et factum est ita: nam illa in hora qua prædictum est, liberatur, et per consolationis fiduciam divinæ gratiæ condonatur.

liberat aliam a desperatione,

E 27 Venerabilis Joannes Abbas Affligemiensis, cum secum quemdam virum ad piam Lutgardem duxisset: ille, aspectu illius, vultu anxio repercussus est. Miratus ergo Abbas cum ad remotiora venisset, dixit viro: Vidisti, ait, illam sanctam mulierem? Et ille, ex imo pectore suspiria trahens; Vidi, inquit, et in aspectu ejus, velut in aspectu Divinæ majestatis, tanto horrore peccaminum sum percussus, ut ejus auxiliante suffragio peccatis eximar, nec Deo dante relabar. Quod ita factum, dictus Abbas memorabilis recordatur.

solo aspectu incutit horrorem peccati,

28 Mulier quædam epilepticum filium habuit, Joannem nomine, pro quo multo tempore anxie tristabatur: et factum est ut in somnis ei verbum hujusmodi diceretur. Vade ad Dominam Lutgardem, in Aquiria commorantem, et tuus per eam liberabitur filius. Mane autem facto, cum filio in Aquiriam venit, et piæ Lutgardi filium obtulit. Quæ statim oratione præmissa, digitum illi in os posuit, et crucem in pectore pollice fixit: et ab illa die et deinceps puerum ab omni epilepsiæ incommodo liberavit.

sanat epilepticum signo Crucis:

29 Tempore quodam cum festum omnium Sanctorum ageretur, in ipso festo piæ Lutgardi multitudo maxima Sanctorum per visionem apparuit; et quod omnium spiritu, et omnium gratia plena esset: ei sanctus Spiritus revelavit. Quid mirum? Si enim secundum virtutes dona sunt, quo carere dono vel gratia debuit, quæ omni virtute plena refulsit?

omnium Sanctorum gratia plena:

F 30 Cum quodam tempore pia Lutgardis debilitate corporis ægrotaret, Domina Sybilla de Gages, quæ ei ab ingressu Ordinis devotissime servire consueverat instigante nequitiæ spiritu, ex diutino labore pene deficiens, corde et corpore fatigabatur, dixitque semel in corde suo: Ut quid in Dominæ Lutgardis servitute sic laboro? Numquam mater mea tantum alicui cui in vita servivit, nec me decet esse tantæ deditam servituti? Nec mora; in ipsa nocte audivit quamdam vocem, dicentem sibi. Non veni ministrare. Quod ut illa audivit, seipsam graviter reprehendit, et piæ Lutgard. postea in maxima jucunditate et delectatione servivit.

ministrantem sibi in labore confortat,

31 Homo quidam, in labe criminum desperatus, ad eam adductus est, ut saltem ejus colloquiis lætaretur. Nec mora, ubi juxta eam resedit, et ejus verba audire cœpit; vidit ultra omnem fulgorem super eam inæstimabilem claritatem. Quo in visu exhilaratus homo, et, nimirum ad spem veniæ confortatus, abscessit.

emendat desperatum:

Deiparæ grata intelligit verba, non horruisti Virginis uterum.

32 Frequenter accidit, ut dum Psalmodiam ruminaret, ei Spiritus sanctus virtutem et intelligentiam versuum revelaret. Accidit ergo nocte quadam, ut dum in Cantico, Te Deum laudamus, versum illum, Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum, diceret; ei beatissima Virgo Maria, quasi congratulans appareret: intellexitque versum istum beatissimæ Virgini fore gratissimum, per quem memoratur suscepisse Dei filium. Hoc ergo mihi ipsamet sicut filio dilecto revelans; admonuit, ut quoties versum istum dicerem, me toto corpore ad laudem gloriosæ Virginis inclinarem. Quod et diu feci et facio, et ad idem faciendum cunctos legentes admoneo.

compatiens pauperculæ cælitus jubetur pro ea orare

33 Pauperculam quamdam indigentem valde conspiciens, ad benefaciendum ei miro compassionis spiritu movebatur, et mox in spiritu dixit illi Dominus: In Psalmo legis, et dicis mihi; Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam. Quod sic intelligas: Portio tua ego sum, nihil habes aliud, et ideo egenti respondeas: Aurum et argentum non est mecum, quod autem habeo hoc tibi dabo; Ores autem pro ea, et dedisti ei quod tuum est hæc dicens, Custodisti legem meam. Ad hæc igitur Dei verba, modo mirabili interius illustrata, ad Dominam Sybillam de Gages venit, et quid ei Dominus dixerat, indicavit. Quæ scrutatis glossis super illum locum psalterii: Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam invenit lucidissime secundum glossam, eodem Dominum respondisse. Constat ergo quia sacræ Scripturæ eo spiritu sunt expositæ, quo et editæ. Simili modo cum quidam monachus Affligemii in parochiam dissolutissimam mitteretur, et eam rogaret suppliciter, ut in tanto periculo pro se Dominum exoraret, respondit ei dicens: Expectans expectavi Dominum, et intendit ei. Quod ita evidentissime sic factum vidit, ut nil penitus hæsitaret, quin ei pia Lutgardis ex Dei spiritu respondisset.

CAPUT III.

Spiritu prophetiæ futura, absentia, et arcana indicata

nomen S. Osannæ Virginis ei hujus revelatione novit:

Constat multis et per multa, piam Lugardem spiritu prophetiæ claruisse. Quidam ordinae Presbyter ad Gallicas partes in a Jotrensi monasterio Galliæ veniens, cum in crypta quadam, ubi Sanctorum corpora quiescebant, nocte oraret: et Sanctæ cujusdam tumulum, ex alabastro lapide factum, inopinabiliter aperiret; et nomen aut meritum ejus scire non posset; pium postea Lutgardem rogavit, ut pro revelatione nominis ejusdem Dominum exoraret. Annuens ergo viri precibus totam se ad precandum dedit et statim quod petiit, impetravit. Apparens enim ei prædicta Sancta dixit: Ego vocor b Osanna virgo, filia quondam Regis Scotiæ, et per miraculum Domini ad partes Galliæ adducta, sancte vixi: defunctaque ibidem ac sepulta solenniter, mei tandem per negligentiam temporis incolæ sunt obliti. Hæc, itaque, cum pia Lutgardis dicto viro referret, subjunxit: Vellem ut hæc eadem tibi Dominus in testimonium veritatis ostenderet: et ille; Non sum, inquit, dignus ut mihi talia demonstrentur. Cui illa: Etsi forte minus dignus sis, tamen illa digna est, cujus digne præconia revelentur. Nec mora super hoc pia Lutgarde orante Dominum, eadem nocte dicto viro per somnum tribus vicibus Virgo apparuit, et quod Osanna vocata sit indicavit. Qui vidit, testimonium perhibuit, et scimus quia verum est testimonium ejus.

apostatæ ad Ordinem suum prædicit reditum:

35 Quædam erat in c Parco Dominarum, juxta Lovanium, devota Monialis, quæ fratrem carnalem, de Ordine Fratrum minorum duodecim annos apostatam, inconsolabiliter deplangebat. Rogata est ergo pia Lutgardis, ut pro dicto apostata rogaret Dominum, quia soror ejus præ dolore sensum perdere putabatur. Illa vero compassa utrique, oravit ad Dominum: et ab oratione reversa, dixit: Dicatur illi bonæ puellæ, ut fiducialiter consoletur, quia frater suus est isto anno ad suum sanctum Ordinem reversurus. Quod ita factum inopinate sane percepimus, utpote de illo qui multipliciter fuerat seculi actibus irretitus. Nec legentes moveat, si de Ordine Fratrum Minorum aut aliorum per apostasiam aliqui exciderunt: neque enim aliquis istorum major est, nec longe tantus, quam ipsa habitatio Christi, in qua undecim boni perfidum Judam toleraverunt; aut melior quam ipsum cœlum, unde Angeli ceciderunt

mortem ipsi Ducissæ Brabantiæ, ut se paret,

et Purgatorio cito liberatam videt.

36 Eodem fere in tempore illustris Ducissa Brabantiæ, d filia quondam Philippi Regis Franciæ, graviter infirmabatur: ex longo autem tempore piam Lutgardem dilectam habens, mandavit ei, ut pro se Dominum exoraret. Quæ statim facta oratione remandavit ei, quod nullo modo de lecto surgeret, sed se per Confessionem in omnibus præpararet, et cum maxima cordis fiducia Dominum expectaret. Nec mora, sicut illa prædixit, Ducissa defuncta est. Post mortem autem piæ Lutgardi Ducissa apparuit; et quia per intercessionem gloriosæ Virginis Mariæ, quam in vita miro modo dilexerat, ultra speratum pœnis purgatorii eriperetur, certissimis indiciis indicavit. Hæc quidem venerabili et Deo devota Margareta, Domina de Velpia referente didici et conscripsi.

absens alterius mortem indicat.

Sed et idem accidit de viro nobili Domino Godefrido, filio Domini Godefridi, Castellani Bruxellensis; cujus obitum, antequam sciretur aliunde, Sororibus nuntiavit.

peccata occulta cognoscens suadet ea confiteri

37 Reclusa de Curia S. Stephani, in puellarii ætate gravissimum tentationis incommodum sentiens, piam Lutgardem ut pro se oraret, adivit. Cujus incommodum cum ipsa quæreret, et illa dicere vereretur; dixit ei pia Lutgardis: Ecce, Dominus mihi, quod verecundaris dicere, revelavit: et hæc dicens totum puellæ cordis sui statum quod etiam Presbyteris revelare noluerat, patefecit. Exhortata ergo confiteri, eam ad Confessionem peccatorum et morum correctionem, ita perfecte sanatam et consolatam ab omni incommodo dereliquit, ut in maxima postmodum spiritus alacritate et gaudio Domino deserviret. Idem et per omnia fere consimile fratri Werico, Converso, de Aquiria, accidisse probatum est. Quid mirum? Secum enim habebat illum in spiritu, cujus lucidiores sunt oculi super solem: quod in facto patuit, quod subjungo.

et occulta videntem

Quidam peccatum commiserat in abditissimo loco, quod revelare Presbytero verebatur. Et ecce non diu post, quidam in specie peregrini rogabat illum, ut causa remissionis peccati, quod plus timeret, sibi caput lavare deberet. Quod cum ille facere jam cœpisset, invenit in summo capitis peregrini oculum lucidissimum, et clamavit: O hominem, contra naturam in vertice capitis oculatum! Cui peregrinus: Hic est, inquit, oculus, qui te peccantem in abscondito vidit, et quem nulla possunt secreta latere. Hæc dicens ab oculis mirantis evanuit.

Scriptori ipsi adhuc juveni

38 Solicita supra modum pia Lutgardis fuit, notos Sacerdotes cum mira oris gratia frequentius admonere, gregem sibi creditum solicite procurare, et animas, quas Christus redemit a servitute dæmonum liberare. Ego autem, licet indignus, cum ad Ordinem Presbyteri ætate juvenis accessissem, nondum me in Prædicatorum Ordine constituto, indebite et super vires, in Confessionibus audiendis vices habere Episcopi sum compulsus. Hoc autem cum in magna cordis formidine inchoassem, cœpi

vexatis

A vexatis exterius auribus ex auditu, internis tentationum stimulis agitari. Maximo ergo timore et horrore correptus, ad piam Lutgardem, sicut ad specialissimam mihi matrem, accessi, et ei gravamen meum dolore tactus aperui. Quæ compassa mihi in orationem se dedit; et rediens, cum magna fiducia dixit: Revertere, fili, in locum tuum, et laborem debitum animabus curandis impende; aderit tibi Christus protector et doctor: qui et in Confessionibus audiendis a jaculis inimici te potenter eripiat, et in defectu scientiæ quem vereris addet gratiam ampliorem. Mira res; et licet ego ipsemet de meipso cum verecundia referam, ad laudem tamen Christi et ancillæ ejus, quod factum est non tacebo. Ab illa igitur die, quamdiu injuncto officio usus sum usque in præsens, quo sedecim anni fluxerunt media, prophetiam piæ Lutgardis in me veracissimam sum expertus: etsi extra tempus, quando audiendis confessionibus non eram intentus, frequenter intolerabiliter sum vexatus. Et quanto immundiora fuerint quæ audio, tanto minus ea curo, minusque moveor audiendo.

ideoque Confessiones audire formidandanti securitatem animi impetrat.

39 Ut autem aliquibus, quæ minus forte digne de ea in Aquiria sentiebant, piæ Lutgardis meritum B monstraretur, accidit hoc miraculum solemne quod narro. Solita erat, omni die Dominico Dominici Corporis refici Sacramento. Cumque euntem ad altare nullus eam in subsidium debilis corporis sustentaret, manifeste viderunt aliquæ, quibus videre datum est, duos eam Angelos medium tenere, et ad altare deducere. Consimili modo et alia vice manifestissime visum est, gloriosissimam virginem Mariam, et beatum Joannem Baptistam, eam in obsequio comitari: sed hoc diu postea, cum scilicet tempus instaret, quo debuit ex hoc mundo transferri.

Communicatura ab Angelis Deipara et Joan. Bapt. sustentatur;

40 Tribulatos et tentatos confortare et roborare cum mira sollicitudine nitebatur: Et revera mirum in modum gratiam ei in hoc Deus ipse contulerat ut nullus ab ea vel tentatus vel tribulatus sine alleviatione discederet. Veniens ergo quædam mulier, ab omni spe veniæ penitus desperata, locutorium introivit. Rogabat autem Moniales ut consolationem reciperet, et spem in Deum poneret, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Illa autem casso labore fugere nitebatur: retenta tamen ea rogabant, ut exspectaret piam Lutgardem; quæ etsi ei ad consolationem loqui non C posset, tamquam Teutonica, pro ea tamen Dominum exoraret: erat autem mulier penitus Gallica. Nec mora, pia Lutgardis adducta, ad remotum locum cum muliere secessit: sensit enim in spiritu supra modum feminam tribulatam. Mirari omnes ac ridere cœperunt, quomodo ignotæ sibi invicem linguæ in colloquio convenirent. Postquam ergo ibidem diutius consedissent, surrexit mulier, ad plenissimam spei fiduciam revocata; et reversa in locutorium Monialibus dixit: Cur dixistis istam sanctissimam Dominam esse Teutonicam, quam prorsus Gallicam sum experta? Neque enim est sub cælo alia, quæ me verbis suis revocare ad spem veniæ potuisset. Nec mirum si ad horam ignotæ sibi invicem linguæ in colloquio convenerunt, cum Lutgardis plena erat illo spiritu, qui discipulos in unum congregatos linguarum diversitate replevit. [Refert Pater Bernardus, quod vidit eam, et virum venerabilem ac Deo dignum Magistrum de Guiardum Cameracensem Episcopum, qui penitus linguam Teutonicam, sicut et ipsa Gallicam, ignorabat, mutuo colloquentes, et invicem intelligentes.] Vidi unam quæ in die Pentecostes ab hora tertia usque ad vesperam omnium linguarum notitiam habuit: sed hanc adhuc prodere nolo, quia adhuc in vita degit.

lingua Gallica sibi ignota [illegible] desperatam:

et loquitur Episcopo Gallico [illegible]

41 Lamentis diutius pro peccatoribus se affligens, adeo facies ejus quotidie rigabatur, ut secundum D Hieremiam Prophetam, oculi ejus fontem lacrymarum deducere viderentur. Hic dolor, hic gemitus tam ineffabilis videntibus erat, ut vix dum quis sine gravi dolore cordis cernere prævaleret. Cum igitur placuit misericordiam Domino eam in talibus mitigari, apparuit ei in fletibus rugienti; et congratulans ei, quod miserorum negotium diu fideliter egisset; manu ipsa, quam pro peccatoribus in cruce extendit, a facie ejus lacrymas tersit, dicens: Consolatam te esse in his lamentis pro meis peccatoribus volo; nec sustinebo te in fletibus ulterius fatigari: sed placido cordis fervore in oratione persistes; et per hoc, sicut quondam per lacrymas, iram Patris dignanter avertes. Hic status in ea usque in diem mortis immobilis perduravit.

S. THOM. CANTIP. Flenti pro peccatoribus Christus lacrymas abstergit, prohibetur flere, sed orare jubetur:

42 Hinc annis quinque fluxerunt, quibus (ut ipsa mihi in magnis lacrymis dixit) quotidie fere ab ipsa matre Christi visitata fuit, sæpe ab Apostolis, vel ab aliis specialibus Sanctis, exceptis continuis visitationibus Angelorum: et tamen in omnibus his perfectam spiritui suo requiem non invenit, donec ipsum solum Sanctorum Sanctum ineffabiliter om- E nibus dulciorem, utpote sanctificatorem omnium, inveniret. Et quid mirum? quid novi? Assimilatur pia Lutgardis cum sponsa in Canticis, cujus anima liquefacta est, vulneratur, languet, anhelat, surgit, quærit per vicos novæ gratiæ Sanctorum, et per plateas testamenti veteris Patriarchis. Paululum custodes pertransiit, quia non longe est ab eis quem quærit sponsum. Invenit quem diligit anima ejus, sublimius acie mentis directa. Sic Petrus pertransiens vigilias civitatis, Heliam, Jeremiam, vel unum ex Prophetis, etiam ipsum Joannem Baptistam, ut amicum sponsi conjunctis adhærentem, invenit quem dilexit; cui dixit: Tu es Christus filius Dei vivi. Christum, filium Dei moriturum, invenit Petrus: Christum, qui surrexit a mortuis et jam non moritur, invenit Lutgardis: illum in passione negatum, perdidit Petrus: istum in cœlis regnantem, invenit et tenuit pia Lutgardis. Tenuit, inquam, eum: tenuit utique, et ita tenuit, quod non dimittet eum. Quanto enim quæsivit ardentius, tanto strictius tenet: felix quærens, sed felicior tenens. Tenuit enim fide, nec dimisit cum mutatione: cujus etiam quæsitionis ejus modum triplicem videamus.

Visitata a cœlitibus,

magis unum Christum,

Cant. 3. 6

43 Tres lectuli in Canticis Canticorum secundum statum triplicem animæ distinguuntur. Primus est ubi dicitur: In lectulo meo per noctes quæsivi F quem diligit anima mea. Secundus est ille lectulus Salomonis, quem ambiunt sexaginta fortes ex fortissimis Israel. Tertius est ille, de quo dicitur: Lectulus noster floridus. Primus lectulus comparatur statui pœnitentiæ; qui est status incipientium: secundus, status pugnæ; qui est status proficientium: tertius, status vitæ contemplativæ, qui est status perfectorum. In primo, jacet vulneratus; in secundo, fatigatus; in tertio, delectatus. In primo igitur, licet in lectulo pœnitentiæ, etsi nunquam alicujus peccati mortalis plaga vulnerata sit, pia tamen Lutgardis Dilectum perfecte quæsivit; quando secundum Psalmistam singulis noctibus peccata ignorantiæ suæ singulariter planxit, et lectulum conscientiæ suæ diligentissime lavit, et stratum suum lacrymarum suarum mira ubertate rigavit. In secundo quoque lectulo, qui est pugnæ, pia Lutgardis dilectum quæsivit, quando contra carnem pugnans, miris abstinentiis et labore eam subegit; mundum extrema paupertate et humilitate devicit; diabolum remediabilibus lacrymis et oratione deiecit. Hunc lectulum sexaginta fortes ex fortissimis Israel ambiebant, quando eam, non tantum Angeli, sicut jam scripsimus, verum etiam ipsa Christi Mater, cum aliorum

et tenet in triplici lectulo [illegible] statis,

Cant. 3. 1

Cant. 3.

Cant. 1.

[illegible] Visitata [illegible]

Psal. 6. 7

[illegible]

A aliorum Sanctorum agminibus protegebant. In tertio autem lectulo, qui est quietis, pia Lutgardis dilectum perfecte quæsivit, quando nec ipsis Angelis innitebatur aut Sanctis, sed in accubitu solius Sponsi per contemplationem dulciter requievit. Unde cum Isaia dicere potuit: Coangustatum enim est stratum, ita ut alter decidat: et pallium breve utrumque operire non potest. Hic lectulus floridus dicitur, vernans multiplicitate virtutum, et redolentissima opinionis suavitate respersus; et, Noster, hoc est Sponso tantum et sponsæ communis: in eo quod dicere potuit: Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia. Et illud: Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Quid mirum?

III. Thori cantic. et contempl. tiræ quietis.

Is 28, 20

Cant 2, 16, et 17, 10

Nescit amor Dominam, non novit amor domina-[ri,

Quamlibet altus amet, non amat absque pari.

Alioquin ancilla dici posset, non sponsa: quæ utique in figura hujus mysterii in primis parentibus de latere sumpta est, non de pede. Proinde ita spiritus ejus absorbebatur in Deum; ut cum Reginæ Saba in admiratione deficiens, ultra spiritum non haberet, sed tota translata in Deum, instar guttæ aquæ in dolium vini, unus cum eo spiritus misce-B batur. Et hoc est, quod Christus ad passionem properans a patre pro his qui credituri essent petiit, dicens: Sicut tu, Pater in me, et ego in te, ita et ipsi in nobis unum sint!

Joan 17, 20

At quoniam secundæ hujus editionis librum rebus multimodis, et ut putamus, utilibus in longum extendimus, ut gratius quidem ad pretiosæ mortis ejus historiam transeamus, pausationis modicæ interstitio respiremus.

ANNOTATA G. H.

a Jotrum *monasterium ab Adone fratre S. Audoeni constructum ad Matronam fluvium, in Meldensi diœcesi.*

b Osanna, *Surio* Osmanna, *quam Henricus Fitz-Simon in Catalogo Sanctorum Hiberniæ arbitratur* 22 *Novembris coli, uti et* 10 *Septembris. Sed ea dicitur translata ad monasterium S. Dionysii prope Parisios* 22 *Decemb. et elevata* 1 *Aprilis; prout istis diebus indicatur in Martyrologio Gallicano Saussayi. Sed quidni aliquæ ejus Reliquiæ fuerint etiam apud Jotrenses?*

c *Parcum Dominarum cœptum anno* 1215, *confirmatum anno* 1216.

C d Maria, *filia Philippi secundi Regis Franciæ, secunda uxor Henrici* I *Ducis Brabantiæ, nupta anno* 1206, *sepulta Lovanii ad S. Petri ubi ipsius et Mathildis secundæ uxoris monumentum visitur, expressum apud Butkens in Trophæis Brabantiæ pag.* 203. *Eadem Maria invenitur Necrologio Affligemiensi adscripta* 18 *Kal. Sept. verosimiliter ut benefactrix.*

e *Guiardus, laudatur a Cantipratano lib.* 1 *Apum cap.* 4. *Sedit ab an.* 1238 *ad* 1247, *sub ejus Successore Nicolao Coadjutor seu Suffraganeus fuit Cantipratanus, cum antea fuisset Guiardi Vicarius.*

LIBER III

Acta ultimis vitæ annis in cæcitate. Obitus. Miracula.

CAPUT I.

Apparitiones B. Jordani Generalis Prædicatorum, Jacobo de Vitriaco et aliorum. Tertium jejunium septem Annorum.

Nunc ergo libro secundo fideliter executo, tertium quoque de transitu ejus nihilominus inchoa-D mus. Anno ferme undecimo, antequam ab hac vita migraret, præludium quoddam et vitæ quietissimæ, et mortis felicis accepit. Instar enim Patriarcharum Isaac et Jacob oculis ambobus orbata, luminis cœlestis fulgorem solito perfectius est adepta. Indignum enim erat ut mens ejus, radiantissimo interius lumine decorata, exterius quodam modo luminis istius tenebris fuscaretur. Quis enim dubitet corporalium rerum imaginibus, quæ per oculos foris menti probantur influere spiritualem mentis aciem non retundi? Cæcata ergo foris, tota mente interius in lumine ferebatur. Hoc solum pia Lutgardis in hac cæcitate plangebat, quod spirituales amicos suos in hac vita ulterius non videret: sed hunc miræ simplicitatis affectum, cito ab ea Christus sua pietate dimovit, et eos videndos tantum in patria precabatur. Et in hoc capitulo Frater Bernardus addidit, quod ab ejus ore audivit, sibi Dominum respondisse. Cæcitatem quidem quam immisi tibi, patienter accipias, quia promitto tibi, quod sine purgatorio de corpore te assumam. Amicos vero quos te in hac vita cæcitaris amplius non visuram, videndos tibi in æterna patria conservabo.

Annis XI ante mortem cæca

cœlesti lumine illustratur,

eique ideo promittitur immunitas a Purgatorio.

E

2 Sub eodem fere tempore, sed paulo post, beatæ memoriæ Jordanus *a* Magister Ordinis Prædicatorum, cum diu visitandi Terram sanctam desiderium habuisset, per mare rediens, occulto Dei judicio, cum maxima multitudine hominum, et duobus ex Fratribus Ordinis, est submersus. Nec mora, a summo cœli fastigio usque ad navem, in qua submersus jacebat, columna lucis maxima per spatium quinque horarum divinitus accensa, de nocte refulsit: adjectoque littori sacro corpore, cœli lampas super ipsum tertia vice, et quarta super socium ejus F. Geraldum, resplenduit: sicque lampas rediens nube recepta est. Horum testes fuerunt Catholici Christiani, Græci schismatici, et Gentiles. De his quidam ex nostris in prosa, quæ continet gesta ejus, inter cetera plane descripsit, dicens.

B. Jordano Generali Prædicatorum,

prope Terram sanctam submerso,

Hic terram sanctam adiit illic fratres invisere,
Sed cum per mare rediit,
Mergendo cœpit ardere,
Christumque benedicere,
Sicque cœlum mox subiit,
Ut signis datur credere.
Nec mora: mox incanduit
Columna lucis maxima,
Quæ dum de cœlo micuit,
Membra lustravit sanctissima.
Et quo transisset anima
Videntes scire voluit.
In re manifestissima,
Adjecto sacro littori
Cœli lampas emicuit:
Quæ ter superstans funeri,
Quarto quoque resplenduit,
In hunc quem secum habuit.
Et sic recursu celeri
Rapta nube non patuit.
Corpus fragrans mirifice
Curatur a fidelibus.
A Græcis dantur unice
Latinis et Gentilibus
Laudes Christo cum fletibus.
Et sic verum magnifice,
Sub tribus patet testibus.

F

Hæc per Fratres Domus Teutonicæ, qui ea oculis videre meruerunt, audivimus. Sed et in litteris Prioris Fratrum prædicatorum apud Venetias hæc eadem testata perlegimus.

3 *a* Eodem igitur anno, in vigilia Nativitatis Domini, cum B. Lutgardis a prima hora diei usque ad sextam

a

in Nativitate Domini apparente,

sextam oraret, et in spiritu quasi tenebras sentiret, tædere cœpit in tantum, quod in hæc verba prorumperet: Domine, quid est quod sentio? Quid est, quod patior? Certe, si aliquem amicum in cœlo vel in terra, qui pro me oraret, haberem, talem in corde duritiem non sentirem. Hæc illa cum lacrymis dicente, ecce subito, ante mentis ejus oculos, spiritus quidam tam lucidus et tam gloriosus apparuit, quod eum præ claritatis magnitudine non agnovit. Cui illa dixit: Quis es Domine? Et ille; Ego sum, inquit, Frater Jordanus quondam dictus magister Ordinis Fratrum Prædicatorum. Ego de hoc seculo ad gloriam trasivi, et inter Apostolorum, et Prophetarum choros sublimatus enitui: ecce missus sum ad te ut in festo isto gratissimo te consolarer. Tu autem jam secura esto de præmio: quia in proximo est ut a Domino coroneris. Psalmum vero, Deus misereatur nostri, cum Collecta de Spiritu sancto, quem me vivente et rogante pro nostro Ordine dicere promisisti, usque in finem vitæ tuæ diligenter observa. Cumque pia Lutgardis, illum pro quodam Ordinis Fratre interrogaret; respondit: Pro obedientia, quam mihi, et dilectione quam tibi exhibuit in proximo benefaciet ei Deus: hæc dicens disparuit, et eam in tanta consolatione quantam unquam prius habuerat dereliquit. Hæc eadem fere, et si modo dissimili, dictus venerabilis Pater Fratri Ordinis post obitum revelavit; et quod in Ordine sublimium Prælatorum in cœlo locatus esset, honorabili schemate demonstravit. Igitur dictum venerabilem virum Lutgardis mire in vita dilexerat, et ipse ei super omnes feminas confidebat, adeo ut eam totius Ordinis Prædicatorum matrem constitueret et nutricem: quam etiam super omnes Ordines devotam et sedulam vidimus erga Fratres; unde et pro eis specialiter quotidie sedulum Deo obsequium exhibebat.

secura redditur de æterna ejus salute:

semper Ordini Prædicatorum addicta;

tertio divino jussu jejunium 7 annorum auspicatur:

4 Peractis secundario septem annis, quos in pane tantum et olere jejunavit, iterum revelatum est ei, ut tertio jejunia votiva susciperet, per quæ Deus illud malum averteret, quod per quemdam inimicum Ecclesiæ Christi imminere certissime verebatur. Ab illo ergo tempore usque in finem vitæ suæ ita continuavit jejunia, ut nullum penitus diem, nec ipsam diem solennissimam Paschæ a jejunio præteriret. Mortua est autem, ut postea plenius exponemus, anno septimo hujus jejunii salutaris. Nec sine fructu jejunii, ut nos certissime jam speramus. Dixit enim mihi, cum pro prædicto periculo graviter formidarem, anno scilicet præcedente quo ex hac vita discessit: Consolari, carissime poteris, ut confido, in eo qui dicitur occultus insidiator Ecclesiæ, aut humiliabatur precibus fidelium, aut in proximo vita excedens, pacem Ecclesiæ relinquet, quam confundere putabatur. Nondum vidimus quæ prædixit, sed vere confidimus jam complenda. Neque enim unum ex omnibus, quæ futura prædixit per annihilationem in terram vidimus excidisse, utpote illius verba, quæ de Spiritu Dei hausisse plenissime comprobatur.

Jacobum de Vitriaco

5 Sub eodem fere tempore ille venerabilis et Deo dignus Jacobus, quondam Acconensis Episcopus, tunc vero Romanæ Curiæ Cardinalis, de quo superius fecimus mentionem, in vigilia SS. Philippi et Jacobi Romæ ab hoc seculo *b* transivit. Quarto ergo die depositionis ejus, id est in festo Crucis, pia Lutgardis rei nescia, (utpote triginta diætis a loco in Brabantiæ scilicet partibus constituta) rapta est ad excessum mentis in cœlum et vidit quoniam eadem hora anima dicti Episcopi delata est in paradisum. Cui spiritus piæ Lutgardis in cœlo congratulans, dixit: O reverendissime Pater, nesciebam te defunctum: Tu autem quando a corpore recessisti. Et ille: Quarta jam dies est: nam tribus noctibus et duobus diebus in purgatorio jam exegi. Mox illa cum admiratione quæsivit: Et quare, inquit, immediate post mortem mihi superstiti non indicasti, ut pœna tua Sororum nostrarum orationibus solveretur? Et ille, Noluit, inquit, Dominus contristari te ex pœna mea: sed peracto purgatorio ex liberatione et glorificatione mea te potius consolari. Tu autem in proximo me sequeris. His dictis pia Lutgardis ad se rediit: et diem mortis illius, purgatorium, et glorificationem Sororibus cum maximo tripudio nuntiavit. Sed et hunc veritas duos testes habuit; dum Fratri Domus Prædicatorum in Roma, ubi prius sepultus fuit, idem quod diximus de purgatorio et glorificatione in quarto die post obitum Dominus revelavit. [Frater vero Bernardus ipsa revelante percepit, hoc idem illi de pluribus familiaribus accidisse.] Quid hoc evidentius facto? quis Judæus, quis Gentilis, incredulitate sua, veritatem tam evidentem poterit infirmare? Romæ vix obiit, et quarta die in Brabantia hoc cognovit. Erubescat ille vilissimus obtrectator, qui dixit et scripsit debere profanos intelligi, qui muliercularum scriberent phantasticas visiones. Hoc notare voluit dictum Jacobum venerabilem, qui beatæ feminæ Mariæ de Oignies vitam beatissimam eleganti sermone conscripsit.

A THOM. CANTIP.

quarto die videt purgatorio liberatum:

prædicit se morituram Dom. 3 post Pent. quinquennio ante

6 Anno quinto ante mortem suam *c* Dominica tertia post diem Pentecostes, Evangelium, Homo quidam fecit cœnam magnam, in Ecclesia legebatur: Prophetiæ ergo spiritu tacta intrinsecus dixit Dominæ Sybillæ de Gages cui in omnibus ut litteratiori moniali commissa fuerat procuranda: Scire te oportet, carissima, quod in die illa Dominica, quando Evangelium hoc legetur, ad cœnam nuptiarum Agni transferar jam defuncta. Hoc dicto memorata Sybilla prædictam diem Dominicam, tamquam futuram diem transitus piæ Lutgardis, cum summa expectatione præstolabatur. Quæ dies ut venerat, nec mori visa est anni ipsius tempore revoluto; dicta Sybilla phantasticam credens, ad tempus oblita est propheticam visionem. At ubi annus quintus, sub eadem die, quam prædixerat, Dominica revolutus est, posito defuncto corpore piæ Lutgardis in feretro, Evangelium quod prædiximus, ad Missam Conventus in tuturdem in ecclesia legebatur. Ad cujus auditum, quod jam diximus Sybilla memorabilis recordata, obstupuit: et quomodo istud ante annos quinque pia Lutgardis spiritu prophetico prædixisset, cum admiratione omnium indicavit.

in irruptione Tartarorum,

eos in Germaniam non venturos prædicit:

7 Quarto anno ante mortem ejus gens crudelissima *d* Tartarorum, erumpens sedibus suis, destructa majori Hungaria Orientis, et minori Hungaria Occidentis, Turciæ quoque et Græciæ parte permaxima, utpote Bulgaria atque Ruscia, Poloniæ etiam potentissimo Duce perempto, et terra populoque destructis; cum jam partem Teutoniæ invadere, Boemiam scilicet, inchoassent; timor per totam Galliam atque Germaniam maximus erat, ne eas sicut et terram alias, invaderent atque vastarent. Veniens ergo F. Bernardus Frater Ordinis Prædicatorum, et Pœnitentiarius Domini Papæ, meticuloso nimirum rumore perculsus, rogavit piam Lutgardem quatenus instanter oraret Dominum et a Germaniæ finibus flagellum averteret Tartarorum. Et illa: Non cœpi, ait, modo pro isto negotio rogare Dominum; certa sum jam quod nunc ad terras istas Tartari non procedent. Quod ita ille accepit, ac si de cœlo divinitus sonuisset.

defuncto Balduino Priore Oigniacensi

8 Circa idem tempus venerabiles *e* Balduinus, dictus de Barbenzon, Prior de Oignies, quondam in Aquiria annis pluribus Capellanus, verbi Dei solennissimus Prædicator, contra consilium amicorum suorum rebus temporalibus se immiscuit minus digne. [Hic gravi infirmitate correptus, pridie quam moreretur,

A. THOM. CANTIP.

morereretur, digitum beatæ Mariæ de Oignies sibi præcepit exhiberi: quo præsente dixit: O veneranda Domina, vivens adhuc in corpore, in hora mortis succurrere promisisti: succurre ergo nunc o Domina, succurre: jam tempus est. Mortuus est ergo ibidem Balduinus, et ibidem in Oignies digna veneratione sepultus. Hujus igitur in obsequiis et exequiis cum frater Bernardus noster interfuisset, et statim sepulto corpore in Aquiriam pervenisset; mox salutato eo, in ipso adventu, dixit ei pia Lutgardis; Etsne mortuus Dominus Balduinus? Et ille, miratus tam inopinatam, tam subitam interrogationem: Mortuus est, inquit, et jam sepultus. Quid tunc ergo? Cui illa. Ecce jam instanti Domina mea Maria de Oignies mihi apparuit, dicens: Surge, Surge, festina, carissima, rogare Dominum quia hora hac anima amici nostri Domini Balduini divino judicio exhibetur, de commissis et omissis Domino rationem reddituras. Ecce quam verax in testimonio, tam fidelis in promisso, O venerabilis Maria, extitisti, quæ piam Lutgardem pro suffragio precum adire pro omnibus mortalibus voluisti; ut quam potentissimam in animabus a purgatorio liberandis vivens adhuc in corpore testata es, ejus adjutorium pro amico defuncto, in gaudiis sublimata cœlestibus, exorares. Benedictus ergo per omnia Deus, qui sanctitatem et merita sponsæ suæ, tam evidentissimo testimonio voluit declarare f. Vide ergo Lector, quam severo judicio examinandi sunt, qui secundum Isaiam gladium verbi Dei in vomeres laborum temporalium conflant; et pro lanceis invectionem contra peccata, fructum pacis transitoriæ ut vacent deliciis metere jam festinant.

a B. Maria Oigniacensi apparente, monetur pro illo orare:

ANNOTATA G. H.

a *Mortuus est* B. Jordanus *anno* 1237 *die* 13 *Februarii, ad quem Acta ejus dedimus ex Vitis Fratrum Ordinis Prædicatorum auctoritate Humberti V Generalis collectis, in quibus num. 45 ex hac Vita profertur gloria revelata. MS. Brugense, solum habebat verba Jordani ad* Lutgardem, *reliqua autem ex aliis MSS. hic plenius damus. Eadem in MS. Brugensi faciebant caput 6 quod caput huc translatum facit ut usque ad cap. 7 tituli capitum discrepent, ab indiculo superius post Prologum posito ex MS. Brugensi.*

b *Anno* 1240 *mortuus non* 44 *ut ostenditur in Appendice ad Supplementum post Vitam S. Mariæ Ogniacensis* 23 *Junii.*

c *Indicatur antiqua consuetudo Ecclesiarum Gallicarum et Belgicarum, in qua secunda Dominica post Pentecostem, præscribitur ex Luca parabola de Divite epulone, et tertia Dominica Evangelium hic indicatum. Consule dicta* 8 *Aprilis ad Vitam B. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani num.* 94. *Imo ita adscribitur in Missali Leodiensi anno* 1509 *excuso et deinceps.*

d *Hæc* irruptio Tartarorum *anno* 1241 *facta describitur a Michovio, Crommero in Polonicis, et aliis Scriptoribus.*

e *Francisco Moscho in Catalogo Antistitum Oigniacensium, dicitur* Balduinus Barbenzonius secundus Prior, *ubi de illo pag.* 6 *et seqq. egit.*

f *Hæc in MS. Brugensi, tacito Bernardi nomine, referebantur brevius; postea autem ipso Bernardo suggerente, sic aucta et mutata in aliis MSS. inveniuntur.*

CAPUT II.

Modus in contemplatione servatus. Præparatio ad mortem præscitam. Morbus. Obitus.

Requisita a quodam spirituali et speciali amico suo, qualiter Christi faciem in contemplatione videre soleret; respondit: In momento, inquit, apparet mihi splendor inæstimabilis, et quasi fulgur video ejus ineffabilem pulchritudinem glorificationis: quæ nisi raptim transiret ab aspectu contemplationis meæ; cum vita præsenti hanc sustinere non possem. Post hunc vero fulgorem splendor intellectualis manet; et cum in ipso splendore quæro quem raptim videram, non invenio. Nota ergo lector, quod hoc idem est, quod in Canticis dicitur: Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est: quæsivi et non inveni illum; vocavi et non respondit mihi. Quid est Christum loqui in anima, nisi repræsentare illi suæ divitias bonitatis, sapientiæ, et decoris? Ut ex his metiatur anima, quam bonum, quamque sapide sapientem, et a virtutibus decoratum eum esse oporteat, qui ejus amorem poterit in caritate perpetua promereri. Hunc ergo audiens anima liquescit in desideriis, et nititur obtinere quem conspicit: sed quia tempus perfectæ visionis nondum venit, illum quem quasi præsentem habuit, subito perdit: ut tanto diligentius quærat, quanto ardentius amat; et tanto ad possidendum mens latior præparetur, quanto ad quærendum frequentius innovatur. Proinde oculos Christi tam radiantissimo lumine coruscare dicebat, ut si possibile esset ipsum lumen solis splendoribus superfundi, tamquam sol stellas, et in infinitum magis solis radios offuscaret. Et hoc est quod quidam religiosus Sacerdos scire desiderans, quid esset dicere: Pulchriores sunt oculi ejus vino; monstrata est ei in sancto calice, ubi divina mysteria celebrabat, facies Christi; cujus oculi tanto splendore luminis radiabant, ut totum mundum possent etiam in tenebris constitutum, magis quam mille soles illustrare. De ipso autem spiritu veritatis edoctus quidam vitæ spiritualis expertissimus prædicator, dixit: Quod numquam sicut piam Lutgardem aliquem in vita cognovit, ita perfecte per fidem migrantem in intellectum et affectum. Quod et ipse protestor, sicut et scripturis et relatione quorumdam spiritualium ex parte conjicio, licet ego sim homuncio talis luminis inexpertus. [Et quidem facile credi non posset quantis videndi Christum desideriis æstuabat. Vidi ipse in hoc aliquando lacrymas ejus tantas, quod vix eas aliquis sine lacrymis sustinere valeret: accidit autem biennio antequam migraret a seculo quod Frater Noster Bernardus, in Aquiriam veniens, eam jam per mensem infirmatam, et Sacramento Unctionis, quasi quotidie ad exitum præparatam, invenit. Ex ardentissimo enim desiderio videndi Christum menti ejus insederat, quod ad Dominum tunc transire deberet. Nullum ergo signum mortis in ea dictus Frater reperiens, ad illam tanto desiderio suspensam, dixit: Non videtur mihi, Carissima, quod modo ex hoc seculo transeas. Quem illa anxio vultu reverberans; Non sit, ait, Carissime, dicas, quia valde desidero Christum Dominum revelata facie contemplari. Et ille subridens: Non revera, Mater carissima, non erit hoc modo: Cui illa, elevatis ad cœlum oculis; Si, inquit, modo non erit, fiat voluntas ejus cras. Tunc de lectulo surgam et ejus corpus in solamen accipiam.

Fatetur sancta se Christi faciem non nisi in raptu videre solitam.

Cant. 3

Alias immortaturam se immenso ejus splendore

lacrymis perfunditur,

et optat mori

10 Die quodam cum anima piæ Lutgardis, ad pietatem inclinata, Christo in contemplatione sincerius jungeretur, facta est vox super eam, audiente quadam devotissima Moniali dicens: Deliciæ meæ sunt esse cum filiis hominum. Quid miri? quid novi? Paradisum paradisorum Augustinus, contemplativorum maximus, fidelem et devotam animam nuncupavit, et merito: In creatione enim cœli et terræ, verbo tantum dixit, et facta sunt: in recreatione vero animæ, dilapsæ per peccatum Adæ, quantum

in contemplatione audit delicias mei esse cum filiis hominum

quantum laborem triginta tribus annis usque ad ignominiosam mortem Christus sustinuit, quis æstimare sufficiet? verum Deum et verum hominem hæc quidem sustinuisse non ambigo: sed quanti pendendus sit ille, pro quo iste talia tantaque sustinuit, ad plenum numquam quis sufficiet admirari; maxime cum ille, qui vicem pro posse rependens, ea quæ desunt passioni Christi in carne sua non desinit adimplere. Quod Lutgardem fecisse magnopere, nemo dubitat, qui hanc novit; nullus ambigit, qui hæc legit. Secundum præcedentia ergo, quid Christo Dei filio nostris temporalibus delicatius esse potuit, quam Lutgardis; Si fuerit, nescio; Deus scit. Unum scio, credidi propter quod locutus sum, quod nullam me talem vel legisse meminerim vel audisse.

tria ultimo vitæ anno ab ea exigit Christus:

11 Anno paulo plus quam uno ante mortem suam apparuit ei Dominus Jesus Christus, vultu illi congratulantis applaudens, et dixit: Jam instat finis laboris tui: nolo te a me diutius separari. Tria tantum anno isto requiro a te. Primo me quidem, ut referas gratias pro beneficiis jam adeptis; et in hoc requiras suffragia Beatorum: secundum est, quod pro peccatoribus meis te totaliter effundas in orationibus apud Patrem: tertium est, quod venire ad me sine aliqua alia solicitudine hianti desiderio concupiscas. Penses ergo, Lector, quanti apud Deum meriti fuit, cujus calcaneo quando antiquus serpens insidiari debuit, hujus mentem Deus tantum tribus solicitudinibus occupavit.

ab hoc a Deipara monetur de morte brevi secutura,

12 Paschali tempore proximo ante mortem suam apparuit ei Dominus Jesus Christus, cum gloriosa Matre sua in maxima gloria claritatis. Cumque pia Lutgardis, (ut fere semper) vitæ præsentis exilium, et desiderium supernæ patriæ causaretur, dixerunt ei: Non te oportet Carissima, ab hoc præsenti tempore ulterius fatigari: jam tibi remedium perpetuæ pacis disponitur ad coronam; nec te volumus amodo diutius expectare. Hæc pia Lutgardis sæpe dictæ Sybillæ de Gagis, statim ut revelationem Domini accepit, cum maximo timore et exultatione prædixit: sicut enim nullam habuit in omnibus cariorem ita nullam in omnibus familiariorem. Et merito: quia secundum præceptum supradicti venerabilis Jacobi, ejusdem Sybillæ consilio, ut magis litteratæ, in omnibus regebatur.

iterum diebus xv ante obitum a Deipara et sanctis visitata,

13 Quindecim diebus ante mortem suam apparuit ei gloriosa virgo Maria, et beatissimus Baptista Joannes, quem amore specialissimo diligebat: qui et dixerunt ei: Jam instat consummatio tua, superest tibi corona justitiæ: nolumus te hic esse diutius, omnes enim cives cœlici te expectant. Sed et Sancti apparuerunt ei anno illo frequenter in magna multitudine, et prædicebant ei excessum, quem completura esset instantius. Nec non et ei quidam amicorum ejus specialium qui jam prædecesserant, apparebant; gaudere se magnifice protestantes, quod eis sociaretur in proximo migratura. Hæc cum dixisset quibusdam amicis suis, quæsitum est ab ea, quomodo discernere posset inter Sanctos. Et illa: De ipso, inquit, Christo Sanctorum Sancto, quidam animæ illucens splendor egreditur, in quo unumquenque Sanctorum, qui apparet mihi, perfecte cognosco. Nota igitur, Lector, quod nihil aliud splendorem istum intelligo, nisi speculum Trinitatis vel æternitatis. Sicut enim liber Sapientiæ capitulo septimo dicit: Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius; et cum sit una, omnia potest, et permanens in se omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituens. Sanctos ergo, cum apparebant illi, rogabat obnixius, ut gratias referrent Deo pro ea, et pro beneficiis collatis sibi ab eo.

eos in splendore Christi cognoscit:

Sap. 7, 16

S. THOM. CANTIP.

eas quos de officio divino frustra monuerat vivens,

14 Frequenter Sorores in infirmaria Moniales redarguerat, eo quod minus bene et minus attente Canonicas Horas Deo solverent divinitus constitutas. Cumque anno dimidio ante mortem suam correctionem plenariam, secundum quod Divinæ Reverentiæ congruebat, in ceteris non videret; dixit: Scio quod post obitum meum defectum istum in Sororibus manus Domini vindicabit; et tunc verbi mei memores et flagelli humiliter corrigentur, et mox retrahet manum Dominus quam extenderat in vindictam. Quam veraci spiritu hæc fuerint prophetata, non est qui ambigat. Statim enim ut pia Lutgardis beata morte defuncta est, pestilentia gravis in conventu Monialium mox grassatur, et infra brevissimi temporis spatium, numero quatuordecim, Moniales probatissimæ sunt defunctæ. Ego enim sub eo tempore ibidem veni, et duas spiritu carneque sorores uno spatii momento migrantes, celebrata pro eis Missa in uno tumulo sepelivi. Nec mora post hæc, cum se debiles in infirmaria, in dicendis solicite Horis, plenissime correxissent; manum suam, secundum quod pia Lutgardis prædixerat, Domino misericorditer revocante, pestilentia mox cessavit. Rogo ergo vos o Aquiriæ Dominæ et Sorores ut piam Lutgardem in omnibus dictis quæ observare poteritis, observetis: exemplorumque ejus inhærete vestigiis, et spero quod ejus precibus pervenietis ad palmam, et in hoc exemplum sumite, quod subjungo.

se morte corrigendas prædixit,

ut factum est earum peste sublatis:

pro amico in peccatum lapso sæpius orans,

15 De specialibus amicis ejus quidam vir secularis in grave peccatum inciderat. Faciens ergo confessionem suam, pœnitentiam quidem peccati fecit, sed nullam indulgentiæ consolationem in oratione sentire promeruit. Quapropter in voraginem desperationis fere cadebat: veniens autem ad piam Lutgardem, quasi ad propriam matrem, quid egisset, et quid pro scelere sustineret, gravi mœrore conquestus est. At illa semel, iterato, ac tertio pro peccatore orationem effundens, nullum secundum quod solebat, responsum a Domino accepit. Ille vero in nullo se habere melius sentiebat. Hoc viso pia Lutgardis in oratione cum Domino mira spiritus instantia luctabatur. Tandem vero, ubi in ira Dominum misericordias continentem evincere non valebat, dixit: Aut dele me de libro vitæ, aut dimittas illi noxam hanc. Nec mora: in voce hac Dominus ad misericordiam inclinatus, dixit: Ecce dimisi illi, quia confisus est de te: et non solum illi, sed et omnibus qui spem habent in te, et diliguntur a te, benefaciam propter te. Ad hæc igitur Dei verba, mox homo ille spem veniæ perfecte recipiens, ad statum gratiorem, et magis peccatum, quam ante lapsum, Domino propitiante pervenit.

intelligit remissionem propter se factam:

9 Junii febri correpta,

16 Hinc ergo, quantum ad ipsam, dies sequitur exultationis et laudis; ad nos, vero et omnes illos qui ejus patrocinii solatio vivebamus, dies luctus, dies gemitus, et mœroris; dies, inquam, quem ego infelicissimus omnium, nec præanticipare, ut sæpius eam rogaveram, morte potui, nec subsequi possum, omni miserior orphanus derelictus. Venit ergo dies, vigilia scilicet Octavarum Sanctæ et individuæ Trinitatis, et gravi admodum, sed lenta febre decubuit, Trini Dei individua veneratrix. Ingravescente autem morbo exercebatur. Secunda feria sequenti quidam Conversus Affligemiensis, Wilhelmus nomine (præcipue enim illius monasterii Fratres, propter religionis observantiam, diligebat) intravit ad eam visitationis gratia, et inter verba alia dixit: Utinam Dominus noster Abbas sciret vos adeo graviter infirmari. Et illa: Cras, inquit, veniet ille carissimus meus, et videbit me. Ad quod ille, responsum cum inopinabile duceret, admiratus conticuit.

11 Junii invisitur a Converso Affligemiensi,

A Thom. Cantip.

b

[A] dicuit. Et mane facto, cum dictus *b* Abbas venerabilis ad duo milliaria prope transiret, et infirmari piam Lutgardem penitus ignoraret, dixit his qui secum erant : eamus videre Dominam Lutgardem, quia eam elapso jam longo tempore non vidi. Venit ergo in Aquiriam : et cum intrasset ad eam, illa sincerissime gratulata, et de lectulo relevata, resedit; tenensque manum ejus dixit; Jam recedo, Carissime, et nihil sub cœlo carius te relinquo : de te autem a Domino me noveris consolatam. Hoc dicto in alia distractus Abbas discessit : et illa usque in feriam quintam magna spiritus alacritate remansit. Quinta ergo feria, cum vocem sæpe dictæ Sybillæ de Gagis intrantis audisset, dixit : Sedeas hic juxta cor meum : ecce plenum est claustrum militiæ cœlestis exercitus : animæ Beatorum præsentes sunt, et multæ Sororum nostrarum, quæ ab hoc seculo præcesserunt. Hæc dicens conticuit; et deinceps per totam sextam feriam vultu gratiosissimo, in Dei tantum contemplatione spiritu rapta, permansit. Sabbato autem cum in hora mortis instaret, oculos ad cœlos aperuit : et Sacramentis præmunita sanctificis, in medium juvencularum tympanistriarum principibus cœlestis exercitus commixtis, psallentibus, anima felix ad liberas auras exultans, evolat ad superna; anno ab Incarnatione Domini millesimo, ducentesimo, quadragesimo sexto, mense Junio, sexto decimo Cal. Julii : Indictione quarta, anno ætatis suæ sexagesimo quarto, hora circa vesperam, regnante D. N. Jesu Christo, cui est honor et gloria cum patre et spiritu sancto, per immortalia secula seculorum, Amen.

12 Junii ab Abbate.

14 Junii videt Cœlites in claustro,

15 Junii in extasin rapta,

[B]

16 Sacramentis munita moritur,

anno 1246 æt. 64

17 At ubi spiritum efflavit pia Lutgardis extrema, nonnullæ ex Monialibus, quibus hoc datum optimum a Deo concessum est, tanta spiritus dulcedine, tanta alacritate repletæ sunt, ut se non caperent præ stupore; et nimirum perfecte sentirent, quod cum immenso tripudio supernorum, ipse præsentialiter salutis nostræ princeps Jesus, animam illius ad delicias evocaverit paradisi. Proinde proprium ex natura morientium est, ut in morte livido pallore nigrescant : pia autem Lutgardis, in signum innocentiæ virginalis, candorem in morte cum nitore lilii in facie prætendebat. Oculos in cœlum (ut dictum est) instante hora mortis diu ante clausos aperuit, nec eos postea in morte vel post mortem reclusos habere potuit : quia ipse oculorum gestus, iter, per quod transierat spiritus, indicavit. Cutis autem totius corporis ejus tantæ lenitatis a contrectantibus est reperta, ut sub palpantis manu byssus pariter candens et lenis plenissime crederetur : nimirum simplex hæc sine felle columba, lotos lacte puritatis oculos habuit, quæ speculabatur residens juxta fluenta plenissima.

cum consolatione adstantium,

candorem in facie retinet, oculos apertos

[C]

et cutem lenem.

ANNOTATA G. H.

a *Anno* **1246**, *littera Dominicali* G, *fuit Pascha celebratum die* XIII *Aprilis, festum Pentecostes* XXVII *Maji, Dominica SS. Trinitatis* III *Junii, quæ solebat cum Octava celebrari, et Festum Ven. Sacramenti tunc tantum cœptum introduci, ac postea anno* **1264** *ex præcepto observatum, omissa Octava Trinitatis. Erat autem Sabbato sequenti, pridie illius Octavæ dies* IX *Junii et feria secunda sequenti* XI *Junii et ita consequenter.*

b *Abbas* Affligemiensis *Joannes I præfuit ab anno* **1242** *usque ad annum* **1261**, *quo obiit* **16** *Aprilis. Est Affligemiensis abbatia sita inter Alostum et Bruxellas, quam præclare illustratam edidit Sanderus anno* **1657**.

c *Hunc annum ætatis supra probavimus, ac rejecimus scrupulum ex aliis duobus MSS. subnatum.*

[D]

CAPUT III.

Sepultura. Miracula.

Igitur cum sacrum cadaver exanime lavaretur, quædam Soror, quæ per annos plures usum penitus manus amiserat, casu et non ex proposito manu perdita inter lavandum corpus attigit, et subito, in plenum omnis operis usum, restituta est sanitati. Ecce quam subito, quam plane, sicut superius diximus, venerabilis Mariæ de Oignies prophetiæ verbum impletum est, ubi in morte agens de pia Lutgarde prædixit : Spiritualia miracula in vita nunc facit; corporalia post mortem efficiet. Dignum uti pie et revera dignissimum, ut quem pia Lutgardis in Sanctis suis vita mirabilem prædicavit, ille Deus eam evidentibus signis etiam post mortem mirabilem exhiberet.

Usus manus restituitur attactu corporis :

19 Annis pluribus ante mortem ejus plures Moniales et conversos Fratres instanter rogaveram, ut si contingeret, sicut heu! contigit, me in morte piæ Matris Lutgardis non esse præsentem; manum ejus abscissam mihi, ob sacram ejus memoriam, reservarent : et in hoc licentiam venerabilis Hawidis ejusdem loci Abbatissæ obtinueram. Ut autem feminarum natura est, celanda penitus celare non posse, secundum illud vulgare proverbium,

scriptor qui petierat olim sibi dari manum mortuæ,

[E]

Scilicet ut taceas femina, si qua potest;

Moniales piæ Lutgardi, quid de abscindenda manu illius ordinaveram, indicarunt. Nec multo post, cum in Aquiriam veniens cum ea habere colloquium incepissem; ipsa me vultu intuens serioso, dixit : Audivi, fili carissime, quia manum mihi post mortem abscindere jam disponis : tu autem quid de manu mea facere cogites multum miror. Ego igitur rubore perfusus; Credo, inquam, quod in bonum animæ et corporis mei tua mihi manus obveniet, si eam consequar, ut intendo. Tunc illa, sereno, ut erat, vultu subridens, et auricularium digitum dextræ manus in subliminari fenestræ, in qua colloquebamur deponens, Satis, inquit, tibi sufficiet, cum istum digitum post mortem meam habere potueris. Tum ego confidentius jam invectus : Nihil inquam, mihi ex tuo, Mater, corpore sufficere poterit, nisi manum aut caput habeam, quo tunc relever toto orbatus. His dictis ad alia verba descendimus, nihil alicui inde dicens, nihil ne ponderans aut advertens. Ergo illa defuncta, ubi nondum adhuc elato in ecclesiam corpore in infirmaria servabatur, quidam Guido devotissimus juvenis, et alius socius suus, Fratres Conversi piæ Lutgardi manum abscindere cogitabant : sed cum hoc præsumere non auderent, eumdum digitum dextræ manus, quem mihi sufficere dixerat, amputarunt, et dentes de ore ejus numero sexdecim extraxerunt. Cognita autem morte ejus, et digitum amputatum audiens, nec quis digitorum esset intelligens; Nunc, inquam, videbo lucidius, si vere Prophetes pia Lutgardis esse probabitur : quæ dextræ manus suæ auricularium mihi sufficere ante annos plurimos jam prædixit. Veni ergo in Aquiriam et eumdem, sicut prædixerat, amputatum inveni, et per omnia mihi sufficere eum, et felicem me fore, si hunc obtinere possem solicitus cogitavi. Super eo ergo Abbatissam adiens preces supplices cum lacrymis fudi : sed cum magno dolore meo solam ipsam Abbatissam inexorabilem mox inveni : credo tamen quod non sine dispensatione superni consilii : probare enim Omnipotens ordinabat, ut secundum promissum piæ Lutgardis ejus digitum obtinerem, quem nescia simplicitas denegarat. Iterato autem secundum tempus in Aquiriam veni, vitamque piæ Lutgardis scribere promittens, cum ingenti cordis læti-

tia

et cui illa Virens dixerat sufficere digitum,

[F]

cum amputatum audiens, petit,

ac denique obtinet :

et exemplis probat factum

tia super aurum et argentum optatum munus accepi. Nec me in hoc invidus aliquis mordeat aut judicet arguendum : si piæ Lutgardis, nondum adhuc canonizatæ, digitum tanto amore complector : quia beatissima *a* Natalia Adriani Martyris mox occisi brachium abscidit. Venerabilis quoque Mariæ de Oignies, nondum canonizatæ, *b* digitum in morte præcisum, piæ memoriæ quondam Aconensis Episcopus, et postea Romanæ Curiæ Cardinalis, annis multis ad collum suspensum pro maximo munere, solemnis memoriæ Papæ Gregorio nono, contra blasphemiæ spiritum, quo atrociter tentabatur, portandum dedit. Beatæ quoque *c* Elizabeth Turingiæ Lantgraviæ, nostro tempore mox defunctæ pollex, cum indice mox abscissus fuit. Quod autem in S. Natalia, et memorabili viro Jacobo Cardinali, et in Gregorio Romanæ urbis Pontifice, et aliis multis fide dignis fuit auctoritate præcessit; nullus in me quasi factum stultum et impium, nisi plane stultus et impius, judicabit.

20 Ex hinc, cum sacrum corpus ejus sepeliendum jaceret in feretro; quæstio mota est, ubi tantæ et tam solemnes reliquiæ conderentur. Et accidit ut ex ordinatione divina venerabilis *d* Abbas de Alna, Pater secundum ordinem ipsius monasterii Visitator, ex triduo ante sepulturam piæ Lutgardis, et maxime exitum expectaret. Mota ergo quæstione, ubi jaceret tale aurum tam pretiosissimum tumulandum; respondit Abbas : Et ubi, inquit, nisi in Ecclesia, ubi digne possit ab omnibus frequentari. Sane per omnia et provide respondit et digne, secundum ea quæ ipsamet in vita prædixerat. Cum enim magis familiares ejus in Aquiria Moniales, ab ea in vita quæsissent, quid facerent ipsa mortua, quæ tanta orationum ejus suffragio frustrarentur; respondit; Ad tumulum, inquit, meum confugite; ita vobis adero mortua, sicut vivens. Quam vero et prophetico spiritu ista prædixerit, nullum ambiguum nescire, qui filio cordis ejus adjutorium invocavit. Ubi autem locus monumenti fieri deberet, in tam deputato loco, ubi adhærere Deo in oratione et contemplatione consuevit. Obtinuit ergo verbum Abbatis consensum omnium, et in dextro chori latere, juxta parietem ubi orare consueverat, in loco solemne et honorifico, sepelitur. Dicta autem Sybilla de Gages, epitaphii more versificans, dixit.

Ex responso Abbatis Alnensis, et Sancta prædictione, sepelitur in dextero chori latere cum epitaphio.

Lutgardis luxit; vitam sine crimine duxit;
Cum Christo degit, quam lapis iste tegit.
Esuriens hæc et sitiens cœlestia, luxit;
Mens ardens, sponsi faces, ubi mobile luxit.
Hæc speculum vitæ, flos claustri, gemma sororum;
Fulsit in hac pietas, compassio, gloria morum.

21 Necdum vera, postquam sepulta est, apparuit cuidam *e* Elizabeth de Wans, in Aquiria monali, quæ quondam in Campania Galliæ apud *f* S. Desiderium fuerat Abbatissa. Apparentem autem in magna gloria, sciscitata est dicens; O dulcissima Domina, numquid per aliquod tempus ignem purgatorium pertulisti? Et illa; non solum sine purgatorio ad regnum transivi, verum etiam cum ante purgatorium haberem transitum, afflictis ibidem compatiens benedixi; et multas animas, ex beneficio divino pœnis exemptas, ad amœnitatem mecum transtuli Paradisi. Hæc ea dicente, visum est dictæ Elisabeth, quod cuidam juvenculæ moniali, Machtildi nomine, adhuc viventi pia Lutgardis diceret : Sequere me. Per quod illa intelligens, quod eam per mortem juvencula sequeretur, seipsam quoque ad sequendum Elisabeth offerebat, dicens : Liceat etiam me te sequi, Mater dulcissima. Et pia Lutgardis, Non potes, inquit, me modo sequi sed postmodum me matrem sequeris filia. Quæ visio statim effectum habuit : nam juvencula, quæ a pia Lutgarde invitata est ad sequendum, infra dies novem defuncta est : Elisabeth vero, quæ se ad sequendum obtulit, nec cui sequi concessum est, supervixit.

Apparens, dicit se sine purgatorio, multis ex eo liberatis, salvitam : juvencula ab ea invitata, post 9 dies obiit.

22 Præterea, cum, secundum prophetiam piæ Lutgardis, inter moniales Aquiriæ dira pestis morientium grassaretur; quædam de Monialibus in visione vidit, quod multi ecclesiam monasterii insolenter irruerent. Et cum nullus eos prohibere ab insolentia potuisset, vidit quod pia Lutgardis surrexit de tumulo, et omnes eam maxima violentia ab ecclesia propulsaret. Nec mora effectum suum visio beata consequitur, et ab insolentia pestilentis contagii Aquiriæ monasterium liberatur.

A THOR CANTIP. Aquiria liberatur a peste,

23 Rapuit unaquæque Monialium quidquid de cingulis, de peplis, velis, ac rebus aliis habere potuerunt, quasi pro Reliquiis, et revera maximis Reliquiis, distraxerunt. Nobilissima autem puella Beatrix de Roanna Monialis, quæ patrimonio suo monasterium Aquiriæ copiosissime a paupertate relevavit, anthracem, quem carbunculum physici dicunt, in collo habens, velum capitis piæ Lutgardis circa collum posuit; et per annos tumens inflatio visibiliter mox aufugit. Juste quidem, o pia Lutgardis, et digne per omnia hoc fecisti, ut tua post mortem spiritualia meteret, cujus in hac vita temporalia suscepisti.

et anthrax in collo attactu veli pellitur:

24 Dominus Alardus, ibidem annis pluribus Capellanus, cum pollicem inflatum in magna quadam anxietate doleret, pollici inflato piæ Lutgardis Reliquias alligans, remedium doloris et inflationis sensibiliter mox probavit.

curantur, pollex

25 Olim Supprioressa Aquiriæ, cum manum graviter doleret inflatam, circumligans piæ Lutgardis reliquias, sensit continuo remedium perfectissimæ sanitatis.

et manus inflata;

26 Ejusdem monialis consanguinea tertia, nata de oppido *g* Brabantia, Monialis, cum ex debilitate capitis qua diu vexata est, nullum prorsus odorem lilii recipere potuisset, et ad tumulum piæ Lutgardis lilia ponerentur; horruit quidem ipsa aspectu, sed cum solum caput ad tumulum ingressum ostiarius possisset, nullumque gravamen adverteret, mox cum fidentius introgressa, loco hæsit, tumulum adiit, lilia naribus admovit, et nullum penitus capitis dolorem sensit. Eadem Monialis, cum nocte quadam ante altaris ad piæ Lutgardis sepulchrum orandi gratia se prosterneret, offendit oculo ferrum acuminatum candelabri, manumque mox objecit oculo, ut orbiculum ejus quasi loco erutam, ne penitus caderet retineret. Dolore igitur intolerabili coarctata dixit : Quid est o sancta mater Lutgardis, quod mihi accidit? In venerationem tui procidens, oculum perdidi, quem custodire debueras; et inde molestiam retuli, unde remedium præstolabar. Hæc dicens surrexit, et mirantibus omnibus horæ spatio plenissime restituta sanitati, nihil languoris pertulit vel doloris.

g dibilitas, læso oculo.

27 Maria de Andenna, Aquiriæ Monialis, cum gravissimo dolore capitis torqueretur, ita quod nullo prorsus corporis membro posset vel ad momentum quiescere, et se per terram impatientius volutaret; mirantibus omnibus, qui eam subito sensum perdere cogitabant, velo piæ Lutgardis in tantum visibiliter mox curatur, ut nullus in ea dolor penitus remaneret.

gravissimus dolor capitis,

28 Matrona quædam nobilis cum in partu diutissime et periculosissime laborasset, allato cingulo de setis equorum facto, quo pia Lutgardis ad carnem in macerationem corporis sui uti consueverat, utero superposuit, et cunctis stupentibus sine ulla doloris conditione in salutem sui et suæ sobolis liberatur. Hoc idem in diversis locis, et in diversis personis efficaciter est probatum.

parturientes apposito cingulo liberantur.

ANNOTATA

ANNOTATA G. H.

a Natalia *inscripta est Martyrologio Romano* I *Decembris, sed ejus Acta inserta sunt Actis martyrii S. Hadriani mariti et Martyris, danda* 8 *Septembris.*

b *Hæc late describuntur in B. Mariæ Oigniacensis Vita* 23 *Junii lib.* 3. 19, 20 *et* 21.

c *Colitur S. Elisabeth* 19 *Novembris: obiit autem an.* 1231.

d *Fuit hic Joannes Onkeln,* x *Abbas* Alnensis, *quem ab anno* 1231 *ad annum* 1266 *præfuisse scribit Jongelingus, in Notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis. Os aliquod S. Lutgardis asservatur in Ecclesia Alnensi.*

e *Hæc* Elisabeth Wans *in Gazophylacio Belgico Raissii pag.* 61 *titulo* Beatæ *honoratur: vide quæ de ea diximus in commentario prævio num.* 5.

f *Hujus monasterii in diœcesi Catalaunensi meminerunt Sammarthani in Gallia Christiana tomo* 4 *pag.* 329.

g Brania-Comitis, *media inter Montes Hannoniæ et Hallas via, oppidum nobile.*

DIE DECIMA SEPTIMA JUNII

SANCTI QUI XV KALENDAS JULII COLUNTUR.

Sanctus Nicander
S. Marcianus,
S. Daria uxor Nicandri
B. S. Pasicrates,
— Martyres Atinæ et Venafri in Italia.

S. Montanus, miles Romanus Martyr in insula Pontia, Terracinæ et Cajetæ in Campania.

S. Digna-merita
Sancti duo filii
— Martyres Brixiæ in Italia.

S. Quiriacus,
S. Blastus,
S. Diogenes.
S. Æneas,
S. Nicander,
S. Dorostolus,
S. Eusicius,
S. Aquila,
S. Cantianus,
S. Longinus,
S. Joannes,
— Martyres Romæ via Salaria.

S. Dioscorus,
S. Marinus,
S. Cyrica,
— Martyres Alexandriæ.

S. Musca,
S. Valeriana,
S. Maria,
— Martyres Aquilejæ,

S. Isaurus Diac.
S. Innocentius,
S. Felix,
S. Hermias,
S. Peregrinus,
— Martyres Athenienses, Apolloniæ in Macedonia.

S. Manuel,
S. Sabel,
S. Ismael,
— Fratres Persæ, Martyres, Constantinopoli.

S. Josephus,
S. Prior,
S. Bessarion
— anachoretæ in Ægypto.

S. Hypatius, Presbyter monasterii Rufinianensis in Bithynia.
S. Avitus, Presbyter et Abbas Micianensis, Aurelianis in Gallia.
S. Avitus Eremita Petracoricensis in Gallia.
S. Herveus, Eremita in Britannia Armorica.
S. Hymerus Episcopus Ameriæ in Umbria.
S. Agrippinus, Episcopus Comi in Italia Subalpina.
S. Gundulphus Episcopus, in agro Bituricensi honoratus.
S. Verolus Presbyter, Castilione ad Sequanam.
S. Alena, Virgo Martyr, Foresti in Brabantia.

S. Botulphus, Abbas
S. Adulphus Episcopus
— in Anglia.

S. Molingus, Episcopus Fernensis in Hibernia.
S. Veredemus, Episcopus Avenionensis in Gallia.
S. Possennus Presbyter, Castellione in Gallia.
S. Julianus, in monasterio Arena sive Harea.
S. Ramuoldus, Abbas ad S. Emmeramnum Ratisponæ.
S. Raynerius, Confessor Pisis in Hetruria.
B. Euphemia, Abbatissa cœnobii Virginum S. Altonis, in Bavaria.

B. Teresia
B. Sancia.
— vulgo Sanctæ Reginæ, Ordinis Cisterciensis, Lorvanii in Lusitania.

B. Petrus Pisanus, Fundator Ord. Eremitarum S. Hieronymi in Italia.

PRÆTERMISSI AUT IN ALIOS DIES REJECTI.

Studio R. P. Godefridi piæ memoriæ nisi aliud indicent litteræ margini appositæ.

Arnaldus., *Confessarius et Scriptor Vitæ B. Angelæ de Fulgineo cum titulo* Beati *indicatur ab Arturo. De ipso egimus ad dictam Vitam B. Angelæ.* iv Januarii.

S. Agathæ Virginis et Martyris *festum, quod* Brachii *vocant, Catanæ celebratur in memoriam liberatæ civitatis a pestilentia : et ex antiquo majorum voto fit Supplicatio solennis, brachiumque Sanctæ Martyris portatur ad ejus carcerem ; uti notatur in codice MS. non antiquo, Sanctos Catanensium Patronos recensente. Ejusdem festi etiam Cajetanus in suo Martyrologio Siculo meminit. Nos de celebri hac martyre jam multis egimus die* v Februarii.

S. Avitus Episcopus Viennensis *recolitur a Galesinio, diciturque ejus* ordinatio *a Saussayo. Acta ejus dedimus* vi Februarii.

Vultrammus Episcopus, *non addito loco, indicatur in Auctario Greveni ad Usuardum, est nobis ignotus. Quid si, putetur esse Vulfrannus Episcopus Senonensis, cujus Acta dedimus* xx Martii

S. Gulielmi, Abbatis Roskildensis in Dania, Translatio, *memoratur in Supplemento Saussayi. Vitam dedimus* vi Aprilis.

S. Saturninæ festum, quod ornavit Dominus Theodericus, Decanus in Bustorp, *legitur in libro Præsentiarum, uti vulgo appellant, ecclesiæ Herisiensis in diœcesi Paderbornensi hoc die et vocatur* tricesimus S. Saturninæ, *ex propriis officiis loci in MS. Sanctuario Paderbornensi : atque iterum die* 12 *Septembris ibidem legitur* Translatio S. Saturninæ virginis et Patronæ : *et* 20 *Maji*, Saturninæ virginis, fiet solennis processio omnibus præsentibus etiam istorum ex Oldenherse. Celebratio Missæ a nullo est omittenda, præsenti in Herisiensi nostro monasterio. Nos de illa egimus eodem die xx Maji.

Ferdinandi Infantis Lusitaniæ relatio ex *Africa in Lusitaniam, ipso die mortis celebrius agitur teste Cardoso*

Carthusio, pridem rursus Elogium cum Annotatis texente, eamdem que hoc die notant Wion, Dorganius, Bucelinus, Chalemotus et Ferrarius. Vitam a concaptivo scriptam dedi v Junii.

S. Onuphrius Eremita in Ægypto celebratur hodie in quodam Martyrologio, sub Usuardi nomine in Alsatia alicubi excripto; additumque habet elogium prolixum, desumptum ex Actis quæ dedimus xii Junii.

Nazarius Martyr, Inscriptus est MS. Florario: qui si censeatur cum Celso puero Mediolani occisus, referetur ad xxviii Julii. Si vero putetur is esse, qui cum SS. Basilide et Sociis Romæ martyrium subiit; jam actum est de ipso xii Junii.

SS Anastasius et socii, Martyres Cordubæ, primo loco referuntur in Catalogo generali Ferrarii, citatis Tabulis Ecclesiæ Cordubensis; additurque in Martyrologio Romano de iis agi, quod et nos fecimus xiv Junii.

S. Bernardus, Eremita in monte Jovis, notatur in Martyrologio Coloniæ et Lubecæ sub annum 1490 excuso, quod sequitur Canisius. At Grevenus annotat ab aliis coli xvii Kalendas Julii, sive die, quando damus varia Acta, xv Junii.

S. Aurelianus Episcopus Arelatensis inscriptus est Martyrologio sub nomine Bedæ excuso. Acta dedimus xvi Junii.

S. Similianus, Episcopus Nannetensis in Britannia Armorica, ab Alberto le Grand in opere de Sanctis istius Provinciæ hic refertur: inscriptus est etiam in Martyrologio sub nomine Bedæ excuso: egimus de eo xvi Junii.

S. Christianæ Virginis elevatio, in diœcesi Constantiensi, indicatur a Molano in Additionibus Usuardi: a Galenio et Wione socia SS. Cunegundis Mechtundis et Wibrandis esse putatur, cujus elevatio pridie facta est. Egimus de iis xvi Junii.

Salomon Rex, cujus cibus scientia, et sapientia divitiæ ejus, qui mense Christi, id est Decembri, dicit in Canticis, (tunc legi apud Habessinos solitis, sicut nobis in Adventu legitur Isaias Propheta) videamus si floruit vinea, si floruerunt mala Punica; invocatur hodie in Hagiologio Habessino, absque ullo, quod quidem noverim, alicujus alterius Ecclesiæ exemplo, ipsum inter Sanctos numerantis. Nam quod a Græcis Dominica ante Natalem Domini, quando omnium hujus Progenitorum memoria agitur, ipse quoque dicta Dominica ut ceteri laudetur, commune habet etiam cum impiis Regibus, Achaz etc. quin et de æterna ejus salute ambigunt multi, quamquam verosimilius aliis sit, pœnitentem de commissa idololatria, scripsisse librum Ecclesiastæ. Sed indulgendum aliquid nationi, quæ Reges suos per Reginam Saba ex illo prognatos autumat: quod alii non facile probabit, credentibus Saba esse Sabæam Arabiæ.

Nobus, in ordine Martyrum LXXX, quos Constantinus occidi præcepit, laudatur in eodem Hagiologio a fide et patientia, qua etiam renuit sibi vidua lavari. Non satis capio, quis sit ille Constantinus, qui etiam Justus ibi cognominatur, et aliunde lucem expecto.

Exceptio Reliquiarum LIV Sanctorum Corbejam advectorum ex MS. Martyrologio Corbejensi, indicata nobis fuit ab eruditissimo Cangio per epistolam anni 1668, ex quales fuerint ipsis Corbejensibus perquirendum suggerimus.

Helprardi Martyris nomen hoc die referunt Greveni Additiones ad Usuardum, Passio ejus, quæ est xv kal. Julii, habetur in MS. Passionali Bodecensi sed talis, quam nemo dubitaverit totam esse fictitiam. Inducitur cum eo nomine filius Regis Siciliæ (dubites Siciliamne an Ciliciam Auctor scripserit) qui in diebus Antonini Imperatoris, sub Sebastiano Comite, in civitate antiquæ nobilitatis Lonna toti antiquitati ignota, quia Berecynthiam matrem noluerit adorare, confractis primum digitis tentatus, deinde caminum ardentem, probitamque in potu venenum bis innoxie expertus, ac tandem post plura tormenta alia, capite plexus sit. Nobis quam certum est Antonini tempore nullum in Sicilia Ciliciave Regem fuisse, tam nihil dubitamus, Helprardi nomen, Longobardicum vel Teutonicum, ad tantam talibus in regionibus antiquitatem gratis attolli.

Fulco, Archiepiscopus Remensis, pro libertatis Ecclesiasticæ defensione anno DCCCC., hoc xvii Junii a sicariis interemptus inter Martyres annumeratur a Regione, et refertur a Molano, Ferrario, Menardo atque aliis, sed solum inter Pios a Saussayo. Guilielmus Marlot lib 4 Historiæ Metropolis Remensis, ejus res gestas quinque primis capitibus deducit, at ne quidem Beati titulo utitur, ac tacens nedum renuntiatum esse Martyrem.

Sabaudus, Archiepiscopus Arelatensis, dicitur a Claudio Roberto celebrari in Officiis propriis illius Ecclesiæ, quæ duplicem habemus absque ulla ejus mentione. Sammarthani quoque nihil habent de aliqua veneratione ei delata.

S. Enolich Confessor indicatur in MS. Florario; apud Grevenum vero in Auctario Usuardi præponitur, In Hibernia. Hunc sequitur Canisius, Canisium Ferrarius, arbitratus hunc solum ejus meminisse. At Grevenum seu Carthusianos Colonienses allegat Henr. Fitz-Simon. Interim plura de eo non reperimus.

Guido, Abbas primus Lendoris monasterii Scotiæ, in Fifa regione, cum titulo Beati indicatur a Dempstero et Ferrario.

S Nicasii Martyris corpus, Bononiam Roma translatum anno MCXXII, apud Masinum in Bononia perlustrata habetur.

Didacus Villanovius, in Hispania an. 1470,
Angelus Iacus, Reata an. 1595,
Ludovica Aquilana, an. 1472,
Mentia a S. Martino in Hispania, 1515,
Catharina de Columna in Hispania 1575,

Ut Ordinis S. Francisci Beati laudantur ab Arturo in Martyrol. Francisc. et tres Virgines etiam in Gynæceo: utrobique eorum virtutes indicantur, et auctores qui de illis scripserunt: sed nullus satis est efficax, ad talem titulum iis vindicandum.

Paulus de Aretio ex Clerico Regulari (Theatinos appellant) primum Episcopus Placentinus tum S. R. E. Cardinalis, ac denique Neapolitanus Archiepiscopus sanctissime obiit, ad S. Pauli sepultus Neapoli anno 1578, tam illustris virtutis famam post se relinquens, ut de eo inter Sanctos referendo Processus inchoari permiserit ejus aliquando in Cathedra Neapolitana successor S. P. N. Innocentius Papa XII. Interim videri possunt scriptores Congregationis istius, aliique ut Ciacconius et Ughellus.

Marcus et Marcellianus, Martyres Romæ, memorantur in MS. Leodiensi S. Lamberti et solus Marcellianus M. in veteri kalendario Corbejensi, ab aliis xviii Junii.

B. Ratho seu Razzo, ex Comite Diessensi Conversus Ordinis S. Benedicti, hoc die refertur a nostris Radero et Brunero: sed in eo quod fundavit, et ubi sepultus est, monasterio legitur obiisse, et colitur xix Junii.

S. Antidius Archiepiscopus Vesontionensis et Martyr recolitur in MS. et excuso breviario ejus urbis cum Officio solenni; et Ulysippone, propter allatam illuc ejus miraculosam imaginem. Nos cum Martyrologio Romano et aliis ejus Acta damus xxv Junii.

S. Appiani Martyris festum, Mylis in Sicilia celebrari, ait Octavius Cajetanus in Animadversis ad depositionem

depositionem ejus, quem eumdem cum S. Appio *a Menæis laudato credimus,* XXVIII Junii.

S. Alexii Confessoris Translatio *inscripta est MS. Florario, Martyrologio MS. Ultrajectino et aliis, idem apud Molanum atque Canisium : ejus natalis est* XVII Julii.

D. F. S. Helias Propheta, *celebratur in MS. Barberiniano et MS. Florario, item apud Grevenum, Molanum, Maurolycum, Canisium, velut hodie raptus in Paradisum. Veteres Carmelitæ utpote Latini omnes aut plerique et ex Latino ritu solo procedere in Carmelo edocti, sub primis suis Prioribus Bertoldo et Brocardo) eumdem diem retinebant in veteri Proprio quod habemus. Causa autem talis diei assumendi quibusdam esse potuit, festum* Elisæi *discipuli, Occidentalibus æque ac Orientalibus solitum celebrari paulo ante, scilicet* XIV *die, ut media ejus Octava Magistri raptus commemoraretur, iisdem Orientalibus unanimiter eumdem raptum alio mense recolentibus. Baronius, cum is nullum in Romano Martyrologio locum haberet, maluit orientalibus sese accommodare : et hoc ejus judicium secutus deinde Ordo, nunc Patronum suum ceteris colit* XX Julii.

S. Volmarus Confessor, *extruso nomine* S. Gundulphi *uti infra dicitur, reperitur in variis MSS. Usuardi ; nec non apud Bellinum, Molanum et alios. At* Translatio in pago Boloniensi *celebratur in MS Leodiensi, Florario atque aliis. Dies vero natalis est* XX Julii.

S. Sophia *ejusque filiæ,* Fides, Spes, Caritas, *indicantur in Viola Sanctarum, et alio cui Panis quotidianus nomen. Colitur* Sophia XXX Septembris, filiæ I Augusti.

S. Bartholomæi Apostoli translatio *Liparam celebratur a Beneventanis et Florentinis apud Ferrarium. Ejus natalis est* XXIV Augusti.

D. P. Philonides, Episcopus Curii in Cypro, Martyr sub Maximiano, *hodie relatus in MS. Synaxario Divionensi : olim post relatos* XXIII *Junii concaptivos Martyres, Aristoclem, Demetrianum et Anastasium : quare consultius videtur cum MSS. Bibliothecæ Ambrosianæ Mediolani, et Claromontanæ Parisiis, ipsum differre ad* XXX Augusti.

S. Amati, primi Episcopi Nuscani, in Principatu ulteriore regni Neapolitani, translatio; *indicatur a Ferrario citante Paulum Regium de Sanctis Regni Neapolitani. Dies Natalis indicatur ab Ughello tomo 7 Italiæ Sacræ col.* 750, XXXI Augusti.

S. Aichradus, Abbas Gemeticensis in Normannia. Qui cum nongentos haberet Monachos ; media eorum pars per Angelum sibi noctu præsignata, una die migravit ad Dominum : quos ipse non multo post secutus quievit in Christo. *Ita MS. Bruxellense S. Gudilæ. Multis nobiscum de veneratione hisce delata egerunt cum apud eos an.* 1662 *essemus, Gemeticenses Monachi. Inducetur si quid auctoritate Ecclesiastica constitutum fuerit, uti tunc petebamus, et de iis agi poterit die natali ipsius* S. Aichradi XV Septembris.

S. Innocentii Martyris, ex Societate Thebæorum, Translatio Sigenæ facta, ab S. Annone Archiepiscopo Coloniensi, *indicatur a Theodoro Ray in Animabus illustribus Cliviæ, Juliæ etc. Simul de omnibus eorumque Duce S. Mauritio agemus* XXII Septembris.

S. Romani, Episcopi Rothomagensis, Translatio *indicatur in MS. Bruxellensi S. Gudilæ et alio MS. nostro, ejusque memoria, omissa voce* translationis *habetur in MS. Casinensi et apud Grevenum : dies natalis est* XXIII Octobris.

D. P. Avitus Presbyter *qui Luciani Presbyteri Epistolam de Inventione S. Stephani de Græco transtulit in Latinum, et Balchonio Episcopo Bracharensi misit sumpta occasione ex duobus hodie occurrentibus SS. Avitis in Epitaphio quod ei compositum fingitur, obiisse Hierosolymis hoc die dicitur* Valentiniano et Anatolio Coss. *idest anno* 440, *de quo ut Sancto multa Cardosus in Hagiologio Lusitano. Interim merito veretur Baronius ad an.* 415 *num.* 2 *ne is alter duorum sit quem Orosius Augustino scribens, vitatum a se ait ut hæreticum Origenistam. Qua de re ad confutationem figmentorum istorum agi poterit quando agemus de* S. Stephano XXVI Decembris.

DE SS. NICANDRO ET MARCIANO

G. H.

ITEM SS. DARIA UXORE NICANDRI ET PASICRATE MARTYRIBUS ATINÆ ET VENAFRI IN CAMPANIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§. I. De eorum Actis a Salomone Atinensi sec. II et Adenulpho Capuano sec. XI scriptis indeque corrigendo Chronico quoad tempus passionis.

ANNO CLXXIII.

Martyres post S. Marcum Episc

Sunt urbes *sua antiquitate celebres* Atina et Venafrum, *ad quindecim circiter passuum millia a se invicem distantes. Ex his* Atina *olim Latio* ; Venefrum *Campaniæ attribuebatur, nunc ambæ censentur sub eadem provincia Terræ laboris dicta in regno Neapolitano ; gaudentque ambæ patrocinio sanctorum Martyrum* Nicandri et Marciani : *sed olim potissimum* Atina, *quod in eadem persecutione cum* S. Marco Episcopo Atinensi *passi credantur. Hujus Acta dedimus ad diem* XXVIII *Aprilis, et multa ad notitiam horum quoque Martyrum spectantia inseruimus. Extat breve Chronicon Atinensis Ecclesiæ apud Ughellum, sub finem tomi primi Italiæ sacræ, deductum a Julio Cæsare usque ad annum Christi* MCCLVI : *in quo dicitur* S. Marcus, sub Maximo Præside totius Campaniæ, passus anno post Christi passionem sexagesimo tertio, *Æræ vulgaris anno* LXXXXII, *qui erat annus* XI *Domitiani Imperatoris, sub quo etiam Imperatore et eodem Maximo Præside passi feruntur* SS. Nicander et Marcianus : *et eorum corpora, ut legitur in dicto Chronico* Fulgentius, a S. Clemente ordinatus Atinensis Episcopus, sepelivit juxta corpus Christi Martyris Marci.

passi dicuntur sub Domitiano :

Acta ipsorum et SS. Dariæ et Pasicratis scripsisse Salomon Ep. post an. 177

2 *Marino Fulgentio, Atinensi Ecclesiæ præfuisse dicuntur* Hilarius, Urbanus, Lucius, *usque ad tempora* Eleutherii Papæ, *qui, secundum idem Chronicon anno* sexto Pontificatus sui, *nobis anno Christi* CLXXXVII, ordinavit in civitate Atina Salomonem Episcopum, qui sedit annos XXXVI, menses X, dies XXV..... Hic composuit gesta sanctorum Martyrum Nicandri et Marciani et Marci Præsulis, Pasicratis quoque et Dariæ : super quorum corpora parvum construxit

A construxit templum et erexit altare. Fecit et ecclesiam in honorem ejusdem Pasicratis et Dariæ, in eo loco ubi Horrea vocantur, in quadam villa, quæ erat ibidem : unde usque hodie dicitur locus ille mutato nomine Brodila. Prædictus itaque Pontifex, die noctuque juxta eadem corpora psalmis et orationibus vacans, Domino spiritum reddidit Kalendis Augusti, et sepultus est ibi ante januam ipsius domus. *At* Episcopus IX Vigilantius, *anno* CCCIII *ordinatus*, toto vitæ tempore in ecclesia deorsum apud Martyres mansit, jejuniis et orationibus vacans.

AUCTORE G. H.

ecclesiam struxisse Episc. Maximus post an. 314

3 *Dein* Episcopus XI Maximus, *ordinatus anno* CCCXIV, construxit ecclesiam in honore S. Nicandri Martyris, in pede montis, ubi nunc est castrum Vitalbi. *Ita Chronicon. Num Castrum istud jam* Castro-cero *appelletur, inquirant viri ibidem eruditi.* Maximo Episcopo successit Eugenius, *creatus anno* CCCLIII. Sub hujus temporibus constructa est arca, ubi requiescunt corpora SS. Nicandri et Marciani, juxta majorem ecclesiam a parte septemtrionali, quam texit plumbo : sic mansit tempore multo. Ab intus vero arcam porphyreticis et variis lapidibus vestivit portisque ferreis æreisque fortiter clausit B illam. Posuit et supra fornicem arcæ ossa quorumdam Sanctorum, quorum nomina ignorantur. Posuit et in vestibulo arcæ, ossa Pasicratis Martyris, in ingressu illius basilicæ. Fecit et in circuitu murum, lapidibus magnis ad munitionem ejus in modum circuli. Venerabatur autem... locus illic honore congruo et frequentatione assidua, quia virtus de illo exibat et sanabat multos. *Hactenus relata ex Chronico Atinensi.*

in qua ipsosum corpora.

4 *Cum postea anno nongentesimo sexagesimo octavo Episcopatus Capuanus, rogante Pandulpho Principe, esset in Joanne XIII Papa ad Archiepiscopatum, evectus; subjecta ei fuit ecclesia Atinensis, ac postea ab Adenulpho, Archiepiscopo Capuano,* Leo *anno* MXLIV *consecratur Episcopus Atinensis : cujus tempore ut in dicto Chronico habetur,* inventum est corpus Christi Martyris Marci quod latuerat in Episcopio Atinensi, *veteri scilicet et desolato,* sub altari majore, *etiam destructo ; quod* postea dedicavit ad honorem S. Bartholomæi, juxta corpora SS. Nicandri et Marciani, *aut potius ipsum ante dedicarat, sicut ostendimus ad Vitam S. Marci. Porro dictus* Adenulphus, Archiepiscopus Capuanus, vir doctus et eloquens, *ut ait Ughellus, reque ipsa apparet,* rogatus, *uti præfatur,* blandeque coactus a Fratribus, in sanctæ Dei Genetricis C ecclesia *(utique Atinensi)* vitam Angelicam exercentibus; Historiam passionis *S. Marci,* quæ minus docte olim fuit a quibusdam composita iterata vice componendo edisseruit, et elegantiori stylo reseravit, *qualem scilicet Ughellus ex MS. vetustissimo, et nos ex Ughello ad MSS. duo collatum edidimus. Tum vero Martyrialem historiam prosequens idem Adenulphus,* Hinc jam, *inquit,* ad Nicandri et Marciani, virorum sanctorum, qualia contra diabolum habuerunt arma, exponendo properemus; *et sequitur Passio, quam ab eodem Ughello habemus dabimusque. Vixit autem* Adenulphus *in Archiepiscopatu ab anno* MXIII *ad* MLVI.

Eadem Acta ante an. 1056 *expolivit Adenulphus Archiep. Capuæ,*

D. P.

5 *Nunc quærimus, quænam fuerint Acta, horum Martyrum, quæ minus venuste scripta præ oculis* Adonulphus *habuit, Appendicem istum subnectens Vitæ et Passioni S. Marci. Si animum reflectimus ad verba Chronici, asseverantis* Salomonem, *a S. Eleutherio Papa Episcopum ordinatum, tale quid scripsisse ; nihil pronius erit, quam ut suspicemur ipsa* Salomonis *scripta, usque ad ea tempora fuisse servata, qualia Latine, pro ecclesiis Latino ritu utentibus, in octo Lectiones distributa in variis MSS. Atinæ, Capuæ, Beneventi, Romæque inveniuntur: et ex MS. Vallicellano cum aliis quibusdam collato, inseruit Musæo suo Italico diligentissimus Joannes Mabilio; Græce autem, pro ecclesiis per Campaniam ac reliquam exinde Italiam Græce sacra facientibus, accepimus ex MS. Vaticano* 655, *et vidimus etiam in codice* 1667. *Verum nec illa, nec illis antiquiora, ex Bodecensis monasterii prope Paderbornam insigni Passionali nobis allata, talia credi poterunt, si passi sancti Martyres sunt, secunda sub* Domitiano *persecutione. Etenim tam ipsa omnia, quam* Adenulphus *hæc vel illa secutus, identidem* Imperatores *pluraliter nominant, quorum mandatis et edictis parens* Maximus Præses, *alias erga Sanctos benevolus et humanus, capitalem in ipsos pronuntiavit et executus est sententiam. Quod si accipere liceat persecutionem tertiam* sub Marco Aurelio Antonino et Lucio Ælio Vero *ejus fratre (Administrarunt hic imperium æquo jure ab anno* CLXI *usque* CLXIX, cum usque ad hoc tempus singuli Augusti fuerint *ut ait Hieronymus in Chronico) si inquam liceat tertiam persecutionem accipere a pluribus simul motam, nihil in omnibus deprehendas, quod non graviter ac verosimiliter scriptum sit, et quemadmodum decet Auctorem coævum. Ipsa etiam judicii forma, absque ullo variorum tormentorum ante mortem apparatu ; et Christianos puniendi man*E*datum, nihil de feminis præscribens, sicuti ubique fatetur Maximus; in illam persecutionem conveniunt aptius, quam in antegressa Domitiani tempora, et ultimam Diocletiani et Maximiani, a non nullis substitutam.*

secutus antiquiora (quæ tamen probant non ad secundam

D

sed ad tertiam persecutionem pertinere hæc martyria)

E

6 *Tum vero ut erit* Passionis SS. Nicandri et Marciani *auctoritas maxima, ita ruere ex parte necesse erit eam, quam alias dedimus Actis S. Marci, velut ab eodem Salomone compositis : ut merito illa* Adenulphus *adscripserit* quibusdam *innominatis ; qui istic repertum* Maximum totius Campaniæ Præsidem, *finxerunt a Nerone constitutum, Magistratum tenuisse usque ad Domitiani extrema tempora, per annos fere triginta, inaudito apud Romanos exemplo, quibus annui fere Magistratus isti erant, sed nempe hoc necessarium erat eis, qui* S. Marcum *(eo quod inter antiquos Atinenses Episcopos solus Martyr obiit, ideoque præcipuus Patronus urbis habitus semper fuit) credebant primum ordine fuisse Episcopum et a S. Petro ordinatum. Hanc eorum opinionem secutus* Adenulphus, *in ipsius S. Marci Actis, ad eumdem nihilominus impegit gemini Imperii scopulum, ut num.* 22 *objicienti Præsidi* Imperiales noviter litteras *de Christianis plectendis, respondere Marcum faceret ;* Principes Romani hoc ignorant; quod pro reipublicæ statu, Jesu Christi famuli auctorem omnium rerum communem Dominum interpellent. F

qui ratus a S. Petro ordinatum S. Marcum, hunc fecit 1 Atinæ Episcopum.

7 *Ergo, dimisso auctore Chronici, de rebus tam antiquis post tot secula scribente, dimisso etiam vulgi errore, Marcum primum Episcopum, facientis ; illius ecclesiæ Præsules sic ordinemus, ut ante* Marcum *sederint* Hilarius, Urbanus, Lucius, *incruenta omnes morte defuncti; quorum primus fuerit a Clemente Papa ordinatus, alii ab aliis consequenter ;* Marcus *vero (siquidem* annis XX, mensibus V, diebus XIII *Ecclesiam rexit) et proximus ab eo* Fulgentius post annos XXXI, menses VII, dies XXVIII, *successorem acceperit* Salomonem *anno circiter* CLXXXVII, Marcus *inquam Martyrium fecerit circa annum* CXLV, *sub prædictorum Imperatorum patre Antonino Pio, sub quo etiam Romæ persecutio fuit, descripta in Actis SS. Praxedis et Pudentianæ. Etenim eodem imperante, Consulatum anni* CXLIV *gessit* C. Gavius Maximus, *proximo anno in aliquam Provinciam missus de more Proconsul ; et quidni in Campaniam ? sic autem ordinatus fuerit Marcus anno circiter* CXXIV *a Sixto Pontifice : cujus nomen in Catalogis Episcoporum Atinensium non invenientes expressum, eo facilius substituerint Petrum, quod ab hoc vel saltem ab ejus successoribus sciretur processisse illorum Episcoporum series. At vero* SS. Nicander

Sed aliter videntur ordinandi Episcopi, D. P.

sic ut eorum quartus Marcus passus sit an. 145

Nicander vero et Marcianus an. 173.

A Nicander et Marcianus, *passi fuerint, et a Fulgentio Episcopo sepulti, anno* CLXXIII, *præsidente in Campania alio* Maximo, *scilicet* Claudio, *qui præcedentis anni Consulatum cum* Cornelio Scipione Orfito *gesserat. Cum autem anno* CLXXX *pax esset Ecclesiis reddita, potuit* Salomon *et ædiculam ædificasse supra Martyrum corpora, et eorum Acta scripsisse: ac seorsim* SS. Pasicratis et Dariæ *Passionem. Hæc Passio sicut amplius non habetur, in communi forte sacrorum librorum strage sub Diocletiano ac Maximiano absumpta flammis; sic nec habebatur ab eo scripta Passio* S. Marci, *sed diu postea scripta sit aliqua, cum iis quos dixi erroribus*, Salomone *auctore prorsus indignis. Certe ab eo scriptam quam expoliebat S. Marci historiam, non credidit* Adenulphus, *alias non ita contemptim de Auctoribus locuturus.*

Dantur primum Latino-Græca Acta,

8 *His positis, elegi primo loco dare vetustiora ex MS. Bodecensi Acta quæ etiam habuit et secutus est, quoad divisa inter duas urbes Martyrum corpora, Petrus de Natalibus in Catalogo. Addam autem ex adverso Græcam paraphrasim, quam Latinam fortassis fecit Petrus Diaconus Cassinensis, quamque veluti ipsius ex vetustissimo MS. Capuano Monachorum S. Joannis, misit Bollando nostro Silvester Aiossa; Mabilio autem* B *sicuti diximus in lucem dedit; apud quem legi potest et cum vetustiori textu Bodecensi conferri. Satis sit dixisse, eamdem Græcam Paraphrasim, Latinitati redditam haberi in Vaticana bibliotheca, opera Jacobi Sirleti Cardinalis, inter alia ejus similia scripta; unde ipsam nobis transcribi curavimus, et nihilominus tertiam versionem Latinam, elaboratam a P. Joanne Francisco Vannio, sub Petro Possino in Græcis se exercente, deinde nostro adjutore fideli in Urbe, ubi et Mathesim et Hebraicam linguam publice in Collegio docuit. Post ista Latino-Græca Acta, dabimus compositionem* Adenulfi, *cui subjungentur Hymni ad Vesperas et Matutinum, Atinæ apud Capucinos servati et per Fr. Antonium a Caputano ad Aiossam missi. Horum secundus meminit lustrationis urbicæ, cum circumgestatione Reliquiarum agi solitæ: et videri posset ea instituta anno* MDCXX; *quia dicitur id factum* mille sexcentum post viginti annis: *sed styli barbaries, seculum* XII *aut* XIII *sapiens, non patitur ut* sexcentum *accipiatur conjunctim pro* sexcentis: *sumendum ergo est divisim quasi sensus sit id factum annis post mille centum viginti sex: et forte in originali legebatur* mille centum post, viginti sex, annis. *Idem dixerim de antiquitate Missæ* SS. Martyrum Nicandri, Marciani, et Dariæ: *quarum ultima, licet proprium diem habere a Ferrario* C *dicatur, scilicet* XX *Junii, ipsam tamen in titulo junximus, quod ejus aliunde nulla nisi ex his Actis notitia habeatur; junximus etiam* Pasicratem, *quia et quo die passus sit, et an aliquando proprium cultum habuerit, ignoramus.*

tum scripta per Adenulphum cum hymnis et Missa

§. II. delibantur sermones Bonifacii

9 *Extant quoque apud Ughellum duorum Episcoporum Atinensium breves* sermones de SS. Marco, Nicandro, et Marciano, *in usque indicatur eorum solennitas uno eodemque die solita celebrari. Illorum senior est* Bonifacius *non quidem in ordine* XIV *anno* CCCLXIV *ordinatus, sed verosimiliter posterior alius, qui sederit uno e tribus seculis inter Felicem pro anno* DCII *notum, et Gandulphum qui seculo* X *sedit, vacuis. Huic adscriptus sermo sic incipit:* Celebremus, fratres dilectissimi, hoc die festivitatem, quo beatissimi Martyres, Marcus, Nicander, et Marcianus, spiritu nati sunt cœlo, et carne recesserunt a terra: *ac postea* Digni, *inquit,* habiti sunt pro Christi nomine Nicander et Marcianus capite truncari, et Marcus clavis acutissimis in capite configi.... Marcus revera cum sanctis Nicandro et Marciano excelsa mundavit Campaniæ, ut Jesum Christum Dei filium crederent, ejusque præcepta servarent. *Alter est* Joannes, *Episcopus renuntiatus anno* MLXXXVII, *cujus Sermonis*

et Joannis Episcoporum

est hoc exordium: Lætetur hodie Evangelica virtus D et exultet terra, in qua sancti Martyres Marcus, Nicander et Marcianus, in æterno regno, tympanistriarum more ovantes, ascenderunt e terra. Hodie vertex Marci sacratissimus perforatus est acutissimis clavis: hodie Nicander et Marcianus, devictis veternosi serpentis illecebris, numisma e manibus acceperunt Regis æterni: hodie cononati sunt lapide pretioso: hodie Jesum Christum omnipotentis Dei filium confitendo, et falsorum numinum nænias abolendo, effuderunt sanguinem suum: hodie languorum enormium hebetudines curare cœperunt: hodie apud urbem Atinam orgia Omnipotenti libaverunt de corporibus suis: hodie eadem in urbe prodigia faciunt per corpora sua. *Hæc ille.*

AUCT. G. H.

§. II. *De Sanctorum cultu, ecclesiis, reliquiis.*

a Græcis coluntur 8 Junii in MS. Synaxario

Communem aliquam trium Sanctorum Nicandri, Marciani atque Dariæ *festivitatem, tum Episcoporum jam dictorum Sermones probant, tum Missa tribus, ut dixi, communis; sed quis dies ille sit nemo explicat. Suspicamur esse* VIII Junii, *quo facta sit illorum trium aliqua Translatio, ipso ut sæpe fit, festo Passionis celebrior.* E *Quamvis autem duorum Fratrum Passio peracta dicatur in omnibus Actis Latinis* XV Kalendarum Juliarum: *et Ferrarius allegatis aliquibus eorum Actis, qualia tamen necdum vidimus,* Dariam *referat* XII Kalendas, *tamquam* post triduum ab hostibus fidei capta, capitis obtruncatione, martyrii optati consors effecta *sit; Græci tamen interpretes ponunt priorum duorum martyrium ad diem* VIII Junii, *tam in Vita Græca, quam in pervetusto MS. Synaxario Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quod habuimus nobis concessum ex bibliotheca Parisiensi collegii nostri Claromontani, in quo ista leguntur:* Ἄθλησις τῶν ἁγίων Χριστοῦ Μαρτύρων, Νικάνδρου καὶ Μαρκιανοῦ. Οὗτοι στρατιωτικῆς τάξεως ὄντες, διὰ τὴν εἰς Χριστὸν ὁμολογίαν, ἐπὶ Μαξιμιανοῦ (*scribendum erat* Μαξίμου) τοῦ Ἡγεμόνος ἐξετάσθησαν, καὶ φρουρᾷ ἀπεκλείσθησαν. μετὰ δὲ τοῦτο πάλιν ἀναγκασθέντες ἀρνήσασθαι τὸν Χριστὸν, καὶ μὴ πεισθέντες, τὰς κεφαλὰς ἀπετμήθησαν. Certamen sanctorum Christi Martyrum Nicandri et Marciani: qui cum Ordinis militaris essent, ob fidei in Christum confessionem a Maximo Præside in quæstionem adducti sunt, et in carcerem conjecti. Postea vero cum iterum Christum cogerentur abjurare, neque id præstare vellent, capitibus amputatis obierunt. *Quæ prorsus cum Actis antiquis conveniunt: sed in Menæis excusis perquam male, ac* F *præter, imo contra Actorum tam Græce quam Latine scriptorum sententiam, sic amplificantur,* Καὶ μὴ πεισθέντες ξέονται ὄνυξι σιδήροις καὶ ἐπὶ ξύλοις ὀρθοῖς μετεωρίζονται, καὶ κατακεντῶνται σιδήροις· καὶ πυρὶ καταφλέγονται, καὶ κατενεχθέντες ἐπ' ἀνθράκων τινὸς ἐγκαπλοῦνται, καὶ ῥάβδοις ἄνωθεν τύπτονται· καὶ ἅλμῃ τὰς πληγὰς ἐπιχυθέντες, ὀστράκοις ὀξέσι συντρίβονται, καὶ λίθοις τὰ στόματα καὶ τὰς ὄψεις συντρίβονται, καὶ τὰς γλώσσας μαχαίρᾳ ἐκτέμνονται, καὶ τέλος τὸν διὰ ξίφους ἐνδέχονται θάνατον. Sed minime persuasi Christum negare, ferreis ungulis raduntur, et ad ligna erecta suspensi compunguntur subulis, flammaque ustulantur; inde depositi, super carbones ignitos extenduntur, atque baculis desuper cæduntur; vulneraque perfusi muria, testulis acutis atteruntur; ora oculique contunduntur saxis; et linguis cultro amputatis, mortem denique per gladium consequuntur. *Diocletiani et Maximini crudelitatem et edicta hæc sapiunt, male intellecta voce* ἐξετάσεως, quæstionis; *quasi non etiam solis verbis exerceatur quæstio judicialis, quemadmodum factum sinceriora Acta probant, et exigunt tempora quibus res gesta est.*

cum elogio

licentius aucto in Menæis.

11 *Interim ex istis discimus, Acta quædam licentius*

AUCT. G. H.

tius interpolata et apud Græcos fuisse divulgata: nam et in Basilii Imperatoris Synaxario elogium legitur simili licentia auctum; cum enim ex vero sic inchoetur, Νίκανδρος καὶ Μαρκιανός, οἱ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυρες, ὑπάρχον μὲν τὴν τάξιν στρατιῶται, Χριστιανοὶ δὲ εὐλαβεῖς καὶ φοβούμενοι τὸν Θεόν, στρατευόμενοι ὑπὸ Μαξίμῳ τῷ Ἡγεμόνι. Nicander et Marcianus Christi Martyres, erant secundum ordinem milites, sed Christiani etiam religiosi et Deum timentes, merebantque stipendia sub Maximo Præside. *Cum, inquam, sic esset inchoatum elogium, additur, non quidem præter fidem, sed citra scientiam certam, quod* missi a Maximo cum iis quos sub se habebant militibus, ad Christianos comprehendendos adducendosque, parcebant illis et omni observatione dignabantur. Hoc vero cum a cultoribus idolorum didicisset Præses, contristatus est. Advocansque illos sciscitabatur si verum esset quod de illis audiverat. Hi vero fallere nescientes, non solum verum esse quod ab illis petebatur confirmarunt, sed etiam Christianos se esse libere professi sunt. Quare, cum prius variis tormentis subjecti fuissent, postea veneranda et sacra eorum capita sunt abscissa: *quod ultimum omnino verum est: res autem tota Græce, sed Græca fide, sic porro legitur.* Ἐπεὶ δὲ παρ' ἐκείνου (Μαξίμου) ἀπεστέλλοντο σὺν τοῖς ὑπ' αὐτῶν στρατιώταις ἐπὶ τὸ κρατεῖν τοὺς Χριστιανούς, καὶ πρὸς αὐτὸν ἄγειν, τοῖς μὲν προεμήνυον φυγεῖν, τοὺς δὲ ἐκράτουν μέν, ἐφείδοντο δὲ αὐτῶν καὶ πάσης ἐπιμελείας ἠξίουν· τοῦτο μαθὼν ὁ Ἡγεμὼν παρὰ τῶν εἰδωλολατρῶν ἐλυπήθη μέν· προσκαλεσάμενος δὲ αὐτοὺς ἐπυνθάνετο, εἰ ἀληθές ἐστι τὸ κατ' αὐτῶν ἀκουσθέν. Οἱ δέ, ψεύδεσθαι μὴ εἰδότες, οὐ μόνον ἀληθὲς εἶναι ὅπερ ἠρωτήθησαν διεβεβαιοῦντο, ἀλλὰ καὶ Χριστιανοὺς ἑαυτοὺς παρρησίᾳ ὡμολόγησαν. Ὅθεν βασάνοις πολλαῖς ὑποβληθέντες, ὕστερον τὰς τιμίας αὐτῶν κεφαλὰς ἀπετμήθησαν. *In Menologio Sirleti, nec non in MS. quodam Ambrosianæ Bibliothecæ Mediolani, signato* T, 364 *loco* Marciani *nominatur* Germanus.

Cultum apud Venafrum indicant Ughellus

12 *Quia vero urbs Atinensis sensim antiquum amisit splendorem, adeoque dejecit, ut necesse fuerit Episcopalem illi adimere dignitatem (quod factum esse circa Eugenii III tempora et annum* MCL *arbitratur Ughellus) deficiente ibidem, quod consequens erat, Sanctorum cultu; videtur ille apud* Venafrum. *Urbem adhuc Episcopalem, majus incrementum accepisse. In istius loci Episcopis col. 731 sic habet Ughellus,* Venafrum Christianam Evangelii fidem jam inde ab Apostolorum temporibus hausisse, constans traditio est, cum illa felicissima salutis exordia Nicandri et Marciani Martyrum invictissimorum sanguine maduissent, die XXIII Martii. Nicandri, *autem, inquit,* civitas Patroni ossa in Ecclesia ejus nomini dicata conquiescunt. *Hæc ibi, sed dies* XXIII *Martii* 161 *notatus alibi non legitur. Petrus de Natalibus lib.* 5 *Catalogi cap.* 91 *aliquot eorumdem Martyrum elogium proferens, istud sub finem habet.* Cives Venafrani corpus S. Nicandri in eorum urbe, cives vero Atinates corpus Marciani in eorum oppido collocarunt. Passi sunt enim in territorio, inter ipsas duas civitates posito, Nonis Junii. *Hæc ille in die assignando deceptus, quod* Nonis Junii *colantur* Martyres Ægyptii decem, *quorum primi nominantur* Marcianus et Nicander. *Quod autem de divisis inter duas urbes Martyrum corporibus habet, accepit ex Actis qualia nos damus ex Bodecensi: videturque id satis credibile, licet Chronicon Atinense dicat, quod corpora SS.* Nicandri et Marciani, *mox a cæde,* Fulgentius Episcopus Atinensis sepelivit juxta corpus S. Marci: *hoc [illegible] tamen etiam Adenulphus confirmat. Porro seculo Christi quarto,* Maximus Episcopus Atinensis S. Nicandri ecclesiam construxit; et Eugenius Episcopus arcam supra corpora SS. Nicandri et Marciani. *Joannes quoque Episcopus seculo* XI *testatur,* in urbe Atinensi prodigia fieri per corpora illorum.

et Petrus de Natalibus,

nonnihil emendatus:

sunt autem ibi Reliquiæ

13 *Interim scimus ex scripto Silvestri Aiossa Reliquias aliquas horum Sanctorum esse Venafri in ecclesia Patrum Capucinorum; ex eisque liquorem, quem manna vocant, effluere. Cujus rei illustre testimonium Episcopi Venafrani habemus Italica vulgari lingua conscriptum; quod Latine sic reddo.* Hyacinthus Cordella, gratia Dei et Sedis Apostolicæ Episcopus Venafrensis. Per præsentem facimus fidem plenam et indubitatam, requisiti ad hoc pro veritate, quod in ecclesia adm. Reverend. Patrum Capucinorum hujus civitatis, inveniatur miraculosum Manna gloriosorum sanctorum Protectorum Nicandri et Marciani, quod scaturit a tempore immemorabili, estque in summa veneratione et devotione tam apud cives, quam apud exteros: quia occasionibus oblatis compertum est experiendo, quod benedictus Deus dignatus sit facere multa miracula et gratias singulares iis, qui temporibus variis, causa infirmitatis aut necessitatis alterius, devote dictum Manna acceperunt. Quod vere debet credi miraculosum esse, et cœlesti favore impertitum nobis; quandoquidem spatio annorum quadraginta et amplius, inventum est incorruptum, intra ampullas quibus continebatur. Insuper, quia, cum sæpe per æstatem contigerit deficientibus pluviis, penitus siccari puteos Patrum Capucinorum prædictorum, ipsum tamen numquam defecit, aut parcius fluxit. Mediante autem Manna isto, quotidie multas gratias impertitur Benedictus Deus fidelibus, erga sanctos Martyres pie devotis. In quorum fidem erit hæc præsens, propria manu subscripta et consueto sigillo nostro signata. Venafri XXI Octobris MDCLI.

e quibus manna scaturit.

Hyacinthus Episc. Venafri fidem facio, ut supra.

† Don Nicolaus Antonius de Atella Secret.

14 *Hac de causa cœperunt Sancti hi, ab aliquot seculis, adscribi urbi Venafranæ. Ita seculo præcedenti David Romæus, recensens Divos regni Neapolitani,* Venafri, *inquit,* Nicander et Marcianus Martyres, Nonis Junii regnante Maximiano, *secutus scilicet Petrum de Natalibus, qui eos adscripsit* Nonis, *in cujus prima editione Vicentina anni* 1493 *dicuntur* comprehensi a Præside Maximiano, *mendo vero similiter typographico, loco* Præsidis Maximi. *Hinc in altera editione Lugdunensi anni* 1514 *dicuntur* comprehensi a Præside Maximiano; *pro quo postea scriptum* regnante Maximiano; *ac denique in Martyrologio Romano;* Apud Venafrum sanctorum Martyrum Nicandri et Marciani, qui in persecutione Maximiani capite cæsi sunt. *Hunc Baronius in Annalibus eos retulit ad annum* 303 *num.* 120. Sub iisdem quoque persecutoribus passi sunt Capuæ Rufus atque Carpophorus, Venafri Nicander et Marcianus. *At contra Paulus Regius Episcopus Vico-Aquensis part.* 1. *pag.* 575 *edidit Acta martyrii horum Sanctorum, quibus asserit* temporibus Constantini Magni a civibus Venafrensibus erectam illis fuisse ecclesiam, eosque in Protectores assumptos *licet eo potissimum tempore, quo urbs Atina per varias bellicas incursiones splendorem omnem et divitias amisit. Addit Aiossa in suo ad nos scripto, caput* S. Nicandri *aut certo* maximam partem asservari Venafri in ecclesia Corporis Christi; aliquam ejusdem capitis partem esse Æserniæ, *itidem Episcopali urbe Samnii,* cum quatuor ex ossibus S. Marciani; et in diœcesi esse ecclesiam hisce Martyribus dicatam, ac celebrari nundinas ab anno MCL. *Joannes Vincentius Ciarlanti, Archipresbyter Æserniensis lib.* 3 *Samnii a se illustrati cap.* 2, *deducit Acta Martyrii; et sub finem addit;* horum martyrium adeo celebre fuisse, ut non solum in Protectores fuerint assumpti Venafri, Æserniæ et Atinæ; verum etiam fuerint illis erectæ ecclesiæ Romæ et Neapoli, imo etiam in Apulia S. Nicandro, eorumque

Hinc Sancti adscripti Venafro,

Reliquiæ et cultus Æserniæ,

A eorumque festum ibidem a Græcis celebratum. *Gelasius Papa, teste Anastasio Bibliothecario,* dedicavit basilicam SS. Nicandri et Eleutherii via Lavicana in fundo Villæ-pertusæ : *quam Baronius in Notis ad Martyrologium ait huic* S. Nicandro *esse sacratam.*

ecclesia Neapoli.

15 *Cæsar Ingenii Caracciolı in Neapoli sacra pag.* 178 *asserit* Neapolitanos, motos devotione erga sanctos Martyres Nicandrum et Marcianum (quorum corpora cum multa veneratione asservantur in urbe Venafro) construxisse illis ecclesiam, haud procul ab Ecclesia S. Mariæ de populo, et tradidisse illam Monachis S. Basilii. *Verum quia* corpus S. Patriciæ Virginis mirabiliter in ædem SS. Nicandri et Marciani delatum est : cœnobium Virginum, una cum ecclesia, S. Patriciæ cœpisse nominari, *uti etiam indicatur in Vita S. Patriciæ,* XXV *Augusti.* D *Michael Monachus in Sanctuario Capuano edidit quatuor antiqua Kalendaria, et in omnibus ad hunc* XVII *Junii celebrari* passio SS. Nicandri et Marciani Martyrum, *in duobus autem addi* recitari tres Lectiones, *et addit Michael in suis Notis pag.* 153, *in* Thesauro Capuano asservari brachium S. Nicandri : *de quo ejus* [illegible] *in Michaelis nepos Ajossa scripsit nobis,* esse longum os brachii dexteri, inclusum brachio argenteo, dono exceptum ab ecclesia Venafrana. *Addit idem Ajossa* insignes Reliquias horum Martyrum esse in Monte Virginis : *alias etiam Beneventi,* easque translatas fuisse ab Arechio Principe Beneventano, *et in* Monte Virginis officium Ecclesiasticum de illis assignatum.

Reliquiæ Capuæ, in Monte Virginis, Beneventi

ACTA VETUSTIORA

Latina ex MS. Bodecensi Canonicorum Regul. in Westphalia ; Græca ex Codicibus Bibliothecæ Vaticanæ 1655 *et* 1667.

B Ἤδη ἐπὶ τὰ κατὰ τοῦ διαβόλου, καὶ οἱ ἅγιοι Μάρτυρες Νίκανδρος καὶ Μαρκιανὸς, καὶ περιβαλλόμενοι θώρακα πίστεως, ὁλοκλήρους ἑαυτοὺς τῷ στρατολογήσαντι Χριστῷ τετηρήκασιν a.

a

2 Οὗτοι γὰρ τῆς μετὰ τοῦ κόσμου τούτου στρατιωτικῆς τάξεως, τὴν ἐν τῷ βίῳ τιμὴν κατὰ τῆς προκοπῆς ἀπολείποντες, τῇ ἐπουρανίῳ χάριτι κατηρτίσθησαν. Αὐτίκα γοῦν κατηγοροῦντο, ὡς ἀθέμιτα πράττοντες· καὶ προσκαλεσάμενος αὐτοὺς ὁ Ἡγεμὼν Μάξιμος, ὃς ἐπετέτακτο τοιαῦτα πράττειν, ἔλεγεν· Οὐκ ἀγνοεῖτε Νίκανδρε καὶ Μαρκιανὲ, τὰ προστάγματα τῶν Βασιλέων, ὅτι κελεύει πάντας θύειν τοῖς θεοῖς προσελθόντας, καὶ θύσαντας. Νίκανδρος εἶπε· Τοῖς βουλομένοις θύειν, ἐκείνοις προστέτακται· ἡμεῖς γὰρ Χριστιανοὶ ἐσμὲν, καὶ τοιοῦτον πρόσταγμα οὐκ ἔχομεν. Μάξιμος Ἡγεμὼν εἶπε· Καὶ τὰ ἀξιώματα τῆς τιμῆς ὑμῶν, διὰ τί οὐ κομίζεσθε; Νίκανδρος εἶπεν· Ὅτι τὰ ἀξιώματα τῶν ἀσεβῶν μολυσμὸς ἐστὶν ἀνθρώποις θεοσεβέσι προαιρουμένοις. Μάξιμος εἶπε· Λιβάνωσον τοῖς θεοῖς Νίκανδρε. Νίκανδρος εἶπε· Πῶς δύναται Χριστιανὸς λίθους καὶ ξύλα σέβειν, ὄντος Θεοῦ ἀθανάτου τοῦ δημιουργοῦ τῶν ὅλων, ὃ λατρεύω, ὃς με διασώσει καὶ πάντας τοὺς εἰς αὐτὸν πιστεύοντας.

C

3 Ἡ δὲ γυνὴ τοῦ ἁγίου Νικάνδρου ἐπερρώννυε τὸν Μάρτυρα, παρακαλοῦσα καὶ λέγουσα· Μὴ θέλε, κύριέ μου, λέγουσα, μὴ ὁμολογεῖν τὸν Χριστὸν· βλέπων εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ὁρᾷς αὐτὸν, ὃν τῇ καρδίᾳ σου φυλάττεις, αὐτὸς γάρ σου βοηθός ἐστι. Μάξιμος Ἡγεμὼν πρὸς αὐτὴν εἶπε· Κακίστη κεφαλή, διατί ἐπιθυμεῖς τὸν ἄνδρα σου ἀποθανεῖν; Ἡ δὲ εἶπεν· Ἵνα ζήσῃ παρὰ τῷ Θεῷ, καὶ μὴ ἀποθάνῃ. Μάξιμος εἶπεν· Οὐχ οὕτως ἐστὶν, ἀλλ' ἐπειδὴ ἑτέρου ἀνδρὸς ἐρωτικῶς ἐπιθυμεῖς, διὰ τοῦτο τούτου ἀπαλλαγῆναι βούλει. Ἡ δὲ εἶπεν· Εἰ ὑποπτεύεις με τοῦτο βούλεσθαι, πρότερον ἐμὲ ἀπόκτεινον τοῦ ἀνδρὸς διὰ τὸν Χριστὸν, εἴπερ καὶ γυναῖκας ἀναγκάζειν προστέταξαι. Μάξιμος Ἡγεμὼν εἶπεν· Τοῦτο μὲν οὐ προστέτακταί μοι, οὐ δὲ ποιῶ ὃ ἐπιθυμεῖς, πλὴν ἔσο ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ.

4 Ἀπαχθείσης δὲ αὐτῆς ἤρξατο λέγειν ὁ Ἡγεμὼν τῷ Νικάνδρῳ· Μὴ πρόσεχε τοῖς λόγοις τῆς γυναικός σου, μὴ δὲ ἑτέρῳ τινὶ, ἐὰν μὴ ἀπορῇς τοῦ χρόνου· ἀλλ' εἰ βούλει, λαβὲ διωρίαν, ἵνα σκέψῃ τί κρεῖττόν ἐστι, ζῆν, ἢ ἀποθανεῖν. Νίκανδρος εἶπεν· Ἡ διωρία πεπλήρωται καὶ ἐσκεψάμην σωθῆναι μᾶλλον. Ὁ δὲ Ἡγεμὼν ἐπάρας τὴν φωνὴν ἔλεγε· Χάρις τῷ Θεῷ. Καὶ ὁ Νίκανδρος ἅμα τῷ Ἡγεμόνι εἶπεν· Ναὶ Χάρις τῷ Θεῷ.

Beati martyres sæculum hoc contemnentes et firmum posteris exemplum relinquentes, effecti sunt errantibus via, cæcis lumen, titubantibus credulitas, quoniam ipsi profecto virtutum suarum insignia non ad favorem laudis humanæ, sed ad imitationem justitiæ et veritatis fideliter ostendere curaverunt. E

2 Igitur dum ob amorem Christi Nicander et Marcianus respuissent infulas mundi ; impiissimus præses Maximus, cui injunctum fuerat ut sæva circa Christianos judicia exerceret, convocans ipsos ad se, dixit ad eos : Ignoratis, Nicander et Marciane, præcepta Dominorum nostrorum, *b* qui jusserunt ut quantocius diis nostris immoletis? Accedite ergo et immolate. S. Nicander respondit : Quibus hoc persuadere possis, ipsis præcipe ut sacrificent ; nos sumus Christiani, et tale præceptum servare non possumus. Ait Præses : Pecunias et honoris dignitates quare non recipitis? S. Nicander dixit ; Pecunias, honores et dignitates, quas habuimus, ideo contemnimus, et alterius recipere nolumus ; quia cælestes thesauros invenimus, et honores æternæ dignitatis habere anticipamus : et ideo pro honoribus et divitiis perituris, lignis atque lapidibus immolare non curamus. Cum enim sit Deus immortalis, creator omnium, ipsi soli servire desideramus, quia et ipse solus salvat omnes, qui credunt in eum. F

Adducti ad Præsidem sancti fidem clare profitentur,

b

3 Conjunx etiam beatissimi Nicandri confortabat Martyrem Dei, et consolabatur eum dicens : Ne immoles, domine meus, idolis surdis et mutis ; sed aspice in cœlum, et eum attende cujus virum custodire proposuisti. Hæc Præses audiens, conversus ad mulierem, ait ad eam : O malum caput, ut quid maritum tuum desideras mori? Ad hæc illa respondit : Ut vivat apud Deum, et ne moriatur in æternum. Præses dixit : Non ita est, sed quia alium virum habere vis, propterea hunc optas mori, ut a lege ejus possis liberari. Sed illa respondit : Si hanc suspicionem habes in me, prius interfice propter dominum Jesum Christum, si tamen et nos mulieres ad immolandum cogere jussus es. Præses dixit : Hoc mihi jussum non est, nec facio quod desideras ; verumtamen volo te interim esse sub custodia.

c quod etiam ut ro facit uxor Nicandri, qu e t renota, d

4 Quæ cum abducta esset, cœpit Præses dicere ad S. Nicandrum : Nicander, noli seduci sermonibus uxoris tuæ, vel alicujus alterius tuorum, ut moreris de hac luce, sed accipe triduum induciarum, et tecum cogita, utrum melius sit vivere quam mori. S. Nicander respondit : Ecce jam triduum quod induciis istis transivi, et cogitavi quia melius est salvari.

[illegible] lat.s ad [illegible] [illegible]

Tum

EX MSS.

A Tunc Præses elevans vocem dixit: Gratias ago Diis meis. S. Nicander ait: Quam gratiarum actionem refers diis tuis, quia tibi dixi quod volo salvari? Credo siquidem in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum filium ejus, et in Spiritum Sanctum, quia salvari habeam per gratiam ipsius. Hoc audito, Præses una cum Leucone *c* successore suo dixerunt beatissimo Nicandro: Elegisti iterum, ut video, te signum mortis exhibere. S. Nicander respondit: Ego vitam sempiternam elegi, et temporalem atque transitoriam contempsi, nam et corpus meum in potestatem tuam offero, fac inde quod vis: semel tibi dixi, quia Christianus sum. Tunc conversus ad Marcianum præses dixit: Quid tu dicis Marciane? Sanctus Marcianus respondit: Ego dico hoc quod et contubernalis meus Nicander. Præses dixit: ergo ambo carcerem introite, reddituri [pœnas] pro ausu temeritatis vestræ.

idem facit Marcianus et ducuntur in carcerem

5 Post dies itaque viginti, jussit iterum Præses athletas Christi aspectibus suis præsentari et præsentatis dixit: Sufficiat vobis tempus dilationis, Nicander et Marciane, obedite nunc præceptis Dominorum nostrorum, sin autem, trademini im mortem. S. Marcianus respondit: Per salutem Imperatorum, tormenta tua non metuimus, sed festinamus accipere coronam, quam præparavit Deus diligentibus se. Transmitte ergo nos celerius, ut videamus illum crucifixum, quem vos quidem blasphematis, nos vero tamquam creatorem ac salvatorem nostrum adoramus et colimus. Præses dixit: Mihi non contradicitis, sed Dominis Principibus orbis: *f* neque ego sum qui vos persequor, sed præcepta *g* Imperatorum adimplens, ut rebelles Deo puniri præcipio. Et data sententia, jussit eos decollari, dicens eis: Ambulate cum gaudio sicut petistis, ut impleatur desiderium vestrum *h*. At illi elevaverunt voces, et dixerunt ad Præsidem: Pax tibi, Præses pie, et cœperunt ire gaudentes et benedicentes Deum.

Post dies 20 reducti,

sibi constantes ut prius.

6 Conjunx vero beati Marciani *i* sequebatur eum a longe, improperans ei dicens: Hæc sunt Marciane quæ mihi locutus es in carcere, et dixisti Noli timere? S. Marcianus respondit: Noli mihi appropinquare. At illa clamabat dicens: Si erga me miseram misericordia non moveris Domine mi, vel filium tuum dulcissimum quem in manibus teneo respice: et noli nos tam obstinato animo derelinquere. Et tenens vestimenta ejus trahebat eum retrorsum, dicens, ubi curris? quid festinas? ut quid nos odisti? Sanctus Marcianus respiciens in eam dixit: Usquequo molesta es mihi mulier? et circumstantibus dixit: Obsecro separate eam a me, ut martyrium meum impleatur. Quidam autem homo Christianus, Zoticus nomine, tenens manum beatissimi Marciani consolabatur eum dicens: Longanimis esto Domine meus, bonum agonem certasti, cursum jam consummasti, de cætero superest tibi corona justitiæ, quam reddet dominus laboribus tuis æternam remunerationem. Cui S. Marcianus dixit: Dimitte manum meam, et tenens manum uxoris meæ consolare eam, nec non collige parvulum istum quem ante me projicit, et redde illum matri suæ, et dic ei: Revertere in domum tuam, quia non poteris videre virum tuum martyrium patientem. Vix tandem et morose abducta muliere, amplexati sunt se invicem Christi Martyres Nicander et Marcianus: et pacem dantes sibi mutuo, recessit alter ab altero.

i Marcianus conjugem sollicitantem repellit

7 Conjunx vero S. Nicandri sequebatur eum a longe *l*, et ad ultimum recedens ab eo confortat

Ὁ δὲ Ἡγεμὼν ἐνόμιζεν ὅτι περὶ τῆς ἐνταῦθα ζωῆς ἔλεγεν D ὁ Μάρτυς, καὶ ὅτι ἔπυθε· e καὶ διεκίνει μετὰ τοῦ συγκαθέδρου αὐτοῦ Λεύκωνος. Ὁ δὲ Νίκανδρος ἐν Πνεύματι ἁγίῳ γενόμενος, ἤρξατο δοξάζειν τὸν Κύριον, καὶ παρακαλεῖν φωνῇ μεγάλῃ τὸν Θεὸν, ῥυσθῆναι ἐκ τοῦ πειρασμοῦ τούτου, καὶ σωθῆναι ἐν τῇ χάριτι αὐτοῦ. Ὁ δὲ Ἡγεμὼν ἀκούσας, ἤρξατο λέγειν· Πῶς μετανοήσας, ἐφ' ᾧ τε ζῆν [προείρησαι], πάλιν θέλεις ἀποθανεῖν; Νίκανδρος εἶπε· Τὴν αἰώνιον ζωὴν προείρημαι ζῆν, οὐχὶ τὴν πρόσκαιρον τοῦ κόσμου τούτου, καὶ διὰ τοῦτο τὸ σῶμα δέδωκά σοι εἰς ἐξουσίαν· ποίει τοίνυν ὃ βούλει, ἐγὼ γὰρ Χριστιανός εἰμι. Ὁ δὲ Ἡγεμὼν ἤρξατο λέγειν τῷ Μαρκιανῷ· Σὺ δὲ τί φὴς, Μαρκιανέ; Μαρκιανὸς εἶπε· Τὰ αὐτὰ λέγω κἀγὼ τῷ συστρατιώτῃ μου Νικάνδρῳ. Ὁ δὲ Ἡγεμὼν εἶπεν. Οὐκοῦν ἅμα ἐμβληθήσεσθε εἰς τὸ δεσμωτήριον, δίκην δώσαντες.

5 Ἐμβληθέντων δὲ αὐτῶν εἰς τὴν φυλακὴν ἡμέρας εἴκοσι, προσήχθησαν πάλιν τῷ Ἡγεμόνι. Ὁ δὲ Ἡγεμὼν εἶπεν· Ἤρκεσεν ὑμῖν ὁ χρόνος, Νίκανδρε καὶ Μαρκιανέ, πρὸς ὑπακοὴν τῶν βασιλικῶν προσταγμάτων· ὁ δὲ Μαρκιανὸς εἶπεν· Ἡ πολυλογία σου οὔτε ἐκστῆναι ἡμᾶς ποιήσει τῆς πίστεως ἡμῶν, οὔτε ἀρνήσασθαι τὸν Θεὸν E προτρέπεται· αὐτὸν γὰρ παρεστῶτα ὁρῶμεν, καὶ ὅπου καλεῖ ἡμᾶς ἐπιστάμεθα. Μὴ οὖν ἡμᾶς, κάτεχε, σήμερον γὰρ πληροῦται ἡ πίστις ἡμῶν ἐν Χριστῷ· ἀλλὰ ἀπόστειλον ἡμᾶς τάχιον, ἵνα ἴδωμεν τὸν ἐσταυρωμένον, ὃν ὑμεῖς βλασφημεῖτε, ἡμεῖς δὲ προσκυνοῦμεν. Ὁ δὲ ἅγιος Νίκανδρος ὁμοίως καὶ αὐτὸς εἶπε· Τὴν σωτηρίαν σοι τῶν Βασιλέων, ἐν τάχει ἡμᾶς ἀπόστειλον· μὴ νομίσῃς δὲ ὅτι τὰς βασάνους σου φοβούμενοι, διὰ τοῦτο σὲ ὁρκῶμεν, ἀλλὰ σπεύδοντες λαβεῖν τὴν πίστιν ἡμῶν. Μάξιμος Ἡγεμὼν εἶπεν· Ἐμοὶ οὐκ ἐναντιοῦσθε, οὐ δὲ γὰρ εἰμι ἐγὼ ὁ διώκων ὑμᾶς, ἀλλὰ τὸ πρόσταγμα τοῦ Βασιλέως, ὥστε ἀθῷος εἰμι καὶ καθαρὸς ἀπὸ τοῦ αἵματος ὑμῶν· εἰ δὲ οἴδατε ὅτι καλῶς ἀπέρχεσθε, συγχαίρω ὑμῖν, πληρούσθω ὑμῶν ἡ ἐπιθυμία. Καὶ ταῦτα εἰπὼν, ἀπεφήνατο αὐτοὺς ἀναιρεθῆναι. Οἱ δὲ ἅγιοι τοῦ Θεοῦ Μάρτυρες, ὡς διὰ μιᾶς γλώττης εἶπον· Εἰρήνη σοι, Ἡγεμὼν φιλάνθρωπε. Ἀπίεσαν οὖν χαίροντες καὶ εὐλογοῦντες τὸν Θεόν.

6 Καὶ τῷ μὲν Νικάνδρῳ ἠκολούθουν ἡ γυνὴ αὐτοῦ, καὶ Παπιανὸς, ὁ ἀδελφὸς Πασικράτους τοῦ Μάρτυρος, τὸ παιδίον βαστάζων τοῦ ἁγίου Νικάνδρου, καὶ προτρεπόμενος αὐτόν. Τῷ δὲ Μαρκιανῷ παρείποντο οἱ συγγενεῖς, καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ περιεσχισμένη, καὶ ὀνειδίζουσα F τὸν Μάρτυρα, ἔλεγε· Ταῦτά ἐστι, Μαρκιανέ, ἃ ἔλεγές μοι ἐν τῇ φυλακῇ, μὴ φοβοῦ, μή μου καταλείπεις; ἐπισπλαγχνίσθητι πρός με, κύριέ μου· ἴδε σου τὸ γλυκύτατον τέκνον· ἐπιστράφητι, μὴ ἡμῶν καταφρονήσῃς, τί σπουδάζεις; ποῦ διώκεις; διὰ τί ἡμᾶς ἐμίσησας; ὡς πρόβατον ἐπὶ θυσίαν ἤχθης. Ὁ δὲ Μαρκιανὸς ἐπιστραφεὶς, καὶ ἐμβλέψας αὐτῇ, εἶπε· Μέχρι πότε σοι ὁ σατανᾶς ἀνθέστηκεν, ἡ ὑπὸ τοῦ πονηροῦ ἡρπάγης; Χωρίσθητι ἀπ' ἐμοῦ· συγχώρησόν μοι τελέσαι τὴν μαρτυρίαν τῷ Θεῷ. Ζωτικὸς δέ τις Χριστιανὸς κατέχων τὸν Μαρκιανὸν, ἔλεγεν· Εὐθύμησον, κύριέ μου ἀδελφέ, καλὸν ἀγῶνα ἠγωνίσω· ἡμῖν δὲ πόθεν ἡ τοιαύτη πίστις τοῖς ἀσθενέσι k; Μνήσθητι τῶν ἐπαγγελιῶν, ὧν ἐπηγγείλατο ὁ Θεὸς, ἃς νῦν ἡμῖν ἀποδίδωσιν· ἀληθῶς ὑμεῖς, ὡς τέλειοι Χριστιανοί, μακάριοί ἐστε. Ἡ δὲ γυνὴ αὐτοῦ ἐπολοφύρουσα καὶ κλαίουσα, εἷλκεν αὐτὸν εἰς τὰ ὀπίσω. Ὁ δὲ Μαρκιανὸς εἶπε τῷ Ζωτικῷ· Κράτησον τὴν γυναῖκά μου. Ὁ δὲ Ζωτικὸς ἐάσας τὸν Μάρτυρα, κατέσχεν αὐτήν.

7 Ἐπαχθέντων δὲ αὐτῶν ἐπὶ τὸν τόπον, ὁ Μαρκιανὸς περιεβλέψατο εἰς τὸν ὄχλον, καὶ ἰδὼν τὸν Ζωτικὸν, ἐκάλεσεν

A ἐκάλεσεν αὐτὸν, καὶ εἶπε προσαγαγεῖν αὐτῷ τὴν γυναῖκα· ἡ δὲ προσῆλθε, καὶ φιλήσας αὐτὴν εἶπεν· Ἀναχώρησον ἐν Κυρίῳ, οὐ δύνασαι γὰρ τὸν ἄνδρα σου εἰδέσθαι μαρτυροῦντα, τῆς διανοίας σου χρηματίσας ὑπὸ τοῦ πονηροῦ· τὸ δὲ παιδάριον ἄρας καὶ φιλήσας, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εἶπε· Κύριε Θεὲ παντοκράτωρ, σοὶ μελησάτω περὶ τοῦ παιδίου τούτου. Τότε λοιπὸν περιπλακέντες οἱ Μάρτυρες, καὶ ἀσπασάμενοι ἀλλήλους, ἀνεχώρησαν εἰς ἀπὸ τοῦ ἑνὸς πρὸς τὸ τελειωθῆναι. Ὁ δὲ Μαρκιανὸς περιβλεψάμενος, καὶ ἰδὼν τὴν γυναῖκα τοῦ Νικάνδρου μὴ δυναμένην διὰ τὸν ὄχλον ἐγγίσαι τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς, δοὺς αὐτῇ χεῖρα, προσήγαγεν αὐτὴν τῷ ἀνδρί· καὶ εἶπεν αὐτῇ ὁ Νίκανδρος· Ὁ Θεὸς μετὰ σοῦ. Παρεστήκει δὲ αὐτῷ λέγουσα, Καλῶς κύριέ μου εὐθύμησον, δεῖξον ἑαυτοῦ τὸν ἀγῶνα· δέκα ἔτη ἐν τῇ πατρίδι ἐποίησα ἄνευ σοῦ, καὶ νυκτὸς καὶ ἡμέρας εὐχόμην ἰδεῖν σε καὶ ἀποθανεῖν· νῦν δὲ καὶ ἰδον καὶ εὐφραίνομαι, ὁρῶσά σε ἀπερχόμενον εἰς ζωὴν αἰώνιον. Ἰδὲ λαμπρὰ καὶ λαλήσω, καὶ ἀγαλλιάσομαι ἐγὼ ἡ γυνὴ τοῦ μάρτυρος· εὐθύμησον οὖν κύριε καὶ ἀπόδος τὴν μαρτυρίαν τῷ Θεῷ, ἵνα καὶ ἐμὲ ῥύσῃ ἐκ θανάτου αἰωνίου. Ὁ δὲ στρατιώτης περιθεὶς ὀράριον τοῖς ὀφθαλμοῖς τῶν Μακαρίων, παίσας τῷ ξίφει τὸ τέλος ἐπέθηκε τοῖς Μάρτυσι. Ἐμαρτύρησαν δὲ οἱ ἅγιοι τοῦ Θεοῦ Μάρτυρες, Νίκανδρος καὶ Μαρκιανὸς, μηνὶ Ἰουνίου ο ὀκτὼ, βασιλεύοντος τοῦ Κυρίου ἡμῶν B Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων Ἀμήν.

eum hujusmodi verbis : Robustus esto virorum D Charissime, et viriliter age Domine meus Nicander, Deus omnipotens sit tecum, lætare et longanimis esto, in manum Domini commenda spiritum tuum, pro cujus nomine mortem subire paratus es *m*. Post hæc Quæstionarius accipiens duo oraria ligavit oculos beatissimorum Martyrum : et sumens gladium, amputavit capita eorum. Tollentes igitur sub silentio noctis corpus S. Nicandri cives Venefrani, pretiosis aromatibus illud condierunt, et posuerunt in prædio, quod appellatur Paonis, ubi adhuc quiescit *n*. Sanctum vero Marcianum cives Atinates tulerunt, et posuerunt in basilica ubi nunc requiescit, et præstat multa beneficia usque in præsentem diem, omnibus qui ibidem suffragia ejus fideli corde requirunt. Passi sunt sancti Martyres Christi Nicander et Martianus, die decima quinta Kal. Juliarum regnante Domino nostro Jesu Christo, cui honor et gloria in sæcula sæculorum Amen. E

EX MS.

Nicander suæ valedicit.

m *Capite plexorum corpora Venafrum et Atinam deferuntur*

n

ANNOTATA D. P.

a *Hoc exordium, in quo præcipua diversitas, Petrus Diaconus, vel quiscumque alius sic Latine exhibuit* Gloriosa Sanctorum Martyrum Nicandri et Marciani certamina, quæ adversus Diabolum habuerunt, exponere properabo : *quæ vel transcripsit quoad sensum Adenulphus, a S. Marco ad hosce Martyres sermonem transferens, ut supra vidimus num. 4, vel aliis prætulit transcribenda.*

b *Irrepserant hic nomina* Diocletiani et Maximiani, *quæ veluti interpolamentum, ab auctoris mente alienum, expunxi : ac rursum in fine, ubi sancti passi legebantur,* sub Diocletiano et Maximiano Imperatoribus.

c *Petrus addidit,* nomine Daria : *quod etiam continuo facit Adenulphus.*

d *Non ergo* sub Diocletiano et Maximiano *res agebatur, qui jusserant non tantum viros, sed et mulieres interfici.*

e *Ita lego, pro eo quod scriptum erat,* ἐπιθύει, sacrificat.

C f *Græce* Συγκάθεδρον Assessorem; *Adenulphus,* Consiliarium : *et hoc verosimilius est : quis enim credat primum mense Junio venisse successorem, qui solebat in Januario mitti; aut eo in Provinciam appulso, non continuo cedere solitum, qui eam ante administrarat?*

g *Ita melius, quam quod Græce habetur,* τοῦ Βασιλέως, Imperatoris : *et forte etiam hic ut alibi* Τῶν βασιλέων *scriptum initio fuit.*

h *Longe hæc absunt ab ea immanitate, quæ* Maximo, *sub quo passus S. Marcus, adscribitur; longe hinc illa series exquisitorum tormentorum, quæ Græci alii ex Actis interpolatis recensent.*

i *In Græco mutatur aliquatenus ordo, ac primo inducitur uxor Nicandri.*

k *Sphalma verosimiliter memoriale : videntur enim omnino hic nominandi fuisse, qui supra Nicander et Papinianus.*

l *Hic videtur scriptori excidisse, quod in Græco præmittitur de* Papiano *vel* Papiniano fratre Pasicratis Martyris, *mulierem deducente ejusque filium bajulante : item quod Marcianus uxorem Nicandri, quæ nequibant turbam perrumpere, manu apprehensam ipsi adduxerit.*

m *Addunt Græca hic :* Decem ego annos in patria vixi sine te, quem nocte dieque cupiebam videre et postea mori. Nunc enim vero et vidi et gaudeo : te siquidem video e vita hac in æternam migraturum. Nobilem deinceps et felicem me reputabo, gloriosa uxoris Martyris appellatione dignatam : et quotiescumque hujus meæ felicitatis me recordari contigerit, ne ego incredibili gaudio perfruar. Lætare igitur et gaude, Domine mi : tuoque sanguine mihi a Deo impetra, ut me quoque ex æterna morte liberare dignetur.

n *In aliis Actis nihil de ista corporum in duas urbes distractione : quam tamen etiam Petrus de Natalibus hinc descripsit. Videntur autem* Atinenses *id egisse, ut in transcribendis ad suum usum Actis hæc omitterentur : quemadmodum e contrario Venafrani, in Italica horum Actorum versione, (quam Marcellus Marcianus, indidem natus, Neapoli curavit imprimendam an.* 1614 *dicunt utrumque Martyrem ablatum* Venafrum, F *ubi suos habebant consanguineos, et sepultos in eo quem nunc Capucini tenent loco, unde et manna de sub saxo scaturit. Tale quid etiam habet vetus MS. unde Mabillio hanc clausulam edidit :*

Requieverunt autem Christi Martyres Nicander et Marcianus, et Daria uxor Nicandri cum filio suo, (*quos alibi nusquam legas Martyrii socios, tota narratione prægressa contrarium probante*) in civitate Venafro. Tunc Christiani abstulerunt corpora eorum, et sepelierunt ea prope locum in quo decollati fuerunt, in quo loco fabricata est basilica ad honorem nominum ipsorum. Sub altari ejusdem basilicæ quædam stilla manat, de qua infirmi multoties sanitate recepta usque in hodiernum diem potant, qui in singulis locis suis, Christo operante, multa beneficia patrant. Susceperunt autem Martyrium xv kal. Julii, regnante D. N. Jesu Christo etc. *Quæ non ex uno, sed ex variis MSS. etiam sibi contrariis, collecta videri possunt; dum primo in* Venafro *simul omnes dicuntur requiescere; deinde prope locum, ubi decollati erant, ambo sepulti; ac denique* in suis quique locis, *id est* Venafri et Atinæ, *beneficia præstare : ita per affectus distrahitur veritas.*

o *Hoc jam sæpius animadverti in Græcis, quod in describendis Martyrum Actis, cum semper notent Passionis diem, quo ipsi illos colunt.*

ACTA

A ADENULPHO EX MS.

ACTA RECENTIORA

Per Adenulfum Archiepiscopun Capuanum.

a Dimissa militia,

Hinc *a* jam ad Nicandri et Marciani virorum Sanctorum, qualia contra diabolum habuerunt arma, exponendo properemus. Hi itaque cum præclaris essent orti parentibus, persecutionis tunc acrius intonabat procella, Imperatorum decretis ubique discurrentibus, ut ubicumque Christiani inventi fuissent, absque omni interrogatione punirentur *b*. Cum autem adolevissent, duxerunt uxores, nobilissimis ortas natalibus, e quibus Domino opitulante filios acceperunt singulos. Ea tempestate bellum ingens Barbarorum *c* ortum est adversus Romanum Imperium, flammis ac ferro cuncta proterentibus : quod dum Imperatoribus nuntiatum fuisset, omnes e vestigio contra eos congregari militias jusserunt, in qua militia pene decennium remorati sunt sancti Martyres, Nicander et Marcianus.

Christum evangelizantes sancti,

2 Factum est autem cum Christum agnovissent, et militiæ deservirent; ait B. Nicander ad Marcianum : Frater, sodalis in Christo carissime, scias, me jam Regi Regum militare velle : præterit enim figura hujus mundi, ut B. Paulus Apostolus [ait]. Cui S. Marcianus respondit; Frater in Christo amande, tuo ex ore prolatum verbum penetravit mei pectoris ima : unde, si tibi æquum videtur, militiam relinquamus; Christumque per urbes evangelizantes, retributionem bonorum ab eo nos accepturos speremus *d*. Et relinquentes militiam, cœperunt fidem Domini Jesu Christi publice prædicare, facientes prodigia et signa magna : et, sicut in prœliis sæpissime sibi sumebant bravium victoriæ; ita ad expugnationem idolorum facti sunt bellatores acerrimi; et ex urbe in urbem Christum evangelizantes, culturam idolorum cum templis suis exterminio tradebant.

accusantur Imperatoribus

3 Factum est autem dum in provincia Campanæ Christum evangelizarent, et falsorum abolerent obliterarentque vineas deorum, dolentes Pontifices cum Ethnicis suorum perire sacra deorum, Romam adeunt, Imperatorumque præcordiis talia venena infundunt : Imperatores sanctissimi, defendite culturam deorum, quæ in Campania pulcherrime floruit. Nam Nicander et Marcianus, vestræ militiæ desertores, ad eamdem provinciam venientes, prædicant Jesum Christum Nazarenum crucifixum, et culturam Deorum pro nihilo ducunt. Audientes hæc Imperatores, e vestigio Maximum Præsidem *e*, cujus supra meminimus evocant; eique præcipiunt, ut ubicumque eos invenisset, diis sacrificare compelleret; quod si noluissent, post varia suppliciorum *f* genera, morti traderet. Maximus autem, a curia Imperatorum sumptis extemplo militibus, quod sibi jussum fuerat implere aggressus est. Cumque Campaniam advenisset, Pontifices templorum eum adeunt, quæ Nicander et Marcianus egerant, flebiliter nuntiant, et erumpentes in voces... aiunt : Scias, quia nisi in eis præcepta Imperatorum compleveris, status sacri Imperii ad nihilum redigetur, et Respublica Romanorum peribit.

e missoque in Campaniam Maximo Præsidi

præsentati,

4 Audiens hæc Maximus, advocans Milites, præcepit eis dicens : Ubicumque hos inveneritis, ad me eos festinanter deducite. Euntes vero Milites invenerunt beatissimos Martyres, Jesum Christum filium Dei voce publica prædicantes : quos ita aggrediuntur, dicentes : Magnificentissimus Præses suis vos præsentari conspectibus jussit; cumque præsentati ejus obtutibus essent *g*, Maximus Præses dixit; Merita *h* dignitatis nostræ ut quid non accipitis? Sanctus Nicander dixit; Merita dignitatis vestræ ideo non accipimus, quia pecunia impiorum contagium est viris, Dominum colere institutis. Maximus Præses dixit : Thure tantum Deos, Nicander, honorato. Sanctus Nicander respondit : Quomodo possumus lignis et lapidibus deservire aut immolari, Deo relicto immortali, qui fecit omnia ex nihilo? quem colimus, qui et me et omnes in se sperantes poterit conservare; cum sit Dominus noster immortalis, creator omnium : ipsi soli servimus, qui nos dignatus est salvare, et omnes in se credentes.

fidem confitentur :

Nicandrum animat uxor sua S. Daria :

5 Beatissima vero Daria uxor ejus, præsens cum esset, S. Nicandrum confortabat dicens, Cave, Domine Nicander, ne id facias : cave, Domine, ne Dominum nostrum Jesum Christum neges : cave ne immoles. Respice in cœlum; et in eo ipsum Regem æternum, in quem credis, videbis : nam ipse Rex Regum cui puram fidem et conscientiam servas, adjutor tuus erit. Maximus vero Præses, hæc audiens, cœpit clamare et dicere; O scelestum, perversum, nefandum, et malum caput mulieris! Ut quid desideras virum tuum mori? S. Daria respondit, Ut vivat in æternum cum Domino Jesu Christo, et non moriatur. Maximus Præses dixit, Non ita est, sed quia robustiori viro copulari desideras, id o Nicandrum a vita privari festinas. S. Daria respondit; si suspicionem habes in me, quod hæc factura sim, primam me interfice pro Christo, si et mulieres ad immolandum cogere jussus es. Maximus Præses dixit : Hoc quidem non sum jussus facere, et quod desideras non patrabitur : jussitque lictoribus illam ergastulo tradi.

seque etiam morti sed frustra, offert.

Nicander tridui inducias oblatas recusat,

6 Sancta igitur Daria in carcerem trusa, Maximus Præses his verbis Sanctum alloqui cœpit : Nicander, noli ad verba uxoris tuæ attendere, neque alicujus hujusmodi persuasionem audire, ne forte cito priveris de hac luce : et si vis accipere tridui inducias, accipe : et in eo deliberans, tecum cogita quid melius est, vivere, an mori. S. Nicander respondit : Spatium, quod te daturum promiseras jam putato esse completum, ac me deliberasse cognosce, atque id in animum induxisse, ut nihil cupiam præ salute. Maximus vero Præses hæc audiens, elevavit vocem suam dicens; Gratias Deo. Sanctus quoque Nicander una cum eo dicebat; Gratias Deo. Dicebatque ad Præsidem Martyr beatissimus : Quare gratias agis Deo, in quem non credis? Præses autem putabat, S. Nicandrum diis suis gratias agere; atque de hac vita, et hujusce servanda salute, dixisse; gaudensque dixit ad Leuconium Consiliarium suum; Ambulemus ad templum ut videamus Nicandrum sacrificantem. Cumque pergerent, fervens in Christo, cœpit Deo gratias agere, orareque cum voce magna dicens : Domine Jesu Christe, libera nos a deceptionibus hujus seculi, et compotes nos per gratiam tuam efficere digneris. Maximus Præses hæc audiens, cœpit eum alloqui dicens : Nicander, quare vitam tuam perdis, et desideras magis mori quam vivere? S. Nicander respondit : Ego sempiternam vitam elegi, non hujus seculi temporalem : nam corpus meum in potestate tua concessum est : fac quod vis : quia Christianus sum, et Christi famulus. Maximus

nihil ambigens æternam vitam præsenti statim præferre.

idem respondet Marcianus.

A ximus Præses dixit : Et tu, Marciane, quid dicis? S. Marcianus respondit : ego hoc dico affirmoque quod et contubernalis meus Nicander. Maximus Præses dixit : Ergo in carcerem ambo trudemini, pœnam sine dubio subituri, ociusque lictoribus imperat suis Sanctos in carcerem trudi.

simulque post dies 30 morti adjudicantur,

7 Evolutis autem triginta diebus, jussit Maximus Præses sanctos Dei Martyres sibi præsentari. Qui dum præsentati fuissent, dixit ad eos : Sufficit vobis, Nicander et Marciane, tempus ad movendum, ut obediatis præceptis Imperatorum? S. Marcianus respondit; Multitudo verborum tuorum recedere nos a fide non faciet, neque negare Deum : præsentem enim eum videmus, et quo nos nunc vocat cognovimus. Noli ergo nos retinere, sed mitte nos cito, ut videamus Cruxifixum, quem vos ore nefario maledicere non dubitatis, quem nos veneramur et colimus. Maximus Præses dixit, Ecce pro desiderio vestro morti trademini. S. Marcianus respondit : Per salutem te petimus Imperatorum, et per salutem capitis tui, ut nos citius mittas : nec enim suppliciorum formidine hoc te ut facias adjuramus, sed ut cito nostro desiderio potiamur. Maximus Præses dixit : Mihi cur contradicis? neque enim vos persequor, sed obedio præceptis piissimorum Imperatorum : unde alienus ac mundus sum a vestro sanguine. Si autem scitis vos bene ituros, gratulor vobis quod vestrum desiderium compleatur. Hæc dicens, sententiam in eos pronuntiat capitalem, dicens : Nicander et Marcianus, militiæ desertores, sacrorumque numinum contemptores, gladio animadvertantur. Sancti vero Martyres hæc audientes, elevata voce dixerunt : Pax tibi, Præses, maxime pie ; et cœperunt ire gaudentes et benedicentes Deum.

ad quam dum ducuntur,

Marcianum retrahere conatur uxor sua.

8 Sanctum quoque Nicandrum sequebatur beatissima Daria, uxor ejus, ac Papinianus, frater sancti Martyris Pasicratis, filium S. Nicandri portans infantem, atque ei congratulans de salute. Sanctum vero Marcianum sequebantur cognati, una cum uxore ejus, scissis vestibus flentes et lamentantes eum. Inter quos uxor ejus, flens et ejulans, dicebat ad eum : Hæc sunt, Marciane, quæ mihi locutus es, dicens, Noli timere? Sanctus autem Marcianus dixit ad eam : Noli circa me accedere. Uxor vero ejus clamabat dicens : Væ mihi! ut quid velut agnus ad jugulum tuum curris? Misericordiam habe in me, Domine meus Marciane. Ecce dulcissimum filium tuum ante me teneo. Convertere : noli nos derelinquere, noli nos spernere. Hæc sunt quæ tibi dicebam in carcere, id timens. Væ miseræ mihi! quid festinas? quo intendis? Sanctus vero Marcianus ubi hæc suis auribus hausit, convertit se : atque eam torvis luminibus intuens, dixit : Quamdiu satanas mentem tuam atque animum obcæcabit? Separa te a nobis, concede mihi ut martyrium pro Deo perficiam.

hanc ille a se jubet amoveri cum filio,

9 Zoticus vero quidam, vir Christianissimus, tenens manum Marciani, consolabatur dicens : Veni, Domine meus Marciane ; longanimis esto, luctasti monomachice adversus diabolum, et vicisti eum : unde tibi Christus, Rex Regum et Dominus, reddet coronam justitiæ. Uxor autem ejus se ingerebat, plorans, atque eum retro trahens : projecitque filium ejus quem ulnis ferebat, ante eum : clamabatque dicens : Quo curris? et cur mori festinas? Beatus autem Marcianus respondens, dixit ad eam : Recede a me sathana, quæ a diabolo excæcata es : recede a me, ut impleatur martyrium meum. Dixitque ad Zoticum Marcianus sanctissimus : Dimitte manum meam, et contine uxorem meam, et remove eam a me, et releva parvulum ejus, quem projecit ante me, et redde matri suæ, et dic ad eam : Vade, revertere ad domum tuam, quia non poteris videre virum tuum, pro Christo adversus diabolum agonizantem : quam Zoticus, Martyre dimisso, continuit.

A. ADELULFO EX MS

deinde admissæ valedicit

10 Tres autem viri præduxerunt eos ad locum martyrii. Quo dum pervenissent, circumspexit S. Marcianus : et videns Zoticum inter multitudinem stantem, dixit ad eum, Zotice, serve Domini nostri Jesu Christi, quæso ut uxorem meam ad me omni sub celeritate reducas. Zoticus autem, ejus obtemperans jussis, uxorem S. Marciano adduxit. Quæ cum fuisset adducta, osculatus est eam S. Marcianus et dixit ad eam : Uxor mea, recede in Domino, quia non poteris me martyrium celebrantem aspicere. Filium vero suum in ulnis accipiens, et ad pectus adstringens, ac diu deosculans, erectis in cœlum oculis dixit : Domine Deus omnipotens, hujus tibi sit cura infantis : et cum hæc perorasset, reddidit eum matri suæ.

et filium Deo commendat :

Nicander quoque valedicit Dariæ [illegible], [illegible]

11 Tunc sanctissimi Martyres se diu deosculati sunt. Beata autem Daria, cum præ multitudine populi ad S. Nicandrum accedere non posset, S. Marcianus manu ei porrecta, ad Nicandrum virum suum eam perduxit, quam S. Nicander deosculans, dixit, Deus tecum sit, soror mea. Cui S. Daria respondit. Lætare, Domine mi Nicander : longanimis esto : ostende tuum certamen. Decem *i* annos sine te in patria fui, ac momentis omnibus Deum, ut te viderem, rogabam, nunc vero vidi, et gratulor, uxor Martyris constituta. Bono animo esto, Domine : redde martyrium Deo, ut me etiam de morte perpetua liberet. Sanctus autem Nicander, voces ad has Dariæ anticipans, dixit : Ubi est filius noster? S. Daria respondit : En adest Papinianus, vir Christianissimus, illum gestans in ulnis. Et Sanctus, Defer illum ad me, ut benedicam eum. Sancta vero Daria, præceptis ejus obtemperans, puerum ad eum adduxit. Quem sanctus accipiens in manibus Nicander, et diu exosculans, benedixit eum et reddidit matri suæ.

ac filio benedicit :

tum capite plexi ambo,

12 At vero beatissimi Martyres, Nicander et Macianus, fixis genibus erectisque in cœlum luminibus, diutissime oraverunt. Exurgentes autem assumentesque oraria duo, oculos sibi legaverunt. Tunc sanctissimi Martyres ab invicem, ut martyrium perficerent, separantur. Unus autem ex quæstionariis elevans gladium, et cum magna virtute percutiens, capita amputavit eorum. Passi autem sunt beatissimi martyres, Nicander et Marcianus, die quintodecimo Calendarum Juliarum. Veniens autem Episcopus Atinensis noctu cum Clericis suis, assumpto secum Zotico et Papiniano, Fratre beatissimi martyris Pasicratis, una cum uxoribus eorum et propinquis omnique Christianorum turba, rapuit veneranda corpora eorum ; et, sicut dignum tantis Martyribus erat, juxta corpus beati Martyris Marci, dignæ eos tradidit sepulturæ : ubi exuberant erga infirmos beneficia, meritis illorum, usque in hodiernum diem.

ab Episcopo Atinensi sepeliuntur :

postea in Basilica S. Marco extructa,

13 Ubi vero Ecclesiæ sedatus est nimbus, et majestas Romani Imperii Christo vero Regi colla subdidit sua, Episcopus *k* Atinensis, una cum populo ejusdem civitatis, augustissimam super sepulcrum beatissimi Marci construxerunt basilicam, cujus longitudo extenditur in pedes centum sexaginta tres, latitudo *l* quinquaginta duorum est. Posuit etiam venerabilis Pontifex supra corpus pretiosissimi Martyris Marci titulum lapideum, nomen illius intimantem. Absidem vero ejusdem ecclesiæ, sicut et totam basilicam, ex quadris et magnis lapidibus construxerunt, longitudinis cubitorum quindecim, latitudinis octo et decem cubitorum. Caput quoque pretiosi Martyris Marci una cum clavis tollentes

tollentes, atque in angulo *m* illius ecclesiæ concavum locum in modum capsulæ facientes, cum maxima reverentia in vasculo vitreo locaverunt. Prudentiori tamen ejusdem urbis cives hoc factum dicunt esse consilio; ut, si tanti Martyris caput, per violentiam vel furtum, exinde sublatum fuisset; caput illius, ad tutelam patriæ posteris profuturum generationibus, remaneret : sed ad præsens Deus talem tantamque urbem noluit proprio privare Patrono.

A. ADENULFO EX MS.

14 Super sepulcra vero sanctorum Nicandri et Marciani, quæ non longe a corpore B. Marci posita erant, arcam, pari opere sicut et B. Marci excellentissime construxere *n* ex quadris et magnis lapidibus, cujus longitudo extenditur in pedes duodecim, latitudo undecim, altitudo quatuordecim. Vestibulum quoque ante eamdem arcam pari opere in longum pedes duodecim, latitudo pedum sex, altitudo duodecim construxerunt, portisque ferreis prædictam arcam clauserunt : constituta est autem in medietate ecclesiæ B. Marci, quæ et permanet usque in hodiernum, diem. Hi sancti Marcus, Nicander et Marcianus civitatis Atinensis Patrocinatum suscipientes a Domino, usque in diem hodiernum defendere et tueri, contra hostes visibiles, non desistunt *o*.

ipsis quoque sanctis insignis arca collocatur.

ANNOTATA D. P.

a *Transit hac ratione auctor, ab Actis S. Marci ad horum Passionem.*

b *Istud* absque omni interrogatione, *eo usu postremæ persecutionis huc translatum videtur.*

c *Incursio Parthorum in Romanorum Imperium ad annum* 162 *pertinet; eos Lucius Verus per suos Legatos pluries cecidit an.* 163; *ac denique anno* 165 *uterque Imperator de illis triumphavit. Potuerunt tunc in militiam adscripti fuisse Sancti, nec nisi decimo suæ militiæ anno, Christi* 172 *Atinam revertisse.*

d *Vereor ne hæc Sanctorum evangelizatio per urbes, ab interpolatrice sit manu.*

e *Imo alterius etiam* Maximi, *sed tempore prioris, uti præfati sumus.*

f *Hoc quoque ex posterioribus persecutionibus sumptum, non videtur convenisse horum Imperatorum edictis, non tam ferocibus.*

g *Ea hinc antiquioribus Actis strictius inhærens Adenulphus, pene verbotenus ea describit, ut patebit consideranti.*

h Merita, *id est*, stipendia.

i *Si ante militiam uxores duxerant, vel nullos ex eis liberos susceperant, vel eorum hic non habetur ratio; sed eorum dumtaxat, quos sub annum* 172 *regressi potuerunt genuisse, ut hi solum annicali essent, aut etiam minores, cum ad martyrium Sancti raperentur. Antiquioribus tamen Actis tacentibus, suspectam mihi esse fateor istam decennalem ab uxoribus absentiam.*

k *Secundum Chronicon Atinense fuit hic Episcopus* Maximus, *ab anno* 314 *ad* 337. In hujus temporibus constructa est ecclesia in honorem B Mariæ semper Virginis, in eo loco ubi dicitur Pes-silicis, juxta monumentum quod vocatur Imperiale, circa viam quæ dicitur Monumentorum : eo quod hinc inde plena sit monumentis, magnis lapidibus, diversis marmoribus, et excelsis ædificiis etc.

l *Chronicon*, Quadraginta duos.

m *Idem addit*, Ab occidentali parte.

n *Sedit tempore Episcopi* XII Eugenii, *qui sedit ab an.* 337 *ad* 378. *Reliqua verba Chronici huc spectantia initio dedi num.* 3.

o *Hactenus ex suis MSS. Ughellus : nunc Hymnos et Missam ex MS. Venafrano accipe, complexos haud inelegans Actorum compendium.*

HYMNUS AD VESPERAS.

Augustorum destinatur Maximus a Solio,
Cum Venafri Christiana cresceret Religio :
Marcianum et Nicandrum destinat martyrio.

2 In utrumque sævit Præses et tormenta suscitat:
Nunc in minas exardescit, nunc blandiri cogitat :
Sed nec mollis blandimentis nec minis [trux] territat.

3 Mancipantur servi Dei vinculis, carceribus,
Spretis prorsus et abjectis armis militaribus :
Et nunc quoque præliantur, sed mutatis Regibus.

4 Mens fundata supra petram, fundamento stabili,
Radicata stat radice ineradicabili :
Confortantur tunc Nicander ab uxore nobili.

5 Amplexantur se, facturi velut iter socium :
Capitalis ambo pœnæ subeunt martyrium,
Mortis terræ, [vita] poli succedit in præmium.

6 His ornatur, decoratur Venafrana Civitas,
Et Nicandri sanctitate tota gaudet Unitas :
Quæ plaudendo et psallendo laudes cantat debitas.

7 Conlanguentes multos sanat fistula mox olei :
Quæ clarissimum nunc manat pietate Domini :
Ac de saxo concavato potus datur homini.

8 Sit laus [honor] Deo Patri, summo Regi inclito.
Procedenti et a Patre Patris unigenito,
Et utrumque connectenti Flamini paraclito

HYMNUS AD MATUTINUM.

Martyrum Christi sacra Marciani
Atque Nicandri (quorum Venafrana
Urbs fide fulta) nunc corona patet,
Quam meruerunt.
Non metuerunt tunc pro Christo mori,
Quos susceperunt Angelorum chori :
Gens Venafrana læta sit. et sana,
Prece ipsorum.
Nam de cruore fuso super saxo
Sanitas multa restauratur ægris :
Sicque declarat, quæ manat sub ara
Lympha sepulchri.
In aula quorum dæmone fugato,
Osse Nicandri sibi præsentato :
Laus inde Deo redditur, pro eo
Qui liberatur
Mille sexcentum post viginti annis,
Sancti Nicandri Oppidum lustratur :
Sanctis Reliquiis Martyrum istorum
Lætetur omnis.
Gloria Deo Patri sit æterno
Ejusque nato flaminique sancto,
Qui hos Patronos dedit nobis almos
Cœlo potentes. Amen.

MISSA

Nicandri, Marciani et Dariæ.

INTROITUS. Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore sanctorum Martyrum Nicandri, Marciani, et Dariæ : de quorum passione gaudent Angeli, et collaudant filium Dei. Alleluia. ℣. Exultate justi in Domino rectos decet Collaudatio : Gloria Patri etc.

ORATIO. Omnipotens Deus, qui per gloriosi bella certaminis, ad immortales triumphos Martyres tuos Nicandrum, Marcianum, atque Dariam extulisti : da cordibus nostris dignam pro eorum festivitate lætitiam, ut quorum hic corpora pio amore veneramur, eorum precibus adjuvemur. Per Dominum nostrum etc.

2 EPISTOLA. Lectio libri Sapientiæ cap. 4 Justorum

A rum animæ *(usque)* quoniam donum et pax electis Dei... Deo gratias.

GRADUALE CUM TRACTU: Beatissimi Nicander et Marcianus dixerunt ad Præsidem Maximum: Nos ad æternam vitam optamus vivere, sed non ad hujus sæculi temporalem. Alleluia Alleluia. Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum Alleluia.

3 EVANGELIUM secundum Matthæum *Cap.* x. In illo tempore dixit Jesus discipulis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum *(usque ad)* qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

4 OFFERTORIUM. Nicander et Marciane, sanguine purpurati, cum Daria, Martyrii palma decorati, mentes nostras ad cœlum efferte, o candidati Agni cruore, et in æternum Beati. Alleluia.

5 SECRETA. Munera tibi Domine nostræ devotionis offerimus, in honoris augmentum, et gloriæ Martyrum tuorum, Nicandri, Marciani, et Dariæ: ut quos martyrii palma dignos effecisti, eorum meritis et precibus nos a peccatis omnibus eruas, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

D EX MS.

6 POSTCOMMUNIO. Felicissimi Martyres Nicander et Marciane cum Daria, nos fortes reddite contra hostes; et vesperi et mane, ne tempus breve creditum diffluat inane. Alleluia.

ORATIO. Præsta nobis quæsumus omnipotens Deus, intercedentibus sanctis martyribus tuis Nicandro, Marciano et Daria, Fidei constantia prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare. Per Dominum Nostrum Jesum Christum.

NOT. 6

DE S. MONTANO MILITE MART.

TARRACINÆ ET CAIETA IN CAMPANIA

B E G.H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De illius Martyrio et cultu: nec nisi sero scriptis Actis.

Loca, martyrio Sancti,

Præclarus *Martyr* Montanus *fidei suæ confessione urbem Romanam, patriam suam illustravit: e qua, post varia tormenta tolerata, missus in exilium est* in Pontiam, *insulam maris Tyrrheni, e regione urbis Tarracinæ: in qua insula etiam exulem* S. Silverium Papam, *ac ærumnis confectum, Martyrem obiisse dicemus* XX, *hujus Junii. Verum cum hic et sanctitate vitæ et miraculorum fama emineret*, Tarracinam *ad urbem adductus est: in qua*

exilio, morte,

et S. Flaviam Domitillam, *cum suis eunuchis* Nereo et Achilleo, *longum pro Christo exilium tulisse retulimus ad diem* XII *Maji: imo et* S. Epaphroditum *ibidem a S. Petro Episcopum fuisse ordinatum, cum Martyrologio Romano, indicavimus* XXII *Martii. Ibidem autem* S. Montanus, *cum saxo alligato, in mare præcipitatus fuit, et semivivus ad littora* Pontiæ insulæ *delatus, post mortuum resuscitatum, expiravit: cujus corpus postmodum in vicinam oppositi littoris urbem* Cajetam *delatum, religiosum nunc cultum obtinet.*

et cultu illustrata

C 2 *Memoria ejus continetur ad diem* XVII *Junii in Tabulis Martyrologii Romani his verbis.* Tarracinæ S. Montani Militis, qui sub Hadriano Imperatore et Leontio Consulari, post multa tormenta martyrii coronam accepit. *Asserit Baronius, in suis ad Martyrologium Notis, se* Vitæ ejus Acta accepisse ab Ecclesia Cajetana, cum hoc exordio: Montanus miles et civis Romanus. *Ita etiam Philippus Ferrarius qui illius meminerat in Nova Topographia, agens de urbe Tarracinensi, post tempore legem quod edidit in Catalogo Sanctorum Italiæ, id se profitetur sumpsisse* ex antiquis lectionibus Ecclesiæ Tarracinensis, et monumentis Ecclesiæ Cajetanæ.

Memoria in Fastis Romanis,

et apud Ferrarium,

3 *Allegata a Baronio et Ferrario Acta, ex ejusdem Ecclesiæ Cajetanæ Codice descripta, ad nos quoque Neapoli transmisit Antonius Beatillus, de Sanctorum Neapolitani Regni Vitis optime meritus. In his, post primam Romæ Confessionem, ait* Montanus, *jussu Hadriani Imperatoris, ex Pontiana, ubi exsul erat, ad noxas postremas Tarracinam adductus: sed cum ex circumstantiis, quæ satis ostendunt, sequioris omnino ætatis et fidei esse omnia, dum* Apostolorum discipulus, *ad usque* Hadriani *imperium differtur, qui a die* VI *Augusti anni* CXVII *regnavit usque ad* XII *Julii anni* CXXXVIII; *et tamen in posteriori quæstione num.* 13 sicut ante hunc annum, *inquit,* qui fuerunt Principes, intulerunt mihi pœnas multas: *quasi qui sub pluribus corregnantibus primam sustinuerit quæstionem, et quidem ante unum dumtaxat annum. Atqui primi, jure pari regnantes Romæ, fuerunt* Marcus Aurelius et Lucius Verus *ab anno* CLXI *usque ad* CLXIX, *quo Verus obiit:* Commodus *autem patri Marco primum successit an.* CLXXX *idemque Ecclesiis pacem mox reddidit; quamvis autem Nerone atque Caio deterior, Christianis tamen semper bene usus est; ut ad horum sanguinem tuendum visus sit Romanis Gentilibus immissus divinitus. Præterea immanis carnificinæ ordo, qualis hic describitur, sic et colloquia Martyris cum Præsidibus, plane ad arbitrium conficti videntur, nec satis seculis istis conveniunt. Omitto paradoxæ notas plures alias, quas per seipsum Lector observare poterit. Dum tamen aliud nihil suppetit de primis, et dum indicandus est fons eloqui, Romano Martyrologio per recognitores Gregorianos inserti; cogimur in lucem proferre quod habemus. Interim vero* S. Montani *Martyrium, rectius forte ad Diocletiani ætatem transferendum, non audemus Hadriani temporibus adscribere.*

De P. Acta ex MS Cajetano Beatillo,

licet fidei non magnæ,

præsertim quoad tempus Martyrii.

F

ACTA

Exiguæ ætatis et certitudinis

Ex MS. Ecclesiæ Cajetanæ

CAPUT I.

Prior Montani Vita; fidei confessio coram Præside, hujus, Sanctum frustra torquentis, punita pertinacia.

Montanus miles, et civis Romanus passus est Romæ, et deinde in Tarracina civitate. In illis diebus militabat Regi terreno, postea effectus est miles cœlestis, sicut dicit scriptura: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; Beati, qui Persecutionem patiuntur propter Justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Tunc Beatus Montanus, qui jam per diversas civitates

Mat. 5. 10. Miles Romanus,

EX MS *a*

A civitates et vicos et prætoria missus fuerat, audiebat a sanctis *a* Apostolis verbum veritatis: quia quando ipse Dominus noster crucifixus est, multa mirabilia facta sunt, sol obscuratus est, et petræ disruptæ sunt, et Monumenta aperta sunt, et multa corpora dormientium surrexerunt; cœpit suam animam Deo commendare, et percutiebat pectus suum, dicens voce magna: Vere filius Dei erat iste. Et post pusillum tempus recedens de militia sua, mox reversus est Romam in domum suam, quæ est in via Appia; et cœpit omnium *b* Sanctorum sequi passiones, et mirabilia quæ fiebant.

edoctus, passionem Christi b

2 Tunc cœpit sequi Dei præcepta, et accipiens Christi signaculum, totum se obtulit Deo; faciens eleemosynas, et ad pietatem animam suam adducens; et in castitatem corpus suum reducens, pure custodiebat conscientiam, eratque cœlesti vita et omni in Christo moderatione ornatus est abstinentia: habebat quidem plenum vultum, moderatam speciem, decorum aspectum, et sensum humilem, sapientiam in passibili corpore, et inconturbatam animam. Hic itaque cum omnium infirmorum factus fuisset visitator, cæcorum, claudorum, dæmoniacorum, et variarum infirmitatum [curator]; agensque *c* Monachorum vitam, multos cœpit prohibere ab idolorum cultura, et seminabat ubique præcepta Domini.

et baptizatus in virtute proficit.

B *c*

3 Hæc autem omnia venerunt in aures Judicis, et jussit sibi exhiberi eum. Octavianus itaque Præses dixit: Quid vocaris? B. Montanus ait: Venerabilis *d* in Domino. Præses dixit: Jam qui ante te fuerunt hoc nomine, male exierunt; Tu autem, dic nomen tuum, quid vocaris? B. Montanus respondit: Montanus vocor. Ait Præses: Cujus civitatis Montanus? respondit: Hujus civitatis Romæ. Præses dixit: Servus, an ingenuus? Montanus respondit: Servus eram prius peccati, et miles terrenus; sed postmodum pius Dominus Jesus Christus, ministerio Apostoli sui, dulciter me liberavit; prius quidem per spiritum et aquam, nunc autem per proprium sanguinem; si tamen consummatus fuero in Confessione, et theatrum martyrii consummavero. Præses ait: Propter quam ergo causam dereliquisti deos colere? aut quisnam de militia tua te solvit? Tunc Beatissimus Montanus respondit: Obsecravi fratres meos, et illi tulerunt omne pretium meum et facultates meas; dabant enim mihi annue, causa sumptuum, auri solidos centum, quos et ipsos expendebam in pauperes Dei; nunc autem precatus sum Dominum meum Jesum Christum, regem cœlorum, et absolvit me de vinculis seculi vivum, et liberavit me de carnali militia, et donavit mihi spiritualem actum, ut quiete viverem, et glorificetur Deus in me peccatore.

d Adductus ad Octavianum Præsidem,

fidem profitetur

C

et quietam vitam.

4 Præses dixit: Jam ergo vir venerabilis, et reverentissimus gloriosus consistens, obedi et sacrifica diis, et manduca de sacrificiis, ut consequaris vitam tranquillam, antequam disperdatur juventus tua diversis pœnis. Sanctus dixit: Nemo potest duobus Dominis servire, quia singuli eorum contraria sibi sapiunt. Meus autem Dominus dux est sobrietatis, mansuetudinis, castitatis, pietatis, paupertatis omnisque modestiæ et humilitatis, quæ ducunt ad Dominum Jesum Christum et ad vitam æternam: Dii autem tui contraria sibi sapiunt, amatores sunt malitiæ, conturbationis, inquietudinis, avaritiæ, impietatis, et superbiæ, atque totius bonitatis adversarii. Idolorum consolatio, ac cogitatio hæc sunt; possunt ergo idolorum nunc opera exercere, et non potius sapere, quæ Dei mei sunt. Præses ait: Quid vero detestabile, sicut tu dicis, et contraria sapiunt dii nostri? et si Deus tuus, quem adoras, justus est, quomodo ergo gentilitas defensionem præbet Regibus

legem Christi defendit:

D sive Principibus? Quapropter quotidie mens exaltatur, et inhonestum minoratur. Tunc B. Montanus respondit: Vides ergo quia gentilitas contraria est Christianitati; continentiæ quippe impedimentum, sobrietatis damnum, prohibitio pietatis, fidei alienatio, sensus obtusio, oculorum cæcitas, omnis disciplinæ et mansuetudinis interruptio, virginitatis corruptio, ventris et gulæ contumelia, paupertatis expulsio, avaritiæ desiderium, humilitatis sublatio, superbiæ dux, iniquitatis origo, animæ pollutio, turpe eloquium, excogitatio ac cultura idolorum est. Neque enim a verbis, neque a malis moribus, neque a vitiis retinet homines: sed totum eum ostendit nequam. Si jubes, ea quæ christianitatis sunt, dicam.

idolorum cultum confutat.

5 Octavianus Præses dixit: Multum philosophatus es, et nihil dixisti: accede ergo et sacrifica diis, et gusta de sacrificii carnibus, et indulgebit tibi Deus, propter necessitatem legalem. Hæc fac, quia video te valde gracilem, et formosum, ita ut ipsi oculi tui Solis radii sint, et facies Triveæ, et totum nitidum corpus tuum, et placet in te tantam pulchritudinem esse: propter quod non potes pœnas sustinere; quia venient in te amarissima tormenta, quæ non poteris sufferre, et cum confessus fueris, hoc facies. Montanus respondit: Si a me vis verum audire consilium, magis tu offer te Christo, et indulget tibi Christus meus, quia magnum Deum in unitate cognovisti; si autem nolueris credere Regi tuo, non te tangent pœnæ; solummodo esto fidelis: non enim impedit nequitia Regum Christi pietatem.

Laudatus a decore corporis,

E

invitat Præsidem ad Christi fidem:

6 Præses ait: Forfices afferte, et dentes ejus excutite, et gladio linguam ejus præcidite inique loquentem, et Deos blasphemantem. Tunc quæstionarii fecerunt, quod eis injunctum fuerat, et absciderunt ei linguam. Beatus vero Montanus viriliter sustinebat propter Christi fidem, et ait ad Præsidem; Si credis eos deos esse, sine me ut confringam eos; et si vere Dei sunt, Adjuvent semetipsos. Præses dixit: O malum caput! Tanta tormenta sustines, et quare tibi non subvenit Christus tuus? Montanus respondit: Non vides, o insensate, quia tormenta tanta intulisti mihi, et non me conterunt, sicut tu nosti: da ergo mihi potestatem, sicut dixi, ut conteram Deos tuos: et si quid mihi nocuerint, credam eis; si autem nocuerit tibi Deus meus, crede ei, quia vere ipse est Deus. Præses dixit: Habes potestatem adversus Deos nostros? Cœpit autem populus Romanus similiter sic clamare adversus B. Montanum, Habesne potestatem Deos nostros conterere? sed tenta, ut eis credas.

lingua abscissa loquitur,

F

7 Tunc Beatus Montanus his auditis, cursum arripuit; et ubi venit ad templum Herculis, invenit ibi positam ad pedes ejus securim: et cum apprehendisset securim, confregit ipsum Herculem; et omnes gentium mensas, quæ erant ibi, evertit, similiter et libationes eorum effudit; statimque dæmones, qui manebant in idolis, fugerunt, et quidam ex ipsis adhæsit Præsidi civitatis Romæ principalis: ceteri vero intraverunt in officiales Judicis, et omnes erant pariter multa insania latrantes. Qui dum arriperentur a diabolis, quos Deos suos dicebant esse, cœperunt clamare, et latrare simul voce canina. Ut quid enim hunc nobis adduxisti, quem sciebamus Sanctum, verum servum Dei Montanum, civem Romanum, ut nos ante tempus ejiciat de habitaculis nostris? Tunc cœperunt se ante pedes B. Montani volutare, dicentes et confitentes: Scimus te quia servus veri Dei excelsi es, Montane. Tunc B. Montanus cœpit interrogare ipsos Diabolos, dicens: qua occasione habitatis in istis simulacris, et in aere estis? Dæmones responderunt invenimus circumornatas statuas, ubi non invocatur nomen Domini

idolum frangit,

et dæmones pellit.

Jesus

A Jesu Christi nec signum ejus, quem vos adoratis crucifixum; invenientes etiam sacrificia et libationes, in nostro nomine posita, et invocantes nostra nomina diu noctuque: et cum invenerimus homines qui sunt vobis similes, habentes signum Christi, sed ficte, recedentes a Dei sui Misericordia, et ad nostram miseriam accedentes, intravimus in eos, dum nos ipsi non habemus misericordiam.

eosque cogit propriam malitiam fateri.

8 Tunc Præses, his auditis a diabolis, dixit: Phantasias fecit, atque illusit sensus nostros. Tunc erat quidam homo nomine Aphrodisius qui dixit: Magnus est Deus Christianorum et nulla est apud eum phantasia, nec dolus: noli ergo adversus Deum præsumere ne quid tibi deterius contingat. Octavianus Præses dixit: Jubeo protinus amputari linguam tuam ut non loquaris, miserabilis. Montanus vero ait: Gratias tibi, Domine Jesu Christe, quia in obsequium mihi dedisti et alium fratrem, quem tibi acceptabilem facias. Cum ergo incideretur Aphrodisii lingua, B. Montanus suspiravit cum gemitu ad Deum: et statim manus Domini facta est in Præsidem participem diaboli: et dissolutus per defectum, B factus est cæcus. Et cum vidisset eum Aphrodisius non videntem lumen, cœpit exclamare voce magna: Justus es Domine et rectum judicium tuum! Tunc Præses videns sese excæcatum, cœpit clamare voce magna: Domine mi, frater Aphrodisi, jam sentio, quod Dei virtus est hæc: Interroga fratrem tuum Dominum meum Montanum, ut oret pro me: quia multum laborat anima mea in hac nocte, quia multum iniqua egi in servos Dei. Tunc Aphrodisius civis Romanus ait: Non dicebam tibi, Noli hæc agere? manus tuas noli injicere in servos Dei, quia Deus noster verus et justus est, et ideo me indignum vides incisa lingua loquentem tecum modo. Præses dixit: Frater Aphrodisi, non solum oculos perdidi, sed et cor meum, et viscera mea pessime cruciantur. Tunc Aphrodisius dixit; Si vis misericordiam consequi, crede in Deum meum, et non in lapidibus vanis et miserabilibus, qui nec sibi nec aliis possunt juvare: oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt; nares habent, et non odorant, manus habent, et non palpant; pedes habent, et non ambulant; nec clamat in gutture suo, neque enim est spiritus in ore ipsorum. Præses autem torquebatur, in quo nulla erat misericordia, nisi mugitus in domo Præsidis. Et cum obduratum esset cor Præsidis per diabolum, sic in ipsa pœna e exspiravit; momentoque Diabolus eum lucratus est, et perdidit C misericordiam Dei, et SS. Montani, et Aphrodisii. Post hæc S. Eusebius f pene omnia de urbe Roma, atque tota Italia martyria conscripsit.

Post Aphrodisii Christiani linguam excisam

excæcatus Præses,

petit pro se orari

et misere moritur.

ANNOTATA D. P.

a Apostoli *quidem a Græcis vocantur primorum Apostolorum discipuli: sed dum Latinus Scriptor est qui hic loquitur, videntur omnino ex mente Auctoris, tempora omnia confundentis,* SS. Petrus et Paulus *intelligi.*

b *Plurimum intelliguntur Martyres, sub Trajano decessore Hadriani passi.*

c *Præmature hic inducitur mentio* Monachorum.

d *Suspicor primitus scriptum fuisse,* Christianus nominor: *quid enim hic facit* Tu Venerabilis? *aut quomodo huic congruit sequens replica Præsidis?*

e *Plane contraria apud Ferrarium leguntur his verbis:* Octavianus .... a Montano curatus est, postquam in Christum pœnitens credidisset.

f *Intelligitur haud dubie Eusebius, Cæsariensis in Palæstina Episcopus, passim in multis Martyrologiis Sanctus habitus propter operam Ecclesiæ navatam in conscribenda Historia Ecclesiastica, et copiosis Martyrum Actis; et cujus etiam collectaneis præsumitur acceptum vetustissimum illud, quod Hieronymianum dicimus; in quo tamen nihil de hoc Montano. Quia autem Eusebii Sanctitas merito vocatur in dubium, ideo Baronius existimat pro Cæsarea Cappadociæ, cujus Episcopus Eusebius vere sanctus fuit, Cæsaream Palæstinæ obrepsisse.*

D EX MS

CAPUT II.

Iterata confessio, tormenta, miracula.

Tunc Adrianus, cum fabricatum fuisset palatium, et hoc dedicare voluisset; et illud ritu nefario [facere] cœpisset sacrificiis idolorum atque dæmonorum; ab his qui in idolis habitabant cœpit flagitare responsa: et respondebant dæmones, et dixerunt: Montanus vir Dei laniat nos quotidie invocando nomen Domini Dei sui: iste si non fuerit sublatus de medio, ubicumque invocati fuerimus, beneficia præstare non poterimus, quæ petitis. Tunc Adrianus jussit eum teneri. Et eadem media nocte et infans, E non plusquam quatuor annorum apparuit (ipse enim Dominus noster descendebat cum Angelis suis ad S. Montanum Martyrem, et pulsavit latus ejus, dicens: Montane, habe in te gratiam meam: ego semper tecum fui et sum, quia multum adhuc habebis confiteri, et multas pœnas tibi proponere habent. Et quid dicam tibi? per metmetipsum jurabo et per dexteram, quia nihil prævalebunt Principes, et potestates, et Reges terræ adversus te, et multa Mirabilia per te ostendere habeo in gentibus, qui me non noverunt, et in Regnis quæ non invocaverunt nomen meum, aut misericordiam. Esto fixus in me, (et hæc dicens Dominus ad S. Montanum, tetigit eum) confortetur cor tuum in me, et esto firmus; et ascendit Dominus in cœlum ad Patrem cum Angelis suis.

Clamitscunt dæmones,

et a Christo confortatus Montanus,

10 Tunc sanctus cœpit clamare clara voce dicens, Beati qui credunt in Christum: et qui fidem suam ipsi committunt, ipsi vere sapientes sunt. Cumque hæc et his similia diceret, ingressi sunt quidam viri Romani ad Adrianum, circiter mille, et dixerunt ad eum: Quidam homo, nomine Montanus, præ foribus vociferatur, laudans et benedicens nomen, nescimus cujus Jesu Christi, et multi jam crediderunt in ejus prædicatione. Tunc Adrianus Imperator jussit Præsidi, ut sine aliqua excusatione ad Christi Martyrem Montanum dirigeret, et arctius eum discuteret. Tunc Præses abiit ad Sanctum, et cum F jussisset eum introduci, intromisso eo, dixit: Quid est Montane, quod præ foribus loquebaris? Sanctus respondit: Laudatum Christum feliciter, quem ante hos annos, cum militarem terreno Principi, denegabam. Dixit ad eum Præses: Miror te, vel ipsam frontem tuam, qui non erubescis istum nominare: quia quicumque eum nominat, persequitur [enim Imperator] usque ad mortem. Dixit ad eum Montanus: In hoc apparet Dominus, qui jam me convertit ab errore, et induxit me in viam rectam, et fecit me cognoscere quia est verus Deus. Dixit ad eum Præses: Omnes in sapientia et in sensu crescunt, ut ex sapientibus sapientiores fiant; tu autem ex sapiente insipiens factus es. Insipiens enim ais Deum esse, qui a Judæis crucifixus est, ut ab ipsis Christianis audisti. Dixit ad eum Sanctus: Hunc crucifixum audivi, et in errorem lapsus putabam Dominum non esse, et blasphemabam quotidie diu noctuque nomen sanctum suum: nunc autem pœnitentiam de præteritis criminibus et blasphemiis ago, et hunc Dominum meum confiteor. Dixit ad eum Præses: Dic mihi, quando factus es Christianus? qui ante annum, illum Christum denegabas

multos convertit

Fassus hunc ... confitetur,

negabas? S. Montanus ait; Ipsa hora, quando Christum confessus credidi, tunc sensi me Christianum esse effectum, et ideo, sicut ex toto corde meo renuntiavi idolis vanis et mortalibus, ita ex toto corde meo, immortali Christo Dei filio credens, modo prædicto nomen verum, nomen sanctum, nomen immaculatum, nomen in quo nulla dissimulatio est, nulla iniquitas quæ in idolis regnat.

irridet idola

11 Præses ait : Ergo iniquitas est in Diis nostris? Dixit ad eum Sanctus : Ergo non regnat impostura in istis omnibus simulacris, quæ homo dolavit in ligno et ex ære conflavit, et limavit in ferro, et constabilivit in plumbo, quæ canes nocte custodiunt, quæ araneæ texunt, quæ intra cavum humore plena sunt. Mentior si ista probare non possum; sed quia non mentior, justum est ut tu veritati consentias, et a falsitate animum tuum revoces. Dignum enim est, ut qui alios judicas mentientes, te ipsum judicare non possis, nisi a mendacio te auferas, et ad veritatem quæ Christus est te convertas. Præses dixit ergo Dii nostri nec sunt veri, nec vivi? Sanctus dixit : Idolorum effigiem videmus, sine auditu, sine gressu, sine odoratu; Deus autem vivus est invisibilis. Isti enim custodiuntur, ille autem custodit. Si ista non est veritas, convinci debeo ratione : si autem de potestate agitur, constat te ratione superatum.

et suadet Præsidi fidem Christi.

12 Præses dixit ad eum; Sicut ego video, infelix es, Montane, et mala morte interire desideras : et Montanus dixit : Ego multa bona invenire desidero. Præses dixit, scias tu Montane, quia si in ista stultitia perseverare volueris; primum tibi adhibeo diversa supplicia, et sic te interficiam crudeliter. Sanctus vero Montanus dixit; Et ego desidero pati, sicut ante hunc annum qui fuerunt *a* Principes, intulerunt mihi pœnas multas nihil mihi nocuerunt, quia desidero coronari a Domino meo Jesu Christo. Dixit ad eum Præses, *b* consulere te ipsum oportet, quia multi criminosi et stulti [mortem] incurrerunt. Montanus dixit : Summa sapientia hæc est ut philosophiam generem de omnibus cruciamentis tuis, ut nihil penitus timeam. Nec irrationabili consideratione defendisse me approbor, cum omnibus in terra lætantibus præpono perpetuam vitam. Præses dixit : Ergo magis tormenta eligis, quam requiem; et mortem, magis quam vitam desideras. Montanus dixit : Ego ista tormenta non timeo, nec mortem perhorresco; sed illa tormenta timeo, qui finem non habent; et illam mortem pertimesco, quæ æternas habet tenebras. Istæ autem pœnæ, quas tu potes inferre, brevem finem accipiunt : tormenta vero quæ idolorum cultoribus irrogantur, acrius desæviunt, et finem nullum invenient.

a minas tormentorum sperni; *b*

13 Præses dixit : suspendatur in equuleo, vir desertor Montanus, ut verba ista acrioribus verberibus derelinquat. At ubi in equuleo suspensus est dixit : Ecce modo bis confiteor, et bis Martyrizabor quia in cruce levatus sum (Equuleus enim factura similitudinem Crucis gerit) gratias tibi ago, quia me in signo tuo levari permisisti. Præses dixit ad eum : Infelix, parce carnibus tuis. Cui sanctus ait : Infelix, tu debes parcere animæ tuæ : ego enim carnibus meis temporaliter non parco, ut animæ meæ in æternum parcatur. Tunc nimio furore commotus est Præses, et jussit ungulis latera ejus attrectari et ardente lampade corpus ejus exuri. Sanctus vero Montanus nihil aliud in tormentis clamabat, nisi hoc tantum; Christe fili Dei vivi, te confiteor, te cognovi : tu es salus mea, tu es protector meus, conjunge me etiam in numero Sanctorum tuorum : et hæc dicens erat constans in virtute, ut non putaretur ipse pati, aut torqueri, tortoresque et ipsa tormenta jam deficerent.

in equleo suspensus

ungulis laceratur et lampadibus uritur.

ANNOTATA D. P.

a *Si sub* Commodo Imp. *res acta scriberetur, possent hic intelligi ejus pater et patruus*, M. Aurelius et Lucius Verus, *Christianorum persecutores.*

b *Scriptum erat*, Consolari.

CAPUT III.

Exilium in Pontiam, obitus, depositio.

Tunc Præses, nutu Dei, qui servum suum volebat plus martyrizari, et confiteri Jesum Christum, jussit ut B. Montanus ex urbe ejiceretur, et pernoctarent milites cum eo in insula Pontiana; ubi tantum pateretur, et nihil ei daretur, nisi modicus panis ad vesperum. Sed misericordia Dei extitit ei præparata in insula Pontiana, quia invenit ibi hominem, nomine Maxentium cum filia sua Margarita, qui cœperunt ei occurrere, et offerre ei panes mundos. Quibus B. Montanus Martyr Christi dicebat : Habete gratiam Domini nostri Jesu Christi qui me per vos saginat quotidie. Præses autem qui Beatum Montanum miserat in exilium, intra sex dies elefantiosus factus, in vermibus expiravit. Sanctus autem Montanus, cum esset jejuniis et orationibus intentus, diu, notuque versabatur in Scripturis sanctis. Cumque ita in suo exultaret exilio, contigit, ut Virgo Christi Margarita, quæ erat sponsa terreni hominis fieret per B. Montanum Christi sponsa. Tunc cœpit de B. Montano exire ejus opinio per totam provinciam, et de ejus magnalibus; ut siquis eum in oratione sua habuisset vel haberet in mente, videret magnalia et mirabilia per orationes ejus. Ideoque in insulam deferebantur, ad eum infirmi, qui a medicis desperabantur, et lunatici, et dæmoniaci pleni spiritibus immundis, qui omnes salvi revertebantur, credentes in Christum per B. Montani orationes.

In insula Pontia exul

sancte degit,

et miracula patrat :

15 Cumque hæc agerentur in insula Pontiana, fecerunt suggestionem de eo Consulari Leontio *a* Pontifices; et misit qui eum cum festinatione adducerent de insula Pontiana, ut videret, si sacrificare vellet. Itaque cum abiissent milites per naviculam, comprehenderunt S. Montanum, et ejecerunt eum ab insula Pontiana, et imposuerunt in naviculam ferro colligatum. At ubi perduxerunt eum in civitatem Tarracinam, sub voce præconia interrogavit eum Consularis, dicens : Quid vocaris? Sanctus respondit : Montanus vocor. Consularis dixit : Servusne es, an ingenuus? Montanus dixit : Servus sum Domini mei Jesu Christi. Tunc impiissimus Consularis Leontius jussit eum in Secretarium, quod est in medio foro Tarracinæ civitatis, duci, et diversis generibus plagarum vexari, et in equuleum postea levari, et lampades ardentes ad ejus latera opponi, et interrogabat eum, si thura incendere vellet. Respondit S. Montanus, et dixit Consulari; Miser et infelix, si non recesseris a cultura dæmonum, cum ipsis arsurus eris in perpetuum. Tunc vocavit ad se Consularis Scribam hominem suum, nomine Pergentium, et dixit ei : Montanum, perfidum et malum caput, jubeo cum omni celeritate duci ad templum Herculis, ut ibi capillis suspendatur. Cumque id factum fuisset, et nullo pacto servus Dei Montanus ejus minis atque terroribus consentiret, jussit circa Herculis templum stipitem figi, et ibi ad trocleam extendi B. Montanum, et fustibus macerari, et in pectore pungi.

a adductus Tarracinam

tormentis affligitur

in trocleam extensus

16 Post septem vero dies, idest in die octava martyrii sui, cum hæc agerentur in civitate Tarracina, erat Margarita, filia Maxentii in insula Pontiana;

Liberat Margaritam obsessam,

tiana; quæ jam per annum a dæmonibus vexabatur. Hæc ad ejus famam irrupit, et provoluta est pedibus S. Montani cum patre suo, dicens : Respice in me peccatricem, miserere, ignosce necessitatibus meis. Quid avertis oculos? quid rogantem refugis? Noli me despicere, sed miserere animæ meæ, et salva me, ut ancilla Christi sim. Tunc B. Montanus levavit oculos suos ad cœlum, et lacrymis perfusus benedixit eam, et expuit in faciem ejus, Salvatoris exemplo : statimque virtute Domini liberata est Margarita, et cœpit omnipotenti Deo gratias referre, quia per famulum suum Montanum curata fuerat. Tunc B. Montanus dixit : si ego verus Christi servus sum, et firma sunt omnia quæ ex ore meo exierunt et Christi Sponsa Margarita audivit et credidit; jubeat Dominus Jesus Christus, ut vera Sponsa vera martyr Christi effici mereatur. Tunc cœpit Margarita clamare clara voce, dicens : Beatus es tu, et Beatus sermo oris tui, et beati qui crediderunt per te Christo filio Dei vivi; quia quæ per diabolum tenebar, per tuam precationem salva facta sum. Ad quam B. Montanus dixit : puta dignitatem tuam, et incipe esse cum Christo, et credere in eum, qui unicum filium suum passioni et morti tradidit, ut nos a passionibus æternis, et morte perpetua liberaret. Et cum hæc B. Montanus diceret, tunc pater Margaritæ provolutus pedibus S. Montani, cœpit ei dicere : Lucretur animam meam Christus per te. Et dixit ad eum B. Montanus : Diabolus, quem antea adorabatis, nec Dominus noster, nec creator esse dignoscitur, Deus autem, Pater et Dominus noster esse comprobatur. Et orare cœpit cum lacrymis, statimque divinus aspectus apparuit, cujus vox melle dulcior dicebat ad Virginem Christi Margaritam : Virginitas gemma est pretiosa; Virginitas munus est optimum; et quantum cognoscis te plus habere per martyrem meum Montanum plus debes custodire ne perdas. Et ego vos non desero : et quidquid petieritis dabo vobis : exaudiam vos, et perducam ad coronam martyrii. Tunc omnes cœperunt adorare Christi Sponsam cum patre suo, quos ambos Dominus noster Jesus lucratus est per famulum suum Montanum.

et Christi sponsam facit:

17 Qui cum diu moraretur in carcere, quoadusque iret relatio, et rediret responsum ; excepit sententiam, ut, ligato saxo circa collum ejus, in mare præcipitaretur. Tunc impiissimus Consularis fecit eum præcipitari, et colligato saxo præcipitatus est in medio maris sanctus Dei Montanus. Eadem hora intonuit Dominus, et tonitrua, et fulgura et grandines supervenerunt, ut præ timore multi in facies suas caderent. Tunc descendit Dominus ad Martyrem suum cum exercitu Angelorum psallentium, et viginti quatuor seniores, et duodecim Apostoli supportabant corpus B. Montani. Lapis vero, qui ei ligatus fuerat, factus est salientis *b* ante faciem Domini. Et ubi provenerunt ad insulam Pontianam, invenerunt a Domino ibi præparatum lapidem magnum ad litus, in quo reposuerunt eum semivivum. In eo autem loco, ubi positus est, invenerunt eum aliqui naviculari, qui existimarant eum certissime esse *c* navicularium, et copiosam habere pecuniam, congregatis triginta quinque hominibus, qui in eodem loco manebant, cogitaverunt eum lapidare. At cum cœperunt lapides jactare, tunc manus Domini et S. Montani facta est super eos ; et alii ex eis cæci facti sunt, alii a dæmonibus comprehensi, aliorumque manus et brachia facta sunt arida. Nec habentes auxilium, præ timore et tremore, voce ululationis dicebant : Hic homo justus nobis videtur, et ipse est, qui confessus est nomen Filii Dei. Et cum hæc dicerent, facta est vox Domini de cœlo dicens : Hic est Martyr Montanus, in quo sic complacui cum Angelis meis : et in nullo eum volo contristari, in quo sic Pater meus, et ego lætamur. Et quia hæc de Martyre Dei alii viderunt, alii non ; facta est inter eos maxima dubitatio in insula Pontiana.

cum saxo præcipitatus in mare

b

c divinitus deponitur in littore Pontiano

Ex MS.

18 Cumque hæc agerentur, ut nulla incredulitas esset de Christi Martyre, in eadem insula Pontiana puer anniculus mortuus est, et adductus est ad B. Montanum a parentibus suis. Qui projecerunt eum ad pedes ejus, dicentes et clamantes : Obsecramus te, per clementissimum Deum, ut reddas nobis unicum filium nostrum, et ostendas virtutem Dei, et tuam, quæ est in Sanctis Dei. Tunc oravit B. Montanus, et dixit : Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, ecce nunc tempus est, ut virtus tua manifestetur. Neque hoc impossibile est, et fidele promissum a te habemus, quod petentes omnia impetrant. Et ego credo, quod quidquid a te peto, non me fraudabis. Et statim oculos in cœlum defigens unius fere horæ spatio, facies ejus mutata est ut nix ; et dixit ad corpus mortui : Tibi dico, terra arida ; in ejus nomine, qui quatriduanum Lazarum resuscitavit, et tibi nunc imperat, surge super pedes tuos. Et cum hæc diceret, surrexit mortuus, et cœpit clamare : O acceptabilis oratio, et immaculata virginitas, quæ est in sancto Dei Montano : et nolite dubitare, increduli, Deo, quia unus, et sanctus est. Tunc cœperunt clamare omnes de eodem loco : Unus Deus est, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, qui est in secula seculorum, Amen. Statimque vox in eis facta est, dicens : Credidi propter quod locutus sum : et subito B. Montanus reddidit spiritum in pace. Tunc viri Christiani, et omnis ætas infantium et mulierum ; levantes corpus B. Montani martyris, sepelierunt illud juxta littus in crypta, sub die quinto decimo Kal. Julias, depositumque est corpus ejus in pace, ad laudem, et gloriam Domini nostri Jesu-Christi, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in secula seculorum, Amen.

mortuum resuscitat

et subito expirat.

19 Post multum vero temporis Cajetani *d* cives, divino admoniti, transtulerunt corpus ejus in civitatem Cajetam, et sepelierunt illud in ecclesia antiqua, sub nomine Sanctorum Martyrum Quirici *e* et Julittæ, in altari majori, ubi aliquando scaturivit manna.

d et Caietæ deponitur

e

ANNOTATA D. P.

a *Scilicet Idololatrici, delatores Christianorum : malui enim* Pontifices *scribere, quam* Pontifici, *ut erat in MS. et debuisset intelligi de* Consulari.

b *Nescio quid hic dicere velit [illegible]. Emendet per conjecturam cui [illegible] ratio.*

c *Fortassis* nummularium : *hic enim melius cadit suspicio pecuniæ apud Sanctum inveniendæ.*

d *In eodem MS. dicitur* corpus postea Tarracinam translatum, *Ughellus tamen tomo* 1. *Italiæ sacræ columna* 580, *recenset corpora Sanctorum Caietæ asservata, absque mentione* S. Montani.

e *De* SS. Quirico et Julitta *passis sub Diocletiano egimus die præcedenti.*

DE SANCTA DIGNA-MERITA

CUM FILIIS DUOBUS

MARTYRIBUS BRIXIÆ IN ITALIA.

SYNOPSIS HISTORICA

Eorum præsens cultus; nomen Lavelongæ familiæ gratis insertum.

XVII JUNII

Notitia ex novo et veteri Mrlio Brixiano:

Bernardinus Faynus in Martyrologio Sanctæ Brixianæ Ecclesiæ, quod jussu Marini Joannis Georgii Episcopi editum habemus anno MDCLXV, ad hunc XVII Junii prætitulatos Martyres refert cum hoc elogio: Decimo quinto Kalendas Julii Brixiæ S. Dignæ-meritæ, cum duobus filiis, in ecclesia S. Aphræ. Hæc sub Hadriano Imperatore pro Christi nomine multis vexata suppliciis, cum palma Martyrii ad cælos evolavit: et filii ejus e fenestra dejecti, matrem cum palma prosecuti sunt. De ea inquit in Notis, Martyrologium vetus Brixianum manuscriptum, ubi passa dicitur sub Hadriano Imperatore, et apud SS. Faustinum et Jovitam ad Sanguinem sepulta. In libello Martyrii Brixianorum collectoribus Paulo Bonifacioque de Borellis et Archangelo de Curno, habetur, hanc et duos ejus filios sub majori ara in inferiori ecclesia S. Aphræ ex translatione sepultos fuisse. *Idem Faynus in Cœlo sanctæ Brixianæ Ecclesiæ Catalogo 4 num. 8 asserit* Ecclesiam S. Aphræ ab ejus vetustissimis primordiis S. Faustini ad Sanguinem fuisse vocatam, eamque duplicem esse; quarum inferior est cum tribus altaribus, ubi parochialia exercentur; alia superior, quæ habet altaria novem, plena Ossibus Sanctorum, et Cathedram Abbatialem Canonicorum Regularium.

corpora ad S. Afrani, M.

D. P. Tempus martyrii incertum,

2 *De ipsa translatione corporum ad ecclesiam S. Afræ, si non habentur documenta antiqua, præsumam libens, haberi traditionem, cui fides dari haud imprudenter possit. Quæritur interim, quod nostra refert, argumentum, ex quo possit debeatve præsumi, ad* Hadriani Imperatoris *tempora referendam ejusmodi Passionem; maxime per varia supplicia, mortem progressa, finitam. Etenim facilius factum crediderim, ut matrem et liberos, irrumpentes in domum satellites, præcipitarint sub Maximiano et Diocletiano. Vetus Martyrologium Brixianum quod allegatur, superioris seculi est. Libellus Martyrii supra allegatus, prodit suorum Auctorum levitatem, cum asserit, prætitulatos Sanctos,* ex præclara de Lavelongis familia fluxisse. *Gratulabor* Lavelongis, *si videro eorum originem et successionem sursum eductam ad annos quadringentos aut quingentos: ulterius si ascendere velint, vereor ne ipsa quæ assumentur argumenta ad anteriora tempora stabilienda, imbecillitate sua evidenter probent vanitatem causæ, multis hoc tempore communis in Italia; ubi vix ulla nunc familia est alicujus nominis, quam adulatio non extulerit ad tempora, multo quam probare ipsa solide possit, antiquiora.*

familiæ nomen gratis confictum.

3 *Si dicam, recentioris formæ nomen videri, ut est* Lavelongi; *respondet vindex ineptiarum istarum, veteribus familiis nova sæpe aptari nomina. Tum porro si quæram qua ratione probet revera tam vetustam familiam esse quæ nomine recentiori censetur, quodque illius olim nomen fuerit, ad quod per tot secula ascenditur absque medio; manebit magis mutus quam piscis; solemque clamitabit injuriam fieri nobilitati, cui non creditur, ostentanti scilicet origines commentitias, et hoc vel superiori seculo primum excogitatas. Equidem ut asserenti corpus* S. Dignæ-meritæ, *et corpora filiorum, sub altari collocata haberi, haud ægre credam, quia rem dicet manibus ipsis palpabilem; ita si asserat, simul cum illis repertam notitiam, lapidi aut pergameno inscriptam, qua dicuntur ex* Lavelongis *fluxisse; incipiam rem totam habere de fictione suspectam, et vacillabit apud me fides, adhibita primæ assertioni (qui plerumque est fructus nimiæ ad anteriora extensionis) et dubitabo an qui ejusmodi scripturam, nulli prudenter credibilem finxit; non etiam supposuerit altari isti ossa, undecumque sumpta.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

QUIRIACO, BLASTO TRIBUNO,

DIOGENE, ÆNA, NICANDRO, DOROSTOLO,

EUSICIO, AQUILA, CANTIANO.

ET ALIIS DUCENTIS SEXAGINTA DUOBUS

ITEM LONGINO ET JOANNE PRESBYTERO,

SYLLOGE HISTORICA.

Notitia eorum ex Martyrologiis Actisque SS. Mariæ et Marthæ: Corpus S. Blasti et duorum Sociorum Lucam translatum.

XVII. JUNII.

V*etusta Martyrologii Hieronymiani apographa hunc* XVII *diem Junii ab hisce Sanctis auspicantur. Antiquissimum Epternacense sic habet* XV Kalendas Julii, Romæ Cyriaci, Blasti, Diogenis, Nicandri, Dorostoli, Jusici, Aquilæ, Cantiani. *In Lucensi MS. leguntur nomina* Quiriaci, Blastri, Nicandri, Ænæ, Dorostoli, Isicii, Aquilæ, Canti, Cantiani et Cantianæ. *Hisce palæstra* Roma

Cultus sacer in antiquis fastis.

præponitur

præponitur in apographo Blumiano, cum pleno consensu aliorum: eosdem autem apographum Corbeiense Parisiis excusum ita proponit: Romæ Quiriaci, Blasti, Nicandri, Enodorcstoli, Isici, Aquilæ, Canti, Cantiani, Cantianellæ, Proti. *Seorsim post alios habetur,* Romæ Diogenis. *et in jam allegatis Corbeiensi, Blumiano, et Lucensi. MS. antiquum Reginæ Sueciæ ista profert:* Romæ, via Salaria veteri, natalis S. Quiriaci cum aliis octo: *quorum septem suis nominibus proposuimus ex apographo Epternacensi, octavum vero* Æneam *ex aliis adjunximus. In MS. monasterii S. Cyriaci, alibi apud Baronium laudato, ista leguntur* Romæ Quiriaci, Blasti, Nicandri, Diogenis. *MS. Tornacense S. Martini ista habet:* Romæ, ad septem columnas, passio SS. Quiriaci, Blasti et Diogenis. *MS. Casinense.* Romæ Quiriaci Blasti, Diogenis. *MS. Trevirense S. Maximini:* Romæ Quiriaci, Nicandri, Eusæ, Dobostoli, Blasti, Diogenis. *MS. Aquisgranense:* Romæ Diogenis, Blasti et Vinicandri, Quiriaci. *MSS. Florentina bibliothecæ Medicææ et Senatoris Strozzii:* Romæ natalis S. Quiriaci: item Romæ via Salaria ad septem columnas natale S. Diogenis, viri virtute et sanctitate clarissimi. *Verum alii ibidem dicuntur Ravennæ cum aliis coronati his verbis:* Ravenna SS. Froni (*seu* Frotoni) Candri, Blastri, Nicandri, Æneæ (*seu* Alhenæ) Dorostori, Iphæi, Cantini, Cantiani, Cantianillæ. *MS. Rubenovense,* Romæ Diogenis, Quiriaci. et in Ravenna Froni, Blastini. *Hieronymus Rubeus lib. 2 Historiæ Ravennatis pag. 45 ex vetustis Martyrologiis ista refert:* Ravennæ sanctorum Martyrum septem fratrum, Nicandri, Cardri, Blastri, Dorostri, Phronis, Alhenæ atque Yplnei.

2 *MSS. Augustanum, Gellonense, aliquod S. Galli, et aliud Parisiis a Philippo Labbe nobis submissum ista habent:* Quiriaci, Cantiani, Marini, Mart. Romæ Diogenis, Blasti, et aliorum ducentorum sexaginta duorum Martyrum. *MS. Trecense S. Martini* Romæ Diogenis et aliorum ducentorum sexaginta quatuor. *Grevenus in Additionibus ad Usuardum:* Item Sanctorum Dagenis, Blasti, Canciani. Romæ Diogenis et aliorum ducentorum sexaginta quatuor. *De hisce anonymis Martyribus primo loco agunt Usuardus, Ado, atque recentiores cum hodierno Martyrologio Romano, in quo parenthesi inclusa inseruntur.* Romæ natalis Sanctorum ducentorum et sexaginta duorum Martyrum (qui in persecutione Diocletiani pro fide Christi necati) positi sunt via Salaria veteri ad Clivum Cucumeris: *quem locum hodie* Peraolum *dici credunt aliqui apud Plazzam in Sanctuario seu Martyrologio Romano. In MS. Bruxellensi S. Gudilæ* Et Romæ passio SS. Diogenis et Quiriaci. *Ita alii supra attribuuntur* viæ Salariæ veteri, *de qua agit Aringhus lib. 4. Romæ subterraneæ cap. 27 et 28. Qui in aliquibus MSS. adduntur* Cantius Cantianus et Cantianilla *nec non spectant, adjuncti forsan ab aliis qui eos Aquilæ egerunt Aquileiæ ubi dicti Martyres passi sunt* XXXI *Maji, quando de iis egimus. De iis, qui Ravennæ trivantur illis sic pono pute, ut videantur iidem adeoque* Phron *et* Fronius *seu* Fronius *aut* Frotonus. Yplneus *videtur alius* Isicius *et* Eusicius *dici. Nomen* Candri *adjunctum videtur corrupte ex voce* Nicandri, *et sic repetitum, quod inadvertenter factum arbitramur. Si quis certiora suggesserit, gratum apud ipsos Sanctos inibit, et nos grato animo acceptabimus.*

3 *Joannes Maria Florentinus Lucensis, a cujus singulari eruditione habemus vetustissimum illud Occidentalis ecclesiæ Martyrologium quod Hieronymianum appellamus ad præcitata MSS. collatum Notisque doctissimis illustratum paulo postquam ejus humanissimo hospitio usi in Belgium reverteramus, misit nobis Vitam S.* Silai, *de quo agimus* XXI *Maji Lucæ editam an.* 1662, *ubi cap.* 12 *agit de monasterio S. Justinæ, deque S. Silai et aliorum Sanctorum Reliquiis ibidem asservatis: et pag. 79 asserit, quod in ecclesia inferiori asservantur tria Sanctorum Martyrum corpora, una cum Inscriptione, characteribus seculi* X *satis barbare exarata, cujus (utpote propter vetustatem non amplius legibilis) duplex hoc invenitur transcriptum.*

D. P. Lucæ in ecclesia S. Justinæ, Ex MS.

✝ Breve recordationis facio ego Ingluzzo, de corpora quæ tulit de cœmeterii S. Ermen; et isti Sancti quæ abit nomen Blastus et Longinus et Jo.....s Martyr, ad via Salaria, da porta Pinciana.

corpora SS. Blasti Longini et Joannis.

✝ Breve recordationis facio ego Igizo de corpora Sancti, quæ tulit de cœmetaria Sco Ermen: et isti Sancti avevit nomen Blastus, et Longinus, et Joannes Martyr, ad via Salaria de portà Pinciana. *Quæ sic videntur ad Grammaticæ leges revocanda.*

Ego Inghizzo (*vel* Igizo) facio Breve recordationis de corporibus Sanctorum, quæ tuli de cœmeterio S. Hermetis via Salaria ad portam Pincianam: et isti Sancti habebant nomina, Blastus, Longinus, et Joannes, Martyres.

4 *Nullum illi peculiarem cultum habent in dicto monasterio; et si haberent aliquo certo die, is potius censendus esset Translationis, quam Passionis. Hanc enim singuli potuerunt diversis diebus sustinuisse, corporibus in unum, quod nominatur, cœmeterium successive delatis. Cum autem MS. Reginæ meminerit* Viæ Salariæ, *et Malmesburiensis lib. 4 Historiæ Anglorum de* tertia porta *urbis Romanæ* (Pinciana *hæc est, licet ipse* Portitianam *scribere videatur*) *cum, inquam, de tertia Porta dicat, quod inde ducens* via, eodem modo appellata, cum perveniat ad Salariam nomen perdit; et ibi prope in loco qui dicitur Cucumeris requiescunt Martyres Festus, Joannes, Liberalis, et in uno sepulcro CCLX, et in altero XXX; Diogenis, Blastus, Lucina: *verisimile fit, eumdum hunc esse* Blastum, *quem Martyrologia nominant cum* CCLX *sociis; atque translatus Lucam sit, cum SS.* Longini et Joannis corporibus. *Et de Longino quidem nihil occurrit quod conjectari quis possit:* Joannes *vero* Presbyter, *qui illos aliosque plures Martyres sepelivit, potest ipsis postea fuisse connumeratus, uti divinat Florentinius. Sed nescio quomodo hunc ipse referat ad tempora Juliani Apostatæ. Illi certe, de quibus Martyrologia, passi sunt circa annum* CCLXX, *sub Claudio Imperatore, integro seculo prius quam Julianus ad Imperium perveniret: de iisque in Actis SS. Marii et Marthæ,* XIX *Januarii, sic legitur num. 2 et 3:* Eodem tempore... Claudius.... tenuit ducentos sexaginta Christianos via Salaria, qui arenam fodientes damnati fuerant pro nomine Christi; quos in figulinis foris muros portæ Salariæ fecit includi, et in civitatis amphitheatro sagittis jussit interfici. Hoc cum factum fuisset, contristati nimis Marius et Martha uxor ejus, cum filiis suis Audifax et Abacuc, venerunt ad locum ubi corpora Sanctorum interfecta fuerant, et invenerunt super corpora sancta ignem superpositum. Et sumentes cœperunt ab igne corpora Sanctorum subtrahere.... et quotquot potuerunt sepelierunt, in crypta via Salaria, juxta clivum Cucumeris. Tunc sepelierunt cum eis quemdam etiam Tribunum Claudii, nomine Blastum: et in eodem loco vigilias et jejunia cum orationibus multis diebus cum B. Joanne celebraverunt. *Agunt autem MSS. quidam* XV Kal. Julii, *ut verosimile quoque sit ex talibus Actis, ipsos esse prædictis Martyrologiis inscriptos ad hanc diem, una cum eodem* Joanne. *Quem propterea cum* Longino *ceteris junximus.*

Adjuncti 262.

Prior via Salaria sepultus cum 290 martyribus,

a Joanne Presb. hic forte nominato,

adjutore SS. Marii et Marthæ in Sanctis sepeliendis.

DE SS. DIOSCORO ET MARINO

MARTYRIBUS ALEXANDRIÆ

G. H.

Ex antiquis quatuor ejusdem Martyrologii apographis et aliis.

XVII JUNII

Indicata quatuor Martyrologii Hieronymiani apographa secundo loco sic proponunt hos Martyres: In Alexandria Dioscori et Marini, Martyrum. *Qui eodem modo memorantur in MSS. Richenoviensi, Tornacensi, Trevirensi S. Maximini et aliis; in quorum nonnullis* Alexandri *loco* Alexandriæ *ponitur, aut etiam palæstra omittitur, vel alii Martyres interponuntur. Eorum memoria celebratur etiam in Martyrologio, Coloniæ et Lubecæ sub annum* MCCCXC *excuso; item apud Grevenum in Auctario Usuardi, Maurolycum, Felicium, et alios. In MS. Carmelitano Coloniæ asservato dicuntur* milites *fuisse. In MS. Aquisgranensi* Marina Virgo Alexandriæ *collocatur: Sed videtur intelligenda* Maria Aquileiæ *coronata, quæ in sequenti turma refertur, et* Marina *etiam appellatur.*

DE SS. CYRIA, MUSCA, VALERIANA, MARIA

MARTYRIBUS AQUILEIÆ IN ITALIA.

B

G. H.

Nomina omnium in Martyrologiis, priorum duarum etiam in Breviario.

E

Cultus sacer

Tertio loco proferuntur hæ Martyres in quatuor Martyrologii Hieronymiani apographis, idque his verbis: In Aquileia, Cyriæ, Muscæ, Valerianæ, Mariæ. *Pro* Cyria *legitur in Epternacensi* Geria, *aliis* Cyrica; *et pro* Valeriana, *in Corbeiensi,* Valerianus. *In MSS. Florentinis bibliothecæ Mediceæ Magni Ducis et Musei Senatoris Strozzii, ista habentur.* In Aquileia SS. Muscæ, Cyrinæ, Valerianæ et Marinæ. *MS. Richenoviense solum ista profert:* Et in Aquileia, Cyriæ. *Reperimus Romæ Kalendarium MS. Ecclesiæ Aquileiensis, in quo consignabatur festum* Cyriæ Virginis et Muscæ Martyrum, *sub ritu duplici celebrandum. Sed in Kalendario ejusdem Ecclesiæ anni* MDCLXXIV *ambæ* Virgines et Martyres *sub ritu duplici coluntur. De hisce Ferrarius in Catalogo generali ista suggerit:* Aquileiæ sanctarum Virginum et Martyrum, Cyriæ et Muscæ. *Idem Ferrarius, in Catalogo Sanctorum Italiæ, hoc illas elogio honoravit:* Cyriaca seu Cyria et Musca, sorores et Virgines Aquileienses, quarum prior contemplationi, altera actioni magis erat addicta a

C

teneris, mundi spretis illecebris, Christo Domino, cui virginitatem suam consecrarant. inservierunt: in persecutione Christianorum delatæ et comprehensæ, cum nulla ratione ad idola colenda adduci possent, multis cruciatibus, demum ad virginitatis honorem, martyrii palmam addiderunt. Passæ sunt Aquileiæ XV Kalendas Julias. Quarum corpora ibidem a Christianis tumulata quiescunt. *Hæc Ferrarius, citato* antiquo Breviario Ecclesiæ Aquileiensis. *Annotat deinde:* In Tabulis Cyrica et Musca, in Breviario vero, Cyria seu Ciria et Musca, legitur. Tempus, quo illæ passæ sunt ex earum Lectione non apparet. *Imo hæc videtur a posteris ita composita, ut possit de quibuscumque Virginibus ac Martyribus recitari. Henricus Palladius de Olivis lib. 8 Rerum Foro-Juliensium pag.* 135, *cum egisset de Sanctis sub Diocletiano passis, ista addit:* Nec minoris famæ felix infortunium Muscæ et Ciriacæ Virginum Aquileiensium, quarum per ea tempora effusus cruor, æternam patriæ gloriam XV Kalendas Junii consecravit. *Hæc ille, sed perperam mensis* Junii *loco* Julii *est positus.*

Elogium ex Breviario

F

DE SS. MARTYRIBUS APOLLONIENSIBUS

ISAURO DIACONO, INNOCENTIO,

FELICE, HERMIA ET PEREGRINO,

SYLLOGE HISTORICA

Ex Magnis Menæis Græcorum.

G. P.

XVII JUNII

Græci in Menæis excusis, et apud Maximum Cytheræorum Episcopum ἐν Βίοις Ἁγίων, celebrant horum Martyrum memoriam, hoc modo. Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, Ἄθλησις τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Ἰσαύρου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ Ἰννοκεντίου Φήλικος, Ἑρμείου, καὶ Περεγρίνου. Eadem die XVII *Junii,* Certamen sancti Martyris Isauri et sociorum ejus, Innocentii, Hermiæ, Felicis et Peregrini. *Deinde subditur hoc Elogium.* Ὁ ἅγιος Ἴσαυρος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, ὥρμηντο ἐξ Ἀθηνῶν. Ἀπαναστάντες δὲ τῆς πατρίδος, ἔν τινι σπηλαίῳ τῆς Ἀπολλωνίας γενόμενοι, Φήλικι καὶ Περεγρίνῳ καὶ Ἑρμείᾳ περιτυγχάνουσιν· οὓς καὶ διδάσκων ὁ ἅγιος Ἴσαυρος, μὴ πρὸς τὰ παρόντα ἐμπτοηθῆναι, οὗτοι ἔργοις τὸ ἐκ τοῦ λόγου ἐπεδείξαντο· Ἀποστρεφόμενοι γὰρ τὴν τῶν συγγενῶν ὁμιλίαν, πρὸς αὐτὸν Τριπόντιον Ἔπαρχον διαβάλλονται· οὓς καὶ συλλαβών, καὶ τοῦ Χριστοῦ ἀποστῆσαι μὴ δυνηθεὶς, ξίφει τὰς κεφαλὰς αὐτῶν ἀποτμηθῆναι προστάττει. Ἴσαυρος δὲ, ὁ τοῦ Χριστοῦ Διάκονος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ Ἀπολλωνίῳ, τῷ υἱῷ τοῦ Ἐπάρχου, ἐκδίδονται· ὑφ' ᾧ πυρὶ καὶ ὕδατι δοκιμασθέντες, καὶ ἐν τῷ παραδόξως ἐκ τούτων ῥυσθῆναι πολλοὺς πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν μεταθέντες πίστιν, ὧν ἦσαν καὶ οἱ πρῶτοι τῆς πόλεως, Ροῦφος

A Ῥοῦφος καὶ Ῥουφῖνος οἱ αὐτάδελφοι, τελευταῖον τὴν ἀπόφασιν δεξάμενοι, τέμνονται τὰς κεφαλάς.

Elogium ex Menæis

2 *Ita illi Græce, quæ Latine sic reddes.* Sanctus Isaurus et Socii ejus Athenis originem ducebant : qui cum a patria discessissent ; in quadam spelunca Apolloniæ morati, in Felicem et Peregrinum et Hermiam inciderunt quos et Sanctus Isaurus docuit, neglectis præsentibus futura respicere. Hi vero ipsius sermones factis comprobarunt : aversati enim propinquorum familiaritatem, ab ipsis apud Tripontium Præfectum accusantur : quibus ille comprehensis, cum eos a fide in Christum non posset avertere, jussit capita eorum amputari. Isaurus vero Christi Diaconus, et qui cum illo erant, Apollonio Tribuni filio traduntur : a quo illi igne et aqua probati cum ex his admirabiliter liberati essent, ad Christi fidem multos converterunt : inter quos etiam erant istius urbis Primi Rufus et Rufinus fratres germani, qui postremo accepta sententia fuerunt capite plexi.

Palæstra Apollonia.

3 *Hæc ibi, qui inde ad suum Menologium deduxit Suletus : et hoc allegato inscripti sunt Martyrologio Romano his verbis :* Apolloniæ in Macedonia sanctorum Martyrum Isauri Diaconi, Innocentii, Felicis, B Hieremiæ et Peregrini Atheniensium, qui a Tripontio Tribuno varie torti, capite obtruncati sunt. *Est hic* Hieremias, *qui Græcis* Ἑρμείας, *et Suleto* Hermias *scribitur ; et* Apollonia *dicitur in Macedonia esse cui hujus nominis urbes tres tribuuntur a Philippo Ferrario in Lexico Geographico, scilicet* maritima ad Occasum, Episcopalis inter Dyrrachium et Aulonem altera mediterranea Archiepiscopalis, in Mygdonia regione : et tertia in monte Atho, etiam Episcopalis. *Baudrandus in sua Geographia, plures insuper* Apollonias *indicat in Africa, Bithynia, Caria, Mysia, atque Sicilia ; ut difficile sit firmiter assentire Romani Martyrologii recognitoribus Gregorianis ex sua conjectura, eam de qua hic agitur, Macedoniæ adscribentibus. Conjecturæ tamen isti favet, quod Athenis unde venerunt Sancti proprior Macedonia sit, neque trans mare adeunda. Indicati* Rufus et Rufinus, *videntur in eisdem Menæis referri ad diem* VIII *Septembris et dicuntur* Rufus et Rufinianus fratres gladio interempti. *Barcinone est corpus S. Innocentii Martyris ab Urbano VIII acceptum, et depositum apud Fratres Excalceatos Sanctissimæ Trinitatis, quod illi colunt hoc die, quasi esset corpus hujus* S. Innocentii *in Martyrologio Romano relati : quod minus probamus ; licet Tamayus* C *in Martyrologio Hispanico hoc innuat.*

Proprium S. Isauri templum

4 *Habueritne* S. Isaurus *Constantinopoli ædem propriam, ad quam translatum sit ejus corpus, hactenus non comperi ; neque accuratius talia scrutatus comperit Cangius. Si habuisset, puto id non fuisse prætermittendum in eo quod Parisiis invenimus MS. Synaxario Collegii istic nostri, utpote ad ecclesiarum Regiæ urbis usum præcipue aucto : in hoc autem nec elogium quidem ejus ac sociorum apparet. Quod ergo* D *in ercusis Menæis primum locum idem* S. Isaurus *occupet, cum pleno Officio a frequenti miraculorum in æde ejus atque ad arcam patratorum mentione ; ab iis esse puto, apud quos fuit passus. Canon incerti Auctoris est, hanc Acrostichin præferens :*

Ἴσαυρε Μάρτυς εὐμενής φάνηθί μοι,

Isaure Martyr esto propitius mihi.

Sed quæ hujus versus litteris singulis respondere deberent octo Odarum strophæ, non solum excedunt earum numerum, verum etiam absque ullo respectu ad illas præterquam initio ac fine, progrediuntur. In earum una strictim colliguntur omnium nomina, quæ in Stichero prosomæo seu Versiculo similari secundo ante Canonem, cum honorifico epitheto, sic appellantur singula.

et Officium

Ἴσαυρος ὁ ἔνδοξος, καὶ στεῤῥὸς Ἰννοκέντιος, ὁ θεῖος Βασίλειος, Φῆλιξ ὁ θαυμάσιος, ὁ κλεινὸς Ἑρμείας καὶ ὁ Περεγρῖνος, οἱ οὐρανώσαντες τὴν γῆν, πιστῶς μακαριζέσθωσαν, ὡς τοῦ Κυρίου θεράποντες καὶ τὰ πάθη διώκοντες τῶν ψυχῶν ἡμῶν πάντοτε. Isaurus gloriosus, fortis Innocentius, divinus Basilius, et Felix admirabilis ; inclytus Hermias et Pregrinus, qui terram in cœlum commutaverunt miraculorum suorum supernis fulgoribus, fideliter beatificentur ; tamquam Dei famuli, nostrarumque animarum morbos semper propellentes. *Qui hic tertio loco nominatur Basilius, a primo citatis auctoribus prætermissus, merebitur etiam poni in titulo auctoritate hujus Canonis, sicuti et in titulo hujus diei a Menæis ponitur : ponetur autem in hujus loci supplemento. Alibi solus fere laudatur* Isaurus : *et Ode* III *sic ei canitur,* Ῥεῖθρα τῶν ἰάσεων ἡ σὴ σορὸς βρύουσα, παντοδαπὰ παύει τῶν ἀνθρώπων ἀῤῥωστήματα, Ἴσαυρε. Arca tua, emanat curationis fluenta, et cessare facit hominum omnifarios morbos, Isaure. *Ultimæ autem Odes stropha prior huc alludit :*

in quo et socii ejus laudantur,

E

Μεγάλων χαρισμάτων ἀξιωθεὶς ἐκ Θεοῦ, πανόσιε Ἴσαυρε, ἀποσοβεῖν δαίμονας καὶ νόσους παντοδαπὰς, καὶ πειρασμοὺς καὶ θάνατον, πᾶσι τὰ αἰτήματα χορηγῶν· διὸ κἀμοὶ παράσχου εἰρήνην καὶ τῶν πταισμάτων ἀπολύτρωσιν. Magnis divinitus gratiis dignate, Isaure reverendissime, ad dæmones morbosque omnigenos abigendos, tentationes quoque et ipsam mortem, cunctis postulata largiris : igitur etiam mihi præbe pacem ac sanctitatem cum indulgentia peccatorum. *Corporis autem præsentiam distinctius notat Stropha hæc sequens :* Ὁ θεῖος καὶ σεβάσμιος σου ναὸς, τὸ πολύτιμον χρίων σῶμα σου, ὡς θησαυρὸν ἔχων ἀναφαίρετον, τοὺς πιστοὺς καταπλουτίζει ταῖς τῶν χαρισμάτων διανομαῖς· διὸ κἀγὼ τῶν θείων τύχοιμι δωρεῶν σου ὁ προσφυγὼν τῷ θείῳ τάφῳ σου. Divina veneranda ecclesia tua ,corpus tuum omni honore dignissimus, velut thesaurum inauferibilem possidens, ditat undique fideles distributione gratiarum : quapropter etiam mihi contingat cœlestium tuorum donorum participem fieri, qui ad divinum tuum sepulcrum confugi.

et ipse specialius invocatur

in quo ejus sepulcrum ... monstratur

DE SANCTIS FRATRIBUS PERSIS

MANUELE, SABELE, ET ISMAELE

MARTYRIBUS CONSTANTINOPOLI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

D. P.

Cultus Sanctorum et Acta Græca duplicia.

ANNO CCCLXII

Ecclesiam Sanctorum Manuelis , Sabelis et Ismaelis, quæ sita est ad murum terrestrem Theodosius Magnus condidit. Postquam enim a Juliano Apostata fuerunt cremati, Reliquiæ eorum ibidem in loco supplicii depositæ sunt. *Ita Georgius Codinus de Originibus Constantinopolitanis pag.* 61, *cumque secutus Carolus du Frene, Cangii Toparcha , lib.* 4 *Constantinopolis Christianæ cap.*

Ecclesia et Reliquiæ CP.

A AUCT. D. P. cap. 6 num. 61. *In Elogio mox dando dicitur eorumdem* Confessio *esse*, πλησίον τοῦ ἁγίου Προφήτου Ἐλισσαίου, prope Sanctum Prophetam Elisæum. *In Actis vero primis accurate notatur tempus rei gestæ, cum dicuntur acta omnia esse,* Consulibus Mamertino et Nevita, XVII Junii, Feria II hora IX : *quibus distincte notatur annus Christi* CCCLXII, *litteram censens Dominicalem* F.

annus Martyrii.

2 *Habemus Acta illa, et Latina fecimus, ex MS. Bibliothecæ Vaticanæ sub nota muneri* 655; *eaque vidit et retulit Leo Allatius, in Diatriba de Symeonum scriptis, inter illa quæ certo Metaphrasti non sunt, quod ei facile quivis consenserit : non item ; quod ea sint* Auctoris synchroni. *Solum hic se scribere ea profitetur*, Ὥσπερ καὶ αἱ τῶν ὑπομνημάτων πράξεις, αἱ γενόμεναι ἐπ' αὐτοῖς, διδάσκουσιν ὑμᾶς : quemadmodum nos docent Commentariorum actus, de ipsis confecti ; *scilicet a Notariis quæstioni assistentibus : quorum verba videtur Auctor rhetorica licentia eo modo amplificasse, quo verba orantium in carcere Sanctorum, vocemque de cælo ad illos delapsam concinnavit. Nec absurdum sit credere digresso Juliano, qui anno mox sequenti interiit, Christianos summatim scripsisse Martyrii hujus historiam, quam etiam præ oculis scriptor B habuerit. Ut ut est, vel ex ipsa præfatione apparet uno alterove post seculo serius conscriptam Passionem, qualis a nobis dabitur, sub titulo* Actorum vetustiorum, *respectu eorum quæ secundo loco etiam Græco-Latina danda designavit Henschenius, non tamquam aliquid novi de suo, sed tamquam elegantiorem priorum Paraphrasin, ac verosimiliter a Symeone Metaphraste elucubratam. Licet enim Allatius in Præfata Diatriba, hunc ipsum non adscripserit; existimo tamen eam omissionem, vel puræ oblivioni Allatii, vel typothetarum negligentiæ esse adscribendam, maxime cum inter illa non referantur, quæ Metaphrasti Leo abjudicabat : non enim hæc potuit eam non vidisse, vel Venetiis in Bibliotheca S. Marci, unde per Petrum Franciscum Zinum Latine reddenda curavit Aloysius Lipomanus, suisque Vitis Sanctorum inseruit, et Surio idem facturo præivit; sive in Regia Parisiis, unde contextum Græcum Bollandus accepit. Prælo igitur digna etiam hæc æstimavit Henschenius, jamque eo a me parari cœperunt, cum adeo imperfectam et obscuram inveni ecgraphum Parisinum, ut nisi scriptum denuo et cum originali collatum, non posset impressioni servire : quapropter abstinere malui labore minus necessario; eamque aliter dimittens, nihilsumo vestigiis Joannis Bapt.* C *Cotelerii, a quo Ecclesiæ Græcæ monumenta, eius inedita tomis duobus excusa habemus, significo posteriorum Actorum in Regio Venetoque Codicibus hoc esse initium.* Οἱ μὲν ἄλλοι διῶκται καὶ τύραννοι, εἰ καὶ τοῖς εἰδώλοις προσετεθείκασιν ἐτύγχανον, ἀλλ' ἀπάτῃ συντεθραμμένοι ἀπ' ἀρχῆς οὐ ξένον τι καὶ ἐντετοπισμένον ἔχειν τὸ σέβας ἐδόκουν. Alii quidem persecutores et tyranni etsi idolis adhærerent, errore tamen antiquo circumventi videbantur minime peregrinam et absurdam religionem sequi.

Acta Græco-latina duplicia

Sola tamen vetustiora hic dantur.

3 *Memoria horum Martyrum celebratur in antiquo Typico S. Sabæ, atque Ephemeride Metrica, quod præcipuum eorum hoc die cultum Constantinopoli indicat, sub hoc versu*

Memoria in fastis.

Ἑβδομάτῃ δεκάτῃ ἴδε τρεῖς ἀνέρας ἀθλέοντας.

Certantes pugiles tres decima septima vidit.

Elogium vero quod et in MS. Menologio Basilii Porphyrogeniti Imperatoris atque in omnibus prorsus a nobis visis Menæis MSS. et excusis, habetur ex vetusto MS. Synaxario Ecclesiæ Constantinopolitanæ aliquanto auctius, quam alibi damus, eique hoc in Menæis præfigitur Distichon

Μανουήλ, Σαβὲλ Ἰσμαήλ, τρεῖς ὁπλῖται,
Τριάδος αἰσχύνουσιν ἐχθροὺς τριστάτας

Armigeri tres, Manuel, Sabel, Ismael, D
Confudere Duces inimicos Trinitatis.

Canonem ipsis compositum necdum invenimus ; sed solum Stichera prosomœa tria, Canoni præmitti solita : quibus accedit Anatolii Patriarchæ Cantus hujusmodi. Εἰλικρινῶς ποθήσαντές σε, Λόγε Θεοῦ, οἱ ἔνδοξοι Μάρτυρες, τὸ πυρσολατρεύειν ἐάσαντες, λιπόντες δὲ τὴν Χαλδαίων χθόνα τῷ σῷ φωτὶ κατηυγάσθησαν· θωρακισθέντες δὲ ὅπλοις τῆς πίστεως κατῄσχυναν Ἰουλιανὸν τὸν τύραννον, Μανουὴλ ὁ ἔνδοξος, καὶ Σαβὲλ ὁ ἀείμνηστος, καὶ Ἰσμαὴλ ὁ τρισόλβιος, σὺν Πατρὶ καὶ τῷ Πνεύματι ὑμνοῦντές σε, πρεσβεύουσι τοῦ σωθῆναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν. Sincere amantes te, Verbum Dei, Martyres gloriosi, dimisso ignis cultu et terra Chaldæorum, tuo lumine resplenduerunt : et armis fidei loricati Julianum tyrannum confuderunt, gloriosus Manuel, Sabel memorandus omni ævo, et ter beatus Ismael; qui tibi, cum Patre ac sancto Spiritu, hymnum cantantes, orant ut animæ nostræ salventur.

Elogium ex Synaxario

4 *Elogium seu Actorum compendium hujusmodi est.* Οὗτοι ὑπῆρχον ἐκ Περσίδος, πατρὸς μὲν Ἀρχιμάγου, μητρὸς δὲ Χριστιανῆς, διδαχθέντες τὴν εὐσέβειαν καὶ τὰ ἱερὰ γράμματα παρὰ Εὐνίκου τινὸς Πρεσβυτέρου, ἀνδρὸς εὐλαβοῦς. Ἀποσταλέντες δὲ παρὰ Βαλτάνου Βασιλέως Περσῶν, καὶ τὰ πρὸς εἰρήνην πρεσβεύοντες, κατὰ E τοὺς χρόνους Ἰουλιανοῦ τοῦ παραβάτου, ὃν θύοντα τοῖς εἰδώλοις ἐν τῷ εἰδωλείῳ τῷ λεγομένῳ Τρυγωνίῳ πέραν ἐν Χαλκηδόνι γενόμενοι, καὶ πολλοὺς τῇ αὐτοῦ πλάνῃ ὑπαγομένους, αὐτοὶ ὄντες θεοσεβεῖς καὶ τῷ Χριστῷ λατρεύοντες, ὠλοφύροντο· καὶ τὸν Χριστὸν ἱκέτευον, διαφυλαχθῆναι αὐτοὺς ἐν τῇ εἰς αὐτὸν πίστει, καὶ μὴ κοινωνῆσαι τοῖς εἰδώλοις κατά τι τῆς πλάνης. Διαβληθέντες δὲ παρὰ Ἰνδικοῦ κουβικουλαρίου, καὶ ἀχθέντες τῷ δυσσεβεῖ Ἰουλιανῷ, τύπτονται, καὶ ἥλοις πειρωνούμενοι τοὺς ἀστραγάλους, καὶ λαμπάσι πυρὸς τὰς μασχάλας καταφλέγονται. Καὶ ταῦτα μὲν κοινῇ· ἰδίᾳ δὲ ὁ ἅγιος Μανουὴλ ὑποσχέσεις δεξάμενος παρὰ τοῦ μιαροῦ βασιλέως Ἰουλιανοῦ καὶ παραινέσεις, καὶ μὴ πεισθεὶς θυσίας προσενεγκεῖν τοῖς εἰδώλοις, καθηλοῦται τὴν κεφαλήν, καὶ ἀμφότερα τὰ ὦτα· καὶ καλάμοις εἰλεῖς καταπήγνυται, καὶ ἑτέροις ὀξέσι κατακεντεῖται. Καὶ οὕτως, ἅμα τοῖς δυσὶν αὐτοῦ ἀδελφοῖς Σαβὲλ καὶ Ἰσμαήλ, ἐν τῷ πρὸς Θάλασσαν τείχει τῷ λεγομένῳ Κωνσταντίνου ἐν τόπῳ Κρυμμῶδει ἀπαχθεὶς σὺν αὐτοῖς τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνεται. Τοῦ δὲ παραβάτου προστάξαντος κατακαυθῆναι τὰ σώματα αὐτῶν, εὐθέως ἐσχίσθη ἡ γῆ καὶ ἐδέξατο τὰ λείψανα τῶν Ἁγίων· πολλοὶ δὲ ἐκ τοῦ τοιούτου θαύματος ἐπίστευσαν τῷ Χριστῷ. Μετὰ δὲ ταῦτα, τινῶν ἐλλογίμων ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ F Χριστοῦ ἀποκαλυφθέντων, ἐξήγαγον τὰ ἅγια λείψανα παρ' αὐτῶν μετὰ μύρων καὶ θυμιαμάτων. Ὁ δὲ παράνομος Ἰουλιανὸς τηνικαῦτα ἀποστρέφων ἐκ τοῦ κατὰ Περσῶν πολέμου, θανασίμῳ πληγῇ πληγείς, καὶ τῷ αἰωνίῳ πυρὶ προσεπέμφθη. Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν σύναξις ἐν τῷ ἁγιωτάτῳ αὐτῶν μαρτυρίῳ, τῷ ὄντι πλησίον τοῦ ἁγίου Προφήτου Ἐλισσαίου. Hi ex Perside erant oriundi, patre quidem Archimago, matre vero Christiana, pietatem et sacras Litteras edocti ab Eunico quodam Presbytero, viro probo. Missi vero fuerunt a Baltano Persarum Rege, ad ea quæ pacis erant tractanda, tempore Juliani apostatæ, quem cum in loco idolis dicato, Trygonio appellato, diis sacrificantem trans fretum Chalcedone vidissent, multosque illius errori adhærentes, ipsi erga Deum pii et Christi cultores, misere seductos deplorabant : et Christum precabantur, ut se in fide salvos integrosque conservaret, ne idololatrarum erroribus ullo modo contaminarentur. Deprehensi autem ab Indico cubiculario, et ad impium Julianum deducti, cæduntur et talos trajecti clavis, atque subtus axillas lampadibus ardentibus ustulati sunt omnes. Seorsim autem S. Manuel multis promissis et hortationibus ab impuro Imperatore Juliano ad immolandum diis frustra invitatus,

A vitatus, per caput et aurem utramque clavis transfigitur, et calamis circumplexus vincitur, aliisque fodicatur acutis. Deinde tam ipse, quam ejus duo fratres Sabel et Ismael in muro Thraciæ, qui Constantini dicitur, loco præcipiti, capitibus plectuntur, et per imperium apostatæ corpora comburuntur, et subito terra discissa est, et Reliquias Sanctorum suscepit. Multi vero ob tale miraculum in Christum crediderunt. Post hæc autem aliqui pii viri revelatas sibi a Domino nostro Jesu Christo sacras has Reliquias sepelierunt unguentis et aromatis conditas. Iniquus vero Julianus deinde ex bello Persico revertens, cœlesti plaga occiditur, et ad ignem æternum transmittitur. Celebratur autem eorum solennitas in sanctissimo illis constructo oratorio sito prope templum sancti Prophetæ Elisæi. *Hæc ibi. Illustre etiam elogium Galesinius in suo Latino Martyrologio reliquit, et memoriam etiam suo ad Usuardum Auctario inseruit Molanus, Martyrologio autem Romano Baronius.* D

Mentio in fastis Latinis

ACTA VETUSTIORA

Ex MS. Bibliothecæ Vaticanæ 655, interprete D. P.

CAPUT I.

Legatio eorum ad Julianum, et prima confessio.

Κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον, βασιλεύοντος τοῦ ἀσεβεστάτου Ἰουλιανοῦ, καὶ τῆς εἰδωλολατρείας ἐπικρατούσης, καὶ τῶν δαιμόνων εὐφραινομένων πρὸς πλάνην ψυχῶν B εὐσεβῶν· ὁ ἄνομος οὗτος κατὰ πᾶσαν πόλιν καὶ χώραν ἐξέπεμψε προστάγματα, ὥστε πάντας θρησκεύειν τοῖς ματαίοις θεοῖς, ἢ μὴ βουλομένους τιμωρίαις διαφόροις ἀνετάζεσθαι. Πολλοὶ μὲν οὖν διὰ τὴν πρὸς Θεὸν πίστιν, θλίψεις καὶ ἀνάγκας ὑπέμειναν, ζωῆς αἰωνίου ἐλπίδα ἀπεκδεχόμενοι. Ὅθεν καὶ οἱ μακάριοι οὗτοι καὶ ἅγιοι μάρτυρες Μανουήλ, Σαβέλ, καὶ Ἰσμαὴλ ἐκ τῆς χώρας τῶν Περσῶν ὁρμώμενοι, καὶ μίαν πατρίδα κεκτημένοι, διὰ τῆς καλῆς αὐτῶν ὁμολογίας, τὴν ἐν οὐρανοῖς βασιλείαν ἐκληρονόμησαν· ὥσπερ καὶ αἱ τῶν ὑπομνημάτων πράξεις αἱ γενόμεναι ἐπ' αὐτοῖς διδάσκουσιν ἡμᾶς, περιέχουσαι οὕτως.

2 Βαλτανοῦ βασιλεύοντος ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Περσῶν, πολέμου μεγάλου κινηθέντος ἐξέπεμψεν ὁ δυσσεβὴς Ἰουλιανὸς γράμματα πρὸς τὸν βασιλέα Βαλτανὸν περιέχοντα τὸν τρόπον τοῦτον. Ἰουλιανὸς Καῖσαρ, Βαλτανῷ Βασιλεῖ χαίρειν. Ἀναγκαῖόν ἐστι σχολάζειν ἡμᾶς ταῖς θυσίαις τῶν θεῶν, καὶ μὴ ὡς εἰκῇ ἐννοίαις τισὶν συμπειθομένους πολέμους ἐγείρειν μεταξὺ ἡμῶν, εἰς ὄλεθρον ψυχῶν ἀνθρώπων γενομένους· καὶ μάλιστα τοῖς ὁμοίοις πνεύμασιν ἡμῶν ὑπάρχουσι· καὶ κρεῖττόν ἐστιν εἰρήνην βραβεύειν ἡμῖν διὰ τῆς θεραπείας τῶν θεῶν, ἵνα ἀταράχως διάγωμεν. Ἔρρωσο.

3 Ταῦτα τὰ γράμματα δεξάμενος ὁ βασιλεὺς Βαλτα- C νὸς παρὰ τοῦ δυσσεβοῦς Ἰουλιανοῦ, καὶ ἀναγνοὺς, καὶ πεισθεὶς, ἀπέστειλε τῷ Ἰουλιανῷ πρὸς τὴν ἀσφάλειαν βεβαίαν γενέσθαι μεταξὺ αὐτῶν, καὶ εἰρήνην οὕς τινας εἶχε θεράποντας αὐτῷ ὑπάρχοντας τοὺς μακαρίους τούτους καὶ ἁγίους μάρτυρας Μανουήλ, Σαβὲλ καὶ Ἰσμαήλ, οἵτινες ὡραῖοι μὲν τῷ κάλλει, νέοι δὲ τὴν ἡλικίαν. Οὓς ἰδὼν ὁ Βασιλεὺς Ἰουλιανὸς, ὑπεδέξατο μετὰ χαρᾶς μεγάλης, καὶ ἐκέλευσεν συνδιάγειν αὐτοὺς σὺν αὐτῷ. Ἐξελθὼν δὲ ἐπὶ τὴν Βιθυνῶν ἐπαρχίαν, ἐλθὼν ἐν Χαλκηδόνι ἐκέλευσεν ἑορτὴν μεγάλην γενέσθαι, καὶ θυσίας προσενεχθῆναι τοῖς εἰδώλοις. Πολλῶν οὖν συνελθόντων ἐπὶ τὰς θυσίας τῶν ματαίων θεῶν, κατὰ τὴν πρόσταξιν τοῦ ἀσεβοῦς Βασιλέως Ἰουλιανοῦ, οἱ μακάριοι καὶ ἅγιοι οὗτοι μάρτυρες Μανουήλ, Σαβὲλ, καὶ Ἰσμαήλ, ἦσαν ἑστῶτες ἔξωθεν τῆς πύλης τοῦ ναοῦ τῆς καλουμένης Τριγώνου, ὁρῶντες πῶς πεπλάνηνται, καὶ προθύμως οὕτως προσάγουσι τὰς θυσίας τοῖς ματαίοις θεοῖς· καὶ τύπτοντες ἑαυτῶν τὰ στήθη καὶ κλαίοντες, ἱκέτευον τὸν δεσπότην Χριστὸν μὴ συγκαταριθμηθῆναι αὐτοῖς· ἦσαν γὰρ διδαχθέντες τὰ τῶν ἁγίων γραφῶν παραγγέλματα παρὰ Εὐνοίκῳ τινὶ πρεσβυτέρῳ, ἀνδρὶ θαυμαστῷ καὶ εὐσεβεῖ, καὶ πεπληρωμένῳ τοῦ ἁγίου Πνεύματος.

4 Ἀρίων ὁ Ἰνδικὸς, Κουβικουλάριος τοῦ δυσσεβοῦς Ἰουλιανοῦ, ἔχων πόθον πολὺν περὶ τὴν τῶν ματαίων εἰδώλων πλάνην, ἰδὼν αὐτοὺς ἔξωθεν ἑστῶτας τοῦ ναοῦ,

In diebus illis cum impiissimus Julianus Imperio potiretur, et idololatria prædominaretur, et dæmones deliciarentur in perditione animarum piarum; sacrilegus iste per cunctas regiones et civitates emisit edicta, quibus præcepit ut falsi Dei ab omnibus colerentur, qui autem id recusarent variis cruciatibus *a* torquerentur. Igitur multi propter fidem in Deum tribulationes et ærumnas sustinebant, spem æternæ vitæ præstolantes; sicut et hi beati ac Sancti Martyres, Manuel, Sabel atque Ismael ex regione Persidis advecti, ubi communem habebant patriam, præclara sua confessione cœlorum regnum hereditarunt; quemadmodum monumentorum Acta, desuper in hunc modum *b* conscripta, nos docent.

Juliano Christianos persequenti, E

2 Cum Baltanus *c* apud Persas regnaret, et grave bellum esset suscitatum, misit ad eum impius Julianus litteras hujus tenoris. Julianus Cæsar, Baltano Regi salutem. Oportet nos vacare Deorum sacrificiis; non autem bella suscitare inter nos, prætextibus nescio quibus inductos ad perniciem hominum; maxime cum eamdem sententiam amplexis, præstabilius sit pacem obtinere propter Deorum religionem, ut absque inquietudine vivamus. Vale.

et pacem cum Persis optanti

3 Hujusmodi litteras Rex Baltanus accipiens ab impio Juliano, iisque lectis persuasus ad confirmandam inter ipsos pacem; misit quos habebat fidelissimos ministros, beatos hosce ac Sanctos Martyres, Manuel, Sabel atque Ismael; forma decoros, ætate juvenes. Quos cum vidisset Imperator Julianus, magna lætitia excepit, secumque jussit commorari. Egressus deinde in provinciam Bithyniæ, *d* ac veniens Chalcedonem in loco qui Trigonus dicitur; jussit festum solenne celebrari et Sacrificia idolis offerri. Multis itaque ad sacrificia maturum de ruina concurrentibus, juxta mandatum Imperatoris Juliani; Sancti hi atque Beati Martyres Manuel, Sabel atque Ismael stabant extra portam templi, quod Trigonum appellatur, et videntes quomodo seducti alacriter sacrificarent falsis diis, percutiebant pectora sua; et flentes orabant Dominum Jesum Christum, ut inter eos numquam numerarentur: didicerant enim sacrarum Scripturarum mandata ab Eunoico Presbytero, viro religioso et admirabili, ac Spiritus sancti pleno.

F *missi a Rege ad eum [illegible] tres fratres,*

[illegible] Chalcedone sacrificanti

4 Ita extra templum stantes videns Arion Indicus, impii Juliani cubicularius, multumque zelans erroneum idolorum cultum; Cur, inquit, non intratis,

ex vs. recusant assistere.

A tis, et cum ceteris festum agitis, in laudem Deorum immortalium, sed tristes manetis? Beati vero ac sancti Martyres Manuel, Sabel, et Ismael responderunt ei dicentes : Apage hic, et recede a nobis. Tristamur nos, quia videmus animas seductas, lætantes dæmonas, et Dominum nostrum Jesum Christum contumelia affectum. Hæc a sanctis Martyribus audiens Indicus Cubicularius, advocatis quibusdam ministris comprehendit eos, atque ad Julianum Imperatorem adduxit, dicens : Domine Imperator, quare isti soli non sacrificant benignis Diis, tantaque aguntur vecordia, ut eos sibi propitiare nolint? Multa erat eo loci concursatio et constipatio populi; ideoque Julianus impius continuo jussit inde abductos, in carcerem conjici, dicens; si quidem hodie voluerint bonis Diis sacrificare, serventur indemnes ; sin minus die crastina quæstionem de eis habebo, eosque puniam. Sancti autem Martyres psallebant in custodia dicentes : Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro.

ideoque delati traduntur carceri,

5 Cum ergo non venirent sancti Martyres ad sacrificandum idolis, die sequenti ; pro tribunali sedens impius Julianus, jussit eos sibi sisti, et iracundia plenus dixit : Ideone ad nos vos misit vester Rex Baltanus, ut neque mecum festum ageretis, neque Diis offerretis sacrificia? Cui responderunt sancti in hæc verba : Audi Imperator sacrilege, veritatem rei; Pater noster e Magus fuit, multumque diligebatur a nostro Rege Baltano: Mater vero Deum coluit : illis mortuis, suscepit nos in suam tutelam Rex noster, fuimusque cum illo, nequaquam ab eo coacti ad ejusmodi sacrificia : nunc vero nos destinavit ad te ad constituendam pacem, non autem ut nos cogas idolis sacrificare. Etenim ab Eunoico, viro admirabili et Christiano, edocti sumus nosse Deum vivum ac verum, qui fecit cœlum et terram ; astra, solem, lunam omnemque creaturam ; cujus mandata indeclinabiliter custodire, eique sacrificium laudis offerre satagimus.

postridie producti,

B

e fatentur se Christianos,

6 Ad hæc in furorem actus impius, animoque æstuans : Ad me, inquit, talem tantumque Imperatorem venientes, videmini prorsus esse idiotæ. Sancti Martyres responderunt ei, Noli præcipitare sententiam, vocando idiotas Dei servos : Dominus enim noster Jesus Christus potest facere ut adstantes tibi, sophistæ appareamus : qui per sacras divinitusque inspiratas Scripturas nos docuit, dicens ; Quando steteritis ante Reges et Præsides, nolite anxie cogitare, quomodo aut quid loquamini : Spiritus enim sanctus docebit vos quid loqui oporteat. Imperator autem Julianus, Et ego, inquit etiam legi fatuitates istas, nec quidquam utilitatis mihi attulit Christus iste quem dicitis. Suadeo igitur ut et vos velitis ab illo deficere, et immortalibus Diis sacrificetis : sin minus multifariis tormentis dignos vos efficietis, neque proderit vobis quidquam Christus. Tum Sancti Martyres ; Impie et profane Imperator, quomodo adeo insensatus es, ut quotidie ad Deos tuos accedens, non videas mutos omnino esse ; utpote qui sunt inanimes lapides, et dæmonum domicilia, decipientium humanas animas.

satis bene ex scripturis instructos,

C

negantque se diis lapideis sacrificaturos.

λέγει αὐτοῖς· Διατί καὶ ὑμεῖς οὐκ εἰσέρχεσθε, καὶ D συνεορτάζετε μετὰ πάντων, καὶ εὐφημεῖτε τοὺς ἀθανάτους θεούς, ἀλλ' ἐστὲ οὕτω σκυθρωποί; Οἱ δὲ μακάριοι καὶ ἅγιοι μάρτυρες Μανουὴλ, Σαβὲλ, καὶ Ἰσμαὴλ ἀπεκρίθησαν αὐτῷ λέγοντες· Ἄπελθε ἄνθρωπε, ἀπόστηθι ἀφ' ἡμῶν· θλιβόμεθα γὰρ ἡμεῖς, ὅτι ὁρῶμεν ψυχὰς πλανωμένας, καὶ τοὺς δαίμονας εὐφραινομένους, καὶ τὸν δεσπότην ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν περιφρονούμενον. Ἰνδικὸς δὲ ὁ κουβικουλάριος, ἀκούσας ταῦτα παρὰ τῶν ἁγίων μαρτύρων, καὶ προσκαλεσάμενός τινας, καὶ συλλαβόμενος αὐτοὺς, ἀπήγαγε πρὸς τὸν Βασιλέα Ἰουλιανὸν λέγων αὐτῷ· Δέσποτα Βασιλεῦ, διατί οὗτοι μόνοι οὐ θύουσι τοῖς εὐμενέσι θεοῖς, ἀλλὰ τοιαύτῃ ἀπονοίᾳ κέχρηνται μὴ θέλοντες ἐξευμενίζειν αὐτούς. Πολλῆς δὲ ταραχῆς γενομένης καὶ συνδρομῆς τῶν ὄχλων, εὐθέως ἐκέλευσεν ὁ δυσσεβὴς Ἰουλιανὸς ἀπενεχθέντας αὐτοὺς βληθῆναι ἐν τῇ εἱρκτῇ, εἰπών· Εἰ μὲν θελήσουσι θῦσαι τὴν σήμερον ἡμέραν τοῖς εὐμενέσι θεοῖς, σωθήσονται· ἐπεὶ τὴν ἐπαύριον, τιμωρήσομαι αὐτούς. Οἱ δὲ ἅγιοι Μάρτυρες ἔψαλλον ἐν τῇ φυλακῇ λέγοντες, Δεῦτε ἀγαλλιασώμεθα τῷ Κυρίῳ, ἀλαλάξωμεν τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρι ἡμῶν.

5 [M] ἠκόντων δὲ τῶν ἁγίων Μαρτύρων τοῦ ἐπιθῦσαι τοῖς εἰδώλοις, τὴν ἐπαύριον προκαθίσας ὁ δυσσεβὴς Ἰουλιανὸς, ἐκέλευσε παραστῆναι αὐτοὺς τοὺς ἁγίους Μάρτυρας, καὶ ἀπομανεὶς λέγει αὐτοῖς· Ἐν τούτῳ ὑμᾶς ἀπέστειλε πρός με ὁ Βασιλεὺς ὑμῶν Βαλτανὸς, ὥστε μὴ θέλειν συνεορτάζειν ἡμῖν, καὶ θυσίας προσφέρειν τοῖς θεοῖς; Οἱ δὲ ἅγιοι ἀποκριθέντες εἶπον αὐτῷ· Ἄκουσον, παράνομε Βασιλεῦ, μετὰ ἀληθείας· Ὁ μὲν πατὴρ ἡμῶν Μάγος ὑπῆρχε, καὶ πάνυ ἠγαπᾶτο παρὰ τοῦ Βασιλέως ἡμῶν Βαλτανοῦ· ἡ δὲ μήτηρ ἡμῶν θεοσεβὴς ἦν· καὶ τούτων τελευτησάντων, ἀνεκομίσατο ἡμᾶς ὁ Βασιλεὺς ἡμῶν, καὶ διήγομεν σὺν αὐτῷ, μηδόλως ἀναγκασθέντες παρ' αὐτοῦ περὶ θυσιῶν τοιούτων, νῦν δὲ ἀπέστειλεν ἡμᾶς πρὸς σὲ πρὸς βραβευσιν εἰρήνης, οὐχὶ δὲ ἵνα ἀναγκάσῃς ἡμᾶς εἰδώλοις προσκυνῆσαι. Ἡμεῖς γὰρ ἐδιδάχθημεν παρὰ Εὐνοϊκῷ τινι Πρεσβυτέρῳ, ἀνδρὶ θαυμαστῷ καὶ χριστιανῷ, ἐπιγινώσκειν Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ, ὃς ἐποίησεν τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ ἄστρα, καὶ ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ πᾶσαν τὴν κτίσιν, καὶ φυλάττειν τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ ἀκλινῶς, καὶ θυσίαν αἰνέσεως αὐτῷ ἀποδιδόναι σπεύδομεν.

E

6 Ὁ δὲ δυσσεβὴς Βασιλεὺς Ἰουλιανὸς ἐμμανὴς γενόμενος, καὶ θυμομαχῶν ἔφη· Πῶς ὑμεῖς προσιόντες τοιούτῳ Βασιλεῖ ὡς ἰδιῶται τυγχάνετε. Οἱ δὲ ἅγιοι μάρτυρες ἀποκριθέντες εἶπον αὐτῷ· Μὴ σπεῦδε ἰδιώτας ἀποκαλεῖν τοὺς δούλους τοῦ Θεοῦ· ὁ γὰρ δεσπότης ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς δύναται ὡς σοφιστάς σοι παραστῆσαι ἡμᾶς· διὰ γὰρ τῶν ἁγίων καὶ θεοπνεύστων γραφῶν αὐτοῦ, διδάσκει ἡμᾶς λέγων· Ἐὰν παραστῆτε ἐπὶ Βασιλεῖς καὶ Ἡγεμόνας, μὴ μεριμνήσετε τί εἴπητε, ἢ τί λαλήσετε· τὸ γὰρ ἅγιον Πνεῦμα διδάξει ὑμᾶς, ἃ δεῖ λαλεῖν. Ὁ δὲ Βασιλεὺς Ἰουλιανὸς ἔφη· Κἀγὼ ποτὲ ταύτας ἀνέγνων τὰς μωρίας, οὐκ ἔσχον οὐδὲ μίας ὠφελείας παρὰ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ· θέλησατε οὖν καὶ ὑμεῖς ἀποστῆναι ἀπ' αὐτοῦ, καὶ προσελθόντες θύσατε τοῖς ἀθανάτοις θεοῖς· εἰ δὲ μήγε, πολλῶν τιμωριῶν ἀξιωθήσεσθε, καὶ οὐδὲν ὠφελήσει ὑμᾶς ὁ Χριστός. Οἱ δὲ ἅγιοι μάρτυρες ἀποκριθέντες εἶπον αὐτῷ· Δυσσεβὲς καὶ ἄνομε Βασιλεῦ, πῶς ἀνόητος ὑπάρχεις, ὅτι σὺ καθ' ἑκάστην προσιὼν τοῖς θεοῖς σου, οὐ βλέπεις τὴν προσοῦσαν αὐτοῖς ἀφωνίαν, ὅτι λίθοι ὑπάρχοντες ἄψυχοι, καὶ ὄντες οἰκητήρια δαιμόνων, πλανῶσι τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων.

F

ANNOTATA.

a *Cum constet Julianum, clementiam erga Christianos professum, non nisi clam sæviisse contra illos, nec nisi aliis prætextibus ; rescriptis pue suis potius vetuisse ne vexarentur ; apparet scriptorem hunc, in iis quæ ad antiquitus scripta addidit, satis imperite processisse : tantum abest ut coævus fuerit.*

b *Quoad substantiam scilicet ; quædam enim ab Auctore liberiori stylo amplificata, manifestum fiet legenti.*

c Baltanus, *in aliis Actis* Alamundarus *scribitur : quod ultimum inauditum historicis omnibus nomen est ante eum, qui ineunte seculo* 6, *a Mahomete ad Christum transiit, saracenorum Princeps : ipsum quoque nomen Arabicum, fictionem probat. Sed neque* Baltanum,

A num, *neque (ut Allatius vertit)* Peltanum, *apud Persas Imperatorem invenias ætate Juliani, nec scio an postea. Ergo non Regem sive Imperatorem Persarum (qui ab anno* 316 *ad* 381 Sapores II *ex omnium scriptorum consensu fuit), sed Persici exercitus Ducem, cui Sapores potestatem fecerit de pace tractandi cum Romanis hic intelligendum censeo: estque hæc altera et capitalis hallucinatio Auctoris, nequaquam pro coævo habendi.*

d *Octo ferme mensibus egerat Constantinopoli Julianus; quod etiam probant ejus ibi rescripta, in Codicem Theodosianum relata, et apud Jacobum Gothofredum Chronologice digesta; quorum ultimum signatur Constantinopoli* iv Idus Maji: *duo absque loco,* xv, *et* xii Kal. Julii, *ac denique proximum Nicomediæ in Bithynia,* Kal. Augusti, *ut Chalcedone eum fuisse hac* 17 *Junii verosimile fiat etiam inde: proque ea Juliani mora in Bithynia, ipsummet testem in Epistola* 48 *et Lege* 8, *citat Pagius in Critica, nec non Libanium epist.* 22 *lib.* i.

e Archimagum *facit Synaxarium Claromontanum: quod crederem si* Baltanus *Imperator fuisset.*

D EX MS. VATIC. INTERP. D. P.

CAPUT II.

Tormenta fortiter tolerata, mors constanter obita, sepultura.

Ὁ δὲ ἄνομος Βασιλεὺς Ἰουλιανὸς, ὀργισθεὶς ὀργῇ μεγάλῃ, λέγει τοῖς Ἁγίοις· Ἀθλιώτατοι πάντων ἀνθρώπων, ἀξιούμενοι παρ' ἐμοῦ φιλανθρωπίας, ὑβρίζετε τοὺς θεοὺς, λίθους ἀφώνους τολμῶντες προσαγορεύειν αὐτούς; Μὰ τὸν [illegible] βασανιζόμενοι τὴν δύναμιν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε. Καὶ [illegible], ἐκέλευσεν ἐκτανθέντας αὐτοὺς ἐπὶ τὴν γῆν, τοῖς διὰ ῥοπάλων καὶ βουνεύρων αἰκίζεσθαι τιμωρίαις, καὶ τοὺς
B κήρυκας βοᾷν καὶ λέγειν αὐτοῖς, [illegible]. Αἰκιζόμενοι δὲ ἐπὶ πολὺ οἱ ἅγιοι Μάρτυρες, μιᾷ φωνῇ ἀνεβόων λέγοντες, Ἡμεῖς λίθοις ἀφώνοις οὐ προσκυνοῦμεν, τὸν δὲ ἀληθινὸν καὶ ζῶντα Θεὸν προσκυνοῦμεν, καὶ αὐτῷ λατρεύομεν. Θυμωθεὶς οὖν ἐπὶ τούτοις ὁ δυσσεβὴς Βασιλεὺς Ἰουλιανὸς, [illegible] τοῦ μὴ ἀποστῆναι ἀπὸ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, ἐκέλευσεν αὐτοὺς [illegible] ἐπὶ τοῦ ξύλου ξέεσθαι αὐτῶν τὰ πλευρὰ, καὶ ἥλους [illegible] αὐτῶν. Οἱ δὲ ἅγιοι Μάρτυρες, ὑπομένοντες τὴν πικρὰν [illegible] Χριστὲ Ἰησοῦ, [illegible]

8 [illegible] Ὁ δὲ Βασιλεὺς Ἰουλιανὸς [illegible]
C [illegible] Οἱ δὲ ἅγιοι [illegible] Ἡμεῖς [illegible] Δεσπότῃ καὶ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, [illegible] τοῦ μεγάλου Βασιλέως.

9 Ὁ δὲ βασιλεὺς Ἰουλιανὸς, [illegible] Οἱ δὲ ἅγιοι [illegible] Βασιλεῦ [illegible] Θεοῦ [illegible] Δεσπότου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ; [illegible] Ὁ δὲ Βασιλεὺς Ἰουλιανὸς [illegible] λέγει αὐτοῖς· Ἀτυχέστατοι παρὰ πάντας ἀνθρώπους, [illegible]

Tunc impiissimus Julianus, ita succensus vehementer, Sanctis inquit: Infelicissimi mortalium, tanta a me humanitate dignati, Deos blasphematis eosque audetis lapides mutos appellare? Per ipsum propitium mihi numen, suffixi acriter excruciati eorem potentiam cognoscetis. Mox autem furibunda voce mandavit, ut humo strati fustibus ac taureis cæderentur, lictoribus inclamantibus atque dicentibus, Nolite Deos afficere contumelia. Dum autem sic diutius vapularent sancti Martyres, velut uno ore loquentes clamabant; Nos lapidibus mutis non sacrificamus: sed adoramus Deum, vere viventem in æternum, ipsique servimus. Excandescens ad hæc sceleratus, et videns constare ipsis sibi in non abnegando Christo; jussit in ligno suspensorum latera radi, et talos clavis perforari. Sancti vero hoc supplicium sustinentes, clamabant, Christe Jesu, qui ascendisti in lignum sanctæ ac venerandæ Crucis tuæ, ut salvum faceres genus humanum; ne recedas a nobis, sed fac nobiscum secundum misericordiam tuam, sicut fecisti cum iis qui tibi placuerant sanctis; et eripe nos ab his qui circumstant nos cruciatibus, tu enim nosti, Domine, quam infirma sit caro nostra ad pugnam, solus invicte et misericors salvator noster.

Sancti crudeliter fustigantur,

E

et in equuleo ustulantur ac lacerantur,

8 Hæc orantibus illis, adfuit Angelus Domini, et allevavit laborem ipsorum. Impius vero Julianus, jussit eos deponi ex lignis, et ait: Videte, quomodo compatiar vobis, quia ætate adolescentes et specie formosi estis: quapropter sacrificate clementissimis Diis; et maximis honoribus digni facti, manete nobiscum. Sancti vero respondentes, dixerunt ei: Nos satagimus conversari cum supercœlesti Domino Jesu Christo, cujus quotidie super nos beneficentiam experimur: ut fiduciam in ipso collocatam firmam et inconcussam tenentes, inveniamus gratiam in conspectu ejus, in illa tremendi examinis die.

sed ab Angelo relevantur.

F

9 Volens autem Imperator Julianus blandis verbis abducere eos a pietate ad impietatem, Sabel atque Ismaeli dixit: Vos vero, quid? num quid vos ipsos vultis privare donis, quæ magna Dii præstant accedentibus omnibus ad se? Video equidem quod hic vester insensatus frater nobis non assentitur, ut diis immolet, maximam a nobis alias retributionem accepturus: sed meliora præsumo de vobis, ex ingenuo vestro aspectu. Ad hæc illi, velut uno ex ore, responderunt: Princeps impie et Persarum... quid præsumis a nos posse a Domino nostro Jesu Christo abduci sermocinando? Vade ac persuade prius diis tuis ut nobis loquantur, si velint a nobis sacrificium accipere; tunc utique illud prompte offeremus. Ad quod iratus et consilii anceps Julianus, Infelicissimi, inquit mortalium, ipsi reque perfruentes silentium tenent. Cui sancti Martyres: Nempe lapides

Juniores duo frustra sollicitantur blanditiis,

a

et per unt [illegible] [illegible]

A lapides cum sint dii tui, quomodo vel audire possent, vel vocem formare? In tenebris autem versantes, quomodo lumen viderent? oculos enim habent et non vident: Deus vero noster, qui semper in cœlis est, manet in secula, et illuminat omnem hominem venientem ad cognitionem veritatis suæ.

EX MS. VATIC. INTERPR. D. P.

10 Ad hæc impius Julianus furore percitus, jussit accensas lampadas eorum lateribus admoveri. Quod cum carnifices exequerentur, Martyres una voce exclamarunt, Christe Jesu, Rex cœlestis, adjuva nos, quia propter nomen tuum sustinemus suspensi in ligno: et ista, in multitudine misericordiarum tuarum dignare nos regno tuo cœlesti. Dicit eis Julianus: Ast nunc saltem intelligitis quod irascantur vobis Dii nostri: convertimini igitur et sacrificate illis, ut digni efficiamini clementia nostra. Ipsi vero responderunt: Nos semper videmus virtutem Domini nostri Jesu Christi qui venit ad nos, et nam ista tormenta tua nobis sic lenit, ut nihil eorum quæ intulisti nos tangat: scimus autem, quod impiorum oculi videre eum non possint, quia invisibilis ipsis et incomprehensibilis est: sed iis se præbet conspiciendum, qui invocant ipsum in veritate: et ideo in hac præsenti vita triumphamur, ut ab æternis liberemur suppliciis; ipsumque oramus, ut ne patiatur nos aggregari abnegantibus nomen suum quod est gloriosum, terribile ac sanctum.

ideoque lampadibus aduruntur,

sed a Christo sanantur,

11 Sic victus eorum fortitudine tyrannus, neque eos valens ad perditionem pertrahere, jussit adduci Sabelem atque Ismaelem: et insaniens, ad Sanctum Martyrem Manuelem in hæc verba est locutus: Infelicissime, impie, plene rerum malarum, miserere tui ipsius et eorum qui tecum sunt; et venientes sacrificate clementissimis Diis, alioqui gravioribus excruciati pœnis, finem vitæ accipietis. Cui sanctus Martyr respondit dicens: Ne præsumpseris Imperator, quod vel unum ex nobis excidere facies a spe, quam habemus repositam in Domino nostro Jesu Christo: quia tres cum simus, ferimus imaginem et similitudinem consubstantialis Trinitatis, una eademque fide illuminati, et præ oculis habentes sanctam ac venerandam ejus crucem, quæ nos perducet usque in finem, atque ad ipsum Dominum Jesum Christum, alleviantem dolores nostros. Videns igitur impius Julianus, quod verbis suis nihil posset persuadere sancto Martyri, cum esset plenus diabolo, itaque ut ignis effervesceret (metuebat enim ne propter præclaram ipsorum confessionem multi C ex præsenti populo converterentur ad fidem Christi) jussit afferri clavos tres, unumque infigi capiti Manuelis ac duos humeris; et calamos scindi, atque per totum corpus immitti, acuminatos autem alios infigi unguibus manuum ac pedum itaque colligari eum; simulque adductos beatos viros Sabelem et Ismaelem pertrahi ad murum versus Thraciam qui dicitur Constantini, in locum qui dicitur Præcipitium; ibique truncari capitibus, ac statim sarmenta colligi ad comburenda corpora, ne forte inventa a Christianis sepulturæ honorem consequerentur: festinabat enim in Bithynorum provinciam discedere.

sollicitatur etiam frustra Manuel,

clavisque et calamis acutis confoditur

Capitis damnati,

12 Venientes ergo ad locum Sancti, in quo plectendi erant: et lictoribus satagentibus, quod in mandatis habebant, implere; omnes ad Orientem conversi, velut ex uno ore precati sunt ad Dominum, hocce modo: Jesu Christe, servator noster; qui verbo cœlum et terram constituisti, pro nobis dignate mortem sustinere, et triduum in sepulcro manere; suscipe animas nostras in pace, et libera nos de manibus sacrilegi Imperatoris Juliani: po-

post factam in loco supplicii orationem, gladio feriuntur:

διάγοντες σιωπὴν ασκοῦσιν. Οἱ δὲ ἅγιοι Μάρτυρες ἀποκριθέντες εἶπον αὐτῷ· Λίθινοι γὰρ ὄντες οἱ θεοί σου, πῶς ἀκούσονται, καὶ φωνὴν ἀποτελέσουσι; μάλιστα δὲ καὶ ἐν σκοτίᾳ διάγοντες, πῶς τὸ φῶς θεωρήσουσιν; ὀφθαλμοὶ γὰρ αὐτοῖς εἰσι καὶ οὐ βλέπουσιν. Ὁ δὲ ἡμέτερος Θεὸς, ὁ ὢν ἀεὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς μένει εἰς τοὺς αἰῶνας, ὁς καὶ φωτίζων πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὴν ἐπίγνωσιν τῆς αὐτοῦ ἀληθείας. D

10 Ἐμμανὴς δὲ γενόμενος ἐπὶ τούτοις ὁ ἄνομος Ἰουλιανὸς, ἀκούων ταῦτα, ἐκέλευσε λαμπάδας πυρὸς ταῖς πλευραῖς αὐτῶν προσενεχθῆναι. Ποιησάντων δὲ τῶν δημίων τὸ κελευσθὲν αὐτοῖς, οἱ Μάρτυρες ἀνεβόησαν μιᾷ φωνῇ καὶ εἶπον· Χριστὲ Ἰησοῦ ὁ οὐράνιος βασιλεὺς, βοήθησον ἡμῖν, ὅτι διὰ τὸ ὄνομά σου ὑπομένομεν ταῦτα ἀποκρεμάμενοι, καὶ εἰς τὸ πλῆθος τῶν σῶν οἰκτιρμῶν καταξίωσον ἡμᾶς τῆς ἄνω σου βασιλείας. Ὁ δὲ Βασιλεὺς Ἰουλιανὸς λέγει αὐτοῖς· Καν νῦν οὐ συνίετε ὅτι ὀργίζονται ὑμῖν οἱ θεοὶ ἡμῶν; ἐπιστρέψατε οὖν, καὶ θύσατε αὐτοῖς, ἵνα ἀξιωθῆτε φιλανθρωπίας παρ' ἡμῶν. Οἱ δὲ Ἅγιοι ἀποκριθέντες λέγουσιν αὐτῷ· Ἡμεῖς ἀεὶ ὁρῶμεν τὴν δύναμιν τοῦ δεσπότου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, παραγενομένου ἐφ' ἡμᾶς, καὶ κουφίζοντος ἐκ τῶν αἰκισμῶν σου τιμωριῶν· οὐδὲν γὰρ ἐξ αὐτῶν ὧν ἐπήγαγες ἥψατο ἡμῶν· οἴδαμεν δὲ ὅτι παρανόμων ὀφθαλμοὶ οὐ δύνανται θεάσασθαι αὐτὸν, ἐπειδὴ ἀόρατός ἐστι καὶ ἀκατάληπτος· ἀλλὰ πάντοτε ἐκείνοις ἐμφανίζεται τοῖς ἐπικαλουμένοις αὐτὸν ἐν ἀληθείᾳ· καὶ διὰ τοῦτο νῦν θλιβόμεθα ἐν τῷ προσκαίρῳ βίῳ τούτῳ, ἵνα ῥυσθῶμεν τῆς αἰωνίου κολάσεως· καὶ ἱκετεύομεν αὐτὸν μὴ συγκαταριθμηθῆναι μετὰ τῶν ἀρνουμένων τὸ ὄνομα αὐτοῦ τὸ ἔνδοξον, καὶ φοβερὸν, καὶ ἅγιον. E

11 Ὁ δὲ τύραννος ἡττηθεὶς ὑπὸ τῆς ἀνδρείας τῶν ἁγίων Μαρτύρων, καὶ μὴ δυνηθεὶς μεταστρέψαι αὐτοὺς εἰς τὴν ἀπώλειαν, ἐκέλευσε διαχωρισθῆναι τὸν Σαβὲλ καὶ Ἰσμαὴλ, καὶ ἀπομανεὶς λέγει πρὸς τὸν ἅγιον μάρτυρα Μανουήλ· Τρισάθλιε, καὶ ἀσεβὲς, κακῶν πλήρης, μάλιστα ἐλέησον σεαυτὸν, καὶ τοὺς σὺν σοὶ ὑπάρχοντας, καὶ προσελθόντες θύσατε τοῖς εὐμενέσι θεοῖς· εἰ δὲ μήγε, μειζόνων τιμωριῶν πειραθέντες, τέλος τοῦ βίου ἕξετε. Ὁ δὲ ἅγιος Μάρτυς ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτῷ, Μὴ ὑπολάβῃς Βασιλεῦ ἀποστῆσαι ἕνα ἐξ ἡμῶν ἐκ τῆς ἐλπίδος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· τρεῖς γὰρ μάλιστα, τὴν εἰκόνα καὶ τὸν τύπον τῆς ὁμοουσίου Τριάδος φέροντες, τρεῖς ἐσμεν, μιᾷ πίστει πεφωτισμένοι, ἔχοντες τὸν ἅγιον καὶ τίμιον σταυρὸν προηγούμενον ἡμῶν εἰς τέλους, καὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν κουφίζοντα ἡμᾶς ἐκ τῶν ὀδυνῶν. Ἰδὼν οὖν ὁ ἄνομος Ἰουλιανὸς μὴ πειθομένους τὸν ἅγιον μάρτυρα τοῖς λεγομένοις αὐτῷ παρ' αὐτοῦ, ἔχων ἔνοικον τὸν διάβολον, ἐζέφλεξε ὡς πῦρ τὴν ἑαυτοῦ καρδίαν, καὶ λογισάμενος ὅτι διὰ τῆς καλῆς αὐτῶν ὁμολογίας πολλοὶ τῶν ἐκ τοῦ δήμου παρόντων πιστεύσωσιν εἰς τὸν δεσπότην Χριστὸν, ἐκέλευσεν ἐνεχθῆναι ἥλους τρεῖς, τὸν ἕνα παγῆναι αὐτῷ κατὰ τῆς κεφαλῆς, καὶ τοὺς ἄλλους δύο κατὰ τῶν ὤμων αὐτοῦ, καὶ σχισθῆναι καλάμους, καὶ διεθῆναι κατὰ παντὸς τοῦ σώματος αὐτοῦ, καὶ καλάμους ὀξεῖς γενομένους παγῆναι διὰ τῶν ὀνύχων τῶν χειρῶν αὐτοῦ καὶ τῶν ποδῶν· καὶ οὕτως κατασφιγχθῆναι αὐτὸν, καὶ ἀπενεχθέντας ἅμα αὐτῷ καὶ τοὺς μακαρίους ἄνδρας Σαβὲλ καὶ Ἰσμαὴλ ἐπὶ τὸ Θρᾴκιον μέρος πρὸς τὸ τεῖχος τὸ καλούμενον Κωνσταντίνου ἐν τόπῳ καλουμένῳ Κρημνῷ, ξίφει τὰς κεφαλὰς αὐτῶν ἀποτμηθῆναι, καὶ εὐθέως βληθῆναι φρύγανα, καὶ κατακαῆναι τὰ σώματα αὐτῶν. Μή ποτέ τινες εὑρόντες αὐτὰ τῶν Χριστιανῶν ταφῆς ἀξιώσουσιν· ἔσπευδε γὰρ ἐξιέναι ἐπὶ τὴν Βιθυνῶν ἐπαρχίαν. F

12 Ἐλθόντων δὲ Ἁγίων ἐπὶ τὸν τόπον, ἐν ᾧ ἔμελλον τελειοῦσθαι, καὶ τῶν δημίων σπευδόντων ποιῆσαι τὸ κελευσθὲν αὐτοῖς, πάντες οἱ Ἅγιοι κατὰ ἀνατολὰς ὡς ἐξ ἑνὸς στόματος προσηύξαντο πρὸς τὸν Κύριον λέγοντες· Ἰησοῦ Χριστὲ σωτὴρ ἡμῶν, ὁ λόγῳ συστησάμενος τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ καταδεξάμενος ὑπομεῖναι θάνατον, καὶ οἰκῆσαι τριήμερον ταφὴν, καὶ ζωὴν χαρισάμενος τοῖς πᾶσιν, αὐτὸς πρόσδεξαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν ἐν εἰρήνῃ, καὶ λύτρωσαι ἡμᾶς ἐκ τῶν χειρῶν τοῦ ἀνόμου

βασιλέος

A βασιλέως Ἰουλιανοῦ, καὶ τὸν περιεστῶτα λαὸν ἐπίστρεψον εἰς ἐπίγνωσιν τῆς σῆς ἀληθείας, γινώσκειν σε τὸν μόνον Θεὸν καὶ υἱὸν Θεοῦ, καὶ κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν μονογενῆ τοῦ Πατρὸς, καὶ ἀπόστρεψον ἐκ τῆς πλάνης τῶν εἰδώλων, ὥστε μὴ συναπολέσαι αὐτοὺς, ὅτι μέγα καὶ ἔνδοξον καὶ φοβερὸν τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον ὑπάρχει, καὶ σὴ ἐστιν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δόξα, ἅμα τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ ζωοποιῷ καὶ ἁγίῳ σου Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας ἀμήν. Καὶ πληρωσάντων αὐτῶν τὴν εὐχὴν ἦλθε φωνὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ λέγουσα αὐτοῖς· Καλοί μου ἀγωνισταὶ καὶ ἀθλοφόροι, ἀπέλθετε εἰς τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν, ἀπολάβετε τοὺς στεφάνους τῆς νίκης ὑμῶν· αἱ γὰρ στρατιαὶ τῶν Ἀγγέλων καὶ Ἀρχαγγέλων ἀγαλλιῶνται ἐφ' ὑμῖν.

13 Καὶ μετὰ τὸ γενέσθαι τὴν εὐχὴν ταύτην, ἔστη εἷς τῶν δημίων, καὶ κρούσας, ἀπέτεμεν αὐτῶν τὰς κεφαλὰς, καὶ ἐν εἰρήνῃ ἀπέδωκαν τὰ πνεύματα αὐτῶν. Καὶ εὐθέως ἐσχίσθη ἡ γῆ, καὶ ἐδέξατο τὰ λείψανα τῶν ἁγίων Μαρτύρων, καὶ διεφύλαξεν ἕως ἡμερῶν δύο, πρὸς τὸ μὴ καυθῆναι αὐτὰ ὑπὸ τοῦ πυρὸς, μετὰ τὴν πρόσταξιν τοῦ ἀσεβοῦς Βασιλέως Ἰουλιανοῦ. Ἰδόντες δὲ οἱ δήμιοι τὸ θαῦμα τὸ γεγονὸς, ἔντρομοι γενόμενοι, ἀνεχώρησαν ἐκεῖθεν· πολλοὶ δὲ τῶν ὄντων ἐκεῖσε τοῦ ὄχλου, ἐπίστευσαν τῷ δεσπότῃ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ· Καὶ προσμείναντες ἐν

B τῷ τόπῳ ἐκείνῳ, ἔνθα τὰ ἅγια λείψανα ἦν, ἐκτενῆ εὐχὴν προσαγαγόντες τῷ φιλανθρώπῳ Θεῷ, μετὰ τὰς δύο ἡμέρας λαβόντες τὰ ἅγια καὶ τίμια λείψανα, ἀποκαλύψαντος αὐτὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μετὰ πάσης τιμῆς καὶ ὑμνῳδίας, καὶ ἀρωμάτων πολλῶν κηδεύσαντες, ἀπέθεντο ἐκεῖσε ἐν τόποις ἐπισήμοις, δόξαν ἀναπέμποντες τῷ δεσπότῃ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ.

14 Ἐτελειώθησαν δὲ οἱ ἅγιοι τοῦ Χριστοῦ μάρτυρες Μανουὴλ, Σαβὲλ, καὶ Ἰσμαὴλ μηνὶ ἰουνίῳ ιζ' ἡμέρᾳ δευτέρᾳ, ὥρᾳ θ'. Ἐπράχθη δὲ ταῦτα ἐπὶ τῆς ὑπατείας Μαμερτίνου καὶ Νευΐτα, βασιλεύοντος τοῦ ἀνόμου βασιλέως Ἰουλιανοῦ, κατὰ δὲ ἡμᾶς βασιλεύοντος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Μετὰ ταῦτα δὲ μαθὼν Βαλτανὸς ὁ τῶν Περσῶν Βασιλεὺς, ὅτι τοὺς θεράποντας αὐτοῦ οὓς εἶχε, καὶ ἦν ἀποστείλας τῷ παρανόμῳ Βασιλεῖ Ἰουλιανῷ πρὸς βράβευσιν εἰρήνης, τοὺς μακαρίους τούτους καὶ ἁγίους Μάρτυρας Μανουὴλ, Σαβὲλ καὶ Ἰσμαὴλ, τιμωρησάμενος αὐτοὺς θανάτῳ παρέδωκε, λυπηθεὶς περὶ αὐτῶν καὶ ἔμμανης γενόμενος σφοδρῶς, πάλιν ἐκίνησε τὸν πόλεμον· ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ προφήτου διὰ τοῦ Κυρίου λέγοντος, Ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω, λέγει Κύριος· Παρατάξάμενος οὖν καὶ ὁ δυσσεβὴς Βασιλεὺς Ἰουλιανὸς, ἐξῆλθεν ἐπὶ τὴν χώραν τῶν Περσῶν, καὶ συμβαλὼν καὶ νικήσας αὐτοὺς κατὰ κράτος τῶν

C στρατιωτῶν Χριστιανῶν ὄντων, ὑποστρέφων ἀνῃρέθη οὐρανίῳ πληγῇ ὁ παράνομος, θελήματι τοῦ δεσπότου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

pulum autem circumstantem converte ad agnitionem veritatis tuæ, ut cognoscat te solum Deum, et filium Dei, Dominum Jesum Christum unigenitum Patris, atque averte eos ab errore idolorum, ut non perdas eos; quia magnum, gloriosum, terribile nomen tuum est, regnum et gloria, simul cum Patre sanctoque et vivifico Spiritu in secula. Amen. Tali oratione completa, facta est vox de cœlo eis dicens: Generosi mei pugiles atque triumphatores, venite ad præparatum vobis regnum, accipite coronas victoriæ vestræ debitas: vos enim expectant exercitus Angelorum et Archangelorum. D *EX MS VATIC.*

13 Deinde lictorum unus surrexit, et percutiens gladio caput omnibus abstulit, itaque in pace reddiderunt spiritum. Continuo vero scissa est terra, et suscepit sanctorum Martyrum corpora, atque per biduum custodivit, ne possent juxta mandatum sacrilegi Imperatoris Juliani comburi. Videntes vero lictores hoc miraculum, perterrefacti discesserunt inde, multique ex turba ibidem præsente crediderunt Domino nostro Jesu Christo. Cum autem ipso in loco mansissent duobus diebus, ubi sacræ illorum Reliquiæ erant, orationemque continuam clementissimo Deo facerent; ipso Domino Jesu Christo eorumdem corpora revelante, omni cum honore atque psalmodia multisque aromatibus curaverunt illa, atque in locis decentibus composuerunt, glorificantes Dominum Jesum Christum.

gladio feriuntur:

corpora miraculose servata, sepeliuntur a Christianis, E

14 Consummati sunt autem sancti Martyres Christi Manuel, Sabel, et Ismael, mense Junio die XVII, feria secunda, hora nona: peracta vero omnia sunt Consulibus Mamertino et Nævita, imperante sacrilego Juliano, apud nos autem regnante Domino nostro Jesu Christo. Post hæc intelligens Rex Persarum Baltanus, ministros suos, quos impio Juliano miserat pacem confirmaturos, beatos, inquam, ac sanctos Martyres, Manuel, Sabel, Ismael, ab ipso excarnificatos ac morti datos; tristis super iis, graviterque indignatus, rursum bellum movit: itaque (ut impleretur quod scriptum est per *b* Prophetam, dicente Domino, Mihi vindicta, et ego retribuam) exercitum etiam Julianus eduxit; et Persas quidem per militum virtutem, qui omnes Christiani erant, *c* debellavit; sed cum inde reverteretur, cœlesti percussus *d* plaga impius, sublatus e vivis est, jubente Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria et potestas, in secula seculorum. Amen. F

an 362 17 Junii.

ANNOTATA D. P.

a Ἐπινεύεσθαι, præsumere, seu ratiocinando colligere, *alibi hactenus non inveni: sed per conjecturam sic verti, quia ab urbanitate seu curialitate morali videtur sumptum vocabulum.*

b *Proprie loquendo, non sunt hæc verba Prophetæ, sed Pauli ad Hebr.* 10, 30. *alludentis ad locum Moysis Deuteron.* 32. Ego occidam etc. et his qui oderunt me retribuam.

c *Initia belli prospera fuisse Juliano scimus, quousque Ctesiphontem ventum est: sed debellatos Persas nusquam legimus: quin potius dubitat Nazianzenus Orat.* 2 *in Julianum, an hunc ad angustias pertrahendo non cesserint de industria Persæ. Exercitus autem religio ea fuit, ut totum inquinatum idololatria censens Jovinianus, noluerit imperium ejus in arcto positi prius assumere, quam istam ille ejurasset seque Christianum esset professus: quod libenter fecere plerique, exteriori tantum specie gentilismum amplexi.*

d *Imo, cum ad prælium processisset, fame ac necessitate coactus.*

e *Ammianus lib.* 25 *cum narrasset, quomodo fugientibus suis intrepidus ipse procurrerit in hostem,* incertum inquit sublata equestri hasta, cute brachii ejus perstricta, costis perfossis, hæsit in ima jecoris fibra: quam dum avellere dextra manu conatur, acuto utrimque ferro dextræ nervos sensit excisos: et provolutus jumento, præsentiumque veloci concursu relatus in castra, medicinæ ministeriis fovebatur. *Ita homo Ethnicus, dissimulans veritatem; quin et Libanius sophista, cum dixisset, ne quidem proposito præmio quemquam inter Persas fuisse qui se auctorem cædis profiteretur; haud obscure in Christianos ipsius Juliani milites contorquet invidiam. Christiani autem, ut Nazianzenus et alii, de cælo percussum fuisse dicunt; et S. Mercurium Martyrem vulneris auctorem, ex visione pii cujusdam viri, faciunt: qua de re vide Baronium ad an.* 363 *num.* 54 *et* 55.

DE SANCTO JOSEPHO

G. H.

ANACHORETA IN ÆGYPTO

SYLLOGE HISTORICA.

De ejus dictis et factis ex Vitis Patrum.

SUB MED. SEC. IV.

Cultus apud Græcos,

Illustre *Synaxarium a nobis Divione in collegio Societatis Jesu repertum celebrat hoc die* XVII *Junii* Josephum Anachoretam qui cantans vitam finivit additis hisce versibus. Ὦ θεῖος σὺ κύκνος Ἰωσὴφ ἐν τῷ τέλει, Θνήσκεις μετ᾽ ᾠδῆς ὡς κύκνους θνήσκειν λόγος.

In fine cygnus, tu Joseph es divinus;
Cantando moreris, ut mori cygnos ferunt.

et 20 Junii

At die XX *Junii indicatur etiam* memoria sancti Patris nostri Josephi Anachoretæ *in MS. Synaxario Ecclesiæ Constantinopolitanæ atque in duplici codice Taurinensi Ducis Sabaudiæ: pro quo, sed per errorem,* B *nomen* Joannis *exprimitur in MS. Mediolanensi bibliothecæ Ambrosianæ.*

A S. Antonio laudatur:

2 *Videtur is esse, qui in Vitis Patrum dicitur cum* S. Antonio *vixisse adeoque ante vel circa medietatem seculi* IV, *cum ille obierit anno* CCCLVI; *deque eo sermo esse lib.* 5 *interprete Pelagio libello* 15, *ubi agitur* de humilitate, *num.* 5 *his verbis:* Venerunt aliquando senes ad Abbatem Antonium, et erat cum eis etiam Abbas Joseph. Volens autem Abbas Antonius probare eos, movit sermonem de Scripturis sanctis. Et cœpit interrogare a junioribus, quid esset hoc vel illud verbum. Et singuli dicebant pro ut poterant. Ille autem dicebat eis: Necdum invenistis. Post eos vero dixit Abbati Joseph: Tu quomodo dicis esse verbum hoc. Ille respondit: Nescio. Et dixit Abbas Antonius: Vere Abbas Joseph solus invenit viam, qui se nescire respondit.

indicat 3 ordines perfectionis,

3 *Et libello* 1 *num.* 9 Dixit Abbas Joseph Thebæus: Quia tres ordines sunt honorabiles in conspectu Domini. Primus est quando homo infirmatur, et adjiciantur ei tentationes, et cum gratiarum actione suscipit eas. Secundus autem est, quando aliquando omnia opera sua facit munda coram Deo, nihil habens humanum. Tertius vero, quando aliquis C sedet in subjectione et præceptis Patris spiritualis, et omnibus propriis renuntiat voluntatibus.

propter hospites manducat et tacet:

4 *Et libello* 8 *num.* 4 Eulogius quidam Presbyter venit ad Abbatem Joseph loco qui dicitur Anepho, credens se aliquam duriorem continentiam apud eum invenire. Et suscipiens eum senex cum gaudio, quod habebat fecit ei pro caritate parari. Dixerunt autem discipuli Eulogii: Non comedit Presbyter nisi panem et salem. Abbas autem tacitus manducabat. Qui cum fecissent tres dies, non audierunt eos aut psallentes aut orantes: occultum enim erat opus illorum, et exierunt nihil ædificati. Deo autem dispensante facta est caligo, et errantes de via reversi sunt ad senem: et priusquam pulsarent ostium,

postea psallit:

audierunt psallentes. Et cum expectassent diu ut audirent, postea pulsaverunt, et suscepit eos iterum senex gaudens. Illi autem qui cum Eulogio erant, propter cauma tulerunt suriseulam, et dederunt ei ut biberet: erat autem aqua permixta de mari et flumine, et non potuit bibere. Qui cum hæc in animo suo cogitaret, cœpit rogare senem ut disceret ejus institutum, dicens: Quid est hoc, Abba, quia

et istis vinum offert, alias aquam solitus bibere.

primo non psallebatis, sed nunc cœpisti, posteaquam nos sumus egressi: et quia cum aquam bibere volui, inveni eam salsam? dicit ei senex: Frater aliquis motus est, et per errorem miscuit aquam marinam. Eulogius vero rogabat senem, volens agnoscere veritatem. Et dixit ei senex: Parvus ille calix vinum est, quod caritas providet: hic autem ad aquam quam assidue fratres bibunt. Et his verbis docuit eum habere discretionem cogitationum, et abscidit ab eo omnia humanitus moventia mentem ejus, et factus est commotus, manducans de cetero omnia quæ apposita sunt ei. Didicit enim ipsa in secreto operari, et dixit seni: Pro certo in caritate est opus vestrum.

E

remedia docet contra tentationes,

5 *Hæc ibi. At libello* 9 *num.* 5, Interrogavit Abbas Joseph Abbatem Pastorem dicens: Dic, quomodo monachus fiam. Et dixit ei senex: Si vis requiem invenire, et in hoc et in futuro seculo, in omni causa dic: Quis sum ego? et ne judices quemquam. *Hæc forsan contrario modo intelligenda, ut Pastor interrogarit, et senex Joseph responderit, propter hæc sequenti libello* 10 *num.* 29 *relata, ubi* interrogavit Abbas Pastor Abbatem Joseph, dicens: Quid faciam quando approximant mihi aliquæ tentationes: resisto illis an permitto, intrare? Dicit ei senex: Dimitte intrare et pugna cum eis. Revertens ergo in Scithi sedebat: et contigit ut veniens quidam a Thebaida in Scithi, narraret fratribus se interrogasse Abbatem Joseph. Quando approximat mihi tentatio, resisto ei an dimitto intrare? Et dixerit ei: Omnino non dimittas tentationem in te, sed cito abscinde eam. Audiens autem Abbas Pastor, quia sic dixerit huic qui venerat a Thebaida Abbas Joseph, surgens iterum abiit in Panopho ad Abbatem Joseph, et dicit ei: Abba, ego tibi commisi cogitationes meas, et tu aliter dixisti mihi, aliter autem Fratri de Thebaida. Et dicit ei senex; Scis quia diligo te? Et respondit: Etiam. Nonne tu mihi dixisti, ut sicut mihi ipsi, ita tibi dicerem quid sentirem? Etenim si intraverint tentationes, et dederis et acceperis pugnam cum eis, probatiorem te facient. Ego autem E veluti mihi ipsi, sic tibi locutus sum. Sunt autem aliqui, quibus nec approximare expedit passiones, sed statim debent scindere eas.

aliter senibus

aliter junioribus pugnandum

attollit digitos, ut lampades ignis:

6 *Dein libello* 13 *num.* 9, Venit Abbas Lot ad Abbatem Joseph et dixit ei: Abba, secundum virtutem meam, facio modicam regulam, et parvum jejunium, et orationem et meditationem, et quietem; et secundum virtutem meam studeo purgare cogitationes meas, quid ergo debeo de cetero facere? Surgens ergo senex, expandit manus suas in cœlum, et facti sunt digiti ejus velut decem lampades ignis, et dixit ei: Si vis, efficieris totus sicut ignis.

mutata veste docet quomodo in conversatione se gerant

7 *Postea libello* 13 *num.* 1 *ista narrantur:* Perrexerunt aliquando quidam Patrum ad Abbatem Joseph in Panopho, ut interrogarent eum de susceptione Fratrum, qui superveniunt ad eos; si deberent sibi relaxare abstinentiam suam cum ipsis, et congaudere eis. Et priusquam interrogarent eum, dixit senex discipulo suo: Considera quod facio hodie, et expecta; Et posuit duo sedilia de scirpo in fasciculis ligata, unum a dextra, et unum a sinistra, et dixit: Sedete. Et intravit in cellam suam, et vestivit se res vetustas. Et exiens transivit in medio eorum. Et iterum intravit et vestivit se rescellas suas, quas prius habuerat. Et egressus est iterum in

in medio eorum. Illi autem stupentes in id quod fecerat senex, interrogaverunt eum, quid hoc esset, et dixit eis : Vidistis quid feci? Dixerunt : Etiam. Et ille dixit : Ne mutatus sum ego pro contumeliosa veste? Et dixerunt : Non : Et ipse dixit iterum : Ne læsus sum de meliori veste? Et dixerunt : Non. Et ille dixit : Sic ego ipse sum in utrisque : et sicut priori veste mutatus non sum, nec sequenti læsus sum ; ita debemus in susceptione Fratrum facere sicut in sancto Evangelio legitur. Date quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. Quando ergo est præsentia Fratrum, cum gaudio debemus suscipere eos : quando vero soli sumus, opus habemus lugere. Illi autem audientes, admirati sunt : quia quæ in corde eorum erant, ut interrogarent eum, prius agnovit, et glorificaverunt Deum. *Hæc ibi : quæ etiam alia phrasi leguntur lib. 3 sub nomine Ruffini num. 47.*

AUCTORE G. H.

DE SANCTO PIORE

ANACHORETA IN ÆGYPTO

SYLLOGE HISTORICA

G. H.

De ejus actis et dictis ex Vitis Patrum.

SUB FIN. SEC. IV.

S. Antonii discipulus,

Alter hic sanctus Anachoreta, a Græcis in Synaxario Divionensi ad hunc XVII *Junii propositus, de quo libro* 3 *de Vitis Patrum, Ruffino adscribi solito, ista leguntur num.* 31. Fuit quidam eremita, Pior nomine, de antiquis Fratribus, quem B. Antonius adolescentem in sancto proposito Monachorum instruxit. Demoratus est autem apud B. Antonium annos paucos. Cumque viginti et quinque esset annorum, abiit ad alium secretum eremi locum, ut solitarius habitaret, hoc etiam volente et consentiente B. Antonio : dixitque ei S. Antonius : Vade, Pior, et habita ubi volueris, et cum tibi per aliquam rationabilem occasionem revelaverit Dominus, venies ad me. Cum autem pervenisset hic ipse Pior ad locum, qui situs est inter Nitriam et eremum Sciti, effodit puteum, cogitans apud semetipsum : Quoniam quidemquamque a [illegible] invenero, oportet me contentum esse : quod et factum est, et ad augmentum meritorum talis occasio, tantum enim salsa et amara inventa est aqua, ut si quis ad eum visitandi gratia veniret, in proprio vasculo sibi aquam deportaret. Remoratus est in eodem loco annis triginta. Dicebant ergo ei fratres ut recederet de loco ipso propter amaritudinem aquæ. Ipse autem dicebat eis : Si amaritudinem et laborem fugimus abstinentiæ, et volumus in hoc mundo requiem habere; post exitum vitæ hujus non percipiemus illa æterna et vere dulcia bona, nec fruemur illis perpetuis beati paradisi deliciis. Dicebant ergo fratres : quia tantum unum paximatium et quinque olivas in cibo accipiebat, et hoc deambulando foris

aquam salsam et amaram bibit.

uno in die paximatio et quinque olivis victitat : atque foris in[illegible]

2 *Hoc ultimum legitur etiam in Vitis Patrum interprete Pelagio, libello* 5 *num.* 34 Et interrogavit eum quidam, quare sic manducaret, respondit se non hoc velut opus aliquod agere, sed velut quiddam superfluum. Alii autem, de hoc interroganti, respondit : Ut non vel in comedendo corporalem delectationem habeat anima. Etiam et hoc affirmabant de eo *inquit Ruffinus*, multi sanctorum Patrum : quia triginta ei amplius annis, ex quo egressus est de domo parentum suorum, nunquam ei suasum fuisse, etiam cum defunctos audisset parentes suos, ut pergeret ad requirendum seu visitandum propinquos. Verumtamen soror ejus cum esset vidua, habens duos filios jam adolescentulos, misit eos in eremum, ad requirendum fratrem suum Pior. Qui cum diversa monasteria circuissent, requirentes eum, vix tandem invenientes illum, dixerunt ei : Nos filii sororis tuæ sumus, quæ nimio desiderio optat te videre ante exitum suum. Ipse vero non acquievit petitioni eorum. Perrexerunt autem adolescentes ad hominem Dei B. Antonium, indicantes ei pro qua causa venerant. Misit autem B. Antonius, et vocavit eum ad se, dixitque ei : Quare, Frater, tanto tempore non venisti ad me? Qui respondens, dixit ei : Præcepisti mihi, beatissime Pater, ut, si per aliquam occasionem revelasset mihi Dominus, venirem ad te ; et ecce hactenus non mihi revelatum est. Dixitque ei B. Antonius : Vade ut videat te soror tua. Tunc assumpsit secum alium Monachum, et perrexit ad locum et domum sororis suæ : et stans foris prope januam atrii, clausis oculis, ut non videret sororem suam stetit. Illa autem veniens projecit se ad pedes ejus : de nimio enim gaudio angustiata est. Dicit ei Pior : Ecce ego sum Pior frater tuus, vide ergo me quantum volueris : et post hoc statim reversus est ad eremum in cellulam suam. Hoc autem fecit ad erudiendum Monachos, ut non daretur eis licentia, cum libitum eis fuerit, visitare parentes vel propinquos suos. *Quæ hic de visitatione sororis habentur, narrat Palladius in Lausiaca historia cap.* 87 ; *et non a* S. Antonio *jussum, sed ab Episcopo loci, scriptis rogatu sororis* litteris, accessisse; nec potuisse persuaderi, ut domum ingrederetur : *additurque* donec decessit contentus fuisse inventis amaritudinibus aquæ, ut generosi hujus tolerantia innotesceret.

a propinquorum visitatione abhorret.

Sorori se exhibet sed clausis oculis nec nisi jussus a S. Antonio,

vel ab Episcopo.

3 *In Vitis Patrum interprete Palladio, libello* 9 num. *ista referuntur :* Factus est aliquando conventus in Scithi, et loquebantur Patres de quodam Fratre culpabili. Abbas autem Pior tacebat. Postea autem surgens egressus est : et tollens saccum, implevit eum arena, et portabat eum in humeris suis : et mittens in sportella modicum de eadem arena, portabat etiam ipsam in ante. Interrogatus autem a Patribus, quid hoc esset ; ille respondit : Saccus iste, qui multum habet arenæ, mea peccata sunt : et quoniam multa sunt, posui ea supra dorsum, ne doleam pro ipsis et plorem : ista autem arena modica, peccata sunt illius Fratris : quod non oportet ita fieri, sed mea magis peccata ante me esse, et de ipsis cogitare, et Deum, ut ignoscat mihi, orare. Audientes autem Patres dixerunt : Vere hæc est via salutis. *Eadem alia aliquantulum phrasi habentur apud præcitatum Ruffinum num.* 136. *In Apophthegmatis Patrum quæ Græco-latina edidit Jo. Bapt. Cotelerius hoc quoque legitur :* B. Pior, ubi apud aliquem in messe operam navasset, commonefecit de reddenda mercede, atque illo differente, rediit in monasterium. Rursus tempore advocante, messuit apud eumdem, et alacriter in opus incubuit : cumque is nihil præberet, reversus est in monasterium suum. Tertio pariter completo anno, solitum opus postquam

docet propria magis quam aliena peccata pensanda :

frequenter gratis in messe servit :

A quam perfecit, recessit, cum nihil accepisset. At Dominus prosperavit domum hominis: unde afferens mercedem per monasteria, circuibat quærens Sanctum. Quo vix invento, procidit ad pedes ejus mercedem solvit, dixitque: Mihi Dominus largitus est. Ille vero mandavit, ut redderet Presbytero in Ecclesia. *Ita ibi inter Monumenta Ecclesiæ Græcæ pag.* 643.

visitat et visitatur a Pambone Abb.

4 *Insuper a Palladio scriptum sic est cap.* XI. Fertur, *inquit*, præter alia hæc quoque actio sancti Pambon; quod Pior, qui se in vita exercebat monastica, ad ejus cellam aliquando accedens, proprium panem detulit. Cum eum autem Pambon reprehendisset, dicens, Cur hoc fecisti? respondit Pior, Ne te gravarem. Itaque tacitus eum dimisit. Post aliquantum autem temporis accedens magnus Pambon ad cellam Pior, panem suum secum madefactum attulit. Ab eo autem rogatus, quanam de causa panem attulisset madefactum, respondit Pambon: Ideo madefeci, ne ego quoque te gravarem. *Memoratur a Græcis dictus* Pambo *ad diem* XVIII *Julii*. Sanctus *etiam* Pambo, et Dei famulus Pior, gratias sanitatum a Domino adepti, *memorantur in epistola Ammonii Episcopi de S. Pachomio et Theodoro num.* 21, *qui eos in Nitriæ monte invisit.* B *Denique apud Palladium cap.* 87 *supra citato sub finem legitur:* Multi monachi post ejus mortem cum in cella ejus manere contendissent, non potuerunt unum annum id efficere. Est enim locus terribilis et alienus ab omni consolatione. *Eo igitur in loco, ut in Menæis MSS. Divionensibus ad hunc* XVII *Junii*, S. Pior in pace vitam finivit: *Ibidemque adduntur versus duo, alludentes ad nomen, quod licet Ægyptiacum sit sive Copticum, quoad sonum tamen litterarum non longe abscedit a Græco* Πίων, *quod* pinguem obesumque *significat, vel* bene saginatum. D

et locus in veneratione manet eo mortuo

Ψυχὴν Πιὼρ ποθεινὴν ἀρετῆς ἔχων
Πίων ἀπῆλθε ψυχικοῦ λίπους γέμων

Virtutis avidam quia habuit animam Pior
Bene pinguis abiit, spiritus adipe plenus.

Tempus vitæ ex Epistola Ammonii

5 *Ammonius, nescio cujus sedis in Ægypto Episcopus, qui monasticum habitum sub annum* CCCLI *induerat apud S. Theodorum S. P. Pachomii discipulum, in Epistola de utroque scripta ad Theophilum Episcopum Alexandrinum; a nobis exhibita die* XIV *Maji num.* 21 *narrat, quomodo cum sibi* tertius inter Monachos ageretur annus, *Christi* CCCLIV, *auctor ei fuerit prædictus S. Theodorus, ut in monte Nitriæ domicilium eligeret, ubi tunc degebant* viri sanctitate conspicui et Deo gratissimi, *cum S. Ammone: inter quos erant* S. Pambo et Dei famulus Pior, qui gratiam sanitatum à Domino fuerant adepti. *Atque hinc justificatur tempus mortis initio propositum videlicet sub finem seculi* IV: *scribebat enim Ammonius iste post susceptum a Theophilo Episcopatum, id est* E *post annum* CCCLXXXVI; *et scribebat tamquam de adhuc vivente. Quamquam autem Theophilus iste sedem tenuit usque ad* CCCCXII; *Ammonius tamen, si tunc vixisset, fuisset circiter nonagenarius; à longo credibilius est scripsisse illum ante seculi quarti finem, solummodo octogenarium, de Monachis ante annos circiter quinquaginta in Nitria famosis.*

DE S. BESSARIONE

ABBATE ANACHORETA IN ÆGYPTO

G.H.

SYLLOGE HISTORICA.

Ex Menæis Græcorum et Vitis Patrum.

AD FIN SEC. IV

Inscriptus Martyrol. Rom.

Sanctus Bessarion anachoreta *inscriptus est ad hunc diem* XVII *Junii Martyrologio Romano, et in Notis allegatur auctoritas* Græcorum, qui in Menologio *scilicet per Sirletum confecto,* C ejus vitam brevi compendio comprehensam referunt; *quod longiori inquisitioni præmittimus, et est hujusmodi*: Eodem die sancti Patris nostri Bessarionis: qui a puerili ætate mundanis rebus abrenuntians, et Scetim secedens, admirabili rerum terrenarum contemptu, solius animæ studio vacabat, ab omni affectu liber. Non locorum desiderio, non cibi appetitu detentus, sed futurarum rerum spe et fidei firmitate munitus, omnia tolerabat: huc atque illuc, tamquam captivus aliquis, in frigore et æstu nudus oberrans, sub dio perpetuo stabat, ita ut quadraginta dies et noctes in medio rhamno aliquando stans, numquam cubuerit, et quadraginta [annos] numquam in latus declinarit, sed sedens vel stans dormierit. Cumque talem duxisset vitam, ad cœlestem patriam evolavit.

Elogium ex Menol. Sirleti

A pueritia pius,

2 *Hæc ibi, quibus claritatis causa præmissis, de eo in Vitis Patrum a Rosweydo et in Menæis excusis hoc* XVII *Junii et* XX *Februarii edita, distribuemus per tempora ætatis. Ac primo de ejus ortu et adolescentia ad dictum* XX *Februarii ista leguntur*: Οὗτος ἐγεννήθη σαρκικῶς ἐν Αἰγύπτῳ. Ἀπογαλακτισθέντος δὲ αὐτοῦ, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς γράμμασιν ἐκπαιδευθέντος, φῶς τὸ ἅγιον ἔλαμψεν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ ἐκ νεαρᾶς ἡλικίας, καὶ ἠγάπησεν Ἰησοῦν Χριστὸν σφόδρα, μηδ' ὁποσοῦν χράνας οἱῳδήποτε πράγματι τὸ δοθὲν αὐτῷ ἅγιον βάπτισμα νηπιόθεν. Ἀνελθὼν δὲ εἰς τόπον ἔρημον, ὡς ἄσαρκος ἠγωνίσατο, καὶ τῆς σαρκὸς καταφρονήσας, ὡς φθειρομένης, τῷ κρείττονι τὸ χεῖρον ὑπέταξε, καὶ εὗρε τὸν Θεὸν βοηθὸν ὃν ἐπόθησε. Sanctus Pater noster Bessarion corporaliter natus est in Ægypto: ubi ablactatus fuit et F sacris litteris eruditus, lux divina cor ejus illustravit, et ab ætate juvenili dominum nostrum Jesum Christum vehementer dilexit, neque ullo unquam facto gratiam innocentiæ per baptismum acceptam læsit aut inquinavit. Eremum vero ingressus, tamquam corporis expers decertavit: ejus ut vermibus destinati contemptor, deteriorem hominis partem meliori subjecit; ac Deum quem desideravit, adjutorem habuit.

3 *Eadem ad hunc* XVII *Junii ita exponuntur*: Οὗτος ὁ Ὅσιος, ἐκ νεαρᾶς ἔτι ἡλικίας ἀποταξάμενος, καὶ τὴν Σκῆτιν καταλαβών, εἰς τοσαύτην ἄσκησιν καὶ ἀκτημοσύνην ἤλασεν, ὡς ἓν τῶν ἀερίων πετεινῶν, ἢ νηκτῶν, ἢ χερσαίων ζώων, ἀστέγως καὶ ἀμερίμνως πάντα τὸν χρόνον τῆς ζωῆς αὐτοῦ διατελέσας. Οὐ γὰρ φροντὶς οἴκου παρ' αὐτοῦ ἐμελετᾶτο, οὐ τόπων ἐπιθυμία κεκρατηκέναι ἔδοξε τῆς τούτου ψυχῆς· οὐ κόρος τρυφῆς, οὐ κτίσεις οἰκημάτων, οὐ βίβλων περιφοραί. ἀλλ' ὅλως δι' ὅλου τῶν τοῦ σώματος παθῶν ἐφάνη ἐλεύθερος, ἐλπίδι τῶν μελλόντων τρεφόμενος, καὶ πίστεως ὀχυρώματι βεβηκὼς ἐκαρτέρει, ὥσπερ αἰχμάλωτος ὧδε κἀκεῖσε ἐν ψύχει καὶ γυμνότητι διαμένων· καὶ τῇ φλογὶ τοῦ ἡλίου διαφλεγόμενος, αἴθριος ἵστατο πάντοτε· κρημνοῖς ἐρήμων ἑαυτὸν ὡς πλανώμενον περιπείρων, καὶ πλατείᾳ τῆς ἄμμου χώρᾳ ἀοικήτῳ πολλάκις ἑαυτὸν, ὡς ἐν πελάγει φέρεσθαι εὐδοκήσας.

Id

In eremo Sceti degit cum magna abstinentia :

A *Id est :* Hic Sanctus in juvenili adhuc ætate Scetanam eremum ingressus, per religiosæ abstinentiæ et egestatis exercitationem tantum profecit, ut ritu alitum aut piscium animantiumve, sine ulla rerum præsentium cura, totum vitæ cursum transigeret. Non tectum quærebat, non ullo loci certi desiderio, aut cibi appetitu tangebatur ; non cellarum usum, non librorum sarcinas amabat ; sed ab omni prorsus affectu expeditus, spe rerum futurarum pascebatur, et fidei propugnaculo tutus perdurabat, et tamquam captivus modo huc, modo illuc, in frigore et nuditate manebat. Sole adustus sub dio assidue stabat, in præruptis solitudinum velut erro quidam hærebat. In sabulosa terra compluries prorsusque inhabitabili perinde ac si pelago jactaretur, patientiam exercebat. *Eadem referuntur in Apophthegmatis inter Græcæ Ecclesiæ monumenta Græcolatine editis a Cotelerio, de* Bessarione *Abbate tom.* 1 *pag.* 407 *ubi deinde sic additur.* Quod si contigisset ut ad loca mitiora veniret, in quibus communem consimilemque vitam ducunt Monachi ; extra portam sedens plorabat, et velut naufragus in terram projectus lamentabatur. Postea siquis Fratrum egressus inve-

sine tecto et vagus per eremum

B nisset eum, tamquam mendicum sedentem, velut unum seculi pauperem, et appropinquans dixisset ex misericordia ; Homo quid ploras? si alicujus rei necessariæ eges, quantum poterimus accipies : tantum introi nobiscum, mensam habe communem, refice te, tunc ille respondebat, non posse se sub tecto manere, donec invenisset domus suæ res, aiens, variis modis multas a se amissas fuisse opes. Etenim in piratas incidi ; naufragium passus sum ; a splendore generis mei decidi, ignobilis factus qui inter nobiles censebar. Frater vero is, ad id sermonis lamentatus, ingrediens, frustum panis tradidisset, dicens ; Accipe, Pater, cetera tibi Deus, quemadmodum ais, tribuet, patriam, genus, divitias quas locutus es ; is magis adhuc lugens, ingenti edito fremitu, adjiciebat hæc verba : Non habeo dicere, an potero invenire quæ amissa quæro bona ; sed adhuc majoribus afficiar malis, pericula quotidiana subiens usque ad mortem, nec habens remissionem ab immensis meis calamitatibus. Oportet enim, me continuo oberrantem peragere cursum vitæ meæ. *Quæ omnia eo solum videntur spectare, ut videretur qua ratione simul et alteram caritatem exploraret, et se ne ea frueretur excusaret.*

instar mendici,

C 4 *Palladius in Historia Lausiaca (sicut habetur Latine edita a Rosweido ; nam Græca Meursii hoc et aliis pluribus capitibus caret) cap.* 116 *ad particularia quædam sic descendit.* Fuit quidam senex, *inquit,* possessionibus carens et misericors, nomine Bisarion. * Is unam quidem ferens tunicam convenienter Evangelicæ traditioni, et parvum superhumerale : nihil enim possidebat præter hoc necessarium tegumentum. Habebat autem semper quoque parvum Evangelium sub axilla ; aut ad sui faciendum periculum, aut perpetuo verbi Domini obediret ; aut potius gestans sermonem, quem erat opere executus. Tam admirabili enim vita usus est hic vir, et extra ullum dedecus, ut perinde ac terrestris Angelus cœleste iter legitime peregerit. [Hic ergo cum venisset in quemdam vicum et vidisset mendicum nudum in foro mortuum] se protinus exuens superhumerali, eo induit mortuum. Et rursus cum parum processisset, nudo egenti occurrit, et stetit apud se disceptans, et sic ratiocinans : Quomodo ego quidem, qui mundo renuntiavi, veste induor ; frater autem meus algore concrescit ? Si ergo eum ego sivero exanimari, ero omnino causa mortis proximi. Quid ergo? exuensne scindam, et partem distribuam? an totum dabo ei qui est factus ad Dei imaginem ? Sed quid mihi et illi erit utilis pars quæ scinditur?

indutus tunica et superhumerali,

hoc induit mendicum mortuum,

D Et cum apud se disceptasset, dixit : Damnine aliquid patiemur, si plus quam sit præceptum faciamus? Generosus itaque hic athleta prompto et alacri animo vocat pauperem in vestibulum : et cum eum dimisisset indutum, stetit nudus, se operiens manibus, genua flectens et subsidens, solam habens sub axilla verbum quod facit divites. Dei autem consilio et providentia transiens quidam Irenarcha, agnovit senem, et dixit proximo suo socio : Respice illuc. Non est hic senex Abbas Bisarion? Cum is autem dixisset, Maxime ; de equo descendens, rogavit sanctum, dicens : Quis te exuit? Ille vero dextera protendens Evangelium, Hoc, inquit, me exuit. Statim autem se sua veste exuens Irenarcha, perfectum militem induit : et protinus gestans veluti quamdam vestem Monachorum, a mundo latens recessit, declinans laudem ejus, qui suum vidisset vitæ institutum, cum qui est ab occulto honorem celando expectans.

Alteram tunicam pauperem,

et vestem ab Irenarcha accipit.

5 Hic ipse postquam omne præceptum Evangelicum recte esset executus, cum nihil hujus mundi amplius haberet in animo, ad divinorum dictorum perfectiorem executionem ; cum in transitu vidisset pauperem, cursu in forum contendit : ubi cum paulisper constitisset, vendidit Evangelium. Paucis

pretium venditi Evangelii dat pauperi

E igitur post diebus, qui cum eo erat Abbatis discipulus Dulas nomine, rogavit senem, dicens, Quid parvo libello factum est o Abba? Cui senex placide verbum pulchrum admodum et valde scitum, est locutus, sic dicens : Ne tristitia afficiaris, o Frater : nam ut illic habeamus fiduciam, propter obedientiam vendidi ipsum sermonem, qui mihi semper dicebat : Vende quæ habes et da pauperibus. Sunt autem aliæ quoque res plurimæ, ex virtute gestæ hujus magni Patris, cum quo nos quoque digni habeamur habere partem gratiæ Christi, Amen. *Ita Palladius quem libenter Græce loquentem audivissem si licuisset : alterum ut sensus claros haberetur, ad notam * excipere debui lacunam ac ponere eo ubi nunc est loco inter* [ ]. Irenarcha *vero ut hoc quoque explicationis gratia addam, est Magistratus militaris, qui* provincialium tutela sucepta, quietis et pacis per singula territoria concordiam stare faciat, *ut est in lege 7 Cod. Theod. de Irenarchis.*

6 *Præter a nobis sunt hic* Bessarion *scribatur eumdem esse, qui alias* Besarion *et* Bessarion *scribitur, cujus loquitur ejus discipulo Dulas, de quo lib. 3 de Vitis Patrum, qui Rufino tribuitur num.* 215 *ista leguntur :* Abbatis Besarionis discipulus, nomine Dulas, cum quadam die una ipso pariter juxta littus maris ambularet, contigit eum multum sitire et dixit seni Sitis me macerat, Pater. At B. Besarion, facta oratione, jussit eum aquam de mari tollere et bibere. Quod cum fecisset et dulcissimam aquam reperisset, vasculum, quod secum portavit, replevit. Quod cum vidisset Abbas Besarion, dixit ad eum ; Quare implesti vas aqua, fili? At ille dixit : Indulge mihi, Pater, timui enim si forte in antea sitiam. Cui senex dixit : Indulgeat tibi Dominus fili quia et ubique Deus est, et potest tibi dulcem aquam præstare. *Quæ eadem lib. 6 de Vitis Patrum, inter Verba seniorum interprete Joanne, libell.* 2 *num.* 1. *ipse Dulas narrat, et num.* 2 *et* 3 *addit :* Alio quoque tempore cum necessarium ei esset, fecit orationem, et transivit Chrysoroam fluvium pedibus : ego autem admiratus satisfeci ei dicens : Quomodo sentiebas pedes tuos dum ambulares in aqua? Et ait senex : Usque ad talum sentiebam aquam, reliqua autem erat solida sub pedibus meis. Rursus euntibus nobis ad alium senem, venit sol ad occasum Et oravit senex, dicens : Obsecro, Domine, stet sol donec perveniam ad servum tuum. Et factum est sic.

aquam marinam dulcem reddit

F

ambulat in aqua

Solem sistit

AUCT. G. H. Propter quæ in Menæis comparatur,

7 *In Menæis ad* XX *Februarii eadem sic explicantur :* Οὐ τὰ τυχόντα σημεῖα ὁ Θεὸς ἐποίησε δι' αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ λίαν παράδοξα· φυλάξας γὰρ τὸ κατ' εἰκόνα ὅσης δυνάμεως εἶχεν, ἐκεῖνα εἰργάσατο, οἷα καὶ οἱ μεγάλοι Προφῆται, οἱ τῷ Θεῷ αὐτοφανῶς προσομιλήσαντες. Μωυσῆς γὰρ, ἡ ῥίζα τῶν Προφητῶν πάντων, τὰ πικρὰ ὕδατα εἰς γλυκύτητα μετεποίησε, διὰ ξύλου τὸν τοῦ Χριστοῦ σταυρὸν εἰκονίζοντος, ἵνα τοὺς γογγύζοντας Ἰουδαίους κατασιγάσῃ· οὗτος δὲ ὁ Μακάριος, τοῦ μαθητοῦ αὐτοῦ βαδίζοντός ποτε ἐν ὁδῷ ἀνύδρῳ, καὶ τῇ δίψῃ φλεγομένου διὰ χαράγματος σταυροῦ ἐναερίου, τὴν ἁλμυρὰν καὶ ἄποτον θάλασσαν εἰς γλυκύτητα μετεποίησε, καὶ ψυχρὸν καὶ πότιμον εἰργάσατο· διὸ καὶ ἐμπλησθέντες ἐξ αὐτῆς σὺν ἑτέροις πολλοῖς τῷ Θεῷ εὐχαρίστησαν. Ὁ Ἰησοῦς ποτε τοῦ Ναυῆ, τὸν Ἀμαλὴκ συγκόπτων, τὸν ἥλιον τοῦ ἰδίου δρόμου ἔστησεν, ἕως συνέκοψεν ἅπαντας· καὶ οὗτός ποτε ὁ Μακάριος, ἐν τόπῳ τινὶ εὑρεθεὶς, ὠφελείας ἕνεκεν πολλῶν, καὶ τῆς ὥρας ληγούσης, τὸν Θεὸν αἰτησάμενος ἔστησεν, ἕως οὗ τὸ πᾶν τῆς ὁδοῦ διήνυσεν. Οὗτος ὡς Ἠλίας ὕδωρ ἐξ οὐρανοῦ κατήγαγεν, οὐχ ἅπαξ καὶ δὶς, ἀλλὰ καὶ πολλάκις, τοῦτο αἰτησαμένων αὐτῷ. Ἐλισσαῖός ποτε ὁ Προφήτης τῇ μηλωτῇ Ἠλιοῦ τὸν Ἰορδάνην ἀβρόχως ἐπέρασεν· οὗτος δὲ ἀντὶ μὲν Ἰορδάνου τὸν Νεῖλον ποταμὸν, ἀντὶ δὲ μηλωτῆς τοῦ σταυροῦ ὅπλον κραταιὸν χρησάμενος, τὸ ὕδωρ ἅπαν εἰς ἰνδάλματος εὐθύτητα μετεποίησε, καὶ ἐπάνω τῶν τοσούτων ὑδάτων πεζοπορήσας, ὢ τοῦ θαύματος! μέχρι ἀστραγάλων ἐβάπτισαν οἱ αὐτοῦ πόδες. Τί τούτων τῶν τεραστίων ἕτερον; τί θαυμασιώτερον; οὕτως καὶ ἄλλα σημεῖα διάφορα εἰργάσατο τῇ δυνάμει τοῦ σταυροῦ.

Moysi,

8 Non vulgaria Deus per illum signa edidit, sed prorsus rara et admiranda. Servata enim, quantum fieri potuit, similitudine magnorum Prophetarum, effecit qualia ipsi, qui cum Deo illis apparente familiariter et aperte collocuti sunt fecerunt. Moses, omnium Prophetarum radix, amaras aquas per lignum, quod Crucem designabat, in dulcedinem vertit, ut obmurmurantes Judæos retunderet : hic autem B. Bessarion, discipulo ejus, iter per sicca et arida loca faciente et siti ardente, per signum Crucis in aere expressum, falsum et impotabile mare mitigavit; utque dulce et frigidum, ac potabile fieret, effecit : itaque et discipulus et alii ex eo haurientes sitim expleverunt, et meritas Deo gratias persolverunt. Jesus Nave cum Amalecitas persequeretur, solem jussit cursum sistere quoad hostes ad internecionem deleret; et hic Sanctus quodam in loco deprehensus causa salutis multorum, cum hora deficeret, rogavit Deum, ut solem moraretur, quoad totam viam emetiretur. Hic idem pluvias e cælo, sicut Elias, nec semel et iterum, sed sæpius, ab aliis rogatus, impetravit. Helisæus olim cum melote Eliæ Jordanem siccus transiit : Hic vero pro Jordane Nilum flumen, pro melote signum Crucis, arma validissima, adhibuit, et aquam omnem in formicis modum redegit, ac supra tantam undarum vim et copiam pedibus incedens, O miraculum ! stupescendum ! non nisi talorum tenus pedes aqua tinxit. Quid vero his miraculis majus, quid admirabilius ! Ita et alia multa variaque vi sanctæ Crucis effecit.

et Josue,

Eliæ, et Helisæo

9 *Ex his aliisque supra, simili modo relatis, narratur aliquod lib.* 5. *de Vitis Patrum interprete Pelagio, libello* 12 *num.* 3 *his verbis.* Narravit Abbas Dulas, qui fuit discipulus Abbatis Besarionis, dicens : Veni aliquando in cellam Abbatis mei, et inveni eum stantem ad orationem, et manus ejus erant extensæ in cælum. Permansit hoc faciens jugiter per quatuordecim dies. Et post hæc vocavit me, et dixit : sequere me. Et exeuntes perreximus in eremo : cumque sitirem dixi ei : Abba sitio. Ille autem melotem tollens, discessit a me, quantum jactus est lapidis : et facta oratione attulit eam plenam aqua. Et abivimus in civitatem lycon, et venimus ad Abbatem Joannem, et salutantes eum, fecimus orationem. Deinde sedentes cœperunt loqui de visione quam viderant. Dixit Abbas Besarion : Quia exivit præceptum a Domino, ut destruantur templa. Et factum est sic, et destructa sunt. *Quæ videntur spectare celeberrimum tota Ægypto Serapidis templum, Theodosii Magni jussu eversum anno* CCCLXXXIX : *de quo vide Baronium, ibidem etiam agentem de Canopicis templis aut eversis, aut in sepulcra (ut Eunapius blasphemat) conversis, per illatas illuc Reliquias Martyrum : unde intelligas ad confinia* IV *et* V *seculi extremam* Bessarionis *ætatem spectare. Alia habentur miracula lib.* 3 *sub nomine Ruffini ex quibus num.* 121 *et sequenti ista sunt :* Cum quidam secularis in ecclesiam veniens, ab immundo spiritu teneretur, et omnes orationem fecissent : et nullatenus spiritus immundus ab eo egrederetur; dicunt inter se Fratres : Quid possumus huic spiritui facere? Nemo potest illum excutere, nisi Abbas Besarion. Sed si dixerimus hoc illi, nec ad ecclesiam acquiescet venire : sed faciamus taliter, quoniam ante omnes solet ad ecclesiam venire. Hunc qui patitur faciamus sedere, et postea dicamus Abbati : Abba, suscita etiam istum dormientem. Fecerunt ita. Et veniente Abbate Besarione, steterunt omnes in oratione, et dicunt ei : Abba suscita etiam istum dormientem. Ille autem excitavit eum, dicens : Surge et egredere foras. Et mox ab eo egressus est spiritus immundus, et sanus factus est ex illa hora. Erat quidam habens filium paralyticum in Ægypto, et attulit eum in cellam B. Besarionis Abbatis, et reliquit eum super ostium plorantem, et discessit. Cœpit ergo infans flere. Cum autem senex per fenestram vidisset eum, dixit : Quis te huc detulit, fili? Cui infans respondit : Pater meus detulit me, et ipse discessit. Cui senex dixit : Surge et adjungere illi. Et mox sanus effectus surrexit, et pervenit ad patrem suum. *Prius narratur etiam lib.* 7 *de Vitis Patrum interprete Paschasio cap.* 14 *num.* 2, *et lib.* 6 *interprete Joanne, libello* 2 *num.* 4 *ubi dicitur id factum* in Scethi : *at secundum miraculum ibidem num.* 7 *tribuitur Macario.*

Tunica haurit aquam in eremo :

dæmonem etiam nesciens expellit,

et paralyticum sanat :

10 *Aliud narratur apud Ruffinum num.* 194 *his verbis.* Abbas Besarion dum ambularet cum discipulo suo per eremum, venerunt ad quamdam speluncam : et ingressi ibi invenerunt Fratrem sedentem, et funiculos texentem : qui neque respexit ad eos, neque salutavit, neque aliquid locutus est eis. Dixit ergo Abbas Besarion ad discipulum suum : Eamus hinc, quia hic senex non vult loqui nobiscum, et profecti sunt ad Abbatem Joannem. Cum autem reverterentur, venerunt ad eamdem speluncam, et ait Besarion ad discipulum suum : Ingrediamur iterum ad hunc Fratrem, si forte vel modo persuadeat illi Deus, ut loquatur nobiscum. Et cum ingressi fuissent, invenerunt corpus tantummodo mortuum, et ingemiscens dixit discipulo suo : Veni, Frater, componamus illud, quia propter eum huc nos Dominus transmisit. Cum autem sepelirent, invenerunt quod mulier esset, et admirati sunt, et dixerunt : Quemadmodum et mulieres colluctantur, et vincunt dæmonia! Et collaudantes atque glorificantes Deum, qui est omnium protector, recesserunt de illo loco. *Idem refertur apud Joannem libello* 3 *num.* 1, *et apud Paschasium cap.* 34 *num.* 3. *At lib.* 5 *interprete Pelagio libello* 9 *num.* 2 *hoc inducatur :* Quia Frater peccaverat, et jussit eum Presbyter exire de ecclesia. Surrexit autem Besarion, et exivit cum eo, dicens : Et ego peccator sum.

miratur silentium monachi,

eumque a morte fœminam invenit et sepelit,

se peccatorem agnoscit,

11 Dixit Abbas Besarion, quia quadraginta noctes manserit inter spinas stans et non dormierit, *uti legitur apud Pelagium libello* 7 *num.* 4, *et latius in Menæis* XX *Februarii hoc modo :* Τεσσαράκοντα ἡμέ-

pernoctat inter spinas,

A ρας καὶ τεσσαράκοντα νύκτας ἔστη ἀκλόνητος ὥσπερ στύλος, ἄνω τὰς χεῖρας καὶ τὰ ὄμματα ἔχων, καὶ τὴν ψυχὴν ἀχώριστον ἐκ Θεοῦ. Quadraginta dies et quadraginta noctes nusquam acclinatus instar columnæ stetit, manus oculosque sursum elatos habens, animo autem numquam separatus est a Deo. *Ad hunc vero* XVII *Junii*: Νυχθήμερα τεσσαράκοντα πεποίηκεν, ἐν μέσῳ ῥάμνῳ ἑστηκώς, καὶ μὴ κοιμώμενος· καὶ τεσσαράκοντα χρόνους ποιήσας μὴ ἀνακλῖναι ἑαυτὸν ἐπὶ πλευροῦ, ἀλλὰ καθήμενος καὶ ἱστάμενος. Totos quadraginta dies et noctes in medio rhamno immotus perstitit, ut dormiret cubaretque numquam. Annis quadraginta numquam in latus cubans somnum cepit, sed vel stans, vel sedens dormivit. *Quæ inde excerpta supra in Menologio Sirleti habentur.* Requisivit Frater senem, dicens: Quid faciam quia cogitationes me conturbant? Respondit Abbas Besarion: Tu quiesce, et non te mensures cum magnis, sed esto tacens in corde tuo. *Ita inter sententias Ægyptiorum Patrum num.* 52. *Inter Apophthegmata autem eorumdem apud Cotelerium pag.* 406 *etiam hoc lego*: Is ipse monuit, quando in pace degis, neque impugnaris, tunc magis humilem te præbe, ne forte gaudio extraneo irrumpente gloriemur, tradamurque ad certamen: nam Deus sæpe non permittit, B propter infirmitates nostras, at bello ac tentationi tradamur, ne pereamus. *At libello* XI *apud Pelagium num.* 7 Abbas Besarion moriens dicebat: Debet monachus totus oculus esse, sicut Cherubim et Seraphim. *Postremum in Februario Menæa habent*:

dein in latus non cubat,

tentatis suadet humilitatem,

magis autem pacem habentibus:

Ἐν γήρᾳ πίονι τὸν Θεὸν θεραπεύσας ἀπῆλθε πρὸς τὰς D αἰωνίους μονάς. Cum usque in plenam senectutem Domino deservisset, ad æternas abiit mansiones: *in Junio autem*, οὕτως βιώσας καὶ πολιτευσάμενος πρὸς Κύριον ἐξεδήμησεν: sic vivens et conversatus ad Dominum migravit.

AUCT. G. H. pie moritur.

12 *Præter celebrem ejus in Menæis ad* XX *Februarii et hanc* XVII *Junii memoriam (quorum prior fortassis dies mortis est, posterior elevati vel translati corporis) iterum in illis indicatur ad diem* XXIX *Novembris* Sanctus Bessarion in pace vitam finiens: *de eodemque agi indicant hi versus, ibidem repetiti, et ante ad diem* XX *Februarii relati.*

Memoria etiam 29 Novemb.

Πολλῶν ἱδρώτων καὶ πόνων Βησσαρίων
Πολλὰς θανὼν εὕρηκεν ἀντιμισθίας.
Multi laboris Bessarion ac sudoris,
A morte multam reperit etiam mercedem.

Ad diem quoque VI *Junii celebratur memoria* Sancti Bessarionis Thaumaturgi *in Typico S. Sabæ, et Horologio Græcorum, nec non* Bisarion mirificus Abbas *apud Genebrardum in Kalendario Græcorum*; sanctus *item* Pater Bessarion, miraculis clarus, *apud Maurolycum in Auctario Usuardi itemque in Synaxariis Russorum, et Moschorum Kalendario Figurato, ubique cum titulo* Thaumaturgi. *Possevinus, male lecto nomine,* Vicarium *scripsit. Nos omnia prædicta de uno eodemque* Bessarione *accipienda esse arbitramur: totamque illam dierum diversitatem, procedere a variis ejusdem Reliquiis, diversa in loca dilatis: quamvis non ita usitatum Græcis quam Latinis sit partiri sacra Corpora.* E

et 6 Junii

DE SANCTO HYPATIO PRESBYTERO,

D. P.

MONASTERII RUFINIANI IN BITHYNIA HEGUMENO

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§. I. De conditore ipsius Monasterii Rufino, an sanctus?

CIRCITER AN. CCCCIII

Hypatius *in Phrygia nobili genere natus; in Thracia, notis nominari, monachatum auspicatus; palæstram virtutum suarum præcipuam habuit Bithyniam, in eaque monasterium* Rufinianum, *dissitum Chalcedone millibus passuum tribus orientem versus. Hic locus* Δρῦς *id est* Quercus *dicebatur, non solum tunc, cum eo primi* C *Monachi ex Ægypto inducti sunt, sed etiam postea, cum anno* CCCIII *contra Joannem Chrysostomum coactum ibi conciliabulum fuit,* ad Quercum *appellatum. Monasterii illius conditor Rufinus in Vita Sancti quo acturi sumus, num.* 14 *appellatur* Beatus, *ejusque ibi tumulus fuisse videtur: et ita hic intelligendus Sozomenus libro* 8 *cap.* 17 *ubi ait*: Est illud *scilicet* Δρῦς suburbium Chalcedonis, quod nunc ex Rufini viri consularis nomine appellatur, in quo palatium est et ecclesia magna; quam Rufinus ipse in honorem Apostolorum Petri ac Pauli construxit, et Apostolium ob id cognominavit. Monachos etiam prope collocavit, qui Clericorum munus eadem in ecclesia obirent.

In loco ad Quercum dicto,

conditum monasterium

a Rufino consulari,

2 *In Fastis Consularibus tempore Magni Constantini, qui bonam Senatus Romani partem Byzantium transtulit, annum Christi* CCCXVI, *notat Rufinus Proculus, et annum* XXIII *Junius Rufinus. Horum alteruter potuit istæc omnia condidisse, ibique collocasse Reliquias Apostolorum, Roma allatas, ubi in Vita loco præcitato dicitur: ab eoque natum esse nomen alterum in Rufinianis, quod Sozomeno scribente celebrius fuit, quam vetus nomen* ad Quercum, *et fortassis Parochiæ relictum, quæ ibi ab olim steterat, exceptisque Episcopos contra S. Chrysostomum congregatos. Fuit postea et alius Rufinus, Præfectus Prætorii sub Arcadio, cujus animum Hypatii institutor Jonas dicitur num.* 12 *inflexisse ad largam eleemosynam conferendam in rusticos, Barbarorum incursibus depauperatos, idemque potest censeri cum illo Prætorii Præfecto, qui tyrannidem affectans et Imperatori Arcadio necem moliens, ab ejus exercitu circumventus et membratim concisus fuit. Sed fieri ægre potuit ut hic fuerit Rufinianensis monasterii conditor: quippe qui sepultura caruit, tantam apud omnes execrationem promeritus, ut credibile non sit, quod hominem tam vulgo abominabilem, utcumque de Monasterio aliquo fortassis benemeritum,* Beatum *vocaret Auctor Vitæ, tam exiguo post illius funestum exitum tempore scribens, ut mox apparebit et sepulchri ejus ibidem collocati, quamvis vacui, tam honorificam faceret mentionem.*

potius tempore Constantini

potius quam Arcadii, ab ejus Præfecto Prætorii minime Sancto ut ille, prior, F

3 *Favet tamen huic parti Historia Lausiaca, sive ea Palladii, sive Heraclidis sub nomine Paradisi, sive utriusque opus esse dicatur. Hæc ut est a Joanne Meursio Græce edita et Latine apud Rosweydum, agens de Abbate Ammonio, Confessionis Apostolorum conditorem facit Rufinum* τὸν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ Ἔπαρχον τῶν Πραιτωρίων. Tunc temporis Præfectum Prætoriorum, *qui ad illius Dedicationem invitaverit S. Eremitam Ammonium tunc forte Constantinopolim ex Ægypto advectum, a quo de S. Baptismo susceptus, ejus monitis et conversatione multum profecerit, quoad ille ibidem mortuus est, ubi et miraculis claruit. Sed mirum non fuerit hominem initio suæ felicitatis bonum ac pium, instante fortuna, depravari, quod huic Rufino contigerit.*

qui tamen videtur aliud templum oratorium condidisse tunc adhuc bonus.

qui

AUCT. D. P.

qui etiam respectu nominis sibi cum Apostolicæ Basilicæ fundatore communis, eumdem potuit novis ædificiis ornavisse, atque in primis Martyrio seu Confessione Sanctorum, ab Apostolis diversorum: nec enim Ἀποστολεῖον *appellat Lausiaca, sed simpliciter* Μαρτύριον τῶν Ἁγίων *id est* Confessionem *eorum quorum istic* Καταθέσια, *id est* Depositionem *celebrabat Sanctorum. Quorum autem, id frustra quæsieris; nec tamen dixeris Apostolorum quorum ibi Reliquias prior Rufinus condiderat, cum una in ecclesia quandoque plura Martyria, Oratorii, seu sacella fuerint Sanctorum diversorum: ipsa Lausiac. verba accipe:*

4 Οὗτος ὁ Μακάριος Ἀμμώνιος) πολλαῖς ἱκεσίαις καταδυσωπηθεὶς παρὰ Ῥουφίνου τοῦ κατ' ἐκεῖνο καιροῦ Ἐπάρχου τῶν Πραιτωρίων, εἰς τοὺς καιροὺς ἐκείνους ἐλθόντος τοῦ μεγάλου Ἀμμωνίου ἐν Κωνσταντίνου πόλει διὰ χρείαν τινὰ τῶν τῆς ἐρήμου πολιτῶν ἱκανῶς παρακληθεὶς, καὶ παρὰ τῶν ἁγίων Ἐπισκόπων τῶν διαφόρων ἐπαρχιῶν, καὶ ἀπ' αὐτῆς τῆς ἐρήμου συνεληλυθότων, εἰς τὰ καταθέσια τῶν Ἁγίων οὗπερ αὐτὸς ἔκτισεν Μαρτυρίου, ἐν αὐτοῖς τοῖς καταθεσίοις ἀποδέχεται τὸν Ῥουφῖνον ὁ Ἅγιος ἀπὸ τοῦ ἁγίου Βαπτίσματος παρὰ τῶν Ἐπισκόπων, ὃν ἐσέβετο θείως τῆς αὐτοῦ πολιτείας εἰς πάντα ὑπακούσας τῷ ὁσίῳ ἀνδρὶ Ἀμμωνίῳ, ὃς μετ' ὀλίγον χρόνον κοιμᾶται, καὶ θάπτεται ἐν τῷ Μαρτυρίῳ τῷ λεγομένῳ Ῥουφινιαναῖς· οὗ τὸ μνῆμα λέγεται θεραπεύειν πάντας τοὺς ῥιγοπυρέσσοντας. *Implexa sane multipliciter verba, quæ clariori ordine sic videntur reddi latine posse.* Beatus hic et magnus Ammonius, cum pro quadam Eremicolarum necessitate Constantinopolim venisset, rogatus precibus multis tum a Rufino tunc temporis Præfecto Prætoriorum, tum ab Episcopis et Solitariis, qui de variis Provinciis convenerant ad Depositionem Sanctorum, quibus ille Martyrium construxerat, eumdem Rufinum Episcopis commendantibus de sacro fonte suscepit: Hic vero conversatione illius captus valde ipsum venerabatur, in omnibus viro illi sancto obediens, qui paulo post mortuus, sepultus est in præfato Martyrio in Rufinianis dicto, cujus monumentum dicitur omnes febricitantes curare.

et S. Ammonii ex Baptismo filius spiritualis,

5 *Prænotatus Ammonii adventus Constantinopolim videtur omnino spectare ad tempora Theosii Magni, anno* CCCLXXIX *imperare exorsi, quando res catholica sub Constantio Juliano et Valente vehementer concussa, respirare, et restitui cœpit, etiam in Ægypto, ubi multum ab Arianis passi fuerant eremi Cultores, unde necesse habuerunt ad novum Imperatorem Constantinopolim recurrere; quo tempore, si idem ille Rufinus Prætorii Præfecturam gerebat qui sub Theosii filio Arcadio propter affectatam tyrannidem mactari meruit; is, qui paulo post prædictarum Reliquiarum Depositionem in Rufinianis sepulturam accepit, non posset alius intelligi fuisse, quam Abbas Ammonius, neque verificari Auctor noster agens de sepultura Rufini. Sin autem alius ab illo Rufinus Ammonii disciplinæ sese subjecit vir Grandævus et Consularis, fortassis ab anno* CCCXLVI *quem signant Rufinus et Eusebius Coss. posset hic extremis vitæ annis baptizatus ita profecisse, ut paulo post mortuus, miracula cœperit operari, itaque haberetur Rufinianensis Monasterii conditor sanctus, qualem Hypatii Vita describit. Tunc etiam non esset recurrendum ad anteriores sub Constantino Magno Rufinos simili titulo illustres; et primi ex Ægypto Rufinianenses Eremitæ eo impensius debuerint ad se invitare Abbatem Ammonium, quanto propius eum in patria cognovisse potuerunt. Hic vero debuerit in eodem oratorio suum specialiter tumulum habuisse, diversum a tumulo filii sui spiritualis Rufini eo ipso loco ubi deinde erectus fuit tumulus S. Hypatii: sic enim in hujus Vita num. 77 legitur:* Ad urnam ipsius (*S. Hypatii*) amicus Dei Urbicius sumptus suppeditavit. Proximum vero locum obtinet magnus ex eremo ascetes Ammonius. *Atque hæc dicta sunto occasione monasterii, satis incerta quoad primum ejus conditorem. Quale etiam istud censeri posset quod Lausiaca Rufinum appellet* Ἔπαρχον Præfectum *non* τοῦ Πραιτωρίου Prætorii, *quod fuit ultimus ille infelix, estque titulus in Palatio præcipuus. (Majorem domus veteres Franci dixissent) omnia fere pro vel cum Imperatore agentem; sed* τῶν Πραιτωρίων Prætoriorum; *magis integre fortassis scribendum* Πραιτωριανῶν Prætorianorum, *ut intelligatur* Prætorianæ cohortis Præfectus, *cujus est militare munus, longe infra* Præfecturam Prætorii.

tempore Theodosii I,

sub quo ibi mortuus idem Ammonius colatur ut Sanctus;

nisi id intelligi possit de alio Rufino vere Sancto.

et solum Præfecto cohortis Prætorianæ.

§ II. *De S. Hypatii in Rufinianis cultu, Actis a discipulo scriptis, atque ætate.*

Desertum primis incolis post mortem cujuscumque Rufini monasterium nam etiam infelicitas ultimi potuit retundasse in locum ab eo novis ædificiis cultum, et quasi in ipsius nomen translatum, si non etiam primitus ab eo fundatum: desertum, inquam, monasterium alii atque alii inhabitare conati, propter infestationes lemurum dæmonumque non potuerunt ibi perseverare: cumque eo cum sociis duobus accessit Hypatius, *tam erat desolatum, ut vix amplius monasterii speciem præ se ferret. Verum restauravit paulatim omnia Sanctus ille, dæmones primum imperterritus sustinuit, deinde expulit orationibus suis; itaque actis ibi annis aliquot, puta decem aut duodecim, plures ibidem Monachos congregare cœpit, quibus ab anno vitæ quadragesimo, Christi* CCCCXX, *præesse incipiens, eosdem ad annum usque octogesimum pie ac laudabiliter rexit, nomenque etiam suum ipsi monasterio reliquit.* Sancti quippe Hypatii, *illud legitur nuncupatum in Vita S. Auxentii, quam ad diem* XIV *Februarii impressimus, num. 36 et 39, aliaque celebritatem ejus commendantia ibidem traduntur. Evocatus enim ad Concilium Chalcedonense S. Auxentius,* deductus fuit ad Rufinianas prope Sanctos Apostolos, in monasterium beati Hypatii: et magno cum gaudio eum exceperunt, qui illic erant Monachi cum eorum Præposito, viro undequaque optimo, et gratia Dei dignato, ut qui esset Christi discipulus.

Monasterium desolatum incolit Hypatius cum Sociis,

a cujus etiam nomine appellatur

7 *Virum hunc, virtutibus atque miraculis celebrem, fastis Sanctorum a græcis adscriptum, ab aliis quidem die* XVII, *ab aliis vero* XXIX *Junii, transtulit etiam in Martyrologium Romanum Baronius priori die, his verbis;* In Phrygia S. Hypatii Confessoris. *In Phrygia quidem ille natus fuit, uti supra dixi; sed in Bithynia et Rufinianis potiorem vitæ partem sancte egit, mortemque feliciter oppetiit. Hinc melius palæstram ejus notat pervetustum Synaxarium MS. Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ubi celebrior sancti viri memoria fuerit propter vicinitatem loci, ita loquens eadem die* XVII; Μνήμη τοῦ ἁγίου Πατρὸς ἡμῶν Ὑπατίου, τοῦ ἐν Ῥουφινιαναῖς πέραν: Memoria S. Patris nostri Hypatii trans fretum in Rufinianis. Οὗτος πατρὶς μὲν ὑπῆρχε Φρυγία, γονεῖς δὲ θεοσεβεῖς, ἐπὶ τῶν χρόνων Ὁνωρίου καὶ Ἀρκαδίου Βασιλέων. Γράμματα δὲ ἱκανὰ παιδευθεὶς, καὶ τὸν ὀκτοκαιδέκατον χρόνον πληρώσας, πάντα καταλιπὼν, τὸν μονήρη βίον ἐπῆλθε καὶ πάσῃ ἀρετῇ κοσμηθεὶς, τὴν τοῦ Πρεσβυτέρου Χειροτονίαν δέχεται· ὅποσα δὲ δι' αὐτοῦ θαύματα τελοῦνται, ἀδύνατον γράψαι. Αὐτὸς δὲ πληρώσας τὸν ὀγδοηκοστὸν χρόνον,, μακαρίως ἀνεπαύσατο. *Quæ eodem fere verborum ordine habentur in Menæis excusis et apud Maximum Cythericum: Latine autem sic reddantur.* Huic patria quidem Phrygia fuit; parentes autem Deum colentes, temporibus Honorii et Arcadii Imperatorum. Ipse vero sufficienter litteris instructus, et annum decimum octavum ætatis prætergressus, omnibus relictis vitam monasticam auspicatus est, cumque omnibus esset virtutibus exornatus, Sacerdotii dignitatem suscepit.

Cultus ejus ex fastis ecclesiasticis

atque elogium;

A pit. Quanta vero per eum miracula patrentur, explicari nullo modo potest. Postquam autem octogesimum vitæ explesset annum, beato fine quievit.

aliud prolixius.

8 *Aliud Elogium longius, totamque vitam compendio complexum, mox dabimus ex alio Synaxario MS. ceteris fere copiosiori, quod sæpe allegavimus allegabimusque, repertum in Collegio nostro Divionensi in thesauro litterario P. Petri Francisci Chiffletii; cui præmittitur et hoc distichon, alludens ad notionem nominis* Ὑπάτιος, *quod* consularis *latine sonat,* ἀπὸ τοῦ Ὕπατος Consul : *unde et* ὑπατεύειν gerere consulatum.

Κεῖται θαλάσσης Ὑπάτιος πλησίον,
Ὃς ὑπατεύει σὺν Θεοῦ φίλοις ἄνω.

Jacet prope æquor Hypatius; alto in polo
Qui consulatum cum Domini amicis gerit.

Acta a coævo et discipulo Sancti conscripta,

9 *Acta, quæ nos primi latinitate hic donamus et typis publicamus ex codice græco MS. bibliothecæ Vaticanæ, signato* 1667 *pag.* 289; *isthunc ibi titulum præferunt* : Βίος τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Ὑπατίου, τοῦ ἐν Ῥουφινιαναῖς. Vita sancti Patris nostri Hypatii in Rufinianis. *Et mox sequitur* Προοίμιον, γραφὲν πρὸς Εὐλαβέστατον Διάκονον Εὐτυχον. Proœmium, scriptum ad religiosissimum Diaconum Eutychum. *Quem*

B

ab alio ejusdem discipulo inventa et publicata,

et Auctor Proœmii, suum ipsius nomen nusquam prodens, appellat dilectum suum, et religiosissimum Christique amantem Sacerdotem *et Cornelio, Centurioni, de quo in Actis Apostolorum, comparat: atque a studio legendi Sanctorum gesta, eaque imitandi laudat. Huic Auctor ille inscribit mittitque Vitam* S. Hypatii *non quidem a se compositam, sed inventam et obiter correctam. Auctorem Vitæ nominat* Callinicum, *ipsius Sancti discipulum; qui jussus a Moderatoribus suis gesta ejus conscribere et unum in volumen colligere, id sedulo præstitit, sed stylo humili eoque duriusculo ex asperiore Syrorum (cujus nationis fuerit) dialecto; vitaque functus in monasterio Rufiniano, opus suum ibidem reliquit Abbati, qui tertius a* S. Hypatio *illic loci præfuit. Apud hunc anonymus Proœmii Auctor, illac forte iter faciens, idem opus, non tam casu, ut ait, quam divina dispositione, invenit non multo post. Cum vero et ipse* Hypatium *probe novisset, et vidisset et loquentem audisset; dolet non omnia ejus gesta complexum esse Callinicum; nihil tamen præsumit hujus textui addere, aut demere; imo nec mutare quidquam, nisi lævigando asperiorem Syrorum dialectum ac pronuntiationem, ubi ea occurrit; mutationem duorum præcipue vocalium in alias, græce loquentibus usitatiores. Interea testatur, quæ ipse a multis et sæpe rogatus fuerat conscribere* S. Hypatii *gesta, quæque nunc ex alterius compositione in medium profert; a semet aut visa, aut ex ore ipsius Sancti, discipulorumve ejus audita fuisse omnia.*

non nisi visa ab ipsis vel audita ex ore Sancti aut discipulorum ejus continent

C

Mortem Sancti secutus terræ motus et vastatio Thraciæ illata ab Hunnis,

10 *Idem Auctor Actorum S. Hypatii chronotaxim hunc constituit, ut anno ætatis suæ decimo octavo venerit in Thraciam, num.* 5; *quadragesimo susceperit regimen Rufinianensis monasterii, num.* 18; *octogesimo denique vivendi finem fecerit, num.* 76 : *de hoc autem ultimo anno ita loquitur num.* 78 : Necdum triginta dies abierant *(a morte scilicet obita* XVII *Junii)* cum illis in locis facta est grando tanta ut jam maturescens vinea radicitus contereretur....... Post alios quinque menses facti sunt magni terræ motus, qui etiam diu durarunt; et barbarica gens Hunnorum, quæ est in Tracia, sic invaluit, ut plus quam centum urbes occupaverit, parumque abesset quin ipsa Constantinopolis periclitaretur, multique eam fuga desererent. *Habes hic duos anni obitualis characteres qui cum videantur posse certissimum reddere Chronologiam, implicationem tamen reddunt, eo quod ambo concurrant apud Auctores mox citandos in annos diversos duos, scilicet in annum Christi* CCCCXLVII *et* L *ineuntes : adeo ut alterutrum annum præcedente Junio mortuum* Sanctum, *utro revera mortuus fuerit, incertum relinquat. Ad hoc discutiendum nota, non hic agi de illa populatione, quæ facta ab Hunnis anno* CCCCXLII, *Ducibus Bdela sive Bleda et Attila fratribus, Baronium adduxit in errorem, ut posteriores multoque graviores a solo Attila factas strages, in hunc annum conferret. Istius irruptionis meminit Marcellinus Comes in Chronico sub annum* DLXVI *scripto :* Eudoxio et Dioscoro Coss. *(id est anno* CCCCXLVII) Bleda et Attila fratres, multarumque gentium Reges, Illyricum, Thraciamque depopulati sunt. *Sed nulla hic mentio terræ motuum; est pro anno* CCCCXLVII *idem Marcellinus habet sequentia :* Ardabure et Callepio Coss. Ingenti terræ motu per loca varia plurimi urbis Augustæ muri, recenti adhuc reædificatione constructi, cum quinquaginta duabus turribus corruerunt..... pluribus nihilominus civitatibus collapis. Ingens bellum et priore majus per Attilam Regem nostris inflictum, pene totam Europam, excisis invasisque civitatibus atque castellis, corrasit..... Attila Rex usque ad Thermopolim infestus advenit. Arregisclus magister militiæ in ripensi Dacia, juxta Utum amnem, ab Attila Rege, viriliter pugnans, plurimis hostium interemptis occisus est. *Equidem Arnegiscli in Thracia cæsi sub iisdem Consulibus meminit Chronicon Alexandrinum, Canqio Paschale dictum, et de terræ motu ita scribit,* eodem ipso anno ingentes adeo terræ motus extitere, ut quia hi diu persisterunt, muri corruerint et nemo domi manere auderet.

D

ALCT. D. P. non conveniunt anno 442, sed 447 vel 450:

E

11 Et *hæc quidem ille ad initium calamitatum sub solo Attila : ad finem vero earumdem* Valentiniano VII et Abieno Coss. *Chronicon præcitatum quasi ab ovo rem exordiens et duorum triumve annorum gesta sub unum aspectum ponit his verbis :* Imperantibus Theodosio et Valentiniano Augustis, expeditionem movit adversus Romam et Constantinopolim Attilas.... cum infinita copiarum multitudine...... *Describit deinde ferociam insolentis barbari ad utrumque Imperatorem mandata Romæ et Constantinopoli Palatium sibi parare mandantis; Valentinianique ad resistendum animatus, Allaricho Gotho contra Attilam concitato; qui hunc excepit ad Danubium eo prælio quo Allaricus ipse occubuit cum multa suorum strage. quid autem fecerit Theodosius mox videbimus : ad terræ motum deinde transiens Chronicon,* Hoc eodem anno inquit magnum labem accepit Constantinopolis ex terræ motu mense Audynæi XXVI die, noctu, a Troadensibus ita appellatis Porticibus, usque ad æreum Tetrapylum, sat diu durante, ut nemo auderet domi manere sed omnes extra urbem fugerent. *Joannes Baptista Ricciolus noster in Sua Chronologia reformata lib.* I *cap.* XX *demonstrat Audynæum Macedonicum inchoare a die* XXIV *Decembris cujus proinde dies* XXVI *concurrit cum* XIX *Januarii unde retrocedendo per menses septem et dies duos venietur ad* XVII *Junii : quo quia Hypatium Græci colunt eo et mortuum verosimile est : potuerunt autem terræ motus uno mense citius incepisse quam Constantinopoli labes prædicta fieret, et sic vita Hypatii solum sex menses numerans conciliari cum Chronico. Eadem qua hoc ratione secundam Hunnorum invasionem totam sub unum aspectum ponit Theophanes, ad annum Theodosii ultimum, qui fuit Christi* CCCCL *sic scribens :* Dum... Legatorum Gizerichi *Vandalorum in Africa Regis,* adventum et Imperatoris mandata classis Romana præstolatur in Sicilia *mox in Africam trajectura;* Omundii filius Attila in Scytha natus, vir alioquin fortis et superbus, Bdela seniore fratre amisso : solus Scytharum, quos Hunnos vocant, principatum arripit, et in Thraciam excurrit; quo maxime motus Theodosius pacem init cum Gizericho et ex Sicilia classem revocat. Tum Asparem, Areobindum, et Argalisclam mittit adversus Attilam, qui Ratiariam, Nassam, Philippopolim

priore irrupit Attila continuatis victoriis usque ad posteriorem,

quo muri CP. corruerunt 19 Januarii :

F

at hunc simul omnia refert Theophanes :

AUCT. D. P.

A Philippopolim et Arcadiopolim, Constantiamque et alia pleraque oppida subverterat et cum innumeris captivis, etiam Romanis Ducibus, prædam immensam cogebat. Tantis autem victoriis elatus, et ad utrumque mare; Ponticum videlicet, et quod Callipolim usque ad Sestum expanditur (*id est Pontum Euxinum et Hellespontum*), cunctis, munitisque locis suæ servituti, præter Adrianopolim et Heracleam, subactis, ad Athyram usque castellum progreditur. Ad Attilam itaque legationem decernere Theodosius cogitur: eique sexies mille auri libras, ad recessum e Romanis finibus faciendum, promittit; ac insuper mille librarum tributum annuum, si pacem egerit, annuit se pensurum. Porro Romanis copiis a bello contra Attilam receptis, paulo post diem obiit Theodosius mensis Junii vigesimo. Indictione tertia. *Eadem omnia in Historiam suam miscellam transtulit Paulus Diaconus, et ex hoc in suos Annales Card. Baronius excepto obitu Theodosii: sed quia Theophanes more Græcorum octo annos detrahentium æræ Christianæ, notaverat annum CCCCXLII, qui latinis numeratur CCCCL, fecerunt ut clades ista octo annis præcederet mortem Imperatoris.*

B 11 *Placuit hæc omnia tam distincte producere ut intelligat Lector, quam non sit facile discernere inter duos annos XLVI et XLIX quinti seculi, utro eorum mortuus S. Hypatius sit: neque ad assumendum ultimum satis nos determinat vel convenientia mensis quo muri Constantinopolitani corruerunt, vel Vita, dum progressum potius, quam ingressum Hunnorum notare videtur, maxime cum taceat de pudenda pace ad quam coactus Imperator fuit, amissis Ducibus cum exercitu: quapropter magis propendeo in annum priorem, quem tenendo natus fuerit Hypatius anno* CCCLXVI, *et Anno* LXXXVI *ejusdem seculi venerit in Thraciam ad Jonam: qui, obtenta deponendi cinguli militaris licentia, cœperat Solitarius vivere ut dicitur num. 6. Sed magnam hic difficultatem objicit ipse Jonas dum hic dicitur ab Arcadio Imperatore obtinuisse licentiam dimittendæ militiæ, seque ad Dei servitium transferendi eo ipso tempore, quo Hypatius jam in Thraciam venerat. Arcadius enim Anno ætatis suæ* XXXI, *Christi* CCCCVIII, I *Maji mortuus; adeoque natus anno* CCCLXXIX, *quartum ætatis annum agebat, quando a patre Theodosio assumptus est in consortium imperii anno* CCCLXXXIII, *consentiente quo ad annum mortis et communicati a patre Imperii Baronio; bis tamen allucinante cum natum ait* CCCLXXVII *et Augustum dictum anno ætatis* VIII. *Interim neque octennis neque quadrimus tunc Arcadius eam habebat ætatem, quam indicat modus, quo dicitur Jonas missionem petiisse; omniaque videntur referenda ad Theodosium patrem adeoque non satis accuratum in rebus diu prægressis Auctorem personas ac tempora confudisse.*

magis tamen placet ut sanctus obierit anno 446, ante ingressum Attilæ in Thraciam.

D 12 *Nihilo leviorem, sed longe gravissimum parachronismum idem Auctor incurrisset num. 18 agens de S. Isaacio, qui Constantinopolim venit extremo Valentis Imperatoris anno, Christi* CCCLXXV, *si vera foret Chronotaxis, juxta quam is in Vita sua, edita* XXX *die Maji nostri, obiisset ut legitur num. 18* Moderante Imperium Theodosio, et filio ejus Arcadio Cæsare declarato, Consulibus Merobaudo secundum et Saturnino, *id est anno Christi* CCCLXXXIII *adeoque* XXIV *annis citius quam gesta sunt, quæ cum S. Hypatio egisse narratur anno* CCCCVII *vel* IX. *Notavi quidem ad Vitam S. Isaaci in Majo illam scriptam esse intra tempora, quibus imperium tenuerunt Justinianus senior et Leo philosophus, id est uno, altero, vel etiam tertio seculo post mortem Sancti: non tamen in mentem venit suspicari characteres temporis tam distincte signatos ex arbitrio Scriptoris vel interpolatoris gratis esse confictos et quidem cum tanta exorbitantia. Hoc nunc credere cogit non solum sancti Hypatii quam tractamus Vita, sed etiam Vita S. Dalmatii, ejus qui S. Isaacio successit in monasteriorum regimine, omni fide dignissima, et bonam partem descripta ex Actis Synodi Ephesinæ, danda ad diem* III *Augusti. In hac enim prolixe narratur quomodo eumdem Dalmatium Abbatem pro defuncto consecraverit S. Atticus Patriarcha Constantinopolitanus, nec longo post tempore mortem obierit. Hanc autem obiit Atticus* CCCCXXVIII *atque ita S. Isaacius annis fere quinquaginta Constantinopoli vixerit, eodem appulsus in vigore ætatis puta annorum* XL, L, *vel* LX: *ipse vero Dalmatius, quem Acta Synodi anno* CCCCXXXI *testantur annis* XLVIII *non extulisse pedem extra monasterium, cui se incluserat maturæ jam ætatis vir, ut qui uxorem et liberos in seculo habebat, parem magistro ætatem attigerit, triennio post Synodum actam defunctus: itaque stabilita ex hoc capite manet Vita S. Hypatii, et correctus locus præcitatus in Majo.*

Abbas factus vivente adhuc S. Isaacio

vir ante an. 425 mortuo

§. III. *Epitome Actorum e Synaxario MS. collegii Divionensis Soc. Jesu.*

C Hic Sanctus in Phrygia natus, vapulavit a patre suo annum agens ætatis decimum octavum: quapropter e patria profugiens transiit in Thraciam, abiitque in monasterium, ubi solus degens virtutibus factus est venerabilis: vinum enim numquam gustavit, et a spiritu fornicationis pulsatus, totos octo dies transegit, nihil omnino vel manducans vel bibens. Hoc cum Prælatus intellexisset, propria manu sua ei porrexit, post Completorium, Fratribus præsentibus, vini calycem cum buccella: per quæ continuo liberatus ab illo conflictu, gratias Deo atque magistro suo egit. Post annos autem plures ingressus in civitatem ex voluntate spiritualis sui Patris, ut auxilium ferret alicui in tentationes prolapso, illud carnali suo patri tulit; eique cooperans ad propria remisit.

14 Ipse vero conjungens se duobus quibusdam Fratribus Chalcedonem trajecit atque ad Rufini monasterium sese contulit, desolatum prorsus atque informe, potius dixerim silvestre et horrendum. Etenim Rufinus iste Roma huc appulsus cum illustre monasterium ædificasset, in eoque Ægyptios Monachos collocasset, Deum quoad vixit glorificavit. Eo autem mortuo, inibique sepulto, cum Monachi in propriam

F Οὗτος ὁ Ἅγιος γεννηθεὶς ἐν Φρυγίᾳ, ἐτύφθη παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ὄγδοον καὶ δέκατον ἔτος ἄγων τῆς ἡλικίας· καὶ φυγὼν ἐξ αὐτῆς, διεπέρασεν ἐν τῇ Θρᾴκῃ· καὶ ἀπελθὼν εἰς κοινόβιον καὶ μονάσας, γέγονεν ἐξ ἀρετῶν αἰδέσιμος· οἶνον γὰρ ποτὲ οὐ μετέλαβε· καὶ πολεμηθεὶς ἐπὶ πορνείᾳ, ἡμέρας ἐτέλεσεν ὀκτὼ μὴ ἁψάμενος τὸ σύνολον βρώσεως καὶ πόσεως. Τοῦτο μαθὼν ὁ Προεστὼς, δέδωκεν αὐτῷ ἰδιοχείρως κύλικα οἴνου καὶ ψωμὸν, μετὰ τὰ Ἀπόδειπνα, παρόντων τῶν Ἀδελφῶν. Διὸ καὶ εὐθέως τοῦ πολέμου λυθεὶς, εὐχαρίστησεν τῷ Κυρίῳ καὶ τῷ διδασκάλῳ αὐτοῦ. Μετὰ χρόνους δὲ ἱκανοὺς ἐν τῇ πόλει εἰσελθὼν, μετὰ βουλῆς τοῦ πνευματικοῦ πατέρος τὸ πρὸς βοήθειάν τινι ἐν πειρασμοῖς περιπεσόντι, τῷ σαρκικῷ πατέρι αὐτοῦ ἐβοήθησε, καὶ συνεργήσας αὐτὸν ἀπέστειλεν εἰς τὰ ἴδια.

14 Αὐτὸς δὲ δύο τισὶν Ἀδελφοῖς ἑνωθεὶς, καὶ ἐν Χαλκηδόνι περάσας εἰς τὸ τοῦ Ῥουφίνου μοναστήριον ἀπήντησεν, ἄοικον ὄντα καὶ ἀμόρφωτον, μᾶλλον δὲ ἄγριον καὶ φοβερόν. Οὗτος γὰρ ὁ Ῥουφῖνος ἀπὸ Ῥώμης ἐλθὼν, καὶ μοναστήριον ἔνδοξον οἰκοδομήσας, καὶ Αἰγυπτίους Μοναχοὺς ἐν αὐτῷ οἰκήσας, ἐδόξασε τὸν Θεόν· αὐτοῦ δὲ τελευτήσαντος, καὶ ἐν αὐτῷ τῷ μοναστηρίῳ ταφέντος, καὶ τῶν Μοναχῶν εἰς τὴν ἰδίαν χώραν ἀπελθόντων ἔμεινε τὸ κοινόβιον ἄοικον·

διὸ

διὸ καὶ ἀναφυεῖσαι ἄκανθαι καὶ τρίβολοι ἀμόρφωτον καὶ ἀκαλῆ τὴν μονὴν πεποιήκασιν· ἀλλὰ καὶ πονηρὰ πνεύματα, τὰ εἰσελθόντα κἀκεῖσε οἰκήσαντα φοβερὰν καὶ ἄβατον ἅπασι τὴν μονὴν πεποιήκασι.

15 Ταύτην ὁ Ἅγιος εὑρὼν, τοὺς μὲν δαίμονας δι' εὐχῆς διώξας, καὶ τὴν ἀμορφίαν σὺν τοῖς μετ' αὐτοῦ ἀνακαθάρας εἰς τὸ ἀρχαῖον κάλλος μετήγαγε· καὶ καθεσθεὶς σὺν αὐτοῖς, ὁ μὲν εἰργάσατο τριχινὰ [ἱμάτια,] ὁ δὲ ἔσπειρεν [λάχανα εἰς] τὸν κῆπον. Μετὰ δὲ χρόνον τινὰ ἀντιπεράσας εἰς τὴν Θρᾴκην, ἀπῆλθεν ἐν τῇ μονῇ αὐτοῦ. Ἐλθόντες δὲ οἱ ἐν Ῥουφινιαναῖς Ἀδελφοὶ, καὶ τὸν Ὑπατίον Ἡγούμενον ζητήσαντες ἔλαβον αὐτόν. Ἐκ τότε μεγάλους ἀγῶνας ἦν δειξάμενος ὁ ὅσιος, καὶ ζηλώσαντες πολλοὶ ἀπετάξαντο ἐκεῖσε, καὶ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ γεγόνασι Μοναχοὶ κατὰ Θεὸν προκύπτοντες.

16 Ὁ δὲ θεῖος Ὑπάτιος, χάρισμα λαβὼν ἐκ Θεοῦ, ἰάματα ἐποίει πολλὰ, δαιμονῶντας ἰάσατο, τυφλοὺς, χωλοὺς, ξηροὺς, ὑδεριῶντας ἐθεράπευε, καὶ γυναῖκας αἱμοῤῥοούσας οὐκ ὀλίγας, καὶ στειρούσας τεκνογονεῖν ἐποίησε, καὶ πολλὰς γάλακτος πηγὰς καταξηρασμένας ἐχούσας γαλακτούσας εἰργάσατο, ὕδωρ δὲ καὶ σῖτον καὶ ἄλλα τινὰ τῶν ἐδωδίμων πολλάκις καιροῦ καλοῦντος ἐπλήθυνε, καὶ πᾶν ὅτι οὖν νόσημα ἐν ἀνθρώποις καὶ κτήνεσι δι' εὐχῆς αὐτοῦ ἐφυγαδεύετο. Ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ὄσπριον καὶ λάχανα καὶ ὀλίγος ἄρτος περὶ βαθεῖαν ἐννάτην· πρὸς δὲ τὸ γῆρας καὶ ὀλίγος οἶνος. Ὀγδοηκοστὸς γεγονὼς, ἐλευκάνθη ἡ κεφαλὴ αὐτοῦ καὶ ὁ πώγων ὥσπερ χιὼν, καὶ ἦν αἰδέσιμος καὶ πράξει καὶ θεωρίᾳ. Τεσσαράκοντα δὲ χρόνους ποιμένας τὸ αὐτοῦ ποίμνιον, καὶ τὴν ἱερωσύνην τιμήσας, καὶ τοὺς μαθητὰς προασπιστεύσας, πρὸς Κύριον καὶ αὐτὸς ἀπῆλθε δοξάζων τὸν Θεόν.

revertissent provinciam, mansit locus inhabitatus; unde enati ibidem cardui tribulique informem ac prorsus inamœnum reddiderunt: quin et dæmonia illuc ingressa ibique habitantia fecerunt ut omnibus inaccessus atque horribilis esset.

AUCT. D. P.

15 Tale Sanctus inveniens monasterium illud, dæmones quidem oratione expulit, informem vero squallorem, cum sociis repurgando locum, commutavit in splendorem antiquum. Sederunt ergo ibi cum illo, unusque cilicina texebat vestimenta, alius hortum oleribus conserebat. Post aliquod deinde tempus renavigans in Thraciam Sanctus, ad suum rediit monasterium: sed venientes ex Rufinianis Fratres et Hypatium Hegumenum requirentes, ipsum abstulerunt: qui exinde multa sustinuit certamina: cumque multi eum æmulantes ibidem mundo renuntiarent, modico in tempore facti sunt Monachi, et secundum Deum egregie profecerunt.

16 Ipse vero divinus Hypatius, eam gratiam a Deo consecutus est, ut multis sanitatem conferret, a multisque dæmonia ejiceret; cæcos, claudos, aridos, curaret; mulieribus sanguine fluentibus non paucis et prolem concipere haudquaquam valentibus fœcunditatem præberet; plurimas etiam, quibus lactis fontes exaruerant, eodem faceret abundare. Aquam etiam et frumentum aliaque ædulia quæcumque prout ratio temporis exigebat multiplicavit sæpius: neque ullum in hominibus aut animalibus mali genus erat cui finem non daret. Cibus autem ejus erant legumina et lactucæ cum modico pane ad transactam fere horam nonam, in senectute vero etiam modicum vinum. Cum autem jam esset octogenarius, barbaque et capillo totus ut nix incanuisset, venerabilior apparebat actione et contemplatione: et actis in pastorali gregis sui cura annis quadraginta, in iisque etiam Presbyterii ordinem sua conversatione cohonestans, suisque discipulis protegendis intendens, tandem etiam ipse emigravit ad Dominum, Deumque in suo exitu glorificavit.

VITA AUCTORE CALLINICO DISCIPULO

Per alium sub tertio loci Abbate expolita.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ

Γραφὲν πρὸς Εὐλαβέστατον

Διάκονον Εὐτυχον.

Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς, ὁ διδάσκων ἄνθρωπον γνῶσιν, καὶ ἀποκαλύπτων νηπίοις ἀπροσδοκήτως, ἅπερ σοφοὶ οὐ κατέλαβον. Εἰδὼς σου τὸ πρόθυμον, ἀγαπητὲ Εὐτυχὲ, καὶ τὴν σπουδὴν ἣν ἔχεις περὶ τὰς συντυχίας τῶν Ἁγίων, ἤτοι τὰς αὐτοπροσώπους καὶ διὰ συγγραφῶν, καὶ ἐν τοιαύταις ἐπιθυμίαις τρέφειν σπουδάζεις τὸν ἔσωθεν ἄνθρωπον. Εὑρὼν καὶ τοῦ ὁσιωτάτου Πατρὸς ἡμῶν Ὑπατίου τὸν βίον συγγραφέντα, καὶ ὑπό τινος τῶν αὐτοῦ μαθητῶν, ὀνόματι Καλλίνικου ἐν διηγήσει ἐκτεθέντα, ἔσπευσα τὴν τοιαύτην ποθεινὴν οὖσαν γνωρίσαι σοι γραφήν. Συνειδὼς μὲν πολλὰ παραλελειμμένα τῶν κατὰ τὸν βίον αὐτοῦ καὶ τῶν ὁσίων αὐτοῦ πράξεων, ἐξ ὧν ἀκήκοα παρ' αὐτοῦ τοῦ μακαρίου Ἀββᾶ. Τὰ δὲ καὶ ἐν ταῖς ἐμαῖς ὄψεσιν θεασάμενος ἔργα αὐτοῦ ἀξιομνημόνευτα εἰς διήγησιν οὐχ εὗρον ἐντεταγμένα τῇ συγγραφῇ· ὅμως δ' οὖν οὐχ οὕτως τοῖς ὑπολειφθεῖσιν ἀλγῶ, ὡς τοῖς εὑρεθεῖσιν χαίρω, ἃ καὶ αὐτὰ πλοῦτος τοῖς φιλαγίοις καὶ φιλοχρίστοις οὐ μικρὸς καθέστηκεν. Συντάξας οὖν ὡς ἐν βιβλίῳ, τῇ Ἀγάπῃ σου ἀπέστειλα. Εὑρὼν δὲ αὐτὰ κατὰ τινα συντυχίαν, μᾶλλον δὲ οἰκονομίαν τοῦ τὰ πάντα οἰκονομοῦντος Χριστοῦ, παριὼν, διὰ τοῦ μοναστηρίου τοῦ ἐν

PROŒMIUM

Scriptum ad Religiosissimum

Diaconum Eutychum.

Benedictus Deus, qui docet hominem scientiam, et revelat parvulis nec opinato, quæ sapientes assecuti non sunt. Cum noverim propensionem animi tui ad studium, quo ferri soles, mi Eutyche, ad cognoscendum gesta Sanctorum, ut, sive oculis tuis illa coram spectes, sive absens descripta legas, talibus interiorem hominem deliciis sedulo nutrias. Cumque ego sanctissimi Patris nostri Hypatii Vitam, a quodam ejus discipulo, cui nomen Callinico, descriptam et historice expositam invenerim; participem illius te reddere volui tam desiderabilis scripturæ. Scio quidem plura ad vitam ejus spectantia, sancteque gesta, quæ ex ipso beato Abbate audivi; imo et alia, quæ oculis ipse meis usurpavi, dignissima relatu opera, historiæ huic inserta non esse: nihilominus non tam doleo, quod quædam illic prætermissa sint, quam gaudeam, quod aliqua sint reperta: quæ etiam ipsa thesaurus sunt non exiguus, sancta dicere et Christo placere cupientibus. Composita igitur illa in modum libri, Dilectioni tuæ submisi; a me fortuito quodam casu aut potius provida

[illegible] S. Hypatii Vita,

a Callinico ejus discipulo collecta,

A Callinico a in Rufinianis inventa;

provida dispositione recte omnia moderantis Dei inventa, cum iter faciens transirem *a* per monasterium, quod est in Rufinianis, apud illum, qui tertius a beatissimo viro isti loci præest, Hegumenum; cui ipsa reliquerat, ex hac vita ad Dominum commigrans, ille sancti senis, secundum datam sibi gratiam Dei, discipulus; qui eadem, ut jussus fuit, in volumen collegerat.

hic simplici suo Stylo proposita, b

2 Hunc ego auctorem mutavi, correxique in illis quæ Syrorum dialectum insitamque ipsis asperitatem sonabant; ratus talia in vulgarem pronuntiationem convertenda esse, mutando elementum η in ε, et ω in ο, *b* aut contra; vel talia quædam faciendo brevia, quæ neque mihi ob mutationem periculum reprehensionis; neque auctori ex proprietate linguæ suæ, qua scripsit, contemptum pariat apud lectores: amplius vero aliquid in compositione illa movere loco suo, sive addendo, sive demendo, temerarium duxi; existimans cariora et gratiora legentibus fore ipsa auctoris religiosi scripta originalia, simplici stylo composita, cum suis mendis ac solœcismis *c*. Quod si correctiones nostræ visæ fuerint sapientiæ mundanæ parum aptæ aut insulsæ; tu forti animo sis et ora pro nobis, religiosissime Christique amans, Sacerdos, per illud desiderium pietatis tuæ, quod tibi commerito, Deus indidit. Ex operibus quippe tuis novimus, quod alterum te Christus Dominus Cornelium fecerit. Et vos religiosissimi verique in Christo Fratres, *d* per fidem vestram pro me orate; vos, qui Christum diligitis, et spirituali desiderio incitamini, et divinitus movemini; vos una cum illo Christi famulo sæpius me interpellantes, rogastis humilitatem meam (potius dixero, excitavit me desiderium vestrum accumbere spirituali mensæ et maximis satiari bonis), rogastis, inquam, me, ut ad gloriam Dei et honorem Sanctorum, qui pulcrum certavere certamen et totis viribus conati sunt gratum Deo præstare famulatum, conscriberem religiosæ Pietati vestræ sancti Patris nostri Hypatii vivendi agendique modum. Confido igitur futurum, ut, gratia Christi per vestras preces cooperante, conferat mihi Deus facultatem explicandi vobis monasticam et venerabilem S. Hypatii vitam, referens tum quæ egomet vidi mirabilia, per ipsum a Deo facta; tum quæ audivi ex discipulis ejus, qui me præcesserunt, tum etiam, quæ ipse Sanctus, glorificans Deum eique gratias agens, narrare solicitus fuit, una docens, quibus quantisque donis dignetur Deus diligentes se, juxta illud: Narrabo omnia mirabilia tua.

c

a multis desiderata, d

et veridica

Ps. 9, 2

3 Hæc sunt quæ scripto indicare volui Dilectioni vestræ; ut et nos et Christiani omnes isthæc utiliter legentes glorificemus Deum, honoremus Sanctos, et virtuti incumbentes, sedulo ipsos conemur imitari; ut coheredes eorumdem inveniamur in vita æterna, quando fulgebunt justi sicut sol, prout scriptum est; Quorum igitur intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Oportebat enim ipsum, ubi usus ferebat, etiam stimulare ad virtutem discipulos suos; quibus identidem dicebat: Filioli, si sculptor aut faber ego forem, utique me imitaremini, ut disceretis artem. Nunc igitur quemadmodum ego sum, et vos sitis. Discite timorem Domini et quomodo placeatis Deo. Similia suggerebat peregre advenientibus monachis, et amicis obviam sibi factis, virtutumque studiosis. Plurimi quippe sunt etiam in seculo, spiritu ferventes et ardenter quærentes virum fidelem, qui gratia divina præditus, convertat animas ad timorem Dei, juxta illum qui dicit: Convertantur mihi timentes te, et qui noverunt testimonia tua: nam hominem ejusmodi fidelem invenire, difficile est. Illis igitur frequentantibus monasterium viri sancti, ipsumque, ut se

Quomodo discipulos

Mat. 13, 43.

Heb. 13, 7.

aliosque profectum suum amantes

Ps. 118, 79.

Ῥουφινιαναῖς παρὰ τῷ τρίτῳ Ἀφηγουμένῳ ἀπ' ἐκείνου τοῦ μακαριωτάτου τῆς ἐκεῖσε μονῆς, ᾧ κατέλειψεν αὐτὰ ἀναλύων πρὸς τὸν Κύριον, ὁ κατὰ τὴν δοθεῖσαν αὐτῷ χάριν μαθητὴς τοῦ ὁσίου γέροντος, τὴν σύνταξιν αὐτῶν, καθὼς ὑποτέτακται ποιησάμενος.

2 Ἐναλλάξας αὐτὸν ἐγώ, καὶ διορθωσάμενος ὅσα κατὰ τὴν τῶν Σύρων διάλεκτον, καὶ τὴν προσοῦσαν αὐτοῖς δασύτητα, ἔδοξεν πρὸς τὴν συνήθη διαλλάχθαι φωνήν, τουτέστι τοῦ Η στοιχείου εἰς τοῦ Ε μεταβολήν, ἢ τοῦ Ω εἰς τὸ Ο, ἢ τὸ ἀνάπαλιν, ἢ τοιαῦτά τινα βραχέα, μήτε ἐμοὶ τῆς ἐναλλαγῆς φέροντα κίνδυνον, μήτε τῷ συντάξαντι ἐκ τοῦ ἰδιώματος τῆς γλώσσης εἰς ὃ παρελεύθησαν πρὸς τοὺς ἐντυγχάνοντας φέροντα καταγνωσιν. Πλέον δέ τι παρασαλεῦσαι τῶν συνταχθέντων, ἢ ἐν προσθήκῃ, ἢ ἐν ὑφαιρέσει τολμηρὸν ἡγησάμην· ἐρασμιώτερα καὶ γλυκύτερα τοῖς ἀναγινώσκουσι νομίσας τὰ τοῦ μοναχοῦ τοῦ γεννήσαντος αὐτά, καὶ συντάξαντος ἐν ἁπλότητι σφάλματα ἐν σολοικισμοῖς. Εἴπερ τὰ ἐμὰ ἐδόκουν, ὡς ἐν σοφίᾳ κοσμικῇ ἄτακτα καὶ ἀγροικότατα διορθώματα, ἐρρωμένης εὔχου ὑπὲρ ἡμῶν εὐλαβέστατε, διὰ πόθον τῆς εὐλαβείας σου φιλόχριστε Ἱερεῦ ὃν σοι ὁ Θεὸς ἐνέθηκεν ἀξίῳ ὄντι. Διὰ γὰρ τῶν πραγμάτων ἐπείσθημεν, ὅτι ὁ Χριστὸς ἐποίησέν σε νέον Κορνήλιον. Καὶ διὰ τὴν πίστιν ὑμῶν εὐλαβέστατοι καὶ γνήσιοι ἐν Χριστῷ ἀδελφοί, οἱ Χριστὸν ἀγαπῶντες, καὶ πόθῳ πνευματικῷ γενόμενοι, καὶ θεόθεν κινούμενοι, ἅμα τῷ δούλῳ τοῦ Χριστοῦ πλειστάκις μοι διοχλήσαντες ἠτήσασθε τὴν ἐμὴν ἐλεεινότητα, μᾶλλον δὲ ὁ ὑμῶν πόθος προετρέψατο με τραπέζης πνευματικῆς ἀπολαῦσαι καὶ πληρωθῆναι ὠφελείας μεγίστης· ὅπως εἰς δόξαν Θεοῦ, καὶ τιμὴν τῶν Ἁγίων τῶν ἀγωνισαμένων τὸν καλὸν ἀγῶνα, καὶ τῷ Θεῷ εὐαρεστησάντων κατὰ δύναμιν, γράψαι καὶ τῇ εὐλαβείᾳ ὑμῶν τὴν τοῦ ἐν Ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ὑπατίου πολιτείαν. Τῆς γὰρ χάριτος τοῦ Χριστοῦ συνεργούσης διὰ τῶν εὐχῶν ὑμῶν, πιστεύω τῷ Θεῷ μου, ὅτι δωρήσεταί μοι Χριστὸς γνωρίσαι τὸν μοναδικὸν καὶ σεμνὸν βίον τοῦ ἁγίου Ὑπατίου· ὅσα τε ἐγὼ ἐθεασάμην θαυμάσια τοῦ Θεοῦ δι' αὐτοῦ γινόμενα· ὅσα τε ἤκουσα παρὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ τῶν πρὸ ἐμοῦ· ὅσα τε αὐτὸς διηγεῖτο, δοξάζων τὸν Θεόν, καὶ εὐχαριστῶν αὐτῷ, ποίων δωρεῶν καταξιοῖ ὁ Θεὸς τοὺς ἀγαπῶντας αὐτὸν κατὰ τὸ γεγραμμένον, Διηγήσομαι πάντα τὰ θαυμάσιά σου.

3 Ταῦτα διὰ γραμμάτων ἐσπούδασα γνωρίσαι τῇ ὑμετέρᾳ θεοφιλίᾳ, ὅπως καὶ ἡμεῖς καὶ πάντες οἱ φιλόχριστοι ἐντυγχάνοντες καὶ ὠφελούμενοι, τὸν Θεὸν δοξάζωμεν, καὶ τοὺς Ἁγίους τιμῶμεν, καὶ ἐν καλῷ ζηλώσαντες σπουδάσωμεν αὐτοὺς μιμήσασθαι, ἵνα συγκληρονόμοι αὐτῶν εὑρεθῶμεν ἐν τῇ αἰωνίᾳ ζωῇ, ὅτε μέλλουσιν οἱ δίκαιοι λάμπειν ὡς ὁ ἥλιος κατὰ τὸ γεγραμμένον· ὧν ἀναθεωροῦντες τὴν ἔκβασιν τῆς ἀναστροφῆς, μιμεῖσθε τὴν πίστιν. Ἠναγκάζετο γὰρ καὶ νουθετεῖν πρὸς ὠφέλειαν, χρείας γινομένης, τοὺς ἰδίους μαθητάς, καὶ τούτοις ἔλεγεν ἀεί· Τέκνα, γλυπτὴς εἰ ἤμην ἢ τέκτων, οὐκ ἄν με ἐμιμήσασθε ἵνα μάθετε τὴν τέχνην; καὶ νῦν γίνεσθε ὡς ἐγὼ καὶ ὑμεῖς, μάθετε φόβον Κυρίου, καὶ πῶς εὐαρεστεῖται ὁ Θεός. Ὁμοίως καὶ τοῖς ἐρχομένοις ἔξωθεν μονάζουσιν, καὶ τοῖς ἀπαντῶσι φίλοις, καὶ τοῖς σπουδαίοις· πλεῖστοι γάρ εἰσιν καὶ ἐν τῷ κόσμῳ, ζέοντες τῷ πνεύματι, καὶ ἐν δίψῃ ζητοῦντες ποῦ εὑρεῖν ἄνδρα πιστὸν καὶ ἔχοντα χάριν τοῦ ἐπιστρέψαι ψυχὰς εἰς τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ κατὰ τὸν λέγοντα· Ἐπιστρεψάτωσάν με οἱ φοβούμενοί σε, καὶ οἱ γινώσκοντες τὰ μαρτύριά σου. Ἄνδρα γὰρ πιστόν, ἔργον ἐστὶν εὑρεῖν. Τούτων οὖν ἐρχομένων ἐν τῷ μοναστηρίῳ αὐτοῦ, καὶ ἀναγκαζόντων αὐτὸν πρὸς διδασκαλίαν, ἐνθυμούμενος ὅτι εἰς τοῦτο ἐκάλεσεν αὐτὸν

τὸν

A τὸν ὁ Θεὸς, ὥστε ὠφελεῖν καὶ σώζειν ψυχὰς, βιαζόμενος ἔλεγεν· Ὅτι εἴ τι παρ' ἐμοῦ ζητεῖτε, ταῦτα ἐν τῇ θεοπνεύστῳ γραφῇ εὑρήσεσθε· ἐγὼ δὲ κατὰ τὴν ἐμὴν βραχύτητα ὅσα ἂν παράσχῃ ὁ Κύριος πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ψυχῶν ὑμῶν καὶ τὴν ἐμὴν ὠφέλειαν ταῦτα ὑμᾶς, ὡς ὁ Θεὸς καὶ λόγοις καὶ ἔργοις ἐχαρίσατο ἡμῖν, ὁ ἀνάξιος ἐγὼ διδάξω, μᾶλλον δὲ ὁ Κύριος διδάξει διὰ τῆς ἐμῆς ταπεινώσεως· τί γὰρ ἔχομεν, ὃ οὐκ ἐλάβομεν παρὰ τοῦ Θεοῦ; Καθὼς γὰρ ἡμᾶς ἐνουθέτει, σπουδαίως δακρύων, αὐτὸς ἔλεγεν ὠφελεῖσθαι, εὐφραινόμενος ἐπὶ τῇ χορηγήσει τοῦ θείου λόγου. Ἅμα γὰρ τὸ ἄρξασθαι αὐτὸν λαλεῖν, τοσοῦτον ἔπνευσεν αὐτῷ ἡ χάρις, ὡς τὸν ἀκούοντα τὸν λόγον εὐθὺς κατανύσσεσθαι, καὶ μὴ νομίζειν παρὰ ἀνθρώπου νουθετεῖσθαι, ἀλλὰ παρὰ Κυρίου. Καὶ γὰρ ὁ Κύριος ἐλάλει δι' αὐτοῦ· ὁ Θεὸς γὰρ ἐλάλησεν ἐν τῷ Ἁγίῳ αὐτοῦ, κατὰ τὸ γεγραμμένον, Ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσιν· περὶ τῆς διδασκαλίας ὕστερον διηγήσομαι· καιρὸς γὰρ ἡμᾶς καλεῖ τοῦ κατάρξασθαι ἄνωθεν, καὶ ἐξ ἀρχῆς ποιήσασθαι τοῦ καλλίστου βίου, καὶ τῆς ἐναρέτου πολιτείας αὐτοῦ τὴν ἐξήγησιν.

doceret, quodammodo cogentibus; cum intelligeret D eo se a Deo vocatum esse, ut et salutem animarum curaret: tandem sic impulsus, dixit: Quod a me petitis, in sacris Litteris invenietis. Ego vero, pro ut fert imbecillitas mea, quæcumque ad perfectionem animarum vestrarum et meam utilitatem præstiterit mihi Dominus; quantumque ipse me verbis et exemplis suis instruere dignatus fuerit, indignus vos docebo; aut potius Dominus vos illa docebit per os humilitatis nostræ: quid enim habemus, quod non accepimus a Deo? Quemadmodum ipse nos perfusus lacrymis docebat, ita faciendum aiebat exultando in administratione verbi divini. Simul enim atque loqui cœpisset, talia inspirabat ei gratia divina, ut auditores illico compungerentur corde; rati non ab homine verba sibi salutaria dici, sed a Deo. Etenim Deus loquebatur per eum: Deus quippe locutus est in Sancto suo, prout scriptum legimus, ut det gratiam audientibus. Verum de doctrinis ejus postea dicendi locus erit; nunc tempus nos vocat, altius ut repetamus et a principio commemoremus pulcherrimam viri vitam et plena virtutum gesta.

A Callinico

ad virtutem excitaret Sanctus.

Ps. 50, 8

B

ANNOTATA D. P.

E

a *Hinc vero simile sit, Scriptorem hujus Prœmii et expolitorem Vitæ non fuisse ipsius Sancti Discipulum; et totam ipsius Prœmii partem in qua ille de Sancto velut sibi notissimo loqui videtur, scriptam a primo Auctore Callinico; sed ut summum ex monasterio Ionæ in Thracia ut infra num.* 12 *notatur.*

b *Non tamen vel sic reperitur in MS. Vaticano ea puritas orthographiæ, quam scriptor promittit, et sæpe cesse fuit* ε *in* αι, *vel* ει *in* η, *et* ω *in* ο, *in* ω *convertere, aliaque non nulla, quæ tamen librariis potius quam Scriptori ipsi imputanda videntur.*

c *Tales existimo esse voces terminatione aut significatione diversas ab usitatis, quarum potiores suo loco notabimus, reliquas per se ipsum distinguet peritus* Φιλέλλην.

d *Quæ ex hinc sequuntur videntur esse ex originario Callinici Præfatione ad S. Hypatii successorem et Fratres monasterii Rufinianensis.*

CAPUT

Hypatius e patria transit in Thraciam; monasticam exercet; infirmos curat.

Γέγονεν γὰρ ἀπὸ Φρυγίας γεννηθεὶς κατὰ φύσιν δὲ ἡ πατρὶς φιλοπαίδευτος ἐστιν ἐν τῷ παιδεύεσθαι τῶν γραμμάτων. Οἱ δὲ γονεῖς αὐτοῦ ἦσαν εὐγενεῖς καὶ φοβούμενοι τὸν Θεόν· σχολαστικὸς γὰρ ὢν ὁ πατὴρ αὐτοῦ, ἐπαίδευσεν αὐτὸν τὰ γράμματα ἱκανῶς. Ἀναστρεφόμενος δὲ μετὰ φόβου, καὶ ὑποτασσόμενος τοῖς γονεῦσιν, ἐδιδάσκετο παρ' αὐτῶν παιδείαν καὶ νουθεσίαν Κυρίου· αὐτός τε ἐν φυσικῶς ἐκ παιδόθεν ἡγιασμένος. ἐν φόβῳ Θεοῦ καλῶς ἀνατραφείς· εἶχεν δὲ κατάνυξιν καὶ πόθον, καὶ ἐτήρει καιρὸν, πότε διαλαθὼν ἀπέλθῃ ἢ ἐν Ἐκκλησίᾳ, ἢ ἐν μοναστηρίῳ ὅπου ἂν εὕρῃ ἄνδρας εὐλαβεῖς· οὐδέπω γὰρ ἦν τότε ἐν τῇ Φρυγίᾳ εἰ μὴ σπανίως εἷς ἢ δεύτερος, καὶ ὅπου [illegible] Ἐκκλησία, οἱ Κληρικοὶ, ὡς ἐπὶ χώρας, [illegible] ὑπῆρχον [illegible] τοῦ νῦν [illegible], ἀκούοντες τὰ περὶ αὐτοῦ, καὶ [illegible] ἐκ τῆς χώρας αὐτῶν· πάντες μὲν γεγόνασι [illegible] Χριστιανοί· τινὲς δὲ καὶ ζηλοῦσι [illegible]. Ἀλλ' οὔτε ἐν τῇ φαιδρᾷ Κωνσταντίνου πόλει ὑπῆρχον τότε μοναστήρια εἰ μὴ μόνον τὸ τοῦ μεγάλου Ἰσαακίου, οὗ διάδοχος ὁ ἅγιος Δαλμάτιος. Μιᾷ γοῦν [illegible], [illegible] αὐτοῦ πατρὸς, [illegible] τὴν πρόθεσιν, [illegible] ἀπὸ τῶν γονέων, καὶ ἐλθὼν μονὰς δύο ἢ τρεῖς, [illegible], κατήντησεν εἰς Ἐκκλησίαν, καὶ ἤκουσε τοῦ ἁγίου Εὐαγγελίου λέγοντος, ὅτι εἶπεν Κύριος· Ὅστις ἀφῆκεν πατέρα ἢ μητέρα, ἢ ἀδελφοὺς, ἢ ἀδελφὰς, ἢ γυναῖκα, ἢ τέκνα, ἢ ἀγροὺς ἕνεκεν ἐμοῦ ἑκατονταπλασίονα λήψεται, καὶ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει· ἀφῆκεν γὰρ σὺν τοῖς γονεῦσιν καὶ μικρὰν ἀδελφήν. Τοῦτο οὖν ἀκούσας ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ θεοπνεύστως, καὶ μᾶλλον τοῦ σκοποῦ αὐτοῦ εἰς προκοπὴν [illegible], εὑρών τινας ὁδεύοντας ἐπὶ τὴν Θρᾴκην, συνώδευσεν αὐτοῖς.

C

Oriundus fuit Hypatius e Phrygia, quæ patria bonis litteris delectatur natura sua, gaudetque iis imbui: parentes habuit nobiles ac timentes Deum; cum enim pater ejus esset a Scholasticis, probe eum in litteris erudivit, qui conversans reverenter et obediens parentibus, didicit ab ipsis disciplinam et scientiam Domini. Erat enim in timore Dei præclare enutritus, et a nativitate sua tenerisque annis veluti sanctificatus. Præstabat contritione cordis F ac pio desiderio serviendi Deo. Hinc observabat temporis opportunitatem, quo se furtim conferret aut ad ecclesiam aut ad monasterium aliquod, ut ibi colloqueretur cum viris religiosis. Nondum enim tunc temporis in Phrygia talis quis inveniebatur, nisi quam rarissime unus vel alter: et sicubi inveniretur ecclesia, ejus Clerici, ut fieri solet in agris, tardiores erant ingenio. Unde etiamnum, licet satis instructi, cum audiunt gesta Hypatii, mirantur talem virum prodiisse e regione sua: ubi omnes propemodum nunc profitentur religionem Christianam, aliqui etiam æmulantur Sancti virtutem. Sed neque in pulchra Constantinopoli tunc erant monasteria præter unum magni Isaacii, cui successit S. Dalmatius. Quodam igitur die cum vapulasset a patre suo: quod dudum animo continuerat peregre profectus est clam parentibus; cumque duarum vel trium mansionum itinere progressus esset, ingressus est, uti ipse narrabat, ecclesiam, et audivit ex sacro sancto Evangelio legi istud Domini oraculum: Qui reliquerit patrem aut matrem, aut fratres aut sorores, aut uxorem aut liberos aut agros propter me, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit. Quo audito (reliquerat enim cum parentibus etiam sororem parvulam) et inspirante Deo intelligens venisse tempus exequendi propositum de vita perfectiori amplectenda

e Phrygia nobili genere oriundus,

a

ubi tunc Monachi rari [illegible] erant,

[illegible] Constantinopoli,

Matt. 19, 29

[illegible] in Thraciam [illegible] divino monitu e parentibus

A amplectenda; ac repertis aliquibus, in Thraciam iter facientibus comitem sese iis junxit.

A CALLINICO

5 Cum autem isti Thraciam ingressi, nullum reperissent hospitium; pernoctarunt in monte, ad quem tunc pervenerunt. Erat autem pars una montis densum nemus, terribile ab infestatione dæmonum illic commorantium; qui et appropinquabant dormientibus, ipsos tentaturi, ac dicebant inter se: Nihil nocere istis valemus, adest quippe cum eis adolescens, cui data est a Deo potestas in nos. Quæ cum percepissent homines illi, perterrefacti, excusso somno, audierunt strepitum fugientium inter arbores dæmonum; uti et ipse adolescens Hypatius, annos tunc duodeviginti natus. Orto autem die, interrogatus ab illis, num cognovisset quæ facta fuerant; negavit: ipsi vero gratias egerunt Deo, mirantes, qualem sibi adolescentem Christianum viæ comitem adjunxisset; considerantesque summam ejus verecundiam et vitam religione conspicuam, commendarunt ipsum (verecundabatur enim solus abire) cuidam patrifamilias qui eum suscipiens, pascere oves jussit. Neque id mirari debemus, hoc enim ipsa re præsignificare voluit Deus, illum aliquando pastorem fore ovium Christi rationalium: neque enim ignoramus, etiam sanctos viros Moysen, Jacobum ac Davidem oves pavisse. Hypatius interea dum pascebat oves, cantilenam, uti obtinet inter pastores, elata voce modulabatur. Quod ecclesiæ, quæ prope aberat, presbyter audiens, conatus est ipsum abducere ab illo, quem diximus, patre familias, promissione interposita, quod eum doceret psalmos, et cantorem constitueret ecclesiæ suæ; atque etiam, si ita vellet, in monasterio collocaret. Adolescens autem qui aliud in votis non habebat, sese commisit roganti; ac spallendo tantum profecit, ut mirarentur omnes ipsius artem, et quomodo psalmos tam facile didicisset. Interea vino abstinebat: et Clericos multum potantes inter prandendum, notabat alios quidem a virtutis declinare via, alios vero se voluptatibus dedere (uti agrestes solent) et nihil utilitatis afferre secularibus; unde et verecundabatur.

Annos 18 natus timetur a dæmonibus,

oves pascit,

B

psallere in ecclesia discit,

vino abstinet.

5 Γενομένων δὲ αὐτῶν ἐν τῇ Θρᾴκῃ, καὶ μὴ φθασάντων αὐτῶν εἰς μονήν, ηὐλίσθησαν ἐν ᾧ κατελήφθησαν ὄρει· ἐν δὲ τῷ ἑνὶ μέρει δασὺ ἦν τὸ ὄρος ἀπὸ τῶν δένδρων, καὶ φοβερὸς ἦν ὁ τόπος ἀπὸ τῶν δαιμόνων αὐλιζομένων, οἱ ἦλθον τοῦ πειράσαι αὐτούς, καὶ ἔλεγον εἰς ἀλλήλους· Οὐδὲν αὐτοῖς δυνάμεθα ποιῆσαι, σὺν αὐτοῖς γάρ ἐστιν παιδίον, λαβὼν ἐξουσίαν κατ᾽ ἡμῶν. Καὶ τοῦτο καθεύδοντες ἤκουσαν, καὶ θροηθέντες καὶ διυπνίσαντες, ἤκουον ψόφους ἐν τοῖς δένδροις φευγόντων τῶν δαιμόνων. Ἦν δὲ γινώσκων καὶ ὁ παῖς τοῦ Θεοῦ τὰ γινόμενα· ἐτῶν γὰρ ἦν δέκα καὶ ὀκτώ. Γενομένης δὲ ἡμέρας, ἠρώτων αὐτὸν εἰ ἔγνω τι τῶν γινομένων. Τοῦ δὲ ἀρνησαμένου, αὐτοὶ ηὐχαρίστουν τῷ Κυρίῳ, θαυμάζοντες ποῖον παῖδα Χριστιανὸν ἔσχον παρὰ τοῦ Θεοῦ συνοδοιπόρον· καὶ θεωροῦντες αὐτὸν πάνυ κατηφῆ, καὶ ἐν εὐλαβείᾳ διάγοντα, παρέθεντο αὐτόν τινι οἰκοδεσπότῃ· αὐτὸς γὰρ ᾐσχύνετο μόνος τοῦ ἀπιέναι. Λαβὼν δὲ αὐτὸν ἐκεῖνος, ἔδωκεν αὐτὸν βόσκειν πρόβατα. Καὶ μὴ ξενιζώμεθα, τοῦτο γὰρ αὐτῷ προεσημαίνετο παρὰ τοῦ Θεοῦ, ὅτι ἔμελλεν ποιμαίνειν καὶ πρόβατα Χριστοῦ λογικά· οὐκ ἀγνοοῦμεν δὲ [ὅτι] καὶ ὁ ἅγιος Μωυσῆς, καὶ Ἰακώβ, καὶ Δαυὶδ πρόβατα ἐβόσκησαν. Ὡς οὖν ἐποίμαινε τὰ πρόβατα, ἐπῇρεν τὴν φωνὴν αὐτοῦ ᾄδων, ὡς γίνεται ἐν τοῖς ποιμέσιν. Οὔσης δὲ πλησίον Ἐκκλησίας, ὁ Πρεσβύτερος ἀκούσας αὐτοῦ τῆς φωνῆς, προτρεψάμενος ἦρεν αὐτὸν ἀπὸ τοῦ οἰκοδεσπότου, ἐπαγγειλάμενος διδάσκειν ψαλμούς, καὶ ποιεῖν αὐτὸν ψάλλειν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ· εἰ δὲ καὶ βούλοιτο, διδόναι αὐτὸν μοναζουσιν. Ὁ δὲ τὸν πόθον ἐν τούτῳ ἔχων, ἐπέδωκεν ἑαυτόν. Ὡς οὖν ἔψαλλεν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, ἐθαύμαζον αὐτοῦ τὴν ἐπιστήμην, καὶ πῶς τοὺς ψαλμοὺς [οὐκ] ἐμπόνως ἐμάνθανεν. Οἴνου δὲ οὐκ ἐβούλετο μεταλαβεῖν· τῶν δὲ Κληρικῶν πάνυ οἰνοποτούντων εἰς τὰ ἄριστα, τοὺς μὲν ἐθεώρει πλαγιάζοντας, τοὺς δὲ στρηνιῶντας ἀπὸ εὐφρασίας, ὡς ἐν ἀγρῷ, καὶ τοὺς κοσμικοὺς μὴ ὠφελουμένους, καὶ πάνυ ᾐδεῖτο.

D

E

6 Interea cum lacrymis orabat Deum, ut sibi gratiam faceret habitandi cum viris religiosis: disposuitque Deus militem quemdam in urbe Constantinopoli Jonam nomine, genere Armenum, stimulans eum ut militiæ mundoque vale diceret. Is vero cum pluries Tribunum Numeri *b* missionem postulasset, nec tamen impetrasset; die quadam imposito humeris lignorum fasciculo, ignem manu ferens, stitit se prodeunti in publicum augustissimo Imperatori Arcadio, *c* atque ita ipsum alloquitur: Hactenus servivi Majestati tuæ; imposterum vero serviam Christo Domino: jube igitur me dimitti. Sin autem, ecce lignum et ignem, quibus per me licet, comburas me famulum tuum. Ego quippe aliud facere non possum. Imperator visa militis intentione atque animi proposito tam pio jussit illico eum exauctorari. Ille autem continuo civitate egressus, compegit sibi tugurium in monte, non admodum procul ab ecclesia, ubi famulus Dei Hypatius morabatur; herbis ibidem vitam sustentans. Hoc ubi resciverunt circum incolentes rustici, eo conscenderunt, ac cellam viro construxerunt, et addiderunt locum parvum, ubi psallere, orare, jejunare, et quaslibet monasticas exercere posset virtutes; quarum jam tirocinium posuerat in patria sua. Sunt enim Armeni in paucis pietati et servitio divino addicti.

b

C

Excitat Deus militem Armenum, Jonam nomine,

c

ad serviendum sibi;

6 Λυπουμένου δὲ αὐτοῦ, καὶ τὸν Θεὸν παρακαλοῦντος ὅπως καταξιωθῇ μετὰ εὐλαβῶν οἰκῆσαι, εὐχομένου αὐτοῦ, ᾠκονόμησεν ὁ Θεὸς τινα στρατιώτην εἰς Κωνσταντινούπολιν, Ἰωνᾶν ὀνόματι, Ἀρμένιον τῷ γένει, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἐγκεντρισθέντα ἀποτάξασθαι. Ὅστις Ἰωνᾶς πλειστάκις παρακαλέσας τὸν Τριβοῦνον τοῦ νουμέρου, καὶ μὴ ἀπολυόμενος, μιᾷ τῶν ἡμερῶν λαβὼν φορτίον μικρὸν ἐπὶ τῶν ὤμων, καὶ πῦρ ἐν τῇ χειρί, προερχομένου τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως Ἀρκαδίου, προσελθὼν εἶπεν αὐτῷ· Ἕως τοῦ νῦν ἐδούλευσα τῷ κράτει σου, ἀπάρτι δὲ βούλομαι τῷ Χριστῷ δουλεῦσαι, κέλευσον με ἀπολυθῆναι· εἰ δὲ μήγε, ἐξουσίαν ἔχεις ἐν τούτοις καῦσαι τὸν δοῦλόν σου. Ἐγὼ γὰρ ἄλλο τι πρᾶξαι οὐ δύναμαι. Ἰδὼν δὲ ὁ βασιλεὺς τὴν εὐσεβῆ αὐτοῦ ὑπόνοιαν, εὐθέως ἐκέλευσεν αὐτὸν ἀπολυθῆναι, καὶ εὐθέως ἐξῆλθεν τῆς πόλεως, καὶ ἐξελθὼν, ἔπηξεν καλύβην ἑαυτῷ εἰς τὸ ὄρος, οὐ πάνυ μακρὰν ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας ἐν ᾗ ἦν ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ. Μένων δὲ ἐν τῇ σκηνῇ, ἔζη ἀπὸ τῶν βοτανῶν. Γνόντες δὲ οἱ πέριξ χωρικοὶ ἀνελθόντες ᾠκοδόμησαν αὐτῷ κέλλαν, καὶ ἐποίησαν αὐτῷ τόπον μικρὸν ἐν τῷ ψάλλειν αὐτόν, καὶ εὔχεσθαι, καὶ νηστεύειν, καὶ πᾶσαν τὴν τοῦ μονάζοντος ἀρετὴν ἐξασκεῖν, ἔμπειρος γὰρ ἦν ταύτης ἐκ τῆς ἰδίας πατρίδος μαθών· οἱ γὰρ Ἀρμένιοι σφόδρα πρόσκεινται τῷ Θεῷ.

F

7 Hocce loci cœperunt unus et alter novo Solitario ad serviendum Deo se conjungere; et Hypatius quoque, audita viri fama, eodem se contulit, vale Presbytero ceterisque ibi sociis dicto; Volo, inquiens, et ego servire Deo; moxque admissus fuit,

cui se Hypatius annos jam 20 habens, adjungit,

7 Ἤρξατο εἷς καὶ εἷς προσκολλᾶσθαι αὐτῷ εἰς τὸ δουλεύειν τῷ Θεῷ. Ἀκούσας οὖν περὶ αὐτοῦ καὶ ὁ θεοφιλὴς Ὑπάτιος, εὐθέως συνταξάμενος τῷ Πρεσβυτέρῳ καὶ τοῖς λοιποῖς, ἀπῆλθεν πρὸς αὐτὸν λέγων· Βούλομαι κἀγὼ δουλεῦσαι τῷ Θεῷ. Καὶ εὐθέως ἐδέξατο αὐτόν. Οἱ δὲ ἀπολύσαντες

A ἀπολύσαντες αὐτόν, πάνυ ἐλυπήθησαν διὰ τὴν εὐλάβειαν αὐτοῦ, καὶ ὅτι ὑπὲρ πάντας παρέμενεν τῇ Ἐκκλησίᾳ. Ἦν δὲ ἐτῶν εἴκοσι ὅτε εἰσῆλθε πρὸς τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ Ἰωνᾶν· καὶ ἄλλων οὖν προσκολλωμένων αὐτοῖς, ἤρξαντο φιλοκαλεῖν, καὶ κῆπον καὶ χώραν εἰς τὸ σπείρειν, καὶ ἐπικτίζειν μοναστήριον, ὡς συναχθῆναι ἀδελφοὺς ὀγδοήκοντα, καὶ γενέσθαι καστέλλιον μέγα. Διὰ γὰρ τὸ τοὺς Οὔννους γειτνιάζειν, καὶ ῥαδίως πραιδεύειν τοὺς τόπους, καστέλλια ᾠκοδομοῦντο. Καθηγεῖτο οὖν τῶν πάντων ὁ ὅσιος διδάσκαλος Ἰωνᾶς. Τοσοῦτον δὲ ἐφήψατο τῆς ἀσκήσεως ὁ Ὑπάτιος, ὡς ὑπερβάλλεσθαι πάντας, μικροῦ δεῖν καὶ τὸν Ἡγούμενον, ἐν νηστείᾳ καὶ ἀγρυπνίᾳ καὶ ψαλμῳδίᾳ, καὶ εὐχῇ, καὶ ὑπακοῇ, καὶ ἡσυχίᾳ, καὶ ταπεινοφροσύνῃ, καὶ ἀκτημοσύνῃ, καὶ πάσῃ ἀρετῇ, ὡς πάντας ὠφελεῖσθαι παρ' αὐτοῦ, καὶ τὸν Θεὸν δοξάζεσθαι, καὶ τὸν Ἡγούμενον ἀγαπᾶν αὐτὸν καὶ χαίρειν ἐπὶ τῇ πολιτείᾳ αὐτοῦ.

8 Τοσαύτην γὰρ νηστεύων καὶ εὐχόμενος ἡσυχίαν ἤσκει, ὡς ἐπιθυμεῖν πάντας λόγον ἀκοῦσαι παρ' αὐτοῦ, καὶ παρακαλεῖν αὐτὸν τοῦ νουθετεῖν αὐτοὺς πρὸς ὠφέλειαν. Ὁ δὲ παρῃτεῖτο λέγων· Καὶ ἐν τῷ κόσμῳ δοῦλος ὑπῆρχον,
B νῦν δὲ ἦλθον ἵνα καταξιωθῶ καὶ ὑμῶν δοῦλος γενέσθαι. Ὅθεν προσέπεσε τοῖς ποσὶ τοῦ Ἡγουμένου λέγων· Κέλευσόν με δι' ὅλου τοῖς κακουμένοις ἐξυπηρετεῖσθαι, τοῦτο γὰρ ἔλεγεν πεποιηκέναι, ὅτι ἐξελεξάμην ταύτην τὴν ἐντολήν, ἀκούσας ἐν τῷ ἁγίῳ Εὐαγγελίῳ τοῦ Κυρίου εἰπόντος τοῖς ἐκ δεξιῶν· Δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τοῦ Πατρός μου, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν· ἐπείνασα γάρ, καὶ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν· ἐδίψησα, καὶ ἐποτίσατέ με· ξένος ἤμην, καὶ συνηγάγετέ με· γυμνός, καὶ περιεβάλετέ με· ἀσθενής, καὶ ἐπεσκέψασθέ με· ἐν φυλακῇ, καὶ ἤλθετε πρός με. Τῶν δὲ εἰπόντων, Κύριε, πότε σε εἴδομεν οὕτως, καὶ ἐποιήσαμεν ταῦτα; ἀπεκρίνατο· Ἀμήν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ' ὅσον ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων, ἐμοὶ ἐποιήσατε.

9 Κελευσθεὶς δὲ παρὰ τοῦ Ἡγουμένου, τοσαύτην προθυμίαν ἐπεδείκνυτο, ὥστε καὶ ἀπὸ μήκους ἀπιὼν καὶ προφάσει κατασκοπῆσαι τῆς χώρας τοῦ σπόρου, καὶ εὑρεῖν χωρικοὺς ἀσθενοῦντας, καὶ ἐρριμμένους ἐν τῇ ὁδῷ πενιχροὺς ὄντας (ὡς διηγεῖτο ἡμῖν· καὶ γὰρ τὰ τοῦ ἁγίου Ἰωνᾶ αὐτὸς ἡμῖν διηγεῖτο) τούτους ἐπ' ὤμων λαμβάνων βαστάσας, ἀπετίθετο ἐν τῷ πυλῶνι, καὶ εἰσερχόμενος
C ἔλεγεν τῷ Ἀββᾷ· Τινὲς εἰσήνεγκαν ἐν τῷ πυλῶνι ἄρρωστον, καὶ ἀφέντες αὐτὸν ἀπῆλθον· καὶ κελευσθεὶς, εἰσέφερεν αὐτόν. Καὶ εἴτε τραῦμα εἶχεν, ἤ τινα ἀρρωστίαν, καθαρίσας αὐτὸν ἐπεμελεῖτο αὐτοῦ ὡς χρή, καὶ στρώσας κλίνην, ἀνέπαυεν αὐτόν, καὶ βρώμασιν ἐπιτηδείοις διέτρεφεν αὐτόν. Εἰ δὲ χρεία ἦν τοῦ ἀλειφθῆναι τὸν ἄρρωστον, ἀναγγείλας τῷ Ἀββᾷ, ὄντι πρεσβυτέρῳ, ἐποίει αὐτὸν ἐλαίῳ εὐλογημένῳ ἀλειφθῆναι παρ' αὐτοῦ, καὶ ἐν ὀλίγαις ἡμέραις ἀπέλυεν αὐτὸν ὑγιῆ, τοῦ Θεοῦ αὐτῷ συνεργοῦντος, καθὼς γέγραπται, παντὶ τῷ ἐργαζομένῳ τὸ ἀγαθόν, συνεργεῖ ὁ Θεός. Ἠκούσαμεν δὲ καὶ τοῦτο παρὰ τῶν ἐκεῖσε ἀδελφῶν ὅτι εἴτις προσφάτως ἦν πυρέξας, ἀπερχόμενος ὁ Ὑπάτιος, ὡς ψηλαφῶν αὐτόν, καὶ ἐπισκεπτόμενος, τῇ μὲν χειρὶ ἀσυμφανῶς τὸν τίμιον σταυρὸν ἐποίει· τῷ δὲ νῷ ἐκτενῶς ηὔχετο λέγων τῷ ἀδελφῷ· Ἔγειρε, οὐδὲν κακὸν ἔχεις, κατέλθε εἰς τὴν ὑπηρεσίαν. Ταῦτα δὲ ἔλεγεν πίστει, ὡς εὐθὺς κουφισθέντα τὸν ἄρρωστον, εἰς τὸ βέλτιον καταστῆναι· εἰ δὲ καὶ προθύμως τις ἀκούσας αὐτοῦ ἀνέστη, τοῦ Θεοῦ παρέχοντος διέμενεν ὑγιής, μὴ κακὸν ἔχων.

dolentibus multum illis a quibus discesserat, tum D quod religiosissime vivebat, tum quod præ ceteris in ecclesia perseverabat. Erat vero, quando ad servum Dei Jonam accessit Hypatius, annorum viginti. Post hunc accesserunt et alii plures; et cœperunt colere hortum, et seminare agros, et ædificare monasterium; et congregati sunt Fratres octoginta, et factum est castellum magnum (quia enim in vicinia insederant Hunni *e* quibus facile erat loca ista deprædari, castella fuerunt excitanda) et præerat omnibus sanctus magister Jonas. Hypatius vero tam strenue incumbebat in ascetica opera, ut antecelleret omnibus, et tantum non ipsi etiam Hegumeno ac magistro suo, jejuniis, vigiliis, psalmodiis, orationibus, obedientia, silentio, humilitate, paupertate, et omni virtutum genere; adeo ut omnes utilitatem non exiguam caperent ex convictu ejus, ac Deum propterea glorificarent; Hegumenus vero strenuum asceten singulariter amaret, delectareturque plurimum conversatione ejus.

A CALLINICO

et excitato munitoque contra Hunnos monasterio,

exemplar fit omnis generis virtutum;

8 Etenim tantam Hypatius inter jejunandum atque orandum habebat silentii curam, ut omnes quidem desiderarent ipsum loquentem audire, et rogarent sibi ut sermone suo ad virtutem stimularet, ille vero talia subterfugiens, diceret: Ego uti in E mundo servus fui, ita nunc huc veni, ut et vobis servus esse merear. Tunc procedens ad pedes Hegumeni, adjecit: Præcipe, uti me totum infirmorum ministerio impendam: hoc enim, inquiebat, institutum elegi audiens Dominum in Evangelio dicentem stantibus ad dextera: Venite, benedicti Patris mei, accipite paratum vobis regnum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; peregrinus eram, et collegistis me; nudus, et vestistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me. Illis autem dicentibus, Domine, quando te vidimus sic, et fecimus talia? respondit; Amen, amen dico vobis, quantum fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

supplex petit infirmorum ministerio impendi,

Matth. 25, 34

9 Cum vero Hegumenus ad muneris roganti commisisset, tantam ideo monstravit alacritatem, ut etiam procul abiens, quasi inspecturus agros ac sementem, quæreret inveniretque rusticos infirmos, et in via quandoque, quia pauperes erant, jacentes (uti ipse, inter narrandum nobis gesta Jonæ, de se referebat) quos humeris suis impositos bajulabat, F atque in porta monasterii deponebat: tum ingressus dicebat Abbati: Quidam huc ad portam attulerunt ægrotum, ibique, abeuntes deposuerunt: tum jussu Abbatis illum inferebat in domum, et si quod vulnus habebat, aut aliam infirmitatem, ipsum mundabat curabatque solicite ut oportet; sternebatque etiam lectum, et strato inferebat ægrotum, cibisque idoneis nutriebat. Si vero necessitas *f* suaderet, ipsum oleo sacro inungi debere, monebat Abbatem, qui Presbyter erat, et curabat ab ipso perfici unctionem; et sæpe accidit ut hominem paucis diebus dimitteret sanum, Deo ipsi cooperante, prout scriptum est; Omni operati bonum cooperatur Deus. Audivimus quoque a Fratribus, ibidem commorantibus, quod si quis in febrim recens incidisset, adibat ipsum Hypatius, veluti visitaturus, et manu eum contrectans, clam signum crucis imprimebat, mente vero orabat ferventer Deum, dicens infirmo Fratri: Surge, nihil tibi mali adest: et confer te ad ministerium tuum. Hæc autem tali pronuntiabat fide, ut continuo melius haberet infirmus, ac sanitati restitueretur. Quisquis vero illis auditis statim surgebat, Deo salutem præstante sanus permanebat; nullo mali vestigio relicto.

quod impetrat, et mira dexteritate implet,

curans infirmos tempestive oleo sacro muniri,

et verbo crucis suo sanat

ANNOTATA

A D

ANNOTATA D. P.

a Scholastici *Græcis dicebantur causidici seu advocati, ut docet Cangius in Glossario, quo sensu hic accipi vocem illam puto, licet eadem subinde etiam usurparetur simpliciter pro* erudito *ac* litterato.

b *Græcis vox* νούμερον *et latina* numerus, *utriusque linguæ scriptoribus in usu est, idem significans quod* cohors.

c *Imo Theodosio ut supra num.* 11 *demonstravimus.*

d *Quid si legatur* ἀγειρον? ἐπειρον *quid hic proprie significet et an recte scriptum sit necdum divino.*

e *Hunni in Ecgrapho nostro* Οὖννοι *et ad marginem* Οὖννοι *gens ad Meotidem paludem nata, primum a Rufino in imperium Romanum evocati, orientales ejus partes vastasse deinde et Thraciam invasisse scribuntur. Prius tamen eo Gothi penetrarant.*

f *Hinc apparet extremæ Unctionis, et a quacumque alia unctione diversæ antiquissimus usus; ejus scilicet quæ non nisi a Presbytero nec nisi agonizantibus conferebatur, licet alioqui fideles a quocumque viro sancto ac religioso acceptum oleum ad quasvis infirmitates uterentur.*

CAPUT II.

Tentationes jejunio vincit Hypatius, patrem juvat, Chalcedonem et Rufinianas adit dæmonum victor.

Libidinis tentationem jejunio vincit,

Dum isthoc modo agebat Sanctus cum Fratribus suis atque aliis omnibus; ipse in storea cubans, temperanter adeo ducebat vitam, ut sæpe quinque dies B cibo abstineret. Pluries vero, ut erat junior, a dæmonio, nefandæ libidinis, juvenibus insidiari solito, tentatione conturbatus, ejus astutiæ succubuisset; nisi sobrie temperanterque ab omnibus abstinens pugnasset perpetuo, magna cum fiducia invocans Deum, ut ipse in auxilium veniens, impugnaret impugnantes se. Atque ita operans, nihil de temperantia, patientia, dilectione ac humilitate sua propter insultus illos remittebat; firmiter confidens fore, ut si minus hodie, saltem cras; si minus intra quinquennium, saltem intra decennium liberaretur; dummodo non fugeret e stadio cedens hosti, sed fortiter resisteret ac perseveranter toleraret. Qui enim perseveraverit in finem hic salvus erit. Ingruente igitur bello, tantum signabat se cruce, et ad orationem confugiebat: Deus autem viso certamine militis sui, suppeditabat ei gratiam et eripiebat inde animam ejus. Quod si tardaverit Deus succurrere militibus suis, nos qui ipsum valde requirimus, non recedamus, terga vertentes, sed viriliter sustineamus: novit quippe Deus, quid nobis expediat, juxta illum qui dicit: Si credis videre bona Domini, sustine Dominum: Si quis vero istiusmodi vitæ modum sequi et mundo renuntiare noluerit; ubi ad maturam C ætatem pervenerit, uxorem sibi legitime jungat, vitamque honeste instituat in timore Domini. Nam et illud acceptum est apud Deum: itaque fiet ut a tentationibus sathanæ securi simus. Quilibet enim suum a Deo donum habet; unus quidem sic, alius vero sic.

nihil propter ejus diuturnitatem omittens solitorum operum,

sed magis Deo confidens

Ταῦτα οὖν ποιῶν τοῖς ἀδελφοῖς καὶ πᾶσιν, αὐτὸς ἐν ψιάθῳ ἀνακλίνων, ἑαυτὸν τοσοῦτον ἐνεκρατεύετο, ὡς πολλάκις καὶ τὰς πέντε χίρειν αὐτόν. Πλειστάκις δὲ ὀχλούμενος ὑπὸ τοῦ δαίμονος, ὡς νεώτερος, τῆς μυσαρᾶς ἡδονῆς ταῖς νέοις ἐνοχλούσης, καὶ ἐὰν μὴ ἀποτάξηται νοῦς ἐν E ἐγκρατείᾳ ἀγωνίσηται δεόμενος τοῦ Θεοῦ διὰ παντός, ἵνα αὐτὸς ἐλθὼν πολεμήσῃ τοὺς πολεμοῦντας αὐτόν, πίστει ὑπομένων. Καὶ ταῦτα κατεργαζόμενος, τὴν ἐγκράτειαν, τὴν ὑπομονήν, τὴν ἀγάπην, τὴν ταπεινοφροσύνην, μὴ ἀπογνῷ ἑαυτοῦ διὰ τὸν πόλεμον ἐκεῖνον· ἀλλὰ πιστεύει ὅτι κἂν μὴ σήμερον ἐλευθερώσῃ, αὔριον ἐλευθερώσει· κἂν μὴ εἰς τὴν πενταετίαν, εἰς τὴν δεκαετίαν· μόνον μὴ ἐνδοὺς φύγῃ τὸ στάδιον, ἀλλ' ἀνθιστάμενοι ὑπομείνῃ. Ὁ γὰρ εἰς τέλος ὑπομείνας, οὗτος σωθήσεται. Μόνον ἐπερχομένου πολέμου σφραγίσας ἑαυτόν, εὐθὺς τρέπει εἰς τὸ εὔχεσθαι· καὶ βλέπων αὐτοῦ ὁ Θεὸς τὸν ἀγῶνα, ἀποστέλλει τὴν χάριν αὐτοῦ, καὶ ἐλευθεροῖ αὐτοῦ τὴν ψυχήν. Εἰ δὲ καὶ βραδυτὴς γένηται, ἡμῶν πάνυ ἐπιζητούντων αὐτόν, ἡμεῖς μὴ ἀποστραφέντες φεύγωμεν, ἀλλ' ὑπομένωμεν· οἶδεν γὰρ ὁ Θεὸς τί ἡμῖν συμφέρει, κατὰ τὸν λέγοντα· Εἰ πιστεύεις ἰδεῖν τὰ ἀγαθὰ Κυρίου, ὑπομεῖνον τὸν Κύριον. Εἰ δέ τις τοῦτο ἠνύσατο τὸ διάγειν ἐν βίῳ, μὴ ἀποταξάμενος, τῆς τελείας λοιπὸν ἡλικίας γενόμενος, νομίμως γαμησάτω, σεμνῶς διάγων μετὰ φόβου Κυρίου, καὶ τοῦτο γὰρ δεκτὸν παρὰ Θεῷ· οὕτω προσφυλαζόμενοι, ἵνα μὴ πειράζῃ ἡμᾶς ὁ Σατανᾶς· ἕκαστος γὰρ ἴδιον χάρισμα ἔχει ἐκ Θεοῦ, ὃς μὲν οὕτως, ὃς δὲ οὕτως. F

abstinet dies 40 omni potu,

11 Aliquando igitur vehementer impugnatus ab hoste illo, fervente æstu, per dies quinquaginta omni potu se abstinuit: unde durities alvi secuta, et labia præ siccitate ei fissa fuerunt. Quod conspicati Fratres, rem ad Archimandritam detulerunt. Hic autem nihil locutus, post nocturnas preces, miscuit vini poculum cum buccella; et coram omnibus vocat Hypatium. Hic autem respondens ait, Benedic. Et Archimandrita: Adesdum in medio, accipe et bibe benedictionem hanc. Ille vero, tametsi vinum alias non gustaret omnino, paternæ voci obsequens, utpote probe sciens, obedientiam operari vitam, poculum fidenter capit, atque ebibit, et sic tolerantior laborum in isto bello evasit.

deinde ex obedientia bibens, fortior evadit contra tentationes.

11 Μιᾶς γοῦν ἡμέρας, ὁ Ὑπάτιος, πάνυ πολεμηθεὶς ὑπὸ τοῦ πολέμου τούτου, ἐν τοῖς καύμασι πεντήκοντα ἡμέρας οὐκ ἔπιεν. Σκληροκοιλιάσαντος δὲ αὐτοῦ, καὶ τὰ χείλη αὐτοῦ τῇ ξηρότητι διερράγη. Ὃν ἰδόντες οἱ ἀδελφοί, διεσάφησαν τῷ Ἀρχιμανδρίτῃ. Ὁ δὲ παρασιωπήσας, ἀπὸ τῶν νυκτερινῶν εὐχῶν κεράσας ποτήριον οἴνου μετὰ ψωμοῦ, ἐπὶ πάντων φωνεῖ αὐτόν, Ὑπάτιε. Ὁ δὲ ἀπεκρίνατο· Εὐλόγησον. Λέγει αὐτῷ· Ἐλθὲ ἐν τῷ μέσῳ, καὶ δεξάμενος πίε τὴν εὐλογίαν ταύτην, οἴνου γὰρ οὔτε λωὶ μετελάμβανεν· ὁ δέ, πατρικῇ φερόμενος, καὶ γινώσκων ὅτι ὑπακοὴ ζωὴν κατεργάζεται, πίστει δεξάμενος ἔπιεν, ἀνεκτότερος τοῦ πολέμου γενόμενος.

a Hunni, obsesso frustra monasterio, circum prædantur,

12 Barbaros quoque Thraciam invadere solitos, non raro castellum nostrum *a* obsedisse narrabat Hypatius: Deum vero semper pro servis suis, ipsum invocantibus, pugnasse, hostesque abegisse. Habebat enim castelli murus foramen, per quod ejaculabantur lapides, quibus vulnerato hostium uno,

12 Διηγεῖτο δὲ ὅτι καὶ οἱ βάρβαροι πλειστάκις ἐπελθόντες τῇ Θρᾴκῃ, ἐκύκλωσαν ἡμῶν τὸ καστέλλιον· καὶ ὁ Θεὸς πάντοτε ὑπερασπίζων τῶν δούλων, αὐτοῦ αὐτῶν εὐχομένων, ἀπεδίωκεν αὐτούς. Εἶχον γάρ τινα τρυμαλιάν, ὅθεν ἀκοντίζοντες λίθον, ἐποίουν ἕνα πληγῆναι, ὡς τοὺς λοιποὺς γνῶντας, καὶ τὰ φραγέλλια σείσαντας, c

τυσσίμου

A συσσήμου χάριν, ἐπιβαίνειν τοῖς ἵπποις, καὶ ἀναχωρεῖν. Καταπαύσεως δὲ γενομένης, οἱ χωρικοὶ πραιδευθέντες, λοιπὸν μηδὲν ἔχοντες, εἰς τὸ μοναστήριον προσέτρεχον, ζητοῦντες τὰ πρὸς τὴν χρείαν. Ὁ δὲ κύρις Ἰωνᾶς εἰσερχόμενος ἐν τῇ Μεγαλοπόλει, ἔλεγεν τοῖς Ἰλλουστρίοις μετὰ παῤῥησίας, Πεινῶσιν οἱ πτωχοὶ πραιδευθέντες ἐν τῇ Θρᾴκῃ, καὶ ὀχλοῦσί μοι· ἀποστείλατε αὐτοῖς ἀναλώματα. Ἐκεῖνοι δὲ ἀκούοντες ὡς παρὰ πατρὸς, Ῥουφῖνος καὶ οἱ λοιποὶ τῶν μεγάλων, ὅσοι διὰ Θεὸν ἐβούλοντο, πλοῖα γεμίζοντες σίτου καὶ ὀσπρίων, ἔπεμπον αὐτῷ, ἵνα δίδωσιν αὐτοῖς. Ἅμα γὰρ τοῦ εἰσιέναι ἐν τῇ πόλει, πάντες οἱ πλούσιοι ἠξίουν αὐτὸν, ὅπως εὐχὴν ποιήσας ἐν τῷ οἴκῳ αὐτῶν, εὐλογήσῃ αὐτούς. Τοσοῦτον γὰρ ἦν ζηλωτὴς, ὡς πάντας τοὺς ἰλλουστρίους ἐλέγχειν εἰς πρόσωπον. Εἰ εὗρεν ὅτι τινὰ ἀδίκουν, ἕως θανάτου προΐστατο τοῦ ἀδικουμένου, ἅμα δὲ καὶ ἐνουθέτει, αὐτοῖς λέγων, ὅτι δάκρυα ἀδικουμένων, κρίσεις γίνονται τῶν ἀδικούντων. Οἱ δὲ ὠφελούμενοι οὕτως ἐτίμων αὐτὸν, ὡς ἀληθῶς δοῦλον Θεοῦ· ἅμα δὲ καὶ ἐθαύμαζον, ὅτι ἀγράμματος ὢν καὶ ἰδιώτης, τοιαύτην ἔλαβεν χάριν παρὰ Κυρίου.

B

13 Ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ πατὴρ τοῦ Ὑπατίου, καὶ δίκης αὐτῷ εἰς πρᾶγμα γενομένης, ἐλθὼν ἐν τῇ πόλει ἐκ τῆς ἰδίας χώρας, εὐθὺς ἀνατρέχει ἐν τῇ Θρᾴκῃ, καὶ ἐπιζητήσας τὸ καστέλλιον οὗ ὄνομα Ἀλμύρισσος, καὶ εὑρὼν, ζητεῖ τὸν ἑαυτοῦ υἱόν· ἦν γὰρ γέρων καὶ λίαν εὐεπιληπτος. Γνόντες δὲ οἱ μονάζοντες ἔλεγον, Οὐχὶ δοῦλον ἑαυτὸν ἔλεγεν ὁ Ὑπάτιος; Καὶ πάντες ἔχαιρον σὺν τῷ Ἀββᾷ, ὅτι διὰ τὸν Θεὸν τοῦτο ἐποίει, καὶ διὰ τὴν ταπείνωσιν. Ἀκούσας δὲ ἐκεῖνος τὸν ἑαυτοῦ πατέρα ἐληλυθέναι, οὐκ ἐβούλετο γνωσθῆναι αὐτῷ· ἐπὶ πολὺ δὲ βιασθεὶς, συνέτυχεν αὐτῷ, καὶ ἀσπασάμενος συνηύξατο, καὶ ἔμαθεν παρ' αὐτοῦ τὴν κοίμησιν τῆς μητρός. Γνοὺς δὲ ὅτι χρεία ἐστὶν εἰς τὸ πρᾶγμα ἐπὶ τῷ βοηθῆσαι τῷ πατρὶ, καὶ ὅτι εἰς ὕστερον οἱ ἀδελφοὶ ὑπὲρ τὴν λειτουργίαν, καὶ τοῦ γεωπονεῖν ἐπεμελοῦντο· τοῦ Ἀββᾶ δὲ τοῦ γηράσαντος, καὶ διὰ τὸ γῆρας ἐν τῇ πόλει χρονίζοντος, παρακαλέσας τὸν Ἀρχιμανδρίτην, ἔρχεται σὺν τῷ πατρὶ ἐν τῇ πόλει· καὶ μείνας σὺν αὐτῷ εἰς προάστειον Ἐλευθερίου τινὸς, καὶ εἰς τὸ πρᾶγμα αὐτῷ βοηθήσας διὰ τὸν Θεὸν, κατηχήσας προέπεμψεν εἰς τὴν ἰδίαν χώραν· ἀπελθὼν δὲ καὶ αὐτὸς ἀνεπαύσατο ἐν εἰρήνῃ.

C

14 Τῷ δὲ Ὑπατίῳ γνώριμός τις ὢν ἀσκητὴς προσεκολλήθη ὀνόματι Τιμόθεος· τοσοῦτον δὲ ἦν καὶ οὗτος εὐλαβὴς καὶ σπουδαῖος εἰς τὴν ἀρετὴν, ὡς διὰ τοῦτο κολληθῆναι τῷ Ὑπατίῳ διὰ τὸ εἶναι δοῦλον Θεοῦ. Προσετέθη δὲ τούτοις καὶ ἄλλος μονάζων ὀνόματι Μοσχίων, καὶ ἐγένετο τριὰς ἀδελφῶν δούλων Θεοῦ. Ὡς οὖν ἔμενον ἐν τῷ προαστείῳ, λέγει πρὸς αὐτοὺς ὁ Ὑπάτιος· Ἐγὼ συνήθεια εἰς τὸ ὄρος οἰκεῖν, οὐ γὰρ εἰς πόλιν. Ἀπεκρίναντο δὲ καὶ αὐτοί· Ὅπου σὺ, καὶ ἡμεῖς. Περάσας οὖν ἐν Χαλκηδόνι, ὥδευεν ἐπὶ ἀνατολὰς, ζητῶν ὄρος, ἢ σπήλαιον· καὶ ἐλθὼν τρία σημεῖα εὑρίσκει ἀποστολεῖον, καὶ μοναστήριον πλησίον αὐτοῦ, ἅπερ ᾠκοδόμησεν ὁ μακάριος Ῥουφῖνος, λείψανα λαβὼν ἀπὸ Ῥώμης τῶν ἁγίων ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου, ἅπερ, οἰκοδομήσας τὸ μαρτύριον, ἐνδόξως κατέθετο, ἐν ᾧ καὶ ἡ σωρὸς τοῦ Ῥουφίνου πλησίον ἀπόκειται· τὸ δὲ μοναστήριον κτίσας, μονάζοντας Αἰγυπτίους κατῴκισεν. Τοῦ οὖν Ῥουφίνου τελευτή-

reliqui, illo cognito, quatientes flagella sua, signum recessus dabant, et conscensis equis, unde venerant redibant. Sed ab his quiete monasterio reddita, aderant continuo rustici, ab iisdem barbaris spoliati rebus suis; et nihil reliquum habentes, quærebant quæ ad sustentandam vitam necessaria sunt. Quamobrem Constantinopolim abiit Domnus Jonas, fidenterque dixit Primoribus civitatis: Esuriunt pauperes in Thracia bonis suis spoliati; et mihi molestiam afferunt; vos igitur suppeditate illis, unde vivere possint. Istis autem, talibus veluti a patre suo auditis, Rufinus *b* et reliqui Magnates, qui propter Deum conferre aliquid eo volebant, navigia, frumento atque leguminibus onusta, ad ipsum mittebant, ut distribueret indigentibus. Simul enim atque urbem ingressus fuerat, suspiciebatur ab omnibus et rogabatur passim a divitibus, ut domus eorum subiens, eas orationibus suis; incolas vero, sua benedictione muniret. Inter hæc tantus erat viri zelus, ut Magnates quoslibet coram reprehendere non formidaret: si autem comperisset, alicui injuriam ab illis illatam fuisse, hujus partes sibi sumebat tutandas, nec mortis propositæ metu inde absterrebatur; illos interim commonefaciens officii sui, atque dictitans, lacrymas eorum qui affliguntur injuste, judicium fieri injuriam facientium. Illi porro, qui opem ejus experti erant, venerabantur ipsum, uti verum Dei servum; mirabanturque simul, hominem litterarum rudem ac idiotam, talem a Deo gratiam consecutum fuisse.

13 Cum talia audisset pater Hypatii, qui ob litem, sibi de re familiari intentatam venerat e patria sua in urbem; continuo perrexit inde in Thraciam, quærens castellum, cui nomen Almyrissus; eoque invento inquisivit ibidem in filium suum, jam senex et facile se sinens duci. Quod ubi resciverunt monachi, interrogare inter se cœperunt, Nonne servum sese dicebat Hypatius? Multumque gavisi sunt omnes, uti et Abbas, intellecto jam, id amore Dei et humilitatis ab ipso dictum fuisse. Audiens autem et Hypatius, advenisse patrem suum, primum nolebat ei innotescere; deinde tamen, pluribus compulsus rationibus, ipsum convenit, et amplexatus est, et oratione simul ab utroque ad Deum fusa, didicit, matrem suam supremum jam obiisse diem: didicit quoque, opem patri in præsenti rerum necessitate ferendam esse. Quamobrem quia postridie Fratres, præter liturgiam, agriculturæ etiam dare operam debebant, et Abbas propter ingravescens senium incolebat urbem; petita obtentaque ab Archimandrita *d* facultate, eodem se contulit cum patre suo, cum eoque substitit in suburbano Eleutherii *e* cujusdam, et amore Dei opem ipsi in negotiis tulit: tum vero salutaribus instructum doctrinis remisit in regionem suam, ubi et ipse vitam in pace finivit.

14 Hic celebris quidam asceta, nomine Timotheus, religiosæ vitæ virtutumque studiosus, sese Hypatio junxit, non alia de causa, quam quod veras Dei famulus esset. Adjunxit pariter illis sese alius Monachus, cui nomen Moschion: et factus est ternarius Fratrum numerus Deo famulantium. Cum autem commorarentur in prædicto suburbano, dixit Hypatius sociis: Consuevi ego montes incolere, non civitates: illisque respondentibus: Ubi tu volueris, et nos erimus: transivit Chalcedonem *f*, atque orientem versus iter instituens, quæsivit sibi montem aut specum aliquam; et progressus ad tria milliaria invenit ecclesiam cum adjuncto prope monasterio, quæ construxerat beatus Rufinus, cum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli Reliquias accepisset, Roma allatas, quas ibidem ædificato martyrio honorifice condidit cui proxime ipsius arca consistit.

D A. CALLINICO.

auferentes bona rusticorum;

b

quorum inopiæ succurrit Jonas per Magnates CPoli,

E

ubi summa in veneratione est.

Hypatius convenitur a patre suo,

F

cui in quodam negotio opem fert CPoli;

d

e

indeque cum sociis duobus trajicit Chalcedonem:

et monasterium Rufini,

f

A. CALLINICO

A sistit. Monasterium vero incolendum concesserat monachis Ægyptiis; qui mortuo Rufino, illud deserentes in patriam suam reversi sunt; mansitque locus deinceps ita desolatus, ut vix amplius monasterii speciem præ se ferret: imo et dæmones ibidem dominantes, monachorum loco successerant incolæ. Multi interea tantaverant ibidem inhabitare; sed quia dæmones omnia infestabant et hiemis rigores *g* non permittebant parochiam illic congregari, permanere ibidem non potuerunt; ut taceam quod locus perquam humidus esset *h*.

incolis ob infestationem dæmonum vacuum

σαντος, ἐάσαντες αὐτὸ οἱ Αἰγύπτιοι, τὴν ἰδίαν πατρίδα D κατέλαβον· καὶ ἐμείνεν λοιπὸν τὸ μοναστήριον ἔρημον, ὡς μὴ φαίνεσθαι ὅτι μοναστήριον ἦν, ἀλλὰ γὰρ καὶ δαιμόνια εισελθόντα κατοικεῖν ἐν αὐτῷ. Πολλῶν οὖν ἐπιχειρησάντων κατοικῆσαι, διὰ τὸν δαίμονα, καὶ τὰ πολλὰ g τοῦ χειμῶνος, συντυχίαν παροχῆς μὴ ἐχόντων, μεῖναι οὐκ ἴσχυον· ἦν γὰρ καὶ ὁ τόπος αφιδιάζων.

15 Eo igitur progressus Hypatius, et edoctus, terribilem ibi dæmonem inhabitare; munivit se signaculo crucis, et ardore fidei christianæ succensus, orationibusque intentus, ingressus est locum; et Sanctorum Principum Apostolorum (quorum intercessionibus nos quoque misericordiam consequi speremus) factus est vicinus: cumque duo alii Fratres id intellexerunt, ipsi quoque eodem accesserunt; et unanimi consensu perseverabant in exercitiis pietatis; contendentibus inter se Hypatio ac Timotheo, uter alteri præcelleret jejuniis, vigiliis, orationibus, humilitate, et misericordia erga pauperes. Porro necessaria vitæ subsidia sibi parabant ipsi labore manuum suarum; unus conficiendo cilicia, alter texendo B sportas, tertius colendo hortum. Erat autem in monasterio atrium circumdatum cellis et oratorio, valde labefactatis: unam tamen inter illas invenerunt cellam parvam habitabilem, ubi quiete laborantes manere potuerunt. Quoties vero oratorium precandi psallendive causa ingrediebantur, conspiciebant veluti catellum igneum *i*, circum cursantem per totum domicilium cum strepitu, et ipsos invadentem orantes; qui, propterea loco non moti, perseverabant in oratione. Quoniam vero ædificium amplum erat, ut dixi, cuivis pervium, ac tam male materiatum ut hiemis tempore etiam nivibus impleretur; atque duo contubernales Hynpatii aliquando urbem adiverant, pro reculis quas ipsi confecerant, deficientia sibi vitæ necessaria comparaturi; accidit, feminam quamdam prædivitem et probe Christianam (quæ forte in ecclesia Apostolorum orationi vacans, inaudiebat illuc monachum venisse habitatum) ingredi monasterium, jussis extra illud persistere, quos secum habebat, pueris suis; ut novi incolæ ejusque virtutis periculum faceret: erat quippe Diaconissa eaque exercitatissima. Ingressa autem procidit ad C pedes Ascetæ, dicens: Vir Christiane, benedic mihi et suscipe me, ut hic maneam tecum. At ille indignabundus exclamat: Abi post, me, satana: huccine venisti ut nos expellas, paucorum dierum incolas? Habe hæc tibi, et incole, ut lubet. Quibus dictis curriculo inde profugit. Tunc illa, dato famulis signo, ut fugientem tenerent, dixit ei: Periculum feci, num verus tu monachus fores. Nunc abi in cellam tuam, atque ora pro me: et cum cognovisset, tres ibidem cohabitare, misit continuo quantum ipsis ad victum abunde sufficeret.

signo crucis munitus ingreditur ac inhabitat,

varia objiciente dæmone terriculamenta,

et femina probitatis ejus periculum faciente

15 Ἐλθὼν δὲ ὁ Ὑπάτιος, καὶ μαθὼν ὅτι δαίμων κατοικεῖ δεινός, τῇ πίστει τοῦ Χριστοῦ αναζέσας, σφραγίδα ποιησάμενος, καὶ εὐξάμενος εισῆλθε, καὶ γέγονεν γείτων τῶν Κορυφαίων καὶ ἁγίων Ἀποστόλων, ὧν καὶ πρεσβείαις ἐλεηθῶμεν. Ἀκούσαντες δὲ οἱ δύο ἀδελφοὶ τούτου, ἦλθον πρὸς αὐτόν, καὶ ὁμοφρόνως εἴχοντο στεῤῥῶς τῆς ἀσκήσεως· ἔριζον γὰρ ὅ τε Ὑπάτιος, καὶ ὁ Τιμόθεος, τίς πλέον νηστεύσει, ἢ ἀγρυπνήσει, ἢ εὔξεται, ἢ ταπεινοφρονήσει, ἢ ἐλεήσει πτωχῶν· εἶχον γὰρ ἐκ τῶν ἰδίων χειρῶν τὴν παραμυθίαν, ὁ μὲν τρίχινα ἐργαζόμενος, ὁ δὲ τὸν κῆπον. Ἦν δὲ καὶ μεσαύλιον, κύκλῳ ἔχον κέλλας, καὶ εὐκτήριον οἶκον, πάνυ ἠμελημένον· ἐν αὐτοῖς δὲ εὗρον κέλλιον μικρόν, καὶ ἠδυνήθησαν μεῖναι, καὶ ἡσυχάσαι ἐργαζόμενοι. Ὁσάκις δὲ ἠθέλησαν ἐν τῷ εὐκτηρίῳ εὔξασθαι, ἢ ψάλλειν, ἐθεώρουν ὡς κουδάριον πύρινον περιτρέχον ἐν ὅλῳ τῷ οἰκήματι μετὰ κρότου ἐπερχόμενον αὐτοῖς· αὐτοὶ δὲ ἑδραῖοι ὄντες, τῇ εὐχῇ E προσεκαρτέρουν. Ἦν γὰρ τὸ οἴκημα μέγα καὶ ἔρημον ὡς χιόνος ἐν χειμῶνι γεμίζεσθαι. Μιᾶς οὖν τῶν ἡμερῶν, λειψάντων τῶν πρὸς ζωήν, απέρχονται οἱ δύο ἐν τῇ πόλει, ἵνα τὰ τῶν χειρῶν ἔργα δόντες οἰκονομηθῶσιν· γυνὴ δέ τις, πλουσία καὶ πάνυ Χριστιανή, εὐξαμένη εἰς τοὺς Ἀποστόλους, ἤκουσεν παριοῦσα, ὅτι μονάζων ἐστὶν ἐν τῇ μονῇ, καὶ ἐάσασα τοὺς παῖδας ἔξω, μόνη εισέρχεται, πειράζουσα τὸν ασκητήν· ἦν γὰρ Διακόνισσα ασκητικωτάτη· καὶ προσπίπτουσα αὐτῷ, ἔλεγεν Χριστιανὲ εὐλόγησόν με, καὶ δέξαι με μετὰ σοῦ ἵνα μείνω. Ὁ δὲ χολέσας μετὰ κραυγῆς λέγει· Ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ· ἦλθες ὧδε φυγαδεῦσαι ἡμᾶς; ακμὴν οὐκ ἔχομεν πολλὰς ἡμέρας· Ἔχε τὰ ὧδε καὶ μένε ὡς θέλεις· καὶ ἐξήρχετο δρομαῖος. Εἶτα ἐκείνη νεύσασα τοῖς παισὶν κατέσχεν αὐτὸν λέγουσα. Ἐδοκίμασά σε εἰ ἀληθῶς εἶ μονάζων· ὕπαγε ἐν τῷ κελλίῳ σου, καὶ εὔχου ὑπὲρ ἐμοῦ. Γνοῦσα δὲ ὅ τι τρεῖς εἰσι τῷ αριθμῷ, εὐθὺς αποστέλλει τὰ πρὸς ζωὴν αρκέσοντα αὐτοῖς ἱκανῶς.

F

ANNOTATA D. P.

a *Hinc colligi videtur inventorem vitæ hujus monachum illius monasterii fuisse, quod Hypatius cum Jona extraxit et prius incoluit, quam ad Rufinianas transiret.*

b *Rufinus, qui tamquam præcipua persona, hic solus nominatur, potest fuisse Præfectus Prætorio, cum hæc irruptio et populatio barbarorum contigit; qui forte iidem fuerunt, quos ipse evocaverat, hoc modo viam sibi ad summum imperium pandere conatus. Nec obstare debet nota ipsius avaritia, quin hoc casu motus fuerit ad succurrendum miseris, eo facilius, quo pluris intererat non videri auctorem calamitatis.*

c Πλαγάτιος *a* πληγὴ plaga *terminatione latina quasi plagatus, qua voce utitur Leo in Tacticis, aliique apud Cangium.*

d *Hinc inter Abbatem et Archimandritam, ejusdem Monasterii superiores, videtur discrimen et subordinatio quædam notari posse; nisi malimus dicere Abbatis titulum adhæsisse Jonæ tamquam seniori, licet is ex quo urbem frequentare et incolere cœpit, Archimandritam sive Hegumenum in monasterio suo ordinari curasset, cui omnes subessent.*

e *Palladius in vita Chrysostomi meminit cujusdam Eleutheri viri divitis sub Arcadio; et hujus fortassis suburbanum illud fuerit.*

f

A f *Hæc migratio concipi potest facta anno circiter 404, quando jam novem anni transierant a nece Rufini Præfecti Prætorio, quem in commentario prævio permisimus credi, si non fundatorem primum monasterii Rufinianensis, saltem fautorem et benefactorem.*

g Τὰ Πηλὰ rigorem *verti, non quia alicubi vocem hanc reperi, Bithynis aut Thracibus fortassis propriam (quod etiam de pluribus in hac Vita occurrentibus nec alibi repertis hactenus dictum puta) sed quia tale quid exigit sensus. Quidsi legatur* πηγὰ *quo congelata et frigore condensata significantur?*

h *Hic in Codice Græco MS. relictum est spatium unius versus vacuum.* D

i *Græcus textus habet* Κυδάριον πύρινον *Quorum primum nihil mihi significat, nec etymologia ejus ulla apparet; nisi quis a* Κυδαρίς, *quod* asellum *ex insectis, quæ sub vasis aquariis sæpe inveniuntur, significat: sed hic illud ad rem non facit. Neque magis huc facit* τύριον *proparoxytonum, id est* triticeum. *Quamobrem, eorum loco legendum existimo* Κυνάριον πυρινόν; *quod latine sonat ac verto* catellum igneum.

EX MS. VATIC.

CAPUT III.

Rufiniano fugiens eodem divinitus remittitur, infirmos sanat, fit superior et visitur a viris Sanctis.

Δουλευόντων οὖν αὐτῶν γνησίως τῷ Κυρίῳ ἐν ἀγάπῃ, μὴ στέγων ὁ μισόκαλος, πολλὰς μηχανὰς κατ' αὐτῶν κινῶν, καὶ μὴ ἰσχύων αὐτοὺς διῶξαι, μήτε φόβῳ, μήτε ἑτέρας μηχανῆς τρόπῳ· καρτερικοὶ γὰρ ὄντες ὑπέμενον, καὶ προσετίθεντο αὐτοῖς ἀποτασσόμενοι τῷ κόσμῳ. B Τέλος ἐμηχανήσατο, καὶ παρωξύνθησαν πρὸς ἀλλήλους, ὅτε Ὑπάτιος καὶ ὁ Τιμόθεος. Καὶ ὁ μὲν Ὑπάτιος ὑπάρχων συνετῶς παρεχώρει αὐτῷ, ἦν δὲ αὐτοῦ ὁ τόπος· Ἐκεῖνος δὲ μᾶλλον ἀκαίρεος ὢν καὶ πνευματικός, οὔτε αὐτὸς ἤθελε κρατεῖν καὶ διοικεῖν, οὔτε τὸν Ὑπάτιον ἐᾷ διοικῆσαι. Χρόνῳ δὲ θλιβεὶς παραχωρήσας αὐτῷ δίδωσι τόπον ὁ Ὑπάτιος, καὶ εὑρὼν ἀδελφὸν ἐκ τῆς πρώτης αὐτοῦ μονῆς, ἀπέρχεται σὺν αὐτῷ εἰς τὴν Θρᾴκην· Ἐξερχομένων δὲ αὐτῶν, ἔκειτο ἔξω παράλυτος, ὃς παρελύθη ὑπὸ δαίμονος, καὶ ἐζήτει αὐτοῖς ἐντολήν. Ὃν ἰδὼν ὁ Ὑπάτιος, κατανυγεὶς ἠρώτα· Τί σοί ἐστιν; Καὶ μαθὼν ὅτι παρελύθη ὑπὸ δαίμονος, λέγει τῷ σὺν αὐτῷ· Κρατήσωμεν αὐτόν, καὶ εἰσενέγκωμεν ἀμφότεροι εἰς τὴν Ἐκκλησίαν. Λαβὼν δὲ ὁ Ὑπάτιος ἔλαιον τῆς κανδήλης, καὶ εὐξάμενος, ἤλειψεν αὐτόν, καὶ εὐθέως Κύριος αὐτὸν ἐστερέωσεν, καὶ γενόμενος ὑγιής, ἠκολούθησεν αὐτοῖς. Εἰδότες οὖν οἱ ἐντόπιοι τὸ γεγονός, κατεδίωκον ὀπίσω αὐτῶν, καὶ τῶν κρασπέδων αὐτῶν ἁπτόμενοι, παρεκάλουν ἵνα καὶ ἄλλους ἐπισκέψωνται. Οἱ δὲ ἀπεκρίναντο, Καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἄνθρωποί ἐσμεν ἁμαρτωλοί· τοῦτον δὲ ὁ Κύριος ἰάσατο.

C

Ex hinc illis Domino in caritate mutua sedulo famulantibus; non tulit virtutis osor diabolus, variis eos malisque artibus aggressus; nec tamen loco pellere seu timore, seu alio quovis machinamento, potuit. Tolerantia quippe sua illi vincebant omnia, et aliorum quoque numero, nuntium seculo remittentium augebantur. Nihilominus tandem machinationibus ejus dissidere cœperunt inter se Hypatius et Timotheus. Et Hypatius quidem, ut erat prudens ac moderatus, alteri cedebat id muneris, tametsi sibi potius conveniret: Timotheus vero magis importunus, ac spiritus ferventioris, neque volebat ipse reliquorum curam et regimen acceptare, neque Hypatio permittere. Quamobrem diu multumque afflictus Hypatius, recedens inde, locum Timotheo reliquit; inventoque primi monasterii sui Fratre quodam, abiit cum illo in Traciam: cumque egrederentur simul, conspexerunt jacentem foris hominem paralyticum, *a* a dæmonio vexatum; qui petiit ab eis mandatum. Et intuitus in eum Hypatius atque commiseratione tactus, interrogavit; quid ei deesset: et edoctus id quod erat, quodque modo diximus, paralyticum esse; ait socio suo; Sublevemus misellum atque in ecclesiam ambo portemus. Eo autem illatum, præmissa oratione, unxit Hypatius oleo e lucerna accepto: et continuo paralyticus operante Deo roboratus ac sanitate restitutus, benefactores suos secutus est. Quod conspicati regionis istius incolæ sequebantur et ipsi abeuntes, et fimbrias vestimentorum tangebant, rogantes, alios quoque ægrotos ut inviserent. Verum illi responderunt, se quoque homines esse peccatis obnoxios: Dominum autem infirmo illi salutem contulisse.

E *Orto dissidio, redit in Thraciam;*

a

per viam paralytico sanitatem restituens oleo lampadis.

F

17 Ὁδεύσαντες οὖν, ἦλθον εἰς τὸ μοναστήριον, καὶ ἀκούσαντες οἱ ἀδελφοὶ τὰ γενόμενα καὶ ὁ Ἀρχιμανδρίτης, καὶ ἰδόντες τὸν ἄνθρωπον τὸν ἰαθέντα, ἐδόξαζον τὸν Θεόν, καὶ ἔλεγον, ὅτι πρὶν ἀναχωρήσει ἔνθεν, ἔγνωμεν ὅτι χάριν ἰαμάτων ἔδωκεν αὐτῷ ὁ Θεός. Ὁ δὲ ἰαθεὶς ἀπετάξατο, καὶ δουλεύσας τῷ Κυρίῳ, ἐτελειώθη. Ὑπάτιος δὲ παρεκάλεσεν τὸν καλόγηρον τὸν κύριν Ἰωνᾶν, ἵνα δῷ αὐτῷ κελλίον τοῦ ἡσυχάσαι. Ὁ δὲ Τιμόθεος σὺν τοῖς ἄλλοις ἀδελφοῖς μικροῦ δεῖν κλαίοντες ἐζήτουν τὸν Ὑπάτιον· καὶ γνῶντες, ἐληλυθέναι τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ Ἰωνᾶν ἐν τῇ πόλει, ἐπέμενον προσκλαίοντες αὐτῷ, ὅπως ποιήσῃ τὸν κύριν Ὑπάτιον ἐλθεῖν πρὸς αὐτοὺς ἀπὸ Θρᾴκης. Ἐν τῷ μεταξὺ δὲ ἀρρωστήσας ὁ Ἀββᾶς Ἰωνᾶς, καὶ βαρέως ἔχων, ὁρᾷ ἐν νυκτί τινα λέγοντα αὐτῷ· Ἐὰν μὴ ἔλθῃ ὁ Ὑπάτιος, οὐχ ὑγιαίνεις· καὶ τοῦτο δήλωσον τοῖς ἀδελφοῖς, ἵνα ἀποστείλωσιν αὐτόν. Ἀκούσαντες δὲ οἱ ἀδελφοὶ τὸ ἀποκαλυφθὲν τῷ Ἀββᾷ καὶ ὅτι ζητεῖται, συναχθέντες παρακαλοῦσιν αὐτὸν ἀπελθεῖν· μὴ θέλοντος δὲ αὐτοῦ, βιασάμενοι ἀποστέλλουσιν αὐτὸν μετὰ καὶ ἄλλου ἀδελφοῦ. Ὡς οὖν ὥδευεν, ἔν τινι τόπῳ τὴν εὐχὴν ἐποίουν τῆς τρίτης Ὥρας. Ἐρχομένων οὖν

17 Prosecuti ergo suum iter, pervenerunt ad monasterium. Fratres vero illic et Archimandrita, audientes quæ facta erant, et videntes hominem, qui fuerat curatus; glorificabant Deum, dicentes; quod prius quam abscessit Hypatius, cognoverint ei gratiam curationum divinitus datam esse. Is vero, qui curatus fuerat, mundo valere jusso, in Domini famulatu vitam finivit. Hypatius autem rogavit optimum senem Dominum Jonam, sibi ut concederet cellulam, ubi asceticam viveret vitam. Tum vero Timotheus et alii Fratres ejus, tantum non plangentes, quærebant Hypatium: cumque rescivissent, famulum Dei Jonam advenisse in urbem, institerant apud ipsum, cum fletu orantes, ut juberet e Thracia reverti ad se Hypatium. Interea vero temporis ægrotare cœpit Abbas Jonas, et invalescente morbo, vidit noctu quemdam sibi dictitantem: Nisi huc advenerit Hypatius, sanitatem non recuperabis, et continuo rem Fratribus suis revelans; Hypatium ad se mitti mandavit. Illi vero edocti id quod revelatum fuerat Abbati suo, et requiri Hypatium, convenerunt

revocatus mox a sociis,

A. Callinico ut tergiversatus, jubetur divinitus redire.

convenerunt simul precatique sunt ipsum eo ut abiret; negantemque, se abiturum, adegerunt vi ac dimiserunt cum alio Fratre. His igitur facientibus iter, et certo quodam loco Horam tertiam orantibus, allapsa est ex aere vox hujusmodi : Hypati, abi sis in Rufinianas ; constitui enim te in lucem gentium usque ad extremum terræ. Perculsi hac voce illi, ceciderunt proni in facies suas, ac diutius Deum oraverunt : surgentes autem inceperunt, Hypatius quidem veluti murmurando deprecari mandata ; socius vero ejus tremens, dicere ; Quid loqueris, o homo ; potesne nos pessumdatos velle?

αὐτῶν, ἤκουσαν φωνὴν ἐκ τοῦ ἀέρος λέγουσαν· Ὑπάτιε ὕπαγε εἰς Ῥουφινιανάς, τέθεικα γάρ σε εἰς φῶς ἐθνῶν ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. Φοβηθέντες οὖν, ἔπεσαν ἐπὶ πρόσωπον δεόμενοι ἐπὶ πολὺ τοῦ Θεοῦ· ἀναστάντων οὖν αὐτῶν, ἤρξατο ὁ Ὑπάτιος γογγύζειν ὡς παραιτούμενος· ὁ δὲ σὺν αὐτῷ ἔντρομος ὑπάρχων, λέγει αὐτῷ· Τί λαλεῖς, ἄνθρωπε, ποιεῖς ἡμᾶς καταποθεῖναι;

Sanato prius Abbate Jona;

18 Inter hæc pervenerunt ad Domnum Jonam atque animadverterunt periculose eum infirmari, jamque vix amplius loqui posse ; cum tetigit ipsum Hypatius, et, facta oratione, recreavit cibo. Dudum enim nihil gustaverat. Ecce autem subito melius habere cœpit infirmus, et recuperatis viribus post dies aliquot, rogavit Hypatium, ut Fratres viseret in Rufinianis, et advocato etiam Timotheo hortatus est utrumque ad concordiam, inquiens ; nihil novi ipsis accidisse : etiam inter sanctos Apostolos fuisse contentionis aliquid. Et illi statim alter alteri supplices ad genua accidentes, restauraverunt pacem ; ac deinceps susceperunt sibi omnes Hypatium in Patrem ; qui et curam eorum juxta mandatum Domini, ex aere locuti, sedulo gessit, annos tunc natus quadraginta : et eodem tempore monasteria, inter se commercium non habentia, superstite adhuc beato Isaacio, et ad æmulationem ipsos excitante, in unum congregata sunt. Unde factum est, ut et in ipsa civitate, et extra, et prope, et longe inde, quasi continuata fierent monasteria, in quibus quinquaginta imo et centum Fratres, simul habitantes, laudabant Deum. Hos visitans beatus Isaacius, uti filios suos perficiebat ; et frequens ad Hypatium quoque accedens, sic eum hortabatur : Gloria sit Deo, qui fecit famulos suos habitare in laboribus, Rufini opera extructis. Nunc vero audi me, fili : Pando tibi secretum hoc, ut te glorificet Deus. Sive curta tibi res domi sit, sive ampla ; nullus peregrinus transeat per te mœstus, sed omnibus aperi domum tuam. Ita monitus, fusa cum ipso oratione et accepta benedictione, abibat Hypatius ; et ubicumque reperiebat egentes, si ipsemet quod daret, non haberet ; monebat divites et Christianos, qui necessaria mox submittebant. Omnibus quippe in veneratione erat, atque observabatur ut pater.

Superior constituitur annos 40 natus ;

visitaturque et instruitur a S. Isaacio,

18 Ὅτε οὖν ἦλθον πρὸς τὸν κύριν Ἰωνᾶν, καὶ εἶδον αὐτὸν βαρέως ἔχοντα, καὶ μὴ δυνάμενον σχεδὸν μήτε λαλῆσαι, ἁψάμενος αὐτοῦ ὁ Ὑπάτιος, καὶ εὐχὴν ποιήσας, ἔδωκεν αὐτῷ τροφήν, καὶ εὐθέως ἐλαφρότερος γέγονεν, ἦν γὰρ ἡμερῶν μὴ γευσάμενος· καὶ εὐρωστότερον σχών, μεθ' ἡμέρας παρεκάλει τὸν ἀββᾶν Ὑπάτιον, ἵνα ἔλθῃ πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς ἐν Ῥουφινιαναῖς καλέσας καὶ τὸν Τιμόθεον, καὶ παραινεῖ αὐτοὺς λέγων, Ὅτι μὴ ξενίζεσθε· καὶ εἰς τοὺς ἁγίους Ἀποστόλους ἐγένετο παροξυσμός· κἀκεῖνοι ἀλλήλοις προσπεσόντες ἐποίησαν εἰρήνην· καὶ κατεδέξαντο λοιπὸν ἔχειν πατέρα τὸν Ὑπάτιον, καὶ ἡγεῖτο αὐτῶν κατὰ τὴν κέλευσιν τοῦ Κυρίου, τοῦ λαλήσαντος αὐτῷ ἐκ τοῦ ἀέρος· ἦν δὲ λοιπὸν ἐτῶν τεσσαράκοντα. Καὶ τότε συνεκροτοῦντο κατὰ μέρος μοναστήρια ζῶντος τοῦ μακαρίου Ἰσαακίου, καὶ εἰς ζῆλον αὐτοὺς ἄγοντος, ὅθεν καὶ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει καὶ ἔξω, πλησίον καὶ ἀπὸ ἱκανοῦ διαστήματος συνεχῆ γεγόνασι μοναστήρια, ἐν οἷς καὶ ἀπὸ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν οἰκοῦντες ἀδελφοὶ τὸν Θεὸν δοξάζουσιν. Ἐπισκεπτόμενος οὖν διετέλει ὁ μακάριος Ἰσαάκιος αὐτοὺς ὡς ἴδια τέκνα· ἐν οἷς καὶ πρὸς Ὑπάτιον συνεχῶς ἐρχόμενος ἐνουθέτει λέγων· Δόξα τῷ Θεῷ τῷ δόντι εἰς τοὺς καμάτους Ῥουφίνου οἰκῆσαι δούλους Θεοῦ· καὶ νῦν ἄκουσόν μου τέκνον, ὁμολογῶ σοι ἵνα δοξάσῃ σε ὁ Θεός, κἄν σοι ὀλίγον ὑπάρχῃ, κἄν πολύ, μὴ παρέλθῃ ξένος λυπούμενος κατὰ σοῦ, ἀλλὰ ξένῳ ἄνοιγε τὴν θύραν σου. Καὶ συνευξάμενος, καὶ εὐλογηθεὶς παρ' αὐτοῦ ὁ Ὑπάτιος ἀπήρχετο, καὶ ὅπου ἂν ἔγνω λειπομένους, τὰ πρὸς ζωὴν εἰ μὴ εἶχεν αὐτός, τοῖς ἀθρόοις καὶ Χριστιανοῖς ἔλεγεν, καὶ ἀπέστελλον. Παρὰ πᾶσιν γὰρ ἔντιμος ἦν, καὶ ἤκουον αὐτοῦ ὡς πατρός.

b exemplo S. Jo. Chrysost. exercens opera misericordiæ.

19 Quemadmodum et magnus ille Joannes, *b* qui tunc Episcopus erat, solicite curabat ac diligebat famulos Dei. Ille, inquam, Joannes qui operibus ipsis Episcopum se præstabat : ille, lucerna Ecclesiæ ; ille, pretiosus lapis coronæ fidei ; ille, qui nihil non dignum Deo operabatur, quique a Deo pro meritis suis thronum et gratiam adeptus, se moribus suis Episcopum probavit. Ille enim quodam in loco exul, e claris monasteriis expulsus, inter orandum diem clausit extremum Cujus et aliorum Sanctorum Martyrum sacra lypsana post annos plures piissimus Imperator Theodosius *c* summo cum honore Constantinopolim reduci jussit. Curans igitur ille Monachis necessaria vitæ, religiosioribus inter eos dicere solebat : Ratio vobis reddenda est Deo, quia vos ipsos absconditis, et lucernam vestram supra candelabrum non ponitis ; deprecantes ordinari ipsi, et satagentes ordinari alios, quos non novimus. Contigerat enim, unum quemdam monachorum, dum ordinabatur, nolletque sibi manum ab Episcopo imponi, suum sibi digitum præmordisse. *d*

19 Ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ μέγας Ἰωάννης τότε ὢν Ἐπίσκοπος, πάνυ ἐφρόντιζεν καὶ ἠγάπα τοὺς δούλους τοῦ Θεοῦ, ὁ ὄντως τοῖς ἔργοις Ἐπίσκοπος, ὁ λύχνος τῆς Ἐκκλησίας, ὁ ἔντιμος λίθος τοῦ στεφάνου τῆς πίστεως, ὁ μηδὲν ἀνάξιον Θεοῦ πράττων, καὶ παρὰ Θεοῦ ἀξίως τὸν θρόνον καὶ τὴν χάριν δεξάμενος, ὃν καὶ ὁ τρόπος ἀπέδειξεν· ἐξορισθεὶς γὰρ ἔν τινι τόπῳ ἀπὸ φανερῶν μονῶν εὐξάμενος ἐτελειώθη· μετὰ οὖν πλείω ἔτη τὸ λείψανον αὐτοῦ μετὰ καὶ ἄλλων ἁγίων μαρτύρων ὁ εὐσεβέστατος βασιλεὺς Θεοδόσιος ἀνεκαλέσατο μετὰ πολλῆς τῆς δόξης. Φροντίζων δὲ τὰ πρὸς ζωὴν τοῖς εὐλαβέσι κατακράζων ἔλεγεν, Ὅτι λόγον ἔχετε δοῦναι διὰ τὸ ἑαυτοὺς κρύπτειν, καὶ τὸν λύχνον ὑμῶν ἐπὶ τὴν λυχνίαν οὐ τίθετε, παραιτούμενοι τὰς χειροτονίας, καὶ ποιοῦντες ἵνα χειροτονοῦνται ἕτεροι, οὓς οὐκ οἴδαμεν· εἷς γὰρ τῶν μοναχῶν χειροτονούμενος, καὶ μὴ θέλων ἐπιτεθῆναι ἐπ' αὐτῷ τὴν χεῖρα τοῦ Ἐπισκόπου, τὸν δάκτυλον αὐτοῦ ἔδακεν.

20 Hypatius igitur cum Timotheo reversus in Rufinianas, tantum illic promovit monasticam vitam et mutuam caritatem, ut multi, talia videntes, desiderio imitandi succenderentur mundumque desere-

20 Ὁ οὖν Ὑπάτιος ἐλθὼν εἰς Ῥουφινιανὰς σὺν τῷ Τιμοθέῳ, τοσοῦτον ἐπέτεινεν τὴν ἀγάπην τὴν εἰς ἀλλήλους, ὡς πολλοὺς ὁρῶντας ζηλῶσαι καὶ ἀποτάξασθαι τῷ βίῳ, καὶ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ κατὰ μέρος συναχθῆναι καὶ γενέσθαι

νέσθαι σὺν αὐτοῖς μοναχοὺς τριάκοντα. Προσκαρτερούντων δὲ αὐτῶν τῇ ψαλμῳδίᾳ καὶ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ φιλοξενίᾳ, ὁ Κύριος καὶ τὸν δαίμονα ἀπήλασεν τῆς μονῆς, καὶ τῷ Ὑπατίῳ χάριν ἐδωρήσατο ἰαμάτων. Ὁ οὖν Ὑπάτιος πρὸς πάντας συμπαθὴς ὤν, παρὰ πάντων ἠγαπᾶτο· τοῖς γὰρ πάσχουσι συνέπασχεν, καὶ τῶν θλιβομένων ἀντελαμβάνετο λέγων· Γέγραπται· τοῖς δεσμίοις ὡς συνδεδεμένοι, τοῖς κακουχουμένοις ὡς καὶ αὐτοὶ ὄντες ἐν σώματι, κλαίειν μετὰ κλαιόντων, καὶ χαίρειν μετὰ χαιρόντων· ἐν οἷς Κουβικουλάριός τις, τὸ ὄνομα Οὐρβίκιος πάνυ Χριστιανὸς ὤν, καὶ μαθὼν περὶ τοῦ ἁγίου Ὑπατίου, ἐφιλιώθη αὐτῷ πάνυ, καὶ εὑρὼν τινὰ καταπονούμενον ὑπὸ ἰδίου ἀδελφοῦ, πλουσίου ὑπάρχοντος· ὁ εἷς γὰρ τὸν ἕτερον ἀδελφὸν γοητεύσας ἔκφρονα πεποίηκεν, καὶ ἐγκλείσας ἔν τινι τόπῳ, ἐπειρᾶτο φονεύειν. Τοῦτο οὖν μαθὼν ὁ καλὸς Οὐρβίκιος, καὶ ἀποσπάσας αὐτόν, ἤγαγεν πρὸς τὸν ἅγιον Ὑπάτιον, καὶ παρέθετο.

-rent, ac brevi tempore congregati cum ipsis ibidem fuerint monachi triginta; perseverantes simul in psalmodia, in oratione, in hospitalitate: et Dominus expulit inde, quos diximus, dæmones; deditque gratiam curationum Hypatio: qui ut omnium commiserabatur, ita diligebatur ab omnibus. Cum patientibus enim patiebatur ipse, et afflictos paterne suscipiebat, dicens: Scriptum est, vinctis tamquam simul vincti, et laborantibus tamquam et ipsi in corpore morantes. Flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus. Ex talium numero fuit Cubicularius aliquis, nomine Urbicius, probe Christianus; qui notitiam Hypatii nactus, afficiebatur ei plurimum; et resciens, opprimi quemdam hominem a fratre suo prædivite (alterum enim alter, magicis præstigiis in amentiam actum, loco quodam inclusum tenebat et necare parabat) ipsum, potestati hujus ereptum, adduxit ad sanctum Hypatium eique commendavit.

Ex MS. Vatic.

Monachorum numerum auget,

ac monasterium dæmone liberat:

Ad Hæbr. 13, 3.

Ad Rom. 12, 15.

21 Τινὲς δὲ τῶν παίδων αὐτοῦ ὑπονοήσαντες, λέγουσι τῷ Κουβικουλαρίῳ· ὅτι ἐὰν ἀποθάνῃ ἐν τῇ μονῇ, τὰ πράγματα αὐτοῦ λαβεῖν ἔχει ἡ μονή. Πεισθεὶς οὖν τούτοις τοῖς λόγοις, παραγίνεται ἐν τῇ μονῇ, καὶ ὁρμήσας εἰσέρχεται ὡς λέων ζητῶν πάλιν λαβεῖν τὸν ἄνθρωπον καὶ ἀποστεῖλαι εἰς τὸ ἴδιον χωρίον. Ὁ δὲ ἄνθρωπος φρενοβλαβὴς ὤν, ἠσθένει σφόδρα τῷ σώματι· ἦν δὲ ὄνομα αὐτῷ Αέτιος. Ὁ οὖν Ὑπάτιος ηὔχετο ὑπὲρ αὐτοῦ ὅπως ὑγιάνῃ, καὶ μὴ δυνάμενον γεύσασθαι, ἰδίαις χερσὶν ἐψώμιζεν, καὶ ἐξυπηρετεῖτο.

21 Verum aliqui e famulis Cubicularii, male suspicati, dixerunt ei futurum, ut si illic loci vitam cum morte commutaret homo iste, monasterium res ejus sibi vendicaret: idque credens Cubicularius, redit ad monasterium, et impetu leonino illuc ingressus, reddi sibi postulat, quem adduxerat amentem, volens ipsum remittere in patriam suam. Interea vero ille infirmus mente (nomen homini Aetius erat) multum pariter infirmabatur corpore: et Hypatius pro ipso Deum orabat, ut sanitatem recuperaret; imo et propriis manibus, cibum quem ille sumere per se non poterat, concisum in frusta, ori ejus ingerebat miseroque necessaria subministrabat.

amentis curam suscipit domi suæ,

22 Ὡς οὖν ἦλθεν ὁ Οὐρβίκιος, ζητῶν αὐτὸν λαβεῖν, καὶ ἀποστεῖλαι εἰς τὰ ἴδια, ἔλεγεν πρὸς αὐτὸν ὁ Ὑπάτιος· Ἐμὲ ὁ Θεὸς σωματοφύλακα ἐποίησεν τοῦ ἀνθρώπου, καὶ οὐ δύναμαί σοι αὐτὸν δοῦναι, ἐπειδὴ καὶ ἀρρωστεῖ, καὶ μή ποτε ἐν τῇ ὁδῷ ἀποθάνῃ· ἔασον οὖν αὐτὸν ὑγιᾶναι, τοῦ Θεοῦ παρέχοντος, καὶ μετὰ ταῦτα λάβε αὐτόν· εἰ δὲ φοβῇ διὰ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, ἐγγράφως ποιῶ τοῦ μὴ λαβεῖν με τι ἐξ αὐτῆς· τοῦτον δὲ σοι ἐγὼ οὐ προδίδωμι· εἰ δὲ εὐψυχῆς εἰσελθεῖν, καὶ ἀποσπάσαι αὐτόν, ἀπόσπασον. Ἐκεῖνος δὲ ὡς ἀποφραχθεὶς μετὰ λύπης ἀπῄει· ἐπεμελεῖτο δὲ τοῦ ἀνθρώπου ὁ Ὑπάτιος εὐχόμενος καὶ ἐλαίῳ εὐλογημένῳ ἀλείφων αὐτόν, καὶ διαναπαύων αὐτόν, ἐποίησεν εἰσελθεῖν εἰς ἑαυτόν, τοῦ Θεοῦ παρασχόντος αὐτῷ τὴν ὑγίειαν. Καιρὸν δὲ διατεθεὶς ἐν τῷ μοναστηρίῳ, ἐδόξαζεν τὸν Θεόν, εὐχαριστῶν τῷ Ὑπατίῳ· καὶ μετὰ ταῦτα ἱκανοῦ χρόνου διελθόντος ἀνεπαύσατο, καὶ εὐθέως ἐδήλωσεν ὁ Ὑπάτιος τῷ Κουβικουλαρίῳ, καὶ παραγενόμενος ὁ Κουβικουλάριος, ἔλαβεν τὴν οὐσίαν αὐτοῦ· ὅθεν εὐχαριστῶν ὁ Οὐρβίκιος, ἦλθεν κατασπαζόμενος ὡς πατέρα τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ, καὶ προσφέρων καρποφορίαν, οὐκ ἐδέχθη, καὶ λοιπὸν ᾔτει, καὶ τὸ μοναστήριον φιλοκαλεῖν, καὶ λαβὼν τεχνίτας, συγκαμνόντων καὶ τῶν ἀδελφῶν, ἐφιλοκάλησεν τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ, τὸ εὐκτήριον οἰκοδομήσας, καὶ ἕτερα κελλία, ὡς γενέσθαι δόξαν Θεοῦ, καὶ δύνασθαι πλείονας ἀδελφοὺς κατοικεῖν ἐν αὐτῷ.

22 Supervenienti igitur Urbicio Cubiculario, et infirmum ad propria, uti dictum est, remittere volenti, ait Hypatius: Mihi Deus hunc hominem custodiæ commisit; et concedere illum tibi non possum; quoniam nimis infirmus est, ac timendum, ne forte in via moriatur. Sine ipsum recuperare valetudinem favente Deo; et tunc eum duc quo voles. Quod si forte metuis facultatibus ipsius; age, chirographum tibi do, nihil me quidquam inde accepturum: hunc autem tibi ego non tradidero: si vero constitueris ingredi et abstrahere ipsum hinc; abstrahe. At ille, veluti prohibitus ultra tentare aliquid, mæstus abiit: et Hypatius perrexit curare infirmum suum, commendando ipsum precibus Deo, ungendo oleo benedicto, reficiendo cibis; sicque effecit, ut præstante Deo rationis usum et corporis sanitatem recuperaverit miser: qui etiam in monasterio opportune instructus laudabat Deum, Hypatio agebat gratias atque aliquanto post tempore quievit in Domino: id quod Hypatius continuo renuntiari Cubiculario jussit: qui veniens petiit et accepit bona demortui, gratiasque agens famulo Dei Hypatio, ipsum, veluti patrem suum, amplexatus est; obtulit ei quoque mercedem, quam ille non acceptavit; ac tandem rogavit, monasterium sibi ejus restaurare ut liceret: operasque adhibens, collaborantibus etiam Fratribus, refecit ecclesiam, oratorium, ceterasque cellas, ad gloriam Dei et plurium monachorum commorationem.

eumque recusat reddere priusquam sanatus sit,

nihil compensationis volens admittere

ANNOTATA D. P.

a *Quomodo* Mandatum *vocetur ablutio pedum pauperibus peregrinis, aut mutuo inter Fratres facienda, vide prolixe docentem Cangium in Glossario Latino-barbaro: sed in Græco-barbaro nihil tale reperies ad vocem* ἐντολὴ *quod hinc dicimus: nisi forte ejus significatio hic latius extendatur ad quodcumque opus misericordiæ.*

b *Videlicet Joannes Chrysostomus, qui ad Episcopatum assumptus anno* 398, *Sedem illam vix* 4 *annis pacifice tenuit, exinde semel iterumque missus in exilium primo Cucusum, deinde Commanas, denique in Armeniam, unde reducendus obiit Commanis anno* 407, 14 *Septembris. Hinc intellige exemplum Joannis Chrysostomi non præcise referri ad tempus secutum susceptionem regiminis, in quo pia istæc opera exercuit Hypatius, licet Auctor utatur adverbio* τότε *id est* tunc.

c

A COLLATIO EX MS.

c *Scilicet Theodosius junior anno 438, 27 Januarii, quando præcipue etiam apud Latinos colitur ipse sanctus.*

d *Similia humilitatis religiosæ exempla nolentium promoveri ad dignitatem Sacerdotalem leguntur alibi et hic infra de Ammonio num. 77 : tomo autem 1 Martii pag. 667 de Thoma Anglico narratur ex Bzovio quod sibi pollicem amputarit ne Missam dicere cogeretur.* D

CAPUT IV.

Includitur cella; cognoscit arcana; beneficus, etiam percussoribus suis; augetur numerus monachorum, quorum utilitati consulit.

Cellula se includit,

Post hæc carus Christo Hypatius construxit sibi cellulam valde venerabilem, eaque se includebat sacri jejunii quadraginta diebus, relicta dumtaxat in ostio, quod luto oblinebat, fenestella per quam panem alternis diebus accipiebat, et foris adstantibus colloquio suo opem ferebat. In sacro autem Paschate inde prodiens, facie sua referebat Angelum Dei, gratia divina plenus : et continuo conferebat se ad ecclesiam sanctorum Apostolorum, ubi Presbiter initiatus fuerat, a beato Philotheo *a* Episcopo, tantum non coactus. Hic ille, ad aram faciens, B in sacra oblatione talibus ad Deum gemitibus clamabat, ut audientes compungeretur profusis lacrymis. Cum vero procedebat ad dictam ecclesiam, timore omnes percellebantur et instituebantur salutari doctrina, ipso tum operibus, tum verbis docente; quamobrem et Clericis in veneratione erat, ut pater.

a

devote Missam celebrat,

24 Sæpe in cella sua latitanti revelabantur multa arcana, quæ manifestare nolebat : hoc autem ex eo novimus quod siquis Fratrum impugnaretur pravis cogitationibus, aut alterius generis tentatione graviter affligeretur, ipsum accersebat : et instructione sua opem afferebat animæ ejus. Hujusmodi illud fuit, quod de quodam Fratre paulo ante defuncto, narrabat : nempe quod ipsum extra tempus benedictionis manducantem viderit, quam alius Frater observans ista facientem invenit : iste autem correctus salutari monitione Sancti, emendavit delictum, causatus se ignoranter fecisse. Viderat quippe Hypatius totum hominem a planta pedum usque ad collum, a serpente circumdatum, cujus os illius ori insertum erat. Sæpe etiam cum tempore paschali prodibat e cella sua, observatum fuit, eum coacervasse frusta ciborum, quæ ipsi illic data fuerant. Perparum enim ex iis gustans, reliquum sepone- C bat.

arcana aliorum cognoscit,

25 Alias iterum domesticus quidam supradicti Urbicii, nomine Alcimus, misere afflictus, alterum latus habebat aridum ; et veniens cum Domino suo, rogabat Hypatium, malo suo ut mederetur : orante autem famulo Dei, oleoque ipsum ungente, paucis diebus, quam petierat sanitatem, recuperavit a Domino. Interea vero temporis, videt Hypatius in cellula sua dæmonem splendido habitu, dicentem sibi : Hypati, cur eripis mihi hominem istum ? dudum enim meus est. Et Hypatius : Increpabit te Dominus, o diabole ; et vana reddet maleficia tua. Quousque bellum geres cum genere humano, ad nidorem et sordes conversus, postquam e gloria cœlesti ejectus es? Quousque non pœnitebit te scelerum tuorum ? Ille autem : Recipietne Deus me in locum primum, si me pœnituerit, Hypati ? Et Hypatius denuo : Nequaquam diabole : Possesne tolerare ut rogaretur Deus per sanctos suos, ut te recipiat, velut unum e peccatoribus, pœnitentiam agentibus? Ad hæc diabolus : Tantum mihi in mundo dominium est ; et tu me unum e peccatoribus velis esse ? Belle loqueris, Hypati. Et his dictis, convertente se ad orationem viro sancto, evanuit mox diabolus, et Cubicularius Urbicius cum domestico suo dedit

eripit hominem e potestate dæmonis,

ideo indignati

ac nolentis inter peccatores numerari.

Ὁ δὲ φιλόχριστος Ὑπάτιος ἐποίησεν ἑαυτῷ κελλίον πάνυ σεμνότατον, εἰς ὃ ἐνέκλειεν ἑαυτὸν τὴν Τεσσαρακοστήν, τῆς θύρας μετὰ πηλοῦ χριομένης, θυρίδος δὲ μικρᾶς οὔσης ἐν τῇ θύρᾳ, δι' αὐτῆς τὸν ἄρτον παρὰ μίαν ἐλάμβανεν, καὶ δι' αὐτῆς συντυγχάνων, ὠφέλει τοὺς παρόντας, καὶ ἐν τῷ ἁγίῳ Πάσχα προϊὼν ἐκ τοῦ προσώπου ἐφαίνετο ὡς Ἄγγελος Θεοῦ πεπληρωμένος θείας χάριτος. Εὐθέως οὖν ἀπίει πρὸς τοὺς ἁγίους ἀποστόλους, ἦν γὰρ χειροτονηθεὶς ἐν τῷ ἁγίῳ ἀποστολείῳ πρεσβύτερος τοῦ μακαρίου Φιλοθέου τοῦ ἐπισκόπου μετὰ βίας αὐτὸν χειροτονήσαντος. Λειτουργοῦντος δὲ αὐτοῦ ἐν τῇ θεία προσαναφορᾷ *b* τοσοῦτον στενάζων ἀνεβόα πρὸς τὸν Θεόν, ὡς τοὺς ἀκούοντας κατανύσσεσθαι τοῖς δάκρυσιν· φόβος δὲ καὶ ἐπιστήμη πᾶσιν ἐγένετο, προϊόντος αὐτοῦ εἰς τοὺς ἁγίους ἀποστόλους, πάντας τε διωρθοῦτο καὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ, ὃν καὶ οἱ Κληρικοὶ εὐλαβοῦντο ὡς πατέρα. E b

24 Πολλάκις γὰρ ἐγκλειομένου αὐτοῦ ἀπεκαλύπτετο αὐτῷ πολλὰ μυστήρια, ἅπερ οὐκ ἐβούλετο λέγειν. Ἐκ τούτου δὲ ἐγινώσκομεν ὅτι εἴτις τῶν ἀδελφῶν ἐθλίβετο ὑπὸ λογισμῶν ἢ ἄλλης θλίψεως ἀδημονῶν, τοῦτον μεταστελλόμενος, καὶ νουθετῶν ὠφέλει αὐτοῦ τὴν ψυχήν· ἐν οἷς περί τινος ἀδελφοῦ νεωστὶ ἐκλελυθότος λέγει· βλέπων ὅτι ὁ δεῖνα χωρὶς εὐλογίας ἐσθίει, ὃν τηρήσας ἀδελφὸς εὗρεν τοῦτο ποιοῦντα· καὶ διορθωθεὶς διὰ τῆς τοῦ ἁγίου νουθεσίας διωρθώσατο, ἐν ἀγνοίᾳ τοῦτο πεποιηκέναι λέγων· ἑωράκει γὰρ αὐτὸν ὑπὸ ὄφεως ἀπὸ ποδῶν ἕως τραχήλου κυκλωθέντα ὅλον, καὶ τὸ στόμα τοῦ ἀδελφοῦ παρέκυπτεν. Πολλάκις δὲ ἐν τῷ ἁγίῳ Πάσχα ἐξερχόμενος τῆς κέλλης, εὑρίσκετο σωρεύσας τὰ διδόμενα αὐτῷ ψωμία ἐν τῷ κελλίῳ· μικρὸν γὰρ μετελάμβανε, καὶ τὸ ἄλλο ἐτήρει.

25 Ἄλλο τε πάλιν ὁ δομέστικος τοῦ ἀνδρὸς Οὐρβικίου, ὀνόματι Ἄλκιμος περιεργασθεὶς, ἡμίξηρος γέγονεν, καὶ ἐλθὼν σὺν τῷ Οὐρβικίῳ, παρεκάλει τὸν Ὑπάτιον ἰάσεως τυχεῖν. Εὐχομένου οὖν τοῦ δούλου τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀλείφοντος αὐτὸν ἐλαίῳ, ἐν ὀλίγαις ἡμέραις ὁ Κύριος ἰάσατο αὐτόν· καὶ ἐν τῷ μεταξὺ θεωρεῖ ἐν τῷ κελλίῳ αὐτοῦ τὸν μισόκαλον ἐν σχήματι λαμπρῷ καὶ λέγοντα αὐτῷ· Ὑπάτιε, διατί ἐπῆρες τὸν ἄνθρωπον ἀπ' ἐμοῦ, πολὺς γὰρ χρόνος ἐστίν, ἐξ οὗ παρεδόθη μοι. Ὁ δὲ Ὑπάτιος πρὸς αὐτὸν εἶπεν· ἐπιτιμήσει σοι ὁ Κύριος, διάβολε, καὶ κακουργίαις σου. Ἕως πότε πολεμεῖς τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων, εἰς τὰς κνίσσας καὶ ῥυπαρίας ἀναστρεφόμενος, ἀπὸ τοιαύτης δόξης ῥιφθείς; ἕως πότε οὐ μετανοεῖς ἀπὸ τῶν κακῶν; Ἀπεκρίνατο ἐκεῖνος· Δέχεταί με ὁ Θεὸς εἰς τὸν πρῶτόν μου τόπον, εἰ μετανοήσω, ὦ Ὑπάτιε; Ὁ δὲ πρὸς αὐτόν· Μή σοι καλῶς διάβολε· οὐκ ἀρκετὸν γάρ σοι ἵνα παρακληθῇ ὁ Θεὸς διὰ τῶν Ἁγίων δέξασθαί σε ὡς ἕνα τῶν ἁμαρτωλῶν μετανοοῦντα. Ἀπεκρίνατο ἐκεῖνος· Τοσαύτην ἔχω ἐξουσίαν ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ σύ μοι λέγεις ὡς ἕνα ἁμαρτωλὸν ἔσεσθαι; καλὰ λαλεῖς Ὑπάτιε· καὶ τοῦτο εἰπὼν, εὐξαμένου τοῦ Ἁγίου, ἀφανὴς ἐγένετο. Ὁ δὲ Κουβικουλάριος σὺν τῷ δομεστίκῳ ἐδόξαζον τὸν Θεόν, καὶ εὐχαριστοῦντες ἠσπάζοντο τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ. Ὁ οὖν Κουβικουλάριος γενόμενος Πραιπόσιτος

ᾠκοδόμησεν

A ᾠκοδόμησεν ὑπὲρ ψυχῆς αὐτοῦ ἡρωεῖον, καρποφορήσαντος καὶ τοῦ εὐσεβεστάτου Βασιλέως, εἰς ὃ τὰ λείψανα τῶν τελειουμένων ἀδελφῶν ἀποτίθεται· διαδεχθεὶς οὖν πάλιν [ἐν τῷ κελλίῳ Ὑπάτιος] ἑαυτῷ προσεῖχεν.

26 Ἦλθεν δὲ ὁ καὶ μακάριος Ἰωνᾶς εἰς ἐπίσκεψιν τοῦ Ὑπατίου, καὶ συνευξάμενος εὐλόγησεν αὐτὸν λέγων· Ἦλθον σε ἰδεῖν, γνήσιον τέκνον· μέλλω γὰρ ὁδεύειν τὴν ὁδὸν τῶν πατέρων· (κἂν σε εἶχον μετὰ τὸν Θεὸν δεξιὰν χεῖρα, καὶ ἐάσας με, ἐποίησας ἑαυτῷ μοναστήριον·) καὶ ταῦτα εἰπὼν ἀπῆλθεν εἰς τὸ μοναστήριον, καὶ ἐν εἰρήνῃ ἀνεπαύσατο. Διηγεῖτο δὲ ὁ Ὑπάτιος, ὅτι ὄντος αὐτοῦ ἐν τῇ Θρᾴκῃ, ἀδελφὸς κρούσας αὐτὸν, αἷμα ἐποίησεν ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ· καὶ ἐλθούσης τῆς ἐννάτης ὥρας ὑπὸ συνειδότος πληττόμενος, εὐλογίαν ὁ κρούσας αὐτὸν οὐκ ἔλαβεν· ἐν δὲ τῷ ἐσθίειν ἐπεζήτησεν ὁ Ἀββᾶς τὸν ἀδελφὸν ἐκεῖνον, καὶ μαθὼν τὸ πρᾶγμα, ἐκάλεσεν αὐτὸν καὶ λέγει τῷ Ὑπατίῳ· Ποίησον εἰρήνην. Καὶ ὁ Ὑπάτιος ἀπεκρίνατο, πρὸ μικροῦ τὸ στόμα μου αἵματος ἐγέμισεν, καὶ νῦν ἐλθὼν φιλήσω αὐτόν· Ταῦτα δὲ ἡμῖν ἔλεγεν, διδάσκων ὅτι κἂν συμβῇ τινα ὀργισθῆναι τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ, εὐθέως διαλλαγῆναι ὀφείλει· καθὼς καὶ ὁ Κύριος ἐδίδαξεν ἡμᾶς ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ.

B

27 Καὶ ὅτε ἦλθεν μονάσαι ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ ἔλεγεν· Ὅτι ὄστρακον εὑρὼν, καὶ θερμὸν ἐν αὐτῷ ποιήσας, ἔβαψά μου τὸν ψωμόν· τοσοῦτον κατὰ ἐνδείας. Καὶ ἄλλοτε ἐλθόντος ξένου, καὶ ἡμῶν ἐχόντων ἕνα ἄρτον, ἀλλαχοῦ ἀπῆλθον εἰς συντυχίαν, ἵνα ὁ ἄρτος ἀρκέσῃ τοῖς τε μετ' ἐμοῦ δύο ἀδελφοῖς καὶ τῷ ξένῳ, καὶ ἀπελθὼν κἀκεῖ, εὗρον αὐτοὺς ὅτι ἐγεύσαντο καὶ ἠρώτων μοι λέγοντες· Ἐγεύσω Ἀββᾶ Ὑπάτιε; καὶ ἀπεκρινάμην αὐτοῖς ναί. Καὶ πάλιν γενομένῳ μοι ἐν τῷ μοναστηρίῳ, ἔλεγόν μοι οἱ ἀδελφοί· Κῦρι ἐγεύσω; ἀπεκρινάμην καὶ αὐτοῖς ναί· καὶ μαθὼν ὅτι ὁ Θεὸς ἔπεμψεν ἄλλους ἄρτους, τότε ὡμολόγησα αὐτοῖς, καὶ ἐγευσάμην. Ἐν μιᾷ δὲ τῶν ἡμερῶν λειψάντων ἡμῖν ἄρτων, ἐν τῇ μεσημβρίᾳ καθήμενος ἐν τῷ προθύρῳ, ἀπενύσταζα περίλυπος ὑπάρχων, καὶ ὁρῶ τινα γηραιὸν ἔνδοξον, ἐλθόντα, καὶ λακτίσαντά με ἐν τῇ πλευρᾷ, καὶ λέγοντά μοι· Ὑπάτιε, ἐλυπήθης ὅτι ἄρτους οὐκ ἔχεις· ἔγειρε, μὴ λυποῦ, ἀπὸ γὰρ τῆς σήμερον οὐ μὴ λείψῃ εἰς τὴν τράπεζάν σου ἄρτος, οὔτε σοῦ, οὔτε τῶν μετὰ σέ. Καὶ ἔπειθεν ἡμᾶς λέγων· Οὕτως τέκνα ἀπὸ

C τότε πλειστάκις ἐβουλήθην εἴ τι εἶχον δοῦναι πτωχοῖς, ἵνα εἴδω εἰ λείψῃ, καὶ οὐδέποτε ἔλειψεν διὰ τὸν παρέχοντα, ὡς πληρωθῆναι τὴν γραφὴν τὴν λέγουσαν· Οἱ δὲ ἐκζητοῦντες τὸν Κύριον, οὐκ ἐλαττωθήσονται παντὸς ἀγαθοῦ. Αὐτοὶ δὲ ἐργαζόμενοι, ἐκ τῶν ἰδίων κόπων εἶχον τὸν ἄρτον καὶ παρεῖχον καὶ ἄλλοις· εἰ δὲ καί τι ἐκαρποφόρησεν, μετὰ προθυμίας τοῖς πτωχοῖς διεδίδοτο, ὡς πληρωθῆναι τὴν γραφὴν τὴν λέγουσαν· Αἱ χεῖρες αὗται ἐπήρκεσαν καὶ ἐμοὶ, καὶ τοῖς μετ' ἐμοῦ· Ὡς συναχθῆναι ἐν ὀλίγοις ἔτεσιν καὶ γενέσθαι σὺν αὐτῷ ἀδελφοὺς πεντήκοντα, οὓς κατὰ μέρος ὁ Ὑπάτιος καὶ ἄλλους πολλοὺς κατηχῶν μαθητὰς αὐτοῦ κατειργάζετο· καὶ καταφρονοῦντες τοῦ κόσμου, ἐγίνοντο μοναχοί.

28 Ἐν οἷς τις Ἀκύλας ὀνόματι ἀπετάξατο ἐν τῇ ἀρχῇ μετὰ πέντε παίδων, καὶ τῆς ἐλευθέρας αὐτοῦ, καὶ τὴν μὲν γυναῖκα ἀπὸ διαστήματος ἐποίησαν εἰς κελλίον μονάζειν. Εἷς δὲ ἐκ τῶν παίδων Βενιαμὶν λεγόμενος, ἐχρησίμευσε πάνυ τῷ Κυρίῳ· ἀνωμαλήσαντος γὰρ τοῦ Ἀββᾶ Ὑπατίου, καὶ ἤδη βαρέως ἔχοντος, ἑστὼς τὸ παι-

gloriam Deo; atque una ei gratiis actis, amplexati sunt famulum ejusdem. Idem vero Cubicularius, deinde Præpositus factus, ædificavit ibi pro salute animæ suæ, conferente etiam sumptus piissimo Imperatore, monumentum, ubi corpora Fratrum vita functorum deponuntur. Rursus autem regressus [in cellam Hypatius] sibi ipsi vacavit. D

A cubiculario

26 Venit quoque beatus Jonas ad visitandum Hypatium, et facta simul oratione, benedixit ei, dicens: Huc veni invisum te, fili mi, brevi enim ingressurus sum viam Patrum. tu vero, quamvis secundum Deum dextera mihi manus esses, me relicto, constituisti ipse tibi monasterium. Atque ista locutus, abiit in monasterium, et in pace quievit. Narrabat quoque Hypatius, quod cum adhuc in Thracia degebat, Frater aliquis ita ipsum percusserat, ut sanguine os ejus impleretur. Cumque advenisset Hora nona, percussor, criminis sui sibi conscius, non accepit benedictionem c: Abbas vero inter manducandum animadvertens desiderari illum; et edoctus id quod res erat; advocavit Fratrem istum, dixitque Hypatio: Reconciliari Fratri tuo. Et Hypatius: Ipse quidem paulo ante os meum sanguine opplevit, eum tamen deosculabor. Hæc autem narrabat, ut nos doceret, pacem, si forte contigerit inter Fratres alterum alteri succensere, continuo redintegrandam esse. Quemadmodum et Dominus nos docet in Evangelio. E

a Jona Abbate, brevi morituro, benedicitur.

c

27 Quando autem hocce in loco cœpit habitare, tam omnium se indigum dicebat fuisse, ut in reperta casu testa calefacere sibi aquam deberet, ad intingendam et buccellam suam. Alias vero superveniente nobis hospite, cum unum solummodo panem haberemus, Abivi, inquiebat, ego alicubi ad diversorium ut panis ille sufficeret duobus, qui mecum habitabant, Fratribus, atque hospiti. Eo autem perveniens, inveni illos manducantes; interrogantibusque num et ego manducassem, respondi, Ita. Cumque inde rediissem ad monasterium, quæsiverunt similiter Fratres, an manducassem; et ego similiter reponebam, Ita: edoctus vero mox, Deum alios submisisse panes, fatebar quod res erat, et manducabam. Aliquando etiam deficiente nobis pane in meridie, consedi in vestibulo domus, et mœstus gemebam; cum ecce conspicio senem gloriosum venire ad me, percussoque latere meo dixit: Hypati, mœstusne es, quia panis tibi deest? Surge mœrorem absterge; post hac enim nec tuæ, nec posterorum tuorum mensæ panis deficiet. Idque non vanum fuisse vaticinium, persuasurus ipse nobis dicebat: Vere, filii mei, exinde sæpius jussi, si quid haberem, dari pauperibus; ut observarem, num deficeret panis: et numquam defecit per illum qui præbebat, ut impleretur Scriptura, dicens. Inquirentes Dominum non minuentur omni bono. Ipsi autem Fratres labore manuum suarum sibi comparabant panem, ex eoque et aliis porrigebant. Si quis vero etiam aliquid amplius acquisisset, protinus distribuebat pauperibus; impletaque fuit alia Scriptura: Quoniam ad ea quæ mihi opus erant et his qui mecum sunt ministraverunt manus istæ: congregatique cum illo sunt paucis annis quinquaginta Fratres; quos Hypatius singulos atque alios plures, elementa religionis docens, discipulos suos faciebat, indeque ipsi contempto mundo fiebant monachi.

Pauperrimus, panem fratribus porrigit jejunus ipse

F

et promissionem divinitus accipit,

Psal. 33, 11

panem monasterio deinceps non defuturum.

Act. 20, 34

28 Inter hos in primis quidam nomine Aquila mundum deseruit cum quinque filiis, et una liberta d et hanc quidem ad intervallum aliquod separatam in cellula habitare fecerunt. Unus vero puerorum, Benjamin nomine, valde profecit in Domino: nam cum Abbas Hypatius in morbum incidisset et jam gravius

d

Aucto Monachorum numero,

EX MS. VATIC. puer unus pro ægro Abbate morti se offert.

gravius haberet, adstans ipsi puer Benjamin cum dolore ingemuit, et ait Domine propter Fratres et pauperes accipe me pro Abbate. Itaque intra triduum ægrotavit etiam puer isque exactis obdormivit in Domino. Similiter et Aquila laudabiliter conversatus, mortuus est in senectute bona.

Ipse, pro infecta cisterna,

29 Erat juxta monasterium cisterna in quam confluebant aquæ ad usum Fratrum : quidam autem injectis in aquam sordibus (utrum per inadvertentiam an ex suggestione Dæmonis ipse norunt) effecerunt ut Fratres inde bibentes infirmarentur, multumque affligerentur ; quia illi a maleficio non cessabant. Sanctus vero contristatus tamquam Pater filiorum causa, jejuniis et orationi se dedit, Dominum rogans, ut aquam eis præberet et ab injuria cessare faceret incommodi auctores. Post tres autem dies vidit viros tres, splendida veste amictos, qui dicebant ad invicem : Ubinam ostendemus Abbati locum, ut fodiendo aquam inveniat Fratribus suis? Tunc unus ipsorum manu arripiens Hypatium deduxit ad locum, eique dixit. Hic fode, et aquam invenies. Postero ergo die assumens Hypatius Fratres omnes adduxit in locum sibi monstratum, et una cum illis prolixe orans, fodit, invenitque purissimam et dulcissimam aquam. Erat autem locus proximus oratorio ; ita ut hausta inde aqua commode in culinam derivaretur.

puteum cælitus ostensum fodit

30 Alio tempore contigit ut proventus frumenti a vermibus corroderetur, magna cum molestia Fratrum. Quod cons[i]derans Hypatius, et videns omnino periturum illud, neque sciens quid ageret, jussit impleri saccos, dicens ; Erogemus ipsum publice in plateis, ut pauperes potius comedant quam dæmones. Hoc autem cum ab iis factum esset, multiplicatum est frumentum absque humanæ opis præsidio, nec amplius in eo apparuerunt vermes : sed purum valde triticum fuit.

frumentum a vermibus purgatum multiplicat

31 Die quadam venientes quatuor pueri Monaxii cujusdam viri Consularis, petierunt ad habitum recipi seculo renuntiantes ; quos suscipiens Hypatius Monachos fecit. Monaxius vero missis post ipsos veredis, omni cum diligentia perquiri ipsos fecit, quia illorum unus cognatus sibi erat, eique valde addicebatur : sed is egregius factus Ascetes Sacerdotio quoque dignus fuit. Unum vero eorum nomine Paulum in via deprehensum, Monaxius probe verberatum conjecit in vincula, et multi cuidam servandum tradidit. Sed veniens media nocte Angelus Domini vincula solvit, fores aperuit, et dixit : Vade et salvare. Ita solutus et sciens quonam se recepissent socii, venit etiam ipse ad Monasterium. Hoc ubi esset, ignorabat Monaxius ; postea vero id edoctus et pueros istic esse, misit ad Sanctum, qui diceret : Mitte mihi pueros. Respondit autem Hypatius eis qui advenerant ; Abeuntes renuntiate illi ; Ego eos Deo non auferam ut dem tibi : si vero audes eos vi tollere, veni ipse et tolle : ipsi enim ad Deum confugerunt. Ille hæc audiens et animi ambiguus mittens Presbyteros rogavit eum ad se venire dignaretur, quia multum desiderabat ipsum videre ; qui denique sæpe sic interpellatus ad illum abiit : alii vero suadebant illi, ut non iret, ne forte in carcerem missus cogeretur homines reddere. Accedente nihilominus illo, vehementer lætatus est Monaxius, cum juramento affirmans quod ista nocte illum vidisset domi suæ orantem. Cum autem expostulare cœpisset pro pueris, multa loquens (utpote vir facundus, et qui tertio Præfectus urbis fuisset) Volo, inquit, mihi remittas famulos meos. Ad quæ consternatus Hypatius : Si solum humana sapis, consequens est ut servi tui sint ; si autem non humana, sed divina ; conservi tui sunt. Quodsi eos tibi vindices a communi Domino ; quid tibi fiet? numquid non in

famulos Monaxii Cos.

ipso, illustra vente, ad habitum recepit, defendatque ne retrahantur ad seculum.

δίον Βενιαμὶν μετὰ πόνου ψυχῆς ἐστέναξεν καὶ λέγει· Κύριε διὰ τοὺς πένητας ἐμὲ λάβε ἀντὶ τοῦ Ἀββᾶ. Ἐν τρισὶν οὖν ἡμέραις ἠῤῥώστησεν τὸ παιδίον, καὶ μετὰ ταύτας τὰς τρεῖς ἡμέρας ἀνεπαύσατο ἐν Κυρίῳ. Ὁμοίως δὲ καὶ Ἀκύλας καλῶς πολιτευσάμενος, ἐτελειώθη ἐν γήρᾳ καλῷ.

29 Ὕδατος δὲ ἐπιῤῥέοντος ἐν τῷ ἀγωγῷ πλησίον τῆς μονῆς, ἐξ αὐτοῦ εἶχον οἱ ἀδελφοὶ τὴν χρείαν· τινὲς δὲ ῥυπαρίας ἀκαθάρτους ἐνέβαλλον εἰς τὸ ὕδωρ, ἢ κατὰ ἄγνοιαν, ἢ καθ᾽ ὑποβολὴν τοῦ δαίμονος, αὐτοὶ γινώσκουσιν· ὅμως οἱ ἀδελφοὶ ἐκ τούτου ἐν ἀῤῥωστίᾳ ἐτέθησαν, καὶ πάνυ ἐθλίβοντο, ὅτι ἐπέμενον οἱ τοῦτο ποιοῦντες. Ὁ δὲ Ἅγιος λυπηθεὶς ὡς πατὴρ διὰ τὰ ἴδια τέκνα, νηστεύων καὶ εὐχόμενος, παρεκάλει τὸν δεσπότην Χριστὸν, ὅπως δώσῃ αὐτοῖς ὕδωρ, ἢ τοὺς ἐπιβούλους παύσῃ. Καὶ μετὰ τρίτην ἡμέραν ὁρᾷ τρεῖς ἄνδρας ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ λέγοντας πρὸς ἀλλήλους· Ποῦ δείξωμεν τῷ Ἀββᾷ, ἵνα, ποιήσας τὸ ὄρυγμα, ὕδωρ εὕρῃ τοῖς ἀδελφοῖς, ὡς τὸν ἕνα ἐξ αὐτῶν κρατῆσαι τῆς χειρὸς τοῦ Ὑπατίου, καὶ ἀπενέγκαι εἰς τὸν τόπον, καὶ εἰπεῖν αὐτῷ· Ὀρύξας ἐνταῦθα, ἐπαύριον λαβὼν ὁ Ὑπάτιος πάντας τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ ἀπελθὼν εἰς τὸν τόπον τὸν ὑποδειχθέντα αὐτῷ, καὶ εὐξάμενος ἐπὶ πολὺ ἅμα πᾶσι τοῖς ἀδελφοῖς, καὶ ὀρύξας, εὗρεν ὕδωρ ἀσύγκριτον καὶ καθαρὸν καὶ πάνυ γλυκύ. Ὁ δὲ τόπος πλησίον τοῦ εὐκτηρίου οἴκου ἦν, ὡς τοὺς ἀντλοῦντα ἀπὸ τοῦ φρέατος εἰς τὸ μαγειρεῖον ἐπείγεσθαι·

30 Ἄλλο τε πάλιν τὸ γέννημα τοῦ σίτου ἐβρώθη ὑπὸ σκωλήκων, ὃ δεινῶς εἶχον οἱ ἀδελφοί. Γνοὺς δὲ ὁ Ὑπάτιος ὅτι ἤδη μέλλει ἀπόλλυσθαι, καὶ τί ποιῆσαι οὐκ ἦν, γεμίσας σάκκους λέγει· Ῥογεύσωμεν αὐτὸ εἰς τὰς πλατείας τοῖς πτωχοῖς, ἵνα μὴ φάγῃ αὐτὸ ὁ Σατανᾶς· ὡς οὖν ἀπῆλθεν καὶ ἐδίδου τοῖς πτωχοῖς, καὶ τὸ γέννημα ὁ Κύριος ἐπλήθυνεν αὐτομάτως ἄνευ ἀνθρωπίνης χορηγίας, καὶ ὁ σκώληξ ἔτι ἐν αὐτῷ οὐκ ἐφάνη, ἀλλ᾽ ἦν καθαρὸν λίαν.

31 Ἄλλοτε, παῖδες τέσσαρες Μοναξίου, τοῦ ἀπὸ Ὑπάτων, ἀναχωρήσαντες, ἦλθον ἐν τῷ μοναστηρίῳ βουλόμενοι ἀποταξασθαι· καὶ δεξάμενος αὐτοὺς ἐποίησεν μονάζοντας. Ὁ δὲ Μοναξίος ἐν πολλῇ σπουδῇ βερέδοις ἀποστείλας, ἐζήτει αὐτοὺς, ὅτι εἷς ἐξ αὐτῶν συγγενὴς αὐτοῦ ἦν, καὶ πάνυ αὐτὸν συνεκρότει, ὅστις γέγονε ὡς δοκιμώτατος ἀσκητὴς, καὶ πρεσβυτερίου κατηξιώθη. Ἕνα δὲ ἐξ αὐτῶν πιάσας ὁ Μοναξίος ὀνόματι Παῦλον, βασανίσας εἰς ἁλύσεις ἔβαλλεν, καὶ στρατιώτῃ παρέδωκεν ἐμφυλακίσαι· μέσης δὲ νυκτὸς Ἄγγελος Θεοῦ ἐλθὼν, καὶ τὰ δεσμὰ αὐτοῦ ἔλυσεν, καὶ τὰς θύρας ἀνοίξας, καὶ ἀπολύσας αὐτὸν εἶπεν, ἄπελθε καὶ σώζου· ὅστις ἀπολυθεὶς, καὶ εἰδὼς ποῦ εἰσιν οἱ ἄλλοι, ἦλθεν καὶ αὐτὸς ἐν τῷ μοναστηρίῳ, οὔπω γὰρ ᾔδει τὸ μοναστήριον ὁ Μοναξίος. Γνοὺς δὲ αὐτὸ μετὰ ταῦτα, καὶ μαθὼν ἐκεῖσε εἶναι τοὺς παῖδας Ἀποστέλλει πρὸς τὸν Ἅγιον λέγων· Ἀπόστειλόν μοι τοὺς παῖδας· ὁ δὲ λέγει τοῖς παροῦσιν· Ἀπελθόντες εἴπατε αὐτῷ οὕτως, Ἐγὼ αὐτοὺς οὐκ ἐπαίρω ἀπὸ τοῦ Θεοῦ καὶ σοὶ διδῶ· εἰ δὲ τολμᾷς αὐτοὺς ἐπᾶραι, αὐτὸς ἐλθὲ, καὶ ἐπᾶρον· αὐτοὶ γὰρ πρὸς τὸν Θεὸν κατέφυγον. Ἐκεῖνος δὲ ἀκούσας καὶ ἀπορηθεὶς ἐν τῷ λόγῳ, ἀποστείλας πρεσβυτέρους, παρεκάλει αὐτὸν λέγων· Ἐλθὲ ὅπως θεάσομαί σε, διότι πόθον ἔχω τοῦ ἰδεῖν σε. Πλειστάκις δὲ ἀποστείλαντος, βιασθεὶς ἀπῆλθεν· ἄλλοι δὲ ἐνέτρεπον τὸν Ὑπάτιον λέγοντες. Μὴ ἀπέλθῃς, ὅπως μή σε εἰς φρουρὰν ἐμβαλὼν, ἀπαιτῇ σε τοὺς ἀνθρώπους. Συντυχὼν οὖν αὐτῷ ὁ Μοναξίος, καὶ πάνυ περιχαρὴς γενόμενος, διωμόσατο λέγων, ὅτι τὴν νύκτα ταύτην ἐθεασάμην σε Εὐχὴν ποιοῦντα ἐν τῷ οἴκῳ μου· ὡς οὖν ἤρξατο ἐγκαλεῖν περὶ τῶν παιδαρίων, καὶ πολλὰ λέγειν, ὡς πεπαιδευμένος καὶ τρὶς Ἔπαρχος γενόμενος, Βούλομαί φησιν, ἵνα τοὺς δούλους μου ἀποστείλῃς. Ὁ δὲ Ὑπάτιος ὤν οὐδὲν ἐκπληττόμενος λέγει πρὸς αὐτόν· Ἐὰν φρονεῖς τὰ τῶν ἀνθρώπων, εἰκότως δοῦλοί σού εἰσιν· εἰ δὲ οὐ φρονεῖς τὰ τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ τὰ τοῦ Θεοῦ, οὐκ εἰσιν δοῦλοί σου,

A σου, ἀλλὰ σύνδουλοι· ἐὰν οὖν κωλύσῃς αὐτοὺς ἐκ τοῦ κοινοῦ δεσπότου Θεοῦ τί σοι ποιήσει; οὐχὶ ἐκκαύσει τὸν θυμὸν αὐτοῦ ἐπί σοι; Θαυμάσας δὲ ἐκεῖνος τὸν ἄνδρα, καὶ ἐκπλαγεὶς ἐπὶ τῇ ἀποκρίσει αὐτοῦ, παρεκάλεσεν αὐτὸν λέγων· Ἀββᾶ ποίησον εὐχὴν, καὶ εὐλόγησόν μου τὸν οἶκον καὶ τὰ τέκνα, καὶ ἄπελθε ἐν εἰρήνῃ, καὶ εὔχου ὑπὲρ ἐμοῦ, οὐκ ἔτι γὰρ τολμήσω εἰπεῖν, ἵνα μὴ δουλεύσωσι Θεῷ. Εὐξάμενος οὖν, καὶ εὐλογήσας αὐτὸν, ἀπίει ἐν τῷ μοναστηρίῳ αὐτοῦ.

iram accendetur contra te? Ille porro virum admiratus, ejusque responso conterritus rogavit eum dicens; Abba, oro et benedic domui meæ ac filiis, atque abi in pace. Deum pro me precaturus: non enim ausim amplius urgere ne serviant Deo. Bene ergo ei precatus recessit in monasterium suum. D

A. CALLINICO.

ANNOTATA D. P.

a *Verosimiliter* Chalcedonensis *Episcopus jam enim a tempore Niceni Concilii ea civitas invenitur Episcopum habuisse* Marim, *eademque anno 451 obtinuit titulum Metropoleos.*

b Προσάνεξις *necdum alibi a nobis reperta vox, per conjecturam redditur* oblatio *quasi a* προσανέχω: ἀνέχω *enim redditur* sustineo, attollo.

c *Id est* non venit ad cœnam, *quæ hic et superius* benedictio *vocatur.*

d *Libertas uxores habere familiare Romanis fuit, ut ostendi ex Epitaphiis eorum Antuerpiæ refossis tom.* B *1 Junii pag.* 943, *quæ exinde viri cognomine censebantur.*

e *Imperii sede Constantinopolim cum bona parte Senatus et Nobilitatis translata, quam plurima latina vocabula in linguam græcam transierunt, qualia frequenter in hac Vita occurrunt; ita supra inveniuntur* νούμερος, πραιτώριον, πραιπόσιτος, πραιδεύειν prædari: *hic vero* στράτα, via publica; ῥογεύειν erogare *a voce* roga erogatio, *apud Anastasium Bibliothecarium in Vitis Pontificum usitatissima, aliaque similia sese deinceps oblatura.*

f *Monaxius cum Plinta anno* 419 *Consulatum gessit. Præfecturæ meminit Chronicon Alexandrinum anno* 407, *occasione seditionis contra eum motæ, propter panis defectum.* E

CAPUT V.

S. Hypatii erga afflictos misericordia, solutæ per eum Dæmonum præstigiæ.

Τοσοῦτον δὲ ἠγάπα τοὺς πένητας, ὡς γίνεσθαι ὀρφανοῖς ὡς πατὴρ, καὶ ἀντὶ ἀνδρὸς αὐτῇ τῇ μητρὶ αὐτῶν. Οὐδὲ γάρ ἐστι δυνατὸν πόσους ἐνέδυσεν γυμνοὺς, ἢ πόσους πεινῶντας διέθρεψεν ὁ Κύριος, δι' αὐτοῦ· ἐν γὰρ τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἐφαίνετο ὅτι φιλόπτωχός ἐστιν· ἡ γὰρ χάρις τοῦ Θεοῦ ἔλαμπεν εἰς αὐτὸν κατὰ τὸ γεγραμμένον· Ἐλεημοσύνη ἀνδρὸς σφράγισμα αὐτῷ· ὡς πληρωθῆναι γραφὴν τὴν λέγουσαν· Μακάριος ὁ συνιῶν ἐπὶ πτωχὸν καὶ πένητα, ἐν ἡμέρᾳ πονηρᾷ ῥύσεται αὐτὸν ὁ Κύριος, Κύριος διαφυλάξαι αὐτὸν, καὶ ζῆσαι αὐτὸν, καὶ μακαρίσαι αὐτὸν ἐν τῇ γῇ. Οὔτε γὰρ πτωχός ποτε διακενῆς ἀνεχώρησεν ἀπὸ τοῦ μοναστηρίου. Οὐκ ἔστιν εἰπεῖν πόσους τραυματίας ἔχοντας ἐθεράπευσεν δι' αὐτοῦ ὁ Θεός· πολλοὺς γὰρ, ὥσπερ οἱ ἰατροὶ ἀπηγόρευσαν ὡς μὴ δυναμένους θεραπείας τυχεῖν διὰ τὸ εἶναι πένητας, καὶ οὓς ἄλλοι οὐκ ἠδύναντο πλησιάσαι διὰ τὴν δυσωδίαν, C αὐτὸς ταῖς ἰδίαις χερσὶν ἀποσμήχων τοὺς ἰχῶρας ἐθεράπευσεν, χρώμενος μηδενὸς ἰατροῦ, ἢ ἐμπλάστρου, ἢ ἄλλου τινὸς ὧν οὐκ ἦν ἐπιστάμενος· ἀλλ' ἢ φακῇ ἑψητῇ, καὶ ἅλατι κατέπλασσεν εὐχόμενος, καὶ τὴν σφραγῖδα τοῦ Χριστοῦ ποιῶν, καὶ ἐν ὀλίγαις ἡμέραις, τοῦ Θεοῦ παρέχοντος τὴν χάριν, ὑγιεῖς ἀπέλυεν δοξάζοντας αὐτόν. Τοῖς δὲ θεραπευομένοις παρήγγελλεν μὴ αὐτῷ εὐχαριστεῖν, ἀλλὰ τῷ Θεῷ, καὶ δοξάζειν αὐτὸν τὸν ποιοῦντα θαυμαστὰ μετὰ τῶν δούλων αὐτοῦ. Πόσους μέλλοντας τυφλοῦσθαι ἀπὸ λευκωμάτων ὁ Κύριος δι' αὐτοῦ ἰάσατο; ἐξ ὧν εἰσελθών τις μὴ βλέπων λέγει τῷ Ὑπατίῳ· Κατασφράγισόν με δοῦλε τοῦ Θεοῦ, καὶ πτύσον μου εἰς τοὺς ὀφθαλμοὺς, ἵνα ἀναβλέψω...

33 Καὶ [illegible]. Μὴ δειλιῶμεν τὰς φαντασίας αὐτοῦ, ἔχοντες τὸν Κύριον βοηθοῦντα ἡμῖν· οὐ γὰρ ἔδωκεν ἡμῖν ὁ Θεὸς πνεῦμα δειλίας, ἀλλὰ δυνάμεως, καὶ ἀγάπης, καὶ σωφρονισμοῦ. Ταῦτα οὖν ἐν πᾶσι τοῖς χρόνοις ἐδίδασκεν ἡμᾶς τοὺς αὐτοῦ μαθητάς· ἡμεῖς δὲ ἀκούοντες παρ' αὐτοῦ ταῦτα, καὶ ὁρῶντες τὰ θαυμάσια τοῦ Θεοῦ, τὰ γινόμενα δι' αὐτοῦ, ὅτι διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν αὐτοῦ πολλοὺς ἐκ ποικίλων νόσων ἰᾶτο ὁ Κύριος, θαυμάζοντες, ἐδοξάζομεν τὸν τοιαύτην χάριν διδόντα τοῖς δουλεύουσιν αὐτῷ, καὶ προθυμίαν λαμβάνοντες, ἐγινώσκομεν ὅτι τοῦτό ἐστιν ὃ ἐλάλησεν αὐτῷ ὁ Θεὸς διὰ τῆς φωνῆς, τῆς ἐνεχθείσης αὐτῷ διὰ τοῦ ἀέρος, Ὅτι τέ-

Pauperes tantopere diligebat, ut orphanis esset quasi Pater, et Matribus ipsorum quasi vir: dici autem vix potest quam multos nudos vestiverit, et quam multos esurientes paverit Dominus per ipsum; nam ex ipso ejus vultu apparebat, quod esset amator pauperum: gratia enim Dei effulgebat in eo prout scriptum est Eleemosyna viri ipsi signaculum est: itaque implebatur scriptura dicens: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit eum Dominus: conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in terra. Neque enim pauper ab ejus monasterio unquam recessit vacuus. Dici quoque non potest quot vulneratos Deus per ipsum curaverit: multos enim quos medici ob egestatem dimiserant quosque ob fœtorem alii accedere formidabant, abstergens propriis manibus saniem, sanavit, nullo usus emplastro vel medicamine quorum erat ignarus; sed vel lente cocta vel sale applicito cum oratione et signo Dominicæ Crucis: quos Dei gratia concurrente intra paucos dies remittebat sanos, Deum collaudantes. Sed iis sic curatis præcipiebat ipse, ut ne sibi, sed Deo agerent gratias, eumque glorificarent qui faciebat mirabilia per servos suos. Quam multis suffuso oculis albugine excæcandis visum Dominus per ipsum servavit? ex quibus unus nihil prorsus videns, Hypatio dixit: Signa me Serve Dei, et inspue mihi in oculos ut videam...... *hic desunt aliqua.*

Misericors erga pauperes

Ecli. 17, 18

Psal. 40,2

F

et vulneratos

ac cæcutientes:

33 Non formidemus Phantasmata Diabolica habentes Dominum adjutorem: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed fortitudinis, dilectionis, et prudentiæ. Hæc igitur semper nos discipulos suos docebat, qui talia ex ipso audientes et videntes mirabilia Dei, et quomodo manuum ipsius impositione plurimos a diversis morbis curaret Dominus, cum admiratione glorificabamus eum, qui talem gratiam conferebat famulis suis: atque alacriores inde facti agnoscebamus illud esse, quod ipsi dixerat Dominus, per vocem ad eum e cælo factam; Posui te in lucem gentium usque ad extremum terræ. Sed et

eorum plurimos miraculose curat;

A

EM MS. VATIC

vita ipsius multis fuit causa, ut ad lumen salutis confugerint, et deserto mundo, Monachi fierent. Postquam autem emigravit ad Dominum, doctrina ejus multis fuit utilis, eosque ad Divinam lucem adduxit: lumen enim Domini timere eum: quisquis enim audit mandata Dei, atque Sanctorum Patrum doctrinam; et gressus suos dirigit in eo lumine; quique præcepta Dei observans humiliat seipsum, fundabitur supra petram, quæ Christus est: neque enim SS. Patres aliud, quam præceptorum observantiam nos docent.

verbo et exemplo multos convertit:

34 Victus S. Hypatii erant legumina, et olera cum modico pane; in senectute vero sumebat parum vini: comedebat autem completa jam Nona: sæpius vero ipsam transiliebat. At in Quadragesima, alternis tantum diebus reficiebatur, includens se, et psallens Matutinum, Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernarium, quæque ad primum somnum, quæque ad mediam noctem decurri solent Officia, secundum quod scriptum est: Septies in die laudem dixi tibi super judicia justitiæ tuæ. Itaque intra diei unius et noctis spatium persolvebat centum Psalmos et totidem preces. Atque hanc vivendi rationem usque obitum tenens, eandem discipulis suis reliquit, ne in extrema quidem senectute dimittens quam assumpserat vitæ formam: robusta autem sanitate utens, tam vivido colore tinctam habebat faciem, atque si multis lautisque ferculis visceretur: vere enim splendido Sancti utuntur victu, cum spirituali ac divino cibo homo interior pascitur.

parce vivit,

arcte jejunat, psal. 118 164.

frequenter psallit,

B

corpore nihilominus vegeto,

35 Oranti frequens aderat compunctio, et tum valido planctu atque clamore Dei aures pulsabat, ut nobis flentibus horrorem incuteret. Dicebat autem nobis quod Monachus hoc habeat fundamentum sui profectus; renuntiare propriæ voluntati, et perfectam ergo spiritualem Patrem habere obedientiam, atque omnem suam solicitudinem projicere in Deum; quoniam ipsi cura est de nobis: non enim despiciet Dominus sperantes in se. Ecce venistis ad humilitatem meam, relinquentes mundum et parentes vestros propter Deum, et onus disciplinæ vestræ mihi imposuistis. Quod igitur vobis dico oportet id faciatis: studeo enim docere, quod Deo gratius esse scio. Vos igitur audite me, ut utrique Deo placeamus, et dignus sim qui de vobis in illa die dicam: Ecce ego et pueri quos mihi dedisti Deus. Hæc porro verbis docens, etiam scripto præceptiones alias in chartam conferebat, tradiditque ut Deo per ipsas placeremus. Amicis vero ad se in monasterium venitantibus congrua suadebat, nihil Dei timori præferre, fugere injustitiam, frequentare diligenter ecclesias, et pro facultate eleemosynas facere. Sic instanti valedicebant ei, et cum fructu abibant.

magnæ vir compunctionis

suos instruit ad perfectam obedientiam,

C

et seculares ad timorem Dei

36 Cum ad eum venisset homo quidam mundanus ulcus ferens quo femur totum computruerat, curam ejus suscepit super ipsum orando, qui tamen nihil inde utilitatis retulit: quare interrogavit eum Hypatius, numquid mali commisisset. Ille vero respondit, prius quam ad monasterium veni mulier quædam, accepto cultro, incantationes aliquas super ulcus protulit: quod cum esset confessus dixit nobis Sanctus, vidisse se noctu mulierem sedentem extra vestibulum; et non procul ab ea dæmonem, in throno, habitu regio, multis dæmonibus circumstantibus. Exhibant autem Fratres ad persequendam mulierem, quibus dæmones resistebant, donec superveniente me diabolus dixit ministris suis; Date locum, nihil potestis ipsi nocere: et statim Dominus omnes fecit disparere: ac sanatus est homo intra paucos dies. Alio tempore adductus est alter

Femur ulcerosum fugatis dæmonibus curat.

D

θεικά σε εἰς φῶς ἐθνῶν ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς· ὅτι καὶ ζῶντος αὐτοῦ πολλῶν πρόξενος γέγονεν ὁ βίος αὐτοῦ εἰς τὸ τὸν φωτισμὸν τῆς σωτηρίας καταφυγεῖν, καὶ αποταξαμένους τῷ κόσμῳ, γενέσθαι μοναχούς. Καὶ μετὰ τὸ ἀναλῦσαι αὐτὸν πρὸς τὸν Θεὸν ἡ νουθεσία αὐτοῦ πολλοῖς ὠφέλεια γενήσεται, καὶ φωταγωγήσει εἰς τὸ φῶς τοῦ Κυρίου. Φῶς γὰρ Κυρίου τὸ φοβεῖσθαι τὸν Κύριον· πᾶς γὰρ ὁ ἀκούων τὰς ἐντολὰς Κυρίου, καὶ τὰς νουθεσίας τῶν ἁγίων Πατέρων, καὶ φυλάττων ἐν φωτὶ Κυρίου τὸ ἴχνος αὐτοῦ· ὁ γὰρ ποιῶν τὰς ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ, καὶ φυλάττων, καὶ ταπεινῶν ἑαυτον, τεθεμελίωται ἐπὶ τὴν πέτραν· ἡ δὲ πέτρα ἐστὶν ὁ Χριστὸς, καὶ γὰρ οἱ ἅγιοι Πατέρες οὐδεν ἔξωθεν τῶν ἐντολῶν τοῦ Θεοῦ διδάσκουσιν ἡμᾶς.

34 Ἡ δὲ δίαιτα ἦν τοῦ ἁγίου Ὑπατίου ὄσπριον καὶ λάχανον καὶ ἄρτος ολίγος, εις το γῆρας δὲ αὐτοῦ οινου μετελάμβανεν· ἤσθιεν δὲ πάντοτε εις τὴν βαθεῖαν εννάτην, πολλάκις δὲ καὶ ὑπερθέσεις ἐποιει. Καὶ ἐν τῇ τεσσαρακοστῇ ὑπὲρ μίαν ἤσθιεν, ἐγκλείων ἑαυτὸν, καὶ ψάλλων, καὶ εὐχόμενος ὀρθρινά, τρίτην, ἕκτην, ἐννάτην, λυχνικά, πρωθύπνια a, μεσονυκτικὰ, κατὰ τὸν λέγοντα· Ἑπτάκις τὴν ἡμέραν ᾔνεσά σε ἐπὶ τὰ κρίματα τῆς δικαιοσύνης σου· ἐποίει οὖν τὸ νυχθήμερον ψάλλων ἑπτάκις ἑκατὸν ψαλμοὺς καὶ εκατὸν εὐχάς. Ταύτην οὖν τὴν πολιτεῖαν ἕως τῆς τελευτῆς αὐτοῦ μαθηταῖς κατέλειπεν· μήτε ἐν τῷ γήρει ποτὲ ὑπενδοὺς εἰς ἧς ἀεὶ κατεῖχεν δίαιταν· ὑγιὲς γὰρ ἀεὶ διαμένων τὸ σῶμα εἶχεν συνεστηκος· καὶ τοσοῦτον εἶχεν τὸ πρόσωπον ανθηρὸν, ὥσπερ τὸ πολυτελῶν σιτείων μετέχων· ἀληθῶς γὰρ οἱ Ἅγιοι λαμπρῶν σιτείων μετέχουσιν, απολαύοντες τῆς θείας καὶ πνευματικῆς τραπέζης ἐν τῷ ἔσω ανθρώπῳ.

a

E

35 Ἐγίνετο δὲ αὐτῷ συνεχῶς κατανυξις εὐχομένῳ καὶ τοσοῦτον ἔκλαιεν καὶ ἐβόα πρὸς τὸν Θεὸν, ὡς φόβῳ συνέχεσθαι ἡμᾶς δακρύοντας. Ἔλεγεν δὲ ἡμῖν ὅτι· Ὁ μονάζων τοῦτον ἔχει τον θεμέλιον τῆς προκοπῆς, τὸ αποτάξασθαι τοῖς ἰδίοις θελήμασιν, καὶ την ὑπακοὴν τοῦ πνευματικοῦ Πατρὸς ἐκπληροῦν, καὶ πᾶσαν την μέριμναν καὶ τὴν ἐλπίδα ἐπιρρίψαι προς τον Θεον, ὅτι αὐτῷ μέλλει περὶ ἡμῶν· οὐ γὰρ παρορᾷ Κύριος τοὺς ἐλπίζοντας εἰς αὐτον· ἰδοὺ γὰρ ἤλθετε ὑμεῖς πρὸς τὴν ταπείνωσίν μου, ἐάσαντες τὸν κοσμον διὰ τον Θεὸν, καὶ τοὺς γονεῖς ἑαυτῶν, καὶ το βαρος ἐπ᾿ ἐμὲ επεθήκατε τῆς ὑμῶν διαγωγῆς· ο οὖν υμὶν ειπω, τοῦτο οφείλετε ποιεῖν, καὶ γὰρ ἐγὼ σπουδάζω τὸ εὐάρεστον τῷ Θεῷ λέγειν. Ὑμεῖς οὖν ακούσετέ μου, ινα αμφοτεροι τῷ Θεῷ εὐαρεστήσωμεν, καὶ καταξιωθῶ μεθ᾿ ὑμῶν ἐν εκείνῃ τῇ ὥρᾳ ειπεῖν· Ἰδοὺ ἐγὼ καὶ τὰ παιδία ἅ μοι ἔδωκας ὁ Θεός. Ταῦτα οὖν διδάσκων ἡμας, ετέρας παραγγελίας εγραψεν ἐν χάρτῃ, καὶ παρέδωκεν, οπως διὰ τούτων εὐαρεστήσωμεν τῷ Κυρίῳ. Τοῖς δὲ φίλοις τοῖς ερχομένοις εν τῷ μοναστηρίῳ ἔλεγεν τὰ δέοντα, οπως μηδεν προκρίνωσι τοῦ φόβου του Θεοῦ, φεύγειν τε απο αδικιῶν, σπουδάζειν δὲ συνεχῶς εις τὰς Ἐκκλησίας, καὶ κατὰ δύναμιν ἐλεημοσύνας ποιεῖν· ταῦτα οὖν νουθετούμενοι, ησπάζοντο αὐτον, καὶ ανεχώρουν ὠφελούμενοι.

F

36 Ποτέ τινος ἄλλου ελθόντος πρὸς αὐτὸν κοσμικοῦ καὶ ἕλκος εχοντος δεινον· ὁ γὰρ μηρος αὐτοῦ ὅλως ην σεσηπως· ἐπεμελεῖτο αυτου ευχομενος ὑπὲρ αὐτοῦ, και οὐδεμία ὠφέλεια ἐγινετο τῷ ανθρώπῳ. Τοτε λέγει αυτῳ ὁ ἅγιος Ὑπάτιος, μη τι κακον διεπραξω; ὁ δε απεκρίνατο, οτι προ τοῦ ελθεῖν με ἐν τῷ μοναστηρίῳ, γυνη τις μάχαιραν λαβοῦσα, ἐπαοιδίας ἔλεγεν επὶ τὸ ελκος. Ὅτε οὖν ἐξωμολογησατο, διηγήσατο ἡμῖν ὁ ἅγιος Ὑπατιος λέγων, οτι εώρακα ἐν αὐτῇ τῇ νυκτὶ την γυναῖκα ἔξω τοῦ πυλῶνος καθεζομένην, καὶ τὸν διάβολον ἀπο ολίγου διαστήματος αυτῆς, εν κιβωρίῳ b καθεζομενον σχήματι βασιλικῷ, και πολλῶν δαιμόνων εχοντα παράστασιν. Ἐξήρχοντο δὲ οἱ Ἀδελφοὶ διώκοντες τὴν γυναῖκα, και οι δαίμονες αντεπάλαιον τοῖς Ἀδελφοῖς· ἐμοῦ δὲ ἐπιφθάσαντος, λέγει ὁ διάβολος τοῖς ἑαυτοῦ ὑπηρεταις· Δότε τόπον, ουδεν δύνασθε αὐτῳ ποιῆσαι· και εὐθὺς τοὺς πάντας ὁ Κύριος αφανεῖς ἐποιησεν, και γέγονεν ὁ ἄνθρωπος

b

A πος ὑγιὴς ἐν ὀλίγαις ἡμέραις. Ἄλλον πάλιν ἤνεγκαν πρὸς αὐτὸν ἔχοντα τὴν κεφαλὴν ὀγκωμένην ὡς ἄν τις εἴδοι ὄγκον τριῶν κεφαλῶν εἰς ἓν γενομένων, καὶ ἐν αὐτῇ ἕλκη ἔχοντα· ἦν δὲ οὗτος ὑπηρέτης τοῦ δρομικοῦ, ὥς τινες λέγουσιν ἱπποκόμος. Εὐξάμενος οὖν καὶ καταπλύνας ταῖς ἰδίαις χερσὶν ἐπεμελεῖτο αὐτόν· ἐν ἱκαναῖς δὲ ἡμέραις τοῦ πάθους προκύπτοντος, ὁ Ὑπάτιος θαυμάζων ἔλεγεν τῷ ἀνθρώπῳ· Ἐξομολόγησαι, μήτι προσέκρουσας τῷ Θεῷ; εἰ μὴ γὰρ αἰτία τις ὑπῆρχεν, οὐκ ἂν ἠπέρει ὁ Θεὸς τῶν καμάτων ἡμῶν. Τοῦ δὲ μηδὲν ὁμολογοῦντος, ὁρᾷ ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ τῇ νυκτὶ δαίμονας πέντε λέγοντας αὐτῷ· Τί θέλεις ἐπάσαι τὸν ἄνθρωπον ἀφ' ἡμῶν; μὴ κάμνε· ἡμῖν γὰρ παρεδόθη διὰ τὴν ἀνομίαν αὐτοῦ. Τοῦ δὲ Ἁγίου εἰπόντος, Ποίαν; ἔφησαν ἐκεῖνοι, Ὅτι γυναῖκα ἔχων, τὴν τοῦ ἑτέρου ἐμοίχευσεν, καὶ μοιχεύσας ὤμοσεν ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ, καὶ ὀμόσας προσῆλθεν καὶ ἐκοινώνησεν εἰς τὸ πρωΐ. Ταῦτα εἶπεν ὁ Ἅγιος τῷ ἀνθρώπῳ, Ὅτι τάδε ἐποίησας. Ὁ δὲ ἀπεκρίνατο οὕτως εἶναι· τότε λέγει αὐτῷ· Ἀνθ' ὧν οὐχ ὡμολόγησας ἐρωτώμενος, ἰδοὺ ἔτι τρεῖς ἡμέραι, καὶ ἀποθνήσκεις· εἰ γὰρ ἀνήγγειλας καὶ μετενόησας, παρεκαλοῦμεν καὶ ἡμεῖς τὸν Θεόν, ἵνα συγχωρήσας ἰάσηταί σε. Τοῦ δὲ λοιποῦ ἀφήλπισε, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἀπέθανεν. Ψυχὴ γὰρ ἡ ἁμαρτάνουσα αὐτὴ ἀποθανεῖται.

B

37 Ἄλλο τε, πάλιν μοναχοί τινες ἀπὸ τριῶν σημείων ἐκκλησίδιον μικρὸν εἶχον, καὶ ἀπῆλθεν πρὸς αὐτοὺς περίεργός τις προφάσει τοῦ ἀποτάξασθαι· εἶχεν δὲ καὶ παιδάριον μετ' αὐτοῦ· ἀνέμενεν δὲ θλίβων τοὺς Ἀδελφούς, καὶ τὸν Ἡγούμενον εἰς τινὰς προφάσεις. Ἐκαλεῖτο δὲ ὁ Ἡγούμενος Εὐμάθιος, ἀνὴρ θαυμαστὸς καὶ κεκορεσμένος τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ· ἀποστέλλει οὖν οὗτος πρὸς τὸν Ὑπάτιον, παρακαλῶν ἥκειν πρὸς αὐτόν, ὅτι πάνυ ἐθλίβετο. Ἀπελθὼν δέ, ἅμα τῷ ἰδεῖν, εὐθέως ἔγνω τὸν ἄνθρωπον τίς ἦν· ἐγένετο δὲ σφαλεῖναι τὸν παῖδα ἐκεῖ, κἀκεῖνος τύπτων τὸν παῖδα, αἱματόφυρτον ἐποίησεν. Ὁ δὲ Ὑπάτιος λαβὼν τὴν ῥάβδον, μεθ' ἧς ἔτυπτεν τὸν παῖδα, ἔκρουσεν αὐτόν, λέγων, Ἦλθες ὧδε φόνους ποιῆσαι; Κἀκεῖνος χολέσας ἀπείλησεν αὐτῷ λέγων· Ἔσω μιᾶς ἑβδομάδος δεῖ με σοῦ ἐκδικηθῆναι. Ἦλθεν οὖν ὁ Ὑπάτιος εἰς τὸ ἴδιον μοναστήριον, καὶ μεθ' ἡμέρας πέντε ὁρᾷ δαίμονας τέσσαρας ἐν σχήματι καμήλων, δρακόντων δὲ εἶχον τραχήλους καὶ κεφαλάς. Ὁ δὲ Ἄγγελος τοῦ Θεοῦ ὁ παρὼν αὐτῷ, ἀνωτέρω αὐτὸν προσελάμβανετο, καὶ ἐπεκτείνοντες οἱ δαίμονες τοὺς τραχήλους ὥστε καταλαβεῖν αὐτόν, οὐκ ἠδύναντο διότι ἀνωτέρω αὐτῶν ἦν. Τέλος δεικνύει αὐτῷ ὁ Ἄγγελος ἐκεῖνον τὸν ἄνθρωπον ἐν σχήματι δούλου κλιμμένον τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, καθήμενον ὑπὸ κλίνην λέγων· Οὗτος ἀπέστειλεν αὐτούς. Ὁ δὲ Ὑπάτιος πρὸς τοὺς

C δαίμονας λέγει· Ὑμῖν λέγω τοῖς δαίμοσιν, ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃ ἀπέστειλεν ὑμᾶς ποιῆσαί μοι, ἀπέλθετε, ἐκεῖνο ποιήσατε αὐτῷ. Καὶ εὐθὺς ἐκεῖνοι ἀπεστράφησαν πρὸς τὸν πέμψαντα αὐτούς· ὁ δὲ παραχρῆμα ἤρξατο ἐλεγχόμενος κατεσθίειν τὴν γλῶσσαν αὐτοῦ, καὶ τὰς χεῖρας ἀφειδῶς. Ἦλθον οὖν πάλιν οἱ Ἀδελφοὶ πρὸς τὸν Ὑπάτιον λέγοντες, Ὅτι δεινῶς κατατρώγει ἑαυτόν, καὶ τὸ ὄνομά σου ἐπικαλεῖται· καταξίωσον οὖν ἐλθεῖν καὶ εὔξασθαι ὑπὲρ αὐτοῦ. Συνέβη δὲ αὐτὸν ἐγκλεισθῆναι, ἐπελθούσης γὰρ τῆς ἁγίας Τεσσαρακοστῆς, καὶ ἀπεκρίνατο αὐτοῖς, Ὅτι ἐάσατε αὐτὸν παιδευθῆναι ὀλίγον, ἵνα ἐπιγνῷ τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ· ἀναπαύσατε οὖν αὐτὸν ἕως τοῦ ἁγίου Πάσχα. Πληρωθείσης οὖν τῆς νηστείας, ἐν τῷ ἁγίῳ Πάσχα, ἀπῆλθεν ὁ ἅγιος Ὑπάτιος, καὶ εὑρίσκει αὐτὸν ἐν δεινοῖς, καὶ λέγει αὐτῷ· Μὴ ἄδικος ὁ Θεός, ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργήν; κατὰ ἄνθρωπον λέγω· μὴ γένοιτο· ἔγνως ὅτι ὑπερασπίζει ὁ Θεὸς τῶν δούλων αὐτοῦ. Καὶ εὐθέως ἐποίησεν ὑπὲρ αὐτοῦ εὐχήν, ἀλείψας αὐτὸν ἐλαίῳ, καὶ τὴν σφραγῖδα τοῦ Χριστοῦ ποιήσας, εὐθὺς ὁ Κύριος ἰάσατο αὐτὸν ἀπὸ τοῦ πονηροῦ· στῆναι δὲ οὐκ ἠδύνατο διὰ τὴν πολλὴν κακουχίαν· λέγει οὖν ὁ Ὑπάτιος τῷ Ἀββᾷ Εὐμαθίῳ· Ἔσω ὀλίγων ἡμερῶν ἔχει ὑγιάναι, καὶ οὕτως ἀπόλυσον αὐτόν. Καὶ ῥυσθέντες οἱ Ἀδελφοὶ ἀπὸ τῆς θλίψεως ἐκείνης, εὐχαρίστουν τῷ Θεῷ.

38 Ἄλλος πάλιν Ἀναγνώστης τῶν ἁγίων Ἀποστο-

tam tumido capite ut videretur trium capitum in unum conflatorum tumorem æquare; habebatque illud ulceribus plenum: erat autem minister cursus publici, ex iis quos equisones vocant. Orans vero et propriis manibus caput ejus purgans, curare ipsum cœpit; cumque per multos dies nihil proficeret, malo etiam ingravescente, admirabundus Hypatius dixit ei; Confitere an aliquid contra Deum commiseris? nisi enim causa aliqua subesset, non despiceret Deus laborem nostrum. Cumque is porro nihil fateretur, vidit noctu vir sanctus dæmones quinque, sic ipsum alloquentes; Quid niteris eripere nobis hominem istum? noli laborare: nobis enim traditus est propter iniquitatem suam: quærente autem Sancto qualem; responderunt illi, quod uxorem habens, adulterium commisit cum uxore alterius, et adulteratus juravit super S. Evangelia, itaque mansit cum ea usque mane. Dixit ergo homini Sanctus; Hæc et hæc fecisti: confessusque est ita se rem habere. Tunc ait Hypatius quia interrogatus negavisti, ecce intra tres dies morieris; quod si pœnitens fuisses confessus, rogassemus Dominum, ut remissa tibi culpa sanareris. Denique desperavit homo, et tertio die mortuus est. Anima enim quæ peccaverit ipsa morietur.

37 Alio rursus tempore, quidam Monachi habebant ecclesiolam, tribus milliaribus dissitam, venitque ad ipsos præstigiator, quasi renun iaturu seculo, habens secum puerum: perseveravit autem quibusdam de causis molestus esse Fratribus et Egumeno qui vocabatur Eumathius, vir admirabilis et Dei dilectione præditus. Misit ergo Hypatio rogans ad se dignaretur venire, quia multum affligebatur. Abiens ergo ut illum visitarat, statim agnovit hominem quis esset: contigaret enim ut puer nescio quid delinqueret, et ab hero vapulans cruentaretur: quod videns Hypatius, arripuit baculum quo puer verberabatur, et vicissim percussit eum dicens: Huccine venisti ut cædes patrares? Ast iste iracundia motus, comminando dixit: Intra hebdomadam unam pœnas mihi dabis. Rediv.t ergo in suum monasterium Hypatius, et post quinque dies vidit quatuor dæmones in specie camelorum, colla et capita draconis habentium: sed Angelus Dei ipsi adstans sustulit ipsum supra illos; qui colla sua extendentes ad eum comprehendendum, non poterant, quia altior ipsis erat. Denique ostendit ipsi Angelus hominem illum, habitu servili, crinibus in tortis, sedentem supra lectum, dicens: Hic illos misit. Hypatius autem ad dæmones conversus, Vobis dæmonibus mando in nomine Jesu Christi, ut ei, qui vos misit, hoc ipsum faciatis, quod mihi ut faceretis, jussit. Et ecce continuo conversi ad ipsum sunt: qui mox cœpit suam ipsius linguam ipsasque manus ferociter admordere. Venerunt ergo rursum Monachi dicentes, Se ipsum laniat, et nomen tuum invocat: digneris igitur venire et super ipsum orare. Agebat autem tunc inclusus quia approquinquabat tempus S. Quadragesimæ et respondit eis, Demittite eum tantisper erudiendum ut discat timere Deum, et facite eum usque ad Pascha requiescere. Ita expletis jejuniis in die sancti Paschatis, abiit Hypatius, et inveniens graviter afflictum ait ei; An injustus est Deus ut secundum hominum loquar quia vindictam petit? Absit: jam novisti quod Deus famulum suum custodiat. Statimque super eum oravit et oleo inunctum cum signo Crucis, confestim Dominus sanavit ab omni malo. Sed propter nimiam debilitatem pedibus consistere non valebat; dixitque Abbati Eumathio Hypatius; Intra paucos dies persanatum dimitte. Fratres vero ab illa tribulatione liberati, gratias Deo agebant.

38 Lector, ecclesiæ Apostolorum prope monasterium

D A. CALLINICO

Adulterum impœnitentem dimittit incuratum.

E *A malefico deprehenso*

immissos in se quatuor dæmones

F *in illum remittit.*

et pœnitentem sanat

A. CALLINICO

Puellæ sterili fœtum

A rium sitæ, uxorem duxit, et accepta medietate dotis, aliam medietatem postulabat a parentibus puellæ, licet sterilis esset. Illi vero jam ante nuptias offensi erga filiam, et intelligentes ipsam non parere; non modo non præstiterunt dotem, sed neque reconciliari volebant. Ambo igitur necesserunt ad Hypatium; rogavitque ipsum puella, ut dignaretur pacem a parentibus impetrare. Cumque is parentibus diceret facite pacem cum filia, noluerunt illi dicentes: Quodsi illa sine prole moreretur, etiam id, quod dederant in dotem, recipere volebant. Cumque ita plusculum temporis transiret, nec illi vellent pacem filiæ suæ dare, tandem vocavit coram omnibus puellam, eamque in medio statuens dixit ei: In nomine Jesu Christi concipies et paries filium, et vocabis Personam, nomine avi sui. Et concipiens peperit, filioque nomen Personæ indidit: Deo sermonem Sancti complente; voluntatem enim timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet: parentes vero juxta legem solverunt debitum, et pace inita glorificaverunt Dominum super iis quæ contigerant.

et pacem cum dote a parentibus impetrat.

39 Rusticum quemdam nomine Zenonem alio B tempore adduxerunt sancto viro, tam graviter a dæmone vexatum, ut nesciret ubi esset, sed aliena loqueretur, omnibus insultans. Distabat vicus ejus sex milliaribus a monasterio: liberta autem ejus procidit lacrymabunda ante Sanctum, qui coram omnibus dixit, id quod Christus cæco; Credis quia hoc possum facere? Si enim Dominus postulavit fidem ab iis qui veniebant ad se, quanto magis nos homines peccatores; si ergo creditis Deo meo cui a juventute servio, quod propter deprecationem meam sanitatem vobis conferet, prompte largietur medelam: si autem afferentes quempiam fidem non habeant, haud facile poterit deprecator exaudiri; quia fides accedentis non cooperatur orationi: si vero fides illius orationi cooperatur, Deus eam suscipit, et sanitatem impertitur. Nemo existimet quod sine Dei gratia homo possit sanare quemquam, sicut Dominus dixit: Infirmos curate, dæmones ejicite, gratis accepistis gratis date. Patet ergo quod dignis concedatur gratia morbos curandi, et illa ipsis cooperans præstat facultatem curationum. Sic instituebat venientes ad se curationis gratia, ut scilicet glorificarent Deum salvantem glorificantes C se, et sanantem omnis generis morbos per intercessionem Sanctorum suorum. Cum ergo Zenonem suscepit, manus ejus constrinxit intra sagum absque manicis, ut ab ejus sic implicati manibus nihil cuiquam timendum esset: erat autem sagum fortissimum cui involvebat dæmoniacos truculentiores, et assuetos percutere appropinquantes sibi, itaque nemini nocere poterant, et domabantur jejunio atque oratione: Deus enim per deprecationem Sancti curabat. Hic porro Zenon ita garriebat adversus Servum Dei: Quid tibi mecum o homo? quare meos aufers? ego ipsos colligo: et tu illos male dissipas? quid mihi tecum? quid mea prædaris? quid tibi cum meis? Talia audientes Fratres subridebant, gaudentesque glorificabant Deum, alacrioresque fiebant ad rite famulandum Deo, videntes mirabilia, quæ Dominus per se timentes operabatur. Et illum quidem intra paucos dies sanavit Sanctus; sed ille in domum suam rediens, cito ad prioris vitæ licentiam redut, rursumque in eum ingressus est spiritus immundus. Quare iterum adduxerunt eum in monasterium, ubi pejora prioribus fecit, cibum nullum recipiens: Sancto autem propria manu buccellas ejus ori ingerente, ægre suscipiebat: cumque post aliquam istic moram curatus esset, denuo tentatum diu sustinuerunt: ac denique quarta vice adductum

Fidem exigere solitus ab adducentibus ægros

Matth. 10, 8

et furiosorum manus constringere,

rusticum energumenum ac tertio relapsum,

quarta vice curat et liberat.

λων πλησίον τοῦ μοναστηρίου ἔγημεν, καὶ λαβὼν τὸ D ἥμισυ τῆς προικὸς, ἐπεζήτει τὸ ἄλλο ἥμισυ τοὺς γονεῖς τῆς κόρης, ἡ δὲ κόρη οὐκ ἔτικτεν. Οἱ δὲ γονεῖς ὀργιζόμενοι ἦσαν τῇ κόρῃ, καὶ πρὸ τοῦ γῆμαι, καὶ γνόντες ὅτι οὐ τίκτει, οὐ μόνον τὴν προῖκα οὐκ ἐπλήρουν, ἀλλ' οὔτε εἰρηνεῦσαι ἐβούλοντο τῇ θυγατρί. Ἦλθον δὲ οἱ αμφότεροι πρὸς τὸν Ὑπάτιον, καὶ ἠξίου ἡ κόρη ὥστε εἰρηνεῦσαι μετὰ τῶν γονέων αὐτῆς· ὁ δὲ Ὑπάτιος ἔλεγεν· Ποιήσατε εἰρήνην μετὰ τῆς θυγατρὸς ὑμῶν. Ἐκεῖνοι οὐκ ἐβούλοντο λέγοντες· Ὅτι ἐὰν ἀποθάνῃ, καὶ ὃ ἐδώκαμεν εἰς προῖκα δεῖ ἡμᾶς λαβεῖν, ἐπειδὴ τέκνον οὐκ ἐποίησαν. Χρόνου οὖν διελθόντος, κἀκείνων μὴ βουλομένων εἰρήνην ποιῆσαι μετὰ τῆς αὐτῶν θυγατρὸς, τέλος, ἐφώνησεν ὁ Ὑπάτιος ἐπὶ πάντων τὴν κόρην, καὶ στήσας ἐν τῷ μέσῳ ἔφη· Σοὶ λέγω ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, συλλήψῃ καὶ τέξῃ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Περσωνᾶν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πάππου αὐτοῦ. Καὶ συλλαβοῦσα ἔτεκεν, καὶ ἐκάλεσεν τὸ ὄνομα αὐτοῦ Περσωνᾶν, τοῦ Θεοῦ ποιήσαντος τὸν λόγον τοῦ δούλου αὐτοῦ· θέλημα γὰρ τῶν φοβουμένων αὐτὸν ποιήσει, καὶ τῆς δεήσεως αὐτῶν εἰσακούσεται. Κἀκεῖνοι κατὰ τὸν νόμον, καὶ τὸ χρέος ἀπέδωκαν, καὶ τὴν εἰρήνην ἐποίησαν, καὶ τὸν Θεὸν ἐδόξασαν ἐπὶ τῷ γεγονότι.

39 Ἄλλον, ποτὲ χωρικὸν, ὀνόματι Ζήνωνα, ἤγαγον πρὸς τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ, δεινῶς ὑπὸ δαίμονος καταφερόμενον, ὡς μὴ γινώσκειν αὐτὸν ποῦ ἐστιν, ἀπελάλει δὲ καὶ πᾶσιν ἐπήρχετο· ἡ δὲ κώμη αὐτοῦ ἦν ἀπὸ σημείων ἓξ τοῦ μοναστηρίου. Κλαίουσα δὲ ἡ τούτου ἐλευθέρα, προσέπιπτεν τῷ Ἁγίῳ· ὁ δὲ Ὑπάτιος πᾶσιν ἔλεγεν, ὅτι ὁ Κύριος εἶπεν τῷ τυφλῷ, Πιστεύεις ὅτι δύναμαι τοῦτο ποιῆσαι; εἰ οὖν ὁ Κύριος ἀπαιτεῖ τὴν πίστιν τοῦ προσαγομένου, πόσῳ μᾶλλον ἡμεῖς οἱ ἁμαρτωλοὶ ἄνθρωποι; εἰ οὖν πιστεύετε τῷ Θεῷ μου, ᾧ δουλεύω ἐκ νεότητός μου, ὅτι τὴν ἴασιν ὑμῖν παρέχει διὰ τῆς παρακλήσεώς μου, [καὶ] ὅτι τὴν θεραπείαν δωρεῖται· εἰ οὖν οἱ προσφέροντες μὴ ἔχωσι τινα πίστιν, ὁ πρεσβεύων οὐ δύναται ῥαδίως ἀκουσθῆναι· ἐπειδὴ ἡ πίστις τοῦ προσιόντος τῇ εὐχῇ οὐ συνεργεῖ· ἐὰν οὖν ἡ πίστις ἐκείνου τῇ εὐχῇ συνεργήσει, εἰσακούει ὁ Θεὸς τοῦ εὐχομένου, καὶ τὰ ἰάματα χαρίζεται· μὴ γὰρ νομίσῃ τις ὅτι ἐκτὸς τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος δύναται τινα ἰάσασθαι, καθὼς εἶπεν ὁ Κύριος· Νοσοῦντας θεραπεύετε, δαίμονας ἐκβάλλετε, δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε· δῆλον ὅτι παρὰ τοῦ Θεοῦ τὴν χάριν λαμβάνουσιν τῶν ἰαμάτων οἱ ἄξιοι, καὶ αὐτὴ ἐνεργοῦσα εἰς αὐτοὺς, τὰ ἰάματα χαρίζεται. Ταῦτα ἐνουθέτει τοὺς ἐρχομένους πρὸς αὐτὸν ἕνεκεν θεραπείας, ὅπως τὸν Θεὸν δοξάσωσι, τὸν σώζοντα τοὺς δοξάζοντας αὐτὸν, καὶ ἰώμενον πᾶσαν νόσον διὰ τῆς πρεσβείας τῶν Ἁγίων αὐτοῦ. Ὡς οὖν ἐδέξατο τὸν Ζήνωνα, τὰς χεῖρας αὐτοῦ κατεκλείετο, σάγῳ ἐνδύσας αὐτὸν χειρίδας μὴ ἔχοντα, ὡς ἐξωπλισμένον εἶναι, καὶ τὰς χεῖρας ἔνδον [illegible]· ὁ δὲ σάγος ἦν ἰσχυρότατος [illegible]. Τοὺς δεινῶς δαιμονῶντας ἐπερχομένους εἰς τὸ πλήσσειν τινας, ἐνέδυεν αὐτοὺς τὸν σάγον, καὶ αὐτοὶ μὲν τινι οὐκ ἐπήρχοντο, ἀλλ' ἐδαμάζοντο παραμένοντες τῇ νηστείᾳ καὶ τῇ προσευχῇ· ὁ Θεὸς γὰρ αὐτοὺς διὰ τῆς πρεσβείας τοῦ Ἁγίου ἰᾶτο· οὕτως οὖν ὁ Ζήνων ἀπολαλῶν ἔλεγεν τῷ δούλῳ τοῦ Θεοῦ, Τί ἔχεις μετ' ἐμοῦ ἄνθρωπε; τί ἐπαίρεις τοὺς ἐμούς; ἐγὼ αὐτοὺς συνάγω, καὶ σὺ αὐτοὺς σκορπίζεις κακῶς; τί ἔχεις μετ' ἐμοῦ; τί τὰ ἐμὰ προνομεύεις; τί σοι καὶ τοῖς ἐμοῖς; ταῦτα ἀκούοντες οἱ Ἀδελφοὶ ἐγέλων χαίροντες ἅμα, καὶ τὸν Θεὸν δοξάζοντες, εὐπρόθυμοί τε ἐγίνοντο εἰς τὸ γνησίως δουλεύειν τῷ Θεῷ, ὁρῶντες τὰ θαυμάσια ἃ ἐποίει ὁ Θεὸς διὰ τῶν φοβουμένων αὐτόν. Ἐν ὀλίγαις οὖν ἡμέραις ἰάσατο αὐτὸν, καὶ ἀπελθὼν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, εὐθέως εἰς τὰς ἀσωτίας τοῦ βίου περιεπίπτει, καὶ ἐπέστρεψεν εἰς αὐτὸν πάλιν τὸ πνεῦμα τὸ ἀκάθαρτον· καὶ φέρουσιν αὐτὸν πάλιν ἐν τῷ μοναστηρίῳ, καὶ χείρονα ἐποίει τῶν πρώτων μὴ λαμβάνων τροφήν. Ὁ δὲ Ἅγιος ἐλθὼν ἐψώμιζεν αὐτὸν τῇ ἰδίᾳ χειρὶ, καὶ μόλις ἐδέχετο· παραμείνας οὖν χρόνον, καὶ ἰαθεὶς, πάλιν ἐπειράσθη, καὶ ἠνέγκαν αὐτὸν διὰ πολλοῦ χρόνου. Τοῦτο οὖν τέσσαρας ἀγωγὰς, ἐπὶ τέλει ὁ Κύριος ἰάσατο αὐτὸν, καὶ εὐχαρίστει τῷ ἁγίῳ Ὑπατίῳ, δοξάζων

E

F

A ἐδόξασεν τὸν Θεὸν, τοῦ λοιποῦ γὰρ διέμεινεν ὑγιής. Ὑπῆρχεν δὲ ὁ Ἅγιος ἀνεξίκακος λίαν, καὶ εὐσπλαγχνίζετο εἰς τοὺς τὰ πάθη ἔχοντας, καὶ ἔλεγεν· Οὗτός ἐστιν ὁ ὑπὸ λῃστῶν δαρεὶς τῶν δαιμόνων, καὶ ἡμιθανὴς γεγονὼς περὶ οὗ λέγει τὸ εὐαγγέλιον· τοῦτο ποιήσωμεν ἔλεος διὰ τὸν Θεόν· τὸν γὰρ Ἀδὰμ, ὁ Κύριος ἐλθὼν ἐλυτρώσατο διὰ τοῦ βαπτίσματος, ἐν ᾧ βαπτίζονται οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν.

persanavit Dominus, qui gratias egit S. Hypatio D Deum collaudans, et ex inde sanus permansit. Sanctus vero quia patiens erat et commiseratione plenus ergo omnes afflictos; Hic est, inquit, qui, ut legitur in Evangelio, vulneratus fuit a latronibus, Dæmonibus scilicet, a quibus semivivus relictus est; faciamus ei misericordiam propter Deum. Adamum enim redimere venit Dominus per Baptismum, in quo baptizantur credentes in illum.

EX MS VATIC.

ANNOTATA D. P.

a Πρωθύπνια *neque in Ritualibus Græcorum libris, unde totius Officii nychthemerici Acoluthian dedimus ante Tomum 2 Junii, neque in Glossariis Græcobarbaris hactenus invenimus : sed solum duplex* Ἀπόδειπνον, *Majus ac minus, quorum ultimum censuimus respondere* Completorio *Latinorum ; idem fortassis hic dicitur* Προθύπνιον.

b *Rectius* κιβωρίῳ, *frequens vox apud Anastasium et hodiedum Romanis usitata ad significandum* tabernaculum, *quatuor columnis suffultum supra altare, per modum throni.*

c Κηπίῳ *pro* capillitio *alibi apud Græcos necdum inventum est.*

CAPUT IV.

B *Variæ virtutes Hypatii et spiritus propheticus, imminente fame et in Nestorio probatus, Olympia disturbata.* E

Ἀνεγίνωσκέν τε ὁ ἅγιος Ὑπάτιος ἡσύχως, ἦν γὰρ πόθον ἔχων εἰς τὰς θείας γραφὰς, καὶ σπουδαίως ἐφιλοκάλει εἴ που εὗρεν βιβλίον ἐνδιάθετον τῶν ἠθῶν τὴν κατάστασιν ἔχον, μήτε προιὼν εἰ μὴ εἰς τὸ Ἀποστολεῖον τὸ πλησίον κατὰ Κυριακὴν, ἕνεκεν τῆς λειτουργίας τοῦ Θεοῦ, καὶ μετὰ τὴν ἀπόλυσιν εὐθέως ἐν τῷ μοναστηρίῳ ὑπέστρεφεν. Τοσοῦτον δὲ ἦν συνετὸς, ὡς πάντοτε ὥσπερ θεοφορούμενον αὐτὸν φαίνεσθαι· προορατικὸς γὰρ ἦν ἐν τοῖς πράγμασιν, καὶ τὰς ἐκβάσεις προέβλεπεν διὰ τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ· ἀπὸ σχολαστικῶν γὰρ τινες ἀποταξάμενοι γεγόνασιν αὐτοῦ μαθηταὶ, καὶ εἴ ποτε ἐβουλήθησαν τῇ τέχνῃ τῆς παιδεύσεως αὐτῶν φιλοσοφῆσαι ἐν τῇ ὁμιλίᾳ, εὐθέως ἔλεγεν αὐτοῖς εἰ ὀρθῶς ἀπεκρίνατο κατὰ τὸ δίκαιον, ἢ κατὰ τεχνικὴν φιλοσοφίαν.

14 Ζῆλον δὲ εἶχεν Θεοῦ, καὶ πολλοὺς τόπους ἐν τῇ Βιθυνῶν χώρᾳ ἀπὸ πάσης εἰδωλικῆς ἐκάθαρισεν· ποῦ γὰρ ἤκουσεν ἢ δένδρον ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον ὅτι προσκυνοῦσί τινες, ἤρχετο ἐκεῖ εὐθέως, παραλαβὼν τοὺς μονάζοντας, τοὺς ἑαυτοῦ μαθητὰς, καὶ κατακόψας αὐτὸ κατέκαιεν πυρί, καὶ οὕτω λοιπὸν κατὰ μέρος Χριστιανοὶ C γεγόνασιν. Καὶ γὰρ ὁ πατὴρ Ἰωνᾶς ὁ τούτου πατὴρ γενόμενος, οὕτως ἡμέρωσεν τὴν Θρᾴκην καὶ Χριστιανοὺς ἐποίησεν. Ὁ δὲ ἅγιος Ὑπάτιος εἴ που εἶδεν τινα ἀμελοῦντα εἰς τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, ἐκινεῖτο ἀπὸ τοῦ ζήλου καὶ ἔλεγεν ἡμῖν, τέκνα, σπουδάσατε εἰς τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, ἵνα μὴ ὀργισθῶ· ἐὰν γὰρ ὀργισθῶ, τὴν εὐχήν μου οὐχ εὑρήσω καθαράν· ὅμως καλόν ἐστιν μικρὸν κόλαφον ἔχειν, ἵνα γνώσωμεν ὅτι ἄνθρωποι ἐσμεν ἁμαρτωλοὶ, καθὼς λέγει ὁ Ἀπόστολος· Ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος σατᾶν, ἵνα με κολαφίζῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι· ἀφ' οὗ γὰρ με ἠθέλησεν ὁ Θεὸς ἀφηγεῖσθαι τῶν αὐτοῦ προβάτων, ἀνάγκη μοι ἐπίκειται ἐὰν μὴ εὐαγγελίζωμαι καὶ διδάσκω ὑμᾶς τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ· εὐλαβοῦμαι γὰρ μὴ ἐγκληθῶ ὡς Ἠλὶ, διότι οὐκ ἐπετίμησεν πρὸς διόρθωσιν τοῖς ἑαυτοῦ υἱοῖς τῷ Ὀφνὶ καὶ Φινεὲς τοῖς ἱερεῦσιν, καὶ σὺν αὐτοῖς ὑπέλαβεν τὴν ὀργήν. Καὶ γὰρ ὁ Ἀπόστολος λέγει, ἔλεγξον, ἐπιτίμησον, παρακάλεσον. Καὶ, Ὁ ἀγαπῶν τὸν υἱὸν αὐτοῦ, παιδεύσει αὐτόν. Ὑμεῖς οὖν τέκνα σπουδάσατε τὴν ἀρετὴν κατορθῶσαι, τοῦ Θεοῦ παρέχοντος τὴν χάριν, καὶ τὴν ὑπομονήν· καὶ μὴ θέλουσαν τὴν καρδίαν ἀγαγεῖν αὐτὴν μετὰ βίας πάντοτε εἰς ἀγαθὸν, εἰς πᾶσαν ὑπομονὴν καὶ μακροθυμίαν, ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθε, πάντα δοκιμάζοντες, τὸ καλὸν κατέχετε· ὑπομονῆς γὰρ ἔχετε χρείαν, ἵνα τὸ θέ-

Legebat cum attentione et mora Hypatius, vehementer amans divinas Scripturas, et studiose scrutabatur, si quem inveniebat librum spiritualem, mores informare idoneum : neque foras prodiens, nisi in Dominica ad proximam Apostolorum ecclesiam, divinæ Liturgiæ causa : hac absoluta, statim revertebatur ad monasterium suum, eratque tam circumspectus in omnibus et intelligens, ut velut Divinus homo in omnibus suspiceretur; quia providus in negotiis prævidebat cujusque exitum per Dei gratiam. Itaque ex legum peritis aliqui relicto mundo fiebant ipsius discipuli; cumque vellent ex suæ artis disciplina in collationibus philosophari, statim discernebat, an recte secundum jus et æquum et artis philosophicæ regulas respondissent.

Sacræ lectioni deditus

et valde prudens

41 Zelum quoque Dei habens multa Bithyniæ loca expurgavit ab errore idololatriæ : ubicumque enim sciebat esse arborem quæ adoraretur, procedebat illuc cum suis discipulis, et excisam tradebat flammis; atque ita paulatim omnes efficiebantur Christiani : quemadmodum et Pater ejus spiritualis Jonas mansuefecit Thraciam ad Christianismum. Quod si F videbat aliquem in Dei opere negligentem, zelo motus dicebat nobis : Satagite, filioli, in Dei obsequio ne forte irascar; si enim iratus fuero non inveniam orationem meam puram. Bonum tamen est subinde modicum colaphum accipere, ut agnoscamus nos esse homines peccatores, sicut ait Apostolus : Datus est mihi stimulus carnis angelus satanæ qui me colaphiset, ut non extollar. Ex quo enim voluit Dominus me præesse ovibus suis necessitas mihi incumbit evangelizandi et docendi vos. Etenim vereor ne in judicium vocer sicut Heli, qui quod non corripuit filios suos sacerdotes Ophni et Phinees, similem cum illis vindictam subiit : sicut idem Apostolus ait Argue, increpa, exhortare; et, Qui diligit filium castigat. Studete igitur Filii virtutem exercere præstante Deo gratiam et perseverantiam, et animum, nolentem vi constringi, semper ad omne bonum, omnemque tolerantiam et longanimitatem inclinantes, abstinentes ab omni specie mali, omnia probantes quod bonum est tenete : patientia enim vobis necessaria est ut voluntatem Dei facientes, referatis promissionem. Regnum enim cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud.

ac zelosus

2 Cor 12, 7

suos hortatur

2 Tim 4, 2

ad tolerantiam,

A

EX MS. VATIC.

ad eleemosynas profusus et de instanti fame præmonitus,

42 Tales faciebat pauperibus et Monachis derelictis eleemosynas, ut, qui videbant, glorificarent Deum ac dicerent : Vere hic homo secundum nomen suum Consul Christi est, qui omnia ipsi subministrat. Cumque aliquando fames immineret, visus sibi per noctem est panes pauperibus distribuere et Angelus Dei, qui semper ei aderat, dicere: Serva eos Abba, instat enim penuria, ut illos tunc ipsis largiaris. Primo autem mane ab amicis convocatis, mutuum accipiens parvo pretio, legumina et frumenta coempta reposuit; et intra decem dies tanta fuit annonæ caritas, ut pro eo quod ante dederat vix dimidium habere potuisset : duravitque fames annis tribus; unde tota multitudo rusticorum fame laborans a Deo ipsoque pendebat, præsertim hiemali tempore. Sanctus vero senex jubebat legumina coqui, et hora nona colligi ad quinquaginta animas, a quibus inter vescendum diceretur Kyrie eleison, itaque cum gratiarum actione et oratione sumebant quotidianam alimoniam, ut impleretur quod scriptum est : Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in seculum seculi, cornu ipsius exaltabitur in gloria; et alibi, Fidelium est totus mundus divitiarum, infidelium vero nec obolus. Siquis autem adjutus ab eo ipsum in faciem laudabat, verecundatus dicebat; Si quid vides boni, Frater, id totum Dei est; si quid aliud, meum. Deum glorifica eique gratias age, nec beatifices hominem ante mortem : quam diu enim in hac carne versamur, cum timore et tremore vivimus ne labamur tamquam homines et Deum offendamus; quapropter ante diem obitus nemo glorietur, vel sine cura sit : sed cum formidine debemus operari salutem nostram, Deo nos adjuvante. Siqui Divitum et honestiorum Deumque timentium volebant in circumjacente regione ædificare alicui Sanctorum oratorium, satagebat ut ex discipulis ejus obtineret Clericos : dicebat enim; Isti sunt vere crucifixi, multumque rogabant eum, ut submitteret : neque facile illos dabat.

cidem prospicit in triennium.

B

Psal III, 9

Recusat ex bono opere laudari.

43 In illis diebus cum veniret ab Alexandria Nestorius *a*, deducente illum Præfecto militiæ orientalis Dionysio *b*, futurus in præclara civitate Constantinopolitana Episcopus, jamque urbi appropinquaret : vidit Sanctus Hypatius quod seculares aliqui ipsum collocarent in throno; et statim audivit vocem dicentem sibi : Tres anni aut dimidium anni et zizania exstirpabuntur : hinc Hypatius aliquibus nec non Fratribus suis dicebat : Formido futurum Episcopum : quoniam vidi de ipso quod fidem labefacturus sit : dominabitur tribus cum dimidio annis. Cum ergo id, nescio unde, audivisset Nestorius, per monasterium transiens, noluit in congressum Hypatii venire, quamvis exteros omnes per quos transitus erat, solebat visitare; veniens autem in magnam civitatem, factusque Episcopus; protinus ad Hypatium Clericos misit, dicens : Euntes nuntiate somniatori isti quod ego viginti annis civitatem obtenturus sum, et ubi tunc erunt illius somnia? Respondit Hypatius, Renuntiate Episcopo, si evenerit id quod ego vidi, vera fuerit revelatio mihi facta; sin minus, somnio et imaginatione delusus fuerim, tamquam homo. Ita captus in missa sibi responsione, post modicum temporis rursus alios direxit, ut ejus verba captarent. Hi ergo tentare ipsum inutilibus et frivolis interrogationibus aggressi sunt : adeo autem non potuerunt invenire quod carperent, ut admirabundi discesserint, cognita illius prudentia tanta: quapropter quiescens Nestorius desiit ad ipsum mittere. Transactis autem tribus annis, cœpit paulatim

a

b

C

Nestorii breve tempus prædicens,

videtur ut somniator,

λημα τοῦ Κυρίου ποιήσαντες, κομίσησθε τὴν ἐπαγγελίαν· βιαστῶν γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν Οὐρανῶν, καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν.

D

42 Τοσαύτας δὲ ἐποίει ἐλεημοσύνας τοῖς πένησιν καὶ τοῖς λειπομένοις μονάζουσιν, ὡς τοὺς ὁρῶντας δοξάζειν τὸν Θεὸν καὶ λέγειν· Ἀληθῶς οὗτος, κατὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Ὕπατός ἐστι, Χριστὸς χορηγεῖ αὐτῷ. Ποτὲ γὰρ ἔμελλεν λιμὸς γίνεσθαι, καὶ ἑώρακεν ἑαυτὸν διδόντα ἐν τῇ νυκτὶ τοῖς πένησιν ἄρτους, καὶ τὸν Ἄγγελον τοῦ Θεοῦ τὸν πάντοτε συμπαρόντα αὐτῷ, λέγοντα· Τήρησον Ἀββᾶ, λιμὸς γὰρ ἔχει γενέσθαι, καὶ ἵνα τότε αὐτοῖς δώσῃς· καὶ εὐθέως τῇ ἐπαύριον παρακαλέσας φίλους, καὶ δανεισάμενος ἀποτίθεται ὄσπριον καὶ σῖτον εὐώνως· καὶ ἴσω δέκα ἡμερῶν σπανία ἐγένετο, ὡς μὴ εὑρίσκειν μηδὲ τὸ ἥμισυ τῶν ὠνίων, καθὼς τότε ἐδίδοτο· καὶ ἐπεκράτησεν ὁ λιμὸς ἔτη τρία. Πᾶσα οὖν ἡ ἀγροικία λιμώττουσα, πρὸς τὸν Θεὸν καὶ πρὸς αὐτὸν ἀπεκρέμαντο μάλιστα ἐν τοῖς χειμῶσιν. Ὁ δὲ Καλόγηρος ἐκέλευσεν ἑψεῖσθαι ὄσπριον, καὶ ἐν τῇ ὥρᾳ τῆς ἐννάτης συνάγεσθαι ὡς πεντακοσίας ψυχάς, καὶ ἐσθίοντες ἔλεγον, τὸ Κύριε ἐλέησον· καὶ μετὰ εὐχαριστίας καὶ εὐχῆς ἐλάμβανον τὴν τροφὴν τῆς ἡμέρας, ὡς πληροῦσθαι τὸ γεγραμμένον· Ἐσκόρπισεν, ἔδωκεν τοῖς πένησιν, δικαιοσύνη αὐτοῦ μένει εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος, τὸ κέρας αὐτοῦ ὑψωθήσεται ἐν δόξῃ. Καθὼς καὶ ἀλλαχοῦ, Ὅτι τοῦ πιστοῦ ὅλος ὁ κόσμος τῶν χρημάτων, τοῦ δὲ ἀπίστου οὐδὲ ὀβολός. Εἰ τις δὲ ὠφελήθη ποτὲ εἰς τὸν βίον αὐτοῦ, καὶ ἐβουλήθη αὐτὸν μακαρίσαι εἰς πρόσωπον, αἰδεζόμενος ἔλεγεν πρὸς αὐτόν· Εἴ τι ἂν εἶδες ἀγαθὸν ἀδελφέ, τοῦ Θεοῦ ἐστιν· εἴτι δὲ ὡς ἄλλως, ἐμόν ἐστιν· τὸν Θεὸν οὖν δόξαζε καὶ αὐτῷ εὐχαρίστει, καὶ μὴ μακάριζε ἄνθρωπον πρὸ τελευτῆς αὐτοῦ· ἕως γὰρ ἐσμὲν ἐν τῇ σαρκὶ ταύτῃ, ὑπὸ φόβον καὶ τρόμον ἐσμέν, μή τι ὡς ἄνθρωποι πταίσωμεν, καὶ προσκρούσωμεν τῷ Θεῷ· ἕως οὖν τελευταίας ἡμέρας μηδεὶς καυχήσηται, ἢ ἀμεριμνήσει, ἀλλὰ μετὰ φόβου καὶ τρόμου τὴν ἑαυτοῦ σωτηρίαν ὀφείλομεν κατεργάζεσθαι, τοῦ συνεργοῦντος ἡμῖν. Εἴ τις οὖν τῶν πάνυ πλουσίων, καὶ συνετῶν, καὶ τὸν Θεὸν ἀγαπώντων ἐβούλετο μαρτύριον οἰκοδομῆσαι, εἰς τοὺς πέριξ τόπους, ηὔχετο, ὅπως ἐκ τῶν μαθητῶν Ὑπατίου ποιήσῃ Κληρικούς, λέγων· Ὅτι ὄντως ἐκεῖνοι ἐσταυρωμένοι εἰσιν, καὶ πολλὰ παρεκάλουν αὐτὸν ἵνα παράσχῃ, καὶ ῥᾳδίως οὐ παρεῖχεν αὐτοῖς.

E

43 Ἐν οἷς καὶ Νεστορίου ἐρχομένου ἀπὸ Ἀντιοχείας, καὶ μέλλοντος γίνεσθαι ἐν τῇ φαιδρᾷ Κωνσταντινουπόλει Ἐπισκόπου, ὃν ἔφερεν Διονύσιος ὁ στρατηλάτης γενόμενος τῆς Ἀνατολῆς. Ὡς δὲ πλησίον τῆς πόλεως ἔμελλεν γίνεσθαι, ὁρᾷ ὁ ἅγιος Ὑπάτιος ἐν τῇ αὐτῇ ἁγίᾳ Ἐκκλησίᾳ τῆς μεγαλοπόλεως, ὅτιπέρ τινες κοσμικοὶ προκαθίζουσιν αὐτὸν ἐν τῷ θρόνῳ, καὶ εὐθέως φωνὴ λέγουσα· Τρεῖς καιροὺς καὶ ἥμισυ καιροῦ, καὶ ἐκτίθεται τὸ ζιζάνιον. Ἤρξατο οὖν ὁ Ὑπάτιος λέγειν τισὶν καὶ τοῖς ἀδελφοῖς ὅτι ἐλυπήθημαι τέκνα διὰ τὸν μέλλοντα γίνεσθαι, ὅτι ἑώρακα περὶ αὐτοῦ ὅτι σκολειῶσαι ἔχει εἰς τὴν πίστιν, ἄρχει δὲ τρία, καὶ ἥμισυ ἔτη. Ἐν τῷ οὖν διὰ τοῦ μοναστηρίου διέρχεσθαι αὐτόν, οὐκ οἶδα πόθεν ἀκούσας Νεστόριος, οὐκ ἠβουλήθη ἐλθεῖν εἰς συντυχίαν τοῦ Ἁγίου, καθὼς πανταχοῦ πάντας ἐπεσκέπτετο ἐν τῷ ὁδεύειν. Ὅτε οὖν εἰσῆλθεν ἐν τῇ μεγάλῃ πόλει, καὶ γέγονεν Ἐπίσκοπος, εὐθὺς ἀποστέλλει Κληρικοὺς πρὸς τὸν Ὑπάτιον λέγων, Ἀπελθόντες εἴπατε τῷ ἐνυπνιαστῇ ἐκείνῳ, ὅτι ἐγὼ εἴκοσι ἔτη ἔχω κρατῆσαι τῆς πόλεως, καὶ ποῦ τὰ ἐνύπνιά σου; Ὁ δὲ Ὑπάτιος λέγει αὐτοῖς· Εἴπατε τῷ Ἐπισκόπῳ, ὅτι ἐὰν γένηται ὃ εἶδον, ἀποκάλυψίς ἦν, εἰ δὲ μή, ἐνύπνιον ἦν, καὶ ἐφαντάσθην ὡς ἄνθρωπος. Ἀποκριθεὶς οὖν ἐν τῇ ἀποσταλείσῃ αὐτῷ ἀποκρίσει, μετ' ὀλίγον καιρὸν πάλιν ἄλλους τινὰς ἀποστέλλει, ὅπως ἐπιλάβωνται αὐτοῦ τινα ῥήματα· οἱ δὲ πειράσαντες αὐτὸν ἐπερωτήσεσί τισιν ἀκαίροις, καὶ ἀνωφελέσιν, οὐ μόνον οὐχ εὗρον ἐπιλαβέσθαι τῶν λόγων αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ θαυμάζοντες ἀνεχώρησαν, μεγάλην σύνεσιν μαθόντες ἐν αὐτῷ· ὅθεν ἡσυχάσας Νεστόριος, οὐκ ἔτι τινὰ ἀπέστειλεν πρὸς αὐτόν. Πληρωθέντων δὲ τῶν τριῶν ἐτῶν ἤρξατο κατὰ μέρος φανεροῦσθαι ὁ πονηρὸς

F

A πονηρὸς θησαυρὸς τῆς καρδίας αὐτοῦ· ἐν γὰρ τῷ ὁμιλεῖν, ἐλάλησεν ἀπόρρητα περὶ τοῦ Κυρίου κατὰ τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς, ἅπερ οὐκ ἔστιν ἡμῖν σεμνὸν τοῦ λέγειν· οὐκ εἰδὼς ὁ ἄθλιος τὴν θείαν γραφὴν τὴν λέγουσαν, ὅτι Τὴν γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται· καί, Βαθύτερά σου μὴ ἐρεύνα.

44 Γνοὺς δὲ ὁ Ὑπάτιος ὅτι παρ' ὃ δεῖ ἐφρόνησεν ὁ Νεστόριος, εὐθέως ἐν τῷ ἀποστολείῳ περιεῖλεν τὸ ὄνομα αὐτοῦ, τοῦ μὴ ἀναφέρεσθαι ἐν τῇ προσφορᾷ. Γνοὺς δὲ τοῦτο ὁ εὐλαβέστατος Ἐπίσκοπος Εὐλάλιος, δεδοικὼς τὴν ἔκβασιν τοῦ πράγματος, ὡς δὲ λόγος εἶχε, κἀκεῖνος ἐδήλωσεν αὐτόν, ἵνα ἐπιτιμήσει τῷ Ὑπατίῳ· ἦν γὰρ ἄγαν ἐγκρατὴς ἐν τῇ πόλει ὁ Νεστόριος. Λέγει οὖν ὁ Εὐλάλιος τῷ Ὑπατίῳ· Διατί περιεῖλες τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μὴ γινώσκων τὸ ἀποβησόμενον; Ὁ δὲ Ὑπάτιος ἔφη· Ἐγὼ ἀφ' οὗ ἔγνων ὅτι ἄδικα λαλεῖ περὶ τοῦ Κυρίου μου, οὐ κοινωνῶ αὐτῷ, οὔτε ἀναφέρω τὸ ὄνομα αὐτοῦ· ἐκεῖνος γὰρ οὐκ ἔστιν Ἐπίσκοπος. Τότε λέγει ὁ Ἐπίσκοπος ἐν ὀργῇ· Ὕπαγε, διόρθωσον ὃ ἐποίησας, ἐπεὶ τί ποιῆσαι ἔχω εἰς σέ. Ὁ δὲ Ὑπάτιος ἀπεκρίθη· Ὃ θέλεις, ποίησον, ἐγὼ γὰρ πάντα προσδέχομαι παθεῖν, καὶ οὕτως τοῦτο ἐποίησα. Ὡς οὖν ἀπήντησεν ἐν τῇ Ἐφέσῳ Νεστόριος, καὶ συνεκροτήθη σύνοδος, τῇ ἡμέρᾳ, ᾗ ἤμελλεν καθαιρεῖσθαι, ὁρᾷ ὁ Ὑπάτιος ὅτι Ἄγγελος Κυρίου κρατήσας τὸν ἅγιον B Ἰωάννην τὸν Ἀπόστολον ἀπήγαγεν πρὸς τὸν εὐσεβέστατον Βασιλέα λέγων· Εἰπὲ τῷ βασιλεῖ, Δὸς ἀπόφασιν Νεστορίῳ· κἀκεῖνος ἀκούσας, ἔδωκεν. Καὶ ἐσημειώσατο τὴν ἡμέραν, καὶ εὑρέθη, ὅτι ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ καθῃρέθη, πληρωθέντων τῶν τριῶν καὶ ἥμισυ ἐτῶν, καθὼς ὁ Κύριος προεδήλωσεν αὐτῷ· καὶ μετ' ὀλίγας ἡμέρας ἐφάνη ἡ καθαίρεσις Νεστορίου, καὶ ἀνεγνώσθη ἐνώπιον παντὸς τοῦ Κλήρου, καὶ τοῦ λαοῦ, παρόντων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ Εὐλαλίου καὶ Ὑπατίου.

45 Ἄλλοτε, πάλιν Λεόντιος ὁ Ὕπαρχος ἐπεχείρησεν Ὀλύμπια ἀνανεῶσαι ἐν τῷ θεάτρῳ Χαλκηδόνος, ἅπερ οἱ ἀρχαῖοι Βασιλεῖς, καὶ ὁ τῆς αἰωνίας μνήμης ἄξιος Κωνσταντῖνος καθεῖλεν. Ὡς οὖν ἤκουσεν τοῦτο ὁ Ὑπάτιος, τοσαύτην ζήλου σφοδρότητα ἐπεδείξατο, ὥστε στενάζοντα κλαίειν καὶ ἀναβοᾶν πρὸς τὸν Θεὸν καὶ λέγειν· ὅτι Κύριέ μου ζῶντός μου εἰδωλολατρεία βούλεται ἀνθῆσαι; μὴ συγχωρήσῃς τοῦτο Δέσποτα. Καὶ εὐθέως λέγει τοῖς ἀδελφοῖς· Εἴ τις δειλός ἐστιν ἀποθανεῖν διὰ τὸν Χριστόν, μὴ ἔλθῃ μετ' ἐμοῦ. Καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὡς εἴκοσι ἀδελφοί, καὶ εὐθέως ὥρμησεν πρὸς τὸν Ἐπίσκοπον Εὐλάλιον. Τοῦ δὲ Ἐπισκόπου πυνθανομένου τὸν σκοπὸν αὐτοῦ, ἔφη αὐτῷ· Ἤκουσα καὶ ἔγνων, ὅτι εἰδωλολατρεία μέλλει γίνεσθαι ἐν τοῖς Ὀλυμπίοις πλησίον ἡμῶν, καὶ C τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας, καὶ ἐκρινα ἐν τῷ θεάτρῳ ἀποθανεῖν, ἢ τοῦτο συγχωρῆσαι γενέσθαι. Ὁ δὲ Ἐπίσκοπος καὶ ἐν τούτῳ ἀντέστη αὐτῷ λέγων· Ἁπλῶς ἀποθανεῖν θέλεις, ἐὰν μή τις ἀναγκάσῃ ἡμᾶς θύειν; σὺ μοναχὸς ὤν, κάθου, καὶ ἡσύχαζε· τοῦτο γὰρ ἐν ἐμοί ἐστιν. Ὁ δὲ ἔφη· Ἐπειδὴ γὰρ ἐν σοί ἐστιν, καὶ οὐ μέλλει σοι, ἐγὼ βλέπων τὸν Δεσπότην ἀτιμαζόμενον ὑπὸ τῶν ταῦτα ἐπιχειρούντων, καὶ τὸν Χριστιανὸν λαὸν ἐν ἀγνοίᾳ ἀπερχόμενον καὶ εἰδωλολατροῦντα, ἦλθον διαμαρτύρασθαι τὴν Ἁγιωσύνην σου, ὅτι αὔριον, προκαθίσαντος τοῦ Ἐπάρχου, εἰσελθὼν ἐγὼ μετὰ πλήθους Μοναχῶν, καὶ ἄνωθεν κατασύρω τὸν Ἔπαρχον, καὶ οὕτως ἀποθανεῖν ὑπὲρ Χριστοῦ, ἢ ἐμοῦ ζῶντος τοῦτο συγχωρῆσαι γενέσθαι. Ὁ δὲ Ἐπίσκοπος καὶ ἐν ἄλλοις πολλάκις ὕβριζεν αὐτὸν καὶ ἐξουθένει. Ὁ δὲ Ὑπάτιος εὐθέως πρὸς τοὺς Ἀρχιμανδρίτας ὥρμησεν λέγων· Συναγωνίσασθέ μοι, ἵνα διώξωμεν τὸν διάβολον, εἰ δὲ μή, ἀποθάνωμεν διὰ τὸν Θεόν. Ἐχάρησαν δὲ πάντες καὶ ὑπήκουον αὐτῷ ὡς Πατρί. Γνοὺς δὲ ταῦτα Λεόντιος, ὅτι συνεφώνησαν οἱ Μοναχοὶ κωλῦσαι αὐτόν, ἀρρωστίαν προφασισάμενος, ἀντιπεραιῶθη εἰς Κωνσταντινούπολιν μηδὲν ποιήσας ὧν προείρητο· τοῦ γὰρ Ὑπατίου προθυμουμένου ἀθλῆσαι, ὁ Κύριος ἀνέτρεψεν τὴν βουλὴν τῶν κακὰ βουλευομένων. Ὁ δὲ Ἐπίσκοπος Εὐλάλιος καὶ ἐν τούτοις καὶ ἐν πλείοσιν [illegible] τὸν Ὑπάτιον, ὅτι ἐσταυρωμένος ἦν, καὶ πάντ[illegible]τὸν Θεὸν ἐποίει, καὶ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κατευοδοῦτο, [illegible]ν ἐτίμα

apparere, quam malus thesaurus lateret in corde D Nestorii: nam inter prædicandum loquebatur nefanda *c* contra Dominum nostrum in caput suum, quæ non est dignum hic exprimere; non intelligens miser quod scriptum est Generationem ejus quis enarrabit? et, Profundiora te ne scruteris *d*.

a CALLINICO ab eoque ad se missis scite respondet,
c
d
Is. 33. 8

44 Hypatius porro intelligens quod Nestorius vellet sapere plus quam oportet, statim in sua Apostolorum ecclesia nomen ejus sustulit, ne recoleretur in Sacrificio. Quo intellecto piissimus Eulalius *e*, et rei exitum, ut dicitur, veritus, denuntiavit Nestorio, ut Hypatium increparet, quia is valde potens erat: Hypatio autem dixit: Quare sustulisti illius nomen, necdum sciens quid eventurum sit? Respondit Hypatius: Ego, ex quo cœpit improbe loqui de Domino meo, ipsi amplius non communico, neque sustineo nomen ejus referre inter Sacra: ille enim Episcopus non est. Tunc dixit ei cum stomacho Eulalius; Abige emenda quod fecisti; sin minus, scio quid tecum agam. Hypatius respondit; Fac quod vis, ego quidlibet pati paratus sum: hac enim mente hoc feci. Cum ergo Ephesum proficisceretur Nestorius ad convocatam istic Synodum, ipsa die qua exauctorandus esset Nestorius, vidit Hypatius quod Angelus Domini, manu arripiens S. E Joannem Apostolum, deduxit eum ad religiosissimum Imperatorem cui dixit: Da sententiam contra Nestorium; quod ille audiens fecit. Notato ergo die *f*, inventum est ipsum esse quo explebatur tertius et medius annus, eodemque abdicatus est Nestorius, sicut Hypatio manifestaverat Dominus. Post paucos autem dies enuntiata est illius depositio. et lecta est coram omni Clero et Populo in ecclesia, præsentibus Eulalio et Hypatio.

e
et incipientem blasphemias suas vulgare privatim excommunicat
quod depositio ejus præscito tempore facta probat
f

45 Alio quoque tempore Præfectus Leontius voluit in theatro Chalcedonensi restaurare ludos Olympiacos, quos veteres Imperatores et æterna memoria dignus Constantinus aboleverant: quod audiens Hypatius tanto zelo incensus fuit, ut cum gemitu clamaret diceretque ad Dominum: Etiam vivente me volet idololatria reflorescere? ne hoc quæso permiseris Domine. Statimque dixit Fratribus: Siquis timeat mori pro Christo, non veniat mecum. Et secuti sunt ipsum ad viginti Fratres, statim euntem ad Episcopum Eulalium. Hoc autem interrogante qua de causa veniret, respondit: Audivi quod idololatria restauranda sit per ludos Olympicos, idque prope ecclesiam et monasterium nostrum: certus autem sum prius in theatro emori, quam id tolerare. Episcopus vero in hoc resistebat ei dicens: F An ergo vis gratis mori dum nemo nos cogit thurificare? tu qui Monachus es, sede et sile: hoc mihi incumbit. Cui Hypatius, Si id, inquit, tibi incumbit, neque curæ est; ego videns Dominum meum contemnendum ab iis qui talia aggrediuntur, populumque Christianum per ignorantiam procedere ad idololatriam, veni ut monerem Sanctitatem tuam, quod ego die crastina quando Præfectus consederit, cum Monachorum multitudine ingrediar, ipsumque de suo loco præcipitabo; itaque pro Christo moriar potius, quam hoc permittam. Ast Episcopus, qui eum sæpe etiam alias contumelia affecerat, tunc quoque contempsit. Quare Hypatius continuo ad ceteros Archimandritas profectus: Ad certamen mecum procedite, inquit, ut diabolum agamus in fugam; sin minus, Dei causa vitam ponamus. Gavisi illi paruerunt omnes tamquam patri suo. Leontius vero intelligens Monachos conspiravisse ad ipsum impediendum; simulans infirmitatem confestim regressus est Constantinopolim, nihilque factum est eorum quæ designaverat. Hypatio enim præ se ferente quod vellet decertare, subvertit Deus consilium eorum, qui mala cogitabant. Eulalius vero,

Frustra monito Episcopo ne patiatur Olympia restaurari,
ipse potius moriturus monachos omnes concitat et rem disturbat ut idololatricam.

A CALLINICO

vero, hoc et aliis multis experimentis edoctus, cognovit vere crucifixum esse Hypatium, omniaque pro Deo facturum, et recte coram eo ambulare, deinceps eum maxime æstimavit, et veneratus est pene tamquam patrem: erat enim perquam religiosus et venerabilem vitam atque rectissimam agens. Hypatius autem erat tam fervens in negotio Olympicorum, etiam prius quam intelligeret in quo rei cardo verteretur, et quæ malitia illi subesset: neque enim nisi ex parte et ex auditu aliquid de ipso noverat. Cum autem de eo solicitus esset, misit illi Deus hominem nomine Eusebium ejus rei scientissimum, qui exposuit, Olympia esse merum diaboli festum, plenissimum furorem idololatricum, perditionemque et ruinam Christianorum; et totius rei descriptionem ei in charta tradidit.

αὐτὸν πάνυ καὶ ἐδυσώπει μικροῦ δεῖν ὡς πατρί· ἦν γὰρ οὗτος πάνυ εὐλαβὴς καὶ σεμνότατον βίον διάγων καὶ ὀρθῶς. Ὁ δὲ Ὑπάτιος τοσοῦτον ἦν τὸ πρᾶγμα ζηλώσας τὸ τῶν Ὀλυμπίων, ὡς καὶ μαθεῖν αὐτῷ ἠγωνία g, καὶ τίς ἡ κακία τοῦ ἐπιτηδεύματος, οὐ γὰρ εἴδη αὐτὸν εἰ μὴ μερικῶς ἐξ ἀκοῆς. Ὡς οὖν ἐφρόντιζεν περὶ τούτου ἀποστέλλει αὐτῷ ὁ Θεὸς ἄνθρωπον, ὀνόματι Εὐσέβιον, εὖ ἄκρον εἰδότα περὶ τούτου· ἔλεγεν οὖν ὁ Εὐσέβιος οὗτος, πάνδεινον εἶναι ἑορτὴν τοῦ σατανᾶ Ὀλύμπια, καὶ πληρεστάτην εἶναι εἰδωλομανίαν, καὶ τῶν Χριστιανῶν ὄλισθον καὶ ἀπώλειαν, καὶ ἐκτίθεται αὐτῷ ἐν χάρτῃ τὴν διήγησιν.

ejus propensio ad eleemosynas.

46 Tantus erat divitiarum contemptor, et ab omni avaritia alienus vir beatus, ut sæpius nos instruendo diceret: Numquam in cor meum descendit, ut crederem me aliquid possidere in hoc mundo: sed solum quod essem Dei dispensator. Argumento sit; quod cum aliquando causidicus unus testamento legasset ei quamdam pecuniæ summam et vestimenta; pecuniam quidem monasteriis, vestimenta vero pauperibus distribuit: cumque adhuc aliquid reliquum esset de vestimentis; dixit astanti sibi Fratri: Explica illud ne comedatur a tineis: cui Frater excutiens illud; Jube inquit, id ipsum induam cum sindone, ut non consumatur. Reprehendit autem eum Hypatius, dicens: Dignus es reprehensione; quia dixisti induar eo, ut custodiam: et non potius dabo pauperibus. Frater vero videns amorem ejus erga pauperes multum ædificatus fuit.

46 Τοσαύτην δὲ εἶχεν ἀκτημοσύνην καὶ τὸν τρόπον ἀφιλάργυρον ὁ Μακάριος, ὡς πλειστάκις αὐτὸν παιδεύειν ἡμᾶς καὶ λέγειν, Ὅτι οὐδέποτε ἔσχον ἐν καρδίᾳ μου, ὅτι τίποτε κέκτημαι ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ, ἀλλ' ὅτι ὁ Θεός με ἔστησεν οἰκονόμον. Ἐν οἷς ποτε ἔασεν κληρονομίαν σχολαστικός τις ὀλίγα νομίσματα, καὶ ἱμάτια, καὶ εὐθὺς διέδωκεν αὐτὰ μοναστηρίοις, τὰ δὲ ἱμάτια τοῖς πένησιν· ὀλίγα δὲ ἐκ τῶν ἱματίων κατελείφθη, καὶ λέγει τῷ ἀδελφῷ τῷ παρεστῶτι αὐτῷ· Ὕπαγε, ἅπλωσον αὐτά, ἵνα μὴ βρωθῶσιν ὑπὸ σητῶν. Ὁ δὲ ἀδελφὸς τινάξας αὐτά, λέγει τῷ Ἀββᾷ Ὑπατίῳ· Ὅτι κέλευσόν μοι ἐνδῦσαι αὐτὰ μετὰ σινδόνος, ἵνα μὴ βρωθῶσιν· ὁ δὲ Ὑπάτιος ἐπετίμα αὐτῷ λέγων· Ἄξιος εἶ ἐπιτιμίας, ὅτι εἶπες, Ἐνδύσω αὐτὰ εἰς τὸ φυλάσσειν, καὶ οὐ μᾶλλον Δίδωμι αὐτὰ τοῖς πτωχοῖς. Ὁ δὲ ἀδελφὸς εἰδὼν τὴν φιλοπτωχίαν αὐτοῦ, πάνυ ὠφελήθη.

B E

ANNOTATA D. P.

a *Nestorius Presbyter Antiochenus in sedem C. P. venit an.* 428, 10 *Aprilis.*

b *Dionysius idem fortassis qui sequentis anni* 428 *Consulatum cum Florentio gessit.*

c *Negabat Nestorius Christi matrem vocare debere* Θεοτόκον Deiparam: *quippe quæ solum hominem peperisset; itaque duas in Christo personas consequenter fingebat.*

d Ecclesiastici *cap.* 3, 22. *in Vulgata nostra sic legitur:* Altiora te ne quæsieris et fortiora te ne scrutatus fueris. *Septuaginta* [illegible] *Unde apparet Auctorem identidem accumulantem loca Scripturæ non valde scrupulose adhæsisse verbis: quod non vacat sæpius annotare.*

C

e *Neque in Concilio neque Conciliabulo Ephesinis, contra et pro Nestorio habitis, nominatur Eulalius Chalcedonensis, ita ut hic vel omnino non, vel non nisi post latam sententiam Ephesi comparuerit.*

f *Dies hic fuit Calendarum Julii* CCCXXXI *ut constat ex Actis Concilii; unde retrogrediens per tres et medium annos, venies ad Calendas Januarii: cum autem Sisinnius obierit die nono ante easdem Calendas; non potest promissa visio et prophetia Hypatii clarius facta concipi, quam quo Constantinopoli decretum fuit Nestorium Antiochia evocare ad Sedem Constantinopolitanam. Interim* [illegible] Ὡς δὲ [illegible], cum jam prope civitatem futurus esset Nestorius: *ideoque* [illegible] *Hypatii, noluit eumdem in suo per Bythiniam transitu visitare. Quæ cum conciliari nequeant, oportet in præcitatis verbis memoriæ lapsum auctorem fuisse.*

F

g *Haletus* [illegible] *et quantum conjectura assequor,* [illegible] *ex quodam vulgari adagio, quod malim ab alio doceri, quam operose scrutari, satis habens ei substituere congruam ex lingua latina phrasim.*

CAPUT VII.

Magna Hypatii prudentia, et apud omnes æstimatio; eulogiarum ejus effectus miraculosi, efficacia contra dæmones.

Prudentia in dirigendis a seculo conversis

Causidicus quidam, bonus Christianus, audiens famam S. Hypatii, factus est ei perquam familiaris: quia Dei amans valde honorabat viros religiosos: habebat autem et alios tres fratres, similiter legis peritos; quorum duo necdum baptismum susceperant. Sciens ergo per experientiam, quam magnus in Dei charitate esset Hypatius, et quanta virtute et fide ornatus; adduxit ei fratres suos. Hi vero dixerunt Abbati tentantes eum: Virgo ingenua

Σχολαστικὸς δέ τις ἀκούσας περὶ τοῦ ἁγίου Ὑπατίου, καὶ ὢν πάνυ Χριστιανός, ἐγνώσθη αὐτῷ, καὶ γέγονεν αὐτῷ ἐνδιάθετος φίλος· ἦν γὰρ ποθῶν τὸν Θεόν, καὶ τιμῶν τοὺς εὐλαβεῖς ἄνδρας. Εἶχεν δὲ οὗτος καὶ ἄλλους ἀδελφοὺς τρεῖς ὁμοίως καὶ αὐτοὶ σχολαστικοί· ἐξ αὐτῶν δὲ οἱ δύο οὔπω εἰλήφεισαν τὸ βάπτισμα. Γνοὺς δὲ ἀπὸ συνέσεως ὅτι μέγιστός ἐστιν ἐν φιλοθεΐᾳ ὁ Ὑπάτιος, καὶ κεκόσμηται πίστει καὶ ἀρετῇ, ἀπέρχεται καὶ φέρει τοὺς ἑαυτοῦ ἀδελφούς. Οἱ δὲ λέγουσιν τῷ Ἀββᾷ Ὑπατίῳ πειράζοντες

D

A ράζοντες αὐτόν· Ὅτι τις παρθένος ἐλευθέρα βούλεται παρά σοι ξενίδιον λαβεῖν, καὶ μεῖναι σήμερον. Ὁ δὲ Ἀββᾶς Ὑπάτιος γνοὺς τὸ πᾶν διὰ τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ, λέγει αὐτοῖς, καὶ ξενίδιον ἔνι καὶ ἡμεῖς δεχόμεθα· ῥᾳδίως δὲ γυναικὶ οὐ συνετύγχανεν ὁ Ὑπάτιος. Καὶ λέγουσιν αὐτῷ· Ὅτι εἰ δέξεται ἡμᾶς ἡ Ἁγιωσύνη σου βουλόμεθα, τοῦ Θεοῦ παρέχοντος, διὰ τῶν χειρῶν σου λαβεῖν τὸ ἅγιον βάπτισμα· ἦσαν γὰρ πάνυ ὠφεληθέντες ὑπὸ τῆς νουθεσίας αὐτοῦ, ἀκούσαντες καὶ τὸν βίον αὐτοῦ παρὰ τοῦ προτέρου αὐτῶν ἀδελφοῦ. Εὐθὺς οὖν ὁ Ὑπάτιος εὐχαριστῶν τῷ Κυρίῳ, ἐδίδου αὐτοῖς ἀναγινώσκειν, καὶ ἔλεγεν, Καθεκάστην, Τέκνα, σπουδάσατε τὰς ψυχὰς ὑμῶν σῶσαι, ὅτι αὐτὸ κέρδος ἔχετε ἀπὸ τοῦ κόσμου· τὰ γὰρ ἄλλα πάντα ὧδε μένουσιν· ἦσαν γὰρ σφόδρα εὔποροι σεμνῶς βιοῦντες. Ὡς οὖν ἐβάπτισεν αὐτούς, τοσοῦτον εἰς τὸν ἕνα ἐξ αὐτῶν ἐξεχέθη ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, ὡς νοῆσαι τοὺς παρεστῶτας, ὅτι ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἡρπάγη ἐν τοῖς οὐρανοῖς· πρινὴ γὰρ τοῦ ἐπινεῦσαι αὐτὸν εἰς τὸ βαπτισθῆναι ἐμεγαλαύχει ἐν τοῖς τοῦ βίου πράγμασιν διάγων· ὅτε δὲ ἐβαπτίσθη, τοσοῦτον ἐπλήσθη κατανύξεως ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, ὡς εὐθέως ἀποτάξασθαι πᾶσι τοῖς τοῦ βίου πράγμασιν, καὶ μηδὲν ἄλλο μεριμνᾶν, εἰ μὴ πῶς ἀρέσῃ τῷ Θεῷ· νυκτὸς γὰρ καὶ ἡμέρας εὐχόμενος καὶ κλαίων καὶ ἡμᾶς εἰς κατάνυξιν ἤγειρεν· ἐταπεινοφρόνει δὲ καὶ

B ἡγεῖτο ἑαυτὸν ἔσχατον πάντων. Καὶ ὁ ἅγιος Ὑπάτιος ἠγάπα αὐτόν, καὶ ἰδὼν τὴν μεταβολὴν τὴν ἐξ ἁγίου Πνεύματος γενομένην, ἐβουλήθη κατασχεῖν αὐτὸν παρ' ἑαυτῷ. Ἐκεῖνος δὲ ἔλεγεν ἀπελθεῖν, καὶ σῶσαι τὴν ἑαυτοῦ γαμετήν. Ὁ δὲ Ὑπάτιος εἶπεν αὐτῷ· Ἐὰν ἀπέλθῃς, εὐθέως χειροτονοῦσί σε Πρεσβύτερον· καὶ καθὼς εἶπεν αὐτῷ, οὕτως καὶ ἐγένετο. Καὶ χειροτονηθεὶς μετὰ τῆς ἑαυτοῦ γαμετῆς, καὶ συνοικήσαντες μετ' ἀλλήλων ἁγνῶς ὡς δύο ἀδελφοί, καὶ ζηλώσας τὸν βίον τοῦ ἁγίου Ὑπατίου, ἐπὶ ἔτη ὀλίγα, ὡς πάντας ὠφεληθῆναι εἰς αὐτόν, καὶ βουλόμενος μιμήσασθαι τὸν Ἀββᾶν, πόθῳ κινούμενος, ἠτήσεν γραφῆναι τὸν βίον τοῦ Ἀββᾶ. Μετ' ὀλίγον δὲ καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ κατηξιώθη Πρεσβυτερίου, καὶ ὁμοθυμαδὸν κατοικοῦντες, ἐνταῦθα ἐδούλευσαν τῷ Θεῷ.

48 Πόσοι δὲ καὶ ἄλλοι ἰδόντες τὸν Ὑπάτιον, πόθον εἶχον τοῦ βαπτισθῆναι ὑπὸ τῶν χειρῶν αὐτοῦ; Πόσους δὲ καὶ ἀπὸ αἱρέσεων καὶ ἀπὸ ἐθνῶν ἐπέστρεψεν, καὶ Μοναχοὶ ἐξ αὐτῶν ἐγένοντο, καταφρονοῦντες τοῦ κόσμου; Πόσοι χειμαζόμενοι ἐν πράγμασιν, κατέφευγον πρὸς τὸν Θεὸν καὶ πρὸς αὐτόν, καὶ βοηθείας ἐτύγχανον; πᾶσι γὰρ περιβόητος γενόμενος, παρὰ πάντων ἠκούετο· τίς γὰρ ξένος ἤρχετο πρὸς αὐτόν, καὶ οὐκ ὑπεδέχετο; ἢ τίς λυπούμενος οὐ παρεμυθεῖτο; τοῖς γὰρ πάσχουσι συνέπασχεν, καὶ τοὺς ὀλιγοψυχοῦντας ἐν τῇ ἀσκήσει προθυμίαν

C ἐδίδου· ὁρῶντες γὰρ πάντες γέροντα αὐτὸν καὶ οὕτως ἀγωνιζόμενον, προθυμότερον ἐγίνοντο. Περὶ δὲ τραυματιῶν, ἢ χωλῶν, ἢ τυφλῶν, ἢ παραλυτικῶν, ἢ ἀρρώστων, ὅσους ὁ Κύριος ἰάσατο διὰ τῶν εὐχῶν αὐτοῦ, οὔτε ἐξηγήσασθαι καθ' ἓν δυνατόν. Ἀκούσαντες δὲ περὶ αὐτοῦ ἐν τῇ Δύσει, καὶ ἐν τῇ Ἀνατολῇ, ἔγραφον αὐτῷ ὡς Πατρί, καὶ εὐλογίας ἀπέστελλον αὐτῷ ἀπὸ Ἱεροσολύμων, καὶ Αἰγύπτου, καὶ Συρίας, καὶ Ῥώμης, Ἀσίας τε, καὶ Θεσσαλονίκης πάντες οἱ Ἀρχιμανδρῖται, καὶ οἱ Ἐπίσκοποι, καὶ ἄνδρες εὐλαβεῖς ἐκ τῆς ἐρήμου ηὔχοντο ἀντιγράμματα δέξασθαι παρ' αὐτοῦ καὶ εὐλογίας. Ὁ δὲ ἀντέγραφεν, παρακαλῶν πάντας ἵνα εὔχωνται ὑπὲρ αὐτοῦ, ὅπως μετὰ καλοῦ περάσωμεν, φησίν, τὸν αἰῶνα τοῦτον.

49 Ὁ δὲ εὐσεβέστατος Βασιλεὺς Θεοδόσιος δεύτερον θεασάμενος αὐτόν, περιεπλάκη ἀσπαζόμενος αὐτὸν καὶ λέγων· Καθὼς ἤκουσα, οὕτως καὶ εἶδον· πυκνότερον δὲ ἔγραφεν ὡς Πατρὶ καὶ παρεκάλει αὐτὸν τοῦ ἀντιγράφειν, καὶ ἀντέγραφεν αὐτῷ τὴν εὐχὴν ταύτην ὡς Χριστιανῷ· Δώῃ σοι Κύριος ἐν τελείᾳ καρδίᾳ ἐκζητεῖν τὰ δικαιώματα αὐτοῦ. Αἱ δὲ τρεῖς Βασίλισσαι αἱ ἀδελφαὶ τοῦ Βασιλέως ποθήσασαι ἰδεῖν τὸν Ὑπάτιον, ἔρχονται πλησίον τοῦ Ἀποστολείου εἰς τὸ παλάτιον, καὶ δηλοῦσιν αὐτῷ· Ἐλθέ, ἵνα σε ἴδωμεν, ἢ ἐρχόμεθα ἡμεῖς πρὸς σὲ ἵνα εὐλογηθῶ-

quædam petit a te munusculum aliquod, et hodie exspectat. Quibus Hypatius, omnia per gratiam Dei cognoscens, sic respondit : Quin nos potius munusculum accipimus : non enim facile cum muliere agebat Sanctus. Ipsi vero dixerunt ; Si suscipiat nos Sanctitas tua, volumus per Dei gratiam e manibus tuis accipere baptismum : multum enim fuerant ædificati ejus exhortatione, et iis quæ prius de vita ejus ex fratre priore audiverant. Qua propter Deo gratias agens Hypatius, dedit eis quæ legerent et ipsos sic admonebat : Satagite quotidie filii salvare animas vestras : hoc enim lucrum feretis ex mundo; quia alia omnia hic remanent : erant enim valde divites et splendide vivebant. Cum eos baptizasset, tam copiosa Spiritus Sancti gratia supra unum eorum effusa est, ut circumstantes existimarent animam ipsius rapi in cœlum : prius enim quam baptizaretur, extollebatur tractans seculi negotia : post baptismum vero tanta compunctionis gratia repletus fuit a Deo, ut statim renuntiaverit omnibus mundi rebus, et aliud nihil curaret, quam quomodo Deo placeret : noctu quippe ac die orans et plorans nos quoque ad compunctionem movebat humiliabatque se, et novissimum omnium reputabat. Ideo S. Hypatius diligebat eum, et videns mutationem talem ex Spiritu sancto esse, volebat eum apud se retinere : ipse vero dicebat, abire se velle et salvare etiam conjugem suam. Cui Hypatius : Si abieris, continuo te ordinabunt presbyterum ; factumque est sicut dixerat Sanctus. Ordinatus vero cum conjuge sua vixit tamquam cum sorore ; et imitatus vitam Hypatii, tam pie suam instituit, ut omnes vehementer ædificaret : utque melius Abbatis mores in se exprimeret, rogavit vitam ipsius sibi describi. Sed et fratre ipsius haud diu post ad presbyteratum evecto, insimul habitantes unanimiter serviebant Deo.

D

A CALLINICO

quorum uni insigniter proficienti

E

prædicit ordinandum Presbyterum

48 Quam multi videntes Hypatium accendebantur desiderio baptismi de manibus ejus suscipiendi! Quam multos ab hæresi et Gentilismo convertit, ex quibus etiam Monachi facti plures despexerunt mundum! Quam multi negotiis secularibus immersi ad Deum ipsumque confugerunt, opportune adjuti! Celebris enim apud omnes ab omnibus audiebatur. Quis peregrinus ad eum venit, et non suscipiebatur? Quis afflictus non accipiebat solatium? Patientibus enim compatiebatur, et in exercitatione deficientibus addebat animos : quia videntes senem tam viriliter certantem, alacriores fiebant. Vulneratorum autem, claudorum, paralyticorum, aut aliter infirmorum, per ejus preces a Deo sanatorum, sigillatim reddere rationem impossibile est. Quotquot ipsius famam audiebant in Oriente et Occidente, ipsi tamquam patri suo scribebant, ipsique mittebant eulogias ab Hierosolymis, Ægypto, Syria, Roma, Asia, Thessalonica Episcopi et Archimandritæ omnes et religiosiores quique Eremicolæ, rogabant eum ut rescripta et benedictiones ipsius mererentur accipere : ipse vero rescribebat cunctis, rogans ut pro se orarent, Quatenus, inquiebat, cum virtute transeamus per hoc seculum.

Ubique celebris

F

unde quæ consulitur

49 Piissimus Imperator Theodosius semel iterumque eum visitans, complexus eum est cum osculo, dixitque, Sicut audivi ita et vidi : sæpius etiam ei scribens, rescribi sibi petebat : eique tamquam Christiano rescribens sic apprecabatur : Det tibi Dominus in corde perfecto exquirere justificationes ejus. Tres autem Reginæ, Imperatoris sorores, desiderantes videre Hypatium, veniebant in palatium vicinum ecclesiæ Apostolorum eique misso nuntio dicebant : Veni ut videamus te, aut nos ipsæ venimus ad te benedictionem percepturæ. Ipse vero necessitate

expetitur ab Imperatore,

ejusque sororibus

A necessitate coactus, eo quod Christum diligebant, ibat, et sua instructione ædificabat; factaque pro iis oratione benedicens recedebat.

EX MS VATIC.

50 Alias Scholastici duo in ipsius deducti notitiam, ipsi adhæserunt tamquam Patri, admirantes ipsius sapientiam et conversationem, nobisque narraverunt mirabilia multa quæ in viro notaverant: quorum aliqui etiam hoc referebant: cum aliquando in propriam nostram regionem reverteremur, puer quidam servilis conditionis oculo impegit in lignum, sic ut carnes ipsius oculi extrorsum pendentes prolapsuræ viderentur. Omnibus autem flentibus, neque scientibus quid agerent, unus ex conservis dixit: Adferte eulogias S. Hypatii, et sanabitur oculus ejus. Miserunt ergo et acceperunt et aqua macerantes imposuerunt oculo ejus: postridie vero dissolventes, invenerunt illum sanum atque integrum, sicut oculum alium; atque omnes glorificaverunt Deum. Alii similiter sæpe numero referebant quod se procul et in periculo positos salvaverit Dominus per eulogias ejus. Horum unus aliquando naufragium passus, indeque una cum sociis salvatus (nam navis tota funditus perierat) narravit quomodo duo ex nautis totidem sarcinas pannorum holosericorum apprehenderant: quærentibus autem illis cujusnam B essent; dixit homo iste: Solvite ipsas, et si ibi inveneritis S. Hypatii eulogias, meæ sunt. Aperuerunt ergo, itaque invenerunt et dederunt gloriam Deo nihilque madefactum repererunt, nisi vestem exteriorem.

Eulogiis ejus sanatur oculus pæne evulsus,

et naufragæ merces non humectantur,

51 In vicinia monasterii stabulum erat, in eoque equi cursus publici, quod ingressus Dæmon animalia occidit. Venit ergo stabularius clamans, et procidens ad genua Sancti, qui benedicens aquam, ipsi dedit. Hac, inquiens, asperge domum et equos, addensque et eulogiam, dixit, Suspende ipsam in stabulo et aufugiet dæmon. Fecit homo quod jussus erat, nec ultra animal ullum mortuum est, dæmone aufugiente. Multos quoque rusticorum vehementer affligebat dæmon, in Domos eorum ingressus, et vel bovem vel ovem occidens: tunc autem confestim recurrerunt ad ipsum, plangentes et orantes, ut veniens ad se orationem funderet; quo facto Dominus ipsos curabat.

cessat ab equis publicis maleficium,

et ab animalibus rusticorum

52 Diu post mulctatum exilio Nestorium, venerunt ad Sanctum multi in dignitate positi, nec non Clerici et religiosi Eremitæ, interrogantes, eum, num qua ratione fieri posset ut Constantinopolim reverteretur Nestorius: ille vero respondebat si tempus C adsit Antichristi, oportebit ipsum reverti: sin vero necdum tempus ejus venit, neque Nestorio redeundi est tempus: nam hujus doctrina illius præludium est. Vere Fratres erubesco ad impietatem loquentium cum eo, vel pro eo, et audentium probare nefanda illa quæ Nestorius sociique ipsius, nimium sibi complacentes, aggressi non intellexerunt: in quos ira Dei vigilabit et perditio eorum non dormitabit, nisi conversi fuerint et pœnitentes recesserint ab errore istius impii. Nobis autem contingat, illuminatis oculis mentis, gradi per viam veritatis, eamque fidem tenere, quam tradiderunt nobis Apostoli, adorando unum Deum in tribus Personis: una enim est voluntas, una potestas, una Deitas, unum regnum Patris et Filii et Spiritus sancti: item Unigeniti vera incarnatio corpus assumentis ex Spiritu sancto et Maria virgine, secundum Patrum traditionem, et in carne apparentis nobis, ac divina et stupenda miracula patrantis, in eademque carne pro nobis passi crucem et mortem, nos quoque secum resuscitantis prostratos a peccatis et reducentis ad priorem beatitudinem. Talia docentem, qui audiebant lætabantur plurimum ipsumque amplexabantur bene instructi.

Consultus de reditu Nestorii,

execratur ejus auctores,

et catholicos in fide confirmat.

μεν. Ὁ δὲ συγκατατιθεὶς, ὅτι τὸν Χριστὸν ἀγαπῶσιν, ἀπῄει, καὶ ὠφελήσας αὐτὰς διὰ τῆς νουθεσίας αὐτοῦ καὶ εὐχὴν ποιήσας, εὐλογήσας αὐτὰς καὶ ἀνεχώρησεν. D

50 Ἄλλοι σχολαστικοὶ δύο ἐγνωρίσθησαν αὐτῷ, καὶ ἐσύναζον ὡς πρὸς Πατέρα, θαυμάζοντες αὐτοῦ καὶ τὸν σύνεσιν, καὶ τὸν βίον· οἳ τινες διηγήσαντο ἡμῖν πολλὰ θαυμάσια τοῦ Θεοῦ ἑωρακέναι ἐν τῷ ἀνδρί· ἐξ ὧν τινες καὶ τοῦτο ἔλεγον, Ὅτι ἀπήλθομεν εἰς τὸ ἴδιον χωρίον, παιδίον δὲ δουλάριον αὐτῶν ἔκρουσε τὸν ὀφθαλμὸν αὐτοῦ ἐν ξύλῳ, ὡς τὰς σάρκας τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ κρέμασθαι εἰς τὸ ἐκπεσεῖν· κλαιόντων δὲ πάντων, τί ποιῆσαι οὐκ ᾔδεισαν, εἷς δὲ ἐξ αὐτῶν σύνδουλος λέγει· Φέρετε εὐλογίαν τοῦ ἁγίου Ὑπατίου, καὶ ἰᾶται ὁ ὀφθαλμὸς αὐτοῦ. Ἀποστείλαντες δὲ καὶ λαβόντες εὐλογίαν παρὰ τοῦ Ἁγίου, ἤγαγον, καὶ βρέξαντες ἐν ὕδατι ἐπέθεσαν τὸν ὀφθαλμὸν αὐτοῦ, καὶ τῇ ἐπαύριον λύσαντες, εὗρον αὐτὸν ὑγιῆ, καὶ ὁλόκληρον ὡς τὸν ἄλλον αὐτοῦ ὀφθαλμὸν, καὶ πάντες ἐδόξαζον τὸν Θεόν. Καὶ ἄλλοι πολλάκις διηγήσαντο, ὅτι μακρὰν εὑρεθέντες, καὶ κινδύνοις περιπεσόντες, διὰ τῶν εὐλογιῶν τοῦ ἁγίου Ὑπατίου ὁ Κύριος ἔσωσεν αὐτούς· εἷς γάρ ποτε ναυαγήσας, καὶ διασωθεὶς σὺν τοῖς ἀνθρώποις, τὰ γὰρ τοῦ πλοίου ἀπώλετο πάντα, δύο τινὲς ἐξ αὐτῶν τῶν ναυτῶν ἐδράξαντο δύο φορτίοις a ὁλοσηρίκων, ἐζήτουν δὲ τίνος εἰσίν. Τότε λέγει ὁ ἄνθρωπος· E Λύσατε, καὶ ἐὰν εὑρεθῶσιν εὐλογίαι τοῦ ἁγίου Ὑπατίου ἐμά ἐστιν. Καὶ λύσαντες εὗρον οὕτως, καὶ ἐδόξαζον τὸν Θεὸν, ὅτι οὐκ ἐβράχη εἰ μὴ ἓν ἱμάτιον.

a

51 Πλησίον δὲ τῆς μονῆς σταῦλος b ὑπῆρχεν, ἐν ᾧ εἰσὶν οἱ ἵπποι τοῦ Δρόμου c, καὶ εἰσελθὸν δαιμόνιον ἐφόνευεν τοὺς ἵππους. Ὁ δὲ σταυλίστης ἦλθεν βοῶν, καὶ προσπίπτων τῷ Ἁγίῳ. Ὁ δὲ εὐλογήσας ὕδωρ δέδωκεν αὐτῷ λέγων· Ῥᾶνον ἐν τῷ οἴκῳ καὶ εἰς τοὺς ἵππους· δοὺς δὲ αὐτῷ καὶ εὐλογίαν εἶπεν· Κρέμασον αὐτὴν ἐν τῷ οἰκήματι, καὶ ὁ δαίμων φεύξεται. Ἀπελθὼν δὲ ἐκεῖνος καὶ ποιήσας ὡς ἐνετάλθη παρὰ τοῦ Ἁγίου, οὐκ ἔτι ἄλλο ζῶον ἀπέθανεν, τοῦ δαίμονος ἀποδράσαντος. Πολλοὺς δὲ καὶ τῶν χωρικῶν εἰς τοὺς οἴκους εἰσελθὸν δαιμόνιον ἔθλιβεν σφοδρῶς, ἀποκτεῖνον ἢ βοῦν, ἢ πρόβατον. Οἱ δὲ χωρικοὶ εὐθέως ἦλθον πρὸς αὐτὸν κλαίοντες, ὅπως ἀπελθὼν ποιήσῃ εὐχὴν, ἀπελθόντος δὲ αὐτοῦ, καὶ εὐχὴν ποιήσαντος, ὁ Κύριος ἰάσατο αὐτούς.

b c

52 Μετὰ δὲ πολὺν χρόνον τοῦ ἐξορισθῆναι Νεστόριον, ἤρχοντο πολλάκις καὶ Ἀξιωματικοὶ, καὶ εὐλαβεῖς Ἀσκηταί, καὶ ἠρώτων αὐτὸν, εἰ δυνατὸν ἐλθεῖν Νεστόριον ἐν Κωνσταντινουπόλει. Ὁ δὲ πρὸς αὐτοὺς ἔλεγεν· Εἰ ἔστιν καιρὸς τοῦ Ἀντιχρίστου, δεῖ Νεστόριον ἐλθεῖν ἐν Κωνσταντινουπόλει, εἰ δὲ καιρὸς οὐκ ἔστιν τοῦ Ἀντιχρίστου, οὐδὲ Νεστορίου τοῦ ἐλθεῖν ἐν Κωνσταντινουπόλει· ἡ γὰρ διδαχὴ Νεστορίου προοιμιασία τοῦ Ἀντιχρίστου ἐστίν· ὄντως γὰρ, Ἀδελφοὶ, ἐρυθριῶ τὴν ἀσέβειαν τῶν τὰ ἐκείνου λαλούντων, καὶ τὰ ἀκατάληπτα οἰομένων τολμῆσαι ἃ οὐδεὶς ... οὐχ ἑωράκασιν ἐμβατεύοντες Νεστόριος, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, εἰς οὓς ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ γρηγορήσει, καὶ ἡ ἀπώλεια αὐτῶν οὐ νυστάξει, ἐὰν μὴ ἐπιστρέψωσιν, καὶ μετανοήσωσιν ἐκ τῆς ἀπάτης αὐτῶν τῆς παρανομου· ἡμᾶς δὲ γένοιτο πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας ἔχοντας, βαδίζειν ἐπὶ τὴν ὁδὸν τῆς ἀληθείας, καὶ τὴν πίστιν, ἣν παρέδωκαν ἡμῖν οἱ Ἀπόστολοι κατέχειν, προσκυνοῦντες ἕνα Θεὸν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν· ἓν γὰρ θέλημα, μία δύναμις, μία θεότης, μία βασιλεία Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος. Ἦτε τοῦ Μονογενοῦς ἐνανθρώπησις ἀληθὴς, σαρκωθέντος ἐκ Πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου κατὰ τὴν τῶν Πατέρων εὐσεβῆ παράδοσιν, καὶ ἐν σαρκὶ φανερωθέντος ἡμῖν, καὶ θαύματα ἐργασαμένου θεῖα καὶ παράδοξα, καὶ παθόντος σαρκὶ τὸν ὑπὲρ ἡμῶν σταυρόν τε καὶ θάνατον, καὶ συναναστήσαντος ἡμᾶς ἑαυτῷ τοὺς ὑπὸ ἁμαρτιῶν κατερραγμένους, καὶ ἀναγαγόντος ἡμᾶς εἰς τὴν πρώτην μακαριότητα. Οἱ μὲν οὖν ἀκούοντες ἔχαιρον, καὶ ἠσπάζοντο αὐτὸν καλῶς διδασκόμενοι. F

A 53 Ποτὲ δὲ ἀπιόντος αὐτοῦ ἐν Κυριακῇ εἰς τοὺς ἁγίους Ἀποστόλους, ἐνεφάνη τις γυνὴ ξένη βοῶσα, καὶ ἐλεγχομένη, καὶ ὁρκίζουσα ἔλεγεν· Τί ἐμοὶ καὶ σοί ὦ Ὑπατίε, μή με βασανίσῃς, καὶ εἰσελθοῦσα ἕως τοῦ προθύρου, ἔμεινεν συγκλῶσα ἕως ἀπολύσεως· καὶ εὐθέως ἐξελθὼν ἐσφράγισεν αὐτὴν, ποιήσας εὐχήν· ἐκείνη δὲ πεσοῦσα εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ ἡσυχάσασα μίαν ῥοπὴν, ἀνέστη σωφρονοῦσα, τοῦ Θεοῦ τὴν ἴασιν αὐτῇ παράσχοντος διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ Ἁγίου. Ἄλλος τις νεώτερος, ὀνόματι Ἀλέξανδρος ἠνέχθη ὑπὸ τοῦ ἰδίου πατρὸς, κλαίοντος καὶ παρακαλοῦντος τὸν Ἅγιον περὶ τοῦ ἰδίου υἱοῦ. Ὁ δὲ λέγει, Ἔασον αὐτὸν παραμεῖναι ἐν τῷ μοναστηρίῳ. Παραμείναντος δὲ αὐτοῦ τεσσαράκοντα δυσεκβάτως εἶχεν ὁ δαίμων ὁ κατοικῶν ἐν αὐτῷ· τέλος προσευξαμένου τοῦ Ἁγίου ἐξῆλθεν ὁ δαίμων ἐκλαλήσας μεγάλα. Ἄλλον πάλιν νεανίσκον ὀνόματι Στέφανον ἤνεγκεν ἡ ἰδία μήτηρ δεινῶς ὑπὸ δαίμονος ἐλαυνόμενον· οὐ γὰρ ἠδύνατο παραμένειν ἐν ἑνὶ τόπῳ, πλανώμενος εἰς ἀτοπίας· τοσοῦτον γὰρ ἦν δυνατὸς, ὡς περιγίνεσθαι αὐτὸν δέκα ἀνδρῶν, καὶ τὰς ἁλύσεις ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ ὡς ξύλα συντρίβειν. Παραμείνας δὲ ἐν τῷ μοναστηρίῳ, καὶ ὑγιὴς γενόμενος διὰ τῶν εὐχῶν τοῦ δούλου τοῦ Θεοῦ, ἀπῆλθεν πάλιν εἰς τὰς νεωτερικὰς ἀταξίας τοῦ κόσμου περιεπάτει· ὅθεν ἐπέστρεψεν πάλιν ἐπ' αὐτὸν ὁ δαίμων. Καὶ B πάλιν δήσαντες αὐτὸν, ἔφερον πρὸς τὸν Ἅγιον, ὃν τινα ἰᾶτο ὁ Θεὸς διὰ τῆς παρακλήσεως τοῦ Ἁγίου· τοῦτο δὲ ἐποίησεν καὶ πρῶτον, καὶ δεύτερον, καὶ τρίτον, καὶ τέταρτον, ὡς διελθεῖν τετραετῆ χρόνον. Ὕστερον δὲ ἐπεχείρησεν ὁ δαίμων δι' αὐτοῦ φόνον ποιῆσαι, σκαμνὸν γὰρ μέγα ἐπάρας, κοιμωμένων τῶν Ἀδελφῶν εἰς τὸ μεσημβρινόν, κατὰ κεφαλῆς ἐβούλετο κρούειν· ἀλλ' ὁ Κύριος οὐ συνεχώρησεν αὐτῷ· φυλάττει γὰρ Κύριος τὰς ψυχὰς τῶν ὁσίων αὐτοῦ· εἷς γὰρ τῶν νεανίσκων, ἐξυπνίσας ἐκράτησεν αὐτὸν, καὶ θορύβου γενομένου, μόλις ἴσχυσαν αὐτὸν λϛʹ, οὓς ἐξ αὐτῶν ἔδακεν δύο, τοῦ ἑνὸς τὸν βραχίονα, καὶ τοῦ ἄλλου τὸν δάκτυλον ἀπέτεμεν. Ὁ δὲ Κύριος διὰ τῶν εὐχῶν τοῦ δούλου αὐτοῦ Ὑπατίου κἀκεῖνον εἰς τέλος ἰάσατο, καὶ οὐκ ἔτι ἐπλησίασεν αὐτῷ ὁ δαίμων, καὶ τοὺς δαχθέντας ἐθεράπευσεν.

54 Ἄλλον ἀγροικον ὀνόματι Τρύφωνα ἤνεγκεν σεσηπότα ἔχοντα τὸν πόδα, πρὸς τὸ θεραπευθῆναι αὐτὸν ὑπὸ τοῦ Ἁγίου. Ὁ δὲ δοῦλος τοῦ Θεοῦ προσκαλεσάμενος ἔμπειρον ἰατρὸν, ὅπως δι' ἐπιστήμης τὸ ὀστέον τὸ λεγόμενον καλαμίσκον ἐκκόψῃ, ἐκείνου δὲ λέγοντος μᾶλλον ἀποκόψωμεν τὸν πόδα ἀπὸ τοῦ γόνατος, ὁ Ὑπάτιος ἐνεξάμενος κελεύει τὸ ὀστέον ἀρθῆναι. Λαβὼν οὖν ὁ ἰατρὸς τέρετρον καὶ σφύραν ἔκοπτεν τὸ ὀστοῦν, καὶ ψόφον ἀπετέλει. Ὁ δὲ ἄγροικος πονῶν ἔλεγεν· Τί μοι ποιεῖτε; ὁ δὲ C ἰατρὸς γελάσαντος λέγει αὐτῷ· Ποδάριον σοι ποιοῦμεν χωρὶς ὀστέου· καὶ ἄραντες τὸ ὀστοῦν ἀπὸ τοῦ ἀστραγάλου, ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ ὁ Κύριος ἰάσατο αὐτὸν ἔχοντα τὸν πόδα χωρὶς ὀστέου. Ἔτρεχεν δὲ ὡς πάντες, καὶ εἰργάζετο πλέον τῶν ἄλλων· καὶ οὐδὲν ἐνεμπόδιζεν αὐτὸν ὡς πάντας τοὺς ὁρῶντας δοξάζειν τὸν Θεόν.

55 Ἄλλοτε πάλιν λάκκον ὤρυσσον οἱ ἀδελφοὶ, δύο ὀργυιῶν τὸ βάθος, καὶ ἀνενεγκόντες λίθον μέγαν, ὅσον αἴρουσιν ὀκτὼ ἄνδρες, καὶ ἐξ ἄκρου ἀποθέμενοι, ἀπέπεσεν ὁ λίθος, καὶ συνέλαβεν δύο ἀδελφοὺς κάτω ἐν τῷ λάκκῳ. Παρεστὼς δὲ ὁ ἅγιος Ὑπάτιος, καὶ θεασάμενος τὸ γεγονὸς ἐν τῷ καταπίπτειν αὐτοὺς ἀνεκραύγασε λέγων· Εὐλογητὸς Κύριος· καὶ οὐδὲ εἷς ἐξ αὐτῶν ἐβλάβη ὑπὸ τοῦ λίθου τὸ σύνολον, εἰ μὴ μόνον ὁ χιτὼν ἐβράχη τοῦ ἑνὸς· ὕδωρ γὰρ ἦν ἐν τῷ λάκκῳ, δι' ὃ καὶ ὀρύξαντες εὗρον καὶ τὸν λίθον, τὸ δὲ ὕδωρ ἤρχετο ὥστε ἀρδεύειν αὐτῶν ὁ κῆπος.

56 Ἄλλος τις στρατευόμενος Σχολαρίοις τῶν Ἐπάρχων, ὀνόματι Ἐγέστιος, μέσης ἡλικίας ὤν, ἐθνικὸς ὑπάρχων, βουλόμενος δὲ ὁ Θεὸς σῶσαι αὐτὸν, οἰκονομεῖ ἀπολέσαι αὐτὸν χάρτας, καὶ ἀκούσας περὶ Ὑπατίου, καὶ ἔρχεται πρὸς αὐτὸν προσπίπτων αὐτῷ καὶ λέγων· Εὔξαι ἵνα εὕρω τὰ χαρτία καὶ πιστεύω τῷ Θεῷ· ἐπεὶ ἐὰν μὴ εὑρεθῇ, φυγῇ χρήσομαι, ἢ ἄλλο τι κακὸν ἐπινοῶ, ἵνα μὴ ὑπὸ τοῦ Ἄρχοντος ἀναιρεθῶ. Ὁ δὲ ἐνουθέτησεν

53 Cum die quadam Dominica iret ad Apostolorum ecclesiam, occurrit ei peregrina quædam vociferans atque increpans eum hisce verbis : Quid tibi et mihi Hypati? ne me torqueas : prosecutaque eum usque ad vestibulum, mansit ibi *d*... quoad populus dimitteretur. Ille vero mox egressus consignavit eam, oravitque ; quæ procidens ad pedes ejus modicumque quiescens, surrexit sanæ menti reddita, Deo ipsi sanitatem præstante per impositionem manuum S. Hypatii. Alius quidam juvenis nomine Alexander adductus a patre suo est flente atque plorante, et Sanctum pro filio suo deprecante : qui dixit : Permitte hunc manere in monasterio. Manente autem eo istic per dies quadraginta, difficile fuit ejicere dæmonium quo possidebatur. Tandem tamen exivit dæmon multa garriens. Similem alium nomine Stephanum mater adduxit dire vexatum a dæmone : non enim poterat manere in eodem loco ex insania vagabundus : erat autem tam robustus, ut decem viris esset superior, et vincula manibus imposita tamquam ligna frangeret. Manens autem in monasterio et per servi Dei preces sanus effectus, abiit, iterumque ad juveniles seculi ineptias deflexit : quapropter in ipsum iterum reversus est dæmon, ideoque rursus ligantes eum adduxerunt Sancto ; quem Deus sanavit per intercessionem Sancti. Hoc vero factum est semel, bis, ter, et quater per spatium E annorum quatuor : ac denique conatus est dæmon per eum stragem magnam edere ; scamnum enim grande tollens inter dormientes sub meridiem Fratres, volebat ipsis capita elidere ; sed non permisit eum Deus ; custodit enim Dominus animas Sanctorum suorum ; quia unus juniorum expergiscens apprehendit eum, et tumultu facto, ægre Fratres triginta sex vincere eum potuerunt : qui tamen duos eorum morsibus appetens, uni admordit brachium, alteri digitum abstulit. Deus autem per famuli sui preces ipsum sanavit, neque ad eum accessit dæmonium ; curati sunt etiam qui fuerant vulnerati.

54 Rusticum etiam nomine Triphonem curandum Sancto adduxerunt, cui pes computruerat. Servus autem Dei accersivit expertum medicum, ut secundum artem suam os, quod radiolus vocatur, exscinderet. Verum hic, Tibiam potius, inquit, a genu abscindemus : sed perstitit Sanctus jubens solum os tolli : quapropter medicus, cuneo malleoque arrepto, os amputavit cum fragore : dolens autem rusticus, Quid mihi facitis? inquit, cui subridens medicus, Pedunculum tibi ab osse removemus. Cumque os F abstulissent a talo, intra breve tempus sanatus æger a Deo est, habens pedem absque osse illo, currebatque ut ceteri, et operabatur plusquam alii, citra ullum impedimentum, ad omnium intuentium stuporem.

55 Cisternam aliquando fodiebant Fratres profundam orgyas duas ; unde efferentes lapidem grandem, qualem octo viri tollere poterant, atque in margine locantes, excidere eum sibi passi sunt, supra duos qui intra cisternam erant Fratres : quod videns qui adstabat Sanctus in ipso saxi lapsu exclamavit, dicens : Benedictus Dominus : et nullus eorum qui intus erant læsus est, nisi quod vestimentum unius madefactum fuerit : aqua enim in cisterna erat, cujus causa fodientes, lapidem invenerant : ipsa vero aqua servire debebat ad hortum eorum rigandum.

56 Miles quidam Prætectorum Scholarius, *e* primævæ ætatis et adhuc gentilis, nomine Egestius, Deo qui salvare ipsum volebat sic disponente, chartas suas amisit, cumque de Hypatio audivisset, venit ad ipsum et procidit dicens ; Ora ut scripta mea recipiam, et credo in Deum : sin autem ; necesse habeo fuga mihi consulere, aut etiam pejus aliquid facere, ne princeps me de medio tollat : qui ei, multis

dæmonem a muliere

et juvene ejicit ;

difficiliorem tertium, quater regressum, quinta demum vice omnino superat

Pedi laboranti ossiculum exscindi facit

Deo e suis ruina saxi obruendos servat.

Secundo amissis chartas orante recuperat,

Ex MS. Vatic.

tis exhortato, post factam ad Deum orationem dixit : Abi, et occurret tibi homo, dicetque chartas esse inventas, statimque quod Deo pollicitus es facito, fiasque Christianus. Cum igitur ad tria milliaria processisset, essetque trajecturus, audivit inventas esse chartas : sequebatur enim eum domesticus suus, veritus ne fugam caperet, eique occurrens, nuntiavit repertas esse : quo ille lætatus ad Hypatium rediit, gratias Deo agens, neque solum baptizatus est; sed etiam factus Monachus, officium Scrinii in hominem suum transtulit, ipseque vitam religiosam ac probam egit. Factus quoque peregrinorum receptor quotidie plurimos, tam Monachos quam pauperes, hospitio exceptos cibo reficiebat ex iis quæ Deus ipsi militanti contulerat.

ipsum Christianum et Monachum facit.

αὐτὸν παραινέσεσιν, καὶ εὐξάμενος τῷ Θεῷ λέγει αὐτῷ· Ὕπαγε, ἀπαντήσει γάρ σοι ἄνθρωπος λέγων ὅτι εὑρηνται αἱ χάρται, καὶ εὐθὺς, ὡς συνετάξω τῷ Θεῷ, ποίησον καὶ γενοῦ χριστιανός. Ὡς οὖν ἀπῆλθεν τρία σημεῖα, τὸν μέλλων περᾶν, ἤκουσεν ὅτι εὑρηνται τὰ χαρτία· κατεδίωκεν γὰρ αὐτὸν ἴδιος αὐτοῦ ἄνθρωπος, νομίσας ὅτι ἀπέδρα· καὶ ἀπαντήσας, ἀπήγγειλεν αὐτῷ ὅτι εὑρηνται αἱ χάρται. Ἐκεῖνος δὲ περιχαρὴς γενόμενος, ἀνέκαμψεν πρὸς τὸν Ὑπάτιον, εὐχαριστῶν τῷ Κυρίῳ, καὶ οὐ μόνον ἐπίστευσε τῷ Θεῷ, καὶ ἐβαπτίσθη, ἀλλὰ καὶ ἀπετάξατο· στήσας γὰρ ἴδιον ἄνθρωπον εἰς τὸ Σκρινεῖον, αὐτὸς σεμνὸν βίον καὶ εὐτελῆ διῆγεν. Καὶ γενόμενος ξενοδόχος, ἐφ᾽ ἑκάστης ἡμέρας ἐξενοδόχει καὶ μονάζοντας καὶ πτωχοὺς ἱκανοὺς τὴν τροφὴν ἀπονέμων, ἐξ ὧν ἔδωκεν αὐτῷ ὁ Θεὸς ἐν τῇ στρατείᾳ.

ANNOTATA D. P.

a Πραγμάριον, *fascis complicatorum pannorum a latina voce pressus nuncupari videtur, alibi nondum reperta vox : solent autem complicati panni prælo comprimi in fasces quadratos, ut notum est.*

b Σκουλίας *vel* σκουλίον, *vox græcolatina teste Eustatio, de qua vide pluribus agentem Cangium in Glossario Græco-barbaro.*

c Δρόμος, cursus publici officium, *hodie* Postam *vocamus, propter dispositas certis intervallis equorum et curruum mutandorum stationes.*

d *Quia nequeo certo definire unde, et quo sensu hic usurpetur participium* σαχίσασα *malui alteri id dimandum relinquere, cum absque eo sententia perfecta habeatur.*

e *Quem a* Scrinio *latina voce* Σκρινιάριον *Græci appellant, alias* χαρτοφύλακα, *id est,* chartarum custodem *; nos a* secretis *dicimus secretarium, de quo multa erudite Cangius.*

CAPUT VIII.

S. Alexander Acœmeta receptus, Monachus præsumptuosus castigatus, superstitiones coercitæ a S. Hypatio.

Archimandrita quidam nomine Alexander ex Asia minore adveniens, una cum Monachis circiter centum, domicilium sumpsit in urbe, cujus conversatio omnibus fuit probata : zelo enim vehementi accensus ipsosmet Principes increpabat, si quid ab iis nosset improbe factum. Illi vero communi consilio exilium ei indixerunt in patriam suam, qui recedens ab urbe cum Monachis suis confugit ad sanctos Apostolos, prope monasterium S. Hypatii. Episcopus vero, accepto a Principibus mandato, ut illos inde expelleret; misit turbam hominum, qui Alexandrum cum suis Monachis verberibus cæsos ab ecclesia ejecerunt. Bajulantes ergo Abbatem suum Fratres ad monasterium (nec enim præ vulneribus ambulare poterat) obviam sibi habuerunt Hypatium, qui omnes suscepit, et apud se habuit, donec illorum vulnera curarentur. Chalcedonis autem Episcopus misit Hypatio, qui diceret, ipsum quoque, eo quod Alexandrum suscepisset, postero die expellendum : cui ille renuntiari hæc jussit : Sic erit qui ipsum tetigerit, ac si tetigisset pupillam oculorum ipsius Domini. Sequenti ergo mane misit Episcopus Decanos oratoriorum, et pauperes et quosdam ex ergastulis, Clericosque cum duobus asinis, quibus impositi in exilium abirent. Rustici vero id ægre ferentes miserunt Hypatio, quod si mandaret, venturi essent omnesque in fugam acturi. Verum respondit ille; Sinite ipsos agere filii : si enim Dei voluntas non est, ut hinc abeamus, ipse illos fugabit. Præparantibus ergo utrimque se Fratribus ad decessum, et volentibus benedictionis causa unum saltem librum pro via efferre, ecce Decanus Palatii, Ephippus nomine, cum id quod fiebat didicisset, processit in medium, clamavitque : Date Notarium et date nomina singulorum : Imperatrix enim mandavit sibi renuntiari quinam sint qui fa-

Alexandrum Abbatem urbe pulsum cum suis

excipit Hypatius et defendit;

citra tamen cædem.

Ἄλλο τε πάλιν Ἀρχιμανδρίτης τις, ὀνόματι Ἀλέξανδρος, ἐλθὼν ἐκ τῆς Ἀνατολῆς, καὶ σὺν αὐτῷ Ἀδελφοὶ ὡς ἑκατὸν ᾤκησαν ἐν τῇ πόλει· καὶ ἡ πολιτεία αὐτοῦ ἐπίδοξος πᾶσιν ἐγένετο, ζηλωτὴς γὰρ ἦν εἰς ἄκρον, καὶ ζήλῳ φερόμενος ἤλεγχεν τοὺς Ἄρχοντας, εἴ τι ἂν συνέγνω ἄτοπον· ἐκεῖνοι δὲ μίαν βουλὴν ποιήσαντες, ἐξώρισαν αὐτὸν, ἵνα ἀπέλθῃ εἰς τὴν ἰδίαν πατρίδα. Ἐκεῖνος δὲ ἅμα τοῖς ἀδελφοῖς ἐξελθὼν ἐκ τῆς πόλεως, ἔρχεται καὶ καταφεύγει εἰς τοὺς Ἀποστόλους πλησίον τῆς μονῆς Ὑπατίου. Καὶ ἀποστέλλει ὁ Ἐπίσκοπος ὄχλους διὰ τὸ κέλευσμα τῶν Ἀρχόντων, ἵνα διώξωσιν αὐτοὺς ἐκεῖθεν· οἱ δὲ ὄχλοι ἐλθόντες καὶ τοὺς Ἀδελφοὺς σὺν τῷ Ἀλεξάνδρῳ δείραντες, ἐξέβαλον τοῦ Ἀποστολείου· τοὺς δὲ καὶ ἐτραυμάτισαν. Βαστάζοντες λοιπὸν οἱ ἀδελφοὶ τὸν Ἀββᾶν αὐτῶν διέβαινον πλησίον τοῦ μοναστηρίου, οὐ γὰρ ἠδύνατο περιπατῆσαι διὰ τὰς πληγάς. Παρελθόντων οὖν αὐτῶν ἐκεῖσε, ἐξελθὼν ὁ Ὑπάτιος ὑπέσχεν αὐτοῖς· εἰσαγαγὼν οὖν πάντας ἐν τῷ μοναστηρίῳ ἀνεκτήσατο, καὶ τὰ τραύματα ἐθεράπευσεν. Ὁ δὲ Ἐπίσκοπος Χαλκηδόνος ἀποστέλλει λέγων τῷ Ὑπατίῳ, ὅτι ἐδέξω Ἀλέξανδρον, αὔριον σὺν αὐτῷ διωχθῆναι ἔχεις. Ὁ δὲ λέγει τῷ ἀποσταλέντι· Εἰπὲ τῷ Ἐπισκόπῳ. Οὕτως ἔσται ὁ ἁπτόμενος αὐτοῦ, ὡς ὁ ἁπτόμενος τῆς κόρης τοῦ ὀφθαλμοῦ αὐτοῦ. Τῇ οὖν ἕωθεν ἀποστέλλει ὁ Ἐπίσκοπος Δεκανοὺς τῶν μαρτυρίων, καὶ πτωχοὺς καὶ ἐκ τῶν ἐργαστηρίων τινὰς καὶ Κληρικοὺς, καὶ βουρδῶνας δύο ἵνα καθίσαντες ἀπέλθωσιν εἰς τὴν ἐξορίαν. Οἱ δὲ ἀγροικοι λυπηθέντες ἀποστέλλουσιν πρὸς Ὑπάτιον λέγοντες· Κέλευσον, καὶ συναχθέντες διώξομεν αὐτούς. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· Ἐάσατε τέκνα, εἰ γὰρ οὐκ ἔστιν ἀπὸ Θεοῦ διωχθῆναι ἡμᾶς, ὁ Θεὸς μου διώξει αὐτούς. Ὡς δὲ ἡτοιμάσθησαν οἱ ἀδελφοὶ ἀμφότεροι, καὶ ἐβούλετο ἕκαστος καὶ βιβλίον ἆραι εὐλογίαν εἰς τὴν ὁδὸν, ἰδοὺ Δεκανὸς ἀπὸ τοῦ παλατίου Ἔφιππος, ὃς μαθὼν τὰ γινόμενα, εἰσελθὼν ἐν τῷ ὄχλῳ λέγει· Δότε Νοτάριον καὶ χάρτην· δότε ὑμῶν τὰ ὀνόματα, ἡ Βασίλισσα ἀπέστειλεν μαθεῖν, τίνες εἰσὶν οἱ διώκοντες τοὺς δούλους τοῦ Θεοῦ. Καὶ εὐθέως ἐκεῖνοι

A ἐκεῖνοι ἀκούσαντες, τὰς ὄψεις ἐνεκαλύπτοντο καὶ ἀπεδίδρασκον, ὥστε μὴ συλληφθῆναι ἕνα ἐξ αὐτῶν. Καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα· Πῶς διώξεται εἷς χιλίους, καὶ δύο μετακινήσουσιν μυριάδας, εἰ μὴ ὁ Θεὸς ἀπέδοτο αὐτούς; παρεμβαλεῖ γὰρ ὁ Ἄγγελος Κυρίου κύκλῳ τῶν φοβουμένων αὐτὸν, καὶ ῥύσεται αὐτούς. Ὁ οὖν Ὑπάτιος χρόνον ἀναπαύσας, τὰ πρόβατα σὺν τῷ ποιμένι ἀπέστειλεν. Οἱ δὲ εὐχαριστοῦντες ἀπῆλθον ὡς ἀπὸ σημείων δεκαπέντε ἐν ἰδιάζοντι τόπῳ ποιήσαντες μοναστήριον μέγιστον, ἐν ᾧ κατοικοῦσιν τριακόσιοι ἅμα πάντες, τὸν Θεὸν δοξάζοντες ἀκαταπαύστως. Οὗτοι δέ εἰσιν οἱ μονάζοντες, οἱ τὸ μοναστήριον τῶν Ἀκοιμήτων οἰκοῦντες.

58 Ἄλλος δὲ μαθητὴς γέγονεν τοῦ ἁγίου Ὑπατίου, ὀνόματι Μακάριος· οὗτος δὲ ἐν τῷ κόσμῳ διάγων, ζῆλον εἶχεν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν, καὶ ἐν συνοικῶν περιέργοις ἀνδράσιν, ὅθεν καὶ παραλλαξίαν εἶχεν ἀσυμφανῆς εἰς τὰς φρένας, ὡς μήτε ἐκεῖνον γινώσκειν, τοῦτο ἀσυμφανὲς γὰρ ἦν. Οὗτος λαβὼν τὸ ἅγιον βάπτισμα ζήλῳ καὶ πόθῳ εὐθέως κινούμενος ἐν τῷ μοναστηρίῳ εἰσῆλθεν, καὶ ἀποταξάμενος τῷ κόσμῳ γέγονεν μοναχός· καὶ τοσοῦτον ἤνυσεν εἰς ἐπίμονον ἄσκησιν, ἦν γὰρ καὶ τῷ σώματι πάνυ σφοδρός, ὡς πληροῦν αὐτὸν πρὸς τρία σώματα. Εἰ ποτε γὰρ κῆπον γεωργῆσαι, ἢ ἀμπέλους σκάψαι, ἢ B ἄλλο τι ποιῆσαι ἐπίμονον, οἱ ἐπιτήδειοι τὸ ἔργον εἰς τοῦτο τεταγμένοι εἰσίν· οἱ δὲ λοιποὶ τρίχινα ἐργάζονται. Ἔστι μὲν ἐξ αὐτῶν ὁ μὲν καλλιγράφος, ὁ δὲ πλύτης καὶ ῥάπτης, ἄλλος ὀστιάριος, μιᾶς γὰρ θύρας οὔσης, οὐκ ἔστιν τινὰ ἁπλῶς εἰσιέναι ἢ ἐξιέναι· ἄλλος ἐπὶ τῶν ζώων τῶν ἀληθόντων, ἄλλος οἰκοδόμος· καὶ εἴπου χρεία οἰκοδομήματος ἦν γενέσθαι, πάντες συνήρχοντο ἐκεῖ. Ἄλλος τοῖς ἀρρώστοις ὑπηρέτει, ἄλλος εἰς τὸ ἀποδέχεσθαί τοὺς ξένους καὶ ἀναπαύειν· οἱ πάντες δὲ ἑβδομάδας ποιοῦντες, ἀλλήλοις τὴν ὑπηρεσίαν ἀποδιδόασιν, παρεκτὸς τῆς κοινῆς τῶν πάντων Λειτουργίας, καὶ οὐκ ἔστιν ἁπλῶς τινα ἀπὸ τοῦ ἰδίου ἔργου, οὗ προσετάγη, ἀποπηδῆσαι εἰς ἄλλο, ἀλλ' ὅπου ἐκελεύσθη μένει ἐν τῇ τάξει αὐτοῦ.

59 Ὁ δὲ Μακάριος εἰς ὃ ἂν ἐπετάσσετο, προθύμως καὶ σπουδαίως ἐπεδίδου ἑαυτὸν τῷ μόχθῳ, ὡς ἀληθῶς τῷ Θεῷ δουλεύων, κατὰ τὸν λέγοντα· Ἐν κόποις περισσοτέρως· ἐγκρατευόμενος γὰρ πάνυ ἠγρύπνει, πολλάκις καὶ τὸ τρίτον τῆς νυκτὸς ὀρθῶς ἑστηκὼς ηὔχετο· παρεκτὸς γὰρ τῆς κοινῆς τῶν πάντων ψαλμῳδίας καὶ ἀγρυπνίας, εἰς τὸ νυχθήμερον τὸν Δαυῒδ ὅλον δεύτερον ἐμελέτα. Τοσαύτην δὲ ἀγάπην ἔσχεν πρὸς τοὺς Ἀδελφούς, ὡς μὴ C ζητεῖν ποτε τὴν ἰδίαν ἀνάπαυσιν, ἀλλὰ τὴν τοῦ Ἀδελφοῦ. Οὕτως οὖν δουλεύων τῷ Θεῷ, καὶ πρώτης παραπληξίας τὴν ἴασιν παρὰ τοῦ Θεοῦ εἰληφώς. Ποιήσαντος οὖν δέκα καὶ ὀκτὼ ἔτη ἐν τῷ μοναστηρίῳ, μὴ δυνηθεὶς ὁ διάβολος πόθεν αὐτὸν χειρώσασθαι, εὗρεν αὐτὸν σαθρότερον περὶ τὴν ταπεινοφροσύνην, καὶ τοὺς πόνους τῆς ἀρετῆς ἀναμαγλεύων ἐν τῇ διανοίᾳ, καὶ τινὰς φαντασίας αὐτῷ προσάγων ἐπὶ σχήματι τοῦ Χριστοῦ, τέλος εἰς οἴησιν αὐτὸν ἠχμαλώτευσεν, ὑποβάλλων αὐτῷ ἐν τοῖς λογισμοῖς, ὅτι ὑπὲρ πάντας δίκαιος εἶ· Μείζω γὰρ πάντων ἐκτήσω, καὶ ὁ Ἰησοῦς ἀγαπᾷ σε, καὶ ἐν σοὶ κατοικεῖ, καὶ διὰ σοῦ λαλεῖ τοῖς Ἀδελφοῖς. Χρόνου δὲ προϊόντος, ἐκ τῶν λόγων αὐτοῦ ἔγνω ὁ Ὑπάτιος, καί τινες ἀπὸ τῶν Ἀδελφῶν ὅτι πλανᾶται, καὶ νουθεσίας αὐτῷ προσέφερεν, καὶ οὐκ ἐπείθετο αὐτῷ, ἀλλὰ πάντας ἐξουθένιζεν· πεπόρθητο γὰρ ὑπὸ τῆς ἐναντίας δεινότητος, τοῦτο δὲ αὐτῷ συνέβη διὰ τὸ ἀδιάκριτον. Τοσοῦτον οὖν ἐφρενοβλάβησεν, ὡς παρρησίᾳ ἀποκαλεῖν τὸν ἅγιον Ὑπάτιον ἀντίχριστον τοῦ Χριστοῦ. Ἡ δεξιὰ τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς μού ἐστιν, καὶ ὁ Ἰησοῦς δι' ἐμοῦ ὁμιλεῖ, καὶ ἀπεκαλύφθη μοι, καὶ εἶπέν μοι ὁ Ἰησοῦς, ὅτι χιλίους σοι Ἐπισκόπους χαρίζομαι, ἵνα ἄρχῃς αὐτῶν ὡς Ἀρχιεπίσκοπος. Ὁ δὲ Ὑπάτιος σπλαγχνιζόμενος ἐπ' αὐτὸν ἵνα μὴ ἐξέλθῃ τοῦ μοναστηρίου πλανώμενος, βάλλει αὐτῷ σίδηρα εἰς τοὺς πόδας, ὅπως διαφυλαχθεὶς ἔλθῃ εἰς ἑαυτόν. Καὶ μετ' ὀλίγας

mulos Dei persequuntur. Quod illi audientes obvolutis capitibus abscurrerunt, ut ne unus quidem comprehenderetur: impletaque est Scriptura quæ dicit: Quomodo persequatur unus mille et duo decem mille, nisi quia Dominus vendidit eos: et, Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum et eripiet eos. Itaque ad tempus aliquod apud se fovens Pastorem cum ovibus, dimisit eos: qui actis gratiis abierunt ad quindecim milliaria in locum solitarium et quietum, ubi maximum condiderunt monasterium, habitantes in eo usque ad trecentos, jugiter Deum laudando: atque hi sunt Monachi qui Acœmetarum a cœnobium incolunt.

D

A Callinico subveniente ex palatio Decimo [partly illegible]

Deut. 32, 30
Ps. 33, 8

qui deinde condunt monasterium

a

58 Fuit et alius S. Hypatio discipulus dictus Macarius, qui adhuc in seculo degens habebat zelum, sed non secundum scientiam: habitabat enim cum quibusdam impostoribus, unde occultam cerebri perturbationem incurrit, ita ut ipsemet ignoraret, quia clanculum id agebatur; accepto autem sacro baptismate, zelo ac desiderio magno motus, venit ad monasterium, et dimisso seculo factus est Monachus; tantumque constanti exercitatione profecit, ut, cum esset corpore perquam firmo, tria officia solus ipse impleret: nam si hortus colendus esset; aut vineæ, vel aliquid stati et necessarii operis faciendum, deputabantur aliqui talium experti; ceteri vero texebant cilicia: et alius quidem ex iis scriptor est, alius fullonem agit, sutorem alius, alius denique ostiarium, quibus cum unum duntaxat ostium sit, non licet alicui pro arbitrio ingredi vel egredi. Erat qui curam habebat animalium molæ servientium, alius fabricæ domus intendebat: sicubi autem opus erat ædificare quidpiam, omnes ad opus concurrebant. Sed et infirmorum curator erat, uti et susceptor peregrinorum: omnes autem sibi mutuo hebdomatim succedebant in officio, nisi quod Liturgia omnibus esset communis; neque licebat cuiquam ab eo, quod ipsi injunctum erat, munere transire ad aliud; sed in suo quisque ordine jubebatur manere.

Quidam ab insania curatus;

et factus Monachus,

E

singulis singula officia hebdomadatim obeuntibus,

59 Macarius autem quidquid sibi imperabatur, exequebatur alacriter nulli parcens labori, tanquam verus Dei servus, qui dicere possit; In laboribus abundantius: perseveransque in vigiliis sæpe tertiam noctis partem erectus stans, in oratione transigebat: extra vigilias autem et psalmodiam omnibus communem, bis intra diem noctemque totum Psalterium decurrebat. Quod ad dilectionem Fratrum attinet, ita excellebat in ea, ut numquam propriam, sed semper illorum commoditatem spectaret. Sic igitur Deo serviens curationem prioris mali obtinuit. Cumque sic transegisset octodecim annos in monasterio, non valens invenire diabolus, unde ei prævaleret, tandem observavit infirmiorem esse circa humilitatem; eique in memoriam revolvens suos pro virtute labores, et phantasmata quædam sub specie Christi adducens, tandem ejus mentem captivavit, ut cogitaret quod præ omnibus esset justus: Plus enim habes, inquiebat, quam ceteri, et Jesus te diligit in te habitans, atque per te loquitur Fratribus. Procedente ergo tempore, ex verbis ejus notavit Hypatius, aliique ex Fratribus nonnulli, quod deciperetur, eumque instruere conabatur; sed nihil persuasit: quin potius contemnebat omnes: auferebatur enim ab adversarii violentia, idque propter defectum discretionis. In tantam igitur rapiebatur amentiam, ut confidenter Hypatium appellaret Christi adversarium, dicens: Dextera Dei supra caput meum est, et Jesus per me loquitur, mihique revelavit et dixit: Mille Episcopos tibi congregabo, ut ipsis Domineris tamquam Archiepiscopus. Hypatius autem ejus misertus, timensque ne monasterio egrederetur errabundus, compedes

ille ad omnia [illegible] [partly illegible]

F

[illegible] elatus, [illegible] [partly illegible]

domitti petit [partly illegible]

A compedes ei injecit, ut custoditus ad se rediret. Post dies autem paucos Macarius Hypatio dixit : Da Fratrem quicum vadam ut congregem illos mille quos mihi Jesus promisit. Cui Hypatius ; Equidem nolebam te dimittere : id si non pateris non dabo tibi Fratrem socium : abire si vis, abito solus.

EX MS. VATIC.

60 Discedens ergo, accessit ad Divina mysteria ; sed neque benedictionem neque pacem a Patre spirituali accepit : hic enim mos et ordo inoleverat, ut egrediens de monasterio, sive in alio loco perstiturus, sive iter simpliciter aliquo facturus, prius quam illud auspicaretur, acciperet a Patre spirituali pacem cum benedictione, itaque sine impedimento purus accederet ad divina mysteria, juxta mandatum Domini dicentis, Si offers munus tuum, prius reconciliare fratri tuo : si quis autem per imprudentiam communicasset, benedictione non accepta, graviter mulctabatur a Deo, donec rediret ad Hypatium, et, hoc super eum orante, sanaretur. Infelix ergo Macarius, prosequentibus eum frustra lacrymis Fratrum, quatuor annos sic egit, ut neque ad Patrem spiritualem reconciliandus veniret, neque vel unum ex mille colligeret. Patri autem non reconciliari, quocumque alio malo ipsi pejus erat : nam uno post Sancti mortem anno, gravissima infirmitate castigatum, Fratres quidam retulerunt ad monasterium, ubi misericorditer ab Hypatii discipulis receptus fuit, donec emarcuerunt ejus carnes et ossa ; per octoginta autem dies nihil cibi admittens clamabat : **Miserum me, qui contempsi Sanctum Hypatium Patrem meum!** sobriæ vero menti redditus clamabat ; Videte dorsum meum, aliqui enim virgis me cædentes graviter cruciant, itaque vociferans exspiravit : et sepelierunt eum in loco ubi quotidie solent orare Fratres : quia enim hoc passus est propter indiscretionem et levitatem suam, et tamquam inexpertus non satis caute se gessit in bello spirituali, ideo misertus est ejus Dominus, neque privavit eum consortio fraternitatis. Quapropter confidimus, quod per preces Sanctorum Dei sanctique Hypatii inveniet misericordiam in die judicii cum omnibus Dei servis. Amen.

digressusque sine solita benedictione,

et ideo infirmatus ac relatus,

B

pœnitens moritur:

61 Hujus autem meminimus, ut discamus quæ sit utilitas humilitatis : absque hac enim, si quis millenas virtutes habeat, frustra laborat : quia abominabilis Deo est omnis superbus, et supra arenam ædificat ; et superextollentes se ad nihilum redigentur. Dominus vero humiliantium sese preces respicit juxta illud : Humiliatus sum et salvavit me. Ecce enim quomodo Frater Macarius sese exercuit ? sed quia existimabat se esse aliquid, funditus periisset ; nisi Divina eum misericordia prævenisset ; quæcumque igitur bona opera quis fecerit, dicat in corde suo ; **Vere non sum dignus vocari servus Domini**, neque ad hoc vel minimam habeo capacitatem ; nam bona opera facit Deus, gratiam largiens, qui dignos nos reddit intelligere ad bene operandum, et docet hominem scientiam ; dicit enim ; Declina a malo, et fac bonum : nam bonum quod quisque fecerit, Deo curæ erit.

C

unde discat necessitas humilitatis

Psal. 36, 27.

62 Contigit ut intendens cuidam ministerio Hypatius sentiret molestam quamdam graveolentiam : multi enim ex civitate ad ipsum veniebant, percepturi fructum ex ejus precibus : completo autem ministerio, vocavit hominem in quo fœtor iste erat, eumque in medio statuens dixit : Unde es ? quid operis exerces, aut quid portas ? Qui respondit : Antiochenus sum, et volo fieri Christianus. Ille vero illum perscrutatus, invenit super illum panniculum, quasi zonæ tres digitos latæ, ipsumque extendens ; Quid hoc, inquit, sibi vult ? etenim in oratione existens sensi [illegible]. Quod cum

Sanctus magum ex fœtore agnoscit,

ἡμέρας λέγει ὁ Μακάριος τῷ Ὑπατίῳ· Ἀπόλυσόν με, καὶ δὸς μοι ἕνα Ἀδελφόν, ἵνα ἀπελθὼν συνάξω τοὺς χιλίους, οὓς ὑπέσχετό μοι ὁ Ἰησοῦς. Ὁ δὲ Ὑπάτιος εἶπεν πρὸς αὐτόν· Ἐγὼ μὲν ἐβουλόμην μὴ ἀπελθεῖν σε, εἰδὲ οὐκ ἀνέχῃ, ἄλλον ἀδελφὸν σοι οὐ δίδωμι· ἀλλ' εἰ βούλῃ ἀπελθεῖν, σὺ μόνος ἄπελθε.

D

60 Ἀπελθὼν οὖν, εὐθέως προσῆλθεν τοῖς ἁγίοις μυστηρίοις μὴ λαβὼν εἰρήνην, μήτε κατευλογηθεὶς μετὰ τοῦ πνευματικοῦ Πατρός· τύπος γὰρ τοιοῦτος καὶ ἀκολουθία ἐκράτει, ἵνα ὁ ἐξερχόμενος τοῦ μοναστηρίου, καὶ ἐν ἄλλῳ τόπῳ ἐν καταστάσει γένηται, ἢ καὶ ἐν ὁδῷ μέλλει ἀπέρχεσθαι, πρῶτον εὔχεσθαι καὶ κατευλογεῖν, μετὰ τοῦ Ἱερέως καὶ Πατρός, καὶ λαμβάνει εὐλογίαν, καὶ οὕτως λοιπὸν ἀνεμποδίστως καὶ ἀκωλύτως προσέρχεσθαι τοῖς ἁγίοις μυστηρίοις, κατὰ τὴν ἐντολὴν τοῦ Κυρίου, τὴν λέγουσαν· Ἐὰν προσφέρῃς τὸ δῶρόν σου, πρῶτον διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ σου· ποτὲ γάρ τις δι' ἀφροσύνην κοινωνήσει, μὴ λαβὼν εὐλογίαν, καὶ δεινὴν παιδείαν ἐπαιδεύθη παρὰ τοῦ Θεοῦ, ἕως ὅτε ἦλθεν πρὸς τὸν Ὑπάτιον, καὶ ηὔξατο περὶ αὐτοῦ καὶ ἰάθη. Ὁ δὲ ἄθλιος Μακάριος ὁ πλήρης τῶν δακρύων τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, τέσσαρα ἔτη ποιήσας, οὔτε ἦλθεν πρὸς τὸν Πατέρα καὶ κατηλλάγη, οὔτε ἕνα ἐκ τῶν χιλίων συνήγαγεν· τὸ δὲ μὴ εἰρηνεῦσαι μετὰ τοῦ Πατρὸς χεῖρον γέγονεν αὐτῷ πάσης βλάβης. Μετὰ γὰρ ἐνιαυτὸν τῆς τελευτῆς τοῦ Ὑπατίου παιδευθέντα τῇ χαλεπωτάτῃ ἀρρωστίᾳ, φέρουσίν τινες Ἀδελφοὶ εἰς τὸ μοναστήριον, οὓς κατοικτείραντες οἱ μαθηταὶ τοῦ Ὑπατίου ἐδέξαντο, ἕως οὗ ἐξετάκη καὶ τὸ σαρκίον καὶ τὰ ὀστᾶ αὐτοῦ. Ἡμέρας δὲ ὀγδοήκοντα, τινὸς οὐ μετέλαβεν τροφῆς κράζων καὶ λέγων· Οἴμοι ὅτι ἠθέτησα τὸν ἅγιον Ὑπάτιον τὸν ἐμὸν Πατέρα· νήφων γὰρ τῇ ἰδίᾳ διανοίᾳ ἐκεῖνα ἔλεγεν. Τὸν νῶτόν μου θεάσασθε, τινὲς γάρ με μετὰ ῥάβδων δεινῶς βασανίζουσιν· καὶ ταῦτα λέγων ἀπέδωκεν τὸ πνεῦμα. Καὶ κατέθεντο αὐτὸν μετὰ τῶν Ἀδελφῶν, ἐν ᾧ καθ' ἑκάστην ἡμέραν οἱ Ἀδελφοὶ τὰς εὐχὰς ἐπιτελοῦσιν· ἐπειδὴ γὰρ ἀπὸ ἀδιακρισίας καὶ ἐλαφρότητος τοῦτο ὑπέστη, καὶ ὡς ἄπειρος ἀσφαλέως οὐκ ἔστη εἰς τοὺς πολέμους, τούτου χάριν ἐσπλαγχνίσθη εἰς αὐτὸν ὁ Κύριος, καὶ οὐχ ὑστέρησεν αὐτὸν τῆς ἀδελφότητος· ὅνπερ ἐλπίζομεν ταῖς πρεσβείαις πάντων τῶν Ἁγίων, καὶ τοῦ Πατρὸς ἡμῶν Ὑπατίου, ἔλεος εὑρεῖν παρὰ Κυρίου ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ μετὰ πάντων τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ. Ἀμήν.

E

61 Τοῦτο δὲ ἐμνημονεύσαμεν εἰς ἀπόδειξιν τῆς ὠφελείας τῆς οὔσης ἐν τῇ ταπεινοφροσύνῃ· μυρίας γὰρ ἀρετὰς ἐὰν ἔχῃ τις χωρὶς ταπεινοφροσύνης, μάτην κοπιᾷ· βδέλυγμα γὰρ παρὰ Κυρίῳ πᾶς ὑψηλοκάρδιος, καὶ ἐπὶ τὴν ψάμμον οἰκοδομεῖ, καὶ ἐξουδένωσις τοῖς ὑπερηφάνοις, ἐπιβλέπει δὲ Κύριος ἐπὶ τὴν προσευχὴν τῶν ταπεινῶν· Ἐταπεινώθην γὰρ καὶ ἔσωσέ με. Ἰδοὺ γὰρ ὁ Ἀδελφὸς Μακάριος πῶς ἠσκησεν; καὶ ἵνα οἰηθῇ περὶ ἑαυτοῦ εἶναί τι, εἰ μὴ ὅτι τὸ ἔλεος τοῦ Θεοῦ προέφθασεν αὐτόν, ἀπώλεσεν πάντα. Ὅσα οὖν καλὰ ἔργα ἐὰν ποιήσῃ τις ἵνα λέγει ἐν τῇ καρδίᾳ ἐπ' ἀληθείας ὅτι οὐκ εἰμὶ ἄξιος κληθῆναι δοῦλος τοῦ Κυρίου, οὔτε ἱκανός εἰμι πρὸς ἐλάχιστον δοῦλον Θεοῦ· τὰ γὰρ ἀγαθὰ ἔργα ὁ Θεὸς ποιεῖ, ὁ διδοὺς τὴν χάριν, καὶ καταξιῶν ἡμᾶς τοῦ γινώσκειν ποιῆσαι τὸ καλόν, ὁ διδάσκων ἄνθρωπον γνῶσιν· εἶπεν γάρ, Ἔκκλινον ἀπὸ κακοῦ, καὶ ποίησον ἀγαθόν· ὃ γάρ τις ποιήσει ἀγαθόν, τοῦτο κομιεῖται παρὰ Κυρίου.

F

62 Ἄλλο τε πάλιν, ἑστηκότος αὐτοῦ εἰς τὴν ὑπηρεσίαν, ᾐσθετο τινος πικρᾶς δυσωδίας, πολλοὶ γὰρ ἐκ τῆς πόλεως ἀκούοντες περὶ αὐτοῦ ἤρχοντο καὶ ἀπέλαυον τῶν ἁγίων αὐτοῦ εὐχῶν. Πληρωθείσης δὲ τῆς ὑπηρεσίας, ὡς ὑπὸ θείας δυνάμεως ἐκάλεσεν τὸν ἄνθρωπον, ἐν ᾧ ἦν ἡ δυσωδία, καὶ στήσας αὐτὸν ἐν τῷ μέσῳ εἶπεν· Πόθεν εἶ, καὶ τί τὸ ἐπιτήδευμά σου, καὶ τί βαστάζεις; Ὁ δὲ εἶπεν· Ἀπὸ Ἀντιοχείας εἰμί, καὶ βούλομαι Χριστιανὸς γενέσθαι. Ἐρευνήσας δὲ αὐτὸν εὗρεν ἐν αὐτῷ ῥάκκος ὡς ζώνης τριδακτυλαίας, καὶ ἀνεπτύξας αὐτόν, τί θέλει εἶναι τοῦτο; ἐγὼ γὰρ ᾐσθόμην ἐν τῇ εὐχῇ σατανικῆς δυσωδίας. Μόλις ὡμολόγησεν τὸ ἱμάτιον αὐτὸ εἶναι τῆς Ἀρτέμιδος, καὶ εὐθὺς ἐκέλευσεν αὐτὸ καῆναι· Βληθέντος οὖν τοῦ ἱματίου

A τίου εἰς τὸ πῦρ οὐκ ἐκαίετο, ἀλλ' ἐγένετο ὡς σκεῦος σφαιροειδές. Τότε ὁ Ἅγιος εὐχὴν ποιήσας μετὰ ἄλλων Ἀδελφῶν, καὶ τοῖς ποσὶν αὐτοῦ συντρίψας, ἐλέπτυνεν κατὰ λεπτὸν, καὶ γῇ μίξας εἰς ἀφεδρῶνα ἔρριψεν, καὶ λέγει τῷ ἀνθρώπῳ· Εἰ βούλει Χριστιανὸς γενέσθαι, φέρε μοι τὸ βιβλίον σου, καὶ πάντα τὰ περίεργά σου, καὶ συναπέστειλεν αὐτῷ Ἀδελφόν· ὁ δὲ περισταλεὶς ἀπέδρα·

63 Ἄλλο τε, ἀκούσας περί τινος ὅτι μαντεύεται, μεταστέλλεται αὐτὸν λέγων, ἐλθὲ, ἵνα τιμῇ σε τιμήσω. Ἐλθόντος οὖν αὐτοῦ, λέγει αὐτῷ· Ἀκούω περὶ σοῦ ὅτι τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, καὶ εἰ τίς τι ἀπωλέσει, λέγεις αὐτῷ τίς αὐτὰ ἔκλεψεν· καὶ παρακαλῶ σε εἰπέ μοι πῶς ποιεῖς, ἵνα κἀγὼ μαθὼν ἀξίως τιμήσω σε. ὁ δὲ προθύμως ἤρξατο λέγειν· Εἴ τίς μοι εἴπῃ περὶ πράγματός τινος, εὐθὺς ἐν τῇ νυκτί μοι ἀποκαλύπτεται· καὶ λέγω αὐτοῖς ἵνα ἕκαστος αὐτῶν ἢ πρόβατον, ἢ ὄρνεον ἀπελθὼν θύσῃ εἰς τὸ εἰδωλεῖον, καὶ οὕτως λοιπὸν εἴ τί μοι ἀποκαλύψῃ ὁ ἄγγελος, λέγω. Ταύτας δὲ τὰς φωνὰς ἐποίησεν ὁ Ὑπάτιος γράφεσθαι, καὶ ὅτ' ἂν αὐτὸν ἠσφαλίσατο, λέγει αὐτῷ· Ὥστε οὖν διά σου διδάσκει ὁ σατανᾶς τοὺς ἀνθρώπους εἰδωλολατρεῖν; πέπεισο, οὐκ ἐξέρχῃ ἐντεῦθεν, ἵνα μὴ ὁ σατανᾶς διά σου ἀπολλύῃ ψυχὰς, ἐν κελλίῳ

B σε ἐγκλείσας παρέχω σοι τὸν ἄρτον ἕως ζωῆς σου· ἦν γὰρ γέρων. Ποιήσας δὲ αὐτόθι χρόνον ὀλίγον, ἦλθον οἱ πρεσβύτεροι οἱ γειτνιάζοντες τὴν χώραν αὐτοῦ, καὶ μόλις λόγον ἔδωκαν τῷ Ὑπατίῳ μὴ συγχωρεῖν αὐτῷ ταῦτα ποιεῖν, κἀκείνου ἔγγραφον ἐξομοσίαν εἰληφὼς, καὶ οὕτως ἀπέλυσεν αὐτὸν, καὶ μετ' ὀλίγον ἀπέθανεν.

64 Ἄλλο τε πάλιν, ἤκουσεν ὅτι ἀπὸ μονῶν τριῶν οἶκός τίς ἐστιν, ἐν ᾧ κατοικοῦσιν ὡς τεσσαράκοντα ἄνδρες θύοντες τοῖς εἰδώλοις, καὶ εἷς ἐξ αὐτῶν ἠβουλήθη Χριστιανὸς γενέσθαι, ὀνόματι Ἐλπίδιος, καὶ οὐ συνήρχετο αὐτοῖς εἰς τὰ ἀθέμιτα, διὰ τοῦτο πλειστάκις μαστίξαντες ἐρράξαν αὐτὸν, λέγοντες· Ἴδωμεν τί σε ὠφελεῖ ὁ Χριστὸς, ὡς ἐκ τῶν πληγῶν κατακείμενος, ἕλκη ἐποίησεν σεν δεινά. Ταῦτα δὲ μαθὼν ὁ Ὑπάτιος εὐθὺς ἀποστείλας ὑποζύγιον, ἤγαγεν αὐτὸν ἐν τῷ μοναστηρίῳ, καὶ διαναπαύσας ὡς ἴδιον πατέρα, καὶ τὰ ἕλκη ἰάσατο· καὶ ὑγιὴς γενόμενος, ἐκ τῶν χειρῶν τοῦ Ὑπατίου κατηξιώθη τοῦ βαπτίσματος· καὶ ἀποταξάμενος ἐδούλευσεν τῷ Κυρίῳ ὁσίως τρία ἔτη, καὶ τελέσας μακαρίως τὸν βίον αὐτοῦ, ἐν γήρᾳ καλῷ ἀνεπαύσατο. Ἐκείνοις δὲ τοῖς τεσσαράκοντα ἀπέστειλεν ὁ Ὑπάτιος λέγων· Μετανοήσατε, καὶ γίνεσθε Χριστιανοί, εἰ δὲ μὴ, τάχιστα καταλήψεται ὑμᾶς ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ. Ἐκείνων δὲ μὴ βουληθέντων

C ὑπακοῦσαι, οὐκ ἐπληρώθη εἷς ἐνιαυτὸς, καὶ κατέλαβεν αὐτοὺς ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ. Καὶ οἱ μὲν αὐτῶν ἀπὸ δαίμονος πικροῦ θανάτου ἐτελεύτησαν, οἱ δὲ λοιποὶ ἐσκορπίσθησαν, καὶ ὁ οἶκος ἠφανίσθη, ὡς μὴ κατοικεῖσθαι, ὡς γέγραπται· Γενηθήτω ἡ ἔπαυλις αὐτῶν ἠρημωμένη, καὶ ἐν τοῖς σκηνώμασιν αὐτῶν μὴ ἔστω ὁ κατοικῶν.

tandem fateretur ille esse vestem Dianæ, jussit D Sanctus ut statim combureretur: sed illud projectum in ignem non urebatur, verum fiebat quasi rotundum vasculum. Orationem ergo faciens Sanctus una cum Fratribus, pedibus suis illud contrivit et comminuit in frusta, et terræ commixtum misit in latrinam, dixitque homini: Si vis Christianus effici, ferto hic librum tuum et omnia maleficia, misitque cum eo Fratrem, sed ille dimissus abscurrit.

A CALLINICO

63 Alia vice intelligens aliquem vaticinari, accersivit eum dicens, Veni, ut honorem te: veniente autem ad se, Audio, inquit, te futura prædicere, et, si quid amissum fuerit, indicare quis illud furatus sit: rogo igitur te, indica mihi quomodo hoc facias, ut possim te digno honore prosequi. Qui prompte cœpit ei dicere: Si quis mihi de re quapiam loquatur, ipsa statim nocte revelatur mihi: et ego ipsi mando ut singuli interrogantium bovem vel ovem vel volucrem mactent in idolio, atque enuntio quid angelus mihi revelaverit. Hæc omnia verba jussit Hypatius scribi: cumque eum comprehendi fecisset, Sic ergo, inquit, diabolus per te docet homines idola colere? suadeo tibi ne hinc egrediaris, ne per te satanas animas perdat: ego te in cella claudens, præbebo tibi panem quoad vixeris: nam senex erat. Modico autem tempore sic transacto, venerunt presbyteri, qui in ejus vicinia habitabant et sponsionem suam dederunt, quod non permitterent ipsum amplius talia facere: quare scripta ejus ejurationem accipiens, dimisit illum, qui paulo post mortuus est.

sortilegum deprehendit.

et arguit

E

64 Audivit aliquando domum esse tribus mansionibus distantem, ubi habitabant quadraginta circiter viri immolantes idolis, quorum unus, nomine Elpidius, volebat fieri Christianus, qui non cooperabatur impietatibus eorum; quapropter sæpius eum verberibus mulctabant, dicentes: Videamus quid tibi prosit Christus, ita ut ex plagis decumbens gravia ulcera pateretur. Quod intelligens Hypatius, misit jumentum, cui ille impositus ad se deportaretur; cumque ut patrem suum excipiens, sanavit ulcera ejus, qui persanatus, baptismum de manibus Hypatii digne except, factusque Monachus servivit Deo: et triennio supervivens, in bona senectute vitam feliciter terminavit. Illis autem quadraginta nuntiavit Hypatius, ut pœnitentiam agerent, et fierent Christiani; sin minus, futurum, ut Dei vindicta illos comprehenderet: quod, ipsis nolentibus obedire, intra unius anni spatium evenit. Quidam enim illorum a dæmonibus morte acerba sublati e vivis sunt, alii vero divulsi ab invicem; et domus ipsa ita concidit, ut nemini esset habitabilis, prout scriptum est: Fiat habitatio eorum deserta, et non sit qui habitet in tabernaculis eorum.

40 idololatrarum contubernium

dissipandum prædicit

F

ANNOTATA D. P.

a Acœmetæ *quasi* non dormientes *propter institutum perpetuæ psalmodiæ, quod deinde imitati in Occidente Agaunenses Monachi, San Dionysiani et alii, divisis in tres turmis Fratribus mutuoque succedentibus: quod vulgo dicitur* laus perpetua. *Vide de istis prolixe tractantem Henschenium ad* 15 *Januarii, occasione S. Joannis Calybitæ in ipsorum monasterio aliquamdiu versati, cujus etiam Vitæ præmittitur Vita hujus S.* Alexandri, *necdum reperto illius Natali: quæ poterit in supplemento Januarii multum illustrari ex hac Vita S. Hypatii, quoad ea quæ urbe pulsis Chalcedone acciderunt, alibi non tam distincte relata: putat autem Henschenius eadem contigisse tempore Nestorii ante Concilium Ephesinum, sub annum* 430.

CAPUT IX.

Maleficia sublata, salubria monita discipulis data a S. Hypatio

Ἄλλο τε πάλιν, κανδιδατηρία τις, τοὔνομα Εὐφημία, ὑπὸ δαίμονος δεινοῦ ὠδύνατο, καὶ ἀποστέλλει πρὸς τὸν

Cubicularia quædam, Euphemia nuncupata, torquebatur a sævo dæmone, quæ ad Hypatium mittens

Ex MS. Vatic.

Energumena liberata ipse sanctus cæditur a dæmonibus

tens, rogavit eum venire et super ipsam orare, quia periclitabatur: multumque precata, meruit solatium, quia erat bona Christiana: veniens enim Hypatius pro ea oravit, quæ continuo cibum sumpsit: et ipse in monasterium rediens, perrexit pro ea deprecari Dominum: quod ferre non valentes dæmones, apparuerunt ei, dixeruntque, quare nos cogis ab ipsa recedere? si nos inde ejeceris ipsum te tribulabimus: quod et fecerunt: ipsa enim sanata, illum sic afflixerunt, ut inde per dies viginti ægrotaverit: sed sanato rursus ipso, Deus denique illos cohibuit.

Ab his vexatum et sibi adductum

66 Comes quidem Elpidius, Imperatoris architectus, gravem a dæmone totius corporis patiebatur cruciatum, quo attritus erumpebat in clamores. Hic audita fama Hypatii, venit ad eum in lectica cum pueris suis: mox vero ut ille facta oratione, lecticæ assedit, manumque loco doloris imposuit, levius habere cœpit infirmus; sed hunc abire non permisit Sanctus, quia statim ut illud tentabat, recrudescebat malum, cogebaturque clamare, et dicebat insultabundus Dæmon: Numerum excedunt divitiæ meæ. Et intra paucos dies, quibus istic mansit, advenerunt operarii pauperes conquerentes de injuriis sibi ab Elpidio illatis, et quod per avaritiam opes suas acquisierat. Quod intelligens Hypatius dixit Elpidio: Manifestatum mihi est moriturum te: Deus enim castigavit te propter multam injustitiam. Vade igitur, dispone domui tuæ; et si quid injuste rapuisti, redde ut indulgentiam obtineat anima tua. Tali accepto responso, mœstus abiit homo; cui volenti restitutionem facere, medici, ex eorum suggestione qui bonis inhiabant, dixerunt: Non morieris. Ast ille intra tres dies ad extrema redactus exclamavit; Ubi nunc es Abba Hypati? itaque spiritum reddidit. Omnes itaque glorificabant Deum; quia quidquid Sanctus loquebatur, statim effectui mancipabatur.

jubet restitui res ablatas mox moriturum, sed frustra

67 Antiochus quidam, carus Magistratibus, per invidiam maleficio tactus, tantopere affligebatur a dæmone, ut omnes eum videntes compassione moverentur. Quem cum curationis causa ducentes per oratoria varia tandem adduxissent S. Hypatio, tam molestus erat Dæmon, ut nec unam quidem horam per dies quinquaginta sineret miserum dormire; sed jugiter vociferaretur: postquam tamen integrum annum ibi mansisset, curavit eum Dominus, qui demum Deo gratias agens, procidit ad pedes Hypatii, precatusque est ut semper pro se oraret. Porro cum esset alterius religionis, conversus ad fidem orthodoxam, factus est Monachus, tantoque ad studium virtutis ferebatur zelo, exercitationem ejus suscipiente Deo, ut germanus Hypatii discipulus apparuerit: promovebat enim illum Deus per preces Sanctorum, ut impleretur Scriptura quæ dicit, Hæc mutatio dexteræ excelsi.

Nobilem alterum maleficio liberat,

et in discipulum suscipit

Psal. 76, 11

68 Quidam appellatus Dionysius adeo vehementer a dæmone vexabatur, ut totum ejus corpus, ab intimo corde motum, subsiliret, et omnibus membris tremeret; venientem autem ad famulum Dei intra paucos dies sanavit Dominus, qui confestim mundo renuntians, dedit se in disciplinam Sancti. Similiter alius, opificio latomus, captus conversatione Sancti, eamque desiderans imitari, promisit Monachus fieri: sed cum abiens rem differret, mentemque mutasset, castigavit eum Dominus in oculis suis tam graviter, ut denique excæcaretur. Quare rediens excusavit se dicens: Peccavi promittens Deo et non præstans: nunc ora ut curer, nec amplius resiliam a proposito. Oravit ergo pro eo Sanctus, et ille sanitatem recuperavit: sed cum iterum fidem datam fefellisset, post paucos dies latomiæ ruina sic obrutus est, ut ne ossa quidem inventa sint; quemadmodum scriptum est: Laqueus viro est, rerum sua-

Item toto corpore tremulum,

alium item, qui bis defecit a proposito

misere perit.

Ἅγιον παρακαλοῦσα, ἵνα εὐχὴν ποιήσῃ ὅτι ἐκινδύνευεν. Πολλὰ οὖν παρακαλέσασα, παρεγένετο, ὅτι ἦν πάνυ χριστιανή· καὶ ἀπελθὼν ἐποίησεν εὐχήν, καὶ εὐθέως μετέλαβεν τροφῆς. Καὶ ἐλθὼν ἐν τῷ μοναστηρίῳ ηὔχετο περὶ αὐτῆς τὸν Χριστὸν παρακαλῶν. Οἱ οὖν δαίμονες στενούμενοι, ἐμφανίζουσιν τῷ Ὑπατίῳ λέγοντες· Τί ἡμᾶς ἐκβιάζεις ἀναχωρῆσαι ἀπ' αὐτῆς; ἐὰν ἐκβάλῃς ἡμᾶς, ἐλθόντες σὲ ἔχομεν θλίβειν. Ὃ καὶ ἐποίησαν· ἐκείνης γὰρ ὑγιανάσης, τοσοῦτον ἔθλιψαν τὸν Ἅγιον, ὥστε ἕως ἡμερῶν εἴκοσι ἀρρωστῆσαι, καὶ ὑγιοῦς αὐτοῦ γενομένου, εἰς τέλος ὁ Κύριος κατήργησεν αὐτούς.

66 Ἄλλος τις Κόμης, τοὔνομα Ἐλπίδιος, ἀρχιτέκτων τοῦ Βασιλέως, δεινῶς καὶ οὗτος ὑπὸ δαίμονος τὸ σῶμα ὠδυνᾶτο, καὶ πόνοις δεινοῖς τρυχόμενος, βοὰς ἀνέπεμπεν. Ἀκούσας δὲ περὶ τοῦ Ἁγίου, ἔρχεται πρὸς αὐτὸν μετὰ κλίνης καὶ παίδων. Ἅμα οὖν ἐποίει ὁ ἅγιος Ὑπάτιος εὐχὴν ὑπὲρ αὐτοῦ, καὶ καθίσας ἐν τῇ κλίνῃ, ἐπετίθει τὴν χεῖρα ὅπου ἐπόνει, ἀνεκτότερον αὐτῷ ἐγίνετο· αὐτὸς δὲ οὐκ εἴα αὐτὸν ἀναχωρῆσαι, ἅμα γὰρ τοῦ ἀναχωρεῖν, εὐθὺς οἱ πόνοι ὠδύνων αὐτόν, καὶ ἐβόα λέγων, ἔλεγεν δὲ καυχώμενος· Ὅτι οὐχ ὑπερβάλλεται ἀριθμῷ τὰ χρήματά μου. Μείναντος δὲ αὐτοῦ ἡμέρας ὀλίγας, ἤρξαντο ἔρχεσθαι, καὶ πένητες ἐργάται, καὶ προσεκλαίοντο τῷ Ἁγίῳ λέγοντες, ὅτι ἠδίκησεν ἡμᾶς ὁ Ἐλπίδιος, καὶ ὅτι ἀπὸ πλεονεξιῶν ἔχει τὰ χρήματα. Γνοὺς δὲ ταῦτα ὁ Ἅγιος, λέγει τῷ Ἐλπιδίῳ· Ἐδηλώθη μοι ὅτι ἀποθνήσκεις, ὁ γὰρ Θεός σε ἐπαίδευσεν, διότι πολλοὺς ἠδίκησας· ἄπελθε οὖν καὶ διάταξαι περὶ τοῦ οἴκου σου, καὶ εἴ τι ἥρπασας, ἀπόδος· ἵνα ἄφεσιν λάβῃ ἡ ψυχή σου. Ὁ δὲ ἀκούσας τὴν ἀπόκρισιν, περίλυπος ἀπῄει. Βουλομένου δὲ αὐτοῦ διατάξασθαι, οἱ ἰατροὶ καὶ ὑποβάλλοντες τῶν βουλομένων κληρονομῆσαι αὐτοῦ τὰ χρήματα, ἔλεγον αὐτῷ ὅτι οὐκ ἀποθνήσκεις. Καὶ ἔσω τριῶν ἡμερῶν ὑστερούμενος ἔκραζεν, Ποῦ εἶ Ἀββᾶ Ὑπάτιε, καὶ ταῦτα λέγων, ἀπέδωκεν τὸ πνεῦμα αὐτοῦ. Ἐδόξαζον δὲ πάντες τὸν Θεόν, ὅτι εἴ τι ἐλάλει ὁ Ἅγιος εὐθὺς ἐγίνετο.

67 Ἄλλος τις τοὔνομα Ἀντίοχος ἀγαπώμενος ὑπὸ τῶν Ἰλλουστρίων, περιεργασθεὶς ὑπό τινος διὰ φθόνον, τοσοῦτον κατείχετο ὑπὸ τοῦ δαίμονος, ὥστε πάντας τοὺς ὁρῶντας συμπαθεῖν αὐτῷ, ὃν ἀπάγοντες καὶ ἐν ἄλλοις μαρτυρίοις λόγῳ θεραπείας, ἔπειτα ἤγαγον αὐτὸν πρὸς τὸν Ὑπάτιον, καὶ τοσοῦτον ἦν δεινὸς ὁ δαίμων, ὥστε ἕως πεντήκοντα ἡμερῶν μὴ δυνασθῆναι καθ' ὅλως ὑπνῶσαι ἀπὸ τοῦ βοᾶν αὐτόν. Παραμείναντα δὲ αὐτὸν ἐκεῖσε ἐνιαυτόν, ὁ Κύριος ἰάσατο αὐτόν· καὶ λοιπὸν εὐχαριστεῖ τῷ Θεῷ, προσκυνῶν καὶ δεόμενος τοῦ Ὑπατίου, ἵνα εὔχηται ὑπὲρ αὐτοῦ. Ἦν δὲ καὶ αὐτὸς ἑτεροδοξίας, καὶ γενόμενος τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, εὐθέως ἀπετάξατο· καὶ τοσοῦτον ἐπέδωκεν τὴν ἀρετήν, τοῦ Θεοῦ προάγοντος τὴν ἄσκησιν ἐν αὐτῷ, ὡς αὐτὸν γενέσθαι γνήσιον μαθητὴν Ὑπατίου, ἦγε γὰρ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν τελείως ἐν ταῖς εὐχαῖς τῶν Ἁγίων, ὡς πληρωθῆναι τὴν γραφὴν λέγουσαν, Αὕτη ἡ ἀλλοίωσις τῆς δεξιᾶς τοῦ Ὑψίστου.

68 Ἄλλος τις ὀνόματι Διονύσιος, τοσοῦτον ἐπιέσθη ὑπὸ τοῦ δαίμονος, ὡς τὸ σῶμα ἀπὸ τῆς καρδίας κινούμενον πάλλεσθαι ὅλον, καὶ ὥσπερ σύντρομος ἐγίνετο. Καὶ ἀπελθόντα πρὸς τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ, ἐν ὀλίγαις ἡμέραις ὁ Κύριος ἰάσατο αὐτόν, καὶ εὐθέως καὶ οὗτος ἀπετάξατο τῷ κόσμῳ, καὶ ἐγένετο δοῦλος τοῦ Θεοῦ, καὶ μαθητὴς γνήσιος τοῦ Ἁγίου. Ἄλλος τις, λατόμος τὴν τέχνην, ἐρασθεὶς τὴν πολιτείαν τοῦ Ἁγίου, καὶ ποθήσας αὐτήν, λόγον δίδωσιν τῷ Ἀββᾷ τοῦ ἀποτάξασθαι· ἀπελθόντος δὲ καὶ χρονίσαντος, ἐτράπη ἡ διάνοια αὐτοῦ. Καὶ παιδεύει αὐτὸν ὁ Θεὸς εἰς τοὺς ὀφθαλμούς, καὶ δεινῶς ἐπαιδεύετο, καὶ ἔρχεται ἀπολογούμενος καὶ λέγων· Ἡμάρτηκα, καὶ συνταξάμενος τῷ Θεῷ καὶ ἀθετήσας· νῦν οὖν εὖξαι ἵνα θεραπευθῶ, καὶ οὐ μὴ ἀθετήσω. Εὐξαμένου δὲ τοῦ Ὑπατίου, ὁ Κύριος ἰάσατο αὐτόν, καὶ ἀπελθὼν πάλιν ἠθέτησεν τὸν λόγον, καὶ μεθ' ἡμέρας ὀλίγας εἰς τὸ λατομεῖον κατειλήφθη καὶ ἀπέθανεν, ὡς μὴ φανῆναι αὐτοῦ

μήτε

μήτε τὰ ὀστᾶ, καθὼς γέγραπται· Παγὶς ἀνδρὶ, ταχύ τι τῶν ἰδίων ἁγιάσαι, καὶ ἁγιάσαντα μὴ ἀποδοῦναι· οὐ γὰρ ἀνάγκην ἡμῖν ποιεῖ ὁ Θεὸς τοῦ συντάξασθαι· ὑπὲρ γὰρ τοῦ δοῦναι ἤγουν μετὰ τὴν συνταγὴν ἐὰν ἀθετήσωμεν, ἀγανακτεῖ καθ' ἡμῶν. Εὔξασθε γάρ φησιν, καὶ ἀπόδοτε Κυρίῳ τῷ Θεῷ ἡμῶν.

69 Ἄλλος τις Πολυχρόνιος ὀνόματι, ἕλκος ἐν τῷ δεξιῷ ποδὶ εἶχεν δεινὸν, ὅπερ ἐποίησεν πόρον ἐν τῇ σαρκὶ τὸ ὀστοῦν, ὡς μὴ εὑρίσκεσθαι ἀρχὴν ἢ τέλος τοῦ ἕλκους, μήτε πῶς αὐτοῦ ἐπιμεληθῆναι. Δυσκολοῦντος οὖν εἰς τὴν θεραπείαν, ἐδέετο τοῦ ἁγίου Ὑπατίου, ὑποσχόμενος ἀποτάξασθαι· Ὁ δὲ Ἀββᾶς πρὸς αὐτὸν εἶπεν· Εὐχόμεθα τῷ Θεῷ ὅπως ὑγιάνῃς, καὶ ἐν τούτῳ γνωσόμεθα ὅτι ὁ Θεὸς καλεῖ σε εἰς τὸ δουλεῦσαι αὐτῷ, ἐάν σε ἰάσηται. Καὶ ἅπαξ ἁπλῶς ὡς ἰατρὸς ἦν παρὰ τοῦ Θεοῦ δοθεὶς τῇ χώρᾳ ταύτῃ κατὰ τὸν Ἰὼβ, Ποὺς χωλῶν ἦν, καὶ ὀφθαλμὸς τυφλῶν, καὶ ἀδυνάτων βακτηρία, καὶ δεομένων παραμυθία, κατὰ τὸν λέγοντα· Δὸς πεινῶντι τὸν ἄρτον σου ἐκ ψυχῆς σου, καὶ πτωχὸν ἄστεγον εἰσάγαγε εἰς τὸν οἶκόν σου, καὶ ἀνατελεῖ πρώϊμον τὸ φῶς σου. Τυφλὸν δὲ ὅταν ἀκούσῃς, μὴ νομίσῃς ὅτι ὥσπερ τὸν ἐκ γεννητῆς τυφλόν· τοῦτο γὰρ μόνῳ τῷ Κυρίῳ δυνατόν. Αὐτὸς δὲ καὶ περὶ τῶν σεληνιαζομένων, ὅτι οὐδενὶ δυνατὸν θεραπεύειν αὐτοὺς, εἰ μὴ μόνῳ τῷ Κυρίῳ τῷ ἐπὶ πάντας φιλανθρωπευομένῳ διὰ τῶν εὐχῶν τῶν Ἁγίων, καθὼς ἐν τῷ εὐαγγελίῳ εἶπεν, ὅτι προσηνέχθη τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἰάθη, ὁ δὲ Κύριος ἰάσατο αὐτόν.

79 Ποτὲ δὲ γέγονεν αὐτὸν ἀπελθεῖν εἰς ἐπίσκεψιν Ἀδελφῶν εἰς τὴν ἔσω χώραν τῶν Βιθυνῶν, ὅπου καὶ ὁ Ῥέβας ἐστὶν ποταμὸς, καὶ ἦν ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, ὅπερ λέγουσιν ὁ Κάλαθος τῆς μυσαρᾶς Ἀρτέμιδος, ὅπερ κατ' ἐνιαυτὸν ἡ χώρα φυλάττουσα, οὐκ ἐξήρχοντο εἰς μακρὰν ὁδὸν, ἡμέρας πεντήκοντα· Αὐτοῦ δὲ βουλομένου ὁδεύειν, ἔλεγον αὐτῷ οἱ ἐντόπιοι, Ποῦ ἀπέρχῃ ἄνθρωπε; ὁ δαίμων σοι ἔχει ἀπαντῆσαι ἐν τῇ ὁδῷ, μὴ ὁδεύσῃς, πολλοὶ γὰρ ἐπειράσθησαν. Ὁ δὲ Ὑπάτιος ἀκούσας ταῦτα, ἐμειδίασε λέγων· Ὑμεῖς ταῦτα φοβεῖσθε, ἐγὼ δὲ ἔχω τὸν συνοδεύοντά μοι Χριστόν. Ἐν τῷ οὖν ὁδεύειν αὐτὸν θαρσαλέως ἦν· δίκαιος γὰρ ὡς λέων πέποιθεν. Ἀπήντησε δὲ αὐτῷ γυνὴ, μακρὰ ὡς δέκα ἀνδρῶν τὸ μῆκος, νήθουσά τε περιεπάτει, καὶ χοίρους ἔβοσκεν· ὡς οὖν εἶδεν αὐτὴν, εὐθέως ἑαυτὸν ἐσφράγισεν, καὶ ἔστη εὐχόμενος τῷ Θεῷ, καὶ εὐθὺς ἐκείνη ἄφαντος ἐγένετο, καὶ οἱ χοῖροι μεγάλῳ ῥοιζῷ ἔφυγον.

71 Ἄλλοτε, ἐπὶ τὸ ὄρος τοῦ Ὀλύμπου μετὰ καὶ ἄλλων Ἀδελφῶν διερχόμενος ἐν καιρῷ μετοπωρινῷ, αἰφνίδιον ἔστη, ταραχὴ γὰρ τοῦ νέφους καὶ νέφος γνοφῶδες περιεσκέπασεν αὐτοὺς ἐν τῷ ὄρει· καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἔλεγον αὐτῷ· Κύριε εὖξαι μὴ χάλαζα ἐπέλθῃ ἐφ' ἡμᾶς. Ὁ δὲ Ὑπάτιος εὐθὺς ἐν τῷ τόπῳ τὰς χεῖρας διαπετάσας, ηὔχετο πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ γέγονεν ὑετὸς ὄμβρου σφοδρότατος μικροῦ δεῖν χαλάζης, ὁδευσάντων αὐτῶν δύο ἢ τρία σημεῖα, οὐδὲ τὰ ὑποδήματα αὐτῶν ὅλως ἐβράχη. Φθασάντων δὲ ἐν ᾧ ἀπήρχοντο μοναστηρίῳ, οἱ ἐκεῖσε Ἀδελφοὶ ἐθαύμαζον, ὅτι οὐκ ἦν ὕδωρ ὅλως ἐν τοῖς ἱματίοις αὐτῶν. Μηδεὶς οὖν ἀπιστείτω, εἰ ὁ Θεὸς διὰ τοῦ δούλου αὐτοῦ ταῦτα ἐποίησεν τὰ θαυμάσια· φθάσας γὰρ εἶπεν ὁ Κύριος, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν ἔχητε πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως, καὶ εἴπητε τῷ ὄρει τούτῳ, Ἄρθητι, καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν, γενήσεται. Καὶ, Ὃ ἐὰν αἰτήσησθε τὸν Πατέρα μου ἐν τῷ ὀνόματί μου, δώσει ὑμῖν, πάντα γὰρ δυνατὰ τῷ πιστεύοντι. Καὶ, πᾶν ὃ ἐὰν αἰτήσησθε τὸν Πατέρα μου ἐν τῇ προσευχῇ πιστεύοντες, λήψεσθε. Ὁ δὲ ἅγιος Ἀπόστολος φθάσας ἡρμήνευσεν τὴν ἀδιάκριτον πίστιν, εἰπὼν, Πίστις ἐλπιζομένων ἐστὶν ὑπόστασις πραγμάτων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Ἰδοὺ γὰρ, κατενώπιον Θεοῦ ἐν Χριστῷ λαλοῦμεν, ὅτι οὐδὲν προσκεχαρίσμεθα τῷ δούλῳ τοῦ Θεοῦ Ὑπατίῳ· ἀλλὰ τὰ κεφαλαιωδέστερα ἀπομνημονεύσαντες ἐσημάναμεν τοῖς ποθοῦσιν δουλεύειν Θεῷ· οὐδ' αὖ πάλιν φαμὲν τὸν Ὑπάτιον κελεύοντα ἰᾶσθαι ἢ ἐπιτάττοντα τοῖς δαίμοσιν, ἀλλὰ τὸν Χριστὸν παρακαλοῦντα, καὶ εὐαρεστοῦντα ἐνώπιον αὐτοῦ· πάντα γὰρ ὅσα ἂν ποιῇ ὁ Δίκαιος, κατευοδωθήσεται· Εὐμενῆ γὰρ

rum aliquid cito sanctificare et sanctificantem non reddere : neque enim cogit nos Deus promittere : sin autem promissa non præstemus, indignatur nobis propter infidelitatem : Vovete, inquiens, et reddite Domino Deo vestro.

D

A. CALLINICO.

Psal. 75, 12.

69 Polychronius quidam in pede dextro ulcus patiebatur, quod in ejus carne fistulam fecerat usque ad os, ita ut nec initium nec finis ejus inveniretur, nec qua ratione curari posset. Desperans ergo medicinam, supplicabat S. Hypatio, promittebatque mundo renuntiare. Cui Hypatius : Oramus, inquit, ut saneris, et in hoc cognoscemus utrum Deus te elegerit ad serviendum sibi : *a* erat enim regioni isti datus a Deo tamquam medicus instar Jobi qui dicit : Pes eram claudo, et oculus cæco, et baculus imbecilli, atque solatium indigentium, juxta eum qui dicit : Da esurienti panem ex corde tuo et pauperem sine tecto induc in Domum tuam ; et orietur mane lumen tuum *b*. Cum autem cæcum audiveris noli arbitrari quod fuerit talis a nativitate : ejusmodi enim curare ipsius Dei est. Idem dixerim de lunaticis *c* quos præter Dominum curare nemo potest, omnibus miserentem propter preces Sanctorum, sicut in Evangelio scriptum est, quod adductus ad ejus discipulos sit unus, quem hi curare non potuerunt : Dominus autem eum sanavit.

Curat pedem exulceratum.

a

Job. 29, 15.

Isa. 58, 7.

b

c

Matth. 17, 14.

E

70 Cum quadam vice exivisset Hypatius visitare Fratres per interiores partes Bithyniæ, quas fluvius Rhibas *d* alluit, agebatur in illa regione festum execrandæ Dianæ, quod Kalathi *e* appellant, quod ipsa annue sic observat, ut nemo tunc audeat per dies quinquaginta longinquum iter suscipere. Volente ergo illo proficisci, dicebant incolæ ; Quo vadis o homo? dæmon tibi in via occurret ; cave ne iveris : multi enim hoc experti sunt. Quibus subridens Hypatius, Vos, inquit, ista timete : ego vero comitem habeo Dominum : ita profectus animos sibi addi sensit, Justus enim ut leo confidit. Occurrit autem ei mulier, longa tamquam viri decem, quæ nens ambulabat et porcos pascebat : quam cum vidisset ille, signavit se, et continuo ipsa evanuit : porci vero cum magno grunnitu sunt dispersi in fugam.

Contemnit superstitionem timentium in festis Dianæ iter facere.

d

e

71 Alia vice profectus cum fratribus quibusdam in montem Olympum *f* tempore autumnali de repente substitit : gravis enim tempestas et obscura nubes obtenebravit eos ipso in monte. comites autem ei dixerunt, Domine ora, ne grando comprehendat nos. Hypatius vero extendens manus suas, oravit ad Dominum, et procedentibus ipsis, factus est vehementissimus imber similis grandini per tria milliaria, nec tamen eorum calcei vel modicum madefacti fuerunt. Cumque pervenissent ad monasterium, quo tendebant ; Fratres ibi exstantes mirati sunt, quod in ipsorum vestibus ne gutta quidem aquæ appareret. Sed nemo miretur quod Dominus in Sanctis suis talia operetur miracula. dixit enim Dominus. Si habueritis fidem tamquam granum sinapis, dicetis monti huic tollere et mittere in mare, et fiet : et, Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis : omnia enim possibilia sunt credenti, et Quidquid orantes petieritis Patrem cum fiducia, accipietis. Apostolus vero definivit sinceram fidem, dicens : Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Ecce enim coram Deo in Christo loquimur, quia nihil per adulationem affingimus servo Dei Hypatio : sed principaliora tantum commemorantes, ea indicamus desiderantibus Deo servire. Iterum autem non dicimus Hypatium imperio suo sanitates operatum, aut dæmonia expulisse, sed Christum invocando et bene agendo in ejus conspectu : quidquid enim faciet at Justus,

f

Ab imbre intactus iter agit cum suis,

F

Luc. 17, 6.

Hebr. 11, 1.

C

EX MS. VATIC.

Justus, dirigebat in Deum, benignum habens Dominum, quia illum amabat, et ferventi corde implebat ejus præcepta : ideo enim Christus per ipsum operabatur, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

easque instruit

ad spirituale certamen,

2 Cor. 11, 23

72 Et hoc est quod semper nos docebat Pater ; Filioli non est res parva Christianismus : studete bonum certamen certare : modicum laborate, ut multam requiem consequamini : apprehendite vitam æternam : currite ad bravium supernæ vocationis : discite bene facere : confortamini in Domino et corroboramini ; quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra malos dæmones et carnis passiones. Quapropter accipientes arma fidei et succincti lumbos vestros in veritate, et calceati pedes in præparationem Evangelii pacis, assumentes scutum fidei, et galeam salutis suscipite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei per omnem orationem et supplicationes. Hæc igitur arma sumentes propter ineffabilem justitiæ mercedem, boni milites Christi appareamus, et fortiter præliemur contra insidias diaboli, et resistamus usque ad sanguinem contra peccatum : consummata enim [virtus] est, sensus exercitatos habere ad discretionem boni et mali, juxta eum qui dicit, In laboribus abundantius, in vigiliis, in jejuniis, in frigore et nuditate, in plagis, in carceribus, in instabilitate.

et jubet adhærere optimis,

Matth. 7, 20.

g

eosque imitatari,

1 Cor. 7, 7

73 Si autem quis in apparentia sermonis Christo philosophatur, ejusmodi ne suscipiatis : non enim in verbis, sed in virtute est regnum Dei : neque in specie ovium ; sed uti Christus ait, ex fructibus eorum cognoscetis eos. Siquis vero inveniatur ex animo faciens Dei mandata, et opera ejus consonent bonis sermonibus, semperque habens cor contritum die ac nocte se perficiat ; talia qui agit, hic in veritate persistit ; ipsique adhærete et veluti patrem, magistrum, fratrem, et genuinum membrum fidei, fidumque amicum et germanum unanimem nobis assumamus ; quemadmodum dicitur g : Sta in medio seniorum, et si quis intelligens est, ei adhære ; et si videris intelligentem, mane vigila ad eum : qui enim conjungitur Sanctis, sanctificabitur : et cum iracundo ne habites, ne quando materis eum et laqueum animæ tuæ accipias : corrumpunt enim bonos mores colloquia prava : si vero adhæres bono, etiam adhærebis intelligenti ; quia vir bonus ex bono thesauro cordis sui profert bonum, et semper bona tibi suadebit : suadebit enim ut eadem quæ ipse facias, atque Deo accedere juxta dicentem ; Volo omnes vos esse sicut et ego : sed unusquisque donum proprium habet a Deo. Volebat enim Hypatius ut discipuli sui tales essent quales convenit adstare coram Deo, et taliter ministrare ei sicut ipse : nam in corde perfecto corripiebat filios suos, qui valde eum reverebantur, et cum tremore obediebant illi, atque honorabant velut Patrem spiritualem. Continuo namque docebat eos dicens ; Filioli, non pigritemur in hoc brevi seculo : exiguus enim hic est labor et magna promissa : festinemus per exigui temporis molestias ingredi in regnum cœlorum et adscribi in civitate hæreditatis Sanctorum. Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.

ac vigilare in tentationibus,

74 Dum adhuc tempus habemus, attendamus nobis, et perseveremus placentes Domino, ut non contingat nobis pœnitere et plangere, quando non erit locus pœnitentiæ vel alicujus boni faciendi ; quia socordia hujus mundi et sollicitudines distrahunt mentem nostram, ne vigilantes perfecte inhæreamus Deo, nosque custodiamus ab omni malo : impossibile enim est indiscrete agentem, et ventris inglu-

εἶχεν τὸν Κύριον διὰ τὸ ἀγαπᾷν αὐτόν, καὶ πόθῳ πυρώδει ποιεῖν τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, διὸ καὶ κατηργάσατο ὁ Χριστὸς ταῦτα ἐν αὐτῷ. τοῖς γὰρ ἀγαπῶσι τὸν Χριστόν, πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν.

72 Διὸ καὶ ἐδίδασκεν ἀεὶ ὡς πατὴρ λέγων· Τεκνία, οὐ μικρόν ἐστι τὸ ἔργον χριστιανισμός, σπουδάσατε, ἀγωνίσασθε τὸν καλὸν ἀγῶνα, κάμετε ὀλίγον, ἵνα πολλὴν ἀνάπαυσιν εὕρητε· ἐπιλάβεσθε τῆς αἰωνίου ζωῆς· δράμετε ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως· μάθετε καλὸν ποιεῖν· ἐνδυναμοῦσθε ἐν Κυρίῳ καὶ ἐνδυναμοῦσθε κραταιῶς, ὅτι οὐκ ἔστιν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τοὺς πονηροὺς δαίμονας, καὶ πρὸς τὰ πάθη τῆς σαρκός· διὸ καὶ ἀναλαβόντες τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ περιζωσάμενοι τὴν ὀσφὺν ὑμῶν ἐν ἀληθείᾳ, καὶ ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης, ἀναλαβόντες καὶ τὸν θυρεὸν τῆς πίστεως, καὶ τὴν περικεφαλαίαν τοῦ σωτηρίου δέξασθε, καὶ τὴν μάχαιραν τοῦ πνεύματος, ὅ ἐστιν ῥῆμα Θεοῦ διὰ πάσης προσευχῆς καὶ δεήσεως. Ταῦτα οὖν τὰ ὅπλα ἐνδυσάμενοι διὰ τὸν ἄφραστον τῆς δικαιοσύνης μισθόν, εὐάρεστοι στρατιῶται τοῦ Χριστοῦ ἀναδειχθῶμεν, καὶ κραταιῶς πολεμήσωμεν πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου, καὶ ἀντιστῶμεν μέχρις αἵματος πρὸς τὴν ἁμαρτίαν· [τελεία γὰρ ἀρετή] ἐστιν, τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἔχειν πρὸς διάκρισιν καλοῦ καὶ κακοῦ, κατὰ τὸν λέγοντα· Ἐν κόποις περισσοτέρως, ἐν ἀγρυπνίαις, ἐν νηστείαις, ἐν ψύχει καὶ γυμνότητι, ἐν πληγαῖς, ἐν φυλακαῖς, ἐν ἀκαταστασίαις.

73 Εἰ δέ τις σχήματι, ἢ λόγοις τὸν Χριστὸν φιλοσοφεῖ, μὴ προσέχετε αὐτῷ· οὐ γὰρ ἐν λόγῳ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, ἀλλ' ἐν δυνάμει· οὐδὲ ἐν σχήματι προβάτων, ἀλλὰ καθὼς εἶπεν ὁ Ἰησοῦς, Ἐκ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς. Εἴ τις εὑρεθῇ πόθῳ τὰς ἐντολὰς τοῦ Χριστοῦ ἐργαζόμενος, καὶ τὰ ἔργα αὐτοῦ συμφωνεῖ τοῖς ἀγαθοῖς αὐτοῦ λόγοις, πάντοτε ἔχων καρδίαν συντετριμμένην, καταρτίζει ἑαυτὸν νυκτὸς καὶ ἡμέρας· καὶ ὁ τοιαῦτα ποιῶν οὗτος ἐν ἀληθείᾳ στήκει, καὶ τῷ τοιούτῳ προσκολλήθητε, καὶ ὡς πατέρα καὶ διδάσκαλον, καὶ ἀδελφόν, καὶ μέλος οἰκεῖον τῆς πίστεως, καὶ φίλον πιστόν, καὶ γνήσιον ὁμόψυχον ἑαυτοῖς προσλαμβανώμεθα, κατὰ τὸν λέγοντα· Στῆθι ἐν μέσῳ πρεσβυτέρων καὶ εἴ τίς συνετός, αὐτῷ προσκολλήθητι· καὶ ἐὰν ἴδῃς συνετόν, ὄρθριζε πρὸς αὐτόν· ὁ γὰρ κολλώμενος ἁγίοις ἁγιασθήσεται. Καὶ πάλιν, Μετὰ ἀνδρὸς θυμώδους μὴ συναυλίζου, μήποτε μάθῃς τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ, καὶ λάβῃς βρόχους τῇ ψυχῇ σου. φθείρουσι γὰρ ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί· ἐὰν δὲ προσκολληθῇς τῷ ἀγαθῷ, καὶ συνετῷ προσκολλοῦ· ὁ γὰρ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας προσφέρει τὸ ἀγαθόν, καὶ πάντοτε τὰ ἀγαθὰ συμβουλεύει σοι· συμβουλεύει γὰρ ἴσον ἑαυτοῦ ποιῆσαι, καὶ προσαγαγεῖν τῷ Θεῷ, κατὰ τὸν λέγοντα. Θέλω πάντας εἶναι ὡς κἀγώ· ἀλλ' ἕκαστος ἴδιον χάρισμα ἔχει ἐκ Θεοῦ· Ἐβούλετο γὰρ καὶ αὐτὸς ὁ Ὑπάτιος τοὺς ἰδίους μαθητάς, τοιούτους εἶναι, οἵους δεῖ παρεστάναι Θεῷ, καὶ δουλεύειν ὥσπερ καὶ αὐτός· ἐν τελείᾳ γὰρ καρδίᾳ ἐπαίδευεν τὰ ἴδια τέκνα, καὶ γὰρ σφόδρα ἐνετρέποντο αὐτὸν καὶ μετὰ φόβου ὑπήκουον αὐτόν, καὶ μετὰ αἰδοῦς ἐτίμων ὡς πνευματικὸν Πατέρα· ἀεὶ γὰρ ἐδίδασκεν αὐτοὺς λέγων· Τεκνία, μὴ ἀκηδιάσωμεν εἰς τὸν βραχὺν τοῦτον αἰῶνα· ὀλίγος γάρ ἐστιν ὁ κάματος τῆς ἀρετῆς, καὶ μεγάλα τὰ ἐπαγγέλματα, σπουδάσωμεν διὰ βραχέων πόνων εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, καὶ ἐμπολιτογραφῆναι μερίδα τοῦ κλήρου τῶν Ἁγίων. Οὐκ εἰσὶ γὰρ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς.

74 Ὡς ἔτι καιρὸν ἔχομεν, προσέχωμεν ἑαυτοῖς, καὶ ὑπομείνωμεν εὐαρεστοῦντες τῷ Κυρίῳ, ἵνα μὴ μέλλωμεν μεταμελεῖσθαι καὶ κλαίειν, ὅτε οὐκ ἔνι μετανοῆσαι, ἢ ἀγαθόν τι ἐργάσασθαι· ἡ γὰρ ῥᾳθυμία τοῦ κόσμου τούτου καὶ αἱ μέριμναι περισπῶσιν τὴν διάνοιαν ἡμῶν, ἵνα μὴ ἀνανήψαντες προσέχωμεν τελείως τῷ Θεῷ, καὶ ἑαυτοὺς ἀσφαλισώμεθα ἀπὸ παντὸς κακοῦ· ἀδύνατον γὰρ τὸν ἐν ἀδιαφορίᾳ διάγοντα, καὶ κορεννύοντα γαστέρα ἑαυτοῦ,

τοῦτο

τοῦτο φωτισθῆναι τὸν φωτισμὸν τοῦ ἐνδοτάτου ἀνθρώπου, ἐν τῷ κρυπτῷ τῆς καρδίας ἐργαστηρίῳ. Ὁ γὰρ ἐπιγνοὺς τὸν κατὰ διάνοιαν πόλεμον ἀγωνίσασθαι κρατενῶς ἐν ἀσφαλείᾳ, σπεύδει καὶ ἑαυτῷ προσέχει, καὶ πάντα τὰ γήινα ἀποφεύγων, πρὸς Θεὸν τὴν διάνοιαν κολλήσει ἀποκρεμάμενος εἰς τὸν πόθον αὐτοῦ νηφούσῃ τῇ ψυχῇ νυκτὸς καὶ ἡμέρας, οὗτος ἄρξεται φωτίζεσθαι ὑπὸ τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ τὸν ἔσω ἄνθρωπον, καὶ ὁδηγεῖσθαι εἰς τὴν ὁδὸν τῆς σωτηρίας. Πολλὰ οὖν δεῖ θλιβῆναι ἐν πειρασμοῖς, καὶ οὕτως τὸν βαθμὸν τοῦτον καταλαβεῖν· εἰ δὲ καὶ μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν χάριν ἐπέλθωσιν αὐτῷ πειρασμοὶ καὶ θλίψεις, ὀφείλει ὑπομεῖναι εἰς τὸ ἀγαθὸν, διὰ παντὸς δεόμενος τοῦ Θεοῦ, καὶ μὴ ἀθυμήσαντα ἐν τῇ θλίψει σκυδιάσαι, ἀλλ᾽ ἐνέγκειν γενναίως καὶ ὑπομεῖναι· ἡ γὰρ ἀγάπη πάντα ὑπομένει, καὶ εὐθὺς πάλιν ἐπαναστρέφει ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ κατασκηνοῖ εἰς αὐτόν. Ἰδοὺ γὰρ, τεκνία, ἀναγκάζομαι λέγειν διὰ τὴν ὑμῶν ὠφέλειαν ὅπερ ὤφειλον κρύπτειν, ἵνα μὴ καυχησάμενος τι ζημιωθῶ, ἀλλ᾽ οἶδεν ὁ Δεσπότης Χριστὸς, ὅτι εἰς δόξαν τοῦ Θεοῦ λέγω καὶ ὑμῶν ὠφέλειαν· ἤδη γὰρ ἑξηκοστὸν ἔτος ἔχω ἐν τῷ μοναχικῷ βίῳ, οὔτε ὕπνου ἐκορέσθην, οὔτε ἄρτου, οὔτε ὕδατος, ἵνα δυνηθῶ γνήσιος καὶ πιστὸς δοῦλος γενέσθαι, ἵνα καταξιωθῶ ἀκοῦσαι παρὰ τοῦ Κυρίου μου· Εὖ δοῦλε ἀγαθὲ καὶ πιστὲ, ἐπὶ ὀλίγα ἧς πιστὸς, ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω, εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ Κυρίου σου. Ἀμὴν γὰρ οὐ λογίζομαι ἐμαυτὸν ὡς ἕνα τῶν ἐλαχίστων δούλων τοῦ Θεοῦ· ἐξότου γὰρ ἐνέπεσα εἰς τὰς φροντίδας τῶν Ἀδελφῶν, καὶ ἀναγκάζομαι διορθοῦσθαι ἕνα ἕκαστον, πάνυ ἐχερσώθη τὸ καθαρὸν τῆς διανοίας μου, ὃ εἶχον πρὸς τὸν Θεόν· ἤμην γὰρ ποτὲ ἀμέριμνος, καὶ ἐκτενῶς προσέχων τῷ Θεῷ καὶ ἐμαυτῷ, καὶ εἶχον μικρὰν τότε παρρησίαν. Ὡς οὖν ἔλεγεν ταῦτα ἐκ μέρους λυπούμενος, ἀπεκρίνατο αὐτῷ τις τῶν Ἀδελφῶν καὶ εἶπεν· Κύρι Ἀββᾶ, τότε ἑαυτὸν ἔσωζες διὰ τοῦ Θεοῦ, νῦν δὲ πολλοὺς, καὶ ἐκεῖ ἐζημιώθης, ἔνθα διπλᾶ συνασώζεις; ὁ γὰρ Κύριος Ἰησοῦς ἦλθεν, ἵνα τοὺς πάντας σώσῃ. Αὐτὸς δὲ ἀκούσας ἐν Κυρίῳ ἐχάρει.

viei servientem, lumine interioris hominis collustrari in occulta cordis sui officina : quia peritus belli spiritualis, diligenti cura sibi ipsi attendit, et terrena omnia effugiens, mentem suam affigit Deo, pendens ex illius amore, mente sobria, die ac nocte : hic incipiet per Dei gratiam illuminare hominem interiorem, et dirigere in viam salutis. Multa igitur oportet in tentationibus pati, atque ita ad culmen pervenire : si autem postquam gratiam acceperit quis, supervenіant ipsi tentationes et tribulationes, oportet perseverare in bono, Deum semper orando, neque per acediam in eo deficere, sed generose sustinere atque persistere ; quia charitas omnia sustinet : tum vero statim redit gratia, et in ipso habitat. Ecce, filii, cogor pro vestra utilitate dicere, quod oportet latere, ne gloriando damnum aliquod patiar (novit Christus quod hoc ad gloriam Dei moneo et vestram utilitatem) jam enim sexagesimum annum ago in vita solitaria, neque somnum unquam vel cibum aut potum sumpsi ad satietatem, ut possem verus ac fidelis servus effici, dignusque fiam audire : Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui : adhuc vero non me existimo esse vel minimo ex Dei famulis comparandum : ex quo enim incidi in curas Fratrum et unumquemque eorum cogor dirigere, valde inculta squalluit puritas mentis meæ, quam in rebus divinis habebam : eram enim tunc temporis sine solicitudine, totus intentus Deo et mihi, multaque in ipsum fiducia utebar. Hactenus ille ex parte afflictus. Respondit ei Fratrum quidam dicens, Domine Abba, tunc te ipsum salvabas, nunc vero multos ; et ibi damnum fecisse te ais, ubi in duplum lucratus es? Dominus enim Jesus venit ut omnes salvet. Quæ ille audiens in Domino lætatus est.

A. CALLINICO

ad suum exemplum.

ANNOTATA D. P.

a *De Polychronio quid factum infra num.* 80 *dicitur : videtur autem hic intercidisse illuminatio alicujus cæci, post quam primum apte cadit quod sequitur ex Jobo.*

b *Etiam hic sensui potius, quam textui Prophetæ insistit Auctor, prout hunc consulenti patebit.*

c *Etiam hic Græcus textus aliqua correctione vel suppletione indiget, quam alteri conjectori relinquo. Cæcos autem a nativitate et lunaticos curatos a Sanctis, Deo hanc ipsis gratiam conferente, toties in eorum Actis legimus, ut non appareat necessitas hujus tam operosæ exceptionis ; esto id ante Christum nemo fecisse legatur, quod solum forsitan hic auctor intendit ; cum ipse dixerit Joan :* 14, 12. Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet.

d Rhibas *qui et* Rhebas *et* Rhœsus, *ex Mysia per Bithyniam in Euxinum decurrit.*

e *Calatho isto fortasse offerebantur primitiæ frugum nomine totius regionis. Simile quid apud Athenienses Canephoria erant, in quibus puellæ nubiles offerebant in canistris puellarium suorum laborum munuscula : de quibus vide Petri Castellani Gerardimotensis Eortologium, sive de festis Græcorum syntagma. pag.* 178.

f Olympus, *mons, Mysiæ, Bithyniis proximæ, distat Chalcedone* 100 P. M.

g *In vulgata editione non invenitur hic et hunc se quens locus : facile fortassis inveniretur in græco* 70 *Interpretum, si hujus haberentur Concordantiæ quas vocant, uti habentur textuum latini et hebraici.*

CAPUT X.

Extrema vitæ acta, mors sancta, et quædam post secuta.

Ἄλλο τε, πολλῶν αὐτῷ ἐνοχλούντων, καὶ εἰς πολλὰ περισπώντων, εἰς ἀρρώστους, εἰς ἀποκρίσεις κελλαρίου, ἢ ὀστιαρίου, περὶ ξένων, περὶ πτωχῶν, περὶ Ἀδελφῶν· ὡς οὖν ὤχλουν αὐτῷ, παρεστηκώς τις Ἀδελφὸς λέγει αὐτῷ· Ἄρτι Κύρι τοῦτοι ὅλοι οὐ περισπῶσί σου τὸν νοῦν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ; Ὁ δὲ ἀπεκρίνατο λέγων· Πιστεύω εἰς τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ, κἂν εἰσὶν ἄλλοι τοσοῦτοι, ὁ νοῦς μου πρὸς τὸν Θεὸν νηφάλεος διαμένει. Ὅτε οὖν γέρων ἐγένετο, καὶ ἡ πολιὰ αὐτοῦ ὡσεὶ χιὼν ἐν ὅλῃ τῇ κεφαλῇ, καὶ τῷ πώγωνι· ἦν γὰρ καὶ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἀρχαῖον καὶ σεβάσμιον, ὡς ἀληθῶς Ἱερέως Θεοῦ καὶ Πατρός· ἐφιλοκάλησε

Cum multi S. Hypatium vexarent et distraherent pro ægris, pro responsis dandis cellario, ostiario, pro peregrinis, pro pauperibus, pro Fratribus ; videns eum turbari is qui adstabat Frater dixit ei, Eia Domine, omnes isti numquid abstrahunt mentem tuam a Deo? Cui ille respondit : Etiam si duplo plures essent, confido quod per Dei gratiam mens mea firma apud eum maneret. Cum autem senuisset, et toto capite ac barba incanuisset ut nix (unde species ipsius erat plena ædificationis et venerabilitatis, tamquam veri Patris

Ad sanctum jam enim

EX MS. VATIC.

tris et Sacerdotis Dominici) cœpit exiguam vineam colere ad solatium infirmorum. Tunc Asceta quidam alius, Zenon nuncupatus, venit, eique ad vineam eunti occurrens, Tune es, inquit, Abbas Hypatius? Cui ille: Sum etenim. Iste vero, Ad te missus sum, inquit, ut ossa mea per te sepeliantur. Erat autem ei species vilis, seipsum enim humilians abjecto erat schemate, ita ut rusticus videretur; suscepit tamen eum Hypatius, qui decem dies apud ipsum manens supra modum laborabat: vidensque Fratrem quemdam efferri ad sepulturam: Etiam, inquit, o Deus, me hic facito requiescere: et eadem die infirmatus obiit die sexta. Marsupium vero ejus aperientibus, inventæ sunt litteræ patentes, unde constabat Presbyterum fuisse, id quod nemini omnino confessus fuerat.

venit Zenon apud eum moriturus, et post obitum invenitur fuisse Presbyter.

δὲ ἄμπελον ὀλίγην, ἵνα οἱ ἄρρωστοι ἔχωσιν παραμυθίαν. Ἄλλος τις ἀσκητὴς ὀνόματι Ζήνων ἦλθεν πρὸς αὐτόν, καὶ ἀπαντήσας αὐτῷ ἐξιόντι ἐπὶ τὴν ἄμπελον, ἐν τῇ ὁδῷ λέγει αὐτῷ, Σὺ εἶ ὁ Κύριος Ὑπάτιος; ὁ δὲ λέγει αὐτῷ, Ναί· καὶ εἶπεν αὐτῷ, Πρὸς σὲ ἀπεστάλην ἵνα παρὰ σοὶ τὰ ὀστᾶ μου ἀναπαυθῶσιν· τὸ δὲ εἶδος αὐτοῦ ἐλάχιστον, ταπεινῶν γὰρ ἑαυτὸν εὐτελὴς ἦν τῷ σχήματι, ὡς ἀγροικὸν νομίζειν, καὶ ἐδέξατο αὐτόν, καὶ ποιήσας ἡμέρας ὡσεὶ δέκα, ἔκαμνεν εἰς ὑπερβολήν· καὶ ἰδὼν Ἀδελφὸν προκομιζόμενον, σταθεὶς λέγει· Ὦ Θεός μου κἀμὲ τὸν ταπεινὸν ὧδε ἀνάπαυσον, καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ ἀρρωστήσας, τῇ ἕκτῃ ἡμέρᾳ ἀνεπαύσατο, καὶ εὑρέθη ἐν τῷ μαρσίππῳ αὐτοῦ συστατικὰ a, ὅτι Πρεσβύτερος ἦν, καὶ τὸ σύνολον οὐχ ὡμολόγησεν οὐδενί.

76 Ipse vero Hypatius mensibus et tribus superstes, anno ætatis suæ octogesimo, cum annis quadraginta Christi gregem pavisset, Sacerdotiumque sua sanctitate ornasset, perfectus Dei servus apparuit; et præmissis ante se ad Deum octoginta Fratribus, dixit, Intra hos tres menses: filioli, gravis Dei ira mundo incumbet; quare bonum est abire ad Dominum, prius quam tentatio veniat. Prospicite ergo vobis: ego enim cursum meum consummavi, et satagite Deo perfecte servire, in timore atque tremore salutem vestram operantes, quemadmodum me vidistis facientem, et sicuti vobis tradidi quæ accepi a Deo, servate traditiones. Confido enim in Domino, quod si ejus opus feceritis, numquam vos deseret, et sicut misertus est mei, sic et miserebitur vestrum, et plenam patientiæ mercedem accipietis. Ego autem suscipiam vos tamquam germanos filios: ut digni habeamur in eodem cum Sanctis tabernaculo recipi. Hæc eo dicente, consternati omnes flere cœpimus: videbamus enim quod optabat mori. Infirmatus ergo dies quinque, sexta, quæ Dominica erat, dixit: Convocate Fratres, ut dem illis communionem, factusque in ecstasi dum singulis benedictionem daret, et alius manum ejus apprehenderet, subjecit versiculum: Venite exultemus Domino. Psallentes vero Fratres et communionem suscipientes de manibus ejus, flebant universi, cognoscentes tamen quod Angeli exultabundi animam ejus susciperent, dixerunt etiam ipsi: Venite exultemus Domino. Deinde tamquam si videret Episcopos aliquos familiaresque amicos, venientes ad se suscipiendum, ipse in eadem ecstasi quasi benedictionem accipiebat ab astante quodam, sicut aliquibus dederat, et nemine apparente qui re speret, rursus is qui astabat recipiebat. Omnes amici, et Monachi, et Clerici pro petenda benedictione veniebant, quibus eamdem cum osculo impertitus, in pace requievit, et appositus est ad SS. Patres, post se relinquens congregationem Fratrum quasi quinquaginta; quos suo eidem Successori dirigendos tradidit.

quem post trimestre secuturus Sanctus

suos hortatur ad perseverantiam,

data iis communione,

sancte moritur

76 Καὶ μετὰ τρεῖς μῆνας γενόμενος ὁ ἅγιος Ὑπάτιος ἐτῶν ὀγδοήκοντα, καὶ καλῶς ποιμάνας τὰ τεσσαράκοντα ἔτη τὸ ποίμνιον τοῦ Χριστοῦ, καὶ τὴν ἱερωσύνην ὁσίως κατακοσμήσας, τέλειος δοῦλος Χριστοῦ εὐάρεστος ἀνεδείχθη, προπέμψας πρὸ ἑαυτοῦ ὀγδοήκοντα μαθητὰς αὐτοῦ πρὸς τὸν Θεόν. Ἔλεγεν δὲ εἰς τοὺς τρεῖς μῆνας ἐκείνους, Τεκνία, δεινὴ ὀργὴ ἐπίκειται τῷ κόσμῳ, καὶ ἀγαθὸν ἀπελθεῖν πρὸς τὸν Κύριον πρὸ τοῦ γενέσθαι τὸν πειρασμόν. Προσέχετε οὖν ἑαυτοῖς· ἐγὼ γὰρ τὸ ἐμὸν ἐπλήρωσα, καὶ σπουδάσατε γνησίως δουλεῦσαι τῷ Κυρίῳ, ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ τὴν ἑαυτοῦ σωτηρίαν κατεργάζεσθε, ὃν τρόπον ἑωράσατε κἀμέ, καὶ καθὼς παρέδωκα ὑμῖν, ἃ ἐδιδάχθην ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, τὰς παραδόσεις κατέχετε· πιστεύω γὰρ τῷ Θεῷ ὅτι ἐὰν ποιήσητε τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, οὐ μὴ ὑμᾶς ἐγκαταλίπῃ ὁ Θεός· ἀλλὰ καθὼς ἐμὲ ἠλέησεν καὶ ὑμᾶς ἐλεήσει, καὶ τὸν μισθὸν τῆς ὑπομονῆς πλήρη ἀπολαύσετε, καὶ προσδέχομαι ὑμᾶς ὡς ἀληθῶς ἴδιά μου τέκνα, ἵνα ὁμοθυμαδὸν καταξιωθῶμεν μετὰ τῶν Ἁγίων συναυλισθῆναι. Ταῦτα αὐτοῦ λέγοντος πάντες ἐστυγνάσαμεν καὶ ἐκλαίομεν, γινώσκοντες ὅτι ηὔχετο τελευτῆσαι. Καὶ ἀρρωστήσας ἡμέρας πέντε, τῇ ἕκτῃ ἡμέρᾳ, Κυριακῆς οὔσης, λέγει· Καλέσατε τοὺς Ἀδελφούς, ἵνα δώσω αὐτοῖς κοινωνίαν, καὶ ἐν ἐκστάσει τότε γενόμενος, ἐν τῷ διδόναι τὴν εὐλογίαν, ἄλλου παρακρατοῦντος τὴν χεῖρα αὐτοῦ, ὑποβάλλει ὑπόψαλμα b, Δεῦτε ἀγαλλιασώμεθα τῷ Κυρίῳ. Ψάλλοντες δὲ οἱ Ἀδελφοί, καὶ τὴν κοινωνίαν δεχόμενοι ἐκ τῆς χειρὸς αὐτοῦ ἔκλαιον πάντες, γινώσκοντες ὅτι ἀληθῶς ἀγαλλιῶνται οἱ Ἄγγελοι, οἱ παραλαμβάνοντες αὐτόν, καὶ διὰ τοῦτο ἔψαλλον, Δεῦτε ἀγαλλιασώμεθα τῷ Κυρίῳ. Ὥσπερ γάρ τινας Ἐπισκόπους, καὶ ἐνδιαθέτους φίλους αὐτοῦ ὁρᾷ ἐλθόντας λαβεῖν αὐτόν, καὶ ἐν ἐκστάσει τὸ εὐλογίας λαμβάνων παρὰ τοῦ παρεστῶτος, ὥσπερ τισὶν ἐδίδου, καὶ οὐδεὶς ἐφαίνετο τοῦ δέξασθαι, καὶ πάλιν ὁ παρεστηκὼς ἀπεδέχετο· καὶ πάντες οἱ φίλοι καὶ Μοναχοὶ καὶ Κληρικοὶ συνελθόντες ἔλαβον παρ' αὐτοῦ εὐλογίαν. Πάντας δὲ εὐλογήσας καὶ ἀσπασάμενος ἐν εἰρήνῃ ἀνεπαύσατο, καὶ προσετέθη πρὸς τοὺς ἁγίους Πατέρας, καταλιπὼν ἄχρι πεντήκοντα Ἀδελφῶν συνοδείαν, οὓς καὶ παρέδωκεν ἑνί τινι διαδόχῳ αὐτοῦ, τοῦ καθηγεῖσθαι αὐτῶν.

77 Convenientibus porro Episcopis plurimis et omnibus qui propter vitæ probitatem eum dilexerant, facta est ingens multitudo populi Christum amantis, ex omni loco et monasterio, qui accensis cereis ipsum sancte composuerunt ad sepulturam cum hymnis et canticis: universi autem inter efferendum venerabile corpus amare flebant, utpote tali patre orbati. Sacrum vero pignus deposuerunt in venerando oratorio intra arcam lapideam, ubi Fratres orationes suas fundunt: cum autem sepeliretur irruerunt populi in feretrum discerpendo illud, volentes benedictionis causa accipere aliquid vestium illius: et alii quidem cultris scindebant syndonem, alii vestem, non nulli etiam pilos genarum detondebant, ita ut ægre potuerimus tumultantes compescere. Et ad urnam quidem ipsius amicus Dei Urbicius e sumptus

et gratis solemniter exsequiis.

77 Συνελθόντες δὲ Ἐπίσκοποι πλεῖστοι, καὶ πάντες οἱ φιλοῦντες αὐτὸν διὰ τὸν βίον αὐτοῦ τὸν ἐνάρετον, ὥστε ἐν τούτῳ γενέσθαι πλῆθος πολὺ λαοῦ φιλοχρίστου, καὶ ἐκ πάντων μοναστηρίων, καὶ πάντες κηροὺς φέροντες ἐν ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις ἐκήδευσαν αὐτὸν ὁσίως. Πάντες οἱ προκομίζοντες αὐτοῦ τὸ τίμιον σῶμα, ἔκλαιον, ὡς ὀρφανοὶ γενόμενοι τοιούτου Πατρός· τὸ οὖν ἅγιον αὐτοῦ λείψανον κατέθεντο ἐν εὐκτηρίῳ ἐν σεπτῷ εὐκτηρίῳ τοῦ αὐτοῦ μοναστηρίου ἐν σορῷ λιθίνῃ, ἔνθα οἱ Ἀδελφοὶ τὰς εὐχὰς ἀναπέμπουσιν· Καταθεμένων δὲ αὐτοῦ, οἱ ὄχλοι διεσπάραττον τὴν κλίνην, βουλόμενοι εὐλογίας χάριν λαβεῖν ἀπὸ τῶν ἱματίων αὐτοῦ, καὶ ὁ μὲν μετὰ μαχαίρας τὴν σινδόνα ἔτεμεν, ἄλλος ἐκ τοῦ ἱματίου, ἕτερος δὲ ἐκ τῆς γενειάδος αὐτοῦ τρίχας, καὶ μόλις διαχωρισαμένων τινῶν ἠδυνήθημεν παύσασθαι αὐτοὺς ἐκ τούτου. Τὴν οὖν σορὸν αὐτοῦ ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ Οὐρβίκιος ἐκ καρπὸς ἔπραξεν,

A σεν, πλησίον δὲ αὐτοῦ κατάκειται ὁ ἅγιος Ἀμμώνιος ὁ τῆς ἐρήμου μέγας ἀσκητής, περὶ οὗ φέρεται ὅτι τὸ οὖς αὐτοῦ ἀπέτεμεν διὰ τὸ μὴ θέλειν αὐτὸν δέξασθαι τὴν ἱερωσύνην, οὗ ἡ πολιτεία ἐξαίρετος, καὶ παρὰ πᾶσιν θαυμαζομένη διὰ τὸν Κύριον. Οὕτως οὖν καὶ ἡμεῖς ἀσκεῖν ὀφείλομεν Ἀδελφοί, καὶ γὰρ ὁ Κύριος τοὺς δοξάζοντας αὐτὸν δοξάζει, καὶ τοὺς δουλεύοντας αὐτῷ γνησίως οὐ μόνον εἰς τὴν βασιλείαν αὐτοῦ ἀναγράπτους ποιεῖ, ἀλλὰ καὶ χαρακτῆρα πρὸς μίμησιν ἀγαθὴν τὴν πολιτείαν αὐτῶν τοῖς πᾶσιν ἐντίμως ἀναδείκνυσιν.

78 Οὐ παρῆλθον οὖν ἡμέραι τριάκοντα, καὶ εὐθέως γέγονεν χάλαζα ἐν αὐτοῖς τοῖς τόποις, ὡς ὁρμήσασαν τὴν ἄμπελον, εἰς τέλος αὐτὴν ἀποτρυγηθῆναι ἐκ τῆς χαλάζης· ἦν γὰρ ἡ χάλαζα ὡς λίθος μέγας, ἔχων ἐν ἑαυτῷ ὡς ὀφθαλμὸν ἀνθρώπου, σημαίνων, Βλέπετε τὰ ἐρχόμενα· εἴσω γὰρ ἄλλων πέντε μηνῶν γεγόνασιν οἱ σεισμοὶ οἱ μεγάλοι, οἱ καὶ ἐπὶ χρόνον ἐκράτησαν, καὶ τὸ βαρβαρικὸν ἔθνος τῶν Οὔννων τὸ ὂν ἐν τῇ Θρᾴκῃ τοσοῦτον ἴσχυσεν, ὡς πλείους ἑκατὸν πόλεις ληφθῆναι, καὶ μικροῦ δεῖν κινδυνεύειν Κωνσταντινούπολιν, καὶ φυγεῖν ἀπ' αὐτῆς τοὺς πλείους. Μέχρι δὲ καὶ Μοναχοὶ ἐβούλοντο ἀποδιδράσκειν ἐν Ἱεροσολύμοις, μικροῦ δεῖν· γὰρ ἤγγισαν καὶ τὴν
B Κωνσταντινούπολιν παραλαβεῖν· τοσοῦτοι δὲ φόνοι καὶ αἱματεκχύσεις γεγόνασιν, ὡς μὴ ἀριθμὸν ὑποβάλλεσθαι τοὺς θανόντας. Καὶ γὰρ τὰς Ἐκκλησίας καὶ μοναστήρια ᾐχμαλώτευσαν, καὶ μονάζοντας καὶ παρθένους πλείστους ἀπέκτειναν, ὡς καὶ τὸν ἅγιον Ἀλέξανδρον παραληφθῆναι, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ χρήματα καὶ κειμήλια παραληφθῆναι, ὅπερ οὐδέποτε συνέβη· ἐρχομένων γὰρ τῶν Οὔννων πλειστάκις πρὸς τὸ τειχισθῆναι τὸν ἅγιον Ἀλέξανδρον, οὐδείς ποτε ἐξ αὐτῶν πλησιάσαι ἐτόλμησεν τῷ μαρτυρίῳ. Τοσοῦτον δὲ ἠρήμωσαν τὴν Θρᾴκην, ὡς μηκέτι ἀνακύψαι, καὶ γενέσθαι καθὼς ἦν τὸ πρῶτον. Ἡμεῖς δὲ μνημονεύοντες θαυμάζομεν, ὅτι ταῦτα ἦν ἃ προέλεγεν ὁ ἅγιος Ὑπάτιος ἐν τῷ αὐτὸν τελειοῦσθαι· πόθεν γὰρ ᾔδει, εἰμὴ ὁ Κύριος αὐτῷ ἐδήλωσεν;

79 Εἶχεν δὲ καὶ Ἀδελφὴν μίαν, ἥ τις μονόγαμος γενομένη χήρα, καὶ μίαν θυγατέρα ἐσχηκυῖα, ἀπεταξάτο, καὶ δουλεύσασα τῷ Χριστῷ, πρὸ τριῶν ἡμερῶν τοῦ ἀδελφοῦ αὐτῆς, καὶ αὐτὴ ἀνεπαύσατο· ἡ δὲ ταύτης θυγάτηρ καὶ αὐτὴ μονόγαμος μίαν θυγατέρα ἐσχηκυῖα, ἀπεταξάτο σὺν τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς· ὁ δὲ ἀνὴρ αὐτῆς γενόμενος Διάκονος ἀνεπαύσατο· ἡ δὲ σφόδρα προέκοψε τῷ
C Θεῷ, δουλεύσασα αὐτῷ νυκτὸς καὶ ἡμέρας. Πάντα οὖν ἀκολούθως πράξας ὁ ἅγιος Ὑπάτιος τοῦ ἁγίου Πατρὸς ἡμῶν Ἀντωνίου μέχρι καὶ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ· κἀκεῖνος γὰρ μίαν ἀδελφὴν ἔσχεν, καὶ οὗτος μίαν· ὡς γὰρ ἔλεγεν ὁ ἅγιος Ὑπάτιος περιάγων ἐν σχολῇ, ὅτι γινώσκετε τέκνα, μετὰ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων εἶδον καὶ τὸν ἅγιον Ἀντώνιον τὸν Πατέρα ἡμῶν καὶ ἀσπασάμενος εὐλόγησέ με, καὶ εὐχὴν ποιήσας ἀπέλυσεν.

80 Μετὰ ταῦτα ἐλθόντες ἠρώτων τὸν Ζήνωνα Πρεσβύτερον, καὶ ἡμῶν λεγόντων ὅτι οὐχ ὡμολόγησεν ἡμῖν ὅτι ἦν Πρεσβύτερος· εὐθὺς ἐκεῖνος ἀπεκρίνατο λέγων· Τοῦτον τὸν Ζήνωνα, ὃν ἐνομίζετε εὐτελῆ εἶναι, Οἰκονόμος ἦν ὀκτακοσίων Ἀδελφῶν, καὶ ἐμοὶ εἶπεν ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ, φίλος γὰρ μου ἐτύγχανεν ἀπὸ Ἀλεξανδρείας καὶ τῆς ἐρήμου, Ὅτι ἐχρηματίσθην ὑπὸ τοῦ Κυρίου, Ὅτι ὕπαγε πρὸς Ὑπάτιον κἀκεῖ τελειώθητι. Πέπεισο οὖν ὅτι ταχέως τελειωθεὶς, καὶ πρὸς τὸν Θεὸν ἀπελθὼν, καὶ τὸν Ἀββᾶν Ὑπάτιον ἀκολουθεῖν μοι λαμβάνω· τρίμηνον γὰρ μεταξὺ τοῦ Ζήνωνος ὁ Ἀββᾶς Ὑπάτιος ἐπιζήσας, ἀνεπαύσατο, κατὰ τὸν χρησμὸν τοῦ Θεοῦ τὸν δηλωθέντα τῷ Ζήνωνι. Καὶ ἐλθόντος μου ὧδε ἐν τῷ μοναστηρίῳ, ἔτι ζῶντος τοῦ Ζήνωνος (ἔλεγεν ὁ Πατὴρ ἐκεῖνος) ὅτι διηγήσατό μοι ὁ Ζήνων, καὶ παρήγγειλέ μοι μὴ εἰπεῖν τινι ὑμῶν ὅτι γινώσκω αὐτόν. Τὸ δὲ μοναστήριον τοῦ Ζήνωνος ὑπάρχει πλησίον τῆς θαλάσσης τῆς Ἐρυθρᾶς, δι' ἧς παρῆλθεν ὁ λαὸς τοῦ Ἰσραὴλ, ὅπερ μοναστήριον βάρβαροι ᾐχμαλώ-

suppeditavit *d*. Proximum vero locum obtinet magnus ex eremo ascetes Ammonius *e*; de quo circumfertur quod aurem suam sibi abscidit, quia nolebat ordinationem Sacerdotalem admittere; certe conversatio ejus excellens fuit et omnibus propter Dominum admirabilis *f*. Igitur et nos Fratres sic debemus exerceri: quia Dominus glorificantes se glorificat sibique fideliter servientes non solum adscribit in regnum cœlorum, sed et ipsorum sanctam conversationem in exemplum ad imitandum proponit omnibus.

78 Needum triginta dies abierant, cum illis in locis facta est grando tanta, ut in jam maturescentem vineam irruens, eam radicitus contriverit: erat enim grando instar saxorum et habebat quasi oculos humanos ac si prænuntiaret imminentia mala: etenim post alios quinque menses facti sunt magni terræ motus, qui etiam diu durarunt. Et barbarica gens Hunnorum quæ est *h* in Thracia, sic invaluit, ut plus quam centum urbes occupaverit, parumque abesset, quin ipsa Constantinopolis periclitaretur, multique eam fuga desererent: quin etiam ipsi Monachi volebant Jerosolymam usque abscurrere, quia tantum non appropinquabant Constantinopoli capiendæ: tantum autem cædis fuit et tam copiosus effusus sanguis, ut mortuorum numerus iniri non posset. Ecclesias vero et monasteria expilarunt. Monachos et sanctimoniales necarunt, ex ipsaque Sancti Alexandri *i* basilica cimelia omnia abstulerunt id quod factum prius numquam fuerat: nam cum antea sæpe venientes illi muros S. Alexandri conscendissent *k*, nemo eorum ausus appropinquare Confessioni illius. Thraciam vero sic vastaverunt, ut caput erigere numquam potuerit, et ad priorem statum redire. Nos vero prædictorum ab Hypatio, memores, admirabundi cognovimus ipsa esse quæ circa mortem nobis insinuarat: quomodo enim hæc ille scivisset, nisi Dominus ipsi revelasset?

79 Habebat Sanctus ille sororem, quæ unius viri contenta matrimonio, viduitatem coluit, unam filiam habens, quæ cum seculo renuntiasset, Deoque serviret, tribus ante fratrem diebus mortua est. Filia vero ejus etiam unius viri uxor et unius filiæ mater, una cum viro monasticum sumpsit habitum: et vir quidem Diaconus factus requievit in Domino: uxor vero multum profecit in Dei cultu serviens die ac noctu. Igitur per omnia similis fuit S. Hypatius magno Patri nostro Antonio usque ad sororem: nam etiam hic sororem unicam habuit, et ille unicam: sic enim S. Hypatius adhuc in vivis nobis loquebatur. Scitote filii quod cum sanctis Apostolis viderim Sanctum Patrem nostrum Antonium, meque salutans benedixit, atque oratione facta dimisit.

80 Postea venit quidam interrogans nos de Zenone Presbytero, cui cum responderemus, quod numquam nobis confessus esset se Presbyterum, ait ille; Imo quem vilem existimastis, Œconomus fuit octoginta Fratrum, mihique adhuc vivens dixit (erat enim ab Alexandria *l* atque ab eremo mihi amicus) quod divino oraculo monitus fuerit abire ad Hypatium et apud eum mori. Quare, inquit, credo quod cito moriturus sum atque ad Deum abiens etiam Abbatem Hypatium post me ducam. Supervixit autem Zenoni tribus mensibus Hypatius, secundum Dei oraculum Zenoni patefactum, et similiter obdormivit. cumque venissem huc ad monasterium adhuc vivente Zenone (dixit Pater iste) innuit mihi Zeno et rogavit ne cui vestrum dicerem quod ipsum nossem. Monasterium autem Zenonis est prope mare rubrum *m* per quod transiverunt filii Israel, quod monasterium barbari depopulati sunt,

D

d

e deponitur juxta S. Ammonium

f

h

E

i

k

F

l

m

A sunt, ubi quotquot erant, Zenonem ut prophetam æstimabant.

A CALLINICO

81 Frater autem Polychronius n de quo scriptum est supra, cui pedem dolenti dixerat Hypatius, ut si sanaretur fieret Monachus, Deo hanc ei gratiam faciente, id factus est; et Dei servus juxta prophetiam Patris nostri Hypatii. Fratres vero ceteri caritatem et concordiam unanimiter inter se conservantes famulabantur Domino, memoriam Patris jugiter recolentes, ejusque exhortationes præ oculis habentes, satagebant ut se bonos Dei operarios præberent, ipso hanc eis gratiam largiente, per intercessionem Sanctorum et S. Patris nostri Hypatii: ejus enim traditiones et spiritualem illius conversationem habentes præ oculis, vestigia ipsius in Christo sectabantur; chorosque in spiritu ducentes diu ac nocte hymnos Deo offerebant, glorificando Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quem decet omnis gloria, honor, et adoratio, nunc et semper et in secula seculorum; Amen.

discipuli Hypatii perseverant in ejus instituto

ἐνόμιζον· πάντοτε γὰρ τὸν Ζήνωνα οἱ ἐκεῖσε ὡς προφήτην εἶχον. D

81 Καὶ ὁ ἀδελφὸς Πολυχρόνιος ὁ προγεγραμμένος, ὁ τὸν πόδα ἀλγήσας, ᾧ εἶπεν ὁ ἅγιος Ὑπάτιος ὅτι, ἐὰν θεραπευθῇς, γίνῃ μοναχὸς, τοῦ Θεοῦ παρέχοντος, οὗτος γέγονεν μοναχὸς, καὶ δοῦλος τοῦ Θεοῦ κατὰ τὴν προφητείαν τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ὑπατίου. Οἱ δὲ μαθηταὶ αὐτοῦ ἀγάπην, καὶ ὁμόνοιαν ἐν Χριστῷ μετ᾽ ἀλλήλων ὁμοθυμαδὸν ἔχοντες δουλεύουσι τῷ Θεῷ, τὴν μνήμην τοῦ πατρὸς ἐπιτελοῦντες, καὶ τὰς παραινέσεις αὐτοῦ κατέχοντες, ἑαυτοὺς πρὸς τὸν Θεὸν σπουδάζουσι δοκίμους παραστῆσαι ἐργάτας, τοῦ Θεοῦ παρέχοντος αὐτοῖς τὴν χάριν διὰ τῶν εὐχῶν τῶν ἁγίων, καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ὑπατίου· τὰς γὰρ παραδόσεις τοῦ πατρὸς καὶ τὴν διαγωγὴν αὐτοῦ τὴν πνευματικὴν ἐπιτελοῦντες, τοῖς τοῦ πατρὸς ἴχνεσιν ἐπέχουσιν ἐν Χριστῷ, καὶ πνευματικοῖς χοροῖς χορεύοντες, νυκτὸς καὶ ἡμέρας τῷ Θεῷ ὕμνους ἀναπέμπουσι, δοξάζοντες Πατέρα, καὶ Υἱὸν, καὶ ἅγιον Πνεῦμα· ᾧ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ, καὶ προσκύνησις· νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANNOTATA D. P.

B a Συστατικὰ *et* Συστατικαί, litteræ Episcopales, *peregre proficiscentibus Presbyteris, Clericis, laicis, dari solitæ ad fidem faciendam de ipsis:* patentes *vulgo dicimus: vide Cangium in Gloss. Gr. barb.*

b Ὑπόψαλμα *videtur posse* Antiphona *reddi, quasi sub initium psalmi recitandum: nihil tamen definio, quia in Liturgicis Græcorum necdum reperi nominatum. est autem initium psalmi* 94, *quem Matutino præmittere soliti Latini Invitatorium nominant.*

c *Ille scilicet Cubicularius Imperialis, laudatus supra num.* 20, *et mox num.* 21 *dictus sibi depoposcisse partes restaurandi monasterii.*

d *Sic enim intelligo,* quod Sancti urnam ἐκαρποφόρησεν, *quod ad verbum redderetur* lucrifecit, *sive* lucratus est, *tamquam fructum suæ pietatis; aut etiam* obtulit *sive* dedicavit; *nec non* perfecit: *quibus omnibus notionibus græcum* καρποφορεῖν *substat.*

e *De hoc jam egimus in Commentario prævio num.* 3, *quod autem de eo refertur, ita narrat Socrates lib.* 5 *cap.* 23. Cum ad Episcopatum traheretur fuga elapsus, dextram sibi amputavit aurem, ut corporis mutilatione sacerdotalem ordinationem effugeret.

f *Hactenus tamen neque in Synaxario Constantinopolitano Collegii nostri Parisiensis, neque in aliis ullis Sanctorum Fastis nomen ejus reperitur.*

C h *Jam ergo ibi aliqui, ex prioribus irruptionibus relicti, sedem sibi stabilem fecerant in confiniis.*

i *Hic est Alexander miles, quem cum S. Antonina colunt Græci, præsertim Constantinopolitani,* 10 *Julii; Latini* 3 *Maji; hinc vero discimus ipsum non solum in urbe habuisse oratorium prope Basilicam SS. Apostolorum; sed etiam celebrem in suburbanis ecclesiam,* E *donariisque opulentum unde forsitan hac occasione translatæ in urbem Reliquiæ sint, idque* 12 *Januarii, quando breviter notatur in Menæis.*

k *Potest etiam hoc sic verti quod* cum antea sæpe venissent ut muros conscenderent, numquam ausi fuerint ipsis appropinquare, *sumendo* τὸ Μαρτύριον *pro tota ecclesia Martyris.*

l *Alexandriam enim multi confluebant studiorum causa.*

m *Est illud monasterium Raithu, de quo Decessores nostri* 14 *Januarii, ubi de Monachis sanctis istic per Blemmyas occisis, incertum littorine orientali, an occidentali maris Rubri impositum fuerit: prudenter autem noluerunt confirmare cædem illam fuisse patratam sub Imperio Diocletiani, sicut antea aliud agenti Bollando visum fuerat ad Acta SS. Juliani et Basilissæ* 9 *Januarii: postea enim mecum comperit Henschenius nihil obstare, quo minus crederetur Codreno, qui ipsam refert ad annum* 10 *Anastasii Imp. Christi* 601, *prout pluribus deduxi in responsione ad Exhibit. errorum Art.* 15 *num.* 314. *Dicendum ergo, monasterium istud æque ac monasterium montis Sinai sæpius fuisse a barbaris violatum: adeoque hic memoratam depopulationem, quam Zeno videtur prædixisse, multo priorem martyrio prædicto fuisse; quo tamen non obstante illuc redibant, qui fuerant dispersi.* F

n *Supra num.* 69.

DE SANCTO AVITO

PRESBYTERO ET ABBATE MICIACENSI

APUD AURELIANOS, PICIACI IN PERTICO

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§. II.

De ejus melioribus Actis, variisque sed parum sinceris Compendiis vitæ, ætate, cultu.

CIRCA DXXVII

Cultus sacer

F*loruit in Galliis seculo Christi quinto et sexto, illustri sanctitatis et miraculorum gloria,* Avitus: *cujus memoria ad hunc* XVII *Junii antiquis Hieronymianis Martyrologiis apographis sub finem adscripta est his verbis:* Aurelianis civitate, Aviti Presbyteri. *Beda in genuino Martyrologio:* Aurelianis civitate, depositio S. Aviti, Presbyteri et Confessoris. *Quibus Florus addit;* Cujus vitæ descriptio, inter cetera virtutum suarum miracula, adstipulatur mortuum suscitasse. *Hæc ibi, quæ forsan omnia solius Flori sunt, uti ibidem annotamus. Longissimo cum encomio, ex Vita desumpto, celebrat Rabanus*

banus. Meminerunt ejusdem Usuardus, Ado, Bellinus, Molanus, aliique cum Martyrologio Romano. Eumdem ad dictum XVII Junii solenni Officio venerantur Aurelianenses, Carnotenses, Cenomanenses, Bellovacenses, et aliæ Ecclesiæ, etiam monasticæ; ut patet apud Martinæum de rit. vet. Mon. lib. 4 cap. 6, ex Corbeiensi kalendario et Consuetudinibus Dionysianis, præscribentibus Officium trium Lectionum de S. Avito Presbytero et Confessore.

Vita ex MS.

2 Habemus Acta, quæ venerationem ejus plene confirmant, submissa a R. D. Joanne de S. Martino Religioso Fuliantino, anno MDCLII Parisiis defuncto; qui annotarat, lectiones Breviariorum manuscriptorum S. Maximini Miciacensis, et Sanctimonialium S. Aviti prope Castrodunum convenire etiam in verbis cum hac Vita. Auctor in Prologo testatur S. Avitum suo ævo vixisse: quem, inquit, supernæ pietatis dignatio huic mundo, nostro attribuit ævo. S. Siviardus Abbas Anisolensis, cujus Vitam dedimus Kalendis Martii, scripsit Acta S. Carilephi primi Abbatis Anisolensis, ad Kalendas Julii illustranda; in eaque plurima ipsis hujus Vitæ verbis descripsit quæ infra ad caput secundum annotamus. Præterea in Actis S. Maximini, Abbatis Miciacensis XV Decembris, sub quo ambo, scilicet SS. Avitus et Carilephus monachi vixerunt, atque S. Avitus successit, confirmantur eadem, quæ hic referuntur, quæque tam a Bertoldo quam a Letaldo monachis Miciacensibus sunt exarata. Suum etiam calculum huc conferunt, Auctores Vitarum S. Leobini, Episcopi Carnotensis, et S. Læti, Monachi Miciacensis, quæ erunt ad XV Septembris et VI Novembris illustrandæ. Item Vincentius Bellovacensis, aliique infra citandi.

auctore coævo.

Convenit cum Actis aliorum Sanctorum.

3 Hactenus autem indicata, adeo plana, perspicua, et dilucida sunt, ut nihil videatur clarius et evidentius posse proferri. Interim quædam Vitæ compendia, res ab Sancto gestas adeo obscuras et implicatas reddiderunt, ut etiam Joannes Mabilio, in Appendice seculi primi Benedictini pag. 613, plusquam probabile censuerit, Avitos duos in Miciacensi cœnobio eodem tempore floruisse Sanctitate. Primum compendium æstimamus, quod per Laurentium Surium, mutato fere stylo, est descriptum; quale primigenio stylo, ex MSS. Trevirensi S. Maximini, et Ultrajectino S. Salvatoris, habemus: et variis sententiis insuper exornatum, descripsimus ex MS. codice Christinæ Reginæ Sueciæ num. 721 signato. Ex his ad priora Acta varias Annotationes subjicimus oculis et judicio legentium, ut sic veritas facilius elucescat: nec enim conducibile credimus utraque dare, certam confusionem inductura.

Aliqua Compendia non satis sincera.

4 Aliud compendium magis intricatum quam istud edidit Petrus de Natalibus lib. 3 cap. 31 hoc exordio: Adjutus Abbas primo Monachus Miciatensis, postea Abbas Carnotensis pagi, quem Portesum vocant, Deo providente, factus est. Sed hic est Avitus, primo monachus Menatensis, dein Miciacensis, ubi et Abbas fuit, et inde decessit in vastas loci Perticæ solitudines, ac dein Childebertus Rex ei construxit monasterium prope Castrodunum, utpote in ultima diœcesi Carnotensi. Additur dein, ex indicato Compendio, sepultura Aurelianis facta, et cultor vineæ cervice retorta punitus ac postea sanatus: Quæ infra num 22 et 24 legi possunt. Demum dicitur, festum agi VI Kalendas Februarii. Verum ad illam diem non reperimus ullam mentionem S. Aviti in Breviariis Aurelianensibus aut Carnotensibus. Interim Petrum de Natalibus sequuntur Maurolycus, Felicius, Saussayus, et potissimum Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus in suis Benedictinis Fastis, atque Jacobus Branche in opere de Sanctis Arverniæ; sed hic S. Avitum, de quo agimus, nominat, et ad diem XXVI Januarii collocat; addens, die XXI Januarii in diœcesi Claromontana eumdem in veneratione haberi, scilicet ob ejus in dicta diœcesi ortum et auspicium vitæ monasticæ.

Magis corrupta apud Petrum de Natalibus.

AUCTORE G. H.

Cultus quoque 19 Decemb.

5 Alius quoque ejus venerationi assignatur dies, XIX Decembris, ad quem cæteris prævit Ado, his verbis: Aurelianis S. Aviti Abbatis, qui spiritu prophetiæ illustris fuit, et honorifice in eadem urbe tumulatus est: ubi a Rosweido annotatur Gregorius Turon. de Gloria Confessorum, cap. 99, qui de S. Avito, quem referimus agit; additque miraculum vinitoris puniti et sanati. Adonem describit auctor Martyrologii sub nomine Bedæ suppositi, sed pro Avito perperam excusum est Vitus. Meatus Avitus legitur in MSS Leodiensi S. Lamberti et S. Laurentii, Bruxellensi S. Gudilæ, Florario Sanctorum, et aliis. Item in Martyrologio Coloniæ et Lubecæ sub annum 1490 excuso. At Grevenus, cum eumdem Avitum ex Adone retulisset: addidit eum apud Usuardum haberi XV Kalendas Julii, sive hoc XVII Junii; quo die tam Grevenus, quam Canisius in Martyrologio Germanico, plura de ejus cum S. Carilepho amicitia et egressu de monasterio habent, quæ late infra capite secundo referuntur. Interim Maurolycus et Galesinius, mutato nomine, ista habent: Aurelianis S. Adjuti Abbatis, prophetiæ Spiritu illustris et annotat Galesinius illi Vitam scriptam, quem valde imperfectum habuisse eum sæpe monuimus. Denique, citatis recentioribus et manuscriptis, S. Avitum iisdem verbis Martyrologio Romano ad dictum XIX Decembris inscripsit Baronius: quem mox plenis velis secuti sunt in suis monasticis Fastis, Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus. Et Wion quidem allegat Vincentium Bellovacensem, libro 21 cap. 41, in quo de SS. Avito et Carilepho eadem scribit, quæ infra habentur cap 2, et Vitam a nobis propositam magnopere confirmant. Bucelinus plura ex eadem Vita allegat, citatque Petrum de Natalibus, quem de S. Avito, licet Adjutum appellet, evidenter agere jam ostendimus.

etiam sub nomine Adjuti

6 Vixisse ipsum, secundum regulam SS. Antonii et Pauli, infra num 16 indicatur; neque ut Ordini Benedictino adscriberetur, permittit ejus ætas; utpote ante S. Benedictum nati, et vita functi antequam hic Casinum venerit, quod factum fuisse anno DXXIX, diximus ad ejus Vitam XXI Martii. Claruit jam tum post mortem suam S. Avitus pluribus miraculis, quorum notitiam nactus Childebertus Rex, vovit ei constructionem ecclesiæ, si ab expeditione Hispanica, quam assumpsit anno DXXI, salvus et incolumis rediret: ut consequens sit, eum jam tum aliquot annis ad æternam felicitatem migrasse: quare ejus obitum referimus ad annum circiter DXXVII. et sic potuit, anno DXXIV, Chlodomeri Regi Francorum, a B. Avito Abbate, magno tunc temporis Sacerdote, dictum fuisse; si occideret S. Sigismundum, periturum etiam ipsum, uti ex Gregorio Turonensi diximus Kalendis Maji, ad Vitam S. Sigismundi Regis pag. 86.

Vixit ante S. Benedictum,

mortuus circa an 527

VITA

Auctore ferme coævo,

Ex MSS. codicibus.

PROLOGUS.

Rector orbis æternus, sanctæ quoque Ecclesiæ defensor invictissimus, Dominus Jesus, postquam eam pretiosi sui sanguinis effusione redemit et mortis devicto principe gloriæ se restituit paternæ; nequaquam eam reliquit viduam, vel superni moderaminis respectu destitutam. Ipse enim a supernis gloriæ suæ sedibus eam invisere non desiit, et quibus sanæ doctrinæ gubernaculis e mundi liberetur naufragio, sola præscientiæ suæ majestate providit. Quam licet fundaverit in Patriarchis et Prophetis, futuri sui sacramenti præconibus; amplioris tamen privilegii gratia excoluit in Apostolis, roboravit in Martyribus

Ecclesia a Christo fundata,

roborata est Martyribus

Martyribus; qui victricis patientiæ insigniti laurea, respuere caduca, ut possent adipisci sine fine mansura: nec virtutis eorum longanimitatem sævientis mundi potuit perfringere terror, quippe quibus vivere Christus erat et mori lucrum. Quorum gloriæ non extorris Confessorum numerosus apparuit chorus: qui licet persecutorum haud experti sint belluinæ crudelitatis rabiem; contra tamen occulti et invisi hostis pugnando molimenta et proprii corporis blandimenta, operum bonorum æmulis ingentia virtutum reliquere documenta. Gloriosior ergo Martyrum confessio, quod nec corporei cruciatus exquisiti, nec sævæ erant pœnæ. Tum demum Confessorum prædicanda virtus, a Deo data fortitudo, quod vitæ labentis voluptate calcata, noxia carnalis suggestionis desideria, in semet pro Christi nomine mortificaverint. Crucem enim Christi gestantes, inter adversa et prospera, eodem mentis proposito, constanter ab omni vitiorum superflua labe sese fecere sequestres.

et confessoribus.

Ex quibus unum, virtutibus gloria prædicandum, supernæ pietatis largitio huic mundo, nostro attribuit ævo, nomine Avitum: qui scutum fidei viriliter tenens, contra veternosi anguis incentiva, spiritalia sancti exercitii intorsit jacula. De cujus ortu, vita et obitu, quæ comperta habemus, ad multorum, ut reamur, profectum, plena fidei veritate adnotare cupimus, non nostris viribus fisi, aut altioris ingenii prærogativa fidei; verum illius misericordissimæ Deitatis omnipotentiæ subditi, qui os mutorum aperuit, quique rudem pecudis linguam articulata voce resolvit. Ad hoc etiam accedit et illud, quod non ita nos aut temeraria ausus præsumptione, sed reverentia dominorum quorumcunque Patrum caritativæ dulcedinis aggredimur jussione, sumendi etiam nacti non mediocris augmenti fructum, si tanti viri laudabilis ad imitationem dicatur Vita. Quia devotæ consuetudinis est, Catholicis, sanctorum Patrum natalitias dies observare diligenter, et tunc præcipue virtutes eorum, assignatas litteris, in Ecclesia recitare ad Dei laudem, ex cujus munere sunt; et ad instrumenta minorum; ut et studiosi æquitatis habeant quod sequantur, et tepidi unde inspiratione divina ad fervorem bonæ actionis incitentur. Nos autem quia invalidi reddimur, nostris exigentibus desidiis, ad Sanctorum sequenda vestigia, saltem memoriæ commendemus quæ de eis miranda comperimus; ut vel propter hoc ad sui consortium asciscamur, si operum, quorum illi Deo auctore extitere factores, ne inveniamur vel qualescunque narratores; simul etiam adjuti eorum precibus, avidi imitatores fieri mereamur.

Ex his fuit S. Avitus. — cujus vita ad imitandum proponitur.

CAPUT I.

Ortus, educatio, vita monastica in cœnobio Menatensi.

Cum a igitur præclara miraculorum gesta Christi Confessoris Aviti, in brevitatis comprehendentes volumine, ad audientium imitationem elucidanda duxerimus; dignum fore videtur, primum aliquid intimare de ejus genere, postmodum nativitatis ejus tractari debere decus: ut mirabile principii mysterium subsequentium fidem faciat expositioni virtutum. Fuerunt namque hujus memorabilis viri genitores religiosi, in b Aquitaniæ partibus juste et religiose conversati; sequenti quoque tempore illic venerabile conjugium sortiti: qui licet minus nobilitatis pollerent titulis, affuit tamen huic ignominiæ animus clientelæ devotissimus Dominicæ, quæ eos, obumbrata parentum paupertate, potiore donavit claritudine. Ita namque eos decor sapientiæ adornabat, ut secundum Apostolum, sermo illorum semper sale esset conditus, bonorumque operum gratia repletus. Erat illis studium orationi frequenter incumbere, et pietatis actibus semper insistere, necessitatibus pauperum prout poterant subvenire, et nihilominus hospitalitatem diligere. Inclinabant corda sua ad exequenda Dei præcepta, pro retributionis spe, ut in sui exitus die mererentur cum Propheta Domino supplicare: Suscipe nos secundum eloquium tuum, et vivemus; et ne defraudes nos ab expectatione nostra. Implentes præceptum Apostoli, crucifigebant corpora sua cum vitiis et concupiscentiis: laborabant assidue operando manibus suis, ut haberent quod tribuerent necessitatem patientibus. Dum ergo his et hujusmodi insisterent actibus pietatis; non causa exercendæ voluptatis, sed magis desiderio sobolis procreandæ, usi sunt sibi concessa copulatione. Et quia oculi Domini semper respiciunt justos, et aures ejus intendunt precibus eorum, sequenti tempore Dei famulum, sibi divinitus concessum, suscipere meruerunt. Qui quantum in ortu nativitatis suæ cœlestis gratia dono dignus extiterit, subsequentis veritatis ratio approbat. Nam hora nativitatis ejusdem tanti luminis fulgor inibi emicuit, ut obstetrices pavore perculsæ nimio, procumberent solo; quod in præsagio hujusmodi fuerat ortus. Nam qui noctis in obscuritate præsenti nascebatur lumine, Dei præscientia futurus erat splendor in mundi caligine c. Cui sacri baptismatis fonte renato a spiritalibus Patribus Aviti nomen imponitur.

Parentibus pius et justis. — Col. 4, 6. — Psal. 118, 116. — Gal. 5, 24. — natus nocte luminosa.

4. Suscipientes denique jam dicti parentes sibi concessum venerabilem puerum, et tenerioribus quidem adhuc morantem in annis, studiosissime nutrierunt. Adultum quoque, divina gratia providente, cuidam dignæ memoriæ Sacerdoti sacris litteris imbuendum devotissime commiserunt; qui ab ipsis infantiæ rudimentis erectus semper humilitate crescebat, ita teneræ ætatis annos morum maturitate castigans, ut jam dignitatem futuræ conversationis præcederet gratia sanctitatis. Postquam vero adolescentiæ ritu corporeo robore pubesceret, blandimenta voluptatis animum incitantia ita edomabat, ut pollicitæ virginitatis palmam pro incorrupta integritate perciperet, et postmodum sine fine in regnis cœlestibus triumpharet. Igitur ab ipso ætatis tempore, quo rectitudinis intelligentia animum penetravit, jamque orbatus utrisque parente, totis se viribus ad arma cœlestis militiæ exercebat; quatenus in tempore et in acie viriliter staret, et se ab insidiantium telis undique Domino protegente sciret munire. Illud denique memoriæ non aberat eum qui tirocinii tempora inconsueto pertransit exercitio, in die belli facile hosti succumbere. In laicali autem ordine positus, temporaneis ita utebatur rebus, ut tamen a memoria numquam excederet illud Apostolicum: Præterit enim figura hujus mundi: prudenti denique consilio præcavebat, ne cum pereunte mundo et ipse periret. Crescente corporis ætate, cum augmento carnis cœlestium quoque gratiam virtutum magis magisque promerebatur: ita ut non solum interni Judicis examinationi placeret; verum et erga omnium religiosorum benevolentiam nimio æstuaret dilectionis affectu. Neque horum dilectionem ita solam menti impresserat, ut ab inimicis ejusdem caritatis affectum detraheret d. Nam tanto religionis moderamine præditus erat, ut omnibus omnia esset. Itaque cum jam ad provectæ ætatis initia veniret, florentis mundi pulchritudinem penitus despexit, nolens se coronari cum his qui se mutuo hortantur, dicentes: Coronemus nos rosis antequam marcescant. Malebat enim ut de eo illud non immerito diceretur: Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit,

sacris litteris imbutus. — parentibus orbatus. — 1 Cor. 7, 31. — spreto seculo. — Sap. 2, 8. — Jac. 1, 12.

fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se.

5 Interea cœpit apparere gravis secularium negotiorum sarcina, et displicere ei felicitatis vana: paulatimque laudabili sapientia succedente, cœpit vitæ spiritualis amor exurgere, desiderium lectionis, insuper, et indefessum orationis studium crescere. Proinde monasterium suavissimos greges frequentius visitans, servorum Dei mores propositum discebat. Tandem in hæc verba prorumpens aiebat: Cur obsecro sine spe futurorum bonorum laboramus in sæculo? Quid nobis utile poterit conferre mundus? Refugium nostrum Deus est. Post hæc, Spiritu sancto revelante, decrevit omnimodo secularibus renuntiare negotiis, et illius vitæ quam laudabat, imitator fieri. Est in præfata regione cujusdam loci monasterium, in territorio Arvernensi, quod vocatur e Menate: in quo sub Spiritalis Patris regimine Christo Domino Monachorum turba famulatur devote. Illuc famulus Dei Avitus velociter veniens, ab Abbate comam capitis in morem Clericorum sibi secari poposcit. Qui peracto monasticæ professionis jugum devote suscepit, et Deo administratore et litterarum facundiam et sanctæ conversationis devotissime didicit regulam. Videres namque ejusdem loci devotos Christi famulos alterutro in ejus caritate sese præcedere festinantes, et ut eum alius verbo, alius instrueret exemplo laborantes: ipsum vero tamquam terram bonam, suscepto divini verbi fœnore, quo centuplicatum redderet insistentem. Nempe, quamquam immaturitas temporis juveniles ei repromitteret annos, gravitas tamen maturior lascivos compresserat motus: et quamvis polleret intelligentiæ sapientiæque acrimonia, veluti ad omnia invalidus, humilitate magistra a senioribus studebat expetere consulta. Quæcumque autem ex eorum [quolibet] aure audiebat, veluti oraculi sibi divinitus emissi, summopere statuebat servanda. Et ut interius divinæ legis præcepta agnosceret, ita naturali capax acumine et litterarum erat studiis eruditus, ut pastum animæ legendi assiduitate colligeret, et more apum æternæ dulcedinis nectar aviditate sitis spiritualis hauriret. Eo autem in tempore, tam humiliter Abbatis sui Præpositorumque imperiis jussis parebat, ut nullis sibi injunctis præceptis contrairet; illud sæpe revolvens: Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem.

6 Cumque cæterarum virtutum indesinenter studiis inserviret veræ simplicitatis affectus, cœpit a quorumdam adversariorum invidia dehonestari, ac veluti amens deputari: nam ob lenitionis suæ veritatem, tamquam brutum dicebatur. At vir Domini Avitus, spe subnixus bonæ conscientiæ, Apostoli verbis confirmabatur, dicentis: Hæc est gloria nostra, testimonium conscientiæ nostræ; quoniam in sinceritate mentis, et sanctitate operationis, et gratia Dei conversati sumus in mundo. Illius enim Psalmistæ versiculi non immemor erat, Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Ex more quidem actionis suæ procedebat, ut partem ciborum suorum sibi abstrahens, pauperum refectioni illam erogaret; ac suis se expolians vestibus, illos vestiret. Quod non aliqua facultatum fretus copia agere poterat, sed divinæ dispensationis munere; illud apud se replicans, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sed vir Domini Abbas prædictus, cum tantam in eo conspexit pollere virtutem, clam illum ob invidorum detractionem diligere cœpit, adeo ut extra monasterium ei cellam construeret; ne quod servis Dei divinæ servituti impendebat, ab æmulis favori imputaretur: ubi vero manifestis operum indiciis, tanta servi Dei bonitas cœpit enitere; repugnanti aliquantulum, sed semper obedienti animo, curam tradiderunt cellarii. Cujus officii suscepta diligenti administratione, ita se in omnibus exhibuit providum, ut nec superpetenti aliquid daret superfluum, nec indigenti congruum subtraheret alimentum.

fit monachus in Menatensi monasterio, — a — B — *ubi ob accuratam obscuritatem* — Phil. 2, 8 — C — *incurrit invidiam* — 2 Cor. 1 12 — Psal 43 22 — D — Ex MSS. — *fit tamen cellarius.* — E — F

ANNOTATA G. H.

a *Alia Acta pluribus omissis contracta, et sub initium depravata ita incipiunt in MS. Christinæ Reginæ Sueciæ:* Beati Aviti Vitam scripturus, primum genus nativitatis illius intimare disposui, qualiter post in ceteris diutius immorari liceat. Cujus genitrix ab oppido Viridunensi causa inopiæ digrediens, Aurelianam urbem expetiit, ut illic quoque modo paupertatis sarcinam deponere posset. Audierat enim prædictam urbem multarum circa se regionum emporium esse. Ubi cum aliquantisper moraretur, cujusdam viri ruralis sortitur conjugium *etc. Quæ in MSS. Trevirensi S. Maximini, et Ultrajectino S. Salvatoris, omisso Prologo, sic incipiunt:* Igitur Avitus infra Aurelianorum mœnia plebeio sanguine procreatus, exiguis parentibus. Virdonensis namque oppidi genitrix ejus oriunda refulsit; ingenuitatis tamen genus et meritum vendicabat. Illam vero ad prædictam urbem conditio egestatis et inopiæ causa advexerat, et illic cuidam Belsicolæ viro annectitur puella conjugio, horum Avitus soboles digna conceditur. *Hæc ibi, ex quibus Surius Vitam mutato stylo dedit: et notatur* Belsam *unde hic dicitur* Belsicola, *vulgo* la Beauce *nominari.*

b *Est in Aquitania Orientali et Arvernia superiore, urbs ampla et pulchra,* Aureliaca; *in qua natum arbitramur, quæ ab* Aureliana *non nisi unica littera differt: et quia in hoc sepulturam habuit, dedit occasionem aberrandi. Imo* Viridunum *seu* Virdunum, *est ditio et oppidum ad Savam fluvium in Aquitania Occidentali, unde potuit mater* Aureliacam *venisse. Nam Hugo Abbas Flaviniaci, in Chronico Virdunensis urbis in Lotharingia, apud Philippum Labbe, ista scribit:* Tempore Clotharii et Childeberti S. Avitus et S. Carilephus ab Arvernis de monasterio Menate egressi, cœnobium Miciacense expetierunt, *nulla facta mentione matris; quod factum esset, si ex suo Virduno fuisset oriunda.*

c *Reliqua hujus capitis desunt in supracitatis MSS. Trevirensi et Ultrajectino et apud Surium.*

d *In MS. Reginæ Sueciæ ista inseruntur:* Erat enim omnibus [virtutibus] ornatus. Nam forma erat præcipuus, colloquio dulcis, prudentia sagax, æquitatis censura rectus, temperantiæ fræno pollens, humilitate præditus, castitate decorus, in distributione paupertatis liberalis. Numquam illum prospera superbum viderunt, nec adversantia fractum. Flevit enim, ut postea rideret, cilicio indutus, ut nunc albis vestibus indutus dicat, Scidisti saccum meum et circumdedisti me lætitia. Cinerem ut panem manducavit, et potum cum fletu miscuit dicens; Fuerunt mihi lacrymæ meæ [panis] die ac nocte, ut in æternum [cœlesti] cibo vesceretur et caneret, Gustate et videte quam suavis est Dominus *etc.*

e Menate *monasterium* XV *M. P. distat ab Aureliaca urbe Arverniæ supra indicata. Ibidem monachum fuisse S. Avitum indicant citatus supra Hugo Abbas, Bertoldus in Vita S. Maximini, et S. Siviardus in Vita S. Carilephi, in qua pleraque eisdem verbis proferuntur. Nulla hujus monasterii mentio in aliis MSS. et apud Surium: Sed hic peracta tribuuntur Miciacensi cœnobio, potissimum in MS. Reginæ Sueciæ, et subinde adjunguntur aliæ sententiæ sacræ Scripturæ.*

EX MSS.

CAPUT II.

Amicitia et vita acta cum S. Carilepho, tam monastica quam anachoretica. Sacerdotium et Abbatialis dignitas in monasterio Miciacensi.

a Vitam eremiticam cum S. Carilepho eligit:

Interea *a* cum his diu operam daret exercitiis, veluti in gymnasio exercitatus cœlesti, cupiebat tandem aperto sese credere campo, et singulari contra diabolum dimicare certamine; eremiticam scilicet appetens vitam, in qua solus cum solo dexteram consereret, et fautrice Divinitate hostem protervum humilitatis protereret armis. Hæc eo inter se diutius volvente, et debita cum cautela, qualiter sibi agendum esset, deliberante; quadam die vir spectabilis et per cuncta laudabilis, ejusdem cœnobii Monachus, *b* Carilephus nomine, ei collocutionis gratia affuit. Erat namque idem, de quo sermo agitur, vir, quamquam *c* clarus secundum perituram seculi dignitatem prosapia, meritorum tamen præditus summorum prærogativa. Dum ergo inter B se opportuna colloquia serunt, et divini epulas verbi palato mentis degustant; codicem textum S. Evangelii gestantem aperiunt, oblatamque oculis lineam, quæ prima forte occurrit, lingua recitant, mente pertractant. Erat namque hujusmodi: Qui plus diligit patrem aut matrem, aut sorores quam me, non est me dignus. Itaque cœpere, veluti animalia munda, cibum hunc dente discretionis terere, et quia se plus ad arduam conversationem hæc verba secten dum admonerent, commentari: ubi scilicet vacui parentum sollicitudine, alieni a cognatorum notitia, solo brachio intentionis cœlestis sanctique desiderii vitia carnis libere possent conterere.

Matth. 10. 37

8 Cupientes denique Beati Petri Apostoli imitari exemplum, qui voce Domini audita, protinus retibus navique relictis, Domini secutus est vestigia. In sequenti nocte contigit, ut cum B. Avitus Abbatem, pro more singulariter ei serviendo, in lecto collocasset; cellarii claves *d* cingulo innexas, capitio ejus clanculo supponeret. Domno itaque Abbate, atque aliis jam soporis oppressione gravatis, citissime ruptis deliberationum morulis, pedem a monasterio extulere; et Deo annuente conceptum iter in suo corde carpere cœpere. Cum vero prædictus Abbas, ad explendi celebrationem officii, surgeret ex more, apprehensis cingulo claves et invicem copulatæ tinnitus reddidere sonum. Eo igitur obstupefactus casu, B. Avitum aufugisse habuit indicium. Mentis ergo intentione sollicita ejus inquirens præsentiam, totius monasterii parte lustrata interiori, ad cellulam in qua prius morabatur advenit, eumque ibidem non reperit. Emenso itaque multo a monasterio itinere, Christi famuli adiere fretum Ligeris: quod navi conscensa Christo propitio facile transmearunt, et post multum laborem in territorium Aurelianense devenerunt. Cum autem aliquantisper ibidem morarentur, fama notitiæ sancti viri Maximini eorum occupavit aures, tantoque animos eorum fervore ignivit, ut ab inchoato desisterent itinere, quo usque sancti viri mererentur conspectibus frui: idem namque præclarus meritis vir Domini Maximinus, a Clodovæi Regis et Reginæ liberalitate fundum, vocabulo Miciacum, acceperat: in quo sibi suisque cœnobium construxerat, et in eo spirituali philosophiæ tunc temporis operam dabat. Itaque prælati Christi famuli ad eum visendum ardentissimo properant cursu: quos *e* vir Dei ut vidit, officiosissime salutavit, igne suscepit, eosque contemplatione sui atque allocutione, ita in spirituali affectu pellexit, ut postposito priori proposito

C ambo petunt monasterium Miciacense S. Maximini,

jam eremum non desiderarent, si eis sanctissimo D viro adhærere liceret. Sanctus autem Maximinus, plenus caritate, qui rudes atque agrestes in Dei servitio instruebat animos, tanto citius eorum desiderio satisfecit, quanto illos adjutores in tali opere futuros non dubitavit. Itaque et cohabitandi secum copiam indulsit, et ardentissimo amore sibi devinxit; utpote quos unius caritatis vinculum Deo sociaverat, et in Christo eorum animos Spiritus sanctus suo igne conflaverat.

9 Ipsi vero supradicti servi Dei, nequaquam obliti suæ propositum intentionis, non retro aciem mentis retorserunt, vel tepiditati aut ignaviæ manus dederunt: sed tamquam Evangelico manum imponentes aratro, mentis obtutibus, ad bravium supernæ vocationis intendebat, castigabantque corporis sensus sinistris affectibus, ac studebant eos venustare sacrorum actuum exhibitionibus, studiumque illis erat et opere sese conspicuos et sermonibus salsos [exhibere]. Erat quoque in eorum operibus videntium admiratio, et in sermonibus gratiæ oblectatio. Reddebat namque eos castitas floridos, fides invictos, mentis puritas simplices, splendor vitæ laudabiles. E Præponebatur ab ipsis cunctis quæ diligi possunt in dilectione Dominus, et propriæ dilectioni nullo modo supponebatur proximus. Erat illis humilitas, non modo verborum vel habitus, sed totus ipsorum veritate conditus erat actus, ita ut quicumque eos viderent, in eorum studiis velut pinace spiritali verba Domini picta putarent: quibus ait: Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Præterea cum eum conspiceret vir piæ recordationis Maximinus quotidiano provectu ad virtutum culmina conscendere, studuit ambos insigniri sacerdotali honore, et magis magisque eorum affectu ducebatur. Sancti quoque Carilephi pene assidua fruebatur collocutione.

et ibidem sancte conversante

Luc. 9. 23

sacerdotio initiantur.

10 Sancto autem Avito curam delegavit fraternæ substantiæ, sciens eum secundum Apostolum bene ministraturum, ac per hoc gradum bonum sibi acquisiturum. Subsequenti vero tempore dira fames habitatores Aurelianæ civitatis, simul et cum agrestibus incolis, cœpit valide vexare, et pene in mortem urgere. Coacti autem tanta necessitate, pauperes quique sanctum virum Avitum adeunt, alimenta sibi tribui quærunt, necessitatem querula voce et importuna coram eo deponentes. Cumque, juxta præ- F ceptum B. Maximini, vir sanctus et fidelis œconomus beatissimus Avitus indigentiæ advenientium occurrere satageret, emenso medio anno, cœpit deficere quod daretur. Cumque instaret turba quotidie clamans, ut sibi subveniretur, tunc sanctus vir sæpe memoratus, cum a cingulo solutis clavibus cellarii januas aperuisset; ecce conspiciuntur vasa, rei frumentariæ usui præparata, copia exuberante repleta. Vasa vero vinaria non modo plena, sed effluentia, subjecta humectare pavimenta. Quo viso inexperto miraculo, sanctus vir Avitus, timore pariter et lætitia oppletus, cellarium apertum reliquit et festinus opera Domini Fratribus annuntiaturus occurrit. Qui unanimiter Christo Domino gratias egerunt; et eum, pro tali eventu, et misericordiæ suæ solatio, toto mentis ac vocis officio collaudarunt. In tantum autem emanavit largitas sanctis viris indulta, ut nullum ejusdem loci civem famis dura necessitas corpore avelleret, nisi quem sors conditionis a corpore lege naturæ secerneret.

S. Avitus factus œconomus,

cum indigentibus succurreret,

reperit cellarium frumento et vino divinitus repletum

11 Interea dilectissimi Christi famuli, Avitus et Carilephus, superno flagrantes amore, nec satisfieri suo in his cernentes desiderio; remotius sibi habitaculum judicarunt perquirendum. Ad quam rem non illos fluctivaga incitabat levitas, sed Domini excitabat

cum S. Carilepho ad eremum Segal-[illegible]

excitabat voluntas, Christoque placendi inexplebilis cupiditas. Erat namque illud studii, ut quia multum jam transegerant in cœnobitali conversatione cursum, attingerent anachoritale certamen singulare: nequa illis deesset perfectio, quam illis demonstrabat Patrum recitata lectio. Itaque digredientes ab habitatione monasterii, *f* Segoloniæ abditissimis sese contulerunt locis. Decem vero, aut eo amplius a monasterio segregati millibus, ibidem vilibus contextam virgultis cellulam in speciem fornicis construxerunt. In cujus refugii parte secreta multo dierum curriculo, Dei præsentes conspectibus, hominum latuerunt notitiam. Evolutis autem diebus multis, *g* B. Maximinus, onere carnis exutus, ad regna cœlorum migravit coronandus. Postquam vero beati corpus viri Monachorum conventus sepulturæ tradidit, gravi afficitur mœrore pro tanti Pastoris morte. At ne diutius sine Pastoris vigilantia oves errarent per devia, quem in præcedentis loco possent substituere, sagaci consilio visum est perquirere. Unde absentis famuli Dei memoriam recolentes Aviti, eum ad inquirendum celeri discurrunt gressu *h*. Quo tandem in loco, quem præfati sumus, cum venerabili sodali suo reperto, ad monasterii reducunt cœnobium postulantes ut eis præminendo Patris Maximini vice fungeretur: traditaque illi, licet vehementer obstanti, a Pontifice Aurelianis Ecclesiæ regiminis cura; secundum temporis spatium, more benigni Patris, consolationem et sagacis Pastoris curam præbere non destitit *i*.

in locum S. Maximini mortui constituitur Abbas Miciacensis,

12 Præterito autem aliquanto dierum spatio, nequaquam diutius aliis præesse passus est. Videbatur enim ei quod ita Abbatis premeretur nomine, ac si magni ponderis gravaretur mole. Quapropter noctis cujusdam in tempore, B. Carilepho comitante, vastas loci *k* Perthici solitudines, ut sese iterum occultarent, expetierunt. Ad cujus optata loci pervenientes secreta, diligenter cœperunt inquirere, si forte aptum exequendis officiis, divinitate propitia, mererentur refugium adipisci. Erat namque in eo, quem petierant, veteris structuræ ruina, qui fertilis admodum et jucundus, tunc antiquitus Piciacus vocatus, nunc vero vocabulo cellæ S. Aviti agnoscitur insignitus: ubi quondam accolarum habitantium operatio pulcræ habitationis fundaverat tecta; sed in succedentis cursu temporis, nemine prius inhabitantium remanente, parietibus dirutis, omnia scilicet in ruinam devenerant. Quo in loco, toto mentis desiderio manere cupientes, modici tugurii claustrum, suæ habitationi congruum, construxerunt. Taliter enim a villarum confinio penitus exclusi, diu optati consecuti sunt secretum exilii, ubi non modici intervalli spatio hominum cognitioni absconsi *l*, arboribus victum præbentibus degebant. Sane ut amœna Divinitatis potentia in eorum cordibus uberrimum monstraret fluere sancti Spiritus rivum, eis in solitudine aperuit fontem aquæ viventis; ne qua illi qui gratia Spiritus sancti potabantur, necessitate gravarentur externis. Quem fontem beatissimus Carilephus, præcipiente venerabili S. Avito, manu sua, ut aquæ retentor esset, tereti circumdedit ædificio; et hactenus ob amorem illorum non ignobili a devotis tegitur operculo. Quem locum tamquam Domini provisione sibi delectum amplexi, in eo jam melioratam stationem collocant, diesque quam plures in sanctæ et individuæ Trinitatis devotione continuant.

13 At cum et tempora eis, divinis studiis mancipata in eodem loco protelarentur, et odor eorum notitiæ atque operum circumquaque divulgaretur; fama beatissimi Aviti aures Regis prominentis Childeberti occupavit, probata veridica sententia Salvatoris, dicentis, Nemo accendit lucernam et ponit eam sub medio sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Jussu itaque ipsius incliti Regis, basilica in eodem loco fabricatur, opibusque regiis ditatur, nec non cœnobium præparatur, quatenus lychnus sanctæ Ecclesiæ nequaquam furvis occuleretur in tenebris, sed cunctis ejusdem filiis suis radios spargeret luminis.

a Childeberto conditum cœnobium accipit:

Luc. 11, 33

ex mss.

14 Beatus autem Carilephus, prout moris est sanctis viris, vitare prospera, sinistra ob custodiam sui appetere; in his carissimum sibi relinquens locis S. Avitum, carne ab ejus præsentia secessit in interiora eremi; cum tamen ei in extricabilibus esset devinctus nexibus animi. Itaque pedes vertit in partes Cenomanicæ urbis, in locum Casagaiani nuncupatum, præter quem defluit *m* Anisola amnis. Ubi dum quadam die instaret operi, sudore coactus, vestimento, quod cucullam vocant, quercui appendit. Interea dum intendit labori, avicula perexigua, quæ vitriscus *n* vocatur, vestimento sese addit, atque inde recens ovum enixum reliquit. Carilephus autem devotus Christi famulus opere explicito vestimentum recepturus arborem adiit, ovum alitis reperit. Tunc assumpto secum germano suo * Animero, beatissimi Aviti præsentiam adiit, eique de inventi opportunitate loci, et illud quod de ovo acciderat retulit. Vir autem Domini repletus gratia Spiritus sancti, intelligens, quia non frustra id acciderit, congratulabundus ei ait: O mi amantissime, et nulli mortalium postponende, insiste labori, quia editus alitis fœtus magnos loci illius futuros portendit proventus: scito enim multo majorem olim ejusdem loci futurum Dominicum gregem, quam hic cernis nobiscum consistentem. His dictis, post spiritualium locutionum hortamenta *o*, B. Carilephus valedicens sancto venerabili Avito, repedans quo venerat, tugurio sese recepit dilecto.

a S. Carilepho tum in Cenomanicas partes profecto, deinde reduce consulitur.

* al. Daumero

ANNOTATA G. H.

a *Hæc plane eisdem verbis a S. Sivardo Abbate narrantur in Vita S. Carilephi.*

b *Ibidem ponitur*, Avitus nomine.

c *Ibidem* minus clarus *scilicet* Avitus.

d *Ibidem additur:* Erat namque tunc temporis rei frumentariæ, apothecisque præpositus monasterialibus. *Bertoldus in Vita S. Maximini* Furto fideli seipsos Abbati et proprio subduxerunt cœnobio Menatensi Carilephus et Avitus. *Quæ in alio MS. Vitæ S. Maximini latius explicantur.*

e *Hæc simili modo explicantur in Actis S. Maximini, etiam quæ de frumento et vino divinitus multiplicato hic referuntur. Imo et Letaldus libro miraculorum S. Maximini eadem habet.*

f Segalonia aut Secalonia, *totam Australem regionem Aureliæ, ultra Ligerum, versus Bituriges, occupans, vulgo* Solegne *dicta. Etiam* S. Lætus *cujus Acta ad 6 Novembris danda, ibidem recessit.*

g S. Maximinus *mortuus est anno* 520, *die* 15 *Decembris, cum adhuc in vivis esset Eusebius Episcopus qui monasterium consecrarat.*

h *Letaldus de miraculis S. Maximini.* B. Avitus ab eremi quiete divellitur, et in ejus loco a Fratribus subrogatur: qui et ipse religione mirabilis, pii Patris vestigia indeclinabiliter est prosecutus.

i *Idem Letaldus*, B. Avitus cum parvo tempore monasteriale regimen tenuisset, ad dulcedinem anachoreticæ vitæ, quam jam degustaverat ire disposuit.

k *Sivardus in Vita S. Carilephi*, Vastas expetunt Perthici saltus solitudines: quas peragrantes, inter opaca quæque nemorum, et lustra abditissima ferarum

rum, obvium se tulit eorum conspectibus fertilis locus, qui tunc Piciacus dictus, et nunc vocabulo cellæ S. Aviti cognoscitur insignitus *Letaldus* Quatuor, *imo* quatuordecim, fere a monasterio millibus seu leucis, in loco qui Maceriæ dicitur, cellulam sibi constituit: ubi usque hodie oratorium in ejus nomine permanet consecratum. *Est etiamnum in Comitatu sive agro Perthicensi prope Ligeralam fluvium Masieres, nec procul inde prope Bronium oppidum parochia* S. Aviti *vulgo* S. Auy. *Apud Surium in* Catalauniam *amandatur.*

1 X MSS

l *Additur in MS. Reginæ Sueciæ:* Fructibus arborum sustentatus potius quam pastus est. *In aliis MS* Pomiferis dapibus Sanctum silva cibavit.

m *Hinc* Anisolanum *monasterium, dein* S. Carilephi, *vulgo* S. Calais *dictum.*

n Bitriscus (*alias scriptum* Britiscus) *fortassis contracte pro* Bitoriscus: *sed* Bitorius *Cangio aliisque est* ardea *Francis* Butoir, *avis sane non parva.*

o *Quod miretur Lector, in MSS. aliis contractis et apud Surium nulla facta est mentio S. Carilephi, et rerum omnium pæne hic circa ipsum facta narrantur.*

CAPUT III.

Muto loquela, cæco visus, mortuo vita redduntur.

Sanctus muto accedenti.

Illo autem in tempore, quo Christi famulus Avitus deserti abstrusa petierat, uberrimam glandium copiam silva protulerat: cujus proventus abundantia porcorum greges eumdem ad locum fecerat confluere. Itaque cum a subulcis geminis, quorum unus mutus erat, grex porcorum nocte focibus accensis ageretur, eorum lumen repentina imbrium effusione est extinctum. Quo ex casu accidit, ut nec pecoris sibi commissi curam possent habere, nec quo tenderent scire. Eo quidem in loco, utpote deserto, spes nulla supererat recuperandi ignem: at cum jam diu tanti mœroris molestia gravarentur, foculo a longe viso, mutus ad eum dirigitur. Qui cum ad servi Dei habitaculum, quoniam ea in parte signum lucernæ conspexerant, pervenisset, hærens in limine, quia verbis non poterat, nutibus accommodari sibi ignem petebat. Cujus incertæ petitionis signum famulus Dei considerans, timore perterritus, a Dæmoniorum credidit portentis attentari. Erat enim hujuscemodi formæ mutus, ut ex eo caperetur conjectura talis: crine siquidem deformi squallidus, amictu sordidatus, totoque vultu incompositus. Ex ritu vero suæ operationis servus Dei ad arma conversus orationis, solo incumbens, Dei misericordiam aliquamdiu intima mentis prece postulare cœpit, utrum phantasma esset, an humanæ rationis consors, requisitus a se vocis propriæ explanationem manifestaret; Expleta oratione a terra consurgens, signum Crucis contra eum, de quo hæsitabat, expressit. Ut autem certus redderetur, sicut ei videbatur de monstro, in Dei nomine statim quid esset ex suæ vocis oratione indicari præcepit. Mox ad imperantis jussum muti lingua resolvitur, atque ordinata narratione exposuit quod petierat. Igitur petitione duplex donum promeruit, ut qui lumen sine voce quæsierat, vocem referret cum lumine. Tunc famulus Dei, peracto ex pietate Conditoris omnium miraculo, non fortuitu eum suam adiisse præsentiam, sed ex ipsius voluntate cognoscens; gratias agebat Domino, qui suæ potentiam misericordiæ dignatus esset conferre servo. Osculatus itaque, quem saluti restituerat, Crucis munivit signaculo, ac sic ut rediret præcepit munere duplicato.

15 Jam itaque porcorum grex efferus cum altero custode in profundum silvæ longius se immerserat: in quo ergo dimiserat, non inveniens fratrem loco, magno vocis jubilo nomen ingeminat. Cum autem toties nomen suum repeti audiret, obstupefactus cogitare cœpit, si quis muto reddiderat vocem, aut si quilibet advenisset tertius. Cumque jam, prodente lumine, fratris agnovisset faciem; amplexatus eum præ gaudio flere cœpit, curiose inquirens quis ei vocem contulerat. Igitur totius rei ordine ac eventu manifestato, celeri gressu devenit. Gratias itaque pro impenso vocis munere referentes, ingentem ex grege, cui præerant, suem humiliter offerunt, ut acciperet. At ille, *a* ne velut merces redderetur ex opere, accipere recusavit, magis obsecrans, ut neque locum vel miraculum hominum notitiæ propalarent. Recedentes denique a tanti viri præsentia, patris sui velocius adeunt domum. Quam cum ingrederetur, qui prius mutus extiterat, o pater, inquit lætare in filio loquente, pro cujus taciturnitate longo doluisti tempore: nec minus lætata mater accurrit et filio dulcia porrigit oscula.

a suem ideo oblatam renuit acceptare.

varios ægros sanat.

16 Ex hujuscemodi quidem operatione miraculi longe lateque divulgatur tanti viri fama, et qui in deserti solitudine latendo se ignorari voluerat, multo frequentatur populorum conventu. Variis namque detenti infirmitatibus, ejus adeuntes præsentiam, Dei misericordia citius liberantur. Glorificabatur ab omnibus qui audierant Divina majestatis potentia, quæ in servo suo crebra excercebat, miracula. Verum ubi ejus præsentiam accedentium multitudo inquietare cœpit, nolens frequentari a populo, ad remotioris loci abstrusa sese transferre cogitabat. Visum est autem divinæ providentiæ consilio, ut hujuscemodi voluntas populi notitiam Carnotensis Antistitis *b* Eutherii non lateret. Quorum obnixa postulatione, ac quodammodo Præsulis potestate, cohibitus, eodem in loco residere est compulsus. Ibi etenim ut providerat præscientis omnia consideratio sicut præmisimus, monasterii jam regis sumptibus constructam habitationem sub priscorum Patrum Pauli et Antonii *c* nomine dedicare fecit.

Aurelianis captivos liberat:

17 Sub ejus quoque temporis curriculo Aurelianis iter, causa orationis, habere visum est famulo Dei: Ut autem ad contiguas eidem civitati ventum est partes, quicumque in ergastulo tenebantur carceris, ejus transitu solvuntur; cujus ex divinæ voluntatis gratia merito incolumes recedebant cum gaudio. Erat ibidem in collegio cæterorum quidam ab ipsius nativitatis exordio cæcum habens filium, quem ante sancti viri exposuit genua, humiliter postulando ut et filii mederetur cæcitatem, et patris consolaretur orbitatem. Hujus vero Patris supplicationi humillimæ præsentium petitio se conjunxerat quatenus pro communi voto citius impertiret donum quæsitæ salutis. Commotus ergo vir misericordiæ supplicantium precibus, ubi signum Crucis impressit exterius, ex Dei munere collatum est oculorum lumen interius. Eo tandem prædictæ urbis penetrante locum, mihi commorantium ejus adventus præsentia ita devicta est judicum protervitas, ut reos penes sui custodiam carceribus detentos magis ipsius timore, quam misericordiæ causa liberos abire permitterent. O virum laudabilem, per quem tanta et tot rutilant insignia miraculorum! O prædicabilem Domini Confessorem, cujus meritis et sanitates corporum recuperantur, delictorum quæque vincula solvuntur, et salutaria totius sanitatis beneficia adipiscuntur! O præcelsæ sanctitatis virum, per quem infirmitatum gravamina potentialiter extruduntur, et sospitatis jura largiuntur! Tantorum namque largitione miraculorum exultat valde cœtus Clericorum, gratulatur concio populorum, pariterque reddunt omnipotenti Deo præconia laudum, qui

cæcum signo Crucis illuminat:

Beatum

A Beatum clarificavit Avitum, triumphali solennitate virtutum. Eleganter quippe et assertionaliter de eo dicitur : Amavit eum Dominus et ornavit eum, stola gloriæ induit eum. Amavit quidem eum, cum primævæ pubertatis tempore virtute sacræ fidei sibi illum gratanter ascivit : ornavit eum, quia in spe gloriæ filiorum Dei competenter solidavit. Stola gloriæ induit eum, quia in caritate radicatum, et solidanter fundatum, docuit eum scire supereminentem scientiam caritatis Christi, ut impleretur in omni plenitudine Dei.

18 Hujuscemodi ergo inseramus paginæ aliarum prodigia virtutum, ad laudem divinæ majestatis, et honorem S. Aviti gloriosi Confessoris. Addendum est namque in divini operatione mysterii, quod quidam Monachorum, in præfati Miciacensis monasterii degens cœnobio, qui quondam dilectionis privilegio a beato diligebatur Avito, quique eum eremi primitus petentem locum solus fuerat secutus, prævalida infirmitatis angustia gravari cœpit. Cumque jam extremo vicinus spatio, morituram se propediem cognosceret, assistentes sibi deposcit Fratres, ne eum penitus humandum traderent sepulturæ, donec

Monachum Miciacensem a morte resuscitat:

B famulus Dei Avitus super ipsius corpusculum orationis officio fungeretur. Tunc temporis idem Domini servus, causa visendi septa animalium, longius in desertum processerat : ut tamen poscentis Fratris supradicta petitio impleretur, quidam eorum B. Avito nuntiatum perrexit festinus, quem multum dilexerat, præsentis vitæ esse substractum luci. Audita itaque tanti mœroris legatione, vehementi confusus dolore, ad monasterii pervenit locum, jam medio noctis exacto tempore. At ubi oratorium ejusdem Ecclesiæ ingressus fuit, omnes qui exequiis intererant, somno resolutos vidit ; cujus rei eventum considerans, ac silentio gaudens, feretro contiguus, mox orationi incubuit solo prostratus. Tota ergo mentis intentione misericordiæ supplicabat Dei, pro sui restauranda vita dilecti. Expleto tandem orationis suæ voto, ex Dei munere cognovit, se quod petierat promeruisse. Confidens ergo ipsius misericordiæ, in his vocibus defunctum alloquitur : In paterni nominis gratia, per filii coæternæ voluntatis imperium, ex dono Spiritus sancti citius incolumis surgas, et nostræ vitæ adhuc fruaris aura. Cujus vocis audito imperio, surrexit sanus, illico edisserens ab ordine servo Dei Avito, quod suarum revi visceret intercessione precum. Quorum alterna confabulatione, qui dormierant, excitati, tanti

C eventus recognita tenebantur perculsi ; totius autem ignari rei, pavore præ nimio, Domino Aviti se humiliter genibus submittebant. Jam vero tantæ operationis vere cognito miraculo, omnipotentis Dei bonitati gratias referunt, qui talia exercere dignatur per servi sui meritum. Quapropter venerabilis Patris nostri Aviti miracula magis ac magis, Deo cooperante, in dies augmentabantur.

19 Tunc audita virtutum ejus fama B. Leobinus monachus cum duobus Fratribus Euphronio et Rustico, ipsius præsentiam adiit, suppliciter postulans, ut causa meliorandi, eis secum attribueret possibilitatem cohabitandi. Quos ille fraterna caritate suscipiens et illos prædictos duos per congrua sibi officia disponens, ut cognovit beati viri mentem cœlesti bonitate uberius enitescere, eum intimi amoris desiderio cepit. Adeo namque ejus obsequium conspexerat gratum, ut suæ fragilitatis corpus jejunio maceratum et senio attenuatum, nullo alimento reficeret, nisi quod B. Leobinus ministrando præpararet.

admittit S. Leobinum Monachum

ANNOTATA G. H.

Alia MSS. interponunt, cum nullis unquam carnibus vesceretur. *Surius* cum ille omnem sibi carnis esum penitus interdixisset.

D

Ex MSS

b Eutherius, *alias* Atherius *et* Hetherius, *successit S. Aventino cujus Vitam 4. Februarii dedimus.*

c *In aliis MSS.* Regulam imbi constituit. *Sur.* In quo in hunc usque diem priscorum Patrum Antonii et Pauli instituta inconvulsa servantur. *Est jam Sanctimonialium ordinis S. Benedicti monasterium in agro Dunensi.*

d *Hæc eadem in Vita S. Leobini 15 Septembris danda leguntur.*

e *Dicta Vita :* Eum cellarii præfecit officio. *At perperam legitur apud Surium, tunc* Episcopum Carnotensem *fuisse.*

CAPUT IV.

Obitus, sepultura, miracula, Ecclesia constructa.

Postquam vero miraculorum ejus insignia facta, quæ Dominus per merita servi sui operabatur, adeo divulgari cœperant ; quidam Dunensium homo, motus respectu divino, beatissimi Aviti adiit præsentiam ; supplicatione fungens humillima, ut functo vitæ cursu, se illis in partibus, non multum a sua habitatione remotis, tumulari permitteret : quatenus ex corpore ejus sacro munere illius loci salvarentur incolæ. Ad quod etiam promerendum spopondit toto animi affectu, ut si hujusmodi impleretur petitio, digna in suo nomine ædificaretur ecclesiæ habitatio. Ut autem Pater misericordiæ petenti humiliter responsi consultum redderet, eo exorsus est modo : Cum sub humanæ conditionis lege me peccatorem vivere fatear, indignum esse judico, corporis mei reliquiis Ecclesiæ fabricam dedicari. At ut vestræ voluntati consequetur effectus bonus, in Dei nomine censeo ædificandum. Corporis vero mei pusillitatem juxta Aurelianam urbem Dei providentia decretum est debere poni, si quid tamen ex jam residua vilitate corporis, vestris in partibus visum fuerit haberi, inter ventura rerum necessaria divino nutu profuturum comperietis ipso necessitatis tempore. Cujus promissionis præsagium, postea verum esse claruit.

Rogatus ut apud Dunenses sepeliretur,

E

prædicit juxta Aurelianensem urbem sepeliendum

21 Non multo vero temporis spatio peracto, servus Dei Avitus agonis sui digne cursu expleto, a remunerari meruit cœlesti palma. Dilexit namque eum Dominus, quia sub annis pueritiæ et adolescentiæ dinis implevit eum misericorditer clarissima agnitione suæ veritatis, et erudivit omni sapientia et intellectu spirituali : quo per omnia placens digne ambularet coram se. Fecit quoque eum in omni opere bono fructificare, et in scientiæ sublimiter crescere. Confortavit eum in omni virtute secundum potentiam et longanimitatem, cum gaudio gloriosam illi æternæ vitæ præmium promittendo. Ornavit enim scilicet meritorum prærogativis, et triumphalibus magnarum virtutum titulis : stola gloriæ induit eum ; quia post diversos hujus vitæ agones, stolam immortalitatis et perennis gloriæ est indeptus, et in lucida astriferæ amœnitatis et perpetuæ jucunditatis orchestra collocatus. Dotali quoque sidere glorificationis palma donatus, inter candidos cœlestium virtutum choros aula æternitatis residet laureatus. Postquam igitur fama obitus tanti viri tam Dunensium, quam etiam Aurelianensium auribus innotuit ; pro venerabilis obtentu corporis utrobique [populus] accingitur bello. Erat enim utriusque partis sua talis ratio [ut videretur] debere promoveri. Plebs namque Dunensium, quoniam eum in supradicta eremo vicinum habuerat, suæ parti promerito vindicari asserebat. Curationi in his verbis Aurelianorum turba resistebat,

a [illegible]

F

de corpore certatur a Dunensibus et Aurelianensibus.

Ex MSS.

resistebat : eum rectius suis finibus esse tumulandum, quem prius Monachum ac deinde Abbatem in Miciacensis habuerunt cœnobio loci. Sed quia locus monasterii, quod B. Avitus construxerat, ubi tunc etiam præsenti luci privatus jacebat, Dunensium incolis vicinus erat, illuc cito perveniunt. Sublato ergo S. Aviti corpore, ad basilicæ quam construxerant locum recto itinere deferre cupiunt. Audito igitur hujus rei nuntio, quod Aurelianorum multitudo ad præfatum non in tempore poterat pervenire locum, ad quem perventuros sciunt Dunenses, Ecclesiam undique circumvallare disponunt. Astantes itaque præ foribus clypeati, penetrandi aditum venientibus interdicere parant. Ubi tandem Dunensium cohors ex obstruso silvarum egredi secura cœpit, Aurelianorum acies quem petebant loci limina conspiciunt occupasse.

relicta parte Reliquiarum Dunensibus,

22 Ex hujuscemodi ergo perturbati casu, quoniam ad basilicæ optatæ habitationem pervenire nequibant, castris opponunt castra, atque beati corpus Aviti deponunt in medio. Fit ergo intentio, cui partium cœlestis nutus præberet subsidium, ne ejus causa inferretur [aliquid] damnationis, qui prius extiterat et adhuc est causa salutis. Vir quidam nobilitate pollens, ac maximi jure imperii præpotens *b* Eleusius, qui ut jam diximus, de instructione supradictæ ecclesiæ a beato viro reverenter fuerat admonitus, jurgantium imperitiam dissipavit prudentia jussionis, et salutiferum corpus Aurelianis deferendum esse decrevit. Subito illico Dunensium pars tanti viri imperio flere cœpit, graviter supplicando deposcens et cujus integritatem corporis obtinere non poterant, saltem Reliquias mereretur. Ne autem pars negaretur beneficii quos pro integro cernebant intimi doloris luctu affici ; Reliquiarum munus conferunt poscentibus *c*. Accepto itaque sacratissimo corpore animis gaudentibus ad destinatæ Dei providentia deferunt illud ad locum sepulturæ. Ubi ergo supernæ pietatis placuerat consilio, venerabile tumulatur corpus. Tunc totius regni incolæ S. Aviti memoriam cœperunt cum summa reverentia, ut dignum est, colere.

defertur corpus Aurelianis

23 Factum est autem, ut cum Dominus, B. Aviti solitarius laborem cœlesti mercede remunerans, terrenis exemptum impedimentis eum in Collegio Sanctorum suorum connumeratum haberet ; B. Eutherius Carnotensis Ecclesiæ Præsul, consummato vitæ cursu, ad cœleste regnum victor migraret. Cumque de successore ejus varia esset electio, præcipiente præfato Childeberto Francorum Principe, simulque omni populo acclamante. B. Leobinus ad Pontificii culmen est electus. Cui succedenti tempore B. Avitus tali modo dignatus est apparere. Quidam monachus, vocabulo *d* Tyrannus, crudelis quidem nomine, sed præclarus actibus atque virtute, dum esset quadam nocte in oratione solicitus et pervigil, vox ei directa est, quod tactum Ecclesiæ signum jam sonuisset. Hac itaque voce commonitus, surgit continuo, et ingressus est templum Beatæ Dei Genitricis Mariæ, splendore luminis radians : prospicit duos egregia forma viros, sanctum videlicet Leobinum, et alterum sibi nomine incognitum. Ex quorum visu, pavore perterritus fugam init, seseque rapido cursu in sua cella abscondit. Sed cum iterum ad signi tactum in præfatam Ecclesiam ad matutinos se intulisset hymnos ; expleta orationum consuetudine, præfatus monachus cautus et devotus pergit ad Dominum Leobinum, deprecans ut sibi indicaret, quæ esset illa persona, quam tam lucide splendentem cum eo quoque pariter loquentem in ecclesia vidisset. Agnoscens itaque beatus vir illum dignum fuisse tanti secreti mysterium videre, ait : Frater cum fuisses ingressus domum orationis, et duos viros pariter ibi adesse vidisti, me ut audio cognovisti. Alter vero tibi incognitus, sed micanti splendore candidus, ipse est Dominus meus Avitus, dignatus me visitando corripere et admonere, qualiter debeam quemdam Fratrem pro suis excessibus distringere, et populum mihi creditum ab insidiis antiqui hostis liberare.

Apparet B. Leobino Episcopo Carnotensi.

24 Inseratur paginæ ejusdem Patris factum memorabile, ut in hac celebri festivitate ad Episcopi laudem cum tripudiali legatur exultatione. Post obitum etenim sanctissimi viri, cum depositionis ejus annua summo honore coleretur dies *e*, aliis tantæ solennitati venerationem devotissime exhibentibus, unus civium vineam pergebat excolere. Qui cum a pluribus, cum huic festo religionem præbere renueret, vehementissime increparetur, voce respondebat tumida, quem venerabantur etiam labori operam dedisse. Non ergo veritus quod disposuerat irreverenter appetere, cum primo terram ictu sulcaret, retorta post tergum cervice, habuit experimentum inique se egisse : certo enim patebat indicio, quod ob meritum temeritatis et irreverentiæ, hujusmodi damnaretur clade. Tandem apud se quid egerit recogitans, et quod jure acciderit revolvens ; Beatissimi Aviti basilicam, tali affectus incommodo, quantocius adire festinabat : ubi orationi aliquamdiu devotus insistens, solita Conditoris omnium miseratione et ejusdem sanctissima Patroni interventione, ad gloriam et laudem Dei pristinæ salutis jucundo renovatur munere. O quam metuenda est districtio omnipotentis Dei : Quam potenter obstinatis resistit et superbis ! O quam laudanda est virtus et misericordia Dei, qua humilibus multiplicem gratiam suæ clementer impendit largifluæ benignitatis et pietatis ! Ex hoc denique facto perpenditur quam sit hominibus affectanda celsitudo veræ humilitatis, qua sapienter intelligant declinare formidabile dissidium elationis, ne forte per insolentiam incurrant infortunium justæ damnationis. Hoc quippe experimento claret liquido, quanta veneratione dignus idem Patronus habeatur. Ostendit quidem omnipotentia Divinitatis potenter in mirabilibus suis, cujus meriti sit quantæque virtutis. Ceterum experiatur prudentialis strenui lectoris sagacitas, quia in pernicie prælibati hominis, quam per superbiam promeruit, debet quisque fidelis auditor verum Dei judicium pertimescere ; in reparatione vero, quam per humilitatem acquisivit, misericordiam prædicare ; ut in utroque salutariter ædificatus, altissimo Deo, cum David Propheta veridico et Rege magnifico, pronuntiet cantando ; Judicium et misericordiam cantabo tibi Domine.

in festo S. Aviti laborans, — *cervice retorta punitur* — *sanatur pœnitens* — *Psal. 100*

25 Nos vero præfati Patroni gloriæ corde tenus congaudentes, alia enarremus facta, quia non debet silere lingua carnis a laude Divinæ majestatis. Accidit autem sub ejusdem temporis curriculo Childebertum Francorum Principem, jam sæpius nominatum, congregato exercitu ad obtinendum properare *f* Hispaniæ regnum. Audita igitur B. Aviti virtutum fama, tota mentis intentione pollicitatur ut si ab iisdem partibus ejus intercessione rediret prospere, libenter accresceret et venustaret fabricam suæ Ecclesiæ. Quem peracto suæ petitionis desiderio, ex voluntate Domini ac merito servi, non multo post triumphantem sua recepit regio. Non immemor suæ siquidem promissionis, quod spoponderat opere complevit. Hujus vero ædificationis curæ quemdam suorum præfecit Procerum custodem, vocabulo Wadonem, quem ob laborem credimus participem præmii ; quo in loco multarum gesta clarebant virtutum : quoniam omnibus pro qualitate infirmitatum, conferebatur sanitatis præmium. Nobilitabatur namque locus ille splendida claredine meritorum,

Miraculis quas exstruit Rex Childebertus — *cura extrui ecclesiam* — *g*

ritorum *g*, et magnificabatur de die in diem glorifica virtute signorum. Magnifica glorificatione laudetur, summa benedicatur veneratione, æterna laude prædicetur mirabilis Deus, qui B. Avitum, tot tamque præclaris exornat virtutibus; omnesque in commune Dei glorificent magnalia, qui illum magnifica sublimavit gloria et doxali mirificavit potentia. Ex tanta denique cœlestis operatione mysterii Aurelianorum lætatur congregatio, quia Amani operibus in virtute miraculorum socium adepta est B. Avitum. Gaudet igitur toto mentis desiderio se duplicato tueri adjutorii suffragio, quorum nos patrocinio, omniumque simul Sanctorum merito conservare dignetur in unitate Trinitas per secula seculorum, Amen.

ANNOTATA G. H.

a *Circa an.* 527 *mortuum esse supra indicavimus.*

b *Surio et aliis MSS.* Leysus.

c *MSS. Trevir. Ultraject. hæc latius exponunt.* Tunc summi qui aderant Sacerdotes trementes audent contingere corpus, et Reliquiarum magnum poscentibus conferunt munus. Igitur inde progressi Sacerdotes, corpus in sublimi attollunt, et urbanæ manus lectulo protinus nobilia colla supponunt: velut, gaudent qui possint feretri contingere lignum. At nunc sanctissimum funus cominus hostilis turba præcedit, atque strata passim subpressat in ordine plebs, urbemque petentes populi condenso pede feruntur. Cerneres illic cerea succensis ruralia candere flammis, et in millibus multis stipatur Belsa catervis. Jam primorum cornu populi tendebat ad arcem, et adhuc multi castro necdum commoverant ex Dunensi. Quis enormem Clericorum psallentium multitudinem, qui ex vicinis urbibus ob sacram religionem ad Aviti exequias alacres convolarunt celebrandas, valeat replicare. Quorum hymnificus chorus velut cœleste tonitruum sidereo pulsabat Olympo: et erat vox una omnium, clamantium et dicentium: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax Aurelianorum populo in perpetuum sub Avito: Illi vix tandem in terra congesta agmina duriter perrumpentes, defunctum perferunt ad sepulcrum, ibique Sanctum in locum, centum ab urbe gressibus distantem, formidanter cum summa reverentia magni Pontifices tumulant defensorem. Cui titulus superponitur vilissimi ligni memoria. *Hæc ibi, quæ suo stylo etiam edidit Surius.*

d *In Vita S. Leobini, ubi hoc miraculum etiam narratur,* nomine antitheto *appellatus, dicitur, id est contrario quam sibi competeret.*

e *Apud Gregorium Turonensem de Gloria Confessorum, cap.* 99, *ubi hæc historia profertur, dicitur,* unus e civibus, aliis ad missarum solemnia euntibus, accepto rastro vineam pastinare directus.

f *Hæc Childeberti expeditio contigit anno* 531, *eam describit Greg. Turonensis lib.* 3 *Hist. Franc. cap.* 10.

g *Additur in MSS aliis.* Oculorum claustra solvuntur, debilium membra solidantur, mutus vocem recipit, surdus auditum postulatus apprehendit. Datur salus integræ regioni, et per omnium infirmitates velox medicina percurrit.

DE S. AVITO EREMITA

IN SARLATENSI APUD PETRACORICOS DIOECESI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De ejus vita, ætate ac cultu in variis sui nominis ecclesiis.

Eodem fere tempore, quo Lugdunensem Galliam multis miraculis illustrare mortuus cœpit sanctus, de quo jam egimus, Avitus, Abbas *apud Aurelianos sepultus circa annum* DXXVII; *simili solitariæ vitæ incensus amore, alius ejusdem nominis Sanctus, eremiticum sibi secessum in Petracoricis quæsivit et invenit, eumque totis quadraginta annis incoluit, ad annum circiter* DLXX *superstes; eodemque quo ille die* XVII *Junii, mortuus, (ut fertur) cultum certe ecclesiasticum nihilo inferiorem, tali die obtinuit a posteris. Vita, licet non statim a morte, nec seculo eodem scripta fuerit, sicut Vita istius: scripta tamen est paucis seculis post cum notitiis valde distinctis, quoad nomina locorum ac personarum; prius saltem quam nova ecclesia, in ejus sub quo habitaverat montis jugo, ædificaretur; et in eam transferretur corpus ab inferiori, ubi sepultum fuerat cujus Translationis monumentum Chronicum, ibi lapidi insculptum, sic legitur:*

Anno milleno centeno, ter quoque seno,
Ad montem sancti transfertur corpus Aviti.

Translationis istius anniversarium celebrari mensis Martii die XXII, *nobis scripsit idem, qui Vitam, ex Legendario MS. et antiquo Sarlatensi Breviario, misit suis quibusdam Annotationibus illustratam, Armandus Girard Canonicus Sarlatensis: cujus beneficio etiam accepimus librum Joannis du Puy, de statu ecclesiæ Petracoricensis post inductam Christianismum, ubi hujus Sancti Vita ipsa Gallice narratur.*

2 *Idem Armandus, sub annum* MDCLXXVII *Parisiis imprimendum curavit Episcopi sui jussu, quod speciali diligentia per multos annos collegerat, novum Sarlatensis Ecclesiæ Proprium; ubi veteri Vitæ conformes Lectiones tres proponuntur, quas hic præmittere placet, causa majoris claritatis.* Avitus Petracoricensis, ex vico de Linocassio ad Duraniam fluvium... oriundus... militavit sub Alarico Visigothorum Rege, qui ad Pictavos pridem stativa habebat. Hunc Clodoveus... ut provocaret ad pugnam, castra posuit ad Pictavos, sic provocatus Alaricus, Pictavis egreditur cum exercitu suo, et ad decimum ab urbe milliarium, pugnandi potestate facta... magna strage fusi fugatique sunt Visigothi, Alaricus manu Chlodovæi occisus, captivi facti quam plurimi; inter quos Avitus, qui Lutetiam Parisiorum deductus est. *Acta sunt hæc anno* DVII, *ut si tunc vicennis fere* Avitus *fuerit, et usque ad annum* DLXX *vixerit, octogenario major fuerit cum obiit; sic ut eidem inde* Senioris *cognomentum adhæsisse, suspicentur aliqui: nam locus vulgo* saint Avit le Seneur *nuncupatur. Sed talis suspicio facile corruit, eo quod vox* Seneur, *etsi a Latina* Senior *tracta sit, honoris tamen, non ætatis sit titulus. Hac ergo suspicione rejecta, aliam verosimiliorem mox prolaturus, redeo ad novi Officii Lectiones.*

3 Captivitate solutus, dum patriam repetit; Aureliis

ubi curat puerum, et inde per Pictavos, ubi Monachum induerat,

reliis civem quemdam, Benedictum nomine, ægrotum, surdum et mutum sanat, et in socium individuum assumit. Pictavos ambo pergunt: cumque ad oram Provinciæ lassus quiesceret, adeo populorum concursu frequenti obruitur, ut hinc coactus fuerit aufugere in monasterium de Bonavalle Pictaviensis territorii, ubi Monacha veste induitur ab Abbate. Ab eodem locum obtinet, in quo solitariam ducat vitam: oratorium ex ramis arborum contexit, vineam jussus excolit: unicum hebdomade contentus ferculo, reliquum alimentorum, sibi ex monasterio subministratorum, erogat pauperibus. Hinc male audit apud Fratres, qui de eo graviter questi apud Laconium Abbatem, nudantes tunica, carnem ejus semiexesam a vermibus manifestant, ac crimini vertunt. Eum hac causa a monasterio indigne ejicitur.

ad Petracoricas regressus,

4 Petracoricam contendit ignotus suis, et apud Mauregium Benedictus, comes ejus fidelis, moritur; ubi in ejus et S. Aviti memoriam ecclesia postmodum constructa est. Post Benedicti decessum, vir sanctus cœptum iter non deserens, in vico de Bana reperit Secundinum, qui se ipsi jungit in socium. Ambo pergunt ad locum de Rufiaco, et in denso nemore S. Avitus cellam sibi subterraneam construit, in qua per annos quadraginta, jejuniis, vigiliis et orationibus vacat. Tandem meritis et virtutibus plenus, post triduum orationis, sacro Viatico sumpto, annosus moritur XV kalendas Julii. Corpus ejus sepelitur in ecclesia B. Mariæ de Valle: unde translatum est anno MCXVIII in ecclesiam, ipsius nomini in monte de Dariaco ædificatam, quæ a Guilhelmo Episcopo Petracoricensi anno præcedenti consecrata fuerat. *Quod ultimum habetur ex marmore, ad latus dextrum aræ majoris in pariete, sic notato;* Anno MCXVII, Guilhelmus Episcopus Petrocoricensis de Alba rupe, in honorem B. Joannis Baptistæ et Evangelistæ, sexto kalendas Januarii, hoc altare consecravit.

ibidem mortuus et sepultus est

5 *Fuerunt necne loci, ubi, cum scriberetur Vita, plures coadunati reperiebantur, Regulares an Seculares Clerici, ante prædictam ecclesiæ mutationem, ambiguis sententiis controverti intelligo. Seculares, ut nunc sunt, ita ab initio fuisse se prætendunt; obtentu sententiæ, anno* MCXCII *latæ, qua secularem ecclesiam habendam decernitur, sub Canonicis septemdecim, quos inter sunt* ***Prior, Cantor, Sacrista, Operumque Præfectus. Ad*** *horum temporale ac supremam dominium cum totus mons et agri circumjecti, nec non et alia plura loca,* S. Aviti *nomen gerentia, pertineant; putat in observationibus suis Armandus, hinc potius factum esse, ut præcipua ista ecclesia vulgo vocaretur* Saint-Avit le Senieur.

Ad ejus corpus Clerici convenisse patentur seculares fuisse:

6 *Ecclesiæ autem et loca quæ a jurisdictione Canonicorum* S. Aviti *pendent et nomen etiam illius ferunt, ac simul cultum late per Petracoricos sparsum probant, sic indicantur ab Armando.* I, S. Avitus de Ripera, *vulgo* de Riviere, *una solum leuca distans a loco primario; qui Sarlato septem, Petracorico novem leucis abest, inter oppida Bellomontii et Molariarum, vulgo* Beaumont *et* Moleres. II S. Avitus de Grave meyrous *ad fines diœcesis Sarlatensis, prope S. Fidem et Dordoniæ ripam.* III S. Avitus de Villariis, *prope Buquum Petracoricensis diœcesis, quatuor Sarlato leucis ad Occidentem.* IV S. Avitus de Solegia, *diœcesis Agenensis prope Dordoniam fluvium et S. Fidem. In his ergo omnibus locis Patronus colitur* S. Avitus Petracoricensis *dictus, et Officio duplici per totam Sarlatensem diœcesim fortassis et Petracoricensem, celebrandus præscribitur, cum hac oratione propria:* Sancti Confessoris tui Aviti, tribue nos Domine supplicationibus foveri, ut cujus depositionem annuo celebramus officio, ejus intercessionibus et meritis sublevemur.

sub eodem S. Aviti nomine aliæ ecclesiæ 4.

7 *Corpus, quod anno* MCXVIII *translatum diximus, modo ignoratur ubi sit: et quamquam anno* MDCXLIV *Dominus de Lingendes, tunc Sarlatensis, postea Matisconensis Episcopus, sub prædicto translationis olim facto monumento, ubi per traditionem putabatur sacras illas Reliquias infossas fuisse, terram alte explorari jusserit; inventum tamen nihil est. Canonici quoque prædicti anno* MDLXIII, *quo ista nobis scripsit Armandus, scrutati diligenter veteris ecclesiæ fundum ad pedem montis, ipsiusque cryptæ quam Sanctus incoluit, nihilo plus repererunt: fuit enim superioribus bellis studiosius abditum, neque est qui divinare possit quo loco. Sed neque superest pars aliqua, tempore prioris Translationis extra arcam servata, ut passim fieri similibus in actibus solet, ad populi majorem commoditatem et devotionis incitamentum.*

Corpus nunc frustra requiritur.

VITA

Ex duobus MSS. Sarlatensibus.

Beatus Avitus, ex nobili prodiens *a* stirpe, ad alta pullulando, congruenti tempore maturos fructus, longe lateque redolenti suavitate, produxit. Hic, secundum seriem curialis prosapiæ, altorum natalium productus floruit germine, ac loci Principum; et in quodam vico nomine Lanchasio *b* Petragoricæ provinciæ felicis nativitatis sumpsit exordium. Vix tempore ablactationis emenso, parentum cura urgente, litteris imbuendus studiis traditur. Transcurso igitur puerilis metæ bravio, jam juvenili pubescens flore bivium attigit Pythagoricæ *c* litteræ: in quo utriusque vitæ confinio, dextrum ramum præelegit sapienti consilio; malens in exilio hujus vitæ coarctari, quam ambitiose vivendo, vel voluptatum latitudinem sequendo, in extremo judicio damnari.

a Nobiliter natus et probe educatus,

b

c

2 Ea tempestate Alaricus, Christiani nominis publicus *d* inimicus, regnum Gothorum obtinuit: qui tyrannica crudelis animi rabie, et ferali sævitiæ atrocitate, adepti regni potentia in superbiam elatus, et quia brachio suæ fortitudinis undequaque affines vincere est solitus; spei animatus majoris fiducia, oppugnandi scilicet gratia regnum adire *e* disposuit Franciæ; quod suæ pertinaciæ votum ut firmius roborari videt assensu suorum totius regni, [argenti] ponderosa massa per exactores in unam corpus conflatur: et quisque ex militari Ordine viribus potens, donativum Regis volens nolens recepturus, per præcones urgente sententia invitatur.

d sub Alarico Goth. Rege,

e

3 Beatus ergo Avitus, athleta Dei strenuissimus, jam trium pho philosophicæ palæstræ nobiliter potitus, censu majore, equestri gradu natalium, licet invitus, seculari præscriptus militiæ, quasi alter Martinus militare donativum recepturus, inter ceteros prænotatur, ut contra hostilem Francorum aciem pugnaturus. Qui non surdus illius auditor Evangelii, ubi præcipitur, Reddite ergo Cæsari quæ sunt Cæsaris, et quæ sunt Dei Deo, exterius baltheo circumcinctus, et secularibus armis obumbratus: interius vero Christi gerens occultam militiam, terreno Regi accessit militaturus, sed cœlestem in tempore belli vexillo fidei secuturus. Cujus Alarici [adventus] veloci fama volante ad aures optimatum venit Franciæ, qui cum illorum Rege Clodoveo, *f* maximæ multitudinis manu collecta, festino impetu occurrunt Gothis obviam. Fit utrimque strages maxima: tandem Franci nobili potiuntur victoria.

militiæ adscriptus;

Luc. 20, 35

commisso cum Francis prælio

f

4 Belli hoc eventu supernæ dispositionis arbitrio, suum tironem Avitum, vexillo fidei munitum, saluti providens plurimorum, defendit jaculis inimicorum: sed ut hoc intelligeret, quia per multas tribulationes in Regnum Dei introire oportet, ad tempus libertate

capitur,

g et a Domino suo habitus liberaliter,

bertate privatur, et captivus vinculis *g* coarctatur, et extraneo Domino in servitutem destinatur; sed illius dominus, ut cognovit in eo morum constantiam, et divinam et humanam pollere sapientiam, miro amoris affectu, omnique humanitatis officio non ut personam servilis conditionis tractavit, sed in loco filiationis honestius ceteris in domo sua locavit. Jam illius Patriarchæ Joseph exemplo, servus liberis præfertur, fit major omnibus liberalis.

h apparente sibi Angelo

5 Post aliquot tempus *h* taliter [eum] consolatus est Dominus per Angelicam visionem: Serve meus bone et fidelis Avite, qui usque huc bono certasti certamine; oportet te verbi mei longe lateque prædicatorem fieri; et tu testis meus fidelis, multum pro nomine meo laborabis. In me constantem habens fiduciam, Petracoricam visita provinciam, corona servatur ibi tuo certamini: ibi credent multi per te meo nomini. In loco qui vocatur *i* Ruffiacus, sacra quæ invenies, destruet penitus; et diabolicæ fraudis artem pessimam, qua ibi insidiatur hominum generi depelles; et in nomine meo facto signo crucis, omnia idolorum contagia penitus exterminabis. Ibi habitando usque ad finem vitæ boni certaminis cursum consummabis.

jubetur Petracoricis prædicare: i

6 Qua visione beatus vir Avitus non modice confortatus, eidem obtemperans jussioni, fidemque præbens tam manifestæ revelationi; mox iter arripuit, et domino ducente Aurelianas usque pervenit. In qua civitate requiescens aliquantulum temporis, nequaquam potuit abscondi sub modio lampas tam clari luminis: nam in eadem civitate quemdam surdum et mutum, ac infirmitate gravatum, oratione pro infirmo habita, mox sanitatis incolumitas, ex integro est consecuta; qua in re omnes stupefacti incolæ civitatis, laudibus in cœlum extulerunt mirandam clementiam divinæ bonitatis, totiusque humanitatis solatium certatim cupientes præbere, virum Dei unanimiter volebant retinere.

Aurelianis subsistens

curat mutum et surdum

7 Sed B. Avitus vir Dei, neque ad sinistram vel ad dexteram declinans a sui propositi incepto, solo illo sociatus comite itineris, qui adeptus fuerat gratiam sanitatis; tandem intra Pictavensis provinciæ terminos constitit: ubi dum aliquantisper moraretur, præ morum continentia et Spiritus sancti gratia, et quæ in eo resplenduit sapientia, omnibus notus habebatur; et importuno cursu populorum, dietim nocturnatimque frequentabatur. Ejus obtentu, omnes qui infirmitatis erant molestia præoccupati, ad propria redibant restituti perfectæ incolumitati: et non solum debilibus vel ægrotis pro sanitate adipiscenda ejus profuit oratio: sed plerique gravis oneri paupertatis obnoxii, ejus munimine caritatis substentabantur solatio.

Pictavis quoque per miracula notus,

8 Sed dum pro tot beneficiis illustri fama per omnes Pictaviensis provinciæ terminos clarus haberetur, per singulos dies undequaque vicinis populis, declinare volens popularis strepitus favorem, et secularis [conversationis] dispendium; dicto comite sociatus, adiit locum ejusdem provinciæ, qui vulgo *k* Bonevallis vocatur; ubi tunc temporis monasterium, regulariter constructum, et divino servitio aptum, ab incolis in maximi honoris reverentia habebatur. Quo cum Domino disponente pervenisset, honorifice a Fratribus loci recipitur.

latendi studio secedit in Bonevallam, k

9 Sanctus Avitus, sui propositi nequaquam oblitus, humiliter exposuit coram omnibus causam sui adventus; summa cum devotione eos expostulans qualiter eum reciperent infra monachici gregis consortium et sancta conversationis sibi non denegarent habitum. Cujus petitioni Fratres acquiescentes, pari assensu obtemperantes, in Fratrem susceperunt. Factum est autem dum perfectus imitator factus est omnium, ab omnibus perfectionis nancisceretur testimonium. Patrem petiit humiliter Monasterii: ut sibi, non longe a cellulis Fratrum, locum aptum provideret optatæ solitudini. Quam petitionem Abbas libenter suscipiens, prope monasterium ad excolendum pro obedientia vineam commisit: in qua vir Dei mox oratoriolum virgis contextum, prout potuit, ædificavit: ubi adhuc hodie, *l* in suæ conversationis memoria, postmodum ab habitatoribus [erecta] lapidibus resplendet ecclesia.

et in monasterium receptus,

Ex mss. solitariam cellam impetrat; l

10 In quo oratoriolo die noctuque laudes meditabatur Domino: expensas autem communis stipendii, quas a Fratribus dietim susceperat, larga manu pauperibus erogabat: ipsi vero corpus macerando semel reficiebatur in hebdomada. Sed humani generis inimicus, dolens de viri Dei abstinentia, dolose distillans suæ invidiæ venenum per pectora Fratrum: nam ejus solitaria conversationi Fratres invidentes observabant nimia diligentia, quænam esset ejus abstinentia: et dum sæpius hac causa ejus frequentarent cellulam, una die Sabbati iterato supervenientes, offendebant eum sumptus hilari vultu tribuentem pauperibus, quos a monasterio receperat in totius hebdomadæ usus. Hujuscemodi res fortuito visa, invidiæ veneno inebriati per ordinem ut actum erat retulerunt Abbati. Abbas, nisi prospiciat tuus divinus animus, iste peregrinus in ruinam et scandalum factus est omnibus? non sufficit autem Avito regulari institutione reficere, vel jejunare; sed præsumptuosa temeritate contrarius consuetudini Fratrum, tantum semel reficitur in hebdomada, ad propagandum nomen suæ novellæ conversationis: et sub specie vanæ religionis vagos homines coadunat et substantiam monasterii inutiliter erogat: sed et de corpore ejus horrida profluit tabes; quæ nos conturbat omnes: in tugurio autem suæ cellulæ, plus gaudet vermibus consociari habitatione, quam Fratrum visitari consolatione.

ubi abstinentissime victitans,

accusatus ut indiscretus,

11 His et talibus auditis abbas *m* Lucinus virum Dei convocavit protinus: et in Fratrum præsentia tali eum alloquitur sententia: Itane, Frater, hæc in re erga te habentur, quæ isti contra te testificantur? Vir autem Domini suæ simplicitatis conscius, nullum verbum ei respondit penitus: nam quod Fratres, eum invide accusantes et clanculum convincentes, vitio imputabant; ipse vere pro magno triumpho gloriæ æstimabat: et in similitudinem patientis Job, In omnibus his, non peccavit labiis suis. Sed demum multotiens interrogantes, hoc solum placido vultu dedit responsum, Sufficiat vobis me quandoque quærere, et minime invenire. Fratres autem, quasi insanum apprehendentes, omnia vestimenta penitus sibi deposuerunt; et ita, ut antea Abbati retulerant, plenum vermibus, et exesis usque ad ossa vulneribus totum corpus tabie sulcatum invenerunt. Tandem cogente Abbatis jussione, Fratrum medicinali cura, in diebus triginta penitus restituta sunt sanitati ejus vulnera: quæ post convocantes Fratres dixerunt ei unanimes, Recede a nobis; quia nolumus tam indiscretum exemplum tuæ conversationis. Dilectus Deo Avitus, propositi sui non immemor, videns se cum illorum moribus convenire non posse, Angelicæ visitationis consolatione *n* admonitus, valedicens cunctis fratribus, ad propria est reversus.

m frustraque dissimulans quid pateretur,

Job 1, 22

invenitur totus corrosus a pediculis,

et curatus dimittitur: n

12 Igitur B. Avitus Petracoricam provinciam est reversus: et ne a suo proposito detraheretur nobilium cura parentum, omnino notitiam fugiens suorum, propriæ nativitatis devitabat locum: et huc ac illac deserta et devia percurrebat regionis. Tandem pervenit ad quemdam locum, qui *o* Mauregius vocatur, ibique lassitudine confectus, disposuit paucis manere diebus. Cumque Hymnis Dei et laudibus vacaret, contigit Deo disponente Discipulum suum Deo

reversus in patriam o

socium ibi mortuum sepelit,

EX MSS.

Deo dignum, nomine Benedictum, ex hoc sæculo migrasse ad Dominum : cujus exequiis Vir sanctus ut dignum est celebratis, eum tradidit humandum sepulturæ : super cujus Mausolæum Ecclesiam construxit, quæ usque in hodiernum diem, meritis ejusdem beati viri Aviti, et venerabilis discipuli sui Benedicti, *p* clari virtutibus Christi operante refulget.

alioque adscito per deserta vagatur,

13 Post cujus decessum vir sanctus cœptum iter non deserens, ad quamdam ecclesiam, quæ habebatur in loco nomine *q* Banavico, in honore Pantaleonis Martyris proficiscitur; ubi ab indigenis mox honorifice et spirituali gaudio suscipitur. Cum vero per aliquot dies ibi moraretur, quidam probabilis vitæ nomine Secundinus, majoris familiaritatis gratia viro Dei conjungitur. Cumque ambo per devia ab incolatu hominum penitus declinando, per arbusta difficulter transirent, montiumque et concava distortarum investigarent vallium : demum, ut supernæ placuit provisioni, perventum est ubi nunc sanctissimum ejus Corpus requiescit; ubi ex omni parte vastæ solitudinis aspectus se obviam dedit, ubi locus aptior ferarum et serpentium habitationi fuit quam hominum. Sed vir Dei Avitus locum adiit intrepidus : ac finita oratione omnis multitudo immanium bestiarum et serpentum subito disparuit. In eodem loco erat contiguus Paganorum lucus, prope quem mirifice habebatur constructum templum idolorum, in quo colebantur a paganis (ut antiquitatus prænotat fama, ter mille statuæ s id dorum. Sanctus Avitus, una cum supradicto suo socio, flexis genuum interna humilitati poplitibus, preces effundit Domino ; et completa oratione, factus est terræ motus magnus in eodem loco, ita ut manifesto possit indicio cognosci, quod locus ille servitio Dei esset aptus : in quo fidelis servi Dei Aviti exaudita esset oratio.

tandemque venit ad locum horrificum,

ubi ædificata cellula,

14 Igitur vir Dei Avitus, ab omnibus volens esse remotus, ædificavit sibi de lapidibus modicæ quantitatis cellulam ; prope quam construxit in honorem sanctæ Dei Genitricis Mariæ Ecclesiam, vocatam nostræ Dominæ *t* de vallibus : in qua usque ad finem vitæ suæ quadraginta annis, jejuniis, vigiliis orationibus et eleemosynis vacabat; et colloquiis Angelorum sæpius pro solatio fruebatur et se humiliando de die in diem divinitus exaltabatur.

alveare ex hortulo ejus furatum,

15 Quodam autem tempore latro quidam valentissimus, et per illam omnem provinciam fama nominatissimus, viri Dei cellulam clanculum adiit, et per secreta noctis furtive hortum qui erat cellulæ contiguus, irrumpere non pertimuit : cumque fuisset ingressus, examina apum prætentando cucurrit. Tandem unum vas ceteris ponderosius reperit, quod levare non distulit : quo bene et apte ad portandum locato, impetu disposuit abire festino : sed hac et illac diu multumque incassum nisus, pene denegavit motus officium immobile corpus : quod divinæ virtutis [miraculum] ut testimonio confirmaretur plurimorum, per tres dies totidemque noctes, velut statua immobilis, omnibus membris præmansit inflexibilis. Hoc videntes plerique supervenientes, glorificabant Deum, qui delinquentes in servos suos non dimittit abire impunitos. Quarta vero die latro videns se penitus non movere posse, rogavit servum Dei dicens ; Serve Dei miserere mei : absolve in te delinquentes, et ne tam graviter punias peccantem : sufficiat tam longa vindicta, dummodo in melius corrigantur delicta : hæc tam fortis membrorum connexio, pro certo fiet morum correctio : tempus meum instare cognosco et pro innumerabilibus malis meis pavesco. Cui vir Dei Avitus ait; Parum prosit ille timor ; quem non sequitur correctionis amor : si vis solutus abire, compuncto corde peccata quæcumque egisti confitere. Quia nequaquam est ibi vera remissio ; ubi vera non præcedit confessio.

et immobilitate punitum,

ad peccata confitenda inducit

Pellit dæmonem in specie mulieris visum,

16 Alio quoque tempore, dum vir Domini Avitus, in ecclesia quam sibi construxerat, orationi insisteret, perfidus tentator; indutus mulieris specie, ad ostium pulsavit dicens ; Rogo te, serve Dei, introduc me in tectum tui hospitii, et non sinas me a feris hujus vastæ solitudinis morte damnari. Cui mox vir Dei, fraudem perpendens, in faciem ejus exsufflavit : et statim ille callidus hostis in tenues auras confusus evanuit.

servat veneno potatum,

17 Quidam homo, Liberius nomine, Burdegalensis provinciæ, villæ quæ Prisciagus *u* appellatur, in potu, per dolosi hominis maleficium, incaute hauserat venenum mortis : venit ad sanctum Dei virum Avitum, et ad pedes ejus provolutus precabatur ut misereretur sui; quem cum signo Crucis undique munivit, subito mortiferum venenum evomuit. Quadam autem die, dum vir totius Misericordiæ Avitus esset in cellula sua, quidam venatores, quandam cervam acriter insequentes, eam lassitudine, confectam, et gladii sui mucrone vulneratam, ad ostium cellulæ viri Dei perduxerunt. Cui vir Dei ostium cellulæ aperuit : eamque ab instantibus venatoribus misericordia compunctus eripuit, illæsamque et sanam, omnium terrore venatorum procul rejecto, ad devia eremi loca remisit.

et cervam a venatoribus liberat

18 Cum his et aliis miraculorum virtutibus, longe lateque haberetur clarus, et Deo et populo amabilis; jam senex et plenus dierum, intrans in illud supradictum oratoriolum, in Sanctæ Mariæ constructum honore, ibique per tres dies totidemque noctes in oratione perseverans, missarum solemnia *x* celebrans, sumens Sacro-sanctum Dominici corporis viaticum, spiritum in eodem loco reddiderit Domino: ad cujus exequias corpusculi, ac suæ memoriæ commendati, in eodem loco ubi requiescit, sunt plures *y* coadunati, Deo præstante cui est honor et gloria in secula seculorum *z*.

ANNOTATA F. B.

a *Lectiones* ex illustri prosapia de Lanquaisso : *non alio tamen id fundamento, quam quod Dux Balthonius (ad quem mox nominandum* Linocassium *vulgo* Lancays, *pertinet, sub annum* 1651 *Deputatis ad se a Capitulo* S. Aviti *ostenderit vetus MS. genealogicum familiæ Lancassiæ, in quo Sanctus iste pictus cernebatur, absque ulla probatione ulteriori ; quam puto in re tam antiqua frustra requirendam ab iis, qui forsitan valde laborarent ut familiæ suæ seriem certam ad quatuor vel quinque secula attollerent. Quid enim magis incertum, quam ex eo quod* Lancassiæ *nobiliter natus sit aliquis, velle statuere quod ex ea familia ortus sit, penes quam post tot secula loci dominium est ?*

b *Situs est locus 7 leucis a Sarlato, et 2 supra Bergeracum, prope Dordoniam.*

c *Ea est littera* Y, *quia bifariam scinditur, hinc lata, inde arcta.*

d *Utpote* Arianus.

e *Imo a Francis ultro lacessitus, coactus fuit ab iis se defendere, sed adverso numine.*

f *Religionem prætexuit Chlodoveus , suscipiendo contra Visigothos bello; sed apud Francos tantum : apud Burgundiones æque Arianos, aliis rationibus opus fuit, ut eos ad belli societatem pertraheret.*

g *Ductum* Parisios, *nescio unde probaturum se speraverit Lectionum auctor.*

h *Aliquantorum annorum illud tempus concipi oportet, puta* 10 *aut* 12; *ut videatur major trecenario venisse ad Dei servitutem, liberatus et conversus* Avitus, *puta circa annum* 520.

i

A i *Hoc nomen fuisse toti silvæ, eique olim magnæ, intra quam nunc* S. Aviti burgum *est, existimat Armandus.*

k *MSS.* Bone allus, *quid recte videtur correctum in Lectionibus* Bonæ-vallis *quamquam ea Abbatia nunc Sanctimonialium sit : frequenter enim accidit, ut virorum monasteria in parthenones converterentur, et contra : est tamen etiam apud Pictavos Abbatia virilis,* Allus *dicta, cui potuit olim affixum fuisse Epitheton* Boni.

l *Hoc saltem arguit unius alteriusve seculi intervallum ; modo autem nihil tale superest, prope alterutrum ex prænominatis locum.*

m *Tam distincta notitia nominis hujus ac aliarum personarum indicat notitiam rerum plus quam simplici traditione acceptam, et fidem huic Vitæ majorem conciliat.*

n *Quandoquidem non solus ipse Sanctus, sed et socius ejus Benedictus inde recesserunt ; consequens videtur, quod intra probationis tempus, necdum ullis adstricti votis, dimissi sint. Potuerit scilicet eos, ut nunc quoque fit, Abbas recipere ad habitum auctoritate propria : sed ad Professionem admittere non potuerit absque consensu Capituli.*

B o *Quamquam hujus nominis locus non inveniatur, sequendo tamen itineris rationem ; prope* S. Avitum de Villariis *juxta Bugum invenitur locus vulgo* Majozac : *et* Mauregius *fortassis est, ipsa quam dixi* S. Aviti *ecclesia, in qua prædictus socius* Benedictus *sepultus sit.*

p *Quid si hic* Benedictus *inde in patriam postea fuerit translatus, sitque is de quo Saussayus* 24 *Oct*. D Ipso die in pago Pictaviensi S. Benedicti Confessoris gratiæ privilegiis perorati ? *de eo certe nihil adhuc alibi reperimus et discere cupimus.*

q *Videtur esse* Banes *ad Cousam, inter ejusdem nominis oppidum et Bellomontium, una leuca remotus locus a* S. Avito Dominorum.

r *Colitur* S. Pantaleon M. 27 *Julii, celebri cultu ubique notus.*

s *Ita verosimiliter credebatur per traditionem : quod autem vere uno in templo veteres Galli coluerunt idola, præter morem Romanorum, in quorum ut potestatem sic et religionem illi transierant, difficulter probaveris.*

t *Superest etiamnum ea ecclesia ad pedem montis, juxta cryptam Sancti : ipsumque Capitulum* S. Aviti, *cui olim pro parochiali erat, certis anni diebus eo accedit processionaliter, ad Missam ibi cantandam.*

u *Fortassis hodie* Priezac *in Lemovicibus, juxta Alphabetum P. de Val. Nondum ipsum in tabulis legi ; Lemovices autem ad Burdegalensem Provinciam quadamtenus referri possunt : sed hæc conjectura est.*

x *MS.* Missarum per omnia : *non videtur tamen ipse fuisse Presbyter, ut per se Missam celebrare potuerit ; sed per alium ipsam curare potuit, et sub ea Viaticum accepisse.* E

y *Necdum scilicet constituto Canonicorum collegio, cum hæc scriberentur ; sed simplices Clerici erant, si non Monachi.*

z *Dividebatur Vita in Capitula* XVII, *unde totidem Paragraphos feci.*

DE S. HUVARNO SEU HERVÆO ABBATE

IN BRITANNIA MINORI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De certo cultu ejus et Actis non magnæ certitudinis.

F. B.

SEC. VI

Cultus antiquus ostenditur

Quoties nobis de *Sanctis Britanniæ Armoricæ est agendum, toties laudandus occurrit Albertus le Grand, qui solus eorum notitiam pleniorem dedit ; prout hac die decima septima Junii producit in lucem, saltem exteris regionibus, S. Huvarnum sive Hervæum. In eo tamen maximam laudem meretur, quod certa et solida antiqui cultus argumenta proferat, quibus deficientibus, ad prætermissos* C *tantisper ablegandi essent, donec de illo magis constaret. Ad S. Hervæum quod attinet ; colligit accurate Vitæ ejus numero* 18 *varias translationes Reliquiarum, annotans quo anno et a quo fuerint celebratæ ; inchoando ab anno octingentesimo septuagesimo octavo, quando ex priori sepulchro, quod ei a morte obtigerat, in ecclesia Parochiali, sub ejus nomine postmodum dicata, translatum est Brestum, ad Capellam Prioralem Castri Regii, ob metum Normannorum Britones depopulantium. Deinde anno millesimo secundo argenteæ capsæ inclusum a Duce Godefrido I et honorifico loco repositum in Ecclesia cathedrali Nannetensi. Hoc primum est antiqui cultus monumentum.*

ex veneratione Reliquiarum,

2 *Alterum adfert idem Albertus ex antiquo Manuscripto Rituali ecclesiæ Nannetensis, anni nempe millesimi ducentesimi vigesimi quinti : in illo legitur antiquitus Juramenta Solennia ad ejus sepulcrum et Reliquias emitti solere. Probant præterea antiquum cultum Breviaria et Legendaria antiquitus conscripta, ex quibus Acta se collegisse testatur Albertus :* Vita hæc, *inquit,* per nos collecta est ex antiquis Breviariis ecclesiarum Leonensis, Nannetensis et Cornubiensium, quæ novem lectionibus Historiam continent hac decima septima Junii ; item ex antiquis Legendariis MSS. ecclesiæ Cathedralis Nannetensis et Leonensis atque ecclesiæ Collegiatæ Dominæ nostræ de Follcoat in urbe Leonensi et altero MS. continente Vitam distributam per lectiones, Hymnos, Antiphonas, Responsoria et Prosas, quod servatur F in ecclesia Parochiali de Favet diœcesis Trecorensis in Sancti hujus Honorem consecrata .... *Tum ad cumulum auctoritatis adjicit omnes qui Vitam S. Hervæi conscripserunt, vel laudabilem de eo mentionem in suis scriptis fecerunt, Robertum Cenalem, de re Gallica libro* 1. *Periodo* 6, *Arnoldum Wion, in adjectionibus Ligni vitæ ; Benedictum Gononum, in Vitis Patrum Occidentis ; Magistrum Charron, in suo catalogo Episcoporum Nannetensium, in Hervæo* XII *et Calendario Nannetensi ab ipso ordinato ; Renerum Benedictum, in suo Legendario quod accepit ex Archivis ecclesiæ Cathedralis Leonensis, ipsi transmissis per Rev. in Christo Patrem D. Rolandum de Neuville Episcopum Leonensem, nobilem et discretum Dominum Ivonem le Grand, Canonicum Leonensem et Eleemosynarium Ducis Francisci II, in disquisitionibus diœcesis Leonensis.*

et juramentis solennibus factis ad sepulcrum,

et ex Breviariis antiquis,

atque recentiorum scriptis

3 *Hæc omnia quamvis certo probent aut confirment, S. Hervæum antiquitus, usque in præsentem diem, ab ecclesia cultu sanctis debito honoratum fuisse ; non idcirco irrefragabilem auctoritatem vendicant Actis ab Alberto collectis ; quam diu nobis negatur opportunitas de antiquis istis quæ allegat monumentis, eorumque auctoribus*

quæ tamen veritatem Actorum non probant,

auctoribus, certius aliquid statuendi. Etenim si Legendaria illa, aut Breviaria, omnia habeant quæ profert ipse: numquam credidero ab auctore, qui fidem in omnibus mereatur, primo exarata fuisse; sed solum ex obscura et confusa populi traditione, quæ vix quidquam pro Sanctorum Actis, præter cultum probare potest. Subinde etiam collectoribus ejusmodi contigisse comperimus, ut circumstantias ad Acta ex diversis deprompta monumentis adderent, quæ in his non inveniebantur, aut proprio fallente ingenio, ita rem se habere persuasi; aut quia congruum id ipsis videbatur, omnia contigisse existimantibus, ut suo quo vivebant tempore fieri debuissent. Et quoniam non singula monumenta eadem Sanctorum Acta contineant, sed aliqua dumtaxat, fit, ut ista colligentes, nullo temporis servato ordine, ὕστερον πρότερον connectant plurima.

Auctore in chronotaxi errante

4 Quod forsan Alberto viro licet sincerissimo et diligentissimo evenerit, cum dicit in principio Actorum, Childebertum Justino seniore Imperante, Ecclesiam gubernante Hormisda Pontifice, regnum Francorum suscepisse: si verum est, quod Cointius ait contra Claudium Roberti, Childebertum anno DXII regnare cœpisse; nam Hormisdas sedere cœpit anno DXIV, Justinus imperare DXVIII: neque enim existimo chronotaxim hic allegatam, in Breviariis antiquis lectam fuisse, Quod quædam etiam descripserit more seculi sui, ostenditur dum Brittanniam Armoricam dividit in superiorem et inferiorem, temporibus Clodovei et Childeberti, scriptoribus aliis dubitantibus, an vel tunc Armorica, Brittannia diceretur. Videtur etiam confudisse non nulla gestorum tempora, dum Sanctum inducit modo vitam solitariam degentem, inde statim se conferentem ad scholas discendi gratia, et aspirantem ad sacros Ordines, dein confestim ad eremum fugientem, rursus aperientem scholas adolescentibus rursusque ad solitudinem se proripientem, nec diu post minores Ordines ab Episcopo suscipientem: quæ omnia, si ita gesta essent, aliquam arguerent in Sancto inconstantiam aut mutandi propositi facilitatem. Cæterum ut de veritate Actorum per Albertum collectorum judices Lector, Vitam ipsam considera, in qua non nulla invenies quæ sæpius in Sanctorum Hybernorum et Armoricorum Vitis ut minus probata rejecimus, non enim opus est semper eadem dicendo repetere.

et in adjectis circumstantiis

VITA

Per Albertum le Grand Ordinis Prædicatorum,

Ex variis Legendariis Gallice collecta.

CAPUT I.

Nativitas Sancti et adolescentia.

Justino *a* seniore Clavum Imperii tenente, sedente in Romana cathedra S. Hormisda *b* Pontifice, Hoele *c* secundo regnante in superiori *d* Britannia, in inferiori Jova *e*, anno Christi quingentesimo decimo quinto *f*, Childebertus primus Clodovæo Magno patri suo in monarchiam Francicam successit. Princeps hic inter reliquas quibus ornabatur virtutibus, liberalis erat et munificus, in remunerandis iis qui aliquod ipsi exhiberent obsequium; et ita ad palatium suum invitabat præclariora quæque ingenia, non solum regni sui, sed etiam circumjacentium regionum: inter eos qui Childeberti obsequio sese addixerunt, adolescens quidam fuit Huvarnion nomine ex magna Britannia oriundus *g*, admodum eruditus et variis quibus perfecte loquebatur linguis, instructus; præ cæteris autem arte musices excellebat, in cantilenis ad modos aptandis, et tripudiis ordinandis ad numeros: quibus cum Rex mire oblectaretur, inter familiares et domesticos eum adnumeravit et divite donavit stipendio. Novus iste aulicus, non permisit se, quibus palatia Regum abundare solent illecebris, inquinari: sed timorem Dei præ oculis habens, pie afficiebatur erga orationem, frequentabat ecclesias, et eleemosynis pauperes juvabat, singularique cura pudicitiam et castitatem servabat illæsam.

Pater sancti

in aula pius

2 Annis quatuor in Regia curia transactis, recogitabat patriam, et a Rege dimissionem rogabat; quam Rex ægre quidem, sed tamen propter importunitatem concessit: nam virtutum suarum gratia eum intime diligebat. Donis ergo plurimis et magnis muneribus cumulatum misit eum in inferiorem Britanniam ad proregem *h* Jugduvalum *i* cum commendatitiis, ut facilis illac in patriam pateret transitus. *k* Huvarnion laute et honorifice a Prorege exceptus est hospitio per triduum. Eo tempore somnium ipsi de nocte objectum est, quo sibi videbatur in sponsam accepisse quamdam istius regionis virginem sequenti etiam nocte idem ei obvenit somnium. Quapropter tertio illucescente die, cum sacro-sancto Missæ sacrificio devotus interesset, supplex orabat Dominum, ut averteret a se somnia ejusmodi, si a spiritu fornicationis objicerentur: se enim optare illibatam per omnem vitam servare virginitatem: si vero somnia hæc a divina ejus provenirent voluntate, dignaretur hanc manifestius declarare. Ad eum finem diem in jejunio transigens, vesperi eamdem orationem ad Dominum fudit et quieti se tradidit. Eadem nocte tertium ei obvenit somnium, quod tale erat: vidit ingredientem cubiculum suum juvenem multo lumine circumdatum, qui eum submisse salutatum ita alloqui visus est: virginem, quæ tibi in somnio præteritis noctibus apparuit, ne dubites in sponsam accipere: hæc quidem, sicut et tu, castitatem servare decreverat: verum aliter Deo visum est, qui ex vobis filium nasci decrevit, futurum Dei famulum sanctitate præclarum. Virgo illa, nomine Rivannone, mane in via ad fontem quemdam tibi est occursura.

h i

k

jubetur per revelationem uxorem ducere

3 Sequenti die Huvarnion Proregi visionem narrando exponit non levem inde lætitiam capienti: tum uterque conscensis equis versus mare progreditur. Vix urbe egressis ad fontem occurrit virgo, quæ de nomine et stirpe interrogata, comiter respondit: nomen sibi esse Rivannone, se parente mortuo fratri suo Riovaro cohabitare: responsum hoc eos compulit viam suam remetiri et invitato ad se Riovaro cum Rivannone virgine; somnium quod Huvarnioni objectum fuerat, exponunt: compertumque est similem visionem obvenisse virgini: hinc ortum omnibus gaudium, matrimoniumque decretum; quo brevi post celebrato, novi conjuges apud fratrem suum Riovarum habitationem sibi delegerunt.

4 Anno ad finem vergente Rivannona masculum peperit, qui cæcus in lucem editus est, et in Baptismo Huvarnion vocatus, eodem quo pater nomine: qui non nisi ad quinquennium suprevivens vitam finiit, relicta in omnium animis magna sanctitatis suæ opinione. Hervæus, orbus et minorennis, sub tutela matris remansit, quæ magna solicitudine ipsum educavit in territorio Kereranensi; *l* ubi adhuc cunæ ejus, tamquam sanctiores Reliquiæ, asservantur; quarum attactu curantur infirmi. Tenellum mater symbolum Fidei docebat et Psalterium, quæ ante completum septennium memoriæ mandaverat, simul cum hymnis breviarii *m*. Ut provideret ipsi Deus majoris meriti occasionem permiserat visu corporali orbatum venire in mundum; hinc nemine ducente per vias nequibat incidere. Accidit in vigilia

quæ et filium peperit

l

et pie educavit.

m

Hic cæcus ad ecclesiam procedit,

A gilia *n* sanctorum omnium, cum se ad ecclesiam parochialem *o* conferret, vicum pertransiens in quo ipsi aliqua præbebatur refectio, ut defatigatus ex itinere rupi insideret : tunc sternutanti dens *p* unus excidit, quem in rupis quamdam cavernulam abscondit. Inde digresso et viam versus ecclesiam prosequente, viri incolæ conspexerunt supra rupem, cui insederat, lumen magnum instar ardentis lampadis, aut accensi cerei : et ipse dux viæ ejus respiciens, videt vicum, unde exierant, ingenti ignis flamma, quæ ad nubes usque pertingeret, relucentem, eaque de re sanctum adolescentem admonet : qui respondens ait, Deus meus tantum lumen producit : vade et quære illum, ego hic reditum tuum operiar et hæc dicens scipionem in terra defixit. Abiit famulus, et dentem retulit : sed ita currendo festinaverat, ut pene calore et siti enecaretur. *q* Hoc prænoscens S. Hervæus, præcipit extrahere scipionem terræ infixum : et ecce eodem momento fons limpidissimus exilit, ex quo bibit ipse, et salit usque in præsentem diem, Fons S. Huvarni nuncupatus.

ex dente suo miraculoso lumine erumpente, et fonte per scipionem elicito.

5 Interim dum sanctus adolescens cresceret ætate, crescebat etiam virtutibus et meritis, plurimisque eum miraculis Deus honorabat. Transibat forte B per vicum quemdam, ducente eum itineris comite ; cum pueri quidam opilionum, deridentes eum dicerent : Quo vadis, cæcule, quo vadis ? At Sanctus qui nolebat eos tanta severitate punire, quanta olim Elisæus contumeliose acclamantes sibi pueros ; O fatui, inquit, oro Deum meum ut ignoscat animabus vestris hanc quam mihi infertis contumeliam : sed precor, ut in punitionem delicti, corpore non crescatis amplius, quod ita evenit : nam pueri isti nanorum instar parvuli permanserunt. Alia vice eumdem vicum pertransiens, ut semper nudipes incedebat, pedem ad petram præacutam læsit. Hinc ita rupes deinceps induruit, ut nec ferro nec chalybe lædi posset.

Pueri ei convitiantes nani manent : et rupes eum lædens durescit magis

6 Cum teneretur desiderio Deo serviendi in statu Ecclesiastico ; erudiendum se tradidit sancto monacho, cui Martiniano nomen ; cum quo annis septem habitavit, cantum Ecclesiasticum et Grammaticam *r* perdiscens tam perfecte, ut inter condiscipulos suos primas referret. Schola illa egressus, invisere decrevit avunculum suum S. Vulphroedum, *s* eximiæ sanctitatis et doctrinæ virum, in exiguo C quodam monasterio Archidiaconatus Aquensis. *t* Cumque mater sua relictis terrenis opibus solitudinem incoleret, ignorans filius in quem deserti locum se subduxisset, interrogavit S. Vulphroedum : illum vero illuminavit Dominus, non solum revelans ei locum in quo mater degeret, verum etiam quod remissionem peccatorum suorum impetrasset, et quod brevi de hoc mundo migratura esset. Hoc impulit ipsum quam primum eam adire, ut benedictionem ejus reciperet et morienti adesset ; ob multa tamen corporis incommoda et cæcitatem suam, permisit suadenti S. Volphroedo, is primus accurreret, reversusque de omnibus ipsum certiorem faceret, ac deinde ambo simul ad eam proficiscerentur.

Grammaticam discit. Avunculum visit ; eoque ad matrem brevi morituram pro se misso,

7 His ita decretis, in viam se dedit S. Vulphroedus, parvi sui domicilii commissa custodia S. Hervæo nepoti, et comiti ejus Guiharano, cui injunxit, ut reliquum, quod supererat agriculturæ, perficeret ; in eum finem relicto ipsi asino suo. Fecit servus quod imperatum erat, deinde asinum dimittit ad pascua ; ubi inventum lupus devoravit. Hoc aspiciens Guiharanus, neque auxilium adferre valens, clamando, conatur terrere lupum Tum. forte Hervæus in oratorio, precando Deum erat intentus, qui clamorem percipiens egreditur foras : et quid factum esset edoctus, rursus ingreditur, intentiusque orat Deum, ne occasione sui permittat hoc damnum D evenire avunculo suo et hospiti : ita orante Sancto : ecce lupus citato cursu adest, quem videns Guiharanus, clamabat ad sanctum, ut, janua oratorii occlusa, se servaret. At nequaquam, inquit, ille : non enim ad nocendum venit ; sed ad reparandum damnum quod nobis intulit : apprehendito et abducito eum, et utere ut prius solebas asino. Paruit ille ; et (o rem mirabilem) viderunt lupum innoxie commorantem in eodem cum ovibus stabulo, trahere carrum, ferre onera, et instar jumenti domestici subire servitia.

lupum qui jumentum devoraverat, ex impetrato oratione cicurat

ANNOTATA F. B.

a *Justinus senior imperavit ab anno* 518 *ad* 527.

b *S. Hormisdas Pontifex sedit ab anno* 514 *ad* 523.

c *Hoel secundus Rex Britanniæ regnavit ab anno* 484 *ad annum* 560 *per annos septuaginta sex.*

d *Britannia quidem Armorica apud Geographos nunc in superiorem et inferiorem dividitur teste Baudrand. : verum an ista divisio in usu fuerit tempore Clodovei et Childeberti merito videor dubitare, quod tunc primum cœperint magno numero Britanni, tra-* E *jecto mari, venire in Armoricam.*

e *Fuerit hic forsan ille quem alii Jonam, alii Johavam appellant, fuit præterea alius, tempore Hoelis qui regnum Britanniæ sibi vendicabat, nempe Rivalonus, ex Britannia majori in minorem trajiciens titulum Regis Britanniæ assumpsit, permittente, aut ægre ferente Hoele : ita ob multitudinem Regum, Regis titulus facilis obtentu erat.*

f *Cointius in Annalibus Francorum, Regnum Childeberti inchoat triennio citius; nempe Christi* 512 *contra Claudium Roberti, qui annum* 514 *statuit. Childebertus autem non in monarchiam Francicam, sed in ejus partem aliquam patri successit. Defuncto enim Clodovæo, in quatuor filios divisum fuit ejus imperium.*

g *Et hoc quidem non incongrue narratur : nam teste Argentræo in Historia Britannica, tempore Hoelis II multi Sanctorum et nobilium virorum ex majori Britannia in minorem trajecerunt, a quibus non ignobiles Historici existimant, nomen Britanniæ illis terris illatum, contra pugnante Argentræo.*

h *Quis quæso in regione non magna, disceptantibus de regno duobus Regibus Hoele, Rivallone, et Jova Prorex necessarius erat? si vero Regis Locumtenentem malis designari, quales nunc habent nobiliores urbes sub Rege Christianissimo : non credo dignitatem* F *istam tam antiquam esse.*

i *Inter Sanctos qui tempore Hoelis de transmarinis trajecerunt ad Britones quidam S. Tugdual nominatur : an forte ab isto nomen Proregis illius mutuavit quicumque primus hæc Acta conscripsit.*

k *Et hoc recte dicitur nam regio admodum portuosa est, ut facilis inde pateat ad ultramarina transitus.*

l *Alberto territoire de Kereran.*

m *Ejusmodi Breviariorum usus, aliquammultis seculis recentior est.*

n *Festum omnium Sanctorum instituit Gregorius IV qui sedit ab anno* 828 *ad* 844 ; *nec facile credendum, ducentis annis ante Gregorii tempora, festum istud in Britannia cum vigilia celebratum fuisse ; quamvis variæ Ecclesiæ diversis diebus festum illud celebraverint antequam per totam Ecclesiam, eodem die solenniter celebrandum, præciperetur.*

o *Oportet ecclesiam hanc Parochialem, longius solito a domo sancti dissitam fuisse, ut necesse fuerit in via quiescere et reficere.*

p *Necesse est dentem admodum vacillasse, aut sternutationem admodum validam fuisse, quæ illum excuteret.*

q

q *Quid opus erat tam festinanter currere? et valde sitibundus fuerit famulus, qui cum ante horam dimidiam in vico sitim bibendo sedasset rursus siti pene deficiat.*

r *Res multum miranda, si Grammaticam id est litteras scribere et legere didicerit cæcus, quin etiamsi per grammaticam idioma latinum intelligas id quoque addiscere cæco perquam difficile fuerit.*

s *Vitam nullam S. Vulphroedi repertam esse a se fatetur Albertus nec diem cultus assignat; quem optamus discere.*

t *Vulgo L'Archidiaconé d'Alq, situs est in Episcopatu Leonensi; nam Archidiaconus Aquensis unus est ex dignitatibus ecclesiæ Cathedralis Leonensis; et solent majores diœceses in Archidiaconatus dividi. Attamen vix credere possum, quod talis fuerit eo quo sanctus vivebat tempore, si seculo sexto vixerit: non enim videtur jam tum Britannia in Episcopatus aut Archidiaconatus divisa fuisse: Apostolis ejus in propaganda fide adhuc laborantibus.*

CAPUT II.

Adest matri morienti, in variis eremis degit, monasteria construit, dæmones pellit.

Ad matrem profectus

Sanctus Vulphroedus completo itinere pervenit ad sororem suam, matrem S. Hervæi et plurimam a filio salutem impertitur: quod magno gaudio fuit, morbo licet et austeritatibus sponte susceptis afflictæ. Oravit hæc fratrem suum Vulphroedum, ut adduceret sibi filium, quod ipse pollicitus domum revertitur, ubi edoctus quid asino et lupo factum esset, gratias Domino pro tanto miraculo retulit. Deinde cum Hervæo rursus ad matrem profectus est. Hervæus autem matri aperuit revelationem sibi factam, de peccatorum remissione percepta et instante tempore felicis transitus. Propterea gaudio delibuta sancta mulier, benedicens filio, adjurabat eum, ut ibidem subsisteret cum avunculo suo, donec ex hac vita migrasset. Hanc ob causam in eremo eadem commoratus est cum aliis paucis Religiosis: *a* S. Vulphroedo *b* in eremum aliam, quæ eremus sancti divi vocatur, profecto. Interim Angelus S. Hervæo prænuntiavit diem, qua mater ejus mortem obitura esset; quod ipse aliis, qui secum erant monachis, indicavit; mittens eos binos et binos per singulas noctes, ut in ejus cellula sacras in oratione vigilias servarent. Pridie vesperi ejus diei quam moreretur, apparuit vicinis omnibus, supra oratorium ejus, schala pulchra et lucida ad cœlum usque pertingens, perque eam ascendentes et descendentes Angeli, qui audiebantur suavissima cantare cantica. Sanctus matrem adiit ultimisque sacramentis ad felicem ex hac vita transitum muniendam curavit. Posteaquam vero animam creatori reddidisset, sepelivit eam in eodem oratorio, quæ nunc est ecclesia parochialis de Land-Houarn, ubi ad tumulum ejus multa contigerunt miracula. *c*

a b mortem ei prædicit

moriientemque precibus adjuvat,

et defunctam sepelit:

c

9 S. Hervæus longo adhuc tempore, post matris obitum in ejus oratorio se continuit, die noctuque orans ad ejus tumulum: deinde scholas aperuit pueris erudiendis *d* qui ex circumsita regione ad eum confluebant. Degebant cum eo in eodem loco monachi nonnulli vitæ sanctitate et perfectionis studio præstantes; qui magnis, quæ per eos Deus operabatur miraculis, omnes rapiebant in admirationem. Quadam die per divinam intellexit revelationem obitum avunculi sui Vulphroedi. Pertæsus etiam loci cum nimis celebrem et frequentes hominum turbas ad se confluentes, decrevit oratorium istud deserere et aliud magis solitarium perquirere. Egressus itaque cum Monachis suis *e* adire decrevit oratorium et sepulchrum S. Vulphroedi: eoque consilio desertum penetrat, occurrentesque fortuito pastores rogat, ut ad oratorium Sancti viam monstrarent, quod fecerunt. Neglectus jacebat locus sacer, collapsis *f* in terram parietibus et tectis, eorumque ruinis ita contectum pavimentum, ut discerni non posset, quo loco sanctum corpus requiesceret. Interim dum Sanctus in oratione prosternitur, tam vehementer terra contremuit, ut omnes qui in oratorio aderant, in terram collaberentur: et qua parte sacrum pignus depositum erat, terra sese aperuit, hiatu, per mensem integrum, suavem supra modum spirante odorem. Hoc tam manifesto miraculo inventum tumulum magistri et avunculi sui, S. Hervæus lapidibus concinne circumsepsit, qui deinceps miraculis *g* magnis inclaruit.

d juventutem instruit.

Avunculum suum obiisse intelligens e

EX IMPR. GALLICO.

f

sepulcrum ejus ornat;

g

10 Inde profectus est ad fanum *h* S. Pauli, urbem præcipuam Episcopatus Leonensis, ubi ab Episcopo benigne exceptus Minores Ordines *i* usque ad Exorcisticum suscepit, noluitque ulterius promoveri, seipsum indignum existimans. In reditu autem memorabile quid evenit. Cum longius distaret a fano S. Pauli, dicit monachis suis: Tædet me fere quotidianæ et vagæ peregrinationis: oremus Dominum, ut nobis locum demonstret, in quo degere possimus, ei serviendo reliquis diebus vitæ nostræ. Omnes se precibus dederunt, et ecce vox de cœlo dicens: Prosequimini viam Orientem versus, et ubi jussero vos iterato requiescere, ibi erit habitatio vestra. Actis gratiis pro oraculo, recta in Orientem iter dirigunt, donec longius profecti, pervenerunt ad agrum multo frumento consitum, in quo ob defatigationem consederunt: et ecce iterum vox de cœlo dicens: Hic manete, hic habitate. Iterum gratiæ Dei habitæ. Tum Sanctus in eodem campo, itinere et calore exhaustis, recentis aquæ fontem elicuit. Cumque ager ad virum quemdam honestum, cui nomen Innoco, spectaret; eum ad se vocari jussit, ipsique exposita divina voluntate, rogavit, ut sibi largiretur agri partem ad parvum monasterium sibi suisque ædificandum. Enim vero inquit Innoco quid frumento fiet, quod adhuc viride et immaturum est, si modo demetatur, peribit: expecta paulisper usque ad messem proximam. Nequaquam reponit Hervæus; sed quantum ex agro demetam immaturum, tantum tibi siccum et maturum tempore messis restituam. Postquam ita inter ipsos conventum esset; cœperunt omnes frumentum eradicare, idque colligentes in fasciculos seorsim reposuerunt: factum est autem, ut singulari Dei favore, adventante messe, fasciculi adhuc virentes demessi: non solum maturuerint; verum etiam in duplum excreverint et multiplicati sint: quod videns Innoco, et fontem miraculose elicitum a S. Hervæo considerans; venerabatur Deum, qui tam sanctos ad se viros destinasset: agrum integrum Sancto donat cum vico adjacente, et promittit ecclesiam suis sumptibus ædificandam.

h ordinatur Exorcista: i

locum ædificando monasterio

revelatione divina eligit

et miraculo comparat: r

11 Cum Sanctus die quodam adesset operis in construendo monasterio laborantibus; nobilis quidam Tyrmallonus insequebatur grassatores duos, qui monilia uxoris suæ rapuerant: et iter prosequens festinanter Sanctum nec reveritus nec salute dignatus est. Tum vero tam spissa nubes eum involvit, ut equi nec viam invenirent, nec subditis calcaribus moverentur. Tum unus ex famulis monuit Dominum, hoc in ultionem irreverentiæ in Sanctum admissæ, evenire. Tyrmallonus itaque viam remetitur versus S. Hervæum, et equo descendens, pedibus ejus advolvitur, et veniam orat; quam Sanctus, eum de terra elevans, facile concedit; oratione deinde cogit adesse illico raptores, concessaque eis vita, restituere monilia Domino.

contemnens sanctum punitur,

pœnitens beneficium ejus consequitur.

A *Ranas coaxantes* — *k l*

12 Sanctus nolens nimium gravare benefactorem suum Innocum, decrevit per circumjacentem regionem, pro Dei amore quærere subsidium construendo monasterio suo: deduci igitur se voluit per montem Aram *k* in regionem Cornubiæ *l*. ubi statim rumor adventus ejus percrebuit. Hospitium quandoque habuit in villa Launguedrec vocata. Hospes erat nobilis quidam Uvoigonus, qui illum honorifice excepit; quippe non hominem eum reputabat, sed sanctum magnumque Dei amicum et famulum, ut revera erat. Villa ista silvis perpulchre circumsepta, in quibus stagna erant et piscinæ atque in iis ingens ranarum multitudo, quæ coaxatione sua multa molestiam creabant villæ incolis. Vesperi cum de more cœna haberetur, et amphibia illa consuetam sibi musicam inchoassent, hospes super incommodo isto conqueritur: Sanctus ad orationem confugit, et continuo illæ obmutescunt, ac si guttur ipsis præcisum esset. Ex præsentibus aliquis hoc advertens miraculum, exclamavit: si reliquis nunc conticentibus una sola coaxet, credam ipsum hominem sanctum. Vix verba ista protulerat: cum ecce una sola cœpit indesinenter coaxare. Uvoigonus viso miraculo, ex silvis suis largitus est Sancto ligna omnia necessaria suo monasterio, multas præterea terras et villas, commendans se precibus ejus.

obmutescere jubet — *excepta una.* — B

13 Ex Cornubia rediens Hervæus transivit per curiam Comitis Heleni, a quo magno gaudio et benevolentia exceptus, ipsi in aurem dixit: veni huc, ut te tuosque liberem a grandi in quo versamini periculo; nam mihi revelavit Dominus, dæmonem sub humana specie in domo vestra versari, qui tibi instar famuli inservit. Obstupuit ad hæc Comes; sed dissimulans nemini quidquam indicavit: sternuntur mensæ et accumbitur: potum Hervæus rogat: dæmon in ephebi specie vinum offert. Tunc Sanctus elevata manu, signum S. Crucis super calicem format, qui disrumpitur effuso vino. Hoc cum iterum et tertio factum esset, stupente Comite, mirantibus cunctis, Sanctus apprehendit dæmonem et invocato Dei nomine jubet eum declarare, quis esset, et quem in finem domum hanc intrasset. Sum, inquit dæmon inferno egressus, qui ad crapulam et gulam homines excito, ad iram, discordiam et rixam provoco, quandoquidem vero me, invitum et frendentem licet, cogit divina potentia, per sanctum famulum suum, hoc declarare, potum hunc ideo miscueram: ut si ex eo bibissetis, furore in invicem exardescentes, mutuis vulneribus hoc loco occubuissetis. Tum Sanctus Dei nomine præcipit, domum istam desereret, nec amplius reverteretur. Ille jussa facit, clamans per aerem: Hervæe, Hervæe serve Dei, cur mihi tam crudele moves bellum? Comes Helenus videns se tanto periculo liberatum, gratias egit Deo, et S. Hervæo, qui reversus est ad suum monasterium.

Dæmonem servi specie famulantem — *et Dominum cum domesticis occidere machinantem* — C — *pellit*

14 Similem fraudem detexit in monasterio S. Majani; *m* nam cum se eo contulisset, Deo per Angelum jubente; eodem revelante cognovit, inter sancti Abbatis Domesticos, diabolum sub humana specie latere, quod S. Majano aperuit: qui convocatos omnes domesticos obtulit S. Hervæo, singulos jubens seorsim ad ipsum accedere. Hic eos interrogabat de nomine, patria, officio. At dæmon diu tergiversatus, coactus tandem est Sancto sese sistere: interrogatusque dixit; se Hucan vocari, oriundum Hibernia, arte fabrum cœmentarium, serratorem et nautam bonum, denique nullum opificium esse quod non posset exercere. Cum igitur, inquit Sanctus, tam bene omni arte instructus sis; pavimento signum Crucis digito imprime, et Jesum Christum Crucifixum adora. Voluit miser aufugere et sese abscondere: at Sanctus eum subsistere compulit, et S. Majano dixit: jam nosti, quali usus fueris servo; adducamus eum ad vicinum tuum Abbatem Gedovinum; ut ipse nobis indicet quid eo faciendum. Adducunt itaque eum, et sacris exorcismis coactus, confessus est, eo se fine in monasterio conversatum, ut monachos deciperet et seduceret. Mandatum ei est in Dei nomine, ne amplius eo veniret devolveretque se in mare præcipitem.

m — *in monasterio S. Majani* — D — *EX IMPR. GALLICO idem facit.*

ANNOTATA F. B.

a *Si Vulphroedus alio abierit, quomodo satisfecit postulato sororis suæ; nisi forte discessus ejus hic per anticipationem referatur.*

b *Armorice* sant divi.

c *Unde miror eam inter Sanctas ab Alberto non referri.*

d *Nisi intelligatur id fecisse non per se, sed per habitantes secum Monachos; incredibile est a cæco pueros doceri potuisse, quod satis difficile esse solet magistro acute videnti. Præterea id parum congruit eremiticam vitam sectanti.*

e *Quid igitur factum scholis ejus?*

E

f *Fateor, non solet esse tam firma structura talium oratoriorum, ut ad secula perdurare possint: at unius alteriusve anni spatio, quantum interjici solum potest inter mortem S. Vulphroedi et perquisitionem tumuli ejus, quis credat ita collabi potuisse omnia, qui credat rusticos et pastores, qui ipsum, ut sanctum colebant, nullam curam habuisse servandi saltem aliquam sepulchri memoriam.*

g *Optaremus miracula hæc, ut et* Rivannonæ *ab idoneo ad probandum auctore, scripta videre.*

h *Ipsa civitas vocatur* Leona *vel* S. Paul de Leon, *in ora septemtrionali Britanniæ minoris. Episcopalis sub Archiepiscopo Turonensi. Ecclesia Cathedralis dicata est* S. Paulo *primo Episcopo Leonensi de quo actum a nobis* 12 *Martii, qui potuit esse Episcopus de quo in hac Vita agitur: dicitur enim a Sammarthanis obiisse circa annum* 600 *a nobis circa* 573.

i *Cæcus juxta canones irregularis est ad omnes Ordines; quomodo ergo ordinatus dicitur? videtur subinde auctor Vitæ inter scribendum oblitus Sanctum cæcum fuisse.*

k *Albertus Le Grand* Montagne d'Aré.

l Cornubia *pars Britanniæ minoris Cornuallie Gallis.*

m *Gallice S. Majan idem qui S. Meen de quo agendum* 21 *Junii.*

F

CAPUT III.

Coram Episcopis honoratur Miraculo. Cœlum apertum videt, moritur.

a — *b* — *Synodus ad puniendum parricidium convenit,* — *c* — *d e f g* — *h* — *i*

Eo tempore Comes Comorrus *a* in uxorem duxerat S. Triphinam filiam Gueroki *b* Comitis Venetensis, quam existimans gravidam, crudelitate plusquam barbarica interemit eam cum filio suo S. Tremorio *c*. Cum Guerokus sceleris tanti atrocitatem manifestasset: omnes Britanniæ Episcopi convenerunt ad crimen puniendum et membrum tam putridum, ab Ecclesiæ corpore rescindendum. Synodus ista habita fuit in monte appellato Menes-bre *d*, prope l'Ourgart *e*, Belleisse *f* et Guengamp *g*. Non enim audebant convenire in urbem aliquam, timore hujus tyranni, qui occiso Rege Johava *h*, filium ejus Jugduvalum exulare cogebat: et ita pro libitu toto regno dominabatur. Episcopus Leonensis *i* ad synodum istam aseendens, jubet S. Hervæum venire secum: hanc ob causam non potuit tam cito adesse: nam S. Hervæus, ut erat cæcus, et nudipes

pes incedebat, non poterat alios eundo subsequi. Cum ad synodum pervenisset, ex præsentibus quidam audita causa, ob quam serius adesset Episcopus Leonensis; iracundia commotus dixit, ut quid tantum temporis consumpsimus, hunc cæcum præstolantes? S. Hervæus nihil dicto hoc irritatur, sed placide respondit Frater mi, ut quid mihi exprobras cæcitatem meam? numquid non in divina potestate est, te quoque visu privare? numquid non secundum beneplacitum suum ipse fecit nos? numquid non gratias debemus ipsi quod nos tales, quales sumus, creavit? Reprehendebant graviter alii Episcopi virum hunc, qui continuo sensit gravem Dei manum super se: confestim enim in terram concidit, facie sanguine madente et amisso visu: hoc videntes alii, vindictam divinam agnoverunt, supplicaruntque Sancto, ut visum restitueret et vulnus curaret. omnesque se in preces dederunt. Sanctus sedem et aquam postulat ad benedictionem. Respondetur aquam non esse reperiendam in monte tam excelso. At Sanctus scipione suo Crucis signum format in terra et fodi jubet. Atque ecce fons limpidissimus exilit, cujus aqua, per ministerium præsentium Episcoporum, benedicta, lavat oculos excæcati et visum ipsi restituit. in memoriam autem tam præclari miraculi sacellum exstructum est in supercilio montis ad honorem S. Hervæi et Sanctorum Britonum.

EX IMPR. GALLICO

ad eam serius veniens sanctus convitium patienter fert,

miraculose punitus convitiator

novo miraculo sanatur,

16 Synodo finita, Episcopus Leonensis et S. Hervæus ad propria redierunt; in familiari, quod per viam habebant colloquio, Hervæus uno alterove verbo, mentionem fecit de revelationibus sibi factis, quod audiens Episcopus rogavit illum, Dominum oraret, ut istarum posset esse particeps: promisit Hervæus, et cum ad S. Pauli fanum revertissent; subduxerunt se omni humanæ conversationi; jejunantes omni tempore. Tertia vero die circa meridiem, audiverunt vocem dicentem: suspicite in altum: sustulerunt oculos, et viderunt cœlum apertum; ibique contemplati sunt Ordines cœlestes, Hierarchias Angelicas, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines et omnem cœlestem curiam. Audientes interim suavissimam harmoniam cantantium: et cœpit S. Hervæus omnes et singulos nominare, Angelo ipsi suggerente omnium nomina. deinde cantarunt canticum, Cantemus Domino etc. eoque finito clausum est cœlum, et Episcopus Leonensis, tam attonitus permansit ex hac contemplatione, ut oculos a cœlo avertere non posset. Tandem S. Hervæus valedicens Episcopo suo, reversus est ad monasterium suum. Vulpes gallinam monasterii ceperat: Sanctus vero oravit, ut Deus sibi furem revelaret; et ecce vulpes gallinam illæsam et vivam retulit.

Episcopus rogans revelationum esse particeps.

cœlum apertum cum sancto videt;

Vulpes raptam gallinam refert.

17 Tandem appropinquavit tempus, quo Deus Sanctum suum remunerare volebat. Tum per revelationem intellexit, mortem sibi, intra sextum diem instare, quod indicavit Presbytero Hadriano et Hardiano et Gozhurano aliisque monachis suis. Amitam habebat nomine et re Christianam, quæ de morte ejus instante, certior facta, projecit se ad pedes ejus, supplicans ne permitteret se ipsi supervivere. At sanctus respondit: Hoc ego rogandus non sum: Deus solus vitam nostram aut prolongat aut abbreviat, juxta beneplacitum suum. Adsis mihi in ultima hac infirmitate mea et reliqua Divinæ providentiæ permitte. Commendato itaque monasterio suo et Fratribus suis Presbytero Hadriano, cum processione circuivit cellulam suam, deinde in lectum se projecit, grandique infirmitate pressus, viribus destitui cœpit. Orari jussit Episcopum Leonensem, ad se dignaretur venire, qui eo pervenit sexto morbi die: huic Sanctus confessus est: absolutione et benedictione Episcopali percepta, sacro Viatico et extrema Unctione munitus est. Deinde Antistiti Monachos suos commendavit, et jacens in cinere, coopertus cilicio, spiritum suum reddidit in manus Salvatoris. Mulier optima, amita sua Christiana, pedibus ejus advoluta, etiam defuncta est. Simul atque afflarat animam; Episcopus et Monachi audiverunt in aere cœlestia cantica; sanctus autem Antistes cum sanctis Abbatibus Gueneganо, Majano, Mormedo, cum Clericis et monachis suis, exequias ejus celebrarunt, sepelientes eum ante altare oratorii sui, in capsa lapidea firmata ferreis et plumbeis laminis. Deinde supra parvum istud oratorium ædificata est major ecclesia Parochialis, quæ de Sancti nomine appellata est Land Houarne, ubi sepulcrum ejus spectatur miraculis illustre per merita et intercessionem Sancti.

mortem suam prædicit;

et ad eam omnia disponit,

præsente Episcopo moritur.

cum amita sua:

18 Sacrum ejus corpus mansit in ecclesia de Land Houarne usque ad annum octingentesimum septuagesimum octavum, quo tempore ad vitandum Normannorum furorem, delatum est Brestum ad capellam Prioralem Castri Regii; ibique quievit usque ad annum millesimum secundum, quando Dux Godefridus *k* illud transtulit in magnam capsam argenteam insculptis præcipuis vitæ ejus Actis et gemmis adornatam, eamque dono dedit Confessario et Eleemosynario suo, Hervæo *l* Episcopo Nannetensi, qui eamdem intulit thesauro cathedralis ecclesiæ. ubi venerabiliter conservatur in sacello ejusdem ecclesiæ, quod primum est ad dexteram navis: ædificatum a Guilhelmo Gueguen *m*, quondam Episcopo Nannetensi, qui ibidem conditus est in tumulo marmoris candidi. Hic Sanctus perjuriorum osor est: pejerantes enim ad capsam Reliquiarum ejus, graviter fuere puniti; unde antiquitus sacramenta solemnia, jussu magistratuum, supra Reliquias S. Hervæi emittebantur, ut advertit antiquum Rituale Manuscriptum in pergameno, de officiis propriis Ecclesiæ Nannetensis ordinatum anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto.

transfertur corpus,

et argenteæ capsæ includitur,

punit perjuria

ANNOTATA F. B.

a *Leonensis scilicet. Hujus meminit Argentræus in Historia Britanniæ libro* 2 *cap.* 2.

b *Hic est* Guerech Comes Venetensis, *qui contra Chilpericum bellum gessit, a Gregorio Turonensi appellatus* Waroch, *teste Argentræo lib.* 10 *Cap.* 29.

c Triphinam *et* Tremorium *inter Sanctos refert Albertus le Grand, sed fatetur se Vitam non habere.*

d Menethbre *Argentræo, qui dicit ibi Sanctum habitasse, adeoque eo non potuissent convenire Episcopi.*

e *In Mappis Geographicis vocatur, ut existimo,* Louegra.

f Bellisse *forsan oppidum donatum Abbatiæ de Kemperle.*

g *In mappis* Guingand.

h *An forte hic est, quem Albertus initio hujus Vitæ* Jovam *appellat, Regem Britanniæ inferioris: Argentræus* Jonam, *cujus mortem ejusque filii fugam et scelera Comorri narrat historiæ libro Cap.* 2: *ubi etiam dicit Comorium ab Episcopis Britanniæ fuisse excommunicatum: sed de parricidio verbum nullum.*

i *Quomodo eum permisit venire Comorius, qui erat Comes Leonensis? nisi forte alibi tunc habitarit Episcopus.*

k Godefridus I *dux Britanniæ patri successit anno* 992 *usque ad* 1008.

l *Albertus asserit eum electum anno* 999.

m *Hic possessionem Episcopatus adiit anno* 1498 *obiit* 1506.

NOTA 7

DE

DE S. HYMERIO

EPISCOPO AMERIÆ IN UMBRIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. H.

De cultu deque historia vitæ, translationis et miraculorum.

Memoria apud Petrum de Natalibus,

Ameria, *aliis* Amelia, *urbs Umbriæ antiquissima, in amœno fertilique colle sita, a Cicerone, Virgilio, Plinio, Ptolomæo, Strabone, Plutarcho, Festo, aliisque memorata, usque ad declinationem Imperii, Romanæ rei paruit ; dein Ecclesiasticæ ditioni subjecta fuit, et Episcopali Sede exornata. Inter suos Episcopos habuit* S. Hymerium, *cujus sacra memoria ad hunc* XVII *Junii celebratur. Petrus de Natalibus lib.* 5. *Catalogi cap.* 122 *de* S. Hymerio Episcopo *ista scribit.* Hymerius Episcopus, Emiliæ in Tuscia *(imo Ameriæ in Umbria)* virtutibus et miraculis clarus, ibidem in pace quievit XV Kalendas Julii, ibidemque sepultus fuit. Cujus corpus processu temporis quidam Episcopus Cremonensis, illuc ab Imperatore ex aliqua causa directus, dato pretio non modico, obtinuit ; et Cremonam translatum in ecclesia almæ Virginis Cathedrali honorifice collocavit, ubi et miraculis pollet. *Hæc ibi. Secuti Grevenus in Additionibus ad Usuardum, Maurolycus, Felicius, Canisius, Wifordus, Molanus; sed ad diem* XVIII *plerique eorum post Grevenum et Molanum, Verba sunt :* Cremonæ S. Hymerii, Episcopi Æmiliæ et Confessoris. *At Galesinius solum* Cremonæ *adscribit. Nitidius in Romano Martyrologio singula ita exprimuntur :* Ameriæ in Umbria, S. Himerii Episcopi, cujus corpus Cremonam translatus est.

et in Martyrologiis.

Vita, translatio et miracula antiquitus scripta;

2 Vitam ejusdem Sancti, *inquit Ughellus in Episcopis Cremonensibus, tom.* 4, *col.* 800, scripsit Ambrosius quidam Abbas, quam legimus in veteri Codice : quem nobis communicavit eruditus senex, amicus noster, Abbas Constantius Cajetanus, cujus initium ; Cunctis sanctæ Cremonensis Ecclesiæ Fratribus, vestræ quondam Fraternitatis Ambrosius, nunc Abbas indignus, salutem in Christo. Nusquam valet humana præsumptio etc. Ibidem etiam extant ejusdem S. Hymerii miracula, a quodam Cremonensis ecclesiæ Canonico, Offredi Episcopi temporibus, circa annum Domini MCLXXIV, quorum initium: Licet, dilectissimi, dignum Sanctorum *etc. Translationis et Miraculorum historiam ex ipsius Ughelli ecgrapho dabimus : nec non inter ista descriptam Epistolam prænotatam, veluti secuturæ mox Vitæ præviam, sed quam Ughellus in isto MS. non reperit, vel (quod minus crediderim) non curavit transcribendam. Ipsam Vitam ubi simus requisituri nescio; inventam nobisque communicatam pro magno habituri thesauro. Siquidem ex illa Epistola mox integre danda et versibus aliquot et insertis videtur consequi eodem tempore et stylo scriptam Vitam eam esse, quo scripta sunt miracula ; et profitetur auctor quod* Dominus *sibi* innotuit Hymerii scriptis promere facta ; *et nihil se* subdola calliditate intimare : sed quæ ab illius loci hominibus, unde B. Hymerius fuit Episcopus, et quæ a nostris, *inquit ego Monachus intellexi* didici, hæc etsi indignus protuli. *Talis Vitæ defectum supplebit alia multo recentior, quæ quomodo ad nostras manus pervenerit dignum est commemorare.*

recentior ab Alexandro VII Papa submissa

3 Alexander Papa VII, *cum in Minoribus esset* Fabius Chisius *appellatus, Nuntius Apostolicus directus ad partes Rheni et inde auctoritate Pontificia missus Monasterium Westphaliæ ad pacem communem procurandam ; inde, ut semper fuit studiis nostris de Actis Sanctorum edendis addictissimus, ita sæpe varia Acta Sanctorum transmisit, inter quæ habemus Vitam S. Hymerii Episcopi Ameriæ, quam ex ipso tunc nobis submissa charta edimus. Auctor hujus Vitæ fuit* Antonius Maria Gratianus Episcopus Ameriæ, *qui suæ Ecclesiæ præfuit ab anno* MDXCII *usque ad annum* MDCXI, *vir magnæ doctrinæ, quique conscripsit* opus aureum de septem Ecclesiæ Sacramentis, de sacrificio Missæ, de vita ministrorum Ecclesiæ, de Parochorum officiis et de multis aliis, Venetiis anno MDCXVII excusum. *Huic operi sub finem adduntur* Vitæ Sanctorum Amerinæ Ecclesiæ Patronorum ab *eodem* Gratiano scriptæ, *inter quas extat etiam hæc* S. Hymerii *indeque ad tertiam editionem Surianam translata est.*

auctore Gratiano Ep. Amerino.

Illustre compendium extat apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ, citatis monumentis Ecclesiæ Amerinæ et Cremonensis, et apud Ughellum tomo primo Italiæ sacræ in Episcopis Amerinis. Ludovicus Jacobillus Acta S. Hymerii *Italice deducit tomo primo de Sanctis Umbriæ, citatis antiquis MSS. Lectionibus Ecclesiæ etiam Amerinæ et Cremonensis, e quibus scilicet Vitam confecit Gratianus post quam seorsim agemus, de S. Hymerii apud Cremonenses cultu.*

Compendia apud alios,

tempus vitæ et Sedis.

4 *Quo tempore vixerit, incertum est : Jacobillus arbitratur eum* Romæ ordinatum Episcopum a Silvestro Papa, circa annum CCCXXIV, ac mortuum esse circa annum CCCXLIV. *Ast Ughellus asserit* haud ante annum CCCC vixisse Hymerium. Sed multa post eum monachorum sanctum institutum efflorescere cœpit: *qua propter etiam* placuit *Ughello* illum commemorare post Salustium Episcopum qui Romanæ Synodo sub Symmacho Pontifice celebratæ reperitur subscriptus habitæ anno DII. *Ibi* Salustius *aliquis adfuit quidem, sed non indicata Sede, et sic aliqui apud Jacobillum obitum ejus referunt ad annum* DXXIV. *Porro apud Ughellum ob catalogos Episcoporum Amerinorum valde imperfectos, non reperitur certus ullus ante annum* DCXLIX, *quando* Adeodatus Amerinus Episcopus *subscripsit Concilio Romano sub Martino Papa.*

AMBROSII ABB. EPISTOLA

Ad scriptam ab eo antiquiorem Vitam, quæ desideratur.

Cunctis sanctæ Cremonensis Ecclesiæ Fratribus vestræ quondam fraternitatis Ambrosius, nunc Abbas indignus, salutem in Christo.

Auctor profitetur se divinitus jussum

Nusquam valet humana susceptio, ubi divina deerit cooperatio : et nihil est terrena factio, cui cœlica obstat collectio. Idcirco nemo totus implicatus seculo, arbitretur se placere Deo, quisquis ergo laboret exterius quo felix vivat interius. Notum enim volo fieri vestræ Fraternitati, quæ Dominus meæ innotuit parvitati, Hymerii sancti nostri Patris atque beati magnifica scriptis depromere facta ; sed tamen non est meæ possibilitatis, nec fortis ingenii vel

scribere de S. Hymerio,

vel callidæ artis hoc tantum promere, ni alias suppetat scire. Omnes ideo nunc precor attendite, et huc sancta mente vertite sensum : quoniam quidquid operis facturus, quidve sim dicturus vestro favore grandisono, et summo adminiculo satis indigeo :

Est quia res grandis multis dictanda magistris.

petit tamen juvari a fratribus,

Quamvis enim hic secundus labor non priori maneat similis, tamen quæso ne contemnatis : quoniam quod mea mens parvula voluit, id stylo scribens tenui protulit. Parcite, peto, parcite ætati ; et sapientiæ veniam dantes, nolite zelo tacti livido invidere, sed amore divino pleni gaudete : et hoc mihi cœlitus datum credite, quia non sum sic philosophiæ lacte altius, nec melleo nectare pastus, ut tanti Patris egregium auderem promere factum, nisi cœlica vis tantum opus suggereret. Si quid autem hujus acti fuerit felleum, conglutinata caritas faciat melleum ; ut igne probatum [aurum] Solidum, rutilet septuplum. Ne miremini me non posse clavam de manu Herculis trahere ; dum surculum pigmæi digitis nequeo vellere, magno nixus conamine. Ego igitur non, ut divites, grandia jacto munera templo; sed veluti paupercula offero minuta Domino ; totumque victum quem habeo libenter impendo. Nemo enim mea capacitate aut subdola calliditate istud me arbitretur intimare : sed quæ ab illius loci hominibus, unde B. Hymerius fuit Episcopus, et quæ a nostris didici, hæc etsi indignus protuli.

et suam excusat tenuitatem.

Est nihil orbe novum docet ut nos dogma prio-[rum.

Multa tamen de prædicti Patris sanctitate audivi, quæ tacitus prætermisi ; timens ne in falsitatis ruerem baratrum, ut legimus quondam accidisse Lentio. Hæc ergo, si vacat, sufficient, quæ, etsi non multa nec physice ducta, scripsi tamen audacitate promptula. *Hæc ille, quem autem indicet* Lentium, *non capio.*

MIRACULA SECULI XII

Auctore Joanne (a) *Canonico Cremonensi coævo.*

Prologus auctoris,

Licet, dilectissimi, dignum Sanctorum conversatum, morem, et studia imitari minus digne studeamus; decet tamen ipsorum merita, et præclara mirabilia, tota devotione nobiscum revolvere, summaque diligentia venerando et admirando incessanter recolere; et cum expedierit et tempus exegerit, non præterire silentio, sed enarrando et adscribendo memoriæ commendare, dicente Domino; Non est lucerna ponenda sub modio, sed super candelabrum, ut luceat intrantibus domum. Nullum enim bonum est quod non pulchrius elucescat, si plurimorum notitia comprobat. Unde Propheta : Confitebor tibi Domine in toto corde meo narrabo omnia mirabilia tua, id est, Quæcumque dicam erunt mirabilia. Verum tam eleganti et digno proposito illud Davidicum videretur occurrere, et quasi ab incepto trahere. Peccatori dixit Deus, quare tu enarras justitias meas? Et quod alibi dicitur : non est speciosa laus in ore peccatoris. Verumtamen quia his verbis indevotus repellitur; devotis autem seu corrigendis laus vel lectio non negatur; non numquam etiam, juxta Augustinum, per canales lapideos puri fluvii ad steriles areolas provehuntur aquæ, licet audacter non tamen impudenter, divina opitulante gratia, propositum aggredimur, ipso Domino promittente; Aperi os tuum et ego implebo illud : non enim est volentis aut currentis, sed Dei miserentis.

Matth. 5, 15 — Ps. 44, 16 — Eccli. 15, 9 — Ps. 80, 11

2 Beatissimi itaque Hymerii merita dignissima recolentes, nec non admiranda ejus miracula nuper nobis exhibita conscribentes, ut ex ipso ordine gestorum veritas pateat, a primo incipientes, reliqua prosequamur. Non enim possumus quæ vidimus, et audivimus, non loqui: sicut enim audivimus, sic vidimus in civitate Domini, in templo B. Hymerii. In Episcopatu siquidem Brixiensi, instante solennitate Confessoris nostri, vir quidam magnæ devotionis et fidei alio properans, suæ persuasit uxori : Caveas tibi, uxor, diligentius ab omni opere, et ab omni labore quiescere studeas, qua hodie Cremonæ B. Hymerii celebratur solennitas. O magnæ fidei mira devotio! quæ... licet pauper et ignobilis, temporalia negligens commoda, sabbatum mentis diligens, verum sabbatismum sibi thesaurizat et requiem... *b* Uxor autem, videns vicinas suas consuetis vacare operibus, circa consuetum et ipsa deliberat opus : et contempto prudentis viri edicto, suo usa consilio, sicut erat ejus officii, textrili se tradidit operi... Cum autem esset intenta operi, subito brachium ejus gravatur, debilitatur, et consueto vigore privatum ab incepto retrahitur : demum manus ipsa prius extensa reflectitur, reflexa contrahitur, contracta nullo conamine aperitur, et quanto magis nititur, tanto magis quasi in truncum redigitur...

Brixiensis civis Sancto devoti uxor — 1 Cor. 1, 28 — Luc. 10, 24 — *contra viri mandatum eius festo texens, manus contractione punitur,*

3 Viro autem redeunte ad propria, et quod factum est admirante; divinum approbat ille Judicium, et dignam asserit in uxore vindictam; et multis medicorum curis frustra adhibitis, deficiente humano auxilio, divinum expetit: quia non est consilium, non est scientia, vel fortitudo contra Dominum. Ipse utique est clavis quæ aperit, et nemo claudit; claudit et nemo aperit : ipse eripit, et non est qui de manu sua possit eruere. Voverunt itaque manum cereàm B. Hymerio et annuam ejus solennitatem studiosius venerari de cetero... Veniente itaque Octava solennitatis, uterque festinat ad B. Hymerii limina : et ceream manum, emptam duplicato pretio, intima devotione offerunt ejus altari; adimplentes quod dicitur; Vovete et reddite Domino Deo vestro, Quid plura? vix voto adimpleto, manus prius contracta erigitur, erecta omnino extenditur, extensa more solito clauditur, et aperitur... His itaque indubitanter cognitis, et omnimoda certitudine approbatis, concurrit summa devotione clerus Cremonensis et populus utriusque sexus, nobiles et ignobiles, divites et pauperes, senes et juvenes : et ordinata processione, sonoris laudibus, altisonis vocibus Deum glorificant, Sanctum honorant, miraculum admirando collaudant, et in laudem tanti Patroni universa civitas resonat.

et post oblationem manus cerea, — Ps. 75, 12 — *curatur*

4 Prædictum, dilectissimi, miraculum, tamquam aliorum initium, et causam sequentium, pro modulo nostræ fragilitatis diligenter executi, quæ admiranda sequuntur, suffragante divina gratia, brevius transcribamus. Divulgato itaque priori miraculo, et ab omnibus approbato, ardente festinantes desiderio devotissimo concurrunt animo, debiles et infirmi, claudi et cæci, aridi et contracti, et quacumque infirmitate detenti, cupientes meritis B. Hymerii misericorditer liberari; adimplentes quod dicitur : Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Volens autem Dominus Confessorem suum iterato honorari miraculo, et prædicta confirmare sequenti testimonio, mirandis plus miranda adjungit continuo. Cujusdam enim puellæ, pluribus cognitæ ab annis prioribus, manus contracta, cunctis videntibus misericorditer aperitur, omnino sana ostenditur, et naturali vigore solidata mirabiliter agitatur. . Accrescit itaque gaudium gaudio, jubilus cantico, processioni processio, verbum bonum eructat omnium unanimitas, et in laudem Sancti geminatur solennitas.

atque multis et inde venientibus — Luc. 11, 9 — *sanatur contracta puellæ manus*

5 Et quia devotus Clerus, et populus tanti beneficii

Luc. 17, 18

idemque miraculum sæpius iteratur :

ficii minime sunt ingrati, sed cum alienigena mundato, ut refert Evangelium, gloriam reddunt Domino; divinitus collato multiplici gaudet beneficio. Quia etenim non cessat devotio et obsequium, omnino secundo simile, tertium, quartum, quintum in extensis manibus sequitur miraculum : quæ propter similitudinem brevius perstrinximus, ne forte seorsum dicta lectori fastidium generarent. Animadvertat itaque devotio vestra, quam fidelis sit promissio illa Evangelica : Qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur : quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur; nec unquam deerit copia largitoris, nisi forte desit assiduitas petitoris, quia non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit. Continuatam igitur usque ad aliam Octavam solemnitate, unanimi voto et communi consilio, honorabilis Clerus, una cum suo Pontifice *c* Offredo dignissimo, et venerabilibus ejus Fratribus Canonicis, festum celebrat elegantis varietate officii; scilicet obsequiis, canticis dignis, hymnis et psalmodiæ laudibus, eximiis processionibus, devotis orationibus; fidelis vero populus, mira varietate donorum, spectabili diversitate munerum, decoris scilicet palliis, vasis argenteis, cereis non modicis, nummis innumeris, et ceteris dignis oblationibus; misericors vero Dominus, finis omnium et principium, incipiens et consummans, multiplicis novitate miraculi, solemnia sui Confessoris exornat.

et Octava pie duplicatur.

illuminatur puer cæcus,

6 Prima itaque et secunda die, crebris ut diximus coruscantibus miraculis, quia procedente tempore [successerunt] alia admiranda; siquidem nec devotionem vestram tædeat audire, nec parvitatem nostram pigeat scribere. Constat siquidem puerulum, ab annis prioribus lumine privatum, a parentibus ante altare B. Hymerii devotissime oblatum, omnino sperantibus ejus suffragio ipsum illuminandum : et quia fidem et devotionem indesinenter offerunt, infantem protinus illuminatum recipiunt. Pius etenim Dominus, ejus oculos aperiendo illuminans, cæco visum restituit, et miro beneficio contra naturam vertitur in habitum privatio : quod omnibus præsentibus adeo manifestum apparuit, ut ab ipso Pontifice evidentibus signis fuerit approbatum.. Et quia cœlestis participes beneficii laudem et devotionem incessanter persolvunt, votaque et orationes multiplicando indesinenter offerunt; omnipotens Dominus suæ benedictionis gratiam eas multiplicando largitur. Cum enim die noctuque, ut diximus, multitudo astaret infirmorum, cæcorum, claudorum, aridorum, et similium, expectantium misericordias Domini; mirificans misericordias suas, cujusdam adultæ brachium, longo tempore simul cum manu aridum et contractum, extendendo erigit, erigendo naturali vigore consolidat, solidando membrum utrumque pristino reddit officio... Et ut cetera brevia dicta facilius teneantur, quod huic simile secundum et tertium miraculum comprobatur... *d*.

sanatur aridum brachium cum manu

ANNOTATA D. P.

a *MS. miracula sic :* Ab egregio Canonico Joanne Tentabeo ypo, *fortassis legendum* Tentalbene, *notum Italis nomen, quod significat* Adhære bono : Yporedia *autem, primis litteris hic expressa, alias* Eporedia, *vulgo* Yvrea, *est civitas Insubriæ : ut Joannes ille intelligatur patria* Eporediensis *fuisse.*

b *Ne fastidio sit diffluens ad parerga concionatorius stylus, pleraque hinc rescidimus : quo clarius evadat absque illis narratio, alias identidem interrumpenda.*

c Offredus *alias* Unfredus *Episcopus Cremon. ab an.* 1170 *ad* 1185.

d *Sequitur longa adhortatio, ad imitandos quos laudamus Sanctos, virtutibus potius exercendis quam miraculis faciendis, proposito nostro inutilis, ideoque hic omissa.*

VITA RECENTIOR

Auctore Antonio Maria Gratiano Episcopo Amerino

a Natione Brutius,

Hymerius natione *a* Brutius cum adolescentiam summo pudore castissimisque moribus transegisset; atque iis litterarum disciplinis, quas capere illa ætas potest, imbuisset; et in eo cum ipsa ætate studia quoque pietatis ac cœlestium rerum coaluissent; ne, quod fieri intelligebat, ab earum fructu ac meditatione, humanis curis atque hominum consuetudine, distraheretur; patria parentibusque relictis, abditam ac desertam in insulam secessit. Ubi Anachoretarum instituto, divinis laudibus precibusque intento, et jejuniis atque abstinentia magnopere dedito, diu cibum agrestia poma, et quas terra sponte sua fundit, herbæ radicesque præbuerunt; sitim fontanæ aquæ extinxere, tectum silvestres arbores, stratum ipsa humus fuere. Donec prodente eum ipsa sanctitatis admiratione, recipere se coactus est in Monachorum cœnobia : inter quos adeo omnibus religionis laudibus excelluit, ut nemo continentia cum illo, nemo precandi assiduitate, nemo contemptu sui, nemo aliis Christianis virtutibus conferretur : quibus cum divinarum quoque litterarum doctrinam haud mediocrem adjunxisset, earumque studio, quidquid sacris precandi et psallendi officiis superavit temporis impenderet; sibi inter homines cœlestem quamdam vitæ rationem instituisse videbatur.

fit anachoreta,

dein monachus,

2 Sed tantam hominis virtutem, tam insignia sapientiæ, religionis, sanctitatis ornamenta in solitudine atque intra cœnobiorum septa delitescere, et uni pene sibi fructui esse, non sivit divina providentia : eaque ipsa ornamenta prodire in apertum, et quam plurimis usu atque exemplo prodesse, tum voluit, cum ille maxime in solitariæ vitæ rationem intentus, nihil tale poterat cogitare. Nam cum forte Amerina Ecclesia, Episcopi sui morte, viduata Pastore esset; et felicibus illis exurgentis atque efflorescentis Ecclesiæ seculis, Episcopi non tam hominum studiis suffragiisque crearentur, quam piis Cleri populique precibus a Deo poscerentur; iique demum acciperentur, quos vi sua cœleste monstrasset numen; et Amerini de novo Episcopo deligendo cum suo Clero consultarent, crebrisque supplicationibus ac sacrificiis insistentes Deum orarent, ut sibi rectorem moderatoremque sacrorum et animarum custodem daret; repente divinitus indicatum, omnes magno consensu Hymerium, longe inde absentem, nec ulli visum, aut aliter quam fama sanctitatis cognitum, Episcopum conclamarunt. Quæ res miraculo inde ipsis, qui patrarant, fuit; reputantibus ignoti hominis nomen, tanta omnium voluntate atque approbatione acceptum fuisse.

nutu divino

Amerinorum precibus exauditis

ignotus et absens eligitur Episcopus :

3 Delato igitur ad eum Episcopatu, legatos Romam mittunt, qui rem ad Pontificem Maximum referant; ex cujus auctoritate profecti inde in insulam, ubi vir sanctus agebat, trajecere; eique cœnobii latebris educto, quid venissent, exposuere. Qui, ut erat vir gravis et prudens, re mature perpensa, demum nec divinæ voluntati obsistere, nec Pontificis Maximi jussa detractare est ausus : ac ne Amerini quidem Cleri populique flagrantissimas preces ac tanta in se studia deserere sustinuit. Itaque cum Pastoralis officii onus, ut a Deo ipso impositum sibi, demisse atque obedienter *b* subiisset; Ameriam venit : exceptusque est tanta omnium lætitia, quanto nuper consensu expetitus delectusque Episcopus fuerat.

auctoritate Papæ inductus

venit Ameriam,

A GRATIA EP diligens in disciplina observanda

4 Hic sancti viri eximia virtus, eo magis explenduit statim, quo illustriori ac celsiori jam e loco conspiciebatur. Non enim solum vitæ innocentiam eamdem præstitit, qua in solitudine atque inter cœnobitas suos nituerat; sed ita omnia Pastoralis officii munera implevit, ut non minorem prudentiæ, diligentiæ, assiduitatis, quam religionis et sanctimoniæ gloriam promeruerit. Disciplinam sacrorum totamque divinorum Officiorum rationem ita rexit, ut nihil sua ecclesia esset ornatius, nihil cultius, nihil descriptius. In moderandis autem moribus illud in primis tenuit, ut nihil præciperet aliis, quod ante non imperasset sibi; nihil in aliorum exigeret vita, quod non eluxerat in sua. At populum frequentibus statim concionibus aggressus, non quidem facultate atque arte dicendi (quamquam ne hoc quidem illi defuit ingenii decus sed simplicitate et commoditate orationis, et rerum ac sententiarum gravitate, et in quo sita omnis persuadendi vis est) innocentiæ atque Sanctitatis opinione, brevi omnium animos ita devinxit sibi, ut quo vellet facile impelleret. Sæpe de æternis suppliciis, quæ sontes damnatosque apud inferos manent disserens, ingenti terrore audientium pectora concutiebat: sæpe ad cœlestium illorum bonorum spem quæ humana despicientibus, et pie, caste, juste, ex Jesu Christi disciplina viventibus parata sunt, erigens animos, mirum dictu est, quantos pietatis et religionis amores excitaret.

et moderandis moribus;

5 At officia caritatis non facile discerneres, mansuetudine, an largitate majori susciperet. Egentibus omnibus certum in eum subsidium, afflictis solatium erat, et quos re nequisset, opera aut consilio juvabat. Ægros cum viseret, subveniendo, consolando, monendo, non tam ut ab eorum corporibus morbi depellerentur, quam ut in animis lues peccatorum sanaretur, studiosius curabat. Domus ejus hospitibus, et maxime religionis causa peregrinantibus, semper patuit. Ipse jejunii atque abstinentiæ observantissimus semper fuit, ut pane et aqua, et cum lautius exciperet sese, ficubus, aut ovis, pomisve corpus sustentaret magis, quam aleret.

a ldictus operibus caritatis, et abstinentiæ,

6 Tam insignes virtutes, tantam viri sanctitatem Deo longe acceptissimam esse, admiranda prodigia miraculaque, quæ identidem edidit, testata sunt. Nam sæpe loca, sæpe humana corpora, adversis spiritibus incessa infestataque, fusis ad Deum precibus, liberavit: sæpe ægros sæpe varie membris captos, in summa valetudinis desperatione, iisdem precibus, saluti restituit.

miraculis claret:

7 Postremo cum valens atque integer diem, quo mortem obiturus ipse erat, divino instinctu prædixisset; qua pietate vitam egerat, eadem ultimum quoque spiritum edidit. *c* Nec inde e corpore ejus asservatisque per multa secula et magna [religione] Amerinorum circumjectorumque populorum cultu Reliquiis, minora aut minus crebra miracula prodierunt: ut quam Ecclesiam præsens maximarum virtutum gloria exemplisque illustraverat, eam e cœlo quoque novis subinde beneficiis ornaret, celebrioremque redderet, donec magno Urbis hujus infelicitate, circa annum DCCCCLXV, sanctæ Reliquiæ Cremonam ablatæ sunt a Loyza *d* Cremonensium Episcopo; cui quod apud Otthonem primum Imperatorem facile principem gratiæ atque auctoritatis locum obtineret, Amerinus episcopus adversari ausus non est; eo quidem minus, quod per Loyzam ipsum irati infensique Imperatoris animum recuperare ac placare cupiebat: Cremonæque usque ad hanc diem Hymerii Reliquiæ in Cathedrali ecclesia custodiuntur, pieque coluntur. Corpus quidem marmorea in arca clausum habetur, in quam a Siccardo episcopo conditum fuisse arcæ ipsius inscriptio docet. *e* Caput integrum in pellucido vitreo vase, lanternæ *f* forma, asservatur, et Cremonensis ecclesia sanctum ipsum Patronum sibi adoptatum, in magno honore ac veneratione habet.

prædicit diem obitus.

Transfertur Cremonam anno 965

ANNOTATA G. H.

a Brutii *incolebant hodiernam Calabriam ulteriorem et partem Calabriæ citerioris isti magis vicinam.*

b Romam accersitus, *inquit Ferrarius,* statim Episcopus ordinatur.

c Sepultum in Cathedrali, cunctis lacrymantibus, *asserunt Ughellus et Jacobillus.*

d Loyza, *alius* Luizo, Luizardus, Luitprandus, Episcopus, *celebris scriptor, etiam Trithemio* Eutrandus, *dictus; de quo actum est in Præfatione ad tomum* I *Februarii cap.* 4 *: eumque dicto anno fuisse Episcopum Cremonensem, optime ostendit Ughellus in Episcopis Ticinensibus. Idem in Amerinensibus dicit: quod pariter translatum Spoleto Cremonam sit* corpus S. Gregorii Presbyteri Martyris, *qui colitur* 24 *Decembris.*

e *Hanc infra referemus, et priorem corporis translationem in arcam ferream. Accipe inscriptionem ex Ughello* 1 *tom.* 1 *col.* 437.

Quatuor exemptis annis de mille ducentis
id est, 1196.
Fabricat hanc arcam Præsul Sicardus, et aram:
Qui triduo tandem perfectam sacrat eamdem,
Anno dotatus undeno Pontificatus.

Hinc intelligitur Sicardus iste ordinatus fuisse 1185 *: obiit autem* 1215, *juxta Ughellum: qui etiam narrat, quomodo eodem curante canonizatus sit* S. Homobonus *an.* 1200, *a triennio defunctus* 13 *Novembris. Ante ipsum fuit quidam* Obertus, *an.* 1117 *ordinatus, qui* 1141, Præsulatus sui ferme 24, corpus S. Hymerii ferrea arca inclusit, intulitque in novam Cathedralem; et anno 1158 corpus S. Gregorii Presbyteri, in ecclesiam S. Michaelis transferendum curavit, *defunctus* 1169. *Huic successit* Emmanuel, *deinde* Offredus: *et* Emmanuel *quidem laudatur ut* sanctus, *sicut inter Prætermissos ad* 27 *Febr. diximus; sed tacente de eo Merula, inter Sanctos ac Beatos Cremonenses; expectamus de ejus cultu (si quem habeat) ac deinde de Vita et miraculis, instructionem magis distinctam.*

f Lanterna *et* Lanternus, *medio ævo pro* laterna, *de quorum etiam inter sacra vasa usu, pluribus vide disserentem Cangium in Glossario.*

ACTA TRANSLATIONIS

Ex veteri MS. Abbatis Constantini Cajetani.

Fuit in diebus Othonis Majoris, clarissimi Imperatoris, quidam Cremonensis Episcopus bonæ memoriæ, Luizo, *a* Sumista *b* Regius, in commisso benignus, in consilio providus; amore divino domusque repletus, ut tanti Patris Hymerii inventor et portitor fieret almus. Qui cum, frequenter ingrediens et exiens a facie Regia, fideliterque agens erga præcepta Imperatoris, Romanis inesset partibus, venit ad eum Ameriensis Episcopus *c*, quem malevola turbatio discorsque accusatio fecerat extorrem a conspectu: qui sic est orsus fari voce lugubri: Pater carissime, quem Imperator in secundo regni culmine dicavit, deprecor mihi subvenire, quoniam quadam accusatione damnatus nugacula, ac injuste acri percussus sententia, Imperiali sum privatus gratia. Nunc ergo adjuva me, meam condolens abjectionem: recompensabo enim te quovis munere. Cui ille; Si felix, inquit, Sanctorum *d* corporibus, me habendo aliquod felicem feceris, te reddam benevolentiæ pristinæ Regis. Ad hæc ille, Non audeo, inquit

a b Cremonensis Episcopus

rogatus intercedere pro Amerinense

Vicissim rogatur dare corpus alicujus Sancti.

A inquit, in hoc tuis satisfacere rogationibus: condita enim sunt Sanctorum corpora sacris altaribus. Sed est mihi unus, arca in lignea positus, quem illius loci incolæ summo venerantur honore, Hymerius nomine: si hunc tibi inferre valerem ratione aliqua, et ad tuam possem transferre patriam, te fore lætandum scio tanto Patre beato.

Hic noctu S. Hymerii corpus tollens,

2 His vero relatis sermonibus ad Ameriam oppidum venere protinus; et alma calliditate ingressi sunt ecclesiam, quasi nocturna celebraturi mysteria: prostrati namque in oratione diutius, multis vacabant votis et precibus, quo suis Sancti faverent petitionibus. Vix expletis orationibus, totus ille contremuit locus, in quo jacebat S. Hymerius. At Præsules, quamvis tremefacti, tamen spe credula propius sunt aggressi. Interea custodibus gravi somno dormientibus, adierunt Episcopi ad S. Hymerii sepulchrum. Qui dum cœperunt arcam frangere, beatum corpus conantes extrahere; expergefactus quidam ex custodibus cœpit clamare: Surgite Fratres, surgite velociter. Nobis beati Hymerii corpus furatur. Quo Luizo Præsul egregius audito custode, occurrens illico ei dat munera et petit silentium: ille vero, accepto munere, suoque viso

ipsum tradit Cremonensi:

B Episcopo tacens, contulit præsidium.

3 Tunc Pontifices, corpus tollentes celebre, adoraverunt tanto gavisi munere: condentes vero sanctissima membra vase purissimo, clam omnibus exierunt ab oppido. Rediens autem prælibatus Antistes Cremonam, secum optata attulit gaudia. Qui propriam ingressus urbem, advocans plebem, cunctis beatissimi Hymerii corpus ostendit: prostratus etenim in oratione populus, obnixe laudabant Dominum, qui talem illis patronum dederat. Cumque in tanti Patris laude persisterent, plurimi petierunt ecclesiam, et in honorem ejus mysteria celebravere; tunc reconditum est sacrosanctum corpus sermo decorato decentius, post sanctæ Dei Genitricis altare, quod illo tempore conditum erat in Australi parte illius ecclesiæ, ubi permansit diutius, non in altari positus, quia deerat condendi locus: sed tamen ut Sanctus semper in annos colebatur. Laudabilis autem præfatus Pontifex, tanto Patre gaudens, animadvertebat qualiter Sancti corpus conderet sacrum sed tamen non fuit hoc illi datum, quia imperiali servitio coactus, Constantinopolim *e* directus, illuc amplius haud est reversus.

qui illud ponit sub altari B. M. V.

f

Eidem propria crypta fabricatur,

4 Temporibus tandem venerabilis Olderici, *f* subsequentis Episcopi, non immemor Dominus sui

C Confessoris Hymerii, volens illum sigillatim condi, permisit uni cubiculariorum Præsulis modo prædicti, volenti construere cryptam in sancti honore Patris, suæ causa salutis. Qua de re idem cubicularius, sævo infirmitatis vinculo nexus, divina virtute pristinæ sanitati mox est redditus. Quo vero fideliter laborante in opere sancto diu, sui Pontificis suffragio remuneratum credimus utroque præmio. Peracta autem crypta et polita intrinsecus, cum Domini Clero et populo conveniens Episcopus alma translatione summaque jubilatione beatum corpus condivit aromatibus, in loco orationis, loco colendo omnibus; ubi divina celebrantur mysteria, et devote poscentibus donantur auxilia, ac ægrotis innumerabilibus restauratur sospitas.

ab Episcopo successor.

5 Interea paucis jam transactis diebus advenit quidam utroque lumine cæcus, et ante sacrum Hymerii altare corruit pronus, credens se illuminaturum *g* Sancti virtutibus. Cum in oratione sedula perseverans, denique Sancti præstolaretur misericordiam, optata suscepit munera. Inundans enim lympha, ex quadam prosiliens situla, in Missarum celebratione ducta, stillavit guttas in ore ejusdem accubantis juxta; et accendit lucernas olim extinctas, inferens fronti clara lumina. Qui fuerat cæcus

g

Illuminatur cæcus.

D fit sumpto lumine lætus. O mira res et stupenda! omnibus illis in audita temporibus! Valde enim timenda est omnipotentis misericordia, qui sic dissidentia conglutinat elementa. Quis enim vidit frigidam aquam fontis, ignis extincti accendere flammas? sed hæc lympha, cœlesti ardore ignita, natatoriam Siloe est imitata, quæ quondam jubente Deo aperuit oculos cæco. Hac itaque fama per totam provinciam divulgata, undique multi conveniebant, munera ferentes.

aquæ gutta oculis infusa

6 Ipse vero Oldericus Episcopus, vir bene catholicus, tanto prodigio gavisus, mox præcepit argenteam fabricari tabulam ante sancti Patris Hymerii altare ponendam, auro gemmisque decoratam: qua incepta, a pluribus argenti munuscula sunt contracta. Cumque argentum in fabricationis pondere æqua librare'ur lance, ut sciretur cujus quantitatis esset integra; mirifice cœpit crescere. Quotiescumque enim ponderabatur trutina toties libra crescebat altera, usque ad peractam tabulam. O nova et admirabilis virtus, quam nusquam accidisse audivimus! Illa nimirum ubertas in argento emanavit, quæ olim esurientem populum in deserto saturavit. Talibus vero præcipuis ema-

argenti in tabulam oblati pondus miratur majus,

E nantibus miraculis, utriusque sexus turba concurrens innumerabilis, ad præfatum Patrem properabat alacris. Multi enim cæci, surdi, aridi, variisque ægritudinibus gravati, hæc audientes miracula, festinabant ad B. Hymerii limina, et optatæ reddebantur sanitati, a quacumque fuissent infirmitati detenti: sed et dæmonia a pluribus obsessis corporibus Sancti jussu profuga ululabant, dicentia, Heu! heu! ecce nostri generis interitus: ecce nobis aufertur populus. Quæ nempe, ut diximus, miracula, et multa alia, per plurima viguerunt tempora. sed insurgente flagitio populi, Pater sanctus modicum a virtutibus cessavit, quasi soliti oblitus miraculi. Post vero suorum recordans fidelium. Pastor mirificus, multiformia dietim ostendit prodigia.

infirmi multi curantur.

energumeni liberantur

7 Lætemur ergo in Domino Carissimi, diem festum Patris nostri celebrantes Hymerii: quandoquidem, si nos senserit festivos fideliter, favebit propitius nostris orationibus feliciter. Ille vero puros diligit servientes, cujus nomen purum dicimus resolventes. Si enim secundum etymologiam nominis respicimus, Ymeron *h* Hebraice et Æolice, Purus Latine interpretabimur. Vere Domino fuit purus, quia puritiam cordis est executus. His itaque per-

Sanctus invocatur.

h

F actis salubriter, oramus te, sanctissime Pater, ut patrociniis tuis fruentes, mereamur cœlesti munere fieri participes, ipso auxiliante, qui unus in trinitate vivit et regnat, per æterna seculorum secula. Amen.

ANNOTATA D. P.

a Luizo *diminutivum a* Luitprandus, *sicut* Gothilo *vel* Gozilo *a* Gothofredus; Cezo, *a* Gelehardus; *et alia plurima hujus generis ac promiscui usus.*

b Sumista, *an pro* summista, *seu* summulista *vel secretario scriptum? an pro Græco* symmysta *qualenus idem nomen ab arcanorum conscientia ducitur? non definio.*

c *Nomen excidit, deficiente ad seculum* 10 *Catalogo.*

d *In his primum locum tenent* SS. Firmina et Olympias *Martyres, civitatis Patronæ primariæ, quarum festa aguntur* 24 *Novembris, et* 1 *Decembris. Item* secundus Martyr 1 *Junii; sed hujus corpus Eugubii esse creditur. De aliis nihildum scio.*

e *Legatus Constantinopolim Missus* Luizo *dicitur an.* 968, *a Nicephoro Phoca Othoni juniori petiturus uxorem Theophaniam. Ejus legationis Historiam ipse scripsit, qualis edita habetur; ubi etiam meminit legationis*

tionis prioris ad Constantinum Imp. quam obierit, non Episcopus, sed Diaconus; nec ab Imperatore aut Rege, sed a Berengario Marchione missus : *antea scilicet* Diaconus Ticinensis, *quod cum esset, historiam scripsit; tunc vero* Episcopus Cremonensis. *Neque obstat scrupulus, ab Henrico Canisio objectus, quod in historia ipsa lib.* 6 *cap.* 6 *fiat mentio* Luidbrandi Cremonensis *Episcopi, tamquam ab Historiæ auctore diversi : revera enim Luidprandi historia non pertingit ultra lib.* 6 *cap.* 5; *cetera alius et recentior adjecit, judicio Baronii, Bellarmini, Vossii, Labbei, et aliorum : superfuit autem post ipsam legationem ad annum* 970, *ac forte diutius.*

f *Sedit* Oldericus, *usque ad annum* 1003.

g Illuminaturum, *id est* illuminandum *seu* illuminatum iri.

h *Imo* Hemeron, Ἥμερον : *quod tamen non significat Græce* Purum, *sed* Mansuetum, mitem, suavem : *Hebraicas radices operosius scrutetur cui vacat, primo intuitu nil tale nobis occurrit.*

DE SANCTO AGRIPPINO

EPISCOPO COMENSI IN ITALIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. H.

De ejus cultu, rebus gestis, et corporis translatione.

Circa DLXXXVI

Officium Ecclesiasticum

Peregimus celebrare sanctos Ecclesiæ Comensis, *sive Novocomensis, apud Larium lacum; et tertium hoc mense Junio damus* sanctum Episcopum Agrippinum, cujus cultus exploratissimus est : nam quotannis per urbem et diœcesim Novocomensium memoria ejus instauratur in Officio Ecclesiastico, *uti scripsit nobis R. D. Primus Aloysius de Tattis Novocomensis, Congregationis Somaschæ Theologus, ac sacri Officii Consultor, rogatus de cultu S. Dominicæ Virginis ac sororis S. Agrippini, de qua ad illius Vitam* XIII *Maji dictum est. Idem Primus Aloysius de Tattis, in suo Martyrologio Novocomensi, anno* MDCLXXV *excuso, exornat* S. Agrippinum *hoc elogio :* Quinto decimo Kalendas Julii. In Monasterio Cisterciensi Aquæ-frigidæ diœcesis Comensis, S. Agrippini Episcopi et Confessoris : qui in summa temporum improbitate, Ecclesiam sibi commissam gubernans, summa etiam enituit sanctitate. Antiquum S. Justinæ Martyris, nunc S. Nicolai, templum Pionæ consecravit. Denique in insula Larii lacus extrema correptus ægritudine, in eadem gloriosis meritis cumulatus, migravit in cœlum.

Memoria in Martyrolog. Comensi,

2 *Mox in Notis primo loco ista leguntur:* De eo agunt, cum Breviario Ecclesiæ Comensis, Lazarus Carafinus, in Officiis peculiaribus ejusdem Ecclesiæ; Philippus Ferrarius, in Catalogo sanctorum Italiæ, in catalogo generali sanctorum, et in Topographia ad Martyrologium Romanum; Benedictus Jovius, Historiæ patriæ lib. 2; Thomas Porcacchius, Nobilitatis Comensis lib. 2; Philippus Archintus, in syllabo suorum Prædecessorum; idem Lazarus Carafinus, tum in Dyptica Episcoporum Comensium num. 13, tum in Catalogo Sanctorum ac Beatorum, quorum Corpora in civitate et diœcesi requiescunt; Robertus Ruscha, tum lib. 1 Nobilitatis suæ familiæ, tum in descriptione monasterii Aquæ-frigidæ; Franciscus Ballarinus, Chronici Comensis parte 2; Quintilius Lucinus Passalaqua, in sua prima epistola historica; Ferdinandus Ughellus, Italiæ sacræ tomo 5, in serie Episcoporum Comensium num. 13; Lelius Fravezzius, in Diario Comensi hac die, et nos fusius Annalium Comensium Decade, lib. 8 a num. 11 usque ad 80.

mentio apud scriptores

3 *Hæc ibi ille : qui in Annalibus pag.* 571, *initium Episcopatus* S. Agrippini *ponit ad annum* DLXVIII, *ac primo inquirit de ejus patria, quia eum Ballarinus pag.* 10, *cumque secutus Ughellus* natione Germanum *crediderunt*, Coloniæ Agrippinæ natum, ex divino instinctu pervenisse Comum; cumque Joanni Episcopo ejus sanctitas innotuisset, eumdem post suum excessum, præviis suasionibus, curasse in Episcopum eligendum. Quod cum ex voto decedentis feliciter successisset, populi Comensis expectationi cumulate respondit. *Verum ea de re antiquiora monumenta requirentur; nec enim videntur temporibus illis aliunde quam ex proprio Clero Episcopi assumpti. Causam id fingendi, nomen* Agrippini *dedisse videtur, quod tamen diminutivum ab* Agrippa *quo nomine illustris fuit Cæsaris Augusti gener satis frequens Romanis erat. Præterea late agit de Tattis contra Robertum Ruscham, perperam affirmantem S. Agrippinum ex Ordine monastico S. Benedicti fuisse assumptum : quæ apud ipsum videri possunt. Addit idem* veritati injuriam inuri, affirmando, ab Agrippino Ecclesiam S. Mariæ conditam, quæ Aquæ-frigidæ Prioratus nunc appellatur, hujus enim fundamenta jacta fuisse anno MCXLII, antiquæ et fideles tabulæ docent : non ergo Ecclesiam ibi sacravit Agrippinus, neque defunctus sub ara majori ibidem tumulum accepit : cum ea ecclesia non nisi post annos quingentos et sexaginta post obitum S. Agrippini cœperit ædificari.

Annus Episcopatus suscepti 568.

An patria Colonia Agrippina,

an Benedictinus ?

4 *Hisce rejectis, tamquam certiora, ista idem de Tattis tradit.* Obiit S. Agrippinus circa annum DLXXXVI, humatur in Castro Insulæ, quam Larius ambit; et Paulus Diaconus, in Longobardorum historia, Comacinam appellat. Hic primo ægrotavit Agrippinus, hic obiit, et hic vere post mortem sepulturæ traditus est. Hic etiam per plures annos, usque ad ultimum Insulæ excidium, quievit in propria ecclesia : ex qua postmodum delata sunt ossa ad Divi Petri sacellum : atque hoc etiam post aliquot annos diruto, tandem ad Aquæ-frigidæ ecclesiam commigrarunt. Constant hæc omnia ex antiquis S. Euphemiæ monumentis, ad nos transmissis : quæ quia cohærent cum aliis Aquæ-frigidæ manuscriptis, nos ea fidelissima existimamus, et merito rejectis neotericorum fabulis approbamus. Obdormivit sub ara majori Agrippinus, usque ad annum Domini MDXCVIII, quo inventus est; et dignis cultus honoribus a Philippo Archinto Episcopo Novocomensi, denuo sub eodem altari honestiori conditus est sepulcro.

Mortuus circa an. 586 in Castro Insulæ depositus,

translatus ad S. Petri Sacellum et Ecclesiam Aquæ-Frigidæ,

et anno 1598 honestius depositus

5 *Ita prælaudatus scriptor in suis ad Martyrologium Comense Notis. Coluntur* XVIII *Januarii sanctæ Virgines Liberata et Faustina : quarum Vitam ex Italico Francisci Balarini edidimus, in qua num. 4 ista leguntur :* Præerat eo tempore Ecclesiæ Comensi S. Agrippinus, XIII Antistes : coram quo votum perpetuæ virginitatis sanctæ sorores nuncuparunt, habitumque et regulam recentis adhuc Benedictinæ familiæ susceperunt; ac patre sumptus præstante, oratorium Deiparæ Virgini Mariæ nomine statuerunt.

an coram eo vota professæ SS. Liberata et Faustina ?

A runt. *Non audet hisce ut certis assentiri Aloysius in Annalibus ad annum* 570 *num.* 43; *et in suo Martyrologio ad eumdem diem* XVIII *Januarii non meminit* S. Agrippini; *quin imo in illarum exequiis ad annum* 591 *num.* 121 *dicit adfuisse Adelbertum Episcopum, non* Agrippinum. *Antea vero ad an.* 586 *num.* 65 *ad confirmationem consecratæ ab eo ecclesiæ S. Nicolai Pionæ in plebe Gravedona, hanc antiquam Inscriptionem edidit hisce litteris :* AGRIPINUS FAMULUS XPI COM. CIVITATIS EPS. HOC ORATORIUM. SCTÆ IUSTINÆ. MARTYRIS, ANNO X. ORDINATIONIS SUÆ, A FONDAMENTIS FABRICABIT ET SEPULTURAS. [u] BI. ORDENABIT. ET IN OMNI [bus] EXPLEBIT. Ad GLO [riam] † DICABIT. *id est, ad gloriam Crucis dicavit, nam* B, *usurpatur pro* V.

Inscriptio Ecclesiæ S. Justinæ ab eo consecratæ

6 *His ab Henschenio sic collectis tertio post mortem ejus anno, prodiit Mediolani alter Annalium Comensium tomus, ubi pag.* 461, *sub nota anni* MLXVI, *agitur de excidio prænominatæ insulæ, adeoque et de translatione corporis* S. Agripini *ejusque sororis* S. Dominicæ XIII *Maji commemoratæ, hanc tali occasione primo factam arguit Robertus Rusca, recentior auctor,* B *ipsam Translationem prolixius describens, atque anno* MCXXVII *factam utramque asserens. Sed cum eodem anno Comensis civitas funditus eversa fuerit, merito censet Aloysius, de propria clade resarcienda sollicitos cives, non recte credi tantum habuisse animorum, ut vindicare tunc se voluerint de Insulanis suis in bello Mediolanensi rebellibus. Est autem vehementer mirum, quomodo sic exerrare potuerit in signando excidii prædicti anno, qui versum hunc haberet præ oculis, ubi eum ex illo transcribit Aloysius, non tamen sine mendo etiam ipse, sed typographico, quo scribitur* 9 Ique *pro* V. Ique, *Zyfrarum certe usus tali ætate nullus in Eu-*

Translatio corporis.

ante excidium Insulæ factum an. 1169

ropa erat; sicut erudite probavit Kircherus, Zyfrarum natales ab ovo, ut ita loquar, scrutatus; quo præeunte concinnavi in Historica serie Patriarcharum Hierosolymitanorum Parergon XII. *Ipsum distichon notius scriptum accipe, et singulas litteras numerales syllabatim ege* eM, Ce *etc.* D

M. C. dans annos, L. X. V. Ique notandos;
Insula quando ruit magna pestilentia fuit.

Hinc si numerales litteras in unum colligas, habebis MCLXVI.

7 Erat tunc civitatis Episcopus Anselmus; qui cum sumptum publicitus de exterminandis insulanis, ipsisque etiam ecclesiis destruendis consilium divertere non posset; persuasit ut sacræ intra illas Reliquiæ alio decenter transferrentur. Ac primo quidem placuit ut deponerentur ad tempus, donec ulterius discerneretur quid expedientius foret, intra capellam S. Petri, sitam in ora lacus e regione insulæ: unde fortassis sperabat Episcopus facile ad suam Cathedralem omnes se translaturum: sed Cisterciensium Monachorum magna tum apud ipsummet, tum apud Comenses cives gratia impetravit, ut post aliquam ibi moram iisdem cederetur sacer hic thesaurus, collocandus in ipsorum ecclesia S. Mariæ de Oliveto; quam novo titulo SS. Mariæ et Agripini nuncupandam censuerunt. Totum Processionis ordinem ornatumque Robertus prædictus describit, sed in nominando Episcopo Guidone; etiam sibimet contradixit. *Hactenus Annalista Comensis : Robertum decepisse potuerunt aliorum Sanctorum corpora, quæ eumdem Guidonem transtulisse constat anno* MXCVI : *qua de re dicendum adhuc aliquid erit. Ughello erit in supplemento ad* XVIII *Januarii, ubi de* SS. Liberata et Faustina. *Vide interim dictos Annales pag.* 289. E

curante Anselmo Ep. *qui illud deinde ecclesiæ Cisterciensium concessit.*

DE S. GUNDULPHO EPISCOPO

QUI COLITUR IN AGRO BITURICENSI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De cultu, Translatione, et miraculis, deque ejus Episcopatu Mediolanensi per conjecturam. F

C Celebris est cultus S. Gundulphi *Episcopi, tam in Fastis sacris, quam in Breviario Bituricensi. Martyrologium duplex MS. Usuardi quod ab illo Parisiis in monasterio S. Germani exaratum ibidem adservatur, post relatos* Martyres Romanos CCLXII, *ista immediate subjungit :* In territorio Bituricensi S. Gundulfi Episcopi et Confessoris, *ac mox subdit* S. Avitum Presbyterum Aurelianis. *In alio MS. Martyrologio Usuardi, etiam valde antiquo, quo usus est Molanus, quodque jam nostrum est, post dictos Martyres Romanos, omisso* S. Gundulpho, *inserta est memoria* S. Vulmari Confessoris, *cujus memoria alias fit ad diem* XX *Julii, quo colitur in MSS. prioribus Parisiensibus S. Germani, omissa in altero MS. Præter priora autographa Usuardi, octo aut plura alia ecgrapha MSS. ejusdem Usuardi penes nos legenda, similiter* S. Gundulphum *referunt. In Martyrologio Bellini Parisiis, anno* MDXXI *auctius edito, post S. Avitum relatum additur :* In pago Biturico S. Gundulfi. *Quæ eadem verba Molanus, in prima editione, sola addidit, ast in posterioribus adjecit,* Episcopi et Confessoris : *sicque illa referuntur in hodierno Martyrologio Romano, citatis* Molano in Additionibus ad Usuardum et Galesinio. *Qui ultimus insuper illud elogium addit :* Cujus pietas cum in ce-

Forte sæc. VI.

Celebris sacris fastis

teris religionis officiis, tum in captivis redimendis, mirifice eluxit : *et in Notationibus allegat* tabulas Ecclesiæ Bituricensis, *ex quibus cultus habetur. Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio non sunt, eumdem retulit quamvis habeatur in dicto Martyrologio Romano. Eumdem commemorat Maurolycus, et* Præsulem *appellat. In festis propriis diœcesis Bituricensis et in Breviario Bituricensi, auctoritate Rolandi Electi anno* MDCXXV *excuso, præscribitur hodie Officium* Gundolphi Episcopi et Confessoris *sub ritu trium Lectionum : ac die* XX *Junii Officium* S. Genulphi Episcopi et Confessoris, *etiam sub ritu trium Lectionum. Hic autem est is cujus Acta illustrata sunt ad diem* XVII *Januarii, ubi non satis bene duo* Genulphus *et* Gundulphus *fuere distincti, quod erit in Supplemento corrigendum.*

et Breviario

8 *Celeberrimus est autem cultus hujus Sancti in propria Parochia et Prioratu vulgo* le Bourg S. Gondon, *in Archipresbyteratu Dum-Gilloniis ad sinistram ripam Ligeris fluvii, infra Giemum oppidum, in confinio agri Aurelianensis, quatuor scilicet leucis a Floriaco S. Benedicti monasterio, a cujus Abbate dependet* Prioratus S. Gundulphi, *et hujus Prior constituit Parochum in dicto* Burgo S. Gundulphi, *quod infra* Nobiliacum *et* Nobilis villa *appellatur. Philippus Labbe tomo*

Burgum S. Gundulphi

Auct. G. H. Translatio et Miracula.

tomo 2. Novæ bibliothecæ inter Vitas et elogia Sanctorum Bituricensium, edidit ex codice MS. Ecclesiæ S. Austregisili de Castro, Translationem et Miracula S. Gundulphi Præsulis : *in qua relatione omittit Auctor* Acta S. Gundulphi, cum illi, *inquit*, scripserint, qui piis ejus actibus interesse meruerunt ; et opera justitiæ, quæ per eum Dominus operari dignatus est, viderunt. *Utinam ea Acta obtineri possent, ut ex iis aliquid de ejus Episcopatu certius cognosceretur. Nam quod in dicta relatione* Archiepiscopus Mediolanensis *appelletur, ægre subsistit, quia in Catalogis Archiepiscoporum Mediolanensium, toties jam discussis et editis, nullus scitur fuisse Episcopus* Gundulphus, *multo minus talis qui (quod notare dignum et opportunum erat) relicto Episcopatu Bituricas partes adiisset, et ibidem eremiticam vitam suscipiens obiisset, et jam requiescens nomen Burgo dedisset. Fuit* Gundulphus Episcopus Metensis, *sed qui dicitur rexisse Ecclesiam suam annos quinque, menses octo, dies septem, et ibidem anno* DCCCXXIV *obiisse, et requiescere in Abbatia Gorziensi, quæ eruunt disceptentia ad diem* VII *Septembris, quo ab aliquibus inter Sanctos habetur. Fuit etiam* S. Gundulphus *Episcopus Trajecti ad Mosam, qui cum Ecclesiam annis septem rexit, et ibidem in medio Ecclesiæ S. Servatii cum S. Monulpho sepultus, colitur* XVI *Julii, et festum elevationis incidit in* X *Augusti. Ita possunt alii plures esse* Gundulphi *Episcopi, qui modo non occurrant memoriæ; et potissimum aliquis, qui relicto Episcopatu in dictas partes Bituricas venisset. Ignoratur ergo Episcopatus S. Gundulfi, quem tamen cum Usuardo, Martyrologio Romano et Breviario Bituricensi appellamus Episcopum, licet ab eo titulo aliqua Martyrologia abstrahant. In Catalogo ex Polonia accepto, indicitur* S. Gundulphum Martyrem coli XVI Maji Cracoviæ, *eumque* esse Episcopum in pago Bituricensi, *quod ex conjectura additum arbitramur.*

Cujus loci Episcopus fuerit ignoratur.

3 *Hactenus Henschenius, quo defuncto, pertexui eidem cœptam Exegesim de Episcopis Mediolanensibus et ante* VII *Tomum Maji proposui : ubi cum pervenissem ad* Vitalem illius ecclesiæ Antistitem ab anno DLII ad DLX, qui (sicut habet marginalis Synopsis) damnationi trium Capitulorum adversatus, ejusdem sententiæ successorem habuit schismaticum, hactenus anonymum usque ad annum DLXVI; *hic, inquam, cum pervenissem, subjunxi quæ præfatus auctor Translationis et miraculorum habet de* S. Gundulfo, *tamquam* Mediolanensi Archiepiscopo, qui, *inquit ille*, propter mala suæ civitatis, quæ per eum Dei justitia necdum sedare disposuerat, ab eadem urbe digrediens ... transcensis Alpibus Bituricas partes adiit etc. *his autem ibi relatis, dixi, quod ea, si fidem aliquam mereantur in silentio Italicorum scriptorum omnium, recentium ac vetustiorum ; haud aliter inveniri possint, nisi comminiscendo verosimilem aliquam istius silentii causam. Talis autem (ut porro suggero) fortassis habebitur, si concipiatur iste* S. Gundulphus *(manifestato jam schismate, et lata contra Episcopos ejus tenaces sententia excommunicationis, cum Imperiali de ipsis gradu movendis mandato) designatus fuisse, aut etiam ordinatus Mediolanensium Episcopus: prævalente tamen schismaticorum factione numquam receptus, transiisse in Gallias, ubi inanis titulus* Archiepiscopi Mediolanensis *ipsi adhæserit.*

Fuerit forte pro Vitali Mediolani schismatico Romæ ordinatus an. 565.

sed numquam receptus,

4 *Sed repugnare videtur conjecturæ isti Venantius Fortunatus, eadem hac ætate Pictavensis Episcopus, in Vita S. Radegundis Reginæ, illustranda* XIII *Augusti, dicens, quod Sancta, mox a consecratione sua Diaconali (hanc autem suscepit circa annum* DXLIV*) inter alia piorum hominum, quæ visitavit et oblatis muneribus ornavit, oratoria sive cellas,* æquiter S. Gundulfi (post Mettis Episcopi) progressa receptaculo, non minori laboratu nobilitavit synergium, *seu fabricam monasterii. Attamen,* Metensibus *æque ac* Mediolanensibus *ejusmodi Episcopum ignorantibus, adeo non evertitur conjectura prior, ut potius ex ipsa illa obscuritate lucis ac roboris aliquid accipere possit. Primum enim intelligitur, Sanctus iste* Gundulfus, *ante suam promotionem qualemcumque, ad Ligerim fluvium habitasse* (hinc *enim* felici navigio Turonis appulsa *dicitur Regina* *Noviomo veniens) atque eatenus corrigitur prior relatio : deinde oportet aliquod in nomine* Mettis *vitium agnoscere, cum Metenses intra annum* DXXXV *et* DXCVIII *septem omnino Episcopos nominent, absque ulla apparentia alicujus hiatus. Quin igitur vicinum* Mediomatricum *nomini nomen requirimus, et* Mediolanum *substituere liceat ? pro quo vel ipsi Venantio, vel potius Sanctimonialibus eum transcribentibus (nam perquam varie satisque mendose transcripta a feminis invenitur Vita) obrepserint* Mettæ, *Episcopalis civitas Galliæ ; non capientibus forsitan illis, quomodo homo Gallus, alibi quam in Gallia fuisset Episcopus. Hunc autem vel devotio sua, vel alia quæpiam causa Romam adduxerit, eo ipso tempore, quo Pelagius pontifex angebatur, quomodo laboranti Ecclesiæ Mediolanensi succurreret ; is vero idoneum* Gundulfum *censuerit tentandæ, si qua se daret, occasioni, ad Sedem illam excluso schismatico Episcopo repurgandam, cum auxilio Imperialium ministrorum : quod tamen eis non successerit, remissius agente Narsete, ægreque ad violenta consilia contra Schismaticos procedente.*

ex quem anno 544 visitaverat S. Radegundis Regina,

alibi perperam dictus Mettensis Episcopus.

HISTORIA TRANSLATIONIS

ET MIRACULORUM

Ex Nova Bibleotheca Philippi Labbe.

Sicut summa æternæ felicitatis remedia promere videntur, qui ea, quæ de miraculis Christi et Sanctorum viderunt, vel ab aliis audierunt, fideliter referunt ; ita delinquere in Deum et Sanctos æstimandi sunt, qui eadem videntes miracula et audientes, charitis tradere et æternæ memoriæ negligunt, et sub silentio quantum in ipsis est, occultare non formidant. Ut quid enim divina potentia, vel per se, vel per servos mira in mundo operari dignaretur, si ea silentio contegi voluisset ? aut quid miracula vocarentur, si nullus videret qui ea miraretur? Vult ergo omnipotens Deus miracula, id est consueta * beneficiorum suorum opera, mundo demonstrare ; ut qui non credunt verbis, miraculis ad fidem trahantur ; et qui jam crediderunt, Divinitati tenacius adhæreseant. Non igitur in talibus silere rationabile est, cum sit rationabile et Deo gratum referre quod verum est. Quæ ego de miraculis Christi aut Sanctorum ejus vidimus, aut audivimus ab aliis qui in Christo locuti sunt, vera referentes, ad posteritatis utilitatem litterarum apicibus tradendum est.

Miracula Sanctorum edenda.

* al. inconsueta

2 Fidelibus populis Deum intimasse credimus, quatenus corpus beati ac piissimi Gundulphi, Mediolanensis Archiepiscopi, ad honestum sepulturæ locum transferrent. Hic namque propter mala suæ civitatis, quæ per eum Dei justitia nondum sedare disposuerat, ab eadam urbe digrediens, comitante grege discipulorum suorum ac sociorum, transcensis Alpibus, Bituricas partes adiit; et silvam, vastitate eremi a frequentia humanæ conversationis et accessu valde remotam, inibi reperiens, eremiticæ vitæ et contemplationi vacare studuit. Quantas cruces, quanta tormenta corpori suo intulerit, quantum bellum contra seipsum excitaverit, quamdiu in hac eremo et in vita permanserit, non est nostræ modo intentionis replicare : præsertim cum illi scripserint, qui piis ejus actibus interesse meruerunt, et opera justitiæ,

Gesta in vita omittuntur alibi scripta ;

justitiæ, quæ per eum Dominus operari dignatus est, viderunt.

Corpus Nobiliacum translatum

3 Expleta itaque hujus vitæ laboriosæ militia, plenus Deo et virtutibus, post diutinam macerationem carnis et crucifixionem, terræ corpus, cælo spiritum Deo vocante reddidit. Cujus corpus, per manus sociorum suorum, in eadem silva, pia cum devotione humatum est. At vero sanctæ Ecclesiæ crescente famulatu, Christiani illius temporis inde corpus piissimi Confessoris auferentes, Nobiliacum transtulerunt; et in ecclesia dedicata in honore Matris misericordiarum, in medio choro ecclesiæ terræ mandaverunt, ubi sacra ejus ossa longo tempore quieverunt.

et elevatum miro odore fragrans

4 At quoniam quicumque per chorum illum transibant, atque ad altare ad vota sua solvenda proficiscebantur, super eum irreverenter vestigia ponebant; iterum, inspiratione Divinæ bonitatis, Christiani eum de illo humili loco levandum, et desuper terram tumulandum judicaverunt; in eaque ecclesia ubi hoc digne fieret scilicet inter vitream capitis ecclesiæ et altare, locum honestum elegerunt. Cum autem de terra corpus illud sanctissimum elevarent, ita densa nebula ad instar noctis totam replevit ecclesiam, ut vix qui aderant se invicem valerent intueri. Tanta autem miri odoris abundántia nebulam illam subsecuta est, ut tamquam paradisi dulcedine perfunderentur universi. Sed et rosa tam rubei coloris et virentis in sarcophago cum eo inventa est, ac si recens de sua arbore vellicata fuisset.

os furto asportans fit cæcus,

5 Forte huic officio dum omnes indulgerent, quidam Archipresbyter Bituricensis ecclesiæ, quem bene novimus, Goscellinus nomine, pro furto inserviens, unum de ossibus sustulit, et in manica sua reponens abire voluit: sed Divina justitia hunc, recedere volentem, sic cæcitate percussit, ut videre non posset. Jam quærit ducem quo ducente redeat, quia viam qua pergere debeat nequaquam videt: nondum tamen se furti reum confitetur. Expectat infelix, sine furti confessione, luminis reditum obtinere. Concurrit multitudo plebis; vident tam repente cæcum fieri, quem modo luminis claritate viderant gaudere; quærunt tam repentinæ cæcitatis causam, quomodo id sibi acciderit, quidve fecerit, unde hæc luminis privatio fuerit subsecuta. Divina coactus virtute et S. Gundulfi tactus timore, furtum confitetur: Volebam, inquit, hujus piissimi Confessoris mecum memoriam in ecclesia mea habere, et inter alias quas habet Reliquias collocare et venerari; sed quoniam hujus voti mei effectum habere non possum, ecce os, quod surripueram; redditque os quod in manica sua absconditum habebat, et in momento lumen recepit.

quo reddito lumen recepit.

6 In pago Bituricensi quoddam castrum situm est, quod ab antiquis pro sua magnitudine Nobilisvilla vocabitur, in qua ecclesia est, in honore Beatæ et gloriosæ Mariæ et sancti Gundulfi Mediolanensis Episcopi, cujus corpus sanctissimum inibi venerabiliter quiescit humatum. Quædam itaque matrona, secundum seculi reverentiam bene nobilis, Aqualeia nomine, in eadem villa morabatur; quæ, posteaquam vir suus ab ea recedens sanctæ religionis et monachi habitum suscepit, minime continuit; sed carnalis concupiscentiæ inflammata ardoribus, neminem fere, qui ad eam accedere vellet, dicitur repulisse. Hanc Divina dignatio ad pœnitentiæ lamenta edocens, paterno verbere, ut rei probavit eventus, castigare disposuit. Namque morbus, qui sacer ignis a medicis appellatur, tam velociter pedes illius, prius in tumorem versos et nigredinem, corripuit, ut prima die accensionis, flamma illius incendii ambulandi officium mox ei penitus abstulerit. Venerat celebris dies vigiliæ Matris misericordiarum, in qua fidelium multitudo ad vespertinale Officium sonantibus signis solet convenire. Quæ illa audiens, quia per se ambulare non poterat, ad ecclesiam se portari præcepit; in qua per totam noctem pervigilans, nullum qui in ecclesia remansisset vel orare vel quiescere sinebat, ita eam feralis incendii flamma vexabat.

adultera sacro igne correpta

AUCT. G. H.

pœnitens subito sanatur:

7 Hæc supina jacebat, et cervice parietes ecclesiæ tundens et palmis terram percutiens, ecclesiæ pavimenta, rupta cute manuum fluido sanguine fœdabat. Lecto autem post lucis exortum ad matutinalem Missam Evangelio, cum, ut mos est, fideles ad altare oblationes munerum suorum deferrent; illa, quia pedibus non poterat, genibus et manibus per terram repens, nullo adjuvante, ad altare cum magno labore et dolore pervenit; et quanta potuit devotione Sacerdoti obtulit oblationem. Deinde ante altare gloriosæ Matris misericordiarum et S. Gundulfi se projiciens, jacuit prostrata; donec subito exiliens, magna vociferatione clamare cœpit: Sana sum; et ingeminare, Sana sum: venite ergo populi omnes et mecum pro tam festina salute laudate Dominum. Flent populi præ gaudio, exultat femina pro salute sibi a Deo concessa: lætantur monachi pro miraculo, et cantantes altissime, Te Deum laudamus, signa solenniter pulsari fecerunt. Mulier autem quæ sanata fuerat, in tertia die post acceptam sanitatem, pedibus suis sine calceamento basilicam B. Mariæ Carnotensis, quæ trium dierum itinere a domo sua distare perhibetur, gratias actura expetiit. Ibi se ante altare projiciens et Matri misericordiarum gratias agens, oblationem obtulit; ac peracto voto incolumis remeavit ad suos.

incendium extinguitur.

8 In SS. Innocentium solemnitate populus in ecclesiam S. Gundulphi de more convenerat; et sanctarum Missarum, quæ isto die festive aguntur, intererat solemniis. Cum ecce ignis vehemens, in quadam magna domo, multo plena fœno et stipula, in medio villæ videbatur accensus. Concurrunt populi, ut illius incendii flammas extinguerent; sed frustra: nam vis ventorum et ignis volans ita convaluerant, ut alias mansiones, ante et retro, retrorsum et sinistrorsum, jam corriperent. Clamor fugientium tumultusque lugentium pervenit ad monachos, qui jam rumorem incendii acceperant; et sibi metuebant, ne pariter res eorum flamma involveret. Accipientes itaque corporalia ecclesiæ, super quæ Dominici Corporis fit sacratio, et brachium S. Gundulphi piissimi Confessoris quod extra sepulchrum ejus, tempore translationis corporis ejus, ad subveniendum rebus afflictis, reservatum fuerat) multitudine eos populi comitante, contra incendium deferunt, et flammis ferventibus objiciunt; non sine clamore multitudinis et mœrore, qui res suas miserabiliter devastandas incendio subjacere cernebant. Quo facto ita furor ignis et incendii conquievit et decidit, ac si divina voce increpatus minime auderet amplius relevare caput. Ustio quidem exterius apparebat in domibus, sed nullam illarum interius flamma consumpserat, excepta illa in qua prius desævit incendium.

DE S. VEROLO PRESBYTERO,

CASTELLIONE AD SEQUANAM ET MARCENNACI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. H.

De Sancti cultu, ætate, translatione, miraculis.

Circa ann. DC.

Cultus sacer.

Castellio, *ad Sequanam fluvium, urbs Galliæ satis culta, sita est in Ducatu Burgundiæ et Episcopatu Lingonensi, a qua urbe tredecim versus occidentem distat leucis. Patronum suum agnoscit illa* S. Verolum Presbyterum *vulgo* saint Vorle. *Claudius Robertus, et ipse Lingonensis Presbyter, in Isaaco* XXXVII *Episcopo Lingonensi, asserit,* S. Verolum, in villa Marcenay stirpe nobili ortum obiisse XVII Junii: *quo etiam die aliquis ejus cultus præscribitur in Breviario Lingonensi, auctoritate Caroli Descars Episcopi Lingonensis sub annum* MDCIV *excuso. Hinc miramur primo, quomodo citatis* monumentis Ecclesiæ Castellionis ad Sequanam, *Ferrarius in Catalogo generali retulerit ad diem præcedentem* XVI Junii, S. Verolum Presbyterum et Confessorem, in territorio Lingonensi. *Sed hic lapsus unius diei satis communis est, quo die etiam refertur in MS. Vesontionensi S. Pauli, et MS. Coloniensi apud Carmelitas servato. At multo magis miramur, quomodo Saussayus ipsum rejecit ad Martyrologii Gallicani Appendicem, in qua ordine alphabetico complectitur Sanctos, quorum dies natales hactenus incertos vel incompertos habuerit, et sic ibidem pag.* 1234 *ista habet:* S. Verulus, Patronus Ecclesiæ de Castellione super Sequanam, Lingonensis diœcesis.

Acta ex MSS.

2 *Acta S. Veroli nacti sumus in antiqua charta pergamena, ex pervetusto MS. Legendario extracta, item in alia Parisiis ad nos transmissa, et contulimus cum MS. codice Reginæ Sueciæ, numero* 80 *signato. Eadem nobis submisit Petrus Franciscus Chifletius,* ex MS. codice Ecclesiæ Castellionensis ad Sequanam fluvium, in qua requiescit. *Verum in hisce Actis nonnulla desunt ad numerum* 2, *infra indicata et sub finem omnia quæ a numero* 10 *describuntur. Videntur hæc in Lectiones ad Matutinam recitari solitas descripta atque sic nonnulla intermissa.*

Tempus vitæ.

3 *Temporis, quo floruit, indicatur unicus character in S. Gunthramno Rege Burgundionum, unde possit censeri Sanctus circa annum* DC *ad æternam beatitudinem migrasse. Miraculorum certior fides pendet ex asseveratione Auctoris, dolentis Vitæ Acta nulla haberi, deinde num.* 3 *sic loquentis:* cetera nostris temporibus ostensa, tanto certius affirmare possumus, quanto iisdem nos præsentes interfuisse, vidisse, vel audivisse memoramus.

ACTA

Auctore miraculis hic scriptis coævo

Ex IV codicibus MSS.

CAPUT I.

Res in vita gestæ, Obitus, Translatio corporis.

Ad solemnitatem Venerandi Patris nostri Veroli, celebrem undique facientes concursum, Fratres dilectissimi, prout nostræ fragilitatis possibilitas valet, debemus attento et docili cordis auditu laudum ejus præconia frequentare. Hic enim quamvis generaliter universo orbi sit colendus; nobis tamen [magis], qui sacratissimi corporis ejus fruimur præsentia, specialiter est honorandus. Quia quanto magis ipsi meruimus fieri propiores, tanto magis ejus virtutes quotidie experimur certiores. Videmus namque ad ejus tumulum, vel in quo nunc quiescit, vel in quo antea humatus jacuit, claudis gressibus accedentes, salientibus regredi; lepræ maculis fœdatos, mundata cute gratulari; paralysis morbo membra dissoluta resolidari, atque quacumque infirmitate anxios relevari. Ipse quoque ejus clementiam in nostris invocantes necessitatibus, statim efficaciter eam adesse gaudemus. Apparet siquidem, quod beatus Sacerdos, dum in præsenti seculo adviveret, Dominica præcepta avida aure percepit, profundæ mentis memoriæ *a* commendavit, vivacissimæ operationis intellecta effectu adimplevit. Nam, ut indubitanter asserere possumus, evangelicæ memor jussionis, lumbis præcinctis, carnalium turpia inquinamenta voluptatum sprevit; angelicæ amator vitæ, castitatis splendidæ pretiosam margaritam custodire studuit: et quia hanc non sibi sufficere ad salutem præsensit, lucerna in manibus accensa, universo mundo eximiæ conversationis exemplum ostendit. Deindeque ad sui custodiam semper vigil, mentis oculos duplici modo apertos tenuit; uno fraudulentis antiqui certatoris insidiis firmiter resistendo, ne quando se adversus eum prævaluisse jactaret; alter justificationes et mandata Domini toto corde exquirendo, summoque adnisu studendo, ne unquam ab eis *b* oberrans deviaret; sicque præsentis ævi spatium circumspectus percurrere laboravit, quatenus non solum inreprehensibilis hominibus appareret, verum etiam omnibus imitabilis præfulgeret: sacerdotiique sui officio fideliter peracto, beatis Angelis perenniter conregnaturus cœlestem auram feliciter penetraret.

Miracula ad Sancti tumulum fieri solita indicant eum digno cultu honorandum:

a et olim omni virtute splendidum vixisse,

b et octo beatitudinum gradus adimplevisse.

2 Possumus sane his adjicere venerandum, de quo sermo habetur, Patrem nostrum vere beatum fuisse quem tanto cernimus a Domino sublimari honore. Fuit enim secundum Domini mandatum spiritu pauper, humiliter et cum bono timore ejus dogma amplectendo, ut ad regni cœlorum hereditatem percipiendam dignus inveniretur. Fuit et mitis non resistens videlicet malo, verum vincens in bono malum ut portionem bonorum in terra viventium *c* possidere mereretur. Lugere omni vitæ tempore studuit peccata, non tam sua quam plebis Christianæ; ut Spiritus paracliti consolatione percepta, perpetua Sanctorum lætitia, post finitum præsentis seculi luctum, perfrueretur. Esurire semper et sitire justitiam studuit, ut pane verbi Dei, quod est impletio voluntatis paternæ, et aqua fontis salientis in vitam æternam, saturari quandoque valeret. Misericordia vero ita uti curavit, ut primum se ipsum a vitiis, quantum humana patitur fragilitas, castigaret (nequid scilicet perpetraret, unde postmodum pœnas lueret) deindeque, ipsa virtute ad

fratres

fratres dilatata, quemcumque potuisset compatiendo adjuvaret; sicque misericordia Regis æterni consecuta, cum ipso gauderet. *d* Mundicordem illum fuisse in hoc constat, quod signa et prodigia operari creberrime non cessat: non enim tanta ac talia inclitus operator nobis ostendere posset, nisi vultus omnipotentis præsentia illustratus, illum semper videre dignus adesset: ad quod culmen nullo modo pervenisset, nisi in hac vita desudando fortiter, interioris oculum hominis, ad contemplandam Deitatis majestatem, mundissimum redderet. Pacificum vero adeo semet exhibuit, ut nulli vitio locum decertandi cum virtutibus, quibus refertus pollebat, in se dereliquerit; deindeque dissidentes prout sibi possibile fuisset inter se ad pacem componeret, quatenus in consortio filiorum Dei *e* connumerari posset, et quia hoc promeruit, monstratur vere, quoniam velut benevolus genitor unici filii voluntatibus satisfacere satagit; ita et Christus Veroli sui affectum, dum pro famulis exorantem exaudit, se tenere diligere ostendit. Persecutionem autem a mundi principe, seu ab ejus officialibus mundi dilectoribus, sive etiam a terrenæ materiæ membris, passum in hoc comprobamus, quod regni cælestis gaudiis absque ambiguitate ipsum perfrui cognoscimus. His itaque suffultus egregius sacerdos virtutibus, fide credulus, spe certus, caritate diffusus, periculosi seculi prœlia et blandimenta expugnans, terrenæ corruptionis victor migravit ad Dominum, cum illo et cum Sanctis ejus æternæ felicitatis partem habiturus *f*, per omnia secula seculorum, Amen.

3 Quamvis igitur scriptum reperire, proh dolor! Fratres carissimi, nequeamus, quibus beatissimus Pater noster Verolus parentibus procreatus extiterit; quantas sinistrorum spirituum et tentationum tribulationes sustulerit, quibusve modis easdem superaverit; quas abstinentiæ cruces corporis sui membris indiderit; quo Præsule ecclesiastici ministerii gradus subierit: tamen de virtutum ejus operibus plurima ad nostram *g* notitiam pervenisse contigit. Quorum unum, satis mirabile, vitæ suæ tempore peractum non celebri diffamatione ad nos est delatum: cetera vero, nostris temporibus ostensa, tanto certius affirmare possumus, quanto iisdem præsentes nos interfuisse, vidisse vel audisse memoramus. Eo tempore, quo Dei symmystes hujus lucis aura potiebatur, contigit venerandum Regem Burgundionum Domnum *h* Gunderannum, per *i* Marcennacum villam, in qua idem Dei famulus sacerdotali fungebatur officio, transitum fecisse. Qui audito sanctitatis ejus præconio, ut erat religionis amator ferventissimus, precari studuit, ut se præsente Missæ solennia celebrare dignaretur: Dei autem Sacerdos petitionis ejus votis annuens, officium solenne ex more peragere ingreditur. Quo inchoato, dum post finitam Evangelici verbi lectionem sacrosancti mysterii consecratio subsequi debuisset, velut ille toto orbe famosissimus et inclitus Pontifex *k* Ambrosius, in hora transitus S. Martini legitur fecisse, Verolus noster obdormivit. At his prædictus Rex cum Proceribus suis visis, præ novitate rei corde turbati, ad invicem non parum mirantur. Nullus tamen Sacerdotem affari præsumit. Facta vero fere unius horæ intercapedine, Dei famulus ad se reversus, cœptum Officium peragit. Itaque Rex propius accedens, quid rei acciderit solicite perscrutatur. Dei autem minister narrare cœpit, humani generis inimicum, in villa quæ *l* Platanus vocatur, sex fere millibus ab illo loco distans, domui cuidam, dum ejusdem loci incolæ ad audienda verbi divini officia, derelicto quodam solo puerulo, ad aliam villam *m* Musciacum dictam cuncti profecti fuissent, incendium ingessisse; seque illo divinis jussionibus properasse, puerulum ab ignis periculo abstractum eripuisse, rogi violentiam totam extinxisse. Quibus Rex auditis vehementer obstupuit; legatisque illuc directis, ut rei veritatem solicite indagarent, præcepit. Qui maturius convolantes, repererunt ita omnia, ut vir Dei dixerat, vera esse: Verolum sanctissimum dum domus cremaretur ibi visum fuisse, infantem domumque ejus auxilio servata mansisse.

Coram S. Gunthramno Rege celebrans Missam, extra se per horam raptus

EX MSS. alibi incendium extinguit:

4 Hoc solum de miraculis, quæ per famulum suum præsenti luce fruentem Dominus operari dignatus est, nobis innotuisse contigit. Ceterum quæ post ejus obitum ipso intercedente facta sunt, imo quæ quotidie fiunt, absque gravi labore præ sui numerositate colligi non possunt. Post longum namque a Venerabilis viri transitu tractum, extitit *n* Isaac, Lingonensis Ecclesiæ admodum reverendus Antistes *o*; qui divinis instantissime intentus rebus, loca Sanctorum suæ diœceseos omnia quantumcunque potuit, ditavit, decoravit, atque in meliorem statum largitione bonorum temporalium morumque traditione perfectorum transmutare studuit; denique canonicalem S. Mammetis *p* congregationem, eatenus pauperem, copiosis villarum atque prædiorum donis amplificavit; normaque recte vivendi insinuata Clerum inibi deservientem, se religiosiorem Dei adjutus auxilio effecit: quod diligentius investigans, liquidius cognoscere valebit. Abbatiam quoque egregii Christi martyris *q* Benigni non modicis terrarum sumptibus augmentare procuravit, quem locum etiam sepulturæ sibi ipse delegit. Sed quid de plurimis pauca perstringere malim; cum in toto suo episcopio nulla pæne parvi loci, nedum magni remanserit Ecclesia, quam non quoquo modo meliorare vir eximius laboraverit. Hic itaque, comperta signorum fama quæ per famulum suum in villa Marcennaco ubi prius sepultus fuerat, Dominus ostendebat; religionis igne succensus, accersitis quibusque sibi necessariis, deliberationeque concepta; Non est, inquit, justum sive decens, ut servi Dei Reliquiæ, cujus meritorum ope tot sanitatum beneficia devote quærentibus impertiuntur, in loco abjecto, utpote rusticano, viliter conditæ amplius conserventur. Placet itaque nobis talem in locum eas transferre, ubi et venerabilius tumulatæ quiescant, et tutius repositæ maneant, a nobis quoque sæpius frequentatæ, vota nostra precesque exaudiant. Quo in loco, vita comite, Canonicorum seu Monachorum congregationem, ad Deo et Sancto ejus famulandum, stabilire decernimus. Qui protinus Pontificis voluntati favorem præbentes, sententiam ejus uno ore approbaverunt. Præsul ergo venerandus, facto Cleri ac plebis non modico agmine, festinus locum adiit: apertoque sancti viri mausoleo, veneranda ossa, cum Crucibus et cereis, ac hymnorum maximo canore *r*, Castellionem asportavit: ibique in basilica Sanctæ Dei Genitricis egregiique Christi Confessoris Martini, cum honore debito collocata, beneficiorum etiam xeniis quibusdam donavit: votum quoque promissæ Congregationis perficere moliens, secularium fluctibus impedimentorum innodatus, tandemque inevitabili mortis præventus forte, quod corde concupierat, opere implere non valuit. Deinde vero successor *s* ejusdem, nomine Geilo, pium prædecessoris sui votum cognoscens, crebrisque miraculorum insignibus prædicti Sancti corpus coruscare cernens; quædam ei dona largitus, optavit simili modo, si sibi fas fuisset, Deo servientes ibidem delegare. Sed quia multis itidem occupationum laqueis irretitus minime potuit, Bruno *t* Præsul egregius, qui decimus ab illo Pontificatus arcem strenue gubernavit, multis Ecclesiarum terrarumque

ab Isaaco Lingonensi piissimo Episcopo sacræ Reliquiæ deferuntur Castellionem

ubi a Brunone Ep. Collegium Clericorum fundatur

Ex MSS.

terrarumque collatis donis, adjunctis etiam suæ largitioni quorumdam religiosorum muneribus Clericorum, ipso in loco Deo famulantium Ordinem instituit, qui die noctuque Regi immenso ejusque Militi egregio divina mysteria celebrare student divinorumque harmoniam hymnorum devote reboare non cessant.

ANNOTATA G. H.

a *MS. Reginæ Succiæ* vivacissima operatione commendavit, effectu adimplevit.

b *Idem* devians oberraret.

c *Idem* perciperet.

d *Reliqua hujus numeri desunt in MS. Castellionensi quod Chiffletius submisit.*

e *MS. Reg. Succiæ* communicari.

f *Idem* sive finali termino.

g *Idem* salutem innotuisse.

h S. Guntramnus *præfuit regno Burgundionum ab anno* 561 *ad an.* 593, *quo mortuus est* 28 *Martii, ad quem diem ejus Acta illustravimus.*

i Marcennacum, Marcennay *leuca a Castellione distans.*

k *Dissertatione singulari, ante tomum primum Aprilis, propugnans veritatem hujus historiæ.*

l Platanus *vulgo* Pleine *distans Marcennaco hic notatis sex millibus.*

m Masciacum *male hic* Musciacum *vulgo* Massis l'Evesque, *oppidum ad Sequanam, a quo* Platanus *vix leuca distat*

n Isaac, *cognomento* Bonus *vel* Pius, *interfuit Concilio apud Saponarias anno* 859 *habito, Suessionensi an.* 861; *Tricassino, an.* 878, *et aliis.*

o *Sequentia eisdem verbis referuntur a Sammarthanis, citata veteri scheda, forsan ex hac Vita excerpta.*

p *Cathedralis Lingonensis antea* S. Joanni Evang. *sacra,* S. Mammetium *seu* Mamantem *caput Patronum præcipuum venerari, postquam seculo* XI *illuc allata fuerant Sancti hujus Reliquiæ, qui colitur* 17 *Augusti.*

q *Hæc erunt illustranda ad Kalendas Novembris* S. Benigno *sacras; est hæc Abbatia in urbe Divionensi.*

r *Meminit hujus Translationis Claudius Robertus, et post eum Sammarthani sed hi perperam* S. Vorlium *appellant.*

s *Mortuo* Isaac *anno* 880, *subrogatus* Geilo, *præfuit usque ad annum* 887, *quo decessit* 28 *Junii. Fuerat ante Abbas Tornodorensis* 7 *de quo Chiffletius in Historia Abbatiæ et urbis Tornodorensis.*

t Bruno *ordinatur anno* 981, *a quo* Collegium Clericorum S. Veroli Castellione institutum, *scribit etiam Claudius Robertus.*

CAPUT II.

Miracula post translationem ab oculato ut plurimum teste descripto. Epilogus.

Translato beati viri in prædictum oppidum venerando corpore, cœpit ibidem sanitatum gaudia languentibus multipliciter impertiri: quamvis in loco, ubi antea tumulatus fuerat, non minus miseris conferre dignaretur auxilii: nam ut, antequam transferretur, in uno; ita postea in utroque sanctitatis suæ efficaciam ostendere curavit loculo. Vidimus siquidem quemdam de Masciaco villa, hominem, nomine Ermengisum, qui universis, culpa sua exigente, bobus amissis, tantum dolorem incurrit, ut numquam sibi aliquod consolationis remedium adhiberi passus sit: crescenteque de die in diem mœroris anxietate, amens efficitur. Tunc temporis Reliquiis Beati Protomartyris Stephani multorumque Sanctorum apud Senones nuper *a* repertis, admirandis locum ipsum Dominus clarificabat signis; nam et dæmones sanctorum meritis ab obsessis fugabantur, febrium ignes restinguebantur *b*, abcules recepto visu illuminabantur, diversarumque specierum morbi curabantur. Illuc itaque vir prædictus a parentibus perductus, divinum exspectando auxilium multis hæsit diebus. At vero nihil remedii, occulta summi Arbitri dispensatione, illo capiente; per multa sanctorum loca eum propinqui circumducere, recuperandæ spe salutis, curaverant. Jamque innumera ecclesiarum peragrata multitudine, nulloque prorsus invento salutis solamine, quasi itinerum fatigati labore, longius ultra ducere desistentes, ad Adjutoris nostri limina, veluti propinqua, perducunt. Die ergo Ascensionis Dominicæ, Fratribus ejusdem loci ad processionem gradientibus, in ipso ecclesiæ ingressu fit eis ipse obvius. Præcipientes itaque illum aqua benedicta aspergi, sub sanctæ Trinitatis commemoratione, Sanctorum pignoribus secum habitis, consignant. At illa, sancta sibi adhiberi sentiens, velut ictum teli declinare moliens, dextrorsum sive sinistrorsum seu etiam retrorsum quibusdam corporis motibus cedere gestiebat. Deinde vero subsecuta exorcismi adjuratione ante sanctum altare, ubi Venerandum B. Veroli corpus requiescit, deducitur; ibique non longo spatio prostratus mentis integritatem, fugata erroris energia, penitus recipit: sicque sanitate adepta, altera die vita præsenti decedens occubuit. O admirandum supremi Regis judicium! O collaudandum venerandi Patris meritum! Ægrotus divino jam judicio in ipso mortis limine aderat, et tamen hunc Verolus ab imminentis morbi periculo liberat: et quamvis seculi terribilis Arbiter pene ipsum morti addixerit: tamen dilecti sui precibus sospitatem ei largiri non distulit. Nec dubitandum quin animæ quoque potuerit impetrare salutem, qui in ipso obitu corporis obtinere valuit medicinam.

Amens ad patrocinia variorum Sanctorum ductus, a b

ad Reliquias S. Veroli sanatur.

6 Quodam tempore nostræ patriæ equestri manu prædarum rapacitate cuncta pene depopulante, religiosus Princeps Rotbertus *c* nitens pacem, siquo modo posset, inter dissidentes componere, jussit cunctos valentes Episcopos occurrere et Abbates apud Airyacum, villam in Autissiodorensi diœcesi sitam et cum Sanctorum pignoribus adesse; quatenus si malitiæ *d* amatores minus libenter, pro terreni principatus districtione, pacificari vellent; saltem pro Dei et sanctorum ejus, quos præsentes seque quodammodo exspectantes viderent, timore, pacis concordiam et promptius firmandam exciperent; et sanctorum, in quorum præsentia firmassent, semper memores, irruptam arctius conservarent. Ad hoc igitur concilium devectis Beatissimi Veroli Reliquiis, cœperunt populorum turbæ orationis causa ad ejus memoriam undique confluere. Inter quos contigit quemdam, Gezbertum nomine dictum, asino bajulante adventare: qui quidem contractis crurum nervis prorsusque negato pedum officio, manibus furcis retentis pro pedibus utebatur; genibus ac cruribus potius reptans, quam pergens. Hic itaque Willedonæ exortus villa, Autissiodorum profectus fuerat, ibique eleemosyna cujusdam S. Stephani Canonici, nomine Texardi, sustentatus victitabat. Cumque audita Sanctorum fama, in prædicto loco collectorum, salutis requirendæ causa, eo profectus fuisset; multisque obsecrando præteritis, ante venerandi Patris (ut diximus) papilionem pervenisset; ab asino sese ipse deponens, alienis manibus deponi solitus; humi prosternitur, lacrymansque gemensque Confessoris præcipui suffragia exorat.

c d

in Concilio Airiacensi coram Roberto Rege

contractus recuperat valetudinem

Confestim

Confestim igitur ipsius intercedentibus meritis, adest divina virtus, quæ fugata debilitate pristinum vigorem restituit artubus; sicque pedum integrum recepit usum, ut venerandas Reliquias prosecutus, Castellionem usque cum ipsis pervenerit; ibique hactenus conversatus, adeo se auxiliatori suo fidelem famulum exhibuit, ut ad custodienda cellarii communis stipendia, conventus Fratrum inibi Deo militantium ipsum idoneum judicaverit *e*.

Curantur manus intorta et inutilis,

7 Præterea mulier quædam, nomine Gudina, Plataneti villæ indigena, manus dexteræ debilitatem gravissimam incurrerat; digitosque in palmam recurvans, nihil inde operis efficere poterat nullumque sorori auxilii levamen præbere valebat. Quæ audita Beati viri ad exaudiendum clementia, ad adjuvandum potentia, celeri festinatione ad prædictum locum maturavit ejus potiri præsentia. Quo perveniens, humili ipsius aures pulsat prece, cordis tamen in altum porrecta intentione. At vero Deo conjunctus Sacerdos, non passus diu vota precantis morari, auxilium celerrimum confert, medelam citissimam præbet. Mulier itaque manus sanitate inventa, Christum potentem Regem prædicat, Verolum gaudii sui impetratorem magnificat, miraculum in se perpetratum ubique locorum diffamat. Dominus ergo ejus temporalis, nomine Quinardus, servili siquidem fuerat conditione progenita, comperta hujusmodi fama, statim ipsam inclito largitur medico traditione perpetua.

item contracta uxor

8 Quidam vero oculis captus, cum uxore contracta, et (ut testantur qui viderunt) prægnante, ad eumdem locum est perductus; quo nil luminis capiente, muliereque nil itineris perficere valente, hoc modo quo valebant gressum protendere satagebant. Ipse quidem, illam brachiis complexam præ se ferebat; illa vero, manu tenens baculum, cæco viæ index fiebat. Sicque alterum compensantes adjutorium, quodque utrique deerat alterna administratione supplentes, victus necessaria quæritabant. Itaque ad Venerandi viri tabernaculum deveniunt soloque incumbentes, preces devotas fundunt, peccaminum veniam exposcunt, corporum salutem petere non omittunt. Sed reliquos audire solens Verolus, unius votum admittit, alterius respuit. Nam mulier, a contractionis vinculo soluta sibi ipsa redditur; vir negato lumine, noctis tenebris remanere sinitur. Non tamen parvum auxilium ei acquiritur, dum et diutissimo tempore laboriose portatam non necesse habuit amplius ferre, et sic melius habere adjutricem promeruit universo in opere. Quibus peractis non modicum suis servitoribus præstitisset donorum quæ tum Verolus, nisi quorumdam impedimentorum metu domum cogerentur redire citius.

cæco manente non illuminato.

pestis late grassans cum ingenti siccitate.

9 Nuper, peccatis nostris exigentibus, per cuncta pæne quadrifidi orbis climata, gemina pestis, justo Omnipotentis judicio permittente, populos atterebat. Nam siccitatis immensæ tanta vis ingruebat, ut frugum tota spes colligendarum deperire inciperet; et cladis hominum tam immanis pernicies desæviebat, ut siquis sero incolumem se collocasset, crepusculum oriens se non visurum crederet; atque mane surgens, ad vesperum se pervenire desperaret; nemoque se repentino obitu interiturum non putaret. Unde in unum collectus Clerus, inclito Dei athletæ Verolo famulans, his ad invicem sermonibus sese alloquitur: Videmus, Fratres, per nostra flagitia universum dupliciter modo periclitari seculum; clade scilicet universum hominum genus pene consumente, et siccitate nostrorum laborum fruges depopulante. Utraque ergo pestis adeo est intolerabilis, ut utramlibet evadendi vix inveniri queat ratio aut via: siquis enim præsentis mortis evaserit articulum, futuræ famis non evadet periculum. Ut certe nostis, præsentem Protectorem nostrum omnes tribulatos corde, se devota mente expetentes, semper exaudisse, plenitudinemque adjutorii oportune impendisse. Quapropter necessarium nobis videtur, sancti viri corpus ab æde, in qua quiescit loculo, removeri, atque extra oppidum aperto in loco honorifice collocari. Quod scilicet afflictæ plebis turbæ audientes, ad ejus captandum undique confluent auxilium, precibus ejus clementiam implorabunt, odis atque donis magnificentiam honorabunt, sicque forte sui nostrique ereptionem se impetrare gaudebunt: quam sententiam universorum consensus approbans optimum consilium esse judicat. Tumba itaque viri Dei aperitur; sanctum corpus inde elevatum ab ecclesia sive castro extrahitur, juxtaque almi martyris Mammetis basilicam, in papilione decenter collocatur. Quod populi ad suam salutem cognoscentes procuratum, ex tota fere patria certatim advolant; munera quæ quisque valet secum ferentes, Sancto donant; hymnis ac precibus devotis ipsum ardenter frequentant. Quibus pia aure Pater Venerandus susceptis, quanti apud Deum valeat, ostendere curavit. Nam, ut Gregorius quondam ille Papa Maximus, septiformi Litania instituta, pestem inguinariam sedavit; ita et Verolus noster, prædicti morbi lue depulsa, meritis admirandis grassantem mortalitatem cessare quantocius fecit. Atque ut ille postea curru flammeo super astra raptus Elias, tribus annis et semis negatam sola oratione reddidit pluviam; ita et Patronus noster, dulci cælestium imbrium copia arenti sufficienter inebriata terra, frugibus jam marcentibus viridum restituit *f g* virorem. Et ut *h* indubitanter appareret, hoc beneficium Sancti meritis, mortalibus esse concessum, antequam loco ipso amoveretur, ros abundanter omnia aspergens ipsum etiam ejus solum madefecit tentorii. O virum maximo semper laudum honore decorandum! O promptam ad audiendum clementiam! O efficacem ad succurrendum potentiam! Est enim nobis plus adjutor ad impetranda quibus indigemus, est validus propugnator ad arcendum quibus impetimur, est celerrimus medicus ad curandos morbos quibus gravamur. Nam excepta prædictorum munerum gratia, universo generaliter mundo profutura, plurimis in loco quem diximus ægrotis, singularia pulso languore contulit remedia.

Ex . . . exposito corpore S. Veroli,

depellitur, et pluvia impetratur:

f g h

. . . amens . . .

10 Quidam namque mente captus, officio sutor, nomine Leterius, ad Sancti tabernaculum violenter est adductus: qui dudum tribus plus minusve demoratus diebus, fugitare passim per campos, per silvas, per devia quæque semper gestiebat: a propinquis tamen retentus, nullorsum vagari sinebatur: aliquando etiam arreptis lapidibus sibi præsentes obruere nitebatur. Illo autem his et aliis innumeris, utpote amente, insaniente, modis, propinqui, Omnipotentis Domini et Sancti ejus semper misericordiam invocabant; ut misero medelam, sibi vero lætitiam infundere dignaretur. Quibus in oratione juxta Dominicum præceptum perseverantibus, ecce suffragiis beati Patris divina advenit virtus; quæ caput infirmi ab insaniæ sordibus purgans, integerrimæ mentis restituit sospitati, quaque perfecte sensuum receptis officiis, multis postea superfuit annis. Quædam mulier membrorum . . . ., ad eumdem locum rheda vehente pervenit: quæ fideli mente, devotis precibus profundisque suspiriis, sui corporis debilitatem, venerandi Patris interventu, a Domino sanari exposcens mox impetrare meretur. Nam amissa debilitate membrorum, recepit agilitatem; amisso quod officiebat, recepit quod juvare poterat, amisso quod diu doluit, recepit quod gaudere meruit: tandemque extensis nervorum vinculis, compagum quoque usu ad unguem recuperato, spretis alienis, suis

contracta mulier

Ex MSS contracti puerulus et major ætate.

suis lætatur vadere plantis. Gratias ergo immensas curatori suo exsolvens, virtutis in se perpetratæ prodigio ubique divulgato, vectrice sua rheda ibidem derelicta, habitationis propriæ læta et alacris repetivit domicilia. Simili morbo impediti duo ad tentorium, quo Sancti servabantur exuviæ, sunt perducti; unus scilicet puerulus, ulnis diligentius bajulatus; alter vero majoris ætatis, asino subeunte invectus. Qui pro posse et nosse, et invocato pii Patris numine, statim uterque sensit præsens adesse. Nam fugata, Sancto promerente, infirmitas, advenienti cedere compulsa est sanitati: refectique ad integrum homines, ille animalis, hic hominis adminiculis jam non indigens, pedibus propriis diu optatum iter plene peragentes; unus ad propria est reversus, alter vero sanatori suo adhærens, usque ad obitus sui diem ab ejus præsentia separari non est passus.

Corpus reportatur loco suo

Igitur pluviam ubertim irrorantem ministri, sacra pignora custodientes, amplius non valentes ferre; reliquis confratribus accersitis, cum magno laudum præconio intra oppidum eadem reportant; dignaque reverentia in loco a Deo prædestinato recondunt: ubi ipse meritis præcipuis devote se expetentium clementissimus exauditor, semper esse dignatur.

Claudus recto gressu donatur,

11 Quæ postquam gesta sunt quidam claudus, Agyno vocatus, in villa cui vocabulum est Albapetra commanens, in somnis monetur, ut S. Veroli præsentiam adiens, ejus merita instantissimis precum muniis flagitaret; quo facto meritus exaudiri a pedis debilitate liber, continuam gressus recti possibilitatem consequi valeret. Erat autem unus pedum per genu juncturam recurvus, ita ut juxta natem suspensum nullo modo extendere prævaleret. Verum ligneo pede quem vulgo scacium *b* vocant, vice naturalis pedis utebatur. Die ergo exorto non parvi pendens visionem, cœpit quo valebat itinere festinanter ad Sancti limina tendere. Cumque semper Verolum invocans, Veroli suffragia exposcens, medium itineris spatium peregisset; subito factitii pedis ligamina dissolvuntur, pes ipse artificiali nexu soluto labitur, curvique poplitis nervis laxatis, naturalis pristino vigori redditur. At ipse cernens adinstar alterius crus sibi extensum, utrumne pergere an omittere deberet hæsitabat. Tandemque restauratam plantam humi paulatim figere tentans, ut sensit utrumque pedem parili firmitate vigere, prius adjutrice scacia collo imposita celeri gressu ad sui curatoris aulam pervenit; ibique immensis gratiarum actionibus exsolutis, narravit Clero et universo populo qualia vel quanta sibi fecisset Dominus et Sanctus ejus. Hæc de miraculis Sancti viri nostris temporibus gestis utcumque narrata sufficiant. Ceterum quæ assidue largiter munificus, vel in loco, ut prædiximus, in quo nunc quiescit; vel in quo antea sepultus quievit, clementer impendit, ideo impossibile est scribere, quia ipse Deo largiente numquam disistit impendere.

pro pede juxta nates suspenso,

utens ligneo pede.

Adhortatio ad imitationem,

12 Quia igitur solennitatem piissimi Patris Veroli, Fratres carissimi, recolimus, si ex toto non valemus, saltem in aliquo, exempli illius formam imitari debemus. Ideo enim hujus ceterorumque festa Confessorum seu Martyrum celebramus, ut per temporale gaudium quod in eis exercemus, æternæ qua fruuntur lætitiæ memores simus, ad eorumque societatem tendere satagamus. Ideo sanctitatis ac signorum gesta recitamus, ut quibus modis ad tantæ sublimitatis culmen pervenerint, cognoscamus; viamque salutis, qua illi incedentes irretorto gressu præcesserunt, contemplati, absque erroris diverticulo subsequi inardescamus. Hoc etenim egregius gentium doctor ostendit: Quæcumque, inquiens, scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Quapropter qui ita Sanctorum solennitatibus interesse, seu gesta ipsorum recitare, vel aliis recitantibus audire procurat, ut inde sibi aliquem virtutis florem excerpat quem memoria vel actione teneat; ad profectum sui gaudia solennitatum se celebrare cognoscat; estque juxta Apostolicum illud, unde talem gaudere oporteat. Gaudete, inquit, in Domino semper iterum dico gaudete: Dominus enim prope est. Qui vero hoc modo solennia Sanctorum frequentat, aut gesta ipsorum auscultat, ut nihil inde boni (quod absit) ad vitæ suæ usum retorquere studeat; verum solis vanitatis et lasciviæ lusibus insistat; non est unde gaudere, sed potius e contrario unde lugere queat. Itaque, Fratres, devotis Sanctorum natalitia gaudiis celebremus; præcipueque Beatissimi Patris nostri diem, qui terrenæ fragilitatis vinculis absolutus, post dira male blandientis mundi certamina gloriosum adeptus triumphum, cum beatissimis cœlestis militiæ spiritibus æternæ patriæ felicem possidere cœpit hereditatem; ibique venerando Sanctorum senatui in albo vitæ conscriptus, caputque pretiosi lapidis stemmate decoratus, immarcessibilium gaudiorum jucundatur munere, amœnitatis tempora semper tenens referta dulcedine, et quod in hac vita lacrymando, jejunando, vigilando seminavit, nunc mellifluis exultando modis metit. Itaque Fratres, ejus glorificationis memores, psalmis et hymnis totiusque generis melodiis, in altum elevato vocum modulamine, præsens festum solenne reddamus; quo Sanctorum choris, propter receptum in suo collegio concivem, congaudere debemus. Hunc etenim proprie benigna Domini pietate meruimus habere Patronum, hujus quotidie meritis et intercessionibus sentimus adesse præsens donum Dei. Infirmos nostros curat, sibi famulantes opportune sublevat, omnes se devote requirentes exhilarat, corde contritos sanat, contritiones eorum alligat; facit judicium injuriam patientibus, dat escam esurientibus, solvit compeditos, illuminat cæcos, eregit elisos, imbrem culpis delinquentium negatum reddit, cladem scelestorum ultricem extinguit. Quid igitur nobis restat agendum? nisi ut quacumque tribulatione angustiati, ejus exspectemus refugium, ejusque nobis adesse imploremus auxilium. Et quia peccatis nostris exigentibus, solito crebrius divinæ indignationis flagella in præsentiarum sentimus (secundum Dominicum siquidem vaticinium, consurgere gentes in gentes, regnaque in regna cernimus; terræ motuum impulsibus concutimur, pestilentiæ famisque angore periclitamur, cœlestium terrorum pavore deficimus, hisque exceptis prædonum rapacitate devastamur) ad piissimum Patrem voto precesque nostras convertamus. In primis exoremus illum, ut mores pravos hæc promerentes corrigat, deindeque ut justam Omnipotentis iram mitiget, morbos depellat, famem clademque arceat, discordiam cunctaque obfutura auferat, pacem et omnia profutura conferat. Cujus clementiam si correctis moribus devote nobis adesse invocaverimus, absque dubio impetrare valebimus, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, in secula seculorum. Amen.

Rom 15 4

Phillp. 4. 4

festum devote peragendum,

et patrocinium ejus implorandum.

ANNOTATA G. H.

a *Clarius, in suo Chronico Senonensi S. Petri-vivi, docet ad annum* 1001 *plures Sanctorum Reliquias repertas atque exornatas a Leotherico Archiepiscopo, sub annum millesimum ordinato; At* S. Stephano *est ecclesia Cathedralis dicata.*

b Abecules, *cæci. Ita apud Petrum Blesensem sermone* 18 *et* 41 Abocelli, *senes pene cæci, appellantur.*

c *Anno* 1020, *præsente Roberto Rege, a Leotherico Archiepiscopo Senonensi, Gauslino Bituricensi, et aliis, Celebratum Concilium in* Airiaca *sive* Airegas villa S. Germani,

A S. Germani, *de quo consule Concilia Labbeana tomo 9 pag.* 842, *quibus ibi relatis hinc lux accedere potest.*
d *MS. Reg. Suecitæ* auctores.
e *Reliqua desunt in MS. Chiffletiano.*
f *Imo* antea, *nisi transitio ea hic foret, ordinem non temporis, sed narrationis designans.*
g *MS. Reg. Sueciæ* humorem. D
h *Idem* evidenter.
i Scacia, *Teutonibus* Scatse, *Francis* Eschasse, *Latine* Grallus.

DE SANCTA ALENA

VIRGINE ET MARTYRE FORESTI IN BRABANTIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De ejus cultu, Actis etiam vulgariter redditis, et Reliquiis. G. H.

CIRCA DCXL

Forestum *(vulgo Vorst)* illustris Virginum Benedictinarum haud procul a Bruxella ad Sennam fluvium est Abbatia: in qua corpus S. Alenæ sive Halenæ anno MCXCIII per Godescalcum Abbatem Afflighemiensem e terra levatum, quiescit. Patrem habuit Levoldum, Dilbecæ B eodem in tractu Regulum; et anno DCXL floruit, temporibus S. Amandi Trajectensis Episcopi. Extat Foresti et in Rubea-valle historia Latine manuscripta, et Teutonice Bruxellis excusa. *Ita Aubertus Miræus Bruxellensis, in Fastis Belgicis et Burgundicis, ad diem* XVII *Junii, quod is primus occurrat, in quem potest convenire Dominica ante festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ, quæ solenni illius venerationi est sacrata.* **H***oc etiam observavit Joannes Molanus, in secunda et tertia editione Auctarii ad Usuardum, et in Natalibus Sanctorum Belgii; ut post Sanctos* XVII *Junii relatos sub titulo Dominicæ ante S. Joannem Baptistam, retulerit compendium Vitæ, Martyrii, elevationis ac venerationis* S. Alenæ; *quam etiam* Helenam *appellat. Saussayus ipsam eodem die refert, et* Translationem *vocat. At die* XIX *Junii, sacra ejus memoria celebratur in MS. Martyrologio Bruxellensi et MS. Florario, cum elogio ex Vita desumpto. Prius ex MS. Bruxellensi est editum in Auctario Molani primæ editionis ad Usuardum: et ex hoc in Martyrologio Germanico Canisii, atque in his sub finem ista additur:* Hujus sacræ Virginis corpus in Comitatu Bruxellensi, apud Forestum monasterium in capella parochialis ecclesiæ sibi dicata quiescit. *Meminerunt ipsius, eodem* XIX *die, Grevenus et Galesinius, et utroque die Ferrarius.* C

Cultus sacer

17 Junii Dominica ante S. Joan. Bapt.

et 19 Junii

2 *Historiam Martyrii, elevationis, et miraculorum damus ex duplici MS. Forestano, et Rubeæ-vallis inter se collato. Auctor si unus esset, floruisset tempore elevationis sub finem duodecimi seculi, sed videtur habuisse antiquum scriptum quod cum capite primo finitur, illi aliud deinde subjunctum prout capite secundo indicatur. Quibus reliqua postmodum addita fuerint.* * *Extant eadem Gallice excusa Bruxellis anno* MDCXXI, *ex veteri (ut præfatur interpres) Teutonico: hoc vero fuit recusum, tamquam ex Latino MS. Rubeæ-vallis immediate traductum, etiam Bruxellis anno* MDCXL. *Utrobique adduntur miracula quædam, Latino textu non comprehensa: quæ dantur per modum Appendicis, ut facta anno* MCCCCXCIV *et* MDII. *Sequitur declaratio de veritate Reliquiarum Foresti asservatarum, ut antea, scilicet anno* MDXXIII, *ab Archiepiscopi Cameracensis Vicario recognitarum, data per Archiepiscopum Mechliniensem Matthiam Hovium* MDCI XIV *Februarii, cujus originalem textum Latinum, post eamdem Appendicem damus; una cum exemplo æque originali aliarum litterarum ejusdem Archiepiscopi, datarum* III *Aprilis, occasione controversiæ, super eadem veritate versantis inter Forestanas Virgines eorumque vicinos incolas Dilbekanos, qui Virginem apud se natam, apud se etiam haberi jactabant, quod ipsis interdicitur; sed permittitur, ut* S. Alenam, *velut indigetem suam, colere et imaginem possint processionaliter circumferre. Utrique tamen instrumento præmitto quædam alia, ex originalibus intra capsam asservatis descripta, Acta scilicet inspectionis, unius alteriusve.* E

Historia martyrii ex MSS

eadem Teutonice et Francice edita

unde datur Appendix.

3 *Invocatur autem ut plures aiunt nunc illa Sancta, præsertim contra dolorem dentium: quorum tamen nulla in miraculis mentio: unde intelligitur, hujus, aut superioris ut summum seculi religiositatis esse occasione insignis alicujus, sed recentioris miraculi, in odontalgiæ curatione patrati, licet nulla ejus servata memoria sit. Pars aliqua Reliquiarum his ultimis annis pervenerat ad Sereniss. Archiducissam Mariam Annam, Ducis Neoburgici junioris uxorem, Leopoldi Cæsaris Germanam sororem; eique fuerat, nescio quo fundamento, persuasum specialius etiam ad impetrandam prolem, quæ ipsi summa votorum erat, invocari; sed ab ejus Confessario P. Ignatio Splinter interrogatus, anno* MDCLXXXV, *respondi ei mihi needum innotuisse; Foresti certe nihil tale dici, ubi corpus servatur inclusum nobili ex solido argento thecæ, repositæ in novo altari, quod in choro Sanctimonialium anno circiter* MDCLXXXII *ad ejusdem Divæ honorem erectum fuit. Quæ autem circa idem corpus hoc seculo acta dicimus, constant ex instrumentis, quæ ut originaliter transcripta haberemus, una cum recentioribus prælustrium beneficiis, grataniter agnoscimus nos debere diligentiæ R. P. Ernesti Fridagh, Collegii nostri apud Deiparam Hallensem tunc Rectoris.* F

Patrocinium

Reliquiæ

ACTA

Ex MS. Dielbekano

PROLOGUS.

Quia instar mensæ ditissimæ, optimis epulis refertæ, Vitæ Sanctorum nobis proponantur; ut luminosis ipsorum exemplis, quasi quibusdam vitalibus epulis, macras animas nostras ubertim saginemus; et extinctas lampades oleo virtutum accendentes, nos æterno convivio præparemus; ad ædificationem audientium luminosam beatæ Alenæ Virginis et Martyris Christi vitam nequaquam silentio tegere, sed super aureum candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo Dei sunt, debemus ponere: quatenus præclaro ejus jubare servus peccati, anno vere Jubilei, ad Dominum suum redeat; cæcus in tenebris et in umbra mortis sedens, sine offendiculo regiam viam currat; Lazarus quatriduanus, de sepulcro vitiorum ad vitam resurgat. Et quia teste veritate, in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum: ne

Deut 19.

EX MS. DIL. LBEKANO.

ne falsitatis arguamur, quæ de beata Virgine scribimus, authentico multorum fidelium relatu solide roboramus. Et cum, beato attestante Hieronymo, satius sit ex duobus imperfectis sanctam habere rusticitatem, quam peccatricem eloquentiam; verba rhetorico colore phalerata fugientes, simplici, humili, rusticano ac pedestri utimur sermone : quia hoc simplex Deo fore credimus acceptabile; qui sicut superbis resistit, sic et humilibus et simplicibus gratiæ suæ largitatem, ultronea liberalitate dare consuevit.

CAPUT I.

Prosapia nobilis, sed gentilis. Conversio ad fidem. Martyrium. Miracula. Conversio parentum.

Sancta et venerabilis Christi Virgo Alena, regali schemate orta, Levoldi *a* Regis et Reginæ Hildegardis fuit filia : cujus pater regnans apud Dielbekam, toti circumjacenti regioni principabatur; et, ut *b* Gentilis, gentili vesania Christianos persequebatur. Cujus persecutionem, qua grassabatur in Christianos, Christianus quidam fugiens, apud Forestum mansit. Qui locus juxta Sannam, sive *c* Sennam fluvium situs, ipsum contra Gentilium incursus duplici vallabat munitione, tum opaca silvarum densitate, tum copiosa aquarum inundatione.

b Pater S. Alenæ Dynasta gentilis

a Christiano quodam invitatus,

3 Quadam autem die, Divina disponente clementia, idem Christianus et Rex prædictus venatum perrexerunt, et ad Sannam fluvium alter alteri obviarunt. Rex, inopinatum Christiani admirans adventum dixit ad eum : Qui es tu? nostras an adversariorum? Quam legem profitearis, mihi dicito. Cui Christianus, Legem, inquit, colo Christianam, quæ quanti æstimanda sit, quantumve spurco Gentilium præstet ritu, hoc modo poteris experiri. Hospitare mecum hac nocte, et in crastinum, dum sacro-sancta Missarum mysteria celebrantur, dum divinissima Deo Patri offertur Eucharistia, inter offerendum gustare et videre poteris, quam suavis est Dominus : quam felices omnes Christiani, qui sperant in eo; quam infelices, quam cæci, quam spurci omnes Pagani, quamque execrabilis error eorum, pro Creatore creaturam colentium. Tunc luce clarius tibi constabit, quod, quantum lux a tenebris, veritas a falsitate, ortus distat ab occidente, tantum differt fides nostra a Gentili errore. Cui Rex præbuit assensum et divertit Forestum ad ejus hospitium. Quem ille cum summa hilaritate suscepit : et, sicut tantum hospitem decuit, cum omni familia sua venerabiliter assurrexit.

Missam celebrari videt, d

4 Habebat dives ille domum lapideam, quam postea, crescentis Christianæ fidei religione *d*, S. Amandus Episcopus in Ecclesiam permutavit, quam in honore Dei et B. Dionysii solenniter dedicavit. Erat autem capella domui suæ contigua, cui Sacerdos præerat, qui Deo devote serviebat. Qui dum more solito divinum celebraret officium; Rex ea quæ agebantur intenta quidem aure percipiebat, sed corde paganissimus, quasi frivola vilipendebat, et spurca idola esse pluris adstruebat. Et quid mirum? Asino lyra superflue canebat. Qui mox domum reversus quæ viderat et audierat uxori et Alenæ filiæ suæ retulit; fidemque blasphemans Christianam, ille legem suam præponderavit.

idque contemptim narrat uxori et filiæ.

5 Mox Alena, gratia sancti Spiritus inflammata, Christianum illum, apud quem pater suus hospitatus fuerat, et divina quæ ibi gerebantur, miro modo affectabat videre; ut eruta a Paganis, qui sunt paleæ æternis incendiis præparatæ, unum fieret de electis granis, in æternæ beatitudinis horreum congregandis. Quod nisi clanculo fieret, ignotum cordis sui affectum numquam ad effectum perduceret, utpote virgo timida, filia patris unica. Hinc patris Pagani vesaniam, hinc ne proderetur vigilum pervigilem metuebat custodiam. Quæ virgineæ timiditatis oblita, novo vino inebriata, animum assumpsit virilem, omnimodi timoris expertem : et inter horrenda ferarum lustra, inter silvarum opaca omnimodis imperterrita, singulis noctibus Forestum ad matutinam synaxim perrexit. Ubi quam stricto, quam casto, quam sapido, quam ignoto amplexu Sponsum suum, in quem desiderant Angeli prospicere, sibi alligaverit; ubi quam pingue holocaustum sese Domino mactaverit; quam crebro ignitarum precum singultu supernæ patriæ suspiraverit, hujus secreti testis est, qui Spiritus sui jubare ipsam inflammavit : cujus ignito amore tota incanduit, qui cordis ejus et possessor et possessio extitit.

Hæc amore Christianæ fidei

singulis noctibus Forestum adiens,

Christo adhæret :

6 Cum autem hujusmodi furtum, Deo et Angelis acceptum, sibi usu continuo versum esset in habitum; ab uno vigilum capta est et retenta. Cui Virgo; Dimitte me, inquit, et cela secretum meum, quia magnis te dotabo muneribus pro hac vicissitudine. Ille tam prece quam pretio Virginis corruptus, ad tempus tacuit, nec viam Virginis impedivit. Sed cum crebro Virginem super hac temeraria voluntate argueret, et illa fixa in proposito suo permaneret; hoc ægerrime ferens, adiit Regem patrem suum, eique filiæ suæ denudavit secretum. Cui rex : Non impedias egressum ejus et regressum, sed occulte et sagaciter vestigia ejus sequere, quoadusque ad indaginem hujus rei valeas pervenire. Vigil vigilantius solito vigilans, occultas Virgini machinatur insidias; eamque post tergum usque ad Sannam fluvium sequens; sed sine navigii et pontis adminiculo transeuntem ulterius sequi non valens; revertitur ad Dominum suum, eique refert quam miraculose filia sua transierit fluvium. Dictus abusive, non re, sed nomine solo Rex, furit; et nulla se ratione regens, Filia, inquit, mea magicis Christianorum artibus delusa, spreta deorum nostrorum cultura (pro dolor!) Christiana effecta est : quam, nisi ab hoc errore resipuerit, diversis multabo supplicis. Ergo milites mei arma capite; circa marginem fluvii, per quem transire solet, insidias tendite : omnem illi regressum excludite, vivam captam mihi adducite, ut contemptum diis irrogatum in ipsa possim vindicare.

delata apud patrem ideo natum,

jubetur comprehendi.

7 Absque mora milites Regi obsecundant, ad fluvium properant, reditumque Virginis exspectant. Virgo sancta, cujus conversatio in cœlis erat, dum solitam carpit viam, a militibus capitur, ut viva patri præsentetur. Qui, tenera Virgine quoad potuit reluctante, fortiores, toto virium suarum robore impetum in eam fecerunt; et brachio de corpore ejus extracto, mortuam in terra reliquerunt. Quod ne cuiquam videatur incredibile et absurdum, quia novum, quia hactenus inauditum, et ob hoc judicetur inter apocrypha numerandum, quod brachium de vivo corpore sit extractum; Si Deus mirabilis in Sanctis suis, in hoc mirabili facto cogitatur, omnis dubitatio de medio aufertur. Ecce in S. Alena Virgine et Martyre Christi videmus manifeste impletum illud B. Gregorii, quo dicitur; Sancta Ecclesia in pace gignit lilia, in bello rosas. Siquidem S. Alena, Virgo et Martyr pretiosa, florigerfuit hortus spiritus Sancti, in quo pariter crescebant et candida lilia castitatis, et rosæ martyrii. De qua forte si ambigitur, si baptizata sit nec ne, frivola hæc videtur quæstio; quia revera tam ipsi quam reliquis Martyribus erat pro baptismo pretiosi sanguinis effusio.

Capta et reluctans moritur brachio revulso,

8 Igitur B. Alena martyrio coronata, Angelus Domini,

quo per Angelum Foresti super altare posito,

Domini, qui virginem semper comitabatur, tuebatur, et consolabatur vivam, (Angelis enim cognata semper est virginitas) non reliquit, sed mirificavit mortuam : brachium ejus sanguinolentum, de corpore extractum, Foresti posuit super altare : quod dum viveret cum summa mentis solennitate frequentavit. Presbyter supra memoratus ibi degens, et Dominus suus, perculsi hac novitate miraculi; brachium quidem videntes, sed cujus fuerat penitus ignorantes, hæc inter se mutuo conjectabantur : Forte hoc est brachium Virginis Alenæ, a fera pessima devoratæ. Curramus ergo per concava vallium et per opaca silvarum, si præduce Christo possimus invenire corpus ejus pretiosum. Qui mox circumquaque discurrentes, corpus sanctæ martyris invenerunt, quod in capella quæ nunc in honore ejus dedicata est, honorifice sepelierunt.

ipsa il idem sepelitur in capella illi dein dicata.

9 Mox quanti fuerit meriti apud Deum B. Alena, miracula, quæ ibi Dominus pro ejus meritis declaravit, viva voce clamare cœperunt : quia languidi quique optatam sospitatem, cæci visum, surdi auditum, paralytici gressum receperunt. Cujus sanctitatis fama cum longe lateque crebresceret; Dux quidam terræ illius, Omundus nomine, dives quidem pompa seculari, sed pauper quia cæcus et impotens sui, venit ad Lenoldum Regem Dominum suum, et dixit ad eum : Quia infirmi quique catervatim ad sepulcrum filiæ tuæ confluunt, ejusque meritis diu desideratam sanitatem recipiunt, una cum aliis illuc pergam ; ut cæcitate depulsa amicum lumen videam. Cui Rex respondit : Etsi hactenus frivola reputaverim, quæ de filia mea fama volante, et (ut credo) mentiente, didici ; si ipsa mediante, tu, qui cæcus es, lumen amissum recuperaveris ; mox Æthiops, nigræ gentilitatis pelle deposita, lotus unda salutari super nivem dealbabor ; et quamdiu vixero, sanctæ filiæ meæ vestigia sequi studebo. Dux pollicitatione Regis exhilaratus, ad oratorium S. Alenæ properavit; et per meritum beatæ Virginis tam interiori quam exteriori cæcitate fugata, visum recepit, lætoque Regem nuntio lætificavit.

claret miraculis

Dux cæcus illuminatur,

10 Rex tam celebri miraculo stupefactus, totus ad Deum conversus, novo sale salitus, sobriæ ebrietatis vino debriatus, regalis culminis cervicositatem deposuit ; spurca, surda et muta idola virili pede calcavit ; humilis, devotus, lacrymis plenus, ad filiæ suæ sepulcrum veniens, seque mortis suæ reum publice confitens, et baptismi gratiam et peccatorum adeptus est veniam. Baptizata est etiam cum eo Hildegardis Regina uxor sua et Rex qui eatenus dictus est Lenoldus, Christianus factus, Haroldus vocatus est. Qui de virtute in virtutem ascendentes, posteriorum obliti sese in anteriora adeo extenderunt, tamque probate vixerunt, ut Deus per ipsos et in hac vita mira operatus sit, et adhuc operatur in Ecclesia de Dielbeka : quam Rex in honore B. Ambrosii e construxerat, ubi beato fine tumulata jacent eorum corpora. Cui honor et gloria in secula seculorum. Amen.

pater et mater baptizati,

sancte vivunt,

Dielbekæ sepulti

ANNOTATA D. P.

a *Gramayo in sua Bruxella et Miræo* Regulus ; *Molano*, Rex Regulus, Princeps. *Distat autem* Dielbeka *Foresto Alostum versus, bona una leuca; et fere sesqui leuca Bruxellis; nomen habens a rivulo* Dila *ibi exoriente, sicuti et* Dilegem *Ordinis Præmonstratensis Abbatia, eidem rivulo adsita prope Bruxellas.*

b *Quod idololatria Gentilium seculo Christi 7 adhuc viguerit hisce partibus, ex Vita S. Amandi et aliorum Sanctorum constat.*

c Senna *Hallas, Forestum, Bruxellas, et Vilvordiam perluit ; infra Mechliniam Dilæ miscetur.*

d *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad Vitam S. Amandi 6 Februarii memorat*, S. Amandum inter Occidentales Brabantos sæpius prædicasse, potissimum in Comitatu Bruxellensi, ubi Alenam Martyrem ; et in Nivellensi, Gertrudem cum matre discipulas habuit. *Vitam S. Gertrudis dedimus* 17 *Martii.*

EX MS. DIELBEKANO

e *Extat prope Dielbekam hodiedum* capella S. Ambrosii : *notata in tabula chorographica districtus Bruxellensis.*

CAPUT II.

Diversa miracula.

Cum vocale sancti Spiritus organum dicat Gregorius; majus miraculum est prædicationis verbo atque orationis solatio peccatorem convertere, quam carne mortuum resuscitare ; miracula, quæ per merita B. Alenæ Virginis mirabilis Deus mirabiliter operatur, et viva voce prædicamus, et scripto memorabili committimus : ut inter prædicandum per extrinsecus miraculum, intrinsecus peccator a morte animæ vivificetur, et ad honorem Dei in celebri memoria habeatur. Et cum beati Evangelistæ Lucas et Marcus Evangelium, quod scripserunt, non visu sed auditu didicerint ; non hoc fastidium generet lectori, si audita tantum et non visa scribimus; etsi aliqua quia rara, nævo (quod absit) judicentur respersa mendacii ; cum revera hoc non sit mentiri (hoc est contra mentem ire) ad ædificationem corporis Christi virtutes Sanctorum in lucem propalare [statuimus] : quia omne bonum ut scriptum est, in commune deductum, clarius elucescit.

Ex relatu majorum constat

12 Capella in qua B. Alena sepulta est, a Beato creditur Amando dedicata, et quia pro temporis antiquitate modernorum [non] elucubravit memoria, utrum dedicata sit nec ne; quodam tempore *a* Nicolaus piæ memoriæ Cameracensis Episcopus, disponebat eam una cum Ecclesia S. Dionysii Martyris dedicare : sed cum eum a B. Amando dedicatam didicit, non est ausus manum apponere; ne et sancto viro et sacramento, quod iterandum non est, injuriam videretur inferre. Prædicta autem capella in maxima antiquitus habebatur reverentia, eo quod ipsam nulla bestia impune tangere, aut in cœmeterio ejus posset pascua quærere. De corylo etiam, quæ crescit juxta capellam, nullus unquam nuces carpere præsumpsit. Juvenis autem quidam, forte per capellam transiens, Estne, inquit, hæc corylus illa, cujus nuces nullus audet tangere? Mox urgens equum calcaribus, nuces de corylo rapuit : sed redeuntem manifesta phrænesis invasit, equum suum mors inopinata prostravit; cujus vexationi parentes ejus medullitus compatientes, grata Deo holocausta precum obtulerunt : qui mox, mediante beata Virgine, pristinæ sanitati restitutus est. Cujus temeraria præsumptio nobis est documento, ne spiritu inescati superbiæ, loca sancta præsumamus temerare.

antiquitus in honore fuisse, S. Alenæ capellam, a

cœmeterium,

corylum,

cujus nuces diripiens punitur phrenesi,

et ope S. Alenæ sanatur :

13 Femesa mulier quædam in Foresto, duplici paupertatis et infirmitatis scilicet onere pressa, eleemosynis Sanctimonialium diu sustentata, multis modernorum cognita, parvulum filium habuit : quem more infantili ludentem juxta rivulum, ibi jugiter fluentem, impetus aquæ rapuit; raptum nec resistere valentem suffocavit; suffocatum tam diu secum traxit, quoadusque per palum in aqua defixum retentus est, cujus mater materna gestans viscera, filii sui recordata ipsum quærens nec inveniens, more muliebri cœpit furere, ac per marginem rivuli circumquaque discurrere, et quem super terram invenire non potuit, submersum in aqua materno affectu conjecturavit. Tandem filium ab hora prima

Puerulus 9 horis submersus,

EX MS. DIELBEKANO ad altare ejus resuscitatur.

A diei usque in horam nonam submersum, cum flebili ejulatu extraxit, extractum ante altare S. Alenæ posuit : quem Deus obtentu beatæ Virginis resuscitavit. Sanctimoniales, Deo et B. Mariæ devote servientes, et pagenses quique hoc audito miraculo, catervatim confluxerunt, et Dominum in hymnis et canticis spiritualibus collaudarunt. Hoc miraculo admonemur, ut si a morte animæ resuscitari, si partem in prima resurrectione habere cupimus, post multa peccatorum naufragia pœnitentiam (quæ teste Hieronymo secunda est tabula post naufragia) viriliter apprehendamus, ut æternæ damnationis voraginem evadamus.

S. Alena Sacerdoti apparet

14 Alexander, Sacerdos diœcesanus in Foresto, S. Alenam singulariter honorare, et crebro Missas in capella sua celebrare solebat. Quadam die, finita Missa a capella exiens, et post modicum iterum rediens, S. Alenam in capella manifeste vidit, quod et populo publice prædicavit. Hanc visionem veram fuisse credimus; quia Sacerdos, qui Vicarius est Christi, sal terræ, columna Ecclesiæ, Angelus Domini exercituum, nullatenus debet mendacio assuescere os suum : quia scriptum est, Verba sapientis aut vera aut sacrilega; et, Os quod mentitur occidit B animam. Hinc est illud Bernardi Clarevallensis Abbatis : Inter seculares nugæ, nugæ sunt; in ore Sacerdotis, blasphemiæ; talibus os aperire illicitum, assuescere sacrilegium est.

Sap. 1, 11

Ipsa adhuc viva

15 Nocte quadam cum B. Alena Forestum ad Matutinas more solito veniens, et ostio clauso nec capellam intrare, nec divinum Officium posset audire (Presbyter enim magna detinebatur infirmitate) extra capellam humi resedit, et tibiis et pedibus suis spinis et vepribus, quia per aquas transierat, vehementer exulceratis, plurimum doluit, quod tam grave iter incassum arripuerit. Forte famulus Sacerdotis eo transiens, Virginem sanctam ipsam interrogantem, quis esset audivit; sed intempesta nocte ipsam non valens videre, vehementer obstupuit, quia phantasma esse credidit. Cui Virgo : Non terrearis, inquit, quia non phantasma, sed creatura Dei sum : synaxim matutinam anticipavi, præstolans adventum Presbyter. Cui famulus respondit : Non te cassa fatiges exspectatione Presbyter vix convalescet, tanta gravatur infirmitate B. Alena respondit : Vade, et dic ei, ut surgat, et divinum Officium peragat : quia Deus qui huc me duxit volens illi sanitatem restiC tuere, potens est. Reversus famulus interrogatusque qua de causa citius redierit, quod audivit Domino suo continuo intimavit. Mox prædictus Presbyter de lecto surrexit, et incolumis factus Matutinas more solito decantavit. S. Alena dolens nullum omnino umbraculum, suæ quo repausare posset, capellæ esse contiguum; baculum comitem sui itineris in terram defixit, capellam intravit, et divinis laudibus expletis regressa, baculum germinasse, foliaque produxisse invenit : qui in corylum, quæ adhuc b durat, et cui a vicinis magna exhibetur reverentia, excrevit.

Presbyterum ægrum sanat,

ex baculo terræ infixo corylum producit

ANNOTATA. G. H.

a *Nicolaus, ex nobili Chievrensium prosapia, a S. Bernardo epist.* 124 *ad Innocentium Papam, ob vitæ innocentiam plurimum commendatur. Præfuit anno* 1140, *et vivere desiit anno* 1167.

b *Nos ibidem nuces inde accepimus; et rogati, rosarium inde confectum, misimus in ulteriorem Galliam: sæpius etiam ipsum Corylum, multiplicatis a radice ramis densam, vidimus : quod factum aliqui putant ex deciduis ipso loco nucibus, et succrescentibus identidem surculis; itaque semper eumdem videri fruticem, licet veteres paulatim emortui dispereant : ne autem rapinæ cujusque transeuntis sacræ nuces pateant, tota arbor* D *maceria sepitur.*

CAPUT III.

Elevatio Corporis. Varia miracula.

Nunc ad ædificationem tam præsentium quam futurorum, qualiter beata Virgo et Martyr Alena cuidam convicaneo nostro, nomine Petro, quantum ad exteriorem hominem spectat innocenti et simplici viro, nocturna visione revelata sit, scribendi vertamus articulum; et multimoda quæ apud nos nuperrime declarata sunt miracula, sub brevi eloquio transcurramus. Parochiani Forestensis ecclesiæ, prædicto Petro et cuidam alii tutelam ecclesiæ suæ commiserunt, ut eleemosynas et oblationes fidelium fideliter colligerent; et quæ ad ornatum pertinerent ecclesiæ, solerti sagacitate providerent. Qui cum tam pio et salubri operi salubriter insisterent, quidam Deo odibiles dicto Petro, quod res ecclesiæ in proprios usus redigeret, canino dente detraxerunt : quorum invidiam dictus Petrus ægerrime tulit, et ab incepto opere se ex toto alienavit. Quem E socius suus arguit inobedientiæ, utpote qui oneri tanto non posset solus sufficere. Cui nolenti resipiscere quadam nocte quidam apparuit, et dixit ei : Nisi cito officium tuum resumpseris, et B. Alenam, quæ multum neglecta est, solito more honoraveris, flagello divino percussus, amittes quod in terra carissimum habes. Ille propria obstinatus voluntate, visionem hanc pro parvo reputans, dimissum noluit resumere officium. Mox duo filii sui languore correpti, mortui sunt; et juxta tenorem prælibatæ visionis flagellatus est in carissimis suis.

Tutelam ecclesiæ S. Alenæ dimittens

et frustra monitus visione,

punitur obitu 2 filiorum :

17 Cui pro filiis jam mortuis exacerbato, qui prius apparuerat, secundo apparuit; et comminatus est ei, ut si non mox resipisceret, gravior quam in filios passus esset, vindicta procederet. Qui aliquamdiu nequaquam ad cor rediens, officium suum non resumpsit : quia ipsum ultro se ingerere multum puduit. Cui graviter languenti, tertio comminatio repetita est. Tunc vexatio, ut ait Propheta, dedit intellectum auditui, et reversus ab percutiente se, Amelricum Sacerdotem consuluit, cui seriem visionis per flagella exhibitæ manifestavit. Cui Sacerdos: Si prudenti usus fuisses consilio, non tam obstinate F divino repugnasses flagello. Nunc autem subditus esto Deo, quem amare, vivere; cui servire, regnare est; et crebro ante feretrum B. Alenæ genua flecte, Deo supplica, ut si revelatio de ossibus B. Alenæ tibi manifestata ex ipso fuerit, ipsam ad optatum perducat effectum; si vero phantastica, tam grave flagellum clementer amoveat a te. Et quia verba Sacerdotis medicinalia sunt, ex re nomen habens Petrus, hoc est firmus, firmamentis constantia roboratus, officium quod dimisit propter linguas detrahentium, devotus recepit; et ecclesiæ S. Dionysii ac B. Alenæ tanto ferventius servire cœpit, quanto celerius se sanitatem adeptum cognovit.

post 2 et 3 visionem

Is. 28, 19

consilio Sacerdotis

eumdem resumit.

18 Quadam autem die prædictus Petrus solus in ecclesia remansit, ostia super se clausit, ante feretrum beatæ Virginis se cum magna humilitate prostravit. Mox feretrum cum magno impetu crepitum dedit : quo perterritus extra ecclesiam fugit. Indignans autem se tantæ esse timiditatis, quia degeneres animos timor arguit, reversus ante feretrum procubuit; quod secundo terribiliorem sonitum dedit, ipsumque fugam inire compulit. Qui novam resumens audaciam reversus est, et crepitus adeo magnus de feretro tertio insonuit, quod clavus ferreus in feretro fixus, ante pedes ejus exiliit, et vinculum ferreum quo ligatum fuerat diruptum est.

Coram illo sonitus e feretro fictus tertio,

ejectus clavus, ruptum vinculum,

19 Stupefactus cum magno impetu exivit: cu Gerardus custos ecclesiæ, ut haberet hujus secreti conscium, non fortuito, ut reor, sed divino nutu occurrit; ad quem ille: Quæ est causa cursus tui et terroris tanti? Ille autem audita et visa verecunde et caute dissimulavit. Cumque multa vicissim confabularentur, inter loquendum Petrus dixit ad Gerardum: Qui secreta celare non potest, similis est vasi pleno rimarum, quod undique effluit. Sponde ergo mihi quod nolis esse vas futile, et manifestabo tibi secretum nuperrime parvitati meæ a Deo revelatum. Cui ille si dictis facta compensaveris, fidelissimus ero coadjutor et a secretis. Qui ut devote ante feretrum procubuerunt, mox cum magno strepitu paulatim vincula cum clavis dirupta sunt, ostiolum feretri ultro apertum est; et pannus linteus integer et candidus, in quo Reliquiæ involutæ sunt, manifeste visus est. Quidam autem parochianorum, quibus hoc secretum Petrus secrete revelaverat, timentes, si hæc publicata forent, quod *a* Sanctimoniales aviditate sancta sanctum Virginis corpus raperent, feretrum in crypta S. Dionysii absconderunt.

feretrum ultro apertum:

20 Tandem communi consilio Dominus *b* Godescalcus, Abbas Affligemiensis *c*, Forestum advenit; et determinato die, quarta videlicet feria Pentecostes *d* anno Incarnati Verbi millesimo centesimo nonagesimo tertio, ossa B. Alenæ Virginis ab eo elevata, et populo ostensa sunt: aqua, intinctis sanctis ossibus benedicta, ægris propinata est; ac inter bibendum plerique optatam sanitatem adepti sunt.

sacra ossa elevantur an. 1193

21 Nam cæca mulier, nomine *e*.... eleesyna *f* Ducissæ, cum de aqua bibisset, et ex ea oculos suos perunxisset; mox per gratiam Dei visus ei adeo melioratus est, ut quæ eatenus nec videre nec quoquam ire potuit, nunc ad ecclesiam sine duce pergat, et quæ agenda sunt, admodum lucide discernat. Verum quia nulla ossa extra feretrum Abbas dimiserat, quæ infirmis illuc confluentibus possent monstrari; Abbas iterato Forestum rediit, populo sanctas Reliquias ostendit, ut et hunc diem de cetero singulis annis Dominicam videlicet ante Nativitatem sancti Joannis Baptistæ solenniter celebrent, auctoritate sua præcepit.

cæca illuminatur:

festum ejus Dominica ante Nativitatem S. Joannis Bapt. instituitur.

22 Isaac de *h* Aa, famulus Domini Walteri de Aa, gravi et diutina laborans infirmitate, ad S. Alenæ Capellam devote venit, et lætus pristinam sanitatem recepit. Gerardus quoque de *i* Sommerenghem, cum tibiam haberet adeo inflatam, et multis foraminibus plenam, ut in ecclesia jacens, omnes et fœtore nimio et flebili ejulatu vexaret; rogantibus infirmis, ut fœtoris causa et clamoris poneretur extra ecclesiam; sanus factus, reliquis infirmis sedulum impendit obsequium. Mulier quædam de Laerbeka nimis turgidum habens uterum, tota ulceribus plena, perfectæ sanitati redonata est, cum qua et viginti tres infirmi a variis languoribus sanati sunt.

Curantur diutina infirmitas

tibia inflata et fœtida,

uterus inflatus,

morbi aliorum 23,

23 Quædam etiam mulier de Saventinis epileptico morbo tota exhausta, sæpissime in ignem recidit. Quæ Forestum veniens, et morbi sui gravitatem, et brachium suum igne graviter exustum omnibus ostendit. Quæ tam firmæ restituta est sospitati, ut de cetero morbi illius nullum omnino motum senserit, quæ in memoriale liberationis suæ signum, annuo censu capitis sui, quamdiu vixit, unum denarium S. Alenæ se daturam promisit.

epilepsia duarum,

24 Duæ quoque juvenculæ, quas epilepsia adeo gravabat, ut alteram quotidie, alterum tribus vicibus in hebdomada vexaret; cum fama miraculorum B. Alenæ se longe lateque extenderet, ad oratorium ejus cum magna devotione venerunt; et coram Deo sese humiliantes, comam capitis sui, quam eatenus ad ornatum et decorem habuerant, in qua mulieres singulariter gloriantur, coram omnibus absciderunt, et eam ante altare beatæ Virginis suspenderunt: et quia omnis qui se humiliat exaltabitur, post tantam humilitatem illas Deus respexit, easque a morbo suo penitus liberavit. Mulier quædam de Peda, longo tempore cæca, ignita oratione ad Deum fusa, se visum recepisse omnibus propalavit, et quod altare beatæ Virginis, et quosque circumstantes clare videret, edixit.

sanantur mulieres post comam capitis abscissam:

EX MS. DIELBEKANO

cæca illuminata,

25 Juvenis quidam de Vilfordia, admodum decorus aspectu, cum utroque arderet pede, et recuperandæ sanitatis gratia ad S. Alenæ oratorium properaret, inter eundum liberatus est. Quidam de Vlesenbeka, illuc super plaustrum advectus, cum aliquantisper in ecclesia sanctæ Alenæ obdormisset, sanitati pristinæ redditus per se ad propria remeavit. Goswinus de Vlesenbeka, cui utraque manus ardebat, et qui jam duos digitos unius manus amiserat; Gerardus de Bigardis, cujus pes igne succensus est; Boydinus de Opwyck, cujus dimidius pes igne combustus est et tres digiti de altero pede (qui cum apud Wincsele diu jacuisset in cassum, Sacerdos Ecclesiæ, consuluit ut Forestum iret, et suffragium B. Alenæ peteret) hi tres in virtute Trinitatis Deificæ sanati sunt mediante B. Alena Virgine.

sublatus ignis sacer quinque diversorum,

26 Imma turgidum nimis habens ventrem, cui a Sacerdote de Cortenberge, nocturna visione consultum est, ut sanitatis gratia ad B. Alenam festinaret, sub oculis omnium citissime curata est. Escelinus de Lembeka cum cæcus esset visum recepit, quod vicinorum suorum fidelium virorum testimonio roboramus. Juvencula quædam in *k* Adengem, cum unum oculorum amisisset et in altero adeo infirmaretur septem annis, ut vix in eundo viam posset obtinere; utriusque oculi sanitatem adepta, cum magna lætitia domum reversa est. Walterus de Meldert, cujus pes graviter ardebat, in momento curatus est.

ventris tumor,

cæcitas duorum,

ignis sacer

ANNOTATA G. H.

a Sanctimoniales *ibidem ex reformatione Cluniacensi vixisse ab anno* 1105, *eisque primam Abbatissam datam Petronillam Castellani Gandensis filiam, scribit Gramayus in sua Bruxella. Hinc vero intelligitur propriam illas habuisse ecclesiam, uti etiam nunc habent, vicinam capellæ S. Alenæ, quæ capella est in ecclesia S. Dionysii juxta viam Bruxellensem, passibus paucis ab ecclesia monasterii, et hujus septis adhærens.*

b Godescalcus, *creditur idem, cui Eugenius* 3 *Papa anno* 1148 *confirmavit possessiones: qui post abdicatam Prælaturam iterum eam resumpsit circa an.* 1193. *Consule Sanderum in hujus monasterii descriptione, et Continuationem chronici Affligemiensis tom. x spicilegii Acheriani; ubi pag.* 614 *ita legitur:* S. Alena Forensis *(corrige* Alena Forestensis*)* miraculis hoc tempore mundo innotuit: unde Episcopo Cameracensi mandante, Godescalcus noster Reliquias exemptas extulit, et populo colendas exhibuit. Onus etiam pastorale, Patrum secutus exemplum, deposuit; verum iterum, Monachis rogantibus, suscipere debuit. *Saussayus in suo Martyrologio Gallicano meminit ejusdem Translationis ad hunc diem.*

c *Fuit monasterium subjectum Abbatibus Affligemiensibus. At Guido Episcopus Cameracensis, bina per annum visitatione Abbati relicta, correctionem sibi servavit: ita Gramayus.*

d *Anno* 1193 *Pascha* 28 *Martii, Pentecoste celebratum est* 16 *Maji; adeoque hæc acta* 19 *ejusdem.*

e *Nomen originali seu potius antiquo ecgrapho defuisse*

fuisse probant hinc factæ versiones, hic similiter deficientes.

EX MS DIFFLBEKANO

f Ducissa *scilicet Brabantiæ*, Machtildis *uxor Henrici, qui inter Principes sui nominis quartus, inter Duces primus, præfuit* 49 *annis, a* 1186 *ad* 1235.

g *Ea Dominica anno prædicto, habente litteram Dominalem* C, *incidit in* 20 *Junii, fuitque* V *post Pentecosten.*

h *Dominorum de Aa nobilis et vetusta inter Brabantinos familia fuit.*

i *Vulgo* Somerghem *et sic nominantur hodiernæ adhuc notitiæ loca, unde peregrini vel ægri advenerunt, pleraque circa Forestum et Bruxellas vel paulo ulterius sita, in vicinorum civitatum districtu; quorum locorum distantiam a Foresto et situm sigillatim notare, non videtur operæ pretium esse.*

k *In Gallica versione*, Enghien ; *in Belgica*, Edingen.

CAPUT IV.

Alia Miracula. Item blasphemi puniti.

Curantur epileptici duo,

Masculus et femina, in ætate puerili caduco morbo diu vexati, venerunt ad S. Alenam. Masculus, præ nimia morbi angustia, linguam suam sibi propriis dentibus amputaverat, quæ quasi per tenuissimum filum in ore suo cunctis videntibus pendebat, unde nec loqui nec comedere poterat. Mox per gratiam Dei lingua ejus, ut prius consolidata est, loqui cœpit et comedere, et per medium linguæ suæ quasi quoddam rubeum filum postmodum apparebat. Puella autem, jacens ante altare sanctæ Mariæ, epileptico morbo correpta est: quam Petrus, curam oblationis gerens, Reliquiis B. Alenæ consignavit, eique ut beatam obnixe Alenam invocaret consuluit; mox ad integrum sanata, nullum infestantis morbi in se motum ulterius sensit.

claudus,

28 Juvenis quidam de Bruxella, in alteram tibiarum suarum, quæ brevior erat reliqua, multum infirmabatur; unde baculo sustentatus graviter claudicabat: qui ut ad medicinalem beatæ Virginis opem venit, baculo ibi dimisso, neutro pede claudicavit. *cæcus,* Juvencula quædam cæca, cum vovisset Deo se ad oratorium B. Alenæ ituram, mox priusquam votum exsolvisset, visum recepit. *ob furtum vexatus,* Clericus quidam, denarium de oblationibus fidelium furtive surripuit: sed non impune, quia pro hoc graviter vexatus, et denarium reportavit S. Alenæ, et suum peccatum confessus est secrete.

sublatus tumor colli et faciei.

29 Eggericus de Rickem Miles nominatissimus, Forestum nuntium suum misit, obnixius rogans, ut Reliquiæ S. Alenæ sibi mitterentur: quia sperabat earum attactu sanitatem adipisci. Quas ut attigit, cui collum adeo intumuerat et facies, ut vix qui essent oculi et nasus discerni posset: quasi miraculose de mortis faucibus ereptus, de lecto surrexit, moxque tumor ille paulatim recessit. Qui marcam, quam super terram quamdam habebat, in vadimonio S. Alenæ obtulit: ut si quisquam filiorum suorum terram voluerit habere, marcam exsolvat S. Alenæ: qui postea veniens Forestum hoc coram Conventu renovavit.

brachium vigori restitutum:

30 Henricus de Poperode, vir militia armis strenuus, famulum habuit, Giselbertum nomine, qui longa brachii sui vexatus infirmitate, ut nec ipsum elevare posset; audita fama S. Alenæ, Forestum perrexit: et cum capellæ sanctæ Virginis appropinquaret, vinculum quo portabat brachium ad collum suum ligatum objecit, et brachium paulatim virtutem pristinam resumpsit, quod omni populo lætissime publicavit. Quotus fuerit numerus infirmorum, qui a febribus per merita beatæ Virginis liberati sunt, non de facile potest sciri: quorum nonnulli, dum essent in via, quidam dum ante altare beatæ Virginis obdormissent, alii dum ex aqua benedicta tantum bibissent, efficacem consecuti sunt medicinam.

plurimi liberati a febribus,

alius diutino languore:

31 Rusticus quidam et duo filii sui, cum apud Ramsdone agrum suum colerent, ventus pestifer affiavit eos: cujus afflatu omnis virtus eorum infirmata est, diutinoque languore funditus exhausta. Unus autem filiorum audiens quot et quanta miracula Foresti ob honorem beatæ Virginis Alenæ declararentur; cum multo labore baculo sustentatus, vix illuc pervenit; desideratam nactus sospitatem, baculum sanctæ Virgini obtulit, et sine baculo domum rediit. *oculo visus redditus,* Juvenis quidam de Woeluwe, cujus oculus ligno percussus lumen amiserat, postquam Forestum venit, et oblationem suam beatæ Virgini devotus obtulit, orbatus visu oculus visum recepit. *dolor sublatus.* Quidam de Bruxella, cum oculo graviter dolenti aquam benedictam, in qua ossa B. Alenæ intincta fuerant infudisset, continuo dolor omnis aufugit. *curantur 2 surdæ,* Quædam etiam puella de Berthem, cum ex aqua benedicta a vicinis suis allata bibisset, sana facta est: veniensque Forestum, quam citam opem adepta sit, omnibus publicavit. Duæ mulieres, quarum altera de Scarenbeke, altera de Teneramunda erat, surdæ fuerunt: quibus per merita B. Alenæ, is de quo canitur, Bene omnia fecit, et surdos fecit audire et mutos loqui; surditate fugata auditum reddidit.

19 ægri,

32 Novem autem infirmi, quodam in Sabbatho, curati sunt homines, decima mulier cæca aliquantulum meliorata fuit. *dolor pedum,* Puer quidam, a patre suo et matre, super carrucam de Lenthout deductus Forestum, a dolore pedum, quo in tantum cruciabatur ut incedere non valeret, liberatus est, beata Virgine pro eo intercedente. *et capitis,* Mulier quædam de Bruxella, tam impatienti dolore capitis vexabatur, ut sibi videretur totum caput suum clavis ferreis transfixum; atque tanto ejulatu clamabat, ut Sacerdos vix posset Missam celebrare, quæ postquam sanitatem adepta est, comam capitis sui abscidit, quam in memoriale liberationis suæ signum, ante altare suspendit. *manus contractæ,* Quædam mulier de Percke, cujus manus adeo contractæ erant, ut eis nec cibum capere posset, sed per biennium manibus aliorum pascebatur; se ad S. Alenam vovit ituram, et inter eundum nacta est sanitatem manuum suarum.

moribundus,

33 Juvenis quidam de Alosto, tanta erat oppressus infirmitate, ut oleo sancto inunctus morte esset vicinus. Parentes autem sui circumstantes, ipsum quasi mortuum plangebant: cui consultum est, ut S. Alenæ iter suum voveret, sic enim optatam sanitatem reciperet. Iter ergo vovit, et reddidit, et sospitatem recepit. *manus contractæ,* Mulier quædam cujus manus gravi morbo contractæ erant, qui vulgo kramp * vocatur, modo inæstimabili curata, ut ad capellam S. Alenæ venit, manuum suarum sanitatem pristinam recepit, et Sanctimoniales ad Dei laudes invitavit. *blasphema in S. Alenam febri punita,* Quædam mulier de Bruxella, cum vicini sui miracula S. Alenæ prædicarent, blasphemare cœpit beatam Virginem, quod omnino falsa essent quæ de ipsa dicebantur. Sed hæc blasphemia non remansit impunita, quia mox febricitare graviter cœpit, ut de lecto surgere non posset. Quæ facti sui pœnitens, Forestum venit: et post peccati confessionem, pristinam meruit sanitatem.

* *l. Spasmus*

sublatus tumor faciei

34 Filius Goswini Militis cujusdam de Bigardis, cujus facies adeo intumuerat, ut qui esset nasus quique oculi vix posset discerni; ut sanctis ossibus B. Alenæ consignatus est, mox ille tumor evanuit, et puer incolumis surrexit. Qui tot ab inflatione turgida per merita Beatæ Alenæ Virginis, et Martyris liberati

liberati sunt, vix certo numero possunt comprehendi. Mulier quædam apud Sempse dixit Agnetæ filiæ suæ, Afer nobis de aqua S. Alenæ a vicinis nostris de Foresto allata. Cui illa: Quæ dicuntur frivola sunt, ideo nulla prorsus est eis fides adhibenda. Mox os loquens blasphemias ad aures retortum est, sed postquam ad cor rediit, os ad priorem locum rediit. Frater quidam de Afligemii cœnobio, qui diu ad eleemosynam servivit, nomine Reynboldus, longo tempore surdus factus est: qui ut odoriferam S. Alenæ famam audivit, se ad oratorium ejus iturum promisit, et mox surditate fugata auditum recepit. Forestum ergo veniens, ad laudem Dei et beatæ Virginis, quam citam et efficacem sit adeptus medicinam, Godescalco Priori Forestensi et circumstantibus cum summa lætitia narravit, et novam illis gaudiorum materiam dedit.

et inflationes variorum, alia blasphemia punita;

35 Conversus quidam de Ordine Præmonstratensi, Egbertus nomine, nepos Egberti Abbatis Grimbergensis, auditis miraculis quæ Dominus operabatur pro meritis B. Alenæ virginis, omnino incredulus exstitit, et in beatam Virginem maledicta congessit. Mox gravi febre correptus, et in inguine percussus, graviter languere cœpit. Qui conversus ad cor, tacitam fudit ad B. Alenam orationem: O B. Alena Virgo, si vera sunt quæ de te dicuntur, mei peccatoris miserere: quæ in te peccavi clementer ignosce, et amissam sanitatem restitue: siquidem nacta sanitate ad oratorium tuum pergam, singulari laude tibi semper assurgam, novam de te faciam recantatoriam psalmodiam; ut sicut de te dixi turpia, sic de cetero mihi tua dulcescat memoria. Cum ergo hæc et his similia beatæ Virgini promitteret, statim omnis dolor aufugit, sanus et hilaris Forestum adiit, et quam cito ipsum divina clementia respexit, Priori Forestensi Godescalco cum magna lætitia referebat.

blasphemus febri mulctatus, pœnitens sanatur:

36 Puer quidam de Meldert, cujus manus adeo contractæ erant, ut eas nullatenus aperire posset, Forestum venit: ubi, coram multi populi frequentia graviter et diu cruciatus, ultro manus suas aperuit, et ad laudem Dei omnes invitavit. Nicolaus Miles quidam de Halle, sanitati speratus restitui, in vehiculo Forestum adductus; cum paulisper ante altare beatæ Virginis repausasset, sanus surrexit, et causa humilitatis domum rediit. Lambertus Miles de Bodeghem tanto dolore vexabatur, ut nihil omnino videre posset: qui ut reduxit ad memoriam beatam Virginem Alenam, tacitum Deo fecit votum, ut si ipsa mediante sanitatem oculorum reciperet, singularem sibi singulis annis honorem præberet: mox omni dolore fugato pristinam oculorum recepit claritatem. Concito ergo gradu Forestum properavit et hoc signo Sanctimoniales exhilaravit.

curantur manus contractæ, quorum infirmitas, dolor oculorum

APPENDIX D. P.

Ex editionibus Belgica et Gallica, et quibusdam MSS.

Domicella quædam, Foresti agens, in morbum incidit, facta paralytica tota: quæ spem recuperandæ sanitatis, alias desperatæ, tandem collocans in S. Alenam; vovit, si beneficii compos fieret, Forestum accedere, cum comitatu quam plurium, eo suis precibus invitandorum; ibique offerre mensuram frumenti, corporis sui ponderi parem: quod paulo post sanata fecit. Notus est omnibus Dominus Joannes Weyte, Capellanus S. Alenæ: hic quadam vice festinus venit, ad Missam in altari Sanctæ dicendam. Ingressus autem templum, altare majus in choro præparatum invenit; et cum valde festinaret, ad ipsum sese cœpit induere sacrificalibus indumentis, moxque instar Zachariæ obmutuit. Mirabantur circumstantes, et unus ex famulis Abbatissæ accedens, interrogavit, quare non inciperet legere. Ipse vero manibus et capite innuit, ut ad altare S. Alenæ duceretur; ubi mox loquelam recipiens Sacrum fecit; exindeque proposuit animo, numquam post id alibi sacrificare; quod etiam, observavit. Anno MCCCCXCIV puer quidam fere decennis, extra spem vitæ decubuerat triduum, cum cereo in manu tamquam jam moriturus: tandem afflicta mater S. Alenæ patrocinium invocavit, vovens quod ipsam visitaret: et intra paucos dies convaluit puer, mater autem Deo et Sanctæ gratias agens, votum adimplevit.

Curatur paralytica, Sacellanus Sanctæ, ad aliud altare festinans, obmutescit. Ex variis an. 1494 puer moribundus convalescit.

38 Anno MDCII, die ultima maji, comparuerunt coram me Petro Wink, Presbytero et Decano rurali atque Notario Bruxellis; itemque D. Joanne Ghielmans, Parocho Ukelensi; et Philippo de Vleesch-houder, Majore Forestensi, tamquam testibus, Rev. Domina Maria de Linde, alias Berelle Toparcha in Droghenbosch, vidua quondam D. Joannis Baptistæ du Bois, Equitis et Gubernatoris Werthensis, circiter quinquagenaria; et filia ejus D. Carlotta de Bois, uxor D. Francisci de Padilia, Equitis S. Jacobi, annorum novemdecim; attestantes, quod D. Eugenia de Padilia, ipsius Carlottæ filia trimula, x Februarii præteriti, cum biennio sic laborarit oculis, ut diem iis sustinere non posset; idque propter humorem quem hinc ex illis stillantem, adeo acrem, ut genas exederet et veluti cortice quodam obduceret; imo aliquando per duos et amplius menses ipsos oculos omnino teneret clausos, ne quidquam per eos videre omnino puella posset. Post varios autem medicos frustra consultos, diversaque adhibita medicamenta, votivas etiam peregrinationes susceptas, tam Dielbekam ad S. Pharahildem, quam Hallam ad Deiparam; tandem delata fuerit præterita Quadragesima Forestum ad S. Alenam, quando oculos habuerat toto bimestri clausos; contactu maxillæ et brachii, ejus quæ ibi requiescit Sanctæ, sic adjuta est, ut postero mane, vel saltem secundo abinde die, videre cœperit oculosque aperire; ac denique paulatim receperit integram oculorum sanitatem, absque ullo impedimento, prout mihi dicto die et anno, ipsa puella visa apparuit. Insuper declaraverunt prænominati comparentes ipsam oculorum sanationem miraculosam a se reputari, ideoque se Forestum rediisse ad reddendas Deo et Sanctæ gratias, coram me Notario et testibus præfatis: ipsæ autem Dominæ ambæ propria manu protocollum hujus instrumenti subsignarunt. Quod attestor infrascriptus Petrus Winck Pastor S. Catharinæ et Notarius. *Hactenus excusa: quod sequitur est ex MS.*

1602 infantula fere cæca, attactu Reliquiarum illuminatur

39 Ego infrascripta Maria van Boulers, Virgo devota, nata et habitans Bruxellis, ut certam veritatem affirmo, quod anno MDCXXII, cum essem annorum XXVIII, passa sim ingentes mamillarum cruciatus ex gravi quodam in gutture symptomate: quod cum multis annis tulissem, non sine grandi subitæ mortis periculo, crepuit illud tandem, et tota illa purulenta congeries ad mamillas defluxit, sic ut enormiter intumescerent. Id malum cum indies augeretur, consului Doctorem medicum, Haerlem nomine; qui purgationem præscripsit nonnullaque emplastra, quibus noxius humor consumeretur; sed frustra, quin imo usque adeo intumuerunt ubera, ut horrori esset videre venas, desuper velut in arcu tensas, et squirris ingentibus ac durissimis plena sentirentur, cum pari incremento doloris, tantum non letalis. Ita cum quatuor aut quinque annis laborassem; nec in humanis spem medelæ consequendæ ullam amplius haberem; decrevi obtemperare consilio R. P. Eesbeek p. m. ex Societate Jesu mei

Circa 1622 dolor ingens mamillarum

In variis

mei tunc Confessarii, qui suadebat, ut confugerem ad Sanctam Virginem Martyremque Alenam, cujus Reliquiæ quiescunt Foresti, apud reverendas Religiosas Ordinis S. Benedicti. Eas ergo cum fiducia visitatum ivi: vovi insuper quod, si per eam sanitas mihi daretur, Vigiliam festi ejus jejuna agerem, festum ipsum Confessione et Communione celebrarem, et quotannis Forestum gratias actura redirem. Hoc voto nuncupato, sacrum S. Alenæ brachium potulit Rev. D. Helena vander Noot, et eo ubera mea signavit; itaque domum regressa, quotidie minus dolores sensi: ita ut decimo quarto post die Forestum repetierim, Deo et Sanctæ ejus gratias agens pro integra valetudine recuperata. Quod totum juramento confirmavi, coram Notario Thoma Molinæo, et testibus Ægidio Molinæo atque Silvestro Warieq, ad id rogatis; ac propria manu signavi, Bruxellis hoc die XXIV Maji MDCLIII. *Cui instrumento alter ejusdem Virginis Confessarius* Robertus Fremault, *die* XXVIII *Maji, sic subscripsit ibidem Bruxellis*, Hæc Maria Boulers, mihi a vitæ morumque probitate notissima, digna est cui in hac attestatione fides ab omnibus habeatur.

attactu simili sanatur.

40 *Venio ad actum inspectionis auctoritate Episcopi Cameracensis sic factæ :* Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quingentesimo vigesimo tertio, stylo Gallicano, *(nostro 4)* die tertia Januarii de mandato Reverendissimi in Christo Patris et Domini de Roberti de Croy Episcopi Cameracensis, aperta fuit et visitata præsens hæc capsa seu feretrum, quod Beatæ Helenæ nuncupabatur, per Reverendum in Christo Patrem Dominum Adrianum Episcopum Rossensem, in Pontificalibus ejusdem Reverendissimi Episcopi Cameracensis Vicarium, ac Venerandos Dominos Zibertum van Onssem, Præpositum monasterii S. Jacobi de Frigidomonte in Bruxella, et Roverum Stoops Officialem Curiæ Cameracensis in eodem oppido; præsentibus ibidem, Domina Margareta de Syckercke, hujus monasterii Abbatissa, cum toto suo Conventu, Confessore, Præposito, Sacerdotibus, servitoribus, et multis honestis personis hujus Monasterii, et Villagii Forestensis. Et inventum fuit in eo feretro integrum corpus, quod tunc et antea a memoria hominum tentum et habitum fuit pro corpore B. Helenæ Virginis et Martyris demptis mandibula et osse majore unius brachii, quæ extra capsam in thecis argenteis deauratis penes Sanctimoniales præsentis ecclesiæ servabantur; atque uno spondili seu forcipio consimili brachii quod ubi remanserit tunc ignorabatur; et iterato per eosdem repositum in quatuor ferdellis, in præsenti capsa altera die. In cujus rei Testimonium, Nos Adrianus Episcopus præfatus præsentes, nostro consueto manuali signo munivimus. *Sic subscriptum erat* Ita est Adr. Rossensis. *Est* Rossus, *vel potius fuit, civitas Episcopalis in Cilicia; cujus titulus Adriano isti datus fuit, secundum usum Romanæ Curiæ, ordinationem Episcopalem ad usus varios occurrentes, nemini nunc conferendi, absque titulo alicujus Episcopatus, saltem* in partibus *infidelium, olim positi.*

1523 coram Ep. Camerac. aperta capsa

inveniuntur ossa omnia

præter pauca foris servata

41 *A tergo sic scriptum erat.* Die vigesima quinta Septembris Anno millesimo sexcentesimo, Rev. Dominus Petrus Vinck Presbyter Sacræ Theologiæ Licentiatus, Christianitatis Bruxellensis Decanus, ex Commissione Illustriss. et Reverendiss. Domini Matthiæ Hovii Archiepiscopi Mechliniensis hanc capsulam seu feretrum aperuit, et Reliquias sanctæ Helenæ in ea reconditas visitavit; invenitque easdem, uti in albo harum litterarum habetur, quas in idem feretrum reposuit, demptis tribus vel quatuor ossibus parvis, racettæ et membrorum, quas Reverendissima Domina Adriana du Petit-Cambray, Abbatissa monasterii Forestensis dono permisit Comitissis de Berlaymont et Arenberge, tunc ibidem præsentibus, *Signatum* P. van Asbroeck Not. *Paulo inferius adhuc scriptum erat*, Denuo die XXII Junii Anno millesimo sexcentesimo primo, dictus Dominus Decanus, ex commissione qua supra, hanc capsam aperuit: et sacras Reliquias in ea inclusas, et quatuor sarcinis ex bysso rubra involutas extraxit: ac eadem capsa in inferiori sua parte refecta et reparata, in eandem dictas sarcinas reposuit; relicta apud dictam Dominam Abbatissam parte ossis manus vel digiti, et uno dente apud dictum Dominum Decanum remanente. Actum in Conventu Forestensi, præsentibus dicta Domina Abbatissa, toto Conventu, Pastore seu Confessore, ac Sacellanis et me. *Signatum* P. van Asbroeck. *Paulo inferius erat*, Collata et auscultata est præsens Copia cum suis originalibus litteris, in percamento descripsit, et capsulæ seu feretro Reliquarum Sanctæ Helenæ Virginis et Martyris inclusit, ac inventa concordare per me Philippum van Asbroeck Notarium publicum, quod attestor signo meo hic posito. *Signatum*, P. van Asbroeck Not.

Eadem inspicitur an. 1600

et quædam adimuntur:

ac rursum 1601

42 *Prius quam posterior inspectio fieret, novus tum Mechliniensis Archiepiscopus, in cujus institutione Forestense monasterium Cameracensi jurisdictioni subtractum erat, de præmissis edoctus hujusmodi approbationem, velut jam Loci Ordinarius addidit ut sequitur.* Matthias, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis, omnibus has visuris salutem in Domino. Cum debita ac diligenti prævia informatione legitime nobis constet, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quingentesimo vigesimo tertio, stylo Gallicano, die tertia Januarii, de Mandato Reverendiss. in Christo Patris et Domini, D. Roberti de Croy, Episcopi Cameracensis, apertam et visitatam fuisse capsam, quæ B. Helenæ vocabatur, et in Monasterio Forestensi asservabatur; per Rev. in Christo Patrem Dominum Adrianum Episcopum Rossensem, in Pontificalibus ejusdem Reverendiss. Episcopi Cameracensis Vicarium: ac Venerandos DD. Zibertum van Onssem Præpositum Monasterii S. Jacobi in Frigido-monte Bruxellæ, et Roverum Stoops Officialem Curiæ Cameracensis in eodem Oppido: præsentibus ibidem D. Margareta de Syckercke, dicti Monasterii Abbatissa, cum toto suo Conventu, Confessore, Præposito, Sacerdotibus, servitoribus, et multis aliis honestis personis dicti monasterii et villagii Forestensis: et inventum fuisse in dicta capsa seu feretro integrum corpus, quod tunc et ante a memoria hominum tentum et habitum fuit pro corpore B. Helenæ, virginis et Martyris, demptis mandibula et osse majore unius brachii, quæ extra capsam in thecis argenteis deauratis asservabantur atque uno spondili seu forcipio consimili brachii, quod ubi remanserit tunc ignorabatur. Et per eosdem in præfata capsa in quatuor ferdellis altera die repositum, ac in præfatorum testimonium litteras in debita forma expeditas, ac feretro inclusas esse. Hinc est quod Nos prædictas Reliquias, modo prædicto visitatas, et a memoria hominum pro Reliquiis S. Helenæ Virginis et Martyris habitas, in dicto monasterio Forestensi, in capsa seu feretro, et extra illud partes in thecis argenteis deauratis, respective uti supra etiamnum esse et conservari: easque ut tales et pro talibus haberi ac habendas esse declarandum duximus ac declaramus per præsentes. In quorum fidem ac testimonium, has sub sigillo ac Secretarii Concilii Vicariatus nostri signatura expedire curavimus, anno a partu Virgineo millesimo sexcentesimo primo, mensis vero Februarii die decima quarta. *Infra supra plicam erat signatum* Henr. van Wou Secret: *et circa medium appendebat sigillum dicti illustrissimi Mechliniensis impressum in cera rubra.*

cum eadem antea approbasset quibus suppositis,

eadem novus Archiep. Mechlin. approbat,

43

et Dielbekanis inhibet.

43 *Vix per omnem circa viciniam sparsa erat fama approbationis novæ, et supplicationis solennis consequenter indicendæ in proximam ante festum S. Joannis Baptistæ Dominicam, cum vicini Dielbekani obstrepere cœperunt, quasi proximiores asserendæ sibi possessioni sacri corporis; unde cum emersura scandala prævidentur; obviam eis iturus idem Archiepiscopus Hovius, novum hoc mandatum expedivit :* Matthias, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis, omnibus Presbyteris, Clericis, Notariis, Tabellionibus publicis, et Nuntiis Curiæ nostræ juratis, salutem in Domino. Cum diversorum relatu, non sine magno animi dolore, didicerimus, magnam jam olim Dominæ Abbatissæ Forestensi, Monialibus, omnibusque Forestum inhabitantibus, cum incolis de Dielbeeck, super corpore S. Alenæ Virginis et Martyris, intercessisse ac intercedere quæstionem; his et illis penes se dictum sanctæ Virginis corpus quiescere asserentibus; atque ita naturaliter impossibilia astruentibus, non sine magno fidei Catholicæ detrimento, ut in fide vacillantium, hæreticorumque, apud quos ob similes causas sacræ Reliquiæ in risum abierunt, offendiculo; eique tam pernicioso malo occurrere volentes, serio ac diligenter ubinam prædictum sanctum corpus quiesceret indagaverimus; illudque in monasterio Forestensi ante dicto asservatum hactenus fuisse, et etiamnum asservari invenerimus, ac super eo litteras patentes in forma expediri curaverimus : ac deinceps, ut præfato scandalo obicem objicere dignaremur, præfata Domina Abbatissa humiliter nobis supplicavit. Hinc est, quod Nos, supplicationem justam et rationi consentaneam judicantes, ut tam scandali quam dissensionis omnis e medio tollatur occasio, universis ac singulis vestrum mandandum duxerimus, et per præsentes mandamus, ut ad hoc requisiti, Pastori, Magistris fabricæ, Maiero, Scabinis, reliquisque incolis de Dielbeeck, etiam si opus fuerit per affixionem harum ad valvas dictæ Ecclesiæ de Dielbeeck, stricte inhibeatis; ne de cetero dictum Sanctæ Alenæ corpus in sua ecclesia quiescere, dicere aut quavis ratione populo persuadere, aliquidve ut tale circumferre, aut dissensiones hac occasione disseminare præsumant; sub excommunicationis aliaque arbitraria pœna. Ne autem Supplicatio, in dicto pago de Dielbeeck in honore S. Helenæ instituta, omnino pereat; iis permittendum duximus et in Domino permittimus per præsentes, ut imaginem seu statuam dictæ Sanctæ Virginis in præfata supplicatione circumferre, si velint, libere ac licite possint ac valeant : et quid de eo feceritis nobis fideliter rescribatis. Datum sub contrasigillo nostro ac Secretarii Consilii Vicariatus Nostri signatura, anno a partu virgineo MDC primo, Mensis Martii die XXII. *Signatum* van Wou. *A tergo sic legitur :* Anno MDCI, die III Aprilis, ego Franciscus Maes, Apparitor Curiæ ecclesiasticæ Archiepiscopatus Mechliniensis, prædictarum tenorem insinuavi D. Roberto de Ruwe, Pastori Dielbekano, et Joanni Huwet istic præsenti Scabino : qui hanc insinuationem ipsarumque litterarum copiam acceptarunt. Actum ut supra, et signatum per me etc. *Deinde additur :* Collocatione facta cum originalibus litteris, de data et subsignatis ut supra, concordat hæc præsens Copia cum eisdem, quod attestor Phil. de Vleeshouder, Notarius publicus per venerabilem Senatum Brabantiæ admissus, sub chirographo meo solito et consueto.

ne corpus pone se esse dicant.

die 21 Martii 1601.

EX VARIIS

Annua processio Dominica ante S. Joannis,

44 *Tum vero, prælaudata Abbatissa,* D. Adriana de Parvo-Cameraco, *pridem conceptam supplicationem edixit in proximum festum S. Joannis Baptistæ, quod eo anno qui habebat litteram Dominicalem G, et Pascha celebraverat* XXII *Aprilis, cadebat in Dominicam secundam post Pentecosten; eaque peracta constituit eamdem quotannis iterandam in Dominica prædictum festum Nativitatis sancti Præcursoris præcessura, hoc ordine*, ut post finitam in monasteriali ecclesia Missam-majorem, eamdemque in parochiali ecclesia solenni campanarum compulsatione indictam, capsa S. Alenæ, ad hanc ab ista transferatur, ponaturque ante capellam ipsius Sanctæ, donec ibidem quoque cantata Missa fuerit. Hac finita præcedant vexilla parochiæ, sequantur autem Cruces cœnobiales duæ, cum sacrista, Sacellanis, et Concionatore. Deinde prælatis quotquot aderunt facibus, feretrum S. Alenæ bajulent duo pro tempore Æditui ecclesiæ Parochialis : post eamque in duas distributi lineas progrediantur; a dexteris Confessarii, cum lipsanotheca Sanctæ quæ solet ad osculum contactumque præberi; a sinistris Parochus, cum osse brachiali ejusdem. *Designavit etiam Abbatissa prædicta, qua via ducenda processio sit, quam nihil attinet minutim definire; satis sit dicere, ex eadem ordinatione via fere media institui panegyricum sermonem de Sancta ad tiliam quamdam, minori piscinæ adsitam, pro obtinenda serenitate aeris ad iter reliquum conficiendum; eoque emenso, refertur capsa in Parochialem, atque per ipsam in claustralem ecclesiam.*

Translatio in capsam argenteam an. 1644

45 *Exhinc vehementer accrevit celebritas annui cultus collatisque liberalius oblationibus fidelium, placuit ex iis novam argenteam capsam conficere, in quam transpositæ anno* MDCXLIV *Reliquiæ sunt cum hujusmodi instrumento.* Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, die decima nona Martii; Ego Frater Josephus, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Buscoducensis, de Licentia Illustrissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis, Reliquias S. Helenæ Virginis et Martyris, in quatuor sacculis inclusas, reposui in hanc argenteam capsulam, pertinentem ad Monasterium Sancti Benedicti, de Foresto nuncupatum; præsentibus Domina Abbatissa totoque Conventu, et Adm. Reverendo Domino Henrico Caleno, Archidiacono Mechliniensi, Confessario dicti Monasterii, ac Sacellanis. Datum in præfato Monasterio die, anno, quibus supra. *Erat Signatum.* Fr. Josephus Episcopus Buscoducensis, *et appositum ejusdem sigillum.*

DE

DE S. BOTULPHO ABBATE

ET S. ADULPHO EPISCOPO

CONFESSORIBUS IN ANGLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§. I. De eorum cultu et translationibus, Anglorumque Orientalium Regno et Regibus, iisdem qui Australium Saxonum seculo VI et VII.

Post med. sec. VI, et VII.

Cultus sacer S. Botulphi

Celeberrima est memoria S. Botulphi *in antiquissimis monumentis Anglicanis, quorum primum censeri potest Missale, quod anno* MDCLXII *reperimus in cœnobio Gemmeticensi apud Normannos, cui id donaverat circa annum* ML *Robertus Archiepiscopus Cantuariensis, et ex Tabula Paschali adjuncta constabat circa annum millesimum fuisse exaratum. In eo ad hunc* XVII *Junii præscribebatur veneratio* S. Botulphi Confessoris. *Accedit MS. vetustissimum, quod habemus in pergameno exaratum, et seculo* XI *scriptum, in quo ista habentur :* Ipso die depositio S. Botulphi Confessoris et Abbatis. *In MS. Anglicano Romæ in Bibliotheca Ducis Altempsii olim adservato ita legebatur :* Ipso die, apud S. Edmundum, S. Botulphi Episcopi (*imo* Abbatis) et Confessoris. *Similia habentur in MS. Ultrajectino S. Mariæ, quod etiam Anglicanum fuit; tum in MS. Usuardo in Alsatia aucto; cui accedit Breviarium Slesvicense, anno* MDXII *excusum, in quo sex Lectiones propriæ præscribuntur, cum Homelia Evangelii,* Vigilate. *Posteriora sunt Martyrologia reliqua, uti aliquod anno* MCCCCXC *Coloniæ et Lubecæ excusum, aliaque Usuardi aucta a Greveno et Molano; nec non edita a Maurolyco, Felicio et Canisio; item monastica, Wionis, Dorganii, Menardi, Bucelini et Edovardi Mathew; item Anglicanum Wilsoni cum Catalogo Ferrarii. Eliensis historiæ abbreviator in Monastico Anglicano pag.* 88 Anna, *Orientalium Anglorum Rege,* mortuo *sub annum* DCLIV, successit ei in Regnum Adelherus frater ejus in cujus tempore in loco qui dicitur Wenno (*puto* Ikenno *legendum*) monasterium construitur a S. Botulpho. *Malmesburiensis de eadem S. Edmundi ecclesia agens, Jacent, inquit,* duo Sancti Germanus et Botulphus, quorum gesta nec ibi nec alibi haberi merui, nisi quod primus frater S. Etheldredæ habetur. *In hujus Vita num.* 4 *et* 15 *vocatur* Jurminus, *nec scio quod ullis inscriptus sit Fastis :* Botulphus *autem idem omnino esse videtur, cujus ibi Abbatis Vitam hic damus. Huic autem jungimus* S. Adulphum *Episcopum, de cujus ætate et Episcopatu inferius agemus, non quia fratrem existimem, sed quia communem cum illo sepulturam, cultum et translationes habuit.*

Translatio corporum sub Edgaro Rege

2 *Antiquam venerationem confirmat Translatio corporum, de qua Capgravius, ante eum autem, sed solo* Botulpho *nominato Joannes Brompton in Chronico, agens de Rege Edgaro, qui ab anno* DCCCCLIX *ad annum* DCCCCLXXV *imperavit, columna* 864 *ista scribit :* In illo etiam tempore, venerabilis vir Ethelwoldus, Wintoniensis Episcopus, monasteriorum constructor, a Rege Edgaro impetravit, ut Sanctorum corpora, quæ in destructis locis jacebant in negligentia, transferre sibi liceret in ea quæ construxerat monasteria : inter quæ corpus B. Botulphi... fecit a monasterio Ikanho (quod idem S. Botulphus in vita sua construxerat, et postmodum per interfectores S. Edmundi Regis destructum fuerat) transferri, et super hoc Regiæ excellentiæ intimavit. Rex devotius intendens in meritis B. Botulphi, trifarie corpus suum sensit dividendum. Caput namque annuit Eliensi cœnobio, medietatemque reliquit Thorneyensi ecclesiæ, et quod residuum fuit, sibi suæque curiæ Regalium Reliquiarum recepit scrinio. Quæ postea collatæ sunt S. Petri oratorio, a bonæ memoriæ Rege Eduardo. *Ubi si intelligitur S.* Eduardus Confessor, *habebitur is sub quo obiit* sancta Virgo Pegia; *a nobis ad* VIII *Januarii, a* Wilsono *ad* III *Junii commemorata post annum* DCCXVII. *Soror ea fuit S. Guthlaci Eremitæ, anno* DCLXXIII *nati, uti ostensum ad ejus Vitam* XI *Aprilis : merito igitur expauri verba duo, quibus* S. Botulphus *dicebatur a Bromptono* Frater S. Pegæ. *Hujus fortasse corpus, allatum Roma ubi obiit, et in aliquo prædictorum trium locorum, vel etiam postea in ecclesia S. Edmundi compositum Reliquiis* S. Botulphi, *hanc opinionem induxerit. Eadem quæ Bromptonus, narrat Capgravius, sed* Adulphum *pariter translatum ait.*

et alicubi forte iis junctæ S. Pegæ.

ad Eliense, Thorneyense, et S. Edmundi monasteria,

3 *Wolstanus monachus Wintoniensis, in Vita S. Ethelwoldi Episcopi, ad Kalendas Augusti illustranda, refert eum trium jam hic relata monasteria construxisse ; scilicet* Eliense, *in agro Cantabrigiensi, a Paganis destructum, restaurasse anno* DCCCCLXX ; Thorneyense, *in agro Cantabrigiensi, a fundamentis construxisse anno* DCCCCLXXII ; *tum* Petroburgense, *in agro Northamptoniensi, alias Medeshamstede antiquum monasterium reædificasse.* Sancti *autem* Edmundi *monasterium eo occiso condiderat anno* DCCCLXXII *Rex Danorum Canutus in agro Suffolciensi : a quibus omnibus non longe abfuisse* Ikanorum *crediderim. Chronologia Anglosaxonica, cum Bedæ historia edita,* anno, *inquit,* DCLIV Botulphus monasterium ædificare cœpit : *quod Florentius Wigorniensis, consentiente Matthæo Westmonasteriensi, sic explicat ;* Anno Christi DCLIV, in loco qui dicitur Ikanho, monasterium construitur a S. Botulpho. *Illud Danica incursione destructum, quo loco steterit non satis constat. Lelandus apud Balæum,* Ikanhum *vocat,* non procul a principe Lindorum urbe ; *et postea* ad Orientem Lincolniæ. *Cambdenus nihil simile prope Lincolniam habet ; sed milliario abinde* XX *versus Orientem,* qua Withama fluvius aggeribus utrimque conclusis pleno alveo in Oceanum exit, floret, *inquit* Boston, rectius Botolphotowne, a Botulpho enim Saxone sanctissimo, qui ad Icanoe monasterium habuit, nomen deportavit. *Certe huic ut mercatoribus aptissimo, sic aliquando opulentissimo oppido, adjacet proxime versus Boream vicus, hodiedum* S. Botulphi *dictus.*

Ikanoense an 654 conditum,

4 *Verum ut hic et aliis forte pluribus locis celebris fuerit ipsius cultus, haud tamen ibi Icanoense monasterium fuisse concesserim,* longe a mari in vasta solitudine *positum, ut est in Slesvicensi Breviario et ab* Australium Anglorum Rege (*utique in sua ipsius ditione*) *concessum, ipsoque nomine veteres* Ikenos *repræsentans, sicut et alia multa circumcirca nomina apud*

Cambdenum

utique in Australi Anglia,

A Cambdenum in Ikenis, quorum primos ipse ponit Suffolkios partem minime dubiam Orientalis Angliæ, in Norfolkios idest Boreales, et Suffolkios idest Australes populos divisæ: quo pariter modo Australes Anglos eos fuisse dixerim, qui respectu Orientalium viciniores Austro, inter Orientales, Australes et Occiduos Saxones positi utramque Tamesis ripam, paulo longius a mari quantum fere Londinum ab Oceano distat, remotam obtinebant. Horum tamen terris inter Mercios Australesque Saxones partitis, regnoque extincto, nullum hodie vestigium gentis superest; nisi in nomine Surreiæ idest Regni Australis cui quia Australes Saxones, ab anno circ. CCXC peculiare regnum adepti, dominabantur; factum est; ut Australium Anglorum nusquam Beda meminerit, Surreiam vero Cambdenus attribuerit Australi Saxoniæ.

cujus pars Surreia ad Tamesim.

5 Verum hinc oritur difficultas, ut explicetur, quomodo Auctor, uno ut summum seculo ante Bedam scribens, Ethelmundum nominaverit Anglorum potius Australium, quam Saxonum Regem; sicut ex usu communiori appellasset Beda, si illius meminisset; quomodo item ejusmodi Regis nomen nusquam apud eumdem Bedam, ecclesiasticam Gentis Anglorum

quæ quia Australibus Saxonibus suberat,

B historiam scribere professum, compareat. Dicam quod sentio; Auctorem scilicet Anglum genere, eodem zelo nominis Anglici præ Saxonico efferendi ductum, quo Beda ejus synchronus, solos Anglos in sui operis titulo nominavit, et quo deinde anno circiter DCCC Egbertus Anglorum Rex, duobus Saxonum regnis acquisitis, duobus spe devoratis, solos nominari Anglos præcepit (quod præceptum sequimur etiamnum cum Angliam nominamus) dicam, inquam nationali affectu motum Auctorem, quando jam in unum regnum pars Australium Anglorum cum Saxonibus item Australibus coaluerat, suæ quam alienæ gentis titulum, licet minus communem, imponere communi Regi voluisse, eo majori jure, quod de S. Botulpho scriberet, et in Surreya fortassis fuerint loca tria ipsi successive assignata ab Ethelmundo. Hunc vero cur miremur a Beda prætermitum? quando is nullius Regum istorum meminit ante Adelwalchum seu potius Adelwaldum, anno DCLXVI baptizatum. Huntingtonus vero ex Gilda Britone solum Ellam novit, regni a Britonibus acquisiti auctorem: et Cissam pro anno DXV, inter quem et Edilwaldum sic partitur Alfordus tempora, usque ad annum DCLXXXVI, quo Ceadwalla Occidentales et Australes Saxones unum in regnum copulavit, quasi Cissa annis LXXVI,

sub eorum nomine a Beda censetur.

C Edelwaldus XCVI imperaverit.

6 Sed quis credat Australium istorum Saxonum genti, ut potiori eam appellem nomine, tres tantum seculis fere tribus Reges fuisse? Cur igitur dubitemus admittere medio spatio plures alios, nominatimque Ethelmundum in Vita S. Botulphi nominatum, qui sub Sywaræ matris tutela, regnare exorsus circa annum DCXV, regnum illud tenuerit ad annum fere DCLX, et sancto plurimum faverit ad condendam Ikanhoense monasterium? Quamquam autem consequens videatur, ut jam inde ab initio regni ejus, multi in eo facti sint Christiani ipsaque Regis mater, qua procurante duæ ipsius sorores adhuc tenellulæ missæ fuerant ultra mare, ad discendam scilicet in monasteriali gymnasio disciplinam cœlestis sophiæ, uti dicitur num. 4: potuit tamen obstante vario respectu ad baptismi gratiam non pervenisse; sicut in Frisia Rex Rabdodus S. Willebrordo plurimum favens, neque prædicationem impediens, permansit tamen in Gentilismo. Et hæc sit causa, cur de eo tacuerit Beda, contentus referre Edilwaldum, istius fortassis Ethelmundi patrem, Atelwold appellant alii suggerente Wulfero Merciorum Rege in ipsius provincia baptizatum. Hoc autem annuente, et S. Wilfrido prædicante, provincia Australium Saxonum, quæ eo adhuc tempore paganis cultibus serviebat, ut ait Beda lib. 4 cap. 13, verbum fidei

Qui tunc fuerit Rex Ethelmundus, Bedæ prætermitus,

et lavacrum salutis suscepit; tota scilicet, atque publice, non ex parte tantum atque privatim, uti antea sub Ethelmundo. Porro ut hunc admittamus, Bedæ prætermitum, viam sternent nominati in Vita alii Anglorum Reges, Adelherus et Adelwoldus, ejusdem Edelmundi Regis propinqui, qui ad ipsum convenerant in eodem tempore, quo de condendo S. Botulphi monasterio agebatur. Etenim eo tempore adscribuntur ex Beda Orientalibus Anglis Reges, Ethelherus, tunc regnare exorsus, quique ei mox anno DCLXVI successisse dicitur Edelwaldus, Christiani ambo: et hæc ipsa sunt nomina scripta in Vita, cum Adel et Edel, Athel et Ethel, Wold et Wald, idem quoad rem sint.

D *... apud Anglos Orientales regnantibus Ethelhero et Ethelwaldo.*

§ II. S. Botulphi Vita duplex, primæ errores, secundæ Epitome. S. Adulphi ætas et Episcopatus Trajectensis.

His pravie deductis, quæ alioqui maximam producendæ inferius Vitæ difficultatem objecerint, transeo ad judicium de ipsamet ferendum. Hanc primus integram in lucem protulit ex MS. Codice monasterii Uticensis Joannes Mabilio, ab ea exorsus seculi 3 Benedict. partem I. Eamdem Vitam olim Joannes Capgravius, omisso Prologo redactam in compendium, Legendæ suæ

Prior Vita, unde edita:

E inseruerat: et ejus partem potiorem jam pridem habebamus ex duplici MS. altero Canonicorum Regularium Rubeæ vallis prope Bruxellas, cujus ecgraphum curaverat Rosweydus: altero Coloniensi, unde aliud Bollando transmiserat Grothusius etiam noster. Auctor num. 10 asserit quiddam, relatum sæpius ad his, qui ejus (Botulphi) instituti sunt opera, ejusque dum viveret usi sunt præsentia; et se inter hos vixisse, dum, monasterio necdum a Danis destructo, ibidem gloriosa fierent miracula. Hunc videri posset (si prima pars abesset, solumque ea haberentur quæ in duobus præcitatis MSS legebamus, antequam integram Mabilio in lucem protulisset) videri, inquam, posse ætate suppar, qualem esse conjectavit Mabilio ex verbis prælegatis: sed quæ istic primo loco habentur, suadent duos potius Auctores distinguere, quorum primus Vitam scripserit, cujus pars dumtaxat posterior superfuerit Danicæ incursioni, veneritque in manus Auctoris secundi; hic vero mutilam Vitam integrare volens, Prologum initiumque addiderit de suo, per conjecturas, fundatas in simultaneo SS. Botulphi et Adolphi cultu. Ea apud Capgravium lecta, Michael Alfordus adscribit Joanni Anglico, multis seculis juniori (quod forte de Capgravii Legenda credi possit) excusare autem nititur et ipse in Annalibus, et ante eum Edmardus Mathæu, in floribus ecclesiæ Anglicanæ.

ejus auctor, ut partem sumpserit ex scriptore suppare

F 8 Verum hoc admodum videtur difficile: quis enim patienter audiet de Anglosaxonum Regibus, quod, antequam in Britanniam ab ipsis acquisitam, Christiana fides propagaretur, soboles suas quique nobiles ad antiquam stirpis suæ patriam Saxoniam dirigebant, ut ad sanctæ fidei gloriam conversationis monasticæ disciplinam addiscerent? cum certum sit, ipsos prius fidem suscepisse in Britannia, prædicante S. Augustino et sociis; quam Saxones, in Germania a Carolo Magno perdomiti, ad eamdem adducerentur. Nihilo tolerabilius dicitur, S. Botulpho fuisse fratrem S. Adulphum, pariter cum ipso Monachum factum in Saxonia; quodque eumdem ad Trajectensem Ecclesiam in Episcopum Rex sublimavit. Quis enim Rex ille? An Pipinus Rex Francorum, pater Caroli Magni? Ast hic nondum potitus erat Saxonia inferiore, quam Frisiam dicimus, in qua tunc regnabat Gentilis Radbodus: qui licet a Pippino missum S. Willebrordum exceperit, primum Trajectensium futurum Episcopum, in sua tamen gentilitate pertinax erat. Si ergo ibi Episcopus fuit S. Adulphus post illius obitum, potuit ibidem sub illo etiam factus esse Monachus: Sanctus

parte tamen priori se probat posteriorem,

turpiter hallucinatus circa veterum Saxonum regionem.

EX MAB ... MS.

poraliter firmari, et æternaliter in cœlis possit perennibus præmiis remunerari. Quid plura? Annuit tandem benignissimus Rex piæ petitioni, ejusque in construendo monasterio, ubicumque illi gratia Dei ostenderet, liberæ concessit dispositioni.

6 Circuivit proinde indefessus B. Botulphus vasta et ab hominibus deserta: et circumquaque consideranti tandem Ykanno complacuit, ut constructis inibi competentibus edificiis religio monastica illic propagaretur. Erat autem eadem eremus, ut a christicolis derelicta, sic a dæmonibus possessa; quorum phantastica illusio per tanti militis Christi adventum inde fuganda erat, et pia conversatio inducenda; ut ubi usque tunc abundavit diaboli fallacia, superabundaret ex tunc Conditoris nostri gratia.

talem accipit sed a dæmonibus infestum,

7 Ad ingressum ergo beati Doctoris Botulphi, fumus exhalat teterrimus: et agnoscentes fugam suam imminere, horrendis personant clamoribus, dicentes: Locum hunc longo incoluimus tempore, ac in sempiternum putavimus incolere: quoniam nusquam alium habemus. Cur, o Botulphe, sævissime r hospes, his nos depellis sedibus? nihil te offendimus, nihil tui juris inquietavimus. Quid petis in expulsione nostra, cum totus s orbis tuis inclarescat meritis? Quid tenebras nostras scrutaris? Inhumane agis, omni neglecta pietate, quod ab omni profugatos orbe, ab hac etiam miseros expellis solitudine.

quibus signo Crucis fugatis,

8 Beatus vero Botulphus, Christi athleta eximius, oratione prælibata constanter inanem compescuit turbam. Nam edito Crucis signo in obscœnam vertit fugam: et potenti verborum virtute interdicit illis regionem sibi concessam. Expulsis ergo scandalorum satellitibus in Christi Cruce, præfiguratur cœlestis signum potentatus, et construitur aula divini incolatus. [Brevi namque elapso tempore, adinstar monasteriorum, in quibus conversatus fuerat in partibus Galliæ t, cœptum opus perfecit, cooperante sibi in omnibus divina pietate.]

construit monasterium:

9 Congregat deinde pastor bonus in septo cœlesti oves Christi: easque per salutifera pascua ducendo, docet inferni evitare discrimina, et præparare ad gaudia florentis paradisi. Instat operarius in vinca Christi fideliter excolenda. Laborans itaque die ac nocte incessanter, et quæque inutiliter succrescentia falce cœli resecanda, et studiosius emundanda commissa vitæ; ut de ipsius uberiore fructu æterna exultaret jucunditate, [corpus exponere non formidabat u] Apostolicam enim doctrinam, et Sanctorum Patrum instituta assidua in se observans diligentia, subjectos in hæc hortatur et docet exempla, ne reprobaretur a sua devius doctrina: quod transmarinis partibus districtiori vita et regulari consuetudine memoriter repetendo, quotidianis inculcationibus subditos consuevit solita [docere] mansuetudine. Ubi vero res petebat, pastorali invitat et cogit auctoritate: pius videlicet, secundum Apostolum, in subditis; asperior in laxioribus et negligentibus præcepta salutis. Secundum vero beatum Patrem Benedictum, vetera novis, et nova veteribus miscens, antiquorum instituta per se intellecta discipulos edocuit; et in viam omnem veritatis et sanctitatis informavit.

u diligenter instituit subditos

10 Diligebatur ab omnibus, tam his qui eum noscere poterant transmarinis, quam a Scotis patriæ x suæ vicinis: quia quæ ore personabat, exemplis ostendebat. In nullo arrogans, in nullo tumidus, quid [probum] vel quid improbum demonstrans; sed in omnibus mitis et humilis, dulcis enituit et affabilis. Relatum est sæpius ab his qui ejus instituti sunt disciplina, ejusque dum viveret y usi sunt præsentia, quantis miraculorum signis ex Dei gratia effulserit; quanto prophetiæ spiritu vates veridicus claruerit, ut interdum futura, ac præterita annuntiaverit sæpius. Quanta etiam corporis infirmitate pressus, in gratiarum tamen actione cum beato Job patientissimus perstitit. Semper de profectu animarum habebat colloquium; semper de gaudio æternæ felicitatis in ejus ore versabatur eulogium; ne quando ab his vacans linguæ videretur neglexisse organum. Talibus ergo vitæ argumentis et institutionibus homo Dei exegit ævum: talibusque ad condignum Pater Angelicus pervenit senium.

claret miraculis, et spiritu prophetico:

11 Appropinquante autem vitæ suæ termino, graviorique invalescente morbo, pia tamen non defecit intentio; sed caros quos Christo divinis dogmatibus filios fecerat, verbo commonet eos propitio: et de observandis regulis monasteriorum, quæ peregrinus petierat, loqui et sæpius repetere dulce ac delectabile ducebat. Sed longis virtutum studiis adornatus Christi miles indefessus, longa etiam invalitudine commoratus inter Fratres senex gloriosus; tandem, evocante ipsum Deo de carnis ergastulo, exutus est homine terreno: discipulis circumastantibus, et egressum ejus cœlestibus exequiis ac dulcibus lamentationibus prosequentibus: quorum gemitibus et lacrymosis suspiriis comitatus, post longos hujus vitæ labores, cœlo infertur coronandus; ut illam Domini sui vocem lætabundam audire mereretur in æthereis sedibus; Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Sepultus est igitur a discipulis suis in eodem quod construxerat monasterio, quintodecimo Kalendas Julii z, ubi eodem interveniente multa gloriosa fiunt miracula, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi; Qui cum Deo patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus trinus et unus, per infinita secula seculorum. Amen.

senex pie moritur.

in suo monasterio sepultus 17 Junii

ANNOTATA D. P.

a *Hinc satis intelligitur ex sola fama scripsisse Auctorem de utroque, et solum habuisse aliquid de fine Vitæ* S. Botulfi, *a num. 4 inchoandum. Prologum autem hunc Capgravius prætermisit.*

b *Non magis quam* SS. Gildardus et Medardus, *dimidio fere seculo remoti ab invicem.*

c *Id de* Botulfo *credi cœptum quia talis erat* Adulfus

d Franciam *intellige: necdum enim in Saxonia ullum erat monasterium ætate* S. Botulfi. Adulfus *forte in Frisia veteris Saxoniæ parte Monachum induit sub S. Willebrordo.*

e *Imo diu post alio genere editum.*

f *Fortassis* Carolomanni *vel fratris ejus* Caroli, *filiorum Pippini Regis.*

g *Ordinatus a S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino post obitum S. Willebrordi, sicut verosimiliter teneri posse jam ostendi.*

h *Generalis hæc laus cuique sancto Episcopo posset adscribi: interim tacetur, quomodo vel quando in Angliam* Adulphus *redierit, et apud* S. Botulphum *sit sepultus; indeque apparet, ex hoc solum quod conjunctim colantur ambo, sumptam occasionem utriusque natales, educationem et vitæ tempus confundendi.*

i *Hic incipiunt duo MSS. nostra, omittuntque particulam vero: et sic potuit auctor invenisse ultimam solius* Botulphi *Vitam; quæ sola etiam in Belgium transiit, prius fortassis quam priora ista in Anglia scriberentur, substituenda parti amissæ.*

k Forte Brigensi seu Eboriacensi monasterio, quod modo S. Pharæ dicitur, aut certo Jotrensi Andilegove, *inquit Mabilio, merito pro Saxonia Franciam substituens. Eas autem illuc mittendi auctor matri*

Sanctus

A *Sanctus fuerit, qui ipsas etiam potuit baptizasse, primis septem annis ut infra dicetur, versatus in aula illa, priusquam secederet.*

l *Utic. MS.* Edelmundus *Capgr.* Ethelmundus, *Slesw. Brev.* Edmundus, *MSS. nostra* Ethmundus *cui ostendimus locum esse potuisse inter* Australes *olim* Saxones, *postea* Anglos dictos.

m *Hinc persuadeor Reginam matrem Christianam fuisse, ac forte ex stirpe Regia Orientalium Anglorum, aut etiam sororem Regis eorum Sigeberti per quem anno* 636 *in Gallia baptizatum tota natio ad Christum adducta est. Etenim qui infra nominantur alii Anglorum Reges Sigeberti istius, vel fratres vel filii et successores, dicuntur ipsius* Edelmundi *fuisse* consanguinei.

n *Recte, si totam insulam intelligas, quatenus uno communi nomine Angliam et Scotiam comprehendit; sed hoc fuerit contra mentem Auctoris, ex supradictis notam.*

o *Desunt hæc verba in nostris MSS.*

p *Scilicet Orientalium, aliis* Ethelherus *et* Edelwaldus *præerant.*

q *Utic. MS.* Adjuvare, *melius nostra et Capgravius.*

B

r *Ita etiam idem Capgravius MS. Utic.*, Sanctissimus hospes.

s *MSS. nostra*, tota urbs.

t *Hæc licet absint a nostris MSS. genuina tamen esse puto, et quidem primi Auctoris, haberi tanto certius debere, quanto evidentius refellunt errorem Auctoris secundi,* Botulphum *ad monasteria Saxoniæ amandantis in suo supplemento.*

u *Hæc licet omnino necessaria ad sensum, exciderant scriptori Codicis Uticensis: uti etiam mox verbum,* docere.

x *Idem MS.* quam a patriæ suæ nativis incolis: *quod licet clariorem sensum videatur facere, obscurat tamen notitiam veræ patriæ, quam* Scotiam *fuisse tenemus ex Breviario Slesvic.*

y *Hæc omnino persuadent Auctorem, unde sumpta sunt, Sancto ætate supparem, Bedæ synchronum fuisse.*

z Incertum quo anno, *inquit Mabillo,* at cum Botulfus monasterii sui fundamenta posuerit anno 654 et grandævus decesserit, facile ad annum 700 pervenire potuit. *Idem et ego censerem nisi ex Breviario Sleswicensi discerem annis circiter* 20 *elapsis ex quo in Anglia cœperat conversari prius quam monasterium istud conderet, adeoque post initium seculi*

C *ipsius natum; nisi velimus fere centenarium obiisse.*

EPITOME VITÆ

Forsan antiquioris et integrioris.

Ex Breviario Sleswicensi.

E Scotia in Angliam transiens, *a*

Postquam fides D. N. Jesu Christi ubique terrarum claresceret; fuit vir Deo dignus, Bothulphus nomine, ex illustri prosapia Regum Scotorum oriundus: qui dum post obitum patris *a* regnum suscipere cogeretur; ipse propter Dei amorem, non solum regnum, sed et patriam derelinquens, in Angliam est profectus. Ubi a Rege Angliæ Edmundo devote susceptus, non multo post, jubente eodem *b* Rege, ad sacros Ordines est promotus. *b*

2 Cum autem septem annis cum eodem Rege commoratus fuisset, supplicavit ei ut sibi locum tribueret, ubi liberius Domino deserviret *c*. Qui locum pulcherrimum ei assignavit, rivulis cujusdam fluminis undique circumseptum. Ubi ad honorem Dei ædificata ecclesia, cœpit per divinam gratiam multis clarescere signis. Viro autem Dei ibidem cum disci- *c* *post an. 7 sibi accepto oratorium struit.*

pulo suo commorante; quadam die pauper homo januam pulsans petebat eleemosynam propter Deum. D

3 Jubente sancto Patre ut discipulus ei aliquid daret, respondit ille se nihil habere pro toto victu corporis, nisi unicum panem: quem ille jussit in quatuor partes dividi, et unam earum pauperi dari. Quid plura? Venientibus tribus aliis pauperibus reliquas tres particulas erogavit. Cum igitur de hoc discipulus murmuraret; ait vir sanctus; Noli, fili, turbari: potens est enim Deus totum restituere nobis. Vix verba compleverat, et ecce quatuor naviculæ onustæ cibo et potu, per prædictum fluvium trahebantur, quas omnipotens Deus per suos fideles viro sancto ministrabat. *unicum panem largitus pauperibus, multos recipit.*

4 Quadam vero die, a prædicto Rege visitatus, petivit alium locum ad inhabitandum: eo quod in priori loco nimis ab immundis spiritibus infestabatur. Cujus precibus, Rex annuens, super fluvium Tamisiam *d* ei aptiorem locum dedit. In quo loco vir Dei ædificavit ecclesiam in honorem S. Martini. Manens autem in eodem loco, gallinas nutrire cœpit: quas aquila de vicina silva veniens rapere solebat. Sed cum quadam die gallum rapuisset, vir Dei comminatus est ei: quæ statim veniens gallum vivum ante pedes ejus posuit, sicque cadens expiravit. *alio transgressus,* *d* *aquilam gallinis infestam necat.* E

5 Evolutis autem annis decem et tribus in eodem loco, venit hostis antiquus in specie colubri, viroque Dei gravem morsum inflixit. Ob quod iterum Regi institit, ut alium locum sibi daret. Qui duxit eum longe a mari, in vastam solitudinem: ubi cum per spinosa loca procederet, pervenit ad quandam vallem, quæ rivulum aquæ habebat; et ait vir Dei: Hic est sedes *e*. In illo itaque loco dato sibi a Rege, duas ecclesias in honorem Apostolorem Petri et Pauli construxit. Quibus consummatis transivit *f* Romam orationis gratia, ut limina eorumdem beatissimorum Apostolorum visitaret. *post annos 13 ad solitudinem migrat* *e* *f* *Romam adit,*

6 Inde rediens, et multas Sanctorum Reliquias secum ferens, antequam cellam propriam intraret, puellam cæcam suis orationibus illuminavit. Audiens Rex Edmundus reditum viri sancti, cum magno gaudio ei occurrit, atque per triduum secum mansit. Post hæc vir Dei Bothulphus transivit ad Dominum: cujus corpus discipuli honorifice tradiderunt sepulturæ: ad cujus tumbam multa miracula fiunt, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. *cæcam illuminat,* *moritur clarus miraculis* F

ANNOTATA D. P.

a *Videtur hic fuisse* Eugenius 4, *mortuus anno* 620; *neque statim oblatum* Botulpho *regnum, sed postquam Principes et populi non amplius crudelitatem tolerare possent Ferquardi successoris scelera, adeo grandia, ut de ipso in vincula conjiciendo, in quibus postea obiit, cogitaretur, puta circa annum* 624. *Fugiente autem* Botulpho, *a ministerio esserit alteri fratrum Donvaldo, qui deinde post mortem Ferquardi regnavit usque ad an.* 646.

b *Aut potius, Regis adhuc Pagani matre Christiana: quæ ipsum sibi in Capellanum assumpserit, et filiarum pie educandarum instructorem.*

c *Hoc quo commodius obtineret, credo eum prius persuasisse Reginæ, ut filias suas mitteret ad aliquod monasteriorum Francicorum.*

d *Hinc confirmatur quod dixi, in Surreia, ad dextram Tamisæ ripam imperitasse Edmundum, eamque fuisse Australis Angliæ portionem. Forte etiam ad deserendam aulam motus fuit Sanctus, quod in Rege ad fidem adducendo operam se perdere videret.*

e *Hactenus, idest ad annum circiter* 644, *Eremitam*

EX MAB. EX MS.

A *tam* Botulphus *egerat, quando videtur et divinitus inspiratum, ut transfretaret in Galliam, monasticis institutionibus informandus (quid tamen hic prætermittitur) variaque obeunda monasteria, illud præcipue frequentando, in quo spirituales suæ filiæ Regis sorores commorabantur, Monachatum professæ; atque ita primum rediit circa an.* 654, *ætate provectus, et monasticæ disciplinæ inter Australes Anglos ordinandæ ac promovendæ idoneus: atque hinc initium sumit pars illa prioris Vitæ, quam solam laudamus, ut a Suppari scriptam.*

f *Hoc factum crediderim post annum* 660 : *siquidem rediit Sanctus vivente adhuc Edmundo; qui (nisi Australes Angli diversos ab Orientalibus Saxonibus Reges habuerint, quod nullo indicio probatur) isto circiter anno successorem accepit* Edelwalchum, *anno* 661 *(ut Alfordo videtur) baptizatum. Tunc autem Romanæ Ecclesiæ Pontifex præsidebat* S. Vitalianus.

TRANSLATIONES

Ex Legenda Joannis Capgravii et aliis.

Tempore Regis Edgari, S. Ethelwoldus monasteriorum reparator; B petiit a Rege et obtinuit, ut de locis et monasteriis a Paganis destructis, corpora Sanctorum, ad monasteria suo tempore constructa transferre posset. Monasterium enim Ykanho a persecutoribus B. Edmundi Regis destitutum fuerat Monachorum conversatione et destructum, sed nequaquam ab omni fidelium devotione. Cum autem Monachus, quidem Ulfkitellus nomine, cum multis aliis, ex mandato S. Ethelwoldi, ad tumbam S. Botulphi venisset; et pretiosa ejus ossa in sindone recondita suscepisset, et in humeris levata asportare conarentur; tanto figuntur pondere, ut nullo annisu gressum possint movere. Præterea magno crepitu personant claustra altaris, motumque intendunt quemdam quasi operis imperfecti. Attonitis ergo stupent sensibus diutius: sed tandem edocente Dei gratia prædictus Monachus recolit ex auditis in eodem loco, B. Adulfum Præsulem consepultum fratri suo, ejusque de terra levato corpore secum ad S. Ethelwoldum gaudentes detulerunt [hic autem Edgaro Regi]. Qui caput S. Botulphi Eliensi annuit, cœnobio, sibi suæque Curiæ, medietatem reliqui corporis Regalium Reliquiarum recepit scrinio: et quod residuum fuit Thorensi ecclesiæ cum corpore B. Adulphi concessit.

Curante S. Æthelwoldo

requiritur corpus S. Botulphi

sed absque S. Adulpho nequit auferri:

hujus corpus Tornegæ,

C 2 In libro ecclesiæ S. Botulfi, juxta Aldersgate Londonii habetur, quod pars corporis S. Botulfi per bonæ memoriæ Regem Edwardum *fortasse hujus nominis* 3 *Confessorem dictum, qui colitur* 4 *Januarii* ecclesiæ B. Petri Westmonasterii est collata. Eodem tempore, ut in quibusdam locis scriptum inveni, per eumdem Monachum, jubente Episcopo Ethelwoldo, translata sunt apud Thornense monasterium ossa Benedicti Biscopi Abbatis venerabilis Wermuthensis monasterii, nutritoris Bedæ. *Egimus de eo* XII *Januarii, sed absque mentione talis translationis; ideoque ea hic non fuit omittenda. De sancto autem* Ethelwoldo *harum translationum auctore, agendum erit* I *Augusti, et quæ hic apud Capgravium de eo porro dicuntur, ibidem addenda erunt. Prædictæ vero Translationis meminit etiam Odericus Vitalis in sua Historia ecclesiastica, inter Normannicos scriptores edita, ubi pag.* 834 *legitur, quod* corpus S. Botulphi translatum est ad monasterium Tormeyense. *Et hoc quidem sub Rege Edgaro, ante annum* DCCCCLXXV. D

aliis ecclesiis Londini.

3 *Aliam ab hac diversam, et verosimiliter posteriorem, suggerit initio citatum Altempsianæ olim Bibliothecæ Martyrologium MS. his verbis* pro die XV *kal. Julii.* apud S. Edmundum S. Botulphi Episcopi et Confessoris. *Quamquam enim solum Abbas fuerit* Botulphus; *dies tamen idem, qui in Abbatis Vita exprimitur, et illius etiam cultui assignatur, persuadet nequaquam habendos esse diversos, sed titulos translati de loco in locum corporis, eo facilius confusos fuisse, quod pariter translatus* S. Adulphus, Episcopus *fuisse diceretur. Quin et nunc etiam ista vice, cujus annum difficile sit divinare, fuisse translatum, suadent versus ex Officio* S. Botulphi, *quod in Uticensi codice reperiebatur, sic a Mabilione transcripti in Appendice.*

Alia translatio ad ecclesiam S. Edmundi

4 Sancti Botulphi, sancto cum fratre sepulti,
Pars fratrem placat, pars Ecclesiæ sacra ditat.
O concors virtus! Sanctus sine fratre ferendus,
Pondere se fixit, tolli sine fratre nequivit.
Mox Sancti celebrem dat Adulphi gleba fragorem,
Impatiens cari solvi compage Botulphi.
Sanctorum vita * cum vivunt ipsa sepulcra; E
Alterutris meritis dat uterque salubria nobis.
Hæc in Botulpho tua munera sunt et Adulpho.

ubi Officium et proprium habebatur

* *al.* cui.

Quare cum Willelmus Malmesburiensis, lib. 2 *de Pontificibus Anglorum, ubi de Orientalibus agit et ipsorum curæ subjectis monatseriis; cum, inquam, de monasterio S. Edmundi loquens dicit, quod* jacent in ecclesia sancti Germanus et Botulphus; *non alium aliquem hic diversum a priori intellexerim, uti facit Mabilio; sed suspicabor corruptum textum per incuriam librariorum, atque ita legendum:* Jacent in ecclesia duo sancti Germani, (*ex tunc recepta scilicet opinione quod fuerint fratres*) Adulphus et Botulphus; quorum gesta nec ibi nec alibi haberi memini: nisi quod primus frater S. Etheldritæ, secundus Episcopus asseritur, *ut factum in Altempsiano Martyrologio, per errorem, librario mendo (quod apparet) non imputandum: sed fallaci conjecturæ monachorum istius loci, Vitæ acta non habentium, adscribendum.*

cum indicio tunc etiam translati S. Adulphi,

5 S. Etheldrita *vel* Etheldreda, *Annæ Anglorum Orientalium Regis filia, nata circa annum* DCXLV *obiit anno* DCLXXXIX, *juxta Vitam dandam* XXIII *Junii; et habuit fratrem eorumdem Orientalium Anglorum Regem* Adulphum, *quem hic cum Sancto* Botulphi *consorte confundi, minus mirum est; magis, quomodo potuerint fratres credi, ætate tam dispari nati: quemadmodum de* S. Adulpho *jam diximus. Nec tamen negaverim regia stemmate ortum, qui in Episcopatu Trajectensi successorem habuit paris nobilitatis S. Gregorium; Francorum Regibus libenter, tales promoventibus, quando claritatem sanguinis ornabat splendor virtutis et doctrinæ. Interim propter Officium* S. Botulphi. *sic ut præfertur in Codice Uticensi descriptum, propendeo ut credam, Codicem illum scriptum fuisse in monasterio S. Edmundi; ubi etiam leguntur versus sequentes, quibus continetur miraculum, in prima (ut videtur) Translatione factum, nec tamen a Capgravio relatum;* F

cum fratre S. Etheldritæ confusi.

O Botulphe, tuo cum fratre suavis Adulpho,
Qualis eras vita, tua busta docent reserata.
Ter quinis eremus dat aromata mira diebus,
Membra sacrata Deo redolent charismate tanto.

suavis per 15 dies odor in translatione.

DE

DE S. MOLINGO SIVE DAYRGELLO

EPISCOPO FERNENSI IN HIBERNIA

COMMENTARIUS HISTORICUS

De Cultu, Episcopatu et Actis.

J. P.

SEC. XII

Cultus probatur ex Martyr.

et Actis

Sanctum Molingum, *hac die colendum proponunt bina Usuardi Martyrologia, aucta per Greve-num prius anni* MDXV, *alterum* MDXXI *his verbis :* In Hibernia S. Enolich Confessoris. *prima lineolæ littera* m *in* e *conversa, per errorem utique ignoscendum ei, qui id in antiquis Martyrologiis aut Legendariis Hibernicis, obscure scriptum invenerat. Est præterea quod cultum probet, Acta ejus conscripta reperiri inter Vitas Sanctorum Hibernorum, ante trecentos annos, in codice nostro, olim Collegii* B *Salmanticensis Societatis Jesu, ut dictum est tertia hujus, cum de cultu S. Coemgeni egimus. Dicitur quidem in fine eorumdem Actorum,* Septimo idus Junii *(quæ esset dies septima Junii) obiisse* S. Molingus : *id tamen me non movet, ut diem cultus mutandum propterea censeam, antiquis Martyrologiis diem decimam Septimam assignantibus. Et forsam Librarius, qui eam descripsit Vitam* idus *pro* decem *posuit, non satis intelligens quid* Septimo idus *significaret : in grammaticam quippe non semel impingens, inscitiam suam aut incuriam prodit.*

Acta hæc et alia similia,

non sunt probatæ fidei,

2 *Habemus et alia ejusdem Sancti Acta, decessoribus nostris olim communicata a R. P. Henrico Fitsimon Societatis Jesu, et hæc in multis sunt illis similia: nam utraque procedunt absque ullo temporis et rerum ordine; utraque continent fabulosa miracula, quæ nec omnia sunt eadem, nec omnia diversa : similia tamen iis quæ de S. Patricio aliisque sanctis Hibernis narrantur, quorum originem et comminiscendi occasionem in appendice ad Vitam ejusdem Sancti protulimus, Sane quo magis eorum pleraque familiaria sunt Sanctis omnibus ejusdem nationis; eo difficilius fidem inveniunt. Talia sunt : Baptismus susceptus ab Angelo, prophetice prænuntiata pueri futura Sanctitas, vita eremitica transacta in cava arbore, flagellatio procacis mulieris flagitium offerentis, et mirabile quoddam in animalia* C *imperium. Hæc enim quamvis negari minime possint in probatis Sanctorum Vitis subinde reperiri, quia tamen occurrunt in Hibernis identidem, neque idoneis asserta sunt auctoribus, ea temere ab aliis ad alios Sanctos mutuo sumpta, et ad alios translata esse, non immerito suspicari liceat.*

ut nec prolixiora [illegible]

3 *Sed et Acta, de quibus hic agimus, videntur dumtaxat esse compendia prolixiorum Actorum, quæ ab Ussero citantur pag. 864 et Colgano in Triade pag. 564. Ea, si ad manum essent, non dubitarem judicio lectoris exponere, ob easdem rationes quas ad Vitam S. Coemgeni prolixiorem dedimus. Quamvis enim Acta prolixiora ejusmodi, nihilo magis certos non reddere possint de tot tantisque mirabilibus; varia tamen nos docent de situ locorum et urbium, de præcessoribus aut successoribus in Episcopatu : vel saltem indicant nonnulla, unde occasio sumitur de iis conjectandi. Locum eorum supplere interim poterit compendium Jacobi Waræi, in Commentario de Episcopis Hiberniæ : nam et hunc constat Actis prolixioribus usum, aliisque libris quos nobis videre non licuit. Hic igitur inter Episcopos Fernenses, post S. Aidanum, sive Moedocum, secundum ponit* S. Molingum, *cum hoc brevi Elogio;* S. Molingus dictus etiam Dairchilla, natus est in regiuncula Kenshelagensi, (quæ nunc pars est Comitatus Wexfordiæ) adolescens adhuc, monasticam amplexus est vitam. Postea Aghacainlæ, ad ripam Barovii fluvii, (quæ hodie vulgo Teghmoling appellatur) in Cœnobio a se constructo Abbas præfuit. Ibi plerumque, non numquam vero Glendelacæ, complures transegit annos. Interim scripsisse ferunt Hibernice vaticinia quædam, quibus multa prædixit, de Regibus Hiberniæ, et de præliis et mortibus eorum, usque in finem seculi. Anno tandem DCXXXII a Rege Lageniæ, procerum suasu, constitutus est Archiepiscopus, in sede et cathedra S. Moedoci. Vitam E hanc reliquit XVII Junii anni DCLXXXXVII, valde senex, cum diu ante obitum Præsulatum abdicasset. Corpus Teghmolingi in cœnobio suo honorifice sepultum est; Molingum, Braccanum, Patricium et Columbam, quatuor Hibernicos Prophetas appellat Giraldus Cambrensis lib. 2 Hiberniæ expugnatæ cap. 33 : ubi etiam eorum libros suo tempore exstitisse Hibernice scriptos asserit.

Elogium et chronotaxis ex Wareo.

a quo dissentit Colganus,

4 A *Waræo dissentit Colganus in Triade pag. 564. Ille enim immediate S. Moedoco sufficit* S. Molingum *anno* DCXXXII. *Hic vero quatuor alios interjicit prædecessores, et Episcopatum ejusdem Sancti differt usque in annum* DCXC, *neque ultra sexennium extendit; in Chronotaxi mortis, Waræum uno anno præveniens. Prædecessores S. Molingi, quos assignat Colganus, hi sunt :* Duchmanus, decessit anno DCLII. Tuenocus DCLXII, Maldogarius DCLXXVI, Dirathus DCXC. *Pro istis Waræus, mortem Sancti in annum* DCXCVII *differens, ipso adhuc vivente, post abdicatum Episcopatum, quatuor assignat successores :* Comanum, *quem putat obiisse anno* DCLXXV : Medogarium, *mortuum* DCLXXVI : Dirathum, DCXC *aut* DCXCII. *Hunc secutus est* Cillenus, *qui usque ad annum* DCCXIV *putatur sedisse : Sanctusque ejus tempore migrasse in cælum. Ut in utroque scriptore summa est sententiarum diversitas siquidem in nullo conveniunt, si* Maldogarii *et* Dirathi *nomina excipias : ita summa fuit utrisque patriarum antiquitatum notitia, par veritatem indagandi,* F *recteque historiæ ordinandæ studium. Utri ergo assentiar ambigo, si Acta S. Moedoci, edita a nobis XXXI Januarii, congrua inveniantur a veritate; non tamen dubito utrumque errasse. Nam in Actis illis numero 35, de successore quodam Sancti, talis narratur prophetia ;* Quodam vero die S. Maedhog, veniens ad vallum Ingain, dixit ei auriga suus : Dic mihi Domine, Quis in sede tua post te sedebit? Sanctus Episcopus respondit ei, Qui ante nos aperiet tormovelam[1] vadi, ipse post me erit sessor cathedræ meæ. Et statim viderunt scurriles scholasticos, venientes cum scutis et hastis in manibus, causa ludendi. Cumque vidissent scholasticorum turmam unus ex eis exiliens tormovelam eis aperuit. Videns supradictus auriga juvenem valde scurrilem, aperientem tormovelam *; obstupuit, et dixit alte ; Nunquid iste nugerculus apud nos, post Patronum nostrum erit Antistes? Tunc scholasticus ille, compunctus gratia Spiritus sancti, humilis venit ad S. Maedhog, et dixit ei; O Sancte Dei, volo tecum ire,

sed Prophetia S. Maedoci de successore,

1. repagulum

ire, et vivere sub disciplina tua. Vir sanctus ait ei: Unde es, et quo nomine vocaris? ille ait: Mumoniensis ego sum, de habitatoribus Luachuir, et Cronanus vocor. Cui ait vir Dei: Alio nomine diceris, idest, Mochua Lothre. Et ait ei; Sequere me. Inde secutus est Mochua Lothre S. Maedhog usque ad obitum suum: qui postea effectus est sapiens et sanctus, et vir miræ abstinentiæ, qui fecit magna miracula: quem pro honestate vitæ et pro bonitate morum beatissimus Maedhog post se in Episcopum constituit.

5 *De Mochua sive Cronano actum est 1 Januarii: sed prætereaquam quod de ejus cultu non constat, nulla ibi mentio fit de Episcopatu Fernensi, nedum de hoc vaticinio. Ceterum magister noster Bollandus ob quantulamcumque hujus prophetiæ auctoritatem, in eam inclinabat sententiam ut Cronanum* Molingo *præponeret. Mihi vero, ob eamdem rationem, Cronanus* Molingo *postponendus videtur. Quippe Cronanus puer scholaris erat; cum jam Maedocus verisimiliter esset senex: nam et curru vehebatur, quod in usu non fuisse Hibernis Episcopis, nisi itineris longitudo, aut senectus suaderet, colligitur ex Beda lib. 3 cap. 5 Histor. Eccles. Et auriga ipsum de successore sollicitus interrogat: quod quærere ex homine adhuc ætate et viribus florente, importuna videretur curiositas. At quare S. Maedocus, non de immediato successore, sed de alio post multos annos futuro respondit interroganti? Existimo quia ita casus, seu potius Dei providentia tulit, ut puer iste occurreret.*

6 *At neque* Molingum *Maedoco immediate sufficere licent cum Wareo; post'a veritate miraculi, quod in hujus Actis numero 60 ita refertur:* Cum teneret Beatissimus Episcopus Molingus cathedram Episcopalem sancti Maedhog, aliquo eventu in lecto beati viri sanctus ascendit, ubi nemo ante eum ausus est ingredi: Cui ait Canonicus istius ecclesiæ: Usque hodie, post obitum sancti Maedhog Patroni nostri, nemo ascendit in hoc lecto, propter nimiam sanctitatem ejus; qui modice ibi, evigilans spiritu Domino, post lassitudinem corporis, requiescebat. Ait ei sanctus Episcopus Molingus: Nos qui in Cathedra ejus sedemus, bene possumus hic dormire. Et cum hoc dixisset; statim dolor validus, apprehendit eum. Cum jam torquebatur valde, fundens orationem, petivit Dei auxilium; sed cum dolor nondum adhuc cessabat urgere eum: iterum se signans signo Crucis, cœpit invocare frequenter sanctum Maedhog sibi in auxilium: et cum hoc fecisset, statim fervor doloris mirabiliter discessit ab ipso, surgensque inde S. Moling, sospes et sanus, ait: Nemo in isto tempore dignus est in lecto nostri Patris S. Maedhog dormire. In hoc apparet quantam gratiam habet S. Maedhog apud Deum in cœlis, in cujus lectulo nemo audet in terris dormire. Multa alia signa virtutum sanctus Maedhog in corpore, et post obitum ejus, gratia Dei per eum fecit, et adhuc ad Reliquias ejus non cessant ostendi.

7 *Hæc profecto vix consistere possunt, cum immediata S. Molingi post S. Moedocum successione. Quomodo enim eo casu* S. Molingus, *ignorare poterat quod eum monebat Canonicus, neminem lectum S. Moedoci ascendisse si ab hujus obitu non nisi pauci anni effluxerant? aut quomodo tam cito id potuit quasi in legem transisse? Neque etiam verbis iis, usque hodie, uti solemus, nisi cum de plurium annorum transacto tempore agimus. Quid igitur, si Episcoporum Fernensium seriem ita ordinemus, ut post Moedocum ab anno seculi septimi* XXXII *usque ad* LX, *duo vel tres, ex nominatis apud Colganum et Wareum, tenuerint Episcopatum? Istis defunctis, sequatur* S. Molingus, *et abdicet dignitatem circa* LXX. *Tum, interjecto unius ex annumeratis apud prædictos auctores regimine, perveniri poterit ad annum* LXXX, *circa quem Cronanus, agens ætatis annum circiter sexagesimum sextum, succedere poterit S. Moedoco in Episcopatum Fernensem, ut prophetia censeatur impleta.*

8 *Neque hoc loco prætereunda sunt quædam de Cathedræ Fernensis dignitate, quamvis modo relatis haud multo certiora. Colganus in Triade pag. 564, ex Actis prolixioribus S. Molingi, de quibus supra numero 3, hæc nobis refert verba:* Adductus S. Moling ad prædictam civitatem, constitutus est ipse Archiepiscopus, in sede et cathedra S. Maidhoc. A Rege enim Lageniensium Brandubh, filio Eathach, constitutum est, ut Archiepiscopatus Lageniensium in civitate S. Maidhoc esset. Ipsa civitas vocatur Ferna. *Deinde notat idem Colganus, Kildariam, eo tempore quo scribebat Cogitosus Acta S. Brigidæ, fuisse metropolim Lageniæ: existimat autem Cogitosum scripsisse circa annum* DL. *Deinde circa finem ejusdem seculi, tempore S. Moedoci, eam dignitatem a Kildaria translatam fuisse Fernam: indeque rursus, post obitum* S. Molingi *qui incidit in finem seculi* VII *incertum quando; sed saltem ante annum* MXCVII, *rursus restitutam Kildariæ. Nam eodem anno* Malbrigidus O Brolchan, vir sapientissimus, obiit: *vocatur in Hibernicis Annalibus assentiente Ussero,* Episcopus Kildariensis et totius Provinciæ Lageniensis *et Ferdomnachus ejus successor (qui creditur obiisse* MCX) *vocatur* Episcopus Lageniensium *in subscriptione epistolæ, a Waterfordensibus ad Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum transmissæ, quæ exstat 34 inter editas ab Ussero. Ego vero, sicut non dubito, quin semper aliqui fuerint inter Hibernos Episcopos, qui præ aliis amplioris aliquid dignitatis aut Ecclesiasticæ jurisdictionis habuerint; ita a vero censeo alienum, eos aut Archiepiscopos dictos fuisse, aut Pallio aliisque Archiepiscopatus insignibus usos, ut ostendimus § 2. Appendicis ad acta S. Patricii: in eo enim Anglorum Archiepiscopos primum imitari cœperunt Hiberni, seculo circiter* XII. *Ad hoc probandum, adverte, non leve argumentum fluere ex duobus supra allatis a Colgano locis. Malbrigidus quippe O Brolchan* Episcopus Kildariensis et totius Provinciæ Lageniensis *vocatur, non* Archiepiscopus, *seculo* XI: *Ferdomnachus vero, initio* XII, Lageniensium Episcopus *subscribitur, non* Archiepiscopus. *Adeoque non facile reperiendos existimo scriptores Hibernos, qui ante seculum* XII *scripserint, et titulo* Archiepiscopi *utantur. Oportet itaque Acta prolixiora* S. Molingi, *ex quibus verba superius relata, desumpsit Colganus, posterioris esse temporis; et in Prologum ad Acta S. Brigidæ per Cogitosum si hæc istius sunt, et scripta seculo* VI Archiepiscopus, *pro* Episcopus, *postea irrepsisse, intrusum a librario quopiam, ex usu seculi sui Cogitosum corrigente. Cum enim videret, Cogitosum aliquid præeminentiæ Episcopo Kildariensi supra reliquos attributum velle, Archiepiscopum nominandum putaverit.*

9 *Ceterum quidquid Episcopi Hiberniæ, supra alios Coepiscopos, usque ad seculum* XII *habuerunt, istud nomine Primatiæ appellandum videtur: neque alibi constanter ea dignitas mansit, præterquam in Sede Ardmachana ob honorem S. Patricii. Alii autem videntur supra alios Episcopos primatum tenuisse, quam diu ipsi et successores, ob pietatem et doctrinam, præ aliis æstimabantur; præsertim si Principis gratia accederet, et Coepiscoporum qualiscumque consensus. Multum etiam conferebat, si civitas, in qua Cathedram Episcopalem fixerant, opibus aut civium frequentia præ reliquis floreret: ita ut non raro is præcipuus haberetur Episcopus, qui æstimatissimæ præesset civitati. Et hinc factum videtur, ut ad aliam translata meliori civitatis fortuna, alio etiam tranferretur eminentia Episcopalis aut Primatia: quin subinde, urbe in pagum mutata, desineret esse Episcopatus, aut alteri meliori uniretur,*

unietur. Neque id immerito: cum enim Episcopus constituatur, ad gubernandum gregem fidelium; iis alio dilapsis, desinit esse necessarius. Superfluum igitur sit inquirere, quo anno, Archiepiscopatus Kildaria Fernam, et rursus Ferna Kildariam fuerit translatus: cum ipse Jacobus Waræus, monumenta Hibernica diligenter scrutatus, neque Kildariensis neque Fernensis ullius Archiepiscopi videatur reperisse memoriam, quæ ipsos tali titulo honorandos probaret. Nunc ad Acta qualiacumque progredimur: de quibus, uti et iis, quæ hic disputata sunt, dicere liceat: sin minus nos aliquid certi doceant, ostendunt saltem de quo dubitari possit.

VITA

Ex nostro MS. Salmanticensi.

Natus

Venerabilis Præsul ac Propheta Dei Dayrgellus, qui alio nomine Moling appellatur, a nativitatis exordio gratia Dei fuit plenus: qui eo die natus est, quo Spiritus sanctus super Apostolos descendit. Quem inter manus genitricis existentem, Angelus Domini, in forma pulcherrimi juvenis, coram parentibus, ceterisque qui aderant benedicens signo Crucis signavit a. Puer autem et corpore crescebat et gratia; quem parentum diligentia, divinarum studiis litterarum, opportuno tempore tradidit. In quibus ille tandem satis instructus fuit: Deinde semetipsum hostiam viventem atque placentem Deo obtulit, ejusque servitio pro viribus nuncupavit. Hic quoque in arbore quadam cava b, ubi postea suum fundavit monasterium, per septem annos pro viribus Deo deserviens, Eremiticam solus ducebat vitam; ac tamdiu esca ejus olera, et potus ejus aqua fuit. Posthæc verbo prædicationis sedulo institit, et de mobilibus seculi fluctibus, ad fidei stabilitatem, per rectæ doctrinæ industriam plurimos traxit. Creberrimorum quoque miraculorum fama ipsum longe, lateque divulgavit: unde plurimi, sub ejus regimine Deo militaturi, ad eum confluxerunt discipuli. Postmodum celebre fundavit monasterium, quod ab ipsius nomine, prout notum est, habet vocabulum: c ubi Angelico adjutus patrocinio, plurima fecit miracula, de quibus pauca dicemus.

ob Angelo benedicitur, litteris instructus, vitam eremiticam ducit et apostolicam, Monasterium condit,

2 Ingens enim saxum, in via publica viantibus obstans, quod Osrigensis d exercitus, viribus suis confidens, movere non poterat; virtute orationis de suo loco, ad alium solus noctis silentio transtulit locum. Item alius prægrandis lapis e, ut horologium in eo fieret, ad monasterium delatus, incuria portantium in duas fractus partes, per ejus orationem redintegratus est. In Fernellensi f quoque monasterio, quædam domus clausa, in qua tunc nemo fuit, vicinis straminibus ab igne male custodito combustis, tota demum cœpit cremari. Ad quam qui aderant concurrentes, ac ignem extinguere molientes, quia clavem non habuerunt, intrare minime potuerunt: Adveniens vero magnificus Pontifex Moling, sine ullo obstaculo, domum intravit; ac virtute divina igne extincto, eam liberavit.

immane saxum oratione transfert, aliud fractum redintegrat, incendium extinguit.

3 Aliquando quidam laici transeuntes, virum Dei in fossura terræ desudantem videntes, dixerunt; Vir iste, ut dicitur, vere magnus est. Sed diabolus famam virtutis viri Dei extinguere cupiens, arma consueta ad decipiendum excitaverat, scilicet feminam quamdam nequam quæ eosdem viros comitabatur. Ait enim: Hunc virum, quem magnis effertis laudibus, si vultis modo, eum prosternam. Qui responderunt: Ut credimus, hoc per te nequaquam fieri potest. Illa vero, implere quod vovit exortans, ad virum Dei properans accessit; et verba quibus animum ejus ad consensum peccati alliceret, coram eo protulit. His auditis, vir sanctus ait; Ambo, inquit, hanc proximam ineamus silvam. Qua eunte, miles Christi ait meretrici: Pallium tuum exue. Illa autem æstimans, quod locum, in quo obscœnum opus ageret cum ea, parari voluerit; jussioni ejus protinus obedivit. Ille vero in bello intrepidus, sinistra manu eam apprehendens, cum virgarum fasciculis corpus ejus nudum a planta pedis usque ad verticem capitis, fortiter flagellavit, ac sic flagellatam ad suos ire præcepit.

meretricem verberibus castigat.

4 Idem vir Dei, quodam fideli viro ipsum aspiciente, siccis pedibus super aquas ambulavit, quem juramento constrinxerat, ne quamdiu ipse in hac vita viveret, hoc alicui revelaret. Hoc quoque prætereundum non est, quod terram Lagenensium a gravissimo vaccarum tributo, quod Regibus g Aquilonalis partis Hybernia per plurima annorum curricula reddebatur per terribilia miracula, mortem exactoribus minitantia, usque hodie liberavit.

super aquas graditur: hostes profligat,

5 Quodam alio tempore femina quædam filium suum, ad mortem pene infirmatum, attulit ad eum, dicens: Pater sancte, pro filio meo, ut sanitatem recipiat, Deum deprecare. Cui ille, prophetico ut erat plenus spiritu, ait: O mulier, filius tuus convalescet, et longo tempore feliciter vivet. Quod totum completum est. Item alium puerum paralyticum, leprosum, mutum et cæcum, per orationis virtutem sanitati restituit.

infirmum sanat et paralyticum,

6 Quædam miserabilis mulier virum Dei, in ripa cujusdam fluminis sedentem, pro unico filio suo defuncto, cujus corpus in sinu portabat, suppliciter rogavit, ut eum a morte ad vitam in nomine Domini revocaret. Quo dicto, illa corpus exanime in sinu ejus posuit; quod ipse protinus in aquam quæ suberat projecit. O magnum miraculum, et in suo genere inconsuetum! Nam puer, mox ut aquam tetigit, per viri Dei miram humilitatem resuscitatus, super aquam natavit, et sic ad ripam rediit: quem mulier exultans, vivum atque incolumem sustulit, eumque secum deferens, ad sua remeavit.

mortuum suscitat,

7 Alio vero tempore filius cujusdam Reguli, insania vexatus, ac ferreis vinctus catenis, ad eum ut ipsum sanaret adductus est; quem protinus homo Dei in balneo, quo se lavabat, poni præcepit: quo facto, puer illico defunctus est. Quod cum vir Dei perpenderet, exanime corpus in lecto poni jubet: et eorum qui aderant tristitiam blandis sermonibus consolatus, deinde accedens ad puerum, signo salutiferæ crucis eum signavit; et statim vitæ et pristinæ sanitati restituit. Aliquando duo hydropici ad ipsum, ut a languoribus sanarentur, accesserunt: quibus ut de humo fossæ parum comederent, præcepit. Quod unus illorum faciens, in fide sua mox sanitatem recuperavit: alterius vero, quod jussus est facere nolentis, infirmitas usque ad mortem insanabilis fuit.

item alium, hydropicum curat,

8 Alio in tempore, viro Dei ad Missam se præparanti advenit quidam horribilis leprosus, calicem altaris ab eo petens. Qui continuo recordatus verbi Domini quo dixit; Misericordiam magis volo quam sacrificium; ille tradidit quod petivit. Cumque alium in quo offerret non haberet; Deus omnipotens misericordiam in misericordem facere non distulit: de thesauro enim abundantiæ suæ, semper inexhausto, alium ei, in quo offerret, calicem illico dedit. Quodam tempore, ipse super ripam fluminis nomine Berba h sedente, et Epistolas canonicas inspiciente; hospites quidam, se ad monasterium transvehi quærentes, ex alia parte clamabant. At quos, quasi ad Christum deducendos, librum ubi sedebat relinquens, festinus navigavit. Interea inundatio maris contra fluvium exæstuans, et ripas fluminis excedens, præfatum librum redeundo, secum in mare detulit: sed meritis Sancti viri exigentibus, ad

Calicem sacrum tradit leproso et alium divinitus accipit; librum æstu maris ablatum intactum recipit

eumdem

eumdem locum, ipsum ab omni corruptione intactum, reportavit.

Prophetiæ dono illustratur,

9 Tanta autem prophetiæ gratia in viro Dei resplenduit, quod qualiter homines, quique essent victuri, et quo exitu vitam terminaturi, et cujus meriti essent futuri, quærentibus veraciter responderet. Aliquando vir Dei, a Collegio Fratrum sequestratus, triduanum perfecit jejunium, unus vero eorum, eum visitare veniens, faciem ipsius inspicere omnino præ fulgore ejus nequivit: illa etenim velut flamma ignis apparuit, et lux magna ipsum circumfulsit. Ad excellentiam [enim] meritorum ejus declarandum, Deus

et divinis apparitionibus

ipse sibi per subjectam creaturam, ad ipsum in mundi hujus exilio consolandum, mirabiliter apparuit; unde locus apparitionis usque hodie Trinitas appellatur. Choros etiam Angelorum, Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, cum ineffabili melodia decantantium, tempore quodam audivit: unde locum, in quo mysteria Angelorum sic audivit, terram nominavit Angelorum Beatus quoque Pontifex.

In cœlum migrat.

10 His et consimilibus miraculorum prodigiis fulgens, ad inevitabilem vitæ terminum festinavit (quem terminum sine intermissione obtinuit, cupiens dissolvi et esse cum Christo) ac sic, devictis seculi ærumnis, omnium Sanctorum virtutum copiis opimatus, terra plorante, cœlo gaudente, ovans migravit ad Christum: qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen. 7 Idus Junii.

Canes ab eo pasti non sine miraculo:

11 *His aliqua visum est adjungere ex MS. R. P. Henrici Fitsimon, quæ in Salmanticensi desiderabantur; quandoquidem de iis egerim in Commentario prævio: sunt autem hæc.* Contigit alio die, ut S. Molingus canes feros saturaret, et multi erant; hic enim est numerus canum triginta. Et diviserunt se in duas turmas, et dedit eis triginta panes cum butyro: et duodecim canes ex eis statim non aderant, et portionem eorum primi non comederunt: sed pro timore Sancti secum duodecim panes custodierunt, donec socii earum advenerant: et Sanctus saturavit eos duodecim panibus, quos reliquerant, cum canibus primis. Quadam autem die cum S. Molingus sedens legeret, venit k avis M.n.a. et muscam, alam unam habentem, deglutivit coram eo; et l muriceps avem devoravit: et Sanctus muricipi imperavit, ut avem vomeret, et avis muscam: et statim illa animalia sanata sunt et vixerunt. S. Molingus semper solebat fera animalia alere: et vulpes, de vulpibus quæ sumebant cibum de manu ejus, gallinam furata est, et manducavit eam: et contristatus est Sanctus contra eam vulpem callidam. Hoc autem videns vulpes, abiit ad alium locum, ubi sanctæ mulieres habitabant; et aliam gallinam diversis coloris rapuit ab eis, et obtulit eam Sancto viro. Et imperatum est ei ut, reportaret eam vivam dominabus ejus: et ipsa sicut ei imperatum est reportavit. Alio autem die, alia de vulpibus libum abstulit et favum mellis: et imperatum est ei, ut libum referret, et imperio Sancti obedivit. Et quoniam S. Moling princeps erat in civitate magna quæ dicitur Ferne; vulpes perrexerunt ad eum, nec a canibus persequebantur, donec venirent ad locum in quo erat Moling: et adventum earum prædixit Moling populo suo: fecitque eis hospitium, et post hoc reversæ sunt ad loca sua. Et dixit Moling eis; Manducate, ego post modicum tempus hanc civitatem relinquam, et ad locum meum revertar. *Hæc inquam referenda putavi, ut ex iis intelligi possit, qualia ea Acta sint, de quibus in Commentario prævio num. 2. diximus.*

aliud circa avim et felem patratum

vulpem et gallinas

ANNOTATA F. B.

a *Simile quid accidisse memoratur in Vita S. Coemgeni quam dedimus tertia hujus.*

b *Idem de S. Coemgeno narratur.*

c *Nempe* Teghmoling, *ut supra ex Waræo vidimus.*

d *In MS. P. Fitsimon ita miraculum narratur:* Quodam tempore S. Moling petivit Regem Lageniensium, nomine Desgabine, cum exercitu suo, ut saxum magnum in via offendens moverent. etc. *Nescio cur exercitus Lageniensium vocetur* Osrigensis.

e *In MS. P. Fitsimon lapis iste vocatur* Orlag, *et dicitur* manere signum contractionis in ipso lapide usque in hodiernum diem.

f *Id est, Fernensi.*

g *Id est Ultoniæ, vel potius Nepotibus Neyll siv Conallus; qui ita præ ceteris dominabantur. Regi vero isti, ut habetur in MS. P. Fitsimon, nomen erat Finnachta, in eodem MS. legitur, quod idem Sanctus qui hic Lageniensibus faverat, aliquando ad similem impediendam injuriam contra ipsos steterit.* Quodam die, inquit, introierunt Lagenienses in regionem, quæ dicitur Oisrigia, et populati sunt omnem plebem, et eduxerunt armenta magna. Hæc autem sciens S. Molingus in suo loco, misertus plebi quæ vastata est; oravit ad Dominum. Tunc ostensum est Lageniensibus, quod S. Moling staret in via contra eos pugnans: et non reliquit eis unam vaccam aut unum vitulum: et superare eum non potuerunt, reversaque sunt armenta iterum regionibus suis.

h Berbha *fluvius in Lagenia non procul ab urbe Slepiensi. Ita Colganus in Triade pag. 7 num. 2.*

i *Qui nominis* XVII, *ut dicit numero* 1.

k *Hic aliquid legi non potuit et locus obscurus aliunde illustrari nequit. In MS.* Avitmanna, *quasi unica dictione legitur.*

l Muriceps *felem significat, aut volacrem mures capientem, apud Cangium in Glossario.*

DE S. VEREDEMO

EPISCOPO AVENIONENSI IN GALLIA

G. H.

Sylloge historica de cultu et ætate.

SEC. VIII.

Avenio, *præclara Galliæ urbs, Provinciæ inserta Pontificibus Romanis subjecta, eorumque aliquamdiu domicilium, ad Rhodanum fluvium, inter suos Episcopos solenni cultu veneratur* S. Rufum et S. Veredemum, *quorum corpora requiescunt super majus altare, capsæ argenteæ inclusa. Ex his* S. Rufus *colitur mense Novembri, die aliis* XII *aliis* XIV, *quando de illo agendum erit. At* S. Veredemi *festum incidit in diem hunc* XVII *Junii. Solere id* cum octava celebrari *asserit Benedictus Gononus lib. 3 de Vitis Patrum Occidentis,* ex antiquo ejusdem Ecclesiæ Missali, in quo habetur Oratio et Missa propria: *additque,* extare apud Carthusienses Villæ-Novæ vetus Martyrologium MS. et Kalendarium, in quo fit honorabilis mentio de S. Veredemo Avenionensi Episcopo; nec non in Archivis monasterii

Reliquiæ in capsa

Cultus 17 Junii

A monasterii S. Andreæ extare litteras seu contractus, ex quibus constat, Rostandum, Episcopum Avenionensem, cuidam Monacho dicti monasterii commisisse curam, fabricandi capsam argenteam, ad Reliquias S. Veredemi reponendas; et ob hanc causam dedisse ei Prioratum, vulgo dictum de Jonquieres circa annum Domini MI., eumque melius Vendemium dici ut habet Bellovacensis, aut ut alii Venderemum et Veredemium : in hoc autem et consentire antiqua Manuscripta et Breviaria Ecclesiarum Arelatensis, Carpentoractensis, Cavallicensis etc. Floruisse circa annum septingentesimum autem *Memoratur etiam apud Ferrarium in Catalogo generali, et Saussayum in Supplemento cum hoc elogio :* Avenione ad Rhodanum S. Veredemi Episcopi et Confessoris : qui a S. Agricola Sedis hujus Pontifice præstantia ob merita, successor sacri muneris designatus, non impari gloria pietatis commissam sibi Ecclesiam direxit : moriensque plenus operibus justitiæ et vitæ æternæ, in cœlo præmia adeptus est, et nomen in terra venerabile reliquit. Abhinc enim sacris tabulis, ob patentia testimonia gloriæ, inscriptus, honoribus sacris annuatim hac B die celebratur. *Hæc ibi, sed pleraque sunt quibuscumque Sanctis communia. Eumdem* S. Veredemium *ut* Episcopum Avenionensem et Confessorem, *celebrat Grevenus in Auctario Usuardi, eumque secutus Canisius in Martyrologio Germanici duplici editione quam habemus : quem perperam arguit Ferrarius, quasi* Aurelianensem Episcopum *constitueret.*

dicitur a S. Agricolo decessori cooptatus,

2 *Supra memoratus* S. Agricola, *alias* Agricolus, *decessor ejus in Episcopatu Avenionensi, colitur secunda die Septembris. Ejus Acta exstant in Chronologia Lirinensi Vincentii Barrali, sed recentiori Auctore, ut qui meminit pluviæ sanguineæ anni* MDLXXIII, *et conspirationis hæreticorum anni* MDLXXIV. *Interim in dicta Vita ista leguntur :* Cum extremum sibi diem instare sentiret Agricolus, de successore deligendo Clerum populumque admonuit, cooptavitque in suum locum S. Veremundum, qui prope urbem in eremo D vitam Angelicam claramque miraculis agitabat, *ac dein dicitur* Agricolus sempiternæ beatitudinis gaudia penetrasse quarto Nonas Septembris anno Domini septingentesimo, *cui tunc successit* S. Veredemus. *De quo addit Gononus :* In loco, ubi solitariam vitam duxit, cerni adhuc eremitorium una tantum leuca a civitate Avenionensi. *Quæ latius a Gonono in Vita ad hujus honorem conscripta habentur, sed quæ magnam ingerunt difficultatem, dum dicitur natione Græcus, ibidem in spelunca degens excepisse S. Ægidium e Græcia venientem, et una simul diu vixisse et miraculis claruisse. Quæ sunt accipienda de* S. Veredemio *Anachoreta, cujus celebris memoria in Breviario Ecclesiæ Uceticensis agitur die* XXI *Augusti. Debet hic vixisse tempore S. Cæsarii Episcopi Arelatensis, anno* DXLIII *vita functi, apud quem dictus Ægidius aliquamdiu vixerat, antequam ad S. Veredemium anachoretam accederet : proinde nobis suspecta sunt quæ de S. Veredemi Episcopi vita anachoretica apud dictum Gononum, et in Vita S. Agricoli referuntur. Omittimus proinde Vitam hujus Episcopi Latine excusam apud Gononum pag.* 160 *et Gallice apud Simonem Martin in Sacris Reliquiis deserti pag.* 471 E *tamquam recentiorem compositionem, in qua discerni non possunt vera a falsis, certa ab incertis : et tota res poterit accuratius atque commodius discuti ad Vitam* S. Veredemi *Anachoretæ ad diem* XXI *Augusti, et S. Ægidii ad Kalendas Septembris. Interim distinctione ista supposita, ab Anachoreta isto, tot seculis seniore, nomen inditum Episcopo; utique Græcum, qualis dicitur Anachoreta fuisse ; eodemque compositum modo quo* φερέκακος, φερένικος, φερέβιος, malorum tolerans, Victoriam atque vitam efferens : *sic enim* φερέδημος, *erit* Plebem ferens. *Aspirationem autem usus vulgi extriverit. Oportet tamen ut apud Græcos aliquos pro* φέρω *usitatum sit* βέρω *vel* βερω, *unde* Berenice *nomen acceperit, quamvis verbum istud nusquam inveniatur sic scriptum.*

Aucт. G. H. anno 700,

non satis distinctus a S. Veredemio anachoreta.

DE SANCTO POSSENNO

PRESBYTERO CASTELLIONE IN GALLIA

COMMENTARIUS HISTORICUS

C **De cultu et miraculis, ipsi ac S. Benedicto communibus.** F

XVII JUNII

Memoria in Fastis

R*omæ inter illustriores bibliothecas, codicibus manuscriptis repletas post Vaticanam potuit aliquando censeri Altempsiana, ubi reperimus aliquod Martyrologium, in Anglia aut Normannia exaratum ; in quo ad hunc* XVII *Junii ista habentur* S. Possenni sacerdotis, miræ simplicitatis viri *Eadem leguntur in Martyrologio Bellini secundum morem Romanæ curiæ, Parisiis auctius sub annum* MDXXI *excuso, et ex eo apud Molanum in Additionibus ad Usuardum tertio recusis ; item apud Canisium in Martyrologio Germanico, et Ferrarium in Catalogo generali, apud quos ultimos* Possemius *legitur duplici littera* n n *in litteras* m *et* i *mutata quod facillime potuit contigisse.*

Cultus Castellione

2 S. Possenni *hujus arbitramur mentionem fieri libro 5 Miraculorum S. Benedicti in Gallia factorum, auctore Rodolpho Torturio ad diem* XXI *Martii, num.* XXXV *et sequentibus ; ubi dicitur* requiescere in Castellione *ad Ligerim fluvium, æque fere Noviomo et Aurelia distante. Nonnulla inde repetenda his verbis.* In Castellione, Patris ipsius non exigua possessione (ubi beatus Confessor Possennus requiescit de quo et Andreas plurima in suis retulit dictis) multa ad laudem sui nominis, per merita utriusque Patris, sæpius Omnipotentis clementia demonstrat magnalia : de quibus et nos dicturi sumus aliqua.

Miracula ipsi et S. Benedicto communia:

3 Homuncio quidam, Herbertus nomine, ægritudinem incidit adeo gravem, ut resolutis omnibus membris, nullius eorum uteretur officio, præter linguam, quæ, licet satis exilem, retinebat sonum. Hujus inopia sustentabatur misceratorum alimonia virorum, qui etiam tuguriolum in porticu basilicæ loci ipsius sibi constraxerant : ubi et per numerosa annorum curricula, instar glomeris involutus decubuit, vix etiam liquidas sorbitiunculas ore valens ligurire ; necessitate quoque relevandi alvum a loco in locum digredi nequaquam potens. Miserante igitur omnipotentia clementis Salvatoris, suffragantibus vero Patris nostri Beatique Confessoris Christi Possenni precibus, paulatim membris sospitatem amissam recipientibus, factus est incolumis ; grates referens Domino Jesu Christo, secundum suæ scientiæ modulum, et ejus utriusque fidelibus. Permansit autem in eodem loco per multa tempora, eccle-

paralyticus

sanatus et ecclesiæ ministrat :

sia

AUCTORE G. H.

siæ servitio mancipatus, aquam, lumen, et quæque ad ministerium altaris erant idonea, suppeditans; quem nos etiam, pluribus annis id officiose peragentem, perspeximus.

4 In territorio Nivernensi quoddam habetur castrum, Huben nuncupatum, in prærupti cujusdam collis cacumine. Hujus Dominus Hugo dicebatur, provectæ ætatis vir. Hic filium genuerat, vocabulo Gauterium: qui juvenilis ævi elatus supercilio, minus de omnipotentis Dei pertractans mandatis, res ecclesiarum et pauperum, rapinis inhians, diripere et suis in necessitatibus expendere ardebat; unde arbitratus opimam de jam memorata possessione prædam se posse abducere, propter multitudinem diversorum animalium, quæ in eodem erant loco (est enim alendorum animalium opportunus ob fertilitatem pabulorum) assumptis cohortibus equitum seu peditum, devenit illuc; neque Dei veritus offensam, neque Patris nostri meritum. Porro accolæ loci ipsius et circa positi ruris, comperientes ejus insanam cupidinem, et pertimescentes copiosum prædonum numerum, asciverunt in auxilium sibi Dominum castri, quod dicitur S. Briccii, Rotbertum nomine, strenuum sane tam armis quam consiliis virum: qui vallatus suorum cuneo, prompto accurrit animo, paratus cum eis, si quod immineret, subire dispendium, pro Patris promerendo suffragio, et vicinorum qui se expetierant commodis.

cupiens Castellionem diripere

5 Gauterius itaque aggressus Castellionenses satagebat opere perficere quod mente conceperat; rusticolas videlicet eorumque pecora et spolia secum abducere. Rotbertus autem ei obviam progressus cum suis, conjunctis quoque sibi locorum contiguorum colonis, conferre cum eo non valens, ejus timendo copias terga vertit. Gauterius ergo suos multis clamoribus adhortatus, equoque cui insidebat calcaribus incitato, ipsum perniciter insequitur: quem Rotbertus jam jamque sibi appropiantem cernens, ut puta moris est fugientium, hasta super humerum rejecta, ferrum hastæ sequenti opposuit. At ille conatus hostis nequaquam prævidens, dum incautius attingere eum equo ardescit, in ferrum ruit: quod gutturi illius immersum absque dilatione vita privavit. Videntes vero satellites ejus, Dominum suum exanimatum, ululatibus aerem, lacrymis genas opplentes, humeris corpus imponentes, abire maturant; miserante ipso cujus interierat ferro, illis quoque quos prædatum venerat concedentibus liberam fugiendi copiam, laudesque proclamantibus omnipotenti Deo, grates Patri Benedicto Sanctoque Confessori Possenno, de tam celeri hostis sui multatione. Genitor autem genitrixque defuncti, cernentes, extinctum filium, in quo tota spes pendebat illorum, quoniam hunc solum possidebant; non est facile dicere quos ediderint gemitus, quantas fuderint lacrymas, inconsolabili lugentes mœstitia, quem amplectebantur dilectione unica.

subito moritur:

aguntur gratiæ SS. Benedicto et Possenno,

6 *Præfatus* Andreas *in scribendis S. Benedicti Miraculis secutus Aimoinum est, initio seculi* XI *suo vulgantem: et Rodulfum præcessit annis fere centum posteriorem Aimoino; qui Andreæ scripta, hactenus latentia, nova forma donavit, uti diximus, ubi de S. Benedicti Translatione in Gallias num.* XI. *Quam multis eos seculis præcesserit* Possennus, *et utrum S. Benedicto ipso prior non fuerit, non possumus definire divinando: medium aliquod hic eligimus, quoad aliunde lux affulgeat.*

ætas incerta

DE SANCTO JULIANO

IN MONASTERIO ARENÆ SIVE HAREÆ

Cultus certus ex Martyrologiis, locus et ordo incertus.

G. H.

Memoria in Fastis

Memoria hujus Sancti in variis Martyrologiis recolitur, ac primo in MS. Florario Sanctorum et Martyrologio Coloniæ atque Lubecæ sub annum MCCCCXC *excusa ista leguntur:* In monasterio, quod Arena nuncupatur, Sancti Juliani Confessoris. *Grevenus seu Carthusiani Colonienses in Additionibus ad Usuardum, anno* MDXV *et* MDXXI *editis, hæc duo verba,* Juliani Confessoris *solum habent. Franciscus Maurolycus, Abbas Messanensis, ita illum refert;* Cœnobio Area Juliani Confessoris. *Postea Molanus in suis Additionibus tertio recusis sic exprimit:* In monasterio, *quod* Harea nuncupatur, sancti Juliani Confessoris. *Molanum secuti sunt, Canisius in Martyrologio Germanico, Wion, Dorganius, Menardus in Fastis Benedictinis. Addit Wion,* quando vixerit ignorari. *Utinam vel locum ubi monasterium* Harea, *sive* Area, *aut* Arena *situm sit, inquisivisset et invenisset, ut certius suo Ordini illum vindicaret. Nam Constantinus Ghinius eumdem inseruit Natalibus Sanctorum Canonicorum, verbis ex Molano desumptis. Bucelinus, qui passim Wionem et Menardum sequitur,* Julianum *omisit: merito dubius, cujus Ordinis fuerit. Eumdem inscripsit suo Catalogo Ferrarius; et in Notis* nisi sit Horreum monasterium Trevirense, aut Aria oppidum Artesiæ, *fatetur* se ignorare ubinam gentium sit. *Idem de* Arena *possumus affirmare. Bernardus Saccus lib.* 6 *Historiæ Ticinensis cap.* 8, Est oppidum, *inquit*, Arena juxta Padum infra Ticini oppidum, ubi Padi trajiciendi opportunitas summa adest.

Inquisitio loci.

2 *Est et* Arena S. Petri *prope Genuam latissime distenta, ubi et varia monasteria lustravimus anno* MDCLXII: *sed in defectu Actorum nihil possumus pronuntiare. Saussayus* Haream *in Belgio collocat, et S.* Julianum *facit socium S. Landoaldi, de quibus late egimus* XIX *Martii: a quo cum Molano alium hunc arbitramur.*

DE

DE S. RAMUOLDO ABBATE

ORDINIS S. BENEDICTI

RATISPONÆ IN BAVARIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De vita ab auctore pene coævo scripta, anno obitus et cultu.

D. P.

AN. MI

Vita scripta inter miracula S. Emmerammi,

De S. Emmerammo, *Episcopo Ratisponensi et Martyre, acturis* XXII *Septembris, multa de ipsa civitate, multa de condito sub illius nomine monasterio, dicenda erunt; argumento neutiquam præoccupando nunc, cum solum agendum est de* B. Ramuoldo *agnato S. Wolfgangi Episcopi Ratisponensis: primo istic instituto Abbate, post intervallum circiter sesqui seculi, quo in potestate Episcoporum fuerat Abbatia. De hac interim videatur Wiguleius* B *Hundius in Metropoli Salisburgensi. De illo, sancto scilicet* Emmerammo *seu* Haymeranno, *multi scripserunt: de Miraculis ejus libros duos edidit* Arnolfus ex Comitibus de Cham et Vorburg, Monachus, S. Emmerammi Præpositus et Magister, *sicut eum nominat Henricus Canisius, Tomum 2 Antiquarum Lectionum a Monumentis Sanctum illum spectantibus exordiens, atque secundo loco collocans prædictos duos libros; quorum primus insignem habet locum de* B. Ramuoldo *excæcato et curato; secundus, per modum Dialogi contextus, mortem et miracula ejusdem* Ramuoldi *prosequitur, utpote omnia connexa cum laude ipsius S. Emmerammi.*

unde collecta hic datur.

2 *Utrimque collecta* B. Ramuoldi *Acta hic dabimus, extrita Dialogi forma, inter* Admonitum et Collectitium *decurrentis, solumque servientis ad introducenda parerga moralia ac doctrinalia; quæ nunc quidem satis est apud Canisium legi posse, alias forsitan non omittenda, quando integrum opus dabitur. Exceptis istis, ut forma Historiæ habeatur, initium facient verba Matthei Raderi nostri, tomo primo Bavariæ Sanctæ, Elogium* Ramuoldi *inchoantia; Eorum illud apte concluditur, cum hoc illius Epitaphio, quod, licet non valde antiquum sit, apte tamen hic legetur, tanquam historiæ totius synopsis.* B. Ramuoldus, D. Wolfgangi C patruelis cognatione, amore, pietate, et ordine germanus, vir vita et conversatione integer atque sanctissimus, ex Trevirensi urbe et monasterio S. Maximini a S. Wolfgango evocatus anno DCCCCLXXV, hujus loci Abbas constituitur: ubi in labore et solitudine pastoralis vitæ sedulo desudans, magno se ardore et conatu adversariis opposuit, plurimumque pro libertate monasterii hujus laboravit. Ottoni II, Romano Imperatori semper Augusto, apprime carus, miro Dei judicio biennium cæcus, miraculo Crucifixi ad sepulcrum S. Emmerammi visum recepit: cryptam hanc ad Sanctorum et Posterorum memoriam a fundamentis excitavit etc. Tandem cum XXVI annos, menses V, dies XVI, sanctissime rexisset; febricula correptus anno Domini MI, XV kal. Julii, ætatis suæ C, beato fine quievit, miraculis clarus.

Actorum synopsim continet Epitaphium recentius,

3 *Hæc tempora si recte subducta sunt, fuerit* B. Ramuoldus *Abbas ordinatus ipso anni prænotati exordio, kalendis Januarii, per se satis festivis licet tunc in feriam* VI *hebdomadæ cadentibus, currente littera Dominicali C; ut interim ipsa Christi, tali die crucifixi memoria, præsagium esset earum calamitatum, quarum tolerantia erat Christo configendus cruci: nativitas autem ejus inciderit in annum* DCCCCI, *nescio quousque progressum, quia non eadem accuratione invenitur expressum spatium vitæ qua regiminis. Annum mortis sub Epitaphio vetustiori sic expressum, repræsentat Hundius pag.* 361;

quo datur Abbas factus an. 975,

Signis clarescit pius hic Ramuoldus humatus,
Cœlo fulgescit Cælestibus associatus.
Obiit anno MI. XV kal. Julii.

Arnolfus nec diem nec annum exprimit, sed annum ex eo colligendum reliquit, quod mortem indicet accidisse ante obitum Ottonis III qui contigit anno MII, XXVIII E *Januarii, dum num. XI describit, qua ratione obsequium suum funeri impenderit* Henricus, tunc forte Principatum *Bavariæ* tenens, post paucos vero annos Rex futurus, non solum Germaniæ sive Galliæ, sed etiam Imperator totius Italiæ, atque Augustus Cæsar civitatis Romanæ. *Ordo naturalis verborum exigebat, ut scriberetur* post paucos vero annos, non solum Rex futurus, sed etiam Imperator; *Rex scilicet, anno* MII; *Imperator* MXIV. *Ejusmodi transpositiones verborum in editione Canisii patitur frequenter Arnolfi textus, sive ipse eas affectaverit, sive librariorum induxerit socordia. Sic autem in medio utriusque tituli positum,* Non solum, *tenebras offudit Baronio eo facilius, quod num. 9 legisset* Ramuoldum *in morbum ultimum incidisse* post quinquennium Imperialis exitus, *quod intelligendum esset extra de vita, ubi expresse nominatus additur* de Hratospoli, id est *Ratispona, civitate. Sic hallucinatus, in alias sedulus, Beatum* Ramuoldum *scripsit obiisse, anno* MVII; *se quuntemque mox habuit Ferrarium, in Catalogo Generali eorum Sanctorum qui non sunt in Romano Martyrologio.*

Epitaphium vetustius obitum notat an 1001,

quod confirmat auctor Vitæ,

male intellectus de an 1007

4 *Dorganius Menardus, Bucelinus, prudentius in suis Fastis abstinent se ab anno notando, ipsum interim* Ramuoldum *referunt ut* Beatum: *quamquam autem, ultra hunc titulum, miraculis probatum, aliud nihil suppetit, quo vetus ac præsens cultus distinctius comprobetur: sufficit tamen vel sola Arnulfi auctoritas: quippe qui miracula fundatam per ea ejus cultum ac venerationem publicam sepulcri, per annos circiter* XL *vidisse potuit, scribens tempore Abbatis Udalrici, a* B. Ramuoldo *sexti, anno* MXXXVII *electi, superstitis ei usque ad* XLV *annum istius seculi. Sunt autem in diœcesi Coloniensi, ut intelligo, ac verosimiliter alibi per Germaniam multi appellati* Reinboldi, *qui sui nominis Patronum quærunt, nec inveniunt. His ergo suggero hunc S.* Ramuoldum. *Originaliter enim idem est nomen, ex radicibus Teutonicis significans* In deliberando audacem ac strenuum, *a verbo* Ramen, *deliberare, in consilium venire, et* Bold *vel* bald *quod in compositis sæpe* Wold *et* Wald *redditur ut* Ramboldus, Ramuoldus, Romualdus, *fama inclytus. Sic* Rampertus *et* Rembertus, *idem sunt; Princeps consilii.*

Titulus Beati in fastis monasticis, F

ac nomen idem quod Reinboldus

VITA

A

VITA

Auctore Arnolfo Præposito Monasterii,

In Libris miraculorum S. Emerammi, annis fere XL *post obitum Beati scriptis.*

CAPUT I.

Exordium vitæ ex Raderi Bavaria, biennalis in senio cæcitas, acta cum Ottone III.

Treviris optime institutus

Ramuoldus apud Francones equestri loco natus, anno post virgineum Partum nongentesimo primo, posito litterarum politiorum tirocinio, sacris animum et Litteris et Ordinibus adjecit. Nam ex Ephebis egressus Treviros petiit, Pontificique Trevirensi *a* a sacellis fuit, eo ipso tempore quo S. Wolfgangus, patruelis ejus, Ratisponensem Pontificatum administravit. Erat id ætatis Episcopus provinciæ, simul et Abbas ad S. Emmerammum, sed hactenus, ut nomen duntaxat, non onus ferret, aut munus Abbatis administraret: quo fiebat ut disciplina cœnobii laboraret et grex admodum errabundus pastorem desideraret. Quod diligenter animadvertit S. Wolfgangus, et Treviris Romualdum, cujus emendatissimam vitam *b* accurate didicerat, evocatum, suo nomine monasterio præfecit: ipseque ultro in omne reliquum tempus Præfectis cœnobii suum officium administrandum commendavit, nec ad Episcopatum revocavit. Quod adeo feliciter cessit, ut odore Ramuoldi, quem virtus religiosissimi viri per omnem Bojoariam, Sueviam et Germanicas terras sparsit, tracti haud pauci honesto genere nati, se in ejus disciplinam ad virtutem erudiendos, et opes immortales quærendas, relictis mortalibus, committerent.

B

Ratisbonam accersitur a S. Wolfgango

et S. Emmerammi Abbatiam reformat.

2 Ipse interim ingens cura pauperum, quibus duo domicilia constituit; alterum, quo peregre advenientes exciperet; alterum, quo corpore debilitatos curaret. quibus non solum ad usum vitæ necessaria suffecit, sed ipsemet, ubi usus erat, ultima servorum officia exhibuit. Quibus rebus effecit, ut ad modum S. Tobiæ amisso repente luminum usu, per biennium suam Deo patientiam probaret. *Hactenus Raderus, cujus ultima verba excipiat explicetque Arnolfus, Ammonitio suo, præclara et utilia audiendi cupido, sic respondens:* Fiat, *inquit,* si possibile est, ut a me cursim scribatur, quod a te tantopere desideratur: immo fiat voluntas Dei omnipotentis, ut fragilitas humana, abjectis his quæ vanescunt, velit et valeat *c* [obtinere] quæ vere bona dicuntur et sunt. Illorum siquidem affectionibus valde necessarius ardenter inhians suis temporibus venerabilimus Abbas Ramuoldus, cum ex dono sancti Spiritus, non solum in rebus interioribus, Patrem se spiritualem exhiberet Christi cultoribus, verum etiam in exterioribus dispensator existeret prudentissimus; utpote qui per ornatum ecclesiæ, nec non monasterii necessariam supellectilem, ac multiplicem variarum rerum administrationem, seniles annos quodammodo juvenescere fecerit; et de thesauro sapientiæ nova cum veteribus protulerit; juxta hoc quod tota præsens vita tentationibus est plena, sæpe tentatus et per multa probatus, denuum tam gravem sub vitio pituitæ [vel scotoniæ] incidit tentationem, quo ceteris membris officia sua sat vivide gerentibus, oculorum suorum penitus amiserit lumen.

pauperibus xenodochium et nosocomium extruit.

C

In senio cæcus redditus sed visu privatus,

3 Cujus ad tempus tristem defectum, afflictionis asperitate confectum, quam patienter vir Dei substinuerit, quibusdam personis, in sui præsentia super hac re querentibus etiam et lacrymantibus, verbis hujusmodi patefecit. Cesset homo deflere pro defectivi luminis amissione, qui semper manentis certitudinem habet in spe, ex veridica Salvatoris promissione. Cæci non sumus, qui oculos per fidem jam illuminatos habemus: cæcus autem est et in tenebris manet, qui fidem quæ illuminat minime habet. Unde et ambulantibus in fide valde indignum videtur, usum præsentis luminis magni pendere, quod eis cum muscis ac vilissimis animantibus etiam serpentibus est commune. Ergo libet totis viribus intendere in eum qui dicit: Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ: cui si placuerit, lumen corporis, quod dedit et abstulit, facile reddet ac præsentabit: quod si facere noluerit, absque murmure benedicendus erit; et, ut Rex justitiæ, semper timendus; atque ut pater misericordiarum et totius consolationis, tota mente et tota virtute diligendus.

cum calamitatem patientissime sustinet;

D

Joan. 8

4 His dictis et auditis, non illo quo paulo ante, sed alio genere cœperunt manare lacrymæ, tanto uberiores, quanto utiliores. Recordabantur enim, tam ex Pauli sententia, quam ex probabili viri Dei patientia, in infirmitate virtutem certissime perfici: quod et postea, in venerabili sene, virtus divina, clementer simul et potenter, dignata est declarare. Nam cum ferme biennium, in percussione cæcitatis cæcus vivens, explevisset; quadam nocte discurrens inter altaria, ut ante solebat, frequens *d* venipeta, labori sacro vigilanter insistebat; nec ætati decrepitæ prius parcere volebat, quam per spiritum gratiam Dei adesse cognoscebat. Tum ante sanctam Crucem prostratus, nec non lacrymis et oratione satis humiliatus, corporis fatigatione quasi requiem poscente, soporatus est subito, corpore, non mente. Et ecce imago crucifixi Domini nostri Jesu Christi visa est illi descendere de cruce, et venire usque ad se. Quæ stans coram eo, utraque manu, sicut visum est ei, candelas ardentes, de candelabro super gradus cominus posito, tulit, et in oculos senis violenter infixit.

anno autem ejus secundo

2 Cor. 12

E

d

vidit sibi oculos a Christo feriri;

5 Qui primum, ob Dominicæ descensum *e* iconiæ, non parvum substinens pondus agoniæ, dein per ignem advertens præclarum quid designari, atque per lumen sentiens tenebras fugari; surrexit, lacrymis ac sudore perfusus: et e vestigio convertens oculos in pristinos usus, cœpit simul mirari, simul et altius cum interiori homine scrutari, quid sibi vellet quod post tantum temporis, luminum a multis desperatum receperit usum. Cumque in brevi super hujuscemodi re ratio satisfaceret homini, tunc oris officio conjubilante cum cordis hospitio, magnifice gratias egit Deo, qui servum suum ita dignatus est visitare, ut et in castigatione corporali sibi esset correctio et oculorum ejus revelatione ad sancta vel honesta multorum provocaretur affectio. Cujus rei gratia quo tenacius honorum haberetur in memoria, homo Dei jussit inter cetera miraculorum signa sive indicia, oculares circulos suspendi in ecclesia: quæ B. Emmerammi Martyris corpore sacra dotata et meritis, nec non aliorum patrociniis prædita Sanctorum, cœlesti specula mortalibus demissa, beneficia solet ministrare quam plurima. *Ita libro 1 Arnolfus, cujus liber 2 incipit a Vita et Miraculis S. Wolfgangi, anno* DCCCCXCIII, XXXI *Octobris vita functi, ac deinde progreditur:*

e

eosque illuminatos sentiens,

F

gratias Deo agit.

6 Post obitum Wolfgangi Pontificis, servi Dei cunctipotentis, Ramuoldus, egregiæ memoriæ Abbas, in regimine monasterii seu procuratione cœnobii, per tentationes varias, adversitates perpessus est multas. Quæ in tantum excreverunt, ut sub [primo] *f* Gebehardo, Sedis hujus Episcopo, famulus Dei apud tertium Ottonem Imperatorem, quorumdam detractionibus simul et accusationibus, infamaretur

Post obitum S. Wolfgangi delatus Ottoni 3 Imp.

f

infamaretur. Unde ad id ventum est, quo idem Princeps, credendo quod non credere debuit, de religione viri Dei dubius factus et anceps, dum ad S. Emmerammum more Imperatorum veniret, exacerbatis animis, nec alloqui eum, nec oculos in illum convertere vellet. Cumque ab eo oratum esset in secretario altaris, coram eo qui fecit machinam cœli, terræ ac maris; accessit ad eum *g* Despoton quidam symmysta *h* ejus, nomine Heribertus, tunc forte Capellanus, postea vero Coloniensis Episcopus. Is ex consulto ad eum dixit; Domine, non oportet vos indignari contra virum Dei. Ad hæc Imperator infit; Cum scriptum sit; Principem populi tui ne maledixeris, scio, quia non convenit hominem Dei mihi detrahere sive maledicere, præsertim, cum et ego illi nihil unquam fecerim, quod sit dignum maledictione. Tunc Dominus *i* Heribertus, bonus et fidelis consiliarius, respondit: Si principatus imperii gestit, sicut et debet, prosperari; decet in præsentia vestra, venerandum Abbatem, coram sancta congregatione, super hac re interrogari; et ita, utrum vera an falsa sint, quæ illi objiciuntur, probari. Credo in Deum et spero, quod tam venerabilem senem, et senectutis maturitas, ac divinitus concessa sapientia et humilitas, nunquam permiserint dixisse, qualia ab inimicis dicta sunt de eo vel ficta.

g h quasi de eo male locutus;

Eccl. 23. Actor. 23.

S. Heriberto intercedente,

Tum Imperator remittens animum, ad divinæ dispensationis nutum, secum assumptis dilectoribus *k* pacis, intravit claustrum humilis et mitis. Ibi videns venerabilem Patrem cum Fratribus humotenus prostratum, expavit et dixit, Grande malum fecit mihi, qui ex legatione Gebehardi Episcopi et referendo indidit auribus meis, quibus me improvidum commoveret adversus Abbatem istum, et sibi commissum Sanctorum collegium. Scio quidem, quod vitæ meæ parva non est agenda pœnitentia, pro ista falsitatis credulitate incauta. Nunc ergo, quia peccata mea nudaverunt vestigia vestra, obsecro, recalciate vos, et sic redite ad nos. Quo celeriter facto, cum Fratribus venerabilis heros Ramuoldus regressus, fiducialiter locutus est ad Principem dicens, Novimus quippe, quia quod habetis imperium, desuper est datum atque constitutum; et quia, cui Deus benedixerit, benedictus sit. Hujus quoque rei, quia per totum non fuimus insipidi, imo aliquatenus sumus ex parte scioli, unde parvitati meæ tanta temeritas, ut ego vilis homulus mensuram meam penitus oblitus, auderem Celsitudini vestræ maledicere, quam Rex regum et Dominus dominorum jam dignam fecit sua benedictione? Quocumque ergo judicio majestati vestræ placuerit, paratus sum me ex objecto purgare, nec non cunctis adstipulatione veritatis pro hac re satisfacere. Imperator autem responsum deliberans hujusmodi verba proponit: Sicut veritate delectamur, ita e contrario falsiloquiis exacerbamur, unde judicium Dei censemus superaltandum judicio mortalium, qui facile fallunt et falluntur. Malo quidem credere bona de bonis, quam mala de perversis. Nec enim quemquam decet temere quidquam credere a quoquam. Unde et verbotenus tu ipte prolata objecti excusatio, est mihi a tanto viro permagna satisfactio; qua modo æque ut alterius generis evidenti placatus judicio, senior o dilecte Deo, spiritali allocutione pariter et admonitione tui in aliquo [secreto] loco, cupio [conveniri seu] consolari; et onus regni, quod indignus accepi, desidero per eum relevari, qui dicit in Isaia Propheta, Computrescit jugum a facie olei *l*.

k ipsi se purgat;

l et coram se humiliatum absolvit,

8 Imperator igitur gloriosus, prænominatus et sæpe nominandus Otto III, in multis religiosus, cum Abbate venerando intravit ecclesiam sancti Benedicti, ad famulitia divina multipliciter addicti. Qua oppido humiliatus, et per Confessionis medicinam consternatus, inter duo altaria sub specie geminæ dilectionis constituta, ac in honore ejusdem venerabilium Patris et præclari Martyris Christi Kiliani consecrata, jussus a spiritali patre, velut servulus, vilissimus, in humili tripedica coram eo sedit, humilitate comitatus optima matre. Ibi audivit multa quæ solent opera destruere stulta, nec non alia plura, quæ corda stolidorum accipere abnuunt cervice prædura. Demum per conversationem alter factus, et per admonitionem hominis Dei intime tactus, gratiam Dei sibi adesse sensit, quæ compunctionem largissimam illi contulit, qua exterior homo interiori homini [non solum] subtilissime concordavit [sed etiam utilissime]. Cumque hac fragilitati humanæ in id temporis satisfaceret, foras egressus, ad suos dixit: Vere Spiritus sanctus locutus est per os viri istius: hodie in sermone illius probavi, verum esse illud Salomonis: Verba sapientum quasi clavi in altum defixi. Mandatum quippe divinum certissime [suis observatoribus] reddit liberum animum. Cumque Cæsarem diligenter intuerentur ejus familiares, admirati sunt super immutatione vultus ejus dicentes: Domine, quid tibi contigit, quod adeo perfusus es lachrymis et sudore? Quibus ille respondit, Nolite mirari, quod sim udus ex sudore, sed quia vivo præ timore. Nunquam me contingit talem quæstionem incidere, nisi pro animæ meæ salute. In isto sancto seniore comperi manifeste, quantus honor debeat exhiberi servis electis Dei. Post hæc jussit Episcopum Ratisbonensem ad se accersiri. Et stans ante altare S. Emmerammi, sub interminatione ad eum dixit. Cave ne ultra, me vivente, quidquam mali facias Abbati hujus Cœnobii et Fratribus *n*, Deo Sanctoque Emmerammo hic famulantibus. Sint tibi tua ad Episcopatum jure pertinentia; Monachorum bona maneant illis vallata, sub omnium bonorum tutela. Quacumque ergo die prævaricatus fueris in his, quæ præsens hic usisti auribus tuis, procul dubio scito, sive divinitus sive humanitus, pro malo tanti piaculi tecum duriter ac acerbiter actitatum iri. Dein conversus Imperator ad Abbatem et Fratres, pietate solita valedicens illis, ait; Interius et exterius vos ita conservare dignetur misericors Dominus, ut in orationibus vestris non solum possitis memores esse nostri, sed et totius populi Christiani. Quo dicto, psalmis et canticis Domino commendatus piissimus Augustus, ex more præcedente sancta et Cruciferá *o* Imperiali Lancea, exivit de civitate ista, petiturus Italiam, nec non aditurus potentissimam urbem Romanam, quam quidam vocitare solent mundi dominam vel rerum maximam *p*.

EX CANISIO

Eccl. 12

cum admiratione aulicorum,

n et Episcopum monet, ne Monachos vexet

o

p

ANNOTATA D. P.

a *Raderus* Henricum *nominat: sed hic primum Pontifex Treviris factus fuit anno* 956, *cum* Ramuoldus, *qui annos vitæ cum seculo numerabat, jam senex esset: idem etiam* Henricus *obiit quidem anno* 964, *id est biennio postquam S. Wolfgangus administrare cœperat Pontificatum Ratisponensem, sed tamen multo citius quam is ordinaretur Episcopus; hoc enim solum factum est an.* 975, *et tunc primum potuit idem cogitare efficaciter de dando proprio Abbate S. Emmerammi monasterio. Hunc autem quis credat, non etiam ex monasterio aliquo assumptum: et quo autem? Bucelinus tom. 2. pag.* 230 *monasterium S. Maximini nominat, ubi ad nomen Abbatis Oggonis II an.* 983 *electi, scribit, quod* sub hoc vixit S. Romualdus (*ita* Ramuoldi *nomen invertunt recentiores aliqui; nam (ut dixi) idem utriusque est etymon sed hic quando is Abbas eligebatur jam decimum annum vivebat Ratisponæ Abbas. Ego Raderi*

Ex Canisio. Prima B. Ramuoldi Vita chronice ordinata

Raderi textum per conjecturam sic supplerem : Ex ephebis egressus, Treviros petiit circa annum DCCCCXX; ibique Amalario Fortunato, magni Alcuini discipulo, viro erudito pariter ac sancto, se junxit, eique et successori Hattingo annis aliquot a sacellis fuit: tum seculo renuntians, Monachum ad S. Maximini induit, sub Oggone primo, circa annum DCCCCXXX strenuo ipsius monasterii instauratore ac reformatore; et procedente ætate, ibidem vel juniorum studia Magister rexit, vel Monachorum disciplinæ Præpositus, vel utrumque munus successive obiit, et tenuit usque ad provectam ultra septuagesimum annum ætatem, eo ipso tempore quo S. Wolfgangus etc. *Interea ad S. Maximini post Oggonem I Abbates nume antur*, Willelmus *usque ad an.* 957, *et* Wikerus *usque ad* 966, Asolphus *deinde et Thietfridus* : sub Wikero *autem ait Bucelinus*, ad S. Maximum Monachum egit S. Adalbertus, Weisenburgensis postea Abbas, et Otthonis Magni studio Archiepiscopus Magdeburgensis, Magnus Ruthenorum Apostolus. *Novimus* Adelbertum *seu* Albertum, *anno* 971 primum Archiepiscopum Magdeburgensem : *qui cum hic dicitur* sanctus *et* Ruthenorum Apostolus, *vereor ne id fiat per confusionem cum* S. Adelberto Pruthenorum Apostolo et *glorioso* Martyre *sub annum* 997, *qui Magdeburgi quidem studuit, sed Pragæ in patria sua Episcopus fuit; Monachus autem, deposito ad tempus Episcopatu, Romæ. Quod autem Magdeburgensis Archiepiscopus Albertus fuerit apud Treviros Monachus, et postea Weissenburgi Abbas, nondum reperi unde probem; nondum* sancti titulum *vel aliquem ejus cultus.*

Albertus Archiep. Magdeburg. distinguendus a S. Adalberto

b *Utique in vita et disciplina monastica, alias parum aptus fuisset utrique in Monasterio Ratisponensi restaurando.*

c *Raderus in margine notat ; hæc aliaque deinceps* [ ] *intercludenda, et a se diverso charactere sub asterisco * expressa, legi alia* littera ad marginem. *Verosimiliter ex collatione facta cum alio MS.*

d Venia *Monachis dicitur, inclinatio corporis, per quam venia petitur : hinc compositum* Venipeta *pro supplice.*

e Iconia, *pro icone, frequens isto ævo.*

f *Recte additur* Primo : *tres enim hujus nominis consequenter fuerunt : quorum prior ab anno* 994 *usque ad* 1023 ; *secundus, ad* 1036 ; *Tertius, ad* 1056.

g *Melius scripsisset* Despoten, *id est* Dominum.

h Symmystam, *pro secretario seu secretorum conscio dici, jam alias observavi : hic autem proprie significat Imperialem* Cancellarium, *qualis anno* 997 *erat.*

i S. Heribertus, *factus* Coloniensis Archiepiscopus *an.* 999, *sicut ostendimus ad ejus diem* 16 *Martii.*

k *Alias, paucis.*

l *Hic Ammonitius interloquitur, et Monachum ac Sanctimonialem negligentem notans plurimum exaggerat, quod ipsorum superbia non ferat admonitionem superiorum, patienter fert secularis Princeps.*

m *S. Gregorius eadem voce utitur, lib.* 2 *Dial. cap.* 30 : *itaque etiam Zacharias PP.* Τριπόδιον *vertit, alii minus recte* Trepedicam *et* Trepudicam *scribunt : inveniuntur etiam* Trepodiæ, Tripediæ, *et* Tripetiæ *ejusdem significati omnia, de quibus vide Cangium.*

n *Conabatur verosimiliter hic Episcopus, Abbatiam, a suo decessore emancipatam, vel subjugare sibi iterum; vel saltem libertatem, suo judicio nimis amplam, restringere.*

o *De hac* lancea, *quam alii* Constantini, *alii* S. Mauricii *vocant, pluribus agit Cangius in Gloss. et quomodo a Rege Burgundiæ Arnulpho, ad Conradum Imperatorem pervenerit, deinceps inter Imperii insignia numerata. Describit eam Albertus staden. ad an.* 922, quæ excepta ceterarum specie lancearum... juxta medium spinam habuit, utrobique quasi fenestratam, et in media spina crucem ex clavis Domini.

p *Hic iterum Ammonitius occasionem Auctori præbet disserendi de civitate Dei et civitate diaboli, secundum Augustinum.*

CAPUT II.

Cap. 2. Extremus B. Ramuoldi morbus, Obitus, Sepultura a S. Henrico curata, Miracula.

Post quinquennium quoque *a* Imperialis exitus de civitate Hiatospolitana *b*, cujus nos incolæ sumus, languore diuturno B. Abbas Ramuoldus, viribus corporis cœpit destitui, spiritaliter gaudens interiorem hominem per hanc infirmitatem institui, secundum Apostolum videlicet dicentem ; Quando infirmor, tunc fortior sum et potens. Hac quidem carnis infirmitate perductus est ad novissimam præsentis vitæ lucem. Qua die venerabilis heros, erigens se de lectulo, quem jam per continuos quatuordecim dies præ valetudine non poterat deserere, tunica sancti propositi amictus, et per spiritalem medicinam aliquantisper de febre relevatus : oratorio accepto, et agmine Fratrum collecto, resedit in medio ; ac potenti sermone usus est, in hunc modum ; Deus Pater magna dilectione atque magno consilio, misit Unigenitum suum, ad salvificandum genus humanum: unde et per Prophetam, magni consilii Angelus est prænominatus. Qui cum per divinam potentiam nos posset eripere de potestate diaboli ; noluit ea per nutum uti ad redemptionem generis humani, ob justitiam scilicet sanctæ Trinitati maxime propriam ; sed ineffabili sua misericordia hominem, quem cum anima suscepit incarnatus de Virgine, obtulit Patri, suspensus in cruce ; Deo reconcilians mundum, per sacro-sanctum sanguinem suum ; hunc etiam in forma humilitatis opponens hosti antiquo, quem ille se jactabat superasse nequissimo superbiæ homicidio. Christus etenim in ligno crucis, usque ad mortem factus est obediens voluntati Patris ; cujus pretiosissima obedientia, medicata est primi hominis vulnifica inobedientia. Hanc virtutem, fratres, obedientiam, qua Christus patravit humanæ redemptionis elegantem continentiam, summa devotione diligite, sectamini, amate. Sanctam Trinitatem, quæ nos condidit ad imaginem et similitudinem suam, intellectu, memoria, et voluntate, diligentissima timoris et amoris veneratione laudate. Æmulamini igitur mente devota, secundum Apostolum, majora charismata ; et illud Salomonicum corde tenus ruminate : Deum time, et mandata ejus observa : hoc est omnis homo. En ego ætate decrepitus, in fide quoque catholicus, et (ut verum fatear) in virtute, quæ huic fidei suppeditari debet, permodicus, die vocationis instante, viam ingredior universæ carnis ; sperans me venturum ad gaudia patriæ cœlestis, per eum, qui est liberator mirabilis, in miserationibus suis multis. Vos autem, in Christo viscera mea, hunc Patrem diligite, cujus paternitas in numero filiorum Dei cum corporibus collocare potest animas vestras : Et hoc vobis futurorum signum, quamvis prolatum per me indignum, quia in loco isto multa passuri estis adversa post discessum meum ; quibus in tantum exacerbabimini, ut etiam loco cedere compellamini *c*. Verum tantæ tempestatis commotio cito sedabitur divino solatio : unde consilium do, ut unusquisque vestrum festinet huc reverti in professionis locum, ubi [assiduo audiat vel] exerceat harmoniam spiritualium vocum. De cetero

An. 1001 extreme infirmatus,

2 Cor. 12.

Is. 9.

obedientiam commendat Fratribus ;

Eccl. 12.

et dispergendos cito prænuntiat,

Matth. 10

cetero vero in hoc nunc conclusionem fraternæ admonitionis finem facio, quo ita calliditatem serpentis, quæ minor est inter virtutes, habere studeatis; ne auream humilitatem columbinæ simplicitatis, quæ major est, per incautelam amittatis: sed omnimodis hoc assumatis, quod Christus in Evangelio suo discipulis præcepit dicens; Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.

ac valedicit:

10 Tum summa humilitate inter Abbatem et Fratres, alterna facta Confessione, nec non e cœlis petita seu imprecata pernecessaria peccatorum indulgentia, intimis quasi cœlum tangens suspiriis, venerabilis heros, primum summo Pastori commendat gregem sibi commissum; dein Fratribus, jam præ lacrymis ac singultibus vix fari valentibus, valedicens ait; Abite, Fratres carissimi, et præparate vos ad celebrandum divinum Officium, atque summa festinantia concurrite ad complendum ex more ordinem sacrum; et hoc ultimum senis memoriale pro benedictione habetote; In nomine Domini, salus omnium nostri. Cumque omnes communiter dicerent, Amen, atque exirent mœsti, a sancto (Spiritu vere) paraclyto quæsituri solamen; vir Dei per spiritum præsentiens animam de corpore celeriter dissolvi, jussit se ab his qui aderant, in oratorium cellæ suæ proximum portari, et inter duo altaria deponi: conversus quidem caput ad aram sancti Patris Benedicti, pedes vero ad altare S. Kiliani Martyris Christi: in cujus nomine utpote in omnium salutis omine, spem suam ponens firmissime, præcepit ibi Missas celebrari, et dominicæ Passionis memoriam intentissime agi. Qua peracta, cum ventum esset ad Communionem, ipse vir Dei, ut accepit corporis et sanguinis dominici Eucharistiam, mox ad æternam patriam ex ergastulo carnis emisit animam; ita in agone novissimo manus extentas juxta caput tenens, ut ante in oratione facere solebat. Tunc religiosi seniores, Gotahardus *d* scilicet Abbas monasterii Altahensis, atque Adalpertus Pater Cœnobii *e* Sewensis, cum Fratribus ceteris accurrentes, Deoque hymnos ac laudes devota mente solventes, spiritum pii Patris cum orationibus commendare satagebant omnipotentis gratiæ miserationibus. Quibus rite officioseque finitis, hi quorum corda præ ceteris visitare dignata est inspiratio divina, vocem cum fide attollentes dixerunt: Domine uti speramus, iste tuus homo haud nequidquam in præsenti seculo consummavit tot annos vitæ suæ concessos, quem hodie centenarium per vocationem tuam magis miramur, quam dolemus de medio exemptum.

et in ecclesiam delatus centenarius moritur sub Missam;

11 Fama evolitante virum Dei oppetiisse, ex industria credentium apud Deum illum vixisse, in id rata ministratio rerum processit, ut sub festinatione, ad exequias tanti patris, concurreretur a multis, cum summa devotione cordis. Inter quos erat Henricus Hypatos *f*, tunc forte principatum tenens super populos Noricos (et Karinthios) post paucos vero annos Rex futurus non solum Germaniæ sive Galliæ, sed etiam Imperator totius Italiæ, atque Augustus Cæsar civitatis Romanæ. Is assumpto secum Gebehardo Episcopo, qui antea sancto viro ex parte contrarius fuit, sed tum, teste lacrymarum fonte, immutatus mente advenit, servo Dei in sepultura humiliter obsequendo, se servum præbuit summe humili Dominorum Domino. Nam in unum congregatis, et ad funus pii Abbatis officiose concinentibus pene omnibus, Ratisponæ Deo servientibus ipse Princeps propriis humeris non erubuit feretrum portare, nec non accuratius sepulturam parare. Demum introivit fossam sepulcri, et ipse clausit arcam, quæ jam suscepit corpus viri Dei; ac sibi claviculam ejusdem arcæ pro pignore carissimo elegit; et nihilominus postea in fascibus constitutus regni, eandem semper secum velut insigne triumphi reservavit sive retinuit *g*.

[...] Henrico, tunc [...] Bavariæ Duce,

ac clavem arcæ sibi servanti,

ex causis g in crypta quam advectis Treviren. Reliquiis dedicarat,

12 Nihil in terris fit sine causa: quod in Sanctorum gestis potissimum debet notari, et verissime potest probari. Nam quod beatissimus Abbas Ramuoldus ad tempus compulsus est Ratisbonense Cœnobium deserere, ac Trevirense repetere, causa extitit civile bellum, quod *h* erat inter Henricum Ducem et Perchtolfum Marchicomitem, atque inter ceteros optimates Principis Ottonis (tum civitatem Ratisbonensem obsidentis). Quo sedato et quasi innuente beato Emmerammo, (per loci sui provisorem repedatum iri) senior venerandus a Treverica civitate Hiatospolim est reversus; inde secum transferens multas Sanctorum Reliquias. Harum quoque salutaris allatio extitit causa cryptæ apud S. Emmerammum ædificatæ: Cujus ædificatio per virum Dei satis artificiose ordinata, trifariam nec non quadrifariam speciem intuentibus exhibet: Et quia hujus operis auctor sanctam dilexerit Trinitatem, atque quatuor Evangeliorum firmiter tenuerit fidem, quasi quodam testimonio credibile perhibet. Columnæ vero, quæ eandem crypticam ecclesiam sustentant, dualitate sua geminam dilectionem, Dei scilicet et proximi, pulcherrime compingunt. Quinque autem altaria, in quibus totidem pyxide collocatæ cum reliquiis, quas prænominatus heros de Lotharingia transtulit, quinque librorum Moysi principalem observantiam, in memoria monent teneri, et in quinque sensibus corporis hortantur quinariam prudentiam semper haberi. Sextum quidem altare, quod dicitur Ad pedes, senarii perfectione denuntiat omnia concludi. In has ergo tam typifera Basilica, a B. Wolfgango in honore sanctæ et individuæ Trinitatis et omnium Sanctorum dedicata, Venerabillimus pater Ramuoldus, in sepulcro, quod sibi ante quindecim annos jam paraverat, in Australi latere ejusdem cryptæ, secus altare B. Gregorii Papæ est depositus, atque magnifice sepultus; astante pariter et psallente Clericorum ordine, et nihilominus concinente Monachorum grege, nec non Virginum sive Sanctimonialium trina concione, animam tanti patris summo Patri commendante.

sepelitur.

13 Post hæc quidam homo venit ad S. Emmerammum, petiturus suffragia Sanctorum. Is quia erat dæmone possessus, coram omnibus nimium est fatigatus. Tunc Fratres, qualem Patrem noviter sepelissent recordantes, fecerunt hominem duci imo trahi in cryptam, viri Dei corpore dotatam. Ubi diu volutatus et a possessore [plus quam male discerptus] cœpit [stridere et cum fremitu] clamare, nec non cum conviciis [maledicendo] perstrepere dicens: Væ tibi *i* Ramtolt, quia domino meo multa mala fecisti, et per te sui juris multum perdidit: ob hoc etiam die noctuque laborasti, ut illi injuriam faceres, et Deo tuo quoscumque posses colligeres. Ah! super hæc omnia modo me incendis, et magnam vim ingeris. Cumque sub hujuscemodi angoribus dæmon caput miseri hominis pavimento tam valide imprimeret, ut eum pene mortem obire compelleret; accurrentes qui aderant, levaverunt eum, et traxerunt ad tumbam confessoris Christi. Ibique ut illum viribus diaboli periculose renitentem vix compulerunt caput inclinare, ac super sepulcrum ponere, gratia Dei liberatus est. Quo signo lætificati, qui per compassionem prius erant mœstificati, gratias redemptori retulerunt magnificas; non tantum pro hoc, quia homo a potestate diaboli est ereptus, quantum pro eo, quod per præsens magnale revelatum est, cujus meriti sit Pater, qui inibi nuper sepultus fuerit.

Ibi curatur energumenus,

14 More solito peregrinis et civibus ad festivitatem

EX CANISIO.

Illuminatur cæca, semel

tem S. Emmerammi undique confluentibus, inter ceteros qui accurrerant, muliercula quædam, oculorum privata lumine, advenit; quæ tempore nocturno felicem cryptam intravit, et ad sepulcrum Confessoris Christi Ramuoldi adoravit, ac preces cum lacrymis fudit. Tunc omnipotens Dominus, volens famulum suum clarificare inter mortales, per ineffabile numen, illi quæ cæca fuerat reddidit lumen. Mulier autem surgens vocavit maritum suum, in aurem illi dicens, Domine, Deo gratias; quia visum recepi. Quo non credente, et illa e contrario certa signa monstrante, infit, Silentio factum opprimere debes; quia clanculum tibi et mihi agendum, ut ante lucem egrediamur de civitate; Clericus enim sum, et ideo erubesco in tanta multitudine tecum consistere. Cumque tenebrarum consilio consentiens fœmina recenter illuminata, cum Clerico sine cautela repedaret ad propria, extemplo per incommodum, sibi valde aliena est cæcitate percussa. Sed Redemptoris nostri gratia, remediorum nescit carere copia. In cujus plenitudine confisa mulier prædicta, sub spe luminis percipiendi iterum Ratisbonam devenit: et accedens ad locum sepulcri, ubi antea magna sensit beneficia, per Confessionem primum se coram Sacerdotibus expiavit, et quid illi acciderit, manifeste retulit; dein solo tenus prostrata, et nihilominus mente humiliata, nec non precibus Deo dilecti Confessoris celeriter adjuta, per fontem omnium bonorum recipere meruit male perditum lumen oculorum. Tunc gratias ingentes Deo retulerunt, tam ipsa quam et ceteri, qui hæc audierant et viderant; sicque proprios lares unusquisque cum gaudio revisit, portans secum triplex miraculum, quo sancta Trinitas dignata est declarare, pium Abbatem Ramuoldum, suum fuisse fidelissimum famulum, utpote qui se verum dilexit Dominum.

iterumque,

atque energumenæ duæ mundatur

15 Alio quoque tempore, fama miraculorum citatæ, venerunt duæ feminæ ad S. Emmerammum, ambæ diabolica vexatione permiseræ; quarum emundationem seu liberationem divina pietate, a Sanctorum caritate, venerando patri Ramuoldo concessam fuisse, in hoc claruit evidentissime; quod eædem mulierculæ [prius ad memorias aliorum Sanctorum adductæ nec redemptæ, post vero non una eademque sed] diverso tempore famosam cryptam ingressæ, et ad sepulcrum beati viri exorcizatæ, per unum eumdemque dominum a pessimo invasore sunt misericorditer liberatæ. Hujus rei testimonium perhibere solent Fratres congregationis nostræ fideles, qui tunc forte aderant, et quod est mirabile dictu, viderant spiritum immundum de una femina exisse per nebulosam fœditatem, de alia vero per scarabæi teterrimam deformitatem. Tempore quodam cum a Christicolis hominibus, non solum de ipsa Ratisbonensium civitate, sed ex ejusdem suburbanis locis, concurreretur ad ecclesiam S. Emmerammi Martyris; in ceteris qui convenerant, mulier quædam accessit, cum pignore miraculi recentis. Adhæsit enim illius manui fusus, filorum tortione confertus: quem cum nullatenus e vola divellere, nec ullo modo tam grande malum a se quiret repellere; anxia demum venit ad sepulcrum venerabilium Patris Ramuoldi. Ubi cum adoraret, atque cum lacrymis preces funderet, ut primum posuit sub spe salutis, manum tremulam super beati viri tumbam, mox per potentiam dominicæ manus, suam inde levavit sanam. Tunc qui fortuitu huic facto intererant, nec non æditui qui accurrerant, gratias agentes Deo et beato viro, suspenderunt eumdem fusum, posteris ad magnale ostendendum, in coronula, quæ super idem sepulcrum pendebat, argentea. Hoc signum ipsi nos vidimus, et manibus nostris palpavimus, et scimus quia verum est nostrum hac in parte testimonium; ac non ignoramus, quia per hoc recens miraculum, sicut et per cætera sanationum beneficia, cunctipotens Dominus mirificare voluit Sanctum suum.

Manus contracta rectificatur,

Auctor ipse puer liberatur a febri.

16 Primum autem sciri volo quia sanitatis beneficia, quæ paulo ante prænotavi, ad sepulcrum beati Ramuoldi Christi Confessoris, expertus sum in absumptione propriæ infirmitatis. Nam cum puer essem, et in loco requitionis beati viri perplures sanitati redditos audissem, febre nimium affectus, et ob hujus relevationem in pavimento projectus; Persuasus consilio cujusdam Sacerdotis, qui ejusdem pii Patris dum vixerat extitit familiaris, tentavi me ibidem somno dare. Cumque aliquantisper soporatus fuissem, per somnum vidi patrem Reverendum, habitu monastico indutum, quasi sedere a dextris altaris beati Emmerammi Martyris. Cujus venerandam canitiem intuitus, mirabar super pulchritudine vultus ejus, nec non super candore cœterorum membrorum illius. Qua visione valde lætificatus, qui antea fui fatigatus, surrexi sanus, Deo gratias referens, quia sensi levamen salutiferæ manus.

ANNOTATA D. P.

a *Ottho III transgressus fuerat Alpes an.* 996 : *hic igitur notatur annus* 1001, *non* 1007, *ut male Baronius, exitum Otthonis de vita intelligens.*

b Ratisbona, *unde vulgo Latinorum dicta sit, non constat: fortassis a conditore seu possessore Rathone aliquo cujus nominis sanctum comitem in Bavaria dabimus* 19 *hujus et, si ex præsenti statu liceret ad præterita argutari, possem* Ratsbonne, *vicum Concilii seu comitii Imperialis interpretari. Germanice interim dicitur,* Regenspurg *a flumine* Regen, *istic in Danubium influente, unde et* Castra Regina, *antiquis et* Reginoburgum: *quia autem* Regen *Germanis etiam pluviam sonat, hinc Græca et Semigræca nomina, huic auctori usurpata,* Hyatopolis, *et* Imbripolis.

c *Harum vexationum initium aliquod præbet Hundius, cum B. Ramuoldi successorem Wolfgangum injuste depositum ait, pag.* 369 *cum rexisset annos* 5, *mensem* 1, *diem* 1, *et obiisse anno* 1006.

d *Hic est* S. Godehardus, *ab an.* 1022 *Episcopus Hildeshemensis, cujus Acta illustravimus* 4 *Maji: præfuit Abbas Monasterio Inferioris* Altaich, *quod distat leucis* 18 *ab urbe (nam ad eumdem Danubium ejusdem nominis aliud est superius ad* 10 *solum leucas) præfuit inquam Abbas ab an.* 998 *usque ad an.* 1005, *quando translatus est ad regendam Hersfeldensem in Saxonia Abbatiam.*

e *Existimo esse monasterium,* Mansee, *Areatino et Hundio nuncupatum, quod ab Episcopis Ratisponensibus diu possessum, S. Henricus Ordini Benedictino tradidit: cujus, hic Adelpertus, nobis alias ignotus, primus Abbas extiterit.*

f Ὕπατος *Græce contractum pro* ὑπέρτατος *supremus Latine* Consul: *quo titulo Latino sæpe medii ævi scriptores utuntur, pro* Ducis *ac* Comitis *titulis. Erat autem Bavariæ Comes seu Dux* S. Henricus, *priusquam eligeretur Rex anno mox sequenti.*

g *Hic interpellans Ammonitius*; Raro, *inquit,* factum audivi, ut quis sepulturæ traditus, in arca clauderetur seris munita; *sed nihil apte respondet Collectitius; nisi quod videatur indicare quod* B. Ramuoldus sarcofago lapideo jussit scrinium immitti ligneum.. ea videlicet spe, ut quem ipse, dum vixerat, de eodem scrinio, in pauperum grege, solebat pascere et vestire, non dedignaretur se in numero electorum resuscitare.

h *Bellum hoc videtur spectasse ad an. circiter* 982 *vel* 3. *siquidem post suum a fuga reditum,* 15 *et amplius annis vixisse* Ramuoldus, *mox intelligetur ex*

tempore

tempore sepulchri constituti in crypta, post reditum ædificata. Rodulfus ea de re sic scribit : Inter hæc exorta gravi procella tempestatis, ruptisque pacis vinculis, in mutua arma ab Henrico Bojorum Regulo *S. Henrici patre*, et Bertholdo Palatino ac Imperatore Otthone itum ; obsessaque regia Bojorum Ratispona, Wolfgangus jam ante in rupes Salisburgenses clam recesserat, Ramuoldus quoque Treviros ad S. Maximinum redierat, quoad Mars detonaret.

i *An forte unius litteræ mutatione ridiculum facere nomen dæmon voluerit, an vero pro* W *obrepserit Typographis littera* T, *non divino.*

k *Impressum* Sanus, *quæ mutatio generis feminini in masculinum, non videtur Auctori imputanda, licet præcedat vox* homo.

l *Postulante Ammonicio, sequitur enumeratio Abbatum successorum, hoc modo :* Igitur post Rev. Patrem Ramuoldum, magnæ scilicet memoriæ virum, regimen hujus monasterii suscepit Abbas Wolframmus *(Hundius* Wolfgangum *nominat)* et ipse in mansuetudine cæterisque virtutibus Dei servus. Hic habuit successorem *(an.* 1006, ex Collegio Fratrum electum, nomine Rithboldum. Huic successit *(an.* 1028) Dominus Hartwicus, magnæ virtutis amicus, qui sponte deserens Præsulatum cœnobii *(an.* 1030 reliquit Abbatiam Domino Burchardo regendam. Quo defuncto *(ad an.* 1037) divina, uti speramus, providentia necessitatibus nostris destinavit virum, venerabilem pariter et amabilem Dominum Udalricum, prius in canonica vita plurigena probitate probatum, nunc autem regulariter et monastice huic Congregationi prælatum. Beatus ergo Ramuoldus.... primus provisor hujus loci secundum Regulam existens, hunc, qui modo nobiscum regimen cœnobii ministrat, a se numero sextum, merito demonstrat secundum. Sub quo nobis optamus, ut liceat senarium Sacramentum diu celebrare, nec non divina confessione cetera studia verbo et opere exercere.

Ex Canisio

DE S. RAYNERIO SOLITARIO

PISIS IN HETRURIA

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De ejus cultu, Vita et Miraculis a familiari scriptis; illius compendio; et an ab hoc alius Messanæ.

An. MCX.

Pisis defunctus,

Martyrologii Romani tabulæ, Gregorii XIII *jussu et auctoritate recognitæ auctæque, præeunte in secunda suarum ad Usuardum additionum editione Molano, diem hunc* XVII *Junii, his verbis concludunt:* Pisis in Tuscia, S. Raynerii Confessoris. *Ibi siquidem, plurimis clarus miraculis, per septennium a suo de Terra sancta reditu, extremum diem clausit; anno quidem (ut Molanus notat ex eoque Baronius* MCLXI, *sed stylo Pisanorum, novem mensibus annos communes prævenientium, adeoque nobis* MCLX *; quod et probat dies* XVII *mensis, concurrens cum Feria* VI, *prout accidit eo moriente, cum curreret tali mense et anno bissextili littera Dominicalis* B. *Fuit autem iste Sanctus, in ecclesia Cathedrali, statim a morte, conditus in arca marmorea, a Consulibus civitatis oblata : cui infusa aqua, et certo ritu benedicta, non minorem mox operata est miraculosarum gratiarum multitudinem, atque antea recipiebantur per eum, quam vivus solebat benedicere, unde et cognomentum obtinuit, ut vivus mortuusque diceretur* S. Raynerius ab *vel* de Aqua. *Eodem primo a morte anno Pisis institutum fuit, et festum ageretur summum, cum Vigilia, a jejuno populo peragenda, die præcedenti.*

colitur ut sanctus.

multiplicatis statim miraculis id probantibus,

2 *Ita testatur, qui Vitam tunc scripsit, ac paulo post viventis mortuique miracula* Fr. Benincasa, *Metropolitanæ Pisis ecclesiæ (uti apparet) Canonicus. Et vitam quidem, qualem suis ipse oculis vidit, vel* ab ejus ore audivit, *utpote* Discipulus, quem præ ceteris arctius amabat B. Raynerius, *hoc enim titulo ipse se designat num.* 158*) Miracula vero, sicut ad Sancti tumbam detulerunt plerique, et ideo absque ordine temporis, ad calcem professus, ea solum collegisse,* quæ a Domino facta sunt, primo ad Deum migrationis suæ anno : reliqua vero, *inquit,* quia innumera erant, de omni terrarum orbe renuntiata nobis, pro intolerabili et inexplendo opere supersedimus scribere. *Insigne istud seculi* XII *monumentum hactenus delituit in pervetustis membranis, asservatis apud Monachos S. Silvestri : ex quibus Membranis, etiam dedimus ad* XXIX *Maji Vitam B. Gerardescæ Pisanæ ; utramque Vitam describendam curante Illustrissimo Equite Francisco Maria Ceffinio, Jurisconsulto, primæque in Pisano Lycæo cathedræ Professore, ad hanc operam nobis commodandam circa annum* MDCLXIII *stimulato, per suum in eodem Lycæo collegam Valerium Chimentellum, Juris æque Professorem.*

... cum Vita ... ex Ms.

3 *Biennio tamen antea, insigne illius Vitæ compendium descripserat manu sua Henschenius, ex Cod.* 773 *Monasterii S. Crucis Florentiæ : quod, ad summariam tanti Sancti notitiam prælibandam, hic juvat inserere, sicuti ipsius habemus sub hoc titulo,* De venerabili viro Raynerio Pisano. *Id ego compendium ejusdemmet* Benincasæ *opus esse puto, in vulgus moratorum impatiens editum, dum prolixior narratio conscriberetur; idque primis post mortem hebdomadis : ideoque solum* venerabilem virum *nominari : qui deinde, Archiepiscopo Villano, vel etiam Romano Pontifice Alexandro III, ipsius canonizante, cœpit* Sanctus *et* sanctissimus *sine scrupulo dici, uti ubique in Vita prolixiore Miraculisque nominatur. Nullum quidem extat aliud ejusmodi Canonizationis monumentum, sed neque disertum Benincasæ scriptoris testimonium; mihi tamen verosimilior illa videtur, quod prædictus Alexander III, tunc Pontifex, ex Pisanæ ecclesiæ gremio (cujus Clericus et Canonicus erat anno* MCXLV *prima creatione Cardinalium fuerit assumptus ab Eugenio III, et ipso antea Ecclesiæ Pisanæ Vicedomino.*

præmisso illius Compendio,

ubi solum Venerabilis dicitur

Paulo post creditur canonizatus

4 *Prædictum Compendium sic procedit :* Raynerius, Pisana civitate oriundus fuit. Dum citharista foret, et lyra et voce caneret, et in his etiam pernoctaret; ad exhortationem unius servi Dei, nomine Alberti, omnia caduca dimittens, Christo adhæsit. Et dum primo cum eo loqueretur, lux super eum apparuit cum odore suavi, tunc dixit Albertus : Vade, quia Spiritus sanctus quievit in te, et docebit te amodo. Qui statim omnia peccata cum lacrymis confitens, tantam mutationem recepit, quod a patre et matre fatuus putabatur, et illudebatur a ceteris. Et mater ejus dixit ei : Nonne bene dixi tibi, ne pernoctares, quia alienareris supra modum, et fatuus fieres. Ille respondit

In isto Compendio dicitur pro Christo fatuus habitus a suis.

AUCTORE D. P.

respondit : Mater mea, desipis, quia huc usque fatuus vixi, nunc incipio sapere : alienatus sum supra modum, sed de imprudentia ad prudentiam. Et cum non sumeret cibum ; ligatur et includitur et tribus diebus solum lacrymis et fletu satiatur, nihil omnino gustans ; et die tertia deficientibus lacrymis et lumen oculorum defecit. Quod ubi mater vidit, tota se laniabat, dicens : Heu me, fili mi ! At ipse compatiens matri, orans, apparente sibi Christo, lumen recepit mentis et corporis.

Hierosolymas profectus,

5 Tunc relicta patria ultra mare perrexit, et ibi diu in aspera pœnitentia fuit, et ibi coram altari se totum nudatum, sclavinam et psalterium posuit super altare, petens hæc mutuo Sacerdoti ; et illa sola in vita habuit, et sæpe bis tantum in hebdomada cibum sumebat, scilicet die Dominica et Jovis. Aliquando congitationibus petebatur ; et vidit vas pulcherrimum, Margaritis et gemmis ornatum, et impleri pice et sulphure, et incendi. Et cum videret vas destrui, et multi compatientes extinguere niterentur et non possent ; data est ei ampulla plena aqua, de qua pauci guttis totum ignem extinxit : et orans ut sibi ostenderetur, quid hoc esset ; audivit : Vas est corpus tuum, ignis, pix et sulphur, concupiscentia quæ aqua potest extingui : qui ex tunc numquam bibit vinum. Aquila volans cum lumine, apparens ei in visu, dixit : Accipe, quia dedi te in lucem hominum. Columba, de qua exibat fumus et odor incensi, in eum intrans per ipsam, Spiritu sancto repletum, ut incensum fecit redolere. Cum iret in montem Thabor, duo leopardi eum sequentes, et aliæ feræ mansuescunt : et in eodem monte orans, facies ejus fulsit ut sol : et per tres dies cum legeret, radios emittebat ab oculis, ita quod omnes litteræ quasi aureæ videbantur. Orans sæpe impellebatur a diabolo, sibi visibiliter apparente ; nec tamen ab oratione cessabat. Alias orans a duobus Angelis ductus est ante conspectum Dominæ nostræ, et dixit ei : In meo gremio requiesces, Raynere. Qui respondit : Cum ego sim vermis, non talem mihi sortiri locum convenit. Illa respondit : Intelligo quod corpus tuum in mea ecclesia, quæ est Pisis, requiescet.

ibique divinitus visitatus,

et de sepultura Pisis accipienda præmonitus,

ubi multa miracula facit, vivus

6 Hic cum rediret in Italiam, de portu Accon usque Neapolim una nocte, cunctis nautis stupentibus pervenit, quod iter vix in duobus mensibus fieri solet. Quidam puer, in extremis positus, dixit patri : Defer me ad S. Raynerium, quia ipse me sanabit : et dum ferretur, obiit in via. Pater nihilominus fidens, cadaver ad Sanctum detulit, narrans quid puer dixerit, et quid contigerit. Hæc audiens Sanctus et videns patris fidem et lacrymas, statim in orationem se dedit, et patri lugenti filium sanum et incolumen reddidit. Alias unum solum habens panem, supervenientibus pluribus pauperibus dividebat, et semper eamdem quantitatem panis integram reperit.

et mortuus

7 Tandem deductus ad terminum suæ vitæ, dum Archiepiscopus Missam cantaret de mortuis ad corpus ejus cum Clericis, a pluribus auditæ sunt voces Angelicæ, cantantes, Gloria in excelsis Deo. Ibi etiam cæci, infirmi, paralytici, et claudi sunt sanati, et mortui suscitati. In mari positis in maxima tempestate, post multorum invocationem Sanctorum, hunc S. Raynerium invocantibus apparuit vestitus sclavina dicens : Hanc mihi Deus gloriam, reservavit et continuo est tranquillitas subsecuta. Alter biberat sanguifugam, quæ gutturi ejus hæserat : quod inflatum, periculum minabatur ; et ipse sanguinem emovebat, et suadebatur a medicis ut guttur incideretur. At ipse in tanto periculo constitutus, S. Raynerium invocabat : et mox liberatus, ipsam emisit. Altera mulier cæca ad ejus sepulcrum venit, et lumen optatum recepit. Hæc et alia innumera miracula operatus est et operatur Deus, per servum suum Raynerium. Quare Deus sit benedictus in secula. Amen.

Vita Italice apud Silv. Razzium ;

8 *Relata hic miracula, inveniet Lector ; priora quidem duo viventis, num.* 89 *et* 50 ; *reliqua vero mortui, reperiet sub numeris,* 186, 137 *aut aliis (plures enim cæcæ curatæ narrantur) et* 149. *Unum etiam relatum num.* 123, *tamquam in vita factum Italice reddidit Silvanus Razzius ; omissis miraculis aliis, reliquam fere vitam Italice exhibens tom.* 1 *de Vitis Sanctorum ac Beatorum Hetruriæ ; eamque sic conclusit :* Positum fuit corpus in capsa marmorea, figuris anaglyphis pro ætate illa satis elegantibus insculpta ; collocatumque supra altare, quod erat ad latus capellæ, ferentis titulum Annuntiatæ, itaque seculis aliquot requievit ; donec anno MDXCI, secundum usum ritumque Ecclesiæ, translatum est in novam opulentioremque et pulchriorem arcam, similem illi, in qua ex adverso alii Sancti requiescunt, sub hac Epigraphe ; ALTARE SANCTI RANIERI, VIRI NOBILIS, CUJUS OSSA IN HAC CONDUNTUR ARCA. Bene autem dicuntur OSSA, non CORPUS : quia, præter alias quæ forte deficiunt partes, Regina Joanna Arragonia, mota multis illius quæ inaudierat prodigiis suaque erga eumdem devotione, anno MCCCCLXXII rogavit Pisanos, ut sibi alicujus Reliquiæ inde sumptæ gratiam facerent. Quod illi concedendum arbitrati Rectores Reipublicæ, Legatos nominaverunt de consensu publico, adm. Rev. D. Joannem della Barba, Nobilem et Canonicum Pisanum, aliosque præcipuæ nobilitatis nonnullos, qui duabus ad id paratis triremibus, offerrent Reginæ Costulam unam.

altare et proprium,

an. 1591 dicatum

Reliquiæ an. 1472 datæ Reginæ Joannæ

Memoria antiquior apud Maurolycum :

9 *Decennio prius quam Joannes Molanus, præmemoratas suas ad Usuardum Additiones, secunda vice Lovanii ederet anno* MDLXXIII ; *suum quoque Martyrologium, simili modo auctum, excudendum dederat Franciscus Maurolycus, Abbas Messanensis, ubi sic legitur :* Item Pisis, S. Raynerii, viri nobilis ac postmodum peregrini : qui cum Hierosolymam visitasset, abstinentia et pietate clarus obiit, anno MCLXI. *Satis clara hæc videntur, ut de alio nemine, quam de Pisano nostro Pisisque defuncto intelligantur ; aliusque omnino censeri debeat, siquis eo nomine in Sicilia vixit. Verum quomodo talis mansit non solum Octavio Cajetano, ejusque editori Petro Salerno ignotus ; sed etiam Francisco Carraræ, pariter nostro, qui Pantheon Siculum, sive Sanctorum Siculorum omnium, quotquot invenire potuit, elogia vulgavit anno* MDCLXXIX ?

an alius abs colatur Messanæ ?

10 *Et tamen sunt qui velint, eodem nomine alium vixisse Messanæ : quem Illustriss. Antoninus Languidares J. C. Messanensis nobis scribit,* suam habere venerationem apud Patres S. Theresiæ, ab eoque medietatem portus Mamertini nomen accepisse, ut vulgo dicatur brachium S. Raynerii ; de quo referunt, quod seculo XII illam portus partem inhabitans, noctuque cum lanterna surgens, opem ferebat prope irrequietas charybdis voragines navigantibus et periclitantibus ; tandemque vitæ austeritate et miraculis clarus, quievit hoc die XVII Junii. *Ita ille. Verum rursus quæro, quomodo potuit Cajetanus et alii supra nominati talem* Raynerium *vel non cognovisse, vel notum præterivisse ? nisi judicarint fabulosa quæ de eo per vulgi ora spargebantur, forte secundum picturas S. Christophori, cui ejusmodi aliquis Eremita flumen transvadanti apponitur. Idem suadet seculum et dies, a* S. Raynerio Pisano *velut mutuo sumpta ; fortassis occasione Reliquiarum a Regina Joanna apud portum Mamertinum collocatarum, quæ cum nihilo minoribus quam apud Pisas miraculis inclarescerent, cœperit pars illa portus* S. Raynerii *nuncupari : et a nescientibus quis ille esset dubitari, an non indigena loci vel inquilinus fuerit* Rainerus *iste, ac denique ut)*

fit

fit) absolute asseri ex rerum patriarum indiscreto zelo, et credi in vulgo, facile adducibili ad gloriam undecumque oblatam cupide amplectendam: maxime si ipsemet Sanctus, subinde ab istic periclitantibus invocatus, visus est aliquando iis prælucere ad portum subeundum, sub specie eremitæ, viventi usitata.

VITA

Auctore Fr. Benincasa, coævo et familiari, Ecclesiæ S. Mariæ Pisis Canonico

Ex antiquo codice Monacharum S. Silvestri ab Equite Francisco Maria Ceffinio eruta.

VETERES IN MS. TITULI.

De

PROLOGUS

Cum initio prædicationis, ad Pisanos cives a Sancto institutæ.

Dilectissimis in Deo et Salvatore nostro Jesu Christo, omnibus in Oriente et Occidente, Septentrione Meridieque, cujuscumque ætatis Deum timentibus et amantibus Fratribus et Sororibus, Benincasa, Dei nostri Jesu Christi servus, propagandæ vobis saluberrimæ doctrinæ minister et gerulus. Sit vobiscum gratia, misericordia, pax, et veritas a Deo Patre, et Domino Jesu Christo filio ejus in Spiritu sancto. Notam vobis facimus Dei et Domini nostri Jesu Christi disciplinam, nuper piissimi Imperatoris Christianorum Frederici *a* et invictissimi temporibus, per beatissimum Raynerium de *b* Aqua, Pisas ad nos directum, Jesu Christi verbo ad eum facto; ubi identidem Salvator noster Jesus Christus diebus quadraginta jejunavit, atque in gloriosissimo sepulcri sui loco, et per ipsum, et in ipso fonte et plenitudine luminis, Confessoreque veritatis, nobis nuntiatam et ministratam.

Tempore Frederici I. Imp E

a *b* *divinitus Pisas directus Raynerius*

2 Fuit itaque vir venerabilis B. Raynerius urbis Pisanæ, ex clarissimis parentibus, patre Gandulfo *c*, matre vero *d* Mingarda *e* oriundus; qui omnibus hujus mundi spretis, sicut sequens Sermo declarabit, Hierosolymam petens, in Calvariæ locum, nudum nudus ibi Jesum etiam modo est secutus. Exinde, ut jam dictum est, remeans ad nos in Domini verbo, apud S. Andream in Kinsecis fere exactis annis, in diebus Pentecostes, cœpit ad eum multitudo innumerabilis confluere, ut neque eos ecclesia valeret simul capere: ubi sunt multa dæmonia ab eo multis videntibus fugata, in Patris Christique nomine; infirmi autem cujuscumque valetudinis multi ibi curati sunt reddita sanitate. Cumque a pluribus panes, vitreaque vasa, et alia cujuscumque materiei, ut benediceret plena aqua, pro diversis morborum vitiis curandis, fuissent allata; mirabile dictu! sæpe contigit, benedictione peracta, aquæ elementum in vinum esse mutatum. Concurrentibus autem postea ad eum de tota Tuscia, Lombardia, diversisque terrarum partibus populorum infinitis catervis, multo plura mirabilia apud S. Vitum etiam acciderunt, stupenda et miranda: Neque enim in ejus visu satiari poterant turbæ. In fervidissimo quoque æstu diei, et noctis tenebris (apud eum) commorantes, ut neque ad corporis necessitudinem manducandi haberet spatium, ejus desiderantes et expectantes divinum alloquium, a Deo miseratore nostro sibi collatum et injunctum. Miracula quæ per eum Dominus gessit et prodigia quædam in fine hujus operis inseremus, ut audientes, qui fecit suorum mirabilium et terribilium memoriam, Deum omni nisu glorificemus. Omnia namque scribi non potuerunt, quæ adeo infinita sunt et fuerunt, ut singula

Pisanus ipse. *c d e*

F *primum ad S. Andreæ miraculis clarescit,*

d inde ad S. Viti:

concursus ingens ad eum,

A gula si scriberentur, arbitramur, nec libros mundus capere nec auris audire sufficeret. Exorsus est itaque hic Beatissimus Raynerius spiritu Dei plenus, populo Evangelizans, multa loquens et exhortans.

A BENEVENTANA EXCUS

prædicantem pœnitentiam

3 Deus, fratres mei, me ad vos per vestram salutem misit. Nuntio ejus nomine, ex ejus mandato, pacem, gaudium, et lætitiam, et vestræ civitatis exaltationem futuram vobis. Fuistis enim huc usque varias infirmitates atque mortalitates, famem panis et vini, graviter perpessi: et de cetero qui me misit Deus, vobis miserebitur in omnibus his. Et ut in verbo Domini, quod in ipso factum est, revera evidens est: post parvum tempus exactum, prout annuntiavit, ita in omnibus factum est. Tunc adimpletum est quod dictum est a Domino per Hieremiam Prophetam dicentem; Propheta, qui vaticinatus est pacem, cum venerit verbum ejus, scietur Propheta quem misit Dominus in veritate. Exhinc in Domini procedens allocutione, aiebat: Verumtamen scitote, fratres mei, quod ideo vos Pater meus, Creator omnium, corripuit et flagellavit; ut hereditatem, quam bonis filiis a mundi origine conservavit, percipiatis. De qua percipienda nequaquam diffidatis; exemplum me ipsum proponens, sicuti et Pater B meus mihi mandatum dedit; et scio, mandatum ejus vitam æternam conferre vobis.

Jer. 28, 9

mature faciendam

4 Scitis quod fui variis seculi blandimentis et negotiis irretitus, peccatorum multorum grandiumque criminum mole oppressus, et quasi funibus circumplexus. Tunc implebatur in me, quod Isaias in Spiritu dixit: Væ his qui trahunt restem longam, et quasi funiculum plaustri peccatum. In zelo vero indignationis et furoris sui miserator, tantæ meæ confusionis, sua immensa pietate misertus est mei Dominus; et pœnitentiam accipiens meorum omnium peccatorum, a Priore S. Jacobi de Orticaria, religioso valde viro, qui tunc erat, misericordiam sum consecutus. Inter quæ facinora cum esset, quod confiteri nollem, erubescens; verbum Domini, jam in me manens, prædicto Priori sic ait: En, hoc peccatum iste fecit, quod tibi confiteri non vult, nominans illud. Cumque ab eo exigerem ut congruam pro meis peccatis injungeret satisfactionem, [pro eo] quod audierat a verbo Domini peccatum sibi patefactum, respondit: Deus in te suum habitaculum per se mundat, non tibi injungo aliquid: quidquid boni feceris, erit tibi pro satisfactione et ad meritum æternæ vitæ.

Is. ...

exemplo suo,

C 5 Igitur, Fratres, pœnitentiam agat unusquisque pro suis commissis, et confiteatur ea Dei Sacerdotibus et certi sitis, quod si fuerint velut arena maris innumera, remittentur vobis omnia, et erit vere in vobis Vita; ipso Redemptore per Prophetam Ezechielem dicente; si conversus fuerit impius ab impietate sua, omnium peccatorum ejus non recordabor: et quacumque hora conversus fuerit et ingemuerit peccator, vita vivet, et non morietur: et in Sapientia sua; Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit, reliquerit, misericordiam consequetur. Verumtamen, Fratres, ne differatis pœnitere, quia ignoratis quid sit in crastinum. Quæ est enim vita nostra? Vapor est ad modicum parens. Unde nemo de se sit securus: sed confiteatur vivens et sanus. Ob hoc Deus dicit in sua Sapientia; Ante mortem confitere: a mortuo quasi non sit Confessio perit. Confiteberis vivens, sanus et vivens confiteberis. Itaque fratres mei, vigiletis, quia neque diem, neque horam scitis.

cum fiducia obtinendæ remissionis

Ez. 18, 22

Eccli. 17, 26

Eccli. 17, 26

6 Qua autem occasione omnia temporalia cum mundo spreverit, æternaque amaverit; quæque huic sanctissimo Raynerio mirifica et maxima Omnipotens monstraverit atque contulerit, nos, qui ab ore ejus audivimus, referemus; ut gaudium una simul D omnes plenum habeamus, sicque de æterna vita nullatenus hæsitemus, ipsum imitando, temporalibus istis et transitoriis utendo, cor non apponendo, peccata relinquendo, aliis commiserando et benefaciendo, ex ineffabili Dei misericordia vitam perennem certissime expectemus.

cujus rescribit Auctor, sicuti ex ipsomet audivit.

ANNOTATA D. P.

a Fridericus I Imper. *ab* 1152 *ad* 1191.

b *Cum aliud cognomentum familiæ paternæ faciat Razzius, consequens fit, ut aliunde* de Aqua *sive* (*ut ecgraphum nostrum constanter habet*) ex Aqua *dictus sit. Hoc autem dubium solvitur infra num.* 8, *ubi dicitur sic dictus*; quia cum aqua (*a se benedicta*) faciebat omnia mirabilia.

c *Razzius* Gradulfum *vocat,* ex illustri iis temporibus familia scacciariorum.

d *Idem*, Spingardam Buzacarini.

e Anno salutis, *ut ait idem*, 1128. *Sed cum num.* 91 *dicatur Raynerius obiisse anno Pisano* 1161 *nostro* 1160 *et num.* 34 *Hierosolymis curatus, exinde per annos* 20 *quibus vixit abstinuisse a vino jam tum robustus juvenis; oportet ut minimum decen-* E *nio citius natus sit. Idem Raizzius addit, quod mater nullum in partu dolorem senserit, pauloque ante in somno visa sibi sit parturire infantulum pilosum, qui vir magnus futurus, et cunctis dilectus prænuntiabatur: hunc autem facit* Palurica *quam tota vita gessisse dicitur infra num.* 9.

CAPUT I.

Vita S. Alberti Corsi, et S. Raynerii per eum conversio.

Sanctus ergo Raynerius de Aqua cum adhuc de mundo esset, et mundi vanitatibus omnibus..... implicitus, in manibus habens musicum instrumentum, quod lyra seu *a* rota vulgo nuncupatur, in domo cujusdam nobilis matronæ suæ consanguineæ, in loco, quod dicitur Arsicium *b* altisona canebat voce modulans eam jucunde hunc instrumento musico. Tunc contigit quemdam Sanctum virum, nomine Albertum *c* Lingens-pecus, olim strenuum militem inde transire. Prædicta autem matrona eum intuens, sic B. Raynerio ait: Nonne vides Angelum Dei hac transire? B. Raynerius hoc audiens dixit; F Et ubi est ille Dei Angelus? Et illa: En, inquit, prope est homo Dei, qui dicitur Albertus Lingenspecus: Curre, eumque sequere. Qui protinus, rota dimissa, ut ipsemet nobis retulit, tactus intrinsecus tremore cordis, secutus est eum. Quia vero B. Albertus velox erat pedibus, se ei jungere nequivit, usque dum veniret ad S. Vitum *d*, cui tunc erat apud Monachos ejusdem ecclesiæ suum habitaculum.

a

b

Raynerius lyra ludens, hac dimissa, sequitur B. Albertum.

c

8 Quoniam autem de hoc sancto viro loqui cœpimus, ut Dei aures in ejus precibus adfuisse pro certo sciamus, pauca nunc de ejus vita prælibemus. Fuit siquidem in Insula Corsica, *e* non ex infimis parentibus procreatus, in possessionibus dives valde, servis et ancillis vernabat; fratrem militia præditum habebat, qui cum singulare cum alio milite certamen inierit, alterno sibi invicem vulnere dato, in ipso singulari congressu vitam finivit. Beatus itaque Albertus, intuens fratrem suum cum alio Milite sic repente, in juventutis flore, decessisse; existimans et corde pertractans, omnem hominem quasi fœnum, gloriam ejus quasi florem fœni decidere et deperire; cœpit cum omnibus quæ mundi sunt semetipsum spernere; semetipsum pulverem, lutum cinerem reputare: ideoque servis suis et ancillis libertate

d

e

Hic fratrem duello cæsum videns

bertate

dimiserat omnia nudum secutus Christum.

bertate donatis, possessiones, supellectilem, frivolaque omnia Deo et pauperibus conferens atque dispergens, cum suarum maxima parte rerum, contulit se apud maximam Pisanam urbem, ad S. Vitum, victum et vestitum per Abbatem illius ecclesiæ accipiens.

data quoque sibi ad victum et vestitum distribuerat pauperibus;

9 Sed et de ipso victu suo, in hospitali ejusdem cœnobii commanens, arctamque ducens vitam, pauperibus dispertiebat; vestimenta etiam ab Abbate suscipiens et calceamenta, egenis erogabat, nudusque remanebat : Vesteque, quæ vulgo Pilurica *f* dicitur, sola contentus induebatur. Cum autem ex novis frequenter indutus, indigentibus semper præberet, vocatus est a suo Abbate, eum sic cum Fratribus ejusdem monasterii alloquente. Frater Alberte, hanc noscis domum non abundare; non possumus tibi toties præter usum vestimenta et calceamenta præstare. Cui humili voce respondens; Noli mihi, inquit, Pater sancte, tribuere : Dominus mihi adjutor vestris orationibus subsidia præstabit, mihique tuo famulo nihil deerit : quia non possum pauperes videre necessitatem pati, et quæ apud me sunt non tribuendo non misereri. Ab ea die amplius vestimenta seu calceamenta ab eis non accepit, incedens nudus, veste sola, de qua supra dictum est, contentus.

deinde ad loca sacra peregrinatus,

10 Post hæc peregre proficisci elegit, Occidentales partes petens, nudus, ut dictum est, pedibusque nudis, Corpus suum macerans, et in servitutem redigens, Beati Jacobi aulam petiit. Ita etiam omnia Occidentis loca sancta et celebria visitavit. Cum vero aliquem intraret vicum, neque hospitium petebat, neque cibum. Si cujus tetigerat Deus cor, ut ex caritate vocaret eum, hospitabatur apud illum; alias, quantumcumque distaret, transibat ad alium vicum. Unde contigit tribus diebus, ut iter agens, neque ad eleemosynam dandam, neque ad hospitium ab aliquo vocatus esset. Cumque jam corporis viribus deficeret, ab omni incolatu multum distans, terræ incumbens, Deum sic oravit, dicens; Domine Deus omnipotens, te nudus secutus sum, et elegi : Nunc ut tibi placet provide mihi, quia Corpus, quod in me formasti, jam deficit absque cibo Corporali. Statim autem, quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum; apparuit ei quidam pauper, veniens cum sacculo frustis panum pleno, ceu in eleemosyna accipiuntur, dicens ad illum : Surge, peregrine Frater, sumamus una cibum. Qui gratias agens Deo, refecto Corpore, viam quam cœperat peragrabat.

et nihil a quoquam petens, futurat divinitus sustentatus;

11 Prædictus autem Albertus, miræ sanctitatis Vir, orationem ad Dominum fuderat, numquam aliam vestem se habiturum, quam qua tegeretur Piluricam ad modum Capræ *g* villosæ factam, nisi vestimentum album, se illud non quærente, tamen ab aliis præstitum. In spiritu quidem certioratus dominicum expectabat beneficium. Cum igitur venisset in locum, qui dicitur S. Mariæ *h* in finibus terræ; in ipso terræ introitu, quidam vir accola loci, cappam ferens albam, ait ad eum : Heus tu, frater peregrine, vestimentum istud indue caritatis amore, et quamdiu in loco fueris isto, mecum una cibum cape. Mirabilis Deus, qui fecit omnia pondere, numero et mensura. Nec major nec minor inventa est vestis induta, quam B. Alberti exigebat statura. Inde per Beatum Martinum, qui Turonis est; loca alia venerabilia adeundo, rediens venit Parisios, ubi Regum est assidua Sedes.

cappa tamen quam indutus veste

deinde clarus in Italia spiritu prophetico

12 Et quia non potest celari lucerna, supra Candelabrum, ut luceat, his qui in domo sunt, accensa; ejus confestim Regi sanctitas innotuit, famaque ipsius partes omnes illas implevit; ut non jam diceretur Domnus Albertus, sed generali quasi proprio nomine vocaretur Homo sanctus. Sæpissime autem *i* Rex, fastu deposito Regio, humillime, velut privatus aliquis, ad eum veniebat, et secundum [datum sibi] ab eo consilium magna Regni negotia agebat, et Dominus cum eo in omnibus prospere erat. Similiter et Principibus et aliis omnibus ad se venientibus salubria dedit Consilia, et, ut a malis recederent et bona agerent, monere non cessabat. Ipsi autem Francorum Regi multa per spiritum futura prædixit, quæ postea rerum eventus ipse probavit. Item dixit ei, ut in Hierusalem cum exercitu non iret, quia sibi nequaquam prospere *k* succederet. Quare et toti orbi, ut prædixerat, contrarius regi eventus notus factus est. Hæc enim omnia, ut fides adhibeatur, aut ab eo audivimus, aut ipsi nos vidimus : multa etiam secreta cœlestia mihi, tamquam suo dilecto discipulo, Parisiis secum per triennium plusve minusve commoranti, auditu sibi nec visu, seu etiam revelatione a Deo revelata monstravit : quæ, quia tempus breve est, opere pretium duxi magis silere quam dicere.

A. BENIN.-CASS. EX MS.

ibi denique sanctissime obiit.

13 Secundo vero *l* anno adventus sanctissimi Raynerii ad nos, ut B. Raynerius et suos discipulos, pro quibus orationem ad Deum fuderat, visitaret, iter arripere voluit, ut ipse propriis litteris B. Raynerio et mihi indignissimo rescripsit. Quare Deus hoc ei volenti non permiserit, adhuc est absconditum in thesauris ejusdem æterni Regis. Feliciter autem eo siquidem anno, apud quamdam ecclesiam, quæ prope Parisios est *m*, et Claræ-vallis dicitur, ad Dominum migravit : ubi plurima per eum beneficia, sicut nobis a quibusdam, qui Parisiis degunt et inde venientibus relatum est, infirmis præstantur, ipso faciente, quem secutus est Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per immortalia secula. Amen.

Hunc ut pro se oraret precatus Raynerius,

14 Hinc autem ad ea, quæ de S. Raynerii de Aqua ad Deum. Conversione dicere inchoavimus, styli nostri sermonem vertamus. Beatus itaque Albertus, ad Raynerium alumnum conversus, Tunc ille es, qui hic modo in Arsicio concinebas? Et ille respondit, etiam Pater. Et B. Albertus adjunxit : si ita Deo, quemadmodum seculo, servires, melius tibi esset. Respondens autem S. Raynerius, ait : Ideo veni, ut pro me ores ad Dominum, ut fugitivum istud et latens valeam effugere sæculum. Cui B. Albertus : Credis, inquit, si pro te preces fundo, quod ab omnipotenti exaudiar Deo? Respondit ei B. Raynerius; credo, Pater, quod si in inferno jam essem, tua inde intercessione omnino liberarer. B. Albertus ait : Vade nunc, et ad me die Sabbathi revertaris : erat autem v feria tunc. Sabbathi vero die post nonam, tempore ipso Quadragesimali, cum jam F. Raynerius fere pransus esset, tremefactus ait intra se : O me miserum! non sum reversus prout condixeram ad hominem Sanctum; dimissoque patre et matre ad prandium, festinus surrexit; et inveniens quemdam socium suum, simul quam cito venerunt ad sanctum Virum. Relicto autem socio cum pueris, qui ibi docebantur Psalterium, in Claustrum perrexit ut Beatum quæreret Albertum : Quem statim habuit obvium.

redit, ut jussus erat die tertio;

simulque cum eo lumine illustratur, et odore perfunditur

15 Dixitque illi B. Albertus. Fili exauditus sum; eamus, et quid Dominus voluerit super hoc facere, videamus. Duxit itaque eum ad quamdam mensam, ubi Monachorum familia discumbere convenerat; soli ibi altrinsecus sedentes, B. Albertus versus Occidentem, ad Orientem S. Raynerius, alterutrum sese respicientes. Et ecce illos subito Dei claritas circumfulsit, ineffabilis respersos odore suavitatis : et, sicut nobis sæpe S. Raynerius referebat, ut pro odoris suavitate anima a corpore separari cuperet : splendoris namque immensitas alterutrius faciem inspicere

A. BENIN. CAN. EX MS

inspicere non sinebat. Peracto aliquo horæ spatio, lux illa discessit : odoris fragrantia, et roris oleum in eorum capillis remansit. De hoc oleo propheta scribit ; Inveni, inquiens, David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Tunc prorumpens in vocem B. Raynerius ait : Quid, sancte Pater, me vis agere ? respondit autem ei et dixit : Vide Dei spiritum in te requievisse. Ipse deinceps suum in te habitaculum purificabit et quid te oporteat facere demonstrabit. Verumtamen quia dies illucescit Dominicus, secunda feria ad Priorem S. Jacobi de Orticaria mane ibis, omnium, quorum recordari poteris peccatorum veniam implorando, singula confiteberis. Quod et ita factum est, sicuti jam superius in lectione sermonis sui audistis.

Ps 88, 21

atque ad Confessarium mittitur

16 Ipso autem tunc paternam domum reverso, ex cordis contritione valida fontem ei Deus suarum aperuit lacrymarum, pro suorum immanitate diversorum criminum ; ut tunc in eo impletum sit illud Psalmi ; Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam : quia justus tu es Domine, et rectum judicium tuum Pater autem ejus et mater, cum viderent eum sic profuse plorantem, dolentes nimium et flentes quasi unicum masculum, dicebant : Heu ! fili mi, oculorum nostrorum lumen, quis tibi sensum abstulit ? quæ te amentia tam subito arripuit? Nonne tibi in plateis, ut non pernoctares, dicebamus? et ut nocturno tempore intra tuam domum quiesceres, et ne extra domum vagares, quia hoc tibi contingeret, sedulo monebamus? Tunc B. Raynerius suppl ci aiebat voce . Nolite mihi, pater humanissime et mater, tristari neque flere ; quia non in insaniam versus sum, sed meorum egi pœnitentiam peccatorum ; et ideo has, quas videtis, lacrymas fundo. At illi hæc audientes gemitus dabant majores, et ejus florenti ætati et lasciniæ non credentes, ululatus et ejulatus iterabant multo grandiores, ipsi et eorum cognati, et consanguinei, atque Vicini, in insaniam et furorem versum pro certo asserentes, sicque eum catenis vincire volebant, et quasi ad insanum vicini et alii videndum currebant.

deinde totus effusus in planctum et lacrymas,

Ps 118, 36

insanire creditur ;

17 Solius cujusdam in pueritia Magistri sui, nomine Henrici, S. Martini Presbyteri, aperuit oculos Deus ; et cœpit dicere omnibus circumstantibus : In veritate sciatis, quod hæ lacrymæ non sunt hominis insani, sed admissa sua deflentis. Recedat nunc unusquisque ; et eum, quæ commisit plangere peccata sua permittat. Tunc reliquerunt eum inclusum præ dolore nimio, serrantes cubiculum. Pater quoque et mater non poterant ejus præsentiam ferre, quasi ingeniti amantissimi præ dolore. Tunc implebatur quod in Psalmo scriptum est ; Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me : et in alio loco; Factus sum opprobrium vicinis meis valde, et timor notis meis; qui videbant me, foras fugerunt, et factus sum tamquam vas perditum, quia audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu, dum convenirent accipere animam meam. Hæc non ipsi nec nos, sed ipse Dominus Jesus de ipso dicta firmavit ; quando psalterium, in loco qui dicitur Quadragena, a per os ejus totum ei aperuit et protulit.

sicque dimissus a parentibus,

Ps 26, 10 et 30, 22

18 Adveniente autem lacrymarum suarum die tertia, in quibus cibum non sumpserat, lacrymæ cum oculorum lumine penitus defecerant. Et quia mater sui filii facile oblivisci non potest, ad eum venit, ut quid ageret, sciret, sciscitans quomodo illi esset. At ille, matrem esse sentiens, respondit; Ne tristeris mater humanissima; quoniam juventutis meæ delicta ingemiscens recolo, et præ planctu nec lacrymas jam deficientes fundo, et oculorum meorum lumine amisso te dominam meam videre nequeo. Mater ejus hoc audiens, et in veritate experiens, scissis crinibus et laniata facie, in immensum ejulando vociferabatur. Pater vero ejus Glandulphus adveniens, scissis vestibus præ doloris angustia, audiens filium factum cæcum, nec verba nec voces dare poterat. Exeuntes autem e Camera præ tristitia, ostium post se cubiculi firmaverunt, ut tunc quod in spiritu propheta prædixit in eo impleretur; Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, et lumen meorum non est mecum : Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt, et qui juxta me erant de longe steterunt.

etiam cæcus efficitur.

Quo casu consternatos illos sciens,

Ps 37, 11

19 Beatus itaque Raynerius, patris matrisque dolorem cognoscens, corporali quoque se sciens lumine privatum, talem ad Dominum nostrum Jesum Christum fudit orationem. Domine Deus omnipotens, cui nihil est impossibile, subest enim tibi posse cum velis: tu omnia nosti, quoniam ab æterno omnia adsunt præsentia tibi : Aperi nunc ad mei cordis contritionem oculos tuæ clementiæ, et mei indigni servi tui, qui decem millia talenta debeo, in arcto valde positi, secundum tuarum misericordiarum multitudinem, jamjam, Creator meus, miserere. Confestim autem in eo Domini verbum factum est ad eum, sic inquiens. Et ego omnia tua nunc tibi peccata remitto, et oculorum lumen restituo : lætusque esto, quia ego semper tecum ero. Surge jam, et facies ex hinc sicut tibi monstrabo.

lumen a Deo repetit et impetrat :

20 Statim autem in ecclesiis cœpit esse assiduus, orationibus et jejuniis Deo serviens semper intentus ; odoribus ab eo, qui in eo habitaculum fecerat Deus, variis et inenarrabilibus per suas nares exhalantibus, totus respersus. Hos ineffabiles Dei verbum, homini sibi in unam personam unito, odores contulit : unde et Isaias de ipso dicit : cavete ab homine, cui spiritus in naribus ejus ; et in psalmo, Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis; Myrrha, et gutta, et cassia a vestimentis tuis : et in benedictione Isaac Jacob pater dixit : Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Nisi enim hanc odorum fragrantiam in filio Isaac sensisset, sicut est agri diversorum florum odoribus referti, profecto non benedictionem, sed maledictionem confirmasset, cum benedictionem fraudulenter, se fratrem mentito, accepisset. Hac namque fragrantia, in benedictione sensit sancti Spiritus adesse præsentiam ; Et ideo ipsi Esau postea respondit; Benedixique ei, et erit benedictus, non mea sola prolatione, sed in potenti divini spiritus in æternum Confirmatione.

sique cœlesti odore perfundi sentit,

Is. 2.22

Ps 44,

Gen 27, 27

21 Factum est autem, et deinceps cum viveret in domo, cum quodam suo Consanguineo, qui tunc noviter uxorem duxerat, nomine Monacho, apud S. Petrum ad vincula, vidit quamdam aquilam per revelationem, ferentem in rostro accensum lumen, sibi sic dicentem : Hierosolymis ego redeo, accipe hoc lumen ad illuminandas multas gentes et populos. Qui expergefactus odore Dominico totus est repletus : unde statim cognovit, quod a Domino hæc visio fuerit : habebat namque pro certissimo signo, ut, cum a Deo esset visio, totus respergeretur odore miro. Quid autem hæc visio significaret postea intellexit, Deum per se redeuntem multas gentes, et populos illuminaturum, sicuti hodie hujus significantiæ omnium nostrum probat judicium.

eoque visiones divinitus oblatas discernit a falsis

ANNOTATA D. P.

a *Videatur omnino intelligi Monochordium, frequens in Belgio cæcorum instrumentum, victus causa vicos circumeuntium; in quo chordam ducta per manum dextram superne tota bassum quasi continuum agit ; sinistra*

nistra claviculos tangente, et modos reliquos temperante : quod monochordium etiam hic Belgis dicitur ; Italis autem nomen habebat a suo præcipuo mobili, quod est rota.

b *Hodie* Canellum *dici, asserit Razzius.*

c *Vulgo* Lecca-pecore.

d *De* Abbatia S. Viti *Pisis dicit Razzius, Vicinam nunc, imo partem Armamentarii esse.*

e *Erat tunc* Corsica *in ditione Pisanorum, saltem pro parte, expulsis inde per ipsos et Genuenses Saracenis, donec in Aragoniorum cessit potestatem seculo* 13.

f *Ita legere maneimur infra num.* 22, *et ita legit Raizzius (qui sic nominatam ait quia* intus et foris pilosa erat) *hic in ecgrapho erat,* Pilunca.

g *Dubitavit Cefflnius : an potius legendum,* in modum capæ.

h *Est hic locus in Gallicia,* Promontorium Nerium *Ptolomæo;* Artabrum *et* Celticum *Plinio, cum idoneo portu, distans Compostella* 14 *leucis, vulgo* Capo finisterræ, *ubi passim vota solvunt nautæ; unde factum ut eo nomine etiam Bruxellis in Belgio illustre sacellum fundatum sit,* S. Mariæ finisterræ, *vulgo* Vinstersterre *inepta metamorphosi nominis : sic enim significatur* stella fenestræ, *et vulgi circa nominis etymon error confirmatur per stellam in suprema fenestra pictam.*

i *Ex mox dicendis intelligitur hic esse Ludovicus VII, dictus Junior anno* 1137 *regnare exorsus, et* 1147 *Hierosolymam profectus, qui vixit ad* 1180.

k *Obsessa frustra Damasco, et exercitu male pereunte, per fraudem Græcorum.*

l *Historiæ interest hunc annum definiri, cum eodem ipso obierit* Albertus : *definitur autem ex notato infra num.* 91 *obitu Raynerii, qui fuit Christi* 1160 *secundum nos, septimus ab adventu Pisas. Est ergo hic notatus annus* 1154 *et superfuit Albertus suæ, de regia expeditione, prædictioni illiusque infelici successui fere septennium.*

m *Raizzius* Claravallis, *inquit aut* Vallisclaræ ; *et hac ratione videtur indicare, quamdam filiam Claræ vallis, Abbatiam Ord. Cisterc. in Laudunensi diœcesi, fundatam an.* 1134 ; *sed hæc Parisiis distat circiter* 23 *leucis. Propiorem ejus nominis locum qui docuerit, ei gratias habebimus ; multoque majores, si aliquem ejusdem* Alberti *memoriam superesse docuerit, si non ut sancti, saltem ut pie venerabilis. Tacet de eo Saussayus, tacent reliqui, quod sciam, Franci.*

n Quadragena *vulgo* Mons-quarantenæ, *in terra sancta, haud procul a loco Baptismi, ubi creditur Christus quadraginta diebus jejunasse.*

CAPUT II.

Appulsus in Terram-sanctam, omnibus sese expoliat, ultroque oblatis eleemosynis victitat, abstemius a vino.

Mercatus causa in Orientem navigans,

Factum est autem post hæc : congregatis suis et sociorum suorum mercibus, partes ad transmarinas, mercandi lucrique faciendi causa, navigio S. Raynerius de aqua perrexit. Qui licet seculi rebus onustus esset, animus tamen ejus ad Deum semper erat intentus : semper omnipotentem die noctuque deprecans et exorans, ut omnibus relictis atque expoliatus ab eo vestimenta mereretur indui peregrina, quæ vulgo Pilurica dicitur seu *a* Sclavina. Jejunabat siquidem in laicalibus vestibus aliquando, a die Dominico in v feriam. Sæpius autem, et hoc per quadriennium, a Dominica in Dominicam. Nec propter hoc intermittebat sive in *b* barca fortius remigare, sive quæ navi erant necessaria assiduus facere. Expensam, ad symbolum faciendum cum suis sociis communiter et æqualiter, devotissime et hilariter faciebat, et pauperem vice sui, dum cibum non caperet, sociorum etiam rogatu, ut in nullo eis molestus fieret, exhibebat.

multum jejunat :

A. BENINCASA EX MS.

23 Verum die contigit quadam, ut quo nummos acciperet, suam aperiret arcam, apertaque ea, fœtor inde sicut mortui intolerabilis exhalavit. Quam totam perquirens, et unde exhalaret admirans, nequaquam reperit. Accidit et secundo pro numerandis pitanciis *c* suis ad eamdem arcam accessisse, nec mora prædictum fœtorem horribilem iterum vaporasse, et interjecto spatio evanuisse; cautissime omnia quæ in arca erant odorans, expavescens, et admirans unde oboriretur, non invenisse. Cum vero jam Quadragesimæ dies appropinquarent, et venales caseos haberet ; cum suo assecla ubi erant perquæsivit, ut in foro venirent : et ecce idem eorum replevit nares. Cogitans itaque, ne aliquod animal mortuum inter caseos latitaret, transmutari fecit omnes, everrens quoque [arcam] in imo odorem casei sensit. Quia igitur hunc in arca bis, semel in caseo fœtorem gravem senserat, nec unde exhalasset quiverat reperire ; stupefactus, et solita orationis confugia aggressus, Deum patrem suppliciter deprecabatur, ut quid hoc foret, enucleare dignaretur. Ubi enim ultro dantis largitas, et invitantis consideratur, ad hoc impetrandum petentis animus, nec diu cum possit retardatur.

arcam nummariam aperiens, fœtorem gravem ex ea, itemque ex caseis prodire sentiens ;

24 In nocte sequenti per visionem Dominus apparuit, dicens ei : o insipide, ter ecce tibi meæ clementiam præsentiæ reseravi, et me aliquatenus non cognovisti : ad ecclesiam vade, et ibi tecum loquens ostendam, quid te oporteat facere. Beatus Raynerius, velut athleta strenuissimus, impigre surgens ad ecclesiam abiit; secum dum iret cogitans et revolvens, ubi Dominus ei apparere, se illum ignorante, potuerit ; amplius intra se dicens : Forte tunc mihi apparuit, et non agnovi, cum pauperem inveni, et aliquid ei non dedi. Ecclesiam ingressus positis genibus, quasi in agonia factus, orabat prolixius. O clavis David Jesu Christe, fili Dei summi, qui claudis et nemo aperit, aperis et nemo claudit ; visionem, qua mihi significasti ut huc sine mora venirem, non dedigneris signaculo amoto mihi servo tuo reserare.

doceri petit quid id sibi velit

25 Confestim somno arreptus, vidit Dominum dicentem sibi : Cum tibi putorem, res mundanas et caducas contrectanti, tertio infudi ; ego ipse fui, qui tibi eas putere feci : nunc ergo te ab eis exonera, ut meo confidenter jugo submittere queas colla : et die qua ego expoliatus sum in calvaria, te expolia ; veste, quam rogasti tibi adhibita. Expergefactus, et valde exoneratus, cœpit sua omnia pauperibus erogare : Societatum quas habebat res, sociorum unicuique per nuntios remisit fideles ; sorori suæ scribens, ut virum accipiens, suo de patrimonio faceret quod vellet. Exinde totus, et indivisus, ad Dei mandata sequenda, jejuniis et obsecrationibus vacans, Dei semper misericordiam postulans, ut pauco valeret esse contentus cibo, accensum et intentum animum habebat.

et intelligit terrena omnia abdicanda, quod et facit.

26 Factum est autem in una dierum, cum esset apud Tyrum, nativitatis Domini nostri Jesu Christi die, in ecclesia matris ejusdem Beatæ Virginis Mariæ, Sidonis Episcopo, vice Archiepiscopi *d* illius, qui tunc Romam abierat Missam canente, lectoque Evangelio prædicto Episcopo pulpitum seu ambonem ascendente, ita ad populum, multis aliis ibi existentibus Pisanis, fari orsus est : Audite, fratres humanissimi, in veritate sciatis, quia inter nos nunc Deus est, qui unius vestrum *e* carnem induit, pro omnibus Christianis salvandis ; et verbum iterans pluries dixit. Nostri omnes, qui aderant præsentes, de tam altissimo verbo cœperunt obnixe mirari,

Eum pro salute Christianorum adesse, in concione dicit Episcopus :

A BENICASA EX MS.

mirari, alterutrum sese respicientes, oculos tamen propensius ad B. Raynericum vertebant. Ipse vero B. Raynerius, quid futuri hoc portenderet, in corde suo conferens conservabat.

in visione oblatus Deiparæ,

27 In eadem quoque Dei genitricis Virginis Mariæ ecclesia, nocte quadam, sive in corpore sive extra corpus B. Raynerio ignorante, a duobus albis indutis senibus, ante beatissimam Virginem Dei genitricem Mariam, multarum choro virginum assistente ei, est delatus. Cui beatissima virgo inquit : Tu requiesces in gremio meo. Ad hæc B. Raynerius, Quomodo, inquit, Domina? cum cœli terræque sis Regina, qui tantillus sum in tuo pausabo gremio? senes vero, qui ante Dei matrem ipsum portaverant, inter manus per brachia cubito a terra distantem, ante eam omni cum Reverentia tenebant. Iterum Virginum Domina respondens, ait : Corpus tuum requiescet in ecclesia mea, quæ est Pisis in sempiternum. At ut in ecclesia sua Corpus ejus cum magno honore positum sit, hodie videmus impletum ; et ejus gloriosum sepulchrum in repræsentantis Corporeæ imaginis Dei genitricem gremio, ubi primum fuerat, est honorifice positum : ibi miraculis prodigiisque innumeris, sicut in præsentiarum vidistis, coruscat.

intelligit se in ejus ecclesia sepeliendum.

In Parasceve Calvarium adscendit :

28 Appropinquante itaque die, in quo Jesus Christus, Dei filius consubstantialis, crucem in calvaria est passus ; B. Raynerius Hierosolymam ascendit. Ipso vero die, in calvariam, vestem quæ Pilurica dicitur secum portans, cum timore, et tremore aggressi operis venit ; de suis quibus induebatur vestimentis quædam pauperibus largiens, nudus et sine serabulis f remansit, Pilurica et psalterio, in quo lecturus erat, super altari oblatis, quod erat in Golgotha id est calvariæ. Sacerdos inspiciens quod S. Raynerius agebat, piluricam ei et restituit induendam pro eleemosyna ; psalterium, quod obtulerat, ab ipso petens Sacerdote accepit in commodati causam. Confestim, ut a Pisanis et suis sociis non cognosceretur, ad Domini templum properans, ibi in Oratione commoratus latuit. O quam graviter lapides cum lapillis ejus pedes offendebant! qui semper ire calceatus et delicate consueverat. O quam aspera carni suæ erat pilurica, qui solitus erat indui mollibus a carne vestimentis, bysso et g baldinella.

itaque totus nudatus, sclavinam et psalterium a Sacerdote recipit.

sicque in Templo pernoctans revelatur Parocho.

29 Nocte vero diei sequentis, qua sic sola, quæ dicta est, veste contentus fuerat. Sacerdoti Templi per visionem dictum est : Vade, et dic populo, quod hodie Deus in calvaria expoliatus est, et est nunc expoliatus in Templo hoc, pro salvando Christiano populo. Sacerdos excitatus de lecto surgere noluit, sed remittens iterum obdormivit. Statimque eadem visio eum terrendo expergefecit ; et, sicut prius, sopori membra donavit. Tertio gravibus terrefactus minis, surgens ad populum ibi vigilantem, quo plenum erat in templum venit ; et de ambone indicens silentium sic voce magna clamans allocutus est populum. Audite, audite obsecro, fratres mei : rem magnam et inauditam tempore isto, vobis qui huc convenistis, refero : quam quia vobis referre nolebam, iterum vox nominatim me vocans terruit ; cumque adhuc reluctarer, mortis minas interminans, vice tertia me resurgere coegit, Perge, et dic populo, quia Deus in calvaria expoliatus est, et est nunc expoliatus in templo pro salvando Christiano populo. Quærite ergo Fratres ad invicem, quia procul dubio est in templo isto Beatus ; cum in templo esset pernoctans Raynerius, hoc audiens, ut quod fecerat non sciretur, de templo exivit. Qui autem in templo erant perquirentes alterutrum, neminem reperere expoliatum, cum jam de templo fugiens migraverit.

ac si ipse Christus pro salute hominum nudatus esset

In ecclesia sepulcri Officium Armenorum intelligit, ut Latinum

30 At Raynerius super Muros Hierusalem, cum his qui ibi solitarii degunt, octo diebus latuit ; donec sui socii, et alii qui secum, orationis causa ascenderant, penitus discessissent. Quem obnixe perquirentes cum invenire non possent Dei consilium perturbare nolentes, ad proprias reversi sunt mercationes. Exinde in Ecclesia sancti sepulcri S. Raynerius juxta sepulcrum vigiliis et orationibus nocte dieque erat semper assiduus ; spernebat tamen, quia non intelligebat Armeniorum, quod ibi h celebrabatur, Officium. Cumque diu hoc fecisset, Deus audiendi ei aurem aperuit, apertiusque eorum intellexit officium quam unquam fecerat Latinorum. Abinde cum omni vigilantia, et ipsorum sine intercapedine audiebat officia. Vinum tamen in cibo suo, invitatus ad eleemosynam, adhuc sumebat. Invitabatur frequenter ad prandendum cibum ab uno, qui in muris Hierusalem solitarius erat, et cum eo bibebat vinum. Quadam die cum esset in ipsis muris Hierusalem, quoddam animal pravum, volitans juxta eum in ore et brachio pupugit, et aculeum fixum in ore ejus reliquit : quo abstracto cum nullum videretur in ore, et brachio vulnus, remansit in eo dolor acutus et ardor nimius. Siqua ibi medicina esset, pro ardore et dolore mitigando apposita, protinus tota reperiebatur adusta.

Dum adhuc vinum biberet incurabiliter punctus

statuit remedii causa ire ad S. Abrahamium,

31 Demum hoc apud se disposuit, ut ad S. Abrahamium i supplicandi causa iret, volens et satagens ibi esse per aliquod dies, forsitan ibi ei Deus monstraret unde sanari quiret. Statimque adiens ei dominus : Perge, inquit, securus, quia ego ante ibo faciem tuam. Est enim via cautibus incidentibus plena et asperrima k, ut nullus sit incedere ausus, sicut iste erat discalceatus : ferrati enim equi qui illuc equitabant; sine aliquo ferro in pedibus regrediebantur ; et qui suos l ferreos reservabant, optimos habere pedes perhibebantur. Calciati vero viri vel feminæ, qui pedestres pergebant, sæpe sine soleis in m subtallaribus postea redibant : unde magno cum timore, etiam Ascalonitarum n, ad locum illum properabant. Cum aliis itaque peregrinis, discalceatus sicut erat B. Raynerius, fiduciam in verbo Domini habens, proficiscitur.

via licet asperrima nudipes :

cum socio quodam Homo Dei dicto

32 Secum gradiens quidam religiosus vir, qui omnibus mundi spretis, de nostris partibus fuerat oriundus, et loculos B. Raynerii portabat, ubi argentum quod ei dabatur pro eleemosyna mittebat, Homo-Dei nominatus. Beatus autem Raynerius quasi lumen candelæ in nocte, dum irent, ante pedes habebat : et ita ad lapidem die seu nocte nullatenus pedem offendebat. Tunc impletum est in eo quod scriptum est ; revela Domino viam tuam et spera in eo, et ipse faciet ; et Angelis suis mandavit de te, et in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Dei enim et Angelorum præsidio vectus, nullam sensit læsionem in pedibus. Ad S. Abrahamium cum pervenisset, cœpit Dominum jugi flagitare oratione, quatenus responso ab eo accepto suæ gratularetur pietatis immensitate. Mox Dominico perlustratus oraculo, audivit vocem dicentem ; Ad sepulcrum meum concito regredere gradu, ibique quam exoptas percipies sanitatem. Gratulabundus itaque remeans, ad optatum Deo gratias agens gloriosum devenit sepulcrum. Homo Dei vero, vir religiosus, de quo supra diximus, graviter pedes læsus Hierosolymam æger est reversus : cui pedes, crura, et coxæ in immensum tumefacta proruperunt in saniem, intollerabilemque fœtorem, ut manibus suis corium a coxa S. Raynerius usque ad pedes, in modum caligæ continuum, abstraheret : sicque in Dei servitio vitam temporalem perdidit, et sempiternam ante Deum perseverando usque in finem invenit; sicut ipse Dominus dicit;

Is. 36, 5 et 90, 11

et ipse quidem illæsus permanet

sed socium graviter læsum amittit,

Matth. 10, 39

A dicit ; qui perdiderit animam suam propter me, salvam eam fecit.

deinde per visionem discit :

33 Sanctus igitur Raynerius, cum regressus sua sopori membra dedisset, quædam caldaria argentea, inæstimabilibus ornata gemmis, per visionem ante eum portata est, plena oleo, pice, et naphta, quæ in Caldaria exurebantur, super accensa flamma permaxima. S. Raynerius caldariæ admirans pulchritudinem, perdolens tantum opus ita aduri, dicere cœpit clamans in ipsa visione : O ineffabile damnum ! quis huic tam decoræ rei poterit apponere remedium ? et multi, ut caldariæ igneam extinguerent, perplurima in eam projiciebant, quæ non leniebant ignem, sed magis ac magis accendebant. Continuo porrecta est B. Raynerio aquæ ampulla, ut in Caldariam projiceret : de qua cum tres vel quatuor guttas in eam projecisset, subito extincta est, ut nihil in ea caloris sentiri posset. Raynerius aliquas hoc inspiciens, voce magna clamavit, dicens ; Domine Deus, quid est hoc ! multi multa et diversa apposuerunt, ut ignem tollerent, et non valuerunt ; et ecce quatuor guttæ aquæ omnem ejus impetum sedaverunt. Ad hæc vox ei facta est, caldaria tuum

corpus suum curandum etiam ab incentivo libidinis,

B Corpus est ; diversa, quæ multi apposuerunt medicamina, tibi apposita sunt, quæ tibi non proderant, magis autem oberant. Aquam exhinc bibe, et omne tuum corpus eo modo purgabitur, et igne luxuriæ (agitabatur enim in Corpus ejus adhuc incentivo libidinis, licet corpus domaret suum abstinentiis et nimiis vigiliis) Ecce nunc ei gratiam dedi, quam David Psalmista a me humiliter exoravit dicens. Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. In punctura enim labiorum tuorum labia tua in æternum custodiam, ut mortalem ullum, vel criminale ab ore tuo amplius non procedat.

si deinceps aquam biberet,

34 Sic ad se reversus, visio ab eo discessit. Exhinc Sanctissimus Raynerius numquam nisi aquam in suo potu sumpsit, statimque convaluit : et in hoc usque ad finem vitæ Corporalis suæ perstitit, plus minusve viginti annis. Itaque impletum est quod Dominus dicit per Moysem, Nazaræus vinum non bibet neque omne quod ebriare potest. Nunc, fratres mei, diligenter attendite modicum si-

quod per annos 20 observat.

quando nobis aliquod immittit flagellum, non murmuremus ; sed Deo gratias agamus, ut sic pro peccato per flagellum misericordiam consequamur ; sic pro dono augendo, ut nunc factum audistis B. Ray-

C nerio, ingrati nequaquam simus. Cum vero B. Raynerius pro sumendo cibo ad illum qui in muris Hierusalem solitarius, sicut et multi alii solitarii, degebat, pergeret, de quo supra diximus, vinum ei in potu præbuit : quod quid esset interrogans, omnino respuens nequaquam bibit. Tunc ille dixit ei ; postquam tu vinum non potas, nolo ut amplius mecum prandeas. Ipso autem inde descendente factum est verbum Domini super eum : Nolo tu de cætero discurras ad sumendum cum alio cibum ; tuum vero habita habitaculum, ubi meum tibi dabo prandium.

[illegible]

35 Tunc beatissimus Raynerius apud quamdam Religiosam Matronam suum elegit hospitium ; et inde non exiit, donec ad nos venit missus, prout Dominus noster Jesus Christus discipulis in doctrina sua tradidit dicens ; In quamcumque domum intraveritis ibi manete, et inde ne exeatis, et de domo in domum ne transeatis. Hæc autem mulier, honesta valde, ipsi præparando ministrabat cibum, quem pro sanctitate sicut unicum amabat filium. Ita et Domino nostro Jesu Christo mulieres ministraverunt, sicut scriptum est : Erat autem Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris, et Salome, et Joseph Mater, cum esset in Galilæa sequebantur eum, et ministrabant ei. Accipiebat autem eleemosynam a

Luc. 15. 5

Matth. 15, 40

quocumque ei in sepulcro Domini dante. Unde verbum patris factum est ad eum dicens ; eleemosynam caute vide ne amplius accipias, nisi a me : Quicumque autem tibi aliquid dederit te non petente, nec in eum ut det respiciente ; scito tu quod hoc accipies per me. Non enim permittebat eum aggregare, nec faciebat ei dare ultra viginti novem nummos singillatim ei datos : et hoc tamdiu fecit, donec pro pupillo, ut ei Dominus præcepit, pecuniam collegit, de quo in suo loco latius audietis.

D

A BENINCASA PANIS

vivit eleemosynis non petenti datis,

36 Peracta vero pœnitentia tantum ei largitus est, ut cum ad nos in Civitate Pisana venit, per annum suffecerit illi ; Post quæ præparavit ei Deus hominem, quem præ cæteris dilectum habebat, qui sibi et puero suo victui necessaria ministrabat ; nec ab alio, Domino prohibente, recipere ausus erat, atque ei dicente : Exonera te, ut a nullo alio aliquid pro cibo sumas. Dum die quadam in Sepulcri ecclesia foret, juxtaque Domini sepulcrum oraret, reverentiæ causa circuire illud satagens, quiddam ei mirabile accidit, quod homo purus, nec Angelus de cœlo veniens, posset ad liquidum explicare. Cœpit ex eo tanta odoris abundantia exhalare, ut tota

deinde ab uno solo præbitis ;

cœlestem odorem spirans, circuit S. Sepulcrum.

E circumstans turba, ac si in stuporem versa, repleretur ; et de tam ineffabili odore, unde procederet, ab eis prorsus ignoraretur, ut ab ipso, siquidem cum hac inenarrabili gratia, ter dominicum Mausoleum circuiretur. Tunc impletum est illud, Ecce odor filii mei sicut agri pleni, cui benedixit Dominus *o*.

Gen. 27, 27

o

ANNOTATA D. P.

a *De* Pilurica *supra actum : de* Selavina *peregrinorum rudi ac talari veste, pluribus et erudite Cangius in Glossario ubi de* Pilurica *nihil.*

b Barca, *navis, in omnibus fere vulgaribus linguis*

c Pitancia, *quotidiani victus dimensum, vide Cangium in voce* pictancia, *multis docentem latius educlum eo sæpius intelligi. Legraphum nostrum* Brancae : *unde* bilancias *aliquis forte suspicaretur, cogitando de libris rationum, in quos mercatores data et accepta referentes, dicuntur bilancias seu bilancia tenere. Sed huc loco rarius congruit [illegible] talis cogitatio licet Raynerius mercator [illegible].*

d *Annus hujus peregrinationis videtur concurrere cum anno Christi* 1139 *siquidem infra num. 34 dicitur post eam* 20 *annis mansisse, quando ea Guilielmo, Tyri postea Archiepiscopo, scimus in ea Cathedra sedisse* Fulcherium. *Quis vero Sidonis Episcopus fuerit needum comperi.*

F

e *Utique non substantialiter, sed per affectum unitivi amoris Raynerium assumentis, ad applicandum hominibus pretium redemptionis a Christo in carne acquisitæ : quod infra iterum subintelligo : et sic ille infra dicitur filius Dei non naturalis, sed adoptivus.*

f Serabula, Seraballa, Saraballa, *pro braccis seu femoralibus sumuntur. De quibus præter jam de primo, vide Cangium. Et in prima forte scriptione vocalis* u, *pro* a, *perperam obrepsit.*

g *Ughellus tom 7. col.* 1275 *in charta anni* 1275 *habet* 4 sandalnes de seta, quarum una est de... alia de catablattio, alia de Baldekino, reliqua vero est rolata : *damnat hanc lectionem Cangius malletque legi* Baldekinum : *sed revera hanc vocem apparet significare formam operis facti, ista qualitatem materiæ, quod etiam de* Baldinella *intelligo, esse scilicet subtilioris Sindonis speciem, sic dictam a loco unde ex oriente advehitur, puta Seleucia vulgo Baldach dicta Syriæ urbe.*

h *In aliqua scilicet sanctæ Resurrectionis parte, aut certa quadam hora : præcipuum enim et tempus et locum vendicabat sibi Latinus Patriarcha cum suo Clero.*

A BENINCASA EX MS.

Clero. Græcæ non meminit Auctor, fortassis qui hanc, mercatoribus magis notam intelligebat Sanctus: Razzius, pro suo captu, universaliter scribit, non intellexisse Raynerium Ecclesiæ illius Officia, quia fiebant lingua Syra vel Græca, *quasi non etiam fierent et* Latina.

i *Credo indicari* sepulchrum Abraham, *sive speluncam duplicem, in qua ipse et Sara, Isaac et Rebecca sepulti fuerunt prope Hebron, ubi ecclesiam olim Cathedralem fuisse testis est Bredenbachius: distat* 10 *leucis ab Hierusalem.*

k *A civitate sancta usque Hebron per Bethlehem, perpetuo fere montium jugo eundum est.*

l *Sic* Ferri *masculine Italis dicuntur, ferreæ equorum soleæ.*

m Subtellares *alias* Sotulares, *quasi* subtalares, *calcei.*

n Ascalon, *quæ adhuc a Turcis tenebatur, primum venit in potestatem Christianorum anno* 1154; *nec ullo re impediebantur, quin ad Montana Judææ secundum torrentem Sorec, recta excurrerent, indeque peregrinos infestarent.*

o *Hic dubitavit Ceffinius, an non deficiant saltem duæ paginæ.*

B

CAPUT III.

De divinis quibusdam favoribus in Raynerium collatis, tum apud Jerusalem orantem, tum in monte Quarantenæ quadragenarium jejunium servantem.

In Templo fragrantiam incensi percipit,

Contigit quodam tempore, ut B. Raynerius, orationis causa, moraretur in Domini Templo, et ecce odorem incensi, qui consueverat de intrinsecus accedere, cœpit extrinsecus copiose sentire: unde quid esset, Deum positis in pavimento poplitibus, cœpit exorare, lævum in partem spectans, nihilque videns: postremo in dextram lumina vertit: et ecce columbam albissimam præ oculis habuit; quæ cum alas ante ejus faciem aperiret, incensi fumum quasi globum de sub alis emittebat. Mox Dei servus, in faciem procidens, de tam sublimi visione gratias magnas ipsi Deo agebat; intuensque parvulam columbam ad aurem suam dextram volitare; sensit ipsum Spiritum sanctum in columbæ specie in se intrasse. Continuo odor incensi, quem in exterioribus senserat, ab interioribus per nares ubertim emanabat. Tunc impletum est in isto, quod in semet Dominus Jesus Christus dicit in Evangelio: si diligitis me mandata mea servate, et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit. Quod evidenter S. Raynerio, ut modo audistis, monstratum est.

C

et columbæ specie venientem in se spiritum S.

Joan. 14, 16

38 Alio quoque tempore, cum in Domini esset Sepulcro, ab oculis ejus fulgor exiit nimius, ut per triduum quascumque inspiceret litteras, non viderentur atramento scriptæ, sed auro omnes impressæ. Sicque impletum est, si corpus tuum fuerit lucidum, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te; prout ipse nobis referebat. Tunc illuminavit eum lux vera Christus de infinitis, quæ usque ad mundi finem futura essent. De quibus quædam jam liquido clarent. Quodam in tempore Galilæam tetendit Raynerius, ut in Nazareth, loco ubi nutritus fuerat Dominus, Cœli creator Jesus Christus, orationes funderet quadraginta diebus et noctibus. Cognita a sacerdotibus, qui in ecclesia prædicti loci officia celebrabant, ejus sanctitate ac vita; licentiam ei dederunt, quacumque hora diei vel noctis vellet, morandi in ecclesia ipsa. Clerici quidem illi transmarini in primo Galli cantu officia nocturna faciunt, quibus expletis ad priores mansiones cubatum redeunt: Sanctus autem Raynerius, ut orationem prænoctans compleret, remanebat interius, valvis tamen ecclesiæ benefirmatis exterius.

fulgore a suis oculis procedente videt litteras omnes aureas.

Luc. 11, 36

D

39 Cum quadam ibi nocte orationem ante altare funderet, pro Sacerdotibus et illa ecclesia, ut Dei viam ambularent, et ejus facerent mandata, quod numquam prius fecerat; statim apparuit ei Sathanas, ardentibus et terribilibus oculis, in tetra et horribili forma; Heus te, dicens; Ora patrem tuum quidquid tibi placet. Sed pro hoc orare noli: hunc enim agrum seminavi ego, hæc messis mea est: ne mittas in eam tuam falcem, quia senties me tecum cominus bellantem. Ad hæc Raynerius, Deo carus, non a per te desinam hanc precem fundere. Tu in tua confidis superbia et sublimitate, et ego te vincam in Domini mansuetudine et ejus humilitate: sicque cœpit iterum postulare. Confestim Boemoth ille, in momento, omnia ecclesiæ luminaria extinxit; et ipsum ab altari evellens, usque ad atrium ecclesiæ intus per oppositum portavit, et super quædam sedilia statuit, nihilque ei nocuit. Tunc Raynerius intra se cœpit cogitare: Nunc sum in hac alta rupe: si forte de hoc amplius oravero, projiciet me per hoc magnum præcipitium. Feriebat ergo manus super genua; Quid faciam? dicendo; heu! heu! frequenter repetendo. Noctem igitur illam transegit insomnem nihil orando. Sequenti ergo nocte, tamquam nihil ei acciderit, fortior coram Domino, ut precem prædictam ad ipsum porrigeret, surrexit, nec ausus diabolus et sathanas fuit inferre ei aliquod signum Congressionis. Siquando, Fratres mei et Sorores in Domino, diabolus in Dei servitio impedire voluerit nos, locum ne ei dederimus; sed fortiores ad idem faciendum surgamus. Unde et Deus in sua Sapientia dicit: Si spiritus potestatem habentis super te ascenderit, locum tuum ei ne dederis. Et B. Jacobus Apostolus ait: resistite diabolo, et fugiet a vobis; appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.

Dæmonem orationes ejus impedire conantem,

a

E

in eis perseverando vincit;

Eccl. 10, 4

Jac. 4, 8

40 Voluit et desiderando concupivit quadragenam facere, ubi Dominus noster et Salvator Jesus Christus diebus continuis quadraginta et noctibus jejunavit, posteaque esuriit. Quapropter Sepulcri Canonicos adiens, ad quorum ditionem locus ille pertinet, se dicens adulterum, homicidam, *b* perjurum, variis criminibus innodatum, ibique peccata sua per dies XL desiderare flere; ab eis impetravit, ut quando cum illis qui in Quadragena degunt manibus [laboraret], eorum refectione pranderet; quando autem non laboraret, precio, et non eorum cibo contentus foret. Igitur Canonici uni de Quadragena eum commendarunt, et jam dicto pacto perduxit eum illuc. Tunc dixit eis B. Raynerius: Quamdiu de meo habeo cibo, laborare vobiscum nolo. Jejunavit itaque ibi primum a Die Dominica usque in V feriam. Hac die ita gratulanter manuale opus cum eis egit, acsi omni die diversis plenus fuisset epulis; indeque in diem Dominicam abstinuit. Ita in tota Quadragesima in hebdomada quaque non nisi bis prandium accepit. Porro prædicti viri, jejunii et orationis atque vigiliarum ejus considerantes instantiam, ipsum deprecati sunt, ut nihil cum eis operis manibus ageret; opus vero cœptum et Deo placitum instanter perageret, refectionemque cum ipsis una caperet. Sed Deus, qui ex alto ubique præsens, cujusque desiderium et votum speculatur, carnes ejus obesas invisibili cibo servabat, et odorum diversitate nimia ejus corpus mentemque pascebat. Belial vero, qui humani

F

b

Quadragenarium jejunium, in eodem ubi Christus loco,

bis hebdomadatim vescens, absolvit

A mani generis est callidus æmulator, lapides super ipsam Quadragenam pergrandes dejecit, et lapidum incursu locus ipse totus, quasi ad ima rueret, intremuit; volens istum, qui in Dei erat servitio pervigil, si posset occidere, vel ut eum ab ipsius jugi deterreret opere. Leviathan tamen tentare potest tantum, quantum permittit Omnipotens.

quod alio anno iterum faciens,

41 In hunc quoque modum duas alias vertentibus ibi peregit annis Quadragesimas: in quarum una omnipotens Deus, qui in ipso suum fecerat habitaculum, B. Raynerio, inter omnia quibus eum lætificabat hoc ei monstravit summum et præcipuum. Nam cum pro mortuis legeret generaliter Psalterium, specialiter tamen pro patre suo Glandulfo, matre Mingarda, atque sorore sua Bella, nec non pro Magistro suo Presbytero Henrico, et Joanne de Corsica, atque Bernardo sutore; cum ad id ventum foret loci ubi dicitur, Minuisti eum paulo minus ab Angelis, vox ei interclusa est, ut nihil dicere posset. Cumque niteretur solitam vocem emittere, et nequaquam valeret; ecce incensi odor cœpit ei exire per os et nares et cum eo vox clarior, et a sua differens major, sic inferens: et Minui me ab Angelis gloria, et honore coronavi te, et constitui te super B opera mea; quæ de Deo erant; loquens in prima persona, quæ de David dici videbantur, de isto proferebat in secunda: et cum iste in fine Psalmi, requiem æternam dona eis Domine, diceret; hæc vox gloriam sic decantabat; Gloria Patri in te, Gloria Spiritui sancto in te cumque finita esset pagella in legendo, vertebat aliam B. Raynerius, tamquam suus Minister et auditor; seriatim veniens eo loci ubi scriptum est, Concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia; Quod sic ei legit: Ego concidi cerebrum tuum ad lacrymas emittendas, et post replevi te lætitia cæcitatem auferendo, et lumen restituendo. Hæc sicut ab eodem B. Raynerio audivimus per partes exposita, ita vobis referimus: singula namque ab eo nequaquam perquisivimus.

psallensque pro mortuis

audit divinitus applicari sibi verba Psalmista.

Item ei accidit in Psalmo, Eructavit;

42 Ordine vero legendi procedente, ad Epithalamium, Eructavit cor meum Verbum bonum, pervenit: ubi vox ipsa, se et quid esset manifeste aperuit in versu ipso. Audi, filia, et vide, sic in secunda persona dicens ad ipsum audi me, fili, et cognosce me, quia ego sum Deus Creator tuus, qui creavi te ex utero matris tuæ. Ad hanc vocem Raynerius Sanctissimus, cui tam magna et mirabilia C monstrata sunt Psalterium clausit, atque deposuit: ad nutum tamen et ejus voluntatem, qui in ipso erat per os ejus legentis [loquebatur]: positisque in terram genibus, ait, O Deus meus, cœli, terræque creator, non sum ego dignus ut per os meum loquaris, adulteri, perjuri, homicidæ, omnium nodo criminum circumplexi. Et surgens de terra, et Psalterium accipiens, dixit ei Deus ita: Audi me, fili, ego sum Deus, creator tuus, ego te creavi de utero matris tuæ. Ego sum resurrectio mortuorum: propter quod ego elegi te, ut ostenderem virtutem meam in te, in generatione et gentibus, civitate mea et tua, atque populo meo Christiano. Et sic in Syon firmavi te, ut esses dux et Princeps super populum meum Christianum. Hanc ei promissionem fecit creator suus, quam jam ex parte impleri videmus; cum autem impleta fuerit, evidentius ea intelligemus.

non item ad Psalmum 87 pœnitentialem;

43 Itaque legendo ad octogesimum septimum Psalmum, Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te, intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam; feliciter perlegit hos duos de hoc Psalmo versus tantum, reliquos non legit; et dicens illi, Hodie meam ostendo tibi gloriam, ideo hos tristitiæ versus in te non exponam: sicque seriatim pervenit dicens, juravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in D æternum secundum ordinem Melchisedech. Sed cum de Domino Jesu Christo versus iste legatur, quomodo de isto legit ipsemet Deus, sic primo solvimus: Qui potest capere, capiat: non omnes capiunt hoc verbum: secundo vero sic dicemus eis, [Est] Sacerdos officio, cui apponitur unctio invisibilis; Hoc modo de B. Raynerio non legit: Et est Sacerdos mortificatione carnis. Unde Beatus Apostolus ait: Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Quicumque Deo hostiam offert, Sacerdos est secundum hunc modum, et bonæ mulieres corpora sua Crucifigentes Sacerdotis nomine censentur: Unde et Petrus ait, Vos estis ergo genus electum, regale Sacerdotium. Ideo mulieres et viri Carismate, fronte et vertice unguntur, ut adversus diabolum simus Reges et Sacerdotes pugnantes semper, et orantes. Et Joannes in Apocalypsi sua, et fecit nos Deo nostro regnum, et Sacerdotes.

sed ad 109, in quo Tu es Sacerdos in æternum,

44 Et ita procedendo totum perlegit Psalterium, canticaque omnia, atque litanias: quibus in letaniis sic Deus aiebat: veniat mater mea, et adoret me in te; veniat Michael meus, Gabriel et Raphael, et om- E nes Angeli mei, et adorent me in te; veniant Patriarchæ, et Prophetæ mei, et adorent me in te; veniat Petrus meus, et adoret me in te, veniat Paulus meus, et adoret me in te et sic processit in Reliquis Martyribus, Confessoribus, Virginibus, Viduis, et Conjugatis, et nominatim sic et in genere omnia complevit. Tandem in hæc verba finem fecit, Et pro hoc Psalterio, quod ego legi super te hodie, faciam ante conspectum gloriæ meæ hodie esse patrem tuum, et matrem tuam, atque sororem tuam, magistrum tuum Presbyterum Henricum, Joannem de Corsica, et Bernardum sutorem. Hæc Dei cum S. Raynerio locutio, a Mane usque in mediam noctem protracta est, in loco ubi ipsemet Deus jejunavit XL diebus. Tunc præcepit ei Deus, ut os suum signaret, usque ad tempus quo hæc populo panderet. O si Psalterium sic lectum haberemus, ut ipsemet nobis referebat, omnis Scriptura divina nobis scripta foret.

itemque in recitandis Litaniis,

sub quibus Christus se ipsum in illo jussit adorari a Sanctis.

45 Præterea B. Raynerius dicebat quia tale quid mihi Deus contulit, quod nec Matri nec alicui Angelorum, vel Sanctorum umquam concessit, ut per os eorum [Psalterium] ipsemet nullo mediante tam evidenter totum monstraverit, Et quod Matrem, An- F gelos, cæteros Sanctos, Sanctasque vocans, ipsum Deum in se ipso adoraverint. In quo non parva S. Raynerio exhibita est reverentia, cum omnes, propter Deum in ipso, flexerint ei genua. Sed perverse ipsius dicta ad suam illorum confusionem intelligentes, dicebant; Se glorificat: præponit enim se Matri Domini, Angelis, et omnibus sanctis. Sed modo, Carissimi, intellexistis, quid ei a Domino dictum factumque sit, et sicut ei præcepit tempore suo ipse annuntiavit nobis. Si enim hæc nobis non dixisset, quis seminando in exemplum tantæ misericordiæ Dei in nobis, umquam scripsisset? Hoc non erat se laudare, sed Patrem Deum glorificare, qui talia in suis fidelibus dignatur facere et ostendere. De his vero quæ ei fecit Deus, vobis suo populo annunciatis, ait postea illi: Ego ante lucem te mea verba populo dicere feci.

quæ cum de se dixit Raynerius

non se, sed Deum glorificavit:

46 Ne tamen, pro his in quadragena ei a Domino factis, aliqua ei jactantiæ suboriretur pompa; sine mora Sacerdotem, in ea Sacerdotum officium celebrantem, sibi adversarium suscitavit. Qui facta ejus exprobrabat dicens; diabolus numquam comedit: semper in ecclesia est, non ut sibi prosit, sed ut aliis obsit: semper jejunat, sicut tu Rayneri, facis. Sed Raynerius, Dei athleta, præ nimia Sacerdotis cæcitate

interim detrahentem sibi Sacerdotem patitur:

Eremitæ mendicantem quem mox divinitus punitum,

A cæcitate vehementer indoluit, et quasi oblitus omnium a Domino dictorum seu factorum, propter exprobrantis opprobria iterata et frequentata, manebat nimis lugubris. Sequenti autem nocte vidit in visione quemdam vetustam Virum, in renibus cum baculo quemdam ferientem canem, et occidentem; Raynerio Eremita fortiter clamante, Ne occidas eum, Domine. At quia nimiis vigiliis, et Orationibus erat semper intentus, prævenit cæteros in Matutinale Deum suppliciter postulare. Completo quod in nocte proposuerat facere, miratur quare Sacerdos ad Matutinas cantandas tardabat surgere; faciens que eum vocari respondit, se non amplius de lecto surrecturum, quia in renibus patiebatur ultra modum. Eremita Raynerius, sui memor visionis, et qui eum vocaverat dixit: Vade, et eum commone, ut pœnitentiam accipiat de suis peccatis, quia finis vitæ ejus appropinquavit. Sacerdos pro nihilo totum reputans, quasi in ventum loqueretur, derisit. Mane facto surgens Sacerdos, qualiter valuit de quadragena descendit: Et numquam repertum est postea quo ierit, aut quid de eo factum fuerit. Unde, carissimi, bonis viris cessate exprobrare, quia cujus sunt templum sciet sui templi injurias, quando vult, et quo-B modo vult vindicare.

frustra monet de pœnitentia pœnitentia.

ANNOTATA D. P.

a Per, *Italico idiotismo, Latinis* Propter.

b *Eo scilicet modo quo sancti in seipsis agnoscunt et flent peccata, non quæ fecerunt, sed quæ facturi fuissent, si Dei gratia eos non præservasset. Vide ad 25 Maji Vitam, S. Mariæ Magd. de Pazzis num.* 110.

c *De his tribus quinam fuerint, cum nusquam infra nominentur, frustra quæsieris.*

CAPUT IV.

Reliqua sancti acta in Terra-sancta.

Quadragenam simul cum aliis in monte Thabor,

Factum est autem tempore procedente, ut Dei servus Raynerius locum in quo transfiguratus est Dominus, coram Petro, Jacobo, et Joanne, montem excelsum seorsum, qui est mons Tabor, cuperet visitare, et ibi per quadraginta dierum spatium fere. Per viam igitur dum iret illius deserti, in ipso deserto reperit duas hyænas, quas vulgus vocat *a* lonzas, leone velociores et audaciores quæ quidem, ut aiunt, de leopardo *b* et leæna, sive de leone et leoparda generantur, hæc animalia visis quotcumque hominibus nullatenus pavent, sed protinus in eos impetum movent, et quos apprehenderint discerpunt in partes, præter viam altrinsecus morantes S. Raynerius a longe vidit, et recognovit: sed quia justus sicut leo confidit, nec viam declinare poterat, cœpit recto itinere intrepidus approximare eis, dicens: Si in me potestatem acceperitis, facite quod potestis. Illæ vero, quasi amicum præstolantes, capite demisso blandiebantur ei caudis. Eremita Dei sanctus, peracta via quam cœperat, incolumis ad montem Dei Thabor pervenit. Tunc impletum est, quod ipsa dicit sapientia Dei: Creatura tibi creatori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos: lenior est autem ad benefaciendum his, qui in te confidunt.

pantheras duas innoxia transit;

Sap. 16, 24

48 Dedit itaque ei Deus gratiam apud Abbatem loci illius, ut in claustro esset cum eis, sive cum aliis qui ipsis serviebant in mensa. Quia vero nolebat ante mediam diem cibum capere, posteriorem discumbentium mensam elegit. Accidit autem die quadam, cum Abbas cum Monachis recumberet, istum solitarium fore in eo montis loco, ubi Dominus Jesus coram tribus dictis discipulis transfiguratus est,

prandentibus Monachis,

volens illis ad modicum ostendere perennem splen- D dorem et resurrectionis gloriam, quam perenniter habituri essent. Eremita itaque nostro de hac mirifica transfiguratione cogitante, ex insperato nimius processit splendor ab oculis ejus: viditque in ipso splendore, cum Moyse et Elia, Jesum nostrum splendidiorem ut quoque modo nobis patescat) septempliciter ipso sole. Stupefactus quidem præ nimia claritate in terram ruit, cadens in suam faciem. Abscedente transfiguratione ista cum suo fulgore, ad se reversus de terra surgit: et quia prandendi imminebat hora, lætus in claustrum redit. Quem cum Abbas inspiceret, ei dixit: Dic nobis, quid vidisti? splendet enim facies tua nimis. At ille, pro ut Deus volebat, secretum istud quasi cum eis jocans penitus velavit. Rogabant autem eum, ut diebus quadraginta peractis semper maneret ibi: Ipsius vero cor semper erat in Sepulcro Domini, ubi simili modo sui voluit expoliari.

ipse ibidem videt Transfigurationis mysterium,

et redit cum facie splendenti:

49 In ecclesiam Sepulcri Domini reversus, cum facto non modico temporis intervallo, iterum in quadragenam, vel in montem Thabor cuperet reverti; ecce Dominus per visionem apparuit ei, tres ei Candelas monstrans, ad militaris mensuram hastæ longas: media autem duarum multo plus cæteris in altum se porrigebat. Cum autem Raynerius a Domino perquireret, quid sunt hæ candelæ, Domine mi? et ille, Tres, inquit, candelæ tria mea loca sacra sunt: media, quæ duabus præeminet, Sepulcrum meum est; ubi de cætero te volo assiduum esse, nec alio dum tibi dicam usquam longe tendere. Istæ aliæ duæ, Quadragena sunt et mons Thabor, ubi tu jam fuisti. Ex ea hora tantus ei ardor in Sepulcro fuit permorandi, ut vix posset prandere, vel cubare, et non ibi fore.

docetur Sepulcrum Domini duobus aliis locis præferre;

E

50 Quadam die, cum B. Raynerius pauperem quemdam invitasset ad prandium, factus est pauper pane satur, gratiasque agens Deo recessit: panis tamen fere integer ibi remansit. Alium pauperem introduxit, et iterum saturatus est, et abscessit; et idem panis integræ ferme quantitatis, ut prius, fuit. Similiter separatim tertium et quartum usque ad decimum intromisit: et omnibus saturatis panis tamen idem totus fere superfuit. Hoc ipsemet Raynerius videns, summas Deo gratias retulit: statimque verbum Domini in eo permanens, super eum factum, dixit ei; Ego hodie feci te similem mei: sicut enim de quinque panibus quinque millia hominum satiavi, et superfuit; ita tu hodie decem homines ex uno de uno pane saturasti, et totum postea panem ferme sustulisti.

decem pauperes eodem medio pane successive pascit

F

51 Dum in Domini Sepulchro, pro Ecclesia et Sacerdotibus quodam tempore Deum obnixe precaretur, ut lux forent populi; confestim verbum Domini per os ejus respondit ei: Ego Sacerdotes in manu Sathanæ tradidi. Interim vero noster Raynerius, incidens capillos suos manibus, in terram corruit, dicens; Heu! Domine, ergone et populus traditus est, quia viam illorum sequimur? Quid ergo erit de Monachis et *c* Canonicis? respondit; Canonici et Monachi, si fecerint quæ promittunt, ad me venient; sin autem, de reliquorum massa erunt. Tunc ipse hoc audiens, octo diebus stetit velut mortuus, neque orans, neque quod consueverat faciens. Adveniente autem octavo die factum est verbum Domini ad eum dicens: Surge, et noli sicut mortuus esse; quia non ideo te feci, et præ aliis te elegi. Incipe jam nunc pœnitentiam pro populo agere. Panem *d* opirum et aquam, in cibo tuo tantum habe: pro populo ipso sine interpellatione exora me, usque dum tecum illuc veniam, ubi populum meum Christianum liberabo pro te. Exhinc Raynerius peregrinus, pro populo absque cessatione Deum flagitabat; corpus suum solito

Discit Cleri incorrigibilem pravitatem,

c

pro populo autem jubetur solo furfureo pane ac aqua vesci;

d

A lito magis vigiliis, orationibus, atque jejuniis affligebat; panem opirum cum aqua tantum diebus constitutis mandebat.

cumque aliquando paulo meliorem emisset non invento deteriore;

52 Casu autem accidit, ut die quadam, qua cibum suo corpori tribuere debuit, tempestivus ad emendum panem opirum in forum iret; et unum hominem tantum ibi reperiret, venalem panem habentem, aliquantulum meliorem eo quem comedere solebat. Hunc cum festinatione panem emit, dicens intra se: Deo gratias, quoniam hodie panem habeo meliorem: non enim invenire valui deteriorem; nec ipse mihi Deus male poterit dicere inde. Et ita ad Matronæ suæ *e* Romanæ regrediebatur hospitium, ad istum panem lætus reponendum. In ipso autem itinere. Confestim verbum Domini factum est super eum, dicens illi: Nequaquam ex hoc pane intrabit in os tuum: mecum redi, et qualem accipere debeas monstrabo tibi. Peregrinus noster reluctans dicebat ei. Sic ero semper servus, ut non audeam vel semel minus malo pane vesci? Mihi melius esset ut mortuus forem, quam sub tali jugo incessanter sim positus. Verbumque ait illi: Noli multum loqui: revertere, ut dixi: quia de illo non manducabis.

etiam priori pejorem jubetur emere,

B Duxit itaque eum ad quemdam, cujus panis tanto erat deterior, quanto quem emerat solito erat melior; et ait illi: hunc eme panem. B. Raynerius, cantabricum *f* considerans panem, dolens emit dicens intra se; melius mihi fuerat si præstolatus fuissem, donec solitum panem accepissem: alium vero panem, quem casu emerat, pauperibus est largitus. In hora prandii panem benedixit, et fregit opirum. Quem cum comederet, omne ei pigmentorum genus in eo fore est visum. Gratias ergo retulit, potentiam ejus in omni re esse cognoscens: et nullus contra Deum murmuret dicens, quia unde putat quis esse turbatus, si Deo obedierit, aderit lætificatus. Hanc pro populo pœnitentiam tam asperam usque in septennium protraxit: septem vero Completis annis, ita ei Dominus de hac pœnitentia dixit: ecce pro populo meo Christiano mihi satisfecisti; nunc deinceps a me licentiam accipe, ut omnia cibaria, præter carnes, vinum, et sagimen et præter a quibus Nazaræi abstinent, valeas mandere. Tu tamen instanter orationem funde pro populo meo ad me, usque dum trans mare ducam te, et ibi eum liberabo pro te.

f

cumque invenit sapidissimum

C 53 Factum est ut dies nativitatis Domini nostri Jesu Christi instaret. Tunc per maximum festum, ubi Deus natus est, celebrabatur ab omni populo regni illius in Bethlehem. Adhuc festum, in vigilia nativitatis ipsius, properabat ire B. Raynerius; sed, sicut volebat Deus, iter non movit nisi Nona jam dicta Hierosolymis: unde anxius cœpit velociter ire, quamquam Vesperas tantæ diei timebat perdere. At Dominus, qui Abachuc Prophetam de Judæa in Babylonem in momento tulit, hunc, ita ut sibi videretur semper per rectam pergere viam, in eadem hora nona in Bethlehem pulsante perduxit. Tunc hujus facti Raynerius adhuc inscius, tintinnabulum audiens, si Vesperæ essent cantatæ vel cantarentur, perquisivit. Percunctanti de tali admirantes quæstione, responderunt; Non sunt Vesperæ, sed Nonæ nunc officia cantantur Horæ. Ad se ergo reversus B. Raynerius intellexit, non suis pedibus, sed Dei potentia, in eadem hora, qua de Hierusalem iter moverat in principio ejusdem Horæ illuc pervenisse, gratias referens summæ Dei Magnificentiæ et gloriosæ Nativitati suæ.

Hierosolymis in Bethleem momento transfertur.

54 Animadvertimus quod nullus amicus est, qui pro proprio tanta velit facere amico, quanta Deus omnipotens faciebat pro isto fideli suo. Imitemur igitur istum, ut participes simus sanctitatis istius, et pro nobis ipse intercessor ad Dominum Deum existat, cujus pro nobis salvandis carnem induerat. Dixerat namque ei Deus; Ego feci te similem mei: sicut enim feci me filium populi mei [judaici], pro humano genere salvando, de Ancilla mea Carnem assumens, et carnem illam portavi in Cœlum, et est ibi mecum; ita nunc factus sum filius populi mei Christiani, pro eo salvando, carnem tuam *g* induens; et eam faciam remanere in terra, et adorari ab omnibus gentibus, quæ sunt in ea. Debuit ergo iste injurias easdem pati a consimilibus personis, quos ipse sustinuit homo Deus, nobiscum conversatus in terra. Illi creatorem lingua tantum crucifixerunt; isti suum sequacem et similem, verbis, et blasphemiis, absque modo injuriati sunt: sed manet, quod de utrisque jam dedit sententiam Deus.

et Christo similior in carne sua patitur

D

A. BENINCASA EX MS.

g

55 Voluit Hierosolymis S. Raynerius quibusdam infirmantibus, ut curarentur, manus imponere; sed prohibuit eum Deus, dicens illi: Vide ne feceris, quia hunc ego in terris istis honorem tantum meæ *h* Matri servavi et donavi. Ego te ducam illuc, ubi tuo ministerio multos male habentes sum curaturus. Quod et hodie in infinitis impleri, absque ulla ambiguitate cognovimus.

Vetatur Hierosolymis ægros curare.

h

56 In illis diebus, cum de nostratibus ecclesiam sancti Sepulcri Domini intrassent, amicus Dei Raynerius eos de novis nostræ terræ diligenter est percunctatus. Inter alia autem nova retulerunt ei et istud, quoniam qui fuerat olim Pisani Archiepiscopatus Vice-Dominus, fungebatur generalis Cathedræ honore Papatus, *i* de quo satis est propter suam patriam exhilaratus. At illi addiderunt; et vocant eum debraccatum Romani, inter alia turpia, quæ in eum proferunt: et ex hoc B. Raynerius non modicum est turbatus. Illisque discedentibus, cœpit protinus intra se de Romana urbe cogitare, et in suo tacitus fari corde. Deus istam Romanam gentem præ omnibus gentibus honoravit: ibi Papatum super omnes alias Ecclesias constituit: aurum, argentum, gemmæ, et vestes prætiosæ de omni parte terrarum illuc afferuntur; diversarum negotia causarum de omnibus mundi partibus illic ventilantur, et deciduntur, seu amica concordia sopiuntur: gens tamen ista, tantum honorata a Deo, nihil recogitat horum; quinimmo, quod est deterius, ipsos summos Dei Sacerdotes inhonorat et a Sede sua sæpius depulsat. In veritate digni sunt dignitatem istam perdere, et eam nullatenus habere. Talia eo cogitante, factum est verbum Domini super eum, dicens: Factæ sunt cogitationes tuæ, viæ meæ, viæ tuæ; aio ego Dominus. Et quia cogitationes cordis Dei in generatione et generationem non mutantur, in futurum *k* procul dubio, quod Deus dixit, expectatur.

E

Intelligit, ob despectum Papæ

i

ab Urbe Roma auferendam Sedem

F

k

57 Beatus noster Raynerius, cum in asperrima hieme in Hierusalem multum ninxisset, et aeris qualitas in frigiditatem intensa foret, in Domini Sepulcro in marmoribus pedes tenens, frigere cœpit. Tum in cor ejus ascendit, quamdam in eadem civitate ecclesiam, ut ibi oraret, invisere; cujus erat pavimentum stratum de marmore suggerebat ei sua caro ne illuc iret, quod nix alta erat, et frigus maximum foret, et ecclesia ad quam ire volebat strata marmore esset, Spiritus suadebat ei, qui præesse debebat; Beatus vir qui suffert tentationem, *quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ: et, Oportet nos per multas tribulationes in cœlorum regnum intrare: et, Qui quæsivit animam suam salvam facere, perdet eam; et qui perdiderit animam suam, vivificabit eam. In hac lucta spiritus et carnis, Dominus obtinuit victoriam: nudis enim pedibus, sicut semper erat, per mediam et altam nivem ad ecclesiam illam, quæ aliquantulum longe distabat, confortatus perrexit. Ipso tangente pavimenti

Orans in pavimento marmoreo,

A menti marmora pedibus, mirabile dictu sive auditu! propter hæsitationem quam prius habuerat, ad eam coercendam, Deus ei fecit istud. Ferbuerunt enim ei marmora sub pedibus, sicut ignis ardentis caminus.

A BENINCASA EX MS.

ipsum sentit fervere sub pedibus suis,

58 Quia vero concitus erat pedibus foras saltum dedit, acsi totos pedes adustus. Cum foras exiit, dictum frigus intemperatum reperit: valde admirans, qualiter homines, qui in ecclesia erant, ibi fore possent: ab eis tamen callide perquisivit, si frigida sentirent marmora. Respondentes dixerunt, Etiam, propter aeris intemperiem, frigiditatem magnam habere et intensam. Tunc iterum B. Raynerius intravit ecclesiam; et, sicut erat cæteris, sensit frigidam, gratias Deo immensas referens, qui suam sic per contrarium corripuerat pigritiam ac diffidentiam. Non enim in Dei servitio aspera debemus timere; sed sicut leo, qui ad nullius pavet occursum, confidere. Nam ut ipse Deus dicit; si transieris per ignem tecum ero, et flamma non nocebit in te; si per aquam, flumina non operient te: et, Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et faciet ipse. Quæ iam nunc de vita ejus vobis præbavimus

ad aliorum instructionem

B et facta et dicta, monstrataque ei a Deo patre suo, quæ quasi summo digiti tetigimus. Quis enim sanctissimæ vitæ suæ omnia unquam scribere digne posset? Dictaque et facta, et a Deo ei patefacta, quæ innumerabilia adsunt, sicut ipse nobis referebat, recitare valeret? siquidem antea lingua deficeret: Nec ab eo omnia, sed quæ vobis scribimus, ab ejus ore vestra noscat Caritas, sæpius audivimus. Nunc ad discessum ejus de Hierusalem Domino jubente, tractatum nostrum vertamus.

ANNOTATA. D. P.

a Lonza *Italis est quam Latine* Pantheram *et* Pardalim *dicimus, Pardi femellam : quomodo autem* Hyænam *hic nominet Auctor, non capio, cum hæc sit aliquid medium inter canem et lupum : Minus mirum est, quod,*

b Leopardus *hic pro pardo,* Leoparda *pro Pardali usurpetur; passim enim inter hæc non distinguunt Occidentales, imo solum Leopardi nomen plerique norunt: interim accuratius loquentes censent* Leopardos *ex pardis et leænis, vel pantheris et Leonibus nasci, quod et nomen ipsum significat.*

c *Videtur intelligere* Canonicos Regulares, *quos in locum secularium induxerat Arnulfus Patriarcha,*

Cleri ... [illegible]

C *post an. 1111, propter depravatos aliorum mores : de quibus passim graves querelæ piorum scriptorum Terræ sanctæ; imprimis Jacobi de Vitriaco cap. 70, ubi disserens de causis perditionis eorum, quæ istic tam gloriose fuerant acquisita, incipit a Sanctuario Domini;* Pastores *inquit* semet-ipsos pascentes, lanam et lac de ovibus quærentes, de animabus autem non curantes, quinimmo et perditionis exempla in subjectos transmittentes; vaccæ pingues in monte Samariæ, facti sunt de Christi paupertate divites, de illius ignominia gloriosi, de Crucifixi patrimonio impinguati.... Dum enim quæ sua sunt quærerent, non quæ Jesu Christi, facti sunt cæci duces cæcorum, canes muti non valentes latrare, Domum Domini pompatice ingredientes; clavem scientiæ habentes, ipsi tamen nec intrabant, nec alios sinebant intrare; lepra autem Giezi miserabiliter respersi, cathedras vendentium columbas, et nummulariorum mensas, quas Dominus evertit, ipsi passim in Ecclesiis erigebant; dicentes cum Juda proditore, Quid vultis mihi dare? et ego vobis eum tradam. Omnes autem diligebant munera, sequebantur retributiones; auferentes claves Simoni Petro, et eas Simoni Mago tradentes; diffluentes autem luxu multiplici, et otio

D turpi marcentes, non solum de micis quæ cadebant de mensa Domini; sed et de panibus integris et de cibis delicatis alebant catellos suos, quos de turpibus concubinis ipsi turpiores procrearant. *Transit deinde ad Regularium vitia, sane gravia, sed quæ debeant festucæ videri ad istas trabes comparata; nec omnes universim accusat; sed* multi *inquit* ex ipsis melius affecti, viri justi et timorati, quantum eis in hac tempestate licebat, salutarem Regulam et sanctas Ordinis institutiones observantes, tamquam granum inter paleas et lilium inter spinas, puncti et compuncti, et vehementi cordis dolore intrinsecus graviter sauciati, non abierunt in consilio impiorum, et in via peccatorum non steterunt, nec sederunt in cathedra pestilentiæ.

plurium ibi Regularium improbitas

d *Matthæus Paris. ad an.* 1248 Tritico deficiente, panis eorum opirus et mucidus : *quam esse veram lectionem ex hoc loco patet, neque substituendum (uti Cangius in Gloss. suggerit)* Opicum, *id est vetustum (qua voce nemo aureo, nemo medio usus est ævo, sed forsan Enniano) vel* Autopyrum, *cui nihil furfuris sublatum est (quam vocem apud nullum Latinum scriptorem cujuscumque ævi invenias) sed* Panis opirus *idem est quod* Panis mel[l]emaacius, *ut habent Glossæ quædam MSS. apud Cangium, quid tamen* Maacius *sit ultra non explicat, ego autem vitiose scriptum reor, et legendum* Marcidus.

E

e *Proprione an gentili nomine* Romana *dicatur, dubitarem, nisi num.* 61 *idem nomen recurreret ut proprium.*

f *S. Petrus Damianus in Vita S. Rodulphi Episc. Eugubini ait, hunc edere solitum* panem, qui vel puro hordeo fieret, vel ex cantabro potius, quod projiciendum canibus de puerorum manibus remansisset: *et Papias,* Cantabrum *interpretatur,* furfur caninum, quo canes pascuntur, purgamenta tritici : *sic Juvenalis sat.* 5 Far caninum *dixit.*

g *Non quidem per unionem hypostaticam, ut jam dixi, ratione cujus sic assumptæ carni debetur honor latriæ; sed inferiori aliqua, cui honor similiter inferior respondeat.*

h *Cum nusquam legatur Deipara in Palæstina infirmos curavisse dum viveret, sciantur autem id fecisse Apostoli; intelligenda sunt verba de tempore tunc præsenti, quasi per neminem alium ibi ejusmodi miracula fierent, fierent autem frequentia per ipsam in suis ecclesiis invocatam.*

i *Nullus occurrit hoc seculo Pontifex, de quo id intelligi possit commodius, quam* Eugenius III, natione

F Pisanus, *Ordinis Cisterciensis, electus an.* 1142*: ideo forte* debraccatus *per contumeliam dictus, quia ante ingressum in Religionem fuit, Ecclesiæ Pisanæ* Vicedominus *nomine* Bernardus : *quod non hinc primum discimus, sed etiam invenimus ab Ughello assertum tom.* 3 *col.* 476.

k *Completum id reipsa est, sub Innocentio IV, qui Anagniæ electus et ordinatus an.* 1243, *obiit Neapoli* 1254*: eumdemque propter perpetuas Romani populi factiones et seditiones, Perusii et Aretii, ut plurimum autem Viterbii, sunt commorati Pontifices, usque ad Honorium IV et annum* 1285. *Quin et Benedictus XI anno* 1304 *Viterbii obiit? et absens electus Clemens V in Gallia sedem Romanam tenuit; ubi et mansit ab anno* 1305, *Pontificibus fere Avenione residentibus, usque ad Gregorium XI; qui, post annos plures quam* 70, *demum an.* 1385 *Romam reduxit Sedem.*

Pontifices ... [illegible]

CAPUT V.

Discessus S. Raynerii Hierosolymis et adventus in civitatem Pisanam.

Apostolus itaque noster Raynerius de Aqua, de Raynerio

Sciens cum Raynerio Bottacio sibi navigandum

Raynerio Bottacio viro strenuo, nostrates homines, Hierosolymam venientes, sæpius interrogabat, quando ad partes illas venturus esset: se namque in galea una rediturum cum eo affirmabat: at illi, quomodo sciret, admirantes ab eo quærebant. Asserebat se namque bene scire, Dominumque Deum ei dixisse, atque corpus suum in ecclesia S. Mariæ Pisis gloriose quieturum esse. Contigit Raynerium Bottacium, nobilem prudentemque virum Pisanæ civitatis nostræ, legationem in Memphim *a* vel Babylonem recipere; et, pro ut mos est tantæ maximæ civitatis, in triremi cum nobilibus viris et fortibus in Alexandriam, quæ prius *b* no dicta est, honorifice applicare. Peracta vero in Babylone mirifice legatione, sicut votum habebat, Hierosolymas [eundi] ab Alexandria in Joppen, quæ nunc vulgo Jaffa nuncupatur, galea, cum suis remigibus et optimatibus viris divertere: dimissaque ibi trireme, cum aliquantis qui votum visendi loca Domini habebant, ad Sepulcrum Domini in Hierusalem ascendit. Cumque prædictus Raynerius S. Raynerium in Sepulcri ecclesia reperisset, oppido exhilaratus est, atque eum cum omnibus, qui secum aderant deprecatus est obnixe, ut una secum in Patriam nostram Pisanam remearet.

cum ex Ægypto advectum cupide excepit:

60 Dilectus Deo Raynerius, licet sibi ab ipso Deo jam de Bottacio dictum foret, quod cum eo in galea reverti deberet; voluit prius ab ipso responsum habere, ut cum ejus licentia omnia faceret et voluntate: scriptum namque est: Quærite Dominum, et confirmamini, quærite faciem ejus semper; et sicut ipse idem Dominus in fine cœnæ suæ discipulis dixit; Quia sine me nihil potestis facere. Dixit ergo Bottacio: Ite sicut disposuistis ad flumen, [Jordanis] et interim Patrem meum rogabo, et si responsum accepero, libenter vobiscum postea venio; alias pedem ex hoc loco movere nequeo. Bottacio, prudenti viro, ejus quoque dictum placuit. Revertente autem Bottacio cum suis a flumine, sanctum cum omni vigilantia adiit Raynerium, ut sciret si accepisset ambulandi ab Omnipotente responsum. Regredimini, ait pervigil in Deo Raynerius, nunc in pace: quod ego et vos optatis nequaquam potui impetrare. Tunc Raynerius Bottacius, propter Deum humilis, ante eum procidens, ut ad Dominum intercederet pro eis, quatenus salvi reverterentur rogavit. audiverat enim piratam in mari fore, et maxime pro ipsis offendendis. Exorator noster ad Dominum Raynerius, cum osculo pacis ipsum et suos a se dimittens, ait dicens; In Domini nostri Jesu Christi vobis spondeo virtute, nullos in via qui vos offendant invenire. Properate securi, et in nostram patriam redite cum exultatione. Sicque cum lacrymis sequestrati sunt ad invicem.

domo tamen jussu dimittit

Ps. 104,

prius iter pollicitus;

61 Intercessor assiduus Raynerius ad Patrem preces solitas, ut sicut promiserat Cleri populique sui Christiani jam misereretur, incessanter exhibebat. Die vero tertia post Raynerii Bottacii discessum, quod diu rogaverat, divinum hoc accepit eulogium; Hodie, inquit, est illa dies, qua de Hierusalem exibis, ducamque te illuc quo tibi promisi. Vade cito, et exeundo de Hierosolymis per paucis loqueris. Reversus ad suum habitaculum, dixit ei Romana, religiosa femina, de qua supra diximus, hospitalis sua, ipsa de recessu suo prorsus ignorante, omnia vasa in quibus tentavi tibi cibum præparare, fracta sunt: et sparsus est cibus: et ego, inquit, ipsamet in nocte hac aspiciebam, pretiosius quod habebam indumentum per aquam fluere, ipsumque amplius non habere. Certa videor fore, quod cito separaberis ab hac mea statione, et ultra non sum te visura. S. Raynerius quod ab ea dicebatur sciens; Nolo, ait, precor, quod dico, te moleste ferre. Auditum audivi a Domino, ut de hac civitate hodie exeam, et quo me ducturus est vadam; sed aliquantulum turbor, quia hoc mihi non dixit, cum commode ire valerem cum Raynerio Bottacio, sicut et mihi multo ante dixerat me iturum cum eo. Oportet tamen me facere quod ab illo jubeor. Igitur invenit sibi asellum, quem super sedit; at suus recessus celatus non fuit. Tota fere civitas, ad urbis egressum eum præstolans prævenit: de tanto, quem amittebat, capitali thesauro dolentes; sed Dei voluntati resistere nolentes, ut ipsum detinerent, benedictionem ab ipso accipiunt; postulantes civitati ipsi omnia imprecans bona, ubi tamdiu fuerat, Deo serviens horas et dies, menses et annos, quibus cum ipsis fuerat, benediceret. Cœptumque in asello iter conficiens *c*, Accaron prospere et velociter venit. Ibi quoque galeam, et Bottacium cum suis remigibus, paratos ad transfretandum, reperit, quod jam de Joppen transfretasse autumabat.

A BENINCASA EX MS

et Bottacium invenit Accarone cum sua triremi

62 Dominus Bottacius, et sui illum intuentes, læti plaudentesque viæ causam inquirebant. At ille, Verbum, ait, a Domino habui, quod me ducturus est ambulare. Protinus gaudentes ipsum in galeam assumpserunt, et omnes cum eo lætati sunt. Tunc contigit quemdam consanguineum S. Raynerii, in quadam navicula galeæ appropiare, cui prædixerat, se cum Raynerio Bottacio in galea reversurum, multo tempore ante. Cujus cum recognovisset vocem Raynerius almus, illico surrexit, ex nomine eum vocans, dicensque illi; Verumne tibi videtur, quod de regressione cum Bottacio tibi dixi? At ille, quod verbum foret verissimum asseruit. Sed quis Dei Consilium valet investigare? Quando voluit cum Raynerio Bottacio de Hierusalem exire, mandatum non meruit accipere; posteaquam longe jam discesserat, quivit impetrare. Quare hoc? quis in Secretarium omnipotentis Dei valebit ad hoc investigandum introire? Ne autem in itinere Deo dilecti Raynerii humanum aliquod videretur suffragari adminiculum, permisit omne subsidium sequestrari, et iter dilecti sui sibi soli reservari.

qua ibi conscensa, consanguineo suo occurrit:

63 Profunda igitur sulcantes æquora, galeas duas de longe viderunt, putantes esse piratarum, cum essent Pisanorum, Imperatori *d* Constantinopolitano in suo exercitu servientium. At illi posuerunt in galeæ medio signum. Appropinquantes autem et recognoscentes alterutrum, sese resalutarunt, invitantes eos (quia ibi prope erat, quod ad Imperatorem accederent. Sed consilium prudentis nequaquam fuit Raynerii Bottacii, ut Imperatorem ipsum præsentialiter videret, ad quem legationem a sua civitate nequaquam haberet. Cumque quodammodo ex eorum verbis perpenderetur, quod nolentes vellent eos ad prædictum Imperatorem ducere: Tunc legatus Dei Raynerius Raynerio Bottacio dixit: Estne vestræ voluntatis ad Imperatorem properare? Raynerius ait, Nequaquam. At ille: Præcipe itaque ut remigent. Statimque benedictione iis qui cum Bottacio erant a B. Raynerio data, cœperunt illæ galeæ, post nostram triremem remigantes, quasi immobiles remanere in mari, et parvo temporis interjecto spatio, sese non videre: sicque omne illud procellosum mare pacatum semper et quietum habuerunt, tanquam navigantes in flumine, quo ad Arni nostri fauces pertigere prospere.

item Pisanorum navibus, volentium Bottacium Imp. Græco sistere,

qui ad Raynerii preces ...

64 Tunc legatus Dei Raynerius primum cum Canonicis S. Mariæ civitatis nostræ Pisanæ hospitatus est, et cum eis ad eamdem mensam suo proprio cibo et potu utens, ab eisdem ei largito, refectus est. Postea in capitolum cum eis intrans, ad Deo reddendas gratias, taliter eos allocutus est, dicens: Putabam ego vos laute et abundanter corpori cibaria dare; sed, ut video, non est copia vobis, sicut in

Hic Pisas appulsus diversatur ad Canonicos B. M.

A in contrarium autumatur a multis; solent enim qui putantur religiosi alios despicere, si viderint eos carnes manducare. Et quantumcumque manducaverint carnis modicum, quia non comedunt, reputant multum. Iste autem, qui in Deum semper erat cernuus, sciens omnia licere accipere in cibo, nisi ex distinctionis labiorum voto; magis dolebat super cibi *f* nostri paupertate, quam ejus quoquo modo vituperaret qualitatem: non enim esca nos commendat Deo, sed cor: quia non quod in os intrat hominem coinquinat, Evangelii iste fidelis observator dicebat; sed quæ de Corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, furta, homicidia, avaritia, nequitiæ, dolus, impudicitia, oculus malus, et hujusmodi cetera. Ista namque Deo nos reddunt contaminatos et sordidos: escarum autem quod feculentum est, per ventris emittitur descendentes meatus contiguos; quod succositatis est reliquum, occultas per vias et poros, corporis totius nutrit artus. Tetigit autem continuo cor ejus, qui scribit hæc, Deus. (et quæ de Dei vere amico dicit, vera sunt) ut seu cum viris loqueretur seu mulieribus, suæ causam viæ percunctantibus, in ipsius Dei genitricis venerabili Archiepiscopatus ecclesia, B semper esset secum.

A Benincasa ex MS.

eorumque laudat frugalitatem.

f Matth 15, 11

jungit se Auctor

65 Sequenti vero die illucescente, ad S. Andream *g* in Kinsicis, honorificæ matris ejus occasione, quia ibi ejus quiescebat corpus, a Matthæo venerabili Monacho, per Abbatis mandatum, simulque a Priore ecclesiæ illius, atque ejusdem Parochiæ viris nobilibus, est perductus: ibique, (sicut in principio retulimus) per aliquantum mansit tempus. Miracula vero et prodigia multa, per eum ibi quoque fecit Deus, quæ ideo huic operi nominatim non inserimus, quia præsentes non adfuimus, nec ab eo expressim audivimus. Inde sicut Beatus eum Commonuerat Albertus, cujus precibus, ut supra latius diximus, fuit ejus interior apud S. Vitum illuminatus oculus; placuit ei, S. Viti ejusdem civitatis locum orandi causa per dies quadraginta incolere. (Quod si omnipotens suam gratiam in eodem ipsi loco monstraret, volebat ibi de cetero continuo esse. Quapropter et Monachi, Sanctique Andreæ Patroni, atque Parochiæ ejusdem vicini super ejus discessu cœperunt nimis anxii fore; et omnibus quibus valebant modis, et precibus suis et aliorum, nitebantur suggerentes eum detinere: sed (ut ipse nobis tunc referebat) voluntatis Domini non erat plus eum ibi manere.

g Ille deductus ad S. Andreæ Abbatiam,

inde transit ad S. Viti

C

ANNOTATA D. P.

a Memphis *et* Babylon, *vicinæ regiæque civitates Ægypti, ex quarum ruinis surrexerat tunc vulgo nominata* Cayrus, *sed prioribus nominibus sæpe etiam dicta.*

b *An forte* Canopus, *Alexandria antiquior, et illi proxima olim civitas.*

c *Distat* Accaron: *a Joppe ubi triremem suam Bottacius resumpserat leucis* 12.

d *Manuel Comnenus hic erat, ab anno* 1143 *ad* 1180 *potitus Imperio.*

e Arnus *Tusciæ fluvius, supra quem sita Pisa, ab ejus faucibus solum distat* 6 *vel* 7 p. m.

f *Hinc intelligitur* Fr. Benincasa *hujus Vitæ scriptor, Canonicorum unus fuisse, et ipsos communem tunc vitam duxisse, factos Canonicos Regulares, ad eorum exemplum, qui Lucæ sub Anselmo Episcopo, dicto deinde Alexandro Papa Regulam Apostolicam vitamque communem restituerant, primam ad S. Frigdiani, deinde in Laterano Romæ, ac paulatim per totam Italiam, unde postea eæ processerunt Congregationes, quæ nunc Canonicorum Regularium dicuntur.*

g Kinsecas *esse partem posteriorem civitatis discimus ex Vita B. Claræ Pisanæ* 17 *April. num.* 25. D

CAPUT VI.

Energumeni plures a S. Raynerio, ad S. Justi commorante, curati.

Factum est autem in ipsa nocte, qua primum in claustro S. Viti sua membra sopori dedit: tota, in qua cubabat, domus nimio splendore refulsit; quem cum duobus ibi secum cubantibus vidit. Statimque quod Deus, qui est lux vera, suæ lumen gratiæ in eodem venerabili loco appareret, intellexit. Ferebantur quippe ad eum multi male habentes, lunatici et paralytici; Christique nomine invocato, facto quoque super eis signo Crucis et impresso, et dæmonia fugabat, et ceteris sanitates et remedia præstabat.

Divina luce circumfusus

incipit clarere miraculis;

67 Eo siquidem tempore ducta est illuc quædam mulier dæmoniaca, Gualdrada nomine, de bonis nostræ civitatis hominibus orta: cujus dæmon, inter alios qui ibi in obsessis corporibus fuerunt dæmones, scientia prævalebat; multosque sub se habere satellites jactabat sublimiter. Advenientes cujuscumque professionis, sive Judæos, sive Sarracenos (quos omnes, absque ulla distinctione, suos esse et sua opera facere, asserebat) seu etiam quosdam Christianos, jactans pandebat; cum iis id est Christianis, assiduum se et omnes dæmones habere conflictum; quia, quam perdiderant isti, obtinebant gloriam et regnum. De sanctissimo perquisitus Raynerio, quid sibi videretur; de eo respondit, in puncto Jesu natum fuisse illum. Reprehensus a nobis quia punctum dixerat, adjecit; Vestra loquor vulgari lingua: sed hoc scitote, qui pater suus ei contulit, quam dedit Jesu gratiam, et ipse natus est in ea: discipulum habet hic, qui omnia faciet: quæ ipsemet facit: et statim illum S. Raynerio ostendit. Non enim respicere in faciem ejus audebat dæmon iste, propter Patris *a* sui præsentiam, ostentantis se illi in fronte. Advenientium item statim prodebat Crimina: quamobrem Deo carus Raynerius, volens omnes homines salvos fieri et neminem perire, separatim et clanculo, si hæc ita se haberent, ipsorum investigabat scelera: compertisque vitiis per Sacerdotem illorum curabat animas, accepta pœnitentia.

Multiscius dæmon in energumeno, E

accedentium statim peccata solitus revelare,

a

68 E quibusdam unum hominem ante ipsam dæmoniacam iterum venire contigit; protinus ipse Dæmon peccatum, ex quo pœnitentiam acceperat, ei improperavit. Tunc Raynerius sanctus ait: Quid est quod loqueris, dæmon? Jam per pœnitentiam crimen suum ipse delevit. Ad hæc diabolus respondit: siquis ante me cum suo accesserit peccato, post quod pœnitentiam receperit; si tamen ante me apparuerit, si volo, semper ei suum peccatum impropero: quia memoriam non amitto. Si vero de peccatis suis Sacerdoti confessus fuerit, et post tunc primum ad me venerit; penitus nihil peccati in eo jam cognosco. Et quia ii qui numquam dæmoniacum amplius viderant, non dæmonium, sed aliquam infirmitatem fore asserebant; ad comprobandum suæ virus nequitiæ, a viginti seu pluribus aliquando simul, burdas, operimenta scilicet capitum, auferebat, et omnes in unum adunabat; posteaque cuique suam restituebat; Cum autem uni non suam, sed alienam restituisset; ait illi; Hanc isti mulieri, cujus est restitue, tu tuam ecce tene: quam etiam illa cujus erat, sic cum aliis mixtam nequaquam absque difficultate valeret discernere. Dæmon iste deprecabatur S. Raynerium, ne sua ei sententia imperaret, ut iret in inferni abyssum. Quare me, dicens flammis

F *declarat quomodo etiam notorum etiam post pœnitentiam meminerit,*

dæmonem se probat

mis trades æternis, ante omnium futurum judicium? Quam enim in me sententiam dabis, pater tuus omnium creator, quem in facie geris, ratam procul dubio habebit. Habuit tamen consilium nobiscum semotim, ut illum relegaret in infernum.

orat ne mittatur in infernum:

69 Cum ad ipsum venissemus nostrum ei non latuit consilium: Nec mora illud nobis deprecabatur aperiens, ut sui misereretur, ne ante judicii tempus in abysso torqueretur. Mutato itaque consilio eum non reclusit in inferno. Receperat siquidem Dei filius Raynerius potestatem a Deo Patre in Quadragena super omnia dæmonia, ligandi omnia cum ipso eorum principe Sathana. Dæmon iste dicebat, se cum multis dæmonibus projecisse lapides super quadragenam, ut peregrinum Raynerium eraderent de terra: quoniam usque ad Antichristi tempora ligati super se, ejus ferre debebant catenas et dira vincula, propterea omni moliebantur nisu: si quirent, eum propria privare vita. Nunc attendendum nobis valde, etsi Dæmones, qui virtute et fortitudine sunt majores, tantum pavent cruciatus illos æternos: quare nos, qui miseri sumus et fragiles, non studemus fructus facere pœnitentiæ dignos? Mala scilicet nostra per pœnitentiam flendo, bona vero a Deo tamen donata, et postulata, agendo; sed ad mala peragenda proni, quas nunc sustinent mali angeli pœnas, nos ad eas currimus peccantes, in æternum perferendas.

optat carne indui ut possit pœnitere:

70 Iste quoque Dæmon, et plures alii asserebant dæmones, quia si modicum carnis haberent, in ea paterentur; ut gloriosum, quam perdiderant, recuperarent dignitatem, et sedem. Aiebant enim, quia sine carnis adminiculo pœnitentiæ non valerent. Quicumque namque de peccato quod perpetravit, pœnitet, ascendere eum, et surgere quantum cecidit oportet: Diabolus vero, postquam peccaverit, non pœnitebit, quia in se non habet naturam aliam, ad quam ascendere possit, quippe cum unius tantum naturæ sit. Homo quidem si peccaverit, emendare poterit, cum per carnem hoc commiserit, surgit equidem carne, in qua jacebat; et ad spiritum, qui in eo superior est, redire festinat; qui autem homo in spiritum sanctum peccaverit, remissionem non habebit in æternum; quia non per carnem offendit iste; sed, cum cognoscat opera Dei vere, ex sola invidia vel superbia dicit, opera diaboli fore, et per spiritum solum peccans hujusmodi non potest pœnitere, quia nequaquam habet quo possit ascendere.

quod alias ei impossibile utpote puro spiritui.

sicut et ei qui peccat in Spiritum sanctum.

71 Tunc Sanctissimus Raynerius, coram innumera ob hoc plorante turba, in S. Viti ecclesia, fugavit eum de obsessa femina; quæ per horam (ut omnes sic dicerent) stetit quasi mortua, sed Dei dilectus Raynerius, jactata aqua in os ejus, elevavit eam tenens manum illius. Hæc omnia præsentes et vidimus, et audivimus. Post hoc duo ejecit dæmonia, de vicinia S. Viti prædicti, a duabus juvenculis mulieribus; altera nomine Galiana, coram multa caterva; et altera nomine Vetula. Hæc sub occasione caducæ *b* guttæ, biennio ante adventum almi Raynerii ad nos, a Dæmonio fuerat vexata. Dumque pannos ablueret in Arni nostri ora, ex insperato cadere eam faciebat in aquam, et domi crebro ad accensam ignis flammam.

Eum Raynerius ejicit,

item duos, ex 2 juvenculis,

72 Aliam Mulierem, de loco qui dicitur Gangalandi, tres immundos spiritus habentem curavit. Unus mutus erat ex ipsis, et subito dum loqueretur, ita mutam, ut nec labium movere posset, reddebat. Hunc quidem qui dicitur cinellus, Necromantiæ vitio doctus, characteres, qui nullarum habent formam litterarum, ei monstravit ut legeret: quos coram nobis sic velociter legebat, ut in nullo eos in manu tenens dicendo hæsitaret, cum popularis et rustica fœmina foret. Reliquiæ, quæ super ejus caput ponerentur, illarum nomina dicebat in membranis scripta, antequam de ejus capite auferrentur.

et tres ex una muliere,

73 In cujusdam viri corpore Mediolanensis tria dæmonia habitabant: quorum unum litteras non ignorabat, et qui præsentes eramus ut panderet cogimus. Et dixit: Deus stetit in synagoga Deorum, et Deus Deorum Dominus locutus est: aiebat autem se dicere ulterius non posse, præ nimio quem patiebatur *c* caumate. Cumque ea prædictus Dei dilectus Raynerius ejiceret, exeunte uno, duo, quæ intus remanserant; Expecta nos, o socie: clamabant, quia statim post te eximus. Secundo egrediente, qui nondum exierat, tertius vociferabatur, Præstolamini me, per eam quam ad invicem habemus societatem, sicque Vir ille fuit curatus.

a DEMINCASA EX MS. totidemque ex viro quodam,

Ps. 81, 1

74 Quemdam de Fratribus similiter curavit: Sed dicebat Dominus suus, Presbyter Raynerius S. Sebastiani, quod dæmonium non habebat, sed erat insanus. Quidquid tamen habuerit, eum procul dubio sanavit. Cum staret nobiscum pluribusque aliis, vocatus est S. Raynerius a quibusdam hominibus de foris. Ille, tamquam episcoparetur, omnibus studiose intendens, ad fenestram supra viam sese illis ostendit; qui se illi dæmoniacam ducere retulerunt. Confestim respondens dæmon ait: Numquam ante illum me feretis: ante ego hinc exeo, quam super me manum posuerit; et ea illico mundata est hora.

sanat alium saltem amentem,

et liberat obsessam.

75 Nos, qui hæc scribimus, de Viginti corporibus, præ nostris oculis, dæmonia fugata et eo amplius vidimus, omnia acclamantia ei, Quia tu es filius Dei vivi; supple, adoptivus. Supplicabant ei per nimium, ut ea non demitteret in Infernum. Dicebant enim illi: quoniam duos talem et talem, illos nominando, in tartarum detrusisti, sententiam in eos ferens; quam cunctipotens ratam habuit, quia nolebant obedire tibi. Multi vero intuentes in illo tempore dæmonia in obsessis apparere corporibus, dicentes admirabantur: unde hæc nostris temporibus manifestavere, cum numquam amplius similia viderimus? Vere iste ea secum tulit de Ultramarinis partibus, quia nunc unus dæmon, alium expellet dæmonem. Quia vero Sathanam ligare venerat, quem in multis ante ligavit, quam de hoc mundo ad suum iverit Patrem, de obsessis ejiciebat eum vasis, quo sibi a Patre Deo hanc comprobaret datam fore potestatem. Cum enim quis opera Dei agit et desiderat, in hoc omnino ligatur, et ab ipso procul relegatur Sathanas. Perplurimus virorum, et mulierum numerus, Charissimi Deo Raynerii vitam imitantes, seculum, et ita jam Sathanam, per Domini gratiam calcant; in illo tamquam in speculo Jesum Dominum, et Salvatorem contemplantes, et ei sese conformantes. Cum enim ipsa, in Nomine Domini Jesu et Salvatoris Christi, Patrisque ejus, et sancti spiritus ab utroque procedentis, dæmonia fugabat; profecto non se ipsum, sed Spiritum sanctum, [laudabat] unde nec remissionem habebit in æternum talis blasphemans. Nemo namque valet imitando dicere dominum Jesum Christum, nisi in Spiritu sancto: Quæ autem Christi ad Belial Conventio?

item alios decem:

cum magno multorum Dæmonem in se ... calcantium, fructu

76 Cum Raynerius almus denegaverit semetipsum cundo post Christum, conformando in se, et super se ferendo ipsum Evangelium; assero in veritate, Qui, videntes per eum mirabilia fieri, diaboli fore dixerunt opera, de regno sunt Sathanæ, et cum eo ibunt in ignem æternum. Isti tales genimina sunt viperarum, nequam videlicet Judæorum, qui de Deo idem asserebant et Salvatore nostro Jesu Christo dicentes, quoniam Beelsebub habet, et dæmonia ejicit in Beelsebub principe dæmoniorum. Sed solerter inspicere debemus, quia quando omnipotens

conviciis ... blasphemantibus ... opera ...

e

A. BENINCASA EX MS.

et misericors magna et incredibilia facturus est in hoc mundo (sicut fecit quando Verbum ejus factum est caro,) et nunc acturus est tempore nostro: ut pro certo credatur quod incredibile judicatur, approbat hoc per expulsionem dæmonum, ac sanationem infirmantium: ut a creatura invisibili et incorporea suo futuro, et jam nunciato facto, perhibeatur verissimum testimonium, Prophetarum de hoc affirmante eximio uno, Testimonia tua Domine credibilia facta sunt nimis; Domum tuam decet sanctitudo Domine. Nusquam enim legitur ante Christi adventum aliquos a Dæmonio fuisse vexatos, nisi de solo Saul principante regno Judæorum. Nam et ipsemet Christus de se dicit, si Patrem familias Beelsebub vocaverunt? quanto magis domesticos ejus.

sicut Judas Christum

ANNOTATA D. P.

a *Deum Patrem intelligo. Sed Auctor noster in explicandis gratiis internis S. Raynerio concessis, velut in Christum transformato, hujus et illius personam, subinde tam obscure distinguit, ut ad ejus phrases Theologice explicandas et excusandas, conjecturis perquam benignis opus sit; quas ut immorari non vacat sed pio lectori eas quærendas relinquimus.*

B

b Caducam guttam, *videtur indicare*, epilepsiam.

c Canina, *id est astus. Totus autem Psalmus* LXXXI, *cujus istud initium, procedit de suprema Dei Judicis auctoritate quæ sicut dæmones damnavit, ita et puniturus est injustos judices.*

CAPUT VII.

Extrema viventis Raynerii acta et miracula, Panis et aquæ benedictio ejus exemplo et sub ejus nomine instituta.

Habuit hic Deo dilectissimus discipulos, qui multo tempore auditis verbis ejus, retro abierunt; ut in hoc impleatur illud, Nemo potest venire ad me, perseverando (quia qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit) nisi Pater meus traxerit eum. Unus tamen eorum proditoris Judæ tenuit vicem, Guido nomine, Presbyter quoque. Judas namque Presbyter fuit, quia a Domino cum aliis suis discipulis ligandi solvendique potestatem accepit: qui etsi malus, ligare poterat tamen et solvere. Exemplum eorum qui futuri erant Sacerdotes: hi etsi mali, habent tamen ex officio ligandi potestatem et solvendi. Iste namque prædictus Sacerdos, et apud S. Andream, et S. Vitum ductor ejus erat in eminentiorem locum, ut inde loqueretur populo, sæpe autem vice ejus fungebatur in loquendo, quia Deus venerat ad eos dicens ad turbas, ut quæ sanctus Dei prædicabat opere exequerentur exhortando. Semninverat.... Dei Raynerius, turbas de via Dei et per illum gradi monere non cessabat: ejus in vita tanquam Dei tota die in æstivo tempore audire desiderabant, et summo diluculo ad eum manicabant; summoque cum tripudio, eum venientem ad se viderent, exultabant.

Joan. 6, 44

Presbyter unus ex discipulis sancti,

C

78 Præfatus autem discipulus, cognomine Cipunella vocatus, per quadraginta dierum spatium apud S. Vitum, virus, quod jam ante ad S. Andream conceperat, ut corda venenaret fidelium, effundebat. Objiciebant bene ei, quare male loqueretur de eo, cum fuisset suus discipulus atque præco, respondebat; Byzantium quemdam habui, diu illum tenui, et non perquisivi vel revolvi: Me multis dicebam optimum habere Byzantium, diligenter illud revolvens et paragonisans reperi fore æreum. Tristatus valde, projeci illum vere quasi falsum. Ita et Judas credidit Jesum, non Dei filium consubstantialem; et miracula, non per divinitatem fieri, sed per magicam artem: ut ipsemet Judas Judæis dicens innuit; Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute: ac si diceret, ne transfiguret se vobis, et sic se eripiat de manibus vestris. De hoc dilecti Deo Raynerii discipulo impletum est, quod dicitur in Psalmo: Tu homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebat cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu. Nam ad tempus libenter eum audivit iste discipulus, et placebant ei quæ audiebat; ducensque magistrum suum in pulpitum, quasi dux ejus, panem verbi Dei cum illo manducabat, etiamque prædicabat. Sed tentatus a Sathana, magistrum studuit supplantare, cum quotidie ab eodem reciperetur in osculo pacis. Inde et in alio Psalmo dicitur: Etenim homo pacis, meæ in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Juda proditori assimilandus,

D

conatur eum supplantare,

Ps. 54, 15

Ps. 40, 20

79 Quia vero hæc omnia spiritu Dei plenum Raynerium non latuerint, cujus erat discipulus ille, dux verbi illius, cuncta de eo prædixit; et cuidam Matronæ, nomine Bertæ, nurui quondam Ildebrandi, sic, apud S. Andream cum esset, patefecit. Illa B. Raynerium futurorum præscium interrogante, ubi ejus sacrum Corpus digne traderetur sepulturæ; et respondit, quia futurum erat mirificum in ecclesia B. Mariæ Virginis. Tunc contigit prædictum discipulum per claustrum S. Andreæ transire, et Berta adjecit: hic autem quid, qui sequitur, et imitatur te? ait ei Raynerius, Deo plenus: tibi videtur quod verba mea avide amplectatur, et pro posse imitetur: sed mens ejus cito retrogradabitur, et blasphemus in me efficietur: et ideo scias hoc futurum ei: meum corpus erit, ut tibi dixi: sed hujus male mortui, hic erit in seculum, unde ego transferar, ad S. Vitum.

Sancto cor ejus pervidente, deque sua et ejus sepultura prophetante.

E

80 Hæc prædicta mulier, secundum sæculum dives, cum unicum haberet filium, nomine Suavithum; et medici omnes prædicerent illum de febre, qua tenebatur, moriturum, incipiebat enim mori; festina ad S. Andream, ubi adhuc S. Raynerius manebat, devenit; genibusque provoluta ejus, in faciem procidit ejulans, et filium unicum nimis plorans B.[s] Raynerius, in spiritu prævidens sanitatem futuram, ipsam consolabatur, dicens illi: Vade cito; quia filius tuus vivit, et sanus erit, jamque eum febris dimisit. At illa: Non ibo, ut morientem videam filium, ait: non recedam, sed hic ego moriar. Iterum ait illi. Vade secura, quia invenies qui dicent tibi in via, quod filium tuum jam febris dimiserit. Credidit igitur sermoni ejus, quem dixit, et abiit. Et ecce juxta Arni pontem quemdam medicum, urinam quamdam judicantem, reperit. At illa dixit, Cujus est Urina hæc, Domine mi. Medicus respondit cujusdam, qui febrem habebat, et evasit. Pueri autem, qui urinam detulerant dixerunt ei; Suavithi nostri est, et febris dimisit eum, et multum melioratus est. In domum reversa filium suum se bene habere invenit, sicut spiritu Dei futurorum præscius firmiter prænuntiavit. Exinde mirabilia, quæ Deus in Sancto suo faciebat, atque ejus fore nuncium, ipsa et tota domus ejus certissime credidit.

Moribundi pueri matrem solatur

F

ipsumque a febri liberatum absens novit

81 Quoniam dicta et facta multa de hoc Viro, in quo Deus erat, vobis aperuimus, et ad memoriam reduximus; quæ si imitati fuerimus, procul dubio ad æternam patriam nobis a Deo paratam transferemur; tempus adest, quædam quæ promisimus, vobis ejus miracula in fine hujus sacri operis enucleare. Quia vero per aquam, et panem benedictum corpora, si essent a dæmonibus obsessa, per hæc duo experiebatur, quia nolebant ea recipere, et omnes per ea curabit ægritudines; ad ejus memoriam posteris in æternum servandam, benedictiones, per quas panis et aqua sanctificentur, et per ea dæmonia

Quia ad patranda miracula dæmonesque pellendos,

aqua et pane utebatur :

monia explorentur, et languores omnes curentur, ut qui de gloriosissimo habere non voluerint sepulcro, ex horum habeat sanctificatione verborum, nunc jam curabimus annectere. Et prius ipsius aquæ benedictionem, quæ naturaliter præcedit annotabimus : deinde panis, sicut ipse faciebat Deo carus Raynerius, postmodum subtexemus.

instituta est formula aquam benedicendi,

82 Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, qui in principio cœlum et terram fecisti, et aquas a cæteris elementis distinxisti ; aquas ab aquis per firmamentum tuum segregasti, spiritumque tuum sanctum super ipsas ferri voluisti : et tu Domine Deus, per filium tuum, in Spiritu sancto tuo, benedictione tua super hanc aquam fusa, a cæteris eam aquis separa; ut quicumque ex ea lotus sive in toto sive in parte fuerit, masculus sive femina, per tuam gratiam et misericordiam, fiat ei in salutem animæ et corporis. Tu Domine Deus omnipotens, qui filium Abrahæ servo tuo, in quo benedicens omnes gentes, promisisti ; et eamdem promissionem Isaac et Jacob similiter fecisti ; eamque usque ad David, virum secundum cor tuum, extendisti : et in beatissima Maria Virgine, per filium tuum implevisti; qui Aquas Jordanis sanctificans, suo in eis corpore a Joanne loto; et per baptismum aquæ abstulisti peccata mundi, mentibus hominum in eo purificatis et sanatis. Tu, inquam, Domine Deus in filio tuo, per

sub commemoratione miraculorum in aquis patratorum,

Spiritum utriusque tuum, hanc Aquam benedicito ; ut omnibus ex ea accipientibus fiat sanitas mentis et Corporis et benedictio et protectio. Tu Domine Deus, qui siccis pedibus super Aquas maris Tyberiadis ambulasti ; turbatos tuos discipulos, putantes te phantasma esse, et ex ipsa tempestate maris, post ad eos in mare descendens, lætificasti ; tandem eosdem confirmasti, et in turbato mari tranquillitatem dedisti, et vento comminatus es, et cessavit : Tu, Domine, tolle ab infirmis, per aquam istam a te benedictam, omnem suorum corporum tempestatem, et da eis tranquillitatem, et cesset omnis infirmitas ab eis, et confortati quicumque ex ea sumpserint, viri et mulieres omnis ætatis, habeant lætitiam mentis et corporis.

et invocatione S. Raynerii :

83 Tu Domine, Rex regum, qui in eodem mari dæmones in porcos intrantes tuo jussu ibi præcipitari permisisti, et sic duos a legione dæmonum homines liberasti, tu Domine omnipotens, præcipe ipsis dæmoniis, ut aqua hac a vexatis bibita seu tacta, et dæmonia de illis fugentur, et ipsi salvi fiant, et omnia curentur. O Adonay, Domine Deus, magne et fortis, qui aquas Hiericho steriles per Elisæum tuum sale immisso sanasti; et tu Rex altissime, per tuum dilectum Raynerium, da et conserva sanitatem in aqua ista, ut quicumque vel quæcumque eam super se receperit, sanitatem adipiscatur perfectam. Tu agios Deus summe, qui per eumdem Elisæum mundasti a lepra sua lotum in

ut qui eo loti ea fuerint, vel eam biberint,

Jordane septies Naaman Syrum; tu tuo septiformi spiritu, munda et sana a lepra et scabie, atque omni infirmitate, qui vel quæ hanc aquam tuam benedictam attigerint, recipiant suarum infirmitatum perfectam sanitatem. Tu qui Sydrach, Misach et Abdenago, atque Danieli, legumina, et aquam eis accipere inspirasti, et vultus eorum gratiores et pulchriores erant, et castitate eos ditasti, meliores et fortiores sapientioresque iis qui deliciis Regis vescebantur; fac Domine Deus, ut qui aquam hanc

sanentur a quacumque infirmitate,

biberint, sint inter alios saniores, et castiores juxta suam professionem. Rex regum Domine, qui Constantinum Imperatorem a mentis et corporis lepra [purgasti ; fac,] omnipotentissime Deus, quicumque vel quæcumque perfusi perfusæque fuerint, vel biberint ex aqua ista, sanitatem percipiant mentis et Corporis integram.

V. BENEDICTIO EX MS.

ad quod ordinatim etiam appellantur omnes sancti :

84 Omnes Angeli sancti, adestote præsentes, et super hanc aquam vestram benedictionem date. Beatissima Virgo Virginum, Dei Mater Maria, reple hanc lympham benedictione tua. Omnes sancti Apostoli Domini et Evangelistæ, benedictionem vestram super hanc aquam infundite. Omnes sancti Martyres et Confessores, estote præsentes, et vestra benedictione hoc aquæ elementum sanctificate. Omnes sanctæ Virgines et Viduæ, et omnes Domini Continentes, benedictionem vestram hic augete. Omnes Virtutes Cœlorum, et omnes sancti sanctæque Dei, hic vestræ benedictionis donum amplificate ; et intrantes ad conspectum altissimi, ante ipsum genua flectite, postulantes et impetrantes, ut hanc suam creaturam aquæ cœlesti repleat et fœcundet benedictione : ut omnis per eam infirmitas tollatur, et omnis phantasia, sive diabolica præsentia sive etiam illusio, procul pellatur; et infirmorum corpora de quacumque febre vel molestia liberentur, permaneantque in sanitate, et in ea roborentur. Amen, amen, amen. Fiat, fiat, fiat; semper ipsam aquam signaculo Crucis signando, et sæpe Crucem cum digitis impressam in Aqua ipsa faciendo ; nisi fieret hoc in populo, multa habente vasa, tunc semper generaliter super omnia Crucis faciat signacula, quoniam non posset in omni vase ponere manum, et in eo Crucis imprimere signaculum.

similiter pani benedicendo instituta formula,

85 Nunc autem panis benedictionem supponimus. Deus Abraham, et Deus Isaac, Deus Jacob, qui filium tuum, panem vivum descendentem de Cœlo, ut daret vitam mundo, Dominum, et Salvatorem nostrum, ad nos misisti, mortalis atque ægris vitam et sanitatem contulisti ; tu, per eumdem filium tuum, nunc in Spiritu sancto tuo, benedic et sanctifica panem hunc, ut manducantes ex eo recipiant incolumitatem animæ et corporis. Tu Alpha et Omega, principium et finis, qui in deserto, quod est Bethsaydæ, per filium tuum de quinque panibus quinque millia hominum satiasti, exceptis mulieribus et parvulis ; tuaque benedictione repletis et adimpletis, duodecim superfuere Cophini pleni, et in via non defecerunt, qui manducaverunt ex panibus ipsis hordeaceis : tu omnium Pater et Creator, benedic istum panem, ut quicumque masculi seu feminæ,

commemorando panes a Christo multiplicatos,

cujuscumque ætatis, ex eo gustaverint, habeant in corpore, et anima lætitiam et robur, atque plenam sanitatem. Tu Domine Deus Jesu Christe, qui transiens inter medios fines Decapoleos, montem ascendisti ; sedensque ibi tuos vocasti discipulos, quot panes haberent interrogasti eos, et respondentes septem, præcepisti quatuor millia hominum turbam sedere super terram, extra mulieres et parvulos ; gratiasque agens patri, ipsos panes benedixisti, ut darent populo, tuis discipulis tribuisti ; manducaverunt, et omnes saturati sunt, et septem sportæ plenæ superaverunt, et lætati sunt ; et tu omnium Salvator, Domine Deus, gratiam et benedictionem infunde super hunc panem, et qui vel quæ ex eo comederint, habeant lætitiam, et sanitatem. Tu Christe Salvator, qui cum duodecim disci-

et aquæ in aliis miraculis,

pulis in mensa discumbens, panem in ipsa benedixisti et in tuum corpus transtulisti, et ipsis dando porrexisti ; unde vitam eis contulisti ipsam in se accipientibus, eis quoque præcepisti, ut in tuam facerent commemorationem. Omnipotens Deus, benedictione eadem in alteram transmuta naturam, in dilecti tui Raynerii rememorationem, ut omnibus accipientibus vita augeatur temporalis, expulsa omni molestia corporali, et conferatur etiam vita spiritualis. Tu Domine Deus pavisti Helyam juxta

hic eandemque S. Raynerium et Sanctos omnes,

torrentem Carith, pane per Corvos, [submisso] ; et aqua potasti eum, et ejus permansit in sanitate corpus ; benedic etiam nunc, qui idem ipse es, panem

A BENINCASA EX MS.

nem hunc et aquam, ut omnes accipientes permaneant in sanitate omni remota ægritudine. Tu Domine Deus Elisæo tribuisti, ut de viginti panibus centum homines satiaret, et superfuit: da nunc tuam de cœlis benedictionem in hoc pane, ut totum infirmantium corpus sit sanum. Accedant omnes Angeli tui, et Archangeli tui, Throni, Dominationes, Principatus et Potestates, Virtutes, Cherubin et Seraphim; et levantes manus ad te Deum Vivum creatorem eorum, infundant in hoc pane sanitatis benedictionem. Accedat Dei genitrix Virgo, et sua hic germinet sanitatem gratia. Adsint Patriarchæ et Prophetæ, Apostoli omnes, Martyres, Confessores, Eremitæ, et sancti omnes et sanctæ Dei; et in isto pane suam præstent benedictionem, ad percipiendam plenam sanitatem. Amen, amen, amen; Fiat, fiat, fiat; semper super ipsum panem faciens Domini Crucem. Si in turba est panis benedictio, signabis a longe; et respondebit populus, Amen, ad unamquamque panis et Aquæ benedictionem.

recipit cibum utrumque sic benedicti

86 Post hanc panis gratiam, si vis alicui infirmo dari specialiter; tolles de ipso pane tria frustula panis, et in palma sinistra tenebis, ea signando tua dextra, dicens ita. Domine Deus, qui es unus, nec tribus in personis divisus; benedic panem istum, Pater, cum Filio, et Spiritu sancto tuo. Infirmus, qui exinde gustaverit, de cetero nullam patiatur molestiam in carne sua, neque aliquam vexationem vel etiam febrem: sed recipiat, Domine Deus, perfectam sanitatem in omnibus suis membris. Tu Domine dominantium, qui ipsi fideli tuo Abrahæ tuam trinitatem et unitatem in Angelis tuis monstrasti; qui tres vidit et unum adoravit, vidit et gavisus est; per tuam ineffabilem Trinitatem, in hoc tuo pane sanctificato, tribus frustulis diviso, tuam adauge et consumma benedictionem, ut omnes accipientes, per te Deum unum et trinum, consequantur omnium membrorum suorum medelam et sanitatem. Amen, amen, amen. Fiat, fiat, fiat. Qui has benedictiones puro corde et intente protulerit (mirabile dictu, sed mirabilius factu) et aqua sæpe in vinum convertetur, accipietque efficaciam ab Altissimo, ut per panem et Aquam, quæ in aliam transibunt naturam, ægrotantes sine numero sanentur, et panis et aqua in se non corrumpentur.

usus et fructus.

87 Tempus itaque est, ut ad quædam miracula, quæ nobiscum fecit in terris, et postea Corporis post migrationem egit de cœlis, jam nunc veniamus. Quæ quidem non ut ordine facta sunt scripsimus, sed ut fieri ab eo vidimus, vel qui ab eo curati sunt, vel eorum patres vel matres, qui vel quæ hæc viderunt, nobis recitaverunt, ad Virtutis exemplum percipiendæ, vobis in veritate aperiemus. *Post talem propositionem, quam deberent sequi miracula, his omissis, ad mortem et sepulturam sancti transit Auctor; at deinde subjungit miracula, et quidem nullo ordine, miscens ea quæ ante, cum iis quæ post mortem facta sunt. Id cum valde incongruum videatur excerpo et tribus sequentibus capitibus refero miracula ante mortem facta. Ordinem quo quæque scripta sunt videre qui volet, consulat Elenchum titulorum post Prologum.*

CAPUT VIII.

Quædam miracula, a Sancto dum viveret Pisis patrata.

a
Sedatur tempestas per aquam ab eo benedictam:
b

Benincasa *a*, Canonicus et Diaconus, dum esset apud S. Vitum coram B. Raynerio, fuit ibi Juvenis, qui renuntiavit ei hoc miraculum magnum. Erant duæ naves in partibus Romaniæ *b* in maxima tempestate: Una quarum cum omnibus hominibus disparuit, ipsi autem qui erant in alia navi in eodem periculo erant, et iste unus erat ex illis. Unus ex eis dixit sociis se habere de Aqua benedicta B. Raynerii. Dixerunt ei socii, ut projiceret illam in mare, si forte Deus remitteret ipsam tempestatem: qua projecta facta est tranquillitas maxima, ac si numquam esset motum mare, et Salvati sunt.

c
puer mortuus resuscitatur,

89 Lambertus *c* lanista de S. Georgio, de Porta-Maris, habebat unicum filium, qui propter fluxum disenteriæ in extremis laborabat. Tandem dixit puer Patri suo prædicto: Pater, duc me ad S. Raynerium, et salvus ero. Pater cum quodam fratre suo dum puerum ferrent, mortuus est, cum venissent juxta domum Richucchi. Tunc pater dixit fratri suo. Puer mortuus est, redeamus. Respondit ei frater ejus; Postquam puer dixit, Sanus ero, portemus eum homini Dei, et videamus quid sit. Itaque portaverunt ad S. Vitum. Tunc B. Raynerius dixit eis: Puer iste mortuus est. Responderunt ei; Ideo tulimus eum ad vos, quia puer dixit, quod si ferremus eum ad vos, sanus esset. Tunc B. Raynerius cum cultello aperuit dentes ejus, et de stupo posuit in ore pueri, et oscitavit in os pueri ter; et confestim puer vocavit patrem. Tunc B. Raynerius præcepit patri ejus, hoc [nemini] *d* ut diceret, quia die crastina puer iste sanus erit sicut unquam fuit: quod et ita factum est. Altera die ante ivit puer ad tabernam, quam surgeret pater ejus de lecto: rumor tamen exiit per civitatem, quod B. Raynerius suscitasset mortuum puerum. Tunc pater intra se dixit; nisi propalavero hoc, postquam populus dicit hoc, forte Deus auferet eum mihi: et tunc duxit puerum ad videndum per Civitatem juxta arnum, dicens, velle se jurare, quia mortuum portaverat ipsum ad. B. Raynerium.

qui se ad sanctum deferri petierat:

dæmonia pueris duobus herbam secantibus infesta,

90 Duo homines morabantur in Burgo S. Viti, quisque habens filium suum, quos mittebant simul ad herbam fecendam ad pabulum equorum. Qui pueri quacumque vellent secare herbam, statim lapides et glebæ projiciebantur super eos, ita ut pueri fugerent, et sine herba reverterentur Tunc patres eorum verberabant eos, quia dicebant eos ludere simul. Tandem patres eorum credentes illis, tulerunt arma sua, et iverunt cum pueris pro herba; ut scirent qui essent, qui projicerent et glebas super pueros. Cum pueri cœpissent secare, statim lapides et glebæ projectæ sunt contra patres et pueros, et ita aufugerunt, non videntes quis projiceret contra eos; et sic venerunt ad. B. Raynerium, et dixerunt omnem eventum rei. Tunc B. Raynerius benedixit pueris, et dedit eis bibere aquam benedictam, et panem benedictum ad manducandum; et talem sententiam contra dæmones dedit, ut si lapides vel glebas vel aliquid aliud projicerent contra pueros, de cætero in infernum descenderent, et inde non exirent usque ad diem judicii, fuerunt pueri facere herbam, et numquam amplius eis contigit.

jussu sancti compescuntur:

sanatur Epilepticus,

91 Presbyter Rolandus de Cafaggio-regio graviter molestabatur a guta caduca, et sæpe in nocte, ita ut nullus valeret jacere in camera ubi jacebat, cum eo. Venit igitur ad S. Raynerium apud S. Vitum. Tunc Beatus Raynerius dixit ei: Si credis, quod Dominus misit me pro salute vestra, sanus eris. Respondit, Firmiter credo. Tunc signavit eum signo S. Crucis, et dedit ei aquam benedictam bibere, et panem benedictum sumere. Mira res! Certificavit eum B. Raynerius, quod amplius infirmitatem illam non haberet, et numquam amplius habuit; et præcepit ei, ut publice non diceret; ne qui erant increduli, majori affligerentur livore et culpa. Multi quærentes qualiter sanus factus esset habentes eamdem infirmitatem, secreto misit eos ad B. Raynerium, et curati sunt similiter.

claudus,

A *Curat Sanctus colli schrofulos,* 92 Filius Benenati, quondam Ternicii, habebat totum collum plenum scrofulis fistulatis. Ductus est igitur ad S. Raynerium; qui signavit, et benedixit scrofulas, et exspuit super eas. Et infra octo dies ita detersæ sunt de collo toto, acsi numquam fuissent ibi. Repertus quondam Bellandi, habebat filium pauculum, qui habebat fistulam in digito mediano, ita quod non poterat curari a medicis. Dixit itaque prædicto Reperto Raynerius quidam quondam Bucciæ-duræ; vade ad B. Raynerium apud S. Vitum, *et fistulam manus* et fac digitum benedici, et statim curabitur. Nam alia die benedixit quemdam puerum, qui habebat eamdem infirmitatem, et statim curatus fuit. Unde prædictus Repertus duxit filium suum ad S. Raynerium, qui benedixit digitum pueri, et super ipsum digitum expuit, et fasciavit illum; et præcepit patri pueri, ut non disfasciaret digitum pueri, usque dum alia die in sero reduceret ad eum puerum: quod et *ac pedis;* factum est. Alio die dum disfasciaret digitum pueri coram B. Raynerio, inventus est digitus sanus perfecte. Buccius, de ecclesia S. Petri ad Yschiam, habebat filium habentum fistulam in pede, unde non poterat curari. Duxit ergo filium suum ad S. Raynerium, qui spuit super pedem infirmum, ipsumque B fasciavit. Alia autem die inventus est pes perfecte sanatus.

93 Filia Travallii, nomine joliccina, patiebatur *hæmorrhœam,* fluxum sanguinis per tres menses, et non remanebat in ea sanguis. Misit igitur ad S. Vitum ad Beatum Raynerium pro Aqua benedicta ejus: bibit ex ea, et confestim siccatus est fons sanguinis ejus. Quidam nomine Calabrica, patiebatur scrofulas fistulatas in collo, pectore, et brachiis. Ivit igitur ad B. Raynerium ad S. Vitum, et impressit ei signum vivicæ Crucis super eas B. Raynerius, et sputum posuit super eas, et dixit ei: Vade quia Sanaberis, et si non nunc. Post aliqua tempora sanus integre factus est: unde postea per multa tempora mansit in servitio tumbæ ejus devotissime. Quædam mulier de Planusia clinica, tota corpore *scrofulas,* pararysi resoluta, pertata est a viris coram B. Raynerio apud S. Vitum, præsente Abbate montis Christi cum duobus suis Monachis: B. Raynerius benedixit eam salvificæ Crucis vexillo, et aquam benedictam a se, et panem benedictum dedit ei, *paralysim* quibus acceptis jussit illi surgere. Qua hæsitante præcepit ei, ut surgeret, et iret, et referret gratias Deo et B. Vito coram altari ejus. Nec mora, C coram Abbate Montis Christi et Monachis suis, præceptum secuta est obedientia: consolidato toto corpore et plantis, surrexit vadens ad altare, et referens gratias Deo et B. Raynerio et B. Vito.

94 Henricus Romellæ patiebatur pleuresim, de-*item pleuresim incurabilem cujusdam,* ficiebatque spiritus in eo, propter puncturam et dolorem pleuresis. Iste semper invocabat nomen Raynerii. Bernardus quondam Maragonus ibi erat præsens, et dixit ei. Tu magnam fidem habes in homine isto. Henricus prædictus volebat mittere pro aqua ejus benedicta ad S. Vitum: prædictus Bernardus dixit ei: Mitte postquam tantam fidem habes in eo; sed non spuat ibi. Respondit, ego fidem habeo in eo, quia quæ sunt ejus me liberabunt. Misit Portatellam, cum famulo suo Flumine nomine, ad Beatum Raynerium pro Aqua benedicta. Qui benedicens Aquam dixit, dictum est mihi in aure quæcumque peccata erant, dicti Henrici. Et dixit B. Raynerius Portatellæ: Vade: et dic ad eum, *de occulto peccato confitendo moniti* quia cras veniet ad eum Archipresbyter, et illud peccatum, quod non vult confiteri, illud confitebitur ei primum. Sicque factum est alia die: et dedit ei Raynerius de corrigia sua ut eum cingeret: et fuit ibi de Capillis suis, et sclavina sua; et dixit quod ponerent super apostema pleuresis, et numquam dubitarent, quia sanus esset. Et similiter misit ei D Aquam benedictam et panem; et assumptis illis, et *A. BENINCASA EX MS* corrigia, posuit super pleuresim. Mirandum valde! Omnibus medicinis ablatis, statim fractum est apostema, et copiose cœpit excreare saniem, et dolor fugit ad anchas *e*, et statim apposuit ibi corrigiam, et omnino cessavit dolor, et statim post sanus factus est.

ANNOTATA D. P.

a *Omnino hic censendus est alius ab Auctore, fortassis* Benincasa de Benincasis; *quem schismatici anno* 1167 *in sedem intruserunt; cum Villanius, Barbarossæ furori cedens, et Pontificiis partibus constanter inhærens, ultro in Gorgoniam insulam exulatum abiisset. Vide Ughellum tom.* 3 *col.* 468: *et quomodo intrusum Alexander III, ludens in ejus nomine,* Malincasam *vocaverit.*

b Romaniam, *hic puto intelligi Æmiliam, Italiæ provinciam ad mare Adriaticum, adeoque in hoc mari rem actam, vulgo ea dicitur* Romaniola; *alias tamen* Romania *dicitur, vel Græcia, vel saltem Constantinopoli circumjecta Thracia.*

c Lanista *Latinis proprie est, Gladiatorum præfectus et instructor: hic vero pro* Lanione *accipitur: uterque a laniando sic dictus: id patet infra num.* 177. E

d *Omnino addenda videtur hæc vocula ad sensum perficiendum: nec enim credibile est sanctum ipsum id jussisse propalari, sed potius celari.*

e Anchæ *Gallice* Hanches, *coxendices.*

CAPUT IX.

Vinctis captivisque libertas, sanitas variis ægris reddita, miracula alia.

Bentivegna, filius Ildebrandi Geugi, dum vellet ire negociatum sulcando mare, ivit ad S. Vitum ad B. Raynerium, ut prius benedictione ejus munitus incederet. Qua accepta, dans ei ad portandum Aquam *Benedictione et eulogiis sancti munitus,* benedictam et panem, dixit ei S. Raynerius: Ecce vade securus, quia nulli poterunt te retinere contra voluntatem tuam. Prædictus juvenis factus securus, hilaris iter suum cœpit, per multas eundo multo tempore terras. Venit tandem Tunichium *a* cum so-*a* ciis suis viginti quinque, ubi obsessi sunt a Mathematis *b* cum Sarracenis. Prædictus tamen Bentive-*b* gna cum uno Januense ductus est ab eisdem in F Africam reliquis sociis remanentibus Tunichii. Coperunt autem Mahumeti obsidere *c* Africam. Et isti *c* duo prædicti positi sunt in catenis ferreis Fuerant jam in catenis viginti quinque diebus. Tunc prædictus Bentivegna dixit Januensi: Voveamus nos S. *captusque in Africa, invocato illo,* Raynerio, ut eripiat nos de istis catenis: quod et fecerunt: Deo hoc cœlitus faciente. Jactata est statim sagitta de civitate Africa Mathemutis, cum brevi scripto litteris latinis. Tunc Ammira Mummanus *d* jussit vocari illum Bentivegnam, ut legeret *d* eis breve illud, cum multi essent in exercitu suo *e* *e* Margarizati, qui bene sciebant legere et exponere. *liberatur a catenis;* Respondit Bentivegna; non veniam, nisi mihi et socio catenæ detrahantur: non enim vadit aliquis captus ante ipsum, quin vel fiat Sarracenus, vel occidatur si non fit. Ducti sunt itaque sine catenis, ut legerent breve. Legit autem breve ante Priorem ipsius Ammiræ: stabat sine catenis in exercitu, sed reverti non poterat.

96 De rei serie multa intermittimus, quia venimus *et amice dimissus* ad id, quod B. Raynerius ei prædixit. Voverunt itaque se B. Raynerio, ut possent reverti in terram suam. In sequenti nocte apparuit huic Bentivegnæ per visionem B. Raynerius, dicens ei alacri animo esto,

A BENINCASA EX MS

esto, et vade hodie ante Ammiram, et audies unde læteberis; et tibi faciet quod alii adhuc non fecit. Iste dicebat etiam, quia et oculis corporis vidit eum tunc. Ivit itaque ad Ammiram Mumnum ea die intrepidus, et locutus est ei de liberatione sua. Prædictus Ammira convocavit septem senes, et dixit eis, ut darent sententiam si mori deberet iste, qui iverat ante eum. Responderunt: Non debet mori, quia est de habentibus pacem nobiscum, et omnia sua debent ei restitui. Tunc Dominus donavit ei mille Byzantios, et dedit litteras ut omnia sua ei restituerentur: sicque factum est. Agamus gratias Deo, et B. Raynerio de libertate hujus tam prospera. De pane et aqua benedicta, quam portavit secum, multos curavit Saracenos a febribus et aliis infirmitatibus: unde laudabilis nimis Deus, qui B. Raynerium, etiam inter Saracenos, glorificat *f*. Hoc miraculum tam grande infinitis patuit.

multos Saracenos sanat.

97 Jolitta, soror Episcopelli de ecclesia S. Ambrosii, ivit ad B. Raynerium ad S. Andream, cum viro suo et alia muliere, et matre sua, jam facto sero. Cum autem pervenisset ad ecclesiam, invenerunt valvas seratas ipsius ecclesiæ. Pulsantes fortiter et impingentes in valvas, intrare non potuerunt. Prædicta Jolitta dixit matri; Postquam intrare non possumus, ite et vos, et state cum conversis mulieribus *q* assistivis, quæ hic sunt: quia ego numquam sum recessura hinc, nisi B. Raynerium videam. Tunc illi euntes ipsa appodiavit se portis, et dixit: B. Rayneri adjuva me, et mecum sis. Tunc portæ, quod valde est mirabile, cœperunt sub spatulis ejus cedere, et omnino apertæ sunt. Tunc valde læta de miraculo, magna voce virum suum, et reliquas conclamavit. Qui videntes tam stupendum miraculum, læti ecclesiam ingrediuntur. Beatus itaque Raynerius, cum jaceret in ecclesia, audivit per ecclesiam eos ambulantes; et venit ad eos, quærens ab eis, quomodo ecclesiam intrassent. Narravit Jolitta rem gestam, et retulit ipse gratias Deo. Benedixit eos, et miro repleti sunt odore. Narravit, hæc quod vir tunc mirum senserit odorem, qui corpore suo multum infirmabatur, putans ob hunc odorem debere liberari. Cui B. Raynerius respondit. Ne putes, quod sanetur: erit quippe anima ejus boni odoris Deo, sed ipse nequaquam sanabitur. Qui numquam sanatus est, sed in eadem die vergentis anni, sicut B. Raynerius dixerat ad Dominum migravit. Hæc nobis Jolitta retulit, præsente muliere, quæ secum fuit ibi.

Mulier volens ad Sanctum intrare in ecclesiam clausam,

impetrat ut ea ultro reseratur:

virum tamen suum non sanandum intelligit.

98 Erat ancilla quædam, nomine Mastajola Albertini Tenti, de ecclesia S. Simonis Portæ maris: huic Dominus suus miserat Catenam ferream in utroque Crure, et affixerat ipsam Catenam cum *h* spannalibus acutis in ligno, ut nullatenus se inde movere posset. Hæc dum sic coarctata esset, cœpit dicere: Deus sancti et Domini Raynerii, solve me ab hac catena per quem, et propter quem multa assidue facis mirabilia. Manebat autem tunc B. Raynerius apud S. Vitum, et res mira accidit *i* Accepit Sticcatellos de terra, et cœpit mittere sub bullas *k* acutorum, et statim prosilierunt. Illa stupens miraculum remisit acutos in eadem foramina, donec in nocte fugeret ad S. Raynerium, referre gratias Deo: et in nocte facta, semper invocans B. Raynerium, exiit de domo cum catena, et nemo eam sensit: et Catena ita perdidit sonitum, ac si de aliquo metallo non esset. Venit itaque ad S. Vitum, et tetigit portas atrii. Janitor, quasi paratus staret ad eam recipiendam, statim ei aperuit; et causa audita, misit eam stare cum uxore Caciopoli, quæ tunc infirmabatur ibi, donec dies illucesceret, et tunc diceret B. Raynerio. Officio noctis peracto venit ad eam cum Monachis B. Raynerius, vidensque eam positam in munitissima catena, causa itineris illuc audita, cœpit et primus Raynerius tuppam *l* catenæ manu tangere, coram Monachis dicens; Videamus si velit Deus eam solvere ab his vinculis. O immense Deus, cujus omnia obediunt voluntati! Mox speldolum *m* processit de tuppa, et traxit mulier catenas, [omnibus] dantibus Deo gratias de tanto miraculo.

Ancilla crudeliter ab heris suis catenata,

invocans Sanctum solvitur

99 Postea misit S. Raynerius de Aqua pro Domina ejus, quæ recusabat ad eum venire, dicens, quod jam præcipiet mihi, ut faciam eam liberam. Tandem suasa a nuntio venit: reddidit igitur ei ancillam B. Raynerius data ab ea fide Christianitatis, et dato osculo sancto Christi vice, quod non amplius eam in compedibus tota vita sua poneret. Et dixit Dominæ illius adjiciens Almus Raynerius: Quia non recognovisti ancillam tuam in Christo esse sororem tuam, sed duriter egisti adversus eam, ecce ob hoc verberaberis a Deo duriter. Infra illos tres dies Maritus [navim] rupit in mari, et omnia quæ secum habebat perdidit, et filia ejus mortua est in mense illo, et amisit triginta novem libras de dote ejusdem filiæ, et vir ejus mortuus est anno illo. Hæc nobis retulit ipsa ancilla, jam facta libera, plorans ad Tumbam B. Raynerii. Referamus immensas Deo gratias, qui et tanta per servum suum operatus est, et per os ejus vera et ineffabilia fatur, et ipsi servo ejus reverentiam exhibeamus, quia tantum [eum] diligit Deus et Dominus.

et Dominus sub cautione redditur,

cum prædictione pœna immi...

100 Adaleta, uxor Urseoli, ivit ad B. Raynerium ad S. Vitum portans secum quemdam urceolum, opere Saracenico factum, plenum aqua ab eo benedicenda. Quæ cum videret, quia de sputo poneret in aqua benedicenda in vasis aliorum (rogabatur a multis sequidem ut hoc faceret; et quia caritas omnia sperat, omnia credit, existimabat sic velle omnes; et ideo in omnibus vasculis sic ponebat) prædicta hæc videns dixit intra se; Numquam mihi benedicet meam aquam. Posuit itaque hanc aquam in vase suo super quamdam arcam, quam poterat videre B. Raynerius. Audite rem mirabilem. Statim tota aqua illa exiit ex vase illo plumbato inferius. Quod aspiciens B. Raynerius subrisit: scivit namque hoc a spiritu sancto: et dixit mulieri: Gilsa, Vade, tolle vas tuum: et similiter mulieres dixerunt ei, quod vacuum esset. Illa hoc valde admirans obstupuit, cum vas esset firmissimum, et quasi lapideum. Dixit itaque B. Raynerius; Vade, reimpleque, quia [modica] fides tua hoc fecit. Illa excusans se aiebat, Propter sputum, quod ibi apponebatur, non tuli ante vos ad benedicendum. Portavit prædicta Gisla ipsum idem vas, aqua plenum, ad benedicendum. Quo benedicto, imo aqua ipsa benedicta, sustinuit vas aquam in se, sicut prius faciebat, ita ut nec stilla a quacumque parte aquæ de vase ipso erupisset. Laudemus itaque Dominum nostrum Jesum Christum, in cujus nomine Beatissimus Raynerius de Aqua, omnia faciebat; qui nec poros apertos habentia aperit, propter servum suum, tamquam si essent fracta. Caveamus itaque incredulitatem, matrem omnis boni tollendi, et a Deo recedendi.

Vas nolentis aquam ejus cum sputo benedici,

miraculose evacuatur.

101 Buoso Tupparius portavit in suum vas Aquam ad benedicendum. Aquam ipse suis manibus hausit; hanc benedictam domum revexit, et in arca sua reposuit. Alia die ait uni de pueris suis: Vade, affer mihi de Aqua viri Dei, ut ex ea bibamus, pro sanitate corporis et animæ. Qua in vase vitreo allata, erat vinum factum aqua miri odoris et aurei vividique coloris, et optimi saporis. Tunc Buoso ait puero: Hæc non est illa aqua, quam posui in arca: vade cito, et fer vas ipsum ad me cum aqua, quæ est ibi. Quod et factum est. Reperit autem vinum supradictæ

aqua ab eo benedicta in vinum vertitur

A supradictæ individuitatis : de quo dedit gloriam Deo, qui talia operatur ad honorem servi sui, et renovat miraculum, quod per semetipsum dignatus est in Nuptiis operari. Perplurimis autem ipse Buoso Tupparius narravit, et prædicavit.

ANNOTATA D. P.

a *Tunichium alias Tunetum vulgo Tunes portus Africæ.*

b *Forsan legendum Mahumetanis nihil tamen muto.*

c *Seu potius aliquam in Africa civitatem eatenus liberam.*

d Amyras, Amiramumminus, *corrupte* Miramolinus, *titulus et nomen Principis supremi inter Saracenos.*

e Margarizare, *est ejurata Christi fide ad Mahometismum transire.*

f *Verosimile est liberationem prædictam, morte sancti posteriorem esse ; ad viventis tamen miracula visa est referenda.*

g Assisticiæ *hic videmur dici quasi* Mansionariæ, *quia vel juxta ecclesiam morabantur vel assistebant ad ministeria ei necessaria.*

B h Spannale *derivatum (uti puto) a* Spanga, *quod est fibula : hic vero videtur poni pro clavo, quo immisso clauduntur pedicæ et arctissime adstringuntur, a Teutonico* Spannen, *tendere, arctare.*

i Sticcatellus, *assula lignea, nisi fallor, a Teutonico* Stik, Stek.

k Bullæ acutorum *sunt (ut reor) capita spannalium prædictorum.*

l Tuppa *id est, sera catenæ, Italis* Toppa.

m Speldolus, *uncus per quem catena seræ committitur : a Teutonico* Spelde, *spinula, acicula.*

CAPUT X.

Adjuti captivi, naufragantes, infirmi,

Ad invocationem S. Rayneri sedatur tempestas

Ugutio, nepos Gulielmetti quondam Raynaldi, dum rediret de Sicilia cum sociis suis in navi, orta est prævalida maris tempestas ; qui vovebant se sanctis multis, et non exaudiebat eos Deus. Iste solus Ugutio, dixit : Domini mei et socii, ego me voveo B. Raynerio, ut Deus propter eum det nobis quietum mare : et ego vestitu laneo, ibo ad eum ad S. Vitum discalceatus, referre gratias. Quid ma-C gni, Fratres propter servum suum, et sanctissimum Raynerium tunc Deus fecit navi, et hominibus in ea? subito tanta tranquillitas in mari facta est, ac si mare piscina factum esset. Complevit itaque iste Ugutio votum suum nam laneo indutus est, et discalceatus venit ad B. Raynerium et dixit ei. Quia Deus fidem de me tibi donavit, æquum est ut de rebus nostris habeas in tutamentum tui ; deditque ei de capillis suis, et Sclavina, ut secum erret in itineribus suis.

Captivus apud Saracenos

103 Alio quoque tempore, dum Ugutio supradictus peragraret Thunisim, captus est in partibus sardiniæ cum suis sociis et navi, in secunda feria hebdomadæ, a galeis Demæ Saraceni : et erant cum timore perdendi capita sua. Tunc iste Ugutio, Confisus de rebus S. Raynerii, quas secum habebat, invocabat sæpe ipsum, ut esset in sui et sociorum adjutorium. Dedit ergo ei Deus gratiam in conspectu cujusdam Sarraceni, qui patiebatur combusturam, propter servum suum Raynerium : qui ducebat eum semper foras secum ad sanandum combusturam illam. Iste Ugutio semper habebat in ore suo S. Raynerium, ut eum traheret de illa captione. Veniente die octavo, idest secunda feria, in ipsa nocte semper invocabat S. Raynerium, ut fugere posset D intrepidus. Die facta octava cœpit dicere sociis : Ego hodie recedo a vobis, quia ego habeo de rebus, quas dedit mihi B. Raynerius ; et in veritate hodie erit mihi adjutor, et recedam a vobis. Si vultis venire mecum, venite. At ipsi cœperunt increpare eum, ne amplius hoc verbum exiret ab ore ejus : quia ipse et ipsi ob hoc poterant amittere capita. Qui dixit eis ; In veritate sciatis ; quia ita erit hodie, ut jam dixi vobis.

A. Benincasa ex MS uti prædixerat,

liber evadit ad naves Pisanas,

104 Parvo spatio temporis adhibito. Ecce Sarracenus vocavit eum pro combustura sua, ut iret secum foras. Quod et factum est. Dixit ergo huic Sarracenus, ut ipse Ugutio ablueret suum caput, qui renuit. Sarracenus autem cœpit sibimet abluere. Iste, in mente semper habens B. Raynerium, ascendit quoddam saxum, remotum a Sarraceno plusquam jactus est lapidis, dicens ; S. Rayneri modo adjuva me. Sarracenus videns eum super rupem, vocavit eum, ut rediret. Respondit ille, Non redeo amplius. Tunc Sarracenus cucurrit post eum, sed ejus cursus nihil valuit. Potuit Ugutio interfecisse eum, sed pepercit ei, et propter socios suos, et propterea quia gratiam exhibuerat ei. Videntibus cunctis recessit ab eis, E semper invocans B. Raynerium ; nullusque potuit eum insequi : sicque pervenit ad locum, qui dicitur Portus-turrium, et nuntiavit hoc hominibus nostris qui erant in portu, et duabus galeis quæ erant in portu. Tunc nostri ; cum strenue præparassent se, cum plattis *a* galeis et duabus nostris galeis, venerunt post eas, et fugaverunt eas. Cœperunt tamen multos Sarracenos, et navem onustam mercibus : quæ omnia portaverunt ad civitatem nostram Pisas. Laudemus omnes simul Deum, qui ita eripuit captivum suum, clamantem servum sanctumque suum Raynerium, de tam dira captione, et qui trophæum dedit nostris de ipsis Sarracenis.

a

quæ redeunt cum spoliis :

curantur scrophulæ,

105 Paganus nobilis civis, de ecclesia S. Sebastiani in Kinsica, filium habebat habentem scrophulas tres, scrophulas duas ab utraque parte gulæ, et tertiam in collo. Duxit itaque eum ad S. Andream, et dedit eum signandum super scrophulas B. Raynerio. Post paucissimum tempus in una scrophularum nata est paucissima nascentia sub gula ; et exinde defluens humor sanavit omnes alias, ab invicem distantes. Quibus deletis, nascentia disparuit. et sic per Benedictionem B. Raynerii modico tempore puer convaluit. Hoc fuit de primis ejus miraculis, et hæc omnia Dominus Paganus, pueri pater, F nobis narravit.

illuminatur cæca :

106 Quædam mulier, nomine Manna, neptis Gerardi fabri baculi, et servientis nobiscum tumbæ, imo ipsi Beatissimo Raynerio, ivit, ducta a patre suo, ad S. Raynerium, ad cellam S. Viti, ad manus illam trahente, siquidem lumen oculorum amiserat. Patiebatur namque guttam in oculis, quæ dicitur vulgo *b* fanalia, unde et apertis oculis, et lucentibus nihil videbat. Hanc autem Raynerius consignavit, et oculos ejus, expuens in oculos ejusdem mirabilis omnicreator Christe Jesu, qui per istum servum tuum, huc ad nos missum pro nostra salute, tuorum facis memoriam mirabilium) quæ a patre suo tracta per manum ad B. Raynerium, lumine oculorum plene recepto, absque ductore suam remeavit in domum.

b

curatur dolor stomachi,

107 Ermellina Ricia, uxor. Pauli qu. Ugonis Ebriaci, vexabatur assidue gravi molestia doloris stomachi. Contigit eam cum aliis ad S. Vitum mulieribus ire, ubi gravissimo stomachi dolore intercepta est : dictumque est S. Raynerio : qui aquam a se benedictam cum pane dans ei, post eorum assumptionem illico convaluit, nec unquam amplius dolorem stomachi sensit hæc nobis prædicta Ermellina

A lina coram tumba B. Raynerii, nobilis utique mulier, multis audientibus retulit.

A. BENINCASA EX MS. et maxima febris:

108 Albertus quondam Ubaldini, qu. Adaldi, nobilis civis desuper portam Bosi, habebat filium parvulum, quem tenere diligebat; qui gravi detinebatur infirmitate, videlicet febre, ita ut neque lac neque cibum sumeret. Discalciatus igitur pedibus ipse et uxor ejusdem pueri ipsius mater, portaverunt eum quodam sero ad B. Raynerium ad S. Vitum. Tunc simul quædam vicina eorum, Mincelli uxor, discalciata portavit cum eis quemdam suum filium ad eumdem S. Raynerium; qui ab infantia stomachi dolore sic vexabatur, ut fere per singulas eum acciperet horas, projiciens se de collo in cujus esset; ideoque nec ad nutriendum alicui bajulæ dari poterat. Cum igitur B. Raynerius benediceret puerum prædicti nobilis Alberti, pro febre tollenda, puer prædicti Mincelli de collo matris suæ projecit se super B. Raynerium, repenti stomachi dolore tactus. Quod B. Raynerius admirans, interrogavit matrem pueri, quare hoc puero accidisset. Quæ, sicut superius dictum est, infirmitatem pueri narravit, et ab infantia detentum adjecit. Tunc B. Raynerius, sur- B sum aspiciens elevatis oculis, Patrem oravit Deum, ut ab hac, quam dixi infirmitate, puerum dignaretur liberare. Et quia dictum est per prophetam dicentem; Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum; miseratione divina propitiante, facto signo Crucis super utrumque puerum, per sanctissimum Raynerium, nec puer Alberti febre amplius tactus est, ita ut alia die cum aliis luderet pueris; nec Mincelli filius exinde dolore stomachi quoquo modo fatigatus est.

Ps. 33, 16

ac cephalalgia

109 Ipse idem Albertus miles post obitum B. Raynerii gravi inquietabatur capitis dolore nec medicorum effectum consequi poterat. Tandem ad B. Raynerii confugiens merita, fecit fieri pileum cereum ad almi Raynerii gloriam: Quo pileo in capite Alberti prænominati posito, statim in ipsa positione pilei ita omnis capitis dolor vehemens abscessit, as si numquam ibi passus fuisset. Hæc omnia, coram aliis bonis viris, eo nobis narrante dedicimus.

sanat Sanctus manus et brachii tumorem

110 De ecclesia S. Clementis erat quædam mulier provectæ ætatis, nomine Bona. Hæc cum rediret a festo S. Stephani Protomartyris in nativitate Domini, posuit manum super lignum quoddam; et antequam venisset domum, manus et brachium ejus, C quibus lignum tetigerat, intumuit mirabiliter, ut nihil posset operari. Permansit autem ipse tumor usque post resurrectionis Domini Pascha; et nullo poterat curari malagmate vel medice. Ivit tandem ad B. Raynerium ad S. Andream, et facta Crucis benedictione super brachium atque manum, tumorem, quem nec medici, nec maligma aliquod auferre potuerant, confestim in præsentia Beatissimi Raynerii Crucis benedictio, sanctissimique merita ejusdem fugaverunt. Hæc coram multis ante tumbam ejus ipsa nobis retulit.

puero a se suscitato, quem reddit optatum passerculum

111 Filius Lamberti lanistæ, quem B. Raynerius a mortuis reduxerat, de quo supra diximus, octavo post die venit perfecte sanus ad B. Raynerium, pedibus suis ad sanctum Vitum cum uxore patrui, et cum aliis, præ lætitia, quia revixerat. Cumque eum B. Raynerius teneret inter genua, vidit puerulus passerem volantem, et ponentem se in tecto. Tunc puerulus ait: utinam haberem avem illam. Et B. Raynerius, lætus de puero, dixit ei: Vis, fili, habere avem illam? Respondit puer: Etiam. Tunc B. Raynerius signavit avem illam signo sanctæ Crucis, et statim avis illa descendit ad pedes pueri, ita facta mansueta, acsi semper fuisset mansueta. Accepit ergo eam puer et portabat in manu sua quasi domesticam. Mirabilis Deus qui talia operatur per D servos suos.

ANNOTATA D. P.

a Plattus, *id est*, Planus *vox pure Teutonica, diciturque de navigiis planas carinas habentibus.*

b Fanale *Italis dicitur* laterna; *an hinc tractum nomen ad oculi morbum, non divino.*

c Lauda *seu* Laus Pompeji, *vulgo* Lodi, *in Mediolanensi Ducatu, distat Pisis fere* 170 p. m.

d *Scilicet Fredericus Ænobarbus, eo anno in Italia agens, ubi ad festum Purificationis conciliabulum Pisis coegerat, quo tunc destinatus fuerit Consul Pisanorum, illi adhærentium.*

CAPUT XI.

Reliqua viventis Raynerii miracula.

Mulier quædam de S. Lucia, juxta domum Ricucchi, nomine Sophia, uxor Rodulphi, venit ad S. Vitum audire prædicationem S. Raynerii, innumera ibi existente multitudine. Cum autem esset intenta audire eum, accessit propius accepto cujusdam alterius mulieris mantello viliore, quæ erat de Villa longa * dimisso suo, quod erat novum et bonum et illa mulier de Silva-longa accepit mantellum illius mulieris, quæ erat de loco S. Luciæ, non perspiciens quod esset mantellum alterius mulieris vilius. Tunc maritus Rodulphus inspiciens dixit ei: Hoc non est tuum mantellum. Illa ut conspexit non esse suum, reversa est ad sanctum Vitum, dicens in itinere; Sancte Rayneri, ego veni ad tuam prædicationem: redde mihi mantellum meum: jam enim populus omnis discesserat. Mirum quod narro. Invenit ibi mulierem de Villa-longa cum viro proprio, et salutavit eos: et interrogavit eos, quid ibi expectarent. Responderunt, B. Raynerium. Tunc illa aspiciens frizium, quod erat in *a* taxellis mantelli sui, recognovit suum esse mantellum, et dixit illi alii mulieri: Domina, non habeatis pro malo, quod dico: hoc est mantellum meum. Mulier illa erubuit, quia putabat se habere suum mantellum, et non alienum; et sic reddiderunt sibi invicem mantella. Tunc illa mulier de Villa-longa, et vir suus dixerunt: Modo tentemus si possumus recedere domum. Iverant decies usque ad furnum S. Viti, et non poterant plus ire, et revertebantur retro, ut ipsi referebant, ubi steterant a tertia usque in horam nonam. Reddito mantello tentaverunt ire, et reversi sunt domum. Mulier ista abiit ad S. Raynerium, et retulit ei gratias de Mantello suo invento; et quod illa, quæ habebat, non potuit excedere limites domus S. Raynerii, donec reddidit.

Mulieri cui mantellum sub concione sancti mutatum erat,

* *al.* Sylvalonga

E

ipsum coram eo restituitur,

a

non valente alias discedere qua illud habebat:

F

sanatur manuum imbecillitas.

113 Angelus, Probus vir, de curia Hermanni quondam Paganelli habebat palmas manuum ita teneras, ut non posset aliquid frangere, quin frangeretur cutis, putans habere manus leprosas. Ivit igitur ad B. Raynerium, dum esset in corpore. Et benedixit ei manus B. Raynerius, et dixit ei. Noli timere quia sanus es. Mira res! statim manuum pellis indurata est, et crassa facta in volis, et callosa sicut alii homines habent; et absque offendiculo cœpit laborare cum ipsis.

Mulier gutturis..., per an. 20

114 Uxor Rathonis, cum esset puella, intrasse sensit in os suum quasi scutum parvum, et nesciebat quid esset. Exinde omni anno molestabatur dolore maxillæ cum tumore, aliquando per mensem: et sic passa est per viginti annos, aliquando graviter, aliquando gravius. In ipso vero vigesimo anno adeo graviter passa est, ut utraque maxilla et gula tumidissima efficeretur. Et sæpe cum cultello aperiebantur

bantur ei dentes, ut cibum vel potum sumeret: et dicebant eam pati infirmitatem, quæ dicitur bonannum per contrarium, id est mal, Malan-nus. Tunc cum vir suus de vita diu desperaret, et omnes qui videbant eam, præ tumore quem habebat; dixit prædicta uxor viro suo Rathoni, qualiter potuit, si mitteres B. Raynerio ad S. Vitum, biberem ex aqua ejus, et sanarer. Ivit itaque ipsemet vir suus, et adduxit ei de aqua prædicta: quam cum bibisset, prout potuit, statim sensit moveri in maxilla, et ascendere de maxilla quiddam, quod non poterat accipere; fugiebat enim de manu sua. Vocavit virum suum, et aspiciens vidit lapidem ascendere de maxilla ad modum fabæ Asianæ *b*, id est Campanicæ: quem digitis accipiens traxit: Stupendum auribus valde! In ipsa hora recessit tumor, et sana facta est, referens gratias innumeras Deo, et Beatissimo Raynerio. Hoc ipsamet retulit nobis cum viro suo, apud S. Nicolaum de Palatino, coram Priore ejusdem loci Gregorio qui tunc ibi degebat.

curatur hausta aqua Sancti.

b

115 Athopardus, nepos Botii, laborabat in extremis ex febris fortissimo Caumate, et jam perdiderat loquelam. Tunc Botius cum aliis venerunt ad S. Raynerium ad Ecclesiam S. Viti. Rogaveruntque eum, ut pro prædicto juvene oraret Deum. Beatus itaque Raynerius, ipsis expectantibus, intravit ecclesiam B. Viti, et oravit patrem suum Deum pro juvene; et peracta oratione reversus est ad eos, et dixit: Revertimini nunc domum, et invenietis juvenem loquentem et melioratum, et sanabitur. Reversi invenerunt prædictum Athopardum et loquentem bene, et febrem eum dimisisse, et convaluit de infirmitate. Alio quoque tempore, post obitum S. Raynerii, idem Athopardus juvenis elegantis formæ, captus fuit a Præfecto Urbis Romæ, et positus in captione in oppido, quod dicitur vetrallis *c*. Cumque jam diu stetisset in captione, vovit se B. Raynerio, ut si intra quindecim dies de captivitate erueretur, donariis suis reverentiam exhiberet tumbæ B. Raynerii. Quod et factum est. In quindecim diebus liberatus fuit a prædicta captione, et domum reversus est.

Liberatur quidam a letifera febri,

et postea a carceribus.

c

116 Agnes, quædam mulier, de ecclesia S. Matthæi ivit cum filio suo ad S. Vitum ad B. Raynerium. Tunc B. Raynerius dedit de aqua benedicta a se cuidam febricitanti mulieri bibere: et eam aquam, quæ remanserat in Scypho dedit in potu filio hujus Agnetis. Tunc ista Agnes mater pueri cœpit dicere intra se; heu quare filius meus potavit aquam illam, quæ fuit [sumpta] ab ore febricitantis; jam habebit febres. Reversa est ad domum, et sicut cogitaverat ita filio accidit, siquidem tribus mensibus passus est febres, et insuper factum est ei apostema maximum et durum in ancha: e quo mater, et filius oppido verebantur. Dixit ergo mater intra se; Nimis stulta usque nunc sum, quod non sum reversa cum meo filio ad B. Raynerium, ducens mecum puerum. Venit igitur ad eum, referens ei omnia quæ sibi acciderant. Respondit B. Raynerius: Tua dubitatio ad hoc perduxit te, et modica tua fides se mersit. Tunc Beatus Vir dedit de aqua benedicta a se filio ejus, et dentibus attrectavit apostema quod erat in ancha ter. Gaudeamus omnes, quia unde mater et filius desperaverant, consecutus est filius sanitatem, ita ut febres filium dimiserint; et apostema validum et durum, post paucissimos dies, disparuerit omnino.

Incredulitas matris punitur in filio,

qui Sancto agente sanatur

117 Quædam mulier, nomine Mingarda, uxor Hugonis Curti, de ecclesia S. Christophori in Porta auxeris, devotissima *d* fuit B. Raynerio, quæ nec carnem, nec sagimen comedebat. Hæc sæpe veniebat ad eum, et exportabat ab eo aquam benedictam, quam ipse bibebat. Contigit quadam die, quinta videlicet feria ante sextam feriam ante suscitationem Lazari, ut iret ad S. Raynerium apud S. Vitum. Portavit de aqua ab eo benedicta, ut inde sibi biberet; de qua cum jam per biduum bibisset, et reposuisset eam in arca cujus ipsa habebat clavem; tertio cum bibere vellet, reperit vinum factum, et valde obstupuit. Vocavit autem quamdam commatrem suam, et quasdam vicinas suas, et dedit eis bibere: siquidem ipsa vinum non bibebat. Et illæ stupentes, laudaverunt Deum. Contigit autem, ut alia vice iret cum eadem commatre sua et alia sua Vicina, ad almum Raynerium, unaquæque habens vas plenum aqua. Qua benedicta, revertentes domum, interrogatæ sunt a quibusdam mulieribus unde venirent: quæ respondentes dixerunt; A B. Raynerio. Percunctatæ sunt eas, si haberent de aqua benedicta: et asserentes se habere, dedit Mingarda primum eis bibere, et erat vinum. Tentaverunt de duobus aliis vasis, et similiter erat vinum: et stupor apprehendit eas, et magnificaverunt Deum: et sic reversæ sunt Domum. Postea tertia vice reversa est iterum cum commatre sua ad S. Raynerium, et renuntiaverunt ei, quod contigerat. Et ille cum eis Patri suo Deo et Jesu Christo Domino egit gratias, qui eadem nunc operatur, quæ in nuptiis in Cana Galilææ operatus est. Et sic sex vicibus huic mulieri fuerat aqua a B. Raynerio benedicta, conversa in Vinum.

d

A BENINCAS EX MS

Aqua a Sancto benedicta sexies in vinum versa,

118 Tunc B. Raynerius, valde admirans, quod toties factum fuerat (siquidem et portaverant ei mulieres vinum ex aqua factum ut gustaret, et non accepit) dedit prædictæ mulieri Mingardæ vasculum novum, et præcepit ei, ut et ipsam lagænam suam ferret ei, cum iterum rediret ad eum, vacuam: quod et factum est. Fecit eam impleri aqua; et antequam perfecisset benedictionem, sensit vinum factum esse, et dixit mulieribus: Accipite, quia mutavit Pater meus elementum aquæ in naturam vini. Et gratias egit Deo, de utraque hydria gustans, et inculpans se quod Deum tentasset: Benincasæ [mihi] servo suo reservavit de his duabus cuppis: et inde potavi. Unum erat album et exile, non multum forte; alterum erat subrubeum, et valde forte, et optimi saporis. Laudemus ergo Deum, qui tunc fecit et facit quotidie memoriam mirabilium suorum, per servum suum sanctum Raynerium.

ipsemet rei veritatem septimum experitur

119 Quidam magister Hugo Latinus, Græcas litteras edoctus, audiens Constantinopoli a nostris et aliis dicta et facta S. Raynerii, dicebat nihil esse, quod se laudaret et glorificaret. Accidit ut eo tempore graviter infirmaretur; dictumque est ei per visum; Mitte pro aqua ad S. Vitum, et bibe eam, et liberaberis. In mane, cum nostri Pisani visitarent eum, cœpit eis dicere visionem, et addidit: Ego nescio ubi sit ille S. Vitus. Tunc quidam ex nostris dixit ei; Ego scio ubi sit, et feram vobis de illa aqua, si vos vultis. Attulit, et bibit ipse Hugo, et extemplo convaluit. Tunc Pisanus ille noster cœpit eum monere, ne amplius aliquid inhonestam diceret de S. Raynerio, quia hæc est aqua, quæ benedicta fuit apud S. Vitum ab eo, ex qua nunc sanus factus es. Laudaverunt ergo Deum et B. Raynerium. Hæc nobis sacerdos Petrus, qui nunc apud Liburnum degit eremita, tunc Præpositus ecclesiæ nostræ, et diaconus S. Nicolai Constantinopolitani, apud quem iste magister Hugo erat, retulit. In eadem civitate Pisana erant duo viri Pisani, qui oculorum lumine amisso cœli lumen videre non poterant. Datum est eis de aqua benedicta a S. Raynerio, et oculos suos abluerunt ex ea, et mox lumen receperunt. Et hæc a prædicto venerabili sacerdote nobis narrata sunt, qui hæc omnia vidit, et eis interfuit.

Eis sanctitati incredulus infirmatur,

et aqua tali sanatur,

qua et cæci illuminantur

120 Erat quidam nobilis civis in eadem civitate Pisana, nomine Villanus, filius quondam Uberti quondam

A *Item parens incurabili hectica laborans,*

quondam Antonii, habens filium nomine Hugolinum; et hic Hecticam patiebatur febrem, quam in medullis ossium jam habebat. Cujus pater copiosam dare volens medicis pecuniam, desperatis medicis nullus volebat se de ejus filio intromittere. Pater vero accepto consilio ivit ad B. Raynerium, flexisque genibus oppido deprecatus est eum, ut pro filio suo ad Dominum intercederet, ut sanitati restitueretur; exponens ei omnem filii sui infirmitatem. Beatissimus vero Raynerius de Aqua, condolens dolori patris, intravit B. Andreæ templum, ubi tunc morabatur; et pro eo ad Deum patrem suum preces fundens, cognovit eum esse sanandum. Reversus igitur ad Patrem talia fatus est: Noli timere, certus sis, quia filius tuus Hugolinus de hoc infirmitate non morietur, sed cito sanabitur. Portavit autem ei pater de aqua benedicta ab eo: et potavit Juvenis de ea, et confestim redditus est ei cibi potusque appetitus, quem omnino perdiderat; et carnes ejus, quæ omnino, ex illa mortali febre hetica erant consumptæ, ei restitutæ sunt; et sanissimus atque pinguis factus est, ut et postea, sicut est mos illorum civium, lucrandi causa sulcaret æquora multa.

B *et alius collum distortus,*

121 Tedalgarus, de Parochia S. Viti, habuerat febrem diu, et convaluerat ex ea: verum remansit ei collum distortum, ut non posset faciem ad anteriorem partem revolvere. Ivit igitur ad S. Raynerium qui tunc degebat ad S. Vitum; et inquisitus ab eo, suam indicavit, quam habuerat, febrem. Tunc inquit ei B. Raynerius, pro tua tibi accidit culpa: datoque ei benedictissimæ Crucis signo, super collum ejus ab eo impresso, protinus ejus collum directum est, ut et ipsum naturaliter moveret, sicut in sua faciebat sanitate. Quod nobis ipse retulit, coram turba ejus ante multos: et præcepit ei, ut numquam amplius sibi caput de plonda *e* ablueret.

e *et mulier sanguine fluens.*

122 Guido frater Cairi habebat uxorem nomine Adalatam, quæ fluxum sanguinis patiebatur, ut trigesies in die ubertim effflueret: ad hoc etiam totus ejus venter non modicum intumuerat. Vir itaque ejus ivit ad sanctissimum Raynerium, qui tunc erat apud S. Vitum, rogans eum pro uxore sua. Qui aquam benedictam, et tria frustula panis benedicti dedit, dicens illi. Noli timere; quia sana erit uxor tua: usque in diem tertium bibat aquam, et unam offellam [edat] per diem. Quæ cum frustum panis sumpsisset, prima die ad totum siccatus est sanguis, et in nocte totus venter detumuit. In secunda die omnino sana facta est, et de lecto surrexit laudans, et glorificans Deum et Beatissimum Raynerium.

C

123 Soffredus, arte medicinæ peritus Medicus, filiam habebat parvulam, quam tenere diligebat, habentem *f* guttam fantiliam. Qui cum esset apud S. Vitum cum B. Raynerio, venit nuntius dicens ei: Quia filia tua moritur: veni, ut videas eam. Prædictus siquidem Soffredus medicus cum lacrymis dixit ei: Ite cito, et adducite eam ad me. Qui cum attulissent eam illuc; videns eam pater ejus, qui optimus erat medicus; dixit eis; Male fecistis, quod eam attulistis, quia jam mortua est. Sanctissimus Raynerius videns eum plorantem, dixit ei: Ne timeas, quia de ista infirmitate non morietur: Et lacrymabatur cum eo. Soffredus autem medicus cœpit dicere intra se: Vere non morietur amplius de hac infirmitate, quia jam mortua est. Cœpit eam consignare multum signo Crucis Beatissimus Raynerius et ceciderunt in puellulæ faciem de lacrymis ejus. Dixitque patri puellulæ: Porta eam tecum, quia numquam de hac infirmitate morietur. Verum pater plorans intra se dicebat: Vere de hac infirmitate non morietur, quia jam mortua est. Quam cum attulissent domum, protinus aperuit oculos puellula, et locuta est, et quasi mortua revixit, et ipsam infirmitatem numquam de cetero habuit. Hæc coram multis nobis retulit dicens, quia in veritate filiam meam mortuam resuscitavit ipse mihi.

Mortua delata ad Sanctum ... sed

D

ANNOTATA D. P.

a Taxellus, *indicatur ab Academicis Cruscanis esse pars panni a foris affixa, qui ornatus etiamnum sit in usu rusticorum: Belgis hodieque, sed viris dumtaxat, simile quid in usu est ad collum a tergo pendens, forma fere quadrata: quod et nomen* Taxilli indicat.

b *Hujusmodi* fabæ *minores in Belgio*, Turcicæ *vel* Romanæ *appellantur.*

c *Hodie forsitan* la Vetrana, *in sabinis, Pontificiæ ditionis oppidum.*

d *Quatuor omnino, ædes S. Nicolao ibi sacras, enumerat Cangius, in Constantinopoli Christiana pag.* 132.

e Plouda, *an aqua pluvia? hæc enim etiam* Ploia *Italis dicitur, ut docent Academici Cruscani.*

f Gutta *quidem vulgo dicitur quæ alias* Arthritis: *sed quid* Fantilia? *an Infantilis?*

E

CAPUT XII.

De sepultura S. Raynerii, nonnullisque eam secuti miraculis.

Sed de ejus obitu, solemni inter alios, pauca Fratres videamus: ad hujus itaque obitum Sanctissimi, omnis Clerus, Sacerdotes, Abbates, nec non Priores, Monachi, et Sanctimoniales, cæterique Venerabilium Ordinum non invitati, Deo in ipsis hoc agente, omnes ad S. Vitum venire *b* festinarunt. Et ita in Beatæ Dei Genitricis Aula, honorabili et præcelsa, unanimiter convenerunt. At Sacerdotes, ejus portantes *c* in feretro sacratissimum corpus, a S. Viti loco usque in prædictam Dei Genitricis Mariæ ecclesiam, dignum et Deo carum Obsequium præbuerunt. Quisque Clericorum, etiamque laici, sicut in solenni festivitate Hypapantis Domini, cereos in manibus accensos ferebant. Et qui in hac corporali vita blasphamatores illius extiterant, ea quæ sibi omnipotens contulerat, prout Dominus ei jusserat, referebant, et devotissima illi servitia exhibebant. Siquidem de ipso blasphemantes aiebant: non est hic homo a Deo, qui se sic collaudat: sed, ut supra retulimus, Secretum Regis abscondere bonum est, opera Dei revelare ad confitendum nomini sanctissimo ejus, honorificum est, Angelo Raphaele Thobiæ hanc sententiam commendante Hi inquam tales, et talia de illo evomentes, ejus præ cæteris erant exequiis obsecundantes. Omnis nostræ Civitatis Pisanæ populus, quique in ea erant aliarum nationum, concito ibant gradu, osculari manus et pedes ipsius.

a *Sepelitur omnium ordinum, sexus, ætatis facto concursu,* *b* *c*

etiam detractorum ejus. Tob. 12, 7

F

125 Membra equidem nihil rigiditatis in se habebant, quin potius semper humecta erant et sudantia flexibiliaque sicut viventis alicujus. Præ innumera virorum ac mulierum, senum ac Juniorum, puerorum et puellarum frequentia de Choro elevatus, delatus fuit in pulpitum. Nec idcirco minus adscendebant, ad eum tangendum, et videndum. Vestimentum, quo tegebatur, videlicet Pilurica et ipsius ad lumbos cincta Corigia, in infinitas partes, ut pro Reliquiis haberent, est divisa. Multi in ejus manibus positi sunt panes, ut benedictionem supernam ad ipsius tactum reciperent; de quibus multi febricitantes, et alii infirmi postea sunt curati; ut cœlestem in panes illos superfusam fore gratiam, liquido clareret. Nec erat super terram homo vivens, qui recordari quiret, ad alicujus exequias nuquam tot

certatim expetuntur reliquiæ;

A tot convenisse. A mane usque ad vesperam Infiniti euntes et redeuntes hoc prædicarunt, nec propter æstatis incipientis fervorem de carne ejus aliquid mali odoris exhalasse, quin imo per horarum aliqua intervalla odoribus nimiis et suavissimis locum ubi erat replesse.

126 Tunc demum sacratissimum illius corpus per Sacerdotes ministros, est devotissime traditum sepulturæ. Venerabilis tamen ejusdem Pisanæ civitatis Archiepiscopus, nomine *d* Villanus, qui usque ad mortem eo tempore steterat infirmus, ex ægritudine tunc convalescens, debilis valde, Deo id in cor ejus inspirante, non invitatus ad celebrandam Missam venit, quam nec prius per multum cantaverat, nec postea [per longum] tempus cantavit suæ causa infirmitatis. At multi adstantes non pro mortuis Missam audiebant, sed celebritatis cujusdam maxime, obnixe admirantes [eo quod] eorum auribus Gloria in excelsis Deo personabat. Interrogatus vero prædictus venerabilis Archiepiscopus, se mortuorum peregisse affirmabat. Unde perspicuum est, Angelorum ministerium, cum gloria in excelsis Deo, voces deprompsisse altisonas, ut quod Domino nato exhibuerunt in terris, huic decantarent asseclæ suo nascenti in cœlis. Migravit autem qua Deus die, B sexta scilicet feria in sero, die scilicet qua major non est in tota Hebdomade *e* anno millesimo centesimo sexagesimo primo, XV. Kal. Julii, mensis septimo decimo die. Tunc celebratur hujus sanctissimi et Deo dilecti Rayneri in cœlis nativitas et in terris summa festivitas bifario. Vigilia autem ejus, cum devotione omni, ab omnibus qui vel qui valeant, debet jejunari, abstinentiæ ejusdem participibus effectis, pro nobis, ut intercessor et advocatus existat apud Patrem in cœlis, quatenus cum eo mereamur regnare in supernis, cum sanctis Angelis sanctisque omnibus.

ad Missam funebrem cantandam accedit tunc ad mortem æger Archiepiscopus.

an. 1161 17 Junii moritur Sanctus, colligitur ex die concurrente cum feria 6.

127 Tumbam vero, in qua sanctissimum corpus illius quiescit, Consules dederunt prænominatæ civitatis; ut in eo ejus impleretur prophetia, quam nobis et Magistro Hugoni, Physicalis doctrinæ laurea redimito, retulit. Infirmitatem, quam Physici pleuresim vocant, habuit illo scilicet anno, quo ad nos de ultramarinis partibus venit. Tunc nobis B. Raynerius ait, meum Corpus in Tumba ponite, quia mihi promisit Deus, quoniam multi ad meum sepulchrum infirmi recuperarent sanitatem. Prædictus autem Magister Hugo subdidit: Et quis eam nobis dabit? Consules dabunt, in qua meum ponetur corpus, sta- C tim respondit. Quinque jam consulatus *f* transierant, et prophetia adimpleta est. Nam cum nos tumbam non aliquam bonam præparassemus, Consules unanimiter dixerunt; non in hac requiescet tumba, sed nos eam dabimus. Et sic hanc, ubi nunc jacet, suis præparavere in ecclesiæ angulo manibus: ubi dæmoniaci multi curantur, cæci illuminantur, elisi eriguntur, et innumera per eum beneficia, terra marique petentibus quotidie præstantur. Mansit vero Beatissimus Raynerius de Aqua, ad nos de ultramare veniens, corporali nobiscum degens præsentia septennio, suo nos doctrinæ lumine semper illuminando, præstante Jesu Christo, et Salvatore nostro, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus et permanet gloriosus, et æqualiter sempiternus et immortalis, nostras preces exaudiens, initium creaturæ omnis, in secula seculorum. Amen. *h*

corpus collocatur in tumba a Consulibus,

ut a S. erat prædictum.

128 In nomine Domini Amen. Mulier quædam de Plebe de Aquis, Gerra nomine, habebat manum contractam per octo annos, et habebat nodos incisos cum roncilio propter guerram quam habebat vir suus, et curata est ad tumbam ejus. Attolinus puer habebat utramque manum contractam, ita ut non posset cibum digitis capere, sed nodis extrinsecis utriusque manus ponebat panem ad os: et curatus est in anniversario ad Tumbam ejus.

Sanantur ad tumbam manus contractæ

D 129 * Aldigarda, de Episcopatu Lunensi, valde patiens in oculis, in vita ejusdem, abluit oculos de aqua benedicta ejusdem, et in momento convaluit. Arditio quidam de civitate Pisana cæcus et contractus toto corpore erat, et vovit se B. Raynerio, et convaluit. Gerardus filius cigi de Piro, cum esset in extremis, Beato Raynerio vovit eum uxor sua, et statim convaluit. Enricus quondam Romellæ, habens *i* hemitritæum, posuit corrigiam B. Rayneri sub capite suo, et continuo dimisit eum febris.

V. BENINCASA.

alii item morbo.

** Refer hoc ad cap. 8*

130 Uxor Botelli de flumine Auxeris habebat manus contractas, et per visionem dixit ei B. Raynerius: Accipe baculum hunc, quia sana es. Tunc reversa ad se (nesciebat enim si dormiret) invenit manus suas sanas. In mane venit ad tumbam ejus, portans cæcum manum ceream; et stetit ibi fere per totum diem, ut ab omnibus videretur; et item postea cinxit tumbam B. Rayneri cum candela, referens de hoc gratias Deo et B. Raynerio. Hugo medicus habebat filium, qui habebat *k* ractatam in oculo, unde valde timebat: vovit eum B. Raynerio in sero, et mane invenit totam deletam.

rursum manus contractæ

131 Quidam, nomine Clavellus, piscator cum sociis suis laxaverunt retia sua in mare ad nomen S. Rayneri: et sic concluserunt piscium multitudinem copiosam, qua fragi ta soliditur in de acceptorum. Uxor ejusdem Clavelli habebat nascentiam *l*, E in manu, quæ rodebat ei manum, et contraxerat, et non poterat inde curari per medicos, vovit se B. Raynerio, et sana facta est. Quædam nobilis mulier erat apud plebem de Calci, quæ cum multis aliis fuerat expulsa de quodam oppido Pistoriensi: hæc habebat cancrum in coxa, qui corrodebat eam. Vovit itaque se B. Raynerio et curata est. B tus *, nobilis civis Pisanus, habebat hemicraneam, et omni mense molestabatur graviter, ut non posset sufferre auditum vel sonitum Alicujus rei: venit itaque ad B. Raynerium et impressit sibi signum Crucis, et numquam amplius est passus infirmitatem prædictam

P. ospiratui pisces;

variorum alii morbi curantur.

** Refer ad cap. 8*

ANNOTATA D. P.

a *Hic rediero ad ordinem MS. Codicis, cetera deinceps absque ordine temporis sed post mortem peracta, exhibiturus.*

b *Raynerius asserit, mortis suæ præscium Sanctum, ad eam discipulos amicosque convocasse; atque facta coram iis confessione, extrema sumpsisse Sacramenta. mortuo autem illo, ultro sonuisse omnes campanas civitatis, itaque excitos universos, ut ad spectandum mortuum convenirent.* F

c *Idem ait, proxima Dominica illatum fuisse in ecclesiam funus, et celebratas exequias sed non Missa funebris, qualem Archiepiscopus cecinisse se putavit: tunc Pisis diceretur in Dominicis audiri potest.*

d *Rexit Pisanam ecclesiam* Villanus, *ab an.* 1145 *ad an.* 1174.

e *Id ita corrigo pro eo quod scriptum videbatur* toto anno nam sic *deberet intelligi feria* VI *majoris hebdomadæ ceu Parasceves; propter memoriam salvificæ Crucifixionis.*

f *More scilicet Pisanorum, novem mensibus prævenientium communis anni exordium; proinde intelligendus hic est annus* 1160, *qui bissextilis habuit mense Junio litteram Dominicalem* B, *adeoque* 17 *Junii feriam* 6.

g *Scilicet integri, non computando eum sub quo venit, et eum sub quo obiit. Septennium vero quo mansit Pisis, de quo mox, intelligitur computato utroque extremo.*

h

A TIMI CASA EX MS.

h *Videri potest hæc Vita huc usque sic scripta fuisse paucis mensibus a morte: miracula autem consequenter, ut acciderunt vel relata fuerunt a testibus, adscripta; primo a morte anno, licet in fine dicantur sileri innumera alia, aliis post secutis annis facta: ista enim conclusio tam potest postea fuisse addita, quamquam Benedictio aquæ et panis Cap. 7 et quædam viventis miracula mixta sunt miraculis patratis post mortem: atque hoc ipsum est quod Auctor præfatur, se nullo ordine utraque scripturum.*

i Hemitritæus *morbus videtur hic dici* febris semitertiana, *nusquam id tamen hactenus reperi.*

k Ravetata, *fortissis usurpatur pro* catarhacta *seu* squamina.

l Nascentia *Italis dicitur quodcumque tuber, alicui corporis parti adnatum.*

CAPUT XIII.

Navigantes adjuti invocato S. Raynerio: varii morbi curati.

Sandone quidam, cum filio suo et tribus aliis, iverunt per mare ad *a* Macram, in locum qui dicitur Macrina, cum quadam *b* ganzirra. Tunc miserunt anchoram in mare ad retinendam ganzirram: sed cum postea eam vellent sevare, non potuerunt, quia venerat inter lapides. Contigit autem, ut alia ganzirra Januensium, armata viginti duobus hominibus inde peragraret. Rogavit sandone Januenses, ut juvarent eos trahere anchoram de mari: tentaverunt omnes, et nunquam potuerunt. Tunc sandone cum sociis tirennis auxiabatur pro anchora, quia nesciebant, qualiter irent sine ea. Tunc filius prædicti sandonis dixit Patri suo: Ego sum fidelis S. Raynerii, quæramus ejus auxilium, et juvabit ipse nos. Tunc ipsi quinque tantum, cum prius fuissent viginti septem cum Januensibus, et non potuissent extrahere; cum adjutorio B. Raynerii cœperunt trahere, et statim habuerunt anchoram, cujus stipes propter violentiam, quam fecerunt in trahendo eam, plicatus erat. Retulerunt ergo inde gratias immensas Deo et B. Raynerio.

b Anchoram, quam multi retrahere nequeunt, Sancto invocato adducitur a paucis.

133 Alligarda de Podio *c* de Provincia, mortuo viro apud vicum Pisanum, tanto mœrore affecta est, ut nec de lecto surgere posset, et oculis præ lacrymis cæcata est. Tandem vovit se B. Raynerio, et de lecto surrexit, et videre cœpit: ideo venit ad B. Raynerii tumbam gratias referens cum oblatione. Quidam juvenis de Arena erat Claudus utroque pede. Venit ad Tumbam B. Raynerii cum croceus *d* in obitu ejus, et stans ibi in sero erectus est, et cucurrit ipsemet sonare tintinnabulum ad laudandum Dominum: postea per mensem servivit tumbæ Raynerii sanctissimi portando aquam. Quidam Vir de S. Paulo de ripa Arni, graviter infirmabatur, et pedes habebat inflatos valde, ita ut Medici desperarent de vita ejus. Vocavit itaque fratrem quemdam quem habebat, et dedit ei funiculum cum quo ligavit suos pedes, et obtulit Beato Raynerio pedes cereos similes suis. Mira res! in sero hoc vovit in mane nihil tumoris erat in pedibus, et de infirmitate statim convaluit.

Sanantur clinica et cæca claudus,

134 Quædam mulier venit ad Tumbam B. Raynerii, cum filia sua, quæ patiebatur singultum gravissimum, ita quod non posset manducare, per quindecim dies passa singultum. Quem singultum habuerat hac occasione. Miserat ipsam foras domum; quæ cum reverteretur percussa est in spatula, sed nescivit a quo: et sic cœpit habere singultum prædictum. Dedimus ergo ei de aqua de tumba S. Raynerii, et numquam amplius habuit. Nicolaus, filius Maranatæ, graviter habebat singultum, et si biberet magis patiebatur. Dedimus igitur ei bibere de aqua tumbæ B. Raynerii, et statim cessavit, et amplius non habuit. Item quædam mulier venit ad tumbam prædictam, quæ habebat digitum indicem ita rigidum, ut nullo modo posset eum plicare: abluimus digitum de aqua benedicta tumbæ, et reversus est digitus ad usum suum. Quidam hydropicus de Lombardia venit ad tumbam B. Raynerii, et bibit de aqua quæ erat super tumbam, ter: et cum esset tumidus venter ejus pernimium, reversus est ad sanitatem pristinam: nam per omnia balnea, quæ audiverat valere ad hanc infirmitatem, iverat, et nihil profecerat. Hic recepta sanitate servivit tumbæ B. Raynerii fere per mensem, portando aquam super eam; et postea rediit domum suam sanus

Per aquam sancti curantur, singultus gravis, hydrops,

135 Quædam mulier de eadem civitate, nomine Mingarda, habebat filiam parvulam nomine Margaritam, quæ gravissimas patiebatur febres: vovit igitur se daturam imaginem ceream pro filia sua B. Raynerio, et protinus convaluit a febribus filia ejus. Mutavit mentem ejus mater, scilicet se non daturam imaginem ceream Mira res! confestim recidit filia ejus in eamdem ægritudinem, et facta est per triduum muta. Tunc mater ejus, cognoscens culpam suam, iterum ex omni mentis puritate repromisit, quod primum spoponderat. Res nimis stupenda! Eodem momento locuta est puellula, et surrexit de lecto, et ambulabat sana. Hoc coram multis narravit nobis mater ejus ante tumbam B. Raynerii filia præsente, et obtulit imaginem, quam devoverat.

febris incurabilis et recidiva,

136 Quædam mulier nomine Viviana, habebat filium nomine angelellum: qui cum esset in turre Bottacii, juxta Arnum sita, cecidit de duobus solariis ejusdem turris, et stabat quasi exanimis: Mater plorans et ejulans, vovit eum B. Raynerio, clamans et invocans ipsum cum magna devotione. Mirabilis Deus! surrexit puer absque ulla læsione quasi non cecidisset. Mater pueri hæc coram multis audientibus nobis retulit. Quædam mulier nomine Johtta, Gualandi uxor, cecidit de duobus solariis; et dum caderet invocavit nomen S. Raynerii, et nihil læsionis passa est. Hoc coram multis nobis retulit. Erat quædam mulier Anglica, cæca. Hæc venit ad tumbam B. Raynerii, et abluit oculos de aqua tumbæ ejus, et statim vidit clare. Multi vero probaverunt eam si bene videret, et omnibus patefactum est ipsam videre. Hoc autem factum est eadem hora, qua Galganus quondam Cajetani filius factus est Canonicus. Francaldellus nobilis civis, jacebat in lecto paralyticus; ideo parentes ejus voverunt se missuros B. Raynerio cerean quinque librarum. Cereo facto tulerunt ante prædictum francaldellum, mirum valde! statim surrexit de lecto sedens contra cereum: et post paucos dies sanus factus est præmisso cereo.

lapsus ex alto, oculorum defectus, paralysis,

137 Quædam mulier paupercula veniebat a S. Angelo, gravata morbo Hydropisis, tumidissimo ventre. Nocte vero quadam hospitata est apud quemdam hominem. Ea nocte apparuit illi mulierculæ per visionem B. Raynerius, dicens illi: Veni ad tumbam meam Pisas, ubi corpus meum quiescit; et sana facta est. In mane invenit ventrem suum detumuisse, et præ gaudio monstravit hospitatori suo, et quærebat ab eo quis esset S. Raynerius, qui erat Pisis, quia de eo nihil audiverat unquam. Venit postmodum ad tumbam ejus sana, et obtulit ibi circulum candelæ miræ magnitudinis, quantæ erat venter ejus. Quædam mulier de Sali, de Episcopatu Lucano, quæ cæca erat, nomine Cigula, siccis oculis in capite ejus. Hæc juxta obitum ejus in Octava S. Petri venit ad tumbam B. Raynerii: cæteris multis

hydrops, cæcitas,

multis ibidem existentibus, factus et auditus est in fronte ejus sonus quasi nucis fractæ, et aperti sunt oculi ejus, et lumen recepit clare, omnibus assistentibus ibi et laudantibus eum.

calculus cum suppressione urinæ,

138 Grassus de Casali patiebatur dolorem in ventre et in lateribus, et urinam facere non poterat et quiescere per triduum. In nocte dum quiescere non posset, invocabat Sanctos et sanctas nominatim, et nihil videbatur alleviationis habere. Tandem venit in memoriam ejus B. Raynerius, et cœpit illum exorare, et dicere; quod si il um a dolore liberare, in mane statim veniret ad tumbam ejus, et illam candela cingeret subito somnus arripuit eum, et apparuit ei quidam homo per visionem dicens illi: Accipe urinale, et urinam fac; et expergefactus accipiens urinale, sine aliquo dolore fecit urinam, cum qua emisit lapidem ad modum ossis dactylorum, et sanus factus est a dolore et gravedine. Eodem momento surrexit mane tempestive, et sicut promisit, cinxit tumbam B. Raynerii candela, sanus et hilaris.

glandula:

Quædam mulier, nomine Agnes de Apulia, habebat glandulam durissimam et maximam in gula. Venit autem ad tumbam ejus, et abluit ipsam glandulam de Aqua, quæ erat super tumbam, et deleta est.

e

sublevatur anchora saxis inhærens

139 Albertus Strambo, filius quondam Benedicti de Mari, erat in partibus Sardiniæ in *e* carabo quodam cum sex sociis, et jactaverunt Anchoram in mare ad retinendam navem, et cautibus inhæserat, ut non posset eam levare de mari. Habuerunt alios quinque in adjutorium, nec extrahere eam valuerunt; imo in trahendo tretiam *f*, cum qua ligata erat, ruperunt. Anxii multum erant pro ea, quia non habebant nisi unam aliam Anchoram. Tunc prædictus Albertus Strambo cum serviciali navis, ascito uno de sociis, ivit ad *g* grepiam anchoræ; et invocans in adjutorium suum B. Raynerium, valida mentis intentione et vocis, ipsi duo tantum cœperunt trahere anchoram per grepiam. Stupendum valde quod narro. Ita leviter levaverunt ipsam Anchoram de inter lapides quibus inhæserat, ac si nihil esset ligatum ad grepiam. Stupentesque quia prius cum duodecim hominibus non potuerant, imo tretiam ruperant; et nunc duo soli ac si non esset ibi anchora, leviter levassent; gratias immensas retulerunt Deo, et B. Raynerio de tanto Miraculo.

Sanantur pueri moribundi, unus,

140 Villana, nobilis mulier, uxor Lanfranchi de Vada, habebat filium Paulum graviter infirmum, ita quod nullum sumebat cibum; et ita cadebat collum quasi esset exanimis, et similiter faciebant cætera membra. Vovit illum Mater sua S. Raynerio, quod si Deus redderet sibi infantulum sanum per merita ejus, cingeret tumbam ejus candela, et puerum ferret ad tumbam ejus. Devotionem matris, extemplo ex ea litio secuta est: protinus enim puer cibum sumpsit, et post paucos dies integre convaluit, unde et in Octavis Apostolorum Petri et Pauli cum puero ad tumbam S. Raynerii venit, et votum suum sicut promiserat complevit. Hoc Mater nobis retulit multis audientibus.

alterque

Erat quidam puerulus duorum aut trium annorum, nomine Faber, apud Kesam, qui per diem unam et noctem amissa loquela, quasi mortuus, et non accepta cibo aut potu steterat. Voverat eum Pater et Mater B. Raynerio, quod si ei redderet [sanitatem, oblationem] et reverentiam de suis exhiberent B. Raynerio. Peracto verbotenus, voto statim puer locutus est; et cibum petiit et potum. Postea autem parentes ejus ad tumbam B. Raynerii eum cum reverentia promissa eidem Raynerio de Aqua almo obtulerunt, narrantes omnia quæ a nobis scripta sunt.

ANNOTATA D. P.

V. Benincasa ex ms.

a Macra, *alias* Macronesus, *insula prope Eubœam ceu Negropontum.*

b Ganzirra, *navigii genus mox vocatur* triremis.

c Podium B. Mariæ, *alias* Anicium, *vulgo* le Puy *in Provincia.*

d Croccæ, *fulcra subaxillaria, Teutonibus* Krucken.

e Carabus *Græce* Κάραβος *navigium Mediocre.*

f Trecia, *proprie dicitur de crinium plexu, hic etiam de funium volumine.*

g Grepia *videtur Lombardice dici contus præfixum habens ferreum uncum quo annulus anchoræ potuerit apprehendi, a Teutonico* Grypen, *apprehendere; unde* Greep *comprehensio.*

CAPUT XIV.

Per aquam tumbæ Sancti infusam, ejusve invocationem, varia obtenta beneficia.

Febri periculosa laborans

Gualandus Coriarius, de regione S. Matthæi, patiebatur febrem, graviter eum molestantem; et cum ejus intenderetur paroxysmus, quasi extra se fiebat prædictus Gualandus. Cumque tenui diæta et abstinentia foret multum debilis; uxor sua ait; Domine mi, sume nunc aliquid: nam si vis febris accesserit tibi, valde timendum erit, quoniam es nimis debilis. Qui verbis suæ uxoris illectus, sumpsit tres paximatas panis in aqua; dixitque uxori suæ; Fac ut omnes, de camera exeant, et tu ipsa. Quo facto, volvit se ad parietem, si dormire quiret. Et ecce apparuerunt ei Archangelus Michael, et S. Raynerius. Ille non bene scit si dormiebat, an evigilabat. Archangelus Michael sic est exorsus ei loqui; Nunc venimus in adjutorium tui, quia domum meam visitasti; nempe iverat iste ad *a* S. Angelum. Tunc apparuerunt ei ad pedes suos septem teterrimi spiritus, dicentes Michaeli Archangelo et B. Raynerio: quare venistis hunc liberare? Nos in eo rationem habemus. Nec mora Archangelus Michael, et S. Raynerius expulerunt eos. Prædictus Gualandus cœpit rogare S. Michaelem Archangelum, ut diceret, quis ille esset qui venerat secum in adjutorium sui. Adhuc Archangelus; iste est S. Raynerius. Præceperunt ergo ei, dicentes: Ecce sanus factus es. Vade, mitte matrem tuam, uxorem, filium, et filias duas ad tumbam B. Raynerii, et offerant ibi quisque donativum suum, et brachium candelæ, atque *b* ultellam [seu] lecythum olei, et sanus eris. Sicque disparuerunt. Qui protinus vocans uxorem suam, narravit ei omnia, quæ acciderant, et imperata fuerant. Nec mora, venerunt ad tumbam B. Raynerii, et obtulerunt nummos et candelarum brachia quinque per singula genera. Alio mane, quia obliti fuerant, obtulerunt ultellas quinque olei: et prædictus Gualandus jam sanus de lecto surrexit, et ivit in eo die etiam quo sibi placuit. Referamus omnes gratias Deo, et Domino nostro Jesu Christo, qui sic vult honorari servum suum oblationibus duabus ad luminaria, tertia ad pavimentum ecclesiæ, et ad alimentum pauperum.

apparente SS. Michaele et Raynerio

a

docetur de oblationibus,

b

ad sanitatem impetrandam requisitis

Decennium Cæca illuminatur per aquam tumbæ,

c

142 Mulier quædam nomine Bonitala, cæca erat decem annis, attestantibus vicinis suis, de Ecclesia S. Petri ad Iselnam, et ad manum trahebatur, nec quidquam videbat: habebat siquidem albulas *c* in oculis. Venit igitur ad tumbam S. Raynerii, et accepit de aqua tumbæ, et abluebat ex ea oculos suos per singulos dies, et destructæ sunt tunc albulæ fere ex toto ex oculis, et omnia bene videbat, et ibat, quo volebat, et a nullo ducebatur. Contigit ut iterum veniret pro aqua tumbæ, et quæsitum est a

vicinis

A vicinis suis, qualiter illuc venisset : quæ dixit eis per gratiam Dei et B. Raynerii, ductore non egeo, et per me ipsam vado quo volo, postquam ablui de aqua tumbæ hujus.

A B. MINCASA EX MS

quam alia infirma vinum factam miratur,

143 Bertramnus de Burgo S. Michaelis habebat uxorem valde infirmam, cui ipsemet, cum esset juvenis, portavit de aqua tumbæ S. Raynerii : et potavit de ipsa aqua uxor ejus. Sequentis diei mane accepit [iterum] de ipsa aqua, et erat factum optimum vinum. Marito vero suo Bertramno redeunte domum, narravit ei de aqua facta vino. Ille tentans et gaudens, reportavit vinum miri odoris et coloris in eodem vase, et dedit omnibus ante tumbam, qui ibi erant, bibere, narrans eis gloriam Dei. Erat autem ibi quidam incredulus de his; qui cœpit ei dicere ; Tu adduxisti hoc vinum de tua *d* butte. Bertramnus iratus dixit ei : Numquam moriaris, quin de hoc pœniteat te, et videas unde hoc credere possis. Alio autem die contigit utrumque esse ibi ante tumbam S. Raynerii; et ecce, dum hauritorium aqua plenum funderetur super tumbam, vini fragrantia de hoc hauritorio aqua pleno omnibus astantibus et sentientibus exhalavit. Qui fundebat, manum ab effusione continuit. Tunc ille incredulus, B pectus suum percutiens, culpam suam postulavit a B. Raynerio sibi remitti. De hoc vino ex aqua facto, et nos potavimus : erat enim aurei coloris, et lenis saporis, sed boni. Agite nunc gratias Deo, qui renovat mirabilia sua nunc per sanctum et servum suum Raynerium.

d

idemque in ablutione tumbæ postridie experiuntur omnes

144 Mingarda quædam nomine, de ecclesia S. Blasii de Ponte fluminis Auxeris, redibat a B. Jacobo de Gallicia cum multis aliis mulieribus. Dum iter ageret, impegit pedem graviter in quemdam lapidem, et tanto dolore affecta extitit, ut nec in terra ponere eum posset, mixta cum dolore gutta. Hæc multum multumque anxiabatur pro sociis etiam suis, quæ eam derelicturæ erant. Cumque his prædictis angeretur, recordata B. Raynerii, ex intimis suspiria trahens, vovit se B. Raynerio, cum lacrymis eum expostulans. Sed quoniam Dominus suis promisit, se suos nimis honoraturum; hæc mulier vovit se in sero B. Raynerio, et in mane nihil ibi sensit læsionis; et sanior ex pede læso erat, quam ex altero; et reversa est cum aliis mulieribus.

Pedem graviter læsa

post votum sanatur.

145 Gisla, Frannardini lanistæ uxor, filium habens unicum, quem puerum et nos cognoscimus, graviter afficiebatur pro eo, fluxu sanguinis inquietato per nares. In nocte siquidem implebat auricu- C lare, et omnia linteola sanguine narium, et in die similiter non cessabat effundere ; quod jam per tres menses passus fuerat, ut mater ejus nobis retulit ante Tumbam S. Raynerii. Bacile sanguine plenum prout ei videbatur, jam puero effluxerat. Contigit, ut puer peteret de aqua tumbæ almi Raynerii. Potavit de ea. Quid dicam? Confestim ita siccatus est ille sanguinis fluxus, ac si numquam effluxisset ab eo.

Sistitur sanguinis fluxus per nares

146 Erant decem et octo Theotonici, de Sardinia redeuntes, in quadam Ganzirra, cum aliis Ganzirris vento magno flante, motus magnus factus est in mari, et naviculæ ab invicem separatæ sunt, ita quod isti Theotonici soli remanserunt, et portavit eos in Buccinariam *e*. Cum autem esset ventus contrarius, et non possent remigare, jam devenerant juxta cautes, ut ibi eorum frangeretur navicula. Tunc magnis clamoribus voverunt se Beatissimo Raynerio de Aqua, suspendentes et monetas et argentum solidum cum bursa in arbore naviculæ pro illius oblatione. Mira res valde et inaudita ! contra ventum flantem portata est navicula in pelagus, et liberati sunt; et quod voverant B. Raynerio obtulerunt ad tumbam ejus : qui et nobis se per B. Raynerium liberatos retulerunt.

18 Teutonici servantur ab imminenti naufragio,

e

147 Ubertus medicus de S. Christina habebat D filiam infantulam infirmatam usque ad mortem : quam tunc Beatissimo Raynerio vovit, et promisit ut cereum ante ipsius tumbam poneret. Contigit, ut deficiente in ea spiritu, panno eam fasciaret funeris causa, ad eamdum ecclesiam portandam. Dum hic Ubertus eam fasciaret, tangendo pectus infantulæ, tepidum invenit; dixitque uxori suæ, adhuc vitalem in ea credo spiritum fore. Fer cereum hunc, ut mittamus eum ad B. Raynerium; forsitan suscitabit eam nobis. Qua cereum ferente ante infantulam, cum mortua crederetur, (stupendum auditu !) oculos aperiens, patrem vocavit. Exhilaratus pater, misit eam cum cereo ad tumbam S. Raynerii. Protinus apposito ore infantulæ ad tumbam, sicut ætatis est infantiæ, verbis intercisis et semiplenis dixit; sana, papa : sicque perfecte sana domum reducta est. Hoc nobis pater infantulæ, coram viris et mulieribus dixit ante Tumbam *f* agios Raynerii.

mortua suscitatur

f

ANNOTATA D. P.

a *Scilicet in montem Garganum, alias* S. Angeli *in Calabria.*

E

b Ultella, *an forte diminutivum ab* Uter?

c Albulæ, *sunt quasi nubeculæ supra oculos, Latine* panos *dicimus.*

d Buttis, *vulgo* Botta, *et diminutive* Butticella. *Francis* Bouteille.

e Buccinaria *Plinio* Buccinna, *in mari Sardoo inter Æthusam et Osteodem insulas. Ita Baudrandus, in sua Geographia, nullæ tamen sub hoc nomine eam exhibent tabulæ : Bertius in tabulis ad Ptolemæum ad cornu occidentale Siciliæ, inter Drepanum et Lilybæum, ponit insulam* Phorbatitiam, *eamque minorem Pacciniam, Osteodi proximam.*

f *Placuit auctori adjectivo* Ἅγιος, sanctus, *indeclinabiliter uti.*

CAPUT XV.

Gravia vitæ pericula terra marique, et diversi morbi propulsati.

Etiam Familiatus, venit ad tumbam S. Raynerii, habens manus et digitos turgidos ita ut non posset reflectere, et naturales usus expedire : dicens nobis, se velle facere cocturas ob hoc, digitis quatuor super juncturas manus, in brachiis; et nobis monstrans hoc. Nos experimento scientes eum fidelem esse B. Raynerii, quia et ei dum viveret cereos faciebat ; quos B. Raynerius accendebat ante altare B. Viti; et nobis quos ardentes devote ponebamus ante tumbam ejus. Sic cognoscentes eum fidelem, signavimus signo crucis manus ejus, in nomine Patris, et Filii ejus Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti, et in meritis B. Raynerii. Ablutaque manu utraque de aqua tumbæ ejusdem Sancti; in præsentia et aspectu nostro, eorumque qui vel quæ ibi aderant, detumuerunt manus et digiti, pristinoque usui naturali perfecte sunt redditæ seu redditi. Gratias agentes Deo, qui tam celeriter oculis nostris videntibus, sanitatem membris invalidis restituit; et B. Raynerio, cujus obtentu hoc facit.

Digiti et manus turgidi detumescunt ;

F

149 Ulicenus quidam nomine, de Ecclesia S. Matthæi, cum esset in insula *a* Ilba sitiens valde, sanguisugam non visam potavit cum aqua, quæ gutturi ejus adhæsit; sicque non cessabat sanguinem per os emittere. Anxius et suæ timens vitæ, consilium acceperat guttur de sub gula aperiendi : sed quia hoc periculosum erat et mortiferum, confugit ad singulare remedium. Vovit itaque se B. Raynerio tumbam ejus candela cincturum, si ab hoc mortis

a

expellitur sanguisuga, cum potu hausta,

mortis periculo se liberaret. Nec mora, inclinavit se et ipsam mordacem sanguisugam evomuit. Qui de tanto periculo ereptus, in immensum gratias Deo et Beatissimo Raynerio intensissimo modo agens, votum suum gratulans implevit; et hoc ipse ante tumbam S. Raynerii retulit.

curatur cephalæa et surditas,

150 Buttatus cum matre sua vovit se B. Raynerio, quod ejus mater per se ipsam daret, pro molestia scilicet quam patiebatur in capite, pileum cereum: ipse autem qui surdus erat, quoniam aqua maris intraverat in aures ejus, et de neutra audiebat; daret integrum caput cereum, si ejus meritis curarentur. Facto voto, filius a surditate, mater a cephalæa capitis liberati sunt. Erant autem de Ecclesia S. Matthæi; uterque vero portans votum ante tumbam B. Raynerii, ei obtulerunt suas molestias, ablatas nobis referentibus. Quod autem surdus esset, habuimus testes quosdam suos marinarios, posteaquam ipse quidem nauclerus erat cujusdam ligni.

item subitus linguæ et oculorum defectus:

151 Grillus, Pisanorum consulum assecla, cum ivisset in servitio Ildebrandi Meli Pisani consulis, et aliorum proborum virorum, qui cum eodem consule erant: dum quodam sero candelas ad luminaria curiæ consulis præpararet, repente in terram cecidit, et loquela perdita obmutuit. Statim Medicus consulis, quem secum habebat, currens tetigit pulsum ejus, et reversus est ad consulem; narravitque eum pro certo moriturum, ut faceret eum pœnitentiam accipere. Sed quomodo poterat qui sic obmutuerat? Iste tamen Grillus cœpit in corde habere B. Raynerium, et quamvis de eo non sane crederet, statim ei restituta est loquela; et exinde habuit ea nocte solutionem ventris, et paulisper visus est alleviari; verumtamen diffidebat vitæ suæ. Mane facto duxerunt eum ad Laudensem civitatem, quomodocumque potuerunt, ubi et Imperator erat. Ibi etiam ita graviter defectus erat, ut diceret, se numquam amplius per terram iturum. Supervenit ei vomitus, et evomuit multum, et ex aliquo visus est sibi alleviatus; verumtamen nec equitare poterat, nec ire præ defectu. Altero mane remeandi Pisas iter erant aggressuri: prædictus consul Ildebrandus quæsivit ab eo, si reverti cum eis posset. Respondit ille: Numquam amplius per terram ibo. Tunc consul condolens ei, et lacrymans dixit; Vove te corpori sancto B. Raynerii. Respondit homo ille, et dixit; Ego huc usque non credidi de sanctitate ejus; et si nunc per merita ejus sanus fuero; credam, et semper ei de cetero fidelis ero, et tumbam ejus candela vinciam. Peracto voto ita sanus, et fortis factus est, ut alia die sanus et hilaris et ludens equitasset, et incolumis cum aliis redisset. Hæc omnia ex ordine nobis ipse retulit ad tumbam corporis Sanctissimi Raynerii, et votum implevit.

cum gravi periculo vitæ conjunctus,

ac multiplex morbus:

152 Sophia, uxor Rodulphi, de Parochia S. Luciæ, post obitum B. Raynerii habebat caput inflatum, et dolorem magnum in capite, et super hæc febrem. Duxit eam vir suus ad tumbam B. Raynerii; et osculata ab ea Tumba, et orante ea, caput detumuit, et dolor recessit, et non amplius febrem habuit: et tunc pro capite vovit se pileum cereum daturam, et postea dedit.

[illegible] servatur [illegible]nus inter multos hostes,

153 Gratianus, de ecclesia S. Thomæ, iverat pro faciendis lignis apud *b* Motronem. Venerunt sagittarii, qui de locis illis erant, volentes eum deprædari. Qui non habebat secum alia arma nisi ferramenta sua, et arcum unum, et sacculum cum pane. Cum hoc sacculo se tuebatur a sagittis illorum, implorans semper B. Raynerii tutamen. Quid dicemus? multas miserunt in eum sagittas, et fixæ sunt in sacculo panis usque viginti, et nulla eum tetigit. Resistebat siquidem eis cum suo arcu jaciendo in eos Sagittas, percutere nolens. Et ipsi cum plures essent, non potuerunt eum lædere, semper habentem in ore suo et in corde B. Raynerium. Cum autem direxit in eos sagittam, volens percutere, oppido vulneravit unum ex eis. Sed quia iste fecit, quod non debuit; recepit, quod noluit: siquidem in manu percusserunt eum. Et tamen adjutorio B. Raynerii expedivit se ab eis: et pro manu sua ceream promisit: et quam cito de ejus vulnere convaluit, et votum implevit. Præstitit enim ei S. Raynerius, ut a tot sagittis non vulneraretur, et de manu quæ percusserat alium, citissime curavit.

A. BENINCASA EX MS

levi vulnere saucius, quia et ipse unum ex eis vulneraverat:

gravi tempestate periclitantes servantur

154 Retulit nobis Ubertus quidam, de Ecclesia S. Felicis juxta Burgum posita, cum quodam suo socio ante tumbam B. Raynerii; quod cum iret Messanam in navi, orta est subito in mari tempestas valida nocturna. Erant maris procellæ undosæ valde, et mare a profundo movebatur: nubes erant densissimæ et pluvia, coruscationes, et fulmina immensa, et tonitrua horribilia. Et quia de navi et de vita non confidebant, maximis implorabant vocibus Sanctorum multorum, et præcipue Matris Domini subsidia, promittentes ei et aliis Sanctis sua vota: et tamen nec ista, quæ dicta sunt, cessabant: non quia Virgo gloriosa a Filio suo Jesu Christo Deo omnium impetrare hoc et alii similiter Sancti [non poterant]; sed, quia vult omnium Creator, qui nondum plene noti sunt, sanctos suos omnibus innotescere, expectabat ad confugium beatissimi Raynerii in suis clamoribus exaudire. Facientes itaque votum B. Raynerio, confestim maris fragor cessavit, et tranquillitas facta. Mugientia tonitrua, et fulmina deterrentia, et nubes et pluvia disparuerunt, et facta est serenitas. Facto die et procedente, cœperunt habere prosperum ventum, qui plenis eos portavit Messanam velis; ibique applicuerunt, immensas gratias et laudes referentes Deo, et servo ejus sanctissimo Raynerio de Aqua.

ad invocationem sancti.

item alii in portu Genuensi

155 Gratianus de ecclesia S. Ambrosii Pisanæ civitatis, cum Januæ in portu esset in navi cum sociis suis; subito de mari emersit nubilum teterrimum, vento terribili involutum. Omnes videntes in die tam teterrimum nubilum, navibus omnibus in portu timuerunt valde: multas enim ad terram dejecit. Cum appropinquaret ventus et nubilum, et per medios eos veniret, timuerunt valde, ne demergerentur. Nec mora; sanctissimi Raynerii de Aqua suffragia postulantes, ita penitus eos declinavit nubilum, ut ventus, quasi canis baculo percussus fugeret: et impetu intrans in civitatem Januam, multas domos dejecit. Laudemus ergo Dominum, qui per Sanctum suum suffragatur implorantibus eum.

Apparens Sanctus infirmum sanat,

156 Roediger, Theotonicus gente, longo tempore Pisis infirmus decubuit, implorans semper B. Raynerii auxilium. Quadam die media apparuit ei S. Raynerius corporalie specie; et ab eo infirmo corporalibus visus est oculis. Tunc ei dixit S. Raynerius: Ecce adsum, quia meum implorasti auxilium, et quidam alius vicinus tuus Joannes nomine. Sed vade ad custodes corporis mei, dicens, ut circuitum faciant tumbæ meæ, de muri angulo per duas columnas usque ad murum, ut non queant perjuri et adulteri ad me libere accedere; sui autem, unde recedam: et mihi manum tuam porrige, et surge sanus. Statim surrexit incolumis. Porta, inquit S. Raynerius, candelam, et accede, et pone super tale meum candelabrum, docens eum candelabri signum. Ut ei imperavit, ita fecit, et dixit, sibi hæc a B. Raynerio dicta, quæ nobis retulit coram multis ante tumbam ejus.

jubetque tumbam suam sepiri

157 Ubertus, de Parochia S. Fridiani, iverat armatus ad quoddam bellum, quod erat juxta Arnum. Percussus igitur fuit graviter in auriculari digito

digito manus, scilicet minimo. Intumuit manus ejus. Dolor erat intolerabilis : nullo minuebatur malagmate : imploravit B. Raynerii suffragium, vovens se illi daturum manum ceream : et fecit [dari] nummos, quibus debebat manus cerea poni ante se : nequaquam enim dormire, aut quiescere iste poterat. Et statim dolor omnino cessavit, et membra dolore diu fatigata, sopore refecta sunt, et brevissimo tempore sanatus est digitus. Sic igitur votum perficiens ante tumbam B. Raynerii nobis retulit.

A BENINCASA EX MS. Curatur digiti grave vulnus,

158 Mesia, uxor Landelandi, habebat nervos colli ita duros et inflexibiles per octo dies, ut neque posset collum volvere, nec declinare, nec brachia levare : et semper deterius habebat, ita ut nec se posset vestire, nec etiam cibum vel aquam deglutire. Coacta igitur venit ad tumbam B. Raynerii, ubi nos cum aliis eramus. Facto itaque signaculo vivificæ Crucis super collum ejus, in nomine Patris, et Spiritus sancti, et in meritis B. Raynerii, vidimus super collum ejus umbram crucis Dominicæ, ubi discipulus quem præ cæteris arctius *c* amabat B. Raynerius, signum crucis impresserat. Confestim sensimus quia sanata erat, et abluto collo de aqua tumbæ, diximus ei, Surge, quia sana facta es. Cœpit illa mulier collum et brachia secundam naturalem usum movere; et dedimus ei de aqua tumbæ lambere, et sine obstaculo bibit. Sicque, sanata coram nobis, recessit.

et inflexibilitas colli ac brachiorum.

ANNOTATA. D. P.

a Ilba, *olim* Ilva, *nunc* Elba, *insula maris Tyrrheni, in conspectu Plumbini.*

b Metronem *vicum nusquam exprimunt tabulæ, videtur tamen locus juxta Pisas inveniendus.*

c *Ipsum se verosimiliter designat Auctor, sicut Joannes in suo Evangelio.*

CAPUT XVI.

Alia prioribus similia beneficia et miracula.

Ermellina de ecclesia S. Clementis, patiebatur gravem guttam, a spatula usque ad manum, et per omnem vexabat eam hebdomadam, ut nihil operari posset. Vovit brachium cum manu cereum B. Raynerio, si eam Deus suis meritis curaret. Voto peracto, numquam postea in aliqua hebdomada habuit : et ut certa esset de liberatione sua, stetit duobus mensibus, antequam votum suum offerret, ante tumbam S. Raynerii, jure admirabilis vita et miraculis. Mulier quædam nomine Bona, Juliani uxor, de ecclesia S. Blasii prope flumen Auxeris, guttam gravissimam cum dolore nimio patiebatur in dentibus et maxillis, ut masticare non posset, et diu passa fuerat. Vovit maxillas cereas B. Raynerio, et vincire tumbam ejus si gutta cessaret, et dolor. In ipso momento et dolor et gutta simul abscesserunt ; et sana facta est, votumque complevit, et hæc omnia nobis ipsa retulit ante tumbam B. Raynerii.

Sanatur Arthritis diuturna,

et dolor maxillarum;

160 Gratianus de, Parochia S. Sixti revertebatur cum sociis suis in navi, nomine Sagettia, onusta sale de Kalaritanis salinis, et velificabat prospero vento usque ad insulam *a* Celsariam. Cum sero esset ibi, et ventus suo ordine quievisset, colloquebantur ad invicem, crastino simile tempus habituros. Et ecce subito vi magna ventus occidens flare cœpit. Isti non applicuerant adhuc ad aliquam stationem vel portum. Tunc de vento contrario turbati extenderunt *b* velonem, et cœperunt dicere : Non applicabimus modo ad aliquem locum usque in Siciliam. Cum itaque sic turbati essent, dixit unus ex eis : Voveamus nos Beato Raynerio, et offeramus ad Corpus ejus cereum quinque librarum. Voto facto (tremendus Deus qui propter Sanctum suum talia operatur) post modicum applicuerunt ad terram, euntes contra ventum ; et a turbatione tanta sic mirabiliter, meritis Beatissimi Raynerii de Aqua, liberati sunt.

in subita tempestate periclitati liberantur

161 Camandina de Parochia Sancti..... nec quiescere, nec dormire longo tempore fatigata poterat : unde quasi rabida effecta erat. Misit ad tumbam B. Raynerii, pro aqua quæ erat super tumbam ejus ; qua ab ea potata, inquietudo et rabies et fatigatio omnis cessavit ; somnoque adventante mox liberata est. Hoc ipsa magna animi affectione nobis ante tumbam prædictam narravit, gratias agens Beatissimo Raynerio suffragatori suo.

Curantur gravis infirmitas.

162 Angelus bonus nomine, venit ad B. Raynerium apud S. Vitum, et benedixit eum, qui erat Clericus S. Petri-Parvi de civitate Lucana : sicque ivit Hierosolymam visere sepulcrum Domini : dum autem reverteretur in navi, quæ vocabatur Arundella Durandi Brundusiensis, et venisset juxta *c* Methronem, orta est valida tempestas, et fracta est navis. Tum contigit ut iste Angelus-bonus dictus apprehenderet tabulam quamdam in mari, quam tenebat inter coxas ; et sic fluctibus maris elevabatur in immensum, et descendebat quasi in profundum cum tabula. Ad hæc vidit post se B. Raynerium, forma et habitu qua viderat apud S. Vitum, cum illum benedixit tenentem spatulas prædicti Angeli Boni, et dicentem ei : Noli timere quia tecum sum in adjutorium tui : Ego enim sum qui te benedixi et signavi apud S. Vitum. Fuerat siquidem iste Angelus-Bonus ad sanctum Vitum, et acceperat benedictionem a S. Raynerio. Et dixit ei S. Raynerius, cum ille iret inter fluctus super tabulam : Tu magnum habebis timorem inter hos fluctus, sed ego ero adjutor tuus : verumtamen dormi, et statim ille obdormivit super tabulam. Hoc in nocte fuit : in mane cum venisset diluculo valde juxta *d* montem, expergefactus est : et tunc fluctus maris percussit tabulam in qua ille erat ad montem ; et iste cecidit de tabula, et perdidit eam ; sicque recessus maris reduxit eum retro per nimium infra mare; putansque, omnino mori inter undas, qualiter potuit, invocavit Deum et B. Raynerium ; et protinus quidam homo albis *e* vestibus, accepit eum per capillos, et posuit eum super unam petram, et sic evasit adjutorio Dei et Beati Raynerii de profundo pelagi, gratias summas referens Deo et S. Raynerio. Hoc ipse nobis retulit coram multis ante tumbam ejus, dicens se velle hoc jurare ante tumbam ejus, si opus esset.

Salvatur naufragus supra tabulam,

apparente et animante cum Sancto

163 Mulier quædam nomine Johttina, uxor Gerardi de Vico, oppido.... patiebatur in genu graviter, ita ut non posset ire, nec de lecto surgere. Vovit itaque se S. Mamiliano *f*, et aliis multis Sanctis, nec quidquam ei valuit. Tandem, quia valde magis magisque gravabatur ægritudine, vovit se B. Raynerio; et petiam de sclavina ejus, quam habebat, posuit super genu suo. Mira res! statim dolor cessavit et ægritudo, et sana surrexit de lecto. Et postea venit ad tumbam ejus, portans votum suum, videlicet totum crus cum genu et pede de cera offerens ad tumbam B. Raynerii. *

Curatur genu infirmum

item surdæ aures

164 Theodora, uxor S.mignati, habebat manus, ut vulgo dicitur, indormitas, ut filare non posset. Vovit igitur se B. Raynerio, et abluit manus suas de aqua tumbæ, et statim convaluit, et bene nevit, et postea posuit ibi manum ceream pro signo. Dodo Gregorii filius cecidit de quodam solario, et ex casu factus est extra se. Voverunt ergo eum B. Raynerio, et statim reversus est ad sensum suum. Mulier nobilis nomine Maximilla, uxor Bernardi quondam

et manus inutiles

Salvatur ex alto lapsus,

A quondam Hugonis Balduchi, habebat quemdam puerum famulæ suæ, habentem collum et gulam et pectus inflata, ita ut quasi strangulatus esset, et moriturus. Tunc prædicta Maximilla venit ad tumbam B. Raynerii: et accepit de eo quod stillabat de tumba in bombace, quod erat simile balsamo coagulatum; et portans domum unxit collum, gulam, et pectus pueri. Res miranda! In sero unxit, et in mane nihil tumoris remansit puero, sanato ex illa tam gravi infirmitate.

et puer ex gulæ inflatione suffocandus,

165 Quædam mulier laborabat in partu, et parere nequaquam poterat. In doloribus mortis posita, vovit imaginem ceream B. Raynerio, si ab imminentibus doloribus et partu expediretur. Exaudita protinus est, et peperit statim, et a doloribus liberata est. Sicque votum complens, imaginem obtulit tumbæ B. Raynerii, nobis videntibus. Erant duo Pisani cives in partibus g Principatus, gravibus paroxismis ingente fervore intercepti: unus nomine Albertus Pilosus, et alter Villanus filius, quondam Uberti, quondam Antonii. Dum devote ad invicem loquerentur, de vita sua, propter nimis acutam fe- B brem, valde timentes; vovit Villanus se staturum ante tumbam S. Raynerii tota nocte, cum cereo accenso in manibus. Ubertus autem Pilosus, quia vigilare non poterat, vovit se duos cereos positurum ante tumbam S. Raynerii accensos, si se Deus per eum a febre liberaret. Referamus inde gratias Deo et B. Raynerio; quia in eadem hora, qua fecerunt votum, a febre acutissima liberati sunt, et exinde non habuerunt: et incolumes et læti domum Pisas reversi sunt, gratias agentes Deo et sanctissimo Raynerio, atque votum suum, sicut fecerant, ad tumbam ejus peregerunt.

item in puerperio laborans,

g

et duo cives ab acuta febri.

166 Gisla de Ecclesia S. Ambrosii, habebat filiam nomine Theodoram formæ elegantis. Huic Theodoræ facta est durities maxima ab altera parte gulæ, quam putabat esse scrophulam: obnixe timens formæ faciei suæ, anxiabatur inde nimis. Mater vovens filiam, et hæc ipsa se B. Raynerio, portaverunt de aqua tumbæ ejusdem: in sero abluit gulam suam filia de aqua tumbæ; et in mane omnis struma disparuerat. Sicque pristinæ restituta est sanitati. Narrabat ergo hoc miraculum sæpe coram tumba eminentissimi Raynerii de Aqua. Erat quidam homo Lucensis, nomine Rolandinus, de ecclesia S. Angeli in foro, qui peracutissimis tenebatur febribus. Misit igitur de Lucana civitate Pisas pro aqua tumbæ C B. Raynerii; qua sibi allata et potata, continuo dimisit eum febris, et convaluit. Post hæc venit Pisas prædictus vir referre gratias Deo et B. Raynerio, ferens secum cingulum candelæ maximum; de quo tumbam ejus, hilaris et sanus, magnificans Deum in sancto suo Raynerio, cinxit.

puella a struma,

alius a febri

167 Grottus Pisanus civis, qui Ugonis, qui Boni Bonicii, cum tribus aliis ejusdem artis chirurgicis, habebant quemdam vulneratum graviter, et erat sagitta in corpore ejus ita profunde infixa, ut nullo artis suæ ingenio possent eam reperire. Tunc Grottus cum suis sociis valde anxius, ex imo pectoris suspiria trahens, ad Deum sic ait: Domine Deus, qui occultorum cognitor es, si vera sunt quæ a multis de S. Raynerio dicuntur, quasi sic sanctus sit eximii meriti apud tuum conspectum: tu tuam potentiam ostende nunc in sagitta ista, quam nullatenus invenire valemus; ut ea reperta, cognoscamus virtutem, quæ in eo est gratuita tua; ut et ipsum sine hæsitatione veneremur, et te Deum mirabilem in Sanctis tuis collaudemus. Prece finita mox apparuit caput ligni sagittæ, nimis longæ in superficie vulneris: quam cum gaudio intuentes et stupentes, absque ullo labore accipientes, de ore vulneris extraxerunt. Venit itaque Grottus ad tumbam S. Raynerii, ferens secum sagittam, et suspendit eam; D coram multis narrans totum quod evenerat ante tumbam ejusdem, gratias agens Deo et B. Raynerio.

Educitur miraculose sagitta ex vulnere

A BENINCASA EX MS

168 Benefacta, uxor Bellomeri Grimaldi, habebat h ragadias in volis manuum, et inter omnes digitos earumdem, quæ vulgo i setolæ dicuntur: et nullo modo poterat curari medicamine magisque se in deterius habebat. Hæc præfata mulier venit ad tumbam B. Raynerii, et lavit manus suas de aqua, et confestim post paucos dies ita aperturæ manuum consolidatæ sunt, ac si numquam in eis passa fuisset. Hoc autem miraculum multis audientibus, ipsa mulier nobis retulit coram tumba ejus.

h i

Curantur fissuræ manuum

ANNOTATA D. P.

a Celsaria *nusquam exprimitur a Geographis; sed inter Calarim et Siciliam, isti propior ponitur* Ficaria.

b Velon *augmentativum a* velo, *quasi* Majus velum.

c *Suspicor esse* Methonem *vulgo* Modon, *munitissimam in Peloponneso civitatem, nupero bello feliciter a* E *Venetis recuperatam.*

d *Fortassis* Athum, *dictum antonomastice* Montemsanctum.

e *Hinc colligitur, miraculum hoc factum post mortem Sancti.*

f S. Mamilianus Martyr, *cum sociis colitur Pisis* 15 *Septembris.*

g Principatus, *Regni Neapolitani pars, dividitur in Ulteriorem et Citeriorem; antiquorum Samnitium et Picentinum sedes.*

h Ragadia *dici videtur quasi* radiatura, *a* Raggio, Rajo *radius, unde* Raggiare Ragare.

i Setulas *dici credo exiles illas fissuras cutis propter subtilitatem.*

CAPUT XVII.

Similium miraculorum prosecutio.

Riccadonna, de ecclesia S. Fridiani, filium habens apostema habentem sub axilla, ubi et pluralitas arteriarum inserta est, verebatur apostema illud præduriissimum medici. Multi medici, viri et F mulieres, videntes apostema, non sunt ausi ponere ibi ferrum, dicentes, quod mors statim secutura esset: siquidem nimis erat profundum apostema. Mater ergo adolescentis vovit eum S. Raynerio, ut si sine ferro curaretur, pro eo offerret B. Raynerio imaginem ceream. Apposuit autem super apostema mater radicem evisci tritam, quæ vulgo dicitur a bauculus. Hæc autem radix trahit humorem ad cutis superficiem, et ad maturitatem perducit. Quod tunc per contrarium Deus, propter famulum suum et dilectum Raynerium mirifice operatus est. Radice quippe bauculi trita ter superposita, neque mollefactum est apostema, neque ad superficiem cutis humorem traxit, sed omnino disparuit, ac si numquam fuisset ibi. Impletum est ergo votum matris, ut sine ferro sanaretur. Obtulit itaque imaginem ceream coram tumba almi Raynerii, et relata sunt hæc omnia coram multis. Juvenis quidam litteratus hæc eo referente, venit portans aliam imaginem ceream, offerens eam tumbæ Raynerii dilecti Dei, asserens, se habuisse acutissimam febrem: vovit pro se dicturum imaginem ceream, et continuo eum febris dimisit.

Apostema periculosum sine ferro curatur

a

febris aufertur

170 Erat quidem homo, nomine Dominicus de Veclano, ultra flumen Serchi, habens filium laborantem

*A BENINCASA EX MS. * num. 117 suscitatur mortuus,*

rantem in vitæ extremis, frater * supradictæ Mingardæ. Vovit iste Dominicus B. Raynerio, jam corpore exuto, ipsum filium suum : sicque filius ipse spiritum exhalavit. Tunc flens pater et ejulans, dicebat : O beate Rayneri, ego vovi tibi filium meum, ut vita ei servaretur, et nunc expiravit : quid ergo faciam ? Hæc sæpe iterans (stupendum valde attente audiamus) reversus est Spiritus ejus in corpus ejus, et vocavit patrem suum. Omnes illic existentes, videntes hoc miraculum, laudaverunt Deum et B. Raynerium. Altera die dictum est prædictæ Mingardæ ; Non vadis ad nepotem tuum quem B. Raynerius resuscitavit? Illa perrexit ad eum : sicque rei seriem nobis narravit.

spirituum defectus resarcitur,

171 Sophia, uxor Lotarii de Lathallo, habebat defectum spiritus jam per triennium, ita ut si quinque vel sex verba loqueretur, adeo deficiebat ei spiritus, ut semineeis efficeretur. Ideo et vir suus spernebat eam, quia ex defectu spiritus nec etiam manibus laborare poterat. Unde tandem venit ad tumbam S. Raynerii, stans, plorans et vovens, si Deus eam defectu spiritus sui ejus meritis liberaret, imaginem ceream ad tumbam ejus offerret. Reversa est domum, et dum rediret invenit taurum ferocissimum, viros et mulieres quibuscumque obviaret prosternentem. Minata est ei manu, et tamquam leonem videns fugit ab ea, et de defectu spiritus sui perfecte liberata est : et oleum pro imagine mutans, obtulit ad tumbam B. Raynerii. Hæc omnia nobis ipsamet retulit ante tumbam ejus, absque ullo defectu spiritus sui. Unus de ecclesia S. Petri in curteveteri, gravissimum patiebatur capitis dolorem, ita ut oculi vi doloris de capite prominerent. Invocavit igitur Sanctissimum Raynerium De Aqua, et ipso momento invocationis cessavit dolor omnis, et fugit ad manus et pedes, exinde sic rigide stantes, ut nullatenus se posset movere. Iterum eumdem invocans, perfecte extemplo sanatus est. Hæc eadem hora, qua prædicta mulier retulit nobis ante tumbam ejus.

sanatur dolor capitis,

vehemens podagra.

172 Albertinus de civitate Mutina iverat in Ilbam, ad excavandam venam ferri. Infirmatus est igitur ibi graviter, et gutta contraxit pedum ejus digitos versus terram. Ibat igitur cum baculo. Dum iret utraque manu, alteram ad medietatem baculi porrigebat, alteram in ejusdem summitate tenebat : sicque magno gradiebatur conanime. Ivit itaque ad Balnea montis Pisani, et nihil melioratus reversus est. Post aliquot autem dies venit ad tumbam B. Raynerii, et obdormivit ad caput ejusdem tumbæ. Quo excitato invenit pedes suos sanos, et cœpit quasi stupidus stare ante tumbam, manibus elevatis et junctis palmis. Qui autem viderant eum venisse contractum, cœperunt quærere, quare sic staret. Qui, respondit B. Raynerium sanasse eum de pedibus suis. Videntes autem eum ambulare sine baculo, et expedite, et [illegible]os in pedibus directos naturaliter habere ; laudaverunt Deum, gratiam agentes, et B. Raynerium. Mansit autem ibi per triduum lætus de sua sanitate.

Non probans tumbæ ejus oblatam crucem argenteam,

173 In eadem die, Henricus presbyter ecclesiæ S. Blasii Portæ-maris, venit illuc, et sedebat contra tumbam B. Raynerii ipse, et Hospitator montis Pisani, et Cinellus, cum aliis tribus de Cisanello. Prædictus igitur Presbyter, cum videret super tumbam Crucem argenteam, deauratam, quam dederat B. Raynerio prædictus Cinelleus, quia fuerat infirmus usque ad mortem, et curatus fuerat meritis B. Raynerii de Aqua ; dixit ipse Presbyter Cinello prædicto ; Quare hanc Crucem tu dedisti homini mortuo? quare non dedisti eam altari B. Mariæ ? vel quare non vendidisti argentum ad opus tuum ? et lignum Crucis Domini, quod est ibi intus, ut tu dicis, quare non dedisti altari sacratissimæ Virginis Matris Domini ? Respondit Cinellus, Dignum est, ut super tantum corpus tam sanctissimum stet sanctissima Crux ; et benefeci, quia dedi, quia ejus meritis sum curatus. Cumque in hunc modum alterutrum contradicerent, et altercarentur ; ineffabilis Dei et Domini nostri Jesu Christi sapientia, volens ostendere quod placitum erat ei, quod lignum suæ Crucis vivificæ staret super sic sanctissimum corpus, noluit absconsum esse quod ibi erat. Cœpit itaque subito prædictus Sacerdos lignum Crucis Domini ita videre, ac si argentum non esset ibi. Stupens itaque hoc miraculum, surrexit, et ivit contra Crucem videre lignum, ipse inclinans caput Crucis et Cinellus. Cum autem venissent contra Crucem, reclusum est lignum in argento, et reversi sunt ad sedem suam : et iterum videre cœperunt lignum ipsi et alii omnes quos supra posuimus : et per quamdam moram viderunt et sic reclusum est lignum. Igitur laudemus omnes Dominum, qui sic honorat S. Raynerium dictum ab Aqua, quia cum aqua faciebat omnia mirabilia, et ut ad tumbam ejus sanet infirmos, cœcos, claudos, debiles, surdos, contractos, et paralyticos et curet omnium infirmitatum innumerabilium genera diversa : et signum vivificæ Crucis suæ in argento absconsum, tumbæ ejus honorando, revelet in propatulo. Fiat, fiat.

inclusum et veræ Crucis lignum nudum conspicit.

Curantur cephalæa,

174 Erat quidam pauper, qui venit ad B. Raynerium ferens secum statuarium candelæ magnum, et caput suum ligatum cum quodam circulo candelæ. Obtulit utrumque B. Raynerio ante tumbam ejus, siquidem patiebatur vehementissimum dolorem in capite suo, et præ dolore de oculis ejus manabant lacrymæ. Dedimus ei bibere de aqua, quæ erat super tumbam : et confestim, in præsentia nostra, ipso attestante sanus domum repedavit. Lotteringa, uxor Benecti de foris porta, habebat filiam habentem faciem tumidam, et totum corpus. Vovit igitur imaginem ceream B. Raynerio si filia ejus sana fieret a tumore. Exaudita est igitur mater pro filia, et post parvum spatium incolumis quasi de morte, ut ipsamet mater asserebat nobis, perfecte reddita est ei.

tumor corporis.

manuum mira passio,

175 Berta peregrina de Territorio S. Matthæi, cum abluebat manus suas cum aqua frigida, efficiebantur manus ejus nigræ velut cappa nigra. Venit igitur ad tumbam B. Raynerii ; et facto signo Crucis super manus ejus, invocato nomine et adjutorio sanctissimi Raynerii, fecimus ablui de aqua tumbæ coram multis ; et reversæ sunt manus ejus ad naturalem colorem, et permanserunt in eodem, omnibus mirantibus, quia nigræ erant prius, et factæ sunt albæ. Aymelina, uxor quondam Gelli, soror Ildebrandi, Presbyteri et Canonici et Camerarii, habuerat manum denodatam, et sana facta fuerat ; sed remanserat digitus auricularis, id est minimus, cum dolore ; quem non poterat curvare ad volam manus aliquo modo, et sic habuerat per menses sex. Venit ergo orare ad tumbam S. Raynerii, et post orationem monstravit nobis digitum, quem curvare non poterat coram multis. Facta Cruce super digitum, in nomine Patris, Filii, et Spiritus sancti, et in meritis B. Raynerii, et abluto digito de aqua tumbæ, protinus dolor in præsentia nostra cessavit, et reversus est, ad eum qui secundum naturam est usum, digitus, in conspectu omnium qui ibi aderant.

et digiti auricularis rigor,

atque brachii,

176 Berta mulier quædam, fidelis valde B. Raynerio, in vita corporali ejusdem S. Raynerii, venit ad tumbam ipsius Sancti, ipsius meritis deprecans ; videns autem nos, lætata est. Cœpit autem conqueri coram multis nobiscum ibi adstantibus, quia in nodo juncturæ ad brachium, usque ad palmam unam super brachium, graviter vexaretur gutta et dolore,

A dolore, ita ut brachium in nullam partem posset revolvere. Vivificæ et salvificæ Crucis signaculo super loca dolentia sæpe facto, Deum et Dominum nostrum Jesum Christum exorando, ut per merita Beatissimi Raynerii restitueretur pristinæ sanitati. Ablutis dolentibus locis de aqua tumbæ B. Raynerii ; coram adstantibus cœpit brachium et manum volvere, sicut ei placebat, et dolor statim cessavit. Aliquantulum vero doloris remanserat ei in parvissima parte nodi, et nobis monstravit. Et iterum facto signo sanctæ Crucis, in meritis B. Raynerii, penitus dolor cessavit. Agonia, uxor Rogerii Notarii, qui versus domum Bottacii morabatur, gravissima capitis passione molestabatur. Ob hoc ad extrema deducta est. Votum itaque vovit B. Raynerio, se pileum de cera posituram ante tumbam ejus ad laudem ipsius. Confestim liberata est peracto voto, Deo id ad gloriam servi sui Raynerii agente : et pileum ad tumbam vidimus, et sic nobis renunciatum est coram multis.

tum cephalæa.

177 Ildebrandus de Plebe S. Cassiani habebat bovem non pascentem, neque surgentem de loco ubi accubabat ; ideoque miserat pro *c* lanistis ad Bovem vendendum : interim recordatus B. Raynerii, deprecatus est merita ipsius, ut bos suus sanus esset : illico surrexit bos de loco in quo jacebat, et cœpit pascere sanus factus, prædicto Ildebrando gratias agente Deo, et S. Raynerio de bove sanato. Prædictus Ildebrandus habebat uxorem, contractam de uno brachio et manu : videns bovem sanum effectum, ait intra se, ducam eam ad tumbam B. Raynerii. Venit ergo ad tumbam B. Raynerii cum uxore sua prædicta, et oblatis precibus ab utroque, ut sana fieret, antequam domum remearent, sana facta est uxor ejus et de brachio, et de manu, sanitati restitutis integræ. Hæc ipse prædictus Ildebrandus nobis retulit ad tumbam ejus, impleto quod dixit Propheta, Homines et jumenta salvabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.

Curatur etiam bos infirmus c

B

et mulier brachio contracta

Ps. 35, 7.

ANNOTATA D. P.

a *Neque quid* Eviscus, *neque quid* Bauculus *sit hactenus reperi.*

b *Id est, 5 feria ante Dominicam Passionis.*

c *Hinc patet* Lanistas *pro* Lanionibus *dici.*

CAPUT XVIII.

C

Finis miraculorum S. Raynerii, primo a morte anno exceptorum.

Gerardinus, filius quondam Paniculi fabri, fistulam patiebatur in pede triennio, et a nullo poterat curari, vovit igitur se B. Raynerio, et perfectissime sanatus est : quamobrem, pedem cereum obtulit coram reliquiis B. Raynerii. Fuit autem istud de primis signis Beatissimi Raynerii post obitum ejus factis. Conthilda nobilis mulier Cinnami, uxor Hugonis quondam Sicherii quondam Gualandi, fidelis erat B. Raynerio : quæ cum graviter molestaretur gutta humeri usque ad manum et indesinenter, similiter et dolore costæ lateris ; vovit se Beatissimo Raynerio, et statim sana facta est ab utraque ægritudine, et signum cereum ex hoc posuit B. Raynerio.

Sanantur fistula inveterata,

arthritis,

179 Eroardus, de Parochia S. Sepulcri in Kinsica, de uno oculo nihil videbat, habens, prout videbatur, eum pulchrum et bonum. Venit ad tumbam B. Raynerii, et lavit oculum, quo nil videbat, ex aqua quæ erat supra tumbam : et statim ibi ita clare vidit de illo oculo sicut ex alio ex quo non patiebatur. Hæc coram multis nobis idem retulit. Guilielmus, natione Anglicus, per quindecim dies tractus fuit ad manum, quia nihil videbat. Vovit ergo se B. Raynerio vesperi, eo sic referente nobis coram multis ante tumbam ejus. Alio autem die cum surgeret, ita clare vidit sicut ante, quando non patiebatur in oculis. Benedicta, de ecclesia S. Matthæi, ivit ad B. Raynerium cum adhuc viveret nobiscum, strumam id est *a* gavonem habens in gula, et malum in pede, ut et tardigrada esset. Benedictione itaque super utroque loco a B. Raynerio facta, ait illi : Non quidem modo sana eris, sed pro certo de utroque malo curaberis. Sicque factum est : venit enim hæc mulier post obitum S. Raynerii ad tumbam ejus, ferens secum signa curationis suæ, caput unum cum collo de cera, et pedem cereum ; et obtulit ibi, gratias Deo et B. Raynerio referens de curatione gutturis et pedis.

cæcitas,

D

struma, a

et gressus difficilis.

180 Erant septem homines positi in captione civitatis Pisanæ juxta S. Vitum (Quidam eorum propter maleficia, quidam propter alias causas) in qua nihil ferri, vel ligni, vel funis habebant ; et arctissimo cibo et potu vitam substentabant : cujus captionis murus erat compositus grandibus lapidibus et electo cæmento, ut esset structura firmissima. Erat autem crassities ejus sive latitudo novem palmorum magnorum ; erantque in ea captione duæ fenestræ altæ multum, singulæ habentes ferri virgam crassam valde, in medio in directum fixam cum plumbo : in quam postquam quis immittebatur nullo ingenio fugere inde valebat. Cum itaque in tam dira captione essent positi, ut et fame et frigore et nuditate existimarent se cito morituros, colloquentibus invicem ad hoc refugere refugium, ut B. Raynerio se devoverent, ut eis consilium et argumentum daret, quomodo exinde evadere possent ; Rogerius unus ex eis vovit se daturum filum argenti tumbæ Beatissimi Raynerii ; et alius Spaliardus nomine similiter. Cæteri, qui pauperes erant omnes, cantaverunt orationem Dominicam Pater noster quisque ter : et sic cœperunt misericordiam Dei et B. Raynerii expectare.

Septem captivi munitissimo carcere clausi

E

sanctum invocantes,

181 In ipsa nocte apparuit miserrimo eorum homo quidam per visionem, dicens ei : Quare jam non tulistis virgas illas ferreas de fenestris illis, et murum cum eis destruxistis, et inde jam non existis ? Ille nunquam viderat B. Raynerium, ideo non cognovit eum : sicque excitatus est. Mane autem facto hoc cæteris renuntiavit. Rogerius, qui erat inter eos major, ait ei : Vide, Frater, ne dicas hoc : de somniis enim satis sum plenus. Respondit quidam alter, qui mancus erat (unam enim manum habebat abscissam) et dixit ei : Tentabimus et videbimus quid Deus et B. Raynerius velint : vult enim Deus, quod nosmetipsos juvemus. Tunc Rogerius et Spoliardus dixerunt : Nequaquam aliquid faciatis, quia nolumus plus pati propter vos quia nos culpam non habemus. Iverunt igitur mancus, et alius satis debilis et miser cui hoc monstratum fuerat, non propter eos dimittentes, et acceperunt unam de virgis ferreis fenestrarum, et ad tactum eorum sic placata est, sicut si esset virgula ligni viridis ; et trahentes adhuc fracta est inferius, et remansit in fenestra mastalo *b* plumbatus. Hoc non potuissent facere forte centum homines, simul ipsam virgam ferream trahentes. Euntes ad aliam fenestram fecerant similiter, et mastalonem plumbatum, Deo et B. Raynerii meritis hoc faciente, cum virga ferrea similiter fracta inde evulserunt. Et in die posuerunt illa ferra in fenestris, ut non posset reperiri quod factum erat : in nocte autem mancus ille, et ille alius debilis, accipientes virgas illas ferreas, cœperunt tentare si possent cum eis murum destruere. Et confestim prosiluit lapis unus duorum *c* onerum.

eodem apparente jubentur,

F

extractis fenestrarum virgis ferreis

b

murum pertundere.

c

182

A BENINCASA EX MS.

quod duo infirmissimi faciunt,

182 Ob hoc itaque confortati cœperunt ita leviter destruere, ac si essent pumices sine cæmento juncti. Sicque murum tam fortem magno foramine *d* perturarunt; et a custodibus, qui die ac nocte potentes super eos erant, auditi non sunt, neque motum percussionis turris aliquem senserunt. Itaque nocte B. Cerbonii *e* foras prodierunt, Deo meritis Beatissimi Raynerii pluvias et tonitrua immensa faciente, ipsis septem exorantibus simul ut nequaquam sentirentur, et ferentibus secum virgas duas ferreas cum uno mastalone plumbato, ut offerrent eas Sanctissimo Raynerio, eorum in hac causa patrono. Sicque ad tumbam ejus venientes, ereptori eorum S. Raynerio gratias retulerunt : et per unum diem ibidem demorantes, ad laudem sacratissimi Raynerii, virgas ibi relinquentes, ad propria alacres sunt reversi. Laudemus igitur omnes Deum et sanctissimum Raynerium intercessorem et adjutorem nostrum ad Deum, qui sic subvenit in necessitate positis et eruit; ut et secundo *f* loco de eo recte dicatur, Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem et clausis apertionem, et diem acceptabilem Domino; qui vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.

et inobservati omnes evadunt:

Luc. 14, 18

183 Erat quædam puella, nomine Berta, filia mulieris nomine Scottæ, de Parochia S. Euphraxiæ de porta Pozi, quæ habebat *g* super-os durissimum ut lapidem, juxta juncturam manus et brachii dextri, magnitudinis, fere ovi gallinæ : quæ cum turpitudinem nollet incidi, venit ad tumbam S. Raynerii, et nobis monstravit. Facto igitur super super-os sæpe signo crucis, et abluto de aqua sacratissima desuper tumbam ejus, valde diminutum est super-os illud. Idemque facientes usque ad sextum diem, totum est deletum, quod ibi super excreverat jam per sex menses ante, et nullo poterat malagmate tolli. Tunc in die Dominico venit quidam Juvenis ad tumbam Beatissimi Raynerii de loco spinæ Albæ, qui minutus de vena brachii, fuit percussus in nervo : idcirco et brachium contractum fuerat et induruerat valde, quod in eo dolebat sæpe. Signum crucis ibi ponendo, et de aqua tumbæ abluendo, videbat et sentiebat ipsemet nervos sibi extendi, et brachii dolorem cessare ob sanctissimi Raynerii merita : et sanus inde coram nobis et multis, recessit. Cilia *h* de Parochia S. Pauli ad Hortum, gravissime patiebatur in maxilla, et nulla poterat curari medicina. Vovit itaque Beatissimo Raynerio ceream mamillam ante tumbam ejus, si ejus meritis levata fuisset. Brevissimo deinde spatio curata est, et obtulit mamillam ceream B. Raynerio. Quidam nomine Capradosso, quotidianam habuerat febrem diebus quadraginta. In ipsa febris accessione, quam jam sentiebat, vovit S. Raynerio cereum suæ longitudinis, si eum a febre liberaret. Nec tunc plus accessit, nec postea habuit : et sanus factus, cereum, quantæ staturæ ipse erat, Beatissimo Raynerio obtulit ad tumbam ejus. Erat autem iste de ecclesia S. Salvatoris de flumine Auxeris.

tollitur superos manum deformans,

sanatur contractio brachii,

dolor mamillæ,

febris quotidiana

184 Guido Lagio, de Parochia S. Andreæ in Finseka, cum sociis suis ibat in Thunisim cum quodam *i* agyali ; exeuntibus ipsis de faucibus Arni ascenderunt in mare altum per directum. Tunc ventus *k* pelagaris, qui sic a nobis dicitur cœpit fortiter flare, et sic portavit eos cum navi inter fauces Serchi et Arni : sicque veniebant ad littus absque ullo remedio, et navis fractura eis imminebat. Tunc sic coarctati, nullum habentes remedium quo se tueri possent, voverunt B. Raynerio de Aqua quatuor Bisantios ad servitium ejus, si navis in *l* plagia illa non frangeretur. Projecerunt itaque anchoram unam ad nomen beatissimi Raynerii de Aqua : et tota die et nocte steterunt cum illa sola ita firmiter, sicut essent quasi in pacatissimo mari. Vento illo cessante, prosperoque flante, peragraverunt usque *m* Galatham, et tunc non potuerunt retrahere anchoram nisi cum *n* verrachio, quando ibi cessavit tempestas. Et illis locis gravissimum et procellosum habentes mare, ejusdem suffragia postulantes, salvi facti sunt. Itaque laudemus Deum, qui sanctissimo suo Raynerio dat Patronum et liberatorem esse terra marique.

Invocatus Sanctus succurrit periclitantibus in mari,

185 Botrigus, et Bernardus de Malaventria, Naucleri erant agyalis cujusdam, Salernum versus cum suis nautis peragrantes. Cum autem super insulam *o* Pontii advenissent, insperata subito orta est valida maris tempestas. Mittebat siquidem mare procellas in agyalem : concluserant enim in solario desuper agyalis omnia ora suis ostiis, sicque fluctus mittebant desuper in agyalim, ut usque ad genua marinus fluctus esset in solario quod batalia *p* dicitur. Vitæ itaque suæ et navi diffidentes, voverunt quisque nautarum navis B. Raynerio cereum libræ unius se ante tumbam corporis ejus oblaturos, si eos a tam imminenti maris gravissimo periculo liberaret. Nec mora, tranquillitas est facta, et iter destinatum prospere peregerunt. Reversique Pisas omni jucunditate votum compleverunt.

aliisque ad Pontiam insulam

186 Adhæc erant Petrus quondam Siberti, et Bernotinus quondam Bernoti, cujusdam *q* sagetiæ Naucleri, cum quibus erat et Bellus de Malaventria, cum aliis nautis et clericis a Salerno recedentibus, arte medicinæ imbutis, *r* moventibus a portu Mezenæ. Tunc cum multis aliis navibus Austro flante prospere juxta montes, qui sunt supra Cajetam, venerunt. Tunc imminente turbidissimo Austro, erat maris ira sævissima, erigebat sagetia quasi in cœlum proram. Quidam tenebant se ad aplustra, quidam ad alia, ut non projiceret eos foras navem maris horrida unda. Præter hæc tam gravia accedebat, ut prora sagetiæ inevitabiliter decurreret ad montem, ubi neque vita neque navis ulla erat spes in modico frangendæ. Tunc unus de Clericis, nomine Malaventria, dixit Bello, qui erat de villa Malaventria, temonem regenti : Quare non vovemus nos B. Raynerio? et liberabimur. Ille Bellus confortatus in verbo, vocans naucleros et ceteros qui cum eis erant, verbum retulit eis. Gaudentes de verbo, voverunt se B. Raynerio daturos cereum unum. Extemplo prora, quæ erat versa ad montem, revoluta est versus pelagus : et B. Raynerius apparuit statim illi Bello temonem regenti juxta se, cum pilurica sua, sicut eum viderat apud S. Vitum : qui certificatus ob hoc de liberatione, cœpit dicere socias : Certi prorsus estote, quia liberati estis. Ac ipsi cœperunt quærere ab eo; quare hoc dicis? quid vidisti? Respondit ille; Non dico vobis modo. Tunc Circius ventus flans, in modico revexit eos ad Mezenæ portum, unde digressi erant, et salvi facti sunt. Iterum quærentes ab eo quid viderit, respondit, facto voto se vidisse B. Raynerium sibi adstare. De præcedentibus et subsequentibus eos navibus, propter illam immanem tempestatem, quindecim esse fractas retulerunt. Domum itaque una cum navi et rebus remeantes, votum suum compleverunt.

ac tertiis circa Neapolim.

187 Erat quidam homo de Parochia S. Laurentii de Vacculis, nomine Joannes, ætatis annorum plus centum. Hic permaximum apostema habebat in pectore, quod nullus medicorum ausus erat aperire, ejus diffidentes vitæ. Vovit itaque imaginem ceream Beatissimo Raynerio, et misit pro tumbæ ejus aqua. Qua habita, abluit ipsum apostema : nocteque insecuta dormiens, ruptum est ipsum apostema, et excitatus

Sanatur periculosum apostema,

excitatus reperit omne pus exiisse. Gratias ergo agens Deo, votum suum ipse persolvit. Henricus Faber de S. Cæcilia, gravissimo capitis dolore trium hebdomadarum tempore angebatur, nulloque poterat in loco præ dolore quiescere. Vovit itaque cereum pileum B. Raynerio et statim convaluit.

cephalæa,

188 Bonacius, de ecclesia S. Donati juxta Arnum, erat in Sicilia cum sociis suis, fluxu sanguinis interceptus est novem diebus, per os superius, et longaonem *s* inferius: tria vel quatuor cyminalia* erant in die. Cibum non sumebat. Defectus quasi exanimis jacebat. Dixit autem unus e sociis ejus ad alios: Ego habeo de pilurica B. Raynerii, abluamus eam cum aqua, et mittamus aquam in os ejus, ut glutiat; et voveamus pro eo, imaginem ceream posituro ante tumbam S. Raynerii. Posita igitur aqua in ore ejus, et deglutita, mox visit spiritus ejus, et stetit fluxus sanguinis, et cœpit cibum sumere, et post paucos dies evasit: postea devotas gratias agens, Pisas reversus, votum implevit.

fluxus item sanguinis.

s

* *an* pelves

189 Vivianus Tinctor, de ecclesia S. Nicolai, habebat gattum in inguine, et descendebat in genitalia; et adeo inflabantur, ut nimis anxius æstimaret se herniosum esse; neque ultra duos dies intervallum dabatur ei, quin dolore gravi angeretur guttæ, ut et facies ejus in cinereum verteretur colorem. Languore isto, longo fatigatus tempore, venit ad tumbam S. Raynerii; et inguen et genitalia cum aqua, quæ super tumbam erat, abluit. Mirabile dictu! Nec dolorem, nec guttam amplius in locis illis sensit. Hæc ipse ante tumbam almi Raynerii nobis retulit, testimonium perhibendo nobis de Bonacio, de quo nunc diximus, quod sic passus fuerat fluxum sanguinis.

inguinis inflatio molesta.

EPILOGUS.

Hæc omnia collecta primo anno a morte

190 Hæc autem, quæ audistis, per eum a Domino facta signa et prodigia, primo ad Dominum migrationis suæ anno collegimus. Reliqua vero, quæ [sequentibus] temporibus acta sunt, quia innumera erant de omni terrarum orbe renuntiata nobis, pro intolerabili et in explendo opere supersedimus scribere. In libro itaque isto exarata sunt ad nostræ fidei firmamentum, ut credatis a Jesu Christo omnium Salvatore pro nostra salute, vitam ejus quantum Dominus dignatur, imitantes, fuisse missum; et ut credentes vitam sortiamur sempiternam: quam Jesus Christus Dei filius nobis præstare dignetur, qui cum Patre, et Spiritu sancto, ineffabiliter unum et idem permanens, vivit et regnat in secula seculorum Deus. Amen.

ANNOTATA D. P.

a Gavonem, *pro* struma *needum alibi lectum scio, neque modo ab Italis usurpari.*

b Mastalo *seu* Mattalo, *videtur significare inferiorem lapidem seu limen fenestræ, cui virga immissa plumbo affuso infigitur.*

c Onus *hic ponitur ut apparet pro ea quantitate, quæ carro onerando sufficit.*

d Pertusare, *a participio* Pertusus, *pro* Pertundere. *in usu est Italis.*

e S. Cerbonius, *Episcopus Populoniæ in Tuscia, colitur* 10 *Octobris.*

f Secundo loco, *qui primo dicitur de Christo.*

g Super-os *Italis* Soprosso, *Francis* Surros, *Hispanis* Sobrehuesso, *Teutonibus* Over-been, *omnia eodem significatu; est enim callus durus instar tuberis, supra os crescens: equis familiare ad tibias vitium.*

h Cilia *pro* Cæcilia *familiare est Italis.*

i Agyale, *dubito an recte scriptum, et quale navigii genus id sit.*

A BENINCASA EX MS.

k Pelagarem *intelligo ventum, qui ex pelago flat. Cruscani* Pelaghettum *diminutive dici nos docent.*

l Plagia, *vulgo* Piaggia, *littus, a Latino* Plaga.

m Galatha, *alias* Pera, *urbi Constantinopolitanæ obversa trans sinum, Italicarum navium ordinaria statio.*

n Verrocchium, *nauticum instrumentum.*

o *Antiquis* Insula Pontia, *sinui Cajetano objecta, nobilium Romanorum exilius famosa.*

p Batalia, *alias* Campania *navis, supremum navis tabulatum, ex quo velut campo pugnatur.*

q Sagetia *et* Saetia *videtur dici Celox a velocitate navigandi.*

r *Latinis* Mizenum, *Virgiliano commento de Æneæ tubicine nobilitatum promontorium, inter Neapolim et Prochitam insulam procurrens.*

s Longaonem *intelligo, intestinum rectum, usque anum.*

Num. 163 *ad hoc signum* * *transtulerant incuriosi typothetæ sequens miraculum quod hic subjicio.* Mulier quædam Berta nomine, mater Uberti de S. Sebastiano, surda erat, et venit ad tumbam S. Raynerii tempore obitus ejusdem, et accepit de aqua tumbæ ejus, et misit in utramque aurem. Reversa est autem ad S. Sebastianum tempore Officii, et perfecte audivit Officium utraque aure. Quo peracto dixit Sacerdoti suo; Gratias refero Deo, et B. Raynerio, quia audivi hodie Officium tuum. Jam enim processit multum temporis, ex quo non audivi: et retulit Sacerdoti omnem seriem.

TRANSLATIO CORPORIS

In novam arcam anno MDCLXXXVIII,

Ex Italico Pisanæ Civitatis instrumento.

Anno Domini nostri Jesu Christi, ab ejus salutifera Incarnatione, millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo, Stylo Florentino, et MDCLXXXIX more Pisano, Indictione XI, die vero vigesima septima mensis Martii, Innocentio XI Pontifice Maximo, et Serenissimo Cosmo III, Hetruriæ Magno Duce Dominante, pateat qualiter per intercessionem gloriosi S. Raynerii, Confessoris Pisani et incliti Protectoris civitatis Pisarum, fuerint semper a cunctis fidelibus Christianis, ex Dei providentia, relatæ gratiæ perquam singulares; pro beneficiis, in suum atque accolarum favorem sæpius concessis; cum peterent, pluviis vel deficientibus abundantiam; vel super affluentibus serenitatem optatam; nec non liberationem ab inundatione, quam tumefacta nimiis pluviis aut nivibus solutis ripasque mox transgressura flumina, minabantur agris. Ad hæc autem tam grandia prodigia et evidentia miracula animum reflectens, summa pietas et zelo ardentissimo conjuncta devotio serenissimi Cosmi III, Hetruriæ Magni Ducis ac Domini nostri; volensque affectum erga tam beneficum Portectorem augere in civibus, et in externis etiam excitare venerationem illius; mandavit expensis ærarii sui proprii locandam fabricam novæ ac sumptuosæ arcæ sive depositi, super altari Virginis Incoronatæ in ecclesia Primatiali ejusdem civitatis Pisanæ; intra quam transferrentur et istic collocarentur sacra ossa et reliquiæ gloriosi istius Sancti; quæ hactenus fuerant custodita et venerata eadem in ecclesia, super altari, ipsius S. Raynerii titulum ferente.

Intuitu gratiarum per S. Raynerium identidem impetrari solitarum,

jubet Sereniss. Cosmus III M. Dux Etruriæ

novam arcam fieri,

2 Ut autem in opere tam sancto magis triumpharet religio; et populorum devotorum non minus oculi

ex ms instr. et corporis ossa in unam compagem uniri;

oculi in admirationem, quam ad venerationem animi allicerentur; utque devotioni, decorum decoro, magnificentia magnificentiæ accresceret; statuit et definivit infallibilis providentia suæ Serenissimæ Celsitudinis, ut intra ejusmodi arcam collocanda ossa restituerentur suæ naturali compagini, interque se jungerentur, quæ antea divisim conservabantur et tenebantur, in duabus argenteis capsulis, statua una pectorali similiter argentea ac gemino ejusdem metalli brachio, in urna supra ejus præfatum altare locata. Concurrente igitur, cum pia ac sancta mente Celsitudinis suæ, fervente ac pastorali circa divinum cultum zelo Illustriss. ac Reverendiss. D. Francisci ex Comitibus Elciis, dignissimi Archiepiscopi prænominatæ civitatis Pisanæ, Insularumque Corsicæ et Sardiniæ Primatis, ac Legati pro iisdem nati; jam inde ab anno MDCLXXVII secundum stylum Pisanorum præterito mense Februario; intervenientibus ac præsentibus Reverendiss. Dominis Canonicis, Sebastiano Zucchetti et Antonio Pachetti, Vicariis chori, tamquam deputatis a Reverendiss. Capitulo, fuerunt ad ejusmodi effectum visitatæ prædictæ sanctæ Reliquiæ a sua Illustriss. ac Reverendiss. Dominatione.

quare auctoritate Archiepiscopali,

Vicarius Generalis Pisanus, 15 Martii

3 Desiderans porro Illustriss. adm. ac Reverendiss. D. Canonicus Augustinus del Forto, Vicarius generalis Illustriss. ac Reverendiss. Dominationis suæ, obedire honorandis sibi nutibus prædictæ Sereniss. Celsitudinis, stante absentia præfati Illustriss. ac Reverendiss. D. Archiepiscopi, die XV currentis Martii, assistentibus et assentientibus sibi Reverendiss. Dominis Canonicis, Philippo Pini et Felice Lorenzani, Vicariis Chori in d. ecclesia Primatiali, ad hoc a suo Reverendiss Capitulo deputatis; præsente similiter Illustriss. D. Julio Cajetani, Patricio Pisano ac fabricæ d. ecclesiæ Operario; personaliter sese transtulit ad altare gloriosi istius Sancti, ipsis Reverendissimis Dominis rochetum atque mozzettam indutis. Ubi, in lumine multarum facularum, aperta iisdem fuit arca marmorea, inde extractæ capsulæ argenteæ duæ, caputque et brachia, argentea omnia, quæ mox agnita et adorata tamquam vera ossa præd. S. Raynerii, ex indubitata universorum credulitate, devote translata sunt in sacristiam præd. ecclesiæ; ibique manserunt aperta coram me Cancellario Archiepiscopali atque infrascriptis testibus, interveniente D. Joanne Caldesi Aretino, Chirurgo anatomico Sereniss. Principis Joannis Gastonis: inventaque sunt sequentia.

accedens ad altare S. Raynerii,

inventa illi et numerata ossa,

4 In capite et busto argenteo, cranium cum mandibulis. In prima capsella, Vertebræ et Nodi spinæ dorsualis numero XXI, Os sacrum, Costæ XIX, Os sternum, scapulæ II, humerus sinister, et ulna sinistra. In secunda capsella, Coxendices II, Pedes II, cum XXV ossiculis pro unoquoque; Os femoris I, Tibia I, Fragmenta II, quorum unum est pars coxendicis, alterum vertebræ. Fragmenta exigua in folio chartæ, et cineres corporis prædicti in folio minori. In primo brachio, Radius brachii sinistri, in altero brachio ossicula manuum XV, cum medio focili. Quæ omnes Reliquiæ, in suis respective capsis vasisque argenteis, fuerunt denuo repositæ loco et altari consueto.

die 16 ad Palatium transfert,

5 Post hujusmodi inventionem et recognitionem, tali modo ac forma expressam, cum esset veniendum ad compaginationem dictorum Sanctorum ossium, secundum augustissimam mentem suæ Sereniss. Celsitudinis; considerans Reverendiss. D. Vicarius Generalis, quod ejusmodi operationi nullus aptior vel decentior locus deligi posset, quam ipsum Palatium suæ Sereniss. Celsitudinis; non tantum quia id deberi in terris videbatur ei, qui in cœlis penes supremum Monarcham jam erat collocatus; sed etiam ut semper ac tempore quocumque, inalterabiliter constare posset de identitate ipsarum sanctarum Reliquiarum; transtulit se Reverendiss. Dominatio sua, die XVI mensis currentis, cum su pradd. DD. Vicariis chori, et Illustriss. D. Operario Julio Cajetani, me Cancellario Archiepiscopali et Testibus infrascriptis præsentibus, ad altare S. Raynerii in præd. Primatialem: ubi assumptæ privatim Reliquiæ, ut erant positæ intra duas capsellas argenteas, caputque et brachia, collocatæ sunt in duabus rhedis, ad eum finem a sua Sereniss. Celsitudine submissis; quarum unam conscendit Reverendiss. Dominatio sua, cum DD. Vicariis Chori et Operario; alteram, duo Ceremoniarii et R. D. Thomas Gorini, Capellanus suprad. Primatialis, atque ego Cancellarius Archiepiscopalis infrascr. Nobis autem se adjunxerant, in aliis duabus rhedis, Illustriss. Magistratus DD. Priorum civitatis Pisanæ.

ut erant vasis quinque argenteis condita,

eoque tradit Sereniss. Ducissæ matri,

6 Ita institutum iter versus Palatium est: quo cum pervenissemus, dimissis rhedis, conscendimus scalas; pervenientesque ad majorem capellam Palatii, prædictas capsulas, caputque et brachia, magna cum reverentia collocari vidimus supra altare, multis cereis lucentibus magnifice apparatum. Hic cum illæ fuissent adoratæ a Sereniss. Magna Ducissa matre, et Sereniss. Principissa, totaque Curia; coram me Cancellario et Testibus infrascr. atque Illustriss. D. Equite Petro San-Cassiani, Præposito Magistratus Illustriss. DD. Priorum, atque Excellentiss. D. Doct. Antonio Morandini tunc Cancellario: rursus adapertæ fuerunt duæ capsulæ, in quibus oculari fide cognitum est adesse præfd. Reliquias S. Raynerii, quoad omnes et singulas partes supra expressas et nominatas; atque ut tales adoratæ fuerunt, visæ, et susceptæ a Sereniss. Magna Ducissa matre, semper genu flexa; eidemque ad effectum prædictum traditæ fuerunt omnes ipsarum arcularum claviculæ, per manus Reverendiss. D. Canonici Lorenzani Vicarii Chori, uti dictum est supra.

per ipsam compaginanda:

7 Post hujusmodi traditionem consignationemque ipsarum capsularum et clavium, in manibus regiis suæ Sereniss. Celsitudinis, die XXIII currentis, de nuo Reverendiss. D. Vicarius Generalis, cum præsentia et assistentia prænominatorum Reverendiss. DD. Canonicorum Philippi Pini et Joannis-Felicis Lorenzani, Illustriss. D. Operarii Julii Cajetani, meique Cancellari et Testium infrascript. intervenientibus etiam Illustriss. D. Equite Petro San Cassiani, Præposito Magistratus Illustriss. DD. Priorum, et D. Doct. Antonio Marandini ipsorum Cancellario; regressi in præd. capellam, ibidem reppererunt Reliquias suprad. collocatas et recompaginatas supra altare, multis circum lucentibus cereis: factisque debitis adorationibus, figentes oculos in ipsa sic compaginata sacra ossa, agnoverunt infinitas obligationes suas erga Sereniss. et Augustiss. familiam; non solum quia ipsa ossa tam apte compaginarant, sed etiam quia eadem pretiosissimis donis adornaverant. Igitur venerati continuo corpus sui gloriosi Protectoris, invenerunt et semper invenient, in ipso atque in sacra ejus arca, vivis et veracibus characteribus insculptum testimonium immensæ pietatis Serenissimarum Celsitudinum modo regnantium, versus ipsam civitatem, et suum sanctum Protectorem, hoc qui sequitur modo adornatum.

tum 23 die recisis,

... compaginata.

8 Nempe compaginata sunt ossa supra quasdam assulas argenteas, quibus alligantur filo aureo, reticulo argenteo inclusa et vestita panno serico cerulei coloris, aureis argenteisque filis intertexto, ornatoque

eleganterque ornata et vestita,

A natoque fimbriis auro-argenteis, cum veste superiori formam cilicii habente, ex filo aureo et argenteo coloris leonini, quam adstringit pretiosus sapphirus, auro inclusus, cum octo magnis adamantibus et minoribus sedecim. In capite posita corona est, ex gemmis et hyacinthis, componentibus quindecim distinctos flosculos; supra quos assurgunt sex hyacinthi, in modum olivæ compaginati, cum aliquot adamantibus sursum eminentibus: adhæret corona pileolo Armozini albi, quatuor lineis auro argentoque ductis cincto. Atque hac ratione apparatum sanctum corpus extenditur supra tapetem acu pictum, fundo argenteo floribus aureis insperso, cum bullis ad angulos aureis; atque cervicali similis formæ subtus caput posito. Tapes autem iste instratus est labello cupressino, tres ulnas longo et septem octantes largo; quod bysso candida vestitum, lineisque aureis ornatum, eum in finem antea fuerat a Reverendiss. Dominatione sua benedictum, ad formam Concilii Tridentini.

iterum numerat

9 Recognita autem sacra ossa, præd. corpus componentia, numerata sunt; cranium cum duabus mandibulis, spina vertebris XXI constans, et costæ XXI, annumeratis inter has nonnullis quæ ex pluribus B particulis integrantur; coxendices duæ, femur unum coxæ sinistræ, tibia una cruris sinistri; omnia ossa constituentia pedem sinistrum, et duæ scapulæ; duo item radii brachii sinistri, omniaque ossa manus sinistræ; dexteræ autem manui desunt sex ossicula, quinque item pedi dextero. Adhæc ad eamdem compagem concurrunt ossa omnia pectoralia, excepto unico quod foris servatur, pro benedicenda aqua S. Raynerii ad usum infirmorum. Quæ omnia, sic compaginata, vestita, et ornata, atque in labello prædicto collocata, fuerunt primum diligenter considerata a sua Reverendiss. Dominatione; in præsentia supradictorum Dominorum; agnitaque et honorata, tamquam sancta ossa et veræ Reliquiæ ipsius S. Raynerii; quales modo ac forma supradictis, intra capsulas argenteas, caput et brachia, antea collocatæ, consignatæ fuerant Sereniss. Magnæ Ducissæ; coram me Cancellario et Testibus infrascriptis, paratis desuper interponere quodcumque necessarium et opportunum decretum in forma etc.

et recognoscit ut eadem:

ac notatis quæ deficiunt partibus,

10 Et quoniam integritati corporis, sicut dictum est compositi, inveniuntur multa alia ossa præter supra nominata deesse, nequa inde dubietas possit C venturis temporibus subnasci, opportunum fore censuit præd. Reverendiss. Dominatio sua, publico huic Instrumento ejusmodi defectum accurate inscribere, profectum ex magna erga sanctum veneratione. Etenim jam inde ab anno MCCCLXX Regina Arragoniæ ab Ancianis hujus civitatis petiit per litteras et obtinuit os unum coxæ, quemadmodum in Memoriis Historicis Pisanis, editis a Joanne Paulo Tronicia, Nobili Canonico Pisano, et Illustriss. ac Reverendiss. Domino Medici, Archiepiscopi Pisani Vicario Generali. Non igitur admirationi ducatur quod usque in præsentiarum inveniantur ossa quædam deesse sacro isti corpori; scientibus quod etiam anno MDCLXXXIV, Eminentiss. D. Cardinalis de Angelis, Patricius Pisanus, obtinuit vertebram unam, pro sua devotione, exponendam Romæ ad publicam fidelium venerationem. Prout liquet per instrumentum contractus, a me Cancellario præd. rogatum die XXXI Maji anni præfati: quemadmodum etiam antea inveniuntur variæ particulæ earumdem Reliquiarum concessæ diversis Principibus et Prælatis, ipsas postulantibus; ex pura erga Sanctum devotione.

die 24 refert in sacristiam Cathedralis;

11 In hunc igitur modum recognitis et approbatis sacro-sanctis istis Reliquiis, ut quæ veræ ac realiter sint Gloriosi S. Raynerii, Confessoris Pisani, ex nobili familia Scacciariorum; sub die XXIV D currentis, Reverendiss. D. Vicarius Generalis, cum Reverendiss. DD. Archipresbytero Petro-Matthæo Cusasserii, Archidiacono Philippo Cajetani, Canonico Joanne Augustini, et Canonico Bartholomæo Landfranchi, Nobilibus Pisanis, veluti ad hujusmodi actum a Revendiss. Capitulo expresse deputatis; assistentibus etiam Reverendiss. DD. Vicariis Chori prænominatis, meque Cancellario et Testibus infrascriptis; Illustrissimis item Dominis, Præposito et Cancellario DD. Priorum præfatorum, transtulit sese ad Palatium. Omnibusque ingressis in capellam, ubi stabat sanctum corpus, inter multa luminaria, fuit secundum voluntatem Sereniss. Celsitudinis suæ assumptum præd. corpus, circa horam noctis secundam, et privatim portatum in sacristiam Primatialis ecclesiæ. Sequenti autem XXV, festo sanctissimæ Annuntiationis, mane fuit solenniter collocatum supra majus altare, ac publicæ venerationi expositum; post prandium vero processionaliter circumlatum per civitatem, cum magna solennitate populique concursu; atque sub mediam horam noctis intrantis relatum ad ecclesiam, translatumque ad altare Incoronatæ, ut ibi collocaretur intra E arcam, totam compositam ex viridi marmore, admixto candido; cui ut fundus insternitur holoserico rubeo et quatuor pulvillis instar cervicalis, quos aurei limbi bullæque angulares more Romano locupletant, ut supra illos præd. sacrum corpus collocetur.

EX MS. INSTR.

die vero 25 exponit publice,

et intra novam arcam marmoream,

12 Est autem arca, longa circiter ulnas quinque; alta unum et trientem; larga unum et quadrantem, cum suis suptus infraque coronamentis; supra quæ procurrunt palmites æris inaurati per quatuor latera; et in his sunt ostiola marmorea, intus vestita holoserico rubeo cum suis limbis bullisque more Romano. Ista porro ostiola attolluntur, adducuntur, et clauduntur in hunc modum. Anterius duabus clavibus inauratis clauditur, immissis in seras, opere æreo inaurato in formam vitis coopertas. Singulæ autem seræ habent acus duas, excipiendis duabus clavibus: et in hunc modum clauditur etiam portula faciei posterioris: laterales autem portulæ unica clauduntur sera, quibus eædem duæ claves subserviunt: et hæ coram me, Cancellario ac Testibus infrascriptis, fuerunt ab Illustriss. Apollonio Bassetti Secretario Celsitudinis suæ Sereniss. consignatæ, una quidem supra nominatis Reverendiss. DD. Vicariis Chori, altera vero F Illustriss. D. Operario Julio Carjetani. Prædicta ostiola ornantur filiatura æris inaurati, atque ejusdem metallis limbis circumducuntur: ipsis vero sublatis, manet arca per quatuor crystallos transparens: quarum quidem crystallorum posterior, aperitur claviculis duabus turbinatis, immissis per trocheolas sibi proportionatas æris pariter inaurati: quæ etiam claviculæ, ut supra, consignatæ fuerunt.

seris munitam

crystallisque perlucidam,

13 Insistit arca duobus pedibus marmoris flavi Orientalis, sub quibus tenditur basis mixti marmoris, alta tres circiter ulnas, cum suis ornamentis proportionatis arcæ: in quam arcam fuit sub horam noctis tertiam translatum atque collocatum sacrum corpus, in præsentia Reverendiss. Dominationis suæ ac Reverendiss. DD. Vicariorum Chori, adoratumque a populo suisque Sereniss. Celsitudinibus usque ad præsentem diem XXVII Martii. Consequenter autem ad actum ...stum, adm. Illustriss. ac Reverendiss. D. Augustinus del Tosto, qui supra, tamquam Vicarius Generalis Illustriss. ac Reverendiss. D. Archiepiscopi qui supra, interveniente Illustriss. D. Abbate Apollonio Bassetti aliisque prænominatis, et Illustriss. D. Equite Balduino Balduini moderno Præposito

ac basi marmoreæ insistentem collocat;

alia 27 die denuo inspicit, approbatque ut veras S. Raynerii Reliquias,

A Præposito Illustriss. Magistratus DD. Priorum, Cancellarioque eorumdem, et me Cancellario Archiepiscopali ac Testibus; inspecto rursum et considerato præd. sancto Corpore existente in d. arca; declaravit sua Reverendiss. Dominatio et declarat esse ipsamet ossa gloriosi S. Raynerii, quæ venerabantur et conservabantur intra urnam sui altaris, in hunc modum recognita et compaginata: et ut talium fecit recognitionem in forma. concedendo facultatem ut d. corpus sic compaginatum exponi possit publicæ fidelium venerationi: et supra identitate præd. ejusdemque approbatione interponendo omne et qualecumque suum decretum, magis necessarium et opportunum, in forma suppleri mandando omnia et singula, ad Dei omnipotentis gloriam, Sanctæque ac semper Virginis Mariæ et gloriosi S. Raynerii.

EX VB INSTR.

14 Actum Pisis in Primatiali ecclesia Pisarum, coram et præsentibus ibidem RR. DD. Josepho qu. Andreæ de Quojanis, Ceremoniarum Magistro; Francisco Maria I. U. D. Ursino de Ursinis, Thoma de Godinis, et Josepho de Sebertinis, testibus, qui interfuere supradictis respective actibus: nec B non coram et præsentibus ibidem Illustriss. Dominis, Bajulivo Hieronymi, qu. D. Cæsaris de Roncionibus; Equite Carolo, qu. Ubaldi Lanfranchi Cicchollı; Capitaneo Josepho Rogerio, qu. D. Hieronymi-Lanfranchi Cicchiolı; Joanne Francisco D. Equitis de Upezzinghis, omnibus Notariis Pisanis, qui ad tantum actum interfuerunt. *Hactenus Instrumentum illud; cujus transsumptum Antuerpiam mittendum cum originali contulit, collatumque signavit* Petrus a Podio qu. Podii filius, Pisanus, J. U. D. Notarius publicus: *eidemque ut tali fidem solemniter fecerunt* Priores Populi et Communis Pisarum...., xx Maji MDCLXXXIX stylo Pisano; *ac de mandato eorumdem subscripsit.* Antonius Morundinus, I. U. D. Cancellarius adstans Communis Civitatis Pisarum. *Quemadmodum ipsum transsumptum Italicum nobis misit* Illustriss. D. Alexander Marchetti, in Academia Pisana publicus Mathematicorum Professor, *per nostri operis adjutorem indefessum Illustriss. D. Antonium Magliabechi; qui per suas litteras datas* XVIII *Maji anni ejusdem nobis* MDCLXXXVIII *ipsum D. Alexandrum laudat, ut virum Philosophicis quoque ac Poeticis celebrem, variisque jam editis libris notum. Misit etiam ipsius Sacelli tumbæque novæ delineationem hic appositam, qualem nobis accuratissime delineavit illustrissimus D. Abbas Pandolphinus Nobilis Pi-* C *sanus, ad instantiam illustrissimi pariter Domini Angeli Poggesi, in eadem Pisana Academia elegantibus poematis editis famosi; qui ambo testantur opus pulcherrimum esse et ex marmoribus perquam pretiosis elaboratum totum.*

confecto desuper publico Instrumento

cujus exemplar authenticum nobis mox mittitur



H. Laufer sculp.

DE BEATA EUPHEMIA

ABBATISSA COENOBII VIRGINUM S. ALTONIS IN BAVARIA

SYLLOGE HISTORICA

G. H.

De ejus natalibus, sanctitate, ætate, titulo Beatæ.

ANNO MCLXXX.

R*es gestas S. Altonis Abbatis deduximus ad diem ejus natalem,* IX *Februarii: diximusque, monasterium ab eo, seculo Christi octavo, constructum in Bavaria superiore, situm inter Augustam Vindelicorum et Monachium; in eoque sub initium Monachos vixisse; quibus Altorfium translatis, inductæ fuerunt Sanctimoniales, virginitatem professæ sub aliqua illis præfecta Abbatissa. Talis ibidem fuit* Beata Euphemia, *ex nobilissima familia Andecensi, patre Bertholdo, ac matre Sophia prognata, soror Gisalæ; quæ mater fuit quatuor Episcoporum, et B. Mathildis Virginis Sanctimonialis in Dyessensi ejusdem Bavariæ monasterio: ad cujus Vitam,* XXXI *Maji illustratam, de antiquitate familiæ Andecensis egimus. Desideravit hæc* B. Euphemia *apud sororem suam B. Mathildem in cœnobio Dyessensi sepeliri; ubi epitaphium*

Nobilis familia Andecensis

A *phium Germanicis verbis legitur hoc sensu ;* Hic sub lapide minore jacet sepulta Beata Euphemia Virgo, Abbatissa monasterii S. Altonis, soror Divæ Mathildis, et filia Bertholdi Comitis Andecensis, nostri fundatoris. Obiit anno MCLXXX. *Hæc submisit nobis D. Simon Præpositus Dyessensis, asserens,* in Kalendario MS. perantiquo *monasterii sui, annotari diem obitus hujus* XVII Junii. *Et hanc addidit Vitæ synopsim.*

Epitaphium.

Obitus 17 Junii.

2 Sororem germanam habuit Beata Mechtildis nostra Beatam Euphemiam : quæ illi illustri sanguine parem se extitisse, sapienter parvi pendens, et Apostoli hortatu charismata æmulari satagens meliora, potius in perfecta vivendi ratione studuit eidem omnimodis assimilari. Itaque S. Altonis in Bavaria monasterium, sub regula S. Benedicti ingressa, id plane assecuta est, ut sorori non minus virtutum, quam splendore generis germana videretur : quippe quæ suam Sororibus innocentiam, jugi piarum actionum exercitatione, egregie probavit. Unde brevi factum est, ut earumdem communibus suffragiis in defunctæ Abbatissæ locum Euphemia subrogaretur. Quod illa munus cum pie juxta ac prudenter diu obiisset, bonorum operum B meritis plena, ad præmia vocatur in cœlum, decimo septimo Junii, anno salutis millesimo centesimo octogesimo ; sepulturam nacta desiderio suo convenientem, in parentum monasterio Dyessen apud Beatam Mechtildem ; ejus sedula facta imitatrix, D sicut ipsa Christi. *Hæc ille.*

Vitæ Synopsis

G. H.

3 *Matthæus Raderus tomo secundo Bavariæ sanctæ parvum elogium pag.* 289 *edidit sub hoc titulo* S. Euphemia Antistita cœnobii Virginum S. Altonis. *Reliqua sunt accuratius in submissa nobis synopsi exposita, cum qua solum titulum* Beatæ *damus. Andreas Brunner, cum parte* 3 *Annalium virtutis et fortunæ Boiorum lib.* 12 *num.* 9, *descripsisset virtutes et miracula B. Mechtildis, sub finem addit ista :* Æquali sanctitate soror ejus Euphemia, Divi Altonis monasterio præfecta vixit, sed res illius scriptorem nactæ non sunt, vel temporum vitio intercidere. *Ceterum, ex Raderi ipsiusque Præpositi Simonis silentio, cogimur credere ; omnem, si quis fuit olim,* B. Euphemiæ *in suo monasterio cultum, posterorum incuria exolevisse, manente solo* Beatæ *vel* Sanctæ, *titulo : quem defectum facile credibilem nobis reddit superiorum seculorum extrema socordia, circa cultum patriorum Sanctorum, per Germaniam etiam in iis provinciis, quæ grassantem ubique Lutheranam hæresim, utcumque a se repulerunt ; uti in Bavaria factum, gratulamur quidem, sed non ideo minus dolemus vel amissa, vel* E *non requisita multa Religionis antiquæ monumenta, dum pro summa Catholicæ rei adversus hæreticos a religiosis hominibus vigilatur studiosius, et a principibus operosius decertatur.*

a Radero Sancta appellatur,

abolito, si quis fuit, cultu

DE SANCTIS REGINIS ET SORORIBUS,

TARASIA VIDUA

ET SANCIA VIRGINE,

SANCII REGIS FILIABUS,

ORD. CISTERC. LORVANII IN LUSITANIA.

Not. 10

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De die cujusque natali, veneratione antiqua, Processibus ad Canonizationem formatis.

D. I.

ANNO MCCXXIX VEL XXX ET MCCL.

In ordine ad Canonizationem

Magistro meo Godefrido Henschenio p. m. ad colligenda Sanctorum Acta datus socius, cum eoque Romam profectus, veni an. MDCLX in C notitiam Fr. Francisci Macedo Lusitani, *Ordinis S. Francisci, viri inter Observantes eruditi, et pluribus editis libris noti; uti et germani fratris ejus,* Antonii Macedo *e Societate nostra, tunc Pontificii ad Vaticanum ecclesiam Pœnitentiarii, qui etiam ipse libris editis notus, atque obita ad Serenissimam Christinam Sueciæ Reginam legatione pro conversione ejus ad fidem Catholicam, de Ecclesia bene meritus. Patri Antonio, post nostrum Roma discessum, venit ex Lusitania mandatum, ut resumeret negotium, quod seculo* XVI *a Regibus Sebastiano et Henrico Ulyssippone designatum erat, et anno* MDCXXXIV *captum Romæ fuerat, pro canonizandis* Sanctis *(ut vulgo appellantur)* Reginis, Tarasia *atque* Sancia, *Sancii I Regis filiabus, anno* MCCXXIX *aut* XXX *et* MCCL *vita functis. Franciscus autem, de iisdem sanctis Reginis bene meritus, exemplo aliorum, qui præclara de ipsis scripserunt variis linguis, composuit ex Actis Processuum, in Lusitania formatorum, novisque et veteribus eodem spectantibus documentis, de utriusque vita et cultu antiquo libellum Latinum : quem etiam Romæ probatum, in lucem edidit anno* MDCLXVII, *Clemente Papa IX jam ad solium evecto. Præfatur is, nihil ibi suum esse præter stylum, quem optat ut gratum lector habeat ; de fide autem relatarum a se rerum dubitet nihil :* Habui enim, *inquit,* exemplaria idonea et juris publici, quibus religio sit non credere, cum Acta, unde sumpsi quæ scribo, secundum leges Tridentini Concilii sint confecta, a Superioribus recognita et Ro- F mam missa.

Romæ an. 1667 edita Vita nova,

2 *Pars magna scripturarum, quibus ille usus est, servata diu fuit Romæ apud nostræ Societatis pro Lusitania et Indiis Assistentem ; præcipue vero Processus ipsi, ab Ordinario, jussu Pontificis facti ; atque ex vernacula Lusitanis lingua in Italam translati. Hi autem dividuntur sub Titulis omnino undecim, quorum synopsim nobis extraxit prædictus Assistens R. P. Antonius de Rego, anno* MDCXCI, *hunc fere in modum. Sub Titulo* 2, Doctor Fr. Laurentius a Spiritu sancto, Abbas monasterii de Alcobatia, Generalis et Reformator aliorum monasteriorum omnium suæ Congregationis in regnis et dominiis Portugalliæ, notum facit, quod cum miracula plurima, quæ Deus per sanctas Reginas operatus est, oblivioni data sint ac perierint negligentia et socordia hominum ; ne id deinceps accideret, se super illis, quæ suo tempore facta erant et quotidie fiebant, examen rite instituisse : et decernit Lorvanii interrogare Testes; prout re ipsa, assistente sibi suo Secretario Fr. Georgio a Sanctis, interrogavit ad triginta, anno MDXCV. Postea vero instituti a se Processus summarium absolvendum commisit, ipse aliis impeditus, Fr. Antonio a Conceptione, Rectori Collegii Conimbricensis

ex Processibus aliisque monumentis antiquis :

quorum aliqua et Codice Processuum hic indicantur.

AUCTORE D. P.

Conimbricensis sui Ordinis, addito eidem Secretario Fr. Bernardo de Britto, qui ipsius Ordinis et Coronæ Lusitanicæ Chronographus fuit. Hæc autem commissio signata est XVIII Augusti MDXCIX, et cœpta executioni mandari III Januarii sequentis, quando auditis aliis quinque testibus absolutum Summarium est, *registratum in processu a folio* 241 *ad* 272.

Aperitur anno 1617 sepulcrum Tarasiæ

3 *Sub tertio titulo, per quinque sequentia folia usque ad* 277, *decurrit* Relatio, quomodo fuit aperta Regalis sepultura Serenissimæ Reginæ D. Teresiæ, Reginæ Legionis et Galiciæ, Fundatricis regii Conventus S. Mariæ de Lorvanio, ubi est ejus sepultura, cum sepultura Infantæ D. Sanciæ, ipsius sororis, Fundatricis regii monasterii Cellensis; cum esset Abbatissa D. Maria de Mendoza anno MDCXVII; die VII mensis Julii, die quadam Veneris hora diei XI a D. Magdalena de Vasconcellis et Silveria, Religiosa prædicti Monasterii, scripto consignata. *Et hæc a P. Conrado Janningo fideliter Latine reddita, in nostra Vitæ a Macedo scriptæ partitione facit Caput* XI. *Quartus Titulus aliud non habet, quam transsumptum quoddam ex Breviario Cisterciensi anni* MDCXI; *ubi* Teresia (*sic enim recentior usus amat scribere*) Sancia et Mafalda (*est hæc altera Soror, cujus Acta illustravi ad diem* II *Maji in Append. numerantur inter Beatas Ordinis. Reliqui octo tituli, a folio* 277 *ad* 318, *consumuntur referendis iis, quæ* Fr. Angelus Manrique in Laurea Evangelica, *sub annum* MDCIV *primum edita Salmanticæ, deinde variis locis recusa*; *et* Bernardus Britus *prænominatus, longe copiosius inseruit* Chronico suo Cisterciensi, *impresso Ulyssipone anno* MDCII; *nec non* Antonius Brandanus, *ejusdem Cisterciensis instituti Abbas Generalis, et Archichronographus totius Lusitaniæ regni.*

Sanctitas utriusque probatur.

Processus auctoritate Ordinaria formatus

4 *Primus titulus, idemque præcipuus, et* 240 *folia implens, continet* Summarium Testium de Miraculis, quæ in vita et post mortem patraverunt Dominæ Reginæ Teresia et Sancia, Religiosæ Ordinis Cisterciensis; confectum ab Archidiacono Benedicto de Almeida, Deputato Sancti Officii Inquisitionis in civitate et diœcesi Conimbricensi, ex commissione Reverendi Capituli Sede vacante: quod Summarium fieri cœpit Lorvanii die VIII Martii MDCXXXIV; Cellis, die XXIV; et Conimbricæ, XXVII Julii, auditis hic IX, ibi VIII testibus; Lorvanii autem comparuerunt omnino CXCVI, deponentes, de publica voce et fama sanctitatis, deque innumeris ac pene infinitis miraculis ac prodigiis, patratis intercessione sanctarum Reginarum, coram ecclesiæ Conimbricensis Archidiacono D. Benedicto de Almeida, Judice deputato; atque Emmanuele de Abreu, publico et Apostolico Notario; præsente R. P. Joanne de Almeida, Ordinis S. Bernardi, Confessario Lorvaniensium Sanctimonialium, et ab harum Abbatissa Procuratore constituto. *In postremo autem folio totius Processus ponitur* Testificatio quinque Notariorum, qua fidem faciunt de sepulturis sanctarum Reginarum, earumque epitaphiis, *relatis in Vita num.* 60: *item quod* super ipsis est altare beatissimæ Virginis; et ante eas lampas ex argento accensa, ex qua viderunt extrahi oleum et ex sepulturis terram, quæ extra Lorvanium etiam deportantur pro infirmis. *Signabanturque omnia sigillo judicis, pro hac causa deputati D. Provisoris Benedicti de Almeida anno* MDCXXXV, Conimbricæ XVII Martii.

anno 1634

et 35.

Correcti in Vita errores Chronologici ad calcem.

5 *Præcitatos duos Processus secutus Macedo, omnem sibi merito fidem exigit, quam illi merentur: sed quæ pro continuando historiæ filo, de suo judicio, vel ex aliorum sententia interposuit, non semper æque solida sunt, imo certius distinctiusque digestæ historiæ non numquam repugnant: quapropter libertatem sumpsi ejusmodi loca resecandi suppositis punctulis hinc inde; et substituendi charactere diverso mea quædam, inter uncos* [ ] *: de quibus ut certior ratio lectori constet. Elenchus ad calcem additus faciet; non quasi insultare Auctori velim, haud satis ab historiarum scientia instructo; sed ne quid temere alieno in opere mutasse videar. Placeat autem hic etiam videre una in tabella junctas, utriusque Sanctæ effigies, ex duabus apud Lorvanium originalibus exceptas et Romam cum Processu translatas, indeque ad me a prædicto P. Assistente missas. Nec enim alius aptior locus est. Epigraphæ, quæ in ectypis Romanis, uti hic sub insignibus, leguntur; denominantes utramque Sanctam ab avo suo Alfonso Henriquez; in Originalibus Lorvanii sic sonant, prima quidem :* Sancta Domina Teresia, filia Sancii primi, Portugalliæ Regis; Regina Legionensis, Reformatrix monasterii de Lorvano. *Altera vero :* Sancta Domina Sancia, filia Sancii primi, Portugalliæ Regis: Fondatrix monasterii de Cellis. *Sunt qui existiment quinque illa Scutula quibus Lusitaniæ Insignia hic etiam expressa decorantur, ad numerum cæsorum ab Alfonso avo Regum, referenda esse; alii sanctiorem numeri istius causam proponunt, Christi scilicet vulnera, quibus acceptam victoriam retulerit tesseræ istius auctor.*

Effigies proponuntur hic :

Sancia 12 Martii mortua,

6 *Restat, ut, cum diversis diebus Sanctæ obierint, earum hic simul referendarum reddam rationem. Sitque illa præcipua, quod de una seorsim sine altera pro dignitate rei difficulter possit agi, adeo conjuncta atque implicita sunt inter se utriusque gesta, præsertim miraculosa; quæ propterea etiam in uno tantum Processu collecta sunt sub utriusque nomine. Obiit coliturque Sancia,* XIII *Martii secundum fastos sacros Cisterciensium aliosque, quod sciam, omnes, quamvis Macedo, citans Martyrologia Cisterciensia (quod mirum est) annuntiari ipsam dicat,* III Idus Aprilis. *Quod vel per oscitantiam propriam, vel librarii, vel typothetæ, impresserit, ponendo tertiam Idus* Aprilis, *quæ est dies* XI *ejusdem pro tertia Idus* Martii, *quæ est dies* XIII *hujus mensis; qua, ut dixi, ab omnibus colitur; et nos retulimus de ipsa quidpiam in* Prætermissis *ad eumdem diem, quæ sic ibi nunc legi malumus :* Sancia Regina (ita Regum filias olim appellare Hispani solebant) Sancii primi istius nominis, Lusitaniæ Regis filia, fundatis duobus monasteriis, altero Franciscanis, altero Cisterciensibus, ab utriusque sacris Ordinis scriptoribus adsciscitur, tamquam Fundatrix sua; a Cisterciensibus vero etiam ut sua Monialis, uti vere fuit. De hac nobis tractandum pluribus, ubi de Sancta sorore ejus Tarasia, quacum ejus gesta ut plurimum connexa sunt, die XVII Junii.

cur hac 17 Junii illustretur.

Ejus nomen et laus in Fastis sacris,

7 *Hac igitur die, Tarasiæ sacra, nunc simul agimus de ipsa etiam Sancia : et præmittimus; die* XIII *Martii, legi in* Kalendario sacri Ordinis Cisterciensis, in quo præcipuarum ejus solemnitatum dies fasti juxta ordinem mensium prænotantur, *excuso Divione anno* MDCXVII ; Sanctia Regina, Monialis in Cellis. *Atque in* Serie Sanctorum et Beatorum *ejusdem Ordinis a Claudio Chalemoto sic scribi :* In Lusitania depositio B. Sanciæ Reginæ, quæ marito et sponso Rege orbata, Cellense cœnobium Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis construxit, et ibidem suscepto habitu et velo, vitæ probitate ac sanctimonia refulsit, ut quidam testantur Auctores. *Testantur id enimvero pro majori parte, Auctores plurimi : Sed Auctorem idoneum, qui testetur, Sanciam fuisse* orbatam marito et sponso, *inveniri, puto, neminem : cum neque maritum, neque sponsum unquam habuisse, constet. Potest, quod hic de Sancia dicit Chalemotus, in Mafalda sorore ejus, et ipsa Sancta, verificari. Hæc enim Henrico, Castellæ Regi adhuc impuberi, nuptiis male ominatis, quia incestis, conjuncta; ideoque cito separata, e virgo reversa est in Lusitaniam,* matrimonio, *ut idem Chalemotus ait,* nondum consummato: *quod nisi adderet, existimarem ipsum duarum sororem fortunam confudisse.*

tom 3 num pag 472



Quæ etiam Tarasia

8 *De Tarasia autem longiusculum texens elogium Chalemotus, inter alia hæc habet. Quod* Alfonso Regi Legionis suo consobrino nupta, tres ab eo liberos suscepit. *Quod, quia* sine dispensatione ecclesiastica invalide contraxisset matrimonium cum cognato, resipuit et pœnituit. *Quod ab illo* separata per sententiam judicis, habituque Cisterciensi suscepto, in Lorvaniensi cœnobio vitam sanctissimam duxit, et multis miraculis claruit in suæ sanctitatis testimonium. Monialem enim quamdam, gravi morbo laborantem, solo suo amplexu sanasse; claudis et languidis solo contactu sanitatem restituisse; puerum semimortuum solo amplexu vivificasse; ac tandem per aquam, qua suas manus abluerat, febricitantibus valetudinem reddidisse; *et alia ejusmodi quæ ex Processu copiosius infra proferentur.*

Recusus hic Commentarius errata quædam corrigit

9 *Hactenus recudendum curavimus hunc Commentarium, toto tomo jam impresso; propterea quod in illo quædam errata deprehendimus per accuratiorem viri docti informationem. Inter errata fuit, quod* P. Franciscum Macedo *feceram* Procuratorem *Romæ in causa canonizationis sanctarum Reginarum, cum is frater ejus* Antonius *fuerit. Atque hinc meminerit Lector illi istum titulum auferre, si forte deinceps recurrat, uti recurrit in proximo Vitæ titulo. Alia quoque, fieri potest, ut in sequentibus non omnino concordent quo ad Chronologicas notas aliasque minutias cum Processu primario Lusitanice scripto; vel quod erratum sit in translatione ejus Italica; vel aliunde: quæ tamen, qualiacumque sint, nolumus ullo modo auctoritati Processus prædicti, legitime ab Ordinario fabricati, quidquam derogare.*

etiam in sequentibus corrigenda

Tharasia an B. Rechezzæ consanguinea?

10 *Theodorus Rhay inter Animas illustres Clivæ, Juliæ etc. etiam* B. Theresiæ, Sancii Lusitaniæ Regis filiæ, consobrinæ et conjugis Arnulphi IX *(debuit* Alphonsum *scripsisse) tamquam* consanguineæ B. Rechezzæ. *De hac egi* XXI *Maji, an autem et quomodo ea ad Legionis vel Lusitaniæ Reges referri debeat, vel hi ex illa processerint; juxta schema genealogicum illius a Gelenio collectum, aliis relinquo examinandum.*

VITA RECENS

Auctore Fr. Francisco Macedo Ordinis Minorum Observantium.

CAPUT I.

Patria, natales, educatio Virginum Regiarum.

Lusitania, felix patria,

Qua Hispania Occidentem spectat, et Oceano extremo alluitur, Lusitania jacet, in longitudinem justam porrecta, ceterum angusta, hinc angente terra, hinc vetante mari; ad Septemtrionem ardua et clausa montibus, ad Austrum plana et operta campis: pars maritima cuneata littoribus, curvata sinubus, distincta promontoriis; interius frequens, exterius portuosa, ad commercium undique opportuna; salubris cælo, fertili solo, piscoso mari. Gens quondam armis ferox, sibi hærens, societatis insolens, cum desueta exteris; deinde usu et consuetudine mansuetior, litteris etiam clara; belli juxta et pacis studiis floruit. Ingenitæ libertatis amans et tenax: servitutis impatiens, Romanum primum, deinde Mauricum jugum ultima admisit, et prima excussit. Christianis sacris initio religionis imbuta, traditam Fidem, nulla unquam sorde hæresis inquinata, nulla schismatis labe infecta, inviolatam servavit. Ante et post exactos Mauros, communes Lusitani cum ceteris Hispanis Reges habuere; donec anno ferme centesimo post millesimum, cum Alphonsus Sextus Hispaniæ Rex, avulsam a corpore Regni partem cum Theresia filia Henrico (Lotharingone, an Burgundo?) Principi in dotem dedisset; Alphonsum filium, maternum jus ad sceptrum trahentem, Regem salutarunt. Inde proprii Lusitanis Reges esse cœperunt. Postea rem strenue armis gerentes intus Regnum, imperium foris propagarunt. Primum in Africam, mox in Asiam, demum in Americam intulere arma, cum signo Crucis conjuncta: primique et navigationis instituendæ, et Religionis amplificandæ auctores fuere. Quicumque populi aut explorare maria, aut aperire terras sunt ausi, Lusitanos et imitati et secuti orbem peragrando, impressam ubique eorum virtutis orbitam invenerunt. Unus omnium Europæ Regum Lusitanus ex aula suæ fenestra in Tagum subterfluentem incumbens, venientes ex quatuor partibus diversis conjunctas pariter uno momento naves videt, seque omnium gentium linguis Dominum salutari audit. Adeo angustum illud regnum longe lateque dominatur, ut cum in universum se effundat orbem, eumdem in sinu suo collectum recipiat.

**receptis post annum 1100 propriis Regibus,*

late imperitans;

2 Inito regno Alphonsus Primus, post fractas Maurorum opes, et vindicatam armis ulteriorem Lusitaniam (quam Minius, Durius, ac Munda fluvii intersecant per reliquas provincias circumlaturus arma, sedem ac regiam Conimbricæ fixit. Hanc urbem potissimum delegit, in corde regni sitam, et ipsam cor regni; trophæi more in edito positam, oleis cinctam quæ lauros mitigarent, pronam in amnem, salubrem et amœnam, ad reficiendas vires et sudores belli detergendos idoneam. Hic justum Mafalda uxor et Regia familia domicilium posuit. Hinc Alphonsus armatus, ad prælia ferox et alacer exibat. Huc ad otium, post victoriam jam mitis et lentus redibat. Illo sub Rege ac Sancio filio, si arma spectes, ferreum tempus fuit; si mores, aureum. Pio et assiduo occupatis bello, non obrepebant vitia: quippe nec desidia laxabant vires; nec vagæ libidines enervabant corpora, nec fallax adulatio extinguebat fidem, nec turpis ambitio sustulerat merita: obduratos militari usu animos blandæ deliciarum tineæ corrumpere non poterant; nec ob ducto callo solidata membra mollibus voluptatum illecebris cesserant: galea premente frontem, nemo calamistris intorserat crines. Asperatis gladio et scuto manibus nec dissolutis nec rapacibus esse licebat. Pares feminæ viris Domi contineri, pensa obire, colum et acum tractare, raro conspici, ornamenta negligere, fucos et pigmenta ignorare; alienos vultus non intrudere, proprios ingerere; a vino temperare, nihil olere: virgines verecundiam, matronæ gravitatem præ se ferre. Indole sua quisque utebatur, et suo se prodebat ingenio. Imago animi vultus, indices oculi, sensa cordis verba exprimebant: atque uti vultus sine fuco, ita animus sine dolo. Domi humanitas, in foro fides vigebat. Mensæ parcæ, somni breves, vestitus et cibus parabilis. In armis et equis elegantia. Tanti fieri quisque solebat, quantum de Rege deque Republica merebatur. Recte facta et præclare gesta, certa præmia sequebantur; secus actis supplicia justa constabant. Si quid a quoquam delictum, humanæ imbecillitati dari; non aut impudentiæ, aut malitiæ assignari solitum. Innocentes animi de criminibus mitius judicabant. Summa in Rege Reginaque religio accendebat ad pietatem ceteros: carior his qui pro prior Deo erat. Magna inter se concordia civium, ac eo major quos circumstabant Mauri, quibuscum non tam regni amplificandi cupidine, quam asservandæ religionis studio bellabant. Hæ artes, hi mores illis congruebant temporibus; quamquam nec boni mores sint beneficia temporum, nec pravi vitia eorumdem, sed hominum; qui ut se purgent, malefacta

Regia sede Conimbricæ fixa,

floret virili virtute,

et feminea disciplina,

cum maxima morum integritate

A. FRANC. MACEDO.

lefacta tempori imputant, atque ut excusatio sit verosimilior, iisdem recte facta assignare malunt.

Ibi Rex Sancius I

3 Hac in urbe, in hac regia Sancius, primus Alphonsi Patris filius et heres, natus ac educatus, pios æque ac nobiles spiritus hausit; eos adultus, magno reipublicæ profectu, ingenti Maurorum damno, servavit. Patris in templis comes, in bellis adjutor, æquare potuisset Alphonsum, si parem is habere posset. Eo vivo duxit uxorem Dulciam sive Aldonciam, insignem forma et virtutibus virginem, suis dignam parentibus prolem: Berengarium quippe, Comitem Barcinonensem, patrem; Petronillam, Aragoniæ regis filiam, matrem habuit. Plures ex Dulcia liberos suscepit Sancius: virilis stirpis tres. Alphonsum, natu maximum, heredem regni, Crassum postea dictum: Ferdinandum, qui in Flandriam vocatus ab amita Mathilde, illius opera Joannam unicam Balduini, Flandriæ Comitis et postea Imperatoris Constantinopolitani, filiam et heredem connubio sibi junxit; et in funesto apud Bovinas prælio, a Philippo Augusto Galliæ Rege, adversus quem pugnabat, captus, et in Luparam Parisiis conjectus, tamdiu in vinculis fuit, donec a Ludovico Nono eductus, paulo post Noviodumi sine liberis obiit: Petrum, qui propter simultates cum Rege fratre susceptas, in Mauritaniam secessit; ibique, cum diu in magno apud Barbarum Regem honore vixisset, mortuo fratre in Lusitaniam rediit; creatus postea Comes Urgellensis, deinceps Rex Balearium insularum institutus, impar viribus oblatum Principatum sustinere non potuit, et nulla relicta prole Dynasta decessit. Hi Mares. Feminæ fuere quinque: Teresia, Sancia, Matalda, Berengaria, Blanca, quarum (ut interim omittam, de quibus scribimus, duas, Mafalda incestis nuptiis Henrico Primo Castellæ Regi copulata, ... auctoritate Romani Pontificis dirempto matrimonio, in Aroucense monasterium Cisterciensis Ordinis, suis ad id sumptibus ædificatum, inclusit sese, ibique reliquum vitæ tempus exegit. Berengaria innupta, in regno Castellæ Guadalajaræ, cujus domina effecta est, vixit. Mortuæ ossa, in Lusitaniam delata, ad Sanctæ Crucis juxta patris sepulcrum jacent. Blancam novissimam virgunculam Teresia, cum dissoluto matrimonio in patriam revertisset, ad Lorvaniense cœnobium in quo se condiderat, secum duxit, et Christo consecravit, et brevi amisit. De Teresia, et Sancia scripturi sumus: Nothos non curamus. Uti viri id temporis apud Regem militaribus se operibus exercebant, ita virgines Palatinæ apud Reginam muliebribus artibus operam dabant: quæ horæ, tum diurnæ, tum nocturnæ, majoribus curis vacuæ supererant, eas ad muliebria obeunda pensa conferebant: quod quia in solennem consuetudinem vertit, et ad illustrium feminarum familias transiit, necesse est accurate describere ad specimen officii.

ex Dulcia uxore filios 3, filias 5 genuit.

Harum in gynæceo exercitia

4 Gynæceum est amplum et liberum, in quo tabulatum modice erectum et parieti commissum, longum magis quam latum porrigitur, tapetibus constratum. Hic sedetur, more patrio, in solo; nisi quod Reginæ ac regii sanguinis feminis pulvini subsunt. Hic est ordo sedentium. Eminet Regina in summo, a lateribus regiæ feminæ considunt. Hæc prima series est. Succedit secunda nobilium virginum aulicarum, intra tabulatum, sed humiliter, sine pulvinis sedentium. Tertia, quæ ancillarum est, extra tabulatum manet, et in pavimento, storeis e nitido junco intextis cooperto, sedem habet, ut sua cuique statui dignitas constet. Atque ut locis dissident, ita materia et opere differunt. Supremæ acu pingere, et adhibito auro et serico artem phrygiam exercere; mediæ tenuissima lina, interjectis filis diversicoloribus, distinguere et crispare; infimæ inserta lateri colu, et acto in tortilem modum fuso, linum et lanam carpere et deducere: sic ad multam diem laborare, sic lucubrare ad multam noctem. Confectis operibus in symbolum pensa colligere, secernere, et in diversas cistas reponere; vulgaria in vestitum privatum et domesticum usum conferre, pretiosa ad ornatum cultumque servare, excellentia altaribus destinare et sacris addicere. Hæc Reginæ et regiarum virginum opera erant: pietatis in Superos argumenta laboriosa: nec alia merces exigebatur præter accipientium preces, non imperatas tamen a donantibus, sed oblatas et voluntarias. Hac ratione vestiri nobilius aræ, sacrari religiosius, splendere clarius; ornari effigies et simulacra decentius, supellex ubique sacra copiosius augeri: diurnum illud et nocturnum feminarum otium, belli et fori negotiis æquari. Interdum Reges hujusce laboris usuram capiebant: supererant quippe ex opere, quæ militibus, vel incitamento ad militaria patranda facinora, vel præmio iis patratis essent; et gloriosum erat his ornamentis distingui milites et noscitari. Sic aulicæ virgines accendendo ad prælia bellatores, vel sedentes hostem vincebant.

varie distributa;

5 Eminebat inter ceteras Teresia, impense dedita studiis pietatis. Erant quædam communia; Divinis interesse mysteriis, interiores sensus ad meditationem revocare, sacrarum precum pensum conficere, relata in album Sanctorum nomina invocando reddere, piacularium orbium filum (Rosarium dicunt) precando deducere. Hæc quotidiani muneris erant. Illa certis ac frequenter suscepta temporibus; sacris adesse concionibus, aperire conscientiæ latebras, et contractas sordes Sacerdoti exponere; Eucharisticum cibum sumere, quæstiones excitare pias; collationes, Sanctorum Patrum more, de rebus ad profectum animi attinentibus instituere. In his Teresia desiderari numquam, sæpe primas partes agere, et in schola illa virtutis non tam discere, quam docere; exemplo præire, non sequi. Adjiciebat propria: extenuare inedia, verberare flagellis, pungere setoso cingulo corpus, publicas Regiæ delicias secretis excruciationibus macerare, aulæ officia sensim interrumpere et Deo vacare, in se altius descendere, abditos animi recessus scrutari quotidie; de cogitatis, dictis, severe rationem exigere; si quid delictum esset, de eo a Deo veniam postulare: strati mollitiem aspernare, et ex eo sæpe ad orandum surgere, et precibus somnum carpere. Illud ei familiare, conceptas Divini amoris flammas per ardentes suspiriorum faculas eructare, et subitis oratiuncularum ictibus cœlum petere, ac in Superos pie jaculari. Nec minus hæc illi agendi, quam occultandi studium fuit. Luminibus virtutum, splendorem majestatis obstruebat ingeniosa demissio, quæ fastum opulentiamque obtendens, sanctimoniæ opinionem auferebat. Ecquis, in habitu et cultu regii corporis, inopem ac demissum animum habitare crederet? Adeo inimica est pompa virtuti, ut sola specie objecta suspicionem vitii creet. Nescires utra magis placeret Deo, virtusne, an occultatio virtutis.

eminente inter ceteras Teresia

pietatis ac virtutum cultu.

CAPUT II.

Teresiæ cum Alphonso Legionensi matrimonium, contractum et diremptum.

Alphonso Leg. consanguineo juncta,

Celsa in Teresia indoles, excellens forma, eximia virtus claram in tota Hispania fecere. Fama excitus Rex Legionis Alphonsus, habere uxorem voluit. Legatos ea de re ad Sancium patrem misit: nec difficile fuit obtinere. Utriusque partis studium, matrimonium

A monium expetentis effecit, ut arctissimæ necessitudinis impedimentum, aut non animadverterint, aut non curarint. Rudis ætas, locus dissitus, Maurorum vicinia, armorum strepitus, eo profecerunt, ut excusatius facerent. Iit ad innuptas nuptias Teresia, et contra fas in consanguineum thalamum accepta, prolem [* triplicem *] conjugi peperit. Vixere ambo * [paucis annis] * concorditer et tranquille, vel ignorantia legis, vel vi amoris conscientiam obtundente. Forte nihil; certe minus peccavit Teresia, ob sexum [et ætatem] legis inscia, et obnoxia parentibus, quibus cum fidem habere, tum morem gerere oportuit. Non erat virginis, vix dum adultæ, examinare an liceret, an deceret conjugium, sed indictum acceptare. Unde enim leges vetantes sciret? aut ut sciret, an impedimentum sublatum esset ambigere? Videtur innocenter fecisse. Velletne virgo regia, tantæ indolis tantæque probitatis, scorti more vetitis inferri thalamis; tradi stupratori, non viro; jacere prostibulum, non uxor; infami flagitio incestare thoros, adulterinos concipere ac edere fœtus, spurios deinceps futuros? Sane, ut error in nuptiis fuerit, peccato videtur absolvi posse Teresia: cujus B innocentiæ fidem Deus, (ut par est credere) post mortem miraculo fecit. Repertum est ejus corpus integrum, conspersum floribus et fragrans, ac ipsos flores recentes conservans, conditione victa naturæ: argumento, non fuisse læsam crimine mentem, cujus esset corpus inviolatum; pudicam illam, istud impollutum, in quod animi casti virtus transisset. Quam narrationem, suo loco inserendam, hic non inepte, opinor, occupamus.

** Nunc crosam.*
** Al. diu.*
sed per ætatem excusanda,

7 Pactam sibi Alphonsus rex Legionis Teresiam, ... uxorem in regnum accepit. Forma superabat dotem: sed utrique virtus præstabat. Idem vitæ institutum, quod in aula patris virgo tenuerat, in viri aulam inducta conjux servavit. Brevi illam in templum vertit: nec dissimiles ibi suis, quas secum pie eruditas duxerat, virgines invenit. Atque ut harum ingenia mollia sunt, tum ad accipiendam, tum deponendam doctrinam; exemplis, quæ altius hærent, documenta dedit. Verum non licuit per connubium consuetas macerationes corporis, et severam vitæ disciplinam retinere, quod in potestate conjugis erat. Obedientiam igitur in officium duxit. Quidquid de asperitate detraxit, addidit meditationi cœlestium; reliquit studia pietatis privata, induxit communia; exercitationes sacras aulicarum virginum, plures et longiores fecit.

prosequitur cœpta pietatis exercitia

C 8 Hæc species privatæ virtutis aliquamdiu texit incestum: et simplices capti cives, in officio, citra suspicionem latentis in conjugio mali, continebantur. Verum erectæ mentes Optimatum et Populi quasi evigilarunt e somno. Moniti reges, socer, et gener, aures obturarunt: utrumque occæcabat amor; generum conjugis, socerum filiæ: ipsa diuturnitas conscientiæ callum obduxerat: mollior ad consilium juvenis conjux; durior senex uxoris pater. Obstinatum utriusque animum Superi non tulerunt. Pœnas Principibus debitas, expetierunt a populis; a Lusitanis præcipue, quibus pertinacior Rex contigerat. Ergo moveri terra, turbari aer, nubes cogi, tonare, ardere, fulminare; cœlum in nimbos ruere, rursum æstuare: sata nunc torreri ardoribus, nunc obrui imbribus; vineæ verberari grandine, arbores dejici ventis, fructus perire, pecudes tabescere, pecuaria interire, locustarum devolare nubes, frumenta insidere ac erodere: ubique eluviones, hiatus, et labes terræ fieri; mare intumescere, tempestates existere, naves opprimi, vectores naufragari, annona carior fieri, fames urgere; et quod miserrimum est, pestilentia sævire. Nullum genus mali, excepto bello civili (nam et externum cum Mauris erat) fuit, cujus per id tempus Lusitania expers esset. Id senes testari, negantes antea sese ejusmodi quidquam vel vidisse, vel audisse; id eruditi confirmare numquam talia infortunia in ullis historiarum libris se legere meminisse. Omnes summi, medii, infimi convenerunt atrocis alicujus delicti justum illud suplicium esse. Tam acriter Superi aut omissam, aut neglectam Romani Pontificis auctoritatem ulti fuerunt.

Deo incestum vindicante,

D

A FRANC. MACEDO

9 Lusitani, gens indole pia, genio religiosa, juris amans, Superum metuens, Pontificis Romani observans; rati se propter peccata tot malis affligi, genus delicti inquirere occeperunt. Insolentia et gravitas incommodorum persuaserat, non temporum errationes esse, sed errata morum; nec eventa fortuita, sed certa supplicia. Ea quisque cum privatis sceleribus conferens, uti singulis fas erat culpare sese, ita nefas damnare alios, cum præsertim innocentes sontibus vel pares vel plures essent, ac privatis delictis privata supplicia et solita respondere optime scirent, non publica et insolentia. Igitur oculos altius tollere, et in Principes intueri, ac de iis quiddam sinistrum suspicari. Et quamquam arcebat reverentia, quæ summa erga eos Lusitanis E est: vicit tamen religio calamitatibus aucta. Sacræ litteræ docebant, plecti ob peccata Regum populos solere. Venit in mentem connubium regiæ virginis, et Pontificia auctoritas vel præterita vel contempta. Sedit hæc sententia. Judicarunt eam, et quidem justam, pœnarum causam esse. Deum Vicarii in terris sui injurias vindicasse: cœli intemperie punire eos, qui non obtemperarent ei, penes quem scirent claves cœli esse. Illa conjunctione nuptiarum, dissoluta jura naturæ; ideo laxatas compages mundi, et elementa separata. Matrimonium vitio contractum corrupisse aerem, et pestilentiam induxisse. Iniquas tædas inflammasse nubes, et fulgura et fulmina evocasse. Illos risus et lusus nuptiales obduxisse cœlum nubibus, et imbres e lacrymante cœlo elicuisse; spem concipiendi ex irrito conjugio fœtus, terram negando fructus sterilitate castigasse, ventos et maria allisu navium, projectu mercium, vectorum naufragio, fractionem connubialis thori, dotis proscriptionem, liberorum ejectionem significare.

multitudine prodigiorum

10 Impotens calamitatum vulgus nil æqui, nil pensi habet; vicem tantummodo suam solicitum, nullis continetur repagulis. Incendit ergo Proceres questu, ira, furore: ac eo audacius, quod obtentui habebatur religio. Pupugit commiseratio et officii mentio Antistites sacrorum, et Proceres aulæ, et Magistratus reipublicæ. Deliberari de re cœptum, F sed destitum, quia Legionis.... populus, ad quem præcipue spectabat causa, cum in regnum accepisset nuptam, quiescebat; itaque nihil tum profectum. Verum cum illæ quoque moveri cœpisset, et Regem commonefacere de illicitis nuptiis contractis; exarsere studio religionis Lusitani, et principes omnium ordinum viri Romam certos homines totius Regni nomine miserunt, qui Romano Pontifici (is tunc erat Cœlestinus III) rem deferrent. Admissos Pontifex benigne audivit; et causa gravissima, et e re Pontificia erat. Senatum de ea sacrum haberi placuit: Decretum ut Legatus Pontificius in Hispaniam mitteretur cum mandatis, ut coacto Episcoporum provinciæ concilio, quo majorconstituto fides esset, incestum illud matrimonium dirimeretur, Reges conjuges separarentur. Atque, ut major auctoritas et splendor legationi esset, Guilielmum Cardinalem legatum placuit mitti, virum domi splendidum, foris clarum, qui expectationem, et auditus moveret, et conspectus sustineret. Eum Eduardus Nunnius, nobilis scriptor Lusitanus, a Sancto Angelo Cardinalem vocat. Cujus nos in tabulariis per id tempus ti-

mittitur Romam legatio:

tuli,

A FRANC. MACEDO

tuli, Romæ nullum reperire potuimus. Fides penes Eduardum sit.....

Unde remissus judex

11 Salmanticæ, in altrice litterarum urbe, Lusitaniæ et Legionis Episcopi convenerunt. Aderant Procuratores regii, qui matrimonii jus defenderent. Præside Cardinali res acta; hic statum causæ proponi jussit. Dixere primum Advocati, secundum leges matrimonium factum: nullum ei inesse vitium posse. Licere per jus civile patruelium et consobrinorum conjugia. Sic legem Codicis, sic Instituta jubere. Ita Romanos, ita Græcos (ut Barbaros omitterent) et duxisse et locasse consanguineas. Remotiorem esse eum gradum, quam ut vetari posset. Judæis per legem divinam esse permissum; imo et fratrum et sororum licitum aliquando fuisse connubium, saltem inter eos qui altero solum parente nati essent, idque Abrahæ et Saræ exemplo persuadere conabantur. Minus tamen velle se, nec ista matrimonia recipere pative; consobrinorum tantum asserere. Abs re esse securim juris in ramos tam procul a radice arboris remotos injicere. Quatuor gradus distare filios fratrum a stipite ac ita leges priscas sanxisse, quas Justinianus et sequentes Imperatores confirmassent; iis communem consensum gentium accessisse. Quod si jus Pontificium aliter numeravit gradus, insolenter, et tantum verbotenus fecisse: abstulisse vocabulum sanguinis, rem reliquisse. Nusquam extare leges, quibus caveretur, nequis intra illum gradum matrimonium iniret: sin eas adversarii proferrent, a se refutatum iri. Atque, ut nonnullæ forent, eas obsolevisse. Nec ut vigerent, posse antiqua statuta convelli aut infirmari. Matrimonium Regum suorum stare, nixum jure humano divinoque. Rem esse plenam periculi puros incestare thalamos, dissolvere jura connubii, avellere uxorem a complexu viri, filios a matris gremio abripere, regiam prolem ab aditu hereditatis excludere. Quid amplius a Mauris hostibus pati Christianos Reges potuisse?

audit regios advocatos,

iisque respondet;

12 His Pontificii ex adverso respondere: Christianis non attendendum, quid cum Judæis et Gentibus commune esset. Populo ab illa fæce segregato puriora sectanda: Gentibus ob ignorantiam, Judæis ob duritiem pleraque permissa, quæ vitare Christianos oporteat; nec omnia quæ patroni regiæ causæ assumerent vera esse. Saram quippe Abrahæ non sororem, sed consobrinam fuisse: connubii leges vagas Christum restrinxisse; cujus vicarios Pontifices, ut servarent præcepta, gradus consanguinitatis et affinitatis certius statuisse et exactius numerasse; fratrum et sororum filios in secundo collocasse, non ad quartum rejecisse. Nec iis tantum, sed etiam aliis intra septem interdictum esse conjugium. Eum jam inde ab initio Ecclesiæ morem viguisse. Hanc, et quid non liceat, et quid non deceat, spectare solitam esse. Extare, Canonem Julii I, qui ad septimum usque gradum in terdictum extendat. Id renovasse Gregorium Magnum concepto edicto. Recepisse Germaniam et Galliam, ex Conciliis Wormatiensi, Agathensi, Lugdudensi, Cabilonensi constare. Quinetiam Hispaniam ante Gregorii ætatem illius consuetudinis observantem fuisse, Concilium Toletanum secundum perspicue testari: ejusdem Ambrosium et Augustinum idoneos esse autores: Alexandrum Secundum, ante sesquiseculum in Concilio Lateranensi sua illud impedimentum constitutione sanxisse. Potentius esse jus Pontificium legibus civilibus: has per illud corrigi, ubi deviarent ab æquo, suaderi exemplo præscriptionis, quam cum mala fide currere leges sinerent, canones obstiterunt ne curreret; nuptias illas quod a consobrinis Regibus contractæ fuerant, innuptas extitisse; qua una re interposita rite fieri possent, id est auctoritate Pontificia, eam defuisse. Nullam inferri injuriam matrimonio, quod nullum fuisset; nec avelli conjuges, qui contra jus fasque coiissent, nec exheredari liberos, qui spurii nati fuissent. Recte expeti pœnas in eos, qui jura sacra violassent, et auctoritatem Pontificiam neglexissent. Quod attinebat ad scomma a Mauris petitum, illud se reponere: præstare pati a Mauris, quam cum illis perverse agere.

CAPUT III.

Bellum pro tuenda hereditate a sororibus gestum contra fratrem Regem.

et divortio decreto

His in utramque partem disputatis, et mature discussis; decreta a Patribus discessio, eaque Regibus indicta. Qua re utrique vulnus inflictum, sed multo uxori gravius, quæ futuri connubii spe cadebat; vicit tamen dolorem cum dedecore conjunctum pietas in Deum, et observantia erga Romanum Pontificem, quæ Lusitanis Principibus quasi ingenita ab initio regni viguit, hodieque viget. Vixdum prolata sententia, aula Teresia exiit, nec thoro solum deinceps, sed etiam domo, quo procul esset a peccato et suspicione, abstinuit. Omnibus ad Deum curis conversis de cœlibatu cogitavit. Quos tres ediderat liberos apud Regem patrem relinquere maluit, quam secum in Lusitaniam, quo concedebat, ducere; nequid in eos maternæ sollicitudinis derivaret, eoque a cœlestium contemplatione avocaretur. Conimbricæ regia in urbe diversorium habuit, quasi deliberatura de domicilio. Florens ætas, abundantia opum, oppidorum frequentia, quibus a Rege Sancio patre donata fuerat, recens a majestate splendor, non minutus dedecore, sed auctus pietate; suspicionem fecerant suis et alienis, Teresiam regio more deinceps victuram. Sed sanctiora secum illa consilia agitabat. Insederat animo species quædam cœlestis, quæ objecta oculis mentis miros sui excitabat amores. Molliorum ad divinas impressiones acceptum vulnus reddiderat. Fingendam itaque se Deo, uti ceram præbuit: aulam, et pompam pertæsa, fugiendi in solitudinem nobilem impetum cepit: addidere stimulos tum nova a fratre Alphonso rege orta calamitas, tum opportuna a Sancia sorore ad secessum exhortatio, quæ paulo ante exagitata ab eodem fratre, urbe regia, et Aula relicta Jerabricam (vulgo Alenquerium) suæ ditionis remotum oppidum confugerat, ibique Deo vacare cœperat.

Conimbricam redit Teresia,

Secessum a seculo cogitans.

14 Sancius I, Alphonsi II pater [anno MCCXII] moriens, filium regni heredem reliquerat; verum quod liberis stirpis femineæ abundabat, earum vicem anxius, certa quædam oppida excepit, quæ iis testamento legavit. Quod qui(dem) jure facere potuit, cum, occupata a Mauris Hispania, necesse esset, ex eorum manibus quæ ipsi vi usurparant, occupare armis: quare quidquid accedebat regno, non tam postliminio redibat, quam virtute bellica trahebatur. Fas itaque Regi Sancio fuit, ex iis quas occupaverat provinciis, partes decerpere, et liberis donare, Teresiæ imprimis, quæ natu maxima plura exigebat: secundum eam Sanciæ consuluit, postea Mafaldæ. His sua singulis oppida et prædia, prout quæque præibat ætate, assignavit...... [*Placet ipsa paterni testamenti verba ex Brandano apponere:* Dedi filiæ meæ Reginæ Donnæ Tharasiæ, pro hereditate Montem-majorem et Sgeiram et X. M. Morabotinos et CCL March. argenti de Leirena. Reginæ Donnæ sanciæ dedi Alenquer pro hereditate et X. M. morabotinos et CCL marchas de Leirena, et omnes Alcalas meas, acitaras, et colchias, et mando; ut post mortem meam habeat totam meam liteicam, et meos annulos et sortilias, exceptis duobus annulis

Mortuo Sancio I an. 1212,

oppida filiabus relicta testamento, Nor. 11

A lis quos mando dari filio meo Regi Donno Alfonso : habeat et meas cinctas et meas scarlatas, et penas varias arancanes et lincios. Reginæ Donnæ Maphaldæ dedi pro hereditate duo monasteria Bauzas et Straucam et hereditatem de sena quæ fuit matris suæ et x. m. Morabotinos et cc marchas argenti. Reginæ Donnæ Blancæ x. m. Morabotinos et cc Marchas argenti ; Reginæ Donnæ Berengariæ x. m. Morabotinos et cc Marchas argenti.

cui etiam inclusi Teresiæ liberi

15 *Ordine nativitatis nominatas omnes vix possim dubitare, etsi recentiores Maphaldam faciant secundo genitam, idque alias secutus sum, necdum viso hoc testamento : idemque dixerim de filiabus Tarasiæ quibus avus suus legat* Infanti Donnæ Dulciæ nepti meæ, quam nutrivi in domo mea x. m. Morabotinos et cl Marchas argenti quod est in Alcobatia; Infanti D. Sanciæ nepti meæ quæ est in Castella xx. m. Morabotinos ..... *sicut autem duas ex Tarasia neptes filiabus, sic plus* Alfonso Regi *atque* Petro et Ferdinando Infantibus *componit Sancius* Nepotem *ex eadem Tarasia*, Infantem Donnum Ferdinandum: *quem hinc intelligimus non adeo* cito mortuum *(ut alias scripsi) sed ferme ad secundas patris sui nuptias vixisse et*

Not. 12

B *morte sua occasionem dedisse heredem masculum ex secunda uxore optandi. Videtur quidem apud Brandanum error esse in numero Æræ dum scribitur* mccxvii *hæc enim esset annus* m lxxix, *quo primum nata Tarasia fuit et necdum natus* Alphonsus, *ut* Rex, *id est, regni successor subscriptus paterno testamento : sed mysterium latere videtur in virgula supra postremum numerum* xvii, *qui si duplicetur habebitur Æra* mccxxxiiii *idest annus* mcxcvi, *medius inter demissionem Tarasiæ, et superinductionem Berengariæ, quando* Alfonsus *regni Lusitanici heres jam erat undennis, et capax contrahendæ obligationis his verbis conceptæ*. Et ego Rex Donnus Alfonsus, filius supradicti Regis Donni Sancii et Reginæ Donnæ Dulciæ, promitto fideliter in fide Jesu Christi, quod omnia ista compleam et attendam si patri meo supervixero, et quod numquam aliquid inde impediam nec impediri permittam : et jam de hoc feci hominium in manibus patris mei, et juravi in manibus Bracharensis Electi, et Colimbriensis Episcopi. *Ubi titulus* Electi, *Bracharensi Martino datus, eatenus confirmat chronologiam nostram, quatenus per eum longius differri actus hic nequit ; cœpit enim anno mox sequenti* mcxcvii *(teste Roderico da Cunna Archiepiscopo Bracharensi parte 2 cap. 18) cum Archiepiscopi titulo signare. Dies firmati testamenti non notatur, sed solum* Mense Octobris *Era jam dicta*, factæ *dicuntur chartæ, eo instrumento comprehensæ.*

et jam inde ab an. 1196

per Alfonsum successorem jurato,

C

16 *Crevit interea Princeps Alfonsus, sic ut moriente patre annum jam ageret* xxvii, *quando* visum est illi, regni fines oculis metienti, plura possideri a sororibus quam par esset ; detrahi regno, quæ illis accesserant. At quod ille vertebat injuriæ, vitium animi erat ; imbellis natura, et ad belli munia piger domi sedere, quam foris pugnare malebat. Crassum corpus hebetabat militarem virtutem : pinguis aqualiculus igneos spiritus opprimebat : ex ignavia avaritia orta. Adjicere cœpit oculos ad sororum oppida, et livor nobiliora repræsentavit, incessit ei cupido ea auferendi. Ut speciem honestatis obtenderet, jactabat majus illud quam pro feminis imperium esse : traderent sibi oppida ; melioribus a se reditibus compensatum iri..... [fortassis etiam causabatur, non teneri se juramento illo, ad quod impuberem coegerat paternæ jussionis reverentia.] Pacti primum et conventi mentionem injecit, deinde preces et fraudes adhibuit honesti officio tectas. Suboluit astus sororibus : negarunt, quæ jure patrimonii dotisque possidebant, ea Regi fratri tradere. Iret porro ille, bellum inferret Mauris ab his injuste pos-

stare nolens hæc jam Rex,

D sessa ut adimeret, armis augeret imperium : Sic avum, sic patrem fecisse, qui belligerando fusis et pulsis Mauris, regni fines protulerunt ; hos subigendos sibi esse, non sorores spoliandas.

A Franc. Macedo.

17 Quo potentius imperant Reges, eo impotentiores affectuum sunt, iræ imprimis et cupiditatis : nam quod semel concupiscunt, eo ut fruantur, omnia quæ sibi obstant vincula et repagula irati perfringere moliuntur. Igitur Alphonsus, quod artibus elicere non potuit, armis extorquere decrevit. In Teresiam, quæ plura et viciniora possidebat, majore vi et mole itum. Educto in campum exercitu vastari agri, abduci greges, vexari agrestes, circumsideri oppida cœperunt. Sed Teresia, virilis animi mulier, et patri quam fratri similior, strenue se opposuit ; et collecta suorum clientium, quos amor in Reginam, odium in Regem incitabat, manu, hostium impetum sustinuit et repressit. Juvabat, quamquam studiis magis quam viribus, Princeps Petrus, qui Alphonso fratri avaritiam et inhumanitatem exprobrabat. Verum eo nihil profecit, imo Rex objurgationibus obstinatior factus sævire vehementius cœpit. Itaque Petrus sibi metuens clam regno excessit, et in Africam transmisit, et ad regem Marrochiorum, quocum a majoribus fœdus ictum, divertit, apud quem mollius et pacatius, quam apud fratrem hospitium habuit. Ejus discessu irritatus Alphonsus, bellum accendit. Jam omnes sorores palam oppugnabantur, Teresia, Sancia, Mafalda : Proprio quæque occupata bello juvare aliam non poterat. Male sustinentibus impetum et vires Alphonsi, visum Romam ad Pontificem mittere, qui de periculo monerent, et litterarum subsidium impetrarent, quibus Rex, alioqui religiosus et pius, ab armis discederet, Interim acriter. Rex urgebat, cui melius paratæ Teresia, et Mafalda resistebant : Majus erat Sanciæ periculum, quod minores et imbecilliores copias habebat. Magna vi Jerabricam oppugnabat Alphonsus, quo illa oppido tenebatur : verum minime consternata, oppidanos ad defensionem accendit, quibus aderat cibariis, nummis, armis, præsentia, ac precibus præcipue : quarum tanta vis fuit, ut cum pauci defensores essent, strenue tamen et sustinerent hostem et arcerent ; adeo ut semel cum arctius obsiderentur, erumperent, et regias copias fugarent ; orante interim pro suis Sancia, cui illam victoriam oppidani acceptam ferebant : exinde lenta oppugnatio fuit.

bellum infert sororibus :

E

sed frustra Alenquerium obsidet,

18 Feliciori adhuc eventu Teresia pugnavit cum regiis, quod justam ei opem tulit Alphonsus olim conjux, qui memor thalami, memor prolis, filium cum ingentibus copiis in Lusitaniam misit, et Regem Alphonsum ab oppugnandis oppidis alienis ad sua tuenda compulit. Non fregit tamen invictum animum Lusitani, qui conversa in Legionensem ira, in ejus regnum irrumpere parabat ; ac irrumperet, nisi tempore advenissent Roma nuntii cum litteris Innocentii III quæ palam lectæ, Alphonsum, intentato censuræ fulmine, nisi arma poneret, terruerunt. Reverentia litterarum ac metu cœlestis iræ, reduxit exercitium, et bellum omisit. Pax secuta, non tam formidinis belli ab hoste illati, quam incussæ a Pontifice religionis beneficium fuit. [*Plura de his rebus qui volet, Brandanum adeat legatque publica Regis ac Reginarum instrumenta prædicta in Append. partis 4, una cum Pontificiis litteris pluribus.*]

F

a Teresia etiam vincitur,

et ab Innocentio 3 desistere cogitur.

CAPUT IV.

Teresia Lorvaniense Virginum monasterium instituit, eique se includit.

Explicata bellicis terroribus Teresia, quod antea præceperat

A præceperat animo, repræsentare studuit. Rebus humanis nuntium remittere, seque in cœnobium cum virginibus Deo dicatis includere, ibique pietatis et religionis opera exercere. Id tum e re sua, tum publica esse ducebat: intellecturum deinum fratrem Regem, nolle se vel alienare oppida, vel in usus profanos reditus convertere, sed melius collocare, et intra regnum Deo addicere. Re deliberata locum cœpit circumspicere. Erat haud procul Conimbrica, ubi nata, priscum Monachorum instituti S. Benedicti cœnobium, in ima valle situm, septum altissimis montibus, ad pium secessum opportunum; incertum quo anno conditum: illud constat esse antiquissimum, et vel S. Benedicti ætate, vel paulo post ædificatum. Ibi Monachi ex illius instituto sanctissimi multis antea vixere seculis, et fama est, quo tempore Mauri Hispanias obtinebant, et circumquaque fusi habitabant, sacrum eum locum habuisse, et Monachos in eo degentes nihil turbasse, sed arbitratu suo ac legibus vivere permisisset. Opera et labore manuum vitam tolerabant, parvo contenti habitabant anguste: raro inde, nec nisi Christianorum latentium causa exibant, quibus salutis præsidia ministrabant: assueti

A Franc. Macedo

Lorvanium ord. Benedictini cœnobium,

B divinis, minus curabant humana. intra viscera rupium educati, asperiores evaserant, sed eo ad pietatis officia molliores, quo remotiores a loco, eo clarius fulgebant: Mauris non modo cari, sed etiam venerabiles erant. Tantum sanctitatis opinio valet, ut vel barbarorum animos conciliet, et in admirationem sui rapiat. Excutientibus postea Maurorum jugum Christianis, et usurpatam ditionem vindicantibus, et proprius Conimbricam inferentibus arma, multa horum in suos Monachorum officia extiterunt. Eorum sæpe monitu evitatæ insidiæ, eorum indiciis proditæ Maurorum copiæ, eorum subsidio propulsata fames, eorum ope superati hostes. In expugnatione Conimbricæ, insignis et multiplex eorum opera fuit. Quippe Ferdinando Regi obsidenti urbem præsto fuerunt, armis, pecunia, commeatu; eumque tædio longæ obsidionis languentem, precibus et exhortationibus excitarunt, ac pene diffidentem confirmarunt in proposito; nec destiterunt, donec expugnata urbs in potestatem Regis venit, quæ tanti ad belli summam momenti erat, ut S. Apostolus Jacobus visus fuerit contra Mauros equo pugnare, et iis fractis et pulsis urbem inire, et portas reserare et claves Ferdinando Regi tradere.

ante Maurorum tempora conditum,

C 20 Hæc celebre apud omnes cœnobium illud reddiderant; et quamquam recuperata Conimbrica Monachis S. Benedicti alia monasteria erecta et assignata, numquam tamen istud Lorvaniense derelictum. Amor et reverentia loco [incolas] addixerat. Pauci tamen habitabant, nec monasterium plurium capax erat. Certior de hoc facta Teresia, cui situs placuisset, decrevit eo cum aulicis virginibus, et aliis quæ sese obtulerant, migrare; ibique, instaurato et conformato ad Parthenonis formam ædificio, monasterium capacius condere. Sed movendi loco prius Fratres erant, qui ægre se inde sinebant avelli, quamquam recepisset iis Regina, commodiorem se ac opportuniorem ad habitandum locum daturam. Ægros animi ac repugnantes acciri ad se jussit Theresia, et ut persuaderet abitum, hunc in modum ad eos locuta fertur: Qui rebus humanis nuntium remiserunt, eos minime decet sic affigi locis, perinde ac in iis radices egerint; et quorum mentes versantur in superis, nefas est iis corpora spatiis circumscribere. Nihil interest cujus quisque rei amore teneatur. Indignum certe est viris religiosis, domibus, tamquam nidis, includi: Benedictinis præsertim, quorum auctor Benedictus Maurum misit in Galliam, et Placidum in Siciliam: ipse Cassinatem montem seminarium externorum juvenum instituit, ut inde rursus eruditos eos in diversas provincias emitteret. Nati vos estis reipublicæ Christianæ: prodite in lucem, in commune consulite. Dum Mauri dominabantur, vosque undique circumstabant, opus erat latebris ad tutamen: nunc, iis victis et exactis, nec latendi ulla est causa, et magna exeundi, ad Christianos populos opera vestra juvandos. At delectant nos, inquietis, hæ rupes, hæc antra, quibus assuevimus. Pudeat vos ejus rationis, quam feræ, si loquerentur, afferrent. Nec vos solitarii seorsim, sed in cœnobio conjuncti vivitis. Itaque nec Eremitæ estis, nec Cœnobitæ. Quid, quod frustra recondi vos inter arctorum montium claustra jactatis, cum ea quotidie (idque fit sæpius cum necessitas urget exeundi) in urbem et oppida transilιatis: sic illa perpetua jugorum corona, quæ vos cingit, naturæ opus est, non Religionis. Sinite me cum meis sodalibus eo migrare, unde semel ingressæ numquam exibimus. Liberabimus locum a nota, et vos a noxa. Ille secessus debetur nobis feminis Deo dicatis, quæ consuetudinem et conspectum virorum vitamus. Illa nos decent claustra, numquam egressuras; in his

Cisterciensium parthenoni,

D

petit a Monachis Teresia.

E speluncis ita vivemus, ut quasi vivæ sepeliamur; parum distat spelunca vivæ a sepultura mortuæ. Datam semel fidem loco servabimus; extra illum ne mortuæ quidem efferemur. Nec ego vos aut ejicio aut emitto: cœnobium alibi ædificatum tribuo, quo migretis, in quo et vestræ privatæ et communi omnium saluti consulatis.

21 Et jubere poterat Theresia, quod impetrare malebat; et Monachis placuit dare precario, quod poterat extorqueri. Igitur conventum de migratione; cum præsertim idoneum opportuno loco domicilium migrantibus assignaretur. Lorvanium deinceps Regina cogitavit. Locus is est a frequentia remotus, novem milliaria Conimbrica distans, aditu asper, accessu difficilis: via omnis montana et silvosa; saltibus intercisa, equites juxta terret ac pedites. Post longos circuitus et flexuosos meatus cum emensum iter putas, hæres dubius ad metamne perveneris, an ad caput redieris. Confecta quippe modica planitie, sistitur in arduo supercilio montis, unde præceps incipit saltus, per quem in declivia fit descensus, nec inde ullus oppidi aspectus spesve adeundi. Occurrunt intuenti circumjecti montes, scalarum more, per gradus ab imo sursum ascendentes, maximam partem invii, certis in locis præ-

Est illud, loco solitario et horrido,

F rupti ac præcisi. Nusquam mapalia; nec tauris quidem caprisve receptus. Demittenti in imum oculos multæ et cavæ valles, continenti ductu, sed inæquali se objiciunt, per quas nulla possis indagare ad oppidum vestigia, quod in fundo illius altitudinis jacet quasi sepultum. Itineris ad ipsum oculi duces esse non possunt: incedentes deducunt viæ obliquæ, et sinuosis flexibus tortuosæ, quæ in se recurrentes postquam in longum anfractum porriguntur, iterum eo unde cœperant, parvo compendio redire videntur, ac iter facientes deludunt. Sed aliter tuto iri non poterat. Duorum milliarium descensus est, nec nisi medio spatio confecto, culmina tectorum monasterii apparent: quæ nec eminerent, nisi ædificii moles eo crevisset, ut cum illam modica vallis non caperet, necesse fuerit montem moliri, et subactum cellis accipiendis opportunum reddere. At non diuturnus nec constans ille aspectus est; brevi desinit, nam deorsum tendentes destituit, insinuantibus sese in depressiores cavitates viis, unde suspectus ad altiora cacumina esse non potest. Per abstrusos sinus et intima viscera montium incedendum, donec ad infernæ fauces vallis venias, quæ inter

inter maceries silvosas anguntur, et malignum tramitem ceu viarum spiraculum ad oppidulum interius relinquunt. Post laxari spatia et aperiri planities, ut inter montes angusta, sed justa pro loco.

amplum tamen

22 Hic situs monasterii et pagi, qui illius quædam quasi appendix est quod totus constet famulis et ancillis Monialium. In medio forum patet, intra obliquitatem rotundum, pro angustiis loci amplum. Ad lævam monasterium extenditur, in dexteram porrectum (hemicyclo simile) structura inæquali, ut in prærupto, sed magnifica ob regios sumptus et privatos regiis pares. Templum et odeum satis amplum, et mire ornatum. Pergula continuato ductu ad conventum in justam longitudinem tenditur, suis distincta cellis pro numero Sororum; ducentæ ferme sunt parthenicæ, quæ nigro utuntur velamine; viginti minoris notæ quæ album gestant: præter turbam ancillarum domi servientium. Trecentorum itaque, plus minus, numerum conficiunt. Intus præclara gynæcea, idoneæ officinæ, impluvia, cavædia, porticus, xysti, inambulatiunculæ, horti, viridaria, et multa synodiis destinata loca; ut mirum sit in tanta asperitate montium tam molliter ædificationem acceptam. Augent magnificentiam et pulchritudinem ædificii privatæ illustrium fancti-monialium ædes intra septa monasterii, sed extra communem pergulam eminentes, quas singulæ, facta ad id a superioribus potestate, suis sumptibus excitarunt; variæ, modicis intervallis disjunctæ, prout montium ferebat asperitas, saltuatim positæ: fortuito situ pares magis, quam similes, et ipsa inæqualitate spectabiles. Sunt quibus latera collium intergerrimos parietes efficiunt: alias sinuosa viscera excipiunt in gremium et fovent: aliæ rupibus adhærent, et tamquam nidi affiguntur extra parthenonem. Ingens domus ad dexteram intrantium visitur, in domicilium Fratribus Cisterciensibus D. Bernardi instituti, qui res divinas procurant, et humanis consulunt, et in hospitium exterorum eo confluentium assignata. Ceterum ædes circumjectæ, raræ, angustæ, uti paganorum. Solum, breve ad colendum et serendum pauca suppeditat præter olera, quorum magna vis est: aliunde victus magna ex parte petendus. Ingens aquæ dulcis et salubris copia intra monasterii septa exoritur, quæ foras ad potum et usum oppidanorum largiter emanat, et profluentem format, ex quo multa fiunt aquarum divortia. Exitus idem qui aditus, ut qui semel in saltum intrat, alia, nisi qua intravit, exire via non possit. Qui locum attente ex alto despiciat, fundum hiatus desidentis in voraginem terræ existimet; qui ex imo suspiciat, obrutum iri se impendentium ruina montium putet. Nemo non locum commentationem mortis dixerit. Exiguæ ibi sunt partes diei, majores occupat nox. Solis prætereuntis specie, ceu angustias loci indignante, eas ulciscitur pluviis: tot enim imbres eo decidunt, ut ille vere locum norit, qui Cœli impluvium appellavit.

et 300 Virginum capax,

licet accessu difficile.

23 Hujus vallis cum infrequentior et horridior erat, ab iis qui eam viderant, apud Teresiam facta descriptio, mire affecit animum, jam diu pertæsum Aulæ fastusque, et anhelantem cœlestia. Ubi vacuum esse accepit, exarsit desiderio habitandi. Id moram injiciebat properanti, quod virorum domicilium minus erat aptum ad virginum monasterium. Sed missis architectis et operis, brevi effecit, ut locus idoneam parthenonis formam reciperet. Illum cum instrui jussisset sacra et domestica supellectili, et rebus ad usum vitæ necessariis; cœpit circumspicere, quas comites secum adduceret. Difficilius fuit e multis, quæ sese ei offerebant ullas excludere, quam eligere. Aulicas plures, jam pridem sacris meditationibus et exercitationibus assuetas, socias habere voluit: his pleræque ex primaria nobilitate adjunctæ: admissæ aliæ inferioris ordinis (Conversas dicunt, quæ minora munia obirent: servarum ingens turba fuit. Simul paratis habuit, de instituto deliberavit. Recens erat et celebris in Lusitania S. Bernardi memoria, cujus præclara in Reges (quorum propinquus fuisse fertur) extiterunt officia, in omnium animis impressa. Auxerat affectum fama viri, virtutibus, doctrinis, operibus admirandi. Respondebat famæ parentis, filiorum religio et pietas, quorum multa et frequentia erant in Lusitania cœnobia, plena viris sanctimonia sapientiaque insignibus. Ab his instituti sui rationes petivit Teresia, et erant ab initio ad Monialium mores et vitam in Gratiam Umbelinæ sororis, a divo Bernardo fratre conformatæ. Has amplecti Regina voluit, quod ingenio loci illa vivendi ratio congruebat. Æquum item videbatur, ut quæ in locum Monachorum Benedictini ordinis, a quo Cisterciensis et Claravallensis familiæ deflexum ad asperitatem institutum sumpserant, succedebant, non multum ab iis norma et ordine vitæ distarent. Porro Teresia obtinuerat ante a Romano Pontifice facultatem, deferendi secum aliquot ejusdem Ordinis Sanctimoniales, studiose a se conquisitas quas haberet magistras instituti, quod amplexum et professum ibat. Has hoc ipso tempore monuit adessent, simul profecturas, deque eo Regem fratrem fecerat certiorem. Iis ergo a diversis monasteriis collectis, et rebus voluntate Regis fratris compositis, ad eum Teresia valedicendi gratia, stipata sororibus, adiit. Seorsum a turba Rex, remotisque arbitris, eas excepit; cumque inter se salutassent, interiores domus intrarunt, ubi soror Blanca ætate minor prope Reginam in gynæceo ad extremum ædium separata habitabat. Quæ simul ac Reginam sororem eo habitu et comitatu aspexit; primum attonita conticuit, mox ad se reversa collacrymavit, et sensu tacta religionis in amplexum sororis ruit; et apprehensa manu, regem primum officiose reverita, sic visa est loqui.

A. Franc. Macedo

et sub Regula Cisterc. victura,

24 Hem! Domina soror, celatum me tuum hoc consilium tenuisti, ut a societate operis excluderes. Næ tu, ista erga Deum pietate, crudelis in me existis. An justum existimas te deserentem aulam, quæ Regina es, me, quæ parvula et nullius pene sum numeri, in aula relinquere? Vin, ut assuescam, deliciis, quas tu aversaris? Antequam tu eas contempsisses excusare me possem, si amplecterer; nunc quæ verecundia erit, cum eas tu negligis, me amplexari? Male famæ consulis meæ, cum manere permittis inter illecebras, quas tu fugis. Videbor quippe approbare quæ non probasti. Si consilii tui participem me, ob meam in qua sum ætatulam, facere noluisti, quod expers eram prudentiæ ad deliberandum; nunc re deliberata, compotem me voti, ac exempli sociam facere debuisti. Imitationis sum capax, quæ non eram apta consilio. Præjudicata mihi est auctoritas tua: optimum factu duco, quidquid te videro facientem. Ibo pedibus in tuam sententiam, quando mihi non est locus ferendi suffragia. Quæ invitasti alienas, sororem te rogantem ne sperne: quod sum parvula et inexperta rerum caducarum, eo minus morabor ignota. Solitudinem quæris, hanc ego in palatio colui: mutabo locum, non morem. Haud grave tibi onus ero, quæ desideris evolo; sequar te, non æquis corporis passibus, sed paribus animi affectibus. Adhærebo lateri tuo parvula, uti discipula: veniam in partem oneris adulta, uti adjutrix. Si tu, post nuptias, ad Christi thalamos properas: qui me innuptam ab iis arcebis? Dudum ego eum mihi sponsum destinavi. Age, pronubam, mea soror, et flammeum capiti induito. Et hic extenta ad Christum crucifixum (qui prope erat) manus

a sorore Blanca rogatur,

ut comitari liceat:

A manu, ipsum apprehendens impressit ori, et immersit in sinum. Ecce, inquiens, quem eligo sponsum, huic me devoveo. Citius me habitus deficiet, quam ab ejus complexu avellar. Hoc ego duce aut te præibo, si moraris, soror; aut sequar, si properas. Tu vero (ad Regem conversa) Rex potentissime, hoc mihi, oro, non impedias iter, amoris in sororem memor, non potestatis in subditam. Sine comitari sororem, quæ mater mihi deinceps futura est. Liberabo te hac, quam erga me geris, paterna cura. In Christi familiam transeo; ille me suscipit alendam, tuendam, regendam. Vide quanto sit tibi honori futurum, quod de manu tua Christo me tradis, et illum sponsorem appellas. Ne meam sis vicem anxius, pro qua sua vulnera Christus oppignoravit Patri. Dotem ab illo sanguinis accipio, quem mihi gratis impendit. Erumpebant omnibus lacrymæ, nec sibi Rex temperare poterat. Itaque precibus Blancæ victus cessit, eamque de manu sua Teresiæ tradidit. Quæ attonitæ similis puellam auscultabat, et ubi vidit inflammari, exarsit desiderio eam secum ducendi; quod prævideret magno sibi adjumento, et sociis incitamento futuram.

A Franc. Macedo

annuit ipsa,

B 25 Illuxit optata virginibus dies, qua et regiæ valedicerent, et spei blandienti renuntiarent. Præmiserant sarcinas cum paupere supellectili, nisi quod pretiosa quædam immiscuerant, quæ altaribus ornamento forent. Profana et quæ ad mundum muliebrem spectabant, reliquerunt apud aulicas, quæ Reginæ adhæserant quarum plurimæ invite accipiebant, quod dolentius ferrent spoliis consecrantium se Deo virginum locupletari. Inter omnes Teresia, vultu hilarior et corpore celsior eminere, urgere profectionem, colligere in cœtum abituras, has hortari, manentes solari, dona jam ex ante ad id præparata largiri, et lacrymas detergere, et desideriis moderari. Ægre tandem avulsa discessit, secumque plura vota, quam socias tulit. Carpentis confecta via, donec ad supercilium montis ventum; exinde, propter declivia, jumentis usæ. Initio saltus, qua dimitti in imam vallem cœperunt, pavor quidam religiosus incessit omnes, cogitantes ire se eo loci, ubi solitariæ futuræ essent, ubi Deo vacandum, et Superis studendum: propiores se deinceps immortalibus quam mortalibus fore: ire sepultum se vivas, ut post mortem immortales resurgerent. Hæc secum agitantes, ad monasterium venerunt. Prima omnium Teresia, templum recta contendens,

et simul Lorvanum petunt:

C antequam ingrederetur, osculum vestibulo cum lacrymis impressit. Secuta Blanca soror cum reliquis, et qua sacratius erat iter, monasterium sunt ingressæ. Adventum præstolabantur Monachi S. Bernardi Fratres, qui ex instituto eas cum cantu, et cereis, et aqua salubri exceperunt.

26 Exciverat fama rei complures et Dynastas et cives, qui attonitis similes aderant. Crevit stupor, cum paulo post viderunt in adytis prope sacrarium Reginam, caput ante Præsulem, abjecto ornatu demittentem, et admisso in regiam comam forfice capillos deponentem. Tunc collacrymari omnes, subridente modeste Teresia, et Blanca ceterisque virginibus exemplum Teresiæ alacriter sequentibus. Præcisa coma velatæ omnes flammeo virginali: abjectus vestitus profanus, et habitus religiosus indutus. Moniales, et sorores Teresiæ una extiterunt, sublato majestatis discrimine, pares deinceps futuræ. Silentium hoc secutum et preces: deinde ordine in claustra receperunt sese, et intuentium oculis subduxerunt. Hos illico nubes mœroris obduxit, quæ paulo post soluta in lacrymas, conspectum adstantibus eripuit, et altius in se intrare multos compulit, secumque de contemptu mundi et animi salute disputare. Illud mirum, nullam virginum

ubi detonsa velataque Teresia,

D fuisse, quæ aut relictos consanguineos respiceret, aut absentes salvere juberet. Novæ cogitationes, nobiliores curæ occupaverant animos, jam divinis rebus addictos, abstractos ab humanis; perinde ac mortalia nihil ad se attinerent. Certe rei, ut erat gesta, eventus, in aula, in circulis, a nonnullis qui adfuerant narratus, magnos ubique clamores fecit, et varie, prout erant ad sensum pietatis commoti, animos omnium affecit. Summa fuit laudare Teresiam, quæ dux et autor sibi et sociis ad tam præclarum facinus fuisset, et vestigia sequi volentibus sancte impressa reliquisset.

27 Novum amplexa vitæ genus Teresia, cum videret omnium ad se Monialium curam pertinere, primum statuit partiri munera; et selectis e numero grandioribus natu, suum cuique pro genio assignare: ut ordo, qui anima hujuscemodi conventuum esse solet, exacte servaretur. Dimensa est animo situm monasterii, partes quibus constabat mente percurrit, Moniales quibus assignandæ occupationes erant mente notavit, easque cogitatione divisit ac seposuit, ut quid singulis administrandum esset attenderet. Id ut seorsim expendendo constitit, ad personas, quas iis officiis præficeret, curam

Officia inter Moniales

E convertit; cumque sibi eas ob oculos mentis proposuisset, et cum muneribus obeundis contulisset, ac respondere genium præfecturis conjectando nosset; distinare cuique officium suum cœpit, ut initia administrandæ sacræ illius reipublicæ fausta essent; permagni quippe interesse ad summam, putabat rerum principia. Igitur sacrarum cura potissima fuit. Ea triplex futura erat. In Templo, in odeo, in sacello. Templo qua parte interius erat, unam præfecit, quæ necessaria ad rem divinam procuraret; et quidquid ad ornatum altarium spectaret, abunde sufficeret; et iis quit oris in ecclesiæ mysteria obire, iisdemque operam dare debebant, quæ opus essent ministraret: æditima ea vulgo dicitur. Odeo aliam præposuit, quæ solemnis cantus precumque publicarum juxta Psalterii normas rationem præscriberet: hujus erat libros musicos curare, pensa horaria distribuere, psalteria designare. Sacelli curam alii mandavit: cui injunctum, Sorores statis temporibus ad privatas meditationes congregare, et precatiunculas secretas concipere, et numerato ad globulorum numerum reddere, familiari de rebus divinis sermone ad amorem Dei excitare. Gynæceo, ubi locus muliebri opificio futurus erat, peritam ejus artis feminam præesse voluit, quæ juvenculas horis succesivis acu pingere, lina carpere, fila deducere, et cætera ejusmodi doceret; quarum labor et domui supellectilem, et altaribus ornamenta supeditaret. Ceteris quæ ad curam corporis, rem cibariam, et custodiam domus, pertinebant, minore negotio providit. Illud capitale: Sanctimonialem, natalibus illustrem, ætate provectam, præstantem prudentia, spectatam virtute, novis, quæ maxima pars erat, virginibus præfecit, ut sub ea tirocinium ponerent: cui se etiam ipsa cum Blanca sorore subjecit, eique cum reliquis informandam tradidit. Huic potestatem fecit jubendi, monendi, castigandi, nullo discrimine, nullo respectu ad majestatem; cujus aut pertæsa, aut oblita, tam se abjiciebat, ut qui antea non nosset, vilem ancillam existimaret. Et quoniam eo initio et statu rerum non licebat præfecturæ monasterii renuntiare, ita se gerere interim decrevit, ut Reginæ ac Dominæ titulo deposito, Matris nomen assumeret; ita solicitudinem præstitit, omisit imperium.

trifariam partitur,

et Priorissam sibi ac suis præficit.

CAPUT

CAPUT V.

Sancia Franciscanos et Dominicanos excipit, eorumque conventus condit.

Sancia, Tereasiæ soror,

Quæ duæ sorores, et se mutuo amarunt, et una diu vixerunt, et idem vivendi institutum professæ sunt, et post mortem prope conjunctæ ob sepulcrorum viciniam jacent; eas non modo licet scribendo conjungere, sed nefas etiam erit separare. Præstet lex amoris historiæ legibus. Capiet idem libellus quas non disjungit tumulus. Sancia, inter Sancii regis filias natu secunda *, Conimbricæ (quæ Lusitaniæ Regum septem felix patria fuit) lucem vidit. A teneris assueta divinis, ætatulam piis meditationibus ad vitam puriorem, quam agitabat animo, diligenter exercuit. Aulicas puellas, quantum loco, tantum indole ac pietate anteivit. Parentibus morigeram, et sororibus natu majoribus officiosam se præbuit. Ingenio suavissimo fuisse id argumento sit, quod Pater ei tam cupiit, ut præclaram dotem assignarit. Nam cum aliis alia oppida tribuisset, Jerabricam (Alenquerium vulgo dicitur) cum vicina diœcesi, nobilem regni partem Sanciæ donavit. Mortuo patre, spretis multorum Principum qui eam ardenter expetebant nuptiis, ad quas frater Alphonsus et Urraca illius uxor invitabant, cœlibem vitam elegit. Nec diu in regia fuit. Desiderium solitudinis, et aspera fratris Alphonsi indoles aula excedere et tranquille in remoto degere coegerunt. Nullus excogitari poterat commodior locus, quam oppidum dotale Jerabrica, procul Conimbrica, regia tunc urbe, in Cistagana regione situm, semotum a turba; salubri cœlo, fœcundo solo, optimis aquis et copiosis, in edito positum, et satis pro tempore munitum. Eo igitur se cum justa familia transtulit, ad quam liberaliter alendam patrimonium illud sufficiebat. Cœpit ibi religiosum in modum, citra vota tamen, vivere. Nam in arce intra regiam domum templum erat, in quo illa cum domesticis feminis rebus divinis et sacris exercitationibus operam dabat.

* M. tertia.

nuptiis spretis,

Alenquerium se recipit:

ibique vitam sancte instituit.

29 Ceterum, quod et feminam domi, et principem foris agere oportebat, tempora muneribus accommodavit; ut in otio privatis, in negotio publicis rebus consuleret. Itaque domi orare, precari; nendi, texendi, acu pingendi pensa obire: foris interesse causis, quæstiones decidere, controversias dirimere, lites componere, et, quoad licebat feminæ, jus dicere, reliqua propositis a se causis gravioribus viris committere. Præcipua ei cura pauperum fuit, nec solum notis ac mendicis, sed etiam ignotis et occultis, queis vel pudor vel valetudo impedimento ad petendum erat, opitulari solita. Ac ne quem miserum præteriret, secreto inquiri per domos jubebat, sicubi essent infantes orbi, feminæ viduæ, ut eorum necessitatibus subveniret. Notiores ei erant pauperes, quam divites: copiosior elenchus eorum, quos de suo alebat, quam quorum reditibus sustentabatur. Ille nuntius gratior Sanciæ, qui nuntiabat esse quempiam, qui suæ principis opera indigeret. Si quem aut inopia, aut jactura rei familiaris, aut ære alieno oppressum norat, ei subsidium mittebat; palam, si publice, occulte, si latenter egebat. Jam tum (quem morem deinceps tenuit) singulis sextis feriis duodecim matronas pauperes excipiebat prandio liberali, et impastis lavabat pedes, pastas novis donatas vestibus dimittebat. Jejunia, non solemnia solum et consueta observabat; sed alia privata et occulta sibi indicebat. Id magis mirandum in regia femina, quod subtus molles et opulentas vestes asperrimum et setis hirsutis hispidum cilicium tenero corpusculo applicabat. Interdum humi cubabat super corticem, ligno in pulvinum adhibito, et duriter se accipiens, et occulte macerans, ne quid gloriolæ irreperet; unius tantum ancillæ intimæ opera utebatur, cui hæc pia furta patuerunt.

Eleemosynis et pœnitentiis addicta.

A. Franc. Macedo

30 Vivebat ea ætate S. Franciscus Assisias, quem Christi, quo semper flagravit, amor, desiderio martyrii ardentem, et studio S. Jacobi Apostoli corpus visitandi accensum, in Hispaniam ire compulerat, si qua occasio esset inde in Mauritaniam transeundi. Is, nulla oblata, in Italiam, Deo ita volente, redierat; spe tamen retenta quod per se facere non potuerat, filiorum opera perfecturum. Hæc eum dies et noctes cura torquebat, quæ rem longius differre passa non est. Itaque anno quam reversus fuerat proximo, fratres duos ex præcipuis Zachariam et Gualterum in Hispaniam cum sociis misit, Lusitaniam ingressi ad regem Alphonsum Conimbricam adierunt: mandata Patris Francisci, cujus recens erat et grata memoria, exposuere Regi. Summa erat, ab eo petere, ut liceret suis in eo regno monasteria ædificare, quæ seminaria virorum doctorum essent, qui Evangelium barbaris annuntiatum irent, et qui Lusitania expellebantur Mauros eos in Africam sequerentur, et divinæ fidei præceptis imbuerent. Accepta Regi legatio fuit, sed multo Reginæ Urracæ acceptior; quæ cum Sanciæ pietatem nosset, ad eam Zachariam unum e duobus cum litteris misit, monens adesse tempus, pia, de quibus semper cogitabat, opera præstandi: non posse id temporis quidquam excogitari ad salutem animarum salubrius. Cum his litteris Zacharias Conimbrica Jerabricam venit. Non egebat hortatione Sancia, ad quæ ipsa sponte currebat. Benevole excepit hospitem, et quoniam ex habitu oris et corporis quanta inesset animo virtus conjecit, de rebus cum eo cœlestibus sermones sevit: cumque ille ardentes loquendo divini amoris faces jacularetur, et singularem præ se ferret opum et honorum contemptum, eoque se germanum S. Francisci discipulum Sanciæ probasset; statuit hæc eum apud se retinere, tamquam prædem et obsidem reliquorum, quos venturos sperabat, ut Franciscanam familiam in Lusitania propagaret.

Missos a S. Francisco Fratres excipit,

in spem convertendorum per eos Maurorum,

31 Erat prope oppidum, in declivi situ ad profluentem, sacellum Divæ Catharinæ martyri dicatum, cum domicilio conjunctum. Eo jussit Zachariam divertere, suscepto consilio locum amplificandi, et monasterium pro loco angustum, sed pro tempore idoneum construendi. Nec distulit quin admotis operis brevi paucis cellulis excitatis, et sacelli parietibus commissis, justum pro sex septemve sociis hospitium condidisset. Hoc primum fuisse fuerunt nostri ordinis in Lusitania monasterium, Sancia autore fundatum. A tam parvis initiis res Franciscana in tantam amplitudinem crevit. Ex hoc fonticulo in Africam, Asiam, et Americam tot provinciarum facta divortia. Annus is fuit MCCXVI. Scio quosdam nobiles scriptores malle primas dare Brigantino cœnobio, quod putent a S. Francisco ædificatum, de quo ego nolo contendere: sequatur quisque quod volet: ego illud a puero traditione accepi. Quasi Franciscana religio Dominicanam in societatem acciret parentum exemplo, qui mutuo se sunt amore complexi, et utriusque Sancia mater in Lusitania existere deberet; anno proximo, id est CCXVII, frater Suerius Gomesius, quia S. Dominico missus, in Hispania versabatur, cum Sanciæ nomen audisset, Jerabricam profectus, instituti sui apud Montem Junctum (sic appellant, ejusdem Reginæ auspiciis et sumptibus monasterium erexit. Ita una duorum illustrium Ordinum Princeps suscepit patrocinium.

assignato ipsis S. Catharinæ sacello

an. 1216;

deinde et jam Dominicanos:

32 Agebatur annus MCCXIX, quo S. pater Franciscus

A [illegible] *Tum 5 Fratres Marrochium destinatos.*

cus salutis animarum studio ardens, cum jam ex Syria, quo se Sultani ad Fidem pertrahendi causa contulerat, re infecta rediisset; quosdam e filiis, ejusdem propositi compotes, in Mauritaniam ire jussit. Et ii paterno more ardebant: sex numero fuisse constat, Vitalem, Petrum, Berardum, Accursium, Adjutum, et Othonem. Cumque in Aragoniam venissent, uno eorum, Vitali cui ceteri parebant, morbi causa detento; ceteri quinque in Lusitaniam, quæ majorem partem jugum Maurorum excusserat, unde liberior erat in Africam commeatus, profecti, Ulissipponem iter intendere. Sanciæ nomen quod ubique celebre habebatur, et desiderium videndi socios in Divae Catharinae habitantes, Jerabricam traxit. Hanc itineris et causæ consciam, studium incesserat eos et noscendi et juvandi: nec minus Sanctam coram salutare et alloqui optabant. Post preces ad Deum in transitu et in hospitio factas, ad regiam contendunt. Præsto erat Sancia, quam cum venerabundi adirent, dia prævenit venerantes, et submisse benedictionem ab iis postulavit. Pium utramque contentionem lacrymæ diremerunt: vicit demittentis se in genua virginis pietas in dexteram Fratrum. Eo habitu corporis oscula sacco, quem

B gerebant, impressit, et benedictionem elicuit. Mox in sacrarium suum deductos benigne allocuta, de causa instituti itineris, de fine sibi proposito cum quæsisset; comperto eos divino ardere amore, ad sacratiores sermones se convertit, et multa ex iis accepit documenta virtutis. Nihilo minus Regiæ virginis colloquio ad pietatem sunt accensi, mirati inter delicias et opes Aulæ tam purum et abstractum a curis mortalibus animum reperiri. Illud dixerunt, ubi Spiritus sanctus habitare velit, locum ad opinionem aliquantum, ad profectum haud multum interesse. Post longam cum iis habitationem dimissi ad hospitium, ubi ex ante de Reginæ mandato ad victum et domesticum usum necessaria præparata fuerant, redierunt. Pauciorum dierum statio fuit: urgebat quippe desiderium progrediendi, et fidem prædicandi; et idonea erat ad navigandum tempestas. Sed parum distabat Olissipo, unde solvendum. Igitur dum navis et vectores se comparabant, et quæ opus erant ad navigandum expediebatur, Jerabricæ morati, singulare multarum virtutum specimen præbuerunt. Sancia vero ne elabi sine animi sui profectu sineret, singulis ad se illos diebus vocabat; et aliquot horas eos audiens, mentem cælestibus deliciis pascebat; fassa postea, multum se ea consuetudine profecisse. Ac fuit, quod aliquanto

et eos aliquamdiu apud se habet.

C amplius quam pro eorum voto, minus tamen quam pro Sanciæ desiderio, eos ibidem morari fecit. Nam cum ii suum habitum retinere navigando vellent, quasi cum inter Mauros impune gestaturi; negavit nauclerus esse vecturum. Res itaque ad regios ministros delata, et serio discussa, debuerunt eo, habitum esse mutandum, qui vel inter Christianos iis temporibus insolens erat, et alium vulgarem induendum. De eo monita Sancia, vocatos parere mandatis, ac vestimenta consueta Lusitanis cum peregrinantur, quæ gestarent, iis donari jussit; quibus induti in navem sine controversia accepti, Hispalim primum, deinde in Africam navigarunt.

33 Sermones Sanctorum hominum, in animo Sanciæ infixos aculeos reliquerunt. Obversabatur ei ob oculos mentis ille saccus asper, ille rudis funis, illa paupertas, illa modestia, illa despicientia sui, ille contemptus rerum humanarum, ille amor et cura cœlestium. Recursabat ille ardor annuntiandi barbaris Christum, illud vehemens desiderium sanguinis pro Deo fundendi. Demittebat hæc in animum, et alte meditationis adigebat; tum in ejus latebras insinuabat mentem, et quasi omnis virtutis vacuam

cum insigni suo profectu;

arguebat. Pudere se sui, quod præ illa sanctimonia

D nihil illustre videret: socordem se, ac negligentem dicere, quod tanto se intervallo post eos relictam in virtutis curriculo comperiret. Nihil tam stimulat generosos, quam nobilis pudor: erumpit in ruborem, et ignem accendit, et eructat flammas. Ilicet meditationibus mentis addere, castigationibus corporis adjicere, vigilias intendere, somno detrahere, diutius orationi incumbere, precari lentius et copiosius, vestiri vilius, edere parcius, cubare asperius, accuratius animum, corpus negligentius habere; seque cruciando ac exercendo, minus se suis quam alienis viribus metiri. Videbatur sibi videre, Martyres inter Mauros versari, in conventus et circulos venire, Christum voce libera prædicare, ac æstu ardere amoris, et desiderio æstuare martyrii. Jam Mahometicam sectam confutare, errores detegere, cæcitatem mentis aperire, doctrinæ Christianæ veritatem ostendere, omni ope ad eorum salutem conari; nec dubitare, quin a barbara illa ac truci gente trucidandi essent, atque hoc ipsum animus præsagire.

34 Hæc agitanti, hæc diu noctuque volventi, XVII Kalendas Februarias, (is dies cædis eorum fuit) anni MCCXX, idest anno proximo a profectione, cum altius in meditationem se daret; ex improviso ei quinque illi Fratres, augusta specie per visum apparuere, frondosis stellis laureati, candida in veste, notis distincta sanguineis, quasi a pugna et cæde recentes, ac ipsas quibus discerpti fuerant, machæras stillantes sanguine ferentes præ manibus, sed luce vibrante intermicantes. Stupor primum, at sine pavore; mox gaudium cum admiratione incessit animum. Intentiori oculorum acie intuita recognovit effigies, et sensit Beatos. Quid ageret ambiguam unus eorum Petrus sic allocutus. En tibi nos sistimus, o Sancia, immortales, quos hinc mortales ad pugnandum pro Christo dimisisti. Exolvimus nos debito quod contraximus: tu triumphis nostris viam stravisti: tua ope in certamen venimus: nisi tu esses adjutrix, Martyres non essemus. Hæ palmæ, quas in manibus gerimus, in hac domo radices habeant: rivi sanguinis, quem pro Christo profudimus, ad fontem redeunt. In Cœlum imus, repetendo viam qua venimus. Per gradus meritorum ad præmium ascendimus, et pars est beatitudinis meruisse. Gratos nos tibi Deus esse jubet, quæ nos expedisti ad iter. Moram hanc apud te, o Sancia, in parte gloriæ ponimus, quod in agendis gratiis detinemur. Tanti est gratus animi virtus, ut perinde sit ac beatitas. Hæc est portio melior nostri, idest animæ quæ nunc solutæ mortalitatis vinculis ad Superos volant. Corpo-

E *eorumdem an. 1220 Martyrizatorum*

alloquio honorata

F ra lacera jacent Marrochii: ea curabit frater tuus Petrus mortua, sicut tu soror conservasti viva. Nec te hoc solo aspectu solamur: recipimus tibi, nunquam tuis vel votis vel precibus defuturos. Tu perge ire virtutis viam, donec ad metam qua tendis, feliciter aura divinæ gratiæ adspirante pervenias: tibi præsto erimus ad ostium æternitatis. His dictis evanuit objecta species. Sancia, veluti qui in media luce caligat, titubante, et vicina ut se teneret, manibus prehendente. Mox ut ad se rediit gaudio delibuta, per divinum in mentem illapsum, fructum visi cœlestis accepit.

CAPUT IV.

Reliqua Sanciæ vita sub habitu Cisterciensi.

Exinde imperium imperium et splendorem aulicum exosa, quamquam regium Aulæ lumen variis obtudisset virtutibus, voluit prorsus extinguere. Stimulaverant antea mentem exempla Teresiæ et Mafaldæ Sororum, quæ neglectis rebus humanis, S. Bernardi

Sororum exemplo mota

di institutum amplexæ fuerant, sed tunc Martyrum per speciem illustris visio accendit; et quoniam vicinior erat Teresia, ob frequentiores ab ea acceptas litteras, in quibus de solitudine, de pace animi, de meditatione cœlestium, de tranquillitate vitæ, de perfectione religiosi status disserebat, ad illius se vitæ rationes conformare statuit, et in propinquiorem ei locum migrare decrevit. Antequam discederet, de Franciscanis Patribus qui anguste ad S. Catharinæ habitabant, solicita, certum et justum eis pro majori numero monasterium ædificare voluit: ad idque palatium suum quod relinquebat, idonea supellectili instructum, Fratribus concessit; et præfectos operi et sumptus ad fabricationem novi ædificii assignavit: retento tamen arctiori hospitio S. Catherinæ, ac edicto, ut ibi Fratres numero quinque deinceps degerent; ad totidem Sanctorum Martyrum qui eum consecraverant locum, memoriam sustinendum; quorum illa tam fuit observans, ut quo in loco sibi apparuerant, ibi sacellum strui jusserit, quod hodieque servatur. Et quidem amplum illud est et magnificum monasterium, in edito situm, undique præcisum ab oppido, salubre, et aspectu intuentibus gratum; verum habitantibus aliquanto tristius, idque ipsum ad meditationem cœlestium juvat. Anno MCCXX quamquam de anno illo non admodum constet, primo post Martyrum cædem conditum ferunt. Hoc suæ pietatis et magnificentiæ monumento relicto, Conimbricam venit Sancia; ibique de fundando Parthenone agitare cœpit.

palatium suum Franciscanis cedit,

36 Locos metanti duo placuerunt, unus urbi vicinus in adversa Mondæ ripa, alter paulo ad mille ferme passus remotior, qua civitas Septentrionem oblique respicit. Hunc elegit, sed alterum non neglexit. Rarus ea tempestate in Lusitania conventuum Sanctimonialium usus: si quæ Deo se dicare religioso ritu feminæ vellent, eæ locis infrequentibus domunculas quasdam ædificari sibi curabant, seorsim positas, undique clausas et munitas, inducto muro cum fenestellis, ad lucem et cibum accipiendum idoneis. In his inclusæ, vivebant more Anachoretarum, solitariæ quoad contubernium, quoad decorum vicinæ. Domunculas, Cellas vulgo; feminas inclusas Muratas appellabant. Harum magna copia eo in loco erat. Cui idcirco Cellis inditum nomen. Eas voluit Sancia in unum conventum redigere, et monasterio inclusas ad idem, quod professa Teresia fuerat, S. Bernardi institutum formare. Non invitæ morem gesserunt, tantum expectarunt, dum monasterium perficeretur, quod magnis a Sancia collatis sumptibus ædificari cœptum. Interim acciri jussit alias apud Jerabricam reclusas, quas illa antea et benevolentia foverat et opibus juverat, ut justus numerus Sanctimonialium esset. Alias, quæ trans fluvium Mondam habitabant, loco non movit, quod in vicino positæ, et in meliorem formam redactæ, minus solicitudinis et negotii exhibebant: non tamen illarum curam abjecit; certum eis quippe frumenti dimensum assignari in posterum jussit, quod onus post ejus mortem ad Cellarum Abbatissas transiit. Cumque postea ex illis Reclusis Monialium novus conventus fieret, cui Divæ Annæ nomen inditum, et S. Augustini institutum assignatum fuit; semper Cellarum cœnobium statas illas tritici solennesque mensuras Monialibus rite dependit.

[illegible] ejus temporis, Reclusæ,

Cellense monasterium condit

37 Ardebat utraque soror mutuo desiderio inter se salutandi, seque fruendi. Teresiæ id per professionem licitum non erat, Sanciæ licebat, adhuc liberæ a votis et claustro. Itaque Lorvanum se contulit paucis comitibus. Ut in depressas illas per tot viarum anfractus convalles venit, commoveri se vehementius ad pietatem sensit, et multum in locis momenti esse ad cœlestes impressiones intellexit. Ipsa solitudo et asperitas montium mire afficiebat incedentem. Laudabat sororis propositum, quæ se suasque socias in ea tesqua induxerat. Viso demum monasterio, major religio pulsavit animum. Occurrit menti sanctimonia habitantium, ac præcipue sororum. Erant hæ ad ostium ecclesiæ intra vestibulum, sed foras modice projectæ. Cetera turba virginum in duos divisa ordines, per totum Ecclesiæ spatium tendebatur, ardentibus cereis Sanciam expectantes. Advenientem amplexu suscepit Teresia; cui Sancia supplex demissis brachiis, pene ingeniculata, sese inclinavit. Ambabus eruperunt lacrymæ. Adjecit Sancia suspirium, tenerior aspectu religiosi habitus facta, quem invidit sorori, cum purpuram antea non invidisset. Cumque inter se consalutassent, intervenit Blanca, quæ amplexus illos novo suo oblato diremit. Arctius eam strinxit Sancia, sed copiosius ploravit Blanca. Tum mediam accipientes, inter ordines Monialium, ad aram maximam procubuerunt. Adorata Eucharistia, intra monasterii septa ingressæ sunt: ibi Sanciam reliquæ Moniales reverenter exceperunt; quas illa vetuit ne tam se demitterent, confirmans pares sibi esse; imo, quod sponsæ Christi essent, superiores. Tunc iis ad sua pensa obeunda dimissis, in cellam se sororis inclusit. Ibi una cum altera de præteritæ vitæ, deque præsentis statu communicavit. Nihil inter se celatum habuere; et cum rationes vivendi contulissent, et Teresia Sanciam jam mundo nuntium remittere parantem deprehendisset, pellicere in sui societatem voluit; ut non modo particeps instituti, sed etiam consortionis esset; idque multis persuadere conata est. Verum Sancia modeste respondit, sibi non esse integrum mutare locum, quem Superi apud Cellas destinarant: ibi domicilium cum sororibus novis, quas paraverat, ubi monasterium ædificabat, esse posituram. Jam dudum recepisse, ducem se iis et comitem vitæ fore. Se conjunctas, ad solatium quidem aptius; ad profectum, minus apte esse victuras. Attendendum non quid privatæ ex illa conjunctione commoditatis acciperent, sed quid ad commune bonum separatæ conferre possent: ubi animorum copulatio esset, nihil interesse sejungi corporibus. Cumque Teresiæ satisfecisset, ad cœlestes curas cum Blanca converterunt sese, ac suavissime de rebus divinis confabulatæ, reliquis Sororibus copiam sermocinandi fecerunt. Placuit Sanciæ exercitationibus sacris interesse, tum quæ ad divina officia, tum quæ ad meditationes et preces, tum quæ ad afflictiones et macerationes corporis, tum quæ ad pensa et opera muliebria pertinebant: singula et admirans et observans, ceu memoriæ mandare vellet (tam accurate quæ videbat notabat, quasi regulas inde ac normas ad institutionem suarum, de quibus tunc cogitabat, Monialium colligeret, ut tempore opportuno dictaret. Triduo ea salutatio fuit.

A FRANC. MACEDO

ac Blancam sorores;

sed recusat ibi manere.

38 Decedentem rogavit Teresia, ut vellet Montem majorem, suæ ditionis oppidum, se conferre, et de toto illius statu diligenter cognoscere; et si quid esset in republica (sic enim audierat) turbatum, id pro suo judicio et arbitratu componeret. Suscepit provinciam Sancia. Erat is annus a partu Virginis MCCXXII, quo anno in oppidum venit. Nobile illud in primis et par urbi frequentia et opibus civium; sed absente jam diu Teresia neglectum, quasi sterile solum jacebat; brevi tamen subactum opera Sanciæ, fructus haud pœnitendos tulit. Sata inter multos eosque primarios semina discordiæ, et haud dubia reipublicæ pernicie adulta, partim compressa, partim avulsa. Ferrum intentum jugulis multorum, vel subtractum, vel rejectum. Insidiæ detectæ, iniqua pacta rescissa, vadimonia præclusa, injuriæ propul-

Rogata Montemmajorem accedere,

multa ibi vitia corrigit.

A FRANC. MACEDO

A satæ : maledici a detractione, avari a sordibus, rapaces a latrociniis, ganeones a lustris, aleatores a ludo, conviciatores a petulentia revocati. Imperio usa, his et aliis grassantibus vitiis modum posuit : sed plus egit exemplo. Frequens in templo, assidua in sacris, carceres invisere, nosocomia visitare, nosse ac juvare miseros, sublevare pauperes, solari afflictos, protegere viduas, tueri pupillos, reis subvenire : nihilominus jus sustinere, judicia stabilire, leges conservare, statuta custodire, calumnias depellere, quadruplatoribus obviam ire, circulatores arcere, illecebras peccandi auferre, corruptelas morum tollere ; in utramque partem et pietatis et severitatis documenta dare. Itaque ad commune bonum satis hac administratione profectum : sed rationes pecuniariæ, tum privatæ, tum publicæ, negotium Sanciæ haud mediocre exhibebant : sunt quippe difficiles explicatu, propter expectationem et collybum, ac lacunas, in ære alieno, quo qui se obstringunt, nomina expedire vix possunt. Quare non pauci erant in nominibus, quibus abierat dies rationum referendarum. Hi procrastinare, comperendinari, prævaricari ; alii obruti et nexi, quoquo se modo exolvere, fraude, dolo malo, vi, tergiversatione ;

publicas ibi privatasque rationes

B negare acceptas pecunias, ne dependere cogerentur. Quidam acceptum retulisse se dicere, sed expensum tulisse affirmare : nonnulli, qui solvendo non erant, versuram facere, ac novis se nominibus obstringere ; ac demum circumforaneo ære obrui, et foro cedere ; interdum et solum vertere, et nomina secum portare, detrimenta creditoribus relinquere. Paucis integræ fidei, putatis et subductis rationibus accepti et expensi summa quadrabat : ita parum ad quæstorem Reginæ lucri perveniebat ; et prope erat, ut Publicani, partim ob interceptos reditus, partim ob præscriptas usuras, vel sublato vel inverso anatocismo decoquerent. In hac difficultate Sancia sic se gessit, ut consultis iis, qui omnes vias pecuniæ norant, et deducendo partim, et partim condonando, et partim exigendo, turbatas rationes recte administraret, et nomina multorum sine magna utriusque partis jactura dissolveret. Quo quidem Sancia sororis Teresiæ rationibus haud parum consuluit ; ingenti vi pecuniæ ad expensas in fabricatione monasterii, et sustentatione Monialium, et jam antea factas et deinceps faciendas, numerato repræsentata. Sic illud oppidum pristinæ virtuti ac fidei redditum, Teresiæ votis cumulate respondit.

pro sorore componit :

C 39 Crescebat Sancia cum profectu virtutis domi, tum fama sanctimoniæ et prudentiæ foris. Jam illam, vivo Patre Sancio, finitimi longinquique Reges nurum optaverant, necdum satis adultam, nec maturam, quod illa causari solita, ne nuberet. Nunc et hac excusatione præcisa, et aucta existimatione, doteque constituta, quanta Regiæ Principi satis esset, obnoxia Regibus procis esse cœpit..... Sed omnium vota et spes Sanciæ votum rejecit. Voverat se a teneris Christo. Pactam ergo se cœlesti sponso declaravit, et procis omnibus nuntium remisit. Frater Alponsus, quæ Regum natura est, cum iis mos haud geritur, ei insistebat, pene cogens ut nuberet. Illa obfirmato animo respondere, citius sibi quodvis vel gravissimum subeundum esse supplicium, quam thalamum ineundum. Ac ne ulla Regi deinceps spes esset, clam ad se Conimbricensi Episcopo accito, consilium ei suum aperuit, ac Cellas cum eo contendit ; quo jam justus Sororum numerus confluxerat : et coram virginitatis voto renovato, reliqua duo paupertatis et obedientiæ emisit ; atque adeo institutum S. Bernardi professa, sacrum de manu ejusdem, depositis crinibus, velum accepit, et palam mundo renuntiavit. Affecit ea res mire audientium animos, aulicorum imprimis : sed nemo factum im-

et spretis nuptiis oblatis

Cellense cœnobium ingreditur.

D probare audebat. Tanta erat Sanciæ apud omnes et existimatio et reverentia. Uni Regi, affectuum impotentiori, durum visum, quod se invito soror fecerat ; verum patienter ferendum, quod retrotrahi non poterat. Illa sui voti compos, Deo ex integro vacare cœpit. Nacta socias, indole pias, statu virgines, conditione subjectas, eas ad suum, hoc est, pietatis ingenium, fingere perrexit. Cedebant illæ, et quamcumque vellet formam virtutis imprimere, eam exprimebant. Numero triginta Sorores erant, sed in unum caritas redegerat : ordinis tantum et officii diversitas erat. Hæc ad obedientiam relata, quod non possit sine graduum et munerum differentiis administratio rerum consistere. Sanciam nihil a reliquis, præter regii sanguinis quæ in vultu extabant notas, invitam atque eminere negantem, distinguebat. Proposuit sibi regulam ex amussi servare, eamque Sororibus rite observandam, quemadmodum vovissent, ad institutas vitæ rationes præscribere. Hoc esse capitale docebat ; hanc esse ad religiosam perfectionem satis : verum eo illa sibi minime satis faciebat, assueta in aula exercitationibus, si minus perfectis, certe asperioribus. Harum quæ clam ceteris fieri poterant, eas retinuit ; quæ foras emanabant, iis ne communis vitæ tenorem interrumperet,

ubi 30 Virginibus exemplo præit,

E prudenter abstinuit. Itaque de quotidianis et severis quibus se afflictabat flagellationibus, quæ suo se prodebant strepitu, detraxit ; funes et thoraces setosos, quibus se arcte cingebat, quod res erat occulta, servavit. Consulto utrumque : cavit enim ne exemplo suo videretur aliis aut asperiora præscribere, aut infirmitatem exprobrare.

ad obedientiam,

40 Furari solebat nocturnæ quieti horas non paucas, easque meditando consumebat, quando conticinium noctis, silentium linguis, locis infrequentiam afferebat, ut pii facti suspicionem oppimeret. Orabat autem tacite, nullo gemitu suspiriove emisso ; ad se collecta meditabatur, ut qui videret orantem, sensus expertem putaret. Bis quotidie in se solita inquirere, semel ante prandium, iterum ante cubitum, et rationes animæ secum putare ; si quid recte factum, Deo assignare; si quid secus, imputare sibi et punire ; et in diem posterum seponere ac præcavere. Liberas a sacris exercitationibus horas domesticis occupationibus impendere : Nusquam animum a custodia sensuum remittere : observare se semper, ne quid, quoad ejus fieri posset, minus aut decorum obreperet : sibi a se, tamquam hoste insidioso, timere. Consueverat abjecta et vilia propriaque servarum ministeria obire, mense accumbentibus afferre cibos , reliquias colligere, ac in

exercitiaque pietatis

F suum locum deportare. In culina frequens erat : ligna ad focum adhibere, aquam ad eluendas ollas caldaria afferre , patinas et omne lancium genus propriis manibus abluere et extergere ; sæpe scopis humum verrere. Hæc interdum solitaria, interdum cum Sororibus una exercere, mira hilaritate ; ut quantam ex eo caperet voluptatem , significaret. Apud infirmas invigilare, præsto esse, omnibus subvenire, remedia excogitare , præscripta medicamenta adhibere , nihil quod usui ad salutem esset prætermittere, nihil in eo ministerio abjecti sordidive muneris recusare. Nec vero hæc majora dicendo fiunt. Summa , ex historiarum monumentis deprompta fide narrantur. Et quidem demissio, et abjectio sui propria Sanciæ virtus fuisse fertur : quæ eo erat mirabilior, quo demittentis se personæ altior erat conditio. Has virtutes admirari reliquæ Moniales et observare, ad easque imitandas sese omni studio, et contentione conferre : ac quoniam difficile erat omnes consequi, singulæ sibi singulas, uti cuique quæque placebat , proponere et conari imitando exprimere. Qui socias videret sedulo ac diligente

et humilitatis

diligenter virtutes Sanciæ observare, et ad se notando colligere; existimaret Sanciam pratum esse, Socias apes, quæ flosculos aucuparentur et carperent, ut in suis cellis ex iis favos fingerent, et mel conficerent.

CAPUT VII.

Teresiæ acta Lorvanii, excursus ad confinia causa filiarum.

Similibus sorori exercitiis intenta Teresia,

Quod de citharis ferunt, cum intentis ad numerum nervis, et ad reddendum sonitum accommodatis, ex adverso locantur; pulsatis unius fidibus, ei alteram nullo excitatum tactu, ad fidem respondere, et justum redditis sonis concentum efficere; id certe duabus hisce Sororibus, similem in diversis monasteriis vitam religiose agentibus accidisse compertum est. Nam unius vitæ ad instituti normas attemperatæ, sic altera ex adverso respondebat, ut parem virtutum concentum redderet, ac utrimque mira quadam et apta morum harmonia existeret. Et quidem una certius et vehementius excitabat alteram, quod ambarum cœlestis fidicen interiori et arcano pulsu corda tangebat. Ac quo major esset concordia, ipse inter se scribere, et quo quæque modo in virtutis studio proficeret, datis acceptisque litteris, altera alteram edocere: cumque ingenio et indole, non minus quam sanguine conjunctæ essent; et studia sua in unum, religiosæ nimirum observantiæ, iisdem rationibus, iisdem præceptoribus finem contulissent; tanta erat similitudo morum, ut cum sorores natura essent, virtute gemellæ viderentur. Itaque narrando exercitationes sacras Teresiæ, non in re quidem, sed in verbis discrimen erit. Faciam quod pictores solent, cum ejusdem imaginem personæ diverso tempore ac statu pingunt. Mutant vestes situsque, non lineamenta, formantque vultus coloresve nativos. Dedita inprimis Teresia fuit studiis rerum divinarum, statum Horarum pensum sacrarum rite persolvere, consuetis meditationibus et precibus solenne tempus impendere; aliquot præterea horas de communi cura præcidere, et in privatæ orationis usum convertere. Tam alte in hanc, intrabat, ut vix ulla unquam cogitatio foras emanaret: quod si qua effugeret, statim eo unde resilierat, reducebat. Revocare sæpe ad calculos animum, et rationem facti infectique, conscientia excussa, sibimet reddere: sensuum custodiam intendere, et evagationibus exitus mentis præcludere; affectiones et perturbationes animi sedare, apparentiam cibi inedia frangere; inter Sorores cum diligentibus sedulitate, cum officiosis obsequio, cum morigeris obedientia certabat.

paupertati studet,

42 Paupertatis observantissima extitit. Dum rem conventus curavit, nummos e reditibus collectos ad seque perlatos, nunquam propria manu accepit, ceu eo tactu contaminaretur; sed sorori, quam rationibus pecuniariis præfecerat, tradi jubebat: postea ne cogitare quidem de reditibus voluit. Atque ut paupertati comitem obedientiam adjungeret, alieno arbitratu vivere decrevit; seque non modo copiis, sed propriis etiam affectibus spoliare. Virginem magno natu, multis præditam virtutibus, Abbatissam designavit; et Sororibus sui loco futuram, eligendam proposuit; et omnium calculis approbatam creavit: eam conventui ex integro præfecit, facta eidem administrandi omnia potestate. Huic se primum voluntate, deinde officio subjecit; privata deinceps futura, in vulgus transiit Monialium: eo se ab omni commercio abstraxit. Si qui ad eam principes viri, visendi et salutandi gratia, veniebant; sic eos excipere solebat, ut gravate se colloquiis

et Abbatissa pro se constituta,

daret, et citra contemptum significaret fastidium. Quo ii deprehenso, sponte, haud magna interposita mora, discedebant. Si quos aut publicum negotium, aut privata necessitas adduxisset; eos attente ac benevole audiebat, ac ita præcise respondebat, ut occasionem adimeret quidquam aliunde ad confabulandum accersendi: quod si res cito transigi non poterat, ad Abbatissam remittebat. Sic externa horis subcisivis, domestica integris tractabat. Vitæ communis rationi se accommodabat: cum aliis in choro precari, in triclinio vesci, in gynæceo acu pingere, in dormitorio quiescere in loco ad correctionem (Capitulum vocant) emendationem subire; ad cruciatum corporis flagellari, ad laxamentum animi recreari; nemini importuna vel gravis, omnibus affabilis comisque, humanitatem præ se ferre: quæ quamquam vulgaris virtus videatur, in Regiis tamen personis habetur non vulgaris: Nulla certe in vulgus exit gratia plausuque majori.

A FRANC. MACEDO solitudinem amat,

vitamque communem.

43 Dabit veniam Lector, quod, ne interrumperem gesta Sanciæ, Caput hoc, loco movi. Hæc enim ante ingressum in Cellas Sanciæ contigerunt; sed nexum malui servare rerum, quam seriem temporum. Alphonsus Rex Legionensis tres e Teresia nostra sustulerat liberos Alphonsum [*imo Ferdinandum ut patet ex Sancii Regis testamento num.* 14] Sanciam et Dulciam. Ea vero, damnatis incestis nuptiis, dimissa, secundas cum Berengaria eodem vitio infectas contraxit......ex hac alios suscepit, ac in iis Ferdinandum [*alterum, priori jam mortuo*], ad quem cum materno jure Castellæ regnum [*devenisset quod sibi tamquam masculini sexus privilegio, potius quam Berengariæ deberi censebat; cum frustra conatus esset filium regno depellere, aut saltem iis castris, quæ olim jure Belli adempta regno Legionensi, ac Berengariæ in dotem data, ex pactis conventis nato ex ea filio manere debebant*] semper filio illi parum æquus ac sæpe infestus pater Alphonsus; odio etiam Castellanorum, quos nolebat Legionensibus dominari, Regnum Legionense penes filias Sanciam, et Dulciam testamento reliquit. Sed mortuo patre, qui amori erga filias plus æquo dederat, filius jus suum [*haud quaquam dubium, cum sexu valeret eique ut heredi pridem se obstrinxissent Status regni; possessionem civitatis regiæ sine mora iniit, materna suffultus diligentia et Episcoporum favore. Erant tamen Castrorum nonnullorum Præfecti, qui ipsa pro filiabus testamento paterno prælatis tenere obstinaverant animum, spe Lusitanici auxilii a Rege patruo Principissis venturi. Causabantur etiam*] videri æquius regna dividi, quam uni conferri. Obrutum iri tanta mole rerum juvenem, minus et gratum, et expertum rerum publicarum. Melius administrari, quæ separata cum suo justo capite Regna consistunt. Satis esse Ferdinando regnum Castellæ, cui par esset futurus: duo regere non posse, nec duo ab eo uno regi velle. Utrum, si jungantur, alteri præstiturum? Discerptum iri in partes ambo, uno ad se priores trahente, altero repugnante. Commoveri et tumultuari populus, et ad armas res spectare.

Alphonsus Legion. filio Castellæ Regi infensus,

heredes, filias ex Teresia, frustra scribit:

44 Berengariæ ad pacificandum satis non erat, et suspectam causæ maternus amor fecerat. Igitur ad Teresiam curæ et spes versæ. Illam quæ regno et aulæ renuntiaverat, et delicias et opes contempserat, ad dirimendas eas quæ ab ambitione eruperant lites idoneam esse. Quæ vacabat Deo Divinisque, humanis eam affectibus haud fore obnoxiam; mentem assuetam contemplationi cœlestium, videre purius et subtilius inspicere quid Deo sit placitum. Persua erant sibi omnes ab una illa negotium transigendum: verum exanimabat absentia et professio, quæ vetebat coram adesse Teresiam. Tentandum tamen rata Berengaria, litteras ad eam per certos homines

ad hos cum fratre pacificandum evocata mater,

A Franc. Macedo.

homines misit : et alias subinde ad Regem Alphonsum Lusitaniæ, cum precibus ; ut si Teresia de profectione dubitaret, ad iter ipse compelleret. Has illa cum legisset, magnopere est commota, quod videbat conscientiæ et officii esse communis, Reipublicæ causa privatam quietem et contemplationem relinquere. Sed oportebat rem mature perpendere. Voluit de statu rerum tabellarios (nam id quoque litteræ continebant) qui honesti homines erant, audire : compertis, quæ instabant, consulto animi sui arbitro et superiori, ac ex illorum consilio deliberato egressu, cum de suo consilio certiorem facere Regem vellet, et ab eo facultatem impetrare ; is tempore illam prævenit, scriptis ad eamdem litteris cum mandatis, ut negotium haud cunctanter susciperet. Itaque jam parere necesse erat : quod ei gratissimum accidit, ut honestius exiret.

acquiescit oblata iis dote :

Idoneo comitatu iter aggressa, ad locum quo Berengaria Regina condixerat, recta contendit Ibi flos civium cum Regina et Regiis liberis erat. Honorifice accepta, tamquam pacificatrix, quæ finem tot malis, quæ timore præceperant, esset allatura.... [*Neque vana spes fuit : congruam enim dotem Principibus filiabus a Berengaria ac Ferdinando impetrasse contenta, restitui fecit, quæ filiarum nomine tenebantur castra, et possidenti regnum dimisit. Extat apud Brandanum, lib.* 14 *cap.* 12, Gregorii Papæ IX *Breve*, datum Reate XXV Decembris MCCXXXI *inscriptum* dilectis filiabus et nobilibus mulieribus, Sanciæ et Dulciæ, filiabus carissimæ in Christo filiæ Reginæ Donnæ Tarasiæ *quo ad ipsarum petitionem, Apostolica Auctoritate confirmatur compositio facta inter ipsas et illustrem Regem Castellæ ac Legionis*].....

et Lorvanum regressa.

45 Pace foris parta, bellum domi sibi indixit. Primum proposuit, numquam deinceps a monasterii claustris exire, stataria secum ipsa pugna decertatura. Molle ac tenerum corpus duriter accipere multo ante jam cœperat, quod sciret, hunc hostem domesticum, si blande tractetur, rebellionem movere ; unus ille indulgentia ferox fit ; insidioso mari similis, quod cum per malaciam jacet, tempestatem machinatur. Ergo flagris se cedere ; et quasi manus torperet propria, utebatur aliena quam urgebat imperio, ne impetum feriendi remitteret, Pias Sociarum manus præcepto asperabat ; immorigeras vocans, quæ sanguini parcerent ; morigeras, quæ elicerent. Persuasit delinquere eas, ni sævirent : crudelitatem in religionem vertit. Hac arte efficiebat, ut copiosus sanguis efflueret, et ipsam destituerent vires, et inter manus cædentium laberetur : nec ante erat cessatio, nempe deliquio sensum extinguente. Hæc pœna quamquam gravis, minus ei tamen satisfaciebat, quod necesse erat interrumpi. Igitur perpetuam excogitavit inducto cilicio, setis hirsuto, tactu aspero, visu horrido, cui ita corpus assuefecit, ut hæreret, et in partem corporis transiret ; itaque illud numerabat in membris.

macerando corpori singula per intendit.

Temporum vices ad cruciatum accommodabat: vere, æstu diffluebat; hyeme, rigebat algore. Siti et fame se macerabat, inedia se juxta et cibo torquebat. Dapes insipidas amabat : si quæ sapiebant, eas miscebat amaro succo, et interdum cinere pro sale aspergebat : idque putabat conditius, quod mortis memoriam sapiebat. Somnus brevis ac intercisus ; mens quippe assueta meditationibus interpellabat dormientem ; nec corpus iners jacebat, quod strati durities reddebat inquietum ; itaque non tam oculos permittebat somno, quam somnus oculis obrepebat ; ut dormire furti instar esset, quod somnum illa velut latrocinium deprehendebat, et a se excutiebat, et vigilia castigabat. Illa insignis cruciatio fuit. Singulis feriis sextis, peractis a sacerdote rebus divinis redibat in cellam : tum obserato ostio, intus se abdere, et ingeniculata terræ oscula infigere, et cor in lacrymas dilutum per oculos effundere, et percusso pectore, peccatricem sese reamque fateri ; et Crucifixi effigiem manibus apprehendere, amplexu stringere, plagas osculari, ceu ex iis sanguinem vellet elicere, quo suarum (ut aiebat) sordes culparum ablueret ; ac in eo statu diu permanere immobilis et immortuæ similis ; (nec a mortua nisi suspiriis, quæ inter singultus emittebat, discerneres), eam denique diem solidam sine cibo traducere, et omni genere cruciatuum exercere.

Sibi sepulcrum struit.

46 Reliquum vitæ commentatio mortis fuit. Exinde quippe cœpit, quasi cito moritura, vitam ducere ; sejuncta et semota ab aliis, in se colligi, et in arcana æternitatis abdi. Ac quo id majore cum pietatis sensu efficeret, jussit aperiri sibi sepulturam, loco idoneo ad Aram Divæ Virginis a Rosario, et dum lapis (nam vulgarem eam esse voluit) in operculum parabatur, ingressa fossam, vivum corpus eo infossum morti oppignerabat : ac ut mortalis conditionis memorem se probaret, a die proximo quam est clausa, supra lapidem ingeniculabatur quotidie, seque morti devovebat : ac ut sibi præire, funereum cantum, preces illas solemnes, quæ cani pro Defunctis in Ecclesia solent, privata recitabat, intermistis lacrymis quæ ubertim manabant, et fontem in saxo inesse testabatur. Sacrarum precationum studiosissimam fuisse constat. Antevertere socias, cum ad Horas solennes eundum ; manere post eas, cum exeundum : prima accedere, novissima recedere : sæpe sola in Choro manere, ac diu perseverare, idque solita facere post ultimam Horam quæ complet ceteras, et sub occasum Solis persolvitur. Ab ea sæpe usque ad Matutinas meditando durare, ut non satis esset prævenire venientes, nisi expectaret redeuntes.

frequenti orationi vacat,

Quod mirandum esset, si minus ea cœlestium rerum dulcedine tangeretur : sed cum tot abundaret solatiis, et tanto immortalium deliciarum gustu afficeretur, mirum id minime videri debet. Verum cum ille sensus divinæ gratiæ altius penetraret in mentem, oportebat eam mortales curas cogitationesque abjicere, et eo niti corpore, quo evehebatur animus.

sub qua sæpe visa cælitus illustrari,

47 Visa est sæpe orans ferri sursum, et flexis genibus in aere suspensa consistere, et perseverare immobilis, specie quam pro humano habitu augustiore. Interdum splendere vultus, et solis imaginem, radiis in orbem coeuntibus, et exinde foras projectis, formare : unde lux tanta existebat, ut domi peregrinare sol ipse avulsus e cœlo videretur. Idque non semel sociæ, eo splendore feliciter delusæ observarunt. Quod cum ex earum concursu, Teresia sibi reddita cognosceret, abstinuit ab ea publica oratione ; et in suum se includens cubiculum, noctem sibi indixit. Ibi lumen illud abscondit ; sed non minus fulsit et claruit apud omnes luminibus extinctis, quam antea accensis. Meditationi sermo respondebat : ardebant verba, ceu faculæ admotæ auribus audientium ; inspirabat amorem cœlestium, eoque facilius quod æstuabat. Id mirum, quod in edito perfectionis posita, tam inde facile se demitteret, et indignam communi luce putaret, et gravissimarum ream culparum diceret ; idque lacrymis proderet, quæ aliis pudorem afferebant, causas dolendi proprias cum illius causa conferentibus.

et frequentat Sacramenta.

Ad hæc ad eluendas modis omnibus maculas animi, hortari Sorores, ut scrutarentur latebras et recessus mentis ; inventas, dolore obruerent ; obrutas, Sacerdoti proderent ; Sacrosanctæ Eucharistiæ remedio adversus importuni hostis tentationes uterentur. Hinc ad externa obeunda caritatis officia, infirmis assidere, cibos propria manu porrigere, nauseantibus et moribundis etiam in os inferre ; interdum cum iis una

A una edere et potare, ut appetentiam eliceret : desperatas monere periculi, certas moriendi confirmare, sacris præsidiis munire curare, animam agentibus adesse ; suavissima nomina inclamare : et in illo extremo, in quo animi salus disceptat, articulo, omni ope juvare ; nec discedere donec mortem obirent.

CAPUT VIII.

Sanciæ obitus, sepultura, translatio ad monasterium Lorvaniense.

Sancia, spiritu prophetico monialibus venerabilis,

Mens Sanciæ assiduis dedita contemplationibus, subtilius rimari arcana, eventa in causarum sinubus latentia dispicere, eo illustrata lumine quod ex æterni fontis luce hauriebat. Penetrabat animos alienos, abstrusa eorum sensa norat, et quoad per divinam licebat providentiam manifestabat. Sororibus sæpe quæ cogitaret, quæque agitarent, de iis tempore monebat : quasdam, quæ recta sibi proposuerant, accendebat; quasdam quæ secus, detinebat : mirantibus cunctis, quomodo hæc illi, quæ apud se formarant ac nemini prodiderant, nota et perspecta B essent. Erant nonnullæ, quæ interdum gravate ad eam adirent; quod timerent, ne si quid minus decorum in mentem venisset, illa cognosceret et objiceret. Verum hoc erat, sed nulli ea unquam exprobravit, nec ex eo convitium fecit. Tantum ex illo dono Dei assumere, quantum satis erat ad eas in officio suaviter continendas. Eo certe timore profecit, ut nulla auderet secus aut optare aut agere, quam oportet, anxia ne deprehenderetur. Hoc lumine perfusam mentem suam in experta est præsentiens mortem, quam sibi imminere novit. Hoc penitus perspecto ad mortem se accinxit : et in extremo illo vitæ actu sanctiorem egit personam. Precari diutius, meditari profundius, contemplari altius, durius se habere, intendere acrius custodiam sensuum, motus animi diligentius observare, affetiones attentius examinare, conscientiæ recessus accuratius explorare, maculas studiosius inquirere, dolentius apud Sacerdotem deponere, lacrymari copiosius; hortari Sorores ad virtutem et sæpius et vehementius, et quæcumque officii sui erant exactius obire. Huic curæ intentam morbus corripuit. Initio levis visus; sed paulo post insidiosus apparuit; quod lenta febris se insinuabat in venas, et sensim ægram animi absumebat. Hunc morbum Sancia libenter accepit, patienter tulit, et loco beneficii C duxit; quod sperabat eo se ab hac mortali miseraque vita liberatum iri. Jacebat affecto corpore, alacri animo, vultu hilari. Mœror et solicitudo ad Sorores transierat, vicem dolentes suam, si ac, quam appellabant matrem, decederet. Hæc solari illas et confirmare, et lenibus verbis abstergere mœstitiam. Non esse de morte dolendum, quæ commune debitum suo interventu solvit; præire, se sequentes non deserere : meliorem sui partem superstitem ac memorem fore : profuturam se iis magis, cum videri desineret; minus procul abfuturam, cum prope Deum futura erat.

morbo extremo corripitur:

49 Ac, ut hujusce erga Sorores fidei et amoris pignora relinqueret, tria patravit insignia erga totidem socias ægrotantes opera, quibus Deus testatam Sanciæ virtutem facere voluit. Sororum uni cancer lævam prope mammam exederat, qui paulatim serpens penetrabat se in vitalia : jamque mors erat in viseribus, abjecta prorsus spe vitæ, ad Sanciam ex morbo decumbentem Sororum deportata manibus, salutandi gratia venit. Eam benevole, re intellecta, Sancia excipiens; an bene haberet, rogavit. Cui cum illa responderet, tamquam brevi peritura; Regina bono animo esto : Deus meliora,

curat laborantes, cancro,

inquit. Deinde : Propius accede, subjunxit; Detege D ulcus. Tum aspexit detectum, et molli manu tetigit; mox impressa Cruce dimisit : exinde melius habere cœpit. Postea cancer abscessit, et mamma alteri similis extitit. Alteram, cui mittendi sanguinis causa incisa fuerat altius vena, et arteria puncta, graviter periclitantem et male brachium sustinentem, quod fascia obvolutum gerebat; hoc habitu ad se accedentem, sui capitis amiculo donavit; et abeuntem hortata est, ut illud brachio implicaret. Simul ac fecit, derepente coiit hiatus intimus, et cutis obductæ scissuram sustulit; leve apparuit deinceps brachium, et constitit. Tertia, dolore dentium acerrimo torquebatur; et, quod erat adolescentula, impatientius agebat, coacta ob id publico abstinere, et commune pensum officiumque deserere, inedia et vigiliis consumi, ac prope mente emoveri. Tenera ætas movebat sorores ad commiserationem, ac imprimis Sanciam tunc ægrotantem. Accir. eam jubet ardentem dolore, arcto excipit amplexu, et genam applicat genæ. Eo tactu obstupuere dentes, et amisso sensu doloris quievit, et cum reliquis sororibus ad officium et pensum rediit. Hæc ante mortem præ stitit, cum jam afflaretur æternitate. * Desperata E demum salute, Sancia, post sumptum sacrum ad extremum illud iter Viaticum, et salutari Oleo ad supremam luctam uncta, cum jam mors immineret, moneri de eo Teresiam oportuit. In vicino erat : nec longa mora. Bene mane missus nuntius; sed noctem Teresia cum paucis adfuit. In cubiculum sororis inducta, consumptam quidem morbo, sed integris adhuc sensibus sui compotem invenit. Peramanter inter se cum salutassent, sedit prope lectum Teresia; Et Si qua mors, inquit, lege teneretur, non tu me Sancia natu minor majorem antecederes; sed, quod erat justum, sequereris. Verum cum ea effectus sit et pœna culpæ, quæ contemptus est legis, non potuit non exlex esse; nisi sponsi Christi erga te amor citius te liberare voluit hujus vitæ miseriis, et ad Paradisum transferre, ubi Agnum illum inter Virgines, quocumque volet ire, comitabere. Hoc propius vero duxerim. Virtutis in te habita est ratio, non ætatis : hæc acerba, illa matura. Tibi haud grave erit a mundo separari, quæ ei nunquam adhæsisti, et corpus ergastulum putasti : nec iter ignoras, quod mente agitando confeceras, et meditatione signaveras. Cito evolabis, quam nulla voluptatum vincula tenuerunt; nobisque ad te sequendam impressa vestigia per exempla relinquis. Quem præ manibus crucifixum habes Christum, is F tibi dux viæ, et auctor salutis erit. Lacteam semitam quam inibis, ejus sanguine distinctam invenies. Huic tu acceptum referre debes quidquid pie cogitasti, quidquid recte egisti, et quidquid non deliquisti. Nisi ille te sanguis ablueret, tu munda non fores. Corpus illud cruci affixum tuam liberavit animam. Hæ te plagæ sanarunt : illa te nuditas vestivit : illa paupertas ditavit. Huic te commenda; huic te crede; hunc sponsum, et sponsorem salutis habes.

a Franc. Macedo. læsa male vena, et odontalgia: invisit moribundam Teresia, animatque ad exitum

50 Ad hæc Sancia hilaris, uti potuit, breviter respondit : Nam quid ego tibi, Teresia, superstes essem, quæ tanto me superior es virtutibus? Non est attendendum utra sit junior, sed utra sit utilior. Antecedo ego, in qua minor fit jactura : tu manes, quæ et per te prodesse, et si quid ego proficerem, supplere possis. Has igitur meas tibi commendo Sorores. Tuæ sunt servæ : illarum curam suscipe, et in tuis numera. Ceterum solatia quæ mihi suavissimis verbis præbes, mire ad pietatis sensum afficiunt, et spei implent decedentem hanc peccatricem. Hic eam liquit animus, et cœpit deficere. Tum Teresia, applicato ad moribundæ pectora Crucifixo; Amplectere

O it illa dicto vale,

A Amplectere, inquit, quem amasti; suaviare os cœleste, pro te felle imbutum: has spinas pectori infige, in rosas immortales erupturas. Animam collige, ut in hoc latus, hians vulnere, cum expiraris, infundas. Dum hæc diceret Teresia, ceteræ sorores solitis Deo precibus animam commendabant. Sancia jam singultibus mortem vicinam testabatur: et inclamante altius Teresia sanctissima Jesu et Mariæ nomina; cum Chorus ceterarum virginum illa verba Litaniæ solennis recitaret; Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercedite pro ea; placidissime efflavit animam, III Idus Aprilis, Æra MCCLXVII, id est anno MCCXXIX, hora diei tertia. Id observatum, eumdem retinuisse vigorem in vultu post mortem, quem antea in vita tenuerat, ut nihil in eo corpore præter animam deesset, imo videretur ex animæ beatæ hospitio (uti par est credere) excellens illa species emanare. Hujus gloriæ justum et idoneum testimonium dedit S. Ægidius, qui tum in Lusitania vivebat, Ordinis Prædicatorum eximium decus; cui, eo ipso quo mortua Sancia est momento in Ecclesia oranti, per speciem videndam luce cœlesti circumfusam se obtulit, quanta et qualis ad Superos ibat; B confessa Sanciam esse, quæ prima Dominicanos Fratres in Lusitania excepisset. Qua ille visione recreatus, magnum orationis suæ fructum cepit: eique beatitatem gratulatus, ut sui apud Deum memor esse vellet, enixe rogavit. Cui illa se facturam, quod optabat, esse recepit: et adhortata est, ut pergeret animum suum, virtutibus; proximorum, doctrinis excolere; Hoc ille postea narrans, testatiorem Sanciæ sanctitatem posteris reliquit.

A FRANC. MACEDO

an. 1229 11 Apr.

seque B. Ægidio spectandam dat,

51 [*Obiit autem sanctis adscriptus,* XV *Maji anno* MCCLXV, XXXVI *annis post Sanciam adeoque brevi secuturam prædixisse non potuit, uti per ignorantiam temporum in verbis hic deletis promittitur; res aut in ipsa sic narratur in Vita, per Andream Resendium ante sesquisæculum scripta (antiquius, enim textus quem ille expolivit, hactenus frustra desideratur.*] Filiam habuit Rex Sancius, Sanciam nomine, non minus ceteris virtutibus, quam devota Christo virginitate illustrem: cujus, etsi vitæ sanctitas et innocentia erat percelebris, ea tamen modestia ac prope animi demissione fuit, ut si quos religio et virtus commendaret, eos non tantum miro affectu coleret ut pios, diligeret ut patres, sed etiam susciperet ut a Christo missos, suspiceret et veneraretur ut Dominos. Talem se exhibuerat erga beatos illos, sanctissimi C Patris Francisci discipulos, qui postea in Africa Martyres effecti sunt, talem se etiam Ægidio nostro præbebat, cui tantum semper honorem habuit, ut non modo venienti assurgeret verum etiam positis genibus suppliciter illi procumberet, addens protinus; Bene precare mihi, Pater: benedic mihi, Pater: ora Deum pro me, Pater. Hæc posteaquam ad cœlestis Sponsi nuptias ex hac vita migravit, quasi cum Ægidio certare adhuc vellet beneficiis, leviter dormitanti, needum sopito, apparuit; et in amplexum descendit ad ipsius jam præsentiam vigilantis. Turbatus aliquantulum a principio est Ægidius; sed mox ut illam agnovit; Ecquid, ait, o Sancia, rectene vales? Ego vero, inquit illa, Christi gratia et precationibus tuis, o amice, rectissime valeo. Pax tibi: et faciem illius osculata discessit. Tantam vim habuit virginalis congressus ille, et allocutio hæc feminæ jam factæ immortalis, ut motum omnem rebellantis carnis non jam in mente, unde etiam olim affectus is exulabat, sed ne vel leviter quidem in corpore, multo postea tempore senserit Ægidius: quemadmodum ipsemet secreto retulit Fr. Bartholomæo socio suo, viro religioso et fide digno, qui hoc post ejus obitum enarravit.]

... cujus hæc ...a dicitur,

..., si stimulos carnis osculo abstulisse.

52 Eximia illa et mirabilis pulcritudo excitavit Teresiam ad sacrum illud corpus secum deducendum, cui beatitas deberi videbatur. Igitur egredi omnes e cubiculo Sorores cum Abbatissa jussit, et in chorum secedere: et, reddito Horarum penso, pastum (mane quippe Sancia decesserat) ad triclinium ire, quasi eo tempore vellet propriis manibus funereo habitu Sororem induere, et in feretrum imponere, et ad sepulturam comparare. Nemini veniebat in mentem ea die efferendam; quare nullus de pio furto suspicandi locus fuit. Aliud agitabat Teresia: ac ipsum latrocinium studio pietatis cogitabat. Re cum suis sociis communicata, comparata ex ante lectica, tam diu auferre distulit, dum Moniales ad reficiendas solito cibo vires, omnes, quod ipsum fieri jusserat, concesserunt. Inter edendum educi silentio e cubiculo corpus, uti erat ad funus accommodatum, sed stragulo opertum propter circumstantes ad portam externos, foras imperat, et in lecticam inferri, tanta celeritate et fide, ut ne ostiariæ quidem senserint. Præmissum corpus ipsa est secuta cum comitibus, portis monasterii clausis ad speciem relictis. Pastæ Moniales postquam in choro, uti fit, gratias Deo egerunt, studio visendi corporis ad cubiculum Sanciæ redierunt: ac impulsis foribus, stratum in quo positum corpus erat vacuum videntes, attonitæ primum rei novitate: mox perculsæ dolore, ingentem ejulatum cum gemitu ediderunt; imprimis Abbatissa, cujus erat curandi et servandi corporis officium præstare. Cumque solitaria omnia invenissent, ac Reginam cum suis abiisse; intellexerunt eam Sanciæ corpus secum abstulisse: idque agrestes quidam, in quos ea cum suo comitatu inciderat, plorantibus, ac ad ostium de re quærentibus, nuntiarunt. Tum omnia luctu lamentisque misceri, alte ingemere, queri; non tam de fraude, quam excusabat pietas et amor sororius; quam de sua nimia vel fidentia vel negligentia. Sibi imputandum, quod illo dulci et caro pignore carerent, cum ipsæ tam male custodissent. Non debuisse ab loco recedere: saltem vigilare debuisse, ne imprudentibus corpus auferretur: simplicitatis se suæ meritas pœnas dare. Sensit Abbatissa iis se querelis pungi, ceu ansam sua negligentia furto dedisset: Ut se purgaret, easque solaretur et pacaret, opponere. Reginæ se Teresiæ jubenti paruisse: potuissene se, volenti sororis cadaver exuere, abluere, ungere, vestire, ad feretrum accommodare, ullo modo resistere? Sororio illam et Regio jure egisse; nec suspicandum, deinceps esse acturam, quod nemini in mentem venisset. Atque ut suspicio ea de re esset, qui posset, volenti auferre corpus, obsisti? Quod pace ac silentio fecit: id autoritate, imperio, ac vi si opus esset, effecturam. An liceret ei repugnare quemquam? Matrem omnium et Dominam Teresiam esse; Sanciam, et minorem et privatam, ei, si viveret, obtemperare debuisse. Sæpe in illam vivam potestatem exercuisse, cur eamdem non in mortuam exercere potuisset? Circa Sanciam post mortem factum, quod in vita fieri licuisset gratificandum Teresiæ, quod clam omnibus subduxisset, quod palam et coram potuisset auferre. Manere apud se spolia monimenta Sanciæ, quod satis essent ad solatium; nec enim memoriam iis adminiculis seu stimulis indigere. Quod ad se attineret, altius in animum descendisse Sanciæ imaginem, et ibi firmius hærere, quam ut ulla, vel longissima distantia posset deleri. Nec multum curandam esse præsentiam corporis; quod caducum esset et mortale; animæ, quæ sempiterna est, rationem esse habendam. Videri hanc perpetuo oculis mentis, nec unquam abesse a contemplantibus virtutes eas quibus abundavit, quarum tot expressas apud se illustribus exemplis imagines reliquisset. His et aliis hujusmodi

D *Corpus manu sua componit Teresia,*

et secum clam aufert:

E

frustra dolentibus jacturam Cellensibus;

F

modi Abbatissa, Sororum quibus præerat, lacrymas conabatur abstergere.

atque Lovanii sepelit:

53 Interim Regina Teresia caro cum pignore Lovanium petebat. Quo cum pervenisset, extrahi corpus e lectica jussit, et concursu Monialium (quas certiores de re tota per nuntios fecerat) supplicationis in modum facto, ad interiora templi prope sacrarium deferri; ibique palam exponi, ut ab omnibus, etiam externis eo confluentibus conspici posset, imperavit. Ibi ei ritu christiano et monastico justa persoluta : quibus peractis, in illud, quod sibi antea paraverat Teresia, sepulcrum, deductum est, atque Sororis et Abbatissæ, ac principum Monialium manibus conditum fuit, lacrymantibus cunctis misto cum lætitia mœrore; dolentibus de jactura vivæ, lætantibus de posessione mortuæ; quod scirent quanti esset pretii ille thesaurus, qui terra obrutus emicabat in superos spe beatitatis. Vivere pios in superis manes, ibique gloria frui, testantur interdum lumina ex ea decisa; et in tumulos, ubi jacent corpora, illata; quo, ceu societatem eorum appetant, Dei nutu descendunt. Inest quippe illis ossibus semen quoddam immortalitatis, et cineribus ardor quidam amoris, non suppositus, sed extans, ac in altum tempore erupturus. Hoc signo voluit supremum illud Numen, Sanciæ apud se viventis gloriam prodere. Haud multo post ejus sepulturam, quædam Moniales, contemplationi rerum cœlestium deditæ, dum Horis nocturnis recitatis, abeuntibus ceteris, in Choro vacabant orationi; animadverterunt splendorem eximium in ecclesia existere; qui cum lychnorum et lampadum esse non posset, miro eas modo affecit, et studio videndi excivit. Attente notato loco, conspexerunt tumulum Sanciæ esse, cui lux illa incubabat, et inde sese in ambitum effundebat; nec illius tamen tumuli fines transgrediebatur, quasi ei loco addicta lux esset. Ac primo quidem ambigere (uti sunt feminæ, et timidæ, et credulæ) inter gaudium et timorem, an illa vera lux, an ficta et imaginaria existeret. Optabant veram; sed ex desiderio metuebant fallacem. Aliæ igitur interrogare alias, viderentne splendere locum; plus fidei alienis, quam propriis oculis habere. Cumque omnes confirmassent lucem inesse tumulo, eamque insolitam; cœleste ostentum esse omnino sibi persuaserunt. Erant quæ vellent excitare ceteras, ac imprimis Teresiam, quæ illa nocte casu aberat; sed aliæ obstiterunt, quod æquius ducerent in alium diem differre, quo exploratius ac certius aliquid possent afferre. Cumque proxima nox idem prodigium retulisset; tunc Teresiam, quæ discesserat, et quasdam magno natu Sorores advocarunt; quæ cum propere venissent, eumdem fulgorem conspexere, et miraculum illud esse duce Teresia, quæ omnium sustulit dubitationem, confirmarunt. Et quidem multis noctibus continentibus idem spectaculum tenuit; postea interrupte et certis quibusdam temporibus, ne visio in consuetudinem abiret, et consuetudo admirationem detraheret. Magnum ex eo solatium cepere omnes, quod ille splendor pignus quoddam gloriæ, qua fruebatur Sancia, continebat.

ubi ad tumbam sæpe lux noctu cernitur,

deinde visam existere in choro fatetur Teresia,

54 Accessit aliud mirabilius, quamquam occultius. Nocte illa, quæ S. Bernardi festum diem anniversarium antecedit, cum Moniales pervigiles, ad Horas, quæ media nocte recitari solent, matutinas venissent, et psalmos solennes suis quæque sedilibus inchoassent; vidit Goda Abbatissa prope Teresiam, adstantem Sanciam, habitu indutam monastico, ceu una in choro psallentium de numero esset. Attonita hæsit, et parum abfuit quin exclamaret : sed ad se reversa compressit impetum, et cogitare cœpit, an deberet loco se movere, ac Teresiam precibus intentam adire, ac interrogare an ejusdem visi particeps esset. Intellexit Teresia ex perturbatione Abbatissæ, quid animo agitaret : ac ei nutu significavit, contineret sese, nec rem proderet : scire se quid vellet, et nosse vicinam suo lateri adhærentem. Sic exoluto precum matutinarum penso, dimissis sociis, discessit paulo post Teresia, comitante sorore, donec in certo quodam loco paulisper morata, evanuit; omnia curiose observante Goda : quæ cum subsequi vellet abeuntes, et prope jam esset, vidit solam Teresiam incedentem. Ad quam supplex : Oro te, inquit, per Sanctum P. N. Bernardum, et obtestor : aperias roganti; quæ species illa fuit? quale visum? quid hoc portendit? Et cunctanti; Si apud te, adjecit, mea, quam Matrem et Abbatissam creasti, valet auctoritas, jubeo, nequid me celatam habeas. Ita quod precibus elicere non posset, imperio extorsit. Fassa est Teresia venisse Sanciam e superis, celebratum S. P. Bernardi solennia; ac illa occasione usam prædixisse sibi tempus futuræ mortis, et modum comparandi se sibi ad mortem dictasse. Hanc summam esse : cetera ne pergeret inquirere, quæ effari minime liceret. Sed rursus Goda animosior facta : Quando, inquit, te vinctam auctoritate teneo, hac lege dimittam, si aperias qui sit Sanciæ in alia vita status. Purgatne culparum, si quibus forte nexa erat, pœnas? an fruitur beatitudine inter Cœlites jam purgata? Cui Teresia prorsus morigera; Mater, inquit, Mater, utinam in eo nos statu, in quo est Sancia, ambæ essemus! Quiescit, et gaudet, et Agnum inter Virgines sequitur prorsus beata. Quin scias feliciter mortuam esse, nulla peccati labe pollutam, nec flammæ purgatoriæ obnoxiam, ita recto ad Superos cursu iisse, lustratæ rite ac expiatæ animæ beneficio, et Sacramentorum quæ omnia pie suscepit præsidio. O felicem! O beatam! Tum Goda hilariter; Hac te inquit mercede accepta dimitto. Sic diremptum colloquium.

A Franc. Macedo

et sibi mortem prædixisse

CAPUT IX

Teresiæ extrema vita, miracula, obitus, sepultura.

Mortua sorore incitatior Teresia,

Ex desiderio sororis majores impetus cepit animus Teresiæ, ad currendum in stadio virtutis. Stimulabant ejus, quæ præcurrerat, impressa vestigia : eo currebat alacrius, quo propius metam se constitutam videbat. Ceu locum quoque Sanciæ vacuum implere vellet, duplicabat exercitationes virtutis et una suas et sororis partes obibat : orare ardentius, attentius meditari, precari studiosius, vigilare intentius, cibo rarius uti, somno parcius, rei divinæ interesse religiosius, cruciare corpus acerbius, expiare culpas accuratius, Eucharistiam sumere frequentius, instituti sui rationes observare diligentius ac perfectius. Et quoniam in consideratione mortis multum momenti ad virtutem esse existimabat, ne occupato sepulcro, recordandi occasio auferretur; aliud sibi de novo prope sororis tumulum condi jussit, quod deinceps frequentaret. Itaque duplicavit memoriam mortis, ex alterius, id est sororis obitu, et proprio sui. Tanta erat incitatio spiritus, ut festinare et currere videretur, et tempus tarditatis arguere. Plane illam, quasi unco doloris impacto, ad superos Sancia soror trahebat. Nec eximia illa Teresiæ sanctimonia vacua fructus fuit. Constat ab ea nonnulla hisce extremis temporibus fuisse gesta, supra vires humanas, divina in eam virtute derivata. Solita erat Teresia pauperes, ad monasterium emendicandi victus causa venientes, ad portam opperiri, et de manu iis sua eleemosynam præbere. Accessit semel unus, cui brachium inveterato morbo contractum

mendico brachii usum,

[illegible]

A tractum penitus obtorpuerat, ac inutile ex humero pondus pendebat. Casu eum, dum stipem porrigeret, Regina tetigit : cum subito viguit brachium, et nervis explicatis sensum motumque recepit. Unam e Conventu Sororem crura debilitata ita destituerant, ut jacere semper cogeretur immobilis, et trunco similis. Venit ei in mentem tunicæ cujusdam, quam abs Regina dono acceperat, et apud se usu detritam, sed intactam habebat. Hac se plena fiduciæ vestivit. Vix dum finierat, cum stare se recte, et apte moveri sensit. Alteri continuus pituitæ fluxus ita pectus obstruxerat, ut præcluso prorsus spiritu suffocaretur. Acutos mala, infirmos et miseros faciunt. Remedium excogitavit, et invenit. Nacta parum aquæ in pelubro, in quo Regina laverat manus, avide bibit : potus laxavit respirandi vias, et liberam accipiendi et reddendi aeris potestatem fecit : humor trusit humorem : valuit. Laborabat alia Monialis ulcere quodam, ex pure in pectore concreto, et in concavum reducto sinum ; quod paulatim crescens sese diffundebat in vicina ingenti cum dolore, ac periculo : nec curari poterat, quod non extabat. Mire afflictam et miserabiliter afflictantem sese, Regina invisit ; et solicita vicem

alteri crurum reddit,

et ulcus pectorale sanat :

B dolentis, tenerrime eam salutans, arcto amplexu strinxit. Ea specie amantis commota Monialis, ingemuit ; et cum gemitu latens virus evomuit, ulcere prorsus disrupto, et malum evanuit : illa jucunde postea et hilariter vixit.

56 Fama erat constans, quicumque febri tertiana laborabant, eos si aut aquam qua Teresia manus abluerat, aut quæ ei ex potu reliqua fuerat, potasset : aut vestem quam illa portarat, tetigissent ; ab ea continuo liberari. Is rumor cum serperet, ac in famam erumpens per totum regnum pervagaretur ; excivit e diversis oppidis multos, qui cum sani redirent, fidem rei fecerunt, et excitarunt, adeo ut nemo ferme esset qui non optaret aliquid, quod illa prægustasset vel tetigisset habere, quasi præsens contra febres remedium, idque modis omnibus procuraret. Verum cum rem illa subodoraretur, increpitis sociis, quæ res illas subtrahebant et submittebant, severe edixit, ne quid deinceps simile auderent : se miseram feminam et sceleratam esse, ac indignam quam terra sustineret. Hac demissione animi et humanæ gloriæ contemptione, meruit majora patrare. Semel, cum Sacris, quibus interfuerat, in ecclesia peractis, cœlesti cibo pasta in domum interiorem, rediret ; in feminam quæ infantem in

qua manus laverat aqua

febres pelluntur.

C ulnis prope agentem animam portabat, prætereundo incidit. Cumque ab hac rogante cum lacrymis, ut sanaret filium, retardaretur, paulum est coacta subsistere : et cognito quid vellet, cohorruit, et precantem modeste repulit ; quod sciret, non esse id quod rogabat, opis aut potestatis suæ. Hoc magis urgente matre, et fortius abeuntem tenente ; intervenit casu Sacerdos, illius arbiter conscientiæ : qui perspecta causa misertus matris, imperavit, pro suo in animum jure, Teresiæ, ut miseræ quoquo modo, et quoad ejus fieri posset, subveniret, cujus tam certa fides erat. Tunc illa, religione obstricta, infantem e matris complexu in ulnas transtulit suas, et sinu fovit, ac signo super os Crucis edito ; Deus te, inquit, sanitati restituat. Nec plura. Belle habentem matri restituit : quem constat diu postea vixisse, et vitam Teresiæ acceptam retulisse.

moribundus puer servatur amplexu,

57 Mirabilis hic ; sed mirabilior ille eventus, quem narro, fuit. Monialis ægra, quod lenta et insidiosa febri laborabat, fefellit medicos. Inopina ergo morte oppressa, sine Sacramentis et ultima Confessione decesserat. Cumque Sociæ illam conclamassent, et efferre vellent ; ac de loco sepulturæ, quod, recentibus et multiplicatis funeribus, pauca

absque confessione mortua

D admodum loca et incerta vacabant, omnino dubitarent ; rem ad Teresiam, quæ forte in odeo prope sepulcrum orabat suum, solicitæ detulerunt. Ea, comperto inconfessam tali genere mortis decessisse, edixit, ut quam primum Confessarium accersiri juberent, et in cubiculum Sororis, ad ejus confessionem antequam efferretur excipiendam, deducerent. Admiratæ Sorores, reposuerunt, eam prorsus esse extinctam. Illa gravius aliquanto commota ; Accersite, inquit, Confessarium, et a me imperata facite : mora nulla esto. Paruerunt : vocatus Confessarius præsto fuit, et inductus in cubiculum Monialis efferendæ, eam præter spem vivam in lectulo invenit, ad confitendum paratam. Adhibuit medicas aures ægræ animæ Sacerdos et Confessionem accepit. Vix dum eam in forma absolverat, cum agere animam cœpit, ipsomet assidente, et extremum officium, cum solitis pro morituris precationibus obeunte. Apparuit, illam non nisi ad expiandam rite conscientiam revixisse, idque suis a Deo precibus Teresiam obtinuisse : quæ eo facto probavit tam se de Sociarum esse salute solicitam, ut curam etiam ultra mortem in æternitatem extenderet.... [*Inter hæc*

tantisper suscitatur.

E *oblata occasio est etiam de Cellarum monasterio, in quo Soror Sancia vixerat et obierat, bene merendi. Testatur id lapis, extra ecclesiam ad latus sinistrum inscriptus his versibus a Brandano prolatis.*

Transferuntur reclusæ Alenquerio Cellas.

Hic bis quinque manent, quæ cœtibus associatæ.
  Angelicis, cultum promeruere parem.
Huc ab Alenquerio, quo vitam sponte reclusæ
  Arctam gesserunt, hirtis et pellibus usæ.
Huc, inquam Regina Tarasia, Regis amore
  Ætherei vexit, contentas laudis honore.
Æra MCCLXXII, *id est anno* MCCXXXIV.]

58 Longa ætas, affecta valetudo, languor corporis, anxietas animi, tædium vitæ Teresiæ afferebant. Incitabant ad mortem studium ardens gloriæ cœlestis, et desiderium sororis Sanciæ. His stimulis urgeri se sentiebat : majorem exinde festinandi cepit impetum. Crevit in summa senectute animi vigor, et quo citius erat moritura, eo vehementius agebat : et spatii brevitatem contentione studii compensabat. Prona videbatur ire, et quodam quasi naturali pondere ad vitæ terminum ferri. Observatum id a Sororibus, quæ ultra vires aggredientem ardua cum viderent, retinere sæpius voluerunt, ne deficeret ; verum illi altius adacta vis cœlestis, quam ut posset remitti. Commonefecit eas de vicinia mortis, cujus præsentiebat signa, quorum unum erat ipsa

Sororibus de vicina sibi morte præmonitis,

F contentio : quemadmodum enim lucerna intermortuo lumine deficiens, in ipso conflictu luctantis cum extinctione flammæ, collectis quasi viribus obnitens occasui, acriores ignes emittit ; ita Teresia, cum propius abesse se a morte vidisset, in extremo ipso actu vires resumens, intentius agebat, et clarius emicabat. Recidit tamen cito illa contentio, morbo ingruente ; et fato incumbenti cessit. Verum initio non decubuit : quia stantem illam, quæ numquam marcuerat otio, mori oportebat. Igitur purgata rite conscientia piaculari Sacramento, Viaticum ad ineundam æternitatem singulari pietate sumpsit ; et salutari uncta Oleo, igni cœlesti pabulum præbuit : et proposita sibi immortalitatis imagine, ad eam se penitus conformavit. Sic morte prævisa, et animo procurato, ad moriendum prona, duci se in ecclesiam, cum jam vires deficerent, jussit, denuntiato Sororibus ibi se morituram. Prope aram super spondam collocata decubuit, et subito moribundæ speciem præbuit. In eo articulo circumsteterunt eam filiæ, cum de orbitate sua solicitæ, tum de imminente Matris morte anxiæ : atque, uti sunt mollia feminarum ingenia, dolori ac timori nimium indulgebant : nec lacrymis, nec suspiriis parcebant, quod temperare

susceptisque Sacramentis ;

Filias suam orbitatem querentes

temperare sibi non poterant. Deseri se a matre optima, a nutrice sedula, a custode fida, a magistra erudita, a carissima sorore : in qua nulla fuissent signa majestatis, sed amoris ; quæ se ad illas tamquam æquales conformasset, imo et interdum demisisset ; et quæ minus surgere et attolli poterant, eas sæpe sublevasset, et supra proprium caput, olim coronatum, extulisset. Quam deinceps habituram ducem ad ingrediendum virtutis iter? quam sociam in operibus obeundis? quam præceptricem morum? quam hortatricem ad custodiam legum? quam consiliatricem in dubiis? quam adjutricem in arduis? quam consolatricem in adversis? quam vindicem sanctimoniæ? Una illa sublata, orbas esse omnes : una defuncta, perituras. Pupugerunt hæc moribundæ animum, subiit commiseratio : commotus et excitatus est amor.

ita consolatur;

59 Igitur collectis, quod potuit conari viribus, sic illas allocuta fertur : Largimini mihi, quæso, Sorores(filias noluit appellare, ne teneriori nomine gravius percelleret) largimini mihi, ut vos affari perspicue possim ; ne mea verba lamentis obtundatis. Injuriam videmini facere immortalitati animorum, et haud dubie facitis amori erga vos meo. De mea morte sic doletis, perinde ac si meus discessus æternus sit cum mei extinctione futurus ; vel vos brevi morituræ non sitis, et mecum futuræ ; vel cum corporibus affectus animi extinguantur. Non eo hæc dico, quod vos ita esse aut fore existimetis, sed quod vos dolor cogit eo deflectere, unde istæ opiniones turbata ratione ducuntur. Moderamini mœrori, eumque intra fines prudentiæ continete. Sicuti ergo Sanciam nunc sororem sequor, sic et vos brevi (quid enim est in hac vita diu?) sequemini. Ut ergo vestrum immemor (quod absit) futura corpore absens essem, cito nos mors conjunget, quæ modo me separat. Non feret spiritus natura purior, ut amor, nobilius quo defæcatius ardens, extinguatur : nam non ille aspectus, sed memoriæ pabulo nutritur. An desperatis visuram me Deum, in quo vos ego multo perfectius et inspectura sum, et dilectura? An morietur amor in vos meus, cum incipio fieri immortalis? Quod si propterea lamentamini, quod vestram me absente doletis vicem ; vestramque, ut dicitis, orbitatem deploratis : videte ne vestram potius rem agatis quam meam, et dum vestrum vos miseret in me sitis crudeles, dum solatium vestrum meo gaudio anteponitis. Frui non vultis me Deo, ut vos me interim fruamini? Non est justus hic dolor, qui illam moratur, quam pie spero consequi, beatitatem. Inique cum tempore agitis : occasus vitæ senectus est. Matura poma sponte decidunt. Trudit me natura in mortem. An illi vultis obsistere? Quid quod æstuo moriendi desiderio, ac sponsi nostri Jesu amplexibus fruendi.

et Crucifixum amplectens moritur

Liceat per vos (atque hic apprehendens vicinum Crucifixum arctissime secum adstrinxit) huic me addicere, qui me sui pretio sanguinis emit. Huc lacrymas conferte vestras, hic vestros affectus collocate : huic me etiam, atque etiam commendate. Hanc vos Crucem, cum decessero, pignus mei habetote. Illa et mei a vobis discessus memoriam renovabit, et vestri commonefaciet. Et ad illum : Suscipe me tu Domine : lava meas culpas sanguine, ut ad te munda perveniam. Oscula, dum traho animam, vulneribus tuis imprimo, et extremum halitum tibi a quo accepi reddo, Ibo, ibo, appendix Crucis tuæ. Anima hæc mea ab extremo isto clavo fixa pendebit. Atque hic ardere visa, et vehementi spiritu concitata, majori quam pro humano habitu surrexit, et genibus flexis constitit ; jussitque Sororibus, ut canerent alta voce, Magnificat. Inchoato cantu meditabunda conticuit, et vultum in apertas manus demittens, substitit, donec ad illum versiculum perventum ; Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ ; quo absoluto, laxatis paululum labiis, efflavit animam.

A FRANC. MACEDO

Cœlesti luce illustrata,

60 Eo suspirio, tanquam flatu quodam, solutæ mœroris nubes, lacrymarum imbres per Sororum oculos effuderunt. A lacrymis itum ad oscula, præ singultibus male formata. Defecto, quem manibus texerat, vultu mira species mortuæ extitit, quæ rapiebat oculos cordaque. Splendor ille beatæ animæ index erat. Illam, radiantis instar luminis, ad superos isse, multi, qui extra Monasterium degebant, confirmarunt : quod vidissent splendidum quemdam globum e templi summo fastigio, Soli similem surgere, et attolli, et ultra nubes ferri, donec illæ aspectum intuentibus ademerunt. Id Monialibus nuntiatum magnam partem mœroris abstersit, et desiderium obtudit gaudio. Procurato ritu solenni funere, ad sepulturæ officium applicuerunt animos : quod, quia Teresia publicum et sumptuosum fieri severe prohibuerat, vulgare extitit : quippe quæ se vivam sepelire voluerat, non decebat mortuam celebrari.

juxta Sanciam sepelitur;

Itaque elata, communi et paratu et cantu, sepulta est juxta Sanciam intra odeum, eo situ, ut nullo spatio interjecto, unum alteri ex commissura conjunctum videretur. Sic ex præscripto Teresiæ. Et quidem decebat, ut quas natura sanguine, amore, instituto, virtute, gratia conglutinaverat, eas ne mors quidem divelleret ac post mortem sepultura conjungeret. Discrimen tamen quod vicinitas sepulcrorum sustulerat, adhibita epitaphia attulerunt: quæ operæ pretium erit producere. Sanciæ, quæ prima decessit, ejusmodi est.

hujus Epitaphium:

Sancia infans, Regis Sancii I. Lusitanorum filia, quæ totius vitæ cursu sanctis operibus intenta, suam Domino pudicitiam custodivit. Monasticam regulam, apud monasterium Cellas, quod prope muros Collimbrienses ædificaverat, secuta, ubique maximis virtutum ornamentis circumfulta, et non vulgaris Sanctitatis fama decessit anno MCCXXIX. Ad hoc Templum Lorvaniense a Sorore Teresia transfertur, et sub hoc tumulo reponitur. Teresiæ illud :

item illius;

Hic requiescit Regina Teresia Sancii I. Portugalliæ Regis filia, quæ Legionensi Regi Alphonso IX aliquamdiu nupta, dirempto matrimonio valedicens rebus humanis, Cisterciensem habitum induit in hoc cœnobio Lorvaniensi, ejus jussu a monachis Benedictinis ad Virgines Sancti Bernardi translato, in quo plus viginti annis perseveravit insigni prudentiæ, liberalitatis, ac pudicitiæ laude, nec non virtutis, et Sanctitatis admirandæ prodigiis. Anno MCCLXX.

Teresiam 1270 dicit obiisse

61 Quæ certe epitaphia, ut sint paulo quam nos antiquiora; ejus temporis, quo sepultæ primum sunt, non esse, phrasis Latina ostendit ; quæ tunc barbara et corrupta erat, quemadmodum alia monumenta ejus ætatis testantur. Præterea in annis numerandis manifestus error deprehenditur : nam Teresia dicitur mortua anno MCCLXX id est anno post Sanciam uno et quadraginta : quod verum esse nequit. Constat quippe Teresiam annis haud paulo plus viginti in monasterio vixisse professam Cisterciensi Sancti Bernardi institutione : et postquam in illud se abdiderat, Deoque voverat, Corpus Sanctæ eo transtulisse: igitur vigesimo ad summum anno post Sanciam necesse est obiisse : atque adeo non anno Christi MCCLXX, sed anno plus minusve MCCL;

sed pro anno 1250

Diu tamen vixisse inde liquet, quod in Tabulario Monasterii Sancti Joannis Tarouquensis codex antiquus reperitur, in quo Teresia subscribit donationi oppidi Mondim factæ ab Rege Alphonso III. Lusitaniæ, fratris sui Alphonsi filio, Anno MCCXLVII, cui

A FRANC. MACEDO

cui interfuisse Reipublicæ causa dicitur. Ceterum hic numerus intra illum viginti annorum, quos vixit post obitum Sanciæ continetur. Dies mortis certus habetur XV Kalendas Jul: qui desideratur in Epitaphio.

scribendus 1250

juxta Necrologium:

62 [*De anno autem quid excusat Macedo, et suspicatur scribentium inadvertentia zyfram 7 pro 5 obrepsisse? quasi scilicet in ejusmodi publicis scripturis aliquis usus zyfrarum fuerit seculis præcedentibus hoc nostrum quo vivimus? Interim correctio, quam Macedo adhibet, confirmatur Brandano, Monarchiæ Lusitaniæ parte 4 pag.* 188 *ubi legere est, mortem Tarasiæ ex Necrologio sanctæ Crucis Conimbricensis, sic relatam:* Decimo quarto Calendas Julii obiit illustrissima Regina Donna Tarasia, filia illustrissimi Domini Sancii primi, Portugalliæ Regis et Reginæ Donnæ Dulciæ. Era MCCLXXXVIII, *est hic præcise annus* MCCL: *tamen pro* decimo quarto Calendas, *vel legendum est* decimo quinto, *vel intelligendus dies depositionis seu sepulturæ, ut sæpe in Necrologiis hujusmodi observantur. Isto autem posito fuerit* Tarasia, *utpote parentum suorum primogenita, annorum* LXXII, *cum obiit et annos nata vix plures quam tredecim venerit in thorum viri. Etenim Gottorum Chronica, unde initium sumit Appendix ad 3 partem Brandani, ab Æra* CCCXLIX *ad* MCCXXII, *adeoque ipso de quo agimus tempore scripta, sic habet:* Era MCCXVI (*est ea nobis annus* MCLXXVIII) nupsit Rex Sancius cum filia D. Raymundi Comitis de Barcinona Donna Dulcia, sorore Regis Aragonensium D. Alfonsi, anno regni patris ejus XLVIII: *unde nata filia Tarasia, anno ut minimum* MCLXXXXI *vel* II *debet fuisse uxor; siquidem anno* MCLXXXXV, *quo patri remissa est, trium jam erat liberorum mater.* Sancia *tertio genita potest primum in lucem venisse anno* MCLXXXII: *et sic annum egerit* XLVII *vel* VIII *cum obiit: nam et de has legitur in prædicto Necrologio pag.* 128 ℣. Tertio Idus Martii obiit Regina Donna Sancia filia Regis Donni Sancii et Reginæ Donnæ Dulciæ Era MCCLXVII.]

ita ut obierit Teresia an. æt. 72, Sancia an. 47.

Prior s filia non fuit Sancia,

63 *Porro ad laudem* Teresiæ *magnopere faceret, quod refert Brandanus aliique, de sanctitate cujusdam* Sanciæ, *quæ Alphonso Legionensi genita vixit et obiit commendatrix major Regii Monasterii S. Euphemiæ de Corobiis Ordinis S. Jacobi Palentinæ diœcesis: ubi cum plurimis inclaresceret miraculis, corpus ejus Philippus* III *anno* MDCVIII *voluit adferri Toletum ad sanctæ Fidei conventum, agiturque etiamnum pro ejus canonizatione.* Sanciæ, *inquam istius sanctitas multum faceret ad commendationem* Tarasiæ, *si hujus filia fuisset illa, ut Brandanus aliique credunt. Sed dum curiosius curo rem indagari Toleti, accipio* Sanciam *istam,* Tarasia *quidem matre genitam, sed quæ nec Regina fuerit, neque Regis Lusitani, verum Æquitis cujusdam Legionensis filia, quales plures ex variis mulieribus Legionensis Alphonsus genuit, a duabus quas successive duxerat Reginis abjunctus; concubinis contentus. Plenius de ea agetur ad* XXV *Julii quo obiit anno* MCCLXX Sancia *ista, fortassis solum quinquagenaria, quæ plus quam octogenaria fuisse debuisset, si nata fuisset ex Tarasia Lusitana. Ceterum quod attinet ad hujus filiam* Sanciam, *cujus memoria, exolevit per sororis cognominis sanctitatem et celebritatem obliterata videtur prior natu fuisse quam* Dulcia, *priori enim loco eam posuerunt Rodericus Toletanus in sua Historia, et Gregorius IX in suo ad illas Brevi: esto quod avus Sancius in suo testamento, secundo eam loco ponat, quacumque alia ex causa.*

qua miraculis clara,

servatur Toleti.

CAPUT X.

Sanctitatis opinio miraculis confirmata.

Uti paucorum et amicorum existimatio publicam fidem non facit, et suspicionem creare ob affectum solet; præsertim si domi est nata, nec late foras emanat nec temporis diuturnitate firmatur; ita cum ea communis, et alienorum promiscue et domesticorum est, et prodit in vulgus vagaturque latissime, et quotidie serpendo crescit augeturque tempore, famam ex opinione et ex fama gloriam parit: quæ est consentiens laus bonorum, et incorrupta vox judicantium de excellenti virtute. Hujusmodi est ea quæ de Teresiæ et Sanciæ, et dum vixere, et postquam obiere, sanctimonia fertur. Nata quippe intra privatos tum Cellensis, tum Lorvaniensis Cœnobii, inter Sorores ejusdem instituti, non tamen ibi oppressa latuit; sed vel iis invitis foras emanavit, seque per totum Regnum Europamque diffudit, et orbem implevit; nec interrupta desiit, vel interpolata rediit; sed cohærescens sibi continuata est, ductu perpetuo tractuque temporum, per quadringentos et eo amplius annos: tot quippe usque ad nostram ætatem numerantur. Quæ fides per manus tradita, et ab eo tempore accepta, quo simplex virtus et ingenuus candor procul a fuco, et dolo vigebant, et in populo pio ac religioso (qualis est Lusitanus, a superstitione maxime et protervia alienus) adulta, nulla potuit ratione corrumpi subornarive. Communis ea vox est et Regni et ditionis Lusitaniæ, quæ per totum orbem terra marique funditur, et cum solis cursu contendit Sanctas Reginas appellantis; ac eo titulo propria earum nomina, gloriosius quam si proderet, occultantis. Nec vero ego in hac deve xa, in qua sum ætate, alio unquam affici illas memini. Nec ea tantum vulgi est sententia, sed Principum etiam, ac Regum, et omnium ordinum. Nomen insignis veneratio secuta; quæ innocenter iis, cum licebat, attributa idoneum sanctimoniæ testimonium reddebat. Dum libera pietas erat, nemo ullis impediebatur religionibus, quin pro suo quisque studio honores in eas conferret. Qui, si postea sunt sapienter ac religiose repressi; habita est ratio conditionis temporum, quæ multum habent momenti ad utramque partem et pietatis et superstitionis. Non tamen Ecclesia vetuit religiones, nec ceremonias damnavit, cum palam coli deinceps vetuit. Integras illas, sua nixas antiquitate ac innocentia, reliquit: sustulit novas, quas suspectas nimia licentia faciebat. Quemadmodum quod hodie novis ritibus consecrentur Sancti, non adimitur jam consecratis Apotheosis; ita quod rationes cultus commutentur, non ex eo veteres vituperantur. Diversa erat et simplicior forma colendi et consecrandi Sanctos ea ætate, puriori et candidiori, cum ab hæreticis periculum nullum erat, et Ecclesia illis stimulis ad pietatem indigebat. Postea, crescente hæreseon (proh dolor!), malo, et abundante Sanctis Ecclesia; necesse fuit, et cautius propter hostiles insidias, et rarius propter abundantiam consecrare. Hæc igitur fama non linguis solum, sed signis quoque loquitur: per vota, per supplicationes, per titulos, per effigies, per litteras, et omnis generis monumenta. Ea vero antiquissima sunt, atque adeo extra invidiam et suspicionem. Uti imagines majorum fumo commendantur ad nobilitatem, ita illa monumenta vetusto situ prisci ævi confirmantur ad fidem. Quod attinet litteras, extant Innocentii Papæ III, ad Teresiam; Regis Sebastiani, Cardinalis Henrici, et Gregorii IX, et Episcopi Conimbricensis, et Generalium ordinis S. Bernardi, de illarum virtutibus, et miris operibus: quarum suis locis afferemus exempla.

Communi æstimatione beatæ creditæ,

passim Sanctæ Reginæ vocantur,

et ex vetusto usu coluntur.

65 Illud imprimis observatu dignum, Sanciam in Cellensi monasterio nonnulla edidisse post obitum hujusce exempla virtutis: pauca item in Lorvaniensi ante mortem Teresia, ceu modestiæ se causa subtraheret, quod sine consortio sororis plura edere erubesceret

ac simul ambæ clarent miraculis,

erubesceret, cuperetque cum ea ita gloriam communicare, ut primas ei concederet mortua, quas viva dignitatis et sanctimoniæ concessisset. Idque apparuit ex eo, quod ea mortua, et in societatem sepulturæ accepta, plurima sunt edita ab utraque: ut communi studio benefacerent, et communi gloria fruerentur. Quasi hæc ambarum voluntas cognita egentibus et perspecta foret, religio injicitur venientibus, quo minus una sine altera invocetur. Ambæ simul implorari solent; ambarum est auxilium: ambabus refertur acceptum beneficium. Et quidem adversus febres præcipua earum vis est: frequentia curationum admirationem sustulit: vulgaris ea res ducitur: in medicinam videtur transiisse. Igitur quemadmodum medici, ad febres leves et vulgares morbos, certa quædam et explorata habent remedia, quibus adhibitis curari solent; ita Moniales laborantibus quartana aut tertiana febre, certa quædam pietatis opera præscribunt, quibus editis haud dubie sanantur. Nec abs re duxerim methodum afferre. Ægro edicitur septem Psalmorum, qui pœnitentiales dicuntur, per triginta dies recitatio: ea peracta vas ei porrigitur plenum aqua, mista pulvere e sepulcris eruto ac diluto, cujus haustus febrem expellit. Interdum novendiale Sacrum fit a Sacerdote; quo rite completo sanatur ægrotus. Hæc ratio curandi tam est certa et constans, ut in consuetudinem verterit: quæ idcirco est admirabilior, quod mirabilis esse desierit. Præterea multitudo attulit fastidium, et pervertit numerum. Omissa pars major: nec antiquis ea cura simplicioribus fuit. Posteris cum incuria religionem attulisset, notari cœpta et scribi mira eventa quæ ultra nonaginta septem, præteritis febrium quotidianis curationibus, illustria anno MDCXXX numerabantur. Horum nonnulla referre officii mei esse duco: quæ scripta sunt fide publica, et in actis, ex præscripto Ordinarii ad normam Tridentini Concilii confectis, habentur.

præsertim in febrium curatione.

66 Ludovicæ Silviæ Sanctimoniali Lorvaniensi, malignum ulcus circa ilia natum erat, tumidum et lividum, et virulento pure plenum: quod eam annos multos lecto affixam tenebat, nulla spe curationis. Ergo Sanctarum (uti vocant) Reginarum ope implorata, aquam superinjecto pulvere illo sepulcrali ebibit: mox placido somno capta quevit: ex quo paulo post evigilans sanam se sensit: et sorori quæ illi erat assidua confirmavit ulcus abscessisse, parvulo vestigio relicto, quantum ad fidem eventus satis esset. In majori periculo versabatur alia, cui nomen Cæciliæ Castriæ, cujus sinistram papillam cancer invaserat: qui paulatim serpendo tam se alte insinuarat, ut haud procul abesset a vitalibus. Septennium exierat, quam ad illam medici peritissimi Conimbrica venerant: qui, inspecto statu canceris, immedicabilem esse judicarant. Tum illi spes injecta remedii cœlestis. Prope erat in sepulcris Reginarum. Promisit recitaturam se per dies viginti Psalmos Pœnitentiales: inchoavit pensum: necdum completo, nocte quadam madere se comperit, ac e papilla humoris copiam continenti fluxu manare. Erat illi amita in cœnobio, quæ prope cubabat. Compellatæ rem patefecit. Hæc adhibito lumine, vidit disruptum cancrum vim magnam puris evomere, et lectum madefacere. Exinde melius habere cœpit, donec bellissime habuit. Elisabetha a Cugna, Soror item Lorvaniensis, ancipiti ac diuturno affecta morbo, sensum et spem vitæ amiserat. Huic cum præfecta infirmarum Sororum, pulverem illum aqua dilutum, vasculo quo Regina usa erat vivens, propinasset; accepit sensum, et depulit malum, ac plane valuit. Idem remedium adhibitum, Violantem Limiam, sociam Monialem, desperatam a medicis, et pene conclamatam, a mortis faucibus eripuit. Mariæ Ariæ, Partheniæ item Virgini, stupuerant primum, dein aruerant brachia et pedes: in lecto inutilis jacebat. Oravit Sorores quando apertum fuit Teresiæ sepulcrum (de quo postea) ut eo se deportarent. Obtinuit: oravit, moveri cœpit: et solutis nervis, liberis manibus ita se gessit, ut sumpto ferramento strenue Sorores, excavantes ac attollentes lapidem sepulcralem, juverit; et lentum otium pio illo labore extruserit et correxerit. Interseramus externa. Elisabetha Andradia, ejusdem oppidi Lorvanii vidua, angina laborans ad sepulcra venit: et hausit aquam vase contentam pulvere infuso. Sensit momento laxari gulam, et libere deinceps respiravit. Adolescens oculis captus, fama e longinquo excitus, Lorvanium contendit. Eo cum pervenisset, aræ se vicinæ sepulcris applicuit: remedium petiit: impetravit vas aquæ solennis: lavit oculos: vixdum abluerat, cum visum recepit. Paganam mulierem, a partu recentem, lac ad alendam prolem defecerat; cui in supplementum juscula adhibebat, sed nec nutrimentum idoneum, et carius quam pro illius copiolis erat. Itaque exiit pago, et vicatim peregrinari, et ostiatim mendicare cœpit. Forte Lorvanium venit. De mendicante causam Moniales audierunt: infante viso, qui lactari debebat, nec poterat, hortatæ sunt, post datam stipem, ut ad sepulcra Rosarium recitaret. Mirum! ut absolvit, lacte abundavit.

curantur etiam periculosum ulcus,

cancer mammillaris,

morbi letales,

A. Franc. Mac. do paralysis,

angina,

cæcitas,

ariditas uberum,

67 Elisabethæ a Feria Moniali tuber quoddam strumosum occupaverat collum. Erumpebat exterius fœde tumor; sed periculosius intus guttur humor angebat. Decubuerat ex eo diu, adhibitis et consumptis non paucis, quæ medici et chirurgi imperarant, remediis. Deplorata salute, ut assolet, venit ei in mentem domestici medicaminis. Reginarum imploravit opem. Nec frustra. Appplicata quippe scrofis terra sepulcri, derepente crepuit tuber, et gula intus liberata, et collum extra lævigatum. Paulæ Capralis, ejusdum cœnobii, præsentius periculum, sed celerius remedium fuit. Inconsideratius edenti frustulum osseum in faucibus hæserat, quo pene suffocata, duas horas cum morte disceptavit. Animam agenti una ex sociis terram sepulturæ aqua mistam, ex vase illo commemorato, in os infudit: illa impulit ossis transversum frustulum, et deorsum ad stomachum trusit, et semimortuam periculo explicavit. Interpolemus domestica exempla externi narratione; sed illustris. Sancio Norognæ, Odemirensi Comiti, ex mortifero contracto morbo certa mors imminebat: quam et ille expectabat, omnibus jam sacris instructus præsidiis, nec non et propinqui necessaria ad funus parabant. Verum in eo articulo uxor, vicem viri anxia, in recordationem venit duarum Reginarum, quas illa et conjux consanguinitate attingebant. Hinc crevit fiducia, spesque; accurrit ad conjugem, quid agitet significat; an placeat, quærit: annuit, et visus est confirmare. Tum illa novendiale iis Sacrum vovit; jussitque in Ara, subitus quam quiescunt, rem Divinam fieri. Pridie quam numerus compleretur, ingens ex ægroti corpore sudor effluxit, quem medici existimarunt indicium proximæ mortis esse. Contra tamen accidit: nam exinde melius ei fieri cœptum, et brevi recreatus e morbo surrexit, et Lorvanium cum uxore veniens gratias egit liberatricibus, et anathema ad altare reliquit. Redeamus domum. Servas etiam Reginæ, sine discrimine, et juvant et servant. Harum unam Marianam a Nivibus, lenta phthisis et importuna tussis pene consumpserat: quam hausta urcei aqua, compressa tussi, et qui eam sequebatur sanguine, depulit: et socius incolumem reddidit. Alterius servæ peradolescentis tenerum caput tetra et tenax scabies corroserat, et horribilem quamdam crustam

strumæ,

os gutturi inhærens,

moribundus,

phthisica,

A Franc. Macedo

scabiosa, et ægri alii,

tam induxerat, fœdæ porriginis effectum et rursus fomitem. Nulla misellæ quies ex mordaci prurigine. Verum hæc blanda mollissimi olei ejus, quæ ante sepulcra ardere solet, lampadis unctione cessavit, et prorsus abscessit. Mariæ Coelliæ Paganæ Lorvaniensis, tuberculum pestilens pedem corripuerat, et compede virulenta devinxerat, cumque erepto usu incedendi viginti annos lecto addixisset; recurrit hæc ad oleum lampadis: simul ac unxit, illum exolvit morbido vinculo, et libere ambulavit. Eodem oleo adhibito manum aridam Paula Craveria, ejusdem pagi egena puella, ubi emolliit, ad usum reduxit. Bene cum aqua illa oleo convenit; nec inter se pugnant, cum salus agitur miserorum. Et hoc mirum est. Caritas Sororum discrimen sustulit. Hoc alterius est generis. Jacebat desperata salute Lorvanii Emmanuel Estevius. Oblata pro eo Missa, ad Aram prope sepulcra erectam, subito recepta sanitate, alacer lecto exiliit.

per aquam vel oleo Sanctarum;

68 Illud haud dissimile. Mariæ Ludovicæ puerperæ, cum lactare cœpisset infantem, enatæ quædam verrucæ rugaverant mammas, siccaverant ubera, lac omne vel suxerant vel averterant. Venit ad ecclesiam, fieri pro se jussæ Missæ interesse voluit: sub finem ebullire lac sensit, et spumare ea vi et copia, ut in terram deflueret. Suppeditavit dum parere potuit, nec nisi cum juventa desiit. Accusavit ætatem, quæ ingrata visa est invidere beneficio: sed lac tunc oneri esset, et hoc beneficium fuit. Laborabat inveterato anginæ morbo puer Emmanuel, haud procul Lorvanio in pago: crescente interius et humore, et tumore, et stringentibus guttur, ægre respirabat. Pater Stephanus, vicem suam et filii anxius, eum duxit ad Reginarum sepulcra: oleum lampadis applicuit gutturi; pervasit ad gulam obstructam virtus, laxavit reciprocandi spiritus vias, auram libere postea et accepit et reddidit. Elisabetha Dias, anus septuagenaria Lorvaniensis, ex gravi casu crus afflixerat: relata in domum jacuit immobilis, et mox apparuit inutilis crure luxato, ut regere se non posset. Venit in mentem olei salutaris, tot exemplis probati: eo ungi crus fecit. Subito remisit dolor, moveri cœpit, et paulo post ambulavit. Catharinæ Tiniæ ejusdem oppidi triste acciderat puerperium, quod tum ægrotabat. Ex morbo et partu periclitanti mens injecta divinitus, ut invocaret Reginas: fusis ad eas precibus, ex utroque periculo evasit, ac salva emisit fœtum: cui quod femina erat, Teresiæ inditum nomen. Ad monasterium revertamur. Anna Castria Sanctimonialis, acerbissimo dolore dentium quartum jam mensem torquebatur: experta, et passa multa medicamenta, et tormenta, quæ illam pene edentulam fecerant, tandem Matrum piarum ope implorata, et novendiali prece persoluta, liberata dolore dentium et carnificina chirurgorum fuit. Paulam Albicastriam, ejusdem instituti, Virginem, prolixior morbus afflixerat: varie vexatam verius, quam curatam medici deseruerant. Derelicta jacuit dies triginta mortuæ similis, sine ullius cibi potusve subsidio: inedia supra morbum confecta mortem habebat in visceribus. In hoc statu accurrit ad eam socia, et clam ceteris vas illud salutare aqua plenum attulit, ex quo ei propinavit. Haustu aperuit oculos, recepit sensus, cibum sumpsit, convaluit. Mariæ Carvagliæ, latus intumuerat, et tumor in duritiem verterat, Decennale malum et pertinax tenaciter hæserat: verum lenis olei unctio mollitudine sua vicit duritiem, et virus ejecit. Francisca Macedia laica, sed intra cœnobium, cum edullium incisarum carnium manducasset, frustum ossis deglutivit, quo adhærente strangulabatur. Periculum pie solertem fecit, Reginas invocavit; momento avulsum ossiculum cum tussi expuit et respiravit. Par eventus alterius Bernardæ a Costa, quam os aliud inter edendum transversum in gutture suffocabat. Hæc eodem usa remedio, illud excussit seque periculo exemit.

Item verrucæ mamillares, *anginæ,* *crus luxatum,* *ægra parturiens,* *odontalgia,* *morbus desperatus,* *tumor lateris,* *os gulæ inhærens.*

69 Hæc omnia proxime commemorata Lorvanii; ab utraque sunt gesta sorore. Juvat exire: delectare varietas solet. Transferamus nos ad Cellas, ac ne carere prodigiis ejusmodi cœlestibus existimemus, non est oblita suarum Sancia, nec cum corpore abscessit aut virtus aut amor. Catharina Almeidia, Sanctimonialis Cellensis, dolore capitis, oculorum genarumque decimum circiter annum cruciabatur, nec constare sibi satis poterat, nec rationem inire, nec quidquam serio aut cogitare aut facere, immani torta vertigine. Itaque et privatim et publice nullius numeri erat. Quare ad Matrem Sanciam, quæ illius auctor fuerat monasterii et dux vitæ, studiis ardentibus et vehementibus precibus confugit; caputque suum tunicula Sanciæ, quæ Cellis cum ceteris vestibus religiose servatur, caput obvolvit: eoque subito, et dolores compressi, et vertigines sublatæ, et sensus redditus. Itaque sui omnino compos dedit se sociis, et officio suo fungi cœpit. Mariæ Brandanæ ejusdem Cœnobii caligabant oculi, et noxius humor intro admissus pupillarum lumen acri quodam morsu doloris extinxerat. Hæc admota eadem tunicula recuperavit visum, nullo dolore, summa facilitate, incredibili voluptate Eodem remedio usa Bernarda Mella Monialis, variis et gravibus morbis obnoxia, fassa est eos, et mitigasse et abegisse. Maria Norogna, una e Sororibus parthenus, doloribus acutissimis conficiebatur. Post cruciatum annorum quindecim, cooperta eadem illa tunica, omnes exegit. Non soli tunicæ addicta beneficia: ad oleum se lampadis diffuderunt. Annæ id Botelliæ exemplo patet: quam cum periculose ægrotantem, derelictam a medicis, ac pene cum morte luctantem, sociæ vidissent; oleo lampadis ad aram, subtus quam monumenta quædam Sanciæ servantur, ardentis, rite et cum deprecatione unxere. Fiduciæ eventus respondit. Melius ei continuo factum, et procendente die salus reddita. Eo quoque pervenit Teresiæ virtus: tanta est ambarum inter se amor, ut ubi una sit et agat, altera quoque existat et operetur. Pudet quodammodo, alteram sine alterius consortio, suis proficere. Sequens id eventus monstrabit. Mariæ Riberiæ, ancillæ conventus, utraque Regina (quanta in Superis humanitas!) opem tulit. In gravi periculo ex importuno morbo constitutam, ac pene conclamatam, ambarum implorantem auxilium, confirmarunt, et saluti restituerunt. Hæc ad Cellas. Lorvanium regrediamur.

Cellis curantur, *dolor capitis* *et oculorum,* *ac morbi varii desperati*

70 Elisabetha Silvia Monialis, ex humore occulto noxio, usum manuum pedumque amiserat. Septennium jam manca et clauda in lecto tenebatur. Sensit semel impelli sese instinctu divino, ut ramenta e lapide sepulcrali Reginarum locis affectis adhiberet, eaque illo pulvere fricaret. Assensit, fecit secundum impulsionem a Deo acceptam: recepit integrum membrorum usum, et strenuam deinceps operam conventui navavit. Margaritæ Beggiæ serva erat Maria Simonia, mater infantuli quadrimestris, quem ob eximiam speciem domina magnopere diligebat; eumque apud se educari passa, loco filii habebat. Incidit hic in mortiferum morbum: sed solicita de ejus salute domina Margarita jussit ei ad collum appendi sacculum, plenum terra e sepulcro effossa; et illico sanitati redditus ad nativam elegantiam rediit. Angellam ab Incarnatione, ancillam cœnobii, fœda scabie coopertam, foras ejici Abbatissa jusserat, ne ceteras inficeret; et erat periculum contagii. Recurrit misera ad ecclesiam, confugit ad aram vicinam sepulcris: mox his adhærescens erasa ramenta capiti applicuit: iis abacta scabie

Lorvanii sanantur manus ac pedes debiles, *puer æger ad mortem,* *Monacha scabiosa,*

A bie, caput expolitum statim recepit. Penacovæ, oppidum id est haud procul Lorvanio, Catharina Moralia cum deprehendisset conjugem suum, ex morbo gravissimo a medicis desperatum, derelinqui; misit Lorvanium qui impetrarent sacculum terræ salutaris, quæ semper ægrotis præsto esse solet. Allatum adhibuit conjugi, et adhibito eundem sanavit. Pari pietate, simili eventu, matrem Catharinam Thomasiam Martha Oliveria filia præsenti vitæ periculo exemit, nullo alio quam precum ad Reginas interventu; quod cum longe distaret (nempe Soure oppido) nec liceret per inopiam et ætatem peregrinationem Lorvanium ad sepulcra suscipere, solis precibus agere rem maternam poterat: iis transegit salutis negotium. Elisabethæ Castriæ, uni e Conversis (sunt hæ inferioris notæ Moniales) cadenti ex edito loco confracta cura, ossibus in minutas partes dissilientibus. Spes nulla erat commissuræ; sed opera Reginarum occulta conglutinata ossa et restituta. Aliam Conversam Mariam Caldeiram, studiosius admota scala exornantem aram, in pervigilio solemnioris diei, fortuito casu scala destituit. Lapsa ex alto, altaris cornui latus toto impetu impegit. Ex ictu os disruptum cum ingenti dolore; sed illa B memor opis, repens ad sepulcra Reginarum iit, ut potuit: (nec longe aberant) erepsit, apprehendit lapides manibus, et pedes recepit. Duas ejusdem monasterii, unam Monialem Paulam Baptistam, aliam Conversam Mariam Marcellam, a noxiis subtus brachiorum cavitates enatis tuberculis, eædem Sorores, sanctæ Reginæ cum terræ sacculus esset appositus, liberarunt. Apollonia Francisca e phthisi bis in præsens vitæ discrimen venerat: sed præsentius fuit auxilium imploratum ab Reginis. Semel earum ope evaserat, evasitque iterum, nec deinceps eo morbo tentata, senium salubre experta, diu vixit. Aloysiæ Goesiæ, Sanctimoniali ægrotanti, funus parari jusserant deplorata salute medici. At illa alieni sepulcri interpellatrix terram ex eo portari sibi jussit, ac dilutam in vasculo solenni cum aqua potavit: ita disjecit funus, et paulo post salva sepultas invisit et venerata est. Andreas Simon Melius, extremo conflictatus morbo, et omnibus salutis præsidiis instructus, sacro item inunctus oleo, ultimam expectabat cum morte luctam, omnino impar aggredienti, ac plane dejiciendus; cum ab uxore Franciscana Joanna, appenso ad collum terræ sepulcralis sacculo, quasi eo mortem contunderet, aggressam debilitavit et vicit. Ac de his quidem hactenus. C Quod attinet curationes febrium, ex certo tot sunt, ut numerari non possint: atque adeo iis abstinemus, uno solo contenti, quod sit ob personam memorabile. Alphonsus Albicastrius, Conimbricensis Episcopus, periodica laborabat febri: curabatur lente ac fastidiose, ac eo mœstitia gravis accesserat. Itaque gravius indies malum fieri. Abbatissa Lorvaniensis ejus propinqua, thecam plenam salutari pulvere ad illum misit, suadens ut recitatis more ægrotis solenni septem Pœnitentiæ psalmis, collo imponeret: ita effectum, ut cessarent periodi, et febris aberraret, ac omnino recederet. Hæc vero pulveris illius salubris virtus loco addicta non est: quasi foret innata, hæret; et quocumque feratur, vigorem illum vimque sanandi retinet ac præstat; quemadmodum nos accepimus narratione nobilis matronæ Violantis a Fonteca; quæ cum in domum Ducis a Sessa secum thecam illo plenam pulvere detulisset, multas et insignes in ea parte Hispaniæ, eodem ægrotis adhibito, curationes efficit.

duæ ex alto lapsæ;

et aliæ, usu arenæ de sepulcro sumptæ,

a morbis desperatis.

D

A FRANC. MACEDO

CAPUT XI.

Corpora transferuntur; et Teresia, reserato sepulcro, incorrupta invenitur.

Est et argumentum existimationis de sanctitate, translatio corporum. Et hoc suppeditat in causa Teresiæ nostræ et Sanciæ. Trecentos ferme annos in odeo, sive interiori Templi parte, apud Moniales jacuerant corpora, magno illarum solatio, quæ illæ pia usucapione sui juris fecerant; et cum iis habitare se credebant. Verum crescentibus indies prodigiis, ac ex eorum narratione excitatis studiis populorum; major esse cœpit concurrentium vis, quam ut posset sustineri. Uti enim quisque erat affectus, ita ad tumulos properabat, et alii alios impediebant: ac sæpe quorum major necessitas erat ob infirmitatem, a valentioribus aut opprimebantur aut excludebantur. Magna et importuna concursatio, et turbabat Moniales, et externos distrahebat: ac multi erant, quibus cum difficilis præ multitudine ad tumulos aditus esset, vel conando ultra vires deficerent; vel desperando de accessu sine remedio discederent. E Imo et sæpe gratiæ et avaritiæ locus erat, cum nobiliores facilius quam obscuriores ab externis custodibus admitterentur, et hi nonnunquam donis ab opulentioribus ad introductionem pellicerentur. Hæc cum observasset Bernarda Lancastria Abbatissa, neptis Regis Emmanuelis et Mariæ Reginæ conjugis, patre Infante Alphonso, eo qui postea Cardinalis fuit; operæ pretium se facturam duxit, si sepulcra ex odeo in templum transferri curasset: id e republica Christiana esse: commune bonum populorum, privato Monialium solatio anteponendum: ita et opem erga miseros, et pietatem erga Reginas, et earundem apud omnes famam auctum iri. Sed cum hujusce sui consilii ceteras Sorores participes faceret, restiterunt vehementer illæ, quod nollent diuturna et pia possessione depelli. Destitit itaque a proposito, ne repugnantes offenderet, non tamen abjecit mentem, si qua se mollis occasio præberet rem præstandi. Ecce tibi nocte proxima, gravi et nobili Virgini Catharinæ Albuquerciæ, quæ postea Cœnobium rexit, in somnis illustre visum apparuit. Feminæ duæ, augusta specie, forma excellenti, eximio habitu, adstabant. Capitis ornatus antiqui moris, prisci ævi: calantica rugis virgata et cavata sinubus, caput ambiebat. Stolæ ad talos demissæ incisim simbriatæ ibant: pallæ candidissimæ pulchro ex humeris jactu pendebant: summas ad collum partes morsu aureo fibula stringebat. Hæ se F mortuo respicientes corridebant: interdum ad dormientem conversæ ei annuebant. Hanc nacta occasionem fiduciæ Catharina interrogavit: quid rei agerent? quid demum inter se agitarent? quidve tandem expectarent? Illæ hilares responderunt: præstolari se ibi Joanni Læto (is erat monasterii quæstor) dum ex Abbatissæ colloquio rediisset. Mox cum arrisissent dormienti, evanuere. Experrecta Catharina, et interpretata colloquium Abbatissæ et quæstoris, de transferendis Reginarum corporibus, illico ad domum se Bernardæ Abbatissæ contulit, et visum narravit, et dicta retulit. Arrepta occasione Bernarda ad institutum redit, et propalata Sororibus visione, religionem incussit repugnantibus; quarum vel elicito, vel extorto consensu, tumulos ad templum transtulit, et illos beneficiorum fontes publici juris deinceps fecit.

Quæ annis 300 in odeo steterant corpora,

in templum exterius transferre suadet Abbatissa

et post apparitionem Sanctarum persuadet

Hactemus Macedo: in quo legens Bernardam Lancastriam, filiam Alphonsi Infantis, postea Cardinalis, quem Giaconius octennem puerum a Leone X ad Purpuram nominatum ait, ea conditione, ut non ante decimum

A *decimum quartum annum Cardinalis diaconus censetur; factum autem Episcopum anno ætatis XXIV; impellor ut suspicer sacros Ordines et dilatos fuisse simul cum usu tituli Cardinalitii etiam usque ad annum circiter XX ante quem filiam istam genuerit, incertum ex qua matre (neque enim hujus Bernardæ aspiam alibi mentio reperitur) quæ si ipsa quoque annum agebat saltem XX quando Abbatissa Corporum translationem curavit, censeri posset res acta esse circa annum MDL. Donec aliunde certior ratio offeratur definiendi temporis.*

A. FRANC. MACEDO

72 *Denudo post hæc seculo apertus fuit tumulus Reginæ Teresiæ, quod hic narrare pergit Auctor; sed verbis suis: præ quibus malo legendam dare relationem magis authenticam qualem latinam fecit Jenningus noster, in Lusitanico Processuum libro repertam sub hoc titulo.*

RELATIO

Quomodo apertum fuerit Regium sepulcrum serenissimæ D. Theresiæ, Reginæ Legionis et Galeciæ, fundatricis conventus S. Mariæ Lorvanii, ubi sepulta fuit cum Infanta D. Sancia, sorore sua, fundatrice regii monasterii S. Mariæ Cellarum; sub Abbatissa D. Maria de Mendoza, anno Domini MDCXVII die VII Julii, feria VI, hora diei XI; descripta per D. Magdalenam de Vasconsellos Silveira, Religiosam dicti conventus.

B

Posteaquam tempus et ætas hinc transtulit ad præmia gloriæque cœlorum religiosas animas quibus videre et cognoscere contigit Reginam Theresiam, matrem atque Dominam nostram, cum eaque transigere hanc vitam temporalem in continuis pœnitentiis et laudibus divinis; æstuarunt semper illæ, quæ deinceps aliæ post alias habitarunt vixeruntque in hoc antiquo et nobili monasterio, ardentissimis desideriis aperiendi Reginæ sepulcrum, ut inveniretur sanctum ejus corpus, de quo tam mirabilia a majoribus ad posteros transmissa erant, credentibus futurum, ut inveniretur Deus illud conservasse integrum atque incorruptum, ad majorem gloriam suam et honorem, majoremque æstimationem illius, quæ tam sancte ei servierat in hac vita. Verum uti sine magnis laboribus acquiri non solent thesauri pretiosi; ita nobis thesaurum hunc nostrum conspiciendum dari, noluit Deus; nisi postquam multorum annorum cursus filias ejus plurium sanctorum desideriorum martyres effecit; quarum lacrymis ac suspiriis potenti sua manu tandem solatium ac remedium attulit, illo qui sequitur modo.

an. 1617

persuasæ de incorrupto Teresiæ corpore Moniales

C

74 Quædam hujusce monasterii Religiosa, D. Catharina de Silva, felicis memoriæ, singulari veneratione prosequebatur Dominam nostram sacri Rosarii; ritaque, non posse se alibi sanctius impendere bona sua, quam ubi in perpetuam cederent Reginæ Angelorum venerationem, seposuit cum facultate sacrorum suarumque Superiorum partem redituum, quibus gaudebat, collectaque magna nummorum vi, constituit erigendam curare aram dictæ Angelorum Reginæ, quam veluti pignus suæ erga ipsam religionis intueretur reliquis vitæ suæ annis, qui quatuor non amplius fuerant. Præparatis rebus omnibus necessariis ac rite dispositis, non continuo fluxerunt omnia prout Religiosæ ex voto ac sine amaritudine; quia locus in ecclesia nullus erat, ubi altare tam magnificum construi posset. Verum Deus, qui semper adjuvat promovetque ejusmodi opera pietatis, præsertim purissimæ suæ Matri impensa, hic quoque adfuit, excitando amore suo D. Eleonoram de Noronha Sanctæ memoriæ, ut ipsa ad constructionem tantæ machinæ favorem opemque suam conferret. Hæc enim Religiosa virgo, cum haberet in ecclesia oratorium suum in pariete, qui respicit claustrum; ubi locus erat maxime commodus novo altari; id ipsum cum lacrymis devotionis obtulit sanctissimæ cœlorum Reginæ, et oblatione hac spontanea atque jucunda abstersit lacrymas et planctum D. Catharinæ de Silva, neptis suæ, cum gaudio et applausu omnium, videntium hanc vota sua lætam attigisse.

D

75 Principium igitur datum operi fuit rumpendo murum, qui ecclesiam nostram separat ab ecclesia exteriore, sic ut, manentibus, quæ illic erant quibusdam pilis, transitus pateret liberrimus ex una ecclesia in aliam. Ut viderunt id Religiosæ, omni alia consideratione posthabita, contulerunt se eo leoninis animis, amore matris nostræ et D. Reginæ Theresiæ impulsæ: prostraveruntque sese ad pedes regii sepulcri, cui appropinquare eis non licuerat multis annis: ex quo scilicet serenissima D. Bernarda Lancastria, filia Infantis Cardinalis D. Alphonsi et neptis potentissimi Regis [Emmanuelis] et Reginæ D. Mariæ, ipsam transferri curavit ad ecclesiam exteriorem eo animo, ut corpori ejus, uti et sororis ipsius D. Sanciæ, excitaret mausolæa duo tanta magnificentia, quanta expectari poterat a Principe tam religiosa et consanguinea illarum; si mors in medio annorum cursu non abstulisset ei vitam, et huic monasterio amantissimam superiorem....

occasione patefacti ad tumulum accessus,

E

Post hæc considerantes Religiosæ, opportunum adesse tempus consequendi quod tantopere cupiebant; egerunt cum operariis, altari fabricando intentis, ut vectibus ferreis amoverent lapidem, qui sepulcrum, contegens arcæ formam habet; tantusque erat, ut duodecim robusti homines vix levare eum potuerint, cum sepulcro imponebatur. Operarii autem cum Præfectis suis, rogatu et lacrymis Religiosarum moti, elevaverunt aliquantum lapidem, interjectisque cuneis quibusdam ferreis pransum abierunt. Hoc edoctæ Moniales, scientesque præterea portas templi exterioris clausas, et claves, uti moris est, penes Confessorem esse; ad ecclesiam properarunt; acceptumque ab altari scabellum, ex uno assere admodum subtili factum, posuerunt humi, atque invocato nomine Reginæ Theresiæ Matris nostræ ac Dominæ, quinque aut sex nostrum duobus vectibus ferreis elevaverunt lapidem, quantumvis grandem, summa cum facilitate ac felicitate. Prodiit e loco mox odor suavissimus, indicium sanctitatis illic latentis: perfusæ fuerunt Moniales omnes consolatione quadam spirituali, uberes exprimente lacrymas, visæque sibi sunt deliciis cœlestibus frui. Lapidem interea, quem elevaverant, inversum deposuerunt in terra, altera sui parte prementem scalas, quæ forte illic jacebant: altera scabellum, de quo diximus: et quod mirum est, accedentibus etiam ad tantum lapidis pondus Religiosis pluribus illi insistentibus; neque scalæ, neque scabellum, tametsi tenuia et fragilia, usquam rupta fuerunt.

ipsum mira facilitate aperiunt;

F

76 Remoto lapide illo, apparuit alius candidissimus, quem vulgo jaspidem vocant, maculis quibusdam purpureis interstinctus, operiebatque regium corpus, et nullo negotio sublatus fuit. Hic erat videre Reginam, nostram matrem ac dominam, toto corpore conspersam ramusculis cinnamomi, et rorismarini, immixtis quibusdam lauri, quam Carvallum vocant: rosis item floribusque cæruleis tam vividis recentibusque ut aquæ injecti, viderentur a diebus paucis decerpti esse. Induta erat habitum sacræ Religionis

et Corpus incorruptum reperiunt, uti et vestes floresque inspersos.

Religionis nostræ, qui candido quidem conficitur ex panno, sed illic color ille perierat a calce et aceto, quæ tumulo apposita fuerant. Sub hac veste aliam induebatur tunicam ejusdem coloris, sed candidissimi adhuc et nulla parte immutati : dixisses tunc primum illa vestitam fuisse. Caput velamine suo nigro tectum, humeri palla circumdati, pedes calceati sandaliis coriaceis, integris ac veluti recens factis, alterius tantummodo solea, una parte sui, soluta erat ; quam et abstraxerunt, pro reliquia servandam. Eo autem facto denudatus pes fuit : apparuitque albus et carnosus unguibus, digitis, et planta integerrimus et lineamentis suis distinctus ; quod admirationi spectantibus fuit.

ejusque situm ac formam describunt

77 Corpus (jussu Reginæ ipsius et mandato factum id fuerit, ut humilitatem et mortificationem, quam vivens exercuerat etiam mortua doceret) corpus, inquam, duobus locis circum ligatum erat funiculis, e cruda et vili stupa convolutis, integris adhuc et stringentibus ; eratque staturæ mediocris sed obesum. Sublevavit illud Bernarda a Conceptione, virtute ac moribus religiosis ornatissima, valetudinario Conventus præfecta atque etiam medica; compertumque est plane integram. Caro et color ubique qualis in vultu, nisi quod illa aridior esset, ubi majori copia calx jacta fuerat. Candebant nitidi in ore dentes, facientes in illo umbram nigram. Lingua carnosa, ejusdem cum vultu coloris, videbatur perfectissima fuisse. Manus jungebantur supra pectus, sed veluti exesæ atque aridæ ; id quod sine dubio, debebatur injectæ calci.

cum multis lætitiæ signis

78 Ita se habebat sacer ille thesaurus in isto loculo, cœlestem plane fragrantiam diffundente. Accurrebant religiosæ filiæ, uberibus lacrymis præ teneritudine animi perfusæ, ad osculum et tactum corporis, cantantes hymnum, Te Deum laudamus ; et præferentes manibus cereos ardentes ; adhæc æra campana certatim læto tinnitu pulsantes, testabantur commune gaudium, et in omnibus laudabant Deum, quod in diebus nostris monasterium hoc tanto beneficio dignatus esset. Admovebant etiam sacro corpori coronas precatorias, et quidquid reliquiarum nancisci poterant avide quævis auferebant. Imo tantus erat recedentium ad sacrum pignus ardor et affectus, ut abstrahi inde vix possent, et non nisi summo cum dolore ac mœrore animi recederent : atque tum etiam relinquere ibidem cor suum videbantur : solet enim hoc admodum difficulter separari ab eo quod ardenter amat. Accedebant quoque ægræ et infirmæ ad hanc misericordiæ arcam ; omnibus remedia patentibus salutiferam. Et vere grandia ac mirabilia in iis operatus est Deus per merita Reginæ Matris nostræ atque Dominæ ; quemadmodum videri poterit in examine, quod super istiusmodi rebus instituitur.

ac denuo cooperiunt ;

79 Postquam visitaverant regium sepulcrum, et prostratæ humi Religiosæ, largas ibidem fundentes lacrymas, amoris sui ac desiderii testes, tandem avulsæ a matre ac domina sua sunt, ac reverterunt in monasterium, præter matrem Abbatissam atque Æditimam, quæ ibidem subsistentes, operuerunt sacrum corpus pretioso panno rubro, acu picto ; et coronarunt tumulum, dispositis circum magno numero candelabris argenteis cum cereis suis ; dum reduces operarii reponerent lapidem loco suo. Ubi vero adfuerunt illi, imposuit Æditima memorato corpori, primo velum tenue, per medium aureis lineis distinctum ; deinde pannum alium viridem e bronzino : tum lapidem reposuerunt jaspidem : ac tandem magnum sepulcri operculum : cui injecerunt pannum, de quo dixi modo, acu pictum. Atque ita istic relicta fuerunt omnia toto die illo. Religiosæ vero ad crates ecclesiæ manserunt, toto animo in dictam matrem et Dominam suam intentæ : quam utinam, cum Infanta D. Sancia, brevi videamus Beatorum albo inscriptam ! ut mundus honorare illas et festam earum lucem celebrare cum facultate sanctæ Sedis Apostolicæ possit ad gloriam hujusce regii conventus Lorvaniensis et totius regni Lusitaniæ.

excommunicatæ nihilominus pro violato claustro,

80 Quamvis autem aperuerint Religiosæ, Reginæ Theresiæ matris nostræ ac Dominæ sepulcrum vehementi erga illam amore stimulatæ ; fueritque hic illarum operatio magnæ pietatis actus ; nec potuerit immoderatius fortasse studium contemplandi objectum tam sacrum, culpabilis excessus reputari : non continuo non castigarunt Moderatores factum, pronuntiantes, rigorosam excommunicationis sententiam adversus totum conventum, aliasque particulares pœnitentias imponentes ; exemptis inde dumtaxat Religiosis sex, quæ chorum interea frequentarent, atque officii ordinarii pensum Deo persolverent. Reliquæ omnes suspensæ fuerunt, lueruntque culpas suas, ex eo, ubi aiebant, contractas, quod clausuram violassent, contra constitutiones sacri Concilii Tridentini delinquentes. Verum quidem est, illud non ignorasse Religiosas, priusquam expeditionem tam felicem fortunatamque susciperent : sed desiderium commune videndi Reginam, matrem ac Dominam nostram, prævaluit superavitque obstacula quævis : et memores beatæ illius visionis, voluptatisque ex ea perceptæ, alacres subierunt pœnitentias, quantumvis rigidas, quæ sibi injungebantur.

devote satisfaciunt

Quin etiam existimabant, asperrima quæque nihil asperi habere, collata cum bonis, quibus fruitæ fuerant. Et vero erant talia, quæ numquam satis æstimari ac prædicari poterunt in hac vita. *Cæterum pietatem ipsarum minime ingratam Deo fuisse, probatum videtur miraculis interim divinitus paratis, in sorore Maria Aria, et Monasterii ancilla quadam Maria Aquilaria, a paralysi et hemiplexia curatis : prout hic Maceto narrat et nos infra legendum dabimus ex processu.*

CAPUT XII.

Argumenta alia antiqui cultus.

Breviarium Cistercien

In Breviario Cisterciensis Ordinis Vallisoleti apud Franciscum Ferdinandum de Corduba anno 1611, in festo Sanctæ Franchæ folio 820 et 821, sic legitur. *Eo tempore quo gloriosa Cistercii vinea, incrementum dante Deo palmites suos extendebat usque ad mare ; vinum ejus pretiosum tot sanctas virgines germinavit, ut nullatenus valeant numerari. Imprimis namque protulit Gallia Sanctam Umbellinam, B. Patris Bernardi carne sororem, sed Spiritu sancto Monialium sui Ordinis genitricem : Polonia, Hedwigem Ducissam, et filiam Gertrudem : Brabantia Lutgardem, Elisabetham, Idam, Getam, Catharinam, Aleidam, et Julianam ; Hispania in Valentia Theresiam Reginam, et in Lusitania tres sorores ; Teresiam, Sanciam, et Mafoldam Reginas etc.* Fasti sive diptica vulgo Martyrologia Sanctorum Ordinis Cistercii Teresiam et Sanciam speciatim nominant, cum palam leguntur, ut assolet : Teresia, XV Kal. Julias ; Sancia, III Idus Apriles. Hæc dies anniversariæ habentur et natalitiæ : quibus apud Moniales Lorvanii, templum ornatur, aræ parantur, solennia peraguntur : dicitur iis sacer Panegyricus, Missa sicut in die Omnium Sanctorum celebratur. Idque primo ab Henrico Cardinali præscriptum per litteras ad Abbatem Alcobatiæ Generalem Ordinis, imminente Capituli generalis tempore, in quibus mandat, ut in eo statutum fiat, quo caveatur, ne in diebus Anniversiis Theresiæ et Sanciæ celebretur Missa pro defunctis

Milium Ordinis,

A Francisco Macedo festiva anniversaria,

defunctis, sed sicut fieri in festo omnium Sanctorum solet, ita illis diebus fiat. Qua de re conditum est decretum, Lorvanium ad Abbatissam et confessarium cum mandatis missum, ut secundum constitutum ea deinceps sacra peragerentur, dum Romanæ, uti par est, Ecclesiæ judicium expectabatur. Adde quotidianas de iisdem Commemorationes in choro, quæ ab initio fieri cœptæ religionem asserunt. Visuntur, et privatim intra cœnobium, et publice in templo effigies antiquissimæ, exesæ et consumptæ vetustate, eæque et radiatæ et coronatæ; non factæ proximis temporibus, sed a priscis acceptæ, quæ situ ipso venerationem et honorem sacrum ingenerant in animis intuentium: quarum, quod ignoratur origo, nobilius initium habent: quemadmodum eo clariores familiæ existimantur, quæ sunt propter antiquitatem abstrusiores: Ac uti fumo nobilitantur imagines Majorum, ita, et situ commendantur effigies Beatorum.

effigies radiatæ

quæ omnia non temere cœpta:

82 Hic cultus a recentioris memoriæ viris, non datus, sed redditus; non tributus, sed restitutus. Nec id vulgi pietati assignandum (quod in Lusitania nimis est pium) sed ad solidam ac idoneam Antistitum et Generalium auctoritatem referendum; qui cum sedulo causas inquisissent, et diligenter examinassent, compererunt veris ac solidis niti fundamentis; sin minus obviam ituri, et omnino superstitionem eversuri: præsertim postquam Sanctæ Inquisitionis in eo Regno auspicato et feliciter erectum tribunal, et Fidei in eo vindices et custodes constituti, populos in officio continent, vigilantque diligentissime ne quid obrepat, non modo superstitiosum, sed ne suspectum quidem; memores Domum Dei non solum crimine, verum etiam suspicione carere oportere. Hi si quid invenirent minus fidei et honestati consonum, non susciperent, susceptum non paterentur: quod ipsum argumento est, quidquid ab iis admittitur et toleratur, pium ac religiosum habendum. Hac ratione fit, ut nusquam purior et perfectior sit Religio (pace aliorum dixerim) quam in Lusitania; idque ego, qui majorem sum Europæ partem pervagatus, verum esse comperi, et pro comperto affirmo. Ut nullum esset aliud, quam hoc quod subjicio, Henrici Cardinalis ac postea Regis; de Reginarum sanctitate et qui eam secuti sunt eventibus testimonium, satis, opinor, esset ad communem existimationem et sustinendam et confirmandam. Qui enim norit quantæ et virtutis et sapientiæ Princeps fuerit; is minime dubitabit, quin quod ab eo et creditum et probatum fuit, id prorsus et verum et sanctum sit habendum. Igitur exemplum ejus Epistolæ ad Abbatem Sanctæ Mariæ a Tamaranibus, Ordinis Cisterciensis S. Bernardi, afferre operæ pretium duco: quæ ejusmodi est. Pater Abba Sanctæ Mariæ a Tamaranibus Cardinalis Henricus tibi salutem dico. Accepi in Monasterio Lorvaniensi sepulta esse corpora Reginæ Teresiæ, filiæ Regis Sancii Lusitaniæ, olim uxoris Regis Legionis; et Infantis Sanciæ, ejus sororis, Dominæ Alenquerii, quarum, et virtutum et miraculorum plurima existunt monumenta in tabulario monasterii custodita, et traditione confirmata: cui accedunt multa, quæ quotidie ab iisdem patrantur clara miracula. Ex quo cum Dei gloria, religionis honor, et corporum animarumque salus, et communis utilitas haud dubie consequatur; propterea tibi serio injungo; ut quam primum eo te conferas, et de his omnibus diligenter inquiras, et quæ vera comperies, de iis me facias certiorem; ut cum omnia perspecta et explorata habuero, ad Dominum meum Regem scribam, postulans ut velit earum memoriæ consecrandæ pium a nobis negotium suscipi, et ad id suam apud Romanum Pontificem auctoritatem interponat. Quod si ad inquisitionem rerum opus sit in monasterium intrare; ejus rei tibi ego, cui tua probe cognita virtus est, facio potestatem. Vale. Eboræ V. Idus Augusti, anni MDLXXIV.

accedit judicium Card. Henrici,

inquiri de miraculis jubentis

Cardinalis Henricus.

an. 1574: item responsio Commissarii,

83 His litteris sic Abbas respondit. Celsissime Princeps, Tuis acceptis, Lorvanium me ad monasterium contuli, et quod expedire visum fuit, assumpto in socium Confessario, intravi in Cœnobium. Recognovi scripturas tabularii, inter quas erat vetustus codex manuscriptus, qui referebat, Teresiam, Sancii primi, filii Alphonsi, filii Henrici eximii bellatoris, a quo Mauri ad Oriquium superati fuerunt, nuptam Regi Alphonso Legionensi, sine facultate Pontificia et propterea ab eo post susceptos aliquot liberos separatam, et suscepto habitu religioso cum aliis religiosis feminis in Lorvaniensi monasterio professam Monialium institutam fuisse: Dominam item Sanciam sororem, dominam Alenquerii, virginem permansisse; a qua cœnobium Cellas dictum prope Conimbricam ædificatum, cum monialibus religiosam vitam duxisse, tam arctam et asperam, ut similis illi antiquæ anachoritarum videretur: utramque autem vivam et defunctam multa patrasse miracula, quemadmodum eodem (cujus exemplum ad Celsitudinem Vestram mitto) codice constabit, quæ propterea prætermitto. Et inquirenti mihi de recentibus, plurima Moniales narraverunt, quibus fidem fecit me præsente, quidam hydropicus, qui vix moveri poterat, et palam Ecclesiam ingressus, et prope sepulchra positus et post fusas pro eo preces, sanatus fuit. Quin imo et ego, cui albugo inveterata inducta macula lædebat oculum, et adimebat visum; concepta ex eo quod videram spe novi miraculi, cum ad ea me sepulchra applicuissem, subito cadere sensi albuginem, et maculam deleri, et oculum liberari, et ex integro visum restitui. Cæterum miracula examinavi ac reperi constare omnia, testimoniis idoneis et juramento confirmatis, quemadmodum ea mitto ac exhibeo Celsitudini vestræ fideliter transcripta. Cui placebit ea more solemni opera Ordinarii explorare, et confirmare, et publicare. Injiciat Deus hanc mentem Celsitudini Vestræ, ut quas sanguine Regio contigit, earum honorem et gloriam amplificet, et venerationem et consecrationem, a Summo Pontifice procuret impetretque, ad hujus Regni solatium et gloriam, et Ordinis nostri decus et ornamentum. Servet Deus ac sospitet Celsitudinem Vestram. E Monasterio Sanctæ Mariæ a Tamaranibus XIX Octobris, anno MDLXXIV. Has ego litteras ex Lusitano idiomate in Latinum quemadmodum, et sequentes Sebastiani Regis fideliter transtuli.

qui omnia vera compererit,

ipse etiam curatus in oculo.

His intellectis Rex Sebastianus,

84 Quanta autem fuerit Regis in Deum religio, in tuenda et propaganda fide studium, erga Romanum Pontificem observantia, præter privatas insignes virtutes quibus excelluit, alias sæpe scripsi. Ab eo igitur hujusmodi testimonium de sanctitate et miraculis Teresiæ ac Sanciæ in litteris ad Conimbricensem Episcopum (in qua diœcesi est Lorvanium) missis exaratum sic sonat: Episcope et Comes. Salvere te Rex jubeo. Ex meo caro et venerabili magno patruo, Henrico Cardinali, intellexi Lorvanii in claro diœcesis tuæ oppido jacere corpora Teresiæ Reginæ Legionensis, et Sanciæ Infantis Alenquerii Dominæ, quæ S. Bernardi Cisterciense institutum professæ, sancte vixerunt et obierunt, quarum ope Deus multa miracula patrare dicitur. Quare mando tibi per has litteras, ut sive per te, sive per alium et alios ministros, des operam deligenter, ut de illarum virtutibus et miraculis sedula et accurata inquisitio fiat; et quidquid constiterit, de eo me facias certiorem. Deliberatum quippe est mihi, eo

Episcopo Conimbric.

comperto

comperto, impetrare a Summo Pontifice, ut earum in Sacris ratio habeatur. Id tibi eo impensius commendo, quo arctior mihi cum iis est Regii sanguinis cum filiæ fuerint Sancii I, et neptes Alphonsi I Regum, meorum progenitorum) necessitudo, et major ex earum consecratione gloria ad me Regnumque meum redundet. Ac omnino scias velim, hoc tuum erga me officium gratum mihi imprimis, ac jucundum fore. Sintræ XI Januarii MDLXXV. Ad hanc epistolam ita rescripsit Episcopus. Serenissime Rex. Acceptis mandatis Serenitatis tuæ, Lorvanium contendi, ut quæ de vita et miraculis Teresiæ et Sanciæ tradita essent traderenturve ad normam Concilii Tridentini dirigerem, et directa ad Serenitatem tuam mitterem, et inspecto jam codice antiquo, in quo referebantur plurima ab iis et dum viverent et postquam fuerunt mortuæ facta miracula (de quibus accedente traditione, nefas duxerim dubitare) cum vellem ad recentiora procedere, eaque idoneis testimoniis comprobare; inopinata me invasit febris, quæ desistere ab incepto ac redire domum coegit. Ea me, quasi ultrix meæ diffidentiæ Conimbricam usque insecuta, non ante deseruit, quam mihi in remedium adhiberetur, a quodam Presbytero meo sacello præfecto, theca quædam plena pulvere ex illarum sepulcris, quam secum dedita opera inde attulerat: qua adhibita statim depuli febrem. Puduit me tunc ac etiam nunc pudet, fateor, timiditatis meæ, quod cum tam præsens ac tam prope medicina esset, minus ei fisus fuerim et spem abjecerim; quod mihi illæ ipsæ visæ sunt exprobrare, et cum febrim reliquerunt, et cum ademerunt. Decreveram respondere beneficio, ac redire, sed adulta jam quadragesima, et appropinquante Majori hebdomada, excludor tempore. Verum post Pascha me Serenitati Tuæ rediturum, et rem confecturum recipio. Quæ recentia, quorum magnum esse numerum puto, invenero, ea cum perspicue scripta, tum plene probata transmittam. Ceterum spero ope ac præsidio harum sanctarum Reginarum, et te diu salvum, et me lumen futurum, et quæ agitas contra hostes fidei bella prosperum exitum habitura. Vale Rex Serenissime. Aprili mense anno MDLXXV. Episcopus Comes.

idem mandat

an 1577

et simile responsum accepit,

a fatente se per eas febri liberatum;

85 Ecquis hic fuerit ex subscriptione non constat: Emmanuelem Menesium existimamus esse, qui prius Lamecensi Ecclesiæ præfuit, et cum Conimbricensi præesset, in Africam cum eodem Rege Sebastiano, belli Sacri causa, trajecit; ibique in funestissimo illo apud Alcazarem prælio interiit. Verum nec Episcopus datam implevit fidem, nec Rex Sebastianus exegit, quidquamve præstitit, quod ad causam faceret: quod bellica, quæ tum ab Rege in Africam suscepta erat expeditio, curas omnes et privatas et publicas eo converterat: cum Rex adolescens acer et ferox nihil aliud præter arma et equos, milites et nautas, exercitum et classem mente agitaret. Quare et Episcopos, et quoscumque, cujuscumque essent conditionisve forent, dummodo usui quoquo modo esse possent, eodem secum trahebat: imprimis Conimbricensem Antistitem, qui Comitatus jure ac titulo fruitur, et amplis opibus abundat, quod quinquaginta fere aureorum millia ex annuis reditibus colligit. Henricus vero, qui Sebastiano successit, calamitatibus, ex clade illa Africana consecutis, sic est oppressus, ut respirare quidem vix potuerit. Itaque brevi, mœrore juxta, et senectute confectus obiit anno MDLXXX. *Nec tamen continuo cessavit conceptum semel solicitandæ Canonizationis propositum. Brandonus enim lib.* 14 *cap.* 10 *sic scribit:* In monasterio meo Inquisitio facta est anno MDXCV per Doctorem Fr. Laurentium de Spiritu sancto, dignissimum nostræ Religionis Bernardinæ Generalem in regno Portugalliæ; in qua sunt multa consideratione dignissima quæ sanctas Reginas operatas fuisse constat. *Minus tamen deinceps*, ob rerum et temporum vicissitudines, licuit hanc in rem serio incumbere; donec anno MDCXXXIV, de integro suscepta est causa a conventu Lorvaniensi, facta ad id a Generalibus Ordinis Lusitanicis (qui nulli præterquam Summo Pontifici sunt obnoxii, et summam et totius suæ familiæ rerum tenent) potestate. Itaque illo anno nova facta est inquisitio, ex præscripto Tridentini Concili, in virtutes et miracula ab Ordinario Conimbricensi, et in solemnem formam redacta; et postea Romam missa, et in Sacra Rituum Congregatione proposita, cujus fausta fuerunt initia. Assignatus quippe fuit Auspex et Patronus (Ponentem dicunt) Eminentissimus Cardinalis Sacchettus: sed initiis minus eventus respondit, mortis ejusdem interventu. Nunc resurgit optima spes, suffecto in locum demortui Eminentissimo Cardinali Delcio; cujus ope ac patrocinio sperandum, ut a S. D. N. Clemente IX, qui hodie novus sol illuxit Ecclesiæ, qua est in Superos pietate, illarum memoria consecretur.

quis ille fuerit ?

quo casu abruptum negotium ?

A. FRANC. MACEDO

1634 resumpsere Lorvanienses.

86 *Hactenus Macedo, qui post editam præsentem Historiam an et quantum profecerit in commendato sibi negotio, necdum intelleximus: solum scio, quod anno MDCXLV, mense Julio, Romam appulerit, eo missus a suo Generali, P. Fr. doctor Bernardus de Castelbranco, cum Regiis ad eamdem causam litteris, quibus pariter commendabatur causa Beatæ Mafaldæ.*

PROCESSUS

Pro beatificatione et canonizatione Sanctarum Reginarum curanda fabricati.

CAPUT I.

Præfatia Collectoris C. I. ejusdemque interpretis: et miracula quædam ex litteris excerpta.

Variis temporibus et a variis personis id ægi cœptum, ut inquireretur in Reginarum, et si jam vel ipso Sanctarum, virtutes et miracula, quibus etiam cum superna Sedis Apostolicæ auctoritate declarari sanctæ possent. Cœpit id ab anno MDLXXIV: ut puto, Eminentissimus ac Serenissimus Infans Lusitaniæ, Cardinalis Henricus, scriptis ad Abbatem S. Mariæ a Tamaraensibus, litteris; quibus significans, audiisse se multis, quæ quotidie patrantur ad sepulcra Reginarum Lorvanii, miraculis; *mandat; eo sese ut conferat Abbas, et sedula inquisitione facta, quidquid de vita et miraculis secundum Dei misericordiam, ad se Conimbricam fideliter transmittat, ut ipse certiorem faciat de omnibus Regem, cum eoque tractare possit de modo augendi honorem Reginis per Apostolicam Sedem.*

In miracula Reginarum inquiri jubent seculo, Card. Henricus,

2 *Non multo post Rex ipse, Sebastianus is erat, Conimbricensi pratiæ nepos, eorum super argumento scripsit anno MDLXXV ad Episcopum Conimbricensem, nomine ejus patronum, per eum a Abbatem jam nominatum ac suo latus; post quam excludendi erant libris et miraculis Reginarum inquisitio facta fuit, et quod quid compertum fuerit ad se referri; ut, si vera sunt,* inquit, quæ passim dicuntur, informare per litteras sanctissimum Dominum nostrum de hoc particulari negotio, et supplicare pro beatificatione publicaque Reliquiarum veneratione, uti par est, possimus. *Sed pia Regis istius desideria, interveniente contra Mauros in Africa pro fide Catholica fortiter præliati, et gloriosa mortui cæde, eventu optato caruerunt, reservata, uti optamus spe bona, pleniori in tempora pacifici Regis, qui modo Lusitaniæ sceptra moderatur, multiplici a Deo benedictus, et novi hac benedictione cumulandus.*

et Rex Sebastianus,

effectu tunc non secuto.

INTERP. C. I. Inquisitum deinde a P. Laurentio Generali Cisterc. anno 1595,

3 *Iterum idem tentatum fuit anno* MDXCV, *si vera sunt, quæ in codice nostro MS. Processuum referuntur ex Parte quarta Monarchiæ Lusitanicæ Doctoris Antonii Brandani Cisterciensis et regni Lusitaniæ Chronologi majoris, lib.* 14 *cap.* 10 *sic loquentis:* Penes me Inquisitio quædam *miraculorum,* facta anno MDXCV a Doctore Fr. Laurentio a Spiritu Sancto, dignissimo Generali Sacri Ordinis nostri in regno Lusitaniæ; in eaque multa sunt consideratione digna, quæ constat operatas esse Reginas sanctas. *Hanc Inquisitionem miraculorum esse puto illam, quæ in codice MS. vocatur,* Summarium Testium, factum a Reverendiss. P. Fr. Laurentio, Generali quondam Ordinis S. Bernardi, super miraculis Reginarum D. Sanciæ et D. Theresiæ, *ac subinde illud dictum Processui, per Rev. D. Benedictum de Almeida fabricato anno* MDCXXXIV. *Inquisitio illa miraculorum sive Summarium, continet depositiones Testium amplius triginta, inchoatum quidem, uti ait Brandanus, aut etiam majori parte confectum anno* MDXCV; *non tamen finitum nisi triennio post: quando pro inquirendis miraculis, Laurentius Generalis R. P. Fr. Antonium a Conceptione, Rectorem collegii S. Bernardi Conimbricæ, qui tres ultimos testes examinavit, ac inter illos D. Elisabetham de Norogna, tamquam testem* CCXXIX *ordine codicis; tunc natam annos* XXIV. *Eadem autem Elisabetha de Norogna antea etiam examinata fuerat, tamquam testis* CCXVIII, *a Rev. P. Generali Laurentio, tunc nata annos* XXI; *ut triennium inter utramque examen ejus intercesserit. Atque adeo si primum factum fuit anno* MDXCV, *alterum incidit in annum* MDXCVIII.

et a P. Antonio a Concept. an 1598,

4 *Unum hanc chronologiæ objici posse video quod eadem Elisabetha de Norogna recurrat, atque eadem, qui hic, de curatione fratris sui Simeon, Comitis de Mira, deponat in Processu anno* MDCXXXIV *auctoritate Ordinarii confecto; inquiens, in illo, se annos natam esse* XL. *Et quo sequeretur, quod anno Domini* MDXCVIII *numeraverit annos ætatis* XXIV; *et anno Domini* MDXCV *habuerit ipsa annos* XXI; *atque adeo utroque illo anno tam Domini, quam ætatis ejus, utrumque prædictum examen institutum fuerit: non autem anno Domini* MDXCV *et* XCVIII. *Vel igitur erratum est in citatione Brandani et anno* MDXCV, *quo Generalis Laurentius examen suum instituisse dicitur; vel erratum est in ætate, quam habuit Elisabetha de Norogna, quando ab Archidiacono Almeida examinata fuit anno Domini* MDCXXXIV. *Ultimum malim concedere, eo libentius, quod levi mutatione aut transpositione numeri error corrigi posse videatur, adscribendo ætati Elisabethæ annos* LX *pro* XL. *Si enim in ultimo examine anno Domini* MDCXXXIV *habuit annos ætatis* LX, *anni ætatis ejus* XXI *et* XXIV *incident in annos Domini* MDXCV *et* XCVIII *sic omnia videntur salva esse.*

(non vero 1618, ut videtur objici posse)

5 *Denique expositio facta fuit Inquisitio anno* MDCXXXIV *jussu Capituli ecclesiæ Conimbricensis, Sede vacante, per Reverendiss. D. Benedictum de Almeida, Archidiaconum Conimbricensem, a Capitulo ad hoc legitime deputatum: qui fere quadraginta Testium depositiones, excepit atque in tabulas publicas referri mandavit a dilecto sibi ad hoc Notario ex approbatis Emmanuele d'Abreu; qui in omnibus ei præsto fuit, testes cum ipso audivit, testimonia seu depositiones scripsit et subscripsit, omniaque uno in codice collegit. Idem Emmanuel isti processui primario deinde subjunxit eodem in codice, processum alium de quo paulo ante a Generali Ordinis fabricatum: et huic demum subjecit epistolas Cardinalis Henrici et Regis Sebastiani, de quibus initio, cum responsis Abbatis atque Episcopi, aliisque ad vitam, sepulturam, cultumque Reginarum spectantibus monumentis; in quibus locum quoque habet Relatio Magdalenæ de Vasconsellos, narrantis, quo modo apertum fuerit anno* MDCXVII *die* VII *Julii Sepulcrum Regum D. Theresiæ ejusque corpus inventum sit incorruptum. Hæc omnia scriptorum monumenta, unum in codicem, ut dixi, redacta; fideliter ex ore testium excepta, aut originalibus suis descripta esse, testatur et subscribendo confirmat prædictus Notarius Emmanuel d'Abreu anno* MDCXXXIV.

et a Benedicto de Almeida an 1634,

referente omnia in codicem unum Emmanuele de Abreu:

6 *Eumdem codicem totum anno* MDCXL *die* XXIV *Septembris testatur* Dominicus Carvallio Lusitanus diœcesis Ulissiponensis, Romæ *tunc* habitans, se interpretatum esse de verbo ad verbum in 215 foliis chartæ ex proprio originali, 142 foliorum, et ex vernacula Lusitana lingua vertisse in Italicam; bene et fideliter et cum veritate, ipsumque concordare, et collatum esse cum suo originali. *Interpretatio illa in archivum Congregationis Sacrorum Rituum illata est, ex eaque deinde desumptum exemplar,* quod cum originali interpretatione processus auctoritate ordinaria fabricati, inter seras officii S. Rituum Congregationis existente, collationatum concordare, *totidem verbis suis latinis testatur* die XXIV Februarii MDCLXVI Horatius de Abbatibus, S. Rituum Congregationis Notarius, Cancellarius, et Archivista.

qui ex Lusitana lingua italice versus

servatur in S. Congr. Rituum

7 *Hoc exemplar dicti Codicis atque interpretationis Italicæ nos Romæ nacti, dum ipsa Sanctarum Reginarum Acta, Antuerpiæ prælo subjicienda et loco suo, id est, hoc die* XVII *Junii imprimenda erant; festinanter discussimus, eaque præcipue inde collegimus, quæ aut miracula vere sunt aut pro talibus habita ac deposita fuerunt a Testibus juratis, et hic legenda proponimus eo fine et auctoritate, quam in se et in codice suo habent; necdum quidem approbata ab Apostolica Sede; collatura tamen fortasse aliquid, ut Reginæ, vulgo, uti diximus, Sanctæ; vere tales a Sede Apostolica declarentur brevi; quod serio id nunc agitur Romæ; Ponente (ita vocant, sic) Patrono causæ Eminentissimo S. R. Ecclesiæ Card. Albano, cujus primem, etiam tum juvenis, singulare studium in Sanctos eorumque gloriam augendam loquuntur hæc Acta tomo* 3 *Aprilis pag.* 345 *num.* 5 *Commentarii de S. Marco Evangelista, cujus ibi encomium ex græco latinum fecit: curante vero Reverendiss. P. Fr. Bernardo de Castelbranco, Doctore Laureato S. Theologiæ per universitatem Conimbricensem, ejusdemque Magistro jubilato; nunc pro Ordine suo Cisterciensi per regna Lusitaniæ, Procuratore Generali in Curia Romana, specialiter deputato in causis beatificationum et canonizationum Reginarum Theresiæ, Sanciæ ac Mafaldæ.*

et exemplar ejus ad nos pervenit;

8 *Dici speramus ut* brevi *declaratio illa fiat a Sede Apostolica. Jam enim nuntiatur nobis, Illustrissimum ac Reverendiss. D. Joannem de Mello, Episcopum Conimbricensem, vi litterarum Remissorialium et Apostolica auctoritate Judicem delegatum in causa de qua agimus, processum, circa cultum Reginarum Theresiæ ac Sanciæ a tempore immemorabili confecisse in diœcesi sua annis* MDCXCVII *et* XCVIII, *et Romam ad Congregationem Sacrorum Rituum misisse, addita sententia sua ita pronuntiantis:* Christi nomine invocato. Pro tribunali sedentes, et solum Deum præ oculis habentes per hanc nostram definitivam sententiam, quam de peritorum consilio ferimus in his scriptis in causa et causis Beatificationis, et Canonizationis Venerabilium servarum Dei Teresiæ et Sanciæ filiarum Sancii primi Regis Lusitaniæ, vertentibus coram nobis ab Apostolica Sede in vim litterarum Remissorialium Congregationis Sacrorum Rituum in Judicem deputatis, inter Reverendum Patrem Doctorem Josephum a Cugna Religiosum Ordinis Cisterciensis Procuratorem specialem constitutum in hac causa ex una, et Doctorem Emmanuelem Henriquez de Carvagho Promotorem fiscalem hujus Curiæ Episcopalis Conimbricensis ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Prospero Bottinio Sanctæ Fidei Promotore deputatum, nec non Doctorem Emmanuelem Joannem a nobis in vim litterarum ejus

ubi et sententia Episcopi Conimbricen

auctoritate Apostolica judicis delegati

A ejusdem D. Promotoris Fidei nominatum, in solidum deputatos Subpromotores ex altera parte, de et super casu excepto a Decretis felicis recordationis Urbani Papæ Octavi in Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis super non cultu editis; visis litteris nostræ deputationis ab Eminentiss. et Reverendiss. Cardinali Cybo Sacrorum Rituum Congregationis Præfecto sub die decimo tertio Januarii anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi MDCXCVI relaxatis una cum Commissionem introductionis hujusmodi causæ, manu Sanctissimi signata, et Decretis ejusdem Sacræ Congregationis in eisdem litteris insertis: visis speciali Constitutione Procuratoris, et deputationem Subpromotorum respective; visis depositionibus testium coram nobis Judice delegato legitime inductorum, juratorum, et examinatorum Scripturis, Juribus, et documentis productis, et compulsatis, aliisque coram nobis deductis, viso toto Processu, et visis videndis, et examinatis examinandis; Christi Nomine repetito, dicimus, decernimus, declaramus, pronuntiamus, et definitive sententiamus constare Venerabilium Servarum Dei Teresiæ et Sanciæ, filiarum Sancii primi Regis Lusitaniæ,

super cultu ab immemorabili tempore, Reginis delato.

B cultum ab immemorabili tempore fuisse exhibitum, nedum a centum annis; sed etiam a quadringentis, et ultra, imo statim ab obitu ipsarum, et ad præsens exhiberi, scientibus et tolerantibus Ordinariis pro tempore: et exinde declaramus, causam istam versari inter casus exceptos a dictis Decretis super non cultu editis, eisque propterea nullatenus contraventum, sed sufficienter paritum fuisse, et esse, et ita dicimus, decernimus, declaramus, pronuntiamus, non solum præmisso, sed omni alio meliori juris modo. Ita pronuntiavi Ego Joannes Episcopus Conimbricensis Judex Delegatus a Sacra Rituum Congregatione, sub die XII Martii anno Domini MDCXCVIII. Joannes Episcopus Conimbricensis Judex Delegatus.

9 *Redeo ad Processus nostros et examina Testium eorumque Examinatores, qui in codice duplicis generis sunt, uti jam dicere cœpimus. Testes, qui deposuerunt, numerantur illic universim continuata serie* CCXXXI, *quamvis revera sint* CCXL; *quia novem numeri in illa serie bis repetuntur duobus diversis Testibus iidem præfixi: quod per incuriam Notariorum scribarumve, seu primi, seu posteriorum, existimo erratum esse; neque debet a nobis corrigi, ne confusionem majorem inducamus, tota serie Testium, a codice, quem nos sequi profitemur, aberrantes.*

Codex continet Depositiones Testium 231

C *Non tamen putandum est, jam memoratos* CCXL *testes inter se diversos esse omnes. Non ita: sunt enim nonnulli, qui bis, ter, imo et quater et sæpius recurrunt, uti diversis diebus, sic etiam sub diversis numeris; quibus alia atque alia denuo testantur, sub eodem, quod initio semel præstiterunt, juramento. Primos* CXCVIII *Testes examinavit D. Archidiaconus Benedictus de Almeida anno* MDCXXXIV: *reliquos vero, sed tempore prius Laurentius a Spiritu sancto et Antonius a Conceptione, de quibus supra.*

10 *Hisce duobus processibus, ut supra etiam diximus subjiciuntur cum pluribus aliis monumentis Relatio de aperto per Moniales sepulcro Reginæ Teresiæ; nec non Epistola Cardinalis atque Regis ad Abbatem S. Mariæ et Episcopum Conimbricensem; atque horum ad illos responsa. Et iste quidem ordo est in codice servatus, ubi occasione partis præcipuæ, sive processus ab Ordinario confecti, referuntur tamquam appendices reliqua omnia; præposterus tamen, si ordo temporis, quo singula fuerunt acta, consideretur. Nos temporis potius et chronologiæ, quam codicis ordinem sequendum rati, primum hic nonnulla, ex memoratis Epistolis decerpta, dabimus miracula annorum* MDLXXIV *et* V. *Deinde capite* II *ac* III *referemus Processum a Generali Laurentio seculi sequentis initio collectum. Denique subjungetur primarius processus cum miraculis pluribus in eo legitime depositis.*

et alia quædam monumenta;

quo ordine hic imprimenda.

D

11 *Abbas igitur S. Mariæ a Tamarantibus, respondens die* XIX *Octobris ad Epistolam Cardinalis Henrici,* XV *Augusti anno (quamvis ille non exprimatur, saltem in codice quo utimur) verosimiliter* MDLXXIV *datam: inter alia refert duo miracula, alterum in ipsiusmet præsentia, alterum etiam in persona propria facta; sic ordiens responsum suum*: Adivi ex mandato Celsitudinis Vestræ Lorvanium et comitante Patre Confessario intravi monasterium, ubi per otium excussimus scripturas omnes, quæ erant in archivo, ac tandem invenimus quinternionem vetustum, *complerum natales et alia quædam Reginarum gesta*; quem mitto ad Celsitudinem Vestram, prolixius exponentem omnia; atque ideo hic ego brevior sum. Inquisivi apud Moniales aliasque personas in miracula, et comperi etiam hoc tempore fieri: imo coram oculis meis vidi sanitatem restitui homini, qui venerat hydropicus, pedibus manibusque tumentibus, ut ne quidem scipione nixus incedere posset. Is postquam ibi jacuerat aliquamdiu, tam largiter sudare cœpit, ut a sensibus abiret alienus, eo temporis spatio, quo recitari Litaniæ possent. Tum ilico vidi ipsum surgere sanum, robustum ac tam

Memorantur in epistola Abbatis Miracula duo,

E vegetum, ut nullo morbo laborasse videretur. Mihi quoque nata fuerat verruca enormis quæ decidit eadem hora, qua tetigi sepulcra Reginarum, sic ut ne quidem cicatrix aut vestigium ejus postera die superesset. Denique collegi miracula omnia, quæ facta illic fuerunt, deposita sub juramento a personis (uti ego quidem judico) fide dignis: earumque depositiones cum hisce mitto Celsitudini Vestræ, fideliter, uti sunt, de verbo ad verbum scriptas, nullo addito, nullo dempto, sed plane sicuti conscriptæ fuerunt. *Deinde rogat Cardinalem Abbas, ut jubeat ab Ordinario inquisitionem in miracula rite legitime et in forma juris fieri pro formando processu et instituenda causa beatificationis. Cardinalis autem, id efficacius per Regem factum iri ratus: ipsum de gestis a se et rescripto Abbatis fecerit certiorem, rogaveritque ut et ipse operam suam eo conferret. Certe Rex eadem super re litteras dedit anno* MDLXXV *die* XI *Martii ad Episcopum Conimbricensem, legitimam inquisitionem in miracula Reginarum, pro earumdem beatificatione et canonizatione curanda, et committens.*

alterum ab ipso visum

alterum in ipso factum:

12 Respondet autem Regi Episcopus Conimbricæ die X Aprilis inter alia, quod Lorvanii invenerit quinternionem scripturæ admodum vetustæ, de vita Reginarum ex quo constat, ipsas patrasse multa

F miracula in vita et post mortem; quæ nihil est quod probare efficacius possit, quam, quæ illic adsunt, veneranda antiquitas, stylus ordinarius, ac testes veritatis. Cumque procedere vellem ad examinandum miracula horum temporum, quæ indies patrantur; jamque convenirent Testes deposituri, tum moniales, tum seculares; incidi in morbum, qui me coegit vix cœptum opus abrumpere et redire in hanc civitatem; ubi ad majorem confusionem meam modicæque fiduciæ meæ me reliquit febris, post applicatam mihi thecam cum terra sepulcrali Reginarum, quam quidam meus Sacellanus secum inde attulerat: curatusque cogitavi mecum, ipsas mihi Reginas immisisse infirmitatem, ut suam in me virtutem probarent.

In Epistola vero Episcopi unum in propria persona.

CAPUT II.

Præfatio Laurentii a Spiritu sancto ad Summarium Testium a se auditorum super miraculis Reginarum; cum dimidia Summarii parte.

Finito *examine seu processu primario Benedicti de Almeida*

Almeida, Ordinarii locum tenentis ; convenit P. Fr. Joannes de Almeida, Procurator, a Monialibus monasterii Lorvaniensis, pro hoc examine et aliis eo pertinentibus, institutus, Notarium Emmanuelem de Abreu ; et hic fidem facit, quod ille sibi monstraverit Summarium Testium, factum a R. P. Fr. Laurentio Generali quondam Ordinis S. Bernardi super miraculis Reginarum D. Sanciæ ac D. Theresiæ : in quo leguntur depositiones aliquot Religiosarum *Lorvaniensium et aliarum personarum sub juramento Testatarum. Tum præmittitur Præfatio ut sequitur.*

Interr. c. 1. Ad primum examen, a Notario authenticatum,

Præfatio Laurentii Generalis

14 Doctor Fr. Laurentius a Spiritu sancto, Abbas Monasterii Alcobatiensis, Generalis et Reformator illorum omnium, quæ Congregationis suæ sunt in hoc regno et dominio Lusitaniæ etc. notum facimus, quod habentes informationem atque relationem de vita et Sanctis moribus Reginæ Domnæ Theresiæ, filiæ Sancii, secundi Lusitaniæ Regis, et primi hujusce nominis ; ac Reginæ Dulciæ, legitimæ ejus uxoris ; quæ Theresia nupta fuit Alphonso Regi Legionis atque diem extremum obiit anno MCCXXXVII (*imo* MCCL) die XVII Junii ; postquam monasterium Lorvaniense monachorum Benedictinorum transtulerat ad Sanctimoniales Ordinis Cisterciensis, in quarum societate vitam suam finivit, ac tumulata fuit prope sororem suam D. Sanciam, fundatricem monasterii Cellarum ejusdem Ordinis Cisterciensis.

15 Scientes etiam, quod illarum altera in statu virginali, altera in statu continentiæ angelicam in terris duxerint vitam, Dominusque Deus per illarum merita plura quotidie faciat miracula præcipue in iis personis, quæ laborant tertiana febri ; humoribus in gulam aliasve corporis partes delapsis : ulceribus quoque et multis infirmitatibus aliis : quorum miraculorum plurima, oblivioni data, perierunt negligentia et modica devotione hominum : ut ne vero post hac idem accidat, utque Sanctitas sua de miraculis earumdem Reginarum informata, ad ipsarum beatificationem procedere dignetur ; fecimus hoc examen in forma ; ad quod venerunt Religiosæ Monasterii Lorvaniensis atque aliæ personæ : et sub juramento, quod ab ipsis exegimus, deposuerunt sequentia. *Hæc in* D. Catharina de Albuquerque *initium sumunt : in cujus solius depositione referemus pro specimine juramentum, sicuti jussum ac præstitum fuit ; nec non subscriptionem Examinatoris, Secretarii ipsiusque deponentis ; in sequentibus non repetenda ; quia eadem ubique redeunt.*

16 *Præmittemus hic etiam syllabum Testium eo ordine quo referuntur in Codice, et sub iisdem numeris; ut facilius inveniri possint, sicubi citantur.*

et nomina Testium, qui in illo deposuerunt.

CXCIX D. Catharina de Alburquerque Abbatissa annorum circiter XC. *Nota autem illud* circiter, *sive* plus minusve, *ubique fere in ætate Testium subintelligendum esse. Nota etiam, sequentes omnes esse* Religiosas professas, *nisi aliud addatur.*

CC D. Elisabetha de Silva ann. XL.

CCI Maria Coelha ann. LVIII.

CCII D. Joanna Suarez ann. LXIX.

CCIII Margarita Machada ann. amplius LX.

CCIV Bernarda de Bessa ann. LXV.

CCV. D Philippa de Guerra ann. LVI.

CCVI Anna Freire ann. LXXX.

CCVII D. Elisabetha de Acevedo ann. L.

CCVIII Elisabetha de Morais ann. XXXII.

CCIX Maria Brandoa ann. XL.

CCX Anna de Olivenza ann. LII.

CCXI Elisabetha de Castro, Religiosa Conversa ann. L.

CCXII Paula Cardosa ann. LXV.

CCVIII D. Aloysia de Silva ann. XLV.

CCXIIV D. Margarita de Britto ann. XXVIII.

CCXV Bernarda a Conceptione Monacha conversa ann. XLV.

CCXVI Apollonia Francisca, conversa ann. LIV.

CCXVII Maria Caldeira, ann. LXII.

CCXVIII D. Elisabetha de Norogna ann. XXI.

CCXIX Maria Varella Conversa ann. LX.

CCXX Maria ab Assumptione Conversa ann : XXV.

CCXXI Anna Monteira ann. LXXVII.

CCXXI Beatrix Serveira, femina secularis, habitans in monasterio. ann. XXXV.

CCXXII Elisabetha, nata in Botam, puella secularis habitans in Monasterio.

CCXXIII Paula Baptista, Religiosa.

CCXXIV Andreas Simois de Chello, ann. XLV citatus *a Teste* CCX.

CCXXV Francisca Diaz de Avelleira ann. L.

CCXXVI D. Eleonora de Norogna supra citata, *ab Elisabetha de Castro, teste* CCXI.

CCXXVII D. Margarita Carilla Religiosa citata supra *a Teste* CCXV.

CCXXVIII Anna Monteira Relig. citata *a Teste* CCXI.

CCXXIX D. Elisabetha de Norogna Relig. ann. XXIV. *Eadem supra Testis est* CCXVIII ; *atque infra in alio examine,* XXXIX.

CCXXX D. Aldonsa Desa Religiosa ann. XL.

CCXXXI Ludovica Joanna, uxor Antonii Esteves, habitans Lorvanii ann. XL.

17 D. Catharina de Albuquerque, Abbatissa Monasterii Lorvaniensis, annorum circiter XC, *testis, juxta ordinem Codicis,* CXCIX ; interrogata sub juramento Sanctorum Evangeliorum quæ ei a nobis data fuerunt, atque ipsa illis manum dexteram imposuit, et dixit, se præsentem fuisse, quando sepulturæ harum Sanctarum Reginarum mutatæ loco fuerunt translatæ extra cancellos chori ; et tam copiosum inde diffusum esse odorem rosarum, ut tota quanta est ecclesia illo impleretur ; cum tamen rosa ibi nulla esset. Interrogata, quinam isti rei affuissent ; respondit, affuisse Annam Monteiram, Meciam Cordeiram et multas alias personas. *Adfuit etiam D. Elisabetha de Silva, testis* CC, *addens, in translatione sepulcrorum prædicta,* abruptam fuisse partem quamdam Sepulcri Reginæ Theresiæ, *indeque patuisse foramen,* per quod immiserunt coronas aliquot precatorias, ut sacrum contingerent corpus ; uni vero adhæsisse frustulum lapidis, quod suavissimo odore locum, ubi ipsa stabat implevit : *et præter jam dictas, quæ affuerunt; nominat etiam* Margaritam Fereiram.

Transferuntur sepulcra in templum

et odorem suavissimum exhalant ;

18 Dixit præterea, dubitantem se, an grata esset Reginis futura mutatio sepulcrorum, orasse ferventer Deum, ut si grata foret mutatio, id cuipiam Religiosarum manifestaret : et eadem ipsa nocte in somnis comparuisse sibi duas feminas eximiæ venustatis, ambas simili forma et prisci moris habitu, multis plicis corrugato ; palliisque albis, circum collum nodo adstrictis, circumdatas : quæ inter sese intuentes, læto vultu corridebant. Cumque ipsa interrogaret, quid istic expectarent ; responderunt, expectare se, donec Fr. Joannes Ledo, qui tum erat curator Monasterii Lorvaniensis, suum cum Abbatissa D. Bernarda colloquium absolveret. Quo dicto, iterum blandissime inter se riserunt, atque evanuerunt. Testis isthæc interpretata est, quasi colloquium Abbatissæ cum Curatore significaret, huic ab illa mandari, ut sepulcra mutarentur transferenda ad corpus sive ad medium ecclesiæ : et blandus feminarum risus indicaret lætitiam, quam inde concipiebant : persuasitque ex illis sibi eadem Testis, gratam fore Reginis istiusmodi translationem; quæ cum etiam matri Abbatissæ narrasset, multa ipsam consolatione perfudit.

ad translationem animata per visum Abbatissa.

19 *Addit deinde curationem D. Sancii de Norogna, Comitis*

A *Comitis de Mira, quam referimus infra cap.* VII *in Depositione Magdalenæ de Vasconsellos testis* I. *Addit etiam curationem subitaneam D. Alphonsi a Castell-branco, Episcopi Conimbricensis a febre ;* cui ipsa Testis misit lipsanothecam cum terra sepulcrali Reginarum Sanctarum, et inchoavit devotionem septem Psalmorum : *nec non aliam similem in marito Catharinæ de Morais ex Penacova, cui pariter* terra sepulcralis applicata fuit, *ac eadem* Testis devotionem Psalmorum instituit. *Tum ita concluditur depositio:* Et aliud non dixit. Et subscripsit nobiscum. Fr. Georgius a Sanctis, qui hæc scripsi. Abbas Generalis D. Catharina de Albuquerque.

Febres in variis curantur.

20 D. Elisabetha de Silva, Religiosa professa, annorum XL, *testis* CC, dixit, quod ab annis septem sibi manus pedesque cum gravi dolore adeo intumuerint, ut nec operari nec incedere posset ullo modo; quodque adducta aliquando ad sancta sepulcra, rogavit Patrem Confessarium hujus monasterii, Fr. Andream nomine, ut abraderet lapidem sepulcralem; cujus scobem introsumpsit cum grandi fiducia, et continuo melius habere cœpit, ac brevi plane convaluit.

Scobe lapidis sepulcralis recipitur usus pedum manuumque,

B 21 Præterea dixit, quod ab annis VII vel VIII patruelis sua D. Guiomara de Silva periclitaretur ex febre tertiana cui nec remedia humana, nec industria medicorum maxime peritorum, nec implorata per varias ecclesias Sanctorum auxilia, opem tulerant; quando ipsa ei submisit particulam lapilli, qui coronæ, in sepulcrum immissæ, adhæserat : *ut num.* 17 *dictum est.* Hanc autem particulam e collo infirmæ suspensam fuisse, et febrim eodem die recessisse, nec rediisse deinceps. Porro D. Guiomaram distribuisse eamdem lapilli particulam variis infirmis, qui aut ipsa particula in theca collo appensa, aut scobe ejus in aqua hausta, liberabantur passim doloribus atque ægritudinibus suis. Hæc autem scivit relatione ipsius D. Guiomaræ, a qua sibi distincte perscripta fuerunt.

pellitur febris pertinax,

et omnis generis morbi.

22 D. Margarita Desa, matertera ejusdem Testis, domi suæ alebat servam, Mariam Simois appellatam ; cui natus est bellissimus infans, quem domina, tum quod pulcherrimus, tum quod in domo sua natus esset, tenerrime deligebat. Is, post menses quinque a nativitate sua, gravi morbo ad extrema deductus, jam pro deposito jacebat, clausis oculis, nulloque vitalis spiritus indicio amplius apparente : cum ejus collo appenderunt thecam cum terra sancta Reginarum ; et sine mora aperuit puer oculos, mammam suxit, ac tandem consecutus est sanitatem. C Quod pariter rescivit ex relatione D. Margaritæ Desa per epistolam, sibi ab illa inscriptam.

Reviviscit infans, terra sepulcrali ejus collo appensa,

23 Addit insuper, vidisse se hominem, in pago Roccio natum, qui ab aliquot annis febre tremebat ; deportatus vero ad sepulcra Sanctarum Reginarum, iisque submissus, correptus fuit a paroxysmo febrili tam violento, ut mori videretur : reportatusque propterea domum suam ; ibi continuo perfectam sanitatem habuit ac diuturnam.

24 Denique adjunxit, Dominam quamdam Catharinam Thomas, ex Lovre migrasse Lorvanium, cum filia sua, nomine Maria de Oliveira ; ac recidisse in periculosissimum morbum cum nausea gravi : quæ cum jam Sacramentis omnibus munita, prope abesset a morte, accurrit ejus, quam dixi, filia ad sepulcra Reginarum ; earumque multis lacrymis implorans opem, promisit etiam, altari earum tobaliam se facturam ; et domum rediit. Ibi autem reperit matrem, jam loquentem et melius habentem. Interrogata Testis, quisnam sciret miraculum illud ita accidisse ; respondit, id scire Apolloniam Ferreiram, Elisabetham de Faria, Mariam Coelham.

femina morti vicina voto per filiam facto ;

25 Maria Coelha, ann. LVIII *testis* CCI, dixit, matrem suam Violantam de Fonseca, iter facientem in Castellam, tulisse secum de terra sepulcrali Reginarum Sanctarum ; per eamque ibi in domo Ducissæ de Sessa multa contigisse mirabilia ; prout ex veridica narratione matris suæ didicit.

D INTERP. C. 3.

multi alii in Castella

26 Eadem dixit, quod anno MDLXXVIII patruelis suus Alphonsus Sanchez Coelho miserit certum hominem, qui hinc ei apportaret prædictas reliquias seu terram sepulcralem pro uxore sua, Aloysia de Reinalth, cum aliquot filiis febricitante jam mensibus aliquot. Quam terram ut accepit in Castella, suspenditque e collo omnium, omnes perfectam sanitatem consecuti fuerunt ; uti litteris suis ipse Alphonsus Testi significavit. Interrogata autem quis litterarum dictarum conscius esset; dixit conscium esse P. Fr. Bernardum de Britto. Nos vero statim a Fr. Bernardo subdito nostro, qui præsens aderat, exegimus juramentum ac testimonium. Dixit autem vidisse se d. litteras, in iisque narrari dictum miraculum.

per terram e collo suspensam ;

27 D. Joanna Suarez, an. LXIX *testis* CCII, dixit, crevisse sibi secundum collum tuber ovi instar, et continuasse duos amplius annos ; tunc præcipuo dolore solitum pungere, cum tempestas vices mutaret : medicos vero timuisse, ne degeneraret in strumam. Orsam igitur suasu Paulæ Brandovæ, consuetam septem Psalmorum devotionem, ad dies XXX producendam ; et primo statim initio melius habentem, ultimo die absque cicatrice aut vestigio tuberis fuisse.

E *Alii per septem psalmos abigunt tuber a gutture ;*

28 Dixit etiam, se habuisse servam, cui nomen Angela ab Incarnatione ; quam scabies fœtens cooperuit totam : ac propterea eam Abbatissa dimittere e monasterio volebat, rata malum esse periculosum contagiosumque. Tum Testis devotionem septem Psalmorum pro servæ incolumitate cœpit instituere ; et serva mox cœpit tam notabiliter curari, ut hæc scabiem habere omnino desierit, quando ista desiit orare. Et hujus miraculi Testes citavit Bernardam de Bessa, annam de Olivenza, Elisabetham de Castro ; totumque fere conventum nosse aiebat, rem ita se habere. Et a nobis interrogatæ illæ, quæ citatæ erant, præmisso juramento dixerunt, vera esse.

et scabiem fœtidam a toto corpore ;

29 Margareta Machada Religiosa, annorum LX, *Testis* CCIII, dixit, quod ipsa duobus annis continuis tertiana febre laborans, visa aliquoties sit proxime abesse a morte ; quodque accepto reliquiario, cum particula lapidis sepulcralis sæpe dicti, eodem momento temporis omni febre febrisque indicio liberata fuerit. Adjunxit, idem reliquiarum appendisse se collo pueri, qui nepos est Fr. Gonzali de Silva prioris Alcobatii : ac vitæ terminum attigerat, cum difficili febre tertiana multo tempore luctatus : ipsumque eodem momento extitisse sanum fugiente febre.

febrim per lapidem sepulcralem,

30 Bernarda de Britto Religiosa, annorum LXV, *testis* CCIV, dixit, quod cum filiolus Antonii de Figueredo et Aloysiæ de Bretagna, natorum Lorvanii, qui modo religiosus habitum Cisterciensem gestat, quotidie moriturus timeretur, febre tertiana spem vitæ præcidente ; ipsa testis puerum, tunc adhuc tenerum, ulnis suis amplexa, tulerit ad sepulcra Reginarum, ibique septem Psalmorum devotionem inchoaverit ; cujus devotionis dimidium seu dies quindecim nondum peracti erant, cum puer perfecte valuit. Et hujus rei testes interrogata, ista citavit Mariam de Figueredo et Paulam Cardosam.

mortem vicinam,

31 D. Philippa de Guerra annorum LV, *testis* CCV, dixit, quod cum P. Fr. Gonzalus de Orego, Abbas de Creva ; qui deinde creatus fuit Abbas Alcobatii et Generalis nostræ Congregationis, pessime haberet

febrim pertinacem,

ret ex febre, venerit ad monasterium Lorvaniense, pro desperato depositus a medicis, qui frustra ei applicuerant remedia plurima. Quare alio confugit nostra mater Abbatissa, ordiendo ei devotionem Septem Psalmorum, et vovendo Reginis Missam unam, celebrandam ad earum altare: et prius Abbas valetudinem recuperavit integram, quam integram Abbatissa complevit triginta dierum devotionem; et rediit ad abbatiam suam perfecte sanus.

INTERP. C. 3

32 Cum eadem Testis æditima esset, accessit Lorvanium magna cum devotione Fr. Matthæus de Almeida conflictatus cum varii generis febribus; orsisque ejus sororibus Religiosis septem Psalmos, quæ est consueta devotio, recepit omnimodam sanitatem absque alia medicina. Similiter eo accessit Fr. Joannes de Bretandi, Religiosus S. Francisci, ad extrema redactus a febre, et tremore totius corporis, illam comitante. Is ubi se obtulit Sanctis Reginis, bibitque e vasculo porphyretico, quod argento inaurato ornatum est, et olim Reginæ Theresæ fuit; continuo melius valuit et perfecte sanus discessit. Denique Aloysius Pereira de Miranda, filius Ruizii Pereira et D. Annæ de Cugna, a multo tempore tremens cum febre, nullo in medicis invento remedio, venit et ipse Lorvanium; bibensque e memorato vasculo, curansque dici Missam super sepulcra Reginarum, cum integra salute remeavit ad se.

et alias varii generis

Bibentes e vasculo Reg. Theresæ, sanantur.

33 Anna Freira, Religiosa, annos nata LXXX, *testis* CCXI, dixit, quod Joannis Freire de Andrada, Domino de Bobadilla, ob febrim tertianam a Medicis deposito, misit ipsa in theca terram sepulcralem Reginarum; qua collo ejus appensa, consecutus est sanitatem, et gratitudinis ergo invisit earum sepulcra. Ipsa etiam Testis afflictissima aliquando ob mortem fratris sui, eumque multis diebus plangens, prævalente atra bile, cœpit vertigine capitis agi, et prope ab insania abesse, expers rationis; sensitque cerebrum sibi continuo motu quasi rotulæ gyrari. Sic affecta, se contulit ad sepulcrum Reginæ Theresiæ eique se submisit, implorans malo suo medelam: cum nescio quid ei turbationis accidit, tenuitque per horam dimidiam: tunc recedens a sepulcro, nihil amplius sensit prædictorum malorum, nec aliter, quam prius solita erat, afficiebatur. Addit etiam de Emmanuele Mendez, fratre cujusdam suæ famulæ, quod ei, tertiana dudum laboranti, miserit cum theca terram sepulcralem, eaque febrim pepulerit.

Depositus a medicis,

et m... e mot... ... n-tur.

34 D. Elisabetha de Azevedo Religiosa Lorvanii annorum L, *testis* CCVII, dixit; cum Elisabetha de Melo, Religiosa monasterii Olivellarum, tertiana graviter infirma esset; tradidit ei D. Branca Desa, Monacha Lorvaniensis, de terra sepulcrali, quam eo secum attulerat; et infirma momento illo, quo inde bibit, libera extitit febre sua. Hæc autem scivit Testis, quia Religiosa est ex d. Monasterio Olivellarum. De eadem terra misit D. Gratiæ de Meneses, ægrotanti Eboræ e simili febre cum gravissimo vitæ discrimine: quæ collo ejus alligata, sanam fecit abacta febre. Similiter, dixit, misisse Mariam Brandova, Lorvanii Religiosam, de eadem terra ad fratrem suum Antonium Brandova, Conimbricæ non minus periculose ex tertiana decumbentem: eaque partim in aqua hausta, partim collo appensa; convaluisse ægrotum; et hujus rei testem esse Mariam Brandova prædictam *quæ idem testatur paulo post, Testis* CCIX.

Liberantur febribus tertianis, una,

...era,

...,

35 Elisabetha de Morais, annorum XXXII *testis* CCVIII, dixit, neptem suam, D. Margaritam de Morais, a duobus annis ex tertiana ægram ad desperationem medicorum, accepisse a se missam ei aquam ex vasculo Reginæ sanctæ, cum terra sepulcrali mixtam; quam simul bibit, simul convaluit. Quod ipsa Margareta, quæ modo hic monacham agit, præstito nobis juramento, confessa est, verum esse. Dixit quoque Elisabetha, sororem suam Annam Mendez de Erqueira, Conimbricæ ortam ac matrimonio junctam, post partum cum multo frigore ac discrimine febricitare cœpisse: cui ipsa testis ilico medicata est, eo quod modo dictum est, aquæ ac terræ amuleto.

quarta,

36 Maria Brandova, annorum XL, *testis* CCIX, *primum deposuit quæ num. 33 retulimus in D. Elisabetha de Azevedo teste* CCVII, *de fratre ejus Antonio curato. Deinde de alio suo fratre, Joanne Brandova, subjungit;* quod et isti, tertiana per annum laboranti, ad collum alligaverit terram sanctam cum recuperatione sanitatis perfectæ. *Et concludit dicendo*, esse rem vulgatissimam publicamque, quod Reginæ sanctæ curent infirmitates varii generis; quodque miracula, quæ curando faciunt, tam frequentia sint; ut memoria teneri non possint; quia sunt innumerabilia.

quintus.

37 *Ut vero nos, hic talia colligentes, nauseam earumdem rerum repetitione lectoribus non pariamus, deinceps curationes febrium, quia satis frequentes jam retulimus; et quæ sequuntur, simili aliquo modo peractæ sunt; paucis perstringemus, indicatis fere solis curatorum ac testantium nominibus, nisi quid singulare adjunctum fuerit.*

CAPUT III.

Prosecutio ejusdem Summarii.

Anna de Olivenza annorum LX, *testis* CCX, dixit, Guiomaram Pessoa, brachium alterum, ex tubere inflatum ac impeditum, gerentem, se commendasse Reginis cum recitatione septem Psalmorum per dies triginta; ac tuber illico evanuisse; consciamque ejus rei esse Joannam Suarez. *Eadem ipsa* Testis, anno uno, *et* Andreas Simois ex loco Chello, multo tempore, febricitantes per septem psalmos *curati fuerunt, licet depositi a medicis fuissent. Ultimum etiam novisse, dixit*, D. Margaritam de Costa, *et* Antoniam Barbosa, *tum temporis, cum illa curatio contigit*, æditimas.

Curatio febrium per devotionem 7 psalmorum;

39 Elisabetha de Castro, annorum L, *testis* CCXI, *tertianam quadrimestrem et ipsa a se, appensa ad collum reliquiarum Sanctarum particula. Tum addit*, quod aliquando e loco superiori lapsa, alterum sibi fregit crus, ruptis minutim ossibus, et quaquaversum emicantibus per carnem, nec audentibus ei chirurgis manum medicam admovere. Quamobrem destituta ope humana, ac spe surgendi deinceps e lectulo suo; quanta potuit fiducia sanctis se commendavit Reginis, et continuo miraculose consecuta salutem, surrexit et obambulavit, cruribus firmata; et modo servit in sacristia. Testes etiam facti interrogata, citavit D. Margaritam de Costa, Bernardinam Desa, Annam Monteira, D. Eleonoram de Norogna Priorissam, et Monasterium universum. Adjunxit etiam, quod quotiescumque dolorem capitis passa, accipit terram sanctam e sepulcris earumdem Reginarum, mox vacua est a dolore.

fracti ex lapsu cruris;

40 Paula Cardosa annos nata LXV, *testis* CCXII, e monasterio de Valdemadeiros, ubi tertiana et sæpe duplici laborabat ab aliquot annis, ad Lorvaniense translata, ilico ibi terram sepulcralem e collo suspendit, et sana fuit. *Eamdem terram misit feminæ*, in pago Aveiro similiter ægrotanti, nomine Elisabethæ Feia, *et cum terra salutem misit. Tunc subdit*, scire se certissime, et publicum atque notorium esse, Reginas patrocinari laborantibus e febri quacumque, ac præcipue tertiana; mederi gulæ, defluentibus in illam humoribus capitis; et opem ferre omnibus, illam

febrium per terram sepulcri;

A illam implorantibus de quibus etiam ac de Vita Reginarum extitit liber copiose scriptus, qui cum multis aliis instrumentis tempore Matris Abbatissæ Beatricis a Cugna, flammis archivum consumentibus, periit.

semimortuorum per scobem lapidis sepulcralis;

41 D. Aloysia de Silva annorum XLV, *testis* CCXIII, dixit, quod ægrotante filiolo Antonii Butelli, Prætoris Majoris Villæ-regalis, et Elisabethæ de Figueira ex vehementi febre jamque nec loquente amplius, nec oculos aperiente; parentibus vero ipsum veluti mortuum plangentibus, ipsa testis dedit eis in reliquiario frustulum lapidis sepulcralis, eoque pueri collo apposito, is statim veluti redivivus convaluit. Item dixit quod D. Aloysiæ de Goes, Religiosæ ejusdem monasterii, discipulæ suæ, cum ex febre maligna decumberet, sensuum usu destituta et veluti moribunda: bibendum dederit e vasculo porphyretico sanctæ Reginæ Theresiæ, voto se obstringens ad jejunandum pervigilio tam ipsius, quam sororis, festorum dierum et singulariter eis semper devotam fore; cœpit ilico confortari infirma, et paulo post perfecte sana esse: uti ipsa quoque jurejurando testata fuit.

B

febricitantium per terram sepulcralem;

42 D. Margarita de Britto, annorum XXVIII, *testis* CCXIV, dixit nepoti suo Aloysio de Almeida, cum longa tertianæ pertinacia luctanti, se terram sepulcralem dedisse, ipsumque Sanasse: postea vero iterum eodem malo laborantem eodem iterum remedio curasse; præsentibus aut scientibus factum D. Aloysia Goes, D. Magdalena de Vasconsellos, et Beatrice Nugnez femina seculari. Dixit etiam, eamdem terram, Ulissiponem missam, collo filiæ Balthasaris Leitam, e tertiana periclitantis, appensam fuisse; eique sanitatem restituisse.

43 Bernarda a Conceptione monacha conversa, annos XLV nata, *testis* CCXV, dixit fratrem suum, religiosum Ordinis Prædicatorum, Simonem a Cruce nominatum; item quoddam ipsius mancipium, appensa ad collum terra sepulcrali, diuturna febre liberatos fuisse: ultimumque etiam notum esse D. Camillæ et D. Margaritæ Carillæ *quia viderunt. Tum addit: in libro, quem interiisse, diximus supra, etiam conscriptas fuisse* resuscitationes mortuorum, *et* gravium infirmitatum curationes.

44 Apollonia Francisca *et ipsa* Conversa, annorum LIV, *testis* CCXVI, dixit, bis sese a Medicis derelictam atque ad portas mortis deductam fuisse ex febre hectica; et bis per terram Sanctorum sepulcrorum servasse vitam et recuperasse sanitatem

C

perfectam. Quis scientiam istius rei haberet interrogata, respondit; Felicitatem d' Oliveria sibi terram collo appendisse, sed mortuam nunc esse; D. vero Elisabetham de Silva ejus notitiam habere.

Dorsum lapsu graviter offensum,

45 Maria Caldeira Religiosa, annos LXII nata, *testis* CCXVII, dixit, quod aliquando ornans sacellum majus hujus monasterii, decidit e summis scalis, quas conscenderat: impegitque dorso in angulum altaris, non sine offensione gravi per medium ejus. Sic affecta, quo potuit modo, manibus pedibusque repens, pervenit ad sepulcra Reginarum, usque se submisit cum magna fiducia, futurum, ut opem sibi ferrent. Interea dum ibi jacet, rogat D. Fransciscam de Sousa tunc temporis æditimam, et omnium, quæ dicta sunt, spectatricem, nunc vita functam, ut sibi recitaret septem Psalmos; quod fecit. Finitis vero litaniis, illa se curatam et dolore liberam sensit, rediitque ad absolvendum, quod supererat, ornatum sacelli, et numquam dolorem amplius experta fuit in parte offensa. Interrogata vero quinam id spectassent, dixit, Paulam Brandova jam defunctam, et Paulam Baptistam. *Sibi ait, per appensam collo terram sepulcralem, tertiana liberatos fuisse,* Rodriguem

sub sepulcris restituitur

Pelluntur febres

Fernandez, *famulum Cardinalis D. Henrici;* 2 filiam D Joannæ Dinta; 3 filiam Catharinæ de Cirqueira; *et* 4, aliam ejusdem filiola, *adhuc lactentem, sed alio malo.*

Tumor brachii evanescit tacto tumulo Reginarum.

46 D. Elisabetha de Norogna Religiosa, annorum XXI, *testis* CCXVIII, *dixit, per similem appensionem terræ sepulcralis finem tertianæ diuturnæ imposuisse* Georgium, filium Dominici Luis ex Pennacova: *id autem se scire,* quia ille crebro ad se ferebat mandata parentum, tremens ex febre et vix homini similis: postea vero quam acceperat ab ipsa prædictam terram, et collo apposuisset; reversum ad illam dixisse inde se curatum et liberatum fuisse.

Pellitur tertiana cum periculo mortis.

47 Maria Varella, Monacha Conversa, annorum LX, *testis* CCXIX dixit, tumorem sibi natum fuisse in brachio dextero, multorum dolorum causam, et nullum sibi quietis reliquisse locum: quamobrem adiit tumulos sanctarum Reginarum, easque confidenter precata, imposuit sepulcris ægrum brachium, et ultimo die hujusce devotionis suæ illud curatum, nulla superstite cicatrice, meruit gaudens videre.

48 Maria ab Assumptione Conversa, annorum XXXV, *testis* CCXX, dixit, fratrem suum Emmanuelem in periculo mortis versatum ex tertiana, particulam lapidis sepulcralis, sibi testi a matre Abbatissa datam, appendisse collo: et mox vehementiori, quam unquam alias, paroxysmo febrili insanire cœpisse; sed illo finito sibi deinceps fuisse, ac sanitati restitutum *Item sine tali paroxysmo, simili particula liberatos fuisse febri,* filiam prædicti fratris sui, *et* aliam feminam, *quam non nominat.*

E

Puella periclitans de vita sub annum 1555 sanatur

49 Anna Monteira, Religiosa, annos LXXVII nata, *testis* CCXXI, dixit quod, cum puella esset annorum septemdecim, et ex difficili morbo periclitaretur, desperantibus medicis, de vita; suspenderunt sibi e collo terram sepulcralem: atque ita sanitas rediterit pristina. Hujus autem rei memorem non superesse testem, propter temporis longinquitatem.

Pelluntur aliæ febres

50 Beatrix Serveira, femina secularis, habitans in monasterio, annorum XXXV, *testis* CCXXI sub eodem numero cum prædicta, dixit, se a se ipsa abegisse cum febri abundantiam sanguinis et propinquum mortis periculum, potando aquam, terræ sepulcrali immixtam atque ejus teste esse Catharinam de Figueredo et D. Elisabetham de Silva, valetudinariæ curatricem. Abegisse vero a sorore sua sua Anna Serveira, habitante in villa de Esqueira, tertianam quadrimestrem, mittendo ei d. terram, et inchoando septem psalmos. Nondum enim dimidium consuetæ devotionis tempus impleverat, cum sibi soror per litteras nuntiavit, a quatriduo se febri liberam, et sine alia ope humana perfecte sanam esse.

F

51 Elisabetha, orta ex Botam, puella secularis in monasterio habitans, *cujus ætas non exprimitur, testis* CCXXII, dixit, non juvantibus medicinis; sibi in ipso frigoris paroxismo terram sepulcralem collo appensam fuisse, et febrim statim fugisse; consciis Maria de Freira et Maria Varella.

Ulcus evanescit,

52 Paula Baptista, Religiosa hujus monasterii, *testis* CCXXIII, *sine nota ætatis,* dixit, prodiisse sibi sub axilla sinistra ulcus, magnitudine ovi, offerens dolores acerrimos cum sollicitudine ne metu, ne cogeretur experiri manum chirurgi. Quare contigit ad tumulos Reginarum, tetigit illos cum fiducia, et malo suo impetravit opem. Postridie autem, exploratura ulcus, comperit omnino evanuisse.

Extremis munitus convalescit,

53 Andreas Simois de Chelli annorum XLIII, *testis* CCXXIV, *et supra citatus ab Anna Oliveiza teste* CCX, dixit, decubuisse se annis ab hinc fere sex, tertiana febre; et copioso sanguine caput occupante, eo periculi adductum fuisse, ut jam extrema unctione

A ne præparatus esset ad christiane moriendum: quando uxor sua misit ad sororem Annam de Olivenza, qui et pauxillum terræ sepulcralis ab illa peteret marito suo, et preces ejus apud sanctas Reginas imploraret. Præstitit utrumque Anna; mittens terram, quam uxor e mariti collo suspendit; et ordiens devotionem triginta dierum recitatione septem psalmorum: qua nondum finita, convaluit ex omni parte Andreas, et statim convenit ad hoc monasterium cum uxore sua Francisca Juan, oblaturus se sanctis Reginis, gratiasque acturus pro recuperata sanitate; ibidemque curavit missam unam celebrari super sepulcra Reginarum, quæ usum altaris habent.

et filius ejus

54 Interrogatus idem Andreas, cur ad Reginas confugisset, earumque terram postulasset; respondit tum ipse, tum uxor ejus Francisca Juan, quæ præsens erat, sub juramento; quod filiolus suus, nomine Antonius, prius patre laborasset tertiana cum periculo mortis. Tunc matrem commendasse illum sanctis Reginis, fama miraculorum, quæ operabantur, incitatam; petiisse et accepisse a Sorore Anna d'Olivenza terram earum sepulcralem thecæ B inclusam; eamque virum suum imposuisse collo ægri filii; qui statim per miraculum bene habuit, et brevi totus convaluit; ex eoque tempore, fluente jam octavo aut nono anno, febrim non habuit. *Et hæc dixerunt causam fuisse tentandi similia pro patre ejus.*

Æger, quater incisa vena nihilo melius habens,

55 Franciscus Diaz de Aveleira annorum L, *testis* CCXX dixit verum esse, quod hoc mense, Januario transacto, filius suus, Antonius Medeirus, in universitate Conimbricensi studiis operam dans, incidit in febrim quotidianam; ideoque medicorum jussu sanguis ei incisa vena quater minutus sit. Cum vero nihilo melius inde haberet ad descens, cœlum mutare et in patriam, quæ est Aveleira, redire jubetur. Eo deductus, et in domo materna exceptus, perrexit ægrotare, ut prius, per mensem fere integrum, quotidie febri cum summo frigore recurrente, et affecti corporis vires omnes consumente: cum d. Testis et mater, forte monasterium hoc adiens, et cum sorore Aloysia Botella atque aliis Religiosis sibi carioribus colloquens, interrogatur ab illis, qui se haberet filius. Et cognito statu ejus, auctores matri fuerunt, ut ipsum deduceret ad sanctas Reginas, atque offerret. Plurimos per illa febribus liberatos fuisse: spem conciperet, hunc quoque liberatum iri.

C

nec potens adire sepulcra Reginarum

56 Retulit hæc filio mater: sed is viribus diffidens, per se ægredi et exequi, quod suadebatur, ausus non fuit. Rediit igitur postridie mater in hoc monasterium, referens Religiosis dicta filii, cur non posset eo ipse accedere. Quamobrem dederunt ei aquam e vasculo, ex quo sancta Regina Theresia solebat bibere, mandantes ut tribus diebus jejuno filio inde potum daret: addentque thecam cum terra sepulcrali, collo ejus alligandam. Cum his donum regressa mater ad filium, explicat ei quid ferat. Et filius quidem cum magna fiducia excepit allata; filia vero sua, soror ipsius, pari cum fiducia terram ei e collo suspendit, ipsa autem Testis triduo mane eidem aquam supradictam ad bibendum fudit; hoc secuto effectu. Prima die minus acre solito ei frigus ac febris fuit, sudavit minus, ac rediit cibi appetentia; die postero remissior adhuc fuit febris, ac tertio vix ulla fuit, relinquente lectum ægro, et cantare incipiente; nec ulla febris deinceps rediit filio suo, persuasa, Deum per intercessionem Reginarum hanc ei gratiam fecisse.

allata inde terra sanitatem consequitur.

57 D. Eleonora de Norogna, Priorissa, *testis* CCXXVI, interrogata super depositione Elisabethæ de Castro, *a qua tamquam Teste* CCXI, *citata fuit,* dixit, se præsentem fuisse; cum D. Elisabetha cecidit, audito quippe fragore, statim accurrisse, visuram, quid rei esset; uti etiam alias plures Religiosas. Reperit autem extensam humi Elisabetham, fracto crure; partem ossis, inde excussam, prope jacentem, et cubiculum sanguine conspersum; ex quo per aliquot Religiosas delata fuit ad valetudinarium. Scit autem d. Testis, venisse chirurgos, ut eam curarent, sed curatam non fuisse; nunc autem ipsam ambulare per domum, et servire in triclinio sanam. Audivit vero, sanam esse factam per intercessionem Sanctarum Reginarum, quibus se cum magna devotione atque fiducia commendaverat.

D

Crus fractum miraculose solidatum.

58 D. Margarita Carrilla Religiosa, *testis* CCXXVII, interrogata super depositione Bernardæ a Conceptione, *testis* CCXV, quæ tota ei lecta fuit, dixit, verum esse, quod mancipium illud, de quo in depositione, frequenter huc veniebat; aliquando autem plane infirmum accessit, laborans tertiana: quando Bernarda a Conceptione, soror P. Fr. Simonis a Cruce, cujus erat mancipium; suspendit e collo ejus thecam cum terra sepulcrali Reginarum; dimisitque Conimbricam unde venerat. Inde vero post dies octo rediit ad monasterium valens ac forte idem mancipium; dixitque, se venire devotionis ergo, gratias actum sanctis Reginis, quod sua ei intercessione impetrassent a Domino pristinam salutem. Hæc autem omnia asserit d. Testis, a se visa esse.

Mancipium te[rr]a li[be]ratur

E

59 Anna Monteira, Religiosa, *testis* CCXVIII, interrogata super depositione Elisabethæ de Castro, *testis* CCXI; *eam confirmavit, non secus ac cum confirmaverat memorata num. 56 Eleonora de Norogna testis* CCXXVI: *addiditque hæc notabilia,* quod coram viderit *miseræ Elisabethæ crus ita confractum, ut ossa ejus non tantum eminerent extra carnem, sed etiam* penetrarent tibialia, quæ habebat ex camuzzo albo: *quod* sublevaverint ossicula quædam, sparsa per terram: *quod* desperantibus curationem et eam tentare non audentibus chirurgis, curata sit nec opinato: *quod modo ambulet,* crure officium suum faciente sine fistula, perpetuo quodam miraculo.

Miraculum fracti cruris exaggeratur.

60 D. Elisabetha de Norogna, Religiosa, annorum XXIV, *testis* CCXXIX, dixit, scire se, quia vidit atque audivit, quod D. Sancius de Norogna, Comes de Mira, frater suus, gravissime laboravit ex febre tertiana, paroxysmis ejus horas XXV durantibus; quæ deinde in quartanam versa est cum præsenti vitæ ipsius periculo. *Sed de his, et curatione fratris sui eadem Testis deponit infra in examine anni* MDC-XXXIV, *annos tum nata* XL, *relata in depositionibus Testis* 1. *Cap.* VII. *ubi reliqua huc spectantia legi possunt. Citat tamen hic etiam facti testem* D. Julianam de Lara, Comitissam de Mira fratriam suam.

Curatio Comitis de Mira, alibi relata,

F

61 Dixit præterea, Dominicum Joannis, Priorem ecclesiæ Mortaneiræ, tam acri tertiana laborantem, ut judicio medicorum moriturus esset brevi, nisi sublevaretur; venisse in hoc monasterium: ibi vero tantum incrementi habuisse febrim, ut se ad mortem obeundam disponeret. Tunc porrecti sunt illi aliquot boli sacchari rosacei, conspersi terra sepulcrali Reginarum: quos manducavit, ac statim malum dispulit, numquam deinde reversum. Id autem scivit d. Testis, tum quia nepos quidam d. Prioris fuerat famulus cognatæ suæ Comitissæ de Mira; a qua crebro ferebat litteras ad monasterium; tum quia, inspectante se, porrecta infirmo terra fuerat modo prædicto: et in confirmationem dictorum suorum nominavit D. Aldonsam Desa, quæ bolos infirmo porrexerat; *atque hic sequitur.*

et Dominici Prioris per esum sacchari terra sepulcrali conspersi,

62 D. Aldonsa Desa, Religiosa, annorum XL, *testis* CCXXX, interrogata *super depositionibus modo dictis Elisabetha de Norogna tamquam testis* CCXXIX, *de curationibus factis in Priore Dominico Joannis, atque in*

confirmatur a Teste 230.

in D. Sancio Comite de Mira : item de curatione facta in filio Dominici Luis de Penacova, quam eadem Elisabetha de Norogna deposuerat, ut testis CCXVIII; *confirmavit omnia, expresse referens, de primo quidem, quod* eum vidit infirmum *quod* ipsa ei dedit manu sua memoratos bolos, *quod* mox viderit eumdem sanum, non reversa febri nocte proxima, qua alioquin juxta cursum suum reverti debuisset; nec reversa deinceps. *De secundo autem, quod adfuit ac vidit, quando D. Elisabetha ei misit terram sepulcralem: quodque* audierit ex ore ipsius D. Sancii de Norogna, et D. Julianæ de Lara, Comitum de Mira, febrim ab ægro corpore depulsam fuisse simul atque terra prædicta ei applicata fuit. *De tertio vero*, quod vidit, terram ei mitti ab eadem D. Elisabetha; ipsumque infirmum postea vidit recte valentem.

Desperata sanitas sub sepulcris recuperatur.

63 Aloysia Joanna, femina conjugata, habitans hic Lorvanii, annorum XL, *testis* CCXXXI *et ultima hujus summarii*, interrogata super depositione mariti sui Antonii Esteves *(desideratur illa in hoc odice)* quæ ei lecta fuit, dixit, veram esse; subdiditque, se illum vidisse infirmum spatio sex septemve mensium ex vehementissima tertiana, eaque adeo exhaustum fuisse viribus ut nec incedere, nec loco movere se posset, judicio omnium morti propinquus. Inter hæc, consilio piorum hominum constituit in auxilium advocare sanctas Reginas, et febrim sub earum sepulcris quinquies expectare. Et primum quidem, quod eo concessit, febrim sensit tam acrem, ut numquam magis: secundum vero, multo leniorem expertus fuit: tertium autem, nullam omnino habuit, nec habuit postea. Atque hæc omnia scire se dicebat, quia viderat oculis suis, jurans, maritum non aliter consecutum fuisse sanitatem, quam intercessione Sanctarum Reginarum, et manifesto miraculo.

CAPUT IV.

Processus anno MDCXXXIV *auctoritate Ordinarii formatus; et legitima ejus formandi petitio et concessio.*

Præfatio Benedicti de Almeida Deputati ad hunc Processum formandum,

Benedictus de Almeida, Archidiaconus Conimbricensis, Deputatus a Sancto Officio, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Conimbricæ, ibidemque et in toto Episcopatu Provisor pro Dominis Capitularibus Sede vacante, omnibus, præsens instrumentum visuris, salutem in Jesu Christo, Salvatore nostro. Notum facio, quod ex parte matris Abbatissæ aliarumque Religiosarum Monasterii Lorvaniensis, hocce in Episcopatu posití, Memoriale porrectum fuit venerabili admodum Capitulo Cathedralis ecclesiæ civitatis hujus, ut authenticarentur vita et Miracula Reginarum D. Theresiæ et D. Sanciæ: quodque Ven. Capitulum dictæ Cathedralis Decreto suo mihi commiserit executionem contentorum in d. Memoriali, ut cujus Acta in processum adducta fuerunt; et eorum copia de verbo ad verbum est, ut sequitur.

cujus Acta hic sequuntur

Memoriale Monialium, Deputato porrectum per Procuratorem causæ,

65 Anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi MDCXXXIV die IV mensis Martii, in hac civitate Conimbrica, in domo Archidiaconi Benedicti de Almeida, Deputati a Sancto Officio, et Provisoris hujusque civitatis et episcopatus; per Reverendum Patrem Fr. Joannem de Almeida, Religiosum Ordinis Sancti Patris Bernardi, Cappellanum monasterii Lorvaniensis et Procuratorem pro hac causa, porrectum fuit prædicto Provisori Benedicto de Almeida scriptum Memoriale d. matris Abbatissæ et plurium Religiosarum d. Monasterii, una cum Decreto ei subnexo, Dominorum Capitularium Cathedralis Ecclesiæ d. civitatis sede vacante: per quod supplicat nomine d. Abbatissæ et Religiosarum, ut acceptaret d. Memoriale pro causa et effectu Beatificationis et Canonizationis Domnarum Reginarum Theresiæ et Sanciæ (ad ipsum enim tamquam Ordinarium, id pertinere) quia erat æquum et honestum, tam per se, quam per Articulos, quos offerret Procurator, pro interrogandis Testibus ad perpetuam rei memoriam, pro felici exitu d. Canonizationis dd. Reginarum.

ab ipso acceptatur, declarante etiam, se judicem esse competentem.

66 Quod Memoriale ei præsentavit in præsentia Antonii Marquez Scholastici et famuli d. Provisoris; atque Joannis Ferreira, nati Lorvanii; simul etiam præsentans catalogum Articulorum, juxta quos interrogandi erant Testes. Cumque vidisset Memoriale d. Provisor, ipsum acceptavit, quia erat æquum et honestum; et pronuntiavit se esse Judicem competentem, tamquam Ordinarium, in executione d. Memorialis, juxta formam et commissionem, sibi datam a ven. Capitulo civitatis Conimbricensis Sede vacante: de quibus omnibus mandavit fieri hunc Actum, quem ego scriba et Notarius firmavi, cum ipso ac Testibus. Emmanuel d'Abreu, scriba Archidiaconi Ecclesiastici d. civitatis, et Notarius Apostolicus ex approbatis, hoc scripsi ad instantiam d. Patris Fr. Joannis d'Almeida Procuratoris in hac causa, et jussu d. Provisoris; et me subscripsi. Emmanuel d'Abreu, Benedictus d'Almeida, Joannes Ferreira, Antonius Marquez. *Sequitur modo aliud Memoriale, porrectum a Monialibus Abbati suo Generali, supplicantibus, ut facultatem concedat inchoandi causam Canonizationis Reginarum Theresiæ et Sanciæ.*

Memoriale oblatum a Monialibus suo Abbati Generali,

67 Reverendissime Pater noster. Exponunt D. Abbatissa et reliquæ omnes Religiosæ monasterii S. Mariæ Lorvanii, positi in episcopatu Conimbricensi sub obedientia Reverendissimæ Paternitatis vestræ; quod, considerantes multiplicia beneficia et gratias singulares, quæ idem monasterium obtinuit a Domnabus Reginis, dum vixere, Theresia et Sancia, filiabus Regis Sancii, hujus nominis Primi; quæque nunc quatibet fere hora obtinent per illarum intercessionem a divina manu; decreverint in Capitulo suo in gratiarum actionem satagere, ut a summo Pontifice earumdem Beatificatio et Canonizatio impetretur. Quoniam vero absque auctoritate Reverendiss. Pat. vestræ, opus, tam æquum ac pium, nequeat optatum consequi finem, supplicant Paternitati vestræ Reverendissimæ, ut sibi concedere dignetur facultatem curandi d. Beatificationem et Canonizationem; eumque in finem peragantur auctoritate Ordinarii in d. Monasterio, quæ necessaria sunt, atque admittantur Religiosæ ad jurandum in hoc casu: et sibi caritatem ac gratiam præstitam putabunt.

petentibus facultatem inchoandi causam Canonizationis;

quam Abbas concedit

68 *Huic Memoriali, quod initiale anno* 1634 *scriptum fuerit, sequenti tenore rescripsit die* 12 *Januarii ejusdem anni Abbas Generalis, optatam facultatem concedens.* Frater Arsenius a Passione D. Abbas monasterii S. Mariæ de Alcobasia, Generalis et Reformator omnium suæ Congregationis in hisce regnis Lusitaniæ et Algarbiæ, consideratis rationibus, quas mater Abbatissa et aliæ omnes Religiosæ conventus nostri Lorvaniensis, Conimbricensis diœcesis, allegant in suprascripto Memoriali suo, ad tractandam Beatificationem et Canonizationem Domnarum Reginarum Sanciæ ac Theresiæ filiarum Regis Sancii, istius nominis in hoc regno primi, concedimus ipsis facultatem curandi d. Beatificationem et Canonizationem de sanctitate illarum; et faciendi auctoritate Ordinarii omnia, quæ ad id necessaria sunt; eumdemque in finem juramento firmandi, quæ ad interrogata responsura sunt Moniales. Datum in hoc nostro monasterio de Alcobasia die XII Januarii

INTERP. C. J.

nuarii MDCXXXIV. Doctor Fr. Paulus Brandanus Secretarius Reverendissimæ Paternitatis suæ has scripsi. Fr. Antonius a Passione, Abbas Generalis.

Memoriale earumdem Monialium, Ordinario suo supplicantium,

69 *Hisce acceptis, aliud Memoriale expediunt ad Capitulum Conimbricense Sede vacante; quo* exponunt Mater Abbatissa monasterii Lorvaniensis et cunctæ ejusdem Religiosæ: quod in d. monasterio suo sepulta sunt corpora Dominæ Theresiæ, Reginæ quondam Legionis et Galeciæ, Fundatricis d. Monasterii; nec non Domnæ Infantis Sanciæ, Fundatricis conventus Cellarum: quæ ambæ sorores ac filiæ ex legitimo thoro Regis Lusitaniæ Sancii primi et Domnæ Dulciæ Reginæ, fuerunt monachæ professæ Ordinis gloriosi Patris S. Bernardi; et dederunt, in vita quidem grandia sanctitatis indicia, post obitum vero clarum multorum miraculorum splendorem; quæ Deus ad invocationem illarum operatus est.

ut Testes super sanctitate et miraculis examinet;

70 Quapropter cupiunt Oratrices ad gloriam, et laudem Dei ejusque sanctæ Ecclesiæ, agere de Beatificatione et Canonizatione dd. Sanctarum; cumque ut agere possint, necessario confici debeat summarium Testium ad perpetuam rei memoriam; ex quo constet de vita, sanctitate et miraculis dd. Sanctarum, Reginæ atque Infantæ; ut et de integritate corporum earumdem post spatium quadringentorum annorum, ex quo sepulta fuerunt; supplicant Dominationibus vestris tamquam Ordinario suo, Sede vacante; ad se ut mittant, qui Summarium de supradictis conficiant, atque examinent Testes præsentandos, juxta Articulos, quos offerunt; ut per d. Summarium magis juridice procedere et supplicare Sanctitati Suæ possint, ut mandet per suos Delegatos sumi plenam informationem pro Beatificatione dd. Domnarum: et gratiam accipiant. D. Agnes de Norogna Abbatissa. *Auditæ et examinatæ a Capitulo supplicantium preces, hoc ejus Decretum obtinuerunt:* Provisor noster conficiat hoc Summarium, atque examinet Testes præsentandos, uti supplicant Oratrices, sumptibus monasterii. In Capitulo die XV Februarii MDCXXXIV Archidiaconus Julianus Pigneiro.

quod munus committitur D. Provisori Capituli

71 *Obtento isthoc Capituli Decreto, Procuratorem causæ suæ instituunt Moniales, Patrem Joannem de Almeida, Confessarium suum, hoc instrumento.* D. Agnes de Norogna Abbatissa hujus regalis conventus S. Mariæ Lorvanii in districtu civitatis Conimbricensis, et aliæ Religiosæ Consiliariæ, subscriptæ, instituimus nostrum sufficientem Procuratorem, cum facultate substituendi unum aut plures Procuratores, cum libera et generali administratione, P. Fr. Joannem de Almeida, Confessarium nostrum; ut nomine nostro et omnium Religiosarum hujusce conventus faciat omnia requisita, quæ necessaria videbuntur, coram D. Provisore hujus Episcopatus, ad movendum Sanctitatem Suam, ut in gratiam regni hujus et specialiter hujus conventus ac populi supradicti, beatificet atque canonizet illustrissimas Domnas, Reginam Theresiam atque Infantam Sanciam; quarum corpora in ecclesia hujus nostri monasterii quiescunt.

Constituunt Moniales Procuratorem in causa Canoniz. Joannem Almeida

72 Quamobrem concedimus d. Procuratori nostro in solidum, et cuivis Substitutorum ejus facultatem necessariam jurandi nostro nomine quodlibet licitum jusjurandum; et quidquid factum atque requisitum per d. Procuratorem nostrum, aut per quemlibet alium Substitutorum ejus factum requisitumve fuerit, nos perpetuis temporibus habituræ sumus pro bono, firmo et valido; eaque de causa obligamus bona nostra et eorum reditus, tum præsentes, tum futuros. Datum in hoc nostro conventu die VI Martii MDCXXXIV. D. Agnes de Norogna; D. Maria de Sousa, Deputata; D. Elisabetha de Norogna, Priorissa; D. Paula de Castelbranco, Deputata, D. Magdalena de Vazconsellos, Sacristana; D. Elisabetha Coelha, Sacristana; D. Agnes de Castro, Deputata; D. Philippa de Silva, Major Domus; D. Aloysia de Britto, scriba d. conventus has feci: Bernarda Monteira Suppriorissa.

cum facultate substituendi sibi alium

73 *Biduo ante, videlicet IV Martii ejusdem anni Capitulum Cathedralis Ecclesiæ in executionem Decreti sui, die XV Februarii facti, et hic paulo ante relati, expedierat Commissionem, qua concedit Provisori suo Benedicto de Almeida facultatem accedendi ad monasterium, faciendi processum, eligendi Notarium et alia, ut sequitur.* Nos Decanus, Dignitates, Canonici, Capitulum sanctæ Cathedralis Ecclesiæ Conimbricensis, per præsentes committimus D. Archidiacono Benedicto de Almeida, Fratri nostro, Deputato sancti Officii, nostro Provisori; ut personaliter conferat se ad monasterium Lorvaniense, quod prope abest ab hac civitate Conimbricensi, faciatque Summarium et inquisitiones circa sanctitatem et virtutes Domnarum Reginarum Theresiæ atque Infantæ Sanciæ, sororis ejus; quarum mentionem faciunt in suo Memoriali, his incluso *(et supra num. 68 relato)* quod incipit, Exponunt Mater Abbatissa etc. Faciet autem præmissa in forma juris: et concedimus ei facultatem eligendi quemvis Notarium Apostolicum ex approbatis hujusce Episcopatus, qui scribat d. Informationes: prius tamen quam scribere incipiat, præstabit juramentum in manus d. Domni Provisoris, ut cum veritate et fidelitate scribat d. informationes. Qua de re scriptura conficietur, per utrumque firmata. Datum Conimbricæ in Capitulo, sub nostro signo et sigillo, hoc die IV Martii MDCXXXIV. Archidiaconus Julianus Pigneiro Notarius de mandato Capituli feci d. Commissionem. Benedictus Pereyra de Mello, Decanus; Archidiaconus Julianus Pigneiro; D. Georgius de Castro, D. Georgius Cordeiro; Archidiaconus Gondisalvus Leitam de Mello; Didacus Ribero; Sebastianus Cabral; Pantaleon Rodriguez Pacheco.

Commissio Capituli Conimbr. ut Provisor suus faciat Summarium,

et Notarium eligat qui juret se fideliter scripturum

74 *Sequitur deputatio Notarii et Cursoris cum juramento per eos præstito, quod fideliter munus suum obituri sunt.* Die VII Martii anni MDCXXXIV hoc in loco Lorvanii in hospitio monasterii, præsente Archidiacono Benedicto de Almeida, Provisore dicti Episcopatus Conimbricensis, comparuit coram ipso, R. P. Fr. Joannes de Almeida, Procurator in hac causa; eique exhibuit catalogum testium, qui deposituri sunt de miraculis Domnarum Reginæ Theresiæ, ac Principissæ Sanciæ sororis ejus; de quarum beatificatione et canonizatione agitur: simul etiam rogavit eum, ut procederet in hac causa, utque sibi deputaret Notarium, qui acta conscriberet; Cursoremque, qui testes citaret: ac statim d. Provisor acceptavit d. catalogum, et nominavit scribam in hac causa Emmanuelem d'Abreu, Notarium Apostolicum approbatum per Ordinarium hujusce Episcopatus, et jussit ipsum jurare super quatuor sancta Evangelia; eaque manu dextera tangentem ac jurantem deputavit ad scribendum in hac causa, bene et cum veritate; quod ille se ita facturum promisit. Similiter deputavit Cursorem, qui citaret testes aliaque præstaret in hac causa, Antonium Suarez, sartorem natum ac habitantem in hoc loco Lorvanii, quem pariter jussit jurare super sancta Evangelia; quæ is tetigit manu dextera, et jure jurando promisit se diligenter ac fideliter functurum munere suo. Hisce præsentes adfuerunt testes, Joannes Ferreira, incola hujus loci; et Antonius Marquez, famulus d. Provisoris; coram quibus testibus, rogatu similiter d. Patris Procuratoris, mandavit d. Provisor hæc Acta tradi d. Notario et hocce instrumentum fieri, quod formavit cum ipso, cum testibus et Cursore, et mecum Emmanuele d'Abreu Notario Apostolico

D. Provisor deputat Notarium atque Cursorem,

qui et juramentum requisitum præstant.

A Apostolico, qui hæc scripsi. Benedictus d'Almeida, Emmanuel d'Abreu, Antonius Suarez, Antonius Marquez, Joannes Ferreira.

Offeruntur nomina Testium examinandorum, et Articuli iis proponendi;

75 *Eodem die* VII *Martii et anno* MDCXXXIV, *Lorvanii in hospitio monasterii coram Provisore Benedicto d'Almeida comparuit P. Fr. Joannes d'Almeida Procurator in hac causa, præsentavitque ei catalogum testium et articulorum, super quibus illi interrogandi essent; ac petiit, illos per Cursorem, qui præsens aderat, citari ad testimonium perhibendum; nec non assignari loca et horas, quibus citati testes interrogarentur. Atque fieri præcepit Provisor, volens prædictum catalogum his Actis inseri; ac testes per Cursorem citari: assignavit quoque loca examinis, Lorvanii quidem, pro Monialibus et in monasterio habitantibus, crates: ubi Professionem emittunt; et pro secularibus externis, Eremitorium S. Sebastiani: Conimbricæ vero pro Monialibus monasterii Cellarum, similiter crates, ubi profitentur; et pro secularibus ecclesiam Cathedralem ejusdem civitatis. Tempus autem examinis faciendi designavit omnes hebdomadæ dies, quæ non fuerint festæ. Jam vero Articuli, testibus proponendi, sunt octo sequentes:*

et loca ac tempora pro examine faciendo assignantur

76 I. An sciant, Domnas Reginas Sanciam ac B Theresiam natas esse ex legitimo matrimonio Sancii I, Regis Lusitaniæ et Reginæ Dulciæ uxoris ejus: et quomodo id sciant.

Articuli sunt octo.

II. An sciant, ipsas dum viverent, signa dedisse sanctitatis et vitæ exemplaris: et an de iis sit vox et fama publica.

III. An sciant, easdem post obitum suum operatas esse miracula aliqua, per quæ verificata sit prædicta sanctitatis fama, et quomodo ea sciverint.

IV. An sciant, corpora earum sepulta fuisse Lorvanii ab annis amplius quadringentis; et an sint integra in sepulcris suis: et quomodo id sciant.

V. An sciant, priusquam vita fungerentur, evenisse aliquid miraculosi.

VI. An sciant illas ab historicis aut aliis scriptoribus, in libris impressis, nominatas fuisse sanctas; et a quibus.

VII. An sciant dies, quibus obierunt, anniversario cultu in honore fuisse. Item, an imagines earum impressæ sint aut depictæ.

VIII. An sciant, multos homines illas particulari affectu et veneratione prosequi; et se illis, veluti sanctis, commendare. Præterea exhibeant ad talia probanda, epitaphia sepulcris earum inscripta; ac protestentur Oratrices, se porrecturas, ad ulterio- C rem probationem, alios libros, instrumenta et documenta, quorum notitiam nactæ fuerint.

78 *Post hæc nominatim enumerantur testes plurimi, qui anno* MDCXXXIV, *diebus* VII, *et* IX *Martii; item* VI, VII, *et* VIII *Julii, legitime citati a Cursore Antonio Suarez, Lorvanii coram Provisore Benedicto d'Almeida et Notario, Emmanuele d'Abreu præstiterunt (pars ad crates monasterii, incolæ nempe ejus; pars in eremitorio S. Sebastiani, videlicet seculares) juramentum tactis manu dextera sacrosanctis Evangeliis, veritatem dicturos ad omnia quæ interrogarentur circa miracula Domnarum Sanciæ ac Theresiæ. Similiter actum est Conimbricæ, ubi ab eodem Cursore citati testes alii, diebus* XXIV *Julii ad crates monasterii Cellarum, et* XXVII *in cathedrali ecclesia, simili modo jurarunt tactis Evangeliis, se veritatem dicturos.*

CAPUT V.

Testes, qui in sequente Processu deposuerunt, continuata serie propositi, ut facilius citari ac inveniri possint.

Totum *examen Testium peractum fuit intra annum* MDCXXXIV, *partim Lorvanii, partim Conimbricæ. Examinatorum nomina, ætatem, et conditionem ordine temporis, quo examinati fuerunt et referuntur in Actis publicis, hic præmittam continuata serie; ut commodius citari a me per vocem* Testis I, II, *aut* III; *et inveniri facilius a lectoribus possint. Sunt itaque* D

INTERP C. 1

I D. Magdalena de Vasconsellos et Silveira, Religiosa Lorvanii annorum L. *Eadem deponit iterum, ut Testis* VI, XIII, XXVII, XXXIV, L, LIV, LXXI, LXXVIII, CLVIII.

II D. Joanna de Guerra Religiosa annorum LX.

III Beatrix Silveira, ancilla sacristiæ ann. L. *Eadem est Testis* XVI. LXVII.

IV Elisabetha Baptista, Conversa, annorum amplius LX. *Eadem redit ut Testis* XVII *et* LXXX.

V D. Violanta de Lima, Religiosa, ann. XXXVIII.

VI D. Magdalena de Vasconsellos, *eadem quæ prima.*

VII D. Magdalena de Maura Relig. ann. XLV. *Iterum deponit ut Testis* XLII. LXXXII.

VIII Elisabetha d'Andrade, vidua Dominici da Fonseca Licentiati in jure canonico, ann. plus quam L.

IX D. Catharina de Carvallal Relig. ann. XL. *Redibit illa, ut Testis* XXXIII. XLI. XLIII.

X D. Elisabetha de Acugna Relig. ann. XXXVII.

XI D. Agnes de Norogna, Abbatissa Monasterii E ann. XLVIII, *Testatur etiam* CLXVIII.

XII D. Paula de Castelbranco Relig. ann. LII.

78 *Et hæc quidem examinatæ fuerunt* die VIII Martii ad crates monasterii Lorvaniensis. Die vero X *ibidem loci fuerunt auditi sequentes; quorum duo primi referuntur in codice quo utor sub numero* XIII *quod itidem fit infra pluries, sub numeris videlicet* XLIII. LXVII. CXLI. CXLV. CLXXIX. CLXXXIV. CXCV. CCXXI; *utique errore Notariorum. Nos autem eosdem errores hic sequimur, ne tota alioquin serie deinceps a codice aberremus. Sit igitur Testis.*

XIII D. Magdalena de Vasconsellos. *quæ et* I.

XIII Angela ab Incarnatione, serva ann. L. *Eadem recurrit ut Testis* XXXV. LXVII.

XIV D. Vincentia de Acugna Relig. ann. LXX.

XV Maria de Figueiredo Relig. ann LXXIV.

XVI Beatrix Silveira, *quæ etiam Testis* III.

XVII Elisabetha Baptista, *supra Testis* IV.

XVIII Maria de Miranda Relig. ann. L. *Denuo testabitur* LXIV.

XIX Elisabetha de Miranda Relig. ann. XL. *Recurret hæc ut Testis* XXXII.

XX Aloysia de Amaral Relig. ann. XXIV. *Testatur iterum* CLXXX.

XXI Antonius da Rocha, ex urbe Porto epibata, F habitans Lorvanii ann. XXX.

XXII Victoria Juan, vidua Ignatii Esteves, an. XLIX. *Deponit iterum* XCVI, CXV, CXLIV.

XXIII Elisabetha Dominguer, vidua Dominici Fernandez, ann. LX.

XXIV Catharina Antugnez, uxor Antonii Simois, ann. XXVII

XXV Vincencia de Mello, uxor Antonii da Rocha, ann. XXXVII.

XXVI Maria Ares Relig. ann. L. *Recurrit eadem* LIII. *et* LX.

XXVII Magdalena, *quæ et* I *Testis.*

XXVIII Paula Cabral Relig. an. XL. *Deponet iterum* LXV, LXX, CLII.

XXIX D. Elisabetha de Britto Relig. ann. L.

XXX D. Cæcilia de Castro Relig. ann. XXXIX. *Eamdem videbimus* XLV, LXXIX.

XXXI Sebastiana de Lima Relig. an. LX. *Recurret* LXII.

XXXII *Eadem, quæ* XIX Elisabetha.

XXXIII *Eadem* Carvallal, *quæ* IX.

XXXIV D. Magdalena, *eadem cum teste* I.

XXXV *Eadem quæ supra* XIII de Vasconsellos.

XXXIV

XXXVI Joanna Varella, serva monasterii, ann. LXX. *Infra deponit, ut* XLIII.

XXXVII Philippa de Sa, Relig. ann. LX.

XXXVIII D. Maria Anna de Silva Relig. ann. XXX.

XXXIX De Elisabetha de Norogna, Relig. XL. *Infra iterum* XLIX, LXIII, LXXVI, CLXXI.

XL D. Maria de Alencastri, Relig. ann. XXXVII. *Statim redit* XLIV.

XLI *Eadem, Testis* IX, De Catharina Carvallal.

XLII D. Magdalena *testis* VI.

XLIII *Supra Testis* XXXVI. *Iterum hic in Codice nostro duplicatur numerus* XLIII.

XLIII *Supra* IX, D. Catharina.

XLIV D. Maria Alencastre, *eadem quæ* XL.

XLV *Supra* D. Cæcilia de Castro.

XLVI Antonia Carreira Relig. ann. LX.

79 Die XV Martii *eodem loco ad crates ecclesiæ Lorvanii deposuerunt.*

XLVII Bernarda a Conceptione, Conversa, an. LXXX.

XLVIII Feliciana de Carvallo, Serva monasterii ann. XL.

XLIX *Supra* XXXIX. De Elisabetha de Norogna.

L D. Maria de Vasconsellos et Silveira, *eadem intelligitur quæ Testis* I Magdalena.

LI Elisabetha Moreira, serva monasterii ann. XXVIII. Redibit LXI *et* CLXXVII.

LII Elisabetha Brandoa, Relig. ann. amplius LX. *Iterum deponet* LXXVII.

LIII Maria Ares, *quæ et* XXVI.

LIV *Supra* I Magdalena.

Eodem die XV Martii in eremitorio S. Sebastiani Lorvanii *fuerunt examinati.*

LV Catharina Nugnez, maritata per verba de futuro (hæc latina sic habet codex) cum Antonio Fernandez, ann. XXV.

LVI Elisabetha Fernandez famula monasterii, sed extra illud habitans in loco S. Mametis, parochia hujus monasterii, ann. LX. *Recurrit ut testis* CVIII, *ubi se prætereà dicit uxorem Aloysii Francisci; qui etiam ipse sequitur testis* CXLV.

LVII Elisabetha Fernandez, innupta, habitans Lorvanii, ann. LX.

LVIII Simon, habitans in monasterio Lorvaniensi, juvenis ann. XVIII.

LIX Elisabetha Gomez, uxor Emmanuelis Rodriguez, ann. LX.

Die XVI Martii Lorvanii ad crates monasterii *examen subierunt.*

LX Maria, *eadem quæ supra* XXVI.

LXI *Supra* LI Elisabetha.

LXII Sebastiana, *testis etiam* XXXI.

LXIII Elisabetha, *quæ est* XXXIX.

LXIV *Supra* XVIII Maria de Miranda.

LXV Paula Cabral. *vide* XXVIII.

LXVI Elisabetha de Feria, Relig. ann. LX.

LXVII Angela ab Incarnatione, *testis* XIII *secundo loco.*

LXVII *Supra* III Beatrix.

LXVIII D. Maria de Britto, Relig. ann. L. *Eadem infra* CLVII.

LXIX Catharina de Vega, Relig. ann. LXX.

LXX *Supra* XXVIII, Paula.

LXXI Magdalena, *quæ et* I.

LXXII Francisca Ferreira, Relig. ann. XXII. *Recurret* LXXXVIII.

LXXIII Irena Fernandez, serva hujus monasterii, ann. L.

LXXIV Maria de Angelis, serva Maura hujus Monasterii, ann. LX.

LXXV D. Elisabetha Coelha Relig. ann. LX. *Eadem* CLIV *et* CLXV.

LXXVI *Supra* XXXIX D. Elisabetha.

LXXVII Elisabetha Brandoa *quæ supra* LII.

LXXVIII *Supra* I, *sæpe dicta* Magdalena Vasconsellos.

LXXIX D. Cæcilia de Castro, XXX.

LXXX *Supra* IV. Elisabetha Baptista.

LXXXI Licentiatus, Joannes Nugueira, Presbyter an. XL.

81 Die XVIII Martii *stiterunt se examini Lorvanii ad crates monasterii.*

LXXXIII D. Magdalena de Moura, *quæ est testis* VII.

LXXXIII D. Antonia Coelha, filia Doctoris Antonii Coelho de Carvallo, Consilii Ulissiponensis; in hoc monasterio habitans causa educationis, annorum amplius XII.

LXXXIV Maria Anna Suarez, ibidem causa educationis habitans, filia prædicti Antonii, annorum XIV.

LXXXV Marianna de las Neves, famula D. Mariæ Annæ Coutigna, annorum XXIV.

LXXXVI Catharina de las Neves, habitans in monasterio ann. LX.

LXXXVII *D. Philippa de Silva Relig. ann.* XLIV.

LXXXVIII *Supra* LXXII Francisca.

LXXXIX Catharina Cardosa, serva Monasterii, ann. XXXI. Eodem die XVII Martii *examinatus fuit in S. Sebastiani, unus proxime sequens; reliqui vero ibidem* die VI Julii.

XC Joannes Ferreira, habitans Lorvanii, ann. XXIV.

XCI Licentiatus, Gaspar de Oliveira, habitans Lorvanii et Medicus Monasterii, ann. LX.

XCII Fructuosus Fernandez, faber murarius Lorvanii ann. XLVIII.

XCIII Emmanuel Gomez, famulus monasterii, ann. XLIII. *Denuo testis* C.

XCIV Catharina Juan, vidua quondam Simonis Alvaris ann. L.

XCV Elisabetha Gonzales, uxor Fructuosi, *paulo ante memorati, ann.* XXX.

XCVI Victoria Juan, vidua quondam Ignatii Esteves, æditima ecclesiæ monasterii Lorvaniensis extra claustrum, ann. L. *Eadem deponens supra Testis* XXII, *dicit se annorum* XLIX. *Sed utrobique intelligendum est* paulo plus aut minus: *quod omnes fere addunt cum ætatem enuntiant.*

82 Die VII Julii *ad examen vocati fuerunt in Ecclesia S. Sebastiani.*

XCVII P. Emmanuel de Silva, Sacerdos, habitans Lorvanii, ann. XXXVII.

XCVIII Dominicus Antonius, hortulanus monasterii, ann. XLVIII.

XCIX Blanca Bernardes, uxor Dominici *prædicti*, ann. XL.

C Emmanuel, *idem qui* XCIII.

CI Emmanuel Rodriguez ann. XX.

CII Antonius Suarez ann. XLVII.

CIII Joannes de Arouio, Pictor, ann. XXXVIII.

CIV Maria, adolescentula ann. XVI, filia Francisci Luiggi, famula monasterii.

CV Catharina Luis, uxor Emmanuelis Francisci, famuli hujus Monasterii, ann. XXXV.

CVI Maria Simois, vidua quondam Petri de Mello, anno L.

CVII Elisabetha Fernandez, mulier innupta, ann. LXX. *Videtur eadem, quæ supra* LVII, *licet ibi se dicat annos plus minus* LX *natam.*

CVIII Elisabetha Fernandez, *alia a modo dicta,* uxor Aloysii Francisci, *quæ et supra testis* LVI, *ubi ancilla dicitur esse monasterii.*

CIX Antonius Luis, agricola, habitans in Rebordosia parochia ecclesiæ S. Sebastiani hujus loci, ann. LVI.

CX Joannes Luis, nauclerus, habistans Lorvanii in eadem parochia Rebordosia, ann. XXVI.

CXI Antonia Simois, uxor Emmanuelis Luis, ex loco Caneiro, parochia Lorvanii, ann. XXVII.

CXII Antonia Simois, uxor Antonii Luis, ex Rebordosia, ann. L.

CXIII

A CXIII Antonius Simois, agricola, ex Roxo parochia Lorvanii ann. L.

CXIV Maria, filia Dominici Nugnez, uxor Antonii Simois, ann. XL.

CXV Victoria, *quæ supra testis* XXII *et* XCVI.

CXVI Maria, filia Antonii Simois, ann. XXV.

83 Die X Julii Lorvanii in eremitorio S. Sebastiani *comparuerunt, examinatique fuerunt Testes.*

CXVII Maria Coelha, filia quondam Laurentiæ Coelha, ann. L.

CXVIII Joanna Palma, filia Dominici Duarte, ann. XXX.

CXIX Maria Forras, vidua Dominici Duarte, ann. LX.

Die XI Julii *in eodem eremitorio S. Sebastiani adfuerunt examinandi.*

CXX Helena Craveira, uxor Emmanuelis, Esteves, ann. LXIV.

CXXI lisabetha Craveira, filia dicti Emmanuelis, ann. XXXV.

CXXII Paula, filia Ignatii Rodriguez, ann. XV.

CXXIII Maria, filia ejusdem, ann. XVII.

CXXIV Elisabetha Esteves, uxor Augustini Juan, ann. XLVIII.

B CXXV Antonia de Matos, uxor Ignatii Rodriguez, ann. XXXVIII.

CXXVI Maria Luis, uxor Antonii Georgii, ann. XXXIV.

CXXVII Catharina Antonia, uxor Gasparis Georgii, ann. LX.

CXXVIII Antonia Simois, uxor Antonii Francisci, lanionis hujus monasterii, ann. L.

Die XII Julii *in eodem eremitorio S. Sebastiani ad examen vocati et auditi fuerunt Testes.*

CXXIX Antonius Franciscus, lanio, habitans in Sarnello, parochia S. Joannis de Figueira, ann. XLII.

CXXX Maria Francisca, uxor Emmanuelis Antonii agricolæ, ann. XLVIII.

CXXXI Magdalena Georgii, filia quondam Pauli Georgii, ann. XXV.

CXXXII Faustina Georgii, ex parochia Penacova, ann. XXV.

CXXXIII Magdalena Georgii, filia Antonii Luis, ex parochia Penacova, ann. XVIII.

CXXXIV Maria Luis, uxor Sebastiani Fernandez, agricolæ ex eadem parochia ann. XXXVIII.

CXXXV Margarita Francisca, vidua q. Emmanuelis Georgii agricolæ ann. XL.

CXXXVI Antonius Georgius, agricola, e Sarangeira, parochia Penacova, ann. XXV.

C 84 Die XIV Julii *in prædicto eremitorio S. Sebastiani, interrogati responderunt Testes.*

CXXXVII Maria Fernandez, uxor Stephani Simois, ann. XLVI.

CXXXVIII Maria, filia Stephani Simois, ann. XVII.

CXXXIX Stephanus Simois, agricola Lorvanii,

CXL Elisabetha Diaz, vidua q. Simonis Rodriguez, ann. LXX.

ann. XXXIII.

CXLI Maria de Castro, filia Elisabethæ Diaz, ann. XXX. *Item sub eodem numero.*

CXLI Maria Ribeira, uxor Antonii Rodriguez, viri nobilis, ann. XLV.

CXLII Guiomara Fernandez, vidua q. Dominici Francisci, ann. LXX.

CXLIII Maria de Segueira, filia prædictæ Guiomaræ, ann. XXX.

CXLIV Victoria, *quæ est supra Testis* XXII *et* XCVI.

CXLV Francisca de Pavia, femina Æthiops, quæ curat hospitium hujus monasterii, ann. XLVII. *Atque iterum sub eodem numero.*

CXLV Aloysius Franciscus, agricola, habitans in N. parochia hujus monasterii, ann. LXVI.

CXLVI Simon Antonius, agricola, ann. LXIII.

CXLVII Dominicus de Costa, sutor, ann. XL. D

CXLVIII Helena Luis, vidua q. Melchioris Fernandez, ann. LXX.

85 *Hactenus multa examina, quæ in eremitorio S. Sebastiani instituta fuerunt, diebus variis mensis Julii. Nunc hic resumuntur, quæ interea etiam instituta fuerunt ad crates monasterii et primum quidem illorum, qui illic auditi fuerunt die* VIII *Julii; suntque monachæ ibidem professæ omnes, præter novitiam unam.*

CXLIX D. Marianna de Castelbranco, ann. XVII.

CL Maria Rebella, ann. XXIV.

CLI Agatha Rebellæ, Novitia, ann. XV.

CLII D. Paula Cabral, *supra* XXVIII.

CLIII D. Anna de Castro, ann. XL.

CLIV D. Elisabetha Coelha, *supra* LXXV.

CLV D. Magdalena de Castro, ann. XL.

CLVI D. Catharina Ribeira, ann. XXXV.

CLVII D. Maria de Britto, *supra* LXVIII.

CLVIII D. Magd. Vasconsellos, *supra* I.

Statim eodem die X Julii, *quo nempe auditi fuerant in eremitorio S. Sebastiani Testes aliquot, examinatæ pariter sunt in ecclesia monasterii ad crates prædictas, tres Professæ et ancillæ duæ.*

CLIX D. Paula de Castelbranco, *quæ et* XII.

CLX D. Magdalena, *testis etiam* I.

CLXI D. Maria de Gama, ann. L. E

CLXII Francisca de Macedo, ancilla monasterii, ann. XXII.

CLXIII Maria Baptista, ancilla monasterii, ann. XVIII.

Eodem die XII Julii, *quo in eremitorio S. Sebastiani examinatum fuerat, concessum est etiam ad crates Monasterii, auditæque fuerunt, sequentes monachæ, omnes Professæ.*

CLXIV D. Maria de Caravallo, ann. L.

CLXV D. Elisabetha, *quæ supra* LXXV.

CLXVI D. Margareta de Guerra, ann. XLVIII.

CLXVIII D. Agnes, *quæ supra* XL.

86 Die XIII Julii ad crates monasterii Lorvanii *institutum examen, comparentibus aliquot famulabus præter Religiosas quinque, Novitiam unam et unam conjugatam.*

CLXIX Catharina de Arauyo, ann. LX.

CLXX Joanna Cordeira, ann. XL.

CLXXI D. Elisabetha, *quæ et supra* XXXIX.

CLXXII D. Philippa a Castello Religiosa. ann. XL.

CLXXIII Bernarda de Costa, ann. XXV.

CLXXIV Juliana Coelha, ann. XXII.

CLXXV Maria a Pietate, ann. XX.

CLXXVI Maria de Esperanza, ann. XXXIII.

CLXXVII Elisabetha. *Vide supra* LI. F

CLXXVIII D. Philippa Theresia, Novitia ann. XIV.

CLXXIX D. Bernarda de Silva Relig. ann. XXX.

CLXXX D. Agnes de Albuquerque, Relig. ann. XXVI.

CLXXX Aloysia de Amaral, *supra* XX.

CLXXXI Catharina de Arpuedo ann. XXX.

CLXXXII Maria Varella, matrimonio juncta Sebastiano agricolæ ann. XXXII.

Die XXIV Julii in monasterio Cellarum, quod est extra muros civitatis Conimbricensis, ad crates Professionis *cæpit institui examen; et comparuerunt Testes, ibidem aut Religiosæ aut famulæ.*

CLXXXIII Maria Brandoua, Religiosa ann. XXVII.

CLXXXIV D. Catharina de Almeida, Relig. ann. XXX.

CLXXXIV Maria Ribeira, serva ann. XLVII.

CLXXXV D. Bernarda de Malo, Relig. ann. C.

CLXXXVI Maria de Speranza, serva ann. XX.

CLXXXVII D. Laurentia de Tavora, Relig. ann. XC.

CLXXXVIII D. Maria de Norogna Relig. ann. L.

CLXXXIX Anna Botella, Relig. ann. XXX.

86 Die XXVII Julii Conimbricæ in ecclesia cathedrali

thedrali *examinati fuerunt Testes, qui fere tantum deponunt super tribus primis Interrogatoriis, eaque confirmant ex variis Auctoribus quos tantummodo citant.*

cxc Doctor Petrus Ribeiro de Lago, ann. xxviii vel xxix.

cxci Doctor Franciscus Vaya ann. xxvii.

cxcii Licentiatus Franciscus Rodriguez, Medicus S. Officii, ann. xlviii.

cxciv Licentiatus Paulus Ribeiro Presbyter, an. xxxviii.

cxcv P. Mag. Fr. Franciscus Brandao, Lector Theologiæ Ordinis S. Bernardi ann. xxxiii.

cxcv P. Doctor Fr. Aloysius Manes, Lector Theologiæ, Ordinis S. Bernardi ann. xxxvii.

cxcvi D. Fr. Aloysius de Sa, Lector Theologiæ Ordinis S. Bern. ann. xxxiii.

cxcvii P. Fr. Dionysius ab Alpoensis, Ord. S. Bern. ann. lviii.

cxcviii Doctor Gondisalvus Leitam de Vasconsellos ann. liv.

Die x Augusti Conimbricæ in domo Archidiaconi Benedicti de Almeida etc. comparuit P. Fr. Joannes de Almeida, Procurator in præsenti causa, et petiit finem imponi Examini, sibique dari copiam ejus authenticam ; ac deputari Notarium, qui illam cum originali conferret etc. *quæ et facta fuerunt.*

CAPUT VI.

Proponitur exemplar integri examinis, pro specimine aliorum in D. Magdalena de Vasconcellos Teste prima; et adduntur alia alibi ab eadem deposita.

Datur specimen examinis integri per responsa;

Initium huic examini citatorum legitime ac rite juratorum testium dedit Archidiaconus Benedictus d'Almeida, Provisor Episcopatus Conimbricensis, ad id Deputatus; die viii *Martii sæpe dicti anni* mdcxxxiv, *Lorvanii ad crates monasterii : et prima omnium præsentata ei fuit Domina Magdalena de Vasconcellos, Religiosa ejusdem Monasterii; cujus Depositionem integram, prout a Notario Emmanuele d'Abreu relata est in Acta, hic lubet apponere, tum ut uno in exemplo specimen habeatur ac forma Depositionum reliquarum, tum ut distinctius cognoscatur, quomodo juxta præmissos Articulos examinati Testes fuerint.*

primum ad prævia Interrogata;

89 Domina *igitur* Magdalena de Vasconcellos, Religiosa hujusce monasterii, quæ jussa fuit super sancta Evangelia præstare juramentum, dixit, se esse annorum quinquaginta. Et aliud non dixit. Interrogata, num confessa fuisset in Paschate superiore atque aliis anni festis diebus ; dixit, se fuisse. Interrogata, num gravitatem juramenti, præsertim in casu præsenti, novisset ; dixit, novisse se perquam bene, Tum interrogata super Articulis præmissis; dixit ad i *de ortu et parentibus Reginarum* quod constaret ex libris, atque eo remittebat interrogantem. Et aliud non dixit. *Hæc ex Depositione Testis* ii *huc transferenda duxi, quia nihil de Articulo* i *legebatur.*

tum ad Articulos,

ad ii, *de sanctitate vitæ;*

Interrogata deinde super Articulo ii, qui ei lectus fuit et explicatus ; dixit, scire se, quia audierat, ex multis Monialibus provectæ ætatis, Reginam Dominam Theresiam atque Infantam Dominam Sanciam sororem ejus, quæ in hoc monasterio S. Mariæ Lorvanii sepultæ jacent, in vita exemplariter versatas fuisse et magna sanctitatis signa dedisse ; idque esse et semper fuisse publica voce ac fama testatum ; sic ut ipsa nihil in contrarium unquam audierit; et aliud non dixit.

ad iii, *de miraculis post mortem dixit, febre dudum laborantem*

90 Ad Articulum iii dixit, scire se, quod anno mdcviii venerit in hoc monasterium Religiosus ordinis S. Francisci, cui nomen Petro de las Neves, visitaturus sepulcrum Sanctarum Domnarum Reginarum ; propterea quod a multo tempore tertiana febre laborans, sic affectus esset, ut vix speciem hominis viventis præ se ferret. Ingressus autem ecclesiam d. monasterii rogavit æditimas, quæ tunc erant, sibi ut darent ad bibendum ex vasculo, e quo Regina D. Theresia bibere solebat : et illa, injecto in dictum vasculum aliquanto de terra sepulturæ utriusque Reginæ, ipsum magna cum devotione porrexerunt petenti Religioso : qui simul atque biberat aquam, confessus est, se perfusum consolatione quadam spirituali, quam explicare nequibat ; et quadam fortitudine corporali tanta, ut sibi sanus omnino esse videretur : perrexit tamen diebus novem continuis sic bibere, quotidie faciens ad aram super sepulturam dd. Reginarum erectam : finitis vero diebus illis fuit sanus, et omni liber febre : atque aliquanto deinceps tempore, in memoriam tanti beneficii, redibat semel quotannis, ut gratias persolverent dd. Reginis. Id quod ipsa testis scit, quia vidit et cum d. Religioso egit. Atque aliud non dixit.

bibisse e vasculo Reginæ Theresiæ,

et sanatum esse.

Ad iv, *loco sepulturæ.*

91 Interrogata super Articulo iv, dixit, se scire, quod d. Reginæ sepultæ sint in duobus monumentis, ubi cum veneratione multa servantur ; quodque habeant epitaphia sua, quæ declarent quo modo d. Reginæ ibi repositæ sint, et quorum sint filiæ ; quodque effluxerint fere quadringenti anni, uti dicunt, ex quo sepultæ fuerunt. Et aliud non dixit.

Ad v, *de Miraculis in vita.*

Super Articulo v, dixit eadem testis, esse publicam vocem ac famam in hoc monasterio, atque se ipsam audivisse ex aliquibus ejusdem monasterii Religiosis, et legisse in libro aliquo, a Fr. Bernardo de Britto Chronologo majori hujus regni, composito ; quod Regina D. Theresia dum viveret, resuscitaverit mortuum infantem, quem ad ipsam attulerat mater, excitata fama, quæ increbuerat miraculorum ejus : et aliud non dixit. Super Articulo vi dixit, se scire, quia vidit, in Breviariis impressis in Castilia Ordinis Cisterciensis, in historia S. Francæ, Lectione prima, d. Reginas, inter alias sanctas, etiam ipsas reputari ac haberi tales : et in d. Monasterio recitari orationes d. Reginis, quia sunt in d. Breviariis. Item scire se, quod aliqui Historici, uti Petrus de Maris, Fr. Ludovicus de Angelis Religiosus ex Ordine S. Augustini, et Fr. Bernardus de Britto Chronologus Ordinis S. Bernardi, atque alii multi, dum illarum mentionem faciunt, sanctas habeant ac nominent. Atque aliud non dixit.

Ad vi. *an sanctæ a Scriptoribus vocentur.*

Ad vii *an festus dies agatur et imagines pictæ sint.*

92 Super Articulo vii dixit, se scire, quia videt ; in hoc monasterio celebrari et festive agi cum honore dies, quibus d. Reginæ obierunt, Sancia quidem xiii Martii ; Theresia vero xviii Junii : et hisce diebus festum agitur, et ipsa Testis solita fuit annis aliquot dare conciones, et alia festivæ celebritatis indicia : quodque sciat, esse tam in monasterio, quam extra illud, multas picturas et imagines dd. Reginarum. Et aliud non dixit. Super Articulo viii dixit, scitque, quia vidit; quod ad hanc ecclesiam concurrunt multæ personæ variis morbis laborantes, ut se commendent hisce Reginis, quas tamquam sanctas venerantur : quodque multæ hinc redeunt sanæ ac liberatæ infirmitatibus suis. Scit etiam, quod in d. Monasterio singulis diebus fiat Commemoratio conventualis de hisce Domnabus Reginis. Et aliud non dixit. Subscripsit autem Depositionem suam cum d. Provisore, et mecum Notario Apostolico Emmanuele d'Abreu, qui hæc scripsi. Benedictus de Almeida. D. Magdalena de Vasconsellos et Silveira. Emmanuel d'Abreu.

ad viii, *de devotione populari.*

93 *Habes hic, lector, integram formam examinis, in*

Hic sola fere miracula, ex Articulo 3 colliguntur;

in hoc Processu passim in plurimis observatam; juxta quam interrogati responderunt, saltem ad aliquot Articulos, Testes fere ducenti: inter quos tamen, ut supra etiam memini, recurrunt aliqui bis, ter et sæpius ad examen, semper aliquid novi asserentes, sub priori plerumque juramento suo, initio primi examinis præstito. Inter illos jure merito numeretur hæc ipsa primo loco examinata testis, Magdalena de Vasconcellos, quæ sæpius rediit, circa tertium Articulum aliquid novi depositura. Cum vero Articulus ille versetur circa miracula, quæ operatæ sunt post obitum suum Reginæ; et nos præcipue hic intendamus illa colligere in unum; præcipuus quoque labor noster versabitur circa prædictum Articulum III, *omissis plerisque aliis, quæ aliunde ut plurimum certius constant; et hic ad nauseam ab omnibus fere eadem asseruntur. Nunc vero, quia Magdalenæ Testis* I *examen integrum huc adducimus; attexamus etiam quæ eadem circa Articulum* III *sparsim alibi deposuit veluti Testis* VI, XIII, XXVII, XXXIV, L, LIV, LXXI, LXXVIII, CLVIII, *et singulis quoque Depositionibus ejus subnectemus nomina, aut compendiosius numerum (juxta præmissum Indicem) aliorum Testium eadem confirmantium, adscriptis etiam, si quid forte notabilis discriminis aut confirmationis attulerint. Utque a præmissis ad tertium Articulum de curato a febre tertiana Petro de las Neves, Ordinis S. Francisci Religioso sacerdote, ordiamur; eadem fere deposuerunt*, D. Joanna da Guerra, Beatrix Silveira, Elisabetha Baptista, Maria de Figueireda, *Testes* II, III, IV, *et* XV; *omnes oculatæ, præter tertiam, quæ scivit ex relatione æditimarum, quæ tunc erant, atque infirmo dederant ad bibendum; uti dictum est.*

et confirmantur ab uno deposita testimoniis aliorum.

94 *Veniamus modo ad alteram Depositionem memoratæ Magdalenæ de Vasconcellos; in qua tamquam testis* VI, dixit, se præterea scire, quia vidit, quod ab annis fere octo lecum venit ad hoc monasterium Lorvaniense Franciscus Ribeirus Leitam, oriundus ex civitate Lamego, visitatum sanctas Reginas; quia graviter laborabat febre tertiana. Obtulit se illis multa cum devotione; bibit aquam, cui terra sepulturæ illarum immixta erat; curavit celebrari Missam unam; dedit eleemosynam quatuor scutorum auri; et continuo sanus ac febre liberatus abiit a monasterio, tamquam si nullo morbo affectus fuisset; cum tamen eo venisset valde graviter et periculose laborans. Hæc autem curatio statim omnibus visa miraculosa et dd. Reginis attributa est. *Eadem deposuerunt Testis* VII *de visu et d. Francisci patruelis, nec non* VIII *et* IX *de auditu, addentes prætérea aliam curationem in servo dicti Francisci, Montere nomine factam, de qua infra.*

Aliæ depositiones ejusdem Testis I,

de curata febre tertiana in graviter ægro,

95 Dixit *eadem rursus, tamquam Testis* XIII, se scire quia vidit, quod ab annis XLI ingressa est hoc monasterium D. Philippa de Silva educationis causa; ubi modo est monacha et professa. Ingressa est autem tertiana laborans febri tam graviter, ut nemo crederet spem superesse convalescendi; sed potius existimarent omnes ipsam morituram, quia jam a multo tempore sic laborabat. Interea D. Eleonora de Norogna, quæ tunc Priorissa erat in d. Monasterio, commiserata infirmæ, nec amplius sustinens eam tali in statu videre, jussit ipsam obire opera pia, quæ in hoc conventu moris est fieri diebus triginta; quibus ei data ad bibendem fuit aqua, cui terræ quidpiam e sepulcris Sanctarum Reginarum acceptæ injectum fuerat: transactisque triginta diebus, reperta est d. D. Philippa omni febre libera atque perfecte sana; licet medici d. monasterii affirmassent, fieri non posse, ut diu superviveret: et ab illo tempore huc usque non rediit ei febris. Quæ res, considerata persona ægrotante et qualitate mali, attributa miraculo fuit. *Eadem affirmant* Angela ab Incarnatione, *testis* XIII; *et* D. Vincentia d'Acugna, *testis* XIV, *tamquam* a se visa: *nec non* Agnes de Norogna, *testis* XI, *monasterii tunc Abbatissa, tamquam* audita *ex amita sua, prædicta D. Eleonora; quam etiam asserit in sua depositione; non tantum* Priorissam, *verum etiam* Abbatissam, *ibidem aliquando fuisse, tunc vero mortuam.*

et in deposita a medicis

INTERP. C. I

96 *Eadem Vasconcellos, tamquam Testis* XXVII dixit *iterum*, se scire, quia vidit ac præsens adfuit; quod Maria Ares monacha professa hujus conventus, cum annis abinde sex aut septem, omnium membrorum usu destituta esset, ut surgere e lecto non valeret, frustra adhibitis omnibus, quæ medicina suppeditare poterat, remediis humanis; curavit se. e lecto sublatam, portari per aliquot personas in ecclesiam illo die, quo sepulcrum Reginarum apertum fuit; et ipsa Maria Ares, prehenso manibus vecte ferreo, cum aliquot Religiosis ac famulabus (omnes erant sex numero) conata est tollere lapidem sepulcralem, ac re ipsa sustulit tam alacriter et viriliter, acsi numquam fuisset infirma. Finito autem illo actu, rediit in conventum sola, a nullo adjuta; et usque in hunc diem non amplius d. infirmitate laboravit. Curatio publica fuit, omnesque Religiosæ hujus conventus judicaverunt esse miraculum DD. Reginarum. *Addit ipsa* Maria Ares, *testis* XXVI, *debilitatem membrorum suorum provenisse ex quibusdam humoribus; et medicos omnes, etiam patrem suum Antonium Sebastian, ordinarium monasterii medicum, de curatione sua desperasse: se vero portatam in templum repente ad sepulcra Reginarum ita confortatam fuisse, ut vecte ferreo, ab operis qui prandium ierant illic relicto, lapidem sepulcralem, adjuta a tribus Religiosis ac totidem famulabus, ex parte sua elevaverit, mox per ecclesiam obambulaverit, et redierit in conventum per se ipsam, quasi numquam infirma fuisset: Religiosas vero statim campanas in signum lætitiæ pulsasse. His similia deponunt Testes*, XXVIII *Mariæ soror*, XXIX, XXX, XXXI, XXXII *omnes de visu, excepta forte ultima.*

Usus membrorum amissus subito recipitur ad sepulcrum Reg

quod confirmatur ab ipsa ægra

97 *Iterum Vasconsellos, uti Testis* XXXIV, dixit, se scire quia vidit; quod cum lecto affixa esset ex febre tertiana et aliis morbis, amita sua, D. Margareta de Silveira, quondam Abbatissa hujus monasterii, attulerunt ei Religiosæ (quia pessime habebat desperata a medicis) vasculum ex quo Regina Theresia bibere solita erat, capitique ejus imposuerunt, et continuo se sanam sensit, surrexitque e lecto, ac si infirma non fuisset. Quod statim pro miraculo habitum fuit in hoc conventu. *eadem affirmant Testes*, XXXIII, XXXV, XXXVI, XXXVII. *Deposuit eadem tamquam testis* L, dixitque se scire, quia vidit; quod cum D. Cæcilia, Religiosa hujus monasterii et sua consanguinea, valde infirma esset ex carcinomate, quod ab annis septem alteram ei mamillam depascebatur; ac propterea pro deposita haberetur ab omnibus medicis atque chirurgis, qui in hoc monasterium venerunt ipsam curaturi; et quia post maturam deliberationem judicarunt, cancrum radices suas ad usque vitalia cordis extendisse, noluerunt quidquam medicaminis experiri, metuentes ne ægra in ipsa operatione sua vitam finiret. Quamobrem d. D. Cæcilia constituit opem Reginarum Theresiæ atque Sanciæ implorare per devotionem, quæ in d. monasterio institui ac dies triginta continuari solet. Quia vero d. D. Cecilia admodum emaciata et debilis erat, amita ejus D. Archangela continuavit d. devotionem: eaque ad medium perducta in somnum incidit Cæcilia, et evigilans comperit copiosum pus e mamilla fluxisse; atque d. Testis vidit, quod caro putrida indidem per frusta decideret, statimque appareret caro sana ac solida; qua levibus medicamentis fota, omnino sibi restituta est ægra, et pergit hodiedum bene valere. Id autem in hoc monasterio judicatum fuit miraculum magnum, et attributum

Periclitans de vita confestim surgit sana

Carcinoma incurabile humana ope,

a Reginis illico sanatur.

tum est DD. Reginis, propter statum et præsens vitæ discrimen, in quo, medicorum judicio, versabatur infirma. *Recurret de his sermo, ipsius Cæciliæ verbis propositus Cap.* VII; *ibidemque confirmatur a Testibus* XLVI, XLVII, XLVIII, XLIX.

Capitis dolor et vertigo sub sepulcris curantur.

98 *Eodem loco, eodemque die, quo convaluit memorata modo Maria Ares Religiosa, curata etiam fuit famula monasterii, de qua Vasconcellos, uti Testis* LIV *sic narrat,* quod illo die, quo apertum fuit sepulcrum Reginæ Theresiæ, portata est in ecclesiam hujus monasterii Elisabetha Mareira, ejusdem Monasterii serva, quæ a multo tempore patiebatur ingentes capitis dolores atque vertigines tales, ut sæpe in terram caderet; et adhibitis variis medicinis, nullis consequi sanitatem potuit, Quamobrem submisit se sepulcris DD. Reginarum, eisque se commendavit; et ilico sana liberaque dd. doloribus et vertigine fuit mansitque deinceps: quod habitum pro miraculo et celebratum est in hoc monasterio. *Hæc etiam ab ipsa cui acciderunt deponuntur Cap.* VII *et confirmantur a Testibus* LI. *et* LII.

Ex obstructa gula mori visa

99 *Comparuit denuo eadem Deponens, sæpe dicta Magdalena de Vasconcellos, usque Testis* LXXI, dixit, a mensibus circiter quatuor se vidisse Religiosam aliquam hujusce monasterii, Paulam Cabral nomine; cui bolus in gula transversus ita occluserat fauces, ut horis duabus summo versaretur in discrimine, induta faciem colore vario, et omnibus eam conspicatis visa mori. Quia vero d. Paula Cabral erat in choro hujus monasterii, commendans se S. Blasio; dicta Testis, cum esset æditua, submisit ei vasculum Reginæ Theresiæ, quod in præsentia ejus admotum fuit obstructæ gulæ, et subito, statim, sine mora ulla deglutivit infirma d. Bolum; evanuit periculum mali, et color pristinus rediit. Quæ res valde publica et notoria fuit in hoc monasterio, et magni miraculi instar celebrata fuit cum multis lætitiæ signis. *Idem deponit ipsa Paula, testis* LXX, *addens,* nullum aliud remedium sibi adhibitum fuisse, et sibi visum esse, cum deglutiebat bonum, delabi saxum in pectus. *Accedunt etiam Testes,* LXXII, LXXIII, LXXIV, *et* LXXV, *omnes oculati.*

in momento levatur.

Extremis mu- nitus miraculose convalescit

100 *Comparuit eadem Vasconcellos, ut Testis* LXXVIII, et dixit, se scire, quia audivit ex aliis, quod Comes de Mira D. Sancius de Noregna, cum periculose decumberet ex maligna febre, in villa dominii sui Penacova, depositus jam a medicis, et omnibus Ecclesiæ Sacramentis munitus; commendavit se Reginis nostris, aquam cum terra sepulcrali hausit, misitque huc sacellanum suum, cui nomen Joanni Nogueira; ut novemdialem obiret devotionem. Hic vero singulis diebus operatus est in altari DD. Theresiæ et Sanciæ: ultimo die supervenit Comiti largissimus sudor, quem, considerato ejus statu, opinabantur omnes medici prodromum mortis esse. Indormivit interea Comes, et post somnum reperit se taliter corroboratum, ut paucis post diebus venerit ad hoc ad monasterium ipse, agendum gratias Deo pro obtento beneficio; ac dd. Medici asseverarunt ipsi Testi in hoc monasterio, quod tantummodo per miraculum sanitatem recuperare potuerit d. Comes: quod notorium fuit in hoc monasterio. *Ita hæc depositio, collata cum attestatione D. Elisabethæ de Noregna, quæ soror est d. Comitis, ac Testis* LXXVI; *consentientibus* LXXVII, LXXIX, LXXX, LXXXI.

Febris diuturna ilico pellitur.

101 *Rursus eadem Vasconcellos, ut Testis* CLVIII, dixit se scire, quia vidit et audivit ex D. Maria de Britto et D. Catharina Ribeira, Religiosis in hoc monasterio, quod cum illarum pater, Doctor Aloysius de Bastos et Britto, dudum et graviter laboraret tertiana febre, miserint ad illum dd. Religiosæ aliquid terræ et sepultura Reginarum; quam simul ac sumpsit, febris eum reliquit: quod pro miraculo reputaverunt. *Depositiones ipsarum filiarum, tamquam testium* CLVI *et* CLVII, *vide sis infra, si lubet, Cap.* VIII.

Phrenetica sibi restituitur.

102 *Denique eadem, tamquam Testis* LIX, *dixit,* quod D. Paula de Castelbranco, monacha hujus monasterii e morbi malignitate in phrenesim lapsa ac multum delirans, nullo remedio uti poterat, medicis salutem ei desperantibus. Cum quædam amica ejus, D. Maria de Gama, commendavit amentem Reginis, earumque vasculum illi portavit. Hoc autem fortiter constrinxit infirma, et nec opinato melius continuo habuit, in se rediit, paucis diebus lectum reliquit, et incolumis omnino fuit. Quod ipsa et aliæ personæ, quæ rei notitiam nactæ sunt, ut miraculum habuerunt; *præsertim ipsa Paula et amica ejus Maria, tamquam testes* CLIX *et* CLXI, *eadem narrantes.*

CAPUT VII.

Curationes varii generis infirmitatum.

Invocatæ Reginæ opem ferunt periclitanti de vita;

Domna Violanta de Lima Religiosa Lorvanii, *Testis* V, dixit, quod cum soror sua Elisabetha d'Acugna in hoc monasterio Lorvaniensi graviter infirma, periclitaretur de vita, rerum omnium oblita, atque mente capta, per multos dies; ipsa Testis, cupida sanitatis ejus, dedit illi bibendam aquam, cui terra sepulcralis Reginarum inspersa erat; et continuo sana fuit, malo omni depulso: quod pro miraculo habitum fuit in hoc monasterio; considerato statu, ad quem devenerat d. sua soror, tantopere vi morbi afflicta et a sensibus aliena, ut nullius rei meminerit ne quidem quod d. salutarem potionem biberit. *Idem ipsa* Elisabetha d'Acugna, *Violantæ soror, testis* X, *tamquam ex hac auditam confirmavit.*

cæco;

104 D. Paula de Castelbranco, *testis* XII, dixit, se scire, quia audivit, quod in villa Antia prope Conimbricam juvenis quidam cæcus, cujus nomen ac parentes ignorat, visum consecutus sit, simul ac lavit oculos suos aqua, cui intincta fuerat solea calceorum D. Theresiæ Reginæ, quam aliquis faber murarius, quando apertum fuit sepulcrum inde detraxerat. *De solea illa ejusque detractione mentio fit supra in Relatione quomodo apertum fuerit sepulcrum D. Theresiæ.*

laboranti annis 30 continuis,

105 D. Maria Anno de Silva *testis* XXXVIII, dixit scire se, quia vidit. D. Aloysiam de Silva, amitam suam, quondam in hoc monasterio Priorissam, nunc mortuam, habuisse mire inflatam partem dorsi unam; in eoque tuber ovo grandius, multorum cruciatuum causam, annis triginta continuis frustra medelam ferentibus medicis: quando et anno MDCXI portatum fuit vasculum, e quo Regina Theresia bibere solebat; ex eoque et illa tunc bibit aquam, terræ sepulcrali Reginarum mixtam; et vasculo mox affectæ parti imposito, in somnum incidit: nec multo post experrecta, advocat Religiosam sibi familiarem jam defunctam, dicens, se plene sanam ac tubere liberam esse. Et ipsa Testis, cui cura infirmæ commissa erat, oculis suis vidit, tuber omne evanuisse. Surrexit igitur e lectulo suo infirma atque illico per totum hoc monasterium signa lætitiæ edita et campanæ pulsatæ fuerunt, propter miraculi mirabilitatem. *Ita similiter Testis* XXXIX, XL, XLI, XLII, *tamquam de publica re et notoria. Notandum interim, quod in præmissa depositione Mariæ Annæ de Silva, cui cura infirmæ amitæ suæ et Priorissæ commissa fuit, erratum sit vel in anno, quo curatio facta dicitur* MDCXI, *vel in ætate deponentis, quæ dicitur anno* MDCXXXIV, *quo depositio ejus facta est, habuisse annos* XXX *et sic dumtaxat sex annorum fuisset, quando curam ægræ habuit, dorsum infirmæ examinavit, et curatam ipsam esse pronuntiavit. Proinde corrigendus alteruter numerus est: quis autem, non definio.*

cruciatæ dolore dentium;

106 D. Catharina Carvallal, *testis* XLIII, dixit, quod septemdecim fere sunt anni, cum laboraret gravissimo dolore dentium *(quem longo tempore tenuisse, addit soror ejus, Testis* XLII) ac inflammationibus, quibus nulla arte humana mederi potuit. Confugisse igitur ad opem cœlestem, et magna cum devotione commendasse se DD. Reginis, accessisse etiam ad earum sepulcrum; ibique oratione facta, surrexisse sanam et omni dolore levatam, neque deinceps illo tentatam esse: Quod et miraculo attribuit, et per conventum publicavit. *Concordant cum his Testes*, XLIII, *alia a præmissa infirma*, XLII *et* XLIV.

depositæ ob cancrum mamillam depastam;

107 D. Cæcilia de Castro, *testis* XLV, Monacha professa Lorvanii, dixit: Anni circiter XIV sunt, ex quo mihi invasit alteram mamillam cancer, tenuitque annis omnino septem, quibus et passa semper fui gravissimos cruciatus. Volens autem amita mea, D. Agnes de Castro, tunc hujus monasterii Abbatissa, curari malum, jussit advocari medicos et chirurgos, qui Conimbricæ atque aliis in locis præstabant. Ut illi convenerunt, et consilia contulerunt inter se; concluserunt tandem frustra adhibenda malo remedia, quia radices cancri, tota mamilla sparsæ, prope aberant a corde. Interea cruciabatur ægra tam vehementer, ut multis mensibus nec somnum, nec ullam quietem capere posset. Et considerans, se in præsenti periculo humana ope destitutam, constituit implorare divinam, inchoavitque statim devotionem aliquam in honorem DD. Reginarum Sanciæ ac Theresiæ, recitatura Psalmos pœnitentiales diebus XXX. Quod quidem continuare infirma non potuit propter debilitatem suam: sed matertera ejus, D. Archangela, et ipsa monacha in hoc monasterio, jam defuncta, pro ea complevit. Interea temporis nocte quadam post aliquantum quietis, evigilans, comperit se perfusam pure quod pr fluxerat e mamilla: et advocans materteram suam Archangelam, jussit inspicere d. mamillam; quam comperit ruptam, et pro marcida putridaque carne, quæ tota delapsa erat, viva sanaque vestitam. Exinde autem non nisi levia quædam medicamina fuerunt adhibita. Medici, chirurgi, et quotquot statum infirmæ, mamillæ duritiem et cruciatus noverant; judicaverunt, curationem esse miraculum Reginarum, ad quas confugerat. *Lubuit hæc ipsis Cæciliæ, uti accid..., verbis hic repetere, licet supra Magdalenam de Vasconsellos, testem I in multis similia deponentem audiverimus; tum quia hæc aliquanto distinctiora sunt; tum quia mirabilitas rei bis repetita non displicebit. Aliæ etiam Testes, quæ adstipulantur, sunt* XLVI, XLVII, XLVIII, XLIX.

patienti debilitatem capitis;

108 Elisabetha Moreira, *testis* LI, dixit quod ipsa, a multis annis infirma, ex debilitate et maximis doloribus capitis; quæ variorum accidentium causa erant et superari nullis remediis poterant, portata fuit ad sepulcra Reginarum, sub iisque se devote collocavit, ac mansit aliquanto tempore; surgensque nullum amplius dolorem aut tunc aut deinceps sensit: *Hæc etiam supra jam audivimus ex Vasconsellos, teste I et* LIV; *atque hic confirmantur a* LII, *ac* LIII.

indigenti lacte ad nutriendum infantem:

109 Catharina Noguez, maritata per verba de futuro cum Antonio Fernandez agricola, *testis* LV, *examinata in eremitorio S. Sebastiani dixit*, peperisse se infantem, quem sinu portabat, et primis X vel XII diebus lactasse; cum illico adeo sicca sensit ubera, ut alere prolem nullatenus posset nisi inserendo ori ejus minutias quasdam et micas ciborum, atque orando lactantes matres, ut ubera ei sua præberent. Cum vero dicta Testis venisset in hasce partes, petens eleemosynam, intellexit, quod in hoc monasterio erant Sanctæ, quæ faciebant miracula, quæque matribus nonnullis siccata ubera lacte repleverant: et accedens ad altare DD. Reginarum, genua flexit; et præ egestate non habens quod offerret, recitavit rosarium unum quanta potuit devotione, supplicans illis, sibi ut lac restituerent, quo sustentare vitam infantis sui posset. Ecce autem vix pervoluto rosario, tanto abundavit lacte, ut sustinendo non esset; satiavit largiter infantem, agnoscitque etiam nunc grata beneficium, quod per intercessionem Reginarum ei præstitit Deus. *Subscripserunt huic depositioni Testes*, LVI, LVII, LVIII, *et* LIX, *die* XV *Martii, cum recentissima erat memoria miraculi a triduo aut quatriduo facti, ex depositione citatorum Testium.*

habentibus tuberosum brachium,

110 Maria Ares, *testis* LX, dixit, scire se, quia vidit, Joannem de Aguiar Monacham conversam in hoc monasterio Lorvanii, *ubi hoc examen et sequentia aliquot instituta fuerunt die* XVI *Martii*, habuisse aliquanto tempore impeditum ex tubere cum gravi dolore brachium, ut nihil quidquam operari illi posset. Cum vero hæc audiret, pulsari æra campana hujus monasterii, ipso die quo apertum fuit sepulcrum Reginarum, rogavit, ut sese adjuvarent amicæ quædam suæ ac vestirent, atque ad chorum portarent, participem communis lætitiæ futuram. Eo portata, commendavit se, cum lacrymis ac suspiriis, DD. Reginis; cumque lassa esset, somno corripitur prope organa, quæ sunt in d. choro: et paulo post expergefacta, nihil tuberis, nihil doloris sensit, restitutumque sibi plane brachium comperit: et continuo adiens campanile, cum aliis pulsavit campanas. *Ita fere illa, mutatis ac interpolatis nonnullis ex depositionibus eadem testantium* LXI, LXII, LXIII, LXIV *de visu, et* LXV *de auditu.*

et guttur

111 Elisabetha de Feria, *testis* LXVI, meminit, se habere ad gulam tuber, ovi instar grande ac permolestum; et multo tempore medicamina ei adhibuisse, nulla ope secuta: aliquando autem cum lecto decumberet, rogasse quamdam Religiosam, amicam suam, sibi ut afferret pauxillum de terra sepulcrali Reginarum; et allatam involvisse chartulæ, et noctu applicuisse d. tuberi: cum mane evigilans, volensque sumere præscriptum sibi medicamen, tetigit manu partem, quam tuber insederat, et nihil ejus super esse deprehendit. Quapropter convocans, statim multa cum lætitia et lacrymis, Religiosas, quæ prope a lecto suo aberant, narravit miraculum, quod Dominus noster interventione Reginarum operatus erat: et cunctæ primo intuitu (fuerit enim tuber in extima gulæ parte, facile cuivis conspicabile) animadverterunt, ipsum plane evanuisse; ac statim compulsatæ sunt campanæ et alia lætitiæ signa data. Quædam Religiosarum, quæ præsentes fuerunt, jam diem suum obierunt, viginti quippe ac duo anni abunde elapsi jam sunt. *Contigit igitur anno* MDXII. *Assentiuntur autem duæ Testes duæ suo numero* LXVII, *item* LXVIII *et* LXIX.

febricitanti cum gravi tussi;

112 D. Magdalena de Maura, *testis* LXXXII, dixit se scire, quia vidit. Quatuor circiter menses sunt, cum Marianna de Las Neves, famula D. Mariæ Annæ Coutigna, convictricis in hoc monasterio, gravi laborans tussi et febre continua a multis mensibus, judicio medicorum pro phthisica, et nullis medicinis curanda, deposita erat. Quamobrem offerens se DD. Reginis, et allatum per duas puellas, quæ in hoc monasterio educantur, vasculum, e quo Regina Theresia bibere consueverat, accipiens, ex illo etiam ipsa Marianna aquam bibit, et cum aqua sanitatem; tussique ac febri omnino discussis atque depulsis, se mox e lecto proripuit. Id publicum fuit in hoc monasterio, et constat Deponenti, quia ipsa tunc temporis curam habebat valetudinarii, et D. Mariannæ ibidem infirmæ. *Memoratæ duæ puellæ*, D. Antonia Coelia et D. Maria Anna Suarez;

A

INTERP. C. I.

rez; *nec non ipsa infirma, et ejus amita* Catharina de Las Neves, *tamquam testes* LXXXIII, LXXXIV, LXXXV *et* LXXXVI, *eadem deponunt.*

laboranti febre quartana;

113 Licentiatus Gaspar de Oliveira, *testis* XCI, *medicus monasterii*, recordatur, quod sibi, annis abinde XX, Lorvanii febre quartana laboranti, allatum fuit quidpiam de terra sepulcrorum reginæ Theresiæ et Sanciæ, quod magna cum fiducia et devotione, involutum chartæ e collo suspendit. Quamvis autem soleat quartana febris multo perdurare tempore, ipse post alligatum collo quod dixi amuletum, ultra tertium paroxysmum passus non est: quod pro miraculo habuit, utpote medicus et probe gnarus, nec tam cito, nec tam facile malum illum abscedere, sed identidem recurrere per grande spatium temporis, uti experientia manifesta compertum est. Porro d. Testis, biduo triduove a tam felici curatione, invisit Comitem de Mira in villa sua Penacova, ibique offendens Doctorem Antonium Gomez, Professorem medicinæ vespertinum Conimbricæ, narravit, ei successum rei; respondenti et affirmanti, miraculo Reginarum ita successisse, quia quartana febris ex natura sua annis duobus, aut tribus, aut etiam amplius tenet.

B

carenti usu manuum pedumque;

114 Dominicus Antonius, *testis* XCVIII *deposuit*, quod ipse in hoc loco Lorvanii ita tactus fuerit pedibus manibusque, ut nec laborare, nec vestire se, nec cibum potumve sumere per sese posset; ubique alienaope indigus. Ita affectus, confugit ad DD. Reginas, et per uxorem suam Blancam Bernardez (ipse enim non poterat incedere, nedum foras prodire, novemdialem inchoat supplicationem; cujus ultimo die ita sanus extitit, ut nihil ipsum impedierit, quo minus uti pridem laborare posset, domo exiret, et suum hortulani officium faceret. *Ita confirmat uxor ejus, Testis* XCIX, *item* C, CI, CII.

scatenti vermibus et scabie;

115 Maria Simois, vidua quondam Petri de Mello, *testis* CVI dixit, se scire, quod Maria, adolescentula annorum XVI *(ut ipsa in depositione sua asserit)* nata in villa Arganil, fuerit in hoc loco Lorvanii infirma et scabie generatisque inde vermibus tam plena caput, ut nemo appropinquare ei auderet; idque non minori quam duorum annorum spatio tenuit. Ipsa tamen Testis, amore Dei, miseram ad se induxit; pluries nequidquam medicata est; ac tandem docuit eam obire supplicationem dierum novem in honorem Reginarum, et ungere caput oleo e lampade earum sumpto. Hoc ubi facere cœpit infirma, statim primo die melius habuit; tertio

C

autem *(ut ipsa testatur)* omnino mundatam se comperit toto capite, et omnis doloris expertem, nullo nunc superante mali vestigio, et capillis ei copiose crescentibus: quæ et Testi et omnibus, qui infirmam noverunt, miraculum visa sunt, per intercessionem Reginarum factum. *Præter infirmam ipsam, testem* CIV, *eadem affirmant*, CIII, CV, CVII.

non valenti incedere;

116 Maria Coelha *testis* CXVII, dixit, quod annis XX et amplius cruciata fuerit gravi dolore pedem alterum, ut incedere nequaquam valeret. Post multa vero in vanum applicata ei medicamina, implorasse opem Reginarum, ac pedem oleo ex earumdem lampade livisse, sicque ipsum curasse ut deinceps nec doluerit, nec scipione ad nitendum ambulanti opus fuerit. *Asserunt hæc etiam testes de visu*, CXVIII *et* CXIX, *explicantes, impedimentum tam diuturnum, quod facultatem incedendi eripuit, provenisse ex tubere, pedem insidente.*

abscessum habenti in brachio;

117 Paula, *testis* CXXII dixit sibi super arteriam brachii natum fuisse abscessum, non minorem lupino; et vehementem attulisse dolorem. Ipsum vero abscessum, postquam in auxilium suum vocaverat Reginas, oleo ex earum lampade illitum, nullo alio applicato remedio, per se decidisse, et omnem secum dolorem ac malum abstulisse. *Ita etiam testantur ejusdem consanguinei, testes oculati*, CXXIII, CXXIV, CXXV, *indicantes Brachium* dexterum *fuisse cui abscessus innatus erat.*

D

matri lacte indigenti,

118 Maria Luis, *testis* CXXVI, habitans in loco Sarangeira, parochia Ecclesiæ Penacovæ, dixit, quod multo tempore caruerit lacte ad alendum infantem suum, et interea non nisi summo cum labore vitam ei aliunde sustentaverit: cum intelligens ex paupere quadam femina, quæ huc Lorvanium venerat quod sanctæ illæ Reginæ arentia ei ubera lacte repleverant, quo sustentare posset infantulum suum; venit etiam ipsa Testis ad ecclesiam earumdem Reginarum, idem sibi, quod illi dederant, beneficium rogitans, pro sustentatione ac nutritione sui infantis. Et continuo, stanti adhuc in ecclesia ante dd. Reginas tam copiosum venit lac, ut sibi miraculum videretur: prius quippe tam sicca gerebat ubera, ut ne guttula quidem exprimi inde posset: nunc vero indidem lac fluit tam copiose, ut plures illo nutrire infantes valeat. Et hæc ipsa, ait, probe nota esse socrui suæ Antoniæ, multisque aliis.

E

ad nutriendum infantem;

118 *Recens isthæc facta fuerint, et intra proximos quatuor menses; tum quia* nunc *(et ut alii Testes aiunt* inpræsentiarum) *habebat copiosum lac: tum quia dicens se ex* paupere femina, quæ Lorvanium venerat, *intellexisse beneficium lactis ei a Reginis factum; utique illam designat, quam supra deponentem audivimus*, Catharinam Nugnez, *testem* LV: *innuente id etiam Teste* CXXVII, *cum ait, feminam illam pauperem exauditam fuisse* elapsa quadragesima. *Illa vero Nugnez, pauper femina, deposuit die* XV *Martii, et triduo ante beneficium obtinuerat. Hæc autem Maria Luis suum impetrati lactis beneficium testata est die* XV *proximi Julii: cui et eodem et sequenti die idem attestantur decem Testes a* CXXVII *usque ad* CXXXVII, *aientes etiam, alii quidem, arentia ubera portasse matrem* mensibus tribus aut quatuor: *alii vero, puerum* septem mensium *fuisse cum lac deficere cœpit. Pater etiam pueri* Antonius Georgius, *testis* CXXXVI, *distinctius explicat, quod ex loco Sarangeira, ubi habitabat, audito miraculo, in memorata paupere femina patrato*, venerit ipse et uxor et aliæ personæ, cum magna devotione ad Reginas; portantes etiam infantem suum; et oratione ante ipsas fusa et Missa una promissa; *obtinuerunt lac abundanter, quo* in præsentiarum *mater infantem nutrit.*

F

multum fœtenti ex ulcere;

119 Maria Fernandez, *testis* CXXXVII, dixit, filium suum Emmanuelem, *tunc* sexennem, *uti ait pater, testis* CXXIX, habuisse in gula ulcus; quod medicus anginam dicebat esse, fœtens peregrinum in modum, propter malignos humores ibi collectos. Illum se, ab ipso rogatam, duxisse ad sepulcrum Reginarum, iis obtulisse et oleo lampadis illivisse aliquoties guttur exterius pueri; qui inde paucis diebus, absque omni alio medicamine, liber ulcere et incolumis fuit, estque etiam nunc. *Assentiuntur filia ac maritus, testes de visu*, CXXXVIII *et* CXXXIX.

e lapsu contusum crus habenti;

120 Elisabetha Diaz, *testis* CXL; dixit, revertentem se aliquando ex hoc eremitorio S. Sebastiani, tam gravi lapsu allisam fuisse terræ (cum forte descenderet per ruinas muri cujusdam *uti ait Testis* CXLII) ut duo viri eam debuerint portare domum, non valentem incedere, quia major pars alterius cruris misere contusa, et caro ejus valde lacera erat ex lapsu, *aut; uti testantur filia et quædam vicina ejus*, ex eo quod saxa, simul jacentia, obtriverant crus illud. Hinc orti dolores non modici suaserunt ei, ut oleo lampadis Reginarum Theresiæ atque Sanciæ perungeret contusum crus. Quod et fecit: et continuo, nullo alio usa remedio, cœpit movere d. crus, quod antea, veluti mortuum, movere

A vere non poterat ullo modo; et paucos intra dies *(uti addit filia, prædicta omnia etiam confirmans, cum Maria Ribeira, matri suæ vicina; ambæ testes citatæ sub numero* CXLI) Sanitas integra cruri rediit, ac dolor omnis recessit. *Addit præterea Simon Antonius, testis* CXLVII, *quod d. Elisabetha ceciderit e muro semiruto,* magis alto quam sit statura hominis; *quod* saxa et lateres super illam ceciderint; *quodque* ipse cum Aloysio Galcio, qui modo habitat Ulissipone, illam inter brachia sua tulerit domum.

in partu periclitanti;

121 Dominicus de Costa, *testis* CXLVII, dixit, uxorem suam Catharinam de Tina, cum e diutina infirmitate lecto affixa et a medicis derelicta, insuper et extremis Sacramentis munita esset, parere cœpisse (erat enim gravida) summo cum labore et periculo propter debilitatem viriumque defectum: commendasse autem se in tali statu Reginis Theresiæ et Sanciæ; statimque sine discrimine et partu facili enixam esse infantem; cui in agnitionem beneficii nomen Theresia imponi voluit. *Quod tam ipse, quam uxor pro miraculo habuerint; uti et Helena Luis, testis* CXLVIII, *quæ parturienti, ad hoc vocata, adstitit; et parere naturaliter sic potuisse negavit.*

dentibus intolerabiliter dolenti;

122 De Anna de Castro, Religiosa professa, B *testis* CLXIII, dixit, quod ab annis fere viginti quatuor monasterium hoc ingressa, deinde spatio quatuor mensium passa sit tam vehementes ac intolerabiles dentium dolores, ut consilio medicorum evelli sibi aliquot, etiam sanos et integros, curaverit; quo saltem aliqua vacuitas a dolore succederet: sed nullam omnino successisse. Quapropter tota se convertit ad Reginas, novemdialem iis inchoans devotionem, corde potius ac voluntate bona, quam opere: quia doloris acerbitas non sinebat aut Officium divinum aut alias orationes ullas ab illa recitari. Nihilominus dum sic peragit illa devotionem suam, dolor dentium plane cessavit, et numquam rediit. *Eadem fere sunt, quæ Testes* CLIV *et* CLV *hic deponunt.*

vix respiranti ob os transversum in gutture;

123 Francisca de Macedo, *testis* CLXII, dixit, quod inter manducandum quidpiam ex armo vervecino, inhæsit faucibus suis os tranversum, digiti unius magnitudine; quod nec deglutire, nec ejicere poterat. Quamobrem animadverso præsente periculo ac necessitate, invocavit quanto poterat devotionis affectu Reginas; et dicto citius gliscens in buccam d. os expuit, et gratias liberatricibus suis persolvit, miraculum sibi per illas factum rata: *quod et refatur sequens Testis* CLXIII.

exulcerato dorso;

124 D. Maria de Caravaglio, *testis* CLXIV, dixit, se decem annorum spatio portasse tuber in altera dorsi parte, cum gravi dolore et incommodo suo; imaginatam deinde sibi, posse ex causa illa in discrimen adduci vitam suam, auxilium implorasse Reginarum ferventi oratione, et oleo lampadis earum linissa locum affectum; ex eoque sine alio medicamine intra sex dies maturuisse ulcus, paulo post crepuisse, et brevi integre sanatum reliquisse dorsum ejus, ne cicatrice quidem superstite. Quod, considerata mali diuturnitate et periculo, miraculum reputavit, *non tantum ipsa, sed etiam octo sequentes in Indice Testes, quarum tres primæ se dicunt sorores ejus; quarta est Abbatissa; omnes Religiosæ præter duas ancillas.*

faucibus occlusis ossiculo,

125 Bernarda de Costa, *testis* CLXXIII, dixit, manducanti sibi forte pedem perdicis, per negligentiam glutitum hæsisse in gula ossiculum, et vi nulla, nulla arte trajici potuisse. Inde spiritu intercludi cœpto, animoque periculum apprehendente, tacito cordis affectu sese commendavit Reginis, quæ in hocce monasterio conditæ sunt. Et alia quædam socia sua, cui nomen Juliana Coelha, applicuit gulæ ejus bursam, terra sepulcrali dd. Reginarum fartam, quam et collo appensam ipsa Testis gerebat; et in D momento trajecit ossiculum, et omni discrimine liberata fuit; non sine miraculo, *uti ipsa, et citata ejus socia, testis* CLXXIII, *fatentur.*

INTERP. C. 1.

mamillæ a cancro exesæ;

126 Maria a Pietate, *uti testis* CLXXV, serva monasterii, annorum XX, dixit, se altera mamilla graves cruciatus passam, judicantibus medicis, illam a cancro morbo exedi. Hinc advocatum chirurgum, ut medelam afferret. Verum cum is advenisset, jamque manum curationi esset admoturus; prohibuit ægra, nec persuaderi potuit ut permitteret: sed opem Reginarum inclamavit; eoque ipso tempore et cruciari desiit, et inflata prius inflammataque mamilla ad situm et colorem pristinum rediit, uti et hodiedum est. *Quæ curatio miraculum visa est, tum ipsi Deponenti, tum duabus confamulabus ejus, testibus* CLXXVI *et* CLXXVII, *tum aliis.*

multis malis simul;

128 Maria Varella, femina conjugata, *testis* CLXXXII, dixit, sese laborasse et febri, et fluxu sanguinis et uberibus aridis, ut bimestri tempore lactare non posset, quem habebat infantulum. Hoc statu posita, quia inaudierat, Reginas Lorvanii matribus, lacte carentibus illud conferre; iisdem se cum fiducia obtulit, fundens quas potuit orationes: et exaudita, lac sibi rediisse comperit, nutrivitque il- E lo infantem donec ablactaretur. Post hæc acerbo dentium dolore excruciata, ad easdem, offerendo se, recurrit Medicas; et illico recessit dolor, nec rediit deinceps. *Hactenus examinati fuerunt Testes Lorvanii tum in Monasterio tum in S. Sebastiani eremitorio. Qui sequuntur comparuerunt, partim in monasterio Cellarum Ordinis Cisterciensium extra muros civitatis, diebus* XXIV *et* XXVII *Julii.*

oculis ægris;

129 Maria Brandova, Monacha professa in hoc monasterio Cellarum, annorum XXVII, *testis* CLXXXIII, dixit, se aliquot mensibus ægros habuisse oculos, quibus nullam ars medelam afferebat; Hortante autem ipsam quadam amica sua, D. Maria de Castelbranco, quæ jam e vivis excessit, ut se commendaret D. Sanciæ Reginæ, quæ diem extremum clausit in hoc monasterio Cellis, in Lorvaniensi sepulta imposuit dicta Testis oculis suis interulam Reginæ; Sanciæ, quam monasterium hoc pro Reliquiis ejus conservat; et sanitatem eis simul attulit, absque alio quovis medicamine.

vultui male affecto;

130 D. Catharina Almeida, *ibidem Monacha, testis* CLXXXIV, multis mensibus, *uti ipsa deponit,* affecta dolore genarum et capitis, totoque vultu tumida, F loqui non poterat: et remedia, quæ applicaverat plurima; frustra fuerant. Commendavit igitur se Reginæ Sanciæ, mortuæ in hoc monasterio et Fundatrici ejus, nunc vero Lorvanii sepultæ; velavitque vultum male affectum interula ejus modo dicta; et statim sine alia medicina curata fuit.

desperatæ saluti;

131 Maria Ribeira, *testis* CLXXXIV, dixit, quod ob morbum lecto affixa multo tempore, et a medicis, vitam ejus desperantibus, derelicta, confugit ad DD. Reginas, Lorvanii sepultas et illico atque in momento sana fuit, et e lecto surrexit. Alias quoque doloribus oppressa, denuo ad Reginas confugit, ac denuo earum opem experta vacuam se a doloribus reperit: ideoque fiduciam magnam in ipsis collocatam habet.

quibusvis morbis;

132 D. Bernarda de Melo, *Monacha testis* CLXXXV, dixit, audivisse se ex ore D. Mariæ de Castelbranco, quondam Religiosæ in hoc monasterio, jam defunctæ; quod quotiescumque ipsa male haberet, commendabat se Reginæ Sanciæ Fundatrici nostræ ejusque interulam, de qua supra, sibi imponebat, et continuo melius habebat. Atque ipsa Testis pluries vidit, illam id agere, et subito convaluisse ex quavis infirmitate sua, propter fidem ac devotionem, qua d. Reginam veneratur: idque publicum dicebat esse in hoc monasterio.

INTERP. C. 3. *affecto cruri;*

133 Maria de speranza, *testis* CLXXXI, dixit, doluisse sibi vehementer alterum crus, quod suasu cujusdam suæ familiaris commendavit Reginis, Lorvanii tumulatis, et perlivit oleo lampadis earum : et illo solo medicamine sanatum fuisse pulso dolore. *Simili commendatione atque unctione se* ab annis octo, continua febri, qua ad desperationem medicorum affiictabatur, liberatam fuisse, Anna Botella *testis* CLXXXIX *asseruit.*

febri continuæ;

134 D. Maria de Norogna, Monacha Cellis, *testis* CLXXXVIII, annis abhinc quindecim, tam acerbos se passam dixit cruciatus longo tempore, ut ferendo non esset amplius, nullum levamen afferente Medicina : imposuisse tandem sibi jam dictam Sanciæ interulam, qua nec opinato, et momento temporis dolorem omnem detersit, et huc usque sine illo fuit.

doloribus acerbis.

CAPUT VII.

Curationes febrium tertianarum; et pocula super Articulis IV *et* V.

Curatur juvenis, submittens se sepulcris Reginarum;

J*am retulimus in depositionibus Magdalenæ de Vasconsellos Cap.* VI *curationes aliquot ejusmodi febrium, factas in persona Petri de Las Neves, Francisci Ribeiri Leitam, D. Philippæ de Silva, D. Margaritæ de Silveira, et D. Mariæ de Britto: Nunc aliorum depositiones super talium febrium curationibus hic conjungimus.* Elisabetha Baptista. Monacha Conversa Lorvanii, sexaginta annorum, *Testis* IV dixit, scire se, quia vidit, quod quidam juvenis Lorvaniensis, cujus nomen oblita erat, annis abhinc novem aut decem; cum valde infirmus esset ex febre tertiana, artem et opem medicorum omnem eludente; commendavit se hisce Reginis, scopis verrit circum earum sepulcra, illisque se submisit per dies novem; his autem finitis, sanus et omni malo liber extitit. Et hoc publicum ac notorium hic fuit, tam extra, quam intra monasterium. Juvenis autem addebat, Testis, jam mortuus est.

alter, bibens e vasculo D. Theresiæ;

136 D. Violanta de Lima, *Testis* V, dixit, audivisse persona fide digna, in hoc monasterio; venisse eo Germanum d'Acugna, fratrem suum, pessime habentem ex febre tertiana : bibisse triduo e vasculo, unde bibere solita erat in vita sua D. Regina Theresia; injecto prius in d. vasculum pulvere sepulcrali dd. Reginarum; et post triduum sibi ac sanitati restitutum fuisse depulsa febri. *Idem altera Germani, soror* D. Elisabetha d'Acugna *Testis* X, *confirmat.*

tertius procumbens ad sepulcra;

137 D. Magdalena de Moure, *testis* VII *posteaquam sub juramento narraverat, qua pacto patruelis suus Franciscus Ribeirus Leitam curatus esset gravi febre tertiana; subjunxit continuo,* quod, cum dictus Franciscus aliquando rediisset, post acceptum curationis beneficium, ad idem monasterium, comitante ipsum famulo suo, Monteiro nomine; jamque discessurus iterum inde esset; invasit d. famulum tam violenta febris tertiana, ut medicus hujus monasterii affirmaret, numquam se ei similem in alio observasse. Obtulit se infirmus DD. Reginis ; procubuit juxta earumdem sepulcrum ; obdormivit ; et cum evigilaret, sine omni febre fuit tam sanus, ut e vestigio cum d. Domino suo se viæ commiserit. *Idem confirmavit testis* VIII *et* IX.

uti et quartus;

138 D. Vincentia d' Acugna, *testis* XIV, dixit se scire, quia vidit ac interfuit; quod ad hoc monasterium venit Sacellanus D. Antonii Mascarignas, vocatus Dominicus Luis de Couto, valde infirmus e febre tertiana, vexatusque jam amplius anno uno: venit autem, excitus fama, quæ vulgabat DD. Reginas singulariter patrocinari laborantibus istiusmodi febribus : et prostratus ad earumdem sepulcrum cum magna fiducia, dum Religiosæ in choro recitaverant quamdam antiphonam, ilico surrexit sanus ; et omni malo, quod febris afferebat, levatus. Simul etiam testatus fuit d d. Religiosis, quod Deus in se operatus esset illud miraculum per intercessionem d d. Reginarum, in quibus fiduciam habebat, certior etiam factus, quod tali febre deinceps non esset laboraturus. Miraculum hoc statim publicatum et multis lætitiæ signis celebratum fuit in d. Monasterio. Et novit d. Testis, numquam rediisse Dominico illi febrim ejusmodi. *Eadem deposuerunt Testes* XV, XVI, *et* XVII. *Hæc ultima tunc adjutrix erat æditimarum in sacristia, audivitque illa narrantem ipsum Sacellanum, simul atque curatus fuit; ac Dominum ejus, ait, habitare Ulissipone.*

quintus per terram sepulcralem;

139 Maria de Miranda, *testis* XVIII, affirmavit, fratrem suum Joannem Brandam, habitantem in loco, qui vocatur Goes, diu vexatum fuisse maligna febre; eaque in tertianam conversa, postquam frustra adhibuerat remedia humana omnia, sumpsisse terram de sepulcro DD. Reginarum, ilico melius habuisse, et scripsisse ad d. Testem; se simul atque in aqua d. terram hauserat, expertum esse redire sibi vires et animum; confessum insuper, quod Deus per DD. Reginarum intercessionem operatus esset d. miraculum. Interea vero ipsa Testis continuavit dierum XXX devotionem, quam clausit curando dici Missam unam pro d. fratre suo : et hic omni ex parte convaluit *Testantur hæc duæ aliæ ejusdem sorores,* Elisabetha de Miranda et Aloysia de Amaral *testes* XIX *et* XX, *tum inter se, quam a fratre, cognominibus distinctæ : interim utraque ipsum fratrem suum appellant.*

sextus per terram aquæ mixtam;

140 Antonius de Rocha, *testis* XXI, deposuit, se mensibus sex mirum in modum fuisse cruciatum tertiana febre, ac diebus quatuor curatum fuisse a DD. Reginis. Nam cum ageret in loco Penacova, venit in hoc monasterium commendaturus sese dictis Reginis, cum fiducia magna; submittensque se earum sepulchris, ibi paroxysmum febrilem frigidum passus, atque intra quatriduum omnino curatus fuit ac sanus deinceps mansit : antea tamen vulgatam medicinam, aquam cum terra sepulcrali mixtam biberat. Judicavit autem, Deum in se hoc miraculum esse operatum per intercessionem d d. Reginarum ; quia prius frustra tentaverat quidquid ars et medicina conferre potuerunt. *Idem deponit Testis* XXII *quia audivit;* XXIII, *quæ ad tentandum hoc remedium hortata fuerat infirmum ;* XXIV, *et* XXV, *quæ uxor ejus est ; quia viderunt.*

septimus per vasculum ac terram,

141 Francisca Ferreira, *uti testis* LXXXVIII, dixit scire se, Doctorem Gasparem Pinto de Fonseca, Professorem juris prudentiæ in universitate Conimbricensi, e tertiana et aliis febribus decumbentem; posquam remediis omnibus, quæ medici præscribere solent, frustra usus fuisset; accepit (inquit) me mittente, vasculum, ex quo bibere solebat Regina Theresia, cum terra sepulcrali; ex eodem et ipse bibit, nec opinato sanus extitit, sine tertiana atque omni alia febri. Ita ille per litteras suas testatus fuit huic deponenti, manum ejus probe cognoscenti ex aliis ejusdem litteris, quas plures penes se habet ; additque, testatum etiam esse, se postquam biberat, multo valentiorem quam antea fuisse. *Ita illa : ita etiam Testes* LXXXVII, LXXXIX, et XC.

octavus, jacens prope sepulcra;

ac iterum, vovens Missam;

142 Fructuosus Fernandez, faber murarius habitans Lorvanii, *testis* XCII, recordatur, quod, cum ante annos XVIII tertiana laboraret, sciretque multos febricitantes intercessione Reginarum convaluisse; conjecerit se, ubi paroxysmum frigoris febrilis sensit, prope illarum sepulcrum ; et frigore desinente, opem earumdem Reginarum imploravit et consecutus fuit ; liberatus deinceps febre ; nisi quod an-

no

A no superiore MDCXXXIII denuo invaserit eum similis febris, et ipse denuo imploraverit opem Reginarum, vovens se Missam curaturum cantandam, si infra Dominicam proximam febre liber foret: et ipsa Dominica, nullo adhibito remedio, liber fuit, et votum persolvit, celebrante missam P. Fr. Cypriano, qui tunc Religiosis hujusce monasterii a confessionibus erat. *Partem ultimam confirmat Testis* XCIV, *cum tribus sequentibus.*

nonus bibens e vasculo;

143 Emmanuel Gomez, *testis* XCIII, *et ipse postremam præmissæ depositionis partem confirmat, veluti a se visam;* et memoria recolere, ait, quod a IX aut X mensibus æger ex tertiana, cum potasset ex vasculo Reginæ Theresiæ aquam cum terra sepulcrali mixtam, febris abierit, numquam reversa.

decima potans aquam cum terra;

144 Elisabetha Fernandez, *testis* CVIII, dixit, se mensibus novem et amplius tertiana laborasse, frustra medicinis usam; e vasculo sæpe memorato aquam cum terra sepulcrali mixtam potasse, et febrim depulisse, quæ numquam deinde reversa est. *Idem affirmat maritus ejus* Aloysius, *testis* CXLV.

undecimus curans Missam celebrari;

145 Antonius Luis, *testis* CIX, *mox* dixit, se aliquanto tempore simili febre laborantem, scientemque multos ejusmodi infirmos præsentem opem a Re- B ginis nactos, vovisse iisdem Missam unam, et mox celebrandam curasse: prius tamen recessisse d. febrim, quam Missa fuerit finita. *Subscribunt testes* CX, CXI, CXII, *et sunt, filius, filia, et uxor.*

duodecimus, offerens oleum pro lampade;

146 Antonius Simois, *testis* CXIII, e tertiana febre multum debilis, *ut dixit*, tribus continuis diebus submisit se sepulcris Reginarum, offerens insuper dimidiam olei mensuram pro lampade earum; atque post triduum illud, sanus fuit sine febre. *Testantur eadem uxor ejus, testis* CXIV, *dicens*, ter *ipsum se submisisse sepulcris, nempe semel quotidie; adeo ut intelligi non debeat, tribus diebus continuis submissum ibi mansisse: item Testes* CXV *et* CXVI.

decimus tertius, commendatus ab uxore Reginis,

147 Helena Craveira, *testis* CXX, *dixit*, quod maritus suus Emmanuel Esteves, multorum mensium spatio æger decumbens ob febrem tertianam, post varia medicorum tentamina habitus pro deposito fuerit: quando ipsa cum filiis suis ad monasterium sese conferens curavit unam Missam, in honorem Reginarum offerendam. Inde autem reversa domum, rogavit infirmum, qui se haberet. Ille autem, Multo melius sibi esse respondit. Supervenerat enim lenis somnus, qui valde ipsum recreaverat: et sic deinceps confortatus fuit, ut paucos intra dies e lecto surge- C ret. *Id quod domestici omnes pro evidenti miraculo habuerunt, et filia, testis* CXXI, *etiam pro tali deposuit.*

decima quarta bibens e vasculo;

148 Guiomara Fernandez, *testis* CXLII, dixit, quod quatuor menses tertiana febre afflicta, obtulit se ad sepulcrum Reginarum; ibique orationi intenta, habuit paroxysmum febrilem, sed ultimum. Bibit enim potionem sæpe dictam e vasculo Reginæ Theresiæ; et febris deinceps nulla rediit; *subscribentibus huic curationi testibus* CXLIII, *et tribus proxime secutis.*

item decima quinta,

149 D. Marianna de Castelbranco, monacha professa, annos nata XVII, *testis* CXLIX, dixit, octies sibi apertam venam et extractum sanguinem fuisse ad pellendam febrim tertianam, qua misere affligebatur sed frustra. Deinde ex allato sibi vasculo Reginæ Theresiæ bibisse modicum aquæ; et febrim continuo abiisse, nec rediisse umquam: *quod ipsa cum tribus sequentibus in Indice Testibus, atque aliis multis inter miracula numeravit.*

decimus sextus per terram sepulcralem

150 D. Catharina Ribeira et D. Maria de Britto, *ambæ Religiosæ professæ ac sorores, testes* CLVI *et* CLVII *dixerunt*, patrem suum Doctorem Aloysium de Bastos, jam defunctum, nulla ope humana liberari potuisse vehementi tertiana; cum altera filiarum ei misit pauxillum de terra sepulcrali Reginarum; quo sumpto liberatum ilico fuisse, et confestim esse cum filiis suis se miraculo convaluisse.

interp. c. j. uti etiam decima septima,

151 D. Philippa Theresia, *testis* CLXXVII, Novitia D in Monasterio Lorvanii, dixit, quod cum in domo paterna adhuc versaretur, antequam ingrederetur monasterium, laboraverit febre tertiana: quodque eo intellecto miserint sibi sorores suæ D. Bernarda et D. Agnes, Monachæ hujus ipsius monasterii, terram sepulcralem Reginarum; quam in aqua bibit infirma, et febre liberata fuit, seque ilico contulit ad hoc monasterium, ubi modo est. *Eadem post ipsam testantur nominatæ sorores ejus, nec non Testis* CLXXX.

decima octava semel atque iterum,

152 Catharina de Arpuedo, *Testis* CLXXXI, dixit, anno et amplius vexatam fuisse sese tertiana febre, eludente quidquid ars medica conferre auxilii conata fuerat: cum sibi mater sua porrexit aliquantum de terra sepulcrali Reginarum, quod partim in aqua bibit, partim in sacculo appendit collo, et eadem nocte liberata fuit. Cum vero frater quidam suus, peregre domum rediens, conferret et ipse secum febrim; ei e collo suspendit demptum sibi, quem dixi, sacculum; atque ilico, dixit, rediisse sibi suam febrim: Quamobrem regressa, sacculum resumpsit, ac denuo febrim a se fugavit, numquam deinde reversam.

et decimus nonus.

153 Doctor Gondisalvus Leitam, *testis* CXCIX, dixit, quod anno MDCXVIII, cum esset Gubernator in civitate Visensi, laboranti sibi graviter ex febre E tertiana, missum sit Lorvania aliquantum de terra sepulcrali duarum Reginarum: quarumque intercessione earumdem plane convaluerit a febre illa, nec deinceps ea laboraverit unquam: quod denique magni faciat dictam terram et Reliquiarum loco veneretur.

Aperto Theresiæ sepulcro

154 *Atque hæc de febribus tertianis, de quibus plura etiam occurrunt in Processu primo exempla. Nunc pauca ad Articulos* IV *et* V *accipe, de apertione sepulcri unius Reginarum, et miraculis per eas in vita patratis. Ad* IV *quidem respondens* Beatrix, *testis* III, dixit, quando apertum fuit sepulcrum D. Theresiæ circiter XVII ab hinc annis, se vidisse ejus corpus integrum, absque ulla corruptione, in d. sepulcro, unde gratissimus prodibat odor: vidisse iisdem flores, quibus corpus erat undique conspersum, tam recentes acsi illa primum hora injecti fuissent: idipsum autem etiam visum esse a multis Religiosis, quæ illic erant præsentes.

corpus integrum repertum ac suave olens.

155 Elisabetha, *testis* IV, dixit, scire se, quia vidit Reginas in templo hujus monasterii conditas in sepulcris duobus lapideis cum epitaphiis suis; in quibus dicuntur quiescere annis amplius CCCC. Eadem præsens fuit quando sepulcrum Reginæ Theresiæ F ab annis fere XVII fuit apertum, ac vidit corpus ejusdem incorruptum omnino atque integrum esse: simul vero atque aperiretur sepulcrum, erupisse ex eo miram plane fragrantiam, quæ a præsentibus omnibus existimata fuit miraculosa. Denique vidit eadem Testis, elevari corpus d. Reginæ, sub eoque conspexit uti et super ipsum, multam vim florum, tam recentium, ut eadem hora lecti viderentur; quos Moniales distribuerunt variis personis ac locis. Hæc autem d. Testis quam optime vidit, quia inter primas eo accurrit, quando apertum sepulcrum fuit. Fructuosus Fernandez et Emmanuel Gomez, *testes* XCII et XCIII, *prædictis addunt, se, cum aperiebatur sepulcrum*, vocatos fuisse a matre Abbatissa, quæ tunc erat D. Maria de Mendoza; et vidisse corpus expers corruptionis, carne contectum totum nisi quod tantulum deesset extremo naso, quantulum sunt *(uti ultimus ait)* capita duo acicularum.

156 *Sed hæc de apertione sepulcri Reginæ Theresiæ, de integritate corporis ejus, de fragrantia odoris inde diffusi, de pulcritudine florum recentium ibidem inventorum, quibus alii testes multa consona deponunt hic sufficiat; præsertim cum amplior de iisdem narratio,*

A a D. Magdalena de Vasconcellis conscripta, superius data sit. Claudat Processum hunc Abbatissa monasterii, D. Agnes de Norogna, *testis XI quæ ad Articulum V respondens* dixit, audivisse se, publicamque esse in hoc monasterio famam, quod D. Regina Theresia, dum vivebat, patraverit multa miracula: quodque inter alia audivisset, mortuam fuisse in valetudinario Religiosam aliquam sine Confessione. Quamobrem accursum fuit ad d. Reginarum, orationi tunc vacantem prope locum, ubi erat tumulanda. Re cognita, continuo jussit Regina advocari Religiosos, ut confessionem ejus exciperent; reponentique personæ illi, quæ tristem nuntium attulerat, atque iterato dicenti, quid attinet advocari Confessarium, cum dicta monacha jam sit mortua: præcepit Regina, ut jussa sua exequeretur absque tergiversatione. Cum vero instrarunt valetudinarium vocati Religiosi, repererunt d. Monacham vivam, confitentem audiverunt, et postea mortua est.

Miraculum ejusdem, dum vivebat, mactus.

ELENCHUS ERRATORUM

In Vita præmissa correctorum.

B *Alphonsi Lusitaniæ Regis primi filius et successor Sancius, conjunctus Dulciæ Barcinonensi, et sub annum* MCLXXVIII, *ut dictum num.* 62. *Ex hoc conjugio ut mox nata* Tarasia *sit, fuit illa annorum dumtaxat* XIII, ***quando Alphonso Regi Legionensi nupsit. Tarasiam*** *nascendi ordine proxime secuta* Mafalda. *Henrico Castellano adhuc impuberi data fuit uxor anno* MCCXIV, *ipsa plus quam tricenaria. Excusari ergo nequaquam potest, quod utrumque conjugium sibi imaginetur Macedo, modico intervallo, et patre adhuc vivente contractum: hic enim anno* MCCXII *obiit; Dicit tamen iste num.* 7, *quod Legionensis regia, recepta jam in eam Tarasia,* fragrabat odore virtutum; eoque juvabat vicina æmulatio Mafaldæ sororis quæ paulo post ipsam nupserat Henrico I Regi Castellæ et jam diu apud illum habitabat; .... atque ut Reges foris in depellendis Mauris pari gloria inter se certabant, ita, *quod dicit* Reginæ domi de cohibendis vitiis pari laude contendebant. *Atqui* Henricus *primum natus est an.* MCCIV, *cum* Tarasia ***ante novennium jam excessisset Legione per divortium separata.***

Errat Auctor, non distinguendo tempus quo Teresia ab Alfonso Leg.

2 *Verum etiam esse ex dictis non potest, quod Alphonsus Sancii filius, non fuerit ausus sorores inquietare pro oppidis, paterno testamento relictis,* quamdiu matrimonia cum Alphonso et Henrico steterunt ob

et soror ejus Mafalda ab Henrico Cast fuerunt separatæ;

C metum maritorum *ut inquit Macedo num.* 14, *cum ibidem dixisset; quod Tarasia* ex hoc dotem profectiam satis amplam ad conjugem adduxerat, æquam ferme Mafalda ad Henricum. ***Cum enim testamentum*** *suum condidit Sancius anno* MCCXI, *anno sequenti de*-***functus, diremptum pridem erat Matrimonium Legionense****, Castellanum ne cogitatum quidem; in quod, licet adeo dispar, ut consentiret Mafalda, inauci potuit propter molestias quas mortuo patre inferebat frater, sperans quod viribus Castellanorum sua posset jura tueri. Tantum autem abest ut illa cum Henrico diu vixerit,* ***quod vix contractum matrimonium****, instante pueri sorore Berengaria, mox fuerit dissolutum, et adhuc virgo sponsa remissa in Lusitaniam; quando soror ejus Tarasia annis omnino* XVIII *fuerat a marito separata.* ***Interim ea omnia sic tractat Auctor num.* 8 *et* 9*, quasi*** *sub eodem Pontifice et per eumdem Legatum utraque causa tractata fuerit.*

alius error circa Regem fratrem, sororibus molestum,

3 *Nihilo minus errat cum num.* 10 *ait, divortii sententiam tulisse, ut* liberis, tamquam illegitimis, jure regni interdiceretur. ***Nam sicut simili cum vitio natum ex Alfonso Legionensi et Berengaria Castellana*** S. Ferdinandum ***Innocentius III declaravit legitimum*** *paterni regni successorem; sic etiam Cælestinus III* ***declarasse debuit legitimum*** Ferdinandum ***alterum ex*** D ***eodem Alfonso*** et Tarasia ***prius natum, et tunc cum*** *divortium Tarasiæ fiebat adhuc viventem propter bonam fidem partium quarum contractum ratum habuerunt utriusque regni status, tam Ecclesiastici quam seculares, nulla habita ratione consanguinitatis palam notæ, quasi in casu tanti boni publici, matrimonium non impedientis.*

et liberos Tarasiæ,

4 *Gravior etiam et patentior est error, in quem num.* 13 *abit Macedo, contra jam dictum* S. Ferdinandum, *ubi ait, quod idem* Tarasiæ *maritus, Alphonsus Legionensis, orbatus successore regni ex illa sibi nato* (Alphonsum *ipse nominat, quem Sancius Lusitanus, pueri avus maternus, in suo testamento* Ferdinandum) *alterique juniori, ex Berengaria Castellana ejusdem nominis filio, cui ut heredi omnes regni status juramentum fecerant,* propter illius turbulentum et ferox ingenium, minus initio æquus et indulgens, et postea infensus fuit. Hinc, *inquit*, primum dissensiones, deinde simultates, tandem apertæ inimicitiæ extiterunt; adeo ut Alphonsus pater moriens regnum Legionense penes filias Sanciam et Dulciam *ex* Tara-E sia, *de qua agimus, susceptas,* testamento reliquerit: tam abalienarant animum patris filii mores. *Toto illo Capite turpissime hallucinatus Macedo, nescio an sciverit se de sanctissimo adolescente scribere, de quo quærere jure possumus, quod de B. Maria Ambrosius,* quando ille vel vultu læsit parentes? *Nam Lucas Tudensis coævus asserit, quod* ita obediebat prudentissimæ Berengariæ Reginæ matri suæ, quamvis esset regni culmine sublimatus, ac si esset puer humillimus, sub ferula magistrali. *Erga patrem autem ita se gessit, ut etiam bello injustissimo appetitus, maluerit illata finibus Castellæ damna et incendia pati, quam contra eum pugnare; sicut fatetur idem Lucas Tudensis, subditus ipse Regis Legionensis; agnoscens insuper, quod mox ut composita pax inter eos fuit. Alphonsus* quosdam rebelles in regno suo perdomuit, Rege Ferdinando filio suo auxilium præbente.

ejusque privignum S. Ferdinandum

5 *Quid ergo patrem alienavit a filio? Non Hujus, sed illius* ferox ingenium *ambitiosumque. Dolebat oppida quædam, a patruo Castellæ Rege, sibi olim jure belli adempta, et causa nuptiarum cum Berengaria restituta, cum ipsa thoro separata rursum redisse ad Castellanos. Dolebat industria Berengariæ factum, ut suæ potestati subtractus filius* Ferdinandus, *Rex Castellæ constitueretur a matre, proxima illius, Henrico supradicto defuncto, herede; cum ipse id sibi deberi prætenderet, velut jure sexus ad successionem propiori: oderatque Castellanos, nec patiebatur eos Legione domi*-F *nari. Hinc eadem licentia, qua Matrimoniorum jura, etiam regnorum putavit se posse refingere: sed frustra, præveniente Berengariæ diligentia illos, qui Castellanum Regem aversati, in favorem filiarum servatum volebant injustum testamentum, ipsi pro illis regnaturi, earumque matrimonia ad arbitrium suum dispositurî.*

ac belli causas inter hunc et patrem suum

6 *Rege autem jam proclamato* Ferdinando, *rogata quidem est per Berengariam* Tarasia *ut Valentiam veniret, collocutura de pace regnorum, ac dote filiabus suis constituenda, et venit; sed non ut controversiæ, absque illa decisæ arbitria. Hoc tamen num.* 14 *sibi imaginatur Macedo, scribens, quod adveniente Tarasia,* posuere arma et iras populi: cumque peteret, abstinuere ambitu, et ejus unius judicio staturos se omnes receperunt. Illa autem, prærogativæ masculinæ memor, contra filias proprias mater sententiam tulit.... *tum præconcepto errori velificans Macedo;* Grata, *inquit*, omnibus sententia fuit, ac eo justior visa, quod a matre profecta, quæ jus amori anteposuerat. Et filiæ haud gravate paruerunt, quod sententiæ reverentia pondus attulerat, et quod noverant Teresiam olim abdicasse se statu et libenter regno cessisse.

et concordiam cum sororibus ab eo initam matre earum interveniente.

A 7 *Nimis etiam exaggerate dici videtur quod S. Ferdinandus ita relictus in pacifica regni Legionensis possessione,* jussit *sororibus* assignari multa et idonea oppida, unde redituum quod satis esset ad regiam personam sustinendam acciperent. *Rodericus Archiepiscopus Toletanus, toti rei præsens et actor in primis, utpote Regius Cancellarius, restitutis omnibus solum scribit quod* Tarasia *quæ filiarum nomine tenebantur, cum illis recessit,* contenta provisione quam illis Rex Ferdinandus, et Regina nobilis Burengaria assignarent; reditus *scilicet* triginta millium aureorum, in locis competentibus percipiendos toto tempore vitæ suæ, *nec ultra. Videatur caput* VI *de Vita sancti Regis: et apparebit quam longe a veritate abierit hic Macedo.*

Item circa S. Sanciam

8 *Suspectus quoque, fictionis idem fit, cum num.* 39, *postquam narravit quæ* Sancia *egit anno* MCCXXIII *in Monte Majori, dicit quod* frater *ejus Rex* Alfonsus Affinitatum potentissimarum cupidus, urgebat in thalamos; *deinde addit,* Petebat illam ante alios Ferdinandus, Castellæ ac Legionis Rex, Alphonsi et Berengariæ filius, qui Patri Matrique successerat; juvenis Magnanimus, et virtutibus regiis præ- B ditus; Sancia, nisi a Christo præoccupata esset, sponsa dignus. Hic omnino erat ceteris præferendus, et fratri Alphonso mire placebat. Uterque populus connubium illud communibus studiis ut fieret procurabat. *Sed qui potuit? Castellæ regnum Ferdinandus matre cedente accepit anno Christi* MCCXIX *ætatis* XXI *et uxorem sibi congruam duxit eodem anno Beatricem Suevicam, quando Sancia jam forte agebat annum ætatis* XL, *apta quæ Ferdinandi mater fuisset, si dimissum a sorore Tarasia thalamum subingredi adolescentula voluisset. Quis credat Berengariam prudentissimam matronam eamdemque sponsæ filio legendæ arbitram, quæ fratris Henrici inæquales cum Mafalda nuptias tanto studio dissolvi procuraverat, titulo simili, improbandas filio carissimo ambiisse? An autem etiam oblita erat, cur ipsa, cur prior Tarasia ab Alphonsi Legionensis thoro erant separatæ. Atqui fuit Sancius, pater Sanciæ, frater Urracæ, ex qua natus Alphonsus, pater* Ferdinandi. *Quod si dispensationem potendam fuisse dixeris; qua fronte ab* Honorio III *tunc Pontifice ipsam petere Berengaria potuisset, quæ tam potenter egerat apud ejus decessorem, cujus auctoritate fuerat etiam ipsa separata a viro, ut ne dispensaret in matrimonio fratris sui* Henrici *cum* Mafalda; *Sanciæ sorore contracto vel contrahendo, sed male conjunctos disjungi* C *juberet? Malim igitur ignorare quæ nuptiæ jam olim fuerint ab* Alphonso *fratre propositæ* Sanciæ, *quam divinare de iis, quæ et tam inæquales erant, et tam difficiles futuræ.*

quasi fuerit petita S. Ferdinando uxor, cujus mater esse potuisset, et erat valde propinqua sanguine.

9 *Igitur hunc quoque locum expungo: sicut etiam quod num.* 43 *supra notato dicitur,* Alphonsus Legionensis, *eo libentius dimissa* Tarasia, *duxisse* Berengariam, quod secum in dotem Castellæ regnum trahebat. *Etenim cum illa ducebatur anno* MCXCVII, *vivebat in Castella Princeps* Ferdinandus, *in spem successionis adolescens qui quoad vivebat nulla spes successionis Berengariæ erat.*

Error de Berengaria nuptura cum jure in Castellam,

10 *Insuper num.* 50 *enormiter in temporum supputationem peccatur, quasi* B. Ægidio *apparens, ipso mortis suæ momento,* Sancia, *adeoque anno* MCCXXIX, brevi una secum in Superis fore *prædixerit; cum ille primum obierit anno* MCCLXV, *et ejus Vita ad* XIV *Maji edita, num.* 19 *ejusmodi apparitionem referens, longe diversum multoque præstantiorem fructum ex ea visione obvenisse Ægidio commemoret.*

apparitione B. Ægidio facta.

11 *Facilius ignoscetur, quod alios plures secutus Macedo post num.* 57, *narret de* Dulcia, *quod precibus* Tarasiæ *matris resuscitata, ad dies quindecim super vixerit. Erratum in persona matris, Quæ Regis Legionensis uxor fuerit, quaque invocante S. Antonium, et hoc apparente, resuscitata puella dicitur num.* 43 *littera* d, *ubi etiam dixi, inter uxores seu concubinas Alphonsi fuisse Lusitanam unam prænobilem,* filiam Ægidii de Soveresa, *eodem, quo prima uxor fuerat,* Tarasiam *nomine, quæ Alphonso Legionensi peperit aliam* Sanciam, *a sancto Fratre suo Ferdinando Rege constitutam Commendatricem Ordinis S. Jacobi ad S. Euphemiæ Toleti, ubi incorrupto adhuc corpore colitur ut* Beata, *defuncta anno* MCCLXX, XXV *Julii, quarum Vitam dabimus hoc seculo collectam, sed in isto puncto corrigendam. Vidit satis Macedo, non convenire circumstantiam loci, quo res acta narratur inter antiquiora S. Antonii miracula, quando* Tarasia *pridem excesserat ex regno Legionensi; ideoque Matri in monasterio agenti revelatam vult mortem filiæ obitam in Castella (Legionem dicere debuisset) et tacet de* S. Antonio, *ne idem casus esse intelligatur, quem passim alii in dubium revocant: non dubitaturi, si scivissent, post dictarum Reginarum divortium, Alphonso Legionensi alias* E *uxores fuisse minus solenniter ductas, ex iisque prolem. Itaque miraculum, tamquam nihil ad* Tarasiam *et* Dulciam *pertinens (quas etiam Auctor antiquus miraculorum S. Antonii non nominat), expungendum fuit. Non videtur illud Macedo reperisse in processibus, sed currente prælo addidisse aliunde suggestum: nam titulus Capitis solum promittit* duo mirabiliora *prioribus* eventa, *istud autem est tertium.*

D *Auctore B. P... mortua a B. Antonio Patav. suscitata ad preces matris.*

12 *Denique non raro obliviscitur Macedo prius scriptorum a se, usque postea contradicit. Nam ut cetera taceam) illum ipsum Ferdinandum, Berengariæ filium, cujus fortem et intolerabile patri ingenium supra dixerat ejus exheredandi causam dedisse; postea laudat ut* juvenem virtutibus præditum et Sancia sponsa dignum. *Similiter num.* 18 *agens de suppetiis. Tarasiæ, a fratre Sancio oppugnatæ missis ab Alphonso ejus olim Marito, Ducem illis præfectum asserit præfatum Ferdinandum, Berengariæ Filium, quasi is tunc adhuc sub patris potestate fuisset, qui jam pridem materno jure in Castella regnabat, propriisque auspiciis bella gerebat.*

13 *Hæc omnia explicanda fuerant, ut intelligeret Lector, cur vitam, a Chronologo tam infelici scriptam, non potuerim operi nostro prorsus immutatam inserere; sed omnibus istis locis correctam, aut interpolatam additamentis propriis. In ceteris fidem viro religioso, et Processus præ oculis habenti, tenendam censeo: styli etiam elegantiam laudo, sed non faciendi operis celeritatem; quæ quam parum conducat ad recte scribendam historiam, jam alias contra eumdem ostendere coactus fui die* V *Maji, in Appendice ad Vindicias pro S. Hilario Arelatensi, dicens hunc esse distinguendum ab altero Hilario, Prosperi socio in defensione S Augustini, contra quam Macedo censuit in Commentatione polemica pro S. Vincentio Lirinensi. Admirationem ille Romæ tulerit, cum extemporalitatis suæ publicam daturus specimen, obtulit de quocumque proposito themate versificare, et quicquid jubebat dicere carmen esset. Satius imprimis fuisset historiam scripturo morum sibi indulsisse longiorem: et integra exhibere vetera si qua habebat monumenta: habuit autem aliqua, atque imprimis Codicem MS. Lovanii repertum ab Abbate Tamaranensi, sub annum* MDLXXIV, *de mandato Henrici Cardinalis, in patrente in vitas et miracula Sanctarum Reginarum; qui citatur num.* 65. *allegatur.*

F *Ignoscenda iste omnia scriptori extemporali.*

quoad originalia monumenta nanciscamur,

cetera autem recipienda.

DE

DE B. PETRO PISANO

FUNDATORE PAUPERUM EREMIT. S. HIERONYMI

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De cultu, ordine et ætate Beati ac Vitæ scriptoribus.

ANNO MCDXXXV.

Acturus ad XVII *Aprilis de* B. Clara Gambacurta Pisana, *cœpi a laude* Gambacurtæ *familiæ; quæ eodem seculo* XIV *geminam extulit facem, cujus splendore excitati, hinc viri, inde mulieres, Vitæ austerioris propositum sequerentur : ipsam scilicet, cujus ibidem descriptam Vitam dedimus; et modo prætitulatum* Petrum. *Ab hoc initium habuit Congregatio quædam* Pauperum Eremitarum *in Italia, in Apostolicis hujus ac superioris seculi litteris dicta* S. Hieronymi et B. Petri de Pisa. *Hujus quia nullam uspiam reperiebam Vitam, optavi istic, saltem de cultu, extra vel intra Ordinem suum, distinctius informari : quod ubi intellexit R. P. Nicolaus Massæus, Procurator eorum Generalis Romæ ad S. Onuphrium, syllabum contexuit ecclesiarum et locorum, in quibus ipsius imago, vel cum expresso* Beati *titulo, vel cum radiis beatitudinis certo indicio depicta cernitur, cumque sit finit :* In omnibus conventibus ac monasteriis Religionis suæ, habetur effigies Beati Fundatoris, cum radiis vel aureola; et dies XVI Junii, anniversarium felicis transitus præcedens, ab universis Beati Patris filiis singulari devotione peragitur cum jejunio, ut fieri in Vigiliis Sanctorum solet. Urbini quoque in ecclesia S. Hieronymi, sub nomine B. Petri, habetur altare ad Missam. *De ipsiusmet diei* XVII *veneratione ideo fortassis nihil addidit Procurator, quia ut passim notum supposuit, quod hic quoque festivus ipsis habeatur.*

Petri, ut Beati Vigilia in Ordine ante 17 Junii,

effigies ubique ut Beati,

2 *Obtulit deinde idem Procurator Vitam Italicam* extractam (*ut habet Titulus*) a Compendio Latino antiquo, et *Italice* digestam in Capita, per P. Bernardinum Puccinum ejusdem Ordinis, *atque impressam* Fulginii apud Dominicum Alterium MDCLXVI. *Ubi mox assertum reperi, non obiisse* B. Petrum (*sicuti scribit Ughellus tom. 3 col.* 544, *et ego alias ipsi credidi*) *temporibus Simonis Salterelli Pisani Archiepiscopi anno* MCCCXL; *sed integro ferme seculo post, scilicet anno* MCCCCXXXV (*quod ex multis infra producendis Actis publicis efficaciter satis probatur*), *natum autem anno* MCCCLV, *atque patre* Petro, *eodem qui* B. Claræ *pater fuit. Compendii illius Auctor nusquam nominatur; tempus tamen quo vixerit, in ipsum quo Beatus obiit seculum incidisse, asserit fidentius quam probet Puccius pag.* 191 : *idemque in sua ad Lectorem iterata allocutione prævia pag.* XXXI *indicat, se illud curavisse primo seorsim imprimendum Neapoli ; ipsum deinde per modum argumenti præfixit præmisso tunc pariter operi diffusiori, sicut hic dabimus, cum prolixioribus ad singulos articulos observationibus, ex Italico ejusdem Puccii assumptis, brevitate quam ipse eas dedit majori, et ad* Petri *Acta propius restrictis.*

ætas ab an. 1355 ad 1435

Vita ex Latino veteri Compendio a Puccio illustrata;

3 *Agit is toto cap. de Joanne Anselmo Truchsesio, Equite Polono ; qui anno* MDCVIII, *patre Burg-gravio Prussiæ natus, et in aula Polonica una cum Regio Principe Vladislao educatus, a Rege Sigismundo ad Imperatorem legatus ivit anno* MDCXXVII ; *deinde ad Urbanum VIII Romam ; ubi ad Catholicam religionem adjiciens animum, cum illius consilio ad S. Onuphrii se recepisset, et eremiticæ disciplinæ rigorem vehementer probaret (quem ut voluit etiam postea observavit), gratiam illam hospitibus suis reddidit, ut ea quam a patria attulerat styli Latini facilitate, de ipsorum Sancto Fundatore volumen scriberet, ex notitiis istic sibi suppeditatis, cui ad finem manu sua sic adscripsit :* Opusculum hoc, cum super montem S. Onuphrii essem, de vita B. Petri Gambacurtæ, tum ob particularem erga Beatum devotionem, tum ut pignus aliquod amoris ejus Ordini ac huic Monti ejusque Bibliothecæ relinquerem, confeci. Itaque hæc sic manuscripta, quam plurima autem propria manu mea, Bibliothecæ S. Onuphrii in discessu meo dedico, consecro, et pro memoria perpetua relinquo, eadem nostris in partibus typis forte curaturus. Quæ quidem et librum hunc, eo ab auctore, Deo duce, proficisci, propria manu subscripsimus ac sigillo Domus nostræ munivimus. Locus ✝ sigilli. *Quæ verba eo fine videntur apposita ut Prior S. Onuphrii ipsa subsignando sigillandoque, sua faceret ; quod tamen non videtur factum fuisse : deinde sequitur :* Joannes Anshelmus Truchsesius de Wetzhausen, Burg-gravides Ducatus Prussiæ, Regiæ Celsitudinis Poloniarum, Suecorum, Gottorum, Wandalorum, ac electi magni Ducis Moscoviæ Cubicularius Colonellus. Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine. Psal. 54.

Vita alia Latina, diffusius scripta

a Truchsesio Regis Poloniæ Legato,

4 *Negat quidem Puccius, isto, rhetorico potius quam historico volumine, haberi a se aliquid ad historiam pertinens potuisse, quod non aliunde certius fundatiusque habeatur; nec nisi rarissime ipsum citat. Capite tamen* 26. Quomodo Deus concesserit Petro gratiam faciendorum miraculorum, *non satis habens id in genere sic asseruisse ex fide picturæ cujusdam Neapolitanæ, ubi expressa miracula quædam cernuntur : utitur attestatione prædicti Truchsesii, eadem distinctius referentis ; itaque occasionem nobis præbuit optandi, ut voluminis istius specimen mitteretur descriptis Capitulis aliquot. Factum est autem quod petebam, missaque hæc Capita,* II, XIII, XIV *et* XVI, *confirmaverunt nobis judicium Puccii ; simulque fuit intellectum, Picturam supra memoratam recentis omnino operis esse, adeoque ad probationem facere nihil posse. Idem Puccius sub finem etiam allegat Manuscripta P. Cæsaris Joannelli Generalis, a quo etiam orationes nonnulli didicerit : sed hic cum fuerit coævus Puccio, nihil conferre ad auctoritatem potest ex antiquitate, quod iste non æque scierit, studiosius scrutatus singula. Hinc fit ut compositam ab eo et numquam editam, atque fortassis brevissimam Vitam, non magnopere desiderem, habens Puccium, nihil asserentem, quod non allatis publicis monumentis, aut saltem ex prædicto Compendio probet. Multum igitur ad summariam rei principalis notitiam Lectori præmittendam, proponere verba Silvestri Maurolyci, in Oceano omnium Religionum, sub initium præsentis seculi, de Hieronymianis in Italia Eremitis ipsoque* Petro *sic Italice scribentis.*

optantur propter miracula:

indicatur Italica alia Ms.

5 Veniebat Pisis Petrus, transitaque Hetruria ibat in Romandiolam ; cumque ad Montem-bellum Urbinatis territorii pervenisset, captus fuit ab exulum turba, latrociniis fortunam aversam tolerantium. Hic eum arripuit Spiritus Domini, itaque interius commutavit

Maurolycus dicit mirabiliter conversum Petrum,

A commutavit, ut non solum constitueret omnino renuntiandum seculo esse; sed etiam infelicium istorum saluti efficaciter allaborandum. Tam ferventi igitur sermone cœpit emollire eorum corda, atque ad pœnitentiam exemplo S. Hieronymi agendam cum spe indulgentiæ divinæ excitare; ut eis persuaserit, secum inter asperos illos montes silvasque vitam a seculo quam remotissimam agere. Persuasis autem delictorum veniam impetravit a Duce Urbinate, cum eisque ad amœnos Cessanæ colles se recepit, cœlo fruentes saluberrimo: deinde in Monte Bello primum oratorium, sub invocatione Sanctissimæ Trinitatis fundavit Congregationi novellæ, anno MCCCLXXX, tempore Urbani VI, assumpta tunica furva cum scapulari post tergum pendente, atque mantello rugoso ejusdem coloris; nudipedes autem cum socculis ligneis incedere jussit, quod etiamnum in quibusdam Lombardiæ partibus servant, quoties ad processiones funeraque procedunt: alibi calceati ambulant, jam inde a tempore Martini V approbati. Nullorum tamen votorum publica professione obligabant illi sese; sed libertatem servabant quandocumque vellent ad seculum revertendi: quoad usque sub Pio V Pontifice reformati, tribus substantialibus Religionis votis adstricti sunt, atque ad vitam in communi ducendam sub Regula S. Augustini anno MDLXIX; sunt autem in duas divisi Provincias, utriusque Marchiæ, Tarvisinæ atque Anconitanæ, in quibus eremiticos conventus numerant quadraginta sex, inter quos unum ex præcipuis habetur Neapolitanus S. Mariæ Gratiarum.

ex latronibus socios primos accepisse,

B

qui tandem excreverint in Ordinem Religiosum,

6 *Hactenus Maurolycus, in nonnullis forsitan corrigendus; ac deinde sex ejusdem Ordinis* Beatos *numerat; scilicet;* Nicolaum de Furcha, Benedictum de Lesina, Philippum de S. Agatha, Marcum de Verona, Andream de Rissa, et Martinum de Catalaunia: *quorum primus Romæ obiit* XXIX *Septembris: Ceterorum diem mortis vel cultus si aliquando didicerimus, libenter etiam eorum faciemus hoc in opere mentionem. Joannes Petrus de Crescentiis, in libro cui titulus Præsidium Romanum, sive de militia ecclesiastica omnium Religionum, tam Equestrium quam Claustralium,* fuse agit de Ordine Hieronymianorum, *maxime quidem in Hispania florentium, sed qui originem suam ex simili apud Fæsulas in Hetruria Congregatione habuerunt, sub initium seculi* XV; *celebritatem autem et formam præcipuam nacti sunt sub quodam Lupo de*

distinctum ab Ordine Hieronymianorum in Hispania,

Olmeto, Generali suo et reformationis auctore, per inductionem Regulæ, ex S. Hieronymi scriptis collectæ, atque ab Eugenio Papa IV confirmatæ per bullam anni MCCCCXXXV, *cum antea sola Augustiniana uterentur. Totis autem viribus nititur probare Auctor iste, Primatum monachatus Eliani potiori jure suis illis Hieronymianis deberi, quam Carmelitis, quibus disputat eam quam prætendunt in Carmeli-montis possessione, numquam interruptam successionem.*

D

AUCTORE D. P.

7 *Lite istis, in Hispaniis acerrime agitatæ, equidem judex sedere nolim: Crescentium miror, de aliis, et quidem anterioribus* Eremitis B. Petri Pisani, *æque* S. Hieronymi *dictis, tam perfunctorie scribere pag.* 478, *ac si eorum solum essent Appendix, quorum dici majores possent; quatenus exemplo præiverunt ad* S. Hieronymum *Eremiticæ vitæ Patronum exemplumque sibi proponendum. Qui inter priorum istorum Beatos primus nominatur a Maurolyco* Nicolaus de Furcha; *idem esse videtur, qui Crescentio* Nicolaus de Puteolo *aliis melius de* Furca Polena *vel simpliciter de* Polena, *unde* Puteolos *iste fecit. Ab hoc* Nicolao *Romam fuisse ductam coloniam in Janiculum, ad ædem S. Onuphrii sub eodem titulo et habitu, idque anno* MCCCCXLVI, *scribit Pancirolus Regione* 8, *Eccl.* 1. *Sed scribere debuisset, ab eo institutam jam ante Congregationem propriam, Congregationi* Eremitarum B. Petri *fuisse tali anno unitam, et exinde unam utriusque Societatem habitam. Beatus censet Crescentius, tam omnes a Maurolyco nominatos, tam etiam* Bartholomæum Cæsenatem, Petrum Hispanum, Marcum Mantuanum, Benedictum Siculum: Paulum Quirini, Nobilem Venetum; Conradum Dalmatam, Philippum Fulgariensem, Joannem Fanensem, Albertum Genuensem, Perrazam Perazzanum, Gambacurtæ discipulum; Antonium Brixianum, Joannem Pacium, nobilem Pisanum; Hieronymum Brundusinum, Martinum de Faxinali Hispanum, nobili deposito honoratum a Regina Joanna. *De his, atque ac de aliis supranominatis, optem discere, an et quem cultum, et quo die habeant præter nudam appellationem* Beati, *pio affectu usurpatam in Ordine, nobis vero nequaquam sufficientem ad locum hoc in opere obtinendum. Talem soli* Marco *hactenus destinamus, ob concursum populi ad ejus incorruptam corpus fieri solitum in festo S. Matthæi, prout invenimus apud Hippolytum Donesmundi ad annum quo obiit* MDX.

plures Beatos numerante.

E

C

VITÆ COMPENDIUM

F

Ex Latino MS. Veteri Neapoli editum

Et ex Italica Bernardini Puccii illustratum.

§. I. *Natales B. Petri, et secessus in solitudinem.*

Petrus, ex nobili familia Gambacurta, Pisis in Hetruria natus, anno Domini MCCCLV, rebus mundanis despectis; divino operante spiritu, patriæ, parentum, divitiarum splendorem, propter Christum despiciens, ut laqueos mundi effugere posset, solitariam vitam eligit.

Avus *Petri nostri* Andreas, *anno* MCCCXXIV *electus Pisis Antianus ejus quoque dominium virtute et industria est consecutus, anno* MCCCXLVII. *Huic (ut in MS. D. Andreæ Ducis Limatuli, habetur) filii fuere septem,* Nicolaus, Bartholomæus, Franciscus, Lottus, Petrus *(B. Petri pater)* Guido *atque* Gerardus; *magnis omnes titulis illustres, nec minus adversa quam prospera fortuna celebrati.* Nicolaus, *patriæ suæ in gradu Antianis præfuit, anno* MCCCXLV; *uti et* Bartholomæus, *anno* MCCCL. *Lottus Confalonerius sive vexillifer ducebatur anno* M..XLIII; *omnes autem, simul cum* Francisco *fratre, fuerunt Domini Lucani et Pisani;* Guido *quantum ex Sansovino colligitur, varia jactatus fortuna Tunetumque delatus, inde cum filia Regis uxore ducta transiit in Germaniam, et ibi stirpem propagasse putatur, aliis Romanæ eum ... esse opinantibus.* Gerardus *uxorem ex Cortegiis habuit, multamque prolem et in* ca

Petri ex avo Andrea patrui ser, Pisarum Domini,

uti et pater Petrus ac patruelis Joannes:

EX BERN. PUCCIO

ea Joannem, *qui una cum patre et patruo* Petro *postliminio rediit ad urbis Pisanæ Dominium, anno* MCCCLXIX, XXIV *Februarii. Tres priores per æmulos suos calumniose delati Carolo IV Imperatori, quem hospitem exceperant, quasi sua in domo ipsi fuerint necem machinati, barbara plane crudelitate occisi fuerunt anno* MCCCLV *die* XXI *Maji.*

Ille pace varie conciliata bene meritus de patria,

2 Petrum *quanti fecerit S. Catharina Senensis, patet ex ejus ad Gregorium Papam XI litteris, quibus eum hortatur, ut ipsum sumat mediatorem fœderis, inter Apostolicam Sedem Lucanosque et Pisanos confirmandi : qua de causa legatus ivit ad Florentinos; majori tamen cum successu, quando inter Florentinam Rempublicam et Galeatium Mediolani Ducem, pacem constituit : hæc cum iterum rumpenda videretur, et Genuenses ipsum solicitarent, legatione perquam honorifica missa, ut Ducem suaderet secum inire fœdus contra Florentinos; induci non potuit ut contra fidem his datam ageret aliquid : non apparet autem quo ex capite Platina in Urbano VI,* Tyrannum *suæ patriæ; aut* Leander *Albertus agens de Pisis* Proditorem *vocaverint : cum auctoritate sua averterit ab ea bellum a Florentinis inferendum, eo nomine etiam laudatus a Gregorio XI, sicuti laudari iterum meruit ex eo quod pacem inter Senenses ac Florentinos ruptam restauraverit. Vir quoque pius fuit, utpote qui anno* MCCCLXXXIV *Pisis fundavit monasterium Virginum Dominicanarum filiæ suæ* Claræ, *cujus hoc ibidem legitur Epitaphium, necdum ad Vitam Latine editam relatum.* Hic jacet devotissima religiosa Soror Chiara, vita et miraculis gloriosa, filia olim quondam Mag. Petri de Gambacurtis. Obiit anno D. MCCCCXX stylo scilicet Pisano, die XVII Aprilis ætatis suæ vitæ LVII, et in monasterio vixit annis XXXVIII *sed incompletis, ideoque ea quæ Vitam scripsit Monialis coæva, annos ad longum notans, solum numeravit* quinquaginta septem, *quos in Epitaphio litteris Romanis scriptos,*

B. Claræ filiæ suæ monasterium fundavit :

perperam legit Puccius, verso V *in* X, *et per zyfros legi fecit* 62.

ex hoc natus B. Petrus an. 1355,


3 *Hanc ergo, nobis natam anno* MCCCLXII, *nascendo præcessit* B. Petrus *annis septem; quippe natus* MCCCLV, XVI *Februarii ex matre utrique communi, cujus nomen non proditur, sed Gualandæ familiæ fuisse scitur, unde etiam* Petro *contigit,* Petrum de Gualandis *cognominari, uti fit in MS. vetusto Constitutionum ordinis, servato Urbini ad S. Hieronymi. Ille autem ipso anno est natus, quo feralis ab æmulis tempestas incubuit, quæ patruos ipsi tres ex vita, parentes et patruum expulit in exilium; ut ab ipsa infantia duris puer assuesceret; nec ilico enervaretur deliciis illis, ad quas regressurus erat intra annos tredecim cum tota familia Gambacurta. Non tamen ita statim pietati se totum dedit* Petrus, *qui anno* MCCCLXXVII *cum fratre suo Majori* Andrea, *per vim extraxerit e monasterio sororem suam, tunc adhuc Thoram, postea Claram dictam sicuti in illius vita narratur num.* 10. *Valuit nihilominus illius exemplum, et constantia domestico quinque mensium carcere probata, apud fratres paulatim mitiores; et occasio verosimiliter* Petro *fuit solitudinis adeundæ : nisi ea mens alio casu injecta ipsi fuit ut vult Maurolycus. Alii qui ipsum credunt Pisis concilium istud cepisse, putant ex itinere versus Apenninum, ac eo visitasse celeberrimas ea ætate solitudines Vallisumbrosæ, Camaldulii, atque Alverniæ. In eo requirendo quid laboris positum a parente sit, non definierim. Mors primogeniti* Andreæ *paulo post secuta; animus ad vota filii emollitus, uxoris propriæ obitus, causæ esse potuerunt, ut contra vocantem liberos Deum frustra se niti videns, dimissa* Petri *revocandi cura, ad secundas nuptias, cum* Orietta *Genuensi ineundas, novamque ex ea sobolem suscitandam cogitavit. Genuit autem ex* Orietta Laurentium *atque* Benedictum, *una cum patre per domesticam proditionem occisos, anno* MCCCXCII *die* XXI *Octobris.*

sororis Claræ an. 1377 exemplo motus,

ad solitudinem abiit

§. II. *Primum in Monte-bello apud Urbinates erectum Eremitorium.*

Ita patria sua egressus, et Apenninum transgressus Petrus *est,* ac prope Urbinum sese conferens, in monte qui dicitur Cessana, ex Christi fidelium eleemosynis, cœnobiolum cum parva ecclesia in honorem sanctissimæ Trinitatis extruxit, anno Domini MCCCLXXX : et una cum duodecim Sociis, quos ad contemptum mundi et eremiticum institutum sectandum hortatus fuerat, vitam S. Hieronymi imitari voluit, in quem incredibilem devotionem et affectum habebat.



Petrus an. 1380 oratorium in Montebello condidit :

Situs *est mons, longo jugo porrectus ad partem Urbini Orientalem, arboribus quidem ferre nudus, sed frugum abundans ac pascuosus, publica etiam via pervius. In parte extrema, inter Orientem et Austrum, planities expanditur, tota quercubus, nucibus, castaneis, cypressisque penè ex arte consita : in quarum medio sat grande est pratum, verna amœnitate floridum, unde* in

A *in Hadriaticum adeo jucundus prospectus est, per intersita camporum æquora, ut plane natum ex re loco sit nomen* Montis-belli. *Hic* Petrus, *de consensu Feltriorum Urbini Dominorum, mapale extruxit, sibi ac primis sociis quos omnes fuisse ex latronibus ab eo conversos Maurolycus et Truchsesius dicunt. Puccius non audet id affirmare, sed verosimilius esse credit, quod eorum aliquos partim ex patria secum eduxerit, partim in via sibi adjunxerit, alios ab istis. Omnes tamen simul cum oratorium strueretur, numero fuisse duodecim servat traditio; quam confirmat vetustissima in Montebello pictura, ubi conspicitur* Petrus *cum totidem Sociis, rudi asperoque in habitu genuflexis ante Crucifixum, cui hinc Deipara, inde Evangelista assistunt sicut eos infra ad* §. 6 *videre licebit ære expressos.*

sibi et 12 sociis,

veteri pictura etiamnum expressis

atque per veteres scripturas notis,

5 *Eorum nomina, ex scripturis et memoriis antiquis, hoc ordine referuntur.*

I Fr. Petrus Gualzeranus *Barcinonensis*, *quem Beatum nominant instrumenta quædam, et miraculis claruisse testantur; corpus autem ejus jacet marmoreo sepulcro conditum, in Pisaurensi S. Bartholomæi conventu.*

II Fr. Joannes Catalaunus, *unus ex primis, qui sub* B *idem tempus, vel paulo antequam nuntium mundo remitteret* Petrus, *in montem S. Bartholi dictum secessisrant vitam ibi eremiticam ducturi.* Beatum *appellant sat, cumque vixisse constat, ex monumentis Canonicorum et Malatestarum Pisaurensium, quando primæ istæ cellæ fundabantur, Ordini* B. Petri *mox aggregandæ.*

III Fr. Joannes Albaniensis.

IV Fr. Andreas Siculus.

V Fr. Alexius Albaniensis, *qui tres simul Fani constiterunt, indulgenteque sub annum* MCCCLXXXIII *Episcopo loci* (Petrus *is erat*) *obtinuerunt ecclesiam* D *S. Joannis in palatio, et simul cum* B. Petro *interfuerunt acquirendo loco S. Blasii.*

EX BERN. PUCCIO

VI Fr. Joannes Berengarii, Valentinus; *haud dubie unus eorum Hispanorum, qui ex Hispania Pisaurum advenerunt, et cujus nomine multa apud Pisaurum acquisita Eremitis illis fuere.*

VII Fr. Archangelus Eugubinus, *magni vir meriti; quo agente acquisitus fuit Patavii locus Magdalenæ: qui cum numquam tonsoris opera uteretur, ex picturis scripturisque scitur prolixam usque ad zonam aluisse barbam.*

VIII Fr. Benedictus Siculus, *cujus opera plurimum amplificatus fuit Ordinis locus Neapoli, sub Archiepiscopo Gasparo; cujus rei testes ipsius Præsulis litteræ servantur, cum Bulla perquam faventi Nicolai Papæ V, circa annum* MCCCCXLVIII. *Beatis annumeratur etiam ipse.*

IX Fr. Petrus de Monte Lodio.

X Fr. Stephanus de Sclavonia.

XI Fr. Benedictus Naldi, Pisanus, *qui per plurimas conjecturas censetur* Petrum *ex sua patria comitatus a principio, nec unquam dum vixit ab eo recessit.* E

XII Fr. Petrus Paci, *de quo nihil aliud invenitur. Adjungi illis possent* Fr. Angelus et Fr. Thomas, Michaelis Viviani de Nobillaria, *qui locum S. Mariæ Angelorum Nobillariæ donarunt.* Fr. Stephanus de Monte Lodio, Fr. Bartholomæus Malarba Cæsenas, *dictus* Zelator Dei, *primus post* B. Petrum *Generalis:* Fr. Petrus-Paulus Gualdi, Ariminensis; Fr. Joannes Eugubinus; Fr. Joannes Bononiensis, *qui loco S. Blasii Fanensis multum profuit.*

quibus adnumerari etiam alii possunt.

§. III. *Eximiæ B. Petri virtutes, studium præsertim paupertatis et pænitentiæ.*

Admirabilis fuit vita Petri, in maxima enim vivebat paupertate. Divitias non solum non habebat, sed nec habere volebat: et adeo paupertatis virtus in eo enituit, ut suos Fratres, Pauperes propter Christum vocitari voluerit. Corpus fere quotidie jejuniis ac disciplinis macerabat, et semper aut orationi vacabat, aut in laboribus monasterii se occupabat, Jejunium inviolabiliter servabat, Quadragesima, a die Rogationum usque ad Pentecosten, a die prima Augusti usque ad festum Assumptionis, et a die Mortuorum usque ad Nativitatem Domini; secunda, quarta, sexta feria, ac die Sabbathi Corpus (ut dictum) asperrimis disciplinis fere quotidie macerabat, interim psallens ter F **C Psalmum Miserere, et ter De profundis, Salve Regina, ac alias Orationes recitabat. Rudibus, sed mundis vestibus tegebatur; ac super nudam carnem ad instar cilicii ferebat. Media nocte semper ad Deum laudandum surgebat: super tabulas ac tapetem humi cubabat, et somnum solum ad naturæ necessitatem capiebat. Ex ejus ore nihil nisi sanctum procedebat, ac Eremitarum suorum calamitates magna patientia tolerabat, eosque maxima humilitate ac benignitate regebat.**

Quas ille vivens exercuit virtutes,

jejunia,

pænitentias.

Hæc *omnia optimam sumunt probationem ex* Constitutionibus, *quæ licet primum ex Capitulo generalis* Patavini *mandato typis excusæ prodierint anno* MCCCCXLIV, *nono post ipsius* Petri *obitum; ipsius tamen opus esse, et eatenus ex manuscripto observatæ, omnino dici possunt. Dubium autem nullum sit, quin, quæ præscripsit observanda suis, eadem omnia exactissime servaverit ipse. In Præambulis igitur ac primo Capite, post commendatum Dei proximique amorem, et observantiam legum præceptorumque ecclesiasticorum concludit ipsum primum Caput in obedientia, summo Pontifici Prælatisque Ecclesiæ deferenda. Secundo Capitulo agitur de Reverentia et obedientia, erga proprium et immediatum Superiorem, factis dictisque exhibenda promptissime. Tertio de paupertate, et dicitur,* Nullus quidquam inter nos suum dicere audeat, sed sint inter nos omnia communia; et unicuique a Patre distribuatur, **prout opus est,**

eas etiam in Constitutionibus præscripsit discipulis,

scilicet obedientiam et paupertatem,

7 *Tam specialis autem ea paupertatis professio ipsis fuit, ut* Martinus V, *suam Bullam anni* MCCCCXLI, *die* V *Junii, iis se scribere profiteatur,* qui mundanis abjectis illecebris, cum adoptione voluntariæ paupertatis, virtutem Domino famulantur: *et in alia sequentis anni die* I *Septembris,* Tibi, *inquit Pontifex,* nec non tuis sociis præsentibus et futuris, propter Christum pauperibus nuncupatis. *Et sic pridem ante, videlicet* MCCCLXXXIV, XXII *Junii,* Randonus de Randonis, zelo caritatis accensus, *quædam bona donavit* Fr. Rainaldo de Pedemonte, pauperis vitæ Christi sectatori, et ceteris Christi pauperibus, ejus sectatoribus. *Anno* MCCCXCIV *Julii* Benedictus Trevisanus, Bertuccius Valerius, *atque* Franciscus de Molino, *nomine* Fr. Angeli de Corsica *transigunt*, ad novum domicilium constituendum, pro novis Eremitis, pro Christi amore Pauperibus. *Neapoli autem per donationem* Fr. Dominico Zurli *deputantur, anno* MCCCCXXXIV

ab hac dicti illi pauperes Eremitæ.

A xxxiv, *fundi cujusdam confinia*, juxta domos quas tenent Pauperes Christi. *Huc autem facit quod Dux atque Senatus Venetus, in quodam Privilegio anni* MCCCXCIII, *eos nominent* qui faciunt vitam sanctorum Apostolorum.

EX BERN. PUCCIO

Modus jejuniorum discretus,

8 *De castitate dicendum nihil Beatus Fundator putavit : sed Capite* IV *transit ad præscriptos in compendio jejuniorum dies, quibus omnes* quicumque potest, non pigeat jejunare. *Ita scilicet, quemadmodum paucis post mortem Fundatoris annis in usu fuisse scitur, ut cibus tunc ordinarius esset frustum panis, quibus accedere poterat fructuum aliquid, vel ad Rectoris arbitrium non nihil coctarum herbarum, pro iis maxime qui graviori essent lasssati labore: quibus, etiam renitentibus, copiosiorem refectionem præberi a superioribus Constitutio præcipit. Capite* v *circa orationem statuitur,* ut semper media nocte Matutinum dicatur; æstivisque noctibus, horis duabus; hiemalibus autem, tribus orationi vacetur. Quo tempore, si expleto Matutino quidquam temporis supersit, Litaniæ dicantur. Mane hora congrua, dicta Prima postque Missam, Fratres exercitiis sibi a Patre injunctis hora una aut duabus invigilent; sumpto prandio, totidem, et

horæ orationis multæ,

B pluribus si opus fuerit. Unusquisque, antequam ad exercitia exeat, hora una in ecclesia oret. Vespertina hora in ecclesiam conveniant, horam unam in orationibus ducentes. Cumque Completorii tempus advenerit, oratorium singuli revisant: in æstate hora una, in hieme vero duabus, aut vocali oratione aut sanctis meditationibus se ad devotionem incitare procurrent.

D

9 *Similiter mensura disciplinarum, in Compendio notata, Cap.* IX *distincte commendatur, idque,* ut cum Domino patiamur, qui flagellis pro nobis cæsus est; utque caro, quæ spiritui bella gerit, possit edomari: diebus singulis Resurrectionis Quadragesimæ (*Id est Quadragesimæ quæ Pascha præcedit, plures enim Quadragesimæ ipsis nominabantur*) reliquisque temporibus, secunda, quarta, ac sexta feria, hora a Patre statuta, a Fratribus communiter fiat disciplina. *Quæ omnia tam orationum quam pœnitentiarum exercitia, cum firmam corporis complexionem requirant, Cap.* XXVI *circa admittendos in Congregationem, jubetur; ut* primo investigetur *postulantis* ætas: sique repertum fuerit eum annum nondum decimum octavum attigisse, nullo pacto recipiatur, (pœnitentiæ enim patiens esse non posset) sique annum quinquagesimum peregisset, itidem fiat.

disciplinæ communiter faciendæ dies,

10 *Porro* ut humilitas acquiratur, emendationisque causa præstetur errantibus, *præcipit Cap.* XV singulis diebus delinquentes, defectus suos publicos, et brevibus et claris verbis in refectorio inter manducandum dicant, se nullo velamine excusantes: pro quibus correctionem injunctam summopere studeant adimplere: sique aliquid scandali discumbentes fecerint, confestim surgant, se palam (nisi interea legeretur) accusaturi; nec inde sedere audeant, nisi Pater aut verbo aut signo mandaverit.

et frequens sui accusatio in triclinio.

E

§. IV. *Eremitarum Ordo plurimis vel adjunctis vel extructis monasteriis promotus.*

Incredibile vero dictu fuit studium erga proximorum salutem: adeo ut brevi tempore, ob multitudinem ejus opera ad solitudinem confugientium, multa fuerint constructa monasteria.

ad Montem-bellum sic stabilito Petro,

Non *propriæ dumtaxat, sed etiam alienæ saluti intendisse Eremitas, a* B. Petro *institutos, patet ex instrumento quodam anni* MCCCVII : *quo, sicut illud in Montis-belli conventu servatur,* D. Lena, *sive* Helena de Insula, uxor Joannis Palmerii, *donavit* Petro *ejusque sociis quemdam ipsorum oratorio vicinum campum cum silvula, causa expressa,* ut istic stabiliantur Fratres pro regionis istius salute. *Supponunt ea verba multum fructum circumjectis populis ab eremitorio isto provenire solitum; unde, cum se longe lateque*

C *fama spargeret, factum videtur, ut quidam boni ex Hispania Eremitæ, qui in Italiam, ad* montem S. Bartoli *Pisanis vicinum, se receperant, disciplinæ* Petri *inter primos se subjunxerint; quorum præcipui nominantur,* Fr. Petrus Galzeranus, Fr. Joannes Berengarius, Fr. Petrus Pace, Albaniensis; Fr. Petrus Barbaranus, de Villa-franca, diœcesis Barcinonensis; P. Paulus de Saxo ferrato, Italis : *qui licet non omnes adnumerentur primis duodecim Sociis* B. Petri, *primis tamen subjungi possunt. Cum enim mutuo se se Urbinates Pisaurensesque Eremitæ interviserent aliquando, præsertim Caput istorum* Petrus; *factum est, ut etiam isti ipsum sibi Magistrum optarent. Radicata autem tam solide istic disciplina fuit, ut ea delectatus Joannes Sforza, Dominus Pisaurensis, anno* MDX, *die* XXIV *Junii, suum ipsis Palatium donarit, cui Podio Imperiali est nomen.*

subjiciunt se alii apud Pisaurum ;

12 *Pisauro regressus in Montem-bellum* Petrus, *postquam ejus loci regimen* Petro Gualzerano *commiserat, volentibus Urbini Feltriis Domini ipsorum Eremitarum coloniam aliquam penes se habere, ædes locumque comparaverunt struendo in nomen* S. Hieronymi oratorio; *eodem multum conferente liberalitate Dominorum Ubaldinorum, varias ibidem ædes possidentium. Sequenti anno* MCCCLXXXIV. *invitante Petro Episcopo Fanensi, ad ipsum se contulit Petrus; et* Ecclesiam S. Joannis in Palatio, *pro fundandis ibi suis Eremitis suscepit: quæ donatio post novem annos rursum fuit confirmata, de consensu* Pandulfi Malatestæ, *Fani domini.*

Urbini erigitur oratorium S. Hieronymi,

et an 1384 aliud Fani;

13 *Extra civitatem alium quoque locum, dictum* S. Blasii in Silva, *acquisivit* Petrus: *ad cujus sociorumque supplicationem, de ipso loco sic rescriptum legitur anno* MCCCXCVII, *die* XVII *Junii:* Magnificus et excelsus Dominus noster, Pandulfus Malatesta de Malatestis contentatur, quod dictus Fr. Petrus de Pisis cum prænominatis sociis, *Petro Gualzerano, Andrea Siculo, Petro-Gualdo Ariminensi, et Alexio Albaniensi*, regnant et gubernent locum prædictum, usque ad suæ beneplacitum voluntatis. *Non ideo tamen dimissus urbanus locus est; inveniturque Breve* Eugenii IV, *ipsum anno* MCCCCXL B. Bartolo Cæsenati *tunc Generali confirmantis, et affirmantis se velle,* Bartholomæum et Societatem hujusmodi, de vitæ meritis, morum honestate, aliisque virtutibus multipliciter commendatos, horum intuitu, favore prosequi gratioso.

intra extraque civitatem.

F

14 *Magnum porro Ordini novo incrementum accessit per* Fr. Angelum de Corsica, *tertii Ordinis Franciscani Professum, ejusque socios,* B. Petro *adjunctos: de quibus juvat audire* Eugenium IV, *in Bulla anni* MCCCCXXXII, *die* VII *Julii.* Apostolicæ Sedis Officium, Nobis desuper injunctum, Nos excitat et requirit, ut ad ea diligenter intendamus, per quæ Christi fideles, illi præsertim qui sub humilitatis spiritu Altissimo famulantur, ab indebitis molestiis releventur; et eorum quieti, quantum cum Deo possumus, salubriter consulatur. Sane pro parte dilectorum filiorum Petri de Pisis, et sociorum ejus Pauperum Eremitarum, in diversis Eremitoriis degentium, petitio continebat; quod, licet olim Angelus de Corsica

Illis adjungit se cum suis Fr. Angelus de Corsica :

A sica, Frater tertii Ordinis S. Francisci, quædam et præsertim unum in loco qui dicitur la Scolcha prope Ariminum, in manu dilecti filii, nobilis viri, Galeotti Roberti de Malatestis, Domicelli Arimini; et alium in contracta S. Raphaelis de Venetiis, et alium S. Hieronymi, et alium S. Mariæ de Angelis de Novillaria, et alium S. Mariæ de Misericordia, Castelanensis, Urbinatensis, Pisaurensis et Ferrariensis diœcesium, domos sive eremitoria loca nuncupata, quæ d. Angelus nomine suo et sociorum Fratrum d. Ordinis, pro ipsorum usu et habitatione, sive donationis sive emptionis aut alio titulo acquisierat, et seu quæ de eleemosynis fidelium, cum suis et eorumdem sociorum laboribus fundaverat et construxerat, seu fundari et construi fecerat, in manus d. Petri ejus socii renuntiassent, et regimen et gubernationem eorumdem locorum ipsi Petro, quantum in eo fuit, concessisset; ipseque Petrus locum de Scolcha præfatum, per eumdem Galeottum Robertum sibi denuo concessum, ac alias domos et loca pro se et sociis suis teneat ac possideat de præsenti. Tamen quia præfati Ordinis *tertii* Professor fuit *Fr. Angelus*, ac nonnulla instrumenta acquisitionis locorum ac domorum prædictorum dicunt, quod idem

et hanc conjunctionem probat Eugenius 4 an. 1432,

licet ille professus fuerit 3 Ordinem S. Francisci,

B Angelus domus et loca pro se et Sociis d. Ordinis acquirebat; at Petrus et alii, qui præfati Angeli socii fuerunt, præfati Ordinis professores minime sint, sed simplicem eremiticam vitam agant; nec reperiantur aliqui, qui ejusmodi Angeli socii fuerunt, et dicti Ordinis professores existant; dubitat Petrus et ejus socii prælibati, super domibus et locis prædictis posse molestari. *Id ergo ne fiat acta omnia rata habet Pontifex, quoscumque formalitatum juris defectus supplens, non obstantibus quibuscumque.*

15 *In isto Scolchano eremitorio mensium aliquot moram traxisse* Petrum, *certum est ex Instrumentis, ibi ab eo celebratis: et ex similibus intelligitur, eumdem quocumque necessitas ferret, pro novis eremitoriis fundandis vel suscipiendis, se contulisse. Et Venetiis quidem ubi jam ab anno* MCCCXCIII Fr. Angelus *prædictus locum, in platea S. Raphaelis acquisiverat; at pac sub finem anni, a Duce Venetiarum Antonio Venerio, impetrarat*; quod *ipse* et socii ejus Pauperes Eremitæ, facientes vitam Apostolorum, intuitu pietatis et misericordiæ, posset pro Sustentatione et victu suo quærere in modum eleemosynandi super plateis. *Venetiis, inquam, fuit* Petrus *anno* MCCCCXXII. *Ibi cum locus multitudini Eremitarum esset angustior,* Lu-

ab eo cœptum Venetiis locum an. 1393,

Petrus an. 1422 alio transfert:

C cia Delfina, *Joannis Contareni filia. Henrici Delfini uxor*, concessit VI Junii, venerabili viro Fr. Petro de Pisis, locum S. Job, ad hoc ut in illo habitare simul cum suis sociis juridice possit, Missas celebrando et alia faciendo: *idque tanta cum satisfactione ipsius Henrici Contareni, ut se quoque Petri discipulum habitu assumpto fecerit. Venerat Venetias* Petrus *Urbino, ubi die* XV *Februarii celebraverat emptionem quarumdam ædium; rursumque eo rediit, rebus cum Lucia peractis, unde similem emptionem ibidem fecisse invenitur* XXII *Octobris ejusdem anni.*

16 *Anno deinde* MCCCCXXV, *Romam ivisse idem reperitur: ubi* B. Nicolaum de Furca-Palena *complexus, cœpit cum eo agere de eremitorio, quod ille sibi ad S. Eustachii comparat; unde condito instrumento, ipse* Petrus *appellatur in eo* Venerandissimus, integerrimus, et exemplaris; *ejusque* Religio *dicitur* approbata et privilegiata a multis summis Pontificibus, et maxime a præsente Domino nostro Pontifice, *qui tunc erat* Honorius II, *et præcesserant a tempore conditi in Monte-bello oratorii* S. Gregorius VII, Victor III Urbanus, Paschalis, Gelasius, Callixtus,

et an. 1425 Romæ sibi conciliat B. Nicolaum de Furca,

deinde Venetiis novum struit monasterium;

omnes secundi, quorum Bullæ non habentur, extitisse D *tamen inde probantur. Roma deinde regressus Venetias* Petrus *renuntiavit loco S. Jobi, æstimatis quas ibi fecerat in ejus melioratione expensis, eo fine ut omnia applicarentur novo, qui in dimissa prius S. Raphaelis parochia extruebatur loco, S. Sebastiani dicendo; ubi anno* MCCCCXXX *invenitur* Benedictus, Pauper amore Jesu Christi, constitutus Caput loci Pauperum existentium Venetiis in contrata S. Raphaelis, a venerabili Patre Fr. Petro de Pisis: *qui scilicet nullo loco affixus fungebatur officio Generalis.*

ex dein [illegible]

17 *Porro, cum occasione loci Venetiis acquisiti, sæpe transeundum Patavio esset; contigit talem quoque sanctitatis odorem istic a* Petro *spargi, ut cum civis ibi opulentus* Petrus, *dictus* Bituricensis, *ultima voluntate constituisset heredem fratrem suum, cum obligatione Religiosæ cuidam personæ tradendi oratorium* S. Mariæ Magdalenæ, *quod ibidem erat jure hereditario ad morientem pertinens: nemo visus sit dignior in istius oratorii possessionem vocari, quam* Petrus Pisanus: *qui eamdem more adiit, anno* MCCCXCV; *quamquam non nisi quinquennio post conditum desuper instrumentum sit. Cum vero testatoris nepotes nescio quid difficultatis moverent, anno* MCCCCXX *necesse habuit,* Petrus, Pater spiritualis pauperum Eremitarum factorum amore Jesu Christi, *confirmationem actorum impetrare ab Episcopo Patavio Petro Marcelli: et loci angustias sequenti mox anno laxatas vidit, accessione Oratorii Vicini S. Barnabæ, et prædioli cujusdam in Villa Zavonis, beneficentia* Nicolai qu. Martini de Scalzis. *Circa idem tempus fuit acquisita Eremitis habitatio duplex apud Tarvisinos, prior extra portam S. Thomæ ad* S. Magdalenæ, *posterior multoque amplior in amœna* villa Crispani: *et utraque anno* MCCCCXXX *per breve Eugenii IV Religioni confirmata fuerunt.*

item Patavii,

atque Tarvisii;

E

18 *Est apud Urbinates* oppidum Montis-Barocii, *ubi cum anno* MCCCCXXIV *ad Laudem Dei et S. Marci Evangelistæ ecclesiam quamdam fabricasset ipsius oppidi nobilis incola,* Franciscus Raptoli; *tertio post anno moriens, testamento suo* dotavit ecclesiam S. Marci, nuper ædificatam per ipsum in suprascripto castro, in una petia terræ et vineæ, cum olivis, canneto, et vincareto, sitis in curte d. Castri. Item de una petia vineæ, sita in curte et pendicibus d. Castri: quas res, nomine præd. ecclesiæ S. Marci, voluit d. testator pervenire debere ad manus Fr. Petri de Pisis, Pauperis et Eremitæ Christi, et ad suos Socios qui sunt ad præsens et erunt in futu-

an. 1428 in Monte Barocio acquirit ecclesiam S. Marci,

F rum, qui erunt obedientes ei et aliis Rectoribus Societatis prædictæ. Et in casu quod d. Fr. Petrus et ejus Socii non acceptarent, quod Fr. Petrus præd. vel ejus Socii debeant eligere quatuor bonos viros de d. Castro, qui habeant regere et gubernare d. ecclesiam S. Marci, et ad eligendum et mittendum Presbyteros et alios servos Dei in d. Ecclesia, ad dicendum divinum Officium et Missas pro ejus anima; et quod dd. possessiones non possint aliquo modo vendi aut alienari, ad hoc ut sint semper d. ecclesiæ, ut ex fructibus earum Presbyterum ibi permanentem sustentent; cum hoc quod ex fructibus earum rerum, donec invenientur, suprad. Fr. Petrus et Socii ejus possint libero et expedite facere quidquid voluerit vel voluerint..... In omnibus autem aliis bonis mobilibus et immobilibus, juribus et actionibus sibi spectantibus, heredes universales instituit, Dominum Petrum Morozinum de Venetiis, ejusdem compatrem; Fr. Petrum de Pisis Eremitam, ejus compatrem; Fr. Benedictum Joannis de Sicilia, Eremitam; et Matthæum Leonardellum, æqualibus portionibus.

conditoris pro quarta parte hæres.

§. V

A D

EX BERN. PUCCIO

§. V. *Miracula patrata: novus ordo Eremitarum Pontificiis Privilegiis, B. Petro agente communitus.*

Caritate in Deum adeo ardebat *Petrus*, ut nonnullis ventura prædixerit, ac ejus orationibus quam plurimi a diversis infirmitatibus et oppressionibus dæmonum fuerint liberati; et aliquando suos Fratres, pane et vino carentes, miraculose aluerit: et ob ejus ac suorum Eremitarum laudabilem ac virtuosam vitam, Martinus V et Eugenius IV summi Pontifices, eum ac suos Eremitas sub sanctæ Sedis protectione susceperunt, et multa eis concesserunt privilegia.

Miraculorum hic in genere relatorum

Quæ de Petri *sua in vita miraculis strictius hic dicuntur, videntur referri posse ad prolixiorem de illis scriptionem olim factam; quæ quia tunc, cum scribebatur Compendium, in manibus erat necesse non fuerit distinctius illa explicari. Magis mirum, quod nulla uspiam inveniatur mentio miraculorum, patratorum post mortem; quæ credibile quidem est non defuisse, pro istis tamen et præ istis omnibus vult Puccius sufficere, casum anni* MDCLXXII, *quem haberi dicit authenticis scripturis et testimoniis affirmatum; sed quia necdum de eo pronuntiavit Ecclesia, sit ne an non sit miraculo adscribendus, etiam ipsum narrare differt, donec prolata sententia sit.*

B

frustra optatur distinctior notitia;

20 *Verum Urbani Papæ VIII decreta, quæ istum Puccio scrupulum injecerunt, illos ut summum spectant;* qui neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti ab Apostolica sede sunt; neque per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Apostolicæ sedis aut Ordinarii coluntur: *et talium miracula, revelationes etc. secreto servari jubet; de aliis autem, vere ac legitime dicendis Sanctis aut Beatis, nemo prohibet historice referre, quod eorum alicujus intercessione divinitus acceptum referat pia credulitas illud in seipsis expertorum, vel alias ocularium certorumque testium; modo nihil præsumat ex se judicare relator, vel miraculo attribuere; sed intra meros humanæ fidei limites contineri se velle profiteatur. Quidquid est; videtur Puccius indicare, prædictum casum ad Illustrissimam apud Tridentinos familiam Madrucciam aliquatenus pertinere; cum occasione illius sic obiter perstricti laudet sumptuosam ac solidam capellam, ab eadem familia extructam in ecclesia Ordinis, S. Onuphrio dicata: in qua tres ex illa stirpe Eminentissimi sepeliri voluerunt; conventum item amplum ac speciosum a Madruccis fundatum, ad ripam Septemtrionalem lacus Guardiæ in oppido Ripa, cum multa devotissimi circum populi consolatione.*

cum etiam unum anni 1672,

C

21 *Procurator Massæus, a me rogatus requirere præfata Authentica sic rescribit:* Casus miraculosus, qui anno MDCLXXII in Ripa Tridentinæ diœceseos accidit, non satis certo mihi notus est. Audivi tamen quod mater cujusdam de Franzonis, extremis laborans, invocato nomine B. Petri de Pisis, illico sanitatem recepit: de quo casu authenticum confectum fuit instrumentum: et Episcopo Tridentino pro qualitate et veritate miraculi investiganda traditum narratur: sed temporis injuria, vel nostrorum incuria, periit memoria distinctior rei cum ipso rogitu. De similibus autem beneficiis multum quidem nobis fidei et piæ credulitatis restat, fidelioris tamen scripturæ et evidentiæ relictum est nihil.

neglectum periit sicut et alia Neapoli.

Similiter desiderantur Pontificum Bullæ ante 1421

22 *Ad Pontificum Bullas et Privilegia quod attinet Ordini novo impetrata* B. Petri *opera, merito queritur Puccius plerasque, et forte præcipuas, premi abditas archiviorum tenebris; et, quod mirum est, nec in illis quidem inveniri ullam* Martini Papæ V *Pontificatu anteriorem; cum tamen impossibile sit, ut spatio* XL *annorum nullæ petitæ, nullæ datæ fuerint. Ipsa autem Martini Bulla, anno* MCCCCXXI ad perpetuam rei memoriam *data, sic sonat.* Pia postulatio voluntatis, qua dilecti filii Petrus de Pisis et nonnulli alii ejus Socii, eremiticam vitam ducentes, dediti studio piæ vitæ, in diversis Italiæ partibus, oratoriis sive locis, mundanis abjectis illecebris, cum adoptione voluntariæ paupertatis, virtutum Domino famulantur, non indigne meretur, ut Apostolica Sedes eos, ipsorumque loca et oratoria benignis favoribus confoveat, et spiritualibus gratiis prosequatur, in iis præsertim quæ animarum suarum et status salutem respiciunt et quietem. Sane pro parte dictorum Petri et Sociorum exhibita petitio continebat, quod, licet ipsi cupientes suos in cœlestibus thesauros collocare, et ut ex eorum laudabilibus actionibus ad bene recteque vivendum traherent alios per exemplum, in diversis locis seu domibus, quas pro eorum usu et habitatione perpetuis, piis Christi fidelium eleemosynis et suffragiis, construxerant, devotum et sedulum impendant Domino famulatum; ad quos plurimi, ob eorum laudabilem vitam et opera virtuosa, gerunt specialis devotionis affectum; tamen nonnumquam contigit Petrum et Socios prædictos, per inquisitores hereticæ pravitatis, ac generalem Ministrum et Provinciales Ordinis Fratrum Minorum, in illis partibus pro tempore existentes, (quorum visitationem, punitionem, et correctionem ad se asserunt pertinere) et deputatos ab eis, sub diversis occasionibus fictisque coloribus indebite molestari. Quare pro parte Petri et Fratrum præfatorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum paci et tranquillitati super iis paterna caritate consulere, de benignitate Apostolica dignaremur.

quando Martinus V laudans institutam a Petro Congregationem,

E

23 Nos igitur cupientes, ut iidem Petrus et Socii, eo quietius et devotius in humilitate spiritu Altissimo famulentur, quo se noverint ejusdem Sedis uberiori gratia præmunitos; hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictum Petrum et Fratres suos præsentes et posteros, eorumque oratoria, loca et domos, constructa et construenda, ubicumque fuerint constituta, cum personis, juribus et pertinentiis, nec non possessionibus, terris, rebus et bonis suis, quæ ipsi in quibuscumque locis legitime possident, et in posterum dante Domino ex similibus suffragiis fidelium aut alias justis titulis, poterunt adipisci, ab omni inquisitione, dominio et potestate Generalis Ministri et Provincialium eorumdem ac Inquisitorum, qui sunt vel pro tempore fuerint, auctoritate Apostolica tenore præsentium prorsus eximimus, ac perpetuo liberamus, et sub B. Petri et ejusdem Sedis, nec non Ordinariorum locorum, in quorum civitatibus et diœcesibus dicta loca et oratoria consistunt, protectione suscipimus atque nostra; ipsosque Petrum et Fratres, liberos et exemptos esse decernimus et immunes; nobisque et successoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, et dictæ Sedi, ipsisque Ordinariis immediate subesse. Ita quod Inquisitores prædicti nullam possint in d. Petrum et Socios, loca, bona, jura hujusmodi

eam subtrahit potestati Inquisitorum et Ordinis Minorum,

F

tamquam sibi et successoribus immediate subjectam;

hujusmodi, quacumque ratione, causa vel prætextu, jurisdictionem vel potestatem exercere; sed dumtaxat coram dicta Sede vel ejus Delegatis aut Ordinariis prædictis teneantur respondere. Fel. record. Innocentii Papæ IV prædecessoris nostri et qualibet alia Constitutione Apostolica contraria non obstante. Decernentes insuper ex nunc, omnes et singulos excommunicationum, suspensionum et interdicti sententias et processus, quas et quos contra Petrum et Socios præfatos promulgari contigerit vel haberi, irritos pariter et inanes. Nulli igitur etc.

largitur omnibus liberam electionem Confessarii,

24 *Eodem anno* XIV *Augusti idem* Martinus *concessit* Petro et Sociis *potestatem eligendi unius aut plurium Confessariorum, ex domesticis vel externis Sacerdotibus, prout convenientius judicaverint*; Ne extra eadem loca, quæ justo titulo in præsentia possidetis, *inquit Pontifex*, sublata devotione, vobis evagandi materia tribuatur: *simulque concedit privilegium altaris* in quo possitis, sine alieni juris præjudicio, Missam et alia divina Officia, per proprium seu alium Sacerdotem, in oratoriis seu locis alias congruentibus et honestis locorum prædictorum facere celebrari. *Martino successit* Eugenius IV, *a quo* B. Petrus *anno* MCCCCXXXIII *sibi ac Sociis suis impetravit, ut visitantes ecclesiam vel oratorium proprium, lucrarentur Indulgentias Ecclesiarum Romanarum, ac nominatim S. Joannis in Laterano, idque in Dominica Palmarum: quam deinde gratiam Pontifices alii ad dies omnes festivos extenderunt. In quadam autem Bulla anni* MCCCCXL, *Florentiæ data, testatur idem Pontifex, quod* dudum Fr. Petro de Pisis et universis Sociis suis Pauperibus Eremitis, præsentibus et futuris, vitam eremiticam ducentibus, recipiendi certa loca sive ecclesias vel capellas aut oratoria, in diversis Italiæ partibus, illaque pro usu et habitatione ipsorum perpetuo retinendi, ac nonnulla privilegia, gratias et indulta, sub certis modo et forma per alias *suas* litteras successive, gratiose concessit.

et privilegium altaris portatilis;

addit Eugenius IV indulgentias

aliaque plura privilegia.

Unde factum ut dicti et sæpe scripti sint esse tertii Ordinis,

25 *Nunc vero circa prætensum Fratrum Minorum super Eremitas jurisdictionem notandum est, ipsum non solum fundatam fuisse in eo, quod* B. Angelus de Corsica, *de cujus Sociorumque ad* Petrum *adjuncta Congregatione supra diximus*, Professor *fuerit* tertii Ordinis: *sed etiam quia ipsimet Socii* B. Petri, *tales vulgo æstimabantur omnes; idque etiam in publicis instrumentis. Apparet id in donatione facta anno* MCCCCXVI *tribus Fratribus conventus S. Hieronymi de Tallachio; et in testamento Fr. Bertinoni condito die* XI *Aprilis* MCCCCXXX, *in cella B. Nicolai de Furca Palena: Hic vero* B. Nicolaus *etiam ipse tertii Ordinis dici se patiebatur, ante suam cum* Petri *Sociis conjunctionem. Nam anno* MCCCXLIX. *in emptione quadam Neapoli tractata* XXI *Novembris, tam ipse* Nicolaus, *quam* Fr. Dominicus Zurlus, *sic intitulantur. Erat* Nicolaus *iste de Furca-Palena in Aprutio oriundus, magna cum innocentiæ vitæ et miraculorum opinione eremiticam vitam Romæ ducens ad S. Eustachii; multosque sibi socios collegerat, et varia eremitoria excitarat; quorum cum Societate* B. Petri *unionem, pridem vivente Petro optata, undecimo tandem post ejus mortem anno plenum firmamentum ab Apostolica Sede accepit, per Bullam, dignam etiam hic describi.*

etiam Neapoli sub B. Nicolao,

cujus Congregationem unit cum illa B. Petri

26 Copiosa Apostolicæ Sedis benignitas, devotarum Nobis et Apostolicæ Sedi, præsertim eremiticam vitam sub studio piæ ac religiosæ paupertatis ducentium personarum vota, per quæ divinus cultus intenditur et æternæ salutis commodum procuratur; libenter exaudit, et ut optatum sortiantur effectum vigilantiæ suæ curas favorabiliter interponit. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper, pro parte dilectorum filiorum, Rectoris et universorum Congregationis vel Societatis pauperum Eremitarum quondam Petri de Pisis, ac Nicolai della Furca illiusque Sociorum pauperum Eremitarum, petitio continebat; ipse Nicolaus, et ejus tam in Urbe quam aliis civitatibus et locis Italiæ commorantes Socii, pauperes Eremitæ; considerantes laudabilem famam et exercitia virtuosa apud Deum, quibus Rector et Eremitæ Societatis prædictæ laudabiliter commendatur; quodque eorum bonus odor in agro Domini multipliciter ad laudem Altissimi est diffusus: et attendentes, quod si ipsi cum eorum oratoriis, domibus, eremitoriis atque locis Congregationi vel Societati hujusmodi perpetuo aggregarentur, unirentur et incorporarentur, exinde brevi tempore apud Deum et homines salubribus proficerent incrementis.

EX BERN PICCOLO

probat an. 1446 Eugenius IV.

27 Nos qui cultus hujusmodi augmentum, ac Religiosorum propagationem, nostris præsertim temporibus, vigere et augeri intentis desideriis affectamus; directioni ac statui Eremitarum prædictorum providere volentes, sperantes quoque quod exinde tam ipsi quam eorum oratoria, domus, eremitoria atque loca, plura in spiritualibus ac temporalibus commoda et utilitates consequentur: ipsorum Rectoris Nicolai et Eremitarum in hac parte supplicationibus inclinati, Nicolaum et Socios suos hujusmodi, omniaque et singula ipsorum oratoria domus, eremitoria, et loca, ubilibet consistentia (quæ omnia, quæcumque quotcumque, et qualiacumque, et cujuscumque annui valoris illorum fructus, redditus et proventus existant, præsentibus haberi volumus pro expressis) cum ipsorum rebus et bonis quibuscumque, Congregationi vel Societati hujusmodi, ex certa scientia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, in perpetuum aggregamus, unimus et incorporamus. Decernentes ipsum Nicolaum et Socios ejus, illorumque oratoria, domus, eremitoria et loca in antea, perpetuis futuris temporibus, in omnibus et per omnia pari modo absque ulla differentia, dictæ Congregationis vel Societatis membra esse, et de illa censeri, haberi, et reputari; nec non sub illius consuetudinibus, institutis, ordinationibus, privilegiis, regimine et gubernatione uniri, regi, ac gubernari debere: nec non omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, gratiis et indultis, per Nos vel sedem prædictam Congregationi vel Societati, ipsorumque Oratoriis, domibus, eremitoriis atque locis præfatis, in specie seu genere, sub quacumque verborum forma concessis, uti et gaudere posse pariter ac debere etc. Datum Romæ apud S. Petrum MCCCCXLVI Kalendis Januarii, Pontificatus anno XVI

pro una ambis habendas decernens absque ulla differentia:

28 *Ecce tibi jam ex tribus Eremitarum congregationibus*, Petri, Angeli ac Nicolai, *plenum corpus unius Eremitici Ordinis: cui necdum in Pontificiis Bullis attributum sit nomen S.* Hieronymi, *sed postea accesserit; licet jam inde ab anno* MCCCCXXXVII, *quo adhuc vivebat* Petrus, *usurpatum reperiatur, in donatione Januarii Archidiaconi Vincentini, transferentis suam ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ extra Vincentiam, dictam Montecalvum famulorum, in potestatem* Bartholomæi Senensis, *quem appellat* Presbyterum Ordinis S. Hieronymi; *a primario sedeat apud Pisaurum oratorio, quod istic invenerat vel fecerat* Angelus de Corsica *quodque in suam olim receptum* Petrus *aliquot annis incoluit, Ordinem nunc ex duabus Congregationibus conflatum regens. Sunt qui exinde processisse dicant illos qui ex Hispania in Italiam advecti, et ibi Eremiticam vitam amplexi, peculiarem apud Fæsulas congregationem instituerunt, indeque in Hispaniam retulerunt; nulla retenta ad eum qui in Italia erat Ordinem subjectione, maxime post reformationem ab Olmeto inductam. Id si verum est, poterunt fortassis unus Ordo censeri, in duas Congregationes sub duobus Capitibus partitus: quomodo Carmelitæ Calceati et*

quæ Congregatio postea dicta Ordinis S. Hieronymi;

et ab hac in Hispaniam potuit instituta transiisse

Discalceati

A *Discalceati, sub uno nomine eademque Regula, unus quodammodo Ordo censentur.*

EX BERN. PUCCIO

29 *Ut ut est, ejus qui in Italia floret Ordinis primaria Sedes, nunc censetur monasterium* S. Onuphrii in monte Janiculo *Romæ; idque ex eo fere tempore, quo unionem recepit* B. Nicolaus, *cum Sociis, qui jam ante ab Eugenio Papa IV, multum sibi favente, locum istum consecutus fuerat circa annum* MCCCCXXXIX: *ibique decimo post anno moriens* XXIX *Septembris titulum* Beati *obtinuit, cum hoc Epitaphio tumbæ insculpto.* DIVO NICOLAO EREMITÆ B. M. MCCCCXLVIII.

Idius nunc caput Romæ est ad S. Onuphrii

Hoc tumulo æternum, Pater o Nicolae quiescis;
Urbs quem Roma tenet, Furcæ genuere Palenæ.
Tu sanas morbos, cedente Machaonis arte.
O pietas! o sancta fides! o munera Christi!
Denique Janiculi montis defendit eremum
Ipse tuus, placido nunc Sanctus Onuphrius ore.

initium suum habens a B Nicolao de Furca,

Flavius autem Blondus coævus, in sua Italia, ubi de Aprutio; Ornatum, *inquit fuit* Furca oppidum, sancto ac celebris famæ Anachoreta Nicolao Furcensi, qui proximo anno apud urbem Romam centenarius est defunctus, miraculisque plurimis coruscavit: *quare vehementer optem videre libellum de ejus Vita, a Puccio concinnatum, cum distinctiori præsentis in*

cujus et nomen cum nomine Petri diu tenuit

B *Urbe cultus notitia. Ut autem sciatur, qua ratione tunc Eremitæ nuncuparentur, legatur allegata ab eodem Puccio pag.* 178 *scriptura cujusdam emptionis in Urbe factæ a tribus præcipuis Patribus,* Fr. Jacobo de Firmo, Fr. Georgio de Patrasso, et Fr. Hieronymo Maria de Dalmatia, qui sunt de Societate quondam Fr. Petri de Pisis et Fr. Nicolai de Furca. *Idque aliquamdiu obtinuit, donec tandem invaluit ut constanter diceretur* Beati Petri de Pisis, Ordinis, Eremitarum S. Hieronymi: *aut* Ordo S. Hieronymi Congregationis S. Petri de Pisis. *ut infra pro anno* MDXX *scribit Cardinalis Pœnitentiarius.*

Sic conjunctis communicat Paulus 3

ejus antea Protector;

30 *Quis primus Pontifex ea appellatione sit usus, non facile dixero, dum non producitur integrum Ordinis Bullarium. Utitur ea* Paulus Papa III, Dilecto filio Paulo S. Eustachii Diacono Cardinali de Cesis nuncupato, *sic scribens:* Dilecte Fili noster, salutem. Cum sacer Ordo fratrum Eremitarum S. Hieronymi, Congregationis Beati Petri de Pisis, cujus nos dum in minoribus constituti essemus, Protectores eramus, per nostram ad summi Apostolatus apicem assumptionem, Protectione careat; Nos eidem Ordini, uberes in agro Domini fructus assidue afferenti, quem in visceribus gerimus paternæ caritatis, de utili et idoneo Protectore, Gubernatore et

C Correctore providere volentes; ad circumspectionem tuam, prudentia et caritate eximia præditam, animum nostrum convertimus; sperantes dictum Ordinem, salubre in Domino sub tua Protectione incrementum suscepturum, et te tam prædicto, quam sancti Benedicti Congregationis Montis Oliveti Ordini, cujus etiam Protector existis, pro tua virtute atque operam impensurum et satisfacturum. Motu igitur proprio Te, quoad vixeris, Universi Ordinis Eremitarum S. Hieronymi prædicti Protectorem, Gubernatorem et Correctorem, cum facultate, auctoritate, potestate, honoribus et emolumentis, aliis Protectoribus dicti Ordinis dari et concedi solitis, facimus, constituimus, et deputamus; ac dilectis

Protectorem dat Paulum Card. de Cesis

D filiis Generali, Prioribus et aliis Ministris et Fratribus dicti Ordinis, et quibuscumque aliis ad quos spectat, ut Te in eorum et totius Ordinis prædicti Protectorem, Gubernatorem et Correctorem recipiant et remittant; et tibi tamquam Protectori, Gubernatori et Correctori pareant et obediant; ac obsequia aliis Protectoribus, Gubernatoribus et Correctoribus impendi solita exhibeant, districte præcipiendo mandamus; hortantes eamdem circumspectionem tuam, ut dictum Ordinem, sicut accepimus et speramus pro bonitate tua, proque officii debito ita protegat et corrigat, ut apud Deum bonorum operum retributorem præmium, et apud Nos commendationem mereatur. Datum Romæ XXIX Octobris MDXXXIV. Anno primo.

31 *Idem Pontifex anno sequenti* MDXXXV, *confirmans* privilegia, immunitates, exemptiones, indulgentias, occasiones, gratias et indulta eis *Eremitis* a felicis record. Eugenio IV, Nicolao V, Calixto III, Sixto etiam IV, Innocentio VIII, et Alexandro VI, ac forsan aliis Romanis Pontificibus concessa: *quorum tenores pro expressis haberi Pontifex voluit; addit insuper communicationem omnium privilegiorum etc. quomodocumque concessorum Congregationibus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini.*

item Privilegia Augustinianorum

E

32 *Fuit hoc præsagium Augustinianæ Regulæ tandem etiam introducendæ in Ordinem, suis catenus constitutionibus contentum absque expressa trium Religiosorum votorum nuncupatione; quod, quando, et quomodo factum sit, explicat Papa* Pius V, *in bulla omnium privilegiorum etc. confirmatoria, duodecimo post die, scilicet* XXX *Martii data; in qua,* insuper concedimus, *inquit,* et impartimur, vobis et dictæ vestræ Congregationi, illiusque Fratribus et personis, ac vestrum et eorum singulis plenariam omnium peccatorum indulgentiam, et remissionem a culpa et pœna, in forma Jubilæi amplissima, quarto quoque die Dominica cujuslibet Quadragesimæ, in perpetuam memoriam professionis trium votorum, quam vos, Fratres dictæ Congregationis, præeunte dilecto filio Joanne Baptista de Monte-silice, vestro et hujus Congregationis, Generali, prompto et libenti animo, in manibus nostris solenniter sub Regula S. Augustini, et sub Constitutionibus dictæ Congregationis, Romæ in ecclesia monasterii S Onuphrii, die XVIII mensis Martii, anni Domini MDLXIX, emisistis.

quorum etiam Regulam 1569 acceperunt,

sub trium votorum professione

F

33 *Neque his contenta optimi Pontificis liberalitas, ipsam Congregationem aggregat numero Ordinum Mendicantium, cum omnimoda communicatione eorum omnium, quoad privilegia, indulta etc. singulis eorum concessa. Superveniens deinde* Gregorius Papa XIII, *anno* MDLXXIX, *novum Confirmationis Breve expedivit, die* XXV *Maji. Nominantur autem Pontifices, qui* Rectorem generalem et alios Prælatos ac personas Ordinis S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis variis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus ac gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus ornarunt, decorarunt, et complerarunt, illaque antea concessa approbarunt et confirmarunt *præter supra expressos sex,* Paulus III, Julius III, Pius IV et Pius V.


communicatis etiam aliorum Mendicantium Privilegiis.

§. VI. *Obitus, imagines, titulus Beati ac Sancti.*

Tandem, ob negotia suæ congregationis, *Petrus* se contulit Venetias; ubi senio confectus, mortis die prædicto, Sacramentis Ecclesiæ maxima cum veneratione susceptis, et Eremitas pacificis verbis ad caritatem ad invicem habendam hortatus, die XVII Junii MCCCCV, annum agens LXXX, animam Deo reddit, cum quo vivet per secula seculorum.

Mortuus Venetiis 1435

Quæ fuerint negotia illa ob quæ Venetias ultimum venerit Petrus, *minus mirum est ignorari; quam quod nesciatur certo quo in loco sit tumulatus. Volunt aliqui sepultum fuisse corpus apud Conventum Monachorum Augustinianarum, in ecclesia S. Hieronymi quæ* Petri *tempore*


B PETRUS GAMBACURTA
B PHILIPPUS ARIMIN

putatur apud Monachas S. Hieronymi tumulatus;

tempore prius Hospitali, deinde Virginibus sacris attributa fuit; sic ut in iis stabiliendis occupatus Petrus, *apud easdem mortuus videri possit; et consequenter, ex ultima sua voluntate, vel Senatus mandato humatus. Ibi certe aliquando interrogata de eo Sanctimonialis quædam, Virgo magnæ ut putabatur sanctitatis, respondisse fertur:* Fructum dabit in tempore suo *: id quod sperare adhuc possumus, cum* non sit abbreviata manus Domini. *Alii volunt depositum fuisse in celeberrima S. Marci basilica; in qua potius crediderim exequias publico honore celebratas fuisse. Novissime autem Eminentissimus Elcius, Archiepiscopus postea Pisanus, Eremitarum benignissimus fautor, is cui Vitam Puccius dedicat; cum ante susceptam ab Alexandro VII Purpuram apud Venetos Apostolicus Nuntius ageret, anno circiter* MDCLVI, *nulli pepercit diligentiæ, ut sanctum corpus inveniret. Ignoremus ergo patienter, quod nisi revelante Deo scire nequimus; nonnihil tamen deferamus opinioni prædictarum Sanctimonialium, asserentium, non solum eum a se quæcumque necessitas occurreret invocari, et ejus intercessione multas se divinitus gratias obtinuisse, Verum etiam prope effigiem quæ ipsarum in ecclesia extat, manu Carpacii coævi picta, esse locum, in quo majorum traditio teneat sepultum quoque Beatum esse.*

35 Consistit ea effigies, aureis ornata radiis, et aperto ore, quasi hæc verba, litteris antiquis descripta, pronuntians. JESUS CHRISTUS, SUMMI PATRIS COETERNUS, FILIUS MARIÆ MATRIS, AGNUS DEI, SALVATOR MUNDI, OSTIA, FILIUS PIETATIS, MISERICORS SEMPER. PATER NOSTER *quæ fortassis sunt initia precationum ipsi Petro consuetarum, et cum oratione Dominica concludendarum.* Adstat enim ipse orans, manibus junctis atque in sublime erectis, vestitus talari habitu coloris furvi seu leonini, cum cingulo, sed absque capucio. Est autem tabula exoleta tota, nisi ubi Beatum repræsentantem. *Ipsam ex delineatione nobis inde curata fidelitér expressam velut omnium antiquissimam, exhibeo pagina ista.*



alia ibidem ad S. Sebastiani,

36 *Eadem in civitate est ecclesia S. Sebastiani, in cujus sacristia* supra mensulam, in qua reponuntur calices (Credentiam vulgo dicunt, conspicitur imago Crucifixi, ad cujus latus adsistit B. Petrus, similiter cum radiis depictus, tempore Pauli Calaritani, anno MDLXXXVIII qui obiit Venetiis. In Refectorio quoque pictus idem cernitur, inter alios ipsius Congregationis Beatos, circa MDXC manu Carlotti, qui fuit filius Pauli Veronensis, cum subscripto, BEATUS PETRUS GAMBACURTA, RELIGIONIS EREMITARUM FUNDATOR. Et in æde sacra Veronæ, quæ appellatur Victoriæ veteris, in monumentum ejus quam de suis inimicis Scaligeri retulerunt; supra arcum majoris altaris adest Crucifixus, cum simili et radiata imagine, ab antiquissimo plane tempore picta supra murum, ac fere consumpta. Et quæ in eadem civitate est ecclesia [*Ordinis*], habet eumdem in vetustissima quadam tabula, temporibus Ghibellinorum facta, ad dextram Majoris altaris, cum radiis: cui ad sinistram altaris respondet imago S. Paulæ, [*Discipulæ S. Hieronymi*]. Ferrariæ in ecclesia cui cognomen Rosa supra peribolum odæi, vetus quoque pictura cernitur æque radiosa et appensis circumcirca anathematis cincta.

ex Bern. Puccio

item Veronæ,

Ferrariæ,

37 Tridenti in ecclesia S. Mariæ Inviolatæ ad Ripam dicta, monochromate claro obscuroque, cum radiis exprimitur Beatus idem: et P. Petrus-Paulus Salvatoris qui fuit Ordinis Generalis asserit, ad eam accidisse miraculum sanitatis, subito collatæ matri P. Franzonii, ejusdem Ordinis Religiosi, per intercessionem B. Petri, quem invocaverat ægra in visione apparentis. In ecclesia S. Mariæ Magdalenæ Patavii. Bissonius discipulus Palmæ, sic expressit in tabula S. Hieronymum, ut in eadem etiam exprimatur radiatus Petrus: quæ pictura etiam antea honorabatur in veteri ecclesia, ad novæ majoris fabricam destructa. Denique Pisauri in ecclesia S. Bartholomæi, sub annum MDCXXIII spectaculo et venerationi exposita fuit imago Deiparæ; cui ad dextram S. Dominicus, ad sinistram B. Petrus assistunt. *Pro his omnibus spectandam una in tabula exhibeo eam, quæ Veronæ est in æde S. Mariæ de Victoria, propterea quod eidem conjuncta sit altera B. Philippi Ariminensis, cum subscripto,* B. Philippus Arimin. hujus monasterii Fundator; *sicuti sub opposita legitur,* B. Petrus Gambacurta Pisanus, hujus Congregationis institutor. *Subjungo eidem picturæ secundam, æque observari dignam, ex Monte Bello, eo quod pariter ibi exprimantur duodecim Socii, de quibus actum §. 2, ubi inter alios conspicuum se præbet.* Fr. Archangelus, *barbæ prolixitate notabilis. Anselmus Neapolitanam secutus effigiem,* Petrum *nobis cap. 16 sic describit*. Justa fuit statura; gravi, modesto, ac pleno sanctitatis aspectu; macie præditus, rubro et albescente colore, pallida tamen interdum facie in mortificato ac venerabili vultu; oculis sæpius ad cælum erectis, barba quasi ad medium cinguli dimissa pro eremitico tenore; et, canente jam felicissima senectute, candidissima.

Tridenti,

Patavii,

Pisauri.

duæ earum hic proponuntur.

38 *Hactenus de ecclesiis aliquas, ubi* Petrus *ut* Sanctus *vel* Beatus *sua in imagine venerandus proponitur. Id statim ab obitu fieri cœptum, probat Puccius ex volumine Constitutionum, Urbini asservato, exscriptoque anno ... a morte felici ejus, cui titulus:* Incipiunt Constitutiones nostræ, id est pauperum Eremitarum, Congregationis Beati Fratris Petri de Pisis, *et similiter in Præfatione;* Nos tamen pauperes Eremitæ Beati Fratris Petri de Pisis. *Dominus ... videlicet anno* MCCCLVI, *per ... notum factum est, quod XVII Junii,* Domina Baptista, uxor Galeatii Malatestæ, Domini Pisauriensis, donavit *quædam etc.* venerabili in Christo Fr. Jacobo, quondam Lucæ de Firmo, Tutori et priori Societatis Sancti Petri de Pisis. *Similiter* Sanctus *nuncupatur* Petrus *in quodam Fr... ... supplici, gratiæ Sixti IV edito, pro* *subsistentia*

Sanctus dictus paucis annis a morte,

ante Constitutiones ordinis

ex instrumentis secali

A *subsistentia Conventus Hispidani, cujus tenor, anno* MCCCLXXXII *signatur et servatur apud S. Onuphrium de Urbe.*

EX BERN. PL..CIO

39 *Seculo* XV *non absimiliter, in alio quod servatur Venetiis ad S. Sebastiani, nominatur* Fr. Petrus de Mastiga, Congregationis pauperum Eremitarum Sancti Petri de Pisis, pro anno MDIV : *pro anno autem* MDXX *Leonardus Grossus, Cardinalis de Robore, Pœnitentiarius Apostolicus, Eremitis Fanensibus indulgens aliquid, meminit* Prioris et Fratrum monasterii S. Blasii, Ordinis S. Hieronymi Congregationis S. Petri de Pisis ; *et anno* MDXXX *Cardinalis Laurentius Episcopus Palestrinus, Neapoli moraturus partem quamdam testamenti, a Joannello de Comitibus conditi* ; ex parte, inquit, dilectorum in Christo Patris et Fratrum S. Mariæ della Gratia Neapolitanæ, Ordinis Sancti Petri de Pisis, fuit propositum. *His adde pro anno* MDXXXIX *Memoriale* Petri Minerbæ, *Superioris quorumdam Eremitarum in Lombardia, Congregationi* Petri *cupientium uniri, quod habetur ad S. Onuphrii; et aliud ibidem quorumdam Equitum Neapolitanorum, anno* MDLXII *oblatum Pio IV, ubi identidem replicatur titulus* Sancti : *quem etiam usurpavit Magistratus Bo-*

et 16

B *noniensis, concedens ecclesiam S. Mariæ Lacrymosæ in Via majori, anno* MDLXXXVII ; *et anno* LXXXIX *Domini Deputati Hospitalis incurabilium Neapoli.*

40 *His ita deductis, quid attinet privatæ auctoritatis scriptores,* Petri *sanctitatem celebrantes recensere? Polydorum Virgilium, Scipionem Ammiratum, Franciscum Sansovinum, Ludovicum Gottofredum, Archangelum Romanum, aliosque? Prætereundum tamen non est Epitaphium,* B. Marco *positum Mantuæ, ubi legitur* Beatum Marcum de Marconibus , civem Mantuanum, Ordinis Divi Petri de Pisis religiosissimum Professorem : *et sic,* Divi *voce, ut plurimum utuntur Sacræ Congregationes Romanæ, in suis Decretis; Pontifices autem (sicut jam vidimus) titulo* Beati. *Mantuus vero est Mantuanus ille* Marcus *anno* MDX *et secundo post, a loco Capituli ad ecclesiam Ordinis honorifice translatus, incorrupto quod etiamnum per crates spectatur corpore : quæ ecclesia, licet desolata nunc sit, non cessat tamen confluxus civium, ad sacrum illud pignus, in festo S. Matthæi; et complura ejus miracula cernuntur depicta in ecclesia Ferrariensi; quod ideo addiderim, ut pro* XXI *Septembris suppeditentur nobis omnia ad illius memoriam illustrandam spectantia, ipsarumque picturarum genuina expressio.*

pluribusque scriptoribus ;

item Divus in Epitaphio B. Marci Mantuani et aliis.

C

§. VII. Series Generalium, et rerum sub iis memorabilium Synopsis per Fr. Eusebium Jordanum exposita.

Suppressis an. 1651 parvis conventibus,

Cum *Innocentius Papa X, religiose observantiæ zelator egregius et exactor rigidus, animadvertisset difficultatem illius apud multos instaurandæ, præcipue provenire ex eo,* quod Religiones quam plures ex parvis Conventibus ac Domibus magna ex parte conflantur, in quibus, sive ob aeris intemperiem, sive aliam ob causam, non aluntur nec ali possunt tot Religiosi, quot ad peragendum rite divinum cultum et regularia munia, ex cujusque Ordinis præscripto, sunt necessarii ; *ejusmodi Conventus ac Domos supprimendos et extinguendos constituit; et quæ, detractis detrahendis, superfuerint bona piis eorum, in quibus consistebant, locorum usibus applicanda, anno* MDCLI. *Cumque eodem tempore Respublica Veneta gravi a Turcis bello urgeretur, visum est Apostolicæ Sedi ejusmodi bonorum partem præcipuam applicare sublevandæ necessitati, spectanti totam fere Christianitatem, cujus respublica illa propugnaculum validissimum est. Ita contigit varios mendicantium et non mendicantium Ordines, locorum numero, tota Italia vehementer imminui; nonnullos etiam quodamtenus desolari. Sic*

et ordinibus nonnullis an. 1656 extinctis;

D *constitutorum cum nulla magna utilitas in Ecclesia appareret, cœptum est sub Innocentii Successore Alexandro VII agi de nonnullis penitus supprimendis; factumque reipsa est ut anno* MDCLVI Congregatio Canonicorum Regularium S. Spiritus Venetiis *jam in uno solo monasterio subsistens, et* Fratrum Cruciferorum Ordo, *a viginti quinque Conventuum numero redactus quatuor, aboliti sint per Constitutiones,* XXVIII *Aprilis expeditas.*

42 *Sub hæc Eremitæ* B. Petri, *in duas (ut supra num. 5 dictum ex Maurolyco est) divisi Provincias, ab* utraque Marchia Tarvisina et Anconitana, *nomen sortitas ; non potuerunt non merito formidare, ne ii, quibus commodum fuerat, non solos parvos, et disciplinæ impares conventus supprimi, inter reliquos Ordines, de quorum sic imminutorum suppressione cogitabatur, etiam suus proponeretur, ex parte dimidia sub Dominio Veneto constitutus. Quamquam autem de disciplinæ apud se vigentis integritate sibi conscii essent, neque (ut alii jam suppressi) Romæ ignoti ; scientes tamen numquam satis vigilantiæ adhiberi posse, ubi periclitatur totius Congregationis salus ; dispicere cœperunt, qua potissimum ratione persuadere aquis et iniquis possent, Ordinem suum non esse numerandum inter eas* Vites, quæ in Vinea Domini, quæ est ejus Ecclesia, pro-

s o quoque n eluentes Eremitæ B. Petri,

E vide plantatæ *(ut in prædictis Constitutionibus loquitur Alexander VII)* sed nunc primigeniæ regularis observantiæ vigore destitutæ, in steriles labruscas degenerarunt; *ut proinde deberet Romanus Pontifex, eamdem* Vineam curæ suæ divinitus demandatam omni studio et industria jugiter colere satagens *pro numere sua ipsum* ex more seduli patris familias evellere.

43 *Istum in finem, tum alia placuit adhibere media, mihi incomperta; tum ineffectum deducere, quod ab anno* MDCXXVI *cogitatum fuerat, de conscribenda Ordinis historia. Sed non erat hoc opus paucorum mensium. Ergo dum ei moliendo incumbitur, visum conducibile est, ut* Eusebius Jordanus Vicentinus, ejusdem Societatis Sacerdos Theologus, Magister Collegiatus in Universitate Patavina, ac sanctissimæ in eadem urbe Inquisitionis assistens et Consultor, nec non inter Sacerdotes Tarvisinæ Provinciæ Senior; *a cujus diligentia jam habebatur* Catalogus virorum, qui Sanctitatis ac Beatitatis titulo in ipsa Congregatione floruere, *mihi quidem nondum visus, sed necdum necessarius, saltem pro hoc mense Junio ; visum, inquam, conducibile est, ut tantæ auctoritatis vir, colli-*

ediderunt spicilegium historicum illius

F *geret, ex jam tum parato instrumento,* Spicilegium historicum Pauperum Eremitarum S. Hieronymi, Congregationis B. Petri Gambacurta de Pisis ; *quod ipso anno* MDCLVI ex Typographia Camerali, Superiorum permissu Patavii *prodiit, dignum huc transferri totum, sicut ipsum oblatum fuit* adm. R. P. Cherubino Girardo Veneto, Hispidæ Priori, *sub hac dedicatoria.*

quale hic recuditur

44 Cunctæ, ni hallucinor, Regularium familiæ peculiares suas tenent historias, singulariaque, (ut sic eloquar) habent chronica ; in quibus ipsarum ortus et profectus, cæteraque scitu continentur digna : Societas vero nostra hactenus solis, in fide parentum, (ut his utar verbis) acquievit traditionibus : cui pernicioso inconvenienti tollendo rationem ut inirent Proceres nostri ; provide, in generali synodo, Hispidæ agri Patavini anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto congregata, duos cuique suum Provinciæ vendicavere Custodes (libens Historiographos indigitarem) qui societatis præclara, cum præterita, tum præsentia, ac futura, ab interitu vindicarent facinora, monimentaque litteris mandarent. Verum enimvero tam prudentis deliberationis auctore vix erepto vivis, successores (quo perciti œstro aculeove exagitati ac ducti spiritu ignoro)

er Monumentis jam inde ab an. 1626 colligi cœptis

A ignoro) illam statim suppressere, funditusque eradicavere ædificium. Ex hujus ruderibus perniciei fragmentisve præsens collectum venit Spicilegium : quod Paternitatis tuæ adm. Rev. nominis decoratum splendore ; speque fretum benignitatis, suffragiove fultum patrocinii, ac auctoritate confisum, in lucem prodire non erubescit. Quare illud, meipsumque multo magis, tibi commendo. Deus Paternitatem tuam, ad bonorum solatium servet, incolumen. Patavii. Kal. Maji MDCLVI.

A. D. MCCCLXXX B. Petrus, præclara ex stirpe Gambacurta de Pisis, adhuc juvenis, sæculo renuntians, societatem instituit in ecclesia sanctissimæ Trinitatis Montis-belli, Urbinatensis diœcesis, et agri : eamque per annos quinquagintaquinque, quoad vixit, tamquam supremus Moderator ac generalis Rector gubernavit; id est, usque ad annum MCCCCXXXV: eamque Pauperum Eremitarum D. Hieronymi indigitari voluit.

MCCCC Ædificantur ecclesia ac monasterium Salogarini.

MCCCCXVII Moritur Pisauri B. Petrus de Catalaunia.

MCCCCXIX Comprobatur sanctissima vita ejusdem B B. Petri Venetiis, duobus miraculis XIX Januarii.

MCCCCXXI Martinus Papa V hujus nominis, anno quarto sui Pontificatus, Congregationem approbavit; eamque exemit ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, ac perpetuo sub protectione Sedis Apost. suscepit. Bulla est apud me, sub Datum, Romæ Nonis Junii, Pontificatus sui anno quarto MCCCCXXI. Exemptio tamen ab Inquisitoribus sublata fuit a Paulo V, Summo Pontifice MDCV. Calend. Septemb.

MCCCCXXI B. Petrus acquisivit oratorium S. Mariæ Magdalenæ Paduæ ; quam acquisitionem approbavit Eugenius IV anno MCCCCXXXVII, Kal. Martii, Pontif. sui anno septimo, sub Datum Ferrariæ. Bulla extat apud me. Hanc ecclesiam ex angusta in augustiorem formam cœperunt reædificare Patres, anno MDCXXXXVII.

MCCCCXXII Idem Martinus Papa V, amplissima Privilegia concessit Congregationi : ita manuscriptum reperio, Bullam tamen adhuc non vidi.

MCCCCXXIV Monasterium Montis Baroccii acquiritur.

MCCCCXXVII Andreas Rattolus, compater B. Petri, elargitur eidem ecclesiam S. Marci Montis Baroccii.

MCCCCXXXII Invenitur hoc anno XII Julii, B. Pe-C trum adhuc superstitem fuisse.

MCCCCXXXV Migrat ex hac vita B. Petrus Venetiis. Eligitur Generalis B. Bartolus seu Bartholomæus a Cæsena : qui Congregationem rexit usque ad annum MCCCCLI.

Traditur hoc anno Congregationi ecclesia cum Monasterio S. Matthæi de Mantua, prope Urbis mœnia : quæ anno MDCXXVIII funditus eversa fuere ob prælia inter Ferdinandum, Tertium hujus nominis electum Romanum Imperatorem, et Carolum Gonzaghium præfatæ urbis Ducem, qui alium locum concessit in civitate.

Acquiritur etiam hoc anno monasterium S. Mariæ Magdalenæ in suburbiis Vicentiæ ; de cujus fundatione, extat Bulla Eugenii quarti Veneti, sub anno MCCCCXXXVII.

Idem Eugenius hoc anno approbavit concessiones ecclesiarum ac conventuum, Venetiarum, Arimini, Urbini, Nobilariæ, ac Ferrariæ : et per aliam Bullam nobis multa concessit Privilegia, eligendi nempe Confessarios, suscipiendi Ordines sacros, Privilegiorum participationem, etc. sub Datum Ferrariæ MCCCCXXXVII, VIII Kal. Martii Pont. sui anno VII : quæ est apud me.

MCCCCXXXVII Bulla Eugenii IV de fundatione Monasterii S. M. Magdalenæ de Vicentia. Aliqui dicunt hoc solum anno obiisse, B. Petrum, Congregationis institutorem. D EX BERN. PUCCIO

MCCCCXL Eugenius Papa V jubet, ut singulis annis Capitulum celebretur Generale, sub Datum Florentiæ MCCCCXL tertio decimo Kal. Augusti, Pontificatus sui anno X quæ Bulla apud me reperitur.

MCCCCXLIII Ecclesia S. Mariæ Hispidæ in agro Patavino societati traditur à Canonicis secularibus S. Jacobi de Monte silice Congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum, aliquibus expulsis Monialibus. De hoc autem Monasterii magnæ subortæ sunt lites cum Patribus Carthusianis, quibus traditum fuerat a quodam ex nostris, absque Capituli Generalis licentia, et Congregationis consensu; quas, Deo adjuvante, nostri Patres tandem superavere.

Bulla Eugenii IV concessionis ac liberationis ab ōmni jurisdictione, data. Florentiæ MCCCCXLIII, Tertio Kal. Augusti Pont. sui anno X, extat apud me.

MCCCCXLIV Conduntur novæ constitutiones, seu, ut vocant, Memoriales, Patavii in Capitulo Generali; quæ postea fuerunt impressæ Venetiis MCCCCXLVIII, IV Idus Septembris per Raynaldum Novomagiensem, Latine et Italice : quæ apud me extant.

MCCCCXLVI Celebratur Capitulum Generale Venetiis, et confirmatur Generalis B. Bartholomæus a Cæsena. E

Hoc anno B. Nicolaus a Furca Palenæ, oppido in Pelignis, cum suis sociis in nostram adscribitur societatem, ætatis suæ anno nonagesimo septimo ; et sponte donavit monasterium S. Onuphrii de Urbe et locum Neapolis.

MCCCCXLVII B. Bartholomæus a Cæsena iterum confirmatur Generalis : et B. Benedictus Siculus, auxilio Papæ Nicolai V cœpit ædificare Ecclesiam neapolis sub invocatione S. Mariæ Gratiarum.

MCCCCXLIX Moritur hoc anno Romæ B. Nicolaus e Furca Palenæ.

MCCCCLI Jacobus a Firmo eligitur Generalis.

MCCCCLII Donatur hoc anno Societati Ecclesia et Prioratus secularis B. V. Mariæ Montis-Summani, in agro Vicentino, XXVII Septembris. Apostolici Brevis transumptum extat in Cancellaria Episcopali Vicentiæ, et in Archivio S. Sebastiani Venetiarum : modus vero donationis legitur in meo Monte Summano Repurgato, seu ad meliorem redacto frugem.

MCCCCLIII Nicolaus V decrevit, confirmavit, ac concessit ut singulis trienniis celebretur Capitulum Generale, cum facultate eligendi Generalem, Provinciales, ac quatuor Definitores : sub Datum Romæ apud S. Petrum tertio Kal. Aprilis Pont. sui anno septimo : quod Breve est apud me. F

MCCCCLIV Idem Frater Jacobus confirmatus est Generalis.

MCCCCLVII Idem Frater Jacobus tertio confirmatur Generalis. Calixtus IV concessit Societati facultatem ædificandi ecclesias, capellas, habendi Altaria portatilia, etc. hæc tamen Bulla non est apud me sed ab aliis citatam legi, sub datum MCCCCLVII, XXVI Augusti, Romæ apud S. Petrum. Idem Calixtus eodem anno, quarto idus Decembris Pontifici sui anno tertio, per suam Bullam datam Romæ apud S. Petrum, beccham caputii deferri prohibuit extra Societatem, quæ Bulla apud me est.

MCCCCLX Gabriel a Ferraria eligitur Generalis : Capitulum celebratur Hispidæ agri Patavini, inter amœnos ac frugiferos Euganeos colles : in quo adfuit B. Paulus Quirinus, Patritius Venetus, Provincialis Tarvisinæ Provinciæ.

MCCCCLXI B. Paulus Quirinus est Prior Paduæ.

MCCCCLXIII Gabriel a Ferraria confirmatur Generalis.

MCCCLXV

EX BERN. PUCCIO

A MCCCCLXV Accipitur monasterium S. Mariæ gratiarum Veronæ, quod postea dictum fuit a Victoria.

MCCCCLXVI Titulus ecclesiæ Ferrariæ S. Mariæ a Misericordia mutatur in alium, nempe S. Mariæ a Rosa, intra mœnia.

MCCCCLXVII Capitulum Generale celebratur Arimini, et eligitur Generalis B. Petrus Hispanus.

MCCCCLXX Idem confirmatur Generalis.

MCCCCLXXIII Confirmatur iterum idem Generalis. Bulla Sixti IV concessionis Confessorum, permutationis votorum, Ordinum extra tempora suscipiendorum etc. Romæ decimo Kal. octobris, apud S. Petrum, Pontif. sui anno IV.

MCCCCLXXIV Bulla Sixti quarti de non ferenda beccha Capucii extra nostram Societatem. Datum Romæ apud S. Petrum tertio decimo Kal. Decemb. Pontif. sui anno IV. Ipsa est apud me. Donatur Congregationi monasterium Interamnæ.

MCCCCLXXVI Gabriel a Ferraria iterum Generalis. Bulla Sixti IV concessionis et novæ institutionis Capituli Generalis et Provincialis: sub Datum Romæ apud S. Petrum MCCCCLXXVI Kal. Febr. Pontificatus sui anno VI.

MCCCCLXXVIII Litteræ Cardinalis S. Marci, de B Indulgentiis a Sixto IV societati concessis, quæ sunt apud me.

MCCCCLXXIX Idem Gabriel confirmatur Generalis.

MCCCCLXXXII Marinus Urbinatensis Generalis.

MCCCCLXXXIII Monasterium Arimini traditur Congregationi.

MCCCCLXXXV Philippus a Mantua Generalis.

MCCCCLXXXVII Bulla Innocentii VIII exemptionis ab Ordinariis. Datum Romæ apud S. Petrum decimo sept. Kal. Octobris Pont. sui anno IV. Eodem die et anno, idemmet Pontifex aliam evulgavit Bullam, qua præcipit publicationem supradictæ exemptionis: extant apud me.

MCCCCLXXXVIII Philippus a Mantua confirmatur Generalis.

MCCCCLXXXIX Bulla Innocentii VIII contra deferentes Beccham capucii extra nostram Congregationem. Romæ apud S. Petrum XI Kal. Martii, Pontificatus sui anno VI. Eodem anno XV Maji, Nobis concessit per Breve indulgentias Urbis, etc. Revocatum a Paulo V.

MCCCCXC Capitur monasterium S. Anthimi prope Neapolim.

MCCCCXCI Celebratur Generale Capitulum Vicentiæ in monasterio S. Mariæ Magdalenæ in subur- C biis, et eligitur Generalis Marinus de Urbino XXVI Aprilis.

MCCCCXCIII Donatur Congregationi monasterium Fulginii.

MCCCCXCIV Anconæ celebratur Capitulum Generale in Conventu S. Mariæ Gratiarum (commendatum ab Innocentio X, anno MDCLIII) et eligitur Generalis Cherubinus a Ferraria, Procurator Generalis, et Prior S. Onuphrii de Urbe.

MCCCCXCVI Accipitur monasterium Bagnacaballi. Bulla Alexandri VI pro confirmatione Bullæ Sixti IV, MCCCCLXXVI circa celebrationem Capituli Generalis et declarationes ejusdem Capituli. Datum Romæ apud S. Petrum die XIV Aprilis MCCCCXCVI, Pontif. sui anno IV apud me.

MCCCCXCVII Cherubinus a Ferraria confirmatur Generalis.

MCCCCXCVIII Accipiuntur monasteria Viterbii et Argentæ; sed hoc suppressum fuit ab Innocentio X, magno Societatis damno et incommodo. MDCLIII moritur Cherubinus Generalis; et subbrogatur Hieronymus a Brundusio.

MCCCCXCIX Acquiritur monasterium Cremonæ in suburbiis; cui ecclesiæ adnexa fuit animarum cura a S. Carolo Borromæo.

D MD Angelus de S. Agatha est Generalis. Idem privatur a Protectore Generalatu, propter inobedientiam.

MDIII Hieronymus à Brundusio eligitur Generalis. Hoc anno exortæ sunt lites inter ambas Provincias, quas serenissimus Regius Senatus sua pietate ac prudentia composuit ac sedavit.

MDVI Idem Hieronymus Brundusinus confirmatur Generalis. Accipitur Monasterium Salerni.

MDIX Joannes Bapista Mutinensis Generalis.

MDX Accipitur monasterium Forilivii. Moritur B. Marcus de Marchionibus Mantuæ; ubi sacrum ejus corpus honorifice asservatur adhuc.

MDXII Idem Joannes Baptista Mutinensis confirmatur Generalis.

MDXIII Migravit ab hoc seculo Frater Martinus Frixinalensis, vitæ inculpatissimæ.

MDXV Confirmatur Generalis qui supra.

MDXIX Nicolaus de Padua est Generalis.

MDXXI Idem confirmatur Generalis.

MDXXIV Hieronymus de Ferraria Generalis: prorogatur Capitulum Generale per annum.

MDXXVIII Pius de Mantua, vel secundum alios de Ferraria, est Generalis. Capitulum celebratur Tar- E visii, in quo Officiales simoniace eliguntur, unde Romam vocantur.

MDXXXI Joannes a Cento agri Ferrariensis, est Generalis.

MDXXXIV Idem confirmatur Generalis: vel secundum alios Mansuetus a Bagnacaballo. Hoc anno quædam Congregatio Fratris Petri de Manerba nostræ unitur Societati.

MDXXXV Bulla Pauli III Confirmationis et novæ concessionis Privilegiorum nostræ Societatis. Romæ sexto Idus Maji, Pontif. sui anno primo: apud me extat.

MDXXXVII Idem confirmatur Generalis.

MDXL Bernardus de Verona est Generalis; et corrector antiquarum Constitutionum.

MDXLIII Remigius a Villa, Lunensis, Generalis.

MDXLIV Moritur Generalis, et in ejus loco subrogatur Cherubinus a Londiano.

MDXLV Cardinalis Sadoletus Protector decrevit, ut Priores non confirmarentur ultra triennium.

MDXLVI Philippus de Mantua, alii dicunt de Mantica, Generalis.

MDXLVII Donatur Congregationi monasterium Fluminis Esini. Moritur Philippus Generalis, et ei substituitur, Hieronymus a S. Donato, Feratrensis. F

MDXLIX Capitulum celebratur Arimini, et eligitur Generalis 12 Maji Felix de S. Agatha Feratrensis. Acceptantur novæ Constitutiones, cunctis protestantibus nolle se obligare ad mortale, nisi quatenus, etc.

MDL Acquiritur ecclesia S. Victoris de Crispano agri Tarvisini, diœcesis Patavinæ.

MDLII Hieronymus Veronensis Generalis VI Maji.

MDLV Celebratur Capitulum Pisauri, et eligitur Generalis Matthæus a Ferraria.

MDLVI Monasterium Forolivii extra mœnia solo æquatur ob Gallorum bella, et conceditur aliud in urbe.

MDLVIII Remigius a Villa, Generalis secundo.

MDLX Breve Pii V Confirmationis Privilegiorum, facultatum, exemptionum, quæ per alios Pontifices fuerunt nobis concessa. Apud S. Petrum quinto Kal, Octob. Pontif. sui anno primo.

MDLXI Bernardus de Vicentia Generalis.

MDLXII Acquiritur monasterium Sabiniani.

MDLXIV Paulus Pacciotus, seu Piccotus a Nobilaria Generalis. Obiit, et subrogatur.

MDLXV Ludovicus Tebaldus a Nobilaria, in agro Pisauriensi.

A MDLXVII Jonnes Baptista Roboretus a Montesilice Generalis; sub quo Congregatio cœpit profiteri; et prima professio fuit emissa Romæ in Ecclesia S. Onuphrii die XVIII Martii MDLXIX. Ab eodem Generale

Bulla Pii V. Confirmationis, et novæ concessionis Privilegiorum omnium ordinum Mendicantium, cum declarationibus, decretis, et inhibitionibus Sanctissimi, motu proprio. Romæ XXII Kal. Julii, Pontif. sui anno secundo.

MDLXVIII Breve Papæ Pii V, de trium votorum professione emittenda in nostra Congregatione Romæ. 15. Kal. Decemb. Pont. sui anno tertio.

MDLXIX Hoc anno Religio cœpit emittere professionem, ut dictum est supra.

MDLXX Non celebratur Capitulum Generale consueto tempore; sed de licentia Cardinalis Cornelii Protectoris protrahitur usque ad primam Dominicam Septembris, et celebratur Hispidæ: in quo eligitur Generalis Joannes Baptista Lanfrancus, Pisaurensis.

MDLXXI Breve Pii V, Confirmationis et novæ concessionis Privilegiorum nostræ Congregationis motu B proprio: et præsertim Indulgentiæ Plenariæ perpetuæ die quartæ Dominicæ quadragesimæ. Romæ XXX Martii, Pontif. sui anno sexto: Quam indulgentiam Gregorius XIII etiam ad seculares extendit.

MDLXXIII Ob nimium Religionis paupertatem non celebratur consueto tempore Capitulum generale, sed differtur in annum sequentem. Acquiritur monasterium Hortæ, et etiam ecclesia S. Laurentii Fulginii: ac denuo reædificatur ecclesia Forilivii extra mœnia.

MDLXXIV Michael Vicentinus Generalis.

MDLXXV Venerabilis Frater Cyprianus Musconius moritur.

MDLXXVII Ob pestis suspicionem non celebratur Capitulum Generale. Acquiritur Monasterium Subrivoli; commendatum ab Innocentio X, MDCLIII.

MDLXXVIII Celebratur Capitulum Hispidæ, et eligitur Generalis Joannes Baptista Lanfrancus Pisaurensis secundo.

MDLXXIX Moritur Generalis Romæ IV Maji; et subrogatur Ludovicus a Nobilaria die X Junii Arimini. Fit unio cum Fratribus S. Mariæ de Costa Sextri de Occidente Genuæ.

Bulla Gregorii XIII Confirmationis Privilegiorum C nostræ Congregationis Romæ XXV Maji, Pontificatus sui anno octavo.

MDLXXXI Joannes Baptista Roboretus Patavinus, Generalis secundo.

MDLXXXIV Olivus de Londiano Generalis. Accipitur monasterium Otricoli; suppressum ab Innocentio X, MDCLIII.

MDLXXXV Accipitur Monasterium Cassani, Commendatum ab Innocentio X MDCLIII.

MDLXXXVI Monasterium S. Petri Episcopi Fani accipitur.

MDLXXXVII Joannes Baptista Roboretus Patavinus tertio Generalis.

MDXC Joannes Baptista de Grassis a Saludecio, Generalis.

MDXCIII Stephanus Gavedonus, Vicentinus, a Valle Dominorum, VII Maji eligitur Generalis.

MDXCV Acquiritur monasterium Rhodigii; ampliatum MDCXVIII ex pecunia inventa apud Patrem Hippolitum a Petra-sancta.

MDXCVI Antonius Veneruccius, Urbinas, Generalis.

MDXCIX Bernardinus Gambarus, Veronensis, Generalis.

MDC Bulla Clementis octavi Concessionis noviciatuum Venetiarum et Neapolis.

D MDCII Antonius Veneruccius, Urbinas, secundo Generalis.

EX BERN. PLCHIO

MDCIII Sepulchrum B. Marci decoratur Mantuæ.

MDCV Seraphinus Mazzolius, Vicentinus, Generalis.

MDCVI Corpus B. Nicolai in splendidiorem locum reponitur Romæ superiorum permissu.

MDCVIII Cæsar Veneruccius, Urbinas, est Generalis.

MDCXI Joannes Badilius, Veronensis, Generalis.

MDCXII Moritur Generalis Veronæ; et ei subrogatur Ferrariæ Bernardinus Gambarus, Veronensis, secundo.

MDCXIV Silvester Locatellus Generalis: Capitulum celebratur Hispidæ, et dimittitur Becca capuccii: et novæ acceptantur Constitutiones.

MDCXV Neapoli moritur Generalis, et XVIII Maji subrogatur Octavius Nicoruccius, Urbinas. Locus SS. Petri et Pauli de Vestono, agri ac diœcesis Brixiensis, donatur Congregationi.

MDCXVII Joannes Baptista Porratus a Campo, Generalis. Moritur hoc anno Venerabilis Frater Cyprianus Musconius, anno ætatis suæ XLII.

MDCXIX Orantibus ante Corpus Venerabilis Cypriani miraculorum signa ostendit Deus. E

MDCXX Octavius Nicoruccius, Urbinas, Generalis secundo.

MDCXXI Acquiritur locus Campi in ditione Genuensium.

MDCXXIII Capitulum celebratur Bagnacaballi, et eligitur Generalis Bernardus Moronus, Ferrariensis. Eliguntur quatuor examinatores in unaquaque Provincia.

Hoc anno quidam injuste cœpit vexare Congregationem, quam diu vexavit, et præsertim Provinciam Tarvisinam, magna regularis observantiæ jactura, ac rei familiaris non parvo detrimento.

MDCXXVI Celebratur Capitulum Hispidæ, et eligitur Generalis Octavius Nicoruccius tertio. Institutus fuit Procurator Provincialis in Urbe Venetiarum, et etiam fuerunt electi duo Custodes, qui res Congregationis conservarent: quæ duo munera fuerunt postea suppressa: a quibus, et ob quas causas, reverentis modestiæ gratia silentio involvo.

MDCXXIX Jordanus Muscatellus Generalis Arimini IV Maji. Fuerunt approbatæ novæ Constitutiones; quas successores statim suppressere.

MDCXXXI Moritur Generalis Vicentiæ: et per Breve Apostolicum nominatur F. Michael Celega, F Venetus.

MDCXXXII Honorius Magnonius a Talacchio Urbinatensis Diœcesis eligitur Generalis per Breve Apostolicum. Capitulum non celebratur ob pestis metum: sed Generalis cum duobus aliis Ferrariæ fecerunt et defecerunt quidquid voluerunt, et forsan non potuerunt.

MDCXXXV Michael Celega Venetus Exprovincialis, sub quarumdam litterarum Eminen. Protectoris prætextu, eligitur Generalis.

MDCXXXVIII Horatius Draco, Romanus, Generalis.

MDCXLI Barnabas Piazzola, Patavinus, Arimini eligitur Generalis. Iterum in hoc Capitulo publicatæ fuerunt novæ Constitutiones idiomate Latino.

MDCXLIV Remigius Landus a Villa, Generalis.

MDCXLVII Franciscus Cocalinus, Venetus, Pisauri eligitur Generalis.

MDCXLVIII Conceditur facultas ædificandi monasterium in Castro Finalis Riperiæ de Ponente Genuæ, et IV. Novemb. imponitur primus lapis pro ecclesiæ fundatione et ædificatione.

MDCL Innocentius X prohibuit receptiones noviciorum ac professiones. Fammianus Pacificus, Romanus, Hispidæ electus Generalis.

DCLIII

DIES DECIMA OCTAVA JUNII

SANCTI QUI XIV CALENDAS JUNII COLUNTUR.

Sanctus Leontius, S. Hypatus Tribunus, S. Theodulus, — milites, Martyres Tripoli in Phœnicia.
S. Marcia, S. Emilius, S. Felix, — Martyres in Africa.
S. MARCUS, S. MARCELLIANUS, — Martyres Romæ, vià Ardeatina.
S. Ætherius Martyr, forsan Nicomediæ.
Sancti duo Martyres apud Græcos.
S. Thomas, S. Paulus, S. Cyriacus, — Martyres, forsan Romæ.
S. Martyrius, seu Martharus, S. Felix, S. Emilius, S. Crispinus, — Martyres Ravennæ in Italia.
S. Marina, S. Theonius, — Martyres Alexandriæ.
S. Cyriacus, S. Paula, — Martyres, Malacæ in Hispania.
S. Elpidius Martyr, S. Archontius Confessor, — Brivatæ in Arvernia.
S. Potentinus, S. Felicius, S. Simplicius, — Steinfeldiæ in diœcesi Coloniensi.
S. Leontius Pastor, a Græcis honoratus.
S. Erasmus, apud Græcos.
S. Moyses Æthiops, SS. VII Anachoretæ, — Martyres in Ægypto.
S. Amandus Episcopus Burdegalensis in Aquitania.
S. Calogerus Presbyter, S. Sierius ejus Discip. — Eremitæ in Agrigentina Siciliæ diœcesi.
S. Gregorius Episcopus, S. Demetrius Diaconus, S. Calogerus Hegumenus, — Confessores Afri, an Martyres? in Fragalati Siciliæ monasterio.
S. Autbertus, Episcopus Abrincensis in Gallia.
S. Fortunatus Episcopus, quiescens in agro Galliæ Senonensi.
S. Speciosa Virgo, Papiæ in Insubria.
S. Elisabeth Virgo, Ord. S. Benedicti Schonaugiæ in diœcesi Trevirensi.
B. Maria dolorosa, in territorio Bruxellensi in Brabantia.
B. Gerlandus, Eques Ord. S, Joannis Hierosolymitani Calatagironi in Sicilia.
B. Marina fundatrix monasterii S. Martini, Ordinis S. Augustini Spoleti in Italia.
B. Osanna Andreasia, Virgo tertii Ordinis S. Dominici, Mantuæ in Italia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Opera et studio R. P. Godefridii Henschenii piæ memoriæ, nisi litteræ Margini appositæ aliud indicent.

D. P. Ferdinandus Pirez, Prior Canonicorum Regularium Oliveriæ in Lusitania, *anno* 1340 *sancte defunctus, et corpore incorrupto repertus an.* 1558, *atque hoc die honorificentissime translatus; refertur a Cardoso in Hagiologio, asserente, adversus capitis dolores usurpari quemdam ejus pileolum, cum transferretur corpus extra arcam servatum; efficaciam ejus probante innumera per ipsius contactum sanatorum multitudine, quorum enumeratio libros impleret; sepulcrum autem potissimum frequentari, ut in die obitus, ad quem pleniora documenta expectabimus, referenda in supplemento,* xviii Jan.

C. J. SS. Rochi et Sebastiani Apparitio *celebratur hoc die Tusculi, vulgo Frascati, loco, Principum Romanorum palatiis, villis, rusticatione nobilissimo, in ecclesia S. Mariæ de Vivario, quæ olim cathedralis ibi fuit, nunc fere S. Rochi appellatur. Initium celebritas habuit anno* MDCLVI *quando grassante Neapoli pestifera lue, quæ dimidiam incolarum partem frequentissimæ civitatis absumpsisse creditur; atque inde per campaniam Romanam late serpente, multosque etiam Tusculi inficiente, die* XVIII *Junii apparuit in pariete laterali, quæ templum ingredienti a sinistra est, non procul a frontispicio, primum vultus imaginis S. Rochi, et paulo post etiam vultus S. Sebastiani, prope illum depicti, decidente sine ullius opera, nec opinato, muri tectorio, sub quo latebant, et latuerant tam diu, ut nulla talium illic imaginum apud cives maxime senes memoria superesset. Rata continuo civitas, sanctos, tali tempore ac loco tam mirabiliter apparentes, patrocinium sui velle suscipere contra violentæ contagionis incursum; ipsos sibi precibus votisque magis conciliarunt. Nec vero opinione sua falsi, nec spe frustrati fuere. Nescitur quippe, ullum pestilenti lue Tusculi tunc extinctum fuisse. Afflati quidem illa fuerunt aliqui, sed illiti oleo lampadis, quæ ante imagines Sanctorum lucet, curati et servati sunt. Imo idem oleum, etiam ab exteris pluribus, tam Religiosis, tum secularibus, præsertim Romæ, petitum, et cum fiducia infirmis adhibitum, non dissimiles curationes operatum est. Certe tot oblationes et anathemata illam ob causam undique fuerunt allata; ut inde marmoreum altare ad ipsas imagines excitatum sit. Hæc ipsemet nuper* [1699] *Tusculi versatus, a personis fide dignis accepi; et altare imaginesque Sanctorum, amoto velo, per vitreas, quibus concinne teguntur, fenestras coram in pariete inspexi, justam hominis staturam et nescio quid venerandæ antiquitatis ac majestatis habentes*

bentes. Civitas, beneficii memor, quotannis hoc die publicam supplicationem, comitantibus omnibus piorum civium Sodalitiis, in gratiarum actionem instituit. Nos egimus de S. Sebastiano die xx Januarii : *Acturi de S. Rocho* xvi Augusti.

Caduranus, ex Episcopo Bengorensi Monachus Durensis in Anglia, Ordinis Cisterciensis, *cum titulo* Beati *refertur in Menologio Henriquez : ejusque exemplo a Bucelino et Chalemoto De eo egimus inter Prætermissos* xx Januarii.

S. Balbina, Martyr Romæ, *indicatur apud Wandelbertum, in Appendice Adonis, in MS. Leodiensi S. Laurentii, duplici Treverensi S. Maximini et S. Martini, aliisque. Acta ejus dedimus* xxx Martii.

Colmannus Abbas *memoratur in MS. Florario et Catalogo Henrici Fitzimon : apud Grevenum præponitur,* In Hibernia : *Sed inter tot* Colmannos, *quis hic sit, unde conjiciemus? Colganus in Indice tertio ad Triadem Thaumaturgam ultra viginti numerat, quos arbitratur Sanctos haberi. In secunda editione Martyrologii Anglicani indicatur* Colmannus, ex Scotia oriundus ; *et in eadem Abbas circa annum* 1670. *Citatur Leslæus lib.* 4, *ubi de*

S. Colmanno Episcopo *varia confundit, et de alio agit relato in prima editione ejusdem Martyrol. Anglicani* xxviii Junii.

Brandani, Abbatis et Episcopi, festum agi ait Petrus Cluniacensis. *Ita Dempsterus. Sed nullo indicato loco.* S. Brandani Abbatis Cluainfertensis *Acta dedimus, et* Brandani Abbatis Culrossiæ *notitiam* xvi Maji.

Gebuinus, Archiepiscopus Lugdunensis, *ut* Sanctus *refertur a Saussayo : sed videtur sumpsisse* xiv Kalendas Julii, *qui ab ab aliis habetur* xiv Kalendas Junii, *ut diximus inter prætermissos* xix Maji.

S. Cunera, Virgo et Martyr in oppido Rhenensi, *memoratur a Martyrologio Germanico Canisii et inscriptis ad Usuardum Greveni supplementis. Acta dedimus, nostrumque de iis judicium tulimus,* xii Junii.

S. Hymerius, Episcopus Cremonæ, *indicatur a Greveno et Molano in prima editione Auctarii ad Usuardum; item a Canisio et aliis. Fuit is Episcopus Ameriæ, sed Patronus Cremonæ, ob corpus eo translatum. Dedimus Acta* xvii Junii.

S. Hervei eremitæ memoria, in Britannia Armorica, *colitur in Nannetensi et Redonensi ecclesiis, ab aliis pridie,* xvii Junii.

Tarasia Regina et monialis } *indicantur a Bucelino.*
S. Raynerius Confessor Pisis } *Acta utriusque dedimus* xvii Junii.

SS. Theodorus, Leontius, Joseph et Maria, Martyres apud Castrum Octavianum prope Barcinonem passi seculo octavo ; *referuntur in Chronicis sub nomine Luitprandi et Juliani Petri hoc seculo proditis, uti annotat Ramirez de Prado* · de Leontio et Theodulo in Phrygia passis vide Martyrologium xviii Junii. *Hinc eos ad hanc diem inscripsit suo Martyrologio Hispanico Tamayus de Salazar. Sed ut de illis in Hispania passis antiquiores et meliores scriptores.*

Sancta Osana, soror Osredi Regis, in Borealibus Angliæ trans Humbrorum finibus, in ecclesia de Hovedene, *Coltum habuisse intelligitur ex Silvestro Giraldo Cambrensi in Itinerario Cambriæ, relato inter scriptores a Cambdeno editos pag* 824. *Non videtur negari posse fides oculato testi, et memoriam meretur pœna divinitus inflicta impudicæ mulieri, præsumenti sedere supra ejus sepulcrum ; ideoque volaimus ejus hic, occasione alterius* Osannæ Mantuanæ, *mentionem facere ; donec aliunde eruatur dies, qui hactenus latet : quare nec ullis Anglorum fastis adscripta invenitur.*

Ethelredus, Rex Merciorum, dein monachus, ut vir venerabilis *indicatur a Bucelino, ac mortuus dicitur anno* dcciv.

S. Dunstanus Abbas monasterii cui Carnaminum nomen, cuique sanctissime præfuit, *memoratur in Menologio Scotico Camerarii : hunc sequitur Martyrologium Anglicanum primæ editionis ; quod et fecerunt Ferrarius et Fitz Simon. Sed in posteriori editione nomen ejus omissum est At Dempsterus* xxviii *Januarii;* In Levinia, *inquit,* Dunstani Abbatis, qui Regi optimo Aidano a sacra confessione fuit. *Secutus iterum est Ferrarius. At Leslæus, a Camerario citatus in Aidano* xlix *Rege, scribit* fuisse in Scotia tres doctrina et pietate præstantes viros, natione etiam Scotos, Hebredum scilicet, Dunstanum, et Convallum, quorum memoria etiam hoc nostro ævo apud Scotos magna celebritate colebatur. *Non plura de eo potui nancisci : Nedum invenire diem cultus.*

Cincuinus Monachus cœnobii S. Petri apud Lindisfarnum, qui artem fabrilem exercebat, in cujus obitu Angeli visi sunt, *refertur a Menardo,* ut Beatus. *Silent Wilsonus, Alfordus et alii. Dicitur Vita ejus versibus scripta quam non vidimus : et ea visa fortassis sententiam mutaremus.*

Sanctorum ac Beatorum Ordinis S. Benedicti, potissimum in Anglia, Commemoratio *celebratur in Menologio Bucelini.*

Guillielmus, xxvii Prior Ordinis Carthusiani, vir multæ abstinentiæ et pietatis, et miraculis clarus, *refertur a Saussayo inter Pios, et cum titulo* beatæ memoriæ.

Joanna a Guevara, Virgo Clarissa circa annum 1460 vixit cum magna opinione sanctitatis, *relata ab Arturo et aliis ab eo citatus.*

Raimundus Gaufridus, xiii Minister Generalis Ordinis S. Francisci, Episcopatum Patavinum recusavit, et privatus deinde vixit. De loco et modo mortis varie sentitur. *Interim cum titulo* Beati *refertur ab eodem arturo.*

Guillelmus Servaserius in Gallia, an. 1560.

Joannes Levanii Portugalliæ, anno 1569.

Sebastianus in insulis Moluccis an. 1626, Ordinis S. Francisci, pro fide Christi occisi, *ut* Beati et Martyres *referuntur ab eodem. Utinam hi aliique vindicentur.*

Franciscus Bazo Mantuæ an. 1540 *ejusdem Ordinis similiter inter Beatos ab illo numeratur.*

Joannes Vannegus, Carmelita. *Conventus Toletani in Hispania, plures hæreticos in Mauritania convertisse ; et Algerii, quod Christum ejurare nollet, una cum Fratre socio* Jona Catalano, *dicitur flammis exustus, an.* 1588. *Cum titulo* Beati Martyris *refertur* Joannes. *in Actis leni Ordinata Philippi a Visitatione, et in Notis MSS. dicuntur* Reliquiæ, in Hispaniam relatæ, congruo honore coli. *De hoc honore cum distinctius constiterit nobis qualis sit (fortassis enim honorifice quidem sed privatim servantur), donec Apostolica Sedes causam cognoverit definieritque poterimus et nos ordinatum, non solum* Joanni, *sed etiam* Jonæ *locum in hoc opere dare.*

S. Ediltrudis, *ex Regina Angliæ Sanctimonialis in Coenobium, nominatur a Dempstero in Menologio Scotico quod secutus est Ferrarius, et Kalendarii cujusdam recentioris Auctor. Aliis* Etheldreda *est, cujus Acta damus* xxiii Junii.

Aidus Hua-Foirreth, Archischolastrius, imo et Episcopus et potius suffraganeus, *hoc die mortuus cum titulo* Beati *refertur a Colgano in Append. ad Acta S. Patricii, nullis additis quæ ipsum habebant Martyrologiis, ut alias ille solet.*

Sebastianus a S. Joseph *Ord. Minorum Discalceatorum Provinciæ S. Pauli, post multos in Moluccis*

insulis labores, fidei causa exantlatos, sagittis confixus occubuit, an. 1610 : *de cujus martyrio et miraculis Processus formati supremum Sedis Apostolicæ judicium Romæ expectant ; sicut me docuit R. P. Benignus Fremaut ialium scrutator et eruderator indefessus.*

SS. Tranquillinus et Marcia, parentes SS. Marci et Marcelliani, (*de quibus hoc die agimus) indicantur in additionibus scriptis Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Ex his* Marcia *colitur* 11 Julii. *At* S. Tranquillinus vi Julii.

S. Marina Virgo, quæ mutato habitu Marinus dicta, vitam monasticam egit, *refertur in MS. Florario; et a Domenecco in libro de Sanctis Catalauniæ, nec non a Tamayo in Martyrol. Hispanico, ob Reliquias, in monasterio S. Mariæ de Mercede Barcinone adservatas : item a Masino in Bononia perlustrata, ob reliquias in ecclesia S. Francisci et S. Gabrielis ad portam Ravegnanam in veneratione habitas. Videtur Baronius ad hoc eis dedisse occasionem, eo quod, cum* S. Marinam Martyrem Alexandrinam *ex Usuardo retulisset, uti hoc die etiam nos facimus, in Notis de* Marina *hac seu* Marino *agat.* Corpus ejus Venetus sepultum Kalendis Septembris *asserit Petrus de Natalibus lib.* 6 *cap.* 108 *et* quievisse in Domino xvi Kalendas Augusti; *et sic cum Martyrol. Romano agimus de ea* xvii Julii.

Marinæ Virginis passio in Antiochia, quæ per Olibrium Præfectum multa tormenta passa est pro nomine Christi, vincula, carceres, flagella, equuleum; quam et diabolus in draconis specie, similiter et in Æthiopis tentavit et subvertere voluit, sed per signum sanctæ Crucis effugatus et superatus est; novissime vero per prædictum Præfectum decollata cum sacro martyrio vitam finivit. *Ita B. Rabanus Abbas Fuldensis, dein Archiepiscopus Moguntinus, mortuus anno* DCCCLVI *die* VI *Februarii, quando ejus Acta illustravimus. Rabanum descripserunt B. Notkerus eodem adhuc seculo nono; de quo ejusque Martyrologio egimus* VI *Aprilis; et Auctor Bedæ supposititii. Hæc est* S. Marina *quæ celebrem venerationem habet apud Græcos die* XVII *Julii, ejusque Acta Græce habemus. Eadem a Latinis sub nomine* S. Margaritæ *colitur a variis die* XIII *Julii, ab aliis cum Romano Martyrologio ad diem* XX *Julii, quando et varia Acta Latina cum Græcis collata erunt discutienda, quæ quod huc spectat cum dictis Martyrologiis consentiunt. Hinc quæstio oritur, num* S. Marina Virgo, *quæ ab Usuardo* Alexandriæ passa *refertur, sit eadem jam relata. Ita censuit Molanus in prima sua editione Usuardi, et totum elogium ex Rabano et Notkero adjunxit, atque in Margine apposuit,* hanc nos Margaritam nominamus. *Verum in posterioribus editionibus omnia omisit, forsan suspicatus, aut aberrasse Usuardum collocando nomen* Alexandriæ *loco* Antiochiæ, *aut ista verba ab aliis adjecta. Baronius in Notis ad memoriam* S. Margaretæ *die* XX *Julii, asserit* hanc Marinam dici a Beda et Usuardo XIV Kalendas Julii, et errare eos qui ipsam Alexandriæ passam referunt; *quod nobis plane probatur, sentimusque cum illis, qui elogium addunt ex Actis* S. Marinæ seu Margaritæ Antiochenæ. *Aliam* Marinam Alexandrinam *hoc die damus. Reliqua dicentur* XX Julii.

Dominicus Martinez, Abbas Alcobatiæ in Hispania Ordinis Cisterciensis, *cum titulo* Sancti *indicatur a Menardo; cum titulo* Beati, *a Chalemoto ad diem* XXVII *Januarii; cum titulo autem* Sancti *a Chrysostomo Henriquez, cumque secuto Tamayo de Salazar in Martyrologio Hispanico; utque ad diem (in quem petimus administrari instrumenta necessaria,* IV aut V Augusti.

S. Bartholomæi Apostoli solennitas, quando de insula Lipara Beneventum translatus est, *indicatur in MS. Centulensi S. Richarii. Ejus natalis est* XXIV Augusti.

Nectarius, Episcopus Constantinopolitanus, *indicatur in scriptis ad Grevenum per Carthusianos Bruxellenses. Colitur a Græcis* XXVII Septembris et XI Octobris.

S. Constantia Virgo,
S. Rainaldus Episcopus Græcus,
S. Joannes Episcopus Armenus,
S. Willebrandus dux Italus,
Sancti multi alii,
Martyres ex Societate Ursulana, quorum Inventio celebratur, Coloniæ in Ecclesia SS. Joannis et Cordulæ. *Ita Gelenius in fastis Coloniensibus : de quorum certitudine agi poterit ad festum S. Ursulæ et sociarum* XXI Octobris.

SS. Nunilonis et Alodiæ, Virginum et Martyrum, Translatio, ex Bosa ad Legerense monasterium S. Salvatoris in Navarra; *indicatur ab Ambrosio Moralez in suis ad Eulogium Scholiis lib.* 2 *cap.* 7. *Harum natalis est* XXII Octobris.

S. Thomas Apostolus *indicatur in MS. Vaticano S. Petri, ejus natalis est* XXI Decembris.

DE SS. MILITIBUS MARTYRIBUS

LEONTIO, HYPATIO, ET THEODULO,

TRIPOLI IN PHOENICIA

G. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De cultu sancti eique dicatis ecclesiis et martyrii tempore atque scriptoribus.

SUB VESP.

Acta Græca et Latina

Inter plurimos Sanctos et potissimum Martyres, Leontii *nomine appellatos, celeberrima est memoria Sancti hujus Martyris Tripolitani, passi decima octava Junii. Ejus Acta Græca reperimus Romæ in bibliotheca Vaticana, et quidem in duplici MS. codice, sub numero* 821 *et* 1667. *Eadem ex illis Latine reddidit Guilielmus Sirletus, postea S. R. E. Cardinalis, ediditque Aloysius Lipomanus Episcopus Veronensis, part.* 2 *tomi* 7 *de Vitis Sanctorum Patrum, atque ex illo Laurentius Surius. Nos et Græca, et cum his collata damus Acta Latina. Sub eorum finem legitur :* Has memorias beati Martyris Leontii, Cyrus quidam Commentariensis (*Sirletus non bene* Scribam *vertit, cum* Custos carceris *significetur*) in tabulis plumbeis describens, juxta monumentum sancti Martyris posuit, ut bonum memoriale relinqueret generationibus secuturis. *His verbis non hoc videtur auctor indicare, quod captivi sancti custodiam sibi*

D. P.

ex memoriis a Cyro carceris Custode relictis composita.

A *sibi habuerit commendatam, clam Christianus aut ejus exemplo postea conversus quæ viderat ipse (ut re necdum plene examinata aliquando censuimus) vel alius, data per Constantinum Magnum Christianis pace, ejusdem carceris custodiæ præfectus, ex majorum relatu, Acta sicut habentur scripserit; et monumentum sic sculptis tabulis plumbeis exornarit: sed, quod eorum alteruter ita scripserit reliqueritque substantiam rerum hic narratarum, seu quæstionum singularum epitomen, quam alius stylo rethorico extenderit in hunc modum; de suo addens verba, qualia utrumque dici potuerunt; et consolationes Angelicas quarum nullus testis fuerat, velut ex congruo adjiciens. Quapropter innominatum Auctorem relinquo, satisque habeo indicasse cum a quo scribendi argumentum is sumpsit.*

G. H.

Palæstra Tripolis in Phœnicia

2 *Palestra martyrii et habitationis dicitur* Τριπολιτῶν πόλις, urbs Tripolitanorum; *sed ubi illa sit, non additur. In Martyrologio Romano et de urbe et* S. Leontio *ejusque sociis ista leguntur:* Tripoli in Phœnicia S. Leontii militis, qui sub Hadriano Præside, una cum Hypatio Tribuno et Theodulo, quos convertit ad Christum, per acerba tormenta pervenit ad coronam martyrii. *Addit in Notis Baronius,* Tripoli in Phœnicia, nobilis memoriæ Leontii Martyris mentionem fieri, in Quinta Synodo actione prima: *et quia Acta dicunt* in ipsius Tripolis portu sepultum, *ibidem ecclesia ejus fuisse videtur, ideoque in quodam Kalendario Syriaco nominatur* S. Leontius ad mare. *Illustravimus nos ad diem* XX *Januarii Vitam S. Euthymii Magni, Hegumeni in eremo Sanctæ civitatis seculo Christi Sexto, quo dicta Synodus habita est: in qua vita Cyrillus Monachus, auctor coævus, num.* 129 *narrat,* quemdam juvenem Leontium nomine, in monasterio magni Euthymii vitam monasticam sumpsisse, eique curam traditam monasterii, quod conditum fuit in honorem magni Martyris Leontii. *Quidni hujus* Leontii, *in Phœnicia vicina martyrio coronati? Eodem modo Procopius Cæsariensis lib.* 5 *de Ædificiis Justiniani Imperatoris cap.* 9 *asserit, ab hoc* constructam Damasci ædem S. Leontii; *nec dubitamus quin huic cum Damasco vicina Phœnicia sit.*

ibi ejus ecclesia;

B

alia in eremo Hierosolymitana;

et Damasci,

3 *Ad eumdem etiam videtur respexisse Theodoretus Episcopus Cyri, dum adversus Gentiles de Evangelica veritate sermonem* VIII *de Martyribus ita concludit:* Quid Philosophos et Imperatores commemoro? cum eorum quoque, qui passim dii ferebantur, memoriam e mente hominum aboleverint? Horum namque templa sic destructa sunt, ut ne figurarum quidem permanserit species, nec earum formam hujus seculi homines sciant. Harum autem materia omnis Martyrum fanis dicata est. Suos etiam mortuos Dominus Deus noster in templa pro diis vestris induxit: ac illos quidem cassos vanosque reddidit, his autem honorem illorum attribuit. Pro Pandiis enim Diasiisque ac Dionysiis et aliis festis vestris, Petri et Pauli et Thomæ, et Sergii et Marcelli, et Leontii, et Panteleemonis, et Antonini et Mauritii, aliorumque Martyrum solennitates peraguntur: et pro illa veteri pompa, turpique rerum ac verborum obscœnitate, modestæ celebrantur festivitates, non ebrietatem et jocos risusque exhibentes, sed divina cantica sacrorumque sermonum auditionem et preces laudabilibus lacrymis ornatas. *Et inter præcipuos Syriæ Patronos* S. Leontium *habitum.*

C

a Theodoreto inter primarios martyres habitus;

4 *Nec tantum in dictis Orientalibus regionibus celebris fuit illius memoria, sed etiam Constantinopoli, uti in antiquo MS. Synaxario* Ecclesiæ Constantinopolitanæ, post encomium de quo infra legitur his verbis Græcis. Τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις πέραν ἐν τῷ καμαριδίῳ καὶ ἐν τῷ εὐκτηρίῳ οἴκῳ αὐτοῦ τῷ ὄντι ἔγγιστα τῆς πόρτης τῆς πηγῆς. *Quæ sic explico.* Celebratur ejus solennitas trans fretum in Camaridio, et in oratoria ejus domo, existente proxime ad portam fontis. *Carolus du Frene lib. 4 Constantinopolis Christianæ cap.* 15 *num.* 13 *asserit* ædem sacram fuisse ad portam auream, uno ferme ab urbe stadio exstructam, *ubi* fons tacita scaturigine lenem ac dulcem aquam effundit; *et est ibi* ædes Deiparæ ad fontem *dicta. Potuit proxime* ad portam hanc fontis *extitisse* oratorium S. Leontii: *cui etiam alter locus trans fretum* in Camaridio *dicatus fuerit.*

sacra illi dicata Constantinopoli

D

AUCTORE G. H.

5 *Pro harum Constantinopolitanarum Ecclesiarum aliqua, crediderim esse compositum Encomium, quod in Laurentiana Magni Ducis Hetruriæ bibliotheca Florentiæ reperimus Græcum, descripsimusque ex Plutei* IX *Codice* 33, Μαρτύριον τοῦ ἁγίου καὶ πανενδόξου μεγαλομάρτυρος Λεοντίου. Sancti ac gloriosissimi magnique Martyris Leontii. *Encomium autem istud, non quasi novum aliquid aptum docere, sed ut pietatis Græcanicæ medio ævo monumentum non contemnendum, subjungimus antiquioribus Actis, pariter Latine redditum.*

et encomium compositum, quod hic etiam datur

6 *Porro præcipuum hac die* XVIII *Junii cultum* S. Leontii *apud Græcos, et horum exemplo apud Ruthenos, probant nostræ Græco-moschæ Ephemerides, quarum unæ diem istum hoc versu consignant:*

Ὀγδοάτῃ δεκάτῃ πλήγαισι Λεόντιος ἐκπνεῖ.

Immoreris plagis decima octavaque, Leonti.

Cultum autem præcipuum probat Ephemeris

E

Huc facit totum diei istius Officium in Menæis cum Canone et Elogio ex more præmittuntur hæc Disticha.

Ἄκμων τὸ σῶμα τοῦ Λεοντίου τάχα,
Ἄκμων σιδηροῦς πρὸς σφύρων τὰς αἰκίας.

Fortasse ut incus corpus est Leontii,
Et ferrea incus ad ictus malleorum.

Idem distichon etiam reperitur in Divionensi Synaxario, ubi pro duobus sociis aliud sic additur:

Ἐλευθερόφρων Θεόδουλος πρὸς ξίφος,
Τοιοῦτον ὄντα καὶ ταῖς Ὕπατον βλέπω,

Theodulus ensi, libero se animo offert, similique cerno spiritu adstantem Hypatium,

et Canon

Canonis autem prædicti Acrostichis hæc est:

Νίκη Θεὸς σοὶ καὶ γέρας, Λεόντιε,

quam paulo pluribus litteris sic Latinam feceris:

Victoria et marces tibi Deus est, Leonti.

7 *Nomen Poetæ additur,* Joannis monachi, *quem* Damascenum *fuisse nihil ambigimus; ejus qui cum S. Sophronio Patriarcha libros hymnosque sacros in Terra sancta pene amissos restituit, novisque additis auxit: ideoque minus miramur quod strophis duabus tribusve amissis, pauciores illæ in Menæis excusis reperiantur, quam sint ipsius Achrostichidis litteræ.*

auctore S. Jo. Damasceno.

F

Præmittuntur Canoni ex more stichera seu Versiculi similares, quorum tertius testatur frequentia Sancti miracula, hoc modo: Τίς σε οὐ θαυμάσειε Λεόντιε; ὅτι ἔνοικον λαβὼν τῆς ἀληθείας πηγὴν, ποταμοὺς εὐεργεσίας ἀναβλύζεις τοῖς πιστοῖς· καὶ πᾶσι ἀναργύρως ἀνεπιφθόνως προφέρεις τοῖς διψῶσι τὰ δωρήματα· εὐφραίνεις δὲ τοὺς μετέχοντας τοῖς ὕδασι τῆς χρηστότητος· ἱκέτευε τοῦ σωθῆναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν. Quis te non admiretur, Leonti? qui inhabitantem in te suscipiens fontem veritatis, flumina beneficentiæ effundis fidelibus: et citra invidiam atque gratis profers sitientibus omnibus dona tua, fruentibus autem exhilaras aquis bonitatis. Deprecare, ut animæ nostræ salventur. *Magis autem explicite gratiam curationum denotat Tractus ante Eloquium, sic terminatus,* ἴασιν τῶν νοσημάτων πιστοῖς παρέχεις διὰ τοῦτο σου τὴν μνήμην τιμῶμεν πόθῳ, σοφὲ Λεόντιε. Morborum medelam fidelibus præstas, ideoque memoriam tuam cupide honoramus, o sapiens Leonti.

qui acurationum gratia Sanctum laudat.

8 *Non eadem elogii, inter sextam septimamque Oden recitandi, loco ipsorum quæ olim recitabantur Actorum, auctoritas est. Synaxariorum enim, unde assumitur, usus recentior est, neque seculo* X *antiquior; ipsumque sive brevius, in eo quod Basilius Porphyrogenneta colligi jussit; sive aliud duplo prolixius, in Menæis*

Tripolis Africæ unde irrepserit Synaxariis?

A *Menæis excusis, immediate ex Actis est sumptum; sed utrumque est compendium recentioris quod dixi Encomii, cujus auctori cum excidisset, ut* Tripolim Africæ *acciperet* pro Tripoli in Phœnicia; *transfusus hic error est in omnia Synaxaria: et sic in Basiliano dicitur Sanctus fuisse* Διατρίβων ἐν Τριπόλει τῆς Ἀφρικῆς; *in Menæis vero* ἐν Τριπόλει κατὰ τὴν Ἀφρικήν: *licet Sanctus mox accusatus delatusque dicatur* Adriano Phœniciæ Præsidi; *unde oportuerat errorem animadvertisse.*

AUCTORE G. H.

Erat tum Tripoli hac clarior altera Tripolis Phœniciæ,

9 *Quid quod, primis a Christo nato seculis, clarissima fuerit* Tripolis Phœnices; *obscura vero, aut plane etiam ignota, Tripolis Africæ saltem sub hoc nomine? Ptolemæus certe ac Stephanus nullius in Africa* Tripolis *mentionem faciunt: eam recentiores alii Sabratam olim, alii Oeam arbitrantur fuisse. Hac porro sententia admissa, sponte sua intelliguntur, alioquin inexplicabilia, quæ in Actis Græcis leguntur num. 2 de patria illorum,* qui primi disciplinarum sublimiorum inventores fuerunt. *Si enim horum patriam constituas* Tripolim Africæ, *eamque velis primam litteris ac scientiis excelluisse; putasne futurum, qui opinioni tam peregrinæ assentiatur? Certe ab omnibus nunc passim illa* Tripolis Barbariæ *vocatur. Assentientur autem omnes, qui vel leviter antiqua delibarunt, si gloriam illam Phœniciæ tribuas, eamque artium ac litterarum inventricem primam appelles. Plinius lib. 5 cap.* 12 *disserte asserit,* gentem Phœnicum in gloria magna esse, litterarum inventione, et siderum, navaliumque ac bellicarum artium. *Atque hinc in ipso Actorum textu pro* ἐν Ἀφρικῇ *suppono* ἐν Φοινίκῃ Τρίπολις, *adjecta Annotatione. Unum invenio Baronium, qui in Martyrologio a nobis stet, ac* Tripoli in Phœnicia *martyrium subiisse* Leontium *asserat; quamvis nullam asserti sui rationem reddat uspiam in Notis.*

de qua tamen commodius intelliguntur Acta.

B

10 *Hactenus de loco Martyrii contra Synaxariorum sententiam, quæ videri potest errore librarii inducta, aut confidentia interpolatoris adstructa fuisse. Cum enim tabulæ istæ plumbeæ; quas* Cyrus quidam de S. Leontio conscripsisse, et apud monumentum ejus deposuisse *legitur, in ipso sepulcro videantur cum Sanctis Reliquiis conditæ fuisse; credibile est, diutule illic ab-*

Unde error possit irrepsisse?

D *ditas, in lucem non fuisse protractas, nisi postquam nomen et fama Tripolis Africanæ inclaruit. Unde fieri potuit, ut si in tabulis tantum legebatur* Tripolis, *interpolator aliquis e cerebro suo addiderit* τὸ Africæ, *tanquam de notiori tunc civitate. Si vero in tabulis expressum fuit* Tripolis Phœnices; *quidni longo temporis lapsu potest ita exesum fuisse plumbum, ut imperfecte repræsentaret commissam sibi scripturam, et librarius aliquis pro* φοινίκῃ, *legerit* ἀφρίκῃ, *ubi notior tunc erat* Tripolis.

11 *Quid autem si scribentibus hæc Acta tenebras offuderit amphibolia nominis* Africa, *ex vulgata quidem notione Provinciam longe a Phœnice remotam significantis: hic vero accipiendi pro* Legione Africa, *seu* Africana, *quæ in Phœnice stativa habens sub Tribuno* Leontio *haud procul Tripoli, nomen fecerit ipsi stativorum loco, sed transitorium; non autem perennaturum apud posteros, sicut perennavit nomen* Italicæ *in Hispania, prope Hispalim, relictum a* Legione Italica, *qualis sua etiam in Palæstina stativa habuit et inter alios Centurionem Cornelium, ex Actis Apostolorum notissimum. Sic Romæ per plura secula in regione trans Tibrim celebris fuit* civitas Ravennacium, *a Ravennatibus istic olim commoratis et multa ejusmodi alia locorum nomina possunt in exemplum adduci, atque credibile facere longe plura similem quandoque appellationem habuisse ad breve tempus, quæ vetus nomen resumpserint, ideoque sub temporario illo nuspiam inveniantur appellatæ: aut si inveniantur alicubi, offendunt lectorem velut supposititia.*

quid si ab Africanæ Legionis stativis apud Tripolim?

E

12 *Quod attinet ad tempus Martyrii, tolerati cum sociis* SS. Hypatio *vel* Hypato *et* Theodulo; *assumptus est* Vespasianus *(sub quo passus* S. Leontius *dicitur) anno* LXIX *ad imperium, et sequenti per filium Titum expugnavit Hierosolymam. Hic, cum Christianos non satis a Judæis distingueret, facile potuit persuaderi, ut potestatem aliquam* Adriano, *forsan a Judæis incitato, concederet contra Christianos, præsertim militiæ desertæ prætextu: nescitur tamen decretum aliquod contra eos edidisse Vespasianus, uti supponunt Acta, phrasibus quarti seculi adornata: quod sufficit hic animadvertisse. Est autem vita functus Vespasianus anno Christi* LXXIX.

Tempus martyrii,

ENCOMIUM S. LEONTII MART.

C

Ex MS. Medicæo Bibliothecæ Laurentianæ Florentiæ.

F

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΛΕΟΝΤΙΟΥ

Ex memoriis Cyri Commentariensis ab incerto Auctore scriptum et Ex MSS. Vaticanis Latine redditum a G. Sirleto.

CAPUT PRIMUM.

Quæsitus ad mortem Sanctus quærentes hospitaliter habet, seque manifestans convertit eos et baptizat.

Quo tempore Vespasianus Romanorum Imperium tenebat; vir quidam ordinis Senatorii, Adrianus nomine, crudelis, et animo valde immanis, omniumque pessimarum artium inventor, cum audivisset quosdam Christianos esse ab omnibus illis abhorrentes, qui diis ipsis sacrificia offerunt, deosque ipsos despicientes, et alios homines magicis artibus ac disciplinis et adulationibus a deorum familiaritate removentes, quippe qui dicerent, non esse deos, sed unum tantum Deum: furore percitus Imperatorem adiit, et ab eo petiit, ut sibi contra homines

Ad Capiendum sanctum directus Adrianus a Vespasiano

Βασιλεύοντος Οὐεσπασιανοῦ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἀρχῆς, ἀνήρ τις τῆς συγκλήτου ὀνόματι Ἀδριανὸς, ὠμὸς καὶ ἀπεινὴς τῷ φρονήματι, καὶ πάσης κακοτέχνου μηχανῆς εὑρετὴς, ἀκούσας ὅτι εἰσί τινες Χριστιανοὶ λεγόμενοι, καὶ πάντας τοὺς θύοντας τοῖς θεοῖς ἀποστρέφονται, καὶ τούτους ἀτιμάζειν σπουδάζουσι, καὶ ἀποστῆναι τοὺς ἀνθρώπους τῆς τῶν θεῶν ὠκειώσεως ἐκ τῆς μαγικῆς αὐτῶν διδασκαλίας καὶ κολακείας πείθουσι, καὶ λέγουσι μὴ εἶναι θεοὺς, ἀλλ' ἕνα Θεόν· θυμῷ κρατηθεὶς, προσελθὼν τῷ Βασιλεῖ, ἠξίωσεν δοθῆναι αὐτῷ τὴν κατ' αὐτῶν ἐξουσίαν. Ὁ δὲ Βασιλεὺς παρευθὺς τὴν πᾶσαν ἐξουσίαν ἔδωκεν τῷ Ἀδριανῷ

A Ἀδριανῷ, ἐντειλάμενος αὐτῷ, ὅτι πάντας τοὺς τέλοντας πεισθῆναι τῷ δόγματί μου καὶ προσκυνῆσαι τοῖς θεοῖς ἡμῶν, τιμῆς μεγάλης ἀξιώσας ἀπόστειλόν μοι· τοὺς δὲ ἀντιλέγοντας βασάνοις δεινοτάτοις ὑποβαλὼν, τῷ θανάτῳ παράδιδον.

2 Ἐξελθόντι οὖν τῷ Ἀδριανῷ τῆς μεγαλεπόλεως Ῥώμης, ἐγνωρίσθη αὐτῷ ὑπό τινων λεγόντων, ὅτι ἐν τῇ Τριπολιτῶν πόλει ἐστί τίς ἀνὴρ στρατιώτης, ὀνόματι Λεόντιος, καὶ ἀθετεῖ τοὺς θεοὺς, καὶ τοὺς θύοντας αὐτοῖς ἀποστρέφει τῆς τούτων θεραπείας ἔχεσθαι, καὶ τὸ πάτριον ἡμῶν καταλύει θεσμόν. Ἀκούσας δὲ ὁ Ἀδριανὸς περὶ αὐτοῦ, περιχαρὴς ἐγένετο, καὶ προέπεμψεν πλῆθος στρατιωτῶν, ὅπως συσχεθῇ ὁ Λεόντιος τοιαῦτα δρῶν. Ἐν δὲ τῷ φθάσαι αὐτοὺς τὸν τόπον τῆς πόλεως, ὁ Τριβοῦνος τοῦ αὐτοῦ ἀριθμοῦ, Ὕπατος αὐτῷ ὄνομα· καὶ αὐτὸς φίλος ὢν τῆς δαιμονικῆς λατρείας, καὶ ἀνακείμενος τοῖς εἰδώλοις, ἀφνοτάτῳ πυρετῷ συσχεθεὶς, ὅλος ἐφλέγετο· ἔλεγε δὲ ὑπ' αὐτὸν στρατιώταις τοῖς, Μὰ τὴν τῶν μεγάλων θεῶν εὐμένειαν, οἶδα πόθεν τὸ αἴτιον τοῦτο συνέβη μοι· οἱ θεοὶ ἠγανάκτησαν κατ' ἐμοῦ· μέλλων γὰρ ἔρχεσθαι ἐνταῦθα, θυσίαν αὐτοῖς οὐ προσήγαγον τὴν συνήθη. Ὁρῶντες οὖν οἱ στρατιῶται πάντες τὸν Ὕπατον οὕτως κατακαιόμενον ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας, καὶ μηδενὸς μεταλαμβάνοντα,

B ἀλλὰ πλέον ὑπὸ τῶν πυρετῶν ἐξαπτόμενον, ἐν θλίψει πολλῇ ὑπῆρχον.

3 Τῇ δὲ νυκτὶ ἐκείνῃ Ἄγγελος Κυρίου ἐφάνη αὐτῷ λέγων, Ὕπατε, εἰ θέλεις ὑγιὴς γενέσθαι, συνελθόντων σοι τῶν στρατιωτῶν, κράξον τρίτον, Ὁ Θεὸς τοῦ ἁγίου Λεοντίου βοήθει μοι, καὶ εὐθέως σωθήσῃ. Ἐν ἐκστάσει δὲ γενόμενος ὁ Ὕπατος, καὶ ἀνανήψας, εἶδεν τὸν Ἄγγελον, ὡσεὶ λευχείμονα νεανίσκον, καὶ τὴν μορφὴν τῆς ὄψεως αὐτοῦ φοβερὰν, εἶτα λέγει αὐτῷ· Ἐγὼ ἀπεστάλην ἅμα τούτοις τοῖς στρατιώταις, ὅπως συλλαβὼν τὸν Λεόντιον, φυλάξω ἕως τῆς ἐπανόδου Ἀδριανοῦ τοῦ Ἡγεμόνος· καὶ σὺ λέγεις μοι ὅτι κράξον, Ὁ Θεὸς τοῦ ἁγίου Λεοντίου βοήθει μοι, καὶ σωθήσῃ; Ἐν δὲ τῷ διαλέγεσθαι αὐτὸν τῷ Ἀγγέλῳ, ἀφανὴς ἐγένετο ἀπ' αὐτοῦ, καὶ θάμβος ἐκράτει τὸν Ὕπατον. Φωνήσας δὲ τοὺς στρατιώτας, ἔτι κείμενος ἐν τῷ κλινιδίῳ, λέγει αὐτοῖς· Ἀκούσατε ἀδελφοί· ἐν τῷ πρώτῳ μου ὕπνῳ ἔρχεταί τις ἀνὴρ λαμπρὸς, καὶ λέγει μοι, Ὕπατε, εἰ θέλεις ὑγιὴς γενέσθαι, κράξον τρίτον, Ὁ Θεὸς τοῦ ἁγίου Λεοντίου βοήθησόν μοι, καὶ ἀφανὴς ἐγένετο ἀπ' ἐμοῦ. Ἐν δὲ τῷ διηγεῖσθαι αὐτὸν, Θεόδουλός τις, ἀνὴρ ἐκ τῶν στρατιωτῶν, ἀκούσας, παρεκάθητο τῷ Τριβούνῳ αὐτοῦ Ὑπάτῳ, ἐν νῷ ἔχων τὰ λεχθέντα αὐτῷ ὑπ' αὐτοῦ· φθάσαντος δὲ τοῦ καιροῦ τοῦ πότου αὐτῶν, ἐκάλουν καὶ τὸν Θεόδουλον οἱ στρατιῶ-

C ται, λέγοντες αὐτῷ, Ἐλθὲ καὶ συναπόλαυσον ἡμῖν, ἀδελφὲ, ὡς ἀεί· ἦν γὰρ καὶ αὐτὸς ὁ Θεόδουλος τῶν πρώτων Ἑλλήνων, παρ' ὃν ἄλλος οὐκ ἦν τοιοῦτος. Ὡς δὲ ἀπεσώβησεν πάντας μὴ θέλων γεύσασθαί τινος, ἀνέστη, καὶ ἔθηκεν ἑαυτὸν, καὶ ἐκοιμήθη χαμαὶ, πολυνήστης ὤν. Διυπνισθεὶς οὖν λέγει τοῖς συστρατιώταις αὐτοῦ, Τῇ αὔριον ἡμέρᾳ Ἀδριανὸς ὁ Ἡγεμὼν ἔρχεται, καὶ ὁ Λεόντιος οὐ συνελήφθη· ἀλλ' εἰ παντὶ τῷ πλήθει ὑμῶν, λαβὼν ἐγὼ τὸν Τριβοῦνον Ὕπατον, καὶ ἐλθὼν ἐν τῇ πόλει, ἐπιζητήσω ὁποῖός ἐστιν ὁ Λεόντιος, καὶ τοῦτον κρατήσαντες ἀσφαλισόμεθα παρὰ τοῖς Κεντυρίοσιν, ἕως τῆς ἐπανόδου τοῦ Ἡγεμόνος Ἀδριανοῦ· ἦν γὰρ καὶ ὁ Ὕπατος ἀπὸ τῆς ὀπτασίας ἐκείνης ἐν ὀλίγῳ ὑγιὴς γενόμενος ἀπὸ τοῦ πυρετοῦ.

4 Καὶ φθασάντων αὐτῶν τὸ ἄκρον τῆς πόλεως, ἰδοὺ καὶ ὁ Λεόντιος ὑπήντησεν αὐτοῖς λέγων· Χαίρετε ἐν Κυρίῳ, ἀδελφοί. Ἀκούσαντες δὲ γὰρ αὐτοῦ οἱ δύο στρατιῶται, Ὕπατος καὶ Θεόδουλος, εἶπον αὐτῷ· Χαίροις καὶ αὐτὸς, ὦ ἑταῖρε. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Λεόντιος, Ἀδελφοί, τίνα ζητοῦντες τήνδε τὴν χώραν ἐφθάσατε; Οἱ δὲ στρα-

Christianos potestatem daret. Imperator vero statim omnem potestatem Adriano contulit, eique mandavit, ut quicumque ejus edicto parere, et diis sacra facere vellent, honore magno donati ad eum mitterentur; qui vero nollent, cruciatibus gravissimis subjecti morti adducerentur.

D INTERP. SIRLETO

2 Cum igitur Adrianus ex magna Roma discessisset, significatum ei fuit a quibusdam, in urbe Tripoli esse militem quemdem, *a* Leontium nomine, qui deos ipsos reprobaret, et eos qui sacra illis facerent ab eorum cultu averteret, et patrias leges dissolveret. Cum hæc Adrianus de Leontio audivisset, hilaritate non mediocri affectus, est, et *b* militum cohortes præmisit, ut Leontius, qui talia faceret, comprehenderetur. Cum vero prope urbem venissent, eorum Tribunus Hypatius nomine, qui et ipse dæmonum superstitioni et idolis addictus erat, repente febre totus correptus est, et militibus suis dicebat: Ita mihi dii propitii sint, ut ego scio, undenam hoc malum in me profectum sit. Dii adversus me indignati sunt; cum enim huc profecturus essem, congruentem victimam illis non obtuli. Milites igitur cum Tribunum suum ita febri æstuantem per tres dies, neque cibum aliquem sumentem, sed magis magisque febri laborantem viderent, multis angustiis premebantur.

præmittit Tripolim Tribunum cum militibus *a* *b*

E

3 Nocte autem illa Angelus Domini apparuit ei, dicens: Tribune, si vis sanus fieri una cum militibus, qui tecum sunt, ter clames: Tu, qui S. Leontii Deus es, mihi, quæso, auxilium feras. Si hoc dixeris, statim sanus fies. Cum Tribunus in talem mentis excessum venisset, et sobrius esset; vidit Angelum, ut adolescentem aliquem, candida veste indutum, et aspectus speciem quamdam terribilem præseferentem. Tum ille; Ego, inquit, missus sum una cum his militibus, ut Leontium comprehendam, et servem usque ad reditum Adriani Ducis, et tu mihi dicis, ut clamem: Deus S. Leontii, auxilium mihi afferas, ut salvus sim. Cum hæc Angelo diceret, ille ab ipso evanuit, et stupor Tribunum corripuit; qui cum adhuc jaceret in lectulo, et febre vehementi teneretur, militibus ad se accersitis sic ait: Audite fratres *c* Cum primum somnum cœpissem, vir quidam illustris ad me venit, et dixit: Si vis sanus fieri, ter clames: Deus S. Leontii, opem mihi afferas: et his dictis, evanuit. Cum hæc Tribunus dixisset, Theodulus quidam miles plus ceteris obstupuit, et quæsivit a Tribuno, an ejus, quem dicebat, vestis alba et aspectus terribilis fuisset; idque ita se habere didicit. Postridie vero mane Theodulus ipse assidebat Tribuno, quæ audiverat in mente habens. Cum autem et compotationis tempus venisset, Theodulum milites vocarunt; ut una cum ipsis, quemadmodum semper consueverat, se oblectaret: erat enim Theodolus ipse inter Græcos homines maxime illustris. Ille ad compotationem invitatus, omnes cibos rejecit, neque quidquam gustare voluit; sed humi jacens diutius jejunus permansit, ac tandem somnum cœpit. Experrectus autem commilitonibus suis; Adrianus, inquit, Præses crastino die veniet, et Leontius captus non est? Sed si placet omnibus vobis, mecum habens Tribunum ad urbem proficiscar, et quæram, quisnam sit iste Leontius; quem postquam comprehenderimus, caute servari jubebimus, quoad Adrianus præses venerit. Erat autem Tribunus sanus jam factus, et ad febre liberatus, cum visioni illi obedivisset.

qui febri correptus.

jussusque ab Angelo Deum S. Leontii invocare

c

rem indicat Theodulo, mirante præ ceteris uno;

F

cum quo jam sanus

4 Postquam igitur illi ad summum urbis verticem venerunt, ecce Leontius ipse illis occurrit, quibus ait: Salvete in Domino, fratres. Id cum audissent duo illi milites Tribunus, et Theodulus: Salve, inquiunt: et tu amice. Tum Leontius dixit: Quidnam, fratres, quærentes huc venistis? Tunc milites

occurrit Leontio.

INTERP. SIRLETO

tes; Virum, inquiunt, quemdam, Leontium nomine, doctum et probatum, Imperatori Vespasiano hoc loco habitare significatum fuit: hunc igitur nos convenire cupimus, ut jussi sumus. His enim diebus Adrianus Præses huc venturus est, ut et ipse Leontium videat, eumque ut deorum amantem honore maximo prosequatur, atque ad Imperatorem ducat; totus enim Romanorum Senatus illum videre cupit, cum ejus præclara facta et in deos observantiam audiverit, præsertim cum sit unus e Principibus viris, qui sunt in urbe Tripoli. Cum hæc audisset Leontius; Ut video, inquit, peregrini estis, et hujus regionis ignari. Venite igitur, et mecum una requiescite: ego vobis Leontium illum monstrabo, quem vos deorum amicum esse dicitis. Ille vero non est iis diis amicus, quos vos colitis, sed scio ego Christianum illum esse, et Domini Jesu Christi fidem tenere. His auditis, illi secum dicebant: Quisnam iste est, qui dicit, Leontium Christianum esse? Num aliquis ex ejus cognatione est? Itaque Theodulus; Quodnam, inquit, est nomen tuum? Tum Leontius: De nominis mei significatione in litteris divinis scriptum est his verbis: Super aspidem, et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. Oportet igitur a me conculcari leonem et draconem: leonem, inquam, hostem illum, qui corporeis oculis non cernitur; et draconem, hoc est Præsidem ipsum, et ejus consiliarium. Tum Tribunus ad Theodulum conversus; Et quisnam, inquit, iste est, qui dicit, Oportet a me conculcari leonem et draconem, et Præsidis consiliarios: Dubitatione igitur detenti ambigebant quidnam facturi essent. Et enim quod tam benigne invitati erant, remorabantur ne pravum consilium suum viro illi aperirent. Verumtamen cum Adriani sævitiam perspectam haberent, et eam formidarent, neque vellent re infecta reverti; iter ad Leontii domum, amicitiam simulantes, una fecerunt.

Hic eos invitat ad suas ædes:

Psal 90

B

5 Deinde, En, inquiunt, vir optime, domum tuam pervenimus, et rebus tuis omnibus fruimur. Festina igitur nobis Leontium ostendere, ut cum venerit Adrianus Præses, honore maximo dignus habeatur, et Imperatorum amicissimus in eorum palatio versetur. *d* Hæc cum illi dixissent, tum Christi Martyr: Ego, inquit, sum Leontius ille, quem vos quæritis, ego sum ille Christi miles; ego sum, quem Adrianus per vos insequitur. Illi cum audivissent quod dixit, Ego sum; in faciem prostrati clamare cœperunt: serve Dei altissimi, remitte nobis hoc peccatum, festina Deum tuum placare, ut nos ab idolorum fœditate, et ab illa immani fera Adriano eripiat; et nos enim Christiani sumus. Hæc cum illi dixissent, sanctus Dei servus Leontius in terram se dejecit, flens et dicens: Domine Deus, qui vis omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis pervenire, qui dedisti nobis salutis pignora, respice nos, quæso, in hac hora; qui fecisti, ut qui contra me venerant, pro me essent, me ovem illam perditam serves oro, et illos mecum una illumines misericordiæ tuæ luminibus, quibus et sancti Spiritus tui gratiam effundas, et cor purum crees, tuoque signo notatos, invictos milites contra hostem diabolum efficias, potentiam et arma illis præbens, propter viscera misericordiæ tuæ. Pro scuto et hasta sit illis sapientia tua. Tu, qui tribus diebus in sepulcro esse voluisti, qui malefici draconis caput conculcasti, da, quæso, ut Tribunus hic et Theodulus conterant caput malitiosi draconis Præsidis Adriani, tuique roboris gratia illos confirmes. Tu enim desperatos ad cognitionem et spem invitas; tu errantes misericordia tua in viam revocas; quippe qui cordis arcana cognoscis, et universæ humanæ naturæ creator es. Accipe, quæso, preces peccatoris

et semel prodit:

d

C

et pro eisque inde conversis ad fidem orat,

τιῶται εἶπον αὐτῷ· Ἀνήρ τις Λεόντιος, σοφὸς ἐν λόγῳ καὶ ἔργοις πιστος, ἐμηνύθη τῷ αὐτοκράτορι Οὐεσπασιανῷ, οτι ἐνθάδε οικεῖ, καὶ τούτῳ συνομιλοι αξιοῦμεν γενέσθαί, ὡς προπεμφθέντες· μέλλει γὰρ ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις και Ἀδριανὸς ὁ Ἡγεμὼν φθάνειν τα ἐνταῦθα, οπως καὶ αὐτὸς θεάσηται αὐτον, καὶ τιμῆς αξιώσει μεγάλης, ὡς φίλον ὄντα τῶν θεῶν, καὶ απαγάγει αὐτὸν πρὸς τον Αὐτοκράτορα· πᾶς γάρ ἡ σύγκλητος Ῥωμαίων ἐπιθυμεῖ θεάσασθαι αὐτον ακούσασα αὐτοῦ τὰ κατορθώματα, ἃ εις τοὺς θεοὺς ἐπιτελεῖ, καὶ ὅτι στρατιώτης ἐστι, καὶ τῶν πρώτων τῆς Τριπολιτῶν πολεως· Ἀκούσας δὲ ὁ Λεοντιος εἶπεν· Ὡς ὁρῶ ξένοι τῆς χώρας ταύτης ὑπάρχεσθε· Ελθετε οὖν σὺν ἐμοί, καὶ ἀναπαύεσθε, κἀγὼ ὑμῖν υποδείξω Λεόντιον, ον λέγετε ὑμεῖς φίλον τῶν θεῶν· ἐκεῖνος γὰρ οὐκ ἔστι φίλος τῶν θεῶν, ὡς ὑμεῖς σέβεσθε, αλλὰ Χριστιανός ἐστιν καὶ πιστεύει εις τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν. Οἱ δὲ ἀκούσαντες τοὺς λογους αὐτοῦ, ἔλεγον πρὸς ἑαυτοὺς, Τίς ἐστιν οὗτος, ος λέγει Λεόντιον Χριστιανὸν εἶναι; ἄρα τῆς συγγενείας αὐτοῦ ἐστιν; Εἶτα λέγει ὁ Θεόδουλος· Τί τὸ ὄνομά σου; Καὶ ὁ Λεόντιος λέγει αὐτῷ· Τὸ ὄνομα τὸ ἐμὸν θεόγραφον ἐστιν· γέγραπται γὰρ ἐν ταῖς θεοπνεύστοις γραφαῖς, επὶ ἀσπίδα και βασιλίσκον ἐπιβήσῃ, καὶ καταπατήσεις λέοντα καὶ δράκοντα· δεῖ με οὖν καταπατῆσαι λέοντα καὶ δράκοντα· λέοντα τὸν ἀόρατον ἐχθρόν, καὶ δράκοντα τον ἡγεμόνα καὶ τοὺς συμβούλους αὐτοῦ. Ἀκούσας δὲ Ὕπατος ὁ Τριβοῦνος, εἶπεν τῷ Θεοδούλῳ, Τίς ἐστιν οὗτος, οτι λέγει, δεῖ με καταπατῆσαι λέοντα καὶ δράκοντα, καὶ τοὺς συμβούλους τοῦ Ἡγεμῶνος; Ἀμηχανία οὖν καὶ ἔνστασις περιεῖχεν αὐτοὺς. καὶ οὐκ ἤθελον τὴν ἑαυτῶν γνώμην φανερῶσαι τῷ ανδρί, διὰ τὸ ειπεῖν αὐτὸν αὐτοῖς, Ἔλθετε πρός με, κἀγὼ αναπαύσω ὑμᾶς· και παλιν την απήνειαν τοῦ Ἡγεμῶνος δεδειότες, ομως τὴν ἐπὶ τῆς οικίας τοῦ ανδρος πορίαν εποιοῦντο.

D

E

5 Εἶτα λέγουσιν αὐτῷ· Ἰδού, ἀνὴρ καλέ, ἐν τῷ δώματί σου ἐφθάσαμεν, καὶ πάντων τῶν σῶν ἀπολαύσομεν. σπεῦσον ουν μηνῦσαι ἡμῖν τον Λεόντιον, ινα καὶ τιμῆς μεγίστης ἐπὶ τῇ παρουσίᾳ Ἀδριανοῦ τοῦ Ἡγεμῶνος αξιωθῇ, καὶ πάμφιλος γενήσηται τῶν ἐν τῷ παλατίῳ κρατούντων. Ταῦτα αὐτῶν ειποντων, λέγει αὐτοῖς ὁ Μάρτυς τοῦ Χριστοῦ, Ἐγώ ειμι Λεόντιος, ον ζητεῖτε· ἐγώ ειμι ὁ στρατιώτης τοῦ Χριστοῦ· ἐγώ ειμι ον Ἀδριανὸς διώκει δι' ὑμῶν. Οι δὲ ακούσαντες παρ αὐτοῦ το, Ἐγώ ειμι, πεσοντες ἐπι πρόσωπον, ἤρξαντο κράζειν, Δοῦλε τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου, συγχώρησον ἡμῖν τὴν ἁμαρτίαν ταύτην· σπεῦσον δυσωπῆσαι τον Θεόν σου, οπως ἐξέληται ἡμᾶς ἐκ τοῦ μύσους τῶν ειδώλων, καὶ ῥύσεται ἡμᾶς ἐκ τοῦ ανημέρου θηρος Ἀδριανοῦ· ἡμεῖς γὰρ Χριστιανοί ἐσμεν· Και ειπόντων αὐτῶν ταῦτα, ἔρριψεν ἑαυτὸν επὶ τὸ ἔδαφος ο ἅγιος τοῦ Θεοῦ Λεόντιος, κλαίων καὶ λέγων, Κύριε ὁ Θεός, ὁ θέλων πάντας ανθρώπους σωθῆναι, καὶ εις επίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, ο δοὺς ἡμῖν ὑποδείγματα σωτηρίας· ἔπιδε ἐφ' ἡμας τῇ ωρα ταύτῃ, ὁ τοὺς κατ' ἐμοῦ ποιήσας, ἵνα σώσῃς με το απολωλος προβατον, καὶ τούτους μετ' ἐμοῦ φώτισον τῷ φωτί τοῦ ἐλέους σου, και πήγασον αὐτοῖς την χάριν τοῦ ἁγίου σου Πνεύματος, καὶ δεῖξον εἰς αὐτοὺς καθαρὰν καρδίαν, και σφράγισον αὐτοὺς τῇ σφραγιδι σου, καὶ ανάδειξον αὐτους στρατιώτας ανηττήτους κατὰ τοῦ ἐχθροῦ, δύναμιν καὶ οπλα παρέχων αὐτοῖς τῇ εὐσπλαγχνίᾳ σου, ἀσπίδα καὶ δόρυ τῇ σοφίᾳ σου· ὁ ταφην τριήμερον κατεδεξάμενος, ὁ πατήσας την κεφαλὴν τοῦ κακούργου δράκοντος, δὸς τὸν Ὕπατον τοῦτον καὶ Θεόδουλον πατῆσαι τὴν κεφαλὴν τοῦ κακοτέχνου Ἡγεμωνος Ἀδριανοῦ, καὶ ἐνίσχυσον αὐτοὺς ἐν τῇ χάριτι τῆς σῆς ισχύος· σὺ γὰρ τοὺς απεγνωσμένους καλεῖς προς ἐπίγνωσιν· σὺ τοὺς πλανηθέντας ανακαλεῖς τῇ εὐσπλαγχνίᾳ σου. ὁ τῶν καρδιῶν γνώστης, καὶ πάσης ανθρωπίνης φύσεως δημιουργός, δέξαι μου τὴν ἱκεσίαν τοῦ ἁμαρτωλοῦ, δεῖξον καὶ τούτοις οτι σὺ εἶ ὁ Θεὸς καὶ οὐχ ἕτερος, δεῖξον τοῖς

F

πιστεύουσιν

A πιστεύουσιν τοῖς ἀναισθήτοις θεοῖς ὅτι εἰσὶ μάταιοι, καὶ φώτισον τοὺς ἐν ἀγνοίᾳ ὄντας ἀνθρώπους τῇ σῇ ἐπιγνώσει· Ναί, ὁ Θεός, ὁ Σωτήρ μου, ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, νῦν, καὶ ἀεί, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

6 Καὶ εἰπόντος αὐτοῦ τὸ Ἀμήν, κατῆλθεν νεφέλη ὕδατος ἐπὶ Θεόδουλον καὶ ᵈὝπατον, καὶ ἐφώτισεν αὐτούς. Ἰδὼν δὲ ὁ ἅγιος Λεόντιος τὸ γεγονός, ἔκραξεν φωνῇ μεγάλῃ λέγων, Δόξα σοι, ὁ Θεός μου, ὁ μὴ ἀποβαλλόμενος τὰς προθέσεις τῶν ζητούντων σε· καὶ ἠμφίασεν αὐτοὺς στολὰς λευκάς, καὶ κηροὺς ἔμπροσθεν αὐτῶν ἐποίησεν φέρεσθαι. Ἰδόντες οὖν τινες Ἑλλήνων, ὅτι τοιοῦτον θαῦμα γέγονεν διὰ Λεοντίου· ἤρξαντο θροῦλλον ποιεῖν ἐν τῇ πόλει, κράζοντες οὕτως, οἱ τοὺς θεοὺς αὐτῶν ἀθετοῦντες, ὀλεθρίῳ πυρὶ ἀπωλέσθωσαν, καὶ ἦν οὐ μικρὸς θόρυβος ἐν τῇ πόλει.

D Leontii : ostende et his, præter te non alium Deum esse, fac, ut qui diis inanimatis et mutis fidem habent, illos vanos et inanes esse cognoscant ; et tuæ cognitionis lumine illustra eos, qui veritatem non cognoscunt. Ita, quæso, facias, Deus Salvator noster, quoniam tuum est regnum, potentia, et gloria, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nunc, et semper, et in secula seculorum. Amen.

f INTERP. SIRLETO

6 Cum dixisset, Amen, descendit nubes aquæ in Theodulum et Tribunum, eosque illuminavit e. Quod cum S. Leontius factum vidisset, voce magna clamans ; Gloria, inquit, tibi sit, Deus meus, qui voluntatem quærentium te non aspernaris. Tum illos albis vestibus induit, et cereos accensos ante ipsos ferri jussit. Cum vero quidam ex Græcorum numero rem tam f miram per Leontiam factam vidissent, cœperunt per urbem tumultuari, et ita clamare : Pernicioso igne comburantur illi, qui deos nostros reprobant. Itaque non mediocri tumultu civitas illa perturbata erat.

ac ipsos baptizat

ANNOTATA. D. P.

a *In MSS. Synaxario et Menæis sic incipit Elogium.* Οὗτος τὴν γέννησιν ἔσχεν ἐξ Ἑλλάδος· μεγέθει δὲ σώματος συναυξηθεῖσαν ἔχων ἀλκὴν καὶ ῥώμην, τοῖς στρατιωτικοῖς καταλόγοις ἐτάχθη· ἐν δὲ τῷ πολεμεῖν καὶ ἐν τοῖς ἐναντίοις ἐμπλέκεσθαι Ἀνδρεῖος, καὶ πολλάκις τρόπαια στήσας, δόξας δὲ καὶ σύνεσιν ἔχειν καὶ λογισμὸν ἔμφρονα, τῇ στρατηγικῇ στολῇ καὶ τοῖς προσήμοις κατεκοσμήθη. Διατρίβων δὲ ἐν Τριπόλει... ταῖς βασιλικαῖς σιτήσεσι καὶ φιλοφροσύναις ἐδεξιοῦτο τοὺς πένητας, καὶ γνησίως εἰλικρινῶς ἐλάτρευε τῷ Θεῷ. Hic ex Græcia natales habens, magnitudini corporis pares habebat vires et rebus ; relatusque inter ordines militares, sæpe cum hostibus generose congressus, de illis victoriam reportavit ac trophæa statuit. Cum autem et prudentia et consiliis excellere videretur ; Dux belli creatus, cultum et insignia bellica Duci convenientia accepit. In Tripoli autem... degens, Regia annona pauperum inopiam sublevabat : omnesque pauperes singulari benevolentia complexus fovebat, Deoque sincere serviebat. *Quæ ex Encomio mox dando sumpta fuisse apparebat ; simulque judicium nostrum, de fonte elogiorum in Synaxariis descriptorum, confirmabitur.*

b *Eadem Menæa* Ἀποστέλλει πρὸς αὐτὸν Ὑπατίον Τριβοῦνον, μεθ' ἑτέρων δύο στρατιωτῶν, ὧν ὁ ἕτερος Θεόδουλος ἐκαλεῖτο. Misit ad ipsum Hypatium Tribunum, cum duobus aliis militibus, quorum unus Theodulus nominabatur, *et sic etiam in MS. Medicæo* Ὑπάτιος, *et in Martyrologio Romano* Hypatius *scribitur;* ᵈὝπατον *tamen constanter habent Græca Vaticana, et Synaxarium Basilianum.*

c *In Græco erat* Ἀνθύπατε *quod esset* Proconsul. *Correxi ergo* ᵈὝπατε, *ut sit nomen proprium, sicut ante et postea.*

d *Verterat Sirletus in secunda persona,* Habearis, *et ,* Verseris : *sed Græcus textus non erat mutandus utpote cœptæ simulationi conformis; necdum enim indicarant, Leontium a se ad judicium quæri.*

e Illuminavit, *id est*, Baptizavit : *qualis autem fuerit sic collatus baptismus, disputent Scholastici: suffecisse eum ipsis, ad significandam eamdem quæ per ordinarium baptismum conferendæ erat gratiam, judicavit* Leontius, *secundum hunc Auctorem.*

f *Ad verbum*, Tantum miraculum, *et sic vertit Sirletus : sed ambiguam vocis* Miraculi *significationem, judicavi tollendam ; ut intelligi possit, Gentiles illos fuisse commotos illa Neophytorum deductione per urbem in albis et cum cereis; non autem miraculo nubis, descendentis ad preces* Leontii; *quod ipsa in domo Sancti factum oportet, alio nullo præsente.*

CAPUT II.

Cum suis Leontius carcere inclusus ac verberari denuo jussus illis securi percussis, ipse inter verbera moritur.

Μετὰ ἡμέρας δύο ἐπέστη ὁ Ἀδριανός, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ πάντες· καὶ στὰς πρὸ τῶν πυλῶν τῆς πόλεως εἶπεν, Τίς ἡ ταραχὴ τῆς κραυγῆς, τί καταβοῶσιν οἱ δῆμοι; Οἱ δὲ πρῶτοι τῆς πόλεως εἶπον αὐτῷ· Ἀνήρ τις, ὄνομα Λεόντιος, Χριστιανὸς λεγόμενος, πάντας ἀποσοβεῖ ἀπὸ τῶν θεῶν ἡμῶν, μαγείαις τισὶν ἐξαπατῶν τοὺς ἀνθρώπους, καὶ μεγαλύνων τὸν ὑπὸ ἀνθρώπων σταυρωθέντα, ὃν Πιλάτος ἤτασεν καὶ ἐφραγέλλωσεν, καὶ οἱ Ἰουδαῖοι ἐρράπισαν· ἀλλὰ καὶ τοὺς στρατιώτας τοῦ Βασιλέως ἡμῶν διὰ τῆς μαγείας αὐτοῦ ἐπλάνησεν, καὶ πρὸς τὸν Γαλιλαῖον εἵλκυσεν, καὶ τούτους λευχήμονας ἔχει, ἰδὲ τρεῖς ἡμέραι εἰσίν, καὶ τοὺς μεγίστους θεοὺς ἡμῶν ἀθετεῖ. Ὁ δὲ ἡγεμὼν θυμοῦ πλησθεὶς κελεύει, τοῖς ἑπομένοις αὐτῷ στρατιώταις λέγων, Συσχόντες τοὺς τρεῖς τούτους ἐν ἀσφαλείᾳ ποιήσατε, ὅπως ἄξω αὐτοὺς πρὸ βήματος. Οἱ δὲ στρατιῶται τὸ κελευσθὲν ποιήσαντες, καὶ κρατήσαντες αὐτούς, ἀπέθεντο ἐν τῇ φυλακῇ. Δι' ὅλης δὲ τῆς ἡμέρας

Biduo autem postea venit Adrianus Præses, et omnes qui cum illo erant : cumque ante urbis portas constitisset, quæsivit, quænam voces et tumultuatio illa, quinam populorum clamores essent. Tum ejus civitatis optimates ; Vir, inquiunt, quidam, Leontius nomine, qui Christianus appellatur, omnes a deorum nostrorum cultu dehortatur ac removet, magicis quibusdam artibus homines ipsos circumveniens, dum prædicat, et nugaci oratione celebrat, extollitque virum quondam ab hominibus in crucem suffixum quem Pilatus ipse inquisitum flagellis, et Judæi alapis verberarunt. Quin etiam Imperatoris nostri milites veneficiis suis decepit, et ad Galilæi hominis illius religionem attraxit, eosque albis vestibus indutos tertium jam diem apud se habet, et maximos deos nostros reprobat. Tunc Adrianus Præses, furore accensus, jussit militibus quos

Adrianus id intelligens, jubet illos carceri includi :

INTERP. SIRLETO

quos secum habebat, ut tres illos comprehensos caute in carcere custodirent, quoad ante tribunal sisterentur. Fecerunt milites quod jussi fuerant, et homines comprehensos in carcerem conjecerunt. Leontius vero per totum diem non desistens magni Dei fidem et doctrinam illis tradere ; Agite, inquit, fratres, estote fortes et cogitate, præsentes cruciatus parvos esse, et ad breve tempus : gaudium vero illud et jucunditatem sempiternam futuram. Itaque si nos hic nefariorum hominum injurias sustinemus, illic requiem perpetuam inveniemus. Nocte vero cœpit Psalmi versus illos canere ; Deus noster in cœlo et in terra, omnia quæcumque voluit, fecit : Deus, qui præcinxit me virtute, et posuit immaculatam viam nostram.

Ps. 113, 2 et 17, 33

οὐκ ἐπαύετο ὁ ἅγιος Λεόντιος ἐκδιδάσκων αὐτοὺς τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, καὶ λέγων αὐτοῖς, Ἀδελφοί, μικρὰ ἡ βάσανος καὶ πρόσκαιρος, μεγάλη δὲ ἡ χαρὰ καὶ αἰώνιος καὶ ἡ δορυφορία, ἐκεῖ τὴν ἄνεσιν εὑρίσκωμεν. Καταλαβούσης δὲ τῆς νυκτὸς, ἤρξατο ψάλλειν οὕτως, Ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ, πάντα ὅσα ἠθέλησεν ἐποίησεν· καὶ πάλιν, Ὁ Θεὸς ὁ περιζωννύων με δύναμιν, καὶ ἔθετο ἄμωμον τὴν ὁδὸν ἡμῶν.

deinde iis eorum sepositis

8 Cum vero dies illuxisset, Adrianus Præses in tribunali sedens jussit ad se duci Leontium, Tribunumque et Theodulum. Qui cum præsto essent ; Tune, inquit Præses, Leontius es ? Ego, inquit ille, ipse sum. Tum Præses : Cujus fortunæ et conditionis homo es? Quomodo pravis et maleficis veneficiis tuis milites ab Imperatore nostro subripuisti ? Eos, inquam, qui semper cum Imperatore nostro erant, subripiens fecisti, ut ei, quem tu Deum dicis, crederent. Respondit Leontius : Ego Christi mei sum miles ; ego sum illius veræ lucis filius, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Omnis, qui venit ad hanc lucem, non offendit. Scit Tribunus et Theodolus, quæ sit hujus luminis origo et perfectio, Christus videlicet; itaque dereliquerunt deos tuos e lignis, lapidibus, et animalium ossibus confectos ; quippe qui fragiles sunt, et comminui facile possunt. Cum Præses audisset Leontium tam libera oratione utentem, furore inflammatus præcepit servis, ut baculis Leontium ipsum contunderent. At ille cum verberaretur, erectis in cœlum oculis: Tune, inquit, Adriane, putas cruciatum mihi afferre, qui te ipsum crucias? Cum vero illum Adrianus vidisset cruciari quidem, sed in Christi confessione constanter permanere, illum jussit in carcerem duci.

verberari Leontium

8 Πρωίας δὲ γενομένης ὁ Ἡγεμὼν, προκαθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος, ἐκέλευσεν ἀχθῆναι αὐτῷ τὸν Λεόντιον, καὶ τοὺς δύο στρατιώτας. Ἀχθέντων δὲ αὐτῶν ἐπὶ τοῦ βήματος, ὁ Ἄρχων εἶπεν· Σὺ εἶ Λεόντιος; Καὶ ὁ Μάρτυς, Ἐγώ εἰμι. Καὶ ὁ Ἡγεμὼν εἶπεν, Ποίας τύχης ὑπάρχεις φημὶ καὶ πῶς ἐσύλησας διὰ τῆς κακοτέχνου σου μαγείας τοὺς στρατιώτας τοῦ Βασιλέως, παρ' αὐτῷ ἀεὶ φοιτεύοντας, καὶ ἐποίησας αὐτοὺς πιστεῦσαι τῷ λεγομένῳ παρά σοι Θεῷ; Λεόντιος εἶπεν· Ἐγὼ φωτὸς υἱός εἰμι, τοῦ ἀληθινοῦ, τοῦ φωτίζοντος πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, καὶ πᾶς ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸ φῶς, οὐ προσκόπτει. Ἔγνω γοῦν καὶ Ὕπατος καὶ Θεόδουλος, τί ἐστιν ἡ ἀρχὴ τοῦ φωτὸς, καὶ τὸ πλήρωμα, ὅς ἐστιν Χριστός· καὶ κατέλειπον τοὺς θεούς σου, τοὺς ὑπὸ ξύλων καὶ λίθων εἰργασμένους καὶ ὀστέων, οἵτινες συντρίβονται. Ἀκούσας δὲ ὁ Ἡγεμὼν τοῦ Λεοντίου, λαλοῦντος ταῦτα παρρησίᾳ, ἔμμανης ἐγένετο, καὶ φησιν, Ἰσχυρῶς τοῦτον τὸν ἀνόσιον βάκλοις συντρίψατε. Τυπτόμενος δὲ ὁ Λεόντιος, εἶχεν τὸ ὄμμα εἰς οὐρανόν· εἶπεν δὲ τῷ Ἀδριανῷ· Σὺ νομίζεις βάσανον ἐπάγειν μοι, ἑαυτὸν βασανίζεις. Ἰδὼν δὲ αὐτὸν ὁ Ἀδριανὸς βασανιζόμενον καὶ ἀπτόητον ὄντα ἐν τῇ ὁμολογίᾳ, ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι αὐτὸν ἐν τῇ φυλακῇ.

atque in fide constantes socios

9 Tunc ad Tribunum et ad Theodulum conversus : Quare, inquit, vos patrios vestros mores abjecistis, in quibus educati estis, et derelicto militari stipendia, Imperatori nostro mœrorem parastis? Tum illi responderunt : Nobis datus est panis, qui consumi non potest, quique e cœlo descendit, et vini poculum e latere altissimi Dei acceptum ; pro illis autem carnibus, quæ corruptioni subjectæ sunt, corpus puri et omni macula carentis agni nobis datum est. Tum Adrianus ; Ista, inquit, vobis suggessit improbus Leontius. Facite igitur, quæ Imperatori grata sunt. An ignoratis, ita Imperatorem jussisse, ut qui diis sacra fecerint, maximis honoribus et militiæ gradibus honestentur, qui vero jussis parere noluerint, illi pessimis modis vita priventur ? Ad hæc Tribunus, et Theodulus responderunt : Nostra militia cœlestis est ; fac quidquid vis. Tu quidem, cum turpissimorum idolorum ultor sis contra nos ipsos te armas ; sed tota vita tua deserta erit, et tempus dierum tuorum minuetur. Hæc cum Adrianus audivisset, jussit Tribunum in ligno suspendi, atque incessanter unco lacerari ; Theodulum vero in terram prostratum verberibus cædi. Qui cum acerbe cruciarentur, nullam aliam vocem emittebant, nisi hanc : Salva nos, Domine, quoniam defecit sanctus. Adrianus vero, cum illorum sententiam stabilem atque immobilem vidisset, jussit eos securi percuti. Qui dum ad supplicium ducerentur, canebant versus illos : Tu es protector noster, Domine ; in manus tuas commendamus spiritus nostros. Cumque orationem complevissent, a carnifice percussi sunt et animas suas in confessione illa sancta Deo tradiderunt.

a securi percuti jubet :

9 Εἶπεν δὲ τῷ Ὑπάτῳ καὶ τῷ Θεοδούλῳ, διατί κατελείπατε τὸν γονικὸν ὑμῶν ἄρτον, καὶ τὴν στρατείαν, καὶ λύπην τῷ Αὐτοκράτορι ἐποιήσατε; Οἱ δὲ εἶπον τῷ Ἡγεμόνι, ἡμῖν ἄρτος ἐδόθη ἀδαπάνητος, ἐξ οὐρανοῦ καταβὰς, καὶ οἶνος τὸ ποτήριον τῆς πλευρᾶς τοῦ Ὑψίστου, ἀντὶ δὲ τῶν φθοροποιῶν κρεῶν τὸ σῶμα τοῦ ἀμώμου ἀρνοῦ. Ἀδριανὸς ὁ Ἡγεμὼν εἶπεν αὐτοῖς, Ὁ κακόφρων Λεόντιος ὑπέθετο ὑμῖν ταῦτα λέγειν. Θελήσατε οὖν τὰ κελευόμενα ὑμῖν ὑπὸ τοῦ Βασιλέως ποιῆσαι· ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι πρόσταγμα ἀπέστειλεν τοιοῦτον ὁ Αὐτοκράτωρ, τοὺς θύσοντας τοῖς θεοῖς τιμῶν μεγίστων ἀξιωθήσεσθαι, καὶ στρατείας μείζονος, τοὺς δὲ μὴ πειθομένους κακοκάκως τοῦ ζῆν ἀπαλλάττεσθαι. Καὶ λέγουσιν αὐτῷ Ὕπατος καὶ Θεόδουλος, ἡμῶν ἡ στρατεία ἐν Οὐρανοῖς ἐστιν, ὃ βούλει ποιεῖν ποίει· κακοσόφρων γὰρ εἰδώλων ἔκδικος ὢν καθ' ἡμῶν παρατάττῃ, ἀλλ' ἔρημος ὅλος ὁ βίος σου, καὶ ὁ χρόνος τῶν ἡμερῶν σου ὀλιγωθήσεται. Ταῦτα ἀκούσας ὁ Ἀδριανὸς, ἐκέλευσεν τὸν μὲν Ὕπατον ἀνακρεμασθῆναι ἐπὶ ξύλου καὶ ξέεσθαι, τὸν δὲ Θεόδουλον σπαδίζεσθαι. Τιτρωσκομένων δὲ αὐτῶν, οὐδεμία φωνὴ ἦν παρ' αὐτοῖς, ἢ μόνον, Σῶσόν με, Κύριε, ὅτι ἐκλέλοιπεν ὅσιος. Θεασάμενος οὖν ὁ Ἀδριανὸς τὸ ἀμετάθετον τῆς γνώμης αὐτῶν, ἐκέλευσεν ἀποτμηθῆναι αὐτῶν τὰς κεφαλάς. Οἱ δὲ δύο ἀπαγόμενοι ἔψαλλον λέγοντες, Ὅτι σὺ εἶ ὁ ὑπερασπιστὴς ἡμῶν, Κύριε· εἰς χεῖράς σου παρατίθωμεν τὰ πνεύματα ἡμῶν. Καὶ εἰπόντες τὴν εὐχὴν, ἐκρούσθησαν ὑπὸ τοῦ σπεκουλάτορος, καὶ παρέδωκαν τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς ἐν καλῇ ὁμολογίᾳ.

A 10 Μετὰ ταῦτα δὲ κελεύει ὁ Ἀδριανὸς ἐνεχθῆναι τὸν ἅγιον Λεόντιον. Ὁ δὲ ἀχθείς, ἔστη πρὸ τοῦ βήματος, καὶ λέγει αὐτῷ· Λεόντιε, ἐλέησον σεαυτόν, καὶ μὴ δεινῶν βασάνων πειραθεῖς, ὡς καὶ Ὕπατος καὶ Θεόδουλος, οἱ ὑπὸ σοῦ ἀπατηθέντες· ἀλλ' ἄκουσόν μου, καὶ θῦσον τοῖς θεοῖς, καὶ λήψῃ τιμὰς μεγίστας ὑπ' ἐμοῦ, καὶ τοῦ Αὐτοκράτορος, καὶ πάσης τῆς συγκλήτου· πολὺ γὰρ ποθεῖ ὁ Βασιλεὺς καὶ οἱ σὺν αὐτῷ θεάσασθαί σου τὴν μορφήν. Λεόντιος λέγει, Μὴ γένοιτό μοι ἰδεῖν ὄψιν μιαρὰν Βασιλέως καὶ ἐχθροῦ τοῦ Θεοῦ· ἀλλ' εἰ δοκεῖ σοι, Ἀδριανέ, σὺ γενοῦ φίλος τοῦ Χριστοῦ, καὶ δείξω σοι πόσης σωτηρίας καὶ βοηθείας καὶ πλούτου αἰωνίου ἀξιωθήσῃ παρ' αὐτοῦ. Καὶ ὁ Ἀδριανὸς χολερὸν ὑπομειδιάσας, εἶπεν, Ὅσην εὗρεν Ὕπατος καὶ Θεόδουλος, τοσαύτην θέλεις κἀμὲ εὑρεῖν σωτηρίαν; ὦ μιαρὰ κεφαλή! οὐκ οἶδας ποίᾳ τιμωρίᾳ ἀνηλώθησαν; Λεόντιος εἶπεν, Μὴ λέγε, τιμωρίαν, ἣν ὑπέμειναν ἐκεῖνοι, ἀλλὰ μᾶλλον ζωήν, καὶ εἰρήνην, καὶ χαράν. Νῦν γὰρ χαίρουσι καὶ ἀγάλλονται καὶ σύγχοροι Ἀγγέλων γεγόνασιν. Καὶ ὁ Ἀδριανός, Πρόσχες λεγομένοις σοι παρ' ἐμοῦ, ὦ Λεόντιε; Τίς ἀνθρώπων λογισμοῦ κύριος, ἔσπευσε καταλιπεῖν τὸ ἀήττητον φῶς τοῦ ἡλίου, καὶ τοὺς μεγίστους θεούς, Δία τε, καὶ Ἀπόλλωνα, καὶ Ποσειδῶνα, καὶ Ἀφροδίτην, καὶ τοὺς λοιπούς, καὶ μόρῳ δεινῷ ἐξελθεῖν τὸν δὲ τὸν βίον, εἰ μὴ ἐκεῖνοι οἱ
B ὑπὸ σοῦ πλανηθέντες; Ὁ ἅγιος Λεόντιος εἶπεν.... Οὐκ ἀκούσας, ὦ Ἡγεμών, ὅτι γέγραπται, Οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνιά εἰσιν, ὅμοιοι αὐτοῖς γένοιντο οἱ ποιοῦντες αὐτά, καὶ πάντες οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτοῖς. Τίς οὖν τῶν εὖ φρονούντων κωφείας ἀπραγμοσύνῃ τοιαύτῃ, οἷα ἐστι τῶν θεῶν ὑμῶν, ἑαυτὸν ἐξομοιώσει, μήτιγε θύσει.

11 Ἔτι δὲ λαλοῦντος τοῦ Ἁγίου, εἰσακούσας ὁ δικαστής, ἐκέλευσεν ἁπλωθῆναι αὐτὸν ἐπὶ τοῦ ἐδάφους, καὶ ῥάβδοις τύπτεσθαι αὐτὸν ὑπὸ τεσσάρων, καὶ κράζειν τὸν κήρυκα οὕτως, Οἱ τοὺς θεοὺς ἡμῶν εὐτελίζοντες, καὶ τὰ δόγματα τοῦ Βασιλέως ἀθετοῦντες, οὕτως ἀπολοῦνται. Ἐπὶ πολὺ οὖν τυπτομένου αὐτοῦ, καὶ τῶν βασανιστῶν ἀτονησάντων, λέγει ὁ ἅγιος Λεόντιος τῷ Ἡγεμόνι, Εἰ καὶ τὸ σῶμά μου καταλύσεις, κάκιστε, ἀλλὰ τῆς ψυχῆς μου οὐ κυριεύσεις. Ἐκέλευσεν δὲ ὁ Ἀδριανὸς κρεμασθῆναι αὐτὸν ἐπὶ ξύλου καὶ ξέεσθαι τὰς κνήμας αὐτοῦ. Ἐπὶ πολὺ δὲ ξεομένου αὐτοῦ, καὶ μηδὲν ἄλλο ἀποκρινομένου αὐτοῦ, ἢ μόνον ἐκβοῶντος καὶ λέγοντος, Ὁ Θεὸς ἐπὶ σοὶ ἤλπισα, σῶσόν με· ἀναβλέποντος δὲ αὐτοῦ εἰς τὸν οὐρανόν, εἶπεν ὁ Ἀδριανὸς τοῖς ὑπηρέταις αὐτοῦ, Καταγάγετε
C αὐτὸν ἐκ τοῦ ξύλου, οἶδα γὰρ ὅτι ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανόν, τοὺς θεοὺς παρακαλεῖ, ὥστε ἄνεσιν αὐτὸν σχεῖν. Ὁ ἅγιος Λεόντιος εἶπεν, Συναπόλοιο τοῖς θεοῖς σου στυγνότατε, ἐγὼ γὰρ τὸν Θεόν μου ἱκετεύω, ὅπως ἐνισχύσῃ με ὑπομεῖναι τὰς βασάνους σου. Ἐπὶ πολὺ οὖν ὁρῶν ὁ Ἀδριανὸς τὸ ἀμετάθετον τῆς γνώμης αὐτοῦ, κελεύει πάλιν αὐτὸν ἐπὶ τοῦ ξύλου κρεμασθῆναι κατὰ κεφαλῆς, καὶ λίθον μέγαν δεθῆναι ἐπὶ τοῦ τραχήλου αὐτοῦ, καὶ οὕτως αὐτὸν βασανίζεσθαι. Ὁ δὲ ἅγιος Μάρτυς γενναίως τὰς βασάνους ὑπέμενεν, καὶ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανόν, εἶπε, Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ ὁ ἐνισχύσας τοὺς δούλους σου Ὕπατον καὶ Θεόδουλον εἰς τὴν σὴν ὁμολογίαν, κἀμὲ τὸν σὸν δοῦλον καὶ ἱκέτην καὶ ἁμαρτωλὸν στερέωσον, ὑπενεγκεῖν τὰς βασάνους ταύτας, καὶ μὴ καταισχύνῃς με ἀπὸ τῆς προσδοκίας μου.

12 Εἶπε δὲ αὐτῷ Ἀδριανός, Λεόντιε, οἶδα ὅτι φίλος γέγονας τῶν θεῶν. Ὁ δὲ ἅγιος Λεόντιος εἶπε πρὸς αὐτόν· Ἐγὼ μὲν δοῦλός εἰμι τοῦ Θεοῦ τοῦ Ὑψίστου· σὺ δὲ τῶν θεῶν σου· συναπόλοιο οὖν αὐτοῖς καὶ παντὶ τῷ στρατῷ σου. Ἐκέλευσεν δὲ ἀπαχθῆναι αὐτὸν ἐν τῇ φυλακῇ καὶ τηρεῖσθαι εἰς ἑτέραν ἐξέτασιν. Εἰσελθὼν δὲ ἐν τῇ φυλακῇ, δι' ὅλης τῆς νυκτὸς ἔψαλλεν λέγων, Κύριος φωτισμός μου καὶ σωτήρ μου τίνα φοβηθήσομαι; Ἐν δὲ τῷ ψάλλειν αὐτὸν

10 Pesthæc jussit Adrianus duci S. Leontium. Qui cum præsto esset, Age, inquit Leonti, misereat te fortunæ tuæ, ne graves cruciatus experiare, quales experti sunt Tribunus et Theodulus, homines a te circumventi : jamque audi me, et diis sacrifica, sic enim honores maximos a me, et Imperatore, totoque Sanatu consequeris ; nam Imperator ipse valde cupit aspectum tuum videre. Avertat Deus, inquit Leontius, ut ego ejus Imperatoris aspectum videam, qui execrabilis hostis Dei est, sed si placet, tu, Adriane, Christi amicus sis ; id enim si feceris, ostendam tibi, quantam salutem, quantam opem, et quam perennes divitias ab ipso percipies. Tum Adrianus præ bile subridens ; Tantam, inquit, et me salutem consequi vis, quantam Tribunus et Theodulus consecuti sunt ? An nescis, scelestissimum caput, quali supplicio illi consumpti sunt ? Ad hæc Leontius : Minime supplicium appelles, quod ipsis intulisti, sed vitam potius, pacem et gaudium ; nunc enim gaudent et exultant, et una cum Angelorum choris versantur. Tum Adrianus ; Adhibe, inquit, Leonti, mentem iis, quæ a me dicentur. Quisnam mentis compos hanc solis lucem, et maximos illos deos, Jovem, Apollinem, Neptunum, Venerem, et reliquos unquam relinquere voluit, ut morte pessima vitam finiret? Nemo certe, nisi qui a te circumventi sunt. Ad hæc Leontius : Minime tu audisti, quod scriptum est : Dii gentium dæmonia : et similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis. Quis igitur est, modo sanæ mentis ille sit, qui mutis lapidibus et talibus rebus, anima et sensu carentibus, cujusmodi sunt isti *b* vestri dii, similem se esse velit, nedum ipsis sacra facere?

D tum iterum frustra blanditur Leontio

et cæsos socios beatos dicentem,

E

b

11 Cum hæc Judex audiret, Martyris sententiam firmam esse videns, jussit in terram prostratum de quatuor palis suspensum verberari, et præconem clamare : Qui deos nostros pro nihilo faciunt, et Imperatoris edictum non observant, ita peribunt. Cum diutius Leontius verberaretur, et carnifices defessi essent, ad Præsidem loquens ; Quamvis, inquit, corpus meum, pessime homo, dilaniaveris : numquam tamen animæ meæ dominus fueris. Jussit deinde Adrianus illum in ligno suspendi, et ejus latera atque crura lacerari. Qui cum diutius laceraretur, neque quidquam aliud diceret, nisi hoc tantum : Deus in te speravi, salva me, Domine : cumque cœlum Martyr suspiceret ; tunc ad ministros suos Adrianus conversus ; Deponite, inquit, illum de ligno ; scio enim quod cum in cœlum intueatur, deos ipsis orat, ut requiem illi afferant. Ad hæc S. Leontius dixit : Pereas tu cum diis tuis, Adriane infelicissime et execrande, ego enim Deum meum precor, ut robur ac vires mihi suggerat, quo tormenta tua sustinere possim. Cum igitur Adrianus Leontii mentem constantem et firmam vidisset, rursus jussit in ligno eum suspendi, capite in terram converso, et magnum saxum ex ejus collo appendi, ut ita cruciaretur. At sanctus Martyr generoso et forti animo cruciatus illos perferens, ac cœlum intuens, sic Deum oravit : Domine Jesu Christe, qui corroborasti servos tuos Tribunum et Theodulum, ad præstandam tui nominis confessionem ; et me servum tuum supplicem et peccatorem confirmes, ut tormenta hæc sustinere possim, neque expectationi meæ deesse velis.

varie torqueri mandat semel

F iterumque

12 Tum Adrianus ; Scio, inquit, Leonti, diis nostris te amicum esse factum. At ille : Ego servus sum Dei altissimi ; tu vero deorum tuorum servus es : cum illis igitur et tu, et exercitus tuus peribit. Porro Adrianus, cum Leontii mentem stabilem vidisset, illum jussit in carcere servari usque ad diem posterum. Ille vero in carcerem ingressus, per totam noctem psalmum canebat : Dominus illuminatio mea

ac rursus in alia quæstione constantem,

Ps. 26, 17

INTERP. SIRLETO

mea, et salus mea; quem timebo? Cum vero psalmum caneret, Angelus illi apparuit, et dixit: Esto fortis, Leonti, ego enim tecum sum. Me Dominus Deus tuus misit, quem tu quæris.

13 Cum vero dies illuxisset, jussit Adrianus ad se Leontium educi, quem sic affatus est: numquid, Leonti, cogitasti quid tibi expediat? Tum sanctus Martyr; Cum semper, inquit, cognoverim quid mihi expediat, vanis tuis sermonibus restiti; quare semel, bis, et ter tibi affirmo, me numquam commissurum, ut derelinquam eum qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, Dominum Jesum Christum Dei Filium qui propter nos homines crucem pati voluit; illum, inquam, minime deseram, in eo enim solo, et in ejus nomine spem collocans, misericordiam consequar. Tum jussit Adrianus in aere ad quatuor palos suspendi, et vehementer verberari. Cum vero ille verberaretur, clamavit Adrianus: Fac, Leonti, quod dico, et diis sacrifica; id enim si feceris (per deorum nostrorum salutem ac benignitatem) faciam, ut dignitatis gradum et longe plura consequaris. Ad hæc sanctus Martyr Leontius; Et quænam, inquit, dignitas tanti erit, ut ego Deum meum negem, et tibi obediam? Mene hortaris, ut dæmonibus tuis sacrificem; cum ne totus quidem mundus tanti sit, ut cum Christi mei caritate conferri possit?

14 Cum igitur Adrianus ejus mentem ita firmam vidisset, ut mutari non posset, hanc sententiam contra illum tulit: Leontium, qui diis libare, et Imperatoris edicto parere noluit, nostrosque nobis propitios deos contempsit, jubemus e quatuor palis suspensum tam diu verberari, donec animam emittat. Cum igitur sanctus Martyr Leontius diutius verberaretur, et vulneribus ac plagis laceraretur, spiritum suum Domino tradidit, et in ipsius Tripolis portu sepultus est, decimo octavo die mensis Junii, cum mundo ipsi bonum virtutis monumentum reliquisset; Martyr, inquam, Leontius, per quem Deus sui regni partem nobis concedat.

cædi crudeliter,

donec expiret,

15 Has memorias beati Martyris Leontii Cyrus quidam Commentariensis in tabulis plumbeis conscribens apud facti Martyris monumentum deposuit, ut postea futuris generationibus optimum exemplum relinqueret in Christo Jesu Domino nostro. Quisquis igitur ea legit, et bonam ac sanctam Martyris confessionem; manus in cœlum erigat, et Deo ipsi gloriam reddat, qui Martyri patientiam suggessit. Martyrium autem complevit Christi Martyr Leontius decimo octavo die mensis Junii, ut jam diximus, sub imperatore Vespasiano, in nobis autem regnante Domino nostro Jesu Christo, cui sit gloria in secula seculorum. Amen.

Cyrus Acta scripta sepulcro imponit

Ἄγγελος Κυρίου ὤφθη αὐτῷ λέγων, Ἴσχυε καὶ ἀνδρίζου, Λεόντιε, ἐγὼ γάρ εἰμι μετά σου. Κύριος ὁ Θεός σου ἀπέσταλκέν με, ὃν σὺ ζητεῖς.

13 Πρωΐας δὲ γενομένης, ἐπεζήτησεν αὐτὸν πάλιν ὁ Ἀδριανος. Ἀχθεὶς δὲ ὁ ἅγιος Μάρτυς ἐπὶ τοῦ βήματος ἔστη, καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἀδριανός· Λεόντιε, ἐσκέψω τὸ συμφέρον σοι; Ὁ ἅγιος Μάρτυς εἶπεν, Τὸ συμφέρον μοι γινώσκων ἀεὶ, παρῃτησάμην τοῖς λόγοις σου τοῖς ματαίοις καὶ ἅπαξ καὶ δὶς, καὶ πάλιν λέγω σοι, ὅτι τὸν ποιήσαντα τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καταδεξάμενον παθεῖν, οὐ καταλιμπάνω· ἀλλ' ἐν αὐτῷ μόνῳ, καὶ εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐλπίζων ἐλεηθήσομαι. Καὶ κελεύει αὐτὸν ὁ Ἀδριανὸς κρεμασθῆναι ὑπὸ τὸν ἀέρα ἐκ τεσσάρων, καὶ τύπτεσθαι εὐτόνως, ὅπως διαφωνήσῃ. Τυπτομένου δὲ αὐτοῦ, ἔβοα ὁ Ἀδριανός, Πείσθητί μοι, καὶ θῦσον. Μὰ τὴν σωτηρίαν τῶν εὐμενῶν θεῶν, ἐὰν θύσῃς, τῆς ἀξίας τῆς ἐμῆς τυχεῖν σε ποιήσω καὶ πολλῷ πλέον. Ὁ δὲ ἅγιος Λεόντιος εἶπεν, Πόσης ἀξίας ἀξιῶσαί με θέλεις, ἵνα ἀρνήσωμαι τὸν Θεόν μου, καὶ σοὶ ὑπακούσω, δαίμοσί με προτρεπόμενον θύειν; ἐμοὶ γὰρ οὐδ' αὐτὸς ὅλος ὁ κόσμος αἱρετός ἐστι . Χριστοῦ μου ἀγάπης.

14 Ὡς οὖν ἐθεάσατο ὁ Ἀδριανὸς τὸ ἀμετακίνητον τῆς γνώμης αὐτοῦ, ἀπεφήνατο κατ' αὐτοῦ, λέγων, Λεόντιον, τὸν μὴ θελήσαντα πεῖσαι τοῖς θεοῖς, καὶ εἶξαι τῷ δόγματι τοῦ Βασιλέως, ἀλλὰ καὶ τοὺς εὐμενεῖς θεοὺς ἐνυβρίσαντα, κελεύομεν ἐκ τεσσάρων πάλων κρεμασθέντα τύπτεσθαι αὐτὸν ἕως ὅτου τὴν ψυχὴν ἀπορρίψει. Ἐπὶ πολὺ δὲ τυπτόμενος ὁ ἅγιος Λεόντιος, καὶ κατατεμνόμενος τοῖς αἰκισμοῖς, παρέδωκε αὐτοῦ τὸ πνεῦμα τῷ Κυρίῳ, καὶ ἐτέθη ἐν τῷ αὐτῷ λιμένι τῆς Τριπολιτῶν πόλεως, ὀκτὼ καὶ δεκάτην τότε τοῦ Ἰουνίου ἄγοντος, καταλείψας τῷ κόσμῳ ἀγαθὸν μνημόσυνον, δι' οὗ ὁ Θεὸς δοίη ἡμῖν μέρος τῆς αὐτοῦ βασιλείας.

15 Ταῦτα τὰ ὑπομνήματα Κῦρος δέ τις Κομενταρήσιος γράψας ἐν πλαξὶ μολιβδίναις, ἀπέθετο παρὰ τὸ μνημεῖον τοῦ ἁγίου Μάρτυρος, καταλείψας ταῖς μετέπειτα γενεαῖς ἀγαθὸν μνημόσυνον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν· ἀλλ' ὅστις ἀναγινώσκει, καὶ ἀκούει τὴν ἀγαθὴν αὐτοῦ ὁμολογίαν, τὰς χεῖρας ἐκτείνων, δόξαν ἀναπέμψει τῷ Θεῷ τῷ δόντι αὐτῷ ὑπομονήν. Ἐτελειώθη δὲ ὁ ἅγιος Μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Λεόντιος μηνὶ Ἰουνίῳ ιη, βασιλεύοντος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANNOTATA G. H.

a *Græce* ᵃὍτι πρόσταγμα ἀπέστειλεν. Præceptum promulgant. *Tale decretum a Vespasiano emanasse nusquam legitur, itaque per rhetoricam licentiam, ex posteriorum martyriorum phrasi, ita loquitur Adrianus.*

b Ἐκ τεσσάρων *Sirletus male verterat,* a quatuor carnificibus: *Minus ille aberrat mox infra num.* 14 *ubi* ἐκ τεσσάρων πάλων *vertit,* ex quatuor vectibus. *Sed nec hoc probatur: non enim vectibus, sed palis terræ infixis extensi, et ad duos tresve pedes suspensi a terra Martyres, proni vel supini, vapulabant, atque hoc erat,* ἐκ τεσσάρων τύπτεσθαι *quemadmodum videre est in libro Gallonii de cruciatibus Martyrum.*

c Scribam *reddit Sirletus: sed quid opus Latinis istius ævi usitatissimum nomen commutare? maxime cum officii ejus esset, non scribere* Commentarios, *id est, nomina et causas captivorum; sed eosdem ipsosque captivos, custodire.*

ACTA

ACTA ALTERA

Ex MS. bibliothecæ Medicææ interprete C. J.

CAPUT I.

Leontii natales, militia, virtutes Christianæ: nec non conversio Hypatii et Theoduli.

Τὸ μὲν τῆς παροιμίας προσίσταται· τὸ δὲ τῆς προθυμίας διεγεῖρον οὐ παύεται. Τί; τὸ τῆς παροιμίας ζητεῖτε μαθεῖν; Οὐδέν, φησι, κοινὸν πιθήκῳ καὶ λέοντι· a ἐκ διαμέτρου τυγχάνειν δηλοῦν οὔπω θέλουσα, τὰς δυνάμεις σφῶν καὶ τὰς ἰδιότητας, τοῦτό με δεινῶς ἀποτρέπει τῆς ἐγκειρήσεως. Λόγοις καὶ γὰρ προτεθύμημαι τοῦ περιφανοῦς ἐν μάρτυσι Λεοντίου τοῖς ἄθλοις ἐπαποδύσασθαι· συστέλλει δέ με καὶ μεθίστησι τοῦ πρὸς βούλησιν, ἡ τῆς ἰσχύος ἐπίγνωσις· Πιθήκου γὰρ ἄντικρυς ὅρμημα τὸ ἐμὸν φανείη ἐγχείρημα πρὸς γενναῖα κινήματα Λέοντος, τὰ τοῦ Λεοντίου κατὰ θεὸν ἀγωνίσματα. Ἀλλ' ἐατέον τὰ B τῆς παροιμίας χαίρειν· ἐπιχειρητέον δ' ὡς ἐνὸν τοῖς τοῦ μάρτυρος. Οὐδὲ γὰρ βλοσυρὸν ἡμῖν ἀτενίσειεν, οὐδὲ βρυχηθμῷ καταπλήξειε· μᾶλλον μὲν οὖν καὶ ἵλεων ἐπιβλέψειε, καὶ τῆς προθυμίας ἀποδεξάμενος τὰ εἰκότα συνάρεσθαι σπεύσειεν. Οὐκ ἐν τούτῳ μόνον τῷ λόγῳ καὶ κατὰ τὸ παρὸν, ἀλλ' ἐφ' ἅπαντί γε καὶ εἰς ἀεί.

Anxietas Scriptoris,

Hinc quidem me absterret proverbium, inde vero excitare alacritas animi non cessat. Quid? sensum proverbii, discere cupitis? Nihil, inquit, commune est simiæ ac leoni; innuens videlicet, differre multum inter se eorum vires ac naturas. Id quod vehementer me ab instituto deterret. Verbis namque vestris incitatus, perillustris inter martyres Leontii certamen aggredi cupio; impedit vero me, et ab eo quod cupio avertit virium mearum cognitio: nam impetus, quo simia fertur, repræsentare poterit inceptum meum: generosior vero incessus leonis referri ad Leontii suscepta propter Deum certamina. E Sed prætermittenda nobis, quæ ad proverbium; suscipienda vero (ut par est) quæ ad Martyrem spectant. Neque enim periculum est, ne torvum nobis aspexerit aut rugitu suo perculerit, sed potius propitio vultu nos intuebitur: et acceptam habens promptitudinem nostram, festinabit nobis suggerere quæ veritati consonant, non pro hacce tantummodo oratione ac tempore præsenti, sed pro universis quæ deinceps scripturus sum.

opem a Sancto sperantis.

2 Τοῦτον, ἵνα ἐνταῦθεν ἀρξώμεθα, ἤνεγκεν μὲν ἡ Ἑλλὰς, ἡ δ' ἐν Φοινίκῃ b Τρίπολις ἐργάτην ἀρετῆς ἤνεγκε. Καὶ μάλα γε εἰκότως ἐκ ταύτης ἐκείνη τοῦτον διαδέξαιτό τε καὶ ἀναδείξειεν, ἥ τε γὰρ Ἑλλὰς λόγων καὶ παιδείας χῶρον ἀνέκαθεν· καί γε οἱ τἀκεῖσε μέρη c λαχόντες οἰκεῖν πρῶτοι μαθημάτων ὑψηλοτέρων εὑρεταὶ γένοιντο, καὶ μένοντες ἐπὶ γῆς ἄνθρωποι τῶν οὐρανίων πρώτως ἐκεῖθεν ἐπιβατεύσαιεν, καὶ ὡς ἐν οὐρανῷ γεγονότες τὰ ὑπὲρ γῆς ἠκριβώσαντο. Ἀλλ' ὡς σεμνὸν τοῦτο τῷ Μάρτυρι, καὶ πρὸς κοσμικὴν οὐ τὰ μικρὰ συναιρούμενον περιφάνειαν, οὕτω τοι μεγάλα πρὸς τὰ κρείττω καὶ κατ' ἔφεσιν προσιστάμενον. Τίς γὰρ οὐκ οἶδεν, ὡς ἄνωθεν ἡ Ἑλλὰς ἐμεμήνει περὶ τὰ εἴδωλα μύθοις ἐνασχολουμένη, καὶ δαίμοσι προσανέχουσα· Αἴγυπτός τε καὶ Συρία σὺν Φοινίκῃ d ἐκ προγόνων τὸ ῥᾳδίως θεοποιεῖν κληρωσάμενοι, οὐχ ὅπως περὶ τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ χωλαίνοντες ἔτυχον, ἀλλ' (ὅ φασιν) ὅλῳ ποδὶ πρὸς τοὺς ψευδωνύμους ἀπέκλιναν, ὡς καὶ τῶν βοσκημάτων συχνοῖς τὸ τίμιον ἐπιφημίζειν τοῦ Θεοῦ ὄνομα, βουσί γε καὶ τράγοις· ἐῶ γὰρ κνωδάλοις λέγειν καὶ ἑρπετοῖς, καὶ ὃ δὴ χείρονος ἀναισθησίας τεκμήριον, ποταμοῖς τε καὶ ἄλσεσιν.

Leontius in Græcia natus

Tripoli educatur,

utroque scientiis celebri loco,

sed et idol[illegible] [illegible]ssimo

2 Protulit quidem (ut hinc ordiamur) Leontium Græcia; enutrivit vero ipsum in exercitatione virtutum urbs Phœnices Tripolis. Et vero jure meritissimo inde eum excepit urbs illa, mundoque ostentavit. Græcia namque eloquentiæ atque eruditionis patria ab olim constituta fuit; qui vero primi Phœnicen incoluerunt, disciplinarum sublimiorum inventores fuerunt, ac inhabitantes terram homines inde primi in cœlestia inquisiverunt; et in cœlum quodammodo sublati, terrena curabant diligentissime. Verum uti id honorificum Martyri fuit, atque ad mundanam gloriam non parum contulit; ita etiam plurimum attulit impedimenti, quo minus ex voto eniteretur ad virtutem. Quis enim nescit, quam insano olim studio idola coluerit Græcia, fabulis perpetim F intenta ac dæmonibus addicta? Ægyptus autem et Syria cum Phœnice, hereditaria quadam a majoribus relicta vesania in idola fingenda proniores, non modo circa veri Dei notitiam claudicabant, sed (quod dicitur) toto etiam pede ad falsi nominis deos ferebantur; adeo ut animalibus quoque obviis, bobus puta atque hircis, venerandum Dei nomen tribuerent; ut nihil dicam de belluis ac serpentibus, et, quod deterioris stupiditatis signum est, de fluviis nemoribusque.

3 Ἀλλ' οὐ μὲν οὖν οὐ κατίσχυσαν τοῦ γενναίου τοῦδε αἱ ἐξ αὐτῆς γενέσεως πολυσχιδεῖς αὗται τοῦ ἐχθροῦ πλάναι, καὶ τὰ πολυειδῆ μηχανεύματα· ἀλλ' ὑπερέπτη πάντων, ἀετὸς ὑψιπέτης ἀναφανείς, ὀξυδερκήσας πρὸς τὴν ἀλήθειαν, καὶ μετάρσιος ταῖς ἀρεταῖς καταστάς, καὶ γενόμενος ὅλος οὐράνιος. Ὡς γὰρ δὴ πρὸς τῆς φύσεως οὐ μικρὰ τὰ πλεονεκτήματα ηὔξησε· μεγέθους τε γὰρ ἐμοίρησε σώματος, καὶ ῥώμης ἀναλόγου καὶ κάλλους ἐξαισίου. Ὃ δὲ τρίτον τοῦ ἀγαθοῦ μέρος οἱ σοφοὶ λέγουσι, στρατιωτικὴν εὐθὺς τάξιν εἴληχε, πλεῖστα δὲ καὶ μεγάλα διαπραξάμενος. Εἶχε γὰρ τὸν Θεὸν συναιρόμενον, ᾧ καὶ καθαρὰν τὴν λατρείαν ἀποδιδοὺς ἦν, ἕνα καὶ μόνον ὁμολογῶν, τρισυπόστατον τοῦτον καὶ ὁμοούσιον, Πατέρα δηλαδὴ ἄναρχον, Υἱὸν μονογενῆ καὶ συνάναρχον, καὶ Πνεῦμα συμφυές, καὶ ὁμότιμον. Τὸν οὖν Θεὸν ἐντεῦθεν

Qua [illegible] infe[illegible],

et Deo cre[illegible]tus,

3 Verumtamen non prævaluerunt adversus generosum hunc pugilem istæ, a nativitate eum comitantes, tam diversimodæ inimici fallaciæ ac varii generis imposturæ: sed omnibus sublimior, altivolans aquila visus est, irretortos in veritatem oculos reflectens, præclaris virtutibus eminens, et totus cœlestis homo factus. Non vulgaribus nempe prærogativis veluti a natura cumulatus fuit. Procera namque corporis statura, viribusque staturæ convenientibus, et pulchritudine eximia excellebat. Quod autem tertiam honesti partem sapientes appellant, in militiam mox adscriptus est, in qua plurima eaque summa patravit. Habuit enim Deum sibi cooperatorem, quem et puro venerabatur cultu, et unum solum profitebatur in essentia ac trinum in personis

A nis, Patrem videlicet principio carentem, Filium unigenitum coæternumque, et Spiritum, eadem natura præditum, eodem honore prosequendum. Quam ob rem Deum sibi propitium habuit, cum eoque præclara quævis contra hostes operatus est; ac tandem etiam ex milite evasit Ductor, et legiones Phœnices sibi commissas obtinuit; ut nempe illic commorans, universam, ut par erat, Christi legem adimpleret; exhibens se mitem erga subditos, clementem in inimicos æque ac amicos, blandum et benignum in egenos, quos ut plurimum etiam principiis fidei instruendos curabat. Nam cui, amabo, rerum ad usum necessarium indigenti aliqua non citius illam ipse contulit, quam indigus petiit! Erat enim misericors in peccatores, connitentibus ad virtutem adjutor, exemplum aliquod animatum Christianæ vitæ, ac tabula virtutum accuratissima.

INTERP. C. 1.

Christianis virtutibus insignis;

4 Talis vitæ erat inclitus noster Leontius, dum adhuc militiæ Præfectus in Phœnice versabatur. Verum oportebat ut ejus quoque zelus pro gloria divina manifestaretur et reliquæ ejusdem virtutes inde magis illustrarentur, usque adeo ut perfectissimus iste athleta fama crebrescente, ubique terrarum B innotesceret, in cœlum ascenderet, Christoque præclaro remuneratori præsentaretur, nuspiam deficiens. Igitur secundum propositum suum pridem conceptum, accingitur ad certamen martyrii. Etenim Phœnices *g* Præsidi, Adriano nomine, moribus feroci, religione gentili, ardentissimo dæmonum cultori defertur Leontius, irrisis patriis diis, Christum solum Deum annuntiare. Quapropter illico Adrianus (putavit enim id non parum ad se pertinere; cum Leontius militari dignitate glorians, contraria toti exercitui ipsique Imperatori saperet) misit Hypatium dignitate Tribunum, atque Theodulum qui cohortis militaris erat; ut quantocyus ad se vinctum adducerent Leontium. Atque ipsi velociter exequi mandatum connisi sunt; sed potenti dextera Christi Domini a scelere retenti, et via recta ducti, ad veritatis agnitionem venerunt.

quibus et martyrium meruit.

Defertur ad Adrianum Phœnices Præsidem, g

qui mittit captivos eum Hypatium et Theodulum;

5 Dum enim iter facerent, invasit Tribunum calida febris et vehementer afflixit; viscera enim exedente calore, exteriora corporis rigebant frigore, sic ut nec respirandi nec loquendi facultas reliqua esset. Verum (o sapientiam Dei, o bonitatem!) præter omnem omnino expectationem, valde subito pristinam valetudinem recuperavit. Anima-C rum quippe corporumque gratuitus medicus invisibili modo imperat, ut quem Leontius colit, in curationem sibi invocet. Audit siquidem vocem cœlitus delatam, ter ita personantem : Heus tu, si morbo qui te corripuit liberari vis, Leontii Deum invoca. Atque hancce vocem Theodulus quoque audiit, et intimo corde (cum et ipse recte viveret) recondidit. Hypatius vero, quæ sibi per vocem denuntiata erant (cognoverat enim et probe cognoverat, quod qui locutus ei fuerat Deus, duplicem vellet impertiri sanitatem) confestim ac lubens opere complevit, palam dicens; illum se quem veneratur Leontius, solum confiteri Deum; et continuo integram adeptus est sanitatem, ac celeriter prosecutus cœptum iter est... cum præclaro socio Theodulo, non jam similia ac prius, sed plane diversa animo volvens. Ut igitur pervenit [quo missus fuerat] in Leontium inquisivit, ab ipsomet Leontio exceptus hospitem suum ignoravit, ipsumque de ipso, tamquam de alio quopiam interrogans, quæsivit, quis tandem Leontius istic appellaretur, et ubi ageret; Fac, inquiens, ut virum cognoscam. Ego vero is sum, non alius, inquit famulus Christi Leontius. Ad quæ verba pronus in terram procidit Hypatius ac pedes amplectitur, sequente exemplum Theodulo: et ambo ferventer

quorum alter febri correptus,

jubetur Deum Leontii invocare;

quod fecit,

in ipsumque Leontium inquirens cum socio,

ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ, μεγάλα κατ' ἐχθρῶν διεπράττετο. D Ἀμέλει τοι καὶ ἐκ στρατιώτου κεχειροτόνηται στρατηγὸς, καὶ τὰ κατὰ Φοινίκην ἐμπεπίστευται, ἵνα δὴ διατρίβων ἅπασαν, f ὡς ἐχρῆν, τοῦ Χριστοῦ πεπλήρωκεν ἐντολὴν, πρᾶος τοῖς ὑπ' αὐτῷ τυγχάνων, καὶ ἀνεξίκακος τοῖς κατ' αὐτὸν ἢ καὶ περὶ αὐτὸν, εὐόμιλος καὶ εὐέντευκτος, προαιρετικὸς πρὸς τοὺς χρήζοντας, οὕς γε καὶ διὰ πλείστου μανθάνειν πεποίηται. Τίς ἄρα τῶν τινος πρὸς χρείαν στερίσκοιτο, ὥστε καὶ φθάνειν διδόντα τοῦτον ἢ αἰτοῦντας τοὺς οὕτως ἔχοντας; τοῖς ἁμαρτάνουσι συμπαθὴς, τοῖς προαιρουμένοις τὸ ἀγαθὸν συνεργὸς, καὶ κατάπαξ τύπος τις ἔμψυχος τοῦ κατὰ Χριστὸν ἀνεφάνη βίου, καὶ πίναξ ἀρετῆς ἀκριβέστατος.

4 Τοιοῦτος τὴν πολιτείαν ἔτι στρατηγῶν καὶ ἐν Φοινίκῃ διατρίβων, ἐτύγχανεν ὢν ὁ κλεινὸς οὗτος Λεόντιος· ἀλλ' ἔδει καὶ τὸν ὑπὲρ αὐτοῦ Θεοῦ ζῆλον ἐνδείξασθαι, καὶ τὸ περιὸν ἐνταῦθεν μᾶλλον ἐμφανίσαι τῆς ἀρετῆς, ὡς καὶ πανταχόθι τῇ φήμῃ διαδραμεῖν καὶ εἰς οὐρανοὺς ἐντελέστατον φθάσαι τοῦτον ἀγωνιστήν. Καὶ τῷ E ἐν τέλει μισθαποδότῃ παραστῆναι Χριστῷ, μηδενί πως μηδαμῶς ἐλλειπόμενον. Καὶ γοῦν κατὰ τὴν ἐκ μακροῦ πρόθεσιν εἰς ἀγῶνας μαρτυρικοὺς ἀποδύεται. Τῷ γὰρ δὴ τῆς Φοινίκης g ἡγεμονεύοντι Ἀδριανῷ τὴν κλῆσιν, σκαιῷ τὸν τρόπον, Ἕλληνι τὴν θρησκείαν, θερμοτάτῳ δαιμόνων θεραπευτῇ, τοὺς μὲν πατρίους διαχλευάζων θεοὺς, τὸν Χριστὸν δὲ μόνον Θεὸν καταγγέλλων μηνύεται, καὶ ὡς παρευθὺς (οὐδὲ γὰρ μικρὸν ᾤετο τὸ κατ' αὐτὸν εἶναι· στρατιωτικὴν ἀξίαν οὗτος ἔχων, ἐναντία τυγχάνει φρονῶν στρατιᾷ τε ὅλῃ καὶ βασιλεῖ) Ὑπάτιον, τὴν ἀξίαν Τριβοῦνον καὶ Θεόδουλον (στρατιωτικῆς οὗτος ἦν φάλαγγος) στέλλει, διὰ τάχους δέσμιον τὸν Λεόντιον πρὸς αὐτὸν ἀγαγεῖν. Οἱ μὲν οὖν τὸν μέγαν τοῦτον κατασχεῖν ἔσπευδον· φθάνουσι δ' οὗτοι τῇ παναλκεῖ τοῦ Χριστοῦ δεξιᾷ συσχεθέντες καὶ ποδηγηθέντες πρὸς τὴν ἀλήθειαν.

5 Ἐν γὰρ τῷ μεταξὺ τῆς ὁδοῦ πυρετὸς τῷ Τριβούνῳ λάβρος ἐνσκήψε, καὶ δεινῶς ἄγαν κατέτρυχε. Τά τε γὰρ ἐντὸς κατεφλέγετο, καὶ τὰ ἐκτὸς διεπήγνυτο h, ὡς μηδὲ ἀναπνεῖν αὐτὸν δύνασθαι, μὴ ὅτι γε φθέγγεσθαι, ἀλλ' (ὢ Θεοῦ σοφίας καὶ ἀγαθότητος!) παρὰ πᾶσαν ὡς ἀληθῶς προσδοκίαν, τὴν ἴασιν εὐχερῆ εὕρατο· ὁ γὰρ τῶν ψυχῶν καὶ τῶν σωμάτων ἄμισθος ἰατρὸς, ἀοράτως ἐπισκήπτει, τὸν, ᾧ λατρεύει Λεόντιος, εἰς θεραπείαν ἐπικαλέσασθαι. F Ἀκούει γοῦν φωνῆς ἐνεχθείσης ἄνωθεν τρὶς οὕτω πως διαγορευούσης· Εἰ τοῦ συνέχοντος ὦ οὗτος ἀπαλλαγῆναι βούλει νοσήματος, τὸν τοῦ Λεοντίου Θεὸν ἐπικάλεσαι· ἧς γε καὶ φωνῆς καὶ Θεόδουλος ἤκουσε, καὶ καρδίας καὶ αὐτὸς εὖ ποιῶν παρακατέσχε μυχοῖς. Ὁ δὲ Ὑπάτιος ἅπερ ὁ λαλήσας αὐτῷ, παρηγγύησεν (ἔγνω γὰρ, ἀκριβῶς ἔγνω, ὅτι τε Θεὸς ὁ φωνήσας· καὶ διπλῆν αὐτῷ τὴν ὑγίειαν χαρίσασθαι βούλεται) ἀσμένως εὐθὺς ἐξετέλεσεν, Ὃν γὰρ ἐπικλοσυ ἐκεῖνον μόνον ὁμολογῶ Θεὸν, ἔφησεν, ὃν ὁ θεῖος σέβει Λεόντιος, καὶ καθαρὰν παρ' αὐτὰ τὴν ὑγείαν ἀπέλαβεν, καὶ σύν γε τῷ καλῷ Θεοδούλῳ τὴν [ὁδὸν].... ἔσπευδεν· οὐκέθ' ὅμοια, πάντῃ δὲ διάφορα τῶν προτέρων σκοπούμενος. Ἐζήτει γοῦν ἐκεῖσε γενόμενος τὸν Λεόντιον· αὐτῷ δὲ Λεοντίῳ ἐπιξενωθεὶς ἔλαθεν, ὡς δὲ καὶ ἤρετο τοῦτον, ὡς περί τινος ἄλλου, περὶ αὐτοῦ· Τίς τε ὁ τὴν κλῆσιν Λεόντιος, καὶ ὅπῃ διάγων· Ἄγε μοι πρὸς τοῦ φιλίου γνώρισον ἔφησεν. Ἐγώ γέ, φησιν, οὐκ ἄλλος, ὁ τοῦ Χριστοῦ δοῦλος Λεόντιος. Ὁ δὲ παραυτίκα πίπτει πρηνὴς, καὶ τοὺς πόδας αὐτοῦ περιπτύσσεται, καὶ σὺν τῷ δὲ Θεόδουλος, αἰτοῦντες ἄμφω θερμῶς δι' αὐτοῦ προσενεχθῆναι Χριστῷ, καὶ τοιαῦτα δή τινα λέγοντες· Μὴ βδελύξῃ τοὺς πεπλανημένους ἡμᾶς, θεράπων Χριστοῦ· μὴ ἀπώσῃ προσελθόντας ἀληθινῷ δεσπότῃ Θεῷ, τοὺς τοῖς ἀποστάταις εἰς ἔτι καὶ νῦν κατασχέτους τυγχάνοντας δαίμοσι.

A

orarunt ut se ad Christum perduceret, hunc in modum loquentes : ne despexeris nos per errorem abductos, famule Christi : ne repuleris accedentes ad verum Dominum Deum, illos qui hactenus, et nunc etiam sub apostatarum dæmonum imperio sumus.

D

INTERP. C. J. *inventum rogat, sui ut misereatur*

6 Τί γοῦν ὁ τοῦ Χριστοῦ δοῦλος οὗτος, καὶ διάπυρος τῆς αὐτοῦ χρηστότητος μιμητής; Περιβάλλει τούτους, καὶ ποθεινῶς κατασπάζεται· καὶ πρὸς ἱκετηρίαν τραπείς, Δέξαι, φησί, τούτους, φιλάνθρωπε Κύριε, ὁ ἑαυτὸν κενώσας ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ τὸ ἴδιον αἷμα ἐκχέας εἰς κοινὴν τοῦ πλάσματος ἀπολύτρωσιν. Ἔνδυσον ἀφθαρσίας στολὴν διὰ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τῆς σῆς βασιλείας κληρονόμους ἀνάδειξον. Οὔπω πέρας ἐσχήκει τὰ τῆς δεήσεως, καὶ νεφέλη περιέσχεν αὐτοὺς πλήρης ὕδατος καὶ φωτός (τὸ θαυμάσιον, τὸ δέ γε θαυμασιώτερον) καὶ φωτὸς υἱοὺς τούτους ἀνέδειξε διὰ τοῦ βαπτίσματος· καὶ λευκαῖς ἀναβολαῖς ἐφαίδρυνε (τὸ θαυμασιώτατον) ὡς τούσδε μὲν πλησθῆναι ἀγαλλιάσεως· τοὺς δ' ἀπιστίᾳ συνεσχημένους, καὶ τῷ τῆς πλάνης ἐζοφωμένους σκότει τὸν νοῦν, φρίκῃ καὶ δέει συσχεθῆναι, καὶ τὸ τῶν ἐμβροντήτων παθεῖν ὥσπερ οὓς μήτ' ἀκούειν, μήτε λαλεῖν ἐφ' ἱκανὸν ἔχοντας.

6 Quid ad hæc famulus Christi, ejusque ardens imitator bonitatis? Amplectitur ambos, idque ardenti cum affectu : et ad orationem se convertens ; Suscipe hos, inquit, hominum amantissime Domine, qui te ipsum exinanivisti pro nobis et sanguinem tuum effudisti in communem plasmatis redemptionem ; indue illos stola immortalitatis per sanctum baptisma, et regni tui heredes esse commonstra. Nondum finierat orationem, cum nubes ipsos circumdedit, aquæ plena et luminis. Atque id quidem mirabile videri potest. Quod vero mirabilius est ; commonstravit ipsos lucis filios esse per sacrum baptisma : quodque mirabilissimum omnium, candidis vestibus eosdem induens perquam fulgentes reddidit : ut alii quidem complerentur gaudio ; alii vero, in infidelitate obfirmati atque errorum tenebris mentem offuscati, timore ac tremore corriperentur ; nec omnino, quæ viderant accidisse, audire aut eloqui multo tempore possent, sicut solent tonitru vehementi perculsi.

Orat pro eis Leontius

cum subito nube circumdantur

ad stuporem spectantium.

B

E

7 Ἆρ' εἰ προσεικάσειέ τις τὴν νεφέλην ταύτην τῇ ἐπισκιασάσῃ πάλαι τὸν Ἰσραήλ, οὐκ εὐστόχως ἂν προσεικάσειεν, καὶ μάλα γε καλῶς παραλληλίσειεν; φωτεινὴ γὰρ κἀκείνη, καὶ τὸ καῦμα ἀπείργουσα καὶ πρὸς σωτηρίαν ὁδηγοῦσα. καί γε αὕτη τῆς αἰωνίου λυτρουμένη φλογός, καὶ τὸ ἄδυτον καὶ σωστικὸν ἐπαγγέλλουσα φῶς. Πλὴν ὅσον γογγυστὰς μὲν ἐκείνη καὶ μικροψύχους τὰ πρὸς εὐσέβειαν ἐπεσκίασεν, οἷς ὅτι καὶ τῶν ἐπηγγελμένων ἀπέτυχον· εὐγνώμονας δὲ αὕτη καὶ τὰς εἰς ὁμολογίαν οὗπερ ἐπέγνωσαν Θεοῦ, βεβαίους πάνυ καὶ ἀσφαλεῖς. Χριστὸν γὰρ ἐπιγνόντες Θεὸν ἄχρι καὶ θανάτου Θεὸν τοῦτον ἀληθινὸν ὡμολόγησαν. Τῶν τοι καὶ τῶν ἡτοιμασμένων ἀγαθῶν οὐκ ἀπέτυχον, καὶ τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας κληρονόμοι γεγόνασι.

7 Si quis modo hanc nubem comparaverit illi, quæ olim umbra sua texit populum Israeliticum ; nonne, is aptam adduxerit similitudinem et convenientem instituerit comparationem? Lucida namque et illa fuit, æstum solis arcens, et viam salutis monstrans : hæc vero æternis suos eripit flammis, et lumen annuntiat, quod et servari potest et occasum nescit. Illud tamen inter utramque intercedit discrimen, quod illa obumbraverit murmuratores ac divino cultui parum addictos, quamobrem et promissis sibi exciderunt bonis : hæc vero obumbravit viros beneficiorum memores, et in confessione agniti a se Dei fortes stabilesque. Christum namque ut cognoverunt Deum, eumdem usque ad mortem Deum verum confessi sunt : quapropter et præparata sibi bona obtinuerunt, et regni cœlestis facti sunt heredes.

illa comparatur nubi

populum Israel obumbranti

ANNOTATA C. J.

a *Nihil de illo Adagio, quod miror, apud Erasmum invenio.*

C

b *Legebatur* ἐν Ἀφρικῇ. *Sed cum in Commentario prævio demonstratum sit,* Tripoli Phœnices *passum esse* Leontium, *non* Africæ, *malui ejus loco supponere* ἐν Φοινίκῃ; *ne quid Lectorem moraretur.*

c Ταχεῖα μέρος, *non ad Græciam, sed ad Phœnicen referendum esse, ex sequentibus colligi potest. Et vero magis huic, quam illi convenit, fuisse primam inventricem artium ac litterarum.*

d *Hic quoque legebatur* σὺν Ἀφρικῇ, *quod etiam rectius intelligi potest* σὺν Φοινίκῃ : *cum* Phœnicia, *quodam modo pars sit Syriæ: atque eadem modo etiam infra ubi agitur de Provincia, in qua primum miles, tum Tribunus fuit* Leontius : *non quia peregrinum videatur hujusmodi ex una in alteram provinciam, quantum vis distantem transisse : sed quia commissum semel errorem, uno loco verosimile est toto narratione continuari.*

e *Neque illud dictum, inter Adagia Erasmi repertum est. Innuit* toto conatu *aliquid fieri.*

F

f *Interponebatur* ἔργε, καὶ, *quod nescio quid hic sibi possit velle.*

g *Hinc etiam arguitur, uti supra notavimus* Tripolim, *in qua civitatis fuisse* Leontius *dicitur, non intelligendam esse* Africæ *seu Barbariæ, uti auctor dicit sed* Phœnices.

h *Si dici non potest ex Asia in* Africam *Provinciam missos qui* Leontium *caperent, multo absurdius dicerentur ex* Tripoli Africana *missi* in Asiam : *quare hic non prodest mutatio nominis,* Phœnicen *substituens: sed vel ipsum omnino expungendum est, vel intra Phœnicen inveniendu* Africa, *qualem conjectura suggerit in Comm. pr. n.* XI.

i *Ita corrigo* διεπεμπαπο *quod ante legebatur.*

CAPUT II.

Leontii et sociorum Martyrium, tormenta, et constantia.

Ὡς γὰρ οἱ παρατυχόντες ἐκεῖνοι, καὶ τὰ περὶ αὐτοὺς θεασάμενοι, Ἀδριανῷ τὰ κατ' αὐτοὺς δεδηλώκεσαν· ἑτέρους οὗτος ἐπιλελεγμένος, τὴν δεισιδαιμονίαν οὐδὲν αὐτῶν λειπομένους, αὐτῷ Λεοντίῳ Ὑπάτιον ἅμα καὶ τὸν Θεόδουλον, μηδενὶ τῷ τρόπῳ ὑπερθέμενος τὸ κατ' αὐτούς, ἀγαγεῖν δεσμίους παρακελεύεται. Ἐπεὶ δ' ἀχθ-

Ubi qui rei spectaculo intererant, viderunt quæ acciderant ; cuncta significarunt Adriano, qui mox alios nihilo minus ipse superstitiosos, eligens imperat, ut sine mora : Hypatium atque Theodulum, præter ipsum Leontium, quantum quidem in ipsis esset vinctos ad se adducant. Posteaquam vero adducti in

Adrianus conversos avertere a fide tentat,

A in quæstionem venerunt: nihil quod non præivisset Leontius, proloqui voluerunt Hypatius ac Theodulus, Christum semper in ore habentes, ipsumque Deum verum profitentes. Sed illum tantisper dimittens Adrianus, atque ad hos se convertens, primum quidem irridere illos cœpit, et simplicitatis levitatisque accusare; Cur mea, inquiens, mandata neglexistis, et patrios deos aspernati adhæsistis impostori huic? Si tu quidem Tribunus es Hypatius, tu vero miles Theodolus, mutate quod cepistis de salute vestra consilium. At illi, vere participes ejus quæ in Leontio erat sapientiæ, vix tandem ita locuti sunt: Cognovimus jam veritatem, et tu, stolide, nos inde reducere et pertrahere in interitum vis. Imo ipse, si sapis, ab insania qua colis idola, resipisce; et solum Deum verum servatorem agnosce Christum: ut tandem bonis illis fruaris, quæ lingua eloqui non potest, quæque ante secula paravit Dominus e nihilo omnia producens. Ad quos superstitiosus ille, furore æstuans; Non habeo horas quas velim perdere: si deliramenta vestra tulero, pessimi atque impurissimi hominum. Et ad suos; Ligate, inquit, firmiter scelera ista, et carnes eorum gladiis perforate: et postquam crudeliter eos laniastis B si superesse vitam animadverteritis capita eorum amputate, et execrabiles truncos in avia alicubi locа projicite. Et illi quidem tali modo oblati sunt Dei rationabile sacrificium, holocausta medullata, ut recte David loquitur, dulcedine confessionis christianæ repleta.

INTERP. C. 3. — Ipsum vero ad fidem convertere tentantes — necari jubet. — Is. 94, 15

9 His peractis ingreditur magnus Leontius. Verum quis digne Martyris gesta enarret? quis magnanimitatem, quis constantem in cruciatus perseverantiam, ut par est, proponat atque ad fideles posteros, ut veræ fortitudinis exemplum, transmittat? Ubi enim in quæstionem redire Leontium, ejusque mentem secundum tentare, voluit Adrianus, blandiens promissis minisque territans; ipse palam in se commonstravit, verum esse dictum illud Scripturæ sacræ; Justus ut leo ambulat confidens. Interpellans enim loquentem; Quid tam vana, inquit, stultaque in medium profers, mentis impos? Fierine potest, ut Deum verum, creatorem bonum, salvatorem beneficum derelinquens, ad cacodæmones, malis nostris gaudentes, confugiam? et hostibus ab initio nostris sacrificium efferam? Prohibete, Superi, ne ita insaniam, ne adeo a mente aliener! Tu C ipse potius intellige atque ab errore resipiscens, agnosce mundi hujus conditorem et sapientem rerum provisorem. Disce ubi sit artifex ille, accede ad Creatorem, et sacrificium laudis ei offer *a* aras incruentas amanti: neque enim sanguinis ille ac nidoris Deus est; sed Deus misericordiæ ac miserationum; aut (ut dicam, quod ipse, hominem indutus atque cum hominibus conversatus, dixit) spiritus est: et quia similiter Deus verax est, qui adorant ipsum, in spiritu et veritate oportet adorare.

Post hæc Leontio blanditur minaturque, — Prov. 28, 1 — sed ab eo increpitus, — a — Joa. 4, 24

10 Verum Adrianus, ut erat mentis expers, nihil istorum intellexit; sed injuriis Martyrem incessens, et convitia veluti e plaustro, uti adagium habet, ingerens; nervis bovinis cædi eum jubet. Quod ubi multo tempore durasset, cæsumque nihil quidquam de sententia sua discedere animadverteret; imo etiam ferventiorem interrogationibus responsionibusque et longe generosiorem fieri; blanditiis iterum (o stultitiam, o fallaciam, o vanitatem!) nisus est ipsum a fide abducere; honoresque et munera nomine Imperatoris promisit. Cumque nec sic assentiretur ipsi, sed torvo potius vultu intueretur, et magnanimo supercilio, ut ita dicam, incuteret timorem: Manibus, inquit, pedibusque arreptum distendite in terra perniciem illam, et crudeliter quantumque vires sinunt verberate; quo tandem

ipsum cædi nervis jubet — humi extensum:

χθέντες παρέστησαν, καὶ εἰς λόγους ἐλθόντες, οὐδὲν ὅτι D μὴ καὶ Λεόντιος, Ὑπάτιος λέγειν ἤθελον· καὶ Θεόδουλος τὸν Χριστὸν πρὸ τοῦ στόματος ἔχοντες, καὶ Θεὸν τοῦτον ὁμολογοῦντες ἀληθινόν. [Ὁ δὲ Ἀδριανὸς] τῷ τέως ἀφέμενος, πρὸς αὐτοὺς τρέπεται· καὶ πρώτῳ μὲν σκώπτει τούτους ἀφελείας αἰτιώμενος καὶ κουφότητος· Ἵνα τί λέγων, ἐμῆς ἐντολῆς ἠλογήσατε, τοὺς πατρίους τε θεοὺς ἠθετήσατε, καὶ τῷ ἀπατεῶνι τούτῳ προσεκολλήθητε; τί σὺ μὲν ὁ τριβοῦνος ἐκεῖνος Ὑπάτιος, σὺ δ᾽ ὁ στρατιώτης Θεόδουλος γένησθε, ὑμῶν αὐτῶν μεταβουλεύσασθε τὰ σωτήρια. Καὶ οἱ, Λεοντίου ὡς ἀληθῶς μεταλαβόντες φρονήματος, μόλις εἶπον· Ἔγνωμεν τὴν ἀλήθειαν, καὶ συλλαγωγεῖς αὖθις ἡμᾶς, μάταιε, καὶ μεθέλκεις πρὸς τὴν ἀπώλειαν; σὺ αὐτός, εἰ νοῦν ἔχεις, τῆς περὶ τὰ εἴδωλα μέθης ἀνάνηψον, καὶ τὸν μόνον Θεὸν ἀληθινὸν τὸν σωτῆρα γνῶθι Χριστόν· ἵν᾽ ὅπως ἐπιτύχῃς τῆς τῶν ἀφάτων ἀγαθῶν ἀπολαύσεως, ἃ πρὸ αἰώνων ὁ ἐξ οὐκ ὄντων τὰ πάντα παραγαγὼν, ἡτοίμασε Κύριος. Ἐφ᾽ οἷς ὁ δυσειδαίμων θυμοῦ πληρωθεὶς· Μὴ ὥρας εἶπεν, ἔχοιμι, μὴν εἴγε τῶν ὑμετέρων λήρημάτων ἀνέξομαι, κάκιστοι ἀνθρώπων καὶ βδελυρώτατοι, καὶ τοῖς περὶ αὐτὸν ἔφησεν· Ἱμᾶσι στερρῶς τοὺς ἀλάστορας δήσαντες, καὶ τὰς σάρκας σφῶν σπάθης ἔργον ποιήσαντες, καὶ ὅτι δεινῶς αὐτοὺς βασανίσαντες, εἰ ἔτιπερ ἐμπνέοντας ἴδητε αὐτῶν E τε ἀφέλεσθε κεφαλῶν, καὶ ὡς ἐναγεῖς ἐν ἀβάτῳ που ῥίψατε, καὶ οἱ μὲν οὕτω Θεῷ προσηνέχθησαν, [σφάγια-θύ]ματα λογικὰ, ὁλοκαυτώματα μεμυελωμένα τὸ τοῦ Δαβὶδ εἰπεῖν προσφορον, τῇ γλυκείᾳ τῆς εἰς Χριστὸν ὁμολογίας μεμεστωμένα ποιότητι.

9 Εἴσεισι δ᾽ ὁ μέγας μετὰ τούτους ὁ Λεόντιος. Ἀλλὰ τίς ἂν ἀξίως τὰ τοῦ Μάρτυρος διηγήσαιτο; τίς τὸ γενναῖον, τίς τὸ πρὸς τὰς βασάνους καρτερικὸν, ὡς δέον ἂν ἀπαγγείλειεν, καὶ τοῖς ἔπειτα παραδοίη ἀληθινοῖς, ὡς ἀληθῶς ἀνδρείας ὑπόδειγμα; Ὡς γὰρ εἰς λόγους αὖθις, τοῦτον Ἀδριανὸς ἐλθεῖν ἤθελε, καὶ δευτέραν τῆς γνώμης ποιεῖσθαι διάπειραν κολακῶν ὑποσχέσεσιν, ἀπειλαῖς δεδιττόμενος· τὸ τῆς γραφῆς οὗτος ἐν ἑαυτῷ διέδειξεν ἐναργῶς τὸ, Δίκαιος ὡς λέων πορεύεται πεποιθώς. Ἐγκόψας δὲ γὰρ, τί δέ, φησιν, ἄφρον, κενὰ λαλεῖν οὕτω θέλεις καὶ μάταια; Ἔστιν ὅπως Θεὸν καλιπὼν ἀληθῆ, δημιουργὸν ἀγαθὸν, σωτῆρα κηδεμόνα, δαίμοσι χαιρεκάκοις ἀνάσχωμαι προσελθεῖν, καὶ τοῖς ἄνωθεν ἡμῶν πολεμίοις θυσίαν προσενέγκειν; Μὴ οὕτω μανείην, μὴ εἰς τοσοῦτον ἐκπέσοιμι τοῦ φρονεῖν. Σὺ μᾶλλον σύνες αὐτὸς, καὶ τῆς πλάνης ἀνανήψας, γνῶθι, τίς τε ὁ τοῦδε τοῦ παντὸς ποιητὴς, καὶ σοφὸς τῶν ὅλων προνοητὴς μάθε που τὸν δημιουργὸν, πρόσιθι τῷ πλάστῃ, καὶ θυσίαν τούτῳ θῦσον αἰνέσεως, βωμοῖς ἀφοίνοις a ἐφηδομένῳ, οὐδὲ γὰρ αἱματὸς ἐστιν οὐδὲ κνίσσης Θεός· θεὸς δὲ ἐλέους καὶ οἰκτιρ- F μῶν, ἢ, ἵν᾽ εἴπω, ὅπερ αὐτὸς ἐκεῖνος ἄνθρωπος γενόμενος, καὶ ἀνθρώποις συναναστρεφόμενος εἴρηκε, πνεῦμα ἐστιν. Ὅτι καὶ θεὸς ἀψευδὴς, καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν.

a

10 Ὁ δ᾽ ἀσύνετος ὢν, οὐ συνῆκε· πλύνας γὰρ ὕβρεσι, καὶ, ὁ δή φασι, τοῖς ἐξ b ἁμάξης λοιδορησάμενος, βουνεύροις τυφθῆναι διακελεύεται. Ὡς δ᾽ ἐφ᾽ ἱκαναῖς ταῖς ὥραις οὐδὲν οὐδαμῶς εἶδεν ἐνδιδόντα τυπτόμενον, μᾶλλον μὲν οὖν καὶ ἀκμαιότερον, ταῖς τε ἐρωτήσεσι καὶ ταῖς ἀποκρίσεσι μακρῷ τινι γενναιότερον, θωπείαις αὖθις, (ὢ φρενοβλαβείας! ὢ πλάνης! ὢ ματαιότητος!) ἠθέλησεν μετελθεῖν, τιμάς τε καὶ δωρεὰς ἐκ Βασιλέως κατεπηγγέλλετο. Ὡς δ᾽ οὐχ ὅτι τοῖς λεγομένοις ἔβλεπε προστιθέμενον, ἀλλὰ καὶ βλοσυρὸν δήπουθεν ἀτενίζοντα, καὶ τῷ ἐπισκυνίῳ σφόδρα τοῦτον, ὡς εἰπεῖν, δεδιττόμενον· χειρῶν, φησι, λαβόμενοι καὶ ποδῶν, κατὰ γῆς διατείνατε τὸν ἀλάστορα, καὶ τύπτετε σφοδρῶς, ὅση γε ὑμῖν ἰσχὺς τύπτετε, ἕως ἂν ἐπίσχητε τῶν κατὰ θεῶν τὴν κακήγορον ταύτην τὴν γλῶτταν βλασφημιῶν.

b

11

A

11 Ἐτύπτετο γοῦν ὁ γεννάδας, ὁ ἀθλητὴς ἐμαστίζετο· ἀλλ' ὤφθη ἐξ ὑπομονῆς καὶ αὖθις νικητὴς, καὶ ἐκ καρτερίας περιφανέστερος ἀριστεύς· ὑπεφώνηκε γὰρ μαστιζόμενος, Μὴ ἐγκαταλίπῃς με, Κύριε, μὴ ἀποστῇς ἀπ' ἐμοῦ, μὴ ἀποστρέψῃς τὸ πρόσωπόν σου ἀπὸ τοῦ παιδός σου. Καὶ ταῦτα δ' ἐπισυνεῖρεν, εὐχαριστῶς ἄγαν καὶ γαληνῶς. Ἕνεκά σου θανατοῦμαι τοῦ παράγοντος Θεοῦ· Τὰ νῶτά μου κατὰ κατά σε εἰς μάστιγας ἔδωκα, καὶ τὰς σιαγῶνάς μου εἰς ῥαπίσματα, ὑπὲρ τοῦ δι' ἐμὲ κατ' ἐμὲ γεγονότος, καὶ ὑπὲρ ἐμοῦ ταῦτα παθεῖν οὐκ ἀπαξιώσαντος, ἀλλ' εἴτε μοι καὶ πλείω παθεῖν γένοιτο, ὡς κρειττόνων τῶν γερῶν τύχοιμι. Καὶ πρὸς τοὺς περιεστῶτας στραφεὶς, ὁρῶ μου τὸν μισθαποδότην, ἔφη, Θεὸν ὡσεὶ βίβλῳ τοὺς ἐμοὺς ἄθλους λαμπρῶς ἐναπογραφόμενον, καὶ τὰ βραβεῖα τῶν πόνων κρείττω ταμιευόμενον.

12 Ὁ δὲ Ἀδριανὸς καίπερ ὅσα καὶ τὸ μηδὲν τὰς τύψεις οὕτω βλέπων ἡγούμενον, καὶ εἰς ἐπήκοον τοιαῦτα φθεγγόμενον, ἐξ ἀφελείας, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν δυσειδαιμονίας ἄκρας, καὶ αὖθις καταπείθειν τοῦτον ἠβούλετο, καὶ λόγους συνεῖρε, καὶ χρόνον κατέτριψεν. Ὡς δ' ἀνύων καὶ πάλιν εἶδεν οὐδέν· Εἰς κενὴν τὸ τοῦ λόγου ψάλλομεν, πρὸς τοὺς παρεστῶτας εἰπὼν ἐπὶ ξύλου μετέωρον θεῖναι

B

προσέταξε, λίθον τε τῆς κεφαλῆς ἐξαρτῆσαι καὶ τύπτειν κατὰ παντὸς τοῦ σώματος, μηδεμίαν μηδαμῶς ποιούμενος φειδώ. Καὶ γοῦν μετάρσιος ὁ ταῖς ἀληθείαις οὐράνιος γίνεται, λίθῳ τε βαρεῖται τὴν κεφαλὴν ὁ ἐκ πολλοῦ τὰ ἄνω ζητῶν, καὶ μηδενὸς τῶν ἐπὶ γῆς μὴ δ' ὅλως ἐπιστρεφόμενος· Καὶ οἱ δήμιοι τὰ τῆς σφετέρας οὐχ ἧττον κακίας ἐκπιμπλάντες, ἢ τὰ τῆς προσταγῆς τοῦ τυράννου πληροῦντες λόγοις, τὸ μαρτυρικὸν σῶμα κατέξαινον· αἱ μὲν δὴ τοῦ μάρτυρος σάρκες διερρήγνυντο τε καὶ ἐσκεδάννυντο, ὀχετοί τε αἱμάτων ἀνεστομοῦντο ὡς καὶ περιρραινόμενον τὸ ἔδαφος φοινίσσεσθαι.

13 Ὁ δ' ἀδάμας ἐδείκνυτο, Θεῷ τε ηὐχαρίστει πάσχων ὑπὲρ αὐτοῦ καὶ τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τοῦ φιλουμένου τιθέμενος ἔχαιρε, καὶ τέλος τὸ τοῦ Δεσπότου πρὸς τὸν Δεσπότην εὐθύμως ἄγαν εἰπών· Εἰς χεῖράς σου τὸ πνεῦμά μου παρατίθημι, ἠρέμα καὶ γαληνῶς ἀπέθετο τὴν ψυχήν· ἣν χαρᾶς μὲν ἰδόντες ἐπλήσθησαν Ἄγγελοι, χοροί τε Μαρτύρων ἠγαλλιάσαντο καὶ ἐσκίρτησαν, οὕτω γενναῖον προσειληφότες ἀγωνιστὴν, καὶ στεφανίτην βασιλείας οὐρανῶν ἄξιον. Οἱ δέ γε διαφθονοῦντες καὶ τὰς βασάνους ὑποβάλλοντες δαίμονες, αὐτοῖς δημίοις καὶ τυράννοις τοῖς σφετέροις ὑπασπισταῖς αἰσχύνην τε ὁμοῦ καὶ χλεύην ἀνύποιστον ἀπεκέρδανον.

C

Ἀλλ' ἡμεῖς ὁ τοῦ Χριστοῦ λαὸς, ὡς τοῦ Χριστοῦ στρατιώτην καὶ τῶν Χριστιανῶν πρόμαχον προΐστασθαι, διὰ παντὸς ἡμῶν ἱκετεύσωμεν. Καὶ νῦν μὲν ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ἐχθρῶν ὑπερτέρως διατηρεῖν λιπαρήσωμεν, ἐκεῖ δὲ γενομένων καὶ λόγους ἀπαιτουμένων ὧν ἐν βίῳ πεπλημμελήκαμεν, τὸν δεσπότην καὶ δικαστὴν ἱλεώσασθαι, ὡς τῆς καταδίκης ῥυσθείημεν, καὶ τῶν ἡτοιμασμένων ἀγαθῶν τύχοιμεν, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ ὑπὲρ ἡμῶν καθ' ἡμᾶς γεγονότος ἐνυποστάτου λόγου θεοῦ, ᾧπερ πρέπει τιμὴ, δόξα τε καὶ μεγαλοπρέπεια, νῦν, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

maledicam illam et in deos blasphemam compescatis linguam.

D

INTERP. C. J.

11 Verberatus itaque et flagellatus est athleta generosus; sed rursum evasit patientia sua praeclarior victor, ac tolerantia gloriosior pugil. Exclamabat enim inter verbera : Ne dereliqueris me, Domine, ne discesseris a me; ne avertas faciem tam a puero tuo. Insuper et illa placido admodum atque tranquillo adjungens animo : Tua huc me adducentis causa, mortificor, Deus. Dorsum meum exemplo tuo in flagella et genas meas in alapas dedi pro te, propter me adinstar mei nato, et pro me illa pati dignato. Sed utinam mihi plura etiam pati liceat, ut majora consequar præmia! Et conversus ad circum adstantes; Video, inquit, remuneratorem Deum, veluti libro splendidis litteris inscribentem certamina mea, et præmia laborum meorum præclara asservantem.

sed inter tormenta constantiorem

12 Adrianus interim videns pro nihilo eum verbera ducere, atque talia dicta adstantium auribus palam ingerere; ex simplicitate, aut potius dicam insano idololatriæ studio, alia denuo persuadere Martyri præsumpsit, oratione longa et multi temporis impendio. Ubi vero illis omnibus nihil denuo profici sentit, cum dixisset præsentibus : Nequidquam huic verba facimus; ligno cuipiam ipsum imponi sublimem præcipit, saxum capiti imponi, verberibus in totum corpus sæviri, nullo plane loco clementiæ relicto. Sic itaque sublimis Leontius, vere cœlestis factus est : et saxo gravabatur capitis, qui pridem cœlestia ambiebat, nihil omnino quod terram saperet in amore habens. Interea carnifices, non minus suam explentes rabiem, quam tyranni laudantes jussa, suppositum tormentis corpus dilaniabant, dissecta dispersaque ejus carne; et sanguine veluti per canalem sic defluente, ut pavimentum circum irrigatum ruberet.

E

gravioribus tormentis excruciat

13 Sed ipse adamante constantior, Deo, cujus causa cruciabatur, gratias agebat; et animam pro Dilecto suo ponere gaudebat; ac tandem ipsum Domini dictum, In manus tuas commendo spiritum meum, multa cum alacritate ad Dominum elocutus, in pace ac tranquillitate animam reddidit; quam cernentes Angeli, gaudio repleti sunt; et chori Martyrum exultaverunt tripudiaruntque cum tam generosum pugilem et coronatum athletam, cœlesti regno dignum, ad se receperunt. Contra vero invidi ac tormentorum ejus præcipui auctores diaboli ipsis carnificibus tyrannisque satellitibus suis confusionem ac ludibrium intolerabile compararunt. At nos, Christi populus supplicemus Christi militi et Christianorum propugnatori, ut nos perpetuo defendat, et nunc quidem in hoc seculo visibilibus atque invisibilibus inimicis superiores nos præstet; deinde vero in altero, cum rationem illorum quæ in vita deliquimus postulabimur, Dominum ac judicem nobis propitium reddat; ut damnationis sententia absoluti, præparata bona consequamur, per gratiam et benignitatem illius; qui pro nobis nostrum adinstar nasci voluit, in una persona subsistentis Verbi divini, quod decet honos, gloria et majestas nunc, et in secula. Amen.

gaudentem in terra in Domino,

Luc. 23, 46

F

et expirantem lætantibus Angelis,

diabolis vero frementibus.

ANNOTATA C. J.

a *Ecgraphum* ἀποίροις : *recto autem* incruentum *quasi* ἄποινος ἃ ποινὴ Pœna, *quæ sanguinis effusionem comitatur.*

b *De illo Erasmus Centuria 7 adagio 73; natumque ait ex eo, quod prisci fabulas suas in plaustris agentes, facie fæcibus oblita ne possent agnosci, magna licentia in obvium quemque dicteria jactabant. Hinc adagium ait* ὡς ἐξ ἁμάξης λαλεῖν id est tamquam e plaustro loqui, de his qui palam ac libere conviciantur.

DE

DE SS. MARCIA, ÆMILIO, FELICE

MARTYRIBUS IN AFRICA

G. H.

Notitia ex Martyrologiis præsertim Hieronymiano.

XVIII

Auspicantur hunc XVIII *Junii quatuor antiqua Martyrologii Hieronymiani apographa his verbis :* XIV Kalendas Julii, in Africa, Marciæ, Emilii seu Emelii, Felicis. *M. Marcia, omissa, sæpius alii duo proferuntur. Ita MSS. Richenaugense et Rhinaugiense;* In Africa Emilii et Felicis. *MS. Aquisgranense.* In Africa Emilii et Felicis. *MS. Florentinum Conventualium S. Francisci :* item in Africa SS. Amelæ et Felicis. *Ab aliis adduntur* SS. Marco et Marcelliano, *de quibus seorsim agimus, et Romæ tribuuntur. MSS. Florentina Bibliothecæ Mediceæ et Marci Strozzianum :* Romæ SS. Felicis et Emilii. *In MS. Bruxellensi S. Gudulæ ita scribitur* In Africa natale Sanctorum Hermelii et Felicis. *At palæstra omissa in MSS. Augustano, Gellonensi, Labbeano et San-Gallensi celebratur memoria* Emilii et Felicis. *Neque plura de hisce Martyribus occurrunt.*

DE SS. MARCO ET MARCELLIANO

B

MARTYRIBUS ROMÆ VIA ARDEATINA

E

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. H.

Cultus in martyrologiis et libris Sacramentorum, Reliquiæ locis variis.

CIRCA CCLXXXVII

Hos duos Martyres secundo loco consignant edicta antiqua Martyrologii Hieronymiani apographa, his verbis : Romæ Marci et Marcelliani. *Ast ordine inverso ita referuntur in MS Epternacensi :* Romæ Marcelliani et Marci. *Similia passim in parvis Martyrologiis, quæ alibi accuratius citamus, habentur. Beda in genuino suo ista habet :* Natalis Sanctorum Marci et Marcelliani

Cultus sacer apud S. Hieronymum,

S. Bedam,

S. Gregorium,

S. Gelasium,

Missa propria, *ubi innuitur Missa a S. Gregorio Magno in libro sacramentorum præscripta, et tres Orationes, quæ hactenus in Missali Romano recitandæ præscribuntur, ibidem habentur, cum summo servatæ antiquitatis testimonio. Illo tamen antiquius est, quod ex Gelasii (ut creditur) Papæ Sacramentario, sub annum* MDCLXXX *Romæ excuso, eruitur : ubi hujusmodi tres orationes præscribuntur.* I Sanctorum tuorum nos, Domine, Marci, et Marcelliani, natalitia tueantur : quia tanto fiducialius tuo nomini supplicamus, quanto frequentius Martyrum benedictionibus confovemur. II. Suscipe, Domine, munera tuorum populorum votiva, et SS. Marci et Marcelliani precibus tibi grata esse concede, pro quorum solemnitatibus offeruntur. III. Libantes, Domine Mensæ tuæ beata mysteria, quæsumus, ut beatorum interventu Sanctorum, Marci et Marcelliani, et temporalem nobis misericordiam conferant et æternam. *Romanum quoque Kalendarium, annorum circiter mille, a Joanne Frontone Parisiis editum, eosdem habet; præcipitque Evangelium ab hodierno diversum ex Joanne,* Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem.

C

2 *Rabanus in suo Martyrologio hoc eos elogio honorat :* Romæ Marci et Marcelliani Martyrum, qui Temporibus Diocletiani et Maximiani per Sebastianum militem Christi, a blandimento vano mulierum revocati, ac sano dogmate confortati, pro nomine Christi passi sunt. *Usuardus deinde illorum martyrium ita describit :* Romæ via Ardeatina natalis Sanctorum Martyrum Marci et Marcelliani fratrum: qui a Duce Fabiano tenti, et ad stipitem ligati, in pedibus acutos, acceperunt clavos: cumque demum non cessarent laudare Christum, lancea per latera transfixi, cum gloria martyrii, ad siderea regna migraverunt. *Hæc ille. Aliquanto plura ex Actis Martyrii habentur apud Adonem, et hos passim sequuntur [tam monasticæ Consuetudines sub festo III L. et apud Martinum, tum] recentiores cum hodierno Martyrologio Romano. Acta accurate describuntur in Actis S. Sebastiani a nobis ad XX Januarii illustratis. Aliquod ex his ad honorem SS Marci et Marcelliani extractum compendium damus, quod illud in MS. Ultrajectino Ecclesiæ S. Salvatoris servabatur, omissis Annotatis, quæ in Actis S. Sebastiani abunde sunt prolata.*

C. Rabanum,

Usuardum,

Adonem et alios

Acta ex Vita S. Sebastiani collecta.

3 *In hujus etiam ecclesia pervetusta Romæ, quæ ab Amphitheatro ... ad arcum Titi et Vespasiani ad lacum ... conspicitur eorumdem Martyrum ... antiquitus ... Deiparæ ... est in ... ad ... Romanum ... quos hic reproducere grave non erit, ut appareat quod ibi alii quam insulsa fuerit eorum conjectura qui sibi imaginabantur istic videre S. Benedictum inter Apostolos Petrum et Paulum, et suppletis quas ætas exederat litteris quibusdam credi voluerunt opus esse* Benedicti I Papæ. *Corpora olim deposita fuerant in ecclesia SS. Cosmæ et Damiani in Campo Vaccino; ibidemque*

Corpora in ecclesia SS. Cosmæ et Damiani,

F



anno

Reliquiæ in ecclesia S. Praxedis,

anno MDLXXXII *in arca marmorea reperta* XXVIII *Julii una cum corpore* S. Tranquillini *Martyris illorum parentis; cujus festum agitur* VI *Julii sicuti narrat Baronius ad an.* 357 *num.* 50. *In eorumdem Sanctorum honorem Gregorius Pontifex XIII sacellum istic erigi curavit ; ibidemque hoc die cum magna solennitate celebratur ipsorum festum concessis Indulgentiis. Festum etiam agitur ob aliquas eorumdem Reliquias , in ecclesia S. Nicolai in carcere , et S. Praxedis in monte : de quibus agunt Octavius Pancirolius ad dictas Ecclesias , et Abbas Piazza in Sanctuario Romano ad hunc* XVIII *Junii. Masinus in Bononia perlustrata asserit festum quoque agi in Ecclesia S. Pauli Barnabitarum , et in Ecclesia Jesuatorum extra portam S. Mamoli, ob similes Reliquias ibidem depositas. Præterea apud Volaterranos in Ecclesia Cathedrali et altari Sanctæ Crucis et altari S. Petri in ecclesia de Monte Albano , et in ecclesia majori S. Marci inter alias Reliquias etiam* SS. Marci et Marcelliani *fuisse ex accurata ad nos transmissa descriptione constat. Sunt etiam horum Sanctorum Reliquiæ in monasterio Suessionensi S. Medardi, ubi coluntur sub ritu duplici, et in Diario Reliquiarum Metropolitanæ Pragensis notantur* partes duæ, una de tibia, altera de capite, sed unde allatæ non constat. *Denique fit horum Martyrum aliqua memoria in quodam MS. nostro ad diem secundam Julii, et apud Græcos* XVIII *Decembris.*

Bononiæ, Volaterræ, Suessione.

ACTA MARTYRII

Ex Gestis S. Sebastiani desumpta, Ex MS. Ultrajectino S. Salvatoris.

Marcus et Marcellianus Capti cum servis confortantur a S. Sebastiano :

Clarissimi viri Marcus et Marcellianus, gemini fratres, cum servis suis tenti ; et in vinculis constituti , a S. Sebastiano confortabantur et hortabantur fugitiva seculi blandimenta contemnere , et momentanea tormentorum genera non timere. Qui cum non acquiescerent , et verbera carnificum patienter transirent , jussi sunt capitalem subire sententiam , nisi idolis sacrificarent.

impetratis 30 dierum induciis,

2 Quorum Pater Tranquillinus , Mater Maria , illos sequebantur cum uxoribus et filiis eorum : et quia nobiles erant, a Chromatio Præfecto triginta dierum inducias impetraverunt ; in quorum spatio cum eis ageretur, ut ad immolandum idolis consentirent. Accedentes ergo amici eorum dicebant eis; Unde vobis tam dura mens , tam ferreum pectus , quod canitiem patimini patris abjicere, et matri jam decrepitæ vanos partus afferre intolerabilis doloris. Vita contemnitur , gloria respuitur, et contemptis omnibus pietatis affectibus , mortis atrocitas appetitur. Quo talia dicentibus , mater miseram se clamans advenit , et soluto crine canos suæ senectutis ostendens , coram eis vestem qua pectus tegebatur scidit , cunctisque flentibus , laxis pellibus , mamillas quas suxerant ostendebat ; blandimenta eorum infantiæ exhibita memorabat. Heu inquit me miseram ! amitto filios , ad mortem ultro properantes quos si mihi hostes auferrent per medias sequerer acies bellatorum : si judicia violenta concluderent ; carcerem simul irrumperem moritura. Novum hoc pereundi genus , in quo carnifex rogatur ut perimat ; mors optatur , ut veniat. Talia mater prosequente, pater infirmus et senex manibus servorum adducitur : et capite asperso pulvere clamabat : O filii ! baculus senectutis meæ , et geminum lumen , cur sic mortem diligitis ? venite hic juvenes , et flete super juvenes sponte pereuntes ; venite senes et patres, et prohibete ne talia patiamini. Post hæc advenerunt conjuges cum natis propriis , flentes et dicentes ; Quibus nos dimittitis ! qui horum erunt Domini filiorum ? Quis vestras largas divídet possessiones ? Heu ! quam ferrea pectora ! quia parentes, amicos, uxores et filios et abjicitis et vos tortoribus spontaneos exhibetis. Inter hæc cœperunt virorum corda mollescere.

mater eos blandimentis oppugnat ;

pater querelis,

et uxores lamentis.

S. Sebastianus nutantes confirmat :

3 Tunc S Sebastianus , qui ibi aderat , prorumpens in medio, ait. O fortissimi milites Christi, nolite per misera blandimenta coronam deponere sempiternam. Sed et parentibus dixit : non separabuntur a vobis , sed vadunt in cœlum parare vobis sidereas mansiones : nam ab initio mundi hæc vita se expectantes decepit : est enim labilis, instabilis, incerta , et fallax vita. Hæc suadet avaritiam , gulam , luxuriam , acediam , tristitiam , invidiam , iram , superbiam ; suadet fallaciam , injustitiam , concupiscentiam , malitiam, segnitiam : postquam vero de spurcitia fuerit saginata, servientes sibi tradit filiæ , id est morti æternæ. Nam primi parentes, qui ad vitam æternam erant facti , per gulæ concupiscentiam meruerunt mortem corporis et animæ et pœnæ æternæ. Christus autem , qui est via , veritas et vita ; moriens, resurgens et ascendens , liberavit in se credentes ab æterna morte et pœna , ubi sunt malleus et fœtor cum vermibus , ignis et algor , visio dæmonica, tenebræ , rubor , ignea vincula ; item vermes , et tenebræ , flagellum , fumus et ignis , dæmonis aspectus , scelerum confusio , luctus ; item torquentes pœnæ, pix, nix , probra , vincula , vermes , flamma, chaos , fœtor , pudor, atque fames, sitis , horror. O amici , nolite fallaciter vos et amicos vestros in has æternas miserias perdere : sed si diligitis eos , gaudeatis , quia præcedunt vos ad æterna gaudia Sanctorum et Angelorum. Nam est ibi pax , pietas , bonitas , lux , virtus , honestas , gloria , laus , requies , amor et concordia dulcis , gaudia , lætitiæ , dulcedo , vita perennis : pax, requies libera , secura juventus, pax secura, decus , et gaudia sunt animarum uberrima , virentia sunt pascua , pinguia , plena. Patria namque electorum sunt vultus præsens Dei, qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens vitæ cibo satiatur. Ibi hymnidici Angelorum chori, ibi societas supernorum civium, ibi dulcis solennitas a peregrinationis hujus tristi labore redeuntium. Si ergo consideremus, quæ et quanta sint quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium.

propositis vitiis hujus mundi,

pœnis æternis damnatorum,

et cœlestium spirituum gaudiis,

divitiæ creatæ. Deo in custodiam tradendæ

4 Si quæris , cur Deus fecit divitias , si ejus leges contemnendæ sunt ? Respondemus, quia sequi nos morientes non possunt , antecedere possunt , si eas pro Deo dederimus. Cupidus fœnerator aurum tradit homini , quod duplicatum recipiat: agricola semina terræ committit, ut centuplum crescat. Tradidit tibi Deus divitias, ut scias quanta sit in eis requies , voluptas et luxus , ut per has habens claritatem cum auctore divitiarum , ipsi eas tradas custodiendas. Quia si ipsi eas nolueris tradere, gula , luxuria , superbia vel cetera vitia eas rapient ; aut certe mors auferet. Num quid si transires per medias acies barbarorum , et invenires virum fortem te diligentem , qui etiam sacculum pecuniæ tibi dedisset , dicentem tibi ; Da mihi custodiendas pecunias has quas tibi dedi , ne Barbari eas rapiant et te occidant, nonne rogares ut eas custodiret , de quo certus esses quod etiam ampliora quam accepisset redderet , et te ab hostibus liberaret? Similiter delicias, qui habet aures audiendi, audiet dicentes sibi ; Si nos diligitis, illi nos commendate , qui nos vobis integras et illibatas

et scit in æternam vitam.

EX ACTIS S. SEBAST.

A batas restituet. In hac vita, si nostrum volueritis præoccupare officium, quasi sic expensæ vobis omnino negabimur. Dimitte nos interim servire morituris brevi tempore, ut in mortalibus electis jugiter famulemur, quando liberabimur a servitute corruptionis malorum in libertatem gloriæ filiorum Dei. Igitur, o amici, nolite a vita ad mortem quos diligitis revocare: quotidianus enim defectus corruptionis, est quædam prolixitas mortis. Præsens dolor aut levis est et tolerabilis; aut gravis, et cito finem affert; dolor vero futurus intolerabilis et æternus. Ne timeamus ergo dolorem unius horæ, si volumus semper cum Deo gaudere.

Convertuntur Zoe post loquelam receptam,

5 Dum igitur tam Martyribus quam eorum amicis, de contemptu seculi, de pœna inferni et de gloria Paradisi, talia et similia breviter dicta, Sanctus Sebastianus prudentissime prædicaret: subito per unam fere horam, splendore nimio de cœlo veniente, illuminatus est; et juvenis, pallio candidissimo amictus, apparuit juxta eos. Hæc autem gerebantur in domo Nicostrati Primicerei, cujus uxor, nomine Zoe ante sex annos ex diutina infirmitate loquelam amiserat. Quæ cum intellexisset ea quæ S. Sebastianus dicebat; procidens ad pe-

et Nicostratus

B des ejus, manu et nutu veniam precabatur. Tunc S. Sebastianus, ait: Si ego Christi servus sum, et si vera sunt omnia quæ de ore meo hæc mulier audivit et credidit; aperiat os ejus, qui aperuit os Zachariæ Prophetæ Dei. Ad hanc vocem mulier clamavit: Benedictus sermo oris tui, et beati qui credunt, et maledicti qui non credunt his quæ dixisti. Vidi enim Angelum ad te venire de cœlo, et librum ante te tenentem, ubi scripta erant omnia quæ dicebas. Hæc videns Nicostratus vir ejus, procidens ad genua, veniam petebat, eo quod Sanctos Dei Marcellianum et Marcum imperiali jussu haberet in vinculis. Et solutis illis, genua eorum amplexus, rogabat eos abscedere; dicens: O quam felix essem, si pro salute vestra possem mereri constringi! Qui dixerunt: Si tu Dei gloriam, quam nondum habueras, accepisti; quomodo nos, quod ab infantia habuimus relinquentes, tibi passionis nostræ calicem damus? Cumque hæc audientes flerent; Marcus ait; Discite, paren-

qui dimittit Sanctos:

D tes, quia hæc tota belli diaboli calliditas est, a suppliciis eripere et animam vitiis subjugare. Sed qua ratione mori timeant, qui sciunt hanc hominis esse naturam, non pœnam: Quantos hujus falsæ vitæ amatores ruina gravis oppressit, fulmen incendit, naufragium perdidit, gladius peremit! et istam vitam miseri cum doloribus amittentes, veram illam penitus invenire non possunt. Ad illam enim non ducit pœna, sed causa: eodem enim pœnarum genere et innocentibus salus æterna confertur; et pœna delinquentibus irrogatur.

baptizantur horum parentes et alii:

6 Tandem omnes prostrati cum lacrymis dicebant se credere et velle baptizari. Tunc S. Sebastianus vocavit S. Polycarpum, latentem propter persecutionem; qui baptizavit Tranquillinum patrem Sanctorum Marcii et Marcelliani, et matrem eorum, cum multis aliis et erant numero sexaginta octo. Baptizatus est et Chromatius, urbis Præfectus, cum filio suo Tyburtio, et ex familia mille quadringentæ animæ. Tranquillinus etiam et Chromatius, et alii infirmi sanati sunt.

Sancti Diacones facti,

7 Marcus autem et Marcellianus, a B. Caio Papa Diacones sunt ordinati: et cum ipso morantes apud Castulum quemdam Christianum, ditissimum Zeta-

martyrio coronantur.

E rium palatii, latenter cum aliis fidelibus die noctuque fletibus et jejuniis intenti erant; orantes, ut perseverarent in fidei confessione. Multaque per eos fiebant quotidie miracula: cæci illuminabantur, dæmones ejiciebantur, infirmi sanabantur. Cum autem per quemdam falsum Christianum, nomine Torquatum, proditi fuissent, et aliqui jam martyrio coronati; jussit Fabianus Præses Sanctos Marcum et Marcellianum teneri, et ambos ad stipitem ligari, clavos acutissimos in pedibus eorum affigi faciens. Quibus dicebat Fabianus; Tamdiu fixis plantis stabitis, quousque diis immortalibus debitum officium persolvatis. Tunc ambo fratres, in ligno confixi pariter psallebant, dicentes: Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum. Cumque transissent una dies et una nox, et illi in psalmis et hymnis perseverarent; jussit eos ambos, ubi stabant, lanceis per latera perforari; sicque cum Martyrii gloria ad regna siderea migraverunt. Amen.

Ps. 132, 11

DE S. ÆTHERIO MARTYRE

C

FORSAN NICOMEDIÆ IN BITHYNIA

F

G. H.

Notitia martyrii et temporis ex Menæis.

SUB DIOCLET.

Memoratur hic sanctus Martyr in Menologio Sirleti his verbis: *Eodem die XVIII Junii sancti Martyris Ætherii, qui fuit sub Imperatore Diocletiano, delatus vero, oblatus est Edesio Præsidi: Christum vero confessus prosternitur, et igneis facibus comburitur; ac diversos cruciatus perferens, gladio percutitur.* Hæc ibi, satis tenuiter contracta, unde etiam contractius translata in hodiernum Romanum sunt, hac forma; *Eodem die S. Ætherii martyris: qui in persecutione Diocletiani, post ignes et alios cruciatus, gladio cæsus est.* Nescio an suboluerit aliunde Baronio, mendum Sirleto obrepsisse circa nomen Præsidis. Eleusium, non Edesium scribendum apparet ex Menæis, quæ sola præ oculis Sirletus habuit uti et Maximus Cytherorum Episcopus ἐν βίοις Ἁγίων. Eleusium autem istum eumdem arbitramur, a quo Nicomediæ plurima sibi illata tormenta fortiter sustinuit S. Juliana Virgo, cujus acta ex pluribus MSS. collata illustravimus ad diem

Eleusio non Edesio Præside

XVI Februarii. Possunt hæc aliquam lucem hujus Martyris Elogio conferre, ac verosimile facere, ipsum quoque Nicomediæ, aut saltem in Bithynia, passum esse. Est autem Elogium illud hujusmodi.

2 Οὗτος ἦν ἐπὶ τῆς βασιλείας Διοκλητιανοῦ. Διαβληθεὶς οὖν παρέστη Ἐλευσίῳ τῷ Ἄρχοντι· καὶ τὸν Χριστὸν ὁμολογήσας, τείνεται καὶ λαμπάσι πυρὸς καταφλέγεται, καὶ βόλοις σιδηροῖς πυρωθεῖσι τὰς μασχάλας διακαίεται καὶ κατὰ τὸν νῶτον καὶ τὰ στέρνα καὶ τοῖς μυκτῆρσιν ὀγκίνους ἐκδέχεται, καὶ ἐν χαλκῷ τάπητι πυρωθέντι ἁπλοῦται, καὶ ἐκ τούτων πάντων Ἀγγέλου ἐπιστασίᾳ λυτροῦται, εἶθ' οὕτως τὴν κεφαλὴν τέμνεται. Sanctus Martyr Ætherius sub Imperio Diocletiani accusatus, ad Præsidem Eleusium adductus est; Christum confessus cæditur, et lampadibus ardentibus uritur et globis ferreis ardentibus sub axillis ustulatur, et uncis in tergo, pectore et naribus carpitur, et in aheneo tapete ardenti extenditur; ex quibus omnibus ope Angeli præsentis liberatur,

eadem tormenta patitur Ætherius

quæ S. Juliana Nicomediæ.

ac demum gladio obtruncatur. *Hæc ibi, quibus similia tormenta* Eleusius Præses *inferri* S. Julianæ *curavit, et fuit ea ab Angelo liberata, ac tandem gladio percussa coronam martyrii obtinuit* Nicomediæ.

DE SS. DUOBUS MARTYRIBUS

APUD GRÆCOS PASSIS

EX MS. SYNAXARIO DIVIONENSI.

XVIII JUNII.

S*ynaxarium MS. Divione in Collegio Societatis Jesu apud Petrum Franciscum Chiffletum repertum a nobis anno* MDCLXII, *hos Sanctos sic refert:* Οἱ ἅγιοι δύο Μάρτυρες, οἱ.... τοὺς πόδας καταφλεχθέντες τελειοῦται. Sancti *duo Martyres*..... *pedibus combustis, vitam finiverunt. Inter ipsa verba aliquid non potuit legi, sive locus Martyrii fuerit, sive tempus indicato Imperatore sub quo certarint; quod forsan alibi reperietur, et poterit aliquando addi. Interim versus ex more præmissos accipe.*

Καῦσιν ποδῶν στέργοντες εἰς ὥραν μίαν,
Αἰωνίως χαίρουσι Μάρτυρες δύω.

Pedum ustionem cupide ad horam Martyres
Unam passi, lætantur æternum duo.

B

DE SS. THOMO, PAULO, CYRIACO

E

MARTYRIBUS FORSAN ROMÆ

DISQUISITIO HISTORICA

De numero et loco Martyrii, ex antiquioribus Martyrologiis.

G. H.

XVIII JUNII.

An tres Martyres,

G*ravis circa hos Sanctos exoritur difficultas, de numero et palæstra eorum. In antiquis Martyrologii Hieronymiani apographis, post relatos Martyres passos* Romæ Marcum et Marcellianum, *tertio loco ista subduntur:* Thomi, Pauli, Cyriaci. *Ita ecgrapha Epternacense, Lucense, Blumianum. At Lucas Acherius in edito Corbeiensi, loco* Thomi *apposuit puncta, et solum retulit nomina* Pauli et Cyriaci. *Eodem modo ista duo nomina inter alios referuntur in MS. Richenoviensi. Ast ordine mutato tria collocantur in MSS. Casinensi et Altempsiano;* Cyriaci, Thomi, Pauli. *Quo etiam ordine sunt in MS. S. Cyriacæ; sed* Thomæ *scribitur: et* Apostoli *additur in MS. Vaticano. Interim prævalet lectio Thomi: de qua voce dubitavimus, num* Tomi, *urbs Mœsiæ inferioris, in hodierna regione Bulgariæ et ora Ponti Euxini, exilio Ovidii Poetæ celebris, sit intelligenda ubi plures olim occubuere Martyres. Huic urbi* B *favet MS. Florentinum monasterii sanctæ Crucis Patrum Conventualium S. Francisci, in quo post Martyres Afros supra relatos ista habentur:* Thomis sanctorum Martyrum Pauli et Cyriaci; *et hi isto modo memorantur ad diem* XX *Junii apud Usuardum et alios cum Martyrologio Romano. Verum in antiquis dicti Martyrologii Hieronymiani apographis alii quinque socii conjunguntur, et ab his illi ut diversi proferuntur. Franciscus Maria Florentinius, in Indice ad hæc Martyrologia, nomen* Thomi *pro Sancto Martyre sumpsit: et favet aliorum transpositio, per quam* Thomi *nomen medium inter nomina* Cyriaci et Pauli *collocatur. Præterea urbs* Thomi *ubique absque aspiratione scribitur, cujus contrarium hic observatur.* Sed, *inquies, si* Thomus *ponatur Sanctus, quænam ipsi et sociis palæstra tribuenda erit? Quidni vero ipsa urbs* Roma? *Annectunctur enim* SS. Marco et Marcelliano, *licet forsan aut alio loco aut via, aut alio anno, aut aliis sub Imperatoribus sint passi. Postremo alios arbitramur a SS. Cyriaco et Paula Virgine, in urbe Hispaniarum Malacensi passis, de quibus mox agemus.* F

et Romæ passi?

DE SANCTIS MARTYRIBUS MARTYRIO SEU MARTHARO,

FELICE, EMILIO ET CRISPINO

RAVENNÆ IN ITALIA

D. P.

Notitia ex Hieronymiano et aliis antiquis.

XVIII JUNII.

P*rogredimur cum antiquis Martyrologii Hieronymiani apographis, in quibus quarto loco Martyres quatuor collocantur; et in vetustissimo Epternacensi his verbis:* Ravenna civitate Martyrii, Felicis, Emilii, Crispini. *In primi Martyris nomine diversa est lectio. In Lucensi et Blumiano est scriptum* Narthari, *in Corbeiensi* Martheri. *In MSS. Florentinis Magni Ducis et Strozzii Senatoris* Martati *at Patrum Conventualium ibidem* Maritati: *apud Notkerum* Macharii, *in MS. Bruxellensi S. Gudilæ* Marcurii. *In antiquo MS. Reginæ Sueciæ et MS. Floriaro dicto nomine omisso, ista leguntur:* Ravennæ natalis sanctorum Martyrum Felicis, Emili, Crispini, *ubi videtur ex nomine* Martyrii *formatum* Martyrum: *neque multum discrepat nomen* Marthari *seu* Martheri, *quod in aliis apographis erat. Nomina* Felicis et Crispini *ubique invariata reperiuntur, at loco* Emilii *scribitur etiam* Emeli Amilii et Æmilii.

A Æmilii. *Hos autem tres solum proferunt MSS. Romanum Cardinalis Barberini, Trevirense Monasterii S. Maximini, Leodiense Ecclesiæ S. Lamberti, et aliud monasterii S. Laurentii. Et in omnibus jam citatis Martyrologiis numero quindecim allegatur palæstra* Ravenna civitas *in cujus tamen ecclesiis celebratur officium de* SS. Marco et Marcelliano, *nulla horum Martyrum facta commemoratione.* D

DE SS. MARINA ET THEONIO

MARTYRIBUS ALEXANDRIÆ

G. H.

Ex iisdem Martyrologiis.

Ultimo *loco, in eisdem Hieronymianis apographis, ista habentur; in Epternacensi,* Alexandria civitate Marinæ. *In Corbeiensi Parisiis excuso :* In Alexandria natalis Sanctæ Marinæ, Theoni. *Verum per errorem (ut agnoscit Florentinius) in MS. Lucensi legitur,* S. Marii; *et in Blumiano,* Maria. *In antiquis MSS. Reginæ Sueciæ, Romano Cardinalis Barberini, et Coloniensi S. Mariæ ad Gradus* In Alexandria natalis S. Marinæ, *et* B *per errorem in MS. Richenoviensi* Marini *est. Secutus Usuardus: in primario MS.* Alexandria passio S. Mariæ Virginis. *In Aliis MSS. et apud Bellinum Grevenum, Molanum cum Martyrologio Romano* S. Marinæ Virginis. *In appendice ad Adonem:* In Alexandria S. Mariæ Virginis et Martyris, et Balbinæ. *Hæc* Balbina Romæ *est adscripta in MSS. Treverensibus S. Martini et S. Maximini; Leodiensi S. Laurentii, ac MS. Florario, de eaque egimus* XXXI *Martii. Ast* Theonium *detinemus, in antiquo MS. Corbeiensi additum, ne memoria ejus pereat. Alii adjunxerunt elogia ex Vita* S. Marinæ *seu* Margaritæ Virginis et Martyris, *uti inter Prætermissos diximus : et latius dicendum erit ad diem* XX *Julii : An ex illa* Marina *hæc etiam* Virgo *appelletur dubitamus; ideoque eo titulo abstinemus cum antiquioribus MSS.* E

DE SS. MARTYRIBUS

CYRIANO ET PAULA VIRGINE

MALACÆ IN HISPANIA

SYLLOGE HISTORICA

G. H.

De eorum passione, cultu, et ætate.

CIRCA CCCV

Memoria in Fastis :

Malaca, *urbs est antiqua Hispaniæ Bæticæ, in hodierno regno Granatensi Episcopalis, et celebre ad Mediterraneum mare emporium. Hæc sub jugo Saracenico annis septingentis septuaginta gemens ab eodem armis Ferdinandi Regis Catholici anno* MCCCCLXXXVII *liberata, antea viderat insigne certamen* SS. Cyriaci et Paulæ Virginis. *Horum memoriam suo Martyrologio ante octingentos annos inscripsit Usuardus his verbis :* In His- C paniis civitate Malaca, sanctorum Martyrum Syriaci et Paulæ Virginis, qui post multa tormenta sibi illata lapidibus obruti, inter saxa animas cœlo reddiderunt. *Ex hoc elogio, secundum nostram in talibus experientiam, judicamus, olim Acta martyrii extitisse, in quibus multa illa tormenta et magnanimitas Martyrum exponebantur: sed ea inter persecutiones Saracenorum periisse putamus, saltem apud Hispanos, an aliqua forsan in Galliis adhuc lateant dubitare potest. Nomen sancti Martyris in præcipuis MSS. Usuardi scribitur,* Siriaci, *quod retinuit etiam Molanus, sed in margine apposuit nomen* Cyriaci *quod alii passim habent qui dictum elogium descripserunt, videlicet Bellinus, Grevenus, Maurolycus, Galesinius, Canisius, aliique cum Martyrologio Romano, et cum MSS. quamplurimis.*

2 *Thomas de Trugillo, tomo 2 Thesauri Concionatorum, exponit Evangelium* Cum audieritis prælia et seditiones, in festo Beatorum Cyriaci et Paulæ, *et addit eorum aliqua Acta his verbis :* Passi sunt Martyrium in civitate Malaca gloriosi Martyres, Cyriacus videlicet et Paula, decima octava Junii, et tali die collocant festum horum Sanctorum ipsa Martyrologia. Dicunt autem et narrant, breviter quidem et succinte, de martyrio admirabili horum Sanctorum, quod postquam variis tormentis afflicti fuerunt, tandem lapidati sunt: atque ita gloriosi Martyres migrantes ad Dominum, sempiternam felicitatem sunt consecuti. Unde et Papa Innocentius VIII in suo Brevi, quod misit ad Catholicos Reges Ferdinandum et Isabellam, agendo eis gratias pro eximio quodam munere ab eis accepto, quando sibi compararunt prædictam urbem Malacam; faciens, inquam, præfatus Pontifex in prædicto Brevi mentionem dictorum Sanctorum dicit, quod fuerunt similes Beato Stephano in suo martyrio. *Hæc ibi, quibus similia omnia Hispanice ediderunt Ambrosius Morales lib.* 10 *Historiæ Hispanicæ cap.* 28; *Joannes Marrietta, lib.* 2 *de sanctis Hispaniæ cap.* 31; *Franciscus de Padilla, Doctor Theologus et in Malacitana Ecclesia Canonicus, ac Thesauri sive sacrorum vasorum Præpositus, in Historia Ecclesiastica Hispaniæ in dicta urbe Malacitana anno* MDCV *excusa, centuria* 4 *cap.* 29; *et Martinus de Roa, Societatis Jesu tunc Rector in ista civitate, in sua Historia Malacensi, ibidem anno* MDCXXII *edita cap.* 17 *: addunt autem hi duo* festum horum Martyrum, ut hujus urbis Patronorum, magna solennitate celebrari cum Octava, et in ipso die institui generalem processionem ab Ecclesia Cathedrali ad Ecclesiam Parochialem dictorum Sanctorum; eorumque statuas argenteas, præclare elaboratas, sub umbella a præcipuis Equitibus urbis in medio Processionis deferri. *Tempus martyrii arbitrantur post Moralem, Garybaum et Vasæum fuisse* in decima sub Diocletiano persecutione. F

aliquod elogium

solennitas Malacæ.

3 *Joannes Tamayus Salazar in Martyrologio Hispanico*

A *Acta ex MS. Legendario;* *nico ait* omnes fateri, Acta eorum periisse, *ea tamen ipse profert, velut desumpta ex Legendario Asturicensi, quæ placet judicio aliorum subjicere:* Temporibus Diocletiani impiissimi Imperatoris, postquam jam Imperii gubernacula recepisset, divulgata sunt multa Christianorum millia per totius Orbis Romani provincias. Cumque hoc audiisset impiissimus Imperator, iracundia plenus, fecit dimitti plures Judices et Præsides per totum Imperium, *passi sub judice Ruffino,* qui eos tenerent, et in custodiam publicam conjicerent donec superstitionem abjurarent, et diis Romani Imperii thura litarent. Ex Africa venit Malacam urbem maritimam quidam, Ruffinus nomine, Judex: qui antea plurimos ad mortem traxerat, dum per Hispaniam vagaretur, Christicolas. Hic cum Malacam venit, Imperatoris edicta fecit publicari, quatenus omnes, qui Christi fidem amplecterentur, carceri mancipatos teneret, donec aut diis sacrificia offerrent, aut vitam exuerent. Inter alios igitur Christianos, quos satellitum inquisitio comprehenderat, erant Cyriacus juvenis venustus, et Paula Virgo pulcherrima, de genere Oppiorum, vetustissimorum Christianorum, qui primi Christi B miracula in Hispanias invexere et ex eadem urbe oriundi. *generose fidem Christi profitentes,* Quos cum ante se, in tribunali sedentem, perduci jussisset Judex, dixit Cyriaco: Qui vocaris, vel ex qua natione te ostendis, edicito nobis: Cui respondens sanctus juvenis, dixit: Mihi nomen Cyriacus, hæc Virgo Paula, hujus urbis oriundi, ex parentibus et genitoribus Christianis: D Christiani sumus. *auctore G. H.* Quibus Ruffinus: Nunc ergo audite me, et eligite vobis e duobus unum responsum: aut diis sacrificate immortalibus, et estote amici invictissimi Imperatoris, aut certe suscipite sententiam nefandorum criminum. Respondit tunc Cyriacus: Ultimam sententiam eligimus: nam primam totis visceribus abhorremus. Tunc jussit eos *lapidibus obruuntur.* Præses diversis tormentis cruciari: sed cum non posset Sanctos Martyres a proposito confessionis fidei avertere, in campum extra urbem deduci et lapidibus impeti præcepit: atque ita religiosi Martyres migrantes ad Dominum, sempiternam felicitatem sunt consecuti, XIV Kalendas Julii anno Domini CCCV.

6 *Hæc ibi, quæ viderentur verosimilia, si non Diocletiano adscriberentur quæ fieri potuerunt per Maximianum Herculeum: qui abdicatum imperium solus recipere tentavit sed hoc quoque destruit fabulator, qui quod nuper sub nomine Juliani Archipresbyteri Toletani prodiit, in cujus Adversarius num.* 24 *et* 156 *dicuntur* SS. Cyriacus et Paula anno LX *aut* LVIII *in* persecutione Neronis passi. *Figmentum sub Juliani nomine.* *Præfert quidem eam sententiam Tamayus, toto suo Martyrologio solitus istius pseudo-Juliani quisquilias, confracti vitri frustulis* E *comparandas, tamquam raræ antiquitatis æstimationisque gemmas adhibere. Nobis securius videtur ab ipsomet oblatum Legendarium Asturicense sequi, figmentis istis haud dubie antiquius multo.*

DE S. ELPIDIO MARTYRE

ET S. ARCHONTIO CONF.

BRIVATE IN ARVERNIA GALLIÆ PROV.

SYLLOGE HISTORICA.

Ex S. Gregorio Turon. Proprio Aniciensi, et Jacobo Branchæo. D. P.

Putantur esse senes illi **B**rivate *clarum Galliæ apud Arvernos oppidum, ad sinistram Elaveris ripam, licet a propiori situ, ubi hodiedum* vetus Brivate *nuncupatur, ad unam circiter leucam descenderit, suum adhuc nomen retinet Latine scribentibus, quod* C *vulgus utrobique ipsum in* Brioude *commutavit: retinet etiam veterem Patronatum, et corpus S. Juliani Martyris. Colitur is* XXVIII *Augusti, ab ejusque passione, virtutibus et gloria S. Gregorius Turonensis auspicatur librum* 2 *Miraculorum, ubi inter alia cap.* 1 *sic habet*: Senes qui sacro-sanctum corpus mancipaverunt sepulturæ, ita redintegrati sunt, ut in senectute summa positi tamquam juvenes haberentur.

2 *Vetustior unde hæc sumpta sint Passio excidit: qui S. Julianum M. sepelierunt,* *si tamen ulla unquam fuit vetustior S. Juliani Legenda, quæ distinctiorem rei gestæ notitiam daret: nam ex Gregorio sumpta videntur, quæcumque nunc reperiuntur in Passionalibus MSS. Senum tamen prædictorum nomina exitum cultumque ad posterorum notitiam transmisisse putatur Brivatensium traditio, unde in Proprio Aniciensis Ecclesiæ sub anno* MDCXLII *sic legitur:* Dum jaceret humi truncatum Juliani corpus, superne Elpidium Opilionem monuit Angelus, ipsum sepultura afficeret, quod et præstitit cum Archontio Pastore. Uterque senex erat: in præmium tamen sepulturæ Martyris, eorum reviruit juventus, senio fugato. Elpidius in colle ad fluvium Elaverim martyrio est sublatus: Archontius autem ad Juliani tumulum vitam religiose finivit, uterque sanctitate clarus inter sanctos habetur.

3 *Jacobus Branche in Gallico opere de sanctis Arverniæ, decennio post jam dictum Proprium edito, allegat etiam Breviaria Mallense et Claromontanum in cujus ultimæ Ecclesiæ Martyrologio asserit nomen* Arcontii *referri ad* VIII *Januarii.* *quorum unus etiam 8 Jan sit adscriptus,* Elpidium *vero, qui vulgo* S. Ilpis *dicitur coli hoc* XVIII *Junii. Insuper de* F *hoc ultimo narrat, quod relicto ad sacri tumuli custodiam cultumque* Archontio, *solitariam vitam elegerit recipiens sese sub rupem fluvio imminentem, supra quam nominis ejus ecclesia visitur, juxtaque castrum, ad jus Marchionis de Langeac pertinens. Hic cum sancte per biennium vixisset irruisse in Gallum Constantino Imperante Barbaros, qui ab eo nec aurum, quod nullum habebat; nec fidem Christi, quam pro vita amabat, extorquere valentes, post dira flagra et cruciatus caput reciderint; quod simul cum corpore allatum ad S. Juliani ecclesiam, ibidem credatur conditum haberi cum* *alter obierit Martyr hac die* *corpore* S. Archontii, *istic post illum etiam pie defuncti, et a Brivatensibus coli soliti. die* IV Februarii.

4 Eodem, *inquit die colitur etiam* S. Archontius, *An ab isto alius S. Arconcius in sui nominis vicino oppido,* *in Prioratu ab Albatia vulgo de Chases dicta dependente; qui locus uti et ecclesia ibidem parochialis, passim* S. Arcons *nominatur estque ad alteram Elaveris ripam, in conspectu oppidi seu castri Langeac, quinque circiter leucis Brivate et totidem distans Anicio seu Podio Velaunorum: ubi omnia sancti corporis ossa servantur in capsa marmorea, ferreis vinculis probe munita sub altari majori: in cujus operculo, atque etiam in plumbea lamella sit sculptum,* Hic est corpus Beati Arconcii

A Arconcii, cum nota anni MCCCLXXIX, paulo recentiori scalpro impressa. Addit idem Branceus ipsum se, ab Episcopo S. Flori in visitanda diœcesi socium sumptum, vidisse prædicta sacra ossa, quibus præter maxillam nihil deerat : quam olim argento inclusam atque a Calvinistis direptam traditio erat. Lapidi quoque altaris arcam operientis inscriptum legi ait : Hic jacet corpus sancti Arconcii ; similiterque insculpta lineamenta, circini, mallei atque lineæ, quæ sunt Latomorum instrumenta : qualem etiam fuisse hunc S. Archoncium loci traditio sit, confirmata veteri altaris tabula ita sanctum exprimente. Huc accedit altera traditio, qua idem creditur fundando Aniciensi templo operam sic locasse, ut quotidie vesperi ad locum habitationis suæ, cujus ibidem adhuc rudera monstrentur rediret, parentibus decrepitis ministraturus, nec ideo minus cito sequenti mane rediret ad opus, non sine miraculo.

arte latomus ?

5 Hinc conficere Jacobus nititur, duos constituendos sanctos Archoncios sive Arcontios : quod in tanta locorum vicinia æque difficulter mihi probaverit, quam prænominatos Brivatensium sanctos, esse illos ipsos duos senes, quos corpus S. Juliani sepelivisse dicit Gregorius, esto ea opinio invaluerit in vulgus, eo quod cum corpore S. Juliani SS. Elpidii et Arcontii corpora B istic haberentur : quamvis ipsi illo forte fuerint seculis aliquantis posteriores. Brivate esse utraque corpora, asserentibus credit, non vidit Jacobus : donec autem vidisse se dicat aliquis, vehementer suspicabor utrumque ad sui nominis ecclesias delatum fuisse, istis quibus coluntur diebus IV Februarii et XVIII Junii, ac forte primum anno supra notato MCCCLXXIX. Quod autem Branchæus Brivatensem Arconcium velit sub Diocletiano vixisse alterum sub Alexandro Imperatore, sub quo dicuntur jacta Marianæ apud Vellaunos ecclesiæ fundamenta ; et hunc quidem latomum, istum opilionem, parum me commovet : Nam ut initia istius ecclesiæ tam sint antiqua, quod modo non disputo, evidens est ab Alexandri tempore sæpius restaurandam fuisse novamque conditam, atque ita allatorantem illi Arconcium serius vivere potuisse, et Brivate pro sua devotione sepeliri. cum ad corpus sancti Martyris extremos vitæ annos traduxisset : miraculis autem inclarescens potuit ad paternæ habitationis locum fuisse relatus, cum ibi sub ejus nomine ecclesia conderetur. Itaque de ætate pretitulatorum Sanctorum nihil definio ; nedum illorum causa, quos oportet vixisse ecclesia pacem habente, differre Martyrium S. Juliani ad ultimam persecutionem ; cum potuerit Julianus multo citius fuisse passus, ac forte inter primos Galliæ Martyres numerari, de quo suo tempore disputabimus. Sintne autem senes duo, a Gregorio memorati, aliquando adscripti sanctis ; id tacente ipso et solis recentioribus Breviariorum auctoribus asserentibus, fatebor me dubitare. E

Veremur ne hic confundantur persona ac tempora

D AUCTORE D. P.

aliique sint præfati senes ab his duobus Sanctis.

DE SANCTIS CONFESS. AN MARTYRIBUS?

POTENTINO, FELICIO ET SIMPLICIO,

PATRONIS STEINFELDIÆ IN DIOECESI COLONIENSI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

D. P.

§. I. Proponitur controversia et antiquioris, pro prima parte, Legendæ contextus.

SEC. XI

Germanicis milliaribus quinque supra Confluentiam Rheni atque Mosellæ, ad hujus sinistram ripam jacet Carrodunum, alias Caradonum, vulgo Carden, Canonicorum Collegio insigne oppidum, cui primam celebritatem attulit S. Castor loci Presbyter, discipulus S. Maximini Trevirensis seculo IV, quo de egit Bollandus noster ad XIII Februarii. C Is Castor, cum viveret, ibidem creditur sepelivisse S. Potentinum cum sociis : quorum corpora seculo X translata Steinfeldiam, olim Sanctimonialium Benedictinarum, nunc Canonicorum Præmonstratensium Abbatiam, in confinio Trevirensis atque Coloniensis diœcescon positam, coluntur ut loci Patroni, hac translationis eorum die, cum Octava : itemque III Januarii, quo videntur eos, tamquam S. Potentini die natali Carrodunenses et Confluentini colere. Confessores an Martyres dicere oporteat, et quo potissimum ritu festum agi debeat, ambiguum faciunt, quæ prorsus diversissima, ante et post adventum Præmonstratensium, de iis scripta, et ad nos perlata sunt ; neutra satis antiqua, ut de rebus seculo IV gestis certam fidem faciant ; utraque autem hic summatim proponenda, ut Lector discernere per se possit, penes quam partem stet verosimilitudo major.

Prius Carroduni 3 Januarii

nunc 18 Junii coluntur Steinfeldiæ :

2 Ab anno, inquit Præmonstratensis scriptor, Incarnationis Dominicæ DCCCCXX, quo sumpsit Regnum Henricus Primus Romanorum Imperator, (potius Rex dicendus) per centum septuaginta septem annos, atque adeo usque ad MXCVII, sub Abbatissis et Monialibus, Regulam S. Benedicti professis, in cœnobio Steinfelt Domino servitum est. Quibus ob negligentiam suam amotis, Canonici Regulares de monasterio Sprenkirsbacensi substituti sunt : qui Regulam B. Augustini professi, per viginti tres annos, scilicet usque MCXX ibi Domino servierunt. His, quemcumque occupabant locum, haud minimum studium fuit conscribere Sanctorum Legendaria per anni circulum et inventorum in unoquoque Patronorum historias aliis sui Ordinis professoribus transcribendas communicare. F Hinc illam Legendam, quæ post Sanctorum corporum Translationem ad usum Benedictinarum, ex Carrodunensium Canonicorum instructione scripta est, non quidem Steinfeldia accepimus, ubi per super inductam novam prior videtur fuisse abolita ; sed ex Canonicorum Regularium monasteriis duobus, altero Coloniensi Corporis Christi, altero Bodecensi prope Paderbornam, nec non ex tertio MS. ecclesiæ Collegiatæ S. Salvatoris Trajecti, semper absque prologo, quem, nobis quidem desiderabilem, sed ad Chori usum haud valde necessarium, scriptores isti ubique omiserunt. Ultimum MS. sic prætitulatur, Vita S. Potentini Ducis ; in secundo additur, et Confessoris. Contextus autem omnium idem hic est.

ab initio conditi monasterii sub an. 920.

quo circa an 1097 ad Canonicos Regul. translato,

in plura MSS. Legendaria Ordinis transiit Vita,

3 Venerandus igitur confessor Potentinus, ex clarissima Aquitanorum prosapia genealogiam duxit : vestemque Christi indutus, in Ecclesiæ gremio sacris ab infantia institutus est disciplinis. Parentes vero ejus, quantum ad seculum opulenti et nobiles, Christianæ confessionis præcipui cultores extiterunt ; eamdemque viam editam a se sobolem insistere, sedulo exhortationis informabant exemplo. Studebant quoque a primævo ætatis flore incitamenta quæque virtutum sibi instillare, ut rudis adhuc et mollis animus prægustaret

ubi Potentinus dicitur ortu Aquitanus,

pieque educatus a parentibus Christianis,

gustaret quæ post procedenti tempore reliqua vita firmiter retineret... Denique, ut postea evidentibus claruit indiciis, non sine divina quadam providentia, in auspicium futuræ prosperitatis et salutis, Potentini vocabulum accepit. Cumque ad intelligibilem ætatem perductus fuisset, generositatem paternam, quam privilegio nominis signanter expresserat, virtutum incrementis æmulari exoptabat. Prima virtus ejus fuit, incentiva viciorum crebro frangere, nullam obscœni rumoris fabulam in sese dare, adolescentiæ fervorem frænare, nihil tale aliquando committere in quo superni Judicis gratiam potuisset offendere; sed cauto moderamine nec ad dexteram, nec ad sinistram divertens via regia gradiebatur. Noverat enim scriptum fuisse, Optimus in omni re modus, et laudabilis ubique mensura.

filios habuisse Felicium et Simplicium

4 Sciens itaque honorabiles nuptias et cubile immaculatum, conjugali vinculo copulatus est, ea scilicet intentione, ut nuntio semel matrimonio secundum castimoniæ gradum arriperet, morumque honestate et continentia cœlibatum rursus redintegraret. Maluit enim in humilioribus tuto pergere, quam pendulo gradu in sublimioribus fluctuare. De hac nuptiali copula duo præclarissima pignora Felicius et Simplicius nuncupata, ut postea rerum probavit eventus, felici omnino propagine sunt procreata. Cumque celebriori fama gloriosus Christi vernaculus claresceret, et caritatis in eo munificentia et virtutum constantia longe lateque percrebuisset, a Rege Aquitanorum, qui tunc temporis gentis illius gubernacula strenue, nobiliterque regebat annuentibus amicis et parentibus, in curiam susceptus est.

cum usque, dimissa Præfectura et patria,

Cernensque in eo nobilitatis titulum et elegantiam meritorum, omnium acclamatione dignissimus in locum Ducis subrogatur. Hunc tantæ dignitatis apice non in mundi gloriam sed ad Christianæ religionis humilitatem inclinabat: Apostolico jam edoctus exemplo omnia omnibus factus ut omnes lucri faceret; seniores honore præveniebat, juniores paterna dilectione admonebat, ubique per officium commissum non sua sed quæ Dei sunt studiose quærebat. Nam licet secularis adhuc palæstræ desudaret gymnasio, ardenti tamen desiderio totis visceribus Domino jugiter adhærebat; indutus scilicet lorica justitiæ, assumebat scutum fidei: calceatos habens pedes in præparationem Evangelii pacis.

ad sancta loca peregrinatus

5 Prælibatus itaque Dei famulus... divina inspiratus gratia, calcatis mundi deliciis, pro nanciscenda supernæ patriæ gloria, egressus est de terra et de cognatione sua: ut qui prius in procinctu bellorum pro terrenis negotiis studiosus decertabat agonista; postea Christo Regi militaturus æternæ vitæ stipendia susciperet. Verum non immemor quia multi retro rediere post sathan; veritus prædictos duos filios Felicium scilicet et Simplicium post se relinquere, secum abduxit: quatenus et ipsi mundana exuti tunica, viam veritatis incedentes, nudi et expediti, Christi vestigia sequerentur. Quanta vero pro Deo in hoc itinere sustinuit, quam assiduus loca sancta frequentando extiterit, in hoc perspicuum est. Nam dum multas Regiones, Christi Ecclesias visitando, lustraret; contigit etiam urbem Treverorum, tunc maxime patrociniis Sanctorum celeberrimam, ingressum fuisse.

junxisse se S. Maximino Treviren.

Ea tempestate B. Maximinus, Pontificali stola infulatus, hujus urbis Sedem ministrabat. Pastor eximius: qui tunc Catholicæ fidei verus dogmatista, Dominicæ segetis agrum excolebat Divini semine verbi indefessus agricola: totus namque erga animarum salutem satagebat, totus misericordiæ visceribus redundabat. Ab hoc electo Christi Antistite vir sanctus caritative susceptus, et hospitalitatis humanitatisque officio tractatus, omnem peregrinationis ejus causam exposuit: suosque sanctissimos relatus instar Mariæ secus pedes ejus audiendo recubuit; ne veniente Domino in conspectu ejus vacuus appareret, sed talentum sibi creditum cum usura duplicatum reportaret.

AUCTORE D. P.

a quo deinde solitudinis studio abjunctus,

6 Nec multo post cum inibi moraretur; cernens adventantium frequentiam, et intolerabiles hominum tumultus; nimium veritus ne mundi sarcinæ, quas prius abjecerat, sub urbanis deliciis rursus sibi aliquatenus blandirentur; accessit ad Pontificem, obnixe deprecans, quatenus illum ad remotiora demigrare loca permitteret, ubi totum vitæ suæ cursum sine inquietudine agere potuisset; sciens scriptum esse, militantem Deo non oportere implicari negotiis secularibus. Audiens vero Beatus antistes votum ipsius, licet multum contristatus si tanti hospitis præsentia destitueretur, precibus tamen ejus acquiescebat; et locum quemdam secus fluenta Mosellæ, cui vocabulum Caronotum est, sub sua Diœcesi, proposito suo idoneum demonstravit.

S. Castori Presb. se subjecerit,

Per idem autem tempus quidam Presbyter, nomine Castor, miræ sanctitatis, in eodem loco parvam habitationis cellulam construens mansitabat, omni virtutum genere præcipuus; dives eleemosynis, humilitate sublimis, sensu sobrius, corpore castus, inter divites et pauperes medius, vigiliis atque orationi deditus totus, ob amorem supernæ patriæ die noctuque laborans. Huic spirituali patri Christi Confessor Germana caritate sese sociavit; ubi quanto secretius, tanto liberius Deo militavit; bonum scilicet certamen certando, cursum consummando, fidem servando, de reliquo sciens sibi repositam esse coronam justitiæ.

cum eoque orando navim submergendam periculo eripuerit;

7 Interim paucis transactis diebus, contigit negotiatorem quemdam, cum nave sale onusta in eodem loco advenisse. Hunc quidam ex vicinis eleemosynariis pro hoc condimento implorabat: sed obstinatus mercatoris animus, Christum in paupere despiciens, postulata denegabat. Jam illo recedente et navi in altum tendente, subito tumentibus undis maxima est exorta tempestas, ita ut extremum jam omnium immineret periculum. Hujus viri casum quidam Servo Dei velociter nuntiabant, deprecantes, quatenus per orationem ejus a naufragio liberaretur. Statim invocato Christi auxilio, sedata est tempestas, et omnes sani et incolumes ad terram egressi sunt. Alia sunt quidem multa, quæ per eum Dominus operari dignatus est miracula, nobis incognita, soli Deo nota. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Sed si ista, quæ veridica quorumdam relatione didicimus, scribere tentemus; prius deficiet tempus quam materia.

ac denique pie mortuus ab eo sit sepultus

8 Qualiter autem et ex hoc mundo migraverit ad Dominum, explanare incipiamus. Postquam vero pius athleta et Sanctus Christi Confessor, cursu fideliter peracto, præmia laboris accipere debuit; infirmitate prævalescente decubuit: divina prædestinante clementia, ut in eodem loco, ubi plurimum in Dei sudavit servitio, inde ad coronam æternæ beatitudinis perveniret. Accersito itaque Beato Castore, ut animam Conditori suo precibus ejus commendaret, sacramentis Dominicis communitus, ex hujus vitæ solutus ergastulo, ad cœlestia regna spiritum emisit. Sepultus est autem ab eodem Christi Confessore aliisque probabilibus personis, in loco dignum funeris officio: ubi postea filiorum ejus corpora Felicii scilicet et Simplicii honorifice tumulata sunt. In quo loco a quibusdam fidelibus viris ecclesiola constructa est, in qua adorantibus et credentibus multa divina demonstrata sunt beneficia, ad laudem et gloriam summæ Trinitatis, cui est honor

AUCTORE D. P.

honor et jubilatio cum æterno patre et Spiritu Sancto, per infinita secula seculorum. Amen.

Omittuntur supervacanea;

9 *Hic finis Legendæ, Caroduno allatæ, et ad signata hæc puncta.... in suis locis mutilatæ, quæ nihil ad historiam facientia vel laudant statum matrimonii, et Aquitaniam Sanctis fecundam, Sanctosque Maximinum et Athanasium; vel inutiliter extendunt orationem. Ea autem tali fine omissa sunt, ut facilius judices, utrum in tota hac narratione sit aliquid haud verosimiliter scriptum; excepta sola mentione* Regis in Aquitania *Dominantis,* Ducemque Potentinum *constituentis: ex usu scilicet* VIII *aut* IX *seculi, quibus ista videntur scripta: quod autem num. 7 narratur miraculum id S. Castori attributum in ejus vita prolixius leges.* Evolutis itaque multis temporum curriculis cum declarare Sanctorum Confessorum merita Dominus voluisset, quatenus tam præclara luminaria supra candelabrum posita splendidissimo sanctitatis fulgore latius ad salutem lucerent multorum, quam sub unius loci latebris abscondita latuisset; cuidam nobili et religioso de Ripuaria, nomine Sigebodo, ex divina quadam revelatione innotuit, qualiter in te transferendi et in locum tumulo priore digniore deducendi forent. Hac visione certior factus, et multum in Domino gavisus, a Pontifice Treverorum, cui subjectus erat ille locus, eadem corpora impetravit. Nam inde translatos, singulos in singulis sarcophagis posuit, et in prædio suo Steinfelt digno honore recondidit: ubi postea monasterium construens, cœnobialem vitam Sanctimonialium instituit, quæ ibi sub regulari tramite degentes, laudes divinas Domino incessanter persolverent. Iis etiam tantum de prædiorum suorum substantia delegavit, quantum illis ad necessaria sufficere potuisset.

et additur translatio corporum Steinfeldiam,

10 *Addit alterius Legendæ auctor, quod* apertis loculis, in quibus Sanctorum corpora requieverant, odor paradisiacus, cunctorum non solum nares, sed et mentes delinivit, *quodque* omnimoda curationum gratia eo die Dominus, gratiæ dator et gloriæ Sanctos suos mirificare dignatus est. Facta autem, *inquit*, est Translatio hæc quarto decimo Kalendas Julii: et illatus est thesaurus sanctissimarum Reliquiarum, super aurum et topazium pretiosus, in locum ubi nunc celebris ejus viget memoria, situm in silva quæ Arduenna vocatur, in pago Eyfflіæ, in loco Steinfelt vocato; ubi prætatus nobilis vir, secundum votum suum ecclesiam, in honorem sanctæ Dei Genitricis, et B. Petri Apostolorum Principis construxerat: ibique Sanctimonialium numerum adunavit; quæ ad sacrosanctas beatorum Potentini, Felicii et Simplicii Reliquias divinis insisterent laudibus, et in Regularibus institutis Domino deservirent.

18 Junii

§. II. *Expenditur ætas, origo et auctoritas alterius Legendæ martyres facientis S. Potentinum et socios.*

Steinfeldensibus Canonicis in Ordinem Præmonstrat. cooptatis post an. 1120,

S*ub annum, ut alibi dixi,* MCXX *Præmonstratum venit S. Norbertus, ibique jecit novi Ordinis fundamenta; qui cum antea fuisset Sanctensis in diœcesi Coloniensi Canonicus, inter primas curas quas patriæ suæ providæ impendit, non ultimam habuit illuc mittere Fratrum suorum coloniam. Neque diu quærendus locus fuit,* eisdem *Canonicis Regularibus, qui non ita pridem Steinfeldiam obtinuerant,* Ordini Præmonstratensi se subjicientibus. *Atque ita, inquit alterius Legendæ scriptor,* in eodem Ordine usque nunc Domino servitium exhibetur, et Dei annuente clementia exhibebitur; quam diu Dei providentia, disponens omnia, præscivit sibi exhibendum. Sit igitur Deus noster in secula benedictus, qui pusillum gregem suum a sua gratia non exclusit: sed locum nostrum pie visitare et paterne hereditare dignatus est: dum ipsum, per venerabiles Sanctorum Reliquias, ad honorem sui nominis dedicare voluit, et pretioso ditare thesauro; ut nos pauperes suos de tantarum Reliquiarum præsentia constanti fiducia sublevaret, et tanto patrocinio communiret. Per merita vero Sanctorum suorum, tantis locum nostrum dignatus est Dominus miraculis illustrare, et beneficia beneficiis accumulare non cessat; ut vere dicatur ab omnibus, quia Dominus est in loco isto....

multis Sanctus miraculis claret,

12 *In his fere terminatur Legenda altera, quam vel inde intelligas, non solum a Præmonstratensi scriptam, sed etiam post Ordinis hujus introductionem annis aliquam multis, hoc enim significare solet particula,* Usque nunc. *Quæres, quantis?* Fr. Melchior Weirtz, Pastor S. Andreæ in Steinfelt *ejusdem Ordinis, ipsam Vitam editurus, sub approbatione adm. R. D. Ægidii Gelenii, Coloniæ ad S. Andreæ Canonici et Historiographi Archiepiscopalis, in Commentario desuper ad eum directo, nobisque Steinfeldia misso, sic præfatur:* scriptam arbitror ad annum MCL plus minus; *quando scilicet* monasterium *adhuc per Præpositos administrabatur* (quorum, *inquit Miræus in Chronico Præmonstr. quinque fuisse inveniuntur) et* adjuvante ad hoc Archiepiscopo Coloniensi Friderico, per Theodoricum Comitem de Are amphatum atque in melius reformatum est, bonisque ac reditibus amplioribus donatum anno MCXLII. *Idem monasterium deinde circa annum* MCXCIV, *Præpositis in Abbates erectis, sub horum regimine usque nunc persistit. Sed videamus argumenta, quibus prælaudatus Melchior tantam Vitæ isti antiquitatem concedendam censet: et, quod est consequens,* S. Potentinum, *ab annis quingentis et amplius, coli ut* Martyrem. *Sic enim pro anno* MCL *ratiocinatur.*

nova Vita circa an. 1150 scribitur, velut Martyris,

13 Ad eum annum referre possum officium Canonicum, quod hic localibus in anno de S. Potentino, Martyre publice et solenniter decantatur; et ex Vita hac MS. desumptum, aut hanc ex illo, certo manifestatur legentibus. Reperi quippe MS. Diurnale, quod Officium S. Potentini continet, annumque præfert MDXII. Reperi aliud, quod Collectam ejusdem Officii habet, scriptum anno MCCCCLXIV. Demum reperi scriptum Psalterium, una cum Collectis et Capitulis, in omni Officio per annum recitari solitis, ejusdem manus cum alio simili, in quo hæc verba est legere: *Liber hic scriptus est, cum aliis sibi contemporaneis, anno plus minus millesimo centesimo quinquagesimo; a veteri autem situ detersus anno* MDXLIX. Est is pergamenus et manuscriptus, valde tamen attritus, licet sæpe de novo compactus. Hic cum Collectam ejusdem Officii sancti Martyris Potentini, eamdem quæ est hodie, contineat; nullum mihi dubium est, quin eo temporis, quo liber iste scriptus est, et Officium et Vita in usu nostris fuerint; quam absque Prologo, qui in aliis exemplaribus reperitur, divisa per certas Lectiones legi solet, pro Lectionibus Nocturnorum, tempore Translationis ad XVIII Junii per totam Octavam. Vidi tertio aliud Manuscriptum Vitæ, una cum Translatione, sed ejus vetustatis, ut legere et intelligere vix potuerim; maxime quia metro et rythmis constabat, antiquum seculum valde redolentibus.

ut probatur ex libro tunc scripto:

illa ex vetustiori rythmo

14 *Hoc ultimum et antiquius ceteris MS. ut probet aliquid, debet intelligi ejusdem fuisse substantiæ, quoad narrationem eo contentam, cum Vita et Officio: vehementer autem fallor, nisi ipsum sit fons utriusque; ac proinde vereor, ne tota utriusque auctoritas refundatur in Poetam, qui ingenii sui periculum facturus, omissa veteri a Carodunensibus accepta Legenda, maluerit aliam ad stylum Romanciarum ejus ævi, licentia plus quam poetica, comminisci, et legendam obtrudere. Hoc autem posito, nimiæ simplicitatis fuerit ei adhi-*

sumpta videtur;

tere

quam secula recentiora Martyrologia.

bere fidem, et veterem ritum Officii commutare, atque pro Duce et Confessore *nominare* Levitam et Martyrem. *Interim hoc secutus Grevenus, in Additionibus ad Usuardum anni* MDXXI, *scripsit quod hoc die colatur* Natalis *(Translationem Steinfeldenses vocant)* Sanctorum Martyrum Potentini Diaconi, Felicii Presbyteri, et Simplicii Militis, in Steinfelt quiescentium. *Eadem ad verbum Germanice dedit Adamus Wallasser, editor Germanici Martyrologii, Dilingæ anno* MDLXXIII *excusi, et* XCIX *ibidem recusi; quod quia cum nostri P. Petri Canisii Præfatione de cultu Sanctorum in lucem venit, sub ejus nomine laudare solent decessores mei Bollandus atque Henschenius. Florarium Sanctorum, ejusdem seculi initio exaratum, etiam ex simili auctoritate loquitur ad diem præsentem :* Item Sanctorum Potentini et Sociorum ejus Martyrum. *Ista tamen mutatione inducta, non cogitaverunt Steinfeldenses mutandum quoque Patroni sui habitum; sed ejus imagines ac statuæ, quotquot ibi vidimus anno* MDCLXVIII, *quæque hodiedum supersunt veteres ac novæ, repræsentant Sanctum toto armatum corpore, cum lancea et duabus sagittis; congruo scilicet habitu ad titulum Ducis, quo primitus indigitabatur, quando credebatur Confessor. Ipsam Imaginem hic vide una cum effigie B. Hermanni Josephi, simili modo iisdemque locis expressa eoque libentius hic addita quod in Commentario de S. Norberto ejus meminerimus propter habitus Præmonstratensis veterem formam.*



Fama vitæ Sanctum facit

15 *His tamen præmissis, nolim adhuc perjudicet Lector, donec summam posterioris Vitæ acceperit, contuleritque cum jam data Epitomè prioris. Auctor ergo* Vitam laudabilem illustris Martyris Potentini scripto cupiens, *ut præfatur,* commendare, ut jam dudum quasi jacentem sub modio absconsionis, super candelabrum manifestationis exaltet ... Christum ipsius invocat adjutorem, *deinde sic exorditur.* Igitur S. Potentinus, nobilissimis et secundum seculi dignitatem illustrissimis exortus parentibus, gentilibus tamen, (sicut dici solet rosa de spinis procreatus est. Nam pater ejus Antimius nomine, atrox et incredulus Rex fuit Gallorum, qui speciali nomine Francigenæ nuncupantur, eisque barbarica tyrannide imperabat.

filius Regis Parisiensis.

Hic Sedem regni in urbe Parisiensi habebat. Potentinus itaque, a tempore nativitatis suæ gratia divina præventus.... cœpit ab omnibus vitiis temperare.... Christianos diligere, et eorum vestigiis tenaciter inhærere.... Parentes impii monent, increpant, ut patrios ritus observet, Deorum sacrificia veneretur..... Ventis verborum incassum tendentibus.... venitur ad verbera : Nondum Christianus pro amore Christi duriter castigatur, cruciatur, flagellatur..... In ignem tribulationis impositus, non consumptus..... frequentius et audacius Christianorum habitationes intrabat, et doctrinam eorum delectabiliter audire studebat....

AUCTORE D. P. a quo fidei causa multa passus puer

16 Cum autem placuit ei qui eum segregaverat a peccatoribus, etiam baptismi sacramentum consecutus est, cum jam quintum decimum ætatis suæ annum ageret..., cogitabatque se penitus a parentibus separare, et manifesta re Christianis conjungere. Cogitans igitur quod opportunitate loci suum posset desiderium adjuvari, ab urbe regia quasi iter unius diei recessit.... locoque solitario delectabatur, totam mentis aciem in Dei contemplatione suspendens. Sed lucerna tanta universarum virtutum diu latere non potuit, quinimo citius patuit universis... Igitur pro tanta opinione virtutum confluxerunt ad eum de diversis mundi partibus Christiani, cupientes oculo ad oculum videre, quod eis fama nuntiante fuerat revelatum .... Ibat modis omnibus proficiens ante Deum et homines, ita ut in modico tempore, docente se sancti spiritus unctione de omnibus, præ omnibus secum manentibus Christianis, clarus fieret in sapientia Dei et vitæ sanctitate ...... Perfectus autem in scientia Scripturarum, quod ante jam dudum biberat pectore sitibundo, etiam aliis ad salutem eructare curavit.... Magnas etiam virtutes per illum Dominus eo tempore operatus est : nam mulierem quamdam, quæ paralysis morbo amplius quam per annos quinquaginta laboraverat, et jugiter in lecto ægritudinis detinebatur, sola oratione et manus impositione reddidit sanitati : similiter et virum, in eadem infirmitate annos triginta habentem.

et quindennis clam baptizatus,

ab aula secesserit;

divinitusque edoctus Scripturas,

et curationum gratia præditus,

17 In Ordinibus quoque ecclesiasticis usque ad gradum Levitarum ascendens, per Dei gratiam promotus est : quem Ordinem tanta humilitatis et devotionis gratia decoravit, ut nullus dubitaret ..... quod omnes virtutes, quibus universi famulantes Domino decorantur, in tali viro quadam excellentia fierent clariores .... Cum igitur jam factus annorum triginta, in virum perfectum ætate et gratia profecisset; ad dignitatem Episcopatus, in quadam congregatione Clericorum electus est. Erant enim tunc temporis in quadam civitate Teutonici regni, in provincia Westphaliæ, in civitate quæ vocatur Monasterium, Clerici in Dei servitio congregati. Horum quidam cum fuissent peregrinati in Franciam, ubi tantarum virtutum audierant et viderant virum ...... persuaserunt ceteris Fratribus, ut B. Potentinum sibi eligerent in Pastorem ..... Missisque legatis, viris honestis et Deum timentibus, Felicio sacerdote, et simplicio laico, virum Dei ad consentiendum sibi humiliter interpellabant.

Levita sit ordinatus;

tum ætatis anno 30 postulatus ad Episcopatum Monasteriensem

per SS. Felicium et Simplicium legatos;

18 Habebat sane vir sanctus fratrem, nomine Castorem, seniorem se, et sororem nomine Castrinam, monitis B. Castoris jam munditam baptismate, licet occulte ..... Hujus fratris sui B. Potentinus animatus consilio, onerosum honorem Episcopatus acceptare decrevit ... Tempore igitur proficiscendi disposito, B. Castor cum fratre peregrinari desiderans, decrevit sororem non solam relinquere inter hostes .... Accedens igitur ad parentes, pia calliditate obtinuit, ut eam, tamquam gratia recreationis, ab urbe regia posset ad suburbana educere. Egressi itaque, fratrem sanctissimum pedetentim secuti

illuc profectus cum fratre S. Castore Presb. et S. Castrina sorore

Auctore D. P. fuerit a patruo insequente occisus cum sociis :

secuti sunt : et cum eo in loco quem condixerant convenerunt. Ab his qui cum eis erant noctis tempore elapsi, jam duorum dierum iter compleverant, cum innotuit sermo parentibus : moxque patruus eorum, vir crudelissimus .... cum immani furore eos persequens, irruit super eos et interfecit. In ipsum autem Levitam Dei Potentinum truculentius quam in ceteros sæviens, non solum gladiis, sed et ictibus sagittarum multarum corpus ejus atrociter confodit : et sic in confessione sancta gloriose consummatus est ....

corpora sepelierunt comites qui effugerant,

19 Sanctorum itaque Potentini, Felicii et Simplicii, Castoris quoque et Castrinæ sacro martyrio perpetrato, persecutor abscessit ; et Sanctorum corpora, feris ac bestiis laceranda, tortor inhumanus inhumata reliquit .... Illi autem qui fuerant in comitatu sanctorum, et mortem timentes manus tortoris evaserant fugiendo ; illo recedente, ad locum martyrii redierunt : et in eodem loco Sanctorum corpora sepulturæ, cum planctu et lacrymis tradiderunt : locum quoque ut potuere signantes, reversi sunt in patriam suam, et quod factum fuerat Fratribus indicarunt ...... Post multos autem dies, Fratres iidem ad locum eumdem reversi sunt, et effodientes thesaurum Reliquiarum sanctarum, ad ecclesiam suam deducere proponebant. Sed .... cum per descensum fluminis Mosellæ ad propria repedarent, ad locum cui Cardena dicitur pervenerunt : mirumque in modum factum est, ut Sanctorum corpora tam gravia et importabilia fierent, ut ab eodem loco nullatenus possent amoveri. Cum ergo diu casso labore fatigati fuissent ... cesserunt voluntati divinæ, cujus hæc esse opera cognoverunt ; et sepultis ibidem Sanctorum corporibus, repleti stupore vehementi in eo quod ipsis contigerat, abierunt. Locus autem, in quo super illos irruit persecuto, nullius famosi nominis erat ; sed erat juxta locum ecclesia, quæ cognominabatur Rosa, et post tempora martyrii Sanctorum bis ab infidelibus destructa est. Passi sunt autem in quodam loco amœno, in declivo montis juxta fontem, qui appellatur Roel, tertio nonas Januarii. *Qui loco fons iste, alias etiam* Regel *scriptus reperiendis sit difficile divinabit aliquis ; fortassis etiam suspicabitur, cum qui temporum nulla habita ratione, tot seculis dissita compaginare potuit, angustata fingendo ; potasse ea Scriptura mutuari nomen* fontis Rogel, *in libris Jesue ac Regum notati. Indulgentior Melchior, mallet detortum nomen credi a vico Regel ad Mosellam aliquam multis supra confluentes leucis. Idem hic verosimiliter est qui Tacito, lib. 4 Historiarum,* Rigodulum est ; *locus* montibus aut Mosella amne septus, *quem adversum Romanos* Valerianus cum magna Treverorum manu insederat, et addiderat fossas obicesque saxorum ; *non tamen defendere se potuit, quin victus caperetur a Cereali, qui* postero die Coloniam Trevirorum ingressus est, avido milite diripiendæ civitatis. *Pagum istum Dagobertus Rex cum aliis nonnullis ecclesiæ S. Maximini tradidisse legitur, in privilegio alias a nobis laudato.*

quia dum postea Monasterium per Mosellam vehuntur,

facta apud Cardenam immobilia ibi manserint :

et hæc facta dicuntur ante an. 286,

20 Sunt autem isti Martyres, *inquit Legenda posterior Vitam hic finiens,* magnæ antiquitatis : nam ante tempora S. Mauritii et sociorum passi sunt *Tempore S. Caii Pontificis.* S. Mauritius et socii, *a S. Marcellino ejus tunc Presbytero postea successore baptizati, deindeque martyrio coronati fuerunt, vivente adhuc eodem S. Caio, sub annum* CCLXXXVI ; *quo Maximianus Imperator, qui illos evocarat contra Bagaudes pugnaturus, de ipsis Bagaudibus triumphavit ; sicut obiter animadverti in Conatu de Pontificibus. Quid autem* Franci *quorum* Rex Antimius *fingitur? Fuerunt illi primum Mosam transgressi, atque indulgente Juliano Cæsare necdum Apostata in Taxandria, quæ nostra Campinia Brabantica est, sedes fixere circa annum* CCCLVIII ; *quas sedes annis fere* LXXX *post, Clodio paulatim ad Scaldim promovit occupato Cameraco, et sedem Regni Tornaci posuit. Hanc deinde, producto ad Sequanam usque regno, Chlodovæus I* Parisios *transtulit, circa annum* CCCCXC. *Westphalia, pars Occidentalis est veteris Saxoniæ, unde et nomen habet : huic autem ad fidem Christi adducendæ, simul et imperio adjungendæ, primus cum effectu intendit Carolus Magnus : qui denique subacta gente, annuis pene defectionibus molesta, Episcopatus ad eam erudiendam necessarios fundavit, interque eos Mimigardifordensem, nunc* Monasteriensem *appellatum, instituto istic sub annum* DCCCII *primo antistite S. Luidgero ; ante cujus Vitam* XXVI *Martii* § 1, *argumentum istud fuse tractavit Bollandus, in eoque scribendi de Sanctis finem fecit, nihil quod magni studii esset ultra molitus.*

quando adhuc nulli in Gallia Franci

aut in Westphalia Christiani.

Melius igitur S. Castor colitur ut Confessor ab iis qui corpus habent

21 *Non existimo pluribus opus esse, ut qui vis non omnino pervicax intelligat, istius qualiscumque rythmi unde talia accepta sunt auctorem, poetam potius quam historicum vocandum, qui nulla vel exigua rerum temporumque notitia instructus accesserit ad versificandum* de S. Potentino ; *neque sperandum Steinfeldensibus esse, futurum ut Cardenensibus Confluentinisque persuadeant, Patronum suum* S. Castorem, *cujus tota apud ipsos Vita non aliud quam* Confessorem *sonat, coaluisse sibi ut* Martyrem ; *aut ei jungendam* S. Castrinam *sororem, nullo alio argumento sibi notam. Viderint porro Steinfeldenses, an vel ipsi sibi persuadere ultra possint, aliquid solidæ veritatis, tali Vitæ subesse. Non equidem ignoro quod eorum Abbas Balthasar Panhausen miserit compendium talis Vitæ Jacobo Mollano, Ordinis Prædicatorum viro erudito, communicandum cum Auberto Mireo, Chronicon Præmonstratense sub annum* MDCXIII *concinnanti, prout huic illud insertum legitur pag.* 47. *Habent etiam nobisque miserunt Commentarium, quem suus Melchior concinnavit, ad complanandas quasdam primo intuitu occursuras difficultates. Confido tamen quod his consideratis nemo inter ipsos futurus sit quantumvis obfirmatus ad titulum Martyrialem retinendum, qui Martyrii historiam, uti traditur tueri perget. Quin potius existimo optaturos plerosque, ut resumpto veteri usu, proculque ablegatis* Levitæ ac Martyris *titulis, honoretur* S. Potentinus *conformiter suis imaginibus ac statuis, ex majorum invariata traditione acceptis, ut* Dux, *sive Miles,* et Confessor ; *non Parisiis ex Francorum nondum Christianorum Stirpe ; sed ex veterum Aquitanorum, Romana religione ac lege utentium, prosapia nobili, ex qua etiam* S. Maximinus, *ac fortassis etiam* S. Castor *processit. Id ut facerent auctor esset noster Joannes Grothusius, si viveret, ut constat ex ejus litteris quas habemus ad Bollandum datas anno* MDCXXXIV : *Ego nihil præscribere ipsis volo, solum ostendi quam nullo fundamento fulciatur traditio de Martyrio* S. Potentini : *quamvis huic data fides, fortassis causa fuerit, cur illius statua, non solum cum militari hasta in manu repræsentetur ; sed etiam cum sagittis, quasi ex postrema Legenda sumptis, melius judicio meo omittendis.*

Quidni etiam sic denuo colatur S. Potentinus?

§ III. *Eruditi cujusdam Steinfeldensis commentario controversia expenditur, et cultus Confessoris antiquior certiorque esse probatur.*

Petrus Rostius, an 1626.

H*actenus fueram commentatus pro titulo Confessoris restituendo, cum beneficio hodierni Abbatis Ampliss ac Reverendiss. Michaelis Keul, accipio eruditum Commentarium de prænotata controversia, a R. D. Petro Rostio, Canonico Steinfeldensi, scriptum anno* MDCXXIV ; *eo fine ut Heriberto Rosweido nostro, Vitas Sanctorum grandiori, quam Surius ediderat, opere colligere*

colligere pollicito, usui foret, ad dijudicandam causam totam; quemadmodum Auctor ad commentarii istius calcem profitetur. Quod ipsum inter relicta a Rosweido cœptæ collectionis monumenta non reperiemus, argumento mihi est missum numquam fuisse; quod autem missus non sit, suspicor factum per eos, qui titulum Martyris *manu tenere cupientes, Vitam cum Officio ut tunc legebatur typis mandari cupiebant, sub auctoritate Gelenii, uti supra num.* 12 *dictum. Nunc cum Steinfeldenses profiteantur, nihil se in suorum Patronorum cultu aliud spectare quam Veritatem, vel saltem ejus majorem similitudinem: libenter prænotatum commentarium hic alteram, sicut eum accepi.*

proponit Rosweido

23 Duæ dissimiles de S. Potentino sociisque extant Historiæ seu Vitæ. Nam præter eam, quæ hic apud nos in vetusto reperitur codice, alteram, ex Bodecensis in Wesphalia Monasterii Bibliotheca erutam, Venerandus Christi Sacerdos D. Conradus Lutenus ante octodecim annos nobis transmisit. Nostra Steinfeldensis Vita habet, B. Potentinum Antimii, Regis Gallorum Ethnici filium, Ordine Diaconum, una cum Castore fratre, et Castorina sorore, et Felicio Presbytero et simplicio Laico, Cleri Westphalo-Monasteriensis legatis (qui ipsum iis Episcopum postulaverant) Martyrio Coronatum esse. E contra Bodecensis illa Vita habet, B. Pontentinum fuisse Aquitaniæ Ducem et Confessorem a religiosissimis parentibus, in Dei timore ad omnigenas virtutes optime educatum; Matrimonium intra secundum castitatis gradum iniisse, et Felicium simpliciumque filios procreasse: ac demum Aula Regis Aquitaniæ et omnibus relictis una cum filiis peregrinationem ad loca Sancta suscepisse; et sic variis peragratis Regionibus Treviros quoque venientem a B. Maximino Episcopo, etiam Aquitano ac nobili, devote susceptum, et Charitative habitum, et vitæ solitariæ desiderio flagrantem, ægre tandem ab eo dimissum ad locum secus Mosellam, Carodunum dictum: ibique B. Castori, Presbytero et Eremitæ Sanctissimo, se adjunxisse; a quo in extremo vitæ munitus Sacramentis et sepultus fuerit.

Legendas duas, quarum una Martyrem, altera Confessorem Potentinum facit,

24 In præcipuis tamen punctis utraque Vita concordat, videlicet quod S. Potentinus ante annos circiter Mille trecentos claruerit, et vir fuerit Sanctissimus, clarissimis in Galliis ortus natalibus, arctamque viam quæ ducit ad vitam, a puero ingressus: quod aula relicta, egressus sit de terra et Cognatione sua, Sanctos Felicium et Simplicium, itineris seu peregrinationis suæ comites habens: quod locis solitariis delectatus, et S. Castoris Sacerdotis usus sit consiliis, etiam in vita multis clarus miraculis; quod ipse et Sociis Cardenæ sepulti, et eorum merita multis a Deo declarata sint miraculis, et Christi fidelibus eos invocantibus varia præstita Beneficia: Quod Sibodo, vir religiosissimus et Nobilissimus, post revelationem sibi factam, horum trium Sanctorum Reliquias, Trevirorum Episcopo Consentiente, ad prædium suum Steinfelde (in quo postmodum, Sanctimonialium ab eo fundatus sit Conventus) transtulerit; quodque festum sancti Potentini Felicii et simplicii XVIII die Junii Celebretur.

alias in multis concordes;

25 Ista vita, quæ hactenus hic extitit, vel ideo fidem mereri videtur, quod modernum de Patronis officium in omnibus cum ea conveniat: quod officium non multo minus quam trecentis annis frequentatum esse, vetustiores Ecclesiæ nostræ Codices convincunt. Adhæc Tumba seu Capsa SS. Patrononorum hanc antiquam extrinsecus habet inscriptionem; S. Potentinus Martyr. Et Canisius in suo Kalendario Ecclesiastico ad XI Januarii sic habet, *Steinfeldiæ Translatio etc.* et ad XVIII Junii sic: *Natalis Sanctorum Martyrum Potentini Diaconi Felicii Sacerdotis, et Simplicii Militis.* E contrario, Vitam istam Bodecensem, quæ S. Potentinum Confessorem, et BB. Felicii et Simplicii patrem fuisse memorat, ante hanc modernam hic Steinfeldiæ extitisse, et fide dignam fuisse habitam, quoddam antiquissimum de patronis officium missæ demonstrat; quod isti Vitæ Conforme, apud nos reperitur in Missali ante annos quingentos vel circiter scripto: nam eadem manu, qua utraque pars majoris istius lectionarii in Choro nostro, exaratum est. Eo Missali prælatos hujus loci olim usos fuisse, inde colligi potest; quod solum præcipuarum solemnitatum contineat officia, aureis litteris initialibus insignita, omissis Epistolis et Evangeliis, quæ a Diaconis cantantur. Rasus quidem et mutatus est in prædicto codice seu officio de patronis Introitus, itemque Offertorium et Communio: sed ea primitus fuisse, *Justi epulentur, Mirabilis Deus,* et *Ego vos elegi,* partim ex rasuræ vestigiis, partim ex codice æque vetusto probari potest. Collectæ sunt eædem cum modernis, nisi quod pro erasa dictione *Confessorum,* recentiore manu posita sit vox *Martyrum,* Graduale, *Exultabunt Alleluia. Lætamini.* Evangelium et Epistola in textu Evangeliarii æque vetusto sunt rasa et mutata. Sequentiæ hoc initium: *Plangat dulcedo Vocis organicæ* et paucis interjectis sequitur: *laudans Deum in Sanctis suis mirabilem,* et post aliquot versus, *Inter quos cum filiis, ejusdem vitæ* æternæ) *heredibus, Potentinus potenter tripudiat in Cælestibus.*

isti inhæret vetus officium 3 seculis antiquius

AUCTORE D. P. atque Canisius.

Alterius major antiquitas probatur

ex Missalibus ante 500

26 Eadem missa habetur in Fussenich, in Codice ante annos, ut videtur quadringentos a Virgine quadam scripto: in cujus Kalendario ad XVIII Junii sic habetur *Potentini Confessoris et Sociorum ejus.* Introitus, *Justi epulentur.* Collecta, *propitiare quæsumus Domine nobis famulis tuis, per Sanctorum Confessorum tuorum Potentini, Felicii, et Simplicis merita gloriosa etc.* Epistola, *Justi autem in perpetuum vivent.* Graduale, *Exultabunt Sancti. Lætamini.* Evangelium, *sint lumbi.* Offertorium, *Mirabilis Deus.* Communio, *Ego vos Elegi.* Cum hoc antiquiore Missæ Officio et præmemorata Bodecensi Vita quoque Conveniunt hæ: quæ; Reverendissimo Domino Christophoro Pilckman Abbate moderno teste, in ipsa capsa intrinsecus reperiuntur Sanctorum Reliquiarum inscriptiones: *Caput S. Potentini Confessoris S. Potentinus Confessor S. Simplicius Conf S. Felicius etc.* Quod autem eadem Tumba extrinsecus hanc habeat inscriptionem *S. Potentinus Martyr:* Dici posset: Tumbam istam fortasse interea temporis quo patroni nostri cœperunt credi martyres, fuisse fabricatam; vel aurifabrum per errorem S. Potentinum Martyrem titulasse, et sic erroris non levis occasionem posteris præbuisse. Quod vero Canisius in Kalendario suo Ecclesiastico SS. Patronos nostros ita ascripsit. *Steinfeldiæ SS. Martyrum Potentini etc.* Hoc non aliunde putandus est habere, quam ex Usuardi Martyrologio ante centum annos a Carthusianis Coloniensibus cum additionibus edito; qui patronorum nostrorum nomina, diem, et historiam ex nobis didicerint.

et 400 annos scriptis,

item tituli Reliquiarum.

27 Martyrologium nostrum Steinfeldense sic habet ad X Januarii *Passio Sanctorum Martyrum Potentini et Castoris fratrum et Castrinæ sororis eorumdem; qui tam genere quam virtutibus præclari ob Christi Confessionem, cum sanctis Felicio et simplicio Martyrii palmam adepti sunt.* Ast vero XIII Februarii sic habet: *Apud Cardoram S. Castoris Confessoris,* nosque cum Confluentinis, qui ejus gaudent reliquiis, et cum tota diœcesi Trevirensi, hac die 13 Februarii festum B. Castoris tamquam vere confessoris agimus. An non igitur recogitare et dubitare deberemus, num recte nuper 10 Januarii festum passionis et socio-

rum

Sic etiam S. Castor ut Confessor colitur.

A AUCTORE D. P.

rum Celebraverimus? S. Castorem legimus a parentibus nobilissimis B. Maximino Trevirorum Episcopo traditum erudiendum, et cum ab illo optime educatus et Presbyter esset ordinatus, mundo spreto Eremum ingressum, ibi die nocteque Deo in omni sanctitate servivisse, anno autem Christi cccc in pace quievisse, et Cardonæ sepultum, ac postmodum Confluentiam latum esse; unde probabilius videtur, eum ex Gallia Belgica et fortasse ex ipso Episcopatu Trevirensi, quam ex Celtica vel Aquitania oriundum fuisse. Si ergo Vita nostra Steinfeldensis in eo errat, quod S. Castorem filium Regis Franciæ et martyrem asserit fuisse, quis judicet ei, idem de S. Potentino affirmanti, necessario esse credendum? adde quod eumdem videamus in grandi sua lignea statua effictum in habitu cataphracti Ducis cum scuto liliato, quales etiam figuræ in quibusdam vetustis paramentis extant pictæ; unde facile apparet, quam opinionem illarum authores habuerint de nostro S. Patrono, ejusque cum in has partes ex Gallia advenit statu, non Presbyterali (ut nostra nunc fert legenda) sed Laicali, qualem indicant Acta Bodecensia.

B

Surius merito omisit Acta,

26 Fertur Surius vitam SS. Patronorum nostrorum suis Tomis inserere recusasse; quod non adeo mirum est. Nam iis temporibus, quibus illa Vita S. Potentinum claruisse refert scilicet ante tempora SS. Martyrum Mauritii sociorumque, qui passi sunt Anno Christi CCXCVII Francia nondum habuit Reges, quorum, post Duces, Pharamundus primus fuit an. CCCCXIX; nec ullus Francorum Regum nomen Antimii habuit, nec aliquis Parisiis resedit ante Clodovæum qui an. CCCCXCIX ad fidem conversus ibi sedem regni constituit: neque S. Potentinus ante mille trecentos ut potuit a Westphalis postulari Episcopus, qui ante octingentos vix, ut fidem Christi susciperent, a Carolo magno Cogi potuerunt. Hic vero Episcopatum Mimingevordensem (Monasterii nomen locus ille postmodum accepit) primus erexit; eique S. Lutgerum, qui an. DCCCIX obiit, primum præfecit Episcopum.

ut præmature fingentia Reges Franciæ,

et Episcopos Monasterienses

27 Etiam id tempore translationis et Sociorum non concordant historiæ. Habet Vita nostra Steinfeldensis S. Potentinum, Castorem Sociosque Cardonæ sepultos esse. Et prope finem, nulla facta S. Castoris mentione vel exceptione, eosdem sanctos dicit exhumatos et Steinfeldiam translatos esse: dicit tamen Deo Volente Reliquias nostrorum esse Divisas ut diversis locis provideretur de Patronis, et Deus pluribus locis in suis sanctis laudaretur. Habet quoque Vita utraque, Sanctorum Patronorum Corpora ad prædium Steinfeldt esse translata ante monasterium ibidem fundatum, cujus Ecclesia, secundum Annales nostros, anno DCCCCXX constructa est: ante quam ecclesiam, ibi Sacellum aliquod extitisse videtur. Ast juxta Bibliothecæ nostræ Chronicum Trevirense MS. S. Castor facile centum annis ante B. Potentinum Translatus fuit; sic enim habet: *Hettus Episcopus Trevirensis* anno XXIII *Imperatoris Ludovici Caroli Magni Filii,* (is fuit annus Christi DCCCXXXVI) *a S. Materno in visu admonitus, Corpus S. Castoris, de loco qui Cardona dicitur Confluentiam ad monasterium, quod ipse Construxerat, asportat, quod pridie idus Decembris consecravit in honorem S. Castoris et omnium Confessorum: et post Consecrationem Sanctum Corpus in Ecclesiam recondidit, ibique Ludovicus Imperator multa dona præsentavit.*

maleque differentia S. Castoris translationem;

C

28 Quoad tempus quo SS. Patroni nostri claruerunt, ait Vita nostra Steinfeldensis: martyres istos magnæ antiquitatis esse et ante tempora S. Mauritii sociorumque ejus passos, qui passus legitur ante annum Christi CCC: secundum vitam Bodecensem SS. Patroni vixerunt temporibus S. Maximini Trevirorum Episcopi, qui S. Severinum Coloniensibus præfecit Episcopum et S. Athanasium exulem, et S. Potentinum cum sociis hospitio suscepit et B. Castorem educavit et Presbyterum ordinavit. *Hactenus Rostius qui deinde prædictorum Sanctorum chronologiam ex Cratepolio aliisque sic deducit, ut oporteat S. Potentinum si illis contemporaneus fuit diu post Thebæorum tempora seculo* IV *ultra medium deducto obiisse. Eorumdem tempora certius definita habere qui volet, legat Henschenii Commentarium ad* XXIX *Maji, et inveniet S. Maximinum ordinatum Episcopum anno* CCCXXXII *vitam prorogasse usque ad* XLIX; *Sanctum vero Castorem quem ille Presbyterum ordinavit et a quo S. Potentinus sepultus esse dicitur in Vita Bodecensi existimat Bollandus, ad ejus Vitam* XIII *Februarii, differri posse usque ad seculi istius annum* LXXIX; *quod non male convenit cum opinione, Confessores omnes faciente. In quam propensior idem Rostius sic progreditur.* Iisdem fere temporibus, quibus B. Potentinus, etiam Claruerunt S. Paulus primus Eremita et B. Antonius quorum recens exemplum, sanctum Castorem et Potentinum sociosque secutos esse, aliquis suspicetur, obiit S. Paulus anno CCCXL, S. Antonius anno CCLVI, B. Athanasius qui virtutes S. Antonius noverat, et referens aliis haud dubie narrando propalavit, eo venerat anno CCCXXXVI.

ætatem vero Potentini anticipantia.

D

E

29 Sanctus tamen Patronos nostros non nuper cœpisse credi et coli martyres, inde Colligitur, quod Officium, in nostrorum festo cani solitum circa annum Christi MCCCLII scriptum sit manu F. Wilhelmi Gressenick qua et Vita S. Potentini: quæ hic extat, videtur exarata esse; et fortasse Wilhelmus hic tam officii, quam Vitæ fuit author. Cantus officii, qui Suavissimus est, fertur Coloniæ alicubi extare, unde eum author quiscumque fuerit putatur esse mutuatus. Wilhelmus de Gressenich qui Weinrico Rumscuttel Abbati resignanti seu Deposito successit, nec multo post resignavit et ipse, vir doctus fuisse videtur; et non nulli extant divini officii libri, ipsius manu pulchre scripti. In horum duobus adjecit in fine, aliquot Hexametris leoninis seu rhythmicis, annum Currentem, nomen suum, et nonnulla quæ illo anno contigerunt; unde Colligitur, eum quoque Vitæ Beati Joseph, eodem metro constantis et ipsius manu scriptæ, authorem esse. Potuit successu temporis, dum hic Steinfeldiæ monialibus monachi, et Springersbacensibus Præmonstratenses successerunt, maxime autem sub funesto illo monasterii statu, quando canonicos habuit nobiles, prior illa et verior patronorum vita intercidere, et inde paulatim talis ignorantia et error oriri, ut crederentur martyres, qui fortasse fuerunt Confessores. Certe de prædecessorum incuria et rei tam arduæ oblivione conqueri videtur Auctor vitæ nostræ Steinfeldensis, dum ita loquitur in Prologo: *Vitam laudabilem illustris Martyris Potentini, scripto cupiens commendare, ut jam dudum quasi jacentem sub modio absconsionis, super candelabrum manifestationis exaltem, Deum invoco Auctorem etc.* Vitam autem illam ab aliquo Religioso Steinfeldensi Norbertino scriptam esse ex ultimo ejusdem capite apparet, ubi exacte describit, quot annis ibidem a monialibus, quotque a Springerbacensibus Deo servitum et quando Præmonstratensium Ordo sit introductus.

opinio Martyrii videtur seculo 14 nata,

verioribus Actis jam deperditis

F

30 In latina rhythmica fundationis nostræ seu Bonscharianti historia, quæ incipit

Puer quidam semine claro generatur
Proprio qui nomine sibodo vocatur.

In ipsa rithmorum serie post narrationem elevationis Reliquiarum SS. Patronorum nostrorum sequitur potior prædicti officii pars, videlicet omnia novem responsoria ac deinde sex antiphonæ; tum demum

quid sentiendum de Veteri Rhythmo postea composito?

perdit

A pergit translationis historiam texere, acsi unus idemque utrarumque esset auctor. Sed hoc nemo facile dixerit, cum illa historia videatur fabulosa continere, et in Responsorio, *lucerna tanti luminis nequivit latere*, fabulatur, quasi debeat de Sanctarum Reliquiarum Thesauro e terræ latebris eruto intelligi, quod in officio Patronorum intelligitur de beato Potentino in locis Solitariis latere et nesciri cupiente sed non valente, quia Christi fideles, percrebrescente sanctitatis ejus fama, undequaque ad eum ventitabant. Eadem historia seu potius fabula Bonscharianti non levi fundatorem nostrum afficit injuria quem utraque tam Steinfeldensis quam Bodecensis Vita virum describit admodum religiosum, talemque cui Deus Beatas Patronorum Reliquias revelare dignatus sit. Affirmat autem Poeta illum sanctæ Crucis signo non solitum se munire et scientem ac lubentem ministerio et opera usum fuisse sui Bonscharianti, ipsum non tantum per aera quo peteret vehentis, sed etiam nonnumquam hostes suos sternentis invisibili et horribili Dæmonis specie etc. Imo, quod turpius est, non veretur addere, Bonscharianti indicio sacras illas Reliquias B inventas esse, ideoque merito vulcano traderetur tota istæc fabula, Credibilius est et fortasse de Sibidone et Bonscharianto intelligendum quod Cæsarius Heisterbacensis lib 5 rerum memorab. cap. 36, narrat de quodam milite seu nobili viro, cui Dæmon in venusti adolescentis specie diligenter et fideliter deservierit, ipsumque aliquando dum eques cum eo iter ageret, hostibus cinctum per magnum fluvium, vadum ei ostendens, traduxerit; uxorem quoque suam ad mortem ægrotantem, lacte leænæ, unius horæ spatio ex Arabiæ montibus allato sanaverit, quem miles dæmonem esse hinc advertens, statim dimiserit.

Officii antiqui reliquiæ.

31 Officium antiquum de Patronis fortassis alicubi reperitur totum in antiphonariis vetustis hic scriptis, quales sunt in Ruestrin, Tulpeti, Dudorff: et ejus pars esse videtur responsorium sequens, quod hic extat: *Domus orationis, Sanctorum Corporum Reliquias continens, cœlestibus redundat beneficiis: in qua cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, dæmones effugantur* ℣. *super aspidem et Basiliscum ambulatur, leo cum dracone* Conculcatur. Item Antiphona ista, *Potentine præpotens, Cœli sacer incola, in supernis renitens tamquam stella fulgida: simplice Simplicio, felice Felicio tibi sociatis; subveni C clientibus, criminum ponderibus nimis prægravatis.* Item ista, *Benedictus Dominus, qui sicut locutus est erexit cornu salutis fideli populo, meritis Sanctorum removens nocentia, tribuens optata, fœcundans tempora, largiens prospera, ut sine timore serviamus ei in sanctitate et justitia.*

§. IV. De Translatione veteri metro descripta, deque Reliquiis hodie extantibus.

Inter miracula translationis

Non *meretur Boscarianti Historia, seu potius fabula, ut publicæ luci detur tota: quia tamen vel ejusdem Auctoris est qui Sanctorum Vitam rhythmice descripsit, necdum mihi hactenus repertam, vel eamdem præ oculis habuit; potuit ex hac accepisse quædam Translationis miracula, sicuti ex officio transcripsit Responsoria et Antiphonas. non fuerit igitur prorsus inutile partem aliquam ejus depromere. Postquam igitur insulsus poeta induxit sybodonem de nova Steinfeldiæ a se structa ecclesia, Sanctorum Reliquiis cohonestanda, consultantem cum suo Bonscharianto, et hunc coegit indicare corpus.*

Potentini Martyris maxime potentis.
Cum suis aptissimæ Cardonæ jacentis,
Sic prosequitur.

Auditis sermonibus his omnes festinant,
Treviri Primatibus se prece inclinant,
Pro translationibus Martyrum Sanctorum:
Annuit his precibus chorus Prælatorum...
Monachi cum Clericis Patronis inventis,
Cum hymnis et canticis et cum canamentis,
Celebrant consocia exultatione,
Festum et prodigia de Inventione.
Fit concursus undique magnus populorum,
Morbus omnis denique sanatur ægrorum.
Signa quæ Inventio Stephani notavit
Ista revelatio recapitulavit.

D AUCTORE D. P.

actæ ex consensu Trevirensium,

33 *Presbyteri Luciani Epistola, de Inventione S. Stephani, solum meminit suavis fragrantiæ ab invento thesauro erumpentis et pluviæ opportune decidentis: ad aliam ergo Historiam respicere videtur Auctor, illam scilicet quam fabulosam judicavit Baronius; et cujus ineptias coactus fui distinctius propalare, in meis ad Exhibitionem imputatorum mihi perperam errorum Responsionibus, Art.* XII. § 1. *Ibi legitur quod*, Venerabilis Papa Pelagius una cum Clero.... usque ad Basilicam B. Petri, quæ dicitur ad Vincula, Corpus venerabile secutus est.... et nitebantur illuc introducere; quod dum sæpe tentarent, et nihil proficerent; tandem lassi quieverunt: *donec scilicet diabolo per os energumeni loquente, didicerunt, velle Sanctum Reliquias suas poni juxta Corpus S. Laurentii. Certiora quam istud sit immobilium simili occasione Reliquiarum exempla, potuisset ex melioribus Sanctorum Actis Poeta adducere; imo huic quod narraturus erat facto viciniora; ubi nempe immobilitas talis indicio fuit, gratum sanctis fore si istic aliqua sibi oblatio fieret, prout hac occasione factum affirmatur sequentibus versibus.*

recensetur immobilitas corporis,

E

Potentino propria Comes offert dona.
Quæ sunt prima libere Ellens tanta bona....
Comes de Reliquiis gloriatur vere,
Procedens cum sociis prima nocte Wehre.
Mane vult procedere: suique sodales,
Venientes prope Monasteriales,
Dicunt; Aut periculum tristes dabit mentes,
Aut magnum miraculum faciet gaudentes:
Quia Sanctuarium deferre nequimus,
Nec levare scrinium, omnes cum velimus.
Dicit illis Sybodo Æstimo quod vere
Patronus omnimodo plus velit habere.
Potentino tribuit iterato dona,
Libere qui habuit Wehre sua bona.
Post hoc Offertorium Sanctus consolatur,
Leve Sanctuarium fit et deportatur.

qua motus Sybodo Comes

Ellensi prædio addidit alia

F

34 *Seniores populi dicunt, et hoc vere,*
Quod frequenter anguli, in quibus stetere
Martyres immobiles, gramina virescant,
Et inviolabiles flores ibi crescant.
Wyterscheidt Reliquiis dum Comes procedit:
Sic cum attinentiis illud totum dedit.
Versus Nechtersheim processio tunc movit,
Iterato primum donum renovavit;
Dicens: O Sancte Potentine Martyr Christi,
Qui meum digne recipere meruisti
Donum primum, habeas et Nechterscheim cum [illo;
Integrum accipias, nil inde tenebo:
Vindex ut sis super illos male tollentes.
Sic, rogo, plaga illos male regentes.
Surge Potentine, inglorios et redde
Raptores, prosterne simul qui spernunt te.
In munus perpetuum sic facit heredem,
Æternorum fructuum capiat mercedem.
Postquam hæc Reliquiæ terram intravere,
Populi provinciæ in unum convenere,
Patronum suscipiunt digne venerantes.
Vocibus incipiunt Domino cantantes

et rursum alia

Monachi

Auctore D. P. In Nechterscheim fons excitatus.

Monachi cum Clericis Te Deum laudamus,
Rustici cum laicis, Gratias agamus.
Hinc homo per devium venit festinanter;
Indicit silentium velut indignanter:
Terram terit baculo: adstantes mirantur;
Dicit ergo populo: Si Sancta tractantur,
Fons de terra prodeat, bibant sitientes;
Signum hoc appareat, satiet egentes.
Fontem trahit baculus, nova Testamenta;
Bibit omnis populus simul et jumenta:
Arbor fit de baculo; videntes mirantur,
Homines miraculum, fons arbor testantur.
Levantur Reliquiæ cum devotione,
Conventus ecclesiæ cum Processione
Occurrit, et suscipit tam dignum Patronum,
Cum quo sane recipit tam honestum donum.

35 *Supra Laudatus Melchior in suo ad Gelenium Commentario testatur in quodam MS. legi duo vel tria miracula istius Translationis; nec dubitare possumus quin hæc illa ipsa sint, ipsumque MS. hæc eadem Historia rhythmica; quia eorum unum* ait esse de fonte in Nechterscheim, qui ad solatium sitientium emanavit huc usque satis nominatus. *Habuerit ea Auctor ex populari traditione, ex qua et ex sui Monasterii monumentis, mirum est non habuisse eumdem notitiam sancti monialium prius ibi a Sybodone collocatarum, sed ubique meminisse Monachorum, quasi hi, non illæ, primitus istic collocati fuissent. Quapropter operæ pretium foret utriusque fundationis seu donationum a Sybodone et Theodorico Comitibus illi loco factarum instrumenta huc apponere; si ea ex Archivio Steinfeldensi aliquando accipiamus.*

Carodunenses Steinfeldensibus,

36 *Debit ea fortassis, una cum aliis multis, nova quam Eruditi illi Religiosi moliuntur Historiam Monasterii. Interim ad rem præsentem propius facit quod Capitulum Carodunense, felicibus Steinfeldensium successibus congratulans, suam eis Fraternitatem obtulerit, eorumque vicissim expetierit per litteras anno* MCCXXVIII. *Harum initio præfantur illi, istud faciendi occasionem sibi Dari ex eo quod ipsorum S. Castor filius fuerit S. Potentini quos legenda Steinfeldensis fratres fuisse Vult credi, et Bodecensis antiquior nulla affinitate connectit: hinc autem intelligitur, quam parum inter se concordes fuerint utriusque loci de suis Sanctis Patronis traditiones jam inde a principio utriusque Ecclesiæ et Sanctorum Corporum ad eas translatione. Sufficere tamen potuit ac debuit ad confraternitatem mutuam optandam et colendam, quod certo constaret Reliquias S. Potentini Caroduni olim requievisse, et hinc Steinfeldam translatas fuisse. Igitur ipsarum litterarum tenorem, sicut eas Steinfeldia accepimus, hic lege:*

anno MCCXXVIII,

37 *Reverendo ac spiritualium Virtutum undique in Christo fundato Domino Machario Abbati totique Conventui Ecclesiæ in Steinfeldt, Iggebrandus Præpositus, Godefridus Decanus totum Capitulum et Conventus Ecclesiæ Cardonensis devotas in Domino Orationes et æternam in Christo salutem. Quoniam inter Patrem, Patronum vestrum videlicet Potentinum et filium suum Patronum nostrum Sanctum Castorem, verus amor tam Carnalis quam spiritualis, pura fides et perpetuæ devotionis affectus finem ignorant et otium; quæ utilia sunt et optima atque animabus nostris salubria, Ecclesiis Conventuum nostrorum quæ piæ suademus et petimus non differunt operari ut quanto magis valemus in Domino vestra nobis et nostra vobis semper Oratio permaneat memorialis. Nostra igitur decrevit Communio Communioni vestræ quidquid in Orationibus ceterisque bonis facere valuerit, fideliter impertiri. Unde omnium beneficiorum nostrorum cum plena firmitate et perfecta Caritate vobis et Congregationis vestræ successioni concedimus Communionem. Præterea si quis de fratribus vestris ad locum nostrum devenerit vel per nos transierit, Præbendæ nostræ sicut unus ex nobis perceptione gaudebit. Hoc igitur factum, ut vobis et successoribus vestris firmum in perpetuum relinquamus, præsens scriptum sigilli nostri impressione Confirmamus; et idem Nobis a Vobis per omnia fieri postulamus. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis,* MCCXXVIII.

Arca anno MDXCII effracta dissipatis Reliquiis et anno MDCXV reparata,


38 *Restat ut de ipsis Sanctorum Reliquiis hodiedum superstitibus dicamus. Fuerunt eæ a tempore immemorabili sic inclusæ arcæ eidem ligneæ, auro et coloribus illustratæ, ut exponi ad venerationem in Altari, et circumferri ad supplicationes possent. Talem invenerunt qui anno* MDXCII *die* X *Januarii Monasterium invaserunt Hollandi prædones: et occisis duobus præsidiariis militibus, qui Ecclesiam tuebantur, ceterisque fugatis, omnia deprædati, sacram quoque Arcam effregerunt et per pavimentum disperserunt Reliquias intus repertas. Collegere disparsas regressi Fratres, et in eumdem Arcam recluserunt: quam cum Anno* MDCXV *utcumque reparandam curavisset ejus temporis Abbas, ibidem sacra pignora reclusit quatuor pannis sericis involuta:*

quid nunc contineat

Quorum primus quid contineret indicabant schedulæ veteres tres pergameneæ, inclusæ totidem schedis novis, veterem et fere exoletam scripturam sic innovatam repræsentantibus I. De ossibus et sepulchro Patronorum nostrorum II. Reliquiæ S. Potentini Confessoris et S. Simplicii. III. *S. Simplicius, secundum pannum cum Anno* MDCXCVII *modernus Abbas Michael Keule, aperiret, quæsiturus num scriptura aliqua, quæ nulla aforis apparebat, saltem intus lateret, nullam reperit, novoque lineo panno obvolutum veterem, sicut invenerat, reposuit intra Arcam prædictam. Super tertio panno inveniuntur schedæ duæ, sic inscriptæ, Prima* Reliquiæ S. Felicii Confessoris. *Secunda*, S. Felicius. *Hactenus reverendissimus præfatus. De ipso S. Potentini Capite addens eidem similiter adscripta fuisse hæc verba,* Caput S. Potentini. *aliud quoque Caput in eadem Arca reperiri, Cui inscriptum* undecim millium Virginum; *quod suspicatur esse S. Gertrudis Virgunculæ, a B. Hermanno Colonia allatum, prout fuse narratur in ejus Vita Trac.* I. *Cap. 5. Arcæ prædictæ formam placet hic etiam, ære expressam adjungere:*

tribus in sacculis

cum capitibus S. Potentini, et unius Ursulanæ



Maxillæ pars una in Wehr,

39 *De aliis alibi Reliquiis necdum comperi, nisi quod intelligam os maxillare bifariam divisum haberi in duabus Parochiis, quarum una jam inde a partem dimidiam principio S. Potentino dedicata Wehrensis accepit, dono Reverendissimi Christophori Pilckman anno* MDCXXXV *Abbatis Electi; prout scriptum reperio in Epistola quam D. Henricus Firmenich loci Pastor dictavit, asserens quod alteram medietatem isti plane similem ipsemet viderit in sayna Anno* MDCLIX, *in choro intra Reliquiarum ad sinistrum latus Altaris, cum inscriptione* S. Potentinus. *Est hic prædictæ Parochiæ Webrensis Patronus primarius, ejusque ibi festum celebratur maximo cum accursu locorum circumjacentium: unde non tantum illo die sed etiam per annum totum multi accedunt voti causa, missasque legi curant ob specialia sanitatis beneficia, quæ sæpius ex voto ad hunc sanctum Patronum facto perceperunt: præsertim ii, qui vel plane cæcutiunt vel notabilem atque immedicabilem aliquem in oculis defectum patiuntur.*

ubi frequens oculorum curatio

A *probata experimento anni MDCLIX.* 40 Id meo tempore, *inquit Præfatus pastor*, experta fuit quædam mulier in sua filia in Hersbach in Kesnigerthall, quæ multis in medicos frustra erogatis, deque remedio filiæ oculis per eos obtinendo desperans, tandem peregrinationem votivam huc faciendam suscepit, et desideratum beneficium recepisse se mirata est, prius etiam quam votum compleret. Complevit autem ipsum Anno MDCLIX in festo S. Potentini una cum filia. Vidi ego eo die, post Divina peracta, mulierem istam cum filiola ante altare et statuam sancti orantem cum lacrymis. Domum autem reversus et quid vidissem narrans iis, quos ad festum invitaveram, simulque mulieris habitum D statumque describens, a Pastore Vicino D. Mathia *Auctore D. P.* ex Ridden qui et ipse devotionis causa advenerat, intellexi mulierem esse ex Hersbach, quæ ipsa nocte apud eum hospitata narrasset, quomodo filia sua ad invocationem S. Potentini curata fuerit. Misi continuo qui requisitam in Templo fœminam ad Dominum pastoralem deduceret, ut et nomen et circumstantias facti reliquas accuratius discerem; sed frustra id fuit in tanta hominum multitudine: quare satis habui hoc ut potui ad meam aliorumque memoriam scripto mandare.

DE S. LEONTIO PASTORE

A GRÆCIS HONORATO.

G. H.

Notitia ex Synaxariis duobus MSS.

B Retulimus supra ad hunc diem, S. Leontium *celeberrimum Tripoli in Phœnicia Martyrem: de quo cum longissimam elogium esset productum, in antiquo MS. Synaxario Ecclesiæ Constantinopolitanæ; additur* Μνήμη τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Λεοντίου, τοῦ ποιμένος, τοῦ κειμένου πρὸ τοῦ ἄστεος: memoria sancti Patris nostri Leontii, Pastoris, prope urbem sepulti. *Eademque leguntur in MS. Divionensis collegii. In Vitis Patrum fit mentio aliquot virorum piorum,* Leontii *nomine appellatorum, sed non potuimus colligere de hoc S. Leontio Pastore quis sit aut quæ sit urbs, prope quam esset sepultus.* Ἄστυ, Urbs: *quod vocabulum peculiare fecerunt* Athenienses *urbi suæ, hinc et* Ἀστοὶ *et* Ἀσταὶ cives Athe- E nienses *erant. Eo modo, quo* Πόλις, civitas *peculiariter dicebatur* Alexandria, *et* Urbs *hoc ad hunc tempore* Roma. *An ergo prope Athenas S. Leontius, sub pastoritia professione disciplinam anachoreticam exercens, sepultus fuerit, judicet qui potest. Pro Urbe Constantinopolitana, quo alias magis propendeo, nihil hactenus reperi ad asserendum et hujusmodi Sanctum.*

DE SANCTO ERASMO

APUD GRÆCOS

G. H.

Ex Divionensi Synaxario MS.

Laudatum jam Synaxarium MS. Divionense, ad hunc eumdem XVIII Junii sic habet Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ἅγιος Ἔρασμος ἐν εἰρήνῃ τελειοῦται. Eadem die S. Erasmus in pace quievit *et hi adduntur versus; in quibus alluditur ad nomen* Erasmi, C *quod* Amabilem *sonat.*

Θνήσκων Ἔρασμος, Ἡδέως ἐγώ, λέγει,
Ἐράσμιον γὰρ ἀεί μοι τὸ τεθνάναι.
Moriens Erasmus, Suaviter mihi est, inquit:
Mihi namque semper visum est amabile, mori.

F

DE S. MOYSE ÆTHIOPE

ET SANCTIS VII ANACHORETIS

MARTYRIBUS IN ÆGYPTO

D. I.

Ex Hagiologio Metrico Habessinorum.

Ab alio simili Moyse *Notus Passim Latinis æque ac Græcis est* S. Moyses Æthiops, *ex famoso latrone insignis Monachus, et Plurium Monachorum institutor, relatus in Fastos ad diem* XXVIII *Augusti: sed is diuturnæ exercitationis finem placida morte compositus habuit, alter ejusdem ordinis, coloris, ac fere etiam instituti ante conversionem æque sanguinarii, similiter etiam ut ipse Monachus sive Anachoreta, dissimillimum prorsus, sed nihilominus felicem* *[illegible] hic* *nactus exitum, prodit nobis ex Habessinorum Hagiologio. Hunc dum in Eremo vitam cum septem Sociis duxisse lego, existimo ad Ægyptum potius quam Æthiopiam pertinere: memor plurium Martyrum Anachoretarum, quos in solitudine deprehensos subinde interemerunt Barbari, qualis fuit is qui prætitulatis Martyribus necem intulit.*

2 *Eorum duci sic accinit Poeta:* Saluto Moysem Nigrum, qui recordatus iniquitatum suarum omnium præteritarum, patienter commoratus est in deserto interiori; hodie autem Barbari cujusdam gladio occisus est, sibi ipsi dicens; Nisi per sanguinem non emundatur sanguis. *Itaque morti ipse* *[illegible]* *generose se obtulit cum sociis sex; interim unus latebris sese abdit septimus: sed hunc etiam illo pertraxerunt*

AUCTORE D. P.

runt coronæ, cœlitus ad illos deferri visæ : quod idem *Poeta sic exponit*, Salutem dico septem Fratribus barbarico gladio simul cum Moyse Nigro interemptis : quorum singulis cum suam cuique coronam ferri ab Angelo vidit unus, qui se absconderat, in fiduciam conversus est pavor ejus. *De tempore quo id contigerit nolim gratis divinare, quamvis suspicer ad quintum sextumve seculum eos potius quam ad anteriora pertinere. Jobus Ludolfus in Annotatis ad Fastos Æthiopicos, ad sola utriusque Moysis principia attendens animum, non etiam ad finem, in unam ambos personam conflavit.*

et cum septimo visis eorum coronis animato.

DE S. AMANDO

EPISCOPO BURDEGALENSI IN AQUITANIA

COMMENTARIUS HISTORICUS.

G. H.

Ex Epistolis Paulini, S. Gregorii Turon. Historia, aliisque.

SEC. V

Floruit seculo Christi quarto, et quinto, sapientia et sanctitate insignis, Amandus Episcopus Burdegalensis, et *Metropolitanus Aquitaniæ secundæ. Prima ejus notitia offertur in epistolis S. Paulini Episcopi Nolani, qui earum sex illi scripsit, quando adhuc erat S. Delphini, Episcopi Burdegalensis, aut Presbyter aut Diaconus. Hinc etiam se* Delphini et Amandi plantationem, gaudium, coronam, curam, et apud Christum laborem quotidianum *appellat. Epistolis ad Amandum tertia et quarta quasi ab illis aut in baptismo susceptus, aut certe catechesi instructus. Epistola vero secunda singularem hanc gratiam S. Amando tribuit :* Scimus, *inquit,* quia a pueritia ipsi [*Deo*] militans, et sacris litteris eruditus, nulla conversationis terrenæ et carnis labe pollutus, invenisti gratiam in conspectu Altissimi. *Hinc suas Epistolas hoc titulo inscripsit.* Sancto et merito venerabili ac dilectissimo Amando Paulinus. *At primam palam Epistolam sic exorditur :* Dulcissimum oris vestri gustum, in brevi sanctitatis vestræ sermone, libavimus. Nam sicut mellis gutta idem sapit, quod totus favus ; sic et in uno licet verbo, stillicidium linguæ vestræ totum sanctæ animæ vestræ saporem refert : quia quidquid de bono thesauro promitur, bonum atque pretiosum est : nec ideo Margarita vilis est : quia exigua, sed ideo magis pretiosa, quia et in exiguo modo magnum pretium habet... Sed et granum sinapis, quod minimum videtur in semine, maximum tamen extat in olere. Cujus seminis verbum, quia in vobis satum est, et in corde vestro viget (unde cor ardens in via Domini) ideo etiam brevis sermo vester dulcedinem simul ac vigorem regni cœlestis tenet, et nobis ministrat, ut nos etiam vestræ prudentiæ sale condiamur. *Deinde in reliqua epistola animam fratris sui et mortui et seipsum Amandi precibus commendat. Epistolam secundam potissimum de gratia Dei, non minus piam quam elegantem scribit, commemorans Dei benignitatem et altitudinem Divini consilii super salute generis humani. At quo Amandus Spiritu similem doctrinam exceperit, colligimus ex Epistola tertia, in qua Paulinus amanter cum illo expostulat, quod Delphinum Episcopum impulerit, ut a se aliquid salutaris doctrinæ peteret ; excusat vero suam imperitiam, et opem ipsorum implorat, multa interim ad pietatis institutionem prudenter inspergens.*

Laudatur a S. Paulino

quem spiritualiter instruxerat,

2 *In epistola quarta nuntiat Paulinus, se invitum Sacerdotem creatum, et Sacerdotalis muneris partes perstringit ; opemque ejus et Delphini, per quos Deo natus erat, ad eas explendas implorat, et inter alia sic loquitur :* Epistolis tuis nos sæpe instrue necessariis supplementis : enutritus enim sermonibus fidei et bonæ doctrinæ, quam a puero in sacris litteris subsecutus es, informa nos ad regulam directionis ; pasce nos spiritali cibo, id est verbo Dei, qui est verus et vivens panis, et in quo magis quam in ipso pane vivitur : quoniam ipse est esca justorum, qui ex fide vivunt. Nec hinc negligentior sis circa sollicitudinem institutionis meæ, quod loco Ecclesiæ, non tantum corpore, separamur. Unus enim Deus, unus mediator Dei et hominum, qui est Ecclesiæ caput : in qua cum omnes unum simus, tamquam in una domo vivimus... Ergo ut tuum ac tecum manentem spiritaliter videns ac tenens, instrue, juva hortare, confirma. De vobis enim et per vos Deo natus in Christo, vestra potissimum cura esse debeo : quia vestrum opprobrium, si indignus ; aut vestrum gaudium ero, si ex fructibus bonis vestræ arboris ramus esse cognoscar. *Hæc ibi. Utinam, si alicubi lateant epistolæ S.* Amandi, *aliquando proferantur in lucem, ad commonitionem sanctarum animarum, quia illas epistolas instructissimas esse arbitramur. In epistola quinta describit Paulinus initium Evangelii S. Joannis, quo uno ait claudi ora omnia, quæ adversus Christi et Deitatem et humanitatem latrant. In sexta gratulatur* Amando, *quod Delphinus Episcopus, a gravi infirmitate liberatus, pristinæ sanitati sit restitutus.*

et rogatur velit ulterius id facere.

3 *Hic quoque* Delphinus *Sanctus est, et Romanæ Ecclesiæ Fastis ad diem XXIV Decembris insertus : extant ad illum quinque S. Paulini Epistolæ : in quarum secunda describit Anastasii Romani Pontificis et Venerii Mediolanensis Antistitis electam se caritatem. Illustravimus Acta S. Anastasii XXVII Aprilis, et S. Venerii IV Maji. Ex his Pontifex Anastasius præfuit Ecclesiæ universæ ab anno CCCXCVIII, usque ad CCCCII, et Venerius sacerdos est ab anno CCCC, usque ad annum CCCCIX. Unde certo concludimus S. Delphinum adhuc in vivis extitisse dicto anno CCCC. Verba Paulini sunt ista :* Mediolanensis quoque Episcopus novus, filius vester hucusque, nunc frater. Venerius jam scripserat nobis post suam Ordinationem. *Inde enim videtur diutius adhuc vixisse Delphinus, propter alias tres ipsi a Paulino missas epistolas, in quarum penultima gratulatur ipsi redditam valetudinem, nisi forte fuerit ordo epistolarum immutatus.*

S. Delphino succedit post annum 400

4 *Mortuo ergo* S. Delphino *die* XXIV *Decembris, successit* S. Amandus, *quem celebrat Gregorius Turonensis lib. 2 Hist. Francorum cap. 14, ubi de illustribus Aquitaniæ Episcopis ista verbis Paulini scribit :* Si enim hos videas dignos Domino Sacerdotes vel Exuperium Tolosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Engolismæ, vel Venerandum Arvernis, vel Alethium Cadurcis, vel nunc Pegasium Petrocoriis, utcumque se habent seculi mala, videbis profecto dignissimos totius fidei religionisque custodes. *Hæc ibi. Ex hisce indicatis Episcopis celebravimus S.* Venerandum *Arvernorum Antistitem*, XVIII *Januarii :* S. Simplicium *Viennensium*, III *Februarii : de* S. Exuperio *Tolosano agendum erit* XXVIII *Septembris :* reliquorum

fidei religionisque custos habetur

Reliquorum nomina necdum reperimus ullis Fastis sacris inscripta. Quo tempore præerant Ecclesiæ Burdegalensi dicti Delphinus *et* Amandus, *erat Coloniensium Episcopus* S. Severinus, *qui ex Burdegalensi nobilissima familia originem duxisse fertur, et solennissimam venerationem obtinet cum Octava apud Burdegalenses et Colonienses. Est etiam Fastis Romanæ Ecclesiæ adscriptus ad diem* XXIII *Octobris, quando ejus Acta ex variis MSS. erunt proferenda, extantque etiam apud Laurentium Surium; ex quibus nunc proferimus sequentia.*

S. Severinum Episc. Coloniensem excipit,

5 Coronata igitur et bene stabilata Dei gratia Ecclesia Coloniensi, in Dei opere permanens indefessus, per visionem monetur, ut Burdegalense oppidum et partes Aquitaniæ, unde etiam claram traxisse fertur originem, cœlestis lucri causa visitare non dubitaret. Qui statim cognita Dei voluntate, licet jam senili gravaretur ætate, perficere aggressus est. Dum igitur (*ut Gregorius Turonensis de Gloria Confessorum cap. 45 progreditur*) iter ageret, et Ecclesiam Burdegalensem Amandus Episcopus regeret, apparuit ei Dominus in visu noctis dicens; Surge et egredere in occursum famulo meo Severino, et honora eum, sicut Scriptura sancta docet, amicum Divinitatis: melior est enim te meritisque sublimior. Exurgens autem Amandus Episcopus, accepto bacillo in manu sua, perrexit in occursum ejus, nihil de viro sancto sciens, nisi quæ Dominus revelasset. Et ecce S. Severinus veniebat quasi obviam ei. Tunc appropinquantes sibi, et propriis se nominibus salutantes, ruunt pariter in amplexus; deosculatique, fusa oratione Ecclesiam cum magno psallentium choro sunt ingressi. Quem deinceps in tantum dilexit ac veneratus est Amandus Episcopus, ut eum in locum suum substitueret, ac ipse quasi junior habebatur. Denique post paucos annos obiit beatissimus Severinus; quo sepulto Amandus Episcopus recepit locum suum; quem ei non dubium est per obedientiam redditum, quam in Dei Sanctum exercuit. *Hæc Turonensis. Ægidius Gelenius lib. 1 de Coloniæ Agrippinæ magnitudine pag.* 58 *scribit* S. Severinum Aquitanum, VIII Episcopum Coloniensem, obiisse Burdegalis X Kalendas Novembris anno æræ Christianæ CCCCVIII.

eum que substituit in suum locum:

mortuum anno ... sepelit,

6 *Sammarthani in Archiepiscopis Burdegalensibus, ex Tabulario Abbatiæ S. Severini, plurima annotant pag.* 197, *unde ista excerpimus:* S. Amandus illo tempore Comes et Archiepiscopus Burdegalæ fuit, quando S. Severinus advenit; sed Angelo jubente et Archiepiscopatum et Comitatum Sancto tradidit Severino, ut sub illius esset dominio. Post S. Severini transitum (quem S. Amandus ipsius petitione apud hunc sepelivit locum, ob reverentiam sancti Confessoris) S. Amandus huic loco hanc imposuit legem: Ut quicumque Comes in hac patria constitueretur, apud hunc locum ob honorem S. Severini gladium super altare ipsius poneret, et cum vexillo et eodem gladio Comitatum a S. Severino reciperet: et per omne tempus, quidquid magni vel in prælio, vel in alio negotio facturus esset, per auctoritatem et licentiam talis Patroni faceret. Ex quo tempore, dispositione S. Amandi, talis lex et consuetudo est istius loci, ut omni annuo tempore S. Severini festivitatis, talem censum Comes isti loco et Canonicis S. Severino servientibus persolvat quatuor quartarios frumenti, et guarradam puri vini non aqua mixti, quinque porcos, et unum verrem, et unam vaccam, pro qua solventur omni anno decem solidi in festivitate S. Severini. *Hæc ibi. Verum multa hic a posteris inserta sunt cum monasterium esset penes Canonicos Regulares S. Augustini, quod modo esse penes seculares scribunt citati Sammarthani: unde quæ de Comitatu adferuntur optaremus antiquiori aliquo instrumento confirmari: imo nec nomen Archiepiscopale tunc usurpabatur, licet ipsum munus penes Episcopos foret Metropolitanos.*

ejusdem venerationem promovisse fertur.

Annus obitus ignoratur.

7 *Quam diu, post resumptam ab obitu S. Severini administrationem Episcopalem,* S. Amandus *superfuerit, ne quidem ulla conjectura assequi possumus, cum de successoribus nihil certi constet: et qui in Catalogis substituitur* Gallicinus, *videtur varius ille esse, quem anno* CCCCLXXV *cum aliis Episcopis in sæva Gothorum strage occisum scribit Sidonius Apollinaris, epistola sexta libri septimi ad Basilium Episcopum. Natalis ejus habetur* XVIII *Junii, quo die in urbe et diœcesi Burdegalensi colitur Officio Ecclesiastico sub ritu duplici, et a Greveno in Auctario Usuardi, anno* 1515 *et* 1521 *Coloniæ excusi, refertur cum hoc encomio:* Civitate Burdegala S. Amandi, Episcopi et Confessoris, qui B. Severinum Coloniensem Archiepiscopum Angelica admonitione suscepit; et quem ante non viderat, proprio nomine salutavit. *Memoratur etiam in MS. Florario, item a Canisio, Ghinio, et Molano, et hoc citato in Martyrologio Romano. Hujus elogium collegit Saussayus in Martyrologio Gallicano, sed ex rebus jam a nobis relatis. In registro beneficiorum urbis et diœcesis Burdegalensis indicatur in Archipresbyteratu Buchensi et Bornensi* parochia S Amandi de Ceurgas: *sed num hujus, an* S. Amandi *Episcopi Trajectensis, etiam ex hac Aquitania oriundi et eodem in exilium amandati, ex nudo nomine nequimus dijudicare.*

Natalis 18 Junii in sacris fastis.

DE SANCTIS EREMITIS

CALOGERO PRESBYTERO,

ET SIERIO EJUS DISCIPULO,

IN AGRIGENTINA SICILIÆ DIOECESI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

D. P.

De variis in Sicilia locis sacris S. Calogero verosimiliter plusquam uni. Saccensis Eremitæ Vita antiqua et cultus.

Circa ... CCCC LXXXV

Sacca, olim Thermæ Selinuntiorum,

Regalium in *Sicilia civitatum una quales Sex Agrigentina diœcesis numerat,* Sacca *est Diodoro atque Straboni* Selinuntiorum Thermæ *dicta,* sita, *inquit Rocchus Pirrus,* ad oram maris Lybici et radices montis: mons vero ille in mare procurrens plures habet cavernas, unde lutoso sulphure, sale, ignibus et calentibus aquis abundat; et quidem Sulphureus latex, non uno in loco, arcanis

ad montem Gemmariarum :

ibi sepultus S. Calogerus ;

canis naturæ Mysteriis est saluberrimus ; inde nomen ac ornamentum civitati accessit. *Saracenis sic balnea appellantibus , et Normannis post eos expulsos locum restaurantibus , qui etiam nunc bene muratus frumentario commercio ditescit.* Mons ipse , *inquit Fazellus*, Divo Calogero sacer est , qui olim Mons Gemmariarum, quæ palmæ sunt agrestes, dicebatur: ubi nimirum ille, vitæ curriculo sanctissime peracto, obiit. Ad verticem, juxta antrum, templum est erectum , populi frequentia et Divi miraculis celeberrimum; ibique Calogeri corpus tumulatum creditur. Illuc, Junio præsertim mense, ex omni ferme Sicilia, Morbo aliquo affecti, ad balnea a Divo nuncupata confluunt, ubi præsens experiuntur remedium: inde factum est ut et xenodochium ibi , ad ægros excipiendos, extructum sit. *Addit Pirrus;* templum *illud* antiquum restauratum *tunc cum scribebat, id est anno* MDLXXXVIII, opera Calogeri Quartararii optimi viri, *distare ab urbe* 2 p. m. *et* Divi Calogeri marmoreum signum ibidem piissime coli.

putatur etiam vixisse apud Thermas Himeræorum,

2 *Octavius Cajetanus noster tom.* 1 *de Vitis Sanctorum Siculorum , inter animadversa ad Vitam hujus Sancti, de qua mox , ubi dicitur Lect.* 7 , *quod is in præfato loco* quinque et triginta annos mansit, *enumerat plura loca in quibus etiam vixisse aut saltem fuisse aliquando dicitur. Et*, Thermis Himeræorum , *inquit*, traditio est Calogerum , in monte urbi incumbente ad mare Tyrrhenum aliquamdiu vixisse, ac sanctissimæ Deiparæ in cacumine sacram ædem extruxisse, quæ nunc Divo Calogero dicata est. Et Mons cui olim nomen Eraucus a Divo Calogero nomen tulit ; eamque ob causam patronum Thermæ illum colunt, ejusque imagine, tamquam urbis insignibus , utuntur. Memorant accolæ illuc venisse Calogerum , ad expellendos dæmones ab eo Monte atque ab eorum balneis. Præterea Panormi, sub veteri æde SS. Cosmæ et Damiani, quæ Domus Professæ Societatis Jesu adjuncta est , antrum visitur D. Calogero dicatum, ubi is fuisse perhibetur. Prope emporium Leontinum specus est, et ædes D. Calogero dicata, tituloque Prioratus insignita, ubi monumentum adventus in ejus locum extructa. In oppido Nari alia ejusdem santi spelunca colitur. *Denique relata Fazelli de sepultura prope Saccam sententia, subjungit :* Sed SS. Calogeri Gregorii ac Demetrii corpora (nescio an integra) in monasterio S. Philippi Fragelatis, in Messanensi Diœcesi juxta oppidum S. Marci servantur.

Panormi,

Leontinis,

Nari,

Fragalate,

Sed videntur confundi duo vel tres synonymi

3 Illud hic monuerim, *inquit idem Octavius*, multa apud Thermitanos Hymeræos vulgo tradi de Calogero, ejusque cum dæmoniis certaminibus, quæ vel vulgi nugæ sunt, vel alterius videntur fuisse. *Ego non tantum facile crediderim esse alium : sed etiam pleraque enumeratorum locorum alios a Saccensi incolas habuisse. De Fragalatensi autem pæne certum me reddunt socii duo Saccensibus prorsus ignoti , cum quibus ibi Calogerus colitur; sed etiam Acta utriusque diversissima , etsi omnes assumpserint diem* XVIII *Junii , Saccensi proprium ; ex quo scilicet hic post receptam de Saracenis insulam ceterorum distinctionem memoriam obscuravit. Imo dubito, an vel huic, uni ex omnibus nomen proprium fuerit* Calogerus : *eo quod nihil usitatius fuerit, jam inde a seculo* V, *ut pulchre ostendit Cangius in Glossario mediæ et infimæ Græcitatis, quam Monachos omnes, præsertim Anachoretas, non tantum* Γέροντας *id est* Senes *sed* Καλογήρους *vel* Καλογέρους, *id est* Bellos *seu* Bono-senes *appellari : eoque titulo multos fuisse quam proprio nomine notiores accolis , tanto facilius mihi persuadeo quod etiam nunc videam sic fieri apud Scriptores hodæporicorum Orientalium , quoties incidit mentio loci quem Solitarius aliquis Græcus Armenusve incolit : quod et in Sicilia et in Calabria obtinet, licet Græcismo nunc fere abolito.*

fortassis non proprie, sed appellative Calogeri

Itaque optantur ejus qui apud Himeram colitur Acta,

4 *Utinam Cajetano curæ fuisset Himeræorum traditiones colligere , aut si quid scriptum de iis habetur Lectori æstimandum proponere, æque ac proposuit summarium Actorum veterum Calogeri Saccensis , licet minus sibi probatorum, vel ideo maxime, quod certioribus Fragalatium Actis repugnent in multis. Nempe, licet cogitarit, hunc quoque posse diversum esse, maluit tamen uni eidemque tribuere omnia , et Saccenses privare corporis possessione, ob illud quod apud Fragellates habetur sub eodem nomine. Ego vero hunc esse censeo ipsius Fragalatensis monasterii Fundatorem : ideo de hoc ejusque sociis seorsim elegi agere : idem forsitan facturus de Himeræo, si quæ de eo traduntur, accipiam descripta , uti cuncta mihi describi peto pro hujus mensis supplemento.*

et alius creditur Abbas Fragalati

Nari potuit fuisse Saccensis,

5 *Quia tamen* Narus , *Mediterranea Siciliæ civitas, Regalis etiam ipsa, solum* L. P. M. *Sacca distat; haud ægre credidero, eumdem utrobique coli. Pirrus post laudatum pag.* 345 *eo loci Societatis nostræ Collegium*, ubi P. Gaspar Paranymphus Narensis, concionandi munere illustris, sanctitate et pietate illustrior, obiit XXIII Januarii anno MDCXXIV *describit* Canonicorum Regularium S. Georgii in Alga Collegium X Religiosorum, sub Eugenio Papa IV fundatum in honorem S. Antonii , post in S. Calogeri extra urbem ad IV lapidem. *Et* hic, *inquit*, magno est in honore signum nobilissimum S. Calogeri Monachi, cujus festus dies solennis, ut Patroni civitatis, celebratur etiam XVIII Junii cum nundinis : sub templo est antrum, in quo aliquando Calogerum incoluisse traditio est.

ubi ejus statua ad vultum apparentis expressa ,

et probata in peste,

atque herniæ curandis

6 *Pater Antoninus Maria Rossi Narensis e nostra Societate, interrogatus quodnam sit istud* nobilissimum signum *a Pirro laudatum Respondit* ; videri eam statuam esse eo titulo venerabilem Narensibus, quod traditio sit, illius caput miraculo potius quam humana arte perfectum esse. Cum enim sculptor qui faciendam susceperat, eo imperfecto relicto obiisset, superstitesque filiæ, et ipse in ea arte versatæ non parum, perplexæ hærerent, inter pactum quod pater suus cum civitate inierat, et metum operis ab ea non admittendi si ipsæ illud niterentur absolvere; nec satis discernerent, quam speciem eidem vultui inducerent, ex lineamentis a defuncto adumbratis ; ad orationes et jejunia recurrerunt, merueruntque ut Sanctus ipse iis appareret , animos addens , ut qualem videbant talem effingerent. Successit autem res tam feliciter, ut statua illa publico exposita, non solum placeret omnibus, sed Deo accepta probaretur frequentibus ad eam miraculis, quacumque in necessitate seu privata seu publica. Quin et in ultima pestilentia, quæ civitatem nostram totis sex mensibus afflixit, cum circumlata processionaliter ea statua pervenisset ad collem, in quo Lazaretum publicum erat : quotquot ibi tunc decumbebant ægri, sanati subito omnes sunt , et contagio universim cessavit. Nec unquam contigit eamdem statuam ipso Sancti festo circumferri , quin pueri complures curentur ab hernia : quem in finem a matribus adferuntur collocandi supra gradus arcæ ad id per disposita loca in apposito suggestu locatæ ac subsistentis, præsente ad omnia medio a senatu deputato, qui singulas ita receptas gratias juratus recipiat ab adjuratis pro veritate dicenda testibus.

Ibidem est fons S. Sierii.

7 Sub eodem templo , *ut scribit eidem Rossius* , scaturit seculis jam multis fonticulus S. Sierii , quem sancti Calogeri fuisse discipulum Majorum nostrorum traditio habet. Scaturit autem eo loco, ubi putatur Sanctus ipse sepultus, atque de sepulcro oleum manasse : quod fieri desierit, postquam publica meretrix de eo sumpserat. Dicitur ab annis retro non paucis operose effossam circa humum fuisse a sperantibus ibi reperire Sanctum corpus. Verum

A

Verum scripturæ nihil de ea re superest : quia si quid tale habebatur, id vel una cum reliqua omni suppellectili loci consumptum est flammis, post præmemoratam pestilentiam; vel amissum quando dissolutum Collegium prædictorum Canonicorum fuit, eorumdem Congregatione tota sub Alexandro Papa VII extincta, sub ingressis in eorum locum Fratribus Conventualibus S. Francisci, parum solicitis de servandis antiquis loci illius monumentis. *Octavius Cajetanus in Idea ipsum Magistro suo ad hunc diem conjungit, et ante opus suum in Indice Nominum; nullum tamen notans, ut solet, tomum vel folium uti de eo revera nusquam agitur, defectu memorabilis alicujus notitiæ aut proprii cultus. Satis tamen causæ fons prædictus videtur, suggerere, ad retinendum* Sancti *titulum, atque nomen huic loco inserendum. Fortassis autem ipse est, qui in Vitis appellatur* Archarius *seu potius* Arcuarius, *quasi* Sagittarius, *ab eo qui istic narratur casu, proprio autem nomine dictus* Sierius. *Ipse enim a* S. Calogero *baptizatus, eidem sepeliendo et arcanis ejus revelandis fuit divinitus destinatus, filius ipsius spiritualis, et Nari forsan sepultus.*

ejus forte qui Calogerum sepelivit.

8 *Denique idem Rossius monet quod* in oppido Salemii, *diœcesis Cephaleditanæ, inter civitatem et Saccam* XVI *fere milliarium intervallo utrimque* specus est S. Calogeri dicta, et Cajetano prætermissa, ubi similis traditio fert habitasse Sanctum : quo accurrens populus et caput immittens ab hujus doloribus liberari se credit. Eam nunc curant Tertiarii Franciscani, et in ecclesia sua capellam Sancto dicatam habent cum altari, supra quod conspicitur ipse adjunctam lateri habens confixam telo cervam, cujus lacte aliquamdiu nutritum narrat Vita. *Hic autem uti et Saccæ et passim alibi festum* S. Calogeri *agitur* XVIII Junii : *quando nomen ejus cum elogio reperitur in Molani Additionibus ad Usuardum, Ferrarii Catalogo Kalendariis, Siculis ac denique in hodierno Romano, cujus hæc sunt verba ;* Apud Saccam in Sicilia S. Calogeri Eremitæ, cujus sanctitas in energumenis liberandis maxime effulget.

B

Alia specus et sacra Salemii.

Nomen in Fastis

9 *Plus aliquid Abbas Messanensis Maurolycus dixerat, sed quasi de alio scribens;* In Lipara Calogeri Monachi sanctissimi, de quo videtur Gregorius in quarto Dialogorum mentionem facere. Ait enim, a quodam Solitario magnæ sanctitatis viro, Liparam habitante, Theodorici Regis Arriani interitum, ejusque animam a Joanne Papa et Symmacho Patricio, quos ipse peremerat, in Vulcani incendium jactatam. *Potuit* Solitarius *hic, communi omnibus solitariis nomine* Calogerus *appellari ; sed non potest sub eo nomine cultus dici, cum Theodoricus interierit anno* DCCVI, *Saccensis autem natus sit* tempore Arcadii Imperatoris : *et tamen Maurolyci conjectura, in novo de Saccensi* Calogero *officio quod habeo in Messanensi proprio anni* MDCIV, *tamquam res fere certa ponitur, Lect.* 5 *sic incipiente.* Ceterum hic Sanctus vir ille prorsus existimatur, de quo mira S. Gregorius scriptis mandavit his Julianus familiaris meus narravit mihi etc. *ut legere est tum apud ipsum Gregorium, tum in nostro Majo ubi de S. Joanne Papa die* XXVII *num.* 34. *Alius a Saccensi igitur is fuit ; quod et David Romæus credens apud Cajetanum Annot* 10, in Lipari Calogerus, *inquit,* vir Solitarius, natus fortassis in agro Calimeræ vel ibi humatus est XIV Kal. Quintiles. *Cajetanus ipse in Vita, Baptistam Aloysianum allegat, qui asserit,* Eremitam *istum* fuisse S. Launonem, ex familia Eremitarum S. Augustini; *sed merito additur,* fides apud illum sit; *ego, an quis uspiam* S. Launo *fuerit vel colatur, hactenus ignoro et libenter discam.*

An idem in Lipara?

C

certe non is qui vidit animam Theodorici R.

10 *Officii istius novi Lectiones, abolitis prioribus compositas ait Cajetanus, an.* MDXCVIII, *quo* Simon Aragonius, Siculus et S. R. E. Cardinalis, a Clemente VIII petiit, ut in Siciliæ regno Missa et Officium S. Calogeri recitari solenni ritu possent. *Auctorem autem novisse potuit, ut aliunde illas impleret; et S. Rituum Congregationem, ut id fieri approbaret; quia Baronius indicarat,* plura *quidem de illo habere* Breviarium Gallicanum et Fazellum sed in quibusdam mendosa. *Fuit Breviarium istud in Sicilia receptum, una cum Francorum dominatu, seculo* XIII : *et illis cito pulsis diu retentum. Qui ante illos ereptam Saracenis Insulam Christianis reddiderant Normanni seculo* XI, *et rerum Sacrarum cultum, per quadringentos annos barbaricæ tyrannidis desolatum restaurarunt, non aliis usi libris quam quibus in Italia assueverant, Latinis sic utebantur ritibus, ut multæ sub iis ecclesiæ retinerent Græcos; qua lingua verosimile est extitisse olim Saccensis Calogeri Vitam licet ea non peduraverit ad posteros, sed solum Latina versio; quæ deinde in Gallicanum Breviarium transiit.*

licet illa legatur in officio novo anni 1698.

D

AUCTORE D. P. Vetus lectum in Brev. Gallicano seculi 13,

potest ex Græco sumptum credi,

11 *Illius qualiscumque Vitæ textum Sincerum necdum assequi potui, nec invenit diligenter quæsitum P. Guido Roberti, Saccensis nostri Collegii inquilinus anno* 1691 : *sed reperit* Officium S. Calogeri confessoris non Pontificis. Fuit hoc collectum ex quodam vetustissimo codice manuscripto atque Breviario Gallicano, per R. P. Fr. Marcellum Grasso Ordinis Prædicatorum, S. T. D. typis datum ad instantiam et beneplacitum Vener. sororis Angelicæ Hortafa, monialis monasterii S. Catharinæ civitatis Saccæ, celebrandum die XVIII Junii in toto Trinacriæ regno, sub festo Duplici, ex præcepto S. D. N. Clementis Papæ VIII, Pontificatus sui anno septimo (is est Christi MDXCIX) Panormi apud Jo. Antonium de Franciscis Impressorem Cameralem MDCX, Superiorum permissu. *Dividitur illud in duodecim Lectiones more monastico; quæ omnes sunt de Sancto, etiam pro* III *Nocturno, cujus primæ, et in ordine ceterarum nonæ Lectioni, præmitti jubetur.* Lectio S. Evangelii secundum Lucam. In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Nemo accendit lucernam. etc. *Reliqua, puta Antiphonæ, Hymni, Capitula, Responsoria etc. dum non explicantur, supponuntur sumi ex Communi Monastico, præter hanc propriam Collectam :* Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosum Calogerum Confessorem tuum, ad diabolorum conculcandam nequitiam, de eremi contemplatione præelegisti, concede quæsumus nobis, ut sua perenni interventione, cujus natalitia colimus, ab omnibus exuti peccatis, vitam mereamur æternam.

daturque ex impresso anni 1610,

E

in 12 Lectiones divisum;

cum propria Collecta.

F

12 *Ex dictis apparet per illud aliud Officium, ubi solum tres habentur Lectiones de sancto non fuisse alteri derogatum, prout indicare videtur Cajetanus; sed iis consultum, qui ad Romani Breviarii usum obligantur. Cajetanus, ut animi incertus hærebat circa vitam prædictam, propter Hymnos Sergii de Fragalate de S. Calogero non parum diversa enuntiantes, censuit tamen se* debere summam quæ apud Siculos diu recepta circumfertur. *Vitæ ex hymnis collectæ* adnectere; ne *inquit,* omnino rejecisse videar, quæ a probatissimis viris probata hactenus fuerunt, neque certæ falsitatis omnino argui possunt : si saltem sentias duos fuisse Calogeros, qui Siciliam suis præclaris facinoribus illustrarunt. *Id ego cum sentiam, idque bono, ut mihi quidem videtur cum fundamento; non possum non integram eam Vitam dare, sicut ex impresso descriptam accepi. Nec vero multum est, quod in ea corrigi debeat, si interpolatori imputare liceat, quod, ubi nullum Romani Pontificis nomen expresserat Auctor, ibi invenitur nomen* Petri Apostoli, *cum mentione* Neronis *ac* Simonis Magi, *quasi illo regnante missus in Siciliam* Calogerus *sit: quæ si expungas, non ideo minus bene cohærebit sibi contextus totus, ut consideranti patebit.*

Summa illius apud Cajetanum :

ubi si Petri nomen expungas,

13 *Hic dicuntur cum eo pariter missi, simili contra*

dæmones

AUCTORE D. P. recte dicetur venisse in Siciliam Calogerus cum S. Philippo Argyr.

dæmones virtute præditi Sancti, Philippus Argyriensis, Honophrius et Archileon. *Prioris Græcolatinam Vitam illustravit Henschenius* XII *Maji, in eaque dicitur natus ille* in Thracia temporibus Arcadii Imperatoris, *qui post obitum Patris Theodosii ab anno* CCCXCV *ad* CCCCVIII *regnavit. Neque magni fecit idem Henschenius, quod Pirrus et Fasellus ex alio Apocrypho contendunt, eum a* S. Petro Apostolo *missum* tempore Neronis. *Qui hoc commentus est, aut similis alius summæ antiquitatis zelator, etiam Vitam S. Calogeri interpolavit: et hoc contempto, nihil obest, quo minus simul in Siciliam ambo missi sint, idque ab eodem Romano Pontifice*, puta S. Leone papa, *qui sedit usque ad annum* CCCCLXI. *Ita* S. Calogerus, *apud Saccenses per annos* XXV *commoratus, potest vixisse ad annum* CCCCLXXXV *plus minusve. Cajetanus, licet* Petrum *cum* Nerone *vitio intrusos putet, refert tamen* S. Calogerum *ad persecutionem Diocletiani et Maximiani: ideoque negat* Philippum *cum sociis* Calogero *adjungi posse, præsertim Hymnis alios nominantibus; quod, posita diversitate præmissa duorum Calogerorum nullam facessit molestiam.*

et obiisse circa 485.

VITA

Ex Officio antiquo et editione anni 1610.

IN PRIMO NOCTURNO.

Natus Constantinopoli

LECTIO I Calogerus, bonus Senex interpretatur: Calo enim Græce, Latine Bonus; Gerus, senex. Hic magnæ vitæ honestatis et virtutis fuit, majorisque abstinentiæ extitit. *a* Istius ergo sancti Patris Calogeri nativitas fuit de civitate Constantinopolitana, cujus parentes posuerunt eum ad discendum Scripturarum divinarum litteras. Qui continuo addiscens Scripturam sacram, a sua pueritia se ornavit moribus et virtutibus, quod nulla dæmonum tentatio, neque vitiorum tenebræ potuerunt mentis sinceritatem, ac ejus intellectus puritatem aliqualiter violare. A tempore enim suæ pueritiæ, usque ad ultimum, jejunavit sex diebus cujuslibet hebdomadæ, in pane et aqua solis; ut voluptatem carnei vasis regularet, ne fieret similis bestiis viventibus in concupiscentiis carnis suæ. Perseverabat autem B. Calogerus diu noctuque in continuis orationibus, semper præ oculis habens Christi passionem. Tantus enim erat amor ejus ad Deum, quod relictis parentibus et terra nativitatis suæ, plenus Dei gratia iter accepit versus partes urbis Romæ, ut P. videret [eum] qui Pontifex Urbis Romæ ac primus omnium [Episcoporum] erat..... *b*

et jejunio assuetus a pueritia,

Romam venit:

LECT. II. Beatus itaque Calogerus ivit ad pedes Beati...... Pontificis, cui quidem patefecit vitam suam et gesta Beatus..... [Pontifex] audiens vitam et sanctitatem B. Calogeri, ordinavit eum Monachum. B. Calogerus accepto Ordine, et habita benedictione Pontificis, ivit in desertum vocatum *c* Humihomum; ubi vivens in orationibus et jejuniis, in tantum vitam suam strinxit, quod solis vescebatur herbis et aqua. In quo quidem deserto fuerunt ei revelatæ inspiratione divina operationes dæmonum, quas operabantur in insula Siciliæ in animarum perniciem. Unde præcepit Angelus ei ut iret ad Beatum [Pontificem] ut ei daret in Socios, Philippum, Honofrium et Archileonem, quibus datum erat a Domino, ut expellerent dæmones, degentes in insula Siciliæ, corrumpentes universum mundum. Eadem quoque hora Spiritus Domini fuit ad Beatum [Pontificem,] et dixit ei omne id quod B. Calogero dixerat Angelus in deserto.

in eremum secedit:

accipit in dæmones Siciliæ infestos potestatem,

LECT. III. B. Calogerus auditis verbis Spiritus sancti egressus est desertum, et ivit ad Beatum.... .. [pontificem] ut adimpleret præceptum Domini quod audierat in deserto. Sanctus itaque.... [Pontifex,] viso B. Calogero, surrexit obviam ei, dicens Bene veniat Legatus Domini, data est tibi potestas fugandi dæmones, habitantes in insula Siciliæ. Beatus itaque Calogerus, auditis verbis Apostolici miratus est, et osculatus est pedes Beati..... [Pontificis] devotissime, dicens: Vere Tu es locum-tenens D. N. Jesu Christi in hoc mundo: nosti enim omnem Dei voluntatem: nam mihi revelatum fuit per Angelum ejus, ut ad Te venirem, et dares mihi socios Philippum, Archileonem et Honofrium, ut cum benedictione Dei et tua iremus in Siciliæ insulam, ad dæmones fugandos ibi degentes et corrumpentes universum mundum; et Tu me Legatum Dei super fugandos dæmones, prædixisti. Vere, iterum dico, Tibi data est potestas super terram. Summus itaque Pontifex convocari fecit ad eum Honofrium, Philippum et Archileonem, et præcepit eis ut una cum dicto Calogero irent in insulam Siciliæ, ad propulsandos et fugandos dæmones habitantes in ea, dicens; Spiritus Domini vobiscum est: ite: ne timeatis; quia in solo Crucis signo, in nomine D. N. Jesu Christi, eos fugabitis, et omnem potestatem et malitiam eorum confringetis, per virtutem Spiritus sancti qui habitat in vobis. Qui quidem unanimiter responderunt, dicentes: Pater sancte, tuum est præcipere, nostrum autem tuis obedire mandatis, et eligimus hilariter mori pro fide D. N. Jesu Christi, cujus personam geris. Benedic ergo nobis, ut cum gratia tua recedamus, ad Dei verbum implendum: Beatus itaque ...... [Pontifex] dato eis osculo pacis, benedixit illis, dicens: Ite benedicti, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: confirmet vos Deus in omni opere sancto seu bono usque ad ultimum vitæ vestræ perseverantes in fide D. N. Jesu Christi. Spiritus quoque sanctus descendat super vos, in cujus nomine et virtute, cuncta quæ operari volueritis, facietis, tamquam Apostoli et Discipuli [Christi] ligantes etiam dæmones et solventes eos.

eoque missus a Rom. Pontifice,

cum S. Philippo et sociis 3

eadem potestate instructis

LECT. IV. Recesserunt ergo cum gratia Sancti.. .. [Pontificis] et in Dei nomine in quamdam naviculam ascenderunt, et in Insula Lipara *d*, in portu qui vocatur Vulcanium applicuerunt: est enim Insula quædam contigua Siciliæ. Beati itaque Honofrius et Archileon, cum licentia sociorum, recesserunt, et venerunt Siciliam in desertum *e* Suteræ, per revelationem Spiritus sancti; ibique in nomine Christi multitudinem dæmonum expulerunt. Beatus autem Philippus ivit ad montem Argyrion, ubi et dæmones expulit, et multa alia signa Dei virtute fecit. Sanctus vero Calogerus remansit in insula Lipara, quia senectute gravabatur: ob cujus merita Deus expulit omnes dæmones ibidem degentes: fecitque ibi B. Calogerus plurima et diversa miracula. Inde universus populus illius loci conversus est ad fidem *f* D. N. Jesu Christi; et ob id in illo loco, ad Dei laudem et in nomine B. Calogeri, omnes ad fidem conversi ædificaverunt ecclesiam.

Omnes in Liparam appellunt

ubi relictus Calogerus multos convertit:

IN SECUNDO NOCTURNO.

LECT. V. Calogero itaque stante in oratione Spiritus Domini locutus est coram omni populo dicens: Calogere, vade ad montem *g* Gemmariarum, et noli tardare ut adimpleas quod tibi injunctum extitit in deserto Humihomo, ut præceptum tibi fuit in civitate Romana: socii enim tui jam perfecerunt quod eis injunctum extiterat. Etenim dæmones Suteræ, Argyrionis et Paternionis expulerunt, et exaltaverunt nomen D. N. Jesu Christi coram omni populo. Vade ergo et tu, et expelle legionem illam maledicti Sathanæ

inde ab Angelo jussus transire in Siciliam,

A thanæ, quæ habitat in profunditate illius montis, ut populus illius regionis ab eorum tentationibus et molestiis quiescat, et sic clarius agnoscat semitas Catholicæ fidei, et baptizetur, et vivat, in nomine D. N. Jesu Christi, qui regit mundum et dæmones in virga ferrea. Beatus autem Calogerus, audita voce Angeli Dei, egressus est ecclesiam, ivitque ad mare, et invenit naviculam, et ingressus est eam: et eadem die applicuit in quamdam terram contiguam monti Gemmariarum.

et dæmones e monte Gemmariorum pellere,

Lect. vi. Ingressus itaque B. Calogerus terram illam, invenit mulierem quamdam, cui humiliter dixit: Filia mea, quod nomen est hujus terræ? Quæ dixit illi, *h* Syac appellatur, in qua paucæ animæ habitant, propter dæmones habitantes in monte Gemmariarum, a quibus quotidie vexantur. Hæc audiens B. Calogerus, in prædicta terra Syac verbum Dei cœpit prædicare, stetitque ibi per hebdomadam unam ut requiesceret, et fecit ibi plura et diversa miracula: sanavit enim plures diversis morbis ægrotos cum solo Crucis signo: unde totus populus terræ Syac credidit *i* fidei D. N. Jesu Christi, et baptizatus est. Postquam B. Calogerus quievit per hebdomadam, ascendit in montem Gemmariarum, ivitque ad locum in quo innumerabiles dæmones habitabant, et ibi erat continuus ignis. Maligni autem spiritus, videntes B. Calogerum, timuerunt valde, clamantes: Væ, væ, væ Societati Sathanæ, quia venit inimicus noster, ad expellendum nos de loco habitationis nostræ. Beatus itaque Calogerus, roboratus virtute Spiritus sancti, qui eum ubique sociabat, clamavit dicens: Ite, maledicti, ad loca inhabitabilia, nemini molestiam inferentes [eorum] qui recte crediderunt in fide Jesu Christi, et renuntiaverunt Sathanæ. Conjuro quoque vos per virtutem sanctæ Crucis, in qua positus fuit Redemptor mundi D. N. Jesus Christus, qui cuncta creavit, coram cujus facie mare et abyssus contremiscunt, qui morte sua mortem suppeditavit, et dæmones ligavit, ac posuit terminos mari qui præteriri non poterunt: et quod statim recedatis a monte isto, euntes quoque ad loca inhabitabilia, et nemini noceatis, qui vere crediderit in fide D. N. Jesu Christi, et abrenuntiaverit Sathanæ et operibus ejus. Et sic eodem momento, clamantes et ululantes, recesserunt ab illo monte.

Saccam appellit, — h — i — B multosque convertit — et dæmones abigit,

Lect. vii. B. Calogerus fugatis dæmonibus sanctificavit montem illum, stetitque spatio triginta quinque annorum; elegitque locum orationis speluncam, quæ est in profunditate cavernæ montis C Gemmariarum, et in ea condidit altare ut sacrificium Deo offerret. Erat itaque Calogerus jam in senio constitutus, atque ejus corpus in tantum defecerat, quod vix poterat pedibus sustentari. Tunc Deus volens suæ indigentiæ subvenire, misit ad eum quamdam cervam, quæ miraculose portabat B. Calogero alimenta. Processu vero temporis quidam *k* Archarius, transiens per partem speluncæ, vidit cervam dormientem in ingressu illius speluncæ. Qui quidem Archarius vulneravit cervam illam sui arcus sagitta, credens illam fore suam: quæ sic vulnerata fugiens, ivit ad speluncam illam, quousque venit ad pedes B. Calogeri, ibique mortua est.

sibique in spelunca oratorium aptat, et 35 annis ibi manet — k — Occisa quæ senem aluerat cerva,

Lect. viii. Beatus itaque Calogerus, videns cervam mortuam coram se, flevit super illam, et clamavit dicens: O Deus bone, qui dignatus es sociam dare cervam istam, ut meam vitam suo juvamine sustentarem; dignare hodierna die ad me illum, qui eam interfecit mittere, ut priusquam moriar, sibi virtutes quas elegisti in habitatione mea [facere], manifestem; ut per istum nuntientur populo et pateant universis; ut populus erroneus in tua fidei veritate firmetur, et tibi sit gloria sempiterna in secula seculorum. Amen.

optat sibi sisti auctorem cædis,

D *AUCTORE D. P.*

IN TERTIO NOCTURNO.

Lect. ix. Finita oratione B. Calogeri, Archarius, qui cervam interfecerat, apparuit: quem cum vidisset B. Calogerus, laudavit Deum et alta voce dixit: O fili, quare interfecisti cervam istam, quæ ferebat mihi escam et victum virtute divina? Archarius quoque cum vidisset B. Calogerum, statim cognovit eum, quia ipse Archarius fuit primus qui in terra Syac fuit baptizatus a B. Calogero. Qui statim prostratus in terram, adoravit eum dicens: O Pater sancte Calogere, parce mihi, quia cervam istam numquam cognoveram: ego enim fui primus filius tuus, quem baptizasti in terra Syac. Cui quidem B. Calogerus benedixit, et signavit signo sanctæ Crucis, dicens: O fili, benedicat te Deus omni tempore vitæ tuæ. Beatus venter qui te portavit, quia per te plures animæ servabuntur, erisque medela populis infinitis, si facias quæ tibi hodie declaravero. Veni ergo, fili mi, et vide miracula Dei, quæ fecit in monte isto, pro salute populi.

eumque agnoscens a se baptizatum, — benedicit ei;

Lect. x. Duxit B. Calogerus ipsum Archarium E in quamdam cavernam ipsius montis, in qua erant plures Sedes *l* lapideæ, quas Deus dotavit diversis miraculis ad certas ægritudines curandas; dixitque ei omnes virtutes sedium: in qua quidem caverna est continuus calor, et in eam ingredientes continuo sudant, et in proprio sudore lavantur. Deinde duxit illum magis intus in aliam speluncam, in qua erat puteus, profundus usque ad profunditatem Montis Gemmariarum, in quo est continuo attractio aquarum, ibique miraculosæ fiunt [curationes].

ostensisque veterum balneorum sedibus,

Lect. xi. Ex quibus aquis vapor continuo resolvitur, et ascendit usque ad summitatem montis Gemmariarum, et ingreditur cavernam *m* sedium virtuosarum. Aquæ vero ingrediuntur quemdam conductum, cujus finis est in gremio montis Gemmariarum, magis contiguum terræ Syac. Dixitque virtutes illas aquæ, ac injunxit ei ut ibi balnea conderentur. Hoc peracto egressus est B. Calogerus, et ivit ad suum oratorium; præcepitque illi ut recederet cum benedictione divina. Post mortem itaque cervæ vixit B. Calogerus quadraginta diebus.

m instaurari illa jubet, — et 40 die post moritur

Lect. xii. Archarius prædictus, qui sæpe visitabat eum, invenit corpus flexum coram altare *n* speluncæ, ibique profusis lacrymis sepelivit eum in pace: in quo loco, divina providentia suffragante, per merita B. Calogeri sæpe sæpius miracula infinita emanant. Currite ergo, fideles, ad S. Calogerum, ut intercedat pro vestra salute: fundite preces F Deo suo, qui ob ejus præclara merita et suam infinitam misericordiam vobis largiatur vitam æternam. Amen.

n ibidem sepelitur

ANNOTATA D. P.

a *Hic primum puto incipere Vitam antiquam, ampliori Prologo præcedente, quem ordinator Officii Dominicanus in pauca contraxerit, incipiens ab explicatione nominis, pro more tunc frequenti, et qui Jacobo de Voragine mire placuit, sub finem seculi* 13, *ut in ejus Legenda sive Historia Lombardica videre est: quamvis sint qui putent præfatiunculas illas, ut plurimum insulsissimas, ab aliquo posteriori adjectas.*

b *Impressum sic:* Ut Petrum videret, qui Pontifex urbis Romæ et primus omnium Apostolorum erat, et hoc fuit tempore Neronis, Imperatoris Romanorum crudelissimi. Tunc erat Simon Magus, et multitudo idolorum. *Antiquitus forsitan sic lep batur.* Et hoc tempore Theodosii *scilicet Juniorus* Imperatoris Romanorum. *Ego expuncto* Petri *nomine substitui puncta cum titulo* Pontificis; *et loco* Apostoli *infra*

A AUCTORE D. P.

infra pono Apostolici, *qui est Romani Pontificis titulus.*

c *Cajetanus* Homiononum, *quod magis probatur essetque nomen Græcum a pascuis inter se similibus sumptum.*

d *Alias* Lipara, *Æoliarum seu Vulcaniarum præcipua, et sola nunc habitata, Roma venientibus ad* 60 p. m. *propior quam ipsa Sicilia : portum haud incommodum habens, cujus antiquum nomen alibi necdum legi. Ibi olim* Vulcani templum *steterit, nec procul inde* Olla Vulcani, *sic dicta a perpetuo quem vomit igne.*

e Sutera, *una ex sex Regalibus Agrigentinæ diœcesis civitatibus, (nam majora omnia oppida* civitatis *appellatione in Sicilia gaudent) mediterranea est, et Sacca distat ad* p. m. 30; *eam Pirrus describit* pendentem ex monte, et nobilem quibusdam antris, æstivo tempore ad delicias aptis. *Mirum neutrius Sancti ibi reliquam ullam memoriam esse. Cajetanus Eunophrium appellat, et* Archileoni *qui subinde ei* Archirion *est* Paternionem *incolendam adscribit, cujus loci situm necdum comperi.*

f *Seculo* 5 *bonam Insulanorum illorum partem adhuc infidelem fuisse, mirum nemini videri potest.*

B

g Gemmar, *inquit Cajetanus,* Saracenica vox est, palmas silvestres, quibus ea ora abundat, significans; *non igitur sic appellabatur cum eo sanctus appulit.* Cranium montem *antiquitus appellatum dicit Fazellus : dubitat Cajetanus an non potius legeretur* Cronium, *a templo Saturni,* Κρόνος *Græcis dicti. Eidem Cajetano inter Liparam et Saccam numeranti millia passuum* 240, *vix credibile apparet, tantum spatium uno die enavigari potuisse. Fateor, si miraculum absit, quod gratis hic negaretur.*

h *Videtur corrupte scriptum* Syac *pro* Siacca *(sic enim vulgo dicitur) sive* Succa; *quod similiter Saracenicum est,* Balneum *significans : notis autem sui temporis nominibus usus auctor, vel interpres sit.*

i *Quamquam jam pridem Christiana tota Sicilia esset, fide ibidem ab ipsismet Apostolis cœpta prædicari* D *ac nominatim Agrigenti, ut fertur; nihilo tamen minus potuerunt Saccenses ad gentilismum relapsi fuisse præstigiis et terriculamentis dæmoniacis, quibus infestabantur.*

k *Cajetano semper sine aspiratione* Arcarius, *et verosimiliter ita hic dictus ab* arcu, *alias* Sagittarius *dici posset.*

l *Fazellus :* Fama est apud Saccenses, Sedibus vivo in saxo excavatis, in quibus ægri sederent ad balnea sudatoria ingressi, titulos fuisse inscriptos quibus ostenderetur, quis in unaquaque sede morbus depelleretur; eosque a medicis ob avaritiam ferro corruptos.

m *Diodorus Siculus et sedes et Balnea Dædali opus esse scribit : hunc enim* Spelæum in agro Selinuntiorum adornasse, in quo vaporem, a subterraneo istic igne exæstuantem, dextre excepit, ut tenero calore sensim sudor eliceretur; et cum voluptate quadam inibi versantium corpora paulatim, sine ulla fervoris molestia, curarentur. *Hæc a tam antiquo Auctore satis probant, non novam eo loci fuisse virtutem, quæ S. Calogero hic adscribitur; sed solum ejus meritis renovatam. Nempe restauratis iis quæ antea istic fuerant, et quorum indicia erant Sedes illæ, ibi jam olim excavatæ, et superstitiosis notis inscriptæ. Ea balnea propter dæmonum in iis stabulantium infestationes deserta et quoad qualitates cuique sedi proprias ignota, S. Calogeri meritis dici possunt Saccensibus reddita, et salubriora etiam facta; naturam juvante sanctitate nova loci, et Sanctum invocantium fide.* E

n *Jam supra ex Lect.* 7 *didicimus conditum altare fuisse a Sancto* ut sacrificium Deo offerret; *unde colligimus, vel Presbyterum fuisse in patria ordinatum antequam ea excederet, vel saltem Romæ, adeoque centenario propinquum aut majorem fuisse cum obiit : utpote qui Liparam appellens,* 35 *annis aut pluribus prius quam inde transiret in Siciliam, jam* senectute gravabatur, *adeoque sexagenarius ut minimum erat.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS AN CONFESSORIBUS ?

GREGORIO EPISCOPO PRIMATE,

DEMETRIO EJUS ARCHIDIACONO,

C

ET CALOGERO HEGUMENO,

F

IN FRAGALETA SICILIÆ MONASTERIO,

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De eorum patria, transitu in Siciliam, ætate ac notitiis aliis, ex Officio proprio per Sergium Monachum composito.

SEC. V

situs loci,

Fragalatense S. Philippi monasterium, *in Occiduo Siciliæ latere juxta oppidum S. Marci situm esse, sub Episcopatu Messanensi, ex Cajetani animadversionibus scimus; plura de eo reperturi in Sicilia sacra Rochi Pirri, si hic, quemadmodum in tomo* 3, *sic etiam in* 1 *et* 2 *ubi Notitia Ecclesiæ Messanensis habetur, exposuisset singularum diœceseon civitates, oppida, Monasteria etc. Nunc aliud non possumus lectorem de eo docere, quam quod oppidum S. Marci, cui adjacet, pari fere* 34 *milliarium intervallo distet Milazzo et Cephalædio, in eodem Occidentali Siciliæ latere. Ibidem prætitulatorum Sanctorum corpora servari, tradit idem Cajetanus; sed dubitat an integra; eo quod istic conditum* S. Calogerum *non distinguat ab Eremita Saccensi, de quo supra. Interim ex Menæis istius Monasterii, quod Græcorum Ordinis S. Basilii est, profert ipse cujusdam* Sergii Chronistæ, *Hymnos, Canonem Græci dicunt et in Odas plures distinguunt Psalmodiæ festivæ ad Matutinum interserendas. Has ipsi latinas fecit Augustinus floritus noster, ego græcas expetii, et vix demum impetravi mutilas, quales istic hodie supersunt et latinæ versioni alternatim quatenus licebit adjunctas dabo. In harum Odarum* V *nominatur* Gregorius Hierarcha, *et* Demetrius magnus Ecclesiæ Diaconus, *indicanturque Socii* plerique alii sanctimonia insignes viri, in quibus noster Calogerus

ubi eorum corpora habentur,

A logerus, *inquit Auctor, ejusdem monasterii Fragalatis verosimiliter Monachus.*

illuc advectorum ab Occidente,

2 *Hi scilicet* inscensa navi, in Insulam profecti *dicuntur*, persecutione ab impii erroris sectatoribus excitata. *Ubi autem?* Chalcedone, *si vera illa lectio est, quæ Urbs Ode* II *etiam* Calogeri patria *nuncupatur. Interim Similarium Versuum tertius* ab Occidente in Siciliam appulisse *eos dicit. Ita* in exemplari Græco irrepserat, *inquit Cajetanus; sed addit quod* reliqua facile lapsum manus hic indicent. *Non video ego quomodo cujusquam manus sic labi facile possit ut pro* Ἀνατολῇ Oriente, *substituat* δύσμην Occidentem, *nec enim ut Latina aliquam initio ac fine similitudinem habent, sic etiam Græca. E contrario pro voce* Καρχηδὼν *id est* Carthago *facile potuit* Χαλκηδὼν *id est* Chalcedon *obrepere. Itaque meliori jure quam Cajetanus ex occidente fecit* orientem, *faciam ego ex* Chalcedone Carthaginem *caput Africæ, unde innumeri confessores, Episcopi, et Clerici, Monachique persecutionis Wandalicæ tempore in Sardiniam insulam aut velut Africæ proximam relegati aut fugitivi, dein ad Europæ provincias varias transierunt; et ut Sancti Confessores coluntur. Est autem Sardinia Siciliæ ad Occidentem sita.*

adeoque non Chalcedone sed Carthagine,

B *Hoc ergo indicio, quod suggerit Sergius, inducor ut opiner,* Carthagine *natum* Calogerum, *cum aliquo vel istius vel vicinæ (puta Byzacenæ) Provinciæ Primate pulsum aut fugitivum* Fragalatem *appulisse, propinquo ex Sardinia trajectu; et monasterium ibi vel inventum, vel a se conditum gubernasse aliquammultis annis, ac demum obiisse; præmortuis jam pridem duobus Sociis.*

delati prius in Sardiniam,

3 *Invaserunt Africam Wandali anno* CCCCXXVII, *et Carthaginem occuparunt anno* CCCCXXXIX, *quando Rex eorum Geisericus, teste Victore Vitensi,* memoratæ urbis Episcopum, id est Carthaginis, Deo et hominibus manifestum, nomine Quodvultdeus, et maximam turbam Clericorum, navibus fractis impositam, nudos atque expoliatos expelli præcepit. *Anno post hæc* XV *permissus est ibi ordinari* S. Deo gratias; *sed hic est* functus sacerdotio annis tribus *tantummodo et mox Geisericus* Ecclesiam Carthaginis claudi præcepit, dissipatis atque dispersis per diversa exiliorum loca, quia Episcopus non fuerat, Presbyteris et Ministris; *sic autem mansit Ecclesia annis* XXIV: *post quos ordinatus S. Eugenius anno* CCCCLXXX. *Quarto post anno, cum ceteris Episcopis idem Eugenius in exilium est missus a Rege Hunerico, iterumque a Gunthamundo Rege circa annum* CCCCXCVI. *Gunthamundo* Thrasimundus *successit, qui* Ariana insania plenus, *sicut omnes sui decessores,* Catholicos insectatus, ecclesias

tempore persecutionis Wandalicæ

sec. 5 per annos 84 continuatæ.

C clausit, Sardiniam exilio, ex omni Africæ Ecclesia, centum viginti Episcopos mittit. *Atque hic fuit ecclesiæ Carthaginensis status usque ad S. Hormisdæ Pontificatum,* cujus temporibus *(uti in eodem Catalogo Pontificali leges)* Episcopatus Africæ reordinatur, post annos septuaginta quatuor *(imo octoginta quatuor)* quatuor *(puta anno* DXXIII*)* quo ab hæreticis fuerat exterminatus tempore persecutionis.

4 *Hæc cum esset fortuna Carthaginensis Ecclesiæ, tota Africa Principalis, qualem putabimus fuisse aliarum Primatialium quinque, ex quibus Carthaginensi Proximæ Byzacena vel Numidica, Episcopum Primatem seu Archiepiscopum potuerunt habuisse.* Gregorium *nihil enim cogit Carthaginensem Episcopum facere, licet* Calogerus, *cum eo advectus in Siciliam, Carthagine natus concipiatur. Plura divinare nihil attinet: satis enim dixisse videor, ut* Καρχηδόνα *pro* Χαλκηδόνα *reponens textui, vel Græco perperam transcripto, vel Latino exerranti, omnia invenias apte scripta a Sergio; simulque intelligas et causam et tempus persecutionis quæ prætitulatos Confessores Africa expulit, vel sponte fugitivos vel urgente Regis Ariani præcepto exules. Sic* in Insulam profecti *dicuntur: sed quam? Prima Hymni Strophe nominatur* Sicilia; *sed Strophe tertia dicuntur*

per Africam totam

huc appulisse ex Occidente, *Africa autem Siciliæ ad meridiem jacet, ad Occidentem* Sardinia.

D AUCTORE D. P.

5 *Huc igitur primo illi advenerint, et post aliquem fructum prædicando relatum inter Sardos agrestes, bonam partem adhuc paganos, ut ex S. Gregorii epistolis constat;* Lilybeum, *proximum Sardiniæ, appulsi inde secundum Borealem Siciliæ oram versus Orientem progressi eo loci substiterint, ubi nunc oppidum S. Marci est* p. m. *circiter* XL *infra Mylas, ibique invenerint vel condiderint monasterium ubi collocatis sociis ipsi tres vel duo ex illis* Gregorius *et* Demetrius *excursum fecerint ad mediterranea, Paganismi reliquias, inter montana resistantes, adducturi ad Christum, mortemque tulerint a furentibus ethnicis illatam, sicut in Tridentinis vallibus Sanctis Martyribus Sisinnio et Alexandro contigit tempore SS. Ambrosii et Vigilii seculo* IV *exeunte ut dictum* XXIX *Martii. Id suadere videntur Hymni prædicti Strophe tertia et quarta; ubi dicitur quod* Gregorius Archihierarcha, detestans nimiam Idolorum superstitionem, meruit pro Christo calicem bibere; *et tum ipse, tum* Demetrius *vocantur* invictissimi Martyres Christi, *quod idem etiam in Canone fit Ode* VIII ℣. 2: *Corpora autem ad Fragalatem deferens* S. Calogerus, *Gregorii* administer *humanda curaverit, ipse diutius superstes, et monasterium regens, ac miraculis vivus mortuusque celebrior. Sed quia in Canonis ejusdem Ode* IV ℣. 3 Gregorius, Calogerus *atque* Demetrius *pariter et indifferenter nominantur* Martyres invictissimi, *et tamen* Calogerus *nusquam ut* Martyr *colitur, imo et toto reliquo Canone, potius intelligetur in pace obiisse; non fui absolute ausus vocare* Martyres, *nisi quomodo etiam* Confessores *sic appellantur, aut quomodo crumnis appropeiata mors eum titulam mereri videtur in Sanctis Marcello, Martino ac Silverio Pontificibus. Certe S. Joannes Evangelista Martyr non obiit et tamen promisit ei Christus quod æque ac frater Jacobus esset suum calicem bibiturus.*


An duo ex illis in Sicilia facti martyres?

E

6 *Quod porro dicatur* S. Calogerus *Ode* IX, ℣. 1 in Siciliensi antro domicilium fixisse; *et, in versibus similaribus post Canonem,* antrum reddidisse sanctum dæmonibus exterminatis et in Christi templum commutavisse; *hæc, aliaque ad dæmones fugatos spectantia, videri jure possunt Saccensem Patronum attingere proprius. Quemadmodum enim sit de gratia fugandi dæmones, quæ sicut Philippo Argyrionensi communicata fuit, sic etiam posset* Calogero *Fragalati communicata præsumi; nolim ego fingere, proprium istic, quod hic incoluerit et sanctificaverit antrum. Potius dixerim, distinctionem duorum* Calogerorum *(quam dissimillima in utroque cetera omnia pene certam reddunt) obscuratam videri trium seculorum decursu, et Fragalates Monachos populo persuasum voluisse, eum cujus apud se erat corpus, Saccense antrum incoluisse aliquamdiu, indeque ad se venisse, et apud se obiisse. Interim diversissimæ sunt utriusque imagines; Saccensis ut supra vidimus num. 6 pingitur simpliciter ut eremita scipione instructus: Fragalatensis omnino haec propria Abbati Græco cum iis insignibus quæ operæ pretium fuerit hic expressa videre; scilicet cambutam seu pedum Abbatiale ex quo pendentes flocci quales ex Cardinalium vel Episcoporum pileis pendere latini faciunt, peculiarem aliquam considerationem merentur. Epomidi quoque sive Mozzette circumductus Limbus ac supra ipsum verba* in nomine Jesu *quod etiam per modum bullæ ad pectus pendet necdum alibi vidi, libenterque discam utrum hæc sint communia Abbatibus Siculis. Arcula ex dextera pendens haud dubie notat reliquias sanctorum ab eo ad Fragalates allatas. Jussi tamen hunc auferri genuflexum ad pedes sagittarium et cervam telo trajectam: hæc enim Saccensi ita propria sunt ut Fragalatensi citra confusionem personarum aptari non possint.*

In Canone videntur duo synonymi confundi,

F



7 *Quod ad Sergium Canonis Auctorem attinet, cum hic perspicit Ode VI, ut dimittis, ira, minis, obsidione hostium liberari; et in nota sequente Theotokio rogasset Deiparam eripere ipsam ut a jugo Ismaelitico Siculos vindicet in libertatem : denique Ode X precatur pro* Regibus Orthodoxis ; *unde conficit Cajetanus*, Poema hunc floruisse, auspicante Imperium Basilio Macedone, filiisque Constantino, Leone, Alexandro conregnantibus, quod in annum DCCCLXII incidit; *quando jam aliæ urbes erant a Saracenis subactæ, aliæ parem sortem formidabant.*

ab Auctore qui vixit sec. 9

8 *In ea viginti novem Hymnographorum Græcorum Catena, quam in Trudi fronte repertam, XXX Maji ubi de Clemente Poeta verbis explicui; et spectandam oculis objecit Nicolaus Raynaus in tractatu præliminari ante II Tomum Junii pag.* XX. *Penultimum post Episcopos locum inter Senatorios viros, obtinet* Sergius *quidam. Quidni is Constantinopoli, adhuc secularis hymnis sacris conscribendis inclaruerit; ac denique in Sicilia Monachum induerit? Nunc ipsum opus ejus, quiscumque fuerit, quando totum Græce non possumus, Latine proferamus, sed Ordine quam Cajetanus alio. Quod enim Hymnum secundum vocat, solis quatuor Strophis constans Poema, non facit ad plenitudinem ordinarii Officii, sicuti ejusmodi Officia in Menæis magnis habentur digesta. Cum autem plurima contineat ipsi quod dixi Officio multum lucis allatura malo id primo loco ponere, et propriis Annotationibus explicatum præmittere sub titulo* Hymni, *quemcumque is locum festo illo habuerit, fortassis sub sacra Liturgia, vel Horis eam sequentibus. In ceteris, quæ Cajetano faciunt Hymnum primum, per partes distribuendis sequar paradigma, ex Menæis proponendum die sequenti pro festo S. Judæ Adelphothei.*

an inter 29 Hymnographos celebris?

C

D

POEMA SERGII CHRONISTÆ

Ab usum divini Officii compositum ex MS. Græco ipsius Monasterii.

Interprete Augustino Florito S. J.

Ab Octavio Cajetano editum.

HYMNUS.

Sacro sanctæ Crucis virtute serpentem *a* interemisti idolorumque errorem extirpasti, Calogere Sanctissime; ac in Siciliam profectus miraculis coruscasti. Ora pro nobis, qui pie studioseque te celebramus.

a In Siciliam appulsus Calogerus,

II Iis, qui cum fide ad tuam speluncam accurrunt, multarum curationum gratiam scaturis; et *b* sudoris miraculum liquido cognoscentes, Deo gratias agunt immortales, Sancte Calogere. Interim me indignum, tuis gratis acceptisque precationibus redde condignum, qui te merito laudem; te enim præstis patronum, adjutorem, beneficiorumque promum iis, qui flagranti animo te colendum censuerunt.

b speluncam sanctificavit

E

III Ab Occidente *c* in Siciliam appulisti Divine Pater, ut a multis *d* majoribus accepimus, una cum Gregorio tuo Archierarcha Sancte Calogere, detestans idolorum id deorum superstitionem *e* sed ille meruit pro Christo calicem bibere; tu vero qui in antro habitasti, intercede pro fidis, qui tui memoriam colunt.

c d e

IV Profecto fluenta sanitatum in hos quotidie effunditis, o Divinissimi Patres Gregori Hierarcha ac Demetri, celeberrimi invictissimique *f* Martyres Christi : cujus minister populorum studiosissimus, Calogerus, ægrotantibus præsentem opem affert.

martyres facti Gregorius et Demetrius. f

ANNOTATA D. P.

a *Sub medium seculi V quo opinamur in Sardiniam amandatos Sanctos, bonam incolarum ejus partem adhuc fuisse idololatras, non mirabitur; qui leget S. Gregorii Epistolam* 16 *lib.* 3 *ad Januarium Calaritanum, ubi ait :* Accidit autem aliud valde lugendum, quia ipsos rusticos, quos habet ecclesia tua, nunc usque in infidelitate remanere negligentia fraternitatis vestræ permisit. *Neque hoc de Barbaricinis intelligas, ex Africa illuc deportatis per Wandalos, ut scribit Procopius lib.* 2 : *qui hi* montes occupavere qui circa Calarim sunt, *non enim agriculturæ laboribus illi se sustentabant; sed* primum quidem clanculo latrocinia in vicinos exercebant ; postea vero non minus quam ad tria millia, omnem circa eam depopulati sunt, quamobrem Barbaricini a vicinis appellati. *Vide Baronium ad an* 594 *num.* 11, *et lege Gregorii ejusdem Epist.* 27 *ad Ducem illius gentis jam factum Christianum, ceteris adhuc* ligna et lapides *adorantibus. Non est igitur recurrendum cum Cajetano ad seculi* 3 *et* 4 *confinia ut Gentiles reperiantur quibus convertendis allaboraverit* Calogerus *cum sociis; quod autem ad* Serpentem *interemptum attinet, eum vel verum vel Symbolicum accipias ut lubet.*

Pagani sec. 6 in Sardinia:

F

ad eos prædicatio S. Calogeri

b *Nihil dubito quin de* Spelunca *Saccensi hæc intelligat Auctor, inter* Calogeros *non distinguens : quod hic monitum, deinceps valeat.*

c *Ita in Græco legi fatetur Cajetanus; sed ipse corrigit,* in Oriente : *quod non probamus; et potius putamus a transcribentibus peccatum in nomine patriæ, ita ut* Χαλκηδὼν *obrepserit pro* Καρχηδὼν; *et fidenter nominent* Carthaginem, *patriam Sancti.*

d *Recte vocem Græcam retinuit Cajetanus, licet aliàs inusitatam Græcis : non enim satis fuisset titulus* Archiepiscopi *vel* Metropolitæ, *quibus illi assueti in*

una

A *una sæpe provincia plures habebant; Afri autem in singulis unum solum habebant* Primatem, *qualis videtur fuisse* Gregorius : *qui si non fuit Carthaginensis, non solum in Proconsulari Provincia, sed etiam tota Africa, quasi Primas Primatum; potuit fuisse Adrumetinus : et sic occasio daretur suspicandi, Adrumeti quoque Monachum vel Hegumenum fuisse* Calogerum : *sunt autem Adrumetini Monachi sancti Augustini scriptis famosi usque hodie.*

e *Si verum sanguinis martyrium phrasis hæc notat et quidem in Sicilia toleratum : ergo etiam ibi paganos sancti invenerint.*

f *Hinc intelligeretur etiam* Demetrius *Martyr factus.*

AD VESPERAS.

VERSUS SIMILARES.

Πάτερ θεόφρων Καλόγηρε, δι' ἐγκρατείας πολλῆς καὶ συντόνου δεήσεως τῶν παθῶν σκιρτήματα παντελῶς ἐξηφανίσας καὶ ἀπαθείας χάριν δεξάμενος, δοχεῖον ὤφθης ἁγίου Πνεύματος· ὅθεν τὰ πνεύματα ἀπελαύνεις πάντοτε τὰ πονηρὰ τῶν νῦν καὶ μετὰ θάνατον θεομακάριστε.

B Pientissime *a* Calogere, singulari temperantia, continentique precationis studio turbulentos animi motus ita domuisti; ut Dei virtute nihil ab iis afficerere sancti Spiritus receptaculum visus, a quo adeptus es, ut tartareos spiritus undique fugares; et in vita, et post mortem Cœlestium numero adscriptus.

a — *Calogerus gratia contra dæmones donatus,*

Πάτερ θεόφρων Καλόγηρε, Ἀβραὰμ μιμητὴς ἀψευδὴς ἐχρημάτισας, θεραπεύων πάντοτε τοὺς πρὸς σὲ καταφεύγοντας· Ἰὼβ εκτήσω τὸ ἐν τοῖς πόνοις στερρὸν· Δαβὶδ τὸ πρᾶον ὄντως ἐζήλωσας. Βίον ἰσάγγελον ἐπὶ τῆς γῆς διανύσας, τῶν ὀρεκτῶν ἔφθασας τὸ ἔσχατον, ὑπὲρ ἡμῶν δυσωπῶν.

II Sanctissime Pater Calogere, Patriarchæ Abraham verus imitator, procurabas quotquot undique ad te confugerent : ad hæc Jobi in adversis fortitudinem tibi comparasti, ac Davidis mansuetudinem æmulatus es, Angelicam vitam in terris traducens, ad concupitæ felicitatis terminum pervenisti, nos Deo commendaturus.

Abrahamo et Davidi comparandus

III Sancte Pater Calogere, tu ejus, quæ vere vita est, desiderio inflammatus, in speluncam te abstrusisti, hostis insidias ejusque verbera, ac vanos strepitus minime pertimescens : quippe quæ sacrosanctæ orationis vi armatus facile conculcasti, magnanimus eremi cultor : ex quo fit, ut et veneremur te, beatumque prædicemus.

in spelunca dicitur se exercuisse

C

b ANASTASIMON

Καταύγασόν μου νοῦν καὶ διάνοιαν, Σῶτερ, τοῦ ὑμνεῖν τὸν σου ἀσκητὴν Καλόγηρον· Χριστὲ φῶς ὑπάρχων ἀνέσπερον, ὅπως ταῖς αὐτοῦ εἰ μεσιτείαις τῶν πταισμάτων συγχώρησιν παρὰ σοῦ ἀξίως λάβοιμι.

IV Illustra animum, mentemque meam. Salvator optime, ad Calogerum pietatis cultorem laudibus cohonestandum; tu, inquam, Christe, qui lux es, nesciens occasum, ut ejus meritis errata omnia mihi digneris condonare.

THEOTOKION

V O rem admiratione dignam! quomodo rerum omnium molitorem tuo utero gestasti? quomodo infantem tuis ulnis fovisti orbis universi effectorem? Sane quidem tuus ineffabilis partus mentem omnem cogitationemque timore percellit, o purissima, o integerrima Dei genitrix : proin eum deprecare, ut nostri misereatur.

D

AUCTORE D. P.

ANNOTATA D. P.

a *Quamquam Ordinis, qualitate postremus trium, primus tamen et præcipuus in hoc Canone est* Calogerus, *utpote monasterii ipsius, quemadmodum ex toto decursu apparebit Pater, et qui SS. Gregorii et Demetrii martyrum corpora illuc adferenda curavit.*

b *Familiare sacris Hymnographis est singulas Odas suorum Canonum terminare* Theotokio, *id est Strophe una* de Deipara, *cui nonnumquam præmittunt aliam ad* Christum *vel* resurgentem *(et vocat* Anastasimon *quale hic vides) vel crucifixum (et appellant* Staurosimon); *aut etiam ad* sanctissimam Triadem, *quod dicunt* Triadicon. *Primum hic invenitur, secundum in Menæis frequens est, tertium in fine Odes* X, *loco Theotokii. Sunt et* Anatolica *apud Arcudium, et tale videtur poni post Theotokion Odes III, ubi anima sub aurorum ipsa sese excitat elevatque ad Christum, qui etiam in sacris litteris* Oriens *nuncupatur. De quibus omnibus vide tractatum Nicolai Rayæi ante Tomum 2 Junii.*

AD MATUTINUM.

E

CANON

ODE I

Calogerum Fidelem concordi animo laudibus cohonestamus, unaque simul Demetrium, ac Gregorium, numen assidue nobis propitium conciliantes.

Laudandus cum Gregorio et Demetrio,

Ἀλέξτωρ πεφυκὼς τῶν ψυχῶν καὶ σωμάτων τοῖς προστρέχουσι πιστῶς τῷ ναῷ σου, σοφὲ θεοφόρε Καλόγηρε· ἴασαι καὶ τῆς ψυχῆς μου τὰ θαύτης πάθη, δεχόμενος τὸ ἐγκώμιον Πάτερ τῶν δούλων σου.

II O sapiens, divineque Calogere, corporum, animorumque medicus, quotquot ad tuum templum cum fiducia confugiunt : nostras etiam pravas animi perturbationes jam nunc medicare, acceptis laudibus, quibus tui te servi exornant.

cunctis refugium præbens in templo suo

Λιπὼν τὴν πατρικὴν τῆς Καρχηδόνος χώραν, τῶν ἀνόμων δεδρακὼς θρησκείαν τὴν δεινὴν, Σικελίαν κατέλαβες, Πάτερ, καὶ σὺν τῷ προφήτῃ Γρηγορίῳ διδάσκοντες προσκυνεῖν ὀρθοδόξως Τριάδι Θεῷ.

III Tu relicta Carthagine patria, exosus detestandam impiæ *c* gentis religionem, in Siciliam applicuisti : eique loci cum Gregorio (cui de cœlo datum futura longe providere) orthodoxum unius trinique Dei cultum docuisti.

c

F

THEOTOKION

IV Quæ Dei Verbum supra omnem intelligendi rationem peperisti, qua ratione sibi visum est, qui ex eodem Deo genitus est; O nesciens thalamum Domina, ne desinas orare, ut universus terrarum orbis ab omnibus malis liberetur.

ODE III

Tertia, inquam, quia ut dictum est in Tractatu Præliminari ad tom. 2 Junii num. 18. secunda in festis Sanctorum omittitur.

Torrente lacrymarum tuarum incultæ solitudinis sterilitatem irrigasti, et suspiriis ex imo petitis, tuorum laborum fructus uberrimos retulisti. Atque hinc miraculorum splendore instar solis terrarum orbem illustrasti, Calogere Pater. Neque interim tamen Christum Deum orare prætermittas, ut salutem animæ nostræ adipiscamur.

quo adven t Carthagine patria relicta

II Honoratus es, ut verus Dei amicus, nimisque tuus confortatus est principatus : qua precibus, qua jejuniis hosticas fraudes elusisti, o Calogere, miraculorum patrator, proinde Deum nobis reconcilia.

Lacrymarum dono

THEOTOKION

A

AUCTORE D. P. et gratia miraculorum clarus,

THEOTOKION

III Quænam unquam mater dicta est virgo? quænam virgo dicta est mater? Enimvero Dei genitrix, omnia mira sunt, quæ de te dicuntur; ideo magna cum fide te magnam prædicamus.

KATHISMA

Ad primam post Psalmos consuetos

SESSIONEM.

IV Excute, anima, inertiæ soporem, et accende præclaram pœnitentiæ facem, magnaque cum lætitia egredere ex vitæ hujus caligine ad occursum immortalis Sponsi. Dic vero; Suscipe me, o Verbum Patris, neque me repellas, si tuæ unquam Genitricis preces tibi acceptæ fuerunt.

ODE IV

Σπεύσωμεν προφθάσαι τὸ ἄντρον, ἀδελφοί, καὶ ἴδωμεν θαυμάσια, ἐξ οὗ ὁ ὅσιος φάλαγγας ἐδίωξεν τῶν δαιμόνων· βρύει δὲ ἰαματα παθῶν τοῖς προστρέχουσι.

laudatur ut dæmonum victor et Crucis sectator

I Ad antrum festinemus, Fratres, ut admiranda facinora videamus; quo simul penetravit Sanctus vir, dæmonum acies exegit; omnibusque eo confluentibus, morborum curationes benigna manu elargitus est.

B

Εἰς πᾶσαν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος σου τὴν γῆν, Καλόγηρε πανθαύμαστε· τὰ γὰρ θαρθὰ κατέλειπας καὶ ἄρας σου ἐπ' ὤμων σταυρὸν καθεῖλες ὄφιν ἀρχέκακον, ὅθεν ὑμνοῦμέν σε.

II In omnem terram exivit sonus tuus, Calogere admirande: fluxa enim caducaque dereliquisti, ac sublata super humeros cruce serpentem teterrimum, malorum omnium originem, subegisti; quare te hymnis honoramus.

Ῥεῖθρα ἰαμάτων παρέχετε ἡμῖν, Γρηγόριε πανεύφημε, Δημήτριε πανθαύμαστε, Καλόγηρε θεόφρων, καὶ καλλίνικοι Μάρτυρες καὶ ὅσιοι [παρὰ τοῦ] Θεοῦ προστάται ἡμῶν.

una cum sociis Patronus omnium. d

III Fluenta curationum nobis abunde præbetis, vos, o undequaque laudabilis Gregori, divinissime Calogere, admirabilisque Demetri, Martyres *d* invictissimi, nostrique apud Deum Patroni sanctissimi.

THEOTOKION

IV Portus, Deipara, famulorumque tuorum tutela, virgo simul et mater purissima, ad te ego etiam supplex accurro, opitulare mihi, Domina, meque libera angustiis.

C

ODE V

Εἰς ὄρος ἀνελθὼν θεωρίας Παμμάκαρ, καὶ πράξεως σαφῶς ἀστραπαῖς τῶν θαυμάτων ὡς ἥλιος ἐξέλαμψας ἐν Σικελίᾳ Πανθαύμαστε· ὅθεν σήμερον τὴν φωτοφόρον σου μνήμην ἑορτάζοντες ὑμνολογοῦμέν σε πιστοὶ θεόφρων Καλόγηρε.

Eorumdem in Siciliam transitus celebratur.

I Conscenso jam contemplativæ actuosæque vitæ fastigio, Pater beatissime, miraculorum fulgoribus instar solis in Sicilia perspicue enitescis: quo circa hodie præclarissimam tuam commemorationem celebrantes, magna cum fide te laudamus, divine Calogere.

Γενομένου ἐν τῇ χώρᾳ διωγμοῦ τῆς Καρχηδόνος τῆς ἀθέου πλάνης, ὁ ἐν ἀρχιερεῦσι Γρηγόριος, τοὺς τῆς ἁγίας Τριάδος δούλους ἤθροισεν· εἰσελθόντες εἰς πλοῖον πρὸς νῆσον ἀπέδρασαν.

e

II Carthagine ab impii erroris sectatoribus *e* persecutione excitata jam, Hierarcha Gregorius, convocatis iis, qui Sanctæ Trinitatis cultui se mancipassent, conscensa navi in Insulam profecti sunt.

Ἱεράρχης ὢν μέγας ἐν Ἁγίοις Γρηγόριος Δημήτριον πάνυ τὸν τῆς ἐκκλησίας Διάκονον καὶ ἄλλους πλείστους λαβὼν Ἁγίους ἐν οἷς πέφυκεν ὁ Καλόγηρος οὗτος ἐμφρόνως κατέπλευσε.

D

III Cum esset hierarcha Gregorius sanctitate conspicuus, Demetrium magnum Ecclesiæ Diaconum, plerosque alios sanctimonia insignes *f* viros secum accipiens (in quibus noster Calogerus) secundo cursu navigarunt.

f

Οὐ τὰς ποινὰς τῶν βασάνων πεφυγότες, μὴ γένοιτο· ἀλλὰ τοῦ κηρῦξαι πᾶσι τῆς Τριάδος τὴν δύναμιν. Κατελθόντες οὖν ἄρδην τὸ Λιλυβαῖον νοσφισμὸς αὐτοῖς γέγονε διὰ τὸ κήρυγμα.

IV Nequaquam vero pœnas, cruciatusque (absit hoc ut dicamus) fugientes; verum, ut Sanctissimæ Trinitatis vim virtutemque omnibus promulgarent. Cum igitur Lilybæum *g* tenuissent, fuga abscondere se necesse iis fuit, propter prædicationem.

g

THEOTOKION.

V Intacta Virgo, præsidium gloriaque eorum, qui te laudibus efferunt, serva quæso, qui fide pleni tuam opem implorant; et a cunctis necessitatibus libera, quæ Deum incarnatum, quæ ejus fuit voluntas, edidisti.

ODE VI.

E

Σπήλαιον πέφυκεν ὁ ἀσκητὴς οὗτος στερρὸς καὶ μέγας Καλόγηρος· καὶ κατοικητήριον ἀκαθάρτων δαιμόνων λιτανεύσας τῇ δυνάμει τοῦ σταυροῦ εἰς κευθμῶνας ᾅδου ἐδίωξεν.

I Rupes erat inconcussa magnus asceta Calogerus: immundos spiritus e suis sedibus, oratione, et Crucis virtute, in profunda inferorum deturbavit.

Sed Calogeri imprimis auxilium petitur,

Ὑπὲρ τὸν ἥλιον καὶ νῦν πᾶσιν ἔλαμψε πιστοῖς οὗτος ὁ Ὅσιος, βρύων ἰάματα τοῖς προστρέχουσι πιστῶς αὐτοῦ τῷ οἴκῳ καὶ τελοῦσι τὴν φαιδρὰν καὶ ἁγίαν αὐτοῦ πανήγυριν.

II Nostris etiam temporibus, sole ipso illustrior, omnibus fidelibus Sanctus vir elucescit; ejus in templo sanitatum scaturigo [manat] omnibus, qui cum fiducia illo confugiunt, ejusque diem festum colunt.

Μνήσθητι, Ὅσιε, ταῖς σαῖς εὐχαῖς πάντων τῶν πιστῶν Πάτερ Καλόγηρε ἐπιτελούντων σου τὴν ἀοίδιμον μνήμην· καὶ βλάβης ἀπειλῆς τε καὶ ὀργῆς καὶ περιστάσεως ἐλευθέρωσον.

III Recordare, o beatissime Pater Calogere, fidelium omnium, qui venerandam tui memoriam celebrant, tuisque precationibus adjuva; et a damnis, ira, minis, obsidione hostium libera.

F

THEOTOKION

IV Respice nostras tuorum famulorum miserias angustiasque, o una inter omnes optima, Deipara Virgo; et festina Filium tuum exorare, ut a jugo Ismaeliticæ nos servitutis vindicet in libertatem. *h*

h

ODE VII.

Νεκρώσας τὰ πάθη τῆς σαρκός σου δι' ἐγκρατείας Πάτερ, Ἠλιοῦ τοῦ θείου ζῆλον ἔχων, πλάνης, στερρῶς νοητῆς ἀπηλλάξας Ἰεζάβελ, καρτερόψυχε.

I Edomitis per temperantiam pravis carnis tuæ moribus, magnanime Pater, tamquam adversus Jezabelem divini vatis Eliæ zelo præditus, errore animum fortiter liberasti.

Utpote asceticis virtutibus clarioris

Ὁ προφήτης πάλαι ἐμελῴδει Δαβὶδ ὁ θεοπάτωρ, Ἰδοὺ ἐμάκρυνα φυγαδεύων· ὃν καὶ καλῶς, Πάτερ, μιμησάμενος πρὸς τὴν νῆσον καθώρμησας.

II Vates David, Christi Domini pater, olim cecinit: Ecce elongavi fugiens: quem recte ipse quoque imitatus, ad Insulam appulisti.

Νεῦσον πρὸς ἡμᾶς τοὺς ἐκτελοῦντας τὴν ἔνδοξόν σου μνήμην· καὶ κάκωσιν ἰδὼν Θεόφρων, λιταῖς ποίου εὐσπλαγχνὸν Θεὸν ῥυσθῆναί με βλάβης ἐχθρῶν.

III Annue nostris precationibus, qui gloriosam tuam agimus commemorationem: respice quæso miserias calamitatesque nostras, divine Pater; et preces apud eum effunde, qui unus misericors est, ut ab hostium nos malis tueatur indemnes.

THEOTOKION

IV O Laudatissima Domina Virgo, quæ Deum, ut sibi visum est, progenuisti; precibus ab eodem contende, ut nobis, qui te hymnis cohonestamus, peccatorum remissionem impertiat.

ODE VIII

Καλογήρου σήμερον τὴν θείαν μνήμην ἐκτελοῦντες ἄσμασι δοξολογήσωμεν Χριστὸν τῷ Ὁσίῳ τῶν θαυμάτων παρέχοντα ταύτην τὴν χάριν ἰᾶσθαι νοσήματα.

Invitantur omnes ad laudem Sanctorum

I Calogeri hodierna luce divinam memoriam cantibus celebrantes, Christum etiam laudemus, qui miraculorum gratia sanctum virum donavit, ad morbos omnes rite curandos.

Ῥεῖθρα ἡμῖν ἰαμάτων παρέχετε θεωφόροι καθεκάστην ἀληθῶς, ὦ Γρηγόριε Ἱεράρχα σὺν Δημητρίῳ ὦ πανεύφημοι Χριστοῦ Μάρτυρες ἀήττητοι, ὁδὲ μόνος συνεραστὴς τοῦ Χριστοῦ θεράπων Καλόγηρος ὃς πάνυ τοῖς νοσοῦσιν οἶκτρον δίδοσι τάχυ μεθ' ὑμῶν ἱκετεύει ὑπὲρ τῆς ποίμνης ἡμῶν.

II Fluenta nobis sanitatum quotidie præbetis, Sacerdos Gregori, et Demetri, celebratissimi, fortissimique Christi Martyres, et vobiscum una Christi amantissimus Calogerus, qui morbo laborantibus præsentem opem affert, simul etiam vobiscum una pro suo ovili Deo supplicat.

Πῶς ὑμνήσω σε ὁ τάλας καὶ ταλέπορος ἐγω, παμμάκαρ Καλόγηρε; ἀλλὰ προσδέξαι μου τον ὕμνον τοῦ αναξίου δούλου σου καμὲ ἐμπόνιστον.

præsertim S. Calogeri, i

III Qua ratione te miser ego, contemptus laudaverim, te inquam beatissime Calogere? Verum ne dedignere laudes, quas tuus tibi famulus *i* continenter decanto.

Ῥάβδον φέρων ἐπὶ ὤμων τὸν σταυρὸν τοῦ Ἰησοῦ, Καλόγηρε ἔνδοξε κατήσχυνας ἀθέον πλάνην οὗ τῇ δυνάμει δαίμονας ἐπελαύνεις αείμνηστε.

IV Humeris gestans Christi crucem pro virga, impiorum errorem confudisti: cujus etiam virtute fugas dæmonum catervas, Pater in omnem æternitatem memorande.

Οἱ πιστῶς ἐκτελοῦντες τὴν ἁγίαν, φαιδρὰν, πανεύφημον μνήμην σου Χριστὸν ἀνυμνοῦντες βοῶμεν εὐλογητὸς εἶ Κύριε ὁ δοξάσας τοὺς ἁγίους σου.

V Nos qui sanctam hilaremque tuam festivitatem fideliter colimus, Christumque rite commendamus, una omnes voce clamamus. Benedictus es, Domine, qui tanta gloria Sanctos exaltas tuos.

THEOTOKION

VI Qui solus ex Virgine, ut probe nosti, prognatus es, Servator, ratione ineffabili; ejusdem precibus acceptissimis, eos qui ad te magna cum fiducia accurrunt, incolumes serva.

ODE IX

Εὐκάλως ἐμιμήσω, Μακάριε, Ἀβραὰμ τὸν προπάτορα, Ὅσιε· τὴν γὰρ πατρίδα ἔλειπες καὶ ἐν ἄντρῳ ᾤκησας τῆς Σικελίας, εὐλογήσας ασιγήτως τὸν κύριον

Abrahamum imitati

I Sane quam probe imitatus es Patriarcham Abraham, sancte Pater, cum carissimam patriam dereliquisti, et in Siciliensi antro tuum domicilium figens, Deum optimum laudas et benedicis.

Φύλους πάντας ἐκτήσω Μακάριε τοῦ Θεοῦ νουθετῶν, αὐγάζων πιστοὺς τῷ φωτισμῷ τῆς πίστεως, καὶ διδάσκων τὸ ψάλλειν, Πάντα τὰ ἔργα εὐλογῆτε, ὑμνῆτε τον Κύριον.

II Omnes conciliasti in amicitiam tuam beatissime Dei vir, monitionibus et fidei lumen illustrans, erudiensque ad psallendum; Omnia opera benedicite, et laudate Dominum.

Ἐν τῇ ὑπομονῇ σου, Καλόγηρε, τὸν μισθόν σου ἐκτήσω πανθαύμαστε· ταῖς γὰρ χερσὶ παρέδωκας τοῦ Θεοῦ τὸ σὸν πνεῦμα ψάλλων ἀπαύστως, Εὐλογεῖτε, ὑμνεῖτε τὸν Κύριον.

III In patientia tua, Calogere, mercedem tibi comparasti, in manus enim Dei tradidisti spiritum, continenter illud cantitans; Benedicite, et laudate Deum.

THEOTOKION

IV Vaticinia Prophetarum Dei simul, et hominis Mater, adimpleta sunt: tu enimvero Mons es, Thronusque, ac Porta est solus Deus noster.

ODE X.

Ῥώμη τοῦ παντάνακτος Θεοῦ τῶν ὅλων, τὴν ἰσχὺν κατέβαλες τοῦ πολεμήτορος, Πάτερ σοφε· διάδημα, Ἔνδοξε, τῇ κορυφῇ σου δεξάμενος ὅθεν αναπέπαυκας·

cujus meritis etiam Deus oratur

I Tu virtute Omnipotentis Dei hostis tartarei vires afflixisti, sapientissime Pater; accipiens capite tuo diadema decoris ex quo in pace requiescis.

Ἐπίβλεψον Δέσποτα, ἐξ οὐρανοῦ, καὶ ἴδε τὴν ταπείνωσιν ἡμῶν τῶν δούλων σου, τῶν δισμενῶν κατελὼν τὸ φρύαγμα· παράσχου θᾶττον εἰρήνην ἡμῖν πρεσβείαις τοῦ Ὁσίου σου.

fidelibus succurrere

II Respice, Domine, de cœlo, et vide humilitatem nostram servorum tuorum; hostium deprime supercilium, ac largire nobis pacem precibus Sancti tui.

Ἴσχυν αἴτει Ὅσιε τῷ σῷ δοθῆναι ὑμνωδῷ ἄηττητον ἀεὶ Καλόγηρε, κατὰ παθῶν, και πᾶσι τῇ πίστει ἐν τῷ τεμένει σου φοιτῶσι καὶ Βασιλεῦσι τοῖς ὀρθοδόξοις.

III Impetra, quæso, invictam fortitudinem tuo laudatori, ad elidendas pravas animi libidines; tum omnibus qui fiducia pleni celebrant templum tuum, tum vero Regibus *k* orthodoxis.

k

TRIADIC.

V O suavitas ac dulcedo iis omnibus semper expetenda, Pater, Verbum, et Spiritus Sancte, quæ coleris in unitate Deitatis, nos omnes servare digneris.

ODE XI

Ὦ φωθαυγὴς πανήγυρις ἡ τοῦ Ὁσίου σήμερον ἡ φωταυγίζουσα μνήμη τὰς τῶν πιστῶν διανοίας. Δεῦτε πιστοὶ ἐν ἄσμᾶσι, φαιδρῶς πανηγυρείσωμεν και πρὸς αὐτον τον Σωτῆρα [αναπέμπωμεν] τοὺς αινους.

in dicendis solemnitatis.

I O illustrem hunc solem! o diem festum commemorationemque sanctissimi viri præclaram, ad fidelium mentes illustrandas! Agite, Christiani cœtus, festis cantibus hilarique animo, hunc diem celebremus, omnesque una ad eum mittamus voces, qui assiduis precationibus nobis Salvatorem reconciliat.

Καλόγηρον, πιστοί, συμφώνως ἀνυμνοῦμεν, ἅμα σὺν τῷ Δημητρίῳ Γρηγόριον τὸν θεῖον, οἱ ὑπὲρ ἡμῶν πρεσβεύουσι.

II Calogerum, Demetrium, ac Gregorium concordi voce fideles in cœlum tollamus, utpote qui nobis Deum deprecantur.

Ἄλλος τις ἐπὶ γῆς Πατρῶν ὁσίων ὡς σὺ, Παμμάκαρ, ἐπέφανε [δυσωπων] το θεῖον ἱδρυσι τῆς ασκήσεως. Πρεσβείαις, ὦ Θεὸς, τοῦ θείου Καλογήρου τὴν ποίμνην ταύτην σὺν τῷ ποιμένι εὐλαβεῖ συντήρησον.

III Nemo quisquam alius ex sanctis Patribus æque Deo gratus et acceptus fuit, ac tu; assiduis te laboribus exercens. Precibus B. Calogeri Deus, Pastorem, *l* gregemque suum serva incolumem.

l

THEOTOKION

Tuum, o Sacrosancta Virgo, ne cœlestis quidem mens

A mens, ne dicam mortalis ac terrena comprehendere unquam potest ut enim ineffabile est, ita incomprehensum. Tuo enim utero concludi voluit, qui nullis potest finibus capi.

ODE XII

m et in commemoratione talium Sanctorum

I Certamina sapientum *m* Monachorum, ac Christi militum labores, ut par est, exornantes Gregorii, inquam, Calogeri, ac Demetrii, voces ad usque cœlum tollamus ; ut velit nos Deus ex omnibus malis eorum precationibus servare.

II Insignem plane a Deo pacem adepti estis, Patres generosissimi, malorum calamitatumque fluctus jam emensi, viri sanctissimi, milites fortissimi ; eorumque qui vos laudant, apud Deum deprecatores.

III Legitime decertastis sapientes quidem, at vero a Deo redditi longe sapientiores, ac veluti bonorum omnium receptacula mundo apparuistis, divina ecclesiæ luminaria, Martyres, ac Sanctorum ornamenta.

THEOTOKION

IV O sola mundi Regina, sola Dei genitrix, sola hominum salus, Beatorum Martyrum meritis undique nos defende. *n*

B

VERSUS SIMILARES

præsertim S. Calogeri, Patris monachorum

Σήμερον τῶν Μοναχῶν τὰ πλήθη ἠθροίσθησαν προθύμως. Σήμερον δοξάζουσι τὸν ἱερὸν Ποιμένα, τῶν ὁσίων ὁ δῆμος εὐφραίνεται καὶ τῶν δαιμόνων ἡ φάλαγξ ἠμαυρώθη, καὶ ἡ αὐτῶν κατοικία καταλέλυται καὶ ἡμεῖς εἰς οὐρανοὺς ανυψώθημεν· διὸ συνυμνοῦντες βοῶμεν καὶ λέγομεν, Δόξα ἐν ὑψίστοις τῷ Θεῷ.

I Hodie Monachorum cœtus libenti animo coacti sunt, hodie sacro Pastori laudes, hymnosque persolvunt. Lætatur Sanctorum populus, tremunt tartareæ phalanges : dissipata jam eorum habitatione, nos etiam ad cœlum usque elevati sumus ; ac proinde collaudantes clamamus ; Gloria in excelsis Deo.

viri Ascetæ,

II Tamquam verus Christi asceta, beatissime Pater, coronatus es ; oculum enim animæ ita perpurgasti, ut Deum, cujus amore æstuabas, merueris videre ; quemadmodum vidisse te olim accepimus, quando ab illo miraculorum gratiam accepisti, quibus in tui cognitionem venimus tui laudatores.

dæmonibus formidandi

III Agite jam fideles universi, qui ejusdem festum celebraturi convenistis, intueamur magni Calogeri miracula; antrum enim reddit Sanctum, Dæmonibus procul inde exterminatis, et in sacrosanctum Christi

C

templum commutavit; ubi malis omnibus ii liberantur, quicumque ejus celebrant festivitatem. D

et gratia pleni

IV Plane dignus fuisti, Pater Calogere, charismatis Spiritus sancti : impendis autem fidelibus, qui tuam memoriam colunt, pacem ac misericordiam; nosque ab omni periculo salvos, indemnesque servatos ad lumen occasus ignarum perduc, pretiosissimis tuis meritis, Pater undequaque felicissime.

ANNOTATA D. P.

c Wandalorum *scilicet* Arianam hæresim.

d Martyres *vocat etiam infra ; licet* Calogerus *Confessor solum fuerit.*

e *Per totam quidem, qua Romanorum fuerat, Africam, quaque tum ea Christiana erat, persecutionem patiebantur Orthodoxi ; sed dum Episcopi ad regiam cogebantur, vel in hæresim pertrahendi, vel in exilium amandandi, huic potissimum urbi adscribitur persecutio ; nec propterea debet ejus Episcopus fuisse* Gregorius *sed satis est si alicujus ex Primatialibus fuerit.*

f *Potiores scilicet de Clero* Gregorii.

g Lilybæum *Siciliæ promontorium e Sardinia venientibus proximum est.*

h *Hic juxta morem Menæorum deberet interponi* Synaxarium de Sancto, *sive breve Actorum compendium ; sed ex usu plerorumque monasteriorum Græcorum, Canones per modulos decantandi seorsim describebantur; Synaxaria, uno tenore legenda, in altero; sicut apud Latinos Antiphonarium et Martyrologium : et ideo illud hic adhuc desideratur.* E

i *Ex hac voce* continentur, *colligit Cajetanus, plura alia de Sancto composuisse Sergium : sed ex græco* ἐμπόνιστον *tantum intelligitur quod in hoc hymno componendo valde et sedulo laboraverit author.*

k *Puta* Basilium Macedonem *ejusque filios.*

l *Fragalatensem Hegumenum et Monachos ejus intellige.*

m *Hinc colligo in eodem Monasterio omnes tres monasticam vitam egisse, et forte Hegumeni loco duobus etiam aliis fuisse Calogerum, ut scientiorem exercitationis monosticæ.*

n *Quæ sequuntur Stichera seu Versus quatuor non sunt pars Canonis, alias ut Odæ ceteræ Theotokio vel Triadico aut Staurosimo terminarentur, sed* similares, *ut in principio. Solis autem præcipuis solennitatibus convenit, ut illi duplicentur, sic in Menæis pro festo S Antonii quatuor* Προσόμοια *ante, totidemque post Canonem inveniuntur.*

F

DE S. FORTUNATO EPISCOPO

QUIESCENTE IN AGRO GALLIÆ SENONENSI

SYLLOGE HISTORICA.

De ejus cultu, ætate, scriptis, Episcopatu.

G. H.

CIRCA DLXXV.

Inter Archiepiscopos Bituricenses in Aquitania prima numeratur octogesimus octavus Petrus Cadoetus, qui sedit ab anno MCCCCLXXXIII *ad annum* MCCCCXCII, *eique inscripsit suum Martyrologium Joannes Muneratus, B. Mariæ de Salis Canonicus ac gymnasii Navarrici apud Parisios Scholasticus et in choro Cappifer : illudque prima vice edidit anno* MCCCCXC, *recusum postea anno* MDXXI *et* MDXXXVI. *In hoc Martyrologio vulgatus textus Usuardi, additis hinc inde quibusdam elogiis nonnullorum aliorum Sanctorum. Ita, quod huc spectat, habet ad diem* V *Maji ista ;* Apud Cellas, Sancti Fortunati Episcopi et Confessoris, *et plenius ad hunc* XVIII *Junii his verbis :* In territorio Senonensi apud Cellas, depositio B. Fortunati Episcopi et Confessoris. Qui Vercellis civitate oriundus, et a primævæ ætatis flore peritiæ litterarum traditus, micanti studio Longobardorum philosophus : deinde vero a B. Germano Parisiorum Episcopo cognitus, Vitam S. Marcelli prædictæ urbis Antistitis totius mundi gyramini indubitanter patefecit. Post paulum vero temporis S. Germano ægrotante, inedia fervente, Angelica visitatione submonitus, cupiens quoque fervore speculationis aggredi Parisios, ac sic circa vicesimum ab urbe milliarium

Elogium ex Martyrologio an. 1490

milliarium, Dei nomine tactus, in pace quievit. *Hæc ibi phrasi satis confusa, quæ tamen plane eadem ad utrumque diem descripsit Molanus in Additionibus ad Usuardum primæ editionis anni* MDLXVIII, *in secunda vero et tertia editione aliqua de ejus itinere ad Germanum ægrum, deque illius obitu fuerunt omissa. Canisius in Martyrologio Germanico hæc inde contraxit :* In territorio Senonensi apud Cellas, depositio S. Fortunati Episcopi, Vercellis nati, qui tam vita quam doctrina illustris circa vicesimum lapidem ab urbe Parisiensi in pace quievit. *Ejusdem memoria celebratur in MS. S. Richarii, et apud Grevenum in Auctario Usuardi, atque Ferrarium in Catalogo generali.*

et aliis.

2 *Saussayus in Supplemento ad diem* XVIII Junii *hoc ei concinnavit elogium :* In territorio Senonensi S. Fortunati Episcopi, qui S. Germano Parisiensi Episcopo coætaneus, eidemque ob sanctimoniæ affinitatem percarus, cum ad eum visendum ægrotantem pergeret Cellis, viginti milliaribus Gallicis ab urbe regia dissitis, ipse anticipatus evocatione divina, carnis exuta mole, animam meritis fretam, pure ad optatissima cœli tabernacula transmisit. *Hæc Saussayus, qui utinam, quam ob vicinitatem loci poterat, adhibuisset ulteriorem inquisitionem de situ loci, de Sepultura, Reliquiis, patronatu, et veneratione qualem hoc tempore adhuc habent.*

3 *Hactenus Henschenius noster, qui cum in ejus MS. legisset Claudius Castellanus Parisiensis Canonicus sæpe nobis alibi laudatus a diligentia, sua manu sic adscripsit.* Inter Melodunum et Monasteriolum ad saltum Icaunæ (*id est, ubi Icauna fluvius desinit, in Sequanam influens*) est locus dictus Celle vulgo magna Parochia et uno milliari versus Melodunum est Vernosum, ibique Ecclesia S. Fortunati ; olim SS. Felicis et Felicissimi, qui ibi passi sunt XII Maji anno CCLXXXVII : sed occasione reliquiarum S. Fortunati, nomen mutavit. Ad semimilliare est alia Ecclesia S. Fortunati cum fonte : prope autem viculus dictus Cella, diversus a Cellis prædictis. In quatuor MSS. Martyrologiis Ecclesiæ majoris Parisiensis, in quorum martyrologiorum, uno antiquissimo dicitur Vercellensis scriptor vitæ S. Marcelli, et S. Germani amicus et in iisdem quatuor v Maji habemur, item memoria S. Fortunati.

4 *Tempus vitæ colligitur ex ætate S. Germani; qui creatus est Episcopus Parisiensis circa annum* DXXX, *mortuus anno* DLXXVI, XXVIII *Maji, quo die Acta ejus illustrata dedimus. Proinde* S. Fortunatus, *si hoc* XVIII *Junii vitam mortalem exuerit, ante* DLXXVI *annum id contigisse necesse est. Si tamen obiit die* V *quinta Maji, quando eum pluribus referri inter Prætermissos ostendimus, potuit eodem quo* S. Germanus *anno ad Christum migrasse ; cum jam suum dominatum ab anno* DLXVIII *Longobardi cœpissent habere in Italia. At cujus loci fuerit Episcopus, non satis liquet. Ferdinandus Ughellus tom. 2 Italiæ sacræ unum nominat Foropompiliensem in Flaminia, a Vercellis longius dissitum, qui seculo* VI *sederit, et huc videtur propius referibilis. Licet enim obiisse dicat anno* DC, *id tamen non nisi per meram conjecturam definivisse potuit; utpote nullum habens quem nominaret post Azellum, anno* D *præsentem Romanæ Synodo ; et Mailocum, ex tabulis illius Ecclesiæ agnitum pro anno* DCXXII. *Est tamen difficile aliquid certi statuere ex solo nomine, quod eodem tempore commune potuit esse pluribus Episcopis quorum nos deficit notitia. Quod Claudius Robertus in Gallia Christiana putavit fuisse Venantium Fortunatum Episcopum Pictaviensem ratio temporis prohibet : quia Fortunatus iste, adhuc Presbyter, scripsit Vitam S. Germani Episcopi Parisiensis, ante quem in pace quievisse nunc Fortunatum ex dictis constat. Colitur Pictaviensis Fortunatus* XIV *Decembris. Cui ex hisce tribuenda sit Vita S. Marcelli Episcopi Parisiensis, poterit Kalendis Novembris accuratius examinari.*

Locus et tempus obitus,

ab hoc alius S. Fortunatus Episcopus Pictaviensis

DE SANCTA SPECIOSA

VIRGINE PAPIÆ IN INSUBRIA

Notitia cultus et vitæ ex Ferrario, translatio Reliquiarum in Saxoniam.

SUB INITIUM SECULI VII

C*oli hac die Officio Ecclesiastico apud Ticinenses* S. Speciosam Virginem *scribit Ferrarius in Catalogo generali, additque in Catalogo Sanctorum Italiæ* Vitam MS. apud moniales S. Mariæ Capularum *esse, quam necdum potuimus obtinere, sed ejus loco damus Vitam ab ipso Ferrario ex illa contractam et est hujusmodi.*

Synopsis vitæ ex Ferrario.

2 Speciosa Virgo, S. Epiphanii Episcopi Ticinensis soror, corporis quidem specie pulcherrima, et animi virtutibus clarior, ab infantia virginitatem suam Christo dedicavit. Sed cum parentes illam cuidam nobili adolescenti invitam despondissent, et nuptiarum tempus adesset ; Speciosa sponsum ad castitatem sæpius invitavit, sed frustra. Quapropter illa ad orationes et jejunia confugiens, Deum precabatur, ut quoquo modo virginitati suæ consuleret. Non irritæ preces fuere. Nam sponsus paulo ante nuptias moritur. Miranti autem Epiphanio, quod de sponsi morte ut fieri solet, non tristaretur, sed lætissima appareret, causam lætitiæ exposuit : vitamque asperam herbis et leguminibus agens, in rerum divinarum contemplatione occupabatur ; nec tamen ob jejunia assidua et alias carnis macerationes, species ejus immutata est. Infirmis, quos frequens visebat, propriis manibus ministrabat. Consilio omnes accedentes juvabat : illam sæpius S. Epiphanius consulebat. Cujus etiam orationibus Constantinopolim profecturus, seipsum et Ecclesiam suam commendavit. Vitam hanc, cum ad annos octoginta prorogasset, decedens cum æterna commutavit decima quarta Kalendas Julii : cujus corpus odorem suavissimum mittens, in æde S. Vincentii Martyris conditum fuit ; nunc in ecclesia S. Epiphanii una cum corporibus Sanctarum Luminosæ et Liberatæ sororum asservatur apud Canonicos Regulares. *Hæc ibi. De S. Luminosa egimus die* IX *Maji diximusque non videri Sororem extitisse S. Epiphanii, sed intimæ caritatis vinculo conjunctam fuisse. Fuerunt autem Sorores S. Epiphanii* et *S. Speciosæ, supra indicata* Liberata *quæ* XVI *Januarii, et* S. Honorata *relata est ad diem* XI *ejusdem Januarii : Sanctus autem* Epiphanius, *Episcopus Ticinensis, anno* CCCCXCVI *defunctus colitur* XXI *dicti Januarii : cujus Vitam ab Ennodio etiam Episcopo Ticinensi editam ex MSS. dedimus, et adjunximus historiam Translationis ejusdem, ex Sideribus Christophori Broweri, in qua hæc cum memoria S. Speciosæ narrantur.*

3 Solennibus jejuniorum festive expletis, divinitus ut credo, ecce affuit Landwardi Mindensis Episcopi Presbyter, nostro Fratri contubernii gratia familiarissimus

A rissimus: qui illum adhuc titubantem, cum animum ejus aperiret, solicite de omnibus, ac si idem quod ille sentiret, perquisivit; sanctissimique Patris Epiphanii Reliquias, sanctæque Virginis Speciosæ, uno ambitu templi inclusas auferre suasit: supervenientis noctis tempus, nec in aliud protelandum, illis competere. Nec mora, complacitum est; collecto per diem huic officio apparatu necessario, nocturno suffragante silentio, ecclesiam intrant. Se tanto operi terra tenus strati, impetrares accusabant: audacis nihilominus cœpti veniam exorabant, illorum se patrocinio attentius commendantes, ut vel eorum Reliquiis remunerari mererentur, vel si id non dignarentur, sine damno saltem sui ab illis protecti, cœpto pie removerentur. Surgentes itaque B. Epiphanii sepulcrum recludere diu multoque sudore certabant; nullo ingenio, cum omne studium impendendo consumerent, proficientes. Itaque B. Speciosæ Virginis Tumbam in promptu aperuerunt. In

Aliquæ Reliquiæ ablatæ

et Hildesium ac Mindam translatæ.

D pavimentum itaque ante sacras Reliquias provoluti, orationique aliquantulum intenti, surgentes eas deosculando, hymnis et laudibus sustulerunt: quarum parte qui Fratris nostri studio illi suffragabatur, piæ memoriæ Dominus noster Otwinus, huc postea cum B. Epiphanii Reliquiis transtulit, commendata quæ sibi competebat parte Landwardo venerabili Episcopo. *Hæc ibi. At supra retulimus* S. Speciosæ corpus adhuc in ecclesia S. Epiphanii asservari *unde arbitramur, aliquas solum Reliquias ejus Hildeshemium et Mindam translatas: quod vel ideo magis probatur, quod in Officiis propriis anno* MDCLXII *pro Ecclesia Hildesiensi excusis nulla fiat mentio* S. Speciosæ Virginis: *at S. Epiphanii festum sub ritu duplicis celebratur die* XXII *Januarii, diciturque is* translatus anno nongentesimo sexagesimo tertio; atque in choro superiore Ecclesiæ Cathedralis miraculis clarus, religiose et honorifice asservatus.

DE S. AUTBERTO

B E

EPISCOPO ABRINCENSI IN GALLIA

SYNOPSIS HISTORICA.

De S. Michaelis ecclesia ab ipso condita, ejusque ibidem cultu et translationibus.

G. H.

INITIO SEC. VIII.

Abrincæ, *urbs Episcopalis hodiernæ Normanniæ, juxta fines Britanniæ Armoricæ, haud procul ab ora maritima, celebrat hoc* XVIII *Junii festum* S. Autberti Episcopi, *sub ritu duplicis secundæ classis: et in Proprio Sanctorum hujus Ecclesiæ anno* MDCXXXV *omnia præscribuntur de Communi Confessoris Pontificis, excepta Lectione quarta secundi nocturni, quæ est hujusmodi;* Beati Autberti memoria inter eos, qui Ecclesiam Abrincensem gubernarunt, maxime elucet, propter admirabilem ejus sanctitatem, et singularem illam B. Michaelis Archangeli apparitionem et revelationem; quam ipse piissime executus, in celeberrimo Monte-Tumbæ ecclesiam et cœnobium construxit, et Principi Angelorum consecravit: in quo sanctum ejus corpus sepultum, post aliquot secula, Richardo secundo Duce Normanniæ, et Hildeberto Abbate mirabiliter inventum est, et ibidem cum summa veneratione asservatur et colitur. *Hæc ibi. Ejusdem* S. Autberti Episcopi Abrincensis depositio *inscripta est Martyrologio MS. Bruxellensi Ecclesiæ S. Gudilæ, et Gallicano Saussayi.*

Cultus sacer

in ecclesia S. Michaelis

C

2 *In Chronico Sigeberti res gesta narratur in nostro perantiquo codice MS. quam Autbertus Miræus, quasi ab aliquo adjunctam, alio charactere edidit, et est hujusmodi.* Childeberto monarchiam regni Francorum tenente, Archangelus Michael apparens Autberto, Abrincatensi Episcopo, monuit semel et iterum, ut in loco maris qui propter eminentiam suam Tumba vocatur, fundaret ecclesiam, in memoriam sui, volentis talem venerationem exhiberi sibi in pelago, qualis exhibetur in Monte-Gargano. Interim taurus a latrone furtim raptus, in illo loco religatur. Unde Episcopus tertio admonitus, ut in illo loco fundamentum jaceret, ubi taurum religatum inveniret, et sic ut eum terram pedibus protrivisse videret, sic ecclesiæ ambitum duceret; ecclesiam in honorem sancti Archangeli constituit, et ex illo tempore, sicut in Monte-Gargano, ita etiam in illo loco, quod modo dicitur In-periculo-maris, veneratio Archangeli frequentari cœpit. *Hactenus Chronicon MS. nostrum Sigeberti, quod post mortem ejus ad annos duos et quinquaginta productum est, ut possit satis genuinum* censeri. *Notatur annus* XII *dicti Childeberti, referendus ad annum Christi* DCCIX, *aut præcedentem ad consensum aliorum Chronologorum.*

cum cœnobio per sanctum condita,

ex apparitione ei facta,

3 *Sammarthani tomo* 4 *Galliæ Christianæ, dum agunt de monasterio* S. Michaelis de Monte-Tumbæ in periculo maris, *asserunt* a S. Autberto institutos Canonicos, qui divino cultui vacarent. Verum, ut fert rerum humanarum conditio, cum a primo pietatis zelo non tantum deflexissent, sed in morum corruptelam sensim dilapsi, Christi nomen profanarent; Richardum primum Normannorum ducem, congregatis e variis Neustriæ Divi Benedicti cœnobiis triginta monachis, anno DCCCCLXVI eos in Canonicorum locum substituisse. *Hæc ibidem Sammarthani, qui tomo secundo in elogio* S. Autberti *scribunt,* ejus sanctissima ossa prolixiori tempore cunctis mansisse incognita, a Bernerio quodam in eodem cœnobio Montis S. Michaelis abscondita; ac tandem supremo Opifici placuisse, ad decus loci, ea manifestare, Richardo secundo Normannicæ gentis principatum gubernante, et Hildeberto Abbate dictum cœnobium regente: *quo suadente dicitur Richardus ædificia monasterii ampliasse. Præfuit Hildebertus ab anno* MXIII, *et post sex annos satis cessit anno* MXXIII.

translatumque ad Benedictinos.

Ossa S. Autberti inventa circa an. 1021

F

4 *Fuisse autem tunc ossa* S. Autberti *honorifice inclusa, et caput seorsim adservatum constat ex alia translatione facta anno* MCLVIII, *quæ sic describitur a Roberto Abbate de Monte, in Appendice ad Sigebertum, quam Lucas Acherius post opera Guiberti Abbatis de Noingento vulgavit. Ibi ad dictum annum* MCLVIII *ista leguntur:* Eodem anno Robertus Abbas S. Michaelis, meliorans auro et argento quædam antiquata in capsa S. Autberti Episcopi, invenit in ea ossa ipsius Sancti, excepto Capite, quod per se reservatur in eadem ecclesia in vase argenteo. Invenit etiam cum eodem corpore litteras testificantes id ipsum, et quamdam tabulam viridis marmoris. Repositum est iterum corpus beati Confessoris et Episcopi Autberti in eadem capsa in tribus ligamentis, et marmor, et vetus breve cum novo, in quo indicatur sub quo anno Dominicæ Incarnationis, et a quo Abbate repositum fuit tunc idem corpus.

DE

DE S. ELISABETH VIRGINE

MAGISTRA SORORUM ORD. S. BENEDICTI

SCHONAUGIÆ IN DIOECESI TREVIRENSI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De ejus ætate, visionibus, Vita; hujus scriptore Egberto atque laudatore Emichone, et occasione cultus in hodierno Romano.

D. P.

ANNO MCLXV

Schenaugiæ in Trevtren. diœcesi ad Millam

Cattimillebocensis *in Adrhenana Germania Comitatus, vulgo* Catzenelleboghen *dicti, occiduum limitem, qui Rhenum duarum circiter leucarum intervallo respicit, perstringit* Millus *fluviolus, veterum ibidem* Cattorum *reliquiis nomenclaturæ partem largitus, qui Lano ad Nassoviam illapsus nomen amittit, prius quam ab ipso et cum ipso devolvatur in* B *Rhenum. Ad hujus fluvioli initia, a quinque et semis seculis fundata est nobilis Abbatia Benedictini Ordinis, a situs pulchritudine Teutonicum nomen* Schonaugiæ *adepta : de cujus origine Brouerus noster in suis annalibus ad an.* MCXXV *ita scribit*. Hoc tempore Trevirorum diœcesis novo percelebri Schonaugiensi monasterio aucta est. Id in Lurenburgensium Comitum prædio, trans Rhenum, sedecim contra Bingam Millibus passuum ab Hilduwino locuplete viro inchoatum, a Ruberto Lurenburgensi Comite postea perfectum, atque B. Florino, cujus sacris insignitur cineribus, postea dicatum est. Hildelinus autem primus monasterio præfuit : qui ad teli jactum aliud item Virginibus eodem nomine monasterium constituit; in quo, sanctimoniæ et cœlestium instinctuum fœcunda, nec non admirandæ pietatis laude cantata Virgo, Elisabeth de Schonaugia postea claruit. *Ipsa se scribit* humilem Monacham, et Magistram sororum quæ in Schonaugia sunt. *Recentiores male* Abbatissam *vocant, quæ sub Abbate constituta erebat.*

Virginum Abbatissa fuit Elizabeth,

cujus dictata edidit et obitum scripsit Ecbertus frater ejus.

2 *Hujus germanus frater* Ecbertus, *cum adhuc esset Bonensis ecclesiæ Clericus, ad Sororem, jam divinitus visitari et frequentibus visionibus illustrari cœptam, et natus anno* MCLII, *easdem visiones dictante ipsa scripsit libris duobus : tertium deinde, qui* Viarum Dei *intitulatur, similiter litteris consignavit jam Monachus* C *Schonaugiæ; ac deinde (ut de quinto, dubiæ auctoritatis libro taceam) ultimum scripsit de ejus obitu, testis magna ex parte rerum tunc gestarum oculatus; postea vero Schonaugiensis Abbas secundus, teste Trithemio; qui inter illustres eum laudat, ut virum* non minus devotione et religione quam scientia clarum; *in Chronico autem Hirsaugiensi dicit, successisse eum primo Abbati* Hildelino, mortuo Nonis Decembris MCLXVII. *Sub finem ultimi libri dicitur deposita Virgo,* XIV Kalendas Julii, Feria sexta, hora nona; *qui concursus Kalendarum et feriæ cum designet* annum Domini millesimum centesimum sexagesimum quintum, *non vero præcedentem* quartum, *oportet errorem agnoscere in codice, unde edita prædicta sunt, eumque corrigere ex Trithemio, qui usus accuratiori MS. mortuam ponit* anno Domini MCLXV, Indictione XIII.

Illa autem obiit feria 6, 18 Junii,

3 *Idem tamen Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, ante prolixum elogium* Sanctæ (*ut appellat*) et Deo dilectæ Virginis Elisabeth, *non solum corruptus est ab oscitantibus librariis,* MCLXII *et* 1162 *perperam notantibus, cum antea præcessissent nota* MCLXV *et* 1165 *: sed etiam sui oblitus videri posset, quando post notatam illo anno Ruperti Abbatis Hirsaugiensis electionem, factam* altera die post festum ad vincula Petri, quæ fuit IV Nonarum Augusti, *subjecit, Virginem obiisse* anno Ruperti Abbatis primo currente. *Neque excusandum quis putet, ac si forte scripserit* anno ultimo currente : *sequitur enim mox quod* anno prænotato, quo sancta Virgo Elisabeth de corpore migravit, qui fuit Ruperti Abbatis primus, hiems fuit asperrima, et subsecuta est fames magna, cum pestilen- E tia et multis malis. *Verum hic rursum librarii oscitantis culpam deprehendo. Cum enim Trithemius soleat annos morientibus ac succedentibus Abbatibus communes inter utrosque dividere, et a vulgaris anni initio exordiri sequentes porro annos, ac subinde transilire aliquos nulla memorabili re signandos (sicuti in hoc Ruperto omisit annum ejus* II *et* V *respondentes annis Christi* MCLXVI *et* IX*) prioris anni notam loco non suo posuit editor; atque ita fecit, ut, quod anno prænotato* MCLXV *adscripserat de hieme et peste Trithemius, anno sequenti adscriptum videri. Simili ratione factum puto, ut in ejusdem Trithemii Chronico Spanheimensi, ubi inter annum* MCLIII *et* VII *trium annorum numeri deficiebant, obitui* S. Elizabeth *(sic enim ibi scribitur) prænotetur annus* MCLXIV *loco* V.

anno 1165 quem et Trithemius notat,

licet loco non uno corruptus

4 *Corpus defunctæ, postquam apud Sorores triduo toto fuerat a concurrenti certatim populo honoratum, ex more ceterarum delatum est ad ecclesiam Fratrum prædicto S. Florino sacram et positum* in loculo secus altare, Domino et omnibus sacris Virginibus dedicatum. *De cultu, an et qualem ab antiquo ibi habuerit aut etiamnum habeat S. Elisabeth, dum ex vicinis quæro; dicere interim mihi posse videor, primos fuisse Colonienses Carthusianos, qui ipsius nomen publicis fastis Martyrologii, ab Usuardo olim editi, adscripserint ad diem prædictum; secutos vel Ecbertum præfatum, vel proprias Schonaugiensis sacrarii tabulas, aut* F *saltem loci Necrologium. Impressus fuit sic auctus Usuardus Coloniæ anno* MDXV, *et recusus anno* MDXXI, *cum his ad eandem diem* XVIII *verbis,* Beatæ memoriæ Elisabeth, Virginis Sanctimonialis in Schonaugia, cui multa secreta a Domino revelata sunt, circa annum MCLXI. *Eadem verba, ut in nullis Usuardi quocumque loco auctis manuscriptis, sed apud solos Colonienses Carthusianos reperta, primæ suarum Additionum editioni anno* MDLXVIII *subjecerat Molanus, charactere minusculo : in aliis autem duabus annis* LXXIII *et* LXXXIII, *quibus adhuc biennium supervixit, omissis* Beatæ memoriæ *titulo et anno vitiose notato, hoc solum scripsit,* Schonaugiæ obiit Elisabeth, Virgo sanctimonialis, cui multa secreta a Domino sunt revelata. *Prima interim editione (quam forte solam vidit Baronius, et pene pro oraculo habuit) tantum effectum Romæ est, ut in Martyrologium, auctoritate Gregorii XIII recognitum auctumque, et anno* MDLXXXIV *publicatum addita sit ejus memoria, cum titulo* Sanctæ, *hac formula quæ hodiedum legitur :* Schonaugiæ S. Elisabeth Virginis, monasticæ vitæ observantia celebris. *Ubi hoc prudenter factum, quod omissa sit mentio revelationum, de quibus (ob illa præsertim quæ de S. Ur-*

Nomen additum Usuardo Coloniensi

unde transscripsit Molanus,

sulæ

sulæ Martyrio lib. 4 leguntur, nulla prorsus fide digna, merito dubitabatur.

quem secuti Recognitores Romani Mrlii.

5 *Amplectimur Sedis Apostolicæ judicium de Romano Martyrologio, Fidelibus proposito, tamquam* per viros eruditos ad fidem historiæ, quæ rerum gestarum, personarum, locorum, temporum varietate continetur, correctum et multis locis auctum, *sicut præfatur Gregorius : quoadusque tamen singula fuerint ad fundum (sicut conamur facere) examinata, merito censuit Franciscus Maria Florentinius, in suo ad vetustissimum Occidentalis Ecclesiæ Martyrologium Præfatione, superfuturum semper quod corrigatur. Sed hoc non est paucorum annorum, quibus Gregoriana correctio curata fuit, fortassis nec seculi unius alteriusve. Quidquid Porro de aliis sit, hic certe prudenter processum credo, omissa revelationum mentione, quæ apud imperitos habuisset locum approbationis expressæ. Quanto autem prudentius hic processisse Romani Martyrologii Recognitores censemus; tanto plures facimus eorumdem judicium in attribuendo, quem ante Trithemium nemo usurparat, titulo* Sanctæ : *velut laudatam in morte vitæ, morte sanctissima confirmatis : quia tale judicium speciem aliquam Canonizationis obtinere creditur, nec nisi temere posse vocari in dubium. Ideoque secuti ipsum in titulo sumus : sicuti etiam fecerant Monasticorum fastorum collectores omnes, Menardus, Wion, Dorganius, Bucelinus, etc.*

Omissa prudenter mentione Revelationum

et addito titulo Sanctæ.

6 *Post* Ecbertum *prælaudatum, Schonaugiam, Trithemio teste, rexit* Emicho *(apud Molanum in notis, et hinc apud Baronium* Enacho) Echerti supradicti quondam auditor atque discipulus, vir in divinis Scripturis studiosus atque eruditus, secularis quoque litteraturæ non ignarus, ingenio promptus et clarus eloquio, non minus vita quam scientia insignis. Scripsit tam metro quam prosa multa præclara opuscula, de quibus tamen (*inquit Trithemius* pauca ad manus pervenerunt. Legi opusculum ejus) de laudibus divæ Virginis Elisabeth Schonaugiensis, et quædam alia *Utinam id etiam invenisse nobis contigisset vel posteris supplementum scripturis contingat. Interim contenti esse cogimus quæ ipsamet vivens dictavit, et postea de mortua scripsit* Ecbertus. *Ea Molanus ait emissa per Fabrum Stapulensem (vulgo dictum prænomine* Jacobum, *virum superiori ævo libris edendis tota Gallia clarissimum*) in libro qui inscribitur Liber trium virorum et trium spiritualium mulierum : *qui tamen inter plurimos Stapulensis libros, a Gesnero enumeratos, non invenitur sed extat apud nos, excusus Parisiis anno* MDXIII *et dedicatus* Adelaidi devotæ Christi famulæ, Deoque sacratarum virginum cœnobii Hildegardis Matri. *Ceterum ut editio tam antiqua nunc haud magnopere desideretur, Brigittinorum Coloniensium diligentia fecit : qui cum anno* MDCXXVIII, *typis heredum Antonii Boetzeri, recudendas curassent Revelationes sanctæ suæ Matris Birgittæ ; eodem anno iisdemque typis, tacito tamen suo nomine, in lucem ediderunt,*ex antiquis *ut præfert titulus)* monumentis, Revelationes sanctarum Virginum Hildegardis et Elizabethæ, in Martyrologium Romanum relatarum ; *unde hic placet recudere, nostroque modo in capita dividere, quæ posterioris vitam spectant (nam de Hildegarde agemus* XVII *Septembris) librum primum et secundum cum parte tertii et totum sextum, aliis obiter tantummodo delibatis, eo quod minus ad historiam faciant.*

De ejusdem laudibus scripsit, Emicho Ab.

Vita primum a Fabro in Gallia

deinde Coloniæ edita a Brigittinis;

7 *Eadem Brigittinorum diligentia, inter* elogia Ecclesiæ ac Doctorum virorum, *Elisabethæ data operique præfixa, exhibetur nobis* Emichonis Abbatis laudatio *quædam, sive rythmus : quem si constaret aliquando inter Officia divina usurpatum, sufficeret probando temporis immemorabilis cultui. Hunc illi profitentur acceptum* ex lib. *bibliothecæ* Schonaugiensis. *Hunc Rythmum hic attexere juvat ; vehementer enim suspicor illud esse quod legit Trithemius, nec aliud superesse optandum.*

præmissa laudatione Emichonis,

Salve, felix Elisabeth, odorifera rosa,
In Dei mirabilibus virgo satis famosa.
Salve viarum Domini devota contemplatrix,
Simulque individuæ Trinitatis amatrix.
Salve Mariæ Virginis filia singularis,
Nam ab ea in extasi crebro visitabaris.
Salve cujus aspectui sancti apparuere,
Nam eos festis singulis meruisti videre.
Salve fons, plenus rivulis scientiæ divinæ,
Guttas stillans mellifluas deificæ doctrinæ.
Salve vernans arbuscula silvæ Schonaugiensis,
Circumdata ramusculis visionum immensis.
Salve cui cœli januæ apertæ videbantur,
Secretaque cœlestia tibi monstrabantur.
Salve absque ruga speculum, in quod desiderabant
Cœligenæ prospicere : nam multum te amabant.
Salve, quæ clausam pyxide Sacramenti, vidisti
Clam veræ carnis speciem corporis Jesu Christi.

in qua multis titulis ornatur Elisabeth

8 Eia nunc benignissima, in cœlis sublimata,
Quæ es, ut pie credimus) sis nobis Advocata.
Defende hoc cœnobium, nosque inhabitantes :
Mei, rogo, memineris, nostrique te amantes.
O Virgo, fac ut jugiter Religio accrescat,
In nostro monasterio, ne profectus decrescat.
Repelle, quæso, dæmonum cunctas illusiones,
Angelorumque nobis obtine munitiones.
Cuncta nobis contraria tu ora mitigari,
Prospera quæ pie tempora exopta nobis dari.
O virgo devotissima, virtutibus decora,
Apud Deum altissimum, rogamus, elabora :
Ut nos ad se recipiat, cum hinc egrediemur ;
Præstetque nobis præmium, quo æterne lætemur.
Deo Patri sit gloria, ejusque sacro Nato,
Æqualisque Spiritui gloria sit beato. Amen.

et pro monasterio invocatur

9 O sponsa Christi nobilis, o Mater venerabilis, intercede pro nobis ad Dominum, Regem Angelorum : quem semper puro corde dilexisti, in cujus amplexibus sine fine permanes ; ut remittat nobis omnia quæcumque in ipsum peccavimus ; tribuens nobis fervorem amoris sui sanctissimi, et post exilium brevissimæ vitæ mansionem cœlestis habitaculi. Amen.

tamquam Sancta.

Subveni nobis Elisabeth, Virgo sanctissima, æterni Regis Sponsa nobilissima, in cujus aula splendescis sicut stella fulgentissima. Esto miseris refugium in omnibus necessitatibus et tribulationibus. Amen.

Præter hæc, nullum est invenire Schonaugiæ cultus antiqui vestigium : sed postquam in Romanum, ut supra dixi, Martyrologium nomen Elisabethæ admissum est, cœpit habere festum sub ritu Duplicis, una cum Officio et Missa de Communi Virginum ; plane sicut accidit S. Popponi, Abbati Stabulensi, postquam occasione Vitæ, inter Sanctorum vitas excusæ a Surio, simili honore dignus Baronio visus fuit, ut dictum ad XXV *Januarii.*

Ejus hodie de ea fit festum duplex.

10 *Qui ex nostra ad S. Goaris Residentia, nutu serenissimi. Principis Ernesti Landgravii Hassiæ nuper pie defuncti, et sui Superioris P. Nicolai Gras, illuc excurrit mense Octobri* 1690 *P. Joannes Helm. Inde nobis refert* Superesse virorum monasterium, destructo per Suecos eo quod feminæ incolebant ; istic autem a dextro ecclesiæ latere Sacellum esse, S. Elisabethæ nunc dictum, cum duobus altaribus ; in cujus Sacelli parietem immissum ex parte est vetus sepulcrum, quod olim confractum ab hæreticis, uncinis ferreis commissum iterum est, habeturque in honore æque ac altarium unum, ab illa nuncupatum. In ipso sepulcro ossa nulla relicta : solum effugerunt scrutantium sacrilegas manus paucula

Ejusdem sepulcrum in Sacello cum altari

Reliquiæ ossium paucula,

cula una cum Capite, quæ serico involutæ exponuntur ad venerationem. *Similiter nullum superest veteris Epitaphii vestigium, sed ipsum quidam nobis misit sicut invenerat scriptum post vitam, hoc tenore :*

Epitaphium.

Virgo Prophetarum similis, quæ summa polorum
Mente, Deo [adhærens], perspexerat, hic locat ossa.
Elisabeth vive, gaudens in lumine vitæ,
Quam prægustasti speciali munere Christi.

Insuper habetur Schonaugiæ libellus precum, B. Elisabeth *dictus, in pergameno antiquo, in cujus primo folio sic legitur :* Iste liber pertinet monasterio B. M. Virginis in Schonaugia, Ordinis B. Benedicti..... die Venerabilis Sacramenti, quod fuit III Nonas Junii, sub Julio Papa II et Maximiliano Rege Romanorum. *Ergo anno* MDVII, *quando Pascha celebratum fuit* IV *Aprilis : unde suspicari quis posset unum alterumve verbum, quo indicabatur tunc* completus *vel* finitus *a scribente* liber *extritum esse de industria, ad persuadendum facilius quod ipse in usu Sanctæ fuerit, cum forte ex eo quo usa fuerat jam detrito tunc sit transscriptus.*

Libellus precum.

11 *Qui* Elisabetham *hanc una cum* S. Hildegarde *Ordini Cisterciensi adscripserunt Henriquez et Libanorius, aliique nonnulli, decepti fuerunt ambiguitate nominis, pluribus alibi monasteriis communis, propter communem Etymologiæ rationem. Talium unum Virginum, in Franconia fuit ; alterum Virorum, in diœcesi Moguntina ; ubi* B. Hildegundis *ad* XX *Aprilis celebrata in hoc opere, sub virili habitu et Josephi nomine latuit : et ibidem, medio seculo post illam defunctam, Abbas fuit B. Daniel, ex Hemmerodiensi cœnobio assumptus, de quo nobis mentio facienda* XXIX *Junii. Errorem animadvertit Jongelinus, in Notitia Abbatiarum Ordinis sui, nullam nisi Hemmerodiensem in diœcesi Trevir. nsi agnoscens : animadvertit etiam Chalemotus, ipsam atque* S. Hildegardim Bingiensem *tacitas prætermittens. De* Hildegardi *pridem nobis constabat, qui Bingii fueramus anno* MDCLX, *ibique sacra illius et ossa et scripta, nec non cucullam videramus coloris non candidi ut Cisterciensium, sed ex rufo subnigri, ut Benedictinorum fuit. De* Elisabeth *ejusque laudatoribus ad annum* 1221 *cap.* 6 *miratur Manriquez, quomodo adscribi Cisterciensibus potuerit ;* neque enim Cisterciensium Monasteria duplicia *(ut Schonaugiæ erant sub uno Abbate)* hactenus habuit *: quod, inquit,* obiter libuit propalare, ne, quibus tot ac tanta propria suppetunt, ad aliena extendere manus videamur, vel cum eis qui extendunt dissimulare.

Non fuit ipsa Ordinis Cisterciensis

VITA

Partim ab ipsamet dictata,

Partim ab Egberto fratre scripta :

Ex editione Coloniensi.

PROLOGUS EGBERTI

Cum epistola Virginis ad S. Hildegardem

Ex Trithemii Chronico Hirsaugiensi.

Fuit in diebus Eugenii Papæ, in finibus Trevirensis diœceseos, in cœnobio cui nomen Sconaugia, sub regimine Hildelini Abbatis, adolescentula quædam monasticæ professionis, nomine Elizabeth : quæ cum inter religiosas fœminas undecimum in monasterio ageret annum, habens ætatis annos tres et viginti, in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo secundo, visitata est a Domino : et erat manus ejus cum illa faciens in ea, juxta antiquas miserationes suas, opera magnæ admirationis et digna memoria. Datum siquidem est mente excedere, et videre visiones secretorum Domini, quæ ab oculis mortalium abscondita sunt. Id autem non sine evidenti miraculo contingebat : frequenter enim et quasi ex consuetudine, in diebus Dominicis aliisque festivitatibus, circa horas in quibus maxime fidelium fervet devotio, rapiebatur in mentis excessum ; et resumpto paulatim spiritu, subito verba quædam divina Latino sermone proferebat, quæ neque per alium aliquando didicerat, neque per seipsam invenire poterat ; utpote quæ esset inerudita, et Latinæ locutionis nullam vel exiguam habens peritiam. Sæpius etiam canonicæ Scripturæ testimonia, aliaque divinarum laudum verba, congruentia iis quæ per spiritum viderat, absque omni præmeditatione pronuntiavit. Igitur omnia quæ circa ipsam gesta sunt, et ad gloriam Dei et ad ædificationem fidelium pertinere visa sunt, in præsenti libello ex magna parte conscripta sunt, juxta narrationem ipsius, qua uni ex Fratribus suis, de ordine Clericorum, quem præ ceteris familiarem habebat, singula exposuit. Cum enim ab inquirentibus multa occultaret, eo quod esset timorata valde et humillima spiritu ; huic, diligenter omnia investiganti et memoriæ ea tradere cupienti, germanitatis et dilectionis gratia, et Abbatis jussione, cuncta familiariter enarrare coacta est. Narrationis autem initium erat hujusmodi.

An. æt. 23, Religionis 11, Christi 1152,

AUCTORE D. P.

Elisabeth divinitus visitata, cœpit Latine loqui

quæ suo deinde fratri dictavit.

2 *Hactenus Egbertus Virginis Frater, et idem qui sub tertia persona dicitur omnia scripsisse Clericus, cum quo in persona ipsius Virginis locuturo priusquam progrediamur ; exhibenda est Elisabethæ Epistola ad S. Hildegardem, mire faciens ad totum sequens argumentum illustrandum. Frustra eam nunc requireremus, nisi illam suo Hirsaugiensi Chronico ad annum (ut legendum monuimus* MCLXV*) Trithemius Abbas inseruisset.* Sancta *autem* Hildegardis *(ut hoc obiter ex ejusdem Trithemii Chronico Spanheimensi dicam)* Virgo Christi, fundatrix et Magistra cœnobii S. Ruperti juxta Bingium XV Kalen. Octobris moritur anno ætatis suæ LXXXIII, Domini MCLXXIX Indictione XIII *dumtaxat inchoata, mense Septembri ; adeoque nata anno* MXCVII *senior fuit annis* XXXIII *quam Elisabetha, solum nata anno* MCXXX *eique ad annos* XVIII *supervixit. Fuerunt vero inter se quam simillimæ : nam Elisabeth ut in præcitato Chronico dicit idem Trithemius* divinis revelationibus visitari a juventute sua meruit ; ex quibus multa jussione divina ad utilitatem posterorum conscripsit : cumque esset Latini sermonis ignara, et præter simplicem psalmodiam nihil ab homine didicisset, interno Spiritus sancti Magisterio edocta, omnem scripturam, positionem seu constructionem operis recte intellexit ; Revelationes autem suas et visiones cœlestes partim Latino partim Teutonico protulit eloquio. *Epistola* ex certa consideratione *(quam haud ægre conjectaremus spectare fidem revelationibus Elisabethæ eandem)* de verbo ad verbum *producta a Trithemio et sub annum* MCLXII *vel etiam* LX *scripta, cum jam Virginibus præesset* Elisabetha *talis est.*

Scripsit illa Hildegardi,

simili quo ipsa spiritu plenæ,

3 Dominæ Hildegardi, venerabili Magistræ Sponsarum Christi, quæ sunt apud Bingiam ; Elisabeth, humilis Monacha, et Magistra Sororum quæ in Schonaugia sunt, devotas cum omni dilectione orationes. Gratia et consolatio Altissimi repleat vos gaudio, quia meæ tribulationi benigne compassa estis, sicut ex verbis consolatoris mei intellexi, quem de mei consolatione diligenter commonuistis. Sicut enim vobis de me revelatum fuisse dixistis, fateor vere, quamdam perturbationis nubem me nuper in animo concepisse, propter ineptos sermones populi, multa loquentis de me quæ vera non sunt

a qua consolatorias acceperat,

ALIT. RE D. P. quædam sibi falso affingi;

sunt. Sed vulgi sermones facile sustinerem, si non et hi qui in habitu Religionis ambulant, spiritum meum acerbius contristarent. Nam et hi, nescio quibus stimulis agitati, gratiam Dei in me derident; et de his quæ ignorant, temere judicare non formidant. Audio et quasdam litteras, de suo spiritu scriptas, sub meo nomine circumferre, de judicii die me prophetasse diffamantes : quod certe numquam facere præsumpsi, cum omnium mortalium cognitionem effugiat ejus adventus. Sed hujus famæ occasionem vobis aperiam, ut judicetis utrum præsumptuose quidpiam in re fecerim aut dixerim.

gratias autem sibi factas

4 Sicut per alios audistis, magnificavit Dominus misericordiam suam mecum, supra quam meruerim, aut mereri ullatenus possim; in tantum, ut cœlestia quædam sacramenta frequenter revelare dignatus sit. Significavit mihi etiam per Angelum suum frequenter qualia ventura essent super populum suum in his diebus, nisi pœnitentiam agerent de iniquitatibus suis; atque ut palam hæc annuntiarem, præcepit. Ego autem, ut arrogantiam evitarem, nec auctrix novitatum viderer, in quantum potui, omnia hæc studui occultare. Cum igitur solito more, quadam Dominica die, essem in mentis excessu; adstitit mihi Angelus Domini, dicens; Quare abscondis aurum in luto? hoc est, verbum Dei, quod per os tuum missum est in terram, propter facies distortas; non ut abscondatur, sed ut manifestetur, ad laudem et gloriam Domini nostri et salvationem populi sui. Et hoc dicto, elevavit supra me flagellum, quod quasi in ira magna quinquies mihi inflixit amarissime, ita ut per triduum in toto corpore, ex illa percussione languerem. Post hæc apposuit digitum ori meo, dicens : Eris tacens usque ad horam nonam, quando manifestabis ea quæ operatus est Dominus tecum. Ego igitur usque ad horam nonam muta permansi. Tunc significavi Magistræ, ut adferret ad me libellum quemdam, quem in stratu meo absconderam, continentem ex parte ea quæ fecerat Dominus mecum. Quem cum offerrem in manus Domini Abbatis Hildelini, qui ad visitandum me venerat; soluta est lingua mea in hæc verba; Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Post hæc, cum et alia quædam ipsis revelassem, quæ scriptis committere nolueram, videlicet de vindicta Domini magna, quam universo mundo in brevi superventuram ab Angelo didiceram; rogavi illum diligentissime, ut verbum illud haberet absconditum.

se conctam revelare ab Angelo flagellante.

et sicut eas scripserat in libello, Abbati tradi'as :

qui deinde imminentem mundo plagam, ipsi revelatam evulgaturus;

5 Præcepit autem mihi ipse Dominus Abbas, ut operam darem orationi, atque a Domino postularem, quatenus daret mihi intelligere, utrum ea quæ dixeram silentio tegi vellet, an non. Cumque per aliquod tempus hac de re, orationi insistendo, me afflixissem, in Adventu Domini, in festivitate S. Barbaræ, in prima vigilia noctis, corrui in extasim : et adstitit mihi Angelus Domini dicens, Clama fortiter, et dic Heu! ad omnes gentes, quia totus mundus in tenebras est conversus. Et dices : Exite : ille vos vocavit, qui de terra vos formavit. Et dic, Pœnitentiam agite, quia prope est regnum Dei. Hoc igitur sermone inductus Dominus Abbas, cœpit divulgare verbum eorum magistratibus Ecclesiæ et viris religiosis : quorum quidam cum reverentia exceperunt verbum; quidam vero non sic; sed sinistre de Angelo, qui familiaris mihi est, locuti sunt; dicentes eum esse illusorium spiritum, et in Angelum lucis transfiguratum. Unde et ipse Dominus Abbas per obedientiam me constrinxit, præcipiens, ut cum mihi rursus appareret, per nomen Domini ipsum adjurarem, quatenus indicaret mihi, utrum verus Dei Angelus esset, an non. Ego autem præsumptuosum id æstimans, cum timore magno præceptum, hoc suscepi. Quadam igitur die, cum essem in excessu meo, solito more se mihi obtulit, et stetit in conspectu meo, et dixi tremens ad eum; Adjuro te per Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ut recte dicas mihi, si verus Dei Angelus sis; et si veræ sunt visiones, quas vidi in excessu meo, et ea quæ ex ore tuo audivi. Respondit ac dixit : Scias pro certo, quia verus Angelus Dei sum, et veræ sunt visiones quas vidisti, et quæ de ore meo audisti vera sunt, et vere fient, nisi reconcilietur hominibus Deus : et ego ipse sum, qui diu laboravi tecum.

Jussit ut apparentem sibi Angelum illa adjuraret :

quod factum is ægre tulit.

6 Post hæc in Vigilia Ephiphaniæ dum orarem, rursus apparuit mihi Dominus meus, sed procul a me stans, et faciem habens aversam a me. Ego autem indignationem ejus intelligens, dixi illi cum timore : Domine mi si molesta tibi fui in eo quod adjuravi te, ne quæso imputes mihi : converte faciem tuam ad me, et esto mihi placabilis : quia constricta per obedientiam feci, nec ausa fui transgredi mandatum præceptoris mei. Cumque in hujusmodi verbis multas lacrymas profudissem, conversus est ad me dicens, contemptum mihi fecisti et fratribus meis, quia diffidentiam habuisti ad me : unde pro certo noveris quia ultra non videbis faciem meam, neque vocem meam audies, nisi placatus fuerit Dominus et nos. Et dixi : Domine mi, quomodo placari poteris : Et dixit, Dices Abbati tuo, ut in memoriam mei et fratrum meorum celebret Officium divinum devote. Cum ergo, non semel, sed pluribus vicibus, tam a Domino Abbate quam a reliquis Fratribus, Missarum solennia ad honorem sanctorum Angelorum celebrata fuissent : simulque Sorores Psalmorum lectionibus eos honorassent; rursus apparuit mihi Dominus meus placide vultu, dixitque ad me : Scio quoniam in caritate et obedientia factum est quod fecisti, idcirco veniam consecuta es; et de cetero frequentius te visitabo, quam hactenus.

voluitque Officio de Angelis dicendo placari;

Denuo autem interrogatus,

7 Post hæc Dominus Abbas ire disposuit in locum quemdam, rogatu Clericorum illic manentium, ut prædicaret verbum comminationis Domini in populo, si forte pœnitentiam agerent, et averteretur ira Dei ab illis; primum aggressus est deprecari Dominum, una cum omnibus nobis, ut nobis revelare dignaretur ancillæ suæ, utrum sermonem, qui jam manifestus esse cœperat, amplius divulgari oporteret, an non. Ipso igitur divina Mysteria celebrante, et nobis devotissime orantibus, subito dissolutæ sunt compages membrorum meorum, et elangui, et veni in mentis excessum. Et ecce Angelus Domini stetit in conspectu meo, et dixi ad eum : Memento, mi Domine, quod dixeris ancillæ tuæ, verbum meum per os tuum missum est in terram, non ut abscondatur, sed ut manifestetur ad gloriam Dei et salvationem populi ejus. Et nunc indica mihi, quid oporteat fieri de verbo comminationis quod locutus es ad me; numquid jam satis manifestum factum est? an adhuc amplius prædicandum? At ille, severo me aspectu intuens, ait; Noli tentare Deum : qui enim tentant illum, peribunt : et dices ad Abbatem : Noli timere, sed perfice quod cœpisti. Vere beati sunt, qui audiunt verba prophetiæ tuæ et servant ea, et non fuerint scandalizati in te. Hoc autem illi suggeras, ut eam formam, quam hactenus in prædicatione habuit, non immutet : in hoc enim ego consiliarius ejus fui. Dicito illi, ut nequaquam attendat verba eorum, qui ex invidia dubie loquuntur de his quæ dicta sunt in te, sed attendat quod scriptum est, Quia nihil impossibile apud Deum.

jussit intrepide evulgare omnia;

prout Abbas fecit, fructu non pœnitendo

8 Hoc igitur sermone animatus, locum quem disposuerat adiit : et populum, qui ejus adventum præstolatus fuerat, ad pœnitentiam exhortatus est; annuntians

A annuntians iram Dei superventuram, nisi pœnitentiæ fructibus eam prævenire studerent : quales autem plagæ mundo imminerent, nequaquam, veluti diffamatus est, in aliqua prædicatione sua enarravit. Factum est igitur, ut multi, apud quos iste sermo diffamatus est, per totum tempus Quadragesimale, in timore magno per pœnitentiam se affligerent, eleemosynisque et orationibus studiose insisterent. In tempore illo quidam, nescio quo zelo ductus, ad urbem Coloniam, in persona Domini Abbatis, ipso ignorante (Deus novit) litteras direxit in quibus terribiles quædam comminationes audiente omni populo lectæ sunt : unde, quamquam ab insipientibus illusum nobis sit; prudenter tamen (ut audivimus) et reverenter sermonem animadverterunt, et pœnitentiæ fructibus Deum honorare non contempserunt. Factum est autem in quarta feria ante diem Paschæ, cum post magnos labores corporis in extasim venissem, apparuit mihi Angelus Domini, et dixi ad eum : Domine, quid fiet de verbo quod locutus es ad me? Qui respondit : Noli contristari, neque perturberis, si non in die quem determinavi tibi, evenerint quæ prædixi : quoniam multorum satisfactione placatus est Dominus.

unde etiam Deus pœnam intentatam distulit,

B 9 Post hæc in sexta feria, post horam tertiam, cum gravi passione veni in excessum mentis; et rursus adstitit mihi dicens : vidit Dominus afflictionem populi sui, et avertit iram indignationis suæ ab eis. Cui dixi : Quid ergo, Domine mi, nonne ero in derisionem omnibus; apud quos hoc verbum diffamatum est? Qui ait : Omnia quæ in occasione hac evenerint tibi, patienter et benevole sustineto; illum diligenter advertens, qui, cum esset totius orbis creator, hominum irrisiones sustinuit. Nunc primum patientiam tuam Dominus probat. Ecce, Domina mea, totum ordinem rei vobis explicavi, quatenus et vos innocentiam meam et Abbatis nostri cognoscatis, et aliis manifestare possitis. Obsecro autem ut et orationum vestrarum participem me faciatis; et, prout Spiritus Domini vobis suggesserit, aliqua mihi consolatoria verba rescribatis. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum sit omnibus. Amen.

jubens patienter ferre Virginem obloquia hinc sibi nata

Hactenus illa : quorum cum nihil in sequentibus libris contineatur, datur intelligi, quam plurimas alias revelationes oblatas fuisse Virgini, multasque ab ea epistolas scriptas, quarum isthic habita ratio non sit. Nunc veteris divisionis titulos accipe, cum indicio nostrorum numerorum ex latere.

C

DIVISIO ANTIQUA.

XVIII

D AUCTORE EGBERTO FRATRE

E

F

AUCTORE EGBERTO FRATRE.

CAPUT I.

Allocutio ad fratrem; tentationes diabolicæ, divina visitatione discussæ: visionum initia.

Gaudet res suas posse communicare fratri;

Petis a me, frater, et ad hoc venisti, ut enarrem tibi misericordias Domini, quas secundum beneplacitum gratiæ suæ operari dignatus est in me. Promptum quidem est in me, frater, per omnia dilectioni tuæ satisfacere : nam et hoc ipsum diu desideravit anima mea, ut daretur mihi conferre tecum omnibus iis, quæ magnifice operatus est Dominus in me, ac tuum audire judicium : sed quæso modicum sustine, et attende, mi dilecte, multiplices angustias cordis mei, quæ supra quam credi potest me coarctant. Si verbum illud, de quo audisti, in commune prodierit, sicut per quosdam incautos Fratres (novit Deus) contra voluntatem meam ex parte jam prodiit; quis putas de me sermo erit in populo? Dicent forte nonnulli, alicujus me sanctitatis esse, ac meis meritis gratiam Dei attribuent, existimantes me aliquid esse, cum nihil sim. Alii vero cogitabunt intra se dicentes, Hæc si esset Dei famula, sileret utique, et non sineret magnificari nomen suum in terra, nescientes qualibus stimulis urgeri soleo ad dicendum. Non deerunt etiam qui dicant muliebria figmenta esse omnia quæ audierint de me, vel forsitan a sathana me illusam judicabunt. His et aliis modis, Carissime, in ore hominum ventilari me oportebit. Et unde hoc mihi ut alicui hominum innotescam, quæ elegi esse in abscondito, et quæ certe nec dignam me arbitror, ut ad intuendum me quisquam oculos suos attollat? Illud quoque non parum angustias meas adauget, quod Domino Abbati complacuit, ut scriptis verba mea commendentur. Ego enim quid sum, ut memoriæ tradantur ea quæ sunt de me? Nonne et hoc arrogantiæ poterit adscribi?

et quamvis prævideat nascitura hinc sibi obloquia multa,

11 Sed dicunt mihi quidam ex sapientibus, quia non propter me solam hæc fecit mihi Dominus; sed aliorum quoque ædificationi per ista prodivit; eo quod ad fidei confirmationem aliquatenus attinere videantur, et ad consolationem eorum qui tribulato sunt corde propter Dominum : et idcirco pro ejusmodi causis quæ prædictæ sunt, opera Dei silentio prætereunda non putant. Et ita quidem esse ut dicunt ex parte credo, propter quædam quæ tibi nunc indicabo. Accidit aliquoties, cum in corde meo posuissem celare ea quæ ostensa mihi erant a Domino, tanta præcordiorum tortura me arripi, ut morti me proximam existimarem : at ubi iis qui erant circa me quid vidissem aperui, continuo alleviata sum. Sed fateor quia nec sic adhuc omnino certificata sum, quid potissimum agere debeam : nam et tacere magnalia Dei, periculosum mihi esse intelligo; et loqui, periculosius fore pertimesco. Minus enim discretionis me habere cognosco, quam ut sufficiam discernere, quid ex iis quæ mihi revelantur dici conveniat, quidve silentio honorari oporteat. Et ecce inter hæc omnia, in periculo delinquendi posita sum. Propter hoc, dilecte mi, non cessant ab oculis meis lacrymæ, et anxiatur spiritus meus jugiter in me : sed ecce ad introitum tuum consolari cœpit anima mea, et facta est tranquillitas magna in me. Benedictus Dominus, quia suscipere dignatus est orationem ancillæ suæ qua diebus multis eum de tuo adventu deprecata sum.

persuadetur tamen ea pandere ex consilio sapientium,

et conscientiæ remorsu.

12 Et nunc, quia Domini voluntate ad me de longinquo directus es, non abscondam cor meum a te ; sed ea quæ sunt de me, bona et mala, tibi aperiam : deinde quid fieri conveniat, in tua et Domini abbatis discretione positum sit. Gratias ago Domino, ego pauperum ejus minima, quoniam a die quo sub regulari institutione cœpi vivere, usque in hanc horam, ita confirmata est super me manus Domini, ut nunquam sagittas ejus in corpore meo portare desierim. Ægritudines meæ variæ et diuturnæ, non solum me vexaverunt, sed et omnes Sorores quæ in circuitu mei sunt. Det illis Dominus misericordiam, quia onus calamitatis meæ materno affectu mecum portaverunt. Aliquando et medicamina infirmitatibus meis adhibuerunt : sed eo amplius infirmata sum, et audivi in visione nocturna vocem dicentem mihi ; Deus autem noster in cœlo, omnia quæcumque voluit fecit. Unde me admoneri intellexi, ut non medelis hominum, sed voluntati Creatoris mei corpus meum committerem, et ita quidem feci. Cumque sæpe tanto languoris obruerer labore, ut nullius membri

Exorditur autem a gratiarum actione,

pro immissis sibi morbis,

Ps. 113, 3

paralysi,

membri (excepta lingua) compos essem ; sine arrogantia dixerim, non minus in Psalmis ruminandis sedula permanebam : sed cum et linguam paralysis mihi subduceret, lingua officium mente supplevi. Quantas autem cum infirmitatibus meis rerum necessariarum penurias sustinuerim, longum est enumerare. Ipse nosti, quia et domus nostræ possessio modica est, et elongati sunt a me, qui debuerant misereri super me. Sed pater orphanorum Dominus solicitus est mei, per cujus gratiam gaudium magnum est cordi meo omnis mea contritio. Per omnia benedictus sit consolator humilium Deus. Sed ne diutius te protraham, nunc ad ea de quibus potissimum interrogas, sermonem convertam.

et egestate ;

13 Factum est in die sancto *a* Pentecostes, convenientibus ad Dominicam cœnam Sororibus, ego occasione quadam detenta sum, ut divini illius ac vivifici Sacramenti particeps non fierem. Unde illius diei solennitas, non me ut solebat, exhilaravit ; sed in quadam obscuritate animi tota die permanebam. Postera etiam die, et tota illa hebdomada, in eadem obscuritate animi tristis incedebam, nec potui ab animo excutere tristitiam. Ascendebant in cor meum plus solito omnia delicta, et magnificabam singula apud me, et ita mihi ipsi dolores accumulabam. Crescente igitur paulatim apud me hac non bona tristitia, adeo mente obscurata sum, ut quocumque me verterem, in tenebris me ambulare æstimarem, lucis comparatione quam antea in me senseram : inter hæc tanto etiam tædio afficiebar, ut nihil esset quod non fastidiret, anima mea. Molestæ mihi erant ipsæ orationes, quæ summæ deliciæ meæ esse consueverant. Psalterium, quod jucundum semper mihi fuerat, quandoque vix uno Psalmo perlecto, longe a me projeci. Iterum recogitans ac mecum admirans quid mihi accidisset, resumpsi illud et legi : sed rursus mente concidi.

a narrat quod per octavam Pentecostes 1152, mœrore gravata

ac plena fastidio,

14 Omnes enim vires suas effudit in me adversarius meus : nam etiam in fide hæsitare me fecit ille perfidus, ita ut de Redemptore nostro dubie cogitarem, dicens intra me : Quisnam ille fuit, qui tantum se humiliavit propter homines ? Numquid vera esse potuerunt omnia quæ scripta sunt de illo? Verti me alio et dixi : Bonus tamen erat ille, quisquis fuit, de quo tot bona prædicantur. De beatissima Advocata nostra similiter dubie cogitabam, cum ejus memoriam agerent Sorores. Et quid mirum frater ? Pene omnis sensus meus subversus erat in me. Aliquoties autem ad meipsam rediens, tentari me intellexi, ac fortiter reluctabar, meosque familiares ut pro me orarent admonui : sed tanto fortius insistebat adversarius meus, ita me perturbans, ut etiam tæderet me vivere. Cibum et potum præ tædio sumere non potui nisi tenuissime, et ibam deficiens et tabescens toto corpore. Novissime autem id mihi inspiravit ille perfidus, ut vitæ meæ ipsa finem imponerem, atque ita ærumnas meas, quas diu sustinueram, terminarem. Sed in hac tentatione pessima, non dormitavit super me qui custodit Israel. Non enim permisit ut dominaretur mihi iniquitas hæc maxima ; sed dedit mihi intelligere malitiam insidiatoris mei, et subito me avertit a cogitatione hac. Quam copiosus es in misericordia Domine, qui de tantis periculis eruis confidentes in te ! Confiteor tibi, Pater, quia nisi tu adjuvisses me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.

cœpit circa fidem Christi passi tentari,

et ad inferendam sibi mortem.

His tenebris discussis,

15 Et hæc quidem ita se habebant circa me usque ad festum Maximini, *b* quarto calendas Junii. Illo autem die ad Completorium vidi in sacello nostro phantasma parvum, quasi cuculla Monachi indutum. Statim autem dicto Completorio irruit super me gravissima infirmitas, et rogavi Magistram, ut assumptis Sororibus veniret mecum in Capitulum, ibique orationes funderent super me. Cumque ibi prosternere me vellem ante Crucifixum, ita diriguerunt ossa mea, ut nullatenus genua flectere potuissem. Ego, itaque mihi ipsi vim faciens ; graviter me projeci in terram. Cumque surrexissem ab oratione, allatum est Evangelium, et legere me fecerunt passionem Domini ; et adjuvabant me quoniam imbecillis eram ad legendum. Dum autem legeremus, apparuit mihi idem phantasma ut prius : et legentibus nobis locum illum ubi dicit Evangelista ; Intravit autem sathanas in Judam qui cognominatur Scarioth ; cœpit exultare et risum movere. Dicebam autem Sororibus, ut pessimum illum abigerent ; et mirabantur de quo loquerer eis. Perlecto autem Evangelio, evanuit. Post hæc in Matutinis stabat coram me, in humana effigie, statura brevis et spissus, et horribilis aspectu : facies ejus ignea, lingua ejus flammea et longe ab ore porrecta ; manus ejus et pedes similes unguibus avium rapacissimarum. In hac specie, septies illo die mihi apparuit. Et semel in specie canis teterrimi. Sequenti die *d* mane astitit lecto meo, et cum suo quodam jumento minatus est mihi, quod in dentes me percussurus esset calceo, quem in manu tenere videbatur. Post hæc paulo ante Missam, iterum se mihi obtulit in specie tauri magni et horrendi, dilatans super me os suum, quasi ad deglutiendum me, et cymbalum in collo gestare videbatur.

b turbatur phantasmate diabolico,

AD EGBERTO FRATRE

quod postridie septies varia forma recurrit : d

16 Deinde cum inchoaretur Missa de beatissima Virgine Domina nostra (sabbatum enim erat) veni in extasim. Et apertum est cor meum : et vidi super aerem rotam magni luminis, similem lunæ plenæ, sed quasi duplo majorem. Et introspexi per medium rotæ, ac vidi similitudinem regalis feminæ stantem in sublimi, quasi candidissimis indutam vestimentis, ac purpureo amictu circumdatam. Continuo intellexi hanc esse sublimem cœli Reginam, matrem Salvatoris nostri, cujus semper desideravi aspectum. Cumque intenderem in eam cum summo desiderio, procidit in faciem suam ter, adorans coram divino quodam lumine, quod erat ante illam. Quarta autem vice cum se humiliasset, longam moram in jacendo facere visa est. Ut autem surrexit, convertit ad me faciem, et modicum progressa est in inferiorem aerem contra me, habens duos comites gloriosos, unum a dextris et unum a sinistris. Qui a dextris erat, cuculla Monachi indutus esse videbatur, candissima tamen, et baculum monastici Patris manu gestare visus est. Unde menti meæ incidit hunc esse venerabilem Patrem nostrum B. Benedictum. Qui autem a sinistris erat, juvenis decorus videbatur, candida et crispanti coma spectabilis. Stans autem Domina mea, signo Crucis me consignavit, et hæc verba menti meæ nescio qualiter inseruit : Ne timueris, quia nihil tibi ista nocebunt. Vocis quidem sonitum non audivi, sed tantummodo labiorum ejus motum distincte aspexi. Post hæc regressa est ad interiora luminis sui, et ego devotissime adorans sequebar eam laudibus tredecim versiculorum, quos in consuetudine habeo. Et his dictis, ab extasi reversa sum : et continuo refeci spiritum meum Hostia salutari. Tunc rogavi Sacerdotem, ut invocaret nomen Domini super me : qui cum inchoaret Litaniam, rursum in extasi facta vidi Dominam meam, stantem secus altare, in veste qualis est casula Sacerdotali ; et habebat in capite diadema gloriosum, quasi quatuor gemmis pretiosis insignitum, eratque ei circumscripta Angelica illa salutatio : Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.

sed in Sabbato adfuit Deipara,

cum S. Benedicto,

ipsaque benedixit,

17 Eodem die ad vesperam, rursum vidi malignum illum, in specie tauri, pendentem coram me in aere :

AUCTORE EGBERTO FRATRE

tum iterum apparens sathanas e

aere: et paulo post respexi consolatricem meam in cœlesti lumine, ut prius, munientem me Crucis signaculo. Postera die quæ erat Dominica iterum *e* se mihi præsentavit insidiator meus in specie tauri, ut prius. Tunc, quia nimis vexaverat me horrenda visio illa, dixi ei confidenter: Si vere tu es ille malignus, præcipio tibi in nomine Domini, ut cito transfigures te, et in hac specie ultra mihi non appareas. Continuo disparuit: et respexi vallem quamdam horribilem plenam fumo et flamma nigra, et exibat inde grex caprarum turpissimus. Die illa ad vesperam lux magna in cœlo mihi apparuit, et de medio ejus columba niveo candore, et quasi flammeo splendore venusta, elapsa est, nescio quid rubeum in ore demonstrans: et ut subito gyrum fecit in aere, iterum se recepit in lucem. Ego autem eum veneratione eam prosequens, orationes de Spiritu sancto dicebam, quoniam in specie columbæ eum apparuisse audieram. Post hæc ad Completorium cum starem ante Crucem, ac devotissime eam salutarem, ostensa est mihi in cœlo Crux magna aurei fulgoris, ita splendida, ut etiam reverberaret oculos cordis mei, quibus eam intuebar.

visis cœlestibus cessit:

denique in forma petulantis Clerici

18 Die altera mane, cum starem sola in Capitulo et orarem, iterum se mihi obtulit adversarius meus, stans coram me in specie delicati Clerici, quasi indutus camisia candida. Et expavi quidem, sed tamen in oratione perseverans, nihil segnius egi, quo magis eum confunderem. Expleta autem oratione, ascendi in dormitorium, et illuc me subsecutus est. Discessi inde in sacellum, et veni stare inter duas Sorores orantes. Illuc etiam me subsecutus est: et stabat coram me, in turpi quodam gestu illudens mihi, nec potui avertere ab eo mentis oculum quo eum intuebar: Tunc nequitiam ejus ultra non ferens, dixi ei audacter: Præcipio tibi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut cito ab hujusmodi gestu cesses, et talem nequitiam ultra mihi non ostendas. Continuo habitum priorem dimisit, et stabat reverenter, quasi indutus veste religiosa. Deinde exivi sedere in conventum Sororum, et illuc me insecutus est; et stans arrisit mihi. Cum ergo tunc disparuisset, ultra mihi non apparuit. Deinde cum audita Missa communicassem, et ad prandium accessissem, præ nimia vexatione vix cibum attigi. Post prandium autem subito elangui, nec remansit in me quidquam virium, et ita coarctabar undique ut nullum membrorum meorum esset absque passione. Tunc astantibus circa me Sororibus vix linguam movi, ut significarem eis, quod allatis Reliquiis dicerent super me Passionem Domini et orationes. Dum autem orarent, sensi guttur meum quasi manu cujuspiam fortiter stringi, ita ut pene halitus meus intercluderetur. Cum ergo transisset hora illa, de cetero majorem pacem habui a tentatore meo, per gratiam Domini, qui novit suos de tentatione eripere; quod, ut arbitror, impetratum est a Domina.

ab eodem vexata

liberatur, utroque Conventu pro ea orante.

19 Convenerunt Sorores ac Domini Fratres, videntes angustias animæ meæ, ac decreverunt ut septem continuis diebus communes preces funderent, et se affligerent coram Domino pro me, ac singulis diebus singulas Missas pro angustiis meis celebrarent. Cumque inter septem Missas, una de Spiritu sancto in quinta feria esset decantanda, cum magno desiderio diem illum expectabam, sperans aliquid consolationis tunc me recepturam. Venit desiderata dies et Fratribus divina celebrantibus, jacebam in oratione cum Sororibus: et dilatatum est cor meum et vidi lucem grandem in cœlo: et ecce columba magnæ pulchritudinis, qualem et ante videram, de luce egrediens, pervenit usque ad me: et cum tribus vicibus capiti meo expansis alis se circumtulit, mox ad superna convolavit. Post hæc in sexta feria, cum diceretur Missa de Sancta cruce, et me prostrassem in oratione, gloriosum Crucis signum in cœlo mihi ostensum est, quasi a sinistris divinæ Majestatis.

Sabbatis dein singulis adest Deipara.

20 In Sabbato autem, cum celebraretur Officium de gloriosissima Virgine, vidi iterum eam in superna claritate, coram Majestate magna adorantem. Cumque ministri altaris, laudes ejus devote concinentes, in sequentia, Ave præclara, processissent ad versiculum, qui est, Ora Virgo nos illo pane cœli dignos effici; procidit in faciem suam, totamque se in oratione prostravit: sicque permanebat quousque Evangelium inchoaretur. Ab illo die usque ad hæc tempora, singulis fere Sabbatis et quandoque aliis diebus, cum de ea Officium celebraretur, eamdem visionem videre consuevi. Eadem die post Nonam, cum starem in Capitulo et amarissime flerem, propter somnia quædam in quibus animam meam valde molestaverat nequitia insidiatoris mei; rogabam Dominam meam devotissime, ut si forte nociturae mihi non essent illæ molestiæ, aliquid mihi consolationis exhibere dignaretur. Et ecce subito lux illa cœlestis emicuit, et progressa est inde consolatrix mea: et cum paululum descendisset contra me stabat; et ego intendens in eam motum labiorum ejus diligenter observabam: et cognovi quod nominaret me nomine meo, Elizabeth, et amplius non adjecit: quod ego pro consolatione recipiens, gratias egi illi, et recessit a me.

ANNOTATA D. P.

a *Anno ab incarnatione Christi* 1152, *litteris Dominicalibus* F. E. *Pascha celebratum fuit* 30 *Martii; atque adeo Pentecostes* 18 *Maji. Itaque infra descripta mentis obscuritas duravit ad* 25 *ejusdem.*

b S. Maximinus Episc. Trevir. *colitur* 29 *Maji tunc cadente in Feriam* V.

c *Utique Feria* VI, *et consequenter* 30 *Maji.*

d *Mane diei Sabbati, uti mox dicitur: et sic omnia recto ordine sequuntur.*

e *Scilicet* I *Junii; et consequenter sequentes Feriæ* 2 *et* 5 *quibus visi Sancti.*

CAPUT II.

Visi sancti, a 23 *Junii* 1152 *ad* 14 *Septembris* 1153.

Sæpe apparent Crux et Columba,

Accidit quadam vice, cum frequenter se mihi obtulisset columba nivea illa de qua dixi, ut apud me ipsam dubitarem de illa, et quærerem a Domino Abbate, utrum posset sathanas se transfigurare in columbam. Qui cum negaret se unquam hoc legisse, et ego dubia permanerem; aspexi quadam die Crucem, quam videre soleo; et venit ex adverso columba illa et resedit in ea. Sic ergo certificata sum, non esse hoc sathanam, quoniam inimicus Crucis est.

a in festo S. Joannis Bapt. etiam ipse,

22 In vigilia *a* B. Joannis Baptistæ, dum divinum celebraretur Officium, fui in oratione, ac dicebam quinquaginta Psalmos et alias quasdam orationes, in laudem illius venerandi Præcursoris Domini. Cumque orationes pene complevissem, subito lux magna refulsit in cœlo, et in medio ejus quasi species viri gloriosi; et in vestitu candido apparuit stans contra ortum solis. Et post pusillum convertit ad me faciem blandam et valde amabilem, quasi volens conspici a me. Habebat autem coronam aurei fulgoris in capite, valde radiantem, et in parte anteriori quasi purpureo colore insignitam. In dextra ejus tanti fulgoris palma apparuit, ut præ nimia ejus

A ejus claritate vix cetera quæ juxta erant possem discernere. Intellexi igitur hunc esse gloriosum illum Martyrem, cui serviebamus. Post hæc in Matutinis, cum diceremus, Te Deum laudamus; eodem modo mihi apparuit; et id citra extasim, quamvis vicina fui ut fierem in extasi. Cumque iterum disparuisset lux illa, in qua eum videram, subito in duas partes scindi visa est: et emicuit quasi fulgur omnino intolerabile mihi ad videndum. Et dixi: sufficit mihi, Domine gratia tua, parce infirmitati meæ, et relaxa mihi claritatem hanc nimiam, quia sustinere eam non valeo. Continuo sublata est, et loco ejus stella clarissima apparuit. Rursus in die, tempore divini Sacrificii, vir Dei similiter mihi apparuit.

b

deinde SS Joannes et Paulus,

23 Die tertio post hæc *b*, in festo beatissimorum Martyrum Joannis et Pauli, tempore matutino, dum ad honorem eorum legerem quinquaginta Psalmos, vidi illos in amplissima luce, valde conjunctim stantes contra Orientem, et ad me terga vertentes. Cumque explevissem orationes, et subjunxissem; Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum, sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. B Hæc est vera fraternitas quæ vicit mundi crimina. Christum secuta est inclyta, tenens regna cœlestia. Et insuper; Si coram hominibus tormenta passi sunt, Deus tentavit eos, tamquam aurum in fornace probavit eos, et quasi holocausta accepit eos. Cum inquam, hæc explevissem; rogavi illos diligentissime, ut ad me faciem convertere dignarentur: et conversi sunt ad me. Habebant autem et ipsi signa victoriæ atque martyrii, videlicet fulgidas in manibus palmas, et coronas in capitibus valde radiantes, et rubore signatas in fronte. Talibus enim insigniis decorati videntur sancti Martyres, quandocumque mihi apparere dignantur. Cumque eorum intuitu delectata fuissem, ab oculis meis subito ablati sunt.

consequenter vero SS Petrus et Paulus,

24 In festivitate beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli, in primis Vesperis, rapta in extasin, vidi gloriosos illos Principes in splendore magni luminis, stantes cum signis victoriosi martyrii. Et conversis ad me vultibus descenderunt in regionem hujus nostri aeris, antecedente eos beatissima Virgine, matre Domini nostri Jesu Christi. Stans autem Petrus, signum Crucis fecit super me: et salutabam illum dicens: Tu es Pastor ovium, princeps Apostolorum. Paulum quoque intuens, hæc C verba arripui; Bonum certamen certavi, cursum consummavi. Cumque reversi essent in regionem luminis, ego ab extasi respiravi. In die ad Missam, dum intonaretur Officium, vidi columbam descendentem de cœlo, et usque ad dextrum cornu altaris pervenit, ibique resedit: quantitas ejus ut turturis, et supra nivem candor ejus. Cumque Dominus Abbas inter ceteras diceret illam Collectam, quæ est, Deus cui omne cor patet, et usque ad verbum illud processisset, purifica per infusionem Sancti spiritus cogitationes cordis nostri; advolavit, et sese capiti ejus ter circumtulit, ac reversa est ad locum ubi antea consederat. Cum autem diceretur Sanctus, accessit ac resedit in corporali, et quasi rubeum aliquid ex ore ejus pendere videbatur. Cumque finita Missa inter Sorores ad communicandum accederem, et oculos carnis ad eam flecterem, videre eam non potui. Aversis autem oculis eam vidi, et statim ut communicaveram in extasim, veni, moxque respiravi. Et exinde quicumque Sanctorum alicujus celebritatis apud nos sunt, singuli in suis festivitatibus, mihi, per gratiam Domini nostri Jesu Christi, in cœlesti lumine apparuerunt, videlicet Quilianus *c* martyr cum sociis suis, deinde septem *d* Fratres.

cum Deipara

et Columba,

ac reliqui Sancti recurrente cujusque festo

c d

25 Post hos et venerabilis Pater noster *e* Benedictus, qui etiam contra me in aerem exire visus est. Deinde B. Margarita *f* immenso candore notabilis et signis victoriæ gloriosa. In divisione *g* Apostolorum omnes mihi apparuerunt, sed seorsum ab aliis Petrus et Paulus stare videbantur. Post hæc, Alexium *h* Confessorem vidi, nescio quid magni decoris habentem, a pectore usque ad subumbilicum. In vigilia B. Mariæ *i* Magdalenæ ad vesperam, vidi illam cum corona lucidissima, et simul cum ea matrem Domini nostri Jesu Christi. Stabant autem contra se, quasi colloquentes ad invicem: et post pusillum conversæ sunt ad Orientem.

D

[illegible] de Egberto fratre

e f g h i

26 In die ad Missam, dum orarem positis in terra genibus, vidi in aere quasi prope terram duos *k* viros splendidos sedentes contra se, et in medio eorum lucidum quiddam quasi formam habens sepulchri: et ecce mulier similis ei quam in sero videram, accessit et stabat diligenter inspiciens eamdem sepulchri speciem. Dum autem staret accessit retro eam juvenis candidissimo amictu circumdatus, nigram habens comam ac barbæ lanuginem, et faciem supra modum speciosam. Moxque illa conversa ad eum ibat in occursum, et stabat quasi interrogans aliquid ab eo. E Tunc cœpi anxie cogitare intra me, quisnam esset ille juvenis. Cumque magno desiderio sciendi hoc æstuarem, subito in dextera ejus Crux aurea apparuit. Unde mox conjectabam, quod ipse esset is qui surgens a mortuis, primo Mariæ apparuit. Eadem die ad vesperam, cum non possem interesse Conventui propter invaletudinem, sedebam in Capitulo cum Magistra: et eramus in Psalmis vespertinis (erat autem pluviæ tempus) et vidi irim fulgidam solo mentis intuitu: exterioribus enim oculis faciem cœli, ab eo loco in quo eram, intueri nen poteram. Et dixi Domino in corde meo: Obsecro, Domine, ut quod nunc sola mente video, etiam oculo carnis aspiciam, quo magis de hac visione spirituali certificer: Non enim mihi ipsi satis credebam. Et post paululum, Sorores de sacello exeuntes, constiterunt in claustro, aspicientes in cœlum. Mirante autem Magistra quid aspicerent; dixi, Irim (ut credo) vident, quam et ego jam mentis intuitu vidi. Exeuntes ergo ad eas; vidimus eam et nos.

k

Maria Magdal ad sepulcrum Domini,

ac vespertinis etiam aliis visa,

27 In Vigilia S. Jacobi *l* Apostoli, post prandium, citra extasim vidi lucem, quam videre soleo, quasi F super ecclesiam *m* B. Fiorini, ubi Domini Fratres nostri manent: erat autem in sequenti die ibi dedicationis *n* festivitas celebranda. Et vidi quasi scalam, in modum radiantis auri splendidam, de luce illa descendentem usque ad altare majus, quod est in sanctuario. Cumque aspicerem, vidi adolescentes duos per eam descendentes usque ad altare: qui autem præibat, thuribulum aureum in manu gestare videbatur. Post hos autem et alii duo descenderunt: denique magna multitudo descendit, et versa vice ascenderunt. Erantque ita ascendentes, a nona prioris diei: usque ad nonam sequentis diei: tamdiu enim continue in hac visione permansi. Apparuit autem et B. Jacobus, circa summitatem scalæ stans, cum B. Christina Virgine, et Virgo virginum cum eis: in die autem illo, circa tempus dominici Sacrificii, ad hæc inferiora nostræ habitationis descendere visus est. Vidi autem eo die claritatem magnam circa præfatum altare, et omnia quæ gerebantur illic: nam et operimentum altaris quale esset cognovi, et Magistræ nostræ indicavi. Ipsa autem: directo illuc nuntio comperit ita esse, ut dixi

l m n

tum SS Jacobus Ap. et Christina

28 In vinculis S. Petri *o*, rursus eum vidi, in eadem specie qua et antea apparuerat. Post hæc Stephanum Protomartyrem *p* in die inventionis suæ. Deinde Osvaldum *q* regem; deinde Aphram Martyrem

o p q

A rem cum duabus pedissequis suis ; deinde B. Cyriacum ; r deinde B. Laurentium in Vigilia ejus ; omnes cum signis victoriosi martyrii vidi in lumine. Erat autem tam densa lux, B. Laurentio undique circumfusa, ut etiam palpari posse videretur. Palmæ et coronæ ejus fulgor tantus erat, ut quodam modo reverberaret oculos cordis mei, sicut radiantis auri splendor oculos carnis solet repercutere. Habebat autem Stolam splendidam, a sinistro humero usque ad dextrum latus protensam. Et interrogavi Magistram quid sibi hoc vellet : et dixit mihi, signum Diaconatus ejus hoc esse. Stabat autem cum eo et beatissima Virgo, sicut cum supradictis omnibus : habebatque ipse faciem ad me blande conversam, quousque desiderium meum implevi : hanc enim gratiam omnes mihi solent exhibere.

VICTORE ECBERTO FRATRE r ac varii Sancti ex ordine.

29 Factum est in sequenti anno s, in dominica nocte quæ erat prima post festum B. Jacobi, avocata a corpore rapta sum in extasim. Et ecce rota flammea grandis in cælo emicuit, cujus visio magnas mihi incussit angustias, et continuo disparuit. Post hæc in eodem loco quasi ostium apertum est, et introspexi per illud ; et vidi lucem, longe excellentiorem illa quam videre consueveram, et multa B millia Sanctorum in ea : stabant autem in circuitu Majestatis magnæ, secundum hujusmodi ordinem dispositi. Erant in quadam fronte illius circuitus, viri quidam, magnifici et excellentes valde, adornati palmis et coronis copiose radiantibus, et titulo passionis in fronte signata. Et intellexi, tam ex titulo eorum, quam ex singulari gloria quam præ aliis habebant, esse venerabiles Apostolos Christi. Ad dexteram eorum copiosus quidam exercitus, eisdem insigniis gloriosus astabat. Post hos et alii viri splendidi constiterunt, sed martyrii signum in eis non apparuit. A sinistris vero Apostolorum, sacer ordo Virginum effulgebat, decoratus martyrii insignibus. Post has et alter chorus insignium puellarum, coronatarum quidem, sed absque signis martyrii. Deinde et aliæ venerandæ mulieres, cum velaminibus candidis apparebant : atque ita ex his omnibus circuitus ille completus est. Alius quoque magnæ claritatis circuitus infra illum apparuit, quem intellexi esse Sanctorum Angelorum.

An. 1152, 29 Julii in Dominica, videt omnes choros Sanctorum,

30 In medio autem omnium gloriam Majestatis immensæ, quam effari omnino non possum, cujus thronum gloriosum iris fulgida ambiebat. A dextris autem Majestatis, vidi similem filio hominis, in C summa gloria residentem ; a sinistris vero signum Crucis vehementer radiosum apparuit. Cumque hæc omnia trementi corde aspicerem, hoc quoque adjicere dignatus est Dominus, ut mihi indignissimæ peccatrici, de gloria suæ ineffabilis Trinitatis, modo quodam quem explicare non valeo nec audeo, hoc significaret, quomodo vere una Divinitas in Personis trina est, et tres Personæ una Divina substantia. A dextris autem filii hominis Regina Angelorum et Domina regnorum, in solio quasi sidereo, immenso lumine circumfusa residebat. Ad sinistram quoque prædictæ Crucis viginti quatuor honorabiles viri, versis ad eam vultibus, in uno ordine consederunt. Vidi non procul ab eis duos arietes, grandes et præclaros, ante signum Crucis, et sustinentes in humeris suis rotam nimiæ claritatis et miræ magnitudinis. His omnibus ita perspectis, in hæc verba prorupi dicens : Levate oculos cordis vestri ad deificum lumen : attendite et videte gloriam et majestatem Domini. Mane post hæc hora tertia venit unus ex Fratribus ad fenestram, et rogavi eum ut Missam de sancta Trinitate celebraret, et annuit. Statim autem ut Missam incepit, veni in extasim : et rursum vidi prædictam visionem, sed manifestius. Eadem hora vidi prædictum Fratrem, qui assistebat altari, multo lumine circumfusum ; et halitum ejus, D in modum candidi fumi, ex ore ipsius sursum ascendentem.

cum Christo ejusque mystico comitatu :

31 In proxima Dominica, videlicet in t inventione S. Stephani, vidi eamdem visionem, sed eo amplius quam tunc : nam nunc vidi ante thronum Dei Agnum stantem, valde amabilem, et habentem Crucem auream quasi dorso infixam. Sed et quatuor Evangelistas nunc vidi, in illis formis, quas eis sacra Scriptura attribuit. Erant autem a dextris beatissimæ Virginis in ordine dispositi, ita ut versus ipsam facies haberent conversas. Eram autem celans apud me hujuscemodi visiones amplius quam septem diebus. Cumque posuissem constanter in corde meo nemini eas revelare, gravissima tortione cordis correpta sum, ita ut morituram me existimarem. Instabant itaque mihi Sorores, studiose flagitantes, ut quæ videram eis revelarem : cumque extorsissent a me, statim a passione convalui. Et ne jam dicta amplius repetam ; scito, quod hujusmodi visiones, quas in prædictis Dominicis vidi, singulis Dominicis quæ postea evenerunt, vel bis, vel ter, vel etiam amplius videre consuevi ; veniens tamen prius in extasim ; E sicut ipse propriis jam oculis aspexisti.

t Agnum deinde cum 4 Evangelistis,

32 In quarta autem feria u ante Assumptionem beatissimæ Mariæ, post Completorium, stabam in sacello ; et oravi Dominum ex totis præcordiis meis, dicens ; Domine Deus meus, ecce animam meam et corpus meum tuæ invictæ dexteræ, tuæ sanctæ et individuæ Trinitati commendo ; tibi omnes angustias meas Domine committo : quoniam valde anxiatur spiritus meus super his quæ operatus es mecum, eo quod tanta gratia omnino indignam me esse cognoscam. Tu scis, Domine mi, quod nunquam talia te postulare præsumpsi. Sed nunc, quoniam ex gratuita bonitate tua ita magnificasti misericordiam tuam mecum : obsecro te, quatenus ita de cetero me conserves, ut nullo delicto meo a gratia tua merear excidere ; neque me spiritus ille tristitiæ ultra apprehendat, quo jam absorpta fuissem, nisi tu Domine subvenisses. Cumque hæc et his similia perorassem, et jam ad stratum meum redirem, subito hæc verba ori meo inciderunt : O Virgo, cave ne iterum cadas, ne aliquid deterius tibi contingat : quia bonus pastor curam habet de ovibus suis. Sequenti autem die in meridie, subito impulsu cor meum percussum est, et hæc verba accepi : Noli timere filia, quia Dominus consolator tuus corripit omnem filium quem recipit. Eadem die ad vesperam, F cum effudissem cor meum ante Dominam meam cum multis lacrymis, iterum accidit ut ex improviso hæc verba in ore meo volverem : Gaude et lætare filia Sion, quia divina clementia eripuit te de periculo corporis et animæ.

u seque humiliter Deo commendat, ne propter extases in tentationes labatur

33 Post hæc in vigilia Assumptionis, cum devotissime orassem, subito incidit ori meo ut dicerem : Hæc sunt verba consolatoria, quæ lingua nova loquitur, quia necesse est consolari animam turbulosam : et incidi in extasim, et vidi visionem, quam Dominicis diebus videre soleo. Vidi autem inter cetera Dominam meam, consurgentem de solio suo glorioso, et egredientem de magna illa luce, quam velut per ostium vidi ; comitante eam triplici illa multitudine feminarum, quam in circuitu consistere videram ; proxime autem incedebant, quæ martyrii titulum in fronte gerebant. Post has, illæ quas videram coronatas sine titulo : tertio loco velaminibus albis decoratæ. Ad dexteram autem ipsius, vir quidam gloriosissimus et amabilis incedebat Sacerdotali stola insignis. Cumque per modicum tempus ita in inferiori aere cum hoc sacro exercitu apparuisset, rursus in lumine de quo exisse visa fuerat, cum ingenti laude et gloria excepta est. Cumque expergefacta

14 Aug. videt Deiparam cum magno comitatu Virginum

facta fuissem ab hac visione, continuo hæc verba arripui : O gloriosum lumen, in quo assidue assistunt omnes Sancti, amicti stolis albis, et dant gloriam de mercede sua sedenti super thronum, viventi in secula seculorum. Rursus in die ad Missam, cum essem in spiritu, eademque viderem quæ et antea, volvebam in animo verba hæc : O gloriosa Trinitas, quæ sedens in sede majestatis tuæ inspicis abyssos, et dinumeras cogitationes uniuscujusque hominis. His adjeci : Ave Maria, Decus virginum, Domina Gentium, Regina Angelorum. Post hæc expergiscens in hæc verba prorupi : Te sanctum Dominum, et reliqua cum versu. Et adjeci : Dominus aperit nobis januam vitæ, si volumus certare contra durissimum diabolum. Omnia autem quæ dicta sunt, in die Nativitatis Dominæ nostræ similiter vidi.

et filio suo;

x et die 22 prorumpit in exhortationem

34 In Sabbato post Assumptionem *x*, verba hæc ex improviso arripui. Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse nos vocavit in admirabile lumen suum : ut, si volumus pœnitentiam agere de malis actibus, accipiamus bravium quod in stadio acquiritur. Nolite negligere verba hæc, quia expediunt animabus vestris. Attendite diligenter quomodo creator admonet creaturam suam. Post hæc adjeci : Ego consolabor vos dicit Dominus, et dabo vobis contra tristitiam gaudium spirituale, et ponam in corda vestra timorem simul et amorem. Si me timueritis, et mandata mea servaveritis, veri discipuli mei eritis. Item, Moneo vos, ut diligatis invicem : cogitare debetis quomodo Deus prior dilexit vos, quando non pepercit unigenito filio suo, sed tradidit illum pro vobis in oblationem, ut dragma illa quæ perierat reperiretur.

ad caritatem vocandam

35 Ergo ad nos pertinet hoc proverbium : Si diligimus Deum et habuerimus perfectam caritatem, et fraternam dilectionem ad invicem, inveniemus dragmam illam quæ perierat. Iterum moneo vos, ut habeatis perfectam caritatem Dei et proximi; quia charitas est summum donum, amplum bonum, in quo pendet totus ordo perfectorum. Super omnia autem habete caritatem, quod est vinculum perfectionis ; et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore ; et grati estote, verbum Christi habitet in vobis abundanter. Item, omnibus qui hic volunt vivere secundum seculum, et non abstrahunt sua corpora a carnalibus desideriis, sed omnia cupiunt adimplere quæ pertinent ad hunc mundum, valde metuendum est quod dicitur : Nolite diligere mundum et ea quæ in mundo sunt, sed agite pœnitentiam de pravis operibus : qui ecce tempus prope est. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam, quando Dominus venturus sit.

y Vidit S. Jo. Baptistam,

36 In decollatione S. Joannis Baptistæ *y*, cœpi videre grandem illam lucem, quam velut per ostium videre soleo : et ex hoc anxia prostravi me totam in oratione, et rapta sum in extasim, et vidi B. Joannem, eodem modo quo antea eum videram; et dixi in spiritu meo, Benedicat nos Deus Pater, custodiat nos Jesus Christus, illuminet nos Spiritus sanctus. Et subjunxi, O clavis David Et adjeci : Iste est Joannes, quem manus Domini consecravit matris in visceribus : cujus nos precibus adjuvari supplices deposcimus. Iterumque ad me rediens, hæc verba protuli : Adjuva me Domine Deus meus : et adjeci; Gratia Dei sum id quod sum. Dicunt etiam me dixisse, Ne magnitudo revelationum extollat me, et non amplius. In die ad Tertiam iterum rapta in extasim, introspexi quasi per ostium, et lucem illam magnam quam videre soleo, et Dominam meam surgentem de solio suo, venientem contra me in exteriorem hanc lucem : eratque cum ea beatus ille Præ-

in magna gloria

AUCTORE ECBERTO FRATRE

cursor Domini. Ego autem orabam devotissime, eorumque patrociniis me, et omnes familiares meos, atque locum nostrum studiose committebam : simulque hoc petii, ut si me exaudirent, aliquod mihi præberent exauditionis indicium. Continuo redierunt ad lucem unde exierant, et coram Majestate magna prociderunt in facies suas quasi orantes ; simulque cum eis infinita agmina circumstantium. Tunc ego ab extasi expergiscens, in hæc verba soluta dixi : Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, o Beata et benedicta et gloriosa Trinitas. Ora pro nobis beatissima virgo Maria, ut digni efficiamur promissionibus Christi. Omnes sancti Angeli Dei orent pro nobis in conspectu Domini. Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. Mirifica misericordias tuas Deus, qui salvos facis sperantes in te.

ANNOTATA D. P.

a *Vigilia S. Joannis Bapt.* 23 *Junii, tunc in Fer.* 2. *cadens.*

b SS. Joannes et Paulus 26 *Junii.*

c S. Kilianus *cum Sociis Martyr Moguntiæ, tota Germania celebris,* 8 *Julii.*

d Septem Fratres, *filii S. Felicitatis,* 10 *Julii.*

e S. Benedicti Translatio, *in Moguntino ac Trevirensi,* 11 *Julii.*

f S. Margarita V. M. *ibidem* 13; *juxta Romanum,* 29 *Julii.*

g Divisio Apostolorum *passim per Germaniam* 15 *Julii.*

h S. Alexius 17.

i S. Maria Magd. 22.

k *Brugittini editores hic ad marginem nominant* SS. Nicodemum et Joseph : *sed existimo melius intelligi Angelos, juxta illud Lucæ* 24, 4, Ecce duo viri ; *et Joannis* 20, 11, Vidit duos Angelos sedentes.

l Vigilia S. Jacobi *simul et festum* S. Christinæ *V. M,* 24. *Julii.*

m S. Florinus *Patronus Schonaugiæ,* 17 *Novembris.*

n *Fortassis legendum* in sequenti die Dominica : *quis enim credat dedicationis anniversarium officium fuisse festo unius Apostoli, cujus Officium ea causa esset differendum? sic autem res acta esset* 27 *Julii.*

o S. Petri ad Vincula, 1 *Augusti.*

p Inventio S. Stephani, 3 *Augusti, tunc etiam Dominica.*

q S. Oswaldus Rex *Angliæ,* 5 *Augusti; quo die etiam colitur* S. Afra, *Martyr Augustana, cum Sociabus* Digna *et* Merita : *sed in Moguntino ac Trevir. differtur ad* 7 *Augusti.*

r Cyriacus M. 8 *Augusti, et consequenter Vigilia, ac deinde festum* S. Laurentii.

s *Anno* 1153, *habente litteram Domin. D. Dominica proxima, post festum S. Jacobi tunc in Sabbatum cadens, fuit* 26 *Julii.*

t *Omnino videtur legendum* ante Inventionem S. Stephani, *hæc enim (ut patet) debebat eadem in Feriam* 2.

u *Id est* 12 *Aug. nam* Assumptio *casura erat in Sabbatum.*

x *Adeoque ipsa die Octavæ.*

y Decollatio S. Jo. Baptistæ, 29 *Augusti.*

CAPUT III.

Aliæ visiones usque ad festum Annuntiationis an. 1154.

In Exaltatione sanctæ Crucis *a* sæpe in extasi facta, vidi gloriosum illud signum Crucis nimis fulgoris. Non tantum in illa secreta regione lucis, sed et

a In Septembri visum signum Crucis,

AUCTORE EGBERTO FRATRE b

A et foris in inferiori quadam luce palam *b* ostensum est mihi. In festo S. Michaelis in primis Vesperis, cum essem in extasi, vidi ante thronum majestatis domini tres viros valde gloriosos stantes : quorum qui medius erat, excellentior aliis apparebat, et thuribulum aureum in dextera videbatur tenere : et dixi, cum redirem ad me, Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. In die ad Missam vidi rursus eumdem virum excellentiorem, cum insigni vexillo incedentem, comitante eum turba copiosa. Ibi autem in circuitu throni cum venissent ante conspectum Majestatis, prociderunt in facies suas, atque ita tribus vicibus factum est.

Michael archangelus,

38 In eadem Missa, cum accederent Sorores ad communicandum, et ego adhuc a longe sederem propter imbecillitatem ; introspexi in calicem, et vidi veram speciem sanguinis. Et cum infunderent vinum, distincte aspexi differentiam sanguinis et ejus quod affusum est, donec commixta sunt et unus color sanguinis appareret. Die alia nescio qua, simile mihi accidit. Et videbam (sicut mos mihi est) omnia quæ foris circa altare agebantur in tempore B Missæ. Et dum Sacerdos calicem benediceret, ecce columba, quam videre soleo in altari, pedetentim accedens caput calici immersit, et continuo species sanguinis apparuit. Et nunc quidem rarum mihi non est videre hujusmodi. Factum est etiam in una dierum, ut veniret quidam ex Fratribus, ferens in pyxide divinum Sacramentum dominici corporis, ut opus esse videbatur cuidam Sorori infirmæ. Cumque staremus in circuitu ejus, et ego et quædam Sorores loquentes mecum de eo ; ecce subito cor meum liquefactum et pene raptum est in extasim. Et ecce claritas magna refulsit in pyxide ; et introspexi, cum tamen adhuc esset clausa : et apparuit species veræ carnis in ea. Dicens quidem ista contremisco, sicut et tunc videns contremui. Testis autem mihi est Deus, quia nihil in omnibus his fingendo, aut propriam gloriam quærendo, locuta sum.

sanguis Domini,

et corpus ejus.

39 Rogasti me per epistolam Frater de Patronis tuis, scilicet martyribus Bonnensis Ecclesiæ, Cassio et Florentio, ut in die Natalis *c* eorum aliquid servitii illis exhiberem, si forte et ipsi dignarentur se mihi ostendere : et feci quidem prout potui : nam ad honorem eorum quinquaginta Psalmos legi illo die post Matutinas, ubi etiam insidiator meus candelam, quam manu tenebam, extinxit. Post hæc C autem circa horam Tertiam, veni in extasim sine dolore : et vidi tres viros in regione luminis, decoratos palmis et coronis in fronte rubore signatis. Stabant autem duo ex eis conjuncti ad invicem et paululum segregati *d* a tertio. Sequenti die ad vesperam, cum solito more essem in extasi (Sabbatum enim erat) rogavi Dominum, ut iterum illos tuos Patronos mihi ostenderet : quoniam moleste ferebam, quod non distincte agnoveram qui essent illi duo de quibus rogaveras : quoniam tres videram : et distulit Dominus exaudire me per tempus, ita ut metuerem contra voluntatem Domini id me postulasse. Et dixi tremens : Domine, si voluntas tua est, ut fiat quod petii, fiat : sin autem, non fiat. Et continuo vidi duos viros amabiles valde, de cœtu Martyrum procedentes, cum signis supra memoratis ; et venerunt ut starent in medium ante conspectum throni : et ego cum lætitia expergiscens, continuo hæc verba arripui : Isti sunt duæ olivæ et duo candelabra, lucentia ante Dominum dominatorem universæ terræ. Post hæc in festo sanctarum Virginum undecim millium, vidi copiosam multitudinem Virginum, quæ omnes erant insignes palmis victoriæ, et coronis in fronte signatis, ac decora cæsarie spectabiles.

c

In Octobri apparent cum tertio socio,

d

Sancti Cassius et Florentius

et XI millia Virginum.

40 In Vigilia omnium Sanctorum ad vesperam. D veni in quietem extasis. Tunc solito more visum est mihi, quasi raperetur spiritus meus in sublime et vidi ostium apertum in cœlo, et tantam Sanctorum multitudinem quantam numquam ante videram. Illud quoque quod de sancta Trinitate tibi me dixisse memini, tunc mihi secundo intimatum est. In ipso autem die solemnitatis ad vesperam, iterum rapta in extasim, vidi coram me stantem quasi puerum amabilem valde, indutum veste alba et præcinctum ; et dixi : Quis es, Domine mi ? Et annuit ut tacerem : et dixi, Angelus Domini bonus qui fuit cum Jacob, ipse sit mecum in terra peregrinationis meæ, et benedicat vias meas Deus meus. Et continuo visa sum mihi in sublime extolli, et audivi voces canentium carmen jucundissimum.

In Novembri omnes sancti

cum Angelo:

41 Post hæc in die, quo secundum morem Ecclesiæ fidelium defunctorum communis memoria agebatur, in tempore divini Sacrificii, vidi quasi versus Austrum montem excelsum valde, et juxta illum vallem profundam horribilem nimis : erat enim plena atris ignibus, quasi obtectis et non valentibus emittere flammam in altum. Illic tortores E spiritus innumerabiles vidi, et animas potestati illorum traditas, quæ horrendo et flebili modo ab illis concutiebantur, trahebantur, et supra modum infinitis modis vexabantur : formas quidem nec in his neque in illis discrevi, hoc tantum intellexi, quomodo hi quidem torquebant, illæ vero torquebantur. Vidi autem procul hinc versus orientem ædificium valde gloriosum, quasi tribus muris circumdatum, et variæ distinctiones mansionum in eo, et splendor lucis immensæ omnia illustrabat : in circuitu autem ejus, arborum et herbarum et florum jucundissima amœnitas apparebat. Locus autem, qui medius videbatur inter hoc ædificium et vallem prædictam, spinis asperrimis et quasi ambustis totus videbatur occupatus. Cumque hæc aspicerem, ecce copiosa multitudo candidæ plebis, de valle consurgens, per medium invii illius dumeti, cum magna festinatione et multo conatu ad ædificium prædictum tendere visa est, tandemque perveniens introivit. Quidam autem ex eis extra sentes viam elegerunt, et absque labore pervenerunt : factus est autem his transitus pluribus vicibus et per intervalla.

deinde Purgatorii locus,

Paradisi amœnitas.

42 Nolo enim ignorare te, frater, de quodam ex amicis nostris, quem tamquam patrem dileximus, F quoniam in die anniversarii ejus, cum fecissem quædam pro ejus liberatione quæ mihi per visionem demonstrata fuerant, vidi illum tempore Sacrificii in veste candida stantem coram me, et cum eo decorum quemdam juvenem, albis indutum et præcinctum : cumque devote elevasset manus et oculos in cœlum coram me, quasi gratias agens, conversus a me ibat cum comite itineris sui usque ad ædificium illud, quod supra descripsi : et ego vias eorum observans, videre eos non cessavi quousque introierunt illuc. De visionibus autem Sanctorum quid amplius tibi dicam, nisi quod singuli in suis Natalitiis (ut dictum est) animam meam consolari dignati sunt.

et amicus quidam liberatus

43 Vidi in Adventu Domini ædificium quoddam præclarum, uno muro circumdatum ; et in medio ejus turrim tantæ celsitudinis, ut cacumen ejus cœlos penetrare videretur. Cumque sæpe numero id ita mihi appareret, accidit in una Dominica, cum ad me redirem ab extasi, ut subito orationem hujuscemodi arriperem : Domine Jesu Christe, pie et exaudibilis, ostende mihi indignæ famulæ tuæ quæ sit ista civitas, quam demonstrasti mihi. Et continuo hæc verba responsionis in ore meo posita sunt : Hæc est Hierusalem cœlestis, quæ ædificatur ut civitas, cujus

In Adventu Hierusalem cœlestis,

jus cacumen pertingit ad cœlos. Post hæc imminente festivitate Natalis Domini biduo ante festum diem præparabar ad solitos mentis excessus. Cum venisset autem vespera solemnitatis Nativitatis, tandem in quietem extasis deveni. Sensi autem me quasi in sublime elevari, et vidi ostium apertum in cœlo : et venerabile illud arcanum, quod in festivitate omnium Sanctorum videram, jam tertio tunc demonstratum mihi est. Cumque delecta fuissem in multitudine dulcedinis Dei mei ; tandem ad meipsam rediens, in hæc verba continuo prorupi : Desiderans desideravi videre Dominum Deum salvatorem meum, et vidi, et ecce salva facta est anima mea. Eram autem pernoctans in oratione, nec potui corpus meum dare sopori, præ nimia claritate lucis quam tota nocte intuebar : ostium enim illud, quod antea sine mentis excessu intueri non poteram, continue apertum vidi in magna jucunditate : et lux ejus decuplo clarior apparuit quam in præteritis visionibus.

et Trinæ Deitatis arcanum.

44 Cum autem fieret apparatus ad celebrationem prioris Missæ, quæ inter matutinale Officium erat decantanda ; vidi radium magnæ claritatis de sursum ab eodem ostio usque ad altare oratorii protendi. Cumque inchoaretur Liber generationis *c*, ecce gloriosissima Regina cœlorum, multo exercitu Angelorum comitata, per eumdem radium descendens venit, et astitit a dextris sacerdotis, habens coronam maximi ac jucundissimi fulgoris in capite. Cumque finito Evangelio secundum consuetudinem Antiphona illa decantaretur, quæ est, O mundi Domina ; elevata est cum suo comitatu, et per prædictum radium lucis regressa est ad sedem suam : ego autem cum toto illo tempore essem in extasi, eam tamen devotissime invocare non cessavi. Erant autem duo splendidi juvenes, qui per prædictum radium descenderant, commorantes circa ministros altaris a principio Missæ usque ad finem : in secunda quoque Missa alii duo. Stabat autem horum alter quidem ad latus Sacerdotis, alter vero juxta Diaconum cum annuntiaret Evangelium. Et de eo quidem qui erat secus Diaconum, cogitabam intra me, quoniam ipse esset unus ex Diaconis nostris qui interfuit Missæ, essetque indutus alba (quod quidem non erat) staret ad ministrandum : sed tamen ex hoc eram dubia, quoniam hic albus et crispus videbatur, ille vero niger erat. Tunc convertit ad me faciem quasi indignans, et continuo verba hæc cordi meo infixa sunt. Ego sum Angelus testamenti. Inter hæc omnia et columbam vidi, assidentem Sacrificio dominico super altare.

In die Natalis, Virgo Maria,

quatuor Angeli

45 Sequenti die, tempore divini Officii, vidi B. Stephanum Protomartyrem in superna claritate, splendidum valde et insignem signis Martyrii et Diaconatus. Eodem die ad vesperam vidi B. Joannem Evangelistam, stantem in conspectu throni, candidissimo amictu et stola aurea more Sacerdotali decoratum. Respexi autem ad eum locum in quo quatuor Evangelistas videre consueveram, et tria quidem Animalia vidi ; locus autem Aquilæ vacuus apparuit. Die Innocentum, tempore divini Officii, vidi montem excelsum et splendidum, et in cacumine ejus Agnum candidum et amabilem valde, habentem signum dominicæ Crucis in dorso. Sequebatur autem multitudo Martyrum copiosa, cum palmis et coronis rubore signatis. Et cogitabam quidem apud me hos esse beatos illos Infantes, qui occisi sunt pro Domino Jesu : sed hoc in illis mirabar, quod nulla infantiæ signa in eis apparuerunt, omnes enim juvenilis ætatis plenitudinem habere videbantur. In Circumcisione Domini, *f* et Epiphania visiones vidi Dominicæ diei, sed evidentius in Epiphania. Tunc etiam in prima Vespera vidi tres Reges coronatos stantes ante thronum : et accedentes, adoraverunt flexis genibus ante filium hominis et tollentes coronas de capitibus suis, obtulerunt eas in manus ipsius : rursusque eas ab ipso receperunt. In die ad Missam, rursus eosdem tres vidi, adorantes coram Domino Jesu : et munuscula nescio quæ lucida in manus ejus dare visi sunt.

ac consequenter S. Stephanus.

Joannes Evangelista,

Innocentes,

AUCTORE EGBERTO FRATRE tres Reges.

46 In Purificatione gloriosissimæ matris Mariæ, ad Missam perlecto Evangelio in extasim veni, et vidi : et ecce Domina mea, per radium lucis descendens venit, et astitit a dextris sacerdotis : et juxta eam vir grandævus et venerabilis, barbam habens canam et prolixam. Cumque Sorores obtulissent luminaria in manus sacerdotis ; regressa est ad superna. Et ecce copiosus exercitus insignium puellarum, cum splendidis luminaribus, venit in occursum ejus. Factaque aliquantula mora in extrinseca hac luce cum ipsa regressæ sunt ad altiora, sequentes eam cum gaudio. Eodem die ad vesperam cum essem in extasi, iterumque eam viderem in superna gloria, invocavi devotissime auxilium ejus : et cum omni diligentia me et caros meos illi commisi, et in fine orationis adjeci dicens ; Domina mea; quid de te sperabo? Et respondere visa est ; Bonam gratiam de me sperare potes, tu et omnes qui fiduciam habent in me. Mirificavit Deus misericordias suas in me etiam, frater mi, ex quo nuper a me discessisti, et hæc fecit mihi.

In Purificatione Virgo Maria,

47 Accidit in prima Dominica solennis *g* Jejunii in primis Vesperis, ut venirem in mentis excessum: et vidi rotam candidam in aere mira velocitate circumeuntem : et in summitate ejus aviculam candidam, cum magna difficultate sese tenentem, ut non circumferretur impetu rotæ : et aliquoties quidem paululum a summitate ad inferiora delapsa est, ut esset in summo : atque in hunc modum diu laborabat, vicissim labens et resurgens. Post hæc vidi montem excelsum et amarum valde, et super illum delata est rota; iterumque ibi circumferebatur ut prius. et avicula ei adhærens in suo labore perseverabat. Eram autem vehementer admirans quid ista portenderent; et cum magno desiderio postulavi a domino intelligentiam visionis. Et accepto aliquantulo intellectu, redii ab extasi. moxque hæc verba ex improviso arripui. Arcta et angusta est via quæ ducit ad vitam, Domine quis ibit per eam? Et subjunxi; ille qui custodit vitam suam a carnalibus desideriis, et non habet dolum in lingua sua. Et adjeci : Domine, quid faciam ego? Et rursus hæc verba responsionis inciderunt ori meo : Si vis ambulare sicut ego ambulavi, considera vestigia mea; et noli te avertere ad dexteram neque ad sinistram, sed sequere me, et sic pervenies : quia dixi, Ego sum via, veritas et vita : si quis introierit per me, salvabitur, et pascua inveniet.

g Visa rota candida cui circumgyratæ insidebat avicula

Joan 10,

48 Post hæc in secunda feria rursus in extasim veni, et vidi prædictam visionem ut prius : sed et eo amplius, quia et scalam vidi supra rotam stantem, quæ tantæ celsitudinis erat, ut cacumen ejus cœlos penetrare videretur. Postes ejus laterales lapidei videbantur, et triangulares ; ascensoria vero diversissimis ac pulcherrimis ab invicem differebant intervallis. Id autem in memoria retinui, quod primum eorum candidum erat, tamquam nix; secundum vero rubicundum, tamquam ferrum ignitum. Post hæc die altera rursus vidi omnia quæ prædicta sunt et juxta rotam speciem viri stantem, cujus caput aureum videbatur, et capilli ejus similes lanæ candidæ et mundæ; oculi ejus lucidissimi et decori valde; pectus et brachia, quæ in modum Crucis tenebat expansa, purissimum quemdam nitorem habebant ad similitudimem argenti nitidissimi. Habebat autem in dextera ramum arboris viridem et jucundum aspectu, in sinistra vero lucidam rotam, iris varietate

et scala supra rotam;

videt etiam corpus mysticum Christi.

AUCTORE EGBERTO FRATRE.

varietate distinctam: venter ejus æneus, femora ex chalybe, crura ferrea, pedes vero terrei videbantur. Hæc omnia frequenter in tempore Jejunii mihi apparuerunt.

h et S. Gregorium.

49 Factum est autem in Dominica, quæ erat proxima post festum B. Gregorii *h*; cum essem in extasi, et viderem visiones quas in Dominicis diebus videre consuevi; vidi egregium illum Doctorem in supernis, plenum gloria et claritate amabili, ad similitudinem gloriæ sanctissimorum Episcoporum Martini et Nicolai. Habebat autem in capite, quemadmodum et illos habuise videram, diadema quoddam venerabile, qualia a Pontificibus gestari dicuntur. Eadem quoque hora vidi prædictam visionem, et æstuabam desiderio magno cupiens intelligere quæ videbam, præcipue quid significaret illa hominis species: nam de ceteris intelligebam aliquid. Postulavi igitur a beato illo viro Dei devotissime, ut impetraret mihi a Domino intelligentiam visionis quam desiderabam: et conversus ad me, hæc verba mihi respondit: Non potes intelligere quid ista significent, sed dic Doctoribus qui legunt Scripturas, ipsi sciunt. Nunc igitur, amantissime frater, hunc tibi quæso laborem assume, ut Scripturas divinas scruteris, et congruam ex eis interpretationem visionis hujus coneris invenire: tibi enim fortassis a Domino reservata est.

i Post aliquot dierum infirmitatem confortata, k

50 Ante Annuntiationem Dominicam septem diebus *i* ægrotavi, et decidi in lectum toto corpore languens, ita ut pene nihil refectionis corpori meo possem adhibere: permansi autem in hac valetudine usque ad diem *k* tertium ante festivitatem. Eo die circa Nonam cœpi habere in ore meo liquorem, tamquam favum mellis, cujus dulcore ita refecta sum, quasi cibum sufficientem accepissem; et confortata sum toto corpore, et emisi sudorem copiosum, in quo permanebam usque in sequentem diem. Et circa tempus Missæ veni in mentis excessum; et visum est mihi quasi abstraheretur spiritus meus a corpore ac sublevaretur in altum. Vidi autem in illo excessu meo cœlos apertos, et Dominum Jesum cum infinitis millibus venientem in regionem aeris hujus. Et non erat ei species neque decor; sed, tamquam recenter crucifixus fuisset, sic miserandus apparuit. Cumque demonstrasset universo mundo crucem in qua pependerat, et vulnera passionis suæ quasi recenti cruore madentia; clamabat voce magna ac nimium terribili, dicens: Talia propter te sustinui, tu vero pro me quid sustinuisti?

videt Dominum crucifixum,

cum duobus agminibus

51 Assistebant autem ei duo diversa agmina innumeræ plebis, unum a dextris, alterum a sinistris. Iis quidem qui erant a dextris, lux immensa circumfusa videbatur, inter quos, præcipua apparuit virgo virginum, gloriosissima Dei Mater Maria. Ibi diversitates omnium Ecclesiasticorum graduum distincte perspexi: inter quos et venerabilem Patrem nostrum beatum Benedictum, cum sua Monachali turba, dignoscere delectata sum. Iis autem qui erant a sinistris, tenebræ densæ et horribiles circumfusæ erant, ita ut eorum diversitates discernere vix potuissem. Erat autem hujus miserrimæ plebis princeps, magnus et horrendus ille rex superbiæ, cui proximi assistebant Judas et Pilatus, et crucifixores Domini. Heu! quantos ex Clero, quantos nostri Ordinis viros et mulieres, plenos confusione illic dignoscebam. Cumque omnia perspexissem, dixit Judex omnium ad eos qui erant a dextris: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi: ad eos vero qui erant a sinistris, Ite meledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Et continuo illi cum jucundissima alacritate ad lucidas mansiones Dominum subsecuti sunt: hi vero, tristitia et confusione pleni, cum suo patre principe dæmoniorum, in profundissimas tenebras demersi sunt.

Sanctorum et reproborum.

die 25 Martii

52 Continuo post hæc reddita sum mihi, et cum fletu copioso primum in hæc verba prorupi; Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli movendi sunt et terra. Et adjeci: Credo quod Redemptor meus vivit; et in novissimo die de terra surrectura sum, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum. In Ipso autem die festivitatis, cum iterum essem in excessu meo, in tempore divini Sacrificii; præsentata est oculis meis passio Salvatoris nostri, qualiter ab impiis veste nudatus, flagellatus est, et ad ultimum cruci affixus. Non autem omnia quæ circa eum in passione gesta sunt singillatim tunc vidi, quemadmodum postea in Parasceve. Cumque hæc videre cessarem, vidi Dominam meam in superna claritate stantem, et cujusdam rei revelationem ab ea accipi, quam nolo adhuc fieri manifestam.

cuidam repræsentatur passio Domini.

ANNOTATA D. P.

a Exaltatio S. Crucis, 14 *Sept. Tunc Feria* 2.

b S. Michaelis 29 *ejusdem, tunc Feria* 3.

c SS. Cassius, Florentius et Mallusius, *ex Societate S. Gereonis (quorum passio Coloniæ celebratur* 10 *Octobris) fuga elapsi Bonnam, ibidem deprehensi et mactati dicuntur, incertum quo die: elevatio autem eorumdem facta circa annum* 1076 *sub Archiepiscopo Reinoldo celebratur* 2 *Maji. Natalis hic dicitur communis omnibus dies* 10 *Octobris.*

d *Scilicet corpore* Mallusii, *qui hic non nominatur, fortassis ad aliam aliquam ecclesiam delato.*

e *Secundum usum monastico Benedictinum festa* 12 *Lectionum fiunt: in die autem Natali ad* 3 *Nocturnum leguntur* 4 *Evangelia quorum primum Initium S. Evangelii secundum Matthæum, alia tria eadem quæ præscribuntur ex Romano.*

f *Annus* 1154 *habuit litt. Dominicalem* C *atque adeo initium anni incidit in Feriam* VI *et Epiphania in Feriam* III.

g *Idem annus celebravit Pascha* 4 *Aprilis, atque adeo, Dominica* 1 *Quadragesimæ incidit in* 21 *Februarii.*

h *Ea fuit Dominica* 4 *Quadrag. occurrens secundo post festum die,* 14 *Martii.*

i *Ergo a die* 18 *Martii.*

k *Id est usque ad diem S. Benedicti vel sequentem* 22.

CAPUT IV.

Sancta videt mysteria Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, et alia quædam isto anno.

a Viso Christi ingressu in Hierusalem,

Post hæc in festivitate *a* Palmarum, in primis Vesperis, cum dicerent Sorores Responsorium, ingressus Pilatus, et usque ad hoc verbum processissent, Crucifigatur, stabam inter eas et in extasim veni: et vidi Salvatorem quasi in Cruce pendentem. Rursus in Matutinis, similiter mihi accidit. In die ad Missam, cum inchoaretur Passio Domini, iterum in extasim veni. Tunc vidi procul montem quemdam amœnum, et descendebat ab eo salvator sedens in asino, et veniebat versus civitatem quamdam magnam. In ipsa autem radice montis, occurrit ei turba hominum parvorum et magnorum cum virentibus arborum ramis; et exuentes vestimenta sua, plurimi ex eis straverunt ea in via qua incedebat: et ibant cum eo exultantes usque ad portam civitatis. Eratque ibi turba magna, et dabat ei locum: et venit per medium eorum usque ad templum: descendens introivit et ultra eum non vidi: et redii ad meipsam

meipsam. Rogaveram Fratres meos diligenter, ut illo die Officium Palmarum celebrarent in prato quod est ante conspectum nostrum, et non potuerunt propter inundationem rivulorum; sed retro ecclesiam, ubi videri a nobis non poterat, peregerunt. Et respexit Dominus desiderium ancillæ suæ, et vidi oculis mentis omnia quæ ab illis illic gesta sunt.

lotione pedum,

54 Post hæc in Cœna Domini ad Missam vidi, sicut soleo, omnia quæ circa altare gerebantur : et dum Sacerdos Canonem diceret, et calicem in conspectu Dei exaltaret; vidi supra calicem Dominum Jesum, quasi in cruce pendentem, et de latere ejus et pedibus sanguis in calicem defluere videbatur. Cum autem vespertinum tempus immineret, eram in sacello ubi Mandatum ablutionis celebrandum erat. Cumque inchoaretur Antiphona quæ est, Ante diem festum; ego in uberrimas lacrymas confestim erupi, et rapta sum in extasim. Tunc vidi Dominum in eadem civitate, quam in die Palmarum introierat, sedentem cum discipulis suis in domo, quasi ad cœnandum. Cumque aspicerem, surrexit a cœna : et ponens vestimenta sua, præcinxit se linteo : et accipiens pelvim, incurvavit genua ante Petrum : et subito Petrus exilivit, et stabat quasi territus : et Dominus sicut erat inclinatus, loqui ad eum visus est : et post pusillum, rursus ille resedit. Et Dominus, singulorum pedes lavit : iterumque resumpto vestimento suo, recubuit : et sedebat, quasi loquens ad illos. Post hæc surrexit et egressus est cum illis de civitate, et ibat versus montem illum, a quo eum descendisse videram. Post hæc vidi, quomodo relictis discipulis secessit ab eis Dominus, et positis in terram genibus procubuit ad orationem, quasi in angustiis magnis constitutus. Vidi et pretiosas illas guttas sanguinis, de sanctissima carne ejus decurrentes in terram. Et post orationem rediit ad discipulos quos etiam dormitantes vidi. Et cum allocutus eos fuisset, iterum rediit ad orationem : atque hoc ter factum est. Tunc ego ad meipsam rediens, statim hæc verba in ore meo habui, Factus Jesus in agonia prolixius oravit, et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et adjeci : In monte Oliveti oravi ad Patrem meum, Pater si fieri potest transeat a me calix iste.

agonia in horto,

captivitate,

55 Et post pusillum, redii in extasim. Et vidi : et ecce Dominus ab oratione rediens, assumptis discipulis venit in hortum. Et post pusillum, venit Judas cum cohorte armata; et accedens, osculatus est eum : ii autem qui cum eo erant, retrorsum abeuntes ceciderunt in terram. Et surgentes comprehenderunt eum, et usque ad civitatem vinctum miserabiliter pertraxerunt : discipulos autem ad latibula sua discurrere vidi. Tunc redii ab extasi cum hujusmodi verbis : Amicus meus osculi me tradidit signo, dicens, Quem osculatus fuero ipse est, tenete eum. Post hæc tota nocte illa, sive dormirem, sive vigilarem, videbam qualiter impii illi Dominum blasphemabant, verberando, conspuendo, colaphis et alapis cædendo. Et in extasim quidem non veni, sed totus sensus meus illic erat, et ad nihil aliud poteram intendere. Mane autem hora tertia veni in extasim, in qua permansi usque circa horam sextam. Tunc vidi quomodo induerunt eum tunicam purpuream, et chlamydem coccineam circumdederunt ei; et imponentes capiti ejus coronam spineam, illuserunt ei. Et post hæc exuentes eum vestimentis illis, induerunt eum vestibus ejus : et imposuerunt ei crucem, et duxerunt extra civitatem in locum quemdam, quasi aratum, et nihil viroris habentem. Ibi eum denudantes, levaverunt *b* in crucem et affixerunt : similiter et aliis duobus fecerunt. Tunc expergefacta sum, et cum lacrymis uberrimis in hæc verba prorupi : Christus Dominus factus est obediens usque ad mortem. Et adjeci : Vita in ligno moritur Infernus et mors dispoliantur.

crucis bajulatione

b

Al. et de Egberto fratre c

morte in ea,

56 Deinde post modicum tempus, cœperunt Fratres Officium Dei celebrare : et cum processissent usque ad lectionem Passionis, in extasim veniens, vidi iterum Dominum in cruce. Inque illa hora emisit spiritum, et inclinata est cervix ejus : concidit amabile caput : complicata sunt *d* genua : et omnia membra ejus deorsum resederunt : sicque hærebat exanime corpus, miseratione dignum super omnia quæ humanus oculus miserabilia vidit. Et quis putas, frater, interim erat dolor animæ meæ, cum viderem tantas passiones, tamque indignas despectiones viri optimi et solius innocentis; qui nihil quidem pro se, sed pro nobis omnia gratis sustinuit? Sed matrem Domini mei plenam mœrore, et magna dignam miseratione, vidi assistentem cruci, cum discipulo quem diligebat Jesus. Novissime autem hoc quoque vidi, qualiter unus ex impiis accurrens, lanceam lateri ejus infixit : et continuo copiosus sanguis pariter cum aqua emanavit. Et ecce caligo densa et horribilis super universam terram orta est, et saxa per agros terribiliter concurrere, et collidi et scindi visa sunt. Cumque quievisset illa perturbatio, ecce quidam venerabiles viri accedentes, solverunt corpus a cruce, et detulerunt illud cum veneratione in hortum quemdam viridem et jucundum : et circumposita ei munda sindone, locaverunt illud in monumento. Tunc demum ego resumpto spiritu, cum fletu amarissimo hujusmodi querelam arripui : Recessit pastor noster, fons aquæ vivæ, in cujus transitu sol obscuratus est. Et adjeci : Ave Maria, consors Martyrum, transgladiata crucifixi nati sanguine. Et adjeci : Sepulto Domino, signatum est monumentum.

et tenebris eamdem secutis

videt Christum apparentem Magdalenæ

57 Post hæc in Sabbato ad vesperam, cum essem in extasi, apparuerunt mihi venerabiles quædam matronæ, quasi gestantes aromata. In die Sancto Paschæ : cum jam dilucesceret, sedebam in loco orationis et legebam in Psalmis. Cumque jam ad finem Psalmorum appropinquarem, veni in extasim, et vidi hortum in quo erat monumentum, et lapidem ab ostio ejus sublatum, et Angelos assidentes : et ecce matrona quædam veniens accessit ad monumentum plorans, et introspexit : et non invento ibi corpore, quasi mœsta paululum recessit. Occurrit autem ei Dominus, moxque illa substitit quasi interrogans aliquid ab eo : et post pusillum conversa est, ut rediret ad monumentum : iterumque subito se convertit, quasi vocata ab illo, et currens procidit ad pedes ejus : cumque ipse disparuisset, surgens illa velociter cucurrit usque ad domum, ubi erant discipuli congregati, et nuntiavit eis. Continuo post hæc cum paululum respirassem, vidi duas matronas venientes ad sepulcrum cum aromatibus : et ut viderunt Angelos, substiterunt quasi stupefactæ. Post hæc cum timore propius accesserunt : factaque ibi parva mora, discesserunt. Occurrit autem et illis Dominus in via : moxque illæ accurrentes procidentes coram eo, et tenuerunt pedes ejus : hoc autem, nequaquam de prædicta illa matrona visum est.

et mulieribus duabus :

discipulos currentes ad sepulcrum.

58 Post hæc cum celebraretur Missa, vidi duos discipulos properantes ad sepulchrum : quorum alter quidem senior, alter autem videbatur esse junior. Et hic quidem cum citius pervenisset ad sepulcrum, non introivit : senior vero cum pervenisset, statim introivit : postea vero et alter. Et quid amplius requiris, frater? Omnia pene quæ circa tempus illud gesta fuisse in Evangeliis leguntur, mihi demonstrata sunt. Nam et hoc vidi, qualiter duobus euntibus ab Hierusalem in Emaus, Dominus

AUCTORE ECBERTO FRATRE.

A Dominus in specie peregrini se adjunxit : et quomodo cum pervenissent ad castellum, et se fingeret discessurum ab eis, detinuerunt eum, et perduxerunt in domum : et cum sederet ad cœnandum, et benedixisset panem et fregisset, statim locus ejus in quo sederat vacuus apparuit. Statimque illi surgentes, venerunt cum festinatione ad discipulos, et nuntiaverunt eis in domo, in qua erant congregati. Eadem autem hora qua eis hæc annuntiabant, apparuit Dominus stans in medio eorum. Post hæc illud quoquo vidi, qualiter manducavit cum illis : eratque in mensa discus unus habens piscem, et alter continens favum mellis. Erant autem vestimenta ejus, in quibus eum post resurrectionem vidi, candidissima ; et species vultus ejus hilaris valde, ac tantæ claritatis, ut vix eam discernere possem.

euntes in Emaus,

et inde regressos :

59 In die Ascensionis *e* Domini ad Missam, cum essem in excessu meo, vidi congregatos in domo discipulos, et matrem Domini cum eis ; et intravit ad eos Dominus, et cum accepisset cibum cum eis, eduxit illos de civitate usque in montem. Et vidi qualiter coram eis elevatus est. Et venit in occursum ejus multitudo Angelorum, et sublevatus est in cœlum. Cumque illi starent et aspicerent in cœlum, B apparuerunt duo splendidi juvenes desuper venientes, et allocuti sunt eos : statimque illi regressi sunt in civitatem, et collegerunt se in domum unde egressi fuerant. Tunc ego ad meipsam redii cum hujuscemodi verbis : Eduxit Dominus discipulos suos foras in Bethaniam, et quæ sequuntur in Evangelio : et illud : O Rex gloriæ Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti.

e item mysteria Ascensionis

60 Post hæc in die Pentecostes, ante celebrationem Missæ, cum essem in extasi, vidi rursus discipulos congregatos in domo supra memorata, et Matrem Salvatoris inter eos. Et factum est dum sederent, apparuit supra singulos eorum quasi flamma ignis, desursum descendens in impetu vehementi. Et continuo omnes unanimiter consurgentes, egressi sunt cum hilaritate et fiducia magna, annuntiare verbum Dei in populo. Hæc cum ita pervidissem, reddita sum mihi : moxque hæc verba assumpsi ; Spiritus sanctus procedens a throno, Apostolorum pectora invisibiliter penetravit. Cumque inchoaretur Officium Missæ, rursus in extasim veni : et vidi quasi fulgidissimum radium lucis, de cœlo usque ad altare porrectum. Et venit per medium ejus columba C speciosa, quam videre soleo, ferens in ore quiddam rubrum quasi flammam ignis, grandiusculum quam solebat. Et primum quidem super verticem Sacerdotis expansis alis insedit : ibique ex eo quod in ore gestabat, quasi stillam unam deposuit. Ministris quoque altaris, qui erant induti ad legendum, similiter fecit : et post hæc consedit in altari. Cumque rediissem ab extasi, dixi Magistræ nostræ, ut commoneret Sorores ad devotionem orationis, sperans id ipsum quod et postea evenit. Cumque finita Missa accederemus ac communicandum, veni in extasin : et dum singillatim communicarent, vidi columbam prædictam advolantem; et ex eo quod in ore gestabat, per singulas distribuentem.

et Pentecostes.

61 Hæ sunt, frater, miserationes Domini, quas in primo anno *f* Visitationis meæ operatus est in me. In hac autem secundi anni revolutione eadem fere, quæ anno priore in festivitatibus Sanctorum circa me accidere solebant, eveniunt ; et nonnulla præter hæc, quæ propter incredulos ex magna parte silentio præterimus. Aliquoties autem alteriusmodi verba quam solebant, revertenti mihi ab extasi, in ore ponuntur : ita ut in loquendo non meum sequar arbitrium, sed Domini, qui per os meum manifestas facit visiones, quas per modestiam a Sororibus D celare consueveram. Nam in festivitate B. Laurentii, visionem quam videram his verbis manifestavi : Vidi quemdam nobilissimum Diaconum Laurentium ante fores stantem, et palmam habentem, et corona ejus rubea, et conversus est ad me blande inspiciens. Similiter in Assumptione beatissimæ Dominæ nostræ, cum ab excessu meo redirem, hujuscemodi sermonem coram omnibus subito arripui, dicens : Vidi supra cœlum cœli ad orientem multa millia Sanctorum coronatorum, existimavi plusquam centum quadraginta quatuor millia, qui omnes coronati sunt coronis aureis, unusquisque secundum suam professionem ; et in medio eorum thronum excelsum valde gloriosum, et in medio throni sedentem, cujus facies terribilis erat : et ex eo et de throno exibat splendor magnus quasi fulgur coruscans, ita ut præ nimia luce vix potuissem oculos levare. Et circa thronum Angelos multos et quatuor Animalia: hi omnes circumsteterunt, et procidentes adoraverunt sedentem super thronum, dicentes; Gloria, et honor, et benedictio sedenti super thronum, viventi in secula seculorum. Post hæc adjeci : Salve sancta, salve pia et nobilis virgo Maria ; tu enim mitis, tu E suavis, tu adjutrix et consolatrix omnium in te confidentium. Adjuva me, Domina mea Maria, quoniam confidit in te anima mea : ora pro me Unigenitum tuum Redemptorem nostrum, ut perficiat in me opus misericordiæ suæ.

f Anno 2 Visitationis suæ

eadem videt quæ priori,

et die Assumptionis gloriam Sanctorum in cœlo ;

62 In festivitate omnium Sanctorum venit Angelus Domini ad me, et rapuit spiritum meum a corpore meo : et subito veni cum illo, et duxit me in altum ante ostium quod est in conspectu Domini : et introspexi : et vidi multa millia Sanctorum coronatorum, astantes et ministrantes Deo, et in circuitu throni quatuor Animalia. Angeli vero et Archangeli Cherubim quoque et Seraphim steterunt ante thronum Dei; et procidentes adoraverunt, et clara voce dixerunt; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. Similiter et viginti quatuor Seniores ceciderunt in facies suas, et adoraverunt viventem in secula seculorum. Habeo et aliquid quod de Bonnensis Ecclesiæ consecratione, quæ nuper facta est, tibi, frater, referam. Sicut insinuasti mihi per epistolam, oravi Dominum, et aperuit mihi ut solet oculos meos, in priori Vespera exaltationis sanctæ Crucis: et inter cetera quæ mihi monstrata sunt, vidi radium copiosæ lucis de cœlo usque ad ecclesiam illam, totamque immensa claritate illustrantem. Nec F non et Angelorum multitudinem in eodem radio descendentem vidi, ac toto tempore dedicationis inter ministros ecclesiæ conversantem. Tanta autem majestate omnia replebantur, ut non absque pavore intueri possem, quæ gerebantur illic. Fui autem in hac visione, continue a vespertino tempore præcedentis diei, usque ad horam illam in qua dedicationis Officium consummatum est. Vidi autem inter cetera quæ illic agebantur, te, frater, pulpito in Matutinis astantem, et unam ex Lectionibus legentem.

item in die Sanctorum omnium,

postea interest officio Dedicationis Bonnensis.

63 Accidit ut quædam Sororum nostrarum, quæ morantur in Dierstensi *g* cœnobio, migraret e vita. Nuntiata igitur nobis morte ejus, dum secundum consuetudinem *h* pro remedio animæ ejus afflictionem susciperemus; vidi Angelum Domini stantem secus Magistram nostram, cujus ministerio opus Dei perficiebatur. Eadem quoque hora, et beatissimam Dominam nostram vidi, quasi in regione inferioris aeris stantem, et respicientem ad nos. Completa autem afflictione nostra, elevatus est Angelus usque ad eam, et pariter ad superna redierunt. Factum est in vigilia Nativitatis Domini, tempore matutini Sacrificii, dum essem in oratione, aperuit

h Videt Deiparam :

aperuit Dominus oculos meos; et vidi in spiritu virum, cujus desideravi præsentiam, a longe properantem, ad spectandum agonem passionis meæ. Qui cum jam instante vespertino tempore advenisset; vidi Angelum Domini de sursum venientem, quasi in adjutorium mihi: et cum stetisset coram me, dixi illi: Domine mi, lassa sum ad sustinendum. Et ait ad me: Confortare, consolare, noli deficere in via. Et post pusillum requievit caro mea in extasi: et sustulit me in spiritu in sublime, et contemplata sum jucunditatem, quam præparavit Deus diligentibus se, quemadmodum anno priore. Cumque post longum excessum redirem ad me, continuo ori meo hæc verba affluxerunt: Descendit de cœlis, missus ab arce Patris: introivit per aurem Virginis in regionem nostram, indutus stola purpurea; et exivit per auream portam, lux et decus universæ fabricæ mundi. Et illud: De occulto habitatione sua descendit filius Dei venit quærere et salvare eos, qui eum de toto corde desiderabant. Et venit Angelus Domini ad me, et rapuit spiritum meum, sicut in festivitate omnium Sanctorum prosecuta sum. Post hæc benedixi Dominum dicens: Gratias ago tibi Domine, qui misisti ad me Angelum tuum, qui consolatus est me in tribulatione mea: quia tu solus laborem et dolorem consideras.

et ab Angelo confortata,

mysterium Incarnationis.

64 In die vero ad majorem Missam, cum essem rursus in excessu meo, ac devotissime pro communi correctione Ecclesiæ Domini orarem; in fine orationis postulavi a Domino, ut indicare mihi dignaretur, qænam esset voluntas ejus super Clero et Monialibus, non bona gradientibus via. Cumque oratione completa jam ad me redire inciperem, astitit mihi Angelus meus, et dixi ad eum: O dulcissime atque amantissime juvenis, responde mihi ad ea quæ interrogavi a Domino. Et dixit ad me: Clama et dic: Genti peccatrici, populo pleno peccato; væ, væ vobis qui habitatis sub potestate diaboli: quiescite agere perverse, discite benefacere. Sin autem, ecce ego Dominus mitto Angelum meum percutientem inter vos: nisi conversi fueritis a viis vestris iniquis, et egeritis pœnitentiam ab operibus pravis, ego Dominus complebo indignationem meam in vobis.

Orat pro Ecclesia et populo:

65 Nunc et illud silere non possum, quanta dignatione Domina mea cor meum lætificavit. Dum essem in præfato excessu meo, vidi illam a longe in domo quadam, quasi jacentem in *i* lectulo, et contrectantem manibus infantulum speciosum et amabilem nimis. Quem cum circumligasset fasciis albissimis, deposuit in præsepio quod secus ipsam esse videbatur; et post pusillum recipiens eum, in sinu suo reclinavit. Continuo post hæc vidi illam in regno claritatis, tamquam Reginam et Dominam. Invocavi igitur eam solito more, et specialiter pro quodam familiari meo ipsam rogavi. Erat ille in ordine Diaconatus, et frequenter eum adhortata fueram, ut ad sacrum Ordinem Sacerdotii ascendere non differret. Ille vero, diversas causas timoris sui prætendens, tam arduam rem aggredi nondum se audere fatebatur. In illa igitur invocatione mea, cum ejusdem rei mentionem coram Domina mea facerem, hæc verba mihi respondit: Dic servo meo, Noli timere: fac quod facturus es, et redde rationem de servitio meo, quod mihi facere debueras, et non fecisti.

verum videt Deiparam, i

et amicum commendat:

66 In festivitate S. Joannis Evangelistæ, tempore divini Officii, dum essem in lectulo meo propter infirmitatem, ibidem facta est manus Domini super me: et vidi amabilem illum Sacerdotem Domini, in conspectu throni stantem. Effudi itaque orationes ad ipsum, ac petii, ut mihi daretur videre aliquid eorum, quæ ei in terra posito demonstrata sunt. Et continuo vidi quatuor Animalia ibidem assistentia, secundum eum modum quo in Ezechiele descripta sunt: et rotam quadriformem coram eis. Post hæc cum jam ad meipsam reditura essem, vidi duos Angelos, terribiles et plenos indignatione secundum faciem, in inferiori aere residentes: habebatque unus eorum gladium terribilem in dextera, extentum quasi ad percutiendum. Et dixi ductori meo, Domine mi, qui sunt isti? Qui ait: Habent potestatem nocere terræ.

videt deinde S. Joannem Evangelistam

VICTORE EGBERTO FRATRE

67 Post hæc in die Innocentum, vidi turbam magnam juvenum candidorum, in monte excelso deambulantem, cum insigniis martyrii; quos præcedebat Agnus candidus, Crucis signum bajulans. Et aio ad ductorem meum: Domine, qui sunt isti, quos video hic? Et respondit: Sunt innocentes et immaculati, qui sequuntur Agnum quocumque ierit. Et dixi; Domine quare isti plus quam alii? Et ille: Non solum isti, sed sunt et alii qui sunt innocentes et immaculati, etiam et virgines electi in in Christo. Quam Agnum plus quam aliud animal? At ille subjecit: Quia innocens Agnus, immaculatus et electus, occisus est pro salute humani generis.

et Sanctos Innocentes

ANNOTATA D. P.

a Dominica Palmarum *anno* 1154, 28 *Martii.*

b *Convenit hoc cum visione S. Brigittæ, de qua egi in Parergo inter utramque Vitam S. Mariæ Magd. de Pazzis, qua docetur sursum adjunctus in crucem, atque ita stans et affixus; contra quam nunc passim et in recentiorum Sanctarum visionibus concipitur, super crucem humo stratam extensus Dominus.*

c *Ita corrigo, pro eo quod legebatur impressum,* ex Morsu.

d *Hæc genuum complicatio competit corpori non contentissime tenso, ac stanti supra falcram aliquid; non autem uti concipiebat S. Osanna infra, Vitæ 2, num.* 244; *exaggerans fere supra ceteros dolores, eum qui sentiebatur in pectore, ex violenta illa brachiorum distensione: unde confirmatur doctrina prædicto Parergo a me tradita, de verbis factisque extaticorum ad controversias historicas non trahendis.*

e *Fuit celebrata* Ascensio Domini, 13 *Maji, Pentecoste* 23 *Maji.*

f *Videtur potius dici debuisse* secundus annus, *et qui hinc inchoatur* tertius, *ut patet ex deductis hactenus.*

g *Ad* Dierstensis *monasterii Sorores est Epistola* IX *Elizabethæ: sed ubi ipsum monasterium sit aut fuerit, needum comperi: suspicor, quod in Coloniensi diœcesi oppidum Westphaliæ* Dorsten *intelligatur. Sed an ibi tunc Sorores fuerit inquirendum.*

h *Hæc mutui suffragii consuetudo specialem aliquam utriusque monasterii conjunctionem indicat. afflictionem autem a singulis assumendam, de qua hic puto intelligi posse flagellationem Religiosis usurpatam, et vulgo dictam disciplinam.*

i *Sic etiam Græci in tabellis, 12 Dominica mysteria repræsentantibus pingunt Deiparam instar puerperæ cubantem intra fiscellam seu corbem hujusmodi usui aptam. Nec absurdum sit cogitare, quod Josephus, stabulum ingressus, hujusmodi aliquid commodato acceperit e vicinia idque admiserit Virgo, non ut necessitati, sed ut consuetudini puerperarum pareret; utpote quæ in nulla volebat videri eximia. Et Græci quidem ita pingunt eam in spelunca: Elisabethæ autem nostræ ita repræsentatur in domo, in qua et a Magis repertus infans cum matre est, juxta Evangelicam historiam: transgressa scilicet in hanc ex spelunca seu stabulo postquam Pastores annuntiarant quid sibi de puero Messia dictum esset ab Angelo. Sed in nostra sententia, qua*

credimus

credimus advenisse Magos uno post natum puerum anno inepte conciperetur adhuc cubans Deipara. Ideoque ad Annotationem d reflectendus animus lectori est.

AUCTORE EGBERTO FRATRE

CAPUT V.

Visiones anni MCLV *: cum Appendice, ad annum* XL *spectante*

In visu offeruntur,

In Epiphania quoque Domini, multiplicavit Dominus gratiam suam in me, et vidi in spiritu Dominam meam, et parvulum ejus, quasi in domo quadam longe posita commorantes. Et ecce tres viri, regalem habentes decorem, introierunt illuc, et flexis genibus adoraverunt coram puero. Unus autem ex illis proferens numisma aureum magnum, quasi imagine regia signatum, obtulit in manus ipsius. Similiter et alii duo accedentes, munera sua in vasculis quibusdam reverenter obtulerunt. Post hæc et nuptiæ illæ, quæ factæ sunt in Cana Galileæ, repræsentatæ mihi sunt : et vidi rursus illic Salvatorem cum Maria matre ejus inter convivas discumbentem, et hydrias sex ibidem positas. Insuper virginei corporis sui ablutionem, quæ in Jordane celebrata est, Dominus ancillæ suæ præsentare aspernatus non est. Vidi etenim qualiter cum sancto Baptista suo in aquas beati fluminis descendit, et baptizatus est ab eo : et qualiter columba de cœlo descendens, venit et requievit in vertice ipsius. Et ego ab hac visione expergiscens, in hæc verba os meum aperui : In columbæ specie Spiritus sanctus visus est, paterna vox audita est; Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite.

Magorum adoratio, Nuptiæ in Cana Galilææ, et Christi baptismus

69 Post hæc in festivitate Purificationis, in primis Vesperis, novum quiddam et insuetum fecit mihi Deus : Cum enim essem in excessu meo solito more, et orarem in spiritu ad Dominum, ac Dominam meam, quam per spiritum intuebar, salutarem, et devotas coram ipsa preces effunderem; omnem orationis meæ tenorem Sorores, quæ erant in circuitu meo, palam audierunt. Ego vero cum rediissem ad me, credere nolebam narrantibus hæc : quousque eadem verba, quibus in oratione usa fueram, per ordinem replicuerunt.

Orantem in extasi audiunt Sorores,

70 Factum item est ut quædam Soror annosa infirmaretur apud nos, infirmitate qua et mortua est. Accidit autem tertia die ante mortem ejus, subito ita aggravari infirmitatem, ut jam morituram eam existimaremus : et accurrentes Litaniam inchoavimus super eam. Irruit igitur excessus mentis super me, et paulo post expergefacta, dixi : Inungite eam : nondum enim Oleo inuncta fuerat. Hoc dicto statim fui in spiritu. Rursus autem post pusillum expergiscens, antequam plene ad meipsam redirem audientibus cunctis, visionem quam videram pronuntiavi, dicens : Domina nostra cum Patre nostro B. Benedicto descenderat, et nescio quam ob causam statim ad superna redierunt. Et nunc adfuerunt hic spiritus maligni complures, quorum adhuc quidam veluti canes in circuitu nostro ambulant, et tamquam vultures in tectis consident. Stabant autem secus lectum Sororis nostræ duo Angeli et dixerunt ad illos : Discedite hinc; Soror ista adhuc vivendi spatium accepit. Cum hæc dixissem, et ex integro ad meipsam rediissem, nesciebam me revelasse visionem, et advocans Magistram, secreto cœpi narrare ei quæ videram : illa autem eadem omnia se ex ore meo audivisse confitebatur. Post hæc die tertia, cum eadem Soror migraret e vita, in hora transitus ejus vidi per spiritum eosdem duos Angelos ei assistentes, et egredientem corpore animam excipientes : quorsum autem illam detulerint, revelatum mihi non est. Cumque essemus orantes in circuitu funeris, vidi Angelum speciosum quasi pusillæ staturæ, in summitate feretri sedentem : qui etiam motus inde non est, cum usque ad Ecclesiam Fratrum asportaretur, et usque ad tempus sepulturæ affuit.

ex eoque intelligunt quamdam moribundam supervicturam: ut vixit adhuc triduo.

71 Post hæc et me febris valida apprehendit, et desideravi Unctionis Sacramentum. Eo autem tempore Dominus Abbas profectus fuerat ad loca vicina, et expectabam adventum ejus. Quodam autem vespere circa crepusculum, sedente Magistra coram me, accessit vir quidam venerabilis, et stetit in conspectu meo, et existimabam ipsum esse Dominum Abbatem, et lætata sum. Cumque arguerem tarditatem ejus et morum duritiam, benigne suscepit correptionem : et consolatus est me, dicens, nondum me esse morituram. Rogavi igitur, ut Dominicam orationem et Symbolum recitarem coram me, et postea me inungeret. Quod cum fecisset, et ego ad singula verba ei per intervalla respondissem, totum Unctionis ritum complere visus est in me : et data mihi benedictione, abscessit. Interrogavit igitur me Magistra quæ verba mea omnia audierat, cum quo sermonem habuissem. Et dixi ; Nonne Dominus Abbas præsens fuit et inunxit me ? Illa autem neminem illic se vidisse testata est. Tunc ergo primum intellexi, visionem spiritualem me vidisse.

Infirma Elizabeth ab Angelo inungitur ;

72 Post hæc imminente Festivitate a Annuntiationis, incidi in languorem gravissimum : et biduo ante diem festum in infirmitate jacebam. In ipso autem festivitatis die mane, ita aggravatus est languor meus, ut venirent ad stratum meum Sorores, ac dicerent Litaniam super me. Cumque discessuræ essent a me, interrogabant an eo die communicare vellem, sicut et ipsæ facturæ erant. Ego autem renui, dicens, non me aliquibus dignis operibus ad hoc esse præparatam sicut ipsas, propter invaletudinem corporis. Quæ cum inde tristarentur ac discederent a me, venit Angelus Domini ; et stans coram me posuit manum suam in capite meo, et ait : Surge, et sta super pedes tuos. Liberata es ab infirmitatibus tuis. Accede ad communicandum : confortare et esto robusta. Ad hæc verba subito omnis languor fugit a me, et per universum corpus meum suavissime alleviata sum : hocque adjeci : Possibile quidem fuerat, Domine, passiones quas hactenus sustinuisti, leviores tibi efficere. Sed quo melius tibi crederetur, affligi ita te voluisti. Continuo ergo apprehensis indumentis, surrexi de stratu meo, et descendi cum integris viribus et calore vivido, et veni hilariter in conventum Sororum, mirantibus universis, et feci quod mandaverat mihi. Eadem die, ipsa quoque Annuntiatio Dominica præsentata est mihi. Vidi enim in spiritu Dominam meam quasi in conclavi quodam stantem ad orationem, et subito apparuit coram ea Angelus magnæ claritatis, velut alloquens eam. Illa autem viso eo, expavescere visa est : et post mutuam collocutionem, reverenter ad eum se inclinavit : moxque ille disparuit.

postea gravius infirmata, subito sanatur, et videt Annuntiationem Domini.

73 Ante festivitatem Palmarum die priori jam instante vespertino tempore, stabam sola in oratorio et eram intenta orationibus, et ecce radius copiosi luminis repente de cœlo effusus est super me, faciens mihi æstum, quemadmodum sol quando splendet in virtute sua : et procidi in terram, et veni in mentis excessum. Sorores itaque venientes concurrebant ad me, volentes sublevare caput meum a terra ut pulvillos supponerent, et nullo nisu levare illud potuerunt. Et post pusillum, venit Angelus Domini et erexit me velociter, et statuit me super pedes meos, dicens : O homo, surge, et sta supra pedes tuos, et loquar tecum : et noli timere, quia ego tecum sum omnibus diebus vitæ tuæ. Viriliter

In extasim rapta Angelum audit

A viriliter age et confortetur cor tuum, et sustine Dominum: et dices prævaricatoribus terræ: Hæc dicit Dominus: Sicut olim gentes crucifixerunt me, sic quotidie crucifigor inter illos qui prævaricati sunt in me in cordibus suis. Avertunt enim facies suas a me, et cor eorum longe est a me, ne videant et ne recogitent qualiter passus sum et quomodo liberavi eos in sanguine meo. Et dices ad eos: Redite prævaricatores ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat. Hæc cum dixisset, abiit. Ego autem signum feci Sororibus, ut allatis tabulis ista scripto exciperent: non enim aliud quidquam loqui poteram; quousque omnia secundum narrationem meam conscripta sunt.

peccatores vocantem ad pœnitentiam;

74 Rursus in ipsa die Palmarum tempore divini officii, cum similiter in excessum mentis venissem, erexit me Angelus dicens: O homo cogita quid sis, quia pulvis et cinis es et fragile figmentum. Audi me qui loquor tecum. Hæc dicit Dominus: Plena est terra iniquitate: et hic populus, non populus meus, sed populus adversarius mihi est. Obduratum est cor eorum, nec capient nec intelligere poterunt verba quæ locutus sum, sed recedent a me. B Væ illis, quia oppressi sunt a diabolo et obediunt illi, et inhonorant faciem meam cum pravis operibus suis, et obliti sunt Deum factorem suum. Et dixi: Domine mi, nescio quid dicam vel quid faciam, quia indocta sum in Scripturis divinis. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: qui enim habet dabitur illi, et qui non habet, id quod habet auferetur ab eo. Post hæc in secunda feria, cum interessem Matutinis posuit Dominus verbum in ore meo: Væ vobis hypocritæ, qui absconditis aurum et argentum, hoc est verbum Dei et legem Domini, quæ est pretiosior auro et argento, ut appareatis hominibus religiosi et innocentes; intrinsecus autem pleni estis ingenio malo et immunditiis vestris, introeuntes ad sancta sanctorum, quod est altare Dei ad communicandum. Vere Dominus avertit faciem suam, ne videat holocautomata et sacrificia vestra. Infeliciores estis iis qui aspiciunt vos quasi speculum, cum considerant opera vestra mala, et scandalizantur in vobis. Pro certo scitote, quia lex peribit primum a Sacerdotibus et senioribus populi in hoc tempore.

item comminantem obduratis,

hypocritis,

75 Item in quarta feria, cum sola essem in Capitulo; veni in extasim. Et dixit Angelus Domini ad me: Et tu fili hominis, dices ad eos qui habi- C tant in terra; Audite populi: Deus deorum locutus est: Pœnitentiam agite, prope est enim regnum Dei: et convertimini ad me in toto corde vestro, et ego Dominus convertar ad vos et reconciliabor vobis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, in peccatis vestris moriemini; et mors devorabit vos subito et quasi nescientes; et miserabiliores eritis omni creatura, etiam brutis animalibus, quæ dum mortua fuerint, nihil ultra mali patientur, vos autem cruciabimini in igne æterno, ubi erit fletus oculorum et stridor dentium sine fine. Et dixi: Domine, nescio loqui, et tarda sum ad loquendum. Et dixit: Aperi os tuum, et ego loquar; et qui audit te, audit et me. In Sabbato sancto ante Pascha, ibam ad Capitulum, et veni in extasim in limine sacelli: et circumfulsit me lux. Et assistens mihi Angelus Domini, ait: O miserrimi, qui thesaurizatis vobis thesauros in infernalibus pœnis. Nescitis quot nobiles, quot potentes peribunt in die judicii, quot divites et sapientes lugebunt? O mundi gloria! res misera! Væ illis qui diligunt eam. Ego clamavi dicit Dominus, et iterum clamo; et quis est qui me audiat et consentiat consiliis meis? Cum autem clamavi, clamavi et dixi: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ. O homo quicumque es, dic tu, Ecce ego: et dicetur tibi: D Abnega teipsum: et factus obediens et humilis corde, veni et sequere me; et ego probabo si sis verax an non. Et tu constans et perseverans, noli deficere in certamine: qui enim bene certaverit usque in finem, hic salvus erit.

conversis blandientibus,

et mundi amatoribus

LECTORE ROBERTO FRATRE.

76 In una Paschalium dierum in meridie, cum vellem quiescere, astitit lectulo meo Angelus Domini, et dixit mihi: Noli contristari de iis quæ tibi solent evenire: sufficit tibi gratia mea, quia non te deseram, nisi tu ipsa velis. Obediens esse stude cum omni humilitate et lætitia cordis. Esto patiens contra omnia adversa; noli te extollere in superbia, sed semper humiliare ut exalteris; nullum despicias, nullum contemnas, in omnibus bonum exemplum monstra. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum tamquam teipsam: et quod dedi tibi, dato tu aliis, ut et ipsi reficiantur: quia tu non haberes, nisi datum tibi fuisset desuper. Præter hæc et alia plura, tamquam pater filium benigne instruendo, adjecit: quæ propter intervenientem soporem, heu! a memoria mea elapsa sunt.

animaturque ad bene agendum

77 In festivitate S. Marci Evangelistæ, *b* vidi ostium apertum in cœlo et ex eo splendor magnus super me effusus est: et subito veni in extasim. E Cumque essem in excessu, vidi ante thronum Dei (quemadmodum in festivitate B. Joannis Evangelistæ videram), quatuor Animalia, singula habentia facies quatuor: quas, in hunc modum dispositas consideravi. Facies hominis erat in anteriori parte, quæ ad thronum respiciebat; in posteriori vero, facies aquilæ, in dextera, facies leonis, in sinistra facies vituli. Habebant et alas senas, quarum duæ supra capita singulorum erectæ invicem conjungebantur; duæ vero expansæ erant, ita ut unius cujusque una ala alterius tangeret alam, duabus vero, velabant corpora sua; erat autem plena oculis ante et retro. Apparuit et rota grandis et lucida, stans coram eis ante thronum, quasi complexa quatuor rotas; quæ ita invicem connexæ erant, ut unaquæque duas sibi vicinas ex parte complecteretur; et omnes, majorem intrinsecus circulis suis contingebant. Erat autem spatium quoddam inter ipsas, quatuor, circa medium punctum majoris, rubicundum quasi flamma ignis: et ex eo quasi scintillulæ quædam exire videbantur ac dispergi per omnes rotas, et quasi vivificari videbantur ex illo. Unde in F eadem hora menti meæ illud occurrit: Spiritus vitæ, erat in rotis. Cumque aspicerem, discesserunt ab invicem Animalia in quatuor partes, et singula eorum singulæ rotæ antecedebant.

b Videt 25 Apr.

quatuor Animalia

nec non propheticas rotas

78 Die quadam Dominica, dum apud Fratres Missa celebraretur, prospexi forte per fenestram, cupiens audire Fratres concinentes gloriam Deo. Stabat autem forte in via vir quidam, vociferans ad alium et dicens: Ubi nunc tantum moraris, diabole? Et continuo vidi sathanam in specie nigri ac deformis vituli, stantem secus illum. Qua in re commoneantur fideles, ab hujuscemodi malignis sermonibus abstinere. In die Pentecostes *c* suspensa erant quædam apud nos Missarum solemnia pro Comitis excommunicatione: sed non tamen consolationem suam Dominus ab ancillis suis suspendit: venit enim unus ex Sacerdotibus ad nos, ferens in capsella Sacramentum Dominici corporis, unde secundum morem eramus communicaturæ. Qui cum intromissus esset, et capsellam super altare quod intrinsecus apud nos est, deposuisset; vidi lucem magnam de cœlo egredientem; et directa est super illam in modum radii solaris, totamque illustravit. Sed et columba nivea, per medium ejusdem lucis veniens, advolare visa est, et resedit juxta illam. Venit et Angelus

et sathanam temere invocatum ad se.

c

Communicat tempore interdicti.

A Angelus Domini, et quasi devotionis nostræ testis astitit secus altare, quousque omnes per ordinem communicavimus.

AUCTORE EGBERTO FRATRE.

d *Extasi reluctans*

79 In Dominica *d* autem nocte ante festum Apostolorum Petri et Pauli, cum starem in loco orationis, veni in extasim: cui libenter reluctata fuissem, si potuissem. Et continuo astitit mihi Angelus Domini, et dixit nostro sermone: O misera, cur hæc tam invita pateris? Quam multi sunt qui libenter hæc sustinerent, si daretur illis consequi ea quæ tu consequeris? Si non in præsenti hæc pateris, illic utique patieris, ubi durius patiendum tibi erit, antequam videre merearis quæ nunc visura es. Et dixi: Domine mi, ex multa fragilitate mea provenit mihi impatientia hæc: et si consolari me vis, Domine, quid mihi ostendes? Et ait; Veni et vide contemplare jucunditatem quæ veniet tibi a Deo tuo. Et statim in sublime extulit me in aerem excelsum, et introspexi per ostium claritatis, et vidi solito more gloriam beatæ civitatis Dei. Rursus ad miserabile corpus reducta sum, et paululum respiravi. Iterum autem fui in spiritu, et vidi ante ostium illud prædictum, quasi stateram pendentem: et astabat illic Angelus meus, habens librum unum, et Sathan habens librum alterum. Intellexi autem eum quem habebat Angelus esse librum justitiarum mearum, alterum vero esse librum delictorum meorum. Et imposuit uterque librum quem habebat in statera; et præponderare visus est liber delictorum. Stabat itaque Angelus quasi mœstus, et ait: Non ita erit, quoniam dolores plurimos et magnos pro delictis suis sustinuit, et duras flagellationes sæpe suscepit. Et cum plura hujuscemodi memorasset, ait. Differenda sunt hæc usque in crastinum. Mox reddita sum mihi, et cum lacrymis copiosis exclamavi: Ne intres in judicium cum ancilla tua, Domine, sed oro clementiam tuam ut ante mea dimittas peccata quam ad judicium judicare venias.

videt in cœlo

libros meriti ac demeriti sui,

B

et hunc illi præponderare dolet

80 Cumque nimia anxietate coarctarer, obtulit iterum se Angelus mihi: Et dixi ei: Domine, quod faciam? Instrue me, Domine mi. Qui ait: Esto obediens valde, humilis, patiens, et amabilis. Libenter sustine hæc quæ tibi eveniunt. Amplectere cum dilectione ea quæ operatur Dominus tecum: et iis qui diligunt te, et cunctis qui tuis Sororibus se commiserunt, et quibus promisso te obligasti, orationes impertire. Hæc cum dixisset, abscessit. Ego autem nihilominus in corde meo fluctuans, hæc apud me cœpi tractare, dicens: Nonne fiduciam multam semper habui in corpore Domini Jesu Christi? Nonne hoc est omnium peccatorum remissio? Illuc certe confugiam. Rogavi igitur Magistram, ut misso celeriter nuntio postularet a Domino Abbate, quatenus in die crastina Missam de sancta Trinitate celebraret, et divinum Sacramentum afferret ad me. Metuebam enim me esse morituram illo die, propter verba Angeli quæ dixerat, differenda sunt hæc usque in crastinum.

seque crastino morituram timens,

C

petit pro se Missam dici,

81 Cum igitur sicut petieram Missam celebraret in ipso tempore Sacrificii veni in excessum mentis et vidi rursus stateram quam in vespere videram, et libros impositos. Venit ergo Angelus et fidelis procurator meus, afferens quasi panem parvulum, quasi in celebrationibus Missarum Sacerdotes utuntur, et superimposuit libro justitiarum: et mox, quasi massam ingentem apposuisset, velociter præponderare visus est libro alterius lancis. Ego cum lætitia expergiscens, exclamavi: Sancta Trinitas, Pater, et Filius, et spiritus sanctus, in manus potentiæ tuæ, in manus misericordiæ tuæ commendo spiritum meum, consilium meum, cogitationes meas et omne corpus meum; vitam meam, finem meum, et omnes actus meos: semper sit benedictio tua super me diebus ac noctibus, et perducat me clementia tua in vitam æternam. Hoc quoque adjeci, quia communicatura eram; Domine non sum digna ut intres sub tectum meum, sed salvam me fac et salva ero, quoniam laus mea tu es: non ad judicium Corpus et Sanguinem tuum, sed ad remissionem omnium peccatorum meorum, percipere merear. Eodem etiam tempore vidi in spiritu Dominum Abbatem in ecclesia Fratrum, salutare Sacramentum devote conficientem, et columbam sacrificio assidentem et claritatem luminis in circuitu. Post hæc venit ad me afferens mihi quod desideraveram, et Communione sancta animam meam consolata sum.

sub eaque vidit meritis suis apponi Hostiam sacram

D *et animos resumit*

82 Rursus in Vigilia Apostolorum ad vesperam, vidi illos per spiritum in regione claritatis, et una cum eis matrem Domini. Vidi autem et stateram eamdem quam et antea videram, et impositi sunt libri. Erat autem multitudo dæmonum circa lancem unam, et multitudo Angelorum circa alteram, et æqui ponderis esse videbantur. Tunc invocavi Dominam meam et Apostolos cum angustiis magnis, quia indubitanter morituram me existimabam: et regressi sunt paulisper introrsus. Cumque iterum apparuissent, et ego non cessarem invocare eos et alios complures Sanctorum, præponderare visus est liber justitiæ. Post hæc cum spiritum attraherem, venit ad me Angelus meus et dixit mihi: Datum est tibi spatium vivendi, emendatiorem fac vitam tuam. Et dixi: Domine mi, quid amplius faciam? Nonne cognoscis fragilitatem meam, et quomodo amplius laborare non possum, quam facio? Tunc erudivit me, et ad quamdam carnis afflictionem me exhortatus est: de qua et ego apud meipsam sæpe tractaveram. Et ego ad me rediens, dixi: Solve jubente Deo terrarum Petre catenas: et præter hæc alias orationes ad ipsum. Et adjeci: Sancte Paule Apostole, prædicator veritatis et Doctor gentium, intercede pro nobis ad Dominum qui te elegit. Et ad hæc addidi: Domine secundum actum meum noli me miseram et peccatricem judicare, nihil enim dignum in conspectu tuo egi: ideo deprecor Majestatem tuam, ut tu Deus deleas iniquitatem meam, quia de terra formasti me. Et hoc: Ne tradas bestiis animam confitentem tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. In die ad Missam rursus apparuerunt mihi Apostoli et pariter cum eis Domina nostra. Tunc etiam per spiritum vidi Fratres in ecclesia ministrantes, et Dominum Abbatem altari astantem, et casulæ qualitatem Sororibus indicavi. Eodem die cum ad nos delatum esset divinum Sacramentum, eamdem visionem vidi, quam et in die Pentecostes.

videt etiam lancem meriti præponderare:

E

et dicta quid ultra facere debeat,

F *implorat misericordiam:*

83 *Atque hic finis est visionum, usque ad Julium anni* MCLX *perductarum: quibus additam velim ex Libro Epistolarum unam: nulli quidem certo anno adscriptam, anteriorem tamen, ultimo hujus libri articulo ad annum* MCLIX *spectante: est autem prædicti libri Caput* V, *hujus tenoris* Domino G (*Gerlaco*) venerabili abbati Ecclesiæ Dei quæ in Tuitio, humilis ancilla Christi Elisabeth Schonaugiensis, salutem et orationes. Consolamini et gaudete in Domino, et confortate corda Fratrum qui sunt vobiscum: quia suscepit Dominus gemitus vestros, et respexit tribulationem cordis vestri, qua afflicti fuistis in conspectu ejus, pro lacrymabili jactura Dominici Sacramenti, quæ accidit in medio vestri. Fecit enim secundum consuetudinem benignitatis suæ, et dignatus est annuntiare mihi per Angelum suum verba quædam, ex quibus recipere potestis consolationem, Factum est in Dominica prima Quadragesimæ, celebrante Domino Abbate divinum Officium apud nos, post lectionem Evangelii, subito elangui et veni in mentis excessum. Et ecce Angelus Domini, benignus consolator

intelligit amissam Hostiam

loco decenti repositam ab Angelo,

A consolator meus adveniens, stetit in conspectu meo. Tunc inter ceteros sermones, quos contuli cum eo, feci memoriam vestri apud eum, sicut præmonita fueram a fratre meo; interrogavique eum, dicens; Domine mi, quid factum est de illo venerabili Sacramento, quod in ecclesia Tuitiensi de gutture pueri sternutantis excussum est? Numquid pedibus circumstantium conculcatum est, et periit? Qui respondens dixit: Sacramenti illius sanctitas vivificat spiritum recipientis se: quod autem ab ore ejus elapsum est, ab Angelo Dei qui præsens aderat susceptum est, et in arcano loco repositum. Et dixi: Numquid, Domine, interrogare audeo, in quo loco sit reconditum? Et ait, Noli interrogare. Rursus dixi; Domine, quid servitii exhibere convenit Fratres illos. Et respondit: Quadraginta diebus in conventu immoletur Deo sacrificium laudis pro delicto hoc. Adjecit autem adhuc dicens: Ego vice Domini nostri hanc satisfactionem constituo, ut ubicumque ceciderit super terram Corpus Domini, sive effusus fuerit Dominicus Sanguis, ita ut postea inter Reliquias non possit reponi: pro peccato hoc immoletur sacrificium laudis quadraginta diebus: si vero inter Reliquias possit reponi, triginta diebus id ipsum fiat. Novissimæ et hæc adjecit: Expedit Fratribus illis, et necesse habent, ut quanto amplius Sanctorum corpora apud se congregant, et juxta se locant; tanto amplius studeant honorifice et amabiliter iis ministrare, et ut vitam suam cum timore Dei emendent; ac diligentius ordinem suum observent. Nam ut ad hoc eos commoneret Dominus, permisit fieri quod factum est in medio eorum. Quod si admonitioni ejus obedierint et fecerint quæ dixi; certum habeant, quoniam pretiosi illi Martyres interpellabunt pro eis coram Domino, et in omni necessitate eis subvenient: si autem non fecerint, accusationem et querelam facient adversus eos.

et modum satisfactionis congruæ B

84 *Martyres societatis Ursulanæ intelligat Lector: ipsumque Sancti Monasterii fundatorem Heribertum, Coloniensem Episcopum, illic conditum: nunc autem etiam Appendiculam accipiat a scriptore nescio quomodo additam libro 2 in Visionibus anni* MCLVI *finem ut dixi accipiens, Sanctamque præmonens de futuro iterum concursu dierum Annuntiationis ac Passionis Dominicæ, quod fuit anno Incarnationis* MCLX, *unde consequitur visionem in hac Appendicula narratam, spectare ad Julium anni* MCLIX. *Est autem talis.* Factum est etiam in una dierum mensis Julii, ego Elisabeth secesseram in locum semotum ac secretum, et intendebam orationibus; et ecce Angelus Domini veniens coram me stabat et ait: Numquid ignoras quoniam futuri anni Pascha eo ipso die quo resurrexit Dominus celebrandum est, et Annuntiationis *e* festivitas in diem Passionis incidet? Et silui, quoniam hæc vere ignorabam. Et subjecit dicens: Scito quoniam in tempore illo accepturus est sathanas potestatem a Deo concitandi homines adversum se invicem, ut mutuo sese interficiant. Sol rubore suffundetur, et tenebris obducetur. quod quidem non aliud erit, nisi multa sanguinis effusio, et immensa tristitia in populo Christiano. Post hæc coluber, samei immissor, invisibiliter homines interfecturus est, eritque tribulatio magna in terra; ita ut perpetuæ laudis debitor sit Domino omnis, qui vita incolumi evaserit. Si autem quæ post hæc cito ventura sunt tibi enarrem, scio quod præ timoris magnitudine subsistere non poteris.

Iterum eventura mundo flagella, C

85 *Comminationes has cœptas esse implere, eo pro quo prænuntiatas dixi anno* MCLX, *evidenter liquet. Isto siquidem anno, cum obiisset in mense Septembri Adrianus IV, et electus esset Alexander III, surrexit Romæ Antipapa Octavianus, sub nomine Victoris; fautoremque nactus Fredericum Imperatorem, Schisma Italiæ et Germaniæ perniciosissimum excitavit, ne quidem per mortem suam finiendum; sed electus post ipsum subinde aliis, continuandum usque ad annum* MCLXXVI. *Durante autem Schismate, et Frederico Pontificem in Italia persequente, exorta est sævissima illa mortalitas, quam ad annum* MCLXVI *num.* XI *describit Baronius quæ hic videtur intentari. Omnia porro circumspectanti, videri posset ideo articulus iste huic libro additus; quia qui sequitur tertius in editione, licet ad annum* MCLVI *spectans recte videbatur subnecti secundo, seorsim tamen descriptus habebatur; et ut per se subsistens laudatur a Trithemio in lib. de Scriptor. velut* opus pulcherrimum et non inutile; *in Chronico Hirtzaugiensi, ut* opus pulchrum et necessarium. *Idem deinde in Chronico Spanheimensi laudat Egbertum, quod* Monachus in Schonau et postea abbas, omnia scripta et revelationes sanctæ Sororis ornatiori stylo, in eam formam, qua nunc leguntur redegit. *Porro ad minas Orbi Christiano intentatas in hac Appendicula, ut jam publicari cœptas, spectare videtur Epistola quam Proœmio subjunximus, scripta ad S. Hildegardem; adeoque etiam Magisterialum Elisabethæ, ad hunc circa idem tempus electæ.*

pro anno 1160 seqq. D AUCTORE EGBERTO FRATRE *inchoata per schisma: quomodo id huic loco attextum* E

ANNOTATA D. P.

a *Anno* 1155 *littera Dominica B. Pascha fuit* 27 *Martii. Ideoque Festum Annuntiationis: quia concursurum alias cum die Veneris sancto, retrotrahendum fuit juxta Rubricam Diœceseon istarum, quæ in Moguntino sic legitur:* Si festum Annuntiationis venerit in diem sabbati, in choro et foro solenniter celebrandum: si vero venerit post festum Palmarum, vel in hebdomada Paschali, anticipatur in Vigiliam Palmarum modo quo supra, *fuit ergo eo anno festum istud celebratum* 19 *Martii.*

b S. Marcus 25 *Aprilis, tunc cadente in Feriam* 2 *Dominicæ* 4 *post Pascha.*

c *Dies Pentecostes hoc anno* 15 *Maji.*

d *Tunc* 26 *Junii.*

e *Anno scilicet* 1160 *sub eodem quem supra notavi recursu litteræ dominicalis B. Istis autem Angeli verbis vel confirmatur sententia Henschenii anno* 29 *vulgaris æræ Christum mortuum statuentis idque* 25 *Martii, vel si tali die revera passus Christus non est, novo argumento probatur quod alias docui Deum et Angelos sanctis extaticis loquentes uti verbis ipsorum intellectui accommodatis.*

F

CAPUT V.

Initium libri Viarum Dei cœpti scribi an. 1156; *et sermonum eo contentorum Synopsis.*

Hic est liber Viarum Dei, qui annuntiatus est ab Angelo Dei altissimi, Elizabeth, ancillæ Christi et Dei vivi, in quinto anno Visitationis ejus; in quo visitavit eum spiritus, ad salutem omnium qui paternas admonitiones Dei grata benedictione percipiunt. Et erat in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo sexto. Factum est in exordio quinti anni visitationis meæ, jam appropinquante die festo Pentecostes, ego Elizabeth, vidi in visione spiritus mei, montem excelsum, copioso lumine in summo illustratum; et quasi vias tres, a radice ejus ad cacumen usque porrectas. Quarum una (quæ media erat) in directum mihi posita, speciem habebat sereni cœli, sive lapidis hyacinthi: quæ vero a dextris mihi erat, viridis apparebat; et quæ a sinistris purpurea. Stabat autem in vertice montis, contra viam mediam, vir quidam insignis, tunica hyacinthina indutus, et præcinctus ad renes baltheo candido:

Anno 1156 *offertur ... [illegible]*

AUCTORE EGBERTO FRATRE.

A dido: facies splendida erat ut sol, oculi vero in modum stellarum radiantes, et capilli ejus tamquam lana candissima: habebat autem in ore gladium ex utraque parte acutum, et in manu dextra clavim, in sinistra vero quasi sceptrum regium.

a secunda aliarum trium,

87 Vidi rursus alia visione, in solennitate *a* Pentecostes, in ascensu montis ejusdem, a sinistris viri præfati, secus vias prioris visionis, alias tres vias, varietatem habentes hujusmodi. Una earum, quæ viæ viridi propinquior apparebat, amœna quidem erat, sed ita ex omni parte vepribus condensis vallata erat et obtecta, ut ab eis pungi necesse esset ambulantes per eam, nisi diligenter constricti et inclinati incederent. Apparuit et semita quædam delectabilis, arcta, et quasi modicum trita, nihil habens veprium, sed ex utraque parte jucundo gramine, et floribus diversi generis copiose vallata. Media autem inter has duas una erat, ampliorem ceteris habens latitudinem, plana, et quasi pavimentum habens ex lateribus rubeis: quam cum diligentius aspicerem, Angelus Domini qui mihi assistebat, dixit: Viam hanc intueris et pulchra tibi videtur, et commoda ad ambulandum in ea: sed periculosa est, et facile labuntur incedentes per eam.

et tertia quatuor

B 88 Rursus in Octava Pentecostes, in tempore meridianæ quietis, subito aperti sunt oculi cordis mei sine carnis vexatione, sicut et in præfatis visionibus: et vidi iterum quæ prædicta sunt omnia. Adjecit autem Dominus ostendere mihi præter eas vias quas videram, alias quatuor, secus tres vias primæ visionis, a dextris viri qui stabat in cacumine montis. Una earum quæ proxima erat viæ purpureæ usque ad medium montis, difficultatem magnam habere videbatur a veprium densitate, quibus ex utroque latere obsita erat: reliqua vero pars ejus usque ad summum floribus amœna: et ab impedimentis libera, sed arcta et modicum trita apparuit. Quæ erat proxima huic, arida videbatur, et in modum campi arati, glebis ingentibus aspera; et viatoribus suis plurimum onerosa. Erat autem cogitans apud me de his duabus viis, quod difficilem haberent incessum: et respondens Angelus qui mihi assistebat, ait: Si quis ambulaverit per vias istas, caveat ne offendat pedem suum: qui autem offenderit et ceciderit, si non surrexerit sed permanet, non videbit lumen æternum: reliquæ vero duæ quæ pariter cum his apparebant, planæ et expeditæ erant, et aspectu pulchræ, candorem habentes quasi terræ bene tritæ in strata publica. Cumque hærerem in aspectu earum audivi rursus Angelum dicentem: Via Justorum recta facta est, et iter Sanctorum præparatum est.

C

Indicatur primarum una esse

89 Visionis primæ, sicut per Angelum accepi, interpretatio est hæc. Mons excelsus, altitudo cœlestis beatitudinis est: lux in vertice montis, claritas est vitæ æternæ: viæ diversæ in monte, Electorum variæ ascensiones sunt, quibus ad regnum claritatis ascendunt. Via hyacinthina, divinæ contemplationis studium est. Ambulant in ea, qui jugi meditatione et desiderio in Deo et in cœlestibus mentis oculum figunt. Via viridis eorum est, qui in activa vita perfecti et irreprehensibiles esse student, incedentes in omnibus mandatis Domini sine querela: qui dum non transitoria, sed immarcessibile bravium supernæ retributionis, in cunctis operibus suis attendunt, gressus mentis in viridi figunt. Via purpurea, ascensus beatorum Martyrum est: qui in tormentis passionum justitiam Dei per patientiam operantes, in purpura sanguinis sui ad divinum lumen transire contendunt. Vir insignis supra montem, Christus est: splendor vultus ejus, divinæ claritatis ejus est signum: oculi radiantes, serenus aspectus ejus super electos, Capilli, lanæ albæ simi-

Contemplativorum,

secunda Activorum,

D les, antiquum dierum esse pronuntiant, licet in novissimis diebus secundum carnem sit natus. Gladius anceps in ore ejus, terribilis judicii sententia est, de ore ejus processura, feriens reprobos duplici contritione corporis et animæ. Clavis in dextra ejus apparuit, quoniam ipse est qui solus aperuit januam vitæ, et nemo claudit; claudit et nemo aperit: ipse quoque est, qui profunda mysteriorum Dei cui vult reserat, et non est qui claudat; signat, et non est qui signaculum solvat. Sceptrum in sinistra ejus, potestas regia est, quam et secundum humanam naturam se accepisse testatus est, dicens; Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Tunica hyacinthina, virtutem indicat cœlestis contemplationis, quæ totam perfecte possidebat mentem Salvatoris: non enim ut ceteri hominum ad mensuram spiritum acceperat, in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Baltheus candidus, inviolabilis innocentiæ candorem in eo designat. Apparuit in via, quæ Divinitatis suæ contemplationem significat; quia sic eam vult manere in æternum, cum ceteræ permansuræ non sint. Non apparuit in omnibus, et tamen erat in omnibus; quia singulæ erant virtutes, per quas Justi homines veniunt ad montem excelsum, ubi recipiunt pro singulis virtutibus singulas mercedes, et in omnibus viis veritatis contemplandus est Deus.

tertia Martyrum,

et his intendentis Christi habitus ac forma.

Mat. 28, 18

E

Secundarum;

90 Visionis secundæ mysterium hujuscemodi est: Tres viæ, quæ a sinistris viri, stantis in monte secus viam viridem, apparuerunt, proprietatem exprimunt trium ordinum in Ecclesia, videlicet Conjugatorum, Continentium, et Rectorum. Via vepribus vallata, vita est Conjugatorum. Amœna apparuit via hæc, quia ab initio instituta est a Deo hæc vita: et si legitime observetur, pulchra et bene placens est in conspectu Domini: et ambulantes in ea, procul dubio in montem Dei ascendunt. Sed infinitæ sæcularium curarum sentes huic ex omni parte imminent, quibus pungi necesse est viatores ejus, nisi et parce vivendo sese omnibus modis constringant, et coram Deo et hominibus se humiliando semper velut inclinati incedant. Via a vepribus libera et jucundis floribus utrimque vallata, vita Continentium est: horum etenim proprium est a curis et solicitudinibus vitæ præsentis mentem abstrahere, et sola quæ Domini sunt cogitare; ut sint sancti corpore et spiritu. Arcta est via hæc, quia ut legitime et sapienter observetur, magnæ disciplinæ custodia coarctari necesse est gressus ambulantium in ea, ne forte secundum arbitrium proprium viventes, aut in fornicationem labantur, aut cum fatuis virginibus, sive viduis delicatis, quæ viventes mortuæ sunt, deputentur. Modicum trita est, quia respectu aliorum pauci sunt qui ingrediuntur per eam, pauciores qui perseverant in ea: floribus diversi generis delectabiliter undique vallata est, quia omnia virtutum genera Continentium vitam adornant. Via media inter duas prædictas latior illis, via Rectorum est: ea enim cum sit instituta ad regendam vitam Conjugatorum sive Continentium, sive utrorumque, minus illi coarctatur, et liberius arbitrium habet propriam voluntatem exercendi, ac per hoc facilius in ea lubricant gressus ambulantium per eam: quod et ipsa ejus planities apte significat. Propter quod et periculosa dicta est, quia tam multi in ea labuntur, ut in ipsa paucissimi stabiles inveniantur. Quod autem quasi pavimentum habere visa est ex lateribus rubeis, quæ sunt ex terra ignibus cocta, solicitudinem significat Prælatorum, qua circa subditos mentes eorum jugiter decoqui necesse est, quibus et animæ et corporis procurationem debent.

prima Conjugatorum,

secunda Continentium,

F

tertia Prælatorum.

91 Visionis tertiæ interpretationem, cum ab Angelo

A gelo instructore meo sciscitarer, dixit ad me: Ecce incepisti librum Viarum Dei, sicut propositum tibi fuerat. Hæc idcirco dicebat, quoniam anno priore, die quadam cum essem in spiritu, duxerat me quasi in pratum quoddam, in quo fixum erat tentorium, et introivimus illuc. Et ostendit mihi congeriem magnam librorum, illuc depositorum: et ait: Vides libros istos? Omnes adhuc ante diem judicii dictandi sunt. Elevans autem unum ex eis dixit: Hic est liber Viarum Dei, qui per te revelandus est, quando visitaveris Sororem Hildegardim, et audieris eam. Et ita quidem impleri cœpit *b*, continuo cum ab ea rediissem; *scilicet intra Pascha et Pentecosten anni* MCLVI; *quorum hoc in Junii celebrandum erat, istud actum fuerat* XV *Aprilis, cum Dominicas post Bissextum indicaret littera* G.

Librum istum a se dictandum antea viderat,

b

92 Est autem quatuor Viarum, quæ in tertia visione monstratæ sunt, significatio hæc. Prima, quæ erat vicinior viæ purpureæ, in inferiori parte dumetis aspera, in superiori autem expedita et florida, vitam significat eorum, qui legitime in seculo viventes, in curis rerum mundanarum dies suos dimidiant, ac deinde ad floridam et expeditam Continentium transeunt vitam: eorumque regula se constringentes, pariter cum illis in montem Dei B ascendunt. Via arida et glebis aspera, durissimum illud genus vitæ est, quo incedunt sancti Eremitæ, et nonnulli in societate hominum conversationem habentes; qui carnem suam supra humanum modum macerant et exiccant jejuniis, vigiliis, genuflexionibus, flagellis, cilicio, et gravissimis quibusque afflictionibus. Omnia hujusmodi quasi glebæ asperrimæ sunt, et multo conatu et vigilantia opus est ambulantibus per viam hanc, ne forte in nimia ejus asperitate offendant, et gravius ceteris corruant. Duarum viarum, quæ simul cum eis quæ descripta est apparebant, una (ut dictum est) magis trita et expeditior visa est, de qua locatus est Instructor meus dicens; Per hanc viam incedunt sanctæ animæ Infantium, quæ in sacro baptismate sanctificatæ sunt, et infra septennium e vita discedunt: qui quoniam seculi malitiam experti non sunt, expedito et liberrimo gressu ad regnum Dei perveniunt. De altera vero ait; Adolescentium via est hæc, qui paulo tardius illis incedunt, et idcirco minus trita et expedita apparet illorum via. Ecce hæ sunt visiones et interpretationes earum. Qui aperuit oculos meos ut viderem visiones Dei, ipse procul C dubio per Angelum suum, sicut placitum fuit ante ipsum, in hunc modum intelligendas esse demonstravit.

nunc autem intelligit alias vias esse Mixtorum,

Eremitarum,

Infantium.

CAPUT VII.

Sermonum pro Viarum istarum singulis ab Angelo dictatorum priores quinque, summatim delibati.

Factum est autem in festo B. Jacobi, cum essem in spiritu, et viderem visionem viarum Dei, rapta sum in sublimi; et quasi in vicino monte Dei contemplata sum. Et ecce, lux illa immensa, quæ montis verticem occupabat, per medium scindi visa est: et introspexi per eam, et vidi Sanctorum multitudinem, cujus æstimari non poterat numerus. Et ait ductor meus ad me: Hic vides Martyres, sanctos Episcopos, et Confessores Domini, Virgines, Cœnobitas, utriusque sexus viduas, et Seculares conjugatos et continentes, nobiles et ignobiles, omnes regnantes cum Christo. Hi ambulaverunt vias Domini, vias sanctas quas vidisti, et perceperunt immarcessibilem gloriam a Christo Domino cum Angelis ejus. Consideret nunc unusquisque viam suam: quod si injuste ambulaverit corrigat seipsum, cum D humilitate, et caritate et obedientia, et dirigat viam suam. Quod si pervenerit, recipiet præmium æternum.

9 Jam vias omnes esse Sanctorum discit.

AUCTORE EGBERTO FRATRE.

94 Eram post hæc quiescens in lectulo meo, nec adhuc somnum ceperam; cum repente visitavit me Spiritus Domini, et replevit os meum sermone hujusmodi: Attendite nunc ergo vos, qui renuntiastis secularibus desideriis, et elegistis ut sequamini vestigia ejus.... Cogitate apud vos, quomodo vivatis cum humilitate et obedientia et caritate, sine murmuratione et sine detractione et invidia et sine superbia, et ab aliis vitiis abstinete vos.... Nondum verba hæc finierat Angelus, qui mihi per vices loquebatur; cum incidit mihi dubitatio quædam de distinctione viarum Dei quæ descriptæ sunt: et interrogavi eum dicens: Numquid, Domine mi, nos Cœnobitæ sumus in via contemplationis, cum sumus in via continentiæ? An esse potest ut simus in utraque? Et ait: Communis est vobis via contemplationis cum Clericis, sicut illis vobiscum communis est via continentiæ: scito tamen quod multo sunt in via continentiæ qui in via contemplationis non sunt. Et sunt multi Clericorum, qui neque in via contemplationis, neque in via continentiæ ambulant et hi infelices sunt....et consummatis sermonibus his, in die qua B. Michaelis memoriam E agebamus, iterum se mihi præsentavit: et allocuta sum eum, dicens: Numquid, Domine mi, secure affirmare poterimus, omnes hos sermones ex te processisse? Hæc idcirco dicebam, quia ex parte verba ista protulerat, ita ut faciem ejus non viderem; ex parte vero per os meum in spiritu fuerant pronuntiata. Ille igitur, cum magna severitate me intuens, ait: Crede ex toto corde tuo, verba hæc quæ descripta sunt, et de ore meo processerunt. Beatus qui legerit et audierit verba libri hujus, quia vera sunt, et a veritate numquam declinant. Alium quoque sermonem continuo inchoavit his verbis, dicens: Admoneo eos qui in secularibus curis oppressi sunt, aliquando cogitare quæ sunt præcepta vitæ, id est, diligere Deum etc..... si ad altitudinem contemplationis se non valent erigere, legitimarum actionum officia studeant adimplere....... Hæc est via Domini recta et pulchra, via activa Sanctarum: qui ambulaverit in ea usque ad finem, vitam inveniet, et requiescet in monte sancto Dei, et sors ejus cum filiis lucis.

Angelus per os Virginis instruit Contemplativos,

ipsamque reddit de veritate securam,

docet etiam Activos,

95 Dies festus agebatur et eramus assistentes divino Officio, cum ex consuetudine apparuit Angelus F in conspectu meo. Cumque de mora ejus solito longiore delicta mea coram ipso culpassem, dixi ad eum: Placeat nunc, Domine mi ut et tertiæ illius viæ, quæ est sanctorum Martyrum disciplinam nobis insinues, neque ab hac tua bonitate propter aliqua delicta mea compescaris. Tunc aperiens os suum locutus est dicens: Agnus Christi procedit coram sanctis Martyribus, et ipsi sequuntur eum cum palmis et coronis, congaudentes ei cum triumpho nobili....Audite hæc et corde percipite, qui persecutionem patimini propter justitiam: Ite gaudentes per viam nobilem, viam bellatorum Domini, viam purpuratam cruore Sanctorum et Agni.... Factum est autem, priusquam verba hæc terminasset Angelus qui mecum loquebatur, ut superveniret festivitas beatarum Virginum Ursulæ et Sociarum ejus undecim millium. Tunc decantabatur in vigilia matutina sermo ille divinus quo dicitur; Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum et deducet illos in via mirabili: unde ego sumpta occasione interrogavi Instructorem meum, cum inter silentia Missæ mihi more suo apparuisset, dicens: Domine, demonstra mihi, quænam est via illa mirabilis....

et tribulationem cum Martyribus patientes

qui

A cui continuo respondens ait : Via sanctorum Martyrum hæc est.... quæ bene mirabilis appellari potest.... Post hæc cum adesset festivitas S. Martini, circa medium noctis ante vigiliam matutinam, subito expergefacta sum, et fugit somnus ex oculis meis : et ecce Angelus Domini stabat coram me, et allocuta sum eum, dicens : Oro, mi Domine, ut exhortationem sermonis tui de sanctis Martyribus impleas et competenti fine concludas. Qui cum me contemplari fecisset sublimia quædam, quorum aspectu eram indigna, petitionem meam implevit....

A. ... fratre ... quorum via mirabilis dicitur sap.

96 Fui in oratione et apparuit mihi solito more Dominus meus, et postulavi ab eo disciplinam viæ illius quæ ad ordinem Conjugatorum pertinere dicta est : statimque assensit petitioni meæ sicque exorsus est . Ecce dico et admoneo Seculares conjugatos : abstinete vos a pravis operibus vestris.... quæ sunt, avaritia, luxuria, fornicatio, adulterium, homicidium.... quoniam impossibile est cum talibus vitiis intrare per viam vestram. His dictis abscessit : et cum iterum apparuisset , rogavi ut prosequeretur incepti sermonis exhortationem : qui ait : Nisi quod benignus et misericors Dominus est, in tædium posset adduci, pro eo quod tot modis habitatores mundi admonet, ipsi vero pro nihilo ducunt monita ejus.... Date o vir et mulier honorem ordini vestro, quem Deus honorare dignatus est.... Liget corda vestra timor Domini, ut in opere vobis concesso frænum vobis ipsis imponatis.... Dies festos et dies legitimæ abstinentiæ et tempora purgationis per continentiam honorate, et si quid super addideritis, addet Dominus gratiam vobis et generationi vestræ.... Illud autem scitote quod mutuæ conjunctionis vestræ præcipua causa esse debet propagatio prolis : si qua alia est ad infirmitatem pertinet, et habet indulgentiam, si timoris Domini moderationem habuerit et eleemosynarum remedium.... Iterum dico vobis qui sub jugo matrimonii degitis, Deum timete, fidem et dilectionem immaculatam invicem custodite : filios vestros et filias et familiam vestram in timore Domini et castimonia enutrite... Hæc est viæ vestræ delectabilis amœnitas, quæ in mysterio demonstrata est. .. tribulationem tamen carnis et sollicitudines mundi, quas non experiuntur qui continent, habere necesse est ambulantes in ea, sicut et in similitudine spinarum expressum est...

Conjugatos hortatur

ad Dr. timo... ...

97 Rogavit me germanus meus ut sciscitarer ab Angelo, quare in principio sermonis hujus inter cetera iniquitatum nomina, fornicationis nomen adjunxisset. cum hoc non ad Conjugatos quibus loquebatur pertinere videretur. Cumque super hac dubitatione mea Dominum meum interrogare cœpissem, locutus est ad me, dicens...Fornicationis immunditia plenus est mundus ; et vix invenitur qui non se præcipitet in foveam ejus... Propter hoc autem in increpatione Conjugatorum fornicationis nomen adjeci, quia et ipsi antequam conjugii legem assumant saper modum in ea fœdantur et provocant iram Dei in se. Hinc est quod ad matrimonia legitima accedentes, fructu generationis privantur a Domino, et mirantur unde accidat eis, ignorantes sterilitatis suæ causam : quibus autem generatio conceditur, aut in ipsa prole aut in aliis rebus necessariis pluribus modis divinitus feriuntur, et omnia ipsis infeliciter proveniunt... Tunc interrogavi eum dicens : Domine mi, quid dicis de illis quos Catharos vocant, qui vitam Conjugatorum omnino reprobare dicuntur ? Et respondit dicens : Illorum, de quibus interrogas, vita abominabilis est coram Domino... Iterum autem allocuta sum eum dicens : Domine, ut audivi quidam ex eis asserunt, quod legitimum esse non potest conjugium, nisi inter

eo-que graviter ... ... in ... castitas ;

... futatque er... ... Catharorum.

C

ter eos qui usque ad tempus legitimæ conjunctionis virginitatem ambo custodierunt ; quid ad hoc dicis ? Et respondens ait ; Ubi tale conjugium esse potest, gratum est Domino : sed rarum est valde ut ita contingat. Verumtamen ex iis qui non continuerunt, multi sunt acceptabiles Domino, legitima habentes conjugia, et in mandatis Domini ambulantes ; alioqui nimis contraheretur numerus populi Dei.

D

98 Celebrantibus nobis solennitatem B. Joannis Evangelistæ, intenta eram orationi post vigilias matutinas ; ac deprecabar Dominum valida intentione cordis, ut secundum solitam benignitatem suam disciplinam viæ Continentium, quam in spiritu videram, aperire mihi dignaretur : sed et divinum Evangelistam et Angelum doctorem meum, ut mihi adjutores essent, invocabam. Cumque orando lassata fuissem, remisi paulum oculos ad soporem, et post pusillum repente expergefacta sum : et ecce Angelus mihi assistens, sermonem quem desiderabam inchoavit his verbis : Dico vobis, o filii Dei, o filii lucis, intuemini viam vestram quomodo floreat, et quam delectabile est currere in ea. Currite ergo et properate obviam Sponso vestro qui vos expectat. Diligite castitatem, et servate illi integritatem virginitatis vestræ. Virgo ornata castitate, caritate, prudentia, humilitate, bene currit. Hæc cum dixisset amplius non adjecit.

Continentes laudat.

E

99 Sequenti vero die cum de beatis Innocentibus officium Missæ ageretur ; ego, sumpta occasione ex lectione Apocalypsis quæ legebatur, deprecata sum Dominum meum, qui iterum mihi assistebat dicens ; Domine, si inveni gratiam coram te, dic mihi obsecro, quale est hoc canticum, quod decantant isti beati Martyres ante sedem Dei et Agni, sicut præsens lectio testatur ; aut quomodo sequuntur Agnum quocumque ierit? Et respondens ait : Quid me interrogas ? nulla lingua super terram novit hoc canticum ; nihil inde tibi enarrabo. Quod autem interrogas, Quid est quod sequuntur Agnum quocumque ierit; hoc est quod in omnibus virtutibus, quæ considerari possunt in Agno, ipsum imitantur... Rursus in circumcisione Domini, cum se mihi obtulit Dominus meus, dixi ad eum : Mi Domine doceas me obsecro de integritate virginitatis ; numquid amitti potest per immundam libidinem quæ haberi solet in tentatione, si non usque ad opus fuerit perducta libido? Qui ait, non amittitur, sed inquinatur... Deoque accepta non est, et debita mercede privatur. Cum autem in Octava B. Joannis iterum se mihi præsentasset, prævenit verba mea ita me hilariter alloquens : Interrogare me vis, Interroga, et respondebo tibi, Et dixi, sicut a Ductore præmonita fueram, Domine, quod scriptum est, Voluntas pro facto reputabitur, numquid adversari potest sermoni tuo, quem proxime dixisti? Et respondit nequaquam. Itemque subjunxit ; Verum est certe quod scriptum testaris, cujus operis perficiendi voluntatem habuerit homo, ita ut nequaquam remaneat in ipso quin ad perfectum perducat quod cupit, et sic usque in finem permanet; hoc quasi factum coram Domino reputatur : sed deleri tamen potest virtute veræ pœnitentiæ. Quidquid enim cogitatione aut voluntate fecerit homo, ita annullari potest coram Domino ac si numquam fuerit :... qui autem voluntatem pravam fructu pœnitentiæ non diluit hujus integritas, quamvis permaneat, inutilis est, et nullum consequitur fructum.

sequentes Agnum,

si tamen ut non solo corpore virgines sint .

F

100 Iterum subjunxi dicens : Domine, sunt qui non sponte stimulos carnis experiuntur in tentatione, et moleste ferunt ardorem qui aversatur munditiæ corporis sui, nulla tamen repugnatione evitare eum prævalent. Numquid hoc eis reputabitur in peccatum ? Qui ait : Si moleste ferunt tentamenta hujusmodi

et stimulis, quos patiuntur inviti,

hujusmodi, neque animo eis consentiunt, leviore pœnitentia culpæ suæ quam sic contrahunt veniam consequentur et mercedem magnam adipiscentur. Indicavit autem mihi esse hominem, in Christo familiarem (quis aut quæ sit Deus scit) sustinentem ab adversario impugnationem castitatis, et nimiis ob hoc animam suam molestiis affligentem, et ait : Consolationem ei annuntia, dicesque ei, ut parcat afflictioni. Revocet in memoriam quod scriptum est de electis Domini. Tamquam aurum in fornace probavit eos. Gaudium sit ei : non tamen sine tristitia. Gaudium, pro eo quod tale aliquid Dominus ei imponere dignatus est, per quod ad mercedem magnam præparatur : non sit tamen sine tristitia, quia in tali tentatione non omnino culpa evitatur. Et dixi, Domine, qualiter debet resistere adversario, et quibus armis eum superabit? Qui ait, Oratione, et confessione, et flagellis carnis pugnet, et superabit. Non autem insistat rogare Dominum ut ab hoc stimulo liberetur; sed hoc oret, ut misereatur ei Dominus in hoc tempore tentationis. Si in loco secretiori fuerit, flectat genua ter coram Domino : si autem opportunitas loci ei defuerit, signet cor suum ter signaculo Crucis ac dicat, Salvator mundi salva nos, qui per crucem et sanguinem redemisti nos; auxiliare, nobis te deprecamur, Deus noster.

nimis tristari prohibet,

101 Post hæc una dierum suscitavit linguam suam in hæc verba. O Virgines, ecce ad vos clamat vox divina, vox Sponsi vestri pulsat ad aures vestras : aperite illi, et introducite illum ad palatium cordis vestri, et amplectimini eum, quia pulchrior et amabilior est omni creatura... *Hinc sequitur longa, et post hanc alia, ad Virgines exhortatio : sub qua Elisabeth Angelum interrogavit, dicens ;* Domine, quæ sunt vestes illæ nuptiales de quibus dixisti? Et respondit ire debent Virgines ad interiora cordis sui et emere illic tria genera ornamentorum. Primo eas habere oportet vestimentum candidum et immaculatum, quod est innocentia carnis. Necessarium illis est et operimentum secundum, quo debent esse amictæ, quod est caritas, qua ab illis diligendus est Christus sponsus. Tertium ornamentum earum est torques aurea, quod est pudicitia, qua debet seipsam Virgo constringere ut sit verecunda ad loquendum, ad audiendum, ad ridendum, ad faciendum omne quod impudicum est ; hoc est signum de quo dictum est, posuit signum in faciem meam. Hoc, ut æstimo adjecit, pro eo quod in festo B. Agnetis ipsum de hoc verbo interrogaveram, et nullum tunc mihi super hoc dedit responsum. Iterum dixi : Domine, quali pretio emenda sunt Virginibus ista ornamenta? Et ait : Castigatione corporis proprii ac denario uno, quod est contemplatio pudicitiæ Sponsi, quam reponere debent in medio cordis sui... Et factum est completis sermonibus istis in Dominica secunda sacri Jejunii die festi S. Matthiæ Apostoli (*nam anno* MCLVII *currebat littera Dominicalis* F, *et dies Cinerum inciderat in diem* XI *Februarii)* in tempore divini Officii vel Sacrificii, apparuit mihi benedictus Domini, Angelus sanctus, *et finem competentem imposuit sermoni ad Virgines Domini.*

explicans quæ ipsos deceant ornamenta.

CAPUT VIII.

Sermonum quinque reliquorum synopsis.

Sermone præcedenti ad finem deducto, distulit solito diutius visitare me Angelus Domini : quod ego delictis meis imputans, anxiabar intra me, ac diligentius lacrymis et orationibus operam dedi : et adjuvabat me Conventus noster oratione communi. Et consummatis septem et decem diebus ab ea quo jam dicta verba compleverat [*post festum S. Gregorii Papæ* XII *Martii*] stabam sola in oratorio circa horam tertiam, effundens coram Domino cor meum, ac dicens : Non mea merita aspexisti, Domine, in omnibus quæ hactenus mecum operatus es ; sed in tua misericordia fecisti omnia hæc. Propterea obsecro ne compescaris delictis meis aut cujusquam alterius, quin hæc quæ nunc apud me initiare dignatus es, propter bonitatem tuam ad bonam consummationem perducas. De via Rectorum Ecclesiæ, quam mihi in mysterio demonstrasti, congruentem disciplinam nobis aperire dignare, ex qua aliquis fructus correctionis proveniat, sicut necessarium esse nosti populo tuo. Adhuc ista et his similia in oratione loquente me, ecce Angelus desiderii mei subito apparuit coram me, et sermonem quem desiderabam his verbis initiavit, dicens : Hæc dicit Dominus : Ecce ego mitto Angelum meum ut annuntiet vobis, qui in sublimi potestate imitatores estis Dico autem vobis, quod iniquitas terræ, quam abscondítis propter aurum et argentum, ascendit coram me, tamquam fumus de igne ..... Videte Pontificem magnum et excelsum super omnia Dominum Jesum, quomodo in diebus obedientiæ suæ ambulavit in medio Discipulorum suorum, non in altitudine Dominantis, sed in humilitate ministrantis, tamquam pius æmulator gregis sui, usque in consummationem mortis pro eo. Respicite semen ejus quod est benedictum, ministros vocationis vestræ. Beatos Apostolos numquid sicut viæ vestræ viæ illorum fuerunt? .....

Post novem dierum 17 rediens Angelus,

orditur sermonem ad Prælatos ecclesiasticos.

103 Celebrantibus nobis diem festum Paschæ (XXX *Martii*) in tempore divini Officii post lectionem Evangelii, apparuit mihi Angelus Domini stans coram me : cumque hoc petissem ab eo ut hoc procurare dignaretur, ne quid negligentiæ in illa sacra Communione, quam expectabamus, accideret ; adjeci postulare, ut sermonem suum de Rectoribus Ecclesiæ, secundum quod inchoaverat, prosequi dignaretur. Ad quod mihi breve responsum reddidit dicens : Si digni essent multa magna de illis Dominus revelaret. Quo dicto statim ad altare cum festinatione accessit ; et cum duobus Angelis, qui in principio Missæ advenerant, cum magna diligentia donec omnes communicassemus adstabat. Sequenti vero die circa idem tempus adveniens, *similia inculcavit*, et rursus die altero addidit, dicens : Hæc dicit Dominus magnis Prælatis Ecclesiæ : Recordamini quam rationem reddituri estis in tremendo judicio meo de ovibus meis, quas suscepistis regere et custodire ..... Post hæc quasi in spiritu lenitatis, ait : Ego Dominus clamo et admoneo Pastores meos ..... Sunt enim qui mihi videntur boni et pacifici, heu quam pauci! et alii multi mali et perversi ... propter quod oportet admoneri bonos, ut in melius proficiant ; malos autem et perversos ut convertantur ne pereant de via justa. Et cum me iterum visitasset adjecit : Attendite cum omni solicitudine mentis viam vestram .... quod si me diligitis et nomini meo honorem præbetis, honorificabo vos coram sanctis Angelis meis.

increpando et suadendo;

104 Adhuc loquente ad me Angelo sermones istos de Pastoribus Ecclesiæ visum est quibusdam opportunum, ut interrogarem de iis, in quibus erroris sui occasionem accipiunt dubii quidam. Interrogavi igitur, non quasi, in fide dubitans, sed quasi cupiens fidem nostram ex Angelica auctoritate firmari, et dicebam. Numquid, Domine in ecclesiasticis Sacramentis, parem habent veritatem officia eorum Pontificum, qui sinistre et non secundum Deum ad Pontificatum suum introierunt, et eorum quorum bonus introitus est? Qui respondens ait : Multi dum profunde talia scrutantur, magis depravantur quam emendantur : et

talia

A talia Dominus revelaret, si non eo liberius peccarent illi ad quos pertinent. His dictis confestim ablatus est ab oculis meis. Iterum autem die alia cum redisset ad me, interrogavi eum, repetens eumdem sermonem qui præscriptus est. Et ille: Habent, inquit parem virtutem, sed beneplacitum est magis Deo in officiis eorum qui bene introierunt. Iterum subjecit dicens: Itane est, Domine mi, ut quod Presbyteri ordinati ab illis quorum malus introitus, eamdem habeant potestatem consecrandi corpus et sanguinem Domini in altari, quam habent qui ordinati sunt ab illis qui legitime introierunt? Qui ait: Non ascendat unquam dubitatio in cor tuum de hac re: sed certum habeto, quod omnes qui in ecclesiastica ordinatione Presbyteratum acceperunt, eamdem potestatem habent in consecratione Dominici Sacramenti sive bene sive male introierunt Ordinatores eorum .....

Alterum Egberto fratri: negat officere ordinibus per ipsos collatis.

105 Quia ad Patres nostros, spiritualia judicia in Ecclesia habentes, pertinere totus hic sermo visus est, rogavi Angelum Domini dicens. Oro Domine ut sicut spiritualibus Rectoribus verba admonitionis hactenus ministrasti; ita illis quoque qui B secularia judicia habent, aliquas admonitiones, ex quibus et ipsi corrigi possint, a Domino nuntietis. Qui confestim petitioni meæ consensum præbens, his verbis sermonem ad illos pertinentem exorsus est. Ecce constituit Dominus super populum suum Principes et Judices, ut facerent judicium et justitiam, et confirmarent veritatem et pacem inter virum et virum, ut esset omnis populus beneplacens coram Deo vivente. Nunc autem .... Propterea vivo ego, dicit Dominus, si non audieritis vocem admonitionis meæ et conversi fueritis ad me; detraham vos ab altitudine vestra qua male usi estis, in profundum inferni; et eritis consortes illorum quibus vos assimulastis in incendio viventi in sempiternum. In die sancto Pentecostes (XIX *Maji*) in Hora prima, ante celebrationem divini Officii cum essem in oratione, apparuit Angelus coram me, et hactenus dictum sermonem complevit ....

deinde judices seculares arguit.

106 In festivitate S. Martini (*lego et corrigo* Maximini *Trevirensis Episcopi* XXIX *Maji hoc enim exigit ordo festorum sequentium*) inter silentia Missæ allocuti sum Angelum dicens: Placeat nunc, Domine ut exhibeas nobis disciplinam congruentem illi viæ, cujus pars vepribus occupata apparuit, altera vero floribus amœna et stricta, nihil habens veprium et impedimentorum. Vix petitionis meæ C verba complevi, et protinus ait: Ecce dico vobis qui in seculo viduati estis, viventes in carne, in laboribus in angustiis multis, abstinete vos a vitiis hujus seculi et ambulate in via Continentium .... Et adjecit in Vigilia Apostolorum (XXVIII *Junii*) dicens: Et quid addam vos admonere? Ecce ostendi viam, instruxi vos disciplina, palpate huc et illuc, considerate verba, retinete exempla, diligite castitatem, currite ad claritatem D. N. Jesu Christi, quam vobis præstare dignetur qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen. Cum autem consummati pene essent hi omnes Sermones: in festivitate Apostolorum Petri et Pauli, ante horam divini Officii, fui orans in secreto, et apparuit in conspectu meo Angelus Domini, et locutus est audiente me verba hæc: Trevirensi Episcopo [*Hillino*] et Coloniæ Moguntiæ et Episcopis [*Arnoldo* II *et Radulpho*] annuntiatum sit vobis a Domino Deo, magno et tremendo, et ab Angelo testamenti libri hujus, ut hæc verba quæ inveneritis in præsenti libro annuntietis Romanæ Ecclesiæ, totique populo et omni ecclesiæ Dei. Emendate vos ipsos, et convertimini ab erroribus vestris, et nolite indigne accipere admonitionem sacram et divinam: quia non sunt hæc ab

sermone usdem ad viduas,

et mandatum, ut fides, prædictis habeatur.

Sermo ad Episcopos.

hominibus inventa. Dico autem vobis ex nomine: D quoniam in ista Provincia nomen Religionis habetis. Legite et audite admonitiones divinas et suscipite eas placida mente. Et nolite arbitrari hæc figmenta esse mulierum: quia non sunt; sed sunt a Deo Patre omnipotente, qui est fons et origo omnis bonitatis. Quod autem vobis dico, ceteris omnibus dico.

107 Cupiebam octavi sermonis initium accipere in die translationis S. P. N. Benedicti (XI *Julii*) sed impeditæ sunt die illo orationes meæ ab hospitum præsentia, et translatum est desiderium meum usque ad proximum diem. Tunc etiam stante me in oratione post horam Capituli, præsentavit se mihi Angelus Domini, et postulavi ut sermonem ordiretur ad eos, quorum via in visione quasi glebis occupata apparuerat, et confestim aperiens os suum hæc verba locutus est. Attendite, vos qui eremo vitam ducere elegistis, quam discretionem habeatis.... ut non cito sequamini omnem impetum zeli vestri, qui vos ad altitudinem perfectionis impellit, neque supergradiamini mensuram virtutis ve- E stræ laboribus immoderatis...... Propter hoc memento homo fragilitatis tuæ, ut caute gradiaris in via dura quam ingressus es, et patienter agas in festinatione tua, ne ruinam patiaris.... ad hæc sume eruditionem et disciplinam contemplationis, et consolare abjectionem tuam in ea. Confidentibus nobis in Capitulo, ad audiendam lectionem Regulæ in festivitate S. Mariæ Magdalenæ adstitit coram me Dominus meus, et præsentem sermonem congruo fine complevit. Cum esset festivitas B. Jacobi in primis Vesperis, apparuit Angelus Domini coram me, feci itaque sicut suggesserat mihi conscriptor sermonum istorum, ac petii ab eo ut titulum, qui in capite libri hujus scribendus esset, pronuntiare dignaretur: qui continuo petitioni meæ assentiens ait: Hic est liber etc. *num.* 86.

Sermo ad Eremitas.

discretionem commendans.

Dictat Angelus titulum libri.

108 Mense Augusti, quinta die mensis, post vigilias matutinas, cum essem cubans in lectulo meo nec adhuc somnum cepissem, subito apparuit coram me Angelus Domini, et præsentis libri nonum Sermonem initio habuit his verbis: Ecce ego habeo aliquid ad vos dicendum qui in juventute positi estis, quasi lilium quod ante solis ortum clausum erat, et quando sol splendet in virtute sua aperit se et delectatur in ardore solis.... Discite imprimis timere Dominum.... Ecce in sinu vestro est thesaurus desiderabilis et pretiosus, hoc est virginitatis gemma. Beati eritis, si custodieritis eam...., si placuerit animæ vestræ custodire eam, attendite vobis F ut non inquinetis eam negligentiis levitatis vestræ: declinate cum pavore cordis ab irritamentis immunditiæ, et fugite confabulationes et collusiones adolescentularum, et corruptoribus earum nolite sociari: custodite os vestrum ab impudico sermone, et ab omni turpitudine oculos vestros et manus abstinete. ... Post hæc rursus adjecit et dixit: Adhuc addam loqui fratribus et conservis mei admonitiones Patris eorum. Filii, aptate vobis in consuetudinem mores sanctitatis in floribunda ætate vestra, quos in tempore maturitatis vestræ possitis exercere.... O adolescentes et juvenes immaculati ..... ambulate in pulchritudine viæ vestræ, et eritis filii amabiles Domino, et similes Angelis Dei in cœlo, ad quorum societatem ducere vos dignetur D. N. J. C.

Exhortatur juvenes

ad custodiam virginitatis,

et studium virtutis.

109 Cum esset completus per Angelum sermo præcedens, in Vigilia assumptionis sanctæ genitricis Dei Mariæ, rursus in ipso die festo, in tempore divini Officii visitavit me, et ait. Ecce adhuc volo consummare sermones meos, quoniam adhuc locus est, et habeo aliquid breviter dicere ad infantes, qui

Circa infantes docet, eos ignoranter delinquere posse,

A qui nesciunt se custodire propter ignorantiam; propter quos oportet admoneri matres eorum, ut custodiant eos cum timore Dei castos et immaculatos, ne forte pereant. Ad hæc ego subjunxi interrogans et dicens, Quid est, Domine quod dixisti, Castos et immaculatos? quid facere possunt infantes unde castitatem suam commaculent? nonne et si quid delinquunt, ignorantia eos excusat? Et ait. Castitatem suam verbis immundis sæpe coinquinant et operibus, qualia et ipsi perficere possunt; et quamvis per ignorantiam faciunt, tamen sine reatu non sunt, et pœnam omnino evadere non possunt de hac vita migrantes, quia neque ab aliquo sunt castigati, neque per seipsos pœnitentiam delicti habere sciebant: propterea castigari debent a parentibus pro delictis suis: quia sicut mala facere assuescunt, ita et bona facere discerent, si per caritatem ad hoc nutrirentur. Quod tamen dixi, Immaculatos, pro iis dixi qui cum paululum de septennio exierunt, tunc amplius se commaculant pravis operibus, quia plus noverunt cogitare de malo, quoniam non sunt prohibiti ab eo: nam et ipsi in quantum possunt operantur opus impudicitiæ, nescientes quid faciant. Tales igitur si de hac vita migrant, magnas pœnas sustinent, quo usque purificentur: quia nulla omnino macula in regnum Dei potest intrare. Hoc ergo est illorum perire, de quo supra dixi: tanto autem gravius ac diutius puniuntur, quo minus orationibus et eleemosynis amicorum adjuvantur, pro eo quod eis indigere non credantur. Dico vobis parentibus et quicumque parvulorum custodiam habetis, attendite quomodo in magna cautela eos custodiatis, quia in vos redundabunt delicta eorum.... Consummavit autem hunc sermonem in Octava Assumptionis...... Hæc est adjuratio conscriptoris Sermonum istorum. Adjuro per Dominum et per Angelum ejus, omnem qui transcripserit librum istum, ut diligenter eum emendet et hanc adjurationem codici suo adscribat.

sic ut obnoxii fiant alicui pœnæ.

B

maxime jam egressi septennium.

110 *Qui in editis sequitur Liber* IV, *in Capita divisus quinque, præmittit illis Visionem de Assumptione Virginis Mariæ Matris Domini, promissam in die ejus festo anni* MCLVI, *exhibitam* MCLVII, *et duobus post annis publicari jussam: ubi affirmatur, obdormivisse quidem Deiparam* XV *Augusti, sed resuscitatam atque cum carne assumptam in cælum quadragesimo post die* XXIII *Septembris, quem dum cœperint Sorores in conclavi Elisabethæ solemnem agere: ibidemque inducitur ipsa Deipara, quærenti Virgini, quamdiu post Domini Ascensionem vixerit in terris, unum duntaxat annum indicare, cum eo, quod a festo Ascensionis ad* XV *Augusti intercedit; omnia hæc ejusmodi sunt ut merito dubitare possimus, verene hæc dictaverit* Elisabeth. *Talis autem multo etiam magis est Sermo de undecim millibus Virginum, præcipuam libri istius partem constituens. De illis qui volet aliquid anticipate ex nobis scire, legat Dissertationem nostram insertam Conatui Chronico historico de Romanis Pontificibus post S. Pontiani Pontificatum et Paralipomenon ad eamdem Dissertationem: memineritque Parergi, inter Vitas S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis positi, cujus doctrina hinc quoque novam sumeret argumentum, ad rejicienda a definitione historicarum controversiarum, dicta factaque ecstaticarum Sanctarum quandoquidem Deiparæ, ut ibi præfertur, Elisabetham alloquenti, suamque ætatem infra quinquagesimum annum restringenti, opponi poterit eadem Deipara, asserens S. Birgittæ lib. 7 cap 26, quod, postquam filius suus ascendit ad cælum, vixit in mundo per quindecim annos: aliis nihilominus contendentibus ipsam multo serius e vivis excessisse.*

Liber 4 habet visiones de Assumptione Deiparæ,

C

et Ursulanarum historia,

111 *Cancellotus noster, in Annalibus Marianis ad Annum Christi* 46, *pro Elisabethæ sententia* testimonium *profert* ex arcanis beato viro Bertramo Cisterciensi revelatis, *et allegatis in Chronico Massei cujusdam lib.* 8 *ad annum Christi* 36 *eisdemque fatetur favere Divum Ildephonsum Toletanum, dum Serm.* 6 *de Assumptione ait* post Christi Triumphum non diu mansisse Virginem inter vivos. *Quæ autem ille objicit tum Elisabethæ quam Birgittæ non magnam vim habebunt apud eum, qui critico examine ista excusserit. Poterat Cancellottus Elisabethæ respondere, quod num.* 7 *respondet Birgittæ*, Virginem locutam esse ex sententia, quæ tum erat in Ecclesia valde communis; *sed vereor ut talis responsio multis probetur. Browerus in Annalibus Trevir. lib.* 4 *num.* 104 *agens de Ursulanis fassusque non* facile statui *posse*, an Elisabethæ revelationes *de illis*, notatione temporum rerumque diligenti narratione sint distinctæ, sic ut fundus in iis lateat historiæ, *utpote in re difficili atque antiqua; tandem* existimari *putat* posse, in hac ipsa scientia tam remotæ abstrusæque vetustatis, quam de Virginibus hausit Elizabetha, partim a libera mente fluxisse quidpiam, partim aliquam significationem superne datam: flagitantibus etiam ut fit curiose multis, haud plus perceperit inquit quam quantum nosse iis expedire divino numini visum sit. *Quisque in suo hic sensu abundet: pro* Elisabetha *nihil hactenus, (saltem quoad Ursulanas) commodius video, quam dubitare, utrum talia ipsa revera dictaverit. Cetera ad* XXI *Octobris magis enucleabimus: uti et de anno defunctæ Deiparæ ad diem* XV *Augusti: quam tamen diem ejusdem Obdormitioni primum cœptam adscribi sub Marciano Imperatore, anno* CCCCL *alia omnino ex causa quam quod tunc mortua putaretur, persuadet dedicatio ecclesiæ in Blachernis tunc solennissime facta; quodque vetustissima Hieronymiani Martyrologii apographa illius in Augusto non meminerint, sed* XVIII *Januarii notetur* Depositio sanctæ ac gloriosæ B. Mariæ, matris D. N. Jesu Christi, *ad quem locum vide exercitationem eruditam Florentinii, inter Notas ad vetustissimum Occidentalis Ecclesiæ Martyrologium, quod Hieronymianum passim vocamus: simulque disce, antiquiores Græcos eamdem diem tenuisse, et Ægyptios sive Coptos tenendum tradidisse. De* Elisabetha *unum hic adhuc notaveram, quod in Sermone de Ursulanis prætitulatur* famula Ancillarum Domini quæ sunt in Schonaugia: *hoc enim concidere videtur cum titulo* Magistræ *qua utitur scribens ad S. Hildegardim similiter* Magistram cœnobii S. Ruperti apud Bingham: *non* Abbatissam. *Quando autem* Magistra *electa fuerit, non est unde diffiniam, conjectura tamen ducor ut credam, id factum anno* MCLVII, *post auditum ab Angelo sermonem octavum, vel etiam post completum librum Viarum Dei, vel postquam ætatis annum* XXX *Virgo attigerat. Cum libro* IV *omittimus etiam librum* V, *qui epistolarum est, nihil ad historiam facientium; et transimus ad Librum* VI, *qui proprie solius* Egberti *est: eamque omnino meretur fidem, quæ oculato testi ac viro debetur pio, docto, prudenti.*

Juni T. IV

D

AUCTORE EGBERTO FRATRE.

haud magnæ fidei utrasque

et suppositias vel interpolatas.

E

Elisabeth quando electa Magistra?

F

CAPUT IX.

Ultimus Virginis morbus et in eo acta usque ad fratris reditum Moguntiam.

Virginibus Deo sacratis in Anturnacensi *a* congregatione, Budæ, Hadevigi, Redelindi, propinquis et familiaribus suis, Frater Egbertus ex cœnobio Schonaugiæ, orationis obsequium et devotionis affectum.

Egbertus frater Virginis

Sinite ut plangam paululum dolorem meum apud vos, Carissimæ meæ, et suscipite verba lamentationis meæ, cum dulcedine compassionis. Paululum

AUCTORE EGBERTO FRATRE.

A Paululum plangam, modicum lugebo, juxta amplitudinem vulneris mei, ne forte carnali affectu perturbari existimet, et reputetur ad insipientiam mihi. En nostra Elisabeth, illa electa lampas cœlici luminis, virgo illustris et honorificata; in abundanti gratia Dei splendida gemma cœnobii nostri, dux nostri virginei cœtus, heu! ante annos maturiores ex hac vita subtracta est: Quæ me peperit in lucem inexpertæ novitatis, quæ me traxit ad familiare ministerium Jesu Domini mei, quæ ore mellifluo consolationes et instructiones Dei de cœlo afferre solebat ad me, et gustare faciebat cor meum primitias dulcedinis absconditæ Sanctis in Deo; hæc irregressibilem abiit viam: et ecce non comparet super terram dulcedo animæ meæ, consolatio paupertatis meæ, et suavi condimentum omnium laborum meorum. Merito ergo mœroris cingulum præcordiis meis accingo: dignum, Dilecta mea, super te planctum assumo, Virgo gratiosa, virgo valde amabilis, multum in suavitate sancta, qua te inunxerat Spiritus Dei. Exitum tuum immaturum, o filia gratiæ, lugent interiora animæ meæ, et personant chordæ cordis mei carmen lugubre spiritui.

cognatis suis, dolenter significat ejus mortem immaturam,

B 113 Verumtamen non est dolor meus, sicut dolor quem pariunt caro et sanguis ut nunc germanitatis causa quæ carnalia sunt lugeam: sed spiritualium deliciarum me communia damna contristant, quas tu, Dei ministerio, inaudito modo multis administrare solebas. Per te cœlum mundo erat apertum, et affluebant abscondita a seculis arcana Dei per organum vocis tuæ ad nos; et erat pretiosius auro, dulcius melle eloquium tuum. Per te Angeli nobis, et nos Angelis familiariter loquebamur; et affabiles nobis erant, te mediante, altissimi Principes cœli. O felix femina! quam multi Reges et Prophetæ voluerunt videre quæ videbas, et non viderunt! Patuit enim beatis oculis tuis sublime palatium cœli, et prævidisti ante tempus communis visionis inaccessibilem claritatem regni immortalis. Gloriam civium cœli nobis notam faciebas, et quasi ante oculos mentis nostræ ponebas: et inflammabant non modicum beatæ orationes tuæ corda nostra, in desideriis patriæ quam expectamus. Vacillantes animas in ministerio Dei sæpe confirmaverunt verba admonitionis tuæ, et fervore sancto laudationes Domini multum nos amplificare faciebas.

non tam affectu carnis,

quam sensu jacturæ communis mœstus,

114 O quam multa pietatis opera per exhortationes tuas longe lateque per terras facta sunt! C quoniam multæ electorum animæ desideratis consolationibus, per tuam negotiationem, potitæ sunt. Benedicta filia tu a Domino, quia fructuose inter Deum et homines negotiata es. O femina feliciter nata, quomodo perdiderunt te infelicia tempora nostra! Dei lucerna, quomodo extincta es mundo! quomodo clausa es, o clara fenestra, per quam prospiciebant oculi Domini ad nos! Pium est, o electa Dei, flere nos amissionem dulcis præsentiæ tuæ: quippe quæ bonum certamen certasti, et cursum martyrii tui feliciter consummasti. Tota etenim vita ab annis tenerioribus, si recte animadvertimus, vere martyrium dici potest. Portabas siquidem jugum Domini ab adolescentia tua, sub regulari disciplina semper ambulans, in paupertate et multiplici tribulatione. Semper manus Domini gravis fuit super te, nec defuit ullo tempore tibi visitatio superna, premens animum, conterens miserabile corpus tuum pressuris et ærumnis; quas agnoscere et dinumerare dignetur, qui solus laborem et dolorem considerat. Hilarem et patientem te exhibebas ad omnem flagellationem Domini; et super dolorem vulnerum, quem tibi infligebat manus ejus, semper adjiciebas sacrificium spontaneæ afflictionis.

amissa tantarum virtutum magistra;

cujus tota vita juge fuit Martyrium,

115 Rivi innumerabilium lacrymarum tuarum D Domina, fatigationis genuum tuorum, divulsiones teneritudinis tuæ quas sustinebas ab asperitate saxi, incisiones laterum quas inferebat duritia zonæ, incredibilis parcitas ciborum, et innumera orationum tuarum holocausta, maneant in recordatione coram oculis misericordis Dei cui nuda et aperta sunt omnia. Ardorem sancti desiderii tui, de seipso nunc satiet fons vitæ, quem toto corde sitiebas. Humilitatem spiritus tui, qua præ cunctis mihi cognitis modica et abjecta semper in oculis tuis fuisti, respiciat et honorificet sublevator humilium Deus. Benignitatem quam erga adversantes tibi habere solebas, benignitas divina agnoscat, et ad condignam retributionem adducat. Anima lassa, anima contrita, et saturata miseriis ærumnosæ vitæ, perge nunc in requiem diu desideratam. Suscipiat te sinus pacis æternæ, amplectatur te dextera fidelis Sponsi tui: foveat et alliget omnes contritiones tuas, ac donet tibi oleum gaudii pro luctu, coronam decoris pro cinere despectionis, pallium laudis pro spiritu mœroris. Quo digressus sum a proposito meo? In mente habebam, o dilectæ meæ, ad quas E sermonem dirigere cœpi, describere vobis beatam consummationem carissimæ nostræ; sed ex abundantia mœsti cordis assumpsi querelam hanc, ante propositam narrationem. Et nunc favente Domino exequar quod intendi, quemadmodum vestræ caritati gratum fore non diffido.

ipsique apprecatur felicitatem æternam,

116 Erat ancilla Domini adhuc in die *b* Pentecostes consueto modo hilariter se habens; et, sicut mos illi erat gratificari nobis, per omnem diem solemnem lætificabat nos revelationibus sacris, enarrans inter cetera, qualiter et qua hora singuli assistentium ministerio Dei visitarentur a Spiritu sancto. Tertia autem feria post hæc, circa horam vespertinam, subito incidit in languorem fortissimum, cœpitque affligi per omne corpus tam graviter, ut mox confluxeret ad eam tota Congregatio, invocans super eam auxilium Dei; sicque in hac afflictione permansit pæne per totam noctem. Die sequenti, videlicet quarta feria, in qua solenne Jejunium agebatur, Congregatio fratrum processionem fecit in albis, usque *c* ad cellam: et portabamus nobiscum in scriniis, cunctas Reliquias Societatis S. Ursulæ Reginæ, quatuordecim videlicet corpora, quæ velut integraliter apud nos sunt, exceptis diversorum corporum portionibus multis. Celebrantibus autem illic nobis priorem Missam festive F de Spiritu sancto, rapta est in extasim, ac per longum tempus (ut referebant nobis Sorores) quieta permansit, sicut mos illi erat in tempore excessus sui, quando aliqua ei divinitus revelabantur. Post hæc autem cum ad seipsam rediisset, sciscitabamur ab ea quomodo se habuisset et utrum aliquam consolationem a Domino accepisset, et referebat nobis dicens: Vidi in visione spiritus mei sanctissimam Dominam nostram et proxime ei assistentes B. Ursulam Reginam et S. Verenam *d* cujus corpus apud nos est; simulque omnes sanctas Virgines, quarum Reliquiæ huc allatæ fuerant, multitudinem videlicet copiosam, omnes mirifice coronatas, et ingenti claritate vestitas, et habentes in manibus palmas victoriæ.

b Cœpit ægrotare feria 3 Pentecostali 25 Maji,

c

feria 4 sub processionem rapta in extasim

d Visitatur a Deipara et Ursulanis,

117 Allocuta sum autem Dominam nostram, quæ stabat in medio sancti agminis illius; dixique ad eam: Ad te, dilectissima Domina, querelam facio ex toto corde meo, super omni tribulatione mea. Habeto misericordiam super hoc, quod ego contrita et afflicta, tam multis laboribus, tam innumerabilibus ærumnis a juventute mea usque ad hanc diem, etiam nunc tam intolerabile martyrium sustineo in hoc miserabili corpore meo. Et respondit cum magna

illi de morbi gravitate questa

magna dulcedine, dicens mihi : Dilecta mea, Dominus noster ita tibi hanc vitam constituit, ut contingat tibi pati in ea multas molestias multasque afflictiones ac magnam parvitatem; miserebitur autem tui, et de omnibus bene consolabitur te. Voluntas ejus est ut per ista te purificet, ac talem te efficiat, ut cum transieris de mundo nihil molestiæ de cetero patiaris. Habeto ergo patientiam in omnibus malis quæ sustines, et nihil murmures adversus Dominum in corde tuo, quia omnia in bonum tibi convertet. Aspice istas, quæ stant in circuitu meo, quomodo coronatæ sunt, et quantus est decor earum. Perpessæ sunt angustias multas et valde dura martyria propter Dominum : et ideo non solum honorem habent ante Deum, sed etiam ab hominibus multum honorificantur, et late eis in mundo servitur. Adjecit etiam et dixit : Vere dico tibi, quod, si possibile esset ut uno die triginta vicibus combureréris usque ad cineres, ac toties iterum ad humanam integritatem redires, non posses tali pro eo afflictione promereri gratiam illam et gloriam, quam Dominus tibi conservavit in cœlis. Iterum dixi ad eam : Metuo Domina, ne forte scandalizentur homines in infirmitatibus meis, et æstiment pro aliquibus gravioribus peccatis me ita torqueri, atque hac etiam occasione detrahere velint gratiæ Dei in me, et diffidere iis quæ Dominus operatus est mecum. Et illa rursum ad me : Nemo (inquit) sapientium faciet hoc.

confortatur istarum exemplo et præmio.

118 Ab illo tempore de die in diem magis invaluerunt infirmitates ancillæ Domini, et quotidie aliquid novæ molestiæ ei accidebat : maxime autem a doloribus vitalium coarctabatur, quibus nulla ope poteramus obviare. Refectione autem tam modica per languoris sui dies usa est, ut esset incredibile, humanum corpus posse sustentari in ea per aliquod tempus : et id ipsum quod sumebat, importunitate tussis excutiebatur. Tam immobilis animi permanebat cunctis illis diebus usque ad exitum suum, ut numquam vel semel ad lacrymas eam permovere possent lamenta Sororum et familiarium ejus, timentium de morte ipsius; cum tamen facili ex causa in lacrymas prorumperet, dum adhuc incolumis esset : siquando etiam remissius habere videbatur, gaudentibus circa eam Sororibus et verba lætitiæ loquentibus, nullatenus tamen a severitate faciem relaxabat. Strato jacere aut somno quiescere non eam sinebat doloris vehementia; sed sedens pœne nocte ac die, imperturbato sensu mentis e provide tractabat multa, de quibus vix eam cogitare posse arbitrabamur.

Increscentibus exinde doloribus,

manet imperturbata,

e

119 Narraverat nobis ante dies infirmitatis istius, quod quadam die solenni, dum adhuc incolumis esset, vidit in spiritu beatam Dominam nostram, et in oratione sua devotissime illi commendabat vitam suam, et finem vitæ suæ dicens : Adjuves me oro, sanctissima Domina, propter clementiam tuam, ut rationabilis fiat exitus vitæ meæ; et ut numquam mihi transire contingat de hoc mundo, quin omnia in me fiant, quæ pertinent ad obitum hominis Christiani. Et illa cum magna benignitate respondit ei dicens : Certa esse debes, quod obitus tuus non solum erit sicut hominis Christiani, sed sicut hominis sancti. Et vere hanc in ea promissionem per gratiam Dei vidimus adimpleri. Nam et omnia Sacramenta, quæ ad transitum Christianorum pertinent, plenarie ei exhibita sunt : ac præterea in tantum benedixit novissimis ejus Deus, ut evidenter singularis gratia ejus in ea agnosceretur, et glorificaretur a multis. Videns enim ingravescere morbum super se, et considerans se omnino destitui viribus corporis; vocari ad se petiit spiritualem patrem nostrum Dominum f Abbatem; et ipso præsente totam Congregationem Sororum aggregari fecit ante se : et inter summos dolores, quasi nihil sentiret mali, sedens, cum magna fortitudine spiritus allocuta est eas longo et rationabili sermone : de quo, et si præsens essem, pauca verba hæc in memoria mea permanserunt.

narratque adhuc sana sibi promissam a Deipara

mortem piam et sanctam

f

AUCTORE EGBERTO FRATRE

120 Nolite, inquit, mirari, carissimæ, super infirmitatibus meis sicut homines imperiti; neque diffidatis gratiæ Dei in me, propter castigationes ejus quas sustineo, et sæpe sustinui in medio vestri. Conscientia mea bona est apud Dominum, et certissime agnosco, quod per ea quæ patior, præparat et exornat coronam meam Dominus in regno suo. Ipse non propter merità mea, sed propter misericordiam suam, jam ab annis pluribus operatus est in me magna, et temporibus nostris inaudita : et scio quoniam multi sunt in populis qui fideliter et benigne hæc perceperunt, et per ea ædificati sunt in bonum, multi vero diffidentes scandalizati sunt in iis quæ audierunt de me : non illis imputet Deus. Vobis autem dico et confidenter affirmo, per illud iter quo ad regnum Dei perrecturam me spero, quoniam hæc quæ vidistis in me et audistis ex me, vera sunt et nihil simulationis et fallaciæ ad hæc unquam adjeci. Dominus mihi testis est. Sint vobis ista præ oculis semper, et estote emendatæ per hæc amplius quam ceteri hominum; ne forte imputet vobis Dominus magis quam aliis qui non tam veraciter ista perceperunt. Gratias agite Domino semper, et collaudate eum in omnibus mirabilibus suis, quæ operatus est mecum in conspectu vestro, quia in his singularem honorem vobis præ ceteras claustralibus præstitit. Concordes estote, et diligite invicem, et ordinem vestrum cum magna diligentia custodite. Paupertatem vestram patienter sustinete. Animæ meæ fideliter et cum seria mente curam gerite : neque aliquid negligatis ex iis quæ pertinent ad debitum meum, pro eo quod æstimetis non indigere me suffragiis orationum vestrarum. Hæc autem dico, quia sæpe qui religiosi videntur negligi solent, dum ii qui eorum bonam conversationem cognoverunt, cogitant non eos magnopere indigere adjutorio ipsorum.

Convocatis coram Abbate Sororibus

profitetur, vera esse quæ viderunt et audiverunt :

salutaria dat monita,

et jubet solicite earum suffragia impendi :

121 Et cum anxie ista loqueretur, Dominus Abbas subjecit hæc verbis ejus, dicens : Confidimus quoniam promissio Dominæ nostræ implebitur in te, qua tibi perpetuam quietem promisit post tribulationem hanc : verumtamen quod postulas nullo modo negligeremus. Ad hæc illa respondit : Promissioni dilectissimæ Dominæ nostræ nullatenus diffido, sed nihilominus quod meum est facere debeo, et solicite providere animæ meæ. Itemque ad Sorores aiebat : Si quid in me carissimæ Deum unquam offendistis, ipse indulgeat vobis, et ego ex corde remitto omnem offensam. Vos quoque si feci quidquam in vobis quod facere non debui, quæso indulgete mihi. Nondum ego quidem aliquid certitudinis accepi a Domino de fine vitæ meæ, verumtamen justum est, ut habeam solicitudinem de tutela animæ meæ, et disponam de iis quæ pertinent ad exitum meum : ideoque postulo Unctionis sacramentum. Cumque hæc et his similia multa super vires suas locuta fuisset, petiit a Domino Abbate ut advocari faceret plures ex senioribus Presbyteris, et inungeret eam : et sic factum est. Cumque post hæc Confessionem fecisset, distulimus consulto, propter stomachi infirmitatem et tussis importunitatem, dare ei Dominici Corporis Sacramentum.

veniam offensarum dat et petit :

denuoque inungitur :

122 Nocte vero sequenti in tantum aggravata est infirmitas ejus, ut putaret se continuo transituram : et dum anxiaretur propter dilationem Dominici corporis, elevatis ad cœlum manibus oravit ad Dominum

noctu orat ne Viatico frustretur :

AUCTORE EGBERTO FRATRE.

A minum dicens : Salvator mundi Domine Jesu Christe, obsecro te, per illam sanctam passionem tuam, in qua te per totum expandisti super lignum crucis, ad redimendum mundum et ad amplexandum omne quod redemisti, ut non me patiaris unquam de hoc mundo transire, antequam percipiam tuum sanctissimum corpus ad consolationem et munimen animæ meæ. Recordare, Domine, quoniam sæpe illud suscepi cum intima devotione cordis mei, et cum multa lacrymarum effusione, et non sinas me in novissimis meis carere benedictione hac. Et dixit una Sororum vigilantium cum ea : Memento, Domina, quod in quadam visione tua dixit ad te vox divina, cœpi et perficiam. Hinc ego confido, quod non sinet te Dominus sic ex improviso transire, quin adhuc aliquam manifestam consolationem ab eo percipias, et majorem certitudinem finis tui. Et gratanter recepit responsionem hanc. Exaudivit autem Dominus desiderium ejus, quoniam tunc dilatus est transitus ejus, postea communicavit ante finem. Æstimans autem ego posse eam adjuvari arte medicinæ, et metuens ne forte ad insipientiam et inhumanitatem mihi imputaretur, si B negligerem attentare hoc ; perrexi cum festinatione in urbem *g* Moguntiam consulere medicos, et comparare medicinas. Sed sicut erat voluntas Domini tollere eam de hoc mundo, nihil ex omnibus quæ requirebam inveni.

In quo exaudita, ante obitum ter communicat.

g

Altera nocte iterum rapta

123 Ipsa autem nocte (qua eram illic) infirma nostra solito more erat sedens in lecto, et Sorores cum ea vigilantes. Circa medium autem noctis, cum diligentissime Dominum orasset, et finem suum ei commendasset, cœpit graviter anxiari, et ita a priori statu mutari, ut jam putaretur transitura : et post multam anxietatem in extasim venit. Sorores ergo quæ in circuitu erant, undique eam aspicientes, nimium stupefactæ, et finem adesse putantes, discurrere cœperunt aliæ ad afferendum cilicium in quo deponeretur, aliæ ad evigilandum conventum Sororum. Quæ cum venissent, iterum attrahere spiritum cœpit et redire ad seipsam. Et dixit cum silentio ad unam Sororum, quæ proxime ei accumbebat tenens eam in brachiis : Nescio quid mihi est : lux illa quam ex consuetudine in cœlis aspicio, dividit se. Et amplius non adjecit. Tunc singulæ Sororum procumbentes ante eam, veniam petebant ab ea, rogantes ut omnem offensam eis indulgeret. Hoc autem illa cum magna benevolentia ac C prudentia faciebat : et e converso quantum potuit, seipsam humiliavit ad eas, tanta discretione per omnia utens, ut manifeste Spiritus sancti gratiam in eo considerarent. Tunc una Sororum interrogabat eam secreto dicens : Carissima, numquid adhuc aliquid tibi signi demonstratum est a Domino, aut aliquam vocem percepisti, unde possis agnoscere finem tuum? Et dixit : Nondum quidquam tale percepi. Post hæc dixit Sororibus, ut abiret Conventus ad cantandas Matutinas : tempus enim jam erat.

aperiri sibi cœlum videt,

et rursum post Matutinas

124 Et dum Sorores quæ in circuitu ejus erant psallere cœpissent, iterum in extasim venit. Et cum jam complevissent Officium Matutinale, respiravit et ad seipsam reversa est. Et dixit quibusdam illarum, ut irent quiescere. Et manentibus cum ea iis quæ maxime familiares erant, dixit una illarum : Carissima, dic nobis, si potes, qualiter te habueris in hac extasi, et si aliquid tibi a Domino revelatum est, aperi nobis. Et dixit : Nondum possum, paululum expectate. Et cum aliquantulum collegisset vires ad se, dixit : Visiones sanctas, quas olim in summis festivitatibus videre solebam, et de quibus mihi dictum erat ab Angelo Dei ante plures annos, quod non essem eas visura usque ad obitus mei tempus, nunc mihi Dominus demonstravit, hoc ergo est mihi certissimum indicium finis mei. Rogo tamen ut adhuc sileatis super hoc, neque multum divulgetis. Post hæc cum Conventus Sororum jam D Matutinas decantasset, venit una ex maturioribus, quæ dixit ad eam : Dic nobis, Dilectissima, si aliquid a Domino consolationis accepisti. Et respondit : O quam bonam consolationem accepi ! Et quia vires non habebat dicendi, Sorores quæ audierant ab ea, dicebant in audientia ipsius, tam illi quam ceteris quæ jam confluebant, quænam fuisset visio quam viderat. Et factus est fletus magnus inter eas. Tunc confortata spiritu, et sedens, allocuta est omnes hoc modo.

certior de morte sua facta per Angelum

125 Dilectissimæ meæ, in hac re habere certitudinem finis mei, et testimonium verum omnium eorum quæ Dominus mecum operatus est. Rogo et admoneo vos, ut stabilem fidem adhibeatis iis, quæ fecit Dominus coram vobis in me, neque diffidatis unquam : et ego credo operibus ejus, et testimonium eis perhibeo morte mea. Ipse hactenus operatus est in me, et usque in finem operatur ; vos illi semper gratias agite singulariter super omnibus his. Semper insidiatus est mihi sathanas, et multos laqueos posuit mihi : et scio quod etiam post obitum meum non desistet adversari mihi, et corrumpere famam meam, et obscurare ea quæ fecit Dominus E mecum. Ego ab adolescentia mea, multa passa sum inter vos dura et intolerabilia corpori meo, in infirmitatibus multis et penuria necessitatum mearum, et in laboribus, quos assumpsi. Et postquam cœpit Dominus singularem gratiam suam ponere in me, graviora passa sum quam prius : non specialiter propter aliquas iniquitates meas, sed ut per meos labores quos foris vidistis in me, comprobarentur ea quæ occulte Dominus mihi demonstravit, ut tanto magis credibilia essent, tam vobis quam aliis hominibus, qui hæc erant percepturi.

hortatur Sorores ad credendum revelatis per se,

quia ideo tam multa passa sit :

126 Tunc Sorores unanimiter ad eam dixerunt : Domina dilectissima, quandoquidem jam amplius habere non possumus teipsam, rogamus ut denomines nobis aliquam personam inter nos, quæ Magisterium super nos, cum Dei voluntate, possit habere : et hanc cum omni benevolentia gratantissime suscipiemus. Et dixit : Consilium meum est, ut ipsam quæ post me prioratum *h* habuit inter vos, et bene atque competenter omnia fecit quæ ad officium ipsius pertinebant, assumatis in locum meum : Ipsam honorate et diligite, et supportate eam propter Dominum quamdiu dimiserit eam. Novit Dominus quod non propter cognationem quæ est F inter me et illam, aut propter aliquam singularem dilectionem hæc dico ; sed quia confido ita placitum esse Domino, et quod expediens erit vobis. Dominus de cetero vos consoletur, et per omnia vos edoceat quæ placita sunt illi. Susceperunt autem gratanter consilium ejus, et ipsam quam denominaverat, postea a Domino Abbate postulaverunt sibi dari in Magistram, et consensit petitioni earum.

petentibus ut nominet post se Magistram

h

proponit suppriorissam ;

quam Abbas postea confirmavit.

127 Cum autem finem fecisset verborum quibus Sorores alloquebatur, dicebat ad eas quæ familiariter ei ministrabant : Heu ! quid fiet de fratris mei absentia? Heu super medicinis quibus mihi negotiatur! Quid ad me pertinent medicinæ? Mittite obsecro cum omni festinatione nuntium ad revocandum eum : et sic fecerunt. Erat autem feria quarta. Mane autem facto, mox advocatus est Dominus Abbas ; et sedente eo coram ipsa, narraverunt ei Sorores visionem ex qua de morte sua certificata fuerat. Nam et ipsa ad narrandum vires non habebat. Qui cum audisset narrantium verba dixit ad eam : Numquid ista ita se habent? Et ait, ita mi Domine, et hinc habeo certissimum testimonium mortis meæ. Mox ergo ipse ad servitium Dei accedens, de sancta Trinitate officium celebravit, pro eo quod sanctæ Trinitatis

Fratrem accersiri petit.

A Trinitatis mysterium sibi ancilla Domini in visione præfata revelatum fuisse testabatur; eo modo quo et ante decennium ei fuerat demonstratum in eadem visione. Expleto autem divino Officio, sancta eam Communione munivit : et dicta est Litania cum multa devotione tam Fratrum quam Sororum, ubertim lacrymantium super eam.

ANNOTATA D. P,

a Anturnacensis Congregatio, *quæ vel ubi fuerit, vel a quo loco sic dicta, nusquam adhuc potui reperire. Ad eas est Elisabethæ Epist. 6, nihil ad historiam conferens.*

b *Pentecoste anni* 1165 *(quando Pascha celebratum fuerat 4 Aprilis) incidit in* 23 *Maji.*

c Cella *intelligitur Monasterium Virginum (uti clarius infra num.* 142 *apparet) ad cujus ingressum ipsæ processionaliter dispositæ excipiebant Monachos, in ecclesiam suam deducendos.*

d *De* S. Verenæ *corpore, Schonaugiam delato ad an.* 1156, *agit Sermo de Ursulanis, statim in principio; eaque dicitur apparens* Elisabethæ, *omnia illa narrasse de historia Martyrii, quæ fidem numquam* B *invenient bene expensa : quod tamen non obest, quo minus illa vere apparuerit* Elisabethæ, *atque hinc nata occasio sit, dicta, non dicta comminiscendi.*

e *Impressum,* proinde jactabat, *quod, nullum sensum faciens, correxi.*

f Hildelinum, *teste Trithemio, adhuc superstitem.*

g *Solum enim 6 horis distat Moguntia a monasterio : videtur autem illuc obiisse Egbertus feria 2 post Dominicam Trinitatis. Nam constat ex num.* 131, *feria 4 noctem fuisse, et decimum ante mortem diem, quo de morte sua certificatam virginem redux Egbertus invenit, qui tamen consulendis medicis et quærendis medicinis, unum saltem diem debuit impendisse.*

h Priorissam *vulgo dicebant, aut forte* suppriorissam : *siquidem eadem* Magistra *et* Priorissa *dicitur : nomen optarimus Schonaugiæ discere.*

CAPUT X

Extrema vitæ mortisque sanctæ periodus, et salutaria monita sub eam data.

Adveniente fratre

Post hæc circa horam nonam adveni ego, et cum multis omnium lacrymis susceptus sum, ita ut eam C jam obiisse æstimarem : quod cum requisissem ab iis qui mihi lacrymantes occurrerunt, et adhuc vivere eam dixissent, eram adhuc sperans de vita ejus. Et cum intromissus fuissem, sedentem inveni, et loquentem; et tantarum lacrymarum quæ erant in circuitu ejus causam, vehementer admiratus sum, nullam adhuc videns similitudinem mortis. Et cum paululum sedissem coram ea, allocuta est me : dicens. En morior, dilectissime frater, et nullatenus ad hanc vitam convalesco. Et ego corde percussus in hoc verbo, aio ad eam : Unde hoc nosti, carissima? Et ait : Visionem illam magnam, quam ante plures annos videram, de qua dictum fuerat mihi, quod non eam essem visura usque ad finem vitæ meæ, Dominus mihi nocte ista ostendit : et hinc certa sum, quoniam finis vitæ meæ advenit. His auditis ego visionem recognoscens, et verba Angeli qui de fine vitæ ejus prædixerat in memoriam revocans, utpote qui post eam omnia propriis manibus scripseram, *a* continuo omnem spem sanitatis ejus et vitæ deposui. Et cum ab intimo cordis dolore lacrymarer coram ea, nullam omnino similitudinem doloris faciebat : sed immobili permanens animo, dixit ad me : Scito, dilectissime, quia nulla est tristitia mihi pro discessu meo, et quia absque omni dolore separor abs te ; D quamvis præ omnibus hominibus dilectus fueris mihi, quoniam super omnem cibum et super omnem potum esurio et sitio regnum Dei. Et dixi : Non ego nunc ad similitudinem Prophetæ præsumo orare, ut fiat spiritus tuus duplex in me ; sed si simpliciter mihi dare spiritum tuum Dominus vellet, sufficeret mihi. Et ait : Carissime, voluntas Domini fiat in te.

et mirante luctum communem,

a

intelligit illam morituram :

Ad tote Egberto fratre

129 Post hæc completa Hora orationis nona, rursus advenit Dominus Abbas cum toto Fratrum Conventu : iterumque ipso inchoante dicta est Litania cum multis lacrymis. Et post benedictiones factas super eam, rogavit illa dari audientiam sibi ab omnibus. Et sedens constanti animo allocuta est nos, et gratias agebat omnibus nobis pro omni beneficentia sibi impensa, et pro cunctis laboribus quibus laborassemus circa ipsam : et exhortata est nos prudentissime ad concordiam et ad tolerantiam paupertatis et ad serviendum Domino indeficienter. Unusquisque (inquit) vestrum pro se studiosus sit, ne in ipso defectum habeat servitium Domini. Scio autem et sæpius revelatum mihi est a Domino, quod benedixit Dominus locum istum sin- E gulari benedictione, et non deficiet in eo laus ejus et cultus ejus usque in novissimum *b* tempus. Vos ergo singularem ei gratiarum actionem semper exhibete, pro eo quod specialiter locum istum præ aliis claustris honoravit, per eam gratiam quam in me operari dignatus est. Et cum multa in hunc modum exhortata fuisset, ad me quoque exhortationem adjecit, rogans et suadens ut stabilitatis perseverantiam servarem : neque aliquando vellem derelinquere locum, etiam si contingeret vocari me ad locum honorabiliorem et magis opulentum. Omnes autem gratantissime suscepimus verba admonitionis ejus, quoniam manifeste in ea operari spiritum Domini considerabamus. Et dixit ad eam Dominus Abbas : Admonitiones tuas, dilectissima, gratas habemus. Rogamus autem ut postquam ad Dominum migraveris, nos illi diligenter commendes, ipsumque semper ores super locum hunc, ut habeat eum in tutela et pace sua. Et annuit similiter petitioni ejus.

quæ coram Abbate omnibus agens gratias,

b pollicitus locum non deserturum

130 Post hæc ad invicem conjunctis manibus extendit eas ad ipsum, et ait : Domino creatori meo commendo animam meam, et post ipsum tibi, dilectissime Pater ; et rogo, ut ipsi eam in novissimo die præsentes ; quia tua spiritualis filia sum, et te sicut debui dilexi, et obedientiam debitam servavi. F Qui eam cum lacrymis suscipiens, ait : Spero quod lætabunde offeram te Domino. Post hæc rursum illa ait : Non miremini, quod sic anxie tracto de cunctis quæ pertinent ad exitum meum : quia necesse est hoc me facere dum adhuc aliquas vires habeo, ne forte cum omnino defecerit virtus mea, in aliquo imparata inveniar. Discedente autem ab ea Domino Abbate, ait : Maneat super vos omnes, dilectissime Pater, benedictio illa, qua benedixit Dominus salvator discipulos suos, quando ab eis ascendit in cœlum. Singulos quoque Fratrum indefesso animo allocuta est, commonens eos de profectu virtutum, et orationibus eorum se commendans : neque solum Presbyteros interpellans de offerenda pro se Hostia salutari, sed et Diaconos, cum ad gradum altiorem ascendissent. Petentibus autem singulis ut aliquos Psalmos illis commendaret dicendos in memoriam ipsius; primum illorum rogabat ut ob consolationem quam sperabat a Domino consequi de tribulationibus suis, diceret Psalmum. In convertendo Dominus captivitatem Sion ; alteri vero, commendabat Psalmum. Lauda Hierusalem Dominum; alii, Lauda anima mea Dominum ; alii, Laudate Dominum quoniam bonus est Psalmus ; alii, Te decet hymnus Deus

Animam suam Abbati commendat,

præsentibus congruos Psalmos præscribit

AUCTORE EGBERTO FRATRE.

Deus in Sion; alii, Fundamenta ejus in montibus sanctis; alii, Deus in nomine tuo; alii, Dominus regnavit exultet terra.

131 Mirabamur autem inter hæc vehementer animi ejus fortitudinem et plenitudinem sensus, considerantes infirmitatis ejus magnitudinem, et defectum corporalis virtutis: a principio enim infirmitatis suæ, pæne nullo usa erat cibo, qui non excuteretur a stomacho ejus, a tussis importunitate. Ab illa autem quarta feria, qua de morte sua certificata est, usque ad decimum diem quo obiit, nulla omnino refectione usa est, nisi sola frigida aqua: excepto quod quadam die, cogentibus nobis, pauca fraga sumpsit, et modicum pomi unius, sed hæc ipsa non retinuit. Sorores quoque circa se aggregatas post hæc longo sermone allocuta est, monens diligenter de omnibus quæ necessaria erant: cunctisque singillatim deosculatis, in fine sermonis adjecit dicens: Carissimæ meæ, Angelus Domini qui mihi in custodiam delegatus fuit, magnam circa me diligentiam habuit semper, et multa mihi bona ostendit; et tam vos quam alios multos per me sæpius consolatus est cum magna benignitate: unde rogo ut gratias illi semper agatis, et speciale ei obsequium singulæ exhibeatis, ac dicatis ad honorem ejus quotidie psalmum, Dominus regnavit exultet terra. Quinta autem feria, in tempore divini Officii, Dominum salvatorem diligenter invocabat, quem se videre testabatur in ea visione, c quæ descripta est in libro Viarum Dei: petivitque ab eo, ut ab intolerabili vinculo languoris sui misericorditer absolveret eam. Ad quod respondit ei dicens: Cito venio, et absolvo te.

Sororibus commendat cultum sui Angeli,

132 Sabbato d quoque post hæc, dum divinum Officium de Domina nostra celebraretur, eamque in supernis aspiceret, et de absolutione sua similiter ei supplicaret, dixit ad eam: Hæc infirmitas tua est ad temporalem mortem, et visio quam vides, non auferetur a te, sed eris videns eam usque ad horam qua veniam ad te cum honorabili comitatu: et suscipiam animam tuam, et deducam eam ad refrigerii locum, ubi requiescat a cunctis laboribus suis. Erat autem tota illa die in nimio defectu, et beatæ Dominæ nostræ quasi præsens esset continue intendens, et voce tenui ac miserabili jugiter eam inclamans. Nocte autem Dominica, aliquantulum confortata est spiritu, post desideratum adventum Sororis nostræ, mulieris Deum timentis, quam ad exequias ejus vocaveram ex e longinquo. Tunc congregatis in circuitu ejus Sororibus, sicut erat sedens in lecto, levatis sursum oculis, et tota intentione cordis, cum magna sanctorum verborum affluentia, oravit Dominum, dicens: Domine, creator meus, liberator meus, salvator meus, susceptor meus, tuæ sanctæ Majestati, tuæ individuæ Trinitati commendo animam meam ad suscipiendum, ad consolandum, ad salvandum. Rogo te, Domine, per sanctam incarnationem, per tuam sanctam nativitatem, circumcisionem, oblationem, baptismum, passionem, resurrectionem, ascensionem, per adventum Spiritus sancti, per tuum judicium futurum, ut me digneris absolvere ab his vinculis meis; et animam meam illuc velis perducere, ubi consolationem recipiat de omnibus tribulationibus suis.

Sabbato visitatur a Deipara,

Dominica die coram sororibus multa precatur;

133 Et cum multa in hunc modum orasset, addidit usitatas laudationes Domini, dicens: Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum Paracletum, sanctam et individuam Trinitatem toto corde et ore confitemur, laudamus atque benedicimus, tibi gloria in secula. Benedicta sit creatrix et gubernatrix omnium, sancta et individua Trinitas et nunc, et semper, et per infinita seculorum secula. Itemque addidit, dicens: Commendo animam meam Dominæ meæ S. Mariæ, perpetuæ virgini, ad suscipiendum, et consolandum, et conservandum; S. Michaeli, et universo exercitui cœli, S. Joanni Baptistæ, et sanctis Prophetis omnibus, et S. Joanni Evangelistæ, Sancto Petro, cunctisque sanctis Apostolis; S. Stephano, cunctisque sanctis Martyribus; S. Nicolao, et omnibus sanctis Confessoribus; S. Margaretæ, et omnibus sanctis Virginibus; omnibus sanctis Domini: ut sint mihi intercessores apud Dominum, et animam meam, cum de hac vita migraverit, suscipiant, et adjuvent eam apud Dominum: ut ibi collocetur, ubi cum sanctis animabus consolatione perpetua frui mereatur.

invocans Trinitatem

Deiparam et ordines Sanctorum singulos.

134 Et cum omnes Sorores dixissent Amen, salutavit Dominam nostram dicens: Salve, Regina, mater misericordiæ, vitæ dulcedo, et spes nostra salve: Ad te clamamus exules filiæ Evæ. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte: et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende; o clemens, o pia, o dulcis Maria.

Marianas Antiphonas recitat,

Alma redemptoris mater, quæ pervia cœli
Porta manes, et stella maris, succurre cadenti
Surgere qui curat populo: tu quæ genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum genitorem.
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

Te sanctum Dominum in excelsis, laudant omnes Angeli dicentes: Te decet laus et honor Domine: Cherubim quoque et Seraphim, Sanctus proclamant, et omnis cœlicus ordo dicens: Te decet laus et honor Domine. Salvator mundi, salva nos omnes. Sancta Dei genitrix virgo semper Maria, ora pro nobis. Precibus quoque Sanctorum Apostolorum, Martyrum, et Confessorum, atque sanctarum Virginum, suppliciter petimus, ut a malis omnibus eruamur, bonisque omnibus nunc et semper perfrui mereamur.

aliasque preces,

135 Ad hæc Dominicam orationem addidit, et Symbolum, et Confessionem ad circumstantes. Et novissime adjecit dicens: Domine Deus meus, tu digneris suscipere omnia verba mea quæ dedisti mihi, quia nullatenus ea habere potuissem, nisi tu mihi præstitisses. Et dictis omnibus his, totis viribus defecit, ita ut jam moritura videretur, ac diu in eo defectu permansit. Sicut autem illi promiserat Domina nostra, erat (ut referebat nobis) continue videns visionem, quæ in præfata quarta feria apparuit ei: sed aliquibus temporibus manifeste magis quam aliis, ita ut nonnumquam de supernis lucem magnam usque ad se effusam aspiceret; ac Dominam nostram cum aliis plurimis Sanctis in tantum sibi appropinquare videret, ut jam se æstimaret transferendam. Cumque accideret hoc ei, toto sensu et totis viribus illuc convertebatur: neque loquelam habere poterat, aut ullam attentionem ad nos, ita ut jam adesse finem ejus æstimaremus.

frustra sperans se mox morituram.

136 Cum autem post unum aut post duos dies loquelam recepisset, cœpit conqueri miserabiliter dicens: Heu quid fiet, heu quid fiet! et hæc sæpius repetebat. Interrogantibus autem nobis cur hoc diceret: ait: Quos videbam mihi appropinquare, et de quibus æstimabam quod jam tollerent animam meam, iterum alio ascendunt et elongantur a me, et non a me tollunt. Hoc autem sæpius infra illos decem dies contingebat. Una autem die videbat Angelum Domini, qui familiaris ei erat, assistentem sibi ac dicentem: Quod ita Dominus transitum tuum prolongat, ideo facit, ut tanto a pluribus glorificetur in te. Et quidem ita factum est. Nam multi tam ex vicino quam ex longinquo, qui agnoverant gratiam

De mora dolens,

intelligit ita providisse Deum,

A gratiam Domini in illa, audientes verbum quod exierat de instanti fine ejus, quotidie affluxerunt cum magno desiderio videndi eam. Et quamvis non habeamus consuetudinem admittendi extraneos ad infirmos nostros, ex consilio tamen plures qui importuni nobis erant, ædificationis causa admissi sunt : metuentibus nobis ne forte ex hoc ipso aliquid suspicionis conciperent, si ab omnium aspectibus diligenter fuisset occultata. Illa autem patientissime hoc ferens, et infirmitatis acerbitatem animi fortitudine dissimulans, sedere coram illis, ac secundum quod illis competebat de salute sua admonere non pigritabat.

ut plures ad morientem accurrerent,

137 Hortabatur siquidem Clericos qui in Presbyteratu erant, irreprehensibiliter vivere, ac bonis exemplis populum ædificare, quibus et dicebat : Vestrum est, dilectissimi, Domino vos exhibere familiares magis ceteris hominibus, per bonam conversationem et sanctum ministerium vestrum ; quatenus in regno suo post hanc vitam sibi familiarius vos adjungat. Eos vero qui non in eo Ordine erant, hortabatur non se subtrahere a familiaritate Domini ; sed benevole se exhibere promotioni ad sacrum ministerium Dei, et de iis quæ sunt Dei solicitos esse. B Militares quoque personas hortabatur tueri plebem, subvenire oppressis, bonorum suorum decimas dare, abstinere a rapina, a vestium scissura et pertusione, nec non a fornicatione ; affirmans fornicatores non solum feriri pœnis gehennæ post hanc vitam, sed in hoc seculo prolis infecunditate aut nimia infelicitate. Popularibus quoque suadebat fidelitatem servare Dominis suis, et sibi invicem, et paupertatem suam patienter sustinere, et pro posse eleemosynas dare, devotos esse ad vitandas ecclesias, et ad invocandum Dominum creatorem suum. Non solum autem præsentes hortabatur in bonum, sed absentibus quoque nonnullis monita salutis mandabat, et detractionis offensam longe positis remittebat. Cunctos vero communiter deprecabatur, ut post obitum ejus in orationibus et eleemosynis ejus memores essent.

accurrentibus autem pro suo cujusque statu

dat pia monita :

138 Denique si cuncta rationabilium sermonum ejus verba, sanctasque orationes quas faciebat illis diebus, singillatim prosequi velim ; certe non mediocris libri volumen me construere continget. Erat autem omnibus non parva admiratio super prudentia ejus, et glorificabant virtutem Dei in illa, cujus solius operatione id fieri poterat, ut tam fragili corpore ancilla Domini tanto tempore sustineret absque C omni alimento vivere, et nihilominus sic sederet affluens sermonibus tantæ discretionis. Juxta petitionem ejus fecit et Dominus in hac re : nam sicut referebat nobis, sæpe a Domino postulaverat in orationibus suis, ut in fine ei præstaret sobriam infirmitatem, et quæ ebrietatis expers esset. Singulis autem diebus ad tantum veniebat defectum, ut nihil aliud nisi finem ejus expectaremus, et vel bis vel amplius dicebatur Litania super eam, nec non Evangelia Dominicæ Passionis recitabantur. Sicut autem ad passionem Domini magnam semper habuerat devotionem : ita Dominus et diem et horam passionis suæ defunctioni ejus destinavit. Nam in sexta feria mane dicebat iis quæ in circuitu ejus erant, hodie omnes qui mihi familiares sunt diligentem custodiam mihi adhibeant, quia prope est hora mea. Et cum removeri fecisset lectum, erat sedens in pulvillo, et innixa uni Sororum : et familiariter loquens mirabilia multa cum iis qui aderant, usque ad horam sextam. Exinde cœpit laborare spiritus difficultate.

omnibus tantum ejus vigorem mirantibus,

in corpore exhausto

139 Tunc ergo adveniens Dominus Abbas cum Presbyteris, rursus eam munivit Benedictionibus et Litania. Me autem suggerente ei de Communione sancta, signum fecit mihi quoniam glutiendi vires D non haberet. Et quidem non hoc ei fore periculosum existimavi si tunc abstineret, quia pridie communicaverat mea administratione. Post hæc nobis discedentibus, dicebat illi Soror cujus pectori accumbebat : Tu nobis, dilectissima, indicare solebas de Sororibus nostris morientibus quali tempore adesset finis earum, et quando deponere eas in cilicium deberemus : nunc vero id ipsum de te scire non possumus, nisi ipsa indices nobis. Et ad hoc quidem siluit, et post pusillum me festinato advocari fecit.

Monita de cilicio substernendo tacet ;

AUCTORE EGBERTO FRATRE.

140 Et cum per modicum tempus coram ea quid futurum esset, præstolarer, tam ego quam frater noster, Clericus religiosæ conversationis, quem ad hoc ipsum ex longinquo advocaveram, cœpit vocis officio destitui, et nihilominus orationes more solito volutare, levatis sursum oculis devote intendens ad superna. Novissime autem, quasi memor verbi quod dixerat prædicta Soror, de indicanda hora depositionis suæ, extendit manum ; et cum magna celeritate tribus vicibus nobis significavit, ut deponeretur super cilicium, quod erat stratum coram ea. Quod cum fecissemus, sic ea jacente in lenti agone, dicta est Litania semel a Sororibus, secundo a Domino Abbate et Fratrum Conventu. Post hæc circa horam nonam, quasi suaviter obdormiscens, red- E didit spiritum Domino, decimo quarto Kalendas Julii.

deinde petit cilicium moribunda,

leniterque defungitur

141 Tunc unus ex assistentibus Presbyteris, diligens eam in Christo, in hanc vocem cum lacrymis erupit, dicens : Proficiscere nunc, Anima sancta, in requiem tuam : ascende sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii : intra in gaudium Domini tui. Domine Jesu Christe, Salvator mundi, suscipe animam quam creasti, animam quam sanguine tuo redemisti. O Maria, mater misericordiæ, suscipe nunc ancillam tuam. O Virgo virginum, agnosce nunc virginem tuam. Angele sancte, suscipe animam tibi commissam, et deduc eam in pace, ubi quiescat a laboribus suis. Respexit autem Dominus humilitatem ancillæ suæ, quæ per omnia sibi ipsi despecta semper extiterat ; et honorificavit Deus novissima ejus, magnificis obsequiis populi nostri, qui usque ad tertium diem, Dominicum scilicet quo sepulta est, undique per circuitum sponte confluxit. Et quidem dum adhuc viveret et incolumis esset, frequenter de mortis suæ appropinquatione loqui solebat, et optabat F pia intentione, dicens : Utinam migrare me contingat de hac vita sub tali tempore, quo nihil importunitatis aut molestiæ patiantur ab aeris intemperie. Quod et factum est : non enim tota æstate placidius effluxerat tempus, quam illo triduo erat.

Adstans Presbyter Beatam prædicat

Quanta eo tempore serenitas aeris.

142 Et quamvis esset mœror nobis omnibus super discessu ejus, gratiosa tamen quadam jucunditate fruebantur omnium corda, congratulantium beatæ conversationi ejus. Quamvis autem immutabili consuetudine caveatur apud nos, ut numquam extra limina Cellæ procedat Sororum congregatio : ob venerationem tamen singularis gratiæ Domini, quam evidenter in ancilla sua operatus fuerat, placuit venerabili Patri nostro, cunctisque pariter Fratribus, ut cunctæ pariter discipulæ venerabile corpus Magistræ sequi, et obsequium ei in sepultura exhibere permitterentur. Igitur per manus earum, quas ad hoc ipsa denominaverat, nec non et Beatricis Comitissæ, quæ et infirmitati et funeri ejus devota affuerat, reposita est in loculo secus altare, Domino omnibusque sacris Virginibus dedicatum in ecclesia f B. Florini. [Obiit] anno ætatis suæ XXXVI, decimo quarto Kalendas Julii, feria sexta, hora nona, anno Domini millesimo centesimo sexagesimo quinto

Sepultura et exequiæ

f

A quinto *g* visitationis suæ anno XIII *h*, ex quo eam visitaverat paterna gratia Domini nostri, qui in cunctis miserationibus suis sit benedictus, in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA D. P.

a *Interim nihil apparet in præmissis duobus visionum libris: scripserit ergo eam, sed ipsa vivente minime vulgandam putarit Egbertus; atque ac plurima alia; hic vero satis habuerit sic obiter meminisse visionis istius.*

b *Hactenus certe, etiam sub Principe acatholico, post tot monasteriorum superiori seculo factam desolationem, adhuc disciplina Schonaugiæ viget apud viros; licet Parthenonis, sola platea intercurrente distantis, vix cernantur nunc vestigia, hinc inde ex raris parietinis cognoscenda.* D

c *Scilicet Visione* I, *num.* 86.

d *Id est* 12 *Junii.*

e *Sic etiam infra num.* 140 *dicitur ex longinquo accersitus frater; unde conjiciendum datur, omnium patriam longius fuisse remotam Schonaugia: eam tamen nusquam nominari mirum est.*

f *Ex num.* 70 *apparet, solitas Sorores in cœmeterio cum Fratribus communiter sepeliri, ad eorumque ecclesiam deportari.*

g *Evidenti mendo impressum est* quarto, *de quo vide Comm. prævium.*

h *Scilicet expleto: nam anno* 1152, 31 *Maji cœpta est visitari, unde ascendendo ad annum* 1165 *et* 18 *Junii, habebis supra dictos annos* 13, *dies* 18.

DE B. MARIA DOLOROSA

IN TERRITORIO BRABANTIÆ BRUXELLENSIS

E

B

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De illius cultu, ætate, Passionisque historia authentica.

Cultus a Molano ... *Memoria sacra.*

Joannes Molanus *in Natalibus Sanctorum Belgii ad diem* XVIII *Junii*, de Martyrio B. Mariæ Dolorosæ *hoc scripsit elogium.* In pago Brabantino, in parochia S. Petri Wolvensis, anniversarius dies S. Mariæ Virginis, quæ dicta est Dolorosa. Hæc a Domino consecuta est triplicem coronam, paupertatis, castitatis et martyrii. Cum enim voto paupertatis voluntariæ et perpetuæ castitatis adornata, per annos multos panem suum laboriose manducaret; contigit impudicum virum eam adamare: et cum castitatem suam, quam Deo et B. Mariæ voverat, pollui non sineret; is Virgineam de furto argentei scyphi falso accusavit; et tantum egit apud validum, ut innocenter sit terræ infossa, et sude transverberata circa annum millesimum ducentesimum nonagesimum. Quanti autem meriti sit apud Deum, testantur miracula. Nam et ante mortem, pro visitaturis memoriam Deiparæ Virginis in loco suæ requietionis, intercessit. Unde et accusator, postquam septem annis dæmoniacus fuerat, C in eo loco restitutus est, per Deiparam Virginem ejusque famulam B. Mariam Dolorosam. Quiescit sub altari Wolvæ, et locus ab eo vulgariter dicitur Der Allendiger Marie. Estque vetus confraternitas illius loci, quæ in antiqua scriptura dicitur Confraternitas dilectæ nostræ Dominæ in capella B. Mariæ Dolorosæ.

Corpus sub altari.

Confraternitas

2 *Hæc Molanus. Erat dicto anno* MCCXC: *Dux Brabantiæ* Joannes istius nominis primus, *mortuus anno* MCCXCIV. *In antiquis Chronicis Brabantiæ sub initium agitur de Sanctis Brabantiæ, et cap.* 36 *proponitur* Vita Dolorosæ Mariæ, Martyris et Virginis, *cum iconismo martyrii, et in illa dicitur passa tempore* Joannis secundi *Ducis Brabantiæ, qui patri Joanni Primo, dicto anno* MCCXCIV *successit. Reperimus inter Schedas nostras chartam* Indulgentiarum *a duodecim Episcopis concessarum* Avenione *anno* MCCCLXIII, Indictione I die XXVIII Mensis Januarii, anno Urbani Papæ V primo: *eo scilicet fine,* Ut capella S. Mariæ, dicta vulgariter der Ellendiger Marie, in parochia Wolve S. Lamberti, Cameracensis diœcesis congruis honoribus frequentetur, et a Christi fidelibus jugiter veneretur; *quam Bullam infra dabimus, anno mox sequenti a Cameracensis Episcopi Vicario auctoritate ordinaria confirmatam; postea vero ex originali, adhuc superstite nobisque ostenso, in alia similis formæ membrana similiter Nobis exhibita transcriptam innovatamque auctoritate Matthiæ Hovii Mechliniensis Archiepiscopi anno* MDCXI.

Tempus Martyrii

Indulgentiæ datæ anno 1363

3 *Non dubitabimus, quin istis temporibus jam scripta fuerint Acta vitæ et Martyrii et miracula hujus beatissimæ* Virginis Mariæ Dolorosæ, *ex ore tum parentum ejus, tum accusatoris post septennium conversi ad pœnitentiam. Ea nos damus ex MS. codice cœnobii Rubeæ-vallis Canonicorum Regularium, una circiter leuca a Capella dictæ Mariæ Dolorosæ Sita, in cujus secunda parte Hagiologii Brabantinorum continentur. Eadem habemus ex MS. codice Corsendoncano juxta Turnholtum etiam Canonicorum Regularium; et hic codex inscribitur secunda pars diversarum Legendarum. Qui quidem codices ad nos delati fuerant: interim Ecgraphum, ex MS. prædicto desumptum, testatus est Matthias Hovius Archiepiscopus Mechliniensis, cum veteri registro concordare, subscripto suo nomine et apposito Sigillo, die* XXIII *Julii anni* MDCXI. *Testimoniales hujusmodi litteras de copiæ sive transumpti fidelitate, propria manu dicti Archiepiscopi signatas, iterum cum ipsa Passione Dolorosæ Mariæ approbarunt Consules et Senatus civitatis Antuerpiæ, die* XIX *Novembris dicti anni* MDCXI, *et signavit Georgius Kuffel Secretarius, apposito sigillo urbis Antuerpiensis. Quæ iterum comprobarunt dictæ urbis Notarii, Vanden Hove, Fabri et Kimpe. Atque originale penes nos servamus, ut nihil certius ad fidem stabiliendam possit proferri. Hinc porro eadem Acta desumpta extant in Legendario Vitarum Sanctorum, lingua Belgica a Rosweido nostro collecta, et sæpius cusa atque recusa; ubi etiam aliquod compendium in supra citatis Chronicis antiquis Brabantiæ. Meminit ejusdem Ferrarius in Catalogo generali, sed nescivit locum prope Bruxellas esse; et perperam credidit* Walevicum esse, *Bredam inter et Silvam ducis.*

Acta ex 2 MSS.

eorum approbationes. F

VITA

Auctore ferme synchrono

Ex MSS. Rubro-vallensi et Corsendoncano.

Benedictus Dominus, qui vult omnes homines salvos

Auctor ad Dei honorem

vos fieri, qui et operatur omnia in omnibus, velle et perficere, quod bonæ voluntates optaverint adimplere. Et ideo merito ipsius laus in omnibus quæ fecit canenda est, nec non et in fidelium suorum meritis sive virtutibus glorificanda, qui de parvis efficit magnos, imo de stercore elevat pauperem. Et non solum per viros viam justitiæ nobis patefecit, verum etiam per feminas, et per juveniles ætatis puellas, exempla religionis et castitatis, et per omnia bonæ imitationis, cunctis se amantibus ostendit. Deo enim nostro semper cura est de omnibus, et neminem horum vult perire, quos redemit proprio sanguine; Nam Sanctos in sanctitate hortatur permanere, et peccatores a malis operibus discedere, et bonis actibus inhærere, ut possint ad cœlestem patriam pervenire. Quod virgo quædam intelligens, Maria nomine, divina se gratia inspirante, a puerilibus annis Domino disposuit deservire : ut mereretur cum Electis et prudentibus Virginibus a sponso suo in cœlesti thalamo recipi cujus fidem et dilectionem, usque ad sanguinem resistendo hosti castitatis, non destitit æmulari. Nos igitur, prout Dominus ministraverit, narrare non pigebit qualiter hæc Virgo per martyrium pervenerit ad triumphum. Quia dum Dominus ancillam suam glorificat, nos ad ejus exemplar invitat ; ut operum illius pro modulo nostro imitatores effecti, ipsi mereamur in cœlestibus sociari. Subjungemus etiam diversa, quæ in loco suæ requietionis, meritis ipsius suffragantibus, constat per gloriosam Dei Genitricem miraculose actitari.

suscipit mortem et miracula scribere.

B

a

Relictis parentibus degit prope ecclesiam S. Mariæ

2 Fuit *a* nuper in pago Brabantino ac parochia S. Petri Wolvensis, vir quidam, qui cum uxore sua in pace et caritate degens, generavit filiam unam, nomine Mariam : quæ meritis et nomine digna, vitam diligens servare Angelicam, Domino suam vovit virginitatem. Siquidem considerabat luxum seculi perituri esse vanum : propter quod, ut liberius suum exequeretur propositum, deliberavit penitus ipsum deserere mundum. Cumque super hoc patris ac matris requireret consensum ; benigne annuentes hortati sunt eam, ut constanter ageret, et Deo ac ejus Genitrici gloriosæ Virgini Mariæ fideliter in castimonia deserviret. Quæ tandem licentiatis parentibus perrexit ad ecclesiam B. Mariæ juxta villam nativam situatam : qui locus sibi viventi præstitit habitaculum, ac decedenti sepulcrum. Quo cum pervenisset, fide munita, spe confortata, caritate Dei accensa, ac voluntaria paupertate inspirata ; procidit et adoravit imaginem gloriosæ Virginis, iterans vota suæ promissionis, quod videlicet abrenuntians seculo, simul omnia temporalia abdicavit, per voluntariam paupertatem assumptam : proponens ostiatim mendicare, et eo modo necessaria victus quotidiani sibi acquirere. Insuper promisit illibatæ Puerperæ virginitatem suam dedicans, et pro nulla re mundi illam se violaturam contestans, imo satius ducens vitam corporalem amittere, quam castitatem suam temerare.

vovet paupertatem

C

et Virginitatem.

ab impudico sollicitata,

3 Cum igitur hoc duplici voto, paupertatis videlicet voluntariæ et perpetuæ castitatis adornata, per annos multos panem suum laboriose mendicaret ; contigit ut una die vir quidam impudicus in eam figeret oculos, cum esset speciosissima et bene morigerata : eratque accensus in amore ipsius, adeo ut quiescere non valeret : quin desiderium suum eidem patefaceret. Accessit itaque ad eam et consensum corporis sui requisivit. Quæ cum audivisset, turbata est in sermone ipsius : et cum execratione dixit, se numquam facturam quæ desiderabat, pro eo quod perpetuam Deo et ejus Genitrici devoverat castitatem. Nihilominus tamen vir ille non quievit : siquidem diabolus, Mariæ virtutibus invidens, eum ad illicita desideria magis magisque inflammavit : quatenus et hunc in luxuriæ voragine prosterneret, et illam a virtuositatis culmine dejicere posset.

generose resistit :

D

EX MS.

4 Denique tanta est dæmonis importunitas, ut cum perspexerit hominem malevolum, non quiescat, donec instigans juvet eum ad implendum malum, quod facere affectat. Quod in hoc liquido approbatur. Nam cum vir præfatus, nullo se pacto consideraret posse pertingere ad id quod desiderabat; cogitabat uti violentia quadam astuta, ac timorosa necessitate Virginem ad perniciosos suos libitus inclinare. Siquidem caute prospexit, ubi Maria prandere consuescens, clementem in se patrem familias invenisset: et illuc intrans, furatus est argenteum scyphum, clamque in ejus sacculo reposuit. Interea compertum est hunc scyphum deesse : qui undique quæritur. Domusque everritur, sed minime reperitur. Accessit proinde vir hujusmodi sceleris conscius ad Mariam, eique clanculo furtum imponens, allegat ipsam aliter celari non posse, nisi desiderium ejus carnale adimpleret.

ab eodem per calumniam

5 Quod illa ut audivit, consternata est, et constanter negavit se tantum flagitium perpetrasse : e contrario ille affirmabat. Quapropter comminabatur eidem, quod, si id quod petebatur denegaret, convictam et confessam potestatibus legalibus condemnandam traderet. Cui illa: O amice, inquit, hoc utique nefas esset innocentem tali pacto tradere mortis discrimini, cum penitus mihi conscia non sim hujus furti. Tunc ille a diabolo agitatus accepit sacculum; et scyphum quem ipse intromiserat, extraxit. Ecce, inquiens, vel nunc, indicio oculari deprehensa et convicta, cede, et mihi ocius acquiesce : que facto te ab hac infamia supportabo; legibusque subducens, in omnibus excusabo. At illa, cum nimio dolore respondit constanter et fiducialiter: numquam mihi facere contingat, quod tu suggeris : quin potius in perseverantia castimoniæ usque in finem perstabo, malens propter illam innocenter corporalem vitam perdere, quam tuæ sacrilegæ libidini vitiose subjacere.

E

furti accusanda,

eligit potius mori.

6 Cernens igitur vir Belial, filius diaboli, quod nec blanditiis nec minis posset eam commovere, nec ad suam perversam trahere voluntatem; accessit ad *b* Villicum loci illius, et protulit argenteum scyphum, contestans eum a mendica quadam, nomine Maria, furto sublatum, et a se in ejus sacculo repertum. Addidit insuper ipsam esse magnam et ariolam ac virorum dementatricem: asserens se ab ea in tantum esse ludificatum, ut nec edere nec bibere quiverit, nec quoque modo quiescere potuerit ob ejus nefandas præstigias ac tentamenta. Cumque hæc audivisset Villicus, non satis credebat viro, Virginis delatori, quin potius visus est eam efficaciter excusare, pro eo quod numquam auditus esset sermo hujuscemodi de Maria. At ille demonstratione scyphi nisus est Judicem involuntarium inducere, ad proferendum contra innocentem Virginem falsam et indebitam sententiam: quod sibi non impune cessit, sicut sequentia declarabunt.

Accusata apud Judicem,

b

F

7 Interim vadit Maria ad parentes, et querelam deponit injuriæ et ignominiæ sibi irrogatæ : quorum monitu edocta est omnem spem et fiduciam in Deo ponere, et in ejus pia Genitrice mœrentium ac miserorum auxiliatrice. At illa nimis anxia pro Virginitate sua, dixit se plus timere, ne violenter sibi deripiatur, quam se corporalis vita tollatur. Et dum ita loquuntur, advenit Villicus, ab iniquo delatore incitatus, ut eam caperet, et crudelissimæ morti traderet. Cumque parentes filiam suam excusarent, et excusando ab infamia eruere laborarent : obsistente viro impio nihil profecerunt quin potius ipsam filiam

a parentibus confortata

EX. MS. ligata abducitur:

filiam coram oculis suis ligari et abduci nimio cum dolore conspexerunt. At Maria cum videret, se cum suæ innocentiæ demonstratione procedere non posse, nec suorum parentum intercessione prævalere; nimia anxietate replebatur: et ob id Dolorosa Maria denominatur. Sed et omnes, qui noverant eam prius, ut viderunt ipsam sic violentari, et iniquo judicio condemnari; nimirum pro compassione non se a lacrymis continebant.

fassa alienum furtum apud se repertum,

8 Itaque deducta est Virgo in carcerem, ut posset ab ea extorqueri confessio furti: quo comperto, deberet in secreto noctis silentio morte absumi. Cumque denuo de scypho reperto interrogatio fieret; respondit illa, scyphum quidem de sacculo suo extractum, sed ipsa ignorante ab altero intromissum. Hæc audiens accusator interpellavit Judicem contra eam, convincens ipsam ore proprio crimen confessam esse, sed criminis conscientiam in alium intorsisse. Cum itaque sero factum esset, educta est clanculo ad locum ubi data sententia morti adjudicata est: et interim transiens ante locum suæ habitationis, petiit instanter a villico, ut sibi ante imaginem gloriosæ Virginis orationem fundere liceret, antequam de hac vita emigraret.

adjudicatur morti.

Orat pro se, pro suis interfectoribus,

9 Quod ut ad nutum impetrasset, procidit cum doloroso corde ad genua, supplicans imprimis, quatenus sibi apud omnium mœrentium atque desolatorum refugium in tanta sua anxietate et angustia posset esse consultum. Secunda ejus petitio fuit pro iis, qui sibi fuissent causa, vel instrumentum, sive occasio tam indebitæ mortis, ut eis fieri posset indultum. Tertia ejus precatio extitit, ut quicumque in quavis necessitate constituti, in eodem loco celerem suæ sentiant petitionis effectum; sive sit de mulieribus imprægnatis, sive de domibus conflagratis, sive de partibus hominum male pacatis. Quarta ejus obsecratio fuit pro servientibus in suo nomine beatæ Dei Genitrici in illo duntaxat loco, quatenus ipsius interventu ab omnibus doloribus et plagis, confusionibus et damnis, vel quibuscumque incommoditatibus erui mereantur: similiter locum illum suis devotis precibus et eleemosynis de longe aut de prope visitare curantes eamdem gratiam consequantur: pacem quoque atque concordiam reperiunt et reperient, intuitu doloris excessivi, conturbationis et anxietatis, in quibus tunc fuit quando hæc oravit; et ab omnibus malis liberati discedant. Postrema et ultima ejus supplicatio intima fuit pro salute animæ suæ: quatenus post hanc vitam transitoriam, mereretur a Regina Virginum introduci ad æternam, duplici laureanda, virginitatis scilicet et martyrii.

et aliis eo venturis,

suaque æterna salute,

et condonat lictori,

10 Finita autem oratione surrexit et prompte se obtulit judici, qui tradidit eam lictori, ut eam ligatis manibus et pedibus oculisque velatis terra obrueret. Accepit igitur lictor Virginem, et fecit sicut ei fuerat imperatum. Factaque fossa ad mensuram corporis ipsius, deposuit illam intro; rogans et dicens ad eam; Obsecro te o Deo dilectam, Virgo Maria, intercede pro me apud sponsum tuum. Quæ respondit: Amice: precor Deum ut dimittat tibi hoc quod in me commissurus es, et omnia peccata tua: sed et omnibus qui me unquam verbis aut facto offenderunt, ex corde indulgeo; et apud misericordem Dominum eis veniam petere intendo, cum iis qui memores doloris mei locum hunc devote visitaverint, ut absque spirituali consolatione non discedant. Interea paratur sudes quadrangularis et præacuta, et per corpusculum Virginis transfigeretur, sicut mos evigebat illius temporis. Porro vir ille iniquus, delator innocentis, semper et ubique astitit: qui cum plurimos cerneret flentes et dolentes super injusta morte Virginis, nequaquam cor ejus emolliri potuit ad compassionem, pro eo quod a diabolo nimium esset obduratum, cujus voluntatem facere sategit; quique ipsum, sicut infra patebit, in suum jus actualiter possidendo redegit. Interim Virgo terra obruitur et sudes præacuta tumulo superponitur, atque a tribus viris corpusculo ejus infigitur: ac demum ab ipsis cum grossis malleis tam valenter incutitur, ut per spatium dimidii milliaris sonitus potuisset audiri.

defossa in terra, sude transfigitur.

Impostor a dæmone obsessus furit 7 annis:

11 Nec mora: pessimus accusator Innocentis compulsus est in instante reddere talionem commissi criminis, nam antequam de loco abscederet, factus est possessio sævissimi dæmonis. Siquidem domum regressus, cum se nocte sequenti sopori dedisset, cœpit furere et horribiliter clamare; eosque qui audierunt et accesserunt in formidinem concitavit. Denique compeditus est et ligatus, et vix fortissimis vinculis conservari potuit, quin ea dirumperet; donec missus est in caveam, ubi nec manducare voluit nec bibere, nisi violenter actus et compulsus. In hac igitur calamitate transierunt septem anni, quibus miser ille inops sensuum suorum perduravit, unde multum dolentes amici ejus destinaverunt ipsum ad diversa loca, pro acquirendo remedio salutari. Siquidem vectus est primo ad locum quietis c S. Dympnæ apud Gele, deinde ad d Wincsele, tertio ad e Haspere, quarto apud S. Mariam de f Hanswyck juxta Mechliniam; sed nihil ei profuit, quin potius per singula loca prædicta clamaret dæmon, quod nequaquam ibi, sed apud S. Mariam, ubi Dolorosa Maria requiescit, eum expelli oporteret.

et post visitata alia loca sacra

c d e f

ad Mariam dolorosam adductus

12 Itaque mutuo consiliati qui cum eo erant, imposuerunt eum quadrigæ, ut illuc ipsum reducerent. Quo facto tanti ponderis inventus est dæmoniacus ille, ut cum magno periculo vix eum ad locum prænominatum perducere possent. In depositione autem ejus de quadriga, atque in introductione in capellam, ad quam ierant, tam molestus fuit iis, qui cum eo venerant, ut nulla arte neque vi ipsum introferre potuerint, donec pulsata campana vicinos convocassent: quorum adminiculo intromissus est et adductus coram altari gloriosæ Dei Genitricis Mariæ. Ubi intercedentibus pro eo cunctis qui aderant, viderunt omnes dæmonem, qui eum possederat, per fenestram cum fragore nimio evolare: sed et compedes ac vincula de manibus ejus et pedibus prostrare conspexerunt, acsi vitrea fuissent, atque hominem sanum consurgere. Qui flectens genua, gratias egit magnificas Deo, ejusque Genitrici gloriosæ, ac Mariæ Dolorosæ, de sua liberatione; confitens coram omnibus peccatum suum, qualiter videlicet innocentem Virginem infamaverat, uti præmissum est, pro eo quod consensum corporis sui requirebat, sed obtinere non poterat. Auditis autem et visis tot mirabilibus, cuncti qui aderant laudaverunt Deum, qui fideles suos non derelinquit inglorios, neque adversarios eorum impunitos, etiam in præsenti; locumque illum in memoriam Dolorosæ Mariæ fiducialibus cum precibus et muneribus frequentaverunt. Porro vir præfatus, sanus et incolumis reversus est in domum suam, factus deinceps Mariæ laudator et venerator, qui fuerat ejus mortis impetrator.

liberatur

completur que suum scelus,

factusque Mariæ venerator

13 Nec prætereundum est in fine hujus narrationis, quod visæ sunt de cœlo venisse tredecim puellæ speciosissimæ, cum ingenti lumine; et singulæ, candidis vestibus indutæ cereum ferebant in manibus: quarum prior h præstantior ceteris videbatur, deferens coronam præfulgidam in capite. Hæ omnes processionaliter ambiebant sepulcrum Virginis tribus vicibus, exequias ejus hoc modo quodammodo celebrantes, et eam triplici corona dignam indicantes, pro trina beatitudine, quam teste Domino consecuta est

Hujus exequiæ a Deipara ut visa h

est etiam in præsenti; videlicet voluntariæ paupertatis, castitatis et martyrii. De prima dicit Dominus: Beati pauperes spiritu; de secunda, Beati qui se castraverunt propter regnum Dei; de tertia, Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Finito autem triplici circuitu nusquam comparuerunt; sed ex hoc Virginem dictam et locum, venerabilem demonstraverunt.

ANNOTATA D. P.

a Nuper *particula indicans tempus, non diu elapsum, ut auctor videatur pæne coævus.*

b Villicus, *id est toparcha seu villæ Dominus, seu Judex ut mox appellatur.*

c *S. Dympnæ Acta dedimus* 15 *Maji, ibique miracula plurima in obsessis et furibundis patrata legi possunt.*

d Winxele, *pagus prope Lovanium versus Vilvordiam, ubi Deiparam Virginem a multis annorum centuriis cultam fuisse, docet Augustinus Wichmans, lib. 2 Brabantiæ Marianæ cap.* 5.

e Haspere, *seu potius* Hastero, *in diœcesi Namurcensi, Prioratus modo monachorum, olim sanctimonialium, ubi Ecclesia Deiparæ dicata.*

f *Ecclesia hæc* de Hanswyck *est jam intra urbem Mechliniensem, cultu Deiparæ valde celebris, olim in pomœrio sita.*

h *Hanc fuisse Deiparam, cui adeo devota fuerat Maria, nemo dubitaverit.*

MIRACULA

Ab eodem auctore ex iisdem MSS.

Moribundus sanatur:

Ut autem innotescat, quanti meriti sit Dolorosa Maria apud Deum, quæ, dum adhuc in terra vixit, pro visitaturis locum suæ requietionis intercessit; pauca de pluribus recitare curamus miracula, quæ precibus ipsius suffragantibus in eodem loco ostendere dignata est gloriosa Dei Genitrix Maria. In primis namque Dominus Joannes de *a* Meldelt, usque ad mortem infirmatus, cum denuntiatus esset matri suæ in agone consistere; illa ut audivit, vovit se nudis pedibus et laneis indutam, annuatim cum quinque aureis beatam Dei Genitricem ad Dolorosam Mariam visitaturam, si per ipsam consolari mereretur super filio suo proximo morti. Nec mora: voto emisso, filius convaluit: et eo infra triduum facto sano, mater sua quod promiserat implevit.

resuscitantur submersus,

15 Vir quidam dehinc ejusdem parochiæ, qui perrexit balveatum circa molendinum quoddam; ibidem submersus, per spatium septem horarum, delatus est mortuus ad locum prædictum, ac super altare Virginis collocatur: et intercedentibus pro eo cunctis qui aderant, revixit et surrexit sanus. Simile contigit de quadam puella septem annorum, quæ sub rotam molendini ceciderat, mortua ab hora nona usque ad vesperum: quam cum ad locum præfatum apportassent, et voto facto ipsam perpetuam peregrinam beatæ Virgini deputassent, revixit.

et sub rota molendini elisa:

Vir quidam de Bruxella, pergens ad *b* furam, obviam habuit inimicos suos qui parati erant in necem ipsius. Hic in tanto discrimine constitutus, promisit se visitaturum prædictum locum si evadere potuisset. Et statim voto emisso hostes substiterunt, nec ad eum accedere potuerunt; et cognita causa hostes pacificantur: et ipse quod promisit devotus implevit.

Quidam liberatur a morte.

fur detentus in templo

16 Fur quidam sacrilegus deripuerat aliquid e præfato oratorio S. Mariæ Virginis ad Dolorosam Mariam: qui cum exire vellet per fenestram, qua intraverat, nec egredi valuit nec ingredi; sed cum præda ibidem divina ultione sistitur: donec veniente Custode, et preces ipsius beatæ Virginis pro eo intercedentis, liber abscedere permissus est, et fit peregrinus ejusdem Virginis.

EX. VS. infans amissus invenitur.

Quædam Militissa prolem suam amiserat, quæ devovens se cum eadem visitaturam locum prædictum, consolata est; et complens votum suum, obtulit ibidem duas imagines cereas pro utrisque.

Submersio vitatur

Mulier quædam alia de Bruxella, navigationi insistens, periclitata est: quæ cum promisisset oblationem se facturam in loco præfato, incolumis evasit, et quod promiserat exsolvit.

Sanantur æger desperatus,

17 Vir quidam de Mechlinia, nimio tumore prægravatus; a medicis desperatus est: qui facto voto, ut si convalesceret dictum locum visitaret, in brevi sanatus, quod promiserat implevit.

et puerpera.

Mulier quædam puerpera in *c* Sterrenbeka, in magna angustia partus constituta est; unde ceteræ mulieres, quæ circa ipsam erant, rogaverunt beatam Virginem, loci hujus illustratricem, ut per eam mereretur consolari et exonerari. Quo in instanti consecuto, visitaverunt prædictum locum cum oblationibus.

Furtum recuperatur

Quidam Bruxellenses aurum et argentum amittentes, furto quippe fuerant eis ablata, locum prædictum laneis induti visitare, et nudis pedibus peregre adire promiserunt, nec multo post fur est deprehensus.

sanatur febris,

18 Beguina quædam Lovaniensis febricitans, facto voto quod locum sæpedictum cum oblatione visitaret, curata est. Quæ accedens ad suam ecclesiam intra urbem, obtulit ibidem ea quæ promiserat: et statim iterato apprehendit eam febris. Tandem fecit sicut voverat, et tunc reconvaluit.

et dissolutio alvi;

Ministerialis quidam de Vossem, *d* pergens de civitate Lovaniensi, venit ad tres *e* tilias, ibique dissolutum est subtus ejus fundamentum, unde plurimum fuit anxiatus. Vovit igitur beatæ Mariæ loci prædicti perpetuo, et hereditarie delegare XXXVI solidos, et perfecte sanatus est.

periculum submersionis evitatur,

Quidam carpentator de Bruxella operando in Ardenna cecidit in fluvium *f* magnum: qui impetu suo vexit eum in locum remotum. Qui promisso voto, quod, si exire posset, prædicti loci peregrinus existeret; mox contra impetum aquæ enatavit et evasit.

innocens e carcere liberatur;

19 Famulus quidam Lirensis, rogatus a cognato suo perrexit foras extra civitatem cum eo: ubi reperto suo adversario, occiditur a cognato, et iste *g* capitur. Cum igitur fuisset in carcere multis diebus, videlicet XXII hebdomadibus, clamavit ad B. Mariam prælati loci Patronam, quatenus ab ea consolari mereretur. Nec mora infra triduum liberatur, ipsumque locum visitare non moratur.

curantur fistula

20 In villa quæ dicitur Lewis, *h* inter Hallos et Bruxellam, vir quidam portavit in crure fistulam per triennium. Qui desperatus a medicis totum se contulit ad rogandum Dominam nostram, promittens se locum sæpe dictum visitaturum. Facto igitur voto convaluit, et quod promiserat explevit.

et paralysis,

Quidam vir de *i* Foresto pergens Romam, cum distaret per diætam ab urbe, impotens omnium membrorum suorum effectus est: adeo ut neque procedere neque socios suos prosequi posset. Qui voto omisso convaluit: et die sequenti pergere cœpit et quam cito ceteri, ipse quoque repatriavit, et locum prædictum supplex visitavit.

panis inhærens [illegible] evomitur;

Quidam puer, micam panis habens in gutture, nulla arte rejicere eam potuit vel glutire. Cujus parentes votum emiserunt et Patronam prædicti loci invocarunt: atque in instanti puerum liberum et sanum evomito pane receperunt.

curatur phrenetica puerpera;

21 Mulier quædam apud villam, quæ vocatur *k* Wemmelo jacens in puerperio, rapta est in phrenesim: ut eam ligari oportuerit vinculis et compedibus. At mater ejus, nimium desolata, vovit

oblatione m

oblationem suam ad locum prædictum, et in ictu oculi prosilierunt compedes ab ea. Cumque igitur præcepisset eam mater arctius vinciri ; quidam vir bonus prohibuit qui astabat. Quæ statim reversa est ad seipsam et venit ad locum prædictum faciens oblationem suam, et portans secum compedes quæ miraculose resilierant. In Villa de *l* Scharenbeka, quædam mulier laborabat in partu tribus diebus et tribus noctibus : ita quod puer protulit brachium unum spatio unius diei cum dimi lio, nec aliter prodiit ; ita quod a mulieribus ibidem præsentibus denuntiaretur fore mortuus, et prægnans semimortua. Invocabant igitur omnes, sæpedicti loci Patronam et mulier edidit puerum, qui postea vixit novem hebdomadis.

22 Vir quidam ex parochia de *m* Crejinhem, qui omnia membra sua amiserat, lecto decumbens per spatium sex fere mensium, promisit se locum præmissum visitaturum cum tot hominibus quot posset ad hoc rogare. Qui voto emisso statim surgere cœpit : et post triduum baculo sustentante pergere cœpit, et locum prædictum sicut promiserat visitavit cum oblatione solenni : et baculum suum ibidem reliquit. In civitate Bruxellensi, apud Frigidum-montem *n*, puer quidam in ignem cecidit, adeo ut facies ejus tota combusta appareret ac pellicula nudata, sed et oculi exusti nusquam comparuerunt, ita ut visus ei videretur a medicis et chirurgicis irreparabilis sive irrecuperabilis. Itaque pater ejus et mater nimium dolentes, quid aggredi possent ignoraverunt. Interea Patrona loci præfati beata Virgo Maria apparuit infanti : et ut locum patronatus sui visitaret si visum recuperare vellet, admonuit. Accersito igitur patre, puer quid audierit indicavit eidem. Qui lætus effectus de promissione et certus de exhibitione, tulit puerum in ulnis, et ad locum infanti designatum devenit, ac orationem cum oblatione ibidem fecit. Qui antequam a loco discederet puer videre cæpit, et infra triduum integerrime sanatus fuit, adeo ut nec signum aliquod combustionis in ejus facie apparuerit.

23 Mulier quædam in civitate Thenensi *o* filium habuit octodecim annorum, phreneticum effectum, ita ut ligaretur manibus et pedibus, ne in alios desæviret. Hæc audiens referri miracula et prodigia, quæ fiebant in loco prædicto, promisit se eumdem cum argenteo puero, id est imagine argentea adinstar pueri, visitaturam : et statim emisso voto prosilierunt vincula de manibus et pedibus filii ipsius : qui sanus factus, venit cum matre, et illa implevit devote quod promiserat. In Fura fuit juvenis quidam, qui novem annis fuerat ruptus : cui Mater compatiens, promiserat se oblaturam in loco prædicto beatæ Mariæ tantum de tritico quantum corpori filii præponderare posset : et statim filius sanus et integer est repertus, et illa quod promisit legitime complevit.

24 Fuit quædam Begina Lovanii quæ litteras aliquas sive schedulas magni ponderis amiserat, unde valde extitit dolorosa : propter quod consultum fuit eidem ab aliis Beginis, quod promitteret locum sæpe dictum visitare. Nec mora : sequenti die consedentibus aliis advenit quidam niger canis expuens et evomens eas de ore suo. Conterritæ sunt autem omnes in aspectu ejus, sed postquam viderunt litteras restitui, glorificaverunt Deum, et ejus genitricem apud Dolorosam Mariam devotione sedula visitaverunt.

25 Mulier quædam in *p* Wesenbeka habuit prolem, quæ amisso latere effecta fuerat clauda. Hæc pluribus sanctis et locis multa promittens, nullum remedium experiebatur. Quadam igitur die ex impatientia, relicto puero in atrio solo, abiit ut mulgeret vaccam suam : et inter mulgendum recordata est tandem præscripti loci, ubi se suamque prolem mox venire devovit, si sibi sanitas concederetur. Et statim, postquam mulserat, reversa est domum, et invenit puerum stantem ad mensam quamdam, postulantem ab ea manducare. Quo nimium gavisa, vocavit eum ad se, statim sine ullo impedimento advenit. Moxque mater assumpto puero, hoc quod promiserat implens, oblationem fecit. In villa quæ appellatur *q* Diegem, fuit mulier habens puerum : cujus brachium auri adhæsit, quod nec movere quidem potuit. Hæc tantum de frumento pro puero ad locum prædictum se oblaturam spondens, quanti ponderis æstimari posset, in instanti obtinuit ejus sanitatem : nam brachium ab aure mox sejungitur, et ad quælibet facienda prompte movetur.

26 In Fura puer quidam ceciderat in puteum aquæ profundum : cujus mater cum ad locum præfatum se venturam promisisset, recepit eum vivum et sanum. Puer quidam in Boutsvoort habuit oculum, qui per triduum sanguinem effluxit : propter quod desperatus est visus illius oculi in posterum. Qui devotione devotus est ad locum istum B. Mariæ visitandum, et in continenti recepit oculum pulchrum, videntem et sanum. Matrona quædam peregre proficiscens, cum multis aliis de civitate Bruxellensi, ad S. Judocum super mare, tale infortunium cum suis incurrit in reditu. Nam casualiter contigit puerum quemdam expirare sub quadriga, in qua vehebatur, et crudeliter occidi. Propter quod judex, illius pagi arrestavit omnes, et captivavit. Cumque cernerent se in periculo constitutos, matrona præfata recordata est loci prædicti ac Patronæ ejus, promittens se ei puerum argenteum oblaturam, et miraculum hoc describi mandaturam, si ab eadem consolari mereretur : et statim insperate adjudicata est libertati.

27 Mulier quædam in Sterrenbeka periclitabatur in partu, quæ recordata Patronæ sæpedicti loci, rogabat eam ut partus, una cum *s* matrice misereri dignaretur : promittens se suamque sobolem per totam vitam peregrinas esse futuras, eique digna munera oblaturas. Quæ statim post votum, in ictu fracturæ unius ovi, exonerata est. Simili modo contigit Bruxellæ prægnantem periclitari, nec aliquo modo posse exonerari, donec emisso voto hoc quod petebat obtinuit. Puer quidam in vicinia ceciderat in quoddam vivarium *t* : cujus avia tristissima ex hoc redditur. Qui extractus et ad prædictum locum initiatus ac directus, statim vivus et sanus apparuit.

28 Mulier quædam in villa *u* Semse, languens per tres annos, admonita est a convicinis, ut præfati loci Patronam invocaret pro recuperatione sanitatis. Quod cum fecisset, convaluit, et locum ipsum infra novem dies cum numerosa comitiva visitavit. Notandum insuper, quod loci prædicti B. Mariæ ad Dolorosam Mariam convicini testati sunt, se vidisse XIII fures, per eamdem Dei Genitricem liberatos, ibidem advenisse, et laqueos ad colla suspensos ibi reliquisse.

k ... *l* aliaque periclitans. *m* paralysis, *n* facies combusta cum oculis, *o* phrenesis, ruptura *p* sanatur claudus, litteræ amissæ a cane redduntur, *q* brachium auri adhærens, lapsus in puteum ; fluxus sanguinis ex oculo. captiva liberatur, servantur prægnantes *t* lapsus in piscinam, *u* languens per triennium.

ANNOTATA D. P.

a Meldarium *in territorio Lovaniensi distat Bruxellis in Ortum* 6 *leucis, celebre cultu S. Hermelendis* 29 *Octobris.*

b Fura, *vulgo* ter-Vuren, *inter Bruxellas et Lovanium intervallo, palatium Ducum Brabantinorum, nomen habens ab istic oriente fluviolo, unica solum leuca a Rubea-valle, juxta quam* Superior Wolva, *ac deinde* Wolva S. Petri *et* Paulo *longius* Wolva S. Stephani, *vici in his Actis nominati a rivulo* Wolva *prætercurrente.*

c

A c Sterrenbeka *proximus Furæ vicus ad Boream.*

d *Etiam hic vicus prope Furam est, media leuca propinquior Lovanio.*

e *Fortassis in via quæ ducit Lovanio Mechliniam, ubi nunc diversorium notissimum, dictum* Ad quinque quercus, *et olim* tres Tiliæ *steterunt.*

f Mosam *aut* Mosellam *intelligo, hi enim Arduennam Silvam percurrunt inter Rhenum et Salam longe lateque porrectam. Certe non videtur intelligi posse* Sonia *circa Bruxellas* silva, *quam vix rivuli aliqui tenues ignobilesque intersecant, nisi hanc illius partem esse sentias, sicut olim revera fuit.*

g *Scilicet* famulus, *innocens cædis.*

h *Una tamen leuca extra viam et Hallis propinquior* Lewa *est.*

i *De* Foresto, *Bruxellis propiori jam egimus die præcedenti ad Acta S. Alenæ.*

k *Alias* Wemmel, *sesqui milliaria Bruxellis versus Boream.*

l *Ad ipsas fere urbis Bruxellensis portas.*

m *Inter utramque Wolvam S. Petri et S. Stephani, via fere media.*

n Frigidus-mons, *Aulica Bruxellis parochia.*

B o *Distant* Theuæ, *alias* Mons-Tillonis, *duplo fere spatio Bruxellis quam Lovanio, id est 8 leucis.*

p Wesenbeka *ipsi Wolvæ propinquus vicus, Lovanium versus.*

q Diegem *duplo longius indidem distat, versus Mechliniam.*

r *Colitur* S. Judocus *vulgo* Sint Josse 13 *Decembris, in ecclesia sui nominis, in Pontivio juxta Monasteriolum vulgo* Monstrœeul *prope mare.*

s Matrix, *ipsam matrem parturientem hic significat.*

t Vivarium, *piscina, stagnum, quod ibi vivi pisces serventur.*

u Semse, *alias* Semps, *inter Vilvordiam et Mechliniam.*

ALIA

Ex MS. Belgico.

C *Deerant huic MS. prima novem miracula ac rursum post decimum nonum alia decem : reliquorum ecgraphum missum Bruxellas ad nostrum P. Otthonem Zylium, atque ab eo ad P. Bollandum, sic Latine reddimus, addentes, ipsum MS. fuisse D. Advocati de Buscher.*

Muto datur loquela; Puer erat in vicinia mutus, pro quo cum votum factum esset, tertia die loqui cœpit : vidit autem ante se ardentem cereum, per tempus quantum est unius Missæ, et postea disparuit. Dum fabricabatur capella, operariorum unus novem diebus ac noctibus *incibato fabro vires sufficiuntur ad 9 dies;* continuavit laborem, magno cum animi sui gaudio, nihil interim manducans : quia videbatur sibi in pergula rosarum consistere coram Deo et Deipara. Prætori in Oppeghem elapsus erat e carcere fur, cujus causa metuebat ipsemet in quæstionem vocari; sed facto adeundi hujus loci voto, judicatus *pax conciliatur;* est culpam nullam habere. Inter Mechlinienses ac Bruxellenses quoddam exarserat dissidium irreconciliabile sed implorato Deiparæ ad S. Mariam Dolorosam auxilio, cum voto faciendæ oblationis, pax coaluit. Sciendum præterea, quod juvenes duo, Bruxellensis unus, Mechliniensis alter, cum laneos pannos venales attulissent, seque eorum causa viderent *lis sopitur;* vocandos in quæstionem, voverunt huc venire : et consolatione mox adepta, permissi sunt merces suas venum exponere.

D 30 Muliere quadam in partu laborante, fœtum mortuum esse denuntiabat obstetrix, nec procul a *ex voto adjuta puerpera* morte ipsam parturientem distare. Tunc præsentes omnes invocarunt Deiparam, quæ apud S. Mariam Dolorosam colitur; solatioque percepto, venerunt omnes simul cum duplici oblatione, pro matre ac fœtu. Alia mulier in Wolva S. Stephani, infantem cunis imposuerat sanum : reversa autem domum, et sinui suo illum imponens, nullum amplius vitæ signum poterat in eo deprehendere. Hinc conterrita cum iterum in cunis corpusculum reclinasset, abiit ad vicinas suas, orans Deiparam Mariæ Dolorosæ ut consolationem aliquam percipere mereretur. Intra *puer mortuus suscitatus;* se vero cogitans, quod si frustraretur spe sua, accepto infante clam discederet; iterum autem ad cunas regressa, invenit ulnis expansis ludentem. Tum vero convocatis vicinis omnibus casum eis retulit, puerumque ad Deiparæ Virginis attulit, multis de vicinia comitantibus, atque pro capite ejus bonam eleemosynam præsentavit.

31 In Semse mulier quædam languerat annis xv; cui tandem vicinæ suæ suaserunt Deiparam Mariæ Dolorosæ invocare : quod cum fecisset cito conva- *phthisica curata,* luit, votivaque peregrinatione sese exolvit, tertio E post die adductis quotquot poterat exorare comitibus. Vir quidam per calumniam fuerat rotæ impositus vivus; neque sciebat, quo deferente supplicium istud patiebatur : noctu autem apparuit Deipara prædicta, ipsumque a rota absolvit demonstrans ipsi *innocens absolutus,* auctorem cædis cujus fuerat reus judicatus : qui suam ipse rotam bajulans humeris, venit ad locum S. Mariæ Dolorosæ, accessitque ad hominem sibi indicatum; qui cum consanguineis occisi reconciliari obtinuit, et quam voverat peregrinationem solvit etiam ipse. Cuidam viro sic infirmabantur quatuor quos habebat equi, ut non nisi lanionem expectaret, qui ipsis pellem detraheret; interim de- *equi sanati* vovit eos B. Mariæ Dolorosæ; et omnes ad pristinam sanitatem redierunt.

INDULGENTIÆ

A duodecim Episcopis Romanæ Curiæ datæ.

Matthias, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis, universis et singulis præsentes litteras visuris, sive legi audituris, salutem in Domino. Præsentatæ fuerunt nobis litteræ Apostolicæ, in pergameno scriptæ, datæ Avenione sub *an. 1363.* F die XXVIII mensis Januarii anno MCCCLXIII, Indictione I, Pontificatus sanctiss. in Christo Patris Domini nostri D. Urbani Papæ quinti anno I, sanæ, integræ, illæsæ, et ab omni suspicione remotæ; quarum litterarum, per infrascriptum nostrum Secretarium, tenorem transumi, ac in publicam transumpti formam redigi mandavimus : volentes et decernentes, quod præsenti nostro transumpto publico stetur, illique detur et adhibeatur fides talis, quanta originalibus litteris adhiberetur. Hujusmodi vero litterarum tenor sequitur, et est talis.

Universis sanctæ matris ecclesiæ filiis, ad quos *a XII Episcopis,* præsentes litteræ pervenerint, Nos miseratione divina Cosmas Saraensis, Nicolaus Laicisanensis, Archiepiscopi; Albertinus Surmenensis, Raphael Archadensis, Robertus Danatensis, Joannes Aytonensis, Augustinus Salubriensis, Bertoldus Cisopolensis, Petrus Suaciensis, Joannes Armirotensis, Petrus Divoniensis, Thomas Silensis Episcopi, salutem in Domino Sempiternam.

Splendor divinæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium, de clementia ejus et majestate sperantium, tunc favore benigno *dantur visitantibus capellam* prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sancto-rum

A rum meritis et precibus adjuvatur. Cupientes igitur, ut capella S. Mariæ, dictæ vulgariter der Ellendigher Marien, in parochia Voluwe S. Lamberti, Cameracensis diœcesis, congruis honoribus frequentetur, et a Christi fidelibus jugiter veneretur; omnibus vere pœnitentibus, contritis et confessis, qui dictam capellam in singulis B. Mariæ festivitatibus, ac omnibus aliis infrascriptis, Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, per totam Quadragesimam, Parasceves, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis et Corporis Christi, Inventionis et Exaltationis sanctæ Crucis, SS. Petri et Pauli Apostolorum, et omnium aliorum Apostolorum, SS. Joannis Baptistæ et Evangelistæ, et omnium Evangelistarum, et quatuor sanctæ Romanæ Ecclesiæ Doctorum; in die omnium Sanctorum, et Commemoratione Animarum, dictæque capellæ Dedicationibus; Sanctorumque Stephani, Georgii, Laurentii, Martini, Nicolai, ac Sanctarum Mariæ Magdalenæ, Marthæ, Annæ, Margaritæ, Ursulæ, Dorotheæ, Barbaræ, Elisabeth, Catharinæ; et per Octavas omnium festivitatum prædictarum Octavas habentium, singulisque diebus Dominicis ac festivis, causa devotionis, orationis, aut peregrinationis accesserint; seu qui B Missis, Vesperis, Prædicationibus aut aliis divinis Officiis ibidem interfuerint, vel qui ad fabricam d. capellæ, luminaria, ornamenta, libros, calices, aurum, argentum, tam in eorum testamentis quam extra, donaverint, legaverint, seu donari, legari procuraverint, seu quovis alio modo dictæ Capellæ manus porrexerint adjutrices; vel qui pro salubri D statu Domini Episcopi præsentium confirmatoris, nec non pro Domino Henrico Wauss Presbytero Leodiensis diœcesis impetratore, ac pro animabus parentum, amicorum ac benefactorum suorum, et aliorum Christi fidelium in Purgatorio existentibus pie devoteque oraverint; quotiescumque vel ubicumque præmissa, vel aliquid præmissorum fecerint, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus benignitate confisi, singuli nostrum quadraginta dies Indulgentiarum, de injunctis iis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, dummodo diœcesani voluntas ad id accesserit et consenserit. In quorum omnium testimonia sigilla nostra præsentibus sunt appensa, *sicut adhuc apparet ex vestigiis funiculorum, per membranam inferius complicatam transmissorum, sed nunc cum ipsis sigillis revulsorum.* Datum Avinione, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo tertio, indictione prima, die vigesima octava mensis Januarii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Urbani Papæ quinti anno primo.

IX S.

pro variis festis

a singulis 40 dierum Indulgentiæ,

aliisque causis

In quorum fidem præsentes nostras sigillo nostro E sigillari, et ab infrascripto nostro Secretario subsignari curavimus; die decima quinta mensis Aprilis, anno Domini millesimo sexcentesimo undecimo.

MATTHIAS ARCHIEP. MECHLINIEN.

et confirmantur an. 1611.

De mandato Reverendiss. et Illustriss. Domini Archiepiscopi præfati.

Jac. van. Sasseghem Secret.

DE B. GERLANDO EQUITE

HIEROSOLYM. TEMPLARIONE AN HOSPITALARIO?

CALATAGIRONI IN SYRACUSANA SICILIÆ DIOECESI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

D. P.

De loco et actis Translationis, veterique et hodierno cultu sacri Corporis.

SEC. XIII

C Calatas *omnino novem Sicilia numerat, omnes in collibus positas; quarum quæ fuerit Ciceroni, in Verrem declamanti, nominata, Plinio et Antonino* Galata, *non est facile definire; sed facile contra Fazellum decernere, eas, quacumque nominis ratio sit, non esse a Saracenis sic appellatas, esto aliquas earum forsitan illi munierint. Inter ipsas specie et amplitudine nobilior ea est quam* Calatagirone *vulgus appellat, ad distinctionem aliarum, quarum nomina formantur additis nominibus* Belotæ, Biani, Busamari, Amari, Nixettæ, Sibettæ, Sini *et* Votoris. *Illa quam dixi, Syracusanæ diœcesis est, media inter Syracusas et Agrigentum via, opus verosimiliter* Hieronis *regis; Syracusani vel Primi, qui claruit anno Romæ conditæ* CCLXXVI; *vel Secundi, qui anno ejusdem Urbis* DXXIX *obiit, ambo Romanorum amicitia celebres, posterior etiam bonarum artium studio, cum priorem magis extulerit gloria bellica. Ipsa tamen civitas, quæ inter octo Regales Syracusanæ diœcesis tertium locum tenet, non tam ista sua antiquitate, aliisque rebus splendidis multis se jactat, quam quod in vetustissima S. Jacobi eademque Parochialium quatuor una, possideat* corpus B. Gerlandi de Alemannia *sive (ut alii appellant)* Joannis de Polonia *Equitis Hierosolymitani fortassis proprio nomine* Joannes *agnomine* Gerlandus *dicti ac patria quidem* Poloni, *sed appellatione magis generica* Alemanniæ *attributi.* Hujus Caput in theca argentea est inclusum, *inquit Rochus Pirrus,* Inventionisque ex revelatione S. Constantini XVIII Junii, Translationis vero die XIX ejusdem fit celebris memoria.

Calata Hieronis antiquissima civitas,

gloriatur corpore B. Gerlandi,

2 *Mortis, non solum dies, sed annus et seculum ignorantur; neque satis constat Templariorumne an Hospitalariorum Militum Hierosolymitanorum Ordini adscribendus sit; nedum quibus virtutibus potissimum emicuerit. Octavius Cajetanus noster, tomo 2 de Vitis Sanctorum Siculorum, Actis Inventionis et Miraculorum eam secutorum, ex tabulario Calatagironensi productis, inter Animadversiones sic ratiocinatur:* Dubitatum a F me est, fueritne B. Gerlandus eques Templarius, an Hospitalarius. Illud certum, ædem S. Mariæ *(in qua sepultus jacuit)* agrosque Calatagironum inter et Platiam, Ordinis Templariorum extitisse; unde ædi, agroque ac flumini nomen a Templo, Tenobio, hodie corrupte dicto Templariis extinctis, sub annum MCCCX, eorum bona Romanus Pontifex Clemens V, Equitibus S. Joannis Hospitalariis Hierosolymitanis donavit. At quonam anno B. Gerlandus vita functus est? Si ante annum MCCCX *(quousque Templarii locum tenuerunt in quo corpus inventum)* certe Templarius fuit: quo ævo ædes S. Maria et ager a Templariis possidebatur. Si vero post annum MCCCL defunctus est, Hospitalarius fuit. Quamquam plerique putant, Templarium fuisse, quod verosimile non sit, Gerlandum e vita migrasse intra spatium illud annorum, qui intercedunt a suppressis Templariis ad ejus Inventionem; quippe adeo brevi intervallo temporis superfuisset penes Calatagironenses Beati viri memoria,

is Templariis an Hospitalariis adscribendus dubitatur

primus fuit locus qui eorum fuit anno 1? ante inventionem corporis


A ria, ejusque vitæ ac sepulchri; neque intra annos XVII penitus obsolevisset. Revelatio tamen corporis B. Gerlandi, a D. Constantino facta, quasi ignorati alicui fuisse videtur, quæ a multis annis in hominum memoria non esset. Sed hæc haud multum evincunt: revelatio enim prædicta, non est ignorati viri ac sepulchri, sed ignoratæ viri innocentiæ. Etenim notus vir, quocumque loco ille humatus esset; sed Calatagironensibus occulta viri merita, ejusque vitæ sanctitas, quam Deus, detegente D. Constantino, palam factam voluit. Favet Hospitalariis Hierosolymitanis antiqua penes Calatagironenses B. Gerlandi tabula, in qua ille depictus, candida ad pectus Cruce, more Equitum D. Joannis.

posterioribus imagines omnes.

3 *Sed hæc non valde antiqua est utpote ipsamet quam spectandam et considerandam pagina versa proponit, repertam inter Imagines Sanctorum ac Beatorum sacri Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, recusas a Francisco Truglio, cum Vitarum compendiis ex Historiarum parte 1 et 2 Jacobi Bosii. Crucis enim expressæ forma, qualis hodie in usu est, sicut agnoscit ipse Bosius, octo punctis acuminata, multum differt ab usu antiquo Crucem formare solito cum angulis obtusis, uti videre est in gemina effigie, antiqua et nova, B. Ubaldescæ Pisanæ, ad diem XXVIII Maji. Leve ergo hoc quoque argumentum est, maxime cum ex Bosio nobis constet, quod circa eam interrogati anno* MDCXVI *Seniores civitatis responderint dixerintque, quod eam tabulam viderint in æde S. Jacobi positam ab annis triginta quinque, id est circa* MDLXXX. *Nodum tamen a Cajetano propositum, utcumque mihi solvere videtur idem Bosius, cum censet B. Gerlandum obiisse annis quidem ante inventionem corporis octoginta quatuor, atque adeo circa* MCCXLIV, *annis LXVI ante extinctionem Templariorum; integre eum soluturus si pariter doceret vel locum Templi a Templariis ad Hospitalarios citius transivisse per emptionem vel commutationem, aut se-*

sed hæ non sunt anno 1580 vetustiores,

et Bosius illum dicit floruisse an. 1244,



pultum in alieno ipsi Beato extra suum locum reddere rationem. Nunc cum neutrum ille fecit, fortior præsumptio semper pro Templariis stabit, quorum locus is erat; suspicerque eos quibus laudata Ecclesia et locus fuit, subticuisse in Actis describendis verum Professionis titulum, licet sibi non ignotum; quia is, propter malam tunc Templariorum famam fuerit abominationi in vulgo.

quod pro Templariis militare videt.

D

4 Quod ad cultum attinet pergit in Animadversis idem Cajetanus atque ait, quod festo Translationis die Missa olim de Communi Confessoris non Pontificis decantabatur; Reliquiæ ejus capitis per sacram D. Jacobi ædem, in qua corpus servatur, deducebantur; eadem in æde imago est B. Gerlandi, miraculis circumpictis. Ceterum B. Gerlando honores publici diutius a Calatagironensibus tributi; sed iis interdixit sub annum ferme MDXC Joannes Horoscus, Episcopus Syracusanus: qui cum Calatagironum, quod in Syracusana Diœcesi est, inviseret, festum Beati viri diem celebrari prohibuit, donec miracula legitime probata, et auctoritate Ecclesiæ jurata demonstrarentur. *Nempe excepta illa solum inveniebantur* decreto Bajuli, Judicum et Juratorum Patrum Civitatis Calatagironensis. Quam ob causam, ut mihi retuli, Joannes Episcopus Syracusanus festum B. Gerlandi diem peragi vetuit. *Permissum est verosimiliter, si videre contigisset* Instrumentum, *quod tabularium Ecclesiæ Agrigentinæ scrutanti Cajetano postea in manum venit quo* duorum Episcoporum Thomæ Syracusani et Philippi Agrigentini auctoritate excepti jurati testes sunt miraculorum duorum.

Soleantur ob antiquo cultus

circa 1590 abrogatur,

quia videlatur alsque Episcopi auctoritate inductus.

E

5 *Post hæc verba sic progreditur Cajetanus.* Exscriptum id Instrumentum apud me habeo, et rogatum est anno Dominicæ Incarnationis 1331, die 22 mensis Octobris, 15 Indictionis. Porro miracula. in oppido Leocatæ Diœcesis Agrigentinæ excerpta hoc instrumento, sunt illa quæ acciderunt Jacobo de Naso. et filio Marcantii de Laurentio. Et credibile est, Thomam, Episcopum Syracusanum, qui miracula B. Gerlandi jurata excipi in aliena Diœcesi curavit, multo magis in sua idem fieri jussisse; sed fortasse Acta amissa sunt, ideoque ad Joannis Oroscei Episcopi notitiam non pervenere, *per quæ cessasset defectus auctoritatis Episcopalis ab illo requisitæ. Porro ad Acta Calatagironensia subscripti etiam leguntur hi versus, prioribus veri more contexti Leonino stylo, et aliquam inventionis notitiam præ se ferentes.*

sed aliud probant Acta anni 1331,

O quam Gerlandus mirabilis est numerandus,
Sanctus Theutonicus, divinis rebus amicus
Nam tumulo flentes, infirma mente luentes,
Qui pius a teneris miserator dum fuit annis,
Cultor felicis zelans pie Dei Genitricis.
Cuncti morborum sani rediere suorum.
Nunc fuit inventus, redolens tellure retentus,
Est Domini dono donatus Caltagirono.

F

6 *Petii ut mihi ipse liber Actorum Calatagironensium transcriberetur: quæ dum expectabam, placuit ex prælaudato Bosio prælo aptare Synopsim historicam earum Notitiarum, quas ille quidem jam inde ab anno* MDCII *conquirere cœpit in ordine ad iteratam Historiæ suæ Hierosolymitanæ editionem, sed non ante annum* MDCXXI *evulgavit. Ex hac autem editione primum ipse Bosius excepit imagines vitasque Sanctorum, et ut alia sua opera omnia verosimiliter etiam Romæ excudi fecit haud diu post: quas deinde laminas ipsas nactus Franciscus Truglius Panormi in Sicilia recudendas dedit, inscripsitque Fr. Carolo Aldobrandini, Commendatori et sacri ipsius Ordinis ibidem Quæstori, anno* MDCXXXII *exeunte. Italice scripta Historia illa fuit, nec adhuc Latine reddita, quod ego quidem sciam. Interpretis igitur officio hic fungar: apta est enim Ecloga hæc majorem lucem præferre vel Originalibus quæ exspecto Actis, vel saltem compendio eorumdem invento apud Cajetanum: qui Bosio vel Truglio uti non potuit, utpote Vita functus anno* MDCXX *die* VIII *Martii: dignus cujus effigies Romæ superiorum jussu sculpta spectetur,* cum epigraphe qua genere, doctrina, et Sanctis moribus conspicuus

quæ dum expectantur,

præmittitur Synopsis ex Bosio

A conspicuus perhibetur; *sicut legitur in Bibliotheca Societatis nostræ.*

SYNOPSIS HISTORICA

Ex Italico Bosii apud Truglium.

Circa 1242

Circa annum salutis partæ millesimum ducentesimum quadragesimum secundum, floruit in magna opinione Sanctitatis, in Siciliæ insula, nobilis Eques Illustrissimi Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, Fr. Joannes a Polonia, *a* sive (ut alii scribunt) Gerlandus ab Alemannia. Qui illuc sicut verosimili ratiocinio colligitur, ab Ordinis Magistro et Hierosolymitano Convento, ad inspiciendas regendaque possessiones Ordinis *b* ibi sitas; aut forsitan ultro illuc progressus in comitatu Friderici II Imperatoris tunc insulæ Regis, solebat ut plurimum commorari in civitate *c* Calatagirono: ubi Deo serviens sincero affectu, sub obedientia Superiorum, exemplis miræ sanctitatis, ut verus Christi miles effulsit. Nam viduas protegens, pupillos defendens, oppressos sublevans, consolans afflictos, egentes adjuvans, sub habitu exteriori splendidi Equitis gestabat horridum ad corpus cilicium: ipsumque suum B corpus macerabat severissimis disciplinis, *d* rigida abstinentia, longo frequentique jejunio, et assidua ferventique oratione. In hunc modum vitam plane Angelicam ducens super terra, impressit civium illorum animis firmam raræ virtutis æstimationem: ac denique humanæ suæ peregrinationis finem fortunatissimum est consecutus.

a in Sicilia florens B. Gerlandus

b

c ibique sancte mortuus,

d

2 Anima in cœlos delata ad Christianarum suarum virtutum præmia percipienda: corpus, cum intimo istorum populorum sensu ac lacrymis, præsertim pauperum et egenorum, sepultum fuit circa ipsam civitatem: ubi per longam annorum seriem Altissimo placuit testimonium reddere sanctitati ipsius, sanando *e* infirmitates complures occurrentium fideliter ad ejus sepulcrum. Verum per calamitates publicas belli ac pestilentiæ, aliarumque humanarum miseriarum, et revolutiones regiminis *f* in Insula prædicta, quarum omnium haud minimam partem Calatagironensis civitas sustinuit, in oblivionem abiit sepulturæ venerabilis locus: donec post octoginta *g* quatuor annos ab obitu prædicto, placuit Deo, ad commune populi istius solatium, qui huic Sancto devotissimus semper fuerat, corpus ejus protrahere in lucem. Etenim Sanctus quidam *h* Constantinus, apparens Jacobo *i* Calatasimi, Calatagironi C commoranti, eidem revelavit quod corpus sanctissimi istius Equitis sepultum jaceret in ecclesia S. Mariæ, a Templo cognominatæ, foris dictam civitatem, quæ ecclesia nunc destructa jacet; ostendens ei ipsum præcise locum sepulturæ.

miraculis claruit.

e

f Corpus oblivioni datum, revelatur,

g

h

i

3 Hoc ille cum suis quibusdam amicis revelasset, simul omnes abierunt ad dictam S. Mariæ ecclesiam: et humum fodientes eo quem Jacobus indicabat loco, reipsa invenerunt capsam, intra quam Reliquiæ istæ sacræ requiescebant, unde mox suavissima fragrantia extitit toto templo diffusa. Res ea contigit XVIII Junii, anno MCCCXXVII *k*. Accurrit ad diditam inventionis talis famam omnis civitatis istius populus; et de mandato Juratorum ex decreto Consilii ac Magistratus, summa cum reverentia et honore translatus thesaurus novus est ad ædem gloriosam S. Jacobi, eo loci Patroni ac Protectoris. Et hic placuit Deo ad sui nominis honorem ac laudem intercessione ipsius Sancti vetera renovare miracula; Quotquot enim infirmi, contracti ac debiles illuc accedebant, miro valde modo curabantur; illi præsertim, qui viva cum fide læsas sui corporis partes aut male affectas tingebant vino, in quo ablutæ Reliquiæ fuerant. Tam multa autem miracula illa fuerunt, ut Magistratus et Jurati Calatagironenses, ne oblivio quoque illis obreperet, D curaverint juridicum examen institui. Hinc testium supra nonaginta quinque auditorum et examinatorum depositiones, quæ consignatæ reperiuntur in codice, qui fide publica custoditur in armario sive arca Privilegiorum civitatis.

et suave fragrans refoditur an. 1327.

k

Eo translato in civitatem crebrescunt miracula.

4 Autenticum illius Manuscripti transsumptum, subscriptum manu Mag. Notarii Francisci Fide, et sigillatum sigillo Communitatis, missum fuit Serenissimo Magno Magistro Fr. Aloysio de Wignacourt: qui summopere desiderans conservari memorias Equitum suorum religiosorum, speciali fortitudinis, virtutis ac sanctitatis laude celebrium, cum recudenda esset pars prima Historiarum hujus sacræ Religionis, recenter a me amplificata et aucta; non solum curavit adipisci mihique transmitti prædictum ecgraphum: sed etiam, ne posset quomodocumque dubitari utrum Sanctus prædictus, passim nominatus B. Gerlandus de Alemannia vere fuerit Eques ipsius Religionis; commisit Fr. Don Josepho de Inga, Equiti Calatagironensi, ut informationes juridicas ibi super ea re rite confici peteret. Fecit is obedienter quod jussus erat, et per memoriale Curiæ juratorum oblatum supplicavit fieri quod Magister rogabat. E

Processus super ius formati ecgraphum

Auctori transmissum

5 Itaque de mandato Spectabilis D. Jacobi de Claromonte, unus ex supradictis Juratis, die XXI Julii anno MDCXVI fuerunt in Curia supradicta in forma et Juridice examinati novem testes, ex senioribus, nobilioribus, et præcipuis Catalagironensibus; qui omnes concorditer et conformiter deposuerunt et fidem amplissimam fecerunt, quod ab annis triginta quinque retroactis in ecclesia parochiali gloriosi S. Jacobi Apostoli et Patroni civitatis depicta habebatur imago B. Gerlandi de Alemannia, a majori parte testium appellati Gerlandi de Polonia, Equitis sacræ Religionis Hierosolymitanæ, nunc Melitensis, ad cujus imaginis collum ac supra chlamydem pictum erat signum Crucis albæ, ejusdem formæ et figuræ, qua hodie ipsam portant Equites prædictæ Religionis: quodque in eadem imagine spectatur accinctus gladio accinctus: quodque ab illo tempore in d. ecclesia et ad altare ipsius imaginis cum multa devotione solebat quotannis festum celebrari coram frequentissimo populo mense Junio in memoriam inventionis sacrarum ejus Reliquiarum. Affirmantes insuper quod circum præd. imaginem appensæ erant multa miracula picta, velut facta per F Sanctum; unanimiter idem deponunt singula prædicta esse vera et sibi certa, tamquam testibus de visu.

et an. 1616 alii testes auditi,

de imagine ante annos 34 picta, in habitu Hospitalarii,

et appensis ad eam votis.

6 Primus qui mihi communicavit notitiam hujus Sancti Gerlandi a Polonia sive ab Alemannia, instando ut ejus mentionem facerem in hac mea historia, fuit Commendator Fr. Jucundus Accarigius Senensis, Secretarius Cameræ rationum et communis ærarii ejusdem sacræ Religionis, Eques magnorum meritorum, prudentiæ et fortitudinis; qui cum esset Quæstor Religionis Leocatæ in Sicilia, accepta ab indigenis summaria relatione sanctitatis atque miraculorum B. Gerlandi; zelo ut par erat magno ductus, pro honorifica illius mentione in sui Ordinis Historiis procuranda; qualem reipsa a me obtinuit in nupera editione primæ partis earum novo studio amplificatæ illustratæque; ubi etiam effigiem ejus exprimendam curavi, omnino talem qualem supra vides; atque ut haberetur de eo omnis illa certitudo quam historica veritas requirit, institit apud Magistrum Ordinis, ut ejus auctoritate interposita fieret quantum supra factum dixi.

Ejus ectypon Auctori missum.

7 Postmodum ab Equite Fr. Alexandro Benci, cum Commendatore Calatagironi, nunc autem S. Sepulcri

Fuerant etiam an. 1331 excepta miracula quædam,

Sepulcri Florentiæ in patria sua, missum mihi est instrumentum authenticum, confectum Leocatæ anno MCCCXXXI unde apparet quod de mandato expresso per litteras patentes Fr. Philippi Episcopi Agrigentini ad Rusticum Antelmi, Presbyterum et Capellanum S. Mariæ de Monte Leocatæ; atque ad instantiam Petri Episcopi Syracusani, verificata fuerint aliquot miracula B. Fr. Gerlandi ab Alemannia sive Polonia per examen et depositiones plurium testium: ex eodemque instrumento probatur quod jam inde ab annis circiter trecentis ipse Fr. Gerlandus de Alemannia sive Polonia fuerit nuncupatus Beatus. Denique idem Commendator S. Sepulcri Fr. Alexander Benci misit mihi attestationem authenticam quinque testium qualificatorum, qui coram Curia Juratorum examinati die XXIV Octobris MDCXIX cum jurejurando affirmarunt, iterum a se visam in ecclesia S. Jacobi Parochiali pictam imaginem B. Gerlandi, accincti gladio atque in pallio ferentis Crucem, octo punctis notabilem, qualis hodie in usu Ordini est. Iidemque nobiles viri Calatagironenses asseverant, quod festivitas ipsius B. Gerlandi solebat agi cum tanto concursu populi, ut ea esset una ex præcipuis toto anno apud se solennitatibus.

et auditi testes an. 1619.

ANNOTATA D. P.

a *De nomine* Gerlandi, *dixi in Commentario prævio.*

b *Utinam explicaretur initium possessionis, Equitibus Templariis datæ apud Calatagironum! Uterque enim ordo Hierosolymis cœpit circa an.* 1120, *et uterque viris Sanctis sub initium claruit: nec scio cur ad* 13 *seculum differatur* Gerlandus *nullo adducto argumento.*

c *Igitur, ut Hospitalariis adscriberetur* Gerlandus, *demonstrandum circa Calatagironum essent possessiones eorum: quod non fit; sed solum ostenduntur fundi Templariorum.*

d *Hæc omnia, ex congruo præsumpta potius, quam certius cognita, possunt jure videri.*

e *Nihilo certius præsumitur sanctus claruisse miraculis, ante sui corporis revelationem.*

f *Mortuo Friderico II, sub tutelæ specie tyrannidem occupavit Manfredus Nothus: quo denique extincto, Sicilia ad Frances transiit, anno* 1265; *quibus anno* 1282 *deletis, Aragones regnum obtinuerunt, sed his quoque male concordibus, usque ad an,* 1336, *calamitates plurimas passi Siculi sunt, publice ac privatim, inter quas haud mirum fuerit memoriam* B. Gerlandi *obsolevisse, aut etiam penitus excidisse, licet seculo fortassis non integro elapso.*

g *Unde in argumento tam incerto, tam certa definitio temporis? supra dixerat, circa an.* 1244 *floruisse, non obiisse sanctum. Quod ad Fridericum II attinet, hic in Syriam transfretavit, et Hierosolymam recuperavit; si tamen recuperasse dici potest, quam mox incustoditam dimisit an.* 1228. *Idem Templariorum gravissimus hostis fuit; nec scitur de Hospitalariis usquam bene meritus. Eorum historiæ, ad an.* 1232 *dicto, narrant tantum, quod a Papa petierit res suas, in Syria possessum euntes, Hospitalariis commendari, quasi plus illis fidens: quamvis Rochus Pirrus eum dicat tom.* 1 *pag.* 18 *horum æque ac Templariorum bona in Sicilia occupasse. Idem denique post reditum suum in citeriori Sicilia, id est Neapolitano regno, ut plurimum egit; Ecclesiæ et Pontifici gravis vicinus. Potuit tamen cum illius classe rediisse in Occidentem Gerlandus, si Hospitalarius, non Templarius fuit.*

h Constantinum Sanctum, *nullum nunc novit Sicilia: nisi forte Imperatorem quem non videtur hic intelligere Bosius: sed aliquem Siculis vulgo notum: Cajetanus dubitationem hic suam silentio texit.*

i *Cajetanus vocat* Domum, hospitalis S. Joannis Præceptoriam.

EX ITAL. I. BOSII.

k *Ita tunc forsitan aliqui, saltem Siculi, numerabant annos Christi; alii quatuor annos amplius numerantibus; ita ut fuerit ab his notandus, uti mox demonstrabitur, annus* 1331: *atque ita miracula quæ Cajetanus invenit Agrigenti notata* 22 *Octobris, contigerunt infra quartum ab inventione mensem.*

His ita deductis daturus eram ex Octavio Cajetano Inventionem et miracula B. Gerlandi *si non obtinerentur originalia Calatagironensium; quando ea accepi per nostrum P. Conradum Janningum mense Julio præterito Roma Missa, cum illius epistola beneficii auctores sic laudante.*

Si multi, Patribus nostris, Collegium Calatagironense incolentibus, pares forent in promovenda gloria Sanctorum patriæ suæ; veracius aliquanto foret hoc opus nostrum quantum quidem veracitas ejus pendet ab informationibus, quæ nobis, submittuntur) et minus impendiosum auctoribus. Scripsi non ita pridem ad R. Patrem Rectorem Collegii prædicti, tunc mihi ne nomine quidem notum, Franciscum Falseca, rogans, ut Acta Inventionis et miracula B. Gerlandi, quæ mutato stylo atque interpolata tomo secundo Sanctorum Siculorum legenda dedit P. Octavius Cajetanus; ipse nobis describenda curaret verbotenus ex originali, quod anno MCCCXXVII factum, solicite servatur in archivo civitatis Calatagironensis. Nec pluribus fuit opus, ut P. Rector curam ejus rei committeret R. P. Francisco Aprili, in eodem collegio sacræ Theologiæ Professori, et sacræ inquisitioni a censura librorum. Is vero sine mora Illustrissimum urbis Senatum convenit: rogavit gratiam sibi fieri extrahendi ex archivo memorata Acta, describendique: et obtinuit utrumque; et præstitit accurate, plus etiam quam petieram. Quippe præter testimonium suum affirmantis, exemplar cum originali concordare; addendum curavit etiam testimonium rei ejusdem publicum *cum sigillo* urbis gratissimæ Calatagironi: et R. P. Rector pro expensis, in prædicta factis, maluit compensationem a Beato, cui potissimum facta sunt, expectare; quam a nobis illa sibi retribui. Mitto R. V. cum hisce ipsa Acta, jam fere parata ad prælum, additis nonnullis observationibus, tum a P. Aprili suggestis, tum aliis.

MIRACULA S. GERLANDI

Primo post Inventionem semestri

Publica auctoritate consignata

Ex originali MS. Civitatis.

CAPUT I.

Miracula per mensem Junium patrata.

B. Gerlandi per revelationem inventio,

Miracula, quæ pius et misericors Dominus noster Jesus Christus ob sui misericordiam infrascriptis personis facere et operari dignatus est, spiritu et meritis Beati Gerlandi de Alemannia *a*; cujus reliquiæ per S. Constantinum Jacobo de Calatagirono, habitatori hujus terræ Calatageroni, revelatæ fuerunt, et in sepulcro Ecclesiæ S. Mariæ de Templo *b* per dictum Jacobum inventæ fuerunt XVIII præsentis mensis Junii hujus XIV, indictionis MCCCXXVII *c* quæ in ecclesia S. Jacobi *d* de Calatagerono fuerunt postmodum *e* honorifice collocatæ, demonstratæ et probatæ in præsentia Bajuli, judicum juratorum et quam plurimarum publicarum et aliarum personarum terræ prædictæ, in eadem ecclesia existentium: et de his omnibus satis plene constat, et series subscripta *f* declarat.

multa ad ejus invocationem fiunt miracula.

EX MS. Curantur die 21 Junii paralysis immedicabili,

A 2 Lofredus de Aydono, habitator terræ prædictæ Calatageroni sub jure jurando dixit, quod ipse passus fuit in tibia quamdam infirmitatem, quæ appellatur gutta, cui per medicos cura non poterat adhiberi, xxi dicti mensis Junii ad Ecclesiam prædictam S. Jacobi adivit, ubi Corpus prædictum extitit collocatum : et lavans se tibiam *g* ipsam de vino, quo dictum Corpus lotum fuerat, immediate fuit pristinæ sanitati restitutus : de quibus plene constitit.

et alia 7 annorum,

3 Perloysia, filia Burgii de Ardizono, habitatrix terræ Calatageroni, sub eodem jure jurando dixit quod ipsa patiebatur paralysim, jam sunt anni septem, et ex ea ita contracta, et oppressa erat, quod pedibus suis ambulare non poterat, imo vix deferebatur manibus aliorum et per omnes juncturas sui corporis doloris nodis tenebatur adstricta. Delata ad Corpus prædictum, habens devotionem in sanctum prædictum, quam primo habuerat, sanitatem recepit : et de hoc constitit per jus jurandum ipsius et parentum suorum.

brachium inutile,

4 Jacobina, Uxor Gulelmi de Luchiano de Calatagerono, sub eodem jurejurando dixit, quod Perrotius, filius suus anniculus, patiens imbecillitatem in brachio, ob quam de dicto brachio nihil poterat B operari, nec etiam brachium ipsum movere; delatus per eamdem matrem suam ad Corpus prædictum, vires in brachio prædicto resumpsit pristinas, et sic ex eo incolumis est effectus : et de hoc constitit per jus jurandum legitimi numeri.

paralysis tibiæ,

5 Bonagratia, Uxor Raynaldi de Murro, sub eodem jurejurando dixit, quod ipsa patiens in tibia dextera guttam ex qua gravi dolore languebat, et habens recursum ad prædictum Corpus, de prædicta passione est liberata : de quibus constat.

aliud brachium,

6 Bella, Uxor Severini de Severino, sub jurejurando dixit, quod ipsa habens rheuma in brachio, dextro, lavans se brachium ipsum de vino prædicto de ipsa infirmitate extitit liberata : de quibus plene constitit.

et alia paralysis incurabilis,

7 Jacobus Gallicius et Alexandra Jugales, habitatores terræ Calatageroni, sub eodem jurejurando dixerunt, quod ipsis habentibus filiam annorum trium, patientem infirmitatem quamdam incurabilem, quæ dicitur gutta in diversis sui corporis partibus, ex qua dolor sedulus corpus ejus juvenile, delicatum, et tenue affligebat; adducentibus eam ad Corpus prædictum, et abluentibus eam ex dicto C vino, in continenti ipsa eorum filia a prædicta infirmitate extitit liberata : de quibus plene constitit.

mulierum duarum rheuma,

8 Clara, uxor quondam Constantii Scarani, et Bonagratia de Nicolao Grasso, de Calatagerono, sub eodem jure jurando dixerunt, quod ipsæ patientes infirmitatem immodicam, quæ dicitur rheuma, a cujus passione ita tenebantur, ut earum molæ ipsis viderentur evelli; et sumentes de vino, quo dictum Corpus lotum fuerat, restitutæ sunt pristinæ sanitati : de quibus plene constitit.

puer varie cruciatus,

9 Manella mulier, sub eodem jurejurando dixit, quod ipsa habens filium unius mensis, dolorem nimium in diversis sui corporis partibus patientem, votum vovit pro eodem filio suo ad dictum Sanctum ; et offerrens se in honorem Sancti prædicti exhibere tantum pondus ceræ, quantum corpus dicti pueri ponderabat; xxi dicti mensis Junii dictus puer a prædicto dolore extitit liberatus: de quibus satis plene constitit.

h rheuma unius,

10 Princissa *h*, uxor Troxelli de Portis, de Calatagerono sub jurejurando dixit, quod ipsa patiens rheuma in brachio dextero ac habens aciem oculorum seu pupillam, caliginem patientem, xxi dicti mensis Junii habens recursum ad Corpus prædictum, et lavans se brachium prædictum ex dicto vino, a prædicto rheumate extitit liberata, de oculis suis etiam bene se habente, et evanescente protinus caligine prædicta, de quibus plene constitit. D

i et alterius die 22 Junii,

11 Bartholomæus de Gruttabassa, *i* sub eodem jurejurando dixit quod ipse habens rheuma in tibia decurrens usque ad volam pedum, per multum tempus firmiter non poterat ambulare ; et xxii dicti mensis Junii ad dictas Reliquias cum devotione se conferens, et eidem Sancto pias in domino preces fundens, de prædicta infirmitate extitit liberatus : de quibus plene constitit.

k brachium paralyticum unius.

12 Muscata, *k* mulier uxor Ventorini de Bonagratia, habitatrix terræ Heracleæ et idem Ventorinus maritus ejus sub jurejurando dixerunt, quod ipsi habentes quemdam filium, qui nominatur Marchisius, ætatis annorum decem vel circa qui ab octo annis citra passus est in brachio sinistro quamdam infirmitatem, ob quam non poterat claudere pugillum, nec ipsam manum extollere, nisi usque ad maxillam sinistram; et patefacto eis de inventione d. sancti Corporis, contulerunt se ad dictum Corpus, secum d. filium suum pie et devote ducentes : et prosternentes se ante d. Sancti sepulcrum, cœperunt ab eo cum lacrymis flagitare suffragium : et ex quodam membro dd. Reliquiarum tacto brachio prædicto d. pueri, puer ipse sui corporis recepit optatam salutem faciens de Manu ipsa ut sanus : de quibus plene constitit. E

m et alterius

13 Realis *m* mulier, uxor Nicolai Capodicasa de Heraclea, sub eodem jurejurando dixit, quod ipsa habens filium suum ætatis annorum quinque, qui ex duobus annis citra passus est in brachio dextero quamdam infirmitatem, ob quam non poterat claudere pugillum, nec ipsam manum extollere, nisi usque ad Maxillam dexteram; patefacto sibi de inventione Corporis, cum devotione contulit se ad d. sanctum Corpus, d. filium suum perducens ad dd. Reliquias : et ex quodam membro d. Corporis tacto præd. brachio d. pueri, puer ipse de infirmitate præd. protinus convaluit; de quibus plene constitit.

et tertii;

14 Alamanna de Novello, Uxor Verardi de Presbytero, habitatrix terræ Heracleæ, sub eodem jurejurando dixit, quod ipsa habens filium quemdam ætatis annorum sex jam sunt anni quatuor infirmitatem in brachio dextero et in latere tibiæ dexteræ patientem, ob quam de dd. brachio et tibia non poterat aliquid operari, sed gravi dolore, imo graviori pœna squallidus, maceratus, et quasi exanimis stabat; patefacto sibi de inventione d. Corporis, duxit filium suum ad sanctum Corpus præd. et F ex quodam membro d. Corporis, tactis prædictis [brachio et] tibiæ latere d. pueri, puer ipse, quam primo habuerat, sanitatem recepit : de quibus plene constat.

die 25 Junii puer usu membrorum destitutus,

15 Jacobus Gambinus sub eodem jurejurando dixit, quod Joannes filius suus, a tempore suæ nativitatis usque ad xxv diem d. mensis Junii, erat membris suis adeo imbecillis et tenuis quod ambulare non poterat; sed ad serpentis modum reptabat et anhelitu et passione graviter tenebatur. Et dum audiret Miracula d. Sancti, detulit d. filium suum ad d. Corpus; et loto eodem præd. filio suo de vino, præd. ac osculante ipso puero Reliquias d. Sancti ipse puer exiliens stetit et ambulavit, omni turba spectante, stupore attenta, et omnium collaudante : de quibus plene constitit.

n manus retorta,

16 Andreas de Cara Mercerra *n* de Calatagirone, patiens quamdam infirmitatem in manu dextera (jam sunt anni duodecim) ob quam ex d. manu non poterat aliquid operari, imo ipsam retortam tenebat; conferens se cum devotione ad præd. Reliquias, quam in ipsa manu (jam sunt anni decem) sanitatem amiserat, immediate recepit : et de his plene constitit.

17

A *impotens incedere,*

17 Jacobus Lombardellus, habitator Casalis Odogrilli, sub eodem jurejurando dixit, quod ipse a genibus inferius erat adeo incurvatus quod non poterat ambulare, sed in lecto per multum temporis spatium stetit ægrotus, et postea quasi effectus erat sanus. Et a die lunæ XXIV die mensis Junii superveniente sibi d. infirmitate, ambulare non poterat, et in lecto jacebat; et habens devotionem ad d. Sanctum, fuit delatus de præd. Casali Odogrilli equester super quodam animali, ad Reliquias præd. ex desiderio animi voto proponens accedere. Et ut descendit de d. animali prope d. Ecclesiam, ubi est Corpus præd. quam amiserat recuperavit salutem; nam multis videntibus ambulavit; et de hoc constitit per jusjurandum quam plurium testium.

die 29 Junii paralysis totius corporis,

18 Joanna, uxor Francisci Scapillati, habitatrix Casalis S. Basilii de Calatagirono, sub eodem jurejurando dixit, quod ipsa dira paralysis ægritudine tenebatur, ita ut jam per multum tempus nullo ad humanos usus officio fungeretur, omni ex parte præmortua, vix tenui spiritu palpitabat : cui cum nullus quodpiam potuisset præbere solamen; penultimo d. Mensis Junii super quodam animali ad Corpus præd. cum cordis affectu pro pedum officio ut ad Reliquias d. Sancti deferretur accessit: ad quas cum prævenisset et tetigisset, ex contactu præd. Reliquiarum cœperunt paulatim singula ejus membra vivificari, donec firmatis gressibus populo teste surrexit, et ambulavit; et sic in membris ipsis quam primo amiserat, sanitatem recepit. B

podagra,

19 Antonius de Nazara, habitator terræ Platiæ, sub jurejurando dixit, quod ipse habens filium suum Severinum nomine, qui, (jam est annus dimidius et plus) adeo erat podagrico dolore contractus et quassus, quod non poterat ambulare, nisi baculo pro sustentatione adhæreret ambabus manibus incurvatus; detulit propterea super quodam animali d. filium suum ad d. Corpus, et sumens d. puer vino præd. ac præd. Reliquias osculans, incolumis est effectus, et sine aliquo sustentamine a multis visus est propriis pedibus ambulare : et quod habebat præd. infirmitatem, constitit per multos testes.

o auditus amissus,

20 Perronus de Cantelmo, *o* habitator Leontini, sub jurejurando dixit; quod ipse Perronus, postquam surrexit a somno (jam sunt dies novem) auditus facultatem amisit. Et cum primum ipse audiverat de Miraculis d. Sancti, penultimo d. Mensis Junii se contulit ad d. Corpus; et deosculans Reliquias ejus, ac sumens de vino præd. ipsum recuperavit auditum : de quibus plene constitit. C

puer incurvatus,

21 Flos, uxor Rogerii de Martorano, habitatrix terræ Platiæ, et Bartolinus filius ejus, sub eodem jurejurando dixerunt, quod d. Bartolinus a festo paschæ Resurrectionis Dominicæ primo præteritæ, erat in tantum genibus incurvatus, quod ab uno loco non poterat se movere; et penultimo mensis Junii præd. Bartolinus fuit delatus ad d. Corpus; et deosculans Reliquias d. Sancti sanitatem recepit : et quod talem patiebatur infirmitatem constitit per testes legitimi numeri et de d. recuperatione salutis, etiam satis plene constitit.

manus retorta,

22 Joannes de Scannavino de Calatagirono, sub jurejurando dixit, quod ipse habens manum dexteram imbecillem et retortam a tempore pueritiæ suæ, ex qua nihil facere poterat, ne cum ea aliquid apportare; conferens se ad d. Corpus, et ex manu tactis Reliquiis d. Sancti, ac lavans se manum de vino præd. immediate sanus effectus est : de quibus plene constitit.

hernia,

23 Inglisia, uxor Andreæ Chlamidarii de Calatagirone, sub jurejurando dixit, quod ipsa habebat filium suum parvulum, qui crepuerat in uno genitalium, in quibus graviter patiebatur. Et delatus cum devotione ad Reliquias d. Sancti, ac lotus de vino præd. sanus effectus est, de quibus plene constat. D *EX MS.*

hemiplectica,

24 Francia, filia Nicolai Bruni, habitatrix terræ Bizini *p* patiens infirmitatem in ancha sinistra, decurrentem usque ad pedem, ex quo non poterat ambulare, jam sunt anni duo, et plus; delata super quodam animali ad d. Corpus : et sumens de vino præd. exiliens stetit, et ambulavit : et de prædicta infirmitate et liberatione plene constitit.

imbecillis toto corpore,

26 Placentia mulier, uxor Philippi de Renda, sub jurejurando dixit, quod jam sunt anni duo, quod erat corpore imbecillis, ita quod non poterat pergere nisi manus alienæ adjuta subsidio. Et delata ad præd. Corpus assumpto per eam de vino præd. osculatisque Reliquiis d. Corporis, integre sanitatem recepit : de quibus plene constitit.

contractus,

27 Bonacurtius de Bucagrasa, qui membris sui corporis erat contractus et quassus, a longo tempore citra; et delatus ad d. Sanctum, potans de vino præd. et præd. Reliquias osculans, sanus et incolumis est effectus : de quibus plene constitit.

p cæcus, E

28 Quidam *p* filius Marci de Hyppolito de Calatagirono, ex quadam infirmitate sibi superveniente lumen amisit. Delatus ad Corpus præd. fuit lotus in oculis de vino præd. et ex ipsis oculis, tactis, Reliquiis d. Sancti, visum recepit ac vidit; et de his plene constitit.

tibia læsa,

59 Receputa mulier, uxor Viviani de Venetiis, habitatrix terræ Platiæ, sub jurejurando dixit, quod cum quidam boves traherent quamdam arborem per rugam *q* et viam, in qua moratur d. Receputa, casualiter contigit ex vi dd. boum trahentium d. lignum, illud trahi per indirectum. Et dum d. Vivianus existens in ruga, et via præd. vellet evitare periculum, quod sibi evenire posset ex tractu ligni præd. antequam ipsum periculum fugeret, accidit tibiam ejus in medio cujusdam portæ et d. ligni adeo fortiter stringi et lædi, quod in ipsa tibia maxima inflatura pervenit, et d. Vivianus in tibia ipsa gravem sustinuit passionem. Et cum post hæc per medicos quamplures in ipsa tibia præd. Viviano nullum posset remedium adhiberi; præd Receputa pro d. viro suo vovit ad Sanctum præd. ut idem Sanctus dignaretur virtute Domini d. ejus virum a præd. passione liberare, et ipsa se conferret ad Corpus Sancti præd. Et facto voto præd. antequam d. Receputa redderet d. votum, d. Vivianus extitit liberatus omnino de tibia ipsa, evanescente passione præd. F

gibbosus ex lapsu,

30 Joannuccius, olim servus Domini Bonalbergi *r* de Scornavacca, habitator terræ Heracleæ, sub eodem jurejurando dixit, quod ipse (jam est annus) casualiter cecidit; ob quem casum in dorso gimbosus effectus est, et passione d. gimbi *s* et violentia carnis oppressæ ex eodem gimbo locum barbæ suæ ex latere sinistro in locum sinistrum pectoris cogebatur tenere submissum ipsi pectori; quasi fixum caput, ob hoc non valens extollere. Et audito per eum nomine dicti Sancti, ad Corpus ejus cum devotione se contulit, potavitque de vino præd. ac præd. Reliquias d. Sancti tetigit. Non propterea de d. gimbo, et passione fuit liberatus. Sed cum remearet ad patriam quasi mœstus, et ad pontem Heracleæ applicaret; eum quam plures Heraclienses, qui veniebant ad d. Reliquias, obviam habuerunt, dicentes : Iste ivit ad Sanctum, et non fuit liberatus. At ille dixit, ego talem spem in Sanctum habeo, quod antequam applicem ad mœnia Heracleæ, sanus ero. Et ubi hoc dixit, nec iter trium passuum d. Joannuccius arripiens, mirum in modum recepit sui dorsi integram sanitatem; protinus evanescente gimbositate præd. ac collum, et caput directe tenet et alte; dictusque Joannuccius cum hilaritate reversus est ad

Ex MS.

ad Reliquias d. Sancti; et sanus est visus a multis habitatoribus d. terræ Heracleæ, qui ipsum primo viderant sic infirmum. Et visus est etiam sanus a multis officialibus d. terræ, ob quod omnis turba, cuncta plebs, et concio, in Domino sunt gavisæ; et fundentes cum omni devotione cordis et oris, gratiarum exuberes actiones, redierunt in patriam suam : et de his omnibus satis plene constitit.

die 30 Junii sanatur latus infirmum.

31 Francia, *t* filia Nicolai de Bibino, habens quamdam passionem in ancha sinistra, ob quam usque ad pedem sinistrum diro et duro dolore admodum premebatur, et recte non poterat pergere, a duobus annis citra : et recurrens ad Reliquias dicti Sancti libans de vino, quo dd. Reliquiæ lotæ fuerant, ipsasque cum devotione tangens in loco doloris ejusdem, ultimo Junii XIV Indictionis, de passione prædicta extitit liberata : prout de præmissis legitime constitit.

Curatus recidit in idem malum ad peccata regressus,

32 Basilius Fundatarius habitator terræ Calatagironi, jam sunt menses duo, quod fuit ita graviter infirmatus, quod de lecto exurgere non poterat absque adminiculo personarum, quæ ducerent ipsum ad Ecclesiam præd. Qui adjutus, præsidio fuit ductus, et deosculans Reliquias ipsas ac potans de vino præd. sui corporis vires recepit, suis pedibus ambulans. At ubi reversus est ad sui concubinæ connubium, quam primo tenebat uxorem propriam derelinquens; mirum in modum fuit pristina infirmitate gravatus : quod minime actum est absque nunc et divino Mysterio, quia majus in hoc ostenditur miraculum revertente ei infirmitate præd. propter concubinæ connubium cum qua ulterius peccare præsumpsit; de quo constitit satis plene.

Sanatur claudus,

33 Cosmanus de Agrigento, habitator Lyhodiæ, a quinque annis citra in tibia et junctura pedis infirmitatem incurrit, ob quam amiserat nervum pedis, et os, quod pedis conclave appellatur, ob quam non poterat sine croceis ambulare. Et in conferendo se ad monumentum præd. antequam ad illud applicaret, recte sine croceis exiliens stetit, et ambulavit : et turba omni inspectante processit, ob quod oculis nonnullarum personarum stupor imminuit : et veniens ad præd. Ecclesiam croceas illic in miraculi signum dimitit : de quo plene constitit.

cæcutiens,

34 Guilelmus de Magistro Joanne Carpenterius, habitator terræ Heracleæ, patiens humorem catarrhalem in capite a Mense Augusti proxime præterito, quæ quasi aciem oculi sibi obtundebat; adiens devote ad tumulum præd. visus sui immediate, quam amiserat sanitatem recepit : et de præmissis siquidem constitit.

u claudus alius,

35 Raynaldus de Palagonia, et Margarita Jugales sub jurejurando dixerunt, quod Chiccus *u* eorum filius casum incurrit; ob quem claudus ex pede sinistro remanserat et non poterat ambulare : et delatus ad monumentum præd. et Reliquias d. Sancti, incolumis est effectus : de quo legitime constitit.

ac tertius,

36 Jacobina de domino Thomasio de Arlotto, patiens infirmitatem in ancha sinistra, ob quam nequibat incedere recte, et ad præd. Reliquias accedens, fuit pristinæ sanitati reducta : de quo constitit.

habens strumam in gutture,

37 Joannes de Amore, sub religione per eum præstiti Sacramenti, dixit, quod filia sua est passa in gutture ægritudinem, quam medici Scrophulas dicunt : quæ delata ad præd. Reliquias, easque tangens, ac bibens de vino præd. ab ipsa infirmitate virtute Domini et Sancti præd. meritis incolumis est effecta, omnino evanescente infirmitate præd. de quo constitit.

membris fere omnibus capta,

38 Francia, uxor Gulelmi de Taverna, quæ passa est imbecillitatem in corpore, ob quam non poterat ambulare nisi aliquorum fulcita suffragio : et caput ejus et manus tremebant, et omnino manuum subsidio et operatione carebat; quæ delata ad præd. Reliquias, easque tangens, ac libans de vino præd. sanitatem recuperavit optatam : de quo constitit.

x herniam a puero patiens,

39 Antonellus, filius Roberti de Torcisio habitatoris Ragusiæ, *x* tempore ortus sui in genitalibus crepuit; ob quod mirum sentiebat dolorem : sed delatus ad præd. Reliquias, easque tangens, ac libans de vino præd. incolumis exinde est effectus : quod est probatum, et constitit per rescriptum venerabilis Syracusani Episcopi.

item alius,

40 Henricus, filius Matthæi de Presbytero Angelo, per multum tempus eamdem passus est infirmitatem, adeo quod ejus genitalia videbantur plena putredine : delatus ad præd. Reliquias fuit pristinæ sanitati reductus : de quo constitit.

manus ac pedes retorti,

41 Gemma, uxor Jacobi de Carbonara, habitatrix Ragusiæ, passa est ab uno anno citra, imbecillitatem in corpore, ob quam manus et pedes habebat retortos et incurvatos; et ipsa ita quasi quassa et confracta [erat] per totum, quod pedibus suis nequibat incedere, nisi baculo se humo sustentans, et modicum pergens, ipsarum manuum et pedum virium, suffragio carens; delata ad Reliquias d. Sancti, sanitatem quam amiserat recepit : quod nonnulli videntes, quasi in extasi positi, miro repleti stupore, mirati sunt vehementer in eo quod illi contigit. Et de hoc plene constitit.

ac paralytici

42 Margarita, uxor Joannis de Pisa, sub jurejurando dixit, quod jam sunt menses novem, quod quædam gutta in manu, tibia et pede sinistris invasit ob quas adeo attenuata manebat, et consternebatur, acsi ipsorum membrorum defectum omnimodo pateretur. Sed conferens se ad Reliquias d. Sancti, easque cum devotione tangens, ac potans de vino præd. a præd. ægritudine incolumis evasit : et exinde plene constitit.

ulcera putrida.

43 Joannes de Alexandria de Palea, de Lombardia, sub jurejurando dixit, quod ipse in tibia dextera passus est morbum, ob quem ipsa tibia erat mirabiliter plena ulceribus putridis et a sanie tumida, et plena doloribus; ex quibus maxima saniei quantitas quotidie affluebat, quæ fœtorem non modicum dabat, adstantibus ipsum nequientibus tolerare. Et conferens se ad d. monumentum, et Reliquias Sancti præd. sanitatem recuperavit optatam, ut constitit.

ANNOTATA C. J.

a *Hoc loco notandum monet Notarius, quod post hæc verba* Gerlandi de Alemannia, *sed aliquanto altius, ducta sit lineola*——, *et super lineolam extent hujusmodi notæ*, S. R. H. militis, *sed diversi atramenti a reliqua scriptura :* unde, *ait*, videntur additæ. *Existimat autem P. Aprilis, additas fuisse circiter annum* 1616 *:* quando, *inquit*, adductis testibus probatum fuit ex validis conjecturis et fama, B. Gerlandum fuisse Equitem Hierosolymitanum. Si enim extitissent prædictæ notæ ab anno 1327, numquam in dubium revocatum fuisset a Cajetano, fuisset nec ne B. Gerlandus Templarius, an Hospitalarius. *Idem, interpolans exordium horum Actorum, trecentis facile annis post inventionem Corporis B. Gerlandi, non dubitat* credere famæ, *quæ tunc erat*, commendatam illi fuisse a Magistro suo ædem S. Mariæ, sitam inter Calatagironum et Platiam, *ubi inventus fuit.*

b *Ita cognominatur latine ecclesia S. Mariæ, de qua modo, inter Calatagironum et Platiam sita, (vulgo autem corrupte a* tenchio) *nempe ab Equitibus* (*uti auctor est Cajetanus*) Templariis. *Nec tantum ecclesia, sed etiam ager et fluvius vicinus indidem denominantur; ubi etiam num.* 102 *infra ex parte constat, ubi fluvius* Templum *vocatur. Quia scilicet omnia Templariorum fuerunt,*

A *fuerunt, usque ad annum* 1310 *quo illi extincti sunt.*

c *Ex hac* 14 *Indictione, quæ notat annum vulgaris æræ* 1331, *habentem litteram Dominicalem F, secundum quam etiam dies* 24 *Junii num.* 17, *et* 19 *Augusti num.* 80, *cadunt in feriam secundam; ac denique num.* 99 *dies* 20 *Julii in sabbatum; sequi forte alicui videbitur Siculos isto seculo* 14 *in numerandis annis Christi quatuor annos pauciores scribere solitos; itaque hic et infra num.* 97 *et* 100 *numerari annum* 1327. *Est enim difficile conceptu, Notarium errasse in numero tunc currentis anni. Sed non minus difficile est persuadere, ex illa de miraculis Gerlandi scriptura, Siculos seculo* 14 *in Epocha annorum Christi quatuor annis defecisse ab usu communi; præsertim cum inveniam apud Rochum Pirrum in Ecclesia Panormitana, annum* 1322 *cum Ind.* v, *et annum* 1343 *cum Ind.* xi *conjungi juxta usum communem. Item in Ecclesia Syracusana, sub qua est Calatagironum, pag.* 168 *tomi* 2 *conjungitur annus* 1326 *in Aprili cum Ind.* ix, *et annus* 1336, 4 *Sept. cum ind.* 5 *quæ tunc ex usu communi inceperat. Invenio tamen etiam eadem pag.* 168 *conjunctum annum* 1320 *in Februario cum Ind.* xi, *et annum* 1322 *in Octobri cum Ind.* viii: *quæ quidem differunt a communi usu (secundum hunc enim, annus* B 1320 *in febr. haberet Ind.* iii; *annus autem* 1322 *in Octobri Ind.* vi, *jam a Septembri inchoatam) non tamen differunt annis quatuor, ut patet. Plura quæri possunt apud eumdem Pirrum, qui frequens est in notandis Indictionibus; sed non ubique tuto sequendus, nodum hunc ipsi potius solvant Siculi.*

d *Est S. Jacobus patronus præcipuus urbis, et miraculis ibidem clarus; quæ P. Aprilis se submissurum promisit, ad diem* 25 *Julii in his Actis referenda.*

e *Id est postridie inventionis,* 19 *ejusdem mensis Junii; quo et coli olim per Missam. de communi Confessoris non Pontificis cantatam, supra diximus ex Cajetano.*

f *Series scilicet Miraculorum, quæ statim operari et multiplicare Dominus ad invocationem Sancti sui, catenus ignoti mundo, dignatus fuit. Universa quippe, quæ hic a juratis Testibus deponuntur, ducto initio a die* 21 *Junii intra duos et semi menses peracta fuerunt.*

g *Est is modus loquendi singularis in his Actis, lavans* se tibiam; *sic num.* 6, lavans se brachium; *quod occurrit etiam num.* 10 : *in quibus abundat reciprocum* Se.

h *Cajetano* Primavera; *sic et alia quædam nomina* C *propria apud eum alterantur quod semper operæ pretium non fuit annotare quando diversitas valde modica est.*

i *Eidem*, Bartholomæus Gricelius, *et sic consequenter.*

k *Mascara uxor Victorini.*

l Heraclea *vertitur a Cajetano* oppidum Terra nova; *et notat P. Aprilis vere ita hodie vocari locum, ubi antiquam fuisse Heracleam existimant cives.*

m *Omisit Cajetanus, quia differt a priori in solis nominibus personarum.*

n *Cajetanus solum,* Andreas Cara.

o *Idem,* Cantelinus.

p *Omittitur a Cajetano.*

q Ruga *gallice* rue, *platea : et sic supra* ancha *gallice* anche *coxendix, aliaque plura infra. Vide Glossarium Cangii.*

r *Cajetanus* Bonalferti.

s *Latine* gibbus : *frequens italis scriptoribus.*

t *Etiam hoc omisit Cajetanus.*

u *Cajetanus Crittus.*

x Ragusia *oppidum Calatagirono distans* 28 *P. M. ad meridiem.*

Ad Sequentia nihil notabimus, quia barbarismi subinde ex vernacula lingua occurrentes satis alias in hoc opere explanantur; puta Croceæ, *furcillæ subaxillares.* Coxia D *coxa;* citrolus, *pomum citrium.* Forgia *officina ferraria;* Barile, *doliolum;* bracale *subligaculum ad herniam continendam;* Vola pedis *planta;* planta manus, *Vola. Nihilo magis operæ pretium fuit propria virorum ac mulierum nomina ex usu vulgi truncata originariæ integritati reddere, qualia sunt* Ciccus *Franciscus;* Fimia, *Euphemia,* Bartolus, Bartolomæus; Perna, *Petrina vel Petronilla etc.*

IX MS

CAPUT II.

Miracula mensis Julii usque ad diem XX.

Joannes de Rosana, serviens in terra Platiæ, et Rosa, jugales, sub religione sacramenti dixerunt, quod Margarita eorum filia, passa est lippitudinem in oculis, ob quam ipsos oculos clausos tenere cogebatur, et ex eis lacrymæ quotidie emanabant. Et delata ad monumentum Sancti præd. die xiv mensis Julii, sana effecta est, omni ex ejus oculis macula evanescente per totum : de qua infirmitate constitit per jusjurandum testium subscriptorum, videlicet E Joannæ uxoris Bartolduxii, Diamantis de Cosentino, et Isoldæ filiæ Palermi Cosentini.

Die 9 Julii lippitudo sanatur

45 Allegrantia Joannis de Amore de Platia, sub jurejurando dixit, quod ipsa habebat quamdam filiam, Pernam nomine, quæ nata fuit clauda, et super ancha grossum habebat : quam detulit ad Reliquias Sancti, et illas tangens ac bibens de vino præd. IX Julii xiv indictionis, ex desiderio optatam in Domino sanitatem recepit, et exiliens stetit et ambulavit : de qua infirmitate nobis constitit per jusjurandum Joannis de Ferla, Joannis de Platea et Constantiæ de Stilo.

claudicatio,

46 Diamans Bartholomæi de Notho, habitatrix terræ Platiæ, sub jurejurando dixit, quod jam sunt anni sex, quod ejus filius gravem passionem in genitalibus passus est : qui delatus ad monumentum præd. nono die mensis Julii incolumis est effectus; ut constitit.

hernia pueri unius

47 Jacobus de Peregrina, habitator Platiæ, sub eodem jurejurando dixit, quod ipse habebat filium annorum trium, qui in genitalibus crepuit, magnam in eis sustinens passionem. Et delatus ad monumentum præd. nono dicti mensis, incolumis est effectus; ut constitit per jusjurandum Pisanæ Literiæ, et Rosinæ matris ipsius pueri.

et alterius.

48 Cortisia de Ugolino, habitatrix Heracleæ, dixit, quod ipsa habuit filiam suam, Violantam nomine, quæ ab annis quatuor citra passa est infirmitatem in brachio dextero, ex qua nihil poterat sperari : quæ ducta ad monumentum præd. et Reliquias d. Sancti, sana effecta est et incolumis nono die mensis; ut nobis constitit de infirmitate præd. per juramentum infrascriptorum testium, videlicet Millarisiæ uxoris Francisci Cordarii, Flaminis de Cordario, Manuccii de Ugolino, et Rogerii de Campisio.

brachium mancum. F

49 Donadeus Jacobi de Messana, habitator terræ Minæi, sub jurejurando dixit, quod ipse in tibia sinistra a quindecim annis citra, fuit graviter imo gravius infirmatus, ita quod tibia ipsa tumescebat in totum et adeo erat grossa, ut unum barile secundum rotunditatem : et ad monumentum præd. se conferens, tibiam ipsam arena dicti sepulcri operiens, mirum in modum, mira et prædicanda virtute Domini fuit x die dicti mensis de d. infirmitate liberatus et pristinæ sanitati restitutus : ob quod multi fuerunt repleti stupore et quasi in extasi positi. Et de infirmitate prædicta constitit per jusjurandum Diamantis de Cortisio, Agrippinæ de Cortisio : et de liberatione præd. satis plene constitit.

die 10 Julii curata tibia valde tumefacta.

50

A 50 Jacobus de Naro, habitator Leocatæ, habens brachia in tantum debilia, quod non poterat illa extollere, nisi usque ad os suum; cum devotione se conferens ad monumentum præd. et Reliquias d. Sancti; pristinas quas in d. brachiis vires amiserat, virtute Domini et meritis d. Sancti recepit, decimo d. mensis: et de liberatione præd. nobis constitit ad plenum. Et de ipsa infirmitate constitit per subscriptarum personarum jusjurandum, videlicet gentis uxoris d. Jacobi, Alemannæ uxoris Matthæi de Naro, et Sororis Rhetoricæ de Lalicata.

EX MS. brachium debile,

51 Isabella de Sportella, habitatrix Paternionis, sub jurejurando dixit, quod jam sunt anni decem, quod passa est quamdam infirmitatem in ancha sinistra et in genu sinistro, ob quam tibia ipsa sinistra erat altera tibia minor, tertia unius palmi, et clauda pergebat cum digito tantum pedis, et delata ad Reliquias præd. incolumis est effecta, decimo d. mensis et cunctis videntibus recte processit; ob quod stupor apprehendit omnes, et magnificaverunt Dominum. Et de præd. infirmitate constitit per jusjurandum Constantiæ de Salia Diriotı, et Philippi de Giracio, Jacobi de Petroticero, Petrucii de Modica, et Joannæ Philippi de Allegro habitatricis Paternionis.

crus claudum.

B 52 Nicolaus de Serasino, habitator Modicæ, sub jurejurando dixit, quod ipse patiens quoddam apostema (jam sunt menses sex et plus) in pede dextero, ob quod ambulare non poterat, et cura medicinali ex illo quamplura ossa extracta fuerant; delatus ad Sancti præd. Reliquias, easque deosculans, sanus effectus est, undecimo die mensis prædicti, eo modo sane ambulans, sicut quando sanus extiterat. Et de præd. infirmitate constitit per jusjurandum Gentilis matris ejus, Pauli de Catania, Roberti de Bussemi, Melodiæ uxoris ejus, et Venturæ de Gargano: et de liberatione prædicta constitit ad plenum, et inventum fuit hoc miraculum tam per veridicam confessionem d. Nicolai et testium suprascriptorum, quam per relationem Presbyteri Joannis de Melle, missi in dictam terram Modicæ ad inquirendum Miracula d. Sancti, quod etiam fuit approbatum et confirmatum per Reverendum Patrem et Dominum Dei gratia Syracusanum Episcopum.

Die 11 Julii redditur claudo gressus.

53 Cortina, mulier de Magistro Guilielmo de dilecta de Heraclea, sub religione per eam præstiti sacramenti dixit, quod ab annis viginti citra, habuit gimbum in dorso: et cum devotione conferens se ad C monumentum prædictum, ibi per dies decem moram trahens, et poscens a Deo et Sancto præd. sibi sanitatis remedium adhiberi: sana et incolumis est effecta, omni evanescente gimbositate præd. duodecimo d. mensis. Et constitit de infirmitate præd. per jusjurandum infrascriptorum testium, videlicet Presbyteri Henrici de Bursa, Presbyteri Guilelmi de Joanne, Bonæ Rosæ matris ejus, et Joannis Thomasii Gallicii: et de liberatione præd. satis ad plenum constitit.

Die 12 Julii gibbus annorum 20 aufertur:

54 Matilda Philippi de Provinciali de Leontino, patiens imbecillitatem in anchis, et in sui corporis juncturis passionem immodicam, ob quarum pressuras a festo Paschæ Resurrectionis Jesu Christi primo præscripto super pedibus suis regi non poterat; delata ad Sancti præd. tumulum, restituta est sui corporis optatæ saluti, duodecimo d. mensis. Et de infirmitate plene constitit per sacramentum Raynerii de Notario Raynaldo, Altrudæ mulieris de Nicolao Concapira, et Bellæ mulieris de Leontino. Et de liberatione prædicta satis ad plenum constitit.

arthritis curatur;

55 Ventura de Messana, habitatrix Calatanixettæ, patiens in tibiis quamdam guttam a mensibus tribus citra, ob quam in ipsis tibiis tumoris multum imminebat, et ex eis putredo exibat, et erat adeo incurvata gravissime quod ambulare non poterat; D freta animi, lata fuit ad d. monumentum, et dd. membrorum recepti optatam salutem duodecimo d. mensis. Et constitit de infirmitate præd. per jusjurandum Tibaldi Rutti et Humanæ Rogerii de Irenoifo, habitatorum d. terræ: et de præd. liberatione satis plane constitit.

paralysis crurum,

56 Thomasia, uxor quondam Matthæi de Milicia de Leontino, sub jurejurando dixit, quod ipsa habebat filium Rogerium nomine, qui a tempore nativitatis suæ citra, passus est in genitalibus crepaturam; et detulit eum ad præd. Reliquias; et eis tactis, recepit in dd. testibus sanitatem, decimo sexto dicti mensis; ut constitit exinde per jusjurandum d. Thomasiæ Dominæ Pisanæ de Lombardo, Dominæ Firmæ Baronistæ Milofli et Dominæ Infilisiæ de Modica.

Die 16 Julii sanatur hernia,

57 Gerlandus, de Joanne Rabbo, habitator terræ Modicæ, sub jurejurando dixit, quod ipse (jam sunt anni novem) gravissimam in tibia passus est infirmitatem: ob quam ipsa tibia effecta est tumida ad modum lagenæ, et ulceribus plena; et dolore nimio ac continuo afficiebatur, singultus creberrimos et suspiria emittebat, et non poterat sine baculi sustentatione se regere; et suum imbecille corpus vi d. baculi, et non sine grandi suæ personæ cruciatu E trahebat. Delatus ad monumentum præd. et tibiarum suarum tumore sublato quam in eis perdiderat sanitatem, fuit d. Sancti meritis consecutus decimo tertio dicti mensis; de quibus constitit per veridicam confessionem d. Gerlandi, et per assertionem Presbyteri Joannis de Melle Magistri Baldoyni Maltensis, et Rogerii Villarii, soceri d. Gerlandi; et per jusjurandum etiam fratris Petri Strigonensis, servitoris S. Petri de Butera, Melodiæ de Modica; Adami de lucca, Paulini Mazoni, Gualterii Constantini, et Petri de Noto habitatorum Modicæ.

tibia valde tumefacta, die 13;

58 Gualterius de Costarelia, habitator Cataniæ, sub jurejurando dixit, quod per decennium et ultra, et ab eo tempore citra, usque nunc, gravem et diram in brachio ægritudinem habuit; ex quo se juvare non poterat; et conferens se ad præd. Reliquias, de d. brachio fuit pristinæ sanitati restitutus decimo sexto d. mensis, ut constitit.

die 16 brachium male affectum,

59 Perronus de Minæo, habitator ejusdem terræ, sub eodem jurejurando asseruit, quod a suæ pueritiæ tempore fuit ob infirmitatem genibus incurvatus: et conferens se ad præd. Sancti Reliquias, easque cum devotione tangens, fuit dd. genuum rectitudini restitutus, ex quo recte ambulat. Et de præd. in- F firmitate constitit per jusjurandum subscriptorum testium, videlicet Venturæ de Tegera, Venturæ matris d. Perroni, et Federici de Sabaria. Et quod est sanus et recte incedit, constitit satis plene.

genua contracta,

60 Gentilis mulier, uxor Henrici de Cordario, habitatrix Bizini, sub jurejurando asseruit, quod super femur rupturam passa est a quinque annis citra; ob quam graviter ingemiscebat, et intolerabili afficiebatur pœna et dolore. Et conferens se ad d. sepulcrum, a passione ipsa fuit totaliter præd. Sancti meritis liberata, decimo sexto d. mensis; ut constitit de infirmitate et liberatione prædictis satis ad plenum.

femur ruptum,

61 Benedictus de Pizuto sutor, habitator Panormi, sub jurejurando dixit, quod ipse a quatuor annis citra, passus est super renes quoddam apostema, vocatum per medicos fistula sub scapula; cui cum nulla per multos medicos posset adhiberi cura salutis imo de ea ipsi medici desperabant; fama d. Sancti per diversas partes Siciliæ crescente, se contulit ad Reliquias præd. et recepit per ipsas optatam renibus sanitatem, decimo sexto d. mensis: de qua etiam constitit per Sacramentum Jacobinæ uxoris suæ.

apostema,

62

intestina rupta,

62 Gualterius de Munda, habitator Xicli, sub jurejurando dixit, quod Antonellus filius suus (jam sunt anni duo) passus est interiorum rupturas; et ipse ductus eodem die per eumdem patrem suum ad prælibatas Reliquias, fuit exinde liberatus: et nihilominus de prædicta infirmitate constitit per jusjurandum Raynaldi Pisani, cognati d. Gualterii.

hernia pueri die 16,

63 Gualterius figitus de la Testa de Mineo, sub jurejurando dixit, quod Joannuccius filius suus ab uno anno citra, passus est ægritudinem in genitalibus: et ipse detulit d. filium suum ad præd. Reliquias; et liberatus fuit exinde, et restitutus ejus primæ saluti, decimo sexto d. mensis: de quibus constitit satis plene.

et viri die 17 Julii;

64 Andreas de Lazaro, habitator Bizini, sub eodem jurejurando dixit, quod ab annis quinque citra, crepuit in latere sinistro, ex quo quædam sui corporis intrinseca ad sua defluxere verenda, et graviter sustinebat passionem: decimo septimo d. mensis Julii XIV Indictionis ad d. Sancti Reliquias devote se conferens, liberatus est de infirmitate præd. et restitutus pristinæ sanitati; ut constitit satis plene.

claudicatio.

65 Leonardus de Catania, habitator Calatagironi, ab annis quatuor citra, passus est infirmitatem in tibia et genu sinistris, ex qua claudus pergebat; adiens ad dd. Reliquias easque deosculans, sanus effectus est, et restitutus pristinæ sanitati, decimo septimo d. mensis, ut constitit ad plenum.

Die 18 Julii curatur hernia,

66 Riccardus de Claromonte, sub jurejurando dixit, quod Nicolaus filius suus ab utero matris suæ in genitalibus crepuit: et detulit eum ad prædictas Reliquias; et ipso Nicolao easdem deosculante Reliquias, ab eo infirmitas ipsa discessit decimo octavo d. mensis: de qua infirmitate constitit per jusjurandum Ventorini de Claromonte, qui ob ipsam infirmitatem eidem Nicolao in femore, et testibus bracale imposuit; et per juramentum Fimiæ de Brota matris ejus; et deliberatione præd. constitit ad plenum.

ruptura in femore,

67 Dicti Riccardus et Fimia, jugales, sub jurejurando dixerunt, quod Helisabeth eorum filia, a duobus annis citra, passa est rupturam in femore; quam detulerunt ad Reliquias præd. et ipsis osculo porrecto cum animi devotione Reliquiis, ipsa ruptura ab eadem eorum filia totaliter recessit.

pes fractus

68 Ventorinus de Avinanti Claromontis, sub eodem jurejurando dixit, quod Bartuccius filius suus ætatis annorum quatuor et dimidii et plus; cum esset parvulus in cunabilis, ipsum quadam die in ulnis sororis suæ contigit bajulari, et ob casum in terram cadere, et fregit sibi pedem dextrum: quem pedem postea retortum tenebat in terra et aliter non valebat procedere; in quo quidem tumor admodum ossis incalluit, qui secundum naturam in se parabilis erat. Et per eum delatus fuit decimo octavo, d. mensis ad supra d. Reliquias, et restitutus est pristinæ sanitati, recte incedens. De prædicto casu et infirmitate constitit per jusjurandum Francisci de Bisanto, Manfredi de Biscunti, et Pasqualis de Petrosusco habitatoris Claromontis et de præd. liberatione constat ad plenum.

Die 17 hernia,

69 Joanna mulier, uxor Paulini de Samito, habitatrix terræ Pagusis, sub eodem jurejurando dixit, quod ipsa habente filium suum, Joannuccium nomine, qui (jam sunt anni tres et plus) in genitalibus crepuit: et ducente ipsum cum devotione ad Reliquias d. Sancti, ipse filius suus fuit exinde liberatus, decimo septimo d. mensis. Et de prædicta infirmitate constitit per jusjurandum Jacobinæ de- Pascali, et dicti viri sui habitatoris d. terræ [illegible] siæ: et de præd. liberatione sa[illegible]tator terræ stitit.

70 Scorchalupus de S[illegible]

Heracleæ, sub jurejurando dixit, quod Isolda filia sua, incurrit quamdam infirmitatem in oculis, ob quam ipsos oculos aperire non poterat, nec ex eis aliquid videre; et detulit eam ad monumentum prædictum die decimo d. mensis; et oculos ipsos aperuit, et ex eis videt ut quilibet sanus, penitus ab oculis ejus omni infirmitate recidente. Et de præd. infirmitate constitit per jusjurandum infrascriptorum testium, videlicet Nicolai de Manno Presbyteri, Nicolai de fonte Notarii, Matthæi de Pagano: et de sanitate præd. liquide patuit omnibus.

Ex vis oculi inf rmi

Die 18 Julii sanantur brachium et crus contracta,

71 Decimo octavo ejusdem, in hora Gallicinii, Joanna de Gatto, habitatrix Cataniæ, sub eodem jurejurando dixit, quod adeo incurvaturam patiebatur in dextero brachio, quod signum Crucis facere non valebat; et eamdem patiebatur in tibiis, ita quod genua ipsa nequibat flectere; existens in ecclesia prædicta S. Jacobi, liberata fuit de infirmitate præd. Et dum quidam astantes ibidem requirerent quosdam clericos, quod in laudem et honorem Dei omnipotentis campanas pulsarent, et ad hoc dd. clerici se gererent tepidos et remissos, propter horam tardam noctis; mirum in modum, imo mirum et supernaturale miraculum, et admiratione dignum, et præconio laudandum meritis dicti Sancti processit. Nam ea hora ex se unum ex tintinnabulis, fixis in horologio sive rota, in altum in eadem ecclesia existente (quæ pulsari nequeunt, nisi volvente rota prædicta; et uno pulsante, propter motum rotæ prædictæ, omnia alia est necesse pulsari, in qua rota erat in voluta corda; quæ, cum dicta pulsantur tintinnabula, trahitur et levatur) a se ipso sonuit et sonitum bis fecit, reliquis tintinnabulis nequaquam pulsantibus in ipsis horis. De quibus nobis constitit per jusjurandum Presbyteri Francisci de Helena, Simonis de Pandolfo, Nicolai de Amico, Gulelmi de Anselmo, Matthæi de Vulpe de Naro, Rosæ uxoris Constantii de Milatio, Jacobi de Nicotra habitatorum Cataniæ, et Bonagratiæ de Flaccavento, et Fimiæ de Alemanno habitatricum Siracusarum.

campanæ per se mirabiliter pulsantur

et lampas miraculose accenditur

72 Postquam horam, quædam lampas accensa eadem nocte, per quam fiebat lumen ante majestatem beatæ Virginis et beati Gerlandi in Cappella Domini Gentilis de Partu, in eadem ecclesia existente extincta est, et dum quidam puer qui vocatur Bartuccius, qui una cum quibusdam aliis pernoctabat in Cappella præd. diceret; o Beate Gerlande accende nobis lampadem; quia non possumus illam accendere. Miraculose potentia et virtute Sancti prædicti, dicta lampas accensa est; pluribus videntibus, et hæc juramento firmantibus.

Curatur febris continua,

73 Decimo octavo d. mensis, Dominus Petrus Lancea, Miles, præsens in Ecclesia S. Jacobi de Calatagirono, sub jurejurando dixit quod ipse habebat filiam suam, Joannam nomine, quæ passa est febrem continuam; et audito per eum nomine d. Sancti, ac vovens eidem Sancto pro dicta filia sua, durante febre prædicta; emisso voto liberata est omnino de febre præd.

74 Francia de Alemanno, habitatrix Siracusarum, sub jurejurando dixit, quod ipsa habens quamd[illegible] neptem suam, Floriam nomine, filiam [illegible] Jesus Chrisani, quæ passa est a duobus ann[illegible] infirmitate turam in brachio et manu [illegible] præd. infirmitate quid operari, nec di[illegible] præd. Sancti Reliquias, et eidem Sanct[illegible] d. die decimo octavo d. mensis stus [illegible] liberata.

CAPUT

[A]

CAPUT III.

Reliqua per Julium et Augustum miracula.

Die 20 Junii sanatur hernia,

Vigesimo Julii, XIV Indictionis Vannes Pisanus, habitator Siracusæ, sub jurejurando dixit, quod Ciccus filius ejus ab annis sex infra, in genitalibus crepuit, et ipso ducente filium suum ad monumentum Sancti præd. de infirmitate præd. incolumis est effectus; de qua infirmitate constitit etiam per jusjurandum infra scriptorum testium, videlicet Finnæ uxoris ejusdem Pisani, Ceturæ de gratia, et Riccardi et Pedicitæ habitatorum Siracusarum. Et de liberatione præd. constitit satis plene.

hemiplexia,

76 Eodem die, Perri Manconicus, habitator Civitatis Cataniæ, sub jurejurando dixit, quod jam sunt menses duo et plus, quod passus est rheuma in ancha sinistra, quod descendebat per medullas usque ad pedem, super quo pede se regere non poterat et cum volebat ire, oportebat ipsum se baculo regere, adiens heri ad dictas Reliquias post horam meridiei; effectus est sanus, et redditus pristinæ [B] sanitati; de infirmitate præd. constitit per juramentum Isabellæ Lalongæ habitatricis d. Civitatis.

ulcera diuturna,

77 Francia de Corione, habitatrix terræ Leontini, sub eodem jurejurando dixit, quod jam sunt anni quatuor, quod patiebatur in natibus quædam ulcera seu plagas, quæ nec per tempus, nec per medicos potuerunt curari; et conferens se cum devotione ad Reliquias d. Sancti et easdem tangens Reliquias a præd. infirmitate extitit liberata.

manus tremula,

78 Joannes de Palatiolo, sub jurejurando dixit, quod ab infantili ætate citra, in manu dextra tremuit, nihil ex ea facere valens: et conferens se ad Sancti Reliquias ab eadem manu tremor evanuit.

coxendices et pedes ex casu læsi.

79 Bartuccius de Pandolfino, sub eodem jurejurando dixit, quod cum ipse quadam die se conferret ad quamdam apothecam Gotredi de domino Antelmo, sitam in Parochia Sancti Juliani, in qua moratur Rogerius de Costa; et cum sederet super quadam incude, quæ erat fixa in quodam ligno seu cippo, in eadem apotheca existente; casualiter contigit ut d. incus caderet, et d. Bartuccius similiter caderet cum percussione corporis sui; ob quod quædam furcella, quæ regit caput perticæ ejusdem forgiæ, exi- [C] stentis in eadem apotheca; offendit ipsum Bartuccium adeo graviter, quod violenter apertæ sunt anchæ dicti Bartuccii: ob quem casum, jam est annus et plus, non poterat ambulare pedibus suis, imo aliquando per domum suam curvus usque ad genua et baculo incedebat, reliquo tempore in lecto jacebat, et per multos medicos ei non potuit cura salutis adhiberi: cum devotione eques se contulit ad Reliquias, d. Sancti eas deosculans, et tactus ex his in loco passionis illius, sanitatem ut optabat, promeruit adipisci.

Die 19 Augusti recuperatur facultas eundi;

80 Leucius de Aquila de Messana, sub jurejurando dixit, quod ipse, jam sunt anni decem, patiens quamdam infirmitatem in ambabus coxis, ob quam nullo modo poterat ire rectus, nisi cum croceis seu baculis; habens devotionem ad d. Sanctum; et ve- ...us ad d. ecclesiam, ubi repositæ sunt Reliquiæ nono ... auditis miraculis quæ propter ipsius me- ...

ac die 1 Julii facultas loquendi.

81 Magister ... se ponens ante imaginem d. San- ... pristinæ sanitati, ambulans Lihodiæ et Joanno mulier, ... die lunæ, decimo dixerunt, quod decimo nono mensis ... præteriti ejusdem Indictionis idem Magister Ugon- [D] nus passus est quamdam infirmitatem et nihil loqui poterat: et dum votum voveret in corde suo veniendi ad Reliquias d. Sancti, post votum prædictum primo die mensis Julii recedens de dicta terra Lihodiæ, causa veniendi ad Reliquias ipsas, transiens aquam Vallone, quæ est subtus d. terram Lihodiæ, in continenti loquelæ facultatem recepit. Et probata sunt præmissa per infrascriptos testes, adstrictos sub jurejurando, videlicet Notarium Rogerium Scolaremet, Notarium Agicardum de Messana, habitatores terræ prædictæ.

Curatur rupta in femore,

82 Sollitia puella annorum trium, filia Pisanæ Joannis de Taurino, habitatrix Claro-montis, habens rupturam in femore, delata ad Reliquias d. Sancti sana effecta est: et de præmissis constat per jusjurandum infrascriptarum personarum, videlicet d. Pisanæ matris d. puellæ, et Rosinæ uxoris Francisci de Taurino.

claudus pede,

83 Raynaldus de Palagonia, et Margarita de Judice-Joanne, jugales de Heraclea, sub jurejurando dixerunt; quod Cissus eorum filius cecidit in præcipitium, ob quod ita passus est in ancha sinistra, quod claudus pergebat, et adiens tumulum d. Sancti Gerlandi, in continenti restitutus est pristinæ sani- [E] tati; et probata sunt præmissa per juramentum infrascriptarum personarum, videlicet Cortissæ, filiæ Jacobi Scorze, et Venturæ Joannis de Cosentia habitatorum dictæ terræ Heracleæ.

et coxa læsa;

84 Jacobina de Domino Tomasio, habitatrix d. terræ Heracleæ, sub jurejurando dixit, quod jam diu passa est infirmitatem in ancha, ob quam non poterat recte ambulare: et accedens ad Reliquias d. Sancti, et ipsas osculans effecta est sana et recte incedit. Et probata sunt præmissa per infrascriptos testes, videlicet Margeritam de ventre, Millarisiam uxorem Francisci de Cardaso, Realem de Ragasia, et Isoldam de Chirasto.

habens strumam in gutture,

85 Clara, mulier de Munnizi, habitatrix Cataniæ, sub jurejurando dixit, quod Jannuccius ejus filius, qui est ætatis annorum tredecim parum plus vel minus, habens infirmitatem scrofularum in gula ab annis sex infra, ita quod semper ex plagis, quæ ob ipsas fiebant, sanguis putridus et sanguis purus emanabat; veniens ad Reliquias d. Sancti, et morans ibidem per dies decem et plus, prætitulato die meritis d. Sancti ex eadem infirmitate effectus est sanus, et plagæ ipsæ similiter sanæ factæ sunt prout apparet per inspectionem oculorum. Et probata sunt præmissa per infrascriptas personas juramento [F] firmantes, videlicet Berlingerium Muratorem, Alexandram de Corrigerio, Allegrantiam de Trimoya, et Presbyterum Franciscum de Helena.

brachium contractum,

86 Mercatanti de Laurentio habitator Leocatæ, sub jurejurando dixit, quod Philippus filius ejus qui est annorum decem et plus (jam sunt anni novem) passus est imbecillitatem in brachio dextro, ita quod non poterat manum dextram extollere, nisi usque ad os: et veniens ad Reliquias d. Sancti, vires in brachio præd. recepit, et restitutus est pristinæ sanitati. Et hoc fuit etiam probatum per Juramentum Nicolai de Puranti de dicta terræ Leocatæ.

et ulcus putridum,

87 Martinus Faber, habitator Randatii, sub jurejurando dixit, quod jam est annus unus et plus, quod ipse habuit tibiam dexteram adeo plagis et ulceribus plenam, quod sanguinem putridum et quasi aquam putridam continue effundebant, et ipsa tibia multum tumescebat; et veniens cum devotione ad monumentum et Reliquias dicti Sancti, restitutus est optatæ saluti. Et probata sunt præmissa per juramentum infrascriptarum personarum, videlicet ...nardi de Schillacio habitatoris Cataniæ; Phi- ...onis habitatoris S. Petri de Pactis; et ...io habitatoris Bizini.

herniam a puero,

A 88 Jacobus de Marregio, habitator Bizini, sub jurejurando dixit, quod a tempore pueritiæ suæ in genitalibus crepuit: et veniens ad Reliquias, et tumulum d. Sancti, moram trahens ibi per decem dies devotione præcedente, et meritis d. Sancti effectus est sanus. Et de his omnibus constitit per inspectionem oculorum; et præd. infirmitas visa est per aliquos ex illis qui erant constituti ad sciendum et videndum Miracula d. Sancti.

hemiplegiam.

89 Frater Orlandus de Panormo, habitator Ciminnæ, sub jurejurando dixit, quod jam est annus unus et plus, quod ipse passus est in brachio et latere dextro usque ad pedes quamdam infirmitatem, ob quam de manu et parte dextera non poterat aliquid operari nec etiam recte procedere, et audito per eum nomine et fama d. Sancti, de prædicto terra Ciminnæ, versus eam et terram Calatagironi paulatim fere per mensem unum et amplius, sibi passione corporis imminente, cum devotione progrediens ad monumentum et Reliquias dicti Sancti; ipsas deosculans, ac libans de vino, quo lotæ fuerant Reliquiæ, restitutus est pristinæ sanitati.

Sanatur laborans ex renibus:

90 Manuel Libertus Bartholomæi de Alemannia, habitator Syracusarum, sub jurejurando dixit, quod jam sunt menses quatuor et plus, quod ipse infirmitatem in renibus passus est; ita quod se sustinere non poterat super pedes, et ob ipsam infirmitatem B in lecto jacebat: et audiens hujusmodi Miracula, vovensque venire ad Reliquias d. Sancti, emisso ipso voto, incepit exinde convalescere, et in die lunæ proxime præterito convaluit in totum, ita quod ad Reliquias prædictas suis pedibus personaliter heri sero se contulit. Et de prædicta infirmitate constitit per juramentum infrascriptarum personarum, videlicet Jacobi de Heraclea Clerici, Pisanæ de Ragusia, Bartholomæi Tarentini, Cicci de Mirsu, habitatorum Syracusarum. Et qualiter est sanus constitit per inspectionem oculorum de mandato Domini Syracusani Episcopi ad videndum et testificandum de Miraculis dicti sancti.

trahens corpus per terram.

91 Cosca Græcus, Domini Jacobi de Primofostio de Ragusia, sub eodem jurejurando dixit, quod ipse (jam sunt menses quatuor) passus est rheuma, ex quo erat contractus et quassus, ita quod pedibus adhærere non poterat, imo quando se movere volebat, ipsum se trahere oportebat per terram ambabus manibus, et eo quo poterat adjutorio. Et delatus super quoddam animali de præd. terra Ragusia C ad Reliquias d. Sancti, positas in ecclesia Sancti Jacobi; sua peccata confessus, et eo modo per terram se conferens versus altare, in quo sunt præd. Reliquiæ, et tactus ex eis ac libans de vino, ex quo lotæ fuerant Reliquiæ præd. hodie restitutus est pristinæ sanitati, et a multis visus est sanus: et de præmissis omnibus legitime constitit.

incurvatus toto corpore

92 Raynaldus, filius Gilæ mulieris de Calatagironi, erat adeo incurvatus, quod cum incedere volebat, non aliter valebat ambulare nisi manibus impositis super genua sua; et conferens se delatus ut poterat ad Reliquias d. Sancti, fuit restitutus ex inde pristinæ sanitati, et ex se ambulavit: ut constitit.

et digitis;

93 Allegrantia de Platia, sub jurejurando dixit, quod ab annis quinque citra, adeo patiebatur in manu sinistra, quod digitos ipsius manus curvos in planta tenebat; et conferens se ad d. Reliquias et libans de vino præd. et tactis per eam præd. Reliquiis de præd. manu sana effecta est, rectos tenens digitos ipsius manus; ut constitit.

clauda ex utero matris;

94 Vigesimo primo Julii XIV Indictionis, Ventura de Presbytero Joanne, habitatrix Casalis Misitelli, sub jurejurando dixit, quod ipsa fuit clauda ab utero matris usque ad prætitulatum diem: et conferens se eodem præd. die ad Reliquias d. Sancti; positas D in præd. ecclesia S. Jacobi, ipsas osculans, statim effecta est sana, et consolidatæ sunt bases ejus et exiliens stetit et ambulavit recte, et multi repleti sunt stupore, et in extasi positi, in eo quod contigit illi. Et probata sunt præmissa per juramentum infrascriptarum vicinarum suarum, videlicet Giliæ de Gistilisio, Sibilliæ de Magistro, Joannæ Pernæ de Casali, Franciscæ de Jacobo Stucha, et Joanne mulieris de Crustino, habitatricum d. Casalis.

cum stupore multorum;

item alia similiter clauda,

95 Gratia, filia Sybilliæ de Pezodipani, habitatrix Jacii, sub eodem jurejurando dixit, quod a nativitate sua usque nunc habuit pedem dexterum curvum et tortum, quod non poterat pergere nisi cum calcaneo ipsius pedis; et veniens ad præd. Reliquias et ipsas deosculans, sana effecta est et recte procedit. Et probata sunt hæc per juramentum infrascriptarum personarum, videlicet Magaritæ de Benignato, Nicolai de Tauromenio, Alexandri Henrici de Magno, Pesideriæ de Guillelmo Curonario, et Simonis de Rachoppo.

herniosus,

96 Vigesimo secundo ejusdem, Florina de Venuto de Bandino, habitatrix Heracleæ, sub jurejurando dixit, quod ipsa habuit filium suum naturalem, filium Fulti Manchini, Ciccum nomine, qui E ab annis septem citra, in genitalibus crepuit; et audiens miracula d. Sancti, primo accessit ad tumulum d. Sancti, et postea recedens illinc et veniens ad d. Reliquias in itinere incontinenti d. puer sanus effectus est; et ita sanus visus est. Et de infirmitate præd. constitit per juramentum Margaritæ de Pagano Barbario.

fluxum annos sex passa,

97 Eodem die Isabella de Agrigento, habitatrix Casalis Fluminis frigidi, sub jurejurando dixit, quod (jam sunt anni sex et ex tunc per totum usque vigesimum diem dicti mensis, continue fluxum patiebatur; ex quo multipliciter et ita vexabatur in tantum, quod ex subsecuta debilitate patiebatur defectum in acie oculorum; et ex nimia evacuatione secundum quod ipsa opinabatur seu ex aliqua alia causa emergente ex dicto fluxu, in ventre ipsius etiam tumor apparuit, et foramina sex aperta sunt, ex quibus, et ipsorum quolibet fluxit continue sanguis putridus: quarum plagarum quatuor artificiali modo in pristinam sanitatem reductis, reliquæ duæ sanguinem putridum etiam effundebant. Dicto vigesimo primo die mensis, prævia devotione ad dictum Sanctum, eques versus monumentum Sancti præd. F accedens et applicans noctis tempore ad ipsum monumentum ex magno atque diuturno languore, in quo medicorum auxilia sibi cuncta defecerant, incontinenti restituta est pristinæ sanitati et a fluxu et plagis prædictis extitit liberata ex quibus ante receptam sanitatem per se ambulare non poterat; et nunc per se ipsam meritis Sancti prædicti ab omni lassitudine liberata, non ut ægra corpore sed ut perfecte sana per seipsam ambulat, et vadit hinc inde, et rectis pedibus ambulare a multis visa est. Et de præd. infirmitate constitit per juramentum infrascriptarum personarum, videlicet floris delisiæ mulieris, uxoris Nicolai de Primalancea; Joannæ de Mineo, Margaritæ de Stephano, Perna de Gimburuto, habitatricum d. Casalis Fluminis-frigidi.

aliquando ex sex vulneribus.

in momento curatur.

A dæmone insessa

97 Vigesimo tertio Julii XIV Indictionis MCCCXXVII Alemanna, uxor Anselmi de Rahone, habitatrix Sancti Spiritus de Caltanissetta, quæ jam est annus unus et plus ab immundo spiritu vexata atque possessa erat, qui die noctuque eam ululare, ingemiscere, et fremere compellebat; audito per Rosatam filiam suam nomine d. Sancti, et pro eadem matre sua d. Sancto voventem, ut eamdem matrem suam a possessione dæmonis liberaret; et emisso voto præd. in eodem loco, antequam Alemanna move-

retur

Ex voto facto mirabiliter liberatur.

A retur de ipso loco, ad veniendum ad monumentum et Reliquias d. Sancti a vexatione præd. extitit liberata. Quod visum est virtute Domini et d. Sancti meritis ostendi per signum : nam qua hora d. Alemanna liberata est; turbo magnus et ventus vehemens infremuit, ut viderentur ex eo domus et arbores d. loci pati ruinam et evulsionem non modicam. Et postmodum venit ad Reliquias d. Sancti, et ipsas cum magna devotione osculans extitit liberata. Et testificantur hæc Rosata filia sua, Rosa de laudato, Agnesia de Fachello, Joanna uxor Simonis de Petra-persia et Joanna de Nigro.

Redditur usus brachii sicci et pedum.

98 Eodem die Jacobus de Lubigini de Agrigento, sub jurejurando dixit, quod ipse habens infirmitatem in brachio dextero, ex quo brachio nihil facere poterat, et ipsum brachium quasi siccum habebat, et patiebatur in tibiis et pedibus suis; adeo quod recte ambulare non poterat ; accedens cum devotione ad d. Sanctum, et Reliquias ejus deosculans, liberatus est et reductus pristinæ sanitati. De quibus constitit per jusjurandum Isabellæ de Castro Joannæ.

Dæmoniaca liberatur.

99 Vigesimo septimo ejusdem Baronissa de Ligodia, uxor Rogerii Gatucii, dixit, quod die Sabbati B proxime præterito vigesimo mensis, se conferens ad vineam suam, eam spiritus immundus invasit, et per totum diem ipsa fuit a spiritu maligno obsessa, ob quod doloribus et tormentis plurimis torquebatur in corpore : et marito suo prædicto pro ea vovente ad Sanctum præd, a d. vexatione fuit totaliter liberata, Et constitit per juramentum infrascriptarum personarum, videlicet Joannis de Agello, Alexandræ de Palazolo ipsam signa ostendisse quod esset vexata dæmonio.

Die 31 Augusti multi pernoctantes ad Reliquias Beati,

100 Ultimo Augusti, XIV Indictionis MCCCXXVII in hora Gallicantus, mira virtus et mirum in modum et admiratione digna, et extollenda præconio, eructavit meritis d. Sancti. Nam ea hora in d. Ecclesia S. Jacobi quamplures personæ, ante monumentum beati Gerlandi, in eadem Ecclesia pernoctantes, quæ (passæ erant varias et diversas infirmitates, ac devotione prævia d. Sancti, et emisso per eos voto, ut præfatus Sanctus ipsas de præd. ægritudinibus liberaret; ad eamdem Ecclesiam et Reliquias se contulerant auditu proprio perceperunt ante monumentum ipsum, sonum et cantum, et quasi organum, suave quasi ab Angelis propulsatum, melodia C plenum, delectabilem et armonicum eorum auribus intonare; sono ipso et cantu per tres vices et amplius per strepitum iterato, quod præd. personæ audientes circa proprium objectum ipsius, et cantus, minime deceptæ, extiterunt stupore repletæ multum ; et in talibus admirantes, gavisæ sunt in Domino, Dominum ipsum magnificantes et laudantes. De quibus constitit per juramentum Nicolinæ uxoris Joannis de Naro, habitatricis Ragusiæ; et ejusdem Joannis de Naro; Petri Simonis de Chanchio, habitatoris Sancti Petri de Patris ; Leonardi de Nicosia, Bartolini de Martorano habitatoris Platiæ, et Matthæi de Nicosia, qui omnes præmissa omnia audierunt.

audiunt cantum mirandum

tertio iteratum.

Die 4. Sept. liberatur puer a fœda hernia.

101 Die Quarto Septembris XV Indictionis, Anna, uxor Basilii Trimayeni, habitatrix Castri de Plano Milatii, sub jurejurando dixit, quod ipse habebat filium suum Petrum nomine, qui a principio D nativitatis suæ in genitalibus crepuit et ejus testiculi nimium apparebant, et tempore hyemis ita tumebant, et inflabantur inferius quod quasi juxta genua viderentur. Et nocte prædicta detulit d. filium suum ad Sanctum prædictum et liberatus est ab infirmitate et passione præd. et in totum visus est sanus a multis : ut constitit per jusjurandum infrascriptarum personarum, videlicet Benedictæ, filiæ Constantii Pecorarii ; et Joannis de Rogerio Stragimi habitatricum ejusdem Castri.

Modicæ inquisitum in miracula,

102 Per Presbyterum Joannem de Melle missum in terram Modicæ pro inquisitione miraculorum præfati Sancti Gerlandi, inventum fuit infrascriptum miraculum, per memoratum Sanctum factum in d. terra Modicæ in quadam muliere dictæ terræ, quæ dicitur Fimia de Riccardo Balleri. Videlicet quod præd. Fimia confessa est, olim se passam fuisse quamdam infirmitatem in gutture, quæ erat quasi apostema ad modum unius citroli : ita quod non poterat ullo modo collum suum inclinare deorsum, et die noctuque hac de causa patiebatur maximum dolorem : et statim quod fuit ad terram prædictam Calatagironi, causa remedii et sanitatis consequendæ meritis d. Sancti, devotione prævia accessit ad sepulcrum dicti Sancti; et antequam E illuc se applicaret, et esset ad flumen, quod dicitur Templum, tetigit guttur suum, et illud illæsum et incolume invenit. Hujus rei testes sunt, Francia de Brancaccio, Beatrix de Maniachi et Jacoba de Maniachi.

ubi apostema in gutture curatum.

103 Præsens transumptum transcriptum est ex originali, quod in arca ænea privilegiorum Civitatis Gratissimæ Calatagironi asservatur. Et facta per nos infrascriptos collatione, concordat cum eodem originali in cujus rei fidem manu propria subscripsimus.

Ego Franciscus Aprile, Rector Theologiæ sacræ in hac Universitate Collegii Calatagironensis Societatis Jesu, et librorum censor S. Inquisitionis ex speciali commissione Illustrissimi Senatus interfui, cum d. originale extraheretur (præsentibus aliquibus ex Senatoribus et aliis Nobilibus) ex dicta arca : et deinde facta collatione cum præsenti transumpto ; fidem facio, in nullo discrepare ab eodem originali.

Ego Gaetanus Butera, ex speciali commissione suprad. transcripsi præsens transumptum et contuli cum originali. F

Senatus urbis Gratissimæ Calatagironi universis etc. Testamur qualiter præmissum transcriptum et transumptum fuit extractum ex originali, existente in arca privilegiorum urbis, ejusdem de propria manu sit Gaetani Butera scribæ, e nostra commissione ac etiam subscriptio similiter Adm. R. P. Francisci Aprile Lectoris et Censoris librorum S. Inquisitionis est manus propria ipsiusmet Adm. R. P. de Aprile in cujus testimonium has præsentes fieri fecimus a me Prom. Notario nostroque solito quo utimur Sigillo in pede munitum. Datum Calatagironi die trigesima et ultima Junii septimæ Indictionis MDCXC.

Antonius Jacobus de Gallenti Prom. Not.

Loco ✝ magni Sigilli

DE B. MARINA VIRGINE,

ORDINIS CANONIC. REGULAR. S. AUGUSTINI,

FUNDATRICE MON. S MATTHÆI SPOLETI IN UMBRIA.

SYLLOGE HISTORICA

Ex Lud. Jacobillo de Sanctis Umbriæ, et MSS. monumentis.

D. P.

A. MCCC

Ex monasterio S. Mariæ a Stella

Beata Marina, quondam cognominata Vallarina, filia Silvestri Petrociani Spoletini, a prima ætate recepit se ad monasterium S. Mariæ a Stella cognominatum, quod anno MCCLIV fundaverat Bartholomæus Episcopus Spoletinus, sub Ordine Eremitarum S. Augustini; et a Stella cognominari voluerat, quam in puteo loci viderat fulgentissimam. Ejus Conventus Sanctimonialibus imposita erat cura educandi expositítios spuriosque infantes, in contiguo eumque ad finem erecto pædotrophio; cui sacellum adhærebat, juxtaque ipsum prædictus puteus quadratus, et conversus in commune sepulcrum innocentium, suscepto baptismo mortuorum.

ad novum S. Matthæi fundandum transgressa,

2 In isto monasterio cum annis aliquot vixisset Beata, aliis ad exemplum omnis virtutis et observantiæ; austerioris perfectiorisque vitæ cupida, una cum aliis Sanctimonialibus sex, recepit se ad hospitale S. Matthæi eadem in civitate, quod erat Tertiariorum S. Francisci; ibique fundavit monasterium sub titulo ejusdem S. Matthæi, et eodem Eremitico S. Augustini Ordine, circa annum MCCLXV. Cum autem Spoletum venissent Canonici Regulares Lateranenses, ejusdem S. Augustini Regulam professi, accepta habitatione juxta ecclesiam S. Syri; Monachas utriusque monasterii a Stella et S. Matthæo dicti regendas susceperunt, earumdemque auxilio obtinuerunt Abbatiam S. Juliani in Monte-Luco, et ecclesiam S. Ansani intra urbem. Ipsæ vero, cupientes eorum, sub quorum vivebant disciplina, etiam Ordinem Habitumque tenere sub iisdem Constitutionibus; Rocchetum, seu malis Superpelliceum lineum dicere assumpserunt anno MCCCII; præter sex, quæ priscum habitum retinentes, receperunt sese anno MCCCVI ad hospitium Eremitarum Montis-Luci, dedicatum S. Angelo intra civitatem; initiumque dederunt novo S. Angeli parthenoni, sub Eremitica observantia.

Canonicum ibi habitum suscipit an. 1302.

et defuncta 1300 circiter:

3 Vixit porro B. Marina in ipso quod erexerat S. Matthæi monasterio, annos circiter triginta, exactissima observatrix novæ professionis, intentaque orationibus, jejuniis et pœnitentiis; unde toti civitati celebris reddita, sanctissime, obiit circa annum MCC, die XVIII Junii. Viderunt autem Monachæ, quæ morienti adstabant, splendidissimum solis radium descendere supra corpus expirantis; et per ejus merita operatus est Deus multa miracula: propter quæ dictæ Monachæ corpus ejus sepeliendum curarunt in loco ab aliis separato, tumba marmorea honorifice conditum; quod anno MCCCCLXXI retectum inventumque est integrum atque incorruptum, et novis cœpit fulgere miraculis. *Hactenus Ludovicus Jacobillus, tomo* I *pag.* 645 *anni* 1647; *allegatis in margine* MSS. Severi Minervii, Joannis Baptistæ Bracceschi, *et* Seraphini de Seraphinis. *Præ quibus quæ situ dignum censui* Processum et Instrumentum Translationis factæ anno MDXLVIII; *datisque Spoletum litteris obtinui ex originali authentice transcriptum anno* MDCXCI, *per nostrum ibi P. Venturam de Baldinellis, id quod sequitur.*

an. 1471 transfertur incorrupto corpore

quod Vicarius Gener. Spoletani Episcopi

4 Joannes de Orlandis de Piscia V. I. D. Reverendissimi in Christo Patris ac Domini nostri, Fabii Vigilis, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Spoletini, in spiritualibus et temporalibus Vicarius generalis; Vobis venerabilibus ac dilectis nobis in Christo Abbatissæ et Monialibus Venerabilis monasterii S. Matthæi de Spoleto, Ordinis S. Augustini, Congregationis Lateranensis salutem in Domino sempiternam et Spiritus sancti consolationem.

ob notam Marinæ sanctitatem,

5 Mirabilis Deus, qui omnipotentia virtutis suæ infinita miracula quotidie operatus est in mundo, multa etiam in pluribus Sanctis suis indies operari non dedignatur. Inter quos novissime ipse omnipotens Deus in B. Marinæ, venerabilis vestri monasterii olim Monialis, vitæ sanctimonia, miraculorum operatione, clarescere non est dedignatus. Cum enim Marina prædicta, ab ineunte ejus ætate, in S. Mariæ de Stella primo, ac deinde in S. Matthæi, ab eodem cum nonnullis aliis Monialibus a fundamentis erecto monasterio, in hac civitate Spoletana, famulatum Deo dignum præstiterit, vitamque religione ac sanctimonia conspicuam vixerit; in ejus obitu miraculis palam claruerit; ab annoque millesimo quadringentesimo septuagesimo primo usque ad hanc diem pro Beata habita et reputata fuerit, prout hodie habetur et reputatur; ejusque corpus usque ad hanc diem integrum incorruptumque conservatum esse, publicum ac notorium sit; a populoque Spoletano in maxima habeatur veneratione; et licet hactenus corpus ejus, a die ejus obitus usque ad hanc diem, ob ejus sanctimoniam, in loco seorsum a sepultura aliarum Monialium depositum fuerit; prædictumque depositum, ob ejus vetustatem instaurare opus sit; neque id Vos sine licentia nostra speciali efficere velitis; ideo Nobis supplicari fecistis, ut in præmissis de opportuno remedio consulere dignaremur.

et miraculosam integritatem,

permittit in locum recentiorem transferri an. 1648

6 Nos itaque, et vestræ ac totius populi Spoletani devotioni consulere, et ut in Sanctis suis Dei opt. max. omnipotentia clarescere dignoscatur, providere volentes; Vobis et cuilibet vestrum, sepulcrum sive depositum B. Marinæ, prout alias factum, destruendi novumque in alio decenti loco, cum ea veneratione qua decet et hactenus solita ac consueta, ædificandi licentiam et facultatem tenore præsentium concedimus et elargimur; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. In quorum fidem et testimonium omnium præmissorum, præsentes per infrascriptum nostræ Curiæ Notarium et Cancellarium scribi, sigilli magni Episcopalis Spoletani, quo in his similibus utimur, appensione communiri fecimus. Datum et actum Spoleti, in Episcopali Palatio nostræ solitæ residentiæ, sub anno Incarnationis D. N. Jesu Christi MDXLVIII, Indictione sexta, die vero XIX mensis Maji; præsentibus ibidem discretis viris Dominis, D. Bernardino Leoncillo de Spoleto, et Petro Macoschello Clerico Florentino, testibus ad præmissa omnia vocatis, habitis, et rogatis, Pontificatus S. D. N. Pauli divina providentia Papæ III anno quarto decimo.

Joannes


AUCTORE D. P.

Joannes de Piscia Vicarius Generalis manu pp.
Marianus Leoncillus Curiæ Episcopalis Notarius de mandato.

Ego Cassius Cupuccinus, Curiæ Episcopalis Spoletinæ Cancellarius, quia supra d. copiam cum suo proprio originali, penes Moniales S. Matthæi Spoletini existente, et per alienam mihi tamen fidelem manum extraxi, et facta collatione concordat, in fidem præscriptum etc. *Fidem denique illi facit*, Opicius, miseratione divina tit. S. Martini in Montibus Cardinalis Pallavicinus, Episcopus Spoletinus...... XVII Julii MDCXCI; *prout testatur subscriptus* Joannes Maria de Nobilibus, Notarius Episcopalis de mandato.

eidem arca argentea conditur an. 1659

7 Aliud translationis re ipsa factæ Instrumentum hactenus non potuit reperiri, repositum fortassis sub ipso sacro corpore cum an. MDCLIX Vallarinus Petruccianus nobilis Spoletinus, hanc suæ familiæ beatam honoraturus, fabricari jussit capsam argenteam, quæ intra idem marmoreum sepulcrum posita contineret prædictum corpus, *prout in subjecta imagine videre est. Idem testatur prælaudatus Jacobillus nisi quod errore typothetico legatur impressus annus* 1639 *pro* 1659, *sicut supra scriptus erat annus* 1502 *pro* 1302.



CORPVS B. MARINÆ FVNDATRICIS MONASTERII S. MATTHÆI SPOLETI

et in qua Beatam ipsi vidimus an. 1660.

8 *Fui ego anno* MDCLX *cum Magistro Henschenio Romam tendens, die* XX *Decembris, a nostri Spoletini Collegii tunc Rectore deductus ad pium istud spectaculum, et* vidi prædictum venerabile Corpus in sua arca collocatum, ad templi latus dexterum ingredienti, prope altare, intra parietem marmoreo opere eleganti vestitum *sicut tunc retuli in pugillares : de cujus cultu postea distinctiorem notitiam requirens (neque enim memoriæ confidere quidquam ausim, post annorum quadraginta intervallum) a præfato Bandinello sic accepi :* Nulla veneratio solennis Marinæ habetur a populis, nulla per totum anni spatium ejus festivitas agitur, neque Sacrum fit, neque Officium recitatur, ne quidem ab ipsis Monialibus S. Matthæi. Tantummodo circa illius sepulchrum plurima vota pendent; et Corpus incorruptum, ut insignis Reliquia, omnibus hac iter habentibus ostenditur.

sed absque solenni cultu Missæ et Officii

9 *Quia tamen prædicta omnia abunde probant casum, Bulla Urbaniana exceptum in prærogativam cultus ab immemorabili, id est centum annorum notitiam excedentis; potuisset solemnior ille cultus, qui per Missam et Officium defertur, Romæ sperari; nisi nuperum obstaret Decretum sacræ Congregationis, in eo quod pro B. Juliana Falconeria emanavit, cavente, ne post hac valeant ejusmodi probationes Beatitatis, antiquitatus creditæ et receptæ atque ab Episcopis et et locorum Ordinariis approbatæ, nisi in eodem genere cultus; uti jam dixi agens de S. Petro Pisano, eo usque dumtaxat perducto, nec absque novis Processibus facile ulterius producendo. Sed cur omittitur miraculosarum, quæ ad B. Marinæ Corpus referri creduntur, gratiarum exceptio et approbatio? Ea certe negligi non deberet, sed scriptis authenticis legitime consignari, atque Ordinariorum examini subjici : quia talis diligentia et copiosiora eliceret a Deo beneficia, et viam sterneret Canonizationi solenni aliquando obtinendæ per novos Processus.*

cujus nunc obtinendi spes restat exigua

DE B. OSANNA ANDREASIA

VIRGINE TERTII ORDINIS S. DOMINICI

MANTUÆ IN ITALIA

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§. I. De vita Latina, ipso mortis anno; Italica, biennio post edita; Auctoribus Beatæ familiarissimis.

ANNO MDV.

Virgilium Poetam mundo dedisse vetus Mantuæ gloria sit, licet sepulcro ejus se jactet Neapolis : pluris nunc ipsa merito facit, genuisse victuram apud se sancte et sanctissime mortuam etiam nunc veluti viventem servare, corpore incorrupto,* Osannam Virginem, *ex Andreasiis Patriciis suis natam, anno* MCCCCXLIX *die* XVII *Januarii; denatam* MDV *hac* XVIII *Junii, qua permissu Leonis X ibidem colitur ut* Beata; *et ut electa civitatis* Protectrix, *celeberrimo cultu, pæne a die mortis inchoato, continuatoque et nuper solenniter Romæ confirmato prout infra dicetur. Vitam mox Latine scripsit, idem qui in exequiis oratione funebri defunctam laudaverat,* Fr. Franciscus Silvester Ferrariensis, Ordinis Prædicatorum; *ab Altamura in Bibliotheca Dominicana commendatus, ut* inter Theologos acutissimus; *et* Virginis Confessarius, cum forte Mantuano Conventui præesset Prior, aut Lombardiæ Provinciam Vicarius regeret; *quorum*

Vitam mox edidit Franc. Silvester,

Virginis intimus et superior,

rum neutrum expresse in Vita asseritur; sed ex obedientia quam ipsi Virgo detulit, in communicandis ei cordis sui secretis Alterutrum vel simile quid videtur consequi. Claruit iste non solum eruditis Lectionibus, sed etiam libris, quos Altamura enumerat: factus denique in Capitulo Romæ celebrato Generalis Magister XL anno MDXXV, *et apud Redonenses in Gallus mortuus,* XIV *Sept. anno* MDXXVIII. *Ab eo scriptam Vitam habemus sub tali titulo:* Beatæ Osannæ Mantuanæ, de tertio Habitu Ordinis Fratrum Prædicatorum, Vita, per Fratrem Franciscum Silvestrum Ferrariensem, ejusdem Ordinis et vitæ Regularis (*in Lombardica Congregatione restauratæ*) professorem edita. *utque (ut ad calcem notatur) ipso quo Beata obiit* anno MDV, Mediolani apud Alexandrum Minutianum die XIX Novembris, cum copia privilegii ab Illustrissimo Mantuæ Marchione concessi XXVI Octobris, *ubi ille censet, quod Auctori* eo certior fides adhibenda est, *quia* ipse actorum *Virginis* fuerit oculatissimus testis et assiduus cultor.

ex iis quæ ipsa sibi dixit et scripsit;

2 *Hoc autem idem clarius explicat, cum in Prooemio ita loquitur num.* 4. Non putet autem quispiam, me alieno tantum deprompta ore collegisse, eaque calamo exarasse. Audivi ego ex ipsa, legique magna ex parte in ejus litteris, ad me sua manu importunitate mea conscriptis, quæ non nisi per ipsam sciri potuerunt: et ea quidem, plerosque annos antequam suo fungeretur fato, scriptis commendaram. Quæ ad mores spectant, vidi, et longa experientia probavi: reliqua vero, quæ profecto pauca sunt, ab illis ipsis accepi, qui ea oculis inspectarunt. Putabam autem ne unum quidem, me excepto, esse cui secreta hujusmodi credidisset: sed offendi, eam religiosissimo et integerrimo viro, cui Fr. Hieronymo Mantuano nomen est, de Ordine D. Benedicti Congregatione Montis Oliveti, tunc Priorem agenti Gradariæ, cui plurimum fidebat, istæc pæne omnia relevasse: narrasse quoque pleraque memoratu digna Sorori Margaritæ Seraphinæ, in Annuntiatæ monasterio degenti, cum qua longa sibi et dulcis fuerat consuetudo; et (quod magis mirere) eadem seculari feminæ, qua familiarissime utebatur, explicasse. Sed hoc divina factum reor providentia, ut non modo sui, verum etiam exteri, sanctitudinis ejus testes forent.

conformia scientiæ paucorum consciorum.

Amissis quæ ipsa sub initium,

3 *Hactenus ille in Prooemio, in progressu autem Vitæ num. 41 agens de ejus humilitate, narrat; quod* cum cœlestes gratias, quibus ab immortali Deo donata fuerat, quo illis ipsis quandoque relectis Salvatorem arderet magis, litteris commendasset; audissetque nonnullas Sanctas mulieres per Principium atque etiam vulgi ora volitare; verita id sibi aut viventi aut mortuæ facile eventurum, libellum, in quo universa conscripserat, ne prodiret in lucem, igni absumpsit. *In secunda autem Vita num.* 58, *narrat ipsa, quomodo ostenso sibi divinitus Confessario* Fr. Dominico de Crema, (*quo tredecim annis usam ait Silvester num.* 18) *jussa fuerit a Christo ei aperire totam vitam suam.* Ille autem, *inquit ipsa*, omnia in librum retulit [usque ad tempus quo vixerat ipse] qui non invenitur, quia ipse obiit..... Deumque rogo, ut posthac numquam reperiatur. *Nec vero repertus unquam fuit: et quamquam repertus fuisset, scriptus erat, ut dicitur num.* 103 tali forma, ut nemo alius legere illum potuisset vel intelligere.

ejusque confessarius scripserant,

supplevit defectum alius libellus,

4 *Sed vicem ejus, aut saltem prioris, supplevit alius quem*, propria manu sua scriptum, dedit *Auctori Vitæ secundæ, jam in Filium spiritualem intimiorumque omnium arcanorum secretarium assumpto*, multis ejus adstricta precibus, *ut ait num.* 46: *et num.* 137 *hunc et a se scribendum ac relinquendum promittens, meminit etiam ejus quem* alias fecit, sed, metuens ne inveniretur, combussit; *tunc autem voluisset pro illius solatio habere. Talis libellus inseritur Tractatui primo, Vitæ istius secundæ, continebatque sub titulo* Tractatus I, mirabilem pueritiam et conversationem suam, imo sanctificationem atque principia sublimium suarum extaseon: *quæ si cum Silvestri scripto conferantur, apparebit, superficialiter dumtaxat cognita ipsi Virginis secreta fuisse; et ab eo quidem exhibitum lectori quoddam corpus historiæ; in isto vero Hieronymi primo aliisque duobus Tractatibus, Vitam secundam constituentibus, contineri medullam et quasi animam rerum de Virgine sciendarum atque ad spiritualem Lectoris profectum conducibilium magis. Secundum tractatum formant, Colloquia cum Auctore spiritualia. Tertium faciunt Beatæ ad ipsum Epistolæ* XLII *Quæ omnia, quamvis prolixissima, non piguit ex Italica impressione, Mantuæ curata, anno* MDXII *Latina facere, propter abundantiam spiritus, undique promanantem, et corda quamvis arida succo interioris gratiæ irrigare idoneam.*

Auctori D. P. quidem ipsa postea dedit Auctori Vitæ 2

cui ille insertitur.

4 *Fuit prælaudatus a Silvestro* Fr. Hieronymus (*ut ipse se scribit,*) Montolivetanus, postea sui Ordinis Generalis, *quod etiam in Historia Mantuana parte* 2 *pag.* 108 *testatur Fr. Hippolytus Donesmundi ex Ordine Observantium, sæpe infra laudandus. Narrat inquit hic, Fr. Hieronymus de se num.* 123 *quod*, cum puerulus esset ac scholas frequentaret, accidit sibi ut videret cœlestem illam animam in spiritu raptam: talisque præsentia sic fuit suæ menti impressa, ex prima illa vice, ut numquam obliterata ejus memoria sit, *existimavitque* eam divinitus cordi suo impressam. *Factus autem Religiosus*, sæpeque cum Virgine locutus, ac diu inter ejus spiritualia colloquia versatus; indeque evidenter cognoscens divinam gratiam, in anima illa operari supra naturæ humanæ cursum; Decrevi; *inquit num.* 48, toto corde manifestare me ipsi, ut ipsa beata Virgo Mater mihi fieret spiritualis..... Crescente autem sancto nostro utrimque desiderio, crescebat inter nos spiritualis consensus, ita ut ex duobus cordibus una prorsus voluntas cœperit in conspectu Dei emanare. Sancta igitur ac spirituali familiaritate inter nos contracta, et mentibus nostris fideliter constabilitis in via, spiritus coepimus sanctis colloquiis frequentare, solo Deo interveniente cum amore sancto, hinc filiali, inde materno. *Ex tunc tenerrimo inter se affectu cœpit ipse*, caram Matrem; *illa* Unicum ac genuinum; et in Christi sanguine conceptum filium, *et nihil ipsum celare aut posse aut velle, licet apud alios etiam Confessarios, erat parca secretorum suorum imo etiam (quatenus per obedientiam licuit) tenacissima; propter maximam suam molestiam et verecundiam, si quando vel deprehendebatur in talibus, vel Superiorum jussu constringebatur.*

Fuit hic a pnero æstimator Beatæ,

de inde vel gloriosus obtinuit assumi in filium spiritualem,

5 *Hinc illa Epist.* 5 *exclamat:* O catena! o vinculum suavissimum et sanguineum, quod nos tam arcte colligavit in conspectu Dei, adeo ut, Fili mi in Jesu crucifixo care, verum sit, quod Deus posuerit in cordibus nostris tantum ignem sui divini amoris..... Propter quod dico, quod non possum nec volo quidpiam ulla ex causa abscondere filio meo, in conspectu Dei sic colligato et corradicato; neque possum aut volo ipsum plus celare quam meipsam. *Et Epist.* 17; Verum dico, sicut dicerem in Confessione, numquam in hoc mundo fui in conspectu Dei sic colligata creaturæ alicui *Et præcitata Epist.* 17, Non per mea merita, sed per Dei magnam bonitatem firmatus fuit iste tam spiritualis amor, quem credo non Angelus, non Archangelus, non dæmon, non creatura aliqua, absque gravi causa rescindere poterit; sed, Dei gratia mediante, perficiendum confido in æterna ac beata patria. *Hujusmodi protestationes sæpius inter colloquia occurrunt, atque inter alias cum num.* 138, *exposuisset inter nos cordis sui*

tam arcta familiaritate junctus Virgini,

ut nihil ipsum posset aut vellet celare,

AUCTORE D. P.

sui cruciatus ; Vellem, *inquit*, Fili, tibi monstrare cor meum, ut videas quid ibi operetur Deus. Scito, quod aliud nihil tibi reticeam, nisi quod dicere nequeo. *Et num.* 169, *exposita quadam visione et pœnitentiis, quas faciebat cum licentia Confessarii sui Fr. Dominici, cui divino jussu explicaverat totam vitam suam ;* Alteri, *inquit,* numquam tantum dixi, nisi tibi, dilecte in Christo fili, idque citra scrupulosum respectum. Gratias ago Deo, quod te mihi per suam bonitatem concessit ; atque de te confido, tamquam de propria anima mea. *Cum autem is Mantua aberat a sui Ordinis Capitulo alibi constitutus (quæ absentia aliquando duos tresve annos tenuit)* O Deus meus, *inquit Epist.* 28, quantum mœrorem, lacrymas, et suspiria mihi causat, quod non habeam missos fideles ad Epistolas meas ferendas. *Nam* paupercula mater, destituta præsentia cari et benigni filii in Christo, non scit quid possit agere, nisi cum fide expectare, ut benignus ac misericors Deus restituat dulcissimum fidelissimum ac secretissimum in Christo filium cui confidenter dicere possit quæ vult. *Sane num.* 126 Vellem, *inquit*, quotidie habere commoditatem loquendi tecum de rebus spiritualibus : magnamque consolationem sentire mihi videor, quando de rebus meis nemini loquor nisi tibi : imo cor meum tunc quietum ac tranquillum manet diebus aliquot.

uni ille sine respectu credens sua secreta :

6 Scito tamen, *inquit ipse Hieronymus*, quod multis annis sic fuerim cum ea conversatus, priusquam incepi aliquid de ipsa scribere ; quia mens mea non prætendebat, nisi salutem animæ et rerum spiritualium ac divinarum notitiam consequi. *Itaque, uti in Argumento operis ante Prœmium legitur, num.* 4 *illud ex istis solum contexuit ; quæ scripserat*, spatio annorum circiter novemdecim *ab anno scilicet* MCCCCLXXXVI ; quamvis diu antea fuerint invicem a Deo per amicitiam colligati. *Et cum dixisset, quam ægre ab illa extorserit, ut mane ejus ad se scriptas Epistolas servare pro suo solatio posset, secretas tamen ;* Nesciebat illa, quidquam de Memoriali quod scribebatur a suo Filio spirituali *inquit num.* 7, *seipsum intelligi volens* quia hic desiderabat et deprecabatur continuo Deum, ne id ipsi, uti alia secreta sua, revelaret, atque ita ejusmodi consolatione privatum eum vellet. Sed neque tunc ille occupabatur scribendo aliquo libro, solumque intendebat saluti animæ et consolationi spirituali. Certus interim nihil aut parum a se sciri, respectu eorum quæ ignoravit ; adeoque dici debet, minimum esse quod scribi de ea possit, in comparatione plurium aliorum magnalium..... Quod si contingat aliud opus compilari, in quo majora quædam de ipsa narrentur, credendum erit, quod aliis quoque familiarissimis suis ea revelaverit, quantumvis paucis, eo quod esset secretissima. *Istorum autem paucorum duos nominat num.* 260, Sor. Margaritam Seraphinam, et D. Genesium Sacerdotem, *quorum hic defunctus videtur fuisse, ista adhuc vivebat. Antea vero meminit Auctor longi sermonis recitati a* Vener. Patre Fr. Francisco Ferrariensi Ordinis S. Dominici, *nulla facta mentione Vitæ ab eo Mediolani editæ, duobus annis prius quam hæc secunda Mantuæ imprimeretur.*

quæ tamen illa cœpit primum scribere annis 19 ante ejus mortem,

sed inscia ipsa,

pauca de multis,

per alios forte adhuc noscendis.

7 *Miranti quomodo id fieri potuerit ; occurrit cogitare, statim a morte Beatæ, repressum, unde venerat accersitus, Franciscum Silvestrum, Mediolani composuisse et impressisse opus suum Latinum, eodem ipso tempore quo Hieronymus Mantuæ, ex suo (ut nominat) Memoriali, sive Diurno colloquiorum cum Virgine habitorum, atque ex tradito sibi ab ea libello, et Epistolis ad se directis, colligebat alterum Italicum ; qui ipsum manuscriptum obtulerit Marchionibus ; sic ut alter nihil sciverit de lucubratione alterius, multo minus hujus Memoriale arcanum isti notum fuerit. Marchiones autem, accepto Mediolanensi impresso Latino, in quo melius servabatur historiæ forma ; quodque instruendis primis illis initiis satis esse videbatur ; suppressisse existimo secretiorem illum Italicum tractatum, quousque magis magisque probata vulgo Virginis sanctitas, visa est commodius distinctiusque post biennium per typos Mantuanos lingua vulgari patefieri posse : quod factum sit nullo ad MS. sibi consignatum verbo addito.*

Videtur pæne ac prior statim a morte scripsisse,

licet biennio serius jussus imprimere.

8 *Severiores Theologi subinde hic aliquid offendent, in rigore terminorum scholasticorum minus forte probandum, ut cum num.* 159 *dicitur, quod* Anima abstracta videt essentiam divinam, sicut relucet in Verbo, *et num.* 166 *quod* quando *eadem* sic abstracta est.... Deus eam facit cognoscere, prout vult, præterita præsentia et futura, respiciendo in divinam Essentiam ; *scilicet non per visionem comprehensivam et similem beatificæ, nulla specie creata mediante ; sed per aliam longe inferioris ordinis ac mediatam, qualis hic sæpe indicatur nominibus* ineffabilis claritatis *atque* circumscripti luminis. *Sed altercari circa talia volentibus, et in erroris suspicionem adducere Beatam ac scriptorem ejus, reponere posse videor id quo Virgo num.* 235 sermonem conclusit, dicens, quod non sit possibile creaturæ humanæ intelligere quid rei sit unio, quam Deus facit cum anima abstracta, excepto illo cui Deus dat talem gratiam mediante ipsa unione. *Meritoque addiderim cum eadem ;* Multi cupiunt subtiliter talia investigare, et videtur ipsis quod ratiociniis suis attingant aliquam eorum intelligentiam ; sed quanto magis quærunt, tanto minus intelligunt. *Imo ipsæmet animæ, tanto favore dignatæ, etsi* in mente sua ipsum intelligunt, *ut dicitur num.* 93, *tamen* non inveniunt verbi, similitudinem aut formam, quibus mediantibus notitiam suam internam communicent mortalibus, tantæ gratiæ inexpertis : *quo fit, propter rerum ipsis ineffabilium sublimitatem, ut verbis subinde cogantur uti, minus apte quadratis ad vulgi et scholarum usum.*

Excusandi termini scholis subinde displicituri

ob difficultatem explicandi affectiones extaticas.

9 *Profitetur Auctor num.* 9 *quod* grandis *sibi* conscientiæ remorsus foret, si non diceret totum, quantum in se est, de Virgine ista, exceptis minutiis quibusdam particularibus, quas modo publicari indecens foret ; mente tamen eæ premuntur *inquit,* cum proposito relinquendi memoriam posteris. Etenim *(pergit ille)* firmiter credo, quod divina providentia ideo voluerit resistas secretas, animæ illi cœlesti factas, fide oculata teneri ; ut futuro tempore aliquando publicentur, et simul cum corpore non sepeliantur tot divinæ gratiæ, in animam beatam allatæ ; quod sine dubio accidisset, nisi Deus Virgini occultasset ea scribi : quippe supra modum respectiva erat, *uti pluribus deinceps locis indicatur. Ex multis etiam aliis habetur, non pauca prætermitti, ne veniatur in notitiam personarum, quarum vel tangebantur vitia, vel adhuc viventium virtutes laudabantur ; vel futuri prænuntiabantur successus necdum opere completi. In his haud dubie etiam erant quædam privatam Auctoris conscientiam et personam concernentia ; hæc enim non nisi parcissime, idque sub velo tertiæ personæ attinguntur ; ut cum num.* 96 *quosdam utrique devotos commendanti respondet,* Scias, Fili in Christo, quod eorum memoria inscripta sit cordi meo, nec ullam facio orationem in qua non commendentur ; præcipue autem illa anima, de qua toties tibi narravi : non crederem me contentam fore, si putarem me absque illa futuram in cœlo. *Ubi de ipsiusmet Auctoris anima agi, atque hanc earum unam esse, cujus salutem toties et tam signanter ipsi Christus promisit, vehemens mihi suspicio ex eo nascitur quod immediate post, veluti sui occultandi oblitus, subjicit ;* O pie Jesu ! Divina bonitas per suam gratiam duo corda univit, duasque voluntates in uno desiderio. *Fieri tamen potest, ut hoc ideo dixerit quia ambo æqualiter tertiæ cujusdam personæ salutem curabant et optabant ; atque*

Studio quædam prætermisit Auctor,

quæ personas particulares

vel ipsummet concernebant.

ita

A *ita falsa sit suspicio illa. Ceterum quod Paralipomena illa postea unquam collegerit Hieronymus, nedum quod aliquando propalarit, aut Memoriali suum seu protocollum unquam permiserit ad alterum manus venire, nullo indicio deprehenditur.*

§. *II. Ejusdem Beatæ Vitæ, a recentioribus Auctoribus compendiosius scripta.*

Elogium ex Catalogo Ferrarii,

Philippus *Ferrarius, in Catalogo Sanctorum Italiæ, impresso Mediolani sub annum* MDCXIII, *totam Virginis vitam hoc perstrinxit elogio.* Osanna Mantuana Virgo, ex nobili Andreasiorum familia orta, ab infantia Christo virginitatem vovit; qui orantis humeris crucem imposuisse fertur, quod in causa fuit ut illa postea in Dominicæ Passionis meditatione assidue versaretur. Annos XIV nata, habitum Ordinis Prædicatorum (ut vocant) tertium suscepit, cilicio vilique veste induta. Orbata parentibus, domus curam sustinuit, fratresque in Dei timore educavit. Dici non potest quam tribulationes, quæ illi multæ accidere, patienter tulerit. Non minore caritate et humilitate prædita fuit. Afflictos solabatur, et orationibus adjuvabat. Singulis Dominicis diebus sacra B Communione reficiebatur, frequentius confessa. Jejunans, seipsam flagellabat; et sæpe in oratione pernoctans humi cubabat, ubi somnus eam occupasset. Christum et Deiparam aliquando se alloquentes cernere meruit; ac litteras, cum nesciret legere, ab ea traditur didicisse. Illud etiam ferunt, illi, ante Crucifixum Biccarelli vico vehementius oranti, stigmata, ex quibus dolorem non mediocrem feria sexta perciperet, impressa fuisse. Mantuæ, pestilentia laboranti, subvenit, orationibusque libertatem impetravit. Tanta erat apud omnes opinio sanctitatis illius, ut se Principes et alii plurimi precibus ejus commendarent. Multas habuit revelationes, pluraque prophetico spiritu divinavit. Denique assiduis vigiliis et piis laboribus confecta, morboque oppressa, migravit ad Sponsum, XIV Kalend Junii, anno post Christum natum MDV. In æde Prædicatorum sepulta, sanctitate multis miraculis declarata.

secuti Vitam 3, an 1590 impressam.

Seraphinus Razzius secutus est secundam,

11 *Hæc dicuntur sumpta* ex Vita, Mantuæ impressa anno MDXC. *Eam suspicari possumus non esse ejus, quam Latinam facimus primam editionem aut secundam aliquam nobis aliisque ignotam; sed diversam ac tertiam omnino compositionem utrique priori innixam, vel earum epitomen; de qua Hippolytus Donesmundi, anno* MDCXIII *imprimi faciens historiæ suæ* C *partem secundam pag.* 108, Pauci sunt, *inquit,* anni quod Vitam Beatæ, eleganti ac perpurgato stylo explicatam, dedit Dominus Ludovicus Gratia de Trino in Monte Ferrato, *ex qua in Provincia et oppido Casali cultum* Osannæ Mantuanæ *vigere, infra videbimus. Non habuit illam Vitam nec etiam primam* Seraphinus Razzius, *in Vitis Sanctorum et Beatorum Ordinis Dominicani editis Panormi anno* MDCV; *sed simpliciter usum se profitetur opere Fr. Hieronymi. Vitæ autem a Francisco Silvestro editæ, non meminit, nec omnino cognitam illam habuit; uti nec Razzii interpres Gallicus* Joannes Blanconius, *qui Seraphini opus Parisinis typis vulgavit anno* MDCXVI. *Ex adverso, solam Latinam præ oculis habuisse profiteretur, qui novissime Vitam Osannæ Diario suo Dominicano Neapoli inseruit.* Franciscus Maria Marchesius, *anno* MDCLXXII. *Rassio et Marchesio felicior vel diligentior videtur fuisse* Joannes de S. Maria, *in Vitis Sanctarum ac Beatarum Gallice editis,* MDCXXXV *alias in operibus suis etiam* de Rehac *cognominatus: qui de* Osanna *acturus, præfatur se vadem scribendorum de ipsa habere Vitam utramque, atque insuper allegat* Illustriss. Cardinalem et sacri Palatii Magistrum, in tractatu de plagis S. Catharinæ Senensis §. 2;

Marchesius primam,

nonnulli saltem allegant utramque

Episcopum Monopolitanum parte 4, Joannem Guavarlinum lib. 2 cap. 17 Didacum Masium, *omnes nobis ignotos; necnon notos alios,* Thomam Bosium lib. 12 de signis Ecclesiæ cap. 23, Michaelem Plodium, *alias* Pio, lib. 3 num. 86, Stephanum Senensem, Stephanum Sampayum *sive* a S. Pelagio, *quos non attinet minutim consectari, nihil docturos quod non hauserint ex alterutra præcitatarum Vitarum; ac denique* Hilarionem de Costa, Ordinis Minimorum, in tantopere desiderato opere de Vitis illustrium feminarum: *credo in secundo operis illius tomo: nam qui Parisiis prodiit anno* MDCXXX *nihil simile habet, an autem alius tomus unquam prodierit mihi non constat.* Franciscus la Hier *Societatis nostræ, in magno Menologio Virginum, Insulis anno* MDCLXV *non videtur aliam præ oculis habuisse, quam librum Joannis a S. Maria, licet ipso præeunte plures alleget, idem dixerim* de Arturo a Monasterio *in Sacro Gynecæo anno* MDCLVII.

D

AUCT. DE D. P.

pluresque recentiores meminerunt Beatæ

12 *Quod ad miracula attinet,* ex multis ac prope innumeris, *duodecim ante mortem, post illam undecim lib. 6 et ult. elegit Ferrariensis Lectori proponenda Neque brevitas temporis otium ei reliquisse potuit sumendi accuratam informationem de pluribus. Hieronymus, ab illis quæ mortem secuta sunt paucioribus verbis se expedivit, dicendo num.* 260, *quod* Osannæ preces E valent contra dæmonia atque occurrentes infirmitates, et sunt refrigerium tribulatis.... quemadmodum diuturna experientia monstrat ad sepulcrum ejus: *ubi ejusmodi gratias ad sua usque tempora continuari; probat Hippolytus Donesmundi pag.* 107, *ex* votivis anathematis omnis generis, quibus quotidie crebrescentibus cingebatur arca. *Tertiæ Vitæ auctorem* Gratiam, *etsi non viderim, eam tamen nihil amplius habere crediderim. Plura tamen inveniendi spes esset, si extaret Processus, ex commissione Leonis X (de qua mox) confectus anno* MDXV: *qui si periit (vix enim credibile est nullum factum fuisse) si etiam Patribus Dominicanis nulla unquam cura fuit ne quidem hoc seculo talia colligendi, solum restabit, ut optemus eos fieri post hac diligentiores; neque contenti sint votivarum tabellarum multitudine ostendenda, solamque in genere probatura, Fideles magnam habere fiduciam in* Osannæ *meritis collocatam, eisque accepta referre plurima quæ credunt evenitus se obtinuisse beneficia.*

Miracula dumtaxat delibata habentur,

plura optantur.

§ *III Translatio Corporis, cultus a Leone X decretus, successive auctus totique ordini communicatus.*

Defunctæ Corpus, *ad ædem S. Dominici honorifice delatum,* deposuerunt, *inquit Franciscus Silvester num.* 193, in lateritio tumulo, donec marmoreum sepulcrum extructum fuerit, magna Isabellæ Principis impensa fabricandum. *Admota continuo manus est operi, quod cum finem accepisset, visaque est temporis adesse maturitas, celebrata fuit sacri pignoris translatio, de qua Hippolytus Donesmundi part. 2 Hist. Mant. pag.* 109 *in hunc sensum Italice scripsit:* Anno MDVIII celebrarunt Mantuæ Capitulum suum Patres S. Dominici. Tali occasione ad diem XIX Maji extractum fuit, ex deposito in quo jacebat, Corpus B. Osannæ coram Marchione Francisco et Fratribus Capituli aliisque religiosis personis: quæ omnes viderunt benedictum illud Corpus, integrum et palpabile, cum singulari sua admiratione. Stetit Corpus, in eadem ubi hactenus capella, quæ ingredientibus ecclesiam sinistra est, toto die usque ad horam secundam noctis concurrente illuc tota civitate: postea autem positum fuit in arca eleganter laborata, quæ sustentatur medio in aere supra quatuor columnas impositas altari ipsius capellæ.... Sequenti mense die XX fuit iterum sacratum istud Corpus sublatum ex

F

Anno 1508 19 Maji

inventum corpus integrum transfertur

et 20 Junii novis vestibus induitur.

A ex arca novisque vestimentis ornatum: in quorum mutatione apparuit latus cordis rubea insignitum nota quanta est forma denarii, necnon in clavis pedum, cum multa circumstantium admiratione.

AUCTORE D. P

Agitur apud Leonem X pro Canonizatione,

14 *Hinc cum indies multiplicarentur miracula, et per illa magis magisque accenderentur Mantuanorum, non solum civium, sed etiam Marchionum erga Virginem devotio; captum Romæ agi apud Pontificem pro Canonizatione illius, Leo X hic fuit, familia Medicæus, qui commendaticiis causæ commissionem expedivit interimque Beatam coli permisit Officio et Missa, per Breve, cujus exemplum anno* MDCLXXVIII *mihi misit nostri tunc Mantuæ collegii Rector Antonius Foresti, omissa, quod in eo non notatum, accidit inscriptione, ex qua discenda erant Commissariorum Apostolicorum nomina et qualitates, de quibus alias instructi libentes supplebimus defectum. Nunc ipsius Brevis tenorem accipe.*

LEO PP. X.

qui accepta relatione de Sanctitate Osannæ,

Dilecti Filii, salutem et Apostolicam Benedictionem. Ex relatione dilectæ in Christo Filiæ, nobilis mulieris Isabellæ Estensis de Gonzaga, Mantuæ Marchionissæ, ac etiam aliis, ad aures nostras pervenit, quod quondam Osanna Virgo de Andreasiis, civis Mantuana, dum in humanis ageret, a pueritia B usque ad annos quinquaginta sex ætatis suæ, innocentissimam, religiosamque, et devotam, in omni probitate et sanctitate vitam ita duxit, ut non solum civibus et incolis Mantuanis, verum etiam quampluribus forensibus, tam ecclesiasticis quam secularibus, illuc se conferentibus, quibus dabatur illius vel colloquio vel præsentia frui, admirabilis videretur. Quotiens enim sacram sumebat Eucharistiam, illico in extasim rapta, per tres vel quatuor horas aliquando et aliquando per diem integrum, omni exteriori sensu destituta et immobilis effecta, quasi ab hac luce migrasse putabatur. Summæ præterea humilitatis, mirabilis patientiæ in adversis, frequentissimisque orationibus et contemplationibus intenta erat. Postquam autem Altissimo placuit, illam, humanæ peregrinationis perfunctam munere, ad cœlestem Patriam (ut creditur) vocare; ejus cadaver in quodam reposito, in ecclesia Fratrum Prædicatorum dictæ Civitatis, quorum Habitum, qui de Pœnitentia B. Dominici nuncupatur, dicta Osanna multos annos detulerat tumulatum. Ex quo reposito, post C tres annos ab illius transitu, integrum absque ulla putredine et fœtore extractum, ut in marmoreo sepulcro, opera et impensa dictæ Isabellæ Marchionissæ, ob reverentiam ac devotionem, quam ad præfatam Osannam gerebat, constructo collocaretur; tantæ venerationis ac devotionis semper fuit, ac etiam in præsentiarum est, ut non solum cives et incolas Mantuanos, verum etiam diversos Christi fideles, bona fama hujusmodi sanctitatis ductos, ad dictum sepulcrum confluentes, quam plurimis gratiis et miraculis ex Dei benignitate affecerit, afficiatque indies.

et incorrupti Corporis translatione,

Commissarios causæ cognoscendæ instituit,

16 Cum itaque Isabella Marchionissa, non dubitans animam dictæ Osannæ Virginis, ob ejus vitam castissime et integerrime actam, in cœlesti choro æterna gloria perfrui, miro obtineatur desiderio, ut ipsa Osanna per Nos Canonizetur, et in Catalogum Sanctarum Virginum referatur; quare Nobis super hoc humiliter supplicari curavit: Nos igitur cum pio Marchionissæ desiderio satisfacere, tum etiam (si res ita esse comperiatur) ut eidem Osannæ, pro meritis suis, etiam a mortalibus in hoc seculo debitus honor et cultus impendatur, efficere cupientes; hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per præsentes committimus, et mandamus ut, de religiosa et integerrima vita, ac de piis et sanctis operibus dictæ Osannæ ac de miraculis ex ejus D meritis et intercessionibus a Deo factis, Vos diligenter informetis, et Nobis referatis: ut scilicet postmodum Nos, de præmissis certam notitiam per hujusmodi relationem habentes, eamdem Osannam, cum Dei et sanctæ Sedis Apostolicæ benedictione, canonizemus, et in Catalogum sanctarum Virginum referamus. Et interim, ut de ipsa Osanna in die ejus Natali, quo scilicet ab hac mortali vita ad cœlestem Patriam migravit, in primis et secundis vesperis ac in matutinis et aliis divinis Officiis ejusdem diei, in civitate et districtu Mantuano, sicuti in Natali aliarum sanctarum Virginum solet fieri, et celebrari, et in Missis aliorum dierum commemoratio, libere et licite fieri possit, concedimus; et a quibuscumque Sacerdotibus, Religiosis, et aliis Christi fidelibus fieri mandamus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx Januarii, MDXV, Pontificatus nostri anno secundo.

et interim ut Beatam jubet Mantuæ coli,

an. 1515.

Subscriptum erat.

P. BLONDUS.

Ex hinc habita illa civitatis Protectrix,

17 Ex hinc, *inquit prælaudatus Hippolytus pag.* 107, votivis anathematis omnis generis jam ante cincta arca, iisdem quotidie crebrescentibus pæne cumulari cœpit a civibus Mantuanis, qui eam in Ad- E vocatam singularem assumpsere et Protectricem civitatis suæ, eamque festam annis omnibus sancte solennizant; visitantes etiam reverenter paternam illius domum, in cujus Camera toto matutino tempore festi Missa dicitur, et diversæ ejus Reliquiæ monstrantur. Quin etiam Patres S. Dominici celebrant Mantuæ, ex concessione Apostolica, Officium proprium, sub quo hic etiam hymnus canitur.

apud Dominicanos etiam officio proprio colitur,

Urbis antiquæ recinant olores
Mincii, accedat superas ad oras
Cantus, æternum celebrans per orbem
Nomen Osannæ.

Gaudeat clarum genus Andreasæ
Prolis, hoc tanto decorata partu.
Huic prius semper celebranda sanctæ
Virginis acta.

Cœtus hinc ultro populi fidelis
Omnis exultet, referatque Christo
Gratias, traxit teneris qui ab annis
Corda puellæ.

Ut pios vertit teneram ad labores
Corpus, hinc canos juveniles ætas F
Induit mores, Habitum secuta
Religionis.

Prædicatorum venerata Patrem
Omne virtutum decus ut peregit,
Maximos tandem meruit triumphos
Visere cœli.


et ab anno 1602 exponitur 18 Junii spectandum Corpus,

18 Jam anni nonaginta septem transierant a felicissimo transitu B. Osannæ, *inquit idem qui supra Hippolytus ad annum* MDCII *pag.* 370, quando Patres Dominicani, in quorum ecclesia ipsius Corpus requiescit, volentes satisfacere communi desiderio totius civitatis, in die festivitatis ejus, quæ celebratur XVIII Junii, cœperunt ostendere illud publice, cum grandissimo concursu ac devotione: quod exinde perrexerunt facere tali die quotannis. *Ita ille, anno* MDCXV *opus suum publicans, in quo antea pag.* 107 *scripserat, ostendi* Corpus totum integrum et pulchrum, ac velut a parvo tempore mortuum: *et pag.* 110 visitantibus illud concessas Indulgentias, *quas hodiedum credimus perennare, si non etiam auctæ successu temporis sint.*

in arca pretiosa,

18 *Conradus Janningus noster, qui anno* MDCLXXXVI *ex Italia in Belgium rediens, Mantua transiit mense augusto, inter alia sacra etiam Sacellum* B. Osannæ *visitavit, reperitque illud insigni arte sculptum. Hoc*

indicio



MONUMENTUM B OSANNÆ ORD. PRÆDICAT. MANTUÆ.

tomus 3
Junii

A *indicio motus, dedi operam ut ipsius delineationem, æri incidendam obtinerem ab illius Collegii postea Rectore R. P. Ludovico Pagello ; qui sine cunctatione voto meo fecit satis, missa quam hic adjunctam vides tabella : ad cujus explicationem epistolam addidit die* 22 *Maji* 1699, *hoc tenore :* Mitto Ectypum monumenti Beatæ Osannæ Andreasiæ, quod delineandum curavi, prout extat in Templo divi Dominici ; in cujus Religiosis Filiis nulla fuit difficultas in aperienda Arca Beatæ, ut Delineator ejus vultum et cetera accurate exprimeret : quinimo mihi, et Patri meo Ministro, Corpus Beatæ conspiciendum perhumaniter dederunt, ut testes oculati simus Miraculosæ ejus, tot post annis ab obitu, Incorruptionis. Monumentum, sive Altare totum est Marmoreum, sed Arca inter Columnas posita, adhuc Lignea est, quamvis intus pretiose circumvestita, nimirum lamina argentea ductili cælataque, nec non distincta quinque scutulis opere anaglyptico, in quibus affabre exprimuntur totidem insigniora Beatæ gesta sive miracula. Apparet in integro Beatæ corpore vultus nullibi læsus apparent nudi pedes, manusque, in iisque vestigia sacrorum stigmatum clare conspiciuntur. Longitudo B totius corporis, ut jacet, est palmorum septem cum dimidio.

duplici inscriptione notata,

In summitate Monumenti in loco A. A. A. leguntur sculpta in marmore hæc verba : Divæ Osannæ Andreasiæ tertii Prædicatorum Ordinis sanctimonia, miraculisque clarissimæ. Supra columnas in loco B. B. B. leguntur hæc alia verba itidem sculpta ; Isabella Estensis, Mantuæ Marchio, constantissimæ probitatis, rationem habens B. M. P. a Partu Virginis MDV.

In Frontali altaris, quod est ex Corio inaurato, supra pictam Beatæ Imaginem, in loco C. C. C. scripta sunt hæc alia verba : *Beata Osanna de Andreasiis Mantuana tertii Ordinis Prædicatorum. Obiit Anno Domini* MDV *die* XVIII *mensis Junii, ætatis vero suæ* L.

per Isabellam March. Esten.

Porro Isabella Estensis, de qua in 2. Epigraphe, fuit ex Ducibus Ferrariæ, et uxor Francisci Gonzagæ Mantuæ Marchionis IV, ac Mater Federici Gonzagæ; qui a Carolo V Imperatore, cum in Italia versaretur pro sua Coronatione, creatus fuit Primus Dux Mantuæ ; ubi Cæsar a Federico magnificentissime exceptus fuerat, tractatusque per plures menses.

20 *Mansit porro in eo quem diximus statu cultus* C *Osannæ usque ad hujus* XVII *seculi annum* LXXXV, *intra urbem Mantuanam restrictus ; donec recaluit fervor Prædicatorii Ordinis, ad ejusdem Beatæ cultum toto orbe propagandum : quod tandem feliciter successisse, docebit Decretum sacræ Congregationis Rituum vulgatum sub attestatione* Alderani Cardinalis Cybo, *et subsignatione B. Inghirami ipsius Congregationis secretarii hoc tenore.* Confirmata in Sacrorum Rituum Congregatione, sub die 20 Novembris proxime præteriti MDCXCIV, sententia lata ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Urbis Vicario, super cultu, immemorabili Beatæ Osannæ de Andreasis prædicti Ordinis præstito, de quo fuit dictum constare, annuente etiam Sanctissimo Domino Nostro sub die XXVII ejusdem mensis et anni : Reverendissimus Pater Antoninus Cloche, Magister Paulinus Bernardinus hujusmodi causæ Postulator, humiliter sacræ eidem Congregationi pro tota eorum utriusque sexus Religione supplicaverunt ; ut in posterum singulis annis eidem nedum facultatem recitandi Officium, et celebrandi Missam de Beata prædicta, verum etiam Officii, et Missæ Collegiatæ Sanctæ Barbaræ, Civitati Mantuæ (prout asserebant alias concessorum) extentionem benigniter concederet. Et sacra eadem Congregatio, ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Colloredi Ponentis, audito prius tam in scriptis, D quam in voce Reverendissimo Archiepiscopo Myrensi Fidei Promotore; respondit : Pro concessione Officii et Missæ pro Religione sub ritu duplici De Communi Virginum, si Sanctissimo Domino Nostro videbitur Die XVIII Decembris MDCXCIV.

Facta igitur deinde Sanctissimo Domino Nostro de prædictis per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die XIX Mensis Januarii MDCXCV.

VITA

Per Fr. Franc. Silvestrum Ferrarien. Ord. Prædicatorum, familiarem Beatæ :

Ex editione Mediolanensi anno 1505.

PROLEGOMENA.

Domitii Falconis Hendecasyllabi, Virginis elogium breviter complexi.

Hæc est quam legis illa Mantuana, E
Illa ingens meritis Osanna sanctis :
Quæ Christum pietate singulari,
Plus quam delicias amavit omnes.
In qua religio, metus, sacrorum
Observantia, veritatis ardor,
Cultus, gratia proximi nitebat :
Et præcordia tota cum medullis
Ardebant pia caritatis flamma.
Quali sulphurea crematur Æthna,
Vel triplex magis æstuat Chimæra.
Prudentissima, pessimi dolosas
Hostis vincere quæ sciebat artes ;
Rebus provida, negligens eorum
Quæ labi poterant premente culpa.
Sic palmes gravis accubat supinus,
Si non est valida retentus ulmo.
Fortis ; mascula ; victa nec labore.
Cœlestis patriæ esuritione
Non incommoda sentiebat ulla.
Stratum cui fuerat cubile tellus,
Pluma dulcius ac quiete blanda,
Pulvino quoque mollius tenello,
Et plus Assyrio fragrans amomo.
Corpus vel minimo fovente somno,
Quod strictum rigida diu catena F
Hirsuta sibi pelle contegebat :
Quod jejunia, lora quod cruenta,
Singultus, lacrymæ quod affluentes,
Et tristes animo gemente morsus,
Et voces querulæ dolentiores,
Et suspiria plura macerabant.
Nil opprobria, sannæ, nil cachini,
Nil risus hominum procaciorum,
Nil pectus solidum furor movebat.
Verbo : lumine Sancta continenti,
Incessu placido, modesta gressu,
Non convivia, non thalassiones,
Non lusus sybaritici placebant :
Numquam mellifluo excitata cantu,
Sprevit luxuriam superbiorum,
Et fastus strepitum potentioris.
Christo præside gloriosa solo,
Casto sobria Virgo cogitatu,
Nec vitam macula inquinavit ulla.
Pestano rosa nata sic in horto,
Fulget purpureo decens colore,
Et veris zephyro fovetur almo ;
Nec solem, nimium nec horret imbrem.
Quodcumque hæc animo suo cupivit

A FRAN. SILVESTRO.

Et veris precibus Deum poposcit
Hoc ipsum obtinuit, repulsa numquam.
Nam (quod credere forte tu negabis)
Christi stigmata sensit adnotata.
Quid mirum loca si tenet superna,
Quæ nutu supero patente cœlo
Intrarat totiens manente vita,
Illa ingens meritis Osanna sanctis.

Hæc ego, etsi in limine posita, crediderim tamen scripta post Vitam jam impressam et huic Poetæ (quem Mantuanum possumus opinari) accurate lectam. Sane quæcumque hic sub titulo Prolegomenorum præmittimus, post absolutam Vitæ impressionem fuisse subjecta prælo, loquuntur litterales quaternorum notæ (Registrum appellant typothetæ, ad Caput I sumentes initium per litteram A; ibi etiam Titulus legitur, a nobis in Commentario prævio relatus; cum Prolegomena titulum nullum præferant, sed abrupte exordiantur a correctione errorum typographicorum, indicato capite et versu seu linea ubi facienda est correctio. Tam rudis initiis illis typographia erat : nunc cultiora omnia. Interim illa notandorum errorum cura securos nos reddit de quibusdam phrasibus minus Latinis, ne facile suspicemur eas a typothetarum incuria, vel inadvertentia Auctoris obrepsisse ; sed ipsi proprias æstimemus et excusemus. Hendecasyllabos porro immediate sequitur

DEDICATORIA.

Frater Franciscus Silvester Ferrariensis, Ordinis Prædicatorum, Clarissimis Francisco Gonzagæ Isabellæque Estensi, Mantuæ Principibus S. P. D.

Qua mente, quove animo, cum apud Vos essem, in me fueritis, Clarissimi Principes, ex illa vestra humanitate, qua me prosecuti estis, exploratum satis habeo. Quippe Vos mecum semper familiariter et amice gessistis : id quod me Vobis summa necessitudine devinxit. Hoc solum mihi tantis beneficiis affecto grave est et permolestum, non posse, quam vestræ humanitati habeo, referre gratiam. Referam tamen, grati aliquod et memoris animi indicium ostensurus, quam potis sum. Divæ Osannæ Mantuanæ, cum qua nullus hominum hac nostra ætate fuit qui conferri potuerit, vitam edidi : eam Vobis qui me ad id operis potissimum impulistis (tametsi id longe antea, quam ad cœlestem patriam commigraret, efficere cogitaveram) offero. Nihil sane est quod ad me Vobis gratius fieri posse putem. Fatebor tamen hoc vestro quodam jure deberi Vobis : utpote qui fide ac pietate in hanc sacram Virginem ceteris præstiteritis. Singularis præterea ejus in Vos benevolentia et caritas postulat, ut suæ bene et innocenter actæ vitæ judices sitis, quibus nemo fuit qui sibi unquam gratior extiterit. Velim itaque hoc munus (quamquam pro vestra dignitate parvum et exiguum est) eo animo suscipiatis, quo ipse trado. Erit profecto Vobis, ad Christi sectanda vestigia, non mediocri adjumento : in eoque, velut in conspicuo speculo, virtutum omnium speciem perspicere poteritis. Vos autem non hortor solum, verum etiam oro, amore magis impulsus, quam quod arbitrer Vos meis monitis egere ; ut enitamini, quo Filii vestri, de quibus optimam spem concepimus, Osannæ, quam tantopere et admirati estis et coluistis, moribus saltem similes sint. Valete.

PROŒMIUM.

Admirari sæpenumero mortales solent, qui fieri possit, ut hæc mundi machina tam diu integra maneat et infracta. Vident namque homines in execranda crimina delabi ; vident ubique gentium calcari Deum pedibus ; vident acerrimo virtutem haberi odio, summoque vitia in pretio esse : quæ omnia, cum nefandissima sint, summum rerum omnium exitium deposcere videntur. Sed apertum satis et manifestum unicuique esse debet, divinam mentem longe ab humana distare. Nos enim perverso adeo judicio sumus, ut levi etiam injuria lacessiti, mox vindictam pœnamque exigendam arbitremur : id quod constat evenire, quo non rationi, sed nostris tantum explendis affectibus studeamus : at insigni rerum omnium Creator utitur patientia : propterea quod nihil sit, quod non ab sua immensa virtute prodierit. Sicuti enim artifices solent sese in extructis operibus, quia sua sunt, oblectare ; ita Deus optimus maximus creatis rebus admodum delectatur, quod sui speciem præseferant. Atqui optimi parentis est, filium, tametsi gravissima in se admisit scelera, non statim ex laribus depellere ; sed ad meliorem frugem omni studio revocare, enitique ut virtutis studiosus evadat. An igitur putandum est, Deum, quem per se bonum Platonici appellabant, in filios usque adeo desævire, ut peccantes velit actutum præcipites dare ? Non modo non privat eos via, sed ad exactos continue mores admonet, incitat, impellit : quod si humano viderit patrocinio destitutos, agit ipse validum et fidum patronum.

Deus insigni mansuetudine homines tolerans,

destinavit eosdem ad correctionem Patronos Sanctos,

2 Qui enim sacras Litteras callent, norunt, quanta cura et diligentia humanum genus aluerit, rexerit, gubernaverit. Ab prima namque orbis origine quampiam mentibus hominum inde lit legem, quæ illos ab flagitiosis operibus arceret, exciretque ad virtutem. Tum illa diuturnitate temporis obcæcata, Moysen Judæis ducem præfecit, illique legem lapideis incisam tabulis ad populum deferendam tradidit ; eam, inquam, legem, quæ instituta naturæ, pæne restincta, ad lucem revocaret. Dein, cum hanc quoque post humeros jactassent, nullaque in re respectarent ad legem ; immortalem nostram et sublimem, quam Gratiæ legem nuncupamus, in fidelium cordibus descripsit ; quæ nos ad virtutum studia proniores redderet, efficeretque faciliorem nanciscendæ felicitatis viam. Præter hæc cœlestes ac divinos homines, qui ceteris vita bene et innocenter acta exemplo forent, cœlo (ut ita dixerim) demisit. Ut enim taceam vetustissimos illos, qui priscos homines erudierunt ; habuit nostra Italia Ambrosium, Gregorium, Petrum Martyrem, Thomam Aquinatem, Franciscum, Catharinam Senensem, ac plerosque alios, qui labentem Christianam Rempublicam sua sanctitudine erexere ; ac, tamquam præclara lumina, ceteris præluxerunt.

ab orbe condito

usque modo :

3 Demum hac tempestate, qua universa Italia magnam videbatur minari ruinam ; ne extrema calamitate premeretur, paremque suorum criminum pœnam lueret ; clarissima eam Virgine Mantuana, Osannam inquio, donavit. Excelsum profecto et divinum munus. Quid namque sibi jucundius, quid utilius, quid divinius afferri potuit ? Sicuti ex oceano solem ferunt, ita Osanna ex Mantua, universum orbem, nedum Italiam, illustratura, tamquam splendidissimum jubar emersit. Sua equidem integerrima et cœlesti vita, perditos homines, ad honestos et integros mores allexit ; bonos et frugales, adhortationibus fovit ; patriam quoque suis precibus magnopere juvit. Quidquid virtutis, quidquid probati operis, quidquid cœlestis gratiæ in homine vidimus, id omne in una Virgine Osanna effulsit. Quare præclara ipsius gesta explicare in ordinemque redigere, operæ pretium duxi : ut, quemadmodum nobis singulare virtutum omnium exemplar fuit, ita eximia posteris innocentis et bene agendæ vitæ monumenta prodat.

itaque nuper dedit B. Osannam,

cujus Vitam scribit Auctor

A prodat. Non putet autem quispiam me alieno tantum deprompta ore collegisse, eaque calamo exarasse : audivi ego ex ipsa, legique magna ex parte in ejus litteris, ad me sua manu importunitate mea conscriptis, quæ non nisi per ipsam sciri potuerunt: et ea quidem, plerosque annos antequam suo fungeretur fato, scriptis commendaram. Quæ ad mores spectant, vidi, et longa experientia probavi : reliqua vero, quæ profecto pauca sunt, ab illis ipsis accepi, qui ea oculis inspectarunt.

aliis nonnullis etiam communicata;

4 Putabam autem ne unum quidem (me excepto) esse cui secreta hujuscemodi credidisset : sed offendi, eam religiosissimo et integerrimo viro, cui Fratri Hieronymo Mantuano nomen est, de ordine Divi Benedicti, deque Congregatione Montis Oliveti, tunc Priorem agenti Gradariæ, cui plurimum fidebat, istæc pæne omnia reserasse : narrasse quoque pleraque memoratu digna, et imprimis quæ ad impetratam ab Christo passionem attinent, Sorori Margaritæ Seraphinæ, in Annuntiatæ monasterio degenti, cum qua longa sibi et dulcis fuerat consuetudo ; et (quod magis admirere) eadem seculari feminæ, qua familiarissime utebatur, explicasse. B Sed hoc divina factum opinor providentia, ut non modo sui, verum etiam exteri, sanctitudinis ejus testes forent. Hominem esse arbitror neminem, ad quem hujusce Virginis fama pervenerit, qui non multo majora præsens viderit, quam audierit absens Unde mihi magis timendum est, ne multa præclara facta prætermisisse, quam ne pauca etiam confinxisse criminer.

quæ licet, ex ipsamet hausta pleraque sint ;

5 Erunt fortasse qui multis fidem minime adhibendam dicent, quoniam ea sola ipsius enarratione in lucem venerint. Sed unum eos interrogavero : Quis ea quæ in Apocalypsi descripta sunt, fuisse Joanni Apostolo præmonstrata, nisi ipse explicasset, scire potuit? Quis Paulum vidisse, quæ non licet homini loqui? Stephanum apertos cœlos inspectasse, Bernardo visum esse parvulum Christum, Dominicum Apostolos fecisse predicatorem, Cherubim et Christum Francisco apparuisse? Innumera de Sanctorum historiis detrahenda forent, si ea inficias iremus, quoniam non nisi ipsis revelantibus in lucem venerint. Quando profecto talia, viventes aut etiam vita functi edidere, quæ nullus hominum suapte virtute, sed divino tantummodo auxilio potest efficere; quandoquidem eorum mores, vitæ in- C tegritas, manifesta fuere sanctitudinis indicia; quid causæ est, ut illos arbitrari debeamus talia ementitos quæ si effinxerit quispiam, sceleratissimus omnium habendus esset? Quis autem Osannam mortalis criminis unquam arguendam putavit? Qui ejus vitam, sanctissime actam, aut damnaret aut improbaret, extitit nemo : aut si quispiam nonnulla improbavit, propterea quod unde illa fierent ignorabat ; ipsa tandem ab veritate superatus, Christi sponsam summis laudibus extulit : quando divinis tantummodo rebus addictam compertum habuit.

fidem tamen et indubitatam faciunt

nota Osannæ sanctitas et humilitas.

6 Adhæc, qui summa ejus familiaritate sunt usi, sciunt quanta humilitate erat; sciunt quantum humanam omnem laudem horreret; sciunt quanto labore, quanta difficultate, quanto astu, vel minimum quid secretorum suorum ab ipsa poterat extorqueri. Quid itaque existimandum est, eam voluisse talia ementiri? Oportuit me sæpenumero, cum ipsa talia loquentem, ab inceptis desistere, nonnumquam vero interjectis verbis ejus mentem ab hujuscemodi dimovere ; propterea quod vehementer erubesceret, corque usque adeo conflagraret : ut spiritum ad cœlos proveheret. Nulli tamen peperci labori et difficultati, quin summam adhibui diligentiam summamque industriam, quo ab Deo sibi impertita munera haud manerent abstrusa. Ceterum quo singula in aperto sint : possitque quisque facile quæ gestierit D invenire : ejus vitam, hoc parvo descriptam volumine, per libros et Capita digessi. *Eam divisionem hic accipe, una cum additis numeris nostris, secundum quos nova nostra divisio procedet : Annotata tamen, quia pauciora futura sunt, inveniet lector, non ut alias passim post finem cujusque capitis, sed divisa in totidem partes, quot in libros opus suum Auctor discrevit.*

A. FRAN. SILVEST. COÆVO

Primi Libri Capita.

Secundi libri.

XVIII

A FRANC. SILVEST. CO.EVO.

Tertii libri.

Quarti libri.

Quinti libri.

Sexti libri.

LIBER I

A

LIBER I.

Continens vitæ ac virtutum historiam.

CAPUT I.

Summarium vitæ ejus spiritalis, usque ad annum æt. quinquagesimum et factam professionem.

Virgini Osannæ patrem fuisse constat Nicolaum Andreasium, Matrem vero Agnetem, Mantuanos, medio ordine *a* cives, omnique morum genere probatissimos. Hæc sextum nondum egressa annum, Carbonareolam *b* inhabitans, ubi parentes quotannis æstivare solebant; cum per Padi ripam deambularet sola, visus est illi Angelus, qui eam ad frugalitatem et cœlestium rerum amorem adhortatus, sese actutum ex ejus oculis proripuit. Tunc visa est puellæ mens perspicuo quodam perfundi lumine, quod eam ad divinarum rerum cognitionem mirabiliter extollebat, inducebatque ut supernas delicias non mediocri ardore deperiret. Nam quæcumque aut oculis inspectabat, aut excipiebat auribus, ea sibi Deum tanta delectatione, tanta claritudine, tanta animi voluptate afferebant; ut plerumque saucia mens in Christum efferretur. Quippe ad frequentem orationem, ad Dominicæ recordationem passionis, ad exacta jejunia, ad parcitatem, ad extremas vigilias, ad austeritates ad præclara pietatis opera, ad Confessionis integritatem, ad Communionem, ceteraque id genus, ab nemine unquam edocta, cœlitus impellebatur. Videbatur sibi continue Christum ad cor loqui: sive, inquam, graderetur, sive staret, circumspectaret oculis, loqueretur. Excrevit usque adeo is fervor, ut neque somnum quidem neque cibum captare posset. Universa nihili pendebat, hisce solis cogitationibus immersa. Unde cum, jubente patre, scholas, quo consuendi artem perdisceret, frequentaret; ceteræque puellæ, magistræ indulgentia, canerent, languenti corpusculo fomenti quippiam allaturæ: nonnullis ipsa horis (in Nonis, inquio. et Vesperis) ob singularem quamdam mentis elevationem, qua Salvatoris tormenta meditabatur, nedum canere, sed ne minimum quidem poterat lætitiæ signum præseferre.

a

b An. æt. 6 ab Angelo ad cœlestium amorem invitata

B

totam se tradit exercitiis devotionis,

8 Sub idem tempus, divini face amoris vehementer incensa, solerti cura insignique studio versabat animo, qua sua opera effici posset, ut Christo, pro humana salute cruci affixo, etsi non pares, quantum tamen muliebris virtus affert rependeret vices. Itaque cœlesti eam excitante aura, ex funibus flagella contexuit, eisque tenerrimum sæpenumero corpus affligebat. Cingulum quoque, multis connexum nodis, extruxit; quo puerilibus membris præcincto, ita ut acriter caro premeretur, exultabunda admodum incedebat; arbitrata eo se tormento hujusce nostræ naturæ Liberatori rem pergratam efficere. Non erat hæc Virginis afflictio rara: sed frequens, sed continua: noctes enim et dies sese asperrime cruciabat. Quod cum mater istæc eam præter ætatem agere demiraretur, in eam nonnumquam fixa jactans lumina, inquiebat: Magnum profecto est quod in te agitur, Osanna.

C

Incipit corpus macerare pœnitentia

9 Septem annos natam maximum et pæne incredibile placendi Christo desiderium cœpit. Post longam autem hujusce rei considerationem, sibi in mentem incidit, virginitatem illi quamgratissimam esse; quando virginem ipse matrem delegerit, ex qua virgine permanente prodiret in lucem. Quocirca, nulla interjecta mora, perpetuam Christo virginitatem inviolabili fide devovit: idque sane votum, nubilem agens ætatem, sæpius animo consolidavit. Exinde omnes illecebras carnisque voluptates acerrimo insectata odio, cruentum illis ac mortale continuis cruciatibus bellum indixit; et ita indixit, ut ne quidem eam adoriri unquam ausæ sint. Non solum autem casta corpore, verum mente etiam et cogitatione pudicissima erat, nullus enim unquam experiundæ veneris in eam cogitatus irrepsit, neque rerum hujuscemondi ullam habuit cogitationem: nisi forte horrendo volvisset animo, quantis lasciviis humanum genus lacesseret Deum: id quidem ipsa secum nonnumquam querebatur. Adhæc erat aspectu virgineo, erat mitis, erat placida; angelicamque adepta naturam, sese integerrimam virginem pudicissimis moribus prædicabat: neque enim vel minimum de ejus ore verbum defluxit, quod non eximium pudicitiæ florem redoleret.

an. æt. 7 vovet virginitatem,

D

A FRAN. SILVEST. CONV.

10 Evenit plerumque ut scelestissimi homines, in eam oculos conjicientes, virgineis pellecti moribus, scelestam suam vitam deplorarent, ipsique in meliorem verterentur frugem. Quid mi? quando ipsam Virginis corpus omnifarium suavissimæ integritatis spiraret odorem. Istud inter quamplurima sese offert. Cum Comes quispiam, summus profecto et clarissimus vir, Mantuam profectus esset; illius uxorem Osanna visitatum ivit, propterea quod eam matremque insigni benevolentia prosequeretur. Tunc forte Comes ludo vacabat: quem cum socrus, Osannæ præsentiam quoque apprime desiderasse haud esset inscia, accersit. Sed ille, quasi mulierem aspernatus, intermittere ludum detrectabat. Tandem suadente, precibusque compellente uxore, ad eam ivit. Cum eum alloqui cœpisset Osanna, in uberes ille lacrymas erupit, quæ sibi spiritum simul et vocem intercluserunt: neque enim lacrymas restringere, neque ullum eloqui verbum poterat: sed timore quodam perculsus erat, perinde atque numinis cujusdam faciem inspectaret. Demum regressa illa domum, cum cœnaturus Comes mensæ accumberet cibum omnem fastidiens, virgineum solum aspectum angelicumque sermonem mente agitabat. Cumque ad eam jam sua sponte animum inclinasset; ejus visendæ desiderio exæstuans, uxorem rogat quo illius alloquendi rursus sibi copiam faciat. Egit illa pro conjugis voto: quare venientem, post salutem datam et acceptam, allocutus, summam de ea sanctitudinis opinionem concepit, deincepsque maxima veneratione coluit.

aspectu suo lascivos ad pudicitiam.

E

Comitem lascivum sedatum ad pœnitentiam trahit

11 Puellam admodum, Corbonarolæ ante altare, quod in angiportu suæ domus situm erat, orantem, Christus subjectis cruci humeris convenit. Quem cum vidisset Osanna, tanto cœpit ardore cor ebullire, ut mirum fuerit, in molli animam perstitisse corpusculo. Tunc quam gestaverat vasti ponderis crucem; eam Christus illius scapulis admovit; hisceque eam verbis alloquitur: Scito, filia, te hanc ipsam crucem propriis deportaturam humeris, subituramque innumeros cruciatus, qui te ad purum excoquant: tua itaque intererit, non mea tamen excepta ope, patientissimam esse. Tum illa, cervicem demittens, Hoc est, inquit, dulcissime Jesu, quod meus gestit animus: quanto namque duriora tormenta perpetiar, tanto lætior et jucundior ero, arbitrata, me tibi similiorem ceteris evasisse. Exinde frequentior illi atque tenacior Dominicæ passionis memoria fuit; in Deum quoque affectus intensior, et major terrenæ gloriæ neglectus.

F

Crucem a Christo impositam suscipit.

12 Una dierum, mente et cogitatione sibi ab Christo impositam crucem revolvens, orationi omnem conatum adjecerat: rogabatque Deum, ut eam sibi ancillam; eam, inquam, quæ summa in eum fide perstaret, ascisceret. E vestigio autem vox ista ad ejus aures pervenit: parentum carnalium patriæque affectum omnem abs te ejicito, innitareque

auditque monentem ad mundi contemptum;

A que cœlestibus tantummodo parentibus, mihi, inquio, æterno Deo, ac meæ dulci genitrici Mariæ. Quod sane præceptum alta mente reposuit, et ita recondidit, ut mundanas omnes illecebras cœperit longe amplius detestari, suumque omnem cogitatum in Christum ac Mariam Virginem jactare. Nulla siquidem in re, excepto Deo, sese oblectabat, quando illi jam se totam initiasset. Videbatur sibi nihil esse homini, excepta divina gratia, expetendum; nihil esse in rebus firmum, nihil stabile. Erat profecto in ea senilis animus, atque supra ætatem excelsum ingenium. Totis viribus enitebatur, quo divinum præceptum exitu præstaret: nihilque sibi difficile, nihil arduum, nihil impossibile videbatur, quod ad Dei nanciscendum amorem utile putaret. Omnem suam operam, omnia studia, omnem cogitationem ad id referebat, ut illo amore conflagraret. Tanto conatui Christus injiciebat flammas, eamque in immensum provehebat ardorem, quo ad cœlestia solum regna vehementissime agitabatur.

an. 13 occultat se in ejus latere

13 Annum tertium decimum agens, divino illustrata lumine, usque adeo summam spem in Christo locaverat, ut quandocumque adversa impeteretur B fortuna, mente ad tutissimum portum Christum profugiens, illius subiret latus, arbitrata, se ibidem contra omnes adversitatum incursus latitare. Quod si quispiam tunc injurias inculcabat, ceu sub parentibus atque majorum cura versantibus evenire solet; non modo eas parvi existimabat, verum alacri perferebat animo; quando nihil esse putaret, quod sibi in Christi latere delitescenti posset officere. Sic enim Christi latere utebatur, sicuti solent religiosi homines suo gurgustio, ad quod, quandocumque voluerint turbam devitare, profugiunt. Haud omiserim, quod, sive sola esset, sive ceteris se sociam præberet, admotum semper lateri suo Christum alloqui videbatur. Accumbebat quoque numquam mensæ, quin cum discipulis cœnantem Christum, perinde atque tunc res ageretur, incredibili lætitia prospectaret.

an. 14 habitum 3 ord. suscipit

14 Terrenam omnem ab ineunte ætate aspernata felicitatem, quo tutius ad cœlestem patriam proficisceretur, sub Divi Dominici regula et institutis merere affectavit. Sed cum sanctum hoc desiderium executioni, invito patre mandare nequiret: ab ipso, per eum quo semper se fuerat prosecutus amorem, Prædicatorum habitum maxima contentione depoposcit. Renuit ille, negatque se unquam rem hanc C permissurum; quando ejus nuptias sibi generum asciscere cupiat. Intuita patrem suo voto reluctari, nulloque modo in suam cessurum sententiam; gravem ab Deo ægritudinem, quo tertium Prædicatorum Habitum captata opportunitate devoveat, supplex precatur. Audit clementissimus Deus Virginis preces, atque graviorem morbum demittit. Eam ob rem læta admodum Osanna, tum potissimum quod parentes illam suam ægritudinem amaro animo ferre videbat; rata eos suis tunc facile votis accessuros; dictum Habitum, si priori redderetur valetudini, devovet. Tum illico pristinis reparatis viribus, emissum ab se votum patri aperit. Is filiæ incolumitate admodum lætus, annum tantum quo suum expleat desiderium, indulget. Longo igitur ardentique suo voto potita, firmissimo animo statuit, neminem sibi unquam talem Habitum detracturum. Emenso autem anno, quo mentem patris extorqueat; similia indumenta (erant enim priora vetustate consumpta) enixissime postulat. Quas preces dum pater ægerrimo ferret animo; respondet, suis jam satis votis potitam, debere parentum jussis obtemperare; nolle se ut Religioni adscribatur. At cum illa obstinato animo in eadem semper sententia perstaret; intuitus pater ejus constantiam, pro suo faciat arbi-

a morbo ... causa impetrata sanata.

trio, remittit. Optatam itaque adepta victoriam, ab D quarto decimo anno ad usque extremum vitæ suæ diem, Prædicatorum Habitum integerrime detulit.

Honesto sed modesto vestitu cilicium occulit;

15 Duxit autem semper in morem, suam quibus maxime poterat modis angelicam vitam occulere. Unde opinionem sanctitudinis devitatura, non laneas nisi raro, sed lineas manifesto gestabat camisias, cilicio tamen occulto subjecto. Quodsi eam quispiam laudibus efferebat, suamque sanctitatem admirabatur; istæc verba in medium afferebat; Videte quid in me religionis sit et austeritatis: nam præter delicias, quibus plurimum addicta sum, lineis ego utor camisiis, quando sanctæ mulieres laneis vestiuntur. Utebatur tunica sine scapulari; eodemque quo reliquæ tertii Habitus velamento capitis. Egressa domo coopertum nigro pallio caput gestabat; nisi forte facta senior æstus tempore tunc enim defluente pallio, et super scapulas complicato, albus ad humeros et brachia pannus lineus de capite impendebat. Sicuti præterea erat animus purus et integerrimus, ita corporali munditia apprime delectabatur. Non poterat in suo cubiculo inversi quippiam aut immundi æquo animo ferre. Vestes quoque non sordidas, E neque etiam admodum pretiosas, sed mundas et decenter aptatas curabat: propterea quod sic suapte natura instituta esset.

dilatam consulto Professionem

16 Tertium Prædicatorum Habitum, haud professa, complures annos gestavit. Consulto namque profiteri distulit, tametsi id vehementer optaret; verita ne frequens eam raptus et domesticæ sollicitudines a consectandis Profitentium vestigiis deturbarent. Quippe consuevere hunc ipsum professæ Habitum, ad audienda eorum instituta, in templo pariter convenire; simul Dominicum percipere Sacramentum; agere quoque pleraque pro Præsidentium voto, quæ suis viribus imparia videbantur. Multis autem exactis annis, cum eam profitendi desiderium acrius urgeret; propriæ haud fidens sententiæ, precatur Deum, quo eam in meliorem partem impellat, factura quod cœleste nuntium suaserit. Respondet is, nondum opportunum tempus ad eam operam adventasse: jubetque bono ac tranquillo animo esse, propterea quod se illi intimaturum, quando id agendum fuerit, pollicetur. Expectato longo temporis spatio divino nutu, tandem quinquagesimum agens annum, ardenti desiderio profitendi flagrare cœpit: et eo usque, ut noctes et F dies ad Professionem animum mentemque erigeret. Tunc ad ipsam, talibus stimulis agitatam, cœlestis animarum Sponsus adventans, Te modo, inquit, filia, jubeo profiteri: quod tempus illud advenerit, quod abs te dixeram expectandum. Non surda aure præterivit Osanna, sed accersito propere congregationis Lombardiæ Vicario generali, cui Fratri Honofrio Parmensi nomen erat (forte enim tunc Mantuæ erat) ad Professionem humili prece admitti rogitat. Admisit ille lætus ac lubens, atque profitentis votum suis manibus excepit: spectante, inquam, Fratre Bartholomæo Mantuano, in Divi Dominici monasterio Priorem agente, nepote ejus fratre Thoma Andreasio, et me per id temporis Mantuæ commorante. Professa autem novam quamdam jucunditatem nacta, summo omnium Parenti pro tanto munere diebus singulis gratias agebat. At prætereundum minime est, illam sæpius, antequam profiteretur, præfatum Habitum in perpetuum vovisse; seque universis pariturain, quæ Prælati in dicto Ordine Prædicatorum jussissent: id quod summa etiam cum fide servavit.

an. 50 ætat. clam facit.

Licet ab invito vovisset obedientiam.

17 Osannæ animum solitudinis amor vehementer incenderat: quapropter pertæsa seculi blanditias, primum proficisci ad eremum, quo nullius uteretur contubernio, concupivit. Dein maturiori acta consilio,

A consilio, ad Religionem animum adjecit: ad quod obeundum munus nihil reliquit intactum, quod sibi suppetias ferre posset. Verum cum universa suo adversari desiderio conspicaretur, voxque incessanter ejus aures obtunderet, quæ illam ab clausura dehortabatur; precari Deum censuit, quo ad cœleste acciperet responsum. In sacra itaque Dominici æde, una dierum ad orationem, omnino voti sui compos futura, profugit. Ubi mente inter orandum, clarissima luce penetrante animum, sursum rapta, ad excelsum Dei solium, ab nonnullis cœlestis patriæ civibus devecta est. Efflagitante autem Deo quid ab se posceret, ait: Longa me, clementissime Deus, cupido incessit, Majestati tuæ abstrusa cœnobio inservire: at adversa cuncta reperio: estque quod me magis abducat, quod admotam semper auribus vocem sentio, quæ me ab ardenti isto desiderio deterreat. Te igitur, per eam qua me complecteris caritatem, supplex rogo, ut me pro tuo beneplacito certiorem reddas. Arridens ille: Noli, inquit, filia, hanc provinciam adoriri: mea enim lege sancitum est, ut longa tibi, in multorum salutem et consolationem, cum mortalibus sit consuetudo, in seculoque B versere. Hoc cum accepisset Osanna, divinis obtemperatura præceptis, ab suo illo proposito destitit.

Monasterium ingredi pridem cupierat illa

sed divinitus prohibita semper

18 In solo adhuc Virginis pectore cœlestes suæ gratiæ versabantur: sed cum se ab acerrimo fragilis nostræ naturæ hoste illud facile posse, ceu cordatissima mulier, haud esset nescia; supplex Deum precabatur, quem potissimum deligeret (forte enim quadam spirituali tunc temporis Patre carebat) cui istæc sua secreta reseraret. Accidit autem ut in Divi Dominici templo rem divinam Sacerdos quispiam perageret: cui cum adesset Osanna, Christumque sincera et optima fide rogaret, quo suis tandem votis accederet; vox hæc ad ejus aures devenit: Hunc, quem sacrificantem Hostiam cernis, spiritualem Patrem habeto; eumque tuis in rebus consulito. Post vocem autem, eumdem sibi de Hostia Christus ostendit. Ceterum, juvenem admodum conspicata, verita ne deluderetur, rem exitu præstare distulit, certior evasura. Non destitit autem a precibus, quin Christum momentis prope singulis precaretur, quo sibi idoneum præberet Patrem. Eumdem semper ille obtulit, addiditque, pluraque eam illius gratia perpessuram adversa. Demum Confessionis die adventante, volens de cœlesti responsione C periculum facere, æditum rogitat ut sibi Confessorem, et eum quidem quem ipse voluerit, evocet. Cum ille præmonstratum cœlitus hominem misisset, cœlestis oraculi certior facta: eum perinde atque Deum, arbitrum *c* sibi omnibus in rebus et consultorem tres supra decem annos ascivit. Quæ cum illum cui se filiam devoverat summa benevolentia prosequeretur; Christum insigni fide rogat, ne is Mantua decedat. Ad quam cum respondisset, eum multos annos Mantuæ moraturum, videreturque cœlestis responsi Virgo perdubia; ille, comprehensa sinistra hæsitantis manu, digito palmam vulneravit; tantumque illi doloris incussit, ut acutissimæ cuspidis ictum excepisse videretur. Tum eam affatur: Quo ad hujusce vestigium vulneris perstabit, te isto destituendam Patre haud vereare: cum autem deletum inspectaveris, eum abs te recessurum conjectato. Complures annos signum vulneris gestavit in palma, universos ea excepta latens: cum autem ejus amittendi tempus advenisset, decidit character: evenitque quod sibi fuerat ab Christo prædictum.

impetrat sibi Confessarium designari a Deo,

cumque 13 annis retinet.

c

D

CAPUT II.

De Virginis prudentia, patientia, caritate erga Deum et proximos.

Quinque supra decem annos nata, utroque orbata parente, sese germanis ac sororibus matrem exhibuit. Quamquam enim amita, *d* cui eorum cura decerni potuisset, superstes erat; placuit tamen fratribus (quippe eam exactæ intuebantur prudentiæ) sibi domesticam administrationem committere. Quod quidem munus pro summa caritate, qua suam nemini deesse operam volebat, subiens; eum amorem erga sorores, eam curam, eam diligentiam agebat, quæ gravissimas etiam antiquas matronas ad usque cœlum laudibus extulissent. Omne suum studium ad id referebat, ut universas inter illos discordias præcideret: id quod suopte ingenio facillime obtinuit. Unumquemque enim ad tantam modestiam divinæque observantiam legis induxit, ut non modo civiles mores, verum religiosam vitam sectarentur. Maturo cuncta et gravi consilio pertractabat: prævidebat universa, agebatque nihil quod non prius E longa examinatio discussisset. Quod si dubium aliquod suis in rebus agendis incidisset, proprio haudquaquam fidens ingenio, aliorum, quos probitate et prudentia insignes noverat, sententiam exquirebat: quo circa optimo cuncta præstabat exitu. Domesticorum omnium naturam, animum, mores diligentissime inquirens; tanta eos prudentia gubernabat, ut qui ab ejus monitis abhorreret, esset nemo. In erudiendis quoque fratrum filiis eximia utebatur dexteritate: quandoque enim acrimonia blanditiisque ad virtutem alliciebat, nonnumquam aberrantes increpabat; sicque animum in modum vario ritu ad frugalitatem provehebat.

d

An æt. 15 orbata parentibus

domus administrationem suscipit,

eamque prudentissime gerit

20 Unoquoque die, non modo eos, verum universam familiam, antequam se quieti darent, accersens, pro plerisque preces, pro his præsertim qui suam apud Deum operam exegerant, imponebat: hortabaturque eos ad Christi sectanda vestigia; et si quidquam in illis reprehensione dignum offenderat, quandoque blande, nonnumquam acriter, arguebat. Fratribus, quibuscum vitam vixerat, fato absumptis; eorum uxores ac filios materno affectu prosecuta, ad tantam eos sui benevolentiam pellexit, F ut eam haud secus quam virtutum omnium simulacrum diligerent, venerarentur, colerent. Temporalibus in rebus administrandis tanto vigebat ingenio, tantaque industria, ut spectatu dignum esset, Virginem, quæ sese divinis rebus adscripserat, eisque animum et cogitationem sacrarat, istæc terrena et caduca omnium laude administrare. Qui eam suis secum de rebus consultaturi conveniebant, læti admodum recedebant, quod sibi ab ipsa optime satisfactum putarent. Sermones suos ita moderabatur, ut eam cuncti prudentissimam faterentur, paucis quidem verbis multa sapientissime explicabat. Ad eam sæpenumero veniebant cives, precaturi ut ab Principe, qui illi deditissimus erat, quidquam pro eorum voluntate extorqueret. Qui cum quandoque poscerent, quæ ipsa impetratu non modo difficillima, sed impossibilia videbat; onus tanta prudentia humeris decutiebat, ut ipsam nulla in re impietatis aut inhumanitatis arguere possent.

fratribus quoque vita functis liberos eorum regit

21 Fuit Prædicatorum Ordini antiqua et vetusta consuetudo, eas omnes res, quæ popularium auram captare solent, non modo aspernari, sed etiam admodum detestari; ratis divinæ profecto providentiæ interesse, gloriam et famam quibus voluerit impartire. Igitur cum Osannam divinæ cujuspiam formæ Prædicatorum Fratres, qui Divi Dominici templo

Ob frequentes extases suspecta Prædicatoribus,

A plo serviebant, intuerentur; eamque identidem digressam sensibus conspexissent; veriti ne per urbem fama vagaretur, Osannam talem mentis excessum ad alliciendos plebis animos, vendicandamque Religionis seu sanctitudinis opinionem, eorum suasionibus ementiri; non mediocri insontem molestia afficiebant. Talibus autem eam maledictis incessebant: Vecordem feminulam esse: eam mentis segregationem, aut ab se confictam, aut ab iniquissimo extructam dæmone, aut (quod verebantur magis) ab imbecillis cerebri morbo manare. Maledicta hæc patientissima Virgo æquo animo tolerabat: lacessentiumque omnium linguas, cum omnem suam spem in Christo locasset, quam facillime perferebat. Ceterum publico eam raptu haud se abstinere conspicati (neque enim id in suo positum erat arbitrio, quin suam illam sortem acriter deplorabat) nihilo mitius sese gerentes; præter maximas contumelias, eam quoque sui Ordinis Habitu exuturos minitabantur. Nec eis et dictis res morata, nisi aliter fuisset divina lege sancitum. Nunquam animum in tantis objurgationibus deflexit Osanna: sed in uno atque eodem patientiæ limite perseveravit; delectata admodum præstari ex iis, quæ sibi fuerant sæpenumero cœlesti oraculo prænuntiata.

Verum maledicta æquanimiter tolerat,

22 Verum cum longe affectato Habitu eam se expoliaturos dicerent, ingenua qua erat verecundia et humilitate loquebat, sperare se divino numine in proposito, ne per vim ab ipsa extorqueretur, quod sibi cœlesti pervendicarat. Divinæ præterea voluntatis ignari, illi objectabant, quod juvenem Patrem, immaturæ ipsa cum esset ætatis, delegisset: Debuisse magis, aiebant, provectum senem sibi consultorem asciscere, qui longa spiritualium rerum experientia satis posset de rebus maturiori consilio decernere: velle eos, ut illo rejecto, senem Confessorem assumat. E contra vero Patrem illa relinquere detrectabat, quoniam certo certius norat, eum se divino adductam imperio delegisse. Illi consilii inopes, cum statuissent votis omnino suis potiri; hanc noxam in Confessorem vertentes, gravissimi sceleris atque inauditæ pertinaciæ hominem insimulabant; qui majorum opinionem aspernatus propriæ inniteretur sententiæ: interpellabantque, ut Osannæ animum ad eorum vota flecteret. Sed is, divinæ revelationis haud ignarus, adduci minime poterat, quo pretiosissimam ab se gemmam abdicaret. Tandem supplicibus verbis nihil proficientes; præceptis eum, quibus non parere religioso viro nefandissimum est, aggrediuntur: eique carissimæ filiæ Confessionem interdicunt. Ille, a majorum jussis desciscere irreligiosum ducens, ab opere destitit; Virgini suadens, ut alterum sibi Patrem quæreret, quandoquidem oporteat initiatos sacris obedientiæ colla submittere.

Vocatur ejus Confessario,

C

23 Spectatæ ut erat virtutis Osanna, tolerantius omnia ferens, ad privati templi Flaminem ivit; non quod alius dedignaretur Prædicatorum Patribus confiteri; sed eos miserata, asperrimum eorum impetum devitatura, eo præsertim sibi ab Vicario generali persuaso. Emenso parvi temporis interstitio, eumdem Confessorem Patrum indulgentia adipiscitur: non deerant enim plerique, qui insontem tuerentur, tametsi lacessebant multi. Postremo, quo eam per patientiam Christus redderet clariorem, desideratissimo Confessore penitus destituitur. Quare unti caput animo inclinans, in Deum auctorem omnia referens, astruebat se longe duriora promereri. Tandem eam incredibili patientia inauditaque humilitate prospicientes, non minori veneratione atque benevolentia prosecuti sunt, quam antea injuriis deturbassent. Verum enim vero tantum illi tribuebant, ut divino in ea cuncta agi spiritu arbitrarentur: admissa autem in eam erroris veniam postu-

tantisper utitur Parocho,

dein et prior sibi restituatur:

D lantibus, non modo facile indulsit; verum maxime sese temeritatis arguens, se malorum omnium causam extitisse fatebatur.

24 Non defuere quoque seculares et perniciosi viri, qui dira in eam malignitatis tela jacerent. Dicebant quidam, eam, præter Religiosorum instituta, Optimatum amicitiæ studere nimis; alii non esse ea sanctitudine, quam plerique autumabant; esse potius versutam et fallacem, sicque astu sibi omnium benevolentiam vendicare: nonnulli vero, simplicissimam et dementem; raptumque suum quoddam somnium esse prædicabant: sed universa æquissimo semper animo tulit. Demum apud omnes tanta fama fuit (id quod inferius latius explicabimus) ut qui eam antea despexerant, id solum æquum putarent, quod ipsa approbasset: volebatque quisque prius Osannam consulere, quam quidquam ullius ageret momenti. In administranda quoque domo usque adeo patiens fuit, ut ancillarum inobedientiam et objurgationes in sua peccata referret. Fratrum quoque obitum, tametsi maximo familiæ accedebat detrimento, patienter adeo tulit; ut ceteros solaretur, illisque ab divina haudquaquam abhorrendum voluntate suaderet.

secularium etiam obloquia patitur.

E

25 Ad summum amoris Dei fastigium provecta, semper animo volutabat, quid ab se fieri posset, ut Deo optimo maximo par honor redderetur: voluissetque ad eam rem perficiendam, parem se adeptam esse potentiam. Atroces atque nefandæ blasphemiæ, quas in cœlestis patriæ dedecus mordacissimi homines jaciunt, acerrime Osannam lacessebant, et tanto dolore cruciabant, ut eas nullo pacto audire posset: quippe erant sibi toleratu gravissimæ. Illud imprimis eam vehementer commovebat, quod supernas quandoque animo tenente sedes, secum summus Imperator querebatur, ab Imperatoris et Pontificis viris Christiana omnia monumenta pessumdatum iri. Quare extremam omnem pœnam summumque supplicium libens pertulisset, dummodo summo ut par est honore Deus habitus esset: maluisset quoque æterno puniri cruciatu, quam quippiam mortalis criminis admittere. Mente semper et cogitatione in Deum ardens, nunquam ab ejus colloquio et contemplatione vacabat: immensa hac caritate usque adeo deflagrabat, ut sanguinem pro Christo gestiret effundere. Unde cum nulla sese illi major opportunitas sui explendi desiderii offerretur; cum primum ægritudine vel etiam minima laboraret, medicos ad se phlebotomandam adhortabatur: nimio inquiens et superfluo se abundare sanguine quando tamen omnium opinione exanguis prope foret.

Summa in Deum caritate flagrat,

ejus offensas gravissime sentit.

F

26 Erat Osannæ humanæ salutis insatiabilis sitis, nihil que erat quod ea magis expeteret. Si quempiam sibi notum et familiarem viam scelerum gradi intelligebat; non erat illi satis hominem dulcibus verbis suavissimisque adhortationibus ad virtutem et integritatem pellicere, sese etiam illi precatricem apud Deum exhibebat; precata Deum, ut cœleste in illum lumen demitteret, traheretque ad meliora itinera. Putans autem et verba et preces suas momenti atque succi parum habere, asperrimo sese cilicio et aliis cruciatibus contorquebat; quam poterat peccantibus ad exurgendum opem allatura. Aliorum crimina haud secus quam sua deplorabat: et ita deplorabat, ut sæpenumero corpus in ægritudinem caderet. Semel namque pro quorumdam salute intercedens, tanto sese gessit ardore; ut ad sensus regressa vix respiraret: tantumque fuit orantis cordis incendium, ut lævum inflammatione illa contractum brachium, ad nullum deinceps domesticum usum valuerit. Nonnumquam salutem cuipiam impetratura, ad cœlestes rapta delicias, inquiebat; Ah dulcissime Jesu! hominem, divino tuo sanguine de tetro

Zelo quoque animarum æstuans,

aliorum peccata luget ut propria.

tetro ereptum carcere, perditum iri patiere? Te supplex rogo, ut illius fragilem naturam misereare. Quodsi ullam ab eo pœnam exigere sanxisti, illam ab me deposce, atque mea membra contorque : ero illius felicitate jucundior, quam mea tristior pœna. Atque magno sibi hominum ad eam conventus fastidio erat : nemo tamen de sua secum salute locuturus convenire eam voluit, cui fuerit occupata; quando profecto nihil sua opinione esset, quod cum salute animæ conferri posset.

Pro anima patris pati cupit,

27 Plurimum se debere suum implorantibus auxilium putabat Osanna : quamobrem totis viribus enitebatur, quo voti compotes evaderent. Nihil asperum sibi, nihil durum, nihil difficile erat, dummodo ipsis impune esset. Huic rei testimonio accedit, quod aliorum crimina in suum (ut præfati sumus) vertere jugulum cupiebat. Istud quoque memoriæ sese offert, eo die, quo Joannis Baptistæ Natale colimus, pro patre oranti visus est Christus; eamque sic alloquitur : Bono animo esto, filia : nam tuus pro quo affligeris pater, salutis locum tenet, brevique commigrabit ad cœlos. Oh! inquit illa, dulcissime Deus; poterone ferre ut parentis anima torqueatur? Te per saluberrimam passionem tuam rogo, ut eum in me cruciatum, qui eum manet, intorqueas. Tum ille : Ne tristeris, inquit, Osanna : mea siquidem justitia expostulat, ut qui me lacessivit injuriis, is suorum scelerum pœnas luat. Tantum præterea tormentum ferre non posses, sed moreretere : id quod fortassis in animum induxisti tuum. At mihi ea mens est ut nonnullos adhuc annos vitam vivas, quando id cum multis saluti, tum mihi honori accessurum sit. Tum illa, Cur, inquit, sic insperato mortem obiit? Propterea ait, quod paulo duriori cervice fuerit : duos dies sua diluet crimina, tum nostras ad ædes commigrabit.

eique breve purgatorium impetrat.

in se sumit infirmitatem Marchionissæ

28 Plerumque hoc pacto se gessit Osanna, summumque pro peccantibus cruciatum enixissime poposcit; parvi insuper arbitrabatur, ad levandas proximi calamitates, tenerum et imbecille corpus suis inventis affligere; ægritudines etiam, quas familiares et caros incursuros timebat, in se verti magna animi constantia postulabat : id quod nonnumquam ab Deo facili admittebatur aure; quo eam clarior excellentiorque maneret triumphus. Timuit semel Isabellæ e Mantuæ Principi, quam admodum diligebat, gravem quampiam infirmitatem : idemque verita est nonnullis de Ordine Prædicatorum Patribus, per id tempus Romam ad generalem suam synodum concedentibus, eventurum; quod intemperatum aerem itinerisque difficultatem prospiceret. Ea per Christum maximum summis precibus et lacrymis rogat, quo languorem omnem, quem illis imminere putat, in se vertat. Pollicetur illi Christus, se pro illius facturum arbitrio : nec dictis res morata, quippe gravissima eam febris adoritur. Tantum autem invaluit ægritudo, ut parum abfuerit quin hisce mortalibus rebus excederet. Mansit Isabella, ab omni ægritudine intacta; et Patres optima incolumitate Roma redierunt.

et simili modo avertit incommoda aliis obventura.

29 Adhæc cum mulier quædam absentem consortem admodum vereretur, pertimesceretque ne eo redeunte quorumdam vita in maximum injiceretur discrimen; Osannam rogat, quo suis precibus futuro occurrat scandalo. Tum illa, quæ nemini unquam pietatis viscera occludebat, actutum precatur Deum, ut ab se pro illorum pace quodcumque voluerit supplicium extorqueat. Non fuere vanæ preces. Acerrimus sane pedum dolor eam aggressus, egit ut plerosque dies minime incederet. Rursus invictissimo Francisco Mantuano Marchione f Gallis petente, illum servari postulat incolumem, se autem acriter affligi, si illi mali quippiam impendat. E vestigio gravi febre et cordis acerrimo dolore languens lecto decubuit : Princeps autem in patriam sanus rediit, eamque adhuc ægrotantem offendit; sed brevi post ejus regressum convaluit.

A. FRAN. SILVEST. COÆVO.

Omnium commune solatium

30 Non erat quoque ad solandos miseros et afflictos iners; sed impigra, sed facilis, sed diligentissima. Quamquam enim gravi continue aliquo dolore languebat; suapte tamen natura ad pietatem prona, proprias ægritudines nihili pendens, visitatum ægrotantes, eosque omni ope ad patientiam excitatum propere concedebat. Meminerim ego, eam graviter decumbentem, sub noctem unam, ad ægrotantem quampiam feminam, quæ eam visere gestiebat, lecto exurgens accessisse. Posthabitis quoque contemplationibus, quibus magnopere delectabatur; immensa pietate actitata, ad fovendos tristium animos eorumque levandas afflictiones, se totam dabat; tametsi hominum consuetudinem admodum fastidiebat. Ad eam, perinde atque prisci solebant ad Delphicum Apollinem, certatim viri ac feminæ ex omni parte defluebant : quibus totum diem, præclara impartiens documenta, impendebat. Vix tantum otii captare poterat, quo pro suo more Officium lectitaret, nonnullasque ad Sponsum deferret preces. Tanta erat Virginis labiis impertita gratia, ut omnibus quamgratissima esset. Videbatur unicuique adversa omnia cum primum ea Virgini detexerat, sibi excidisse memoria : quando cunctos dulcibus verbis solaretur, eorumque calamitates secum deploraret. Hortabatur cunctos in Deum maximum sperare; futurum inquiens, ut sibi secundiora succederent, si in eum spem jacerent. Suas illis preces offerebat; et non modo suas, verum etiam alienas; quas summa diligentia, ipsis facturas satis, inquirebat. Nihil denique intentatum relinquebat, quod illis consolationi accessurum putaret. Quare eam quandoque dixisse ferunt, nullum unquam ab ejus ore depromptum verbum, quod homini aut molestum fuerit aut grave.

ab omnibus passim consulitur.

CAPUT III.

Exercitia Virginis spiritualia, vitæ rigor, animi demissio.

Pius cogitationibus jugiter intenta,

Quamquam plurimis, tum domesticorum, tum exterorum anfractibus premebatur; nihilo tamen secius fervebat spiritus, quam si sola fuisset, tantumque de suis rebus cogitasset. Audiens namque varias hominum miserias et calamitates, dulces cum Christo animo et cogitatione sermones agebat : divinis namque in rebus sese animus oblectabat, tametsi aures omnium patebant infortuniis. Quidquid rerum intuebatur ad spiritualia trahebat monumenta. Quocirca nonnumquam per urbem gradiens, quid sibi spiritualis rei quæ viderant præseferrent exquirebat a comite : dicente autem illa nihil se hujuscemodi rerum excogitasse, meditationes suas ipsa pulcherrimas enarrabat. Ab teneris annis Mariæ Virginis Officium diebus singulis lectitare in morem duxerat : quod vero majus Officium appellamus, nonnumquam pietatis operibus detenta prætermittebat : qua de re, vix artubus quieti admissis, sub mediam noctem, divinis laudibus atque contemplationibus vacatura, exurgebat. Quidquid sibi otiosi temporis relinquebatur, quod profecto exiguum admodum erat, id omne in percurrendis Sanctorum libris, de quibus spirituales decerperet flores, terebat. Verum supra ceteros libellum, cui Triumpho Crucis nomen est : Senensis quoque Catharinæ Vitam, tum ejus Dialogum, apprime admirabatur, relegebat. Declamationes usqueadeo sibi gratæ erant, ut neque unam quæ in Divi Dominici templo haberetur, non gravissime ægrotans prætermiserit. Voluisset

orationi multæ et piæ lectioni vacat,

frequens in templo.

A. FRAN. SILVEST. COÆVO.

luisset semper divinis Officiis interesse; fecissetque, nisi eam frequens populi multitudo oppressisset. Soluta autem curis, ad ecclesiam properans, non nisi universis Sacris peractis recedebat. In dies singulos, inter maximas etiam occupationes, Missam audiebat. Quod si ad templum, ægritudine laborans, proficisci haud poterat; in suo volebat cubiculo celebrari.

et ad Confessionem

32 Immenso quodam lumine puerili adhuc ætate, ad divinas res vehementer impulsa, ad Confessionem animo et cogitatione deflagrabat; et usqueadeo, ut consanguineas gravi afficeret molestia, quo singulis eam septimanis ad Confessorem deducerent. Sed illæ, puellæ proposito reluctantes, illique blandientes; inquiebant, debere eam ceterarum opportunitatem operiri, quando et ipsæ frequentem Confessioni operam navarent. Tarditatem illam æquo animo ferre haud valens Osanna, id pertinaciter contendebat, quoad in suam eas sententiam traduxisset. Tandem potita votis, tanta plaudebat lætitia, ut cunctis non parvæ admirationi esset. Morem hunc, ut semel saltem in hebdomada confiteretur, tametsi sæpenumero confitebatur pluries, adusque mortem servavit. Plerumque talia confitebatur, quæ non solum peccata non erant, verum sibi maximo accedebant merito. Ausim quoque dicere, me illius nonnumquam Confessionem audientem judicasse, ne venialem quidem culpam tunc in ipsa fore, nedum mortalem.

atque Communionem.

33 Fuit illi frequens consuetudo. diebus singulis sacum Christi corpus spiritualiter degustare. Summo namque diluculo totam conscientiam everrebat, exploratura si quippiam offenderet quod ab immortali Deo desisceret: quod cum omni diligentia fecisset, Christi corpus ne minori quidem apparatu captabat quam materialibus faucibus consuesceret. Nihil cibi, nisi hunc in modum communicans, imposuisset ori. Accidit quandoque ut decumbenti summo mane potionem afferrent: quam cum extremis labiis attigisset, ad memoriam occurrente nondum se pro suo more Sacramentum cœpisse; simulato dolore rejecit, quoad suum desiderium explesset. Unoquoque præterea dominico atque etiam solenni die, sacram sumebat Eucharistiam. Ad quod obeundum munus par studium adhibere cupiens, omne suum ingenium ad divina spectanda beneficia, quæ amplissima sibi manu Deus optimus maximus contulerat, mancipabat. Sic autem ea meditabatur, ut alto corde reponeret, in Christique amorem penitus eliquesceret; atque vix mentem, adusque opportunum desumendæ Hostiæ tempus, prohiberet a raptu. Evenit tamen nonnumquam, ut cohibere non posset spiritum: sed eo momento quo communicatura erat ad sensus regressa, captato Sacramento, rursus evolabat ad cœlum.

Mortem vehementer desiderans,

34 Christum maximum Osanna deperiens, quo eo perpetuo frueretur, mortem quam ceteri vitam malebat. Quare languore eam graviter opprimente, gaudebat admodum, quod naturæ debitum se exoluturam speraret. At præter spem valetudini restituta, ubertim lacrymabatur, dolebatque spiritum corporea vincula haud erupisse. Numquam oratum Deum accedebat, quin, illius potiundi desiderio acta, sibi mortem precaretur; quando sua opinione, quanto diutius viveret, tanto graviora foret admissura crimina. Sed eam Christus ad tolerantiam sæpenumero adhortatus, se illius voto propere accessurum pollicebatur; inquebatque, velle se illam adhuc paululum cum mortalibus versari; quo per ipsam, quæ suis se precibus executurum decreverat, exitu præstaret. Plerumque ad rogantem talia blando vultu suavique risu Deus, tamquam ad filiam oculos vertebat, atque dulcibus verbis solabatur: nonnumquam vero respondebat nihil. Semel gravissimo sanata morbo, quo sese humanis excessuram rebus præstolabatur, sic Deum, mœroris atque etiam tristitiæ plena, affatur: Cur, justissime Deus, me adusque mortis limina progressam, referre pedem coegisti? Propterea, inquit ille, quod innumeræ sint ad me pro tua salute delatæ preces. Ad quem Osanna: Proh tui atque hominum fidem! quod parentibus suis ac necessariis salutem lacrymis deposcunt, qui te nequeant exorare? Quid igitur causæ est, quod, cum nullius ego utilitatis sim, omnium pro me rogantium voces auscultas? Longe mihi satius puto mortem obire, quam vita superstite continuis Majestatem tuam injuriis lacessere. Tum ille, Mitius te, inquit, tecum agito Osanna. Nam id mihi animi est, ut multis felicitatem impetratura vivas. Ad quem, Me, inquit, utere ut voles.

eam instanter a Deo petit sed frustra:

g etiam post impetratum Marchioni filium,

35 Mantuano Principi nato *g* filio, læta admodum, maxima spe Deum rogat, quo ea tandem de hujusce mundi procellis eripiat: sed cum nullis id posset precibus extorquere, Proh, inquit, carissime Deus, si tibi ea mens est, ut diem mortis haud intelligam, id parvi æstimo, dummodo me hac miseria solvas. Videor enim mihi quæ per me fieri volebas, egisse: quippe Mantuanum Principem donasti filio, id quod mea futurum intercessione prædixeras. At ille: Tuis, inquam, precibus id actum puta: sed paucos etiam annos, plerisque allatura opem, vivas necesse est. Alio quoque die lecto decumbens, sumpto Eucharistiæ Sacramento, sensibus digreditur; atque ab undecimo adusque decimam nonam horam, perstitit rapta. Cum autem Deum precibus fatigaret, ut se mortali isto et corruptibili exueret corpore, aut saltem modum quemdam et terminum suæ vitæ statueret; respondit, nolle se ut adhuc de sua morte certior fieret. Post longam cunctationem idem poscenti surda aure pertransiens, Mariam Virginem subridens aspexit: rediitque illa ad sensus sua spe frustrata.

ad quod servari se suspicabatur

Parcissimo victu

36 Jucundissimum duxisset, quo exanime pæne corpusculum viventem Christo litaret hostiam, omnem prorsus ab se cibo usum relegare: fecissetque, nisi istius nostræ naturæ imbecillitas obstitisset. Fuit autem supra quam dici queat frugi femina, dixerim potius in cibo modica: quippe tanta cibi parcitate erat, ut admiratu dignum esset qui vitam viveret. Erat illi consuetudo, supra imperata ab summo Pontifice jejunia, Adventum Christi summa observantia, non secus atque Quadragesimam, colere: in omne quoque tempus Mercurios, Veneres, atque Saturnios dies jejunabat. Ardentissimum eam desiderium, vilissimo tantummodo vesci pane et simplici aqua uti, incessebat: verum cum fratribus morata, qui tantam victus tenuitatem reprehendebant eamque non parvo crimini dabant; eadem cum ipsis utebatur mensa. Modico tamen vino, et eo quidem leviusculo, contenta erat. Totum aliquando diem cibi nihil capere frequens illi mos erat. Eo præsertim die cibum omnem fastidiebat, quo sacri Christi corpore depascebatur. Eo usque eam victus parcitas deduxerat, ut vix pedes subsisteret, pellisque ossibus hæreret: magnum tamen, ne domesticos nimia sui solicitudine afficeret, simulabat robur. Cum mensæ accubuisset, universum tempus in distribuendis rebus, quas suo imponebant escali, consumebat; nullum prope ipsa cibum sumens quo ceteris se communem gereret et sodalem.

crebroque jejunio

37 Universam prope noctem in contemplandis divinis rebus, porrigendisque ad Deum precibus, ducebat insomnem: corpore autem longo defesso labore, sese paulo quieti laxabat. Erat sibi plumaris quidem lectus, quem suam tectura sanctitatem in cubiculo

parciori etiam somno utitur

A cubiculo paraverat: sed orationes identidem ex sententia protelans, donec contubernalis femina dormiret, humi secreto somnum perceptura jacebat. Plerumque etiam, sociam oppressam somno deprehendens, lecto desiliens super altaris suppedaneo dormiebat. Tanta, ut summatim dicam, moderatione erat; ut præter quamplurimas noctes, quas pervigil agebat, unam quandoque, nonnumquam duas, ad summum tres horas gravi lassitudine afflicta quiesceret. Accidit semel ut ægrotantem medici dormientem offenderent: excitata autem erubuit tantum, quantum solent in maximis deprehendi criminibus erubescere. Abeuntibus illis, Verecundor inquit supra modum, quod me dormientem quispiam videat: et, si nemo mortalium mei somni arbiter sit, Deum maximum vehementer erubesco: quando haud me deceat tantam corporis curam gerere, ut illi quietem pro arbitrio remittam.

prope totas noctes pervigil

38 Solicita admodum, ne corporis valetudo cum ratione luctata, superior evaderet; jejunia vigiliasque quibus sese supra vires affligebat, tanto certamini imparia putans, hispido etiam et acerrimo cilicio virginea membra torquebat, seseque asperrima præcingebat catena, quæ lascivientem B omnem carnem domatura videbatur. Vidi ego ex iis unam, horrendam admodum, tamquam præacutas acus emittentem: quæ longo usu mitior facta erat, et tota pæne corrosa. Teneros quoque humeros durissimis flagellis, aut ferreis, aut ex nervis compactis ad sanguinem verberabat: id quod in Quadragesima Adventuque frequentius agebat. Seniorem tamen factam opportuit ab hisce cruciatibus temperare: propterea quod afflicta admodum esset et viribus destituta. Verum aliquando, nulla habita ætatis ratione, sub mediam exurgens noctem, sese in secreto quopiam loco flagellis acriter cædebat: id quod potissimum audebat, quando imminere mala patriæ verebatur. Suam quandoque vicem amaro animo deplorabat; quod, inquam, usqueadeo debilis effecta esset; ut nullo se pro Christo posset affligere cruciatu: quamquam continuis acerrimisque doloribus tenebatur.

cruciatus corporis horrendos

senior mitigare cogitur.

39 Uno parasceves die sese illi Christus cruci affixus obtulit; ad illamque, post multa colloquia ultro citroque habita, Dimitto, inquit, tibi, filia, peccata; eique immensa benignitate benedixit. Tanta hujusce benedictionis efficacia fuit, ut Osannam incredibili humilitate donarit. Exinde enim supra quam dici possit humilis fuit: quippe nihil in se boni operis offendens, haud dignam se putabat quæ terram pedibus calcaret. Erat (sua sententia) omnium scelestissima: dolebatque vehementer nulla se spiritualium rerum affectam iri cura, tametsi numquam a divinis rebus temperabat. Semper de se vilia et abjecta sentiebat, eademque loquebatur. Plerumque, quas in eam piissimus Deus gratias congesserat animo revolvens,, maximam suam ingratitudinem carpebat; nullum illi crimen æquandum existimans. Quidquid autem in Republica Mantuana aut in Divi Dominici Ordine contingebat adversi, in sua ipsa demerita referebat. Ab profunda ista humilitate proficiscebatur, ut præclara sibi cœlo demissa munera, ab Deo, an ab fallaci essent dæmone (quamquam cœlestes spiritu tenente sedes, ab Christo prodiisse, certo certius deprehendebat) plurimum hæsitaret. Neque enim se ceteris sanctiorem arbitrabatur, cui supra communem modum tanta Deus optimus maximus beneficia impertiret.

Etiam post dimissa sibi peccata,

humillime de se sentiens

40 Erat præterea spectatu jucundum, quanta humanitate, quantaque acrimonia omnes ad se adventantes exciperet: a quibus tamen haud ferre poterat ut sibi honor decerneretur. Assurgebat omnibus, atque numquam prior consedisset: sancierat enim cum universis de humilitate certare. Plerisque D ad eam de omnibus Religionibus sacris viris convenientibus, ab omnibus summa cum reverentia benedici flexis genibus exposcebat. Quod si quispiam forte verecundia ductus, quando ab ea benedici maluisset, id se facturum denegabat; humi jacebat, quoad efflagitatam benedictionem extorsisset. Idem quoque agebat, quandocumque mulierem sanctitudine insignem alloqueretur. Tanta quoque erga domesticos atque peculiares homines humilitate se gessit, ut vilem feminam non arbitrarere de se tam vilia et abjecta sentire: cum omnibus namque usqueadeo modeste se agebat, ut omnium videretur ancilla. Verba, mores, gestus, universa denique in ea miram humilitatem præseferebant. Servilia quoque opera; mundare, inquio, domum; popinaria abluere vasa; parare lectisternia; ceteraque id genus abjecta, non modo nusquam loci detrectabat; verum, reclamantibus universis, volebat efficere. Sed id muneris nacta erat, ut parvo tempore præstaret exitu, quæ ceteri longa mora conficiebant. Qui sibi, pro singulari in eam veneratione, non famulatus esset, nemo erat: sed rara, ex cognatis imprimis, admittebat obsequia, quod eis non mediocrem exhiberet honorem. E

honorem omnem refugit

A. FRAN. SILVEST. COÆVO.

vilissima quæque obire domi gaudet,

41 Sanctitudinis suæ fama, quæ omnes Italiæ angulos compleverat, quantum indoleret, narratu difficile esset. Quare summa enitebatur ope, quo homines de hujuscemodi sententia dejiceret. Cibo plerumque supra antiquum morem abstinuisset, longeque majori corpus afflixisset inedia; nisi evolaturam magis in publicum abstinentiæ suæ famam pertimuisset. Adhæc, cum cœlestes gratias, quibus ab immortali Deo donata fuerat, quo illis ipsis quandoque relectis Salvatorem arderet magis, litteris commendasset; audissetque nonnullas sanctas mulieres per Principum atque etiam vulgus ora volitare; verita id sibi aut vivente aut mortuæ facile eventurum, libellum in quo universa conscripserat, ne prodiret in lucem absumpsit. Cumque mihi sua secreta reserasset; summis me adegit precibus, ut quæ magna enarraverat fide, ea quoque hisce rebus absumpta in meo tantum pectore versarentur. Ejus ego votis accessissem, nisi me divinus honor, qui istac admodum resplendet in Virgine, inculcasset. Meminerim eam quandoque dixisse, numquam se ullo inanis gloriæ adactam stimulo; at quanto majora in se congesta beneficia inspectarat, tanto humiliorem extitisse. Cum ex occultis pedum vul- F neribus semel emanaturus sanguis videretur; verita ne quas occultas poposcerat cicatrices (de quibus inferius latior sermo fiet) in aperto essent; summa animi anxietate, incredibilique affecta dolore, lacrymabatur. Quare illico ad singula monasteria misit, qui rogarent, ut pro arduo suo negotio, proque suo explendo desiderio, apud Christum maximum enixe intercederent: id autem erat, ut vulnera pedum manerent occlusa.

latere cupit

eoque sua quædam scripta comburit,

et deprecatur apparitionis in se Christi plagas

42 Tanta hominum premebatur frequentia, ut totum diem eorum miseriis et calamitatibus præbere aures oporteret. Vix tantum captare otii poterat, ut semotis arbitris cibi paululum sumeret: quin plerumque afflictatis præstitura opem, mensa surgebat. Sed concursum hunc populi ingemiscens, Deum inquiebat ab se amissi temporis pœnas exacturum. Interdum multitudinem consulto fugiens, in cubiculum ceu in tutum cedebat portum: sed tanta erat opinione et fama, ut quantumcumque lateret, ad se omnis generis homines commoveret. Mirum in modum dolebat, tantum sui opinionem incrementi cœpisse, ut jam ab cunctis summis laudibus efferretur. Quare libens admodum hominum consuetudinem refugisset: non sane caritatis detrectans

Horret consuetum affluxum

sed cum [illegible] tur a Deo tolerare

A FRAN. SILVEST. COLVO.

trectans opera, sed suæ imbecillitati consulens, quam tanto idoneam facinori non putabat. Satius enim arbitrabatur pro afflictis hominibus precibus apud Deum agere, quam inanibus verbis tempus terere. Unde cum summa sese humilitate excoluisset, precabatur identidem Christum, quo eam a tanto mortalium conventu eriperet. Sed is illam ad tolerantiam semper animabat, quando id ipse ad multorum salutem retulisset. Audivi ego eam sæpenumero dicentem : Nisi mulier essem, me de tanto tumultu, deserta quæpiam et invia perquirens loca, proriperem.

CAPUT IV.

Reliquæ Virginis virtutes, præsertim in conversatione cum proximo.

Continuis fere doloribus aut morbis exercita,

Virginem hanc novi continue dolores et cruciatus afflictabant; non solum, quos vulnera ab Christo impetrata incutiebant, sed quos quotidianæ ægritudines afferebant : neque enim diem unum incolumis egit, præsertim confecta senio. Verum universa, ea constantia, ea promptitudine, ea animi magnitudine tulit, qua ceteri secundam solent perferre fortunam : nihil enim ægra nisi Christum et divinas res loquebatur. Admirandum profecto erat, eam acriter ægrotantem tanta esse jucunditate et exultatione, quanta si in summis deliciis versaretur. Neque, ægro manente corpore, torpebat spiritus : sed longe ad divina ardentior erat, longeque ad orandum promptior : eapropter, quo in cœlum animum vehementis intenderet, novas semper ægritudines exposcebat. Non oportebat eam ad patientiam adhortari : quin admodum languida ad se adventantes solabatur; auditisque eorum calamitatibus, eos optima spe esse jubens, recreatos ab se et quasi de universis ereptos anfractibus dimittebat. Hoc solum sibi in tantis doloribus molestum erat, quod secretum horarium sumere haud poterat, cœlestia pro suo ardore contemplatura. Quidquid inverse ministri agerent, patientissime tolerabat : nullumque effundebat verbum, quod iracundiam præseferret : sed mitis admodum et quieta, omnium jussis obtemperabat.

eos patientissime tolerat.

Delicias omnes aversatur

44 Cum subdubia aliquando et periculosa ægritudine laboraret, opportunaque medici sanaturi eam remedia adhiberent : et exquisitos, quo infectum palatum illicerent, cibos pararent; aut pretiosa quædam, ad resarciendam naturam traderent; dolebat admodum frugi mulier, querebaturque, quod posthabita animæ cura (id enim sibi videbatur) corpori indulgeret nimis. Se quoque atque etiam alios hujusce rei ministros arguebat, quod suo corpori superfluis deliciis blandirentur, quibus Christi pauperes ali potuissent. Quod si aliorum votis cedere cogebatur; non voluptati tales deliciæ, sed summo sibi supplicio accidebant. Valetudine autem reparata, grave se in curando tanta diligentia corpore scelus admisisse lacrymabatur : non decere, inquiens, hisce eam pretiosis rebus et fomentis uti, cujus Redemptor amaritudine alitus sit. Jussere nonnumquam medici, Cretensi pretiosissimo vino ejus lavari manus, humectatumque in ipso panem sibi tradi. Sed illa æquo animo tale medicamentum ferre haud poterat; inquiebatque, inhonestum apprime esse, ut ipsa manus eo liquore lavaret, qui potis esset vitam pauperibus, si ex eo biberent restituere. Inducta autem precibus, tanta parcitate utebatur, ut astantes ad risum exciret : admirabantur enim Virginis puritatem, ejusque deliciarum omnium neglectum, quando etiam quæ nullius momenti erant refugeret.

pauperibus mire compatiens

45 Insigni pietate inopum omnium sortem miserabatur, cupiebatque eorum necessitatibus præsto esse. Nihil erat quod magis ejus animum recrearet, quam algenti pauperi et mendico suppetias ferre. Sæpe proprio (ut aiunt) ori detrahebat, quibus pauperes impertiret. Quod si roganti, quæ traderet, non se otius offerebant totam versabat domum, quoad offenderet quibus illi faceret satis : volebat enim tristem ab se aut vacuum abire neminem. Usque adeo autem paupertatem dilexit, ut cum familiam re aliqua (ut fit) indigere videret, lætaretur admodum et exultaret animo, veluti si ad nobile fuisset convivium invitata. Mantua extrema rerum omnium penuria laborante, ita ut plerique mendici fame in publica via mortem obirent; quandocumque egrediebatur domo, frusta panis pauperibus tradenda ferebat in sacculo, eaque universis sibi obviantibus dividebat. Nihil unquam cibi sumpsit, quin illum se daturam pauperi, si affuisset, cogitarit.

ac liberalis,

matris tenacitatem corrigit.

46 Verum quamquam nulli rei sublevatura inopes parcebat, admirabantur tamen familiares domus tamdiu universa durare, quibus ab illa pauperes alebantur : videbatur enim vinum ceteraque id genus majorem in modum augeri. Unde cum jam vacua putarent vasa, offendebant adhuc semiplena perstare. Iis qui ex felicitate in miseriam deciderant, agereque quotidianum quæstum verebantur, secreto, quantum sibi suppetebat virium, auxiliabatur : quodsi illis non poterat impensis suis opem præstare, ad se adventantes de quibus confidebat, in eorum [animis] pietatem dulcibus verbis commovebat. Eadem etiam diligentia circa nubiles puellas utebatur. Singulari quoque hac pietate fuit, puerilem dum ageret ætatem : id quod hoc experimento conjectare licet. Erat Osannæ mater paulo tenacior, nullaque prope in pauperes caritate utebatur : sed tot eam persuasionibus convenit filia, ostendens non oportere tantopere terrenis rebus inniti, sed imprimis Deo fidere, ut eam tandem ad pietatem atque eleemosynam impulerit.

Superioribus etiam ante Professionem
NOT 15

47 Sicuti supra enarravimus, quamquam solennem Professionem, nisi senior effecta, haud egit; voverat tamen se majoribus parituram, perinde atque si illis manifesto obedientiam promisisset : quare non mediocri crimini dabat ab Prælatorum jussis abhorrere. Si profecto, ut sese in flammas injiceret, imperassent, nulla interjecta mora (hujusce enim propositi erat) paruisset. Jussere quandoque sibi quæ ipsa convenientia non putabat, ac præter suam opinionem agere, quam ab majorum jussis desciscere malebat; rata non posse se errare, si majoribus paruisset : unde eorum vota, solis etiam ad eam nutibus delata, celeri præstabat exitu. Confessori quoque, quem sibi Deus obtulerat, tantam obedientiam præstitit; ut nihil ausa sit, quod non prior ipse probarit. Nullo tunc temporis ivit, nisi quo ille jussisset. Unde qui eam ad suas deducere domos cupiebant, id muneris ab Confessore precatum ibant. At quid mirum, si dato sibi cœlitus Patri paruit; quando cognatis etiam, a quibus summa colebatur veneratione, tamquam majoribus obtemperaret. Tanti enim illas habuit, ut nihil unquam illis non probantibus egerit.

et Confessario exacte obedit

lacrymarum dono prædita,

58 Ab teneris, ut aiunt, unguiculis passioni Christi magnopere, supraque quam dici queat affecta; duxit in morem singula ejus mysteria per unumquemque diem contemplari. Inter cogitandum autem in tot lacrymas erumpebat, ut oculi exuberantia flumina viderentur : sed erat in iis lacrymis tanta suavitas, ut nihil delectabilius. Plerosque annos dulci ac contemplatione magis quam cibo enutrita est. Verum Christus maximus, quo eam magis incenderet, suaves istas lacrymas ad quoddam tempus

ipsas ad tempus subtractas

pus restrinxit; et ita repressit, ut eas nulla quiret arte nulloque studio ab oculis ciere. Rem hanc cum amarissimo animo ferret, vehementerque admiraretur; suam miseriam, suam calamitatem, suum infortunium acriter deplorabat; arbitrata id gravi aliquo suo crimine contigisse. Quapropter in singulos dies precabatur Christum, ut suam fragilitatem miseratus, ereptas sibi dulces lacrymas restitueret: sed vanæ aliquamdiu fuere preces ea autem solennitate, qua Mantuæ Longini memoria celebratur, sub mediam noctem Matutinarum Officium dictura surrexit.

in festo S. Longini recipit

49 Inter dicendum autem, sese illi memoriæ obtulit, Longinum Christi latus lancea confodisse, esseque Sanctorum adscriptum numero; subitque in mentem cogitatio, ingratitudinem suam Longini scelere multo graviorem esse, quando id ipse, cæcus nullaque cœlesti affectus gratia egerit; ipsa vero innumeris præter merita muneribus donata, summa ingratitudinis nota divinam continue Majestatem lacesseret; nulla autem de sublatis lacrymis mentio fiebat. Dum hæc attentius meditatur, occultus quidam in mentem dolor irrepsit, et usque adeo vehemens, ut lacrymarum fontem reseraverit. Adusque igitur diluculum incredibili suavitate lacrymavit: et ita lacrymavit, ut oculi uberrimos fontes præseferrent. Deinceps desiderato suo fletu potita est. Post lacrymas ad cœlestes rapta delicias, deductaque ad thronum supremæ Majestatis, immenso afficitur gaudio, mirumque in modum recreatur. Tres autem ad Deum inter ceteras porrexit preces. Unam, ut ejus animam corpore solveret; sed hanc audire noluit. Alteram, ut duas Sorores, sibi sacras et virgines, ascisceret ancillas: ad quam respondens Deus; Non est, inquit, filia, quod tibi valeam denegare: æqua admodum est tua ista postulatio: agam ut desiderio tuo fiat satis. Tertiam, si animum nollet tetro carcere liberare, sui saltem amore correpleret, efficeretque ut nihil eo excepto cogitaret. Audita est Virginis supplicatio: in tantum namque Dei amorem devenit, ut quidquid rerum gereret, sive inquam in administranda domo, id quod sibi ea tempestate incumbebat, sive quacumque alia in re, Christum universa repræsentarent: videbatur enim sibi illum ipsum omnibus in rebus adfore.

et tria a Deo dona impetrat.

Ii conversatione cum omnibus gratiosa

50 Erat suapte natura Osanna prætextatis quibusdam et divinis moribus ornata, ut cœlitus tamquam virtutum omnium exemplar ad mortales transmissa videretur. Erat profecto in ea ingens natura humanitas, suavitas, lepor; omniumque ad se amorem sua comitate trahebat. Erat hilaris facie, erat aspectu venusta, erat verbis supra modum dulcis et modesta. Vultus, oculi, labia, omniaque Virginis lineamenta ridebant. In tantum nonnumquam erumpebat risum, ut ex oculis lacrymæ defluerent: sed erat insigni quadam istæc hilaritas verecundia reserta, quæ non parvo sibi ornamento accedebat. Alacri omnes excipiebat fronte, et ea quidem comitate, ut nihil dulcius afflicti homines Osannæ consuetudine faterentur. Omnia secum loquebatur: cuncta patienti et placida audiebat aure: cedebat omnibus; facileque aliorum rationes admittebat. Rem quoque nullam pertinaciter asseverabat: quod si aliquando quidquam affirmasse nimis videbatur; Videte, inquiebat, ne majorem verbis meis quam deceat fidem adhibeatis: rem fortasse minus intellexi: sunt a quibus fieri poteritis certiores. Post colloquia dulcesque sermones, universos ad usque fores invitos etiam deducebat. Feminas quoque sibi familiares et gratas summa humanitate exosculans, dulcissimo stringebat affectu. In mutuis quoque amplexibus plerumque ruebant; non poterantque, nisi illis pluries replicatis, segregari.

51 Erat in universa Italia, nedum Mantuæ, celebris sanctimoniæque opinione et fama insignis. Ad eam profecto Mantuani cives, veluti ad excellentissimum vatem, confluebant. Principes quoque, eorum uxores ac filii, perinde atque matrem venerati, visitaturi eam domum sæpenumero accedebant. Quod si ardui quippiam occurrebat, eam tamquam cœleste oraculum consulebant; eamque partem, in quam ipsa inclinasset, deligebant: arbitrabantur enim sibi adversi nihil accidere posse, si opinionem Osannæ sectarentur. Volebant dictorum Principum uxores ut ipsis parturientibus adforet: id quod pro summa in eas caritate haud detrectabat. Verum ceteris intentis partui sensibus ipsa digressa pro parturientibus orabat. Tantum in ea fidei universi locarant, ut ægri haud se perituros sperarent, si ejus poterant faciem inspectare.

a Princ. Silvest. colendo magni fit a Principum uxoribus,

et passim a summis infimisque.

52 Quicumque exteri, sive Principes, sive mediocres cives Mantuam adventabant, eam visitatum ibant, seque suis orationibus commendabant: quippe frustra se venisse Mantuam putassent, si insalutata Osanna recessissent. Quicumque rebus afflictabantur adversis, Osannam, consilia et preces ejus postulantes, adibant: putabant enim nequire non optimo præstari exitu, quæ illius fidei et intercessionibus credidissent. Tantum erat omnibus conveniendæ Osannæ desiderium, ut eam aut raptam, aut aliis in rebus occupatam, plerasque quidem horas, et universum quandoque diem operirentur. Religiosi summique de unoquoque Ordine viri, ejus consuetudine admodum delectati, eam sæpenumero visitabant, magnisque in rebus consulebant. Pauperes atque mendici eam, perinde atque cœlo demissam matrem, et venerabantur et colebant. Ad nonnulla quandoque oppida, fratres, eorum administrationem sortitos, secuta, se contulit: quod cum vicinæ regiones rescivere: ad illam (tanta erat sanctitudinis fama) catervatim decurrebant, vixque ab earum impetu tueri se poterat.

Mediolanum invitata

53 Haud prætereundum, quod Raymundus Lupus, summus et integerrimus vir, illiusque uxor, inclita sana matrona: hujusce Virginis fama commoti summis precibus Prædicatorum Patres adegerunt, quo eam Mediolanum, (aliquot secum moraturam dies, mitterent: neque enim ab ipsa hanc se posse gratiam extorquere sperabant, quando sanctitudinis opinionem horrere certo scirent. Non potuere illi hominem, de Religione optime meritum, singularemque matronam quæ Dominici Habitum in visceribus gestabat, Frederico *b* præsertim Mantuæ Principe assentiente; non audire. Mediolanum igitur deducta, tanta totque sanctitudinis suæ experimenta egit, ut summam cunctos in admirationem adduxerit. Omnis ad eam ætas, sexus, ordo defluebat: usqueadeo autem cunctos mansuetudine et humanitate in sui benevolentiam compulit, ut ab ejus conspectu haudquaquam dimoveri possent. Pleraque ingressa monasteria, singularia sacris feminis virtutum monumenta reliquit. At cum fama ejus jam esset per universam urbem diffusa, jamque omnes complexset vicos; major continue tam virorum quam mulierum concursus fiebat: id quod ipsa graviter indolebat, quando nihil sibi molestum magis ista fama et opinione esset. Quare omni studio totisque viribus Mediolano abscedere enitebatur. Suo isti desiderio fuit adjumento Fredericus Princeps: qui intelligens eam universum pæne Mediolanensem populum commovisse, veritus ne illi ad patriam interdiceretur itinere, curavit ut quam celerrime reduceretur.

totam sibi urbem devincit.

ANNOTATA AD LIB. I.

a Patriciam *vocat Vitæ alterius typographus Mantuanus.*

b

A FRAN. SILVEST. COÆVO.

b Carbonareola, *vulgo* Carbonarola, *trans Padum cui adjacet, remota ab urbe* 30 p. m. versus Orientem. *Hinc autem Mantuam naviganti prope* Reverum, *ad* 6 p. m. *sursum, accidit miraculum de quo hæc Vita num.* 201, *et altera num.* 143.

c *Nomen ei in Vita* 2. *num.* 58 Dominico de Crema.

d *Videtur, hæc fuisse* Bartholomæa, *cujus meminit sequens Vita num.* 45.

e Isabella *Herculis I Ferrariæ Ducis filia, Francisco Marchioni nupta an.* 1490 *vixit usque ad annum* 1539.

f *Existimo id factum sub Ludovico XII ab expeditione Neapolitana reverso sub initium seculi* 16 : *causa autem aliquid a Rege metuendi Francisco esse poterat, quod contra priorem Regem Carolum VIII fœderati exercitus pro Venetis Dux fuisset.*

g Fredericus II *hic fuit, natus anno* 1500 16 *Maji post* 10 *annos sterilis conjugii.*

h *Colitur* S. Longinus Centurio *Mantuæ* 15 *Martii, quando de eo egi : et* §. 2. *Comm. prævii* De Christi sanguine, invento Mantuæ cum Corpore S. Longini, et de hujus illuminatione sub Cruce, *non corporali (ut hic cum vulgo credidit Virgo) sed spirituali.*

i *Hippolytus p.* 1 *pag.* 105 *ait, petitam fuisse a Duce Ludovico Sfortia ejusque uxore Beatrice Estensi, Sorore Isabellæ.*

k Fredericus I, *Francisci pater, Magistratum tenuit ab an.* 1478 *ad* 1484 *quo obiit.*

l *Idem Hippolytus addit pag.* 106, *similiter Casalem profectam Virginem, ad Montis-ferrati Marchiones, ibidemque ejusquam sui memoriam reliquisse Monialibus S. Catharinæ, quæ ejus imaginem adhuc devote servent; Venetis autem, ipsam quoque ad se invitantibus excusasse.*

LIBER II.

De raptibus B. Osannæ, variisque ejus visionibus.

Alienatio a sensibus ex triplici fit causa,

Tradunt eruditissimi viri, tribus ex causis posse hominem sensuum usu destitui : aut enim corporis morbo, vitales spiritus ne decurrant ad organa prohibente : aut opera dæmonis, phantasticis mentem illusionibus occupantis : aut divina quadam virtute, animum ad ea quæ supra humanam intelligentiam sunt, extollente. Efficit sane corporalis morbus, ut aut nihil omnino ; aut confusa quædam et inordinata percipiant : dæmon sic defixas in spiritibus imagines locat, ut quamdam profecto similem sensibus rerum apparentiam inducat, divina tamen homini præmonstrare non potest : at immortali Deo, hujuscemodi raptu hominem donante, usqueadeo mens efferri potest, ut Deum ipsum, nedum quamdam humanam superantia facultatem, inspectet. Difficile quidem admodum cognitu est, qua causa quis in extasim inciderit : ex eventibus tamen hominisque conditione, ejus possumus principium conjectare. Fuisse igitur Osannam sæpenumero raptam, omnisque sensuum usus expertem factam, nemo est qui diffiteatur, quando id universa Italia noverit.

naturalis non putatur Osannæ accidisse :

Neque illum putant raptum morbo corporis accidisse, qui de summa illius prudentia et gravitate periculum fecere, tum potissimum, quod longam in raptu frequentius traheret moram, nullaque arte excitari posset : id quod cerebri morbo laborantibus (nisi forte raro) evenire non solet.

non etiam dæmoniaca credi potest

55 Subdubium fortasse alicui erit hujusce raptus Dæmon, an (quod verius est) Deus auctor extiterit. Concesserim ego, malignos plerumque spiritus angelos lucis effingere; sed eos non potuisse Osannæ raptum efficere, luce clarius demonstrabo. Qui enim fieri ab dæmone potest, ut Deum quispiam summopere ardeat, et ita ardeat ut universos cruciatus illius gratia perferre velit, ceu post raptum cupiebat Osanna? Nihil enim ad hujuscemodi ardorem excepta caritate potest impellere, quam ab solo Deo in animam demitti, nemo est vel mediocriter eruditus qui ignoret. Adhæc, sensibus egressa, tanta ingenium ejus perfundebatur luce, ut ea scrutaretur, cœlestem, inquio, felicitatem divinaque secreta non phantasticis expressa imaginibus, verum solo intellectus obtutu deprehensa, quæ supremam dæmonum facultatem superare constat. Quis præterea usqueadeo demens est et insanus, qui putet eum, qui sua elatione cœlo decidit, ad humilitatem homines exire? Erat Osanna, ad sensus regressa, quemadmodum superius effati sumus, singulari humilitate, seque omnium vilissimam rerum arbitrabatur. Divinam igitur fuisse suam extasim, non diabolicam, fateamur necesse est.

oportet ergo ut fuerit divina,

non etiam pro somniis habenda visa.

56 Neque etiam quæ in raptu eveniunt, veluti somnia parvi habenda sunt, quod corporeis oculis non inspiciantur. Clariora quidem et certiora illa sunt, quam quæ ante vagos et imbecillos oculos versantur : quippe ea nostræ mentis natura est, ut in diversas res simul aciem figere non possit, nisi illa fuerint quodam ordine instituta. Experimento namque probamus, si quispiam spectandis rebus vehementer animum intenderit, eum ab iis quæ ceteri loquuntur facile abduci. Sic quando ad divinas res extollitur animus, hebetes redduntur sensus, quod mens omnem suam vim ad illa colligat inspectanda, tantoque illarum rerum cognitio purior, clarior, firmior est, quanto fuerit animus magis a sensibus segregatus. Habet enim mens suos intellectuales oculos, quibus divinas res cœlesti illustrata lumine clarissime prospectet. Si itaque rebus illis tunc vehementius animus, divina clarus luce, occupatur; quid causæ est, cur certissima illa non fateamur atque verissima, quæ mentibus hominum raptis afferuntur? Nihil ego mortali homini puto beatius accidere posse, quam ab corruptibilibus rebus abstractum ad divina provehi vestigia. Atqui Vatibus etiam sunt divina mysteria (ut est apud Augustinum) non extrinsecis oculis, sed phantasticis similitudinibus præmonstrata. Cujus rei nullam aliam causam afferre possumus, nisi quod a sensibus alienati animi, ad divina inspicienda aptiores evadunt. Osannæ igitur raptum secundus aperit liber : in quo cum plura etiam enarrantur visi, quo, quid rerum gereret rapta, liquido constet.

CAPUT I.

De raptuum, quos Osanna patiebatur, natura, diuturnitate, facilitate, aliisque adjunctis.

Cum absens ext. i ... in Deum raptæ,

Sex annos nata, ob summum cœlestium rerum ardorem, ob illam præsertim flagrantissimam caritatem qua Christum maximum summopere deperibat; diebus singulis, et id quidem pluries, domus abdita loca perquirens, sese orationi dabat. Erat autem illi consuetudo, post quædam fruteti arbusta, cum Carbonarolæ moraretur, contemplationi omnem quam poterat opem adhibere. Ecce igitur die quadam, cum ad cœlum animum vehementer extollit ad Superos, eam piissimus omnium Parens trahit; et ita trahit, ut sensuum omnium famulatu expertem reddat : neque enim videbat quidquam neque audiebat. Tum illi Christus, diris cruci vulneribus affixus, totusque respersus sanguine, sese offert; eamque ad sui amorem et labentium rerum odium adhortatur.

A tur. Haud facile dictu est, in quantum Christi amorem puella exarserit: videbatur enim præ dulcedine animam efflatura. Deinceps ejus sanguine semper ebria perstitit.

parentes primo morbum

58 Post primum hunc raptum pluries, nemine arbitro, idem munus obivit. Cum primum autem ad parentum notitiam pervenit, in quamdam regii morbi aut cujuspiam alterius ægritudinis suspicionem venientes, censuere medicorum fidei committendam. At re magis pensitata, cum divini quippiam in ea prospicerent, viderentque eam pleraque supra ætatem et communem sortem agere; statuerunt eam omnibus in locis asservare, hujusce rei certiores evasuri. Cum autem diligentissime observantes, eam non nisi poplitibus flexis in modumque orantis, et sæpenumero ante altare, abstractam offendissent; non in morbum uti prius, sed in Deum auctorem hanc extasim retulerunt: quare pro tanto munere in mortales Deo maximo gratias egere.

denique divinum quid agnoverunt.

Varii varie ipsam explorant

59 Spiritu sursum elato, imbecille admodum et inane manebat corpus, ita ut sensuum omnium usu destitueretur. Non defuere qui de hac re tanquam nova et inusitata, periculum facerent. Nonnulli enim flammas virgineis membris admovebant; alii trahebant per nares; alii brachia contorquebant; quidam vero, nulla habita sanctitudinis ratione, cædebant in faciem, variisque modis cruciabant, quo spiritus ad sensuum organa cierent: sed id nulla assequi arte poterant. Quandoque Virginis carnes usqueadeo obstrinxere, ut eas veluti carbones atras reddiderint: sed nullum ipsa, nisi post longam cunctationem, ad sensus regressa dolorem sensit. Semel in Divi Dominici templo insana quædam mulier, volens omnino experiri si raptum ementiretur; terribilem acum, ex iis inquam quibus consuuntur sacci, totam pæne in femur infixit: at illa nihilo magis cadavere mota est. Post multas vero horas excitata, gravissimoque afflicta cruciatu, ancillam accersens, Videto, inquit, quid hic rei me cruciat. Inspexit illa, magnamque inde acum detraxit. Diverso varioque corporis situ istoc suo patiebatur raptu: flans, inquam, sedens, genua flectens, pro strata, in crucifixi modum extensa. Cum aliquando filum a colo traheret, manu una colum altera fusum tenens, sensibus digrediebatur. Inventa est aliquando inter scribendum rapta; sæpe etiam apertum librum ante oculos habens. Quidquid tunc rerum teneret, nullo unquam studio poterat de manibus detrahi, propterea quod rigidum omnifariam corpus perstaret. Id ego hoc experimento probavi.

etiam grandi acu in corpus fixa

Al mente ipsa immobili tota

60 Cum Franciscus, invictissimus Mantuæ Princeps, rediisset ex Galliis, eamque ægrotantem visitatum adiisset; obtulit ei parvam quamdam ex Massilia argenteam figuram: quam cum duobus apprehendisset digitis, ad quædam Principis verba extasi correpta est. Volui ego ex manibus figuram detrahere, idemque attentavit Princeps: sed nulla arte potuimus obtinere. Semel recuperandæ sanitatis gratia concessit ad balnea: inter eundum autem, universam prope diem sola insidens equo, extra sensus morabatur. Quod si equus pedem offensus sese periculosius inclinabat, quasique prolabebatur ad humum; immobilis ipsa perstabat, quando ipso vigilantissimus etiam vir decidisset. Cum aliquando ad portus appellentes eam viderent comites abstractam, veriti ne si voluissent equum in portum inducere caderet, ancipiti admodum cura tenebantur: sed quamprimum navi conscensuri erant, ad sensus regressa, omnem illis metum omnemque solicitudinem adimebat. Rarissime a sensibus segregata vocem emisit: quippe omnino immobilis sermonisque expers manebat.

etiam cum equo vehebatur,

61 Aliquando tamen audita est in cubiculo rapta magnum edere clamorem, grandesque voces depromere: semel namque ab quapiam ancilla opprobriis conviciisque lacessita, ad orationem profugit: cumque immortales Creatori gratias ageret, quod hisce eam contumeliis donasset; inter orandum immenso quodam caritatis ardore apprime incensa, prægrandes de pectore voces emisit, quibus ebulliens atque anxium cor haud mediocre visum est refrigerium captare. Alio quoque die sub matutinalem horam, clamore magno misericordiam implorantem, domestici audivere: ad quam cum accurrisset ancilla admodum exterrita, offendit eam, præ nimia anxietate vix respirantem dolentemque, submurmurare. Adhæc in Divi Dominici solennitate, sole ad alterum vergente hemisphærium, orationi quippiam impetratura se dedit: oranti autem sese Christus cum Maria virgine offerens, mentem a sensibus segregavit. Tum illa, quæ popul. frequentia impedita pro suo desiderio contemplationi egregiam navare operam haud poterat; Christum rogabat, qua ratione tot sibi retia objecisset: se enim inquiebat indevotam admodum esse ad spiritualiaque inertem opera, utpote quæ totum diem temporalibus solicitudinibus daret: videri sibi universas res divinas post humeros jactasse, vererique ne ab se tantæ negligentiæ ultionem deposceret. Ad quam ille supra modum tristem, respondens, jussit omnem timorem depellere, quando illa caritatis opera sibi contemplatione gratiora et cariora essent. Tum maximo fervore pro felici Mantuani Principis successu intercedens, terribilem edidit vocem: qua audita cum nonnulli domesticorum accurrissent, invenerunt extenta habentem brachia. Rei autem exitum expectantes, videre post paululum supplices palmas jungere: perinde atque summo Deo gratias ageret. Dein parva interjecta mora, alteram prægrandem effudit vocem, quod eam intemperatus caritatis ardor excruciaret, ac pæne suffocaret. Totam illam noctem superna tenuit regna.

D

A FRAN. SIL-VEST. COENO *aliquando sed raro, emittebat vocem*

E

iam aliquam grandiorem cum Deo agens:

62 Quemadmodum ad solis ardorem (ut ejus utar verbis) vapores in aera extolluntur; ita mens ad supernas res spiritualis contactu luminis elevabatur. Quare omnis ejus raptus, ab purissima semper luce animam penetrante, sumebat initium. Sed erat arbitratu divino diversa luminis ratio: nam eam quandoque instar splendidissimi solis, ejus prorsus animum absorbentis, vallabat, nonnumquam vero longe remissius. Quandoque Deum corporali expressum imagine, Christumque et cælestis patriæ cives, quibuscum incredibili voluptate sermones agebat, contemplabatur. Plerumque secreto Dei fruebatur colloquio, nihilo secius quam soleant Principum consultores cum illis ipsis maximis de rebus decernere; eratque sibi quidquid optasset tunc impetratu facile. Sæpenumero, nulla similitudine intercedente, sola mentis acie Deum maximum inexplicabili delectatione inspectabat: id quod sibi longe jucundius longeque delectabilius erat, quam cum phantastica Deum specie intueretur. Tunc enim momento uno majorem, cum humanarum, tum divinarum rerum notitiam captabat; quam mortalium quisque tametsi exactissimo est ingenio, summo studio nancisci queat.

diversa interim erat luminis cælestis ratio,

F

63 Erant usque adeo excelsa, quæ de sapientiæ fonte hauserat: ut ad sensus regressa nulla verba, quibus ea explicaret, sibi satis essent. Sæpe insigni adhibita opera, animoque contemplationibus præparato, optatam assequebatur extasim: nonnumquam annitebatur frustra. Sæpius vero, subito quodam illustrata lumine, ad sublimes thalamos præter spem et opinionem trahebatur. Autumabat autem majori se affici voluptate, cum insperato ad tales proveheretur delicias: quam cum ad id muneris

nec semper eadem Virginis ad illam dispositio

A FRAN. SIL-VEST. COÆVO.

neris eximiam et diligentem operam adhibuisset. Hoc in raptu propriæ conscientiæ notas suamque omnem imbecillitatem prospectans, supremæ sese temeritatis inauditæque ingratitudinis arguebat. Tanto tunc Dei amore flagrabat, tantoque obsequendi illi desiderio; ut amarissimam omnem pœnam tranquillo perferre animo parata esset, si eam Deus juberet. Solebat dicere: Sicuti præsente sponso nihil est quod amplius curet sponsa: ita qui divina fruuntur Majestate, illa sola contenti sunt.

alios facillime ad tales raptus,

64 Cum puella admodum cœlestes delibare delicias cœpisset; tanto cœlestem patriam desiderio adamabat, ut quam facillimus ei a sensibus esset abscessus. Ita, inquam, facilis erat, ut ad venustæ aspectum imaginis raperetur: id quod hoc exemplo constare potest. Mediolani existens, cum monasterium *a* S. Mariæ gratiarum visitatum esset; matronæ quæ cum illa erant rogavere Fratres, ut omne studium adhiberent, quo eam viderent abstractam. Tum eorum quispiam, naturæ ejus haud quaquam ignarus, pulcherrimam admodumque devotam imaginem illi inspectandam præbuit: quam cum vix fuisset intuita, spiritum ad Superos relaxavit: atque plerasque horas perstitit rapta, rei quippiam manu tenens quam de horto tulerat. De cœlesti patria, de Trinitate, de Angelis audire haud poterat, quin sensibus egrederetur. Nihil autem erat quod eam magis Christi sanguine commoveret: quippe illi tantopere addicta erat, ut humanum quoque sanguinem intuita mox in extasim laberetur: id quod sibi etiam contingebat, si de Christi sanguine inter loquendum sermo incidisset. Una dierum cum ægra lecto decumberet, inter medicos et religiosos quosdam viros, qui eam visitabant, orta contentione, quidquam sanguinis Christi apud mortales restiterit nec ne? incensus in morem ardentis fornacis Virginis animus teneri non potuit, quo ad supernas sedes non evolaret. De Cruce quoque nullam oportebat, ab iis qui eam alloqui cupiebant, mentionem fieri: nam mox inter loquendum abibat spiritus. Mantuano Principe, ut diximus, e Galliis reverso, eam visitante; post multa colloquia de Reliquiis sermo fuit, quibus Galliarum civitates ornatæ erant. Tum illi Coronam quampiam offerens, enarransque eam Crucis ligno fuisse admotam; e vestigio spiritus e sensibus exilivit.

præsertim cum nominabatur Sanguis

Permanet in iis ad quando die integro

65 Ne uno quidem die a cœlesti curia vacabat Osanna: qua admodum delectata, plerasque ibidem horas, universum quandoque diem, quando potissimum sacrum Christi corpus desumpserat, morabatur. Solenni Joannis Evangelistæ die, cum declamationem in Dominici templo audiret; subito et insperato raptu potita, ibidem adusque vesperum rapta perstitit. Quare, cum Fratres dubii admodum essent, quid consilii caperent, quando occludi templum oporteret; neque tamen eam introcludendam putarent; exurgens in raptu domum abiit; ingressaque cubiculum, adusque sequentis diei declamationis horam rapta mansit: tunc enim ad sensus reversa, ad templum rediit. In solennitate quoque omnium Sanctorum, pari modo divina audiens verba, ad superras delicias evolavit: quod cum sumendi Sacramenti adventasset hora, illico spiritum ad sensus excivit. Tum captata Hostia, in quodam angulo inflectens genua, mox rapta, usque ad occasum solis ibidem mansit. Reversa autem domum, invitataque ab domesticis quo secum solennitatis gratia cœnaret; illis factura satis, quamquam cibus sibi tunc fastidio erat, accessit ad mensam. Cumque pedes ad mensæ caput staret, expectarentque ut sederet; vident raptam: quo sane in loco tres horas stetit.. Deinde paululum excitata, ad angulum triclinii quantum potuit gradiens genuaque flectens, statim sensibus egreditur: tandem ad proprium deducta cubiculum, totam noctem cœlestibus gaudiis potita est. Non modo autem diem unum, verum tres continuo raptu detenta est: id quod Quadragesimali tempore accidit, ceu suis in litteris explicat. Tunc profecto usqueadeo divinis rebus immersus animus fuit, tantumque unitus Deo, ut incertum habuerit, utrum corpori illigata esset nec ne. Videbatur sibi, esse quodam se lumine singularique splendore constipatam, quod neque humano, neque angelico capi queat ingenio: in quo sane tantus divinæ Majestatis decor visebatur, ut humana exprimi lingua haud quaquam possit. Nunc senilem Deus maximus gerebat aspectum, modo juvenis triginta aut circiter annos nati speciem afferebat, aliquando in immensum ex aucto splendore unus aut plures essent deprehendi haud poterat. Numquam tamen humana, sed spirituali tantummodo præsentia videbatur indutus: nullo quoque habito sermone, infundebat in animum Virginis quidquid optabat. Erat enim in Deum mens adeo erecta, ut nihil amplius petendum seso illi offerret; quando amore Dei flagraret animus, tantaque ejus dulcedine caperetur, ut ad fragilem naturam se amplius non redituram putaret ad miseriamque corporis revocari. Oportuit tamen ipsam tertio emenso die ad nostras sedes remeare: quare vehementi consternata dolore, ab uberrimis numquam cessabat lacrymis; alta de imo pectoris suspiria trahebat; amarosque singultus inculcabat. Potuisset numquam spiritus opinione sua in corpore perstare (tantus erat dolor et cruciatus) nisi divinarum rerum, quæ viderat, fuisset gaudio et delectatione detentus: neque enim poterat æquo animo ferre tantas ab se tam dulcesque detractas delicias. Gravem hunc perdifficilemque dolorem adusque Christi ascensionem pertulit: illo autem die, post captatam Eucharistiam, Christus, quo tanto eam tormento levaret, ad cœleste palatium traxit, ibi duos moraturam dies. Tunc pleraque illi futura reseravit; eum præsertim diem, quo Margarita *b* clarissima Mantuæ Princeps humanis erat rebus decessura. Demum mirabiliter recreatam mortalibus restituit. Sunt qui dicant eam tres etiam Pentecostes dies fuisse continue raptam: id quod creditu facillimum est, quando divinis semper rebus intenta esset.

aut etiam triduo,

coram quadam specie divinæ Majestatis:

atque iterum biduo

unde redibat semper humilior,

66 Ad corporeos sensus, post degustatas cœlestis regni delicias revocata, singulariter Christum maximum deperibat, eratque divino amore vehementer incensa. Eapropter, ubicumque locorum esset, semper ad cœlum animum et cogitationem extollebat; non poteratque, nisi post longam moram, cuipiam alteri causæ mentem adhibere. Humilitate quoque præclara erat, qua omnem creaturam altissimo omnium Conditori gratiorem se atque cariorem putabat. Summa et incredibili affecta voluptate, in effusum erumpebat risum, eumque nullo poterat studio cohibere: id quod sibi potissimum accidebat, quando familiari aliquo inspectante, summopere namque erubescebat, redibat ad sensus. Quantum ad corpus spectat, sensu ad organa redeunte, sæpenumero semianimis humi jacebat, aut sedebat graviter afflicta, vixque verbum eloqui poterat: quandoque vero ita agilis firmique et vivacis roboris erat, ut longo perniciter superato itinere non contingere terram videretur. Nihil sibi tam molestum erat, quam ab quopiam videri raptam: quocirca, si extraneum quempiam deprehendebat adesse, demisso vultu sese extollere, nisi illo abeunte, non audebat; acriterque sociam reprehendebat, quod illum minime abegisset. Semper autem aliquantulum moræ tacita manebat: tum quod lacrymas oculis delapsas abstergeret; tum etiam quod retractos atque mortificatos spiritus ad membra diffundi et excitari opere pretium esset.

mœsta si visam se sciret.

CAPUT

CAPUT II.

Sanctorum variorum gloria Virgini per visiones ostensa.

Affligi multipliciter gaudens,

Sub idem tempus, quo undequaque sibi tribulationum tela impendebant, rus cum Fratribus concedens, miserrimam et infelicissimam agebat vitam; propterea quod agrestis locus divinas res, quibus imprimis vitam vivebat, non afferret. Singulis autem, ne dicam diebus, sed horis, sed momentis, immortali Deo gratias agebat; qui eam dignam censuisset, ut plurima sui gratia pateretur adversa; suorumque criminum pœnas lueret; et sibi sociam in sustinendis adversitatibus ascivisset. Præstantissimum sane se adeptam munus gloriabatur, quando sibi illa Deus impertiret, quæ universis amicis et perdilectis hominibus exhibuerat. Lætabatur admodum, magnisque in calamitatibus exultabat, intuita optimo præstari exitu, quæ sibi sæpenumero Christus spoponderat. At cum Parasceves dies adventasset, quo Christiano more passiones mysteria recensentur, Deum magnopere ardens, Christique tormenta animo revolvens, ad ecclesiam properat; quæ ibidem rara habebantur, divina auditura. Cum autem stans vix Evangelii initia auribus excepisset; visa est anima afflictum quatere corpus: parumque opinione astantium abfuit, quin ad humum decideret: quippe animo ad sidera evolante, acerrimo dolore concussa est. Cum autem Angelicis potiretur concentibus, erectum ac stans in ecclesia corpusculum; eorum tamen qui aderant opera cuidam innixum tabulæ, perinde atque sublimem ipsa teneret locum, spiritualibus oculis inspectabatur.

in die Parasceves sub Missa rapitur,

68 Tunc miranda atque divina in summo sapientiæ abysso scrutata est, quæ nullis unquam verbis ab se explicari potuere. Eapropter, ob summam caritatem qua tota conflagrabat, atque ob clarissimam divinarum rerum intelligentiam, diuturnamque cum Christo suavem cunctationem, sperabat se deinceps corporeæ non illigandam sarcinæ. Sed sua eam spes fefellit: nam postquam ab summo, prope mane adusque vigesimam secundam aut vigesimam tertiam horam, cœlestes perquisivit domos; ad corporeum redire carcerem oportuit. Quam rem ita indoluit, ut amara, præ cordis angustia, suspiria laxaret, lacrymareturque uberrime. Querebatur profecto ad humanam se rediisse miseriam, quæ mille sibi admittendi sceleris struxisset insidias: ceterum quamquam vicem suam acriter deplorabat, ab divina tamen numquam abhorruit voluntate, cui vitam omnem ab primæva ætate initiarat. Subinde tres menses, corde admodum debilitato, gravissima ægritudine laboravit: in vehementem autem suspicionem devenit, animam tunc e corpore penitus fuisse solutam; quando tunc ingenti tormento alias autem summa voluptate sensibus digressa fuerit, accedit quoque quod novum fuit et ante hunc raptum insitatum, ipsam extasim passam proprium corpus tamquam alienum inspicere. Abstractionem hanc maximam summamque cum divina Majestate unionem putavit.

et raptu ceptit omnem,

ac sibi se reddi dolet.

69 Decimo ætatis suæ anno, in cubiculo orans, ad amplissimum quemdam et fulgentissimum locum rapitur; ubi pulcherrimus thronus, purissimæ undique lucis radios emittens, extructus erat. Sedebat in eo senex divini cujuspiam aspectus, universum orbem administrans: qui immensa claritudine, non ea quæ nostris oculis cernitur, sed quæ verbis nequeat explicari, circumseptus erat. Huic eximiæ formæ juvenis, duodeviginti annos natus, astabat: qui modo similis seni, modo alter videbatur. Ab iis conspicua luce vallatis, aliud splendidissimum jubar in modum flammæ prodibat, quod in unum cum sene

An. æt. 10 S. Trinitatis aspectu fruita,

atque adolescente videbatur coire naturam, ita ut alter ab altero secerni haud quaquam posset. Rem hanc dum puella mirabunda contemplatur, maxima afficitur voluptate; certoque intelligit, divinam sibi ea similitudine Trinitatem ostendi.

A. FRAN. SILVEST. COÆVO.

70 Post longum tantæ Majestatis obtutum, cum sibi abscedendum inde præVideret, juvenem illum sceptrum manu gestantem adorta, benedictam se irab illo humili voce precatur. Ille, qui Virginem placidis et blandis oculis tacitus inspexerat, eam lætus ac lubens benedixit. Illo autem clarissimo decedens loco, ad tetrum, uno cœlestium spirituum duce, pervenit carcerem, ubi plerique jacebant languentes, qui tristem admodum gerebant faciem, qui lamentabiles ex imo pectoris trahebant voces. Quod simul ac inspexit Osanna; non potuit eorum calamitatem erat profecto horrendus carcer) non deplorare. Postremo alio devenit, ubi densissimis tenebris innumeri tenebantur; qui ineffabiles luctus atque miserrimas ex oculis cientes lacrymas, ejulatus ad cœlum usque tollebant. Eorum miseriæ et infelicitati accedebat, quod crudelissimorum dæmonum opera atroces occlusæ animæ flammas subibant. Compatiebatur illis admodum pientissima puella, voluissetque aliquam posse opem afferre: sed nullus erat veniæ locus. Hoc in raptu magna ex parte cœlestis patriæ secreta scrutata est, summoque divinarum rerum desiderio flagravit eum; eum inquam, qui humana omni cogitatione altior sit.

inde ad purgatorium

et infernum deducitur.

71 Annum agens duodecimum, levato inter orandum sursum animo, ad cujuspiam urbis mœnia, quæ maximo splendore fulgebat, cœlesti opera deducitur. Cujus cum essent portæ reseratæ, occurrunt Virgini duo venerando aspectu atque promissa barba clarissimi senes. Paulum, inquio, apostolum ac Simeonem illum, quem propriis Christum sustulisse brachiis lectitamus. Ii virginem blando excipientes aspectu, et perinde atque filiam complexantes, comprehensam manu in urbem introducunt. Innumera beatorum multitudo eam videbatur urbem incolere: quorum quidam candidissimo ornatu instructi erant, ceteri rubricata atque igne micantia indumenta gestabant: universi tamen non mediocre gaudium, sed summam lætitiam præseferebant. Progressa paululum, excelsum tribunal immenso septum lumine offendit, cui Deus optimus maximus incredibili majestate insidebat: sed Numinis faciem, præ nimia claritudine nimioque fulgore, perspicuo intueri nequibat: quemadmodum si accensam quispiam faculam porro inspiciat, videt quidem in splendore substantiam; sed quid illud sit quod in flamma monstratur conjicere non potest. Quamdiu tamen Osannæ libuit inspectare, tantam cordis exultationem, tantam divinarum rerum experientiam, tantum amorem carpsit, ut ad corpoream molem redire amplius nollet. Plurimis autem ad Deum porrectis precibus et auditis, eam hisce altissimus de solio verbis affatur: Dignum duxi, carissima filia, Virginum atque etiam Martyrum honores tibi umbratica ista et tumultuaria specie præmonstrare, quo tantæ felicitatis pellecta decore, ab omni abhorreas corporis illecebra, meque ferventius diligas, et fidelem te mihi atque diligentissimam præbeas ancillam. Caput illa demittens, immortales summo Opifici gratias egit. Post dulcia ista colloquia, benedictam a Deo, adusque urbis portas præfati senes reducunt. Deinceps Paulum et Simeonem summa veneratione prosecuta est: coluit quoque præ ceteris Thomam Aquinatem, Mariam Magdalenam, et Catharinam Senensem.

Duodenni ostenditur gloria Beatorum

SS. Paulo ac Simeone deducentibus.

72 Captata solenni divi Dominici die Eucharistia, spirituque actutum sensus relinquente; locus quidam admirandæ claritudinis illi sese offert; ubi innumeri beati spiritus, singulari instructi ordine, obviam sibi

 prodeunt:

A FRAN. SILVEST COÆVO. Festo S. Dominici eum videt

prodeunt: qui cum propius accedunt, in duas divisi acies, suavissimis vocibus cœlestem curiam inenarrabili replent hermonia. Tum pater Dominicus, plerisque cœlorum civibus constipatus, ad eam venit. Quem illa admirata, e vestigio ad pedes provoluta supplex, veniam poscit, quod sanctissimum Prædicatorum Habitum indigna ferat, suaque opera tantæ Religioni minime respondeant. At filiam benignus senex læta intuitus fronte, humo effert, blandisque verbis et paterno affectu interrogat, quid precari Deum velit. Cui cum universa sincera fide reserasset, suam illi operam pollicitus, per medias Angelorum deducit catervas, comiterque cum illa sermonem trahit. Inter loquendum autem circumspectat Osanna, Senensem Catharinam *c* atque Columbam visere cupiens. Quam rem simul ac deprehendit senex; subridens, bono illam animo esse jubet. Ecce autem optatæ mulieres, de occulto quopiam loco prodeuntes, propere accurrunt, eam summa lætitia atque animi jucunditate conveniunt, arctiusque prementes exosculantur. Paulo autem procedentes, excelsum admirandumque tribunal offendunt: cui divina Majestas, eximio splendore præclaraque magnificentia, insidebat. Hanc igitur cum Deus maximus de sua sede prospectat, lætaque facie contemplatur; sic Divum alloquitur Dominicum: Quid causæ est, quod istæc tua filia, mihi admodum præcara, nostras ad sedes appulit? Exponit ille quæ animo versabat Osanna, atque rogare sanciverat. Quæ cum facile Deus universa concessisset, eam serena fronte benedicens, ab Patre quoque Dominico benedictam, ad mortales remittit.

c SS. Catharina et Columba VV. comitatum,

73 Quo die Mariam Magdalenam præcipua celebritate veneramur, cum adversa valetudine teneretur; Christo, non modo ore, verum etiam intra præcordia receptato, cœlestis regni gustatura voluptates, quas universam noctem fuerat contemplata, corporeis egreditur sensibus. Perlucidum, autem introgressa locum ubi excelso Deus maximus sedebat in throno, Mariam Virginem, Mariam itidem Magdalenam, Catharinam Senensem, Columbam, nec non plerosque alios cœlestis curiæ cives, solarem indutos claritatem, prope divinam sedem conspicatur; et eos quidem videt summis plausibus exultare. Quam rem cum demiratur attentiusque considerat; quid sibi novum hoc gaudium velit, intra se disquirit. Sed statim ab quodam ejus animum deprehente, certior fit, sicuti in terris, ita in superna curia tunc Mariæ Magdalenæ solennitatem agi. Quamquam autem ab universis summa lætitia excipitur; Beata tamen Columba, incredibilis in eam benevolentiæ signa præseferens, ab ejus haud poterat, amplexibus dimoveri. Post longam moram altissimum Deum adiens, immortales sibi de acceptis beneficiis gratias agit; inexplicabilisque ingratitudinis suæ, pro vetusto more, veniam precatur; astruens, Majestatem suam tot et tam magna in eam munera congessisse, ut per meritum haud quaquam referre possit. At ille: Tene, inquit, præterit, carissima filia, infinitam immensamque esse numinis vim, quæ cunctis mortalibus, nedum tibi, longe majora valeat impertiri. Agito lætos dies: quippe ubi tuæ concident vires, mea ego ope præsto ero. Precanti postea, ut nonnullos sibi admodum caros, sicuti antea pollicitus fuerat, supernæ ascriberet felicitati; spondet ille, quæcumque promiserat se facturum: verumtamen si quid est aliud quod cupiat, audacter petat: se enim cuncta facile concessurum, quando suas preces gratissimas habeat.

easdemque S. Mariam Magdalenam in ejus festo stipantes,

74 Universam noctem, qua Pauli apostoli Conversionem recolimus, oratione contemplationique vehementer intenta, tandem cœlestem ad solennitatem progreditur. Ducitur autem ad locum summæ claritudinis inenarrabilisque splendoris, ubi æternum et immensum Deum tanta cœlestium spirituum multitudo circumstabat, ut eos nemo, summa etiam diligentia, metiri possit. Visi quidem primum divinam circumstare Majestatem; deinde vero bini et bini a divino throno, Osannam versus, tanto ordine, tantaque pulchritudine prodeunt, ut nihil delectabilius. Hos longa mora contemplata, non poterat eorum multitudinem eorumque singularem speciem et decorem non demirari. Tanta autem voluptate in inspectandis illis afficiebatur animus, ut præ dulcedine a corpore prope solveretur: Sese autem Osanna alloquebatur: Quid mirum? quid, inquam, mirum, si summam in divinæ inspectione naturæ felicitatem locamus: quando ab ejus ministris tanta mens suavitate repletur? Se autem hisce cogitationibus oblectabat, non poteratque ab illis aciem deflectere. Ad sensus autem regressa, læta admodum plerisque diebus fuit, cœlestis patriæ desiderio flagrans. Nihil curabat humani, quin cœlestes continue spiritus mente volutans, domesticorum consuetudinem fastidiebat.

et S. Joulum in ejus Conversione.

75 Rogantibus religiosis mulieribus de Monasterio *d* S. Joannis, quo tantam populi frequentiam devitans, paulum apud ipsas animum recrearet; earum annuit precibus, eoque sub diem sanctum Mercurii, ibidem quietior moratura, concessit. Matutinis igitur vesperi (ut fit) inchoatis, suam agitans conscientiam, sibi crimini dabat, quod, cum Dominicæ passionis agerentur dies, ipsa recreandi animi gratia populum defugisset. Inter cogitandum repentino quodam circumventa lumine, ad cœlestem curiam rapitur: ubi divinam intuita Majestatem, pleraque intellexit, quæ humana lingua nequeant explicari. Data autem sibi opportunitate, Deum maximum secreto summotisque arbitris conveniendi; cum certo longa experientia sciret, universa prope tunc sibi impetratu facillima fore; plerasque ad eum preces fudit. Primum itaque nonnullis, quos summa benevolentia prosequebatur, salutem precata, non modo facile obtinuit, verum humanissimis eam verbis Deus, uti solet pater perdilectam filiam, allocutus, pollicitus est sibi universa quæ optet. Tum illa intrepida, secundo poposcit, quo tantum sibi virium tribuat, ut omnem possit criminum labem superare. Promittit ille se facturum ut nullo mortali crimine dedecoretur; nolle tamen se, inquit, polliceri, eam venialem omnem culpam devitaturam; quando eo munere neminem (sua excepta sanctissima matre) donaverit. Ad hæc, Mantuanum Principem ejusque Rempublicam servari incolumem postulat: idque instantissime rogat, propterea quod incertus quidam rumor afferret, rem omnem Mantuanam in extremo esse discrimine. Spondet Deus se Mantuam sui gratia tutaturum. Postremo, postquam vidit cuncta sibi ex sententia cessisse, pollicitumque Deum, quæcumque postulaverit auditurum; spei plena, enixissime sibi mortem efflagitat, quo cœlesti tandem fruatur vita. Sed longe secus quam persuaserat evenit: quippe respondit Deus, nondum opportunum ad id negotii tempus adventasse: neque enim, inquit, præstita exitu esse, quæ per ipsam se facturum sæpenumero dixerat. Interrogante autem illa, quod rei per eam facturus esset; eam blandis intuitus oculis, tacitus perstitit.

d Fer. 4 hebd. majoris rapta ad Deum

orat pro Principe et civitate

CAPUT III.

Virginis Visiones de Passione; et aliæ aliorum de ipsa.

Universa Christi tormenta (uti superius exposuimus) consueverat alta in singulos dies cogitatione meditari, interque meditandum uberes e capite lacrymas excire. Placuit autem sapientissimo rerum omnium

In die Parasceves querenti de insolita sua ariditate

A omnium Moderatori, cum ea, post restitutum etiam lacrymarum munus, parcius agere, quo ad cœlestis regni felicitatem æstuantius spectaret: quare faciles ab ea et suaves lacrymas depulit, ut exiccati prorsus oculi viderentur. Quam rem cum tristis admodum, in sua eam flagitia referens, aliquamdiu immenso dolore pertulisset; uno Parasceve die, levato sursum animo, Christum optimum maximum hisce supplicationibus compellat: Ah! dulcissime Jesu, qui fieri potest, ut tibi deditissima filia, rectius dixerim vilis et inepta ancillula, abs te tamen tantopere uti prætetulisti dilecta, tua memoria excidat? Longus profecto mihi mos erat amarissimis singultibus, summa tamen cum voluptate, universos tuos cruciatus contemplari: suavitatem hanc quandoque repressisti: tum eam tua solita clementia rursus nacta sum. Ecce nunc ferreum cor atque adamante durius gero, teque consueta dilectione et charitate haud prosequor, propterea quod dulci tuo rore non alluar. Haud profecto sum nescia, meis gravissimis criminibus effici, ut omni tuo munere destituar, nullamque abs te promerear opem. At si in alios clemens eset permunificus; tuam immensam Majestatem B oro, ne in me quamvis ingratissimam sponsam, desævias.

offertur spectandus totus ordo Passionis

77 Pereunti immani dolore cum sanxisset Christus suppetias ferre, illius mentem ad contemplanda Passionis mysteria extulit, universaque suo ordine ante ejus oculos locavit, perinde atque tunc Hierolosymis agerentur. Primum sane sese illi cum discipulis discumbentem offert, singularisque in eam benevolentiæ signa præsefert: tum qua fraude impius eum Judas in Judæorum conjiciat manus, ostendit: demum durissimis se flagellis cæsum, hispidis confossum sentibus, excreamentis oris oblitum, scelestissimorum pertractum manibus, inaudito confixum crucis supplicio, sepulcris tandem addictum, inspectandum præbet. Comitabatur autem eum cum sanctis mulieribus Osanna, secumque ad cuncta loca concedebat. Istis exitu præstitis, visus est illi Christus sanguine ad plantas delibutus, ita ut sanguineos amnes vulnera laxarent. Quod cum illa accuratissime prospectat; extrema ducta pietate, in tot lacrymas, totque graves singultus erumpit, ut oculi rapidos torrentes assimilarent. At in eam placidos Christus oculos defigens, sic loquitur: Ne amplius lacrymeris, filia; jamque pectori singultus reconde tuos: quippe istæc tuos ante oculos facta sunt, quo voti compos efficere. Non sum ego C mortalis aut passibilis, sed perennem vitam vivo: verum enimvero nihil est, quod mihi gratius commemoratione passionis meæ a mortalibus fiat. Tum jubet eam universa plagarum loca exosculari: illa autem tanto se munere indignam arbitrata, prope accedere non audebat, quin sese agebat retro. Sed eam ad se Christus manus trahens, illi latus ceteraque vulnera familiariter obtulit: qua re admodum recreata, læta perstitit et exultans.

et postridie sepultura Christi:

78 Altero die, eo inquam quod sanctum appellamus Sabbatum, divini face amoris Virginis animus incensus, ad quempiam luce conspicuum locum adducitur, ubi incredibili gaudio cœlestes cives exultabundi incedebant. Videbatur sane deliciarum omnium amœnissimus locus: quem dum contemplatur, fixisque luminibus inspectat: ab quopiam excita, Christi adesse tumulum, de quo ipse tamquam fulgentissimum sidus prodibat, advertit. Ad hunc sepulcro egressum accurrens percita, tenerum mox et afflictum corpus demittit ad terram; magnaque contentione precatur, ut sui tandem misereatur; e fragilique corpore erutam suis civibus annumeret. Visa quoque cœlorum Imperatrice, eam, per suam immensam pietatem, rogat, quo hanc desideratam gratiam sibi ab filio extorqueat. Sed illa ad Osannam alludens; Ne, inquit, filia, ab divino descisceas beneplacito: quippe intellexisti jamdiu, qua de causa tot annos velit te hanc mortalem vitam vivere. Conspicata Osanna vanas suas esse preces, humo se tollens, benedicta ab Christo atque Maria Virgine, suas ad ædes rediit. Singularia sibi familiaritatis indicia hoc in raptu Christus maximus ostendit; et ita singularia, ut illis ipsis se indignam rata, ea reserare non auderet. Ab die Mercurii adusque Dominicam resurrectionem, ineffabili gaudio et cœlestium rerum voluptate detenta, uberrimis lacrymis Christum ardens, vix aurem aut mentem loquentibus præstabat.

D *A FRAN. SILVEST. COÆVO.*

hic alias eam consolaturus

79 Solenni omnium Sanctorum die, universam noctem, suam miseriam, suam calamitatem, sua crimina, quæ (uti existimabat) nefandissima omnique supplicio digna erant, deplorans, Deum tantopere ardere cœpit, ut maxima difficultate adusque Communionis horam spiritum trahere potuerit. Desumpto autem sacro Christi corpore, corporeis mens soluta vinculis, superna ad cœlum advehitur ope; Sanctorum omnium sodalis effecta, quammaximis ab Christo plausibus excipitur. Ad cujus pedes devoluta, cum universas ab Christo acceptas gratias humili voce recensuisset, in istæc verba lacrymans clamansque erumpit: Quo meo scelere, dulcissime et summe Princeps, cum rara in me et pretiosissima congesseris beneficia, ab spirituali sensim vita descisco? Indies profecto ad supernas res fervor tepescit: nihilque in me boni aut præclari operis offendo: sed utinam non sint prava et nefanda! Quid sibi vult saxeum istud et immite cor, quod nulla valeat opera demulceri? Hæc autem clamans, intolerabili dolore cordis premebatur. Intuitus Christus acerrima Virginem contorqueri pœna, eam, tametsi repugnantem seque omni existimantem indignam venia, manu prehendens, humo offert. Tum clarissima in eam caritatis ostentans indicia, benigna facie pollicetur, se ejus tristitiæ consulturum.

E *præter morem aridam,*

eidem aliud cor petenti,

80 Ceterum Osanna alterum cor constantissime poscit. Efflagitante autem illo, quid suo cordi fieri cupiat: tale, inquit, optarim, quod te solum ardeat, ab omnique abhorreat illecebra. Haud equidem insana adeo mente sum, ut velim in hoc mortali corpore solutam curis et pacatam atque tranquillam vitam agere, æternos postea subitura cruciatus: quin longe mihi carius est adversa omnia tui gratia perpeti, quo tua quandoque fruar præsentia. Flagrantissimum tui cor expeto, quod te solum amet, te solum cogitet, te solum loquatur. Tum Christus: F Quoad, inquid, carissima filia, fictili carni jungitur animus, terreni quippiam sentiat necesse est: tuas tamen preces haud quaquam inficias ibo. Plerisque ultro citroque sermonibus habitis, dolor is qui Virginem excruciabat, paulo resedit: cœpitque mens, jam satis recreata, temperantius queri. At Christo sese ex ejus oculis proripiente, Osanna ad superiora quæpiam immenso coruscantia lumine provecta fastigia, excelsum supremum omnium Regem, pretiosissimo insidentem throno, prospectat. Assidebat illi Maria virgo; eratque innumeris spiritibus et cœlestis curiæ civibus, magno splendore coruscantibus, circumseptus. Erat autem usque adeo divinis rebus addicta, ut se mortales reliquisse, immortalemque effectam putaret.

seque graviter accusanti,

81 Post longam ibidem cunctationem, ad locum ubi prius constiterat reversa, Christum reperit, atque hunc in modum effatur: Cur, humanissime Salvator, me deseris? palantemque adeo linquis, tu incertas petere sedes videar? Quid causæ est, quod omni prorsus sum spirituali jucunditate destituta? (Nam plerosque dies amplissimam suam manum

Chistus

A. FRAN. SILVEST. COÆVO.

Christus represserat) Quam hujusce rei causam fateris, quod inquam frigidior glacie sum adamanteque durior; solebam te semper ardere, teque unum mente semper et cogitatione versare: nunc vanis universum diem curis involvo, vixque me tibi initiatam recolo. Te itaque per eum pretiosissimum sanguinem, quem in fragilis nostræ naturæ pretium effudisti, oro atque etiam supplex rogo; quo me certiorem reddas, si quidquam ab me sceleris admissum sit, quo tuam excitaverim iram; effecerimque ut tuam ab me munificentiam averteris. Enitar profecto, si id rescivero, tuæ satisfacere Majestati. Non possum mihi persuadere, non scelestissimi quippiam me patrasse, quod tuam adversum me indignationem exciverit. Tum Christus: Ne inquit, te affictes, filia, nullum abs te commissum crimen est, quod me tibi reddiderit iratum. Quocirca haud secius te diligo, quam cum tot tantasque tibi gratias impertiebar. At illa: Cur tanta premor inertia, tamque varias et circumfusas seculares molestias habeo? Propterea, inquit, quod id ab me consulto fiat, quo minus ab animarum salute absterreare: quippe, si cœlestibus deliciis affiueres, solari proximos, eorumque saluti vacare detractares. Postremo sanguinolentum suum corpus, eam consolaturus, apertumque latus, sanguinem instar undæ profundens, exosculandum præbet: quod cum lubens et læta efficit, suavissimum nectar haurit, idque summa cum voluptate.

exosculandum latus suum præbet

82 Egit is potus, ut ad sensus regressa noctes et dies Christum deperiret: non poterat enim a cœlestibus cogitatibus mentem revocare, quin continuo pæne potiebatur raptu. Præter hæc singulis momentis ante ejus oculos versabatur Christus: a cujus latere ad saucium ipsius cor, sanguinis videbatur unda defluere. Hoc die secum Deus graviter ecclesiasticos mores questus est; quod inquam, suum viri ecclesiastici pessumdarent honorem: jussitque illam haud vacare a precibus, si cuperet Rempublicam Christianam salvam esse. Eodem item die pro Mantuæ incolumitate supplicanti, respondit Deus; eam extremam, propter ingentia crimina, calamitatem promereri: velle tamen se misericordia et pietate in eam uti, quando pro ea spirituales et religiosæ mentes continue precarentur.

cum magno ejus solatio.

83 Cum Christi passionem et eximia facta frequenti meditatione contemplaretur, spiritu sensibus degrediente, sancta Hierusalem visitabat loca: die præsertim Veneris; quo inquam die ad crucem euntem Christum comitabatur, perinde atque ibi corpore præsens extitisset. Cui rei argumento accedit, quod religiosus quidam et integerrimus vir, de Ordine Minorum, sæpenumero se vidisse eam in Hierusalem sancta loca visitantem astruxit; quando tamen constet eo numquam ipsam concessisse. Rem hanc Franciscus invictissimus Mantuæ Princeps, retulit, fassusque est, sicut ab quapiam Monacha de præfato Ordine intellexi.

In pie Parasceves conspicitur Hierosolymis.

84 Cum solennis ageretur Dominicæ nativitatis dies, ardenti visendi parvuli Christi desiderio acta, oratione se dedit. Postquam autem longa contemplatione nascentem Puerum, in Mariæque locatum gremio, quanta Matrem afficeret voluptate, animo versavit; sese illi Maria Virgo, filium intra brachia tenens offert: eamque, præ admiratione ac reverentia trementem, effatur: Satin' salva Osanna? Quid causæ est, filia, quod amaritudinis videris plena et desiderii. Deinde ad illam desideratum filium, suis excipiendum manibus et locandum gremio, porrigens, ait: Quodcumque lubet ab clementi filio exposcito: neque enim vacuis abibis manibus, quin tibi universa ad vota succedent. Ecce enim parvulus admodum et infans est, qui omnia facillime tradat. At illa, ad memoriam sua revocans crimina, suamque (quam miseram putabat) vitam animo volutans; non esse, inquit, eam se, quæ hujuscemodi ab ipsa gratiam mereatur: quin si de se ultionem capere vellet, inventuram apertam et manifestam causam, suam inquam ingratitudinem, quæ omnium sceleribus præstet. Quamobrem retro se agit, Christumque non audet excipere.

Et in die Natalis Domini,

Deipara filium offerente,

85 Intuita Virgo, illam timore pariter et ardore conflictari: Qui, inquit, times, filia? Capito quem tibi trado suavem et dulcem filium, eumque tuo sinu excipito. Tum, si quod est quod cupias, cum in tuum cesserit imperium, facile exorabis. Tandem intra reluctantis atque etiam trementis brachia filium suis manibus Virgo locat. Parum abfuit quin præ immenso ardore animus corpore desilierit: nam cum Christum manibus verecunda contrectat, immotisque prospectat oculis; eam tam ingens flamma caritatis adoritur, ut immenso et inextinguibili fervore prope periret. Quanto gaudio, quantaque suavitate Osannæ animus ageretur, Mariam Virginem, sibi summa caritate filium offerentem contemplatus; quanto ardore Christum splendidissima fulgentem luce suo repositum gremio deperiret, narratu difficillimum est; quando nec ad plenum ipsa recensere, nec litteris mandare potuerit. Plerisque suavissimis utrimque colloquiis habitis, Osannam Christus, tenera sua manu benedictam, de suo conspectu dimisit: egitque idem Virgo. Post hæc complures dies atque menses incredibilis amor in corde Osannæ ineffabilisque suavitas mansit, et usqueadeo mansit, ut ipsa quandoque demiraretur potuisse se cum mortalibus versari: quippe visionem illam continue præ oculis habebat. Extremo quoque suæ vitæ tempore, quandocumque id mente occurrebat, summo actitabatur ardore.

ipsum brachiis excipit

86 Simile quiddam, quo die Mariæ Virginis Purificationem celebramus, contigit. Oranti, inquam, visa est Maria Virgo, filium gestans, candidissima luce cum pluribusque cœlestibus civibus circumsepta: quæ cum illi filium porrigit, se ad terram ipsa præ numinis reverentia demittens, nullo pacto adduci poterat ut sese tolleret. Tandem cum ad Virginis preces et jussa exurrexisset, oblatum sibi Christum accipere detrectabat. Postquam autem diu restitit; tandem, Virgine suadente, suo puerum excepit sinu. Videbatur autem sibi, quod is puer et mentem et præcordia instar flammæ penetraret: quare tanta eum voluptate contrectabat, ut nihil unquam divinius fuerit experta. Emenso aliquanti temporis interstitio, cum filium Virgo reposceret, reddere illa recusabat; precabaturque ne perdilectum sibi sponsum detraheret, cujus amplexibus admodum delectabatur: sed restituere oportuit. Post hac perstitit in corde flagrantissimus ad cœlestem patriam atque suavissimus ardor.

itemque in festo Purificationis

87 Sub unam Parasceves diem, omni ope ad divina in se conjecta beneficia consideranda animum et cogitationem adjecit: quam magna inquam forent et rara, quantamque ipsa ingratitudinis notam incideret, quæ nihil unquam boni operis egisset, quin innumera flagitia perpetrasset. Inter cogitandum autem uberrime lacrymabatur, seque inauditi criminis amaris singultibus arguebat. At cum sibi visus esset Christus in cruce distinctus, eum hisce verbis alloquitur: Quam ego egregiam, piissime Jesu, navare operam potero, quæ huic meo ingratitudinis vitio non sit longe impar? Vereor admodum, ne perpetuis adjudicer flammis, parem meis sceleribus pœnam subitura. Tum Christus: Quid, inquit, causæ est, filia, quod tanto dolore concuteris, tantaque afficeris tristitia? Omnem tuam spem in me jacito. Si tua haud suppetent merita, sacratissimo ego

Damnari timenti opem de Cruce adducit Christus,

A ego meo sanguine tua diluam peccata. Insuper extremæ tuæ diei, mea cum charissima matre, tibi allaturus opem, deducturusque te ad cœlestes thalamos adero. Te quoque dies decem aut sex, antequam moriare, de tuo obitu certiorem reddam.

idem in specie pueri super ejus veste videtur.

88 Raro declamationibus interesset Osanna, quin mens superna regna conscenderet: quidquid enim divinarum rerum audiret, mox sensibus digrediebatur. Semel igitur in Divi Dominici templo, divina auditura colloquia, consedit: quoad, cum de Christo deque ejus humana conversatione. sermo haberetur, extasi potitur. Tum puella, septimum nondum annum egressa, quæ ad latus ejus sedebat, eximiæ formæ puerum super Osannæ vestes inspectat, qui ad ipsam puerilibus blanditiis alludebat; eamque, uti solet filius matrem complexatus, exosculabatur. Erat res puellæ summæ admirationi, idque magna animi delectatione contemplabatur: qua cum domum regressa esset, domesticis suis magna hilaritate quæcumque viderat enarravit.

Ipsa videt S. Columbam recens mortuam.

89 Beata Columba, de Ordine Prædicatorum, humanis rebus egressa, et quidem in urbe Perusio, eadem sane hora ad Osannam venit; quæ tunc forte B sub diluculum, longa defessa oratione, se paululum quieti dederat. Quam cum esset Osanna intuita (neque enim dormiebat) actutum Columbam esse deprehendit: quippe spiritu cœlestes tenente sedes, sese mutuo sæpenumero salutarant, tametsi magna locorum intercapedine distarent. Erat inquam tertio induta Prædicatorum Habitu, et eo quidem candidissimo, velumque diverso ac perpolito anterius extructum opere, eximio decore impendebat ad genas; sed et caput pulcherrimo erat diademate insignitum. Introgressa igitur nondum dormientis Osannæ cubiculum, læta admodum et exultans, secum cœlestium civium agebat multitudinem: ex quibus duo, Pontificali chlamyde præclari, medio eam introcludebant loco, uno dextrum, altero sinistrum ejus latus tenente. At cum propius accessisset, Osannam complexata, uti solent post diuturnam absentiam amici, dulci collum stringebat affectu. Tum sic loquitur: Ad optata longo desiderio gaudia, perdilecta soror, prospero: tu quoque secura vivito: quippe te cœlestia manent regna. Repenteque se ex ejus oculis proripiens, perlucido splendore vallata, convolavit ad cœlos. Perstitit abeuntis imago in mente Osannæ usqueadeo defixa, ut eam deinceps continue præ oculis haberet *e*.

e

Sacerdos peregrinus odorem sanctitatis ejus transiens percipit.

C 90 Cum Sacerdos quispiam Alemannus, religiosus admodum et modestus vir, Mantuam venisset; urbem prætergrediens, ad Osannæ domum inscius pervenit: introque prospiciens, novum quemdam persensit odorem, qui sanctitudinem præseferebat. Quem cum admiratur, propulsat fores, intellecturus qui illic hominum habitarent: sibi enim persuadere non poterat, non esse intro sanctum hominem. Egresso ad eum quopiam, et interrogante quid rei quæreret; Vellem, inquit, mihi conveniendi sancti hominis hic existentis facultatem dari: sensi enim de hac domo quempiam sanctitudinis odorem prodire, quo mihi persuasi divinum hic hominem immorari. Ille re intellecta, hominem consolaturus, accersit Osannam; esse inquiens, qui eam alloqui velit. Mox introductus suas ab ea preces exposcit, rogatque ut sibi a Deo salutem imploret. Pollicente illa se facturam quod exquisierat, abiit Alemannus, lætus admodum et gaudens; fassus eam profecto esse, cujus sanctitudinem de ostio odoraverat.

ANNOTATA AD LIB. II.

a De Monasterio S. Marthæ, *Ord. Augustinianæ*, *vide* 13 *Januarii Vitam B. Veronicæ de Binasco, ibidem ab an.* 1463 *usque ad* 1497 *religiosæ, et similis cum Osanna spiritus; sed illa verosimiliter jam obierat cum illuc Osanna venit.*

D *A FRANSILVEST COÆVO*

b Margarita Bavara, *Friderico I nupta an.* 1465, *obiit* 1480 14 *Oct. Epitaphium refert Hippolytus Donesmundi p.* 2 *pag.* 59.

c S. Catharinæ Senensis, *mortuæ an.* 1380. *Vitam illustravimus* 30 *Aprilis; et* S. Columbæ *Reatinæ, quæ Perusii obiit* 1501, 20 *Maji: unde intelligis sub vitæ finem oblatam Virgini hanc visionem, æque ac sequentem.*

d *Vulgo* S. Joannis delle Carette *fuisse hoc sub an.* 1407 *insigniter a Marchionibus restauratum, scribit Hippolytus pag.* 87.

e *Auctor Vitæ S. Columbæ num* 221 *sive cap.* 62, *hujus visionis meminit, sed ex Legenda sequenti.*

LIBER III

De favoribus Osannæ impensis divinitus.

E *Deus omnibus beneficus.*

Qui recte sapiunt recteque divinis de rebus philosophantur, hanc Deo vim tribuunt, ut non modo ejus lege immobilis rerum omnium ordo perstet, verum etiam ut suo arbitratu quoscumque voluerit (nullius injuria) felices efficiat. Omnem quidem hominem (ut sacræ tradunt Litteræ, diligit, et ita diligit, ut ea quibus unicuique ad supremam felicitatem nanciscendam opus fuerit, munifica impertiat manu. At præter communia beneficia quibus humanum omne afficit genus, singularia quædam munera quibusdam dono dat, quos inquam præstantiori sibi asciscit benevolentia, ad excellentioremque gloriam destinat. Nulla enim nostra ope, nullo studio, nulla industria, divino detracto præsidio, felices esse possumus; quando divina destituti gratia nequeamus vel minimum quiddam exacti operis efficere; quo fit ut ad feliciorem directis vitam, majorem ceteris oporteat cœlestis gratiæ portionem dari. Verum quamquam, qui immortali Deo grati sit, nemo est qui sciat; possumus tamen quippiam ex operum differentia conjectare. Sic namque Apostolos universis excepta Maria virgine) præstare arbitramur, quod prima ipsi Christianæ fidei jecerint fundamenta, præstantissimaque caritatis dederint indicia. Sic martyres Confessoribus præponimus, propterea quod sanguinem pro Christo fuderint, vitamque commutaverint in mortem. Ut autem id uno verbo concludam, illos majori felicitate dignos putamus, quos majori ceteris caritate præcellere conjectamus.

quibusdam singulariter est liberalis,

quos specialius diligit.

F

In his Osannam fuisse

92 Igitur esse ab Christo maximo Osannam summopere dilectam, creditu facillimum est: quando talibus ipsam muneribus donaverit, quæ raro solitus est mortalibus impendere. Sunt profecto tam præclara tamque excelsa; ut non ab re astruere possimus, eam sibi Deum Opt. Max. condidisse, ut suæ Majestatis suæque Divinitatis insigne quoddam simulacrum esset. Semper enim in corde, semper in labiis, semper in moribus Osannæ versabatur Christus: ut vix credi possit, eam in terris cepisse originem, et non potius in empyreo creatam cœlo, ad mortales, cœlestem repræsentaturam patriam, fuisse demissam. Quid sane divinius, quam incorruptibili carne mentem ab omni criminum labe immunem gerere; ejusque animi esse, qui divinas tantummodo res ardeat et contempletur? Quid Christo liberatori nostro, Virgine, eisdem quibus ipse doloribus afflictata, eadem cogitante, eadem operante, similius esse potest? Ceterum non sum ego hujusce opinionis, non posse Deum, quæ viris contulerit, eadem mulieribus impertiri. Æque profecto facile Deo

A Fran. Silvest. Conv. probant singularia ei collata dona.

Deo est mulierem sicuti virum (nisi ubi sexus repugnaverit) omni afficere beneficio : quando nihil sit quod virtute divina præstantius sit. Neque etiam indecens (ut plerique astruunt) imo decentissimum puto, Christum maximum nonnumquam mulieres majoribus quam viros gratiis insignire, easque ad præclara deligere facinora. Infirma etenim mundi, teste Paulo, elegit Deus, ut fortia quæque confundat. Adhæc sunt sæpenumero mulieres, quæ quibuscumque suæ ætatis viris sanctitate et caritate præstant. Quid igitur causæ est, cur non decens putemus, rara illis et singularia beneficia præter communem sortem cœlitus afferri? Potis est igitur Deus, pro suo arbitrio, viri mulierisque animum versare : potis est eos in omnem partem deflectere : potis est quocumque voluerit stemmate coronare. Id quoque æquum atque admodum decens est, ut quam insigni donaverit gratia, eam præ ceteris excellentioribus donis afficiat.

Non obstante ejus imbecilliori sexu,

93 Neminem autem movere debet pleraque viris concessa esse, ut sunt Christi stigmata ceteraque id genus, quibus Mariam Virginem Deus maximus non exornavit : id quod rationi consentaneum minime videtur, si eadem femineum deceant sexum, quando ipsa mulierum omnium dignissima sit. Quippe, sicuti mulieribus, ita singulis viris (Christum semper excipio) gratia et caritate Maria præstitit. Quare cuncta quæ viris cœlitus data sunt, eam fuisse nactam ; fateamur necesse est, si ab aliis detrahenda sint, propterea quod ei quæ omnibus dignior est collata non fuerint. Quod qui astruat nemo est. Legimus enim, ad umbram Petri, non autem ad Mariæ Virginis umbram ægros fuisse sanatos. Nonne præterea Mariam Magdalenam septies in singulos dies fuisse ab Angelis in aera elatam veræ tradunt Historiæ? Nihil tamen simile Mariæ Virgini contigisse usquam reperimus. Non itaque quia illa ceteris antecellit, ab aliis supprimenda sunt, quæ illi divina sapientia conferre operæ pretium non duxit. Cunctis quidem gratia et caritate præcelluit; sed huic nulla in re obstat, extrinseca et quæ gratis data nuncupant dona plerisque Deum arbitratu dedisse suo, quæ matri noluit impertiri. Hoc itaque tertio libro cœlestia pleraque dona. quibus Osannam immortalis Deus insignivit explicantur : quibusque visus est Christus, summa eam providentia et gubernasse mortalem, et ad felicia regna immortalem ac prope divinam evexisse.

qualia nec Deiparæ concessa leguntur,

licet super omnes Sanctos excellenti.

CAPUT I.

Litteras divinitus edocta, et Christo desponsa virgo, innovato deinde corde, participat doloribus coronæ spineæ et quinque plagarum.

Discendarum litterarum cupida,

Cupiebat admodum, et longo quidem desiderio, Osanna legendi atque etiam scribendi artem vel mediocriter callere : quo de Sanctorum libris bene et innocenter agendæ vitæ monumenta decerperet, spiritualique voluptate lectitando recrearetur animus. Verum enimvero, cum sæpius dixisse patrem memoria teneret, periculosum valde atque indecens esse mulieres litteris operam dare, quandoquidem id in suam perniciem familiæque dedecus sæpenumero vertant; id sibi animi esse, ut filiæ alia incedant via; hanc ab ipso gratiam precari minime audebat. At integerrima (ut erat) fide, speque inviolabili, quoddam Mariæ Virginis simulacrum, ad caput affixum lecti, ab ipsa Virgine id muneris precatum adivit; plerosque dies orationi haud segnem operam adhibens, precataque Virginem ut sibi suisque votis opem ferat. Haud quaquam voti tamen compos evadit : at una dierum, quid rei futurum sit deliberans experiri, quadam animi constantia dictam flexis genibus convenit imaginem; inde haud exurrectura, quoad Virginem in suam sententiam traduxisset. Orationi itaque hujuscemodi cum attentius institisset, essetque per longam cunctationem, cœlestibus potita gaudiis, ad sensus regressa, in suis manibus schedam demissam cœlitus repperit, quæ istæc tantummodo verba, Jesus Maria, pulcherrimis inscripta notis, continebat. Quæ cum Osanna prospectasset, tanta facilitate perlegit, quanta qui litteras eruditissime callent : ac statim suo e conspectu se extulit scheda.

ad Deiparam recurrit

ac primum sacra nomina,

95 Hac re læta admodum Osanna, quod suas conspicaretur preces optimum sortitas effectum, immortali Deo Virginique Mariæ, quas ejus animus capere potuit, gratias egit. In animum itaque inducens suum, Mariam Virginem sibi sese obtulisse magistram; singulis diebus libellum quemdam, spirituales continentem odas, perinde atque scholas adiret, manu gestans, ante dictum simulacum genua spei plena flectebat. Post porrectas autem ad Virginem preces, oculos ad scripturam vertens, ejus partem cursim adeo lectitabat, ac si plerosque annos manum ferulæ subdidisset. Hoc pacto omnem illam scripturam facile superavit : quod cum sibi Latinus liber in manus devenisset, sensus omnes, quamvis involutos et abstrusos, summa facilitate docente nemine penetrabat. Arrepto quoque calamo, elementorum notas per se mediocriter exarabat. Igitur præstante opem Maria, et descriptas elementorum figuras legere, easdemque manu componere, et Latinas didicit litteras.

tum cetera paulatim docetur.

Pridem Virginitatem pollicita,

96 Post emissum firmatumque identidem Virginitatis votum, ab Maria Virgine, cui plurimum fidebat, Christum sibi tradi sponsum integerrima fide multisque precibus efflagitat : nolle se inquiens corruptibilem et mortalem sponsum ; sed immortalem æternumque, qui eam perenni vita donare potis sit. Pollicitationibus eam Virgo plerosque trahens annos, in tantum hujusce rei desiderium induxit, ut jam ei mori necesse foret, si voti compos non evaderet : quippe illo ipso desiderio ineffabiliter torquebatur. Tandem viginti et quinque annos nata, dum summa ope summaque importunitate totiens efflagitatum munus exposcit ; ad eam Maria Virgo, parvulum filium intra ulnas tenens, pervenit, multo Virginum comitatu septa : ex quibus duæ, Catharina inquam Martyr et Catharina Senensis, Osannæ notæ erant. Tum sic orditur : Sæpius et magna quidem contentione ex me petisti, filia, perdilectum meum filium tibi sponsum dari : ut certo scias quantum tua apud me valuerit auctoritas, quantique tuæ continuæ preces momenti sint, tuum exploratura animum huc accessi. Si eadem quæ heri et nudius tertius, atque ante multos exactos annos, te cupido incessit; tuis, adero votis, efficiamque ut læta contentaque abeas.

an. æt. 25 offerente Deipara,

97 Parum abfuit quin animam præ gaudio efflaverit Osanna. Non modo, inquit, piissima Mater cœlorumque Regina, eadem mihi mens est, eademque sententia; verum etiam tota ardeo, non potestque in hoc corpore vitalis spiritus manere, nisi meo optatui fiat satis. Haud profecto sum inscia, tanto munere indignam me esse ; meque audere nimis, quando vilis creatura sim multisque dedecorata criminibus. Verum tanta est tamque celebris tua filiique clementia, ut meam servilem oblita conditionem, ausa sim tantum muneris te precari. Actutum autem ad filium Maria virgo oculos sermonemque convertens ; Unum, inquit, carissime fili, mihi abs te fieri gratiam posco ; quam si impetravero (uti admodum spero) summis aliis beneficiis tuis annumerabo.

proque ea deprecante

A rabo. Juvenem hanc et tui amantissimam Virginem, tibi sponsam asciscas velim : hoc enim ab me tanta fide tantaque importunitate, et diuturnum quidem tempus, exegit; ut non potuerim illi meam operam non polliceri. Te per materna ubera rogo, ut eam voto compotem facias. Tum ad matrem alludens Christus, sese maternis commotum precibus ostentans, in ejus sententiam facile cessit. Igitur Osannæ manum Maria Virgo apprehendens, ad filium porrigit : ille vero in ejus annularem digitum annulum immittens, eam sibi haud mediocri plausu sponsam dicavit, benedictamque dimisit. Tum ad eam Mater : Ecce, inquit, Osanna, præclarum munus obtinuisti, meoque dulci filio inviolabili conjugio juncta es : videto ut illi fidem serves, eam inquam quæ divino Sponso par sit. Adusque extremos dies in digito annulum sibi ab Christo traditum gestavit, eratque suis oculis manifestus, tametsi ceteros lateret. Religiosa tamen mulier ex Divi Vincentii *a* monasterio, cujus arcana quædam cordis Osanna deprehenderat, se annulum illum quandoque vidisse autumavit.

Christo per annulum jungitur

a

98 Christo cœlesti juncta connubio, nulla cor terreni amoris infectum iri macula gestiens; quando B arbitraretur divinum suum et integerrimum sponsum velle, ut omnem in se amorem jactaret; sicutque ipse mortalibus rebus præstat, ita enixissime postulat sponsam ab omni illecebra animum deflectere; ab ipsoque summa fide cor alterum petit. Excipit ille facili benignaque aure sponsæ sanctissimas preces : nam ad eam summo splendore cœli delapsus, aperto ejus latere, inde cor propria evellit manu, non mediocri Osannæ delectatione. Tum illud sibi inspectandum offerens; Videto, inquit, sponsa, cor est quod hactenus gessisti. Videbatur autem sibi majorem illius partem pallidam et infectam esse; idque significabat, ipsam terreno adhuc quopiam amore teneri. Aliquantulum temporis post decerptum cor exanimis perstitit : ignara prorsus quo illud Sponsus (sese enim occuluerat) detulisset. Post modicam cunctationem rediit, alterum cor ferens, quod ardentes omnifariam radios emittebat; idque prioris recondidit loco. Tum sponsam affatur, Egi, carissima sponsa, quod me rogaveras . tu quoque agito, ut me totis viribus diligas, observes, colas.

Ab eodem cor novum postulans,

eo exhibente suum rubet ex parte pallidum; aliaque accepto

99 Egit illa quas potuit gratias : deinde tanto eam ardore innovatum cor ad cœlestia impulit, tantoque Christi desiderio affecit, ut tres annos liberum numquam sensuum usum habuerit. Domesticas C omnes res veluti somnians administrabat, nullius sermonibus aures adhibebat, omniaque mortalia fastidiebat. Quidquid ageret aut loqueretur, semper in mente versabatur Christus : quem tanto amore deperibat, ut in eum semper animum et cogitationem intenderet. Sæpe tanta cor his suavitate, tantaque agebatur dulcedine, ut eliquescere animus videretur. Adhæc, non nisi summa industria summaque difficultate poterat spiritus intra sensuum claustra teneri. Sæpenumero universam diem et noctem digressa sensibus, cœlestia lustrabat regna : duos quoque et tres dies continuo potiebatur raptu. Non erat profecto sua opinione eadem, sed altera Osanna. Non erat quod magis gestiret, quam contracta corporis mole cœlestem cum Sponso et immortalem vitam vivere : ad divinam tamen voluntatem omnibus in rebus, tamquam ad certam regulam, respectabat. Post hæc cœpit maximis adversitatibus premi, quæ septem eam annos decoxere.

Deum ardentissime diligit.

100 Carissimum sæpius precata Sponsum, ut sibi Passionis suæ vestigia condonaret, quibus eum imperatorem ardentius sectaretur; id ipse se facturum quandoque spopondit; rem tamen, quo magis incalesceret, differebat. Quod cum esset intuita, sibique dari verba vereretur; statuit animo. et eo quidem D firmissimo, divinas importunitate propulsare aures, quoad precibus Christus devictus in suum cederet arbitrium. Tandem post primas pollicitationes, quibus se universa ejus optata facturum promiserat, duobus exactis annis, illa die, qua Matthiam Apostolum veneramur, istanc ad Sponsum supplicationem affert. Quanto affectu, dulcissime Jesu, tua gestiam perferre tormenta, quantoque ardore ad tua anhelem insignia, qui omnium corda scrutaris perspicuo nosti; quando nihil sit quod te lateat : sed et id muneris mihi impertiturum sæpenumero pollicitus es. Video profecto me supra mea merita audere, eaque abs te exquirere quæ conditione mea longe præstantiora sint. Verum, si humanis viribus fiderem, meaque opera prospectarem; non modo istæc non exposcerem, verum ultionem deprecarer. Nunc ad tuam tantummodo humanitatem ad tuam clementiam, ad tuam pietatem specto : quæ longe majora hominibus præstat, quam eorum exigant merita. Si plura quam par est rogavi; spineam saltem coronam, per eam caritatem qua me tibi Sponsam asciscere haud detrectasti, præbe : illamque, uti longo ardentique desiderio poposci, capiti impone meo : quippe nihil est quod mihi abs te gratius fieri possit. E

Sponsi Passionis participare optans,

A FRAN. SIL-VEST. LOVENO

ejusque auxilio freto,

saltem ejus coronam petit

101 Tum ille sese de cœlo Osannæ offerens coronam, diris acerrimisque extructam sentibus, affert : sicque eam alloquitur. Summa ab me, sponsa, contentione, cœlesti, sed duro stemmate coronari expetisti. Qui tuas preces inficias ito? Hanc ad te coronam, ne deinceps queraris, attuli : nisi animum mutaveris, cœlesti te conscribam militiæ. Tum illa. Non modo, inquit, clementissime Sponse, animum, quasi tantum horream supplicium, de priori sententia non deflexi : verum te iterum, atque etiam iterum supplicibus palmis rogo, quo tandem desideriis accedas meis. Demum, cum lubens ac læta se ad ejus genua provolvisset, asperrimo illo serto eam Christus redimivit : quod tantum capiti dolorem incussit, ut exanimata ad humum deciderit : diro tamen hoc cruciatu ipsa admodum alacer, quod potuit grati animi indicium præsetulit. Deinde continuo vehementique capitis dolore languit : semperque obvolutum capiti cyclum, apertum satis et patentem, pertulit : plurimi namque domesticorum illum sæpius deprehenderunt, tametsi ipsa enitebatur occulere. Tumescebat quandoque, videbaturque tamquam ater sanguis intro decurrere.

et impetrat

cum continuo capitis dolore

102 Parvi arbitrabatur Osanna dolorem se capitis assecutam, si aliarum plagarum Sponsi expers F maneret. Quare, impetrata corona, jam fidens animi, rursus ad implorandas in singulos dies universas ejus cicatrices, hac tamen lege ut omnes homines laterent, suum omne studium adhibuit. Igitur cum annos duodetriginta ageret, anno a Christiano natali septuagesimo septimo supra millesimum quadringentesimum, tertio Nonas Junias, jubente Confessore, domum religiosæ mulieris Margaritæ Seraphinæ *b*, quæ nondum ad Christum convolaverat, accessit. Cum autem supra demissum lectulum sedentes, de affectu Pauli, deque hisce ipsius verbis, cupio dissolvi et esse cum Christo, disquirerent; inter loquendum Osannæ spiritus ad cœlestem aulam egreditur, ibique Christum maximis quibus potest precibus adigit, quo in eam promissas cicatrices jaciat. Spondente eo se quæ optet executurum, rem tamen differente; dulciter ipsa blandisque alloquiis ejus aures demulcens, rogitat, ut eam vulnere saltem lateris donet, quando cetera nequeat impetrare : sed sinistrum feriat latus orat, propterea quod ibi cor sit, non in suo sed in Sponsi positum arbitrio.

et an 1477

b

103 Non pertulit ille vacuis Sponsam abire manibus.

A. FRAN. SILVEST. COÆVO. *vulnus lateris.*

nibus. Cum tres horas importunis precibus institisset, in sinistrum ejus latus fulgentissimum Christus demisit radium, et usqueadeo validum ac peracutum, ut immensum Osannæ dolorem injecerit. Quocirca unius horæ quartam vehementer concitata, insolitum egit corporis motum. Quod cum præfata mulier inspectasset, quid tamen rerum esset non intelligeret; visa post aliquot dies ad Confessorem refert. Ad quam ille : Si rem, inquit, in tuo actam cubiculo scires, illud profecto perinde atque sacrarium coleres : negotium tamen consulto tacitus præteriit. Excitata autem Osanna vehementer erubuit; dixitque ad illam : Tanta me importunitate huc traduxisti. Ecce quid videris, ludum profecto remque nullius momenti spectasti. Domus, in qua hæc contigere, e regione ædium jacet, per quas in Divi Vincentii monasterium patet ingressus : cubiculum vero primum est quod a sinistro latere introeuntibus occurrit.

Deinde Bozareti

104 Læta admodum Osanna impetrato munere, multo majorem universo suo potiundi optato spem concepit : quippe Christum, qui eam vulnere lateris donarat, cetera quoque præbiturum putabat. Quare Bozareti commorata (Frater namque oppidum illud administrabat) cum crebras et importunas preces, pro impetrandis reliquis stigmatibus, longo tempore profudisset; una dierum, quarto scilicet Idus Martias, anno insequenti, ad acceptam lateris plagam, spei plena orationi se dedit : et usqueadeo obstinato animo, ut statueret, numquam se vacuam abituram. Cum igitur longa oratione multisque lacrymis Sponsum pro hac re impetranda fatigasset; ille immenso lumine in Crucifixi modum eam conveniens, hisce verbis affatur. Meane cupis, Sponsa, vulnera? Ardenter, inquit Osanna, et supra quam dici queat. Tum ille; Caveto, inquit, tibi, filia; caveto, inquam. Acerrimum exposcis cruciatum, qui tuam omnem superet virtutem : satius tibi est sic mediocriter afflictam manere, quam aucto dolore concidere. Forte quandoque hujusce te rei pœnitebit. Ad quem Osanna : Nihil, inquit, est, carissime Sponse, quod meis futurum sit humeris impar; si mihi subsidio esse volueris. In te, multis jam emensis annis, spem omnem meam jeci : agito quod pollicitus es. Tum Christus : Postquam id tibi animi est, perdilecta sponsa, ut me meis insigniis consectere; videoque mei ardore tuum pectus conflagrare; agam ut votis tuis potiare. Sed haud vereare : Tu mihi filia, tu mihi sponsa, tu mea admodum dilecta anima es : maximo tibi ad hosce dolores perferendos adjumento ero : dein quanto majori tormento mei gratia fueris afflictata, tanto præstantiori te cœlesti in sede locabo.

ardenter expetens reliqua vulnera,

eadem excipit, sed occulta pro voto,

105 Tunc de suis cicatricibus ardentes radios, in Virginis manus atque pedes, veluti acutissima intorquens spicula; abstrusa, ut poposcerat, inflixit vulnera. Quorum inexplicabili dolore ad solum prolapsa, adusque cœlum tollebat voces, tametsi vix respirabat. Post hæc aliquamdiu semianimis jacuit. Horum stigmatum dolor nulla intermissione Virginem excruciabat : Mercurii tamen et Veneris die majorem in modum excrescebat At ea hebdomada, quam Sanctam appellamus, usqueadeo invalescebat : ut omnes ejus vires pessumdaret. Longe majorem cruciatum ceteris pedum vulnera incutiebant : ibi namque tantum caro tumescebat, ut prominere infixos clavos arbitrarere. Ceterum, quamquam atroces, ac prope importabiles, et continuos quidem dolores subibat; tanto tamen magis exultabat animus, quanto corpus majori affligebatur pœna. Illa plagarum loca hebdomada sancta rubeo quandoque suffundebantur colore, quasi quodam ibi succutaneo sanguine existente : id quod plerique domesticorum ipsa inscia adverterunt. Latebant præterea hæc stigmata universos, sibi autem manifesta et aperta erant, tamquam subtili et perspicuo velo contecta. Fuit autem Osannæ cor Christi amore usqueadeo incensum, ut noctes et dies illum amaret, illum desideraret, de illo cogitaret, illum somniaret, illum expeteret, in eo se oblectaret, tota denique secum esset. Quandocumque dulcissima illa Christi verba, sua offerentis stigmata, memoriæ occurrebant; vix poterat animus præ dulcedine intra corpus detineri.

sed valde dolorifica.

CAPUT II.

De dolore cordis aliisque similibus a Christo gratiis Virgini factis.

Cor Osannæ Christus ingreditur,

Ardenti Osannæ desiderio nondum factum fuerat satis; quando non sola Sponsi insignia, sed ipsum quoque Sponsum intra præcordia gestare cuperet : sicuti enim suum illi animum et cor impertiverat, ita volebat sibi eum intimum esse. Christum igitur optimum maximum, post accepta stigmata, importune rogat; suum cor, jam flagrantibus flammis æquandum, subeat : quo continua illius consuetudine fruatur, nulliusque rei, sui excepto, amore teneatur : neque enim inquit : posse se eo non habito vitam vivere. Non fuere vanæ Osannæ preces : quippe cum captato Sacramento idem impensius precatur; in modum Crucifixi Christus cor penetrat, pollicitus se numquam inde abcessurum : id quod integerrima fide servavit. Experimento sane probabat, sibi quandoque cor dilaceratum iri, perinde atque illud quispiam intro inclusus distendens, brachia in diversum traheret : nonnumquam vero usqueadeo premebatur, ut efflatura animam videretur : sed id summæ sibi voluptati accedebat.

eique communicat dolores sui cordis

107 Exinde semper animo versabat, quo studio Sponsum potis esset æquis doloribus consectari. Arbitrata autem acerrimo eum dolore cordis fuisse in cruce compressum, ne quidquam sibi ad eum consectandum desit, eumdem sibi dolorem impertiri supplex precatur. illius preces audiens Sponsus (neque enim sibi quidquam poterat denegare) cum ad eam digressam sensibus venisset, acutissimo cor ejus clavo confodit : cujus plagæ atrocitate usqueadeo debilitata est, ut exanimis prope deciderit. At cum intolerabilis dolor videretur, idcircoque, an esset ab Christo, fluctuaret ambigua, sic ipsum alloquitur : Compertum profecto mihi est, dulcissime Sponse, meis haudquaquam viribus obsisti posse, quin acerrimo huic succumbam tormento. Si ex te est, æquissimo animo perferam; totque tibi habebo gratias, quot imbecillis animus meus admittere potest : id tamen abs te posco, ut pares mihi præbeas vires.

quamvis intolerabiles,

atque robur promittit;

108 Ad quam de cœlo veniens Christus; Tanta, inquit, importunitate, anime mi, hunc ab me dolorem flagitasti, ut nequiverim tua desideria non implere. Non te illius absterreat magnitudo : tantum tibi roboris tribuam, quantum ad eum tolerandum sufficere possit. Exinde dolor is continue auctus, tantum eam cruciabat, ut uno eodemque die ob summam atrocitatem prope mortem oppeteret. Vidi ego sæpenumero, loquentem tanta anxietate premi, ut lingua palato deficeret. Hujusce doloris immensitas efficiebat, ut sinistrum continue tumeret latus, nulloque posset medicamento detumescere : quippe infixus cordi clavus dorsum usque prominebat. Hanc ob rem nihil vestium deferre poterat, quod cordis locum premeret. At, ne medici, quid rei illud esset, deprehenderent; fomenta cordi adhiberent; permittebat. Eadem quoque de causa tolerabat, ut turgidum latus cognata inungeret. Sed eos hanc rem celare haud poterat : quando universa remedia vana esse perspicerent.

eadem ipsum sibi scindi sentit,

109 Gravissima quapiam febre detenta, qua plerique humanis eam egressuram rebus opinabantur, sub noctem unam ad cœleste palatium animum extulit, ibique adusque diluculum rapta mansit : ad sensus autem reversa in effusum adeo erupit risum, ut non parvam inspectantibus futuræ mortis suspicionem præberet. Tantæ hilaritati fine imposito, maximus eam dolor aggreditur, ut sæpius exanimata pæne perstaret. Nullum offendebat locum, qui sibi quietem afferret : quin continue se jactans atque volutans lamentabatur, ita ut universos ad pietatem exciret. Hujusce rei causam cum ipsam interrogassem ; dixit, visum sibi quempiamper acutum ensem suavitate maxima cor scidisse, idque sibi immoderatum illum injecisse, risum. Subinde vero cum priori reddi integritati occepisset, usqueadeo fuisse pressum et vulneratum, ut majorem numquam dolorem persenserit. Præter intensum illum dolorem, acutissima quoque eam febris post risum vehementissime contorsit.

accipit plenariam a Christo Indulgentiam,

110 Lacrymabatur Osanna apud Sponsum, quod innumera flagitia perpetrasset, nullaque efficeret opera quibus veniam mereretur : unde ab eo per suam pietatem culpæ indulgentiam precabatur. Cum autem summa id ope precata esset, visus est illi Sponsus, inquiens, se illi culpam omnem omnemque injuriam remisisse, insuper cœlesti eam insignisse gratia. Istud potissimum sese memoriæ offert. Cum uno Parasceves die Christum affixum cruci immotis oculis inspectat, graves ad eum suorum scelerum querelas defert, suamque imprimis ingratitudinem accusat. Tum ille, blandis verbis serenaque respondens facie ; Bono, inquit, dilecta sponsa, animo esto : te jamdiu desideratæ restituo innocentiæ, omnemque tuam in me culpam deleo, et universam indulgeo pœnam : posthac illam benedixit. Fuit autem tanta benedictionis illius vis, ut plerosque dies nihil excepto Sponso cogitarit. Plerumque peccatorum omnium Indulgentia, certa visitantibus loca per Pontifices Maximos collata, cum eo loci difficilis sibi ac prope impossibilis aditus esset, illam tamen Indulgentiam summopere affectaret, ad orationem, suum omnibus in rebus profugium, concedebat : ibique maxime suam calamitatem deplorabat, quod inquam ipsi, plurimum veniæ indulgentiæque indigæ, esset illo eundi, ubi tale munus nancisceretur, detracta facultas. Hoc pacto querenti, seque defluentibus lacrymis crucianti, sese offerebat Christus : eamque solabatur, inquiens, omnem sibi Indulgentiam impertiri, quibus hujuscemodi loca visitantes Pontifex donarat.

sanguinem lateris sacri ; olatur,

111 Maximo semel ardentique desiderio, eo inquam quod nullo studio restinguere poterat, apertum Christi latus exosculari, ejusque inebriari sanguine concupiebat : idque erat quartodecimo ætatis anno. Quare cum orationi vacans, id muneris sibi dono dari æstuantius postulasset ; propere ad eam Sponsus advenit : reserato inquam latere, de quo sanguinis unda manabat ; jubetque eam labia optato lateri admovere. Præbente illa impigre aures imperanti, dulcorem usqueadeo suavem plenis faucibus hausit, ut præ nimio nectare pæne crepuerit. Exinde Christi sanguis illius menti adeo infixus mansit, eamque tanto affecit ardore, quod si spectante ea de quovis sanguine sermo incidebat, immensa cor actitatum flamma insiliret, resiliretque, perinde atque corpore egredi satageret. Non solum autem sanguinem ex illo latere hausit, verum etiam insigne sui odium, extremumque suorum operum neglectum : summo enim acta suorum criminum dolore nullum offendebat cruciatum qui suo desiderio satis esset, voluisset quoque maximæ peccatricis nomine appellari.

A FRAN. SILVEST. COÆVO. ægra cum esset Communione caritura

112 Cum graviter ægra lectoque decumbens Sacerdotem exquirere fuisset immemor, qui sibi insequenti die Christi corpus traderet ; universam noctem id graviter indoluit, suamque negligentiam deploravit : sub diluculum autem egressa sensibus, adusque solis occasum, cœlestia perlustravit regna. Perducta ad locum eximia claritate conspicuum, ubi non terra, non aqua, non aer deprehendebatur ; altare ingeniosissimo extructum opere, auro, argento, gemmis, variisque coloribus, fulgoris instar perlucidum offendit. Tum videt ministros rem divinam facturos accedere. Erat Pontificali indutus chlamyde Petrus Apostolus : Laurentius, Diaconum ; Clemens vero Martyr, Subdiaconum agebat. Cum Missam inceptassent ; perdulces Angelorum voces cœlum suavi quapiam complebant harmonia, supremamque felicitatem præseferebant, quando jubilo universa resonarent. Dum hisce dulcibus concentibus Angeli intendunt, Christus ad Sponsæ latus, non mediocri ejus voluptate, perstat. Confecto Sacrificio, Osannam Christus interrogat, num sacrum suum Corpus sibi tradi optet. Petit illa veniam commissæ negligentiæ, respondetque nullam sibi rem gratiorem effici posse. Tum Pontifici imperat Christus, quo Sponsæ voto faciat satis. Paret ille imperanti, sacrumque ejus Corpus Virgini tradit. At cum captata Eucharistia sibi inde abscedendum videt ; quod Subdiacono nomen sit (nam quis esset ignorabat) Sponsum interrogat. Respondet is, Clementem Martyrem esse. Demum ab Sponso benedicta, ad proprios redit lares, tresque menses lætissimam vitam vixit.

videt coram se sacrificantem S. Petrum,

atque ex manibus ejus communicat:

alias simili occasione

113 Adhæc in Divi Thomæ Apostoli solennitate, ad eam ægrotantem Sacerdos quispiam, illi daturus Eucharistiam, accessit. At cum sacrare pro illa Hostiam oblivioni tradidisset ; postquam id rescivit Osanna, dolens desiderato se Sponso privatam iri, majorem in modum animo consternata, lacrymulas ex oculis demittit. Interrogat autem Sacerdos, num tristis ob hanc rem maneat : At illa ; Non sum, inquit, Pater, tanto digna Sacramento. Universis autem ejus cubiculo abeuntibus, Christus eam consolaturus sese offert ; pacatoque et tranquillo animo esse jubet, quando sacro suo Corpore haud destituenda sit. Tum illa præ gaudio oculos tollens, ignotum quempiam Flaminem sibi obviam prodeuntem, duosque Angelos candidos et accensos cereos deferentes inspectat. Quibus cum reverenter admodum assurrexisset ; eum qui sibi Sacramentum traditurus advenerat conspicata, genua demittit : sacramque assumit Eucharistiam : tum cœleste Flamen repente sese ex ejus oculis proripuit. Semel quoque in Divi Dominici templo communicatura, cum ante opportunum Communionis tempus sensibus esset egressa ; ab Angelo sacram et desideratam accepit Hostiam : mansitque complures dies divinis rebus admodum intenta.

pari beneficio fruitur.

CAPUT III.

Favores alii divinitus concessi Virgini.

Signis Virgini molestus dæmon

Humanæ hostia naturæ (uti antiquus sibi mos est, virtutem omnem, quantum sibi virium suppetit et labefactare et funditus evertere) ita Osannæ admodum invidebat ; quod ea esset rerum ab ipsa gestarum gloria, ut omnibus admirationi esset. Quare eam tres potissimum annos, præsertim sub mediam noctem ad contemplandas divinas res exurgentem, molestus affecit. Erat autem sibi paulo infestior, quandocumque suis quempiam adhortationibus (id quod sibi usitatum erat) ad Religionem excibat. Per vestes eam importune trahebat, Æthiopis speciem præseferens, qui omnifariam flammas emittebat. Illius quandoque mordebat carnes, eamque videbatur velle dentibus lacerare. Sæpe etiam eximia corporis

sub varia figura,

A. FRAN SILVEST. COÆVO.

ris magnitudine, solum inquam pedibus, testudinem vero capite contingens, aspectu intolerabili apparebat; eamque magnis absterrere clamoribus enitebatur. Tantis quandoque plagis confecit, ut ad mortem prope deturbarit. Nulla tamen arte eam potuit a suo unquam proposito dimovere, quando illum divino innixa præsidio nihili æstimaret. Unde intuitus ille suos insultus parvipendi, eosque adversus Virginem nihil habere virium; plenus iræ et minarum, ad tartarea redibat loca.

cum etiam Æthiopem induisset,

115 Semel tamen longe aliter quam sibi persuaserat evenit: quippe assumpta Æthiopis specie, sexdecim annos nati, invicti sane roboris (qui crispis et incompositis capillis, id quod erat dæmonem effingebat in ejus magno impetu erumpit cellam, conaturque in ejus animum inducere, non esse ei cœlitus præmonstrata, neque in omnium Conditorem referenda, quæ sua in mente, dum esset sensibus egressa, factitabantur. Haud profecto, inquit, rectum et consentaneum puta, ut Deus præclara hæc munera femellis impertiatur: cui imbecille feminarum ingenium apertum satis superque sit. Admonet præterea, debere eam sibi ipsi consulere; cavereque, ne tartarea supplicia, hisce elata illusionibus, luat: esse enim istæc talia, quæ sapientissimum hominem valeant a ratione abducere: se ad hæc dicenda nulla alia ratione, quam magna in eam adductum pietate, sibi tamen ipsa providerit. Ceterum integerrima Osanna, divino fidens patrocinio; An putas, inquit, me usqueadeo dementem et insanam esse, ut tuas haud intelligam technas tuaque commenta? Qui pietatem simulas, omnium impientissime? Ignoras ab meo dictum Sponso, et mendacem te et mendacii patrem? Certo certius scio, hisce me beneficiis quæ tu impugnas ab Deo maximo donatam esse; non quod ipse ea meis meritis paria arbitretur, sed quo tuam superbiam tuamque elationem contundat. Itaque abi in malam crucem. Responsa hæc ferre non potuit dæmon: sed ira percitus in eam pugnis insiliens verberare totis viribus satagebat. At illa in eum manus injiciens reluctantem demisit ad solum: pedibusque calcavit. Quare admodum confusus, ejus jussu ex ædibus proruit: deincepsque eam manifesto aggredi minime est ausus.

suspectos ei divinos favores redditurus,

humili ejus responso fugatur

An. æt. 18 sub specie senis ad eam accedens Christus

116 Cum duodeviginti annos nata, uno die familiari curæ esset implicata; senex quispiam, venerando aspectu oculisque flammantibus, domus fores propulsat, Dominam allocuturus. Ad quem cum respondet ancillula, is opus esse sibi Domina ejus conventa extemplo, ait, illa actutum ad Osannam senis votum refert. At cum sua exercitia levi nollet de causa interpellari, ancillulam remittit, quæ senis ad ipsam sermones extorqueat. Is necessaria quæpiam et maximi momenti secreta se ei narraturum autumat, quæ nullius sint fidei committenda. Hoc cum intelligit Osanna, interciso opere, citato gressu percurrit ad senem. Quem cum divini cujuspiam aspectus intuetur, quid al se velit, magna reverentia et verecundia exquirit. Pauca ille elocutus, quæ Osannæ postea memoria deciderunt, sese de ejus conspectu proripuit. Ea verba tantum sibi cœlestium rerum ardorem incussere, ut nulli rei familiari animum adhibere posset. Totam insequentem noctem, modo hunc, modo illum ad Christi amorem adhortabatur, videbaturque insanire. Christi sanguinem ardebat, omnisque sua cogitatio illi intenta erat. Restitit quoque in ejus corde summus ad Christum amor, tantaque ad pauperes caritas, ut cum eorum quempiam videret, tamquam Christum veneraretur. Oranti autem significavit Christus, se illum fuisse, qui senem agens, eam de ostio fuerat allocutus.

suo alloquio vehementer inflammat:

117 Post multum temporis cum ad arcem Principis, ab ejus e uxore accita, graderetur; pulcherrimum quemdam senem obvium habuit; qui sibi prætereunti arridens, magnaque reverentia inclinans, nullum locutus est verbum. Tum illi versa vice, serenam agens faciem, capite annuit, quod ipsum esse Christum cœlitus inspirata noscebat. Erat autem usqueadeo divinus ejus aspectus, ut ancilla quoque eo inspectato in maximam suspicionem veniret, eum fore Christum. Simili modo per viam gradienti tertio occurrit, eaque salutata disparuit. Quandocumque sibi hoc more sese obviam obtulit Christus, eviden sfuit [amittendi alicujus] necessarii signum: nam simul ac ipsum vidit, moriturum consanguineum, cœlesti illustrata lumine, intellexit: id quod eventus probavit. Quædam namque consanguinea in primis, tum duo ejus fratres hac luce migrarunt. Istæc autem hisce diebus, uno inquam die Sancto Veneris, tum in Joannis Baptistæ Evangelistæque Joannis solennitatibus contigere.

e eumdemque ipsa postea obvium habet secundo,

ac tertio

118 Illo die qui Protomartyri Stephano dicatus est, in suo cubiculo caritate flagrans sese conclusit. Tum ante cujuspiam Crucifixi ligneam imaginem stans, divinam demirabatur clementiam, quæ maxima eam priori die dulcedine summaque voluptate affecerat. Deinde genua flectens, immotisque illam ipsam imaginem oculis inspectans, Christum alloquitur: Immensas tibi, clementissime Sponse, gratias ago, tametsi beneficiis tuis longe impares sunt, quod tanta mecum humanitate sis usus. En continuis ego peccatis involvor, in teque vipereas in singulos dies sagittas intorqueo: tu tamen ampla manu cumulatissimas in me opes congeris. Quid, inquam, in me boni operis conspicaris, quo te mihi munificentissimum præstes? Est profecto ineffabilis tua pietas: quando in eam quæ te injuriis lacessit munificentia utare. Tum Christi imago: In te inquit, Osanna, rem mihi quamgratissimam reperi: veram ne eam exquiras; sat tibi sit intelligere, te mihi carissimam esse. His dictis fuere in crucis modum Virginis brachia ab quopiam (nescivit a quo, distenta: repenteque ad cœlestes choros spiritus evolavit. Longo deinde temporis interstitio ad corporeos regressa sensus, ne flectere quidem brachia poterat, quod perinde atque ferrea moles riguissent: unde aliquamdiu immota perstitit, antequam in suum membra traheret arbitrium

Coram Crucifixo genuflexa,

veniamque delictorum precata

119 Majus quiddam insequenti die contigit. Nam, cum præfatum ligneum Crucifixum manu tenens, immenso affectu incredibilique ardore exoscularetur; in uberrimas erupit lacrymas; multumque lacrymans Sponsum precabatur. Ad quam imago: Haud vereare, inquit, perdilecta Sponsa: quippe universa, quæ postulas, arbitratu adimplebo tuo. Tum cruce desiliens eam amplexatur, tantoque affectu perstringit collum, ut parum abfuerit, quin præ dulcedine atque immoderato ardore crepuerit Osanna. Crucifixum hunc Isabella Estensis, Mantuæ clarissima Princeps, in arcis oratorio egregio locavit.

ejusdem amplexu stringitur

120 Erat Osanna (ut superius præfati sumus) divinis rebus admodum intenta, atque sacrum potissimum Christi corpus summa (ut par est) veneratione prosequebatur: quo fiebat, ut, cum Missæ adesset, Christique corpus ab populo adorandum Sacerdos tolleret; in ipsum oculos, mentem, animum, cogitationem figeret. Accidit quandoque ut diligentius in Hostiam inspectanti, sese illi Christus in ea, instar infantis eximio septi lumine, inspectandum præberet: sæpe etiam proceræ staturæ crucique affixus apparebat. Præter hæc, Sacerdote rem divinam agente, visus est sibi, Matre consociante, magno septus Angelorum comitatu, qui aræ circumstantes suavissimis vocibus concinebant. Ceterum

In sacramento Christum intuita

terum præclarum istud est et admiratione dignum. Efferente sacram Hostiam Sacerdote, Christum sub iis latitantem formis, pro puella, extremum diem medicorum sententia agente, precatur Osanna. Tum de Hostia sensilis hæc vox ad ejus aures pervenit : Haud morietur puella hæc, pro qua rogas. Postquam vero desideratam Eucharistiam suscepit, similis ad eam vox defertur. Quamobrem templo digressa, e vestigio visitatum puellam accessit. Ingredienti autem domum occurrunt domestici, cum lacrymis nuntiantes, illam extremum spiritum trahere. At illa, lacrymantes miserata; Haud timeatis, inquit : spero ego puellam hanc plerosque nobiscum mansuram dies. Successit ut dixerat : permutata namque sorte, præter omnium spem brevi convaluit.

vitam impetrat moribundæ.

121 Sub unam noctem, in eodem cum nepte, quæ illius curæ inserviebat cubans lecto, ad eam alacer subridensque Osanna, Oh, inquit, si conspicarere quæ ego. At illa : Quid est, inquit, amita, quod tuos ante oculos versatur. Hominem inquit cerno hoc nostro in cubiculo inambulantem, id quod mihi magno et immenso accedit gaudio. Exquirente illa, num hominem erubesceret, quando nox atra redderet universa, omnibusque summotis arbitris lecto jacerent. Numquid, ait, tu patrem verecundarere? Verecundarer, inquit, si præsertim ipsum esse patrem compertum mihi non esset [ad hoc illa]; Tu autem hominem hoc ingressum cubiculum agnoscis? Novi, inquit, et quis sit certo scio. Tum illa : Quid si dæmon esset, qui te deceptum huc introisset? Tantum, inquit, hujusce hominis notitiam gero, tam diuque de ipso periculum egi, ut cum primum in meum thalamum pedes intulerit mihi manifestus sit. Putavit neptis, priori adducta colloquio, Christum fore.

Illum in cubiculo suo ambulantem videt,

122 Cum Carbonarolæ, pro more civium qui æstus tempore rura incolunt, cum fratribus moraretur; humilitatis operibus delectata, universa extremæ servitutis exercitia volebat invitis omnibus efficere. Unde ad Padi ripam sæpenumero, reportatura suis humeris aquam, accedebat. At cum debilis admodum parvique roboris esset, propterea quod extrema inedia corpus affligeret, frequentique et diuturno raptu potiretur ; aquaria vasa, præ nimio et suis viribus impari pondere, imponere humeris haudquaquam poterat : attentabat tamen enitebaturque superior evadere. Aliquamdiu autem defatigata, cum divinum imploraret auxilium; cœlestis spiritus illi opem allaturus accedebat : a quo adjumento captato, sibi bajulandum vas summa facilitate imponebat. Sæpius quoque cum implesset aqualia, mox spiritus qui sibi opem afferret præsto erat. Hanc rem deprehendere etiam domestici et familiares, quando viderent illam ponderosa apprime vasa supra humeros ferre, quæ invictissimi roboris mulier humo tollere nequisset, voluerunt nonnumquam sibi subsidium afferre : sed ipsa omnium operam detrectabat.

aquam bajulans juvatur ab Angelo.

123 Eam agens ætatem, qua ceteri nondum spiritualia capiunt movimenta, usqueadeo divinis rebus animum intenderat, ut quidquid rerum gereret, Christum semper alloqueretur, mente inquio et cogitatione : sed et Christo familiariter adeo [utebatur] ut suis omnibus optatibus præsto esset. Igitur ruri cum matre ea tempestate morata, cum die quadam domesticæ mulieres ad quampiam ecclesiam, mille et quingentis passibus ab sua domo distantem, accedere vellent; puellam Osannam comitem assumunt. Inter eundum autem, admotus lateri Christus : eam comitabatur, quicum dulcia agens et secreta colloquia (erat enim ab aliis paululum segregata) terram pedibus haud contingebat, sed paulum elevata per aera incessit.

Christum ad ecclesiam comitem habet, ad humo elevatur,

124 Languentes quosdam gubernandos susceperat : quibus curandis omnem adhibens diligentiam, nihil prætermittebat quod eis fore utile putaret. At cum uno die ab eorum cubiculo abesset, sibique memoriæ occurreret quippiam circa ægrotantes agendum ; dolebat admodum, querebaturque quod opportuno tempore adesse nequiret. Tum statim ab cœlesti spiritu, nemine inspectante, ad eos quam celerrime deducitur; illisque opem quam optabat tulit. Simile quiddam alio contigit die : nam cum vas aquæ ad popinam ferre vellet, essetque illud suo impar robori, annitebatur quibus omnibus poterat modis suas vires superare. At cum id frustra sæpius egisset, essetque admodum dubia quid amplius rerum ad suum explendum desiderium gereret ; cœlestis eam spiritus cum aquali, ad eum quem affectabat locum, deportavit.

A. FRANC. SILVEST. COÆVO momento defertur quo opus erat.

ANNOTATA AD LIB. III.

a *Erant ad* S. Vincentii, *ab anno circiter* 1254, *Monachæ Dominicanæ; quarum disciplinam sub an.* 1436 *insigniter restaurari curaverat Joannis Francisci, Marchionis I uxor, Paula Malatesta : de quibus vide Hippolytum Parte* 1 *pag.* 290 *et* 376.

b *Imo nec conditum quidem adhuc erat* monasterium Annuntiatæ, *in quo, Religiosam futuram, prius quam conderetur, Osanna prædixit, ut infra dicitur num.* 185. *Ex* 2 *Vita num.* 160 *constat, non solum conscium ipsum postea factam ejus quæ hic narratur gratiæ, sed etiam de ea scripsisse aliquid : quod utinam servatum fuisset.*

c Bigarelum fuit alias oppidum haud ignobile nunc vero est oppidulum semirutum injuria temporum bellorumque, sive potius est pagus distans a civitate intervallo octo circiter milliarium Italicorum, et confinis agro Veronensi. *Ita prælaudatus Ludovicus Pagellus.*

d *Ergo Feria* 5 *post Dominicam Passionis, nam Pascha anni* 1478 *celebratum fuit* 22 *Martii litt. Domin.* D.

e Margarita *hæc fuerit, siquidem agebatur annus* 1467.

LIBER IV

Beneficia hominibus Osanna deprecante impetrata perstringens.

Quemadmodum naturalibus et corruptibilibus rebus certas determinatasque earum omnium auctor causas adhibuit, hominemque ab homine, ab leone leonem, ab oliva olivam, ceteraque id genus ab sibi similibus aut suæ propinquis naturæ prodire jussit; ita pleraque ea se lege facturum proposuit, ut ea ab se precibus exquirantur. Nullus enim est qui neget, nisi veræ philosophiæ ignarus sit, posse universa Deum per se condere, nullamque aliam in efficiendis rebus productivam causam admittere. Creatas tamen res, ad hæc agenda corruptibilia, sibi ministras asciscit : quo non sua tantum consistentia, verum etiam opere et industria divinam assimilent naturam. Ita singula impertiri beneficia, nullo adhibito internuntio et precatore, in suo positum est arbitrio : quædam tamen sancivit, se adactum precibus exitu præstiturum ; quo mortalibus compertum sit, esse plurimum auctoritatis assecutos, qui suas leges coluerint seque illi sincero devoverint animo. Multum, enim, sacræ inquiunt Litteræ, valet deprecatio justi assidua. Quot quantaque Moyses suis precibus impetravit? Nonne divinam plerumque iram ab Judæorum humeris depulit? Nonne de durissima petra eduxit aquam? Nonne mare

Deus ad miracula facienda

Sanctorum precibus moveri dignatus

Jac 5, 16

A. FRAN. SILVEST. CO.EVO.

mare transeuntibus Judæis siccum et vadosum præbuit? Quid Josue? Potuit inquam suis precibus præcipitem solis cursum prohibere, quoad de hostibus victoriam reportaret.

126 Christianæ quoque Reipublicæ fundatores innumera impetrarunt, quæ enumerare otiosissimum esset. Quantum denique apud Deum Opt. Max. Osannæ Virginis preces valuerint, universa Mantua novit: nemo enim erat qui eam sibi suis in rebus precatricem non adhiberet, composque voti ea intercedente non evaderet. Sed et ex his, quæ hoc quarto conscripsimus libro, clarius liquere poterit: quippe cum Deo gratissima esset, ut superiori explanavimus libro; tantum gratiæ tantumque auctoritatis nacta erat, ut universa prope sibi impetratu facillima essent. Huic rei eximiam et præclaram fidem affert, quod plerumque cœlitus admonita jussaque sit pro Italia proque universo orbe supplicare. Tantum efficaciæ suis precibus Deus contulerat, ut quædam nullo se pacto, nisi intercedente Osanna, facturum ostenderit. Sed hæc inferius latius explicabuntur: quare sanctitudinem ejus, præter cetera eximia et præclara opera, orationum vis, quæ plurimum apud summum Imperatorem poterat, apertissime manifestat.

multa hominibus concessit exorante Osanna.

CAPUT I.

Pro avertendis Italiæ patriæque civitatis calamitatibus Christi monitu efficaciter orat.

Nihil erat quod Osannæ animum oratione magis recrearet. Quidquid otii captare poterat, id omne orationi dabat; præter paulum temporis, quod legendis sacris libris spiritualia excerptura monumenta impendebat. Erat autem sibi consuetudo, quandocumque precibus operam impendebat, pro se primum precari Deum, ut eam fragili solutam corpore suæ ascisceret felicitati; tum pro universo orbe, proque Italia multoque accuratius pro Mantua; deinde pro iis qui suam imploraverant opem, precatricis officio diligentissime fungebatur. Tanta autem importunitate se agebat, ut quasi per vim ab Deo quandoque postulata extorqueret. Sæpius, cum primum suas preces obtulerat, quidquid sibi in animo erat exorabat: quandoque vero plerosque elaborabat dies, antequam suis potiretur votis. Tunc nihil ad divinam pietatem impetrandam relinquebat intactum; continuabat preces; sese cruciatibus affligebat, aliorumque implorabat opem, quoad voti compos evaderet. Tres quandoque menses continuos pro re quapiam impetranda preces egit, videbaturque Deus nolle eas ullo audire modo: sed tantem in ejus sententiam lubens cessit. Ad eam semel accessit mulier, quæ illi familiaris admodum erat; offenditque solam ad ignem sedentem, asperrimis præcinctam catenis, quæ illam usqueadeo cruciabant, ut vix sese tollere sedeque exurgere posset. Cujus rei cum ab ipsa causam exquisisset; id se egisse ait propterea quod Deum rem quamdam nequiverat exorare: velle se extrema quæque, divinam impetratura clementiam, experiri: omnem igitur suam opem, omne studium, omnem industriam precibus adhibebat. Tanta anxietate premebatur, quando ab quopiam impedita, suas exposcentibus preces non poterat ocius afferre opem, ut universa loquentium verba sibi sagittas agerent. Quare sæpenumero quempiam ore allocuta, pro alio mente et cogitatione intercedebat.

Ferventissimis precibus uti solita

idque pro re una ad menses quandoque tres,

additis etiam pœnitentiis,

128 Tanto ardore tantoque conatu orationi animum adhibebat, ut mentem, cogitationem, memoriam, omnesque vires ad id operis colligeret. Cupiebat enim pro summa sua flagrantique caritate, cunctis haud secus atque sibi satisfactum iri. Erat in extraneos homines tanta pietate, ut universa, illis obtemperatura, post humeros jactaret. Accidit itaque semel, ut flagrantissimo animo Mantuæ incolumitatem, salutemque nonnullis privatis civibus rogaret: tanta autem caritate id egit, ut spiritus secum in aera corpus extolleret: nam duobus ferme cubitis aliquantulum temporis humo extitit elatum. Quam rem cum deprehendisset, vehementer admirata, num aliquis eam vidisset circumspexit: noluisset enim ab quoquam id inspectari. Quod cum astare neminem cerneret, summo Creatori quas potuit gratias egit.

quandoque in aerem elevatur;

129 Diem illum quo ab Oriente Hierosolymam adoratum Christum Magos adventasse Christiana religio recolit, divina ope mens Virginis ad cœleste palatium rapta, Christum purissima vallatum luce obvium habuit. Quem cum esset intuita, ad ejus provoluta sanctissimos pedes, lacrymans ab se divinam deprecabatur iram; seipsam criminata, quod vecors admodum et iners extitisset; pro Italiæ salute se peccatricem agere, idque ob exiguam suam fidem longeque minorem caritatem contigisse autumabat. Italiam enim tunc Galli *a* magno impetu devastaverant: sed ejus omnem calamitatem in sua ipsa scelera referebat. At Christo imperante humo erecta, cœpi pro Mantuæ incolumitate (videbatur enim in summo esse discrimine) magna importunitate precari. Tum Christus; Non modo, inquit, carissima filia, Mantuanum populum, verum universam Italiam tuis perferas humeris necesse est: extremis enim Pontificii Imperatoriique Principes me lacessunt injuriis. Excidit eis memoria, me summum esse Regem, posseque arbitratu meo unumquemque regno depellere, captivum agere, extremo quoque afficere supplicio. Ecclesiastici Pontifices, sese intestinis odiis persequuntur, suasque simultates et conflictationes in Christianæ Reipublicæ perniciem convertunt: id quoque gravissimum duco, quod in obscœnis atque impudicis voluptatibus omnis eorum vita recondita sit. Seculares vero Principes, mutuis dissensionibus lætalibusque discordiis universam Italiæ oram labefactarunt, ita ut jam pæne conciderit: itaque exterarum nationem ensem in suum jugulum vertit Italia.

in raptu monetur a Christo orare pro Italia,

ac primo intercedit pro Mantua:

per incursionem Gallorum periclitante

130 Hoc cum audisset Osanna, tristis admodum et exanimata; Ad me, inquit, clementissime Deus, quispiam attulit, inter Christianos Reges de pace agi (id enim vulgo ferebatur qua ex re nostris tandem adversitatibus allatum iri finem arbitramur. Quo ergo pacto necem sibi parat Italia? Nisi ipse Regum animos alio flexeris, jam tutam et tranquillam videmur acturi vitam. At ille, Haud vanus est, inquit, iste rumor pacis: sed infecta res evadet: quippe maximum scito Italiæ imminere periculum. Subjecit Osanna: Qua igitur nostra opera hanc valebimus cladem effugere? Te supplex, per tuam clementiam, perque tuam pietatem oro, quo Te nobiscum mitius geras. Poterunt, inquit ille, frugalium hominum preces malo huic auxilii quidquam afferre. Tu præsertim crebras supplicationes agito, quia tua apud me plurimum valet auctoritas. Exinde pro Italia enixius intercessit.

et propter dissipatam spem pacis

131 Adhæc quo tempore in Italia primum ætate nostra Galli, duce Carolo irruperunt; quinto idus Novembris, cum religiosum quemdam virum de Ordine Prædicatorum alloqueretur Osanna; accidit ut in monasterium haud porro ab Osannæ *b* ædibus distans, ignis irreperet. Quam rem simul ac vicinorum clamoribus et tumultu exterrita intellexit; eo cum ceteris domesticis auxilium præbitura, qua maxima potuit celeritate, concessit. At cum flamma esset ad suprema elata fastigia, conspicata nullam ab

Incendium prope ædes suas ortum extinguit

A ab se corporalem opem incendio afferri posse, advertente nemine discessit : continuoque ad orationem profugiens, hisce precationibus Sponsum rogat : Ah, clementissime Sponse! num tuas vides igni absumptum iri ancillas? Te per eam caritatem, qua humanam semper prosecutus es naturam, rogo, quo illis opem feras. Nihil profecto est exceptis precibus, quod tanto periculo ab me afferri queat : has saltem ne inficias eas, oro. Ah Deus, hunc restingue ignem. Ad hæc usque verba integro sensu fuit : at cum easdem majori replicat ardore, tota in Christum effertur : is enim sibi maxima (ut ejus utar verbis) inextimabili, ineffabili, incomprehensibili claritudine sese offert, eamque affatur. Anime mi, cara atque dilecta filia, ignis hic perexiguus est et parvi momenti, eumque actutum restinguam. Quare ejus gratia non te afflictes : verum jubeo te alterum dolere ignem, precorque ut extinctura eum te laceres et torqueas.

eoque monetur iterum

132 Hisce verbis commota admodum Osanna, lacrymans supplicibus Sponsum rogat palmis, quo hunc sibi futurum ignem explanet. Quis, inquit, iste est ignis, carissime Deus, quem loqueris? Ah Deus meus, care fidelium animarum Sponse, quid rerum B fert hic ignis, quo universus orbis conflagrat? Tum Salvator Christus Jesus; Filia, inquit, mea, ignem illum quem precor ut deleas, meamque pro eo ab mortalium humeris decutiendo Majestatem ores, scito atrocis odii esse ignem, qui inter seculares et religiosos viros serpit : is autem qui me vehementer majorem in modum lacessit, fœtidæ lasciviæ ignis est, quo et seculares et sacri Principes insaniunt : effrænata enim omnes aguntur libidine, tantaque licentia, ut continentia omnis post humeros jactata sit : quibus maxime criminibus ingentes universa Italia tumultus atque miserrimam cladem persentiat necesse est. Tua itaque filia mea, anime mi, intererit ardentes crebrasque pro universo orbe, et imprimis pro Italia, supplicationes agere, quo in eam divini numinis fulmen haud quaquam desæviat. Istæc gravissime apud Osannam questus est, sæpiusque eam pro rationali creatura, pretioso suo redempta sanguine, intercedere jussit. Prædixit quoque brevi pleraque adversa futura : id quod rei probavit eventus. Universa namque Italia in discrimine fuit, nullusque Principum extitit qui ab clade immunis evaserit.

pro nocentiori igne extinguendo laborare

133 Conterrita Osanna animoque prorsus consternata, cum ad sensus regressa esset, suas omnes C vires adhibuit, quo imminentem Dei maximi furorem ab Italiæ cervice arceret. Dicebat autem nullius cor adeo durum, adeo ferreum, adeo saxeum, adeo adamanti simile esse, quod hisce ab divino ore querimoniis auditis non emolliretur. Perstitit autem ipsa maxime afflicta, tum divina præsentia destituta, tum querimonias Dei cogitatione volutans, tum denique injurias plurimi faciens, quas in divinam jaci Majestatem intellexerat. Quare inter gaudium et tristitiam, interque spem atque metum vivebat anxia; eratque jucundo simul et tristi corde. Erat in patriam singulari amore insignique pietate, quoniam se illi debere plurimum putabat quæ eam genuisset, aleret, enutriret : quo circa inter primas preces Mantuam locabat. Orasset profecto numquam, quin Deo patriam accuratissime commendasset. Quandocumque mali quippiam illi imminere deprehendebat, aut aliorum narratione comperiebat, non modo orationibus instabat (id quod sibi usitatissimum erat) verum diris se cruciatibus contorquebat, quoad patriam periculo liberasset aut saltem mitiorem reddidisset plagam. Principes quoque suos summa benevolentia et caritate complectebatur, pro eorumque incolumitate atque felici statu continuas agebat preces, sæpiusque se ad sanguinem verberabat. In pleraque profecto discrimina incidissent, nisi sibi D adjumento fuisset Osanna.

quod ad sensus reversa instanter facit

pro civitate sua imprimis solicita

134 Vidit namque sæpenumero iratum Deum, et vehementer quidem iratum extremaque illis mala minitantem : sed ipsa tanta importunitate institit, ut invitum pæne ad pietatem clementiamque exciverit. Fuit sibi quandoque significatum, innumera peccata, et ea quidem nefandissima, Mantuæ summa licentia perpetrari; eaque ratione se homines gerere, quasi Deum nihili æstimarent. Hac re tanto affecta dolore est, ut nihil unquam amarius senserit : sciebat enim quanta difficultate divinam plerumque iram temperasset : quare admodum verebatur, ne vanæ tandem suæ preces evaderent. Patriam tamen miserata, ad orationem profugit, tentatura num illi posset misericordiam implorare. Rogat itaque Deum maximum, quo fragilem patienter ferat naturam; utaturque in Mantuam pietate, quamvis gravissima patraverit scelera : futurum enim inquit, ut quandoque resipiscat, atque pœnitentia ducta sua in Deum lumina convertat. Quod si solvenda pœna sit, in se unam desæviat, ab eaque eorum omnium scelerum ultionem exigat, præsertim cum sua causa istæc E eveniant mala : se enim paratam esse quæ martyrio cervicem submittat, horrendumque damnatorum perferat cruciatum, dummodo patriæ impune sit. Id autem tanto affectu tantoque ardore precata est, ut vitalis spiritus inclusus cordi prope perierit : unde cum ad eam hac de causa ægram medici adventassent, exilesque admodum et imminutos spiritus offendissent, non vacabat eorum sententia suspicione mortis. Plerosque dies tristis admodum fuit; visaque est sæpe, eliquescente præ angustia corde, animam efflatura.

Franc. Silvest. coævo, cui sæpe viderat intentata flagella

seque ad ea luenda offert.

135 Venit tandem affectatus ab ea Purificationis Mariæ dies : tunc ad orationem animum intendens, Rempublicam Mantuanam servari incolumem postulat. Oranti visa est Maria Virgo, magno comitatu Virginum septa, et magno splendore coruscans : inter ceteras erant sibi Maria Magdalena, Catharina Senensis, Beataque Columba comites. Quæ cum ad eam ardentes pro Mantua preces tulisset, illa placido ac benigno affectu Osannam intuita. Haud timeas, inquit, filia, neque te afflictes : agam ego ut tuis votis potiare. Interea loci advenit Christus, angelorum cœlestiumque civium multitudine vallatus, eamque inter se et matrem mediam locat. Tum illa easdem preces fundens, Mantuæ salutem precatur. Tunc, Statueram, inquit Christus, crudeli Mantuam afficere plaga : tantis enim me probris, tantisque criminibus fatigat, ut me ad extremam ultionem F impellat. Tui tamen gratia, quod te afflictatam nimis et exanimatam videam, furorem hunc reprimam : sed sibi caveat, ne tandem lacessitus tarditatem supplicii gravitate compensem. Egit illi Osanna gratias, paulumque recreata quietior mansit. Eo præterea die qui Petro et Paulo dicatus est, cum se lacrymis et singultibus orationi dedisset; atque pro Mantuæ incolumitate, quæ ruinam minitari videbatur, ardenti caritate instaret; eam alloquitur Christus; non esse, inquiens, inter mortales fidem, non esse sui timorem, non esse pietatem : et quod gravius est, nefandum illud scelus, propter quod Sodomorum civitates igni absumpserat, in immensum esse auctum.

Videt Deiparam cum SS. Magdalena, Catharina, Columba

adjuvantem sensit preces,

136 Quod cum audisset Osanna, ad ejus prolapsa pedes, rogat, ne Mantuam ob sua aliorumque flagitia perditum eat : subinfertque : Cur, optime Deus, sic me hac in urbe locasti, ut me firmissimum sibi propugnaculum putet? Parce mei gratia : parce, inquam, fragili populo. Si quid est quod ab ipso extorquere operæ pretium sit, ab me exposcito : quando ego malorum omnium mea ingratitudine causa

nec frustra

A FRAN SILVEST. COÆVO.

A causa sim. Recepit ille pias Osannæ preces, jussitque eam continue pro patria precari, si eam salvam et incolumem cuperet. Ea tempestate ipa domus universæque domesticæ familiæ administrationem gerebat, sæpius in D. Dominici æde longiorem rapta trahebat moram. Quare cum vereretur, ne tarditatem illam ægro fratres animo ferrent, objectarentque eam paulo negligentius curam domus gerere; precabatur Deum, ne se introeuntem domum videret quispiam. Nolebat enim fratribus esse iræ aut tristitiæ causa. Ejus preces sæpenumero Deus maximus exaudivit: nam coram oculi transeuntem videbat nemo: ad proprium autem progressa cubiculum, supervacaneis exuta vestibus ad domestica sese succingebat servitia: cœlestique adjuta ope, quæ paranda erant, optimo celerrimoque præstabat exitu: arbitrati autem fratres se, eam in cubiculo quidquam rerum gessisse, taciti præteribant.

Invisibilis quandoque domum redit.

137 Sub idem tempus pro Mantua intercedens, eam pestis lue *c* affligendam cœlitus agnovit. Cujus atrocem miserata calamitatem, cum preces inculcat, sese illi Christus offert: ad quem ipsa sermonem convertens, ita affatur: Haud quaquam negaverim, B piissime Sponse, nostram hanc miserrimam urbem suorum scelerum immanitate gravissimam ultionem expetere: nam ego eam flagitiis sæpius ruituram pertimui. Attamen quam frequens Majestatis tuæ mos est, in fontes pietate potius quam animadversione uti; te supplex rogo, quo secum mitius agas quam sua exposcant scelera. Sunt profecto prope innumeri, qui crudeles in te, nulla habita Divinitatis ratione, execrationes intorqueant, ab nullaque generatione impietatis abhorreant: sunt tamen quamplures religiosis addicti operibus, qui sanctissimas tuas leges et venerentur et colant. Agito, clementissime Deus, ut optimi viri atque pudicissimæ matronæ improborum audacia haud concidant. Si te perditissimi homines ad vindictam alliciunt: ad pietatem quoque religiosa et integerrima opera trahant. Tum Deus: Ne fatigere, inquit, Filia: satis hasce injurias pertuli: nunc mihi ea mens est, ut pares scelerum pœnas solvant. Ah, inquit, Osanna, dulcissime Deus, Filiæ modo preces inficias ibis, quas tanta esse apud te auctoritate nonnumquam prætetulisti? Si tuum explere animum cupis, ab tua haudquaquam abhorream voluntate: unum tamen te rogaverim, id inquam est, ut mitior saltem istæc sit calamitas. Postremo, cum nullis precibus Deum C in suam posset sententiam traducere; ad ejus prolapsa pedes, tantum in lacrymis et singultibus perseveravit, ut voti compos evaserit. Eam namque humo Deus extollens; Ut certo, inquit, scias, tuas apud me plurimum valere preces; agam quod precaris: percutiam profecto hac Mantuanum populum pestilentia, at longe minori quam prædixeram. Successit promissis fides: irrepsit quidem in urbem pestis, sed non sæva.

c Pestem urbi divinitus intentatam

averterre omnino nequiens

impetrat mitigari.

CAPUT II.

Principi filius impetratus, aliis alia animis corporibusve utilia.

Longo ardentique desiderio *d* Isabella, clarissima Mantuæ Princeps, filium optaverat. at cum nulla arte nulloque consilio id assequi posset, sese ad Osannam, divinam per eam opem impetratura, convertit; summisque eam precibus adegit, quo divinas propulsaret aures, omnique studio eniteretur, ut sui voti compos evaderet. Huic omnem suam operam omnemque industriam pollicita Osanna, bono eam animo bonaque spe esse jubet. Sperare enim se, inquit, sibi haudquaquam defuturum Deum. D Extemplo igitur integerrimæ suæ Isabellæ, quam singulari immensaque caritate prosequebatur, factura satis, orationi se dedit; summisque lacrymis precatur Deum, quo illam virili sobole impertiatur, eam inquam quæ integerrime Mantuanam sit Rempublicam administratura. Has preces cum identidem inculcasset, invincibilique importunitate profudisset; cœleste tandem accepit nuntium, Isabellam pro suo voto concepturam filium.

d Diu sterilis Isabella Francisci March. uxor

Osannæ preces deposcit

139 At cum longa admodum cunctatio Isabellam affligeret, ac idcirco in singulos ut ita dixerim dies Osannam fatigaret; illa die, quæ Mariæ Virginis assumptioni dicata est, cum Osanna sacrum Christi sumpsisset corpus, ineffabili spe ad orationem confugit; inde haud discessura quoad sibi cœlitus certa afferrentur responsa. Spes hæc haud quaquam vana fuit: quippe elato inter precandum sursum animo, ad divinumque deducto conspectum, eam sic Sponsus alloquitur: Abeat modo, dulcissima Sponsa, tua ista pro Mantuano Principe solicitudo: tuis enim precibus factum est satis: filium Isabella concepit. Quod cum excepisset Osanna, exultabunda quascumque ejus animus capere potuit Deo gratias egit. Ceterum Isabella, adhuc conceptus inscia, Osannam continuis agitat stimulis. Quæ dum cœle- E stia arcana reserare detrectat, adhortatur eam, quo omnem suam spem in Deum reponat. Tandem non multo post tumescente utero, læta admodum Isabella, mittit qui se concepisse Osannæ nuntient. Magnam ipsa, tamquam hujusce rei inscia, lætitiam præsetulit, tametsi id prius sibi compertum erat. Cum autem eam Isabella visitatum advenisset, in ejus ventre filium inspectavit Osanna, ceu in vitreo tabernaculo (ut ejus utar verbis) Sanctorum solent Reliquiæ cerni. Simili modo in sua morata cellula, infantem in matris utero, quæ se continebat in arce, prospexit. Pulcherrimum itaque filium, uti cœlesti fuerat prænuntia tum oraculo, in lucem edidit Isabella *e*.

quæ a Deipara intelligit se pro ea exauditam

prolemque in ejus utero intuetur.

140 Non erat Osannæ animus ab humanitate alienus; sed sicuti a natura ad contemplandum institutus, ita in amorem facilis erat et perhumanus: quamobrem tantum plerosque adamabat, ut eorum felicitatem haud secus quam suam et optaret, et omni conatu ab Deo exposceret. Videbatur enim sibi, nullus momenti amicitiam fore, nisi eosdem secum beatitudinis participes haberet, quos mortali in vita habuisset amicos. At quamquam nemini suam deesse opem volebat, nonnulli tamen ex utroque sexu ita sibi cordi erant, ut numquam F oraret Deum, quin illis summo ardore immensaque caritate æterna gaudia precaretur Sæpius hujuscemodi pro illis ipsis supplicationes afferenti, pollicitus est Deus, eis se beatam vitam daturum dono, quo eorum societate in cœlesti patria pro suo uteretur arbitrio. Tanta autem importunitate illis nonnumquam beatitudinem imploravit, ut Deus illius desiderio facturus satis, eos sibi, perinde atque tunc divina fruerentur præsentia, inspectandos præbuerit. Post hæc eam allocutus; Tanta, inquit, hos felicitate donabo quantam nunc eos adeptos arbitraris. Erant ex iis profecto, dum adhuc cum mortalibus versaretur, qui horrenda flagitia sectabantur, id quod eam minime latebat: sed divinis ipsa pollicitationibus (ut par est) fidem adhibens, sperabat eos tandem ad frugalitatem emersuros: spoponderat enim sæpenumero Deus eos se in meliorem frugem mutaturum: cujus promissionis et futuri eventus tantam inquiebat se certitudinem nactam, quantam raro fuisset adepta.

e

Salutem animæ pluribus impetrat

de eaque divinitus redditur certior.

141 Omne suum studium ad id referebat Osanna, ut honore ac reverentia Christus optimus maximus haberetur.

A

Multis etiam religiosum statum

haberetur. Voluisset profecto, si fas fuisset, sacræ universos Religioni adscriptos esse : sed cum id impossibile putaret, omni ope curabat, quo sui saltem necessarii et affines religiosam vitam sectarentur. Quare, quamprimum nepotem ex fratribus nanciscebatur, precabatur Deum, ut sacris initiatus sibi Christi vestigia ante oculos statueret, seque secularibus curis abdicaret. Accidit semel, ut primogenitum majoris fratris manibus tenens, sensibus egrederetur : ad divinum autem deducta conspectum, rogavit Deum, ut ipsum sibi sacrarum rerum ministrum asciсceret, efficeretque ut terrenam felicitatem nihili reputaret. Annuit Deus ejus precibus : pollicitusque id se facturum opportuno tempore, exitu præstitit : Prædicatorum namque habitum professus est. Duos insuper alios nepotes ex reliquis fratribus, suis precibus ad Divi Dominici Ordinem impulit. Duabus quoque sororibus totidemque neptibus id muneris impetravit.

potissimum ex familia sua ;

142 Rogavi ego eam sæpius, ut pro juvene, qui mihi consanguinitate junctus erat, intercederet ; divinamque precaretur clementiam, quo ejus animum ad nostra urgeret instituta, qui alio suum flectebat iter. Cupiens illa mea complere desideria, cum semel cœleste palatium teneret, juveni illi Religionem precatur. Ad quam Deus, Continuato, inquit, Filia, preces : quoniam tandem exaudita recedes. Jussa capessens Osanna, in singulos dies eadem precabatur : quod cum aliquo egisset tempore, orantem semel Deus alloquitur : Bono animo esto, perdilecta Filia : tuis enim precibus factum est satis. Polliceor ego tibi, futurum illum de Ordine Prædicatorum. Posthac in Sanctorum omnium solennitate, sibi cœlesti in regno existenti, Prædicatorum indutus habitu ostensus est. Post dictas pollicitationes annos quatuor, juvenis ille animum omnino a Religione alienum habuit, non poteramque illi satis Religionis excellentiam suadere : tandem, cum mei potiundi desiderii spe omni decidissem, ad me litteras mittit, quibus rogat ab me sibi Religionis instituta et mores exponi. Feci ego lubens omnia, fuique numquam lætior : sed et rem statim Osannæ nuntiavi : id quod magno sibi accessit gaudio, quando videret jam diu promissa executioni mandanda. At cum multis ultro citroque missis litteris putarem me universa jam ad calcem perduxisse ; visus est ille a priore discedere sententia. Tum repente ego, quomodo se res haberet per litteras Osannæ significavi ; subjungens, nullam mihi relictam esse hujusce rei spem. Rescripsit illa, se hac in re majori fide quam ego perstare : jubetque me divinis fidere promissis. Mansi verbis ejus admodum lætus : tametsi nullum futuræ rei vestigium cernebam. Evenit itaque post paucos dies, ut præter omnium spem, ad Christi vexillum, Divique Dominici habitum convolarit.

item auctoris consanguineo,

B

præter spem omnium divinitus certa de eventu,

C

143 Nobili quapiam Matrona gravi languente morbo, adorantem pro ipsa Osannam demissum cœlitus nuntium fuerat, ipsam naturæ debitum exoluturam, idque sibi utile admodum futurum. Cum itaque languor increvisset, extremamque ejus adventasse horam medici asseverarent, id quod Osannam haud latebat ; adveniunt quidam dicentes, pleraque a græ pertractanda incumbere, quæ si antequam hac luce migraverat non expediat, futurum esse ut inordinatæ res dissidium aliquod pariant : illamque sibi precatricem adhibent, quo paululum temporis ab Deo illi matronæ imploret. Miserata Osanna postulantes (quippe universa sibi notissima erant) precatur Deum maximum, ut languentem matronam tanto saltem donet temporis interstitio, quanto suis possit rebus modum imponere. Annuit Deus piis Osannæ precibus, pollicitusque est tantum illi opportunitatis concessurum, quanto sibi ad suas omnes res disponendas opus sit : verumtamen jubet eam opus maturare. Igitur præter omnium opinionem convalescens, tantam adipiscitur incolumitatem, ut suis omnibus rebus modum imposuerit : universis autem ex sententia dispositis, tertio exacto mense, extremum obiit diem.

moribundæ vitam longiorem.

D

A FRANC. SILVEST. COÆVO.

144 Religiosus quidam vir, suæ Religionis mores et observantiam fastidiens, experiri alteram decreverat : jamque ad id operis ab Apostolica Sede libertatem extorserat. Verum conspicatus magnum quiddam esse quod audebat, quando ipse clarus esset magnoque haberetur honore ; timens quoque ab via recta aberrare, suæ noluit fidere sententiæ ; sed litteris quæcumque animo versabat aperit Osannæ, ejusque consilium exquirit. Respondet illa, rem hanc maturiori disquisitione decernat, sibique sapientius consulat : diabolicam namque suasionem esse, quæ ad summam ipsum ignominiam, ad extremamque sit deductura perniciem : polliceri se apud omnium priorem pro ipso intercessuram : unum præterea rogare, ut ipsa inscia suum non expleat desiderium. Cessit vir ille Osannæ monitis, statuitque de tanta re consultius decernere, tametsi in priori continue proposito perstabat. Plerisque exactis mensibus, Mantuam ad Osannam devenit, intimaturus se velle omnino extrema quæque experiri : quando sua instituta, et tantas sanctiones, totque jejunia ferre non posset ; inventurum se ubi quietius et tranquillius vivat.

in suscepto Ordine vacillantc

E

145 Cum hæc aperuisset Osannæ, insuperque adjecisset rem hanc invitis omnibus se præstiturum exitu ; vehementer illa indoluit, obstinatumque deplorans animum, omni studio a tali eum absterrere proposito enitebatur : sed aquam (ut aiunt) in mortario terebat. Videns autem eum in sua persistere sententia, rogat, ut saltem dies aliquot Mantuæ moretur. Paret ille : ejusque votis pro summa qua eam prosequebatur reverentia, acquiescit. Tum illa, lacrymis Christum conveniens, precatur, ne hominem in tantum discrimen labi sinat : quando præsertim non modo sibi perniciem, verum Religioni dedecus et ignominiam paret. Ad quam Christus adventans : Ne dubites, inquit, Filia, tuis enim precibus agetur, ut iste sententiam mutet. Nocte insequenti, volvente illo quæ animo sinciverat, eaque diutius versante, subito quodam spiritu mente immutata, cœpit profunda cogitatione disquirere, quantum sibi mali quantumque dedecoris et infamiæ res hæc minitaretur : id quod nullo antea pacto sibi persuaderi poterat. Quocirca saniori ductus consilio, Apostolicum Breve in frusta concidit, ignique absumpsit. Quam rem cum Osannæ renuntiasset, læta admodum, ad perseverantiam adhortata est hominem ; Deo vero immortales gratias egit.

jamque ad alium transire certo

perseverantiam in priori

F

CAPUT III.

Ejusdem argumenti prosecutio.

Princeps quispiam f ab Ludovico Francorum Rege evocatus, ad eum maxima qua potuit celeritate contendit. Quare cum is Osannæ gratissimus esset, verita ne aliquid sinistri pateretur, ardentes pro ipso preces egit ; precata Deum, quo sibi, ne in aliquod laberetur discrimen, præsidio foret. Post dies aliquot falsus rumor ortus est, eum mali quippiam incidisse ; idque vulgus credebat, propterea quod illo proficiscente admodum timuerant. At Osanna, nihil hujuscemodi veri, inquiebat se in Deum maximum Mariamque virginem sperare, qui Principem sub suas alas tutarentur : non destitit tamen a precibus. At ubi primum oravit, quampiam Deus

Principi ad Regem Franc. evocato

securitatem impetrat.

Deus in eum ostentans iram, nullum Osannæ responsum dedit, id quod eam vehementer exterruit: tum alio itidem die, cum lacrymans pro Principe ac Status incolumitate precaretur, et sese offerens Christus: Arbitraris, inquit, Filia, velle me tui amantissimum Principem in tantum conjicere periculum? Tuis erit precibus satisfactum. Veruntamen scito, nisi ipsa pro eo continue intercessisses, jampridem de sua Republica fuisset actum. Poscenti idem tertio demissum cœlitus nuntium est, illum ipsum non modo res suas defensurum, verum ab Rege cum honorem, tum gratiam reportaturum. Successit nuntio sperata res: rediit namque in patriam gloria admodum insignis.

Eidem suadet in Galliam proficisci

147 Eumdem Gallias petere operæ pretium erat: quod cum rescisset Osanna, verita ne in hostium manus incidat, aut itineris difficultate sibi ægritudinem paret; Deum maximum rogat, quo illum ab omni adversa tueatur fortuna: quod si mali quippiam immineat, eam certiorem reddat, quo illum ab hoc deterreat itinere. Ad quam Deus: Scito, inquit, Filia, Principem istum nullum incursurum discrimen, si continuaveris preces: quare lætus ac lubens pergat. Princeps, qui sibi admodum timebat, verebaturque ne sibi parati essent laquei; Osannam, quid futurum sit, rogitat; astruitque nolle patria decedere, nisi ipsa id sibi consulat, tutoque iturum dicat. At illa, quæ sua omnia solebat occulere; non esse se talem, inquit, quæ sibi tanta in re consulere debeat: esse sibi complures consultores, qui harum rerum experientissimi sint: ab iis debere consilium exquiri: nescire se quid facto opus sit. Sed Princeps instabat, supplicibusque eam verbis precabatur, quo suam sententiam afferret: idem quoque Principis uxor importunius agebat. Multis tandem permota precibus, posse eum tuto iter aggredi insinuat. Idem mihi lecto decumbenti per litteras antea significaverat; jusseratque si de hac re Principem alloquerer, caverem ne id sibi cœlitus præmonstratum dicerem: perlectas quoque litteras igni absumerem. Princeps hoc ab ipsa tamquam cœlesti oraculo accepto, Gallias petiit, rediitque, omnibus prospere ac feliciter gestis.

salvum inde reditum pollicita.

g

Pro Urbini Duce sua ditione expulso orat,

148 Principe quodam sua regione *g* depulso, cum uxor, quæ Osannæ deditissima erat, tantum infortunium deploraret; Osannamque maximis quibus potuerat precibus obstrinxisset, quod apud cœlestem Imperatorem se pro conjuge precatricem gereret; hujusce rei gravitate admodum afflicta, talibus Deum verbis alloquitur. Cur, clementissime Deus, Principem hunc suis depulsum iri sedibus permisisti? Te supplex oro atque etiam rogo, ne in ipsius salutem oculos occludas. Ad quam ille: Pleraque, inquit, patriæ nefanda crimina me ad vindictam excivere. Tum subinfert Osanna: Proh dolor! quot per universum orbem versantur, qui gravissima scelera admiserunt, succenderunt aras, templa dejecerunt, peregrinos homines occulta atque iniqua morte interemerunt, ab nullo demum abhorrent scelere; quos tu non modo non punis, verum cumulatissimis beneficiis donas? Qua igitur ratione in hanc animadvertis patriam, tantaque calamitate Principem afficis, ut jam per omnium ora volitet? Tum ille: Ea mihi, inquit, mens est, Filia, ut hisce miseriis me summum Ducem, qui omnibus præstet Regibus, vereatur. Quod ceteros longe scelestiores non puniam, consulto ago: quippe aut multis ab me beneficiis affecti, ab omni tandem scelere animum revocabunt; aut, si quippiam est quod laudabiliter gesserint, hisce momentaneis rebus præmia capessunt, quando jam æternis flammis adjudicati sint.

ob peccata populi id factum intelligit.

149 Rursus Osanna: Parcito, inquit, piissime Deus, si tecum audentius atque familiarius egero. Non est humanæ virtutis (ut omnium fert sententia) quin ad tuam clementiam spectat ab flagitiis ad virtutem animum extollere: si igitur ut in meliorem Princeps atque populus frugem evadant cupis, eos ab erroribus tua virtute retrahas necesse est. Tum Deus: Concesserim, inquit, mortale hominum genus propriis haud posse viribus mentem ad summa virtutis fastigia provehere: si qui tamen sunt, qui suum omne studium ad capessendam virtutem adjiciant, summo semper ego illis adjumento sum: nullaque hominibus in re desum, quod felicia regna comparanda indigeant. Demum Osanna: Num tuam huic præstabis opem? Num solita tua in eum misericordia utere? Nequeo, inquit ille, tibi, carissima Filia, non morem gerere: illius, ut optas, aliquam habebo rationem, efficiamque ut regno potiatur suo: et si hactenus visus est cum uxore luctari, *h* eamque acri insectari odio, reflectam eum ad pacem atque concordiam. Posthac ad Mariam virginem conversus, quæ præstolari filium videbatur; Vides, inquit, Mater, quanta fide Principem hunc ab me exigat Osanna, quantaque caritate illi feliciora efflagitet tempora. Non potest tanta caritas vacuis abire manibus; quare tibi Principis hujus curam demando: facito ut Osanna voti compos evadat. Suscepit illa prompto animo demandatum munus, jussitque Osannam meliora Principi sperare. Ceterum non est dictis res morata: ab Reipublicæ namque Optimatibus et plebe fugatis hostibus, non post multos dies præter omnium spem Princeps in patriam revocatur.

Christo autem ejus precibus moto,

h

uxori primum reconciliatur,

tum revocatur in patriam,

150 Posthæc novis hostium insidiis circumventus, quibus opinione omnium in eorum cessurus imperium videbatur; pollicetur, uti tunc ferebatur, se illis suam omnem regionem traditurum: quam rem simul ac per litteras rescisset Osanna, ejus miserata calamitatem, Mariam Virginem alloquitur: Meminerim ego, matrum clementissima, hujusce Principis tibi ab Deo maximo curam demandatam, qua ex re universa eum pericula tuis auspiciis evasurum sperabam: at nunc in patriam restitutus iterum cogitur, ut vulgus asserit, exulare. *i* Te igitur, per eum quo carissimum filium complecteris amorem, rogo, quo tuam illi opem impertiaris. Sub hæc dictamanus ad eum tendens, in solo lacrymarum plena procubuit. Commota Virgo; Non sit tibi, inquit, admirationi, filia, esse rem hujus male et infeliciter gestam, quando id divina contigerit providentia: ejus profecto vita magno est in discrimine posita; sed ego eum, tuis votis facturа satis, de manibus hostium detraham. Successit deinde, quemadmodum fama ferebat, ut Principis socii, qui eum prodere statuerant, simili fallacia extremo supplicio mulctarentur, oportaitque eum in quamdam sese arcem recipere: quare de ipso actum videbatur, quoniam sive perstaret ibidem, sive fugam caperet, non poterat omnium sententia hostium insidias devitare. At desperatis prope rebus, cum opportunum censeret, in tanto discrimine tentare fortunam, relicta arce difficile admodum et periculosum iter adoritur. Tandem Venetias, divino potius quam humano præsidio munitus, appulit: postremo acerrimus ejus hostis, qui suo videbatur arbitratu præcipitem fortunæ rotam firmasse, uno momento præceps ruit, et ita ruit, ut neque delitescens tutus esset. Ea propter paternum princeps omne solum, summo civium consensu, summaque gratulatione, recuperavit. *k*

i

ubi rursum novis appetitus insidiis

eadem iterum orante

evadit Venetias ac rursum sua recuperat:

k

scelesti hominis conversionem,

151 Erat quidam Osannæ amantissimus, qui remissis habenis ab omni videbatur virtute abhorrere, omniaque pro suo arbitrio licentius agere. Hunc ipsum apprime miserata Osanna, quod sua omnia crimina sibi essent aperta, eum sæpenumero acriter increpuit, ad frugalitatemque et honestos mores

mores adhortata est. Verum cum persuasiones suæ suaque monita parvi apud ipsum pretii esse viderentur; divinum censuit auxilium implorare; ne qui sibi deditissimus erat, æternas adiret flammas. Igitur cum summa ope orasset Sponsum, tantaque animi afflictione, ut totum os lacrymis oppletum esset; e cœlo nuntium accipit, illum in meliorem quandoque frugem evasurum, si tamen ipsa a precibus haud desisteret. Continuabat Osanna in singulos dies preces: sed ille continue scelestior evadebat, in majoraque crimina labebatur. Quod cum resciceret Osanna, affligebatur admodum, instantiusque pro eius salute dies et noctes lacrymans supplicabat. Tandem divinas tantum importunis precibus aures implevit, ut sui voti compos evaserit. Nam qui immitis fuerat et facinorosus, semperque furore agi consueverat, ad virtutem et mansuetudinem, suam omnem deinceps convertit ætatem.

impetrat Osanna

152 Morabatur quidam Mantuæ, cujus salutem pro summa in eum caritate, supra modum affectabat Osanna: sed ipse pejor indies atque facinorosior erat. Quare cum sæpenumero precata Deum esset, ut eum saniori mente donaret; oranti semel pollicetur Deus, quod rogat se præstiturum exitu. At is lascivos suos continuabat mores, nullisque monitis ab iis poterat absterreri, id quod graviter deplorabat Osanna. Præter hæc ille ad agenda quæpiam animum adjecit, quæ si executioni mandasset, pleraque inde oriri crimina videbantur. Cumque jam pæne animum explesset suum, lacrymans Osanna, altaque de pectore trahens suspiria, quando innumera cogitaret in Christum maximorum criminum tela jacienda; ad orationem, suum dulce præsidium, confugit; sicque Sponsum affatur: Num mihi sæpius atque est sæpius, humanissime Sponse, non pollicitus es, te hunc meum filium in frugalem virtutisque studiosum virum mutaturum. Quid igitur sibi vult, quod majora et scelestiora singulis momentis excogitat facinora? Tum ad eam apprime anxiam Christus adventans: Haud, inquit, te affliges, filia: quippe tibi promissam fidem servabo: summo sibi, ad ea quæ animo versat, impedimento ero.

et mala grandia ex hominis lasciviis

jam pæne perfecto scelere processura

153 Post nonnullos dies renuntiatur Osannæ, universa prope illum pro suo fecisse voto, parumque ab suis explendis cogitatibus abesse. Quare recurrit protinus ad preces, ibique lacrymis et suspiriis pectus lacerat. Inter precandum autem, ad splendidissimum quempiam rapitur locum; ubi divina Majestas, cum Maria virgine, cumque Apostolis videbatur. Tum flebili voce orditur Osanna. Summa, æterne Pater, amaritudine premor: summa, inquam, et plus satis, quod excogitata ab meo filio mala ad calcem jam pæne deducta sint. Parcito, inquam, si intemperantius loquor. Nullam mihi ab te hac in re video servari fidem. Cur eum ad te, uti pollicitus es, haud pertrahis? Cur suis te cogitatibus non opponis? Numquid non vides tuum honorem, tuam gloriam, tuum nomen sub pedibus dari? Ah, sapientissime omnium Creator, tuam huic operi, rectius dixerim hisce nefandissimis criminibus, manum opponas. Tua res agitur. Nam nihil est, quod, tua excepta laude illiusque salute, me ad hæc ægro animo ferenda inducat. Te rogo, quo et tuo honori, et illius saluti consulas. Nisi huic suis optatibus imponat frænum, pleraque evenient spectatu horrenda. Tum ad eam de solio respondens Deus: Sis, inquit, bona spe, filia, tibique meam omnem opem ad tua explenda desideria pollicere. Perficiet quidem hic inceptum opus: sed optatum haudquaquam assequetur finem. Sic res successit. Longe enim secus ex perfecto opere, quam sibi persuaserat, evenit.

impedit sola oratione

154 Cum Bigareli quandoque moraretur, ubi spiritualium rerum copia destituta erat; evenit ut paulum ægrotaret. Solenni autem adventante die, quo universa familia ad ecclesiam auditura divina properare consueverat, tametsi apprime distabat, nolebat amita domo excedere, propterea quod languentem Osannam solam relinquere metuebat. Sed eam accersens Osanna; Ite, inquit, omnes auditum Missam: sat mihi erit puellam hanc, neptem scilicet septimum agentem annum, domi manere. Egit illa ut jusserat Osanna. Cum autem abiissent, vocans illa neptem; Egressa, inquit, hoc cubiculo, alicubi genua flectens, aliquid orationis dicito. Cumque ultimum de ecclesia ad Missam audieris signum, mihi significato. Egressa puella, uti sibi fuerat imperatum genua flexit. Tum ibi manens, Missam, quæ in distanti admodum ecclesia celebrabatur, ita vidit audivitque, ac si ibidem coram affuisset. Idque admiratu dignum est: quod universa redeunti amitæ enarravit, quæ sibi Sacerdos dixerat: quod inquam, quo modo se haberet Osanna, interrogasset: insuper eam adusque benedictæ vas aquæ fuisse comitatum, ipsamque illa aspersisse aqua.

A FRANC. SILVEST. COÆVO.

Facit assistentem sibi puellam procul ab ecclesia Missam audire,

155 Accidit die quodam, sole jam ad alterum hemisphærium inclinato, ut domus, quæ suis ædibus contigua erat, casu quodam conflagraret: id quod futuri incendii suarum ædium evidens principium erat: quippe tecta ignis invaserat. Cum autem plurimi accurrissent, essentque extinguendo igni apprime intenti; ipsa precibus quam potis fuit impendere opem tulit. Ad Sponsum igitur Christum sermonem vertens; Te, inquit, carissime Sponse, rogo, ne has nostras ædes incendio absumptum eas; tametsi nostra id in te merita exigant. Sum ego profecto ingratitudinis plena, teque singulis horis gravissimis lacesso peccatis: verum novi tuam pietatem, novi tuam clementiam, novi tuam misericordiam, quibus in maximam impetrandæ abs te veniæ spem adducor. Quod si nostra hæc domus peribit incendio, putabo, idque etiam dicam, mea in causa fuisse crimina. Talia querenti visus est Christus, qui eam admodum tristem solatus; Ne, inquit, tristeris, filia: tuam ego curabo domum, efficiamque ut ab igne illæsa perstet. Non est dictis res morata. E vestigio namque ventus e diverso flans, flammam alio flexit, brevique restrinxit.

Incendium restinguit,

156 Cum Vicarius generalis Congregationis Lombardiæ de Ordine Prædicatorum, quemdam de suo Ordine exquireret, qui secum singula visitatum monasteria comitem ageret; isque invitus eo concederet, quod Osannam videret id ægro animo ferre, quando eo suis omnibus in rebus consultore uteretur; rogat eam, quo divinam opem exquirat, ab Deoque quod melius sit poscat. Suscipit illa onus: unoque die, in Ægidii fano, ante Mariæ virginis imaginem genua flectens, tristis anxiaque, beatam Virginem precatur, quo sibi adjumento esse velit: desiderare enim se, inquit, ut eo non destituatur Patre, cujus consiliis efficiat universa. Dum ad hasce preces animum intendit, admirando spiritualique lumine circumdata, sensibus egreditur: sibique sese offerens Christus; Quid, inquit, precaris Sponsa? Nollem, inquit illa, meo dilecto filio atque carissimo Patre, quicum omnia mea consilia moderor, ullo pacto destitui: ecce autem Vicarii nostri generalis futurus comes accersitur. Te supplex rogo, ut meis accedas votis. Si tamen ea tibi mens est ut eo priver, et eum et meipsam tibi offero. Tum subridens ille, Ne, inquit, tantum te excrucies, filia: quippe te solabor. Tibi hominem concedo; neque enim ut cum Vicario comes eat, permittam. Egit illi Osanna quas potuit gratias, ad sensus au-

Patrem sibi familiarem Mantuæ detinere,

A. FRAN. SILVEST. CO.EVO.

A tem regressa, concepta antea ob hanc rem tristitia levata est. Evenit quoque uti sibi prænuntiatum fuerat.

seque ne Principem adeat febri impediri.

157 Qui difficile quippiam ab Principe volebant, conveniebant Osannam, eamque omnibus quibus poterant precibus adigebant, quo ab eo quæ optabant extorqueret : id quod sibi molestissimum erat, arbitratæ hujuscemodi res suam conditionem minime decere. Non poterat tamen quandoque onus detrectare : propterea quod eam summa importunitate traherent, taliaque exposcerent quæ caritas urgebat efficere. Rogavere eam semel nonnulli cives, quo Principem quæpiam illis impetratum adiret; tantisque eam precibus totque rationibus convenere, ut negare postulata non auderet. Quare post multas excusationes, cum eos obstinato animo videret; pollicetur se facturam omnia, si perstaret incolumis. Illis autem lætis abeuntibus, ad Christum ipsa profugiens precatur sibi ægritudinem, qua istoc adeundi Principem onere levetur. Non præterivit Christus surda aure : demisit in eam febrem, apertam adeo et manifestam, ut qui eam sibi precatricem asciverant, liquido suam ad eorum explen- B da vota impotentiam et deprehenderent et faterentur.

ANNOTATA AD LIB. IV.

a *Neapolitanum regnum an.* 1495 *occupaverat Francorum Rex Carolus* 8, *favente Alexandro VI, tota pæne potitus Italia, spatio quatuor et semis mensium : sed rursus eam brevi amisit : successor autem Ludovicus XII, an.* 1502 *regressus cum exercitu, novas denuo strages intulit.*

b *Erant suntque etiamnum Osannæ ædes in et juxta monasterium.*

c *Pestem hanc Hippolytus refert. ad an.* 1478, *nec postea ullam notat ante annum* 1527.

d *Annis, ut dixi, omnino* 10.

e *Anno* 1500, 16 *Maji, in cujus liberis etiamnum successio perseverat.*

f *Non est hic alius a Francisco Marchione Mantuano : qui quod contra Ludovici decessorem Carolum duxisset exercitum, male sibi poterat ab eo metuere : sed Mediolanensis ducatus Neapolitanique regni recuperationem cogitanti nulla potior cura erat, quam aliis omnibus respectibus sepositis, Italicos Principes sibi conciliare. Venerat autem Mediolanum Ludovicus* C *prima vice an.* 1499 6 *Octobris, cum per præmissos duces Alexandriam, Papiam, Genuam aliasque plures urbes occupasset.*

g Regnum *habet titulus et postea etiam textus : et sic intelligeretur* Ferdinandus Rex Neapolitanus, *invadente ipsum Carolo VIII profugus ; Carolo in Franciam rebus non satis bene provisis reverso, Hispanorum ope restitutus : sed huic nihil cum Osanna. Intelligendus ergo* Dux Urbini Guido Ubaldus, *anno* 1497 *prælio captus ab Ursinis et carceri mancipatus, deinde an.* 1501 *a Cæsare Borgia, connivente Pontifice, Ducatu suo spoliatus ; hic autem, ut scribit Hippolytus p.* 2 *pag.* 90, *ex parte matris atque uxoris Francisco Marchioni propinquus erat : ab eoque benigne exceptus est. Mater illi erat* Baptista, *filia Alexandri Sfortiæ, nescio quomodo Mantuanis conjuncta ; uxor* Elisabetha Gonzaga, *Francisci Marchionis soror, quam* litterarum matrem *appellat Sansovinus, de famil. Italiæ pag.* 219, *ob erectam Urbini Academiam et Bibliothecam.*

h *Dicit Sansovinus,* Elisabetham *obiisse Virginem, ob viri impotentiam ; quamvis id, vivente ipso, nemini indicarit. Dissidii ergo causa esse potuit, quod impedimenti conscia sancta mulier, nollet communi cum eo thoro uti, hic autem metueret impotentiam suam ea ratione publicandam.*

i *Nusquam ita clare expressam legas hanc secundam Guidubaldi calamitatem : sed bene de prima et quibus artibus a Cæsarino amicissimo suo, et pro quo pugnans captivitatem incurrerat, fuerat Orbino spoliatus, apud Rainaldum in annalibus* 1502 *num.* 11 *: ubi etiam num.* 14 *tamquam hoc anno gestum subditur, quomodo rursus Cæsar Borgia* recuperavit Urbinum, aufugiente Venetias Guidone Principe ; Senogalliam *quoque* in suam potestatem redegit, Ducis Urbinatis sorore (*credo* uxorem *scribere debere*) ad Venetos etiam cum rebus suis navigante. D

k *Mortuo scilicet* Alexandro *Papa VI an.* 1503, 18 *Aug. et prædicto Cæsare ejus filio noto Duce Valentino, in ordinem redacto, uti fuse narrant Historiæ. Restitutus autem* Guidubaldus *adoptavit in filium anno* 1504, *Franciscum Mariam Roboreum, Julii Papæ* II *ex fratre nepotem, et obiit in Foro Sempronii* 1508.

l *Fortassis ipse Auctor hic fuit, quem ea videbimus fuisse modestia num.* 193, *ut tacuerit se fuisse, qui mortuam funebri oratione laudavit.*

LIBER V.

De spiritu prophetico B. Osannæ.

E

Prophetico spiritu præditi maximo semper loco habiti : quia arcanarum scientia, etiam ab Ethnicis æstimata,

Qui mortalibus futura prædicunt, sunt profecto apud omnes nationes summo semper habiti honore: propterea quod nihil homini jucundius occultarum rerum notitia et certitudine afferri possit. Sumus enim nostrapte natura ad scrutanda omnia proni : tantoque aliqua curiosius inquirimus, quanto magis nostro præstant ingenio, ab nostraque intellectus acie diffugiunt. Universæ pæne gentes, istac cupiditate ductæ, sibi antehac idola erexere, constituereque vates, quorum opera et solicitudine suarum rerum exitum prævidèrent. Id autem tanti æstimavere momenti, ut rem nullam difficilem, nisi præhabito deorum suorum (quamquam dii haud quaquam erant) responso voluerint inceptare. Universi quoque Principes hujusce rei plurimum cupidi asciscunt sibi physionomos, astronomos, geomanticos, qui ea, quæ suo ingenio suaque industria metiri non possunt, accurate prænuntient : tantumque illis adhibent fidei, ut quamvis certo sciant, non posse eos de humanis actibus certo calle scrutari, quando etiam sæpenumero decepti atque delusi sint; quia tamen nonnulla quandoque futura prævident, atque futuræ probitatis et malitiæ conjectant indicia, eos observent, venerentur, colant. At nullum hominum genus est, quod futuris occultisque de rebus certius illis ipsis effari queat, quam qui ea in perspicua certissimaque et divina veritate prospectant. Uni etenim Deo immortali patent et aperta sunt universa : non potestque ulla in re sua intelligentia falli quando ipse rerum omnium et conditor sit et gubernator. Unde in sacris Litteris legimus : Annuntiate nobis futura, et dicemus, quia dii estis. Errare inquam, nequeunt, qui divino illustrati lumine futura præmonstrant : propterea quod summa veritas seipsam negare non possit ; id quod eveniret, si falsitatis auctor existeret.

soli Deo competit, F

Is. 41, 23

qui eam Osannæ communicavit.

159 Ceterum pauci admodum sunt, quibus Deus, quæ ceteris abstrusa sunt, pandat : quos autem tam præclaro munere afficit, ut ad suæ Majestatis admittat obtutum, suisque secretis admisceat; illi sibi apprime cari sunt, dilecti sunt, gratissimi sunt. Qui igitur Osannam summis laudibus, summis honoribus, summa veneratione non prosequamur? Eam sane Deus maximus delegit e ceteris, cui divina sua consilia patefaceret : ut, quemadmodum eam suis donaverat insigniis, ita supra humanum extolleret ingenium, faceretque omni ex parte beatam. Hæc sunt quæ quinto hoc continentur libro : ea, inquam, quæ sibi

sibi cœlitus præmonstrata sunt. Ex multis autem pleraque decerpsi, id tantummodo ostensurus, quod summo honore et reverentia habenda sit, quando eam Deus suorum secretorum consciam fecerit.

CAPUT I.

Cognitus animarum status, mors quorumdam aliaque arcana.

a Cladem Mantuanorum an. 1495 divinitus edocta

Sub id tempus, quo Mantuani milites in Parmensi agro cum Gallis summis viribus magnaque animorum contentione manus conseruerunt; *a* prædocta cœlitus universam cladem, quæ utrimque profecto miserrima fuit, aliquantulum dubia et anceps perstitit, parumque fidei prænuntiatis adhibuit. Sed cum primum ea clades Mantuæ renuntiata est, maxima pietate interemptorum animas prosecuta, Christi quoque sanguini admodum compatiens, quod inquam frustra propter eos videretur effusus; eorum damnationem (quippe illis admodum timebat) suspiriis lacrymisque lamentabatur. Verum cum divini esset ignara judicii, eorumque qui hac luce decesserant necessarii continue aures ejus propulsarent, quo pro illis profunderet preces; ipsis, quantum sibi suppetebat virium, allatura opem, ad orationem confugit; precaturque Deum ut eos misereatur, tametsi multa forte admiserunt crimina. Quod si eorum quispiam pœnam, et eam quidem gravissimam, exoluturus sit, eam ab se expetat, illisque felicia impertiatur regna. At ad orantem Christus adventans; Quid, inquit, carissima Sponsa et dilecta Filia, pectus laceras? Non sunt sane omnes, qui eo conciderunt in prælio, æternis (ut tibi persuadere videris) flammis addicti: quippe pauci admodum, et prope nulli, parem suis flagitiis nacti sententiam, perpetuo tormento sunt adjudicati. Tres cœlestia protinus possedere gaudia, propterea quod tantus eos suorum criminum dolor, tantaque afflictio cœperit, ut me ad misericordiam exciverint, coegerintque ad cœlestes eos sedes traducere; reliqui vero, suas diluturi maculas, purgatoria loca tenent.

pro cæsorum animabus supplicat;

plerosque salvatos intelligit,

161 Quod cum intellexisset Osanna; præ admiratione et gaudio, apprime perstitit recreata. Hujusce autem rei tantam se adeptam certitudinem astruebat, quantam quibuscumque unquam de rebus habuisset. Sibi præterea cœlitus renuntiatum fuit, Margaritam, illustrem Mantuæ Principem, salutis adiisse locum. Adhæc, cum semel cœlestem curiam Osannæ spiritus teneret; Deum optimum maximum pro summo quodam Ecclesiastico viro, qui ab recta omnium narratione aberrabat, enixe admodum precabatur, quo inquam eum ad meliorem frugem reflecteret, quando maximam exemplo sui Christianæ Religioni perniciem afferret. At cum ejus preces haudquaquam audiret Deus; egit illa ut Maria Virgo, Apostoli, atque plerique alii Sancti, quibuscum ante divinum conspectum astabat, idem flexis genibus precarentur. Iratum vero Deus animum præseferens, faciem ab rogantibus avertit, eorumque preces nullo admittere pacto voluit. Cum is igitur hac luce migrasset, quam ejus anima teneret sortem, oranti sibi cœlitus est ostensum. Ut autem pleraque uno verbo concludam, eorum omnium statum et conditionem novit, quorum intelligere aut poposcit aut exoptavit.

Margaritæ Princ. beatitatem,

ecclesiastici obstinati damnationem:

162 Cum gravissima frater ejus, cui Joanni bono nomen erat, ægritudine laboraret, quæ ad extremam ipsum horam deduxerat; oranti sibi cœlitus renuntiatur, eum viventibus valedicturum. At quamquam id graviter indolebat, quod omni prorsus humano præsidio familiam destitutam iri cernebat; ab divino tamen numquam discedendum arbitrio censuit. Unde ad lecti caput, pro ejus salute atque felici obitu rogatura, genua flectens; extemplo videt innumeram cœlestium spirituum multitudinem, languentem versus agentem iter: ut autem ad ægrum pervenere, in duos dispertiti ordines, transeunti Christo atque Mariæ virgini via excesserunt. Igitur morientis animam Christus et Maria medio statuentes loco, summo plausu ad supernas sedes deportarunt. Regressa autem ad sensus, offendit eum animam efflasse. Interrogante ab se sorore, cui istæc visa enarraverat post aliquod tempus; cur hic earum frater actutum ad cœlos, non autem is qui prior decesserat, evolasset: Quoniam, inquit, majore hic suorum peccatorum dolore affectus est. Adhæc cum pro quopiam, jam mortis faucibus prope absumpto, Christum precaretur, sibique cœlitus præmonstratum esset, eum animam efflaturum; supplices ad cœlum palmas tollens, rogabat, quo sibi egredientis e corpore spiritus futura sors ostenderetur. Non fuere vanæ suæ preces. Exeunte namque e tetro carcere anima, vidit Christum, cui Maria Virgo comes erat, suo ipsam excipere sinu; atque perstrepentibus undique Angelorum concentibus, ad cœlestem patriam deducere.

fratri suo moribundo assistit

A FRAN. SILVEST. COÆVO

et animam in cœlum ferri videt:

163 Priorem quemdam ex Ordine Prædicatorum, sorte quadam vulneratum contigit mortalia relinquere. Cujus adversam sortem cum miseraretur Osanna (is enim Mantua oriundus erat) ardentes pro eo ad Christum preces effudit. Sub unam autem noctem, cum illius grave infortunium versaret animo; immenso splendore ejus oppletur cubiculum, seseque illi præfatus Prior exultabundus offert. Quem cum immotis fixisque oculis inspectat; is læto aspectu, inquit: Non sit tibi deinceps curæ pro me tot lacrymis intercedere: quippe nunc cœlestes peto thalamos: statimque sese de ejus conspectu proripuit. Eo quoque die, quo aliquam defunctorum recordationem mortales agunt; animas sacrificiis et eleemosynis ab purgatorio abreptas igne, in cœlum conscendere summa voluptate prospectabat. Rursus semel per fenestras in cœlum oculos intendens, facie immutatur. Quod cum neptis, quæ illius gerebat curam, conspicatur; verita, ne quapiam ægritudine teneretur, quid sibi contigerit interrogat. Tum illa: Vidi, inquit, in æterna gaudia animam comportari. Alio itidem die fervore quodam agitata, supra fenestram insiliit: qua re neptis vehementer exterrita, detentum eam accurrit, sicque affatur; Quid rei hoc est amita? Tum illa; O quam pulchrum, inquit, quam decorum, quam spectatu jucundum, animam adeo exornatam esse, adeo splendidam, Angelorumque comitatu adeo insignem. Postremo illius animam cœlestes vidit penetrare delicias, cujus purgatoriam pœnam perferre biduo postularat.

item Prioris Dominicani,

et aliorum duorum.

164 Altero ejus Fratre pluribus jam diebus exactis suo functo fato; una dierum, captato Sacramento, pro eo accuratius intercessit. Inter orandum autem ad cœlestis regni progressa delicias, splendidissimum quemdam accedit locum, innumerabilem videt cœlestium spirituum multitudinem, tribus tamen modo distinctam ordinibus. Supremum Apostoli atque etiam plerique religiosissimi viri tenebant locum: ad medium autem oculos divertens, perdilectum inibi fratrem, eam hilari facie contuentem, inspectat. Tum sic loquitur: Oh miseram me! germane Charissime! Oh infaustam! Oh infelicem! Tu jam æternis frueris deliciis: ego autem mortalem adhuc et miseriarum plenam vitam vivo. Hoc unum, per eam qua te spe tuosque filios prosecuta sum caritatem, rogaverim; quo nunc saltem pro me intercedas, ne ad corpoream amplius sarcinam remeare oporteat. At subridens Frater: Lætare, inquit, et

Salutem quoque alterius fratris sui cognoscit

ab eoque de sua n[illegible] certior.

A. FRAN. SILVEST. COMO.

A et optima spe vivito, dulcissima soror : nam et te cœlestia ista manent regna. Scito profecto te, quanto majores pertuleris ærumnas, tanto majorem gloriam majoremque felicitatem adepturam. Hunc ipsum fratrem sæpenumero, in felici patria, filios benedicentem vidit. Cognovit quoque, eumdem diem et dimidium in purgatorio perstitisse, revelante Deo.

Orans pro electione Vicarii Provinc.

165 Duxit in morem nostra Lombardiæ Congregatio, duobus emensis annis, quibus supremo in eam quispiam functus sit magistratu, quem Vicariatum appellamus, alterum sibi sufficere, qui eodem munere potiatur. Igitur cum deligendi novi Præsulis tempus adventasset, precatur Osanna cœlestem Patrem, et id quidem multos dies antea, quo Patri optimo et de Religione optime merito istæc provincia demandetur. Fit cœlesti narratione certior : Deum in coactos pro habendis comitiis Patres, sanctum demissurum spiritum : qui eos ad optimi Pastoris electionem impellat. Deinde visi sunt sibi Patres congregati : visus quoque Deus, sanctum in eos spiritum in morem flammæ profundens. Tum fieri electionem vidit : electumque perinde atque res ageretur perspicuo B novit. Successit postea opportuno tempore, uti sibi fuerat præmonstratum. Adhæc cum renovandi Magistratus sese tempus offerret; haud secius quam antea futurum præsulem cognovit, mihique, antequam ageretur de hac re concio, significavit.

successum divinitus novit

166 Sibi præterea fuit cœlitus præmonstratum, quem Prædicatorum Ordo generalem foret Magistrum habiturus : universa quoque quæ in illius contigere delectu, perinde atque ante ejus oculos gererentur inspectavit. Vicario generali Lombardiæ Neapoli adversa valetudine laborante, incertus quidam rumor pervolavit, qui eum vale viventibus dixisse ferret. At oranti Osannæ cœlitus renuntiatur, eum propediem incolumitatem adepturum. Quare cum ego secum quererer, tanto viro nostram Rempublicam destitutum iri; Bono, inquit, et tranquillo animo esto : brevi enim de ejus incolumitate certior fies. Nec dictu res morata : quippe altero die ex ipso litteræ pervenere; quibus priorem se valetudinem prope recuperasse significabat. Eumdem, Mediolanensem Priorem agentem, contigit plerosque dies ab Mediolano abesse : redeuntem vero et monasterium introeuntem, ita vidit atque ibi præsens extitisset. Illud quoque prætereundum haud quaquam est, quod plerisque de Ordine Prædicatorum Romam ad generalem Synodum concedentibus, Osannam, C qua hora urbem essent ingressi, quidque rerum inibi gesserint, minime latuit.

et alia circa allios Prædicatores;

reddendam monasterio pacem,

167 Religiosæ quædam mulieres, adversa haud mediocriter afflictæ fortuna ad suas ædes Osannam accerserunt, ab ipsa consilium opemque exacturæ. Ad quas cum propere contendit (quippe summa eas benevolentia complexabatur) inter eundum sese illi Christus, cœlorum Regina, Evangelistaque Joannes offerunt : qui eam de universis earum calamitatibus certiorem reddunt, easque brevi finem habituras prænuntiant. Ingressa itaque monasterium, illis præ angustia atque mœrore lacrymantibus, ipsa divinæ eas fidere bonitati adhortatur; non posse inquiens fieri, ut devotas suas ancillas Deus optimus maximus haud misereatur. Illæ, Osannæ verbis admodum recreatæ, iisque plurimum fidei adhibentes, tacitæ perstiterunt, brevique summa pacem nactæ sunt. Cuidam suas preces importunius petenti, id se facturam pollicetur. At cum pro eo, uti spoponderat, precaretur; queritur apud ipsam immortalis Deus, se ab ipso injuria lacessitum iri : quando quosdam probris affecerit, nullamque maledicti pœnitentiam præsetulerit : verum jubet eum, si veniam assequi velit, suis proximis conciliari. Tum illa, dulcibus verbis hominem compellans, adegit, quo ab se con-

injuriam factam,

litis injustitiam,

D vitiis affectos, petita indulgentia, in amicitiam reciperet. Adhæc convenit eam civis quidam, illique significat quadam se esse irretitum lite : quam utrum juste cœperit nec ne, non satis intelligit : quare suas hujuscemodi in re preces exquirit. Lubens illa onus suscipit, suamque illi operam pollicetur. Tum pro hac re summa diligentia Deum optimum precata, cœleste accepit nuntium, injustam esse litem; debereque civem illum sibi admodum cavere, ne ab se injustitiæ pœna extorqueatur. Retulit Osanna occultis quibus maxime potuit verbis divina responsa, eumque ab incepta lite deterruit.

occultum peccatum impudicæ mulieris,

168 Mulier quædam, quæ plerosque menses nefandum quiddam atque impudicum opus, quo pacto exitu præstare posset, animo volutarat, Osannam visitatum accedit : cujus cum faciem inspectat Osanna, quid illa machinetur mali, quidve impudici tractet, divino quodam illustrata lumine, liquido deprehendit. Quare illam miserata, quod suos cogitatus in proprium verteret jugulum, sic alloquitur : Caveto, filia, ne ob diu in corde versatum scelus, quo Majestatem Dei lacessere sanxisti, divinam in te iram convertas. Admirabunda illa atque conterrita; Per eum, inquit, quo Christum complecteris amorem, dulcissima Mater, rogo ne me celaveris, qui E istæc in me verba jacias. Disseruit Osanna universos feminæ cogitatus, cunctaque nefanda opera explicavit, quibus maximam erat sibi labem incussura. Quare, cum illa divini quippiam in Osanna conjectat, quid rei veritas habeat, familiariter enarrat. Tum sanctis eam adhortationibus Osanna conveniens, ad frugalitatem atque pudicam vitam facile impulit.

alterius extases simulantis hypocrisim

169 Femella præterea quæpiam, quo sibi sanctitudinis famam vendicaret, publicum a sensibus raptum effingebat. At ea figmenta primum quidem interiori quodam lumine deprehendit Osanna, deinde cœlesti narratione clarissime intellexit. Quapropter dolens, miseramque illius deplorans sortem, rem spirituali suo Patri, cui mulier quoque illa confitebatur, intimat. Ille, admiratus feminæ arrogantiam insignemque temeritatem, Osannam jubet, ut ab ea pro sua prudentia veritatem extorqueat. Paret Osanna jussis : cumque rem ita se habere, uti sibi fuerat revelatum, per ipsam comperit; eam acriter increpuit, quod tantum facinus ausa fuerit, non erubueritque divinas res ementiri. Illa confusa admodum et exterrita, suæ dementiæ et temeritatis veniam poscens, pollicita est, idque perpetua fide servavit, se deinceps tantum non admissuram scelus. Nepte F ejus, cui nunc Sorori Ludovicæ nomen est, Osannam conveniente, quo suum ad Religionem animum diuque firmatam mentem explicaret; coramque ipsam stante, et suum aperire propositum non audente; Qui, inquit Osanna, huc venisti? Non me præterit, quid velis. Cupis Christo servire, efficique Religiosa. Fatetur illa id esse. Tum Osanna, Haud timeas, inquit, tuis opportuno tempore votis potiere. Quid multis morer? Humanos cogitatus usqueadeo aperte novit, ut nihil esse in mentibus hominum videretur, quod Osannam ulla in parte lateret.

et neptis de ineunda religione consilium,

amici sui instantem mortem,

170 Præter ea quæ superius enarravimus, multorum quoque obitum cœlitus præcognovit : quippe, suo quodam necessario adversa valetudine laborante, cum visitatum eum accessisset, offendit levi satis febre teneri. Adhortata tamen eum quo Christiana, adversus antiquum nostræ naturæ hostem pugnaturus, caperet Sacramenta, discedit. Ab ejus autem domo porro digressa, inter eundum animo sursum erecto, pro illius salute Sponsum Christum rogat. At sensibilis quæpiam vox ad eam cœlo demittitur, quæ sibi futurum illius obitum intimabat : evenitque haud post multos dies, uti voce illa fuerat expressum.

171

a Federico Marchda. bellum ituro *c*

171 Adhæc, iturus ad Tusciæ bellum *c* Federicus Mantuæ Princeps, accersitum mittit Osannam, cum ea suis de rebus deliberaturus. Ad quem cum venisset, præter plurima colloquia quæ invicem habuerunt, singulari sibi fide suam commendavit uxorem, precatus ut ejus diligenter curam gerat, sibique omnibus in rebus solatio esse velit: insuper se de omnibus quæ acciderint eam certiorem redditurum pollicetur. Cumque suam omnem operam illi promisisset Osanna; Securo, inquit, et tranquillo animo proficiscor, quando te uxoris atque filiorum tutricem relinquam. Profecto autem eo ad bellum, cœpit Osanna animo volutare, quantum supra humeros oneris assumpsisset, seseque hisce verbis alloquebatur: O miseram animam meam! O pauperem et mendicam sororem! O infelicem Osannam! Semper tibi cordi fuit a seculo desciscere, teque a temporalibus abripere curis: ecce tibi solicitudines undequaque circumfluunt. Hujuscemodi sæpenumero cum lacrymis questa, ad orationem immenso cordis affectu profugiebat, sicque Deum alloquebatur: Qui, carissime Deus, Majestas tuas permittit, ut tanta Principum amicitia tenear? quando ego exilis admodum vermiculus sim, tantusque honor me haudquaquam deceat. Quid causæ est, quod similes viri tantam in me fidem habeant; cum ego talis sim, in qua neque virtutis, neque probati quippiam operis eluceat. Tum Deus, Patientiam, inquit, habeto, filia: sic mea lege meaque providentia sancitum est.

uxori ac liberis tutrix relicta

queritur multis curis se distrahi,

prædicit Margaritæ Principi

172 Ceterum cum suo tandem ipsa desiderio factum iri satis operiretur, in dies singulos majoribus curis opprimebatur, quod noctes et dies Principis litteræ convolarent; eamque Principis uxor, quæ universa sua consilia illius sententia moderabatur, crebro visitatum iret. Semel inter hasce mundi procellas orationi omnem suam opem adjiciens, terrenam omnem felicitatem aspernabatur, Principumque et Matronarum amicitiam nihili pendebat, ad amorem divinum tantummodo animum intendens. Cum autem felices dies Mantuæ Principibus precaretur, sibi cœlitus renuntiatur, Marchionis uxorem, cui Margaritæ nomen erat, humanis rebus excessuram: id quod exacta etiam in Quadragesima, quando tres dies rapta perstiterat, sibi fuerat præmonstratum. Evenit autem ubi sibi cœleste prædixerat nuntium: quippe ab hac revelatione *d* quinto mense extremum diem clausit. Adhæc sub unam diem ægræ amitæ, et in lecto jacentis cubiculum ingressa; mortem cum pharetra et arcu introeuntem, depromptamque sagittam in eam jacientem, inspexit. Cum autem invaluisset morbus, extremumque ageret ipsa diem; dum pro ea intercederet, Mariam Virginem egredientem de corpore animam suo sinu excipientem vidit. Autumabat autem illius morti Mariam Virginem affuisse, propterea quod die Sabbato in ejus honorem jejunaret.

et amitæ suæ mortem:

novit eorum sibi Minoritam obiisse,

173 Quidam de Ordine Minorum, religiosus atque virtutis studiosissimus vir, quem apprime diligebat Osanna, graviter ægrotabat: mittebat autem qui sæpius eum suo nomine visitarent, crebrasque pro ipso atque ardentes profundebat preces. Accidit autem, ut ad Divi Vincentii monasterium gradiens, mulieris qua familiarissime utebatur domum ingrederetur: inter loquendum autem quodam divino spiritu agitata, Oh! inquit, filia, ille de Conventu S. Francisci, quem mihi carissimum nosti, hac luce migrabit: migrabit, inquam, æternum illico et felicissimum præmium accepturus. Tum inde discedens, monasterium ingressa, ad ecclesiam contendit: ibique genua demittens, illius animam subire cœlos inspectavit: id quod domum cum regrederetur, præfatæ mulieri sub secreto reseravit. Cumque de hujuscemodi re vellent periculum facere, missis qui rem diligenter exquirerent, invenerunt illa eadem hora hominem animam efflasse. Sub noctem illam, qua Antonius Alduinus, summus et integerrimus vir, qui Consultorem Principis agebat, vitam cum morte commutavit, ad neptem conversa; Antonius inquit, Alduinus mortales hac hora reliquit: id quod ab veritate minime aberrare, domesticorum narratione compertum fuit.

item Ant. Alduinum,

A FRAN. SILVESTR. COÆVO

CAPUT II.

Varia futura ab Osanna prædicta.

Pro paupere Sacerdote orans, Archipresbyterum futurum intelligit,

Inops quidam Sacerdos, quo ruri morata familiariter utebatur, plerisque calamitatibus et infortuniis actus, suarum precum opem sæpenumero flagitavit. Egit illa pro singulari amicitia, continuisque precibus Deum maximum in illius præsidium exquirebat. Ac cum semel pro eo enixius intercedit, significatur illi cœlitus, Archipresbyterum quempiam, Sacerdoti illi sui beneficii juribus cessurum: verum de illo fama ferebat, nullis unquam amicorum obsecrationibus, nullisque Principum minis adduci potuisse, quo sibi alterum sufficeret. Quam rem cum aliorum relatu Osanna certo sciret, sic Deum affatur. Non me fugit, sapientissime Deus, hominem hunc noluisse quampluribus hujusce Urbis primoribus, sua deposcentibus jura, Principum etiam adactu nimis meorum sententiam cedere. Qua igitur arte, quove studio, poterit ab hoc suo tenaci et firmo proposito dimoveri? Tum ille: Non est, inquit, imperii mei corda hominum immutatum ire? In talem eum opinionem pertraham, ut id sibi, cogente nemine, jucundissimum putet. Scito tamen tuum illum Flaminem, cum primum id muneris nactus fuerit, difficiles perpessurum molestias.

cedente qui id se facturum negarat,

175 Parvo interjecto temporis spatio, Archipresbyter ille visitatum Osannam accedit: quem cum illa interrogat, num beneficio suo cessurus sit; respondet is, eam rem se numquam facturum, quando velit adusque extremum diem Archipresbyterum agere. At vix anni emenso dimidio, is, suadente nemine, quem supra memoravimus, Sacerdotem sibi Archipresbyterum suffecit. Qui cum ecclesiam administrare, atque ejus jura tueri occepisset; usqueadeo adversa laboravit fortuna, ut parum abfuerit quin ipse, in extremo intuitus res esse discrimine, Beneficium reliquerit: perstitit tamen Osannæ monitis, quæ illum ad patientiam hortabatur. Cum is semel Romam, sua obtentum jura, profectus esset, rediissetque re infecta; erant qui sibi denuo Romanum iter suaderent: sed ille omni spe dejectus, consilia detrectabat: quando potissimum videret cuncta inibi venalia fore. Urgente quoque eum Osanna ut eo concederet, ille se nullo pacto tantum itineris posse conficere aiebat, quod sibi iter agenti sub pedibus vesicæ suborirentur, quæ maximæ sibi molestiæ accedebant. Tum eum Osanna proficisci jubet, prædicitque sibi universa ex sententia eventura. Non potuit is Osannæ jussa non complere, propterea quod summa ea veneratione prosequeretur, atque pro divino haberet nuntio. Itaque Romano se commisit itineri, rediitque sanus et incolumis, universis quæ cupierat facillime impetratis.

eidemque prædicit obtinendam Romæ causam,

Seque ex morbo non decessuram,

176 Cum ipsam ægram lectoque decumbentem visitarem, quod essem alio profecturus; Oh! inquit, illa, me sic ægram dimittis? Quid si te absente mortem morerer? Istoc ego sermone exterritus, propterea quod ipsam pæne exanimatam viderem, sciremque nihil sibi morte jucundius optatiusque accessurum; num certi aliquid de suo extremo die cœlitus habuisset,

A Fran. Sil- vest. coævo.

buisset, exploravi. Respondit illa, novi se nihil comperisse: attamen si propediem reverterer, fortassis aliquid afferret. Redeunti mihi postero die: Securo, inquit, proficiscare animo: quoniam non modo hac ægritudine, uti mihi renuntiatum est, non decedam; verum pleraque etiam incommoda summasque difficultates perpetiar necesse est. Abii ego: reversusque incolumem offendi.

Auctorem a colica liberandum,

177 Laborabam ego gravissima colicæ ægritudine, atque adusque mortis limina (quippe me jam visus destituerat) perveneram. Id cum Osanna, quæ me tenerrime diligebat, nostrum ingressura templum per medicos rescivisset, ægerrimoque animo ferret; ad orationem, mihi impetratura vitam, confugit. Oranti visus est Christus: qui lacrymantem bona spe esse jubens, pollicetur se mihi vitam ejus precibus præstiturum. Extemplo res dictis successit. Nempe quo die animam efflaturus videbar, insigni medicorum opera cœpere sanitatis indicia apparere: noctemque insequentem, quæ ob lunæ cum sole conjunctionem cunctis suspecta admodum erat, quietissimam egi. Dedit autem ad me litteras Osanna, quibus hortabatur me sperare; quibusque intelligere poteram, eam cœlitus de mea futura incolumitate certiorem factam.

ægram sanandam unam

178 Mulier, quæ Osannæ servitiis incumbebat, animum ad Religionem adjiciens, illi suum votum patefecit: ab ea autem non modo sui explendi desiderii libertatem facile obtinuit, verum et admonita et apprime in proposito confirmata, in summam spem erecta est. Post aliquantulum temporis timor quidam et pæne desperatio eam adoritur, propterea quod gravissima quapiam ægritudine laboraverat, quæ futura sibi non parvo impedimento videbatur. Id cum ad Osannam refert, jubet illa bono eam animo optimaque spe esse, quando pristinas sit reparatura vires. Evenit uti sibi prædixerat: quippe incolumitatem nacta, sacris se Virginibus in Divi Vincentii Monasterio adscripsit. Visa est autem, postquam Religioni se initiavit, paululum ægrotare: quamobrem eam medici balneari aqua purgare sanciverant. Quod cum matri Osannæ intimasset, admonuit illa ut a balneis abstineret, propterea quod illis summotis sananda foret: id quod postea rei probavit eventus.

alteramque

179 Cum integerrima quædam matrona, Magdalena, inquam, invicti Comitis Giberti Borromæi uxor, gravi languore Mantuæ teneretur, jamque ad mortem medicorum opinione spectaret; eam Osanna insigni humanitate visitavit. Dicentem autem sibi Comite, in extremo illam esse vitæ discrimine, exquirenteque num eam morituram putaret: Haud vereare, inquit: quippe anteaquam ad nostrum sol redeat hemisphærium, mirum eam in modum convalescere videbis. Evenit uti prædixerat: usqueadeo enim nocte illa convaluit, ut non modo cunctos suæ mortis suspicione levaret, verum etiam integra incolumitate potita videretur. At sub diluculum, quomodo rem suam ageret Magdalena, per ancillam exquirit Osanna. Egit primum ancilla apud Gibertum dominæ jussa: tum subjungens; Me, inquit, ad explorandam ægræ sortem Domina misit: sed quemadmodum ex ejus verbis conjectare potui, illam se melius habuisse certo novit. Exinde Magdalena priores cœpit vires reparare, brevique præter omnium spem optimam valetudinem est adepta.

et tertiam etiam Monacham futuram,

180 Juvenis quædam, quam spiritualibus moribus erudiebat Osanna, graviter ægrotavit: et usqueadeo morbus invaluit, ut eam medici morituram astruerent, illique tres tantummodo dies vitæ pollicerentur. Ad hanc cum venisset Osanna, intellectis quæ medici prænuntiaverant, illi spem potiundæ sanitatis allatura, quando rem cœlitus prævidisset; Haud vereare, inquit, filia: ex hac convalebis ægritudine, insuper et tuum Religioni in Monasterio Divi Vincentii nomen dabis. Convaluit juvenis, uti illa prædixerat; seque sacræ Religioni Prædicatorum addixit.

ipsamque pro se orasse cognoscit

181 Præfatæ juveni semel, ad suum quod animo gerebat explendum votum, preces indixit. Fecit illa lubens quæ ab matre fuerant imperata: at postero die, cum eam offendisset in via, secum ad prandium invitat. Annuit juvenis, seque ituram pollicetur. Cumque opportuna illo concessisset hora, ingredienti sibi fores fit obviam Osanna; magno, inquam, plausu et extentis brachiis: deinde dulcibus amplexibus stringit, atque in oscula ruens suaviter lacrymatur, frontem quoque, oculos, labia, manus, tacita et elinguis osculatur. Admiratur juvenis tantam benevolentiam tantamque familiaritatem, quando id novum apud ipsam esset et insitatum. Quare gaudio pariter et admiratione perculsa, prorumpit in lacrymas, tremebundaque matrem alloquitur: Oh, dulcis mater! Quid causæ est, quod hisce me amplexibus hisceque osculis prosequeris? Tum illa: Ago, inquit, hæc, carissima filia, ne ingratitudinis tecum notam incidam. At multo magis admirata juvenis: Quid, ait, est quod loqueris, Mater? Estne ab me quidquam tibi impertitum, quod de te tantum bene merita sim, ut hac excipiar comitate? Putas, inquit Osanna, me latere, quæ mei gratia summa diligentia perfecisti? Non poterat illa istæc verba non admirari, quando sibi pro ea facta oratio memoriæ non occurreret: quamobrem ignorare se autumabat, qui rerum pro ea gessisset. Tum subridens Osanna: Ne, inquit, me rem hanc celaveris, filia. Vidi ego te sub mediam noctem, sexta inquam hora, divinæ Majestatis astare conspectui, impetrasseque ut meo desiderio potiar. Astruxit illa, se quidem, ut sibi jusserat, orasse; verum nihil erga Matrem egisse majus, quam quod filiæ sit; esseque illi tanta necessitudine devinctam, ut gratiæ sibi tamquam extraneæ agendæ non sint. Demum huic certamini fine imposito, diem illum dulcibus colloquiis complere.

et exorasse quod optabat.

Sæpe videt animas in purgatorio

182 Sæpenumero cum veniam æternamque felicitatem sua crimina apud inferos diluentibus precaretur, ad ea loca ducebatur, in quibus ab dæmonibus animæ torquebantur. Inibi Angelos inspectabat, qui tristes homines solaturi, illis post ingens et acerrimum tormentum cœlestia regna felicemque vitam pollicebantur. Existentes ibi animas liquido cognoscebat, easque comiter et familiariter alloquebatur. Sæpius quoque ad æterni loca supplicii, quæ profecto amplissima erant, profecta; plerosque ibidem scelestos homines, qui Christianæ Reipublicæ infideles fuere, Judæis Mahumetanisque substare, se vidisse asserebat. Religiosum virum, qui cujusdam electionem iniquo animo perturbarat, infectum macula in purgatorio vidit: qua continue deflente cum tota fuisset abolita, is ad cœleste regnum advolavit.

et inferno,

dæmonesque morientibus infestos

183 Cum inter Osannam et sibi familiarem quampiam mulierem de dæmonibus, morientibus infestis, sermo incidisset; interrogata, num quæ vulgo ferebantur, vera essent, tentare scilicet dæmones morientium animas, enitique eas occultis laqueis irretitas in tartarea loca præcipites dare: Quid ni, inquit: quando nihil perditione hominum sibi delectabilius (si tamen ulla possunt delectatione affici) ducant: verum scito, non esse juge sed intercisum certamen: primo namque congressu superati, aliam interjecta mora pugnam adoriuntur; tentaturi, si possint quandoque superiores evadere. Nam si hominem continuis molestiis et incursibus oppugnarent, qua re sibi ab divina interdicitur Majestate; qui

A qui diu illis obsisteret (tantus est eorum astus tantumque acumen ingenii) nemo esset. Præter hæc cœlestis patriæ cives, quos quisque præcipue veneratur, in ejus auxilium concurrunt : itque ab morientium conspectibus fallaces arcent spiritus.

et quosdam a Christo benedici :

184 Cum quispiam religiosus et clarissimus vir, de Ordine Prædicatorum, in Divi Dominici templo præsente Osanna declamasset, sermonem convertens ad Christum, precabatur ut astantem populum sua benedictione impertiretur. Cujus preces cum Christus audisset, universos, sola inspectante Osanna, benedixit. Plerumque etiam egit, ut Deus Mantuanum populum, Principes, arcem, benediceret. Meminerim ego, cum ea quæ Mantuani Principis filium lactabat, hac luce, spectante Osanna, decessisset; egisse eam, ut arci, Principi, ejusque uxori Deus benediceret. Videbatur nonnumquam Deus eo munere nolle, quos ipsa volebat, afficere : sed tanta se gerebat importunitate, ut Deum in sua vota traducens, ab ipso quod precabatur, benedici, inquam illos, extorqueret.

quamdam futuram religiosam in nondum extructo cœnobio.

185 Religiosa illa et integerrima mulier de Ordine Canonicorum Regularium, Sororem inquio Margaritam Seraphinam, de qua superius mentionem fecimus; antequam se Religioni initiasset, dilectis- B simam sibi Osannam ad singularis cujuspiam matronæ, Margaritæ, inquam, Lupæ domum comitata, longam ibidem cunctationem egit. Post multa autem utrimque habita colloquia, cum discedendum esset, jamque dexteram dexteræ jungerent; in hanc Osanna fixa jactans lumina, futuram eam Christi ancillam cœlitus illustrata deprehendit; seque in monasterio occlusuram, quod non modo extructum non erat, verum nec adhuc ejus erigendi vestigia apparebant ulla; quin post duodecim *e* ab hac visione exactis annis construi occepit. Exinde ipsam summa semper benevolentia Osanna complexata, se familiarissime secum gerebat. Unde sæpius eam in dicto existentem monasterio conveniens, dulces secum trahebat sermones, eodemque cum ea nonnumquam cubabat in lecto : id quod summæ in eam caritatis erat indicium.

CAPUT III.

De morte Osannæ et quibusdam visionibus secutis.

Videtur mortis suæ diem prævidisse

C Mortem suam prævideret, necne, incertum prorsus habeo, quando id ipsa nemini revelarit. Quantum tamen conjectura assequi possum, hujusce ego sententiæ sum, et exitum suum et exitus diem sibi fuisse præmonstratum. Equidem abhinc sexennium summis me precibus adegit, idque sæpius replicavit, quo suæ curarem omni ope interesse morti, quando id sibi optatissimum esset. Pollicitus ego eram, me omni studio et diligentia usurum, quo voti compos evaderet, si in mea positum potestate esset. At non modo pollicitus eram, verum enixissime obsecraveram, ut me, maximo etiam distantem interstitio, ad se morituram accerseret. Verum, ut caveret, admonui, ne me frustra evocaret : sed eo tantummodo casu, quo sibi certo fuisset dies mortis præmonstratus. Spoponderat illa se id facturam; me tamen maximus quibus potuit obsecrationibus obstrinxerat, ut quamprimum ad me hac de re litteræ allatæ essent, hæsitarem nihil, sed maturarem iter, summaque celeritate Mantuam proficiscerer. Talia igitur pacti eramus : tum ego ex Mantua Mediolanum commigravi. Interea loci sæpius ab me exquisivit, quot diebus ex Mediolano Mantuam iter conficerem ; idque se exposcere inquiebat, quo

qui rogata non frustra auctorem Mediolano accersere,

posset conjectare, si satis temporis ad me evocandum habitura esset. D

A. FRANC. SILVEST. COÆVO.

187 Cum igitur postremo ægrotaret, rogatum mittit Isabellam Mantuæ Principem, quo me ex Mediolano accersat, idemque ad se venientem rogat : subintulit quoque sufficere, si die Lunæ *f* evocarer : id quod ad eum diem quo litteras accepi (is enim Lunæ dies erat) retulisse puto. Qui igitur non existimem, eam extremum suum diem prævidisse? Adhæc, antequam ad me de ejus ægritudine litteræ deferrentur, me importuna quædam de ejus morte cogitatio noctes et dies agitabat, non poteramque mihi persuadere, eam mortales non derelicturam : quocirca atque de re certissima litteras opperiebar, universaque paraveram, quibus eo concessurus indigebam. Inter hæc quem mihi præbiturum equos arbitrabar, ad oppidum quadraginta milliaribus ab urbe distans proficiscitur : id quod ego ægerrimo animo tuli, veritus quippiam meo et Osannæ desiderio defuturum. Verum divina providentia factum est, ut paucos dies ante litterarum adventum is in urbem redierit. Rem hanc uni tantummodo, cui plurimum fidebam, antequam evocarer intimavi : dixique me in singulas horas expectare, qui me ad morientem Osannam accirent. Quid rerum ferebat vehemens E ista cogitatio, nisi quidam me vocantis Osannæ nuntius erat? At quo pacto id esse potuit, nisi sibi sit dies obitus præmonstratus?

id fecit die præcise necessario,

188 Dicet fortassis quispiam, divina sapientia id fuisse actum, quo Osannæ votis, ne dixerim meis, ea inscia fieret satis ; quo, inquam, ad iter paratus essem, morientique adforem. Sed si hac in re, quæ Osannæ animo utilitatis nihil afferebat, ejus accessit votis Deus; cur non existimare debeamus, eam rem, quæ sibi plurimum conductura videbatur, et qua nihil erat quod magis optaret, sibi impertisse. Quod si idcirco, aliquorum opinione, in me sui exitus præsagam cogitationem Deus immisit, quo mea oratione clarior et celebrior haberetur ad quod neminem sano capite dicturum puto : quando ego talis non sim, qui ulli mea opera gloriam afferre possim; ejus quoque vita usque adeo clara esset, ut meis laudibus meoque testimonio non egeret multo magis voluisse eum ut suam mortem prævideret, quo sese ad cœlestes captandas delicias excoleret, cui extrinsecus ejus honor tantæ curæ fuit fateamur. Est præterea quod me magis in hanc sententiam inducat; quod, sicuti superius explicavimus, illi Deus optimus maximus longe antea pollicitus erat, et mortem F ante intimaturum, et adfuturum se cum Matre. Quis autem usqueadeo desipit, ut Deum arbitretur, aut quempiam velle decipere, aut noluisse quæ Osannæ promiserat exitu præstare, qua et amice et familiarissime semper est usus? Suum igitur obitum prævidisse Osannam firma sententia tenendum est; tametsi id nemini reseravit; quando me accersiverit, longe antea de re futura præmonitum; importunaque animi cogitatione præpararit ad iter, sibi autem fuerit cœlitus divina sanctione promissum.

quod ille etiam aliis argumentis evincit putat :

189 Post longum auctumque in immensum desiderium mortis, in languorem incidit : qua continue invalescente, præbenteque maximam futuri obitus suspicionem; obsecrarunt eam plerique, et imprimis Franciscus Mantuæ Princeps, ejusque uxor Isabella Estensis, quo longiorem sibi vitam, Mantuano populo desideratissimam, ab Deo maximo precaretur : egere quoque, ut id sibi ab Majoribus suis, quorum jussa maxime observabat, mandaretur. Spopondit illa, se eorum votis facturam satis, Majorumque jussis parituram. Verum, cum ab ea exquireretur, num victura foret; ancipiti sermone respondebat. Quamobrem nonnulli in illius vitæ spem

jussa sibi longiorem vitam petere paret,

dissimulans quid ipsa sciret.

A FRAN. SILVEST. CASTO

A spem se erexerant : interrogantibus namque futurum aiebat, ut læti contentique essent : id quod in vitam, ab ipsa referri, probavit eventus. Nam qui ejus exitum acriter deplorabant, intuiti per eam, mortali vita functam, præclara admirandaque facinora in singulos dies fieri; populumque ad sepulcrum, suscipientem vota, concurrere; jam non se amisisse Matrem, sed in meliorem sortem commutasse, gloriati sunt. Quamquam autem gravissimo laborabat morbo, haud tamen ab divinis rebus alienatum unquam animum gessit : quin erant qui putarent, extremo quoque die ipsam extasim passam.

Ad moribundam accedunt Marchiones,

190 Tantus ad ægrotantem morientemque virorum et mulierum concursus erat, ut oportuerit ad fores sistere, qui indiscretam tumultuantemque multitudinem arcerent. Mantuanus Princeps, uxorque Isabella, qui summa eam et benevolentia et veneratione prosecuti fuerant, itidemque ab ipsa perinde atque carissimi filii fuerant amati; tanta secum se humanitate gesserunt, ut sibi nihil per ipsos majus fieri potuerit. Eam profecto sæpius ægram visitarunt, nullaque illi in re defuerunt. Quo autem die spiritum efflavit, ab diluculo adusque extremam ejus B horam numquam ejus ædibus excessere, quin in ferventissimo æstu, qui populi multitudine ciebatur, ad ejus sedebant lectum, eo amore eaque pietate quæ filios deceret. Hoc autem haudquaquam omiserim : cum ab ipsa, jam ad cœlestem patriam spectante, benedici Princeps exposceret; illa, manu Sacerdotis apprehensa ostendens nutibus, Sacerdotum interesse ceteris benedicere, illi Crucis signum impertivit. At quibusdam instantibus, ut sua ipsa manu benediceret; videreturque haud posse brachium extollere; religiosus quispiam vir, illius capiens brachium, eo Principem benedixit. Tum illa, ostendens se eum miserari, quantum valuit brachium tollens, sua benedictione donavit : cumque manum demisisset, numquam eam deinceps movit.

ejusque benedictionem petunt,

ad pie mortuam

191 Postremo, spectantibus plerisque de Ordine Prædicatorum religiosis et summis viris, Priore Gradariæ de Congregatione montis Oliveti, Francisco Gonzaga invictissimo Mantuæ Principe, ejus quoque conjuge clarissima Isabella Estensi, Sigismundo Gonzaga Principis fratre Protonotario, cum pluribus demum Optimatibus et Matronis, angelicum suum atque divinum spiritum, leni facilique exitu, ad cœlestem remisit curiam. Momento eodem C in fletum et singultus qui aderant erupere : perinde atque omnium Matre, et ea quidem carissima, destituti essent. Audisses pios gemitus, amaras vidisses lacrymas, alta de pectore suspiria deprehendisses : quæ invitum etiam et reluctantem animum commovissent. Exanime corpus osculabantur, dulcibusque stringebant amplexibus ; ut summa difficultate, donec funus curaretur, inde potuerint dimoveri. Post hæc data unicuique adeundi facultate, factus est tantus ad ædes populi conventus, quantus numquam Mantuæ visus est. Quippe operæ pretium fuit statuere, qui catervati accurrentium impetum reprimerent, caverentque ne quispiam indumenta præcideret. Flectebat quisque genua ad Virginis corpus, adorabatque haud secus quam Sanctorum corpora et reliquiæ soleant. Coronas, pannos, annulos, et quod cuique carius erat tangendo corpori admovebant, ea pro raris reliquiis servaturi. Trahebat illos sanctitudinis opinio : trahebat virgineus aspectus, qui virtutum omnium simulacrum præseferebat : trahebat suavis quidam odor, quem ex ore spirabat. Duravit autem hic populi concursus adusque illam horam, qua sepulcris mandata est. Obiit anno quinto ab Christiano natali supra millesimum quingentesimum, quartodecimo Kalendas Julias, circiter septimam et decimam horam, sexto D vero et quinquagesimo ætatis anno, mensibus sex et die uno.

ingens fit concursus

an 1505, 18 Junii

Funus curat Marchio,

192 Quemadmodum viventem Osannam Franciscus Mantuæ Marchio summopere amavit, veneratus est, coluit; ita morientem omni pietate prosecutus est. Omiserim, quod nepotibus, ejus gratia, cuncta vectigalia in viginti annos remiserit, quod summam in eam benevolentiam præsetulit ; tantum quid in funere egerit explicabo. Indixit ipse funus, exequiasque summa impensa et regio more perfecit : quippe religiosos omnes viros, et cunctos clericos qui Mantuam incolebant, Suffraganeumque Pontificem qui prosequerentur funus accivit. Hi omnes candidis cereis accensis (novum quiddam et ante illum diem Mantuæ inusitatum) exequias egere. Corpus religiosi sui Ordinis viri deportaverunt. At Princeps cum universa curia, Regius Francorum legatus, universi Optimates, omnis ætas, sexus, ordo, haud secus quam in domestico luctu mœrentes, feretrum comitabantur. Interea dum effertur funus universæ circumstantium templorum campanæ jussu Principis solenniter pulsantur ; ut non jam defuncti corpus, sed Sanctorum reliquiæ circumferri viderentur. E

deducitque

ad ædem S. Dominici,

193 Postquam autem ad sacram Divi Dominici ædem ventum est ; rogo ad hoc extructo, cereis albis circumsepto, imposuere funus. Affuit tunc Isabella, Principis uxor, mœstissima, inquam, quod tali esset Matre destituta. Indicto autem silentio habita est de Virginis Osannæ moribus funebris oratio, universis in lacrymas effusis ; quando pleraque intelligerent, quæ eorum opinionem, quæ profecto maxima erat, superarent. At cum peroratum esset, conscendit rogum Princeps cum uxore, dilectamque Matrem exosculatus, discessit ; Florentiam inquam iturus, quo visendi ejus curandique funeris gratia proficisci distulerat. Oportuit autem corpus adusque Vesperarum tempus (tametsi summo mane exequiæ actæ fuerant) insepultum tenere. Concurrebat enim populi multitudo, satagebatque quisque illud et inspectare et exosculari. Ferebant quoque impuberes filios, arbitrati contactu sacri corporis eos pleraque devitaturos adversa. Ceterum usqueadeo frequens populi concursus invaluit, ut feretrum, ne confracta mole decideret, rogo deponere cogerentur. Corpus in lateritio tumulo reposuerunt, donec marmoreum sepulcrum extructum fuerit, magna Isabellæ Principis impensa fabricandum. F

ubi concursus renovatur.

Videt quemdam purari et locum in cœlo,

194 Sub ultimam Osannæ noctem, cum integerrima quædam et religiosissima mulier, cui pleraque divina cœlitus premonstrata sunt, se orationi dedisset ; cœlestem vidit patriam immensa claritate fulgere, quemdamque de Ordine Prædicatorum, dividam flexis genibus Majestatem quidquam precari. Dein, dum circumspectat, videt innumeram Seraphin multitudinem paratam instructamque ire obviam Osannæ. Tum sese Maria virgo offert, pulcherrime inquam ornata, summoque decore fulgens. Pertransiit hæc per medios Seraphin, sicque eos affatur : Manete paulisper : neque enim adhuc exitus hora est ; quando quempiam interesse operæ pretium sit, qui nondum advenit : adusque enim horam nonam spiritum trahet. Evenit autem, uti sibi fuerat præmonstratum. Postquam enim is quando expectabatur *g* appulit, sole ab meridiano flectente iter, ad cœlestes ædes commigravit.

195 Nocte illa, quam Joannis Baptistæ sacris Christiani Pontifices *h* deputarunt ; eodem inquam mense et anno, quo decessit Osanna, dum quam superius commemoravimus mulier spiritum a sensibus evocat, ei de sepulcro Osanna in Divi Dominici æde

A

et sexto post die intelligit confessus viventi plagas

æde sese offert. Cumque sibi memoriæ occurreret eam jam vitam cum morte commutasse : exterrita admodum et elinguis manet. Tum eam proprio appellans nomine Osanna, manuque comprehendens ; Haud, inquit, paveas, filia. Stigmata quoque in aperto ponens ; Intuere, inquit, Sponsi mei Jesu Christi insignia, quibus me viventem insigniverat ; tametsi, me efflagitante, latentia perstiterunt. Dein eam post mutua colloquia exosculata, sese de ejus conspectu proripuit.

nepotulo apparens Osanna juvat integre confiteri.

196 Cum nepotum ejus quidam, impubes et mansuetus, in Osannæ cubiculo, cuidam de Ordine Prædicatorum confiteretur ; vidit eam, ante Crucem quæ ad latus lecti sita erat, stantem, ob cujus præsentiam admiratione perculsus, eam tacitus prospectabat. Verito autem Confessore, ne verecundia ductus conticeret ; adhortatur illum, audereque jubet : sed nihilo magis loquebatur, propterea quod oculos et cogitationem in Osannam intenderet. Tandem cum persuasus, universa peccata sua opinione confessus esset : ad eum veniens Osanna, auribusque immurmurans, illi quoddam, peccatum (tametsi leve erat) ad memoriam revocavit ; illicoque sese occuluit.

B

Statura ejus ac vultus dispositio.

197 Erat non supra communem modum procera statura : forma egregia atque præstanti ; non quæ ad illecebram, sed quæ ad morum integritatem homines pelliceret. Paulum oblonga facie ad fuscum colorem : rubore tamen quodam, maxime in juventa, suffusa : inclinata, oculis glaucis atque cæruleis, quos tanta ingenuitate versabat, ut divinum quiddam præseferrent. Genæ aliquantulum tumentes erant, ad gratiam hominum conciliandam. Erat præterea corpore gracili, sed in senectute languidiore atque infirmiore . usquadeo vero macilenta, ut pellis ossibus hæreret.

ANNOTATA AD LIB. V.

a *Anno (ut supra dictum)* 1495. 6 *Maji.*

b *Quo tempore potissimum Virgo floruit electi sunt Generales, an.* 1474 *Romæ*, Leonardus Mansuetus Perusinus, *anno* 1481 *ibidem* Joannes Caserta Panormitanus ; *an.* 1486 *Venetiis* Barnabas Saxonicus Neapolitanus ; *an.* 1484 *ibid.* Bartholomæus Comatius Bononiensis ; *an.* 1487 *Venetiis*, Joachimus Turrianus Venetus ; *an* 1501 *Romæ*, Vincentius Bandellus Insuber : *quem hic intelligi puto, propter*

C

innatissimam et in Lombardia notissimam viri virtutem. Vide de illis Leandrum Albertum in libro de Viris illustr. Ordinis.

c *Bellum hoc contra Florentinos gestum an* 1479 *prolixe describit Scipio Ammiratus, libro Hist. Flor.* 24, *in eoque* Fredericum Mantuanum *ducem copiarum Mediolanensium pro Joanne Galeatio, agnoscit.*

d *Id est (ut supra dictum)* 14 *Oct.* 1484, *quo anno, Pascha celebratum fuerat 2 Aprilis ; a præcedente autem Martio, non quintus sed septimus mensis October est. Erravit ergo in mense nominando Hippolytus, vel in numero hic scriptor.*

e *Hippolytus conditum ait in suburbio S. Georgii Religiosis Carmelitanis an.* 1485 *adeoque visio hæc referenda esset ad an.* 1473. *Supervixit autem Margareta Seraphina Osannæ, ut patet ex Vita 2 num.* 260.

f *Anno* 1505 *littera Dominicali* E, *dies* 18 *Junii incidit in Feriam* 4 ; *biduum autem satis est, ut quis eques veniat Mediolano Mantuam.*

g *Videtur hic ipse Auctor fuisse.*

h *Scilicet* 24 *Junii.*

D

A Fran. Silvest. coævo.

LIBER VI

Miracula per Virginem facta in vita et post mortem.

Cum Dei solius sit supra naturam operari,

Nullibi gentium compertum est, tanto homines ingenio tantaque industria præstitisse, ut quidquam suapte virtute, supra naturam potuerint efficere. Fuere quidem quamplures, suntque sub hanc nostram ætatem, qui dæmonum usi opera admiranda quæpiam supra communem sortem ediderе : at quamvis in magnam inspectantes admirationem induxerint, illa tamen aut quibusdam occulto per fallaces spiritus injectis causis egere, aut ante præstigiatos confluxere oculos. Quippe solius Dei optimi maximi est, alterius haudquaquam, sicuti universa condidit, certamque et definitam singulis rebus legem a qua nequeant abhorrere indidit ; ita quocumque gestierit arbitratu suo urgere. Quocirca per universum orbem celebrata miracula, in solum Deum auctorem referenda sunt : quando illa, si vera miracula sint, naturæ modum excedant, sintque humana facultate superiora. Verum quamquam nemini natura insitum

E

est, ut hujuscemodi res suis potis sit viribus æquare : bifariam tamen ab nobis effici posse, Gregorius summus et clarissimus vir tradidit. Quis enim pleraque homines ab clementissimo Deo impetrasse neget ? Universi, quibus res antiquas credimus, suos hisce rebus libros resperserunt. Precibus igitur quandoque ab Deo fieri miracula, religiosi homines impetrant.

ab ea solo sanctis datur gratia miraculorum

199 Sæpenumero quoque virtutem quamdam cœlitus nanciscuntur, qua ad ea patranda divinæ potestatis ministri fiunt. Petrus namque Apostolorum facile Princeps, Ananiam Saphiramque, quod sibi fuerant ementiti, acriter increpuit ; et ita increpuit, ut ad humum sola increpatione exanimes depulerit. Quis est qui virtutem in Petri fuisse verbis diffiteatur, quibus mentientes extremo potuit afficere supplicio ? Benedictum tacitus prætereo, qui cum aciem [oculorum] ad quempiam rusticum, devinctum retro brachiis, divertisset ; lora quibus vinctus tenebatur: solo intuitu maxima celeritate rescidit. Neminem sane esse puto, qui non fateatur, divinam quamdam in ejus oculos virtutem fuisse demissam, qua complicata vincula solverit. Ceterum non est ea vis in hominibus firma et stabilis pro sua namque arbitrio miraculosa conderent opera, id quod divini omnes scriptores inficias eunt at, quemadmodum præ-

F

sente sole aer lumine decoratur, eo autem ad alterum vergente hemisphærium tenebris offunduntur ; sicutique pictoria virtus in peniclo, movente tantum artifice manum, manet ; ita insigni hac et præclara virtute, cœlestes divinique homines tunc tantummodo miracula præstant, quando ipsis ministris immortalis Deus, ad ea quæ natura præstantiora sunt, utitur.

quibus etiam in Osanna fuit.

200 Utroque modo Osannam fecisse miracula, universa Mantua novit : poteritque ex his quæ ultimo conscripsimus libro, quisque facile intelligere. Ex multis enim ac prope innumeris pauca delegimus, ne eorum multitudo iis qui legerint fastidio sit. Adjecerim hoc ; ab divina Majestate mortales homines miraculorum gratia donatos iri, aut confirmandæ ab ipsis concionatæ veritatis gratia, aut quo eorum sanctitudini testis accedat. Quare cum nullum unquam Osanna suggestum declamatura conscenderit, idcircoque ab se dicta miraculis confirmanda non essent, id muneris ea tantum ratione nactam esse fateamur necesse est, quo nihil ad ejus probandam atque etiam extollendam sanctitudinem desit.

A. FRAN. SILVEST. COÆVO.

CAPUT I.

Miracula viventis Osannæ.

Eversa in Pado navi

Vocata Mantuam ab Federico Mantuæ Principe (Carbonarolam enim concesserat ad eum honesto comitatu adnavigabat. Inter navigandum autem cœpit agitare animo, non debere Christi servos Principum favorem exquirere: quadamque pœnitentia ducebatur, quod ad Federici preces sese navigio commisisset; tametsi sola caritate cœperat iter. Dum autem inter hæc ad cœlum spiritum extulisset, navi variis procellis agitata, universi multa cum supellectili deciderunt in Padum: quod, cum ad sensus regressa, esset intuita; fratrem imprimis qui periclitari videbatur, subinde reliquos spei plena confidere jubet: supinis manibus ad cœlum oculos tollens, pro eorum salute Deum maximum precabatur. Ceteris sub aquam, fratre potissimum, pluries demersis; Osanna Crucifixum tenens, quam antequam navi delaberetur habebat in manibus, minime demergitur; tametsi diu per flumen huc atque illuc eam scopuli propellunt. Erat sane hiemalibus vestibus onusta: quæ cum imbibita aqua mirum in modum pondus auxissent, ad ima infirmum Virginis corpus, nisi divino fuisset servata præsidio, facile pertracturæ erant. Videbatur autem sibi, duram quamdam sub pedibus subjectam molem [habere] quæ eam quocumque ab fluctibus impelleretur sustineret. At hoc admiratione dignum est, quod fluctuantem per Padum Osannam plenaque terrea [vasa] circumsepserant, eamque supernatantia aquæ sequebantur, perinde atque lignea, aut id genus levissima forent. Illis ipsis aliquamdiu fluctibus exagitatis, ignotus quispiam puer pro foribus ecclesiæ, quæ oppositæ ripæ admota erat, navim in flumine naufragium passam inclamat. Quod cum viri, qui declamationem audituri convenerant, intellexissent; ill[ic]o parvis advecti scaphis universos cum supellectili flumine extulerunt.

vectores omnes et suppellectilem

ipsa aquæ superstans servat

Capreolam necdum fœtam lac dare facit.

202 Cum cognatas summo (uti superius diximus) complecteretur amore, illis omnibus in rebus suppetias ferre enitebatur. Quare cum alterius duos parvulos filios alendos suscepisset, tanta solicitudine in enutriendis illis et eorum sordibus eluendis utebatur, quanta si eos utero gestasset. Una dierum, capr[in]um lac infantibus præbendum quærens, edicit ancillæ, ut capram quamdam ignaram fœtus (eam enim tunc quispiam fratri Bigarelli jus dicenti dono dederat) emungat. Deridet illa jussa, atque subridens; Quis, inquit, animalia ante partum præbere lac unquam vidit? Quo tamen suis votis faceret satis, ea inspectante conatur emungere: sed vanus erat labor. Tum capra ad Osannam deducta, illa extenta nondum habentem ubera propriis emungit manibus, tantumque lactis extorquet quantum parandis ferculis sufficere putat. Hoc peracto plerisque diebus capra, antequam fœtum ederet, lac præbuit; quod tamen nullus erat, excepta Osanna, qui, multo etiam sudore, posset educere.

puerperæ periclitanti partum levat,

203 Muliere quadam Joannis pistoris uxore cui Catharinæ nomen erat, difficili periclitante partu (erat enim inversus fœtus, manumque utero produxerat) complures medici atque obstetrices, qui illi opem afferant, accersuntur. Illi universa experti medicamina, neque matrem dolore levare, neque fœtum ulla industria educere potuerunt. Quare matrem saltem salvaturi, brachium fino præcidunt; arbitrati se faciliorem illi egrediundi viam præbituros. Quod cum vane etiam attentassent; quid amplius rerum gererent inscii, eam divinæ providentiæ committentes, mœsti admodum recessere. Hujusce sortem mulier quædam apprime miserata, cum preces Osannæ plurimi faceret, confideretque eam facturam quod medici suis artibus obtinere nequiverant; eam oratum mittit, quo languenti, summisque in tormentis versanti, suam opem impertiatur. Pollicetur illa, se illi mulieri suppetias allaturam. Tum Deum maximum conveniens, ardentesque ad eum profundens preces, illi partum exoravit: quippe eadem hora, præter omnium spem, exanimem fœtum emisit, brevique convaluit.

manum aridam sanat,

204 Osannam mulier quæpiam, inops et mendica, manum habens aridam et nulli usui aptam, convenit; summaque in eam fide sic loquitur: Non te præterit, dulcissima Mater, quam pauper sim: ecce manum aridam et viribus destitutam gero; qua mihi victum, si ea uti possem vel mediocriter, pararem. Te supplex per Christi maximi passionem rogo, quo tuam mihi opem præstes: quippe nulla mihi, exceptis tuis precibus, potiundæ sanitatis via relicta est. Hoc solo abs te munere donari cupio, ut inquam a colo filum trahere potis sim, quo mihi vitam servem. Miserata inopem Osanna, in ægram manum immittens suam coronam, abhortatur bona spe esse, divinæque fidem adhibere clementiæ. Illa, spei plena de Osannæ conspectu discedens, postero die, cum de manu periculum factura attentasset nere; offendit se optima valetudine et integris viribus quodcumque lubebat opus exercere.

cancrum pellit,

205 Mulier quædam, ulcere quod cancrum appellant graviter laborans, nulla poterat arte, nisi adhibito igne, valetudinem assequi. Cumque admodum torqueretur, nulloque pacto admoveri sibi ignem vellet; ad Osannam, in qua suam omnem spem locaverat, profecta; miseram suam sortem deplorat, rogatque ut cœleste sibi imploret auxilium, quando solo igne sananda sit, idque securo animo perferre nequeat. Tum Osanna Redi, inquit, domum, filia: Deum tibi suppetias allaturum spero. Quidquid jusserint medici lubens agito: at cum voluerint ulcus igni tollere, facito ut prior intelligam. Illa jussa capessens, quæ obtulere medici pharmaca ebibit. Cum autem in sequentem diem ulceri indixissent ignem; ad Osannam negotium refert, suasque preces efflagitat. Intuita illa afflictam admodum esse, ac præ timore pæne exanimatam, Qui, inquit, times, filia? Bona spe esto: neque enim puto te Deum maximum derelicturum. Abiit, Osannæ verbis apprime recreata: cumque sequenti nocte post quietem experrecta, manum tangendo ulceri admovisset, perinde se prorsus sanam repperit, atque si nihil unquam maculæ inibi extitisset.

moribundam servat

206 Nobili quadam et integerrima Matrona graviter ægrotante, usqueadeo languor invaluit, ut ad mortem magis quam ad vitam spectaret: non modo enim nullum captabat cibum, verum consertos tenebat dentes, ceu extremum trahentibus spiritum evenire solet. Misere domestici accersitum Osannam, propterea quod summam illi fidem adhiberent; apertoque scirent, quanto Matronam illam (quippe sibi gratissima erat) complecteretur amore. Hujusce præterea opinionis erant, illam omnino viventibus valedicturam, nisi ad vitam Osannæ precibus revocaretur. Venit illa familiariter et amice, remque uti se habeat inquirit. Cum narrassent, nullum eos in ægræ guttur posse cibum demittere, dentibus mirum in modum consertis; jubet cibi quippiam ad se afferri. Tum blandis ægram sermonibus compellans, hortatur omnia patienter ferre, cibumque de suis manibus capere. Cumque accepto cochleari consertos dentes diremisset (id quod sibi factu facillimum fuit, paululum cibi in os immittens, optima spe esse, divinæque liberatoris nostri Christi passioni fidere [jubet]: futurum enim, inquit, ut

pristinas

A pristinas reparet vires. Visa est ægra quasi ab inferis redire : cœpitque firma verba depromere, ita ut non parvam salutis suæ spem daret. Exinde cœpit melius se habere, tandemque incolumis evasit : tum ipsa, universique qui aderant, suam incolumitatem in Osannæ merita retulerunt.

curat gangrænam,

207 Veruca quædam, inter nasum et oculum, Bonaventuram Cremascum cruciabat, jamque vertebatur in cancrum. quod medici advertentes, illam, ne totam forte sordidaret faciem atque corroderet, præscindere decreverunt. At ille sibi admodum timebat, ne incisione illa mortem obiret. Rem hanc postquam uxor Beatrix deprehendit; illum admonet hortaturque, Osannæ religiosæ et sanctissimæ mulieris imploratum ire præsidium : se enim, inquit, scire, eam pleraque supra hominum facultatem effecisse. Annuit ille uxoris suasionibus, seque Osannæ maxima qua potuit animi promptitudine commendavit. Tum post quietem uxorem accersens, verucam illam, quæ sua sponte deciderat, inspectandam præbet : omni namque ex parte sanatus erat.

oculorum dolorem,

208 Cum juvenis quædam, quæ Osannæ obsequiis incumbebat, in oculis torqueretur, statuit B animo eam ad cœlestia raptam asservare, ejus contactu salutem adeptura : quippe maximam in eam fidem gerebat, quando cœlestem ejus ac prope divinam vitam inspectasset. Una igitur dierum, intuita ex raptæ oculis lacrymulas defluere, tacita nonnullas colligens, suos illis oculos linivit, illicoque convaluit.

febrem,

209 Tertiana febre Monachum de Congregatione S. Justinæ graviter affligente, is sub noctem unam, qua febrem operiebatur, precatur Christum, ut Virginis Osannæ meritis sibi sanitatem impertiatur. Ad ipsam quoque, tametsi absentem, sermonem convertens (nam eam tanta sanctitudine esse putabat, ut suas etiam preces absens intelligeret) supplicibus eam palmis rogat, quo suam illi opem impertiatur. Non abiere vacuæ fidelis viri preces : quippe deinceps nulla unquam illius febris vestigia sensit.

et contractionem nervorum,

210 Erat cuidam civi filia, male affecta cruribus : ob contractos namque nervos viribus destituta, ne stare quidem poterat, nedum incedere. Post multa autem remedia, et ea quidem vana, consilium cepit pater Osannam, cui plurimum fidebat, convenire. Ad eam igitur cum filiam summa spe adduxisset ; C supplex rogat, quo adversæ suæ fortunæ, filiæque infelicitati aliquem suis precibus imponat modum. At Osanna ; Non sum, inquit, probe vir, talis, ut tantam mihi fidem adhibeas. Tibi quidem et filiæ meam omnem opem polliceor : verum aget Deus quod ipse rectum putaverit. Illo autem importune se gerente, eamque ad commiserationem excitante, puellam omnibus summotis arbitris in suum introduxit cubiculum. Tum paulo post egressa, patri filiam reddidit incolumem ; et ita incolumem, ut per se pedes domum redierit.

[illegible]

211 Ægrotantem Osannam cujusdam Matronæ ancilla, veneficiis affecta, domum visitatura concessit. Cumque astantium multitudine rejecta, lecto appropinquare non posset ; eam eminus intuita, sese illi animo et cogitatione summa fide commendavit : tantum enim in ejus sanctitudine locaverat spei, ut suos illi patere cogitatus non ambigeret. Quare domum regrediens, cumprimum intra ædes pedem intulit, universa evomuit veneficia, atque plenissime sanata est.

[illegible]

212 Cum puella, undecim annos nata, cui Isabellæ nomen erat ; clarissimi, inquam Petri Francisci Benadusii, Mantuani Principis medici filia, gravissima febre laboraret : unoquoque die Osannam exquirebat, arbitrata omni se ægritudine facile liberari posse, si ejus faciem inspectaret. Id D cum intellexisset Osanna, quæ puellæ patrem insigni benevolentia prosequebatur (quippe eam ægram sæpenumero diligentissime curaverat, morientemque vitæ restituerat (suam quam Coronam ad salutandam Mariam Virginem appellamus, ad eam per ancillam, quando ipsa ea concedere nequiret, mittit. Suscepit puella Osannæ Coronam, magna et sincera fide tamquam cœlo demissam : tum eam, dum collo circumdat suo, extemplo eodemque prope momento, incolumitatem nanciscitur. Tantam autem Coronæ isti puella fidem adhibebat, ut eam nullo pacto de collo detrahi vellet : verita, ne ea detracta rursus in ægritudinem caderet. Eadem duobus exactis annis pestilenti febre, acerrima profecto et quæ ægros pæne omnes ad mortem perducebat, laborans ; eodem pacto continue Osannam, in qua suam omnem spem locaverat exposcebat. Cum igitur illa ad ægram, non vacantem sane suspicione mortis, venisset ; e vestigio puella melius se habere cœpit : brevique, præter multorum spem, convaluit. Tum Osanna profecta domum, numquam inde per se pedem extulit : ægra enim lecto decubuit, mortalesque ex ea ægritudine reliquit. E

A. FRAN. SILVEST. COÆVO.

attactu suæ Coronæ.

CAPUT II.

Miracula quibus mortuam mox honoravit Deus.

Invocata sanat pestilentem febrem,

Quo tempore Virgo Osanna hac luce migravit, pestilenti quadam febre, gravi quidem et acutissima, quæ parvo temporis spatio hominem deducebat ad mortem, Mantua laborabat. Hæc itaque Militem invadens, acerrimo capitis dolore contorquebat ; atque in humero, quem semel decidens lapis vulneraverat, cruciatum excibat. At cum venisset domum puer, afferretque Matrem Osannam spiritum efflasse ; is ad illam, si priori restitueretur incolumitati, votum concepit. Qui mox et febre et utroque dolore levatus, ad eam visendam, antequam sepulcris mandaretur accessit. Quare cum eum imprudentiæ arguerent, dicerentque, si eo concederet, sibi paraturum mortem, quando terrestris spiritus magno impetu flaret ; eorum ipse sententiam spernens, visum sacrum corpus ivit, domumque rediit incolumis.

puellam pro mortua habitam.

214 Extremas horas agente Osanna, puella septimum aut octavum nondum egressa annum, usqueadeo exanimis efficitur, ut tres horas nullum sensum haberet usum, nullumque vitalis spiritus indicium præseferret. Quare parentes, eam defunctam arbitrati (quippe diebus decem acerrima febre ac pestilenti perculsa fuerat, jamque diebus quinque exactis, ne minimum quiddam cibi sumpserat) illi oculos claudunt : circumpositisque luminibus lacrymabantur, dolentes admodum se filia, quæ sibi unica erat, destitutos iri. Inter hæc affertur nuntium, Osannam, magna populi inspectante frequentia, expirasse. Quod cum mater, quæ summa semper eam fide coluerat, resciscit ; vovet se filiam illius Habitu induturam, si eam sibi vivam restituerit. Tum in mentem ejus e vestigio cogitatio subiit, si parvum quoddam remedium adhiberet, se Osannæ meritis filiam adepturam. Præstito igitur exitu quod mente conceperat, visa est puella paululum respirare. Tum sub mediam noctem quasi e gravi somno excitata, matrem compellans, vinosum panem exposcit : eoque captato adusque diluculum quiescit. Exinde plenissime sanatam, antequam Osannæ corpus sepulcro mandaretur, ad illud exosculandum mater perduxit, arbitrata eam Osannæ clementia vitæ restitutam. F

A FRAN. SILVEST. COÆNO.

Liberat a febri mulierem unam,

215 Habebat quædam nobilis mulier ex filia parvulam neptem, quæ pestilenti febre gravissimoque dolore capitis torquebatur. Renuntiato sibi matrem Osannam reliquisse mortales, extemplo ad eam impositam feretro procurrens, post effusas, et magna quidem fide, pro nepte preces, duas Osannæ corpori Coronas admovit. Regressa autem domum, puellam ægram, lecto jacentem, hisce verbis alloquitur: En, filia, sanctissima illa Mater nostra Osanna, nobis dimissis ad cœlestes thalamos conscendit: sed hisce ego Coronis corpus ejus tetigi: si ipsis te signo Crucis affecero, spero te incolumem evasuram. Cum id annuente puella egisset, ægram somnus cepit. Experrecta autem, cum quomodo se haberet interrogaretur; Me, inquit, Mater Osanna sanitate donavit. Quocirca lecto exurgens, nulla deinceps febre detenta est.

alteramque

216 Magdalena, Dominici Bergomensis uxor, dies circiter quindecim magnis febribus, renum quoque et totius corporis dolore correpta, usqueadeo torquebatur, ut nullum, qui sibi quieti accederet, locum offenderet. Cum autem ad Virginem Osannam votum concepisset, paululum obdormire cœpit. Visa est autem illi per quietem Osanna, magna claritate, splendidosque de capite (uti Beatos effingere solemus, radios emittens. Quam cum esset intuita, Oh inquit, carissima Mater, precor te ut mei misereare: quippe omnem meam spem in te solam jeci. Numquid me liberatum iri putas? Astruxit Osanna illam evasuram incolumem: seque repente de ejus conspectu proripuit. Evenit, ut sibi prænuntiaverat Osanna: nam a somno excitata, sana et incolumis erat, perinde atque numquam ægrotasset.

item fame canina laborantem,

217 Quidam de acutissima febre sanatus, cum immoderata et noxia edacitate uteretur, in languorem recidit: id quod parentes gravi molestia afficiebat, propterea quod non satis sibi opum ad eum curandum esset. Quare hortabantur eum, quo ad B. Osannam, quæ multis jam miraculis claruerat, sincera fide recurreret, suumque subsidium imploraret. Egit ille quod sibi fuerat persuasum: quippiam enim se in Osannæ honorem facturum vovit, si eum sanitate donaret. Tum visus est quietis paululum capere: cum autem evigilasset, exquirentibus illis quomodo res ageretur sua; Plene, inquit, Osannæ meritis sanatus sum. Id autem ab veritate minime abhorruit: incolumis enim et admodum sanus exinde perstitit.

servat ex alto lapsum,

218 Cum sublime quoddam faber lignarius tectum coaptaret, migrasse Osannam hac luce, nuntiantibus quibusdam resciscit. Tum de ejus sanctitudine cum sociis verba faciens (erat enim sibi valde familiaris) confracto ligno ad solum decidit. Dum autem caderet, Osannæ implorat auxilium, illamque servatricem deposcit. Quod cum ad humum prolapsus exanimatus jaceret, videbatur sibi super molle stratum quietem capere. Subinde sibi sese offert Osanna, Beatorum more insignita, Deumque pro ejus incolumitate ipso inspectante precatur. Excitatus autem, nulla in parte (excepta parva in fronte macula) læsionem sensit; quando tamen collisa et confracta fuisse membra existimaret.

et a morbo gallico pereuntem virum

219 Morbus quidam, ab adventu Caroli Junioris in Italiam, universum pæne orbem occupavit, quem morbum Gallicum Itali appellarunt. Morbus sane vehementissimus, qui homines non modo quibusdam pustulis horrendisque ulceribus sordidare: verum acerrimis doloribus contorquens, ad insaniam et rabiem induceret, isto Joannes Andreas Bellinus admodum afflictatus, noctes et dies sine intermissione adusque cœlum tollebat voces. At cum ea, quæ Osannæ meritis in singulos fiebant dies, audisset; ad illam maxima fide votum concepit. Tum telæ frusto quod Virgineum corpus contigerat, ab uxore in fronte atque in membris, in quibus potissimum torquebatur, signo Crucis insignitus, illico incolumitatem nactus, dolorum omnium expers evasit: extemploque ab febre, quæ eum dies octo concoxerat, liberatus est. In alterum autem diem, de sua sanitate periculum facturus, allium, cepas, lactucas, ceteraque id genus quæ hujuscemodi solent languores excire, nullo detentus fræno comedit: quibus hominem nulla ex parte lædentibus, quas potuit Virgini Osannæ gratias egit.

ac juvenem,

220 Juvenis quidam Mantuæ erat, qui duobus continuis annis et octo mensibus, morbo Gallico, sævo admodum, laboraverat; in tantamque debilitatem inciderat, ut viribus omnibus destitutus, ori manum apponere haudquaquam posset. Is sub mediam noctem Kalendarum Julii, gravissime febre perculsus, atrocissimisque doloribus contortus, pæne in desperationem labebatur. At sibi admodum afflictato, omnisque consilii inopi, Beata Osanna memoriæ occurrit: statimque in lacrymas amarosque singultus erumpens, Mariam Virginem Beatamque Osannam compellans, eas adjutrices implorabat; precabaturque, ut tantis eum tormentis abriperent. Deinde votum ad Osannam concipiens, in fletu perseverabat; rogabatque, ut sibi non modo corporis, verum etiam animæ salutem impetraret; quando numquam se corporis languore sanandum, nisi peccatorum obtenta venia, putaret. Lacrymanti oranti que sese Maria Virgo cum Osanna offert: quam cum vidisset, extemplo hæc loquitur; Ah! dulcissima Dei Mater, precor te, ut pergas me ab sæva hac ægritudine liberare. Cum indignantis animum Maria Virgo præseferret, videreturque nolle illi sanitatem impertiri; ad B. Osannam conversus, eam sibi precatricem adhibuit. At illa, vidente ægro, ante Mariam Virginem demittens genua, pro eo dulciter supplicabat. Post porrectas autem supplicationes, cum illi sui copiam fecisset Osanna; eam exosculatus, suam illi causam commendavit. Tum, illis se ejus oculis proripientibus, cœpit brachia arbitratu movere suo: illicoque febre destitutus, lecto desiliens, adjuvante nemine, haustum de puteo aquam accessit. Exinde vero optima valetudine potitus, ab Osannæ laudibus non cessabat.

aliumque ab equo dejectum et collisum;

221 Quo die Mantuæ currentium equorum eduntur spectacula, Venturinus quidam ab cursorio equo magno impetu dejectus in terram, ejusque calcatus pedibus, ita ut cuncta membra essent accisa; Osannæ, cujus ope se vitæ semel restitutum putabat, auxilium imploravit. Illa extremum pæne trahenti spiritum sese offert, jubetque se humo efferat, atque in Deum maximum speret. Surgit ille, et ad propinquas ædes deducitur, inibique diligenter curatus, præter medicorum opinionem, qui eum nulla arte nullaque industria victurum sperabant, brevi convaluit. Tum vota Osannæ, summis eam laudibus prosecutus, exoluit.

digitum læsum.

222 Mulier quædam inops et mendica, quæ B. Osannæ ope de valetudine convaluerat, manus dextræ digitum magno et acutissimo stylo confodit; ut illum oportuerit, summa etiam difficultate, dentibus detrahere. Cum autem se Beatæ commendasset Osannæ, illico sanitatem recepit: ita ut eadem etiam hora lineos pannos nullo nocumento laverit.

Isabellam Princ. dolore capitis.

223 Illustrissima Isabella, Mantuæ Princeps, Gonzagæ, quod Mantuanum, oppidum est, dies aliquot morata, ingenti dolore capitis vehementer urgebatur. Haud secus profecto dolore premebatur, quam si acerrime caput quispiam contorqueret. Subiit autem in mentem ejus Osannæ cogitatio (quippe incredibilem semper in eam fidem habuerat) pensitatque ad eam pro sua incolumitate votum concipere. Cum ab hisce cogitatibus vix mentem deflexisset, concepissetque

A concepissetque ad eam votum; repente eodemque momento dolor omnis evanuit: restitit solum quædam in capite perturbatio, quæ mentem mirum in modum occupabat, Isabellamque (ut aiunt) reddebat attonitam; veluti ei, qui ex adversa fortuna subito quodam casu et præter spem in tutum portum cedit, evenire solet. Verumenimvero, post brevissimum temporis interstitium, de tanta mentis perturbatione plenissime convaluit. Rem hanc ipsa, non modo verbis litterisque significavit, verum argenteo etiam capite, ad Divæ Osannæ sepulcrum appenso, testata est.

224 Potuissem pleraque alia hujusce Virginis facta litteris commendare, potuissemque innumera ejus describere miracula; id quod ex imaginibus, quæ in singulos dies ad ejus sepulcrum appenduntur, conjici facile potest. Verum ne rerum ab ipsa gestarum multitudo legentibus fastidio sit, de quamplurimis præclariora decerpsi; ea, inquam, quæ et Virgini honorem, et non parvam Christianæ Reipublicæ utilitatem sint allatura. Qui enim istæc sibi ante oculos in exemplum statuerit; haud vereor quin in integerrimum atque sanctissimum virum evasurus sit. *Hactenus prior Vita, sequuntur autem locus et auctor impressionis cum Privilegio Principis Mantuani hoc modo:*

Alia indie miracula fiunt.

B Mediolani, apud Alexandrum Minutianum, anno Domini MDV, die XIX Novembris.

COPIA PRIVILEGII

Ab Illustrissimo Mantuæ Marchione concessi.

Franciscus, Marchio Mantuæ etc. Exit in lucem Vita Divæ sororis Osannæ Mantuanæ, a Venerando Fratre Francisco Ferrariensi Ordinis Prædicatorum, non minus fideliter, quam eleganter conscripta. Cui certior habenda fides est cum ipse actorum suorum fuerit oculatissimus testis, et assiduus cultor. Libentius tam sancto operi favere inducimur, in celebritatem nominis hujus venerandæ Matris: cujus itamemoriam colimus, sicuti ipsam viventem suspeximus; ad bonorum etiam exemplum et stimulum. Quia itaque Alexander Minutianus Mediolanensis, Vitam hanc imprimendam fidelibus characteribus curavit, cavere volentes ne ex alterius libraria officina exemplaria corrupta exeant, his nostris publicis litteris decernimus et mandamus, ne quis ejusmodi opuscula, præterquam dicti Alexandri characteribus C excusa, imprimat, vel alibi impressa in Dominio nostro vendat aut venalia comportet, per biennium tantum; sub pœna Ducatorum quinquaginta, Cameræ nostræ applicandorum pro singulis voluminibus; et amissionis eorum, quæ sic contra intentionem nostram impressa importatave invenientur: præsentibus per biennium valituris. Datæ Mantuæ, sub fide sigilli nostri, die XXVI Octobris.

Baptista Scalona, Secretarius, scripsit.
PTOLOMÆUS.

VITA ALIA

Ex Italico Fr. Hieronymi Montolivetani

Spiritualis filii B. Osannæ, et intimorum secretorum conscii, impresso Mantuæ anno MDVII.

PROLEGOMENA

Via et porta Paradisi ac omnium virtutum.

Præsens hic liber in tres partes dividitur principales, cum Capitulis cujusque partis annotatis. Et in multis dictorum Capitulorum notantur ad marginem variæ postillæ, ad solatium lectorum, ut facilius intelligant difficiliora operis. *(Harum postillarum nulla habenda videtur ratio in hac versione, quod enim præstarent illæ, multo perfectius faciet Synopsis marginalis consueto nostri operis stylo formata).* Sed oporteret ipsius Virginis spiritum habere, qui vellet bene intelligere. In prima parte narrantur res aliquæ de vita ipsius B. Osannæ, incipiendo a tenera ejus ætate. In secunda, sunt diversa colloquia spiritualia, habita cum quodam suo Filio spirituali, per multorum annorum spatium magna cum difficultate collecta, eo quod multæ res supernaturales iis contineantur. Tertia pars, habet Epistolas ejus aliquas, propria sua manu scriptas, ad præfatum ejus Filium spiritualem, variis annis et temporibus: sunt autem earum quas scripsit pars minima, ne scilicet, si omnes hic ponerentur, nimis excresceret volumen. *Utinam tamen omnes ad hactenus servatæ sint, proferanturque in lucem; utique haud minus ea dignæ, quam similes S. Catharinæ Senensis Epistolæ, quarum habetur volumen integrum.*

D *A FRAN Divisio et forma operis.*

tripartiti,

2 In principio continetur Epistola ad personas, quibus opus intitulatur, Argumentum, Proœmium, de nomine Osannæ, Testificatio operis.

E *cum quibusdam præambulis.*

Tituli capitum Tractatus primi.

Incipiunt colloquia sancta.

et secundi

Testificatio operis.

DEDICATIO

A

DEDICATIO LIBELLI

Marchionibus Gonzagis, tamquam filiis spiritualibus Virginis,

3 Reverendissimo in Christo Patri et Domino, D. Sigismundo Cardinali Mantuano, ac Illustrissimis Mantuæ Principibus, Francisco et Isabellæ, Fr. Hieronymus Montolivetanus. Vitam, atque Colloquia Divæ Osannæ de Mantua, tertii Ordinis Prædicatorum.

Ita Latine Auctor, cetera Italice, et sic sæpe per contextum Latina miscentur verba toto hoc opere: quæ licet invariata servarim, non tamen visum fuit charactere distinguere. Fuit autem Sigismundus *frater Marchionis, hic vero priori loco nominatur, quia Cardinalem eum creaverat Julius II anno* MDIII; *postea anno* MDXI *factus etiam Episcopus Mantuanus vir undequaque laudatissimus. Hunc ergo Marchionesque sic alloquitur Auctor, initio cœptæ impressionis: nam quæ præmisimus eadem jam absoluta, excusa fuerunt libro præponenda: nec alius ullus præmittitur titulus.*

B

offertur hoc de ea opus

Quemadmodum impossibile mihi fuit, Illustrissimi Domini, ut non susciperem saluberrimam hanc provinciam, scribendi res mellifluas et spirituales nostræ Seraphicæ et illuminatissimæ Osannæ; ita necessarium fuit, ut scriptionem meam Dominationibus vestris dedicarem. Etenim invictissimus amor, qui erat, ipsa vivente, versus Illustrissimas Dominationes vestras, requirit, ut secundum observantiam, quæ illi erat assidua, summa et indefessa circa animas vestras, corporaque et status vestros; ita etiam favore vestro et præconio efferantur suæ prærogativæ, gratiæ et laudes inter mortales in absentia sua; utpote qui fuistis electissimi ejus Filii, Principesque diligentissime culti, et cordialissime semper amati. Accipiant igitur Illustrissimæ Dominationes vestræ maternas laudes, et supernaturales gratias, a suo licet indigno famulo conscriptas et dedicatas, reductasque in volumen minime longum (quia mentales ejus conceptus exprimi nequeunt) Vosque cum Domino Jesu Christo valete.

ARGUMENTUM.

4 Colloquia secreta sanctæ vitæ, et mirabiles

C

continens res ex illius colloquiis per annos 19 cognitas

suavitates spirituales supercœlestis Osannæ de Andreasiis, Mantuanæ, tertii Ordinis S. Dominici, habita inter ipsam et quemdam ejus Filium spiritualem, spatio annorum circiter novem decim (quamvis diu antea fuerunt invicem a Deo per amicitiam colligati) noviter compilata eduntur in lucem, ad communem salutem et utilitatem multarum animarum; sed præcipue fidelium, contemplativarum et devotarum creaturarum, a quibus opusculum hoc subtilius intelligetur, et cum majori suavitate degustabitur.

PROŒMIUM.

5 Ad confundendum cornu superbiæ humanæ, omnino convenit fidelibus omnibus certum haberi, quod Dei clementia, per suam providentiam, sic disposuerit et ordinaverit, ut pro majori honore suo debiliores semper eligeret: quodque res tam miras, in sexu fragili divinitus sit largitus, et operatus spatio annorum quinquaginta sex, quinque mensium et diei unius, quibus anima hæc divina in isto mundo vixit; et ut ego, exili virtute atque doctrina præditus præco esse debeam tot tamque immensarum gratiarum. Id autem mihi quoque gratum accidit, ut sic magis laudetur Deus, in amplissima magnificentia donorum suorum: deinde propter obligationem meam versus suam Majestatem, et hanc coruscam Stellam, atque ad ædificationem mentium spiritualium, earum præsertim quæ pridem in spiritu consitæ fuerunt ab cœlesti illa hortulana cum esset in via. Quamquam satis doleam, quod, propter exiguam virtutem et doctrinam, ineptus inveniar ad suscipiendam provinciam tam grandem; eique multum per hoc decessurum, quod congrua illi sufficientia mihi desit: sed existimo divinam providentiam hoc ita præordinasse, ne talis sanctitas humanæ doctrinæ tribueretur. Displicet etiam animo meo, quod narrandæ sint res quasi impossibiles explicatu et captu difficillimæ. Nec minus gravor dum considero magnum esse periculum, ne cibi ingerantur stomachis nauseabundis, et margaritæ porcinis faucibus objiciantur. Præparet ergo Deus lectores idoneos, insinuando mentibus latentia mysteria, quæ nequeunt verbis explicari, nisi forte animabus talia expertis; reprimendo etiam fastidiosos, et confundendo mordaces latratores, ut divina sua Majestas ampliori perfruatur sublimium suorum operum magnificentia.

D

Ex vita Hieron. Olivet. cur dona Dei virgini collata per annos 56

ipse, licet impar operi, scribat;

6 Istæc autem solum narrabimus, et testes verissimi proferemus, quæ vidi et oculata fide cognovi in hac sancta Virgine. Namquemadmodum Dei benignissima manus in veris suis servis solet continuo esse larga ac fortis valde; ita neque debilis neque avara fuit in beata illa anima; sed semper largissima, a teneris annis incipiendo, et indies usque in finem in melius proficiendo; adeo ut a pueritia fuerit divino ministerio instructa et (si fas est dicere) ædificata, prout per secuturæ narrationis contextum abunde comprobabitur. Etenim non invenitur illa per hominem ullum unquam didicisse litteras, sicut in Psalmo scriptum est, Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum, deque aliis multis secundum dicenda inferius. Neque hoc auditorum mentes suscipiant ut impossibile, cum Deus in multis utriusque sexus Sanctis similes gratias sit operatus, quarum certum testimonium reddit Scriptura, quasque, per fidem credimus, etsi nequeamus rerum invisibilium habere singulare et sensibile indicium. Quamquam pretiosæ hujus gemmæ aliquanto major notitia nobis sit impertita, propterea quod nostris temporibus extiterit, et quia cum ipsa fuimus familiariter conversati. Non possem tamen dicere quam innumeris vicibus fuerit visa beata illa anima, a cujuscumque conditionis hominibus publice in extases rapta, sub quibus magnas habuit visiones de statu Paradisi et cœlestis Curiæ; demonstrata etiam ei est obscuritas Purgatorii, et horribilia loca inferorum; multorum insuper salutem prævidit, et quorumdam damnationem præscivit. Octavo decimo anno ætatis Deo fuit desponsata, deinde instructa de veris ac sensibilibus doloribus passionis Christi; cor denique mutatum et Dei manu purificatum habuit, aliasque multas supernaturales gratias obtinuit.

E

et licet res fere sint incredibiles,

Ps. 93, 12

nisi quod frequentia raptuum publice nota esset:

F

quid autem sub iis cognoverit,

7 Non existimes lector, quod ipsa, quæ erat in omni suo actu humillima, contenta fuerit ut in notitiam venirent divinitus sibi collata beneficia: fuit enim semper secretissima, etiam suis Confessariis, si paucos exceperis; et quemdam suum Filium spiritualem sæpius magna cum instantia rogavit, ut comburere vellet multas litteras propria sua manu scriptas, ne cum iis publicarentur Dei in se dona; semper in hoc dicto fixa, Secretum meum mihi. Sed propter diuturnam importunitatem illius sui Filii spiritualis, ardentissimamque erga se caritatem, negare ei non potuit, sub fide secreti arctissimi, conscientiam suorum arcanorum divina id permittente sapientia atque indulgere ut sub promissione

ipsi revelarit auctori,

tenendi

Ex Ital. hi- non oliv. fr sub prohibitione secreti :

tenendi clam prædictas epistolas, easdem apud se conservaret, itaque desiderio suo spirituali faceres satis. Veruntamen nihil sciebat illa de Memoriali, quod a prædicto suo devoto scribebatur : quia hic desiderabat et deprecabatur continuo Deum, ne id ipsi, uti sua alia secreta, revelaret : atque ita hujusmodi oblectatione privari eum vellet. Sed neque tunc ille occupabatur scribendo aliquo libro, solumque intendebat saluti animæ suæ et consolationi spirituali. Certus interim sum aut nihil aut parum ab eo sciri, respectu eorum quæ ignoravit ; adeoque dicit debet minimum esse quod scribi de ea possit, in comparatione plurium aliorum.

qui tamen clam ipsa scribebat audita

8 Dicemus igitur, indulgente Dei gratia, reculas aliquas ; ac primo de nomine, ipsi posito divinitus, narrando mirabilem pueritiam et conversationem suam imo sanctificationem, atque principia sublimium suarum extaseon, idque propriis ejus verbis, quemadmodum scriptum reperi in manus ejus proprie libello. Secundo loco prolixas diætas et sancta colloquia, sæpius iterata cum suo ineptissimo Filio spirituali, nulla habita cura ordinis, præterquam temporis quo habebantur ejusmodi collationes, sæpius iteratæ, nominatim de doloribus ; nihil per sermonis ornatum alterando, sed simpliciter scribendo pura ac familiaria ejus colloquia, prout inter ipsos fuerunt habita, secundum formalia Virginis verba quibus se explicabat ; ut quæ nata sint devotos lectoribus magis redolere nativam sanctitatem. Tertio loco adnectemus operi veluti coronam quamdam jucundissimarum Epistolarum ejus, propria manu scriptarum. Quod si contingat aliud opus compilari, in quo majora quædam de ipsa narrentur, credendum erit, quod aliis quoque familiaribus suis ea revelaverit, quantumvis paucis, eo quod esset secretissima, ac velut zelotypa divinorum in se donorum. Sane quoties de rebus spiritualibus loquebatur, fere eas truncabat, ac subridendo dicebat, Alia vice de hoc quoque loquemur : id quod subinde etiam faciebat, propter subitam ac facillimam extasin, qua metuebat impediendum sermonem spiritualem ne in longum procederet.

Unde hoc opus exurgit,

ipsismet Osannæ verbis fere contextum ;

9 Porro de re omni laudem dabimus Deo, a quo cuncta procedunt. Grandis autem a conscientia remorsus foret, si non diceremus totum quantum in nobis est, de sancta ista Virgine ; exceptis quibusdam minutiis particularibus, quas modo publicari indecens foret ; mente tamen eæ premuntur, cum proposito relinquendi memoriam posteris. Etenim firmiter credo quod divina providentia ideo voluerit res istas secretas, animæ illi cœlesti factas, fide oculata teneri ; ut futuro tempore aliquando publicentur, et simul cum corpore non sepeliantur tot divinæ gratiæ, in animam istam beatam collatæ : quod sine dubio accidisset, nisi Deus Virgini ea scribi occultasset, quippe quæ supra modum respectiva erat.

omissis quibusdam particularibus,

in aliud tempus reservatis.

De nomine suo.

10 Nomen istud sanctum Osanna, quantum ad nuncupationem creaturarum inusitatum et novum ; utrum beatæ isti animæ fuit impositum ab homine, humano instinctu, equidem nescio : potius crederem per inspirationem divinam inditum fuisse parvulæ. Etenim non recordor quod ejusmodi nomen positum sit alicui creaturæ præsertim Christianæ, prius quam beatæ animæ præterquam soli Deo. Quia hoc nomen, Osanna, est nomen Hebræum, et interpretatur, Obsecro, Vivifica, Salva in excelsis. Nomen istud fuit consequens per effectum ad supervenientem causam, demonstrans cœlestem animam, futuram Salvam in excelsis eaque mediante salvandos multos : et quemadmodum connotat significatque Celsitudinem ; ita erat signum demonstrativum, quod conversatio sua semper debebat esse in cœlis per elevationem mentalem et contemplationem divinam. Et hac de causa appellamus, Animam cœlestem, quia semper fuit evecta ad contemplationes cœlestes. Est autem pura et mera veritas, sicut multis attestantibus verificari potest, quod quandocumque Virgo nancisci poterat tempus quietum et locum secretum, plus erat in cœlo per contemplationem rapta in Deum quam in terra.

Divinitus videtur inditum nomen Osannæ,

ad signandam ejus et plurium per eam salvationem,

ac sublimitatem contemplationum ejus.

11 Dicemus igitur de hac beata anima quod fuerit, Osanna, id est, Habitatio cælestis, salvando se, et ipsa mediante alios ; quemadmodum in decursu Historiæ luculenter narrabimus, sæpius ipsi dixisse Deum ; quod vellet per ipsam multas animas salvare ; et ipsa etiam pluries ore proprio nobis sæpe id ipsum declaravit ; admirans, propter suam insufficientiam, quod electa fuerit ad gratiam tantam. Unde diximus quod divina providentia bene aptaverit et quadraverit nomen electæ suæ Sponsæ, consequens et differens ab aliis ; ad ostendendum quod ejus sanctitas tantum distabat a sanctitate aliarum communium creaturarum, quanto majoris excellentiæ nomen ipsum erat. Ideoque, sicut nulli alii inveniuntur quibus tale nomen (ut diximus) prius quam ipsi datum est ; ita (judicio nostro) nulla inveniatur creatura his nostris temporibus, quæ tantam familiaritatem habuerit cum Deo. Nostrum tamen judicium submittimus cuicumque alteri saniori ; solum id diximus eo fine, ut nomen istud pullulet in Ecclesia sancta, et sanctitas ejus cognoscatur : declarationem vero et diffinitionem sancti istius nominis melioribus et subtilioribus, quam nos simus, interpretibus relinquemus.

Nullam sic antea dictam novit Auctor,

Sane post tot Latina Græcaque monumenta excussa in hoc de Sanctis opere, fateor non magis hactenus occurrisse mihi nomen Osannæ, *alicui inditum, quam nomen* Alleluya. *Quamquam autem videam fieri potuisse, ut alicui natæ in Dominica Palmarum quando lætum* Osanna *cum pueris Hebræorum Christo occurrentibus Ecclesia concinit, nomen istud daretur, ad testificandum commune familiæ gaudium ex tali nativitate ; id tamen de Virgine nostra cogitare non possumus, ut mox dicetur in lucem edita* XVII *Januarii; sed ut summum de ea quæ baptizatam a sacro fonte susceperit, suumque ipsi nomen indiderit, aut alia anteriori. Hoc ipsum tamen vix potuisset Mantuæ esse ignotum : multo minus si ex Longobardica lingua relictum et traditum a Majoribus esset. Libenter igitur in hac tam insolita appellatione aliquid providentiæ extraordinariæ agnoscam, quod tamen ad notitiam scriptoris id inquirentis distinctius non venisse, semper mirabor, annis dumtaxat* LVIII *ab ortu Beatæ elapsis, quando non est credibile superfuisse neminem, qui causam sive occasionem imponendi nominis memoria retineret* S. Osanna soror Osredi Regis *Northumbriæ, cujus cultum* in Borealibus Angliæ trans Humbrum finibus in ecclesia de Hovedene *reperit Silvester Giraldus, cum suo Archiepiscopo Cantuariensi Balduino sub annum* MCLXXXVIII *Cambriam visitans, ab Henschenio in prætermissis memorata, non videtur huc trahi posse ; neque dubitari debere, quin illius nomen æque ac* Oswithæ, Osredi, Oswaldi *etc. Saxonicum sit, adeoque nihil habeat cum nomine Virginis Mantuanæ commune. Quando tamen de illa alibi agendi nusquam occasio dabitur, deficiente notitia diei, quo coli solita fuit : libenter hic ex Alfordi nostri Indice Chronologico addiderim, duos fuisse in Northumbriæ Reges* Osredos, *quorum primus ab anno* DCCV *ad* XVI, *secundus unico solum ab anno* DCCLXXXIX *regnarit : utriuscumque autem soror fuerit* S. Osanna, *consequens videtur, quod illa seculo* VIII *floruerit. De ea hoc recentioris memoriæ factum Giraldo narrabatur,* quod

nedum nos natam

nam quæ sec. 8 floruit in Northumbria S. Osanna Saxonicum

S. Osanna Saxonicum nomen habet.

quod Rectoris ecclesiæ concubina tumbæ ligneæ, per modum sedis super aream eminenti, minus caute insedit : quæ cum inde recedere vellet, fixis ligno natibus, avelli non potuit : donec accurrente populo, scissis vestibus et corpore nudato, et crebris disciplinis usque ad sanguinis profluvium acriter afflicto, cum lacrymis quoque multis et supplicationibus, compunctione secuta et pœnitentia injuncta divinitus laxata recessit. *Est et in Britannia Armorica cultus S. Osmanæ Virginis solitariæ : quæ an aliquid commune habeat cum Nortumbrica Osanna, licebit ad ejus diem IX Septembris examinare.*

Testificatio operis.

12 Quod vidimus propriis oculis, quod auribus audivimus, et oculata fide percepimus, de illa beata et cœlesti anima Osanna, hoc tantum sub fide sancta annuntiamus, et testamur non ab alia creatura habuisse, nisi tantum ex ore suo virgineo, et de quodam suo libello eripuisse ipsa vivente. *Et hæc Testificatio tota Latinis verbis exprimitur. Italicis vero cetera : quorum antiquam divisionem in tres Tractatus, sicut supra in libris, hic etiam sequi placet, numeris Capitum ad pauciores contractis et veteri numero ad marginem notato.*

TRACTATUS I.

Fere ex proprio MS. Virginis, de vitæ suæ spiritualis initiis.

CAPUT I.

Sexennis primum ab Angelo deinde a Jesulo apparentibus ad sanctum amorem invitatur, seque ei totam tradit.

Nata an. 1449, 17 Januarii.

Nata est virguncula et divina plantula hæc, anno millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, die decimo septimo Januarii. Patri nomen fuit Nicolaus ; matri Agnes ; nobilibus civibus Mantuanis ; ex quibus plures alii filii ac filiæ, magnæ bonitatis, virginem habuerunt. Divina providentia de cœlo respiciebat puellulam, ipsamque ordinate regebat atque conservabat in tam tenera ætatula, futuros successus in ipsa prospiciens. Cum autem ad eam pervenisset mensuram annorum, in qua natura incipit præstare usum aliquem liberi arbitrii, intra annum scilicet quintum et sextum, cœpit Deus sua in ipsa dona demonstrare id est trahere ad se virgunculæ istius animam, sicut in quodam ejus libello invenimus, et ipsamet per se narravit cum viveret. Igitur in tali ætate posita fuit a spiritu sancto inspirata ad contemplandum suam conditionem : dumque ita meditaretur, vocem grandem audivit dicentem sibi, O filiola, vita et mors consistit in amando Deo.

necdum sexennis instruitur ab Angelo ad Dei amorem,

14 Tunc anima ipsius rapta fuit in spiritu, eique sese obtulit Angelus, qui manu ipsam prehendens, adduxit supra alta cœlorum, docendo ipsam eique monstrando summam Deitatem, simulque dicendo : Vide, filiola, et attente considera opera Dei, et qua de causa facta sint. Attolle oculos tuos, et conspice summam Trinitatem, quomodo semper permaneat. Creati fuerunt Angeli, et multi eorum subito mersi sunt in magnum perditionis lacum ; idque quia noluerunt agnoscere et amare Creatorem suum ; alii vero, quia ipsum amaverunt, in summa et beata dilectione perseverarunt. Eccum filiola quo deveniatur non amando Deum ; amando autem ad quam sublimem gradum ascendatur. Postea Angelus puellulam deduxit per medios choros, Deo laudes canentium, in signum amoris sancti : atque ita erudiebat illam secundum cujusque loci ad quam ducebat conditionem ; et dixit ei ; Primi isti, o filia sunt Seraphini, inflammati amore sancto et pleni amore. Ecce autem desuper amorosum Deum, cum sua dilecta Sponsa et matre Verbi incarnati, præstolantes si forte creatura aliqua super terram petat ac postulet sanctum amorem, paratique dare illis etiam beatam visionem. Proxime assistunt Cherubini, toti in sapientia, qui vivunt ex amore sancto. Similiter Throni, Virtutes et Potestates, omnes beati per amorem et venerationem, stantes continuo ante summum Deum, decantandis ejus laudibus occupati in agnitionem suæ Deitatis. Postea commonstrati fuerunt puellæ Principatus, Archangeli, Angelique cum tota cœlesti patria, explicabaturque ei, quomodo per Dei amorem erant beati, atque per sincerum ac divinum amorem anima perveniat ad sublimem in cœlo gradum. Dixit autem ei Angelus, O dulcis filia, vide et intellige quomodo beata hæc vita solum possideatur per veram dilectionem et sanctum amorem Dei.

ex Ital. Hieron. Olivet.

exhibitis Choris Angelorum

et elementis,

15 Cum vero eam manu deduxisset per supradicta loca omnia et universos cœlo atque elementa cuncta ostendisset, dixit ei : filiola Dei angelica nota bene et memoriæ imprime quæ vidisti et audivisti, ut inflammeris perfecto desiderio veri sanctique amoris Dei, quem pauci noruut invenire. Ecce cœlos et elementa, suum continuo stadium decurrentia, suasque influentias terra communicantia, tantum ut placeant Deo ; idque præcipue ut instruant veros Dei amatores, continuo promptos ad contemplandam universam machinam mundialem ; eoque spectantes, ut perveniant ad veram Dei cognitionem, ejusque perfectum amorem. Eccum, dulcis filia, ut omnia terræ atque maris animalia creata sunt ad sustentationem hominis, ac similiter quidquid e terra nascitur, herbæ scilicet et sensu carentia cetera. Considera quomodo omnis creatura per suum esse aliud nihil clamet aut demonstret, quam, Amate Deum, quicumque vivitis super terram, quia fecit omnia solum ut amaretur a vobis. Certum est quemlibet vivere in morte, nisi perfecto corde Deum diligat super omnia. O dulcis filia, hæc est via per quam possis perfecto Dei amore imbui, eique soli servire.

amorem illum docentibus :

quod ipsa alte animo imprimit,

16 Hæc disparuit Angelus, et regressa in se puella totaque anxia, magis afflictam sese reperit quam alias unquam ; firmiter in mente sua retinens id quod Angelus ipsi dixerat atque ostenderat : multumque ex visione prædicta concepit timorem, quia cognoscebat necdum a se amari Deum vere et perfecte, sicut oportebat. Volens ergo ipsa quoque pervenire ad veram perfectionem, cœpit ad Deum sic loqui cum lacrymis : " O Deus meus, Deus meus ! Per amorem me fecisti, quæ prius non eram ; idque ut amarem te et tua immensa et innumerabilia beneficia tua. O dulcis mi Domine, inclina aures pietatis tuæ, et audi paulisper petitionem meam, neque despice intentionem meam ac sanctum desiderium. Interim tota contremisco, mi Domine, quia neque amo neque cognosco te sicut deberem. Verumtamen, o bonitas æterna, disposita est mens, ad amandum te solum, Deus meus, in summo gradu, tibique uni diligentissime serviendum : tantum sciam, o dulcis mi Domine, rationem et viam invenire, qua possim cum effectu sancti amoris et operibus sanctis te solum amplecti. Idcirco obsecro ut me velis igne sancti Spiritus illuminare, eoque modo docere ac stabilire, ut velim ac possim te solum Deum meum perfecte amare, atque ex toto corde servire tibi.

CAP. II.

eoque a Deo gratiam petit.

17 Dum in hac querela, lamento, et petitione perseverarem;

EX ITAL. HIERON. OLIVET. CAP. III. *Tum apparet ei Jesulus,*

perseverarem ; ecce apparuit mihi is, qui solus est verus consolator omnium afflictorum et sitientium sanctum amorem ; parvulus inquam Jesus, lucidus super solem, et plenus omni fragrantia ; splendidus, amabilis, clarus, gratiosus totus, et præ nive candidus. Oculi ejus omnino jucundi erant, et os renidens. Magna sane apparebant decentia luminosi istius aspectus et majestatis divinæ, quam anima mea intuebatur, certo quodam intuitionis modo, quem non possim explicare. Ipse vero amoroso respectu in me intendens, animam meam ad se trahebat splendida illa specie. Videbatur autem parvulus habere capillos aliquantum coloratos, in similitudinem lucentis auri ; supraque eos spineam coronam valde pungentem. Cumque ita adstantem parvulum considerarem, videbatur ad me conversus quasi blande allicere. Ecce autem super humerum ejus grandis crux, multoque ut videbatur major ipso : et tali in forma cœpit parvulus Jesus placido vultu loqui hæc formalia verba : O filia et anima dilecta, ego sum filius Mariæ Virginis et creator tuus. Parvulos semper amavi, eosque habeo et volo in meo comitatu, quia in ipsis nullum invenio defectum, neque habent gustum fœtoris carnalis, ideoque mihi gratum est continuo esse cum ipsis puris ac mundis, eosque comites retinere : puras autem virgunculas assumo, et volo habere sponsas immaculatas, conservando eas semper in sancta munditia : statim autem ac clamant, O bone Jesu! subito respondeo, meque præsentem iis sisto. Hinc, o Lector, cœpit virguncula jugiter versare in suo corde dulcia hæc verba, O bone Jesu! et ore etiam inter loquendum frequentare : unde exclamatio sua ordinaria hæc erat, O bone Jesu !

cum cruce in humeris ;

et ut se solum amet,

aliud suadentem dæmonem pellit.

18 Insuper addidit parvulus : O filia, omni timenti animæ cum me inclamat, statim respondeo ; Quid vis, anima mea dilecta? Nescis quia Deus omnipotens sum, et tecum maneo, non permittens malum ullum appropinquare tibi? Si vis aliquid, fidenter a me petito : sum enim promptissimus ad consolandum te, propter amorem sanctum quem tibi fero : teque salvare volens, mortem non subterfugi. Tunc audiens puella promentem adeo dulcia verba, respondit : Bene veneris Jesu, dilecte mi. Jam pessimus serpens suggerebat menti meæ, ut dimitterem tuum sanctum amorem ; et subito ad te recucurri atque clamavi, O dulcis Sponse fidelium animarum ! Tu autem extemplo venisti ad me, et serpens ille nequam subito fugam arripuit, ut audivit invocari nomen tuum ; atque ut te, Sponse mi, præsentem vidit, confisus cum verecundia magna recessit. Ipso autem digresso, crudeli ac maligno, reperi me tecum, dilecte Jesu : clamavi, et tu, Domine mi, statim adfuisti. Quapropter te rogo, dulcis mi Domine, ut mecum manere velis, et tuo sancto gustu atque amore inflammes cor meum glaciale. Tota mœsta sum, et videor mihi prorsus esse desolata : propterea, dulcis mi Domine, oro te, ut mihi subvenias, neque respicias grandia mea peccata : sed sine me gustare pauxillum de tua summa suavitate ac bonitate, ut solicitior atque ferventior sim. Nollem amplius tam insipida ac frigida inveniri, in tuo sancto ac nutritivo amore.

Petit ergo illa in amore stabiliri ;

19 Respondit suavissimus Jesulus : O filia mea dilecta, nihil dubites, quia in hoc quod postulas, consolaberis ; atque tam copiose degustandam tibi dabo meam bonitatem summamque dulcedinem, ut mortem potius corporalem quam vitam sis desideratura. Nosti, filia mea, quomodo per Angelum meum fueris instructa, et vidisti summam Trinitatem, cum universa cœlesti patria, omnibusque aliis inferioribus creaturis. Nunc autem ut demonstrem tibi, quod in omnibus te velim consolari, tibique dare gratiam meam ; vide modo et attente considera, quomodo propter amorem tui, grandem pœnam et afflictionem pertuli : hoc autem sit tibi signum evidens, quod per multam passionem et afflictionem multam transire te oporteat amoris mei causa. Verumtamen ne formides, filia mea dilecta, quia de omnibus victoriam obtinebis per sanctam patientiam. Hoc tantum satage, ut perseveranter maneas in meo sancto et puro amore : tunc semper tecum ero. Non tamen semper gustabis meum dulce manna, sed digrediar aliquando privataque manebis suavi illo sapore ; ast non propterea removebo gratiam meam ab anima tua, futurus semper conservator ejus. Quamdiu manebis meæ voluntati conformis ; accidat quidlibet, numquam a me derelinqueris.

quod Jesulus promittit,

per multam patientiam :

20 Respondit puella : O bone Jesu, dilecte mi ; veni ad me : quia te solum quæro, te solum amare volo, quamvis modum nesciam, neque per me sciam viam reperire. Veni ad me, benignissime mi Jesu , et doce me facere quidquid possum et tibi est placitum : nihil enim aliud cor meum vult concupiscere et adipisci. Respondit Pusio, O dulcis filiola mea : ego veniam ad te, et dabo tibi sapida documenta, plena mellifluo manna. Præpara immortali isti doctrinæ meæ cor tuum mundum. Verumtamen, filia dilecta, quandoquidem cupias invenire verum sanctumque amorem ; debes primum recogitare atque mundare temetipsam ab omni macula peccati terrenique ac vani desiderii , cum puritate autem cordis sanctoque affectu totam te mihi tradere in sponsam, integram et gratiosam , nihilque amare aliud : et ego gratiose atque benigne recipiam oblationem tuam summa cum voluntate : tradamque meipsum tibi in sponsum immaculatum, et quasi jugiter adero tibi, ad celebrandas dulces atque festivas nuptias, quæ sunt adeo suaves et gloriosæ, ut anima spiritualis nihil aliud gustare ac sentire vellet. Proinde nihil in me dubites, filia dilecta : instruam enim te ad amorose sancteque vivendum. Confortare igitur, tuamque omnem spem et fiduciam colloca et fige in mea divina providentia.

jubet tamen prius cor mundare.

CAP. IV. *His inflammata illa*

21 Digresso dulci illo Puello, remansi quasi attonita tota ; cœpique intra me cogitare, quid me facere conveniret ; firmiter disponendo in animo meo, quod solummodo vellin Puerulo Jesu fideliter servire, eumque unum sancto amore complecti ; quia tam gratiosus est amantibus se, ut numquam ipsos derelinquat, nisi prius dereliquerint suavissimum Pusionem. Itaque cœpi me statim tradere sanctæ orationi, meditationibusque et contemplationibus divinis : cumque suavissimus Infantulus mihi redibat in mentem , continuo rogabam eum, ut mihi daret suum sanctum amorem, mihique gratiam largiretur, qua fierem vera ejus ac digna sponsa, dando mihi intelligentiam voluntatis suæ sanctæque dilectionis. Quoties autem memoriæ meæ repræsentabatur dulcis puer Jesus, occurrebat etiam ut hæc vel similia ei dicerem ; O bone Jesu, dulcis Parvule, obsecro te, ut me velis cito locare et stabilire puram atque sanctam in tuo sancto amore, ut non amplius offendam tuam sanctam bonitatem. Et quotiescumque recordabar Infantuli Jesu, quem adeo splendidum et gratiosum videram, licet quandoque laborarem, levabam mentem meam ad illum et orabam, dicens :

incipit tota ad amandum ferri,

CAP. V. *sanctumque amorem jugiter petere,*

22 O dulce salutare meum, dilecte ac bone Jesu, obsecro tuam divinam clementiam ut me velis consummare in tua immensa caritate et dulci ac sancto amore tuo. O suavis Jesu, et sapidum manna, oro ut mihi cor diffindi facias præ magnitudine dulcedinis tuæ. Effice ut tamquam pus fœtidum semper refugiam quidquid viderim aut senserim vanarum ac terrenarum rerum, solumque gustem ac

A ac sapiam sanctum tuum et dulcem amorem; itaque continuo perseverem, in mente habens suavem istum et divinum Infantulum Jesum: stans autem vel ambulans, aut aliud quidcumque faciens, semper habeam dulce aliquod colloquium cum isto divino Pusione, dulciter illum orando ut velit mei curam gerere. Unde inter alias preces, quadam vice mandavit mihi, ut intellectu mentis dicerem ad Parvulum: O bone Jesu, amor mi dilecte: tu es quem semper volo amare, omnia post te habendo. Oro autem hanc mihi facias gratiam, ut sanctum desiderium tui semper in me crescat: atque in luculento isto tui sancti amoris igne, omnis requies mea sit. Peto insuper mihi concedi, ut omnibus juvenculis, quæ volunt et cupiunt in sancto amore servire tibi, tuum præstes auxilium, forte ac stabile, habendo eas in omnibus commendatas. Illas dico, o bone Jesu, quæ solum te sumunt immaculatum sponsum, contemnendo vanitatem omnem, gustumque terrenum; tuamque magnam bonitatem et immensam clementiam unice amplexantes.

et ad nomen ac memoriam Jesu dulciter affici,

23 Tunc cor meum aliud non requirebat, neque cogitabat, quam invenire Jesum, dulcem illum Parvulum. Hunc optabam mihi ubique adesse comitem; ipsum solum versabam mente, et satagebam semper B agere aliquid ipsi placiturum: nulla de re alia sermonem ferre aut facere poteram, quam de dulci Salvatore Jesu. Aliquando videbar mihi immersa profundo mari dulcium cogitationum de Jesu: et quando de Pusione illo loquebar, conabar illius unius amore audientes omnes inflammare; maxime virgunculas quasdam coætaneas meas, a quibus diligenter amari Jesum desiderabam. Nihil mihi erat magis gratum, quidquid haberem præ manibus, quam invenire et scriptum legere Jesum Parvulum. Tunc illud suave nomen totam me liquefaciebat, ac sæpius magna cum devotione immorabar recogitando illum dilectum Parvulum. O dulcedinem maximam, quæ animam meam totam resolvebat in sancto amore! Tantum mihi sapiebat mellitum istud et dulce nomen Jesu, ut cum illud legens pronuntiabam, lingerem labia oris mei, et lingua mea tota dulcoraretur. Delectabantur aures meæ summopere audiendo tam suave nomen, totaque anima resolvebatur in Deum, et in sancto amore colliquescebat. Cor meum pandebatur ad sonum dulcis nominis Jesu: et oculi mei distenti humore non poterant abstinere a profundendis suavibus lacrymis. Sæpe autem inveniebam me inter illas dulces nuptias cibosque delicatos: ibi oblectabar et gustabam dulces voces parvi C Jesuli, ruminando quodammodo dulcedinem istius nominis. Hæc erant sancta fercula, quibus in me accendebatur nomen dulcis Jesu, filii Mariæ. Tempore illo, quo sic parvula eram, sintiebam magnam consolationem spiritualem in anima mea, eratque mens jugiter elevata in Deum, sic ut aliud non cogitarem nec scirem, quam considerare Jesum; deque dulci isto Infantulo meditari: ita ut sola oratio sæpe meus cibus esset.

rebusque spiritualibus sedulo incumbere.

CAPUT II.

Propter frequentes extases multa patitur a parentibus; purum Dei amorem unice postulat.

CAP. VI.

Matrem crebra extasi sua anxiatam,

Prosequens autem sermonem Virgo, dixit etiam hæc: Dilecta mater mea in variis domus locis reperiebat me sic impeditam, ut respondere ei nil possem. Cumque ad sensus corporeos rediissem, inveniebam matrem meam totam mœstam et lacrymosam, quæ mihi dicebat: O filia mea, dic mihi, nec celare velis, quid illud sit quod toties te inveniam, locis variis per domum sic impeditam, ut nihil vel loquaris vel sentias, cum te interrogo, D plane ac si mortua fores? Credo, filia, quod causa mortis mihi eris, et opprobrium domus nostræ. Nescio quid tibi sit, vel quo malo tenearis. Tanto me dolore afficis, ut mortem mihi optabilem putem, ut non videam neque sentiam rem adeo acerbam. Talibus cum me alloqueretur mœsta mater, non aliud ei respondebam, quam: Habeto patientiam, mater mea: aliter enim facere nequeo, nec scio quid hoc sit. Sed quoniam ita vult Deus, habeto patientiam, et acquiesce ejus voluntati. Atque ita consolabar matrem meam, ut melius poteram. Quotidie autem, ubicumque essem, videbatur mihi quod parvus Jesus mihi loquebatur, et blandiebatur suis mellifluis verbis.

EX ITAL. HIERON. OLIVET. solatur ut potest Osanna;

spina digitum puncta,

25 Hinc cum in tali apparentia tota essem immersa, et vice quadam ivissem ad hortum causa recreationis; sensi levari mentem meam ad contemplandam florum herbarumque diversitatem. Dum ergo sic ibi agerem, cœpi colligere uvas crispas, interque colligendum spinarum una pupugit mihi digitum, cujus cum sentirem cruciatum satis grandem, sustuli mentem ad dulcem meum Parvulum, ejusque Passionem ac spineam præsertim Coronam, cogitando quam graviter eum pupugerit. Eadem E hora apparuit mihi Crucifixus hilari vultu cum omnibus suæ Passionis instrumentis, monstrabatque necesse esse ut pro suo amore portarem crucem tribulationum multarum. Quod sane bene fuit verificatum toto tempore vitæ meæ. Cum enim sic parvula essem, et quotidie ista mihi obvenirent, quandoque autem prorsus privarer omni corporeo sensu, magis magisque affligebatur mater mea; quod mihi parvulæ grande erat martyrium, præ compassione erga eamdem sic afflictam.

videt Crucifixum:

multa patitur a duro patre,

26 Ex altera parte meus pater, male contentus, non poterat me tolerare; haud enim mihi compatiebatur ut mater, sed indignabatur; nec poteram declinare ejus minas; unde similiter affligebar, eique compatiebar. O quantas tribulationes sustinui a duritia mei patris, quia nesciebat neque comprehendere poterat, quod sic retinebar et gubernabar a Deo: sed omnes existimabant me laborare fœdo morbi caduci malo. Heu me! quantos labores, quantasque ærumnas in hunc modum sustinui! adeo ut nequeam capere quo modo in ætate tam tenera potuerim talia sustinere. Sed bonitas et providentia divina, quæ robur et vires suggerit ætati juvenili, F æque ac alteri cuivis in se fiduciam collocanti, regebat et gubernabat me in sancta patientia, ita ut numquam turbarer neque impedirer ab amando Jesulo meo; quin tota fervens æstuansque desiderio dulcis Jesu, solum eum suspirabam et requirebam, posthabita quacumque re alia, eumque continuo adorabam: atque ita sæpius, novæ cujusdam suavitatis dulcedine inveniebam me absorptam in Deo.

qui eam credebat epilepsia laborare.

Discit a seculo cordis puritatem,

27 Sed redeamus ad Parvulum crucifixum: qui in hunc modum tamque gratiose me alloquebatur, dicens: O filiola mea dilecta, vide quantos dolores amore tui sustinui, tibi quoque convenit eadem transire via, talisque erit totius vitæ tuæ cursus. Hinc tota in Deum resoluta, habebam continuo cor accensum ardenti ac sancto desiderio: sæpiusque per diem claudebam me solitariam in cubicello, ibique manebam cum Jesulo, orans ac meditans; ipsumque sic orans, sæpius de novo abripiebar. O bone Jesu! Ab ipso discebam purum et sanctum amorem, semperque eum interrogabam quidnam ei gratissimum foret; ipse vero mihi respondebat, docebatque suam sanctam voluntatem, ac dicebat: O filia mea dilecta, scito unicum meum desiderium esse, ut inveniam puros ac veros amatores, qui sint in caritate perfecta. Non placet mihi quod delectentur

EX ITAL. HIERON. OLIVET. *et omnis rei mundanæ contemptum;*

A tur vanitatibus aut terrenis rebus. Volo, Anima mea, ut bene advertas mentem ad cuncta quæ dico et docere te volo : volo etiam ut studeas semper manere pura ac munda ab omni mala cogitatione, et remota a quacumque terrena macula, atque cum magna humilitate subdita mihi creatori tuo. Fac etiam ut sis amabilis, humana, gratiosa, atque continuo in me Salvatorem tuum tamquam speculum intuere ; id si facias mihi vehementer placebis.

28 Igitur cum anima mea audiret a parvulo Jesu verba tam blanda tamque suavia, manebam inflammata amore sancto, connitebarque omnia quæ audiveram effectu exercere : atque ad me ipsam conversa, dicebam identidem : O anima mea, bene audivisti et intellexisti quid placeat Deo : nunc ergo convenit ut terrena omnia flocci pendas iisque te exspolies. Thesaurus tuus atque possessio solum sit bonus Jesus. Nolo fœtenti terræ me applicare aut oblectare aliqua hujus mundi vanitate ; sed adhærere Domino meo, dulci ac bono Jesu, eique servire cum corde quam possum perfectissimo, sicut ei promisi in sancto baptismo ; satagamque ut evadam vera atque fidelis famula et ancilla sua. Huic soli B volo me totam tradere : ipse me creavit, ipsi me offero in sacrificium. O mi dulcis, suavis, mellifluе, ac plene odoramentorum fragrantium ! O bone Jesu ! vera spes omnium tibi fideliter servientium. O Deus meus, bone Jesu ! tibi soli dare volo cor totum, neque volo amare aliud quam te, dulcis Parvule. De rebus terrenis atque vanitatibus numquam amplius volo nec audire nec loqui, quia displicent suavissimo Pusioni : sin autem forte contingat audire aut videre vanum quidpiam ; cito, cito, ex toto corde invocabo bonum Jesum meum adjuvet omni loco ac tempore ; semperque auxilii causa ad eumdem recurram ; et spero ab ejus summa bonitate, quod statim porriget adjutricem dexteram.

seque ad purum Dei amorem extimulat :

29 In talibus petitionibus perseverando, agnovi non esse ipsi gratum, quod sæpe irem versarerque in publico : itaque recudebam me intra cubicellum, ubi orabam studebamque, sicut Deus et Deipara me docuerant, continuoque docebant, atque ita ab iis solis hausi litterarum peritiam et aliarum omnium rerum spiritualium ; non autem ab aliqua creatura. Ah ! dicere nequeo quam delectabilis erat schola illa sanctumque istud studium ; numquam inde mihi obvenit fastidium, sed indies major ac major oblectatio nascebatur. Deinde semper cogitando de dulci illo Puerulo contemplabar immensam C celsitudinem ejus et ineffabilem beatitudinem, in qua pascebatur anima mea. Sciens autem quod Jesulo displicebat omne peccatum, proposui firmiter in corde meo, ab omni prorsus abstinere ; atque arripui hanc sanctam regulam, ut quotidie confiterer : quod quia fieri non poterat ante mortalem Confessarium, deficiente illius copia, reducebam ipsa vesperi me ad locum quempiam secretum ; et ibi in mente mea colligebam omnes diei istius actiones ; et quidquid in iis per superbiam, negligentiam, vel alia quacumque ratione deliqueram, bono Jesu confitebar : atque hoc faciebam quotidie, donec possem accedere ad Confessarium cui deinde enumerabam omnia peccata mea. Hac autem ratione studebam me continuo servare mundam ac puram a peccatis omnique terreno fœtore, ut dulcis Parvulus semper inveniret candidam, et nulla peccati macula inquinatam.

docetur a Deipara litteras,

quotidie confessionem coram Deo instaurat;

CAP. VII.

scrupulis a dæmone agitata,

30 Videns interim venenosus serpens, plenus omni malitia, sic me perseverare, disrumpebatur invidia, semperque satagebat ut me ab inceptis retraheret atque privaret dulcibus Dei donis. Itaque sæpius in mentem meam reducebat præterita omnia peccata mea, multa etiam, quæ nec feceram nec D cogitaveram unquam ; id quod valde impediebat pacem et quietem meam, cum me tentaret, quasi numquam bene fuissem confessa. Id autem agebat hostis antiquus, ut me faceret, in tristitia vivere, mentemque inquietaret. Verum ego cognoscens id posse procedere ab astu venenosi serpentis, decrevi vitæ meæ cursum dirigere per viam omnium securissimam ;atque ad meipsam conversa dixi: Si feceris generalem Confessionem, liberaberis ab ejusmodi tentatione. Cum ergo id jam decretum haberem, subito aggressus est me inimicus nequam cum suis fallaciis, ad timorem mihi incutiendum, ne talem confessionem facerem, dicens : Tu istam facere numquam poteris, dimitte illam, neque frustra velis tantopere fatigari : quia impossibile tibi erit sic confiteri bene ac meritorie. Taliter agitata, commendavi me bono Jesu ; in ipsoque collocans omnem spem meam, cœpi ordinare Confessionem generalem, recolligendo vitam meam totam magnoque cum fervore procedebam dolebamque de peccatis : atque ita perseverans agere diebus aliquot, feci postea per Dei gratiam Confessionem meam generalem, quemadmodum cogitaveram et ordinaveram : eaque finita, mansi cum gaudio consolata, quantum antea E unquam ; et omnis a corde meo tristitia abscessit.

instituit Confessionem generalem :

CAP. VIII.

31 In omnibus operibus meis procedebam cum fervore quam poteram maximo, et secundum Dei voluntatem, semper procurando habere sanctam humilitatem : ac sæpe subtiliter recogitando pauperculam meam conditionem. Dicebam mihi ipsi : Tu es misera peccatrix, ingrata et plena delictis, nec digna supra terram consistere. Tu es cibus vermium, grandesque commerita pœnas. Sed tu, o bone Jesu es summa bonitas, clementia, puritas, suavitas, refrigerium, et magna dulcedo animarum tibi fideliter servientium. Tu es Deus meus, ac dulcis Salvator, unica spes mea ; quæ ex meipsa sum filia iræ et perditionis. O bone Jesu ! noli respicere iniquitates meas : sed fac me cognoscere immensam tuam caritatem, erga me infelicem. Fac, Domine mi, ut totum meum velle sit, gustare et frui tuo sancto et mellito amore. In hunc modum sæpe redibam atque ex corde clamabam ad dulcem ac bonum Jesum , et ipse mihi semper gratiose respondebat ; quapropter semel ei dixi : O dulcis Parvule, vellem a te obtinere gratiam, ut mihi dicas quænam res magis grata sit tibi, quamque studiosius amplecti debeam, atque continuo per tuum amorem tenere et desiderare, figendo in ea stabiliter cor meum ; ita F ut infusio Spiritus sancti semper ad te dirigat omnem meam intentionem et vires. Tunc mihi dulcis Jesus secundo respondit, et dixit : O cara filia mea, pro certo scias, quod opera tua mihi valde accepta et grata sint, quia cepisti et fundasti ea in puro ac vere sancto amore ; unde principium procedit perveniendi ad omne bonum unionemque cum mea voluntate : sine qua nihil boni potest inveniri quod placeat æternæ Majestati : tota autem Scriptura divina super hoc est fundata. Hoc igitur, cara filia, debes præcipue petere et solummodo desiderare.

exercet se ad humilitatem;

intelligit nulla magis re placituram se

quam vero amore:

32 Tali responso accepto a bono Jesu, ejusque cognita voluntate ac veritate, reperi quod non vellem aliud a Deo supra terram deposcere, quam amorem sanctum, amorem purum, amorem immaculatum. Itaque perseverans sæpe me inveni cum puerulo Jesu, totaque diffluebam in Dei amore. O bone Jesu ! o amabilis Deus meus ! talem enim te facis a veris famulis tuis per amorem nominari et invocari Tu summa bonitas, caritas perfecta, amor sanctus. Tu vinceris ab amantibus te. O Deus meus ! sicut in hoc sancto amore, per tuam bonitatem, omnia conservas et regis ; ita deprecor te, ut regas et nutrias animam

hunc in se firmari et augeri petit,

animam meam, in eodem sancto amore tuo. O bone Jesu! peto amorem purum et sanctum: aliam virtutem aut gratiam modo nolo postulare. Igitur, dulcis Domine mi, largire mihi tuum perfectum et sanctum amorem. Credo equidem quod omnis alia virtus absque amore, esset mihi grandis passio, tormentum magnum, et crudele supplicium: sed si amorem mihi dones, quemadmodum rogo, ero prorsus quieta et consolata, quia collocata et confirmata manebo in tuo sanctissimo et glorioso amore.

malens cum eo in inferno quam absque eo in cœlo esse:

33 O Deus meus! da mihi hunc immaculatum et sanctum amorem, et ero contenta de tua magna bonitate, nihil ultra sciens postulare: verum, si me sine amore reliqueris, scito quod semper de te conquerar, Deus meus! non autem querar de afflictione vel angustia, quæcumque acciderit, dum sentiam quod amem te, dulcis ac divinus amor meus. Mallem equidem cum tuo amore potius manere in magno lacu, cum spiritibus damnatis, quam sine illo esse in cœlo empyreo. Quapropter, o bone Jesu? oro te, ut mihi dare super terram velis sanctum amorem; illum, inquam, amorem sanctum, quem desiderat cor meum, sine quo numquam credam me posse placere tuæ immensæ bonitati, cum quo amabor a te et ero speciosa in conspectu tuo. O benigne ac pie Domine mi! profecto æstimareris crudelis, si tam sanctum desiderium et amorem mihi negares: ostende igitur mihi modum et viam, qua possim ac sciam invenire tam suavem amorem. O dulcis magister mi! doce me veram doctrinam tuam, quæ consistit in tuo sancto amore. Si ipsum, Domine mi, animæ meæ amatrici tuæ concesseris, credo quod continuo sim perstitura in tua dulci contemplatione, et perpetuo gustatura tuum penetrantem ac dulcem amorem: atque in hunc modum finiebam omnem orationem meam.

et cum tali petitione omnem suam orationem finit.

CAPUT III.

Viso Jesulo crucifixo, purum sui amorem docente, in illum magis magisque accenditur.

Videns Jesulum crucifixum,

Alia vice cum essem in oratione, et peterem gratiam solum amandi Deum, ecce menti meæ subito se obtulit dulcis ille Parvulus, quem considerando tam pulchrum, jucundum, gratiosum, candidum, ac lucidum totum; in momento eumdem vidi gravi ligno onustum humeros, sicut supra dixi; deinde apparuit mihi totus sanguinolentus et affixus cruci. Nihil supererat primæ illius venustatis, qua mihi conspiciendum se dederat in forma tam jucunda; sed idem Puerulus crudeliter affixus erat cruci, totus plagis obsitus, in quo bene adimplebatur Scriptura; in eo non erat species neque decor. Delicatas ac parvulas manus habebat perforatas, pedes similiter laceros fluentesque tabo; latus tali modo apertum acsi recens confossum esset. Heu me! delicatum istud corpusculum, quam cruentatum apparebat! Tunc videns etiam dulcem Parvulum portare in capite coronam, ex pungentibus spinis plexam, quæ perforabant et convulnerabant totum ejus gratiosum caput; cognovi grandem ac fidelem amorem, quo parvulus Jesus fertur erga animam. Itaque ego, quæ in oratione posita solebam tota cum Jesu puerulo exhilarari, in tali conspectu me sensi omnino languidam, et pectus grandi dolore saucium, quod dulcis ille Infantulus esset tam male et crudeliter habitus. Quamquam autem esset cruentatus totus, sputisque obsitus et deformatus; oculi tamen illius benigni, quoties ipsos attollebat, videbantur mihi tamquam duo lucidissimi soles, pungentes cor meum.

vehementer contristatur,

Ex Ital. Hieron. Olivet.

et ad compassionem movetur.

35 Conspiciens ergo ille me, sic lacrymosam atque omnino graviter mœrentem; videbatur mihi vehementer compati, suosque oculos ad me convertens, dicebat: O anima mihi dilecta, hic sane est amor fructuosus et sanctus, quem gero erga te, et erga omnes me vere amantes: atque hoc est pretium quod pro iis persolvi, et medica potio quam ad sanandos eos ipse bibi. Ideo, anima mea, volo ut continuo hoc speculum tibi obversetur, sitque refrigerium tuum. Heu me, dulcis Jesule! quoties hujus visionis recordor, semper in corde meo per compassionem renovantur amorosæ plagæ, sentioque animam lætali confixam lancea. O dulcis Parvule! o lingua suavis! o calame divine! qui loquendo scribis in devotis cordibus. O amor sancte! tantum ne simus indurati ut ferrum? O dulcis Jesu mi! Tu nosti quomodo per gratiam tunc acceperim munus, quod hodiedum maximi facio. Ah! qualis tunc fuit thesaurus meus, quantum lucrum, cum fui tua sancta caritate consolata tota, et anima mea inebriata mellito isto ac divino amore. O bone Jesu! dilecti mi et dulcis Parvule; tu nosti qualis eram, interim dum audiebam te loquentem, et suavis ac sapida lingua tua mihi cum omni mansuetudine dicebat;

Petit ille ab ipsa amari,

36 O filiola mea et cara sponsa, ecce quomodo tui amore cum grandi cruciatu sto cruxi affixus. Non potui vinci nisi per visceralem amorem creaturarum mearum. Sic debes facere etiam, Anima mea, si velis crescere in meo sancto amore. Ego sum Deus tuus, summa bonitas et infinita clementia. Debes me, filia, amare sine fine quemadmodum ipse infinitus sum creator tuus. Ego sum qui absque obligatione ulla amavi te amore meo infinito: èt tu mihi debes parem reddere, saltem quoad affectum mentis, nisi velis a me appellari ingrata. A me habuisti corpus et animam, pluris æstimandam quam valeat totus corruptibilis mundus. Igitur, filia carissima, amare me debes ex toto corde et omnibus viribus tuis: qui ego sum Jesus, pro tui amore positus in cruce, et quia a me fuisti empta passione tam acerba. Quod si me interroges, quomodo facta sit emptio illa, aliud non respondebo tibi, quam, Intuere me nunc diligenter, et cognosces quæ sit obligatio tua; quodque omnes mei amatores erga me sint ingrati, quia impossibile ipsis est tantum mihi amorem rependere, quantum habui pro illis. Ama igitur, Sponsa mea, illum qui plus quam pater aut mater te diligit. Ama, carissima filia, eum qui bene te potest remunerari et contentam reddere in suo divino amore. Ama me Jesum, dulcem tuum Salvatorem: qui aliud a te non requiro nec volo, quam animam tuam. Ama, dilecta Sponsa mea, eum qui semper tibi erit benignus: et quando veniet formidabilis dies crudelis atque horrendæ mortis, quando ab omnibus derelicta fies esca vermium; ego, quem toto corde amaveris, veniam in extrema illa hora, cum curia mea sancta, teque adducam ad cœlum vitamque sine fine duraturam; ubi a me recipies præmium omnis tui sancti amoris bonique operis propter amorem meum facti.

sicut meretur tanta passus pro ipsa.

æternumque eum remuneraturus

Huic amori illa vult studere sollicite

37 Volo autem, filia, ut in hoc mundo degens studeas semper crescere, neque deficere in sancto amore ac bono opere. Cura etiam ut sis cauta et prudens, ut studium quærendi sancti amoris nemo tibi suffuretur: neque aliud, cara filia, pete a me quam purum sanctumque amorem: ac tibi persuade firmiter, quod certo facturus sim, ut ferventer atque cum puritate cordis orando ad me pervenias. Tunc senties suavem melodiam dulcis mei saporis. Cura ut sæpe te inveniam meditantem, studentem, aut de me suaviter sermocinantem cum amatoribus meis, quos noveris habere bonum ac sanctum appetitum, ad me solum continuo requirendum. Ego cum

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

cum solicita semper ero solicitus, atque ex hora in horam dabo tibi saporem aliquem et scintillas varias mei sancti et æstuantis amoris. Quod si interim velis aliquid operis manualis facere, id mihi non displicebit; modo mens tua longe absit a terra rebusque terrenis. Fac etiam, cara filia, ut quacumque hora et tempore sis semper ad me cum devotione elevata, semperque in corde tuo serva sanctum amorem; cantando laudes, hymnos, aut qualemcumque suavem melodiam de me pio Jesu et Salvatore tuo. Semper autem postula sanctum amorem, et ego mentem tuam identidem magis magisque elevabo ad me, removendo a te fœtorem ac lutum hujus sordidi mundi. O filia dilecta, cura ut semper quæras aliquid novi saporis ex meo sancto amore: nulloque loco ac tempore finem facias me laudandi: sed lauda semper summum et divinum amorem, corde perfecto dicens; O bone et benignissime Jesu mi, sanctus amor meus! ab omni gente laudetur nomen tuum supra terram, sicuti in cœlo ab Angelis et Sanctis tuis.

et continuo:

cum ergo orat Virgo sibi concedi:

38 Responsio Virgunculæ. Ago tibi infinitas gratias, benigne Jesu, qui per tuam bonitatem dignatus es mihi dare sanctum lumen tuum, per quod cognovi tuum sacrum amorem. Gratiarum actio tibi sit, o summa bonitas! quia mihi donasti sanctum desiderium bonamque voluntatem, ut cupiam esse Sponsa tua, et te, dilecte Jesu mi, habere objectum unicum amoris mei: quod totum debetur gratiæ ac bonitati tuæ, qua me recepisti in numerum amantium tuarum atque sponsarum. O dulcis Jesu mi! grandis est misericordia tua, munifici Domini ac Dei mei, qui mihi miseræ atque immerenti tantam gratiam contulisti. O bone Jesu! solum peto amorem et gratiam tuam: tibi, Domine mi, sit continua laus, honor et gloria. Insuper oro te, ut me cures facere semper magis solicitam et ardentem in tuo sancto amore, eoque cor meum sit jugiter inebriatum et quasi submersum: nec enim ejusmodi submersionem timeo, etiam usque ad abyssum.

CAP. X

quod etiam obtinet.

39 Post digressum istius Parvuli, remansi cum magno desiderio amandi dumtaxat Puerulum illum, et ipsi serviendi. Hunc autem sanctum amorem et desiderium sentiebam in me magis magisque crescere: et quotidie augebatur sitis ac fames istius sancti et mellifli amoris. Nam qui cœlos terrasque gubernat, non dimittebat me absque cibo et dulci manna ad gustandum: sed ipse parvulus bonus Jesus continuo reficiebat et nutriebat animam meam amore sancto: res autem terrenæ majori mihi indies erant fastidio: quantumque anima mea abundabat amore sancto, tantum crescebat fastidium istud. Nunc vero tam exercitata est anima mea et assuefacta sancto isti sensui et illuminativæ cognitioni, ut videar mihi posse alios utcumque docere, quid sit amare Deum et Jesum illuminantem. Quapropter optem aliud non audire vel loqui quam de tali amore. O Jesu, sponse mi delicate! videtur mihi quod aliud a te petere non possim, quam sanctum amorem, in hac vita. Atque hæc erat continuo vita mea et conversatio, cum dulci illo Parvulo, ac bono Jesu dilecto meo.

CAPUT IV.

Constantia Virginis in suscepto sanctioris vitæ proposito, communicatio dolorum Christi, ac pœnitentiarum rigor.

CAP. XI.

Pater ejus morbo, ut putabat, remedium quærens,

Dum sic perseverabat anima mea cum Deo, in ejusmodi raptibus et contemplationibus; quotidie in me augebatur suavis et dulcis ignis amoris, et mellifluus ejus gustatus. Sed pater meus multum tristis, magna cum solicitudine, curari me faciebat variis modis ac medicinis; credebat enim ista mihi evenire per aliquam infirmitatem: id quod valde grave erat mihi, scienti non esse opus medicinis corporalibus: omnia tamen tolerabam cum sancta patientia, propter amorem Dei, ne secretum meum panderetur. O quantas tribulationes et adversitates sustinui isto tempore, præsertim a duro patre meo: multum enim ab illo vexabar, quia nesciebat, quid Deus operaretur in anima mea: nam nullus tunc erat qui ejusmodi mysterium sciret. Interim ex omni parte ludificabar et irridebar: quod si in aliquo tolerabar, id magis fiebat, quia sic æstimabant occultari verecundiam familiæ, quam quod mihi aliquatenus compaterentur. Credebant enim laborare me aliquo incurabili morbo et graviter noxio: ideoque in istis principiis contemnebar et vituperabar multum, quin etiam odio habebar a domesticis, aversatis præsentiam meam.

CAP. XII.

urget ut dimisso votivo Habitu,

marito nubat:

41 Cum Virgo pervenisset ad nubilem ætatem, multum instabat pater ut eam in matrimonium elocaret, dicebatque: Credo quod melius sit ipsam viro dare, sic forsan cessabit infirmitas illa. Hoc cum sapiens filia intelligeret, prævenit eum aliquot diebus ante, assumendo Habitum S. Dominici, sub specie ac forma voti. Hunc vero, cum sic diu gestasset, tædebat patrem longioris moræ: omnino enim decreverat eam nuptui dare. Igitur subtiliter investigabat omnes ejus actiones, et per interpositas personas tertias exquirebat ejus voluntatem, interrogando eam, quando tandem cessaret portare ejusmodi Habitum? ipsa vero respondebat, quando implesset votum suum. Sed votum et consilium ejus erat ipsum portare quamdiu viveret, quia hoc Deo promiserat. Fuit, o Lector, hoc tempore Virgo valde tribulata per duritiam patris sui; jugiter instando ut Habitu dimisso maritum sumeret: cui cum nullatenus consentiret, per ipsum et alios intervenientes jugiter afflictabatur.

quare monasterium ingredi volebat,

42 Narravit mihi sæpius Virgo, quod pluries decreverit ingredi monasterium, quia non poterat arbitrio suo vacare devotioni et contemplationi sanctæ; ne quis ultra sibi molestus esset maritum ingerendo: quapropter sermo ejus omnis erat cum Deo, cui saltem mentaliter dicebat: O bone Jesu, tu mihi oranti dixisti, quod deberem habere patientiam, quia ad hoc me legeris. Insuper dixisti, malle te ut alius me principaliter regeret ac gubernaret, nisi tu, dilecte mi Deus, cui deberem committere quidquid occurreret, neque dubitare quin omni in tribulatione et afflictione auxilium mihi solatiumque præberes; idque vel per ipsum faceres, vel opportunum aliquod medium; itaque mansi consolata atque confirmata: mens mea in te solo figebatur, propter tot promissiones mihi factas. Ego vero continuo orabam bonitatem divinam, ut mihi concederet dolores passionis suæ et gratiam numquam amplius peccandi vel aliquatenus offendendi divinam ejus majestatem; utque me eligeret in Sponsam suam, nec ulla amplius mariti terreni mentio mihi fieret.

nisi Deus prohibuisset:

ab eo impetrat immunitatem a culpa mortali,

43 Tunc Majestas divina mihi respondit, dicens: O anima, carissima filiola mea, nulla fuit unquam pura creatura, ab omni prorsus peccato immunis, præterquam Virgo Maria. A peccato mortali semper præservaberis, et in sponsam Verbi incarnati consecraberis. Perseverans igitur in mea petitione, cito fui exaudita; id est, circa octavum decimum annum ætatis meæ desponsata Deo. O bone Jesu, quantum obligatur anima mea clementiæ tuæ! Hic vero, Lector, non narro tibi desponsationis modum, quia inter sancta ejus colloquia ordinatim ac fuse referam quomodo desponsata fuerit. Quod autem ad dolores passionis attinet, non ita cito exaudita est, sed totis fere duodecim annis perseveravit in petitione

desponsa ipsi an. æt. 18;

A tione talis gratiæ, quæ quia tamdiu differebatur, dubitabat an eam esset unquam consecutura; ac fere extra spem omnem erat obstantibus (ut rebatur) peccatis suis; dicebatque sibi ipsi: O me miseram peccatricem! Si essem vera et fidelis Sponsa incarnati Verbi, jam pridem obtinuissem desideratum favorem communicandi doloribus suis.

anno autem 30 dolores passionis,

44 O bone Jesu! quando expectabam minime, posita extra spem omnem, tunc immensa bonitas tua mihi concessit, id quod tanto tempore postulaveram, id est dolores Passionis tuæ, manuum etiam atque pedum et spineæ coronæ. In ea hora putabam me mori propter excessum insoliti cruciatus et pœnæ quam sentiebam; quamvis cruciatus iste nondum esset plenus, sicut processu temporis fuit, quando multum crevit, præsertim circa cor, ubi fuit præcipuus, aliosque dolores multum excedens. Quando hunc obtinui, mansi diebus tribus sic constituta, ut nesciam viva an mortua fuerim: anima autem mea ipsum suum corpus videbat, nec scirem dicere quomodo in ea fuerit aut ad corporeos sensus rediverit. Erat enim tunc unita Deo tali cum sensu, ut neutiquam sentirem corporis gravitatem, videbarque

omnino maximos.

B aliena a corpore esse. O rem admirabilem! Regressa autem ad corporeos sensus triennium mansi, nihili faciens mundum vel qualemcumque personam: usqueadeo autem mens mea alienata erat a seipsa et absorpta in Deum, ut viderer mihi esse res prorsus alia: et quotidie in anima mea incrementum capiebant gratiæ divinæ.

Propter supervenientes quovis loco ac tempore raptus,

45 O bone Jesu! tu nosti quantum obliger bonitati tuæ: quia multo plus mihi donasti quam promiseras. O Domine mi! non habuisti rationem ingratitudinis et demeritorum meorum: sed per gratiam tuam attraxisti frequenter animam meam, tibique univisti ac conjunxisti, tali modo speculantem claritatem ac visionem tuam, ut non velim neque vellem aliud, quam semper ibi esse, et gustare tuum mellitum saporem. O Sponse mi sancte! tu tempore illo tantum operatus es in anima mea, ut pro majori parte in extasi manserim. Numquam, mi Domine, habuisti rationem loci vel temporis; sed in variis partibus domus, in ictu oculi rapiebar a tua Majestate. Hoc autem aliquando tantæ verecundiæ mihi fuit, propter respectum personarum me in tali statu conspicientium, ut gravissime inde affligerer. Verecundabar enim etiam coram puerulis familiæ nostræ: quia manebam in oratione defixa, modo sedens, modo pedibus consistens modo divinum Officium recitans, etiam in ecclesia et in publico: eratque hoc menti meæ grande martyrium: et maxime, quando id contingebat coram pluribus ac vulgo populi. Vires autem meæ corporeæ aliquando fuerant tantopere debilitatæ, ut initio regressus mei ad corpus gravitatem ejus sentiens, nequidem loqui possem, nisi cum multa difficultate: quare voluissem ut nemo tunc mihi molestiam vel sermonem intulisset. Tali autem casu discreta mea amita Bartholomæa et cara sodalis, multum me juvabat et confortabat prudentia sua.

valde verecundatur et debilitatur.

C

CAP. XIII.

Multum etiam vexatur a Fratribus

46 Hæc omnia, pie Lector, partim accepi ex suo quodam libello, quem mihi dedit propria manu scriptum, multis meis precibus constricta; partim ore proprio mihi narravit: sicut autem veluti invita mihi dixit, adeo multas tribulationes pertulit a Fratribus sui Ordinis, ut quandoque animis dejiceretur. Tales porro tribulationes multis annis duraverunt; credo quia ignorabant Dei gratiam, in illius anima operantem. Certo scias, Lector, quod Deus gubernabat Virginem, atque a Spiritu sancto regebatur: sed fratres hoc non capiebant, et secundum judicium suum cursumque humanum volebant illam dirigere, sicut Tertiarias alias sui Ordinis: Deus vero

D nihilominus pergebat in anima ejus operari singulariter, longe aliter quam in Sororibus ceteris. Noli, Lector, id in sinistram partem accipere, de ejusmodi Patribus Fratribusque: existimo enim quod veluti prudentes magistri ista fecerint, exploraturi spiritum Virginis an ex Deo esset; tamquam majorem in ea perfectionem procuraturi, et ut cognosceretur magna illius patientia. Et tali de causa, adversa multa virgini obvenerunt, quæ ipsa cum magna prudentia et patientia sancta tolerabat pro Dei amore, eratque in suis pœnitentiis quotidie magis magisque solicita.

EX ITAL. HIERON. OLIVET *volentibus ipsam ut ceteras Tertiarias regere.*

CAP. XIV

Vitæ rigor et pœnitentiarum austeritas,

46 Jam enim a prima pueritia cœperat macerare corpusculum suum longis vigiliis jejuniisque, et cibo permodico uti. In oratione sancta et in contemplatione erat assidua. Supra carnem portabat cilicia rudia, et funes innodatos atque catenam ferream supra nudum: quam catenam multis demum precibus ab ipsamet impetravi, et carissimam habeo, sæpissime flagellabat corpus: modicus autem illius somnus et quies, supra tabulam aut stoream sumebatur. Quandoque cervicalis loco habebat sub capite quosdam lateres: idque clam, sic ut nemo perciperet. Nihil opus est dicere, quod numquam potuerit persuaderi ut corporis sui misereretur, licet

E circa afflictiones alienas compassiva caritate arderet. In juventute vero tanta cum asperitate tractabat corpus suum, ut non facile quis nostris temporibus id sit crediturus. Tantum pœnitentiæ studium abstinentiæque rigorem considerans dæmon, rumpebatur invidia et dolore, quod suis fraudibus nequiret puellam unam pertrahere in ruinam: ideoque multum illam tribulabat, apparendo in aliqua horribili forma, ad eam perterrefaciendam abducendamque a sancto opere. Sicut vice quadam fecit, quando apparuit in specie sordidi canis, in ipsamque tam fortiter impegit, ut fecerit in terram cadere: aliisque pluribus vicibus similes molestias intulit: de quibus apparitionibus et tentationibus diffusius egi in sanctis colloquiis, inter quæ eas lem mihi ad plenum ipsamet narravit.

tentationes dæmonum,

Dei in ipsa mirabilia opera

47 Nimis longus Lectori forem scribendo sigillatim diuturnas illius et asperrimas pœnitentias, et sancta ac mirabilia opera, quæ beata ista anima fecit et in ipsa Deus, toto spatio annorum quinquaginta sex, quinque mensium et diei unius: cum ipsa cœperit quinto ætatis suæ anno facere aliqua opera sancta, et anima ejus in Deum rapi: omni autem die adjungeret aliquid ad susceptas antea pœnitentias. O mirabilis Deus in donis suis! Tam copiose

F fuerunt in animam istam sanctam infusæ divinitus gratiæ, ut ipsimet Virgini impossibile fuisset eas enumerare, et multo minus humano intellectu exquirere illas ac scribere. Etenim pro una quam scribimus re, dimittimus mille, et possumus dicere, quod nihil aut sciamus aut scribamus, respectu eorum quæ operatus est Deus in illa beata anima. Profecto qui vellet bene intelligere, cognoscere, et explicare aliquam divinarum gratiarum partem, quas ipsa cœlitus recepit; oporteret illum simili, qua ipsa, gratia donatum esse, ac simili spirituali sensu. Reliquam juventutis ejus Historiam relinquemus Ordinis sui Fratribus aliisque familiaribus, qui scribere ipsam ordinate poterunt, prout ipsis notitia et memoria suggeret: nos autem, Deo adjuvante, incipiemus Colloquia ejus sancta quæ facient secundum Tractatum.

TRACTATUS

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

TRACTATUS II

Secretiores Dei favores erga Virginem ex colloquiis cum ea habitis descripti, propriis fere ejus verbis.

CAPUT I.

Auctoris cum Virgine familiaritas quando et quomodo cœpta, insignes ejus virtutes cognitæ.

CAP. I. Auctor spiritualis doctrinæ cupidus

Solicite desiderans, semper aliquid doctrinæ spiritualis invenire, sæpeque cum Virgine locutus, ac diu inter ejus colloquia spiritualia versatus; indeque conjectura percipiens, aut potius evidenter cognoscens, divinam gratiam in anima illa operari supra naturæ humanæ cursum; decrevi in animo meo ac firmiter statui, toto corde manifestare ipsi me, ut ipsa beata Virgo esset mihi solatio et Mater fieret spiritualis. Itaque perseverans in tali proposito, orabam continuo divinam providentiam, ut me vellet cum ipsa sua Sponsa in suo conspectu colligare, et illa mihi foret stimulus ad doctrinam spiritualem. Crescente autem sancto nostro utrimque desiderio, crescebat inter nos, Dei gratia cooperante, spiritualis consensus cum viva fide ac sancta caritate; ita ut ex duobus cordibus una prorsus voluntas cœperit in conspectu Dei emanare. Sancta igitur ac spirituali familiaritate inter nos contracta, et mentibus nostris fideliter constabilitis in via spiritus; cœpimus sancta colloquia frequentare, solo Deo medio interveniente, cum amore sancto, hinc filiali, inde materno. Scito tamen, Lector, quod Virgo pro sua grandi humilitate, non volebat me appellare Filium, sed Patrem : verum ego, tantam ipsius sanctitatem cognoscens, rogavi ut acquiesceret, meque in filium spiritualem susciperet : quibus illa precibus tandem concessit gratiam; non nisi multo labore prævio comparatam.

ejusque familiaritatem impetrat,

CAP. II et secretorum ejus cognitionem.

49 Quadam vice loquenti mihi inter alia cum Virgine, et aliquid de rebus spiritus interroganti, respondit illa : O fili mi dilecte in Christo, volo dicere tibi secretum quoddam meum, sed vereor ne socius tuus audiat. Cum aliquando suscepissem Communionem, posita est anima mea in oratione, raptaque fuit et unita bonitati divinæ. O bone Jesu! quam mirabilis res est, videre tantam claritatem et majestatem Patris æterni! Tunc pro singulari gratia petii a Deo, numquam amplius peccare, nec ullatenus offendere suam voluntatem : responsumque mihi fuit quod ejusmodi gratia nulli mortali creaturæ unquam fuerit concessa, præterquam Virgini Mariæ, ut ne quidem venialiter delinqueret aliquando. O fili dilecte, valde Deus conqueritur de magnitudine et multitudine peccatorum, quæ fiunt in mundo, maxime per superbiam, et aliam iniquitatem, quam honestatis causa nolo nominare. O quanta et quam enormia scelera committuntur super terra. O misera Italia! grande tibi flagellum imminet. Hinc potes cognoscere, Lector, quanta fuerit puritas et honestas Virginis, quæ nec nominare quidem voluit carnalem turpitudinem, sed tacuit, ne virgineum suum os inquinaret. Equidem non possum explicare, cum quanta honestate ac puritate cordis procederet in omni suo sermone, et in hoc mundo viveret.

CAP. III Ita datos et an. 1476 dolores Passionis, intelligit an. 1498

50 Anno MCCCCXCVIII die XXV Februarii, mihi secum loquenti Virgo dixit hæc formalia verba : Fili in Christo, heri sunt anni elapsi viginti duo, quod Deus, per suam gratiam, mihi concessit suam spineam Coronam, cum aliis doloribus Passionis suæ. O bone Jesu! quanto cum labore cohibui Virginem, ne raperetur in exstasim. Mutato sermone induxi alium, et post aliquam moram interrogavi eam dicens : O cara in Christo Mater, dic mihi; num uno die plus sentis de doloribus Passionis Christi quam altero? Respondit autem : Care fili, majorem dolorem sentio diebus Martis incipiendo post meridiem, per totum Mercurii et Jovis usque ad Vesperam, ac deinde toto die Veneris : et sæpe id mihi continuatur per dies multos.

quando illa jam se totam ipsi fidebat,

51 Non sit tibi admirationi, Lector, quod Virgo tam prompte tamque familiariter mihi panderet sua secreta : multis enim annis ante hoc colloquium, sciebam quomodo portabat dolores Passionis Christi : quamvis multa cum difficultate cœperit mecum prima vice communicare secreta sua : sed Deo id permittente, et precum mearum id extorquente instantia, jam mihi sic assueverat, ut facillime mihi talia diceret : ego autem fidem meam ipsi obstrinxeram, quod clam ea haberem, quod et fideliter præstiti usque ad ejus mortem. Hinc tanta inter nos erat fiducia stabilita atque habituata, cum sancta quadam familiaritate, ut nullo amplius respectu prohiberetur aperire mihi hæc sua arcana resque alias spirituales, modo posset, ac certa esset quod socius non audiret : unde inter colloquendum sæpius admiscebat hæc verba : Vereor ne socius vester nos audiat; sed impossibile erat ut audiret, tum propter distantiam tum propter depressiorem vocem qua utebamur. Scito igitur, Lector, quod multis annis sic fuerim cum ea versatus, prius quam incepi aliquid de ipsa Virgine scribere; quia mens mea non prætendebat nisi salutem animæ, et rerum spiritualium ac divinarum notitiam consequi.

alias secreti zelosissima,

non item aliis simile quid optantibus.

52 Porro ea quam dixi hora, commendavi ipsi animam quamdam, quæ ut propria a me diligebatur; responditque Virgo : Ego, Fili in Christo dilecte, habebo illam vestri causa commendatam, tamquam propriam. Scito autem neminem in præsentiarum esse, cui secreta mea spiritualia revelarim, præter te. Multi quidem me deprecantur ac rationibus conantur persuadere, ut aliquid ipsis de illis communicem; sed hactenus non est qui id a me potuerit impetrare; præterquam tu, cui tacere nihil possum : imo velim ut possim tibi omnia dicere, et exhibere cor meum, quomodo sit alligatum Deo et spiritualiter tibi, Fili mi in Christo carissime. Sæpenumero, Lector, impediebatur Virgo ne loqui posset, propter supervenientem memoriam applicationemque animi ad gratias divinitus acceptas : quod cum sibi accidere sentiebat, solebat dicere verbum hoc; Alias loquemur, modo non possum. Ego vero impedimentum intelligens, vertebam sermonem alio, et mentem ejus distrahebam, ac deinde redibam ad quæstionem prius ei factam; et hac industria paulatim elicui quidquid poteram : sed ut plurimum non poterat absolvere cœptum sermonem, præcipue cum esset de aliquo sublimi mysterio.

Ipse vero utitur industria ad ea paulatim elicienda :

ut quod rogata orare pro quadam,

53 Ego tamen desiderabam alias quoque spirituales res intelligere ex ea, quæ mihi respondens dixit; Fili in Christo, sæpius rogata fui, a quadam mihi devota, ut pro ipsa orarem; atque ex gratia speciali a Deo peterem ipsius salutem, facultatemque omnia sua opera faciendi secundum Dei beneplacitum. Quapropter festo S. Catharinæ Senensis posita in oratione, cordialiter pro ipsa oravi : apparuerunt autem mihi S. Catharina et S. Paulus, ac postea etiam D. N. Jesus Christus, coram quibus continuavi cœptam deprecationem pro ista mihi carissima. Tunc benignus Deus vultu hilari mihi dixit : O filiola, anima mea carissima, scias istius personæ opera mihi esse accepta, neque de hoc velis dubitare : sed dic ei, ut tali modo perseveret, quia talis est

ipsi impetrarit desideratam gratiam,

est voluntas mea : bona enim opera, absque perseverantia, nequeunt mihi grata esse. Insuper faciam illi gratiam, quam tantopere me rogavit. Equidem, Fili in Christo, multum fui consolata, propter animæ istius salutem et gratiam illi promissam. O bone Jesu! quam immensa est gratia et bonitas tua erga fideles! Hic mihi paululum cogites, Lector, quantum Virgini et mihi gaudium erat audire talia verba, et cognoscere quod animæ, pro quibus ipsa orabat, erant in statu gratiæ. Ah! nullum cor adeo durum est, quod præ dulcedine tali non debeat findi.

CAP. IV

et animam sociæ vidit ferri in cælum.

54 Insuper, dilecte Fili, volo tibi dicere, inquiebat, quod Deus per suam gratiam concessit mihi, in morte meæ dilectæ Bartholomææ, tuæ caræ sodalis. Cum subito me composuissem ad orationem, Deo pro anima ejus faciendam, utpote jam egressuram; vidi ipsam magno cum lumine migrare de corpore, atque in paradisum ire. Quamquam autem satis senserim jacturam ejus meamque orbitatem, quia similem ei non amplius reperiam : lætor tamen quod salva sit, Deique voluntas circa ipsam impleta : opto autem istic, ubi illa est, esse. Heu mihi! transeunt boni, et migrant in Paradisum; ego autem misera hic remaneo propter peccata mea. Lacrymabatur Virgo cum hæc verba proferebat, idque propter magnum moriendi desiderium, quia sibi videbatur nihil boni agere. Evidenter autem in ipsa conspiciebatur cor, ardens cupidine mortis; neque unquam inveni aliter dispositam.

CAP. V

Magna ejus humilitas,

55 Humilitas porro ejus tam profunda erat, et caritas tam ardens, ut quando fuisset perdita, ibi esset invenienda : et prior quidem tanta tamque admirabilis, ut ubicumque inveniret Sacerdotes sibi notos, continuo projiceret se in genua, ad eorum benedictionem petendam, etsi eis occurreret media in via : quin et cuicumque alteri, sibi obviam venienti, volebat semper cedere loco digniore. Caritas vero tanta erat in ipsa, ut ad subveniendum pauperibus non recordaretur sui ipsius; neque ullam haberet sui curam, modo posset proximo suo aliquod solatium ferre. Infirmis egenis semper benefaciebat, vel faciendo ipsis eleemosynam, vel visitando consolandoque; sæpius autem sibimetipsi subtrahebat cibum aliis mittendum : quo facto, dicebat; Nunc cum quiete manducabo. Nullum capiebat solatium eo die, quo inveniebat non esse cuiquam a se eleemosynam factam, aut aliquid operis pii in visitandis infirmis.

caritas,

patientia,

Patientia ejus tam erat grandis, ut ipsamet aliquando miraretur, quomodo tolerabat tantas molestias, quantas sibi dabant personæ seculares, petentes audientiam, de quorum frequentia quandoque lamentabatur apud me, propter quietioris vitæ desiderium. Sed multa adhuc mihi restant de ipsius patientia dicenda loco commodiori.

CAP. VI.

austeritas

56 Cibus ac somnus ejus tam erat modicus, ut corpus per illum sustentari naturaliter non potuerit; imo dico illud potius alitum fuisse per extases unionesque Dei cum anima beata, quam per aliam ullam substantiam materialem. Et hoc est quod posset multis testibus nominatis probari, si iis egeret res notissima omnibus qui ipsa Virgine aliquando familiarius usi sunt.

** CAP. VII.*

Prædicit Auctorem a Capitulo rediturum Mantuam

* Cum ego ad Capitulum iturus essem, visitavi Virginem quæ erat infirma, et sub manibus medicorum; quare de ipsius invaletudine dolenti, eo etiam magis quod discedendum mihi esset, materna cum caritate respondit : Dilecte in Christo fili, ne propterea contristeris, sic enim vult Deus; mea autem consolatio est facere voluntatem ipsius. Dicam vero tibi id quod a multis retro annis præter meritum mihi accidit, per Dei gratiam. O bone Jesu! tu fuisti qui mihi dedisti dolorem lateris tui, cum aliis doloribus Passionis tuæ : tunc autem, care Fili, patior mihi medicinam adhiberi; sed nihil proficient. Talis enim infirmitas et cruciatus proveniunt mihi ex dolore cordis : et quamvis eo affligatur corpus, o bone Jesu! tantum tamen postea nascitur animæ meæ gaudium, ut ipsum numquam possem exprimere; afflictumque corpus recreatur, per dulcem illum spiritualem gustum quem divinitus recipit anima.

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

Gaudet doloribus Passionis sibi communicatis

57 Nollem equidem pro re mundi quacumque carere dolore isto, quamvis triplo intensior foret; simulque privari gaudio spirituali tam grandi. O bone Jesu! anima mea in ipso experitur suavitatem tantam, ut ipsam cor humanum cogitare nequeat, neque simplex capere intellectus. O care Fili, quando de Capitulo reversus fueris, multas alias res spirituales dicemus. Tunc subridens ego dixi ei : Quid si non revertar, o cara Mater, quomodo ipsas mihi dicetis? Ad quod illa sereno vultu affirmative respondit, Vade, Fili, vult omnino Deus ut revertare; de quo nihil omnino dubites. Ad hæc conticui, verba ejus mente ruminans; et cum solatio videndi effectum istius prophetici sui præsagii, sumpsi licentiam abeundi. Tunc illa lacrymans, magno cum labore, dedit mihi benedictionem; et feliciter profectus sum ad Capitulum, ac postea redivi ad pristinum locum nostrum, sicut ipsa mihi prædixerat.

revertoque auctori narrat

** CAP. VIII.*

quomodo eos acceperit.

* Postquam autem a Capitulo reverti, sæpe sæpius visitavi Virginem eodem ipso anno : et inter alias vices ipsa me accersivit in festo S. Francisci sub meridiem; et sub illo sancto colloquio ipsa mihi magno cum labore narravit, quomodo Deus ipsi concesserit dolorem sacrarum plagarum. O quam difficile erat Virgini proferre talia : nostris tamen precibus constricta, laboriose ista enuntiabat : unde libenter abrupissem sermonem istum, sed non poteram, quia id mihi promiserat. Sæpius mutavi argumentum sermonis, quia videbam nimium in suo fervore accendi, futurumque ut raperetur in extasim

CAPUT II.

Dolores Passionis communicati Virgini, futura quædam revelata, Auctoris varia transmigratio, et colloquia interim habita.

Confessarius ipsi divinitus assignatus ;

In principio colloquii præfati adeo movebatur spirituali sensu, ut videretur nescire unde inciperet; nostris tamen adstricta precibus tandem dixit : O care fili, istiusmodi res numquam dixi, nisi Patri Fr. Dominico de Crema, Confessario nostro, qui mihi fuit a Deo demonstratus et concessus, cum in capella S. Vincentii, intra ecclesiam S. Dominici Missam celebraret; quem ego antea non cognoveram, licet fuerit Magister Novitiorum in prædicto Monasterio. Tunc enim dixit mihi Deus, quod isti Fr. Dominico debebam communicare totam vitam meam : et feci sic, licet magno cum labore; quia numquam poteram narrationem aliquam pertexere ad finem; sicut vides mihi etiam tecum accidere. Ille autem, sicut mihi dixit, omnia in librum quemdam retulit, qui non invenitur, quia ipse obiit. O bone Jesu! quanto solatio mihi fuit, quod talis liber sit deperditus : si enim inventus fuisset, credo equidem præ dolore morituram me fuisse : sed per Dei gratiam nihil ultra de eo audivi, ipsumque rogo ut posthac numquam reperiatur.

de rebus ejus librum scripsit quem [illegible] gaudet periisse:

Nunc, care in Christo fili, negare non possum tibi quidquid a me postulas, pro tua consolatione spirituali : et credo id esse divinæ voluntatis : mens enim mea nullam sensit molestiam, sicut sentiebat cum aliis qui de vita mea volebant audire aliquid. Laudetur igitur Deus qui me solatur per te, et sic confirmavit, ut non alium inde sensum habeam quam si nihil dixissem.

Ex Ital. Hieron. Olivet.

A xissem. Intellexi ego ex quodam venerabili et devoto Sacerdote, multum familiari cum præfato Fr. Dominico, ipsique B. Osannæ pie affecto, verum esse quod dixit de libro, multaque alia secreta ipsimet per eam revelata; quippe qui in absentia dicti Fratris sæpe audiebat ejus Confessiones, quæ etiam ipsum magna complectebatur caritate, sicut mihi crebro narravit commendans illius devotionem. Sed postquam Virgo obiit, non amplius vidi istum bonum Sacerdotem.

et Auctori dicit petitam diu gratiam plagarum Christi,

59 Dixit deinde mihi Sponsa Christi: Multum temporis impendi, Fili, orando Deum, et pro gratia speciali postulando ut mihi concederet plagas suas, non quoad apparentiam externam, sed quoad dolores Passionis. Vice ergo quadam apparuit mihi in forma Crucifixi, et dixit: Carissima filia, dolores meos integre tibi concedam, in iisque consolaberis; non tamen una vice omnes, nec enim posses tantum cruciatum sustinere. Paucis deinde post annis, die decimo Martii, cœpi sentire dolores aliquos, solito majores: statimque cognovi hoc esse initium gratiæ tamdiu a me postulatæ. Cum autem advenisset dies Veneris sanctus, tantum mihi increverunt dolores capitis, ut nescirem ubinam essem: non tamen omisi accedere ad Officium. Cum autem sub illo inciperet B legi Passio, fui rapta in spiritu, et sic mansi stans, stetique per spatium horarum septem, mihique videbatur anima discessisse ex corpore; ut autem referentes audivi, videbatur corpus meum lapsurum. Hoc in raptu concessit mihi perfecte Deus dolorem cordis sui. Tunc conspiciebam corpus meum, ut erat, stare; sed dicere non possem, quæ esset tunc forma illius vel animæ.

tandem sibi concessam,

magno cum cruciatu;

60 Ita delata domum sum, non nimium tamen dolorem tunc sentiens, sed veluti semisopita. Verum postea cœpi sentire cruciatus ingentes per omne corpus, præsertim circa cor, ita ut tota incurvarer. Sensi etiam in manibus ac pedibus tormentum grande: et mansi bene sex mensibus, sic ut pedibus nequirem incedere nisi sustentata. In tempore illo tuleram multas tribulationes ac persecutiones, et patiebar etiam tunc valde molestas: quapropter eram continue, copioso cum planctu gemituque, prostrata ante pedes Jesu Christi, orando ut me conservaret in sua gratia, cum sancta patientia et absque peccatis. Eadem vespera diei Veneris sancti, sicuti jam dixi infirma, fui rapta in spiritu; ipsoque momento fuerunt mihi repræsentata mysteria passionis Christi: atque de passu in passum videbam C passionatum Christum, sicut quando patiebatur a Judæis. O bone Jesu! Quando reverti ad corporeos sensus, tantum habui dolorem in corde, manibus, capite, ac pedibus, ut gravis inde mihi advenerit febris. Hei me! Tantus fuit dolor iste, ut explicare non possem.

sed ita ut exterius non apparerent:

61 Tunc interrogans, O mater, inquam, an etiam signa aliqua apparent? Respondit: Non, nisi quod supra clivos pedum sit pauxillum coloris rosacei velut sanguinis super terram sparsi: petieram enim a Deo ut non essent plagæ apparentes; aliter enim mortua fuissem præ dolore. O fili! non possum declarare tibi ista tam alta mysteria, quemadmodum commonstrata sunt animæ meæ. Equidem pro vestra spirituali consolatione id facerem, sed nequeo: ignosce mihi. Interrogavi porro, quomodo faciebat, quando res ejusmodi revelabat Fr. Dominico Confessario suo. Respondit: Laborabat pauperculus, sicuti etiam tu; multumque mihi dolet recogitare laborem, quem pro me pertulit. Ego porro, Lector, cognoscens quomodo loquendi facultas ipsi impediebatur, supersedi subtilioribus interrogationibus circa occurrentias quasdam alias spirituales: nisi enim solicite ac vigilanter processissem, alioque sermonem vertissem, ut plurimum evasisset in exstasim, et nihil ab ipsa elicuissem. Hac autem ex causa in D longum producebantur colloquia nostra quemadmodum hoc de quo ago duravit ad quatuor aut quinque horas. Tunc habui ex ea res valde particulares, et licentias quasdam si prius ipsa quam ego moreretur, quas non propalabo, sicut nec mediam partem hujus colloquii scripsi: sed in paradiso cognoscentur omnia.

CAP. IX.

Auctor an. 1491 Neapolim mittitur,

62 Cum per obedientiam missus essem Neapolim ad ibi habitandum, rogata fuit Virgo anno MCCCCXCI, oraret ut cito reverterer in patriam; responditque hoc pridem fecisse se, præ magno desiderio quo cupiebat mihi loqui, ac porro facturam libentissime: animo tamen securo essem, futurum ut cito me revideret: quod et factum est. Cum enim venissem ad Capitulum generale, constitutus fui Veronæ: unde mihi occasio opportuna fuit visitandi Virginem, cum solatio spirituali utrimque. Tunc illa mihi dixit, quantopere desiderabat mihi loqui, de multis quæ occurrerant rebus, quia plus quam duo anni abierant quod me non viderat, dixitque quod Deus promiserat sibi reditum meum ante dies multos. Alia vice, rediens a Capitulo, missus fui habitatum Brixiæ, et visitavi Virginem cum magna lætitia spirituali. Tunc ingressis nobis in colloquium de unione animæ cum E Deo, rapta fuit in extasim per illas et alias res quas dicebamus, et imperfectum mansit colloquium nostrum: sed post menses sex, missus sum per sanctam obedientiam ad habitandum Mantuæ; unde per colloquia sancta cœpimus crescere, et continuare nostra sancta desideria ac spiritualia gaudia, tanto grandiora semper, quanto diuturnius tempus concedebatur: mansi enim in patria plus quam tribus annis.

inde Veronam transfertur,

tum Brixiam ac Mantuam;

unde abiens

63 Satagebam igitur magna cum solicitudine, subtilius intelligere vitam ejus cum Deo, et gratias ab eo in ipsam collatas: inter alias autem res spirituales, explicuit mihi dolores Passionis Christi, quos continuo patiebatur. Multum sane laboravi ut facerem ipsam eos exponere, partim quia difficulter poterat, partim quia zelotypa erat secretorum suorum, priusquam de me satis secura esset: ideoque ei dedi fidem secreti, alias enim numquam se mihi discooperuisset. Secundo anno cum iturus ad Capitulum res meas disponerem, dixit mihi Virgo formalia hæc verba: Vade, care in Christo fili, divinaque gratia et providentia sit tecum: dico tibi pro certo, quod huc sis reversurus: nam Deus per suam bonitatem revelavit mihi reditum tuum: quæ divina promissio omnino completa fuit, id est, redivi ad locum F priorem, et ultimo illo anno habui ab ejus manu plures epistolas, atque tractavimus de variis spiritualibus rebus: curabam autem ut quotidie cum ipsa haberem colloquium sanctum, et scriberem aliquid de ejus operibus sanctis.

eodem rediturus promittitur.

indicat ei Virgo secuturam mortem sociæ suæ,

64 Mandaverat mihi sæpius Virgo, ut Deum instanter orarem pro se: quadam autem vice majori cum vehementia et lacrymis mihi dixit: O fili, ora Deum pro matre tua, multum afflicta; valde enim vereor ne propter peccata mea Deus privet me dilecta mea Bartholomæa, sodali vestra: quæ res animam meam magno afficeret mœrore; nec enim spero aliam similem invenire. Prædicta autem socia ejus infra paucos dies in morbum incidit, et ego eam, durante morbo, qui longus minime fuit, visitavi sæpius: obiit enim juxta prædictionem beatæ Virginis, quæ valde afflicta remansit, opportunis suffragiis tam prudentis et caræ sociæ destituta. Cum autem consolarer eam et confortarem ad sanctam patientiam (quamquam id minime opus erat) respondit mihi; Nequeo facere quin trister; volo tamen et acquiesco beneplacito divino: et suspirans adjecit: Non hic finis erit; valde enim formido, care Fili

et duorum sucessive fratrum suorum,

A Fili in Christo, ne Deus etiam privare me velit dilecto meo fratre Antonio. Heu me! quam triste id mihi accidet, propter ejus magnam bonitatem et necessitatem tot liberorum: sæpiusque mihi replicavit isto anno, ut orarem ne ejusmodi afflictionem, quanta futura erat fratris tam cari privatio, affectam se vellet.

de quorum trium salute certa facta sit:

65 Sequenti anno fui collocatus in territorio Parmensi, ubi multas ab ejus manu accepi epistolas, et inter alia mihi scripsit mortem sui præfati fratris. Igitur sequenti Septembri, redii in patriam ad Virginem visitandam: quæ mihi, secum de sua jactura condolenti, respondit cum gemitu: Ora, Fili etiam hac vice pro me: dubito enim de morte Joannis-boni fratris mei: quia eam Deus permittet propter peccata et ingratitudinem meam. Ora quæso Deum pro me peccatrice. Tunc etiam mihi dixit, quod anima fratris sui Antonii erat in paradiso, nec non anima sociæ Bartholomææ: et quod causa salutis earum multum fuisset consolata. Ego vero talia audiens, valde mirabar in animo meo, considerans magnam Virginis sanctitatem. Sed et alia multa spiritualia mihi singulariter dixit, quæ silentio prætermitto.

B

uti etiam concepturam Marchionissam

66 Sequenti anno translatus sum ad territorium Patavinum, et rediens a Capitulo visitavi Virginem; quæ magno cum solatio spirituali me vidit: et inter alia quæ insimul habuimus colloquia, mihi dixit, orarem Deum pro Joanne-bono fratre suo, quia satis formidabat de ejus morte. Addidit autem, O fili in Christo, Domina nostra Marchionissa, sæpenumero me rogavit adstrinxitque ut orarem, quo Deus ipsi daret filium masculum: unde divina bonitas mihi dixit, fore ut voti compos fiat: parituram enim masculum. Tum sumpsi ego abeundi licentiam, cœptumque iter sum prosecutus: ipsoque anno scripsit mihi varias epistolas, interque eas unam de mortem fratris sui Joannis-boni, sicut mihi prædixerat; et quomodo liberata erat a quadam infestatione dæmonis omni nocte pulsantis cameram suam; quare ante plures menses rogaverat, Deum orarem quo liberatam se vellet fastidio tali, quia multis diebus jam duraverat; mox autem ut liberata fuit, id mihi significavit. Anno sequenti positus fui Ferrariæ, quo mihi sæpius manu propria scripsit, et intellexit nativitatem filii Illustrissimi Domini Mantuani, sicut prænuntiaverat.

et parituram masculum, sicut et factum est.

C

Anno 1501 Mantuam regressus Auctor

67 Sequenti anno qui fuit MDI jussus fui commorari Mantuæ ibique steti duobus annis: quod tempus ingentis lucri spiritualis mihi fuit. Illuc ergo a Capitulo generali me conferens proposui in mente mea, omni adhibita diligentia, ex illa sancta anima, pro modulo possibilitatis meæ, elicere quidquid possem spiritualis sanctitatis, et intelligere unionem ejus cum Deo, quatenus intelligi posset: atque huc conferre studium quantum possem et quantum foret tempus mihi concedendum. Nec minus quam proposui ad effectum duxi: mox enim ut ad monasterium applicui, missum nuntium est de meo adventu Virgini, tunc in extasi positæ; a qua ubi rediit, resque ei indicata fuit, subridens respondit: Satis scio. Igitur die xx Maji ivi illam visitatum, quæ præ gaudio et lætitia simul ridens ac lacrymans, mihi dixit: O Fili in Christo! quantum obligor divinæ Majestati; qui mihi dedit solatium, toto triennio quo abfuisti postulatum: atque secreto sic locuta porro est. Cum essem in oratione proxime præterito die Veneris sancto, atque pro te deprecarer, promisit mihi Deus reditum tuum, infallibiliter futurum, quem continuis tribus annis ipsum petieram. O bone Jesu! in præsentiarum ipsum mihi exhibuisti.

gratanter excipitur a Virgine

68 Multa etiam mihi dixit de Italia, intra quam frequens tunc vigebat discordia, bella et dissensiones inter Potentates. Maxime autem Pontifex plurimas movebat, et belligerabat; id quod Virginem valde affligebat, ideoque multas Deo faciebat orationes pro sancta Ecclesia atque pro pace: omnia autem eum habuerunt eventum, quem ipsa mihi prædixit. Inter hæc casu accidit nominari Dominam nostram Marchionissam Mantuanam, et dixit mihi: Volo, dilecte fili, dicere tibi aliquid de Domina nostra, quæ apud me instabat ut indefesse deprecarer Deum pro filio masculo: ego autem cupida solatii impetrandi Dominationi suæ, cum quadam vice instarem apud Deum, specialiter orans ut daret ei filium masculum; (o bone Jesu!) divina bonitas respondit in hæc verba animæ meæ: Filia mea carissima, ne diutius tristere: exaudita est enim oratio tua, et quod petiisti impetrabis: pariet illa filium masculum, qui cum sit filius orationis, debet sequi originem suam, bene operando secundum gratiam per quam concessus est. Dixit insuper mihi, quod præ verecundia istud numquam revelavit Dominæ, neque volebat secreta sua nimium publicari.

D

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

et intelligit de filio marchionissæ,

qualiter revelatus fuerit.

E

CAPUT III.

Professio facta, tribulationes toleratæ, visa gloria B. Columbæ, extases aliæ.

CAP. X. Virgo indicat professionem a se factam

Post alia spiritualia multa, dixit mihi; Fili in Christo, volo ut videas professionem meam, quam noviter feci, hic in camera coram nostro P. Vicario generali. Non feci eam publice, ne admirationi omnibus esset quod ipsam distulerim tamdiu. Noveris, fili, quod pridem eam fecissem: sed noluit Deus; nunc autem jussit ut facerem, et sic volui obedire ejus Majestati. Legi ego, o Lector, professionem istam, et credo quod noluerit Deus ut sponsa sua unquam faceret suam professionem, quia nolebat ipsam per cujuscumque alterius obedientiæ adstringi quam suæ divinæ, et ipse eam regebat ac gubernabat more suo: ob quam causam multa etiam passa est a Fratribus suis, aliisque personis ignorantibus secreta Dei: ipsa autem Virgo cum sciret Dei voluntatem, volebat obedire Deo magis quam hominibus. Longe tamen aberat ut ipsa alicui daret murmuris vel scandali occasionem: sed non intelligebatur ab omnibus particularis illa gratia, quam Deus operabatur in ipsa beata anima. Imo iis qui nesciunt quid sit gustare talem gratiam (quia numquam in anima sua participaverunt ejusmodi gratiam per unionem cum Deo quali fruebatur ipsa Virgo) fatuitas videtur vel audire dumtaxat nomen spiritualium istarum rerum; et similes personas æstimant nullius cerebri, irridentque dicentes, quod sancti non manducant neque bibunt, sicut quotidiana experientia discimus. Deus autem permittit ut famuli sui, ad majus ipsorum meritum, incurrant ejusmodi persecutiones; eaque gradiantur via, qua ipse præcessit in hoc mundo, et qua transierunt tot Sancti et Sanctæ. Proinde ipsorum afflictiones non debent cuiquam movere admirationem; cum illæ ipsæ veris expertisque Catholicis potius præbeant testimonium sanctitatis, contrarium potius æstimaturis, si non viderent ipsos multipliciter afflictos atque tentatos.

diu dilatam, quia Deus per se regere ipsam volebat,

F

unde haud parum passa fuit;

70 Vice quadam, o Lector, cum insimul doleremus de adversitatibus quas patiuntur omnes qui volunt ambulare per viam Dei, deque tot detractionibus contra eos fieri solitis; volens illa me confortare ad sanctam patientiam, utebatur caritate quadam materna; quare ei dixi: Ah cara Mater, non credis, quod cum similia de te tuisque actionibus mihi dicuntur, quoties audio illa toties mihi videatur cor findi

eos per quos id fiebat

solita excusare.

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

A findi cultro? Illa vero subridens respondit : Tuum istud verbum fili, recordari me facit nostri Domini Friderici, cui cum aliquando colloquerer, dixit mihi Dominatio sua, quomodo Fratres nostri apud se fuerant de meis rebus questi ; sibique videbatur quod talia verba essent sibi ictus cultri : ego autem respondi, quod merito sic loquebantur propter meam imprudentiam ; oravique suam Dominationem rem ut in aliam partem acciperet, quia mea erat culpa : et sic conata sum bene ædificare suam Excellentiam.

a CAP. XI. Extasi impassa

71 Die [*Dominicæ secundæ post festum*] Pentecostes *a* quæ fuit, XIV Junii, dictum mihi fuit, quod Virgo, a tempore matutino quo Communionem acceperat, fuerit in extasi usque ad vesperum diei sequentis : et ivi ad ipsam, sicut puerulus ad scholam, ut mihi explicaret aliquam doctrinam spiritualem : multaque ipsam interrogavi, quorum aliqua reticeo, propter causas prædictas. Et ipsa materno affectu respondit mihi dicens : Scito, Fili dilecte, quomodo heu divina bonitas, per gratiam suam, non propter merita mea, attraxit ad se animam meam. O bone Jesu ! major hæc unio fuit B quam anima mea cum Deo habuit unquam, satisque vereor ut in præsentiarum tibi explicare valeam quod interrogas, quodque scire optares de ista unione. Cui ego : Noli, cara Mater, laborem sumere : dicito parum illud quod potes, utque melius possis, noli applicare mentem affectui unionis istius, quam habuit anima vestra cum Deo ; et dumtaxat narra historiam perceptæ visionis, actumque animæ cum Deo, dimissa ejus fruitione quam anima sensit.

ægre potest explicare

quomodo sub ea se habuerit,

72 Erat nempe beata mens Virginis usqueadeo absorpta, ut ipsamet id non perciperet remaneretque in extasi, neque cavere id posset. Tandem tamen, multis meis precibus constricta, cœpit plangere ac dixit : Dilecte in Christo fili, Res divinæ,quas Deus in hac unione cognoscendas dedit animæ meæ, tam altæ sunt, ut nec recogitare quidem eas valeam. Anima namque illo aspectu tam luminoso detenta, fruebatur mirabili dulcedine, et intuebatur in speculum divinæ Majestatis. Tunc recordata molestiarum, quas mihi ingerunt seculares, sic ut nec respirare quidem aliquando sinant, rogavi Deum ut me a tanto fastidio vellet liberare ; mihique per suam misericordiam, largiretur quietem in rebus C spiritualibus. O bone Jesu ! Respondit Deus : Carissima filia, ego te elegi pro salute animarum, et ideo numquam volui permittere ut monasterium ingrederere : scias autem quod multo magis mihi placeas in hoc gradu, quam in alio quocumque opere : quia semper tecum ero in tribulationibus tuis et quibuscumque accidentibus, teque semper servabo extra offensam : ac tantam fortitudinem atque prudentiam, cum sancta caritate conjunctam, tibi dabo, ut nihil formidandum tibi sit ne forte bonitas mea casu aliquo sinat te labi in peccatum. Persevera igitur, dilecta filia, et confide : ad hoc enim elegi te, et volo ut extra monasterium vivas, secundum dispositionem meam, atque mediatrix sis pro multis animabus : semper enim gubernabo te per meam prudentiam. O fili in Christo ! multum ista me afflixerunt et cruciarunt, quia nullam in me virtutem agnosco ; et tam multi accurrunt ad me, ut quid ipsis faciam aut dicam ignorem. Volo tamen supportare quidquid placitum fuerit divinæ Majestati. Erat infirma Virgo, Lector, cum istæc dicebat mihi, nec nisi cum magno labore poterat sermonem producere.

multaque sibi toleranda intellexerit

pro animarum salute.

b CAP. XII.

73 Eodem die *b* venit suus Prior S. Dominici, eique dixit, quod mortua erat Soror Columba Perusina : ac veluti subridens addidit ; Verum hoc satis nosti, o Mater : *c* ego autem præsens aderam D verbo huic. Ast virgo nihil respondit, nec dicere voluit quid sciret de anima illa. Post discessum vero prædicti Patris, mihi secum ad colloquendum remanenti, omnia, secundum ordinem quo acciderant, narravit, dicens : Fili in Christo, voluit me Deus percutere gravi infirmitate : nunc tibi volo dicere quidquid vidi de Matre nostra, beata Sorore Columba, quodque nolui significare Priori nostro, quia non fido ipsi : sed tibi, Fili care, pandam rem universam. O bone Jesu ! Ante Pentecosten sub auroram posita in oratione, vidi Sororem Virginem, indutam Habitu nostro, cum duabus coronis perquam splendidis in capite, comitatum Episcopis multis Pontificaliter vestitis, ipsam Virginem multo cum decore, ordine, ac devotione affectantibus : quæ sese ante me stitit cum aspectu Angelico : et innuens mihi dixit ; Præpara te, Soror, quia paulo post me sequeris, receptura præmium immortale æternæ vitæ, tibi dispositum a cœlesti nostro sponso ; ad quod ego sic comitata nunc vado. Atque hæc dicens transivit Virgo, cum eo quem dixi comitatu.

c Narrat Auctori

visam sibi B. Columbam, recens mortuam,

74 Equidem magno spirituali solatio perfusus E sum, Lector, talia audiens dici a beata Virgine, et ejusmodi apparitionem recogitans, plangebam præ lætitia. Ipsa etiam, cum narraret mirabilia ista, admiratione se captam ostendebat ; tantaque cum spiritus vehementiaque loquebatur, ac si rem etiam tunc præsentem intueretur. Colloquium hoc valde prolixum fuit, eo maxime quod volebat explicare claritatem ac pulchritudinem, in qua viderat animam istam sanctam ejusque societatem ; quæ, sicut dicebat illa, erat tam splendida, ut lingua humana id nequeat explicari. Dixit autem mihi in spiritu, o fili in Christo, si Mater Soror Columba esset inter mulieres mille,cognoscerem illam,licet in carne viventem numquam viderim O bone Jesu !quam est gratios absorbeor admiratione tota.Scito autem,Lector, quod diebus aliquot post transitum meæ caræ Matris, intellexerim ex quadam socia sive alumna B. Sor. Columbæ, quod hæc obierit ipso die ipsaque hora, qua dixit dilecta, nostra Sor. Osanna : unde multum consolatus et justificatus fui in eo, quod ex proprio caræ meæ matris ore audivisse me asserueram.

in maxima claritate;

CAP. XIII.

75 Eodem die etiam mihi dixit, o care fili, vice quadam posita in oratione, deprecabar pro anima cujusdam F Prioris, qui meus fuerat Confessarius, obieratque Neapoli, uno jam præterito mense. Dum autem orarem pro eo, apparuit mihi et dixit : Ago tibi gratias, Mater, propter vestras pro me factas orationes : nunc vado ad requiem perpetuam ; unde remansi multum consolata ; optabamque etiam ipsa mori cito, et est nunc quoque hoc meum desiderium ; nec videor mihi unquam ventura ad illam tam beatam horam mortis. Equidem inveni, Lector, Virginem semper anxiam et cupidam mortis in summo gradu : idque jure merito, quia credo quod optime sciebat eratque ex ore Dei certificata de sua salute, quemadmodum pluribus locis ac vicibus colloquiorum nostrorum mihi dixit : hac autem hora sermo inter nos fuit de multis rebus spiritualibus.

et suum olim Confessarium

a purgatorio liberatum

CAP. XIV.

76 Insuper mihi dixit : Dilecte fili, volo etiam rem aliam mirabilem tibi dicere, quæ alias contigit. Cum pluries facerem orationem pro anima quadam, mihi valde devota et vicissim cara ; divina bonitas certam me reddidit de illius salute, idque scire te volui. Nominavit autem illam sed eam non indicabo, quia adhuc vivit in hoc mundo. Tunc interrogavi ipsam et dixi : O mater cara, dic mihi obsecro, quando certa fuisti reddita de salute istius vestræ devotæ, non petiisti etiam salutem vestram propriam?

seque certificatam de salute cujusdam amicæ.

A propriam? Ipsa vero respondens subridendo affirmavit, quod ipsam quoque Deus de sua salute certam reddidit; O bone Jesu! inquiens; scito, care Fili, quod de talibus certior reddita sim per demonstrationem manifeste factam, subintelligendo tamen, si perseverem in operibus cœptis. Tunc conspiciens Virginem ad loquendum dispositam, plures quoque res alias spirituales interrogavi: et ipsa mihi respondit: Esset mihi solatium ejusmodi nemini revelare: certe non est alius qui sciat hujusmodi secreta, sicut tu neque cui plus confidam; quia certa sum quod secretus eris; ideoque constringor omne spirituale secretum tibi pandere absque ullo respectu: solum autem ea pando pro vestro solatio spirituali. Tunc iterum fidem meam obstrinxi, quod essem ei fidelis secretarius, sicut et fui per Dei gratiam, quamdiu erat in hoc mundo, quod toti civitati nostræ est manifestum. Aliquando, sicut dixi, erat Virgo expedita ad loquendum, alias loqui nihil poterat, quin subito raperetur in extasim, propter repræsentationem earum rerum quas ad consolationem meam dicere volebat: sentiens autem impedimentum excusabat sese dicendo; Ignosce, Fili in Christo dilecte, quia non possum in præsentiarum amplius dicere: alias ea dicemus: itaque jejunum me dimittebat spirituali meo cibo; ultra tamen nihil requirebam, sciens quod non posset cœptum sermonem ultra prosequi.

sed petit res suas secretas haberi.

B

ANNOTATA D. P.

a *Corrigendum hic vel supplendum aliquid res ipsa loquitur, cum Pascha nequeat cadere in* 26 *Aprilis, adeoque nec Pentecoste in* 24 *Junii. Mox certe apparet, hæc acta esse anno* 1501, *quo* 20 *Maji obierat* Beata Columba, *et Paschate celebrato ad* XI *Aprilis, Pentecoste occurrerat* 30 *ejusdem litt. Dominicali* B *adeoque Dominica* 2 *post illud festum fuit* 11 *Junii.*

b *Scilicet* 13 *Junii Feria* 2, *cum præcedenti Dominica post Communionem rapta fuisset Beata.*

c *Non solum per revelationem, quomodo et videri posset quasi joco dictum; sed forte etiam relatu aliorum, quando* 26 *dies præterierant: quamquam temporibus illis, nondum sic ut nunc ordinatis tabellariis de civitate in civitatem, haud adeo mirum fuerit, mortem Perusii obitam* 20 *Maji, non nisi post tres hobdomades Mantuæ nuntiari.*

C

CAPUT IV.

Inter acerbissimos plagarum et capitis ac cordis cruciatus, ingens moriendi desiderium, et prophetici spiritus argumenta,

CAP. XV Vehementer infirma,

Vice quadam lecto decumbebat Virgo gravi febre æstuans, quam infirmitatem multis diebus antea mihi prædixerat, affirmando quod Deus volebat ipsam percutere, sicut supra narratum est: idque revera evenit; tanta enim ægritudo fuit ut civitas tota de morte ejus formidaret. Cum autem sic decumberet, et ego malum usque eo aggravatum viderem, rogavi eam ut mihi diceret, an nihil sciret de sua morte: quæ respondit: Nihil certi de illa scio, Fili, sed suspicor futuram cito: quia dolores mei plus solito crescunt. Tunc dixi: O cara Mater, quomodo nunc isti dolores te afficiunt? Et respondit; Increverunt tantopere in hac infirmitate, tantumque cruciantur mihi pedes, præsertim subtus plantas ac supra clivos, ut ægre possim incedere: in manibus autem etiam sunt tanti, ut non valeam amplius conficere panes aut pannos lavare. Similiter in capite cruciatus acutissimos sentio et quotidie

propter valde auctos plagarum et cordis dolores,

D fiunt graviores, sic ut mihi videar coronam spineam habere affixam vertici: et circumcirca sublevata pellis sic me afficit, ac si ad minimum quem audio strepitum excuteretur mihi cerebrum. Verumtamen, care Fili in Christo, præ omnibus sentio cordis dolorem tam grandem, ut nequeam somnum vel requiem ullam invenire diu noctuque: neque jacui unquam nec jacere possum supra latus sinistrum, postquam Deus mihi fecit gratiam dolorum suorum: ita ut, dilecte Fili, dolor iste cordis, sit vehementior aliis. O bone Jesu, dolor hic me dejicit, estque causa infirmitatis meæ. Nihil prosunt mihi medici, quia morbum meum non intelligunt: et Deus per suam gratiam ita vult. Vellem tibi res alias dicere, sed modo non possum: alias dicam: nunc mihi ignosce: male me habeo, ora pro me misera peccatrice. Cognoscens igitur impossibilem ei esse ulteriorem sermonem, et compatiens ejus infirmitati, non processi ulterius.

EX ITAL. HIERON. OLIVET

sicut vix lectum pati posset,

78 Post paucos deinde dies iterum Virgini loquens de sua tam prolixa infirmitate, pedissequa domestica sua, Bona nomine, refrigerabat ei manus spongia, sicut fieri infirmis solet: unde cum illa dolorem monstraret, rogavit ipsam ne premeret tam fortiter. Id quod ego videns, ipsique compatiens, sumpsi spongiam, leviterque tangens functus sum eo officio caritatis: et virgo mihi in aurem dixit: Nequeo ferre arctiorem contactum in manibus: sed nemo id sciat præter te; et tali respectu, servabam ipsi coram omnibus. Quadam autem vice sic ei assistens, iterum eam instanter oravi, ut diceret quid sciret de sua morte. At illa respondit: Fili mi nullam eundum habeo de eo notitiam certam: semel tamen in oratione posita, Deum rogavi, ut mihi illam revelaret; et de gratia mihi concessit, ut veniret cito: nondum adesse horam meam: et nunc hoc ipso tempore eamdem petitionem replicavi, dicens divinæ suæ Majestati: Ah! ah! Domine mi, nunquam mihi vis dare, solatium ut hoc corpus in terra relinquam. Sic autem postulans vidi Dei Majestatem, cum suo divino vultu et aspectu ad me converso, et quidem quasi risu blandientem animæ, atque hilaritatis indicia in facie præseferentem; non tamen dixit, vel Ita, vel Non: unde semper dubia maneo quid futurum sit. Vellem equidem nunc mori, quia sum gravis omnibus et inutilis ad faciendas pœnitentias aut quævis alia bona opera. Respondi ego: Quod tibi grave est, cara Mater, omnibus nobis magnum est solatium; dummodo saneris, non quæras amplius. Nollem tam cito derelinqueres filios et filias tuas spirituales: ea res omnibus nobis nimium tristis esset. At ipsa: O fili in Christo, mea in mundo præsentia ad nihil utilis est, mihi vero continuum martyrium. Modo velint bene agere illi, certa sum de alio meliori auxilio providendum ipsis a Deo. Benedicta hæc civitas multis inquinatur peccatis, quæ valde displicent Deo. O bone Jesu! miserere mei peccatricis. O infelix Mantua atque Italia! Tum ego aliud nihil quæsivi ex ea quia videbam morbo vehementer gravari. Dicebat autem illa, Lector, grande flagellum apparari.

CAP. XVI

E

fatetur se mortem valde optare;

sed eam sibi divinitus differri:

F

79 Quadam vice in me, sibi loquentem, respexit sancta Virgo cum suspirio, et digitum fidei sublevans mihi dixit: Dilecte in Christo fili, præpara te: satis enim habebis quod agas, et doleo a vestro incommodo. Ego tunc ipsi nihil respondi, quia videbam nimis intensam esse febrem quam patiebatur, quodque nihilominus adhuc cresceret paroxysmus frigoris. Postquam autem illa declinasset nonnihil, dixi: Dic, cara Mater, quid sibi volebant verba, quæ modo protulisti? videlicet ut me ad multa præparem. Quid faciendum mihi est? quia super hoc multum attonitus et anxius hæreo. Respondit cœlesti

CAP. XVII

Auctori quoque gravem morbum prædicit,

EX ITAL. HIERON. OLIVET. cum in se transferri optans,

lestis anima et dixit: Scito, Fili in Christo, quod si in præsentiarum mortua fuissem, subito tibi advenisset gravis infirmitas cum tribulationibus multis: sed, si quid possum, omnino nolo ut ista tibi superveniat, imo rogabo Deum ut ipsam imponat mihi. Hæc audiens ego dixi subridens; Dilecta in Christo Mater, peccata mea magnas pœnas et severam purgationem merentur, permitteres procedere secundum dispositionem voluntatis divinæ. Nolo sane ut pro me peccatore pœnam talem sustineas: quam enim nunc sustines, nimis gravis est. Sed illa: Mihi tamen, inquit, gravior esset vestra: sed, si possim, eam non patieris.

sed frustra cum ipse pro illa pati maluisset.

80 Multum equidem mirabar, Lector, et rem tacitus considerabam: sed volo dicere id quod post dies aliquot contigit. Videns ego meam Matrem jacere in tanto cruciatu, ex ista tam gravi infirmitate; rogavi divinam Clementiam, ut ipsum morbum tranferret in me, ipsaque in commodum et solatium civitatis liberaretur: tanta enim caritate afficiebar beatæ isti animæ et utilitati communi, ut omnis pœna mihi refrigerium futura fuerit, modo ipsa tanta molestia liberaretur. Dei igitur justitia id pro purgandis peccatis meis permittente, ipsa aliquanto levius habuit, et ego in gravem ac longum morbum incidi, sic ut moriturum me dubitarem: eodemque tempore multæ mihi advenerunt tribulationes atque fastidia, majora quam unquam senseram. Heu me! Quam bene cœlestis illa anima speculata fuerat dispensationem divinam, et futura præviderat! nec enim aliter scivisset quod illa debebant evenire, ut mihi uno mense ante prædixerat. Post multa autem tunc ultro citroque inter nos dicta, cœpit Virgo vehementius torqueri, cum gemitu ac planctu, propter dolores cordis manuum ac pedum. Tunc quæsivi, an forte dolores increvissent; responditque, Etiam, et quidem tantum, ut nequeam subsistere supra calcaneos meos: dico autem cognatis meis, nervos adeo esse contractos, ut nequeam insistere pedibus: atque ita fit ut nesciant veram talis impedimenti causam.

Eadem mali causam domesticos celans,

CAP. XVIII.

81 Insuper mihi dixit: Domestici, pro sua caritate ac bonitate sæpius vellent lavare pedes meos: ego autem id non patior: ne innotescat eis secretum meum; nec enim pati possem ut mihi tangerentur pedes, absque demonstratione aliqua. Dilecte in Christo Fili, noveris quod dolores omnes in hac præsenti infirmitate magnum sumpserint incrementum: ad cor autem multo acutiores sunt quam locis aliis. O bone Jesu! Cor mihi quasi mortuum est, et tota pars illa corporis usque ad pedem quasi sopita. O fili! numquam sensi tantum cruciatum in corde et pedibus qualem sentio modo. Laudetur Deus, quidquid enim facit bene facit. O bone Jesu! adjuva me peccatricem. Erat Virgo prolixiori sermone aliquantulum attædiata, quapropter ego ipsi compatiens, longiori colloquio finem imposui, propter ejus gravem morbum.

ejus gravitatem explicat Auctori,

CAP. XIX.

82 Sequenti die loquente mecum Virgine, replicavit illa multa ex suprascriptis; insuper etiam res aliæ spirituales multæ mihi occurrebant quæ poterant opportune in medium adduci: quotidie enim præsens aderam beatæ illi animæ, quamdiu morbus iste tenuit; imo quando me non videbant, quærebat continuo: Ubi est Prior albus? propter habitum, inquam meum sic dicens, non propter merita. Per Dei autem gratiam et bonitatem, forsan etiam ex ordinatione divina tunc nobis ignota, conversatio nostra et quotidianum colloquium erat de rebus spiritualibus; modo tempus faveret, et ipsa esset ad loquendum idonea. Sæpius rogatus a Virgine sacrificabam ego intra cameram ipsius. Non dico hoc, Lector, jactantiæ causa, sed solum ad demonstrandam dilectionem magnam, qua mihi Virgo afficiebatur per suam gratuitam bonitatem; et ad declarandam magnam quam in me habebat fiduciam, et qua mihi dicebat secreta sua.

identidem ipsam visitanti et in ejus camera celebranti:

83 Testis est mihi verax Deus, quod maxima consolatio mihi foret nullam mei ipsius mentionem inducere, filii spiritualis, licet indigni, tantæ Matris: sed cum videam non posse me aliter enuntiare sancta ipsius acta, debitamque eis fidem minus facile præstandam, si personam aliquam fictam inducerem; longiusque a veraci rerum cognitione abducendum tali modo Lectorem; nolui tantum defectum causare, atque minuere opinionem de sanctitate cœlestis illius animæ, aut fidem ejus operibus dandam; sed elegi potius, ad laudem Dei augendamque æstimationem sanctitatis ejus, erubescere inter mortales, quam negligere Dei voluntatem, et veritatem mutilare. Multa nihilominus valde particularia de ipsius dilecto in Christo, multisque aliis personis etiamnum viventibus tacitus præteribo, in præsentiarum non dicenda, quorum tamen spero a me, per Dei gratiam, relinquendam posteris memoriam aliquam, ad majorem Dei et Sanctæ suæ gloriam. Reticebimus etiam complures personas, quibus Deus graviter comminabatur propter sua peccata, pro quibus Virgo multum affligebatur, multasque orationes et lacrymas cum pœnitentiis fundebat, Deum semper deprecans pro eorum salute: et sæpius mihi nominatim indicavit, de quibus magis querebatur Deus; demonstrans quomodo magis inclinabatur ad faciendam cum eis misericordiam, dandamque ipsis gratiam, quam ad ruinam, modo emendari vellent. Verumtamen multum metuebat imminens eis absque ullo respectu flagellum, quia nimis erant obdurati.

quod ipse protestatur a se scribi solius gloriæ Dei causa,

multa autem particularia taceri.

84 Dixit etiam mihi hæc verba: Dilecte in Christo Fili, cognata mea Catharina, volens ire in villam, ad colligendos fructus nostrarum possessionum, heri vesperi me interrogavit, quid futurum crederem de mea infirmitate! cui respondi, quod nesciebam Dei voluntatem; expectaret tantillum. Igitur hac nocte in oratione positæ mihi, dixit pro sua bonitate Dominus, quod non morerer ex hac infirmitate, quia necdum completum erat quod me intervenientes effectui datum volebat. Mane autem facto dixi cognatæ meæ, iret sane, si vellet, in pace: quia credo infirmitatem meam longam futuram: quod si aliter eveniret id ei curarem nuntiandum: solatium sumeret, et, Deo comite, se daret in viam: quod etiam fecit, recreata istis verbis, ivitque in possessionem nostram. Vides, Lector, quam prudenter occultabat sua secreta, et id solum, quod opus erat propalabat.

CAP. XX.

Negat ex illo morbo morituram se Virgo,

85 Quando autem Virgo dicebant ista, magno cum labore loquebatur: unde ego illi compatiens, prohibebam ultra sermonem extendere: sed illa, omni cura sui ipsius deposita, et absque ullo ad proprias afflictiones doloresque respectu, prosecuta est sermonem suum dicens: O care Fili, multi volunt et petunt ut sibi dicam punctum aliquod spirituale, etiam domestici nostri, quibus libenter facerem satis; sed non possum. Cum enim incipio aliquid tale dicere, subito mihi cor inflammatur et accenditur suavi Dei sensu; et, si ultra progrederer, in medio sermone obmutesceram: et hac de causa cogor hominibus dicere: Habetote patientiam plus dicere nequeo, alias fortassis dicemus: atque ita frustrantur desiderio suo; multumque admiror, quomodo non contemnar et vilipendar ab omnibus, propter meam magnam insipientiam. Credo autem quod Deus pro me satisfaciat cordibus audientium: omnes enim videntur contenti discedere. Hoc facit Deus per suam gratiam: nam in me nulla virtus est. O bone Jesu! ignosce mihi peccatrici. Nolui ego nimis subtiliter interrogare eam, quia magna cum difficultate loquebatur;

sed ægre se loqui posse fatetur, et ideo sæpe petit excusari.

batur; sed dimisi eam, pollicitam alias mihi dicere res quasdam spirituales, et illas præcipue quas nocte præcedenti senserat: ex quo remansit toto vultu jucunda.

CAPUT V.

Acerbitas et veritas plagarum Virginis, visio S. Dominici in gloria, petitiones pro variis exauditæ.

CAP XXI *Rursum explicat dolores cordis*

Mense [*Junio*] jam dicto loquens cum beata Virgine, die uno post cœnam, interrogavi illam, quomodo se haberet in sua infirmitate; et quoad dolores cordis. Et ipsa, vultu angelico atque sereno aspectu, mihi respondit: Versor in magno cruciatu, dilecte Fili, eo quod tota illa pars cordis inflata mihi est, usque ad stomachum et humerum; descenditque sensus idem versus tibiam, cum magna rubedine. Cognata mea Peregrina quotidie me ungit; idque permitto ut non deprehendat secretum: ipsa tamen animadvertit aliquid inflationis et rubedinis. Est ibi etiam tumor quidam in forma zonæ latioris, qui incipiens a stomacho pertingit usque ad humeros, magno cum dolore. Quæsi ego, quomodo cruciatum talem in corde sentiret: et respondens mihi dixit: O dilecte et secrete Fili, videntur mihi esse duo qui cor ipsum altrinsecus trahant et dividant, quodque illæ duæ partes iterum bifariam dissecentur, atque ita cor meum maneat quadrifariam sectum, instar pomi granati fracti et in quatuor frusta divisi. Deinde videor mihi sentire cultrum, qui medium transit: atque hoc modo sentio dirissimum tormentum in corde et toto illo latere. O bone Jesu! quam magna est bonitas tua! Insuper sentio continuo et grandem dolorem capitis, quod videor mihi semper cinctum habere corona spinea, et pellem capitis inflatam atque elevatam altitudine unius digiti: quod numquam permisi ut videretur nisi modo, quando de medicorum imperio necesse fuit permittere ut crines mihi resecarentur. Sed caput totum est conquassatum: et ideo continue sentio grande martyrium, propter coronam spineam, quæ compungit tamquam revera acutissimæ spinæ circum caput positæ, vel etiam amplius.

et capitis sui: ex corona spinea

87 Ne mireris, Lector, in nostro modo asserendi veritatem dolorum passionis Christi, quos Virgo hæc beata pertulit: revera enim optimo jure poterat usurpare istud Pauli, Stigmata Domini Jesu porto in meo corpore: et ego testimonium ipsi perhibeo, possumque dicere id quod Joannes de Christo. Et qui vidit testimoninm perhibet et testimonium ejus verum est; ita dico nostrum verum et certum esse. Id est quod Virgo hæc, et omnia cœlestis Osanna, habebat dolores vere sensibiles passionis Christi, eosque in locis stigmatum tam auctos, ac si fuissent visibiliter apparentes. Equidem de talibus doloribus per linguam practicam et veram cognitionem plus intelligo plusque certitudinis teneo (quantum ad me) quam de stigmatibus S. Francisci: quia hæc solum teneo et credo per fidem, ista per experimentalem notitiam. Protestor tamen (prout decet, quod per hoc nihil derogem sanctitati S. Francisci aut veritati, quasi is non habuisset vera stigmata Christi) sed iste est modus loquendi veritatem, ad certificandum, quod ista beata Virgo habuerit in corpore suo sensibiliter veros dolores passionis Christi, per sensibilia signa imo et visibilia apparentes; id est per tumorem circa caput et circa totum latus sinistrum cordis, uti supra dictum est, cum rubeo signo supra clivos pedum ad instar unius denarii. Manibus, (ut palam videbatur) amplius uti non poterat ad rem aliquam quæ volas contingeret: qua de re multi possent testes adduci. Insuper mecum ipsa loquente, sæpe sic impediebatur, per tam graves quos patiebatur dolores, præsertim circa cor, ut respondere non posset. Id cum sæpius coram me contingeret, viderernque ipsam torquere se, manumque applicare pectori, et toto vultus colore mutari, nec loqui posse; expectabam ordinarie quoad angustiæ tales transissent; et illa innuebat mihi ut porro loquerer: eratque modo rubicunda, modo pallida, prout intrinsecus dolor cogebat.

ceterisque plagis;

Gal. 6, 17

Jo. 19, 35

quas asserit Auctor eam veras

EX ITAL. HIERON. OLIVET. *et quadamtenus apparentes habuisse*

CAP. XXII.

88 Alia rursum vice, cum Virginem alloquens ipsam interrogarem de sua infirmitate, ac præcipue de cordis dolore; ipsa respondit: Sentio, Fili, cruciatum magnum; videturque mihi cor disruptum ac fissum, sicut dixi, et quotidie crescit pœna, nec scio quomodo vivam. Tum ergo; Dic mihi, inquam, cara Mater, quid sentis de tuo morbo et sanitate? Respondit beata anima, et dixit: Præterita nocte in oratione positæ, et quasi de Deo querulæ, quod tamdiu mortem meam differret, ipse mihi in hæc verba respondit: Multorum preces, filia carissima, coegerunt me procrastinare desiderium tuum, idque pro salute plurium animarum. Nescin tu, filia dilecta, quod eo fine elegerim te, nec volui ut monasterium ingrederere, quia te mediante volebam aliqua operari? Non ergo tristeris, filia carissima, quandoquidem talis est voluntas mea. Respondit autem Virgo: O Domine mi et dulcis sponse animæ meæ, quomodo ego peccatrix misera potero satisfacere obligationi, qua obstringor tot animabus, quæ pro bono meo, contra me quidem, sed optima tamen intentione oraverunt? Respondit Christus: scito, carissima, quod unica vice, qua stabis cum lacrymis ad pedes æternæ bonitatis, dissolutura sis omne debitum apud ipsas contractum. Menti autem tuæ firmiter posthac imprime, quod omnes animæ, pro quibus me es deprecata, salvabuntur, si in bene cœptis perseverent. Petierat nempe in suo comitatu habere quinque animas, quæ ipsi fuerunt promissæ, sed adhuc vivunt in hoc mundo.

petitam ab ea mortem differt Deus,

et donat ei 5 animas pro quibus orabat.

CAP. XXIII.

89 Mense Augusto ejusdem anni, circa horam decimam quartam, loquebar cum Virgine de variis rebus spiritualibus, cum illa mihi dixit: O secrete fili in Christo, volo dicere tibi, quid mihi acciderit in die S. Dominici. Dum maue Missam audiebam, sensi cor meum tantopere accendi in res divinas, per præparationem ad Communionem, ut non nisi difficulter sumere potuerim corpus Christi. Subito autem, post illud sumptum, composui me ad orationem, in qua perseveravi usque ad horam vigesimam primam. Tunc sensi animam sic radiare, tantaque claritate fulgere, ut eam humana lingua exprimere non posset. Vidi etiam Dei matrem Virginem Mariam splendidiorem sole, stantem coram Patre æterno; ac postea magnam multitudinem Fratrum, candidis indutorum, qui procedebant bini ac bini; eosque sequebatur ingens turba Virginum, similiter candidatarum, et singulari cum sanctimoniæ specie ambulantium; ac denique post omnes venerabilis senex, aspectu Angelico, tamquam si pompa processionalis ducta fuisset: omnibus autem erat vultus hilariter renidens.

Videt ipsa S. Dominicum

in glorioso comitatu,

90 Tunc anima mea, istis sic visis, singulari cum humilitate prostravit se ante pedes venerabilis istius senis, qui erat S. Dominicus, ipsique se commendavit, ut ejus mereretur participare suffragio. Senex porro sanctus hilari vultu, animam meam suo modo per manum arripuit, et duxit ante Majestatem divinam. Erat mirabile videre sanctum istum comitatum, quanto ordine procedebant; et quomodo illis ad thronum supernum accedentibus, anima mea tantis illustrationibus quasi retro pulsa, jacebat humiliter humi strata, ac pia voce cœpit dicere:

a quo ad thronum Dei deducta,

EX ITAL. HIERON. OLIVET. ipsique commendata,

dicere : Ah ! ah ! Domine mi æterne, quid rei ego sum ? Non mereor videre res adeo divinas. Ignosce, Domine, mihi miseræ peccatrici : ignosce, obsecro. Tunc Pater meus S. Dominicus, commendavit animam meam magna cum instantia, divinæ Majestati : postea autem, O pie Jesu ! bonus ille senex, animæ meæ abblandiendo dixit : Eia, Anima mea, quidquid volueris nunc pete : obtinebis enim quidquid concupieris.

orat pro anima quadam valde afflicta,

91 Hinc anima mea, tremebunda tota propter aspectum divinitatis, cum humilitate prostrata jacebat : sed a sancto illo sene valde juvabatur et confortabatur : tandemque oculos in excelsum sustuli, cœpique Patri æterno petitiones meas exponere. Ah, Fili mi care ! Primum quod petii fuit pro illa supra nominata persona, quam nosti in tanta tribulatione constitutam, et dixi : O Domine mi supplico tuæ magnæ bonitati et immensæ clementiæ, ut creaturam istam velis liberare a tantis molestiis, angustiis et tribulationibus quibus vexatur, eamque collocare in loco et gradu, qui tibi placebunt. Ad quæ verba recepit anima mea hujusmodi responsum : O filia carissima, adjuva animam illam exhortatoriis tuis verbis, corroborando illam ad sanctam patientiam et perseverantiam : quia in tali conditione electa a me est ; et hæc est voluntas mea, ut cum sancta humilitate perseveret, donec aliter providero, liberans eam suo tempore a tantis tribulationibus. Scito autem ipsam connumeratam haberi inter electos meos. O pie Jesu, quanta est bonitas tua ! O fili dilecte ! scias quod eadem verba mihi dicta sunt ipso die Pentecostes, quando anima mea posita erat in oratione, et pro illa ipsa creatura deprecabatur. O bone Jesu ! tunc unio animæ meæ cum Deo fuit major quam unquam habueram : et sic unita bene multum supplicavi pro sancta Matre Ecclesia et sancta pace : erant enim tunc temporis in Italia bella multa.

eamque consolandam et salvandam intelligit

vix loquendum adjuta ab Auctore

92 Simili modo oravit Virgo pro multis aliis particularibus personis, quarum nomina mihi non exposuit, nec ego interrogavi : quin etiam studio prætermittebam multa investigare ; quia ipsa non poterat ea commode eloqui, propter gravitatem morbi. Cum magna autem difficultate protulit res prædictas, rapta per recordationem rerum mirabilium, a se visarum et auditarum in illa vehementi unione. Quod si ego sermonem illius non adjuvissem, subinde alio vertens colloquium, quemadmodum fieri solet cum aliquem gravi somno oppressum volumus vigilem sustinere, ne ista quidem potuissem elicere. Sed mente ipsius sic alio distracta, resumebam meas interrogationes prius dimissas : itaque semper ac veluti artificiose et laboriose continuabantur colloquia ejus, maxime de mysteriis sublimioribus. Hac autem industria si usus non fuissem, non potuisset ipsa mihi quidquam perfecte explicare.

ne identidem abriperetur

CAP. XXIV.

Alias a Deo invitata ad quidlibet petendum,

93 Alias mihi cœpit loqui cum magna verecundia, sic ut erubesceret vultus ejus totus, quod non animadvertisset qua de re sermonem exorsa esset ; unde videbatur eum velle abrumpere : sed ego multis eam precibus adegi, quod cœperat proloqui in hunc modum ; Dilecte fili non possum tibi negare quidquam. Deus, sereno vultu et cum regiæ majestatis apparentia animam meam respiciens, priusquam suas petitiones ordiretur, dixit : Eia, filiola mea carissima, postula quod vis : paratus enim adsto ad audiendam largiendamque omnem tuam deprecationem. O bone Jesu ! Ego, ut verba ista audivi, prolata a Dei majestate, cœpi exponere desideria mea. O quantam ibi vidi claritatem ! quantum gaudium sensit anima mea, in illa unione, quam neque intellectus humanus capere, nec lingua potest intelligere ! uti nec minimam partem illius pulchritudinis illiusque luminosi et mirabilis ordinis. O bone Jesu, nec dici, nec intelligi potest tanta claritas et lumen incircumscriptum, nisi ab illis qui ipsum viderunt, gustarunt et senserunt per sanctam unionem. Et hi quidem ac soli in mente sua ipsum intelligunt; sed non inveniunt vocabula, similitudinem, aut formam, quibus mediantibus notitiam suam internam communicent mortalibus, inexpertis tantæ gratiæ. Magne Deus ! qualis demum res est ille tuus luminosus aspectus, illa claritas et resplendens Majestas, quam lingua exprimere nulla potest.

miratur ineffabilem talis visionis claritatem,

et certificatur de animæ prefatæ salute

94 Dilecte in Christo fili, semper in orationibus meis supplicavi et continuo supplico, pro anima illa, de qua sæpius tibi dixi, et de cujus salute sæpius promissionem accepi, ut nosti : sed in præsentiarum tibi dico, quod fui totaliter certificata de salute istius creaturæ, idque citra dubium ullum. Scio quid dicam. Perseveret modo cum sancta patientia, quia Deus sic illam vult esse : unde, Fili in Christo, multum solatii accipio. Tunc ego conticui, nec ultra processi, considerans magnam sanctitatem Virginis et mirabilia quæ Deus operabatur in illa beata anima, sic ut remanserim multum consolatus de tantis ejus gratiis et bonis.

non audet tamen requirere diem mortis

95 Adhuc sitibundus ulterioris intelligentiæ, interrogavi ipsam, numquid amplius de sua morte intellexisset, et quare non petebat a Deo gratiam præsciendi diem illius. Ipsa vero mihi respondit : Heu me, fili ! nimium verecundor rem talem petere, quæ mihi magnæ præsumptionis esse videtur, quemadmodum etiam quid sit futurum de Italia. Ah ! nisi intercederent orationes, tota jam submersa foret. O misera Italia ! Flagellum grande tibi apparatur. Nisi te correxeris, et ad bona facienda redieris, dici de te poterit id quod Christus de Jerusalem, Si cognovisses et tu. O fili mi, sæpius dolui et planxi, atque etiamnum plango, quod Deus tam diu differat mortem meam, et quod nuper me non permiserit mori, itaque egredi ex hac mundana fæculentia. Sed Deus mihi respondit, sicut jam sæpius tibi dixi, quod velit me exercere patientiam, quia ad hoc officium me elegit, et quod ideo voluit manere me extra monasterium. Videns ergo talem esse illius voluntatem, mente mea in ipsa acquievi : veniat quidquid volet et placebit divinæ Majestati, eo ego contenta sum.

Luc. 19,42

licet sibi optatissimæ.

CAPUT VI.

Priores Virginis pœnitentiæ, unio cum Deo, tentationes, tribulationes, initia vitæ spiritualis an. æt. 6.

CAP. XXV.

Auctorem de sua salute securum reddit :

Quodam die prædicti mensis [*Augusti*], loquens cum Virgine, dixi illi : O Mater cara, dic mihi aliquid pro meo solatio spirituali. Commendo tibi devotos tuos pro hoc Assumptionis Marianæ festo : ora pro iis Deum, uti in ejus domo sint ordinati et constituti absque macula. Respondit illa et dixit mihi : scias, Fili in Christo, quod eorum memoria inscripta sit cordi meo ; nec ullam facio orationem, in qua non commendentur ; præcipue autem illa anima, de qua toties tibi narravi. Non crederem me contentam fore, si putarem me absque illa futuram in Paradiso. O pie Jesu ! divina bonitas per suam gratiam duo corda univit duasque voluntates in uno desiderio : quare istam gratiam singularem reputo mihi a Deo concessam. Multæ aliæ res spirituales mihi tunc dictæ a Virgine sunt quas silentio prætereo.

narrat et pœnitentias olim sibi ordinarias,

97 Procedente porro colloquio, accidit mentionem fieri pœnitentiarum : quando anima illa cœlestis mihi dixit : Non possum, fili, amplius facere pœnitentias

A pœnitentias, sicut solebam. Recordor, sæpius me induisse cilicium, et in morem assumpsisse catena ferrea supra nudum cingi, asperasque disciplinas adhibere, cum multis jejuniis orationibusque, et tam copiosis lacrymis, ut ipse mihi essent quasi pro cibo et potu : sæpius etiam septem horis perseveravi genibus flexis in sancta oratione ; unde aliquando sic remanebam afflicta, ut non possem meipsam in pedes erigere. Nunc autem tam multa facere nequeo, et solæ mihi restant lacrymæ, quæ sæpe tantopere me debilitant, ut tribus horis vix possim respirare. Sentio etiam defecisse vires corporis, propter diuturnas macerationes præteritas. Sæpe etiam mansi tam imbecillis, ut nihil facere potuissem : sed Deus postea subministravit animæ vires accidentales, sic ut creatura obliviscatur sui corporis ; et Deus eo contentus ipsam fortificat. Hic ego, Lector, confiteor curiositatem meam : non potui invenire requiem menti meæ, donec ipsa mihi dedisset prædictam catenam ferream, quam sicut alias dixi , carissimam teneo.

CAP. XXVI

pro quibus ei successerunt dolores Passionis

98 Postea interrogans, Mater, inquam, cara, quomodo agitur hodie circa dolores tuos ? Respon- B dit illa, O Fili in Christo, adhuc mihi cor manet quasi apertum, sicut sæpius tibi narravi ; et totum istud latus, quo cor spectat, est quasi nervus tensus supra arcum : credo autem potius deterius quam melius mihi futurum : quia tota pars illa graviter infirmatur estque hic dolor mihi continuus, sic ut nesciam quomodo possim vivere. Credo, dilecte Fili, quod tempore valde modico futura sim in hoc mundo, quia sentio me multum deficere. Hæc audiens, dixi : Scio, Mater cara, quod hæc esset consolatio tua et Sanctorum desideriorum complementum : sed numquid cogitas quam multæ personæ tibi devotæ, manerent afflictæ et privatæ omni sua spirituali solatio ? Respondit anima cœlestis : Equidem omnium gravamen sum et impedimentum. Non vides quod nulla in me sit virtus, qua possim aliquem juvare ? Certa sum quod Deus alio medio providebit saluti omnium, si gratia sua non impediatur multitudine et purulentia peccatorum. Habeo pro certo id ita futurum : sed satis dubito de multis personis quas video obstinatas in malitia : Ora, Fili in Christo pro ipsis, si forte eis Deus quacumque via gratiam faciat.

et desiderium mortis

Explicat majorem suam cum Deo unionem,

99 Volens autem ego melius intelligere majorem illam unionem, quam habuisse Virginem in die Pen- C tecostes supra memoravimus, interrogavi eam : Dic Mater mea, distinctius aliquid de ista majore unione. Ipsa vero respondit : Non esset mihi possibile explicare tibi modum, quomodo illa se habuit, nec similem formam dare, aut invenire conveniens vocabulum cognitioni tali : conabor tamen tibi adinvenire similitudinem aliquam, quamvis comparatio non erit bona. Accidere aliquando potest, ut Rex quispiam vel magnus Dominus habuerit secretarium longo tempore, eumque una dierum advocans dicat : Eia veni, volo tibi revelare majorem thesaurum quam unquam : quidem monstratur , magnitudine sui mirabilis et numquam antea secretario cognitus, obstupescit hic, idque tanto magis, quanto minus videt se posse comprehendere pretium et pulchritudinem tanti thesauri. Sic, Fili in Christo, fuit ista major unio, per quam anima mea videbat et cognoscebat res omnes creatas, quantum placuit Deo, magisque fruebar claritate , suavitate et Majestate æterna quam antea unquam. Ut autem porro dicam qualitatem et quantitatem istius incircumscripti luminis, id impossibile prorsus est : nam neque dici neque intelligi potest, nisi ab assuetis mentis oculos speculando defigere in formam illam, quam vidit anima et cognovit : non enim corporales potentiæ

in lumine quodam ineffabili.

cognoscunt et intelligunt, sed anima dumtaxat unita D Deo, quem videt. Et intelligit, sed nequit explicare, bene tamen quid anima suo modo videat, præterita, præsentia, et futura.

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

CAP. XXVII.

Item tentationes dæmonis,

100 Prosequendo colloquium, post multa spiritualia interposita, venimus in sermonem de tentationibus et fraudibus dæmonis, unde Virgo dixit : O fili in Christo, inimicus noster veteranus est et mala bestia ; numquam dormit, neque comedit, nec bibit : omnis voluntas et astutia sua in animarum perditionem tendit. Aliquando videri facit bonum malum, et malum bonum ; verum falsum et falsum verum : tantamque habet potestatem, ut sæpe etiam graviter tentet animam, quamtumvis spiritualem et manifeste positam in Dei gratia. Verumtamen licet talis anima permittatur tentari, non tamen ad suam damnationem : sed ejusmodi tentatio permittitur a Deo ad majus suum meritum. Quandoque etiam permittit Deus tentari animam ad suam majorem gloriam. Crebro autem tentatur ab hominibus malis et nequam, quia sunt membra diaboli : et quod sæpe non potest in anima spirituali dæmon efficere per seipsum, id obtinet per malos homines ; et ideo dicitur homo nequam, pejor esse dæmonio. Multum E interim placet Deo, quando creatura spem suam omnem ponit in ipso solo, et non confidit in seipsa , neque in alia persona firmiter sperat quam in Deo. In anima tam bene ordinata invenitur omnis perfectio, cum in ipsa solum sit amor Dei, cui plus fidit, et in quo magis delectatur quam in ulla re creata. Ipse vult amari supra omnem creaturam. Sub hæc verba venit grandis quædam Matrona, quæ interrupit nostrum sanctum colloquium. Cumque invicem de impedimento condoleremus, dixit Virgo ; Alia vice complebimus reliquum nostrum sermonem.

et cur etiam electos iis sinat Deus impeti.

CAP. XXVIII

deinde tribulationes quas passa est ab hominibus ;

101 Eodem tempore , id est eodem mense, circa horam sextam, loquenti mihi de variis rebus spiritualibus cum Virgine, incidit sermo de Judicio humano, et variis tribulationibus atque molestiis, quas Dei servi sustinent; disseruimusque prolixe de iis , quas duæ quædam personæ diu sustinuerant , et etiamnum sustinebant; unde conclusimus , tribulationes esse grande signum perfectionis magnæ in Dei famulis. Tunc Virgo dixit: Care fili, scito quod in mea juventute multas tribulationes sustinui, a personis a quibus eas minime expectabam, quia erant religiosæ: sed tandem confusæ, satisfactum sibi ex me confessæ sunt, suumque agnoverunt errorem : interim valde me afflixerant. Laudetur Deus, qui me F ab omnibus liberavit semperque adjuvit. O bone Jesu!

et quomodo pro suo olim Confessario,

102 Postea mihi dixit rem aliam magnam et secretam, quam nemini unquam communicaverat, in hæc verba : Fili in Christo, quidam Fr. Dominicus , olim Confessarius meus et secretariust otius meæ vitæ, mortuus erat Cremonæ , et pro ejus anima multas feci orationes; propterea quod dubitabam, an non fuerim ei causa mortis; quia fuerat istis diebus Mantuæ ad me visitandam. Cum autem in oratione essem, et pro ejusdem anima deprecarer; interrogavi Deum magna cum instantia, utrum ego peccatrix fuissem causa mortis ejus. Respondit autem mihi divina bonitas dicens ; Non fuisti , carissima filia , causa mortis ei. Tunc interrogavi de statu animæ illius. Hei mihi rem magnam ! Responsum mihi fuit : Ipse est in Purgatorio. Hæc ego audiens, cum gemitu dixi : Ah ! ah ! Clementissime mi, ob quam causam anima est in tali pœna? Respondit Deus, Quia voluit voluntatem suam et judicium facere. Tunc anima mea, in Dei conspectu liquefacta præ compassione erga animam illam, pro gratia speciali petiit, ut sibi, id est corpori suo, daretur perpetienda pœna ista, et ille a Purgatorio liberaretur. Respondit Deus : Nolo, filia, quia non posses tantum

purgatorium per bidium patient,

A cruciatum sustinere. Cum autem perseverarem instando, ut mihi imponeretur pœna ista; respondit Deus ac dixit mihi: Justitia mea exigit ut ipsemet ferat pœnam, quam si sentires subito morereris; nolo autem te nunc ex hac vita discedere. Interrogavi igitur, quamdiu anima ista deberet in pœna detineri; responditque mihi Deus, Per biduum: quapropter perrexi orare pro anima jam dicta et post biduum audivi ipsam ascendere in Paradisum.

IN ITAL. HIERON. OLIVET. frustra petierit cruciari.

103 Quando Virgo talia mihi dicebat, o Lector, monstrabat in verbis magnam caritatem erga animam istam: et sermonem prosequendo mihi dixit, quod iste Fr. Dominicus sciebat multa ejus secreta, et scripserat librum de omnibus gratiis quas ipsi Deus fecerat tempore quo vixerat ipse, sed tali forma ut nemo alius legere illum potuisset vel intelligere: non fuit autem repertus unquam, sicut Virgo mihi dixit, de quo ipsa postea valde fuit gavisa, imo dixit hæc verba: Hei mihi; mortua fuissem præ dolore si repertus esset: ex gratias ago Deo, qui concessit ad solatium meum, ut de illo nihil amplius inaudiverim.

Hic autem de ea scripserat librum tunc perditum.

104 Postea interrogavi eam dicens: O Mater cara, quomodo nunc tecum agitur quoad dolores passionis Christi. Respondit beata illa anima et more suo consueto dixit: Adhuc cor mihi multum vexatur, neque possum nisi difficillime ambulare propter dolorem pedum. Inter hæc autem manibus meis tenebam manus ipsius, et ipsa monstravit locum majoris cruciatus sui, scilicet in concavo palmarum; et dixit: Similiter etiam sentio grandem cruciatum in clivo pedum: et aliquando invenio in medio ipsorum multum rubedinis cum magno dolore: estque rubedo illa velut sanguinis effusi: et ideo nollem ut quisquam mihi pedes lavaret, ne tale quid videatur. Quando vero mihi accidit ut ambulare nequeam, dico cognatis meis, esse nervos sic contractos et stupefactos, aut quod in iis sentiam pœnam aliquam atque ita efficio ut nihil ultra intelligant. Multas res alias spirituales inter nos hora illa pertractavimus, multas in aliud tempus dimisimus, impediti a Domina, [Marchionissa], quæ inopinato supervenit; et contristata Virgo mihi dixit, O fili in Christo, alia vice sermonem pertexemus.

CAP. XXIX. B. Indicat majores suos dolores et quomodo eos celare habeat:

105 Alias loquens cum Virgine de rebus spiritualibus, interrogavi eam, pro majori mea consolatione et certificatione (ultra illam de qua habetur in primo tractatu) O cara Mater, dicito mihi, quantæ ætatis eras, quando Deus cœpit ad se trahere tuam animam? Respondit ipsa; Si bene memini, dilecte C Fili, eram tunc annorum quinque vel sex, neque adhuc cognoscebam quid essem: præter quam quod fugiebam oblectamenta puerilia et consortia puellarum aliarum, quantumque poteram studebam manere solitaria: de quo mater mea vehementer mirabatur, sæpiusque dicebat: Quid ita sola manes, filia? non novi te, neque scio qualis sit tua voluntas. Sed ego ejusmodi verbis nihil respondebam, et quotidie magis affectabam esse sola. Cumque illa sæpius me requireret, reperiretque in oratione positam, nihil poteram ei respondere. Reversæ ergo ad corporeos sensus dicebat illa: Qua de causa sic stas immobilis, o filia? Quid tibi deest? Profecto magna quadam infirmitate teneris, quam nominare nolo: dic mihi quid sentias. Ego autem parvula nesciebam quid ei reponerem, nisi; Habeto patientiam, mater, et ignosce mihi.

CAP. XX. Item qualiter ab an. ætat. 5 vel 6 cœpit affectare solitudinem, admirante matre

106 Istud autem accidebat sæpe. Cum ergo die quadam more meo ivissem in hortum solatii causa, et ibi essem sicut Deo placebat; cœpit colligere uvas spinosas, id est crispinas; et spinæ uni digitum impegi. Tunc venit mihi cogitatio de Christi passione, ac præsertim de corona, quam duriter caput ejus

et ad spinam puncta,

D pupugerit, cogitando quantus fuerit dolor iste. Sic autem meditanti apparuit Crucifixus cum omnibus mysteriis Passionis: et ego ipsa intuens, subito fui liquefacta et resoluta in contemplationem mysterii tam sublimis; unde anima mea tunc percepit specialem gratiam et consolationem, id est, in corde meo sensi dolorem grandem cum ardenti amore Dei, qui ipsum tantopore accendebat et inflammabat, ut parum admodum somni noctu caperem, et veluti continuo starem in oratione. Igitur in illa ætatula cœpi cogitare de pœnitentia facienda, et accipiens funes in iis multos nodos faciebam, circumdabamque eos carni meæ; aliquando etiam disciplinabam corpusculum, quamvis a nemine ad hoc instructa; imo quacumque in re poteram ipsum affligebam.

visoque Crucifixo, cœpit facere pœnitentias:

107 Vix dicere possim quam libenter ibam ad concionem, et sero mihi illucescebat dies quo illuc eundum esse sciebam: quod si prædicabatur de amore Christi, cor meum incendebatur ad modum luculenti ignis: quando autem redieram domum, memoriter fere repetere noveram totam concionem: quod matri ac patri meis magnæ admirationi erat, videntibus me tam parvulam. Insuper recordor quod in tenera illa ætate, quando pater mensæ accumbens, E dabat aliquid fratribus meis, ut patres solent; et aliquando me præteribat; dicebam in corde meo: Tu non es digna quidquam habere propter peccata tua: et tunc sentiebam in corde meo consolationem tantam, ut nequeam verbis exprimere. O bone Jesu! et sic agendo transivi tempus pueritiæ meæ, cum multis gratiis spiritualibus, quas nescirem nec unquam possibile mihi erit explicare. Multo majores blanditias percepissem a parentibus meis, nisi sic solita fuissem rapi inter orandum, quod ipsi arbitrabantur esse speciem aliquam morbi caduci: unde et vehementer affligebantur, neque sciebant quid de me facerent.

afficiebaturque ad conciones, et gaudebat sibi minus dari quam fratribus.

108 Iterum loquens cum Virgine, interrogavi eam de doloribus passionis Christi, ipsaque respondit: Grandem, Fili in Christo dolorem cordis sentio, quod mihi necdum videret consolidatum, sed de die in diem magis torquetur, videturque mihi in tres partes sectum; totum autem latus istud est maculosum, usque ad plantam pedis. O bone Jesu! Similiter etiam corpus meum quasi totum commolitum est pœnis: et quamvis ambulare valeam, sentio tamen acutissimos cruciatus; et ferme nequeo amplius gressum formare, propter dolores pedum nimis intensos: totum quoque latus cordis contractum est et incurvatum, ut solet decrepitis senibus. Inter hæc F supervenit Domina Marchionissa: et Virgo dixit. Patientia, Fili dilecte: alias colloquium hoc spiri-.eebpiutacmqlo mus

CAP. XXXI. quomodo cruciabatur toto corpore

CAPUT VII.

Cœlestis a peccatoribus intentata, et maxime obstinatis, pro quibus frustra orat Virgo et orare facit, ac suæ orationis qualitates aliquas aperit.

Paucis post diebus loquenti per tres horas cum Virgine beata, ipsa mihi dixit magna cum caritate: Fili in Christo, factum bene quod ad me veneris, quia tota afflicta sum et animo amaro, propterea quod in die Sanctorum omnium, anima mea in oratione posita vidit humanam naturam, constitutam et alligatam in magno periculo flagellorum: et Pater æternus suo quodam modo immobilis stabat, audiens animæ preces, sed videbatur eas exaudire nolle: anima autem perseverabat orando pro natura humana. Hinc Pater æternus animæ respondit ac dixit: Filia carissima, non vides quomodo fœtor tam multorum tamque gravium peccatorum pervenit ante conspectum

CAP. XXXII. Intelligit pœnam peccatoribus a Deo paratam.

conspectum meum? Scito quod ferre eam ultra non valeam : justitia mea vindictam exigit. Hei mihi! Anima mea audiens hujusmodi responsum, et animadvertens divinum aspectum suo modo quasi turbatum, tota liquescebat præ dolore; quia videbat gravitatem flagelli, contra humanam naturam parati: videbaturque quod Deus valde iratus erat Prælatis Ecclesiæ, volens eos propter multitudinem peccatorum punire.

qui queritur de eorum pertinacia,

110 Tunc anima mea cœpit dicere : Ah, ah, æterne mi Domine! noli immittere flagellum istud : immensa tua bonitas et clementia non faciat rem talem: sed dic mihi, qua ratione facere possint, ut ira et sententia tua mutetur ipsis in gratiam, et flagellum istud removeatur. Respondit Deus, O filia carissima, aliud non vellet bonitas mea, quam emendationem et pœnitentiam. Non vides, o Anima quanta superbia regnet in omni statu et gradu hominum. et quam enormes turpitudines committantur? Non est amplius inter eos justitia aut caritas, sed rapina atque extorsio. Nonne vides, quomodo faciem suam averterint a me, submersique sint in fœtido cœno peccatorum? Nulla in eis est sanitas neque bonitas, incipiendo a Prælatis Ecclesiæ meæ, qui tam male vivunt, ut justitia mea nequeat illos amplius tolerare. Tunc anima mea, prostrata in terram, clamabat; Ah! ah! dulcissime mi Domine! obsecro tuam immensam bonitatem, ut ad minimum Mantuanis miserearis. At Deus, Nimis magna sunt, Filia, peccata eorum : tamen pro amore tui, et propter tot orationes servorum meorum pro illis factas, adhuc expectabo dies aliquot: dic ipsis ut se emendent. quia nequeo ultra ferre tantam in peccatis pertinaciam.

maxime Ecclesiasticorum

Hinc tristis virgo

111 Propterea, Lector, plurimum afflicta fuit Virgo, mihique impense mandavit ut curarem orationem faciendam, Deumque rogandum eum in finem quia sæpe Deus oratione placatur. Sicut autem mihi Virgo monstrabat, videbatur quædam in particulari metuere, Statuumque conversiones, quarum aliquas jam vidimus, aliæ, secundum opinionem meam, necdum sunt impletæ. Multum etiam formidabat Ecclesiæ, et quibusdam personis nominatim, quæ non revelabo, quia earum quædam adhuc vivunt inter mortales. Erat igitur illis de causis valde afflicta Virgo et vehementer attenuata continuis vigiliis et orationibus quas faciebat, perpetuo lacrymans et corpus suum macerans. Non explico super hoc puncto quasdam ejus prædictiones, circa personas particulares, quarum aliquæ, ut ipse verax testis sum, ipsas in se expertæ sunt, aliæ adhuc sub duro flagello versantur. Equidem, Lector, contremisco cum recogito colloquium istud, quod totis tribus horis tenuit : multasque res tunc auditas taceo, quia necdum est tempus eas propalandi neque volo distinctius intelligi. O pauperculi et cæci circa suam salutem! Si nossent quid opus sit ad eam consequendam, et quid comminetur Deus, credo mutarent vitam, et sub immoderatis vestibus sacco vestirentur. Porro licentiam discedendi a Virgine sumpsi, sub promissione, quod in posterum adhuc alias res spirituales mihi indicaret.

valde emaciatur

CAP. XXXIII.

eo quod etiam pro Papa et quadam C orarit,

112 Eodem mense [*an Augusto?*] ac tempore iterum tribus horis duravit colloquium meum cum cœlesti illa Virgine, et inter alia ut melius poterat mihi dixit : Dilecte in Christo Fili, valde afflicta est Mater tua. O bone Jesu! volo tibi dicere id quod mihi accidit. Diebus præteritis in oratione posita deprecabar pro multis personis, ut Deus illis faceret misericordiam. Specialiter autem magis orabam pro Papa, [*Alexandro* VI] et quadam persona C etc. [*forte Cæsare Borgia, Duce Valentino*] ut Deus ei daret gratiam restaurandi Ecclesiam, et omnium misereretur. Cumque anima mea pro illo petebat talem gratiam, videbatur Deus turbatus ac velut immobilis stare : uti quis solet cum audit ingratum aliquid. Perseverabat nihilominus anima mea in postulanda gratia pro Papa, nec ullum ei dabatur responsum, quemadmodum solebat : perseverante tamen illa, et petitionem urgente; supervenit Domina nostra Dei Genitrix : quæ ante filium consistens, cœpit precari etiam ipsa, et adjuvare animam, ut pro salute Papæ compos fieret desiderii sui, atque pro renovatione Ecclesiæ. Postea venerunt omnes Apostoli, et steterunt coram Domino, omnesque orabant ut fieret misericordia. Heu me miseram peccatricem! Stetit Deus semper immobilis, vultu et aspectu nequaquam hilari, sed velut turbato; nec ulli deprecantium quidquam responsi dedit, non Dominæ nostræ, non Apostolis, non animæ meæ, sicut alias fecerat.

EX ITAL. HIERON. OLIVET. atque Deipara sanctisque intercedentibus,

113 O bone Jesu! multum hac de causa affligor: jam enim tertiæ vices sunt, quod specialiter oravi pro Papa, et quibusdam aliis : et in aliis quidem orationibus meis videbatur inclinari Deus ad faciendam misericordiam, hac autem vice responsum non accepi; unde non possum quin maneam in continuis lacrymis, præ compassione animarum istarum O fili carissime, quantum queritur Deus de statu Ecclesiastico. Hei mihi! quam magna et nimium horribilis res est, coram intueri putredinem peccatorum tam multorum! Plangebat Virgo cum talia diceret, et suspirans ita me est affata : O care Fili in Christo, si vel semel videres, quantum Deus queratur de natura humana, et præcipue de tribus peccatis, credo quod continuo velles stare deprecabundus ad pedes Jesu Christi. Tunc ego : Quænam sunt ista peccata, Mater? Respondit anima illa cœlestis; Superbia, avaritia, et tertium unum quod honestatis causa nolo nominare : ego autem per discretionem intellexi, ipsum esse peccatum luxuriæ, diversa in specie perpetratum.

aversum se ostendit Deus:

114 Dixit etiam Virgo, O quanta mala habentur parata propter obstinationem et longam consuetudinem peccandi; et præcipue Statui Ecclesiastico, eisque personis, quas novisti. O Deus meus! o bone Jesu! ignosce mihi miseræ peccatrici. O animas misellas! Grandia illis tormenta præparantur, si opera non mutent. Ego hæc audiens stabam quasi attonitus, et sanguis præ terrore mihi constringebatur. Postea vero cœpit Virgo loqui de rebus spiritualibus ad animas nostras spectantibus, multaque absolvit et confirmavit, quæ inter nos pridem promiseramus; præcipue autem participationem orationis et operationis. O bonitas divina! Eramus duo corda coram ejus conspectu in una voluntate colligata. Tanta profecto erat o Lector, inter nos caritas, ut absque lacrymis de ea loqui non possim. Amabat Virgo dilectum suum in Christo filium velut animam suam propriam, et ipse amabat unicam Matrem etiam plus, si fas est dicere, quam animam suam. O magnam Dei caritatem, insertam cordibus nostris, multo prius quam inter nos esset aliqua spiritualis conversatio, aut invicem nosceremus!

sic mœrenti

v..d. [illegible] Auctor

115 Prædicto mense iterum quasi tribus horis mansimus in sancto colloquio, et illa cœlestis ac beata anima tantum accendebatur Spiritu sancto, ut videretur aliud quid esse quam creatura humana: loquebatur enim majori quam unquam videram vehementia, deque rebus valde sublimibus; et hoc cum quibusdam figuris et exemplis ut melius intelligerem atque super statu animarum quarumdam, de quibus scribere supersedeo. Deinde interrogavi de oratione, quomodo eam faciebat, et utrum in ea impediretur per tot visitationes diversarum personarum, aut propterea privaretur solita sua ad Deum attractione. Respondit autem cœlestis anima; O fili, non impedior imo exinde sentio aliquid amplius, præsertim

CAP. XXXIV.

et in [illegible] ejus [illegible] nem

non impeditur [illegible] ctione extrinseca,

A EX ITAL. HIERON. OLIVET.

præsertin noctu; quia parum aut nihil possum dormire, præoccupata a consueta oratione et meditatione: corpus autem meum aliquando tantopere afflictum est, ut non possim me erigere aut pedibus insistere.

aut molestiæ alicujus corporeæ sensu,

116 Tunc subjunxi; Dic mihi, cara Mater, affligerisne in attractione ad Deum, aut corpus tuum sentit aliquam afflictionem durante ejusmodi unione cum ipso? Et respondit: Non plus molestiæ tunc sentio in corpore, aut aliam ullam rem corpoream, quam si non essem in corpore: quia anima conjuncta cum Deo numquam recordatur sui corporis. Verum in regressu animæ ad sensus corporales, sentitur aliquando grandis afflictio; præsertim quando erecta illa fuit ad mysterium passionis Christi. Sentio autem aliquando corpus tam leve, ac si mortale non esset: et ita manet spatio trium quatuorve horarum, et sæpe amplius, prout anima sentit majorem cum Deo unionem, maxime quando id fit cum aliqua expressione individuæ Trinitatis. O bone Jesu! quam grande cogitatu est mysterium istud! quomodo in tali unione et elevatione sese reperit anima cum divina bonitate junctam! Nulla est humana cogitatio, quæ possit ad suavem istam

sed tantum cum redit ab extasi anima:

B speculationem pertingere: sed divina gratia ejusmodi raptu hoc præstare novit. Heu me! non possum tibi aliter id dicere; alia vice, care Fili, id fiet.

CAP. XXXV.

tunc hanc cognoscere etiam statum earum pro quibus orat;

117 Quam multas spirituales res similes audivi ab ista cœlesti anima! cum autem eas audirem, non erat quasi spiritus in me; non propter verba similia et simplicia, qualia sunt mea; sed propter sua quæ erant magis expressiva, magisque efficacia, juncta pronuntiationi et gestibus accommodatissimis ad ejusmodi effectus, quo subinde illo operabantur, propter sui magnitudinem. Quamvis autem semper videbatur inter illa quasi liquescere, negabat tamen se posse vel memoria vel verbis attingere casum suum. Tunc interrogans eam: Dic, inquam, cara Mater quando anima est unita Deo et attracta, cognoscitne statum et conditionem alicujus personæ? id est, cognoscitne ipsius bonitatem aut malitiam? merita et demerita ejus? Ad hæc illa: Cognoscit, fili, quantum vult Deus ut cognoscat et videat, et sæpius videt atque cognoscit merita et demerita plurium creaturarum. Equidem recordor, quod cum annis abhinc quadraginta orarem pro quadam persona, ut illam Deus vellet ad

sed eas suæ libertati relinqui.

C bonam vitam convertere responderit mihi Deus; Nescin, o anima, quod creatura habeat liberum arbitrium, ut pro libitu bene vel male agat? Ego legem dedi, nolo hanc frangere. Tunc anima mea cum solicito desiderio pro salute illius, replicavit; Ah! ah! Domine mi, move aliquantum cor ejus induratum infusione Spiritus sancti. Hei mihi, Fili! respondit Dominus animæ meæ horribili voce: Non invenio locum, qua possim intrare in cor tam obduratum, inveteratumque in putredine gravium et maxime enormium peccatorum.

CAP. XXXVI.

De una ut certam se redditam:

118 Rursum, Fili in Christo dilecte, alia vice cum anima mea posita esset in oratione, facile tertio accidit precanti pro anima, nobis cordialissime dilecta, de qua sæpius tibi dixi: et postulanti ut solari eam vellet Deus in eo quod petebat, et absolvere a vinculo quo tenebatur adstricta; ut responderet Deus animæ meæ; Volo, filia carissima, ut sic permaneat pro salute animarum: sed sine dubio scias, quod ipsam sis visura in paradiso collocatam. De hoc autem prorsus certa sum, cum magno mentis meæ solatio. O pie Jesu! quam magna est bonitas tua! Hæc omnia mihi ipsa dixit, Lector, magno cum respectu et quasi invita: sciebat enim quod ego istam personam noveram. Inde vero cognovi ejus futuram beatitudinem: quia qui aliquem videt in Paradiso, necesse est ut etiam ipse ibidem sit. O bonitas Dei! quid non operaris in animabus fidelium tuarum sponsarum!

D

resque valde mirabiles sibi ostendi in oratione,

119 Insuper mihi dixit cœlestis illa anima, O fili in Christo carissime, Deus propter suam bonitatem, non propter merita mea, semper mihi ostendit res tam mirabiles, etiam cum adhuc essem parvula teneræque ætatis, ac deinde provectiori; et tam multæ gratiæ ab eo in animam meam sunt collatæ, ut impossibile mihi sit vel decimam partem enarrare. Heu me! qui Doctores, qui Philosophi, qui Prædicatores poterunt unquam dicere aut scribere, id quod videt anima in oratione posita! O bone Jesu! Nimis grande id est, quam ut aliquis scribere aut dicere velit, utpote res ineffabiles et humanis oculis inconspicuæ. Perdor hic, nec valeo plus dicere: alia vice. Videns ego quod esset abitura in extasim, cito sermonem converti; ac deinde eodem regressus dixi: O mater cara, scire vellem utrum anima tua semper invitetur et impellatur ad contemplationem. Respondit Virgo; Videtur, quod anima semper eo invitetur; sed etiam quod habeat continuo quasi duas voluntates, quarum una ipsam provocat ad alta et spiritualia, alia deprimit ad humilia: semper tamen prævalet et illa quæ tendit ad sublimia, idque tam vehementer, quod sæpius non volendo neque advertendo, anima attrahatur in ictu oculi; maxime quando contingit me aliquid audire de Divinitate, vel aliquid sublime de gaudio et beatitudine animarum. O bone Jesu! in ista suavi speculatione plus delectatur anima mea, plusque consolationis sentit et gustat. O pie Jesu, sponse dilecte! miserere mei peccatricis, nec enim plus dicere valeo: alia vice dicemus reliqua, si Deus nobis gratiam concesserit. Ora Deum pro personis, quas nosti, ut Deus eis gratiam largiatur.

ad quam quasi sibi semper trahatur.

E

CAP. XXXVII.

Dolores Passionis sibi augeri fatetur:

120 Prosequendo sermonem alium, interrogavi eam dicens: Quo modo, cara Mater, nunc agitur in doloribus, qui continuo tibi adsunt ex Christi passione? Respondit ipsa: Dilecte in Christo fili, magnos sentio cruciatus: qui, ex quo infirma fui quotidie creverunt et crescunt, præsertim cruciatus cordis; sic ut ambulanti, loquenti, sedenti videatur cor esse transfixum, quodque non potero respirare: id quod mihi magis accidit diebus Veneris et Mercurii. Quando autem lecto decumbebam, ex magno illo quem habui morbo; tunc fuit cor meum dilfractum et fissum, ita ut numquam fuerit consolidatum, sicut ipsum tunc esse tibi dixi. Et credo, quod vota et orationes nostrorum devotorum ipsum tenuerint, ne in isto martyrio totum consumeretur. Scio quid dicam, et ideo magnus mihi labor foret explicare totum id, quod etiam omitto, quia satis dixi alio loco.

F

CAP. XXXVIII.

dolet aliquos manere pertinaces in peccatis

121 Nunc volens Virgo sermoni suo finem imponere, impedita ut supra dixi; Fili, ait, ora Deum pro tali ac tali persona, et præcipue pro salute animarum ipsarum; quas mihi gratiose concedi quotidie peto a Deo; valdeque affligor, quia qualia vellem signa salutis earum non video. Vellem ego pro iis obtinere hanc gratiam, et Deus vellet ut facerent pœnitentiam, et dimitterent peccata ac malam vitam: sed videtur quod nolint. O Miseras animas! quam grave ipsis præparatum est tormentum, nisi se emendent! Ora, fili pro ipsis et Matre tua. Durus fuit mihi, Lector, hic sermo, et gravis comminatio iræ sive justitiæ divinæ supra istos et alios hujus mundi peccatores.

CAPUT

CAPUT VIII.

Narrat Auctori Virgo favores varios sibi factos a Deo.

CAP. XXXIX.

Multa optans si posset Auctori narrare

Cum quodam die summo mane Missam celebrassem in camera Virginis, ingressi sumus sanctum et consuetum colloquium, quod duravit usque ad Nonam, sicut domesticos ad prandium accubituros taderet expectare tam diu; quare comparuerunt aliquoties, me præsente, dicentes ; Hora jam transit, Soror, quod ipsi haud parum molestum accidebat, ut cui cœlestis cibus melius quam alius sapiebat. Eadem hora Virgo mihi dixit : Dilecte in Christo Fili, multa tibi vellem dicere pro vestra consolatione, et præcipue de unione quam Deus fecit cum anima mea, atque facit quotidie : sed vereor ut possim explicare quomodo vellem ; unde aliquoties de illo impedimento apud Deum sum questa, eo quod subinde loquens cum personis mihi familiaribus, aut etiam domesticis nostris, subito remanet anima mea attracta, neque possum id cavere. Quin etiam aliquando id mibi accidit prorsus invitæ, propter verecundiam circumstantium. Heu me! quantæ res evenerunt in similibus publicis locis ; id est in ecclesia et alibi, ubi sat multi aderant! Quandoque etiam lecto decumbens, manebam tota nocte rapta : sed quando sum in publico atque ad me regredior, nimium verecundor præsentiam hominum. Vellem profecto Deus mihi hanc gratiam faceret, ut talia operaretur in anima mea conspiciente nemine : et hoc foret magnum mihi solatium ac gaudium. O quam multi famuli ac famulæ Dei sunt meliores me peccatrice, et operantur in abscondito, nec quisquam novit eorum actus !

crebra extasi impediri se queritur,

et in ea non posse alios latere,

idque sibi magnæ verecundiæ esse,

123 Hæc audiens subrisi, atque dixi : O cara Mater, Nescin, qua de causa Deus noluerit ut monasterium ingredereris ? Respondit illa : Heu me ! satis certa sum : ita vult ille, ita ordinavit. Tunc ego ; Id si ita est, Mater, ecquid dubitas ? Quandoque, inquit, non fido mihi, et metuo illusiones dæmonis : multumque verecundor, quia homines dicunt : Eccum illam, Eccum illam. Quid autem ego feci unquam, vel etiam nunc facio ? Sed Deus, per gratiam suam specialem, cum solum essem annorum quinque, cœpit animam meam ad se trahere. O pie Jesu ! Quid boni tunc erat in me, per opera tunc facta ? aut etiam postea quid boni feci ? O dilecte Fili, quam magnæ sunt ingratitudines meæ aliaque peccata ! Respondi ego : O cara Mater, si Deus a pueritia in te operatus est per gratiam suam, et adhuc continuo operatur ; non es ipsa quæ agis, sed gratia divina : Tu es velut instrumentum, quod pulsatur ; sed nemo intelligit modum talis harmoniæ, cum multis secretis compositæ : et ideo multi, videntes res tam mirandas in corpore humano, manent confusi et pleni admiratione ; animum autem reflectentes supra suos actus, agnoscunt suum errorem ; et sic mediante te convertuntur ad Christum, atque agunt pœnitentiam de suis peccatis. Tunc Virgo dixit : Credo, Fili, verum esse quod dicis : quia multi mihi dixerunt quod vitam commutaverint, atque in bonum verterint, solum me videndo positam in oratione : et quædam Matronæ conjugatæ, dimissis pompis, magnæ devotioni piisque operibus se tradiderunt. Fateor, Lector, id in me quoque verificatum esse : nam cum puerulus essem ac scholas frequentarem, accidit mihi ut viderem cœlestem illam animam in spiritu raptam : talisque præsentia sic fuit meæ menti infixa, ex prima illa vice ; ut numquam obliterata ejus memoria sit, divinitus cordi meo impressa.

quamvis non sine utilitate spectantium sic raptæ

quod se quoque puerum expertum profitetur Auctor.

EX ITAL. HIERON. OLIVET

CAP. XL.

Tali in extasi visus ipsi adstare Jesulus

124 Progressa est Virgo ulterius, et dixit : Narrare tibi volo, care Fili, id quod vice quadam mihi accidit. Cum intra ecclesiam essem posita in oratione ; parvula quædam vidit prope me stantem puerulum raræ pulchritudinis, id quod ipsa dixit Confessario suo. Tunc ego interrogavi : Quid autem tunc cogitabas, Mater? Respondit illa : De parvulo Jesu, quem anima mea intuebatur, multumque eo oblectabatur. O bone Jesu ! valde affligor, care Fili, quia talia publice visa sunt. Socia nostra non satis res istas intelligit, et ideo aliquando loqui non possum, et aliquando vellem ut nemo me interpellaret ; ipsa autem hoc non capit, neque satis solicita est ut a me removeat personas, quæ tali hora me impediunt. Ipsi tamen hæc non dicerem, nisi in genere, licet me non intelligat, sicut tu. Vehementer ergo contristor et affligor, quia in ista hora vellem non videri, neque molestari.

Docet Virgo differri mortem suam,

125 Confortabam ego eam ; quæ verbis meis satis acquiescens, respondit : O fili, quam libenter discederem ex hac misera vita ! Sæpius oravi Deum ut me liberaret de carcere miseri hujus mundi ; et semper mihi respondetur, quod sustinere debeam, et habere patientiam adhuc aliquantulum ; quia nondum perfecit Deus quod per me intendit facere : nec possum scire quid illud sit, propter quod tam diu differtur mortis meæ solatium. Quando Domina nostra filiolum peperit, interrogavi Dominum, an illa esset res quam dicebat : sed respondit Deus, quod non. Et aliis multis vicibus variæ res evenerunt, et interrogavi, an essent illæ, et semper negative respondit Deus. Credo tamen quod non admodum diu manebo in hoc mundo, quia sentio quotidie me deficere. Hei mihi, dilecte Fili ! Mater vestra valde tristatur, propter illos quos nosti : nullam in iis video vel sentio mutationem vitæ aut morum inolitorum. Hei mihi ! Animæ eorum versantur in magno periculo. Ac super hoc multa narravit Virgo de flagitiosa vita quam ducebant, et de flagello ipsis parato : de quibus clarius non loquor, ne forte intelligor.

peccatores non converti,

et se neminem habere cui fidere possit secreta sua

126 Insuper addidit Virgo : Quam mihi, Fili in Christo, quandoque grave est, non habere ullam secretam personam præter te, cui possim secure cor meum aperire, et certa esse quod nemo resciturus sit arcana nostra ! Vellem quotidie commoditatem habere loquendi tecum de rebus spiritualibus, magnamque consolationem sentire mihi videor quando de rebus meis nemini loquor nisi tibi ; imo cor meum tunc quietum ac tranquillum manet diebus aliquot. Laudetur, care fili, divina bonitas ; quæ magis ac magis sese quotidie unit animæ meæ. O bone Jesu! dico tibi, care Fili, quod cruciatus cordis mei quotidie augentur. Vellem ut creparet dulcedinem Dei gustando, ut cito transirem ab hoc fœtido mundo. Hei mihi ! non possum plus dicere : ignosce, Fili. Hic fulcivit se Virgo, et stetit aliquamdiu, loqui non valens præ excessivo dolore cordis, quem sentiebat : postea autem mihi dixit res aliquas magnas, de nonnullis personis particularibus, quas modo non enarrabo.

præter Auctorem

CAP. XLI.

Fatetur se absorptam

127 Penultimo die suprascripti mensis, postquam in camera sua Missam celebrassem, exorsi sumus sanctum colloquium ; sed in principio sermonis dixit mihi ipsa sancta Virgo : Fili, satis vereor ut possim tibi explicare quod intendimus ambo, eo quod tam grandes sint res, quas anima mea hisce præteritis diebus conspexit. Ah ! continuo mens mea rapitur ad considerandas res indicibilis atque immensi gaudii, quas vidit anima mea ; quas si voluerim eloqui, aut pergam considerare attentius, subito destituar facultate loquendi. Videor mihi, Fili, remansisse sicut aliquis qui expergiscitur a somno : et

EX ITAL. HIERON. OLIVET. *rerum visarum memoria,*

et si alicui personæ loquar, nescio quodammodo quid mihi dicat: quia mens mea continuo est elevata et submersa in memoria rerum conspectarum, atque adeo mirabilium. Talis autem imaginatio nec die nec nocte mihi cessat, sed continuo versatur ante oculos mentis: et omni nocte sum sic absorpta, ut quasi nihil sentiam; hoc vero mihi accidit quamvis lecto decumbam. Volo tamen experiri, Fili, an possim consolari te, dicendo aliquid ut melius poteris: quod autem modo non poterimus: postea, cum extasis hæc transierit, majori cum facilitate narrabimus: nunc autem penes me non sum

et quasi sine corde,

128 O bone Jesu! perditum est cor meum. Hei, mi Fili! etsi Deus mihi concederet dicere quantum humana lingua dici potest, scito tamen quod neque sic possibile foret vel minimam partem explicare eorum, quæ anima mea gustavit et vidit. Cor meum sic est attritum et consumptum, ut totum lacerum videatur. Vellem, ut cito extinguatur, ut cito egredi possim ad sponsum animæ meæ. O fili! Diebus hisce præteritis, permisit Deus, ut oscularer plagam lateris ejus, unde cor meum sic accensum remansit suo sancto amore, ut videatur adustum. Vellem tota innovari et conflagrare ista dulci amœnitate sancti lateris Christi. Nescirem, Fili, dicere, quomodo stet cor in corpore meo. Deus etiam per suam gratiam tot alias res sublimes mihi monstravit, tantaque mysteria, ac potissimum circa creaturam tibi notam, ut inde valde sim consolata: dixit autem mihi hæc verba: Perseveret: hæc est enim mea voluntas. Numquam, o Fili, Deus mihi ostendit tam aperte ejus salutem, aliasque multa res sanctas: unde laudetur Deus ex beata ista anima. Obsecro, Fili, ne cuiquam hæc reveles.

postquam Christi latus osculata,

CAP. XLII. *et Jesum in forma parvuli amplecti:*

129 Insuper, Fili, in hoc ipso natali, anima mea in oratione posita videbat Dominum nostrum, sub forma infantuli, inter brachia Dominæ nostræ, quemadmodum videre optaverat; cumque, oraret, Parvulus extendit brachia sua, et benedixit devotibus nostris, sicuti nostra illa carissima petierat. Quantum solatium fuit animæ meæ tot tantasque res videre, quas nequeo effari! Tunc pro gratia speciali a Deo postulavi, ut mihi indulgeret numquam amplius ad corpus reverti. O bone Jesu! quam dulcis et suavis illa fuit responsio, Noli tristari, Anima mihi carissima, brevi consolaberis: tantum oportet ut habeas pauxillum patientiæ. Tunc dixi: Ah, Domine, vellem scire diem mortis meæ. Respondit Deus: Faciam, carissima filia, ut scias, idque per evidentia quædam signa, decimo vel sexto die ante. O bone Jesu! non possum ultra loqui

promittit Auctori quod morti sua aderit,

130 Hæc verba, Lector, eloquebatur Virgo magno cum labore, eratque tantopere afflicta, ut non auderem amplius ipsam interrogare, quia non erat in ipsa spiritus ad loquendum: ipsa tamen mihi promisit, quocumque modo dicturam se quidquid esset possibile. Insuper interrogavi eam dicens; O cara mater, pro singulari gratia a te peto, ut si te mori ante me contingat, facias me videre statum vestrum. Respondit illa: Id faciam libenter, si Deo placuerit; et præsens eris, spero, morti meæ, Recte novi quid dicam, fili. Fac bono sis animo. quia et in hoc solabitur te Deus: omniaque fastidia et tribulationes nostræ convertentur in gaudium atque lætitiam. Scito quod servabo tibi fidem datam. Omni die primum quod ago, est elevare mentem in Deum, eique commendare D. B. sicut promisi, et hoc facio propter vestrum solatium. Ora Deum pro Matre tua.

CAP. XLIII. *narrat qualiter cor sibi a Deo mutatum sit,*

131 Dum supradicto tempore loquerer cum Virgine a tertia usque ad nonam, incidit in principio sermo de injustitia quæ fiebat cuidam Sacerdoti: sed paucis verbis expeditum hoc fuit, quia corda nostra stimulabantur ad res spirituales: quare Virgo sic cœpit. Quadam vice in oratione constituta, in gratiam specialem petii ut mihi Deus cor multaret, illudque ordinaret secundum voluntatem suam, et illo solo dilectarer. Apparuit ergo mihi Deus, aspectu valde luminoso, cor meum in manu sua habens, intra quod videbam esse venas aliquas turgidas, et ipsius partem quamdam rubeam, alteram pallidam. Tunc quæsivi a Deo, quid significaret pars illa pallida; et respondit, denotare affectiones terrenas: tantusque fuit ille Divinitatis sensus, ut facile integrum triduum abstracta manserim, propter mutationem cordis mei divinitus factam. Hei mihi! Grandis mutatio illa, et grandis res illa! quando autem regressa fui ad sensus meos, sensi cor meum novum et inflammatum, ita ut videretur fornax esse divino amore succensa. O bone Jesu! Sic autem mansi quasi tribus annis, ut grave mihi esset cum hominibus loqui. O bone Jesu! Cor meum sic mutatum fuit, ut anima tota resoluta fuerit in Deum; in ipsaque aliud nihil regnabat, quam dulcis et suavis sensus de Deo.

CAP. XLIV. *et ipsa Christo desponsata per annulum,*

132 Eodem tempore, care Fili, oravi etiam Deum ut mihi concederet esse fidelem suam sponsam: hac igitur intentione ad orationem compositæ mihi apparuit Deus, cum sua gloriosa Matre atque Davide Propheta: Christi autem sancta Mater orabat filium suum meam ut solari vellet animam, O bone Jesu! Sereno ac jucundissimo aspectu Deus porrexit manum suam, meamque manum apprehendens, sibi me desponsavit, recepitque in sponsam ac filiam suam. Exinde autem semper mihi visa sum sentire annulum, digito insertum. Dicendo autem, Sentio annulum; non nisi magno cum labore et verecundia pronuntiabat ea verba; factaque est facies ejus tota rubea, quin etiam voluit cessare a sermone quem cœperat: sed multis precibus meis constricta, dixit pauca ista verba, de modo quo fuit desponsata.

in sua priori camera,

133 Addidit deinde, O fili in Christo! quantas gratias mihi fecit Deus in ista camera superiori! (ubi tunc scilicet morabatur) et usque in præsens ipsam habeo in magna veneratione, acsi ecclesia foret. Sed domestici gratias istas ignorant, quas ibi recepi: multum vero doleo propter illas quod ipsam unquam dimisi. O quoties Dei Mater cum Filio suo ibi me erudivit et docuit suam voluntatem, acsi in schola fuissem! Ibi etiam vidi Crucifixum, tanto cum gaudio, ut eloqui ipsum numquam possim. O bone Jesu! Tunc ego interrogans ipsam dixi: O cara Mater, cujus ætatis eras quando donum istud accepisti? Eram, reposuit illa, quasi octodecim annorum. Multas alias gratias, Fili, obtinui in ista camera, quas numquam possem enarrare; imo impossibile id foret, eo quod nequeam ipsas verbis exprimere: quamquam enim mens mea id capiat, voces tamen deficiunt quibus res intelligi faciam, prout acciderunt suntque in seipsis. Vellem profecto, Fili, invenire earum expressivam aliquam et apparentem formam. Heu me! quam grandis est amor Dei! Ipse facit mundum contemnere, ad illum solum quærendum, inveniendum et possidendum.

ubi plures quoque alios favores accepit.

CAPUT IX.

Visa in natali Domini et miracula quædam ad Virginis præsentiam facta.

CAP. XLV. *Interrogata de ostensis sibi in Natali Domini,*

Videns ego Virginem dispositam ad loquendum, rogavi ut mihi compleret promissionem factam de nativitate pueri Jesu, ut supra dixi. Hæsit ergo Virgo, defigens in me vultum jucundum, ac dixit: Vellem equidem, Fili, pro tuo solatio id facere; verum non erit possibile: non enim hæ sunt visiones

A nes imaginativæ sensuum; sed anima abstracta et unita Deo videt et intelligit res tam grandes et sublimes, ut humano eloquio nequeant exprimi. Tunc ego, metuens ne raperetur in extasim, dixi; Si eloqui nequis, Mater cara; saltem responde ad id quod interrogabo. Libenter, inquit illa, si possim. Interrogavi ergo, an in nocte Natalis aliam recepisset gratiam quam in die, et in die aliam quam in nocte. Illa autem affirmavit, dicendo: In nocte vidi Parvulum natum, et Deiparam cantibus et melodiis Angelicis cinctam, idque cum tanta claritate quantam intellectus humanus non posset exquirere. O bone Jesu! Anima mea tunc fuit in tanto gaudio et jubilo, quod vel recordans videar intra meipsam non esse. Interim petii benedictionem pro quibusdam personis mihi devotis; et Infantulus extendit manum suam, eisque cum magna jucunditate benedixit.

noctu visum sibi ait Parvulum,

135 O fili in Christo, fieri nequit ut tibi satisfaciam, per aliquam idoneam similitudinem, verbis factisve expressam. Non intremus in ejusmodi sermonem; sentio enim quod exitum inventura non sim. Quando enim recordor rerum tam sublimium, sentio in ipsa recordatione me deficere: quia mens B mea in ipsis elevatur, priusquam id animadvertam, et subito rapior atque abstrahor. Videns ego eam non posse in isto sermone procedere, verti argumentum, et dixi: Dic, cara Mater, quid amplius in die quam nocte vidisti? Respondit Virgo, Res multo majores. O bone Jesu! Dicam tamen, quantum a Deo concedetur. Ipsa die vidi Majestatem divinam, cum tanta claritate, aspectuque tam luminoso, admirabili ac grandi, ut sensus humanus pertingere eo nequeat. O quis unquam diceret vel intelligeret res tam magnas, nisi quibus mentes sint istis assuetæ? Non potest humanus intellectus capere ista gaudia et res ineffabiles. Aliud in præsentiarum dicere nequeo Fili.

de die divinam Majestatem,

136 Videns ego quod loqui multum non posset, dixi: Quandoquidem, cara Mater, effari illa non potes; saltem responde mihi ad interrogata, et dic; Quando anima est in ista unione quam facit cum Deo, cognoscitne humanos status, et præsertim animas ac creaturas spirituales? Respondit Virgo: Fili, tantum cognoscit anima, quantum permittit Deus; tantoque plus, quanto id magis facit ad consolationem ipsius animæ, quam sic attractam facit agnoscere suos veros amatores, unde illi magnum C accedit gaudium. O care Fili, in præsentiarum sunt variis in locis multæ animæ sanctæ, et male ageretur cum Ecclesia Dei, si non essent boni. Tunc ego: Quale solatium et gaudium sentit anima in conspectu Dei, cognoscendo animas illas spirituales? Respondit: Heu me! grande, grande: sed non intremus in hunc sermonem, quia novi quod modo non possim.

multasque sanctas animas cognitas

magno suo cum gaudio,

137 Tunc vidi colorem vultus ejus immutari, per inflammationem sibi obvenientem, ex recordatione rerum tam mirabiliter attractivarum: ideoque subito abstinui loqui de rebus illis, ne tota absorberetur, et dixi: Si nequeas eloqui, Mater, res istas, scribe illas. Libenter, inquit, eas scriberem, eo modo quo scribo alias litteras; sperans quod aliquando ipsas combures: sed dum scribo, sæpius hæreo cum calamo in manu; et si casu accidat apertum esse ostium cameræ, venit aliquis domesticorum, meque sic constitutam reperiens, legit quæ scripsi; ideoque mihi non fido: quamquam solebam plus scribere et dicere, quam modo, quia indies multiplicantur et augentur tractus divini; et ideo facilius mens elevatur ac velut continuo. Quamvis autem loquar cum diversis personis, aliud tamen sentit mens mea, quam id de quo sermo est. Interrogans porro, Quidnam, inquio, Mater cara, vis dare vel relinquere tuo filio in Christo? Respondit quasi subridendo: D Volo tibi facere libellum unum pro tua consolatione. Alias feci quemdam, sed metuens ne inveniretur, combussi; et nunc mihi dolet, ipsum non habere pro tuo solatio. Nunc multorum memini, sed dicere ea non possum: quandoque vero nec recordor quidem rei ullius, et alias videntur omnia simul menti occurrere.

et alia quæ nec scribere quidem possit:

promittit tamen ei libellum de rebus suis.

EX J. AL HIERON OLIVET

138 Quando Virgo hæc dicebat, Lector, torquebat se totam, præ grandi quem patiebatur cruciatu: quapropter interrogavi: Quid adeo vehementer doles, Mater? Dixit illa, voce submissa: Dolor cordis tantopere me constringit, ut quieta manere nequeam. Ignosce, Fili, sæpe id mihi evenit, etiam dum cum aliis quam tecum loquor: id quod mihi vehementer displicet, et pudorem ciet: non item coram te. Vellem enim, Fili, tibi monstrare cor meum, ut videas quid ibi operetur Deus. Scito quod aliud nihil tibi reticeam, quam quod dicere nequeo. Sed quando tale quid mihi accidit coram aliis, simulo esse aliquem lateris cruciatum, atque ita interrogantibus satisfacio. Tum dixi: O cara Mater, ora Deum pro filio vestro, et pro anima nostra devota, quam nosti teneri desiderio sancto, ut Deus ei concedat quod petit, et conformiter ad suam voluntatem possit operari. Respondit Virgo: Si ipsa obtineret quod petit, non esset ei possibile facere opera ad quæ eam Deus elegit. Mutentur ergo corda et ordinentur secundum Deum. Ad hoc libenter cooperabor, et puto fore ut consoletur. Ora Deum ut soletur universos in vita æterna. Eadem hora diximus res alias multas; quæ hic non ponuntur, quia necessariæ non sunt pro generali salute animarum.

Fatetur magnum cordis sui cruciatum

et quod Auctorem nihil celatum velit:

E

139 Prædicto mense [verosimiliter Januario] cum Missam celebrassem domi ipsius, cœpimus colloquia nostra spiritualia quorum initium fuit de oratione; quomodo scilicet eam debeat facere creatura, quando vult Deo servire in veritate. Primum ergo, inquit illa, debet homo, ordinare mentem suam ad virtutem, et stabilire in Deo, tale vero desiderium aptum sit semper crescere, quantum fieri potest: tanto autem magis minusve oratio accepta est Deo, quanto plus minusve anima cum puritate sese præparat ac stabilitur in sancto Dei amore, et mentem continuo habet intentam in ipsum: hæc vero est Dei gratia, non autem præparatio pure humana. Quæsivi ego, quomodo faceret ipsa: et respondit: Mens mea per Dei gratiam est stabilita, et continuo secundum partem quamdam tendit in illum, non per merita F mea, sed per gratiam divinam. Quamvis autem loquar cum hominibus, variasque res audiam, non tamen propterea mens mea removetur a Deo, quia saltem aliquid divinum semper verset, quod ipse per suam gratiam mihi repræsentat. O bone Jesu! quanta est gratia tua! Hæc ea loquente, venit internuntius quidam dicens: Talis Domina petit audientiam. Tunc illa: Non te pigeat, Fili paululum expectare, Matrona ista valde afflicta est: ora pro ea Deum, est enim filia orationis.

CAP. XLVII

explicat quo modo sit orandum

et qualiter oret ipsa.

140 Postquam vero rediit Virgo, dixit mihi: Volo tibi narrare, Fili, quid mihi acciderit propter Dominam istam, cum in æstate essemus ruri in nostra possessione. Erat ipsa etiam tunc in sua quadam terra, contigua nostræ: ibique tam subito et gravi correpta est morbo, ut amissa loquela, parum admodum præsentes agnosceret. Nolebam ego ad illam accedere, quia ut plurimum a sensibus abstrahor, nisi cito recedam. Ad illam igitur misi cognatam meam Peregrinam, quæ reversa dixit: Infirma facit signa, quod te vellet; tantumque institit ut iverim eam visum. Subito autem atque me vidit, levavit manus ad cœlum ut melius poterat, videbaturque lætari. Ego vero, mox ut propius accessi, genua

CAP. XLVIII

Narrat de ægra muliere

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

se deprecante sanata,

genua flexi in suppedaneo lecti; statimque in oratione raptæ mihi apparuit Deus cum luminoso aspectu, rogavique eum pro creatura ista; et ipse columbino oculo mihi respondit; Dono tibi salvam creaturam illam, Filia carissima. Unde quemadmodum mihi postea relatum fuit, loqui cœpit, mox ut ego me ad orationem composueram. Tum ego: Quando ad sensus tuos rediisti, Mater, audistin loquentem mulierem illam: et respondit Virgo; Audivi, et satis multum postea locutæ inter nos sumus. Non cognoscebam ego, Lector, Matronam illam; sed post mortem Virginis in illius notitiam veni; et ipsa mihi testificata est, omnia sic facta fuisse ut ipsa beata anima mihi retulit, id quod etiam multorum testimonio verificari potest.

142 Multa quoque alia de attractione mihi dixit, et addidit: O Fili, res istæ spirituales deridiculo sunt hominibus secularibus, quin etiam multis viris religiosis, quia non gustant nec sciunt quid sit Deus, ideoque non intelligunt. Verumtamen duo sunt, quibus Deus fecit gratiam ipsas gustandi, licet eas verbis exprimere nequeant: ipsi tamen inter se intelligunt: quia intellectus ipsorum eas capit; et mens perfusa istius visionis claritate, applicat se ad intelligentiam rerum auditarum. O bone Jesu! multa mihi in hoc argumentum dixit, quæ modo non volo scribere.

CAP. XLIX

et quomodo per Padum navigans,

143 Narravit mihi etiam aliud miraculum dicens: Volo tibi, dilecte in Christo Fili, exponere etiam aliam rem magnam. Cum ex nostra possessione Mantuam navi reverteremur per Padum, essem usque prope Reverum; tantus subito turbo incubuit flumini, ut eversa navi omnes in Padum præcipitaremur. Dicunt autem quod ego in medio omnium extabam supra aquam, cum Crucifixo in manu; et ceteri omnes circum me, in modum coronæ. Itaque descendimus cum flumine ad medium circiter milliare; nec quisquam aliquid inde incommodi habuit. Verum quidem est quod frater meus Antonius bis descendit sub aquam, sed citra damnum. Personæ et impedimenta omnia, quæ erant in navi, circum me fluitabant supra aquam; nec quidquam sub illa amissum fuit, quamvis res essent ponderosæ, puta figlina vasa, et capsæ plenæ, quæ vehebantur Mantuam. O pie Jesu! bonitas tua servavit illa ne mergerentur, non alia ulla causa. Quis vellet, o Lector, dicere, hoc non esse miraculum? Interrogavi eos qui in navi fuerant cum Virgine, et dicunt hanc esse ipsam veritatem, et quod ipsa stabat in medio supra aquam cum Crucifixo in manu; eratque in spiritu, et omnes circum ipsam; nec quidquam earum rerum quæ in navi ferebantur amissum est. Habebat autem Virgo magnam devotionem erga Crucifixum illum. Ego vero licentiam sumpsi, cito rediturum me pollicitus; quia ipsa mihi dicebat, quod plura alia de rebus spiritualibus dicenda mihi habebat.

eversa navi, cum personis et rebus ex ea cum se fluitantibus sit servata:

CAP. L.

item quomodo a capella nec-dum fœta

144 Cum suus quidam frater esset in officio, Vicarius scilicet unius castelli, erat Virgo peregre cum toto comitatu: cumque in familia esset infans qui plorabat, neque Virgo haberet quod ei dare posset, duabus suis puellis, quarum uni nomen erat Bona, mandavit, ut cum scypho mulgeret lac cujusdam capellæ, quam domi nutriverat. Subridens autem puella dixit; Quomodo vis ut lac præbeat, quæ numquam parturivit? Respondit Virgo: Eas tamen: et illa, magis per complacentiam quam ex alio motivo, ivit expertura, sed trahere lac non potuit, ubi nullum erat. Quare cum denuo ipsam remitteret Virgo, cœpit rem ut impossibilem recusare. Tum Virgo, Ito, et capream ad me adducito: tu fidem non habes. Adducta autem illa, propriis manibus Virgo lac mulsit, et scyphum implens eo infantem lactavit; ex eoque die perrexit semper lac capella dare. Quare nos ejus domestici, quando volebamus risum ipsi ciere, durante illa gravi ipsius infirmitate, narrabamus casum, et dicebamus; Fuisses optima Stabularia, Mater. Itaque narrabat etiam ipsa multis nobis præsentibus, qui facti eramus conscii; et ipsa Bona testata est, quidquid supra scriptum est meram continere veritatem.

lac emulserit

CAPUT X.

Quædam in extasi visa, et auditæ in ea preces a Deo: varia circa raptus notanda.

CAP. LI.

Exaggerat pœnas inferni

Die quodam Januarii [*anno* MDII] summo mane, cum diceretur intra cameram ejus Missa de Spiritu sancto, Virgo rapta fuit in spiritu, itaque mansit plus quam duabus horis: sed Missa finita, ipsaque ad sensus suos regressa, inchoavimus sanctum colloquium, præcipue de Majestate divina, quam ipsa cum tanta claritate viderat in illo raptu, ut non posset eam exprimere. Verumtamen cum voce devota dixit: O fili in Christo; grandia sunt quæ tenet anima in illo luminoso aspectu Majestatis æternæ: non possem dicere quod rei sit; sed id modo missum faciamus. Postea mihi demonstratus est, Infernus et Purgatorium. Heu me! Grandis et indicibilis res mortalibus est, quid sit non nosse divinam Majestatem; et quam horribilis sit Infernus, quantasque et quam amaras ibi pœnas sustineant animæ damnatorum. Hei mihi! vel sola memoria me perterret. In Purgatorio autem tam magna tormenta sunt, ut nulla creatura deberet illum unquam desiderare, eo scilicet modo quo id faciunt aliqui, pœnitentiam sibi in Purgatorio augurantes. O bone Jesu! nulla est humana lingua nec intellectus, qui potest unquam capere vel exprimere minimam partem istarum immortalium pœnarum, præter eam animam quæ ipsas vidit; hæc illas intelligit, et multas earum cognoscit, quamvis nequeat explicare. Heu me! Quam terribile sit videre dura isthæc tormenta, non potest dici nec demonstrari, nisi mentibus assuetis. Id autem, Fili, certum habe et clarum, pro vera absolutione rerum divinarum et immortalium.

et purgatorii:

negat Passionis dolores sentiri durante raptu:

146 Tunc interrogavi eam dicens, Quando anima cogitat mysterium passionis Christi, interimque in spiritu rapitur, permanetne illa in isto cruciatu Passionis? Respondit Virgo; Anima, o Fili, non sentit tunc dolorem, quia unio cum Deo superveniens aufert omnem mœstitiam Passionis, rapiturque anima ad visionem divinam, quæ solummodo potest gaudium consolationemque adferre: itaque corporalem tristitiam quam ante unionem sentiebat anima, tunc non sentit: quia potentiæ sensitivæ omnes sopitæ sunt.

CAP. LII. narrat energumenam liberatam:

147 Fili in Christo, quadam vice ingressa fueram Sanctimonialium monasterium, quæ inter se habebant Sororem indæmoniatam: ipsæ vero infirmitatem aliquam esse existimabant. Cum autem adducere ipsam ad me vellent, clamabat, Nolo ire, Nolo ire. Tamen constricta ab aliis coram me adducta fuit, et subito mansuefacta, dum enim amplecterer et oscularer illam, liberata est. Hac de causa dæmon mihi postea multas insidias struxit, variasque tribulationes intulit diversis in rebus, faciendo magnum strepitum ad me perterrendam. O bone Jesu! Ab omnibus me liberavit bonitas tua, non respiciens peccata mea.

CAP. LIII. et dæmonis molestos ad cameram suam pulsus

148 Prædicto mense, ab hora circiter vigesima, usque ad vigesimam tertiam stetimus in divinis colloquiis, et de multis rebus spiritualibus disseruimus, pertinentibus ad salutem animarum et verum Dei servitium, id est, quantum placeat ac grata Deo sit

sit puritas et munditia cordis, cum actuali servitute et perseverantia : sed de hoc non ita longus sermo fuit, quam de personis aliquibus in particulari de quibus modo silebo. Inter illa dixit Virgo : Volo, Fili care, pandere tibi secretum quoddam. Dies aliquot sunt, quod magnas tribulationes patior a dæmone, idque puto esse propter peccata mea, Ego autem subridens, dixi, Eia, Mater cara, dic filio tuo, quid tibi faciat mala ista bestia. Respondit illa : Nuper cœpit quot noctibus pulsare ad cameram, in qua dormio : et quamquam parum illum formidem, neque æstimem similes ejus inquietudines; Vereor tamen ne id faciat ex parte, quia dedi certum libellum devotionis Fratri Confessario cujusdam monasterii Sanctimonialium, ubi erat Soror quædam a maligno spiritu tentata : et propterea non potest illum ferre, et me nunc afficit isto fastidio. Tentationem porro illam quam dicta Soror patiebatur, ipsa quidem Virgo mihi dixit, Lector, eam tamen hic non apponam, ne veniatur in notitiam personæ, quamquam nullum inde scandalum proveniret; Dei tamen voluntati rem præstat relinqui.

CAP. LIV.

Explicat corporis insensibilitatem tempore raptus,

149 O Dilecte in Christo Fili, quanta consolatio, quanque melliflua gaudia sunt, quæ Deus animæ infundit per suam gratiam, quando ipsam trahit et unit secum! O mirabilis Deus! Illo articulo temporis sopiuntur omnes potentiæ corporeæ et deficiunt; anima autem ascendit ad illam immensam visionem, quam oculus humanus non vidit unquam neque auris audivit. Ibi anima illa, tunc sic consistens in suavitate et dulcedine unionis factæ cum Deo, non movetur ad dextram neque sinistram, sed solum fruitur divina illa visione et Majestate æterna. Tunc corpus nihil sentit, quia potentiæ ejus sunt sopitæ usque ad tempus a potentiis animæ, quæ confortatæ a divina gratia in ipsa operante, robustiores sunt potentiis corporis. Ah! Fili, quis intellectus capere, vel lingua possit dicere, qualis sit aspectus incircumscripti luminis et Majestatis divinæ? O bone Jesu! quam suavis est animæ illa visio, tam clara, tam jucunda, et delicatus ille gustus!

et animæ elevatæ delicias ineffabiles :

150 Ab illo divino aspectu detinetur anima in quadam sublimitate et celsitudine, quemadmodum si maneret in aere, non aliunde sustentata quam a divino illo et attractivo intuitu, in quo defixa manet absque alio sustentaculo, et illo fruitur, ipsumque videt et cognoscit quam tum Deo placet, ad suum solatium. Heu me! qui potest capere capiat cum effectu. Sed anima quæ fuit in isto dulci convivio, et gustavit mellifluum saporem suavium istorum ciborum Dei, valde bene illud intelligit oculo sublimatæ suæ mentis. Non est tamen possibile sub aliqua forma, quam intellectus humanus intelligere valeat, id exprimere. Posset quidem dari aliqua ejus translatitia imaginatio, sed non pareret cognitionem rei qualis in se est. Magnum profecto fuit, Lector, quod Virgo tam multa tunc dicens non raperetur aliquoties in spiritu : rapta tamen fuisset, nisi sæpius curassem ipsam experrectam tenere mutando sermonem, eamdemque aliquantum dimotam ab applicatione, eodem iterum reduxissem : hoc autem modo et tali mea industria fiebat, ut multo plura diceret, quam alias fecisset. Omnia autem fiebant per gratiam Dei, ad honorem ejus et Sponsæ suæ.

CAP. LV.

dolet de sua erga Deum ingratitudine,

151 Suprascripto mense, celebrata intra cameram ejus Missa, cum consedissemus more nostro collocuturi; cœpit loqui Virgo tam magna cum humilitate, acsi fuisset maxima peccatrix mundi, et per ipsam commissa omnia scelera, sic dicendo : O fili, quam magna est mea adversus Deum ingratitudo! O me miseram! Numquam aliquid boni feci,

et a divina pietate semper recepi innumerabilia beneficia. Heu me! licet aliud nullum peccatum fecissem, mererer gravem punitionem. Precor bonitatem ejus, ut mihi condonet : et ideo ora etiam Deum pro me, ut mihi concedat saltem duas res, semper mihi complacitas, scilicet humilitatem et simplicitatem. Vellem tibi dicere, quomodo anima mea attrahatur a Deo; sed non scio nec possum illud exprimere verbis, defectu idoneorum vocabulorum. Quamvis enim anima sic elevata tunc videat, intelligat, et cognoscat divinum lumen; non tamen intellectus sufficit ad ipsum verbis explicandum : nec possibile est ut intelligat id cujus capax non est. Igitur aliter nequit intelligi quidquid anima videt et intelligit. Et circa hoc argumentum multa diximus tamquam hallucinantes, quæ omnia longum foret dicere, ideoque omittuntur.

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

et quod se nequeat satis explicare.

CAP. LVI.

Docet qualiter audiat Deus preces pro aliis factas a se;

152 Post ista sic dicta, prosecuta est Virgo in hunc modum : Aliquando, Fili, apparet quod Deus facile exaudiat petitiones, ab anima factas, idque cum jucunditate; aliquando vero eas excipit sereno et læto vultu, et quasi ridens; sed nihil respondet. Aliquando denique rogatus, videtur avertere humeros, et vultu quodammodo irato recusat animam audire : et hæc tria sæpissime accidunt animæ attractæ, et unitæ cum Deo. O pie Jesu! quam magna res tua bonitas et justitia! Supra hoc autem multa satis diximus, etiam de aliquibus personis in particulari, pro quibus Virgo oraverat, intellexeratque responsum, indicans uni bene, alteri male futurum O care Fili, quando Deus, modo jam dicto facile audit animam, in eo quod postulat, dum est in ista jucunditate collocata, boni signi id est. Tunc anima speculando tantam claritatem videt in divina essentia res quasdam præteritas præsentes et futuras, ut alias diximus, quantum Deo placet permittere ut anima cuncta penetret.

indeque intelligat ipsa, an justi illi,

an pœnitentium actui,

153 In prima petitione, Fili, omnia conceduntur animæ pro qua oratur, quia est in statu gratiæ et disposita ad recipiendum : in secunda, Deus non expresse concedit gratiam, quia anima quæ commendatur est imperfecta : vultu tamen hilari se ostendit Deus, propter emendationem quam in illa anima futuram prævidet. Ad tertiam petitionem se monstrat iratum, quia prævidet in anima futuram, imo præsentem obstinationem cum perseverantia in peccatis, et quod non sit secutura emendatio : estque valde molestum ac triste animæ videre sic immutatam et alteratam divinæ decentiæ claritatem. Hei mihi : quam durum id est! O bone Jesu! condona mihi peccatrici. Non quod Deus mutet suam claritatem, sed quia propter abominationes peccatorum aliud non merentur, nisi modum illos respiciendi istis convenientem. Atque hæc definita sunt a Virgine, grandes dolores patiente natamque ex eis febrem, concludendo quod secundum dispositionem personarum pro quibus oratur, inveniat ipsa se bene dispositam cum Deo; itaque exaudiatur vel non exaudiatur.

vel in peccatis sint perseveraturi.

Fatetur pœnas Passionis quas sustinet,

154 Postea dixit, sentio, Fili magnam febrem, procedentem ab excessivis doloribus passionis Christi, quos patior. Ego quasi ridens reposui; Dic Mater, Numquid dolor iste magnum robur confert cordi tuo, et magnam consolationem, licet pœnæ conjunctam? Veritatem, inquit illa, dicis, Fili : multum ille me solatur, et si non haberem istos cruciatus, valde me affligerem. Non curo quod sint cum pœna corporali conjuncti, quia talis pœna vincitur a consolatione spirituali, quam per Dei gratiam recipio. Multas res alias spirituales tractavimus hora illa. O sanctum diem! Plusculum etiam disseruit supra hunc locum, Irascimini et nolite peccare; item Livore ejus sanati sumus; et In eo

Ps 4, 5
Is 53, 5
et 1, 6

magno sibi solatio esse ;

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

non erat sanitas ; interpretando quod eo significetur corpus mysticum Ecclesiæ, in qua non erat sanitas bonitatis alicujus, propter multitudinem peccatorum. Unde cum suspirio dixit : O Dei bonitas immensa, quæ tantum fœtorem putoremque peccatorum tam diu exspectat ad pœnitentiam. Vellet justitia tua, ut dehiscens tellus deglutiret peccatores. O bone Jesu ! ignosce mihi peccatrici.

graves accidere Dei minas contra peccatores,

155 In hoc passu, Lector, vidi lacrymantem Virginem, præ compassione erga animas. Res magna ipsi fuit audire tantas Dei comminationes, propter abominationes et gravia peccata mundi, maxime in statu Ecclesiastico, unde dixit : Scito, Fili in Christo, quod ira Dei per famulos ejus contineatur, per quos Deus quasi vincitur et ligatur. O miseram Italiam ! nisi intercederent orationes bonarum animarum, propter quas Deus præstolatur, absque illis jam esset abysso hausta. Tunc ipsam interrogans dixi ; Istæ tuæ uniones, Mater, suntne majores quam S. Catharinæ Senensis ? Respondit anima cœlestis ; Multa sunt mihi cum iis quæ de ipsa leguntur similia, dilecte Fili, quando anima est applicata corporalibus organis ; neque tunc scirem dicere res illas sicut vidi, quia homo tunc est qualis erat prius ante extasim. Non potest is cognoscere aut facere aliam mutationem, quia mortalis est et implicatus materiæ : sed magna consolatio inde remanet in anima, ex memoria, licet confusa, et velut umbra quadam, respectu gaudiorum, remanentium in oculo intellectus ; quæ gaudia gustavit et vidit anima, sed non potest eorum formam materialem exprimere. Ah ! non possum plura dicere, alias prosequemur : et tunc ab ipsa sumpsi abeundi licentiam.

multa sibi esse communia cum S. Catharina Senensi

CAP. LVII.

respondet petitionibus factis ab Auctore,

156 Ultimo die præfati mensis, loquebar cum Virgine, adhuc jejuna, jejunus etiam ipse a corporali cibo : et ipsa cœlestis anima cœpit cum lacrymis respondere ad certas meas interrogationes, quas ipsi proposueram ante Pascha ; scilicet, de salute animæ suæ ; deinde, de operatione conformi divinæ voluntati ; tertio, ut anima illa particeps fieret gratiæ tamdiu concupitæ : quibus ipsa Virgo adjunxit quartam et quintam petitionem, id est, ut suus in Christo Filius stabiliretur Mantuæ, essetque præsens suæ morti. Ad primam respondit Virgo cum lacrymis et dixit : O care Fili in Christo, dico tibi quod ista fuerit tertia aut quarta promissio, quam fecit mihi Deus, quod mihi per gratiam suam vellet donare Paradisum ; et de hoc certa sum, non tantum pro me, sed etiam pro illa anima, de qua alias locuta tibi sum ; idque habeto certum, quia anima mea istic se vidit, et certo vidit factam sibi gratiam, idque hac ipsa operante, non meritis meis. Et hæc est pura veritas. Tunc interrogavi eam, utrum uno eodemque die vel tempore futura esset mors utriusque : et ita simul ambæ animæ ingressuræ Paradisum. Respondit autem cœlestis anima : Hoc non scio, quia hoc non interrogavi.

certum esse jubens de salute cujusdam animæ,

deque gratia petita obtinenda,

157 Ad secundam interrogationem, Dico tibi, inquit, quod, ut opera sint Deo accepta, requiratur perseverantia : et oravi pro ista anima vestra devota, cui Deus promisit gratiam quam postulat : sed vult ut ipsa aliter occupetur, neque impediatur. Sed dicito ei ut se præparet ad onus grave et grande pro meo amore. Insuper, Fili in Christo, tibi dico, quod hæ sint tertiæ vices, quibus a Deo pro gratia petii, ut stabiliaris Mantuæ, et adsis morti meæ : Bonitas autem divina mihi respondit, quod in his omnibus consolabor. Atque ita maneo certa, tum de salute istarum animarum mihi concessa, tum quod mansurus sis Mantuæ, quas res propter suam bonitatem Dominus implebit. Duo porro puncta, Lector, exitu comprobata sunt ; videlicet, quod commoratio mea Mantuæ fuerit pro anno isto confirmata : deinde autem dimissus inde biennium foris steti, rursumque restitutus fui habitationi Mantuanæ ; ubi præsens adstiti morienti Virgini, sicut ipsa prædixerat : prout tota Mantua testificari potest : aliis autem in locis positæ sunt res prædictæ.

et quod morti suæ præsens adsit.

CAPUT XI.

Variæ notitiæ spirituales circa modum orationis abstractivæ, dæmon coercitus.

CAP. LVIII.

Prosequente Virgine supra inchoatum sermonem, interrogavi ego ; Mater mea in Christo ; dic mihi, quomodo anima loquatur cum Deo : et quando attracta est, Deusque ipsi monstrat mysteria Passionis, an tunc sustineat per commiserationis affectum passionem ipsam. Vellem etiam intelligere, quam diversitatem experiatur anima cum videt cicatrices Christi aut eo visu privatur. Respondit autem cœlestis anima ; Magnas res quæris, Fili, nec credo quod potero tibi de istis mysteriis satisfacere : pro tua tamen spirituali consolatione conabor dicere quod mihi concessum fuerit ; sed ea conditione ut me adjuves. Ego vero ridens dixi : Non equidem ista te interrogarem, Mater, si per me scirem. Nihilominus, inquit illa, scies aliqua, meque juvabis. Non scio tam bene dicere quam vellem ; nec etiam possum, sæpius impedita, ut nosti. O bone Jesu ! ad tales res dicendas non invenitur forma materialis, per quam ordinari possit aliqua similitudo satisfactoria. Connitar tamen ut potero aliquam partem dicere ad solatium tuum. O Fili, quando anima constituta est in oratione et loquitur cum Deo intellectualiter acsi loqueretur per linguam ; tunc Deus se monstrat illi formosissimum absque forma sensibili, jucundum absque indiciis jucunditatis nostræ, cum omni pulchritudine et splendore, columbinis oculis et vultu sereno, invitans animam ad loquendum et petendum quidquid voluerit. Ah ! quam magnas res videt anima hora illa ! Non possem dicere nec explicare ordinem istarum supernaturalium rerum : vellem ut possem, teque facerem intelligere omnia sicut facio ; sed non possum.

Conatur explicare quomodo anima loquatur Deo

et hic illi,

159 Quando autem animæ monstrantur mysteria Passionis, et ipsa inspicit Christi cicatrices, tunc cognoscit omnia quæ passus est Christus pro ipsa salvanda ; videt etiam de cicatricibus illis prodire radios decuplo lucidiores sole : et ideo non sentit dolorem vel passionem ullam, solumque considerat ingratitudinem suam adversus divinam bonitatem. Itaque anima manet abstracta, per solum aspectum divinum et in circumscriptum lumen ; ibique retinetur nec sustentatur ab ulla re alia, quam ab illo attractivo et respectivo aspectu divino : solumque fixe contemplatur Majestatem æternam ; ac videt essentiam divinam quemadmodum relucet in Verbo divino. O fili in Christo, sic attracta anima non aliud sentit neque cogitat ; sed manet sic retenta, solummodo inspiciendo pulchritudinem ac suavem amœnitatem istius incircumscripti luminis. Ah ! Fili aspectus ille divinus tam luminosus attrahit ad se animam, totamque defigit et absorbet in visione divina. Tunc anima plena et saturata desiderando, dumtaxat vellet ibi manere et frui omni bono procedente ab isto luminoso aspectu. Ego nec scio nec possum, tu dicito, Fili. Adjuvabam semper ego prout poteram Virginem talia dicentem ; continuo enim metuebam ne abiret in extasim ; quamquam etiam sic magna cum difficultate pronuntiaret quidquid dicebat. Volebat Virgo mihi plus dicere, Lector, sed non poterat ; idque ipsam dolebat valde, quia optabat omnia mihi exponere ad meum solatium spirituale.

nihil aliud tunc sentienti vel cogitanti.

160

CAP. LIX

non tamen semper eodem modo.

160 Continuando deinde sermonem dixit, O care in Christo fili, non semper dat Deus gratiam dicendi et cognoscendi res futuras : et quamvis anima sæpius sit attracta, non tamen videt semper aut cognoscit eodem modo. Quandoque enim solummodo pascitur visione divina ; quandoque vellet habere gratiam quam habere non potest, itaque faciebat S. Catharina Senensis. Hæc dicenti supervenit Ducissa Urbinatium, quæ interrupit nostrum sermonem et solatium spirituale : de quo conquerens illa dixit : Alias nostrum sermonem complebimus.

CAP. LX.

Narrat conspectum sibi bisd æmonem,

161 Paucos post dies, cum Missam in ejus camera dixissem de Domina, nostrumque sanctum colloquium essemus exorsi ; interrogavi Virginem, an dæmon ipsam in re aliqua oppugnaret. Illaque respondit ; In præsentiarum nullam molestiam sentio, sed præterito tempore multa mihi incommoda attulit, satisque passa sum per instinctum istius malæ bestiæ. Et quidem una noctium apparuit mihi in forma pueruli nigri, habentis oculos grandes et rubicundos. Ego autem malam istam bestiam videns, surrexi de lecto, ipsumque arripiens raptavi per terram, ac multos ei pugnos inflixi : quare quamcitissime potuit, licet invitus, a me recessit, magno cum strepitu et ululatu, multumque conquerens. Est, fili, res valde terribilis. Alia etiam vice apparuit mihi in oratione positæ sub eadem specie ; et ego magno cum impetu ipsum arripui, tantumque percussi et contrivi pedibus genibusque, ut amplius sub tali forma non redierit.

egregie pulsatum diffugisse.

162 Quando Virgo mihi narrabat, Lector, quomodo percuteret dæmonem, faciebat manibus gestus, stringebatque dentes, et dicebat, Tot ictus impegi illi genibus pedibusque, et tantum pulsavi eum pugnis calcibusque, ut lassata fuerim. Ille quidem volebat fugere, sed ego fortiter eum retinebam ; jugiter interim percutiens ; quia vehementer clamabat, Dimitte me, dimitte me, non redibo amplius. Cum ergo conculcassem totum, nec amplius possem manus ac pedes movere per meram lassitudinem, permisi eum abire ; et hoc dicere possum, quod ocyssime fugit, cum magno stridore atque lamento. Magna mihi movebatur devotio, Lector, videndo et audiendo Virginem explicantem, quomodo ipsum verberaverat : sermo autem ejus ista dicentis præferebat sanctimoniam quamdam atque virilem animum ; sic ut obstupescens admirarer tantam ejus constantiam et fiduciam animi, qualem numquam credidissem, nisi vidissem. Sane cum videbam ipsam ista dicentem, fronteque accensa et elevata quasi furentem, acsi ipso facto tunc dæmonem percuteret, timebam ipsemet.

CAP. LXI

Impeditum quoque suscitare rixas in monasterio

163 Volo etiam dicere tibi [*inquit illa*] quod mihi a paucis diebus accidit. Cum ivissem ad monasterium S. Vincentii, inveni ipsum valde commotum, propter juvenculas duas seculares, quæ istic erant ex certo respectu inclusæ. Dum autem earum una litigaret cum Sororibus ; aderam ego, et conabar verbis mitigare rixam. Erat quidem hora circiter prima noctis : ego tamen, Fili, volebam rem quocumque modo componere. Sic igitur ibi stanti, tractum mihi fuit magno impetu mantellum, acsi aliquis me inde voluisset abripere : et ego me convertens in latus, unde trahi me senseram, vidi puerum nigrum, oculisque grandibus ac rubentibus formidabilem. Volebat mala ista bestia curare, ut istic excitaretur grande dissidium : sed noluit Deus ut aliud quid mali contingeret. O pie Jesu ! quantum obligor bonitati tuæ, quod amplius non nocuerit.

CAP. LXII

et restitutam alteri monasterio pacem

164 Etiam, dilecte in Christo Fili, præteritis hisce diebus in monasterio S. Joannis de Carectis, intraverat quædam Matrona, Sanctimonialibus nonnullis invitis : et ideo Patres sui ex Ordine S. Benedicti, nolebant amplius illius loci curam agere. Igitur Monachæ subito mihi mandarunt carpentum cum equis, orantes ut quamcitissime ad ipsas venirem. Continuo ego ascendi essedum, et mente in Deum elevata dixi ; O Deus meus, Pater æterne, respice in hoc negotium, eique tua pietate provide. Tum mihi apparuit Domina nostra cum filiolo et S. Joanne ; et ego posita in oratione magna cum vehementia precabar, ut Deus providentia sua quietaret omnia : sicque perseveravi usque ad monasterium, nihil per viam sentiens ; sed cum illuc appropinquarem, extensa ad ipsum manu, Deus mihi dixit : Filia mea carissima nihil formides ; providebo ego et rem totam componam. Magna res, Fili in Christo, aspectus divinus ! Dico tibi quod quando Deus ipsum mihi ostendit, simul etiam cognovi, omnia in magnam tranquillitatem convertenda. Igitur ex carruca descendens, intravi monasterium, et omnes Monachæ mihi in occursum venerunt plangentes : ego vero iis dixi ; Nolite flere, et certum habetote quod Deus providebit toti negotio. Postea autem venit Abbas monasterii S. Benedicti, et pristinum Confessarium loco restituit, curam loci suscipiendo ut prius.

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

invocato ad id Dei auxilio ;

CAP. LXIII.

ac solatium Ducissæ Urbini impetratum.

165 Iisdem diebus venit Domina Ducissa [*Urbini*] meque rogavit ut orarem pro se ; maxime pro tali causa etc. Respondit autem Deus, consolandam : sibi enim non deesse modum istud et alia majora faciendi. Oravi etiam pro illa persona quam nosti ; responsumque est mihi, Vadat in pace : verumtamen de re ipsa satis dubito : sed Deus mihi dixit, quod hinc sim excusata, si consilia effectum non sortiantur. Multa diximus, Lector, de duabus istis rebus, quas clarius non explicabo, propter varios respectus : ambæ tamen intra paucos dies evenerunt, de quibus, utpote nostro tempore factis, ipse sum testis.

CAP. LXIV.

Explicat discrimen orationis imaginativæ

et abstractivæ.

166 In principio Aprilis circa Nonam, loquendo cum Virgine de multis rebus spiritualibus ipsam interrogavi dicens ; Vellem mihi explicares, cara Mater, quid interest inter animam, quæ in sola oratione imaginativa consistit, id est, citra notabilem correspondentiam cum Deo ; et illam quæ est attracta atque cum ipsa loquitur, sine ulla vehementiori applicatione ; ac denique, quando similiter abstracta, solummodo immoratur fruitioni Dei et incircumscripti istius luminis. Respondit illa, Magna altaque mysteria exquiris, Fili ; mihique valde laboriosum est talia explicare, quamvis optarem de nulla re alia loqui posse. Scito igitur, quod quando anima est in oratione imaginativa, ipsam non ita sentit, neque ea sic fruitur, sicut in abstractione ; quando autem abstracta est et loquitur cum Deo, tunc videt et sentit res absque comparatione majores ; quia prout vult Deus eam facit cognoscere præterita, præsentia et futura, respiciendo in divinam essentiam.

Narrat in cælo visum sibi S. Dominicum.

167 Volo, care fili, rem magnam et admirandam tibi dicere, quæ mihi in oratione positæ diebus præteritis accidit. Sic enim positæ, prima facie visum est animæ meæ videre amplam civitatem ; cujus introitus perquam bene ornatus erat : ingressa autem vidi grande lumen, cum tanto apparatu ut eum eloqui humana lingua nequeat : in quo lumine erat divina Majestas, et ex utroque viæ latere erat ingens multitudo Beatorum, stolis albis amictorum. His sic utrimque stantibus venit per mediam viam S. Dominicus obvius animæ, aspectu Angelico ; et manu apprehensam animam deduxit ante regium thronum Majestatis divinæ, invitantis eam ad petendum quod vellet, omnem enim gratiam ipsi faciendam. Verumtamen anima, quasi formidans nihil loquebatur. Itaque S. Dominicus fari cœpit, ipsamque divinæ Majestati commendare. Tunc sumpta fiducia,

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

fiducia, exorsa est illa petitiones suas, ac primum commendavit suos omnes consanguineos, suosque cordiales amicos.

seque ab eo ductam ad Dei conspectum.

168 Ubi autem loqui anima desiit, quasi in momento fuit unita Deo, sic ut aliud nihil sentiret, nisi solam fruitionem quæ erat in ipsa, omni alio sensu privata. O fili Ejusmodi fruitio, res maxima est, quam anima sentit cum Deo, qui ipsam raro ei concedit. Et illa est tam grandis oculisque humanis incognita, ut de ea loqui necesse non sit, quia non potest intelligi. Vellem eam tibi pro tua consolatione explicare, sed nequeo. O bone Jesu! Fruitionem istam perfecte comprehendemus in patria. Ad hæc ego interrogans, Cujus, inquam, ætatis, Mater cara, erat S. Dominicus? Respondit anima cœlestis et dixit: Erat ætatis maturæ, pulchro aspectu; senex, sed non decrepitus. O fili, magna res fuit quam recepit anima in illo luminoso aspectu Patris æterni. Hei mihi! non possum amplius; et hic finiens parum abfuit quin raperetur in exstasim.

CAP. LXV. Finis hujus colloquii,

169 Postea locuti sumus de multis rebus, pertinentibus ad macerationem corporis, videlicet disciplinis, ciliciis, setaceis cingulis, quorum unum donaverat cuidam nobili matronæ. Interrogavi quomodo in præsenti circa ista ageret: et dixit; Alias satis multa feci: nunc autem tantum facere non possum propter infirmitates. Quidquid tamen tunc faciebam, fiebat cum licentia Confessarii mei Patris Fr. Dominici, cui explicueram totam vitam meam; alteri numquam tantum dixi, nisi tibi, dilecte in Christo Fili, idque citra scrupulosum respectum. Gratias ago Deo de omnibus, quodque te mihi per suam bonitatem concessit: atque de te confido, tamquam de propria anima mea. Tunc supervenit missus a Domina Marchionissa, petens ut in castellum iret, quia puerulus infirmabatur. Hoc nisi fuisset, alias quoque res dixisset: erat enim in spiritu multum accensa, et libenter loquebatur; poteratque tunc aliquid dicere, quia minus impediebatur quam solebat: credo tamen quod cito absorpta fuisset recordatione divinarum rerum. Et dixit: Dilecte Fili, vult me Deus tribulare propter peccata mea. Tunc vidi et cognovi ipsam mœstam discedere, quod spirituales sermones cogeretur abruptos dimittere.

quia vocabatur ad ægrum Principem,

CAPUT XII.

Futura varia prædicta, cognita arcana, jugis oratio.

CAP. LXVI Traducit Auctorem ipsum Mantuæ confirmandum,

Mense Majo per tres horas insimul locuti sumus de rebus spiritualibus, et dixit Virgo: O fili, desiderabam ut volente Deo stares Mantuæ; et facile bis, posita in oratione, rogavi Deum pro gratia, ut hic confirmareris: quare statim mihi responsum est, quod sine dubio hic maneres, unde multum sum consolata. Equidem, Lector, valde eram ambiguus an essem mansurus Mantuæ: verum audiens ejusmodi verba tantum fui exhilaratus, tam rerum spiritualium causa, quam respectu ipsius Virginis, ut dicere non possem. Post dies autem duos venit nuntius quod hic eram confirmatus. O magne Deus, quantæ consolationi hoc mihi fuit, conspicienti verificari prædictionem Virginis, et habituro commoditatem continuandi nostra sancta colloquia. Ipso die novæ confirmationis dictum illi a domesticis fuit, quod eram confirmatus; et ipsa quasi subridens dicebat; Satis id scio: erat autem rapta in spiritu usque ad illam horam qua id ipsi dictum erat. Insuper mihi narravit ut sequitur. Fili, aliquando insistens pedibus, vel sedendo, aut etiam in lecto, sicut placet Deo, in ictu oculi abripior a sensibus: idque sæpe mihi in publico accidit, neque id possum cavere. Quandoque vero, ut plus temporis habeam minusque impediar, simulo vesperi me dormitare, meque in lecto colloco: sæpius autem tunc in oratione posita abripior mihi, et maneo sic aliquando tota nocte: quo commodo privari me oporteret nisi lecto decumberem; idque per domesticos, qui tempus non habent mihi loquendi nisi vesperi.

et narrat quomodo extases suas celare conetur.

CAP. LXVII Marchionissæ mortem instare denuntiat.

171 Insuper dicere tibi volo, quod mihi accidit circa Dominam Margaritam, uxorem Domini nostri Frederici Mantuani. Cum sæpius pro ea orarem, revelavit mihi Deus, quod cito debebat mori, et quod ego id ipsi debebam nuntiare. Nolens autem tale nuntium exequi, propter multos respectus, decrevi id ipsi dicere per meum Confessarium, itaque feci: ipse vero mihi mandavit, ut egomet id dicerem Dominæ. Illa vero una dierum tantum effecit, ut constrinxerit me secum foras ad palatium Portus pransuram egredi: post prandium autem, cum de multis rebus colloqueremur; monui ut sua Dominatio contenta esset voluntate divina; multum enim me timere de sua morte. Hinc illa valde contristata fuit: et post paucos dies ivit pro sua devotione ad S. Vincentii, prandium sumptura cum Sororibus; unde regrediens, ad visitandam me venit, et dixit: Vereor, Soror, ne verba tua verificentur, sentio enim grande malum. Equidem conata sum ipsam confirmare; veruntamen regressa domum infirmari cœpit, et post paucos dies requievit in pace.

CAP. LXVIII Orat pro electione Vicarii

172 Subjecit deinde etiam istud. Alia vice Patres nostri commiserunt mihi, ut instanter facerem orationem, quatenus daretur sibi gratia eligendi bonum Pastorem. Desiderabam id ego etiam valde, obtuli igitur ex obedientia id facere. Celebrabant tunc Patres Capitulum Bergomi: ego vero ea de causa posita in oratione, vidi supra præcipuos istos Patres grande lumen: ast illud multo majus erat supra unum ex illis quam supra alios: quem Patrem ego cognoscebam; et fuit electus in Vicarium generalem. O bone Jesu, quam immensa est providentia et bonitas mihi commonstrata! Talem etiam mihi antea exhibuit sicuti nosti, quando certiorem me reddidit mortis fratrum meorum, multis mensibus prius quam accideret. O pie Jesu! omnia facis pro majori bono, ut tibi reddatur amor et gratitudo; ego autem non facio sicut deberem.

CAP. LXIX Fratres duos ab Ordine recessuros

173 Eodem mense ac tempore celebrata per me Missa in camera sua, ingressi sumus ad sanctum colloquium, et dixit Virgo: Dilecte fili, quale his præteritis diebus fuit festum S. Catharinæ Senensis! Instanter orabam ego pro uno ex Fratribus, ex primis quem habebat Ordo Prædicatorum: qui obtento Apostolico Brevi, volebat omnimodis ab illo discedere, et transire ad aliam Religionem, in qua haberet liberiorem copiam prædicandi, et populi concursum majorem. Cum ergo die quadam in oratione posita precarer divinam bonitatem, ut providere vellet, ne quod scandalum ederetur; apparuit Deus et Domina mea S. Catharina, dixitque: Scito, filia carissima, exauditas esse preces tuas. Mutatus ergo ille est, intraque seipsum regressus, non ultra habebit voluntatem istiusmodi. Nec longa fuit mora, cum Pater iste venit ad meum alloquium; et gratias Deo agens, mihi dixit, quomodo cor suum totaliter erat mutatum: nec posthac possibile sibi videri ut tale quid cogitet: mihique cum lacrymis egit gratias. Accidit autem mihi istud in festo S. Dominici: unde subito atque absolvi orationem meam, Frater iste, qui diebus illis Mantuam venerat, accessit ad meum alloquium, eo fine ut meum audiret judicium: neque enim, sicut mihi dixit, cum ullo mortalium rem communicaverat, nisi mecum et cum altero Fratre, æque tantato ad Religionem deserendam: sed

in eodem retinet.

sed is similiter etiam est mutatus, per unam responsoriam nostram ad quasdam suas litteras, supra similem tentationem. O bone Jesu! grandis est bonitas tua, parumque agnita et æstimata. Duo isti Patres per tuam gratiam sic immutati sunt, ut posthac nihil tale cogitaturi sint.

CAP. LXX.

Totam vitam suam in extasi cognoscit.

174 Fili in Christo, die Pentecostes, post Communionem sanctam, fuit anima mea in oratione, attractaque cum Deo in tantam claritatem et lætitiam, ut non foret possibile dictu. Erat enim tunc anima mea adeo læta et jucunda, ut non sentiret gravedinem aliquam, sed tota submersa innataret divinæ isti claritati; adeoque hilaris ac levis erat, ut nequirem id tibi cognoscendum dare. Tunc momento temporis vidi universam vitam meam, et quidquid unquam feci. Hujusmodi unionem et cognitionem raro Deus indulget animæ. Hei mihi! quam magna illa fuit! Tunc ego; Vellem scire, Mater cara, si istæc visio et cognitio totius vestræ vitæ in aliquo fuerit tibi gravis. Respondit illa; Non, sed magnæ causa lætitiæ. Dic ergo, inquam, cara Mater, quid tunc petebas? Precabar, inquit, primo pro tali persona etc. Quam valde amo, et postea pro aliis multis amicis meis; inter quos specialiter collocavi Ducissam Urbini: quia paucis diebus antea mihi exposuerat ærumnas suas, cum essemus in S. Vincentio apud illas Matres; et propter istas ejus calamitates fui constricta peculiarem orationem facere pro sua dominatione. Deus autem mihi respondit, certa essem quod effectum sortiretur quidquid mihi promiserat; id est quod Ducissa pacem obtineret, et omnis sua controversia componeretur. O fili! in illa hora erat anima mea tanta cum claritate elevata in Deum, ut numquam id tibi dicere vel intelligendum dare possem. O bone Jesu! Intelligit illud anima, sed ego eloqui nescio. In Paradiso ipsum dicemus et intelligemus perfecte.

Ducissam Urbini consolandam intelligit.

Status ecclesiastici vitia dolet,

175 Si vidisses et audivisses Virginem, Lector, in illa hora, quanta cum vultus sanctimonia et vehementia affectus volebat loqui sed non poterat; certe in admirationem magnam tractus fuisses. Mihi sane videbatur quod ab ore ac vultu suo absistebat quædam fragrantia sanctitatis ac supernaturalis splendor. Jamque videbatur rapienda in extasim; cum subito flexi sermonem ad res familiares, deinde dixit: Cara Mater in Christo, quomodo se habet status Ecclesiasticus! Et, Male, reposuit illa cum gemitu, Male: dico autem tibi, care Fili, ex parte Dei, ut ores, et alios facias instanter orare, quia divina bonitas vellet illis condonare, modo converterentur; et ideo Deus mihi mandet, ut orem, et continuo faciam alios ejus servos orare. Interrogavi ego, quænam sint peccata, de quibus maxime queritur Deus; et respondit Virgo, de superbia, avaritia, et impudicitia, ac diminutione divini cultus. Duo autem priora nimium exosa sunt Majestati æternæ. Hei mihi! quam horribilis et tremenda res est ira Dei, contra graves istas offensas! Et tamen divina bonitas magis inclinatur ad ignoscendum, quam ad puniendum ex justitia, dummodo sese emendent cum aliqua satisfactione. Tunc super hoc longus nobis sermo fuit; conclusum est autem, orandum Deum, ut faciat corda præ dolore dissilire, inclamando continuo Misericordiam, propter magnas Dei offensas et propter defectum fidei. Christiani hoc tempore parum aut nihil credunt, et tamen divina bonitas adhuc propendet in misericordiam. Porro provectior hora nos coegit finem imponere colloquio, pollicendo ipsum alia vice resumere.

et pro avertenda Dei ira orat.

CAP. LXXI

Gaudet restitutione Ducis Urbini,

176 Visitando aliquando festinanter Virginem, audivi ab ea res aliquas tunc occurrentes, inter quas mihi dixit: Fili, nescin quod Dux Urbini scripsit Ducissæ, ut vadat domum, quia differentiæ sunt compositæ? et spero de Dei bonitate quod cetera quoque componentur, resque habebunt exitum bonum, divina gratia mediante. Ora Deum pro Matre tua, et sic ab ea sumpsi licentiam discedendi.

EX ITAL. HIERON. OLIVET

CAP. LXXII

Marchionis nutrici morienti adest,

177 Mense Julio, celebrata Missa in ejus camera, incepimus sanctum colloquium, multaque diximus de tribulationibus Italiæ, atque post plura, dixi: O Mater dilecta, dic aliquod punctum spirituale in solatium Filii vestri. Ipsa autem, cum affectu Materno ac sancto, respondit: O Fili in Christo, volo tibi narrare aliquid quod hisce proximis diebus contigit. Cum nutrix Domini Marchionis esset infirma, et quasi sub vitæ exitum, necessarium mihi fuit illuc ire, in ipso pæne mortis articulo. Tunc Dominus Marchio propius me advocavit, dicens quod mihi debebat loqui: et postea subduxi me retrorsum præ verecundia tot Magnatum; atque ecce omnes cœperunt clamare; Jam transit, jam transiit. Eodem instanti mens mea elevata fuit ad orandum pro anima illa. Tunc ego: An erecta in pedes mansisti? Respondit: Etiam, care Fili. Anima mea tunc vidit Jesum Christum atque Dominam nostram, in forma Majestatis Regiæ, circumdatos grandi multitudine Angelorum: et oravi pro anima illa quæ migrabat; responditque mihi Deus, quod erat salva; sed manebat purganda de quibusdam offensis, contra Deum commissis: postea vero etiam oravi pro Domino Marchione ejusque statu: quapropter Deus per suam bonitatem toti castello benedixit. Discedentibus denique illis, remansit ibi unus solus Angelus, qui etiam in digressu benedictionem reliquit. Hæc pauca, Lector, ægre potuit Virgo dicere, utpote stupefacta rebus ibi visis: et dixit, Quam sæpe, o Fili, resisto tali gratiæ, propter verecundiam præsentium et domesticorum! vereor autem ne inde reddenda mihi ratio sit. Sed nisi hoc facerem, pluries manerem privata loquendi facultate: et de hoc valde mihi questa est, consilium petens, quid facere deberet. Proinde multa super hoc argumento diximus, tandemque conclusimus, quod ista erat voluntas Dei, et mansit Virgo valde consolata, ego vero licentiam sumpsi.

et animam salvatam intelligit.

CAP. LXXIII

optat tota immergi Deo,

178 Prædicto mense ab hora vigesima ad vigesimam tertiam perseveravimus in sancto colloquio, et brevi tempore multa diximus de diversis occurrentiis; quas inter Virgo etiam sic est locuta: Vellem equidem, Fili in Christo, semper abdita esse et demersa in sacro latere Jesu Christi: hoc enim complementum foret desideriorum meorum. Dicebat istud Virgo, o Lector, cum tanta vehementia, ut appareret ipsam nullum aliud refrigerium quærere: loquens autem ægre poterat verba efferre, propter magnum dolorem quem sentiebat, jamque tribus diebus senserat in corde suo. Aliquoties autem affirmaverat quod vocem formare nequiret ac dixit: O Fili, vellem tota esse absorpta in Deo et aliena ab his terrenis rebus: sicut fui triennio illo, quo Deus mihi per gratiam suam concessit dolores suæ Passionis. Tunc nullam sentiebam molestiam ex parte familiæ aut alterius cujuscumque personæ, sed ita stabam quasi loqui nequirem. Tantum elongata erat mens mea a sensibus corporalibus. Cognata mea Peregrina venit diebus illis in domum, et curabat quidquid faciendum occurrebat. Tunc anima mea erat cum Deo tota consolata et resoluta in illum.

sicut aliquando per triennium fuit:

179 In diebus illis dubitabam, an non esset mihi aperiendum latus, sicuti illud apertum habere dicitur Mater Soror *a* Lucia: sed Deus gratiam bonam mihi præstitit ut tale nihil appareat. Hei mihi! morerer præ dolore, si tale quid contingeret; idque sciretur. Accidit aliquando ut non possem pedem ponere in terra præ cruciatu quem

a timet ne sibi latus aperiatur, sicut B. Luciæ Narniensi.

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

A quem sustineo, nec sit possibile quin illum aliquo signo exteriori prodam ; unde verecundor, licet sciam semper invenire aliquid excusationis, quasi morbus sit aliquis vel incommodum aliud. Quandoque dum surgo de lecto, tantum mihi dolent clivi pedum, ut vel sola vestimenta tactu suo me crucient. Vellem efficere possem ut homines nihil ejusmodi perciperent. Tunc interrogavi et dixi, An vel mediam horam noctu dormis Mater? Respondit, Aliquando ita, aliquando non : vellem continuo manere in oratione : et videtur mihi perditum tempus, modicum illud quod impendo somno : vellem perpetuo esse submersa in latere Christi. O dulcis suavitas sancti amoris ! Cum hæc diceret Virgo, o Lector, videbatur quasi dentibus stridere per affectum sancti amoris, quem sæpius degustabat in latere Christi. Qui tunc illam vidisset, et audivisset cum quanta sanctitate et ardore devotionis loquebatur; et quomodo ex amore sancto procedebat, loquendo de rebus spiritualibus ; plorasset sine dubio præ devotionis teneritudine ; cum sæpe sermonem interrumperet dicendo, Non possum plura loqui ; Alias ista dicemus : idque totum solummodo faciebat, quia B alias fuisset in spiritu absorpta.

parum aut nihil dormit.

ANNOTATA D. P.

a B. Lucia Narniensis, *uxor simul et virgo, sumpto tertii Ordinis habitu, degebat Viterbii in monasterio S. Thomæ, quando* 1496 *sacra stigmata accepit, cuicumque spectare volenti visibilia, idque ad confirmandam, ut aiebat Deus, veritatem invisibilium stigmatum S. Catharinæ Senensis. Ea de re extat publicum Magistratus Viterbiensis instrumentum ; et aliud Herculis Ferrariæ Ducis, signatum an.* 1051, *qui ipsi Ferrariæ fundaverat monasterium S. Catharinæ Senensis : supervixit autem ipsa usque ad* 1544, *mortua die* 15 *Novembris quando (si melius nihil interim detur) Latine reddemus Vitam hoc seculo compositam a Jacobo Marcianensi an.* 1614, *editam* 1640 *(nisi secunda ea editio sit idque (ut præfatur)* ex diversis quinternis, foliis, bullis, et instrumentis, diverso tempore perque diversas personas scriptis ac tabulis, quæ apud dicti monasterii Virgines asserventur : *quia hæc mallemus integra et originali sua phrasi transcripta accipere, ideoque hæc modo notamus.*

C

CAPUT XIII.

Sedes Beatorum inspectæ : mansuetudo in tribulationibus propriis, in alienis compassio : mortis brevi futuræ indicia.

CAP. LXXIV.

Postea interrogavi Virginem, quam opinionem haberet de Sorore Columba Perusina. Respondit autem ; Fili in Christo, Mater Soror Columba est magna Sancta in Paradiso. Quæsivi porro, an unquam vidisset ipsam post mortem ejus : responditque etiam, saltem duabus vicibus. Non illa quidem par S. Catharinæ Senensi, valde tamen excelsa est in cœlo. Fili dilecte, sedes Paradisi non sunt reales, sed quoad modum (ut loquuntur concionatores) sunt secundum gradum quem tenent animæ in caritate. Aliud nempe sunt effectus et causa, sicut aliud est pictura ab eo propter quod illa fit. Subjunxi ego, Quando anima unita est Deo, cognoscitne merita et demerita creaturarum? Respondit Sponsa Christi ; Cognoscit ea aliquando.

Vidit B. Columbam a morte sua bis:

181 Quadam vice monstrata sunt animæ meæ arcana multa, atque inter alia vidi sedes duodecim, optime ornatas ; interrogavique, Deum, quibusnam sedes illæ sic essent præparatæ. Responsumque mihi est. Pro duodecim animabus quæ adhuc in hoc D mundo sunt : cognovitque anima, quibusnam eæ sedes essent instructæ ; præterquam de una, ceteris ornatiore et altiore. Interrogavit ergo anima, cuinam parata esset illa, tam pulchra apteque ornata : responsumque est illam reservatam teneri in secreto Dei. Æstimo ego Lector, quod hæc ipsius met fuerit sedes, quam Deus nolebat ab illa cognosci. Aliarum aliquas mihi nominavit. Multum autem dolebat Virgo de sua magna ingratitudine, quam putabat in se tantam esse, ut crederet ejus causa magnam se Deo debere pœnam. Tum quæsivi, quæ opera ipsa in præsentiarum faceret, et quas corporis macerationes : Respondit. Heu me ! non facio nisi pauca, quia jam triduum patior febrem. Tantum tamen obligor Domino Marchioni totique regioni, propter beneficia recepta dum ægrotarem, et aliis ex causis, quod pro liberatione omnium posui in terra stoream, cui noctu incumbo ; propter cujus duritiam tota sum dolens ex ea parte supra quam incumbo ; nam supra partem cordis numquam possum incumbere, sicut nosti propter continuum quem ibi patior cruciatum. Noveris, Lector, quod numquam potuit incumbere E supra latus cordis, ex quo recepit dolores Passionis : atque hoc publice notum erat omnibus domesticis. Quamvis enim non intelligerent causam ; sciebant tamen ipsam numquam jacere super latus sinistrum, ægram vel sanam, propter suas multas infirmitates. Postea manifestata fuit causa, et ideo non adducam aliam testificationem.

et 12 sedes in cœlo, totidem sibi lectis paratas ;

nequit lateri sinistro incumbere.

182 Quæsivi deinde, quid censeret de persona, tantopere sibi commendata; et respondit, Non sum nimis consolata circa ipsam : habet tamen apud Deum quemdam advocatum. Oporteret ut mutaret vitam suam, atque hæc ipsi esset securior via obtinendæ salutis, de qua multum dubito, si non aliter convertatur. Ulterius interrogavi, an crederet morituram se cito : respondit autem ; Sæpe sæpius petivi a Deo hanc gratiam, ut tandem pateretur separari animam meam a corpore ; atque inter alias vices die quadam post Communionem, posita in oratione, petitionem hanc crebro et instanter iteravi ; responsum autem mihi fuit, ut haberem patientiam, usque dum res Italicæ essent compositæ : adeo ut credam, Fili mi, parum valde me tecum in hoc mundo futuram. Frequenter mihi dixit Deus quod debeam habere patientiam, quia rem aliquam vult mediante me facere, et quod cito me F consolabitur : sed numquam potui scire, quænam sit res illa : quoties autem aliquid singulare mihi accidit, interrogo num hoc res illa sit, et semper mihi respondetur, quod non.

credit cito se morituram ;

183 Tum ego, Quid porro, Mater cara futurum credis de Italia? Respondit Virgo ; Credo, Fili in Christo male ei futurum, male satis. Deus graviter conqueritur de tanta purulentia et enormitate peccatorum, magisque adhuc de mala vita Ecclesiasticorum. Hei mihi ! quot peccata sunt in mundo ! Tu tamen eorum tantum partem nosti : tam grandis tamen est misericordia et bonitas divina, tamque dulciter expectat emendationem delictorum, ut per multas orationes et aliqualem correctionem flagellum possit minui. O bone Jesu ! Ora, Fili, Deum pro isto grandi periculo. Respondi ego, O Mater carissima in Christo, dic mihi per caritatem, quomodo te geris in tribulatione et persecutione? Respondit : Nunc non sentio nimium adversitatem, sicuti solebam alio tempore : et quamvis modo patiar ex tot causis fastidium, quam multis me quotidie circumdatam video, quæ mentem meam valde premunt ; non sunt tamen tanti ponderis quam solebant. Grave mihi etiam est, quod audiam tam multa dici de istis spiritibus, aliis male aliis bene circa ipsos sentientibus : sed melius de iis non loquerentur cum derisione.

male ominatur Italiæ

tribulationes minus sentit ;

A derisione. Cui bono tot res et curiositates? Certe mihi valde displicent, Fili.

dolet tam bonam de se opinionem haberi:

184 Ego veluti ridendo respondi: Credisne, cara Mater, quod etiam loquantur de tuis actis? Respondit illa; Hei mihi! quid boni possunt dicere de me peccatrice? Vellem ut non aliud dicerent, quam quod sum. Ignosce mihi: habent illi opinionem diversam a mea: nec enim novi me ullam virtutem tenere. Videbatur mihi, Lector, quod Virgo maluisset ut alia de ipsa opinio haberetur, quam vulgo habebatur. Tum dixi: Videor mihi, dilecta mater, ictum cultri sentire, quoties sinistrum aliquod verbum de te audio. Ad hoc ipsa ridere cœpit, et dixit: Jam me facis recordari, care Fili, quod aliquando loquebar Domino Frederico, apud quem depositæ erant querelæ de meo Confessario; et ille mihi dixit eodemmet verbo: scilicet, adeo ægre id se ferre ac si impactus sibi culter fuisset. Cui ego respondi; quod juste commovebantur, quia ego eram in culpa, propter meam exiguam in actionibus circumspectionem, ideoque rogabam Dominationem suam, ne id sequius accipere vellet; ac multum dolui de tali ejus verbo, gratias tamen egi Dominitioni suæ, B pro caritate qua erga me ferebatur.

excusat sibi detrahentes,

ut bona intentione motos:

185 Quæsivi ego: Quinam illi erant, o Mater qui male loquebantur de te? Sunt, inquit, aliqui de Fratribus nostris, qui ignorabant Dei voluntatem in hac parte, et ideo a quibusdam magnopere fui tribulata, et quidem longo tempore. Hic uno, iste alio modo loquebatur; adeo, ut propter modicam virtutem aliquando desolata ob illos manerem: quamvis credam quod nihil facerent nisi bono fine. Tempore illo tantum abundabat circa me bonitas divina et consolationes spiritus in anima mea, ut mihi non viderer adversa istæc sentire: quia Deus tanto copiosius suam in me gratiam derivabat, quanto tribulabar magis, et auxilio humano destituebar. Erat autem in anima mea adeo grandis consolatio spiritualis, ut præ alia re quavis tribulationes optarem, quo tale gaudium possem persentiscere. Diximus etiam alia multa, Lector, de tribulationibus ab ipsa toleratis, quas omitto scribere; ne alicui eorum onerosus sim, quorum causa tantopere tribulata illa fuit, et tantum passa.

de sua salute anxiatur,

186 Hoc solum dicam quod spectat ad Virginem sanctam, id est, quod multum anxia esse videbatur de sua salute, propter tot gratias receptas, et suam C continuam ingratitudinem erga Deum. Unde mihi dixit: Carissime fili, in illo mortis articulo omnia mihi ante oculos ponentur: et tunc videbo omnes meas miserias omnemque ingratitudinem. O bone Jesu! Ego subridens respondi: O cara Mater, non debes tantum timere: in illo enim articulo multo magis abundabit divina bonitas in anima tua, quam possit dæmon cum universis suis fallaciis. Insuper alia quoque est causa major, ob quam debeas minus formidare. Dic enim mihi, cara Mater, quoties tibi Paradisum promisit Deus? Ad quod illa hoc solum; Ah! Satis, satis. Igitur, inquam, Mater non est quod tantum timeas. Ah! utinam sic promissus esset animæ istius vestræ devotæ, quam toties commendavi orationibus tuis. Respondit Virgo, manu tenens strophiolum, et dixit: Dilecte in Christo fili, tam certa sum de salute istius animæ, modo non aliter offendat Deum, quam quod istud strophiolum sit: sæpius autem de puncto illo certificata fui certo quodam modo, quem nunc temporis nolo tibi indicare, multaque alia eodem spectantia. Dicito illi, quod hoc dixerim; solum faciat ut perseveret.

licet sæpius ipsi promissus esset Paradisus;

187 Interrogavi porro, num et pro aliis animabus sibi devotis orasset; et ipsa id affirmavit, faciens quædam signa manibus, et cum digito fidei, D demonstrando mihi ut poterat depingebat loca Paradisi, sicut erant parata illis animabus: sic ut mihi videretur significare, quod illa essent disposita in formam mediæ lunæ, cum aliis quibusdam valde splendidis ornamentis. Tunc quærens dixi: Tuus autem locus, o Mater, in Paradiso ubi erit? Et ipsa, quasi ridendo, amœna facie dixit; Ad pedes Jesu Christi propter gratiam suam, et non merita mea. O Lector mi, si illa hora vidisses Virginem, quanto cum ardore loquebatur de amore sancto, obstupesceres processum tam dulcem et sanctum sermonum ejus. Non poteram ego me continere præ lacrymis. Nolo porro nunc temporis ulterius progredi describendo hunc passum, quia non est mihi fas nominare personas, de quibus loquebamur: considerans tamen quod non erat detrahendum aliquid divinæ gratiæ, quæ operabatur in anima suæ fidelis sponsæ, elegi sic truncatam rem exhibere, ut vel in istis laus ejus major proficiat. Ceterum non profero partem dimidiam mirabilium rerum ac spiritualium, quas mihi dixit hora illa. Committemus rem totam divinæ providentiæ, quæ magis sollicita est de animarum salute, et consolandis suis fidelibus servis, quam ipsi ad postulandum.

EX ITAL. HIERON. OLIVET. designat loca quorumdam in cælo

sed eorum nomina tacet Auctor.

E

CAP LXXV

188 Sequenti die post festum S. Martini anno MDII, per tres horas sumus collocuti: et in principio sermonis dixit mihi illa res aliquas familiares, quasi consultabunda atque cupida sententiæ meæ. Postea cœpimus more solito loqui de rebus spiritualibus, et de multis Dei offensis, quamque malo in statu erat humana natura atque Ordo Ecclesiasticus. Ideo dixit: Video, Fili in Christo, grande flagellum præparatum. Heu me! quantas tribulationes hoc tempore patiuntur Dei famuli, quia volunt sancte vivere, et nolunt consentire neque adhærere viventibus male, qui bonos persequuntur, ac lingua sua jugiter eos martyrizant cum opprobriis murmurando ac detrahendo sanctis eorum voluntatibus atque operibus bonis. Verum, Beati illi, qui norunt manere absconditi, et fugere ejusmodi malignitatem hominum obstinatorum in male vivendo ac operando. O Fili care, necesse est scire, quomodo fugiendum sit tale genus hominum; quia cum ipsis parum fit lucri, et multum subitur periculi.

Agit illa de persecutionibus justorum,

189 Volo tibi narrare, Fili, quod mihi contigit heri, id est festo S. Martini post sanctam Communionem. Cum anima mea, in oratione posita, recor- F daretur tantarum afflictionum ac tribulationum, quas passi erant ac patiebantur amici mei; et quotidianarum molestiarum, quas mihi afferunt seculares; super his cogitanti mihi in principio orationis concessum subito fuit in spiritu stare coram divina bonitate. O pie Jesu! ibi consistens, et præ compassione mœrens anima mea, et quantum divinus ille aspectus permittebat prorsus tristis; convertit se cum gemitu ad Majestatem æternam, et quasi de tot vexationibus atque afflictionibus servorum suorum, non nullorum præsertim in particulari, conquerens, dixi: Ah Domine mi, propter quam causam nunc tantopere affligitur anima illa, et istæ meæ devotæ? Videtur quod inter adversitates tantas impossibile ipsis sit retinere patientiam sanctam. Ah! ah! Domine Consolare, consolare famulos tuos; neque respice ingratitudines meas, propter quas meritissime tribulor: Tibi vero Deus meus per tuam bonitatem placeat, liberare illos ab angustiis tantis.

ac suis.

atque pro sic vexatis orat in extasi,

190 O Fili in Christo, non possum unquam dicere, nec tibi intelligendum dare, quali modo aspectuque regali intenta stabat divina bonitas ad audiendam lamentabilem orationem meam: videbatur enim quod mei commiseratione tangebatur. Tunc

sed intelligit velle Deum

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

Tunc animæ meæ responsum fuit, quod deberemus fidem habere et perseverare ; quod necessaria erat patientia cum sancta humilitate. O bone Jesu ! Vidit anima mea præmia vitæ æternæ, certissimeque cognovi salutem quarumdam animarum, sæpius autem replicatum ipsi fuit ; Habetote patientiam cum sancta humilitate : Sic enim est voluntas mea. Major est potentia mea quam humana malitia. Hei mihi ! Fili carissime, utinam tibi dicere possem quidquid intelligere et videre per Dei bonitatem, non per merita mea, concessum mihi fuit ; esset id tibi majori gaudio, quam cor humanum possit cogitare. O bone Jesu ! Nescio aliud tibi dicere, quia nulla invenio vocabula, quibus aliquo modo exprimere valeam res tam altas atque sublimes. Anima ipsas intelligit, sed lingua non potest explicare. Satis doleo, quod aliter nec possim nec sciam indicare et res formaliter repræsentare, sicut ostensæ sunt animæ meæ. Heu me ! care Fili, quomodo exhortatur Deus animam ad sanctam patientiam ? videtur in talibus deliciari. Nunc magis certificata sum de salute quarumdam animarum, quam fui unquam : et licet alias quoque certificata sim, hac vice tam mirabilis demonstratio fuit, ut mediam partem sensuum (ignosce dicenti) videar amisisse, demersa in jugi memoria tam grandis mysterii, quale vidit anima mea. Et nunc quoque me perdo recogitando ingratitudines et miserias meas, easque comparando cum magna Dei bonitate, qui tam gratiose nutrit et solatur animam, in se et secundum se. O bone Jesu ! deficit cor in consideratione istiusmodi.

per humilitatem et patientiam ipsos salvare.

Nequit explicare quæ vidit ;

191 Utinam hora illa vidisses, Lector, sponsam Christi, sermoni suo addere gratiam sancti sui aspectus, quamvis magna cum fatigatione talia dicebat, multisque cum lacrymis. Videbar mihi in ipsa agnoscere impetum quemdam spiritualem, cum jugiter abriperet ipsam memoria dulcium istorum verborum Dei, promissivorum salutis æternæ. Hinc valde ei compatiebar, videns ipsam sic laborare in loquendo : sed cupidus intelligendæ voluntatis divinæ, non desistebam, ipsam interrogando et alloquendo : sæpe etiam plangebam cum ipsa, præ devotione et commiseratione tot lacrymarum ejus. Prolixum et longum fuit colloquium istud, circa salutem animarum ipsi devotarum, omniumque universaliter aliarum. Dixi autem : Fili, sunt dies multi præteriti, quod in oratione constituta mihi super tribulatione Ducis Urbini ; divina bonitas significavit et monstravit, quomodo rediturus esset ad statum suum, et inimici ejus perparum substituri. Multa alia, Lector, mihi prædixit circa particulares personas in Italia, quædam autem adhuc supersunt, quæ reticeo, quibus Virgo multum comminabatur.

et Auctorem ad collacrymandum movet ;

intelligit Ducem Urbini restituendum.

192 Tunc ego, Dic, inquam, cara Mater, per amorem quem habes erga Deum, et per caritatem qua prosequeris filium, utrum aliquid amplius scias et teneas de morte tua, quam alias mihi dixisti. Respondit illa : Credo, Fili (ut supra dictum est) quod non diu superero in hoc mundo, quia continuo accrescunt dolores ; sic ut quandoque ipsa me juvare non possim ; præcipue propter tormentum cordis, quod mihi quasi radicitus vulsum, et violenter extractum videtur, atque a loco suo extirpatum ; ita ut aliquando brachium istius lateris attollere vel protendere nequeam. Insuper tantopere affligor dolore capitis, ex tot audientiis quibus gravor, ut quasi sustinere illud non possim. Nescio quomodo vivere queam. O bone Jesu ! ignosce mihi peccatrici. Considera attente, Lector, quantopere vexabatur hæc Virgo et quantum patiebatur anima ista beata, cum mihi diceret ; Fili, non possum vel manducare vel bibere, nisi paucissimum quid, et maneo usque ad Matutinum priusquam cubitum concedam ; si autem tantillum dormiam, subito expergiscor, nec ultra possibile est oculum claudere, quia mens illico applicatur alicui mysterio, ibique manet quoad vult Deus : atque hic est totus meus somnus : nescio quomodo adhuc viva sim : sed credo quod nisi Deus me nutriret, reficiendo animam in oratione, vivere omnino nequirem : sed cibus ille attractivus, et refrigerium quod capio inter precandum, me restaurat, et aliquantulum corroborat ; quamvis debilissima remaneam quoad vires corporales. Et propterea, atque propter dolores quod continuo sentio, non possum amplius facere pœnitentiam sicut solebam, neque gestare cilicium aut ferream catenam, vel adhibere macerationem corporis aliam : sed rudi quodam modo, cum exigua devotione, vitam transigo.

conjectat sibi mortem instare, ex incremento dolorum,

et somni

ac cibi defectu ;

193 Tunc dixi ; Mater cara, sum tamen certus, quod, licet non possis aliquid, tamen semper facias ultra vires : verumtamen imposterum deberes hujusmodi afflictiones dimittere, et paucas quæ tibi supersunt vires servare, ad solatium animarum tribulatarum et afflictarum, quibus præsentia tua magno refrigerio et levamini est. Cœlestis vero anima respondit : Hei mihi ! Nihil amplius boni ago, et minus utilis sum quam fui unquam ; omnibus gravedini, non consolationi, propter imperfectiones meas et exiguam virtutem. Adhæc subridens, ego, O Mater, inquam, veniet dies, cum nos omnes inconsolabiles relinques : nollem ut id Deus permitteret tam cito, esset enim res ea valde tristis multis, ac præsertim filio vestro. Longus hinc sermo fuit de morte ; et quisque nostrum eam sibi priori optabat ; ipsa quidem, propter magnam securitatem quam habebat cum Deo ; ego vero, propter exiguam meam patientiam intolerandis afflictionibus ; gravius tamen ferebam ipsa privari, quam aliud quidpiam.

dolet se jam imparem esse consuetis pœnitentiis,

et ut inutilis mori optat.

CAPUT XIV.

Rursus de justorum afflictionibus, sermone per raptus impedito, nullo fere somno, cognita plurium salute.

CAP. LXXVI

Suprascripto mense [*Novembri*] cœpit colloquium nostrum post Nonam, duravitque tribus horis : prius tamen dedit mihi aliquas epistolas legendas quas recenter a quibusdam sibi notis acceperat ; hæsimusque aliquanter occupati circa ea quæ inciderant ; postea autem cœpimus nostrum sanctum colloquium. Cum ergo præ manibus tenerem prædictas epistolas, et considerarem in mente mea, quid divinæ rei possem a Virgine audire ; proposui ipsi quamdam meam admirationem et dixi : Edissere mihi, Mater dilecta, unde tot adversitates, quot modo sunt super terra, iis præsertim qui vellent aliquid boni facere : nam tales plus insidiarum et persecutionum sustinent, quam qui male vivunt : palamque apparet, quod famuli Dei, tanquam invisi et graves ceteris, pejus tractentur. Nequeo comprehendere unde procedat ignorantia et iniquitas tanta : non enim sumus in terra infidelium, sed Christianorum. Audiens Virgo quod ex ejusmodi eventibus contristabar, non autem confortabar ; respondit : Dico tibi, Fili in Christo dilectissime, quod tertio ut minimum, si non amplius cum super eo quod dicis orationem facerem, responderi mihi semper senserim, debere nos habere patientiam cum sancta humilitate et perseverare : quia talis est Dei voluntas, ut servi ejus pro suo amore patiantur tribulationes : qui non debent dubitare, quin consolationem accepturi sint in patria cœlesti

Auctori tantas bonorum persecutiones miranti,

respondet Virgo eam esse Dei voluntatem,

A cœlesti. O care Fili, habeas istud tam certum, quam quod epistolæ sint quas manu tenes.

etiam quoad seipsum.

195 Volo autem, care Fili, narrare tibi rem, quæ a multis retro annis accidit. Posita in oratione, pro gratia speciali a Deo petii, ut non amplius reverterer ad corpus, id est ad harum miseriarum sensum. O bone Jesu! Responsum a Deo fuit, quod nondum volebat ut morerer, sed haberem pro suo amore aliquanto tempore patientiam, ac deinde me consolaretur. Tunc ergo : Si talis est tua voluntas, Domine, hanc saltem gratiam, mihi largire, ut omne tempus vitæ meæ expendam in tuo honore absque peccato mortali aut veniali : respondit autem Deus animæ meæ ; Filia carissima ; immunitas a peccato veniali nulli unquam homini in vita præsenti concessa est, præterquam dilectæ meæ Matri. Persevera et habeto patientiam, quia a mortali præservaberis. Porro cum vellem, Lector, intelligere, aliquid de unione animæ cum Deo, dixi, O Mater cara, dic mihi: Uniones quas habet anima vestra cum Deo, putasne conformes esse illis, quæ leguntur in Dialogo S. Catharinæ Senensis? Respondit, quod multæ, et subjunxit : sed majores sunt S. Catharinæ quam nostræ. Tunc cognovi id B ipsam dicere ex humilitate.

Plura dicere impeditur,

CAP. LXXVII

196 Sed alias res spirituales audire cupiens, rogavi ut diceret aliquid pro mea consolatione. Respondit, Non possem modo : quia si inciperem de re aliqua spirituali loqui, subito cor meum inflammaretur tale in modum, ut facies tota fieret rubicunda, præ magnitudine incendii, quod jam diebus pluribus sentio : et res tales loquenti mihi alligarent cor, sic ut prosequi nequirem; nisi forte mutata fuero per aliquam distractionem; sicuti aliquoties observasti ; quia hoc multum me juvat, et sic paulatim dicerem aliquid. Sane loquendo sæpius, o Lector, cum Virgine, notavi istud impedimentum ; et frequenter ejusmodi industria usus sum, ut mihi non abriperetur in spiritu ; videlicet variando quandoque sermonem, aliquando vero tangendo ipsam velut qui vellet prohibere somnum. Hæc enim industria mea erat, ad obtinendum ab ea sermonem ; alias non potuissem elicere substantiam alicujus rei spiritualis, non quia nolebat quidquam ad meum solatium dicere, sed quia non poterat. Imo sæpenumero mihi dixit hujusmodi verba : O fili mi care, satis doleo de isto impedimento : vellem tibi possem ostendere et declarare cor meum, ut videas quantum Deus operatur in anima mea. Multi vellent et petunt ut sibi dicam aliquas devotiones et secreta nostra, ipsosque instruam in via Dei ; sed non possum. Si punctum aliquod spirituale incipio, subito accenditur mihi cor, oportetque ut loqui cessem, alias prorsus nihil eloqui possem : idque etiam satis sæpe mihi accidit cum aliis de familia. Vellem ut talia non contingerent in præsentia hominum; nimium enim inde verecundor cum ad me redeo : ideoque optarem, ut ejusmodi gratiam solum mihi faceret Deus, quando sum solitaria, sic ut alii me non viderent.

propter inflammationem cordis;

sed vix audiendo sermonem juvatur ut possit;

C

dolentem de tali impedimento

197 Respondi ego : Quid autem faciebas, Mater, quando Confessarius tuus Fr. Dominicus jubebat te narrare actus vitæ tuæ. Respondit illa : Ego fatigabam pauperculum, sicuti etiam nunc te, multumque doleo, quando ejus rei reminiscor. Cui ego : Oportet, carissima Mater, ut in eo patientiam teneas. Deus vult tibi largiri gratiam prout placet sibi, et ubi vult ipse, et secundum quod prævidet conducibile esse animabus. Respondit illa; Ita omnino est veritas, Fili; sæpius enim nihil minus cogitando subito attrahitur a Deo anima mea, idque absque ullo loci respectu; unde affligor, quando ab hominibus conspectam me sentio. Longus nobis de hujus modi attractionibus sermo fuit; et ego quasi condolens dixi : O dilecta Mater, qua ex causa infirmaris et tamdiu ægrotas? vereor ne aliquando inconsolatos nos derelinquas. Respondit Virgo, Credo, fili, vicinam mihi mortem esse: sentio enim quotidie ingravescere dolores, ut jam vix possim spiritum ducere: totumque pectus mihi valde cruciatur: hoc autem est signum quod brevi tempore non potero amplius tantos dolores sustinere, quos continuo sentio aggravari, sic ut neque sedere neque dormire possim. Sunt autem jam multi dies, quibus credo vix unam horam me dormivisse per noctem : cum autem expergiscor, nulla amplius spes est reparandi somni, ac deinde Matutinæ citius finiuntur quam possim me movere.

solatur Auctor,

D

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

et intelligens causam infirmitatis,

198 Interrogavi eam ego : Quid agis, Mater statim atque evigilas? Respondit illa; Mens mea, Fili, subito elevatur ad aliquam contemplationem ; et sic meditabunda maneo quoad vult Deus. Cœpi deinde ei movere velle scrupulum, quod esse corpori suo tam cruda ; ipsa vero mihi respondit : Quin potius nimis ei compatior, nec quidquam boni facio. O pie Jesu ! quanta est bonitas tua erga me peccatricem! Non erat possibile, Lector, ipsam aliqua ratione inducere, ut corpori suo compateretur : circa alios vero ardebat caritate, et plus quam solicita erat : quando autem manducabat continuo donabat aliis, nihil sibi servando quod esset alicujus substantiæ, sed solum ossicula carne exuta vel capita pisciculorum unde in proverbium transierat pueris domesticis ut dicerent ; Hoc bonum est pro dilecta Sorori, et talia ante ipsam ponebant. Cibus ejus adeo erat modicus, ut non credam quod eo naturaliter substentaretur corpus illud, sed potius nutriebatur per attractionem spiritualem: imo in ipso veraciter adimplebatur quod ipsa Veritas infallibilis dicit, Non in solo pane vivit homo. Atque ita Deus per gratiam suam enutrit fideles animas.

frustra monet ut corpori suo plus indulgeat,

E

cibus ejus adeo erat modicus.

Luc. 4. 4

199 Prædictis diebus, celebrata a me Missa in camera sua, infirmabatur sponsa Christi, et lecto decumbebat ; cœpimusque sanctum colloquium nostrum, licet difficillime loqui Virgo posset, tam propter nimiam debilitatem corporis, quam propter cordis incendium, ex eo relictum, quod ante triduum in sacta Communione ipsi acciderat, quodque mihi nunc narrabat dicens : O care Fili, cum essem diebus præteritis communicatura finita jam Missa, jacebam in lecto propter infirmitatem. Descendente autem ab altari Sacerdote cum Sacramento, vidi subito maximam claritatem ac Majestatem, quæ magnam venerationem præseferebat ; ita ut nescirem ubi forem : neque scirem dicere, quomodo sumpserim purificationem calicis post Communionem, tam celeriter fuit anima mea absorpta a jam dicta repræsentatione. O bone Jesu ! Tunc Deus tantopere se univit animæ meæ, ut crederem me non amplius rediturum ad sensus corporeos : quia non recordabar amplius corporis mei, imo penitus ipsum non sentiebam. In ictu autem oculi commonstrata mihi fuit tota vita mea. O bone Jesu! mirabilis erat res ista : nec alibi consistebat anima mea, quam in solo Deo.

CAP. LXXVIII.

In extasi post communionem

F

videt Virgo totam vitam

200 Ego, sicut jam alias feceram, interrogans eam; Mater mea, inquam, videndo sic totam vitam tuam, conspexistine aliquid, quod animæ tuæ molestum esset? et respondit, quod non: sed potius magnum ipsi gaudium fuerat speculanti divinam bonitatem, quæ tam mirabiliter operata fuerat et operabatur cum animabus fidelibus. Confiteor, Lector, imprudentiam meam: ejusmodi enim interrogationes solum procedebant ex astutia ad explorandum, an ipsa cum virguncula adhuc esset, numquam in aliquod peccatum inciderat, et sic de eo quod quærebam fui certificatus.

absque ullo ex ea consensu ;

A certificatus: sed Sponsa Christi mihi dixit: Utinam, Fili in Christo, possem tibi dicereres illas mirabiles, quas anima mea videbat et intelligebat! multum sane consolareris. O bone Jesu! Anima mea erat tota resoluta in Deo: non curabat videre Apostolos aut alios Sanctos, tam vehementer retinebatur a Majestate divina; et in ea tantam claritatem conspiciens, sibi est visa accidere ad pedes æterni Patris: quodque ipsam Deus et Deipara levarent, benedicendo ipsi et dicendo; Carissima filia mea, quid petis, aut quid vis? Respondi ego, Domine mi, peto non amplius redire ad corpus. At ille, Carissima Filia, habe adhuc modicum patientiæ. Scito, Anima mea, quod perparum adhuc restet, et pro desiderio tuo consolaberis.

EX ITAL. HIERON. OLIVET. petit ad corpus non reverti, sed frustra;

201 Ah Domine mi, adhuc aliquid aliud peto a tua immensa bonitate, scilicet vellem ut concederes ingressum in Religionem duabus istis devotis meis, et salutem omnium nostrorum domesticorum: responsumque mihi est quod consolarer de omnibus. Cognovi autem illo puncto temporis, omnes esse in statu gratiæ, solum opus esse ut perseverarent. Insuper postulavi liberationem a tantis afflictionibus, et salutem multarum personarum: responsumque mihi est, perseverarent tantum, et quod de salute B earum consolarer. O care Fili, etiam supplicavi pro anima illa quam nosti, et sæpius fui certificata de salute ejus: quod cordi meo majori lætitiæ et solatio est, quam dicere possim. O bone Jesu! tu mihi animarum istarum gratiam fecisti; sumque semper obligata ad gratias infinitas bonitati tuæ reddendas. O Fili, patientiam habe, nec aliud cogites, quam quod Deus ita velit: præpara tamen te ad grande aliquod onus ferendum. Redibis ad hunc locum: vide ne perdas fidem ac spem, sed scias quod nihil unquam petierim a Deo, ipseque promiserit, quod non fuerit effectui mancipatum; idque a tanto tempore; nosti enim quomodo cœperim a prima pueritia. Deus per suam bonitatem omnia, quæ mihi promisit et facturum se dixit, semper adimplevit, nec unquam defraudata fui in re quacumque: nunc tamen pendeo animi, quia cum mihi promissum esset quod Dux Urbini restitueretur statui suo, restitutus quidem ei est, sed iterum ipsum amisit. Respondi promissionem redeundi adimpletam ipso reditu fuisse: non autem pollicitum esse Deum quod in illo permaneret, et hoc forsitan accidisse, quia non satis grataner agnoverit beneficium sibi factum; et ipsa adjecit, ita se rem habere.

orat pro sibi devotis suisque domesticis,

et de eorum salute certificatur;

C 202 Videns autem ipsam valde afflictam; interrogavi qualiter ipsi esset: illaque respondit; Admodum fatigata sum, Fili quia hac nocte non dormivi quadrantem unius horæ. Tunc ego: sic omni nocte facis, Mater, quia continuo intendi orationi. Ipsa vero oculo columbino me respiciens risit, quasi verba mea confirmaret. Vellem ego, Mater, inquam, scire quid tanto tempore cogites, et cui rei mentem applices. Mox, inquit, atque evigilavi, cogito mysterium aliquod, prout divina gratia repræsentat menti meæ in eoque defigitur anima: nunc in passione Christi, modo in nativitate Parvuli Jesu, aut assumptione Deiparæ, quandoque in Paradiso, aut alia re, una ex alia sicut Deo placet. Cur autem, inquam, cara Mater, tam parum dormis? Respondit: Quia sic vult Deus, Fili: ipse sic multiplicavit gratias suas, ut anima mea longe facilius jam in ipsum rapiatur. O bone Jesu! Dico tibi, care Fili, quod licet plus solito inquieter frequentia secularium, Deus, per suam bonitatem, exaggeret gratias et consolationes suas. Scito, Fili, quod anima illa mihi devota, intellectura sit gratiam, quam ipsi concessit et præparavit Deus. Beata sane est illa: et pro certo habeat, quod omnia quæ diximus vera sunt, D eruntque, mediante ipsius perseverantia in bene cœptis. Tunc ego: Num in ista anima cognovisti quidpiam quod displiceat Deo; et Respondit: Nihil unquam cognovi nisi bonum: sed quod debeat perseverare in sancta patientia et humilitate, quia sic est voluntas Dei.

noctes fere totas occupatur orando;

203 Non potui ego me continere; quin iterum ipsam de sua morte interrogarem: quia multum de ea suspicabar. Ipsa vero respondit; Credo futuram cito: non tamen ulla certitudine novi, quandonam mori debeam: et tardat venire hora qua discedam ab hac miseria. O Lector, monstrabat Virgo magnum erga me peccatorem caritatis affectum, dolens quod non posset nec sciret explicare mihi res in eo gradu, quo ipsas anima sua videbat et cognoscebat: atque subjunxit; Dilecte Fili, quando anima est unita cum Deo, tunc videt et intelligit intelligentia quadam mirabili: quando autem rediit ad sensus corporales, videtur quod sopita sit, nec sciat quidquam dicere: estque hæc ipsissima veritas: nam nihil est quod dico respectu eorum quæ dicere nequeo. Colloquium istud, Lector, fuit de rebus tam sublimibus, ut non sciam verbis, litterisve exprimere: alia tamen quædam distulit ipsa, impedita tam altorum mysteriorum memoria, quæ viderat in sua unione cum E Deo, et dixit: Alias, Fili, de istis et aliis rebus loquemur, peractis Natalibus festis tunc infallibiliter te accersam, et complebimus sermones nostros: interim ora Deum pro matre tua.

præsagit sibi vicinam mortem.

CAPUT XV.

Dæmon bis fugatus, Communio cælitus allata, eamque secutus raptus, in quo exauditæ preces.

Die S. Joannis et tertio festorum Natalitiorum, accersivit me Virgo sub horam Vesperarum, quam inveni febri gravi afflictam, et fere non poterat loqui, unde solito brevius colloquium fuit. Ipsa mihi dixit: Fili dilecte; non potero tibi modo dicere quod promisi, sed narrabo aliquid aliud. Cum vice quadam sola agerem, apparuit mihi dæmon humana forma, perquam fœda et rubea, cum oculis igneis, ut videbatur, spirantibus: qui mihi suasit ne facerem ultra pœnitentiam, eo quod damnata eram, nec haberem misericordiam a Deo sperandam. Huic ego F respondi, per quam bene me scire quod multas pœnas merebar, propter mea peccata, sed confidebam in misericordia Dei, et in meritis passionis Jesu Christi, per quæ possem salvari: ideoque, o mala bestia, non credo mendaciis tuis, imo spero in abysso bonitatis Dei, spiritus immunde, mendax, maligne, ac plene iniquitatis: tibique ex parte Dei mando, ut subito te a meo conspectu proripias hinc. Tunc dæmon vultu turbato, magno cum ululatu strepituque, festinus abiit; ego vero mansi magno tremore et horrore consternata, propter immundam visionem istius formæ. Hei mihi, videor, etiamnum mihi videre horribilem illam ac terribilem speciem, ac veluti timeo etiam nunc.

CAP. LXXIX

Dæmonem dicentem ipsam esse damnatam

humili responso fugat,

205 Fili, cognosce phantasias quibus inquietatur mens C *(reliquum nomen personæ tacetur)* quia omnes sunt fraudes et tentationes dæmoniacæ. Dicito illi ex parte mea, ut perseveret in sancta patientia. Feci, Lector, obedientiam meæ Matris: sed persona illa non implevit mandatum ipsius. Tunc replicavi ac dixi; Numquid dæmon non etiam alia vice molestus fuit? Respondit illa: Imo adhuc vice una in oratione positæ apparuit, in forma valde spurca: et ego apprehendi eum, pedibusque substernens, tot calces ei impegi quot potui: itaque confusus mansit. Numquam ipsum nimis timui, neque nunc timeo

alias eumdem cædit.

manere

A manere sola. Mirabilis fuit, o Lector, victoria istæc: stringebat dentes Virgo quando hæc narrabat, faciebatque gestus acsi tunc in opere ipso fuisset, movendo brachia et pugnos stringendo, ut faciebat cum verberabat dæmonem. Stabam ego velut attonitus, cum talia audirem virgunculæ accidisse.

CAP. LXXX

In nocte Natalis videt Deiparam cum Jesulo,

206 Prosecuta est etiam sermonem dicens : O Fili in Christo, in nocte Natalis Domini, dum essem posita in oratione, anima mea audiebat et videbat Angelos, ad præsepe Domini supra Parvulum cantantes Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. O bone Jesu! Erat ibi Domina nostra cum Infante, quam rogavi pro salute istarum duarum animarum nobis devotarum : unde Deipara respondit, quod Deus annuebat gratiam postulatam et salvæ forent. Oravi etiam pro alia ista anima nobis devota, cui Deus indulsit gratiam majorem solito, fecique ut ei benedictio daretur a Deipara et a Jesulo : et sicuti mihi dixit ita postea reperi, interrogans personam illam, atque intellexi gratiam ab ea tunc receptam. Non potest intellectus humanus, Lector, hujusmodi res immortales comprehendere; et ego multo minus scirem instruere ac formare verba convenientia magnitudini earum B mysteriorumque supernaturalium, quæ cœlestis ejus anima tunc vidit et audivit. Sumpsi autem licentiam abeundi, cum pollicitatione, quod quando redivissem ab itinere meo F [*Ferrariensi*] alias res mihi diceret, quas tunc dicere nequibat, propter abundantiam gratiæ in nocte Natalis receptæ, qua nimium accendebatur cor ejus.

et amicæ suæ gratiam optatam impetrat;

CAP. LXXXI

cetera ægre narrat

207 Septimo Januarii summo mane, celebrata Missa in camera sua, cœpimus colloquium sanctum, quod usque ad Nonam duravit : neque de aliis rebus quam spiritualibus sumus locuti. O Deus meus! præsta mihi servo tuo memoriam et rectum sensum, ad narrandum mirabilia opera tua. Tunc multis cum precibus rogavi Virginem, ut mihi diceret aliquid de oratione, illisque gratiis quæ concessæ ipsi fuerunt in solennitate Nativitatis. Constricta autem illa ad loquendum fuit, licet cum magna difficultate; non quia non volebat consolari me, sed quia videbatur ipsi impossibile id facere, uti revera erat. Dicebam ego, Noli, cara Mater, nimium applicare mentem vestram ad dispositionem extaticam, in conspectu divinæ claritatis; sed solum narra effectum et actum rerum, quæ contigerunt [illegible]æ in C oratione positæ. Respondit Virgo : Nosti, Fili, non esse possibile ut ea enarrem; pro tuo tamen solatio spirituali narrabo quæ potero : licet magis disposita sim ad audiendum quam ad loquendum : verumtamen juva me, sicut nosti; et suspirans dixit : O bone Jesu! ad laudem et gloriam tuam sint omnia.

In festo S. Thomæ

208 In die S. Thomæ ante festum Nativitatis, cum me reconciliassem apud Priorem S. Dominici ad communicandum, applicui mentem meam mysterio sanctæ Communionis : et audiendo lectionem Evangelii de incredulitate S. Thomæ, anima mea sic fuit elevata et attracta, ut crederem me non posse communicare : Deus tamen mihi fecit gratiam ne impedirer : sed finita Missa, quam dixerat Prior noster hic in camera mea, et videns quod mihi non dabat Communionem [*oblitus particulam pro ipsa consecrare ut narrat Silvester num.* 113] mirata fui; et quamvis inde nihil turbarer, non tamen potui continere lacrymas, formidans ne propter peccata mea fuissem Communione privata. Cum ergo interrogaret me, an non fuissem turbata, quia mihi non dederat Communionem, respondi, Non. Ille tamen de veritate dubitans assedit igni, fecitque etiam assidere me; et cœpit loqui de rebus variis, cum Magistro Anselmo medico meo, atque etiam mecum; quamvis ad ejus sermones perparum attenderem, D quia mens mea tantopere erat elevata et applicata mysterio sanctæ Communionis, idque tanta cum vehementia, ut subito manserim abstracta a corporeis sensibus, sicut sedebam prope focum.

Communione privata

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

eam cœlitus suscipit;

209 Ecce autem repræsentavit se mihi quidam forma Sacerdotali, cum corpore Christi et duobus sanctis Angelis, mappam ad ejus latus ferentibus; mihique dixit, qualiter ipsum Deus miserat, meque volebat reddi consolatam per sanctam Communionem. Hæc autem tunc mihi præbita fuit per manus istius Sacerdotis, qui deinde per eam qua venerat viam revertit. O care Fili, anima mea tunc fuit una cum Deo, in maxima claritate et admirabili lumine divini aspectus, in quo elevabatur ac retinebatur anima mea. O bone Jesu! Nihil aliud desiderabat anima mea nec requirebat, quam sic stare et frui incircumscripto lumine illo. Hei mihi! Impossibile foret invenire comparationem similem aut verba idonea, ad dandam talis rei intelligentiam. O Deus! Anima tunc videt et intelligit; sed non sciret intelligibiliter se explicare : cum autem rediverit ad sensus corporales, non remanet ei modus humanæ locutionis. Non quod anima recedat a corpore, hoc enim sic maneret mortuam; sed quia unio quæ est in anima cum Deo, majorem habet virtutem et potentiam, quam sit unio illa qua alligatur ipsi E corpus : et ideo remanent potentiæ corporales sopitæ, donec æternus Deus animam dimittat ab ista unione et attractione. Quamquam autem in tali statu anima habeat tam perfectam cognitionem; non est tamen in sua potestate exprimere res illas supranaturales, quas vidit et intellexit, licet in ipsa anima remaneat earum speculativa cognitio.

et manet in extasi;

atque a Deo Patre invitata ad petendum aliquid.

210 O care Fili; Pater æternus attraxit animam meam in ista visione, claritate, et aspectu æterno, ubi res omnes sunt adscriptæ; et tantum cognoscit anima, quantum Deo placet cognoscendum ei præbere. O bone Jesu! dici non posset, quod anima viderit et cognoverit in ista unione : deficerem citius quam talia possem exprimere : quia tanta erat claritas ista, ut anima ibi manserit absorpta et defixa. Tunc videbatur quod Pater æternus invitabat animam ad postulandum, cum quodam aspectu ac Majestate regia. Non tamen ex Potentatibus hujus mundi ipsi potest formari aliqua similitudo : quia ab ipso æterno Patre illuminantur omnes circumstantes, et participant de immensa ejus claritate. F Tunc anima mea, Fili, oravit, supplicans pro sancta Ecclesia, multisque creaturis mihi devotis; ac præcipue supplicavi pro quadam valde tribulata; eratque anima mea quasi querula, pro illa tantopere afflicta; unde petii a Deo gratiam, ut sicut mihi dederat talem cognitionem pro mea salute, ita etiam largiretur ut illa liberaretur a tanta vexatione et tribulatione, quandoquidem ipsam commendatam habebam sicut animam propriam. Tunc autem absque comparatione multo melius sciebam orare quam possim dicere in præsenti, quia nunc videor quasi in somnio loqui. O bone Jesu!

orat pro Ecclesia suisque amicis,

se intelligit, et exaudiri

211 Tunc Pater æternus, hilari vultu et columbino oculo, mihi dixit : Bono sis animo, Filia mea carissima : ab omnibus enim tribulationibus illis liberaberis, et animas pro quibus oras ducam ad vitam æternam : habeant patientiam cum vera caritate et humilitate, et quidquid toties pollicitus sum effectu mancipabitur. Scito, Filia, quod sim consolator omnium tribulatorum, qui habent in me veram fidem, et sperant in mea immensa bonitate. Hei mei! Fili, utinam possem tibi dicere res ea forma et ordine, quo anima mea ipsas vidit et cognovit! esset id mihi solatio magno, propter tui amorem, et caritatem qua erga te feror. Nescio quomodo fuerim, sed inveni me istic sedentem quando

pulsabatur

A pulsabatur ad Vesperas. O bone Jesu! adjuva me peccatricem. Tunc ego interrogans dixi, Quænam differentia erat, cara Mater, inter unionem et claritatem Patris æterni, quam anima tunc vidit, ab illa unione quam aliis vicibus vidisti et habuisti? Respondit Virgo, magna, Fili, differentia illa est, sed nequirem invenire comparationem satis similem; scito tamen tantam fuisse, quomodo omnes aliæ essent ad comparationem hujus; puta qualis foret in vere quando omnia sunt florida, et mentem creaturæ in magnam delectationem trahunt. Hei mihi! res nimis grandis est: non potest tanta pulchritudo et amœnitas explicari quia nulla ei datur comparatio aut similitudo conveniens. O bone Jesu! tu es omnia. Ignosce mihi, Fili, nequeo plura dicere.

EX ITAL. HIERON. OLIVET. ineffabili interim unione fruens;

212 Statim ego, Lector, mutavi propositum, transtulique ad rem aliam familiarem, quia videbam in ipsa signum futuræ mox extasis: postquam autem aliquantulum diversa et remota fuit ab extatico illo impetu, redii ad priorem sermonem dicens: Dicito, Mater mea, quid credis futurum de Italia? atque præcipue de sancta Ecclesia? Respondit anima cœlestis; O Fili, male, male satis. Ut dixi, divina bonitas et clementia magis propensa est ad misericordiam quam ad pœnam: sed tam magna sunt B peccata de quibus queritur, ut nesciam quid dicam, nisi orare divinam suam misericordiam. Heu me! Italia infelix, quam grandi periculo es exposita! O Fili, ignosce, quia nequeo tibi dicere, quod vellem pro tuo solatio. Ita ago cum aliis personis quibuscum loquor de rebus spiritualibus, etiam domesticis. Subito cor mihi accenditur; ita ut necesse mihi sit desistere, alias remanerem alienata a sensibus; vellem alios potius loquentes audire. Ad quod subridens ego dixi: Idem faceres, Mater, alios loquentes audiens de rebus spiritualibus. Respondit illa, Non ita facile, quando loquuntur alii: vellem autem talia mihi non evenirent quando illi adsunt; eveniunt tamen sæpe: sed oportet patienter id ferre, quando aliud facere nequeo.

Italiæ periculis ingemiscit;

sermonem abrumpere cogitur,

213 Aliquando vellem habere gratiam et non possum habere: Deus vult illam dare modo suo, et quando vult: oportet se conformare ejus voluntati, atque necesse est habere patientiam. Cor meum in ictu oculi subito accenditur et tali modo attrahitur, ut totus mundus me retinere non posset. O quoties accidit mihi, ut quando nihil simile cogitaveram, momento attrahar ad aliquod mysterium, ubicum-C que fuero, etiam sedens aut pedibus insistens! Aliquando exponam me recreationis causa ad fenestram aliquam, captando aeri et cœlo considerando; et in instanti manebo attracta, unde sæpe contigit ab aere et pluvia me madefieri. Sæpe etiam mihi contingit recordari orationis, quam Dominus noster fecit in horto; et cum tali cogitatione in hortum progressa, ibi sum inventa mansisse ad secundam vel tertiam usque horam noctis, aut etiam serius: nec raro sic in publico hæreo, quia cavere id nequeo, et patior postea magnam verecundiam. Equidem optarem ut Dominus Deus mihi gratiam suam daret occulte, quia inde mens mea plus consolationis reciperet. Hei mihi! Tantum verecundor, quando me sic invenio in publico, ut sub terra me absconderem, si possem. Vellem ut attractionis gratia foret continua; sed quando regredior ad corporeos sensus, invenio me sicut antea, id est, plenam fastidio et expositam occurrentibus casibus mundi. Non autem ita mihi est quando anima unitur divinæ bonitati: tunc enim non sentio inquietudinem mundi, neque tanta fastidia ex parte secularium. O Fili in Christo dilecte, satis doleo quod pro vestra consolatione non possim nec sciam res divinas explicare in eo gradu in quo sunt in Trinitate permanente: quia

subito abripi solita

etiam in horto et ubicumque,

quod sibi molestum mallet accidere;

animam tuam amo ut meam propriam: sed hoc so- D latium nobis obtinget in vita æterna. O bone Jesu!

214 Prosequens sermonem Virgo, O care, inquit, Fili, quemadmodum tibi sæpius dixi, quod Deus per gratiam et bonitatem suam mihi promisit vitam æternam, sic etiam nunc confirmavit; neque mihi tantum, sed etiam isti devotæ nobis animæ, unde magnum solatium capio: teque rogo Fili, ne ejus causa contristeris, quia consolabitur te Deus. Certo scio quod ipse tibi dedit pulchram unam gratiam, unde tantum solatium capio; quantum de re alia ulla. Tunc ego gratias illi egi de sua caritate erga me, indignum filium suum in Christo: et postea interrogavi; Quid facis, Mater, in oratione, quando te contingit precari pro aliqua persona obstinata, et in peccatis inveterata, præcipue pro illis quas nosti male loqui de tuis actionibus? Videtur enim quod naturaliter nequeamus tam cordate illos amare et pro iis orare (propter abominationem peccati, a quo mens spiritualis magnam habet aversionem) quomodo oratur pro illis qui bene ac sancti vivunt. Tunc Virgo respondit, care Fili, satis mihi placet interrogatio tua. Creatura spiritualis ac timens Deum, nulla de causa omittere debet orationem pro peccatoribus et persecutoribus suis; sed dolere de E offensa Dei, et damnatione animarum, compatiendo illis cordialiter et pro iis orando, ex respectu honoris divini et salutis animarum, quas debemus amare velut creaturas Dei, peccata vero odio prosequi. Scito, Fili, quod Deus velit acceptamque valde habeat orationem, factam ad suum honorem et animarum salutem, absque respectu ad propriam tribulationem et omnem adversitatem ex Dei amore patienter tolerando, cum sancta humilitate et perseverantia. O bone Jesu! Commendo tibi, Fili, animam matris tuæ. Respondi: Anima tua, o Mater mea mihi commendata est sicut propria, aut etiam magis si fieri possit: sed vicissim precor ut tibi sit commendata anima indigni Filii tui in Christo: licentiamque sumpsi a Virgine, pollicens cito ad eam reverti.

CAP. LXXXII. gratulatur Auctori de recepta gratia,

docetque orandum etiam pro peccatoribus.

CAPUT XVI.

Deprecatio Virginis pro Mantua, Italiaque. Pii Sacerdotis et prophetico spiritu prædicta testimonium. Præsagium mortis.

F

Ultimo die Januarii [*anno* MDIII] circa horam vigesimam primam, loquebar cum Virgine, et dixit mihi: care Fili, volo tibi explicare aliquid mearum inquietudinum. Dominica præterita, cum vellem confiteri et communicare, venit Medicus et Bartholomæa, missa a Domino [*Marchione*] aliæque personæ multæ satis; per quæ impedimenta non potui exequi conceptum mentis meæ, cum ea tranquillitate quam optassem pro sancta Communione; unde multum contristata sum intra me, erubescendo Confessionem facere coram circumstantibus, non tamen me turbando, sed dolendo de tot occupationibus; atque ita audiebam Missam. Quando autem receptura eram Communionem sanctam, eram quasi extra me, mente in Deum elevata; suscepi tamen sanctum Sacramentum, licet non scirem dicere quomodo, sic erat mens mea attracta ad Deum. In ipsa autem Communionis sumptione, apparuit mihi Christus Jesus, et ego subito cœpi plangere atque clamare quantum poteram, Misericordia, misericordia; nescio tamen an clamabam ore. Ideo ego interrogavi cognatam ejus Peregrinam, quomodo heri fecisset Soror, quando communicavit; et respondit: Non potuit sumere calicem purificationis, adeo cito rapta fuit in

CAP. LXXXIII. Post Communionem rapta Virgo,

implorat Dei Misericordiam

A in extasim : itaque mansit usque ad vigesimam secundam horam noctis sedens in lecto, quia erat infirma. Ego autem aliud nihil dixi, ne revelarem secretum. Sed prosequamur verba Virginis.

pro civitate Mantuana,

216 Cum sic clamarem, Misericordia, propter infelicem civitatem Mantuanam et propter salutem animarum : O bone Jesu ! stabat anima in conspectu Dei, misericordiam tam instanter poscens, ut dictu impossibile sit, et perseveranter petens, ut de se sumeret quodvis supplicium, corpusque laniaret pro placito; contenta etiam illud frustatim conscindendum et torrendum dare, pro salute civitatis Mantuanæ. Præcipue autem oravi pro talibus et talibus personis, aliisque pluribus, errori et peccato implicatis. O Fili dilecte, utinam videre potuisses, aut dicere vel intelligere valeres, quomodo et quam benigno vultu audiebat Deus animam, sic lamentantem et plangentem. O bone Jesu! Stabat bonitas illa immensa cum quodam respectu columbinorum suorum oculorum, tam amoroso et gratioso, ut tanta decentia (heu me!) nequeat explicari. O bone Jesu! Non possum dicere, non possum : et suspirando hæsit aliquantulum Virgo, nihil loquens. Postea dixit : Fili care, stabat anima perseverans in oratione, clamabatque et plangebat, petens a Deo B misericordiam, misericordiam, pro civitate Mantuana. (Non scribo, Lector, nomina personarum, quibus Deus magnum flagellum præparaverat) Perseverans autem hoc modo anima mea in oratione et planctu, videbat divinam Majestatem, quæ cum respectu compassivo respondebat mihi per hujusmodi verba : O Filia mea, carissima Sponsa mea, noli me amplius ligare : quia propter tantas tuas preces et lacrymas faciam misericordiam; tantum emendent se. Emendent se inquam ; quia expectatio mea absque illorum emendatione verteretur ipsis in pœnam majorem, et asperius duriusque flagellum.

et impetrat ad tempus ;

appellatur a Deo carissima Filia et Sponsa

217 Noveris, Lector, quod Virgo mihi noluerit dicere præ verecundia, quod Deus ipsam appellaret Filiam et Sponsam : sed ego id animadvertens quæsivi, quo nomine animam ejus appellasset Deus ; ipsaque respondit, Uti S. Catharinam Senensem in Dialogo. Tunc subintuli; Atqui appellabat illam Deus, Filiam carissimam et Sponsam : illa vero reposuit : sic et appellabat animam meam. O Deus meus, quanta cum honestate loquebatur Virgo, quæ præ verecundia nolebat dicere, quod Deus ipsam appellasset Filiam suam ac Sponsam. Sed prosequamur ejus verba. Videns ergo anima mea, quod C propter suam bonitatem propendebat Deus ad misericordiam faciendam, orabat etiam pro Italia et sancta Ecclesia; respondit ei Deus cum aspectu quodam valde elevato, Sinas me agere, sinas me agere, Anima mea, quia omnibus providebo. Volo in paucis percutere et conquassare capita illa obstinata et indurata. Justitia mea postulat, ut tractentur secundum suam perversam duritiam et obstinationem : sed providebo et exequar omnia suo tempore, idque cito, cito: sed væ obstinatis atque induratis in malo opere.

Orat pro Italia

218 Cumque interim persisteret anima in oratione, visum est ei quod Deus oculos suos declinaret in latus, inclinando suum aspectum regalem magno cum decore, quasi non amplius posset illi loqui. Anima autem mea, quæ eatenus clamans et plangens nihil conspexerat præter divinam præsentiam, vidit tunc etiam gloriosam Dei Matrem, plus quam stellas radiantem, quæ ipsa quoque stabat ante luminosum Divinitatis conspectum, adjuvans orationibus suis animam ut exaudiretur : adjuvabat autem eam cum tanto ardore amoris et caritatis, ut eum nequeam explicare. O Fili in Christo, ipsa est advocata peccatorum, magis quam dici possit : ipsa in rebus omnibus exauditur a Deo. Heu me ! Res illa nimis magna est cogitatu, nec possem dicere minimam partem eorum quæ vidit anima mea. Ah! D Sanctus ille vir de Portu, quantus Dei amicus est ! sed scito ipsum non cognosci ab hominibus. Magnam erga eum antea habebam devotionem ; sed nunc magis sum certificata de ejus sanctitate. Heu infelix Mantua ! nisi essent ejus orationes, et quorumdam aliorum sanctorum virorum atque mulierum qui Mantuæ sunt, (non tamen tantæ bonitatis tantoque numero) hac ipsa hora in abyssum descendisset civitas. O Fili, quod dixi nihil est, respectu ejus quod vidit et cognovit anima mea : Hei mihi ! nimis excelsa sunt quæ in extatico illo raptu vidit et intellexit anima mea : sed non possem nec scirem ea dicere, quemadmodum ista anima videt et intelligit : cum enim alligatur sensibus suis corporeis, tunc deficit eam potentia explicandi res immortales, quas vidit et intellexit. Non credebam, care Fili, quod possem tantum tibi dicere, ut dixi.

Deipara suam intercessionem adjungit.

EX ITAL. HIERON. OLIVER.

... et quidam sanctus Sacerdos

219 Nunc, Lector, quoniam Virgo mentionem fecit sancti illius viri de Portu, et quam acceptæ fuerint ejus orationes Deo, non possum quin ei testimonium reddam, quia fuit meus Pater spiritualis, valdeque familiariter spiritualia sua secreta mecum communicavit. Dico ergo me ab ipso audivisse res E multas mirabiles mihique incognitas. Sanctus hic vir [*idem vero similiter qui infra num.* 260 *Genesius nuncupatur plurium Virginis secretorum conscius et aliquando Confessarius*] tanta apud Deum valebat gratia, ut res invisibiles atque immortales sæpius ejus animæ præsentes sisterentur. De multis etiam terrenis rebus prædicebat futurum successum, quorum plurium ego testis sum. O quam multa prævidit de Italia ac præsertim de Duce Valentino. Quando erat in majori statu et prosperitate in Marchia, dixit mihi hæc formalia verba : Dominatio Ducis Valentini est ignis stramineus, qui cito transit ; sic enim erit status suus, ac cito abibit in dispersionem : sed et Papa non diu durabit super terram. Dominus Dux Urbini redibit ad statum suum in bona pace. Dixit insuper etiam hæc verba : Mater soror Osanna, valde ascendit in sublime. O quam magna res est, ingredi in illam cameram, ubi videntur tanta Dei secreta et intelliguntur res futuræ. Vidi ego animam Matris Sororis Osannæ valde sublimem : cognoscit illa res multas et magnas, et ego plurimum boni ipsi volo.

juxta palatium Portus vivens

qui et Ducis Valentini ruinam prædixit,

et Osannæ sanctitatem testabatur

220 Nolo, Lector, dicere de aliis pluribus qui etiamnum vivunt : sed hoc mihi videtur majus ceteris, quod sæpius ille mihi dixit se vidisse in spiritu F adscriptum totum mundum. O quam multas res spirituales, pertinentes ad salutem quarumdam animarum mihi prædixit, quarum multæ jam evenerunt et quotidie eveniunt. Testificor quantum possum in conspectu Dei bonitatem istius beati Sacerdotis esse multo majorem, absque comparatione quam hic describo. Orationes et raptus ejus magnam habent conformitatem cum iis quas retuli S. Osannæ Et dico quod animæ ipsorum sæpius mutuo se viderint in conspectu Dei unitas, et quod ipse Pater crebro mihi dixit : Mater mea Soror Osanna valde altum ascendit. Ex hoc respectu invicem se cognoscebant, et quando inter se loquebantur de unionibus quas faciebat Deus cum eorum animabus, mutuo sese optime intelligebant. Hei mihi ! intellectus noster non cognoscit nec intelligit id quod similes animæ cognoscunt et intelligunt : oportet igitur per fidem credere.

cui et suam mentem ab illa ... bat,

221 Vir iste sanctus erat perquam magnæ patientiæ, et plusquam triginta octo annis pertulit grandes plagas in pedibus : nec propter tantam passionem visus est unquam turbari : sæpius ipsum vidi cum decem plagis iisque feci medicinam : dixit autem mihi quomodo Deus illi dederit talem infirmitatem.

gravi 30 annorum morbo exercitus

Erat

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

Erat mirabilis simplicitatis et exiguæ litteraturæ, sed magna cognitione rerum divinarum præditus, et animarum statum perspiciens Dæmon sæpius illum verberavit, et quidem tam graviter ut quadam vice inde decubuerit lecto diebus quindecim. Multa adhuc alia possem dicere; sed nolo dimittere historiam inchoatam. Prosequamur ergo Virginis verba, quibus mihi dixit: Noveris, Fili, quod Dux Urbini evaserit manus inimicorum suorum per miraculum, e divina gratia impetratum precibus pro eo factis. Vellem ut nunc sciret vivere sancte: quia Deus ei remisit peccata sua: spero quod perseverabit in ejus gratia, et redibit ad suum statum, quia Dei bonitas et gratia suscepit illum in suam protectionem, secundum quod mihi promisit in oratione facta pro ipso diebus præteritis. Solus Deus ipsi gratiam fecit. Ora Deum, care Fili pro ipso, et pro Italia, atque præcipue pro Mantua, ut Deus ipsam velit per suam specialem gratiam conservare. O bone Jesu! fac misericordiam mihi peccatrici et huic regioni; neque respice illius tanta mala, sed tuam immensam bonitatem.

Virgo Urbini Ducem restituendum prædicit:

222 Alia vice ipsam interrogans, Dicito, inquam, Mater cara, quomodo se habeant dolores vestri passionis Christi; quos toleras. Et respondit cœlestis anima: Sicut supra dixi, et augentur quotidie: præsertim dolores cordis, quod mihi videtur esse flamma ignis, quæ versus caput ascendit, omnino sicut ignis, quando flammam suam protrudit de lignis: sic enim facit cor meum. Dolores etiam capitis, manuum, atque pedum magnum acceperunt incrementum, sic ut quandoque nequeam corpus meum movere: unde multum verecundor coram domesticis: sum enim in familia veluti lignum nullique auxilio. Tum magnis precibus apud eam institi, ut mihi diceret, an nihil adhuc accepisset de sua morte, responditque: Non habeo certitudinem ullam. Ego autem quasi ridens subintuli: O Mater, non vis mihi illud dicere. Ipsa vero elevans oculos versus me, et digitum fidei intendens; Affirmo tibi, Fili, inquit, quod de morte mea nullam habeo certitudinem. Sed cum rogarem Deum pro gratia, ut me non amplius sineret reverti ad corporeos sensus; respondit ut adhuc modicum haberem patientiam, quia cito me consolabitur. Quantum igitur valeo conjectare, credo quod Deus per suam bonitatem cito mihi faciet gratiam mortis, tantopere concupitæ: expecto enim illam magno cum desiderio, et omnis hora mihi tarda est. Vellem omnino, Fili, ut assisteres morti meæ, et Deus per gratiam id mihi promisit.

CAP. LXXXIV. atque ea suorum dolorum incremento,

divinaque promissione, colligit cito se morituram:

223 Respondi ego: Omni etiam die a Deo gratiam istam peto; et credo nostrum vestrumque desiderium suo non cariturum effectu: sed non vellem ut tam cito nos solatio tuo destituas in his tribulationibus et miseriis. Viderer mihi non posse vivere supra terram absque te, Mater carissima. Rogo ut sis contenta hic manere, pro nostra consolatione et salute animarum; neque tam cito nobis subtrahas vestram caritatem. Mallem omni alio mundi hujus solatio privari, quam te. Respondit Virgo: Pacem habeto, Fili; ratio exigit ut Mater tua præcedat: tibi adhuc multa facienda restant pro animarum salute et Dei honore: ego vero omnibus sum gravedini: ora Deum pro me peccatrice. Equidem, Lector, posui hic suprascripta verba, non ad laudem meam; sed ad declarandum ordinationem Dei, id est quod per vitam istius cœlestis animæ, debebant animæ multæ converti et salvari; et quia honor Dei est, si cognoscantur dona sua, quæ confert servientibus sibi in veritate. Unio, quam tunc habuit anima Virginis cum Deo, valde arcta fuit; et (ut ego credo) ex majoribus una: quia anima ejus tunc cognovit res multas, cito eventuras in cursu mundi, circa revolutiones Statuum atque Potestatum. Nolo dicere quæ mihi in particulari indicavit de quibusdam personis, quibus multum minabatur Deus. Ipsa autem loquendo dixit: scito, Fili in Christo, quod Deus ipsis valde iratus sit, propter sua peccata. Caveant, caveant præparatum flagellum. Non scirem dicere neque scribere, Lector, res quas dicebat, neque cum tanta vehementia cum quanta ipsa eas narrabat. Erat autem Virgo infirma, debilis, multumque lassata; et ideo compassione motus nolui ultra circa alia ipsam tentare: unde mihi dixit, Alias, Fili, res alias dicemus; itaque sumpsi licentiam, cum petitione et promissione celeris regressus.

sed Auctor optat diutius eam vivere.

Deus peccatoribus quibusdam minatur.

CAPUT XVII.

Extasis in festo Purificationis, morbus vice Marchionis toleratus, prædictiones quædam, mortis desiderium.

Septimo die Februarii [*anno* MDIII] summo mane, celebrata Missa de Domina per me in ejus camera, incepimus nostrum sanctum colloquium, Virgine nonnihil melius se habente: quando subridendo interrogavi. Fuistine, cara Mater in festo cereorum et in processione cum Deipara, comitata venerabili illo sene S. Simeone, ac dulci Jesulo? Renidens vero illo respondit: Recte, Fili, hanc mihi rem in memoriam adduxisti: spiritus sanctus sermonem istum ori tuo indidit: volo tibi dicere id quod mihi accidit in die Purificationis post sanctam Communionem. O bone Jesu! Subito ac fui communicata, videbatur quod anima mea in ictu oculi deportata fuerit in Hierusalem, et præsentata in templo Salomonis. O Fili, magna res est templum illud, et multo plus sine comparatione quam Mediolanense. (Fuerat nempe Mediolani ipsa, Lector, et ideo faciebat comparationem istam) Ah, Fili care! anima mea vidit Deiparam cum infante in brachio, quem præsentabat S. Simeoni. O bone Jesu! anima istic inventa fuit in momento, in ictu oculi, neque scirem unquam dicere, quomodo contigerit iste raptus: solum recordor quod locus iste erat tam splendidus, tantopereque ornatus, ut lingua humana id dicere non posset.

In festo Purificationis

spiritu sistitur in templo,

225 In eo loco, sicut dixi, erat Domina nostra cum suo dulci Infantulo inter brachia, circumdata millionibus Angelorum: quorum numerum nequirem definire, sed usurpare possum istud Scripturæ, Vidi multitudinem magnam quam dinumerare nemo poterat. Tunc anima mea in terram prostrata clamabat, postulans Misericordiam, misericordiam pro tota Italia et salute animarum: Deipara vero cœpit blandiri animæ meæ, et habendo Infantem implicatum brachio, cum quodam pulchro ornatu sub ipso, eumque supra manum tenens, porrigebat illum animæ meæ, blande invitans ad tollendum inter brachia tam desideratum Puerulum: sed anima persistebat in terra prostrata, et misericordiam orans: econtra vero Deipara persistebat Filium offerens, atque dicebat: Accipe in brachiis, carissima Filia, parvulum tuum Dominum, quem tanto tempore desideravisti. Noli timere, anima mea: videtur quod nolis Parvulum, quem tantopere me rogasti, ut videre et amplecti possis sub hac forma. Tunc anima mea, magna cum humilitate, erexit se; quia videbatur sibi non esse digna, quæ manibus susciperet Infantem divinum. Porrigebat nihilominus eum Domina versus animam, blande adhortans ut acciperet, et animos addendo ut auderet, atque dicendo; O Filia mea carissima, accipe Filium meum, et

Ap. 7, 9

ubi Deipara ipsi offert Jesulum:

illa verecunde cunctata

A et pete quod vis; omnia enim quæ petieris tibi nunc concedentur.

226 Tunc anima mea, cum timore et magna reverentia, accepit Puerulum inter brachia: eumque pectori meo adstrinxi, tanto cum gaudio ac sensu spirituali, ut humana lingua illud nec sciret, nec posset explicare. Hei mihi! tota anima resoluta erat in Deo, tamque profunde immersa, ut cor humanum id nequeat cogitare. Petii autem mox a Jesulo omnes nostros de domo, multosque alios nostros carissimos, ac denique gratiam moriendi. Respondit Domina nostra: Filia, adhuc modicum patientiæ habendum tibi est, sed cito consolaberis. Tunc dixit illi anima mea: Saltem mihi concedatur hic manere, nec amplius redire ad corporeos sensus. Toties mihi promissum et dictum est, ut habeam patientiam ad modicum tempus: nunc tandem vellem egredi a tenebris istis et gravitate corporea. Respondit illa: Nosti bene, o anima mea, ordinatum esse, ut sis mediatrix quarumdam rerum, necdum completarum. Voluntas Patris æterni est, ut hoc modo patiaris pro animarum salute: verumtamen cito consolaberis. Nunc autem, o Anima, redde mihi Filium dilectum et Dominum tuum. Tunc anima mea stringendo Parvulum inter brachia, reddidit illum Dominæ.

tandem eum brachiis excipit,

ac mortem petit;

B

227 Si vidisses et audivisses, Lector, loquentem Virginem, manusque ac brachia sic moventem, sicut fecit Domina quando ei dedit Infantem; et quomodo ipsa illum excepit, strictumque tenebat, stringendo brachia ad pectus cum devotissimo actu; profecto lacrymatus esses præ devotione. Utebatur autem verbis tam inflammatis devotione, ut videretur in ipso versari actu, neque possim rem tibi tam devote explicare, quam ipsa mihi verbis gestibusque eam exprimebat. Postea autem subjunxit mihi, ac dixit: O Fili, cum anima mea Parvulum reddidisset Dominæ, petii benedictionem pro me et plurimis mihi carissimis: extendensque manum Parvulus omnibus benedixit, sicut eum ego rogaveram.

rem vero actam Auctori devote narrat

228 Prosequens Virgo, Fili mi dilecte, inquit, scito quod Deus moveat animam secum unitam, ad petendum quod est voluntatis suæ: tantumque intendit et petit anima, quantum Deus movet. Unita autem Deo videt et cognoscit omnia in momento et instanti: neque intercedit distantia ulla loci aut temporis, sed omnia in ipso præsentia sunt, et videt præterita, præsentia ac futura, in eo qui videt et gubernat totum universum. O bone Jesu! Nimis grande mysterium istud est, nec una vice potest totum dici. Atque hic conticuit, et ego confestim mutavi sermonem: postea autem de gratia speciali quæsivi ab ea causam, propter quam tolerabat tam longam infirmitatem, dicens; Ecce, Mater, jam sunt tres menses quod sustines istum morbum: credo certo quod eum feras pro aliqua persona, id est quod ipsum expetieris a Deo pro aliorum liberatione. Respondit ipsa hilari vultu, quasi ridendo, cum suo virginali aspectu et oculo columbino; Est ut dicis, Fili in Christo.

et quomodo tunc se habuerit anima

C

Fatetur se ægrotare,

229 Interrogavi porro, pro qua persona tam sibi devota ejusmodi pœnam toleraret; et illa suspirando respondit: Quando Dominus noster [Marchio] voluit discedere iturus *a* in Franciam, essetque in S. Vincentii, multum me rogavit pro se facere orationem, dicereque sententiam meam de quibusdam ejus negotiis. Et rursum cum essem in castello, vehementer me adstrinxit supra prædictas occurrentias, volens nihilominus nostrum sensum audire. Compatiens igitur Dominationis suæ, quam videbam ita tristem, Deum rogavi, ut per suam pietatem ac bonitatem vellet demonstrare, quid faciendum illi esset in rebus de quibus consuluerat; et via aliqua impedire quid quid non esset secundum suam voluntatem: responsumque mihi fuit, quod debebat ire, et divina bonitas prospiceret negotiis occurrentibus. Verum ego nolui id dicere Dominationi suæ, sed confortavi eum ad fidem et spem in divina providentia collocandam. Quando tamen discessurus in Franciam erat, accersivit me, et loquens ei in camerula coram Domina Marchionissa, tanta erga eum fui commiseratione mota, ut rogaverim Deum, ut de gratia speciali, mihi concederet, si quid adversi pati deberet, id imponeret corpori meo, quæ libenter ejus vice passura essem: et tali ex causa Deus voluit ut patiar hunc morbum.

a quia orans pro Marchione ituro in Franciam,

D

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

petiit ejus vice pati, si quid mali ei immineret;

230 Insuper pro gratia speciali a Deo petii, ne pateretur me in re aliqua decipi: responsumque mihi fuit ne timerem, quia vera sunt omnia mihi significata divinitus; ipsorumque effectum videbo et cognoscam; itaque, Fili dilecte, magis nunc certificata sum quam unquam: quia sicut multiplicantur dolores plus solito, ita et multiplicantur gratiæ cum majori solito facilitate et efficacia, aptiorique cognitione divinæ voluntatis: itaque teneo nec amplius dubito, quin mens mea est stabilita cum Deo. Accidat ergo quidquid voluerit, contenta sum: neque amplius contristor de re ulla, conformando me cum providentia et Majestate divina in omnibus. Quamquam autem hæ molestiæ et inquietudines secularium valde graves mihi sint, non tamen contristor, sciens hanc esse Dei voluntatem, nec aliud volens quam eam implere. Tum interrogavi eam, utrum optaret magis sanari an mori, et ipsa vultu hilari ac subridenti respondit. Centies libentius morerer. Et vero, Lector, semper eam inveni cum maximo moriendi desiderio: videbaturque mihi nihil desiderare tantopere, quam discedere ex hac mortali vita; idque procedebat ex suis melodiis: quas cum Deo quotidie habebat. O quam immensas gratias operabatur Deus in beata illa anima! et poterat bene dicere cum Paulo, Conversatio nostra in cœlis est.

Item se de voluntate Dei certificatam,

E

et acquiescere, sed mortem præoptare

Phil. 3, 20

231 Interrogavi eam quid crederet futurum de Duce Urbini; et respondit: Deus, Fili, suscepit eum in suam protectionem, *b* propter tam multas preces pro eo fusas: et credo quod cito recipiet suum statum priorem. Tum commendavi ipsi istam suam devotam et alias aliquas: responditque: Tantum mihi sunt commendatæ, quantum anima propria: nec unquam orationem facio, quin menti meæ ut præsentes obversentur. Hei mihi, Fili! sæpe sæpius petii a Deo separationem animæ a corpore, et liberationem a tanta inquietudine personarum secularium: sed Deus semper respondit, ita se velle: et ejusmodi verbum identidem mihi replicavit: atque idem debes facere etiam tu, cum humilitate et sancta patientia; quia Deus in omnibus providebit: et spero de ejus bonitate, quod cito nos consolabitur. O bone Jesu! Si recte memini, Deus ut minimum tertio, si non pluries, dedit benedictionem suam istis nostris devotabus, et multa promissa sancta: quæ nolo tibi modo dicere, nisi quod inde magnum acceperim solatium. Noluit autem tunc distinctius declarare res aliquas spirituales.

b Urbini Ducem confidit restituendum

F

sæpius frustra mori petiit;

232 Volens autem ergo aliquid aliud intelligere, dixi; Vellem, Mater mea, si possibile est, scire quomodo se habeat anima quando est unita cum Deo: si possis aliquid simile mihi dicere, aut bona aliqua comparatione rem explicare, rogo ne me eam celatam velis. Sed respondit illa, O Fili carissime in Christo, non ingrediamur in hanc materiam, unde exitum nullum invenirem. Tunc ego, si id nequeas dicere, Mater, saltem ad interrogata mea responde. Id, inquit, faciam perquam libenter. Tunc ego: Quando anima stat unita cum Deo, videtur mihi

animam Deo unitam

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

mihi quod debeat stare in ipso divino lumine, sicut aer in luce solis. Respondit Virgo : Hoc quidem satis bene consistit cum veritate, et habet aliquam similitudinem. O Fili, quando anima est unita cum Deo, velle ejus et nolle tantum est, quantum huic placet ; et quantum ipse movet animam, tantum movetur et non aliter : quia anima retinetur in illo lumine fixa, et sustentatur ab illo incircumscripto et luminoso aspectu, qui nequit explicari verbis : ibi retinetur, consistit, et nutritur, nihil ulterius curans ; quia in ipso habet satietatem et solatium. Non possum plus dicere : ignosce mihi, Fili. Magnum hoc fuit colloquium, Lector, et circa alia quædam puncta tetigit res quas nequeo scribere : sed quemadmodum mihi dixit, remanent dumtaxat in mente ipsas gustantium, suntque mysteria supernaturalia et incognita naturæ humanæ. Nam si intellectus mortalis nequit discernere unionem quam recipit aer cum solari luce, multo minus illam quam facit cum anima Deus. Post hæc licentiam sumpsi, et reliqui Virginem valde consolatam.

respondet similem esse aeri illuminato,

233 Alia vice, summo mane celebrata Missa in camera sua, inchoavimus sanctum colloquium ; ac primo interrogavi quomodo secum ageretur quoad dolores passionis Christi. Ipsa vero respondit : Ut prius, Fili, et quotidie multiplicantur. Cor est tam graviter vulneratum, et tantus ab ipso procedit dolor, ut omnes corporis partes condoleant et consternentur : sic ut nequeam amplius vestimenta ad pectus adstringere, neque omnino tangere latus cordis : unde magna mihi inest verecundia, et timor ne homines aliquid observent. Caput etiam valde cruciatur, pedes item ac manus : sed omnia superat dolor cordis. Hei mihi! Si plango passionem Christi Jesu, et vel ad momentum volo mysteria singula considerando percurrere ; cor meum tantopere accenditur et inflammatur ; ut videatur esse res quædam grandis et ignita ; et subito insilit in me febris. Hinc cum tale mysterium heri meditarer, febricitare mox cœpi, adeo ut suspicer quod Deus hoc permittat et velit, ad confundendam superbiam meam ac propriam voluntatem, faciendo ut manifesta fiant, quæ tanto tempore tenui occulta, et quam potui secretissima. Nollem, Fili mi, ut publice hæc scirentur. Ora Deum ut mihi nolit tantum dolorem imponere, quantus mihi esset, si ejusmodi secreta revelarentur, O bone Jesu ! adjuva me peccatricem, et noli mihi dolorem tantum dare.

CAP. LXXVII

stigmatum dolores augentur

ut neque poenam cordis dissimulare

234 Volo etiam tibi dicere, quod mihi heri contigit loquenti cum Domina Laura, quæ erat valde tribulata, mihique cum lacrymis narrabat ærumnas suas : unde cum ego ad compassionem moverer, et ipsa per Dei amorem me constringeret, ut sensum meum aperirem circa id quod interrogabat ; ecce subito grande lumen menti meæ se obtulit, per quod cognovi ipsam solatium accepturam quoad tribulationem istam : quare confortans eam, dixi : Vade Domina mea, quia Dominatio vestra remanebit consolata quoad ærumnas istas : habe fidem et spem in divina providentia ; atque ita intra paucos dies per Dei gratiam solatium reperit. Etiam rogata sum ut velim orare pro Regina c Franciæ, quæ optaret filium masculum : et multi alii satis multas res petunt. Nescio quid Deus facere velit de me peccatrice. Sæpe sæpius petii a Deo gratiam moriendi, nec voluit unquam illam concedere, nec etiam indicare tempus mortis meæ ; sed respondet mihi semper, ut habeam patientiam, quia mediante me vult aliqua facere ; nec capere possum quidnam illud sit. Quando mihi accidit illud de filio Domini [*Marchionis*] quæsivi num istud esset quod Deus volebat mediante me facere, et respondit mihi quod non : quare me nunc plane remitto in voluntatem divinam : faciat quod placitum fuerit Majestati suæ, et contenta sum.

Solatium quondam valde afflictam ;

rogatur orare pro Regina Franciæ

dolet mortem suam differri

235 Multas res alias spirituales de oratione et quibusdam particularibus dixit anima cœlestis, quæ non scribam, volens illarum testem habere solum Deum. Conclusit tandem sermonem Virgo dicendo, quod non sit possibile creaturæ humanæ intelligere, quid rei sit unio, quam Deus facit cum anima, excepto illo cui Deus dat talem gratiam mediante ipsa unione. Fili, multi cupiunt subtiliter talia investigare, et videtur ipsis quod ratiociniis suis attingant ad aliquam eorum intelligentiam : sed quanto magis quærunt, tanto minus intelligunt. In hoc sancto colloquio, Lector, Virgo tam alte sermocinata est, ut numquam id possim scribere quia humanus intellectus non concipit quid anima videat et cognoscat, quando unita est cum Deo, in illo incircumscripto et luminoso aspectu. O bone Jesu ! Insuper mihi Virgo dixit, dilecte Fili, Deus plurimum queritur propter tam multa peccata. Hei mihi ! Perquam horribilis res est videre iram Dei. O miseram Italiam! veniet tempus quando pœnitentiam facies ad tuipsius confusionem : multumque vereor Mantuæ, nisi cives dimittant peccata, et convertantur ad pœnitentiam. O bone Jesu !

Finis colloquii de rebus altissimis.

ANNOTATA D. P.

a *Hinc jam intelligitur, quod dubium manserat in notis ad Vitæ* 1, *lib.* 1 *litt.* F, *iter Marchionis in Galliam pertinuisse ad an.* 1502, *et cum Rege Franciæ mense Augusto reversum esse, diviso cum Aragoniis regno Neapolitano, securius magis quam conveniebat.*

b *Supra num.* 221 *dixerat, cum manibus hostium, elapsum miraculo quod quale fuerit necdum alibi clare explicatum inveni.*

c *Ea erat* Anna *Britanniæ Ducis filia et heres unica, quæ primum Carolo VIII nupta nullis ex ea liberis procreatis, successori ejus Ludovico XII, a S. Joannæ Valesiæ conjunctione liberato, nupsit anno* 1599; *et anno* 1501 *Delphinum ex ea genuit unum alterumque, sed mortuos in cunis.*

CAPUT XVIII.

Quibusdam præmissis narrantur extases Hebdomadæ sanctioris anno 1503, *sub quibus visa tota passio Domini.*

Die decimo quinto mensis [*quem ex sequ. num.* 141 *colligimus Aprilem fuisse, non Februarium num.* 224 *nominatum nec etiam inter medium Martium,*] suprascripti, Missa per me in camera ejus celebrata, locuti sumus de rebus quibusdam occurrentibus, ipsa aliquantulum relevata a suo morbo. Quare videns eam aptam ad loquendum, interrogavi, quomodo ageretur cum doloribus passionis Christi. Et dixit mihi : Dolor cordis nonnihil cessavit : sed aliquando ipsum cor in momento temporis tantum subito accenditur et cruciatur, quod velut tota perdita remaneam. Sane si tam gravis dolor duraret, credo quod morerer : et hic magnam patior verecundiam, quia nequeo me abstinere, quin aliquam mutationem præ me feram in vultu, quando istum tam grandem dolorem sentio. Idem patior quando id mihi contingit in oratione, resque videtur, etiam a domesticis qui aliquando mecum in camera reperiuntur, præcipue Paula. Multis vicibus ita sto : nec possis credere quantum id mihi displiceat. Dixi ego, cara Mater, dicito illis, ut ibi non maneant. Respondit : Ah ! nunquam, id faciam quia nimium erubescerem. Id ipsum mihi accidit, siquando sum in

CAP. LXXVIII

Dolet quod cruciatus cordis

occultare nequeat

in oratione, et aliquis foris stat me expectans. Vellem, data illi audientia, cito me ab illo expedire: non crederes autem quanto id mihi pudori ac dolori sit. Vellem nemo me videret aut sciret ista secreta, vel tunc mihi molestus esset: sed id nequeo efficere. Heu me! Multi servi Dei, meliores me, secretum obtinent: mihi autem quæ nullius bonitatis sum, tot obveniunt inquietudines. O bone Jesu! hoc fit propter peccata mea.

narrat sibi apparuisse dæmonem,

237 Fili in Christo, volo etiam rem aliam tibi dicere, quæ mihi accidit, quando eram in lecto cum febri. Apparuit ab angulo quodam dæmon forma turpi ac sordida, qui videbatur ex oculis ignem jaculari; itaque stans ante lectum meum cœpit trahere pannos, ad me discooperiendam: et ego ipsos retinebam manibus, fortiterque retinebar ne discooperirer. Sic autem trahendo et retrahendo contendebamus: et ipse magna cum superbia dixit: Ecquid facere te credis? Respondi credo me bene facere. Dæmon ait: Tune credis salvandam te? tu te salvandam? Noli hoc profecto cogitare, quia es damnata. Respondi, Credo salvandam me per merita passionis Christi, per quæ impero tibi, fœda ac mala bestia, ut te actutum auferas a mea præsentia, et vadas in locum ubi noceas nemini. Tunc ille dimisso capite totus confusus recessit, magno cum strepitu. O Fili, quantum terroris mihi tunc intulit? etiam nunc timeo, quando recordor formæ tam fœdæ. Consignabam ego me, et satis multa dicebam ut recederet, quando trahebat mihi pannos: ipse tamen pertinaciter insistebat. Hei mihi! rem nimium spurcam et horribilem! O bone Jesu! Quid autem fiet miseris damnatis in inferno, ubi multo terribiliores visiones occurrent, inter asperrimos quos patientur cruciatus? Ora Deum, care Fili, ut per gratiam suam me liberet a manibus fœdæ istius bestiæ. Vah! nimis nigrum. Ignem ore vomit, et oculos habet igneos. Credo enimvero ipsum esse ignem infernalem, quem pro suo cruciatu continuo fert secum. O bonitas divina ignosce mihi peccatrici, ut anima mea non incidat in manus istius nequam bestiæ. Adhæc quasi subridens dixi: O mater mea, cur ei non impegisti calces, sicut alias fecisti? Ipsa vero, cum gravi quodam risu, respondit. Nescio quomodo fugerit tam cito, fortassis timuit, ne iterum vapularet. Sed sinamus eum ire: non timeo ne mihi amplius molestiam creet.

cum magno suo horrore,

contra quem alias,

Seque orasse pro amica

238 Tum interrogans aliud, dixi: Quid fecisti, Mater, pro anima quæ tantum tibi fuit commendata? Respondit illa, Feci orationem pro ea, et Deus semper mihi respondit ut habeat patientiam, quia sic est voluntas sua: idque promisit omnibus suis electis, et continuo permittit fieri illis quos vult salvare. Sed sit animo quieto et perseveret, quia Deus protector suus erit in omni molestia et tribulatione. Multas etiam res spirituales diximus de quibusdam personis in particulari, quas non dicam viventibus ipsis. Deinde tuli licentiam abeundi cum pollicitatione celeris regressus.

CAP. LXXXIX.

Præter solitum extenuata apparet,

239 Post paucos dies ad Virginem reverti, et duabus horis simul locuti sumus: cumque illam viderem facie extenuatam et pallidam plus solito, oravi ut mihi manifestaret causam suæ afflictionis; quæ respondit, Mater tua, Fili diebus hisce fuit in magnis doloribus. Cui ego, O mater cara, ecquid sic afflixit caritatem vestram, vix dimidiam te invenio quam reliqui. Respondit illa, Fili mi, duabus vicibus tantum ploravi, ut oculi mihi debuerint exiisse de capite: idque accidit, quia mihi videbatur latus aperiri velle: quod ego videns, movi me ad tam copiosas lacrymas, cœpique multis precibus exorare Deum, ut per specialem ejus gratiam tale nil appareret. O bone Jesu! Responsum accepi, consolandam me. O Fili, res ista magno mihi dolori et molestiæ fuit; credo autem quod mortua jam essem, nisi ex tali responso solatium accepissem; et propter illud aliquantum animæquior nunc sum. Sentio autem nunc tantum dolorem in ambobus pedibus, ut non possim incedere neque iis me sustentare: dolor autem iste est in clavis pedum. Vehementer erubesco eos qui me sic vident incedentem, et hominibus dico esse quosdam cruciatus et attractiones nervorum in tibiis, et sic eos transeo: nec enim vellem ut quisquam talia sciret.

EX ITAL. HIER. N. OLIVET. dolore cordis et plagarum:

240 Equidem, Lector, semper in Virgine reperi magnum desiderium studiumque celandi res suas, easque coram Deo secretas servandi. Imo dico, quod inter colloquendum mecum sæpe repeteret hæc verba. Nimium vereor, Fili, ne socius tuus quidquam audiat. Ego autem assecurans illum prosequebar sermonem: hocque erat mihi signum evidens, quod paucis se fideret ad revelanda sua secreta spiritualia; nec nisi magno cum labore assecutus sum initia nostræ mutuæ confidentiæ. Sed credo pro certo fuisse permissionem divinam, ut futuro tempore haberetur aliqua testificatio tot gratiarum, animæ isti cœlesti communicatarum: in præsentiarum autem tam erat mihi effecta familiaris in rebus spiritualibus, ut absque respectu illo quidlibet diceret pro mea consolatione, modo tempus haberet et posset. Insuper mihi dixit: Quodam die S. Vincentii orationem facienti pro nostris, responsum fuit quod deberem perseverare, beatas fore ipsorum animas: unde multum consolata sum; et propter gratiam quam Deus mihi fecit pro meo fratre Alexandro. O bone Jesu! quantas obligationes habeo Deo. Tum festinanter licentiam sumpsi, præoccupatus multis occurrentibus negotiis.

quod tamen secretum habet

soli Auctori fidens:

CAP. XC.

cui interroganti de actis die Veneris sancto,

241 Decimo nono die mensis prætati, qui fuit tertius post Pascha [*celebratum anno* MDIII *die* XVI *Aprilis*] cum Missam celebrassem in camera ejus, cœpimus sanctum colloquium, quod credo durasse tribus horis: fuit enim longus sermo, et mihi valde delectabilis: unde ipsam interrogavi an die Veneris sancto fuisset in prædicatione. Respondit autem quod non, eo quod malum suum ipsam corripuit. Tunc dixi: Tua prædicatio Mater, magis digna et alta fuit quam prædicatoris. Et ipsa subridens: Tu inquit, Fili, semper eo dilaberis. Nam quid ego peccatrix scire possum? Ego tamen multis precibus eam constrinxi, ut diceret quid sibi accidisset die Veneris sancto, circa passionem Domini nostri Jesu Christi. Cœpit ergo multo cum labore loqui, non quod id ipsa recusaret, sed excusando quod non posset ordinate rem narrare. Cui ego dixi, Incipias tantum, Mater, ego juvabo juxta solitum: atque ita adjuvante me, multa dixit quæ evenerant in oratione istius diei.

fatetur se tota nocte fuisse in extasi:

242 Propterea interrogavi eam quid fecisset illa nocte, et an quidquam dormivisset. Respondit illa; Non possem id dicere, Fili. Volebam ego dormire sola, Paula neptis nostra cœpit contristari, quia nolebat me incomitatam relinquere: et ego nolens eam diutius mœstam dimittere, consensi ut apud me maneret. Dicunt autem quod subito atque incubui lecto, me dederim orationi, itaque remanserim usque ad diem sequentem, donec omnes redivissent a prædicatione, et jam tempus prandii præterisset. Quando ergo intellexi diem usque eo provectum esse, mansi cum magna verecundia; videbar enim mihi timere etiam ipsos infantes familiæ, et putabam quod non fuissem ita nisi admodum modico tempore.

sub qua vidit universam ordinem Passionis

243 Tunc ego: Quidnam vidit et contemplata est anima tua, Mater? Respondit illa, dilecte Fili, anima mea fuit in Hierusalem, et vidit de passu in passum omnia mysteria passionis Christi; incipiendo

Ex ital. Hieron. Olivet.

quando licentiam sumpsit a Matre, ivitque in Hierusalem cum discipulis suis ad faciendam cœnam, dimittendo illam aliasque Marias multum afflictas. O bone Jesu! Anima mea videbat Dominum nostrum in illa cœna totum cogitabundum : ac deinde surgere et lavare pedes discipulorum. Hei mihi! Magna res erat videre profundam humanitatem Domini nostri humo prostratam : istos ejus motus et actus in præparanda aqua, lavandisque singulorum pedibus, præsertim Judæ, cum magna compassione. Videbatur quod Dominus Jesus Christus immutabatur vultu Communionem Judæ impertiendo, eique demonstrationem aliquam fecit, ut fieri solet quando aliquid actum est male, quodque displiceat illi qui ipsum fieri videt. Et postea de passu in passum anima mea vidit omnes actus et mysteria, sicut contigerunt in passione Christi : jamque sex anni sunt quod idem mihi evenit.

cunctaque ejus devotiora fuisse ait,

244 Interrogavi ego, et, Dic mihi, inquam, cara Mater qui passus et quæ mysteria visa sunt tibi magis compassionem movere apta, magisque devota pro animabus contemplativis? Respondit illa : Res magna fuit, Fili, quando fecit orationem ad montem Oliveti. Hei mihi! quantæ admirationis ac stuporis erat videre Deum in agonia positum, jacere super terram, et cum sanguineis guttis orare Patrem æternum : atque duabus vicibus discedere a suis discipulis, ab iisque aliquanto remotum spatio, prosterni ad orationem, totum mœstum, tremebundum ac pallida facie, unde continuo defluebat sudor sanguineus. Heu me! Fili care, non possum plus dicere. Hic vero parum abfuit quin Virgo in extasim raperetur : quare confestim sermonem verti alio, ac deinde dixi : Nunc porro pergamus, Mater. Et illa : Tam magnum mysterium fuit flagellatio ad columnam, ut humana lingua ipsum enarrare non possit. Sed ipse fuit verus medicus, qui sanavit plagas humanæ naturæ, unde dicitur Livore ejus sanati sumus. Aliud grande et compassionis plenum mysterium fuit quando cum cruce in humeris obviavit matri, quæ ad ejus aspectum in terram corruit quasi mortua : et Dominus noster præ compassione erga matrem sub ponderoso ligno cecidit etiam ipse. Magnum sane et compassione dignum erat mysterium istud. Aliud fuit confixio clavorum, et quantum passus sit in pectore, cum traherentur brachia versus foramina præparata : hic enim cruciatus fuit tantus, ut cor humanum nequeat eum comprehendere, nec mortalis lingua possit exprimere. Aliud altum ac devotum mysterium, et cum immenso maternorum viscerum dolore conjunctum, fuit, quando sustulerunt crucem, Heu me! magna res fuit audire ploratus et miseranda lamenta Deiparæ atque aliarum Mariarum. O Fili! nimium lacrymabile illud est.

orationem in horto, flagellationem, — Is. 53, 6 — *bajulationem crucis, confixionemque clavorum,*

sub quibus raptus suos deprehendi dolet :

245 Hic destitit aliquantulum loqui Virgo, ac postea dixit : Ignosce, Fili, quoties audio loquentes de Passione aut de beatitudine vitæ æternæ, non possum multum loqui neque me cohibere quin anima absorbeatur. Accidit sane aliquando mihi, ut si absque scandalo facere id possem ab auditorio me separarem aut saltem a loco ubi tunc essem, quia vellem a nemine in oratione videri. Volo tamen quod placet Deo, sed plus consolationis haberem, si viderer a nemine : quia sentio tantam verecundiam, ut tali hora vellem esse sepulta. Profecto, Lector, semper inveni Virginem in tanta humilitate et abjectione suiipsius, ut videretur sibi esse maxima peccatrix totius mundi; et si mansuetudo periisset, credo quod in anima illa fuisset inventa. Numquam vidi creaturam magis humilem, sed cum innata quadam ac minime feminea gravitate, dicendaque potius supernaturali. Verum prosequamur illius verba.

et explicat mutationem mœroris in gaudium,

246 Post visionem passionis Christi, dilecte Fili, apparuerunt mihi Deus et Deipara, cum tanta claritate ac lumine ut nequeat explicari, et dixerunt mihi : Filia carissima, dimitte lacrymas, et contemplare claritatem divinam. Tunc in momento fuit anima resoluta in illo luminoso aspectu et majestate regia, ubi requiescebat et deliciabatur, sic ut aliud nihil videret aut sentiret, nisi amœnitatem inexistentem isti incircumscripto lumini. Tunc ego, Dic obsecro, Mater, quanta differentia fuit illa, quando anima vestra transiit a lacrymis et mœstitia quam senserat in Passione, ad gaudium tam luminosi aspectus? Respondit Virgo, Non possem, Fili, tale quid tibi dicere, neque dare comparationem ei quod interrogas similem. Ad quod ego : Saltem responde mihi, Mater, ad id quod interrogo. Libenter reponit illa, siquidem scivero. Ergo, ô cara Mater in eo quod interrogo Deus motor est ejus rei, quæ animæ accidit secum unitæ. Unde quando Deus movet animam cum lacrymis, tunc in eo stat anima, id est datur ei conspicienda similis apparentia passibilis (stat enim anima in Deo suis modis) statim autem atque Deus facit mutationem in anima per aliam apparentiam, subito, absque distantia et tempore, movetur illa in aspectu luminoso motoris æterni, et attrahentis a lacrymis ad gaudium; non interponendo aliquam distantiam temporis, eo quod idem motor sit, absque ulla resistentia; sed in ipso præsentialiter permanente, et in eodem semper existente, quia Deus est semper tempus præsens.

ac modum quo ea fiat Auctori, *ac probat*

247 Ad hæc Virgo jucunda facie, tota hilaris, dixit : Ita est ut dicis, Fili. Ab eodem motore, subito absque tempore, fit mutatio animæ unitæ cum Deo : movens enim Deus apparentiam sui, movet etiam animam sibi unitam : nec aliter fieri potest, quia in ipso nihil invenitur nisi tempus præsens. Numquam ipsi currit tempus præteritum aut futurum, licet per potentiam suam possit tempus producere in sua permanenti æternitate. Postea interrogavi, quomodo fecerit Christus, quando communicavit Apostolos in cœna? Vellem enim, inquam, melius intelligere id quod dixisti, id est, utrum quando venit Judas, facta sit mutatio in ipso Deo, an vero in Juda, ante vel post Communionem. Respondit Virgo : Quando Deus communicavit Apostolos, ostendit versus eos magnam caritatem et dilectionem cum læta facie : quando autem venit ad Judam, apparuit in vultu quod contristaretur per compassionem : mox autem ut ille Communionem accepit, facta est illius facies nubila et turpis, quia communicaverat in peccato mortali. Super hunc passum, Lector, satis longus sermo fuit de iis qui communicant in peccato mortali, dicente Virgine, quod propter enormitatem peccati, dæmon continuo ingrediatur in hominem, qui tale mysterium suscipit extra statum gratiæ, sed cum peccato; juxta quod anima facit mutationem obscuritatis et turpitudinis in manibus dæmonis, sicut si creatura mutaretur in vultu, cujus rei exemplum fuit monstratum in Juda. Multa etiam alia tunc dixit Virgo, quæ brevitatis causa omittemus.

item qualiter Judæ male cessit sacrilegi Communio

CAPUT XIX.

Christi resurrectio et descensus ad Limbum. Discessus ac reditus Auctoris. Morbus ultimus et obitus Beatæ.

Cap. XII — *Narrat Virgo visum sibi Christum resurgentem,*

In præfato colloquio etiam sic interrogavi Virginem : Mater dilecta, velim aliquid intelligere de resurrectione D. N. Jesu Christi, et quid egerit quando spoliavit Limbum, id est, quando extraxit Patres de isto obscuro carcere. Respondit illa : Non possum tibi. Fili in Christo, negare quidquam. Scias igitur

A igitur quod anima mea vidit D. N. Jesum Christum, in ea forma et actu, quo erat quando resurrexit, et spoliavit Limbum liberando illos antiquos sanctos Patres : verum sentio id mihi fore explicatu impossibile. Hic datur intelligi, Lector, quod prius quam posset mihi dicere id quod interrogaveram, sæpius fuerit rapta in extasim : sed industria consueta et alteratione sermonis, elicui parum illud quod elici potuit : quare ipsa mihi dixit, Volo operam dare ut te in aliquo consoler. Cum magno tenerer desiderio istud videndi et intelligendi, fuit anima mea in oratione posita, et vidi Dominum nostrum in aurora resurgentem, ipso quo resuscitatus fuit momento. Elementa, quæ primo mœsta et obscura videbantur propter ejus mortem, prorsus illustrata et clarificata fuerunt, cum admirabili amœnitate, cumque tot millionibus Angelorum, ut non possim id unquam tibi dicere vel intelligendum præbere. Sed dimittamus ista, Fili mi, si volumus ultra progredi : quia sentio id mihi non futurum possibile.

et descensum ejus ad Limbum,

249 Videbam, Lector, pronam esse in extasim ; itaque non nimis subtiliter interrogabam eam, sed paulatim quasi suffurabar aliquid. Prosecuta tamen B est sermonem, dicens : Anima mea, care Fili, postea vidit quomodo D. N. Jesus educebat animas illas sanctas de Limbo, et videbatur mihi quasi ridere modo suo. Ah ! quantum gaudium et lætitiam habebant et monstrabant isti sancti Patres ! Nemo id unquam explicuerit : sed tanto ægrius istud habebat dæmones, videntes se amittere potestatem suam, et privari istis sanctis animabus : quæ omnes habebant coronas in capite, et aliqui istorum sanctorum Patrum induebantur stolis atque vestibus talaribus, alii regaliter vestiebantur ; erantque in eorum societate quamplurimæ feminæ in apparentia matronarum : nescirem tamen dicere quinam fuerint longis stolis induti. Dixi ego, quod credebam, ipsos esse Patriarchas et Sacerdotes. Atque hic longus nobis fuit sermo de gaudio et lætitia, quam præseferebant isti sancti Patres. O Deus meus ! Qui vidisset audivissetque Virginem in illa hora, quibus modis ac gestibus procedebat in explicando ordine rerum ut melius poterat, liquefactus fuisset ut cera ante ignem præ dulcedine sensus spiritualis : nequeo ego bene ista describere.

ac sanctorum Patrum lætum inde egressum,

Item post alia quædam,

250 Alias insuper res spirituales ipsam interrogavi, et inter cetera dixi : Vellem intelligere, cara C Mater, quam ob causam Dominus noster statim a baptismo fuerit deportatus in desertum. Respondit illa : Ah ! Fili, non sufficio ad explicandum tibi tam sublime mysterium. Sed oblatio ista Verbi æterni, illa puritas et innocentia oblata Patri æterno pro humana natura, tam accepta illi fuit, ut sufficere potuisset nostræ redemptioni. Ah ! qui cognoscere posset et speculari quanti momenti sit mysterium istud, esset id ei maximæ gratiæ, et infiniti a Deo doni loco habendum. Et creatura quæ habere posset in se modicum quid istius innocentiæ et perfectæ bonitatis suæ, esset in sublimi apud Deum gradu. O bone Jesu ! Magna res fuit ista humanitas Christi pro nobis oblata summo Patri. Postea mihi dixit : Redibis a Capitulo, Fili : Deus concessit mihi omnes gratias quas optavi, dicens mihi quod de omnibus consolabor. Intellexi etiam quod intereris morti meæ : nunc ora Deum, ut nos soletur in vita æterna. Animæ nostræ mihi cordi sunt, non est quod dubites de eo.

[illegible]

251 Postea dixit cœlestis anima : Volo tibi dicere, Fili in Christo quod mihi accidit. Quadam vice cum essem in oratione, rogavi Deum pro animabus devotorum nostrorum : et Deus per suam bonitatem ostendit mihi loca, animabus istis præparata in Paradiso. O bone Jesu ! Videbantur mihi D loca illa disposita in modum hemicycli, optime ornati. Hic Virgo, Lector mi, faciebat certum signum manibus ac digitis, quasi designando et demonstrando mihi, quomodo constituta erant loca illa ante divinam Majestatem : certe dixisses illam tunc ibi præsentem fuisse. Ego admirabundus totus pendebam ab ore loquentis, videbaturque mihi res dici plane supranaturalis. O quam illa erat mirabilis et deifica ad credendum ! et tamen erat ipsa veritas.

[illegible] suorum sibi in locum sedes

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

252 Interrogavi ulterius petiique ut mihi diceret, ubi esset locus suus in Paradiso : ipsa vero hilari vultu quasi ridens dixit : Ad pedes Jesu Christi. Erat Virgo hæc dicens, quasi absorpta in Deo, tantæque sanctimoniæ præseferebat aspectum, ut stare et audire non possem sine lacrymis : nam et ipsa lacrymabatur præ lætitia, ex sensu divinæ bonitatis. Equidem aliud nihil optabam, quam Matri meæ ad latus stare in Paradiso. Ah ! quam multa dixit cœlestis illa anima, supra immensam gratiam et caritatem Dei erga famulos et famulas suas, dicens, quod consistebat in anima, prout anima se disponebat versus ipsum cum vero et puro amore. Postea dixit : Fili care, certo scio quod Deus per gratiam suam effecit tantam caritatem existere inter duas animas, ut ex duabus facta sit una solum voluntas ; et duo corda uno sancto desiderio et amore colligata in conspectu divino. O bone Jesu ! quam magna est bonitas tua versus tuas creaturas, tibi fideliter servientes ! Multas res particulares dixit mihi Virgo, de nobis ipsis et de aliis personis : sed non dico mediam partem eorum, quæ dicta sunt felici isto die. Et vere inter omnia nostra sancta colloquia istud fuit unum ex principalioribus quod unquam ex sancto isto ore prodiit : sub quo dum ipsa loquebatur, videbam a virgineo ejus aspectu procedere divinum quemdam et penetractivum radium, cum suavi odore sanctitatis, qualem nec verbis nec litteris possim exprimere : totusque præ devotione attonitus et admirabundus adstabam ipsam audiens.

suumque locum in Paradiso.

Gaudet de sua cum Auctore conjunctione, E

253 Erat beata ista anima aspectu mirabilis, quamquam etiam naturaliter gratiosa, cum quadam apparentia sanctitatis, quæ sola attrahere intuentes poterat ad devotionem : dico tamen quod colloquium istud magis supernaturale fuerit, quam unquam audiverim : et qui tunc vidisset Virginem potuisset cum S. Petro dicere, in monte Thabor, Domine, bonum est nos hic esse. Certo autem credo, quod divina F gratia tam aperte operabatur in aspectu virgineo, ad majorem meam confusionem, ut intelligerem, quid in beata anima ista supra naturam operatus esset. Confiteor, Lector, puram veritatem, quod per multos dies in mente mea remansit magna consolatio spiritualis, et lumen sanctum solito majus. O magne Deus ! Quid non agis in servis tuis, monstrans in eis grandia miracula, ad confundendum humanam superbiam. Etiam aliis vicibus loquendo cum Virgine, vidi in ejus vultu illustrativum quemdam aspectum et sanctimoniæ plenum ; quem certe credo fuisse præter naturam divinitus in ea productum : id autem accidebat plus minusve, prout sublimiora erant mysteria de quibus colloquebamur ; et illa recenti veniebat a raptu, elevata ad majorem Dei unionem visionemque. Porro licentiam sumpsi abeundi ad Capitulum, et fui duobus annis quod animam ejus cœlestem non vidi ; sed ab ipsius manu multas epistolas accepi.

et Auctori [illegible] ultimo [illegible] colloquio ·

Mat 17. 4

unde digressus,

254 Cum autem habitarem Fabriani, deducta eo fuit mulier, vexata a malignis spiritibus, nosque Fratres rogati sumus a parentibus ejus, facere exorcismos aliquos ad ejus liberationem ; quæ per Dei gratiam fuit liberata ab omnibus, præterquam ab uno

dum F[illegible] [illegible] [illegible]

A uno maligniore et obstinatiore aliis. Hoc videns accersivi aliam mulierem, jam a duodecim annis a simili spiritu possessam, qui tamen ei non nocebat, sed familiariter colloquebatur. Istam interrogavi, quare non erat spiritus ille egressus, sicut alii. Respondit : Obstinatus est manere, donec tu illum pellas : itaque revera fuit : nam post terminum sex dierum non sine maximo meo labore discessit. Postea priorem illum interrogavi de multis rebus, atque inter alia ipsi dixi : Quænam est mulier illa, quæ dicitur Mantuæ esset tantæ sanctitatis? sed nolebat respondere : quapropter perseveravi in proposito, fingendo quod ipsam non nossem, et adjurando ut mihi in veritate diceret, quo loco illa erat apud Deum : tandemque spiritus adjuratus respondit : Est omnino res magna, prudens et singularis Dei amica : multo amplius de ea est in re, quam dicatur, verum non est nota.

EX ITAL. HIER. OLIVET.

alium dæmonem de Osanna interrogat,

255 Hoc responso audito, cum in sinu haberem quasdam Virginis epistolas ac pia munuscula, imperavi ut mihi diceret veritatem eorum quæ interrogarem : et ipse promisit eam dicere. Tunc manu accipiens prædictas epistolas, sermonem converti ad ipsum spiritum dicens : Impero tibi ex parte Dei, B ut mihi dicas, utrum verum sit quod in istis scripturis continetur. Respondit autem : Sunt vera ista, et centies plura : caras illas litteras habe. Ad quod ego : Profecto caras habeo, et amplius habebo. Vide, lector, ubinam Deus voluerit accipere me testimonium, scilicet etiam a maligno spiritu, qui testificatus est de sanctitate beatæ istius animæ, ad confusionem nostram, qui nolumus credere sicut deberemus. Magnas sane res vidi in malignis istis spiritibus, per quas mens mea valde fuit consolata et stabilita, præcipue interrogando, quænam sit auctoritas Sacerdotis. Respondit enim ; Magna, magna : aperiuntur cœli quando consecrat ad altare, et tota Curia cœlestis descendit. O rem magnam, Sacerdotalem dignitatem !

qui veracitati ejus attestatur.

CAP. XCIV

256 Anno MDV, die xx Aprilis, fui a sancta obedientia remissus in patriam, agente id divina providentia, ut adimpleretur cœlestis promissio sæpe Virgini facta, id est quod morti ejus interessem ; quamquam multa in contrarium objecta sint, et potius miraculosa debeat res ea censeri, quam ordinatio humana. Quamprimum igitur in patriam redii, visitavi beatam illam animam : quæ præ lætitia ridens simul et lacrymans, materno cum affectu C mihi dixit : O Fili in Christo carissime, et longo tempore expectate, laudetur Deus qui consolatus me est : nunc in te requiescet cor meum : neminem habebam, cui secure aperirem secretum meum. O bone Jesu ! quantum obligor Majestati tuæ ! Tu nunc, Fili dilecte, eris requies mea, et omnia in te reponam.

Item regressus Mantuam

257 Cogita, Lector, quanta lætitia gaudioque perfundebantur corda nostra. In illa hora diximus res satis familiares, cum proposito cito redeundi, dicente Virgine : O care Fili, quantas res habeo tibi dicere! Atque ita infra paucos dies ad ipsam redii, invenique afflictam valde ab inquietudine tot audientiarum : ac principio quidem diximus multa particularia quæ acciderant, per biennium absentiæ meæ, sicut ipsa sæpius mihi prædixerat. Multa etiam ipsa dixit de Italia, cui valde minabatur Deus, propter abominationem tot peccatorum ; nec non Potentatui cuidam, si non desisteret a quodam proposito ; denique de multis aliis personis mihi locuta est, nominando ipsas in particulari, quibus videbat imminere flagellum Dei, unde mens Virginis valde afflicta erat. Ah ! longum colloquium fuit super reper tunc occurrentibus : sed magno ex respectu a talibus scribendis supersedeo : nimis enim D grave et molestum esset iis quos tale flagellum spectat, nisi vitam mutent dimittendo peccata : forsan autem volent pœnitere, quando tempus non erit amplius ut exaudiantur.

de multis cum illa confert,

258 Paucis diebus post nostrum in patriam reditum, infirmata est Virgo, et videbam eam plus solito attentam sibi, ac veluti melancholicam et cogitabundam . unde multis precibus adstrinxi eam, ad mihi aperiendum id quod credebat de sua morte. Illa autem respondit : Nihil certi scio, Fili in Christo. Ego autem lacrymans, Satis, inquam, vereor, Mater cara, ne subito nos inconsolatas derelinquas, ac me præsertim filium tuum. Ipsa vero cum materna caritate atque compassione, O Fili, mi dilecte, inquit, nihil dubites, quia semper ero tecum : volo tamen ut simus contenti omni ego quod Deus ordinabit, et quidquid ejus Majestati placuerit : atque in omnibus rebus nostris hæc sit consolatio nostra, quod ipse eas gubernabit. Quam devotæ res amissæ sunt, Lector, quia Virgo non poterat loqui : sed neque satis commode audiebat, impedita catarrho quodam sibi assueto : propter quod impedimentum prætermisi res varias spirituales interrogare, quas E alias promiserat mihi dicere.

quæ gravius infirmata,

ipsum solatur,

259 Mortua est ergo intra paucos dies, vel potius translata est ad alteram vitam, magis felicem et æternam, anno MDV, die XVIII mensis Junii, inter horam decimam septimam et octavam, præsentibus Illustrissimo et invictissimo Domino Francisco quarto, Marchione Mantuano ; et Domina ejus cara conjuge, nec non Reverendissimo Domino Cardinali fratre ejus, cum multis Aulicis aliisque Proceribus et Matronis. Idem Illustrissimus Dominus propriis impensis ipsam fecit honorifice sepeliri, in ecclesia S. Dominici civitatis Mantuanæ : et fuit ab omnibus jure merito honorata velut sancta et mater patriæ. Ad exequias convenerunt præfatus Marchio, omnisque Clerus et populus terræ. Statim autem venerabile corpus ejus cœpit ab omnibus pariter venerari et adorari, tamquam si a centum annis copiosissimis claruisset miraculis. Sancta ejus opera publice fuerunt recitata longo et elegante sermone, a quodam venerando Patre Fr. Francisco Ferrariensi Ordinis S. Dominici.

mortuaque 18 Junii 1505,

honorifice sepelitur

260 Inveni ego post mortem ejus quamdam venerabilem Religiosam, nomine Sororem Margaritam Seraphinam, quæ conscia erat aliquorum ejus secretorum, ac nominatim dolorum passionis Christi, F quos Virgo ferebat : cujus scripta et verba valde conformia sunt iis quæ de ipsa in hoc opusculo scripsi. Intellexi etiam ab aliis quibusdam personis, et maxime a quodam Domino Genesio, venerabili Sacerdote, multas res ipsi revelatas ; quia aliquanto tempore fuit ejus Confessarius, quem scio fuisse ipsi valde familiarem, et ab ea singulari caritate dilectum : illæ autem conformes sunt hic relatis. Quapropter si ab iisdem dictum fuerit aliquid plus minusve quam sint nostra ; non erit id parvi faciendum : pro certo enim habeo divinam providentiam ita ordinavisse, ut ab omni personarum genere testimonium habeatur de sanctitate istius beatæ animæ, cujus preces valent contra dæmonia atque occurrentes infirmitates, et sunt refrigerium tribulatis. Quare qui sincera cum fide ipsi devotus fuerit, impetrabit a Deo, mediante illa, salutem et gratiam ; quemadmodum diuturna experientia monstrat ad sepulcrum ejus, in eorum favorem qui cum devotione ipsi se commendant.

Quorumdam secretorum ejus consciu

Margarita Seraphina et Genesius Presb.

Miracula post mortem.

TRACTATUS

TRACTATUS III

Spiritales Epistolæ XL *ad hujus operis Auctorem manu propria scriptæ.*

Statim atque cœlestis illa anima transiit ad requiem, rogavi, Lector, Dominam Marchionissam nostram, ut dignaretur mecum ablegare testes aliquot, ad nostrum monasterium, ut viderent scripturas et epistolas exaratas manu B. Osannæ. Itaque Excellentia sua misit primum suum Secretarium Dominum Benedictum : cum autem ad locum venissemus, accersivi etiam Vicarium nostrum, ipsisque prædictas scripturas ostendi; ne forte possent detractores dicere, quod eas post illius mortem compilaverim ex proprio cerebro. Et hoc testificor coram Deo esse veritatem, non fictionem; imo me non scripsisse medietatem : ut taceam res particulares multarum personarum, et quod non poteram satis exprimere conceptus ejus mentales, de quibus fieret majus opus præsenti. Sed permittemus ut magnus Deus omnia compleat, meliori medio quam per me peccatorem. *Hinc porro initium sumit Tractatus tertius continens prædictas Epistolas Auctori hujus operis scriptas : quæ quia suo se numero apte distinguunt, ipsas consequenter subnectemus præfixo cuique epistolæ synopsi argumenti tractandi, quæ loco Marginalis synopseos erit.*

Epistola Prima.

Significat animam, pro qua orari petierat, liberatam e purgatorio : gratias agit pro oblatis sibi Missis S. Gregorii : petenti, Filium non Patrem se dici, humiliter annuit. De Missis autem S. Gregorii, vide Conatum nostrum de Pontificibus, ubi de S. Gregorio num. 13 et 1 Partem Responsionum ad exhibitionem errorum mihi imputatorum art. §.

Reverendo in Christo Patri, et filiolo Dei omnipotentis, salutes infinitas in crucifixo Jesu etc. Divina clementia atque bonitas, Pater mi in Christo dilecte, numquam desinit invitare animas ad bene agendum, sive per inspirationes internas, sive per os famulorum suorum : sed ego surda non audio, et muta non loquor. Accepi his diebus vestram unam Epistolam suavem ac dulcem : nec possum explicare quam grata et quantæ consolationis mihi fuerit : idque tribus de causis. Primum quia scripta erat mihi indignæ, cum tanta, tanta caritate, dulci et inflammata, quæ procedit a Spiritu sancto. Secundo, propter suffragia illius animæ. O magne ac pientissime Deus! qui dignatus es per misericordiam ac gratiam tuam, et suffragium Missarum atque orationum servorum tuorum, educere animam e Purgatorio. Hoc dico, care Pater in crucifixo Jesu, ad laudem Dei et consolationem vestræ Paternitatis. Videtur mihi quod caritas postulet, ut, sicut fuisti particeps laboris, ita sis etiam consolationis. Sed oro dulcem Patrem meum in sanguine Christi, ut hoc nemini unquam manifestetur, quantumcumque amico, quoad vivam : volo esse secura quod in hoc fidelissimus mihi eris. Tertio fecisti mihi oblationem quæ nec æstimari potest, nec recusari. Salvator noster Jesus Christus sit remunerator viceralis caritatis tuæ, propter quam obligata manebo semper orare pro te, licet orationes meæ sint exigui fructus, propter meas magnas imperfectiones et exiguum amorem dulcis Sponsi nostri Christi, redemptoris animarum nostrarum, apud quem velis deprecari pro me peccatrice. Reverentiæ autem tuæ refero gratias immortales, pro beneficiis per te receptis a Deo. Pax vobis Mantuæ.

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

Et in schedula inserta.

263 Post-scriptum. Reverende Pater ac Fili in Christo, quamquam præsumptioni possit imputari quod ea formula loquendi utar, constringor tamen ad id a vestra Caritate. O care Pater in Christo Jesu, convenit me suspirare, quando cogito de Missis istis S. Gregorii. Id quod ego pro te facio, quasi nihil est respectu ejus quod facis tu. Ignosce si non respondi toti tuæ Epistolæ ; et rogo ut hanc combaras, respectu secreti quod tibi scripsi. Soror Osanna de Andreasiis, indigna famula Jesu Christi, et tota tua in pretioso sanguine Christi crucifixi, cum humili commendatione.

Epistola II.

Narrat gratias a sexto ætatis anno receptas, et vitæ suæ spiritualis initia ac progressus, osculum lateri Christi datum, cor immutatum, tribulationes toleratas.

Reverende et carissime in Christo Pater, atque unice Fili, in sanguine Christi concepte, indigna mater vestra, constricta caritate Christi et filiali amore, qui me sic alligavit, ut aliter facere nequeam. Seponendo excusationem omnem, ad gloriam dumtaxat et laudem boni Jesu, atque ad solatium tuum, mota fui cum timore ad scribendum quædam, quæ promisi Reverentiæ tuæ. O magne ac pientissime Deus! quid agis? Facis scilicet ut duo corda sint una voluntas in Christo per gratiam tuam. O bonitas et clementia divina. Verum est quod per gratiam suam in ætate annorum sex, Deus infuderit animæ meæ cognitionem quamdam et lumen, non propter mea merita aut virtutem, sed per solam suam gratiam, ut omnia quæ videbam et audiebam repræsentarent menti meæ Deum, cum tanta cognitione et sensibili gustu dulcedinis divinæ, ut sæpius spiritus meus absorberetur in Christo. Invitabat autem me, velocemque ac solicitam faciebat erga sanctam orationem, meditationem Passionis suæ sanctissimæ, vigilias, pœnitentias, jejunia, opera pietatis, Confessiones, Communiones et lacrymas, quamvis nulla humana creatura me instrueret ad talia.

265 In corde meo loquebatur semper Christus, ambulando, stando, loquendo cum hominibus : et eo usque perveni, ut nec manducare, nec dormire possem. Neminem æstimabam : non quia contemnerem aliquem, sed quia ejusmodi cogitationibus eram immersa. Anima vero mea in ipso quadam vice sic posita (in corpore an extra corpus nescio) non per merita aut virtutem meam, sed per gratiam divinam, vidit magnam claritatem, quæ solis aut luminis alicujus materialis non esset : et cognovi quod erat Pater, Filius ac Spiritus sanctus. O magne Deus! Non est lingua quæ hoc possit narrare vel explicare. Nescio quomodo anima tunc fuerit in corpore, et non potius ab ipso separatum sit : et statim atque id mihi in memoriam venit, deficere videor. Postea vidi duo alia loca, tamquam tenebrosos carceres, in quibus puniebantur animæ, præsertim in Inferno. O quam horribiles ac variæ ibi pœnæ! Si non essent ibi aliæ quam dæmonum conspectus, plus quam nimiæ forent : non est lingua quæ explicare illas possit, et vel sola cogitatione inhorresco.

266

A EX ITAL. HIERON. OLIVET.

266 Alia vice posita in oratione audivi vocem dicentem mihi : Dilecta filia mea, dimitte affectum et amorem patris ac matris tuorum carnalium ; et adjungere mihi Patri tuo cœlesti, id est, æterno tuo Deo et dulci matri meæ, sacratissimæ Virgini Mariæ. O Fili care in Christo, quanta dulcedo remansit in corde meo vice illa! quantum desiderium fugiendi mundum et deserendi patrem, matrem atque consanguineos omnes ! Verumtamen, mi dilecte in Christo Fili, non placuit id Deo, sicut progressu temporis cognovi in orationibus meis. Alias in oratione positæ mihi apparuit Christus cum cruce in humeris. O Deus meus, nequirem narrare modum : ignosce mihi. Aliquantulum tamen volens me explicare, dicam hoc modicum. Cognovi quod mihi necesse erat transire per viam tribulationis, persecutionis et ærumnarum, quemadmodum apprime verificatum fuit : valdeque bene inhæsit infixa memoriæ meæ passio Christi et amor divinus, qui tantum accensus fuit in corde meo, ut mihi viderer abscondita in sacro vulnere lateris Christi. O benignissime mi Deus ! quid tunc faciebas in anima mea? Tanto tædio mihi erat mundus, ut vix possem conversari cum creaturis : cum autem id cavere omnino B non possem, abscondebat me Deus modo supradicto ab anno sexto usque ad decimum quartum.

267 Postea per Dei gratiam crevit anima mea, multiplicatusque est ignis amoris divini ac desiderium inebriandi me pretioso sanguine Christi ; maxime applicandi os meum ad ejus sanctissimum latus, neque desiderium miseræ peccatricis sprevit Deus, sed in oratione positæ concessit mihi Christus gratiam ponendi os ad latus suum. Istic stando accepit anima gratiam a Deo, et quiddam quod nescio explicare : unum certo scio quod inde mihi manserit cor inflammatum, sicque fuerim inebriata sanguine Christi, ut quoties audiebam nominari Sanguinem, cor mihi videretur cum anima deficere, atque crepare præ dulcedine amoris divini ; odioque tanto mei ipsius implebar, et offensarum contra Deum commissarum, ut voluissem a toto mundo æstimari peccatrix maxima. Quodam autem die Veneris sancto apparuit mihi in oratione positæ Christus, eo prorsus modo quo fuit illo die in cruce, dicens mihi. O Anima, Filia mea, condono tibi peccata tua : deditque mihi benedictionem suam cum immensa benignitate. Per efficaciam porro dictæ visionis et benedictionem istam fuit animæ meæ C infusa tam profunda humilitas, ut non crederem me dignam stare supra terram, nec aliud in me reperirem quam peccata quibus offenderam Deum : sentiebamque ejus pietatem et misericordiam cum lacrymis et dulcedine. Ora Deum ut mihi det gratiam ne sim ingrata tantis ejus beneficiis ac favoribus, a divina sua Majestate receptis. O care in Christo Fili, quando recogito verbum istud quo dicitur, quod peccatum ingratitudinis obturat fontem divinæ misericordiæ, tota expavesco.

268 Quadam vice in oratione optabam, ut cor meum mundum esset et purum, itaque placeret Christo : visumque mihi est, quod Deus immisit manum lateri meo, indeque extraxit cor meum : tenendoque illud manibus suis dixit ; Ecce, Filia. Videbatur autem ipsum esse quadam ex parte pallidum, imo majori ex parte. Nescio quid tunc fecerit Deus cordi meo, sed hoc scio quod ipsum retulerit postea totum rubicundum ac radiosum, et reposuerit lateri meo : o quanta cum dulcedine et suavitate ! Postea quando loquebar cum hominibus, Jesus Christus sponsus animarum nostrarum semper obversabatur præsens oculis mei intellectus. Ab ea hora mansi tribus annis, sic ut mihi non viderer eadem esse, sed alia quædam nova persona, tota submersa in D Christo ; magisque mihi videbar esse in alio, quam in hoc mundo. Sæpe persistebam, uno, duobus, aut quandoque etiam tribus diebus in oratione, cum mente in Deum elevata, non propter merita mea aut virtutem, sed per divinam gratiam ; adeo ut aliud non desiderarem, quam dissolvi a misero isto corpore, et esse cum Christo, sicut dicebat Apostolus : eram tamen contenta pati pro amore Jesu Christi. (Phil. 1, 23)

269 Postea valde fui tribulata, multæque persecutiones et molestiæ allatæ mihi fuerunt, sic ut extra crucem nullum invenirem refugium, nec præter ipsam aliquid mihi saperet. Tribulationes istæ duraverunt annis septem, nec adhuc in præsentiarum finem habent. Gratiæ Deo sint semper : quidquid facit providentia sua bene factum est, et ad salutem meam, ut non habeam causam elevandi me per superbiam, sed stem in humilitate. Omnia per Dei gratiam sustinui cum patientia : dicit enim Salvator noster, Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. (Mat. 24, 13) Hæc scripsi tibi cum verecundia : ignosce mihi si minus plene satisfecerim desiderio tuo. Istæ sunt res pueritiæ meæ, et multæ occupationes mihi ingeruntur propter infirmos nostros : qui tamen per E Dei gratiam nunc melius habent, mediantibus precibus vestris. Altera vice res alias scribam. Ora Deum pro me ut concedat bonum medium ac finem : quia multi habuerunt bonum principium, sed postea malum finem, sicut Judas : sed Deus mihi faciat gratiam, quam fecit Paulo Apostolo, ut in beata patria possimus invicem reperire. O care Fili mi in pretioso sanguine Christi, obsecro ne hæc dentur alicui legenda.

Indigna mater tua in crucifixo Jesu, cum mille commendationibus.

Epistola III.

Accepta Auctoris epistola, gratulatur sibi de mutua inter se et ipsum caritate.

Jesus amor meus. Unice ac vere Fili mi, in pretioso sanguine dulcissimi Jesu, sponsi cœlestis, concepte, præcordialissime et amantissime Fili mi. Accepi unam vestram, mihi gratiorem quam ulla alia res esse posset, præter divinam gratiam, quia ex illa intellexi tuam erga me caritatem. O Deus meus ! Omnia viscera materna jubilant, quando illam epistolam cum lacrymis cordialibus lego. O Deus, Domine mi ! Quid est vinculum caritatis perfectæ in F dulci Jesu, inter unicum filium ejusque indignam matrem. Nunc Caritati tuæ significo, quod mihi bene sit quoad corpus, sed male quoad spiritum, propter meam magnam imperfectionem et exiguam devotionem. Non me extendo pluribus, quia tempus me urget. Aliam epistolam meam tibi mittam de rebus secretis, quod modo non facio : aliud autem nunc non dico, quam quod omnes de familia commendemus nos sanctis orationibus tuis, et ego præ ceteris ; idque ad patriam æternam Deus nobis det gratiam, ut istic mutuo invenire possimus. Amen. Ibi ille reddat unicum suum Filium miseræ suæ atque mœstæ matri. Pax Vobis. Indigna mater vestra, in dulci crucifixo Jesu, cum humili recommendatione. *Atque hæc fere epistolis omnibus communis est subscriptio, pro qua deinceps ponam* etc. *ubi hoc deerit, nec alia aderit, nullam esse subscriptionem cogita.*

Epistola IV.

Christum ipsi benedixisse indicat, optat ejus reditum, agnoscit ingratitudinem suam erga Deum et Auctorem.

Jesus amor meus. Unico Filio meo, in magno fonte amoris divini concepto.

Hodie

Hodie per Dei gratiam posita in oratione, præsentavi divinæ Majestati meum amantissimum Filium in crucifixo Jesu: et per suam misericordiam dedit benedictionem sanctissimam Filio et matri. O bonitas æterna! quam est magna clementia tua erga animas, redemptas tuo pretioso Sanguine! O Deus meus! Nescio quid aliud agam, quam semper prostrata jacere ante sanctos pedes Crucifixi, cum desiderio spasmatico, ut anima crepet in amore et cognitione Dei. O Fili in sacro latere Christi Jesu, ora Deum ut ignoscat maximæ meæ ingratitudini versus suam divinam Majestatem, et versus dulcissimam Caritatem vestram, cui infinite obligor. Deus meus nihil omittit ad consolandam miseram matrem tuam, maxime adducendo reverendum Patrem Marcum-Antonium, magnum suum amicum. Ita credo, Fili mi, concepte in ejus sanguine. Quando recogito profundam et ardentem caritatem Christi Jesu erga me peccatricem, obstupesco et tota contremisco. O cor meum adamantinum, quid agis? cur non finderis, cognoscendo tantam Dei bonitatem erga me indignam? O Domine Deus, Jesu mi! noli me privare dilecto meo in Christo filio; si tua id fert voluntas. Ah, mi Deus! miserere mei Domine mi. Cito, cito deduc matrem cum filio ad patriam æternam. Ideo ora pro me. Aliud non dico: lava te in sanguine Christi Jesu. Sanctis tuis orationibus omnes se commendant, etc.

Epistola V.

Gratulata sibi de mutua conjunctione, negat se posse quidquam ipsum celare.

Jesus, dux viæ et solatium amatorum suorum. Salus sit tibi in ipso crucifixo Jesu, care et unice mi ac cordialissime Fili, in sanguine Christi concepte. Cum quanta consolatione receperim epistolam tuam gratisssimam non possum exprimere, maxime considerando tantum vinculum caritatis. Quantum ad reciprecationem maternæ caritatis, quam sentio ego indigna mater tua; credo quod debeas ejus fieri particeps, secundum istud Apostoli, Quod si filius, et heres per Deum (Gal. 4, 7). Rationabiliter sentis; filius carnalis non debet privari hereditate; magis ergo et cum affectu impleri illud debet respectu spiritualis filiationis, quæ colligatur vinculo immortali ignitæ caritatis Jesu crucifixi. O catena! o vinculum suavissimum et sanguineum, quod nos, id est matrem indignam et filium tam arcte colligavit in conspectu Dei. Deus per suam caritatem et incognitam dispositionem motor fuit; adeo ut, Fili mi in Jesu crucifixo care, verum sit quod Deus posuerit in cordibus nostris tantum ignem sui divini amoris et caritatis, vultque ut sanctus hic amor continuo ardeat, comburat et consumat omnem terrenum amorem.

273 Propterea præscriptos respectus dico, quod non possum nec volo quidquam ulla ex causa abscondere filio meo, in conspectu Dei sic colligato et corradicato: neque possum aut volo ipsum plus celare quam meipsam cum voluntate Dei. Nollem equidem in re quacumque divinam Majestatem offendere; neque nostras vel alienas animas lædere. O dilecte in Christo Fili, reddo gratias benignæ caritati tuæ de omnibus beneficiis per ipsam receptis; et maxime de participatione sacri illius convivii, unde tantum mihi voluisti cedere, quantum animæ vestræ propriæ. O caritatem immensam! O Deus meus! Obstupesco profecto: apparet enim quod tuum ac meum cor unum idemque sit. O Fili mi, in sanguine Christi concepte, et suo sacratissimo latere ibique submerse. O profundam et incognitam æterni Dei sapientiam! quæ hoc permisit ad augmentum salutis meæ. O cor meum ferreum et adamantinum, quid agis? non disrumperis cognoscendo magnam bonitatem tui dulcis creatoris et salvatoris Jesu? Semper sint gratiæ divinæ suæ Majestati. Pro me ora, ut condonet ingratitudinem miseræ matris tuæ in Christo Jesu.

EX ITAL. IMPR. OLIVET.

Epistola VI.

De spirituali desponsatione cum anima, ejusque conditionibus, ac suo circa eas defectu.

Jesus Mariæ Reverendo in Christo Patri et cordialissimo Filio, salutem in Domino sempiternam. Amantissime mi et unice Fili, in sanguine Christi concepte. Considerans ego magna beneficia a Patre æterno concessa rationali creaturæ; eorum maximum esse existimo, quando ipsam vocat ad servitium suum. Tunc contrahit Deus sanctum matrimonium cum anima, faciens eam sponsam suam seque sponsum ipsius animæ. O bonitatem æternam! O Sponsum dulcissimum benignissimum et clementissimum! Quid autem vult sponsus iste ab anima sponsa? Tres utique res ad similitudinem matrimonii mundani inter virum et mulierem. In ipso matrimonio requiritur fides, verba et indivisibilitas. O dilecte mi et benigne Fili. Fidem significat annulus; verba, id est fili, operationes bonas; indivisibilitas, fortitudinem et perseverantiam in bonis et sanctis operibus, et numquam deficere neque propter tribulationes, neque propter adversitates aut persecutiones vel infirmitates aliquas; numquam dico discedere a sponso animæ nostræ Jesu Christo.

175 O Fili mi dilectissime in sacro et suavi latere Christi, quantum sponsus animæ meæ misellæ queri potest de me peccatrice et adultera: quia non servavi ipsi fidem, quam meretur talis et tam benignus sponsus; non produxi ipsi filios bonorum operum, sicuti debebam: neque sic fui unita ipsi sicuti obligabar. O unice et care in Christo Fili, ora dulcem sponsum nostrum Jesum Christum, ut in futurum nobis det gratiam qua non solum fideles simus, sed fidelissimi suæ æternæ Majestati: concedatque gratiam filio ac matri in Christo, ut eant contemplatum sponsum illum Jesum in vita æterna. Amen. Vere ac fidelissime mi in Christo Fili, dulcissima Caritas tua mihi ignoscat quod præsumpserim tibi hæc scribere. Certissima sum quod ista non ignores: sed per amorem Dei et dilectionem quam tibi gero, constringor ita facere. Precor Caritatem vestram ut caveas ne per hoc magnum frigus infirmeris, et ora pro me. Molestum mihi est quod non possim sæpius scribere Caritati vestræ etc.

Epistola VII.

Dolet quod ipso ad se veniente, per impedimentum frustrata fuerit ejus visitatione; eique gratulat amorem in vulneribus Christi, ipsi bene precatur.

Jesus Mariæ. Dulcis ac dilecte Fili in Christo Jesu, sit nobiscum pax Christi que exuperat omnem sensum. Intellexi Caritatem vestram hic mane fuisse, eram eo tempore occupata: et ideo valde fui contristata. Fiat tamen voluntas Domini semper. Oro te per viscera Domini nostri Jesu Christi precare dulcem sponsum Jesum, ut mihi ignoscat peccatum istud et omnibus aliis; neque propterea desinas visitare indignam et misellam matrem, quæ propter peccata sua non meretur visitari ab unico suo filio in sanguine Christi concepto. Hoc mane, videbar mihi ad cor audire vocem dicentem: O indigna mater, carus et amantissimus Filius tuus hodie veniet te invisum. Non cogitabam tamen quod ante vesperam

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

A ram, quia fueras foris. Patientia ad punitionem peccati mei. Ego dilectissime mi fili in Christo, his præteritis diebus cogitavi, quod dulcis Caritas tua fuerit retenta aut valde occupata, maxime circa mysterium passionis et plagarum crucifixi Jesu, cum ardenti sanctoque desiderio prorsusque ei immersa; maxime considerando, quomodo ipsi fuerunt distracta ossa sui sanctissimi pectoris. O dolorem gravissimum! quid tunc egit anima filii et matris in illo pretioso sanguine colligatorum? quomodo non dissilit et moritur per compassionem? Ita ei contingat contemplari divinam essentiam, quam cum continuis lacrymis precor, licet indignam et magna peccatrix, ut concedat amanti meo in Christo filio gratias suas: idque facio tempore sanctæ orationis; et spero in Deo quod per misericordiam suam faciet gratiam. Ora Deum hoc quoque addat, ut in beata patria invicem reperiamus. Amen.

Epistola VIII.

Excusat raritatem suarum epistolarum, seque in ejus absentia solatur: videtur scripta esse Ferrariam ubi erat B. Lucia.

B Jesus nostra salus. Pax et sanctitas in mentibus nostris, semper sepultis in dulci et amoroso latere Christi Jesu. Amantissime et unice mi care fili, in pretioso sanguine Christi crucifixi concepte. Quamquam cor meum non longe sit a Caritate vestra, sed mentes nostræ sint perpetuo unitæ dilectione et vinculo perpetuo in Christo Jesu; tamen diebus pluribus nullam scripsi epistolam ad te visitandum, quia id facere non potui modo meo. Videntur mihi non dies sed anni, quod non habui colloquium sanctum cum caro meo in Christo filio, quem insculptum gero visceribus cordis, cum caritate, amore et dilectione in Christo Jesu qui est spes nostra, lætitia, solatium et refugium nostrorum mœrentium cordium propter mutuam absentiam. Patientia. Faciamus sicut dicit Apostolus in suis epistolis: Si absens sum corpore, præsens sum spiritu. Quando sic placet divinæ Majestati, unice et cordialissime fili mi, concepte in visceribus Jesu Christi, oro dulcem Jesum, ut nobis concedat gratiam inveniendi nos invicem cito in patria æterna. Commendo me tuis sanctis orationibus. Aliud modo non dico, nisi ut ores bonum Jesum, ut mater vestra faciat bonum finem. O fili! quam multa audiunt aures meæ. Non scio an Dominus Benedictus poterit visitare Matrem Sororem Luciam. Orate pro me. Pax vobis. Ex Mantua etc.

1 Cor. 5, 22

C

Epistola IX.

De efficacia ferventis desiderii, cum voto gustus spiritualis, præ quo cetera omnia amara videantur.

Reverende, in Christo dilectissime fili Salutem in Domino. Dubium nullum menti meæ et intellectui est, quin tua pia et humilis devotio, in hac festivitate Dominæ nostræ, toto corde, desiderio, affectu, et pura intentione receperit et gustaverit fructus et munuscula Dei, et dulcis ipsius ac purissimæ matris, indulcorando animam sancta oratione, meditatione dulci, et suavi contemplatione vel suavissimo odore. Fili mi, in Christo dilecte: dicit S. Thomas, quod Balena est magnus piscis, non tamen laborat ut cibum inveniat; quia Deus indidit ei odorem tam suavem, ut quando vult manducare, solum opus habeat aperire os: in quod mox ultro pisces intrant, atque ita manducat. Si Deus animali isti talem dedit virtutem, quanto magis

in Job. 41 Lect. 2

D creatura rationalis, aperiens os sancti ignitique desiderii, satiabitur, attrahendo in se divinam internamque illuminationem, sicuti magnes trahit ferrum. O fili care, concepte in sanguine Christi, si semel possem Deo appropinquare sicut vellem, numquam amplius possem inde discedere. Ideo videtur mihi, fili mi cordialis et in Christo unice, quod si delectationes omnes essent collectæ in unum, et vel minimam scintillulam deliciarum paradisi perciperemus, æstimarentur amaritudines potius quam delectationes. O si manducassemus ferculum aliquod præparatum in coquina sanctæ Trinitatis! O Suavitas! o Saccarum! o mel, indulcans et dissolvens animam inamoratam et accensam ac liquefactam, amore dulcis sponsi, Jesu Christi crucifixi. O dulcis et suavis amor Jesu, deduc carum in Christo filium, cum sua indigna matre, ad fruendum summo illo ac dulci Christo. Amen.

Epistola X.

Narrat in Natali Domini oblatum sibi a Deipara Jesulum, et quid ab illo de ipso intellexerit.

E Præcordialissime Fili in Christo. Pax vera in piissimo ac suavi latere immaculati Agni Jesu, ubi est pax animarum justarum unitarumque in amoroso illo atque inaurato thalamo et purgatarum atque lotarum in isto pretioso sanguine. Nunc unice et devotissime atque care fili, in magno fonte divinæ bonitatis concepte, ecce vestram in Christo matrem, quæ ex omnibus cordis visceribus amat filium suum in crucifixo Jesu, paratam ad dandum aliquod xenium dilecto suo in Christo filio, hoc natali die benignissimi Jesu. Diebus præteritis anima quædam meditans tantum mysterium, quantum est nativitas dulcis Jesu, per gratiam divinam levata fuit mente in Deum; viditque Deiparam cum parvulo Jesu in brachio, cum magna claritate et splendore: quæ obtulit dulcem Jesulum indignæ animæ, gratiose et cum suavi voce dicens: Ah filia! anima sitibunda, incipe, pete, nec dubita quin sis obtentura quod voles: hic est Filius meus, creator et salvator tuus ac totius naturæ humanæ. Prostrata autem anima ad sanctos ejus pedes præ reverentia, et admiratione perculsa, atque inaudita dulcedine capta, muta manebat, nec petebat gratiam aliquam. Licet enim Regina, Mater Jesuli, subrideret et incitaret animam ad petendum; non aliud tamen sciebat dicere, quam illud S. Petri Apostoli, Bonum est nos hic esse etc.

F

280 Ita cum hæreret, dulcis Parvulus porrexit manum suam cum magna suavitate: et Animæ fuit apertum os: atque inter alia interrogavit an opera istius dilectissimi amici essent accepta suæ divinæ Majestati. Jesulus autem respondit Animæ: Valde mihi gratus et acceptus est: tantum perseveret, et pro meo amore nullum laborem pertimescat: quia in patria mea æterna, consolabor et præmiabo omnes ejus conatus: nec enim sum contemptor sanctorum desideriorum. Addidit etiam multas alias res quas non possum narrare. Ignosce mihi dulcissime in Christo fili. Aliud non dico: tantum ora dulcem et benignum Jesum pro me indigna matre vestra, digna autem omni pœna propter peccata mea, et maxime propter peccatum ingratitudinis meæ. O bonitas æterna, adjuva peccatricem animam meam, et corpus dissolve, ut non amplius Deum offendat, atque deduc carum in Christo filium cum matre sua ad sanctum Paradisum. Amen. Pax Vobis. Secretum est: sed scio, non est opus ut hoc commendem. Ora pro me. etc.

Epistola

A

Epistola XI.

De virtute humilitatis, visisque et actis a se die Veneris sancto.

Unice et genuine ac devotissime fili mi, in piissimo, dulcissimo et suavissimo latere dulcis ac crucifixi Jesu sponsi animarum nostrarum, dulcissimi super mel et saccarum. Amate ac dilecte fili, in sanguine Christi concepte, non audeo scribere Caritati tuæ. O dulcis Deus meus! Ignosce magnæ meæ præsumptioni. Dicit S. Ambrosius, quod humilitas est custos virtutum: sanctus autem Hieronymus, meus tuusque devotissimus, in epistola ad Paulam dicit, nihil esse humilitate excellentius, nec aliud quod magis amet Deus: quia ipsa est specialis conservatrix, ac veluti custos omnium virtutum, nec quidquam adeo nos gratos acceptosque facit Deo quam ipsa cum vera caritate. O cordialis mi in Christo Jesu crucifixo, valde mihi placet talis virtus, omni commendatione et laude dignissima, quamquam a me misella matre vestra non satis cognita, propter defectus et imperfectiones meas. B Nunc dilecte in Christo fili, constricta per caritatem dulcis Jesu crucifixi, non possum continere me, quin ubi agitur de consolatione vestra spirituali, seponam omnem respectum, propter magnam et evisceratam caritatem, qua animam vestram complector, quam amo sicut meam propriam.

282 Quantum ad diem Veneris sanctum, videtur quod non possim invenire apta vocabula, quibus ipsum exprimam tibi, fili mi in Christo carissime. Vellet tamen misera mater solari filium unicum, cordialem et benignum, cui tantopere obligatur. Verum aliter non possum, nec scio quidquam dicere, nisi quod initio prædicationis anima mea fuit posita in instanti cum dulci ac benigno Deo, qui qualiter se ei repræsentaverit non possum narrare, nisi quod apparebat immensa quædam claritas, et in ea Deus, et in hoc Anima, quæ gaudebat et orabat pro illa anima in Christo, multasque res alias pro animarum salute. Inter alia intellexi magnos Dei honores, quos nequeo explicare: dico tamen tibi, quod anima illa coronabitur in vita æterna. O Deus meus! Nolebat anima amplius redire ad corpus. O quam amarum descendere et separari a tanta pulchritudine atque ab unione summi boni! Fili care in C Christo, in ipso videtur atque intelligitur Deus absque verbis cum humilitate profunda, quam causat præsentia divinæ Majestati. O dilecte fili in Christo non possum ultra progredi: ignosce mihi. Alia vice, si placet Deo, ero magis quieta quam hodie. Sanctis orationibus tuis commendo miseram et peccatricem animam meam, ingratam erga Deum et carum suum filium, conceptum in sanguine Jesu Christi. Rogo ut miseram tuam matrem advoces, quando est in convivio Christi Jesu, sponsi cœlestis animarum nostrarum, et pro me etc.

Epistola XII.

Petit per litteras visitari, quando coram non licet propter absentiam: aspirat ad cœlestem patriam: dicit se parum abfuisse a morte.

Unice, genuine ac carissime fili mi, concepte in Christi sanguine, caritas dulcis Jesu accendat corda nostra ad nostram salutem. Amantissime fili mi et in Christo dilectissime, caritas immensa qua erga te feror, facit ut necessario tibi monstrem effectum aliquem suum. Cum igitur habeam te semper cordi meo spiritualiter insculptum, oportet ut habeam etiam in calamo, nec possum continere me D quin scribam dilecto meo et caro filio in Christo. O quanta mihi consolatio esset, si aliquando possem loqui tecum modo solito de rebus spiritualibus, deque divino et dulci amore Jesu Christi: sed cum id mihi ac tibi impossibile sit, per virtutem sanctæ obedientiæ, cui alligamur tamquam catenæ Christi Jesu usque ad mortem; precor quantum scio et possum, per amorem nostri dulcis sponsi Christi Jesu, ut visitare me velis per litteras tuas, sicut mihi promisisti. Ah Deus meus et Dominus meus! quando erit ille jucundus, ille felix dies, quo videbimus invicem in felicissima patria vitæ æternæ, plena lætitia et consolatione inenarrabili, quia juxta Apostolum Paulum, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quanta præparavit Deus diligentibus se. Ibi certi erimus numquam nos separandos, sed stabimus semper ad latus dulcis atque immaculati Christi Jesu, cantantes jugiter coram ipsius Majestate pulchrum illud canticum, quod, sicut Joannes in Apocalypsi scribit, Cantabant seniores coram Deo et Agno Sanctus, Sanctus, Sanctus. Postea contemplabimur pulchram illam et tam gloriosam humanitatem dulcissimi sponsi nostri E Jesu Christi: palpabimus et osculabimur sæpius claras illas ac lucidas cicatrices manuum atque pedum, cum plaga sui sancti lateris, per quam poterimus intueri suum sanctum et secretum cor, plenum amoris et caritatis erga nos, per quam redempti sumus a pœnis æternis.

EX ITAL. HIERON. OLIVET. 1. Cor 2 9

Apo. 4 8.

284 O felicitas! o gaudium! o lætitia! Heu me miseram! Quid facimus, care mi fili in Christo? Cur non imus cito ad illam perfruendam? Ploremus multis cum lacrymis et suspiremus tamdiu, donec ad compassionem nostri moveatur sponsus Christus Jesus, plenus misericordiæ, ut cito nos eximat ab hoc exilio, et ducat ad nostram vitæ æternæ civitatem. Amen. Amantissime fili, ablute pretioso Christi sanguine, oro Caritatem tuam ut mihi ignoscas quod nondum responderim epistolæ tuæ, quia fui infirma, et multo debilior quam me reliquisti in tuo discessu, sic ut fere dubitarem an misera Mater unquam esset in hac vita revisura suum in Christo filium. Verumtamen Deus permisit me adhuc modicum fatigari in hoc mundo, propter peccata mea. Rogo Deum ut dignetur per suam misericordiam restituere dilectissimum in Christo filium miseræ et inconsolabili matri. Aliud non addo, nisi quod omnes, et ego plus quam ceteri, nos commendemus orationibus tuis; et Deus nobis concedat vitam æternam: cito, cito. Amen. etc. F

Epistola XIII.

Rogat ut oret pro mundo, cui Deus propter peccatorum multitudinem iratus est: dolet ejus et sociorum conspectu se frustratam.

Reverende et carissime in Christo Pater, atque unice fili in sacro fonte lateris et caverna Christi, ubi anima invenit repositum omnem thesaurum. Heu me! tristem, negligentem, miseram, plenam omnis imperfectionis et defectus spiritualis. O Deus meus! Quid agis, mi Domine, quod propter demeritum maxime meæ ingratitudinis non dehiscat mihi tellus sub pedibus, meque præcipitet in abyssum infernalem? O clementiam et misericordiam magni et pretiosi Dei, qui non desinit unquam creaturas suas ad se trahere variis viis ac modis. O Pater et fili care in Christo, non scio quomodo anima mea maneat in corpore, cum præteritis diebus intellexerit partem magnæ bonitatis summi Dei, ejusque justitiam et misericordiam, quarum hæc totum mundum circumspicit

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

spicit semper, ut videat an velit se emendare. Sed vereor ne is aut nihil aut modicum faciat, itaque ira et justitia Domini Dei supra ipsum veniat, id est super creaturas ejus rationales. O quam enormia sunt peccata et offensæ Dei! Quapropter, carissime mi et in Christo unice, atque a Deo electe fili, per specialem gratiam mihi a Deo concessam non propter virtutem aut meritum meum; precor ut velis instare per tuam sanctam orationem, et supplicare pietati atque clementiæ ejus, ne velit respicere peccata et iniquitates, sed abyssum suæ misericordiæ, et hanc effundere supra mundum; dando mihi iniquissimæ lumen cognitionis propriæ, suæque bonitatis et misericordiæ, ut cum spasmatico affectu sanctoque desiderio et eviscerata caritate Dei ac proximi, maneam ad pedes Salvatoris nostri Christi Jesu, idque pro salute animarum.

286 O dulcissime et unice care fili in crucifixo Jesu, indigna mater tua cum totis visceribus cordis te precatur, ut per Dei amorem facias orationem pro salute animarum et maxime pro statu ecclesiastico. Non dico tamen Caritati vestræ, fili in Christo quid a Deo benedicto intellexerim. Sabbati præteriti vespere vestra Reverentia, simul cum reverendo Patre Don Marco Antonio, et nostro in Christo carissimo Domino Antonio misistis pro me, indigna propter peccata mea. Desiderabam videre illum: patientia: non merebar. Nihil aliud modo, dilecte in Christo et unice mihi care fili, nisi ut sanctis tuis orationibus me commendem, in quibus maximam habeo fiduciam Hæc autem mea epistola ut a nemine unquam mortali homine videatur rogo. Opto ut in cœlesti patria possimus invicem reperire. Amen. etc.

Epistola XIV.

Indicat specialem unionem quam habuit cum Deo, ejus fratrem non moriturum, atque alios duos utcumque emendatos.

Jesus amor meus. Reverende Pater et unice fili, in pretioso sanguine crucifixi Jesu concepte: pax et salus dulcis pellicani Christi Jesu semper in cordibus nostris perseveret, ut omnia opera nostra sint meritoria vitæ æternæ. Amen. Credo quod magnes non habeat tantam virtutem, quantam habent orationes: quippe quæ me fecerunt mutare propositum, propter amorem dulcissimi nostri sponsi Christi Jesu et vestræ Reverentiæ, cui profiteor obligationem infinitæ caritatis: Deus omnium erit remunerator. Ad gloriam Dei et consolationem vestram, in Christo cordialis ac dilecte fili; ad meam vero confusionem, scribo pauca hæc verba. Animæ meæ in oratione positæ post sanctam Communionem, in cor descendit quædam notitia Dei ac sui ipsius talis, ut judicaverit, quod omnes mundi res nihil sint, præter divinum amorem, qui facit animam ardere et flagrare, sed non conflagrare, maxime quando occupatur circa passionem Christi. Sic dispositæ subito apparuit quædam claritas magna, et in ea erat Christus. Anima autem, quasi deficiens præ dulcedine bonitatis divinæ et præsentiæ suæ, cum cognitione offensarum a se contra summam Dei Majestatem commissarum, dicebat, Non mereor gratiam tuam, Domine mi, quæ fui misera et magna peccatrix, atque causa sum malorum omnium quæ fiunt in mundo. Tunc hilari facie, quasi certo modo subridens, videbatur animam sibi unire.

O Deus meus! nec lingua nec vires humanæ possint exprimere aut enarrare quomodo. Quantum anima magis uniebatur Deo, tanto plus gustabat, incipiente ipso dicere; Anima mea, sponsa ac filia mea, sufficiat tibi stare in humilitate et orare pro meis creaturis ratione utentibus. Ad has voces repræsentavi ipsi omnes meos mihique commendatos, ac specialiter istum vestræ Paternitatis fratrem. Respondit autem mihi Christus, quod non moreretur. Tunc anima subjunxit, Ah Domine mi, quomodo fieri potest ut hoc ita sit: tantum te oravi adhuc pro aliis duobus, et ipsi se non emendaverunt. Respondit ille, Imo, filia, emendati sunt: alioqui meam super illos iram effudissem. Satis emendati sunt respectu ejus quod erant, idque per intercessionem dulcis Matris meæ, quæ fuit ipsorum procuratrix et protectrix, et specialiter etiam per tuas orationes aliorumque famulorum ac famularum mearum. Sint soliciti ad orandum pro ipsis et pro toto mundo: quia fœtor peccatorum in cœlum ascendens tantus est, ut ferre non possim. Dilectissime in Christo fili, legi epistolam tuam, quæ mihi magnam attulit consolationem. O Deus meus! quantam in anima tua cognosco esse caritatem, cordialis mi fili in Christo Jesu. Scripseram Paternitati vestræ hanc ita confuse: oro benignam Caritatem tuam ut mihi ignoscas, si non satisfaciam prout meretur sanctum desiderium tuum. Vellet mater vestra in omnibus consolari suum in Christo filium: sed ipsa tam misera et inutilis est, ut nequeat. Ora pro me. etc.

Epistola XV.

Affectus Deum amantis animæ, et ardentia ad eum suspiria.

Fili in Christo, oculus intentionis debet esse purus, ut sit simplex et rectus, ac super alia omnia media debet dirigi ad Deum per rectam intentionem. Amanti Deum nulla res magis sapida est quam Jesus sponsus suus. O Deus meus et omnia! Et quid amans ego velim amplius? quid felicius possim desiderare? O sapidus, o dulcis sermo amanti Deum et non mundum, in iis rebus quæ sunt in mundo, Deus meus! Intelligenti satis. Ipsum iterare sæpius amanti jucundum est. Omnia jucunda sunt, si tu præsens es; si non ades, fastidio sunt universa. Tu cor tranquillum reddis et quietum, ipsum collocando in magna pace et subita lætitia. Tu facis de rebus omnibus bene sentire, teque in omnibus laudari: neque diu placere potest quidquam sine te, ut autem sit aliquid gratum ac sapidum, oportet ut adsit ei gratia tua, ac bene conducatur per imperium sapientiæ tuæ. Qui te gustavit quid ei non sapites bene? et qui te non gustat, quid ei potest esse jucundum?

290 Sed mundi sapientes deficiunt in sapientia sua; et illi quibus caro sapit: quia multa in eis vanitas est, et in ipsa mors invenitur. Optime sapiunt qui te sequuntur per contemptum mundi et magnam carnis mortificationem: quia transeunt a vanitate ad veritatem, a carne ad spiritum: illis sapit Deus et quidquid in creaturis invenitur ipsi referunt ad laudem Domini Dei. Sapor tamen Creatoris multum differt a sapore creaturæ, et æternitatis sapor a sapore temporis, luxque increata ab ea quæ illuminatur. O lux perpetua, transcendens omnia creata lumina, coruscationes aut fulgura! O lux penetrativa purifica omnia secreta cordis mei cum suis potentiis, ut ad te pertingat cum alacri perseverantia. O quando veniet beata ista et desiderabilis hora, qua me saties de præsentia tua, ut in omnibus mihi sis omnia? Donec hoc mihi dabitur, non implebor gaudio. Hei mihi! quia adhuc vivit in me homo vetus, id est, pravitas carnis: nondum totus crucifixus, nondum mortuus est: adhuc fortiter concupiscit caro contra spiritum,

A spiritum; et prælia secreta miscet, neque tranquillum esse patitur regnum animæ. Sed tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mittigas. Surge et adjuva me, dissipa gentes quæ bella volunt : reprime illas in virtute tua. Ostende obsecro magna opera tua, et glorificetur dextera tua : quis nulla alia mihi spes est neque refugium, nisi tu Domine Deus. In hac vita non est securitas a tentationibus : et hoc semper pollicetur servis suis Deus pro majori ipsorum corona.

Epistola XVI.

Languor ex Dei amore, et quædam sancta eo fruendi impatientia.

In medio cordis mei meditatio vestra est, in Christo crucifixo dilecte fili, salus et gaudium in vobis sit in Domino. Secundum sententiam divini Dionysii, amor perfectus proprietatem hanc habet, quod amantem reddat infirmum, idque secundum naturalem rationem. Etenim causa amata, cum præsens adest, parit singularem consolationem et gaudium; quando abest, tristitiam et mœstitiam. B Quando igitur privatur quis re amata, restringuntur actus corporales, et constricti causant infirmitatem. Quod autem hoc verum sit audi dicentem Sapientiam increatam Canticorum IV. Amore langueo, dicit Salvator noster Christus Jesus, sponsus animarum nostrarum. Cum ergo ego misera, priver meo unico et caro filio, in Christi pretioso sanguine concepto, per ejus absentiam, tristis sum. O dulcis mi Deus! Aliud non volo quam ut in nobis fiat tua sancta voluntas : quamvis mihi grave sit longe abesse a te, unico meo ac benigno filio in sacro latere Christi Jesu.

Phil. 1, 23 — 292 Desidero cum Apostolo Paulo, ut dissolvamur corpore et simus cum Christo. O Paule, ardens caritate! o inebriate dulci vino Paradisi! Dies unus videbantur tibi mille anni, ut corpus terræ matri relinqueres et cum anima peregrina transires ad gaudium, coronatus gloria ante Christum Jesum in Paradiso. O Deus meus! Propheta David in Ps. 119, 5 — Psalmo dicit : Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est! Grave id est mihi, quia prolongatur habitatio mea cœlestis. Credo quod longa illa mora in hac præsenti vita sit perquam molesta viris C sanctis, qui vellent esse juncti cum Deo. Ipse Deus det gratiam unico in Christo et cordiali filio cum sua indigna matre, ut conveniant unianturque in sua divina Majestate ad fruendum dulcissimo illo fructu, filio inquam Mariæ Virginis ac Matris Dei. O suavis visio et contemplatio! o Deus meus! Disrumpe saxeum meum ac durum cor : finde illud, licet adamante ac marmore intractabilius, propter imperfectiones meas et ingratitudines maximas. Ora, ora, fili mi in Christo crucifixo Jesu amantissime, ut in patria æterna possimus invicem cito, cito reperire etc.

Epistola XVII.

Gaudet ejus adventu ad suum Conventum Mantuanum : declarat firmam suam cum ipso unionem : precatur felix Pentecoste.

Reverende in Christo Pater et unice mi fili, in sanguine pretioso Christi Jesu. Considerandum tibi relinquo, quod quando intellexi Reverentiam vestram appulisse ad suum Conventum Mantuanum, quasi spiritum non habuerim, præ gaudii et lætitiæ magnitudine; quia id ego non merueram, propter peccata mea et infinitas offensas factas meo dulci ac caro magistro Christo Jesu. Credo, Pater et unice fili mi, concepte in magno fonte divinæ bonitatis, quod si vidisses indignam matrem tuam, forsan colore transformatam, dicere potuisses; Undenam amor tam cordialis? Respondeo et dico, quod nesciam in qua civitate vel apotheca vendatur, nisi in sacro latere Salvatoris nostri Jesu Christi, quem te credo sine dubio gustavisse in die Passionis dulcis Jesu. Non per mea merita sed per ejus magnam bonitatem firmatus fuit iste tam spiritualis amor, quem credo, adjuvante Deo, non Angelus, non Archangelus, non dæmon, non creatura aliqua, absque gravi causa, rescindere poterit; sed, Dei gratia mediante, semper perficiendum confido in æterna ac beata patria. Amen. D EX ITAL. HIERON. OLIVET.

294 Reverende Pater et care fili in Christo, valde fui contristata illo die, quo per dulcem tuam caritatem me visitasti, quia cognovi Paternitatem vestram satis amaro esse animo, metuens ne ego causa fuerim perturbationis vestræ : certa tamen sum quod boni ac timorati servi Dei non aliter facerent. O animam, quæ cum omni diligentia magnaque cum solicitudine conatur adimplere sanctam obedientiam! Care Pater in Christi sanguine, vellem scire quanam in apotheca merx ista vendatur. E Mihi indignæ matri vestræ, pro exiguo meo captu, videtur, quod inveniatur in sacro latere Christi Jesu. Ora Spiritum sanctum, in hac sacra festivitate, ut dignetur descendere in animam meam, per suam pietatem et misericordiam; ipsamque digne disponat ad tantum mysterium. Aliud nunc non dico, care pater in Christo crucifixo : ignosce mihi quia scripsi festinanter etc.

Epistols XVIII.

De vicissitudine gustus et solatii spiritualis, ejusque cum deficit reditu patienter expectando.

Jesus amor meus. Unice in Christo fili, non potest semper stari in ferventissimo desiderio, vel in summo contemplationis gradu; sed oportet aliquando ad inferiora descendere, propter corruptelam originalem, et pondus corruptibilis vitæ. Quamdiu circumferimus hoc mortale corpus, sentimus tædium et gravedinem in corde : ipsum igitur oportet sæpe gemere in carne, propter onus ipsius. Quando non F poteris continuo intendere spirituali studio et contemplationi, tunc oportebit te redire ad humilia et exteriora opera; et cum firma fiducia expectare adventum supernæ visitationis, ac patienter sufferre exilium nostrum atque ariditatem mentis, donec iterum visitemur a Deo, et liberemur ab omni anxietate, qui faciet nos oblivisci omnis laboris, et frui quiete interiori : explicabit ante nos prata Scripturarum, ut corde dilatato incipiamus currere per viam mandatorum suorum. Tunc dicemus, Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. O dulcissime Jesu, da nobis hanc gratiam ut dilectus filius, cum sua in Christo matre, simul reperiantur cito cito in æterna, beata ac felicissima patria. Amen.

Epistola XIX

Petit doceri de successu negotii, suis orationibus commendati : promittit se missuram ei cilicium.

Jesus Amor meus. Genuine et unice fili mi cordialis, in Christo Jesu pro nobis passo. Post humilem et fidelem commendationem, gratia D. N. Jesu Christi semper sit nobiscum. Nequaquam obliviosa facta devotissimæ et sinceræ benevolentiæ tuæ erga me,

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

me, ne merear maximæ omnino ingratitudinis argui, quando ultima hac vice Caritas vestra mantuæ existens mihi mandavit, ut precarer Deum pro isto negotio; ita feci specialem pro illo orationem. Divina autem bonitas dignata est eam exaudire per suam misericordiam dicendo; Filia mea, noli dubitare, nec aliam viam aut modum quærere: quia etiam istud, absque alio medio, possum effectum dare, per meam potentiam et sapientiam. Itaque fili mi dulcissime in Christo Jesu, oro ut me de negotii istius successu edoceas. Fuit istud in die S. Ursulæ Martyris. Precor non sit vestræ benignæ Caritati grave, certiorem me reddere pro mea quiete, quid videatur tibi ut faciam. Aliud nunc non dico: tantum rogo benignum Jesum, ut restituat filium suum miseræ matri: si id est ad salutem animarum et postea ad vitam æternam. Amen. Carissime in Christo fili, Cilicium non mitto, quia volo expectare donec Caritas vestra redierit Mantuam, uti omnino futurum certa sum per divinam gratiam. Vellem unico filio meo majorem rem dare quam cilicium unum, sed pro mea devotione ipsum penes me servo, sicut velles etiam tu. Omnes commendationes tuas faciam quam citius potero. Omnes domestici commendant se tuis orationibus et ego præ ceteris. Cito, cito expecto Caritatem vestram videre in vita æterna; et postea semper erimus quieti etc.

Epistola XX.

Petit de ejus infirmi valetudine doceri, et pro se orari in festo Assumptionis.

Jesus sit semper in corde et animo vestro, dulcissime et dilecte Pater atque unice mi fili in Deo benedicto. Cogor duabus de causis scribere. Primo quia intelligo quod Reverentia vestra male habeat. Rogo significa mihi quomodo valeas. Nollem sane, care fili mi, in sanguine Christi concepte, ut Caritas tua infirmaretur, esset enim mihi maximus dolor, quia non possem ipsam visitare, timeremque te perdere. Non tamen, carissime et unice fili mi, in fonte magno bonitatis divinæ concepte, vellem recedere a dulci Dei voluntate: sed esset mihi durum et asperum privari dilecto et caro filio meo. Secunda scribendi causa est, ut ores pro me, indigna matre vestra in hac Assumptione Dominæ nostræ. Deus et ipsa sacra Virgo dent tibi et mihi gratiam, ut taliter ascendamus mente ad Deum, ut in hac misera vita nihili amplius æstimemus quamcumque rem hujus mundi, ne quidem nos ipsos, sed solum contenti simus facere divinam voluntatem. Amen. Rogo pro amore Dei, fac me scire quomodo valeas, ad meam quietem, amantissime et unice fili in Christo Jesu, et tuis orationibus me commendo.

Epistola XXI.

Queritur de frequenti visitantium molestia.

Carissime et amantissime uniceque fili, in pretioso sanguine crucifixi Jesu concepte. Significo dulci Caritati vestræ quod corpore bene valeam, spiritu possem valere multo melius, nisi id impediret exigua mea devotio, et multæ ac diversæ occupationes quæ continuo incurrentes faciunt me perdere quietem mentis. Si vir essem, non manerem Mantuæ propter tot visitationes: videor enim valde elongata a meo dulcissimo sponso Christo Jesu. Ideo non invenio me tam patientem quam sit obligatio mea erga divinam Majestatem; et quia desolata atque infelix mater absum ab unico et vero Filio, in visceribus divinæ bonitatis concepto. O fili mi, ora Deum pro me, ut vires mihi det in tantis laboribus. Deus hoc permittit ad meam purgationem, si modo patiens essem. Omnes domestici commendant se orationibus tuis: pro me quoque ora, et ignosce mihi: credebam alias litteras mihi venturas, ideo festinanter scripsi, quod mihi dolet. Pax Vobis. Mantuæ etc.

Epistola XXII.

Æstimat ejus erga se caritatem, in Dei amore fundatam, et petit ejusdem orationes pro tempore adventus.

Inseparabiliter affixo et unico in purissimo et amoroso latere dulcis Jesu, sponsi nostri ignitique refugi, indigna sua et unanimis in Christo famula. Non habeo spiritum ut respondeam epistolæ vestræ, propter insufficientiam et imperfectionem meam: sed dulcis vestra caritas et humilitas in dulci Christo Jesu, amore nostro, te facit loqui, scribere et operari atque coruscantes radios spargere ardentis caritatis in anima vestræ miseræ matris unita cum tua; quamvis omni in opere simus dispares. Etiamsi sol per lutum extendat suos radios, nullam tamen inde suscipit maculam; et anima vestra meæ unita non suscipit ullum defectum. Nescio unde procedat tanta tua caritas erga vilissimam hanc creaturam exiguumque vermiculum; nisi a larga cognitione quam habes de Deo et de omnibus operibus suæ sanctissimæ manus. Totum id fit propter bonitatem divinam erga suam inquinatissimam famulam, ad ingerendam mihi cognitionem infelicis meæ miseriæ. Quapropter, dulcis Anima, amata in pretioso sanguine Jesu Christi, quantum anima mea propria, precor clementiam tuam, ut tuis adjuta orationibus, possim in hoc sancto Adventu pervenire ad veram cognitionem et fieri vera ancilla Dei. Amen. Adjuva me quæso, care fili in pretioso sanguine dulcis Jesu crucifixi, per tuas orationes, in quibus multum fidei habeo. Oro etiam quam citissime de te resciam aliquid. Aliud modo non dico, nisi ut Deus det nobis gratiam revisendi nos in patria felice vitæ beatæ, cito, cito. Amen. etc.

Epistola XXIII.

Rogata impetrare filio Spiritum sanctum, laudat ejus pium desiderium.

Reverende et carissime in Christo Pater, et unice fili mi in pretioso sanguine Christi crucifixi. Heri vesperi accepi epistolam tuam quæ mihi sane gratissima fuit et consolationis magnæ, quia ex ipsa intellexi quod Reverentia vestra per Dei gratiam aliquantulum sit alleviata a tribulatione quam sustinebas, quando a me abiisti post reditum a Capitulo. Fili carissime, a magno fonte et abysso bonitatis æterni Dei mihi concesse, non per merita mea sed per divinam gratiam, valde placet sanctum desiderium tuum, nec ullo modo molestus mihi es. Scito quod animam tuam amo sicut propriam. Etiam ego desidero submergi in divino amore, ut facilius possim recipere Spiritum sanctum. Precor Deum, ut dulci tuæ et magnæ caritati mihique indignæ faciat gratiam istam. Ut autem, dilecte in Christo fili, mediante me eam obtineas, non me agnosco ad hoc sufficientem: faciam tamen quidquid possibile mihi erit propter Dei amorem et caritatem qua te complector. Dulcis Jesus respiciat fidem Reverentiæ vestræ: hæc enim mihi magna videtur esse. O care fili in crucifixo Jesu, suscipe meam bonam erga

erga te voluntatem : alia sufficientia nulla in me est. Orabo Paraclytum ut supra nos dignetur descendere. Omnes consolationes animæ tuæ ejusque salus, meæ sunt : similiter et tribulationes, sunt meæ. Si animæ tuæ bene est, etiam meæ bene erit, Oro Paternitatem tuam ut pro me idem facias, sicuti certo mihi persuadeo quod facies. Spero quod Deus, mediantibus tuis sanctissimis orationibus, infusurus mihi sit scintillam aliquam sui divini amoris, in hac sancta solennitate ; et obsecro ut ipse me colligat atque demergat in eodem suo amore, sic ut ab ipso numquam separari possimus. Orationibus tuis me commendo. Scripseram quod statim mitterem : sed non habui commoditatem tam cito quam volebam etc.

Epistola XXIV.

Agit gratias pro consolatoriis ejus litteris, gratulatur ei locum placitum : docet longanimiter expectandam Dei gratiam ; aspirat ad vitam æternam.

Jesus amor meus. Unice et genuine fili mi, in sanguine Christi concepte Pax et gratia dulcis sponsi cœlestis animarum nostrarum, semper sit cum benigna Caritate vestra, cui infinite obligor. Caritativæ litteræ tuæ magnam lætitiam attulerunt animæ meæ, non absque lacrymis : quam autem fuerint mihi gratæ, nulla est lingua quæ valeat explicare. O Deus ! Quomodo movisti cor dulcissimi mei filii in Christo Jesu, ut me consolaretur in hisce molestiis. Opus est illud bonitatis tuæ, dulcis Jesu : ego id non merebar. Nescio quomodo tibi debeam exponere conceptum cordis mei, unice et cordialis fili mi in crucifixo Jesu. Recepi magnam consolationem, quod Caritas vestra iverit visitatum nepotem nostrum Fr. Thomam. O caritatem immensam ! Certa sum quod magna cum exultatione et lætitia susceperit præsentiam tuam, quia scio quam fidem et devotionem habeat erga Reverentiam vestram. O Deus meus ! quis tantis obligationibus faciet satis nisi tu Domine mi, dulcis Jesu ?

302 O amantissime fili mi in latere Christi, singularem recepi consolationem ex suavibus et dulcibus litteris tuis, intelligens, quod locus iste tantopere facit ad propositum tuum, ut in eo conquiescas et videaris tibi esse in Paradiso. Inter dolores, quos parit mihi absentia tua, satisfactio illa, quam habes in illo loco, mitigat molestiam tui amari discessus : nihilo tamen minus acquiesco divinæ voluntati, quæ semper adimpleatur in nobis opto ; nosque colligatos firmiter teneat in vinculo sui sancti amoris, ac finaliter simul deducat ad felicem patriam Paradisi : qui, care fili et in Christo amantissime, a Deo benedicto concesse indignæ ac miseræ matri, fidelibus omnibus est præparatus. Hei mihi ! dulcissime fili in pretioso sanguine Christi Jesu, scribis mihi quod debeam consolari, quando Caritas tua veniet Mantuam. Si id placuerit benigno Deo, tunc festum agam haud minus quam fecit Fr. Thomas. Precor care fili mi in dulci Jesu, non sit tibi grave venire ad consolandam tuam mœstam et afflictam matrem.

303 Similiter te rogo ne tædio te tradas, si gratia non augeatur secundum desiderium tuum. Paulatim, fili mi in Christo. Deus facit quædam diu desiderari, propter augmentum meriti. Non istud admireris, neque putes procedere ex eo quod in orationibus meis obliviscar Caritatis tuæ, quæ sculpta est in corde meo sicut ego ipsa, et amo animam tuam sicut propriam meam. Crede mihi benigne fili in dulci latere Christi Jesu, quod faciam sicut dicit Apostolus : Si absens sum corpore, præsens sum spiritu : sed propter meam imperfectionem et exiguam devotionem modicumque fervorem non mereor exaudiri. Quando placuerit Deo facere tibi gratiam concupitam, precor care fili, ut cito, cito nos reperiamus in vita æterna, ut ibi fruamur dulci illo et summo atque immarcessibili bono, quod numquam deficiet. Tunc non amplius necesse erit unum ab altero separari. O beatam visionem, et felicem unionem claram atque apertam, quam cito det Deus per gratiam caro meo in Christo mihique indignæ matri. Amen et cognatæ omnes, majores ac minores, et ego misera peccatrix præ omnibus commendamus nos tuæ orationi. etc.

Epistola XXV.

Post Pentecosten, respondet oranti ut abstineat titulis reverentiæ, seque ut Novitium instruat : indulgens eidem ut epistolas sibi scriptas servet et colligat.

Reverende et singulariter in Christi sanguine Pater : salutem et unctiones capitis Pellicani jugiter contemplari.

Dubium nullum fuit menti meæ, quin in hisce sanctissimis festis receperis Spiritum sanctum et gratiam ejus, care mi fili in pretioso sanguine Christi Jesu, dulcis sponsi animarum nostrarum. Quod non respondi devotæ vestræ caritati et benignæ amicitiæ merito admirandæ, amantissime et unice fili mi in sacro latere Christi concepte, et in abysso immersæ ac magnæ bonitatis Dei ac Domini nostri in causa fuerunt occupationes : deinde missus non invenit te in Conventu. O benigne et caritative fili mi, scribis ut non utar talibus terminis honoris, quales sunt Reverentia et Paternitas vestra. Eccur autem, dulcissime fili mi in vulneribus et pretioso sanguine Christi crucifixi, non es contentus, ut, posita caritate nostra eo ubi est loco, defungar parte officii debiti ? Semper debet honorari Gradus. Certa quidem sum quod ipse id nolles : sed ne molestiam afferam dulci Caritati tuæ aliquantulum remittam.

305 Benedicte fili et unice mi in Christo, per me licet ut libellum nostrarum epistolarum describi facias, quodque in eo meum est tuum esse censeas, et quatenus Caritati tuæ videtur retineas, pro tuo solatio spirituali. Significa autem mihi utrum res illæ nostræ tibi placeant. Orationibus tuis me commendo. Aliud nunc non dico, quam ut Deus nobis det Paradisum, ut omne sanctum desiderium nostrum satietur et quietetur. Amen. Jubes, fili mi in sanguine Christi, ut tamquam novitio tibi loquar. Ecce, ita facio : loquor absque excusatione. In omni opere quod facis seu spirituali seu temporali, prius quam illud aggrediaris, dirige intentionem ad Deum, id est ad honorem et gloriam suam : et per amorem ejus ignosce mihi, si non ita bene satisfeci, sancto et ignito desiderio Caritatis tuæ, quam precor ut dignetur orare pro me peccatrice matre tua etc.

Epistola XXVI.

Ex consideratione pugnæ inter carnem ac spiritum, aspirat ad cælum : declarat suum erga filium amorem.

Reverende in Christo Pater et unice mi fili in dulci ac benigno Jesu salvatore nostro. Pax et dulcis ac mellifluus amor ejusdem Salvatoris semper sit in corde vestro, ad hoc ut ipsi contingat ruminare suaves ejus fructus, quos continuo gustandos præbet suis veris amatoribus in hac præsenti vita, pro arrha et promulside vitæ futuræ. Qui sane fructus dulces et suaves sunt gustantibus eos quoad spiritum ;

A EX ITAL. HIERON. OLIVET.

spiritum; licet corpori ac sensualitati sint duri et amari, propter conjunctionem corporis cum anima; quia inter se continuo ac naturaliter pugnant, et quod vult unum, recusat alterum. Hæc autem pugna est perpetua, duratque ad mortem usque. Ideo sanctus Propheta Job, cum gustasset fructus illos dulces et mirabiles hujus miseræ vitæ, ad corroborationem cujusque creaturæ dicit, Quid est hæc misera vita? quasi diceret: O filii, nolite desiderium et affectum vestrum ponere in deliciis hujus mundi: quia vita hominis non est aliud quam continua pugna, exercitura hominem quamdiu vivet in hoc misero mundo, infelici ac transitorio. Idem dicunt sancti Doctores in diversis locis, Mundus, caro, dæmonia, diversa movent prælia.

307 Sensualitas nihil unquam volet sinistrum, et rebellat rationi, quæ vult prorsus contrarium. Ideo hæc impellit corpus ad bene operandum, atque ad propriam voluntatem in omnibus et per omnia mortificandam et abnegandam; monens semper stare cum spiritu elevato, ad considerandum beneficia a summo Creatore recepta, eique referendas infinitas gratias, quod fecerit creaturam, ratione mediante capacem vitæ æternæ, ubi Angelici spiritus occupantur laudando summo et æterno Creatore. O unice B fili mi, in sanguine Jesu Christi concepte, utinam videre et audire quis posset dulce jubilum et suavem triumphum, qui agitur in æterna illa patria! O care, dilecte et cordialis fili mi in Christo Jesu, non vellem amplius vivere: ideoque clamo ad Deum meum, sed non mereor exaudiri, propter mea infinita peccata. Hei mihi! Bene possum cum Propheta cantare, Quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. O benigne et unice fili mi in pretioso sanguine Jesu crucifixi, ora Deum ut dissolvat miserum hoc corpusculum infelicis matris tuæ, animaque ejus ascendat ad Christum, ut ejus divinam Majestatem amplius non offendat. Commendo me orationibus tuis in sacro illo latere, unde exiverunt omnia Sacramenta sanctæ matris Ecclesiæ.

Ps 119, 5

308 Die lunæ Benedictus noster tulit unam vestram mihi longe gratissimam. Noli formidare ne litteræ vestræ transeant ad alias manus: manent enim in scrinio abditæ. Quantum ad responsum Rev. Patris Don Marci Antonii, orabo libenter Deum pro ejus sorore, quamquam non merear exaudiri. Valde mihi placet invitatio ad vitam æternam, modo mihi non contingat quod dicit Evangelium, Multi C sunt vocati, pauci vero electi. Amantissime fili mi in crucifixo Jesu, quantum hanc viam attinet, spero in Dei gratia quod nobis istic occurremus. Sed paternitas Patris don Marci Antonii, et similes alii, manus porrigent mihi peccatrici, per sua suffragia sanctaque exempla et instructiones. Quantum Caritatem tuam diligam novit Deus: et veritas est quod te amem sicut animam propriam. Non est possibile ut valeam derelinquere Caritatem tuam, unice fili mi, in sanguine Christi concepte. Nihil dubites, quin quod promisi Caritati tuæ in Christo Jesu, præstitura sim. Obsecro ora pro me, et quadam sorore mea quæ est in monasterio, propter quamdam ejus necessitatem ad animæ salutem. Nihil ultra, care mi fili in dulci crucifixo Jesu. Amen.

Mat. 22, 14

Epistola XXVII.

Testatur suam animam ipsi arcte colligatam, maternamque benedictionem ipsi verecunde impendit.

Reverende ac præcordialissime Pater, et unice mi in Christo dulcissime fili. Pax vera purissimi et suavis lateris immaculati Agni, ubi est pax animarum justarum et unitarum, radicata maneat in cordibus nostris. Amen. Valde mihi placet quod dulcissima et benigna Caritas vestra sit Cancellarius nostri Rev. Patris Don Marci Antonii. Gaudet anima mea consolatione tua, acsi anima una et cor idem essemus: quemadmodum sumus per vinculum et affectum caritatis dulcis Jesu: qui taliter colligavit corda nostra, acsi unum essent per amorem istum et cordialem caritatem, conceptam in pretioso sanguine Christi Jesu. Agantur a nobis semper gratiæ sanctissimæ suæ Majestati divinæ, devotissime in crucifixo Jesu mihique care et a Deo benedicte fili, et a me indigna matre tua. Nihil solicita sit neque dubitet Caritas vestra: non volo fugere meritum: una dierum Jejunii volo venire ad Caritatem vestram spiritualiter consolandam; sub ea conditione, ut audiam vestram sanctam Missam. Noster Thomas adhuc firmus consistit in isto secreto: ora Deum ut disponat quod erit ex ejus salute. Ora pro me.

310 Quotidie expecto promissionem mihi factam, cum grandibus ad oculos lacrymis. Verum tibi dico, sicut dicerem in Confessione: numquam in hoc mundo fui in conspectu Dei sic colligata creaturæ E alicui, nec unquam usa sum tali præsumptione: sed caritas Christi et filialis amor me coegerunt. Dico tamen, ad gloriam Dei et consolationem tuam, quod in danda sic benedictione, anima mea percipiat tam singularem gustum ac sensum Dei, ut explicare nequirem: similiter et in participatione sanctæ Missæ tuæ. O Deus! quid erit in patria æterna? O Domine Deus retribue unico meo in Christo filio, et concede ei suavem, dulcem, atque amœnum gustum tui. Aperi, Domine sinum tuum, et communica illi thesaurum dulcis sensus tui. O amor Jesu! Noli diutius tardare, mi care sponse Jesu, consolare in hoc cito, si tibi placet Domine, dilectum meum, filium, in sanguine Christi conceptum, et pretioso ejus sanguine inebria animas nostras. Ora pro me Dominum Jesum etc.

Epistola XXVIII.

Dolet non habere fidos tabellarios: aspirat ad mutuam præsentiam: solatur se spe vitæ alterius, et exemplo patientis cum filio Deiparæ.

F Jesus amor meus. Unice ac genuine fili, saginate dulcissimo sanguine amorosi sponsi Jesu magistri nostri. Salutes infinitæ. Maximam consolationem nec modicam cordis lætitiam dederunt mihi caræ tuæ et mellifluæ litteræ. O Deus meus, quantum mœrorem, lacrymas, et suspiria mihi causat, quod non habeam missos fideles, ad epistolas meas ferendas amantissimo meo filio, in visceribus Jesu crucifixi concepto. O care in Christo fili, quis unquam tantis obligationibus possit facere satis, nisi solus Deus, omnium remunerator. O misera et ingrata mater, quid aliud tibi restat, quam ut prostrata ad pedes dulcis Jesu crucifixi, plangendo ac suspirando propter ingratitudinem tuam erga Deum et unicum ac genuinum filium, conceptum in divina clementia et pietate, orem ut dignetur consolari cordialem meum filium in latere Christi, cum sua afflicta et inconsolabili matre, dando gratiam mutuæ præsentiæ et colloquii sancti. Videor mihi perdita esse, quia non possum cum quoquam conferre ullam vel minimam rem spiritualem. O Deus, o Domine care! quid est hæc misera vita? Paupercula mater, destituta præsentia cari et benigni filii in Christo, non scit quid possit agere, nisi cum fide expectare, ut benignus ac misericors Deus restituat dulcissimum, fidelissimum,

A fidelissimum, et secretissimum in Christo filium, cui confidenter dicere possit quæ vult.

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

312 O fili, nequeo in præsentiarum quidquam consolatorium scribere dulcissimæ Caritati tuæ; quia quatuor personæ de familia nostra jam pluribus diebus infirmantur : et ego patior corporalem quamdam passionem plus solito, ac febrim quandoque. Ambulo tamen, non decumbo. Nulla te cura mei angat; modo Paternitas tua maneat consolata, bene mihi erit; molestia tua gravior mihi esset omnibus meis tribulationibus. Deinde aliquantum solatii sumo, considerando quod Christus Jesus, suaque sanctissima Mater, et omnes Apostoli fuerunt angustiati et tribulati in hoc misero mundo; post mortem autem collocati in majori triumpho patriæ æternæ. Itaque quando mœsta ac misella mater contemplatur ærumnas amaricati filii, cum miserabili matre sua : grande solatium inde provenit, quod me videam sociam factam dulcis Jesu, facientis nos ambulare per viam tribulationis, per quam ipsemet Jesus Christus ambulavit; qui postea dignetur ad vitam illam deducere carum filium, cum sua indigna matre, ad patriam beatam, fruituros summo bono. Amen. Sanctis orationibus tuis me commendo, B cum omnibus infirmis ac sanis. Quo ad illud quod scripsi de camera nostra, dico me, per meritum orationum tuarum, liberatam esse ab ista tentatione, quam caritati vestræ significaram. Hoc dixi ad gloriam Dei et consolationem vestram. Scire debes, care in Christo fili, quod omne bonum et solatium vestrum meum sit, talemque reputo etiam omnem molestiam. etc.

Epistola XXIX.

Plaudit sibi, et gratias Deo agit, de solatio ex filii litteris percepto.

Reverende in Christo Pater. Salus in Christo Jesu, qui est solatium cultorum suorum, ac militantium in crucifixa sua vita. Care et unice fili mi, atque (ut ita dicam) solatium unicum animæ meæ, adustæ et aridæ divino amore, propter defectum meum et magnam imperfectionem; quamquam aliquantulum irrigatæ mediante epistola tua, plena verbis sanctis, inflammativis ad dulcem et visceralem amorem dulcis Sponsi animarum nostrarum; C cujusmodi epistolas aliquando recipit misella et indigna mater a suo unico et dilecto filio, concepto in profunda abysso divinæ clementiæ et bonitatis ac pretioso sanguine Christi : qui inspiratus a Deo ad exhortationem et salutem tepidæ et negligentis matris suæ, destinatur ab eodem ad aperiendos oculos intellectus mei et consolationem spiritualem. O magne Deus! o bonitas ingens! Numquam sua divina misericordia et caritas respexit peccata mea, sed modis ac viis variis semper mihi monstravit suam immensam caritatem. O unice et care fili mi, in sanguine Christi concepte et præelecte, ora ipsum Salvatorem Christum ut ingrata non sim tantis beneficiis et gratiis a Deo receptis. Videor mihi submersa in peccato marcidæ ingratitudinis. O cordialis mi fili in sacro Christi latere. Ego sum instar campanæ, quæ alios invito, et ipsa teritur. O me miseram matrem tuam! Ora Deum pro me, et ignosce mihi si non scribam sæpius : nihilominus facio sicut dicit Apostolus Paulus in suis Epistolis, Si absens sum corpore, præsens sum spiritu. In vita æterna non erunt tot occupationes, quot modo sunt in hac misera. Commendo me orationibus vestris.

D

Epistola XXX.

De nepote suo Ferrariam ad Auctorem ituro, et morte Blancæ sororis.

Unice ac genuine fili, in pretioso sanguine crucifixi Jesu concepte, superna benedictio descendat in caput vestrum. Amen. Accepi gratissimam unam tuam, scriptam in die nativitatis Salvatoris nostri Christi Jesu, in qua apparet quod Caritas tua formidet esse fastidiosa petendo a matre tua, ut sibi scribat aliquid spirituale pro sua consolatione. Ah! fili mi in Christo : numquam fastidio esse possunt matri petitiones devoti et amantissimi sui filii, concepti in sacro latere Christi Jesu. Sed mater tua cunctatur ex bono respectu. Quando ad vestram Caritatem veniet nepos noster, scribam liberius et aliqua mittam. Sæpius mihi dixit : Dilecta, volo ire Ferrariam ad Patrem Priorem S. Gregorii : eramque contentissima ut iret, ideoque scripsi quod veniret ad te : venisset autem, sed intervenerunt quædam maximi momenti : spero in Deo quod non transibunt dies multi, quin eat ad solatium meum; quia E non potest mœsta mater tua privata manere præsentia unici sui et cari filii in Christo crucifixo Jesu.

315 Nunc dolenter scribo, de nostra cara et dilecta sorore Blanca, quæ transiit ab hac præsenti vita. Numquam de ea mihi verbum dixerunt, nisi postquam obiit. O Deus meus! quantum doleo, quod ego misella post omnes hic hæream. Heu me! vadunt ipsi in domum suam, et ego misera remaneo in exilio propter peccata mea. O fili in Christo, non pigeat vestram Caritatem orare divinam Majestatem, ut matrem tuam extrahat de tot periculis, quot sunt in hac misera et caliginosa vita. Ante Nativitatem recepi quamdam epistolam tuam : nunc aliud non addo, nisi quod omnes de familia, et maxime ego posita in magna necessitate commendamus nos tuis sanctis orationibus, in quibus multum fiduciæ habeo, quod impetrabunt a Deo gratiam, ut simul eamus ad patriam æternam. Amen. Scripsi cum festinatione, nec sine præsenti febre. Ora pro me. Serva servorum Christi et mater tua cum humili commendatione.

Epistola XXXI.

F

Dolet non redditas litteras suas, quarum argumentum repetit.

Jesus Maria. Qui pro nobis passus est, ille nos benedicat in secula seculorum. Amen. Unice et dilectissime atque cordialis fili mi care, in Jesu Christo concepte; gratissimam tuam epistolam accepi, in qua lego quod Caritas tua non receperit nostras. Scripsi duas, et satis doleo quod non sint redditæ dulci et benignæ Caritati tuæ : multum requisivi missum illum, et non invenio ubi sit. Scripsi tibi in secunda epistola mea, qua placuit Deo sic privare vestram Caritatem et me, quod nihil in hac vita mortalibus nobis evenit absque divina providentia : et sua bonitas agit in omnibus aut permittit ad bonum finem : itaque dulcis sponsus nostrarum animarum nos vult privare quovis modo ac via. Amantissime et genuine fili mi in pretioso sanguine Jesu Christi, valde doleo de tribulationibus tuis, quantum dolerem de meis propriis, propter vinculum cordialis dilectionis in Christo Jesu qua tibi adstringor. Quod tu facis, dilecte sicut pro anima propria; idem facit misella mater tua, carens præsentia et colloquio sancto dilecti filii : non invenit solatium, nisi

A nisi in oratione : aliud nihil potest ei mœrorem levare post discessum cari filii, accedentibus tot aliis etiam molestiis. Patientia. Deus lente graditur, sed pertingit.

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

317 Istud non dico, fili, quod mihi placeat absentia tua; quin magis quod displiceat. Precor tamen dulcem Caritatem tuam, unice et care in Christo fili mi, ne contristeris. Si placeat divinæ Majestati, consolabimur citius quam putamus. Magna est Dei pietas, quæ post tribulationes largitur solatia, si non in hac vita, certe in altera, ad quam tandem nos deducat, fruituros felici et æterna patria. Amen. Commendo me tuis orationibus cum tota familia. Scripsi festinanter, quia nuperrime misi aliam. Indigna mater vestra, cum humili commendatione. Post scripta. Dilectissime in Christo fili, scripsi in prima mea epistola, ad significandum tibi, quod illa molestia recesserit a camera mea, idque scripsi ad tuam consolationem. Significa quam citius poteris utrum has receperis, vel non, ad meam quietem, quamvis ibi non sint res secretæ, quia non nimium fidebam misso. Valde timui ne esses infirmus, quia tanto tempore non habui litteras tuas. O Deus meus! quam anxio desiderio expectavi. Gratiæ reddantur Deo : valde condoleo ærumnis tuis. Ora pro me.

B

Epistola XXXII.

Respondet interroganti, quomodo orandum, et quid maxime placeat Deo.

Reverende ac carissime in Christo Pater, et unice fili in crucifixo Jesu. Legi litteras tuas et maxime ultimas, scriptas indignæ et insipidæ matri vestræ. Tota tremo, nec auderem adjungere, cur ipsas Deus dictaverit. Sed nihil possum negare caritati Christi, quam summus Deus infudit cordibus nostris. O amor divine! quid agis in animabus, non recusantibus laborem pro amore Christi et proximi sibi uniti per caritatem! Dico me contentam esse condescendere isti piæ petitioni, ex amore filiali concepto in visceribus Christi Jesu et abysso divinæ bonitatis, constrictam omnibus rationibus istis. Dico, dulcissime fili mi, in sanguine Christi concepte, quod petitio tua est bona, justa, et sancta : quia oratio facta cum humilitate et fide atque perseverantia, acquirit animæ omnem virtutem. Sed quantum ad orationem illam quotidianam, dico quod dicit Salvator noster, Orantes nolite multum loqui. Oratio ista ut plurimum fit cum planctu, suspiriis, lacrymis, singultibus, potius quam verbis : unde Apostolus, Quid oremus sicut oportet nescimus sed ipse spiritus postulat pro nobis, et facit orare cum lacrymis. Post hujusmodi orationem sequitur aliquando elevatio mentis, quando quis stat mente fixa in Deum, ipsum velut præsentem contemplando, eique se offerendo magno cum affectu : et anima de se ipsa egreditur, neque ullius rei mundanæ recordatur. Sentit aliquando delectationem in carne, et impetum inusitatum in Spiritu, qui super ipsum descendit, sicut dicit Propheta, Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.

C

Mat 6, 7

Rom 8, 26

Ps 83, 3

319 Quantum ad id, quod Deo magis placet in anima; videtur mihi, dilecte Pater et fili unice in pretioso sanguine Christi, quod ea res sit munditia cordis et amor divinus, quemadmodum ait Dionysius, Amor est vis unitiva, transformans amantem in amatum. Itaque videtur quod duæ istæ res maxime Deo placeant in anima. Nihilominus, Pater et fili carissime, melius id nosti quam ego indigna mater tua. Quæso ignosce, quod non plene satisfecerim toti desiderio tuo, amantissime fili in sacro latere Christi Jesu. Amen. Infinitas gratias refero benignæ caritati tuæ de oblatione mihi facta, incipiendo a die S. Catharinæ, sponsæ Christi : ego quoque misera peccatrix facio specialem orationem pro vestra Paternitate. Deus non respiciat demerita mea, sed abyssum suæ pietatis et fidem unici filii in crucifixo Jesu. Ora Deum ut det nobis gratiam nos revisendi in Paradiso. Aliud modo non dico. Ora pro me. etc.

D

Epistola XXXIII.

De veri amoris affectibus.

Reverende in Christo Pater in crucifixo Jesu. Salus et gaudium in nobis semper sit in Domino. Secundum sententiam divini Dionysii. Amori perfecto proprium est, ut amans infirmetur cum amato, idque secundum naturalem rationem : quia quando res amata est præsens, causat gaudium singulare ; et quando absens, tristitiam atque mœstitiam : unde quando amans privatur re amata, restringitur in suis actibus corporalibus, quæ restrictio causat infirmitatem. Quod autem hoc verum sit audi dicentem Sapientiam increatam Canticorum quarto, Amore langueo, dicit Salvator. Videns humanam naturam esse privatam æterno bono, dicit suo sancto Patri ; Pater, magnam patior infirmitatem. Interrogatus : Quam ; respondet, Amoris erga misellam meam creaturam. Item habet amor hunc alterum effectum, quod liquefaciat, sicut ignis ceram : sic enim ille qui nos amavit, se liquefecit convertitque totum in amorem erga nos. Sic etiam debet facere qui amat Deum.

E

321 Amor etiam habet hunc effectum, quod vulneret respiciendo sponsum Jesum Christum. Anima mea, sic debet facere verus amator, sustinere plagas et tormenta pro amore illius. Verus etiam amor inebriat. Scire igitur debes, care in Christo Pater atque in pretioso sanguine ejus dilecte, quod qui ebrius est, obliviscatur suiipsius. Nunc vide Jesum Christum, prædilecte Pater mi, in pretioso fonte sacratissimi lateris ; videbis utrum suiipsius sit recordatus in cruce : sed dixit, Pater ignosce illis. Videamus igitur, dulcissime Pater mi, utrum habeamus istum ignem sancti amoris : si eum in nobis invenerimus per gratiam, agamus gratias divinæ bonitati, sin minus per orationes assiduas conemur ipsum invenire. Aliud nunc non dico. Ora Deum pro socia mea infirma, et me indigna matre tua in crucifixo Jesu. Amen. Vestra etiam Caritas mihi ignoscat, quod ipsam tam lente visitem per hanc meam epistolam : causa sunt occupationes multæ, non aliud quid.

F

Epistola XXXIV.

Accusat teporem suum in Dei amore, eoque optat inflammari.

Reverende Pater in Christo, et unice care fili in magno fonte divinæ bonitatis. Videtur indignæ matri tuæ peregrinum, quod hisce diebus nihil intellexit de suo benigno filio. Quid fieret, si longe esset semotus? O pientissime Deus et clemens! noli privare misellam matrem suo cordiali filio in crucifixo Jesu, si ita expedit animabus nostris. Visum mihi est scribere hæc pauca verba Paternitati tuæ, ut satisfaciam parti debiti mei, atque ut commendem me orationibus tuis : quia sentio me valde frigidam in amore divino et satis tepidam ; idque propter magnam meam negligentiam et defectum, eo quod non sim inflammata, sancta caritate sicut deberem.

Verumtamen

A Verumtamen oro Deum, ut me sic transformet in suo sanctissimo amore, ut satier pretioso sanguine Jesu Christi, sicuti satiatur infans, sugendo lac ex mamillis suæ matris. Ita nos, care fili mi in Christo crucifixo et in ipso concepte, in divina contemplatione, gustamus sanguinem Jesu crucifixi de suo sanctissimo latere, sicut faciebat in amorata sancta Catharina, divino amore inflammata. O Deus æterne, Jesu, amor crucifixe, accende cor meum adamantinum, quod tanto igne non mollitur tamque inflammato amore. Igitur mi Pater et unice care fili, mihi a bono et dulci Jesu concesse, non per merita mea, sed per solam divinam gratiam, ad meam necessitatem levandam, ora pro misera peccatrice matre tua. Noli respicere ad ingratitudinem, qua utitur erga suum creatorem et salvatorem Christum Jesum, et suum dilectum in Christo filium, cui tantopere obligatur. Nihil nunc aliud, nisi ut Deus nostra corda inflammet divino suo amore. Amen, etc.

Epistola XXXV.

Aspirat ad vitam æternam, ibi demum Satianda.

B Jesus Maria. Reverende et amantissime mi Pater in Christo atque unice dilecte fili, concepte in sanguine pretioso sacratissimi illius fontis, lateris inquam Christi Jesu crucifixi, qui dignetur per suam gratiam et misericordiam concedere Paternitati vestræ et mihi indignæ matri tuæ, ut videre possimus lucem illam immarcescibilem, quam contemplantur beati illi spiritus, videntes facie ad faciem, Et ideo David Propheta totus cupidus videndi profundissimum istud lumen, dicebat alta voce ; Domine nulla res est in hoc mundo, quæ possit satiare desiderium meum, sed satiabor cum apparuerit gloria tua. Tunc, Domine mi, contentus ero, lætus ero, lætus, et plenus jubilatione, quando mihi monstrabis illam infinitam gloriam et supernaturale lumen, quod monstrasti Paulo, qui tantopere magnificat, laudat, atque declarat excellentiam istius beatæ vitæ, quæ preparata est animabus Deum amantibus, et colligatis cum ipso per verum et perfectum amorem. Id concedat dulcis Jesus indignæ matri tuæ, et unico meo filio in crucifixo Jesu. Amen. Deus sit remunerator tuus. Orationibus tuis me commendo. etc.

C

Epistola XXXVI.

Quid sit lavari in sanguine Christi.

Jesus amor meus. In nomine Jesu Christi et dulcis Mariæ, amantissime Pater mi in Christo crucifixo et unice fili. Certa sum quod vires meæ spirituales et perfectiones non possint ascendere ad id quod significat, Lavari in sanguine pretioso Christi Jesu crucifixi : tamen pro amore ipsius Christi scribo pauca hæc verba, constricta a caritate boni Jesu, quam gero erga Paternitatem tuam et dulcissimam ac benignam Caritatem. Secundum exiguum meum judicium et sensum vulgarem, tamquam mulier rudis et indocta, benigne et care in Christo Pater, Lavari in sanguine Christi Jesu, mihi videtur quis dici, quando creatura est vulnerata in corde, et in mente inebriata pretioso ejus sanguine ; ipsaque anima, quocumque se vertat, videt Christum crucifixum, et suo sanguine rubricatum ; itaque accendit desiderium atque affectum suum, ut nullum habeat nisi Jesum et plagas ejus, unde solatium omne et gaudium sumit ; nihil æque ambiens quam vulnerari ipsius plagis, quibus mediantibus accedit ei intima et cordialis afflictio ex ipsarum consideratione, præsertim dulcis plagæ sanctissimi lateris. O Deus quare non finditur cor humanum, aut quomodo potest quietem invenire, donec invenerit centrum suum et terminum in quo requiescat, id est, dulcem animæ sanctæ sponsum, Christum Jesum crucifixum ? Amen. Ignosce, mi Pater in Christo, præsumptioni meæ : orationibus tuis me commendo, et animam cujusdam mei Confessarii, qui obiit ; et fratrem meum qui est in castris cum Domino Marchione. Pax vobis. Soror Osanna, indigna serva servorum Christi Jesu, tota in Crucifixo vestra, cum humili commendatione.

D EX ITAL. HIERON. OLIVET.

Epistola XXXVII.

Commendat animam defuncti cujusdam : eique eleemosynam mittit pro Missis curandis.

In sanguine Christi multas salutes.

Res digna et laudabilis est, suavissime mi Pater, considerare res sancti Paradisi, nec minus semper habere manus plenas auro. Homo non facile recordaretur pauperum mendicorum, et periculum semper esset, quamdiu anima manet in hoc mortali corpore, elevandi se in superbiam. Debet ergo omnis devota creatura hoc considerare, ne cadat in nefandum istud superbiæ vitium. Non vult Deus ut semper habeamus tempus modo nostro : sed ipse sapientissimus Deus omnia sapientissime ordinat. O Pater in Christo, uncte dulcissimo sanguine deplumati et nudi pellicani Christi Jesu, si unquam fuit in mundo amor et caritas Christi erga me, nunc precor ut ipsum velis demonstrare, orando intensissime in vestra Missa pro anima, quæ transiit ab hac vita et indiget suffragiis. Commendo illam, tamquam propriam meam, et nihilo minus. Sumus omnes redempti pretioso sanguine Christi Jesu.

E

326 Mitto tibi eleemosynam : cura dicendas Missas quantocius poteris. Curo etiam alibi dicendas ; sed propter fidem et devotionem quam habeo erga Missas vestras ipsam mitto vestræ Paternitati, magna cum fiducia. O dilecte et dulcis Pater mi in Crucifixo ; oro extende grandes tuas atque pennatas alas ignitarum tuarum et Christi sanguine aspersarum orationum etiam supra me indignam. Hoc mane, post sanctam Communionem, præsentavi animam vestram fonti divinæ bonitatis, et sancto ac sacratissimo lateri Christi Jesu. Pater, rogo per passionem Domini, ne cuidam hoc dicas. Lacera epistolam aut combure. Equidem certissimam esse me puto, quod mihi futurus sis fidelis. Valde commendo me sanctis orationibus tuis. Aliud modo non dico. Immerge te in sanguine Christi crucifixi. Amen. Mantuæ XXIV Junii. Oro per passionem Domini, ut ipse ad minimum Missam unam dicas, si plures non possis. Soror Osanna de Andreasiis, indigna serva servorum Christi, cum humili commendatione.

F

Epistola XXXVIII

Petit pro se orari, sed circa anxietatem ; hortaturque ad quævis aspera lætanter ferenda.

Unice et cordialissime fili mi, in pretioso sanguine dulcis crucifixi Jesu concepte, Deus te salvet et conservet in sua sancta gratia, per merita pretiosi sanguinis sui, sparsi supra sanctam crucem. Amen. Invento nuntio satis commodo, non potui omittere quin aliquid scriberem caro filio meo, quem amo perfecto corde et vero amore in Christo Jesu : et ideo ego misera peccatrix non cesso orare Deum, ut ipsi ac mihi donet regnum cœlesti et perpetuam consolationem, prout firmiter confido Caritatem tuam facere erga me indignam, quamquam demerita mea

A mea impedimentum ponant sanctis orationibus tuis. Profecto, fili mi amantissime in Christo Jesu. Sicut anima propria, etsi propter peccata mea non sim digna exaudiri, Deus tamen, cujus ampla misericordia excedit omnem iniquitatem humanam, faciat mentem meam capacem orationum vestrarum : ideo non expedit ut cesses orare pro me : quin potius frequenta et multiplicata preces, quia in laboribus et afflictionibus versor. Oro tamen care et unice in Christo fili ne solicitus mea causa sis, certa enim sum, quod Deus multas tribulationes permittat, propter bonum animarum nostrarum et augmentum gloriæ : nos autem maxime illas debemus portare animo et corde læto : respectu enim bonorum æternorum cibo transibunt. Igitur, care fili, lætemur in omni amaritudine, quia omnia in dulcedinem veram convertentur. Oro per viscera Jesu Christi et pretiosum sanguinem ejus, non sit tibi molestum nuntiare mihi de statu tuo ad solatium tuæ misellæ matris, privatæ præsentia cari in Christo filii. Aliud modo non addo, nisi ut Deus nobis det vitam æternam. Amen, etc.

EX ITAL. HIERON. OLIVET.

B

Epistola XXXIX.

Precatur felix Pascha, optat ut Mantuam veniat, aspirat ad cœlestem Sponsum.

Jesus. Reverende et carissime in Christo Jesu, mihique cordialis et unice fili in magno fonte pretiosi sanguinis Jesu melliflui Salvatoris. Pax ipsius sit semper cum vestra Paternitate, per firmam et perfectam unionem, et maxime in hac ventura solennitate sancti Paschatis, et similiter cum vestra indigna matre in crucifixo Jesu : ut divina sua Majestas dignetur, per suam misericordiam, adimplere nostra sancta desideria, sicuti adimpleta fuerunt desideria sanctorum Patrum antiquorum, qui desiderabant videre Christum natum secundum humanam carnem, continuo clamantes alta voce ad Patrem æternum, diu noctuque, cum planctu, lacrymis atque suspiriis, ut aperiret corda sua inflammata æterno Deo; ubi ipse videns eorum sancta desideria, eos voluit consolari et implere promissa ipsis facta, propter suam continuam orationem, firmamque ac stabilem fidem, nihil dubitando sed firmiter credendo quod Deus ipsos volebat exaudire, sicut et fecit : sola enim perseverantia ad extremum in fine coronatur.

C

329 Igitur mi care, et unice ac benigne fili, concepte in pretioso sanguine Agni immaculati Christi Jesu, ora dulcem illum sponsum ut nos exaudiat, utque (si quidem melius est, et expediat saluti animarum nostrarum) Caritas tua redeat huc a Capitulo ad commorandum. Ora Deum ut non respiciat in demerita mea et ingratitudinem; sed in abyssum misericordiæ suæ. O Deus meus! o felicitas æterna ! o patria beata et cœlestis ! Ibi sursum non oportebit separari. O quies grandis ! o gaudium magnum ! esse unitos cum Deo, et in societate verorum amicorum nostrorum. Ora fili, in Christo care, ut nobis invicem occurramus in nostra vitæ æternæ patria, ad fruendum dulci Sponso animarum nostrarum Christo Jesu, amore meo. Insuper multum precor dulcem tuam et benignam Caritatem, ut velis instare orando apud Deum, ut mihi det gratiam amandi immaculatum illum agnum Christum Jesum amore perfecto, qui ardeat continuo versus illum et proximum. O care mi fili in Christo : valde compatior Paternitati vestræ : non sit tamen gravis labor, attenta copiosa mercede in cœlo. Amen. etc.

D

Epistola XL.

Utilitas tolerantiæ, ad quam filium hortatur, optatque ei in cœlis jungi.

In medio cordis mei meditatio vestra est, carissime in Christo Pater et unice fili in pretioso et dulci sanguine boni Jesu, sponso et salvatore animarum nostrarum. Pax, salus, et consolatio Spiritus sancti, qui stabiliat et confirmet cor vestrum in pace, quiete, ac tranquillitate mentis. Talis facile acquiritur quando quis sibi reducit in memoriam hanc dignam sententiam, quam protulit S. Isidorus lib. 3 de summo Bono : Ad magnam utilitatem divino judicio mens justi diversis passionibus et adversitatibus agitatur, pro quibus si non murmuraverit, sed Deo gratias egerit, suæque culpæ qua talia pati dignus sit reputaverit; hoc quod ex passione toleratur, pro virtute deputabitur; quod et divinam recognoscit justitiam et suam intelligit culpam. Igitur Pater mi et unice fili in visceribus dulcis Jesu crucifixi, libenter atque alacriter sustine tribulationes pro amore Dei, et spera in illo, nec dejiciaris animo : sed per continuum et fixum desiderium confirma mentem tuam in æterno Deo : quia sic faciendo nihil tam durum et amarum erit quod non dulcescat ; dicente S.Gregorio in moralibus : Si mens humana forti desiderio in Deum dirigitur, quidquid in hac vita videtur amarum, dulce existimatur ; et omne quod affligit, requiem putat; transire etiam per mortem appetit, ut obtinere vitam plenius possit. Hanc vitam, care mi Pater, concedat ipse Christus Jesus per merita suæ sacratissimæ Passionis, tibi Pater et mihi miseræ ac magnæ peccatrici. Commendo me orationibus tuis, quibus multum fido. Nihil aliud, nisi ut Deus nobis concedat gratiam reperiendi invicem in magna illa vitæ beatæ cœna, ubi sunt fercula tam varia et delicata. O magne Deus ! o patria æterna ! O Deus meus ! ne relinquas amplius filium in latere Christi, et misellam matrem ac miseram super terra, in hac vita peregrinantes ; sed deduc eos ad propriam patriam, si placet Majestati tuæ. Amen. etc.

E

Epistola XLI.

Optat immergi vulneribus Christi.

Reverende et carissime in Christo Pater mi, in maximo fonte bonitatis bonæ, quem summo cum desiderio expectamus, satiandi profundo mari Trinitatis æternæ. O mare pacificum ! quando erit ut anima mea satietur in te, et in sacrato dulcis Jesu latere, qui animabus divino amore ignitis profundit sanguinem in magna abundantia ! O Vulnera Christi, quam suavia estis ; maxime vulnus sancti lateris, in quo tamquam cera ad ignem, liquescit anima, eo currens tamquam cervus ad fontem aquæ vivæ. O cordialis Pater mi, et in visceribus Christi care fili, per caritatem misericordissimi Dei, ora ut non respiciat mea magna peccata et demerita, sed suam gratiam et misericordiam vestramque eximiam caritatem, in meum auxilium intentam. Aliud non dico prædilecte mi Pater in crucifixo Jesu. Amen. Obsecro ora Deum pro me. etc.

F

Epistola XLII.

Foris degens optat Mantuam redire, seque solatur exemplo Deiparæ, ad visitandam Elisabeth foras egressæ.

Reverende et carissime Pater mi in pretioso sanguine

guine Jesu Christi, atque dilecte care fili in eodem crucifixo. Recepi epistolam tuam unam, tam gratam quam esse quid potuit ex quo foris sum, excepta divina gratia. O bonitas æterna, quam grandis erga me es, miseram peccatricem, inspirando servo tuo fideli ut visitet me indignam ac miseram matrem suam, positam in horto hoc, prorsus spinoso ac silvestri, propter defectum meum magnamque imperfectionem. Precor cum magna fiducia, et pro gratia peto a Paternitate tua, ut mihi significes quomodo valeas, et digneris orare divinam clementiam, ut pro sua pietate et misericordia mihi det gratiam atque expeditionem, ut possim cito redire Mantuam. Non mihi placet peregre degere. Patientia, pro amore Jesu Christi, et dulcis Mariæ matris ejus sanctissimæ, quæ dignata est ex humilitate et caritate, atque ex amore æterni sui Patris et Creatoris, visitare sanctam Elisabeth, quando instabat tempus sui partus. O benigne ac dilectissime mi Pater, et care fili in dulcissimo et pretioso sanguine Jesu Christi crucifixi, obsecro dulcem Caritatem tuam, ut mihi ignoscas quod fuerim tarda in responso epistolæ tuæ dando : meque commendo orationibus tuis. Spero cito per Dei gratiam venire Mantuam, mediantibus vestris orationibus, quibus multum confido. Nihil aliud modo. Tantas invenio occupationes in hoc deserto, ut ægre possim recitare Officium. Patientia. Peccata mea hoc merentur, et ea etiam majorem punitionem. Infusio sancti Spiritus sit in cordibus nostris. Amen. etc.

Epistola XLIII.

In festo Ascensionis Dominicæ, respondit epistolæ, qua petierat ab ea corrigi ; seque vehementer humiliat, ob exiguum fructum hactenus factum.

Jesus dulcis amor meus. Reverende et care in Christo Pater atque unice dilecte fili mi, in sanguine Christi concepte. Qui hodie ascendit super omnes cælos sit nostra pax et vera salus. Et vero, amantissime in Christo fili, assumpseris credo exemplum Salvatoris nostri dulcis Jesu crucifixi, qui tantum ac taliter se inebriavit amore humanæ naturæ, ut se inclinaverit in ventre virgineo, humiliando se usque ad mortem crucis. Interim tua epistola, recens a me recepta, visa est dulcis super mel et saccarum. Hanc ut respondeam, contemplor intimam et dulcem vestram dilectionem, quæ a re tam vili poscit correctionem. Scio id non procedere ex ignorantia, quia satis nosti vilitatem et miseriam meam. O solida Dei bonitas, quæ eo adducis electos tuos ut quod amarum est ipsis dulce videatur ; asperum, planum ; fœtor, suaveolentia ; acor, suavitas. O gloriose Jesu, crucifixe pro me! totum hoc facit bonitas tua versus me, ut sensus mei evigilent ad cognitionem tui Deus meus. Summa bonitas et clementia benigni mei Creatoris et dulcis Salvatoris aperiat mihi oculos, ad meam imperfectionem cognoscendam ; quamlibet gratia Dei sim dotata, et vestita habitu religioso, rea sum tamen maxime ingratitudinis, et longinqua a desiderata habitatione et caverna suavis lateris immaculati Agni Jesu Christi aperta pro me.

334 Si haberem verum lumen intellectus, numquam deficerent oculis meis lacrymæ, quod jam propinqua desideratæ patriæ, adhuc maneam extra verum hospitium velut ovis errando. Non est mirum quod perveniam ad terminum cum paucis manipulis fructibusque : quia sociata sum filio prodigo, id est, mortali corpore et dissipavi atque consumpsi substantiam meam. Propterea, care ac dulcis fili in nostro Jesu crucifixo, ad exemplum nostri Salvatoris, multiplica devotissimas tuas preces, in quibus habeo magnam imo maximam spem apud suam bonitatem, pro me, benigne recepta discipula ad sanctos pedes, licet peccatrice. Quantum vero ad petitionem tuam, dulcissime in Christo fili mi, dictum Reverentiæ vestræ non meretur correctionem sed laudem ; ipsumque confirmo. Erimus aliquando ubi est illud speculum clarum et lucidum, et videbimus atque cognoscemus omnia. O Domine Deus meus, exue animam matris cum anima filii sui, in sanguine Christi concepti, veste corporis hujus ; ut in patria æterna videat et cognoscat omnia, te scilicet Deum meum. Amen. Indigna mater tua in crucifixo Jesu cum humili commendatione.

EX ITAL. HIERON. (LIVET.

APPENDIX.

Testificatio Auctoris, aliorumque juratorum super veritate præmissarum epistolarum.

Epistolæ præmissæ ad dorbandum affectum Beatæ erga Auctorem.

Lector mi carissime. Scias certo quod hæ paucæ epistolæ, scriptæ manu propria Virginis, et directæ isti ipsius filio spirituali non sint insertæ præsenti operi per jactantiam vel præsumptionem, sed solum (ut novit Deus) ad bonum finem salutemque animarum ; itemque ad hoc ut Lectori durum non sit credere quidquid scripsimus in præmissis sanctis colloquiis ; si in illis epistolis consideres familiarem caritatem et immensam dilectionem, quam beata illa anima ferebat et habebat erga prædictum suum spiritualem in Christo filium. Ejusmodi tamen epistolæ et aliæ res de ipsa scriptæ, sunt veluti nihilum respectu eorum quæ non scribuntur neque dicuntur, imo nec dici nec scribi possunt de ipsius sanctitate. Et hujus rei ego firmam testificationem reddo apud Deum et homines, quantum scio et possum. Unusquisque autem de hoc securus sit : quia spero quod, mediante divina gratia, monstrabuntur cum tempore et intelligentur majora et plura, quam nunc scripsimus. Amen. Laus Deo et virgini. *Hactenus Italice omnia, si pauca Latina verba identidem interposita excipias. Sequebatur ad calcem processus, qualem subjungo, ne quid integritati operis tam vetusti et authentici desit. Est autem Processus scriptus Latine, sed mandatum Episcopi, et supplicatio Marchionissæ Italice.*

An. 1507 offertur Vicario General.

336 In Christi nomine. Amen. Anno a nativitate Domini MDVII Indictione X, tempore serenissimi Principis et Domini D. Maximiliani divina favente clementia Romanorum Regis et semper Augusti, die Veneris, nono mensis Aprilis, Mantuæ, et in castro sive arce ejusdem, in contrata Aquilæ; coram Reverend. Juris utriusque Doctore D. Angelo Germinello de Narnia, Vicario Episcopatus Mantuæ, et in hac parte Commissario speciali Reverendiss. et Illustriss. Domini D. Ludovici de Gonzaga, Electi Mantuani, ut de hujusmodi speciali commissione patet litteris ejusdem Reverendissimi Domini, quarum tenor talis est, et sequitur a tergo. Venerabili et eximio Decretorum Doctori D. Angelo Germinello Narniensi, Vicario nostro generali carissimo.

de mandato Electi Episcopi Mantuani

337 Ludovicus de Gonzaga, electus Mantuæ, Marchio. Venerabilis et eximie Decretorum Doctor, carissime noster. Videbis per alligatam quid requisiti simus ab Illustrissima Domina Marchionissa, cujus petitio vere honestissima est. Propterea volumus et committimus tibi, ut debeatis facere totum quod postulatio continet, prout commissum tibi est, aut a te fuerit requisitum : quod totum ratum gratumque habebimus : et bene valete. Gazulis, VII Aprilis MDVII. Tenor litterarum præfatæ Illustrissimæ Dominæ, videlicet a tergo. Reverendissimo in

EX ITAL. HIERON. OLIVET. *ab Isabella Marchionissa rogati.*

A in Christo Patri et illustrissimo Patruo et Patri honorando, D. Ludovico de Gonzaga, Electo Mantuano, Marchioni.

338 Reverendissime Domine, quandoquidem Excellentia Domini mei et ego simul ipsa, summo teneamur desiderio, efficiendi ut in authentica forma approbentur et recognoscantur quædam epistolæ venerandæ Matris Beatæ Osannæ, per viam testium fide dignorum, qui optime norunt, dictas epistolas esse scriptas propria manu ipsius Beatæ Osannæ, ut memoria sanctitatis et vitæ suæ, atque gratiarum admirabilium ipsi divinitus concessarum (quantum per nos potest) non pereat, sed apud posteros nostros cum quantacumque authentica auctoritate remaneat; precamur Reverendissimam Dominationem vestram, ut recipiat in forma authentica testificatum approbationum dictarum litterarum, quod sint scriptæ manu propria ipsius Beatæ : quos testes producet Venerandus Pater Prior de Credaro Fr. Hieronymus de Mantua ; et ipsius testificati scripturam authenticam fieri jubeat ad perpetuam memoriam. Et Dominatio vestra Reverendissima dignetur cito expedire ejusmodi commissionem, quia ipsi Priori necessarium est proxima Dominica B discedere, ut eat Senas ad suum Capitulum. Commendo me Dominationi vestræ Reverendissimæ continuo. Mantuæ VII Aprilis MDVII. Filia Isabella Marchionissa Mantuæ etc. Benedictus Capilupus (*ut infra*) *Secretarius*.

ut eas curet authenticandas.

339 Comparuit Venerabilis Pater Fr. Hieronymus de Mantua, honorandus Prior conventus S. Mariæ Montis oliveti, alias de Credaro, de Mantua ; et coram præfato D. Vicario exhibuit et præsentavit nonnullas litteras qu. Venerandæ Sororis Osannæ de Andreasiis de Mantua, emanatas ipsi Fr. Hieronymo, quas dixit velle probare et docere, esse litteras scriptas per qu. præfatam Sororem Osannam ipsi Fr. Hieronymo, ad perpetuam memoriam. Et ad probandum et docendum dictas litteras fuisse manu præfatæ Osannæ scriptas ipsi Fr. Hieronymo produxit in testes, infrascriptos, quos petit moneri eisque juramentum deferri, de veritate dicenda ac testificanda super eo, de quo interrogabuntur circa dictas litteras. Videlicet Illustriss. et Excellentiss. Dominam D. Isabellam, Marchionissam Mantuæ; D. Benedictum de Latiosis, J. V. Doctorem et Canonicum ; D. Bernardinum d. Urbino, C Canonicum ; Spectabilem D. Benedictum de Capilupo Secretarium præfatæ Illustriss. Dominæ. Qui quidem testes moniti, de delato sibi sacramento per præfatum D. Vicarium, eorum manibus tactis Scripturis, ad sancta Dei Evangelia juraverunt, dicere et testificari veritatem, super eo de quo interrogabuntur.

Coram illo comparens ipse Auctor operis,

probaturus quod scriptæ sint propria manu B. Osannæ

340 Et interrogata præfata Illustriss. D. Isabella per præf. D. Vicarium, suo sacramento testificando dixit, quod habuit et habet penes se litteras et de litteris, scriptas et scriptis per qu. Sororem Osannam de Andreasiis : ex quibus litteris se dixit cognoscere, litteras ibidem per præf. Fr. Hieronymum exhibitas et præsentatas, fuisse et esse scriptas per d. qu. Sor. Osannam : et illas judicat et arbitratur sic esse, et hoc cognoscere ex stylo et characteribus et elementis ipsarum litterarum, conformibus litteris scriptis ipsi testi per præf. qu. Sor. Osannam : et ita diceretur ; judicaretur et arbitraretur, per quemcumque habentem notitiam et cognitionem de prædictis, prout habet ipsa testis : et hoc est quantum scire se dixit. Interrogata in causa scientiæ ; respondit se scire prædicta, quia ipsa testis habuit et habet litteras et D de litteris præf. qu. Sor. Osannæ, et notitiam habet de prædictis, judicat et arbitratur ut supra dixit et testificata est. Interrogata de loco ; respondit : In civitate Mantuæ, Interrogata de tempore, respondit, Ab annis duodecim citra et ultra quibus cognovit præf. qu. Sor. Osannam et tempore ipsius vitæ. Interrogata de contestibus seu prædicta scire debentibus ; respondit, Teste D. Benedicto de Latiosis, D. Bernardino de Urbino, Canonicis, D. Benedicto Capilupo, Secretario ipsius Dominæ testis, spectabili Physico Mag. Anselmo de Meo, Mantuanis et aliis quamplurimis.

sistit ipsammet Marchionissam,

341 *Similiter interrogati præfati omnes, excepto* Mag. Anselmo Physico *id est* Medico (*qui fortassis casu improviso absens testari non potuit, postea si opus videretur testaturus*) *similia verbotenus responderunt omnes, in causa scientiæ allegando* plures litteras, a præf. quondam Sor. Osanna ad se scriptas, dum in humanis ageret. *Librum autem concludunt Typothetæ hac memorabili formula.* Ad laudem et gloriam summi Dei, in honoremque et decus pudicissimæ, et celeberrima venustate præditæ, et procul dubio beatissimæ, Sororis Osannæ, Patriciæ Mantuanæ, im- E pressum præsens opus in civitate Mantuæ, per eruditum virum Leonardum Bruschum, anno Domini MDVII, die X Julii, regnante inclito Principe Francisco Marchione quarto, Invictissimo.

et alios tres.

Typothetæ Clausulæ.

ANNOTATIO D. P.

Ad vitæ hujus secundæ tract. II *cap.* XVIII.

P*ag.* 778 *num.* 244. *Tria hoc articulo asserit sancta, non ita accipienda quasi divinitus revelata, sicut omnino gesta sunt, sed veluti in raptu objecta imaginationi secundum species præhabitas ex auditis concionatorum verbis prout maxime moverant pium audientis affectum. Primo quo Deipara filio crucem bajulanti occurrens* ad ejus respectum in terram corruit quasi mortua : *ut enim summus hic dolor fuerit, fortassis tamen rectius dicetur virgini adfuisse per Dei gratiam eadem constantia animi quam tenuit cum juxta Evangelistam* stabat juxta crucem Jesu. *Secundo dum expenditur* quantum passus sit *Christus* in pectore, cum traherentur brachia versus foramina præparata *tale id est ut revera factum vix possit credi si consideretur usus clavorum quibus quidpiam sive molle ut erant manus, sive durius afficitur ligno. Tale enim lignum non perforatum sed solidum sit oportet ut firmiter hæreant impacti clavi : nisi forte concipiantur exigua quædam foraminum exordia, non altius acta quam opus sit summis clavorum grandiorum cuspidibus aliqualiter recipiendis, ne prius hæ recurrentur quam sustinere possent graviores malleorum ictus. Tertio dum dicitur quod Christo jam clavato sustulerunt crucem, contra quam S. Birgittæ dicitur revelatum de cruce prius bene firmata in scrobe ad id facta : ad quam deinde Christus ascendere jussus atque in transverso pigillo consistens brachia clavis figenda extenderit. Pro his omnibus vide parergon meum inter duas vitas S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis medium 25 Maji de Actis dictisque sanctorum extaticorum ad definitiones historicas non nimis fidenter assumendis, præter mentem Dei, nihil minus per talia intendentis, quam satisfacere curiositati illorum, qui neglecto sacrorum Mysteriorum nucleo in cortice variantium circumstantiarum masticando toti sunt.*

Die

DIE DECIMA NONA JUNII

SANCTI QUI XIII KALENDAS JUNII COLUNTUR

Sanctus Judas Apostolus ex septuaginta duobus discipulis, Araræ in Armenia Martyr.

S. Ursicinus Medicus Martyr, Ravennæ in Italia.

S. Zosimus Miles, Martyr in Pisidia.

S. Gervasius, S. Protasius, Fratres, Martyres Mediolani.

S. Honorius, S. Enodius, S. Petrus, Martyres Romæ.

S. Marcellus Martyr, forsan Ravennæ.

S. Gaudentius Episcopus, S. Culmatus Diaconus, S Andreas, SS. LII ex familia, Martyres Aretii in Hetruria.

SS. Anonymi duo, apud S. Hyppolyti oppidum in Austria.

S. Zeno, Anachoreta in Ægypto.

S. Petrus, Monachus et Doctor in Habassia.

S. Innocentius, Episcopus Cenomanensis in Gallia.

S. Deodatus, Episcopus Nivernensis, dein Abbas Vallis Galilææ in Vosago.

S. Nazarius, Episcopus Justinopolitanus in Istria.

S. Hildegrimus, Episcopus Catalaunensis et Halberstadensis.

S. Ratho, seu Rasso Comes Andecensis, Werdæ in Bavaria.

S. Bonifacius, Archiepiscopus Apostolicus circa Russiam, Ordinis Camaldulensis Protomartyr.

B. Odo, Abbas Tornacensis S. Martini, et Episcopus Camarucensis.

B. Juliana Falconeria Florentiæ, tertii Ordinis Servorum B. Mariæ.

B. Michelina vidua Pisauri, Ordinis Pœnitentium S. Francisci.

S. Bonmercatus Clericus, Martyr Ferrariæ.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Opera et studio R. P. Godefridi Henschenii piæ memoriæ, nisi litteræ appositæ margini aliud indicent.

Beatæ Veridianæ Virginis Translatio. *Judicatur esse* B. Verdiana, *cujus Vita est data* I Februarii.

S. Romualdus, fundator Ordinis Camaldulensium, *hoc die mortuus memoratur in pluribus Martyrologiis ejusque commemoratio cum nona lectione præscribitur in novissime reformato Breviario Parisiensi, licet vetustiora illa careant. Sed colitur sub ritu duplici in Ecclesia ad diem, quando Acta illustravimus* VII Februarii.

S. Dupthacus, Episcopus Rossiæ in Scotia, *memoratur a Camerario. Nos cum Breviario Aberdonensi dedimus Acta* VIII Martii.

S. Maria, Mater Joseph, quæ Christum unctura in sepulcro quæsivit, *ut hoc die in pace mortua, refertur in Menæis MSS. Collegii Divionensis, hæc alias appellatur* Maria Jacobi et Joseph Mater *et* Maria Cleophæ, *cujus Acta deduximus* IX Aprilis.

S. Lambertus, Agricola, Martyr Cæsaraugustæ *refertur ad hunc diem a Marietta, lib. 2 cap. 14. Cum Martyrologio Romano et aliis dedimus ejus Acta* XVI Aprilis.

SS. Vitalis et Valeria Martyres, parentes SS. Gervasii et Protasii, *proferuntur cum variis Martyribus, potissimum cum Martyribus Romanis. De illis infra in Actis filiorum agitur, et seorsim coluntur, quando de illis egimus* XXVIII Aprilis.

Joannes, Abbas de Fontibus, dein Episcopus Eliensis, *ut* Sanctus *est inscriptus Martyrologio Anglic. Wilsoni et a Ferrario. De eo inter Prætermissos egimus* VI Maji.

S. Ivonis Episcopi et pauperum Advocati *Canonizatio inscripta est MS. Florario. Non fuit is* Episcopus, *sed* Presbyter, *de quo deque ejus Canonizatione egimus ad Vitam* XIX Maji.

S. Buriena Virgo, in Cornubia Britanniæ provincia, *indicatur in secunda editione Martyrologii Anglicani. De ea egimus* XXIX Maji.

S. Margaritæ, Reginæ Scotiæ, memoria *seu* Translatio *inscripta est MS. Florario, et Martyrologio anno* 1490 *Coloniæ et Lubecæ excuso. Secuti Grevenus, Canisius, Dempsterus. Vitam ejus ob cultum, statutum in Breviario Romano, dedimus* X Junii.

S. Gerlandi Equitis translatio in Calatagirono *indicatur a Cajetano Martyrol. Siculo. De ea ejusque Inventione egimus* XVIII Junii.

S. Calocerus Martyr, *proponitur in vetusto MS. Casinensi. Celebravimus* XVIII *Aprilis* S. Calocerum *Martyrem Brixiensem, et* XIX *Maji* Calocerum Eunuchum Martyrem Romæ. *Potest alterius horum intelligi ob Reliquias aliunde Casinum allatas: maxime quia horum dictis diebus in MS. Casinensi nulla fit mentio. Certiora a Casinensibus optamus obtinere.*

Amator Episc. Socius Dominici de Montemajori *(de quo egimus* XV *Junii inter Prætermissos.)* Cum eo a sceleratis apostatis multis vulneribus confossus quarto post eum die mortuus *refertur a Marietta, et aliis ibidem relatis.*

Hildubrandus, Monachus in Hemmerode, *laudatur a Cæsario lib. 11 cap. 8 insertus est Kalendario Cisterciensi Divione excuso: omittitur ab Henriquez, Chalemoto et in Monasterio Hemmerodensi Jongelingi cap. 20 et 21, ubi viri illustres recensentur.*

Joannes, Abbas S. Mariæ de Salseda, Ordinis Cisterciensis in Lusitania, sanctitate et doctrina conspicuus

conspicuus *proponitur a Chrysostomo Henriquez in Menologio Cisterciensi cum titulo* Beati: *a quo titulo abstinent Chalemotus ejusdem Ordinis, et Cardosus in Hagiologio Lusitano. Floruit circa annum* 1214.

Odo Presbyter, Prædicator Brabantinorum, *ut venerabilis memoratur ab Arnoldo Raissio in Auctario Molani, occasione* B. Odonis Episcopi Cameracensis *hoc die relati: cumque Chopetius cum titulo* Beati et Beatæ memoriæ *inter sanctos sui ordinis retulit. Vitam habemus ex secunda parte Hagiologii Brabantinorum in Rubea Valle adservatam, ubi dicitur mortuus anno* 1213 *nullo die aut loco expresso: et pleraque sunt omnibus viris sancte viventibus communia: ac proinde non judicamus, ea hoc loco referenda, nisi aliunde de loco et aliquo cultu instruamur. Videtur idem esse, de quo Cantipratanus lib.* 2 *Apum cap.* 1 *num.* 17 *ita scribit*: Odo, vir sanctus et pius, Ordinis prædicatorum, qui raro volebat comedere, quod seminali fluxu ab animali descenderat, sed olere vel piso corpus sobrium reparabat. Huic in ingressu Ordinis terminus revelatus est, et hunc fratribus certo die ante obitum revelavit.

Jacobus Assisias, *discipulus S. Francisci, Foggiæ creditur mortuus, sed incertis ignotus, et miraculis claruisse, post Gonzagam mortuum ait anno* 1510. *Waddingus ad annum* 1210 *num.* 38 *et* 39, *censet hunc Jacobum spectare, ejusque miracula quinque ex Mariano profert, abstinet tamen a titulo Beati quem ei tribuit Arturus, et hunc secutus Jacobillus. Est* Foggia, *alias* Fovea, *Regni Neapolitani Oppidum, olim Caroli I Andegavensis nobile,* 10 m. p. *a Manfredonia, sed quod miror in tabulis omissum: unde si plura de cultu Jacobi plus docent, gratias referemus.*

Reginaldus Ord. Prædicatorum, *incertum an is qui in Vita S. Thomæ citatur ejus fuisse Confessarius,* de Piperno *cognominatus, an Massæ Africæ civitate captivus apud Mauros, ab usque crucifixus crudeliterque excruciatus, circa an.* 1280, *refertur a Marquesio ad hunc diem cum titulo* Beati. *Dicitur in sacristia Vigelanensi pictus inveniri cum radiis et palma, spinis coronatus.*

Antonius Nerus *Pisauri floruit circa annum* 1525, *laudatus ab eruditione et virtute, et cum titulo* Beati *refertur ab Arturo.*

Jacobus Martinet, Oblatus Ordinis Minimorum ob austeritatem et donum orationis *laudatur a Saussayo, inter Pios.*

Edmundus Augerius, Societatis Jesu, *cum illustri elogio memoratur similiter ab eodem.*

S. Silverius Papa Romæ, *refertur a Notkero, ab aliis* xx Junii.

SS. Petrus et Paulus Apostoli *hodie invocantur in Hagiologio Metrico Æthiopum Habessinorum. Natalis eorum est* xxix Junii.

S. Alena, Virgo et Martyr, Foresti prope Bruxellam, *indicatur in MS. Bruxellensi et variis aliis, uti diximus ad ejus Vitam* xvii Junii.

SS. Nazarius et Celsus, quia eorum corpora, una cum corporibus SS. Gervasii et Protasii inventa fuerunt, cum eisdem hoc die celebrantur *in Martyrologiis S. Hieronymi, Notkeri et aliorum. Natalis horum est* xxviii Julii.

S. Hippolytus, Martyr Romanus, *adjungitur* SS. Honorio, Evodio, Petro, in cœmeterio S. Hippolyti *depositis. De illo agetur* xiii Augusti.

S. Antonini Martyris translatio Reliquiarum, hoc die facta anno 887, *indicatur a Sammarthanis in elogio S. Theodardi Archiepiscopi Narbonensis pag.* 371. *Dies natalis est* ii Septembris.

S. Elzearii, Comitis Ariani, translatio *celebratur sub ritu semiduplicis in Breviario Aptensi anni* 1572. *Dies natalis est* xxvii Septembris.

S. Carissa, Virgo et Martyr e sodalitio S. Ursulæ, anno 1157 Colonia Viconiam in Hannonia translata, *item*, S. Cristicola, Virgo et Martyr ex eodem 11000 Virginum contubernio Pragæ, *indicantur in Fastis Agrippinensibus Gelenii; referendæ ad* xxi Octobris.

Childomara *seu* Childeomarca, in Fiscamno monasterio, *adjuncta sub finem Martyrologii S. Hieronymi in MS. Blumiano et Lucensi, in quo dicitur esse* depositio. *Est alias* Hildemarca *et* Childemarca *colitur que* xxv Octobris.

Joannes et Benedictus Sclavis evangelizantes, martyrio coronati *referuntur a Grevено, Maurolyco, Canisio. Alii alias* xii Novembris.

Hertwicus, Prior in Claustro Hemmerodii Ordinis Cisterciensis, grandævus, et circa disciplinam ferventissimus, prædixit horam qua erat moriturus. *Ita Cæsarius lib.* 11 *cap.* 10. *Eum hac die cum titulo* Beati *retulerunt Henriquez et Chalemotus. At Manrique apud Ughellum et Kalendarium Cisterciense Divione excusum, habent eum die quando poterunt dari, si quæ venerationis Ecclesiasticæ et vitæ documenta suggerantur* xxiv Decembris.

S. Stephani Protomartyris, ob recuperatum ejus brachium, commemoratio Vesontione, *refertur a Saussayo. Ejus dies natalis est* xxvi Decembris.

DE S. JUDA APOSTOLO

EX LXXII DISCIPULIS

MARTYRE ARARÆ IN ARMENIA

DISSERTATIO CONJECTURALIS

D. P.

Dijudicandam proponens ejus a Juda Thaddæi differentiam, cultumque et genus et locum mortis diversum.

SEC. I. *Judas unius Canonicæ Auctor.*

Judas, Jesu Christi Servus, Frater autem Jacobi, his qui sunt a Deo electis, Christo Jesu, conservatis et vocatis, *Epistolam scripsit inter Canonicas unam, idque post obitum S. Petri, qui secundam suam dictavit paulo ante mortem. Hanc enim magna ex parte, eodem argumento, sæpe eisdem phrasibus* S. Judas *transcripsit; sicut parallele demonstrat Cornelius noster. Et hic quidem putat Græce scriptam, quo latius per totam legeretur Ecclesiam. Ego vero, ex ipso illo parallelismo utriusque epistolæ, verosimilius censeo, Syriace (sicut Balthasar Etzelius noster eam reperit edidítque) primum exaratam fuisse*

A *ab Apostolo, consulere volente gentilibus suis Græce ignorantibus, atque ideo non valentibus epistolam Petri Græce scriptam intelligere: sed pro simplici versione dedisse epitomen, ita ut resectis multis fieret illa dimidio brevior. Qui hujus epistolæ veritatem, contra hæreticos ipsam reprobantes, et defensam videre volet, Interpretes consulat. Ego quod mei est propositi aggredior; et quam de illo sententiam cœpi proponere, in Paralipomenis ad Conatum Chronico-historicum de Pontificibus confirmatum eo; non quidem ut certam, sed ut verosimilem valde.*

videtur Syriace scripsisse post mortem S. Petri.

2 *Ibi ego genealogicum* consanguineorum, *sive (ut Nazarenis Matthæi* XIII ℣. 55 *vocare placuit)* fratrum ac sororum *Jesu* systema *sic explicui, ut* Cleophæ *seniori (nam ab hoc alium esse puto, Christi redivivi in Emmaunte hospitem) Josephi Sponsi Deiparæ fratri, darem uxores duas; primam anonymam, ex qua nati,* Simeon, *secundus Hierosolymorum Episcopus, et* Judas *epistolæ scriptor; alteram Mariam, Deiparæ ex Matertera Sororem id est consobrinam, quæ* Jacobum, *primum Hierosolymorum Episcopum et fratrem* Josephum *peperit, ambos antonomastice* Adelphoteos, *dictos, quia non solum contingebant Christum ex parte patris sui, sed etiam ex parte matris, a qua diversam censui alteram* Mariam, Jacobi *nescio cujus uxorem, ex eoque matrem* Judæ Thaddæi, *forte etiam et* Simonis Chananæi *Apostolorum, ex numero duodecim, si hi quoque fratres inter se fuerunt, ut vulgo æstimantur.*

et fuisse filius Cleophæ,


D

AUCTORE D. P. seu ex alia quam Jacobus Adelphotheus matre,

3 *Uti ergo Henschenius docuit* 1 *Maji distinguere* tres Jacobos Apostolos, *ex tribus diversis patribus Cleopha, Alphæo et Zebedæo natos; ita libenter hic distinxerim* tres Apostolos Judas; *primum ex alia matre, sed eodem patre Cleopha, fratrem Jacobi;* Judam Thaddæum, *fortassis filium* Mariæ et Jacobi; *et* Judam Iscariotem, qui fuit proditor. *Posteriores duo* Judæ *sicut et duo posteriores* Jacobi, *fuerint ex numero duodenario: priores supranumerari sicut* Paulus *et* Barnabas, *assumpti post Christi ascensionem; cum antea ut summum inter* Septuaginta duos *numerarentur. Schema itaque hoc formavi secundum naturæ ordinem.*

diversus a Juda Thaddæo, uno ex 12.

B



E

4 *Sic ordinato stemmate, haud ægre comprehendetur, quomodo post electionem duodecim Apostolorum, in quibus Jacobus Zebedæi Judas Thaddæus et Simon Cananæus; omnes a Christi consanguinitate extranei Jacobus Alphæi de ejusdem Christi fratribus supra ex Matthæi* XIII *nominatis,* Jacobus et Joseph, et Simon et Judas, *quamvis cum ipso præsentes in nuptiis Canæ; cum eodemque et matre ejus regressi Capharnaum, (Joannis* 1, 12*) anno prædicationis secundo adhuc increduli,* exierunt tenere eum, dicentes, quoniam in furorem versus est *(Marci* III, 21*) imo anno jam tertio currente et instante festo schennopegiæ illi dixerunt,* Si hæc facis manifesta teipsum mundo. Neque enim *(inquit Joannes cap.* VII*)* fratres ejus credebant in eum. *Qui tamen omnes, eumdem clam subsecuturum prægressi Hierosolymam, visis tot ejus deinde miraculis, et prædicationibus auditis, crediderint denique; et meruerint in numero aliorum septuaginta duorum recipi, communi omnibus nomine per Orientem, ac deinde apud Græcos, vocandi* Apostoli; *sicut ipsi quoque potuerint intelligi a Paulo, ubi dixit ad Gal.* 1, 18 *quomodo post tres a sua conversione annos, ex Arabia reversus Hierolosymam,* alium Apostolorum vidit neminem, nisi Jacobum fratrem Domini, *omnibus scilicet jam inde digressis, non solum primariis duodecim, sed etiam septuaginta duobus secundariis, quos Latini Discipulos nominant.*

et unus ex quatuor

C

primum conversis an. 3 prædicationis

et inter 72 assumptis.

5 *Utinam nunc tam facile foret ex ipsismet Evangelistis,* Judæ Scriptoris *et* Thaddæi *personas discernere, quam id facile fuit de duobus Jacobis, Cleophæ et Alphæi, concurrentibus ad eamdem diversitatem probandam, diversissimis apud eosdem Græcos utriusque Actis. Sed Græcis æque ac Latinis agnoscentibus unum dumtaxat* Judam Apostolum, *illis quidem hac* XIX *Junii. Latinis vero* XXVIII *Octobris, tota discriminis probatio consistit in diversitate Actorum; quæ quidem apud Latinos habentur sub nomine Abdiæ Babylonii, dicuntque cum Simone passum esse* Judam *in* Perside XXVIII *Octobris, quod uni ex duodecim optime convenit: Græci vero in suis Menæi ea legunt, quæ ex Mesopotamia digressum in* Armeniam *solum* Judam *ibi Martyrem factum prædicant; et quæ uni ex Septuaginta duobus, id est Scriptori, aptantur facilius. Athanasius Kircherus noster ex Arabico Kalendario nobis proposuit* Judam Apostolum, *(verosimiliter ex duodecim unum)* X *aut* XXII *Maji; licet Seldeni Kalendaria eumdem videantur reponere die* II *mensis Amschir, qui diei* XXVI *Januarii nostri respondet. Habessini, in suo Hagiologio Metrico, ita canunt ad hanc* XIX *Junii.* Salutem dico Judæ, Domini servo, quem, dum fidem Evangelii perfectam suis ministeriis inseruerunt illi, *(quos scilicet ante commemoraverat Poeta, Petrus et Paulus)* parem sibi eum in Apostolatu fecerunt. Pedes ejus clavis ab igne candentibus fuerunt confixi *atque ita martyrium suum complevit, loco mox indicando.*

Licet autem Latini, Græci etc. solum unum S. Judam videantur agnoscere,

Acta tamen Latina Thaddæum in Perside 28 Octobris;

F

6 *Elogium apud Græcos in Synaxario, tale est* Οὗτος (Ἀπόστολος) ἐν τῷ κατ᾽ αὐτὸν Εὐαγγελίῳ, Ἰούδας ἐπονομάζεται..... καὶ ἐν ταῖς πράξεσιν, ἀδελφὸς κατὰ σάρκα χρηματίζων τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, υἱὸς Ἰωσὴφ τοῦ μνήστορος, ἀδελφὸς δὲ γνήσιος Ἰακώβου τοῦ Ἀδελφοθέου· ὁ καὶ τὴν φωτιστικὴν καὶ δογματικὴν καὶ ἔμπλεων τοῦ πνεύματος ἅπασιν ἀποστείλας ἐπιστολήν. Οὗτος παρὰ αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ πεμφθεὶς ὡς ἀδελφὸς καὶ

Græca, Arabs in Armenia, Judam passum dicunt,

AUCTORE D. P.

καὶ μυσταγωγός, πυρωθεὶς ταῖς αὐτοῦ λαμπρότησιν ὡς ἄνθραξ, πᾶσαν πλάνην κατέφλεξε, καὶ τοὺς πιστοὺς κατεφώτισεν. Ἕλκων γὰρ τὸν ζυγὸν τοῦ Σωτῆρος, καὶ τὴν αὔλακα τέμνων, καὶ σπείρας τὸν σπόρον τῆς εὐσεβείας εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, πολλὺν ἤνεγκε τὸν καρπόν· διὰ τῆς μέσης τῶν ποταμῶν, καὶ τὰ ὁμόρα ἔθνη καταφωτίσας τῷ λόγῳ, καὶ κηρύξας τὸ εὐαγγέλιον, τῇ Ἐδεσινῶν πόλει ἐνδημήσας, καὶ πρὸς Αὔγαρον τὸν Τοπάρχην πορευθεὶς τοῦ θεραπεῦσαι αὐτόν, ὕστερον κατέλαβε ἐν Ἀραρὰ τῇ πόλει· καὶ ὑπὸ τῶν ἀπίστων κρεμασθεὶς καὶ τοξευθείς, τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τῷ Θεῷ παρέθετο.

Elogio ad hunc 19 Junii relato.

7 Hic (*Apostolus*) Judas nominatur in eo quod secundum ipsum est Evangelio (*Gelasius apocryphum esse declarat*) et in Actis..... eratque secundum carnem D. N. Jesu Christi frater, filius Joseph Sponsi (*potius ex fratre Cleopha nepos dicendus*) Jacobi autem Adelphothei frater germanus, *ego ex alia matre dixerim.* Hic etiam plenam spiritus epistolam dogmaticam et illuminativam cunctis emisit. Hic ab ipso Christo missus ut frater et mystagogus, totusque splendoribus ejus instar carbonis inflammatus, errorem omnem exussit et illuminavit fideles. Jugum enim Salvatoris tollens, et agrum spiritualem sulcans semenque pietatis jaciens in universum orbem, plurimum fructum retulit. Mesopotamiam enim atque finitimas gentes verbo illuminans, et Evangelium prædicans, pervenit in Edessenam civitatem, ibique accessit ad Augarum loci Principem, eumdem curaturus. Postea in Ararach civitatem venit, ubi ab infidelibus suspensus, atque sagittis confixus, spiritum Deo reddidit: *in quo mortis genere fortassis nulla est dissensio Hagiologii Habessini, solique interpretis vitio vel obscuritati phraseos adscribi debet, quod ibi pro sagittis legere hactenus cogar* Clavos ignitos.

cum mentione scriptæ epistolæ

et missionis ad Agbarum Edessæ Principem,

ubi paucis verbis exceptis

8 *Est autem* Ararach *apud Cedrenum civitas Armeniæ, Mesopotamiam proxime contingentis atque ab Arabibus habitatæ: quo sensu in Synaxario Moschorum dicitur* Judas *prædicasse* in Idumæa atque Arabia. *Si autem in Armenia passus hic est, in* Perside *vero alius* Judas, *socius* Simonis; *tam sunt diversi inter se illi quam sunt diversæ regiones et Acta ea quæ dabimus* XXVIII *Octobris, tamquam præ aliorum Apostolorum Actis, Abdiæ adscriptis recipi digna. In solo principio confusionis est aliquid, quod correxi, delendo hæc verba,* παρὰ δὲ Ματθαίῳ καὶ Μάρκῳ Θαδδαῖος καὶ Λευαῖος, secundum Matthæum vero et Marcum, Thaddæus vel Levæus. *Et Marcus quidem simpliciter nomen* Thaddæi *usurpat, quod simpliciter etiam invenitur in Latina vulgata: in Græco tamen textu, quem Syriacus sequitur, nominatur* Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος Lebbæus qui cognominatus est Thaddæus: *qui idem cum apud Joannem* Judas, *et apud Lucam tam in Evangelio quam in Actis vocetur* Judas Jacobi, *conciliari hæc loca non possunt, nisi dicendo cum Hieronymo, unum eumdemque Apostolum ex duodecim, fuisse trinomium. Quamquam autem perpetuus utriusque Testamenti usus ferat, ut genitivus, nomini alicui simpliciter additus, uti hic* Ἰούδας Ἰακώβου, *significet* patrem; *quia tamen plerisque placuit hoc loco* fratrem *intelligere, credentibus quod idem Judas esset frater Jacobi Adelphothei, aucta confusio est et confusionis argumenta multiplicata.*

nihil est ad Judam Thaddæum spectans.

9 *His deinde accessit novum unum ex Eusebio libro* 1 *cap.* 13. *Accuratissime hic docet,* Apostolos *dici, non solos duodecim, sed etiam septuaginta duos: inter quos postremos fuerit,* Jacobus frater Domini, *et quidam* Thaddæus; *ac deinde alii complures qui* instar illorum Apostoli dicebantur: *quales intelligat Paulus ad Gal.* 1 *cum se præfatur* Apostolum, non ab hominibus, *id est Apostolis aliis missum (ut interpretatur Ambrosius, seu potius Hilarius)* sed per Jesum Christum. *Istis tamen sic bene expositis idem Eusebius intricat omnia; cum* ex tabulariis Edessenorum apud quos Abgarus vel *potius* Agbarus *quidam* Christo in Judæa prædicante dominabatur, *depromit Syrorum lingua descriptas utriusque ad invicem Agbari scilicet et Jesu epistolas; ac deinde, velut* ex iisdem publicis monumentis, quibus, *ad sua usque tempora conservatis,* antiquitates urbis et res Agbari gestæ continentur, *narrationem de* Thaddæo *præfato sic orditur.* Post ascensum Jesu Christi Judas qui etiam Thomas dictus est fratrem Thaddæum Apostolum unum ex septuaginta ad Agbarum misit, *et sic eum perpetuo* Thaddæum *nominat.*

Apud Eusebium confusio multa,

ubi dicitur missus ad Agbarum Thaddæus ex 72 a Thoma Ap.

10 *Notat Valesius* Agbari *nomen apud Arabes, quorum tribus aliqua tunc Edessam obtinebat, idem esse quod* Potentissimus; *et ex Edessenorum nummis probat, commune id Principibus Edessenorum fuisse, sicut Romanis nomina* Cæsaris *et* Augusti. *Non est etiam absimile vero iisdem Edessenis Syriacam linguam fuisse in pretio si ea non erat ipsis vulgaris adeoque ea lingua scriptam eorum historiam. Quæ autem narrantur de imagine Christi non manufacta, quam ipse ad Agbarum miserit, pollicens unum postea e discipulis suis, qui illum sanaret; talibus testimoniis tantisque miraculis confirmantur, ut de historiæ talis veritate dubitare sit nefas; eam tamen esse talem, ut credi possit statim ab illius Agbari morte scriptam, merito quis negaverit: aut certe negare poterit satis perito fideloque interprete usum Eusebium, aut (si ipsemet per se transtulit Manuscripto usum satis accurato. Certe non dubitat Hieronymus Eusebium transcribendo corrigere, et* Thaddæum *quem is tam diserte et plus quam semel dicit unum ex* LXXII, *dicere unum ex* XII. *Valesius quoque Eusebium corrigit, ubi eumdem* Thaddæum *vocat* fratrem Thomæ *Apostoli, et prudenter expungit vocem* τὸν ἀδελφόν, *utpote deficientem in pluribus codicibus; neminem autem invento, qui* Thomam et Thaddæum *fratres fuisse dixerit. Poterat eodem jure Valesius dicere, neminem reperiri, qui Thomæ prænomen dederit* Judæ, *uti loco allegato fit: imo Joannis cap.* 11, 20 *et* 1 *invenitur* Thomas qui dicitur Dydimus *nusquam* Judas qui dicitur Thomas.

itaque habere Edessenorum veterem historiam Syriace scriptam;

Hieronymus vult esse Thaddæum

Valesius negat esse fratrem Thomæ

11 *Agendum nobis ad* XVI *Augusti erit de Imagine Christi, Edessam allata, atque inde forsitan in Armeniam, unde denique advecta Genuam est: hic interim videor posse dubitare, an principium narrationis apud Eusebium sic non possit emendari:* Judas, qui etiam Thaddæus dictus, *cui in divisione provinciarum Mesopotamia et Persia sortito obtigit,* Judam [Jacobi], unum ex Septuaginta, ad Abgarum misit. *Tum vero suspicari licebit, auctorem Historiæ, seculo* II, *et forte jam adulto scripsisse, cum apud plerosque confusa esset distinctior Judæ utriusque notitia, ipsimet Edessenis* Judam fratrem Jacobi *et* Judam *filium* Jacobi *id est,* Thaddæum *non distinguentibus; et hoc solum memoria retinentibus, quod ad se missus esset unus ex* LXXII, *non autem ex* XII; *Eusebium vero, credidisse Edessenorum Apostolum diversum unum ab utroque fuisse: atque ita solum* Thaddæum *in progressu nominando, confusionem, quam evitare voluit, magis implicuisse.*

Quid si Judas Thaddæus, miserit Judam Fr. Jacobi?

12 *Ut ut est, missio illa unius ex Discipulis* LXXII *ad civitatem* Edessæ *(non ejus quæ est in Cœlesyria quæ aliis Emessa, sed ejus, quæ trans Euphratis fontes est in Mesopotamia) facta est anno ipso quo in cœlum Christus ascenderat, et antequam fieret* XII *Apostolorum divisio; adeoque antequam ex Syria discederet* Judas Thaddæus. *Hoc enim acute collegit Antonius Pagius ex correctiori Eusebii textu in antiquioribus melioribusque codicibus, a Valesio allegatis, id factum legitur, non* τεσσαρακοστῷ καὶ τρίτῳ ἔτει, quadragesimo et tertio anno *(sicut supposuit sciolus aliquis, ratus fortassis a Christi nativitate annos Edessenis numeratos fuisse) sed* τεσσαρακοστῷ καὶ τριακοσιοστῷ ἔτει quadragesimo et trecentesimo anno: *quomodo*

anno Edessæno 340 vulg. æra 30, quo Christus olim putabatur Cruci fixus;

ut etiam probatur ex Chronico Eusebii

quomodo Eusebius in Chronico, ad annum 1 *Olympiadis* 264, *dicit, quod* secundo anno Probi, juxta Antiochenos CCCXXV anno, juxta Edessenos DLXXXVIII, insana Manichæorum hæresis est exorta. *Annus Probi secundus, citra omnem controversiam, inchoatur in Julio anni vulgaris æræ* CCLXXVII; *Edesseni atque ceteri Orientales annos ab Æquinoctio Autumnali ordiebantur. Si ergo annus nobis* CCLXXVII, *fuit* DLXXVIII *Edessenis, Epocham suam ducentibus ab initio regni Seleucidarum id est anno ante vulgarem æram* CCCXI, *eorumdem annus* CCCXL *nobis numerandus erit* XXIX: *atque ita egregie confirmabitur Henschenii nostri sententia eruditis Chronologis, Pagio, Schelstratio, et aliis quibusdam magis probata (non obstantibus Possini novissimis objectionibus de Christo duobus Geminis Consulibus crucifixo, juxta antiquorum Patrum plerumque constantem assertionem: quam sententiam gaudeo novis indies argumentis roborari; forte nihil amplius hæsitaturus quando recognoscendus erit Conatus Chronico-historicus meus ad Pontificum Romanorum Catalogos.*

cui annus Probi 2 est 588 Edessenorum.

13 *Porro sicut Hierosolymis in* Persidem *eunti longe extra viam* Edessa *foret, plus quam* CXX *leucis horariis; sic plane in via est ituro in* Armeniam, *ubi* Judam fratrem Jacobi *martyrio coronatum tenent Græci, adeoque naturalius est ut hic fuerit Edessenorum Apostolus, quam* Thaddæus, *atque adeo nominibus commutatis posset tota disputatio veram Aglaro ex Eusebio huc transferri nisi alius locus illam, ut dixi, posceret magis ex professo tractandam. Rursus, sicut in Actis* Simonis et Judæ *apud Abdiam Babylonium, et allegatis ab eo decem libris Gnathonis eorumdem discipuli, quos Africanus Historicus Latine vertisse dicitur, nihil aliud apparet quam quod in circumeundis duodecim Provinciis imperii Persici per annos tredecim egerunt Apostoli, tandem Babylone ab idolorum Pontificibus interfecti; sic in toto Græcorum Officio de* Juda Apostolo *nihil invenitur faciens ad unum ex duodecim; et ideo merito illud totum applicuerim* Judæ fratri Jacobi *et* Scriptori.

Alia pro Juda Adelphotheo congruentia.

AUCTORE D. P. ut a Thaddæo diversus credatur,

14 *Officium istud mox daturus, præmitto ex Typico istud Troparion,* εἰς τὰς ιθ' τοῦ ἁγίου Ἰούδα, συγγενοῦς τοῦ Κυρίου. In XIX *(Junii)* sancti Apostoli Judæ, cognati Domini. Χριστοῦ σε συγγενῆ Ἰούδα εἰδότες καὶ Μάρτυρα στεῤῥὸν, ἱερῶς εὐφημοῦμεν, τὴν πλάνην πατήσαντα καὶ τὴν πίστιν τηρήσαντα, ὅθεν σήμερον τὴν πανάγιον σου μνήμην ἑορτάζοντες, ἁμαρτημάτων τὴν λύσιν εὐχαῖς σου λαμβάνομεν. Christi consanguineum te scientes, Juda, ac generosum Martyrem, sancte celebramus; ut qui errorem conculcasti, et fidem custodisti. Quapropter sanctissimam tui memoriam festivam hodie facientes percipiamus solutionem peccatorum nostrorum per tuas preces. *Deinde jubetur Lector requirere* XVIII *Aprilis ubi eadem omnia iisdemque verbis accinuntur* S. Simeoni Hieromartyri, *sive* Episcopo Martyri, *solo nomine mutato; eo aptius, quo verosimilius fecimus, hunc fratrem* Judæ *nunc occurrentis fuisse, non* Simonem Chananæum *fratrem fortassis* Judæ Thaddæi: *licet inter fratres, id est consanguineos Christi ex Cleopha, non* Symeonem, *sed* Simonem *Evangelia nominent. Hoc enim posito duntaxat probatur, unum utrumque esse nomen, sed diverso ejus usu pari quando agitur de illo qui ex duodenario numero unus nusquam aliter nominatur quam* Simon; *et a Græcis colitur* X *Maji a Latinis* XXVIII *Octobris; et de altero qui apud Eusebium in Historia* Simeon, *in Chronico* Simon *nominatur.*

ne huic sed illi applicetur Officium quod Græci legunt.

OFFICIUM DE S. APOSTOLO JUDA

Auctore S. Josepho Hymnographo

Ex Magnis Menæis Græcorum XIX *Junii.*

Στιχηρὰ προσόμοια ἦχος α'.

Ἰούδα μακάριε, Χριστοῦ μαθητὴς, τοῦ σαρκωθέντος Θεοῦ ἡμῶν, ὑπ' αὐτοῦ ὡς πρόβατον μέσον λύκων ὄντως ἀποσταλεὶς, λόγῳ σου τὴν τούτων μετέπλαττες δυσσέβειαν πρὸς τὴν εὐσέβειαν, καὶ τὴν ἔνθεον ἐπίγνωσιν τῆς Τριάδος· ὅθεν εὐφημοῦμέν σε.

Ἰούδα θαυμάσιε, βολὶς ἀπεστάλης, πλήττουσα καὶ παντελῶς ἀφανίζουσα δαιμόνων φάλαγγας, καὶ τοὺς ὑπ' ἐκείνων πληγωθέντας χάριτι τοῦ μόνου θεραπεύων Θεοῦ ἡμῶν· ὃν νῦν ἱκέτευε δωρηθῆναι ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν τὴν εἰρήνην καὶ τὸ μέγα ἔλεος.

Ἰούδα, θεόπνευστε, ἀκτὶς τοῦ ἡλίου γέγονας, τοῦ ἐκ παρθένου ἐκλάμψαντος, καὶ κατεφώτισας εὐσεβῶν καρδίας, καὶ τὸν ἐπικείμενον τῇ κτίσει σκοτασμὸν ἀπεδίωξας· καὶ νῦν ἱκέτευε δωρηθῆναι.

ΔΟΞΑ. ἦχος πλαγίου β'.

Ἰούδα, οἱ ἀδελφοί σου σὲ ἐπαινέσουσιν, ἀδελφὸν γενέσθαι Λόγου τοῦ πρὸ αἰώνων, ἐκ ἀϊδίου ἀναλάμψαντος τοῦ Γεννήτορος, καὶ ἐπ' ἐσχάτων χρόνων ἀφράστως σαρκωθέντος ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντος· ὃν, Ἀπόστολε, ἐκτενῶς ἱκέτευε, δωρηθῆναι εἰρήνην τῷ κόσμῳ, καὶ ἡμῖν τοῖς τιμῶσί σε τῶν πταισμάτων ἄφεσιν καὶ τὸ μέγα ἔλεος.

Versus similiares *Tonus* I.

Juda beate, factus Christi Dei nostri incarnati discipulus, ab eoque missus es sicut verus agnus in medium luporum, eorum impietatem ad pietatem conversus, et ad divinam Trinitatis cognitionem: ideoque magnificamus te.

II Juda admirande, emissus es velut sagitta, feriens et dissipans phalangas dæmonum, et ab iis percussos sanans, gratia ejus, qui solus Deus noster est. Hunc modo deprecare; ut donetur animabus nostris pax et magna misericordia.

III Juda, divinitus inspirate, factus es radius illius solis, qui ex Virgine eluxit; et piorum corda illuminasti, fugastique incumbentem mundo caliginem. Nunc ergo precare, ut donetur etc.

GLORIA. *Tonus obliquus* 2.

Juda, laudabunt te fratres tui, qui demonstraris frater esse Verbi ante secula ex æterno Patre effulgentis, et in novissimis temporibus incarnati, atque hominis facti ex Virgine. Hunc ergo jugiter deprecare, Apostole, ut det mundo pacem, et nobis te honorantibus indulgentiam delictorum, suamque magnam misericordiam.

AUCTORE JOSEPHO.

CANTARE JUDAM STUDEO QUI CERNIT DEUM. Joseph.

ODE I Tomus obl. I.

Cœlestium mystes sapientissime Juda, discipule Salvatoris et vitæ veræ particeps; move linguam meam et sermonem meum dirige, ad hymnos tibi canendos, o Beatissime.

Accipiens Salvatoris jugum, et novale proscindens excolensque gratia, [pulchrum] ac multiplex semen jecisti.

Nactus doctorem Verbum incarnatum, Inspector divinorum: ejusque fulgore inflammatus; factus es alterum luminare, primi luminaris claritate conformatus, bonis omnibus digne.

MARIALE.

Tantum æstimetur rerum supra captum mirandarum fides, non demonstratio, o purissima Deipara, per quam incomprehensibile Dei Verbum, humanam naturam indutum genuisti.

ODE III, *nam Secunda plerumque abest.*

Antecellit omnem magnitudinem decor discipulorum Christi: quia ejus facti sunt amici atque domestici contribules et commensales, mysteriorumque interpretes.

Reputatus et visus es frater esse Verbi, quod apparuit in carne, ex sempiterno effulgens, ex sempiterno Genitore : ideo laudabunt te fratres tui, Juda.

Ea quæ super terra sunt mortificans membra omnium vitæ Christo cohabitasti, Beatissime; et vivificæ conversationis factus es toti mundo annuntiator, verba vitæ profundens.

MARIALE.

Inter omnes purissima præ omnibus gratiosa fuisti, universas superasti sanctitate et super cunctas mulieres exaltata es; omnibus quoque cœlestibus virtutibus altior apparuisti, Dei mater effecta.

ODE IV.

Vere magnus Apostolus, apparitione Spiritu dignanter suscepta, amorem ejus erga te singularem expertus es, et visionis ejus splendorem ac pulchritudinem contemplatus.

Donis et gratiis divinitus concessis plenus, o Apostole, eos qui te concelebrant hymnis, deduc ad portum salvationis.

Armatus sanctissimi spiritus virtute invicta ineffabilium mysteriorum Sacerdos, iniquitatis spiritus persequeris ac fugas verbo gratiæ.

MARIALE.

Mirabiliter concipiens factorem et Deum tuum, deprecare eumdem, ut nos a periculis conservet, et salutem spiritualem donet laudantibus te, Domina.

ΜΕΛΠΕΙΝ ΙΟΥΔΑΝ ΤΟΝ ΘΕΟΠΤΗΝ ΣΠΟΥΔΑΣΩ. Ἰωσήφ.

ΩΔΗ α'. ἦχος πλ. α'.

Μύστα τῶν οὐρανίων, Ἰούδα πάνσοφε, μαθητὰ τοῦ Σωτῆρος καὶ κοινωνὲ τῆς ὄντως ζωῆς, τὴν γλῶσσάν μου κίνησον καὶ τὸν λόγον ἴθυνον πρὸς τοὺς ὕμνους σου, Παμμακάριστε.

Ἕλκων τὸν τοῦ Σωτῆρος ζυγὸν, Ἀπόστολε, καὶ την αὔλακα τέμνων καὶ νεουργῶν τῇ χάριτι τὸν σπόρον κατέβαλες [καλὸν] καὶ πολύχουν.

Λόγον τὸν σαρκωθέντα εὑρὼν διδάσκαλον, καὶ ταῖς τούτου, Θεόπτα, μαρμαρυγαῖς πυρούμενος, ἐγένου φῶς δεύτερον, ταῖς τοῦ πρώτου λάμψεσι συμμορφούμενος, Ἀξιάγαστε.

ΘΕΟΤΟΚΙΟΝ.

Πίστις ἡγείσθω μόνη καὶ μὴ ἀπόδειξις τῶν ὑπὲρ νοῦν θαυμάτων, Θεογεννῆτορ πάναγνε, τὸν ἀκατάληπτον Θεοῦ λόγον τέτοκας, ἐνδυσάμενον τὸ ἀνθρώπινον.

ΩΔΗ Γ'

Ἐπήρθη τῶν μαθητῶν Χριστοῦ ἡ εὐπρέπεια ὑπεράνω πάσης μεγαλειότητος· οὗτοι γὰρ γεγόνασι αὐτοῦ φίλοιτε καὶ οἰκεῖοι, καὶ συμφυλέται καὶ συνέστιοι, καὶ τῶν μυστερίων ἐκφάντορες.

Ἰούδα, οἱ ἀδελφοί σε ἐπῄνεσαν, ἀδελφὸν φανέντα καὶ νομιζόμενον τοῦ φανερωθέντος ἐν σαρκὶ Λόγου τοῦ πρὸ αἰώνων ἐξ αἰδίου ἀναλάμψαντος, ἐκ τοῦ αἰδίου Γεννήτορος.

Νεκρώσας τὰ ἐπὶ γῆς σου μέλη, συνῴκησας τῇ ζωῇ τῶν ὅλων Χριστῷ, Πανόλβιε· καὶ τῆς ζωηφόρου βιω τῆς πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ κατάγγελος σὺ ἐχρημάτισας, ῥήματα ζωῆς προϊέμενος.

ΘΕΟΤΟΚΙΟΝ.

Ἰδοῦ, σὺ ὑπὲρ πάσας Ἁγνὴ καὶ χαριτῶσα, ὑπερέβης πάσας τῇ ἁγιότητι, πάσας ὑπερῇρας, καὶ πασῶν ὤφθης ὑψιλωτέρα τῶν οὐρανίων σαφῶς δυνάμιων, μητὴρ τοῦ Θεοῦ χρηματίζασα.

ΩΔΗ δ'.

Ὁ μέγας τοῦ Κυρίου Ἀπόστολος, τῆς ἐμφανείας τοῦ Πνεύματος ἠξιωμένος ἠγάπηται, καὶ τῆς αὐτοῦ θεωρίας τὴν αἴγλην καὶ τὸ κάλλος τεθέαται.

Ὑπάρχων χαρισμάτων ἀνάπλεως καὶ δωρεῶν τῶν ἐκ Θεοῦ δεδωρημένων, Ἀπόστολε πρὸς σωτηρίας λιμένα τούς σε ὑμνολογοῦντας ὁδήγησον.

Δυνάμει ἀηττήτῳ τοῦ Πνεύματος τοῦ παναγίου, Λειτουργὲ τῶν ἀπεῤῥήτων, φραξάμενος, τῆς πονηρίας διώκεις τὰ πνεύματα, τῷ λόγῳ τῆς χάριτος.

ΘΕΟΤΟΚΙΟΝ.

Ἀράστως συλλαβοῦσα, Πανάμωμε, τὸν ποιητήν σου καὶ Θεὸν, δυσσώπει σῶσαι κινδύνων ἡμᾶς, καὶ ψυχικὴν σωτηρίαν βραβεῦσαι τοῖς ὑμνοῦσί σε, Δέσποινα.

A

ΩΔΗ ε'.

Νόμου παρωσάμενος τὰ προσκίασματα, τὸν χαρακτῆρα τᾶς ἀληθείας τηλαυγῶς ἐκήρυξας, αὐτὴν κεκτημένος ὁδηγὸν τὴν ἀλήθειαν.

Τὸ τοῦ νόμου πρόσταγμα πληρῶν, Ἀπόστολε τὰ ἔθνη πάντα ταῖς διδαχαῖς σου μαθητεύων ἔδραμες, καὶ ταῦτα βαπτίζων Τριάδος ἐπικλήσεσιν.

Ὄμβρος ὡς οὐράνιος, ὡς δρόσος ἄνωθεν ὁ θεῖος φθόγγος σοῦ, Θεοκήρυξ, τὸν αὐχμὸν διέλυσε τῆς πολυθείας ἑνὸς Θεοῦ κηρύγματι

ΘΕΟΤΟΚΙΟΝ.

Νέκρωσον τὰ πάθη μου, Θεογεννήτρια· καὶ τὴν ψυχήν μου τὴν νεκρωθεῖσαν ἁμαρτίας δήγματι, ανάστασον, Μῆτερ τῆς ὄντως ἀναστάσεως.

ΩΔΗ στ'.

Θεωρίας δόγματι, πολιτείας πράξεσι φαιδραῖς τοῦ Θεοῦ Ἀπόστολε, λαμπόμενος, τοὺς ἐν βυθῷ τῆς αγνωσίας ἐφώτισας.

Ἐπιστέλλεις ἅπασι τοῖς ανθρώποις τὴν φωτιστικὴν καὶ δογμάτων ἐμπλέων τοῦ Πνεύματος Ἐπιστολὴν, Ἱεροφάντα θεσπέσιε.

Ὁ θεόπτης,, φθέγγεται οὐρανός τις λογικὸς τοῦ Θεοῦ τὴν δόξαν διηγούμενος τοῦ δι' ἡμας ἐν σαρκὶ φανέντος, καὶ θαύματα.

B

ΘΕΟΤΟΚΙΟΝ.

Παναγία Δέσποινα Θεοτόκε, ῥῦσαι με φθορᾶς, καὶ παθῶν τὸν θόρυβον κατάπαυσον, ἡ τὴν πηγὴν τῆς απαθείας κυήσασα.

ΩΔΗ ζ'.

Τὸν θεοειδέστατον συνουσίᾳ θεότητος γενόμενον ἅπαντες Ἰούδαν ὑμνήσωμεν, ἐνθέως μελωδοῦντες· Ὁ Θεὸς εὐλογητός εἶ.

Πνευματοκίνητος καὶ θεόπνους γλῶσσά σου τὸν κόσμον ἐπέστρεψεν, Χριστοῦ τῷ κηρύγματι, ᾧ πάντες μελῳδοῦμεν, Ὁ Θεὸς εὐλογητός εἶ.

Νέμει σοι οὐράνιον κληρουχίαν Κύριος, καὶ θρόνον ὑπέρλαμπρον, ἐν ᾧ καθευδούμενος ἐνθέως μελωδήσεις, Ὁ Θεὸς εὐλογητὸς εἶ.

ΘΕΟΤΟΚΙΟΝ.

Στόματι καὶ γνώμῃ σε, Θεοτόκον ἅπαντες, κηρύττομεν Πάναγνε, Θεὸν γὰρ ἐγέννησας, ᾧ πάντες μελῳδοῦμεν, Ὁ Θεὸς εὐλογητὸς εἶ.

ΩΔΗ η'.

Πλοῦτον τῶν ἐθνῶν καὶ Βασιλέων γέρας, εὔκλειαν ἀπειληφὼς, βοῶν, Ἀπόστολε, Πάντα τὰ ἔργα τὸν Κύριον ὑπερυμνεῖτε.

C

Ὅλην τὴν αὐγὴν τοῦ Παρακλήτου, Μάκαρ, ἐδέξω φοιτήσασαν, κραυγάζων, Ἔνδοξε, Πάντα τὰ ἔργα τὸν Κύριον ὑπερυμνεῖτε.

Ὕμνοις οἱ πιστοὶ τὴν σοι δοθεῖσαν αἴγλην, Ἰούδα γεραίρομεν, προθύμως ψάλλοντες, Πάντα τὰ ἔργα τὸν Κύριον ὑμνεῖτε.

ΘΕΟΤΟΚΙΟΝ.

Δεῦτε σκάλαν τοῦ Ἰακὼβ τίμωμεν, Μαρίαν τὴν ἄχραντον, συμφώνως κράζοντες, Πάντα τὰ ἔργα τὸν Κύριον ὑμνεῖτε καὶ ὑπερυψοῦτε.

ΩΔΗ θ'.

Ἀπαστράπτων, Ἔνδοξε, φωτοχύτῳ Πνεύματος αὐγῇ, θαυμάτων ταῖς αστραπαῖς τῶν ὑπερφυῶν, τοῖς πᾶσιν ἀπέπεμπες, ὡς μαθητὴς τοῦ Ἐμμανουὴλ, ὃν μεγαλύνοντές, σε, Θεόπτα μακαρίζομεν.

Σὺν Ἀγγέλων τάξεσι παρεστῶτες οἱ θεοειδεῖς, αὐτόπται καὶ θεωροὶ τοῦ Μονογενοῦς, τοῦ σάρκα πτωχεύσαντος ὑπὲρ ἡμῶν, τοῦτον ἐκτενῶς νῦν ἱκετεύσατε, τοῦ σωθῆναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

ΘΕΟΤΟΚΙΟΝ.

Ὡς τέκουσα, Πάναγνε, τῶν κτισμάτων τὸν δημιουργὸν, κατὰ παντὸς γεννετοῦ φέρεις τὴν αρχὴν, ἀσύγκριτον ἔχουσα ὑπεροχὴν καὶ ὑπερβολὴν· ὅθεν τὸν τόκον σου προσκυνοῦντες, σὲ δοξάζομεν.

D

AUCTORE D P.

ODE V.

Summam veritatem nactus viæ ducem, ejusdem signum dilucide explicuisti removendo umbras Legis antiquæ.

Tibi datæ Legis præceptum Apostolice implens, gentes omnes, uti præceptum acceperas, percurrebas prædicando, et in nomine Trinitatis baptizando.

Vox tua divina velut cœlestis imber et ros desuper illapsus, Dei præco, dispulit polytheiæ ariditatem, unius Dei prædicatione.

MARIALE.

Dei Mater, mortifica passiones meas, et animam meam, peccati morsus enectam resuscita, veræ resurrectionis Mater.

ODE VI.

Tia, Dei Apostole, illuminasti positos in profundo ignorantiæ doctrina contemplativa et operibus pulchræ conversationis.

Omnibus hominibus edidisti, plenam dogmatibus spiritualibus, et illuminatricem epistolam, Mystes venerande.

Qui propter nos in carne apparuit, ejus mirabilia et gloriam velut rationale cœlum enarrasti, o Speculator Divinitatis.

E

MARIALE.

Venerabilis Donna, Dei mater, erue me a corruptione, et passionum mearum tu multum compesce, quæ fontem impassibilitatis peperisti.

ODE VII.

Intuitu præsentis Deitatis simillimum ei factum Iudam omnes concinamus, divino spiritu insonantes, Benedictus est Deus.

Convertit mundum a spiritu mota et divinitus inspirata lingua tua prædicatione Christi, cui omnes hymmum canimus dicentes, Benedictus es Deus.

Est tibi cœlestem hereditatem impertitus Dominus, et splendidissimum thronum, in quo residens entheo pectore æternum canes, Benedictus es Deus.

MARIALE.

Recto prædicamus te omnes corde et animo Deiparam, Purissima: quia Deum genuisti cui omnes canimus, Benedictus es Deus.

ODE VIII.

Nova in gloria divitias gentium et regum præmia accepisti, o Apostole; exclamans, superexaltate omnia opera Domini Dominum.

Integram Paracleti claritatem suscepisti, o Beate, et in ea exclamas, o Gloriose; superexaltate omnia opera Dominum.

F

Tibi datum splendorem, Juda, fideles cuncti celebramus hymnis, alacriter psallentes; Omnia opera cantate Dominum.

MARIALE.

Devote venerentur scalam Jacob, intemeratam Mariam; uno ore vociferantes, Omnia opera hymnum dicite et superexaltate Dominum.

ODE IX.

Evibrans lucifluos Spiritus radios, o Gloriose, fulgorem eximiorum miraculorum omnibus emisisti, tanquam discipulus Emmanuelis; quem magnificantes, te quoque beatum dicimus, ut divina cernentem.

Unigeniti pro nobis carnem induti speculatores et intuitores, una cum ordinibus Angelorum, ipsum nunc instanter orate, ut salvæ fiant animæ nostræ.

MARIALE.

Mater castissima, quæ creaturarum omnium conditorem peperisti, imperium super creata omnia merito obtines incontestabile atque præcellens: quapropter partum tuum adorantes, te quoque glorificamus.

PARERGON

PARERGON DE MAGNIS MENÆIS EDITIONIS VENETÆ.

Opus in 12 libros et menses divisum

Menæa Græcorum, *quæ Bollando nostro placuit* Magna *vocare*, *excudi Venetiis cœperunt anno* 1595 *cum esset Constantinopolitanus Patriarcha* Dominus Dionysius *cui* Antonius Hyparchus *longam inscribit præfationem de calamitosissimo statu totius Græcæ nationis, quoad corporis et animæ bona; multis quærens in ejus causam; præcipuam autem veramque non attingens, licet præ oculis positam omnibus, schismatis scilicet pertinaciam, et divisionem ab Ecclesiæ capite, a quo quodcumque sejungitur membrum, marcescere et emori necesse est. Constat opus istud libris duodecim qui sumunt initium a Septembri, (unde annus simul cum Indictione Constantinopolitana inchoatur) ac porro per ordinem duodecim mensium qui illis nomen dedere, excurrunt. Primus et Secundus September scilicet et October, excusi sunt typis* Francisci de Julianis, impensis et cura Domini Emmanuelis Glunsonii, *Novembrem, Januarium, Februarium, Martium addiderunt anno* 1596 Francisci hæredes; *cum interim priori adhuc anno Decembrem impressisset* Petrus, quondam Christophori Tzanitæ, studio et cura Georgii Sacerdotis, filii Blasti Cretensis, cognomine Pumaleti: *qui Petrus an.* 1601 *etiam Junium vulgavit. Aprilem Julium, et Augustum* Antonius Pinellus *suscepit anno* 1603, *eique annus* 1607 *Majum addidit,* Theophane Hieromonacho Xenacii *correctore usus, qui etiam Junio corrigendo operam dederat. Sed conatu prorsus infelici, tam densa ubique occurrunt menda: interpungendi autem ratio, unde intellectus ut plurimum pendet, nusquam sibi constat, et vitiata identidem sensum tollit aut perturbat: ut operæ pretium facturus sit, quisquis istud tam utile miseris Græcis opus emendare conatus fuerit per novam impressionem. Et multo magis, qui eis sic correctum dederit Triodion Pentecostarium et Paracleticon ibidem et eodem tempore impressos libros, quos Nicephorus Callistus Xanthopulus inseruit Lectionibus* (Synaxaria *etiam Græci vocant quod in Synaxibus legantur) infectis hæretico et schismatico spiritu ad miseram gentem ab orthodoxa fide et Romana Ecclesia alienandam magis integra Dissertatione* 2 *post primam mox laudandam ostendit Allatius, detestans eorum ignorantiam qui sic imprimi fecerunt. Sed fortassis ideo id minus curatur, quia ex impossibilitate tot tamque prolixa volumina uno anno percurrendi sicut Latini suum percurrunt Missale ac Breviarium, ortus est inter Græcos illorum neglectus: quod Arcudium movit, ut ex omnibus colligeret* Antologium novum, *non majus quam Romanum Breviarium sit, quod Romæ typis Vaticanis impressum anno* 1598 *Clementi VIII dedicavit: qua sane industria sublata utilis Græcis necessitas est corruptos illos libros legendi; non tamen sublatum omne dubium: et ex altera parte gravis deberet censeri jactura; si abolitis quæ nunc habentur exemplaribus, propter quædam admixta zizania, aboleantur tot præclara Græcæ pietatis Monumenta, quot ibi continentur, quæque convenit omnino servari.*

excusumque intra annos 1595 et 1607,

una cum aliis Græcorum libris correctionis magnæ egentibus,

2 *Puriora longe Menæa magna sunt, sed exemplaria MSS. adeo rara, ut in præstantissimis Italiæ ac Galliæ Bibliothecis nusquam non dico integrum illius corpus, sed nec mensem quidem unum invenerim, cogarque dubitare, an uspiam apud Græcos sic scriptum habeatur sicuti impressum opus est: et subinde incidit opinari, ex duobus quæ seorsim inveniuntur partibus conflatum illud esse, videlicet ex* Menæis *proprie dictis, quibus cujusque mensis Canones de Sanctis, et quidquid ad eorumdem Sanctorum Officium pertinet, a Vesperis usque ad Missam continetur; et ex* Synaxariis *sive* Menologiis, *quibus cujusque Sancti vita aut passio compendio traditur, aut ea deficiente commemoratio simplex. Talia sunt quæ Mediolani et Parisiis plura invenimus, plura fortassis vidissemus Romæ, si pro arbitrio lustrare omnia in Vaticana licuisset. Sed qui tunc ei præerat Allatius prænominatus mandatumque habebat nobis exhibere omnes de Vitis Sanctorum libros Græcos Latinosque, religioni sibi duxit exhibere etiam eos, qui illas integras non habebant; sicut recusavit describendum permittere libellum Arcæ de Vitis Sanctorum Sardiniæ, quod libellus iste esset impressus, Pontificis autem mandatum manuscriptos designabat. Ita subinde sunt homines ineptæ religiosi interpretes mandatorum alienorum. Non ideo tamen minus laudandus idem semper erit, tum propter obsequium in aliis collatum, tum propter plures eruditionis reconditæ libros ab eo editos.*

Auctorumque compendia sumpta ex Synaxariis.

3 *In his sunt Dissertationes ejus duæ de rebus et libris ecclesiasticis Græcorum, quibus plurimum usus doctissimus Cangius in suo Glossario Græco barbaro, magno mihi subsidio fuit, ad Annotationes, quibus intendebam Græcæ Hymnologiæ inexpertis, quadamtenus explicare ordinem totius Officii de sanctis, occasione hujus de* S. Juda; *nisi illis jam compositis P. Nicolaus Rayæus totam Liturgiæ Græcæ Acoluthiam proprio tractatu explanandam sumpsisset, prout is nunc excusus legitur ante Tomum secundum Junii. Itaque omissis Annotationibus designatis solum addo de prælaudato Allatii opere quod ejus pars secunda, ut supra dixi, critica est tota et tres dumtaxat libros notat; prima, historica magis, enumerat omnes usque ad viginti duos, quidque iis contineatur explicat, at quæ inter* Synaxarium *et* Menologium *differentiam ponit, quod hoc de solis sanctis sit, istud etiam alia festa complectatur. Hinc ergo sumpta Menæa excusa Dominicas quidem non attingunt nec festa mobilia: sed cetera omnia Christi Domini atque Deiparæ et si qua alia diei certæ affixa sunt per annum quibus omnibus menologia abstinent. Eadem Menæa habent post titulum cujusque sancti Distichon iambicum unum, Elogio subsecuturo prævium qualia in Menologiis nullis vidimus, præter quam in Divionensi, Eadem Menæa primis in ordine plurium sanctorum Distichis subjungunt hexametra, ex quibus in unum collectis confecimus* Ephemeridem *metricam ante* 1 *Tomum Maji explicatam.*

Hæc inter quid intersit,

quid insuper habeant Menæa excusa.

4 *Atque hæc sufficiant de Menæis, unde hunc de S. Juda canonem dedimus: de quo ne quid prætermittam, scito Græcos, præter sacræ Liturgiæ librum habere duos ei subservientes: quorum unus Evangelia continet, per ordinem Dominicarum Festorumque digesta et nominatur* Evangelium; *alter* Apostolus *dicitur, eo quod similiter contineat digestas lectiones ex epistolis Actisque Apostolorum. Hæc cum non possent digeri absque titulis Sanctorum, quibus epistolæ et Evangelia sua assignabantur non magis quam Typicum sive Ordo divinorum Officiorum, et hic et ibi illi scripti inveniuntur; non simul omnes per modum Kalendarii; sicut fert usus Latinorum, sed in ipso decursu librorum prædictorum plane sicut in Breviariis ac Missalibus nostris, in capite cujusque Officii aut Missæ. Et sic inter festa Junii ponitur in Apostolo* τῷ αὐτῷ μηνὶ ιθ΄. Τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Ἰούδα. Eodem mense, die XIX, Sancti Apostoli Judæ. *Si hoc intelligit Allatius cum ait, etiam* post Apostolum *haberi aliquod* Menologium, *valde improprie loquitur: sin autem intelligit propriam talium titulorum tabulam, quales nostris omnibus ritualibus præfiguntur, excusam ad calcem, eo caret exemplum Apostoli nostri, excusi Venetiis anno* 1607, *apud Antonium Pinellum.*

Officio de S. Juda ex 72 potius quam ex 12,

5 *Hac autem occasione indico prædicto Sancti Judæ festo legendum præscribi* Καθολικῆς ἐπιστολῆς Ἰούδα

A διὰ τὸ ἀνάγνωσμα Catholicæ epistolæ Judæ lectionem integram, quod Latini non faciunt, quasi non satis ab antiquo certi quod Apostolus, Simonis in prædicando socius, fuerit epistolæ auctor : cur enim alias non æque tunc eam legerent, atque in festo SS. Jacobi et Philippi legunt epistolam Jacobi? quamquam nec hoc omnino recte, si intendebant ordinatores istius Missæ, Jacobum Alphæi sive Minorem ea lectione honorare cum epistola sit Jacobi Cleophæ sive Adelphotheï. D

Consonat Lectio Epistolæ Missæ.

A CTORE D. P.

DE S. URSICINO MEDICO

MARTYRE RAVENNÆ IN ITALIA

SYLLOGE HISTORICA

De ejus passione, cultu, translationibus et miraculis.

FORTE AN. LXVII

Cur hoc die nunc colatur Ravennæ S. Ursicinus.

De celeberrimis toto orbe Christiano Martyribus Gervasio et Protasio proponendum mox Commentarium, concludam, quærendo in causas, ob quas factum sit, ut a vetustissimo Occidentalis Ecclesiæ Martyrologio, Hieronymi credito, referentur SS. Vitalis et Valeria, *hoc inventorum ac translatorum filiorum solenni die ; simulque* S. Ursicinus, *a Vitali, eodem ut creditur, ad Martyrium fortiter consummandum animatus.* B *Nunc præmitto, quod, cum non inveniretur proprius agonis ejus dies, placuerit Ravennatibus Archiepiscopis seculi* XII *aut posterioris alicujus hunc, quo sic Martyrologio inscriptus inveniebatur, ipsi proprium solennissimo cultu dicare, translatis in Feriam proxime vacaturam minus solenni apud eos cultu* SS. Gervasii et Protasii. *Idus autem Decembris quibus antiquitus idem Ursicinus colebatur visum est relinquere cum titulo translationis minus solennis. Ex passione SS. Gervasii et Protasii, insertaque eidem epistola sub nomine Philippi a S. Caio Mediolanensium Episcopo inter primos Baptizati (sicut eadem passio habetur S. Ambrosio supposita seculo* VIII *aut* IX*), habetur antiquior triumphi istius notitia his verbis.*

Passio ex libello de SS. Gervasio et Protasio,

2 Cum Vitalis, *SS. Gervasii et Protasii pater creditus*, fuisset cum Paulino judice suo Ravennarum ingressus, et videret in conspectu Judicis sui Christianum, nomine Ursicinum, arte Medicum, natione Ligurem, post nimia tormenta capitalem accepisse sententiam ; locus autem ubi decollabantur Christiani hoc habebat vocabulum, ut diceretur ad Palmam, eo quod arbores antiquæ palmæ illic essent, igitur cum, ut diximus, post nimia tormenta decollandus veniret [Ursicinus] ad Palmam, expavit : et, C dum vellet male evadere, exclamavit Vitalis, dicens ; Noli, noli, Ursicine Medice. Qui alios curare consuevisti, teipsum æternæ mortis jaculo vulnerare vis? qui per passiones nimias venisti ad palmam, coronam perdere noli, tibi a Domino præparatam. Audiens hæc Ursicinus, genu posuit, et spiculatorem ut feriret hortatus est ; et agens pœnitentiam quod expavisset, Christi Martyrem se fecit. Statimque ipse Vitalis corpus Martyris rapiens, intra Ravennatium urbem sepelivit : et cum omni honore Martyri debita explens ad Judicem ultra venire contempsit. *Hæc ibi quæ primus, Florus Lugdunensis, suo Supplemento ad Bedam, aptavit concinnando S. Vitalis elogio,* XXVIII *Aprilis ; unde mox alii Martyrologii, Usuardus, Ado, Notkerus, Rabanus sumpsere.*

et alias 28 Aprilis

3 *Idem quatuor* S. Ursicinum *hoc quoque die retulerunt, sed paucissimis verbis. Rabanus hoc modo* ; Romæ *credo*, Ravennæ, *auctorem ipsum scripsisse'* nativitas Ursicini Martyris. *Alii tres, in suis omnibus tam Manuscriptis quam impressis, quasi ex eodem omnes fonte, sic concorditer legi jubent :* Apud Ravennam *(Hodiernum Romanum, et quædam MSS.* Ravennæ*)* sancti Ursicini Martyris, qui sub Judice Paulino post nimia tormenta in confessione Domini immobilis permanens, capitis abscissione Martyrium complevit. *Addit Notkerus*, sepultusque est in eadem urbe a B. Vitale, patre SS. Gervasii et Protasii. *Eadem omnia diffusius ampliavit S. Petrus Damiani, in sermone* de SS. Vitale et Valeria. *Mortis autem genus idem subindicavit Venantius Fortunatus, in vita S. Martini, sic canens de Sanctis Ecclesiæ Ravennatis* : E

Genus mortis ex Venantio Fortunato,

Inde Ravennatum placitam pete dulcius urbem :
Pulpita Sanctorum per relligiosa recurrens :
Martyris egregii tumulum Vitalis adora,
Mitis et Ursicini, Pauli sub sorte beati ;

Id est capite plexi. Ubi ne contra Prosodiam tantus poeta peccasse videatur corripiendo penultimam in nomine Ursicini *faciet infra producendus Hymnus S. Petri Damiani eadem licentia usi eoque suo facto suadentis, ipsam medii ævi poetis non insolitam fuisse circa nomina diminutiva in* inus.

4 *Habeo, ex MS. Passionali Bodecensis in Westphalia monasterii, transcriptam* Passionem, *seu verius Sermonem, de passione* S. Ursicini Martyris : *ubi expresse sic dicitur :* Ravennæ in eo loco, ubi admirabile templum S. Vitalis habetur, arbor inerat antiquæ palmæ, ad quam Christiani, post damnationis sententiam, semper a lictoribus decollandi ducebantur. Hic dum flexo poplite insisteret vir Beatus imperterritus super jugulum, in occipite [illegible] brantis dextera excepit chalybem. Quem locum in capite evidenter assigno ; quia multis referentibus, qui nostris temporibus viderunt caput ejus, agnovi ; et ubi concidit ictus ferri in capite Martyris, digitis referentium mihi signatum est sæpe. *Auctor se Ravennatem ostendit dum sic orditur :* Si cui omnium gesta Sanctorum patriæ nostræ studiose notare libuisset, plurimis exhiberet ædificationis exemplar. F ..... *sed quia omnia* nos minus patitur tempus atque notitia assignare ; ad illum saltem verborum nostrorum transferatur oratio, qui in Ravennatica urbe hodierna die ...... Martyrii palma coronatus est. *Pergit deinde* dictatum vitæ ac finis Martyris ampliare *verbis, sicut infra rogatum se a Fratribus ait ; eisque* miracula *pauca subjungit,* maxime quæ circa tempora sua claruerunt *id est seculo* X *ad finem vergente.*

capitis rescissi inspectio,

ex scriptore Passionis sec. 10,

5 *Nusquam ille, tam propius et diligens Scriptor, meminit prodigii, quod Rubeus et ex Rubeo Fabri, uterque Hieronymus prænominatus, prior Latine in Historia, posterior Italice in Sacris memoriis antiquæ Ravennæ, his verbis referunt. Statim, ab ictu lethali,* perinde ac si viveret, cadaver sanctum, sese ex humo erexisse, caputque ambabus manibus apprehensum, ad locum ubi ad sepulturam dandum erat attulisse, a plerisque memoriæ proditum est : aliqui etiam addunt, ex ejus collo tres palmæ ramos enatos : ejus admirabilis rei memoria cum plane interiisset, Divo Ursicino Ravennatum Archiepiscopo, ad ejus *(Ursicini Martyris)* sepulcrum oranti, hunc Martyrem, caput

qui non meminit g stati capitis, nataque ex collo palmarum ;

Auctore D. P. uti nec Petrus Ferretus:

caput manibus gestantem, tribus ex collo palmæ ramis prodeuntibus, sese ostendisse: quamobrem eo die jussisse Archiepiscopum, sanctam (quo perpetuo memoria servaretur) ejus imaginem hoc modo pingi; quod et ad hanc diem cernitur. *Habet Vaticana Romæ Bibliotheca, inter alia quæ vidimus recentioris ævi Manuscripta, lucubrationes Joannis Petri Ferretti Ravennatis, ab anno* MDXLIX *ad* LIV, *Ravellatum in Regno Neapolitano Episcopi, indeque regressi in patriam, ubi tertio post anno obiit. Ex illis scriptis varia ad rem nostram facientia transtulimus in Belgium atque imprimis compositum ab eo* Sanctorum Vitalis et Valeriæ, uxoris ejus, ac filiorum Martyrium, *cum ea quæ antiquitus inveniebatur* S. Ursicini *notitia. Non potuit is ignorasse sic illum pingi, idque occasione talis visionis: sed cavit vir sapiens, ne visionem ipsam traheret in argumentum historiæ; satisque intellexit, quo sensu pingantur Martyres rescissa manibus capita gestantes. Quod autem tres palmæ indicabant mysterium, tacitus maluit venerari, quam conjectando subire erroris periculum. Si tamen conjectandum est, potuit triplex ramus significare triplicem de tyranno, quæstiones ter iterante, victoriam.*

esto sic visus sit sanctus sec. 6 S. Ursicino Archiep. et hic ita pingi eum jusserit.

6 *Scripsit idem Ferrettus Archiepiscoporum Ravennatium Vitas, quas identidem allegat Fabri; ac nominatim ubi de* S. Ursicino, XXVII *Ravennatium Episcopo: eumque asserit, anno* DXLV, *sui Episcopatus* III, *die* V *Septembris excessisse e vivis, Sanctumque haberi etiam ipsum quod et nos vidimus Ravennæ transeuntes. Potuit hic, tali habita visione, auctor fuisse corporis elevandi de terra; aut de sub altari, ubi in ecclesia sui nominis conditum servabatur, efferendi atque transferendi in ecclesiam S. Joannis Baptistæ, conditam a Christianissima Principe Galla Placidia Augusta, Imperatorum filia, uxore, matre: et a S. Barbatiano dedicatam anno* CCCCXXXVIII. *Nihil tamen certi ea de re invenio. Supra allegatus Sermo, narrata morte et sepultura Sancti, de Translatione solum habet hæc pauca:* Corpus..... multis temporibus in eo loco mansit, ubi tunc collocatum est: postea vero ad ecclesiam S. Joannis Baptistæ delatum, proprium sortitum est oratorium, ex cujus vocabulo vocitatur usque ad præsens; cujus etiam altare satis habetur in veneratione. *Fuit ecclesia illa, deficientibus istic Canonicis, anno* MCCCCVIII *tradita Patribus Carmelitis, et ab iis etiam nunc possidetur.*

Corpus translatum ad S. Jo. Baptista

7 Ibi *ergo* pie quiescente *(uti auctor Sermonis jam delibati prosequitur)* per multa tempora corpore sancto, ad gloriam nominis sui, per eum plurima miracula Dominus demonstravit. Sed de multis pauca narrabimus, *inquit*, maxime quæ juxta tempora nostra claruerunt. Quidam de primis Senioribus civitatis, quidam ex causa unam ancillarum suarum flagris voluit adhibere: at illa fugiens in oratorium S. Martyris Ursicini, quod erat in proximo, post ejus altare delituit. Quod ubi Seniori nuntiatum est a famulis, missis apparitoribus irreverenter eam protrahi inde fecit invitam, et in eam ad libitum desævit. In ipsis diebus per somnium apparuit ei S. Ursicinus, interminans eidem supplicium atque mortem, nisi ipsam ancillam nodo solveret servitutis, et sibi justa pœnitentia satisfaceret. Senior itaque, cum esset sapiens, recognovit peccatum suum: famulam suam libertate donavit cum beneficio; et Sanctum Martyrem digna satisfactione placavit.

Inde abstracta et flagellata ancilla,

libera dimittitur, jubente sancto.

8 Erant in ecclesia ipsa cancelli, ad quos qui sustentabantur, post tergum habebant muri parietem cui adhærebat loculus, in quo beati Martyris membra quiescebant tumulata. Apparuit ergo S. Ursicinus in somnis Presbytero Deus dedit nomine, qui eidem ecclesiæ præerat: et admonens inde cancellos amovere, indicavit sibi maxime displicere, quod sic essent collocati. Presbyter visionem negligens, iterum in somnis super eadem re præmonitus est. Tertia vero vice, cum adhuc quod adhortabatur implere negligeret; minacibus verbis correptus, cancellos amovit: quibus amotis Sanctus Domini apparere cessavit. Successori quoque suo Joanni Presbytero eadem postea contigerunt: nam et ipse cancellos in prædicto loco restitui fecit. Habuit idem Presbyter tractoriam* vini, juxta parietem oratorii ejusdem Martyris, ad usum egenorum et pauperum, vina plenam: quam usque ad medietatem per duas vel tres vices ad illorum utilitatem exhauriens, absque ulla humana refusione tertia vice reperit valde plenam. Hæc tria miraculorum insignia neque videram, neque legeram, sed plurimorum relatione cognovi, maxime a quibusdam fidelibus Fratribus, quorum precibus invitatus dictatum vitæ ac finis Martyris ejusdem ampliavi.

Removentur cancelli acclinatoris a sepulcro:

vinum juxta positum,

* plaustrium vas grande

ter suppletur.

9 Ultra nongentos annos passionis ejus, quidam Antistes nomine Honestus cum præsideret Ravennaticæ Sedi, volens Sanctum corpus honorabilius collocare, suamque fidem Sanctorum patrociniis facere meliorem atque gloriosiorem; tempore Cæsareatus Ottonis Maximi, omni reverentia sublevatum, cum summa devotione ad Ursianam devexit ecclesiam: ubi nunc in crypta constat esse sepultum. *Præfuit* Honestus *iste ab an.* MCCCCLXXII *ad* LXXXIII, *ex calculo Rubei; qui similiter eamdem translationem ipsi Honesto tribuit, velut factam anno* DCCCCLXXIV *Idibus Decembris, qui dies eo anno Dominicus fuit.* Caput *tamen* in templo S. Joannis Baptistæ relictum ferunt, *(inquit ille)* ne tam sancti cadaveris Reliquiarum expers omnino esset. *Verum id hactenus ubi sit nesciunt Patres Carmelitæ, ideoque nec inter eorum Reliquias ipsum nominatur. Fatetur autem Rubeus non deesse qui translationem prædictam Henrico Archiepiscopo tribuant: sed* ego *(inquit ad exitum anni* MCLXIX) Honesto id multis de causis libentius adscripserim. Henricus id præstitit, quod cum Divi hujus Martyris corpus sanctum in crypta jaceret, in æde Ursiana ubi fuerat ab Honesto collocatum, inde illud cum pluribus aliis Divorum Reliquiis eduxit, et supra cryptam editiore loco, ante S. Probi Archiepiscopi corpus, quinto Decimo Kalendas Decembris, omnibus sacratis viris et populo ad spectaculum advocatis, locavit; nec diu post eo qui insecutus est anno MCLXX Kalendis Januarii, mortem obiit. *Ex hinc manifestius etiam Tutelarem suum Ravennates sensere, siquidem, uti ex Desiderio Spreto narrat Hieronymus Fabri pag. 8* anno MCCCLXXXIII *Galeotus Malatesta, Arimini Dominus. Ravennam, civibus peste attenuatis pæne vacuam, noctu aggressus, eadem haud dubie potitus fuisset; nisi in* muris conspecti Sancti *Ursicinus et Vitalis,* cum magno armatorum numero, ita eum terruissent; ut dimissis quam jam applicatæ erant scalis, Ariminum fuga capta redierit: ubi visu oculorum privatus, paulo post etiam obiit: contra quam scribit Corrius, qui urbe potitum credidit, quia tentasse id eum legerat.

Translatio 2 in Cathedralem

an. 974 13 *Dec.*

Elevatio eadem 1169, 22 *Novemb.*

et urbis an. 1383 *liberatio.*

10 *Cathedralis Ravennæ Basilica, sanctæ Resurrectioni proprio nomine dedicata,* Ursiana *etiam appellatur, ab Urso Archiepiscopo, qui eam vel a fundamentis extulit, vel magnificentissime instauravit anno* CCCLXXVIII, quadruplo ordine columnarum ex marmore præclaro Græco: cujus parietes ferunt gemmis, novo eximiæ pietatis exemplo, ornatos fuisse, *inquit Rubeus.* Testudinem Hieremias *Archiepiscopus, anno* MCXII, vermiculato, quod nunc cernitur, opere diligenter incrustandum curavit.... Tametsi quæ Græca aliquot locis apposita sunt signa, suadere haud difficile possunt, restituisse Hieremiam potius veterem picturam, quam omnino novam

In eadem Cathedrali, Ursiana dicta.

A novam intituisse. *Vidi ipsam Basilicam, opus insigne, anno* MDCLX, XX *Novembris, et ante majorem aram, pluribus gradibus sublimem, genuflexus, adoravi octo Sanctorum corpora, sub illa (ut dicebatur) condita, in quibus est illud* S. Ursicini. *Vidi etiam Abbatialem S. Vitalis basilicam, quatuor præcipuis sacellis instructam, quorum quartum* S. Ursicini *est, habetque super altari pictam in tabula manu Lucæ Longi effigiem Sancti, qualem supra descripsimus per visum Archiepiscopo oranti oblatum: sub ipso vero altari lapidem, qualem describit Fabri, genum vestigiis impressum (ut fertur) ex eo tempore, quo super eum capite minuendus Sanctus genua flexit: quo in saxo etiam guttæ sanguinis cecidisse dicuntur, eo loco quem infixa ferrea crucula notat. Alias ibi* S. Ursicini *Reliquias esse non indicat Fabri; sed bene in ecclesia S. Joannis Evangelistæ, quæ nunc Canonicorum Regularium, olim Benedictinorum Monachorum fuit; eamdemque cum Baptistæ ecclesia Fundatricem agnoscit Gallam Placidium. Oratorium, cujus supra ad Baptistæ ædem positi Sermo meminit, et ex hoc verosimiliter Petrus de Natalibus lib. 5 cap.* 127; *ab ipsa ecclesia secernit Fabri pag.* 388, *et juxta eam fuisse sentit; esseque ipsam, quæ sacrarum Ravennæ ædium ultima, dicitur* S. Ursicini. *Intra hanc cum anno* MDCXVIII *erecta fuisset Confraternitas Sutorum, cœpit illa nonnihil celebrari;* ab annis vero paucis, *inquit Fabri, librum suum edens* MDCLXIV, a fundamentis est restaurata, minor autem quam ante fuerit.

ostenditur lapis, genuum et sanguinis vestigia præferens,

in ecclesia S. Vitalis sacellum:

alibi Reliquiæ et oratorium.

B

11 *Redeo ad Sermonem prænotatum. Ante hunc legebatur;* Incipit Prologus in Passionem S. Ursicini Martyris, quæ colitur Idibus Decembris. Idem dies inculcatur hac finali clausula: Passus est autem Deo carus Ursicinus, in urbe quæ a Ratibus vocabulum sumpsit, sub scelestissimo Principe Domitio Nerone, agente Paulino Consulari, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et spiritu Sancto vivit et regnat Deus, in secula seculorum. *De Nerone et Paulino, si verum esse constaret; itemque Sanctos Fratres Gervasium et Protasium passos circa tempus Marcomanici belli seculo* II; *sequeretur omnino S. Vitalem, qui S. Ursicinum præivit verbis, et secutus est morte, fuisse diversum ab eo, qui ex Valeria postmodum genuit SS. Gervasium et Protasium solaque identitate nominis factum, ut utrorumque tempora confunderentur, cum iis contra historiam vitiis, quæ infra notabuntur. Sed tali distinctione nihil opus erit, si filii sub Dometiano dicantur passi circa annum* XCV, *habuisseque patrem ab annis* XXVIII *prægressum ad coronam, anno* LXVII, *immediate secuto Consulatum ordinarium* C. Suetonii Paulini et L. Pontii Telesini, *quo magistratu defunctus Paulinus, judex missus in Galliam Cisalpinam fuerit.*

Potest sub Nerone passus credi Ursicinus;

C

12 *Ad* XIII *Decembris quod attinet; is saltem a tempore primæ Translationis cœpit Natalis haberi, quia verus ignorabatur; sicut et verus Natalis S. Vitalis; quorum obitus alioqui non puto fuisse discretos longo mensium aut dierum multorum intervallo. Reddita autem jam supra, et infra plenius reddenda ratione, cur dies* XIX *Junii in locum Natalis subierit; quamvis nec illa die passus* S. Ursicinus *sit; restat ut ejus diei definiendi cura seposita, sequamur hodiernum Ravennatis Ecclesiæ usum, in ejusdem memoria huic operi inserenda. Dies autem Translationis* XIII *Decembris apte relinquetur; nisi quod hæc quoque debeat differri, propter S. Luciam, in diem* XIV, *sicut differendam monet Kalendarium, pro anno* MDCLX *recognitum, editumque jussu Illustrissimi et Reverendiss. D. Lucæ Torregiani, Clerici Cameræ Apostolicæ, ejusdemque Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopi. Porro Passione* S. Ursicini *sic, ut dictum est, pro* XIII *Decembris descripta in pluribus medii ævi Legendariis, seculo* XII, XIII *vel* XIV *exaratis, factum etiam est, ut variis exemplaribus auctioris apud nos et alibi per Germaniam Usuardi; itemque apud Maurolycum, Bellinum Auctorem Florarii, Grevenum, inveniatur sub finem diei illius scriptum, item* S. Ursini, *vel* Ursiani *(loco* Ursicini*)* Martyris, *nomine per librariorum oscitantiam alterato.*

D

Natale et a tempore Translationis cultus 13 Decembr.

quando etiam inscribitur fastis.

E

13 *Augustinus Calcagninus Canonicus Pœnitentiarius Metropolitanæ Genuensis an.* 1655 *librum Italicum vulgavit sub titulo Sacrarum Palmarum Genuensium, id est, Sanctorum Martyrum Genuensium Vitas; ubi secundum locum tenet* S. Ursicini *passio, cui subnectitur hymnus de eodem, a S. Petro Damiani scriptus, dignus etiam hic referri.*

S. Petri Damiani Hymnus

Dulcis Martyr eximius
Festum præbet Ursicinus;
Quo victus victor extitit,
Et clarus astra subiit.
Nam pœnas post horrificas,
Carnis pavet infirmitas:
Sed mox ad cor revertitur,
Et lætus ense cæditur.
Digne raptor erubuit,
Rapinæ dum succubuit;
Et hoste lapso perdidit,
Qui stanti vulnus intulit.
Et nos inter certamina,
Martyr insignis adjuva:
Da diffidentes fidere
Victosque rursum vincere.
Sis animarum medicus
Affer opem languentibus:
Haustu cœlestis gratiæ,
Ægræ curentur animæ.
Sit Patri cum Ingenito,
Sit decus Unigenito,
Sit utriusque parili
Majestas summa Flamini.

F

DE S. ZOSIMO MILITE

MARTYRE IN PISIDIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De Actis ejus, locisque inibi nominatis, Elogia ex Synaxariis.

G. H.

CIRCA AN. CX.

Loca Pisidiæ Antiochia, Apollonias, Sozopolis.

Pisidia, *regio Asiæ notissima, aliquibus appellata Pamphyliæ pars Borealis, habet quatuor civitates infra in Actis* S. Zosimi *memoratas. Harum primaria est* Antiochia, *ipsius Provinciæ metropolis, et Sedes Præsidis Dometiani, sub Trajano Imperatore sub quibus Martyrium ille passus est. Aliæ urbes sunt* Apollonia *seu* Apollonias *et* Sozopolis, *in quarum altera degebat S. Zosimus. Venit ergo Dometianus Præses* ἐν τῇ Ἀπολλωνίᾳ διὰ τῆς Σωζουπολιτῶν πόλεως, *ut Acta Græca infra habent, aut ut in Menologio Basilii Imperatoris legitur,* ἐξ Ἀπολλωνιάδος τῆς ἐν Σωζοπόλει. *Quo etiam modo legitur*

A *tur in MS. Synaxario Ecclesiæ Constantinopolitanæ et in Menæis excusis; ut videatur* S. Zosimus Sozopoli *repertus, et variis tormentis affectus: hac autem de causa* Sozopoli *adscriptus est in Martyrologio Romano his verbis:* Sozopoli S. Zosimi Martyris, qui in persecutione Trajani, sub Dometiano Præside, post acerbos cruciatus capite amputato, victor migravit ad Dominum. *Galesinius in suo Martyrologio adscripsit illum* Apolloniæ. *Verum inde abductus est* Conanam, *et ibi martyrium complevit. Molanus in Additionibus ad Usuardum;* In urbe Conanensium S. Zosimi Martyris. *Infra in Actis Græcis* Κοναvέων Πόλις *dicitur num. 6 et 9 ubi* ἐπελεύθη ἐν τῇ Κοναvέων Πόλει. *Est in Geographia Ptolomæi* Conna *urbs Pisidiæ versus Pergam, in Pamphiliæ et Pisidiæ tractu: pro qua perperam* Comana *etiam scribitur quæ est Cappadociæ.*

Alias DE G. II.

Tempus martyrii Conanæ peracti.

2 *Trajanus, sub quo passus est* Zosimus, *imperavit ab anno* XCVIII *usque ad annum* CXVII: *ad persecutionem contra Christianos, quæ tertia habetur, movit anno* CVII *ut hoc aut sequentibus annis videatur* S. Zosimus *martyrio coronatus; idque sub* Dometiano Præside *(uti is apud omnes Græcos appellatur) non* Domitiano, *uti in Latina versione scriptum est.*

B

Acta Græca in MS.

3 *Acta Græca reperimus in Bibliothecæ Vaticanæ codice* 1667 *sicut ea damus, et Latine a Sirleto Cardinale reddita, edidit Aloysius Lepomannus Episcopus Veronensis, parte 2 tomi 7 Vitarum Sanctorum Patrum, atque ex ipso Laurentius Surius ad hunc* XIX *Junii. Citat Lipomannus Græca sub nomine Metaphrastis. verum Allatius, de simeonum scriptis pag.* 122, *ipsa numerat in classe illorum, quæ non sunt Metaphrastis. Illustria interim compendia a Græcis edita sunt, ex quibus proponimus, quod in Menologio Basilii Imperatoris Porphyrogeniti seculo Christi decimo exarato extat hoc modo:* Ζώσιμος, ὁ τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς ὑπῆρχεν ἐπὶ τῆς βασιλείας Τραϊανοῦ ἐξ Ἀπολλωνιάδος τῆς ἐν Σωζοπόλει Στρατευόμενος δὲ ὑπὸ τῷ τῆς Ἀντιοχείας τῆς Πισιδίας Ἡγεμόνι Δομετιανῷ, ῥίψας τὰ ὅπλα, καὶ προσφυγὼν τῇ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ, τοῦ ἐν Χριστῷ ἀξιοῦται βαπτίσματος. Κρατηθεὶς οὖν ἤχθη δέσμιος πρὸς τὸν Ἡγεμόνα· καὶ ἐρωτηθεὶς, καὶ ἑαυτὸν Χριστιανὸν εἶναι ὁμολογήσας, ταθεὶς ἐκ τεσσάρων, ἐτύφθη σφοδρῶς· καὶ κρεμασθεὶς ἐπὶ ξύλου ἐξέσθη, καὶ ἐπὶ κράββατον πεπυρακτωμένον ἐτέθη· μεταβληθέντος δὲ τοῦ πυρὸς εἰς δρόσον, πολλοὶ τῶν ἀπίστων καταπλαγέντες, ἐπίστευσαν εἰς Χριστόν. Καὶ μετὰ ταῦτα κρηπῖσι καθηλωθεὶς, καὶ ἵπποις νέοις προσδεθεὶς, ἠναγκάσθη συντρέχειν τῷ Ἡγεμόνι· καὶ εἰς τὴν Κανεωτῶν πόλιν ἐλαύνεται ἄσιτος διαμείνας ἐπὶ τρισὶν ἡμέραις.

C

D

Καὶ πάλιν εἰς ἐξέτασιν ἀχθεὶς, καὶ τὸν Χριστὸν ὁμολογήσας παῤῥησίᾳ, ἐτμήθη τὴν κεφαλήν.

Compendium ex Menologio Basilii Imp.

4 Zosimus Christi Martyr fuit sub Imperio Trajani ex Apolloniade. Sozopoli comprehensus a Præside Antiochiæ Pisidiæ Dometiano. Is projectis armis fugerat ad Ecclesiam Dei, sacro Christi dignatus baptismate. Captus igitur et vinctus, ad Præsidem est ductus et examinatus; et se Christianum esse professus, protensus ex quatuor partibus crudeliter cæditur, et suspensus super lignum ustulatur, et super grabatum ferreum succensum conjicitur, sed igne in rorem commutato multi ex infidelibus conversi in Christum crediderunt. Postea calceos clavis perforatos indutus, et equinis pullis alligatus, cogitur currere post Præsidem. In Urbem Caneotarum profectus triduo ibi absque omni cibo permansit: et rursus ad quæstionem adductus, et Christum magna cum constantia professus, capite plectitur. *Hæc ibi.*

In MS. Synaxario C. P. et Menæis circa pœnam auctius,

5 *MS. Synaxarium Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quod pertinet ad collegium Parisiense Societatis Jesu, uti et Menæa excusa eadem fere omnino iisdem verbis habent, et* Κανιτῶν *vel* Καναvιτῶν πόλιν *nominat, ubi tolerata tormenta diffusius explicantur et additur, quod cum tribus diebus impastus mansisset,* ἔσθεν δὲ δυὸ παιδῶν ἐπιφανέντων αὐτῷ· καὶ τοῦ μὲν ἄρτον, τοῦ δὲ ἐν ἀγγείῳ ὕδωρ κομίζοντος αὐτῷ, εὐχαριστήσας τῷ Θεῷ τούτων μετέλαβεν. Ἀχθεὶς δὲ εἰς ἐξέτασιν πάλιν κρεμασθεὶς ξέεται, καὶ λαμπάσι πυρὸς καταφλέγεται, καὶ σιδήροις ὀξέσι κατακεντᾶται τὸν νῶτον, καὶ * ἐγκωτέμνεται τὰ νεῦρα, καὶ τὰ ὀστᾶ συντρίβεται σιδηραῖς σφαίραις· καὶ οὕτως τὸν αὐχένα τμηθεὶς, τὸν τοῦ μαρτυρίου κομίζεται στέφανον.

E

* forte ποικίλοις tormentis variis

6 Duobus pueris eidem cœlitus apparentibus quorum alter panem, alter vasculum aquæ subministrabat iis post actas Deo gratias fuit recreatus. Reductus inde ad quæstionem, rursus suspensus aduritur, et lampadibus ignitis torquetur, acutisque obelis terga compungitur, nervos poplitum succiditur, ossa ferreis sphæris confringitur, et hoc modo cervice abscissa, martyrii corona honoratur. *Similia reperimus in plurimis aliis MSS. passim per nos citatis, ex quibus confectum Elogium in Menologio Sirleti. Sed ultimorum istorum tormentorum nihil habent Acta quæ damus: et crepidas clavatas non dicunt admotas Martyri in Conanensium civitatem ducendo: sed in ipsa ad tribunal reducto illas admotas: quod minus verosimile apparet: quo fit ut suspicemur, Elogia ista non ex iis quæ dabimus Actis, sed ex aliis antiquioribus et sincerioribus accepta esse.*

forte sumptis ex Actis aliis

F

ACTA MARTYRII

Ex MSS. Græcis, collata cum translatione Cardinalis Sirletii.

Μαρτύριον τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ζωσίμου.

Sub Trajano a

Quibus temporibus Trajanus imperator Romanorum Imperium tenebat, multa idolorum insania et error, multaque cæcitas Gentiles a detinebat. Et magna persecutio contra Ecclesiam Dei commovebatur. Erat autem Dometianus quidam Antiochiæ Pisidiæ Præses: qui cum Imperatorem Trajanum adiisset, petiit sibi dari potestatem adversus Christianos homines, ut quicumque diis immolare noluisset, gravi supplicio afficeretur. Hic cum hujusmodi potestatem accepisset, et armatura diaboli indutus esset, tamquam leo quidam fremebat adversus eos, qui ad mortem usque Dei confessionem servabant. Venit autem in urbem Apolloniam, per Sozopolitarum urbem.

et Præside Dometiano,

Κατὰ τοὺς καιροὺς ἐκείνους, ἐπὶ Αὐτοκράτορος Τραϊανοῦ, ἡ πολλὴ μανία καὶ πλάνη τῶν εἰδώλων, καὶ πολλὴ τύφλωσις ἐκράτει τοὺς Ἕλληνας, καὶ πολλοὺς διωγμοὺς κατὰ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ ἐκεκίνητο. Δομετιανὸς δέ τις, ἡγεμονεύσας τῆς Ἀντιοχείας Πισιδίας, προσελθὼν τῷ Αὐτοκράτορι Τραϊανῷ, ᾐτήσατο ἐξουσίαν κατὰ τῶν Χριστιανῶν, ἵνα πάντα τὸν μὴ θύοντα τοῖς θεοῖς, δεινῇ τιμωρίᾳ ὑποβάλλῃ. Ὅστις τὴν τοιαύτην ἐξουσίαν λαβὼν, τὴν πανοπλίαν τοῦ διαβόλου ἐνδυσάμενος, ἔβρυχεν ὡς λέων κατὰ τῶν ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τοῦ Θεοῦ ἀποθνῃσκόντων· ἦλθεν δὲ ἐν τῇ Ἀπολλωνίᾳ διὰ τῆς Σωζοπολιτῶν πόλεως.

A 2 Τοῦ διωγμοῦ δὲ ἐπικειμένου, Ζώσιμός τις, στρατιώτης ὑπάρχων, ἀκούσας τὴν τῶν Χριστιανῶν πίστιν, ἀπέῤῥιψεν τὰ ὅπλα τὰ πολεμικά, καὶ προσέφυγεν τῇ ἁγιωτάτῃ Ἐκκλησίᾳ· καὶ πίστεως τῆς πρὸς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν καταξιωθείς, καὶ δεξάμενος τὸ λουτρὸν τῆς ἀφθαρσίας ἐν πίστει μεγάλῃ καὶ ἁγνείᾳ, προσευξάμενος τῷ Θεῷ ἐν πολλῇ νηστείᾳ ἠγωνίζετο. Ἡμερῶν πολλῶν διελθουσῶν, διάγοντος τοῦ Δομετιανοῦ ἐν τῇ προειρημένῃ πόλει, προσελθών αὐτῷ τις ἐμήνυσεν περὶ τοῦ ἁγιωτάτου Ζωσίμου, ὅτι τίς Ζώσιμος στρατιώτης ὑπάρχων, περιφρονήσας τοῦ Αὐτοκράτορος καὶ τῆς ὑμετέρας ἐξουσίας, ῥίψας τὰ ὅπλα, καὶ ἀρνησάμενος τὴν ἑαυτοῦ στρατείαν, ἣν ὑπῆρχεν εἰληφὼς ἀπὸ τοῦ Αὐτοκράτορος Τραϊανοῦ, λέγει εἶναι ἑαυτὸν τῆς θρησκείας τῶν Χριστιανῶν, λογισάμενος μηδὲν εἶναι τοὺς ἡμετέρους θεούς, ἀλλὰ καὶ τὰς διατάξεις τοῦ Αὐτοκράτορος βδελυσσόμενος, καταφρονεῖ τῆς αὐτοῦ ἐξουσίας. Ὁ δὲ Ἡγεμὼν ἐκέλευσεν αὐτὸν παραστῆναι, λέγων· Ἀχθήτω ὁ λεγόμενος Ζώσιμος πρὸ τοῦ βήματος. Ἀπελθόντες δὲ οἱ τῆς τάξεως, κατὰ τὴν κέλευσιν τοῦ Ἡγεμόνος, συνέσχον τὸν Ζώσιμον, καὶ παρέστησαν αὐτὸν ἐπὶ τοῦ βήματος. Ὁ δὲ Ἡγεμὼν ἠρώτα αὐτὸν λέγων, Σὺ εἶ ὁ λεγόμενος Ζώσιμος; Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν, Ἐγώ εἰμι Ζώσιμος ὁ δοῦλος τοῦ Κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ὁ δὲ
B Ἡγεμὼν λέγει αὐτῷ· Τέως ὁμολόγησον ποίας τύχης, καὶ οὕτως ἑαυτὸν δοῦλον καταγγέλλεις. Ζώσιμος εἶπεν, Στρατιώτης εἰμὶ τῇ ἀξίᾳ, καὶ κατέλειπον ὑμῶν τοὺς θεοὺς τῆς ἀπωλείας, καὶ γέγονα Χριστιανός. Δομετιανὸς Ἡγεμὼν εἶπεν· Ἀνοσιώτατε Ζώσιμε, μηδὲν ὠφελούμενος ὑπὸ τοῦ ὀνόματος τούτου, προσελθὲ καὶ θῦσον θεοῖς, ἵνα καὶ ἡ καταφρόνησίς σου ἡ προτέρα συγχωρηθῇ σοι, ὅτι ἐνύβρισας τὸν Αὐτοκράτορα καὶ δεσπότην ἡμῶν Τραϊανὸν τὸν παρασχόντα σοι τὸ τῆς στρατείας σχῆμα. Ζώσιμος λέγει, οὐ θύω ἐγὼ δαίμοσιν. Δομετιανὸς λέγει· Ἀπαχθήτω ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ.

3 Καὶ τῇ ἐπαύριον κελεύει αὐτὸν ἀχθῆναι ἐπὶ τοῦ βήματος. Δήσαντες δὲ ὀπισθεν τὰς χεῖρας αὐτοῦ οἱ ὑπηρέται, παρέστησαν αὐτὸν τῷ Ἡγεμόνι. Ὁ δὲ Ἡγεμὼν κελεύει αὐτὸν ἀνατεθῆναι ἐπὶ τὸ ξύλον. Ἀνατεθέντος δὲ αὐτοῦ, λέγει αὐτῷ, Θῦσον, ἀνοσιώτατε Ζώσιμε, πρὶν τῶν μελῶν σου ἀψάμενος ἀφανίσω σε. Ζώσιμος λέγει, Οὐ μόνον λόγοις ἐπαγγελόμενος, ἀλλ᾽ εἰ καὶ ἔργοις τοῦτο ποιήσῃς, οὐ πείσεις με θῦσαι. Δομετιανὸς λέγει· Τυπτέσθω στρατιωτικῶς. Ἐπὶ πολὺ δὲ τυπτηθεὶς ὁ Μακάριος, λέγει πρὸς τὸν Ἡγεμόνα· Τί εἰς μάτην ἀγωνίζονται οἱ ὑπηρέται σου; διὰ γὰρ τὸν Θεὸν τὸν ἐνδυναμοῦντά με, οὐκ αἰσθάνομαι τῶν πληγῶν σου. Ἐπὶ πολὺ δὲ τυπτηθείς, καὶ πληρωθέντος τοῦ ἐδάφους ἀπὸ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, φωνῇ
C μεγάλῃ λέγει, Κύριε παντοκράτωρ, ὁ ἐπὶ θρόνῳ ἀσαλεύτῳ καθήμενος, ὁ ἐκτανύσας οὐρανὸν καὶ θεμελιώσας τὴν γῆν, ὁ συναγαγὼν πάντα τὰ ὕδατα ἐν μιᾷ συναγωγῇ, ἡ ἐλπὶς ἡμῶν τῶν δούλων σου· εἰσάκουσόν μου δεομένου σου, καὶ μὴ ποιήσῃς με ἡττηθῆναι ὑπὸ τῆς τούτου ἀπειλῆς, ἵνα δι᾽ ἐμοῦ μάθωσι πάντες οἱ μὴ γινώσκοντες τὸ ὄνομά σου, ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεὸς μόνος. Καὶ ταῦτα αὐτοῦ εὐξαμένου, ἦλθεν αὐτῷ φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν λέγουσα, Ζώσιμε ἴσχυε, καὶ ἀνδρίζου· ἐγὼ γάρ εἰμι μετὰ σοῦ, καὶ οὐδεὶς προσθήσει κακῶσαί σε. Καὶ ταύτης τῆς φωνῆς ἐνεχθείσης, ὁ Δομετιανὸς ἀκούσας, καί τινες τῶν ἐκεῖ ἑστῶτες, εἶπον· Ὅτι μάγος ἐστίν· τινὲς δὲ ἔλεγον, Ὅτι οὐχί, ἀλλὰ μέγας ἐστὶν ὁ Θεὸς τῶν Χριστιανῶν, καὶ αὐτοῦ ἐστιν ἡ ἐλθοῦσα φωνὴ πρὸς αὐτόν.

4 Ἐκέλευσεν δὲ πάλιν ὁ Ἡγεμὼν δεθέντα αὐτὸν τείνεσθαι ἐκ τεσσάρων· Τεινομένου δὲ τοῦ Μάρτυρος σφοδρῶς, ἀνατείνας τὸ ὄμμα εἰς τὸν οὐρανόν, ἤρξατο λέγειν· Κύριε ὁ Θεός, ὁ ἐπιστάμενος τὸν νοῦν τῶν ἀνθρώπων, ἡ ἐλπὶς τῶν Χριστιανῶν, ἡ καταφυγὴ καὶ ἡ ἀνάπαυσις τῶν θλιβομένων, ῥῦσαί με ἐκ τῆς ἐπινοίας τοῦ λυμεῶνος καὶ διαβόλου Δομετιανοῦ, ἵνα γνῶσιν οἱ παρεστῶτες, ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεός, ὁ ζῶν καὶ προὼν καὶ μένων εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἰδόντες δὲ πολλοὶ τῶν παρεστηκότων τὴν ὑπομονὴν τοῦ Μάρτυρος, ἐπίστευσαν τῷ Θεῷ. Ὁ δὲ

2 Ibi jam antea cum persecutio immineret; Zosimus quidam Miles fidem Christi cupiens sequi, arma bellica abjecerat, et ad sanctissimam Ecclesiam confugerat, Christique fide instructus, immortalitatis lavacro accepto, in fidei operibus et castitate, multisque jejuniis et orationibus seipsum diligenter exercebat *b*. Cum autem dies multi præteriissent, et Dometianus esset in ea urbe, quam supra diximus, vir quidam illum adiit, et Zosimum deferens: Est, inquit, quidam Zosimus Miles, qui et Imperatorem, et vestram potestatem contemnit: cumque arma abjecerit, et militiam abnegaverit, in quam ab Imperatore Trajano adscriptus fuerat, dicit se Christianorum religionem sectari, pro nihilo faciens deos nostros: quin etiam Imperatoris constitutiones execratur, et ejus potestatem despicit. Tum Præses dixit: Ducatur huc Zosimus ad tribunal. Abit igitur cohors, ut jussa fuerat, et Zosimum comprehensum ad tribunal duxit. Quem præses interrogans; Tune, inquit, es qui Zosimus appellaris? Respondit: Ego ipse sum Zosimus, servus Domini mei Jesu Christi. Ad hæc Præses: Fatere prius, cujus conditionis homo sis, et postea dices, cujus servus sis. Tum ille: Miles ego sum, quod ad humanam conditionem pertinet, qui vestros illos deos perditissimos dereliqui, et Christianus factus sum. At Dometianus: Sceleratissime, inquit, Zosime, nihil tibi proderit nomen istud. Vade, et diis sacrifica, ut peccatum istud tibi condonetur, quod Imperatorem Dominum nostrum Trajanum despexisti, qui militarem ornatum tibi concessit. Ad hæc Zosimus: Minime ego sacrifico dæmoniis. Abducatur, inquit Dometianus, in carcerem.

D EX MSS. GRÆCIS *Zosimus miles pius*

b

coram tribunali diu ante professus fidem.

E

4 Crastino autem die jussit eum duci ad tribunal. Manibus ergo post terga colligatis, eum ante Præsidem statuerunt. Tum Præses jussit eum in ligno suspendi, suspensoque dicebat: Sacrifica, sceleste Zosime, priusquam membra tua destruantur. Ad hæc Zosimus: Non solum, inquit, non verbis, sed neque factis poteris mihi persuadere, ut sacrificem. Tum Dometianus: Verberetur vehementer more *c* militari. Cumque diutius B. Zosimus verberaretur, dixit Præsidi: Frustra ministri tui laborant, Dei enim me corroborantis voluntates verbera tua non sentio. Cum igitur tam diu verberatus fuisset, quoad solum ipsum sanguine repletum esset, voce magna clamans dixit: Domine Deus omnipotens, qui sedes in throno firmissimo, qui extendisti cœlum et fundasti terram, qui aquas omnes in unum locum congregasti, tu, nostra servorum tuorum spes, exaudi me, qui te precor; neque permittas hujus minis me superari; ut omnes qui nomen tuum non cognoscunt, per me discant te solum esse Deum. Sic cum orasset, venit vox e cœlo, dicens: Zosime, esto fortis et robustus, ego enim tecum sum, neque quisquam tibi obesse poterit. Cum hanc vocem Dometianus, et quidam alii qui cum illo erant audivissent: Certe, inquiunt, magus hic est. Alii dicebant: Minime magus est, sed magnus est Deus Christianorum, et ab illo vox ista ad hunc missa est.

crudeliter cæditur;

c

F

cœlesti voce confirmatur;

4 Jussit rursus eum Præses colligatum ad quatuor palos *d* extendi. Qui cum valde distenderetur, oculos in cœlum erexit, ac dixit: Domine Deus, qui hominum mentes cognovisti, tu Christianorum spes refugium et requies illorum qui sunt in angustiis, libera me a fraude pestilentis et diabolici Dometiani; ut cognoscant omnes, qui præsentes sunt, te Deum esse, qui semper vivens antea fuisti et eris in secula. Cum multi ex iis, qui præsentes erant, egregiam Martyris patientiam cognovissent, ad Christi fidem

d

distentus patienter multos convertit:

INT. RP. SIRLETO

A fidem conversi sunt. Præses vero id factum videns, et metuens, ne omnes ad eamdem fidem converterentur, erubuit; ac dentibus frendens, cogitabat quo mortis genere hominem interficeret.

conjectus in grabatum ignitum ab Angelo liberatur:

5 Jussit igitur grabatum æreum ferri, et ignem multum subjici: magna autem flamma ascendente, jussit B. Zosimum nudum illuc conjici. Cum vero sanctus Martyr Crucis figura se munivisset, et in grabatum conjectus esset: statim Dominus ignem in rorem convertit: quia per Angelos divinum auxilium apparuit: omnes vero præsentes opinabantur ob nimium illum ignem Zosimum animam efflavisse. At Angeli a Deo missi, sanctum Martyrem a grabato sublatum, omnibus spectantibus extra grabatum constituerunt: turba vero cum admirabilia Dei facta vidisset, ejus gloriam collaudavit, qui misit Angelos *e* suos, et a tali flamma virum illum eripuit. Itaque plurimi ad Christi fidem conversi sunt.

Cononam ductus

6 Tum Præses cum sanctum Martyrem ad se vocasset; Obtempera, inquit, mihi Zosime, et diis sacrifica. Ad hæc Zosimus: Fœdissime omnium hominum, quibus diis jubes me sacrificare? Jovi, inquit ille, et Junoni. Tunc Zosimus: Ego multos istos deos non colo: unum enim cognosco viventem B Deum, huicque soli pie servio. Hæc cum audisset Præses; Zosime, inquit, tibi dixi, ut ad aram accedas et sacrifices: sin minus, te consumam igne. Ad hæc Zosimus: Stolide, semel dixi tibi, quod Deo meo servio, qui in cœlis est. Cum vero Præses a tribunali surrexisset, et ad Connensium *f* urbem iter facturus esset, jussit Martyrem ligatum illuc sequi, ut ibi in ignem conjiceretur. Cumque ad eam urbem Dometianus venisset, et sederet pro tribunali jussit in crepidis quibusdam clavos aptari, *g* et Martyres pedes crepidis illis configi, catenisque constrictum ad equos ferocissimos alligari, quibus alligatus non erat lentus ad iter faciendum, sed equos ipsos antevertens præcurrebat: Deus enim erat cum illo, qui se ipsi adjutorem præbebat. Itaque has voces protulit: Domine Deus, qui perfecisti pedes meos tamquam cervorum, perfectam patientiam mihi suggeras. At præses, cum Martyris patientiam vidisset, jussit ipsum in carcere clausum custodiri, neque cibum aliquem omnino illi dari.

calceos clavatos induitur:

7 Cum vero tres dies præteriissent, et Zosimus cibum non gustasset, duo pueri venerunt in carcerem, quorum unus panem, alter vas aquæ portabat, et Martyri dixerunt: Accipe hanc margaritam *h*, a C Domino Deo tuo ad te missam. Hæc cum ille accepisset, cibum gustavit, ac dixit: Benedico tibi Domine, quoniam misertus es mei, et non neglexisti me, sed satiasti cœlesti tuo cibo: laudo et celebro gloriam et magnificentiam tuam in secula, Amen. Cum vero dies illuxisset, Præses pro tribunali sedens, jussit sanctum Martyrem ad se duci. Præsto autem fuit S. Zosimus hilari vultu *i*. Præses vero stupore magno affectus erat, quod tantos pedum cruciatus sustinuisset, neque vultum mutasset. Tum ille: Zosime, inquit, sacrifica tandem diis ne vulneribus multis laniatus, pessime moriaris. Ad hæc Zosimus: Si tu vis sacrificare tui similibus, sacrifica: ego, ut supra dixi, Deo meo servio. Tunc furore accensus Dometianus: Suspendatur, inquit, in ligno. Cum vero suspensus fuisset dixit ei Præses: Videsne, miser, quam multa tormentorum genera tibi proposita sint: An non obedies mihi, ut diis immoles? Ad hæc Zosimus: Qui viventem deum amant ista vestra tormenta nihil curant. Tum Præses: Ferreo, inquit, pectine nefarius iste homo dilanietur. Cum vero Martyr laniaretur, alta voce Deum orans dixit: Equidem magis nunc agnosco misericordiæ tuæ viscera, Christe, auctor luminis; quoniam tu es, qui docuisti me non pronuntiare

post triduum Eucharistia ab Angelo allata refectus,

et ad tribunal reductus, suspensusque

Ἡγεμὼν εἰδὼς τὸ γεγονὸς, ὅτι πάντες μέλλουσιν πιστεύειν ἐπὶ τὸν Κύριον, αἰσχυνθεὶς καὶ βρύξας, ἐσκέπτετο ποίῳ θανάτῳ ἀναλώσει αὐτόν. D

5 Ἐκέλευσεν δὲ ἐνεχθῆναι κράβαττον χαλκοῦν, καὶ ὑποκαίεσθαι σφοδρῶς· μεγάλης δὲ τῆς φλογὸς ἐπικειμένης, ἐκέλευσεν τὸν Μακάριον ἀποδυθέντα βληθῆναι ἐν αὐτῇ. Ποιήσαντος δὲ τοῦ Ἁγίου τὸν τύπον τοῦ σταυροῦ, καὶ καταβληθέντος, εὐθέως ὁ Κύριος τὸ πῦρ εἰς δρόσον μετέβαλεν, καὶ γὰρ δι' ἀγγέλων ἡ τοῦ Θεοῦ βοήθεια ἐπεφάνη· Πάντες δὲ οἱ παρεστῶτες ἔλεγον, ὅτι ἀπὸ τῆς πυρᾶς τῆς πολλῆς ἐξέψυξεν. Οἱ δὲ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ παραγενόμενοι, ἐπῆραν τὸν ἅγιον Μάρτυρα ἀπὸ τοῦ κραβάττου, καὶ κατέθεντο αὐτὸν ἔμπροσθεν πάντων. Ὁ δὲ ὄχλος, ὁ ἑωρακὼς τὰ θαυμάσια τοῦ Θεοῦ, ἔδωκεν ὕμνον τῷ Κυρίῳ, τῷ ἐξαποστείλαντι τοὺς Ἀγγέλους αὐτοῦ, καὶ λυτρωσαμένῳ αὐτὸν ἀπὸ τῆς τοιαύτης φλογός· καὶ πάλιν πλεῖστοι ἐπὶ τὸν Κύριον ἐπίστευσαν.

6 Ὁ δὲ Ἡγεμὼν προσκαλεσάμενος τὸν ἅγιον Μάρτυρα, λέγει αὐτῷ· Πείσθητί μοι, Ζώσιμε, καὶ θῦσον θεοῖς. Ζώσιμος λέγει· Μιαρώτατε πάντων ἀνθρώπων, ποίοις θεοῖς κελεύεις με θῦσαι; Ὁ δὲ Ἡγεμὼν λέγει· Τῷ Διὶ καὶ τῇ Ἥρᾳ. Ζώσιμος λέγει· Ἐγὼ πολλοῖς οὐ λατρεύω, ἕνα γὰρ ἐπιγινώσκω ζῶντα Θεὸν, τούτῳ μόνῳ λατρεύω εὐσεβῶς. E Ὁ δὲ Ἡγεμὼν ἀκούσας, λέγει αὐτῷ· Εἶπόν σοι, Ζώσιμε, προσελθὼν τῷ πυρὶ κατακαύσω. Ζώσιμος λέγει, Ἀναίσθητε, ἅπαξ εἶπόν σοι, ὅτι τῷ Κυρίῳ μόνῳ λατρεύω, τῷ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Ὁ δὲ Ἡγεμὼν ἀναστὰς ἀπὸ τοῦ βήματος, μέλλων τὴν ὁδοιπορείαν ποιεῖσθαι ἐπὶ τὴν Κονναίων πόλιν, ἐκέλευσεν δεθέντα τὸν Μάρτυρα ἀκολουθεῖν ἐπὶ τὸ ἐκεῖ αὐτὸν πυρὶ παραδοθῆναι. Καὶ ἐλθόντος τοῦ Δομετιανοῦ ἐν τῇ πόλει, καὶ καθεσθέντος αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ βήματος, ἐκέλευσεν ἡλωθῆναι κρηπῖδας, καὶ συγκαθηλωθῆναι τοῖς ποσὶ τοῦ Μάρτυρος καὶ βληθῆναι ἁλύσεις, καὶ συνδεθέντα πώλοις ὁδεύειν δρομαίως. Ὁ δὲ προσδεθεὶς τοῖς πώλοις, οὐκ ἐνεδίδου τοῦ ὁδεύειν, ἀλλ' ἔμπροσθεν τῶν πώλων προέτρεχεν· ὁ γὰρ Θεὸς ἦν μετ' αὐτοῦ, βοηθὸς αὐτῷ γενόμενος· καὶ ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ εἶπεν· Κύριε ὁ καταρτιζόμενος τοὺς πόδας μου ὡσεὶ ἐλάφου, τελείαν μοι χάρισαι τὴν ὑπομονήν. Ὁ δὲ Ἡγεμὼν ἰδὼν τὴν ὑπομονὴν τοῦ Μάρτυρος, ἐκέλευσεν αὐτὸν κατάκλειστον γενέσθαι καὶ τροφὴν μὴ δίδοσθαι αὐτῷ τὸ σύνολον.

7 Ἡμερῶν δὲ τριῶν διελθουσῶν, καὶ τροφὴν μὴ δεξαμένου αὐτοῦ, ἐφάνησαν ἐν τῇ φρουρᾷ δύο παῖδες, ὁ μὲν εἷς βαστάζων ἄρτον, ὁ δὲ ἕτερος ἀγγεῖον ὕδατος, καὶ λέγουσι τῷ Μάρτυρι· Δέξαι τὸν μαργαρίτην τοῦτον τὸν πεμφθέντα σοι ὑπὸ Κυρίου τοῦ Θεοῦ σου, καὶ λαβὼν εὐχαριστήσας τῷ Θεῷ, ἔφαγεν λέγων, Εὐλογῶ σε, Κύριε, F ὅτι ἠλέησάς με, καὶ οὐχ ὑπερεῖδές με, ἀλλ' ἐνέπλησάς με τῇ οὐρανίᾳ σου τροφῇ· ὑμνῶ καὶ δοξάζω τὴν μεγαλωσύνην σου εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. Πρωΐας δὲ γενομένης, καθίσας ὁ Ἡγεμὼν ἐπὶ τοῦ βήματος, ἐκέλευσεν παραστῆναι τὸν ἅγιον Μάρτυρα. Παρέστη δὲ ὁ ἅγιος Ζώσιμος φαιδρῷ τῷ προσώπῳ ἐν εὐστάσει πολλῇ. Ὁ δὲ ἡγεμὼν ἔκθαμβος ἐγένετο, ὅτι τὴν τοσαύτην βάσανον τῶν ποδῶν ὑπομείνας, οὐ συνέπεσε τῷ προσώπῳ· καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἡγεμὼν λέγει· Ζώσιμε, θῦσον λοιπὸν τοῖς θεοῖς, ἵνα μὴ αἰκιζόμενος ἀποθάνῃς κακῶς. Ζώσιμος λέγει, εἰ βούλῃ σὺ θῦσαι τοῖς ὁμοίοις σου, θῦσον· Ἐγὼ γὰρ, ὡς προεῖπον, Κυρίῳ τῷ Θεῷ μου λατρεύω. Ἐμμανὴς δὲ γενόμενος ὁ Δομετιανὸς, λέγει. Κρεμασθήτω ἐπὶ τοῦ ξύλου. Κρεμασθέντος δὲ αὐτοῦ, λέγει αὐτῷ ὁ Ἡγεμών· Ἄθλιε, ὁρᾷς ὅσα πρόκειταί σοι κολαστήρια, καὶ οὐχ ὑπακούεις μου ὥστε θῦσαι; Ζώσιμος λέγει, οἱ ζῶντα Θεὸν ἀγαπῶντες, τούτων οὐ φροντίζουσιν. Ὁ δὲ ἡγεμὼν λέγει. Ξεσθήτω ὁ ἀνοσιώτατος. Ξεομένου δὲ αὐτοῦ ἔκραξεν εὐχόμενος καὶ λέγων· Γνωρίζω ἐπὶ πλεῖον τὴν εὐσπλαγχνίαν σου, φωτοδότα Χριστὲ, ὅτι σὺ εἶ ὁ διδάξας με μὴ βλασφημεῖν, ἵνα ἐπὶ πλεῖον μάθω τὴν θεότητά σου διὰ τῶν βασάνων τούτων.

A

8 Ταῦτα δὲ αὐτοῦ εἰπόντος, μὴ δὲ οὕτως κόρον δεξάμενος ὁ Ἡγεμὼν, ἐκέλευσεν κατενεχθέντα αὐτὸν ἐλθεῖν ἔγγιστα τοῦ βήματος· καὶ ἐλθόντος ἔμπροσθεν τοῦ βήματος, λέγει αὐτῷ ὁ Δομετιανὸς, Πολλαῖς βασάνοις αἰκισθεὶς διὰ τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, καὶ μηδὲν ἑαυτὸν ὠφελήσας, κἂν νῦν πρόσελθε, καὶ θῦσον τοῖς θεοῖς. Ζώσιμος λέγει, Δομιτιανὲ, ὠμὲ καὶ απάνθρωπε, καὶ πάσης ασεβείας ἔνοχε, φοβήθητι τὸν Θεὸν, τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ἐπιλάθου τῆς περιεχούσης σε πλάνης, καὶ τὰ ξόανα θεοὺς αξε, οἵ τινες δαίμον. Ὁδὲ Ἡγε-ὑιρςνεπμὴ ὀνόμσυ ἀχο μῶν λέγει. Ἀνοσιώτατε, τολμᾷς λέγειν τοὺς θεοὺς δαίμονας, δι᾽ ὧν ὁ κόσμος ἑορτάζει; Ζώσιμος λέγει, τὴν ἑορτὴν αὐτῶν ἔστω ἔχειν τὸν Αὐτοκράτορά σου, καὶ τοῖς πιστεύουσιν αὐτοῖς. Ὁ Ἡγεμὼν λέγει· Ζώσιμε, ανθιστασαι τοῖς θεῖς παροργίζων αὐτοὺς, ἵνα ἐκ τῆς βλασφημίας σου καὶ ἡμεῖς κακιακῶς απολώμετα; Ζωσίμος λέγει, ὑπὲρ εὐσεβείας, καὶ τῆς πρὸς Θεὸν ὁμολογίας ἀνθίσταμαί σοι. Ὁ Ἡγεμὼν λέγει, Ἐνέγκαντες αὐτῷ κανδήλας πυρὰς, ὄψασθε αὐτοῦ τῆς κοιλίας. Ζώσιμος λέγει, Οὐχὶ μόνον κανδήλας μοι προσάγων· ἀλλ᾽ εἰ καὶ ὅλον τὸ σῶμά μου κατακαύσης, οὐκ ἄν με νικήσεις· Πάρεστιν γὰρ ἐνδυναμῶν με Χριστός· ἐγὼ δὲ σπουδάσω καὶ ὑπό σου

B

αναιρεθῆναι· τοῦτο γάρ μοί ἐστι καύχημα ἐν Χριστῷ.

9 Ὁ δὲ Ἡγεμὼν μηκέτι εἰδὼς τί πράξαι, μάλιστα δὲ καὶ ἀπὸ τῶν νοημάτων τοῦ Ἁγίου γνοὺς ὅθεν οὐδὲν ὠφελεῖ, ἐκέλευσεν αὐτὸν αποκεφαλισθῆναι· Ἀπαγόμενος δὲ ὁ Μάρτυς ἐπὶ τὸ τελειωθῆναι, ἤρξατο λέγειν· Κύριε ὁ Θεός μου ἔπιδε ἐπ᾽ ἐμὲ τὸν ἁμαρτωλὸν, καὶ προσδέξαι τὴν ψυχήν μου μετὰ τῶν απ᾽ αἰῶνός σοι εὐαρεστησάντων, ὅτι σὺ εἶ τὸ καύχημα μου, ἀπὸ τοῦ νῦν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἐτελειώθη δὲ ὁ ἅγιος Ζώσιμος μηνὶ Ἰουνίῳ ιθ', ἐν τῇ Κονανέων πόλει, ἐπὶ Αὐτοκράτορος Τραϊανοῦ, κατὰ δὲ ἡμᾶς βασιλεύοντος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὗ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

blasphemiam aliquam, ut per hæc tormenta divinitatem tuam magis cognoscerem.

D

EX MSS. GRÆCIS

ferreo pectine dilaniatur :

8 Hæc cum dixisset, neque Præses tormentorum satietate affectus esset, jussit hominem ante tribunal duci, cui hæc dixit: Multis cruciatibus propter nomen Christi afflictus, nullam utilitatem assecutus es: saltem nunc accede et diis sacrifica. Tum Zosimus: Dometiane, inquit, sævissime atque inhumane, et impietate omni refertissime, Deum illum cœlestem metuas, et erroris qui te detinet obliviscaris, neque simulacra ista deos nomines; sunt enim dæmones, non dii. Tum Præses: Tune, o scelestissime, audes deos nostros dæmones appellare, per quos mundus ipse dies festos celebrat? Tunc Zosimus: Qualem, inquit, diem festum agunt isti dii, quos dicis: talem Imperator tuus, et qui eis credunt, agant. Præses vero: Videsne Zosime, quemadmodum diis repugnas, et illos in iram provocas? Desine ista dicere, ne propter blasphemiam tuam, et ipsi pessime pereamus. Pietatis, inquit ille, et divinæ confessionis causa tibi repugno et adversor. Tum Præses dixit: Afferte faces accensas, et ventrem ipsius incendite. Non solum, inquit ille, faces ventri admoveri jubeas, sed etiam, si placet, totum corpus meum comburas: numquam enim me vinces: præsto est Christus, qui me corroborat. En ego a te interfici valde cupio: hæc enim est mea gloriatio in Christo Jesu.

constansque in fidei confessione,

E

9 Præses cum non amplius sciret quid ageret, et ex verbis illis S. Zosimi se nihil profecturum esse intelligeret, jussit securi hominem percuti. Cum vero Martyr ad obeundum martyrium duceretur, cœpit dicere: Domine Deus meus, respice me peccatorem, et accipe animam meam, cum his qui ab omnibus seculis tibi placuerunt: quoniam tu es gloria mea, ex hoc tempore, et in æterna secula, Amen. Martyrium complevit S. Zosimus decimo nono die mensis Junii, in urbe Conanensium, Imperatore Trajano, in nobis autem regnante Domino nostro Jesu Christo: cui gloria et imperium in secula seculorum, Amen.

jussus ventrem aduri offert totum corpus.

ANNOTATA D. P.

a *Sirletus* Græcos homines: *sed parum apte ad mentem auctoris ac phrasim temporis, quo* Hellenismus *notabat* Gentilitatem. Græcique *per antonomasiam dicebantur* Gentiles *quivis, Græcorum veterum more Polytheiam tenentes.*

C

b *Obscurius hæc reddiderat Sirletus, ordini Græcorum verborum nimis presse inhærens.*

c *Sirletus,* a robustis militibus: *sed puto honoris causa fustes indicari, quorum, non autem flagrorum usus erat in plectendis delictis militum, utpote ingenuorum; cum flagris mancipia cæderentur.*

d *Idem* a quatuor militibus: *sed jam alias monui, non* ἀπὸ, ab; *sed* ἐκ τεσσάρων ex quatuor, *aliud significare.*

e *Angelicas voces, etiam a Gentilibus inter Martyrum tormenta subinde auditas, credibilius est, quam quod hic dicantur Angeli, ab iisdem non solum conspecti, sed ita ut esse Angeli ab illis scirentur; id enim parum verosimile mihi videtur. Invisibili ergo manu solutum Martyrem, satis erit credere; licebitque judicare hæc Acta, non esse omnino primæ notæ, neque ex præsentium Notariorum commentariis absque ulla amplificatione edita.*

f *Sirletus,* Conanensium, *legit et vertit.*

g *Verosimilius videtur, quod clavatas crepidas Martyr induerit* Apolloniade, *ut cum hoc tormento* Conanam *duceretur, sicut habent Synaxaria. Non alibi certe quam* Conanæ *agonem consummatum, testantur Acta; adeoque suspicari non possumus, redeunte Apolloniade Dometiano, eo quoque sic esse reductum* Zosimum,

F

h *Sirletus,* Pretiosum donum: *sed hoc non satis explicat vim vocis* Μαργαρίτης *qua Christiani significabant* particulam Eucharisticam, sacro sanguine perfusam, ad fidelium Communionem: *qualem cum confortando Martyri attulissent Angeli, merito ille gratias egit, tamquam* cœlesti cibo *refectus. Auctores a quibus sic ea vox accipitur vide apud Cangium in utroque Glossario, et hunc locum appone ceteris, eorumque exemplis quibus Angeli Eucharistiam ministrarunt.*

i *MSS.* ἐν ἐκστάσει, *ideoque Sirletus vertit,* mente ad Deum erecta. *Sed omnino puto, legendum* ἐν εὐσ-τάσει, *quamquam eam vocem alibi nondum repererim, sed* εὐστάθειαν, firmam ac bonam corporis habitudinem, *ab eadem origine verbi* ἵστημι sto, *idemque significare aptum vocabulum.*

DE

DE SANCTIS FRATRIBUS MARTYRIBUS

GERVASIO ET PROTASIO

MEDIOLANI APUD INSUBRES IN ITALIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

D P

§. I. Adducuntur et expenduntur indubitata loca S. Ambrosii, de sacrorum corporum ac inventione depositione.

SEC. I AUT II.

Ambrosius Sorori scribit,

Quo maxime tempore columnam Ecclesiæ mediolanensis Ambrosium concutiebat Arianæ vesaniæ turbo, per Justinam Imperatricem suscitatus, secuturæ serenitatis pignore divino confirmatus idem fuit, cum anno CCCLXXXVI *datum est ei SS. Martyrum prætitulatorum corpora invenire. Hujus ille lætitiæ participem mox fecit sororem suam Marcellinam, sacram Deo Virginem, Romæ tunc manentem, scripta hac epistola.* Dominæ sorori, vitæ atque oculis præferendæ, frater. Quia nihil sanctitatem tuam soleo eorum præterire, quæ hic te gerantur absente, scias etiam sanctos Martyres *Gervasium et Protasium* a nobis repertos. Nam cum ego basilicam dedicare vellem, multi tamquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes : *Sicut* in Romana, sic basilicam dedices. Respondi : Faciam, si Martyrum Reliquias invenero. Statimque subiit veluti cujusdam ardor præsagii.

ossa omnia integra

a se Basilicam dedicaturo

2 *Ita principium hoc habet correctior Romana editio anni* 1585, *quod in Basileensi anni* 1538 *sic corruptius legebatur :* Cum basilicam dedicassem, multi tamquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes, Sic in Romana basilicam dedices. *Indicat autem extructam a se Basilicam Ambrosianam, quam optabant multi eadem solennitate dedicari, qua dedicaverat Sanctus* Basilicam Apostolorum in Romana, *id est, in regione urbis a porta Romana nomen habente, illatis illuc, quas Roma acceperat, Sanctorum Apostolorum Reliquiis.* Quid multa? Dominus gratiam dedit Formidantibus etiam Clericis jussi eruderari terram eo loci, qui est ante cancellos Sanctorum Felicis atque Naboris. Inveni signa convenientia, adhibitis etiam quibus per nos manus imponenda foret : sic sancti Martyres imminere cœperunt, ut adhuc nobis silentibus arriperetur *urna*, et sterneretur prona ad locum sancti Sepulcri. Invenimus miræ magnitudinis viros duos, ut prisca ætas ferebat : *Gualvaneus Flamma apud Puricellum pag.* 34 Gigantæos juvenes *scripsit : et solebant ad militiam proceriora corpora legi.* Ossa omnia integra, sanguinis plurimum, ingens concursus populi per totum illud biduum. Quid multa? Condivimus integra ac ordine, transtulimus vespere jam incumbente, ad basilicam Faustæ : ibi vigiliæ tota nocte : manus impositio. Sequenti die transtulimus ea in basilicam, quam appellant Ambrosianam. Dum transferimus, cæcus sanatus est.

inventa et translata

sermonemque tunc habitum

3 *Hunc incipit exponere Ambrosius, quem tunc ad populum habuit sermonem : in quo, occasione lecti tunc Psalmi* XVIII, *dicit ipsos Martyres esse* Cœlos, qui enarrant Gloriam Dei, *utpote quos*, non secularis illecebra, sed divini operis gratia ad firmamentum passionis evexit; multoque ante morum et virtutum documentis annuntiavit in his mysterium, quod adversus lubricum seculi hujus stabiles permansere; *in eisque impletum illud*, Dies diei eructat verbum. *His præmissis transit Sanctus ad Psalmum* CXII, *quo dicitur*, Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra? suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem collocans cum Principibus populi sui. *Et* Principes, *inquit*, populi quos alios nisi sanctos Martyres æstimare debemus, quorum jam in numerum, diu ignorati Protasius Gervasiusque proferuntur, qui sterilem Martyribus Ecclesiam Mediolanensem, jam plurimorum matrem filiorum, lætari passionis propriæ fecerint et titulis et exemplis.

tamquam de diu ignoratis,

et per miracula clarificatis;

4 *Talibus verbis haud obscure indicatur, neminem tunc fuisse, qui sciret aut crederet, quemquam ortu Mediolanensem, Mediolani fuisse Martyrio coronatum : nam* S. Vitalis *Ravennæ obierat, ejus uxor* Valeria *rusticano furore in via vapulaverat :* S. Victor *fuerat Mauricæ legionis miles sicut etiam* Nabor et Felix : *et hi quidem ultimi non Mediolani, sed Laudæ passi.* Nazarius *Romanus;* Celsus *Cimeliensis erant (si vera sunt Acta) et uterque adhuc erant Mediolanensibus ignoti.* Non immerito autem, *inquit Ambrosius*, plerique hanc Martyrum resurrectionem appellant. Videro tamen, utrum sibi, an nobis : certe Martyres resurrexerunt. Cognovistis, imo vidistis ipsi multos a dæmoniis purgatos : plurimos etiam, ubi vestem Sanctorum manibus contigerunt, his quibus laborabant debilitatibus absolutos; reparata vetusti temporis miracula, quo se per adventum Domini Jesu gratia terris major infuderat : umbra quadam sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis. Quanta oraria jactitantur? Quanta indumenta super Reliquias sacratissimas, ut tactu ipso medicabilia reposcantur? Gaudent omnes extrema lintea contingere, et qui contigerit, salvus erit.

5 *Gratulatur deinde sanctus Doctor, primum sibi, tantos nacto propugnatores : deinde populo, cui in eorum revelatione aperti sint oculi, sicut Giezi famulo Elisæi, ut videat auxilia quibus defenditur : ac denique sermonem istum sic finit.* Evasimus, Fratres, non mediocrem pudoris sarcinam : patronos habebamus, et nesciebamus. Invenimus unum hoc, quo videamur præstare majoribus. Sanctorum Martyrum cognitionem, quam illi amiserunt, nos adepti sumus. Eruuntur nobiles Reliquiæ sepulcro ignobili; ostenduntur cœlo trophæa. Sanguine tumulus madet, apparent cruoris triumphalis notæ inviolatæ, reliquiæ loco suo et ordine repertæ, avulsum humeris caput. Nunc senes repetunt audisse se aliquando horum Martyrum nomina, titulumque legisse. *Eum titulum oportet sub S. Myrocle positum fuisse, cum jam Constantinus cœpisset docuissetque Martyrum memorias excitare et ornare. Estque credibile piam mulierem Savinam ibi deposuisse SS. Naboris atque Felicis corpora, ubi noverat SS. Protasium et Gervasium sepultos haberi : quæ etiam causa S. Materno fuerit, ut ibidem voluerit tumulari, durante adhuc et quammaxime fervente Diocletiani et Maximiani persecutione. Quia autem recens erat illorum quos Savina humaverat notitia, et frequentiora miracula, ideo factum est, ut vetustiorum corporibus*

quorum titulum legisse senes adhuc meminerint;

sub S. Myrocle vero similiter positum

sed ædificata S. Nazario basilica obscuratum.

corporibus sub terra relictis, novissimi isti elevarentur, et ecclesia desuper constructa aboleretur titulus, sternendo pavimento incommodus, nullo ejus relicto indicio. Ex eo interim, quod eum titulum sibi lectum senes meminerint, consequens fit eam ecclesiam, quæ nunc in nomen S. Francisci jusque Franciscanorum transiit, primum erectam fuisse sub S. Eustorgio Myroclis successore, ad annum usque CCCXXXI *superstite, qui tamen in alia suis impensis condita maluit sepeliri.*

Ex depositione delata in diem alterum,

6 *Pergit porro Ambrosius* perdiderat civitas suos Martyres, quæ rapuit alienos (*prædictos scilicet Naborem et Felicem, quos Savina, Laudensium urbe furto sublatos, ut Acta loquuntur, Mediolanum deduxit.*) Etsi hoc Dei munus est, tamen gratiam, quam temporibus sacerdotii mei Dominus Jesus tribuit, negare non possum : quia ipse Martyr esse nequeo hos vobis Martyres acquisivi. Succedant victimæ triumphales in locum, ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est : isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum prædestinaveram mihi : dignum est enim, ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem : locus iste Martyribus debebatur. Condamus ergo Reliquias sacrosanctas, et dignis ædibus invehamus, totumque diem fida devotione celebremus.

qui fuit feria 6.

7 *Hactenus Sermo : prosequitur deinde Epistolam Doctor sanctus; sororique narrans quid porro actum dictumque a se sit* Acclamavit populus, *inquit*, ut in Dominicum differretur diem Martyrum depositio : sed tandem obtentum, ut sequenti fieret die XIX *Junii, quæ anno* CCCLXXXVI, *habente litteram Dominicalem* D, *post Pascha celebratum* V *Aprilis, fuit feria* VI, *post Pentecosten* XXIV *Maji actam : adeo ut retecta fuerint sacra corpora feria* IV *præcedente. Antonius Pagi in Critica sua, hinc consequi putat, necdum eo tempore usitatum fuisse, ut in Dominicis dedicarentur Basilicæ; consequens certe omnino id esset, ex eo qui nunc servatur dedicationum ritu per S. Gregorium ordinato, cujus pars una insignis est Reliquiarum altari includendarum circumlatio et depositio. Verum cum antiquior Sacramentorum a Gelasio Papa ordinatorum codex nihil simile habeat; et in utroque sermone Ambrosius nec minimo quidem signo innuat, Dedicationem eo die vel inchoatam vel perficiendam; videor mihi, ex eo quod populus* Dominicum *postulet, contrarium potius inferre posse. Intendisse scilicet populum, prætextu augendæ solennitatis in Dominicam designata, ut diutius frueretur sacrorum corporum conspectu; Antistitem vero id recusasse, ne prolixius ceremoniarum in Dedicatione servandarum ordo, prolixior etiam ista Reliquiarum depositione evaderet; imo ægre indulsisse moram unius diei, qui potius videbatur relinquendus apparatui ad Dedicationem secuturam necessario. Quoniam autem ædificandæ ecclesiæ locus, solet initio fabricæ, per Stauropegiam (ut vocant) Cruce depacta benedici, propriis in eam rem ceremoniis; non debet alicui mirum videri, quod in basilicam jam structam, licet necdum dedicatam, et ad altare necdum consecratum, delati Sancti sint, propria sua et ad dedicationem futuram prævia pompa. Redeo ad Ambrosii Epistolam.*

non sequatur Dedicationem alio quam Dominico factam

8 Sequenti *die, id est Feria* VI, talis ad populum iterum sermo fuit. Hesterno tractavi versiculum, Dies diei eructat verbum, prout nostri captus tulit ingenii : hodie mihi non solum superiore tempore, sed præsenti quoque prophetasse, videtur Scriptura divina. Nam cum diebus ac noctibus continuatam videam sanctitatis vestræ celebritatem, istos esse dies prophetici carminis oracula declararunt hesternum atque hodiernum, de quibus opportunissime dicitur : Dies diei eructat verbum : et istas noctes, de quibus aptissime disputatur, quia Nox nocti indicat scientiam. Quid enim aliud hoc biduo, nisi verbum Dei intimo eructatis affectu, et scientiam vos habere fidei probavistis? Cui tamen celebritati vestræ, qui solent invident : et quia celebritatem vestram invidis animis ferre non possunt, causam celebritatis odere, atque in tantum amentiæ prodeunt, ut negent martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur.

secunde die sermo alius,

9 Sed hoc non mirum : Siquidem tanta est incredulorum perfidia, ut tolerabilior sit diaboli plerumque confessio. Dicebat enim diabolus : Jesu fili Dei vivi, quid venisti ante tempus torquere nos? Et cum hoc audirent Judei, ipsi tamen Dei filium denegabant. Et nunc audistis clamantes dæmones et confitentes martyribus, quod pœnas ferre non possint, et dicentes : Quid venistis, ut ante tempus nos tam graviter torqueatis? Et Ariani dicunt : Non sunt isti martyres, nec torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare : cum tormenta dæmonum ipsorum voce probentur, et beneficia martyrum remediis cæcorum, et absolutorum indiciis declarentur. Negant cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit : Video, qui non videbam. Ille dicit Cæcus esse desivi, et probat facto. Isti beneficium negant, qui factum negare non possunt. Notus homo est, publicis cum valeret mancipatus obsequiis, Severus nomine, lanius ministerio. Deposuerat officium, postquam inciderat impedimentum. Vocat ad testimonium homines, quorum ante sustentabantur obsequiis. Eos indices suæ visitationis accersit, quos habebat testes et arbitros cæcitatis. Clamat, quia ut contigit fimbriam de veste martyrum, qua sacræ reliquiæ vestiuntur, redditum sibi lumen sit.

cum mentione dæmonum se torqueri fassorum

et cæci illuminati

10 *Hinc porro sumpta occasione, Judaicam Arianorum pervicaciam redarguit Ambrosius;* Cedit, *inquit*, diabolus plagis, cedere nesciunt Ariani : Dicebat diabolus, scio te, quis sis. Tu es filius Dei vivi. Dicebant Judæi, Nescimus quis sit. Dicebant hodie et superiore die vel nocte dæmones : Scimus, quia Martyres estis : et Ariani dicunt, Nescimus, nolumus intelligere, nolumus credere. Dicunt dæmones Martyribus : Venistis perdere nos : Ariani dicunt, Non sunt dæmonum vera tormenta, sed ficta et composita ludibria. Audivi multa componi : hoc nemo unquam fingere potuit, ut dæmoniacum se esse simulet. Alias dæmonem se esse simularet. Quid illud, quod ita exagitari eos videmus, quibus manus imponitur? Ubi hic locus fraudi est, ubi suspicio simulandi? sed non ego ad suffragium Martyrum usurpo vocem dæmoniorum. Beneficiis sacra passio suis comprobetur. Habet judices, sed purgatos : habet testes, sed absolutos. Melior vox est, quam sanitas loquitur eorum qui debiles advenerunt : melior vox est quam sanguis emittit.... Sanguis hic clamat coloris indicio, sanguis clamat operationis præconio, sanguis clamat passionis triumpho. Satisfactum est petitioni vestræ, ut condendas hesterno, in hodiernum diem differremus Reliquias. *Satisfactum etiam sorori credidit his relatis Ambrosius, nec aliud adjicere fortassis potuit, ipsa verosimiliter aut sequenti die extrant Epistolam, quæ Romam deferretur : quam nisi ante Dominicam scripsisset, audidisset haud dubie aliquid de peracta Basilicæ sub Dedicatione. Et hanc credimus altera proximæ occasionis Epistola similiter significatam, licet ea et sermo tunc habitus nondum compareant.*

ad confusionem pervicaciam Arianorum.

§. II. *Quid Augustinus Ep. et Paulinus Presb. oculati testes, eadem de re scripserint; et quo ea anno acta sint.*

Transco *ad alios, simili certitudine rem a se visam narrantes, quorum agmen S. Augustinus ducat. Hic ad*

AUCTORE D. P. S. Augustinus an. 387 baptizatus,

ad baptismum veniens, Ambrosii gaudium, et inter adversa solatium cumulavit, anno mox secuto CCCLXXXVIII. *Octavum Baronius notat, et eum secutus cum pluribus aliis Puricellus, unde hic etiam diem* XIX *Junii, compenit cum Sabbato, prægresso primam post Pentecosten Dominicam; Pascha enim tunc fuerat* XXV *Aprilis actum. Tali sane casu mirum fuisset, in alterutrum sermonem non incidisse ullam Spiritus Sancti mentionem. Sed Antonius Pagi evidenter demonstrat, ex eo quod oratio de non tradendis Basilicis, habita in Dominica Palmarum, non possit censeri habita post annum integrum et tertium mensem legis, in favorem Arianorum a Valentiniano latæ ut Basilica Portiana, in proximum Pascha suo ac matris usui vacuaretur; evidenter, inquam, ex eo demonstrat Pagius, orationem illam recitatam ipsomet latæ legis anno* CCCLXXXVI; *adeoque* XXIX *Martii, non autem* XVIII *Aprilis: atque eumdem fuisse annum, baptisma Augustini prægressum, prout antea in sua de Augustini itinerario lucubratiuncula etiam docuerat nunc Eminentissimus Norisius. Quod autem anno baptismum prægresso inventa fuerint sacra Corpora libro 9 Confessionum Cap. 7 docet Augustinus, dum occasione noviter inductæ in ecclesiam Occidentalem psalmodiæ, qua frequentanda videbatur satiari non posse, ita scribit.*

docet rem anno priori gestam,

in libris Confessionum,

12 Non longo cœperat Mediolanensis Ecclesia hoc consolationis et exhortationis genus celebrare, magno studio Fratrum concinentium vocibus et cordibus. Nimirum annus erat aut non multo amplius *ante baptismum meum*, cum Justina, Valentiniani Regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causa, qua fuerat seducta ab Arianis. Tunc Hymni et Psalmi ut canerentur, secundum morem Orientalium partium, ne mœroris tædio contabesceret populus, institutum est. Tunc memorato Antistiti tuo per visum aperuisti, quo loco laterent Martyrum corpora Protasii et Gervasii, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras, unde opportune promeres, ad coercendam rabiem femineam, sed regiam. Cum enim propalata et effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam basilicam; non solum quos immundi vexabant spiritus; verum quidam, plures annos cæcus civis civitatique notissimus, cum populi tumultuantis lætitiæ causam quæsisset atque audisset, exilivit: eoque se ut duceret, suum ducem rogavit: quo perductus impetravit admitti, ut sudario tangeret feretrum pretiosæ in conspectu tuo mortis Sanctorum tuorum: quod ubi fecit atque admovit oculis, confestim aperti sunt. Inde fama discurrens, inde laudes suæ ferventes, inde illius inimicæ animus, etsi ad credendi sanitatem non applicitus, a persequendi tamen furore compressus est.

testis etiam miraculorum,

uti etiam in sermone de illis,

13 *Hæc Augustinus, jam Episcopus Hipponensis, adeoque post rem gestam annis ut minimum* XVI; *utpote qui in libro 2 Retractationum suarum, inter libros quos Episcopus scripsit, sexto primum loco Confessiones recenset. Magis ambiguum mihi est, quo tempore ab eo sit habitus sermo* in Natali Sanctorum Martyrum Protasii et Gervasii, *a Presbytero an ab Episcopo: unum video, post ædificatam ipsis in Victoriana prope Hipponem villa memoriam constitutumque in Africa festum, habitum illum esse, in eoque* Natalem *appellari diem* Inventionis *seu verius* Depositionis: *sic enim loquitur, seque testem oculatum profitetur, cap. 5 Sermonis illius qui de diversis est trigesimus nonus.* Celebramus hodierno die, Fratres, memoriam in hoc loco positam SS. Protasii et Gervasii, Mediolanensium Martyrum: non eum diem quo hic posita est; sed eum diem celebramus, quando inventa est pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus *(seu potius biduo ante inventa, deposita sub altari,* per Ambrosium Episcopum, hominem Dei: cujus tantæ gloriæ Martyrum etiam tunc ego testis fui. Ibi eram: Mediolani eram: facta miracula vidi: novi attestantem Deum pretiosis mortibus Sanctorum suorum; ut per illa miracula, jam non solum in conspectu Domini, sed etiam in conspectu hominum, esset mors ista pretiosa. Cæcus, notissimus universæ civitati, illuminatus est. Cucurrit: adduci se fecit: sine duce reversus est. Nondum audivimus quod obierit: forte adhuc vivit. In ipsa eorum basilica, ubi sunt corpora, totam vitam suam se serviturum esse devovit: nos illum gavisi sumus videre videntem, reliquimus servientem.

ac denique in libris de civitate Dei:

14 *Idem Augustinus, occasione vastatæ anno* CCCCIX *a Gothis Alarico Duce Romæ, exorsus scribere de Civitate Dei, libro vigesimo secundo fecit Caput* VIII. de miraculis, quæ ut mundus in Christum crederet facta sunt, et fieri mundo credente non desinunt: *ibique idem quod supra sic explicat:* Miraculum quod Mediolani factum est, cum illic essemus, quando illuminatus est cæcus, ad multorum notitiam potuit pervenire; quia et grandis est civitas, et ibi erat tunc Imperator, et immenso populo teste res gesta est, concurrente ad corpora Martyrum Protasii et Gervasii: quæ cum laterent et penitus nescirentur, Episcopo Ambrosio per somnum revelata, reperta sunt: ubi cæcus ille, depulsis veteribus tenebris, lumen vidit. *Circa idem tempus, quo prædictos libros scribebat Augustinus; ipso hortante, Vitam S. Ambrosii scripsit Mediolanensis Presbyter Paulinus, cum Sancto ejus nominis Nolano Episcopo perperam a quam plurimis confusus. Ex hujus calamo lubet extremum hoc veritatis testimonium, certiorisque notitiæ instrumentum apponere: sic ille scribit.*

idem testatur Paulinus in Vita Presb. Ambrosii,

15 Hoc in tempore *quo contra Arianos fores ecclesiæ servabat militum Catholicorum exercitus,* Antiphonæ, Hymni ac Vigiliæ primo in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt.. .. Per idem tempus sancti Martyres Protasius et Gervasius se Sacerdoti revelarunt: erant enim in basilica positi: in qua sunt hodie corpora Naboris et Felicis Martyrum. Sed sancti Martyres Nabor et Felix celeberrime frequentabantur, Protasii vero et Gervasii Martyrum, ut nomina, ita et sepulcra incognita erant: in tantum ut supra illorum sepulcra ambularent omnes, qui vellent ad cancellos pervenire, quibus sanctorum Naboris et Felicis Martyrum corpora ab injuria sepulcri defendebantur. Sed ubi Sanctorum Martyrum corpora sunt levata, et in lectis posita; multorum ibi sanatæ ægritudines perdocentur. Cæcus etiam Severus nomine (qui nunc usque in eadem basilica, quæ dicitur Ambrosiana, in qua Martyrum corpora sunt translata, religiose servit) ubi vestem Martyrum attigit, statim lumen recepit. Obsessa etiam corpora ab spiritibus immundis curata, summa cum gratia domum repetebant..... Tamen quia intra Palatium multitudo Arianorum cum Justina constituta, deridebat tantam Dei gratiam..... venerabilemque virum Ambrosium narrabat pecunia comparasse homines, qui se vexari ab immundis spiritibus mentirentur, atque ab illo sicut et a Martyribus torqueri se dicerent.... unus ex ipsa eorum multitudine, subito arreptus spiritu immundo, clamare cœpit, ita torqueri eos ut ipse torquebatur, qui negarent Martyres, vel qui non crederent in unitatis Trinitatem, quam docet Ambrosius. At illi hac voce confusi, qui converti debuerant et dignam tali confusione agere pœnitentiam, in piscina demersum hominem necaverunt, perfidiæ homicidium jungentes.

et pœnam Ariani miraculum negantis.

§ III.

§. III. *Epistola de eodem argumento Martyrumque Passione, edita sub nomine S. Ambrosii, velut ad omnes Italiæ Fratres scripta.*

Cum ex Augustino et Paulino sciatur revelatio facta S. Ambrosio,

Quæcumque hactenus deduxi, omnino certissima, eo faciunt, ut solido nitatur fundamento examen, de Reliquiis instituendum, atque ante omnia noto, ex illis constare irrefragabiliter quod non solum cujusdam ardor præsagii *sanctum Antistitem movit, ad requirenda Sanctorum corpora, sed quod eidem se illi* revelarint, *ut loquitur Paulinus et infra num.* 62 *allegandus S. Gaudentius; idque* per somnum, *et* per visum *ut scripsit Augustinus, ita verosimiliter omnes edocti ex ore ipsius S. Ambrosii. Hinc porro sequitur, quod silentium ipsius de tali visu solum non sufficiat, ad suspectam reddendam Epistolam, de qua agendum proposuimus. Habetur ea sed a Lipomano Surioque ex fide vetustissimorum Codicum edita, et ex aliis nonnihil correctioribus transiit in tertiam Operum Ambrosii editionem, Romæ curatam an.* 1585. *Ut autem visionem illam prætermisit Ambrosius, nec ideo ipsa potest censeri tota falsa: sic neque, si aliud obstet nihil, ex causa similis alicujus quoad alias circumstantias omissionis, si aliud accederet nihil, deberet in dubium revocari libellus Philippi, ad Sanctorum ab ipso sepultorum capita (ut præfatur) positus, atque in prædicta ad Fratres per Italiam epistola descriptus, continens universam Martyrii historiam qualis in quamplurimis Passionalibus occurrit inde accepta. Prius igitur quam quidquam judicem, aut judicio tuo, Lector, definiendum subjiciam, ipsammet accipe, ex vetustissimis MSS. primum Puteano, quod deinde transiit in potestatem Reginæ Suecorum Christinæ, nunc autem in Vaticana servatur; tum Trevirensi S. Maximini, cum quibus Surianam editionem Rosweidus noster olim contulit; sicut Bollandus et Henschenius ipsam contulerunt cum membraneo valde antiquo codice a se empto Leodii alioque recentiori quem Moreti nominamus, quia ab hoc redemptum: nec vacavit cum pluribus, tum Mediolani tum alibi repertis exemplaribus, toties jam collata, conferre iterum. Hic ergo est ejus tenor.*

ex hujus de ista silentio solo

non evertitur Epistola

ad Fideles Italiæ,

17 Ambrosius servus Christi, Fratribus per omnem Italiam, æternam in Domino salutem. In divinis voluminibus reus scribitur, qui non studuerit dare gratis, quod ipse gratis acceperit. Quidquid enim Domini Ecclesiæ profuturum erat, subtraxisse arguitur, cum noluerit tradere omnibus, quod ipse non celandum accepit. Unde et Psalmographus *a* vaticinavit, dicens: Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam et salutare tuum dixi: Non celavi misericordiam tuam et veritatem tuam a concilio multo. Et pro hoc opere quasi vicissitudinem a Deo postulans, adjecit: Tu autem Domine ne longe fac misericordiam tuam a me; quasi Deo diceret, Sicut ego feci alios misericordiam invenire, ita et ipse non patiaris longe fieri misericordias tuas a me. Aperiamus ergo cur ista præmisimus, et vestros animos, qui pie de Deo sentitis et creditis, de inventione sanctorum corporum ad lætitiam invitemus.

Mat. 10, 8

qua sanctus narraverit,

Sanctorum visionem sibi oblatam,

18 In diebus transactæ nuper Quadragesimæ, *b* cum Dominus mihi donasset, ut jejunantium et orantium me faceret esse participem; in oratione posito ita mihi somnus obrepsit, ut nec vigilans aperte, nec dormiens integre, viderem apertis oculis mecum duos juvenes ephebos, vestibus candidissimis, id est, collobio et pallio indutos, caliculis calceatos, manibus extensis orantes. Nullam quidem gravedinem patiens, loqui cum eis non poteram: sed ut dixi, pars in me somni incumbebat, qui me ad eorum interrogationem verbum proferre non sinebat: plene autem me evigilante visio eorum ab oculis meis elapsa est: unde factum est, ut rogarem Domini misericordiam, ut si ludificatio dæmonum esset, abscederet; si vero veritas esset, plenius appareret. Ad impetrandum vero, quod poscebam a Domino, augmentavi jejunium: similique modo, canente gallo, orantes mecum juvenes apparuerunt. Tertia vero nocte, defecto jejuniis corpore, non dormienti, sed stupenti, cum quadam mihi tertia apparent persona, quæ similis esset B. Paulo, cujus vultum me pictura docuerat, ut tantum ipse mecum illis tacentibus loqueretur, dicens: Isti sunt, qui propter monita *c* mea, respuentes prædia et divitias, secuti sunt Domini nostri Jesu Christi pia vestigia; nihil terrenum, nihilque carnale concupiscentes, in media hac Mediolanensi urbe per decem annos in Dei servitio perdurantes, ad hoc pertingere meruerunt, ut Christi Martyres fierent: quorum corpora in eo loco invenies, in quo stas et oras. Duodecim pedum altitudine terra coopertam arcam invenies: quam arcam superius exaltabis, et in nomine eorum ecclesiam *d* fabricabis. Cumque eorum nomina ab eo requirerem, dixit mihi: Ad caput eorum libellum scriptum *e* invenies, in quo et ortus eorum et finis scriptus est. Convocans itaque omnes per circuitum Fratres et Coepiscopos *f* urbium vicinarum, referens universa, quæ videram et audiveram, ipsis coram positis, primus ego terræ fossor accessi: ceteri Episcopi prosecuti sunt. Fodientes, pervenimus ad arcam, quam sanctus promiserat Paulus: quam aperientes, invenimus quasi ipsa hora positos Sanctos, miro odore fragrantes: ad quorum caput illum libellum invenimus, in quo erant hæc per ordinem universa conscripta. Ego servus Christi Philippus, intra domum meam Sanctorum corpora cum filio meo rapui et sepelivi: quorum mater Valeria, et pater Vitalis dicti sunt; quos uno ortu geminos genuerunt, et unum Protasium, alium Gervasium vocaverunt *g*.

AUCTORE D. P.

indicante eorum locum S. Paulo.

in quibus inventus sit et libellus Philippi:

19 Quorum pater Vitalis erat militaris *h* Consularis. Hic cum fuisset cum Paulino Judice suo Ravennam ingressus, et videret in conspectu judicis sui Christianum, nomine Ursicinum, arte medicum, natione Ligurem, post nimia tormenta capitalem accepisse sententiam. Locus autem, ubi decollabantur Christiani, hoc habebat vocabulum, ut diceretur, Ad palmam, eo quod arbores antiquæ palmæ illic essent. Igitur cum, ut diximus, post nimia tormenta decollandus veniret ad Palmam, expavit: et dum vellet male evadere, exclamavit Vitalis, dicens: Noli, noli Ursicine medice, qui alios curare consuevisti, teipsum æternæ mortis jaculo vulnerare vis? Qui per passiones nimias venisti ad palmam, coronam perdere noli, tibi a Domino præparatam. Audiens hæc Ursicinus, genu posuit, et speculatorem, ut feriret, hortatus est: et agens pœnitentiam quod expavisset, Christi Martyrem se fecit. Statimque ipse Vitalis corpus Martyris rapiens, intra Ravennatium urbem sepelivit: et cum omni honore Martyri debita explens obsequia, ad judicem ultra venire contempsit. Quem Paulinus, Consularis Judex, ideo teneri maxime mandavit, non tantum quia contempsit ad eum redire, quantum quod ita Christianus esse detectus est, ut etiam volentem Ursicinum sacrificare, ne periret, ita instituit, ut rediret ad coronam martyrii, et Deo redderet margaritam pretiosam, quam diabolus rapere studebat.

ubi præmisso martyrio S. Ursicini, Ravennæ tolerato,

20 Paulinus igitur, jussit eum levari in eculeo, ut per tormenta posset ejus sensum ad sacrificandum idolis convertere. Cui Vitalis ait: Infinita tibi dominatur stultitia, ut putes meipsum decipere, qui alios a periculo deceptionis liberare studui. Tunc Paulinus Consularis dixit ad Officium suum: Ducite eum

idem S. Vitalis qui illum animarat,

ad

AUCTORE D. P.

ad Palmam; et si sacrificare contempserit, nolite eum decollare: sed facite foveam in terra, quoadusque perveniatis ad aquam: et ibi eum supinum deponite, et terra atque lapidibus obruentes dimittite. Quod cum factum fuisset, Deus sibi Vitalem ita Martyrem consecravit. Sacerdos autem Apollinis, qui hoc consilium Paulino dederat, a diabolo repletus est, ita ut per septem dies energumenus ibi clamaret, ubi obrutus erat sanctus Vitalis, dicens: Incendis me, sancte Vitalis martyr Christi, et crucias me. Post septem autem dies præcipitatus a diabolo, in flumine expiravit. Sanctus autem Vitalis gloriosus martyr Christi, sepultus est juxta civitatem Ravennatium, præstans orationibus suis multa beneficia omnibus hominibus credentibus in Dominum, usque in hodiernum diem. *i*

et S. Valeriæ Mediolanum redeuntis,

21 Valeria autem conjunx ejus, cum vellet corpus S. Vitalis auferre, a Christianis prohibita est, et ab ipso in visionibus sæpe admonita, ne sanctum corpus, a malo homine bene positum, violaret. Ipsa autem cum reverteretur ad urbem Mediolanensium, idololatras Silvano sacrificantes incurrit: qui eam deponentes de sumario, hortabantur secum epulari. At illa dicebat: Christiana sum: non licet mihi de Silvani vestri sacrificiis manducare. Illi vero hæc audientes, tanta eam cæde mactaverunt, ut vix seminecem eam sui homines ad Mediolanensem urbem perducerent, ita ut intra triduum migraret ad Christum *k*. Cumque ab intestato Gervasius et Protasius parentibus successissent, domum propriam et res parentum et casellulas venumdantes dederunt pretium omne pauperibus et familiolæ suæ, quam etiam ingenuam fecerant. Ipsi vero in uno cœnaculo se concluserunt, per decem *l* annos lectioni et orationi et jejuniis vacantes. Decimo autem anno, conversionis suæ undecimo ad palmam martyrii *m* hoc ordine pervenerunt.

dicuntur ipsorum filii Gervasius et Protasius,

22 Eodem tempore superveniente Comite Astasio, *n* qui proficiscebatur ad bellum, quod a Marcomannis *o* fuerat excitatum, occurrerunt illi templorum cultores cum Sacerdotibus suis, dicentes: Si vis lætus ad Augustos *p* nostros reverti victor, Gervasium et Protasium sacrificare compelle: vehementer enim dii nostri, de eorum contemptu commoti, dare nobis responsa contemnunt. Audiens hæc Astasius Comes, jussit eos teneri et ad se adduci, quibus et dixit: Hortor vos, ut a deorum nostrorum injuriis temperantes, ad immolandum eis devoti studeatis insistere, ut expeditio mea naviter celebretur. Gervasius dixit: Victoriam de cœlo debes a Deo omnipotente requirere, non de simulacris mutis et vanis, quæ oculos habent sine lumine, aures sine auditu, nares sine odoratu, os sine sermone, manus sine tactu, pedes sine gressu; et ventrem sine interioribus probantur habere, et sine flatu esse noscuntur. Tunc indignatus Astasius Comes, jussit eum tamdiu plumbatis contundi, quamdiu exhalaret spiritum.

ob Astasio contra Marcomannos misso,

23 Quo amoto, jussit adstare Protasium, cui et dixit: Miser, vel tu vivere stude, et noli biothanatus *q* fieri, sicut et frater tuus. Cui Protasius respondens, ait: Quis est miser, ego, qui te non timeo: an tu, qui me timere probaris? Astasius Comes dixit: Ego te, miser homo, quomodo timeo? Beatus Protasius dixit: In eo, quod times lædi a me, si non sacrificavero diis tuis. Si enim non timeres lædi a me, ad sacrificandum me non compelleres: ego autem te non timens, contemno minas tuas, et omnia idola tua velut stercora computans, Deum solum qui regnat in cœlis adoro. Audiens hæc Astasius Comes, jussit eum fustibus cædi. Postea vero erecto eo, dixit ad eum: Miser homo, ut quid tam superbus et tam rebellis existis? Vis perire, sicut tuum probasti germanum perisse? Protasius dixit: Non tibi irascor, Astasi, nec ego nec ipsa justitia, quoniam cæcos oculos tui cordis attendo: incredulitas enim, quæ in tuis sensibus regnat, non te permittit videre quod Dei est. Nam et Dominus meus Jesus Christus crucifigentibus eum non maledixit; sed potius ut eis indulgeretur, oravit, addens hoc, quia nescirent quid facerent. Unde et ego tui misereor, quia nescis quid facias. Nunc ergo age, quod cœpisti, ut mihi possit cum meo fratre hodie benignitas Salvatoris nostri occurrere. Tunc Comes Astasius jussit eum capite cædi. Quod cum factum fuisset, ego servus Christi Philippus abstuli cum filio meo furtim nocte corpora sancta, et in domo mea, Deo solo teste, et in ista arca marmorea sepelivi, credens me orationibus eorum consequi misericordiam Domini nostri Jesu Christi, qui cum patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum, Amen. *r*

frustra sollicitati ad defectionem

et prior fustibus, alter gladio cæsus.

ANNOTATA D. P.

a *Alias* Vates canit.

b Quadragesima *anni* 386, *cœperat Mediolani cum prima Dominica, tunc cadente in* 22 *Februarii, quia Pascha celebrandum erat* 5 *Aprilis: hinc vero, usque ad translationem et depositionem Sanctorum corporum* 19 *Junii, spatium enorme intercedit. Puricellus vult interim fabricatam Basilicam, quæ in visione Sequenti erigenda promittitur absoluta deinde; fabrica convocato; ad synodum post pentecosten aliquam Episcopos; adeoque tertio post visionem mense per clam translationem. Sed quis credat, tam brevi, tamque turbato tempore perfectum opus, quod rebus etiam pacatissimis annos requirere poterat? Deinde quomodo non erat ante talem visionem cœpta fabrica, de qua dedicanda agebatur, quando inveniendarum Reliquiarum primum præsagium Ambrosius cepit, ex suggestione petentium, ut sicut in Romana fecerat, sic etiam Basilicam dedicaret de qua hic agitur? Visio igitur quæcumque illa fuit post præsagium istud oblata sancto est, et verosimiliter nocte aliqua feriæ* II *vel* III *opus ipsum prægressa.*

An recte dicatur, talis visio facta in Quadragesima?

c *Posset hoc intelligi de Paulinis Epistolis, per Martyres lectis: sed Mediolanenses omnino volunt, a vivente adhuc Paulo, et Mediolani præsente, instructos Sanctos; idque etiam credidit S. Petrus Damiani, in sermone de eorum parentibus, Vitali et Valeria.*

d *Hanc ecclesiam Puricellus vult esse ipsam Ambrosianam Basilicam: sed, si quid sapio, ea cœpta est fabricari ante motam a Justina persecutionem: an autem dedicata fuerit in nomine illatorum ad eam jam perfectam Martyrum, non habeo unde definiam; nisi quod Puricellus, in Monumentis Ambrosianis pag.* 334, 534, *et* 1039, *varia producat instrumenta, in quibus nominatur* Abbatia *seu* Monasterium S. Ambrosii, sanctorumque Martyrum Protasii atque Gervasii; *et unum pag.* 992, *ubi nominatur* ecclesia beatorum Martyrum Gervasii et Protasii, et sanctissimi Patroni nostri Ambrosii. *Alias videri posset, Epistolæ fabricator respexisse ad ecclesiam et monasterium* S. Protasii, ad Quercum *vel* ad Monachos *dictum, quorum Monachorum Abbas, in charta anni* 88, *vocatur* Abbas sacrorum monasteriorum beatorum scilicet Gervasii et Protasii, atque Simpliciani: *conflatæ enim in unum Abbatiam erant ecclesiæ duæ, (de quibus vide Dissertat. Nazarianam Puricelli pag.* 41) *et prior non solum* S. Protasii, *sed etiam* SS. Protasii et Gervasii *dicebatur: verum quis hujus auctor fuerit, non invenit Puricellus.*

Basilica post visionem fieri cœpta?

e *Similiter SS. Nazarius et Celsus, in suis parum certis, sed forte antiquioribus quam hæc Epistola sit Actis, dicunt Ceratio,* Absconde libellum certaminis nostri ad caput nostrum, in diem quo hæc voluerit Dominus

An inventa ad caput passionis historia?

A Dominus revelari. *Sed si libellus ejusmodi a Philippo scriptus, et ab Ambrosio revera inventus fuit; quomodo nec ipse Ambrosius, nec Augustinus uspiam indicant eum sibi lectum, laudando parentes Sanctorum, tolerata supplicia specificando, nominando persecutorem? Solius enim capitis abscissi meminit Ambrosius, et tituli a senibus lecti; quorum primum, præsentia loquebantur corpora; secundum, pro magna re habitum fuit, distinctiori notitia deficiente.*

An convocati tunc Mediolanum Episcopi?

f *Ex vicinis Episcopis an.* 381, *cum S. Ambrosio interfuerunt Aquileiensi Synodo, Vercellensis, Placentinus, Tridentinus, Brixianus, Laudensis, Dertonensis; urbes tamen Episcopales jam tum erant, Alba, Asta, Ticinum, Comum, Bergomum, Cremona, Taurinum. Sed difficile creditu est quod rebus Mediolani sic turbatis, ut ipsi Ambrosio exitium intentaretur, illuc Episcopi plures convenerint. Epistola ad Sororem solorum Clericorum meminit, eorumque formidantium ad opus accedere.*

g *Ex hinc MS. Puteanum et alia plura Legendaria deficiunt, usque circa medium num.* 22, *eo quod exempla hinc Acta SS. Ursicini Vitalis et Valeriæ, retulissent ad* 28 *Aprilis.*

B

Paulinus an consularis sub Nerone?

h Consulares *proprie dicebantur, qui Consulatum ordinarium, id est annum in fastis signandum Kalendis Januarii, ingressi; vel postea suffecti in locum mortuorum, vel abdicatorum erant: Augustus tamen* Consularis *titulum ad plures honoris causa traduxit, nonnullique post illum Imperatores: quod deinde usu abolitum, Constantinus Magnus in morem reduxit. Sed quid est* Militaris Consularis? *et infra* Judex Consularis? *Tituli sunt Romanæ historiæ ignoti. Rubeus hic nominatum Judicem* Paulinum *esse credit.* C. Suetonium Paulinum, *qui penultimo Neronis anno, Christi* LXVI, *ordinarium Consulatum gessit cum* L. Pontio Celesino.

i Usque hodiernum diem, *videtur longius spatium indicare, quam decem annos, quibus in morte sanctorum pluribus decursis hæc scripta essent; imo multa illa invocantibus præstita beneficia, videntur publicum et palam permissum cultum supponere, pacata jam sub Imperatoribus Christianis Ecclesia. Phrasis certe ea non est primi secundive seculi.*

an Valeria gemellipara?

k *Addit Rubeus lib.* 1 *Hist. Ravenn. quod* in ædes importata. Valeria, cum utero gereret geminos, adhuc immaturos in lucem ediderat vivos: quos Caius Mediolanensis Episcopus sacro baptismate expiavit, et alterum Diogenium, Aurelium alterum vocavit, ad cœlestem mox gloriam prius Martyres quam nati, abeuntes. Hujus rei testis, *inquit*, erat pervetusta in Divi Vitalis templo pictura, in qua cum S. Valeriæ ducitur funus, duo cum ea infantes fasciis involuti efferuntur, ipsique Monachi, tradita sibi continenti a superioribus Monachis disciplina, qui Ordinis sui habitum in hoc cœnobio induunt, eos plerosque Diogenii et Aurelii hac de causa nominibus appellant. *Ita non satis erat Libello Philippi ut præfertur credere* uno ortu geminos *natos* Protasium atque Gervasium; *nisi rursus gemellipara fieret* Valeria, *quasi non nisi geminos concipere solita. Invenio autem istud assertum in Collectaneis Petri Ferretti Ravennatis Lavellinatium Episcopi, Bibliothecæ Vaticanæ illatis, in Sermone de SS. Vitali et Valeria: quem apparet compositum, post Franciscanos in ecclesiam SS. Naboris et Felicis Mediolani inductos, id est post annum* 1256.

C

An sub Nerone passi fuerint, decennio post parentes?

l *Regnavit* Nero *annos* 12: *sed solum tribus ultimis Christianos est persecutus; non possunt igitur decennio post parentes passi esse filii sub* Nerone; *sed contra ipsi solum possunt decennio ante parentum mortem conversi, et immediate post ipsos martyrium suscepisse; quæ est Puricelli sententia: parum congrua huic relationi, et obvio verborum sensui.*

m *In Romana editione additur*, die Kalendarum Juniarum: *sed ea verba genuino textui superaddita esse, merito censet Puricellus: desunt certe in omnibus quæ vidimus MSS. Allegat deinde Manuale Ambrosianum Beroldi, quem ait vixisse an.* 1120, *et duo Bibliothecæ Metropolitanæ donasse Missalia membranea MSS*, *in quibus* VIII Kal. Aprilis, *inter plura eidem diei attributa*, *ponitur* Passio trecentorum Martyrum, et Jacobi Fratris Domini et Protasii et Gervasii, *quibus nihilo plus crediderim.*

D

vel forte Dominica 25 Martii?

n *In Actis S. Petronillæ* 31 *Maji*, Flaccus Comes *nominatur: neque dubium est quin in Republica Romana fuerint.* Comites Sacrarum largitionum, rei privatæ, sacri palatii, sacri patrimonii etc: *sed togata hæc erant officia. Comitibus etiam bella mandata hactenus non invenimus, et hoc solum credo voluisse Alciatum, cum hujus tituli causa suspectam epistolam fecit. Puricellus autem vult hunc* Astasium, *Anolino alibi nominato successisse, in verandis Mediolani Christianis: sed hoc non sufficit conciliandæ Epistolæ cum aliis Actis, quæ totam hanc tyrannidem* Anolino *adscribunt.*

et Comite Astasio vel Præside Anolino?

o Marcomanni, *Germaniæ populi Romanis fœderati, eam putantur habitasse regionem quæ nunc Bohemia dicitur (Moraviam volunt aliqui) et usque ad S. Ambrosii tempora sui juris manserunt, ac proprios Reges habuerunt; nam eorum Regina Fritigil ab eo catechismum petiit et accepit. Bellum cum iis sub Nerone gestum nusquam invenias. Velleius Paterculus Meroboduum laudat, quod* imperium suum, perpetuis exercitiis pæne ad Romanæ disciplinæ formam redactum, brevi in eminens et Romano quoque Imperio timendum perduxit fastigium; gerebatque se ita adversus Romanos, ut neque bello lacesseret, et si lacesseretur superesse sibi vim ac voluntatem resistendi declararet. *Etenim apud Tacitum jactabat*, se, duodecim legionibus duce Tiberio petitum, illibatam Germanorum gloriam servavisse; mox conditionibus æquis discessum; neque pœnitere quod ipsorum in manu sit integrum, adversus Romanos bellum an pacem incruentam malit. *Ita Annalium lib.* 2. *Tacitus, qui deinde* haud leve decus. *Druso acquisitum ait, quod* illicuit ad discordias Germanos, utque fracto Marobo duo usque ad exitium insisteret *effecit; exinde vero, ut ait ipse in libello de moribus Germanorum,* Regibus *illorum* vis et potentia ex auctoritate Romana *fuit*; et Raro, *inquit* armis nostris, sæpius pecunia juvantur. *Hinc Puricellus putat se verosimile posse facere, quod etiam sub Nerone contra illos armis actum sit. Baronius videns nusquam* Neronem *nominari putavit* Marcomannicum bellum *posse intelligi, ad quod profectus est M. Aurelius Antoninus, anno* 170.

E

Marcomanni Romanis sæc. I fœderati,

F

p *Puricellus pag.* 125 *ex Paterculo dicente quod* legati quos *Maroboduus* mittebat ad Cæsares, interdum ut supplicem commendabant interdum ut pro pari loquebantur: *conatur persuadere, ut ibi* Cæsares, *ita hic* Augustos *posse accipi: licet* unicus Imperator *esset, hic* Nero, *ibi* Augustus: *aut ita locutum utrumque scriptorem,* quia plurali nomine intelligebant non ipsum tantummodo Imperatorem, sed etiam Consules vel Senatores; *aut quomodo Vopiscus in Probo pluraliter nominat,* Sallustios, Livios, Tacitos, Probos; *vel denique quia* Galba, *contra Neronem acclamatus ab exercitu Imperator, sperabatur cum eo pacificaturus, et commune gesturus Imperium. Sed nescio an serio hæc scribere Puricellus potuerit, sibique ipsi id persuadere: quomodo enim non cogitasset Augusti privignos* Tiberium ac Drusum *a Vitrico suo dictos* Cæsares, *et hunc etiam Germanicum fuisse cognominatum ob res in Germania præclare gestas: isti vero fratre mortuo pæne communicatum imperium et cum utroque negotium habere potuisse Maroboduum cetera nec responsum meritura.*

An pluraliter dicti Augusti, ante ...?

A *tura. Tantum nempe valet obfirmatus semel ad tuendum aliquod scriptum animus : cui talis non fuerit, omnino censebit cum Baronio, hic plures scribi non potuisse nisi cum jam vulgari usu cœpissent plures simul regnare : non cœperunt autem ante tempora* Veri et Antonini *fratrum simul Imperantium ab anno* 161, *ad* 169 : *et ultimo eo anno constat a Marcomannis graves motus in Germaniis excitatos, quorum causa Aquileiam usque Imperatores ambo processerunt. Nec mirum fuerit, Comitem vel Ducem aliquem præmissum ab Italia, prius quam ipsi se Imperatores moverent : nedum priusquam mortuo fratre in Germaniam proficisceretur Antonius, per seipsum domiturus quos compescere per alios annis prioribus non potuerat.*

q Biothanatus, *id est, morte violenta sublatus.*

r *Mirum est hic finem poni Epistolæ, nec addi verbum de Translatione eamque secutis miraculis.*

§. IV. *Antiquiorum de ea Epistola per secula duo silentium, et relatio de Sanctis prorsus alia, ex nihilo meliori S. Nazarii Passione.*

Relationi Philippo adscriptæ,

B E*x præmissis Annotatis satis jam liquere puto, suppositam Ambrosio fuisse Epistolam, quæ visionem ejus, tempore tam incongruo ponit, et basilicæ Ambrosianæ ædificatione priorem : ac, nihilo minori cum incommodo, inducit Episcopos ad sacrorum corporum refossionem convocatos. Apparet etiam, ex annexo Epistolæ Philippi libello, æque supposititio, nihil certi haberi possit de tempore, quo passi Martyres sancti sunt. Apparet denique quod Epistolæ auctor, si tempus voluit aliquod designare, aliud nullum sibi potuerit propositum habuisse, quam commune duorum fratrum M. Aurelii Antonini et Lucii Veri, filiorum M. Antonini Pii. Tunc enim passos fuisse oporteret* Sanctos Vitalem et Valeriam, *si parentibus decennio supervixerunt* SS. Protasius et Gervasius *sub initium Marcomannicorum motuum, vivente adhuc Vero, ab Astasio Comite ad eos componendos misso comprehensi ac necati anno* CLXIX. *Sed hujusmodi Chronologiæ* Philippi *ætas repugnat, si verum est ipsum inter primos a S. Caio Mediolani conversos fuisse, suosque hortos commodasse conventibus Christianorum habendis, defunctisque sepeliendis : quo maxime argumento nituntur, qui ad primum Christi seculum, et S. Caii Episcopi tempus, referunt prædicta martyria. Id autem faciunt Mediolanenses ac Ravennates consensu tanto, ut eos nominare* C *nihil opus sit : omnes autem Neronianæ persecutioni adscribunt supra relatam passionem.*

25 *Neronianam persecutionem, non solum ad Christianos Romæ degentes, sed ad omnes toto Imperio sparsos pertinuisse, ex Lactantio atque Orosio, et publicis etiam ejus temporis titulis egregio probat in Critica sua Antonius Pagi cum quo libenter corrigam quidquid alibi forsitan in contrarium definivi. Lactantium legisse potuit is, qui seculo Christi* VI *ut arbitramur composuit historiam primorum Episcoporum Mediolanensium, ex cujus calculo S. Anataloni primo post Barnabam Episcopo, successisset* S. Caius, *anno Christi* LIX ; *Romam autem profectus* anno Episcopatus sui quinto, *recens occisos Apostolos invenisset (convenit hoc optime cum anno mortis eorum)* mansit *autem Caius* in Episcopatu usque ad quintum Domitiani Cæsaris annum, *id est, usque annum Christi* LXXXV. *Vitam ex historia illa dabimus ad* XXVII *Septembris quo nunc colitur : hic interim delibanda censeo, quæ ad præsens faciunt argumentum.*

26 *Dicit Auctor ille de Caii præfati primis annis, quod sub iis,* licet sæva et perquam truculenta Paganorum adversus Christi fideles querela magis magisque insurgeret ; nihilominus tamen quotidiana hostis invidi damna, et Christi ex idololatriæ clientibus lucra fiebant : et jam non quilibet, sed ipsi D etiam Consules, et quos gloria mundi reddiderat clariores, ad Christi properanter obsequium festinabant. Superioribus enim diebus, *inquit*, S. Vitalis insignis quidem carnis origine nobilis, sed mentis culmine nobilior, civium Mediolanensium maximus, et inter suos non mediocriter honoratus, una cum religiosissima conjuge et filiis, atque omni familia domus, Christi fidei sociatus est : et cum eo pariter quamplurimi majorum natu civium, in quibus et Philippus cum suis, vir apud seculum et apud Deum illustrissimus. *Narrata deinde Caii profectione Romam, de* Nerone *subjungit, quod* per unamquamque provinciam direxerat Præsides, ut Christiani nominis cultores vario pœnarum genere dissiparent, delerent atque perimerent, in quibus Anolinum veluti capitalem pestem Secundicerium sibi præceperat, data illi in Christianos Consulari offula, quatenus Italicarum partium potestatem accipiens, Christianæ sectæ et nomen radicitus evelleret, et germen disperderet.

27 Mox namque ut Mediolanum, metropolim Italorum intravit.... *audito quod* multi ex Principibus, *ibi essent Christiani : in omnes dicitur multifarie* E *sævisse : et* inter multos, *inquit Auctor*, qui iisdem temporibus in Christi exercitu ad mortem usque certarunt, beatissimos extitisse germanos comperi, Protasium scilicet atque Gervasium, sacratissimos Martyres Domini. Nam pater ipsorum, cujus superius memini, S. Vitalis, fortissimus athleta Christi jamdudum pro Christi confessione, diversa per supplicia triumphalem adeptus fuerat palmam. Mater quoque Deo devotissima Valeria, simili exitu mortem commutaverat in gloriam. Horum ergo, ut dicere cœperam, parentum beatissimorum generosum exemplar, filii in nullo degeneres secuti, Neroniani prælii constantissimi victores effecti sunt : nec plumbatis cædi, nec equuleo torqueri sat fuit ; nisi etiam corpus spiculatori, pro capite Martyrum offerrent. *Hæc ille : qui si habita temporum ratione intellexisset, primam sub* Nerone *persecutionem contra Christianos initium habuisse ab incendio urbis, procurato sub annum illius* XI, *Christi* LXIV, *atque solummodo triennium durasse ; in referenda filiorum post parentes morte abstinuisset illo* jamdudum.

28 *Nota interim quod huic tam antiquo scriptori ignota prorsus fuisse debeat illa superius sub Ambrosii nomine, edita Epistola, quomodo enim aliter vel* Anulinum judicem *posuisset pro* Aspasio Comite? *vel* equulei *meminisset, nusquam ibi indicati ! vel utrumque plumbatis cæsum ac deinde capite minutum dixisset,* F *asserente Epistola* Gervasium *quidem* fustibus contusum quamdiu exhalaret spiritum; Protasium *vero* fustibus *primo, tum* capite cæsum : *cum tamen eos Ambrosius lib 7 in Lucam cap 13, de utroque æqualiter dicat, quod* persecutione veniente arma posuerunt, colla flexerunt, contriti gladio *(comparat enim eos grano sinapis)* per totos terminos mundi gratiam ait sparsere martyrii. *Atque hæc sufficiant, ad reprobandam fidem Epistolæ, tam infeliciter Ambrosio suppositæ ; itemque libellum, Philippo sub tali auctoritate adscriptum. Interim vero, si constaret satis,* Gervasium et Protasium *filios fuisse illius Vitalis qui Ravennæ post S. Ursicinum passus, colitur nunc ibidem Patronus* XXVIII *Aprilis; si constaret etiam et eorum passionem recte adscribi* Neronis *Imperio ; posset* Paulinus, *anni* LXVI *ordinarius Consul, anno sequenti potestate Proconsulari per Galliam Cisalpinam, contra Ursicinum et Vitalem exercuisse ; filii vero Gervasius et Protasius patri superstites annos circiter* XXX *Martyrium consummasse Mediolani sub Domitiano, secundam contra Christianos persecutionem movente ; sub qua extiterit aliquis motus* Marcomannorum, *minus memorabilis*

rabilis, cui compescendo missus sit vel Aspasius Comes, *vel alius quispiam, ob sævitiam comparatus* Anolino, *Diocletiani et Maximiani postea ministro. Nec est inverosimile, quod* Domitianus, *alter* Nero *dictus a Christianis, sub* Neronis *nomine latere potuerit Mediolanenses seculi* V *ac* VI *scriptores; cum etiam ipse* Nero, *proprio et patris nomine dictus fuerit* Domitius, *solo autem adoptionis jure* Nero.

Nec inverosimile est sub Domitiano cæsos Sanctos

29 *Dubitavit Baronius, in Notis ad Romanum Martyrologium, hoc die utrum ea quæ habentur* SS. Gervasii et Protasii Acta, certa, firmaque et Ambrosii *esse diceret: sed non dubitavit, quin, si talia essent, credendum omnino foret* passos esse temporibus Marci Aurelii Antonini et Lucii Veri Augustorum, quorum Imperii anno nono Marcomannicum bellum exortum. *Ut autem huc propenderet fecit, quod* neque Beda, nec Usuardus vel Ado, aut antiquorum aliquis, vel vetera Manuscripta, cum de his Martyribus agunt, vel de eorum parente Vitale ad IV Kal. Maji, ullam de Nerone faciunt mentionem. *Ad Bedam quod attinet, genuinum ejus Martyrologium nondum prodierat, cum scriberet Baronius, nostro studio recentius editum ante tom. 2 Martii. Eum autem aliud nihil scripsisse putamus in Martio, quam,* IV Kal. passio S. Vitalis; *in Junio vero,* XIII Kal. Sanctorum Gervasii et Protasii Martyrum in Mediolano. *Cetera Florus Lugdunensis, ex epistola Ambrosio adscripta addidit. Similiter Legendaria omnia antiqua, quæ Baronius vidit, eamdem Epistolam vel descripserunt verbotenus, vel verbis pluribus exornaverunt. Sed hinc mihi videor non posse aliam prorsus consequentiam trahere, quam quod Acta, seculi* VI *scriptori ipsique Bedæ ignota, primum prodierint, eo quod inter Bedam ac Florum fluxit tempore, quod unius ferme seculi fuit, cum Beda obierit anno* DCCXXV, *Florus clarus haberetur anno* DCCXLII *Florum autem secuti sunt Usuardus, Ado, Notkerus, Rabanus, et ceteri cum hodierno Romano.*

Dubitavit etiam de ea Baronius, Bedæ tamen non vidit, sed primus causa in sententiis est Florus sec. IX

30 *Si porro nunc quæras, quid potuerit præ oculis habuisse scriptor ille Vitarum Episcopalium, quem dixi seculo* VI *lucubrasse historiam suam; respondebo* SS. Nazarii et Celsi Passionem *quamdam, jam tum descriptam fuisse, in qua legebatur juxta vetustissimum Puteanum MS. nunc in Vaticana reperiendum quod* S. Nazarius, *decimo postquam Roma excesserat anno,* ingressus est in Placentinam civitatem, docens omnem populum; post dies autem aliquos pervenit Mediolanum, et invenit in custodia retineri Beatos Gervasium et Protasium ab Anolino Principe, qui etiam virtutes multas faciebant in carcere: quibus B. Nazarius jam factus est socius..... *Inde egressus versus Gallias, in civitate Cimelii accepit parvulum Celsum comitem; cum eoque profectus Treviros, et a Cornelio Galliarum Præside per litteras delatus Neroni, ab hoc autem Romam accersitus inventusque Ebredum, adductus ad Neronem sit. Atque post varia tormenta, cum postea jussus præcipitari in mare,* Genuam pervenit et inde perrexit Mediolanum: ubi requisivit in carcere, quos reliquerat, sanctos Martyres Dei, Protasium et Gervasium; et invenit eos: quibus adhærens, confortabat eos. Audiens autem hæc Anolinus, qui ex urbe Mediolanensi eum expulerat... jussit eum in alium carcerem mitti. *Et accepto responso Roma a Nerone, desuper consulto;* non post multos dies jussit Anolinus decollari Nazarium cum puero Celso,

31 *De* SS. Gervasio et Protasio, *utrum ante vel post cæsi sint non dicitur vel in breviori et antiquiori ista, vel in recentius exornata et apud Mombritium diffusiori Legenda, ad* XXVIII *Julii, quando solenniter agitur eorumdem Inventio seu Depositio, per S. Ambrosium facta intra annum tertium post Imperatoris Theodosii obitum. Paulo post Theodosius Junior, vel nescio quis alius,* S. Nazario *ecclesiam Constantinopoli extruxit, quam* vetustate collapsam, *Imperator Basilius Macedo circa annum* DCCCLXXX novam fecit, ac priore magis excellentem, *ut auctor est ejus nepos Porphyrogenitus, in ari sui vita apud Canqium, Constantinopolis Christianæ lib. 4, § 6. Regnavit Macedo ab anno* DCCCLXVII *ad* DCCCLXXXVI: *quo tempore S. Joseph Hymnographus, Episcopus Thessalonicensis, pangendis sacris Canonibus clarus, Officium composuit de* SS. Nazario Gervasio Protasio atque Celso, *quale in Græcorum Menæis extenditur, concinendum die* XVIII *Octobris, quod eo die facta sit sacrarum ibidem Reliquiarum Mediolano allatarum collocatio.*

Auctori ut prius forte quam Canon de illis componeretur;

32 *Antiquior Officio illo potuit fuisse prædictorum quatuor* Conversatio et Passio, *quam ex MS. Regio Mediceo Parisiis Græcam accepimus, Latine autem ex MS. Veneto redditam edidit Lipomanus, et ex Lipomano Surius: ubi licentia quadam Græcis usitata, non solum simul omnes quatuor passi dicuntur, quod non est verosimile; sed etiam ipsa die qua Constantinopoli coluntur* XIV *Octobris, quod omnino falsissimum, aut certe per conjecturam prorsus gratuitam assertum est, etiam si de solis* Nazario ac Celso *intelligeretur.*

non minus tamen quam illa versio,

33 *Etenim Latina Acta, quæ breviori concinnioreque compendio transtulerunt in usus suos Græci, nihil scientes de Pseudo Ambrosiana Epistola, cum de supplicio et sepultura Martyrum agunt, non solum tacent de morte* SS. Gervasii et Protasii: *sed de* Nazario et Celso *dicunt, quod* observantes Christiani, furati sunt sancta et pretiosa corpora eorum, et tulerunt ea die quinta Kalendarum Augustarum, foras portam quæ dicitur Romana, in propriis hortis. *Ego etiam hoc sine fundamento definitum existimo talemque diem Mediolani anniversario ipsorum tribui, ob eamdem causam, ob quam* Protasio et Gervasio *attribuitur dies* XIX *Junii: scilicet causa Depositionis ab Ambrosio factæ.*

hallucinatur Florus circa diem martyrii

34 *Agit de* Nazarii et Celsi *inventione Paulinus in Vita Ambrosii perquam accurate; et cum dixisset, quomodo Ambrosius Theodosium Aquileia Mediolanum venturum, uno die prævenit, ipsum cum pluries in ecclesia excepturus;* nec diu, *inquit,* clementissimæ memoriæ Theodosius in hac luce fuit (*defunctus ibidem Mediolani* XVII *Januarii,* CCCXCIV) post cujus obitum fere quatriennium supervixit Ambrosius; quo in tempore, *id est ultimo illo Sancti Præsulis triennio,* S. Nazarii Martyris corpus, quod erat in horto positum extra civitatem, levatum, ad basilicam Apostolorum, quæ est in Romana, delatum est... Levato autem corpore Martyris et in lectica composito, statim ad Sanctum Celsum Martyrem, qui eodem horto positus est, cum sancto Sacerdote ad orationem perreximus.

et tempus inventionis S. Nazarii

35 *Hinc satis manifeste apparet quam longe a vero aberrent Acta, cum dicunt:* Quando autem complacuit Deo, revelavit in nostro tempore Ambrosio Episcopo; et impetravit a piæ memoriæ Theodosio: qui cum omni populo accedens ad locum....... invenit Sanctos.

36 *Longius etiam exorbitavit paraphrastes Græcus, dicens, quod latuit martyricarum Reliquiarum thesaurus in ejus, qui ipsas sepelierat, ædibus, donec ad* Magnum Theodosium, ex Iberia natum, quæ nunc Hispania dicitur, pervenerunt sceptra Romani Imperii. Cum autem is, post Dei hostem Valentem a barbaris in Thracia interfectum, esset constitutus Imperator qui in Deum, plus siquis alius, Martyrum lætabatur honore; tunc quoque sacræ eorum Reliquiæ, tanquam thesaurus, reconduntur in ecclesia Mediolanensi, Nazarii inquam et Gervasii, Protasii et Celsi. *Secutæ deinceps, chartarum, depositionem ea rationes;* in quos cum Magnus incidisset Theodosius tunc enim agebat Mediolani, adversus tyrannum, Maximum inquam, decertans et accepisset partes sacrarum

AUCT. RE. D. P.

sacrarum Reliquiarum... in urbem detulit Regiam, iis quæ ipse vidit miraculis confirmatus adversum Scythas.

factum id an. CCCLXXIX, faciens eum Theodosium M.

37 Ante hanc magnam itaque civitatem, excitat eis elegans templum, et in eos sacras Martyrum Reliquias deponit, ubi, eæ unguentorum quoque fontes emittunt abundantes non solum corporibus salutares, sed etiam animas haurientium expurgantes. *Venit in Italiam contra Maximum Theodosius anno* CCCLXXXVIII, *id est, biennio post repertas Sanctorum* Protasii et Gervasii *Reliquias. Vidisse igitur potuit miracula, ad eorum invocationem patrata; et Constantinopolim rediens anno* CCCXCI *aliquas alterutrius Reliquias illuc detulisse; illisque ædificasse ecclesiam, quæ postea, propter eodem illatas reliquias* S. Nazarii, *in hujus nomen transierit, saltem post restaurationem, sed non potuisset adfuisse inventioni S. Nazarii, nedum Reliquias ejus Constantinopolim vexisse.*

quem prius constat obiisse quam S. Nazarius inveniretur,

§. V. *Simili licentia suppositæ testibus coævis SS. Nazarii Victoris Syri et Hermagoræ Legendæ, Ambrosioque perperam adscriptus sermo de S. Nazario. Cujus hic esse videatur.*

Tali legendæ nihil prodest libellus qui dicitur a teste oculato scriptus

Ista, *ad* XXVIII *Julii proprie spectantia, ipsisque Actis productis minutius tunc pertractanda, videri possent præpropere huc collata; nisi demonstrandum fuisset, ex talibus nihil certi haberi de* SS. Protasio et Gervasio. *Fuit igitur etiam operæ pretium animadvertere quam non movere quemquam debeant* Ambrosii et Philippi *prætensa nomina, testium aliàs pro suo cujusque tempore irrefragabilium; talis etiam esset, si vere allegatur,* Philosophus *iste, de quo in prænotata Legenda fertur, quod* S. Nazarium consequens ab initio, scripsit libellum certaminis ejus; et conservans apud se retinebat fideliter; exterritus autem in somno a Sanctis, dedit illum Ceracio, qui pretiosa corpora Sanctorum sepelivit: et dixerunt Ceracio Sancti, Absconde libellum certaminis nostri ad caput nostrum, usque in diem quo voluerit Deus demonstrare. Et accipiens libellum confestim conservavit eum ad caput Sanctorum Martyrum.

39 *Ista, inquam, omnia nihil prodesse possunt ad fidem aliquam talibus Actis dandam imo hanc ipsis prorsus derogare probat Paulinus in Vita S. Ambrosii his verbis:* Vidimus sanguinem recentem, in sepulcro Martyris, qui quando sit passus usque in hodiernum diem scire non possumus..... cognovimus tamen a custodibus loci ipsius, quod a parentibus illis traditum sit, non discedere de loco illo per omnem generationem et progeniem suorum, eo quod thesauri magni in eo loco positi fuissent. *Hæccine scripsisset Paulinus, si ad caput Martyris inventus fuisset libellus qui prætenditur? neque diem passionis neque tempus Neronis scivisset indicare?*

Factum id per ævi illius rudis cretam pietatem,

40 *Æque celebris, ac Sancti quatuor de quibus hactenus, Mediolanensisque Ecclesiæ Patronus,* S. Victor Maurus, *ex Maximiani Imperatoris militia, sub ipso ejusque Consiliario* Anolino *passus anno* CCCIII, *haud multo felicior in suis Actis fuit; eo quod, mendosa cum sint, sicut ostendimus* VIII *Maji, ipsa tamen scripsisse se fingat* Maximianus Maximiani Imperatoris Notarius, *prout præsens viderat. Interim inducit Martyrem prædicentem, quod ipso anno moriturus Imperator sit, qui tamen usque ad an.* CCCV *supervixit. Omitto alia olim notata: satis est ea hic obiter attigisse ut constet, fuisse medio ævo viros Mediolani indiscrete pios, qui publicæ devotioni recte consulere se putabant, eorum Sanctorum Acta, quorum nulla extabant, concinnando ex vulgi traditionibus male cohærentibus et ex suis propriis conjecturis. Id autem fecerunt sub nominibus antiquis, aptisque si vero essent, fidem certissimam facere; prout male factum sero nunc deprehendimus; ægre fidem inventuri ipsimet apud præoccupatos in favorem fabularum, longi temporis præscriptione fultarum; adeo diu insignes quoque scriptores et viros alias eruditos impostura latuit.*

imposturam arguentibus anachronismis

41 *Quod vero id contigerit Actis* SS. Nazarii et Celsi *facile deprehendes; si tecum ipse, seposito præjudicio, consideres, fierine potuerit, ut rebus gerendis* ab initio *præsens et comes peregrinationum* S. Nazarii, *scriberet, quod Sanctus ille natus ex matre Romana,* baptizata per manus Petri Apostoli, Simone jam devicto, *adeoque ultimo Petri anno Christi* LXV; *et ab ea ad eumdem baptismum capetendum impulsus,* cum esset annorum novem; *postea* accessit ad successorem B. Petri Apostoli nomine Linum, qui egit Episcopatum Romæ annis duodecim, et dixit ei, Da mihi in Domino signaculum, et sic proficiscar in nomine Domini de hac Urbe in Italiam provinciam. *Timentibus autem filio ea causa parentibus,* quia grandis malitia suscitata erat contra Nazarium, dixit parentibus suis, Date mihi hereditatis bonorum vestrorum partem aliquam, et egrediar de civitate hac, ne me interficiant, et vos conturbemini.... Et dederunt ei septem onerata animalia ex omnibus bonis suis. Et egressus gaudens de urbe Roma, longo tempore per singulas civitates prædicabat. *Non sunt hæc acta novennis vel undennis pueri, et tamen ultra annum* LXVII *non vixerunt aut* Linus *aut Nero; hujus ergo Christianos persequentis causa non potuit urbe excessisse* Nazarius, *jam justæ ætatis adolescens.*

circa Linum et Nazarium,

atque Neronem:

42 Post annos autem decem *sui ab Urbe egressus, dicitur ille venisse* Mediolanum; *indeque ejectus ab* Anolino, *venisse* in civitatem Galliarum quæ dicitur Cimellus, *Niceæ propinquam; ibique parvulum Celsum accepisse socium, cum quo ulterius profectum comprehenderit* Denobrius Galliæ Præses. *Ab hoc similiter ejectus,* venerit in civitatem quæ dicitur Treveris, et prædicaverit ibi Jesum Christum. Cornelius autem præerat civitatibus Galliarum, et hæc audiens scripsit Neroni Imperatori suo...... Nero autem misit Dentonem primum militem suum: *qui Nazarium Ebreduni inveniens, Romam adduxit.* Alia vero die venit Nero ad portum maris, *et dixit Nazario,* Exi hinc de civitatibus et de terra mea; *ac navi imposuit; nauclero clam mandans, ut* ligatis manibus ac pedibus *mitteret in mare demergendum. Quo facto, et navi periclitante propter immissam ideo tempestatem, Sanctos super mare gradientes ad se receperint nautæ, eo miraculo conversi,* et exposuerint in loco Agennensi. *Atque hic forte legendum* Albingaunensi *ad sinum Ligusticum: nam* Aginnum, *procul a mari, civitas Aquitaniæ mediterranea est.* Deinde ingressi civitatem Genuam, perrexerint Mediolanum; *et ab* Anolino *rursum comprehensi, annuntiatique Neroni, hujus jussi ab eo capite plexi fuerint.*

quasi hoc persequente Christianos,

ille, diu peregrinatur per Italiam et Galliam,

tandem accusus fuisset ab Anolino,

43 *Hæc summa dramatis, a baptismo matris anno* LXV *tinctæ, usque ad mortem filii, annos triginta vel quadraginta requirentis: in quo tamen præter* Neronem, *anno* LXVI *interfectum, nullus compareret Imperator; eique dicitur, Christo Sanctorum vindictam faciente,* pes dexter exsiccatus, et *sic* mortuus *ipse: quod a veritate historiæ longissime abest nec potest a tunc vivente scriptum esse. Exponenda tamen breviter omnia hic fuerunt, ad persuadendum quod Auctori placuerit pro persecutore innominato* Neronem *supponere eique jungere judicem* Anolinum, *Mediolani notum persecutorem Christianorum; si quid creditur Actis S. Victoris. In his enim Maximiani Imperatoris* Consiliarius *nominatur Anolinus, quem ipse illuc direxerat, et cujus nomen inducitur in plura Martyrum antiquorum Acta, simili fide fabricata. Idem* Anolinus, *putatur is esse a Baronio, qui Proconsulem Africæ agens, multos ibi Martyres fecit. Ut autem ad annum*

qui sec 4 vixit, ut sicut Nero,

videtur nominatus, qui notior Mediolani.

CCCXII

A cccxii notatur, idem Anolinus mandato Constantini, jussus est fovere ac protegere Christianos jam forte conversus : de quo tamen et Denobao, fictitio æque ut veremur, dicitur in Actis prænotatis, quod strangulati a diabolo mortui sunt. Idem igitur Anolino accidit Mediolani, quod in Hispania Daciano, in plures personas pluresque persecutiones distracto nomine.

Sic etiam in SS. Syri et Juventii Epp. Ticinensium Actis, ex Vita antiquiori,

44 Ex dictis consequitur, in utrisque, tam Philippo quam Philosopho Nazarii comiti imputatis Actis, nihil esse, unde rationabilem aliquam conjecturam formes verosimilis notitiæ, quæ præluceret scribentibus de tempore Martyrii SS. Gervasii et Protasii, præter Marcomannicos motus, sub Antonino et Vero cœptos. Ad hos etiam haud inverosimiliter eos reduxerit, melius ordinata primorum Ticinensium Episcoporum, SS. Syri, Pompeii et Juventii Chronologia ; quantum ea quidem ordinari potest ex eorum Legenda, sicut apud Mombritium, Lipomannum, ac Surium habetur, conscripta verosimiliter a Paulo Diacono Aquileiensi, circa initium seculi IX florente. Hæc enim Legenda antiquiorem se non esse indicat, cum de Ticinensium urbe dicit, quod proprio nomine Papia vocatur ; quod nomen ante Paulum Diaconum nemo invenitur scrip-B sisse. Hoc posito videmur Galesinio, alias ad conjecturas affirmate asserendas proclivi, posse credere, quod dictam Vitam SS. Syri et Juventii aut aliam unde ea sumpta sit, invenerit in aliquo MS. prætitulatam nomine Pauli Diaconi.

successori Pompeio tam vere tributa, quam S. Hermagoræ Vita ... coxtæ

45 Facilius certe hoc sic potuit reperisse quam quod S. Syri Vitam scripsit Pompeius ejus discipulus, a quo Paulus Diaconus sumpsit, ut habeo in Notis ad x Decembris. Sane ut de hoc saltem vehementer dubitem facit similis temeritas Galesinii ad xii Julii, ubi agens de S. Hermagora ipsius Syri magistro, de hujus apud Mombritium Legenda similiter asserit, quod illius martyrium litteris mandavit Gregorius, scribens ad Fortunatum qui Gregorius eorum corpora sepeliverit : hoc enim nihilo magis de eo legitur, quam de Pompeio. Si tamen utrumque sic reperit alicubi Galesinius, eo ipso nostrum probat judicium, de usitata mediii ævi licentia, imponendi vetusta nomina recentioribus scriptis commentisque. Scripserit ergo aliquis S. Syri Vitam sub Pompeii istius nomine quoad argumentum tredecim primorum Capitum : idemque simili licentia addiderit reliqua S. Juventii Acta, quæ deinde Paulus, vel alius quispiam, sicut habentur edita, stylo luculentiori exornavit, professus secuturum se ordinem, quem ex sermonis vitæ eorum narratione didicit.

dictus Hermagoræ, discipulus S. Syrus,

C 46 Præfatur is, quod a fonte luminis, inæstimabilis claritas procedens, Ticinensis populi animos circumfulsit ; quia a Christo in Petrum a Petro in Marcum, a Marco vero in Hermagoram, ab Hermagora in beatissimos viros Syrum atque Juventium transcurrit. Horum autem ultimum ait num. 18, triginta novem annis Episcopalis dignitatis cathedram possedisse ; Syrum vero num. 10 dixerat, expletis octo hebdomadarum curriculis sedem obtinuisse, id est per annos LVI et num. 13 migravisse ad Dominum expletis cunctæ vitæ suæ octo hebdomadibus bis geminatis, id est, annis CXII. Hos autem annos non prohibemur usque ad annum Christi CLXX et ultra extendere ; si vitam Magistri Hermagoræ (quem anno circiter LX Romæ ordinatum Episcopum Aquileiam misit S. Marcus, in Ægyptum transiturus) similiter permittamur protrahere ultra primum seculum usque ad persecutionem Trajani. Cur autem non permittamur ? cum nulli obstent successores quibus tempora intermedia cogamur cedere Cathedram illam usque ad annum CCLXXV, ut volunt, vacantem.

potuit missus esse circa an 107

47 Licet autem Vita quæ habetur, tunc scripta cum Aquileia civitas Austriæ provinciæ censebatur, id est, post seculum VIII vel IX (nec enim cuiquam prius nominata Austria fuit). Licet, inquam, Vita dicat, passum S. Hermagoram paulo post S. Petrum, imperante adhuc Nerone ; hoc tamen majorem non meretur fidem, quam quod additur, In urbe Roma Præfectum agente Agrippa filio fratris ipsius Neronis, cum tamen Neroni nullus fuerit frater. Sed et ipsa Vita argumentum suggerit, unde multo diutius Hermagoram superfuisse intelligatur : dicit enim quod a Clero sub mortem interrogatus, quemnam habituri post hac essent Pastorem ; jussit eis ordinari Fortunatum, Archidiaconem et discipulum suum, quem ipse ex infantia cum Dei enutrierat timore, doctrina et miraculis clarum et totius curæ Episcopalis socium ; virum utique annorum ut minimum triginta vel quadraginta. At qui moriente Nerone vix erant elapsi anni XV aut summum XX, quod, prædicante iis in partibus S. Marco, ipse et Hermagoras fidem susceperit ; multo igitur serius oportet obiisse, quando suum ab infantia in Dei timore alumnum, ac forte primo susceptum postquam erat Episcopus ordinatus, successorem optavit, habuit autem Martyrii socium. Sed ut dixi, eriqua vitæ illius, ut antiquitas ; sic auctoritas est, quam ipso statim principio elevat Athaulfus, filius Ulfi, vir illustris primique civitatis, magna lepra de-E tentus et ad S. Marci ingressum mundatus ; ista enim sunt Longobardica nomina, et Aquileiensi civi haud facile pro illa ætate aptanda.

D ... Hermagoras sub Nerone obiisse probatur

48 Posito autem quod ultra primum seculum vixerit Hermagoras, et circa annum CVII miserit Syrum in Insubriam ; debuit hic, usque ad annum CLXX vixisse : et qui Sanctorum sanguinem Syro attulit Juventius, si cum Syro est ab Hermagora missus, quantumvis puer quia Syrum Patrem ex baptismo nominabat, debet ultra centesimum decimum ætatis annum prorogasse vitam, in Episcopatu actam annis XXXIX. Oportet enim ejus post S. Syrum successioni interponere paucos illos et pacificos annos, quibus intermedius Pompeius Ticinensem Ecclesiam gubernavit. Si tamen huic aliquis Juventius immediate successit ; et Ticini fuit ejus nominis Episcopus ante eum, qui cum S. Ambrosio anno CCCLXXXI interfuit Synodo Aquileiensi, et Mediolanensi anno CCCXC ; qui etiam ab eodem S. Ambrosio potuit impetrasse aliquas SS. Protasii et Gervasii reliquias, atque Ticini ædificasse Basilicam, quæ Syri discipulo, absque ulla verisimilitudine tribuatur.

et ultra an 170 vixisse,

antea vero per S. Juventium I

49 Sane Ticinensium Episcoporum catalogus, apud scriptores Ticinenses, per meram conjecturam suppletus videtur, duplicatis triplicatisque nominibus iisdem ; sic ut ante S. Ennodium, anno DXII electum, dicantur præfuisse, præter alios duodecim semel tantum nominatos, Crispini tres, duo Juventii, Maximi, Epiphanii, totidemque Anastasii nullis diversi temporis productis monumentis, quibus constet revera ternos aut geminos omnes extitisse. Sic ex ædificatione Protasianæ Basilicæ, ætati S. Syri præter omnem verisimilitudinem attributa, certo sequitur, id non fuisse scriptum a Pompeio Syri successore ; atque adeo idem dici potest de tota Legenda vetustiori, quam sub ejus nomine Paulus Diaconus aut quivis alius dicitur reperisse ; censerique debebit, quod qui ipsam ex incertis traditionibus finxit, ex Legenda Nazariana simili credulitate acceperit, quod de Martyribus Mediolanensibus ibidem legitur, ut Neronis jussu et tempore interemptis, prout etiam de S. Hermagora dicitur, in simili ejus Legenda.

F si tamen sec 2 fuit aliquis,

... habent catalogi ... certi

50 Quæ ad hos Sanctos attinent, sic ibi narrantur. Eo vero tempore dum orta esset persecutio Christianis, a quodam paganissimo Comite Anolino nomine, et aliquanti ex Christianis pro amore Christi punirentur ; Beatos Protasium et Gervasium, gloriosos viros, pro confessione Christiana idem crudelissimus Præses carceralibus tenebris mancipavit, plurimis

Fesse solicitus de Martyrum Mediolanensium sepultura :

AUCTORE D. P.

A rimis Christi fidelibus latitantibus. Beatus vero Nazarius.... ad eamdem Mediolanensium urbem pervenit, in qua videlicet jussu Neronis ab eodem Comite mortis sententiam sustinuit..... cumque relatione multorum beatissimus Syrus hæc cognovisset, venerandum virum Juventium alloquitur : Summa, inquiens, diligentia Mediolanum transcurre *(distat autem solis* XX p. m.) ut corpuscula fratrum nostrorum, Nazarii et Celsi, dignæ sepulturæ cum maximo honore tradantur ; atque epitaphium certaminis eorum sacris apicibus conscribentes, simul recondite : Protasium autem et Gervasium, qui a pestifero Præside clausi carcere detinentur, cum pro Christi fide et ipsi fuerint martyrio coronati, debito honore et merito condentes, certaminis eorum libellum, pro futuris temporibus, ad laudem Domini nostri Jesu Christi et gloriam ipsorum, ad capita eorum reponite : quia prædestinatum est a Deo veris fidelibus, qui tempore opportuno crediturі sunt, obconfirmandas mentes eorum, Sanctorum corpora revelari, et honoribus atque virtutibus præfulgere, multorumque infirmantium valetudinibus restituere incolumi sanitatis.

51 *Celebrat S. Syrus, die quo mortuus dicitur* IX B Decembris ; et S. Juventius VIII *Januarii : quando Bollandus noster, in Commentario tam colligens quæ hunc spectabant, pro Paulo Diacono ut Actorum auctore, multum auctoritatis attulit ; de Pompeio autem, ut primo, Vitæ S. Syri scriptore, merito se dixit dubitare : delibavit tamen paucis ea quæ Juventium spectare videbantur, dimisso in aliud tempus Actorum ipsorum examine. Id nunc coactus adhibere ; censeo, ex eo quod utriusque sancti commune aliquod festum ab antiquo Ticini agitur* XII *Septembris (uti ex Usuardo constat) creditum esse quod etiam scribit Usuardus, simul utrumque fuisse a S. Hermagora missum. Ut ut est, potuit* S. Syrus *vel istum* S. Juventium, *si tunc erat, vel alterius nominis Clericum aliquem misisse Mediolanum, sed nullum Martem invenerum metuum ; qui sepultos reperiens* Nazarium ac Celsum, *pro magno habuerit reperisse linteum, eorum tinctum sanguine* ; post non multorum dehinc temporum curricula, cum Sanctorum Martyrum Protasii atque Gervasii apud Mediolanum finita essent certamina, et pretiosa corpora a Christianis sublata, ac sepulturæ tradita..... a sacratis eorum exuviis detractam particulam *accepe*rit, ac *S. Syro detulerit ; sed non potuit eamdem idem* Juventius *sepelivisse* in basilica Sanctorum Martyrum Protasii et Gervasii, quam ipse construxerat : C *quia ætate illa basilicas construere, easque Sanctorum nominibus intitulare, in usu non erat, nec esse propter persecutiones poterat, nedum tempore* Neronis, *ad quem hæc omnia refert Puricellus.*

52 *Quæ idem* Juventius *divino in mandatis habuisse dicitur cum pariter Epitaphio et Libello, Pseudo-Ambrosianæ Epistolæ figmentum sapiunt, satis jam explosum. Non displicet interim in iisdem Actis quod asserant eo tempore, quo Mediolani fervebat persecutio, et aliquamdiu ante ac post, Mediolanensis Ecclesiæ Curam ordinatam fuisse a* S. Syro, *unico tunc fortassis apud Insubres Episcopo. Neque enim ea Chronologia quæ inter quos* CLIII *annos partitur in tres dumtaxat Episcopos,* Castritianum, Calimerum et Monam, *sic placere potest, ut non semper verear ne id gratis sit factum, ad explendum hiatum semel iterumque vacantis diu Sedis. Certe in præfatis qualibuscumque Actis, cum de Sanctorum captivitate aut sepultura agitur, nulla fit mentio alicujus Episcopi, qui tempore Antonini ac Veri debuisset Calimerus fuisse ; adeoque inter hunc et S. Castritianum melius dicetur vacavisse ad plures annos Sedes.*

53 *Ceterum quæ diximus in favorem sententiæ, SS. Gervasium et Protasium ad Antonini et Veri tempora referentis, non aliter velim accipi, quam dicta per conjecturam : in illo figmento eatenus fundatam, quatenus etiam fabulis ordinarie subest aliquid veritatis. Interim* D *dubium manet, rebus sic stantibus, utrum* SS. Gervasius et Protasius *aliquid commune habuerint cum* SS. Nazario et Celso, *præter locum Martyrii apud Mediolanum, et cultum ibidem atque Constantinopoli, itemque in Martyrologiis, ubi pariter omnes quatuor hoc die nominantur. An autem et quomodo* SS. Vitalis et Valeria *eos contingant æque incertum manet. Nam de parentibus eorum nihil nos potuit docere Ambrosius, post diligentem (ut apparet) interrogationem Seniorum : Episcopalium vero Vitarum Auctor, ita aliunde potuit fuisse deceptus circa parentes, ut fuit deceptus circa tempora Neronis, ipsis male adscripta. Fuisse tamen germanos fratres ; et cum Valeria diceretur ante mortem gemellos enixa Mediolani, datam occasionem comminiscendi, quod istos uno ortu dederit ; verosimile mihi facit similitudo nominum, eo tempore non insolens germanis fratribus. Ita* SS. Cantium, Cantianum, et Cantianillam *dedimus* XXXI *Maji ;* SS. Pseusippum, Eleusippum, et Melasippum XVIII *Januarii* Menologiorum Meteodoram et Nymphodoram *datari* X *Septembris ; in Historia autem Cæsarea invenimus* Constantinum, Constantem, et Constantium *Magni Constantini filios ; atque* Valentinianum *et* Valentem *Imperatores, Apostatæ Juliano post Jovinianum suffectos omnes germanos fratres. Et nominis quidem ratio etymologica* Protasium *suaderet priorem nominare, ut passim faciunt Mediolanenses et Græci ; nisi Romana Ecclesia, quam ceteræ ipsaque Africana sequuntur, priori loco nominaret* Gervasium ; *atque verosimiliter prius quam Pseudo-Ambrosiana epistola fingeretur, in qua dicitur prior coronatus* Gervasius.

54 *Hic finis poterat esse criticandi, nisi etiam interest de infertiæ Actorum præfatorum compositione objici posse Sermonem, inter alios S. Ambrosii editum Romæ atque Parisiis, sicut eum antea Lipomanus et Surius suis Sanctorum Vitis inseruerant quasi ab illo dictum* in Natali SS. Nazarii et Celsi. *Puricellus pag.* 277, *post Baronium ac Bellarminum etiam Galesinii auctoritatem allegat, qui nihil dubitaverint quin vere S. Ambrosii esset, unicum autem invenit qui contradixerit, Carolum scilicet a Basilica Petri, dum in Catalogo Mediolanensi de sanctis istis agens, eum Sermonem adscribit S. Maximo Taurinensi Episcopo qui Concilio Romano sub Hilaro Papa interfuit, adhuc vivens et ad itinera valens, anno* CCCCLXV.

F

55 *Esset hæc ipsa valde magna auctoritas pro Nazariana Legenda, siquidem tota illius substantia huic sermoni eleganter inseritur, omissis dumtaxat personarum locorumque nominibus, ceterisque characteristicis temporum notis, et quibus male inter se connexis ejus reprobandæ necessitatem accepimus. Sane si Sanctorum alterutri adscribendus sermo ille esset Maximo justius adscriberetur tanto juniori ; utpote, in quo manifestissima apparent S. Augustini Ambrosio etiam junioris et maxime senioris verba, ex ejus sermone* 10 *de sanctis* : Ecce profanus hostis numquam beatis parvulis *(ille Beato Martyri ponit)* tantum prodesse potuisset *(ille prodesset)* obsequio, quantum profuit odio. *Quod autem hunc inde etiam phrasis et stylus Ambrosii elucet, aliud nihil probare potest, quam Auctorem, ut Augustino sic et Ambrosio usum esse.*

56 Legenti, *inquit Carolus*, facile se idonea argumenta ostendent, quæ Ambrosium negent Auctorem : atque ex eo sermone nonnulla sub Maximi nomine citat Rodulphus Tungrensis, in libro de Canonum observantia. *Argumenta facile vidisset Puricellus, nisi præjudicio occupatus fuisset. Quid enim clarius ? quam* Mediolanensem Ecclesiam, Martyribus sterilem, *ut fatetur Ambrosius num.* 6 *atque repertis* SS. Gervasio et Protasio *factum* matrem filiorum

et Ecclesiam Mediolani Episcopus ornatam dicitur [illegible]

Interim ut tempus martyrii dubium manet,

sic etiam utrum filii SS. Vitalis et Valeriæ

sint SS. Gervasius et Protasius quos tamen verosimile est fuisse fratres

E

Sermo aliquis de SS. Nazario et Celso, Ambrosio adscriptus

et productis continuus,

auctoris est S. Augustino junioris,

neque [illegible] Mediolanensis,

A liorum lætantem, *nequaquam designare voluisse qui dixit;* Exultant felices singularum urbium populi, si unius saltem Martyris Reliquiis muniuntur: ecce nos populos Martyrum possidemus. *Quid item clarius quam ipsius Mediolanensis ecclesiæ beneficio illuc allatas* S. Nazarii *Reliquias ubi habitus sermo est? Etenim num. 8 sic dicitur* Beatum itaque Nazarium, Martyrem Christi, sancta Mediolanensis Ecclesia, licet totum corpore secum retineat, et mundo tamen totum in benedictione transmisit. Hæc est enim Sanctorum Martyrum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo. *Si tam clare nunc probaretur, auctor Sermonis esse* S. Maximus Episcopus Taurinensis, *cogeremur fateri non solum breviorem* S. Nazarii *passionem, quam vetustiorem censuimus Pseudo-Ambrosiana epistola; sed etiam prolixiorem Mombritii compositam esse seculo saltem* V.

non etiam S. Maximi Taurinensis

57 *Non est quidem nobis hactenus notus ille Tungrensis Rodulfus, ut sciamus an ille revera auctorem appellet* S. Maximum Episcopum Taurinensem, *an simpliciter* Maximum Episcopum: *dico tamen quod potuit deceptus fuisse similitudine nominis æque ac Carolus qui Taurinensem etiam ipse credidit propter locorum temporisque viciniam; sed animadvertere debuerat, Taurinensi æque ac Mediolanensi Ecclesiæ non posse competere, ut glorietur se* Martyrum populos possidere. *Solas ego quatuor, præter Romam, civitates invenio, cui quis vellet ejusmodi laudem aptare,* Sedunum, Brixiam, Treverim *atque* Coloniam. *Trium harum Catalogi Episcopales sic constant, ut non solum nullus in iis* Maximus *nominetur, sed nec locus vacet, unde is potuerit, per negligentiam Episcopales series describentium, excidisse. Seduni inter S. Theodulum anno* DCCXXI *defunctum, et S. Garinum anno* [illegible] *sepultum porta Simmartiana [illegible] potuit anno quod intercurrit seculo* Maximus *aliquis Episcopus sedisse. Ipsum autem Sedunum sacram* Thebæorum Martyrum Legionem, *cum Duce suo Mauritio, transmisit ad cælos, ex proximo sibi Agaunensi campo; ubi S.* Sigismundus *Burgundionum Rex extruxit super eos celeberrimum Monasterium; ac deinde cum uxore ac liberis effectus Martyr eodem illatus fuit. Habemus hic ergo* populos Martyrum; *habemus civitatem aptam Nazarianæ Legendæ; habemus civitatem satis triginta leucis Mediolano remotam, quæ facile potuerit* benedictionem, *id est, particulam aliquam de corpore* S. Nazarii *obtinere. In hoc ergo acquiescere possumus donec aliunde certius innotescat Auctor.*

sed potius alicujus Episcopi Sedunensis sec. V

C

§. VI. *Reliquiæ et cultus mox ab inventione per S. Ambrosium communicatæ Italicis Ecclesiis.*

58 *Quia S. Augustinus, num. 8 citatus; gratanter commemorat, quomodo Deus* Antistiti suo Ambrosio *per* visum aperuit, quo loco laterent SS. Martyrum Protasii et Gervasii corpora, quæ per tot annos latuerant incorrupta; *Florus, in suis ad Bedam Additamentis, videri potest eodem respexisse, cum scripsit, quod ea* B. Ambrosius, Domino revelante, miro modo conservata, invenit. *Usuardus autem, Ado, Rabanus, atque Notkerus, quasi ex uno omnes fonte scripserint; reperta esse* ita incorrupta, acsi eodem die fuissent interempti *id enim indicabant verba Epistolæ pseudo-Ambrosianæ*, quasi ipsa hora posita. *Romanum hodiernum etiam addidit,* sanguine conspersa. *Quid autem in vera sua ad sororem Epistola ipse S. Ambrosius?* Invenimus ossa omnia integra, sanguinis plurimum, *quo area madebat, tamquam recenter fuso. Nec aliam incorruptionem potuit intellexisse Augustinus, quam quod reperta sint integra salvo naturali ossium ordine sceleta, sicut posita fuerant, catenus per immota*

sicuti etiam nunc multa quotidie inveniuntur in cœmeteriis Romanis, nuda scilicet carnibus ossa, sed ad suam primam posituram servantia, quia mota numquam. Et hanc solam esse incorruptionem, cujus meminit Augustinus, probat secuta mox Reliquiarum distributio, per varias Ecclesias, etiam longius positas, ut jam aggredior explicare.

D

59 *In medio autem ante omnia relinquo, an verum sit, quod Vitæ S. Syri scriptor sic recitat:* Tunc, *id est post cæsos sepultosque Sanctos,* quidam Christi fidelis nomine Liberius, cum reverentia et amore, a Sanctis eorum exuviis (*scilicet* de vestibus vel corporibus eorum) *fidissima temeritate, quamquam, quæ* fas fuerat, detrahens particulam; beatissimo Syro, Ticinensis urbis Patri et Doctori eximio, ut ab eo fuerat postulatum, amicabiliter detulit. Vir autem venerabilis, suscipiens pignora Beatorum Martyrum, multis in eis virtutibus usus est. Cumque signa sanitatum longe lateque splendescerent, cœpere languentium, etiam ex inopinatis partibus, ad eum turbæ concurrere, eumque immensa frequentia perurgere. *Ideo autem hæc cunctor recipere, quia manifeste falsa sunt, aut seculo* IV *adscribenda sequentia:* Inter hæc Sacerdos Dei eximius, exultans de mirabilibus, quæ per merita sanctorum Martyrum Christus Dominus sedulo faciebat; concepit templum, non procul ab hujus urbis mœnibus, extra civitatem in memoriam nominum eorum erigere; idque in modum Crucis, ut aggressus est, consummavit. *Fecisse hoc S. Juventius II Ambrosii coætaneus potest; non potuit Syrus qui saltem seculo* II *vixit. Proinde, non huic, sed illi adscribatur, quod* perfectis templi sive altaris dedicationibus insignibus, quotidianas Deo in eo laudes et hostias offerebat. *Similiter etiam in confinio seculi quarti quintique sit factum miraculum de Judæo, in igne corpus Christi sumente: quod seculo* II *accidisse tanto minus credibile est, quanto majori cum cautela inter persecutiones tunc debatur ad sacra [illegible] mysteria, exclusis etiam solicite Catechumenis, [illegible] [illegible] potuisset inobservatus Judæus.*

ex quibus aliquid Ticinum detulit

non est S. Syrus, sed Fulgentius Ambrosio coævus.

E

60 *In hanc ergo ædificatam seculo* IV, *non* II, *[illegible] seculo exeunte præstantius Ticino* Juventius, S. Syri *corpus de prima sepultura transtulerit, cum illa paucis ante fuisset in* SS. Protasii et Gervasii *honorem dedicata; ipso verosimiliter loco, ubi S. Syrus ejusque successores consueverant sacros conventus agere, defunctosque fideles clam sepelire, et qualiter ac quanto licuit oratorium habere, brevi opere structum, non tamen sub nomine alicujus Sancti: atque hinc factum sit, ut olim censeretur prima urbis Ticinensis ecclesia fuisse. Confirmantur ista ex ipsa Sanctorum, cum reperiuntur corpora, apud Mediolanenses ignoratione: quomodo enim ignoti illis esse potuissent, qui in tam vicina urbe, jam inde a tempore martyrii eorum, tot clarerent miraculis, ut insignem etiam illi haberent sacram minus Basilicam, ad quam ex inopinatis quoque partibus accurrebatur? Sed ad ea ut nihilo fortassis certiora transeamus, a S. Gregorio Turonensi, duentis post tempus annis defuncto, sic recitata in libro de Gloria Martyrum. cap. 47.*

extructa Mediolani basilica et illuc illato corpore S. Syri

F

61 In urbe *Mediolanensi* beatorum Martyrum Gervasii Protasiique victricia corpora retinentur, quæ diu (sicut Passionis narrat historia, *quæ nunc licet tunc composita circumferebatur*) suffossa latuerunt: quæ B. Ambrosio revelata, utque ab eodem reperta, in basilicam, quam ipse proprio ædificavit studio, ostensis miraculis sunt sepulta. De quorum Reliquiis quia maxime Turonica urbs seniores ecclesias continet illustratas, sermo quadam vice de his a quibusdam religiosis est habitus, qua de causa ante lictæ Reliquiæ tam condense fuerint per loca singula distributæ, et quæ super his quodam referente audivi, absurdum non putavi inserere lectioni,

S. Gregorio Turonensi [illegible]

qua

Auctore D. P. videtur is in sepulcro repertus potius quam recens elicitus,

quia non continentur in historia Passionis. Aiebat enim, quando hæc gloriosa corpora translata in ecclesiam illam fuerunt, dum in honorem ipsorum Martyrum solennia celebrarentur, cecidisse e camera tabulam unam, quæ illisa capitibus Martyrum rivum sanguinis elicuerit : de quo infecta linteamina vel pallulæ, sive vela ecclesiastica, [et] beatus cruor collectus est : qui usqueadeo confluxisse fertur, quoadusque linteamina quæ susciperent, sunt reperta. Ex hoc enim eorum Reliquiæ affatim collectæ, per universam Italiam vel Gallias sunt delatæ; ex quibus S. Martinus multa suscepit, sicut Paulini beatissimi narrat epistola. *Hæc utinam nunc cataret; interim de perlato ad S. Martinum ejusmodi cruore nihil ambigo : de modo et occasione ejusdem collecti tanto magis, quanto incertior fuit auctor qui hæc S. Gregorio retulit, manifesto falsus circa* sepulcra SS. Nazarii et Celsi, apud Ebredunensem Galliæ urbem, *supra quæ pirus creverit, poma proferens salutifera et pauperi istius agelli possessori perquam proficua; cum illos constet Mediolani passos extremum supplicium sepultosque, ubi etiam a S. Ambrosio sunt reperti.*

unde S. Martinus pluseulum accepit.

Anno 390 habita Synodus

62 *Verum ut istæc vacillet narratio, non deest occasio verosimilior, per quam credi possit ad plures ecclesias delatus sanguis, non in translatione elicitus sed in ipsa inventione repertus adhuc fluidus, cujus sic reperti ipsemet Ambrosius, in Epistola ad Sororem, testis indubitabilis est. Anno siquidem* CCCXC *post Justinæ Imperatricis mortem secundo, Arianorum, tanta patrona destitutorum, repressa insolentia; cum jam Catholicis eorumque Antistiti Ambrosio pacata Mediolani essent omnia, ipseque Theodosius Imperator præsens; vere licuit, quod tempore inventionis licuisse non credimus, Synodum cogere provincialem, ad res Ecclesiæ, turbis præteritis valde concussas, in statum debitum reducendas. Tunc crediderim congregatis Episcopis, quos inter et Juventius Ticinensis fuit, Ambrosium id honoris detulisse, ut eis exhiberet Sanctorum corpora, ante quadriennium reperta : iisdemque solicite postulantibus, liberaliter communicatum de sanguine, de cineribus, de minutioribus ossiculis, de vestimentis seu linteis in quibus primum fuerunt inventa, aut recentius obvoluta; Sancto quoque Augustino in Africam missum quidpiam, quod ædificandæ juxta Hipponem memoriæ occasionem dederit. Idem de Reliquiis per S. Gaudentium Brixiam deportatis dici potest. Verba ejus in Tractatu de Dedicatione sanctorum Quadraginta Martyrum hæc sunt :* Post istos habemus Gervasium, Protasium, atque Nazarium, beatissimos Martyres, qui se ante paucos annos *(ut hæc possit dixisse videri circa annum* CCCC*)* apud urbem Mediolanensem sancto Sacerdoti Ambrosio revelare dignati sunt : quorum sanguinem tenemus, gypso collectum, nihil amplius requirentes. *Similiter præsumi potest S. Syrinus Episcopus, Cremonam attulisse id, quod ibi in ecclesia S. Bassiani haberi scribit Merula, in ejus urbis Sanctuario. Et quia S. Felix Comensis Episcopus creditur ædificandam curasse eorumdem Martyrum Ecclesiam in sua civitate; id eo Annalium Comensium auctor Aloysius de Tattis præsumit non sine fundamento, ipsum quoque, ut erat S. Ambrosio familiaris, aliquid Reliquiarum participasse*

in qua credibile est exhibita sacra ossa.

unde aliquid delatum Brixiam et Cremonam,

item in Africam ad villam Victorianam

63 *Quamquam autem dubitabile non sit, quin Brixiæ æque ac Ticini, multis miraculis claruerint sacra ejusmodi pignora; dum tamen nihil de iis nisi in genere scriptum invenimus, idque solum in S. Syri Vita, valde parum certa; certiorem eorumdem confirmationem placet sumere ex Augustini lib. 22 de civitate cap. 8 : nec enim existimandum, Sanctos Martyres fuisse suis cultoribus minus beneficos in Europa, quam in Africa.* Victoriana, *inquit Augustinus,* villa dicitur, quæ ab Hippone regio minus triginta millibus abest. Memoria Martyrum ibi est Mediolanensium, Gervasii et Protasii. Portatus est eo quidam adolescens; qui cum die medio, tempore æstatis, equum ablueret in fluminis gurgite, dæmonem incurrit. Ibi cum jaceret, vel morti proximus, vel simillimus mortuo; ad vespertinos illuc Hymnos et orationes, cum ancillis suis et quibusdam Sanctimonialibus ex more Domina possessionis intravit, atque Hymnos cantare cœperunt. Qua voce ille quasi percussus et excussus est, et cum horribili fremitu, altare apprehensum commovere non audens, sive non valens, tamquam eo fuerit alligatus aut affixus, tenebat : et cum grandi ejulatu parci sibi rogans, confitebatur, ubi adolescentem, et quando, et quomodo invaserit; postremo se exiturum esse denuntians, membra ejus singula nominabat, quæ se amputaturum exiens minabatur : atque inter hæc verba discessit ab homine. Sed oculus ejus, in maxillam fusus, tenui venula ab interiori quasi radice pendebat; totumque ejus medium, quod nigellum fuerat, albicaverat. Quo viso qui aderant (concurrerant autem etiam alii, vocibus ejus exciti, et se omnes in orationem pro illo straverant) quamvis eum sana mente stare gauderent, rursus tamen propter oculum ejus contristati, medicum quærendum esse dicebant. Ibi maritus sororis ejus, qui eum illuc detulerat; Potens est, inquit, Deus Sanctorum orationibus, qui fugavit dæmonem, lumen ei reddere. Tunc, sicut potuit, oculum, lapsum atque pendentem, loco suo revocatum, ligavit orario, nec nisi post septem dies putavit esse solvendum. Quod cum fecisset, sanissimum invenit.

ubi liberatus energumenus;

64 *Desierat a duodennio vel amplius in vivis esse S. Ambrosius, cum hæc scribebat Augustinus : morienti autem successerat* S. Felix, *idem qui Concilio Mediolanensi adfuerat, usque ad annum* CCCCXXVI *Bononiensis Episcopus :* quem constans traditio *est, inquit Ughellus,* ædificasse Monasteria Sanctorum Naboris et Felicis, Sanctorumque Gervasii et Protasii. *Masinus, in Bononia perlustrata, ædificationem posterioris monasterii quod nunc a Sanctimonialibus Benedictinis tenetur, ecclesia autem ejus parochialis etiam est, adscribit anno* CCCCI; *additque, non tantum ibi dictorum Sanctorum haberi Reliquias, sed etiam in ecclesiis S. Petri, S. Francisci, S. Crucis, et S. Pauli Barnabitarum; omnes ut præsumere possumus desumptas ex iis, quas prædicta occasione* S. Felix *Bononiam attulit, estque ea præsumptio, licet nullo positivo argumento firmata, rationabilior multo; quam verisimile sit, quod apud Silvanum Razzium legitur, in Vita S. Zenobii Florentini Episcopi, Italice reddita ex originali Latino, de horum Sanctorum Reliquiis, ipsi a S. Ambrosio missis. Cum enim Vita ista sic finiatur,* Ego Simplicianus senex, vocatus Episcopus, quod oculis vidi et auribus audivi a Domino Ambrosio, Episcopo Mediolanensi, Antecessore meo, curavi scribere fideliter; *manifesti mendacii reum se facit supposititius Auctor, apud eos qui sciunt,* S. Zenobium *Ambrosio quidem carum fuisse, adeoque dignum cui is partem aliquam sacrorum pignorum mitteret, sed ipsimet* S. Simpliciano, *qui Vitam scripsisse fingitur, multis annis supervixisse.*

Bononiam quoque ad S. Felicem

et Florentiam ad S. Zenobium a S. Simpliciano;

65 *Accedit quod Blasius Monachus, seculo* XIII *exornans Vitam S. Zenobii, (eamdem verosimiliter quæ S. Simpliciano tunc imputabatur, sicut ipsam secundo loco dedimus* XXV *Maji) prænotatum casum sic Latine referat num. 12 ut alios quam Razzius Sanctos nominans, dubium nobis relinquat, utros pseudo-Simplicianus indicarit : Eccum ejus verba* Cum Præsul sanctus ultra Alpes quamdam visitatum ecclesiam accederet, quosdam dire flentes quemdam suum consocium reperit : quomodo, et ad quid venirent, petiit. Incaute major inter eos respondit, pergens de rupe cum equo prorupit : [direxit autem eum] ad vos Pater Præsul

sicut hunc antea S. Ambrosius de SS. Vitali et Agricola miserat;

sul Ambrosius, cum corporibus SS. Vitalis et Agricolæ mittens : et ut ei misereatur, qui aliis fecit gratiam, multis eum perfusus lacrymis exoravit. Ubi sit, quærit : illuc accessit : totum conquassatum, cum equo mortuum reperit : orationi se juxta exanimem dedit : a qua surgens, qui fuerat mortuus, sanissimus surgit : donum, quod sanctus Antistes miserat, avide suis manibus sumit : pluribus diebus secum fuit, et quando placuit ad dirigentem summo cum gaudio remeavit. *Vide quæ ad eum locum notavimus; simulque novum habe exemplum licentiæ prænotatæ, et historiam scribentibus perquam incommodæ. Certe prædictorum Sanctorum elevationi interfuit S. Ambrosius, et ex eorum Reliquiis potuit participasse aliquid, unde etiam Florentinis donaret quidpiam.*

item ad Felicem Episc. Comensem,

66 *Quidni tamen etiam postea miserit aliquid de Reliquiis* SS. Gervasii et Protasii? *Ita de iis quæ Comi sunt in ecclesia S. Jacobi, censet prælaudatus scriptor Annalium Comensium part.* 1 *pag.* 292, *propter familiaritatem magnam inter* SS. Ambrosium *Mediolanensem et* Felicem *Comensem : cui etiam putat adscribendam fabricam ecclesiæ suburbanæ* SS. Gervasii et Protasii, *potius quam illius successori S. Provino : additque similis tituli ac patrocinii ecclesias insignes haberi in eadem Comensi diœcesi, Bormii, quæ Collegiata est; Sondrii, in valle Tellina; et Saltrii parochiali, in Ducatu Mediolanensi. Cum autem ea ætate moris non fuerit Martyribus dicari templa, nisi ubi eorum erant reliquiæ, et Ambrosio maxima fuerit cum* S. Vigilio *Tridentino Episcopo communicatio, quemadmodum suadetur ex Actis Sanctorum Sisinnii, Martyrii, et Alexandri, quorum Reliquias idem S. Vigilius Mediolanum misit, ut dictum* XXIX *Maji, ad successorem Ambrosii Simplicianum anno* CCCXCVII; *consequens videtur, ut ipse quoque habuerit aliquas* SS. Gervasii et Protasii, *quando iis* templum in urbe apud Forum erexit, *ut scribit Janus Pyrrus Pincius, in Vitis Pontificum Tridentinorum pag.* 2, in quo cæcos, surdos, mutos et omnium generum ægros manu imposita et signo Crucis impresso liberavit *(utique sub eorumdem Sanctorum invocatione) et ipse denique Martyr factus ac sepultus, occasionem dedit mutandi nominis, ut ipsum nunc S. Vigilii dicatur.*

atque Tridentum ad S. Vigilium;

67 *Quod de Tridentina aliisque Italiæ civitatibus, quasdam prædictorum Sanctorum Reliquias habentibus, cum fundamento præsumimus; eas scilicet esse S. Ambrosii donum; multo magis præsumere possumus de urbe Roma. Siquidem de* S. Innocentio Papa, *qui sedit ab anno* CCCCII *ad* XVI, *scribit Anastasius, quod* dedicavit basilicam SS. Gervasii et Protasii *(non utique sine Reliquiis eorum)* ex devotione testamenti cujusdam illustris feminæ Vestinæ, laborantibus Presbyteris Ursicino et Leopardo, et Diacono Lybiano. Quæ femina suprascripti testamenti paginam sic ordinavit, ut basilicam Sanctorum Martyrum ex ornamentis et margaritis, venditis justis æstimatoribus, construeretur, et constructa est usque ad perfectum. In quo loco beatissimus Innocentius, ex delegatione Illustris feminæ Vestinæ, Titulum Romanum constituit; *et munera ac fundos obtulit, quos in ejus Vita fuse enumerat Anastasius.* Vestinæ Titulum *appellat in Indice ad Ciacconium Oldoinus.*

denique Romam ubi basilicam ejus condendam legavit Vestina,

68 *Sub initio, quod hactenus quidem compererim; nomine meminit amplius istius Basilicæ Anastasius; sed in vita S. Leonis IV, nominat aliam in Latio sitam* Beati Christi Martyris Gervasii et Protasii, quæ ponitur infra civitatem, quæ vocatur Fundana, *ubi dictus Pontifex, ab anno* DCCCXLVII *ad* LV *Ecclesiam regens, dona quædam obtulerit. Onuphrius Panvinius, in libello de* VII *Ecclesiis pag.* 18, Titulum Vestinæ, alias SS. Gervasii et Protasii, alias S. Vitalis *dictum censet : quo postremo nomine dictam oportuit ante tempora S. Gregorii, cujus Synodo, lib.* 4. *Epistolæ* 44, *subscribunt* ecclesiæ S. Vitalis Presbyteri Joannes et Spectatus; *libro autem* II *Ep.* 2, *jubet ipse, ut inde procedat Letania Viduarum. Eam Sixtus IV anno* MCCCCLXXV *restaurasse, sub eodem S. Vitalis nomine, invenitur; et Clementis VIII dispositione unitam Ecclesiæ S. Andreæ nunc possidet nostra Jesu Societas. Piazza in Sanctuario Romano addit non solum ibi aliquas eorum Reliquias haberi, sed etiam apud ecclesiam* S. Joannis in Fonte.

deinde dictam titulo Vestinæ, et S. Vitalis,

69 *Eodem quinto seculo ultra medietatem provecto, cujus initio Vestina moriens Romæ fabricandam ecclesiam constituerat, in* Noricum *id est in Austriam usque propagatus est Sanctorum Martyrum cultus per* S. Severinum, *gentium earum Apostolum, uti in ejus Vita ad* VIII *Januarii refert Eugippius, coævus Presbyter, num.* 16, *hic dignus transcribi. Cum Dei famulus prophetiæ polleret gratia, et redimendorum captivorum singulari studio teneretur,* cuidam, cum conjuge liberisque redempto, præcepit transvadare Danubium, ut hominem ignotum in nundinis quæreret barbarorum quem in tantum divina revelatione dedicerat, ut etiam signa staturæ capillorumque colorem, vultusque ejus ac vestis habitus indicaret, et in qua parte nundinarum reperturus eum esset, ostenderet; addens, ut quidquid reperta ei diceret persona, reversus sibi maturius intimaret. Profectus itaque, cuncta, sicut vir Dei prædixerat, invenit. Is ergo ab eodem homine, quem reperisse se mirabatur, interrogatus, audivit dicentem; Putasne possum invenire hominem, qui me ad virum Dei, cujus fama ubique diffunditur, qua voluerit mercede perducat? Diu est enim quod ipsos Sanctos Martyres, quorum Reliquias fero, suppliciter interpello, ut tali ministerio tandem aliquando solvar indignus, quod huc usque, non temeraria præsumptione, sed religiosa necessitate sustinui. Tunc nuntius hominis Dei ejus illum aspectibus præsentavit : qui debito sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii Reliquias honore suscipiens, in basilica, quam in monasterio construxerat, collocavit officio Sacerdotum.

et in Noricum ad S. Severinum,

70 *Istud S. Severini monasterium fuit juxta* Fabianam, *vulgo dictam* Viennam Austriæ; *unde illius corpus post sex annos a morte, anno* CCCCLXXII, *obitu, delatum in Italiam est; ubi in Lucullano conditum ejus monasterium, cujus meminit S. Gregorius. Hinc vero idem S. Severini corpus devectum est Neapolim anno* DCCCCX; *cujus Translationis scriptor Joannes Diaconus, num.* 13 *ait, quod in Neapolitanum ejusdem nominis monasterium deductos* Sanctos cineres, Præsul Stephanus cum Domini Præcursoris et SS. Gervasii et Protasii Reliquiis, quas cum eis collocatas repererat, officiosissime condidit in altari. *Hinc ut Casinum translatum sit aliquid fieri potest : nec enim de nihilo esse videtur, quod Consuetudines Casinenses apud Martinum de ritibus Monach. lib.* 4 *cap.* 6 *faciunt de illis Sanctis cum* XII lectionibus octo de Passionibus eorum et quatuor ex S. Ambrosio.

unde cum hujus corpore Neapolim delatæ Reliquiæ

§ VII. *Reliquiæ et cultus Sanctorum in Hispania, Gallia, Germania.*

Nor. 18

Ex *Italia transitum in Gallias, atque illuc sacras* Sanctorum Gervasii et Protasii *Reliquias prosecuturum, Hispaniarum faciam meminisse Parvellus, scribens cap.* 66, *Childebertum Regem Francorum illas inde attulisse Parisios eoque allegat, et Aimoino lib.* 2 *cap.* 20 *diploma ipsius datum anno Regni* XLVIII. *Abest illud diploma ab antiquioribus Aimoini exemplaribus, ac primum ei permixtum fuit anno circiter* MCLXV, *ipsum vero vel suppostitium esse, vel interpolatum, docet Carolus le Cointe, ad annum quo exeunte datum esset,*

Reliquiæ non videntur Hispania allata Parisios,

AUCTORE D. P.

DLVIII, *tum aliunde, tum quia in eo Rex se dicit agere* cum consensu et voluntate Francorum et Neustrasiorum : *quod ultimum nomen pro ea ætate nusquam reperitur ; ideoque Joannes Mabillo cavit, in suo de re diplomatica opere, ne istud Childeberti diploma, cujus tamen originaria membrana ostentatur, primas alioqui meriturum, in exemplar adduceret.*

72 *Demus tamen sincerum esse instrumentum : an recte illud sit legit Puricellus, ut cum Reliquiis S. Vincentii etiam Reliquias* SS. Gervasii et Protasii *ex Hispania asportavisse se Rex dicat? Integra accipe Regi imputata verba :* Cœpi construere templum in urbe Parisiaca.... in honorem S. Vincentii Martyris cujus Reliquias ex Hispania asportavimus ; seu et Sanctæ Crucis et S. Stephani, et S. Ferreoli, et S. Juliani (*quorum duorum corpora cum sint fuerintque semper in Gallia, nemo sanus dixerit quærendas in Hispania fuisse Reliquias*) et beatissimi S. Georgii, et SS. Gervasii, Protasii, Nazarii et Celsi pueri, quorum reliquiæ ibi (*utique non in Hispania, sed in templo præfato*) sunt consecratæ : *ideoque dixit diploma ipsum templum præfatum cœptum a Rege construi,* in honorem, *non solum* S. Vincentii ex Hispania, *sed aliorum plurium ibi nominatorum, ob eorumdem Reliquias, aliunde conquisitas, et illuc similiter inferendas.*

neque hoc dicit pragmatica Childeberti R.

73 *Non equidem negaverim, fieri posse, ut* SS. Gervasii et Protasii *Reliquiæ, non solum fuerint, sed etiam nunc sint, tum alibi per Hispaniam, tum etiam Cæsaraugustæ, unde prædictus Rex attulit Stolam S. Vincentii : sed hactenus neminem reperi, qui illas mihi assignaret. Tamayus de Salazar, in suo Martyrologio Hispanico, ubi talia quandoque haud negligenter colligit, alio rapitur ; et de mortuorum exuviis nihil sollicitus, totus est in unius eorum viventis præsentia suæ Hispaniæ asserenda, nixus suppositilius scriptis Braulionis, in Supplemento æque supposititii Maximi, et Auli Hali, novissimæ fictionis Poetæ,* S. Philippo Philotheo *concinnantis Epitaphium, velut apud Hispanos sepulto, dignum suo auctore. Utriusque verba apud Tamayum lege, hominisque ingenium disce ex Actis,* Philippo *adscriptis fumatisque in pseudo-Ambrosiana Epistola, quam ipse sic interpolando orditur.*

Gervasii autem ad Hispanos profectio cum Philippo,

74 Ego servus Christi Philippus, hæc Sanctorum corpora cum filio meo rapui et sepelivi : quorum mater Valeria, pater Vitalis dicti sunt : quos uno partu geminos genuerunt, et unum Protasium alterum Gervasium vocaverunt. Et posteaquam pater eorum B. Vitalis martyrio est coronatus, atque beatissima mater Valeria migravit ad Christum, Gervasius mihi adhærens Gallias Hispaniasque invisit, ubi prædicationis cum B. Leone Rotomagensi munere obito, Mediolanum reversus ipse et frater, domum propriam in qua nati fuerant, et res parentum, et casellulas venumdantes, dederunt pauperibus etc. *ut num.* 21. *His consona habet idem Tamayus* XXII *Octobris, in prætensis ipsius* Philippi *Actis ; quem credi vult, sepultis Mediolani sanctis, revertisse in Hispaniam, a S. Clemente ordinatum Episcopum, et Apostolicæ Sedis Legatum : in hoc etiam quam prioribus tolerandus minus, quod de veteri illius apud Hispanos cultu extet vestigium nullum ;* Sanctorum *autem* Gervasii et Protasii Officium in omnibus fere Hispaniæ Ecclesiis reperitur, ut ex earum pervetustis apparet Breviariis, nullo prorsus deficiente a Muzarabico ad ultimum.

tota figmentis innititur,

et antiquo Sanctorum apud illos cultui,

75 *Idem de Gallicanis Ecclesiis puto dicturum fuisse Saussayum, si Martyrologio suo addidisset, quas promiserat Notas. Pro ipso testari ego possum, ex plusquam triginta diversarum ecclesiarum Gallicanarum Breviariis, antiquis ac novis, in quibus* Duplum *aut* Solenne *notant Kalendaria præfixa Breviariis, Æduensi, Altissiodorensi, Avenionensi S. Andreæ, Lingonensi, Mauriannensi, Noviomensi, Rhemensi ac Sagiensi, cetera* IX *Lectionum officium aut Semiduplum notant, pauca simplum. Et illa quidem omnia, cum Romanis ceterisque Italicis, atque ipsis etiam Mediolanensibus Breviariis, Lectionum ad secundum Nocturnum recitandarum materiam sumpserunt ex pseudo-Philippi libello : sed Parisiensis Breviarii anno* MDCLXXX *editi curatores, uti cetera falsa vel dubia resciderunt alibi, sic etiam sublestam veterum Lectionum fidem sagaci judicio aversati, ex genuino S. Ambrosii Sermone et S. Augustini libro de Civitate Dei, substituerunt alias, ingratiis tantorum Patrum verbis, quibus ut summa gravitas et auctoritas inest, sic nulla subesse potest suspicio falsi. Additur autem hæc ex veteri Breviario Collecta :* Martyrum tuorum Gervasii et Protasii palmas annua celebratione venerantes, supplices te rogamus, ut quos cœlesti gloria sublimasti, nobis perpeti suffragio concedas subvenire.

ubi et apud Gallos,

in Breviariis utrorumque

76 *Prædictus Saussayus cum ad* XIX *Junii scripsisset, quod eorum coronis tres Cathedrales Ecclesiæ* Suessionensis, Lectorensis, ac Sagiensis consecratæ sunt ; *addit in Supplemento :* Nivernis ad Ligeris ripam, et Vindicorum Cenomanorum ad Sartam, veneratio Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii, dudum Episcopalium harum ecclesiarum Patronorum. *Neque dubitamus, quin multas minoris notæ alias, eodem gaudentes patrocinio, per totam Galliam nominare potuerit. Bernardus Guidonis, in opusculo de Sanctis qui ornant Lemovicensem diœcesim, num.* 56, *asserit quod* SS. Gervasii et Protasii Martyrum sacrati vertices, apud alterum Loberetacum prope Glandesium, in ecclesia S. Stephani venerantur. *Sane Vita S. Clari Abbatis, ad* I *Januarii a Bollando producta ex MSS. inter* præcipua monasteria, tam virorum quam sanctimonialium sub sancta districtione, tam intra quam extra muros civitatis Viennensis, *recenset* Sanctorum Gervasii et Protasii venerabilem memoriam, quinquaginta Monachos *continentem. Ex Vita etiam S. Germani Parisiensis Episcopi,* XXVIII *Maji illustrata, num.* 38 *discimus, Parisiis Basilicam eorumdem fuisse, ad quam clausam cum oraturo non daretur ingressus ; pessulum ipse, facto Crucis signo, reseravit. Denique ex Vita S. Angilberti Abbatis Centulensis,* XVIII *Februarii proposita habetur, ipsum sub altari S. Jacobi Fratris-Domini circa annum* DCCC *aliquid earumdem Reliquiarum deposuisse.*

et Cathedralibus ecclesiis quinque

item Viennæ Francicæ in S. Clari monasterio,

78 *Hæc porro ut clara et extra controversiam sunt, sic nequit intelligi, nisi de Reliquiis quales supra memoravimus, quod ad* XXVII *Martii apud Saussayum jam sæpe dictum notatur,* Suessione celebritas inventionis Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii, matricis ecclesiæ Patronorum. *Agit de ea ecclesia Claudius Dormayus, in sua Suessionensi historia lib.* 2 *cap.* 11 ; *et varias profert conjecturas, quibus credibile reddi possit, quod quæ ibi olim stetit vetus ecclesia, et cujus vestigia omnia reperta sunt novam molientibus, fuerit illis Sanctis dicatam ; ideoque curatum esse, ut in hac sacellum illis proprium conderetur sub organis ; ad quod bis terve per annum ascendit Capitulum, Missas aliasve preces facturum. Sed tandem fatetur idem Dormayus, ex conjecturis solidum nihil statui posse ; et ex Obituario Cathedralis suæ docet, Cardinalem Ambianensem (potius* Sabinensem *dicendum) donasse ecclesiæ istas quas possidet* Reliquias, *verosimiliter ex Italia allatas. Cardinalis iste fuit Joannes de Villa-Abbatis, ex Ambianensi Decano Bisuntinus Archiepiscopus factus an.* MCCXXV, *et biennio post per Gregorium IX Cardinalis atque Episcopus Sabinus creatus, vixitque ad annum* MCCXXXVII.

Parisiis in eorum Basilica,

et Suessione in Oratorio,

79 *Belfortii, viri apud Gallos ad indagandas Sanctorum Vitas perquam diligentis, collectanea Bollando communicata, ex MS. Branensi suggerunt sermonem de*

ubi cæcus Argentinensis,

A *de sanctitate et miraculis beatorum Martyrum ; in quo, post breve encomium relatumque ex Gregorio Turonensi de sanguine ex capitibus fluente miraculum ; aliud Suessionibus peractum sic describitur* : Nunc vero notandum illud etiam a nobis, et veraci stylo commendandum, qualiter, post particulas Reliquiarum eorum in Gallias directas, tempore longo post evoluto, Dominus Jesus Christus milites suos ac testes glorificare disposuit. Fuit enim Argentina in urbe quidam civis, genere ignotus, gemina cæcitate detentus : qui Latinæ quidem locutionis ignarus, sed pro nosse ac posse coram Deo in omnibus fidelis extitit. Hic lucem a Domino postulans, quotidie lignivagus, manipula regente, Sanctorum loca, quæ adire poterat, devotus peragrabat. Suæ tamen petitionis compos statim non fuit : ut divina videlicet munera amplius quæreret, et cum venissent, gratiora essent, strictiusque tenerentur.

80 Itaque consilio inito, Romam adiit : ubi cum multo tempore esset commoratus, et Sanctorum sepulcra frequentasset ; pro mutati aeris tractu, subito validæ febris æstum incurrit : ut impleretur in eo, quod Laodicensi Ecclesiæ spiritus per Joannem scribens ait : Ego quos amo, et castigo. Divinæ B tamen pietatis instinctu (quæ omnium curatrix est) dum assidua infirmitate premeretur, et alimentorum penuria fluctuaret ; ei per triennium Apostoli munificentia succurrit, et ipsum sufficienti alimonia sustentavit. Quadam vero nocte intempesta, eidem, lassa sopori membra tradenti, adest in visu Pastor Ecclesiæ, qui et Princeps Apostolorum ; illum trifariam admonens, ut Suessionem civitatem Galliarum adiret et ad Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii solemnia occurreret ; ubi eorumdem suffragantibus meritis oculorum sanaretur tenebrositate. Qui mox expergefactus a somno, et a febre, qua non modicum tempus anhelabat, liberatus ; illo consurgit ; ac Suessionicæ civitatis nomen altæ memoriæ commendans, ad B. Petri Apostoli Ecclesiam festinat. Ubi orationem fundens, et commeatum accipiens, obnixe precatur ; ut qui præsagium cecinerat sanitatis, ipse idem fautor et dux esset ad optatum locum perventionis. Tunc accepto itinere, Italiam perlegens, per montium juga, vallium concava, fluminumque pericula, Galliam ingreditur ; et tandem patrocinante Apostolo, desideratam pertingit ad urbem.

Romæ monitus per visum de adeunda Suessione,

Apoc 3. 19

eoque appulsus

81 Jam vero anni orbita redeunte XIII Calendarum Juliarum aderat, præclarissimorum Martyrum C Gervasii et Protasii, Nostrorum quidem Dominorum defensorum, triumphalis dies ; et grex Dominicus, uno animo per urbem cursitans, undique conveniens, vicinarum urbium concursus invitabat. Cumque omnis Clerus in Ecclesia cum frequenti populo, in celebrandis festivæ noctis vigiliis pernoctando, exortum Phœbeæ lampadis superasset ; horarumque diei cursibus distincte peractis, in prætatorum celebrandorum duarumque Olivarum solemnibus Missarum sacramentis decenter astaret ; subito ille Argentinus cæcus adventitius, cum aliis adstans, et promissum Apostoli exspectans ; dum Gloria in excelsis, diatessaronice intenderetur ; in utrisque temporibus quasi australi tactus aura, solotenus prolabitur. Tum deinde ex oculorum orbibus palpebrisque, quasi introrsus ferro inciderentur, scatens rivus sanguinis prosiluit. Cum autem præ dolore tamquam semivivus in terra jaceret, tandem aliorum manibus ante altaris pavimentum exponitur : ubi infuso oculis jubare, lucem, quam antea numquam viderat, recens creatura perspexit, et recreatoris sui opera aperte vidit. Hinc populorum attollitur strepitus, hinc eorum qui videre vel audire potuerunt applausus multus ; quod eatenus inauditum suis temporibus refulserit miraculum ; præstante Domino nostro Jesu D Christo, cui est gloria in secula seculorum. Amen.

19 Junii,

sub Missa visum recuperat

AUCTORE D. P.

§. VIII. Peculiaris cultus Cenomannis, item in Belgio, Germania, et reliquo Septemtrione.

Inter supra nominatas Cathedrales apud Gallos ecclesias quinque, Sanctorum Gervasii et Protasii *titulum Patrociniumque præferentes, haud infimum locum* Cenomannica *obtinet ; de qua infra in Vita S. Innocentis Episcopi, ob peculiarem dictorum Sanctorum cultum ipsa eorum die defuncti, sic legitur :* Ipse matrem civitatis ecclesiam, in qua S. Victurius *(imo Victurus pater ejus anno* CCCXCVII *ordinatus mense Januario)* B. Martino, *qui ipso illo anno exeunte obiit*, jubente, Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii Reliquias olim cum summo honore posuerat..... immajorare et ampliare atque exornare studuit..... et taliter mutatum est ejusdem ecclesiæ nomen, propter virtutes scilicet, quæ ibidem innumerabiliter in memoria Sanctorum Gervasii et Protasii factæ sunt. *Prædictas Reliquias a* S. Ambrosio *missas* S. Martino *fuisse, et ab hoc Cenomannicæ ecclesiæ communicatas nemo dubitabit cum ratione : ipsas autem* S. Innocens, *in consummata quam S. Victurus struere erat exorsus ecclesia loco præcipuo repositurus*, in Orientali, *quam exaltarat* parte, altare fecit, in quo jam dictas Reliquias Sanctorum Gervasii et Protasii collocavit. *Exinde autem, id est a seculo æræ Christianæ quinto, dicitur in Actis sequentium Episcoporum*, Ecclesia S. Mariæ matris D. N. Jesu Christi et Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii, *nec non in omnibus publicis instrumentis vulgo autem compendii amanti dicitur solum* Ecclesia. *Idem S.* Gervasii *nominatur etiam quædam* Villa *et* terra S. Mariæ et S. Gervasii, *ad jus Ecclesiæ prædictæ pertinens*.

Reliquias jussu S. Martini collocatas in nova Cathedrali,

in eodem auctiori transfert S. Innocens.

E

83 *In Vita autem Domni Hadoindi, ejus qui B. Bertichramno successit anno* DCXXIII, *memoratur insignis casus, unde prædicta ecclesia magnopere fuit locupletata, hic dignus transcribi.* Quidam vir Alanus nomine, habebat res suæ proprietatis multas et unicum filium, quem ita diligebat ut animam suam. Quadam vero die prædictus Alani filius, venationem exercens in villa propria patris sui,..... cecidit mortuus de equo expavescente. Hoc autem videns supradictus Alanus de solario quo instabat, valde dolore repletus est : consolando tamen nuntiavit uxori suæ matrique ejus prædicti juvenis mortem ; considerans quod sine causa [nil] eveniret. Tunc devotissime Deum cœli exorans, deprecatus est, ut F taliter res suas ei disponere concederet, qualiter sua esset beneplacita voluntas, et qualiter ex eis regnum mereretur æternum. Cœpit ergo tunc pedes, una cum uxore sua, ire per monasteria et loca sancta, ac corpora Sanctorum quærere ; deprecans die ac nocte intentissime Deum, ut porro inspiraret ei, ad quam ecclesiam, secundum Creatoris sui voluntatem, tam pro dilecto filio suo Domino offerendo res suas, quam pro remedio animæ suæ traderet. Tali vero devotione surgendo et orando, eleemosynasque faciendo, visitabat limina Sanctorum multorum ; ut Dominus, ceu dictum est, illi inspiraret, ubi suum traderet proprium : quoniam magnam hereditatem habebat, et nullum habebat filium vel filiam heredem.

Alanus vir locuples, amisso filio,

loca sacra cum uxore obiens,

84 Dum autem supradicto [illegible] S. Martini revertebatur, dicunt multi [illegible] precati essent, ut ad loca Sanctorum [illegible] bant suas res traderet, [illegible] accipperet, et utrumque haberet [illegible] munera..... [illegible] intentio sui [illegible] quia [illegible] ei

[illegible] ad S. [illegible] [illegible] in [illegible]

AUCTORE D. P. facultates suas illi ecclesiæ tradere :

A ei hoc agere inspirabat, quia devotissime in hoc Domini voluntatem quærebat. Dum enim hæc agebantur, et de monasterio S. Martini Turonensis revertens ad Cenomannicam prædictus vir properabat civitatem, visitaturus videlicet sanctam matrem et civitatis ecclesiam sanctæ Dei genitricis Mariæ et Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii, in qua multas eorum meritis operabatur Dominus virtutes; et propinquando Pontileuvalensi xenodochio, milliario a prædicta urbe distante, iter ageret; venerunt servi Dei ipsius Pontileuvalensis Synodochii et Hodoindi Episcopi obviam : et suscipientes eum cum silentio, et per orationes eum deducentes, omnia necessaria et voluntarie et diligenter ministrabant, et cum magno honore ei serviebant. Quia ad hoc opus Domnus Bertichramnus, ipsius urbis Episcopus, ipsum xenodochium in Pontileuva in honore S. Martini fecerat, ut omnes adventantes, tam divites quam pauperes, ibi receptiones haberent, et alimenta et cetera necessaria abundanter inibi acciperent.

et in xenodochio ejus exceptus,

85 Crastina autem die, a prædicto xenodochio jam dictus Alanus surgens, ad memoratam ecclesiam B oraturus devotissime nudis plantis properabat : quoniam prædicta nocte, dum in præfato xenodochio Pontileuvæ orationi devotissime insistebat, instinctu Dei accensum est cor ejus, ut ad memoratam matrem et civitatis ecclesiam, quæ est constructa et consecrata in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, et S. Petri Apostoli, et sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii, ad quam et ipse oraturus properabat · omnes traderet res proprietatis suæ : quod et Dei nutu quoque factum esse, nulli dubium est. Hæc quoque peragere, ut ei inspiratum erat, cogitans; mandavit Domno Hadoindo præscripto Episcopo, ut obviam ei veniret, et cum eo considerare valeret, qualiter de suis rebus agere deberet. Quia notus ei erat et fidus amicus Domnus Hadoindus, ut jam dictus Alanus mandaverat, venit obviam ei : et benigne eum suspiciens, per orationes ecclesiarum jam dictæ Civitatis, cum summo honore et magna reverentia deduxit. Dum autem ad prædictam matrem ecclesiam usque devotissime pervenerunt; in eam intrantes et paritur orantes Alanus et uxor ejus, cum lacrymis voluntatem eorum publiciter patefecerunt : et de eadem ecclesia S. Mariæ et S. Petri atque SS. Gervasii et Protasii exire non potuerunt, antequam omnes res proprietatis suæ prædicto Domno Hadoindo et suis Consacerdotibus et Ministris præfatæ Eccle- C siæ, legaliter per strumenta cartarum, sub stipulatione subnixa, firmiter tradiderunt.

a'que ab Hadoindo Episcopo ad ecclesiam inductus,

non potuit inde egredi nisi traditione completa :

86 Hoc autem facto, tam hilari animo et lætitia repleti, et leves corpore sunt effecti, atque ad juventutem priorem, virtute Dei et intercessione prædictorum Sanctorum sunt reversi; ut omnes hoc videntes stupescerent, nec vidisse nec audisse [tale quid] cum lacrymis profiterentur : quod nutu et virtute Dei factum esse, non dubium est. Tali etiam conditione, instinctu Dei, tradidit memoratus vir Deo devotus Alanus, jam dicto Episcopo præfatæque matri Ecclesiæ duodecim villas optimas, cum earum appendiciis id est, Juliacum, Lucdunum, Ruliacum, Ruppiacum, Sabololium, Quinselidas, Vernium et Vericium, Tanidam et Doliacum, in qua præfatus ejus filius mortuus fuerat; et Camariacum; et postea per translatam-manus Asinarias et ceteras villulas, quarum nomina, propter fastidium et tædium legentium hic non inseruimus..... Insuper semetipsum et suam uxorem tradidit præscriptus Alanus memorato Episcopo Domno Hadoindo, et servis Dei in prædicta ecclesia Domino famulantibus ut de animabus et corporibus suis magnam haberent curam, et corpora eorum alerent, et animas suas Domino lucrarentur. Providebat quoque Domnus D Hadoindus eos diligenter, et ministrabat eis sufficienter, et ita eis serviebat sicut servus Domino. Memoratus ergo Alanus et sua uxor, sub potestate prædicti Episcopi, studiosissime et devotissime diu noctuque Domino militabant : et pro supradictis devotionibus, sicut credimus, regnum Dei acquisierunt, et vitam æternam Domino annuente perceperunt. Vivunt enim cum Christo et Sanctis ejus in beata gloria, cum quibus in ea et nos, eorum fulti orationibus, Domino protegente, perpetualiter vivere valeamus. Amen.

ubi perpetuum victurus,

se quoque et uxorem eidem tradidit,

ac pie obiit.

87 *Tribus post hæc seculis,* Maynardus Episcopus, *anno* DCCCCXL *consecratus,* tabulam argenteam, ante altare sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii positam, ex novo fabricari constituit, atque ante idem altare Sanctorum decentissime collocavit. *Anno* MLXXXIV, Hoelli *Episcopi primo,* cum fames populum oppressisset, essetque impossibile unius copiis generalem afflictorum indigentiam sustentari, ex communi Cleri Plebisque consilio, aurum et argentum quod erat in tabula altaris sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii pius temerator Hoellus accepit, illudque fideli dispensatione pauperibus erogavit : E *quod tamen parum gratum Deo Sanctisque fuisse (quia forte Cleri populique tenacitas, potius quam vera erga indigentes pietas, consilium istud suggesserat) eventu patuit :* Non multo enim post, tota civitas nocturno incendio conflagravit. *Itaque Hoelli successor* Hildebertus Episcopus, *post annos circiter* XIII, tabulam altaris sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii. partim ex argento, quod bonæ memoriæ Domnus Hoellus Episcopus, antecessor ejus, ad hoc opus reliquerat; partim ex eo quod ipse aliunde acquisierat, pro qualitate temporis, honorifice restauravit.

Sec. 10 argento vestitur Sanctorum altare,

quo deinde in pauperes distructo urbs conflagrat

88 *Hic porro, ex ipso unde prædicta sumpsimus Pontificum Cenomanensium Regesto, quod Tomo 3 Analectorum Mabilio vulgavit, lubet attexere exemplum severæ ultionis, in eum qui prædictam ecclesiam injuste spoliaverat ipse et aliis ejusdem culpæ complicibus immunitatem præstiterat.* Abraham *is fuit, Gauzioleni Episcopi* Vicedominus ; *qui cum haberet* multa de Episcopio beneficia, insuper et monasteriolum quoddam, cujus vocabulum est Buxidus.. ...... in quo et Monachi, quando ei datum injuste fuerat, regulariter et sancte et nobiliter Domino servientes vivebant : quos inde ipse Abraham dispergere cœpit, et nullum Monachum congregare studuit sed F sub seculari magis habitu illud tenere nitebatur. Post obitum autem prædicti Gauzioleni, *anno* DCCLXXIV, convocavit omnes sodales suos, tam Clericos quam et Laicos ; et dedit illis consilium ut irent ad Domnum Carolum Francorum Regem, et sui efficerentur homines, et per ejus datum eorum retinerent beneficia : qui et humana cupiditate seducti, secundum ejus consilium fecerunt. Venientes ergo, bene parati auro et argento et vestimentis nobilibus, ad prædictum Regem, deprecati sunt ut sui mererentur effici homines : qui et quadam humana cupiditate illusus eos suscepit, et eorum beneficia sua largitione habere permisit..... Ipsa interim mater ecclesia quotidie destruebatur, et Clerici ac pauperes, inibi degentes et Domino servientes, fame periclitabantur et siti et inopia negligebantur ac desolabantur, et luminaria sive alia ornamenta ecclesiæ deficiebant ; nec quidquam ornamenti, propter ablationem prædictarum rerum, habebant.....

Ejusdem ecclesiæ res usurpans Abraham Vicedominus,

annoque 774 sibi et sociis earum confirmationem a Rege nactus,

89 Hæc audiens gloriosus Rex Francorum Carolus, prædictum Abraham Vicedominum, cujus machinatione et adhortatione hoc fecerat, in patriam suam revertere cum ira præcepit, numquam postmodum, antequam ipse præciperet, in conspectu suo

gratia ejus excidit

A suo reversurum. Ille autem ad jam dictum Monasteriolum Buxiacum, quod beneficiario ingenio injuste tenebat, perveniens; ibique gravi et rustica infirmitate diu ægrotans, postea diu noctuque indesinenter, ingenti voce et magno ululatu pronuntians clamabat, quod ejus corpus arderet propter suum malum ingenium, quod in matrem ecclesiam S. Mariæ et SS. Gervasii et Protasii fecerat, quando ejus res direptæ et huc illucque sunt dispertitæ. Erat etiam illi visum, quod S. Maria et SS. Gervasius et Protasius, una cum aliis Sanctis, ignem incendere præciperent, in quo cremabatur; unde et eorum adjutorium summopere deprecabatur, ut eum adjuvarent, ut de ipso igne evadere mereretur. Omnibus enim hæc se visibiliter videre dicebat, et propter direptionem earum rerum talia se pati affirmabat: quod factum tunc valde et super omnia emendare volebat sed non valebat: tali enim pœna consumptus, in prædicto monasteriolo Buxit postea sepultus est. Ejus ut fertur, sepultura tota in circuitu per octo dies ardebat, et tota terra in circuitu flamma et igne consumebatur, et ingenti putore totum illud monasterium replebatur, nec ullam requiem homines inibi

et a sanctis torreri se clamans

misere perit,

B habitantes vel Clerici habere potuerunt; usquedum illius corpusculum, cum tota illa sepultura, in quodam deserto loco amici ejus clam projicientes, et in profundum lacum eum demergentes ejecerunt.

ac sepultura privatur.

90 *Hactenus potentissima Hispaniarum et Galliarum regna morosius pertransisse sit satis, quatenus oculo saltem levi perstringatur Britannia. Hæc, ut Roma suos accepit præcones fidei primos a S. Eleutherio, secundos a S. Gregorio Pontificibus sic etiam inde cum secundis accepisse videtur ritum colendi* SS. Gervasium et Protasium: *id quod regnorum Britannicorum vetusta Missalia Breviariaque testabuntur, quando ea licebit examinare. Nunc pro ceteris facit præsumere Sarisberiense antiquissimum Breviarium, et Litaniæ in Missali apud nos servato descriptæ.*

Sanctorum cultus in Britannia,

91 *Sic dimissis Anglis, observa porro, Lector, quod eamdem religionem, per missos ex Gallia Britanniaque Apostolos, edocti Belgæ, ab iisdem etiam didicerunt Sanctum utrumque sic colere, ut nulla (quod sciam) ecclesia inferioris, imo et superioris Germaniæ, sit, quæ in suis Kalendariis nomina eorum non præferat. Quænam etiam Reliquias habeant vel habere se putent, non vacavit operosius indagare. Raissius in Hierogazophylacio Belgico asserit,* Juncturam S. Gervasii *in honore haberi Amandopoli, apud Elnonenses Monachos; Atrebati autem in ecclesia S. Mariæ, intra novam capsam, ac formam Mosaicæ arcæ ex argento fabricatam, una cum aliis multis,* Reliquias SS. Stephani, Gervasii et Protasii Martyrum. *Non substitit autem ea religio apud Belgas, sed porro ad Septemtrionales Provincias allata, ibi quoque per Kalendaria innotuit, quale unum nobis exhibetur, præfixum Missali Votivarum per Sueciam Daniam Norvegiam; aliud Fasti Danici Olai Wormii ex membrana, annis ab hinc* CCCL *exarata. In Diario Reliquiarum Metropolitanæ Pragensis, edito ab illius Decano Pezzina de Czecorod, postea Samandriensi in Slavonia titulari Episcopo, numerantur* SS. Gervasii et Protasii duæ insignes partes, Mediolano per Carolum IV allatæ anno MCCCLV: et aliæ duæ partes, per eumdem allatæ Aquisgrano MCCCLXXII; necnon pars una de brachio S. Protasii: *quæ dum non scribitur unde accepta sit, suspicio mihi venit, quod ex oppido Brisacensi ad Rhenum, cujus incolæ prætendunt utrumque corpus se habere, everso sub annum* MCLXII *Mediolano inde allatum per Episcopum quemdam Frederici Ænobardi sequacem. Et hi soli Mediolanensibus, antiqua possessione se tuentibus, negotium facessunt, de quo prius quam definiamus quidpiam, audiendi primum Mediolanenses sunt.*

Belgio,

C

Borealibus regnis,

Bohemia.

D

AUCTORE D. P.

§. IX. *Præsentia Sanctorum corporum inter Mediolanenses et Brisacenses controversa: horum possessio potior.*

S*anctorum Martyrum delata in Ambrosianam ossa, sub aram ibidem principem condituris illius fundator supra, num.* 5. Hunc ego, *inquit,* locum prædestinaveram mihi: dignum est enim ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem: locus iste Martyribus debebatur. *Horum verborum sensum, etsi obvius cuicumque legenti esset, nemini video examinatum expensumque fuisse. Primus, qui alicui posset occurrere sensus, is videtur esse, ut sub eodem altari condendus Sanctus Præsul, dexterum in illo latus Martyribus cedens, in sinistro voluerit sepeliri. Sed ægre crediderim voluisse Sanctum, præter communem Christianorum, etiam Episcoporum consuetudinem, intra ipsum altare condi corpus suum, eo modo quo altaribus includuntur Sanctorum Reliquiæ, et quo hæ de quibus agimus conditæ fuerunt. Si autem solum voluit, quod credibile est, subtus altari sepulcrum sibi effodi in quo humaretur, nihil id impedivisset, quo minus intra ipsum condi potuisset Sanctorum capsa una vel duæ. Igitur plus aliquid quam dexteram latus ipsis cessit Ambrosius; totum, inquam, locum; ne scilicet deferendum Martyribus honorem communem sibi facere videretur, qui esset subtus eodem altari sepultus, intra quod conditi Martyres erant.*

Ambrosius Martyribus dexteram portionem cedens

non dexterum sub altari latus,

E

93 *Ut sic illius verba intelligam, sub quibus mysticum magis sensum latere credam, facit Levitici Caput* VII *ubi* Lex hostiæ pacificorum, quæ offertur Domino, *definitur; et inter alia, ut* armus quoque de pacificorum hostiis cedat in primitias Sacerdotis..... *et ut ipse* armum dextrum habeat in portione sua. *Sicut ergo in partitione victimæ, armus dexter seu* portio dextera *debetur Sacerdoti: sic potiorem partem basilicæ, locum scilicet ipsius altaris, sibi Sacerdoti deberi censebat Ambrosius; neque de parte altaris, sed de toto loco illius dicendus est loqui, cum se ait* dexteram portionem cedere sacris victimis. *Interrogabis forsitan, quem alium* sepulcro *suo locum elegerit Sanctus, quam quo etiam nunc condita requiescere creditur. Ego vero id cavero per conjecturam definire tacente ea de re Paulino in Vita. Potuit ante pedem ejusdem altaris, potuit alibi in eadem ecclesia, primam elegisse sepulturam: unde postea consumptis carnibus extracta ossa, et sub altari cum Reliquiis Martyrum condita fuerint. Quando id factum sit, nusquam scriptum invenio; fectum esse, probat dens de cranio Sancti extractus ab Angilberto Episcopo, de quo mox.*

sed totum altare ipsis reliquit,

alibi sepeliendus.

F

94 *Mediolanenses scriptores alia prorsus omnia de prima S. Ambrosii sepultura sentiunt, sequunturque Gualvaneum Flammam, seculi* XIV *Chronographum Dominicanum, hactenus ineditum, allegatum autem a Puricello in Monumentis Ambrosianis pag. 89 ubi is asserit, quod S. Ambrosius,* cum esset morti vicinus, interrogatus ubi vellet sepeliri, prophetico sermone respondit: In medio beatissimorum Martyrum Gervasii et Protasii: si invicem se dividentes, mihi locum inter medium fecerint. Adveniente ergo funere Ambrosii, isti duo Martyres locum in medio fecerunt: *quasi vel duæ juxta invicem positæ arcæ, a se mutuo recesserint, ut tertiæ in medio ponendæ locum darent; vel intra unam arcam composita duo corpora, recedendo ad latera, spatium inter se vacuum reliquerint, quod tertio corpori capiendo satis esset. Alterutrum potuit post elevata S. Ambrosii ossa contigisse; reipsa autem id factum esse, præsumere facit Mediolanensium de tali miraculo traditio, per Gualvaneum expressa; sicut ea, quoad substantiam, vera sit; erronea, quoad circumstantiam*

nec medius inter duos Sanctos poni voluit.

AUCTORE D. P.

circumstantiam temporis; sicut in talibus minis quam sæpe contingit.

licet id forte postea sit factum,

95 *Verum quod primæ sepulturæ tempore tale quid factum sit, vetat credere silentium Paulini, studiose explicantis quidquid circa obitum atque post eum accidisse miraculi noverat; neque tantum prodigium prætermitteret, ubi alia longe minora narrat. Quid quod incongrue prorsus conciperentur Ambrosiani funeris curatores voluisse corpus recens defuncti hominis, utcumque Sancti, sed necdum in ossa resoluti, (quod computrescere adhuc debebat juxta communem naturæ ordinem) componere cum sacris aliorum ossibus, carne jam consumpta nudis, neque novæ corruptionis periculo temere exponendis. Credibile etiam est, horum capsam, in quam eos Sanctus Ambrosius collegit (si tamen una et non duæ fuerunt) quamque ad Ambrosianam suam basilicam transtulit, longe minorem verisimiliter fuisse, quam pro mensura integri cadaveris humani.*

potuit igitur sec. 9 sub crypta abdi S. Ambrosius,

96 *Puricellus, ut corporalem Sanctorum Martyrum præsentiam, etiam pro hodierna die indubitabilem Mediolanensibus suis reddat: fuse prosequitur, quomodo Angilbertus Episcopus (prafuerunt hoc nomine consequenter duo ab anno DCCCXXIII ad DCCCLX) exemptum e capite S. Ambrosii dentem annulo suo inseruerit; unde elapsum requirens, monitus sit inveniendum ubi acceperat: eoque miraculo motus, jusserit sub altari aureo quod construxerat cryptam confici, ad quam immissa corporis Ambrosiani arca, et porphyretica tabula desuper obtecta, omnino esset impossibilis accessus, nisi forte per subterraneum meatum; qui ipse etiam obstructus fuerit, nullo ejus amplius apparente vestigio, propter miraculum quod S. Bernardo, Parmensi Episcopo et Cardinali, illac ingresso accidit: adeo ut tempore illo quo ablatos Martyres fuisse prætendunt Germani, penetrare in cryptam prædictam posset nemo, nisi qui tabulam porphyreticam prædictam destructo altari submovisset.*

manentibus intra altare Sanctis,

97 *Verum hæc omnia nihil efficiunt, si negetur, uti negamus, Angilbertum prædictum una cum ossibus* S. Ambrosii, *etiam ossa Martyrum in eamdem cryptam dimisisse, et aurei sui altaris concavum totum vacuum reliquisse; contrarium enim si assumas, facile concipies, quomodo aperto laterali aurei altaris ostiolo educi exinde potuerint capsa vel capsulæ,* Sanctorum Gervasii et Protasii *ossa continentes, et Imperatoris Cancellario donari auferendæ: si non ex ea quæ prætenditur causa, quæque per omnes circumstantias suas fabulosa videtur; saltem intuitu gratitudinis, ob servatam a communi excidio Ambrosianam basilicam. Certe ex eo tempore nemo fuit Mediolani qui eas Reliquias vidisse se diceret. Atque ita corruit tota Puricelli ratiocinatio, confirmandæ nihil probet consuetudo pangendi S. Ambrosium medium inter SS. Gervasium et* Protasium: *sic enim passim pingitur S. Ferdinandus, Rex Castellæ et Legionis, medius inter SS. Leandrum et Isidorum Episcopos: nec tamen hinc opinatur aliquis ita esse sepultum; sed unusquisque intelligit eos communiter haberi Hispalensis urbis atque Ecclesiæ Patronos, quod idem in Mediolanensibus valere debet.*

et hi auferri illo immoto.

Id factum, prætendunt Brisacenses,

98 *His præmissis, Brisacum transeamus, et quibus documentis Sanctorum istic præsentia continentur, examinemus. Primum accepimus ex veteri Codice,* impresso Argentinæ per Joannem Gruniger MDV, *reperto in Bibliotheca monasterii Pfortzheimensis, Ordinis FF. Minorum de Observantia prope Marchiam-Badenam. Impresso ipsi hic titulus est:* Vita SS. Gervasii et Protasii, cum Sermone et Translatione ad oppidum Brisach, quorum ossa ibidem habentur. *Sequitur picta effigies utriusque Martyris, togata ac specie juvenili, quorum* Gervasius, *sinistra gladium;* Protasius, *flagellum stellatum manu similiter sinistra tenet; subtus vero conspicitur scutum tesserarium Brisacensis oppidi, sex scilicet colles mutuo superimpositi, terni ac terni, supremorum medio altius eminente, in campo* rubro. *Deinde,* Sermo de Sanctis Martyribus Gervasio et Protasio, cum eorum inventione et martyrio et translatione, de Mediolano ad oppidum Brisach; compositus et excerptus per Fr. Joannem Berken, sacræ Theologiæ Lectorem, Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini feliciter. *Incipit:* Justorum animæ in manu Dei sunt. Sap. III. Anima humana variatur in suis motibus secundum quatuor affectiones, scilicet gaudium, spem, amorem et timorem... *Et in hoc Sermone* quatuor, *inquit Auctor,* per ordinem sunt dicenda. Primum est verborum illorum *in thema assumptorum* declaratio; *quæ concionatoria tota, ad historiam non spectat.* Secundum, Sanctorum inventio, *ex epistola Pseudo-Ambrosiana;* Tertium eorum Martyrizatio, *ex libello Pseudo-Philippi.* Quartum eorum translatio.

per Sermonem an. 1505 editum;

99 *Hujus ultimi membri, ad nos unice nunc spectantis principium sumitur ab anno* MCLI; *quo Fredericus Barbarossa, cum exercitu contra Pontificem Alexandrum veniens in Italiam, Mediolanum, diu frustra defensum a quodam Gualvanco, Angleriæ Comite et civitatis Principe, ut obtinuerit, expilarit, everterit. Gualvancum porro, ne occideretur, servaverit soror,* corpora trium Magorum, Sanctorumque Martyrum Gervasii et Protasii, Naboris et Felicis, *promittens* Rodulpho, vel ut aliis placet, Ottoni Archiepiscopo Coloniensi: *qui ab Imperatore urbem ingressuro petierit condonari sibi, quod humeris ferret primo occursura mulier; occurrisse autem ex condicto Sororem Gualvanci, ipsomet fratre suo onustam, partum ergo vitæ ejus fuisse, sic tamen ut flagris cæsus abduceretur captivus in Germaniam; unde reversus urbem restaurarit, usque ad annum* MCLXXXII *superstes.*

ibi fabulose narrantur de corporibus, a sorore Comitis oblatis,

100 *Comœdiam legere te existimas credo, nec aliter accipi eam velim; maxime cum nec annus rei gestæ, nec nomen Episcopi Fridericum comitati conveniat; et Angleriæ Comitum prætensus in urbe Dominatus nunc explodatur a Mediolanensibus. Explodi certe meretur muliebris auctoritas tanta, ut capta eluta urbe integrum ei fuerit, quæcumque sanctuaria aperire, indeque depromere lytrum, pro fratris vita promissum. Non existimo tamen Germanorum istud figmentum fuisse, sed ipsorummet Mediolanensium, de patriæ suæ excidio restaurationeque, dum historia nulla certa extaret, commentorum similia iis, quæ de Sanctorum Magorum advectione avectioneque scripserunt, et Coloniensibus tradiderunt, non absque similibus ineptiis: quibus insuper habitis, solum quærimus, an, sicut illis non obstantibus Colonienses absque contradictione Mediolanensium suam tuentur possessionem; sic et Brisacenses possint tenere suam, de qua in dicto Sermone sic legitur.*

Rodulpho Archiepis. Coloniensi Not. 17

101 Demum Archiepiscopus Magorum corpora... accepit, et secum una cum aliis Reliquiis, scilicet Sanctorum Gervasii et Protasii ad Germaniam transtulit.... Contigit autem eumdem Archipræsulem ad Rhenum flumen, per Basileam civitatem insignem, venire usque ad oppidum Brisach Constantiensis diœcesis, sub ditione Ducatus Austriæ. Est autem nobile regionis Brisgaviæ oppidum, juxta Rheni flumen in monte constitutum, jam diu ædificatum; habet enim castrum cum celebri turri, constructum tempore Henrici Regis anno Domini MCLXXXVIII, nunc autem invictissimo Regi semper Augusto Maximiliano paret. Audientes autem cives prænominati oppidi adventum Reliquiarum trium Magorum, Sanctorumque Martyrum Gervasii et Protasii, gaudio repleti non modico, conduxerunt et concurrerunt cum vexillis, crucibus, cereis, ac processione, ad corpora illa contemplanda, oculis et labiis osculanda, ubi Deus operata est mirabilia ob civium devotionem. Præfati autem cives obnixe rogaverunt Archiepiscopum, ut dignaretur intuitu Dei, ipsis saltem corpus S. Gervasii dare, ut in monte, in

qui dicitur ea Brisacum attulisse,

et S. Gervasium civibus donasse,

A in quo oppidum ædificatum cernitur, et in eorum ecclesia collocaretur. Illustrissimus Archiepiscopus et Princeps Elector, cernens civium confluentium devotionem; licet aliqualiter denegasset, propter importunam et rationi nixam petitionem concessit, et dedit quod postularunt: ingentique gaudio cives repleti, illud cum magna veneratione et jubilo, Archiepiscopo præsente, ad ecclesiam Parochialem S. Protomartyris Stephani deduxerunt, cum hymnis et canticis, laudes Deo agentes.

102 Altera die devotus Antistes, cum suo comitatu, iis quæ in navi erant necessaria emptis et dispositis, navis ingressi; solutis anchoris et funibus quibus navis ligabatur, (stupendum miraculum!) navis immobilis permansit. Nautis frustra laborantibus, Archipræsul et sui expavescunt et mirantur. *Conjectans autem, nolle Sanctos ab invicem separari, qui junctam vixerant, junctimque passi, sepulti inventi et culti fuerant*; rogavit sibi redonari corpus, majora pollicitus, ut cum tribus Regibus Coloniam transferret... cives autem obnixe rogarunt, ut et ipsis Protasium fratrem ejus daret, ut in uno loculo simul collocarentur. Quod considerans Archiepiscopus mœstus et tristis eis donavit. Tunc remoto omni impedimento, per Rheni fluenta usque Coloniam navigavit... cives autem Brisacenses, majori gaudio repleti, omni cum veneratione et jubilo, etiam Protasium ad prænominatam ecclesiam Protomartyris Stephani transtulerunt quarta die Julii, ubi omni cultu et religione venerantur. Novissimus vero his diebus, circa annos Domini MCCCCXXVIII, locellum seu arcam, argento circumdatam, mille quadringentorum florenorum Rhenensium construxerunt, et ossa eorum magna cum solemnitate posuerunt, prout singulis annis in eorum festivitatibus, oculis corporeis a fidelibus cernitur. Cursus vicinarum villarum, solenni cum processione et veneratione populi, frequentantur, ubi Deus operatur mirabilia in Sanctis suis, et per eos multa præstantur beneficia.

cumque auferre Protasium nequiret,

hunc quoque illis dimisisse.

B

Conditur ibi an. 1428 arca argentea;

103 *Sequuntur miracula vetera ex S. Augustino, et novum unum sic additur:* Quidam nobilis Miles, nomine Petrus de Hagenbach, ad Carolum Ducem Burgundionum confugit, et ab eo perbenigne receptus est: erat enim ipse vir magni consilii et pretii apud eumdem Principem: missu que in Alsatiam et Suntgaviam Balivus ejus factus est: qui ob res non modo per Germaniam, verum etiam per exteras nationes nominatissimus et formidabilis esse cœpit... Ipse quadam pestifera machinatione composita, cum Burgundionum militum multitudine, oppidum Brisach intravit. Cives multi, perterriti propter ejus tyrannidem, fugam inierunt; quorum bona in direptionem dedit. Quamvis autem super astra cœlorum se evectum existimaret, nec ullum in mundo amplius subvereri videretur: nihilominus, velut alter Nabuchodonosor, peccatis suis exigentibus, in die sancto Paschæ, tumultu in populo excitato, anno Domini MCCCCLXXIV, sine sanguinis effusione vinculatus, et nona die Maji capite truncatus est. Hæc mutatio dexteræ Excelsi, intercessione et meritis, (ut pie ab omnibus ibidem habitantibus asseritur) Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii, quorum ossa honorifice ibi recondita sunt, liberantur a tyrannide hujus viri.

invocatis Sanctis punitur Balivus, opp. do gravis 1474

C

104 Cives autem oppidi Brisach cum Salomone dicere possunt, Et venerunt nobis omnia bona pariter cum illa, videlicet venerabilium Reliquiarum allatura: quia quamdiu apud eos fuerunt, multis periculis liberati sunt. Et maxime anno Domini MCCCCLXXX, Rheni fluvius, circa festum S. Jacobi Apostoli, in immensum adeo excrevit, ut per totum suburbium, vulgariter der werd, tamquam in plano constitutum, inundaverit; Monasterium Monialium extra muros, vulgariter Mergenow, usque ad majus altare impleverit; et per vias ac vicos navigaretur, sicut per ejus alveum facere consuetum erat. Pontes in Waltzhut, Sachinghen, Basilea, Argentina destructi negabant transitum. Quibus cives oppidi Brisach moti, Sanctis Gervasio et Protasio votum fecerunt, quoniam naturali via impossibile erat succurrere. Sed, ut multa paucis concludam, pons remansit, licet in parte destructus aliquibus parvis lignis sustentabatur intercessione Sanctorum Martyrum, quorum ope adjutus transitum ambulantibus præstabat. Sinos per præfatos gloriosos Martyres, eorum meritis et intercessione, hic in mundo transire per gratiam valeamus, et in futuro per gloriam in qua ipsi sunt: quod omnibus nobis præstare dignetur, pro quo passi sunt, qui est benedictus in secula seculorum Amen.

Sap. 7

An. 1480 servatur civitas a inundatione Rheni

D

AUCTORE D. P.

pons parum firmus.

105 *His initio seculi XVI sic impressis nec diu ante compositis prælusérit, quod occasionem Translationis, quoddam seculi ut summum XIV scriptum, quod circa annum MDXX lib. 11 Historiæ Mediolanensis latinæ, Tristanus Calchus inseruit velut non ita pridem ex Germania allatum; quodque paulo quam ille recentior, ejusdem Italice edendæ conditor, Bernardin Corio, Parte I velut authenticum recitat Latine et Italice fecit anno MDLIV, conceptum his verbis:* Federicus Romanorum Imperator primus, (Ænobarbus), filius Hermanni (imo Frederici), gener si Ducis Sueviæ *ut ex Otthone Frisingensi probari potest, nec dubitat quisquam* anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo secundo (*quem ulterius numerum addendum esse, ipse Corius in contextu suo ad secundam additum monet*) imperavit triginta sex annos. Anno Imperii sui decimo, *id est* MCLXII, destruxit Mediolanum: in qua destructione Soror unius Vicecomitis, qui erat in potestate Federici, propter liberationem fratris sui, ivit ad Reverendum Patrem, nomine Rodulphum et Dominum Archiepiscopum Coloniensem; et ostendit corpora trium Magorum, videlicet Gaspar, Melchior, et Baldesar; corpora SS. Gervasii et Protasii, et corpora SS. Naboris et Felicis. Unde prædictus Rodulphus corpora SS. Gervasii et Protasii in oppido Brisach juxta Rhenum, in ecclesia S. Stephani Protomartyris, latere sinistro, ferro circumdatis et firmissimis claustris, collocavit cum lampadibus, die noctuque lucentibus. Ibi requiescunt gloriosi Sancti, in quibus Dominus quotidie plura operatur miracula. *Totis viribus instrumentum istud arguit Puricellus; nec multis opus est ut ostendatur, in excidio Frederici Mediolanum vastantis nullum fuisse Archiepiscopum Coloniensem Rodulphum; Rainaldum, vero Imperatoris tunc Cancellarium, solum titulum Electi gessisse.*

E

Præcessit paulo antiquius testimonium

quo finxebatur Rodulphus Coloniensis translatulisse Sanctos,

F

106 *Hoc denique seculo, cum anno XXXVIII Brisacum venisset in potestatem Francorum, et celebrata fuisset nitissimum totius Alsatiæ propugnaculum spectandum, totis Gallus concurreretur; visum fuit Brisacensibus Gallicam quamdam scriptiunculam concipere, ampliori quidem verborum et chronotacticarum notarum apparatu, sed nihilo certiori fide: quod sic latine redditum accepi.* Veræ Reliquiæ, ex arca deaurata argentea, in qua miraculosa et maxime authentica requiescunt ossa Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii, geminorum ortu cum fratrum, nobilium in Italia Ravennatum, et e sanctis Vitali ac Valeria editorum. Iidem Sancti Gervasius et Protasius, regnante Domitiano Nerone Imperatore, martyrium Mediolani subierunt, jussu Comitis Astasii, anno post Orbem conditum quater millesimo XVIII, post Urbis Romæ constructionem DCCCVI, post Filii Dei nativitatem LV. Eæ vero sacræ Reliquiæ S. Ambrosio Mediolani Archiepiscopo et Ecclesiæ Doctori revelatæ

quod etiam in Gallica synopsi invenitur,

cum mentione miraculorum,

AUCTORE D. P.

revelatæ fuerunt, postquam sub terra trecentos et amplius annos latuissent. Cum Fredericus Imperator Ænobardus, urbe Mediolano potitus fuisset; Arnolfus, Archiepiscopus et Elector Coloniensis, qui tunc aderat, sibi asservavit SS. Gervasii et Protasii ac aliorum Reliquias. Brisaco autem transiens anno MCLIX, in compensationem honorum quos tunc ab eo receperat Magistratu, S. Gervasii corpus ipsis donavit; navi scilicet abducere meditans S. Protasii corpus, quod tamen nulla unquam vi amoveri se permisit. Quam obrem istæc ambo corpora Arnolfus una simul Brisaci relinquere coactus est, ubi multis clarent miraculis.

per quibus æstimanda vetus possessio

107 *Quam frequens sit describendis rebus, post plura quam gestæ sunt secula ex vulgi traditione, obrepere anachronismorum nævos ac similia vitia puritati historiæ adversantia, nusquam melius sæpiusque experimur, quam in hoc opere: sed si ideo oportet ipsos Sanctos, quorum vel prorsus fictitia Acta sunt, vel fabulosis circumstantiis infecta, confictos et commentitios credere; etiam Christi Servatoris Apostoli hanc notam evaderent, nisi quatenus in Evangeliis commemorantur. Idem dicendum de Reliquiis, de quarum translationibus non habentur historiæ, ipso quo factæ sunt tempore scriptæ, sed longo post tempore, sicut hic contigit. Licebit ergo Brisacensibus sua se possessione tueri, quoadusque Mediolanenses, ipsa Sanctorum corporum exhibitione ostenderint, ea etiamnum apud se haberi, adeoque falso ablata dici.*

confirmata per diploma Ducis Austriæ an. 1263,

108 *Istam autem Brisacensium possessionem valide confirmat Rodulphus, Archidux Austriæ, cujus extat Viennæ, in Cathedrali S. Stephani Ecclesiæ, diploma Latinum propriæ manus attestatione Germanice firmatum, anno Domini* MCCLXIII; *quo testatur se Viennam solemniter attulisse, in unum sarcophagum deposuisse, et obtulisse ecclesiæ S. Stephani* sex corpora Sanctorum, scilicet Gervasii et Protasii, Felicis et Adaucti, Joannis et Pauli; *de primis autem duobus sic ait:* Nos eo tempore, quo recolendæ memoriæ Albertus quondam dux Austriæ, dilectus noster Dominus et genitor, prima vice ad terras nostras superioris Germaniæ nos destinaverat, in Brisacum venimus III Kal. Maji, de anno Domini MCCCLVIII ætatis nostræ anno XIX, ac ibidem petivimus humiliter, et pure propter Deum, quatenus nobis condivideretur et donaretur de duobus sanctis corporibus BB. Gervasii et Protasii, illuc de Mediolano translatorum, ac loco quiescentium in eodem: de qua petitione a Presbyteris et oppidanis ibidem fuimus cum magna solennitate et decentia exauditi; nobisque condivisa fuerunt Sanctorum corpora prædictorum. *Plura de isto diplomate infra dicentur ad diem* XXVI, *ubi SS. Joannis et Pauli Acta illustrantur: hic satis sit notasse, notabiles partes vocari Corpora, eaque hic expresse divisa dici, ut maneat Brisacensibus eorum pars altera, cujus causa perrexerunt dicere Corpora se eorum habere. Illam autem partem quæ Archiduci donata a Brisacensibus fuit, vidisse se scripsit anno* MDCLVIII, *idem qui diploma transcripsit, P. Theodorus Moretus ex Christophori Plantini Antuerpiæ posteris in nostram Belgicam Societatem admissus, ubi omni scientiarum genere non minus quam virtutum excultus, inde Bohemiæ missus subsidiarius vitam omnem posuit docendis altioribus disciplinis, clarus etiam editis libris, et demum Wratislaviæ pie defunctus anno* MDCLXXVI.

asserentis partem sibi concessam, quæ nunc sit Viennæ

§. X. *Sanctorum apud Mediolanenses inter Divina cultus sacer.*

In Missali Ambrosiano propriæ de Sanctis collectæ in Vigilia,

Quidquid sit de reali præsentia corporum (quæ ubicumque existant, per tot particularium aut etiam notabilium partium distractionem, oportet valde imminuta haberi) constat de præsenti et etiamnum solennissimo cultu in Mediolanensi Ecclesia, juxta ritus a S. Ambrosio institutos quem omnino, credimus alteram saltem eorum Missarum composuisse, quarum una in Vigiliis, *altera* in Festo sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii, *nobis proponitur celebranda ex Missali anni* MDXXII. *Et primæ quidem communis* Ingressa *de Martyribus* Stabunt justi *(nos* Introitum *vocamus) ab hujusmodi* super populum *oratione excipitur;* Martyrum tuorum, Domine, Protasii et Gervasii natalitia præeuntes, supplices te rogamus; ut quo cœlesti gloria sublimasti, tuis adesse concedas Fidelibus. *Post Evangelium, talis* super Sindonem *recitatur Oratio:* Sanctorum Martyrum tuorum nos, Domine, Protasii et Gervasii confessio beata communiat, et fragilitati nostræ subsidium dignanter imploret. *Post Offertorium vero,* Super oblata *talis:* Sacrificium, Domine, quod pro sanctis Martyribus Protasio et Gervasio prævenit nostra devotio; eorum merito nobis augeat, te donante, suffragium. *Denique post Communionem sic legi jubetur:* Da quæsumus omnipotens Deus, ut mysteriorum virtute Sanctorum, Protasio et Gervasio Martyribus intercedentibus, vita nostra firmetur.

et Præfatio.

110 *Nihil in his est quod non totum Ambrosii esse possit: sed interpolata fuit vel recentius composita tota* Præfatio, *quæ in iisdem Vigiliis, post* Omnipotens æterne Deus, *sic continuatur.* Qui licet in omnium Sanctorum tuorum sis protectione mirabilis; in his tamen beatissimis Martyribus tuis, Protasio et Gervasio, speciale tuum munus agnoscimus, quos fratres sorte nascendi, magnifica præstitisti passione germanos; ut simul essent venerandæ genitricis, et florentissimæ proles Ecclesiæ. Per Christum etc. *Numquam germanitatis istius meminit S. Ambrosius: et credo, si quid de ea certi comperisset, id non intactum reliquisset in suis sermonibus. Multo evidentior apparet novitas vel interpolatio* Ingressæ *ad Missam festi:* Bonos medicos habentes patriæ nostræ, Protasium et Gervasium Martyres Domini, et Ambrosium, qui suis Sanctis intercessionibus a malis omnibus liberarunt nos. *Hic certe non nominavisset seipsum uti nec in* Præfatione, *cujus ecce tenorem,* ÷ æterne Deus: qui militibus tuis, pro tui nominis amore certantibus, virtutem fidei contulisti. Inter quos et pios fratres, BB. Protasium et Gervasium aggregare dignatus es; quos pater dudum præcesserat, adeptus martyrii palmam. Hi sunt qui vexillo cœlesti signati, victricia Apostoli arma sumpserunt; et a mundanis nexibus absoluti, nequissimi hostis vitiorum aciem prosternentes, liberi et expediti Christum Dominum sunt secuti. O quam felix germanitas! quæ sacris inhærendo eloquiis, nullo potuit interpolari contagio! O quam gloriosa certaminis causa! ubi pariter coronantur, quos unus uterus maternus effudit. Pro quorum triumphis et [gloria] fœcundissima mater lætatur Ecclesia, quæ per B. Ambrosium tales meruit soboles reperire, qui sibi conferant signa virtutum et gloriam, per eumdem Christum.

Ipso festo, Introitus,

Præfatio,

Collectæ.

111 *De Orationibus porro ejusdem Festi statuet quisque ut volet. Super populum hæc est:* Adesto, Domine supplicationibus nostris, quas in beatissimorum tuorum Protasii et Gervasii commemoratione deferimus; ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, eorum qui tibi placuerunt meritis et intercessionibus adjuvemur. *Sequitur Oratio super Sindonem:* Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ festivitatis excipiat, quæ de beatissimorum Martyrum tuorum Gervasii et Protasii glorificatione procedit, quos eadem fides et passio fecit esse germanos. *Super Oblatam;* Prætende munera, quæsumus Domine, altaribus tuis pro beatissimorum tuorum Protasii et Gervasii commemoratione

A memoratione proposita; ut sicut per hæc beata mysteria illis gloriam contulisti, ita nobis indulgentiam largiaris. *Post Communionem:* Quos donis cœlestibus satiasti, Sanctorum Martyrum tuorum Protasii et Gervasii Domine, defende præsidiis; ut a noxiis omnibus expediti, post salutaria tua toto corde curramus.

112 *Hæc ita integre omnia proferenda fuerunt, ut discernere per se Lector possit quid adscribere S. Ambrosio velit, quid aliis post secutis. Illi omnino adscribenda judico, quæ in Gelasiano et Gregoriano Sacramentorum libro reperiuntur, cum Mediolanensi communia. Gelasianum, aliaque similis vetustatis sacramentaria, ex codicibus ante nongentos annos exaratis, sub annum* MDCLXXX *evulgavit Romæ Joseph Maria Tomasius: ubi similiter, ut in Ambrosiano, præscribitur Missa pro Vigilia et Festo. Et in Vigilia quidem, prima Collecta post Hymnum Angelicum, et* Secreta *(qua Mediolanensibus* super Oblatam *vocatur) conveniunt; absque titulo autem, post primam Collectam veluti post Evangelium recitanda* super Sindonem *illis dicta Oratio, sic proponitur:* Sanctorum Gerbasi et Protasi suffragiis imploremus; ut a cunctis, Domine, liberemur offensis: *Postcommunio autem sic:* Sumpti B Sacrificii, Domine, perpetua nos tuitio non relinquat, et noxia semper a nobis cuncta depellat. *In die festo primam Orationem Gelasius eam esse voluit, quæ a Mediolanensibus in Vigilia recitatur post Communionem: secundam, nullam præscribit; quia talium in Gelasiano isto nullus est usus, præterquam ad Vigilias. Secreta propria recitatur hoc modo:* Concede quæsumus, omnipotens Deus, ut his muneribus, quæ pro Sanctorum Martyrum Gerbasi et Protasi honore deferimus, et te placemus exhibitis, et nos vivificemur acceptis. *Post communio eadem, hic in festo, quæ ibi in Vigilia.*

pro Vigilia et festo,

113 *Gregorianus Codex easdem quas Gelasianus Orationes præscribit pro unica Missa, absque Vigilia: neque dubitandum, quin proprius Introitus,* Loquetur Dominus pacem in plebem, et super Sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor *qui Introitus etiam in antiquissimis quibusque tam impressis quam manuscriptis Missalibus invenitur) nihil inquam, dubitandum, quin is S. Gregorii sit, sic enim Durandus scribit lib. 7 cap.* 13 In festo SS. Gervasii et Protasii cantatur ex institutione Gregorii Introitus, Loquetur Dominus pacem, ex eo quod tali die pax, inter Romanorum Imperatorem et Agilulfum Regem Longobardorum, extitit reformata: quem Re- C gem Theodosia (*imo* Theodolinda *patrio nomine*) ejus uxor Christianissima, cui Gregorius librum Dialogorum scripsit, ad finem convertit. Officia namque Sanctorum partim conveniunt ipsis Sanctis, partim his eventibus qui in ipsorum evenere diebus. *Hæc ille Sigonius lib.* 1 *de regno Italiæ addit, quod tali quidem die* convenit; *sed primum* III Kalendas, in festo Apostolorum eadem jurejurando utrimque magna ceremonia confirmata est: quo nuntio erecta Italia, ingenti gaudio exultavit. *In his nescio an non sit aliqua rerum temporumque confusio: vereor enim ne lætitia* Gregorii, *isto Introitu testata, non tam spectet pacem, quam spem pacis, siquidem ad biennium tantum convenerat, vivente* Gregorio *et imperante Mauritio, anno* DXCIX; *neque satis certo scitur, quod ea utrimque fuerit subscripta: constat id autem de ea pace, quæ anno* DCIV *coaluit: sed si ea signata coaluit* XIX *Junii, coaluit post mortem* Gregorii, *obitam* XII *Martii.*

Ex Gregoriano pro festo dumtaxat,

cum Introitu de Pace.

114 *Transeo ad Breviarium Mediolanense, quale habemus anno* MDCXXXIX *excusum, ubi hujusmodi Hymnus ad Vesperas cantandus proponitur, veteri ac simplici cultu.*

Hymnus in Breviario,

Grates tibi, Jesu, novas, novi repertor muneris.
Protasio Gervasio Martyribus inventis, cano. D
Piæ, latebant hostiæ, sed non latebat fons sacer:
Latere sanguis non potest, qui clamat ad Deum Pa-[trem.
Cœlo refulgens gratia, artus revelavit sacros:
Nequimus esse Martyres, sed reperimus Martyres.
Dic quis requirat testium voces, ubi factum est [fides?
Sanatus impos mentium, opus fatetur Martyrum;
Cæcus recepto munere mortis sacræ meritum [probat:
Severus est nomen viro, usus minister publici:
Ut Martyrum vestem attigit, et ora tergit nu-[bila;
Lumen refulsit illico, fugitque pulsa cæcitas.
Soluta turba vinculis, spiris draconum libera;
Emissa totis urbibus domum redit cum gratia.
Vetusta secla vidimus; jactata semicinctia.
Tactu et umbra corporis ægris salutem redditam.
Gloria tibi Domine etc.

AUCTORE D. P.

115 *Hymnum hunc ipsius esse* S. Ambrosii *secure possumus credere, Lectiones et Responsoria ad Matutinum, ex Pseudo-Philippi libello sumpta esse apparet, de quibus nihil ultra dicendum. Prima trium Orationum, in iisdem Vesperis post totidem Antiphonas can-* E *tandarum, eadem est quæ prima in Missa Vigiliæ: secunda, alibi non legitur, et est hæc;* Concede quæsumus, Domine, populo tuo veniam peccatorum, et religionis augmentum; atque ut ei tua dona multiplices, Sanctorum Martyrum tuorum Protasii et Gervasii patrocinia fac adesse, et largire præsidia. *Tertia, ad Magnificat:* Adesto Domine, supplicationibus nostris, quas in beatissimorum Martyrum tuorum Protasii et Gervasii commemoratione deferimus; ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, eorum qui tibi placuerunt meritis et intercessionibus adjuvemur. *Ad Completorium eadem quæ in Missa festi* super Sindonem. *Ad Benedictus, qualis in Vigilia super sindonem: circa quæ omnia nihil reperio immutatum in Breviario, auctoritate S. Caroli Borromæi sub annum* MDLXXXII *reformato; iterumque jussu Federici, post Gasparum vice comitem, anno* MDXCV *ejus successoris recognito, sub nota anni* MDCXXV, *tertiumque post decem annos recuso. Porro utriusque nomina, quæ in Romanæ Ecclesiæ Litaniis subjunguntur post nomina SS. Cosmæ et Damiani, post istud tertiæ recognitionis Breviarium sequuntur immediate nomen S. Stephani, ut primariorum inter martyres Patronorum: infra Canonem autem Missæ post Martyres extraneos,* F *Canoni Romano communes, ætatis ordine recensentur Mediolanensium nomina* Apollinaris, Vitalis, Nazarii et Celsi, Protasii et Gervasii, Victoris, Naboris, Felicis: *ubique autem* Protasius *primum locum tenet.*

et Orationes aliæ.

Nomina in Litaniis et Canone.

116 *Atque hæc per ecclesiasticam potestatem facta omnia; nec defuit honorandis iisdem Sanctis dignitas secularis. Hujus rei ex Archivo civitatis apud Puricellum cap.* 126 *hoc apparet documentum.* Blanca Maria Vicecomes, Ducissa Mediolani Cremonæque Domina, et Galeaz-Maria Sforzia, Vicecomes Mediolanici Ducis Egregio, et nobilibus sapientibusque ac prudentibus viris Potestati nostro, etc. Dilecti nostri. Decrevit alias Illustrissimus numquam delendæ memoriæ Princeps, Dominus Philippus-Maria, genitor et avus noster quam observandissimus, quod dies beatorum Gervasii et Protasii Martyrum, qui celebratur die XIX Junii, (quorum corpora sub altari majore, inclitissimi hujus urbis Protectoris et celeberrimi Doctoris Ambrosii, recunduntur, quorumve tum manifesta et plurima miracula, tum assidue pro nobis et hac nostra patria apud altissimum et omnipotentem Deum orationes et intercessiones fiunt) festus et celebris fieret, ac ipse beatissimi Ambrosii dies

Festum in populo sicut S. Ambrosii

decretum an. 1444,

A dies haberetur: quemadmodum Celsitudinis suæ litteris, ad eos datis die IX Junii anno MCCCCXLIV, constat. Cum igitur et nos pari devotione et veneratione gloriosis Martyribus ipsis afficiamur; cum et ejus sapientissimi et optimi Principis vestigia libenter imitemur; committimus nobis et vobis, et volumus; quod etiam per publica proclamata diem ipsum celebrari, et festum haberi faciatis; ac oblationem, quæ eo die fit ad præfatum templum et altare, proficiscamini, cum Paraticis omnibus *(id est feudali obligatione adstrictis;)* et in quo majore apparatu et solennitate fieri possit, et quemadmodum eo antelato S. Ambrosii festo fit. Datum Mediolani die quinto decimo Junii MCCCCLXVII. *Eodem tenore extare dicitur mandatum aliud, solius* Galeaz-Mariæ *nomine,* Datum Papiæ XIV Junii MCCCCLXX.

AUCTORE D. P. ac rursum an. 1467, et 1470.

§. *XI. Obscuriores quædam Sanctorum memoriæ. Vetustissimo omnium Martyrologio inscripta plurium cum ipsis nomina.*

B *Legitur in Pseudo-Philippi Libello, quod sancti fratres, mortuis pro Christi fide parentibus,* in uno cœnaculo se concluserunt, per decem annos lectioni et orationi et jejuniis vacantes. *Quærit igitur capite* 9 *Dissertationis Nazarianæ Puricellus, qua urbis parte illud extiterit cœnaculum, et num.* 6 *sic loquitur:* Illud senes etiam nunc nostri, e majorum traditione immemorabili, affirmant illic fuisse, ubi nunc, non longe a foro mercatorio, Parochialis ecclesia extat, quæ communius S. Protasii ad Monachos, et nonnumquam S. Protasii ad Quercum vocitatur: (olim quippe procera ibi quercus in propinquo stabat.) *Quandonam eo loci Monachi fuerint constituti, incompertum sibi esse Puricellus fatetur: seculi autem* IX *ac* X *profert instrumenta, quibus liquet istic fuisse* monasterium Abbatis et Monachorum, *quod deinde, cum vicino* monasterio Canonicorum S. Simpliciani *sub unius Abbatis regimine fuerit. Probatur id ex Bulla Joannis VIII, data* IV Idus Martii, indictione XIV, *atque adeo anno Christi* DCCCLXXXI, *ad* Hardericum, venerabilem Presbyterum et Abbatem sacrorum Monasteriorum, beatorum scilicet Gervasii et Protasii atque Simpliciani, necnon et xenodochii SS. Cosmæ et Damiani, quod Romanorum dicitur. *Ait autem Puricellus, postremorum Divorum ecclesiam, æque ac priores duas, intra urbem juxtaque ipsas ædes consistere, ubi nunc Monachi habitant Hieronymiani; cui junctum xenodochium, versum sit in ecclesiam* C *Parochialem, spectantem titulo juris Patronalis ad Abbatem S. Simpliciani; sic enim is nunc dicitur, ex quo pro duabus ecclesiis ac monasteriis novum unum surrexit.*

Cœnaculum loco eodem fuisse creditur ubi dein ædes S. Protasii ad Monachos

nunc S. Simpliciani ecclesiæ et cœnobio juncta:

118 Domus etiam hodie in eodem confinio cernitur, *inquit idem Puricellus,* ubi traditio pariter antiquissima est, sitam olim fuisse SS. Protasii ac Gervasii domum: in cujus rei memoriam etiam visitur ibi cubiculum, cujus parieti circumquaque a superiori parte, multis ab hinc annis, appicta extant eorumdem Sanctorum gesta. Hanc ipsam vero domum, egomet ipse, cum sene rerum ejusmodi studioso, ingressus fui: cumque partes ipsius omnes diligenter inspexissem, illas comperi revera tales, quales ipse mihi jam descripserat. Operæ igitur nostræ pretium erit, eamdem lectori nostro domum indicare. Mercatorio illo e foro quod ego supra nominabam, quodque media ferme in urbe situm est, in partem urbis Novam recta tenditur perviam, cui S. Margaritæ nomen: in ejusdem vero vici latere, quod prodeuntibus e foro dextrum est, viculus item occurrit perangustus, qui duorum murorum appellatur. Viculum ergo ipsum illac introeuntibus dextera et prima domus, angulique faciem formans, D illa est, ubi suam olim habuisse domum SS. Protasius et Gervasius dicuntur, quæ proinde parvo admodum intervallo ab ipsorum cœnaculo distabat.

atque in vicino domus eorum,

reverenter monstratur.

119 *Post ita descriptam domum Sanctorum Natalem, sequitur cap.* 23 *descriptio carceris, quem ipsi, Sanctique Nazarius et Celsus sua præsentia sanctificarunt. Qui* carcer ubinam fuerit docet, *inquit* Puricellus, inveterata et perennis traditio nobilissimi religiosissimique Monialium hac in urbe monasterii cognomento Majoris, ex eoque me docuit tempore, quo sacris ibi Confessionibus audiendis operam dare cœpi, Confessarius ut vocant extraordinarius. Monasterium hoc intra portæ Vercellinæ fines situm est, ejusque amplitudo veteres includit muros, ea in parte quæ basilicam respicit Franciscanam, olim e SS. Naboris ac Felicis, ac primum e conditoris Philippi nomine appellatam. Muris illis, e latere coctili confectis, imposita etiamnum stat turris ingens ac rotunda pariterque lateritia, quæ suas etiam speculas in culmine habet circumquaque dispositas, ac tribus est tabulatis distincta. Vetustissima igitur apud ejusdem monasterii Moniales, in præsentem usque diem, traditio viget, intimam turris ejus E partem, olim fuisse carcerem, quo SS. Protasius et Gervasius *(nos proinde dicamus etiam Nazarius et Celsus)* aliquando fuerint una detenti. Quocirca nunc etiam iidem sancti Martyres ibi parieti, ad perpetuam rei memoriam, ex antiquo appicti, et tamquam e carceris fenestra ejusque crate ferrea conspicui, cernuntur. Quin etiam propterea ibidem a Monialibus quot annis divina Officia solenniter etiam in præsens celebrantur, undevigesima Junii, sanctis Protasio et Gervasio festiva.... Præcipua vero festivitatis ejusmodi cura Monialibus incumbit illis, quibus per vices committitur cura pharmacopœiæ, monasterii usibus necessariæ; quippe quæ in eadem pariter æde infima exercetur..... Ejusmodi verro turrim, adhuc intra septa monasterii existentem, egomet aliquando inspexi diligenter et accurate, cum septa me ingredi monasterii, et illac per lapideam scalam, veteri muro recenter adstructam, transire oportuisset, ut Pœnitentiæ Sacramentum Moniali cuidam graviter ægrotanti administrarem.

Carcer in turri

antiquis urbis muris inhærente,

intra cœnobium Monialium:

120 *Capite deinde* 24 *quærit Puricellus,* Ubinam cæsus capite fuerit S. Protasius *(nam* Gervasium *sub plumbatarum ictibus coram tribunali expirasse credidit libello Pseudo-Philippi) et* Porta Jovis, *inquit,* corrupto vocabulo Zobia, fines etiam illos olim complectebatur, intra quos nunc eminet inexpugnabile F castrum, Arx Jovis propterea nuncupatum..... Intra castrum ipsum, et urbis partem illi obversam, media est ingens platea: in qua, non procul a Castri fossa, et juxta hodiernam ecclesiam parochialem S. Protasii; ut nunc vocant ad Castrum, ex altera parte adhærentem urbi, visitur in altum quatuor circiter cubitos erecta lapidea columella, ferreis cancellis circumdata et certis insculpta characteribus: *quibus notatus annus cum apud auctores diversimode legeretur expressus; Tristano Calcho ad annum* 272, *numerum* LVII *notante; Riferra a Navero, in vita Italica Sanctorum impressa* 1604, *annum* LVIII; *Innocentio Ecclesia, in Vita S. Syri,* LIV; Ego, *inquit Puricellus,* veritatis inveniendæ cupidissimus, characteres illos multoties, et solus, et una cum amicis oculatissimis ac litteratissimis, diligentissime inspexi: semperque tam sociis quam mihi annus ille visus fuit LVII, *tota autem inscriptio sic habere dicitur:* In hoc loco, ubi fixa est hæc columpna, decapitatus fuit Sanctus Prothaxius, anno ab incarnatione Domini LVII, sub Comite Astaxio. *Ad hæc recte notavit Calchus,* nec verba ipsa, nec characteres litterarum, illis temporibus *quibus passus est Sanctus* congruere; quippe

locus martyrii, ad arcem Jovis,

ubi nunc columna cum inscriptione,

A quippe longe posterius et a parum peritis sculpta columna fuit: *quod sane vel ex annorum Epocha patet, cujus ab Incarnatione Dominica sumptæ apud Mediolanenses, nullum exemplum se reperisse fatetur Puricellus hic num. 7 ante annum* DCCCLXVI.

121 *Donatus Bosius, in Chronico Mediolanensi de Columella illa sic scribebat ad annum* MCCCLXVIII: Hoc anno Barnabas Vicecomes arcem, aut verius palatium, quod magnitudine sua spatium a Porta Tonsa ad ædes Divi Nazarii occupabat, fundat sequentique anno totum opus completum est. Galeacius quoque, ad æmulationem fratris, arcem Portæ-jovis fundat, ob quam causam templum Divi Protasii, quod fuerat ubi nunc ante arcem columella cum ærea Cruce visitur, ac plurimas sub ea parochia domos diruit. *Hinc tria sic concludenda existimat Puricellus:* Nempe, templum illud ibi conditum fuisse, tamquam in loco in quo vere Protasius decollatus fuit: deinde erectam ibi columnam illam tunc saltem, quando templum illud dirutum fuit (quemadmodum etiam indicant dictiones illæ Columpna, Protaxius, Astaxius, per ea quidem tempora et non antiquitus sic scribi solitæ) velut in aliquale supplementum ipsius templi ne Protasiani martyrii, eo præcise loco consummati, memoria interiret: denique tunc etiam procul a Castro novam ejusdem Martyris ecclesiam Parcchialem ibi constructam, ubi nunc restaurata hodierna consistit..... Templum vero ipsum illic extitisse mihi videtur, antequam nova et ampliora urbi nostræ, per Fridericum anno MCLXII dirutæ, mœnia circumstruerentur anno MCLXXI, atque templum ipsum mœnibus istis includeretur. Itaque factum hinc arbitror, ut (sicut in vetustioribus libris, quibus Litaniæ triduanæ Ambrosiani ritus sunt descriptæ) illud quod antea absolute vocabatur Ecclesia S. Protasii in Campo, postmodum appellatum sit de Campo intus; ut per hujus adverbii additamentum indicaretur, ejusmodi ecclesiam, quæ foris restrictiorem murum erat, postmodum inclusam fuisse ampliori muro; sicque distingueretur ab altera ejusdem Martyris ecclesia in Campo foris, quæ nunc etiam inter Parochiales ecclesiæ S. Simpliciani fines continetur, et cujus mentio frequens occurrit in publicis ejusdem S. Simpliciani ecclesiæ et monasterii monumentis.

circa an. 1368 posita loco ecclesiæ S Protasii,

ante an. 1171 olim erectæ,

B

uti et alia foris muros.

122 *Porro cancellis, præfatæ Columellæ circumductis, marmorea inseritur tabula, a Puricello item diligenter inspecta, hunc recentiorem titulum legendum spectantibus offerens:* D. O. M. Philippo III, Hispaniarum Rege et Mediolani Duce, D. Joseph Vasques de Acunha, hujus arcis Præfectus, D. Ambrosii et B. Caroli Borromæi, hujus civitatis Episcoporum, exemplo commotus; quorum ille, Numine divino afflatus, S. Protasii corpus invenit; hic, ejusdem diem festum anniversarium celebrari jussit; quo ejusdem Sancti et Arcis parochialis ecclesia magis illustraretur, lapidem sub hac columna in quo tantus Martyr, hujus civitatis et arcis simul defensor, securi percussus fuit, ad excitandam militum et piorum religionem, in tenebris multos annos jacentem, in lucem revocari curavit, anno Domini MDCII, die XVIII Junii. *Quibus duo indicari videntur; quod scilicet traditio erat, isto ipso in lapide qui Columnæ pro basi est, percussum Sanctum; deinde eumdem lapidem, non vero etiam Columnam, delituisse humi prius stratum ante columnam, et ingesta desuper terra paulatim obtectum; tunc vero elevandæ altius Columnæ prædictæ pro basi suppositum. Utrumque ignoravit Riferra, quando scripsit,* columnam humi jacentem latuisse usque ad annum Domini MDCII; atque tunc a fossoribus, qui Castri planitiem, tumulis altiusculis inæqualem, in planum redigebant, inventam fuisse, jubenteque arcis Præfecto erectam. *Denique ex eadem inscriptione etiam intelligitur, Sanctorum festum, cujus in populo celebrandi legem vel condiderat primus vel desuetudine antiquatam restituerunt seculo* XV *Duces Mediolanenses, per ejusdem temporis supinam negligentiam tam cito fuisse obscuratam; ut necesse fuerit proximo iterum seculo (nam S. Carolus anno* MDLXXXIV *obiit) ipsum quasi novum præscribi anniversarie agendum.*

C

Columnæ suppositus an. 1602 lapis,

super quem creditur plexus Martyr.

D

AUCTORE D. P.

123 Satis hactenus de Columna dictum, *inquit sub finem Capitis Puricellus* sequitur ut aliquid etiam dicamus de hodierna S. Protasii ecclesia, quæ illic e regione constructa, et recenter ab hodierno Rectore Ludovico de Veteribus, Sacerdote profecto et litteratura, et prudentia, et integritate, et rerum ecclesiasticarum peritia mihi semper viso admirabili, restaurata perseverat. Parochialis illa est, et inter ecclesias Portæ Cumanæ computatur, castrum etiam ipsum illi subest.... in eaque celebratur festivitas Sancti undevigesima Junii, hoc præsertim ordine. Prælata per Clericum Cruce, frequens e Clero cœtus, in id congregatus et superpelliceis indutus, Diaconus item Subdiaconus, suas gestantes Dalmaticas; ac denique Sacerdos, Missam solenniter celebraturus, sacro paludamento sive pluviali decorus, una omnes e Parochiali domo per anteriorem portam procedunt; ibique ante altare primarium paulisper orantes subsistunt. Mox præmisso per eumdem Sacerdotem, Dominus vobiscum, gressus inde dirigunt ad columnam (quæ quidem hac ipsa die pannis in alto et peristromatis ornari solet) pergentesque concinunt alternatim Canticum, Benedictus. Cumque ad columnam pervenerint, ibi canunt Psallendum Martyribus communem, Justi et Sancti in Domino gaudete etc. ac Sacerdos accinit Orationem SS. Protasii et Gervasii propriam; eamque demum de more concludit, superaddens, Benedicamus Domino; Clerusque, Deo gratias, respondet. Protinus autem vicissim e castro, ad festivam lætitiam, cum ingenti fragore, multa et mediocris et prægrandis magnitudinis mortaria ænea displloduntur, in ea muri parte quæ Columnam respicit disposita.

Ad illam quotannis, ex translata paulo longius ecclesia,

E

instituitur solennis supplicatio;

124 Interim Clerus, eodem quo processerat ordine, revertens ad ecclesiam, Psalmos decantat: universique medium ecclesiæ ingressi, sese dividunt in duo hinc inde latera, vultibus utrimque obversis, et utrumque latus claudente Sacerdote ad primarium altare converso: ibique, secundum receptissimum ecclesiæ Ambrosianæ ritum, duodecies concinunt Kyrie eleison: indeque tandem proceditur in Odæum. Ibi ergo Sacerdos pro Pluviali Planetam induit, ac Missam protinus exorditur, Sanctorum nempe Protasii et Gervasii propriam; et ita in locum solitæ post primam orationem Lectionis, legitur e manuscripto codice pergameno propria eorumdem Martyrum Passio, sicut in Philippi continetur libello. Eidem vero solenni Missæ Præfectus etiam Castri adesse solet, vel ejus saltem Vicarius; velut in expressiorem testificationem religiosi cultus, quo Tutelarem suum ac Patronum Protasium, totius etiam Castri nomine, prosequuntur. *Atque hæc de reliquis* SS. Protasii et Gervasii *memoriis, quas in titulo obscuriores dixi: non quia nunc palam expositæ non sunt; sed quia earum veneratio nititur traditione per quam obscura et incerta. Quomodo enim post tot secula certo potuit definiri, ubi domus, carcer, supplicii locus eorum fuerint, quorum vix nomina nota erant, quando corpora Ambrosius reperit?*

qua regressa in Ecclesiam,

F

sub Missa recitatur Passio.

125 *Quod si obscura censeri debent ista, longe obscurissimum est, quod asserit Puricellus corpora, in Philippi suburbana domo aliquamdiu condita jacuisse, prius quam inferrentur in urbem, eo loco ubi a S. Ambrosio sunt reperta. Equidem num. 5 censui, non aliam causam fuisse condendi, eo ubi reperta sunt loco, intra urbem Sanctos Naborem et Felicem, quam quia ibidem*

Incerta traditionum istarum origo,

AUCTORE D. P.

A *ibidem habebantur (utique a principio et persecutione fervente) condita corpora* Sanctorum Gervasii et Protasii; *idque mihi suasit integritas ossium, non solum singulorum, sed universorum, his verbis expressa;* Apparent.... Reliquiæ, loco suo et ordine repertæ: avulsum humeris caput etc. *Quid enim est,* Loco suo et ordine? *nisi servata adhuc forma sceleti humani duplicis; quo sic reperto, statim judicare licuit esse virorum* miræ magnitudinis; *licuit etiam ex una, intra quam compositi Sancti reperiebantur arca, educere seorsim cujusque singulariter ossa, et (ut loquitur Paulinus) corpora singula* in lectis singulis *ponere: quorum vix quidquam licuisset si effossa humo corporum resolutorum ossa, jam antea semel translata de loco in locum fuissent. Sicut autem Ambrosio curæ non fuit, id quod nunc aliquando fit, filamentis argenteis colligata ossa singulorum corporum, in ea qua reperit forma servare composita; sed satis habuit singula singulis arculis lectisve colligere: sic etiam non fuit iis, qui effossa retulerunt in urbem. Eodem facit* sanguine madens tumulus *tempore inventionis, utique in primo sepulturæ loco: nam translatis ex primo in secundum locum ossibus, collectus fuisset in phialas cruor, fluidus præter* B *naturam repertus.*

et multo magis, quod foris sepulta corpora, illata in Urbem sint ante S. Ambrosium,

126 *Posita autem quod idem fuerit sepulturæ qui inventionis locus, nihil opus nobis est quærere* Domum hortumque Philippi, *uti Capite toto* 25 *facit Puricellus, ideo tantum quia ille fingitur dicere in libello;* Furtim abstuli corpora, et in domo mea in ista arca marmorea sepelivi: *quæ domus* extra muros urbis, haud procul a silice viæ Ticinensis, sita erat, *uti legitur in Vita S. Castritiani, qui ipsam* in domum sacratam orationis convertit, ut ibi quotidianas precum victimas, jugesque Christi Sacramentorum fidelibus coram hostias immolaret. *Si tamen primum sepulti fuissent Sancti,* in Polyandrio Philippi, *ut loquitur Calcus* quod nunc spatium Ambrosiana æde cœnobioque occupatur, *relati fuissent eo, unde ante inventionem sublati fuerant: et hoc non potuisset non observari ab Ambrosio, eique coævis, si vere invenissent, una cum corporibus libellum, ex quo consequentia illa ducitur. Hæc enim nemini non fuisset obvia, qui libellum accurate legisset: scivissetque ibi fuisse Domum hortosque Philippi, ubi tunc Ambrosiana ædes stabat. Quod autem illi ignorarunt, quis credet posteris innotuisse tam diu post rem actam?*

et ab hoc relata in eumdem unde ablata locum

127 *Antiquissimum Occidentalis Ecclesiæ Martyrologium, quod S. Hieronymo passim adscribitur, in* C *Epternacensi annorum plus quam mille ecgrapho, diem hunc ita exorditur:* XIII Kal. Julii, Mediolani, Gerbasi et Protasi, Nazarii et Celsi pueri. *Eadem eodem modo leguntur in MSS. Corbeiensi et Blumiano: Recentius illis Lucense utrumque sic habet:* In Mediolano Natalis Sanctorum Nazarii Gervasii Protasii et Celsi: *quæ distinguens, ut omnino sunt distinguenda, Notkerus:* Mediolani, *inquit,* Nativitas sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii: *et, post longum ex Philippi libello elogium,* Item ibidem, juxta Martyrologium S. Hieronymi, Nativitas S. Nazarii et Celsi pueri. *Melius abesse titulum* Natalis *nemo potest dubitare: cum hic sit dies Translationis duorum priorum: qui in Vetustissimo Carthaginensis Ecclesiæ Kalendario, itemque in genuino Beda ac MSS. Augustano atque Pragensi soli leguntur; soli item, sed ordine contrario, sic ut primus sit* Protasius, *in MS. Rhinoviensi et Richenoviensi, itemque in pervetusto Germanico*

In Mrlgio Hieronymiano

tam 19 Junii

quod nuper vulgavit Matthias Fridericus. Verum conjunctis ab antiquo nominibus simul quatuor, quæritur an verosimile sit eumdem diem omnibus pariter Natalem fuisse, aut saltem SS. Nazario et Celso, *quorum Translatio colitur* V kal. Augusti, *quando in Epternacensi et Blumiano Hieronymiani Martyrologii ecgraphis solum legitur, idque ultimo loco,* Mediolani Nazarii et Celsi: *in Corbeiensi autem et Lucensi, ultimo similiter loco,* Mediolano Natalis Sanctorum, *vel,* In Italia civitate Mediolani, Sanctorum * Gervasii et Protasii, Nazarii et Celsi pueri. D

128 *Dixerim ergo, antiquam fortassis Mediolanensis Ecclesiæ consuetudinem fuisse, ut omnes quatuor utroque die simul colerentur, etsi unus unis, alius aliis dies proprii essent; ad eum fere modum, quo Romana ecclesia ad singula festa S. Petri Apostoli consuevit facere commemorationem S. Pauli, et contra; ut veluti æquali Patronatus jure colendi indicentur. Idem est judicium Eruditissimi Florentinii in Notis ad vetustissimum istud Martyrologium;* consuevisse *videlicet* omnes *quatuor,* quamquam diversi Ordinis fuerint, sub una celebritate Mediolani venerari. *Ac rursum paulo post iterat suum illud judicium, cum notat, quod* Stylo hujus vetustioris Martyrologii, Sancti simul venerati non disjunguntur, quamquam dies Natalis in cœlis non idem omnibus sit. *Addo ego. Quamquam etiam singulis cultus præcipui sui dies diversus fuisset ab eo, quo communem istam venerationem habent; ut in his patet, quibus dies* XIX *Junii, et* XXVIII *Julii Translationum dies sunt.* E

quam 28 Julii conjunctim referuntur quatuor;

129 *Dico tamen,* Fortassis: *quia etiam alia haud parum verosimilis ratio mihi se offert; videlicet, quod rou m sic simul relatorum Passiones sub unius historiæ contextu continerentur; et occasione unius aut duorum, tali quo referuntur die colendorum, ceteros simul placuerit nominare. Certe quod talis aliqua de Sanctis* Nazario et Celso, Gervasio et Protasio, *post mortem S. Ambrosii ejusque Vitam a Paulino digestam, fuerit Mediolani composita, quæ certo compertis incompertas conjecturas miscuerit, circa tempus auctoresque Martyris eorumdem; persuasit mihi Vitarum Episcopalium Scriptor, seculo* VI *florens. Talis autem historia prœluxerit Martyrologium colligenti Hieronymo, vel alteri minus quam ille erudito, ipsumque supplenti, sicut Beda fuit suppletus a Floro; initio* §. 4 *hujus Commentarii allegato.*

aut quia simul celebrabantur Mediolani,

130 *Cum autem in ea historia etiam nominarentur, parentes* SS. Gervasii et Protasii, Vitalis et Valeria *Martyres, illi, vero occasio profitendæ publicæ fidei fuerit vacillans sub ictum lictoris* Ursicinus, *in proposito per Vitalem confirmatus, ac forte alterutri socius additus* Marcellus, *de quo alibi necdum quidquam legimus, cumque Martyrum nominibus pæne vacuus esset hic dies* XIX *Junii; visum sit istos quoque sub finem addere hoc modo;* Alibi [Valeriæ], Marcelli, Vitalis Ursicini, *juxta vetustissimum Epternacense Ecgraphum. Quod scribenti librario, exciderat nomen* Valeriæ, *in aliis tribus ecgraphis primo loco notatum fuit; sicut horum scriptoribus exciderat particula* Alibi, *prorsus necessaria, ne Romæ pariter cum prægressis aliis passi etiam illi viderentur; quorum* Valeria *Mediolani credebatur obiisse, ex verberibus in reditu per Paganos inflictis, duo alii martyrio erant coronati Ravennæ. Augustinus Calcagninus supra laudatus existimat veterem aliquam* S. Ursicini *translationem hoc die recoli; sed ea plane gratuita conjectura est.* F

qua de causa simul quoque nominati sint Valeria et Marcellus,

Vitalis et Ursicinus.

NOT. 18

DE

DE SS. HONORIO, EVODIO, PETRO,

MARTYRIBUS ROMÆ

ET ALIBI MARCELLI MARTYRIS.

G. H.

Cultus in Hieronymiano, sepultura in cœmeterio S. Hippolyti.

XIX JUNII.

Cœmeterium ubi situm.

Vetustissimum *Martyrologii Hieronymiani apographum monasterii Epternacensis, ita proponit hos Martyres*. Romæ Honori, Evodi, Petri, *MS. antiquum Reginæ Sueciæ, vulgatum ab Holstenio in Animadversis ad Martyrologium Romanum, locum sepulturæ assignat his verbis :* Romæ, in cœmeterio Hippolyti, natale SS. Honorii, Evodi, Petri. *Dictum autem* S. Hippolyti cœmeterium *ubi ejusdem scilicet corpus conditum fuerat, erat in agro Verano via Tiburtina, prope B. Cyriacæ cœmeterium, si non idem censeri debet. De illo Anastasius* B *Bibliothecarius, in gestis Hadriani primi Papæ, hæc scribit :* Simul et cœmeterium B. Hippolyti, juxta S. Laurentium, quod a priscis marcuerat temporibus, a novo renovavit. Pari modo et ecclesiam Beati Christi Martyris Stephani, sitam juxta prædictum cœmeterium S. Hippolyti, similiter restauravit. *Hæc ibi. Fuit S. Hippolytus sub Valeriano Imperatore martyrio coronatus* XIII *Augusti, qui aliis hisce Martyribus adjunctus est in apographis Corbeiensi, Lucensi, Blumiano his verbis :* Romæ Hippolyti, Honorii, Evodi, Petri. *Eodem autem modo memorantur illi in MSS. Gellonensi, Augustano S. Udalrici, Parisiensi Labbei, Pragensi et Florentinis tam Magni Ducis quam Strozzii Senatoris, Bruxellensique S. Gudulæ. Et,* Evodio *omisso, in MSS. Barberino, Leodiensibus SS. Lamberti et Laurentii, necnon Trevirensi S. Maximini. At MS. Richenoviense ista solum habet :* Romæ Evodi, Petri.

Nomina in variis MSS.

plures illis aliunde additi

2 *Subjungebantur in apographo Epternacensi ista verba :* Alibi Marcelli, Vitalis, Ursicini. *In MS. Richenoviensi illa sic legebantur.* Alibi Valeriæ, Marcelli, Vitalis, Ursicini. *Ad quatuor hæc nomina omissa particula* Alibi *annectebantur Martyribus Romæ passis in apographis Lucensi, Corbeiensi, Blumiano, MSS. Florentinis et aliis. Verum hos* Alibi *passos, et quidem diversis locis, omnino arbitramur : repetuntur etiam* SS. Vitalis et Valeria *cum Sanctis* Gervasio et Protasio *hoc die coronatis. Ex his* Valeria mediolani *creditur expirasse* Vitalis Ravennæ *Martyrium complevit : quorum Acta ut conjugum et parentum duorum prædictorum germanorum, conati sumus illustrare ad diem* XXVIII *Aprilis, in Supplemento correcturi, si rebus nunc penitius examinatis quædam ex ibi dictis retractanda videantur.* Ursicinus *celebris* Martyr Ravennas *hoc die colitur, de quo jam supra egimus separatim.* Marcellus *hic quoque relatus, tamquam alibi passus quam Romæ, videtur cum prænominatis duobus postremis Ravennæ tribui posse donec melior conjectura occurrat : interim hic seorsim ab aliis præponitur. Idem in Barberiniano MS.* Marcellinus *nominatur.* E

Imprimis Marcellus ut alibi passus

DE SANCTIS MARTYRIBUS

GAUDENTIO EPISC. ET CULMATO DIAC.

ITEM ANDREA ET LIII EX FAMILIA EJUS

C

ARETII IN HETRURIA

F

COMMENTARIUS PRÆVIUS

D. P.

De cultu temporeque martyrii, ordine Episcoporum variisque Gaudentiis.

D. P.

POST AN CCCLXIII.

Cultus.

Acta ex MSS.

Aretii, *urbe Hetruriæ Episcopali, coronati fuere martyrio plurimi athletæ Christi ; ex quibus ad diem tertium hujus mensis Junii celebravimus* SS. Pergentinum et Laurentinum, *sub Imperatore Decio passos, cum aliis anonymis quadringentis, quos ex antiquis monumentis adjunximus. Ad hunc vero diem* XIX *Junii Tabulæ Martyrologii Romani alios assignant his verbis :* Aretii in Tuscia, Sanctorum Martyrum Gaudentii Episcopi et Culmatii Diaconi, qui tempore Valentiniani, furore Gentilium cæsi sunt. *Ubi in Notis Baronius inquit ;* Horum Acta accepimus ab Ecclesia Aretina. *Eadem nos Romæ invenimus in bibliotheca Vallicellana Reverendorum Patrum Congregationis Oratorii in Tomo* N *ex collectione Antonii Gallonii, atque ea hic damus. Eorum compendium habet Ferrarius. Porro in illis Actis invenimus* alios quinquaginta tres pro Christo occisos, *scilicet* Andream, conjugem, filios, servos, et omnem familiam : quos Deus sibi gloriosos Martyres consecravit.

Eorum compendium habet Ferrarius.

2 *Factum id esse* circa annum CCCLXIV *ad marginem Martyrologii adjunctum est, anno quo Valentinianus fuerat in Imperatorem electus, die* XXV *Februarii ; sed quia is dies bissextus, adeoque funestus habebatur, maluit sequenti* XXVI *Februarii coronari. Ughellus Martyrium istud differt usque ad annum* CCCLXXXII ; *acsi res acta esset sub Valentiniano Juniore, qui patri successit anno* CCCLXXV ; *eoque motus videtur, quia dicitur in Actis , quod cum* Marcellianus, *Aretii* Præses, *etiam* post mortem Juliani, *a quo missus fuerat,* usque ad tempus Valentiniani ibidem maneret, non cessarit exercere tyrannidem ; ita ut quosdam Episcopos, *cum suis Clericis, sine audientia puniret, usque ad tempora* Gaudentii. *Objectioni autem sibi paratæ occurrens idem Ughellus,* Haud vero, *inquit,* miseris, Lector, sub Imperatore Christiano viros Christianos,

Tempus verosimiliter an. 361

A AUCTORE D. P.

Christianos, ac sanctimoniæ laude florentes, potuisse crudeli violentaque morte mulctari. Valentinianus in sui Principatus exordio, civitatum administris Gentilibus usus est, *potissimum quando illi jam ante sua tempora in ea dignitate fuerant constituti; ut hic factum fuisse, non esset inverosimile, si solum ageretur de primis Valentiniani annis, et iis quos* sine audientia punivit Marcellianus, *uti dicitur num.* 1; *aut etiam de Andrea ejusque familiaribus, quos noctu, per immissos in domum eorum satellites, decollari idem præcepit num.* 4.

non 382

3 *Sed cum dicatur impius ille sic egisse* usque ad tempus Gaudentii Episcopi, *quasi per plures annos a suo adventu, interimque* Episcopos quosdam cum suis Clericis *sic punivisse, acsi intelligeret medios inter* Gelasium, *a quo fuerat* Andreas *cum familia baptizatus et ipsum* Gaudentium, *quos omnino quinque Ughellus nominat; pæne incredibile id videtur: maxime cum dicatur* Gaudentius, *prædicatæ fidei causa adductus ad tribunal, et interrogatus,* qua auctoritate populum revocaret ad nescio cujus Christi culturam; *iterumque captus, et plumbatis cæsus, ac denique post dies quindecim in domo* Andreæ *actis, eo cum suis interfecto, extra urbem capite minutus sit pleno die. Videtur Ughellus quidem, Acta talia sequendo, potuisse ac debuisse unum saltem decennium interponere, inter Juliani mortem et* Gaudentii *Martyrium: sed hinc ipsamet Acta incipiunt suspecta fieri ordinis temporisque turbati. Unum alterumve Episcopum anno* CCCLXIII *inaudita causa cæsos a Marcelliano, ipsumque etiam* S. Gaudentium *cum sociis, prius quam Valentinianus I, in Occidentem proficisceretur libentius crediderim; aut saltem illo contra Alemannos agente et absente: sed addiderim, quod is deinde Mediolanum regressus, audita Marcelliani tyrannide, ipsum officio moverit. Nulla certe ratione admiserim, ei licuisse persecutionem tam manifestam exercere tot annis etiam sub Valentiniano seniore. Itaque plerosque eorum quos* S. Gaudentio *præponit Ughellus, post ipsum ejusque quatuor successores,* Decentium, Laurentium, Eusebium, Gallium, *pro anno* CCCCLXVII *notum, sedisse dicam, inter hunc et Benedictum pro anno* DI *nominatum; et sic implebo seculi dimidii lacunam.*

proinde corrigenda series Episcopalis Ughelli ipsaque Acta.

B

4 *Masinus in Bononia perlustrata indicat* Bononiæ in ecclesia S. Joannis in Monte *Canonicorum Regularium Lateranensium esse insignes Reliquias* S. Gaudentii *Martyris Roma anno* MDCLII *acceptas, et refert ad hunc* XIX *Junii, quo* S. Gaudentius *Episcopus Aretinus et Martyr colitur, quasi possent ejus Reliquiæ fuisse, quod non continuo admiserim. Facilius præsumpserim, ejusdem aut similis Martyris ossa esse quæ Bononiæ haberi in ecclesia Sanctorum omnium via Braina scripsit Valerius Comes de Zanis; addens Roma allatas, cum inscriptione vetustissima characteribus impolitis formata. Sed quis prudenter hic divinaverit? cum ex multiplicitate Gaudentiorum quos novimus, colligi possit longe plures esse quos ignoremus. Ex notis autem modo in calamum veniunt,* S. Gaudentius Episcopus Novariensis, *a nobis relatus* XXII *Januarii; et* S. Gaudentius Episcopus, Veronensis, XII *Februarii. Imo* S. Gaudentius, Martyr et Episcopus Ariminensis, *sub Constantio occisus, referendus erit ad* XIV *Octobris.*

Varii alii SS. Gaudentii,

C

5 *Sed et alius* Gaudentius Martyr *sub Vespasiano, visus est Lucæ Holstenio, aliisque Romæ eruditis, repertus anno* MDCL; *indicio Epitaphii satis rudis, una cum corpore inventi, in hæc verba:*

> Sic præmia servas, Vespasiane dire?
> Præmiatus es morte, Gaudenti. Lætare,
> Civitas, Uti gloriæ tuæ auctori
> Promisit ille; dat Christus omnia tibi,
> Qui alio paravit theatrum in cœlo.

et an 1050 unus Romæ inventus.

Lucas Holstenius aliique id sic interpretabantur, quasi Amphitheatri a Vespasiano ædificati (Colossæum dicunt, a colosso Neronis ibi olim posito) architectus fuerit iste Gaudentius: *qui absoluto opere, quo nullum erat tota Urbe præstantius, et unde* auctor gloriæ *suæ merebatur a Civitate nuncupari, mortem præmii loco acceperit, propter fidem Christi, a quo præstantius Theatrum paratum in cœlo credebat. Non displicuit conjectura: sed super ea consultus cum P. Henschenio, post nostrum Roma reditum, nihil aliud potui respondere, quam haud ineptam videri: talem tamen ut fundando cultui, satis esse non videretur, nisi simul cum corpore reperta fuerint alia quædam adminicula et argumenta martyrii: quo casu petivi diem Translationis, in aliquam ecclesiam faciendæ, doceri. Quoniam autem ab interrogantibus mittebatur indiculus Martyrum, in isto Amphitheatro passorum, et apparebat zelosos istos propendere ad conjecturas consuendas, dissuasi ne facerent: quia quæ nunc per conjecturas constituta fuerint, post aliquot secula assumentur et affirmabuntur ut certa; quo nihil perniciosius potest in re historica accidere, accidisse autem nimis quam sæpe frequenti experientia deprehendimus.*

D

E

ACTA MARTYRII

Ex MS. Aretino Romæ invento.

Tempore, quo Quadratianus *a* Augustalis præcepto *b* Juliani Cæsaris Romam reversus est et in palatio ejus utpote triumphator, jussaque Regis bene perficiens, honorifice reciperetur; tunc ab eodem Juliano Marcellianus Præses missus est Arretium, sicque cum suis militibus divertit ad civitatem: cui populus civitatis indesinenter occurrit, et lætatus est Præses Marcellianus, et fecit sacrificium Deo Jovi. Gaudebat civitas cuncta, tanto decorata Præside, et magnificabatur nimis: sicque factum est, ut post mortem Juliani Cæsaris, usque ad tempus Valentiniani Christianissimi Regis ibidem *c* maneret. Cum vero tota Tuscia jam Christo crederet, solum *d* Arretium gentili detinebatur errore, cuncto tempore Marcelliani non cessantis in Christianos sævam exercere tyrannidem; ita ut Præses ille quosdam Episcopos cum suis Clericis sine audientia puniret. Hoc vero factum est usque ad tempus Gaudentii Episcopi. Ipse vero B. Gaudentius, non longe a civitate, simul cum Clericis suis Dicentio Presbytero et Culmato Diacono latitabat. Pagani autem auditis miraculis, quæ Deus per illos operabatur, et quia populus quotidie ad Christum convertebatur, insidiabantur eis: et dum omnia, quæ B. Gaudentius faciebat Marcelliano Præsidi retulissent, cœpit idem Præses cogitare, qualiter eos capere posset. Qui missis satellitibus suis jussit illos comprehendi, et suo præsentari conspectui. Denique dum B. Gaudentius corpore et sanguine Domini participatus esset antequam Missam perageret, captus a militibus una cum Culmato Diacono, ductus est ante conspectum Præsidis. Quos ut vidit Marcellianus Præses cœpit eos interrogare, dicens: Qua auctoritate hæc facitis, ut populum hujus civitatis ad nescio cujus culturam Christi, quem Deum dicitis, revocetis? Cui S. Gaudentius respondit: Nos servi Christi confidenter agimus, ut idola, in quibus dæmones habitant, deserantur; et unus verus Deus qui ubique regnat, ubique permanet, adoretur, veneretur, credatur. Quibus Marcellianus Præses dixit Parco modo vobis: ite, sanum consilium capientes, ut ante nostrum conspectum facie tenus præsentari possitis.

a *b* *Sub Martiano Præside,* *c* *d*

SS Gaudentius et Culmatus miraculis clari,

F

capiuntur

et dimittuntur.

2 Dum autem a conspectu Præsidis secederent, iverunt in quamdam Villam, quæ Tuta vocabatur, quia ibi fons erat, ubi Pantheos ritu gentis celebrabatur;

Multos convertunt, baptizant, sanant

A brabatur; unde tutamen populo haustu illius fontis fieri dicebatur, et ibi apud Christianum quemdam, nomine Saccinum, habitare cœperunt, quotidie non cessantes ad veri Dei culturam populum invitare. Baptizabat autem in rivo, qui ibi juxta erat. Nam quia lucerna Dei, quin luceret in tenebris, latere non potuit; undique, qui aliqua detinebantur ægritudine, veniebant ad eum: et unda baptismatis perfusi, ac sacro liniti chrismate, sani ac alacres remeabant ad propria. Audiens hæc Marcellianus Præses, furore arreptus, jussit B. Gaudentium Episcopum comprehendi, una cum Clericis suis, et ante suum conspectum deferri. Denique euntes ceperunt eum in supra dicta villa, simul cum Culmato Diacono: Dicentius namque non erat cum illis. Dum autem a militibus ducerentur B. Gaudentius Episcopus et Culmatus Diaconus, auditum est in civitate illos advenire. Cœpit vero populus turmatim ad theatrum concurrere. Tunc Præses Marcellianus sedens pro tribunali, silentium fieri postulavit. Tandem clamore sedato, sic eos allocutus est Præses: Quæ sunt maleficia vestra, ut mentium alienatores ad veri Dei cultum sine aliqua cunctatione vocetis? Cui S. Gaudentius Episcopus respondit: Vos si sanam haberetis mentem, hoc magis Dei omnipotentis beneficio quam dæmonum imputare deberetis: sed quia cor vestrum a principe tenebrarum cæcatum tenetur; ideo hanc amentiam vestro ore multifarie personatis. Tunc Præses nimium iratus jussit, ut eum plumbatis diutissime cæderent. Illi vero Deo gratias agentes, dicebant: A timore inimici eripe animam nostram. At Marcellianus jussit in carcerem retrudi, et præcepit ut cum summa diligentia Pagani custodirent, et neque panem neque aquam darent eis.

Iterum capti

B

plumbatis cæsi, in carcerem includuntur

3 Medio noctis tempore ecce Angelus domini venit cum magno lumine illisque panem cœlestem tribuit. Videntes autem custodes tantum lumen, non dederunt gloriam Deo, sed furioso impetu in ipso lumine irruentes, ab Angelo Dei percussi in terram mortui ceciderunt. Mane autem facto dictum est ab omni populo, ut ad thurificandum ducerentur ad theatrum. Illis denique euntibus carcerem invenerunt apertum, et quosdam custodum mortuos jacentes similiter repererunt. Tunc omnes populi hoc audientes, infinitos dabant clamores ad cœlum; et extrahentes illos de carcere ad theatrum duxerunt, cædendo pugnis aliisque verberibus. Tunc Marcellianus Præses dixit eis; Quo maleficio sacrilegium ac homicidium perpetrastis, indesinenter dicite. Cui S. Gaudentius Episcopus respondit; Quia videntes Angelum Dei, non dederunt gloriam Deo, ideo dedit illos Deus in reprobam mentem: sed si vultis in unum credere Deum cœli et terræ, Patrem et Filium et spiritum sanctum, vos salvi eritis, et isti qui mortui sunt resuscitabuntur. Præses dixit in hoc apparebit vos verum dicere, si hoc perficere potestis. Et præcepit suis, ut cum illis irent ad carcerem. Venientibus illis ad carcerem, jusserunt omnes feras egredi: Pagani vero illos deridentes dicebant, Modo apparebit virtus Dei ipsorum. Sancti vero prostraverunt se in terram, et diutissime flentes hanc orationem fuderunt ad Dominum: Qui filium viduæ suscitasti, et Lazarum jam fœtentem de monumento ad vitam revocasti; tu genitor Mariæ, tu genitus ex Maria, tu omnium creaturarum vivificator, hos homines resuscitare digneris: ut cognoscant te verum Deum creatorem omnium. Et ab oratione cessantes, ita illos sanos et incolumes reddiderunt, ut nullum signum mortis in eis appareret et cœperunt voce magna clamare, dicentes: Unus Deus Christus in cœlo et in terra, quem S. Gaudentius prædicat: et in illa hora multi crediderunt in Christum, confitentes peccata sua, remissionem quærentes ab ipso Domino Jesu Christo, qui vivit et regnat in secula seculorum.

Ab Angelo panem deferente, occiduntur custodes;

C

eorum oratione resuscitati.

D

EX MS.

In Christum cum aliis credunt:

4 Igitur per dies quindecim mansit apud quemdam Vicarium Quadratiani, Andream nomine, qui baptizatus fuerat a B. Gelasio Episcopo cum omnibus suis numero quinquaginta tres. Per hos vero dies multi veniebant ad eum, et a quacumque detinebantur infirmitate sanabantur. Audiens namque Marcellianus signa et prodigia quæ faciebant, fellea face succensus, suos convocavit lictores: et præcepit ut noctu irent ad domum Andreæ, et sine audientia omnes, quos inveniunt ibidem, decollarent. Qui jussa explentes furioso impetu intraverunt in domum Andreæ, et decollaverunt eum una cum conjuge, filiis et servis et omni familia numero quinquaginta tres; et sic infra domum illius omnes in puteum projecerunt, et ita Deus illos sibi gloriosos Martyres consecravit.

Martyrio consecrantur Andreas, Uxor, filii, servi, simul 53:

E

5 Gaudentium vero Episcopum et Culmatum Diaconum comprehendentes, duxerunt usque ad Balnea quæ erant juxta theatrum ac Nymphæas Castri; tamdiu cædendo, quamdiu spiritum exhalarent; et insuper unus ex illis evaginato gladio utrumque capite privavit; et dimittentes eos nuntiaverunt hæc domino suo Marcelliano. Tunc sequenti nocte venit Dicentius Presbyter, et sepelivit corpora e SS. Gaudentii et Culmati ibi juxta Balnea, quæ ut dixi sunt non longe a Civitate Arretii juxta theatrum et flumen Castrum. Marcellianus vero Præses, dum erga alios Christianos necem pararet, in conspectu suorum infra palatium a diabolo captus expiravit. Post necem namque Sanctorum, Dicentius Presbyter ab omni populo Præsul eligitur; post cujus electionem tota civitas Deo favente sanctum percepit baptisma, qui fabricavit Ecclesiam in honore sanctorum Martyrum, Gaudentii Episcopi et Culmati Diaconi, in eodem loco ubi decollati sunt: ubi dantur beneficia Dei eorum orationibus usque in præsentem diem. Passi sunt autem sanctissimi Martyres Christi Gaudentius Episcopus et Culmatus Diaconus in civitate Arretii sub Marcelliano Præside; natalitia quorum celebrantur tertio decimo Kalendas Julias regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

dein SS. Gaudentius et Culmatus,

e

ecclesia honorantur

et coluntur 19 Iunii.

F

ANNOTATA G. H.

a Augustales *dicebantur, qui primos in bella ordines duxerant.*

b. Julianus Apostata, *mortuo* 3 *Novembris anni* 361 *Constantio, perrexit imperare usque ad* 26 *Junii anni* 363; *cui tunc successit Jovinianus, mortuus* 17 *Februarii anni* 364 *et subrogatus est Valentinianus.*

c *Scilicet non depositus a dicto Joviniano, sed a Valentiniano facto Imperatore.*

d *Sub Juliano scilicet apostata sequentia facta videntur intelligenda.*

e *Vide quæ diximus* 3 *hujus, ante Acta SS. Pergentini et Laurentini, etiam ita sepultorum.*

DE

DE DUOBUS SANCTIS ANONYMIS

AD S. HIPPOLYTI IN AUSTRIA HONORATIS.

D. P.

De eorum inventione, cultu, miraculis seculo XIII.

In monasterio pervetusto,

Inter alia pietatis monumenta, quæ veteres Austriæ Marchiones reliquere posteris suis, ampliori Archiducum titulo nunc utentibus, numeratur S. Hyppolyti *monasterium, vulgo* Saint-Polten, quod S. Altmannus Passaviensis Episcopus insigniter restauravit, *uti scribit Gabriel Bucelinus, in sua Germania sacra. Obiit Altmannus anno* MXCII, *et colitur* VIII *Augusti. Quia autem ea ætate cœpti reflorescere Canonicus ordo, sub disciplina vitæ communis, exemplo primum dato Lucæ in Hetruria, sub Anselmo Episcopo, postea Alexandro Papa II, Regularque Canonicæ restaurandæ zelatore insigni; sanctioribus quibusque Episcopis certatim eadem instituta promoventibus; ideo admodum verosimile mihi fit, ipsum quoque* Altmannum, *in sic restaurato monasterio, Canonicos Regulares constituisse, quales hodiedum ibidem perseverant.*

per S Altmannum restaurato

2 *Loco huic insigniter illustrando, et excita peregrinorum frequentia celebrando, insigne adjumentum providit Deus, cum anno* MCCIX, *hac* XIX *Junii, inveniri ibidem fecit duorum sanctorum corporum ossa; innominata illa quidem, sed consecutis magno numero miraculis continuo declarata omni honore dignissima. Verosimile est, prioribus loci incolis Benedictinis notum satis fuisse, quorumnam illa Sanctorum essent: sed ut alibi sæpe usu venisse deprehendimus, sic etiam ibi credimus, a migrantibus alio Monachis ablata, vel ipsis prorsus extinctis abolita esse omnia loci monumenta vetustiora. Quin etiam non temere suspicari quis possit, barbarica quapiam incursione damnum istud factum; quæ ipsam quoque sanctorum corporum tumbam involvisset, nisi imminenti ex vicinia hosti eam subduxisset solicitudo fugam parantium, terraque abdidisset, revelandam tempore divinitus constituto. Quid autem miremur antiquitus factum, quod seculis non admodum multis a felici ista inventione elapsis, iterum accidere potuisse dolemus? Si divinandum aliquid esset; suspicarer, esse corpora ipsiusmet S.* Hippolyti, *et Socii unius pariter Roma olim allata, quibus structum cœnobium sit; quæque (ut passim in talibus solet creditum sit esse illius Sancti, qui pariter cum nutrice* Concordia *et sociis decem, sub Valeriano passus, colitur* XIII *Augusti. Hunc enim passim omnes habere se credunt, quotquot, occasione allatarum sub tali nomine Reliquiarum, ecclesiis suis in Germania et Gallia nomen fecere.*

inventa an. 1209 duo corpora,

Sanctorum esse divinitus monstrata:

quod si ipsius S Hippolyti et Socii unius.

3 *Invenerant Patres Collegæ mei, anno* MDCLXXXVIII *ad lustrandam Bibliothecam Cæsaream profecti Viennam, in Codice MS. signato superne num. 3 inferne 23, ad calcem libri Inventionis prænotatæ Historiam atque Miracula, magno numero breviter annotata, sed fine mutila. Hæc cum studiose transcripsissent, intelligerentque Vienna Milichium ituris, modico a via flexu transiri posse atque obiter inspici prædictum* S. Hippolyti monasterium, *a dextera Danubii ripa vix quinque leucis dissitum; nullam istic amplius talium corporum memoriam, nedum venerationem invenerunt. Quare hoc etiam amplius impelli me sentio, ut colligam quæ superavere fragmenta, usui futura, quandocumque placuerit divinæ Majestati, Sanctos suos iterum glorificare: quod ut fiat votum haud dubie omnium erit, quicumque his lectis venient in notitiam inventi istic olim ac denuo amissi thesauri.*

Eorum iterum perditorum

hic dantur miracula ex MS.

HISTORIA

Inventionis et miraculorum.

Ex MS. Bibliothecæ Cæsareæ Viennensis.

Ad Dei suos Sanctos glorificantis honorem,

Gloriosus atque mirabilis Deus in sanctis suis, ille floridus sacrosanctæ Matris Ecclesiæ Sponsus, præ filiis hominum forma speciosus, Evangelica vitis vera, Dominus noster Jesus Christus, una cum Patre et Spiritu sancto; sicut ab initio seculi nascentis, operarios, scilicet Patriarchas, Prophetas, aliosque Patres venerandos in vinea sua, id est Ecclesia, locare non cessavit; ita quoque singulis mundi ætatibus fructuosos palmites, hoc est Electos, virtutibus et miraculis coruscantes, ex se vera vite, merito fidei, pullulare misericorditer et gloriose procuravit. Verum quia misericordiæ ejus non est numerus, et magnitudinis ejus non est finis; divinæ pietatis Clementia nostris quoque temporibus (licet ultima ejus simus membra, et in quos extrema jam devenerunt secula) solitæ miserationis opera declarare non desistit. Propter quod, Angelico freti testimonio, dicente, Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare honorificum est; nos magnificas cœlestis gratiæ virtutes et miracula, quæ miserator et misericors Dominus, in Ceciensi *a* pago, videlicet in Sancto Ypol, per sanctarum revelationem Reliquiarum nuper exhibere dignatus est, salva veritate, sicut oculis nostris perspeximus, et quemadmodum præsentialiter auribus nostris audivimus, simpliciter enarramus. Et revera eadem Dei beneficia, nec officio styli, sicut mos est scribentium, multiplicamus; nec verborum schemate, cum per se clarus eniteant, exornamus: sed signorum magnalia, non utique omnia, sed ea quæ multorum sunt testimonio comprobata, breviter enuntiamus.

Tob 12, 7

scribit Auctor simpliciter, a

quod an 1209, 19 Junii

2 Anno igitur Domini MCCIX, in die Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii, cum custos ecclesiæ nostræ, in sacrario more solito hac illac lustraret, et ad reponendum sacras vestes tristega solicitus ordinaret; accidit ut quædam tumba Sanctarum Reliquiarum, hactenus occultata, subito quodam hiatu miraculose patesceret. Admirantibus autem his, qui tunc una cum Custode aderant, quidam accedentes, et hiatus locum vallantes, quidnam esset experiri cupiebant. Et ecce tam mira suavissimi odoris fragrantia de tumulo evaporavit, ut et circumstantes incredibiliter oblectaret, et Sanctarum illic latentium Reliquiarum merita liquido manifestaret. Illico fores ecclesiæ ac curiæ *b* implebantur ab accurrentibus, et quidnam intus lateret scire gestiebant. Nec mora rastris aliisque fodiendi instrumentis experientiam rei fieri, unanimiter ac instanter consulentes, postulabant. Aperientes itaque tumbam, nec scientes vere esse tumulum, inveniunt pretiosum et diu absconditum Reliquiarum Thesaurum. Nam visu pulcherrima et odoratu suavissima duorum corpora reperta sunt ossa; linteaminibus quidem et coriis olim accurate circumvoluta; quæ nunc tamen, salvis ossibus sacris, ad tactum manus collapsa sunt, et in pulverem redacta. Quibus auditis

dehiscente pavimento apparuerit tumba, b

intra quam reperta ossa 2 corporum

A ditis fit populi concursus, fit concurrentium tumultus: clamor attollitur, vulgus novitate gaudens percellitur, et tandem in laudem Dei et Sanctorum reboat omnium exhilarata devotio, et super invento venerabili Thesauro fit a clero simul et populo cum Laudibus immensa gratiarum actio.

ad quæ mox curantur, moribundus unus,

3 His ita gestis et per provinciam divulgatis, irruunt turbæ diversis languoribus debilitatæ: quæ quantam sanitatum gratiam sint adeptæ, testantur curationes subscriptæ. Primo scholaris quidam Suevus, nomine Wernherus, subita et gravi prorsus ægritudine correptus, ad articulum mortis est deductus: qui et semivivus sociorum manibus ad Reliquias nuper inventas est translatus, et per noctem Sociorum precibus commendatus. Mane vero, facto ipse voto, sanctorum meritis est sanitati restitutus. Post hæc Perichta quædam in Sancto Ypol, per decem annos manu paralytica, est curata. Alia mulier gisla, in xenodochio S. Ægidii, toto corpore languida est sanata. Alia mulier, in eadem domo, nomine Ita, pleuretica est curata. Item puella, de domo Domini Plebani, nomine Alheyt, visum recepit. Alia Alheyt, ancilla cujusdam civis, noctu per visionem ad Reliquias tracta, mane trahentis manus vestigia in brachio evidenter et corporaliter ostendit: quæ veniens ad tumulum a cardiaca passione liberata est. Alia quædam mulier nomine Chunigunt de Chuliub, c quæ per tres annos clauda fuerat, ad tumulum Sanctorum est sanata in die sanctorum septem fratrum.

et mulieres infirmæ sex.

B

c

4 Eodem die quidam Hartmannus de Willhalmsperch, uno pede claudus, est curatus. Alia quædam, Mater armentarii, annis pæne tribus contracta, est curata. Eodem die quædam mulier, plus quam per tres annos dæmoniaca, nomine Chunigunth, est curata. Alius quidam juvenis, per tres menses et ultra usque ad articulum mortis febricitans, in pari febris accessione, supra tumulum est curatus. Alia quædam mulier de Amsteten, nomine Christiana, prope quinque annis contracta, in divisione d Apostolorum est curata. Item quidam, nomine Geberhardus, lumine privatus, XIV Kal. Augusti visum recepit. Eodem die quædam Gerbrich, de Stauzendorf, per XIV fere annos cæca, visum gloriose recepit. Item quædam Chunigunt, uxor Chomitarii in sancto Ypol, curvam habens manum, curata est. Alia quædam, Wentila de Hafnarn, ultra tempus anni contracta, adeo quod manibus repsit supra terram; Dei gratia et Sanctorum est curata. Alter quidam Hartmannus, per biennium cæcus, ad tumbam visum recepit Hic habitabat in villa quæ dicitur Obendorf, juxta Planchestein. Item ultra Danubium, adolescens quidam ad Reliquias visum recepit. Item puella quædam Virgo de Odelpach, diu cæca, illuminata est. Item figulus quidam, nomine Wernherus, visum recepit.

Item alii contracti et cæci.

d

C

5 Item mulier quædam de Parochia Sigghartschir, de villa quæ dicitur Wobendor, dum incredula miraculis sanctorum obloqueretur, obmutuit; et adeo furiis exagitata est, ut in faciem Sacerdotis et contra Christi corpus conspueret. Tandem respiciens et pœnitens, ad tumulum Reliquiarum usum vocis recepit. Alia quædam de ultra-Danubium, veniens de villa quadam Brunnen, per biennium pæne clauda, curata est. Alia quædam de Choombech nomine Mechthilt, tumore unius oculi, ad dolorem capitis tantum est deducta et fatigata, quod tamquam furiosa caput ad parietes et scamna feriebat. Factoque Sanctis voto, dum lychnum ad candelam præpararet, mox melius habuit, et ad tumulum plene curata est. Item puella quædam de e Cremsa, nomine Richgart, per V annos contracta, in die sancti Ypol, coram civibus suis, ad tumulum Sanctorum est curata. Alia mulier de Sewarn, nomine Mechthilt, diu contracta, interventu sanctarum Reliquiarum mirifice est liberata.

Punitur incredula, et pœnitens sanatur:

curantur contractæ aliquot,

e

D

AUCTORE D. P.

6 Item quædam mulier in sancto Ypol, fucata facie veniens ad tumulum Sanctorum, quasi leprosa facta est: sed pœnitens tandem per merita sanctorum curata est. Item quædam Perchta in sancto Ypol, per annum visu privata ad tumulum sanctorum est illuminata. Item quædam Jeuta in sancto Ypol, unum habens destructum prorsus oculum, ad tumbam Sanctorum est liberata. Item cujusdam figuli parvulus in sancto Ypol, crystallinum habens oculum, in Assumptione S. Mariæ sanum recepit omnino visum. Item quidam puer mutus, annorum VIII, filius cujusdam Ulrici fabri in sancto Ypol, per Dei et per sanctorum gratiam, usum loquendi accepit. Alia quædam mulier, nomine Cunigunt, de villa quæ dicitur Winzurl, juxta Chremsam, dum ad tumbam beati Altmanni in die ipsius devota festinaret, contigit ut in transitu cujusdam rivi de ponte collapsa, femur et mediam partem corporis graviter offenderet, adeo quod læsa pars in tumorem et varias maculas est conversa: claudicans tamen a tumulo præfati Episcopi rediens, tandem facto Sanctis apud nos voto, et torto ad usum candelæ lychno, venit ad Reliquias sanctorum, et curata est.

castigatur fucata facie accedens:

illuminantur cæcutientes:

curatur ex lapsu graviter læsa;

E

7 Contigit quodam tempore ut Parochiales utriusque sexus de Sighart Schirichen, Crucem suam ad Reliquias sanctorum cum devotione portarent: qui cum mane sequenti, expletis orationibus suis, ad propria remearent, et jam Traismam transissent; una matronarum, quæ satis honesta pridem reputabatur, ausu temerario dixit; Si qua virtus esset in his Sanctorum Reliquiis, aliquod indicium sanctitatis suæ in nobis declarassent, cujus memoriale apud nos durare potuisset. Mox ad hæc verba tanto cordis dolore correpta est, quod de curru demissa subito miserabiliter exspiravit; sicque tam vicinis suis omnibus, quam etiam comprovincialibus triste temeritatis suæ memoriale reliquit. Alius quidam vir de f Hispse, cum filium suum ad præsidia Sanctorum deducens; eum in via procul adhuc a limine sanctorum [esset] puer illuminatus ad patrem dixit; Pater mi, ecce clare video: gratiasque egerunt convenientes. Quædam mulier nomine Mechthilt, de Wiphinge prope Tulnam, subito paralysi correpta obmutuit, et quasi exanimis corruit. Tandem aliquantis persentiens, signis quibus poterat, ut sibi candela fieret monuit. Quo facto adeo convaluit, quod votum Sanctis vovit, veniensque curata est.

morte punitur blasphema in Sanctos:

f

varii infirmi curantur:

F

8 Item puella quædam de Wienna, diu contracta, mox ut de curru ad sanctos descendit, coram civibus suis ad tumbam Sanctorum curata est. Item quædam femina Wiennensis, nomine Hiltpech, plus quam per octo annos lumine oculorum privata, ad Reliquias Sanctorum visum recepit. Alia quædam de eadem civitate, nomine Dieza, manu et brachio arida, Dei gratia et Sanctorum meritis est curata. Item alia, nomine Gotlint de Poschendorf, juxta Michelnhausen, panis oculorum cæcata, eodem die visum gloriose recepit: nam tamquam squammæ et membranæ ab oculis ejus ceciderunt. Eodem die alius quidam, tribus annis claudus, nomine Hainricus, Dei gratia et Sanctorum meritis est liberatus. Alia quædam mulier elephantiosa, juxta Gotw habitans, ad invocationem eorumdem Sanctorum est curata. Item mulier quædam de Judenaire, nomine Acila, diu contracta, liberata est. Alia quædam Wiennensis, nomine Mechthilt, plurimis annis cæca, Dei gratia et sanctorum meritis est illuminata. Alia quædam de Raezunge, uno pede a pueri-

adducti ex locis diversis,

AUCTORE D. P.

tia claudicans, in festo exaltationis sanctæ Crucis, ad tumulum sanctorum curata est.

illuminantur cæci,

9 Alia quædam mulier de Willehalmstorf, per totum corpus prorsus inflexibilis, per v hebdomadas nullis usa cibariis, ad Reliquias Sanctorum adducta; postquam in currum ut domum reduceretur ascendit, ita est curata, ut cibum sine mora peteret. Alia quædam mulier de Gaebbiz, nomine Perhta, in festo die Sanctorum Martyrum Cosmæ et Damiani, illuminata est. Hæc pallium suum præ gaudio pauperibus donavit. Item quædam, nomine Buprich de Amsteten, in die Sanctorum Cosmæ et Damiani visum recepit. Quidam Wiennensis VIII annorum, a nativitate mutus, veniens ad tumbam Sanctorum, Dei gratia et Sanctorum meritis usum locutionis accepit: quem avus ejus tribus vicibus in Arsana ad S. Catharinam et ad S. Cunigundem Abbatissam in humeris suis ante portaverat, nomine Arnoldus. Et alius vir quidam, diu surdus, auditum recepit. Item quædam mulier de Schiles, Chunigunt nomine, contracta et cæca, visum recepit. Item quædam mulier, nomine Gepa, de wenth juxta Wiennam, VI annis cæca, et per manum mariti sui adducta, Dei gratia et Sanctorum meritis visum recepit, in die Sanctorum Dionysii et sociorum ejus.

mutus loquela donatur.

Rursus cæci alii visu donantur:

10 Alia quædam, nomine Erndrut, pedibus et cruribus contracta, Sanctorum meritis ad tumulum Sanctorum est curata. Item quædam, nomine Wichilt, de Chremsa, diu lumine oculorum privata, interventu sanctorum est illuminata, in festo S. Martini. Item vir quidam, nomine Hainricus, noster vicinus, de Mose, per triennium visu privatus, XVII Kal. Decembris est illuminatus. Item eodem die mulier quædam nomine Heilca de Rapotenchirichen, una manu paralytica, Sanctorum meritis est curata. Alius quidam, Hainricus nomine, de Rossac, forte cadens ab alto, manibus et pedibus et toto corpore contritus est, adeo quod etiam desperatus fuit: sed nutu Dei, invocato sanctorum interventu, facto voto, subito convaluit; ita ut non tantum sine adminiculo humani solatii, sed etiam baculi surgat, et tumulum eorumdem Sanctorum pedester peteret, et per Dei gratiam prorsus incolumis ad propria cum gratiarum actione remearet.

juvatur lapsus ex alto,

et infirmi varii.

11 Alius quidam habitator Wiennensis Ulricus nomine, per triennium cæcus, ad tumulum Sanctorum, in Purificatione S. Mariæ, meritis ipsorum et per Dei misericordiam visum recepit. Quidam paralyticus, nomine Hermannus, adolescens de Smeinsdorf, aliquanto tempore paralyticus et per paralysim mutus factus, gratia Dei et Sanctorum meritis usum loquelæ recepit in Purificatione sanctæ Mariæ. Item puer quidam, filius vicini nostri de sprecern, per tres menses cum desperatione parentum visu privatus, miserante Deo et interventu Sanctorum, lumen oculorum adeptus est. Alia quædam femina, nomine Gepa gravi languore usque ad articulum mortis correpta, desiderio desiravit, ut os sanctarum Reliquiarum in aqua tingeretur, et sic pro medicina eadem aqua daretur haurienda: quo facto protinus est sanata: quo utique exemplo civis et vicina nostra, Domina Alheydis de Curia, a gravi corporis infirmitate est liberata.

Cæsus in via ad Sanctos,

12 Contigit quodam tempore ut Miles quidam, nomine Marchardus de Amsteten, cum aliis Christo devotis fidelibus, ad tumulum Sanctorum proficiscens (dolor!) ab hostibus suis in via occideretur. Et cum uxor ejus præ dolore, quem de nece mariti contraxerat, Sanctorum Reliquiis crebro maledicens derogaret; imago ipsius interfecti cuidam Religiosæ feminæ in visione apparuit: qua de statu ejus requirente, subtristis respondit, Ab ea hora qua sum interfectus, ope Sanctorum ad quos venire cupiebam, in pace quievi: sed nunc propter uxoris meæ maledicta, requies mea est turbata. Unde suppliciter obsecro et moneo, ut ipsa a stultitia labiorum quiescat, et duos instar staturæ meæ cereos pro requie mea conficiat, quos et ad tumulum eorumdem Sanctorum pro me cum devotione accendi faciat. Aliud, quod tam famosum et memoria dignum in sanctorum tumulo contigit, signo.

sublevatur a pœnis purgatorii.

Castigantur qui Reliquias temere tangunt.

13 Nam quidam in sancto Ypol civis, nomine Sifridus calcifex, dolore oculorum correptus et in cæcitatem redactus, spe luminis ad Reliquias sanctorum accessit, et ut visum reciperet cum lacrymis suppliciter oravit. Cumque post aliquot tempus, miseratione Dei et Sanctorum visum recepisset; quadam nocte, simpliciter quidem, sed tamen ut videtur temere, Reliquias contingere et oculos circumlinire, præsumpsit; et, quod mirum dictu, mox pristinam cæcitatem incidit. Sed quid miser ageret? Temeritatem mentis et manus suæ confessus est, semetipsum Deo et sanctis pro voto vovit, pœnitentiam egit; denique iterum, miserante Deo et Sanctorum interventu, visum gloriose recepit. Pari modo cuidam adolescentulo similia præsumenti contigit, qui fuerat paralyticus. *Reliqua, utpote in ultima pagina codicis adeo erant attritu deleta ut legi non possent.*

ANNOTATA D. P.

a Sisciam *ad Savum in Illyrico novi, sed non puto hinc nomen duci posse, usque in Austriam trans Oenum pertingens. Itaque aliquid propius libenter discam. Porro* S. Ypol *videtur medio ævo dictum fuisse ac scriptum.*

b *Imperfectus hic sensus hiabat, deficientibus pluribus forte verbis, aut etiam lineis.*

c *Topographicæ mappæ* Kulb *nominant, una a* S. Hippolyto *leuca: nolim autem spondere, propria locorum nomina omnia, hic recte scripta haberi; nec in iis, quæ inveniri forte nunc possunt, designandis nolim in tanto numero esse scrupulosus, præcipua quædam loco indicasse contentus.*

d Divisio Apostolorum *passim colitur* 15 *Julii.*

e Cremsa *insigniter munitum oppidum, trans Danubium.*

f *In MS. dicitur per* p *virgula, ut fortasse legendum sit* Isper, *nihil tamen muto, quia suspicor id esse, quod nunc* Ips *dicitur, munitum ad dextrum Danubii castrum, ad ostium cognominis rivuli.*

g Tulna *insigne oppidum,* S. *Hippolyto quam Viennæ propius jacet.*

DE SANCTO ZENONE

ANACHORETA IN ÆGYPTO.

SYLLOGE HISTORICA.

G. H.

Ex Menæis Græcorum et Vitis ac Dictis Patrum.

SEC. IV.

Miraculis clarus,

Memoria Patris nostri Zenonis *celebratur hoc* XIX *Junii in Magnis Menæis Græcorum, et hoc additur elogium.* Οὗτος ἀποταξάμενος τὸν κόσμον, καὶ μαθητεύσας τῷ μεγάλῳ γέροντι Σιλουανῷ, διὰ τῆς ὑπερβαλλούσης αὐτῷ ὑπακοῆς καὶ ἄκρας ἀκτημοσύνης, γέγονε σημειοφόρος· καὶ γὰρ πολλοὺς ἐξ ἀνθρώπων ἀπήλασε δαίμονας. Οὕτως ὁσίως βιώσας τοῖς ἀγγελικοῖς ἀγωνίσμασι, ἐπὶ χρόνοις δυσὶ καὶ ἑξήκοντα, πρὸς Κύριον ἐξεδήμησεν. Hic mundo valere jusso, magni Silvani senis discipulus factus, propter excellentissimam suam obedientiam, religiosa- B rumque virtutum exercitationem et paupertatis amorem, donatus ingentium miraculorum patrandorum gratia, multos a dæmonibus liberavit. Vita ergo tam præclara exacta, et Angelicis certaminum studiis addictus, cum annos duos et sexaginta vixisset ad Dominum migravit. *Hæc in Menæis quibus similia leguntur in Menologio, Sirleti.*

sæpe mutat habitationem,

2 *De eodem* Zenone *agitur lib.* 5 *de Vitis Patrum, auctore Græco, interprete Pelagio, libello* 8 *cap.* 5 *ubi* Dixit Abbas Zenon, discipulus Abbatis Silvani : Numquam maneas in loco nominato, neque cum homine habente magnum nomen, neque mittas fundamentum ut ædifices tibi cellam aliquando. *Videtur ibidem libello* 15 *cap.* 7 *de eodem Zenone agi his verbis :* Dicebant de Abbate Zenone, quia cum moraretur in Scethi, exiit nocte de cella sua, velut ad paludem ; et cum errasset, fecit tres dies et tres noctes ambulans et laborans : et cum defecisset, cecidit semianimis. Et ecce puerulus stetit ante eum, habens panem et * surisculam aquæ, et dicebat ei : Surge : manduca. Ille autem surgens oravit, existimans quia phantasma esset : puer autem respondens, dixit ei : Bene fecisti, et iterum oravit secundo et tertio. Et dixit ei : Bene fecisti. Surgens ergo accepit et manducavit, et posthæc dixit ei : Quantum ambulasti, tantum es a cella tua ; sed surgens, sequere me. C Et statim inventus est * in cella sua. Dixit ergo ei senex : Veni intra, et da nobis orationem. Et cum intrasset senex, ille subito non comparuit. *Hæc ibi : quæ eadem leguntur lib.* 3 *auctore Ruffino cap.* 210.

post longam peregrinationem cælitus cibum accipit.

* buccale

* al. ante cellam

respondet quomodo cælum non sit mundum,

3 *Iterum libello* 10 *cap.* 22 *ista referuntur :* Venerunt aliquando ad Abbatem Zenonem quidam Fratres, et interrogaverunt eum dicentes : quid est quod scriptum est in libro Job, nec cœlum mundum esse in conspectu Dei ? Respondit autem senex, dicens, Reliquerunt homines peccata sua, et cœlestia scrutantur. Hæc autem est interpretatio sermonis, quem reliquistis : ut quoniam Deus solus est mundus, dictum sit nec cœlum mundum esse in conspectu ejus. *Iterum eodem libro* 5 *libello* 4. *cap.* 17. Abbas Zenon ambulans aliquando in Palæstinam, cum laborasset, resedit ut manducaret juxta cucumerarium. Suadebat autem ei animus suus, dicendo : Tolle tibi unum cucumerem, et manduca. Quantum autem est ? Qui respondens cogitationi suæ, dixit : Fures ad tormenta vadunt. Proba ergo teipsum in hoc, si potes ferre tormenta. Qui consurgens stetit in caumate quinque diebus, et defrigens seipsum in sole, dicebat quasi animus ejus ad seipsum : Non possum ferre tormenta. Dixit ergo ad animum suum : Si non potes ferre tormenta, ergo non rapias ut manduces. *Omnia hæc etiam narrantur in lib.* 3 *auctore Ruffino ; videnturque uni eidem convenire.*

ne furtivum comedat,

pœnitentiam sibi imponit :

D. P.

nihil accipere vel dare solitus, morem mutat :

4 *Joannes Baptista Cotelerius, Tomo* I *monumentorum Ecclesiæ Græcæ, utraque lingua edidit insigne opus de Apophthegmatis Patrum, secundum ordinem nominum alphabeticum ex variis auctoribus seu collectionibus vetustioribus coordinatum ; ubi non solum omnia jam relata habet, sed num.* II, III, VII, *et* VIII *addit sequentia, necdum alibi a nobis reperta.* Retulerunt de E Abbate Zenone, quod initio quidpiam a quopiam nolebat accipere ; unde qui afferebant recedebant tristes, quod non acciperet ; et alii ad eum venientes volebant accipere, tamquam a magno sene, nec habebat quod daret, ipsique tristes abscedebant. Ait senex, Quid agam ? quia contristantur, tam qui afferunt, quam qui capere cupiunt. Hoc præstat : si quis afferat, sumam : et si quis petat, præbebo ei : atque ita faciens, quietem habuit, cunctisque satisfecit. Venit Frater Ægyptius visitatum Abbatem Zenonem in Syria, et accusabat coram eo cogitationes suas. Ille vero admirans, dixit : Ægyptii quas quidem habent virtutes occultant, quos autem non habent defectus accusant continuo : Syri autem et Græci, quas quidem non habent virtutes habere se prædicant, quos vero habent defectus abscondunt.

Ægyptios Syris et Græcis præfert :

inimicis ignoscere docet

5 Dixit Abbas Zeno. Qui vult ut Deus cito exaudiat preces ipsius, quando surrexerit et manus extenderit ad Deum, præ cunctis, etiam præ anima sua, oret ex animo pro inimicis suis ; ac per hoc præclarum facinus, quidquid a Deo petierit, auscultabit ei. Referebant quod in quodam pago erat aliquis qui plurimum jejunabat, adeo ut inditum ipsi fuisset nomen Jejunatoris. De quo cum rescivisset Abbas Zeno, accersivit eum. Ille lætus accessit, et F oratione facta sederunt. Cœpit igitur senex operari tacitus : non valens autem Jejunator loqui cum eo, cœpit a tædii vitio molestari, et ait seni : Ora pro me, Abba ; volo enim abire. Dicis senex : Quare ? Respondit : Quia cor meum quasi flagrat, et quid habeat nescio : nam quando eram in villa usque ad vesperam jejunabam, nec unquam mihi tale quid contigit. Tunc senex : In villa ex auriculis tuis nutriebaris. Sed abi, atque ex hoc tempore manduca hora nona, et si quid agis, in occulto fac. Ut ergo incepit facere, nonam horam ægre expectabat : dixeruntque qui cognoscebant eum, Jejunator a dæmone correptus est. Ille autem veniens cuncta nuntiavit Seni : qui ad eum dixit : Hæc via secundum Deum est.

et clam jejunare

6 *Eumdem Zenonem, citato Menologio, refert in Catalogo generali Ferrarius, et adscribit* Palæstinæ *licet de eo agat in Vita S. Silvani Abbatis, et hunc* XXII *Septembris celebret, ut apud Scetim in Ægypto clarum. Allegat etiam Petrum de Natalibus, Maurolycum et Felicium : quorum duorum verba, utpote ad historiam non facientia, nihil attinet hic describere. Petrus lib.* 4 *cap.* 47 *sic habet :* S. Zeno monachus, Silvani Abbatis discipulus fuit : de quo refert Heraclides, inter cetera ejus virtutis et constantiæ insignia,

Silvanus Magister Zenonis 22 Sept.

et 12 Aprilis

A AUCTORE G. H. signia, quod in ardentissimi solis Ægyptia regione, stetit in caumate quinque diebus, se desiccans in sole: ut ex hoc probaret, utrum tormenta tolerare posset; et post miræ pœnitentiæ opera, migravit in Christo, pridie Idus Aprilis: *quo die etiam indicatur a Greveno et Canisio. Sed quo id scribi cœptum sit fundamento, non facile divinaverim: uti nec quo tempore idem Sanctus floruerit, vel ejus magister* Silvanus: *quem mirum est a Græcis nuspiam memorari; a Maurolyco autem ipsi assignari diem nusquam alibi repertum: nam neque Petrus de Natalibus, qui Sanctis illum primus adscripsit, diem definire præsumpsit. Invenitur tamen* Silvanus *iste, familiaris fuisse Abbati* Moysi, *non Æthyopi, neque Syro, de quorum primo* XXVIII *agendum, de secundo actum* XXIII *Februarii, sed Ægyptio, sæpius in vitis Patrum recurrente.*

Zeno etiam 12 Aprilis,

Hic vero familiarem habuit S. Piorem, *cujus videtur meminisse Ammonius num.* 21 *Epistolæ de SS. Pachomio et Theodoro, a nobis illustratæ ad diem* XIV *Maji. Qui si omnes eodem vixerunt tempore, neque synonymia nos fallit, referendus erit* Pior, *de quo egimus* XVII *Junii æque ac ceteri omnes cum S. Theodoro, ad medium seculi* IV: *et ad finem ejusdem seculi vel sequentis initium,* Zeno *pertigerit. Ceterum nemo velit suspicari quod hic relatus* Zeno *possit esse is de quo tam præclara narravimus in vita S. Hypatii die* XVII *Junii, qui sub finem suum, dimisso quod ad mare rubrum administrabat monasterio, ubi magna cum sanctitate nec sine miraculis vixerat, vitam in Rufinianensi apud Chalcedonem asceterio ignotus clausit circa an.* CCCCLII. *Hic enim et junior fuit et post mortem primum agnitus. Vide tamen istius vitæ caput ultimum.* D

videtur vixisse circa an. 400.

DE SANCTO PETRO

PRIORE MONASTERII EYGAG ET DOCTORE

APUD HABESSINOS IN ÆTHIOPIA

B E

Ex illius gentis Hagiologio manuscripto.

D. P.

Doctrina præsumitur sana fuisse,

E*gregii hujus apud Habessinos viri,* Petri, *doctrinam, a qua, omnibus exposita et longe lateque diffusa, præcipue commendatur, nullis fuisse erroribus gravioribus inquinatam; ipsumque aut Chalcedonensi Concilio priorem extitisse, aut saltem sub aliquo etiam post illud Orthodoxo Patriarcha ad gentis instructionem divinitus concessum præsumere possumus, donec aliqua ratio positiva occurrerit de illo dubitandi. Cur enim deteriori loco nobis sit gens illa, olim tam ferventer fidem Christianam amplexa, quam Græcorum natio, quorum etiam post Photii tempora Sanctos recipimus ex Synaxariis, et multo magis ac libentius eos, de quorum ætate comperimus nihil, præsumendo quod fuerint schismatis expertes vel eo priores?* Petrum *istum Poeta Hagiologus sic alloquitur:* Saluto Petrum, constitutione ac lege bonum, monasterii Eygag Priorem dictum. *De ejus doctrina quæ fluminis instar limpida et minime turbida fluxit expleverunt sitim suam pueri atque senes. Ita nobis Cl. V. Jobi Ludolfi discipulus Hagiologii interpres: qui miror unde acceperit titulum* Prioris. *Ambigua enim nobis ea vox est, ad significandum sive primum ab Abbate, sive absolute Primum et Antistitem vel Præsulem omnium. Verum hoc parvi refert; pluris æstimarem conditionem et situm monasterii* Eygag *cognoscere; tum aliqua ejus si extant Acta nancisci.*

licet ætas incerta sit.

DE S. INNOCENTE VEL INNOCENTIO

EPISCOPO CENOMANENSI IN GALLIA

C F

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§. I De cultu, ætate ac gestis, tam ipsius quam trium decessorum Episcoporum.

ANNO DXLII.

Conc. Aurelianensi 4 subscriptus 541,

I*nter undecim primos Cenomanorum Episcopos, omnes Sanctitatis titulo conspicuos, Octavum locum sibi vendicat, quem diœcesani sui* S. Innocentem *appellant; ipse vero, præsens Concilio Aurelianensi quarto, quod habitum fuit anno* DXLI, Innocentius, *inquit,* in Christi nomine Episcopus civitatis Cenomanicæ, consensi et subscripsi. *Nec diu post supervixit: siquidem obiit paulo post missam Casinum legationem, pro deducenda inde Monachorum Colonia, vivente adhuc S. Benedicto, quem Henschenius et Mabilio tenent atque demonstrant obiisse anno* DXLIII, XXX *Martii in Sabbato ante Dominicam Passionis. Obiit autem ipse* XIX *Junii, die SS. Gervasio et Protasio Martyribus sacra, sub quorum nominibus Cathedralem instauraverat, acceptis Mediolano eorum Reliquiis. Mortuum ergo illum cum Joanne Bondonneto, Vitas Episcoporum Cenomanensium Gallice illustrante, dicimus, anno intermedio* DXLII, *postquam sedisset annos* XLV, menses X, dies XXVI: *qui a die et anno prædicto sic retrotracti ut extremus dies non computetur, vel dies* XXVII *numerentur, demonstrant nobis annum* CCCCXCVI; *quo habente litteram Dominicalem* F, *ipse fuerit ordinatus,* XXI *Julii, tunc in Dominicam diem cadente. Cur autem tam solicite requiram Dominicam, pro inveniendo die Ordinationum Episcopalium, tamquam ex traditione Apostolica observato, satis docui in Conatu ad Catalogos Romanorum Pontificum; et in Paralipomenis ad eumdem, confirmavi ex Epistola S. Leonis ad Episcopos Provinciæ Viennensis, ubi scribit:* Non passim, sed die legitimo Ordinatio celebretur; nec sibi constare status sui noverit firmitatem, qui non die Sabbati, vesperi quod lucescit in prima Sabbati, vel ipso Dominico die fuerit ordinatus.

obiit 542.

ordinatus 496 *in Dominica.*

Gesta sec 9. *compilata.*

2 Actus Pontificum, Cenomanis in urbe degentium, *seculo* IX *ultra medietatem progresso compilati (quos, ex voto nostro ad Vitam S. Domnoli indicato, edidit diligentissimus et eruditissimus Joannes Mabilio, tom.*

A *tom. 3 Analectorum suorum)* Capiti VIII *hunc præfigunt titulum :* Gesta Domni Innocentis, Cenomanicæ urbis Episcopi, qui fuit temporibus Anastasii Imperatoris (*addere potuisset* Justini et Justiniani, *quorum hic isti successit* DXXVII) et Chlodovæi primi Francorum Regis Christiani, *(anno* DXI, XXVII *Novembris defuncti)* et Childeberti filii ejus ; *cujus anno abinde numerando* XXXI, *ipse ex hac mortali vita ad æternam transiit. Titulum* Sancti *probat Vita Constantiniani Abbatis,* I *Decembris illustranda, eo plus semel utens. Neque refert quod Actuum Auctor* Domini *appellatione contentus esse voluerit : hac enim semper utitur, etiam in illis qui manifestissimum ab antiquo cultum habent, Breviariis expressum.*

Titulus Sancti.

3 *In hic an modo receptum sit* S. Innocentis *nomen, necdum comperi ; a vetustioribus abfuisse docet antiqui Breviarii Kalendarium nobis descriptum. Sed ad credendum quod semper habitus pro Sancto sit, sufficit prædictus Auctor Gestorum, cum ait, quod* obitum *ejus* innumerabilia præcesserunt signa, et subsecuta sunt; quæ.... si quis investigare voluerit, in aliis schedulis, in quibus et aliorum præscriptæ Cenomanicæ urbis virtutes insertæ sunt, scripta reperire poterit. B *Verum hæ, proh dolor! perierunt æque ac similiter in Gestis allegatæ decessorum Episcoporum Vitæ ; uti etiam* Commentum de Vita et Actibus S. Turibii Episcopi, *nominatum inter cartas et præcepta Regum,* per quæ Dominus Franco, monasterium S. Karileffi ad jus et Dominationem suæ Sancti Sedis *pertinere coram Carolo Magno demonstravit. Cogimur ergo illiscarere, magno sane cum historiæ detrimento ; majori futuro, nisi suppeteret posterior ista Collectio ; cujus tamen auctoris, ut bene observavit Mabilio primarium intentum non fuit Episcoporum Cenomanensium antiquiorum Vitas virtutesque et miracula consignare litteris ; sed notum facere posteritati, quo jure et quibus titulis; monasterium Anisolense S. Karileffi ad jus proprietatemque Ecclesiæ matricis pertinuerit, licet ei substractum tempore Josephi Episcopi seculo* VIII *exeunte, magis intenti amoliendis a se accusationibus, quarum causa denique degradatus fuit, quam tuendis Ecclesiæ sibi commissæ juribus. Interim pro* Sancto *habitum cultumque* Innocentem, *probatur etiam ex Vita Hildeberti, seculo* XI *exeunte Episcopi; qui* fecit ex proprio suo duas capsas in quibus Sanctorum Turibii atque Victoris, necnon et S. Innocentis, et aliorum Ecclesiæ Cenomanicæ Episcoporum Reliquias, et S. Tenestinæ et Adæ, et S. Hilarii Presbyteri, solerter consignavit. *His præmissis, nescio an opus sit addere Elogium, quod Saussayus texuit ad hunc diem, in suo Martyrologio Gallicano, nihil docere nos valens, utpote verbis conceptum (quod illi familiare est vitium) cuivis sancto Episcopo applicabilibus hoc modo;* Ipso die Cenomanis S. Innocentii Episcopi et Confessoris, qui post B. Principium, hujus Ecclesiæ Pastor ob merita præcelsa constitutus, oves Christi mira prudentia et caritate pavit ; sanctitatisque gloria florens beatæ æternitatis admissus est ad præmium. *Porro cum in propriis illis Gestis statim principio Sanctus dicatur,* successor Beati Principii, successoris Domni Victurii *operæ pretium fuerit horum aliorumque decessorum quinque seriem Chronologice exponere, retrogradiendo per numerum annorum, mensium, ac dierum uniuscujusque Episcopatus in dictis Gestis assignatorum.*

Olim scripta miracula desiderantur.

Reliquiæ translatæ,

Elogium ex Saussayo.

4 Obiit *(ut hic dicitur)* Domnus Principius XVI Kalendas octobris, *id est,* XVI *Septembris; et* fuit Episcopus in prædicta Sede annos XXIX, mensem I, dies XXI. Cessavit autem post ejus obitum prædictum Episcopium aliquo tempore, propter ingentem quæ tunc grassabatur seditionem. *Fuit igitur ordinatus (si dies mortis, ut supra excludatur a computu, vel dies* 22 *numerentur) aliquo die* XXVI *Julii; qui cum exigat litteram Dominicalem* D, *qualem habet annus* CCCCLXIV ; *ab hoc descendendo per annos* XXIX, *venietur ad annum* CCCCXCIII *quo* Principius *obierit ; atque inter ipsum et* S. Innocentem, *ordinatum anno* CCCCXCVI, XXI *Julii ; vacaverit Sedes annos* II, *menses* X, *dies* IV, *vel* V *si diem mortis vacationi adscribas quod post hac observabimus electo interim, sed prius quam ordinaretur mortuo, ideoque inter Episcopos non nominato,* Beato viro Severiano antecessore suo, *ut dicitur in Gestis* S. Innocentis. *Sic autem revera* Principius fuit *(ut habet titulus Capitis* VII*)* temporibus Zenonis et Anastasii Imperatorum *(quorum hic accepit coronam anno* CCCCXCI, *iste præcesserat ab anno* CCCCLXXIV*)* et Chlodovæi primi Francorum Regis Christiani, *tunc cum Principius obiit, annum* XIII *regnantis, atque biennio post baptizati.*

Decessor Principius ordinatus an. 464

D

AUCTORE D. P.

obiit 493, relicta Sede aliquamdiu vacua.

5 *Principii decessor* B. Victorius obiit Kalendis Septembris, *adeoque anno* CCCCLXIII, *et vacuam post se Cathedram reliquit per menses* X *dies* XIV : *obiit autem, postquam sedisset* annos XLI, menses III, dies XIII : *qui numerus cum retroductus demonstret annum* CCCCXXII, *mensem Majum et diem* XIX ; *hic vero dies cum anno isto, procedente cum littera Dominicali* A, *non fuerit Dominicus ; placet supplere defectum numeri, et scribere dies* XVIII ; *ut ordinatio* Victurii *processerit in Dominica* XIV *Maji. Potuit ille (ut Vita habet)* alitus et instructus *fuisse* a S. Martino, Turonicæ Urbis Episcopo ; *sed cum hic obierit anno secundum Henschenium* CCCXCVII *(qui annus nunc fere ab omnibus, etiam Pagio, recipitur) non potuit idem fuisse (quod eadem Vita habet,* ab eodem S. Martino in Turonica urbe Pontifex ordinatus, et ad Cenomanicam urbem titulatus, sive ad eam a B. Martino directus : *non potuit etiam (quod in* S. Innocentis *Vita legimus) in ecclesia Cathedrali, a se construi cœpta,* B. Martino jubente et ordinante, Reliquias Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii *posuisse : sed utrumque convenit ejus patri, quem B. Martinus mortuo S. Liborio,* Pontificem ordinavit, et ejus conjugem Mauram nomine sacro velamine consecravit. *Non tamen tunc, quando ultimum vitæ annum agebat, sed diu antea* eorum filium B. Victurium nomine baptizavit ; et a fonte propriis suis manibus, deprecantibus patre et matre, suscepit ; et in filium sibi eum adoptavit, ipsumque secum inde deducens, quia jam magnus erat, pie nutriebat, et eum divinis eloquiis instruebat. *Hoc sane oportet ante patris ordinationem factum fuisse annis aliquammultis, ut post annos* XXIV *cum dimidio, in Episcopatu actos a patre, filius potuerit ei succedere, matura et gradui isti congrua ætate.* Fuit *autem hic* Victurius *(juxta titulum Capitis* VI*)* temporibus Honorii et Martiani Imperatorum ; *hoc quidem jam annis* VIII *defuncto quando obiit* Victurius *et Leone regnante ; isto annum* XXIX *imperii numerante, quando ille est ordinatus. Sed quod in Gestis additur obiisse* Victurius, Fausto Juniore et Longino bis Consulibus ; *error evidens Collectoris est, nescio quos fastos depravatos secuti. Isti enim Consules, secundum veram Fastorum rationem, Magistratum inierunt anno* CCCCXC : *quo usque si superfuisset* Victurius, *totum fere Principii tempus obtinuisset, nec Marciani tantum, sed etiam Leonis atque Zenonis tempora adæquasset. Optime autem hæc chronologia consistit cum tempore Concilii Venetici, de quo hoc recte demonstrat Sirmondus, celebratum esse post Turonicum primum, anno* CCCCLXI *coactum ; per meram autem conjecturam idem Sirmondus notat, habitum esse* circa annum CCCCLXV. *Dicemus nos, actum anno* LXII *quinti seculi, et salvabitur fides Epistolæ Synodalis ad* Victurium, *tamquam ad omnium seniorem, ideoque absentem directa : salvabitur etiam successio Episcoporum Eusebii et Nunechii in Sede Nannetensi, quæ duæ et solæ Sirmondo fuerunt causæ, ut, contra quam in prioribus Conciliorum editionibus*

S. Martini alumnus, sed non ordinatus ab illo ;

E

F

ed eum n 462 scripsit Synodus Turon.

AUCTORE D. P.

editionibus factum erat, Veneticum istud Turonico postponeret.

Ejus pater Victurus an. 397 fuerat ordinatus.

6 Victurium *præcesserat (ut jam insinuavi) ejus carne ac spiritu pater* Victurius ; *qui si defunctus vita est* XXV *Augusti, quando Natalem ejus Martyrologio Gallicano Saussayus inseruit ; inter patris mortem anno* CCCCXXI *obitam et filii ordinationem, intercesserunt menses* VIII d. XX : *ipse vero pater (qui* sedit in prædicta Sede *annos* XXIV, et menses VII, diesque, *non* XIII *ut impressum habetur; sed* XIV, *ut exigit cursus Dominicalium litterarum) in Dominica ordinatus fuerit anno* CCCXCVII, *die* XI *Januarii, per litteram D inveniendo. Porro in Titulo Capitis* V *dicitur, quod* Domnus Victurus fuit temporibus Theodosii et Arcadii Imperatorum ; *melius autem scriptum fuisset*, Arcadii et Theodosii, *scilicet* Junioris : *Senior enim obierat anno* CCCXCV ; *Junior vero anno* CCCCXXI, *quo* Victurus *hic obiit, numerabat annum* XIV *Imperii. Istæc omnia fuerunt animadvertenda hic et infra; ut intelligatur Auctor, in iis quæ de suo posuit, non modo secutus Consulares Fastos corruptos, sed etiam Cæsaream Chronotaxim depravatam.*

§ II *Chronologia SS. Liborii Pavacii et Thuribii Episcoporum.*

S. Liborius ab an. 396 ordinatus 347

P*rorimus ante illum fuit* S. Liborius, *Paderbornensium et Calculosorum Patronus. Colitur is quidem potissimum die Translationis suæ Paderbornam* XXIII *Julii, sed* obiit V Idus Junii *anno* CCCXCVI. Sedit autem in prædicta Sede annos undequinquaginta : *proinde ordinatus fuerit anno* CCCXLVII *habente litteram Dominicalem* D, *die* VII *Junii ; ut rotundo annorum numero solum abundet dies unus : neque enim mortis dies in hunc numerum venit sed vacationi adscribitur. Titulus Capitis* IV *dicit, quod* Domnus Liborius fuit temporibus Constantini et Valentiniani Imperatorum. *Sed mortuo Magno* Constantino *ante decennium; mortuo etiam* Constantino *Juniore, quando cæpit* Liborius ; *annum* XI *numerabant hujus fratres* Constantius *(multis sæpe* Constantinus *dictus) et* Constans : *virente autem eodem* S. Liborio *non solum* Valentinianus senior, *anno* CCCLXIV *exorsus regnare, sed etiam* Junior *Imperium tenuit, anno* CCCXCII *Viennæ in Gallia strangulatus. Talis autem* Liborii *ætas optime consistit cum Chronologia* S. Martini *qui ipsum sepelisse dicitur et successorem ordinasse : obiit enim* Martinus *in nostra sententia anno* CCCXCVII, *aliis etiam serius.*

male componitur cum Constantino M.

8 *Quartum Caput continet* Gesta Domni Pavatii, qui *in titulo dicitur fuisse* temporibus Maximini et Aureliani Imperatorum, *et* sedisse annos XLIII.... obiit autem IX Kalendas Augusti ; *ferturque* a S. Clemente Papa Romano Diaconus ordinatus, et cum S. Juliano directus ad prædicandum, *sicut et decessor* Turibius ; *quem idem* S. Clemens *ordinarit* Presbyterum. *Verum cum eos, tempore ordinationis suæ, oporteat saltem tricenarios concipere ; oportebit etiam ut* Pavacius, *qui nonaginta et pluribus annis vixit post ordinationem* Juliani, *viginti ut minimum annis centesimum excesserit : id quod gratis fingi videtur. Suam igitur ordinationem acceperint illi, non a Pontifice Romæ; sed ab ipsomet* S. Juliano *Cenomanis; constitutaque jam plene per omnes suos gradus ordinesque Ecclesia, post annos* XX *aut plures fidei istic prædicatæ : atque Archipresbyterali unus, alter Archidiaconali munere fungi potuerunt, quando suus ordinator obiit; nec opus est ut Romæ adducti sint, sed Cenomanis reperti. Quod ad* Clementem *attinet, rexit is Ecclesiam tertius a S. Petro, juxta posteriorem nostram definitionem, in Anamnesi de Cleto et Anacleto propositam, ab anno* LXXIII *ad* LXXXIII. Maximinus *autem cæpit primum regnare anno* CCXXXV *et* Aurelianus CCLXX, *occisus ineunte* CCLXXV : *ut in hoc calculo plus quam ducentis annis* Pavacius *vixerit, et tamen octoginta et amplius anni absque Episcopo fluxerint, inter* Pavacium *et* Liborium. *Interim vero de* Pavacio, *plane acsi in plena Ecclesiarum pace et rerum temporalium abundantia, sub Constantino Magno vixisset, dicitur, quod* in ipsa parochia consecravit ecclesias XI, et ad matrem ipsius urbis ecclesiam censuit luminaria, tam ceræ quam olei, et treantes *(Latine* Trientes *dicimus)* Custodibus, ad præfixam ornandam ecclesiam solvere de Rusiaco, Desertina, Caicciaco, Colonia, Cerallo, Ruiliaco, Materiaco, Argentoreto, Siliniaco et Donnario, *tamquam de villis Episcopali mensæ addictis. Tantus scilicet ardor erat, tres primos Cenomanicæ urbis Episcopos adducere ad tempora* S. Clementis Papæ, *a quo primos Galliarum Apostolos missos volunt; et quidem illos ipsos quos S. Gregorius Turonensis circa tempora Decii advenisse censuit.*

neque Pavacius neque Turibius videntur ordinati Romæ a S. Clemente

sed Cenomanis a Juliano.

Pavacii Acta male interpolata idque pro sec. 2.

9 *Hac autem parte redditur etiam verosimilior sententia Gregorii, quod Episcopales Catalogi, subducti per numerum annorum : cujusque Pontificio assignatorum, nequeant altius promoveri, absque enormibus saltibus aut vacationibus pæne secularibus. Tales admittere coguntur, qui quocumque modo volunt Episcoporum suorum successiones ad Apostolorum adducere tempora, quos vel ideo probare nequeo, licet non negaverim, fidem in Gallia, præsertim Aquitanica, ante Decium fuisse annuntiatam : sed per eos quorum pauci admodum celebrem ad posteros memoriam reliquerint segnius ad fidem Christi convertentibus se Gallis; et persecutionibus gravissimis, quæ secutæ sunt unæ post alias, sub Domitiano, Trajano Antonino novellos greges dissipantibus, sic ut radices firmas agere non nisi tam raris in locis Religio Christiana potuerit ; ut de se nulla id provincia debeat præsumere, nisi quæ solidis nitatur probationibus, plus quam petitis ex Traditione, antiquiora initia semper sibi arrogare consueta. Tales cum Cenomani non producunt, licebit mihi cum S. Gregorio* Juliani *missionem differre ad tempora, Decio viciniora et credere, quod eumdem modicis intervallis secuti sint ceteri nobis noti : atque ad eorum Chronologiam texendam, etiam in tribus primis,(quos a* S. Clemente *missos dicunt, non probant) procedere per Episcopatuum spatia, in prætitulatis eorum Gestis signata. Quamvis enim hæc primum sint compilata seculo* IX ; *allegant tamen antiquiores chartas et Vitas, unde illa spatia excerpta esse possumus credere, ne nihil omnino sit quod teneamus et sequamur. Hoc autem novo exemplo confirmabitur, quod in Vita B. Alberti* VIII *Aprilis num.* 62 *dixi* sæpe contingere ut de annorum quo quisque rexit numero firma satis præextiterint documenta ; in quibus tamen ad æram, *vel Christianam vel Cæsaream* communem applicandis fluctuent posterorum opiniones.

Turonensis Julianum Decio adscribentis, sententia,

hactenus verosimilior ;

10 *His ita constitutis ut* Liborius *ordinatus sit die* VII *Junii anno* CCCXLVII, *secutus* Pavacium *(qui obierat* XXIV *Augusti anni prioris et sedit in prædicta Sede* annos XLIII) *statuam* Pavacium *intrasse anno* CCCIII, *die* XXII; *quia littera Dominicarum index eo anno, fuit* C. *Hoc tamen ita statuam, ut præsumere liceat, annos tam* Pavacii *quam* Liborii *numero rotundo expressos, solum uno vel altero die abundasse aut defecisse. Cur autem non liceat? cum paulo major excessus defectusque nihil magnopere mutare possit in re, quamdiu servabitur Dominicarum ratio lege præscripta. Ascendamus ergo ad* S. Pavacii *decessorem* Turibium. *Hic* sedit in prædicta Sede annos V, menses VI, diesque XVI .... Martyrio *autem* (ut fertur) vitam finivit, ac obiit XVI Kal Majas. *Coronatus sit Martyrio ille anno* CCCIII, *in gravissima omnium quæ fuit unquam persecutione, sub Diocletiano et Maximiano, publicatis edictis* VI *Kalendas Martii in foro Antiocheno, indeque ad omnes Romani Imperii Provincias delatis ; vi quorum Antistites Ecclesiarum imprimis comprehendi jubebantur. Captus autem cæsusque* Turibius *sit, die* XVI *Aprilis : unde*

juxta hanc Pavacius an. 303

successisset S. Turibio Martyri ;

A unde per dictos annos, menses ac dies ascendens, venies ad diem XXX Septembris anni CCXCVII. *Hic vero dies cum isto anno per litteram C Dominicas notante sit Feria* V, *non Dominica; licere mihi peto, ut ad hanc inveniendam scribam dies* XIII *pro* XVI: *ita namque habebitur* III *Octobris, quæ dicto anno Dominica fuit, apta ordinationi Episcopali ipsius* S. Turibii. *Sicuti autem ab hac chronologia recipienda dimovere neminem potest, quod Sanctus iste scribatur obiisse*, P. C. Viatoris II. V. C. *qui postconsulatus, nescio unde sumptus, cadit in annum* CCCCXCVII; *sic neque consideratione dignum videtur, quod Titulus Capitis* II *dicat, eumdem fuisse tempore* Antonini Imperatoris; *qui cum solus nominatur, fere intelligitur* Antonius Pius, *ab anno* CXXXVIII *usque ad* CLXI *Imperio potitus.*

et hic fuerit ordinatus an. 297.

11 *Ceterum in hujus* Turibii *Gestis, etiam ad confinia seculi* III *et* IV *dilatis, vehementer displicet, quod* (*ut ubi dicitur*) in rebus, quæ suo tempore ad Ecclesiam sibi commissam, quam S. Julianus infra Cenomanicam urbem dedicavit, traditæ sunt, fecit monasteria quatuor, inter alia monasteriola et ecclesias, quæ in sua Vita et ejus Actibus commemorantur *expressis etiam nominibus vicorum*, Mariani, de Maduallo Longua-aqua, Vetere vico, Austriliaco, B Latiniaco, Lupiaco Cella, solennis, Asinaria, Doilitto, Busiaco, Pucialeto, Argentrato, Villena, Candiaco, Montaniaco, Crucilia, Placiaco, Patriciaco, Briciaco, Novo-vico, Oxello, Aurianno. Landa, Medioorto. *Omnia hæc fortassis seculo* V *aut* VI *Ecclesiæ accesserunt; nec prius monasteria condita puto. Cum ergo illa sic nominantur, apparet quid sentiendum sit de ejusmodi Gestis, seculo* II *adscribentibus, quæ seculo* IV *vix convenire possent.*

Ejusdem Gesta interpolata quoad pias fundationes,

seculo 6 aptiores quam 3.

§. III. *De primo Cenomanorum Episcopo S. Juliano ætati Decii potius quam Domitiano adscribendo, et omnium S. Innocentis decessorum Synopsis.*

His *prælibatis venitur ad* S. Julianum, *primo notum Episcopum Cenomanensem; qui postquam* Sedit in prædicta Sede, Cenomanica in urbe annos XLVII, menses III, dies X, obiit in pace V (*imo* IV) Kal. Februarias. *Has Kalendas si concipere velis immediate prægressas Ordinationem Turibii, anno* CCXCVII *celebratam; ascendet per numeros hic præscriptos, ad* XVII *Octobris anno* CCXLIX. *Atqui isto anno, habente litteram Dominicalem* G, *dies iste Dominicus erat; et occisis Julio mense Philippis, ut in sua Critica demonstrat Pagius,* C *persecutio anno præcedenti populariter in Ægypto cœpta, violentissime per totum Imperium exarsit, Decio sublatis inimicis dominante; adeo ut credibile non sit, rebus sic turbatis, licuisse* S. Fabiano Papæ (*jam tum forte captivo, certe* XX *die sequentis Januarii Martyrizato*) *cogitare demittendis in Galliam novis Apostolis. Ergo litterarum Dominicalium ductu, quæramus proximum aliquem pacatum annum, qui diem* XVII *Octobris littera C notatum, composuerit cum Dominica; et inveniemus annum* CCXLVII, *quo potuerit* S. Julianus *fuisse ordinatus Episcopus. Si tamen inhærendum est præcise verbis quibus dicitur quod* Cenomanica in urbe Sedit Julianus annos XLVII *etc. debebit intelligi dies constitutæ apud Cenomanos Cathedræ, non ordinationis: et illam Cathedræ constitutionem potuerint præcessisse anni aliquammulti liberæ prædicationis per Lugdunenses Provincias, ad quarum tertiam et ab Italia remotiorem Cenomani pertinent: sic ut* Julianus *fuerit Episcopus Apostolicus, ad opus Evangelii pro Gallia Lugdunensi ordinatus, cum potestate Cathedram constituendi, ubi et quando opportunum judicasset, primis* Fabiani *Pontificis annis; alta pace, post Maximini mortem, ab anno* CCXXVII *Ecclesias fovente, et ad novas aggregandas invitante. Obierit autem idem* Julianus *anno* CCXCIV; *et propter illius temporis persecutionem, per quam latere Episcopos oportebat, nec promptum erat, defuncto aliquo, comprovinciales Episcopos convenire, ad eum quem Clerus elegerat ordinandum; vacaverit Sedes ad ordinationem* Turibii, *annis* III, *menses* VIII, *dies* VI. *Tum vero longe etiam minus credibile fuerit, simul cum eo ordinatos atque in Gallias missos*, SS. Turibium et Pavacium: *quorum ætas, in tali hypothesi, ad octo vel decem annos posset excrescere supra omnem verosimilitudinem.*

Si S. Julianus ponatur ordinatus 247,

ante persecutionem Decii;

aut Sedem tunc posuisse Cenomanis;

D *auctore D. P. obierit an. 294,*

13 *Sed si credibilis non est ætas tam enormis, multo minus recipi potest, opulentia tanta Cenomanicæ Ecclesiæ, primis istis principiis, quantum indicat Auctor Gestorum; quando describit, quomodo S. Julianus* matrem ecclesiam *constituit* in domo Possessoris, *Principis Cenomanici a se baptizati, eamque* cum altari, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, et S. Petri Principis Apostolorum, solenniter consecravit; *definivitque, quantum ad eamdem* matrem ecclesiam Cenomanicæ civitatis..... per singulos annos.... de cera, de oleo. aut de argento.....: *solvi deberet* de Diablentico vico, de Celsiaco, Labricinis, Silviaco, Intramnis, Corma, Velatio, Brucilonno, Comedralio, Bellefaido, Langonna, Saviniaco, Asciaco, Caviliaco, Gauronno, Chabannia, Vivonio, Salica, Baladon, Jacono, Padriniaco, Andoliaco, Domno-Georgio, Burgodeno, Verno, Centon, Vigobris, Baliau, Cerviaco, Saviniaco super Brigiam, Lucaniaco, et Noviomo. *Hæc nomina, saltem aliqua, esse multo recentiora ævo* S. Juliani, *nemo inficiabitur; etiam cum eum detraxerit a primo seculo ad tertium, cui cum Gestorum abbreviator, admirabili prorsus modo, adscribit, titulo primi Capitis sic proposito:* Incipiunt Gesta Domini Juliani, primi Cenomanicæ Urbis Episcopi, qui fuit tempore Decii, et Nervæ ac Trajani Imperatorum; sub quibus et Joannes Apostolus et Evangelista Apocalypsin et Evangelium scripsit. *Apocalysin scimus scriptam fuisse sub* Domitiano, *cujus jussu Joannes, post ferventis olei dolium, exulavit in Pathmo: Evangelium creditur anno* I *Nervæ, Christi* XCVI *edidisse. Post Nervam* Trajanus *anno* CIV *Imperium suscepit, inter cujus exitum et initium Decii intervallum est annorum* CXL. *Est autem credibile, ut primo hic positum est nomen* Decii, *ita solum fuisse repertum apud antiquiorem scriptorem.*

nec potuerint successores Romæ fuisse cum ipso ordinati.

Census Ecclesiæ illi attributi, E

postea aliunde obvenerint:

ipseque male sit avulsus ab ætate Decii

14 *Vitam* S. Juliani *Bollandus dedit* XXVII *Januarii, a Lethaldo Monacho inscriptam Episcopo Cenomanensi Anesgaudo, seu potius Avesgaudo, quem anno* DCCCCXC *vixisse scribit Molanus. Ut autem hic dicitur*, Avesgaudus *annis* XLII *præfuit; et Hierosolymam profectus, sepelitur in reditu, a peregrinationis socio Ramberto Virdunensi Episcopo, qui, et ipse in eodem reditu Belgradi obiit, anno* MXXX. *In hac vita dicitur quidem conversus et baptizatus Princeps civitatis Cenomanicæ, cum tota sua familia; sed merito tacetur in hac S. Juliani vita nomen uxoris* Goda, *utpote Francicum adeoque necdum Gallis notum; merito etiam tacetur donatio, qua* ad ecclesiam S. Mariæ et S. Petri *idem Princeps*, cum consensu et stipulatione Procerum suorum, *tradiderit* quidquid infra civitatem et in suburbiis civitatis habebat.... *itemque* alias suas villas proprias, scilicet Callemarcium, Vodebrio, Callisamen, Viveregium, Asam, Campaniacum, et Genedam...... insuper Diablenticum, et Labricinas; et alios vicos omnes, qui in pago Cenomanico esse noscuntur. *Prudenter etiam tacuit Lethaldus* Testamentum, Zachariæ Sacerdoti vel Abbati apud ecclesiam in honorem Sanctorum Apostolorum ultra fluvium Sartæ *instituto* corroboratum et subscriptum a S. Juliano *sub hac conditione, ut in agnitionem clientelaris subjectionis;* Purificatione S. Mariæ, et in festivitate S. Petri, et in Assumptione S. Mariæ, omnes Clericos ipsius civitatis et omnes pauperes infra

Vita sec XI scripta.

F

longe minus quam Gesta exorbitat.

AUCTORE D. P.

infra civitatem, juxta matrem Ecclesiam, domo quam ad hoc opus perficiendum construxerat, collocaret, in honore S. Mariæ et S. Petri, eisque omnibus refectionem, ex rebus supradictæ Apostolorum ecclesiæ, honestam præberet.

quæ multiplici anachronismo laborant.

15 *Fortassis, sicut Romanis Pontificibus in usu est omnia agere* Auctoritate Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli; *sic et Episcopis Cenomanensibus medio ævo placuerit* Auctoritate S. Juliani *acta sua firmare, unde occasio sumpta sit tot possessiones, successive acquisitas ecclesiæ a* S. Juliano *plantatæ, ipsimet ut possessori adscribere; vel potius collibitum Auctori hujus Regesti fuit, eos omnes fundos, quorum primus acquisitor ignorabatur, imo et multos qui solum præsumebantur aliquando ad jus Ecclesiæ pertinuisse, partiri inter primos sex vel octo Episcopos; faciendo ipsos auctores censuum, ex singulis pendi solitorum Ecclesiis, cum hæc Gesta colligerentur. Hoc vero minus miraberis factum, si recordari velis, in Actis* S. Bertichramni, VI *hujus, num.* 9 *a me probatum, auctorem procedere* secundum eum statum cum quo tunc scribebat, res erant, *currente seculo* IX; *aliqui ipsius Bertichramni ætate, quædam aliter se habuisse probentur, ex Testamento ejus proprio.*

16 *His ad cognoscendum stylum Gestorum Episcopalium præfatorum explicatis; accipe seriem chronologicam, breviter a capite suo deductam.*

Chronologica series

S. Julianus, *ordinatus Episcopus Romæ a Fabiano, Cathedram Cenomanis ponit* XVII *Octobris anno* CCXLVII, *necdum imperante Decio. Sedit annos* XLVII, *menses* III *dies* X: *obiit* XXVII *Januarii* CCXCIV; *et vacavit Sedes annos* III, *menses* VIII, *dies* VI.

S. Turibius, *ordinatus* CCXCVII, III *Octobris, sedit an.* V, *m.* VI, *d.* XIII; *obiit* CCCIII *Martyr sub Diocletiano*, XVI *Aprilis: vacavit Sedes m.* IV *d.* III.

S. Pavacius, *ordinatus* CCCIII, XXII *Augusti*, *sedit an.* XLIII, *obiit* XXIV *Augusti* CCCXLVI; *vacavit Sedes m.* IX, *d.* XIII.

septem decessorum Sanctorum.

S. Liborius, *ordinatus* CCCXLVII, VII *Junii, sedit an.* XLIX; *obiit* CCCXCVI IX *Junii, et colitur die translationis* XVII *Julii: vacavit Sedes m.* VII, *d.* IV.

S. Victurus, *ordinatus* CCCXCVII, XI *Januarii; sedit an.* XXIV, *m.* V. *d.* XIV; *obiit* CCCCXXI, XXV *Augusti; vacavit Sedes m.* VIII, *d.* XX.

S. Victurius, *ordinatus* CCCCXXII, XIV *Maji; sedit an.* XLI, *m.* III, *d.* XVIII; *obiit* I *Septembris* CCCCLXIII; *vacavit Sedes m.* X, *d.* XXIII.

S. Principius *ordinatus* CCCCLXIV, XXVI *Julii: sedit m.* I *d.* XXI: *obiit* CCCCXCIII, XVI *Septembris. Vacavit Sedes an.* II, *m.* X, *d.* V.

S. Innocens *ordinatus* CCCCXCVI, XXI *Julii; sedit an.* XLV *m.* X *d.* XXVI; *obiit* XIX *Junii* DXLII. *Vacavit Sedes, subintruso Scienfredo, an.* XV, *m.* VI, *d.* XIX.

GESTA

Ex Actibus Episcoporum seculo IX collectis

Juxta Editionem Joannis Mabilionis.

S. Innocens educatus a S. Victurio Ep.

Domnus Innocens, natione Gallus, Cenomanicæ urbis Episcopus successorque beati Principii, successoris videlicet Domni Venturii præfixæ Urbis Episcopi, qui et a fonte eum suscepit et eum in filium sibi adoptavit, seu fideliter et pie docuit et enutrivit, atque eum instruendo et sublevando, et in aliquibus sacris Sacerdotii gradibus provehendo, ordinavit et sublimavit. Cujus meritis atque eruditionibus, licet non statim, tamen annuente Domino, post obitum prædicti, in Sede Patrini sui Victurii et in ejus loco subrogari, atque Episcopus sacrari meruit. Ipse namque post beati viri Severiani *a* antecessoris sui transitum, matrem et civitatis ecclesiam, in qua antedictus S. Venturius, B. Martino jubente et ordinante, Reliquias SS. Martyrum Gervasii et Protasii, olim cum summo honore, multas et innumerabiles virtutes prædictorum Martyrum Gervasii et Protasii meritis insigniter demonstrando et faciendo, posuerat; quam et antea jam dictus Domnus S. Victurius immajorare et restaurare cœperat, tamen imperfectam appropinquante ejus termino reliquerat; quæ olim, in honore S. Mariæ et sanctorum Apostolorum, a B. Juliano, *b* primo ejusdem urbis Episcopo, sacrata fuerat: immajorare atque amplificare et exornare studuit.

a succedit S. Principio;

et SS. Gervasii ac Protasii Reliquias

2 Præfatus igitur Domnus S. Innocens, memoratam matrem et civitatis ecclesiam supradicto prætextu, ab arcu, qui in jam dicta matre et civitatis ecclesia apparet, in Orientali parte immajoravit; et reliquam partem Occidentalem ipsius Ecclesiæ, quam dudum S. Julianus sacraverat, exaltavit; et in Orientali parte, quæ a prædicto arcu in Orientali parte surgit, altare fecit in quo jam dictas Reliquias SS. Gervasii et Protasii honorifice collocavit. Et in sinistra parte ipsius Ecclesiæ et prædicti arcus, in quodam membro ecclesiæ ipsius, altare S. Mariæ, quod antea a B. Juliano in media ecclesia, in Orientali parte constructum atque sacratum fuerat, decenter mutavit, et in honore S. Mariæ reconciliavit atque reædificavit. In dextera vero ipsius ecclesiæ et arcus parte, in quodam membro ipsius matris ecclesiæ ab eo constructo et a novo fundato, altare in honore S. Petri posuit et reconciliavit: et taliter in honore [SS. Gervasii et Protasii] mutatum est ejusdem ecclesiæ nomen, propter virtutes scilicet quæ ibidem innumerabiliter, in memoria SS. Gervasii et Protasii. factæ sunt. Nam propterea memoriam S. Mariæ et S. Petri de prædicta ecclesia non delevit, sed multo magis, sicut a B Juliano institutum et sacratum fuerat, concelebrare, et adorare monuit, venerabiliterque nomen et memoriam ipsius sanctæ Dei Genitricis Mariæ futuris temporibus in ea venerari instituit.

collocat in absoluta a se Cathedrali, prius SS. Mariæ et Petri dicta.

3 Ecclesiam quoque Apostolorum ultra fluvium Sartæ, in qua prædictus Domnus Victurius et ejus successores *c* requiescunt, exaltavit et exornavit, seu in ejus Orientali parte absidam novam construxit; in qua propter honorem et decorem sanctæ Dei ecclesiæ, atque propter amorem Sanctorum, S. Victuri et S. Victurii ejus filii corpora honorifice collocavit, et juxta eorum sepulturam, suam præparavit requietionem. In ipso ergo loco agmina Monachorum, quæ dudum ibi pollere cœperant, feliciter multiplicavit; et claustra atque ædificia, ad hoc opus peragendum, mirabiliter operari studuit; et hospitalia pauperum et receptacula peregrinorum et adventantium ibi construxit; et eorum receptiones atque victu alia misericorditer et pleniter constituit.; et regulariter ipsos Monachos, *d* in eodem cœnobio vivere docuit et instituit, et ad effectum usque perduxit.

Fundat ecclesiam Apostolorum, et monasterium.

4 Tempore etiam Domni Innocentis Episcopi B. Carileffus, *e* de pago Aurelianensi, de monasterio in quo Domnus Maximinus *f* insignis Monachus Abbas erat, in Cenomanicam parochiam, arctiorem vitam quærens, pervenit: ibique supra fluvium Anisolæ *g* amœnum locum reperiens, in loco quodam qui ab antiquis dicitur *h* Casa Gajani supra fluvium Anisolæ, quod secundum nomen ipsius fluminis appellatur Anisola; ubi Domnus Turibius, ejus Parochiæ Pontifex, dudum in rebus senioris et matris civitatis ecclesiæ cui præsidebat, ecclesiam in honore S. Petri Principis Apostolorum, fecerat: quæ tamen destructa, propter imminentes vastationes, fuerat; sed adhuc de ipsis maceriis aliqua pars ibi

Anisolense, a S. Karileffo extructum,

A ibi erat : ibique antedictus Domnus Carileffus quoddam tugurium faciens, in circuitu ejus, prout melius potuit, stirpare *i* cœpit. Postquam vero ejus fama atque ejus sanctitas hominibus in circuitu commanentibus nota facta est ; a multis, tam de rebus propriis quam de aliis bonis, mirabiliter est honoratus atque ditatus. A Childeberto *l* scilicet Francorum Rege de rebus fisci, *m* quantum in una die circuire super asellum suum equitando potuit, est ditatus ac locupletatus.

5 Audiens ergo hoc Domnus Innocens, jam dictæ parochiæ Pontifex, ad præscriptum Domnum Carileffum, dignum Dei Sacerdotem, jam dictus B. Innocens profectus est ; increpans eum, quamobrem in rebus ecclesiæ suæ, et absque ejus consultu vel absque sua licentia, cellulam instruere aut oratorium facere præsumpserat. Qui valde humilians se contra eum, cœpit deprecari, ut non ei iratus esset, sed magis esset placatus ; quoniam in suis manibus et ecclesiam suam, et omnia quæ habebat, et inibi condonata vel collata erant, tradere et condonare cupiebat. Cujus preces Domnus Innocens benigne suscipiens, et ei adjutorium de rebus ecclesiæ suæ fa- B ciens, non modicum ei præbuit auxilium ; qualiter cellulam Domnus Carileffus, de suo suorumque fultus auxilio plenius et abundantius, construere posset sive Monachos in ea sub Regula *n* degentes congregare et continere valeret. Sequenti autem die, Domnus Carileffus præfato Episcopo res omnes, quæ ei condonatæ fuerant (ut quod prædixerat verum esse monstraret) per strumenta *o* cartarum tradidit ; et se cum omnibus rebus suis, tam eas quas tunc habebat, quam et eas quas divina pietas in eumdem locum futuris temporibus augeri voluerit, matri et civitatis seniori ecclesiæ legaliter et amabiliter subjugavit, et ejus temporibus possidendas prædicto Pontifici sive successoribus suis dereliquit, censumque annis singulis ad matrem et civitatis ecclesiam persolvere benigno animo *p* spopondit : id est ad lumen ecclesiæ, de cera libras majores IV, et ad opus Episcopi cambuttam *q* I, et subtalares II; et ad opus Canonicorum, inibi Deo degentium buticulas *r* argento optime paratas, et honesto ornatas, atque plenas de optimo vino II, et plenum modium in cœna Domini de ovis.

se inconsulto, queritur ;

ipsumque ab eo accipit in jus ecclesiæ matris,

sub censu per Abbatem pendendo :

6 [Post] hæc autem omnia rite parata, præscriptam Domnus Innocens ecclesiam, in honore S. Petri Principis Apostolorum, in cujus et honore antea a B. Thuribio prædecessore inibi consecrata et ordinata fuerat, cujus maceriæ adhuc inerant, solenniter dedicavit. Aliud quoque s oratorium ibi in honore S. Martini consecravit, et hoc inter se sanxerunt et per scriptum confirmarunt Domnus Innocens, B. Carileffus, ut nullus alius ibi constitueret Abbatem, nisi Episcopus præfatæ civitatis; et unum semper ex ipsis Monachis, per electionem ceterorum, inibi constitueret Abbatem : *t* qui etiam dictos census ad prædictam ecclesiam persolveret; et alia servitia, non tamen multum onerosa, ejusdem urbis Pontificibus, prout melius potuerit, Domino auxiliante, perficere studeat.

et ecclesiam dedicat.

Condit oratorium S. Martini,

7 Ipse ergo Domnus Innocens, monasteriolum, una, heredibus cum Harigario et Trudana, atque Domna *u* Trenestina, Deo sacrata filia eorum, (qui eorum hereditatem, ad ipsum monasteriolum construendum, cum omni integritate, ad ecclesiam S. Mariæ et Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii, cui prædictus Pontifex Domnus Innocens præerat, tradiderunt) in area ejusdem senioris ecclesiæ, intra fluvium civitatis et murum civitatis, construxit; et prædictis heredibus ad hoc perficiendum, tam de rebus Episcopii sui, quam et de aliis supplementis, non modicum præbuit adjutorium : et ipsum D monasteriolum una cum eis construxit, et suæ Sedis ecclesiæ suisque successoribus, sicut in eorum instrumentis *x* continetur, legibus delegatum, et absque ulla contradictione pacifice possidendum et regendum reliquit.

et monasterium Virginum

ex Actis Epp.

8 Ipsi vero B. Innocenti et ecclesiæ sibi commissæ traditus est locus, cum omnibus ad se pertinentibus, in pago Cenomanico incondita *y* Labricensi, ubi per auctoritatem Hildeberti Regis et ejus Reginæ Vultrogotæ ædificavit Monasteriolum in honore S. Georgii, in quo etiam de ejus proprio corpore magnam partem posuit. Ad præfatum igitur opus perficiendum et ornandum, memoratus Rex Hildebertus et ejus Regina Vultrogota, ex rebus fisci, in eorum eleemosyna, prædicto Episcopo etiam dicto loco non modicum præbuere adjutorium, sicut in cartis *z* et præceptis memoratæ matris ecclesiæ, et munificentiis et testamentis præfati Domni Innocentis Episcopi, hactenus declaratur.

atque aliud S. Georgio dicatum ;

9 Hic autem sedit in prædicta Sede annos XLV, menses X, dies XXVI; et fecit in prædicta Sede Ordinationes L : Presbyteros enim consecravit CCCXVIII, et Levitas atque alios Ministros quantum necesse fuit; qui et in pace obiit XIII Kal. Julias. Prædictus vero E Domnus Innocens in ecclesia Apostolorum ultra fluvium Sartæ, quam ipse melioravit atque nobiliter decoravit, juxta corpora S. Victuri, et S. Victurii, ubi sibi sepulturam olim præparaverat, honorifice et condigne a suis Consacerdotibus et Discipulis sepultus est. Cujus obitum innumerabilia præcesserunt signa, et subsecuta sunt : quæ hic propter prolixitatem et fastidium lectoris vel auditoris, non inserimus. Sed tamen, si quis ea investigare voluerit, in aliis schedulis, in quibus et aliorum præscriptæ Cenomanicæ urbis Pontificum [vitæ] insertæ sunt, scripta reperire potuit. Qui et vivit cum Christo in æternum : cum quo et nos suppliciter deprecamur, licet immeriti, donante Domino vivere mereamur, per infinita secula seculorum. Amen.

sepelitur ad SS. Apostolos.

ANNOTATA D. P.

a *Electum hunc* B. Severianum (*ecgrapho nostro* Severinum *sed propter seditiones, tempore S. Principii motas, numquam ordinatum fuisse, censet Bondonnetus : ideoque in serie Episcoporum prætermitti; quod sane est verosimillimum, mirum tamen* a *collectore Gestorum nominatum non fuisse, saltem ad calcem Vitæ* F *S. Principii, ubi cessantis Episcopi meminit.*

b *Non est credibile, publicam ecclesiam dedicasse* B. Julianum; *aut usque ad* B. Victurii *tempus oratorio, quo ille usus fuit, contentos mansisse Cenomanos. Quod autem attinet illatas huc* SS. Gervasii et Protasii *Reliquias: allegat Corvaserius cartam: in qua Episcopo Mediolanensi pro tali munere agens gratias* S. Innocens, *sic ei scribit :* Debitum persolvisti, si enim originem longius quæsieris ; *qua scilicet Mediolanum a Cenomanis fundatum creditur* , tu nobis nostros Cenomanos Martyres reddere debuisti. *Mallem integram epistolam videre, nam hic dicitur* S. Martino jubente *eas in ecclesiam suam intulisse* S. Victurius, *quod melius diceretur fecisse pater ejus* Victurus : *hic enim, non iste, a* S. Martino *ordinatus Episcopus anno Christi* 397, *et illius ultimo.*

c *Imo* decessores *: nam alibi fere sepulti successores sunt : in Gestis autem* S. Principii *legitur, quod* sepultus est.... in Ecclesia Apostolorum, ultra fluvium Sartæ, juxta sepulcra Sanctorum Pontificum, Turibii, Pavacii, atque Victuri et Victurii. *Porro fluvius* Sartæ *Occiduum urbis latus alluit, procul e Pertico huc delatus.*

d *Corvaserius et Bondonnetus, omnia hæc intelligunt de ecclesia trans Sartam, nunc nominata* S. Juliani

EX REGESTO EPP.

liani de Prato ; *et pro* Monachis *aiunt institutas a S. Innocente* Monachas, *quales hodiedum ibi sunt sub Regula S. Benedicti : Hospitali autem prope erecto aiunt adhæsisse cognomentum* Sepulcri : *Corraserius quoque dicit, ad regimen parthenonis prædicti evocatam, ex monasterio S. Mariæ Suessionensis, sanctam quamdam Virginem* Adnettam, *aliis* Adrechildim, *dictam; de qua alibi nihil legi. Fortassis institutis a* S. Innocente *Monachis deficientibus, diu postea inductæ sunt, sub alio quopiam Episcopo, Sanctimoniales sub regimine Adnettæ prænominatæ, cujus utinam inveniretur Vita !*

e S. Carileffus *colitur* I *Julii, quando illustrabitur Vita, ubi cap.* 4 *apud Surium solum dicitur*, ad partes Cenomanorum *venisse, et plura de* Childeberto Rege *atque* Vultrogotha *Regina narrantur : absque ulla mentione* S. Innocentis; *ut hinc suppleri illa debeat.*

f *Eadem Vita cap.* 3 Maximinum Aurelianensem Præsulem *appellat, quod Surium decepit, ut* Episcopum *in Margine scriberet ; cum solum fuerit Abbas, conditor Miciacensis monasterii, quod ab illo nuncupatur* S. Mesmin de Micy, *colitur autem* 15 *Decembris.*

g *De* Anisolæ *situ ac nomine multa eadem Vita, vide interim quæ dixi ad Vitam S. Domnoli* 16 *Maji cap.* 2 *Annot.* b.

h *Surius, ubi supra*, Casa-Jogani.

i Stirpare (*id est terram stirpibus evulsis parare culturæ, etiam S. Ambrosius dixit ; et Prudentium eadem voce usum, scripsit Salmasius apud Cangium.*

l *Regnavit* Childebertus *Chlodovæi Magni filius, una cum fratribus tribus a morte Patris, anno* 511 *die* 27 *Novembr. et obiit an.* 558, *superstitem sibi relinquens fratrem ac socium Regni Clotharium, exinde adhuc triennio superstitem.* Vultrogothæ *pientissimæ Reginæ meminit etiam S. Greg. Turon, lib.* I *de mirac. S. Martini cap.* 12.

Anisolense Monast. traditur S. Innocenti Ep.

m *Ita in Vita S. Arnoldi, qui Caroli Magni citharadus fuit, legitur* 18 *Julii, quod adjutos cupiens incolas ejus villæ, quæ postea ab ipso nomen obtinuit, lignorum penuria laborantes, nec audentes de proxima silva accipere, eo quod esset Fisci regii ; Regem mensæ accubiturum rogarit, et impetrarit* tantum vicinæ silvæ, quantum posset in spatio mensæ *regiæ* comprehendere ; *mutatisque identidem equis creditur totam silvam*, quæ duobus milliaribus in longitudine dimidioque in latitudine extendebatur, *circuisse, et publici juris fecisse, prius reversus quam a mensa Rex surgeret.*

n *Regula utique eadem quam Miciaci S. Maximinus instituerat, ante S. Benedicti Regulam in Gallias allatam.*

o *In Gestis Episcoporum, post Vitam S. Innocentis*, sequitur exemplar traditionis vel testamenti, quod fecit S. Carileffus, suadente atque hortante præd. S. Innocente de Monasteriolo Anisolæ, sanctæ Cenomanicæ matri ecclesiæ, tempore et permissu Hildeberti Regis et Vultrogotæ Reginæ ejus : quod idcirco in his Pontificalibus Gestis inserere placuit, ut si, quod absit, aliqua negligentia ipsum authenticum perditum aut concrematum fuerit, his in Gestis reperiatur ejus exemplar insertum, per quod sciatur qualiter hoc actum fuerit, sicuti in eo habetur insertum ; *et hic in textu Vitæ summatim legitur.* Data *est autem Carta* VIII Idus Januarii, anno XIV regnante Childeberto Rege, *id est anno* DXXV *signaturque hoc modo :* Ego Carileffus, indignus Monachus, hanc donationem a me factam subscripsi, et affirmare rogavi, *eos scilicet qui similiter signarunt, Episcopos novem, Comites quinque, Abbatem unum, Vicecomitem unum, et alios novem absque titulo testes. Mox autem* sequitur *etiam* exemplar precariæ S. Innocentis Episcopi, quam fecit S. Carileffo Abbati de monasterio Anisolæ : *estque* data XV Kal. Febr. anno *jam dicto.* Ego Innocens, acsi indignus Episcopus, hanc precariam a me factam subscripsi, *tum plures de Clero ac Nobilitate Cenomanensi, ac denique* Leodevaldus Notarius, præcipiente Innocente Episcopo, scripsit et subscripsit.

p *Census nullius meminit carta S. Carileffi, imo cessionem hac conditione facit, ut Pontifex ejusque successores et ministri*, nullas functiones vel exactiones, neque exquisita et lauta convivia, neque gratiosa vel insidiosa munuscula, neque etiam caballorum partus vel paravereda, vel angarias, aut quodcumque functionis titulo judiciaria potestate dici potest, de præscripta facultate penitus non requirant. *Quia tamen res ipsa exigebat, ut aliquod subjectionis testimonium præstaretur ; hunc qui hic indicatur censum, sane exiguum*, S. Innocens *in sua jam indicata Precaria definivit sed ubi hic simpliciter leguntur* de cera libræ IV; *ibi Auctor Gestorum, explicationis causa, addit* Majores. *In gestis autem Josephi Episcopi, ob quædam impacta sibi crimina positi in magna angustia, legitur, quod,* eo *circa an.* DCCXC ipsum censum, propter timorem jam dictæ angustiæ, non requirente ; Ebroinus quidam, ipsius monasterii Abbas, persolvere neglexit ; et idcirco suprascriptus census modo (*id est seculo* IX *ad medium vergente cum ista scribebantur,* tali occasione et negligentia peracta, ad ecclesiam S. Mariæ et S. Gervasii non persolvitur.

q Cambutta, *pedum Episcopale, cujus ea ætate materia erat lignum vel ebur, cum uno fortassis pluribusve argenteis circulis.*

r Buticula, *vasculum vinarium, vulgo* Bouteille.

s S. Carileffi *carta nihil distinguit, saltem expresse ; sed cavet,* ut facultatula *Anisolensis monasterii ab Episcopo et ecclesia Cenomanensi sub eadem immunitate possideatur,* sicut possessa est in jure Oratorio S. Petri et S. Martini et Sanctorum Apostolorum.

S. Carileffus Ab. se suaque subjicit Episcopo Cenoman.

t *Nihil tale in alterutro instrumento legitur ; sed neque in* exemplari Præcepti. quod Childebertus Rex super prædictam precariam, et de monasteriolo Anisolæ, S. Innocenti Episcopo et S. Carileffo Abbati, firmitatis causa fecit ; *signaturque*, Datum dies octo quod facit mensis Junius, anno XV regni nostri Opatinaco (*lege* Captunaco, *inquit Mabilio*) in Dei nomine feliciter. Amen. *Non ideo tamen de ejusmodi facto dubitaverim ; asserit enim Auctor, quod* sunt et aliæ cartæ et instrumenta de eadem re, quæ hic propter prolixitatem, *inquit*, non inseruimus. conservantur tamen hactenus in archivio nostræ matris Ecclesiæ ; sicut est carta commendationis, qualiter se Domnus Carileffus, per licentiam sui Abbatis, exhortante Domno Avito, una cum suis Monachis subdidit ecclesiæ civitatis, et in manus S. Innocentis Episcopi duabus vicibus se tradidit. Et sicut est in carta donationis, de rebus et villulis, et auro et argento, et vestimentis tam ecclesiasticis quam et aliis, sive libris, et crucibus, et capsis vel reliquiis Sanctorum multorum; quæ Domnus Innocens in adjutorium, ad monasterium Anisolæ construendum et ornandum, Domno Carileffo et suis Monachulis per scripturam tradidit. Et sicut est carta de conventionibus S. Innocentis et S. Carileffi miræ magnitudinis conscripta, et a XV Episcopis firmata, ut eorum conventiones (*in quibus etiam reor agi de electione Abbatis, quod in prioribus desideratur*) nullo modo irritæ fierent, sed per omnia stabiles manerent : quæ hic, ut prædictum est, propter prolixitatem scribere distulimus. Dilexerunt enim se S. Innocens et S. Carileffus oppido invicem, et semper meditabantur qualiter Deo animas lucrarentur : quod et Domino auxiliante facere meruerunt, unde et

A et regna cœlorum adipisci meruerunt : ubi nos eorum precibus pervenire, et cum eis ibidem lætari mereamur, ipso auxiliante, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

S. Trenestina Virgo.

u *Instrumenta in Gestis transcripta* Tenestinam *appellant, corpus Floriacum translatum dicit Saussayus, ipsamque coli* 26 *Augusti.*

x *In Gestis* sequitur exemplar traditionis, quam fecit Haregarius et conjux sua, et Deo sacrata filia eorum, de rebus suis et de cellula S. Mariæ, ad matrem et civitatis ecclesiam S. Mariæ et SS. Martyrum Gervasii et Protasii, et Innocenti Episcopo... Actum Cenomanis civitate publica. Data v Nonas Maji, anno II regnante Childeberto Rege, *id est, anno Christi* DXIII, *qua de re* sequitur exemplar præcepti quod fecit Childebertus, Rex Francorum, vir illustris, super traditionem Harigarii, et conjugis suæ Trudanæ, et filiæ eorum Tenestinæ Domino sacratæ ; id est de cellula S. Mariæ, et de omnibus rebus quas addiderint, ad matrem civitatis ecclesiam S. Mariæ et SS. Martyrum Gervasii et Protasii et Innocentis Episcopi : *et subsignatur :* Datum dies VII, quod facit præsens mensis Junius, anno septimo regni, *Christi* DXVIII. *Inter utrumque autem instrumentum,* B *medium ponitur, quod habita temporis ratione, ultimum poni debuerat*, exemplar precariæ, quam fecit S. Innocens Domnæ Tenestinæ filiæ, quondam Harigarii et Trudanæ : *quæ et signatur* data v Kal. Maji, anno XIII regnante Childeberto Rege. *Ceterum ecclesiam illam nunc esse urbanarum Parochiarum unam,* Gurdanarum *vulgo dictam asserit Bondonnetus pag.* 170. *Sanctæque* Trenestinæ *corpus cum corpore* S. Rigomeri (*qui colitur* 24 *Augusti*) *translatum ad Abbatiam Mallesatensem, ubi ambo communiter Patroni habentur.*

y Condita (*regio*) Labricensis, *videtur hic dici, quidquid circum urbem ad quinque ferme leucas extenditur, intercurrente Sarta irriguum, vulgo* les Quintaines du Mans : *hic certe trans Sartam, tertia ab urbe leuca versus Africum, est ecclesia,* S. Georgii Majoris *aut* a nemore *nuncupata , ad distinctionem alterius, cis Sartam et propius ab urbe, quæ dicitur* S. Georgii minoris *sive* a planitie : *in priori* Brachium *fuisse depositum, scribit Bondonnetus.*

z *Hujusmodi cartæ non sunt transcriptæ in Gestis.*

APPENDIX CHRONOLOGICA

Ex iisdem Gestis Pontificalibus.

C

§. I. *Successores S. Innocentis usque ad seculum* IX.

Obiit *ergo secundum dicta* S. Innocens XIX Junii anno DXLII, *et cessavit Episcopatus ipsius, obtinente eum Schienfredo numquam ordinato, an.* XV, *m.* VI, *d.* XIX, *computando diem quo obiit Decessor, uti hactenus factum.*

Ordinatur Domnolus an. 557,

2 S. Domnolus, *ordinatus an.* DLVII , VII *Januarii in Dominica;* sedit annos XXVI (*non* XLVI) men XI, d. XXIV ; *obiit an.* DLXXXIII, I *Decembris, et vacavit Sedes dies* IV. *Atque hinc corrige dicta ad* XVI *Maji, ubi definivimus, non ante an.* DLXXXI *obiisse* S. Domnolum.

Baldegisus 583,

3 Baldegisus, *statim post obitum decessoris, proxima Dominica ordinatus ; puta* V *Decembris* DLXXXIII ; *duabus interpolatis vicibus*, sedit annos V.

Bertechramnus 587 ;

4 S. Bertechramnus, *ordinatus anno* DLXXXVII, *die* XXIX *Junii in Dominica, vel paucis septimanis citius ;* sedit annos XXXVII ; *defunctus* DCXXIII , XXX *Junii : et cessavit Episcopatus menses* II.

Chadoindus 623.

5 S. Chadoindus , *ordinatus anno* DCXXIII, XXVIII *Augusti in Dominica ;* sedit annos XXVII, menses XI, dies XXIV : obiit XX Augusti DCL. *Impressa quidem ei tribuunt annos* XLVII : *sed consequentium Episcopatuum* D *ratio exigit, ut credatur male abrepsisse* L *pro* X, *prout ex successu apparebit : Bondonnetus asserit quod in Pontificali Cenomanensi numerentur anni* XXIX : *sed malui correctionem quam potui simplicissimam adhibere. Ab hac autem non dimovent nos Gestis insertæ cartæ duæ ; quarum prima est Testamentum conventionis, inter Sanctos* Haduindum *et* Lonegisilum, data VIII Kal. Decembr. anno LII regnante Clothario Rege ; *altera est precaria , eidem* S. Lonegisilo *data de Buxiaco* Kal. Decembris *anno eodem : recte enim monet Mabilio, legendum videri an.* XLII, *ultra quem uno solum anno* Clotharius *vixit, defunctus circa autumnum anni* DCXXVIII. *Similiter erratum est in signatura precariæ de monasterio S. Carileffi,* datæ VIII Idus Aprilis, *dum illa notatur* anno XXXVI regnante Dagoberto Rege : *Dagobertus enim, apud Austrasios quidem anno* DCXXII *regnare cœpit ; Cenomanis tamen solum a morte patris, anno* DCXXVIII *obita, Rex dici cœpit, dicique perrexit, per annos* XVI *Monarcha, mortuus anno* DCXLIV. *Itaque pro* XXXVI *legendum* XVI *censet Mabilio, cui libenter assentior. Vacavit per obitum* Chadoindi *Episcopatus men.* IX, *dies* X.

Ex regesto Epp. Cartæ vitiatæ.

Berarius 651;

6 S. Berarius, *ordinatus an.* DCLI, *die* XXX *Maji in* E *Dominica*; sedit an. XXVI, mens. IV, dies XVII; *obiit* XVII *Octobris* DCLXXVII.

Aglibertus 677 ;

7 Aglibertus, *eodem, quo Berarius obiit anno vel sequenti ordinatus*, sedit annos XXXIV , menses VI, dies XI ; *defunctus* DCCXI ; *cujus cum dies mortis non notetur, non possumus vel divinando dicere, quo mense ac die sit ordinatus ; diem autem mortis ignorari tanto est incommodum magis, quanto expressius in fine Gestorum ejus dicitur,* quod ejus etiam meritis Dominus innumerabilia, tam eo vivente, quamque et in Christo requiescente, signa ostendere non dedignatus est.

Herlemundus 712;

8 Herlemundus *ordinatus anno* DCCXII, IX *Januarii in Dominica,* sedit annos XXVI, menses IX, dies XVI, *non* XIII, *ut habent impressa. Obiit enim* XXIV *Octobris: unde retrocedenti ad Dominicam secundam Januarii anno præsignato, necessarius est iste dierum numerus. Quod annorum numerum attinet , hic si integer retineatur, Successori ejus erant detrahendi anni* X ; *quod facere malo ob convenientiam mox plenius explicandam. Claudius Robertus, eumque secutus Bondonnetus, auferendis* Herlemundo *annis* X *non contenti, solos* IX *ei relinquunt ; hac ratione, quod ejus initium cogebantur* F *differre usque ad annum* DCCXV, *propter attributos* Chadoindo *annos* XLVII. *Sed eorum conjectura, quoad novennium prorsus gratuita, in eo quem definiunt ordinationis anno hac etiam laborat difficultate, quod is habuerit litteram Dominicalem* F, *adeoque diem* VII *vel* XV *Januarii exigat , quo fuisset ordinatus* Herlemundus : *ad quem tamen diem a die obitus non ascenditur , per menses* IX, *dies* XIII ; *sed opus esset diebus* XVIII, *vel* X *dumtaxat. Mors porro* Herlemundi *tali ratione incidens in annum* DCCXXXVIII, *permittit ut cessaverit Episcopatus , quod Gesta asserunt ,* annos aliquot ; *puta quadriennium , Rotgario Comite ejusque filio Charivio tyrannica potestate dominantibus , per extremos Caroli Martelli annos ; qui cum obiisset* XXII *Octobris an.* DCCXLI, *et populus omnino Episcopum peteret ; cum etiam quartum jam annum nullus in Francia post Theodoricum Rex haberetur ; Pippinique, in gubernationem cum titulo Majoris-domus succedentis minor esset auctoritas ; curæ autem ejus ad firmandam novam potentiam potius, quam ad ecclesias ordinandas intentæ; fieri facilius potuit, ut* antedicti tyranni Rotgarius et Charivius , anno DCCXLII absque sua (*Pippini*) jussione vel suo consensu, non canonice, sed tyrannice Episcopum instituerint quemdam Clericum, illitteratum et indoctum, qui filius erat Rotgarii *etc.*

per annos 26 deinde longiore solito sede vacatio.

Gauziolenus 742;

9 Gauziolenus *hic erat, qui* degit in prædicta sede, licet seculariter vivens, annis L, *ut habent Gesta ejus: sed*

EX REGESTO I PP

sed ego ab hoc numero omnino censeo tollendum decennium, ut solum sederit Gauziolenus annis XL, *et obierit anno* DCCLXXXII : *hoc enim omnino exigit sequentium Pontificum ætas, ut possit vel paucis annis post* Gauziolenum *sedisse* Marolus, *novennium præfuisse* Josephus, *et* Franco *fuisse Episcopus anno Caroli Magni* XXIX, *Christi* DCCXCVI. *Illi autem ipsi anni* XL, *complectuntur etiam illud tempus, quo* Dominus Herlemundus, *hujus nominis Secundus,* condigne Domino famulari studuit, ipsum Episcopatum annos ferme novem canonice et docte regens. *Etenim* transactis quibusdam annis *ab ordinatione* Gauzioleni *rem actam suo injussu et citra Cleri concensum utcumque corrigere volens* Pippinus, præcepit in Colonia Metropoli civitate, quemdam Clericum et Sacerdotem suum, Herlemundum nomine, nobilem genere moribusque bene ornatum, Episcopum ad civitatem Cenomanicam titulari et ordinari *per modum Chorepiscopi, ut ex sequentibus apparebit, titulum ipsum Episcopi* Gauzioleno *relinquens, cum jure disponendi de temporalibus. Possumus hoc factum credere circa annum* DCCXLV ; *ita ut ecclesiam* Herlemundus *hic rexerit usque ad annum circiter* DCCLIV; *quando eumdem* ad epulandum in suam domum invitans Gauziolenus, *excæcari curavit : qui ita delusus* Parochiam deseruit, *seque ad monasterium recepit, in quo frater suus Abbas erat.*

et sub eo Herlemundus II, a 745 ad 754,

10 Audiens autem factum Pippinus, Rex Francorum (*Rex siquidem factus erat anno* DCCLII) ipsum Gauziolenum ad se venire præcepit, et oculos ejus in civitate Parisiaca eruere; ut qui suum Episcopum (*melius* Chorepiscopum *dixisset*) cæcaverat, cæcus in perpetuum permaneret : tamen Episcopatum Cenomanicum ei auferre noluit, sed Chorepiscopum ei Seufredum ordinare præcepit..... Post hujus quoque decessum desideratus Chorepiscopus, sub Gauzioleno, in eadem parochia fuit : illo vero mortuo, Bertholdus. *Interim moritur* Pippinus Rex *anno* DCCLXVIII, *Septembris* XXIV; *succeditque* Carolus magnus *cum fratre. Mortuo autem haud diu post etiam* Bertholdo *Chorepiscopo,* misit iterum Gauziolenus ad Domnum Carolum, ut præciperet ei Chorepiscopum ordinari. *Hoc autem ille fecit, ex Synodi cujusdam, ad res ecclesiasticas ordinandas convocatæ, decreto de Chorepiscopis, Canonibus antiquis conformi. Ea porro Synodus videtur Wormatiensis esse anni* DCCLXXII : *et sic* Gauziolenus, *accepta Chorepiscopi deligendi potestate,* a tribus Episcopis *ordinari fecit* quemdam Sacerdotem de Aurionno monasterio, Merolum nomine; qui vivente Gauzioleno et eo jubente sacrum Episcopale ministerium exercere nobiliter studuit ; et bonam vitam deducens, omnibus nobilibus et bonis placere meruit.

aliique Chorepiscopi tres, ac denique Merolus, an. 772

11 Gauzioleno *defuncto ad annum (ut puto)* DCCLXXIV, *pergebat* B. Merolus *spiritualia regere, temporalia obtinentibus* Gauzioleni *domesticis, atque imprimis* Vicedomino *ejus* Abrahamo ; *et quidem ex concessione Caroli Regis, de causæ iniquitate non satis instructi. Ubi autem eam is cognovit, facilitatis suæ nimiæ pœnitens, et Ecclesiæ Cenomanicæ dissipationi condolens; præcepit quemdam Sacerdotem, nomine* Hodingum Episcopum ordinari : *sed hic ibidem ferme duos annos residens, susceptique oneris pœnitens, rebus prorsus desperatis, anno* LXXXIV *illius seculi, ad Carolum rediit* multa cartarum strumenta et regalia præcepta secum deferens, quæ propterea in vestiario et cartulario S. Mariæ et S. Gervasii hactenus non repeRiuntur : *addo ego, aut ex parum fidelibus transumptis restitutæ, Episcopalem historiam, quam illustrare, si essent sinceræ, potuerant, mire confundunt : unde etiam fatetur Mabilio, ea quæ sub* Herlemundo I *adscribuntur* Childeberto *Regi, ad annum* DCCXI *defuncto; fratri ejus* Chilperico *adscribenda videri, qui Regis titulum gessit ab anno* DCCXVI ad XX. *Carolus autem Rex, ad se reverso* Hodingo, alterum Episcopatum, cujus vocabulum est Bellovacus, tribuit, et ibi eum Episcopum esse constituit ; qui et ibi diu sub Episcopali honore famulari condigne meruit, ibique defunctus ac sepultus est. *Quo anno et die ignorant Bellovacenses, quibus solum ejus nomen superest in Episcopali Catalogo ; ut nihil inde lucis, circa tempus quo Cenomanos rexit, sperari debeat.*

Merolus 784

12 *Illo autem Cenomanis sic digresso*, Merolus Chorepiscopus, exhortante Clero et populo, ad Palatium properans (*suadente* Angiramno, *ab anno* DCCLXIX *vel* DCCXCI *Metensi Episcopo*, Caroli gloriosissimi Regis Archicapellano) *ipsum Episcopatum habere jussus est : quippe a tribus Episcopis ordinatus, et solus idoneus repertus. Illuc ergo regressus, et conceptæ de se spei respondens,* bonamque et sanctam conversationem ducens, XV Kal. Apriles, in villa cujus vocabulum est Sancta-spina, pie et sancte est defunctus. Sequenti quoque die, deferente eum Clero ac populo ad civitatem Cenomanicam ad sepeliendum, pluvia ingens erat : sed, ut ipsi qui hoc viderunt veraciter protestantur, locum in quo præfatus Domnus Merolus jacebat, et homines qui eum deferebant, minime tetigit : qui et in ecclesia Apostolorum juxta urbem, in qua S. Victurius corpore requiescit, a suis Consacerdotibus et discipulis honorifice est sepultus : cui omnipotens Deus, una nobiscum, vitam æternam tribuere dignetur, *inquit Collector Gestorum, caput* XIX *finiens, et mox initio sequentis capitis* Beati Meroli *nomen ac titulum usurpans ; quem tamen neque ad* XVIII *Martii, neque alio ullo die invenio Cenomanicis Kalendariis adscriptum, ideoque pluribus descripsi hoc loco quæ de ejus sanctitate habentur. Agit autem de eo Collector, velut qui post institutionem suam, in locum* Hodingi *se abdicantis,* Episcopale peregit multo tempore condigne officium.... *et* sedit in prædicta Sede annis XXX. *Sed neutrum credi patiuntur angustiæ, in quas nos compingunt novem anni successoris* Josephi, *et initia* Franconis, *ultra annum* DCCXCIII *non differenda. Sed neque ab anno Chorepiscopalis ordinationis* DCCLXXII *possunt anni* XXX *inveniri; cogimurque* Josephi *annos* IX *restringere ad* IV, *facili unius litteræ mutatione, ut* B. Merolo, *qua Chorepiscopo qua Episcopo universim inveniamus annos saltem* XIX, *quorum ultimis tribus vel quatuor fuerit absoluto ac pleno jure Episcopus, defunctus anno* DCCLXXXVIII.

cum opinione sanctitatis mortuus 18 Martii, post annos ut summum 19 ordinationis Chorepiscopalis.

13 *Utinam Collector nobis descripsisset Caroli Magni præceptum, quod Cenomanis præsens dedit; primum, ut* qui res S. Mariæ et S. Gervasii ex sua largitione habebant, *eas retinerent per Episcopi precariam, sub censu quoad viverent solvendo Ecclesiæ ; et* quando de hoc seculo migrarent, ipsas res Episcopus vel Clerus, absque ulla contradictione vel Judicis consignatione reciperent ; *deinde* ad jam dictam ecclesiam reddidit monasterium S. Vincentii, *cum variis cellulis et villis,* sicut in jam dicto præcepto Domni Caroli scriptum hactenus reperitur. *Hoc præceptum, si aliquando in lucem prodeat, in eoque compareat nomen* Meroli Episcopi, *ex anno regni pariter adscripto certius definiemus numerum annorum* Josepho *auferendorum. Interim suspicari possumus, Cenomanis fuisse Carolum anno* DCCLXXXVI, *quando Britanniam Cismarinam misso exercitu pacavit, et* pace undique parta, statuit Romam proficisci, *uti in Annalibus Eginharto attributis legitur. Priores enim anni fuerunt Carolo extra Galliam acti, in Francia orientali sive Germania, annuis fere Saxonum motibus compescendis intento. Baluzius tomum 3 Miscellaneorum suorum exorsus a prolixissimis S. Aldrici Actis, de quibus infra ; iis adscriptas reperit num.* LXIV *et seqq. cartas tres, quas sibi mutuo fecerunt* Merolus Episcopus et Wilebertus *quidam, veluti scriptas* Cenomanis civitate, in anno XXXII, regnante Carolo gloriose Rege, in mense Aprili *et*

Interim R. Carolus multa restituit Ecclesiæ an. 786 non 797.

et Majo. *Esset is annus Christi* DCCXIX. *Sed errorem esse numeri evincit immediate ibidem antecedens (nullus enim ordo servatur in illa cartarum Appendice)* exemplar precariæ, quam Franco Episcopus Germundo fecit, *de quibusdam villis*, in anno XXXI, regnante Domno nostro Karolo gloriosissimo Rege, in Mense Martio, *qui est annus Christi* DCCXCVIII *usque ad Pascha numerandus, quando revera Episcopus* Franco *fuit*, Meroli *Josepho mediante successor. Error igitur prior adscribatur temeritati ignorantis librarii, et ex ordine cartarum existimantis* Merolum *successisse* Franconi; *atque adeo factas ab eo cartas notari debere, uno saltem anno posteriores priori; cum illæ primitus notarentur* anno Caroli *fortassis* XIX, *qui esset Christi* DCCLXXXVI *unde ipse fecerit* XXXII.

§. II *Episcopi Cenomanenses seculo* IX, *et sesqui seculo sequenti;*

Joseph 788

Domnus *igitur* Joseph, *anno circiter* DCCLXXXVIII, *mense forsan Junio aut Julio*, successor B. Maroli, cujus et Archidiaconus (fuerat *recentiores* Archipresbyterum *scribunt, nescio quo fundamento)* electus a Clero vel populo, Episcopus est consecratus. *Hic cum suos* quosdam Sacerdotes et Clericos *seditiosos præcepisset* flagellare, atque (quod pejus est dicere) quosdam cæcare et castrare... ratione multo tempore penes Episcopos ventilata; *cum id, quod frustra diu negaverat, defendi amplius non posse videret; a synodali conventu aufugit, assumpto habitu laicali, retractusque ad Regem Carolum*, propter hoc quoque factum ab Episcopis est degradatus, *anno (ut ex successoris Ordinatione constabit)* DCCXCII *in Autumnum provecto; sic ut solum* IV, *non* IX *annis, eisque non integris, Sedem tenuerit : quod libenter etiam ex quibusdam ejus emptionibus ac precariis ab ea celebratis confirmassem, si quæ instrumenta allegat Gestorum Collector, etiam descripta posteritati reliquisset.*

degradatus an 792.

15 Domnus Franco Josepho *suffectus est : ad quem præter alia* præceptum *extat* Caroli, *needum* piissimi Augusti, *ut habet titulus; sed, ut in textu est*, Dei gratia Regis Francorum et Longobardorum ac Patricii Romanorum.... Datum in mense Decembrio XVI Kal. Januario anno regni XXIX, *qui fuit Christi* DCCXCVI. Hic (*ut habent Gesta*) sedit in prædicta Sede annos XXII, menses IV, dies XIII : qui plenus dierum, et (ut fertur) centum annorum, in senectute bona obiit, III Kal. Februarii... anno Incarnationis Domini DCCCXVI. *Hic (ne dubitare possis, de annorum numero) accipe ex Epitaphio sumptum testimonium.*

Franco 793;

Decursis annis bis denis atque duobus,
Ad cœlum vehitur, regna beata petens.

Ascende porro a XXX *Januarii, per an.* XXII, *men.* IV, *dies* XVI, *pro quibus videtur irrepsisse numerus dierum* XIII; *invenies in anno* DCCXCIII, *habente litteram Dominicalem* F, *diem* XV *Septembris, quo fuerit* Franco *ordinatus.*

16 Domnus Franco Junior, nepósque propinquus prædicti Senioris Franconis... a Lantramno, Turonicæ civitatis Archiepiscopo, in ipsa suæ Sedis ecclesia, III Kal. Juliarum consecratus, et ad eamdem ecclesiam titulatus est. *Erat is dies, anno* DCCCXVI, *non solum Dominicus, per cursum litteræ Dominicalis* F, *sed etiam SS. Apostolis Petro ac Paulo sacer; ut studio lectus videatur, postquam* Senioris Franconis *morte Sedes vacasset menses* V. Sedit *autem* ipse annos XVI, menses V, dies V, (*imo* VIII) et octavo idus Novembris obiit anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXII. *Laxiori calculo utitur in Epitaphio is, qui prioris Epitaphium composuerat,* S. Aldricus, *de quo mox, cum ait :*

Franco II 796,

Jamque decem et septem ferme volventibus annis,
Abstractus carne fertur ad astra poli.

17 Decedente VIII Idus novembris Francone, succedit, V Idus Novembris, *die Sabbatino* electus in episcopatum Aldricus, anno scilicet Dominicæ Incarnationis DCCCXXXII, Indictione XI *nuper inchoata*, anno vero Imperii Domni Ludovici piissimi Augusti XIX (*abundat in editis denarius, cum scribatur* XXIX) cui Dominus oramus hanc degere Vitam secundum suam voluntatem tribuat, et post hanc vitam ei concedat sempiternam. *Ita Mabilio, tamquam ex tunc viventis et scribentis calamo, professus se omissis prolixissimis ejusdem* Aldrici *gestis, per discipulos usque ad ejus annum* IX *collectis, Epitomen aliquam eorumdem dare; in quibus tamen ea verba non invenimus, ideoque ab optimæ fidei viro credimus reperta in MS. Colbertino seu Schedis Andreæ du Chesne*; quæ sunt Actorum, *inquit, aliorum* compendium, tametsi nonnulla continent quæ in Codice Cenomanensi desiderantur. *Ipsa prolixiora Acta, Joanni Bollando Januarium edenti desiderata, accepi ab eodem, a quo Mabilio cetera, D. Musseroto Canonico: servabamque pro Supplemento : sed consilium istud gaudentibus nobis prævertit eruditissimus Stephanus Baluzius, tertium Analectorum suorum tomum ab inde exorsus ut supra dictum. Ex hoc mox discimus, prænotatum* V Idus Novembris, *diem Electionis fuisse, collatæ in absentem, et in aula degentem, cura et sollicitudine Landramni, Turonensis Archiepiscopi* : a quo, *ut dicta Acta prolixiora habent*, et a ceteris nobilibus et sapientibus Episcopis, in id ipsum convenientibus, eligente eum Clero et populo, *seu prius factam electionem confirmante*, ordinatus est, in prædicta civitate, et in ipsa matre ecclesia, die XI Kal. Januarii, *tunc per cursum litteræ* F *Dominicalis*, anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCXXXII.

EX REGESTO EPP. S. Aldricus an. 832

ordinatus 22 Decem.

18 *Finiuntur hæc Acta cum Synodo, quam Sanctus celebravit*, anno Incarnatione Dominicæ DCCCXL Indictione III; *cum antea præmisissent, quomodo, Anno et Indictione iisdem, quando* Aldricus octavum annum in Episcopali dignitate fulgebat, *ipse, filiorum Ludovici minimum Carolum, testamento Patris in Neustria et Aquitania Regem relictum sibique commendatum, contra majores natu fratres, Lotharium atque Ludovicum, sustinens*; a præscripto Episcopio et a sua Sede ejectus est; et propterea multa, quæ in ecclesiasticis et aliis rebus pro amore Dei facere cœperat, imperfecta remanserunt. *Sed hanc injuriam passus ille est, post mortem Ludovici Pii, obitum ipso anno*, XX *Junii : Synodus autem prædicta celebrata erat* quarta Iduum majarum die, *illo adhuc vivente. Similiter ad prægressa tempora annumque* DCCCXXXIII *pertinet Breve Gregorii IV, utpote* XI *Indictione signatum, qua cavet, ne, si quis* Aldricum *accusaverit, causa ejus ab alio quam a Romano Pontifice terminetur; idque occasione turbarum inter patrem ac filios gliscentium, inter quos patri favere* Aldricum *criminabantur adversarii. Quomodo porro et quando restitutus ille sit, quidque postea egerit, aut quomodo vel quando obierit Acta tacent : sed in Colbertino Codice apud Mabilionem dicitur, quod* Domnus Aldricus, accepta Apostolicæ auctoritatis epistola, Sedi suæ restitutus, cum annos XXIV Cenomanensem rexisset ecclesiam, in pace defunctus est, et in ecclesia SS. Martyrum Vincentii et Laurentii honorifice sepultus. *Eosdem annos notat Catalogus Registro præfixus : addit tamen in... d quasi addendos* menses ac dies *aliquos significatum volens. Colitur ipse Cenomanis die* VII *Januarii, Officio* novem Lectionum, cum Sequentia *propria in Missa, juxta veteris Breviarii Kalendarium : a quo die et anno* DCCCLVI *si sursum ascendas ad* XXII *Decembris, quo fuit ordinatus; invenitur* Aldricus, *ultra annos* XXIV, *sedisse dies* XVI. *Post Acta* S. Aldrici, *in quibus Pontificalis Cenomanensis Auctor desinit*

an 840 expulsus,

post vexat an. 833;

colitur 7 Jan. Robertus, 856:

EX REGESTO EPP.

sinit, sequuntur in Colbertino undecim sequentium Episcoporum compendia historica, minime contemnenda, ab uno eodemque Auctore, qui sub ultimo eorum, Hoelle, cujus Acta prolixius diligentiusque descripsit, floruisse videtur, nobis post hac sequendus.

19 Robertus sedit in Episcopatu annos XXVI : *qui si ordinatus est ipso quo* S. Aldricus *obiit anno* DCCCXLVI *uti factum persuadet Epitome Colbertina, asserens, quod* per idem tempus, *nulla scilicet longiori quam paucarum hebdomadarum vel mensium interposita mora,* communi omnium assensu Episcopatum Cenomanicum suscepit : *si inquam, ordinatus* Robertus *est ipso anno* DCCCXLVI; *annos illos* XXVI *non poterimus extendere ultra an.* DCCCLXXII : *quando* Robertus ultimum vocationis suæ diem expavescens, fessis artubus dissolutisque corporis basibus, et omni viscerum valentia amissa, *ab Episcopis, Carolum Principem ad obsidionem Andegavensem comitatis, petiit* piaculorum suorum vincula enodari : *quo impetrato, superfuisse eum tamen usque ad annum* DCCCLXXVIII, *liquet ex Epistola* CXXI *Joannis Papæ VIII, data* ad diversos Episcopos Galliæ, *et inter eos* Rotberto Cenomanensi *itque* Indictione XI.

sub eo Chorepis opus Lambertus 871,

20 *Igitur ex tali calculo intelligitur, annus* DCCCLXXII, *non fuisse* Roberto *annus mortis, sed depositæ administrationis, translatæque in concessum sibi Chorepiscopum* Lambertum; *qui propterea non numeratur inter Episcopos a Roberto Chenu et Claudio Roberti : numeratur tamen in epitome Colbertina, diciturque successisse Roberto, et* sedisse annos VI : *in Catalogo, Actis Episcopalibus præfixo,* annos VII; *quos libentius admisero, ut uno saltem anno superfuerit pleno jure Episcopus, et obierit anno* DCCCLXXIX. *Plus temporis relinquere ei non possumus, dum ante* Mainardi *Episcopi ordinationem, factam anno* DCCCXL, *et* Hubertum *ejus decessorem* Cenomanicam civitatem diu sine Pontifice permansisse, *ex ipsius* Mainardi *Vita intelligimus : quæ diuturna vacatio omnino nequivet, invenio, propter annos* XXXVII Huberto,*et* XXIII Gunherio *intermediis attributos si* Lambertum *diutius vellemus in vivis retinere cum recentioribus e quibus obiisse illum Bondonnetus asserit die* XXIII *Decembris.*

Episcopus 879.

21 Gunherius *ergo successerit* Roberto, *vel etiam* Lamberto, *ipso anno* DCCCLXXX : *de quo nihil Epitome Colbertina, præter prolixam* querimoniam et lacrymabilem vociferationem, in quam erumpere compulsus est, perversorum hominum, et solo nomine Christianorum tribulationibus et angustiis intolerabiliter oppressus. *Catalogus habet, quod* sedit annos XXIII : *itaque perveneril usque ad annum* DCCCCIV. *Bondonnetus* Gautherium *vocat,* Guntherium *Sammarthani, et asserunt esse qui ei solum* XVII *annos concedunt : credo quia volebant* Lamberto, *post* Robertum, *relinquere sexennium vel septennium liberum.*

Gunherius 880,

mortuus 904

22 Hubertus *testamentum condidit, quod, absque alio ullo de ejus ingressu vel egressu verbo, describit Epitome Colbertina, ipsum vero caret omni nota temporis, proinde ad Chronologiam facit nihil. Sequendus ergo iterum solus Catalogus jam sæpe dictus, et usque ad annum* MCXC *protractus. Hic dicit quod* sedit Hubertus annos XXVII, menses X, dies XII; *quibus addunt Sammarthani, quod* mortalitati debitum persolvit IV Idus Septembris. *Si ergo a die* X *dicti mensis et anni* DCCCCXXXI *(huc usque enim perducunt illum præfati annorum ac mensium numeri) sursum ascendas ad ordinationis diem, invenies diem* XXX *Octobris : qui cum anno Bissextili* DCCCCIV, *habente litteras Dominicales* A G, *non fuerit Dominicus, sed feria* III, *et turbatissima* Gunherii *tempora facile persuadeant, successoris ordinationem notabiliter retardatam fuisse; propendeo ut credam, altero Bissextili* DCCCCVIII, *habente litteras Dominicales* C B, *ordinatum fuisse* Hubertum *adeoque mortuum* DCCCCXXXV, *et ita usque ad ordinationem successoris* Mainardi *iterum satis* diu sine Pontifice permanserit civitas, *scilicet annos* IV *menses* III, *dies* XX, *ut mox apparebit ex congrua successione sequentium.*

Hubertus non 904, sed 908 ordinatus,

mortuus 935.

23 Mainardus vixit in Episcopatu annos XX menses V dies II *(alii minus recte* VI*)* ac mortuus est VIII Junii. *Hinc conficio ordinatum* V *Januarii, qui anno* DCCCCXL *Dominicus erat, vel die sequenti in Epiphania Domini : hujusmodi enim Majora festa, etiam extra Dominicam cadentia, assumi ad Ordinationes Episcopales, habet usus hodiernus, tam antiquus, ut ejus initium ignoretur.* Mainardo *de ecclesia optime merito anno* DCCCCLX *successit, ejusdem* Ecclesiæ *prius etiam quam ordinaretur* destructor.

Sacrantur, Mainardus 940;

24 Segenfridus; qui vixit in Episcopatu annos XXXIII, menses XII, dies XV. *Hic, mori se videns,* postulavit ad S. Petrum-Culturæ se Monachum fieri; et dum esset factus Monachus, statim mortuus est. *Quo die, nemo indicat : itaque solum dicere definite possumus ex præfatis numeris, obiisse illum anno* DCCCCXCIV. *Si tamen ex mensibus* VI, *diebus* XXII, *reliquis ex anno quo obiit decessor* Mainardus; *et novem mensibus anni alterius, qui ordinationem successoris præcesserunt, simul facientibus menses* XV *dies* XXIII, *auferas* XI *menses, diesque* XV, *Segenfrido relinquendos, invenies vacuum spatium mensium* IV, *dierum* XII; *hoc vero dividens in vacationem geminam* Segenfridi, *ejusdem initium ac finem prægressam et secutam; concipere poteris, ipsum ordinatum fuisse circa Dominicam* II *Augusti, quæ anno* DCCCCLX *incidit in* XX *Mensis; et obiisse* V *Julii, vel una alterave hebdomade citius aut serius, prout ille citius seriusve fuerit ordinatus. Chenu ad annos prænotatos solum menses* III, *dies* XI *addidit : Claudius Robertus, omissis mensibus, solum posuit* dies IV; *Sammarthani* mensem I *restituunt : nobis tutius videtur antiquiores sequi, dum licet.*

Segenfridus 960;

25 Avesgaudus, Segenfridi moribus corruptissimi integerrimus nepos, vixit in Episcopatu annis XLII. *Addit Chenu* dies V : *Claudius Robertus et Sammarthani* mensem I, dies XX : *et hi ultimi allegant* vetusta Chronica Episcoporum, quæ *illum* aiunt castitate commendabilem jacere Virduni in Ecclesia Cathedrali B. Mariæ, illic mortuum redeundo ab Hierusalem VI Kal. Novembris *Hic vero dies nominatur in testamento nepotis successoris, avunculo anniversarium constituentis. Hoc ergo citra hæsitationem posito, et a die* XXVII *Octobris anni* MXXXVI *retrogradiendo ad* DCCCCXCIV, *atque assumendo mensem* I, *dies* XXV; *venietur ad* II *Septembris, quæ illo anno Dominica fuit. Catalogus Episcopalis, post definitum tempus Sedis, hæc verba subjicit :* Intervallo quinquaginta dierum, *quod præcise dies numerantur a* XXVII *Octobris ad* XVIII *Decembris quo ordinatum puto successorem; adeo ut verba dicta recte intellexerint Sammarthani de tempore vacantis Sedis.*

Avesgaudus 994

26 Gervasius, audito a consodalibus Peregrinis, quod mortuus esset Episcopus Avesgaudus *(audire autem hoc potuit intra hebdomades circiter tres, cum Cenomani a Veroduno non integris centum leucis distent)* Sedem avunculi gaudenter suscepit *ipso anno* MXXXVI *fortassis jam ante, cum discederet* Avesgaudus, *electus Coadjutor, cum jure successionis, si quid Episcopo humanitus contingeret, uti contigit. Quo posito citius potuit fuisse ordinatus; prout factum credo ob illius testamentum, ubi constituit Annualia avunculi Episcopi, sororisque ejus ac matris suæ Hildeburgæ, patrisque Hamonis,* necnon et ordinationis suæ XIV Kal. Januarii. *Sed videtur transcribenti librario obrepsisse, ut pro* decimo quinto, *ad longum Notarialiter scripto, legeret* decimo quarto, *et numeraliter exprimeret* XIV; *qui dies eo anno fuit Feria* II, *non Dominica, currente tunc littera Dominicali* B. *Hic ex septenni Herberti tyranni elapsus carcere, in Normanniam profugit*

Gervasius 1036;

factus 1055 Archiep. Remen.

profugit ad Guilielmum Comitem; ubi dum agit annum Episcopalis ordinationis XX, *Christi* MLV, *contigit ut Guido Remensis Archiepiscopus moreretur, ipsis Kalendis Septembris. Id cum Rex Henricus, Hugonis Capeti nepos, audivisset;* dedit Archipræsulatum Præsuli Gervasio : qui gaudens suscepit illum, postquam XX annis *(necdum integre expletis)* Cenomanicam rexit Ecclesiam. *Marlotus tom. 2 Hist. Rem. lib. 1 cap. 34 ait; ipsum* Remenses infulas, annuente clero et populo, adeptum V Idus Octobris; *eidemque Sedi* incardinatum *ipsis* Idibus, *quæ quidem illo anno cadebant in Feriam* II; *sed ordinato jam Episcopo opus non erat expectare Dominicam, ut novæ Sedi installaretur. Albericus in Chronico, uno quidem anno serius Guidonis mortem ponit; sed errare ipsum convincit Instrumentum, a Marloto productum, quo* Comes Manasses, anno Dominicæ Incarnationis MLV, Domni Gervasii Archipræsulis homo ligius factus est.

§. III. *Alii antiquitus descripti Episcopi usque ad annum* MCLV.

Vulgrinus 1056.

Vulgrinus, *ex Abbate monasterii SS. Sergii et Bacchi, cui restaurando fuerat ante annos quinque ex majori S. Martini monasterio Turonibus evocatus, ad Episcopatum electus est, mox ut innotuit,* quod vere regnum alterius Ecclesiæ Præsul Gervasius suscepisset; *potuit autem ordinatio fuisse dilata, propter eorum qui* Gervasium *oppresserant violentiam, usque ad Martium anni* MXXXVI : *hoc enim exigit intervallum vacationis, mortem ejus secutæ. Facta autem illa ordinatio sic fuerit* IV *vel* V. *Dominica Quadragesimæ, tunc in* XVII *vel* XXIV *Martii cadentibus : et quia* Vulgrinus *iste* vixit in Episcopatu annos IX, menses VIII, dies XI, *potuit obitus ejus incidisse in* XXVIII *Novembris vel* V *Decembris, anni* MLXV. *Bondonnetus anno citius mortuum* Vulgrinum *statuit, motus auctoritate Oderici Vitalis; qui, centum fere post hæc annis, scripsit lib. 3 ad annum* MLXIV, *quod* Dux *Normanniæ* Cenomanicam urbem, civibus ultro se dedentibus cum ingenti tripudio recepit, eique Domnus Ernaldus ejusdem urbis Præsul... honorabiliter obviam processit. *Sed cur non potuit Ordericus post unum seculum anno uno prævertisse successionem* Arnaldi, *sicut Albericus monachus post duo secula uno anno serius retulit mortem* Guidonis *Remensis? Numquid non potior fides in talibus habenda domesticis, quam externis, maxime sub oculis gesta scribentibus, sicuti in Catalogo descriptus videtur successive, cum sequentibus septem, Episcopatus* Vulgrini? *Quid? quod hic penultimo vitæ suæ anno, impeditus vel morbo vel senio, pro se misisse potuerit jam tum forte ordinatum Chorepiscopum, certe postea successorem* Arnaldum, *quem Ordericus, per anticipationem, haud novam historicis non prorsus con vis, Episcopum nominarit?*

obiit 1066;

sequente Vacatione an. 2, men 4

28 *Non igitur temere rejicerim quod additur,* Vulgrino *mortuo vacasse Episcopatum* duorum annorum et quatuor mensium intervallo. *Non quod non statim electus successor sit : sed quia ejus* electioni contradixere nonnulli; nullam omnino causam aliam prætendentes, nisi quia fuerat filius Sacerdotis, unde Cenomanenses Clerici ad Papam Alexandrum legationem miserunt, super præfati viri electione : quibus memoratus Papa auctoritate Apostolica rescripsit, quod videlicet spiritualiter renato in Christo, generatio carnalis nihil possit officere, quo minus ad Sacerdotium promoveri deberet, si nullus eo melior in Ecclesia illa poterat reperiri. *Hæc dum apud Cenomanos primum ambiguis ventilantur sententiis, deinde Romæ expediuntur, et Normanniæ Dux Guilielmus totus est in apparanda expeditione Anglicana pro obtinendo regno; per mortem S. Eduardi Regis,* V *Januarii anno* MLXVI *obitam, testamentaria dispositione devoluto, ad se, quod et obtinuit* XIV *Octobris; quid mirum, si Duci ac deinde Regi ad novi regiminis statum stabiliendum intento; non vacaverit attendere evincendæ contra Turonensem Archiepiscopum causæ, de jure ordinandi suum Electum; quod ab sibi subjecto Rotomagensi Archiepiscopo faciendum, ipse jam Dominus Cenomanorum, tanto videbatur justius prætendere, quod in* Gauzioleno *præcesserat exemplum, in nullo Episcoporum Francicorum conventu reprobatum, per totos quibus ille sedit annos* XL. *Interim tamen Electo ecclesiam regente, merito scribi in ejus Actis potuit, quod,* Hujus tempore Willelmus Princeps Normanniæ..... Anglos bello devicit; et interempto ipsorum Rege Haroldo, totius Angliæ regnum obtinuit.

EX REGESTO EPP.

Arnaldus 1068

29 Domnus *igitur* Arnaldus, *licet electus anno* MLXV *exeunte, vel ineunte* VI, *non est tamen ordinatus nisi in Martio anni* MLXVIII : *et quoniam sedit an.* XIV, *men.* IX, *sive (ut Epitome Colbertina rotundo numero scribit)* annis ferme XV. *Tertio autem* Kalendas Decembris in senectute bona defunctus est; *pervenerit usque ad penultimum diem anni* MLXXXII; *ordinatus vel in Dominica Palmarum, vel (si addere ad numerum mensium dies aliquot liceat) ipso Paschate* XXIII *Martii. Bondonnetus, quia præqressum Interpontificium negaverat, et* Arnaldi *Episcopatum inchoaverat* MLXIV; *cogitur plus quam* XVI *annos* Arnoldo *dare, propter epistolam Gregorii VII, ad ipsum datam anno* LXXX. *Catalogus autem post ejus obitum ponit notabile* intervallum; annum *scilicet* integrum, menses quatuor, dies XXIII, *imo dies* XXV *computatis utrimque extremis.*

Vacatio an. 1.

30 *Domnus* Hoellus, *quia* Rodulfus Turonorum Archiepiscopus eum Turonis ordinare non potuit *(alias id libere facturus, quia mortuo, Willelmo Conquestore Romanorum jugum excusserunt Cenomani, adeoque cessabat de jure episcopum ordinandi controversia)* ipsius [*Rodulfi*] accensu atque præcepto, omniumque Suffraganeorum ejus, magno cum honore ordinatus est, Rotomago civitate, a Domno Willelmo ejusdem urbis Archiepiscopo XI Kalendas Maji, anno ab Incarnatione Domini MLXXXIV. *Ita certe, licet impressum sit* MLXXXV : *istud enim exigit [illegible] Dominicalium cursus, tertiam post Pascha Dominicam componens cum* XXI *Aprilis, qui dies sequenti anno fuit Feria* II. *Eamdem correctionem exigit chronologia desumpta ex Catalogo atque ex libro Pontificali, quos Bondonnetus allegat sub nomine Chartularii; et semel ab eis digressus, identidem cogitur illa accusare erroris. Ita, anno* MLXXXI, *ordinari* Hoellum *faciens, non potest recipere, quod in ejusdem Gestis dicitur, obiisse* quarta Kalendas Augusti, anno Dominicæ incarnationis MXCVI *(male erat impressum* MXCVII, *sed errorem librarii corrigunt verba sequentia)* ordinationis vero suæ duodecimo *(expleto videlicet,* totiusque ætatis quasi quinquagesimo. *Cogitur ergo Bondonnetus* Hoelli *Episcopatui annos* XVI *assignare : cum nobis vetera sequentibus liquido sint omnia. Catalogus, præter* annos XII numerat menses III, dies VII : *qui inter* XXI *Maji et* XXIX *Julii præcise inveniuntur, seclusis extremis : addit autem, quod* post hunc cessavit Episcopatus IV mensibus, *qui ut ad ordinationem successoris commode pertingant, oportet ut paucos dies addas vel detrahas.*

Hoellus 1084;

Hildebertus 1096

31 Domnus Hildebertus, *quem Robertus Chenu* Sanctum, *Claudius Roberti et Saussayus* Beatum *appellant, videtur ordinatus fuisse* XXIV *Novembris vel* I *Decembris, anno* MXCVI, *Dominica prima Adventus; a quo tempore* sedit annos XXIX, menses VI, *juxta Catalogum et vitam diligenter descriptam post continuata eodem tenore undecim præcidentium Acta, nec scio an Vita hujus Hildeberti etiam non ab eodem Auctore sit : alii certe aliquæ fuerunt qui sequentes tres Vitas successive scripserunt; ac forte etiam alias quinque sed evulsis foliis deperditas; hoc enim persuadet Guillielmi*

de

de Lauduno Vita quæ est in Codice Colbertino ultima, mediis prætermissis; qui nos deducunt ad exitum Maji anni MCXXV. Obierat anno eodem, ac primis verosimiliter mensibus, Romæ Gislebertus Archiepiscopus Turonensis; eaque morte intellecta, postulavit Clerus Hildebertum Cenomanensem, jam septuagenarium; ejus translationi annuit Honorius Papa II. Facta autem translatione, Hildebertus Turonibus ultra decennium supervixit, defunctus anno MCXXXVI, XVIII Decembris; quando aliquem ei cultum deferri, necdum comperi. Post translationem autem prædictam fuit apud Cenomanos Intervallum mensium XIII, ac dierum aliquot, hic neglectorum.

EX REGESTO EPP. an. 1125 factus Archiep. Turonen.

Guido 1126;

32 Guido, cujus pariter Vita habetur accurate a coævo descripta, dicitur Canonice electus anno Domini MCXXVI (Sedit autem, ut est in Catalogo) anno IX, menses V (quibus libenter addiderim dies III, in rotundo mensium numero neglectos) animam vero commendavit polo, terris cadaver exanime, VII Idus Februarii ducentis lustris cum XXVII ab Incarnatione Domini evolutis, sicut initio Vitæ scribitur, id est anno nobis MCXXXV. Verum quid significat, quod additur, Demptis tamen inde tribus mensibus et diebus XV? Ex ultimo defecere verba, quibus indicabantur anni V t.c, ad quorum integritatem totidem menses ac dies deerant. Interim a VII Februarii prædicti retrocedendo ad MCXXVI, per menses V et dies III, habetur mensis Septembris die IV, eo anno Dominicus, quo fuerit Guido ordinatus, post Intervallum prædictum; quale etiam illo mortuo notat Catalogus, dum ait, Cessavit Episcopatus mensibus VII, id est, usque ad Septembrem: ex quo, addendo ad istum rotundum numerum mensium, præter dies VII, isti numero inclusos, alios XIII, perveniatur ad diem, sequentis Episcopi ordinationi idoneum.

Hugo 1135;

33 Hugo, successit Guidoni cujus Vitam forte qui illius scripsit, sed absque ulla chronologica nota; nisi quod Nonas Februarii cœlo spiritum, terræ corpus reddidit. Verum defectui succurrit Catalogus, secundum quem ille sedit annos VII, menses IV, dies XVII: quos sursum trahendo (non a VI, ut aliqui, acsi Postridie Nonas legissent; sed a V Februarii anni MCXLIII) venitur ad XXI Septembris, qui anno MCXXXV, habente litteram Dominicalem F, Sabbatum fuit, festo S. Matthæi solenne. Porro Hugone mortuo dicit Catalogus, quod cessavit Episcopatus menses XI. Sed errore librarii est: apparet enim ex successione sequentis, scibendum VI: tot enim præcise inveniuntur fluxisse, inter utrumque Episcopatum vacui.

Guilhelmus 1143.

34 Guilhelmus, coævum quoque Vitæ scriptorem habuit; unde scitur fuisse Remensis Ecclesiæ Archidiaconus, cum assumeretur ad Cenomanensem: in qua Sedem Episcopalem adeptus, quadraginta duobus annis et eo amplius ibi sedit..... expiravit autem anno MCLXXXVI: Bondonnetus et Sammarthani addunt XXVII Januarii: Catalogus vero, signantius definiens tempus Sedis, exprimit annos XLIII, menses IV, dies XXV: qui ab anno ac die prædicto retrotracti, monstrarent ordinatum fuisse II Septembris. Verum cum hic anno MCXLIII, habente litteram Dominicalem C, non fuerit Dominicus, sed feria V; suggero facilem correctionem, qua pro XXV, legantur XXII: et sic fuerit ordinatus Guillielmus die V Septembris. Post hunc autem, inquit Catalogus, cessavit Episcopatus menses VI: ergo usque ad exeuntem Julium anni MCLXXXVI.

Hiatus libri Episcopalis,

35 Quinque sequentium Episcoporum Vitæ deerant in MS. Colbertino, magno sane cum historiæ Cenomanensis incommodo: quod autem illæ similiter ut quatuor vel quinque prægressorum Vitæ a coævis Auctoribus scriptæ fuerint, persuadet Vita Gaufridi de Lauduno sexti post Guillielmum, finiens Codicem, evulsis ante ipsam foliis mutilum. Qui Gaufridus cum obierit anno MCCXLIV, apparet Collectorem, non solum istorum, sed verosimiliter omnium S. Aldrici successorum, vixisse seculo XIII. Prædicto incommodo accedit aliud, quod in Guilhelmi successore Reginaldo finiatur Catalogus, qui hactenus tanto usui fuit. Habemus tamen, ex eodem cui Catalogus inscribitur Codice, ante Actus Pontificium eadem veteri manu qua Catalogus scriptos, alio charactere et recentiori scripta, non solum nomina, sed etiam elogia historica quatuor Episcoporum, Gaufridum antedictum prægressorum; cum quibus lubet prosequi hunc laborem, illustrandæ antiquitatis causa susceptum, quatenus vetera monumenta suppetunt. Cetera ex hujus seculi scriptoribus, jam sæpe nominatis, petat qui volet.

suppletur ex Catalogo ejusque Appendice.

Reginaldus 1186,

36 Domnus Reginaldus sedit annis duobus, diebus octo, inquit Catalogus, et cum eo Chenu, Robertus, ac Sammarthani; qui addunt ex Chronico Pontificum mihi adhuc ignoto, quod diem clausit extremum IV Nonas Augusti: sed puto legendum esse III: hinc enim per octo dies retrocedendo, venitur ad XXVII Julii, qui anno MCLXXXVI Dominicus fuit, ordinando Reginaldo idoneus; nisi in Sabbato celebrata ordinatio est. Obiisset ergo Reginaldus anno MCLXXXVIII: sed cum addatur quod post hunc cessavit Episcopatus solum menses IV, qui ferme pleni nos deducunt ad crastinum S. Andreæ, quo anno gratiæ MCXC, electus est Domnus Hamelinus, uti mox alia manu sequitur; oportere librarium in numero annorum, licet ad longum scribendo, erravisse; cum putaret litteraliter scriptum fuisse II, ubi revera scriptum erat III; extrito forsitan primo I, et u sic attrito ut II videretur. Nisi velimus ponere vacationem annorum II, et mensium VI; eamque referre in atrocia bella, anno MCLXXXVIII excitata inter Henricum Regem Angliæ, cui Cenomani tunc suberant, et Philippum Franciæ; quibus moræ causis accesserunt mors Regis Angliæ, et Richardi successio: hujusque et Philippi curæ intentæ in expeditione Hierosolymitana, quam anno XC Reges ambo susceperunt. Correctionem tamen mavult Bondonnetus, motus (quod mireris) auctoritate Corvaserii (cujus erroribus castigandis alias totus ejus liber intendit) asserentis, quod sub Pontificatu hujus Episcopi, anno scilicet MCLXXXIX, fundata est Abbatia Porreti-novi, Præmonstratensibusque donata; et quidem II Augusti, ut habet Manuscriptum: quæ verba de suo addens Bondonnetus, videtur ipsum MS. diemque in eo notatum legisse. Sed an etiam nomen Reginaldi Episcopi, ut tunc viventis? Id ante omnia oportuisset docuisse. Quare adhuc hæremus ambigui de controverso biennio, sitne Pontificatui Reginaldi, an vacanti Sedi adscribendum; cum æque facile ab oscitante librario potuerint omitti verba duo, quam numerus mutari. Ex hinc porro in recentiori quæ sequitur Appendice mutatur stylus metiendæ vacationis, quæ deinceps terminatur in die electionis. Quod Bondonnetus confirmat, ex Contractu quem sequens Hamelinus signavit, anno MCXCII, postridie Paschatis, anno II sui Pontificatus.

incertum utrum 1188

an. 1190 defunctus.

Hamelinus 1190,

37 Domnus Hamelinus, electus anno MCXC I Decembris, sabbato ante Dominicam Adventus; Romæ consecratus a Domno Cœlestino Papa; (Cœlestinus autem primum cœpit sedere anno MCXCI in Paschate XIV Aprilis) consecratus inquam Romæ incertum quo mense ac die; obiit fere centenarius, anno Domini MCCXVIII, in Vigilia omnium Sanctorum, id est ultima Octobris (Sammarthani perperam legunt 10 Kalendas, pro 2) cessit, antequam decederet, annis quatuor; ergo anno MCCXIV, idque circa IX Martii, nam cessavit Episcopatus a Media Quadragesima: et Pascha eam secutum celebratum fuit XXX Martii, usque ad diem Martis, post Octavas Pentecostes, id est usque ad XXVII Maji. Dicitur tamen quod Sedit in Episcopatu, annis XXVIII, non quidem in rigore loquendo; sed ex indulgentia successorum, Episcopi titulum ei in suis Actis etiam post cessionem adscribentium, ejusque ut

A *ut Episcopi nomine supplicantium Regi, ut notat Bondonnetus : nisi forte illis solum, ut Chorepiscopis, administrationem cessit, quod non videtur inverosimile. Alias rectius diceretur sedisse solum annis* XXIII, *(numerando a die electionis) menses* III, *dies* VIII.

38 Domnus Nicolaus, electus prædicta die Martis XXVII *Maji* MCCXV, Sedit anno uno menses octo, *id esset usque ad finem circiter Januarii* MCCXVI, *sed quia* anniversarium fit in Cathedrali, *ex fundatione*, die XXVI Februarii, *ideo Bondonnetus censet legendum* menses novem. *Hanc correctionem esse ex mente scriptoris, probat quod sequitur*, et cessavit Episcopatus mense uno ; *die enim* XXIV *Martii facta est successoris electio.*

Mauritius 1216 ;

39 Domnus Mauritius anno Gratiæ MCCXVI Vigilia Annuntiationis B. Mariæ, quinta scilicet feria *(currebat enim littera Dominicalis* B*)* qua cantabatur, Lætetur cor quærentium Dominum, *(est hic Introitus Missæ. Feria illa post Dominicam* IV *Quadragesimæ ; Pascha autem celebrandum erat* X *Aprilis)* electus est, *inquam* XXIV *Martii*, et Turonis consecratus Dominica infra Octavas Ascensionis, XXII *Maji. Hic cum sedisset annos* XV *menses fere* IV, ad Rotomagensem D Metropolim translatus est anno MCCXXXI Gregorii IX auctoritate; receptusque die Dominica ante festum B. Mariæ Magdalenes, tunc cadente in XXII Julii ; *quod indefinitius in Appendice nostra scribitur factum*, circa festum Magdalenes. *Cessavit autem Episcopatus diebus solum* XIX : *nam*

ex regesto epp deinde factus Archiep. Rotomag.

Gaufridus I, 1231;

40 Post ipsum *Mauritium*, Gaufridus de la Valle Decanus electus est, Vigilia S. Hippolyti, XII *Augusti*, anno Gratiæ MCCXXXI : et anno tertio electionis completo, traditus est sepulturæ, crastino S. Laurentii, *id est* XI *ejusdem Augusti. sic ut pleno triennio solum biduum triduumve defuerit.* Vacavit autem sedes usque ad XVI Kalendarum Octobrium, *mensem* I, *hebdomadem circiter* I ; *postquam electus est.*

Gaufridus II 1234.

41 Gaufridus de Lauduno, *anno* MCCXXXIV, XVI *Septembris :* qui per annos XXI fere sedit.... et apud Anagniam cursum suum, in die inventionis S. Stephani III *Augusti*, feliciter consummavit, *anno* MCCLV, *expletis scilicet annis* XX, *mensibus* X, *diebus* XVII.

B E

DE SANCTO DEODATO

PRIMUM EPISCOPO NIVERNENSI

DEIN ABBATE VALLIS GALILÆÆ IN VOSAGO

§ II.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De Sancti cultu, vita, ætate, ac monasterio.

ANNO DCLXIX.

Inter alia Vosagi monasteria

est Vallis-Galilææ a S. Deodato constructa :

Vosagus *mons, saltus, silva, eremus, per confinia Alsatiæ, Burgundiæ, et potissimum Lotharingiæ extenditur ; præbuitque olim variis Sanctis tam Eremitis quam Cœnobitis, domicilia seu monasteria. Inter hæc potiora quinque censebantur in modum Crucis distenta : ex quibus in capite erat ad Septemtrionem,* Bodonis monasterium, a S. Bodone Tullensi Episcopo, *cujus infra latior fit mentio, constructum, jam dirutum. Inde ab Oriente est* Senoniense Monasterium, a S. Gumberto seu Gundoberto Archiepiscopo *Senonensi conditum, uti latius* C *ad hujus Vitam* XXI *Februarii est relatum, quod modo extat sub Benedictina S. Vitoni Congregatione. E regione ab Occidente visitatur monasterium* Stinagium, *vulgo* Estinan, *ad Mortham fluvium, quod postea ad Ordinem Præmonstratensem est translatum. Ibidem etiam invenitur* Medium *seu* Medianum monasterium, a S. Hildulpho, dimisso Archiepiscopatu Trevirensi, *erectum : de quo ejusque fundatore plurima infra dicentur. Ipsum modo cum Senonensi aggregatum est Benedictinæ S. Vitoni Congregationi. Monasterium demum* Vallis-Galilææ, *quod* Juncturas *dixerant, ad Meridiem, quasi in pede Crucis, quam ista cœnobia formant, a* S. Deodato, *cujus hic Acta illustramus, conditum et excultum fuit ; obituque ejusdem, et sepultura ac miraculis clarum : unde ab illo jam pridem nomen accepit oppidum quod eidem paulatim accrevit, ad dictum fluvium Mortham, vulgo* Saint Dié en Lorraine *nuncupatum (est enim aliud ad Ligerim* S. Dié sur Loyre) *ubi pro Monachis introducti seculo* X *Canonici, eumdem* S. Deodatum *Patronum venerantur.*

hujus natalis 19 Junii.

2 *Coluntur die* XII *hujus mensis Junii* SS. Nabor et Nazarius, *quorum sacra corpora S. Grodegandus Episcopus Metensis Roma detulit, et corpus quidem S. Naboris posuit in monasterio Hilariaco per S. Fridolinum (uti ad utriusque Vitam* VI *Martii diximus) in hodierna Lotharingia constructo : in cujus monasterii, jam dicti S. Naboris, MS. Martyrologio, ad hunc* XIX *Junii ista leguntur.* Eodem die S. Deodati, Episcopi et Confessoris. *Grevenus in Auctario Usuardi anno* 1515 *et* 1521 *excuso, celebrat* Deodatum, Episcopum Nivernensem et Confessorem, *quem longissimo encomio exornat Saussayus in Martyrologio Gallicano. Trithemius lib.* 3 *de Viris illustribus Ordinis Benedictini, cap.* 304, *ista scribit :* Adeodatus, Abbas monasterii Vallis Galilææ, ac postmodum Episcopus Nivernensis, magnis virtutibus et meritis clarus emicuit : et quamvis Pontifex esset, tamen Monachi propositum in nullo violavit. Cujus festum agitur XIII Kalendas Julii. *Trithemium sequuntur Wion et Dorganius, itemque Menardus et Bucelinus, qui* Deodatum *appellant, et ex ejus Actis accurate docent, Episcopatu relicto decessisse ad monachatum. Eumdem* Episcopum Nivernensem Adeodatum *Menologio Scotico* XXIII *Martii et hoc die adscripsit Camerarius; et* Theodatum *appellat Fitz Simon in Kalendario Hibernico. Sed hæc ipsis Actis ultro refutantur. In MS. Florario ad diem* 2 F *Januarii celebratur* depositio Deodati, Nivernensis Episcopi et Confessoris.

Vita edita ex MSS.

3 *Acta ejus nacti sumus, a Joanne Gamansio descripta ex papyraceo codice MS. bibliothecæ Patrum Capucinorum Paderbornæ, et collata cum MS. pergameno Passionali cœnobii Bodecensis in eadem Paderbornensi diœcesi, Canonicorum Regularium S. Augustini; sed in hoc desideratur Caput* 4. *Eadem habuimus in MS. Ultrajectino S. Salvatoris, sed in hoc desunt, quæ sub initium num.* 1 *et quæ sub finem a num.* 27 *narrantur. Simile exemplar habuit Mosander, in quo, eadem, sed stylo non nihil emendate, pro Supplemento Surii edidit. Integra etiam hæc Acta edita sunt*

A *Nancæi anno* MDCXIX : *e quibus omnibus ea damus more nostro distincta et illustrata. Eadem postea Gallice transtulit Joannes Ruyrus vel Ruerus (nam utroque modo nomen imprimi fecit) Secretarius Ecclesiæ et Capituli S. Deodati; edid itque Trecis anno* MDXCIV, *ac postmodum inseruit operi suo itidem Gallico de Sanctis et Antiquitatibus Vosagensibus par. 2 lib. 2, excuso Spinalii anno* MDCXXXIV. *Hic in epistola dedicatoria primæ editionis, ad Gabrielem de Reynette Magnum Præpositum et Canonicos insignis Ecclesiæ* S. Deodati; *asserit, hæc Acta ex prima collectione a discipulis* S. Deodati *facta, fuisse postmodum conscripta a quodam viro docto et sancto ac monasterii Mediani Antistite, postquam tertia visione ad id fuisset divinitus incitatus. Illud ipsum esse attestatum in epistola carmine descripta, atque cum hisce Actis directa Waldrado Magno Præposito et venerabili Collegio S. Deodati. Extat Historia Senoniensis Abbatiæ, auctore Richerio ejusdem cœnobii Monacho, a Luca Acherio tomo 3 Spicilegii, et parte 2 seculi 3 Benedictini vulgata unde aliquod miraculum et translationis notitiam subjungimus. Reliqua ibidem legi possunt.*

AUCTORE G. H. et editione Nanceiana,

scripta ex collectione ab ejus discipulis facta.

4 *Hactenus paucis ante mortem annis Henschenius* B *cujus cœpta prosequens, noto, quod* transiit de morte ad vitam Domnus Deodatus *(uti num. 20 dicitur)* tertio decimo Kalendas Julii Dominico die, sexcentesimo septuagesimo nono anno a D. N. Jesu Christi Incarnatione : *qui characteres cum inter se conveniant optime, nolim ab illis dimoveri, propter quasdam in aliis ejusdem Vitæ circumstantiis hallucinationes, quoad nomina Episcoporum, nescio an Auctori Deodatensi, an Interpolatori Medianensi potius imputandas; alias integrum fere seculum differendus obitus iste esset, prout eum distulit noster P. Labbe, jubens pro 679 scribi 769, qui fuit Caroli Magni primus; nam ea zyfrarum conversio, quam est facilis scriptu, tam est impossibilis probatu; neque Labbeo venisset in mentem, si cogitasset, apud Doublettum in San-Dionysianis extare ipsius Caroli tunc datum diploma, quo declarat, se donare* ad casam S. Dionysii Martyris..... monasteriolum qui nuncupatur a S. Deodato, infra Vosago silva, sicut eum Pippinus genitor in sua investitura tenuisse comprobatus est. *Pridem ergo, etiam ante Pippini regnum, obierat Sanctus, a cujus nomine dicebatur Monasteriolus iste, quem non putamus esse alium quam ipsum de quo agimus* Vallis-Galilææ. *Non etiam admiserim, quod illo ipso, quo hic dicitur Sanctus* C *obiisse anno, e sua abductus eremo sit, ut cum S. Wilfrido Romam proficisceretur. Caroli le Cointe opinio illa fuit, hanc ob causam coacti differre ejus obitum usque ad annum* DCLXXXIV. *Confudit ille hunc de quo agimus* S. Deodatum, *cum Adeodato Tullensi Episcopo: qui anno* DCLXXX *Romanæ subscriptus Synodo, sicut fusius explicuit ad vitam S. Wilfridi Henschenius* XXIV *Aprilis cap.* IV, *S. Wilfridum fuit comitatus. Prioris corpus, uti a prædicto Ruyro scribitur, a Bertoldo Episcopo Tullensi elevatum fuit anno* MIII *die* XVII *Junii, annitente Beatrice vidua Frederici Lotharingiæ Ducis cum filio Theodorico : qua de Translatione est cap. 15 Chronici Senoniensis, producti ferme ad finem seculi* XIV.

Annus mortis.

5 *Franciscus Riguetus, Magnus S. Deodoti Præpositus, juxta Nanceianum vetus exemplum, prædictam illius Sancti Vitam recudi fecit; recusamque Henschenio misit anno* MDCLXXIX, *adscriptis manu sua, tam in margine quam ad calcem libelli, Gallica lingua Observationibus suis, minime contemnendis : has vero sequenti deinde anno cumulavit novis eadem lingua Memoriis historicis ac Chronologicis, simili cura Antuerpiam missis. Non vacabat Henschenio recognoscere ad illas suum hunc prævium Commentarium, Notasque ad Vitam paratas. Id ego nunc facio ; simulque Auctori reddo debitam commemorationem studii erga Sanctum suum Patronum.*

Vita circa an. 1676 recusa,

6 *Præfatur ille in primis Observationibus, Auctorem Vitæ sibi videri* Monachum Vallis-Galilææ, *qui num.* II *dicit*, hujus monasterii *et num.* 20. In hanc Vallem-Galilæam : *ubi cum pro Monachis Canonici sunt introducti circa annum* DCCCCLXXX, *consequens videtur, ut illa Vita ante dictum annum, aut etiam multo prius scripta sit. Phrases prædictæ (ut verum fatear) aptiores sunt illius monasterii, quam Mediani Monacho. Sed dum ad calcem Vitæ notatum lego, quod ipsam, anno* MXLIX *Romæ in Synodo lectam, Leo Papa IX in ecclesia Dei recitandam decreverit ; dumque ex Rigueto intelligo, in Deodatensi archivio etiamnum servari membraneum Legendarium, ubi eadem Vita in Lectiones verbotenus digesta fuisse intelligitur, ex potiori parte etiamnum ibi residua ; cogor opinari, quod non habeamus primam Deodatensis Monachi compositionem, stylo forsitan multo simpliciori exaratam, et verosimiliter nullis vel paucioribus mendis chronologicis obfuscatam. Ea menda Medianensis Antistes, sanctior quam doctior, tanto operiosius cumularit, quo magis conatus est aptare se cuidam Tullensium Episcoporum corruptissimo ut apparet) Catalogo, unde nomina hic inferenda accepit, de quibus infra in Notis. Sane* Waldradus *ille* Præpositus, *ad quem directam Vitam Ruyrus scribit, idem esse* E *videtur, de quo prædictus Leo Papa, anno* MLI, *Udoni Tullensi sic scribit.* Frater noster carissimus Waldradus, Præpositus cœnobii S. Deodati, cum quibusdam Fratribus suis nobiscum præsentes *in Curia Henrici III, sub tempus quo ibi ipse Papa electus fuit,* nostrum imploraverunt auxilium. *Idem ergo eadem occasione Leoni obtulerit, qualem a Medianensi Antistite acceperat Vitam, Romæ in Synodo prima approbandam ; sicque transierit in membranas prædictas, sed absque Epistola, cujus meminit Ruyrus, quam ipse utinam edidisset, nunc enim nuspiam inveniri indicat Riguetus.*

cujus auctor putatur fuisse Monachus loci, sec 9 vel num. 10

sed quam sec. XI interpolarit Abbas Medianensis,

et approbavit Leo IX an 1049

7 *Utendum interim ista qualiquali Vita, et cetera aptanda erunt anno mortis : qui annus cum suis Indictionis Dominicæque adjunctis, potuit certius fuisse cognitus. Ita quamvis Vitæ Auctor vel interpolator dicat sæpius venisse Sanctum in Vallem Galilæam anno* DCLXIX, *eo tamen hic venerit decennio citius. Causam errandi dederit Privilegium inventum sub nomine S. Hildulfi Trevirensis Episcopi quasi datum* S. Deodato *tali anno, pro suo in Valle-Galilæa monasterio : existimante Auctore, hoc fuisse initium monasterii ; neque ad manus habente aut Childerici Regis donationes, ad monasterium jam condi cœptum collatas circa annum* DCLX, *(quarum ne nunc quidem inveniuntur cartæ) neque S. Numeriani Episcopi Trevirensis, Hildulfo* F *prioris, Privilegium vetustius, et anno ut summum* DCLXV *datum ; quod in Mediano monasterio invenisse sibi gratulatur Riguetus, utpote exemplar, ad quod alterum Hildulphi postea vel factum vel confictum fuit : agit autem illud de jam plene constituto monasterio, quod ut sic haberetur quinque ut minimum vel sex anni requiruntur. Porro aliorum ibidem opinio fuerit (cui, inquit auctor num.* 14, nec refragamur nec suffragamur, quoniam penitus refellere aut defendere non valemus) B. Deodatum, post triginta annos ab egressu ipsius ex Francia, hanc vellem intrasse ; *qui triginta anni, simul cum prioribus viginti, constituunt annos quinquaginta, inter Vosagi solitudines loco non uno, nec uno monasterio condito actos. Sic autem intelligetur* Deodatus *venisse ex Francia, ubi aliquantulis saltem annis Episcopatum administrarat, sub annum* DCXXX, *jam quadragenario proximus aut major, adeoque obiit vere* grandævus, *uti num.* 16 *dicitur*, emeritæque militiæ veteranus *circa annum* DXC *natus. Quæ omnia in nostris ad vitam Annotatis, multo quam Henschenius reliquerat prolixioribus, probabuntur optime cohærere cum certiori historia, prælucentibus Rigueti observationibus et Memoriis.*

verosimilior vitæ Chronologia,

qua an. 759 venerit sanctus in Vallem Galilæam,

egressus ex Francia jam Episcopus circa 630

8

Præsens Deodatensis ecclesiæ status sub Canonicis,

8 *Orditur is primas, describendo præsentem ecclesiæ suæ statum, qualem non incongruum fuerit adnectere huic prævio Commentario.* Canonicis, *inquit*, viginti quatuor constat hodiernum Collegium, atque insuper Præposito Majori, qui caput est omnium, suo numero complectentium Decanum, Cantorem atque Scholasticum, quorum pro ratione eminentioris super ceteros dignitatis, Præbenda etiam amplior est. Olim triginta numerabantur : sed majores nostri Præbendarum trium suppressionem impetraverunt Roma, conservando organo, alendoque organistæ, cum quatuor pueris choralibus musicæque Magistro : quartam Præbendam auctoritate Pontificia abstulerunt Principes nostri, pro erigenda nova Nancæi ecclesia, quam Primatialem dicunt. Officium in ecclesia persolvunt Canonici, una cum Vicariis ; quorum nunc neque numerus neque stipendium est definitum : ante bella plerumque undecim vel duodecim erant. Ex institutione Leonis IX, qui Majoris Præpositi titulum et officium aliquando apud nos gessit, factum creditur, ut successoribus Pontificaliter officiantibus Pedum ac Mytra sit, cum peculiari quoque ornamento sericeo, in formam piscatorii retis cooperiente Albam, Tunicellam, atque Dalmaticam, a cingulo usque ad pedes, quod vulgo Reté vocant, Retiatum Latine diceremus. *Et hæc opinio confirmari potest ex privilegio Pallii et Mytrarum, quod idem Leo IX, in memoriam Clementis II decessoris sui, antea Babenbergensis Episcopi, concessit Episcopo, et dignioribus Canonicis istius ipsius Ecclesiæ Babenbergensis.* In tali ornatu assistit Præpositus solenniorum dierum Officiis, alias adesse non tenetur : si tamen adesse velit, obligatur venire in habitu Episcopali ; hyeme quidem in cappa violacea, pelliculis muris Armenii farta, æstate vero linteatus cum epomide et cruce pectorali.

quorum Præpositus Episcopali ornatu utitur,

9 Episcopalem quoque Jurisdictionem habet Præpositus, non solum in oppido S. Deodati, sed per totam vallem, a limitaneis diœcesibus Argentinensi, Tullensi atque Basileensi abjunctam, complexamque duodecim magnas parochias ; quibus decimam tertiam ego addidi, pro majori commoditate Parochorum ; quos ad Synodos meas voco, et ad quorum institutionem concursus celebro, habens ministros Curiæ meæ spiritualis, a qua non nisi Romam appellatio est, Officialem, Promotorem, aliosque, plane sicut Episcopi. In iis quæ Roma ad nos veniunt Bullis simpliciter dicimur Provinciæ Trevirensis, nulla diœcesi nominata ; et ad eas functiones, ad quas consecratio Episcopalis requiritur, liberum nobis est rogare Episcopum quemcumque, nemine non admittente Dimissoriales ordinandorum a nobis signatas. Territorium nostrum, ex donatione Theodorici II, facta S. Deodato, per montana extenditur septem leucis in longitudinem, in latitudinem quatuor ; merum olim desertum, nunc, occasione monasteriorum et cellularum a Sancto extructarum, habitationibus etiam secularium frequens ; quorum omnium Decimas ecclesia nostra percipit, licet nunc pars solum tertia territorii supremæ jurisdictionis titulo nobis pareat. Prioribus etiam seculis Regalia nobis competebant, ut sunt jus monetæ cudendæ, militiæ conscribendæ, et tributi exigendi, aliaque hujusmodi. Invenimus autem in registris nostris, Magni titulum Præpositis datum fuisse jam inde a seculo XIII, eoque usum Lotharingiæ Ducem in carta quam nobis signavit anno MCCLXXII.

uti et jurisdictione,

a solo Romano Pontifice pendens.

Observationes MSS. ad Vitam nobis missæ.

10 *Hactenus ille : qui deinde ad posteriores Memorias sic præfatur :* Sequar, quatenus potero, antiquam Vitam, a Leone IX probatam ; cogar nihilominus adjungere quædam ibi omissa, et refutare nonnulla, prorsus incompatibilia cum aliis ejusdem Vitæ locis ; solicitus imprimis, ut falsa secernam a veris. Qua in re haud paulo meliorem successum spero quam habuerint alii, me quidem doctiores ; sed qui majoribus lucubrationibus intenti, aut longius positi, otium non habuerunt singulas circumstantias expendendi, neque facultatem scrutandi monumenta archivii nostri, ipsaque loca in quibus res actæ personaliter adeundi ; quapropter aliud facere non potuerunt, quam sese referre ad hanc Vitam, velut omnis notitiæ a se sperandæ unicum fontem. *Ad hæc ergo subsidia aggredior Annotata Henscheniana recognoscere et augere.*

VITA

NOT. 18

Primum a Deodatensi Monacho scripta, dein a Mediaqensi Abbate interpolata.

Ex MSS. Codicibus et editione Nanceiana.

CAPUT I.

Ortus, Episcopatus Nivernensis, vita solitaria.

Mundi res caducas æstimans S. Deodatus ;

Catholica fides, et Christiana pietas, quanto vivacius aciem mentis in invisibilibus defigit, tanto segnius visibilia attendit ; quia eorum vanitate se posse cæcari animadvertit : nec mulcetur qualicumque specie caducorum, quæ miratur et ambit fluxa carnalium curiositas exterius, quoniam aut fœda interdum, aut vacua novit interius : a quibus ideo oculos avertit, quatenus veri et solidi boni oblectamine in æternum perfrui possit : cujus sobrio vino sic inebriatur, ut ignoret quo tramite ad hæc infima revertatur. Ad hujusmodi merum sic nos hortatur Canticum Canticorum ; Bibite amici, et inebriamini carissimi. Animæ ebrietas gemina est : aut enim inebriata amore seculi, obliviscitur Creatoris sui ; aut inebriata præclaro calice caritatis Dei, sic ardenter adhæret Conditori, ut non sentiat quidquid est mundi. Quod frequenter audimus et videmus factum, quando nonnulli pro desiderio vitæ æternæ, parentes carnis et patriam suam, nullo compellente, sub jugo Patrum spiritualium victuri fugiunt ; et quondam elati, cupiunt esse quod paulo ante despexerant, et odisse incipiunt quod fuerant. Amarescunt eis olim dulcia, et dulcescunt amara : prospera formidant, adversa exoptant : obliti facultatum suarum, omniumque carnalium affectionum ; nec importunis fletibus conjugum revocantur, seu pietate parvulorum ; sic festini ad laborem, quasi ad requiem. Hoc sancti Spiritus musto quidam pleni, opulentarum urbium suarum sunt obliti in hac paupere Vosago, fame et frigore tabescere contenti : de quorum numero piissimus Pater noster Deodatus, præcipuo nobis prædicandus est præconio. *a*

Cant. 5, 1

a Nivernensis Episcopus

2 Beatus Deodatus generoso Occidentalium Francorum sanguine procreatus, morum et actuum prærogativa in suæ prosapiæ linea eminuit primus, quamvis ex corporis ætatula censeretur postremus. De virtute in virtutem itaque, per ætatis incrementa gradatim eundo, gratum se ex gemina caritate exhibebat Deo et populo : divitias salutis, sapientiam videlicet ac scientiam, pariterque timorem Domini, infatigabiliter complectens, pro incorruptibili thesauro. Tandem pari et unico assensu Cleri et plebis, a Deo (cui se totum dederat) juxta nominis sui exemplar donatus est Pontificio Nivernis ; ne sancta ejus actio diutius lateret sub modio, velut lucerna præclarissima decentissimo prætigenda candelabro, ut tam verbo quam facto luceret omnibus in Domini sanctuario. Quod quanta devotione et industria, sub infula Pontificali illustraverit, nemo priorum ambigit, quando omnem ejus laudem finis perfectus

AUCT. MON. DEODAT.

perfectus canit. *b* In quo pernoscitur clarius luce, eum in Episcopatu non sua, sed quæ sunt Jesu Christi tantum quæsisse; nec saltem ab hominibus reverentiam debitam, sed a Deo remunerationem illibatam ex honore illo optasse, cui tam perfecte valuit renuntiare.

dignitatem abdicat,

3 Denique sanctissimus Antistes, sagitta caritatis divinæ salubriter vulneratus, trahi et currere post Jesum expetebat totus; *c* perpendens mundum in maligno positum, seque in medio scandalorum. Etenim sicut superborum est, minimum, seu certe nil boni agere, et semet perfectissimos in oculis Dei æstimare; sic profecto humilium est, quæ præcepta sunt omnia facere, seque inutiles servos, et omnibus hominibus inferiores ac viliores, non solum suo ore pronuntiare, verumetiam intimo cordis affectu credere. Quippe a malitia conversi, et effecti in oculis suis parvuli, Domino parvulos custodienti deflent mente supplici: Imperfectum meum viderunt oculi tui. (Psal. 138 16) Hoc utique pacto, vir summæ sanctitatis Deodatus, in caritate Dei, humilitate perfecta radicatus et fundatus, necnon respectu districti Judicis extremæque discussionis attonitus; et sciens quia cui plus committitur, plus ob eo exigitur, ad sequendum Christum perfectæ est animatus. Deliberatione ergo tantæ rei prorsus *d* arrepta, abnegavit sua et aliena negotia, *e* successore sibi defecto ad suæ diœcesis gubernacula; ne navis Ecclesiæ Christi periclitaretur, tam idoneo remige privata. Sic frequentiæ sui gregis, piis ad se retinendum armatæ fletibus, valedicens; cum aliquot sibi unanimis regressus Niversensi oppido, sponte exulat a naturali solo, concivis et cohæres adnumeratus Christo: quem expectare cupiebat in solitudine mansurus, salvus et immunis factus a pusillanimitate spiritus et tempestate popularis tumultus. Hic jam non pigeat nos agere, quod pretiosorum metallorum vestigatores et effossores constat actitare: quibus si qualitas terrenæ venæ arriserit, atque per se ad divitem massam ventum iri promiserit aut renuntiaverit; extemplo animosis *f* vangis et marris cuncta rudera egerunt, donec ad cupitum metallum perveniunt. Sic nos hujus viri Sancti animum, huic mundo mortuum, et cum Christo in Deo absconsum, metiamur, et perpendamus, si possumus, ex qualitate exteriorum ejus actuum. Consideremus quanti æstimaverit præsens seculum, cui valefecit quando ei arridebat plurimum, secutus ad lamenta spiritus contribulati et contriti cordis Dominum Jesum; qui, ne hic periremus, ad hanc vallem descendit lacrymarum. Nec pauperculus quilibet homuncio tanta alacritate reliquit vile tuguriolum, culmo et cespite contectum; quanta hic Dei cultor urbem Niversensium, cujus in summa rerum copia administrabat Episcopium. Sed, quia sunt intimis interiora, jam veniatur ad sequentia.

in solitudine mansurus:

adscissit comites SS. Arbogastum et Florentium;

4 Igitur terque quaterque beato Deodato, centuplum a Christo et vitam æternam capessenti, præ ceteris comites tantæ mercedis cohæsisse feruntur isti, Arbogastus *g* et Florentius: quorum prior in sacro nemore (quod Theutonico idiomate Heiligesforst vocitatur) eremitica vita est functus: indeque ad Episcopatum Argentinæ civitatis raptus: cui decedenti altera *h* solitudine Hasale abstractus successor est datus. Hi postquam plurima terris monstravere suorum insignia meritorum, vocati a Domino requiescunt spiritu in cœli aula, corpora autem in locis, quæ instituisse eos diximus supra. Tunc Willigodus, Domnolus, et univocus ejus Deodatus, quos a sancto viro labor non disparavit ullus, certatim insistendo obsequiis, et parendo jussis illius, satius duxerunt cum eo inter ignotos tribulari, quam cum notis in terra suæ nativitatis lætari.

Willigodum, Domnolum et Deodatum.

5 Domino itaque Girbaldo *i* viro sanctissimo præsidente diœcesi sanctæ Tullensis Ecclesiæ, fidelis Domino servus Deodatus, renuntians seculo, decrevit in saltu Vosagi locum habitationis eligere. Veniens tandem cum suis *k* Romonum (quod tunc hæreditaria forte duo fratres sibi diviserant prædium) qualis vir esset nutu divinitatis est declaratum. Nam inibi prior illorum fratrum, Asclas dictus, locatis artificibus, insistens erat ædificationi novæ domus. Quibus supremo propinquantibus operi trabalis materies transversim medioximo imponenda apici, cui cuncta contignatio habebat inniti, nulla arta per tres dies eidem potuit aptari, modo obstante brevitate, modo curvitate, seu aliqua alia tortitudine. Unde Dominus ille opificibus iratus convitia ingessit, quod qui silvam in promptu habuerint, velut inertes diu sub illa materie et frustra sudaverint. Sed his jam fessis opere et mœstis euntibus pransum, contigit Sanctum virum eamdem subintrasse domum, et in eadem resedisse ex itinere fessum. Qui causæ illius seriem a quodam pueruIo edoctus visceribus misericordiæ, ab infantia secum adultæ, et de matris utero secum egressæ, commotus, tentavit subvenire mœrentibus: accitoque beato Willigodo cum ceteris, materiem opportuno *l* loco paulatim aptavit, ac se mox cœpto itineri reddidit. Adhuc non longe digressus, reducitur, tam benevola ejus opere comperto a Primate fundi illius. Hic ut peregrinationis ejus votum percontatus accepit, vel quis fuerit; prædium ipsum eidem contradidit, usu tantum inde sibi retento dum advixerit, appensurus Sancto viro quinque argenti siclos *m* annis singulis. Nec dubitavit pauper Christi suscipere aliena, qui abdicaverat sua: quatenus merces cumularetur devoto laico ex eleemosyna, qua præviderat sustentari posse pauperes, quos Christo aggregavit postea: aut utique dubium, quia in spiritu noverat, locum illum nobilitatum iri, sui dilecti discipuli Willigodi sepultura. Ad cujus exanimum corpus, illic nunc usque tot et tanta monstrantur miracula *n*, ut palam sit, ejus spiritum perpetua in cœlis remunerari gloria.

Romonum prædium

ob trabem ædificio aptatam

dono accipit.

Argentillæ monasterium construens,

6 Inde progressus Pontifex devotissimus devenit Argentillam (a rivulo suo sic vocitatam) quam tamen nunc rusticum vulgus corrupte *o* Arentellam dicit. Ibi labore tantæ viæ extædiatus, demorari consensit, atque impensis ad sibi construendum monasterium inibi præparavit: cujus fundamenta dum ad aliquod perduxisset fastigium, offendi cœpit ac lædi pravitate et injuriis accolarum, eidem invidentium, quasi indies usurpaturo fundos eorum: erant enim et apprime militares, sed libertatem quasi velamen malitiæ suæ habentes. Quorum proterviam mox ut Dei servus humiliter declinavit et fugit; ira cœlestis adeo super eos incubuit, quatenus tam ipsi, quam cuncta posteritas eorum, aut juveniles annos et sibi tunc dulcissimos non exiissent, aut certe minuti intellectu affinibus suis despicabiles et ridiculi remansissent, donec nequam stirps illa de medio ablata fuisset.

impeditur ab accolis

Apud Wilram habitaculum erigit

7 Hinc venerabilis vir post nimios aviæ et anfractuosæ solitudinis circuitus *p*, Elisacium introiit: ubi inter Amalricivillare, et Ungisi-villam, apud Wilram (erecto sibi habitaculo) consedit: cujus hodieque ibidem ostenduntur plurimæ parietinæ, et fons perspicuus atque saluberrimus, ejus famosus nomine. Ubi cum circumcirca quasi quidam intellectualis sol radios beneplacitæ Deo actionis evibraret, et dociles animos religiosorum bono odore Christi ad se traheret; aliquis eximiorum Procerum Hunus, cum conjuge Huna dum in vicinia commaneret, magisque ex debito quam ex intentione huic mundo deserviret; Dei servo in amicitiis junctus est familiariter: similis quippe simili cohæret, dissimilisque dissimiles refugere solet. Accessit inter eos et illud

ad

ad solidæ dilectionis plenitudinem, quod Præsul sanctus et baptizavit, et a salutaris fontis lavacro suscepit ejus q prolem. Sed sanctæ caritatis, totiusque bonæ operationis osor diabolus, ut vidit nos parvos Domino posse assurgere fructus, verbo et exemplo illius, si tantus colonus religionis ulterius in impia illa gente et sterili bonorum operum removeretur; ad eum inde effugandum relevavit nefandum caput. Repentino denique furore stolidum et indocile vulgus adversus Sanctum, quasi alieni juris pervasorem, concitavit; per quod patronos regionis inflammavit, donec continuis lacessitum jurgiis ac minis, illinc egredi compulerit. Cui dum suus compater Hunus humillime supplicaret, ne se desereret, eique gratanter sui juris possessiones ad commanendum offerret; vir Dei respondit lacrymabiliter : Ut quid tot annis exul et profugus hanc provinciam habeo oberrare, cum in ea (peccatis meis facientibus) nequeam pedi meo optatam requiem reperire? Jam ad moriendum dabo me vastæ et ignotæ solitudini : viderit pietas Domini, cujus desiderio patriam respui, et hos fines expetii. Hoc dicto, datoque pacis osculo, sub amplexu mutuo discessum est, non sine fletu utriusque plurimo.

sed discedit ob jurgia accolarum

non sine Dei vindicta in posteros diffusa.

8 Sed famulo suo, persecutionem pro justitia patienti, miseratio divina non defuit : quæ ei habilem et optatum locum providit, et persecutores ejus contumeliosa et miserabili plaga in sua sobole percussit. Nam primatum illorum dies dimidiavit, eosque ab hac luce in dulcioribus sibi annis rapuit : quod nunc usque in posteritate eorum exercuit, in tantum, ut aliquoties eximii Proceres, ac illustres matronæ, tam dolendam conditionem suæ genealogiæ metuentes sibi, capita sua ac fundos mulctaverint Sancto isti, ne pro iniquitate patrum suorum mererentur a Deo multari. Quotquot autem ruricolarum in eadem villa (donec mansit) nati fuere, cum strumoso gutture jugiter vixere : quo dedecore prorsus caruere, quotquot in ulteriori littore interfluentis torrentis nasci potuere. Quod animadvertentes enixuræ feminæ, torrentem illum solebant transire.

ANNOTATA G. H. et D. P.

a *Hinc incipit MS. Ultrajectinum præpositis his verbis :* Piissimus Pater noster Deodatus, præcipuo nobis hodie prædicandus est præconio, qui generoso *etc. et secutus Mosander.*

b *Carolus le Cointe ad annum* 657 *num.* 16 *profert* Privilegium, quod Emmo Archiepiscopus Senonensis S. Petri-Vivi in Synodo collecta concessit, *cui subscripsit inter alios* Episcopus Nivernensis, *quem le Cointe arbitratur fuisse hunc* S. Deodatum : *sed (si is, ut vult Riguetus, sub an.* 640, *ut autem ego,* 630, *Episcopatu abiit) longe exerrat conjectura illa ; æque ac Sammarthanorum, qui Episcopatum ejus differunt usque ad an.* 668, *quem præcesserit Gilbertus pro anno* 665 *ex MS. Nivernensis ecclesiæ notus. Quare mihi videtur* Deodatus *assumptus post Agricolum qui primis suis annis præsens Synodo Matisconensi anni* 581, *facile potuit ultra* 620 *vitam protraxisse.*

c *Apud Mosandrum apponuntur ista :* dicens ei cum sponsa : Trahe me post te curremus simul in odorem unguentorum tuorum. *Cant.* I.

d *Impressa* abrepta, *credo (pro usu medii ævi, præpositionem* ad *invariatam scribentis) fuisse in originali expressum,* adrepta.

e *In MSS. Bodecensi et Ultrajectino desunt hæc de* successore delecto *etc. Is autem, ex Rigueti sententia, deberet censeri* Rauracus, *ad an.* 650 *Concilio Cabilonensi scriptus.*

f *Ita MS. consule quæ de* vangis *disseruimus* XI *Aprilis ad Vitam S. Isaac, ex* 3 *Dialogorum S. Gregorii. Idem nomen habetur etiam* 14 *Januarii, in Vita S. Felicis Nolani. Est autem* Vanga *genus ligonis, Mosander explicat,* marris et instrumentis aliis. *Impressa legunt* Vasis. *Censet porro Riguetus, ætate Auctoris fuisse minera in Montanis istis,* quibus, *inquit* eruendis vidimus nostra ætate frustra allaborari. Interim Chartularia nostra docent an. 1290 solutas fuisse ecclesiæ nostræ Decimas argenti, quod eruebatur. Non allego autem ecgraphum cartæ, tamquam signatæ an. 989. quia sinceritas ejus mihi valde est suspecta *Ita ille.*

AUCT. MON. DEODAT.

g *Colitur* S. Arbogastus 21 *Julii et* S. Florentius 7 *Novembris, ambo Martyrologio Romano inscripti. Quæ de iis hic dicuntur, exposui in Diatriba de Tribus Dagobertis lib.* 2 *cap.* 3. *Floruerunt autem sub Dagoberto secundo, filio S. Sigeberti ; qui (uti exposui in Diatriba Dagobertina innovata et ante tomum* 3 *Aprilis excusa) regnavit ab anno* 651 *in Adrhenanis Provinciis, et post occisum Childericum in reliqua Austrasia usque ad annum* 680, *quo et ipse occisus est. Dubitat tamen Riguetus an hi Sancti* Deodatum *secuti Nivernis sint : et mavult credere Richerio, Chronici Senoniensis auctori, aliisque asserentibus, eorum amicitiam in Alsatia coaluisse, cum jam tertium anachoreseos suæ locum incoleret Sanctus. Movet eum, non solum quod ambo dicantur ex Scotia oriundi ; sed maxime quod* S. Arbogastus *dicatur obiisse anno* 668 ; *cum* 27 *annis, adeoque ab anno* 641 *Argentinæ præfuisset : atqui non est electus Episcopus, nisi post probatam annis pluribus Alsatiis virtutem suam, proinde ad illos potuit, si non debuit, ante* S. Deodatum *venisse. Quod pluribus ad ejus Vitam licebit examinare.*

h *Scilicet* S. Florentius : *qui sibi oratorium condiderat prope* Haselinm *Alsatiæ rivulo :* nec procul a Bruschio percelebri amne, *inquit Gaspar Bruschius in Episcopis Argentinensibus : sed inter utrumque Sanctum, medium ponit* Rodtharium, *ex equestri ordine assumptum : et eos qui tertio loco sedisse hunc dicunt, falli asserit toto cœlo, idque ex vetustis diplomatis certissimo demonstrari posse.*

i Girbaldus *hic amandandus est ad seculum proximum, et substituendus videtur* Bodo *de quo Richerius lib.* 1 *Chronici Senonensis cap.* 10 *ista scribit :* Elapso modico tempore, postquam vir beatissimus ille Deo datus in hanc subintravit Vosagum, erat vir æque sanctissimus, nomine Bodo, Tullensis Episcopus, qui Dei ductus zelo, in quodam prædio suo, quod ejus nomine Bodonis monasterium appellatur, adunato non modico conventu sanctimonialium, claustrum ibidem statuit, et eidem monasterio pluribus collatis reditibus Ordo Sanctimonialium multo tempore ibidem perseveravit. *Colitur* S. Bodo XI *Septembris, quando hæc accuratius erunt discutienda, uti et* XXIX *Decembris ad Vitam S. Hilduardi qui creditur* Girbaldus *ab aliis appellari.*

k *Vulgo* Romont, *et sic ipsum Riverius appellat : Riguetus addit respectu oppidi S. Deodati longius quam Remberti-villare situm esse, spatio parvæ leucæ, adeoque leucis* 5 *ab illo.*

l *Richerius cap.* 4. Ipsam magnæ nobis trabem ipsius domus in excelso, nullo fortitudine obstante, ubi poni debuerat, collocavit.

m *Ex Richerio, qui scribebat anno* 1203 *et ex Medriani Monasterii Chronico, quod an.* 1326 *compilavit Joannes de Bajona Dominicanus ; probat Riguetus, ejusmodi censum, ipsorum quoque ætate solvi solitum : sed dubitat an ejusmodi census non sit posterioris temporis, imo negat proprietatem loci unquam a Domino fuisse alienatum, qui hactenus constituit partem Marchionatus Gerbervillariensis. Prioratum vero quem ibi postea constituit S. Willigodus, ait non ad ecclesiam S. Deodati, sed ad Abbatiam Besuensem pertinere.*

n *Mirum proinde est, antiquis Fastis non inveniri adscriptum*

AUCT. MON. DEODAT.

A *adscriptum* Willigodi *nomen : nam cultus memoria nulla in præsens ibi superest.*

o *Ruyrus* inter Marivillam et Angivillam *situm fuisse locum ait : Riguetus fatetur situm ignorari, sed rivulum a quo nomen traxit ait oriri sub Bruariis, atque transire Gran-villare, Petri-pontem, atque Stagnum (ita dictum prædium ad jus Canonicorum pertinens) sanctæque Helenæ et Gergonæ vicos, donec sub Remberti-villari Majori se anni misceat.*

p *Richarius, nulla facta Arentellæ mentione, primo pervenisse Sanctum ait* ad quemdam locum qui Teutonico idiomate Heligewoist Latine Sanctum desertum vocatur, juxta oppidum qued Hagenowia dicitur, in Alsatiæ inferioris finibus situm : ubi se sui voti requiem reperisse credens, aliquantum delituit : sed inde invidorum injuriis propulsus, ad claustrum quod Abregennisten vocatur venerit ; *ubi primam familiaritatem contraxerit cum Sancto Arbogasto. Interim bene Riguetus censet imperitia librariorum Teutonicam linguam ignorantium, ex* Ebersheimmunster *id est* Domus-Apri-monasterium, *factum* Abresennisten : *est autem Abbatia illa, cujus primum Abbatem ipsum* S. Deodatum *faciunt aliqui, in loco olim dicto* Novietum, *ut Atticus, qui hujus* B *monasterii fundator fuisse dicitur, pater S. Ottiliæ, diu post hæc tempora, restaurator potius sit quam fundator ; quod verosimile multis de causis Riguetus censet ; et imprimis, quia ibi haberi dicitur corpus* S. Deodati. *Hic est socius et discipulus Deodati Nivernensis, a magistro suo, post locum utcumque ordinatum, ibi collocatus, et cum illo confunditur a multis.*

q *Ruyrus lib.* 2 *cap.* 1 *ait* Adeodatum *vocatum puerum, ac postea sub ipso Sancto Monachum factum.*

r *Jam enim nullam esse* Villam *monet Riguetus, vereor autem ne fabulositatis aliquid admixtum huic narrationi sit, fundamentum nactæ ex frequenti invocatione Sancti contra ejusmodi malum.*

CAPUT II.

Discessus in Vallem Galilæam. Ecclesia et monasterium constructum, ac privilegiis munitum.

In Vallem Galilæam venit

Tunc miles Christi, infatigabili quidem corde, sed nimium fatigato corpore, per scopulosa juga arduorum montium, per concava squalidarum vallium reptabundus, tandem Vallem nuncupatam *a* C Galilæam, anno ab incarnato Verbo sexcentesimo sexagesimo *b* nono, subiit anhelus, quam interluit et irrigat Mortha piscosus et *c* vastus fluvius : penes quem in Australi ejus ripa (reperta spelunca, et amœnissimo fonte) aliquanto inibi delituit tempore, herbarum tantum agrestium et pomulorum esu corporeæ succurrens inediæ, optans exemplo Sanctorum Patrum vivere ; qui degentes in solitudinibus, erravere in montibus et speluncis et cavernis terræ. Interea Dominus, solicitus de servo nil cogitanti de crastino, religiosum virum Hunum taliter in somnis suo dignatur alloquio : Cur fame permittis in solitudine perire compatrem tuum, Deodatum Nivernensem Episcopum, causa mei exulem et inopem factum ? qui præ humilitate vix minime sui actus te fecit conscium ? Cui respondenti se nescire quorsum eum quærere deberet ; præcepit dicens : Onera sagmarios *d* tuos bonis, quæ tibi præstiti, et invocata Majestate divina, eos per se dimitte istud iter aggredi ; mihi crede, ductor non deerit. Hoc expergefactus cum retulisset devotæ conjugi, omnimodis accelerandum cœpit hortari. Quid plura ? Sagmarii, ut jussum fuerat, abire permissi, per inviam eremum, recti itineris linea pervenerunt ad speluncam Sancti : quorum via notata

ab Huno divinitus monito,

vitæ necessaria accipit :

ab his qui pæne pedetentim fuerant eos illuc usque D prosecuti, reperitur famulus Dei : quos prior percontatus, cur venerint, omnem rem seriatim discit. Nec mora grates affectuosis lacrymis conditas Deo reddidit, quem sui non oblitum in necessitate comprobavit. Dein tam eos, quam jumenta necessariis refocillatos cibariis, suo Domino gratias agens remisit. Sic viri Dei reperta casa, non solum ipse Hunus, sed et aliquot alii religiosi ministraverunt ei postea. Hinc si recolamus antiquorum Patrum vitam, nequaquam iis imparem in hoc facto beatissimum reperiemus Deodatum : cui, ut sanctissimis Frontonio *e*, Benedicto, atque Columbano, destinavit Dominus necessarium victum.

cellulam erigit :

10 Hac ergo benignitate Domini, tam bene pro se soliciti, vir perspicacissimus intelligens, gressus suos illuc retortos divinitus, ad instituendam sibi cellulam est animatus. Qua ibidem erecta, et B. Martini *f* Antistitis venerationi dicata, reposuit illic et alia pretiosissima Sanctorum pignora, secum a patrio solo delata. Cumque opinio sanctitatis ejus diatim, non solum huic nostræ viciniæ commigraret, verum et ulteriores terras avide peragraret ; fiebat, E ut fideles ad eum catervatim undecumque attraheret. Ex quibus nonnulli hilariter conferebant prædia, plurimi ad monasterium construendum pecunias, et quæcumque alia poterant impendia ; aliquando vero non tantum sua, sed insuper accensi ad imitandum, subdebant seipsos ejus discipulatui nimia instantia : non enim erubescebat fama ex bonis, quæ de absente disseminabat, quia in præsenti adhuc meliora exhibebat. Illis in diebus, jam sæpe dictus Hunus prædia, et a se agnominatum Huni-villare cum Ecclesia eidem concessit devotus : in qua ipse cum conjuge sancta monstratur sepulsus *g*, sed miraculis vivere pariter in cœlis comprobantur. Tunc etiam liberalis munificentia Childerici *h* excellentissimi Regis, a fisco abscissam eamdem Vallem Galilæam, cum omni integritate, viro Dei successoribusque ejus annulo suo firmavit in ævum, ab exortu........ cunctorum rivulorum seu amnium præfatam vallem intrantium, usque ad ipsorum ab ea exitum : quatenus inibi construeret cœnobium, et servientium Deo aggregaret quem censeret numerum. Crederes pro tam multis molestiis, quibus eotenus cingebatur et angebatur, quando exul hac et illac fugatus pervagabatur, quod ejus animam sanctam Dominus modo ad plenum consolaretur, eique his verbis sancti vatis Isaiæ quasi blandiretur. Paupercula, tempestate convulsa, F et absque ulla consolatione, ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, quia ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te.

prædia obtinet

etiam a Childerico Rege

Isa. 54 11

11 Hoc vir Dei docibilis intelligens, ac se divinitus et humanitus juvari videns, ibidem prope S. Martini oratoriolum construendo monasterio erat insistens. Sed aliquis discipulorum ejus, dum ultra amnem, in Urimonte (qui nunc monasterio præminet) operariis materies ædificio illi necessarias succidentibus ac lævigantibus per diem intenderet, vesperi autem ad cellam rediret ; quodam vespero cum transire Mortham pigeret, atque maturius reverti ad opus optaret, in colliculo (Juncturas nuncupato) contigit, ut sub noctem maneret. Qui colliculus ideo sic vocitari putatur, quoniam Robach et Mortha non longe a pede ejus junguntur. In quo Frater ille reclinatus somno, oratorii ibidem construendi beatæ Dei Genitrici perpetuæque Virgini Mariæ in visu accepit præceptum a Domino. Quod cum mane retulisset sanctissimo Magistro, in loco ostensæ visionis lapidem erigi præcepit pro signo : cui non multo post tempore circumædificata basilica fuit,

ex prævia visione

in locello ædificat

A fuit, imposita ara, et honori piissimæ Matris Domini omniumque Apostolorum, pariterque præcipuorum Trevericæ urbis Pontificum *i*, Eucharii, Valerii, Materni, et Maximini *k* consecrata. Propter hanc postmodum alterum fabricatur oratorium, quod beato Mauricio, *l* ipsiusque devotissimo collegio constat dicatum. In quo facto aperte datur animadverti, beatissimum Hidulphum *m* Archiepiscopum extitisse familiarissimum sanctissimo Deodato Præsuli, a fundamentis hujus sui monasterii: quem creditur donasse Reliquiis prædictorum Præsulum Treverensis populi, præsertim S. Maximini, cujus dignissimos artus nuperrime transtulerat in ædem, qua nunc dignissime venerantur, quando scilicet ab incarnato Domino sexcentesimus sexagesimus septimus annus volvebatur, et famulus Dei Deodatus in Elisacio morabatur. Nam anno, ab incarnatione Domini sexcentesimo sexagesimo nono, *n* vallem Galilæam intrasse comprobatur.

monasterium

caritate mutua cum S. Hidulpho conjunctus.

12 Non ab re enim fuisse dignoscitur, devotissimum Deo Præsulem, tot et tam pretiosa Sanctorum patrocinia suæ Franciæ prætermisisse. Equidem poterat vir Domini Hidulphus Eremiticam vitam B ducturus, Arduennæ vastissimos expetere saltus: (sicut aliqui vicinorum ejus fecisse inveniuntur) aut Histriæ *o* deserta revisere, a quibus ad Præsulatum Trevirorum olim fuerat raptus: sed nimium intimo amore dulcissimi Deodati ad hanc nostram Vosagum fuit attractus. Cui opinioni si quis calumniosorum reluctatur, privilegiis Vallis-Galilææ convincetur: ubi mutua caritas nostrorum carissimorum Patrum evidenter monstratur. At nobis (quia occasio se obtulit apte) de antiqua immunitate sive libertate ipsius loci hic inserantur aliqua. In quibusdam jam sæpe dicti cœnobii chirographis, Regali et Pontificali auctoritate firmatis, beati Patris Hidulphi nomen reperitur præfixum, titulis duodecim subscribentibus Episcopis. Inibi sanctæ compassionis vir Archiepiscopus, imo Patriarcha, (quia Patriarchæ tantum debetur Pontificum turma) profitetur sanctam, et compunctam religiosamque postulationem venerabilis viri Deodati Episcopi suarum aurium intima penetrasse, et viscerali affectu pietatis ita cor suum caritativa petitione emollivisse, ut voluntatem ejus libentissime non implere nimis irreligiosum putaverit fore. *p*

Impetrat privilegium decreto Episcoporum confirmari.

13 Consequenter etiam ibidem adnotatur, quoniam sancti desiderii ardore succensus reverendus Deodatus Episcopus: in Valle-Galilæa, quam ex C Regis fisco promeruerat, cœnobia *q* apud Juncturas (sicut supradiximus) construxit primus. Ubi Monachos, vel peregrinos sub sanctissimorum Patrum Benedicti et *r* Columbani regula victuros, deliberabat collocare devotus. Cui tandem communi decreto sanctorum *s* Antistitum conceditur, ut nullus Regum vel Principum, aut Episcoporum, seu quorumcumque Clericorum, suis usibus audeat aliquando usurpare quidquam eorum, quæ ad Dei famulos, ibidem sub evangelica perfectione degentes, pertinere videntur et quæ ab ipso Patre Deodato Episcopo acquisita fuerint, aut regio munere seu reliquorum fidelium collatione, tam in sanctis voluminibus, donariisque altaris, et ecclesiasticis ornamentis, quam in his quæ deinceps ipsi servi Dei proprio labore addere potuerint. Et quandocumque sæpe dictus Deodatus (qui nunc est Pater ipsius monasterii) a Deo fuerit vocatus, quem illa congregatio ex sese unanimiter elegerit Abbas subrogetur, et ad altaria benedicenda, vel sacros ordines percipiendos, quem voluerint Episcopum expetant; ullaque ecclesia absque privilegiis vivens quidquam sperare, vel auferre ab eis præsumat: et nemini (nisi invitatione, aut permissione totius congregationis) liceat monasterii ipsius septa intrare. Quod D si quilibet Pontificum, ab eis communiter postulatus, pro ipsorum utilitate accesserit; mox secundum voluntatem Congregationis (expleto suo ministerio) abeat absque requisitione ullius muneris: quatenus sub sancta Regula viventes, de percepta quiete, juvante Domino, per tempora exultent, et pro statu Ecclesiæ Catholicæ plenius Deum exorent. Si autem aliquam transgressionem Regulæ suæ fecerint, et a proprio Pastore objurgari noluerint, etiamsi Episcopus eorum, qui et Abbas, seditionem congregationis sedare nequiverit; tunc alios Abbates eamdem Regulam professos, ad ipsum monasterium convocet, qui sententia regulari scandalum deprimere curent. Quod utique privilegium qui infringere ausus fuerit, præsentium auctoritate Præsulum anathemate innodatur, et per venerabiles viros Bibliobaldum Presbyterum, et Labinum Diaconum absentibus ad subscribendum detestatur. Quod et devote fuisse factum superius est dictum. Hactenus ad istud jamjam, quod restat, agatur.

A. MON DEODAT.

ANNOTATA G. H. et D. P.

a *Describit eam Vallem Richarius cap.* 6, speciosam et spatiosam, nemoribus undique consitam, aquis irriguis et piscosis copiosam; quam cum vir Dei diligenter conspiciendo perlustrasset, tandem in quodam loco, juxta montem qui Comberg dicitur, resedit; ibique oratorium in honorem S. Martini, quod usque hodie perdurat, erexit et consecravit. *Riguetus ait, prius venisse ad locum, cui a* bono homine *nomen etiam nunc sit, fortassis ab ipsomet sancto ibi morato.* E

b *Errorem in numero esse monet Riguetus; cum ex chartulario loci possit decerni stabilitum fuisse monasterium ante annum* 664; *abundavit fortassis denarius unus in numero litteraliter scripto apud Deodatensem Monachum aut transpositis litteris legebatur* DCXLIX.

c Paucos fluvios vidisse Auctorem oportet, *Riguetus ait,* qui vastum fluvium Mortham appellet. *Perdit ille nomen suum, duabus leucis infra Nanceium illabens Mosellæ.*

d *Impressa,* Saginarios, *sed a* Sagmis *Gallice* Saumes, *id est clitellis,* Sagmarios *dici, equos, mulos, asinos, oneribus ferendis destinatos, notum est.*

e *In Vita* S. Frontonis 14 *Aprilis hæc leguntur num.* 6. *Noti sunt etiam* Benedictus *et* Columbanus.

f *Nunc appellatur* clivus *seu* collis S. Martini, *Gallice* la coste S. Martin. F

g *Agit de horum sanctitate Ruyrus pag.* 2 *lib.* 2 *cap.* I *asseritque* Hunnam a Leone X Papa anno 1520 in Sanctorum numerum relatam 15 Aprilis, *quo die Ferrarius in Catalogo generali refert memoriam* S. Hunæ in Alsatia, *citato* Kalendario regionis *ejusdem et hoc sequitur Arturus, uti diximus inter prætermissos. Riguetus eadem confirmat ex Herculano, Cantore et Canonico ecclesiæ suæ, qui vivebat et scribebat de loci antiquitatibus paulo post dissipationem Reliquiarum, ab hæreticis factam anno* 1540; *quique dicit, quod annis 20 prius Reliquiæ istæ fuerint ex sua tumba elevatæ, mandante Leone X, ad instantiam Ulrici Ducis Wittenbergensis* XVI *Kal. Maji. Addit etiam ex Herculano Riguetus, tantam fuisse* S. Hunæ *erga pauperes caritatem, ut lavandis pauperum linteminibus solita accedere ipsa ad remotum a domo sua fontem, meruerit alium viciniorem sibi a* S. Deodato *elici; et in hujus ecclesia magnam illius esse venerationem Reliquiamque in altari haberi, quæ singulis annis exponi soleat populo.*

h Childericus Rex *post mortem S. Sigeberti cœperat regnare in Austrasia anno circiter* 659: *reverso autem*

autem ex Hibernia sub annum 661 *Dagoberto, Sigeberti filio, relinquens ei post aliquam contentionem Alsatiam, cum Provinciis Transrhenanis, præerat reliquæ Austrasiæ. Postea ab anno* 671 *obtinuit etiam Neustriam et Burgundiam, occisus an.* 675. *quidquid ergo contulit S. Deodato, contulisse debuit anno circiter* 660. *Plura dicere non possumus, dum Riguetus fatetur, neque originale, neque egraphum cartæ Childericianæ superesse : sed ejus fidem probat ex infra nominando Privilegio Numeriani Trevirensis : quod ipse anno* 664 *adscribit. Meminit illud quidem* Theoderici *ut cui Treviri suberant sed non ut dotatoris ; quare eatenus nihil prohibet, donationes illas factas esse post obitum Dagoberti et scriptum a Numeriano privilegium. Magis tamen placet sententia prior, nec enim, nisi jam stabilito regia auctoritate monasterio, privilegia tanta videtur indulsisse Numerianus. Consule Diatribam nostram de tribus Dagobertis Regibus innovatam.*

i *De hisce tribus primis Trevirorum Apostolis egimus* 29 *Januarii ad Vitam S. Valerii, at seorsim coluntur* S. Eucharius 8 *Decembris, et* S. Maternus 14 *Septemb.*

k *Acta* S. Maximini *illustravimus ad diem* 29 *Maji, cum Translatione mox indicata.*

l S. Mauritius *cum suis Thebæis colitur* 22 *Septembris.*

m *De* Hildulphi *rectius* Hildulfi *ætate egimus in Diatriba præcitata lib.* 4. *cap.* 5 *ostendimusque eam perperam ad tempora Pippini Regis translatam, quod hinc probatur. Colitur* IX *Julii.*

n Imo ex Privilegio Numeriani anni 664 certo constat, *inquit Riguetus,* jam tum plene fundatum monasterium fuisse : *sed hoc forsitan anno, altero post S. Maximini translationem, excurrerat Treviros* Deodatus, *novum Archiepiscopum salutaturus, ab eoque impetraturus confirmationem ampliationemque privilegii, a S. Numeriano prius obtenti.*

o *Nulla verosimilitudine dicitur* ex Istria *abstractus* Hildulphus, *qui natus in Bavaria, a Ratisponensibus scholis immediate Treviros transivit ; an autem in Vosago junior viderit* S. Deodatum, *ex indeque ei affici cœperit, in medio relinquo ; dum nihil habeo unde id probem.*

p *Fatetur Riguetus hujusmodi* S. Hildulphi *cartam, seu veram seu fictam, nusquam extare in archivo, sed in Mediano monasterio anteriorem aliquam S. Numeriani invenisse se gratulatur, in qua hæc eadem contineantur ; cujus utinam ecgraphum integrum misisset descriptum, verbotenus huic loco apte inserendum et examinandum. Quantum enim ex missis a Rigueto fragmentis colligo, nominatur quidem ibi Rex Childericus, cui scilicet Treviri suberant, dum Privilegium dicitur indulgeri,* quatenus *Monachi* pro statu ecclesiæ Catholicæ, et pro desiderabili salute Childerici Principis, plenius Dominum valeant exorare ; *sed non exprimitur annus regni, nedum Christi, ignotus ejus temporis Francorum Regibus. Tota igitur ratio adscribendi ipsum anno* 664 *Rigueto fuit, subsignatus* Episcopus Virdunensis Gisloaldus, *quem Wasseburgius statuit obiisse an.* 665 : *quod ut verum sit, solum probat non esse serius scriptum Privilegium istud, licet potuerit ipso anno* 660 *datum fuisse ; cum necdum redusset ex Hibernia Dagobertus, et Childericus adhuc Alsatiam obtinebat, ipsi autem Episcopi* Numerianus *et* Gisloaldus *pridem ecclesiis præsiderent.*

q *Ea monasteria seu potius eremitoria, per Vallem Galileam sparsa, esse conversa in parochias, Præposito subditas, notat Riguetus.*

r *Numeriani cartam, a sex Episcopis subsignatam, ait Riguetus ; et esse fontem atque principium Jurisdictionis quasi Episcopalis, quam Abbates sui ac postea Præpositi obtinuerunt et obtinent ; Carolus le Cointe ad an.* 671 *num.*15 *relato hoc loco ista annotat :* Vallis Galilæa non procul distat Luxovio, ubi vigebat institutum S. Columbani : cujus memoria per vicinas regiones tunc erat celeberrima. Nomen S. Benedicti, quod in ea provincia minus notum erat, intrusit auctor Benedictinus. Similes interpolationes sæpe jam redarguimus. *Hæc le Cointe. De rei veritate judicet lector cum prius legerit quæ in suorum defensionem habet, Mabilio, ante secula Benedictina agens de regulæ diffusione, contra ipsum le Cointe.*

s *Simili modo Numeriani privilegium committi* Blidoaldo Presbytero *et* Vahino Diacono *deferendum absentibus, Tullensi scilicet Metensi ac Virdunensi, notat Riguetus : ut videantur eadem nomina a librariis corrupta, majorem ingerant suspicionem fictionis, eo solum ordinatæ, ut quidquid ultra Numeriani Privilegium juris acquisiverunt Abbates ; id successor Numeriani dedisse crederetur ; aut Numeriano substitutus sit Hildulphus, tamquam in Vosago notus Sanctus. Adde quod stylus Numeriani, ut magis barbarus, sic magis sincerus sit. Imo dubitat Riguetus an* S. Hildulphus *unquam fuerit plus quam Numeriani Archiepiscopi Chorepiscopus, de quo videbimus alias.*

CAPUT III.

Mutua caritas SS. Deodati et Hildulphi : illius obitus et sepultura, et hujus successio.

Igitur decurrente sexcentesimo septuagesimo primo anno, ab adventu autem domini Deodati ad Galilæam *a* tertio, semper imitandus Pater Hidulphus (Archipræsulatu *b* Trevirorum abrenuntiato,) semet ad commoriendum Christo addicens, huic aridæ eremo dulcissimus vicinus, et pacatissimus affinis accessit suo Deodato, Jacobo *c* reverendissimi Præsulis Leucorum collaborante suffragio. Hic nobis ne forte succenseat ullus, et duos Pontifices Leucorum (Godonem scilicet et Bodonem) fuisse inter Girbaldum (cujus diebus B. Deodatus reliquisse Episcopatum fertur) et inter Jacob, cujus tempore [venit] Dominus Hidulphus ; nec convenire rationi, ut quatuor Episcopi administraverint Pontificium vix annis tribus ; breviter quæstioni obviamus ; brevitatem humanæ vitæ, et vicissitudines consideramus : etiam intra annum plures quam quatuor sibi ordine succedentes posse defungi, non denegamus. Sed nos ab incerto argumentum non assumimus : præsertim cum beatum Bodonem plurimis annis præsedisse Episcopio, atque in Vosago monasterium Virginum instituisse noverimus. Ergo dicendum est trium Episcoporum priorum intercessisse obitum, a tempore quo beatus Deodatus reliquit Pontificale decus, usque tertium annum ingressus sui in hanc Vosagum, atque sic contigisse, ut primo anno beati Pontificis Jacob vir Dei Hidulphus veniret huc post eum. Demonstratur hoc ex prædicto privilegio, et B. Bodonis subscriptione, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo septuagesimo, et ex adventu Domini Hidulphi ad nos, anno Domini sexcentesimo primo. Nam Dei amicus Deodatus, sub præfatis tribus Episcopis de *d* nonnullis annis mansit in locis (de quibus eum fugatum fuisse supradiximus) tandemque intravit Vosagum quasi in novissimis suis diebus ; sicque contigit ut Dei famulo interdum remorante, interdum hac et illac fugitante, Girbaldus et Godo hominem quæsissent : atque in primo anno perventus sui ad nos, Bodo penultimum sui Sacerdotii annum ageret. Qui defungens subsequente anno successorem accepit Domnum Jacob ; cujus ut diximus, primo anno, qui erat jam tertius S. Deodato in hac Vosago, athleta Dei Hidulphus se credidit eremo : licet quidam velint Beatum Deodatum, post triginta annos ab egressu ipsius ex Francia

Accedit anno 671 in Vosagum S. Hidulphus.

A Francia, hanc vallem intrasse, quibus cum decem illis expletos addunt, procul dubio quadraginta fiunt. Sed nos huic opinioni nec refragamur, nec suffragamur: quoniam penitus refellere *e* aut defendere non valemus.

15 Itaque beati ac semper reminiscendi Patres, Hidulphus et Deodatus, in eremo (ut optaverant) vicini facti *f* non dormitaverunt, sed alacriter vigilaverunt erga custodiam amoris mutui atque sinceri: tanto familiariores effecti, quanto viciniores sibi. Ut enim ampliorem splendorem vel ardorem suscites, si luminare luminari, vel ignem igni adjicias; sic Sanctis viris ex vicinitate, visione et collocutione amicabili crevit sancta caritas. Quibus quamvis maxima jucunditas esset, simul semper conversari et esse; indignum tamen erat tantos hospites, velut duo mundi clarissima luminaria, sub unius cellæ angustia latitare, cum vix caperent singulos singulæ, præsertim quia plurimos ad Deum poterant secum ducere. Unde carissimi Pontifices statuerunt semel in anno (dum in hac vita manserint) alter alterius cellam invisere, atque ibi sub noctem commanere: quam insomnes totam in sanctis colloquiis, et divinis laudibus solebant expendere, diluculo autem ad suam redire: porro disciplinam eorum intercedebant, et velle, ac nolle, seu posse alterius alter intimabant. Et Dominus quidem Hidulphus non procul a cella *g* cum suis occurrebat venienti ad se Domino Deodato et suis, quem data manu ducebat ad orationem secundum antiquorum Patrum consuetudinem, et instituta sanctissimi Benedicti Abbatis: sicque peracta oratione fusa salutabant se invicem cum spirituali gaudio, et tum demum sociabantur sibi in sancto caritatis pacis osculo, et in reliquo caritativæ affectionis officio.

ambo mutuam caritatem fovent,

quotannis sese invisunt

B

16 Idem piissimus Pater Deodatus devotissime [illegible] carissimo suo Hidulpho, cui cum suis occurrebat Mortha transito: nam quoad vixit, cellam [illegible] apud S. Martini oratoriolum non deseruit. Vir quippe erat grandævus, emeritæque militiæ Christi jam veteranus: nec poterat sufferre [illegible] res concursus, Fratrumque interesse studiis exterioribus; maxime qui nihil dulce habebat, nisi vacare et videre quoniam Dominus ipse est Deus, et gustare et videre quoniam suavis est Dominus. Statura quidem, ut fertur procerissimus, forma elegantissimus, corde clementissimus, sed jam nimio labore et annis confectus erat *h* et incurvus. Qui interdum ad Fratres operantes transibat: atque considerato ac disposito opere singulorum, ad cellam noctu redibat. Unde et adhuc hodie demonstratur *i* semita, qua solebat monasterium adire apud Junctuas. At contra, Hidulphus statura medius, facie Angelicus, mente compunctissimus, voluntariæ paupertatis amicissimus; quem promptum et alacrem ad omne opus bonum reddebat adhuc viridis senectus, et in Deo suspensus animus: nam etiam in extremis vitæ suæ annis, labore manuum suarum vixit. Moribus quidem ambo pares, sed ætate impares, alter alterum sibi invicem præferebat, et humillimus quidem Hidulphus sanctissimum senem Deodatum, ex fine anni Christi et emerito senio priorem censebat: sed devotissimus omnipotentis Deodatus, in juniore Hidulpho dignitatem Patriarchii atque morum maturitatem attendebat.

sibi grandævus Deo vacat:

C

S. Hidulphus statura medius

17 Quam dulce erat et delectabile piis animabus pariter attendere: duas cœlestis fabricæ columnas a Deo decenter erectas; et non contra Deum, sed ad Dominum pie elevatas; quæ solido et inflexibili robore mentis sic assistebant summo Opifici, ut optarent maximorum lapillorum congeriem sibi imponi, pro parte in qua meruere locari. Denique quasi certatim multitudine minimorum Christi, tam et præsentium quam et futurorum, gaudentes epistilia sua, id est capitella gravari (dummodo sint qui possint Domino lucrari) pusillitatem alienæ fidei, et gravedinem alienorum peccaminum in suæ caritatis latitudine suscipientes tolerant, ut viribus meritorum suorum, et suæ longanimitatis labore sublevatos ad ædificium cœleste ferant. Putares Sanctos Patres istos gallinas esse intellectuales, et parvulos pullos aliis meritorum et rostris orationum suarum ab invisibilium milvorum rapacitate defensare, manibus ac pedibus alimoniam eis providere, atque frigidos Deo plumis exemplorum fovendo calefacere. Præterea et extra nidulum proprium amabant interdum pennas extendere, dum vicissim satagebant alter alterius pullis prodesse, ex Dei et proximi dilectione. Mutata voce, et dissipata sui corporis specie, infirmabantur in infirmis, ut habes in Apostoli verbis. Quis infirmatur et ego non infirmor? Sic Patres nostri ad tempus vixere soliciti, ut filii eorum tam præsentes quam futuri forent quandoque securi. Nec piguit eos laboris et sudoris sui, dum tantum successores sui remanerent in tuto locati. Hoc exigebant eorum structuræ, hoc quærebant illorum fugæ. Beati Deodati Patris nostri præcipue, qui tot loca sibi magno sudore construxerat *k* mutavit, donec filiis spiritualibus sedem quietam invenit. Nam si sui tantum quæsissent, facillime requievissent: victum enim et vestitum sibi habentes, his contenti essent; maxime qui abrenuntiando divitiis, ad paupertatem summo cum desiderio pervolassent. Verum hæc alias. Igitur Deo dignissimi Antistites, spirituali insistentes negotio, nullatenus ab inceptis deficiebant, aut deviabant a proposito, de die in diem semetipsis meliores existendo. Etenim tanto reddebantur quotidie alacriores ad laborem, quanto viciniores ad requiem: nec sentiebant in Christi vinea pondus diei et æstus, quibus jam prope erat ut redderetur nummus.

ambo quasi 2 columnæ

D

A MSS. DEODAT

et 2 gallinæ

2 Cor. 11, 29.

E

sui divorum curam suscipiunt.

18 Tandem ubi in hac Vosago pariter in corde uno et anima una, septem continuos expleverunt annos cum sex mensibus; largus remunerator Deus beatissimo Deodato decrevit laborum suorum reddere fructus. Percurso enim præsentis vitæ stadio, jam strenuus athleta inhiabat coronæ, et supernæ remunerationis bravio; unde vocatus a Domino, accessu languoris correptus, detinetur lectulo. Quod cum absentibus discipulis, tristis attulit nuntius, extemplo mœsti concurrunt ad cellam ejus: mentes enim præsagæ luctus futuri, audita ejus infirmitate, non poterant non turbari. Flentes ergo jacentis Magistri grabato assistebant, ne tam dulcis Pater filios desereret, communi ei ululatu et gemitu acclamabant: quos Sanctus ille verbo salutari commonens compescebat, et ad Regulæ sanctæ observantiam et sui memoriam, quantumcumque poterat animabat, ac super omnia Christo bono Pastori pie commendabat.

S. Deodatus æger

F

19 Super hoc facto et tam Sancti viri obitu, dilectissimus ejus Hidulphus in visu noctis divinitus commonetur, ut ad eum properaret quantocius: decebat enim ut amicus amico ad Deum præcedenti, extremum valediceret, sui non oblivisci devote supplicaret, commendationem ecclesiasticam faceret, Viaticum præberet: os et oculos, manus et pedes ejus rite componeret; funus ejus, debita veneratione procuratum, deduceret, atque in sepulcro cautissime collocaret. Quæ cuncta, Deo volente, a Domino Hidulpho constat circa piissimum Patrem Deodatum impleta. Nam ut evigilavit, ad Beatum quantocius, sicut a Domino jubebatur, properavit: quem adhuc vivum reperit. Cujus optato *l* visu Sanctus recreatus, vehementer est in Domino gavisus: qui

a S. Hidulpho invisitur

l

A MON. DEODAT. *eumque successorem statuit.*

qui famulo suo Hidulpho ejus obitum revelare et eum ad suum funus curandum destinare est dignatus. Nec mora, discessurus [ab hac vita], ad suscipiendum regimen ovium, quas ibidem hactenus nutriebat obedientia et caritas, superstitem amicum compulit, suisque mandavit, ut Domnum Hidulphum vice sua Patrem retinerent, quamdiu vixerit. Hinc communiter jam omnibus, quæ carissimus carissimo istinc proficiscenti debebat a Domino Hidulpho expletis, inter ejus manus animam sanctam, multa prece Deo commendatam, innumeris et continuis laboribus pro Dei regno et justitia ejus exercitatam et elimatam, plurimisque virtutibus refertam et adornatam, lætissimus cœlo refudit: sed lætior futurus in perventione, qua Deum facie ad faciem sine fine videre promeruit. Qui (ut in Ecclesiastico scribitur) mortuus est, et quasi non est mortuus: similem enim sibi reliquit post se. In vita sua vidit, et lætatus est in ipso, et in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis: reliquit enim defensorem domui suæ contra inimicos, et amicis reddentem gratiam.

Eccl. 40. 4

20 Transiit autem de morte ad vitam, de exilio ad patriam amabilis Pater, Domnus Deodatus, tertio decimo *m* Kalendas Julii, Dominica die, sexcentesimo septuagesimo nono anno a Domini nostri Jesu Christi incarnatione, septima indictione: ab ingressu vero ejus in hanc vallem Galilæam anno undecimo *n* mediante, Theoderico *o* filio Clodovei fratreque Childerici regnante: sub quo pessimus et apostata Ebroinus excellentissimum Martyrem Leodegarium *p* Augustodunensem Episcopum, diversis tormentis prius mactatum, truncavit ense. Omni autem cum reverentia curato tanti Patris funere, nimium lacrymosis exequiis a discipulis deportatur ad Ecclesiam beatæ Dei Genitricis Mariæ: ubi pro eo immolata salutari Hostia a devotissimo Archiepiscopo, et expleto ritu Catholicæ Ecclesiæ, pretiosissimum corpus vilissimæ committitur *q* terræ, quia aquosum erat cœmeterium prioris ejus cellulæ, utpote situm in convalle; et oportebat tanti Patroni corpus in præsentia Fratrum, laudes et preces Deo persolventium, adesse: quem etsi noverant piæ animæ non esse flendum, cohibere tamen nequibant inundantiam lacrymarum, quas non impetus carnis, sed spiritus eliciebat ab intimis præcordiorum. Neque enim deflebant quia obierit, sed quia ad Deum illos præcesserit, sicut et doctissimus Pater Ambrosius de seipso dixisse consuevit: nec invidebant ejus gloriæ, sed cupiebant cum eo esse, cum perpenderent se in luctu remansisse; cum scirent se futuram patriam inquirere, nec hic manentem civitatem habere. Præterea sub gaudio Spiritus sancti pios emittebant fletus, cum recolerent [memoriam] dulcissimæ paternitatis, et familiaritatis ejus, qui currus et auriga fuerat eis benignissimus, portando eos in suis manibus, et hortando ad meliores actus. Hujusmodi lacrymæ quantum distant ab his, quas carnales homines solent pro caris suis vel pro damnis inconsolabiliter fundere, effræni audacia non metuentes ad divinorum judiciorum publicam detestationem prosilire! Quia enim sempiternis bonis non inhiant, post temporalium amissionem quid ultra sperent, ignorant: et ideo quos (neglecto Deo) inutiliter amant, nolunt hinc tolli, quia eis in voluptatibus carnis et usu mundi optant, si possent, in æternum perfrui. In tales Hieremias Sanctus sic invehitur; Maledictus vir qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum et a Domino recedit cor ejus.

m — *Moritur 19 Junii:* — *n o* — *d* — *q* — *sepelitur in ecclesia S. Mariæ.* — Hier. 17. 4

21 Itaque vir Dei Hidulphus sic paruit extremæ petitioni defungentis amici, ut viginti octo annis et dimidio (quibus illi superstes fuit in seculo) invigilasset ejus gregi, per Præpositos administrans utilitatem ipsius loci: et quamvis pro se Abbatem *r* suæ congregationi præfecerit (quia desiderio supernæ contemplationis accensus, exterioribus negotiis occupari refugerit) tamen Vallem-Galilæam a cura sua non expunxit, quamdiu in hac luce mansit. Vis enim perfecti amoris, erga sanctissimum Deodatum, faciebat ei tolerantiam laborum. Nec lassescebat ad curandum aliena, qui præ lassitudine alii imposuerat sua: quia quod recusabat sufferre imbecilla senectus, et soli Deo vacare cupiens animus; desiderabiliter amplexabatur fraternæ dilectionis affectus, et sanctæ obedientiæ virtus; tamquam jugiter sic seipsum adhortaretur; Qua fronte ibis ad amicum, si ejus ultimum refutaveris mandatum? Pro cujus perenni vita in cœlis et gloria, primo depositionis illius anno cœnobium Vallis Galilææ multoties adire solitus, frequentabat ad sanctum corpus Missarum solemnia: sciebat enim scriptum: Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futuro reservantur incerta. *s* Et illud acutissimi Patris Augustini dictum; Væ laudabili vitæ hominum, si remota pietate judicatur. Nam quis hominum audebit dicere; Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam; nisi inter mortuos liber? Quapropter, quod solum et singulare beneficium defunctis fore noverat, post amicum viam universæ carnis ingressum transmittere non cessabat. Quod quamvis pia mater Ecclesia post filios suos cunctos indifferenter mittat, quia occulta judicia Dei nondum penetrat, justus tamen Judex sic suorum vota acceptat ne omnino frustrata doleant; cum juxta sanctorum Patrum sententiam, pro valde bonis sint gratiarum actiones, pro non valde malis propitiationes, pro valde malis autem qualescumque vivorum consolationes. Sed quia in hac vita omne meritum comparatur, quo post hanc vitam unusquisque aut relevetur aut gravetur; constat devotissimum Christi famulum Deodatum istio pio comparasse merito quatenus omnis pro eo supplicatio fieret illic gratiarum actio.

Curam monasterii — *r* — *suscipit S. Hildulphus.* — Eccl. 9. — *s*

ANNOTATATA D.P.

a *Imo facile* decimo tertio.

b *Vel saltem Vicaria administrotione diœcesis Trevirensis.*

c *Circa Episcopos Leucorum, id est Tullenses, toto cœlo hic aberrat Auctor, frustraque se torquet, nescio quibus Catalogis manifeste turbatis procul abreptus: hic enim nominatus* Jacob *uti ad ejus Natalem* 23 *Junii dicemus, sub Pippino floruit, anno* 756, *subscriptus Gorziensis ecclesiæ Privilegio; successeratque* Girbaldo *vel* Garibaldo: *hunc progressi erant eodem seculo* 8, Godo et Dodo: *Beatus autem* Bodo, *alias* S. Leudinus, *successerat* Theufredo, *ad annum* 640 *noto. Atque post hos* Eborinus *vel* Ebroinus, *tum* Adeodatus, *sub Agathone Papa anno* 680 *nominatus; dein* Ermantheus, Magnaldus, *solis nominibus indicantur. Ruyrus,* Eborinum *putat* S. Hildulpho *fuisse secessus sui auctorem: malim dicere ipsummet* Bodonem, *anno, ut infra dicitur,* 670 *adhuc viventem.*

d *Imo potius sub* Eudolo, Theufredo, Bodone.

e Grande *inquit Riguetus* auctoris hujus beneficium, quod hanc opinionem nobis indicarit; fassus etiam, nihil habere se, quo illam efficaciter refutaret. *Non sum ego, ut ille, sollicitus qua ratione servari possit decennium, quod ei auctor in Valle-Galilæa actum superaddit, ex proprio suo calculo; sed libenter concedam vicennium ibidem actum; quo ad tricennium a majoribus acceptum addito, fient anni quinquaginta, quos inter Vosagi solitudines egerit* Deodatus, *e Francia advectus circa an.* 629.

f

f *Medianum a S. Hildulpho inchoatum monasterium, a monasterio* S. Deodati *distat leucis duabus;* medium *(unde et nomen accepit) inter Stivalensem et Senoniensem Abbatias, a quibus utrimque decerptos fundos, ac S. Hildulpho donatos, scribit Riguetus.*

g *Addit Riguetus,* media *quoque* via in loco cui Belli campi nomen, ubi sibi mutuo solebant occurrere, erectum ab iis fuisse sacellum, hodieque subsistere, nec nisi a paucis annis intermissam consuetudinem, qua hinc Canonici inde Monachi ad prædictum sacellum quotannis deferebant suorum Sanctorum Fundatorum corpora, eaque vicissim commutabant nec restituebant nisi sub reditum post multasutrimque decantatas preces.

h *Utpote ex nostro calculo fere nonagenarius cum obiit, nec multum a septuagenario distans, quando in Vallem-Galilæam venit, quadragenarius circiter egressus e Francia, ut vel paucis annis Episcopus fuerit.*

i *Post constructum* S. Deodati *oppidum, non amplius extare hanc* Semitam, *ait Ruyrus.*

k *Omnino existimat Riguetus, postquam Apri-monasterium vidit, et loci traditiones ac monumenta attentius consideravit, vere* S. Deodatum *istic multis annis vixisse, ac tandem cognominem sibi discipulum ibi collocasse, cujus ibidem defuncti Reliquiæ occasionem dederint confundendi Synonymos Sanctos. De aliis locis superius actum est.*

l *Impressum vetus,* optato vir Sanctus creatus. *Riguetus correxit obtutu... recreatus.*

m *Conveniunt Characteres, litt. Dominicali* B : *quos characteres si ex antiqua traditione vel scriptura Auctor habuit, nihil certius potest pro anno* 679 *alteri cuicumque præferendo requiri; esto hanc certitudinem obscuraverit ille, male composito Episcopatu* Garibaldi *cum excessu* Deodati *ex Francia, et* Jacobi *cum adventu* Hildulphi *in Vosagum.*

n *Imo* vigesimo primo.

o Theodoricus *post cædem* Childerici *receptus anno* 675, *dein ab anno* 680 *monarcha, mortuus est anno* 693.

p Leodegarius *occisus est anno* 688 *die* 2 *Octobris quo colitur.*

q Intra arcam tamen lapideam, *inquit Riguetus,* quæ servatur etiam nunc, donec perficeretur major, quæ inchoata habebatur ecclesia S. Mauritii, nunc S. Deodati dicta, ubi ante altare S. Crucis conditum in eadem arca corpus est. *Sed quid si primo terra nuda conditum corpus in arcam istam compositum credatur in ipsa translatione?* Non tamen tunc accepit formam crucis ecclesia nostra, quam nunc habet : quamque constat ex Bulla Nicolai III opus esse anni 1278, *inquit Riguetus.*

r *Hic finiuntur in membranis loci Lectiones de Sancto, per Octavam distributæ, et hactenus de verbo ad verbum eædem cum impressis* Abbas *autem ab Hildulfo constitutus, dicebatur* Leutebaldus : *sed præmortuus illi, necessitatem imposuit Sancto resumendi per ultimos tres annos regiminis, uti scribit Ruyrus.*

s *Hic desinit MS. Ultrajectinum et Vita a Mosandro edita.*

CAPUT IV.

Veneratio SS. Deodati et Hidulphi in tunicis et corporibus. Elevatio eorumdem. Vita approbata.

Tunicam S. Deodati a discipulis oblatam veneratur S. Hidulphus

Elapso tandem anno a glorioso obitu Domini Deodati, in quo beatus Patriarcha Hidulphus assidua visitatione et frequenti immolatione salutaris Hostiæ curabat prodesse ejus spiritui, deinceps pristinam institutionem resumpsere Fratres utriusque loci. Denique ut prius semel in anno solebant sancti Antistites suas cellas invicem visitare, sic postea studuerunt facere. Sed viro Dei Hidulpho invisenti Vallem-Galilæam vice Domni Deodati, occurrebant ejus discipuli, præferentes tanti Magistri tunicam. Quam reverenter susceptam sanctus Pontifex, tamquam dulcissimum pignus amici exosculans, amplexabatur : et in veste nomen Sancti illius dulcissime venerabatur, eumque in ea sibi videre videbatur. Hoc ipsum faciebat, quando placito tempore ea a discipulis Sancti ad Medium monasterium referebatur. Et quidquid venerationis impendebat insensibili tunicæ, carissimo suo Deodato se impendere lætabatur : quem sentire devotam sibi caritatem arbitrabatur, cujusque efficacibus meritis seipsum, adhuc in stadio hujus vitæ decertantem, atque spirituali palæstra desudantem, sustentari inter dulcia suspiria precabatur. Confidebat enim illum, jam prostrato atque proculcato adversario, palma et corona a Domino donatum; et apud eum posse plurimum, utpote in ordine cœlestis curiæ indelebiliter adscriptum. Sed cum viri Sancti temporalis vita in multos annos (Deo disponente) tenderetur : quatenus ejus exemplo ad æternam vitam plurimi accenderentur; factum est ut circa ultimos annos, senio jam prægravatus et fractus continuatoque labore debilitatus, cellam suam, nec solitæ visitationis gratia egrederetur : non tamen ideo discipuli beatissimi Deodati prætermiserunt ad eum ferre tunicam Magistri, sicut erant soliti.

qui ab illo præmonitus successoribus datis moritur.

23 Cumque divina miseratio emeritum militem suum Hidulphum a nimio labore decrevisset in æternum requiescere, per dilectissimum sibi Deodatum dignatus est eidem transitus sui diem denuntiare, et ut satageret ambas eorum cellas (sicut res poscebat) disponere. Unde vir Sanctus multum in Domino est lætatus, quia ex turbulento conflictu mundi ad perpetuæ pacis tranquillitatem mox erat iturus : ubi omni lacryma ab oculis ejus abstersa, perpetim consolaretur. Itaque Fratribus suæ cellæ designato Abbate Domno Raimberto; Valli autem Galilææ Domno Marcinanno, emicuit ab hoc exilio, ab incarnatione Jesu Christi anno septingentesimo septimo. Cujus quidem sanctam mentionem istic tenore narrationis ducti, vix summatim attingere curavimus; ne fastidiosis auribus escas collegisse et inculcasse arguamur; avidum tamen Lectorem ad Vitam *a* Sancti destinamus. Porro Domnus Marcinannus, quem prælatum beatissimi Deodati cœnobio supra memoravimus, in provisione cœnobii talis utilitatis fuit studiosissimus. Is quippe longo superfuit tempore sub Regibus Theoderico atque Childerico juniore, a quo etiam Aquisgrani promeruit descriptionem totius Abbatiæ suæ roborari Regia auctoritate.

Monachi utriusque cœnobii orant pro mutuis defunctis

24 Deinde tam Sanctorum decessorum idonei successores Raimbertus et Marcinannus, caritativam societatem, a sanctissimis Magistris susceptam et sibi quasi lege hereditaria relictam, non imminuerunt, verum potius augmentaverunt. Quod utique ex breviariis vel syngraphis illius temporis hactenus monstrabatur, in quibus nomina Fratrum utriusque monasterii, tam defunctorum quam et vivorum, diligentissime annotata et altaribus superposita conservabantur; pro quibus in Missarum solenniis verissime dicebatur, quod sic in libris Sacramentorum passim reperitur; Et quorum nomina super Sanctum altare tuum scripta adesse videntur. Interea a devotissimis [discipulis] inviolabiliter fuit observatum, quod a piissimis Magistris recolebant traditum; videlicet, ut semel in anno, et isti inviserent cellas eorum, et illi istorum, tamquam præcipua pignora præferendo tunicas Magistrorum (siquidem et discipuli Domni Hidulphi ipsius tunicam retinuerant

A. MON DEODAT.

rant sibi) quibus cum tanta devotione occurrebatur, et tanta veneratio exhibebatur, ut dulcissimi Patres ad filios redisse post longa seculorum volumina crederentur.

quorum objectu plagæ divinæ cessant:

25 Quod si peccatis facientibus, cœlestis ira in populum grassaretur, et siccitate seu nimia imbrium refusione, aut pestilentia vel qualicumque plaga feriretur; mox hinc inde conglobatus [Conventus] tunicas Patronorum suorum cum luctuosis precibus offerebat et ingerebat divinis obtutibus : moxque removebat pietas, quod promeruerat impietas. Nam contra desævientis flagelli impetum tantum valebant Sanctorum merita, et plebis fides; ut nec mora misericordissimus Conditor justi judicii sui severitatem a populo cohiberet, atque optatæ misericordiæ consolationem eis distillaret. Sic denique temporalis et parva consolatio, fidei fiebat maxima provectio, quæ unumquemque pro modulo suo ad correctionem pravitatis suæ, et imitationem Sanctorum, atque ad debitam venerationem hortabatur assurgere, quos intelligebant tantum de Deo meruisse; quo possent iram ejus a peccatrice gente avertere; et tales cupiebant esse, quales divina benignitas dignatur clementer respicere. Jam perpendamus, si possumus, quid meriti vel virtutis habuerint horum Patrum nostrorum sanctæ animæ interius; quorum vilissimæ tunicæ, oculis Dei repræsentatæ exterius, a populo pleno peccatis suspenderent iram ejus.

corpora elevata utriusque sunt in veneratione:

26 Ergo hæc consuetudo tam pia et religiosa integerrime conservata est inter hæc duo cœnobia, donec sancta corpora plurimis miraculis declarata sublevarentur de terræ gremio, divina disponente gratia. Tunc quod consueverant facere in tunicis Sanctorum, usque ad hæc nostra tempora conservarunt in corporibus eorum cum eis invicem se visitando, aut sibi complacito loco dulciter occurrendo. Ubi inter se pias commutando sarcinas, aliquamdiu velut proprios Dominos gestare amant : nec quemlibet eorum a se credunt alienum, quando concio Vallis Galilææ B. Hidulphum recognoscit suum, utpote viginti octo annis et dimidio sibi prælatum : e diverso plebecula Medii monasterii insignem Christi Confessorem Deodatum vendicat sibi, cui Domnus Hidulphus attribuerat prioratum sui loci, inibi eum dignissime suscipiendo dum advixit, et nihilo minus tunicam ejus postquam obiit. Super hæc etiam accumulant eorum caritatem mutuam, qua effectum est, ut omnia illis forent communia. Sicut philosophica insinuat sententia; Vicinorum pleraque sunt communia, amicorum vero omnia. Quocirca sicut tunc solebant mutuo suscipere horum Sanctorum tunicas, scilicet corporum exuvias; sic nunc quoque suscipiunt eorum corpora, animarum utique exuvias : Quorum per meritum pax nobis nunc et in ævum. Igitur hæc jam sufficiant religiosis animis, quæ pauperculo sermone cursim explicuimus de piissimi Patris nostri Deodati gestis, vix attingentes pauca de innumeris, minima de maximis : quibus sancta Trinitas in terris glorificavit dilectum suum pro sanctæ vitæ meritis. Ceterum tot et tantis quotidie miraculis venerabile corpus ejus nobilitatur, quot et quanta vix, ut putatur, sufficit aliquis facundissimus [enarrare.] *b*

Aristot. lib 8 Eth cap 9

b inquirenda non tam miracula quam virtutes Sanctorum

27 His adeo diffamatus mundo innotuit, ut hac nostra jejuna et sterili narratione prædicari non indiguerit. Sed quoniam Christianæ perspicaciæ est magis requirere atque attendere opera quæ unumquemque Sanctum faciunt, quam quæ Sanctum ostendunt; delectatur quidem visibilibus Sanctorum factis, sed tamen ad invisibilia eorum facta pervenire omnimodis appetit; et sitibunda mavult ex fonte, quam ex rivo suam restinguere sitim : unde enim gaudendum sit, a Domino Jesu didicit, qui suis ait discipulis; In hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur : gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. Quod utique mereamur animæ sanctitate, non miraculorum ostentatione; maxime cum in die judicii dicturus sit multis, qui in ejus nomine virtutes multas fecerint, Nescio vos. Hinc est quod omnes laborantes et onerատos ad se invitans, non ait, Discite a me signa facere, sed quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Hoc plane quod discimus a capite, debemus et ex præcipuis membris ejus discere; quia ardentius exquirit fides Ecclesiæ, quales illi, quos veneratur, fuerint ex invisibilibus animæ virtutibus; quam quales ex signis visibilibus : quæ profecto sunt lac parvulorum, non solidus cibus robustorum. Sed sicut a lacte ad solidum cibum pervenitur, sic a signis imperfectio fidei nostræ vegetata, ad solidas animæ virtutes quandoque perducitur; ut jam necesse non habeat fugere, sed tantum ruminare. Hinc istud est, carissimi, quod cum pasceremini quotidianis et eximiis miraculis dignissimi Confessoris Christi Deodati, ad tantum robur mentis estis perducti; ut his solummodo jam non essetis contenti, sed anxie quæreretis sanctam esuriem vestram sancta vita illius refici. Nostris enim apprime inter miracula animum vestigari delere, et quod merito cessante bono, miracula nil sunt.

Luc. 10.

Matth. 19.

28 Jam nunc piissimo Conditori omnium gratias agamus in communi, non usquequaque vos fraudatos tam bona voluntate : ex paucis etenim, quæ prælibavimus, quam bonus fuerit thesaurus cordis ejus agnoscimus : qui præ gaudio inventæ margaritæ omnia quæ habuit sic vendidit, ut etiam seipsum abnegaverit, et exul in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti et jejuniis multis, in frigore et nuditate, Apostolum Paulum imitatus, multis annis pro Christo oberraverit : nec dulcedinem geminæ caritatis, in qua tota Lex pendet et Prophetæ, ulla mundi pressura ei extorquere valuerit. Itaque juxta libri Ecclesiastici monita, Laudemus viros gloriosos, Patres nostros, in generatione sua : sed sic laudemus, quatenus eorum exemplo pravitatem vitæ nostræ dirigamus atque informemus. Ut enim doctissimi Patris Augustini se habet sententia : Bene loqui, et male vivere, nihil est aliud quam seipsum sua voce damnare. Præcipue autem Patrum nostrorum vitam contuendo ad contemptum mundi armemur, eosque in tam perfecto opere imitemur. Nolimus diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo : quia, ut beatus Evangelista Joannes protestatur, quidquid in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non sunt a Patre. Hæc tria utique reliquorum vitiorum sunt causæ, quæ sic calescunt ex mundi amore, ut a caritate Christi prævaleant innumerabilem populum separare : a quibus omnino immunes erimus, si dilectionem mundi a pectoribus nostris excludamus. Quod cum fecerimus, Sanctorum patrociniis nos ubique juvari non ambigamus, quorum vestigiis prompto corde inhiamus. Quia vero exteriora miracula testimonium dant bonæ vitæ : in subsequentibus *c* conabimur (si Deus permiserit) ex his aliqua posteris transmittere : ut ex paucis colligatur, quanta piissimus nutritor noster Deodatus gloria sublimetur in æterna vita, ad cujus mortua ossa tanta cœlitus conferuntur corporibus et animabus solatia. Ipsius tandem meritis innitentes et precibus, cum fiducia ad thronum gloriæ divinæ accedamus, postulantes nobis debita nostra dimitti, et tanti patroni exemplo ad beneplacitam Deo conversationem perseveranter accingi

Eccl. 4,46.

sequenda eorum exempla.

Joan. 12, 16

c

A accingi : præveniente ac subsequente nos misericordia Patris æterni, cum coescentiali sibi Filio et Spiritu sancto, in trina Unitate, et una Trinitate inseparabiliter dominantis, viventis atque regnantis in seculum seculi. Amen. d

d *Vita hæc approbata in Synodo Romana*

29 Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo quadragesimo nono, Indictione secunda : concurrente sexto, Epacta quartadecima, regnante Henrico filio Conradi Imperatoris anno decimo, ac imperante tertio, hæc gesta quæ de piæ memoriæ Pontifice Deodato scripta sunt, ad summum Apostolicæ Sedis apicem delata sunt, atque in provinciali Synodo ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ est constitutum, ut in præsentia Episcoporum, Abbatum, Clericorum et Laicorum recitarentur, et cum recitata fuissent, data auctoritate ab ipso summo Papa e Leone nono, primo anno sui Apostolatus, decretum est, quatenus in Ecclesia Dei legerentur et firmissime servarentur; ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, et honorem ipsius beatissimi Patroni nostri Deodati, et ad ædificationem multorum per cuncta secula seculorum.

e

B

ANNOTATA D.-P.

a *Riguetus suspicatur ipsummet composuisse Vitam Hildulphi a Mosandro editam : certe vel idem utriusque est interpolator; vel auctor Vitæ S. Hidulphi dum Moloni eum successisse facit, aliaque multa in Chronologiam peccat, hujus vitæ Interpolatorem in errores pertraxit, quibus confundi videmus secula duo.*

b Theodoricus *præfuit ab anno* 720 *ad* 737 *et post interregnum,* Childericus *ultimus Merovingorum assumptus est anno* 743, *abdicatus anno* 751.

c *Conatumne hujus voluntatis ad operis effectum deduxerit auctor, ignoramus: nulla certe miracula in scriptis reperit Riguetus, paucissima Ruyrus de quibus infra.*

d *Quod sequitur haud dubie postea adscriptum fuit.*

e S. Leo IX *Papa colitur* 19 *Aprilis, quo die dedimus ejus Acta, et ostendimus Synodum hic indicatam fuisse Romæ post Dominicam in Albis celebratam; et conveniunt characteres omnes hic relati.*

APPENDIX.

Ex Chronico Senoniensi Richerii.

C *Villam in vineam repetens,*

Ne quis hunc beatissimum Deodatum credat apud Deum magni non esse meriti (*inquit Richerius cap.* 9 *et* 15) inusitatum unum de multis huic paginæ non pigebit inserere. Erat igitur vir quidam satis locuples in Alsatiæ partibus, in villa quæ Teutonice Sigolthem a vocitatur; qui fama sancti Episcopi excitatus, partem prædiorum suorum Beato contulit Deodato; in qua parte quidam ager vineæ donatus est, qui illi donatori, quia peroptimum vinum gignebat, incomparabiliter carus erat. Cumque monachi monasterii B. Deodati aliquanto tempore possiderent eam, ipsius vineæ donator, considerans se in omnibus vineis sibi relictis tam pretiosum vinum nusquam habere; animi cupiditate cæcatus, ipsam vineam, quam prius devotus Deo donaverat, jam suæ largitatis invasor effectus, in proprios usus iterum resumere præsumpsit : quam coluit, vindemiavit, et vinum solicite in quodam vase collocavit, et sibi caute conservari præcepit. Denique cum quadam die ad manducandum cum quibusdam amicis lætus recumberet; vocato ad se pincerna suo, de illo optimo vino suo sibi jubet apportari. Qui concito cursu ad cellarium, ubi vas cum vino habebatur, accepto vase vinario, quod cantrum vocatur, accessit. Cumque paxillum de fundo ipsius vasis ad emittendum vinum retraxisset, et vinum se crederet habiturum; mira res! pro vino tanta multitudo muscarum per foramen ebullivit, ut putares te, si vidisses, in Ægypto esse, ubi plaga muscarum Ægyptios jussu divino puniisse narratur. Videns igitur is qui ad hauriendum vinum venerat hoc mirabile factum, obstupuit; et paxillum cum cantro quod manu tenebat in terram projecit; cursuque rapidissimo ad Dominum suum, narraturus quæ facta fuerant, advenit : statimque examen muscarum cum illo veniens Dominum aggreditur, et tanto nisu Dominum morsibus et aculeis crudeliter adtrectavit, ut idem Dominus compunctus, et fundum reddere, et de commisso veniam petere cogeretur. Restituto siquidem monachis fundo et venia obtenta, illa muscarum multitudo a viri vexatione cessavit : et ita vinea illa usque ad hoc tempus a Deodatensibus possideri dignoscitur.

a

pro vino haurit muscas :

D *muscæ invadunt*

31 Postea vero anno Domini MIII, vergente numero, erat quædam Ducissa, b quæ viro suo viduata, Lotharieusem Ducatum pro modulo suo regebat. Inter cetera quæ temporibus suis contigerunt, accessit ad ecclesiam S. Deodati, et Clericis vulgo comminata est, quod si corpus Domini sui scilicet B. Deodati, non ostenderent (quod se jactabant habere, et quod adhuc tumulo saxeo tenebatur) ipsos perpetualiter in propriam redigeret servitutem. Minis etenim Clerici et populi perterriti, convocatis undecumque viris religiosis, jejuniis et orationibus præmissis, corpus ipsius Sancti, loci ipsius fundatoris Deodati de tumulo in medio ipsius ecclesiæ locato, ante altare sanctæ Crucis quod nunc est parochiale, levaverunt; et in scrinio novo ad hoc parato, pridie ante vigiliam Depositionis locaverunt : unde adhuc singulis annis ejus sacra Translatio a Clero et populo eo die recolitur. Ita ex tunc ecclesia et vallis oppressi ne ipsius Ducissæ exempta fuit. Secundo autem post anno idem monasterium S. Deodati, præ vetustate corruens, ab ipsa Beatrice et quodam Comite c Ludovico, cum aliquibus aliis adjutoribus fidelibus, ampliori et novo ædificio est donatum.

b *Transfertur corpus an. 1003*

E

in novam arcam :

c

32 Ex eo tempore, *inquit in suis Memoriis Riguetus,* majores nostri conservaverunt Reliquias Sancti usque ad postremum incendium anni MDCXXXV. Quamquam autem eadem flamma quæ campanas liquefecit, etiam sacratiora metalla confuderit quibus operiebatur S. Deodati feretrum : pepercit tamen bonæ parti ossium intus repertorum, quorum adhuc notabiles valde portiones habemus, d quas anno priori MDCLXXIX ipsemet solenniter transtuli in aliam argenteam capsam, liberalitate Domni Decani comparatam. Ejusdem Sancti nostri Reliquiæ forsitan etiam sunt in monasterio Latimacensi prope Parisios, ubi S. Deodatus Episcopus una cum aliis communi translationis festo colitur 11 Junii, et solus iterum XXI.

eæ e an. 1635 combustæ,

F

d *in aliam an. 1679.*

ANNOTATA D. P.

a *Hodie* Savamont, *in diœcesi Basileensi, inquiunt Ruyrus et Riguetus.*

b *Infra nominata* Beatrix. *Fuerit hæc secunda uxor Godefridi Barbati, ipso anno* 1003 *defuncti : nam prima, filia Ottonis II Imper. Mechthildis dicebatur, juxta Albizium in Stemmatis Principum.*

c *Fortassis* Ludovicus comes de Montione, *testis Privilegii a Leone IX Deodatensibus scripti, coram Imperatore Henrico III.*

d *Fortassis autem jam pridem aliud non habebatur, multis ac variis partibus per Vosagi monasteria distributis, ut non adeo absonum videri debeat, quod hujus quoque S. Deodati Reliquiæ haberi in Apri-monasterio dicantur.*

DE SANCTO NAZARIO

G. H.

EPISCOPO JUSTINOPOLITANO IN ISTRIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De ejus Episcopatu, cultu, inventione et translatione.

Istriæ urbs Justinopolis Episcopalis.

Istria, *pars olim Galliæ Transpadanæ, nunc provincia Italiæ sub dominio Venetorum, in confinio Illyrici sita, est Primaria urbs,* Caput-Istriæ *dicta, ad ejus ingressum occurrens, quæ sola occupat totam unam insulam, positam ad sinum Tergestinum in mare Adriatico, et continenti nectitur ponte versatili.* Hic Istri, ex concessu Justini Imperatoris, Justiniani nepotis, sibi ædificandam censuerunt civitatem, qua se suaque a Sclavoniæ latronibus tutarentur, eidemque de nomine Imperatoris Justinopolim nomen fecerunt, *uti scribit Ughellus tomo* 5 *Italiæ sacræ columna* 355, *acturus de Justinopolis Episcopis, et dicta sua marmorea inscriptione confirmat, quæ ibi videri potest.*

S. Nazarii inventio.

2 Primus *ibi ab Ughello* Episcopus *statuitur* Joannes, jussu Stephani secundi Papæ, ab Gradensi Patriarcha Vitelliano consecratus anno DCCLVI. Secundus *vero est* S. Nazarius, *de quo hic agimus,* Episcopus et Patronus Justinopolitanus, cujus corpus ex divina revelatione inventum, in ecclesia S. Mariæ in medio pavimenti Cathedralis conditum fuit, lapidea arca tegente, ubi hæc brevis inscriptio legitur.

Hanc patriam serva, Nazari Sancte guberna,
Qui Pater et Rector Justini diceris urbis.

Paulo vero infra, characteribus Romanis antiquis rotundis, hujusmodi inscriptio exarata conspicitur : pristino suo decori restituta et erecta anno MDLXXVII. Simul vero cum S Nazarii corpore, lamina plumbea reperta est, ita inscripta S. NAZAR. PRÆSUL MIGRAVIT IN DOMINO KAL. XIII JULII. Hanc laminam, ita inscriptam, idem sepulcrum cum corpore Sancti concludit, ut a Petro Morano hujus Ecclesiæ hoc tempore Episcopo dignissimo accepi *(inquit Ughellus.)*

Natalis 19 Junii.

3 Diem XIX Junii, in qua festum S. Nazarii habetur celebre, Ferrarius in Catalogo Sanctorum qui non reperiuntur in Romano Martyrologio, dicit esse Inventionis, non autem decessus aut adeptæ gloriæ apud Superos. Sed supramemorata inscriptio aliud indicat. Non constat autem quo tempore hic Sanctus floruerit. Illius meminit Nicolaus Manzolus. *Hactenus Ughellus. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ aliquod compendium habet et potissimum de Inventione corporis, additque in veteri MS. dictæ Ecclesiæ fusius narrari* Inventionem et plura miracula.

Historia a Manzolo edita:

4 *Habemus libellum istum excusum Venetiis an.* MDCXI, *acceptumque beneficio Ludovici Joannis Schonlebii, dum viveret Archidiaconi Carnoliæ Inferioris, in quo, post descriptionem Istriæ, additur opusculum de Sanctis, et inter principia ponitur* Historia Inventionis atque Miraculorum S. Nazarii ex vetusto ecclesiæ prædictæ Manuscripto, *haud dubie Latino, quodque mallemus originali phrasi dare; sed eo deficiente, accipe versionem nostram : defuncto enim Schonlebio, neminem habemus per quem id sperare possimus. Idem Manzolus dictæ historiæ præponit epistolas, per quas constat quomodo ipsius et S. Alexandri Papæ reliquiæ, quæ ante annos aliquantos Justinopoli ablatæ fuerant, eodem relatæ sint anno* MCCCCXXII *; quas epistolas placet ultimo loco dare, ut naturali temporum ordine narrentur singula.*

INVENTIO ET MIRACULA

Ex impressis Italicis Nicolai Manzoli.

Æditus, viso supra locum ubi corpus latebat lumine,

Erat in civitate, quæ Caput-Istriæ dicitur, Martinus quidam, vir humilis ac devotus, ædituus ecclesiæ majoris S. Mariæ in prædicta civitate, solitus frequenter ibidem in oratione pernoctare. Hic vice quadam, coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, piis suis vigiliis precibusque insistens ; vidit in parte Orientali ecclesiæ, sub lapideis quibusdam scalis, apparere lumen, solari splendori haud absimile : quod licet vehementer demiraretur, distulit tamen ad aliorum proferre notitiam, quoad certius de re tota sibi constaret. Tandem cum eadem apparitio luminis non cessaret recurrere, certo sibi persuasit, alicujus servi Dei ossa ibi haberi recondita. Indicavit Decano et Capitulo quid vidisset : sed quia homo erat simplex nulliusque in civitate auctoritatis, fides ei habita non est.

frustra id indicat :

sed cum eadem vidisset honoratus senex,

2 Igitur eadem visio et revelatio corporis S. Nazarii oblata etiam fuit grandævo cuidam civi, nomine Peregrino, probitate vitæ et morum honestate omnibus commendatissimo : qui procul a vitiis fastuque mundano, dies suos extremos agens, meruit insuper cognoscere distinctius sepulturæ locum et nomen istic conditi Sancti. Distulit nihilominus etiam hic adhibere fidem oblatæ sibi per somnum visioni eamque palam facere, sciens frequentes somniorum illusiones. Sed cum identidem eadem visio recurreret, tandem Dei iram timuit, si revelata sibi premeret diuturniori silentio. Ergo convenit Clerum, nonnullosque ex populo fideliores, et voce ac corde tremulo indicavit, quid sibi esset in somno revelatum : deinde cuidam suo amico Adalberto, pro ecclesiæ honore zelosissimo. Hoc autem nonnullisque Canonicis comitatus, sub vesperam intravit ecclesiam S. Mariæ; seque ad locum conferens, in quo sciebat gloriosi Pontificis corpus haberi, clausis diligenter ecclesiæ foribus et invocato nomine Jesu Christi, primum quidem timuit ne si fodere istic juberet, in vanum labor cederet; deinde resumptis pariter animis, simul omnes terræ sinum aperuerunt marris atque ligonibus ; nihil tamen invenerunt : id quod magnam iis confusionem attulit.

et quis ibi conderetur dixisset,

nocte effossa humo, capsam invenit.

3 Frustraneo isto labore fatigatis per totam noctem omnibus paulatimque dilapsis; sub auroram restabant soli duo cum paucis Clericis intra ecclesiam ; lacrymisque perfusi et corde contrito, cœperunt denuo terram scrutari. Nec diu laborandum hac vice eis fuit : cito enim retectum est sepulcrum gloriosi Pontificis, atque ad caput tabella his verbis incisa S. NAZAR. PRÆSUL MIGRAVIT IN DOMINO XIII KAL. JULII. Quibus visis et lectis, sicut per somnia fuerat revelatum, compulsavere campanas in signum

lætitiæ

lætitiæ: omnisque populus accurrit ad ecclesiam dicens Hosanna filio Dei, benedictus qui venit in nomine Domini: omnes enim repleti erant gaudio ac jubilo, tum propter repertum tam pretiosum thesaurum, tum propter miraculosas eorum curationes, qui a contactu sacrarum istarum Reliquiarum remedium petebant infirmitatibus suis. Exemplis rem juvat clariorem facere.

Curantur, contractus,

4 Erat in civitate Sacerdos, nomine Vescellus, ecclesiæ S. Mariæ Canonicus, a multis retro annis contractus, atque omni fere motu naturali privatus: qui cum delatus ad sanctum Corpus, ejus contingendi facultatem humiliter postulasset; laxatis subito vigore nervis, sanus inde recessit. Mulier quædam novem integris mensibus usu pedum caruerat: eodemque dilata, cum totam ibi noctem in oratione pervigil transegisset, mane sanam sese reperit; gratisque Deo ac S. Nazario actis, domum læta abiit.

pedibus debilis,

Joannes Eustachii multis annis paralyticus, domi desidebat: hic acceptis duabus furculis sub axillaribus, ægre ad Sanctum altare, sub quo sanctum Corpus collocatum erat, adreptavit: ubi cum lacrymis atque suspiriis nocte tota supplicans Deo, per merita passionis filii sui sanctique Nazarii, sub auroram obtinuit desideratæ gratiam sanitatis.

paralyticus:

arcetur ab altari peccatrix

5 Pessima quædam mulier, miraculis sanctitatique servi Dei incredula, et ea ludibrio habere solita, cum præsumpsisset etiam ipsa ad altare se sistere, subito ac violento motu elevatæ sunt mappæ altaris palliaque concussa: qui motus cessavit, statim atque illa vice altera, Deum Sanctumque tentatura venit: cumque eadem iterum evenire conspiceret ad sui indignæ præsentiam, pœnitentia suorum peccatorum commota abiit plangens. Postea regressa est tota jam alia, implorans Dei misericordiam, et delictorum suorum veniam postulans: exindeque nihil moveri vidit idque signum habuit suæ pœnitentiæ Deo acceptæ.

donec pœniteat.

Mortalitas puerorum sistitur;

6 Contigit aliquando permissu divino, ut grandis calamitas incumberet civitati, habitantiumque parvulis liberis, quorum qui quartum annum attigerant superabantque, omnes mortali quodam symptomate passim extinguebantur, unde communis erat ubique luctus. Tunc cuidam civium apparens Sanctus, jussit corpus suum circumferri per urbem, promittens cessaturam parvulorum mortalitatem. Præmissis ergo jejuniis, instituta a Clero et populo supplicatio fuit, cum sacris S. Nazarii ossibus; et malum cessavit. Peregrinus quidam ad ea quoque visenda venit, brachia et corpus catenis innexus, pro delictorum suorum gravitate: qui mox atque genua flexit coram arca Sancti, disruptæ catenæ, ad pedes ejus prosilierunt, cum sonitu qualem malleis percussa incus daret. Quare supplex ille Deo, Sanctoque Nazario laudes accinens, exultabat coram omnibus: a quibus oblatas sibi eleemosynas accipere recusans, lætus in patriam abiit.

solvitur vinculis ferreis adstrictus;

sanatur cæcus surdus et paralyticus,

7 Hispanus quidam, Willelmus nomine, ex oppido S. Ægidii, septem annis cæcus, surdus et paralyticus, conspicuum sibi habuit in somnis S. Nazarium sibi dicentem: Vade ad Caput-Istriæ, ad hospitalem domum quæ ibi in nomine meo ædificatur; eique indispensabili voto tuam mancipa servitutem, ut ab hac infirmitate saneris: insuper nescienti qua via quove loco requirenda ejusmodi civitas esset, iter monstravit, dirigendo eum Venetias, ubi esset inventurus cives illius loci, ab iisque docendus ubinam reperire posset sanctum ejus Corpus. Evigilans ille, cœpit ut melius potuit sese sustentare, et viam sibi revelatam inire; quod ei per Dei misericordiam feliciter cessit: et ad locum usque progressus, recuperata sanitate, obligavit sese ipsius servitio usque ad vitæ finem.

EX ITAL. MANZOLI. liberatur dæmoniacus, unus

8 Civis cujusdam filius unicus, ambulavit per pratum versus fontem quemdam sitis levandæ causa, cumque faciendæ Crucis oblitus aquam non lustratam hausisset, cum ea simul et dæmonium hausit, cœpitque furere et intemperiis agi. Quapropter adductus ante sacrum corpus, cum gravius etiam torqueretur, adhibiti per triduum exorcismi sunt: quarto autem die, post Missam in Dei Deiparæque honorem celebratam, cœpit inclamare dæmon nomen beati Pontificis, canina voce exclamans; Exeo, Exeo, compulsus a S. Nazario: emisitque coram omnibus fœtentissimum fumum, non aliter acsi fabrilis fornax aperta fuisset; quo viso universi glorificaverunt Deum et Sanctum ejus. Sed dæmon, qui numquam cessat male facere, ista sua domo pulsum se conspiciens, aliam sibi quæsivit introivitque in quemdam Joannem ex oppido S. Mariæ de monte, eumque impellebat ad actus motusque obscœnos et ridiculos. Deductus ergo fuit ad hospitale, quod supra pontem civitatis fabricabatur: ubi positus coram altari, in quo offerebatur sacrificium Missæ, inclamavit sæpius nomen B. Nazarii. Deinde tenentium manibus violenter ereptus, elevatus in aerem est ad hominum duorum altitudinem, immensum vociferans; Nazarius me cogit etiam hanc habitationem dimittere: humique depositus est sanus.

et alter;

loquelam recipit mutus;

9 Cuidam nomine Insulano accidit, ut loquela privaretur: qua cum septennio caruisset, venit ei quodam mane in mentem, ut Dei misericordiam, per S. Nazarii merita, pro loquela recuperanda imploraret. Venit ergo ad sepulcrum Beati, ipsumque vidit facie ad faciem Pontificalibus indutum: cujus benedictione gratiaque munitus, cœpit sic profari: Nonne videtis Pontificem Nazarium, mihi colloquentem? Eccum adest, elevataque manu signum Crucis format, et benedicit vobis.

mulier, post diuturnas a dæmone sibi apparente molestias,

10 Mulier quædam, nomine Aureola, ex loco Patriarchatus Aquilejensis qui Marano objacet, cuidam Istriæ provinciæ Castellano ministrabat, totoque triennio infestante eam dæmonio multipliciter vexabatur: nam et cum alicubi solitaria erat, ipsi se manifeste conspiciendum dabat. Contigit autem ut deficiente aliquando domi farina, ab heris mitteretur ad molam. Exivit ergo propere de castello, cumque per viam crudelius solito torqueretur, totam eam noctem ibi mansit: sub auroram vero inimicus dæmon, heræ vocem assimulans, ter eam vocavit. Experrecta illa tremebunda, saccum farinæ corripuit, domumque referre cœpit: cumque ad mediam progressa viam, sumpsisset licentiam ab iis qui usque eo fuerant comitati; rursus ei se stitit dæmon, modo carri, modo pini formam assumens; ac denique versus in speciem lascivæ mulieris, indutæ albis, misellam istam deduxit ad locum, ubi complures juvenes, atque mulieres choreas ducebant; compulitque in eorum circulum se dare, ac simul saltare. Tandem tamen revertit illa in domum herilem, ubi ipsius Dominæ formam sumens dæmon cœpit familiari rei intendere, ac specialiter torrere carnem; cujus cum buccellam famulæ porrexisset, sensit illa subito ingressum in se satanam.

ab eodem insessa,

et ipso frustra obnitente ducta ad aram Sancti,

11 Audiverat aliquando, cum adhuc integra potiretur sanitate, celebrem famam B. Nazarii, et quomodo totam Istriam suis miraculis illustraret: ac, Ducite me, inquit, ad S. Nazarium: sed dæmon, muliebri specie se ostentans, dixit: Faciam venire pluviam ventosque et aquarum diluvium, sic ut pertingere eo nequeas. Pertæsi tamen domestici molestiæ diuturnioris, statuerunt infirmam suam sistere ad corpus gloriosissimi Pontificis: statimque turbo involvit, tempestasque adeo tenebrosa incubuit, ut ipsa in meridie serus vesper esse videretur: sub vesperum autem, cum jam satis indultum inimico

mico divinitus esset; illuminatum est cœlum, et infirma famula de lucta fuit ad Caput-Istriæ, ubi corpus B. Nazarii quiescit. Ibi per triduum manens vehementer exagitabatur, interim dum adjurabatur dæmon, ut dimitteret corpus Aureolæ. Respondebat autem ipse: Exibo propter S. Nazarium. Igitur Clerus et Populus, Deum collaudans, præstolabatur ejus egressum; interim dum ipse arcana præterita ac futura enuntiabat præsentibus, suam cuique vitam exprobrans, et mirabilia multa revelans. Tertio deinde die post celebratam Missam, posita in pelvim aqua, benedixerunt eam, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti: de qua cum Aureolam bibere coegissent, sub invocatione nominis S. Nazarii, exclamavit dæmon. Egredior, egredior, quia S. Nazarius violenter me ab hoc vase extrudit. Itaque videntibus omnibus exivit ab ore mulieris cum spuma ac fumo: et integra sanitas reddita illi est ad laudem D. N. Jesu Christi.

EX ITAL. MANZOLI. Ibidem sumpta aqua benedicta purgatur:

12 Horum mirabilium fama cum esset Patriarchatu toto Aquilejensi diffusa, cœpit ex universa Istria accurrere ad sanctum corpus multitudo infirmorum, ut sanitatem consequeretur: unde accidit ut uno die, post solis occasum, quatuor diversis morbis ægri simul compotes voti fierent. Duo ex iis sic erant contracti, ut capitibus suis fere contingerent genua: aliis vero duobus manus unius pedisque usus interceptus erat. Mirabilius autem tunc etiam fuit, quod Vetula quædam, cui præ senectute oculi fuerant prorsus obtenebrati, coram sepulcro Beati visum recuperavit. Hæc porro aliaque multa miracula, sic patrata ibidem fuerunt, ad laudem S. Nazarii, ex Dei voluntate, qui sit benedictus in secula seculorum. Amen. *Non exprimitur annus inventionis prædicta; sed quæ in eodem libello immediate sequitur* Inventio S. Alexandri Papæ et Martyris *referenda in supplemento Maji, cum nonnulla forsitan correctione eorum quæ dubitanter ibi diximus num.* 14 *Comm. præv.* inventio, *inquam* S. Alexandri *narratur facta anno* MXCVI, *die* XXVIII *Octobris.*

sanantur simul ægri quatuor, cæca illuminatur.

EPISTOLÆ QUINTÆ

De SS. Nazarii et Alexandri Pontificum Reliquiis, Genuam Justinopoli relatis.

Ex editione Italica ejusdem Manzoli.

C*um renovatis identidem contentionibus, potentissimæ per Italiam Respublicæ duæ, Venetorum atque Genuensium, mutuo sese atterrerent, seculo* XIV *ultra medietatem provecto et ad finem tendente; contigit ad Clodiam vincere Venetos, inclusosque ibi Genuenses ad arbitrariam deditionem compellere, magno cum navium atque hominum damno, anno* MCCCLXXIX *die* I *Junii prout late describunt utriusque nationis historici, atque ex parte Genuensium Augustinus Justinianus, anno* MDXXXV *Annales suos evulgans, libro eorumdem quarto; ubi inveniet lector, non ideo cecidisse animis Genuenses; sed nova triremium octo et triginta classe instructa, et Gaspari Spinulæ Archithalasso commissa, repetisse Adriaticum mare, atque ad intimum ejus sinum progressos coegisse Tergestum subire jugum Aquilejensis Patriarchæ sibi confœderati; ac postea vi cepisse Justinopolim, Caput-Istriæ vulgo nuncupatam: cumque arcem defensam acrius capere non possent, civitatem expilatam tradidisse flammis. Inter spolia fuisse præfata* Sanctorum Nazarii et Alexandri *corpora, testis est, qui ea anno* MCCCCXXII *restituit Justinopolitanis,* Pilleus de Marinis, *jam inde ab anno* MCCCCI *laudatissimus Genuensium Archiepiscopus: qui proinde adhuc poterat allatorum spoliorum meminisse. Fuit autem res illa tentata atque peracta ministerio* Jacobi de Languschis, *Venetorum ad Genuenses Legati: qui cum ea de re Justinopolim scripsisset anno* MCCCCXX, *neque responsum accepisset; initio sequentis anni reversus Venetias, dedit novas super ea litteras ad Justinopolitanum Episcopum, prout ipsas aliasque eodem spectantes, originaria Italica lingua, prælaudatus Manzolus posuit in fronte libelli sui de Sanctis Istriæ, et nos Latine redditas exhibemus. Ipsarum ergo tenor hic est:*

Genuenses capta an. 1380 Justinopoli sacra corpora auferunt;

14 Reverendissime in Christo Pater. Gratiosæ Paternitatis Tuæ litteræ usque in hodiernum diem a me fuerunt conservatæ; in quibus agnovi dulcissimam vestram humanitatem, quam a pueris expertus sum, cum affectu erga me tenerrimo conjunctam. Vellem ego litteris istis prolixum responsum reddere; sed otium non concedunt impositæ mihi curæ: paucis ergo rem perstringam; et si conceptam animo lætitiam nequeo satis explicare verbis, calami defectum supplebit cogitatio animusque. Adeptus familiarem amicitiam Reverendissimi Patris, D. Pillei de Marinis Archiepiscopi Genuensis, sic ea usus sum, ut idem Reverendissimus mihi humanissime promiserit Reliquias BB. Nazarii et Alexandri: qua de re monui Reverendiss. Tuam Dominationem, ut cogitaret de restaurando ipsorum splendore et cultu: sed quia tunc nullum accepi responsum, decrevi supersedere negotio, donec intelligerem, quam gratum id haberet Serenissimum Venetorum Dominium. Appuli ergo huc die secunda præsentis Januarii, nec adhuc potui negotiorum a me tractatorum reddere rationem Serenissimæ Reipublicæ: quod cum faciam, amplam relationi meæ mentionem inseram istius rei, quatenus cognoscam intentionem Dominorum meorum, Teque de omnibus reddam certiorem, et quod mihi mandaveris fideliter exequar: prædictæ enim Reliquiæ ad manus meas venient quandocumque voluero. Non erit opus ut Communitas ista sumptus faciat: volo enim propriis meis expensis accurare omnia: et ut beatissimæ istæ Reliquiæ ad priorem referantur locum, nulli labori parcam. Promptus igitur paratusque ero ad exequendum quidquid imperaveris; tum etiam ut Communitati isti, ad quam refero partem originis meæ, rem gratam præstare possim. Commendo me Paternitati vestræ cum illo antiquo amore, quo erga Te ferri me convenit. Venetiis IV Januarii, MCCCCXXI. Jacobus de Languschis.

pro quibus recuperandis agens Venetorum legatus scribit an. 1421 quoque rem adduxerit:

15 *Reversus deinde hoc eodem vel sequenti anno Genuam Jacobus, perfecit negotium quod agendum susceperat, et una cum Sanctorum Reliquiis accepit patentes litteras, Justinopolim perferendas, in hanc sententiam:* Pilleus de Marinis Dei gratia Archiepiscopus Januensis Rev. in Christo Patri Domino Episcopo Justinopolitano, ac universo Populo Civitatis ejusdem, Salutem in Domino sempiternam. Semper nos divini cultus ratio excitavit, ut Sanctorum Reliquiæ debita veneratione tenerentur. Unde sicuti insignia nostra Sanctuaria, quantum a Deo nobis conceditur, nitimur celeberrima fieri; ita pro universali Christianæ devotionis respectu, beatorum spirituum reliquias, apud notorum patrias libenter audimus coli et venerari. Quare anxia dudum nos cura tenuit, ut Reliquiæ beatorum Nazarii et Alexandri, inter sacraria nostra olim tamquam hostilis præda repositæ et hucusque debita solertia custoditæ, nec pro locorum distantia et rerum ignorantia frequenti et debita visitatione recognitæ, ad patriam Justinopolitanam, ubi, sicut a fide dignis accepimus, Beatus Nazarius colitur Vexillifer et Patronus, reducerentur. Cujus nostræ meditationis affectum dilectissimus Nobis in Christo Jacobus de Languschis accuratissima diligentia studuit ampliare.

referque ab Archiepiscopo patentes litteras, per quas ad eorum civitati suæ reddendorum veritate,

A

fit publica fides

16 Considerantes itaque rem Omnipotenti Deo gratam, et Justinopolitano Populo acceptam ac salutarem facere, ut hæ colendissimæ reliquiæ ad suam consuetam et devotam Patriam referantur; pro contemplatione Illustriss. Dominii Venetiarum et vestræ Paternitatis complacentia, proque devotionis augmento illius Populi, qui suis Sanctuariis redonatus, pro nobis dignetur ad Dominum deprecari. Ad exorationem præfati dilectissimi nostri Jacobi de Languschis, decrevimus per dictum Dominum Jacobum ipsas Reliquias vestræ caritati delegare, quæ sunt in Capsa lignea cratibus ferreis superclusa, eadem, quæ in Sacrario nostro usque ad hæc tempora cum ipsis Reliquiis fideliter sine ulla mutatione conservata fuit.

ex relatu oculatorum testium cum auferebantur:

17 Et ne ulla de ipsis Reliquiis possit ad vestras considerationes dubietas exoriri, tenore præsentium fidem facimus, et testimonium reddimus omnibus, apud nos esse notorium, quod dum exercitus Urbis nostræ contra Justinopolitanam civitatem fuisset hostiliter profectus, inter cetera spolia, huc ab dicta Urbe translata, ista eadem, quæ ut supra consignavimus, capsa, cum ossibus hujusmodi sanctitatis et B venerationis, ipsis eisdem quæ in ipsa capsa reposita tradidimus, fuit nostris sanctuariis, et in sacristia nostra, ubi plurimæ Sanctorum reliquiæ, ac sublime jocale Dominici Vasis Smaragdini, et alia dignissima sunt devote conservata. Cujus rei notitiam, si integram historiam narrassemus, præsentes in nimiam prolixitatem litteras duceret: sed pro præsenti fide suffecit consideratio realis depositi, publicæ vocis et famæ, concordiæ temporum, quodque quamplurimi sunt reliquiarum Sanctarum capturæ testes superviventes (inter quos Venerabilis Vir, et sacerdos Bartholomæus Corvus, Canonicus in Ecclesia sanctæ Mariæ de Vineis, qui apud nos de visu deposuit testimonium. Fuit enim cum galeis senatui nostro amplissimam fidem reddiderunt, specialiter, quod eadem capsa cum reliquiis supradictis, tunc temporis in Ecclesia Justinopolitana sub Altare, quod est ante Chori ingressum et in summa veneratione habebatur.

ipsaque consignabantur prædicto Legato

18 Ea propter easdem vobis Reliquias offerimus, et præfato Jacobo: quem fidelem nuntium in hoc æstimavimus, fideliter tradi fecimus. Caritatem vestram in visceribus caritatis D. N. Jesu Christi humiliter deprecantes, ut pro divino munere, unde estis vestris sanctuariis restaurati, ac pro meritis C Beati Nazarii Præsulis vestri, pro nobis debeatis in proxima ipsarum reliquiarum visitatione Dominum deprecari. Ad quorum omnium fidem et testimonium patentes has litteras fieri mandavimus, nostri sigilli solita impressione roboratas. Datum Januæ MCCCCXXII Die v Junii. Rolandus de Laneriis Notarius. Hactenus contextus epistolæ, non ex Manzolo in Latinum idioma restitutæ, sed originaliter sic scriptæ jam olim, ut fidem facit sequens attestatio.

Hæc epistola in arca S. Nazarii deposita

19 Antonius Zarottus juris utriusque Doctor, ac in spiritualibus et temporalibus Reverendiss. Episcopi Justinopolitani Vicarius generalis. Per præsentes nostras omnibus, eas legentibus sive audientibus, notum facimus quod XIII Kal. Julii MDLXXXV fuerunt visæ a nobili viro D. Raimundo Pola, et in præsenti inspiciuntur suprascriptæ litteræ in Ecclesia Cathedrali Justinopoli, in venerabili arca Divi Nazarii prope chorum ejusdem Ecclesiæ; olim scriptæ (ut apparet) manu D. Rolandi de Laneriis Notarii, una cum sigillo præfati Illustrissimi et Reverendissimi D. Pillei, superioribus temporibus Archiepiscopi Januensis, ad Reverendissimum D.* Hieronymum, tunc temporis Antistitem Justinopolis, et ad universum hujus Civitatis Populum. Qui quidem D. D Raymundus, cupiens earum litterarum memoriam in scriptis apud se tenere, summa cum ejus animi submissione a Reverendissimo D. Joanne Episcopo Justinopolitano petiit, ut earum exemplum consequi valeat. Ad cujus petitionem libenti animo descendens ante dictus Reverendissimus D. Joannes, illi concessit, ut habere possit, quod in hac parte summo studio ab ejus Reverendissima Dominatione postulavit. Ea propter prædictarum litterarum exemplum iisdem verbis in supradictis litteris ita exarari fecit, ut nihil ipsis adjectum vel diminutum esse affirmemus. Nos enim ipsi attente audivimus alterum prænominatas litteras legentem, ac in omnibus et per omnia cum originalibus concordare invenimus. Et ita esse his litteris sigilli nostri soliti impressione munitis asserimus et attestamur. Datum Justinopoli VI Kal. Julii MDLXXXVI.

* al. Hieremias

EX ITAL. MANZOLI. anno 1586 rite transcribitur

Idem Vicarius, qui supra m. p.

Jo. Peracca Vicecancellarius.

adduntur et aliæ credentiales,

20 *Sic transcriptam Epistolam illam anno Domini* MDCXC *denuo nobis transcribendam curavit Pater noster Justus Locatelli, tunc in Tergestino collegio manens: cui ex Manzolo addo quod prænominatus Archiepiscopus Pilleus, istis in publica forma patentibus litteris,* E *addidit privato affectu alias sic inscriptas.* Rev. in Christo Patri. D. Hieremiæ *et sic etiam legit Ughellus: Zonttus vero* Hieronymum *vocat; credo quia scriptum erat pro more seculi solum* H.) Episcopo Justinopolitano, Patri carissimo, *in hunc sensum.* Reverende in Christo, Pater carissime. Præter ea quæ continentur patentibus litteris quas secum defert egregius Jacobus de Languschis, carissimus et honoratus amicus meus; commisi ei quædam, privatim dicenda Paternitati vestræ: cui placebit in omnibus plenam fidem dare, ac mei continue meminisse in vestris vestræque Ecclesiæ orationibus. Genuæ XX Junii MCCCCXXII, *subscriptumque erat* Pilleus Archiepiscopus Genuensis.

per quas Jacobus munitur, ad ea quæ oretenus dicenda habebat.

21 *Talibus instructus Jacobus, stupenda et prope dixerim miraculosa navigandi celeritate circumvolans totam quanta est Italiam, Venetias appulit intra quintam diem, nisi forte erravit librarius in numero anni atque pro* MCCCCXXIII *scriptus est* XXII, *quo priores inveniebantur datæ. quod etiam suadet unius saltem mensis mora Pisauri a Jacobo ducta, ut patet ex litteris per quas Venetiis Justinopolim scripsit, quid egisset peregissetque* Reverendo in Christo Patri, D. Hieremiæ, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Justinopolitano, *ut* Protectori *suo* Colendissimo scribens, *hunc in modum* F Reverende in Christo Pater, Humanæ debilitatis vires transcendere mihi videtur, amplas satis gratias referre Deo, qui per manus pusillæ adeo personæ hucusque feliciter adduxit colendissimas BB. Nazarii et Alexandri reliquias. Interim summopere gratulor Paternitati Tuæ, quæ tantopere desideravit sancta istæc ossa recuperari; quod auxiliante ipso, qui dixit et facta sunt, potuerim e strictissima custodia eruere expetitum thesaurum. Et quia Rev. in Christo Pater D. Pilleus de Marinis, Archiepiscopus Genuensis, dedit idonea veritatis indicia, quæ sub fide credentialium litterarum (Deo dante) sum expositurus Paternitati vestræ, ultra tenorem patentium suarum; paucis hisce verbis perstringam, cum nequeam dignis exprimere adeo divinam rem, nedum eloquio congruo adornare. Rem sic accipe.

22 Conduxi corpus S. Nazarii in capsa lignea, cum craticula ferrea desuper clausa, intra quam reperi tabellam plumbeam, cujus mensura ductusque insculptorum ei characterum seorsim in carta expressos mitto. Reperi etiam numerum aliquem nummorum argenteorum æreorumque id est solidorum ac minutorum quorum usus erat quando Caput-

EX ITAL. MANZOLI. Interim exponit reperta intra capsam veritatis indicia;

Istriæ capiebatur: quam prædictæ tabellæ formam partemque nummorum ad majorem vestram certificationem præmittere volui per harum latorem Andreolum Cremonensem. Ossa vero sancta quæ reposueram in sacculum bombasinum album, mox atque cum celoce ad id instructa feliciter Pisaurum appuli, denuo collocavi in suam capsam; supraque eam fixi craticulam, quam Genuæ repereram adhuc intactam. Ipsam vero capsam, hucusque adductam, sufficientibusque sigillis munitam, custodiendam tradidi Monialibus S. Hieronymi. Nunc porro dignetur providere Reverenda Paternitas tua, ut desideratum istud munus redeat in patriam suam. Profecto novit Deus, qui novit omnia, quod hoc in negotio nihil prætermiserim, quod in me erat, primum respectu Dei, tum ex obligatione naturali, denique intuitu tuæ dulcissimæ atque humanissimæ indolis, quam ab annis puerilibus usque modo semper æstimavi atque amavi vehementer. Datum Venetiis XXV Junii MCCCCXXII Paternitatis vestræ reverendæ devotus, Jacobus de Languschis.

et ubi ea Venetiis collocarit;

denique urget ut cito mittantur qui accipiant,

23 *Denique, post excursiunculam brevem, reversus Venetias idem Jacobus, rogatus est venire Justinapolim, per se fidem facturus sacrarum Reliquiarum; et* IX Julii *in hæc verba rescripsit.* Heri regressus Patavio, recepi dulcissimas Paternitatis Tuæ litteras, plenas amoris ac benevolentiæ: quibus copiose responderem, si brevis epistola posset satiare ardentissimam caritatem. Equidem exulto quando me video præstare aliquid posse, quod Paternitati tuæ istique Communitati gratum sit, ac porro gratiora etiam facturum me confido si quis ex ibi superstitibus adhuc memor sit rerum istic præteritarum, suis ipse oculis agnoscat beatissimum corpus: hæc enim in re nolo multis verbis uti, cum veritas sibi ipsi reddere testimonium debeat. Profecto vos ipsi videtibis res, quæ possint etiam infideles quoscumque, nedum Christianos convincere. Non ego is sum qui audeam (nisi omni priver intellectu) introducere demonstrationem aliquam falsam seu apparentiam rerum.

24 Noli requirere Pater optime, præsentiam meam, ad quam exhibendam videtur me invitare per suam epistolam consanguineus meus Hieronymus, nisi quando huc advenerint, qui deducturi sunt sacrum corpus. Tunc Reverendus in Christo Pater D. Episcopus Novæ (*est ea Dalmatiæ civitas*) consanguineus meus, et ego, alacres atque devoti veniemus: interim vero cum singulari et quantus exprimi nequit affectu expectabimus personam vestram, siquidem fieri possit ut venias. Spero autem quod Reverendissimus Dominus Episcopus Venetus atque Episcopus Novanus, cum honorabili Clero suo, celebrabunt Missam in ecclesia S. Hieronymi, ubi beatum Corpus honorabiliter custoditur. Existimabo autem nos habituros rem perfectam si vestra præsentia hic nobis frui liceat. Oro igitur ut quantocius vel per te ipsum vel per convenientem Cleri cœtum honorare velitis Protectorem vestrum. Et quamvis variorum negotiorum curæ obstrepent, multumque me distrahant atque affligant: totum tamen hunc mensem consecratum habeo voluntati tuæ. Verumtamen, Domine mi, accelera, neque velis in opere bono passibus lentis progredi: talia enim amant fieri expedite. Cura autem ut valeas atque in numero tuorum devotorum habeas vestrum Jacobum.

in quibus optat esse ipsum Episcopum

cum eo et Episcopo Novæ iturus Justinopolim,

25 *Quæ et quibus diebus postea sint acta scriptum non reperit Manzolus; solum subjungit,* Hæc benedicta corpora fuerunt Justinopolim relata ea pompa et magnificentia, quæ expressa apparet in ecclesia Majori, quatuor tabulis positis ex parte altaris sanctæ Crucis. *Harum tabularum, aliorumque memorabilium postea secutorum, si quis descriptionem nobis miserit, poterit ad hujus mensis Supplementum usui esse: imo ipsarum quoque tabularum delineatio exhiberi æri incisa, si quis ipsam nobis curaverit. Est porro dignum consideratione aliquid, quod licet duo corpora reddenda promittantur, unica tamen capsa relata significetur, cum laterculo fidem faciente, ibi contineri Corpus* S. Nazarii, *quasi ejus solius ossa ibi condita fuerint, eaque miræ magnitudinis, adeoque facile dignoscenda ab aliis communis mensuræ, si qua intra camdem capsam fuissent apposita. Hinc cuipiam nasci suspicio posset, quod inter ea, quæ Jacobus habebat privatim dicenda, fuerit aliquid de corpore* S. Alexandri: *scilicet ipsius, non nisi particulam haberi. Et hoc confirmare videtur P. Justus, dum mihi scribit, quod* S. Alexander Papa Martyr, secundarius Justinopolitanæ civitatis Patronus celebratur die IV Maji; et ejus Reliquiæ in parva cista clausæ servantur in eadem arca, ubi sunt Reliquiæ S. Nazarii.

ubi translationis pompa picta nunc cernitur.

S. Alexandri P. M. solum videtur adesse particula.

DE S. HILDEGRIMO

EPISCOPO CATALAUNENSI ET HALBERSTADENSI

COMMENTARIUS HISTORICUS

G. H.

§ I. Ex Actis S. Liugderi fratris collecta Acta, Episcopatus geminus, et cultus.

ANNO DCCCXXVII

Acta in Vita S. Liudgeri fratris,

Illustris hic *Episcopus* S. Hildegrimus *potissimum innotescit ex Actis fratris sui S. Liudgeri Episcopi Mimigardevordensis in urbe Westphaliæ, Monasterium jam appellata. Hujus Acta præcipua scripsit Altfridus, ejusdem Sedis paulo post Episcopus, a Joanne Bollando nostro piæ memoriæ inter ultimos conatus illustrata, et ad diem* XXVI *Martii excusa. Ille in Prologo sic præfatur:* Exempla et actus S. Liudgeri ideo plene comprehendere nequeo: quia non ea visu, sed audita didici, illis adtestantibus, qui ab infantia illum noverant atque ab eo eruditi fuerant, Hildegrimo scilicet Episcopo fratre ejus, et Gerfrido Episcopo nepote ejus; sed et sanctimoniali femina Heriburga germana ejus *etc. Fuit* Gerfridus, *successor S. Liudgeri, et hujus* Altfridus *scriptor. Ast* B. Hildegrimus *jam tum fuerat ordinatus Episcopus Catalaunensis in Campania Gallicana, uti infra constabit.*

2 *Incipit Altfridus ab illustri Sanctorum jam dictorum prosapia: quorum avus fuit* Wissurgus, *justitiæ defensor, a Radbodo Fresonum Rege clam occidi jussus, sed qui insidiarum conscius, fugit ad Grimoaldum Ducem Francorum, et imbutus fide Catholica, baptismi consecutus est gratiam. Hic tempore Caroli Martelli, post obitum Radbodi, reversus ad hereditatem propriam,* cœpit esse adjutor S. Willibrordi, cum filiis et propinquis suis. *Inter filios* Thiadgrimus, *pater SS. Liudgeri et Hildegrimi, duxit uxorem* Liafburgam, *cujus duo avunculi* Willibraht *et* Tidbraht, *primi gentis Fresonum sub S. Willibrordo Clericatus*

horum avus Wissurgus

pater Thiadgrimus,

A *Clericatus acceperunt officium, quæ latius capite primo explicantur.*

ipse fratris discipulus,

3 *Natus est autem S. Liudgerus anno* DCCXLIV, *et variis applicatus studiis, inter alios Doctorem habuit B. Alcuinum, tunc in Anglia adhuc degentem, a quo, reversus in patriam, inter alios labores etiam suscepit diversorum discipulorum instructionem, quorum unus fuit proprius frater* Hildegrimus. *Postea, a Widekindo Duce Saxonum, eatenus Gentilium, vastata Frisica ,* Liudgerus, *inquit Altfridus num.* 18, necessitate compulsus, deseruit partes illas ; et disposita turba discipulorum, duos ex eis secum assumens, Hildegrimum scilicet germanum et Gerbertum, qui cognominabatur Castus, perrexit Romam : et inde progrediens, pervenit ad monasterium S. Benedicti in regno Beneventano : et illic in sancta conversatione consistens, didicit regulam ejusdem sancti Patris Benedicti. Erat enim cupiens in hereditate sua cœnobium construere Monachorum : quod ita postea, Domino opitulante, factum est in loco, qui vocatur Werthina. *Hæc Altfridus : quæ potissimum peracta fuerunt anno* DCCLXXXV *et duobus sequentibus : quo tempore Hadrianus Romæ Pontificatum gerebat, et Theotmarus Abbas erat Casinensis monasterii S.* B *Benedicti ; de quo et adventu S. Liudgeri, in Vita hujus metrica hi versus leguntur :*

cum eo abit Romam et Casinum :

Ibat ad Monachos in Casino positos
    Monte Benedicti, inter Sanctos scripti.
Hic bono omine, Theotmarum nomine,
    Invenit nepotem Liudgerus Abbatem.

4 *Cœpta deinde excoli Werthina supraindicata , potissimum ab anno* DCCXCVII, *et variæ oblatæ possessiones, donationesque factæ* anno DCCXCVIII , *quibus subscripsit* Hildegrimus Diaconus. *Sanctus vero Liudgerus anno* DCCCII *aut sub finem præcedentis, consecratus Episcopus Mimigardevordensis, in illa administratione e vita migravit anno* DCCCIX, *die* XXVI *Martii.* Igitur discipuli *qui, ut scribit Altfridus lib.* 2 *num.* 8, non immemores *erant*, qualiter adhuc vivens disposuerat , ut in loco nominato Werthina, ubi in hereditate propria ob habitaculum Monachorum , in honorem sancti Salvatoris et Sanctæ Dei Genitricis, sanctique Apostolorum Principis, ipse construxit ecclesiam , ejus sepeliretur corpus. Sed cum ad hoc agendum populus, illius sancta recolens merita, vehementer resisteret ; inito consilio ad monasterium ab eo compositum, vocabulo Mimigerneford , perduxerunt illud, atque in ecclesia S. Mariæ inhumatum reli- C querunt : donec venerabilis Episcopus ecclesiæ Cadalanensis, Hildegrimus nomine, germanus ejusdem viri Dei atque ab eo eruditus, ageret cum glorioso Rege Karolo, ut ejus imperio, imo Dei consilio , in loco ubi vivus ipse decreverat, sanctum illius conderetur Corpus... ubi trigesimo secundo die sancti sui obitus, mirifice fragrans, in loco præfato sepultus est. *Hæc ibi. Dictæ Ecclesiæ* Cadalenensis , *in alio MS.* Catalaunensis, *in Gallica Campania* Episcopus trigesimus Hildegrimus *collocatur a Sammarthanis : at quo anno ordinatus fuerit ignoratur.*

ejusdem anno 809 mortui corpus

curat Werthinam deferri,

jam tum Episcopus Catalaunensis,

5 *Suscepit ille deinceps res monasterii Werthinensis administrandas, et varias eidem possessiones acquirere cœpit, quarum plurimas in Commentario prævio ad Vitam S. Liudgeri num.* 29 *lector reperiet. Unum profero concessum anno* DCCCXX, *et ibidem relatum his verbis :* Ego Theodgrim, filius quondam Aldgrim, credidi omnem hereditatem meam , quam Riefridus mihi tradidit , pro remedio animæ meæ et pro æterna retributione , ad monasterium , quod constructum est ad honorem sancti Salvatoris in loco qui dicitur Werthina, in pago Riporum juxta fluvium Rura, ubi Hildegrimus Episcopus præesse videtur. Tradidi eam supradictam in villa quæ dicitur Arlo in pago Theant cum omni integritate , hoc est una ecclesia, in terris, in mancipiis, in domibus, in D ædificiis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, totam atque integram trado atque transfirmo. Acta est publice anno VII gloriosi atque religiosi Regis et Imperatoris Hludovici XII Kalendas Julii. Facta est autem hæc traditio in loco qui dicitur Mimigernaford. *Alia donatio additur facta* Werthinæ, ubi Hildegrimus et Gerfridus Episcopi Rectores præesse videntur. Gerfridus *scilicet Mimigardevordensis, et* Hildegrimus *fortassis tunc Halberstadensis , cujus Sedis licet in triplici Vita S. Liudgeri non extet mentio ; extat tamen in rythmico poemate , ante quingentos et plures annos per quemdam Monachum Werthinensem conscripto. Hic enim Litania 4, de Liudgeri discipulis agens, ista habet :*

et præest monasterio Werthinensi,

AUCTORE G. H. Rector cum Gerfrido Ep.

6 Ita ut plurimis studeret discipulis
    Omni semper mane lectionem dare :
Quos et erudiens ipse et instituens,
    Per honestos mores duxit ad honores.
De quibus plurimi facti sunt Episcopi,
    Suus sicut primus frater Hildegrimus,
Qui in Ecclesia dudum fuit aliqua
    Catalaunensi Præsul, sub Remensi :
Ubi dum degeret et commissa regeret ,
    Et prosperitatem habuisse fratrem
Liudgerum cerneret, ut gentes converteret,
    Quas de paganismo acquisivit Christo :
Et ipse, monitus nimirum divinitus,
    Ad Norththurigensem se committit gentem ;
Usus auxilio fratris et hospitio,
    Manentis in loco, Helmenstat vocato :
Ubi sanctissima ordinantes semina
    Evangeliorum, in Norththuringorum
Jecerunt pectora, donec Dei gratia
    Fecit ibi fructum cœlos usque ductum.
Est Episcopium adhuc testimonium,
    Quo incepit Sedem Hildegrimus idem :
Quamvis Werthinæ sit conditus corpore
    Halverstadis tamen sit Patronus, Amen.

relictis Catalaunis,

E *Thuringos Boreales adit*

Dictum in poemate Helmenstat, *sive* Helmestadium *hic* Thuringiæ Septemtrionali *adscriptum, dicitur petitione S. Ludgeri a Carolo Magno restauratum, sub Werthinensis Abbatis Dominio fuisse usque ad annum* MCCCCXC ; *quando Duci Brunswicensi fuit traditum : est enim in hujus Ducatus ditione, quatuor leucis Germanicis a Guelpherbyto, vulgo Wolfenbuttel dissitum. Helmestadium porro videtur* Hildegrimus, *relicta Sede Catalaunensi migrasse, usus auxilio et hospitio S. Ludgeri adhuc viventis, et sæpe ibidem manentis. In mappula seu tabula hujus oppidi Helmestadii, a Mattheo Meriano in Topographia Brunswicensi anno* MDCLIV *excusa, etiamnum notatur monasterium S. Ludgeri, vulgo a Germanis* S. Ludigaris Clooster *nuncupatum.*

et Helmestadii degit :

F

7 *De Halberstadiensi Episcopatu Dithmarus Episcopus Merseburgensis* MXVIII *vita functus lib.* 4 *Chronici ista scribit.* Ludgerus locum hunc, Helmenstad vocatum, pro pietate sua construxit, tempore Caroli Imperatoris Magni, frater Hildegrimi Cathelaunensis Episcopi, sanctæque Halberstadensis Ecclesiæ Rectoris primi : quam tenuit XL et VII annos, discedens ab hoc seculo regnante Ludovico Imperatore Pio, Dominicæ Incarnationis DCCCXXVII anno. *Albertus Krantzius lib.* 1 *Metropolis cap.* 3 *hos annos laborum Hildegrimi ita ordinat.* Carolus Rex invictus extruxit in loco Salingstede insignem ecclesiam, quam in honorem S. Stephani jussit consecrari, præposuitque primum ei Episcopum Hildegrimum, fratrem germanum Ludgeri : sedes Episcopatus posterioribus seculis de hoc loco, quem tum Salingstede, nunc vocant Osterwyck, in Halberstadium est translatus *et nonnullis interpositis addit :* Hildegrimus Pontifex, cum diu præfuisset Ecclesiæ, auctus

Dithmaro Rector Ecclesiæ Halberstadensis

Krantzio Episcopus Salingsteden dictus

A auctus rebus et populo, illustrius Deo templum cogitavit erigere. Hac dum cogitatione torqueretur, monitus est ab Angelo, alium esse Deo placidiorem locum, quo novum templum erigeret et consecraret; monstravitque Halberstadium, populo frequentiorem locum. Ibi tum Pontifex, constituto templo ac consecrato, Sedem esse suam constituit : ibique præfuit annis septem, cum priore loco totos exegisset quadraginta : dormivitque in pace, plenus dierum ac operum bonorum, sanctitatis opinione non parva relicta, magnoque sui desiderio. *Hæc Krantzius : a quo septem anni assignati Episcopatui Halberstadiensi placent, statuendi ab anno* XX *ad* XXVII *seculi noni. At plane displicent* quadraginta anni exacti priore loco in Salingstede, nunc Osterwyck, *urbecula in hodierna ditione Halberstadiensi. Potuerunt anno* DCCLXXX *S. Ludgerus, ejusque frater et discipulus* Hildegrimus, *in hac urbecula Salingstede fuisse, et inde Helmestadium esse profecti, et utroque in loco fidem et Evangelium Christi annuntiasse, ut vel ideo annos a prima susceptione prædicationis numerarint* quadraginta : *interim annum deinde* DCCLXXXV *et duos sequentes impendit cum S. Ludgero Romæ, Casini et in itinere, ac deinde anno* MCCXCVIII Diaconus *subscripsit, donationi, de qua num. 4 ; et postea factus est Episcopus Catalaunensis : quo relicto Episcopatu in citatis donationibus dicitur* Hildegrimus Episcopus præfuisse monasterio Werthinensi, *non assignato loco Episcopali.*

Auctore G. H.

Tempus Sedis.

B

8 *Ægidius Gelenius in Fastis Coloniensibus, ad diem* XXVI *Martii, cum indicasset* corpus S. Ludgeri ad Ruræ-Werdam transvectum esse, in monasterium a se conditum, *mox subdidit :* Ibidem quiescit S. Hildegrimus Episcopus Halberstadiensis frater S. Ludgeri ; *ac ob signum additum videtur satis innuere eum ibidem ut* Sanctum *coli. Ad hunc* XIX *Junii celebrant eum Carthusiani Colonienses, sive Grevenus in additionibus ad Usuardum, editis anno* MDXV *et* MDXXI, *cumque secuti Molanus in prima editione Auctarii ad eumdem Usuardum, Canisius in Martyrologio Germanico, et Ferrarius in Catalogo generali, qui* Sanctum *æstimant,* Confessorem *appellant, et* primum Episcopum Halberstadiensem. *In MS. Florario scribitur* Sanctus Hildegrimus, Cathalaunensis Episcopus, frater S. Ludgeri. *Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano, nescio quo errore abductus, cum deberet illum referre ad* XIII Kalendas Julii, *id præstitit ad* XIII Kalendas Augusti : *ubi hoc elogium suo more confecit.* Eodem die depositio S. Hildegrimi, Episcopi et confessoris, S. Lutgeri Monasteriensis Episcopi germani : qui seculo suo magnum decus, vitæ castissimæ moribus, et Episcopalis vigilantiæ præstantia fuit. Unde, cum primum Catalauni aliquamdiu sedisset Episcopus, ingenti cum omnis virtutis celebritate ; a Carolo Magno hinc in Germaniam adductus, et Halberstadiensis novæ ab eo fundatæ Cathedralis Ecclesiæ constitutus Pontifex, Sedis hujus primordia sanctissime exacti divini muneris splendoribus maxime illustravit ; ac tandem Gerdenæ (*imo* Werthinæ) in cœnobio quod frater suus Beatus construxerat, apud ipsum felici exitu conquievit ; eademque sanctitatis, qua ipsemet, gloria et memoriæ beatæ cultu, ibidem clarificatus est. *Ibidem Saussayus* XIX *Julii :* Translatio S. Hildegrimi ex Catalaunensi Episcopo, primi Halberstadiensis a Ludovico Pio constituti. *Gaspar Bruschius in Catalogo Episcoporum Halberstadiensium eumdem* Sancti *honorat titulo et asserit* præfuisse summa cum pietate, docendo et concionando, et gubernando commissam sibi provinciam, summa item cum integritate vitæ. *Quæ eadem descripsit Cratepolius de Sanctis Germaniæ, quibus eum annumerat. Eumdem Bucelinus in Episcopis Halberstadiensibus, Merianus in Topographia aliique recentiores etiam* Sanctum *attitulant. Denique Theodorus Rhay inter Animas illustres Juliæ, Cliviæ etc. ex Annalibus Werneri cujusdam ampliori eum ornat elogio, et hoc concludit affirmando, quod* plurima post se miracula reliquit, familiarem Sanctis hereditatem : *solo tamen* Beati *titulo utitur.*

Memoria in Fastis 26 Martii,

D

sed potissimum 19 Junii,

Saussayo male 20 Augusti,

ab aliis Sanctus habitus.

E

DE S. RATHONE SEU RASSONE

COMITE ANDECENSI IN BAVARIA

D. P.

C

COMMENTARIUS PRÆVIUS

F

De ejus vita, cultu, et Reliquiarum translatione.

Circa an. DCCCXIII.

Joannes *Aventinus, vir, quoad vixit rerum Germanicarum ac Boicarum imprimis requirendarum et illustrandarum studiosissimus, anno* MDXXXIII *Ratisponæ moriens, Annalium Bojorum libros septem reliquit, qui varie a variis transcripti, tandem publicam in lucem venerunt Ingolstadii anno* MDLIV. *Is principio libri quinti agens de Henrico Duce Bavariæ, Ottonis I fratre Germano, in locum demortui Berchtoldi suffecto, sub annum* DCCCCXLVIII : Eadem, *inquit,* tempestate Toxus Ungrorum Rex, audita morte Berchtoldi Ducis Bojorum, duobus exercitibus Bojariæ fines invadit, limitem Austriacum et Charionas in confinio Italiæ devastat. Henricus Regulus Bojorum, contractis copiis, obviam hosti armatus procedit : bis aperto Marte cum Ungris congressus, bis superior fuit ; Ungrosque, perpaucis fuga elapsis, cecidit, fudit, afflixit : nec ausa est gens, cædis avida, de cetero Bojos bello lacessere. Henricus et Dux copiorum ejus Ratho [Damasia oriundus, eo tempore Orientalis Bojariæ (*id est Austriæ*) Dux] in monumentum tantæ victoriæ cœlitus datæ, armatis equis insidentes, quemadmodum prælio interfuere, e gypso ficti et expressi induratique igne, in templo Deiparæ Virginis apud Maurkirchen, pagum Bojariæ Noricorum, dedicati positique anno æræ Christianæ DCCCCXLVIII, adhuc visuntur, servantur, monstrantur, quo tum frequens populus supplicandi gratia, votis susceptis, coibat.

Dux bello clarus fuit ;

sed qua ejus dicitur esse statua Maurkirchii

2 *Hanc narrationem in dubium merito revocat noster Matthæus Raderus, Bavariæ sanctæ Tomo 1 pag. 90, agens de eodem Comite, ut sancto ; cujus, inquit,* Vita circumfertur, patria lingua Monachii edita, sed in illa multa agnovi castigatione digna : quod cum Imperatore Hierosolymam cœperit ; quod cum Henrico, Ottonis Magni fratre, ob partam ex Hunnis victoriam, statua equestri Maurkirchii sit celebratus, et hoc genus alia, quæ quam procul a vera ratione sint repulsa, temporum ratio docet. Neque enim statuæ illæ Rathonem, sed Gualterum Hojensem et Henricum Aucupem ex imaginum insignibus produnt ; contra quam Aventinus, Hundius, aliique prodiderunt. Aucupis, ut Regii Romanorum, Aquila est insigne Regium : Crux atra in albo clypeo, Dynastarum Hoiensium. Henricus Aucupis filius

alterius potius esse videtur Radero ;

A filius, numquam gestavit aquilam cum rex numquam fuerit : neque Ratho Crucem atram in albo campo. Aquila cum imminente illi leone, Andecensium gentilitiæ imagines, feruntur. Interim non imus negatum, Rathonem ingentem fuisse cum Ducem tum Militem ; cum illa tempestate Pannones Austriam, quam Ratho Prætor rexit, assiduis excursionibus vexarent. Accedit Rathonem equestribus ludis Præfectum fuisse, Regemque ludicrorum certaminum appellatum.

ego nihil liquere agnosco,

3 *Hæc Raderus, ac mox subjungit ære expressas imagines equestres duas, quales ante hujus Vitam spectandæ exhibentur : sic ut rhombos Bojacos in vexillo unus, alter in simili vexillo Crucem, itemque in clypeo ostentet : quas imagines, æquo ac potiori jure potuisset falsi nota inscribere. Ibi enim uterque Eques in apice cassidis extollit Crucem, inter quinque claros assurgentem : quod nemini credo venisse in mentem ante captam a Bulonio Hierosolymam si tamen vel postea alius sic galeatus processerit unquam. Armariæ istæ tesseræ, primis heraldicæ rei initiis, arbitrariæ et liberæ cuique fuerunt, neque transibant ad posteros : qualescumque autem usurpaverint Henricus Dux et Ratho Comes, existimo eas frustra requiri in statuis Maurkirchensi-* B *bus. Licet enim eas numquam aspexerim, tamen cum gypseas esse lego, dubitare nequeo quin sæpius innovata calce fuerint obductæ, et eæ quas diximus tesseræ in vexillis ac scutis novorum colorum pigmento reformatæ, ad arbitrium reformantium. Per me igitur stabit traditio Maurkirchensium, donec fortior ratio suadeat, eas statuis alias quam quibus positæ creduntur, repræsentari. Fuit autem, teste Radero,* vir ingens *Ratho* et statura tam procera, ut communem hominis modum excederet ; uti saxum ad modum corporis ejus factum, ostendit : *quod novem pedes geometricos altum, latum quinque infra repræsentamus, sic ut appareat ipsum Rathonem excedere pedes septem. Epitaphium circumscriptum sic Latine leges.* Hic jacet sepultus nobilis Heros et Comes sanctus Rasso, qui hanc Dei-domum primus fundavit in honorem nostri dilecti Domini, et hic expectat novissimum diem 954. *Est facta et sculpta anno* MDCCLXVIII, *post Vitam num. 23 leges ; nec absimile vero est, jam tum fuisse Bavaris in usu cyfras, linguamque vulgarem, etiam ad publica istiusmodi monumenta. Fuit etiam secundum Chronica Montis Andess, ab eodem Radero allegata,* Comes Palatinus Rheni, Dux Meraniæ, Dux Burgundiæ, Dux Franconiæ, Dux Sueviæ, Dux Carin- C thiæ, ac Comes de Gorz, Marchio Istriæ, et Domini. Castri de Andess quos titulos Auctor vitæ docet cum Rathone extinctos, nec Comites Andecenses illos deinceps suis litteris præfixisse. *Ego illos* Rathoni *competere, ex ipsis ejus litteris doceri optarem, parum credulus in hoc Vitæ tali.*

uti nec de titulis ipsi adscriptis.

Verior laus a pietate

ob quam Sanctus dicitur :

4 *Præstat interim, ut cum jam sæpius laudato Radero,* humanis et fugacibus neglectis, tanti herois religionem admiremur. *Hic teste Aventino, ubi supra,* cum Juditha, *Henrici Ducis uxore,* supplicandi causa Hierosolymam profectus est, *indeque regressus,* in ripa Ambronis, mystis D. Benedicti templum construxit, cui a suo vocabulo nomen indidit : ibidemque sepultus, ab accolis adhuc religiose colitur. *Hundius in Metropoli tomo* 3 *pag.* 223, *testatur locum vulgariter* zu Sint Graf-Rath *dici, id est,* ad Sanctum Comitem Rathonem ; *ipsumque ait,* in honore Salvatoris omnium, juxta Amperam constructum, in pede sui castri Razzenberg, quod etiam S. Udalricus Episcopus *Augustanus* consecravit. *Gewoldus, in suis ad Hundium Additionibus, etiam* Sanctis Apostolis Philippo et Jacobo *dedicatum locum fuisse asserit; ubi* collocatis tredecim Sacerdotibus e familia S. Benedicti, ipse Comes Rasso, *postquam* conquisitis undequaque, summi Pontificis licentia ac patrocinio Imperatoris, multis pretiosisque Re- D liquiis Sanctorum, *eumdem locum ditavit* ; haud multo post, relicto magna cum humilitate seculo, religionem D. Benedicti professus, anno Domini DCCCCLIV, XV Kal. Junii ad Superos abiit ; sepultusque in eodem templo, multis claruit miraculis. *Annum et diem in Andecensibus tabulis Raderus reperit his verbis notatum.* Anno itaque gratiæ nongentesimo quinquagesimo quarto, et Othone I regnante obiit XV Kal. Julii Razzo, Comes Bavariæ Superioris. *Mabilio quoad mensem sequitur Hundii interpolatorem : ego quoad mensem Radero malim adhærere, ut qui Metropolim vidit, atque adeo judicavit* Junium pro Julio *obrepsisse per errorem. Corrigendus tamen est, tam ipse quam alii secuti, Menardus ac Bucelinus Benedictini, et noster Brunerus in Annalibus Bojorum, quoad diem mortis. Nam ut nobis anno* MDCXL *scripsit Simon Wertinus tunc Diessensis Præpositus,* ex vetusto Kalendario Diessensi certum habetur obiisse Rathonem XIII Kal. Julii et ideo publice celebratur Diessæ hoc die. *Idem nuper nobis confirmavit Carolus Erath infra pluribus laudandus ; addens, festum illud antiquitus ritu Duplicis solitum a Diessensibus peragi ; quod aliquamdiu fieri depositum, anno* E MDCLXXXVII *in usum reduxit novus Præpositus Renatus Sentag.*

AUCTORE D. P.

et colitur 19 Junii.

5 *Difficultas major apparet in anno mortis. Etenim præfatus Gewoldus, ex vetustissimo apud Andecenses Missali, scripturam profert; qua dicitur, quod* Fr. Eusebius, Fr. Adalbertus, et Fr. Adelherus, tempore Arnulfi Impii devastatoris loci in Berd (*alius credo,* Werd, *legisset*) fugerunt ad montem et castrum Andess, cum Reliquiis beati Rassonis Comitis de Andess : quas ipsi ambo dederunt ad locum prædictum. *Ita* Fr. Chunradus, Conversus de monte S. Petri qui dicitur Madron, et Ordinis S. Benedicti Professus : *qui ipsum* librum hunc attuli, *imput.* ad locum et montem Andes, Deo et S. Nicolao. Quia atavus meus, qui residebat in castro Andess fecit [scribi] et comparavit eum ob remedium animæ suæ. Dum intrarem Ordinem S. Benedicti et locum S. Petri, portavi hunc librum mecum tempore Rodolfi Ducis Baibariæ cœpit litigium in eum et Comitem de Girbergh, per quod locus S. Petri totus destructus et desolatus fuit, et Fratres cum ejulatu expulsi, eo quod res eorum devenerunt in manus alienorum, omnes consumptæ, et specialiter Reliquiæ, quas Magnus Comes de Andess dedit S. Petro (quia atavus Carnidis de Andess fundavit eamdem eccle- F siam, et dotavit eam, una cum Fr. Medicino, qui est primus inceptor fundationis prædictæ : qui Frater prædictus fuit Professus in loco Bessellusprunnensi) quas Reliquias ego Fr. Chonradus et hunc librum recepi mecum, et destinavi ea ad montem Andes et locum S. Nicolai. Fr. Medicinus, et duo Fratres una cum eo dederunt fugam a loco Besselsprunn, tempore Arnulfi Impii, dum locus destructus et desolatus fuit.

Scriptum de loci destructione quasi sub Arnulfo Impio facta,

tempore Rudolfi exaratum a Fr. Conrado

6 Arnulfus *hic, Reginoni coævus, frater fuit Judithæ supranominatæ, Henrico Bavariæ Duci, et* Rathonis *ut vidimus coætaneo nuptæ, cui tutelam provinciæ ipse Henricus commiserat, anno* DCCCCLIII, *opem laturus fratri Imperatori Moguntiam obsidenti. Verum hoc ipsi caro stetit : machinatione etenim ipsius Arnulfi, provinciæ tunc Metropolim Ratisponam amisit : ad quam cum reliqua Bavaria recuperandam Fratri, licet accurrerit Imperator, dimissa Moguntia, Ratisponamque obsederit anno eodem ; irrito tamen conatu digressus est in Saxoniam mense Decembri, nec nisi sequenti Februario in Bavariam rediit iterumque urbem bimestri obsidione cinxit, et tandem cæso qui eruperat Arnulfo eam obtinuit. Ita conjunctus cum Reginone Aventinus. Cum autem hæc omnia intra æstatem anni*

non videtur debere dubium reddere annum mortis ;

DCCCLIII

AUCTORE D. P.

DCCCLIII, et ante Majum anni LIV gesta sint, nec ultra extendi possit prædicti Arnulfi in Bavaria tyranni, posito quod sub ea destructus ac desolatus locus fuit (sicut ait Fr. Chunradus) locus in Berd sive Werd; consequens omnino foret, quod Comes Ratho jam tunc obierat.

utpote historiæ Boicæ repugnans

7 Verum Aventinus inter loca sacra, ab Hungrorum Rege Bultzhone destructa, post mortem Henrici Ducis anno istius seculi LV, Rathonis monasterium numerat; et tunc ablatas primum Reliquias esse, censet Raderus: quo posito, consistere posset annus LIV, ab Annalibus assignatus; et vastatio loci, cum ablatione Reliquiarum, spectaret ad annum immediate sequentem. Neque Missalis illius, quamvis antiqui, indubitabilis omnino auctoritas est. Siquidem Rudolphus Bavariæ Dux nullus apud Historicos invenitur, ante filium Ludovici II natum anno MCCLXXIV, et Electorali Comitis Palatini titulo velut notiorem, etsi alias hereditario jure Dux Superioris Bavariæ dici potuerit; sed hanc videtur matri cessisse, et per eam Ludovico fratri, postea Imperatori; obiit autem exul in Anglia anno MCCCXXVII. Liber ergo, quem Fr. Conradus attulisse se ait, ab atavo suo scribi curatum, non est antiquior seculo XIII; atque adeo inscriptum ei testimonium ipsius Conradi, sola memoria trium et sesqui seculorum nixum, nullo modo videri indubitabile debet, dum aliunde habetur quod prædicta vastatio contigerit, non ante sed post mortem Arnulphi Impii.

et plus quam 3 seculis posterius.

8 Quamquam autem, uti ex Conradi Chirographo habetur, Reliquiæ B. Rassonis, id est, a B. Rassone ornatæ Werthensi ecclesiæ, sub hujus destructione fuerint perlatæ in Andess, et appositæ aliis, quas ibi locaverat, Magnus Comes de Andess; immotum tamen mansit B. Rathonis corpus, utpote necdum pro Sancto agnitum, et vel communi cum ceteris Monachis cœmeterio humiliter conditum, vel (si speciale monumentum veluti Fundator obtinuit) loci tamen ruinis involutum: quoad hic, æque ac alia plura ab Hungaris vastata loca, reparatus quadamtenus fuit. Certe anno MCXXXII jam erat in loco Werd Capella, quam Innocentius Papa II anno sui Pontificatus II, ecclesiæ B. Stephani (ad quam a loco S. Georgii Præpositus Hartwicus cum suis Canonicis Regularibus migraverat) de cetero cum omni jure subjacere decrevit. Capellæ autem istius, supra sepulcrum B. Rathonis ædificandæ, occasio sumi potuit a miraculis, patrari cœptis ad ipsum corpus: quod divino aliquo prodigio illustratum, tunc primum elevatum supra terram sit; Andecensibus Comitibus rem curantibus, quorum arx trans Ambronem lacum sita, atque in monasterium conversa hodie Mons Sanctus appellatur sub invocatione S. Nicolai, ut supra est dictum. Majus porro incrementum accepit novumque splendorem religio loci intra annos MDLXXXIX et MDCXI, cum Diessensi monasterio Præpositus esset Balthasar Guntherus. Hic enim, teste Hundio Tom. 2 pag. 274, Ecclesiam S. Rassonis novam eamque ampliorem condidit. Celebratur Dedicationis memoria quotannis in festo S. Udalrici, IV Julii ad id delecto, quia Beatus Comes ipsum Sanctum olim habuit ecclesiæ ibidem a se conditæ consecratorem. Dum autem inter dies Indulgentiarum loco isti concessarum numeratur Dominica ante festum S. Michaelis in Septembri, verosimiliter opinabimur quod prior Dedicatio ceciderit in Dominicam talem. Monumentum autem, in quo hodie Sanctus Comes honorabatur, superius descriptum posset ejusdemmet Balthasaris Præpositi opus videri; factum tamen ad alterius vetustioris mensuram, in quo similiter sculptus Ratho fuerit, sed lineamentis pro anteriorum seculorum usu longe rudioribus. Denique prædicta ecclesia novissime restaurata splendidius seu potius a fundamentis innovata est toto anno MDCXC, cura sumptuque prælaudati D. Renati.

Cum Reliquiis non fuit ablatum corpus Rathonis,

et super eo stabat, an. 1132 Capella,

innovata circa an. 1600

9 Ceterum nihil refert Rathonem vel Rassonem aut Razzonem scribat, manet eadem ratio nominis Rath vel Rass, Germanice significantis Celerem et verosimile est dictum abbreviate pro Ratholdo, quod patri; vel Rathbodo quod avo nomen fuit. Præter vitam autem Germanicam (quam Monachio petitam necdum accepi, forte nec operæ pretium fuerit accepisse) allegat Raderus Membranas Latinas, a prælaudato Simone Præposito sibi missas, in quibus res a B. Rathone gestæ copiose descriptæ leguntur: sed quia nonnulla mendosa in iis deprehendi, inquit, quæ cum reliquorum scriptorum fide non conveniunt, tamquam incerta prætermittenda duxi, ne certa etiam labefactarent. Nempe non aliud Radero propositum erat, quam summariam aliquam Sanctorum Bavarorum notitiam dare. Nobis aliud institutum est, et examine adhibito, considerata etiam ætate aucteris aliisque circumstantiis, novimus separare pretiosum a vili. Itaque illas ipsas membranas gratanter acceptavissemus, si nobis earum copia facta fuisset; iis usuri quatenus nostri operis ratio ferret. Interim accepimus aliud scriptum cui titulus Fundatio ecclesiæ S. Rathonis in Werth, ex antiquissimis membranis collectam a R. D. Sebastiano Makeloher Professore in Diessen, qui vixit et collegit MDXII, qua continetur ipsius S. Rathonis vita: sed epitome istius præferendam judicavimus atque hic edendam eam vitam quam ex iisdem MSS. monumentis collegit ibidem Diessæ sub Simone Præposito Decanus D. Innocentius Keferloher: quia pressius insistit iis quæ cultum antiquum probant: dedimus autem sub ejusdem Decani nomine, XVII Maji etiam vitam S. Possidii; similiter fortassis etiam daturi Vitam S. Alypii XV Augusti, et B. Rathardi VIII ejusdem.

Vita antiquior fabulis inspersa, nobis missa non est

sed brevior scripta an. 1512,

et alia plenior

10 Cum supranotata Makelcheri narratione descripta etiam nobis est vetustissimis Missalibus loci, forma Missæ de Communi Confessoris non Pontificis, Os justi, dicendæ in festo B. Rathonis: in qua tres Collectæ propriæ, Oratio scilicet, Secreta et Postcommunio prædicti cultus antiquitatem validius comprobant: Oratio hæc est: Deus qui B. Rassonem, Confessorem tuum, in terris vita laudabili decorasti, et in cœlis æterna gloria sublimasti; concede propitius, ut omnes qui ejus implorant auxilium, petitionum suarum consequantur effectum. Hunc consecutos esse quamplurimos, testabitur Nucleus miraculosus, ex octies mille ducentis et nonaginta octo miraculis per intercessionem S. Rassonis seu Rathonis patratis ab anno MCCCCXLIV ad MDCXCII decerptus a R. D. Carolo Erath Diessensi: quorum miraculorum pars potior continetur duobus voluminibus, ab anno prædicto conscribi cœptis, quæ tum cum scribebat Keferloherus septenum millium numerum transcenderant, ut ipse ait num. 8 Vitæ. Nucleus autem iste, uti confido, satis erit lectori. Cui enim liberet tam vastam farraginem, verbotenus hic transcriptam legere? Unum addo, alias ab eodem mihi scriptum fuisse, in festis SS. Petri et Pauli Apostolorum ipsiusque S. Rathonis et Dedicationis post concionem, ad quam undique concurritur præsertim XIX Junii solita publicari miracula, eo anno ad Sancti invocationem patrata.

cum Missa et Nucleo miraculorum,

hic dando post Vitam.

VITA

Auctore Innocentio Keferlohero Decano monasterii Diessensis, ex ejus MS.

Rasso hodie, olim Ratho, Bojis Graf Rats, ex nobilissima stirpe Dynastarum Damasianorum in Bavaria fuit profectus. Est Damasia hodie cœnobium Canonicorum Regularium, S. Augustini nomini dedicatum, (Bojis Diessen) olim arx et civitas. Inde natus est Rasso, cujus majores Andecenses fuere. Fuit Andex arx ex adversum Damasiæ, hodie Mons-Sanctus

Ratho ex comitum Diessensium familia

A Sanctus, tota Germania, ob cineres Sanctorum ibi maximo numero conditos, inclitus. Rassoni cum sorore Hatta, Matre S. Conradi Episcopi Constantiensis, Pater fuit Rathbodo: huic Ratholdus, caput gentis Andexianæ, quem Arnulpho Cæsare natum tradunt. Rasso Tetrarcha Bojorum, curabat limitem, qui ad Orientem pertinet, et hodie Austria est; vir ingens et statura procera, ut communem hominis modum excederet, uti saxum *a* tumulo ipsius impositum, ad modum corporis ejus factum, ostendit.

vir potens enim fuit — *a* — *et pius:*

2 Hic vir gloria virtutis, quam sine generis splendore sive mole corporis major, cum totus uni Deo perpetim intendere, et identidem charismata æmulari studeret meliora; ritu apis argumentosæ, manu pia qua Superi coluntur, in honorem Christi et Christi per orbem nuntiis sanctis Philippo et Jacobo, in Werde, (qui locus est in Superiore Bavaria, ad Ambram fluvium consitus) in pede montis, a castro suo, Ratsaubarg dicti, ecclesiam construxit, quam S. Udalricus Episcopus Augustanus rite initiavit juncto Monasterio, quod copiosis reditibus instruxit, ut esset, unde qui altari illic servituri erant, de altari possent vivere, sine periculosa cura necessaria aliunde privatim conquirendi. Cœnobium duodenis B Monachis habitandum, tribuit, Præposito Abbate, sub cujus regimine, juxta Regulam S. Benedicti, Deo militarent.

fundat monasterium Werdense,

3 Cæterum vir Sanctus locum sacrum temporalibus bonis ditasse haud contentus, cum magis spiritualibus divitiis locupletare sategit. Itaque desiderans, cum per se, tum per suos aliosque laudare Deum in Sanctis ejus (dilexit animitus decorem domus Dei) in Werdensi suo Monasterio, quod nuper erexerat, eam sacris Sanctorum pignoribus illustrare instituit: ut fideles eorum illectu copiosius affluentes, suum Deo obsequium hoc accuratius præstarent, quo frequentiores accurrerent. Et vide sis consilium comitis vere pium, quo propositum suum assequeretur. Erat Rasso dux milesque in paucis egregius, nec magis laude Religionis, quam militiæ facinoribus præclare editis passim celebratus, tunc potissimum tempestatis, cum Pannones Austriam, quam Rasso Prætor rexit, assiduis excursionibus vexarunt; quos ille semper felicissime retudit, incertum majorene clientum bono, an damno hostium. Hoc nomine Imperatorem sibi, ut decebat, sic insigniter demeruit, ut præter stipendia solita, C extraordinaria posset seu præmia seu honores deposcere, si aliorum, quam suo, id est, sancto mori obsecundare maluisset. Sed ille ea donaria flagitare, quæ a viro militari hoc vehementius mireris desiderata, quo militum animos ab hujusce videas alieniores, et rariores æmulos sanctitatis. Petiit ille in stipendii auctarium et impetravit facile, ad summum pontificem Romanum, aliosque diversarum Religionum Magnates, honorarias litteras, cum legatis Cæsareis. Quibus certe efficacibus precibus quocumque venisset quidvis in hoc genere pronum erat accipere, quod amasset.

de eoque sacris Reliquiis ornando sollicitus, — *in mercedem operæ bello navatæ* — *petit ab Imperatore commendatitias*

4 His enim instructus, assumpto peregrini (ut assolet) habitu, B. Rasso, cum Juditha, Henrici Principis Bojorum et Saxonum conjuge, Arnulphi seu Arnoldi Mali filia, primum Hierosolymam petiit: ubi æstuantissimo venerandi loca sacra animo cum abunde satisfecisset, magno Sanctarum Reliquiarum thesauro ditatus. Donatus inter cetera, corpore S. Simeonis Prophetæ Christi; corpore item S. Timothei discipuli S. Pauli. Inde digressus venit Constantinopolim, ubi dono gratissimo accepit Sudarium Domini nostri Jesu Christi, quo in agonia constitutus in monte Oliveti usus fuit. Constantinopoli Romam reversus, ab Agapito II summo Pontifice, perhonorifice susceptus est: et apertis omnium Apostolorum, quorum Romæ asservabantur pignora, sepulcris *b*; accepit de exuviis D beatorum Petri et Pauli; Simonis, Thadæi, Philippi, Jacobi, et Bartholomæi; et specialiter data fuere S. Philippi Apostoli sacrum caput, et ejusdem Brachium dextrum, ac S. Joannis Baptistæ mentum; brachium item S. Bartholomæi. Hinc solutis rite gratiarum actionibus, receptaque Apostolica benedictione, contendit Mediolanum; ubi donatum corpus dimidium S. Barnabæ *c* Apostoli, ejusdemque caput Venerandum cum cineribus: quas omnes et his plures sanctorum Reliquias ad suum Werdense Monasterium deportavit, loci ornamenta simul et fidelium illicia et ex utrisque Sanctorum futuros honores. Certe sanctus Comes redux non poterat satiari a gratiis agendis Deo, qui ejus tam longas periculosasque vias semper tam prospere direxisset.

cum quibus tam Hierosolymis — *quam Constantinopoli et Romæ* — *a REP. BLO-NDO* — *b* — *plures insignes acquirit et refert,*

5 Verum enim vero Sanctus Comes, identidem proficiens, et semper se ipso robustior, quæ retro sunt, et eorum quæ egisset bona obliviscens, atque ad anteriora se extendens, nimirum parum existimabat fundum tribuisse monasterio, dotem assignasse, insignibus Sanctorum exornasse corporibus, E aliena hæc et quæ extra se forent dedisse; nisi daret propria. Ea propter se quoque ipsum liberalissimus contulit, factus inibi per professionem solennem Monachus, ac laicus (ut vocamus) conversus, statuens Deo in sanctitate et justitia servire omnibus diebus vitæ suæ; quam sanctis operibus ubertim cumulatam sancto fine conclusit XIII Kal. Julii sicuti testatur Kalendarium vetustius, quod penes Diessense Monasterium est. Corpus beati Fundatoris ac confratris sui Fratres congruo honore tumularunt in sua Ecclesia; quod jam inde maxima populi frequentia quotannis colitur, innumerisque votis, prodigiis, et anathematis celebratur,

atque fit Monachus, — *et pie mortuus* — *claret miraculis*

6 Porro haud diu post viri Sancti obitum Hungaris provinciam devastantibus, Monachi locum fuga deseruerunt, seque in montem Andess cum Reliquiis a B. Rassone quondam allatis, receperunt. Unde factum est, ut diu post ab Innocentio II Papa anno MCXXXII incorporata fuerit Monasterio Diessensi Capella in Werde, illa ipsa quæ nunc dicitur Ecclesia S. Rassonis, agentibus Fundatoribus nostris Comitibus Andecensibus: quæ incorporatio F longissime post confirmata fuit a diversis Pontificibus, Xisto IV sub annum MCCCCLXXXIII, et Alexandro VI sub data anni MDIV.

Monasterio destructo ejus capella — *incorporatur Andecensi*

7 Ad Beati Rassonis invocationem hodieque plurima fiunt, et vere dixeris quotidiana, miracula sanitatum, maxime in herniosis et calculosis: hinc ad ipsius sepulcrum longe lateque concurritur voti ac religionis causa, cum alias, tum præcipue in festo SS. Apóstolorum Philippi et Jacobi, loci Patronorum; in diebus Rogationum, in Natali Beati Rassonis; in Anniversario Dedicationis, qui celebratur in festo S. Udalrici Episcopi Augustani, id est IV Julii. Sic nimirum Dominus Deus, eamdem gratiam, quam Beatus Rasso præbuerat tam vivis amicis Dei, quam eorum Reliquiis defunctorum, servavit et mortui Rassonis sacra ossa, ut pari cum Sanctis honore haberentur digna.

ubi hodiedum celeberrimus est Miraculis,

8 Anno MCCCCXLIV scribi cœpta sunt in commentario (qui adhuc conservatur et continuatur) miracula ad memoriam B. Rassonis maximo numero patrata; quorum supra septem millia notata leguntur, præter ea quæ plurima per scriptorum incuriam prætermissa sunt. Est autem solenne, ut qui voto facto adjuti et curati sunt, beneficium annuntiari curent de suggesto, idque se facturos voto ut plurimum adjungant. Quo in genere annotatum est num. 2031,

quorum plura quam 7000 registrata ab an. 1444.

Puellam

A R. Perlohero

Puellam rusticam hæmorrhoissam, cum esset patrocinio B. Rassonis curata, curationem vero nec pro concione publicari, nec inscribi fecisset, et in morbum relapsam, non convaluisse, donec utrumque præstitit. Simile huic legitur num. 2423.

9 Memorabile etiam est, quod num. 4013 scriptum est, virum spectatum inter suos, incolam Pagi prope adjacentis Turfabel, non multum dissimili morbo implicitum, B. Rassonis ope implorata convaluisse, ad ejus memoriam venisse, concionem et viri Sancti laudes audivisse. Quæ cum ei viderentur nimiæ; atque obstrepens contenderet, Sanctum non esse appellandum; pœnas mox luit, morbo recurrente. Vexatio dedit intellectum. Animadversa enim redeuntis mali causa, palam professus, Sanctum utique Rassonem esse, sospes abiit.

Ecclesia ab ipso nuncupata

10 Itaque jam inde ab aliquot annorum centuriis tam celebre nomen fuit et est B. Rassonis, ut ecclesia ab ipso fundata non amplius S. Salvatoris, aut SS. Apostolorum Philippi et Jacobi diceretur, sed Sancti aut Beati Rassonis comitis; quod et consuetudo in hunc usque diem observat; idque non modo apud populum, sed et Romæ et apud vicinos Episcopos. Sunt ad manum litteræ cum XXI sigillis, a totidem Cardinalibus appensis, ubi conceduntur Indulgentiæ benefacientibus dictæ Ecclesiæ, et eamdem frequentantibus. Sic autem sonant ad verbum.

cui Cardinales 21

11 Rodericus Portuensis, Oliverius Sabiniensis, Marcus Prænestinensis, Julianus Ostiensis, et Joannes Albanensis, Episcopi: Joannes Michael S. Marcelli, Dominicus S. Clementis, Hieronymus S. Chrysogoni, Georgius S. Mariæ trans Tyberim, Paulus S. Sixti, Joannes S. Vitalis, Joannes Jacobus S. Stephani, in Cælio-monte, Laurentius S. Susannæ, Ardicinensis Sanctorum Joannis et Pauli, et Antoniottus S. Anastasiæ, Presbyteri: Franciscus S. Eustachii, Petrus SS. Cosmæ et Damiani, Raphael S. Georgii ad Velum-aureum, Joannes S. Mariæ in Aquirio, et Baptista S. Mariæ in Dominica, Diaconi, miseratione divina sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; universis et singulis Christi fidelibus, præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Gloriosus et excelsus Deus, qui sua mundum ineffabili claritate illuminat; commonet et excitat cunctos Christi fideles ad benefaciendum; ut propter opera sua bona; quæ in terris gesserint, æternæ beatitudinis retributionis præmia et munera valeant et mereantur reportare in cœlis. Cupientes igitur ut Ecclesia Beati Rassonis, monasterii Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Augustensis Diœcesis, congruis frequentetur honoribus, et a Christi fidelibus in debita veneratione habeatur, ac luminaribus, libris, calicibus et aliis ecclesiasticis ornamentis congrue fulciatur; necnon in suis structuris et ædificiis conservetur et manu teneatur, fidelesque Christi eo libentius devotionis causa confluant ad eamdem Ecclesiam, ac ad fulcimentum, conservationem, et manutentionem hujusmodi manus promptius porrigant adjutrices, cum ibidem dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint se refectos, etiam Dilecti nobis in Christo Stephani Illmunstar Presbyteri dictæ Augustensis Diœcesis supplicationibus super hoc inclinati; de omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere pœnitentibus et confessis, qui dictam Ecclesiam in Ascensione Domini nostri Jesu Christi, SS. Philippi et Jacobi Apostolorum, Assumptionis B. Mariæ Virginis, et Dominicæ proxime ante Festum S. Michaelis Archangeli de mense Septembri, necnon ipsius Ecclesiæ Dedicationis, Festivitatibus, a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas inclusive, devote visitaverint annuatim, ac ad fulcimentum, conservationem et manutentionem hujusmodi, manus porrexerint adjutrices, ut præfertur; nos Cardinales præfati, et quilibet nostrum de per se, in singulis festivitatibus et diebus præfatis, quibus id fecerint, centum dies de injunctis eis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium præmissorum, præsentes litteras fieri, nostrorumque sigillorum fecimus appensione muniri. Datum Romæ in domibus nostris, sub anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo, die quarta mensis Februarii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Domini Innocentii divina providentia Papæ VIII, anno sexto.

concedunt Indulgentias,

ad certa quædam festa, et eleemosynam loco factam

singulis dies 100

an. 1490.

12 Sed hanc magnam Beati nomenclaturam, res magis amplificaverit. Constat enim, jam inde ad centum quinquaginta ut minimum annos, imaginem ejusdem B. Rassonis sculptilem, mediam inter imagines Sanctorum Philippi et Jacobi Apostolorum, in altari primario stetisse, et a devotis peregrinis cultam. Cui vetustæ imagini,, remoto vetusto altari et novo erecto, nova similis successit nostra memoria, retentis tamen apud eamdem Ecclesiam, memoriæ et venerationis ergo, prædictis tribus antiquis imaginibus. Sed accedunt amplis ampliora sanctitatis in viro Beato insignia. Devotio enim in B. Rassonem ita efferbuit, ut in Missalibus ejusdem Ecclesiæ ab immemorabili tempore inserta fuerit Collecta propria cum Secreta et Postcommunione de eo. Unde factum ut Presbyter, et ipsi Augustani tam Clerici seculares quam Religiosi, cum Processione quotannis adventantes, integras Missas De B. Rassone legerint, ipsis quoque festis sanctorum Apostolorum Philippi et Jacobi, et Udalrici Episcopi. Qui cultus publicus Beato jam solennis est atque ordinarius, cum incredibili populi consolatione. Faxit optimus Deus, ut per intercessionem magni amici sui Rassonis, paribus eum in hac vita colamus studiis pietatis, et in æterna consimili perfruamur consortio felicitatis. Amen.

Statua Beati inter statuas Apostolorum.

Missa propria.

ANNOTATA D. P.

a *Saxum hoc cujus etiam in commentario prævio facta mentio, vide sequenti pagina suis lineamentis expressum.*

b *An hoc Romanis credibile videbitur, quibus notum est quam religiose caverint Majores sui ne sanctorum Apostolorum, Petri præsertim ac Pauli sepulcra aperirentur, ut patet, ex S. Gregorii Papæ epistolis.*

c *De capite S. Barnabæ ab olim Mediolani servato cum cineribus in Ecclesia SS. Naboris et Felicis ibidemque repertis seculo 13 vide nostra Analecta, ad Acta S. Barnabæ Tomo 2 pag. 448.*



APPENDIX

De professione C. Rathonis et ecclesia, nonnullisque aliis eo spectantibus.

Ex ejusdem Keferloheri MSS. Germanicis, a Carolo Erath Diessensi submissis.

Auctor invitus accedens ad quæstionem,

Illubenter tracto hujusmodi quæstiones : nam, uti me docet Concanonicus meus Thomas a Kempis, nonnisi lites et contentiones inutiles exinde nasci solent, unde superbia, vana gloria, invidia et discordia generantur : neque prosunt ejuscemodi scire cupientibus, sed ipsis sæpe Sanctis displicent. Ne tamen videar quæstionem omnino præteriisse, atque etiam ut veritas eluceat, aliorum ea de re opiniones referam. Ut verum fatear, incertum est, num hujus an alterius Ordinis alumnus fuerit S. Ratho ; unde cujuscumque pii devotique Peregrini judicio relinquitur. ex sequentibus rationibus id credere, quod pro sua devotione lubuerit opinari : cum neque propterea sanctitati, neque piis moribus S. Rathonis quidquam detraxerit. Hoc certum est, cujuscumque demum Ordinis fuerit, magnum Dei amicum fuisse et etiamnum esse ; cujus patrocinio tam præclaras gratias elargiri, et miracula operari dignatur.

præfatur suam cuique de ea opinionem esse liberam,

et asserit in Werdensi S. Rathonis monasterio

14 Non videtur incredibile, Werdæ, in Monasterio S. Salvatoris et S. Rathonis, ejuscemodi fuisse Canonicos, qui secundum Regulam Canonicorum Aquisgranensium vixerint, deinde Canonicorum Regularium S. Augustini Ordinem et institutum secuti, castitatis et obedientiæ votum emittentes, temporalium rerum Dominium et possessionem sibi reservabant ; prout ex Aquisgranensi Concilio manifestum est. Neque in ea omnino fallor opinione

A. Keferlohero Canonicos ex Aquisgranensis Synodi Regula vixisse,

cum non solum tempore S. Rathonis plura, sed etiam sexcentis annis post, id est anno MD adhuc aliqua monasteria reperta fuerint, in quibus tantummodo Aquisgranensis regula normaque vivendi et vovendi fuit observata. Quin etiam nominari adhuc potest quoddam monasterium, cujus Prælatus cuidam Religioso alterius Ordinis scedulam Professionis monstravit, qua Professus iste attestatur, se primum esse, qui per solemnia vota in isto monasterio professionem emiserit circa annum MD.

sicut Diessæ fuerunt

15 Confirmor etiam ex eo, quod credibile sit, S. Rathonem, in erigendo fundandoque suo Monasterio, secutum fuisse vestigia sui Sancti nepotis S. Rathardi, qui paulo ante Diessæ Divo Georgio Martyri, cooperante Germano Fratre suo Episcopo Augustano, etiam Monasterium erexerat, similique vivendi forma instruxerat, quod et ipse Sanctissime gubernavit. Monasterium autem Werdense erectum fuisse pro Canonicis Regularibus S. Augustini, ex eo etiam patere videtur fundamento ; quod Comites Andecenses, restauraturi devastatam extinctamque per Ungaros Diessam, ibique collocantes Canonicos S. Augustini, quales dixi, credi possint cognati sui Rathonis exemplum secuti ; adeoque eosdem tales fuisse, et non alterius Ordinis quales ipsi existimarint vel sciverint apud S. Salvatorem Werdæ extitisse, id est Canonicos Augustinianos. Hujus et fundamenti et opinionis meæ hæc ratio est ; Quod Fundator noster a summo Pontifice Innocentio II Monasterium Werdense impetrarit, illudque noviter a se erecto Monasterio Diessensi de ejus licentia incorporaverit, ut mox latius dicetur.

saltem post restauratum monasterium, et hinc suadetur,

quod talibus etiam Werdense canonicum cesserit.

Pingitur quidem S. Ratho in habitu Benedictino,

16 A multo quidem tempore S. Ratho in habitu Benedictinorum depingi visus fuit, unde vero hæc Pictoribus licentia data sit, me latet : fortassis ex eo, quod Werdenses Religiosi tempore incursionis Ungarorum, Andecum cui postmodum Montis-Sancti nomen obtigit una cum Reliquiis confugerint ; unde Andecenses postea concluserint, ambos ejusdem Professionis seu Ordinis fuisse, atque adeo Benedictinos, quorum Institutum nunc ibidem viget. Sed debile istud argumentum est, quia Monachi S. Rathonis Andecum abiisse potuerunt, quod ibidem sui Fundatoris sedes esset et contra incursiones hostiles pro illo tempore refugium tutum. Deinde certum est, tunc Andeci non fuisse Benedictinos, sed post quingentos annos primum introductos, anno MCCCCLV, scilicet prout patet ex ipsa Chronica Andecensi, editionis tum veteris, de anno MDXCV et MDCXXV, tum novæ de anno MDCLVII. Præterea non licet ex posterorum Regula normaque vivendi, de antecessorum Religione universim concludere : cum etiam hodiedum religiosissimus Ordo S. Benedicti plura et Monasteria et loca jure possideat, quæ tamen prius aliorum Ordinum Religiosi incoluerunt.

forte quia Andecum confugere Werdenses

sed ibi tunc necdum Benedictini erant :

et illorum Conversi æque ac Regularium

17 In recentioribus autem imaginibus tantummodo habitu toto nigro Scapulari. Ex illis ergo non concluditur, eum fuisse Benedictinum : cum etiam laici Conversi Canonicorum Regularium (ut de aliis taceam) non solum scapulare, sed et nigri coloris caputium olim gestaverint, uti ex antiquioribus eorumdem statutis, et renovata nunc praxi manifestum fit. E contra Conversi Benedictini æque alba tunica, prout Conversi Canonicorum Regularium, induebantur. Atque ita ex supradictis rationibus de S. Rathonis Ordine hucusque nihil certi definire potui, sed eam quæstionem æquo impartialique lectori resolvendam relinquo, fueritne S. Ratho hujus an vero alterius Religionis. His absque cujusquam præjudicio expositis explicare lubet, qua ratione S. Rathonis ecclesia monasterio Diessensi annexa incorporataque fuerit.

utebantur tunica alba cum Scapulari nigro

18 Postquam sanctus Presbyter Rathardus Mo-

nasterium

Ex REFERIO-HERO. Diessense monasterium a S. Rathardo fundatum,

nasterium Diessæ erexerat, et magno Christi Martyri S. Georgio dedicarat, atque Canonicos Regulares in illud introduxerat; eosdem sua præsentia similique vivendi forma dignatus fuit laudabili exemplo potius, quam potestate (quæ optima regendi regula est) illis præfuturus; donec tandem ex hac temporali vita in cœlum evocatus, ingentium meritorum (quæ Deus per diversa miracula signari voluit) præmia obtinuit, ad diem VIII Augusti in Sanctorum Fastis memorandus. Postmodum, furore Ducis Arnoldi Monasterium illud non solum omnibus bonis spoliatum, sed et funditus eversum desertumque fuit. Et quamvis idem deinde a duobus religiosis devotisque viris, Udalrico et Adalberto ejus loci Professis, de novo erectum fuerit; non tamen ad conservandam Monasticam disciplinam idoneum visum illis est: quare de eo in locum commodiorem transferendo dicti duo Religiosi deliberarunt.

ab Arnoldo Duce destructum,

alium in locum transfert Comitissa Cunigundis;

19 Hoc pium propositum voluntatemque ut exequerentur, Deus omnipotens tandem ipsos, per devotissimam Comitissam Kunissam seu Cunigundem, singulariter adjuvit. Hæc enim post obitum conjugis sui Comitis Friderici II, Diessæ ecclesiam Protomartyri S. Stephano et cellas aliquot extruxit, tradiditque Canonicis Regularibus, olim Monasterium S. Georgii Martyris inhabitantibus, sub Præposito Hartwigo, viro non minus sapiente quam pio, prout magna S. Mechtildis sanctitas (cui Dux ad perfectionis apicem extitit) poterit attestari, per Vitam copiose scriptam et XXXI Maji Henscheniani excusam. Neque tamen hæc secunda fundatio suis etiam defectibus caruit. Quare Berchtoldi Comitis Andecensis et Diessensis, et Ottonis II Comitis de Wolffertshausen benevolentia, ad tertiam fundationem progressum est: pro qua dictus Comes Otto plura bona, Comes vero Berchtoldus præter bona, propriam quoque arcem Diessensem obtulit, in eamque Monasterii formam introduxit, prout hodiedum cernitur.

eum dotant Bertholdus et Otto Comites.

20 Id ut sufficientibus reditibus dotaretur, uterque Comes et alii Innocentio II summo Pontifice supplicarunt pro Ecclesia et Monasterio consanguinei sui S. Rathonis, quod jam a ducentis annis inhabitatum et ab omnibus derelictum fuerat. Pontifex annuit postulatis decrevitque Monasteria S. Georgii et S. Stephani Martyrum, cum omnibus appartinentiis, bonis mobilibus et immobilibus, huic ultimæ fundationi, titulum S. Mariæ Virginis ferenti, plene incorporari, prout etiam idem Pontifex Monasterium et Ecclesiam S. Rathonis cum omnibus appartinentiis Monasterio Diessensi tradidit, per expressas litteras seu Bullam sub dato MC XXII prout latius in dicta Bulla continetur. Et hanc incorporationem postmodum alii Pontifices, scilicet Sixtus IV, MCCCCLXXXIII, et Alexander VI MDIV confirmarunt: ab eoque tempore Werdense Monasterium Diessensi mansit incorporatum, remanetque usque in hodiernum diem, nemine reluctante, jam ab annis quingentis.

et Werdensem eclesiam illi subjiciunt, an. 1132.

21 Postquam S. Salvatoris seu SS. Philippi et Jacobi Monasterium et Ecclesia, nunc S. Rathonis in Werth dicta seu potius eorumdem rudera cum fundis illuc spectantibus Monasterio Diessensi B. Mariæ Virginis cesserant possidenda: zelosissimus et piissimus Præpositus Hartwigus, nihil prius faciendum sibi putavit, quam S. Rathonis exuviis superextruere ecclesiam novam, sicut et fecit. In hac cum sanctitas earumdem, per crebra grandiaque miracula infirmis exhibita, magis magisque innotesceret; et propterea devotorum Peregrinorum concursus indies augeretur, ideoque Ecclesia illa angusta nimis visa fuisset, Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus Balthazar Guntherus Diessensis Præpositus (cujus apud quosdam senes et nunc memoria est) Monasteriolum prædictæ Ecclesiæ adjunxit, mireque ampliavit, et diversis picturis ornavit, circa annum MDXCIII.

Hanc Hardwicus Præpositus restaurat;

et an. 1593 ampliorem facit alius

accedit nova sacristia cum choro,

22 Repertum quoque fuit, veterem sacristiam nimis angustam esse, veterisque Sacelli altare incommodum diffractumque, quare de consensu Ordinarii Augustani, destructo altari, amplior sacristia, et desuper Chorus extructus fuit, pro majore quiete et commoditate Religiosorum; qui pro majoribus illius loci festivitatibus Diessa ad S. Rathonis migrant, prout oculis licet etiamnum arbitrari. Ibidem S. Rathonis statua inter sanctos Apostolos Philippum et Jacobum media cernebatur in summo altari, ab annis ducentis et a devotis peregrinis colitur. Verum ubi vetus altare amotum fuit novumque substitutum; aliæ quoque statuæ tam S. Rathonis quam dictorum Apostolorum fabricatæ, et ut supra in altari collocatæ fuerunt; veteribus interea, et antiquitatis et majoris devotionis gratia, in dicta Ecclesia asservatis.

et statuæ Sanctorum innovantur.

Ossa S. Rathonis elevantur 1468

23 Anno MCCCCLXVIII, III Julii de consensu Domini Georgii, tunc Generalis Vicarii pro Reverendiss. in Christo Patre et Domino, D. Petro S. R. E. Cardinali et Episcopo Augustano, sacra ossa S. Rathonis, in profundo puteo inventa, exhumata fuerunt. Erat autem corpus proceræ staturæ e quibus os quoddam brachiale in Monasterio Diessensi pie asservatur; digitus quoque unus argenteæ deauratæ capsæ inclusus fuit: cetera in marmoreum sepulcrum a terra elevatum condita fuerunt, erecta desuper Sancti statua, in quo hucusque quiescunt, innumeris (ut constat) clara miraculis.

Indulgentiæ an. 1490 concessæ,

et asservatio S. Sacramenti.

24 Post hæc anno MCCCLXC quindecim Episcopi et viginti Cardinales, diversis temporibus (prout eorum litteræ attestantur) diversas Indulgentias elargiti fuerunt omnibus, qui Ecclesiam S. Rathonis devote, in præcipuis ejusdem festivitatibus, visitaverint, prout deinde latius dicetur, Anno post dictas Cardinalium litteras sequenti MCCCCXCI D. Vicarius Generalis Reverendissimi in Christo Principis et Domini Friderici, Episcopi Augustani, concessit facultatem conservandi in ecclesia sanctissimum Altaris Sacramentum.

Reliquiarum olim inde ablatarum Catalogus

25 *Hæc sunt quæ Werthensis ecclesia hactenus ostendit, ad memoriam et honorem S. Rathonis: Andecensis vero mons, præter alias insignes Reliquias, quarum causa meruit Mons-Sanctus vocari, de Reliquiis per Sanctum prædictum depositis in sua ecclesia, et hac destructa Andecum translatis, plures servat: uti legere est in Chronico Andecensi Hergeri Berger ex quo sub annum* MDCLVII *impresso, hunc earum Catalogum accipe.*

1 Ossa Simeonis Prophetæ et Thimothei discipuli S. Pauli.

2 Media pars Sudarii D. Nostri Jesu Christi, quo in horto Gethsemani sudorem sanguineum abstersit, eidem Constantinopoli tradita.

3 De Sanctissima Cruce Salvatoris nostri.

4 De S. Christi sanguine.

5 De Mappa Domini nostri, in qua cum Discipulis suis ultimam cœnam sumpsit.

6 De Mappa B. Mariæ Virginis.

7 Cranium S. Georgii Martyris.

8 De Cranio S. Mariæ Magdalenæ.

9 Caput S. Agathæ Virginis.

10 De Ossibus SS. Apostolorum Romæ quiescentium, de S. Petro.

11 De S. Paulo.

12 De S. Simeone.

13 De S. Juda Thadæo.

14 Caput et Brachium dextrum S. Philippi.

15 Brachium S. Bartholomæi.

16 De Gena S. Joannis Baptistæ.

17

A 17 Mediolani obtinuit mediam partem Ossium S. Barnabæ Apostoli, et caput et cineres.

NUCLEUS PRODIGIOSUS
A R. D. Carolo Erat Can. Reg. Diessensi

Exceptus ex 8298 miraculis descriptis ab anno MCCCCXLIV *ad* MDCXCII.

AD LECTOREM.

Aliis multis monumentis deperditis,

Ne mireris, amice lector, Nucleum hunc ab anno dumtaxat MCCCCXXXXIV initium sortiri, cum tamen constet S. Rassonem anno DCCCCLIV, XIX Junii e vivis excessisse. Uti enim sanguinolentus Helluo bellicis suis tumultibus plurimos thesauros exhausit, ita et nostra pulcherrima documenta, quæ ex antecessorum nostrorum fide dignissimis relationibus extabant, crudeliter debacchatus est: qui tamen eo exurgere nequivit, ut non saltem hanc antiquitatem, in summum nostrum solatium et sanctissimi Thaumaturgi honorem relinquere coactus fuerit. Cum igitur, saltem ex hoc residuo, petierit Adm. R. P. B Daniel Papebrochius nonnulla selectiora miracula, ne opus nimium excresceret, eidem lubens annui; ut exinde benevolus lector, tamquam ex ungue leonem deducere possit, quanti apud Deum meriti et pientissimi in suos clientes affectus extiterit, et etiamnum existat S. Rasso. Ubi tamen te monitum velim, in antiquo quodam nostro codice distinctum annorum numerum non fuisse expressum, ab anno MCCCCXXXXIV usque ad annum MDLIX, ab hoc autem usque ad annum MDXCIV, quemlibet specialiter fuisse designatum; quod idem continuari cœptum ab anno MDCXII usque ad annum MDXXXIX inclusive. Quod si desiderares miracula ab anno MDXCIV usque MDCXXXIX scias itidem, ea omnia in Suecico tumultu fuisse deperdita, nec extare, nisi duo miracula, quorum unum MDCXXIV, alterum MDCXXXVI contigisse legimus.

gaudet Auctor superesse testimonia miraculorum

primum absque anno,

deinde cum illo, ab an. 1559

* *Hoc loco obrepserat Diessæ numerus anni* MDCXII *manifeste contrarius textui, et sub ipsum impressionis articulum dumtaxat deprehensus: raptim igitur correctus error est per conjecturam; quæ an felix fuerit Diessensibus, judicandum relinquo: neque enim licet tam levi causa prælum sistere.*

Illusores S. Rassonis recentes puniti, sed iterum ab eodem liberati.

Virilia sartoris cujusdam de Maurem putrida tabe adeo erant cunsumpta, ut nec ullius remedii spes C affulgeret: unde S. Rassoni sese devovit, a quo medicam manum mox est expertus. Gratiæ huic gratum se stiturus, ejusdem Sancti Ecclesiam devote visitat, et quas potest maximas grates defert. Videt hoc famulus dicti sartoris, et conspecto S. Rassonis monumento illusorie in hæc verba prorupit: Quid iste aliorum saluti prospicere possit, qui et ipse tam miserabiliter in marmorea hac tumba delitescit? sibi ipsi succurrat, si tanta polleat potentia. Dixit, et ecce vindicem Dei manum. Vixdum sartor cum hoc famulo ab Ecclesia discedit, cum in via miser famulus longe majori tabe intensioribusque doloribus eadem corporis parte corripitur, ut vix pedem movere potuerit. Agnoscit miser errorem, dolet animitus, seque ipsum S. Rassoni devovet, ac corde contritus ad Ecclesiam revertitur, ubi mox pristinæ incolumitati restituitur.

2 Hospitissa de Wielenbach beneficiis S. Rassonis omnem fidem denegabat, unde repente in furorem acta tamdiu loquela destituebatur, quousque votum fecisset, propediem S. Rassonis sepulcrum visitandi; ubi de incredulitate compunctæ lingua resolvebatur anno MDLI.

3 Postquam nonnemo de Turggenfeldt per intercessionem S. Rassonis convaluisset, eaque propter D concioni et Divinis in ejus Sancti Ecclesia interfuisset; ex ambone summopere celebrari audivit cœlestem medicum suum, ac insuper nomen Sancti eidem imponi. Displicet hoc ingrato auditori, palamque idcirco murmurat, indignum ratus, qui his encomiis condecoraretur, quem tamen vindex Dei dextera sapere docuit, dum pristino morbo correptus, urgentibus dolorum aculeis, publice profitebatur, sanctum Rassonem hoc nomine dignissimum esse: quo facto per merita sancti Rassonis denuo curabatur.

PER CAR. ERATH

4 Gulielmus Mayr, de Erlingen, tribus continuis annis calculi doloribus prope consumptus, sanctum Thaumaturgum nostrum invocat, et penitus liberatur: quia tamen miraculum hoc pro futura publica denuntiatione annotari neglexit, in via ob reduces calculi dolores prope deficit. Inclamat æger priorem suum medicum, qui de nocte apparens eumdem monuit, ut factum miraculum inscribi et denuntiari curaret. Obtemperat æger, et revalescit.

Negligentes in exequendis votis pristino malo corripiuntur;

5 Idem contigit Textrici de Landsperiedt, quæ mundatam prolis suæ lepram denuntiari noluit, unde proles mox iterum lepra corripitur, nec mundatur E nisi facta legitima denuntiatione.

6 Eamdem pœnam subiit Joannes Schneider de Altingen cum analeptico suo infante.

7 Georgius Grengl senior de Schwarz, scripto attestatur, se integris quatuor annis calculi et nephriticis doloribus excruciatum fuisse, nec ullum vel remedium aut levamen obtinere potuisse; tandem tamen a nobili D. Vito Penzl admonitum, ut munere quopiam S. Rassoni se devoveret, nihil hæsitando, quin manus Thaumaturgica omnes dolores sit suppressura. Placet consilium Georgio, appromittit in singulos vitæ dies unum Pater et Ave cum annua peregrinatione, et cereo oblato; quam devotionem benigno obtutu a S. Rassone acceptam testabatur subsequens incolumitas. Unde mox ad Ecclesiam perrexit, gratoque animo promissa exolvit: eo unico omisso, quod miraculum non intimaverit. Quod cum et altera vice (animum stimulantem nihil veritus) reticuisset, mox adhuc in hospitio pristinis doloribus tam intense torquebatur, ut vix sustinendos judicaret. In quem finem vocari jussit loci vicarium a quo cum id consilii accepisset, ut votum denuo innovaret, denuo supplex fit, jubetque afferri atramentum, quo omnia annotari possent; quod tanto suo emolumento præstitit, ut ante opus inceptum notæ F magnitudinis calculus, in vicarii et ægroti uxoris præsentia, promearit: Georgiumque omni deinceps molestia liberaverit, anno MDCVIII.

8 Anno MDCLXXIX medicam S. Rassonis manum in occulto corporis affectu expertus est Paulus Stokhl, faber in Nozinque: quod dum pro publica denuntiatione voto promissa inscribi erubescit, tamdiu pristinis doloribus affligitur, quousque indicasset.

item alii similiter rei.

9 Iteratum malum subire cogebatur Casparus Greiff anno MDCLXXXVIII, ob negligentiam matris Barbaræ Greiffin de Gerezhoven; quæ cum Casparum hernia affectum peperisset, S. Rassoni pro obtinenda incolumitate ceream imaginem, tres crucigeros, ac totidem Rosaria appromisit, juncta obligatione, ut si Casparus septimum annum attigisset, ipsemet hoc votum exequeretur. Exauditur supplex: quia tamen votum differt, filius pristino affectui subjicitur, nec liberatur nisi post votum impletum.

10 Eamdem prorsus negligentiam, in suo patre Adamo Heile de Amberg in Suevia, luere debuit Josephus filius, per intercessionem S. Rassonis a ruptura liberatus; cui ætate provectiori, ex voto patris, incumbebat annua peregrinatio, quam interim parens exsolvere promiserat. Omittit semel, et confestim

dolens videt, filiolum adeo iterata ruptura affectum ut balbutiens rogaverit patrem, cœptæ devotionis vestigiis insisteret. Annuit parens, et filius revalescit, anno MDCLXXXVIII.

11 Nec dispari exitu mulctabatur uxor Georgii Schuester de Stainebach, manibus pedibusque curvata: quæ dum voto facto sanitatem obtinuisset, et tamen promissa distulisset, docetur exequi iterato et grandiori malo: a quo tamen denuo se liberatam experitur, dum voto satisfacit.

12 Uxor Joannis Leschen de Presling, gravem oculorum defectum in prole deprehendit: quapropter cereos oculos in S. Rassonis honorem se oblaturam spondet: quia tamen votum differt, proles omnino excæcatur; nec restituitur, nisi voto expleto.

13 Idem contigit filiæ Henrici Mayr de Pachoven qui filiam gravi infirmitate ac insuper inusitato horrore Sacramenta aversantem, voto facto vidit incolumem, sed ob executionis negligentiam tamdiu priori miseriæ subditam, quousque promissis stetisset.

Infirmitas et horror Sacramentorum curatus

14 Joannem Paumgertner Frisingensem fatalis inimicus tanta tristitia affecit, ut ob comminatam vitæ bonorumque jacturam nesciverit effugii locum atque adeo prope desperaverit: quem tamen nocturna apparitione erexit S. Rasso, albis vestibus indutus, paterne innuendo, ut voto facto sibi supplex fieret. Obsequitur miser, confestimque interius pacificatur, et simul inimicum reconciliatum lætus experitur.

15 Margareta Prunmayrin de Dinzlbach gravissimis tentationibus prope absorpta, et ad insaniam redacta, cum infensissimo hosti imparem se conspiceret, ad gloriosissimum Heroem nostrum confugit: cujus invicta dextera adeo leonem infernalem infregit, ut cum Psalte regio sibi occinere potuerit; Laqueus tentationum contritus est, et ego liberata sum.

Tentationes superatæ

16 Eidem insultantem bestiam gloriabunda devicit ope S. Rassonis, mulier quædam, execrandis blasphemiæ tentationibus continuo vexata, anno MDCXXXI.

17 Sixtus Beer, Lanio Augustanus, per quatuor septimanas omnibus sensibus destitutus, ultimis quatuordecim diebus adeo furore exarsit, ut præter ferream catenam vix quinque viri eum detinuerint. Postquam autem S. Rassoni fuerat commendatus, totus furor remiserat.

Mente inopes restituuntur

18 Cum Georgius Hueber Frisingensis ferream suam catenam, qua per medium annum propter insaniam vinciebatur, voto S. Rassoni facto commutasset in catenam ceream, pro pediem eidem offerendam; liberum se ac integræ menti restitutum vidit.

19 Hoc idem beneficium expertus est Wolfgangus Hueber de Puelach, cujus filius per biennium mentis inops resipuit, cum cereum cranium pro eo promisisset.

20 Anno MDCXXXIX Georgius Winckhlerde Ramse filiolum suum ab incunabulis fascinatum, et per integrum annum continuis doloribus oppressum a præstigiis exsolvit voto peregrinationis et Missæ sacrificii emisso.

Præstigiæ, incantationes, fascinationes solutæ.

21 Idem beneficium eodem voto expertus est Joannes Deisl de Windach adhuc puerulus anno MDCXXXX.

22 Anno MDCXC duo equi Walburgæ Weissin de Ochinque præstigiis diabolicis adeo erant infecti, ut per dies quatuordecim nihil potuerint comedere. Misera mulier fit supplex S. Rassoni, devovet in ejus honorem missæ Sacrificium, crucigerum, Rosarium, et publicam denuntiationem. Nec mora, mox voto facto uterque equus liberrime comedit.

23 Anno MDCLXXXVIII Barbara filiola Michaelis Mang Monacensis ab utero materno ad annum usque septimum morbo epileptico multoties gravissime vexabatur: quam cum parens peregrinatione ad S. Rassonem, Missæque sacrificio eidem sancto devovisset, mox voto exsoluto penitus liberabatur.

Curata epilepsia,

24 Idem attestatur anno MDCXCI Regina Lamerin Monacensis, de filio per annum et dimidium epileptico, et per intercessionem S. Rassonis confestim ac omnino persanato.

25 Filiola Barbaræ Geroldin de Blivenogg, sæpissime epilepticæ instar repentino casu corruerat: quam primum autem a Matre certis precibus S. Rassoni fuisset commendata, nihil unquam tale quid ei acciderat anno MDCXCII.

26 Uxorem Conradi Iakhl de Mittelsten, sæpius apoplexia tactam, in somnis admonuit S. Rasso, ut sibi devota fieret. Annuit mulier, et confestim sanatur.

et apoplexia.

27 Anno MDCXCII detulit Wolfgangus Sundermayr, adeo se apoplexia tactum fuisse, ut sex integris septimanis nec manum movere, nec pedibus consistere potuerit: qui tamen singulari devotione erga S. Rassonem accensus, primo voti momento sanitati restitutus est.

28 Joanni Haberseyer de Lengenfeldt in carcere apparet S. Rasso: quem cum invocasset captivus, votumque ad ejus Ecclesiam emisisset, vincula disrumpebantur, liberque exitus patebat.

Captivi liberati.

29 Nec uxor civis cujusdam Monacensis noverat meliori moneta maritum suum in Italia in carcerem conjectum eripere, nisi voto et precibus S. Rassoni oblatis, quod et obtinuit.

30 Uxor N. Schopper de Oberbrunn, porrecto et exhausto veneno morti proxima ad S. Rassonem confugiens, vim expultricem et salvificam confestim experitur.

Haustum venenum expellitur

31 Christina Mayrin de Inningen, ab aranea venenata; et filius Georgii Schneider de Westerdorff, morsu serpentino infectus, adeo intumuerunt, ut remedii ultima spes extiterint preces S. Rassoni oblatæ, quibus et malum adeo serpens expulerunt.

Infecti aranea et morsus serpentinus curati.

32 Contra hanc luem præstantissimum medicum expertus est S. Rassonem Michael Wagner de Wengen per integram horam mortuo similis anno MDCLXV. Item Laurentius Tablander et Nicolaus Reindl, cum aliis quamplurimis, tametsi subinde longo tempore fuissent detenti. Ac tandem novissime anno MDCXCI filiola Catharinæ Kamerlocherin de Weixlbrunn.

Phrenesis suppressa.

33 Eodem anno idem asseverat Maria Barchtoldin Diessensis in Bavaria; cujus filiola Magdalena longo tempore, frustratis omnibus medicamentis phrenetica promisso Rosario et peregrinatione ad S. Rassonem convaluit.

34 Anno MDCXCII phreneticam suam filiolam Catharinam unico et optimo medicamento restituit Anna Bokhin de Aich, quod eam S. Rassoni facto promisso certarum precum, et oblationis duorum crucigerorum devoverit.

35 Telonarii Pruggensis filius, hora dimidia aquis submersus, ope S. Rassonis incolumis emergit.

Repentinis casibus et in aqua suffocatis reviviscunt.

36 Infans quidam Landtstetten e puteo extractus, per tres dies semimortuus, eadem ope integræ sanati restituitur.

37 Georgius Aeinmajir de Diessen opportune vidit infantulum biennem vasi aqua pleno immersum: accurrit attonitus, extrahit, et signum vitæ expressurus graviter concutit, quia tamen nullum signum apparebat, gemebundus inclamat opem divinam, B. Virginis Mariæ ac S. Rassonis: quo facto concutit

cutit denuo. Et mox aqua copiosa ex ore profluit, nullo tamen edito vitæ signo. Repetit suspiria, plenusque in Deum ac Sanctos fiducia tertio concutit, ubi non tantum copiosus aquæ profluxus, sed etiam certum vitæ signum apparet. Quarto tandem S. Rassoni præsentem infantulum cum tribus aliis filiolis devovet, et brevi omnino incolumem amplectitur.

38 Anno MDCL testatur Wolfgangus Baur, molitor de Unperwindach, filiolam Walburgam spatio sex passuum aquis innatasse, ac tandem fruticeto pedibus in sublime erectis inhæsisse; indeque extractam tamdiu omni vitæ signo caruisse, quousque votum fuisset factum S. Rassoni; quo vix edito puella se movit, ac patri integra accurrit.

39 Georgius triennis filiolus Bernardi Schwarz de Janingen, aquæ immersus, a rota fulonaria adeo apprehenditur, ut rotam stiterit, atque miser infans rotæ et aquæ inflexus hæserit. Solutus deinde et extractus, nullum vitæ signum edebat, donec post horæ quadrantem vivifica S. Rassonis dextra, per sacrificium Missæ imploraretur: ubi mox vivum ac successive omnino restitutum vidit anno MDCXVI.

40 Anno MDCLXXXIV Justina Schraitin de Raistingen, filiola Melchioris Schrait, subito in torrentem prolapsa, ducentis passibus per aquas vehebatur: unde extracta nullum et ipsa omnino vitæ signum edidit. Adstitit Lugubri huic spectaculo Georgius Gigl, affinis Melchioris, puellamque S. Rassoni commendabat; voto facto, curaturum se ut Sacrum ibidem legeretur; cum ecce! illico puella loquitur et optatæ sanitati restituitur.

41 Anno MDCLXXV Philippus Untridt de Kottalting extruendæ ejusdem Ecclesiæ operam dedit, ubi subito e sublimi 16 pedum in terram delapsus, omni vitæ signo carebat. Adstitit parens Philippi, confugit voto facto ad S. Rassonem; movet se filius, et spatio sex dierum omnino convalescit.

42 Eodem anno medicam ejusdem manum experta est Eva Dietrichin de Braitbrunn, quæ ob periculosum lapsum duabus grallis per quindecim septimanas, et uni per integrum annum absque ullo medicamentorum effectu innitebatur. Terreno itaque subsidio destituta, S. Rassonem promisso Missæ sacrificio sibi devincit, et successive optatæ incolumitati tam dextre restituitur, ut quosvis labores absque ullo adminiculo subire potuerit.

43 Oculatus testis refero, anno MDCLXXXIV Nicolaum Reinde de S. Georgio Parochiæ Diessensis ob ingentis ligni in ipsum delapsi molem omni loquela adeo fuisse destitutum, ut ego ipsemet intra tres septimanas ejus Confessionem non nisi per signa excipere potuerim. Promittit parens Nicolai duos crucigeros et publicam denuntiationem: convalescit filius et integerrime etiamnum loquitur.

onusti curru transvecto et oppressi eripiuntur illæsi.

44 Anno MDCXLIII depositi Georgius Thomas de Morenweis se transvecto integro fimi plaustro propriam septennem prolem adeo oppressisse, ut toti plaustro penitus succubuerit. Ejulat infans, respicit parens, et accurrendo recordatur S. Rassonis, eumque invocat, ac vovet Missæ sacrificium, et si indemnem reciperet prolem, curaturum ut publice denuntietur. Amovet tandem plaustrum, accurate perlustrat corpusculum, nec deprehendit, nisi talum a sua junctura semotum, qui tamen mox iterum repositus est.

45 Idem beneficium expertus est nobilis D. Georgius Christophorus de Arzet Judex oppidanus Diessensis anno MDCXLVI; qui filium sexennem Maximilianum in pari casu S. Rassoni devovit, dum eumdem conspexit, dextro pede onusto curru correptum, sed tamen precibus S. Rassonis omnino illæsum.

PER CAR. FRATII S. Rasso variis vulneribus medetur.

46 Proles Joannis Weber de Memingen subito e scamno delapsa, adeo fortiter in fusum impingit, ut fusus in ejus oculo medius diffringeretur: quo casu ob copiosum sanguinis fluxum, et quia fragmentum aliquod de diffracto fuso multis diebus oculo ejus erat infixum, misera proles visu destituebatur. Sed ecce! dum parens infantem S. Rassoni devovet, mox fragmentum fusi sine ullo medicamine ex oculo prosilit, ac prolem omni periculo liberat.

47 Animæ potius quam corporis medicum expertus est S. Rassonem Georgius Roming de Ruepach: cum enim ob vulnus capiti inflictum nec verbum loqui potuisset, tantum tamen obtinuit, ut mox voto facto confiteri, et loquelæ beneficio ad tres residuos vitæ dies uti potuerit.

48 Anno MDCLXVI equus Mariæ Freisingerin de Traubingen tam fortiter in palum insiliit, ut exinde lethale vulnus accreverit; et quia omnis vitæ spes defecerat, S. Rassoni fiebat supplex: appromisit duos crucigeros cum publica denuntiatione, et pedetentim restituebatur.

49 Oppido mirabilem dexteram sensit Sebastianus Ranz de Holzhausen, cujus filiola post novem a nativitate menses fistula bina vice adeo concrevit, ut nec guttula permeare potuerit. Jubet parens prima vice præscindi fistulam, sed mox iterum antiqua correctio. Jubet et secundo, sed addit votum et invocat S. Rassonem, quo facto infans penitus liberabatur anno MDCLXXII.

50 Leonardus Penterieder de Mauz anno MDCLXXX tude olivaria tam periculose atterebatur, ut ab omnibus mortuus crederetur; a quo tamen cum nonnihil respirasset, per aliquas septimanas tam continuis doloribus cruciabatur, ut ad ultimum usque vitæ halitum duraturos formidaret; quibus insuper tanta aurium obstructio accesserat, ut nihil prorsus audiret. In tantis miseriis constitutus auxiliarem manum S. Rassonis invocat, vovet cereum caput et Rosarium: ac confestim tam aurium defectu quam omnibus aliis doloribus liberatura.

Pest. sedatur.

51 Cum anno MDCXI ex communitate Lemeringana totaliter infecta, jam aliquot personæ lue pestifera fuissent sublatæ, votum fiebat S. Rassoni, peregrinaturos sese ad Sancti Ecclesiam: et ecce! eadem hora contagio tollitur.

52 Anno MDCIX certa lues in equos, vaccas, et sues viciniæ Waldstattensis adeo grassabatur, ut intra octo dies aliquot deperierint, et insuper quatuordecim ruinæ proximi fuerint. Perterriti hoc malo vicini, ad artes diabolicas confugerunt; jam jamque designarunt Martinum Baader, qui ex certa venefica remedium peteret: de quo tamen compuncti, suspiria et vota in S. Rassonem emittunt, vovent peregrinationem, et Missæ sacrificium; ac mox non tantum pecus jam infectum restituitur, sed insuper tota lues sedatur.

53 Filius Joannis Loder de Lautterbach, lue contagiosa adeo consumebatur, ut in momenta vitæ exitus expectaretur: quia tamen pater id ipsum linteum S. Rassoni devovit, quo filius post mortem esset involvendus, sanitati restituebatur.

Mortui resuscitati.

54 Anna Kirschnerina de Obermeittingen a conceptione solum modo tredecim septimanis in morbum tam gravem incidit, ut fœtum immaturum longitudine unius digiti enixa fuerint: quam cum ægra mater vitæ signis destitutam vidisset, eumdem cereo oblato S. Rassoni devovit. Nec mora, cum illico fœtus se movit, et evidentissima vitæ signa tamdiu edidit, quo usque a Parocho fuisset baptizatus.

55 Mortuum ibidem infantem peperit Margareta Majirin de Osmaring cui, ut vitam recuperaret,

PER CAR. ERATH

S. Rassonem invocat : quo facto, omnibus videntibus infans linguam movet et baptizatur.

Prægnantes partus difficultate liberatæ

56 Nobilis matrona, Agnes Eresingerin de Turggenfeldt, triduana partus difficultate ad extrema redacta ; cum loqui amplius non posset, voce interna, cereoque oblato S. Rassonem inclamat, et doloribus liberatur.

57 Pariter post dies quatuordecim lætabunda genitrix efficitur uxor Ephippiarii de Pizling, cum cereo munere S. Rassoni sese obstrinxisset.

58 Eodem adjuvante, extremo partus periculo eripitur Regina Hueberin, anno MDCXXXVI, cum ceream imaginem devovisset : quo ipso voto octiduanam difficultatem repulit Maria Nosnerin de Adeltshosen, anno MDCLXXXVII.

59 Pariter liberata est uxor Francisci Stadler de Unering anno MDCLXXXVIII. Et tandem anno MDCXCI a summis doloribus ac summo vitæ periculo redempta est Maria Wintergrienin.

60 Anno MDCLXXXVIII, cum Salome Molin de Elchingen gravidam se advertisset, quæ prius jam altera vice prolem mortuam ediderat ; solicita ne tanto infortunio denuo succumberet, ad S. Rassonem confugit : qui de nocte ei apparens, prolem vivam ostendit, quam et exultans peperit.

Lues scabiosa instar lepræ curata.

61 Anno MDCLXXXV, testatur cum aliis fide dignis Martinus Spiess de Puechla, se toto corpore lue tam scabiosa infectum fuisse, ut mortem propinquam certo crediderit. Cum igitur nullum aliud medicamen depellendo malo sufficeret, vovet annuam peregrinationem cum certis precibus, ac oblato ad Ecclesiam S. Rassonis, et convalescit.

62 Joannes Penteriedez de Mullhausen deponit, tres liberos suos tam turpi et gravi capitis lue fuisse infectos, ut summopere timuerit, ne miserabili lepra obruerentur : quapropter tribus Missæ sacrificiis S. Rassoni supplex factus, meruit et ipse optatam opem ac sanitatem.

Dolores capitis mitigati.

63 Georgius Pfister de Underschondorff propter intensissimos capitis dolores surdaster effectus, utroque malo per merita S. Rassonis liberatur.

64 Femina Monacensis ob dolores capitis, sæpius in deliquium prolapsa, invocat S. Rassonem et confestim sanatur : quod idem expertus est Joannes Mayr de Ebersperg.

65 Elisabetha Schuesterin de Geisering, præter vertiginem peracutis insuper capitis doloribus pressa, invocato S. Rassone convalescit. Eodem beneficio vertiginem biennis filioli sui fuisse curatam, testatur Walburga Ostermayrin de Immerin. Anno MDCLXXXVI.

66 Georgius Wolff de Peutgarten quinque continuis septimanis ob capitis dolores omnibus sensibus destitutus ; tandem in somnis S. Rassonem videt, cui se devovens mox resipiscit.

67 Anno MDCLXXXVI, medicam itidem S. Rassonis manum experta est virtuosa virgo Maria Barbara Hormanin Diessensis in Bavaria, cum integro septennio capitis defluxu, absque ullo medicamentorum fructu laborasset. Ubi mirare, mi lector, quod dicta Barbara alia pia loca prius selegerit, Sanctorumque opem imploraverit, nullo tamen effectu ; quousque ad hunc nostrum Thaumaturgum precabunda confugisset, voto emisso, se tria Rosaria cum oblatione sex crucigerorum, lectione S. Missæ sacrificii, et publica denuntiatione oraturam.

68 Gratos quoque sese stiterunt S. Rassoni Catharina Holzerin de Oching anno MDCXC et Andreas Volckh de Geltendorff anno MDCXCI : quorum prior per integrum annum, posterior vero per tres menses gravissime affligebatur ; mox tamen sanitatem recuperaverunt, cum votum S. Rassoni fecissent. Hoc idem præstitit anno MDCXCII Maria Triedlingerin de Kottgeisering quinque septimanis afflicta.

Cæci illuminati.

69 Anna Prandtlin de Arassla integro quadriennio oculis capta visum recipit, dum promisso Missæ sacrificio opem S. Rassonis implorat.

70 Eumdem providissimum Ducem in remedium suæ uxoris quæsivit Udalricus Arasser de Germisch, quam ultra biennium visu destitutam lætabundus incolumem recepit, dum adhuc in via voti exsolvendi detinebatur.

71 Dum inaudisset Thomas Gropper Diessensis, infantem cæcum sibi natum ; gravi ob id mœrore prope consumebatur, ignarus quid consilii aut remedii caperet : tandem tamen mentis aciem in S. Rassonem stringit, eique excæcatæ prolis lumina illuminanda offert, ac efficit, ut cæcus natus post decemdium perfecte viderit.

72 Anno MDCLXXXVII defert Raymundus Knoller, molitor de Ochingen, filiam suam Mariam per intercessionem S. Rassonis illuminatam fuisse, postquam sex septimanis lumine caruisset.

73 Repentino et lugubri filiolæ suæ casu nimium quantum affligebatur Barbara Millerin de Parkurchen, cum eam sexennem excæcatam intueretur ob acum oculo infixam : cujus dolor et miseria plurimum inde accrevit, quod viginti septimanarum intervallo spes nulla visus recuperandi affulserit. Urgetur igitur, et instruitur ab amicis, ut S. Rassoni pro ea supplex fieret : quo facto, puella mox convaluit.

74 Magno suo bono eumdem S. Patronum sibi delegit Maria Schmauzin de Traubingen, cujus patrocinio non tantum gravissimos dolores per medium annum toleratos, sed etiam obductam pelliculam feliciter abstersit, postquam promisso Rosario, oblatione crucigeri et curanda publica denuntiatione dicto Sanato supplicasset.

75 Idem omnino experta est Anna Schmalzin de Praffenhofen anno MDCXIII : cujus filiæ vicennis pellicula nullo prorsus alio medicamine ab oculis semota est, quæ per votum unius Sacrificii, oblationis unius crucigeri, et Rosarii devote persolvendi S. Rassoni factum.

76 Filiolus quoque Mathiæ Neymayr, Hospitis in Uttingen mirabilem oculistam sensit, dum post factum votum unius Sacrificii et quindecim crucigerorum ab oculo crustula fuit semota sina ullo adhibito remedio anno MDCXCII.

Mutis loquela reddita.

77 Udalricus Mayr de Oberbrunn, quadriennio linguæ defectum patiebatur : quam cum tandem in suspiria et vota erga S. Rassonem solvisset, vincula quoque ligatæ linguæ disrupta expertus est.

78 Pariter voto unius crucigeri Sancto offerendi recuperavit loquelam, triennio deperditam, puella quædam de Braitbrunn.

79 Anno MDCXXXX I Maji gratum se stitit Patrono suo S. Rassoni Michael Wisdorffer de Gilckhing, ob beneficium loquelæ filiolo suo quinquenni denuo redditum. Cum enim parvulus iste adhuc tenellulus in solatium parentum dextre locutus fuisset, subito omni voce articulata destitutus, integro triennio obmutuerat ; ut adeo eo magis excreverit mœror parentum, quo majori lætitia prius loquentem audierant. Unde in varia consilia agitatus parens, tandem Thaumaturgi nostri recordatur; pollicetur Missæ sacrificium, et momento restituitur filius.

80 Eumdem restauratorem anxia quæsivit, et promisso crucigero ac Rosario mox quoque exultans invenit Catharina Bergerin de Tauffkurchen anno MDCLXXXIX pro filio Mathia, qui integro quadriennio mutus post votum emissum articulate loquebatur.

81 Idem testatur Simon Hueber vietor in Wolfartshausen,

A fartshausen, cujus filiola Anna septimo ætatis anno nec verbum eloqui poterat : cui tamen lingua mox fuerat soluta propter votum cerei capitis, peregrinationis, duorum crucigerorum factum. Anno MDCLXXVIII.

Dentium dolores repressi.

82 Inter complures dentium doloribus liberatos speciatim sisto Elisabetham Bindterim de Beurberg, cui mentem ob intensissimos dentium dolores adeo intumuerat, ut nec verbum loqui potuerit : quibus tamen omnibus propter votum S. Rassoni factum liberata fuerat.

83 Testatur item Elisabetha Haidin de Traubingen anno MDCLXXXVI, se per annum et novem menses ingenti dentium dolore quasi consumptam, incolumem evasisse, cum S. Rassoni se devovisset.

84 Idem testatur anno MDCXCII Ursula Bichlmayrin de Diessen annuo dentium et capitis dolore per intercessionem S. Rassonis liberata.

85 Nec item eodem anno liberari potuit eodem dolore Sebastianus Dalmayr de Uttingen, nisi voto ad S. Rassonem facto.

Aurium defectus emendatus

86 Joannes Muller de Pogenhausen retulit, prolem suam tam ulceroso aurium defectu laborasse, ut ultra viginti vermes inde prodierint : cui malo B medendo cum temporalia medicamenta defecissent, spiritualis noster medicus precibus et votis invocatus occurrit.

87 Idem omnino testatur Daniel Kuen de Teldefing de sua prole, ex cujus auribus singulis diebus vermes scaturiebant, quousque eam S. Rassoni devovisset ; quo facto omne malum penitus advertebatur.

88 Triennis filiolus Joannes Klokfenwurth de Planogg sanguineo aurium deduxu longo tempore laborabat, quem tandem stitit S. Rasso, per oblationem sanctæ Missæ sacrificii devote invocatus.

89 Mulier quædam de Brugg per annos quatuordecim, et Anna Kiltlerin de Amberg per viginti annos surda, exaudiuntur a S. Rassone, eidem supplices factæ.

90 Anno MDCLXXXIX idem beneficium expertus est Thomas Wagner de Landtstetten, cui aures mox aperiebatur, postquam votum edidisset, Rosarium se recitaturum cum oblatione duorum crucigerorum.

91 Summo itidem suo solatio vidit corbinianus Glas de Wining octennem suum filium Ambrosium, integro anno surdum, per merita S. Rassonis restitutum, cum peregrinationem et certas preces se per- C soluturum statuisset

Pectoris et stomachi dolores sopiti

92 Anna Ramsnerin de Kottgheisering nesciebat crudeles pectoris et stomachi dolores efficaciori medicina sopire, quam ardenti invocatione et precibus ad S. Rassonem ; cui proinde cereo corde se devoverat, addito Rosario : quo facto sensim doloribus liberabatur anno MDCLXXVIII.

93 Margarita Mayrin de Selching maligno stomachi affectu adeo erat nauseabunda, ut per novem annos continuo vomitu fuerit afflicta : cujus tamen medelam et restitutionem a S. Rassone tandem obtinuit.

94 Andreas Geyer de Walefhausen gravissimis cordis doloribus eximi nequibat, quousque ad S. Rassonem se Rosario, tribus crucigeris et cerea imagine devovisset : quo facto mox convaluit anno MDCXCII.

Ulcus et putredo in ore abstersum.

95 Filia Leonardi Mayr de Gilking os ac labia sua, ob certum ulcus putrefacta, gemens defleverat : cui tamen medebatur optimus parens per votum S. Rassoni factum.

Defectus linguæ et colli suppletus.

96 Melchior Krymayr de Grienewaldt, promisso unico sacrificio Missæ in honorem S. Rassonis, gravi tum linguæ tum colli defectu ac doloribus eripitur.

PER CAR. ERATH. Tergo laborantes sanati.

97 Barbara Backhspergerin meliori medicamine D diffractam spinam dorsi reintegrare nesciebat, nisi voto S. Rassoni facto : unde eidem S. Missæ sacrificio se obligat et sanatur.

98 Anno MDCLXXXV pari devotione mitigavit ingentes dolores tergi Walburga Bolzmacherim de Machtlfing, quos per sedecim septimanas ejus filius sustinuerat, postquam S. Rassoni Rosarium et duos crucigeros appromiserat. Idem obtinuit hoc ipso anno Balthasar Schmid oblatione unius crucigeri et recitatione Rosarii. Nec dispar beneficium obtinuere Eva Schmidin de Berezhoven anno MDCLXXXVII, Lucia Lamplin de Grieffenberg anno MDCLXXXVIII et anno MDCXCII Georgius Wakherl de Morn-Weis.

Dolores brachii mitigati.

99 Anno MDCLXXXV, tandem decennialem suum dolorem in brachio toleratum seposuit Anna Nederin de Aschlding, postquam S. Rassoni Missæ sacrificium, oblationem crucigeri, quinque Pater et Ave promisisset.

100 Pariter tota communitas Iningana testatur, filium Mariæ Botstinde brachiis et pedibus per dies quatuordecim adeo contractum fuisse, ut se nec hilum movere potuerit : tandem vero omnibus admirantibus compages resolvebantur. Cum solicita E mater pro eodem apud S. Rassonem solicitasset, edito voto unius Rosarii, duorum crucigerorum et cereorum brachiorum ac pedum.

101 Magnis itidem brachii doloribus per annum afflicta Elisabetha Zeilmayrin de Bossenhofen, videbatur sibi in somnis vidisse S. Rassonem pie adhortantem, ut certam devotionem perageret : quo facto proposuit Rosarium se recitaturam cum oblatione unius crucigeri : et ecce ! mox convaluit anno MDCLXXXIX.

102 Ob annuos gravissimos brachiorum et pedum dolores contracturæ proxima erat Maria Flosmanin a Leitstetten anno MDCXCI : a qua tamen uti et a doloribus servabatur propter votum unius Rosarii et trium crucigerorum S. Rassoni factum.

103 Anno MDCXCII Michaeli Haderegger de Turggenfeldt dolores brachii adeo invaluere, ut per dies quatuor nec somnum capere, ac tandem idem brachium nec movere potuerit : unde S. Rassoni supplex factus, solutione unius Sacrificii et sex crucigerorum sanatus est.

104 Idem beneficium hoc anno sibi collatum F fuisse grato animo retulit Maria Winterholerin de Ochingen, cum et ipsa longo tempore acutis doloribus exhausta, brachii usu fuisset destituta.

Pleuritis,

105 Totaliter gravissimis pleuritidis doloribus liberatum se fatetur Andreas Sedlmayr, dum post quatuordecim dies medicam manum S. Rassonis, promissione unius crucigeri et unius Rosarii implorasset anno MDCLXXXVI.

106 Oculatus refero, Ignatium Schwarz, piscatorem Diessensem, propter pleuritidis dolores ad extrema redactum, et a me omnibus Sacramentis provisum fuisse, ut adeo ob nimium invalescens malum nulla prorsus humana spes affulgeret : quem tamen incolumem sibi restitui vidit uxor ejus Maria, propter votum S. Rassoni factum, recitanti tria Rosaria et offerendi unum crucigerum, anno MDCLXXXIX.

Humor serosus et paronychia,

107 Jacobus Reismayr de Diessen, magno suo malo digitum tam periculose vulneraverat, ut humor serosus profluens propinquam abscissionem minitaretur; in qua sua miseria ad S. Rassonem confugit, promittit recitationem Rosarii, faciendam publicam denuntiationem, ac mox curatur anno MDCLXXXVII.

108 Manum Apolloniæ Mozin de Ramsau nimium serpens paronychia per dies quatuordecim vehementer affixerat, quam tamen feliciter infregerat, cum

PER CAR. ERATH

cum Rosarium et ceream manum S. Rassoni offerendam statuisset.

Pedum adustio curata,

109 Filius Georgii Schottl de Maurn anno MDCXC tam graviter pedes adussit, ut ingentes dolores, et frustrata omnia medicamina afflicto patri nil nisi perpetuam debilitatem præsagirent : unde ultimatum remedium a famoso nostro medico S. Rassone, per votum unius Rosarii et trium crucigerorum expetiit, et lætabundus obtinuit.

110 Pariter genu suum a gravibus doloribus eodem voto liberavit Martinus Thomas de Stainebach anno MDCXCII. Et hoc ipso anno convaluit Eva Weissin de Socching, cujus genu valde intumuit, et peracutos dolores causavit, liberatur tamen per intercessionem S. Rassonis nullo alio medio adhibito.

111 Maligna tabe inficiebatur pes Ferdinandi Eichtmayr de Diessen, cui persanandæ cum parentes uno et dimidio anno frustra invigilassent, tandem ope S. Rassonis, obtinuerunt voto unius Rosarii, et duorum Crucigerorum anno MDCLXXXV.

112 Ejusdem Sancti ope pedes suos, putrida carie exesos, post quatuor annos vivos et sanos recepit Anna Blaissin de Buech, anno MDCLXXXVI.

113 Petrus Schnotson de Gilking clavum pedi infixum solis precibus S. Rassoni oblatis iterum incolumis eduxit.

114 Conradus Hueber eisdem precibus foramina, quibus per integrum annum pedes erant perforati, voto facto viva carne obduxit.

115 Cum Perhonestus ac dives quidam civis Strobinganus maligna tabe toto corpore affectus, ac longo tempore pedibus captus plurimorum medicorum opem frustra implorasset ; tandem S. Rasso eidem in somnis apparuit, levavit eum e lecto, et simul admonuit ut sepulcrum suum pro recuperanda incolumitate visitaret; evigilat tanto tempore desolatus homo, et toto corpore sanum se advertit : unde mox ad Ecclesiam Sancti advolavit, obtulitque præter decem cereas candelas numerosam pecuniæ summam, et in honorem sui medici officium solenne decantari curavit.

116 Idem in somnis admonita est Anna Schuesterin de Stelwag ob peracutos pedum dolores ; obsequitur mulier, devovet se Sancto monitori suo, et sanatur.

117 Cum Sabina Kondlia de Menzing peperisset puerulum, cujus pes ab utero medius diffractus erat; eumdem S. Rassoni Missæ sacrificio obligat et commendat, ac pedem integrum læta deprehendit.

item artritis,

118 Anno MDCLXXXIX artritide dolorose decubuit per integras septem septimanas Maria Hagerin de Diesling, quæ tamen totaliter convaluit post votum unius Sacrificii, et oblationis trium crucigerorum ac tandem faciendæ denuntiationis.

119 Hoc ipso malo per medium annum excruciabatur Barbara Hartmanin de Buech, cui pristinam sanitatem restituit S. Rasso, devote invocatus, voto facto recitandi duo Rosaria, offerendi duos crucigeros, et faciendæ denuntiationis anno MDCXCII.

convulsiones sedatæ.

120 Anno MDCXCII lætabundus retulit Georgius Kendl. Monacensis, quod supprimendis convulsionibus per integros tres annos plurima media adhibuerit, ac insuper multa Sacrificia legi curaverit, omnia tamen sine optato effectu, quo usque tandem et ipse magnum nostrum Thaumaturgum voto Missæ sacrificii invocasset.

121 Eumdem morbum precibus S. Rassonis depulit Justina Riegerin de Dauzing, cum ingentibus doloribus diu noctuque per quinque dies fuisset exagitata.

Fluxus sanguinis sistitur.

122 Cum Maria Tablanderin de Diessen viginti sex septimanis fluxu sanguinis adeo laborasset, ut per dies quatuordecim lecto affixa non nisi ope aliorum se movere posset ; tandem meritis S. Rassonis fluxum stitit ejus maritus, voto facto, quod velit recitare Rosarium, et offerre tres crucigeros, anno MDCLXXXVIII.

Tormina et dolores matricis quietantur

123 Per anni decursum multoties infestabatur matricis doloribus Barbara Unflatin de Elchingen, cui semper periculosa phrenesis accessit; unde ut tandem gravi hoc malo liberaretur, ad S. Rassonem confugit, vovit tria Rosaria cum oblatione duorum crucigerorum, et liberatam se deprehendit anno MDCXCII.

124 De repente itidem sanata est Elisabetha Biechlerin de Aubing tribus septimanis iisdem doloribus graviter excruciata, cum S. Rassoni votum fecisset, offerendi octo crucigeros et Rosarium devote recitandi, anno MDCXCI.

125 Pariter veridice defert Maria Schmidin de Kotfgeisering, se per annum integrum intensissimis Matricis doloribus afflictam, mox penitus liberatam fuisse, cum se S. Rassoni oblatione trium crucigerorum, et recitatione Rosarii commendasset anno MDCLXXXVIII.

126 Torminum pœnis se per merita S. Rassonis liberatos fuisse testantur Sebastianus Kloz de Bockhing, et Anna Bockhin de Oching, postquam se dicto Sancto devovissent, anno MDCLXXXIX et MDCXC.

Rursum ignis sacer extinguitur,

127 Igne sacro adeo vexabatur Magdalena Dollingerin de Oching, ut per integram hebdomadam diu noctuque nullatenus quiescere, aut somno indulgere potuerit, unde S. Rassoni per votum cerei pedis et unius Rosarii devote persolvendi cum oblatione unius crucigeri supplicabat, a quo optatam medelam mox erat consecuta, attestantibus D. Michaele Fabro Parocho, et aliis anno MDCXC.

128 In pedes Barbaræ Hagerin Parochiæ Wolfartshusanæ, per tres septimanas ardentissimus hic ignis adeo grassabatur, ut non tantum nec per momentum stare potuerit, sed et tandem in apertum vulnus periculose proruperit. In tanta miseria, ignara quid consilii caperet; ad S. Rassonem confugit, promittit cereum pedem, recitationem Rosarii et oblationem unius crucigeri; et mox ignem extinctum ac vulnus curatum reperit, anno MDCXCI.

ex variolis periclitans parvula servata.

129 Ecthymatibus tam periculose decubuerat Apollonia, filiola Magdalenæ Ertlin de Nassenhausen, ut per octiduum nihil prorsus viderit, juncto gravi periculo visus amittendi : unde ut tam oculis quam reliquo corpusculo provideretur, afflicta mater filiolam suam S. Rassoni commendabat, recitatione unius Rosarii et oblatione unius crucigeri : quo facto adhuc eodem die infans vidit et melius habuit, anno MDCLXXXVIII.

130 Anno MDCLXXXVIII Michael Schmidt de Schliufeldt gratum se stitit S. Rassoni, quod per ejus merita post factum votum recitandi duo Rosaria et offerendi unum crucigerum, filiolus Josephus adhuc eadem hora melius habuerit, qui tamen ecthymatum lue etiam sensibus erat destitutus.

Febris curata.

131 Anno MDCXCII pessimum suum inquilinum, per intercessionem S. Rassonis, expulit Melchior Kridl de Freyhaimb, postquam triginta duabus septimanis febri fuisset afflictus : et hoc tanto suo bono, ut post votum factum peragendæ peregrinationis et oblationis trium crucigerorum, amplius non redierit. Quo malo, ut etiam febri calida plurimi alii longo tempore divexati, per merita S. Rassonis liberati fuerunt.

Dysenteria restricta.

132 Cum Regina Stopin de oberaltingen in voto suo pro filiolo facto exauditam se vidisset; eumdem benefactorem denuo supplex imploravit, ut et sibi in Dissenteria jam duodecim septimanis decumbente succurreret; quod et obtinuit anno MDCXC.

133 R. D. Sebastianus Graf in Oching, hoc anno MDCXC

MDCXCII, graviter decubuit: qui tamen veridice attestatur, mox se melius habuisse, postquam S. Rassoni unum Sacrum cum oblatione unius ceræ pondo et oratione trium Rosariorum promisisset.

difficultas, solvendi urinam sublata,

134 Anno MDCLXXVIII, Rosina Kilderin de Kurchaimb gratulabunda detulit, filiolum Franciscum septem diebus urinam solvere nequivisse; quibus elapsis fluxisse quidem, non tamen via ordinaria, sed novo foramine a latere prorupto: cui insuper in verendis tantum tuber accessit, ut plurimorum chirurgorum judicio omnia debuissent putrefieri. Cum igitur ope humana destitutam se vidisset, ad cœlites confugit, et prodigioso medico nostro filioli miseriam peregrinatione, oblatione, et Missæ sacrificio commendavit: ac mox non tantum tuber suppressum, sed etiam ordinariam urinandi viam in filio est experta; cujus testes totum confinium Kurchheimbense se obtulit.

135 Obstructus itidem erat per tres integras septimanas Simon filiolus Simonis Thues de Glitt in Suevia, qui tamen solvebatur post votum unius sacrificii Missæ, anno MDCLXXXI.

Curantur fluxus sanguinis,

136 Longo tempore hemorhæa laborantem suum filium, Antonium per merita S. Rassonis liberatum attestatur Antonius Kornmosser de Weil, anno MDCLXXXVI: quod idem beneficium sibi contigisse alii viri, feminæque testantur.

urinæ et ruptura, et corporis totius adustio.

137 Quanto miseriori ejulatu planxerat tres suos filios Mathias Vischer de Beisenberg, eo quod primus hernia, alter continuo urinæ fluxu tertius ruptura fuerint afflicti; tanto lætiori animo gratum se stitit S. Rassoni, cum post factum votum peregrinationis et fasciæ frumento plenæ, trinum perfectum deprehendisset, anno MDCLXXVIII.

138 Filiolus mulieris cujusdam de Wilderott, ad ardentem fornacem consistens adeo adurebatur, ut combusta camisia, et parte corpusculi voraces flammæ ad intestina usque penetrarint: in qua miseria dolenti matri ultima spes erat S. Rasso; cui proinde prolem devovit, et incolumem recepit.

139 Conrado Rinchwurt, post sexennem morbum etiam intestina proruperunt: qui tamen et ipse lethali hoc malo per votum liberatus est.

Concludit Auctor summaria enumeratione plurium, a calculo et hernia curatorum.

140 Finio tandem nucleum meum, et relatione in summam constricta sisto in prodigiosis curationibus calculi et rupturæ, in quibus S. Rasso tam est mirabilis et beneficus, ut hoc currente anno MDCXCII usque in præsentem diem trigesimum Julii, viginti et unam personas numeremus, quæ ad invocationem hujus Sancti sine ullo prorsus alio medicamento a rupturis fuerunt liberatæ: prioribus autem annis tot colligimus, ut operæ pretium fore judicaverim, sigillatim cujusvis anni ab anno MDCXXXIX facta miracula per ordinem adducere a millesimo sexcentesimo nono; quod et aliis annis lubens fecissem, si prædecessores nostri in annotandis miraculis annos discrevissent. Hoc vero cum omiserint et solum numerum miraculorum signaverint, contentus erit lector benevolus, cum perceperit, S. Thaumaturgum nostrum ab anno MDXLIV usque ad annum MDCXXXIX medica sua manu curasse a calculo DLXXI a ruptura MCCII a calculo vero ruptura, anno

MDCXXXIX 21
XL 10
XLI 5
XLII 13
XLIII 1
XLIV 14
XLV 27
XLVI 3
XLVII 3
XLVIII propter bellicos tumultus nulla indicata fuerunt.
XLIX 1
L 5
LI 5
LII 13
LIII 1
LIV 4
LV 8
LVI 3
ANNO LVII 5
MDC LVIII 21
LIX 4
LX 15
LXI 16
LXII 34
LXIII 25
LXIV 16
LXV 23
LXVI 14
LXVII 21
LXVIII 16
LXIX 19
LXX 22
LXXI 24
LXXII 28
LXXIII 16
LXXIV 26
LXXV 15
LXXVI 17
LXXVII 41
LXXVIII 26
LXXIX 34
LXXX 17
LXXXI 31
LXXXII 19
LXXXIII 21
LXXXIV 29
LXXXV 19
LXXXVI 27
LXXXVII 22
LXXXVIII 29
LXXXIX 29
XC 22
XCI 22

Summatim 900.

Inter omnia assignare placuit, quod anno MDCXCI contigisse testatur Sebastianus Gross, de Oggenthal in Suevia, cujus filiolus calculo gravissime et frequentissime angebatur: quem prima, et altera vice facto voto subeundæ peregrinationis, Missæ sacrificii, et oblationis unius ceræ pondo S. Rassoni devovit: nullo tamen effectu, ut adeo spe prope defecerit. Nihilominus interius confirmatus, et denuo erga S. Rassonem exstimulatus, tertio vovet, et medullitus opem implorat: qui tandem ter repetita placuisse S. Thaumaturgo nostro expertus est, cum filiolum optatæ incolumitati restitutum vidisset.

DE SANCTO BONIFACIO

ARCHIEP. APOSTOLICO CIRCA RUSSIAM ORDINIS CAMALDULENSIS PROTOMARTYRE.

COMMENTARIUS PRÆVIUS FRANCISCI VEROVII.

F. V.

§. I. De ejus cultu, auctore Vitæ, et tempore Martyrii.

CIRCA AN. MVIII

S. Bonifacii memoria

Camaldulense Eremitorium a S. Romualdo circa annum DCCCCLXX *erectum, plurimos Ecclesiæ pro variis Europæ gentibus Apostolos et Martyres protulit. Horum agmen duxit* S. Bonifacius, *et primus novum institutum Martyrio suo condecoravit, missus a Pontifice Romano Gregorio V ad Barbaros Russicæ gentis Apostolus. Eum Romanum Martyrologium Baronii brevi hoc Elogio memorat :* Eodem die (XIX *Junii*) S. Bonifacii Martyris, qui a Romano Pontifice ad prædicandum Evangelium in Russiam missus, cum per ignem transisset illæsus, Regemque ac populum baptizasset ; a furente Regis fratre necatus, optatam Martyrii palmam accepit. *Præcesserant Carthusianorum ad Usuardum Additiones anni* 1515 *et* 1521, *his verbis :* Bonifacii Martyris discipuli S. Romualdi, qui, obtenta licentia, Russiam sive Sclavoniam miro fervore et Martyrii desiderio, Christi Evangelium annuntiaturus adiit : cumque plurimos convertisset, capite truncatus martyrii gloriam adeptus est. *Hinc aliorum passim martyrologiis inscriptus legitur hoc die : Petrus vero de Natalibus eumque secuti Maurolycus et Wifordus, occasione S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntini Martyris, hunc quoque de quo agimus Bonifacium ad* V *Junii retulerunt.*

in Martio Rom.

additionibus ad Usuardum et aliis

ab aliquibus relatu 5 Junii.

2 *Hujus S. Martyris cultus, diu in ipso Camaldulensium Ordine neglectus, imo fere oblivioni datus fuit, ita ut ne ipsis quidem Ordinis Calendariis inscriptum S. Bonifacii nomen legeretur : at vero Petrus Delphinus quadragesimus quintus Camaldulensium Generalis, pro sua erga Sanctos sui Instituti Martyris religione, neglectum diu cultum restituit, ejusque nomen Sanctorum aliorum Fastis adscribi jussit. Ita narrat Augustinus Florentinus, in Hist. Camald. lib.* 2 *cap.* 7. Anno XXII, Generalatus Petri *(Christi* MDII, *utpote qui anno* MCCCCLXXX *Ordini præfectus fuit)* contigit illum Vallumbrosam migrare quadam die, qua celebritas cujusdam Sancti ejus Religionis solemni ritu agebatur ; *fortassis* S.Petri *ex simili per ignem transitu dicti* Ignei, *et nuper Romano Martyrologio adscripti.* Unde redarguens Petrus negligentiam Camuldalensium, qui imprudentiores tot annos fuissent; ordinavit, ut ex ipso tempore memoria discipulorum S. P. N. Romualdi a neglectu et oblivione vindicaretur. Quapropter demandavit Abbati S. Michaelis, ut Sanctos Bonifacium et Benedictum ac Joannem Martyres Catalogo aliorum Sanctorum in Calendario Ordinis apponendum curaret : ex quo solemnis eorum Natalis agitur.

Ejus cultus, diu neglectus

in Ordine Camald. restituitur an. 1502

3 *B. Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis, in Vita quam de S. Romualdo conscripsit, ubi agit de Sancti hujus Discipulis, S. Bonifacii quoque virtutes, apostolicos labores ac martyrium brevi stylo complexus est, ut videre est tom.* 2 *Februarii, ad diem* VII *in Vita S. Romualdi cap.* 8. *Ex hoc, utpote Auctoris coævi, ea quæ ad Sanctum nostrum Martyrem spectant infra recudemus, relictis aliis, cum omnes fere vitæ quæ de eo ampliori stylo conscriptæ sunt, ex B. Petri Damiani scriptis sint desumptæ. Monuit vere Bollandus Lectorem in commentario prævio num.* 4 *Vitam S. Romualdi a Laurentio Surio editam* XXI *Junii, multis in locis ab eo fuisse expolitam nec genuinam Petri Damiani redolere simplicitatem, aut certe ex vitioso exemplari fuisse desumptam, se vero eam Vitam ut magis sinceram et genuinam edidisse quam Constantinus Cajetanus tomo secundo Operum B. Petri Damiani vulgavit Romæ an.* MDCVIII, *ex typographia Gulielmi Facciotti, atque alter; qui eadem opera,* novo studio ac labore recognita et aucta , *et in tres partita tomos* sumptibus Claudii Landrii *Lugduni publicavit an.* MDCXXIII.

B. Petrus Damiani Sancto coævus hujus martyrium conscripsit in Vita S. Romualdi,

unde ea infra dabitur.

4 *Quod vero attinet ad tempus quo martyrii palmam adeptus est, asserit quidem Thomas de Minis in Catalogo Sanctorum et Beatorum totius Ordinis Camaldulensis, edito Florentiæ an.* MDCVI *pag.* 7 S. Bonifacium Martyrio coronatum anno MC , IX Julii, *errore typographico pro* XIX *Junii. Verum si Vita S. Romualdi a Petro Damiani conscripta attentius perpendatur, S. Martyris Natalis annis aliquot post mortem Othonis III, (quæ accidit an.* MII*) erit referendus. Cum enim Otho Imperator, spreto S. Romualdi consilio, Romam rebelles sedaturus adiisset, subsequentis anni initio inde redux in itinere diem obiit. Eodem vero tempore S. Romualdus conscensa navi Istriam petiit, ibique tribus annis in Parentinæ civitatis confiniis degens, monasterium Ordinis sui construxit : deinde trajecto mari Veneto, Bisarcum Italiæ eremitorium adiit; ubi instruendis Instituti sui Monachis intentus, aliquamdiu moratus est. Hinc ad Camerinensem ditionem se convertit atque ibi in loco, qui Vallis de Castro antiquitus vocabatur, condito eremitarum cœnobio, tum in convertendis pravis accolarum moribus, tum eradicando turpi quod inter Ecclesiasticos commune erat simoniæ vitio, aliquanto tempore incubuit; iisdemque in partibus sacrarum Virginum monasterium erexit.*

Martyr obiit non an. 1000

5 Postremo dimissis in Valle de Castro, nonnullis de suis discipulis, ad regionem Urbis Veteris se contulit, et in possessione Pharulphi Comitis *aliud* Monasterium construxit ; *datisque ibidem locis plurimis zeli sui indiciis, patratisque nonnullis miraculis, innumeros tum ad sanctioris vitæ propositum , tum ad eremiticæ vitæ institutum convertit : cum* interea Romualdus , *inquit Petrus* , audiens quia beatissimus vir Bonifacius Martyrium suscepisset , nimio desiderii igne succensus, ut pro Christo sanguinem funderet; Hungariam mox ire disposuit. *Cum Vero vox illa* interea *ad ultimo dicta atque ad ea quæ a S. Romualdo circa Urbem Veterem, sive in Orvietana ditione gesta sunt referri videatur ; ea, quæ sanctus Pater in variis Italiæ partibus post mortem Othonis III egisse vidimus, sex minimum annos requirunt. Othonem III obiisse anno* MII, V *Kal. Februarii, invicte probat Baronius ad eumdem annum : quare ad annum Christi* MVIII *S. Bonifacii martyrium erit collocandum. Quæ vero ad determinandam mortis illius tempus ex B. Petro Damiani adduximus. inveniet Lector in Vita B. Romualdi a Joanne Bollando illustrata tom.* 2 *Februarii ad diem* VII *a num.* 53 *ad* 64.

sed 1008.

§ II

§. II. *Quarum Gentium S. Bonifacius fuerit Apostolus.*

S. Bonifacius non Russos quorum Rex Volodimirus ad Christum conversus est an. 980;

Non exigua difficultas in eo est, quod S. Bonifacius ad Russos gentiles missus dicatur Apostolus, eorumque Regem ethnicum, illæsus per ingentem flammarum rogum pertranseundo, hoc miraculo ad fidem Christianam convertisse. Russorum quidem nomen latissime patet : complectitur enim quidquid terrarum est inter sinum Finnicum, Livoniam, Sueciam, Volgam, Mæotim, mare Ponticum, Sarmaticos montes, Poloniam, Lituaniam, et Samogitiam. Verum harum terrarum incolæ imperantibus apud Græcos Basilio et Constantino fratribus, Joannes Zemiscæ filiis, paulo post DCCCCLXXX *annum a Christo nato publice ad fidem Christianam accesserunt, cum Volodimirus Sventeslai sive ut aliis placet Stoslai ex concubina filius, fratribus suis Olgo et Jaropolco e medio sublatis, omnium paternarum ditionum principatu potitus, Annam sororem prædictorum Imperatorum in matrimonium et magistros religionis Græcos accepisset : ac Metropolitem quidem Kioviæ, Archiepiscopum vero Novogrodi, in aliis autem urbibus Episcopos a Constantinopolitano Patriarcha sacris initiatos collocasset. Hæc ex Russicæ gentis Annalibus Martinus Cromerius de Origine et rebus gestis Polonorum lib. 3, aliique qui de rebus Polonicis et Hungaricis scripserunt.*

nec Scythas, a Pruss nimium remotos,

7 Quis igitur Rex ille ethnicus? cum Volodimirus etiamnum viveret eo tempore, quo S. Bonifacius Martyrium subiisse debuit. Quem populum gentilem ad fidem convertit Bonifacius? cum Russi, ex quo se Patriarchæ Constantinopolitano subjecissent, rituum Græcorum semper tenacissimi extiterint. Difficile est id certo determinare, cum de eo sileant Auctores, qui gentium illarum Annales et Historias eruderarunt. Asserit quidem Bollandus noster, postquam idem annotaverat in notis ad Vitam S. Romualdi cap. VIII *lit. E, verosimilius esse S. Bonifacium ad aliam quamdam Scytharum gentem missum esse : at difficile intellectu est, quomodo id, cum eo quod num. 5 in Vita Sancti dicitur, congruere possit. Scilicet quod* Illi *gentiles quibus Evangelium annuntiabat Bonifacius)* timentes, ne, sicut post martyrium B. Adelberti, coruscantibus miraculorum signis Slavonicæ gentis plerique conversi sunt, ipsis quoque similiter eveniret ; longo tempore a beato viro manus artificiosa malitia represserint, et cupidissimo mori, nolentes eum occidere, crudeliter pepercerint.

sed verosimilius Livones aut Samogitas ad fidem convertit

8 S. Adelbertus Episcopus Pragensis, cujus Acta dedit Henschenius ad diem XXIII *Aprilis Martyr occubuit in Prussia anno Christi* DCCCCXCVII. *Hujus itaque Martyrii, ac post id patratorum miraculorum, tum etiam populi per ea conversi fama, ethnicam illam gentem pervaserat, in qua S. Bonifacius apostolicum munus exercuit. Mirum autem esset, si ad Barbaros Scythiæ populos, tanto terrarum intervallo a Prussia remotos, tam distincta earum rerum notitia pervenisset, ut propter eam cruentas manus a Sancto abstinuissent. Verosimilius igitur videtur S. Bonifacium regiones Prussiæ magis vicinas atque ethnicæ superstitioni adhuc deditas excoluisse, Livoniam videlicet aut Samogitiam, quarum hæc septemtrionem inter et Orientem Prussiæ contermina, seculo demum* XV *procurante Wladislao Poloniæ Rege universa idololatricæ superstitioni valedixit, antea ex parte Christiana. Livonia vero a Prussia solis Samogitis ex uno latere discreta, sub seculi* XIII *initiis a B. Meinardo Episcopo in fide Christiana instrui cœpta, tandem ab Alberto, instituta ibidem Militiæ Christi Societate, ab omni idolorum cultu expurgata fuit.*

9 Cum igitur ad has gentes S. Adelberti Martyris ejusque post mortem miraculorum fama facile pervenire potuerit, congruum magis historiæ videtur apud gentium earum aliquam S. Martyrem Apostolicorum suorum laborum habuisse Palæstram, et Principem earum aliquem cum ingenti hominum multitudine ad fidem Christianam convertisse ; quorum posteri deinde labente tempore, cum viri apostolici deficerent, magna ex parte ad priora redierint. Potuit quoque B. Petrus Damiani, hujus Vitæ scriptor, Livones aut Samogitas Russorum his vicinorum nomine comprehendisse. Nec mirum est apud populos illos nullam S. Bonifacii extare memoriam, cum gentes istæ Barbaræ, ante suam conversionem ad Christi fidem, vix ullas nossent litteras ; nec rerum suarum Annales texere inceperint, nisi cum a Viris Ecclesiasticis et sacra fidei Dogmata et litteras pariter fuissent edocti. Sed hæc per conjecturam dicta sunto.

ad quos facile fama de martyrio S. Adelberti pervenire potuit.

VITA

Ex Actis S. Romualdi Abbatis

Auctore B. Petro Damiani.

Romualdus cum ..... Thammo *a* et cum Bonifacio viro clarissimo, quem nunc felicissimum Martyrem se habere Russiana gloriatur Ecclesia, et cum aliis conversis Theutonibus, a Tiburis oppido ad monasterium S. Benedicti, quod in Cassino constitutum est monte devenit ..... Cum his igitur omnibus superius nominatis Romualdus ad Pereum *b*, ubi dudum habitaverat, rediit ; ibidemque his et multis fratribus aggregatis et per cellas singulas constitutis, tanto fervore eremiticæ conversationis rigorem et in se et in aliis tenuit, ut illorum vita omnibus, ad quos fama eorumdem pervenire poterat, mirabilis haberetur. Quis enim non obstupesceret? Quis non immutationem Divinæ dexteræ prædicaret, cum vidisset prius homines sericis, imo deauratis vestibus indutos, crebris obsequentium cuneis constipatos, omnium deliciarum affluentiis assuetos, nunc eos cerneret unico birro *c* contentos inclusos, discalceatos, incultos et tanta abstinentiæ ariditate contritos? Faciebant autem omnes opera manuum, alii scilicet cochlearia, alii nebant, alii retia texebant, alii cilicia. Quorum tamen omnium vitam B. Bonifacii conversatio longius transcendebat.

a S. Bonifacius

b S. Romualdi discipulus

c in rigido eremiticæ vitæ instituto exercetur

2 Hic denique Regis *d* fuerat consanguineus, et ita carus ut Rex illum non alio vocaret nomine, nisi, Anima mea. Erat autem apprime liberalium artium doctrinis instructus, maximeque in modulationis musicæ studiis approbatus. Hic itaque cum in Capella regia moraretur, videns ecclesiam antiqui Martyris Bonifacii, mox exemplo sui æquivoci ad martyrii desiderium provocatus, ait : Et ego Bonifacius vocor. Cur ergo ipse etiam Christi Martyr esse non debeo? Deinde quoque jam Monachus factus, tanta se abstinentiæ frugalitate constrinxit, ut sæpe Dominicis diebus et quinta tantum Feria per hebdomadam manducaret : nonnumquam vero se urticarum vel etiam veprium cerneret densitatem, illuc se projiciens volutabat. Ex quo cum quidam Frater aliquando eum corriperet dicens : Hypocrita, quare hoc, ad captandos popularis auræ rumores, coram omnibus facis? nihil aliud respondit ; Tui sint Confessores, mei Martyres.

d ante conversionem Regi carus, exemplo Patroni sui desiderio martyrii incenditur;

monachus factus spinis corpus suum lacerat :

3 Cum vero post diuturnam eremiticæ conversationis vitam ad prædicandum jam ire disponeret, Romam primum pergere studuit, et ab Apostolica Sede consecrationem Archiepiscopatus *e* accepit. Retulit mihi quidam senex Monachus, qui eum illuc comitatus de Ravennæ finibus fuerat, quia in toto

e fit Archiepiscopus :

illo

EX VITA S. ROMUAL. Romam nudis pedibus profectus tenuiter victitat.

illo itinere vir venerabilis, cum omnibus quidem qui eum sequebantur pedester ibat, sed ipse jugiter psallens, et ceteros longe præcedens, nudis semper pedibus incedebat. Pro labore quidem itineris quotidie comedebat, sed per singulos dies de medio pane et aqua vivens, in diebus festis, ignoto videlicet omni loquamine, quotidiano victui poma quælibet vel herbarum radices addebat.

Russos adit nudipes equitans summo in frigore:

4 Postquam autem consecratus est, quotidie observabat et monasticum pariter et Canonicum in celebrandis Horarum officiis ordinem. Cum vero jam ultramontanos peteret fines, equo quidem vehebatur, sed venerabilis Pontifex, sicut dicitur, nudis cruribus semper et plantis adeo intolerabilem frigidissimæ regionis tolerabat algorem, ut volens descendere, vix pedem ab subhærente ferro disjungeret, nisi aqua prius calida subveniret.

ferventer prædicat:

5 Ad Gentiles autem postremo perveniens, cum tanta cœpit fervidi pectoris constantia prædicare, ut jam nullus ambigeret, quia vir Sanctus martyrium flagitaret. Illi vero timentes, ne, sicut post Martyrium B. Adelberti, *f* coruscantibus miraculorum signis, Sclavonicæ gentis plerique conversi sunt, ipsis quoque similiter eveniret, longo tempore a beato viro manus artificiosa reprimunt; et cupidissimum mori nolentes occidere, crudeliter ei parcunt.

f martyrii avidus

g squalidis vestibus indutum

6 Cumque ad Regem *g* Russorum vir venerabilis pervenisset, et constanti animo prædicationi vehementer insisteret; videns eum Rex squallidis vestimentis indutum, nudis pedibus incedentem, opinatus est, quia vir Sanctus talia non religionis causa perferret, sed inerteo potius, ut pecunias congregaret. Promisit ergo sibi, quia si ab hujusmodi vanitate recederet, ipse paupertatem ejus largissima divitiarum liberalitate ditaret. Bonifacius itaque mox ad hospitium sine mora revertitur, pretiosissimis Pontificalibus ornamentis decenter induitur, et sic ad Regis palatium denuo præsentatur. Rex vero videns eum tam decoris vestibus adornatum, ait: Nunc scimus, quia te ad vanam doctrinam; non paupertatis inopia, sed veritatis impulit ignorantia. Verumtamen si vis vera credi quæ asseris, erigantur duæ excelsæ lignorum catastæ brevissimo inter se interstitio separatæ; et igne supposito, cum vaporatæ fuerint, ita ut utriusque struis unus ignis esse videatur, tu transi per medium. Quod si læsus ab aliqua parte fueris, ipsis te penitus consumendum ignibus tradenius. Sin autem (quod credi non potest) sanus evaseris, omnes nos Deo tuo absque difficultate credemus. Cumque hoc fœdus non solum Bonifacio sed et cunctis quæ aderant gentibus placuisset; Bonifacius ita vestitus velut Missarum solennia celebraturus, prius cum sanctificata aqua et incenso thure undique perlustrans ignem, dein stridentes flammarum globos ingressus, ita exivit illæsus, ut nec minimus capitis ejus capillus videretur exustus. Tunc Rex et ceteri qui huic spectaculo interfuerant, catervatim se ad pedes Beati viri projiciunt, indulgentiam lacrymabiliter petunt, et baptizari se instantissima supplicatione deposcunt.

C transit illæsus ignem aqua benedicta et thure lustratum,

multos convertit cum Rege,

7 Cœpit itaque tanta gentium multitudo ad baptisma confluere, ut vir Sanctus ad spatiosum quemdam lacum pergeret, et in ipsa aquarum abundantia populum baptizaret. Decrevit autem Rex, ut regnum relinquens filio, ipse quamdiu viveret, se a Bonifacio nullatenus separaret. Frater autem Regis cum ipso pariter habitans, dum nollet credere, absente Bonifacio, ab ipso Rege peremptus est. Alius vero frater qui jam a Regis erat cohabitatione divisus, mox ut ad eum vir venerabilis venit, audire verbum ejus noluit: sed de conversione fratris nimia adversus eum ira succensus, continuo comprehendit: deinde timens, ne, si vivum teneret, Rex eum de manibus ejus eriperet, in sua præsentia, circumstante non parva hominum multitudine, decollari præcipit. Statim vero et ipse cæcatus est, et tantus eum cum omnibus qui adstabant, stupor oppressit, ut nec sentire, nec aliquod humanitus officium agere aliquatenus possent, sed cuncti velut lapides rigidi et immobiles permanerent.

E [illegible] occiditur a ejus fratre: hic vero et socii cæci et immobiles redduntur:

8 Rex autem hoc audiens, nimio dolore perculsus, omnino deliberat non solum fratrem occidere, sed et cunctos qui sibi tanti reatus fautores extiterant, gladiis trucidare. Sed cum illuc protinus advenisset, et corpore Martyris adhuc in medio posito, fratrem simul cum reliquis hominibus sine sensu et motu stupefactos adstare conspiceret; hoc sibi cum omnibus placuit, ut prius pro eis oratio fieret, si forsitan illis divina misericordia sensum, quem amiserant, reformaret: deinde si acquiescerent credere, indulto crimine, viverent; sin autem, omnes ultoribus gladiis interirent. Cum igitur et ab ipso Rege et a ceteris Christianis diutius fuisset oratum, non solum prior sensus stupefactis hominibus redditur, sed insuper consilium flagitandæ veræ salutis immittitur. Nam continuo pœnitentiam sui criminis flebiliter expetunt, baptismi Sacramenta cum magna alacritate suscipiunt, super corpus quoque beatissimi Martyris ecclesiam construunt. Verumtamen ego, si de hoc mirabili viro cuncta, quæ dici veraciter possunt, virtutum dona referre tentarem, deficeret forsan lingua, non deficiente materia. Dum igitur Bonifacii vitus proprio indigeat stylo, idcirco tamen illum cum aliis Romualdi discipulis summotenus hic memorare curamus, ut ex eorum laude, quam magnus vir gloriosus magister eorum fuerit, demonstremus: quatenus dum celsitudo clientum auribus fidelium insonat, quam excelsus doctor eorum fuerit, ex schola quam tenuit, enotescat.

Rege autem et populo orante, sibi restituuntur et baptizantur.

ANNOTATA F. V.

a *Hic S. Romualdi discipulus. Quomodo ad religionem conversus fuerit refertur in Vita S. Romualdi ad* VII *Februarii num.* 37.

b Pereum *insula est Ravenna urbe duodecim fere milliaribus distans.*

c Birrus *vestimentum vile: de variis ejus significationibus vide Glossarium Cangii.*

d *Othonis scilicet* III.

e *Franciscus et Silvester Maurolyci et alii* Bosnensem *Archiepiscopum faciunt: verum annotavit hic Bollandus non videri certæ Sedi addictam sed ordinatum Antistitem ut Gentibus prædicaret.*

f S. Adelberti *Ep. Pragensis, in Prussia martyrio an.* 997 *coronati Vitam dedit Henschenius* 23 *Aprilis.*

h *Maurolycus et Razzius Regem hunc* Busianum *appellant.*

DE BEATO ODONE

ABBATE TORNACENSI S. MARTINI

DEIN EPISCOPO CAMERACENSI.

Commentarius prævius de scriptoribus Vitæ.

ANNO MCXIII

Tempus vitæ et mortis

Floruit B. Odo *seculo Christi* XI *et* XII *evocatus Aurelianis Tornacum anno Christi* MLXXXVII, *ibique scholis publicis præfuit usque ad annum* MXCII, *quando cœpit monasterium S. Martini excolere sub regula S. Augustini ; ac postea anno* MXCV *sumpto habitu S. Benedicti, Abbas constitutus, rexit dictum monasterium usque ad annum* MCV, *quo Episcopus Cameracensis constitutus est, ac tandem in ea dignitate ex hac mortali vita migravit ad Christum, hoc* XIX *Junii, anno* MCXIII. *Characteres Chronologici infra ad Vitam secundam commodius illustrantur.*

B

Vita auctore oculato teste :

2 *Vitæ illius primus scriptor fuit*, Amandus de Castello, Prior cœnobii Aquiscinctini, a quo B. Odo in ultimo morbo tenerrime exceptus, magna cum solicitudine tractatus, colloquiis divinis recreatus, et spirituali consolatione sustentatus fuit : *cujus etiam nomini ipse Odo aliquod suum opusculum consecrasse dicitur sub finem Vitæ quam aliqui* Orationem funebrem *appellant. Hanc Vitam damus ex vetusto MS. Marchianensis cœnobii (cui postea dictus Amandus Abbas præfuit) collatam cum edita ab Arnoldo Raissio in Belgica Christiana, et alia quam Franciscus la Barre, Prior Aquiscinctinus post medium seculi* XVI *scribere exorsus, inseruit* Historiæ monasticæ *in Partes octo et volumina* 13 *digestæ, eadem complexus* omnium fere ordinum monasticorum institutiones, illustriumque virorum qui fuerunt ab initio nascentis Eclesiæ usque ad viros præclaros instituti Cisterciensium ; item plurimorum monasteriorum et Primariorum nomina Abbatum. *Vastum illud opus vidi ego propria Collectoris manu descriptum in Aquicintino cœnobio : habeo autem totidem voluminibus in Musæo nostro transcriptum ; neque enim auferri ipsum a se Aquiscinctini Monachi volebant ; magni autem sua interesse credebat Rosweidus, ipsum habere integrum promptumque ad manum ; jam tum conceptum mente habens opus, quod eo mortuo parturire Bollandus cœpit. Parte ergo prima dicti operis, habemus MS. Marchianensis ecgraphum, a prædicto Barro fideliter illuc translatum : qui Barrus quanto honore et reverentia prosecutus fuerit* B. Odonem, *manifestat in suis ad marginem additionibus, in quibus eum titulo* Sancti *exornat hisce verbis :* S. Odonis dilectio erga Aquiscinctenses. Virtutes S. Odonis. Prima institutio vitæ S. Odonis. Conversio ad monachismum S. Odonis. *etc. Solo titulo* Beati *honorant eumdem dictus Raissius tam in citata Belgica Christiana, quam in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii a Molano editos, et in Hierogazophylacio Belgico pag.* 57. *Idem faciunt Sammarthani in Gallia Christiana, ubi de Episcopis Cameracensibus.*

inserta historiæ monasticæ Ms anni 1596

ut ea apud nos est transcripta,

C

ubi ... cum titulo Sancti :

3 *Sed et prædictus Amandus, in Vita num.* 7, obiisse *ait* XIII Kalendas Julii Beatum istum. *Præterea Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, cum egisset ad diem* IX *Octobris de B. Gosuino Abbate Aquiscincti, citato* rescripto reverendi Prioris Francisci Barri, *hanc* Appendicem *adjungit :* Eadem in Ecclesia quiescit, albo marmore tectus, venerabilis Odo, Cameracensis Episcopus, antea primus Abbas Tornaci ad S. Martinum : qui ipsemet scribit in libro de blasphemia Spiritus sancti, quod Aquiscinctus sit illi dulce refugium exilii sui, dum potestate regia a sede Cameracensi pulsus est, quia virgam et annulum, quæ consecratus ab Ecclesia acceperat, dono Imperatoris (qui erat Henricus quartus) iterato accipere renuit. Obiit XIII Kalendas Julii, et mox Amandus Prior litteras scripsit, mœroris plenas de sanctitate defuncti Patris : quarum exordium est : Aquiscinctensis cœnobii humilis Congregatio, omnibus qui salutis suæ soliciti sunt. *Hæc Molanus : quibus similia ad* IX *Octobris adjunxit Miræus.*

compendium ex Molano

E

Alia Vita ex Herimanno

4 *Quia vero Amandus Prior pauca solum, quæ tunc occurrebant, suo scripto protulit, aliam Vitam priori subjungimus ex variis, et potissimum ex collectione Francisci Barri concinnatam. In hac allegatur* Historia Herimanni Abbatis III monasterii S. Martini, *cujus apud Valerium Andream in Bibliotheca Belgica hic titulus dicitur esse.* Historia reparationis sive instaurationis sui monasterii, per Odonem postea Cameracensem Episcopum, facta ab anno Christi MXCII *usque ad annum* MCLXII. *Præterea profert dictus Barrus Prior sibi submissa a Jacobo de Marquys, Abbate S. Martini constituto anno* MDLXXXIV, *viro pio et erudito, qui inter alios tractatus a se conscriptos edidit Gesta Abbatum sui monasterii, quæ ibidem MSS. adservantur, et exhinc accerpta ab ipso accepit Franciscus Barrus, suæque Collectioni inseruit. Nos ex omnibus Vitam concinnamus, servato rerum gestarum ac temporum ordine, cum quid ab Herimanno scriptum sit, non possimus secernere ; ac narratio ipsa etiam sic ad captum lectoris optime consistat. Illis quoque nonnulla interponimus, quæ ab aliis in Episcopatu gesta indicantur.*

et Jacobo Abbatibus aliisque.

VITA

F

Auctore Amando de Castello tunc Priore Aquiscinctino.

Ex MSS. et editione Rayssii.

Aquiscinctensis cœnobii humilis Congregatio, omnibus qui salutis suæ soliciti sunt salutem in Domino. Dilectissimi, vobis mandamus, quatenus vestris orationibus de tristitia, quæ nos premit, relevari mereamur. Heu amara mors quæ fratres dividis et dissocias amicos ! Unde tibi hæc potestas ? Post crucem Christi, quis hæc tibi jura restituit ? Certe ille te prostravit, ille devicit, qui dudum per prophetam tibi minabatur; Ero mors tua, o mors : morsus tuus ero inferne. Si igitur mors Christi tibi nocendi vires ademit, quomodo eos mori cogis, quos ipse semper victuros secum de morte redemit. Ejus etenim verba in Evangelio sunt hæc : Omnis qui credit in me, non morietur : et qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Sed forte dicet aliquis ; Quale principium dedit adveniens ? Quorsum ista ? Credite, Fratres et Domini, ad quos ista pervenerint, quia non infidelitas, sed mœror animi, hoc a nobis dicendi extorsit initium, et quasi in mortem fecimus invectionem.

Invectiva scriptoris in mortem

Oseæ 13, 14

Joan. 11, 25.

A. COENO AMANDO EX MSS

Psal. 126. 2

a Joan. 11, 11

propter obitum B. Odonis apud Aquiscinctinos,

2 Licet sciamus exitum de hoc seculo justorum, in Scripturis appellari Somnum vel Dormitionem (Unde psalmista ait, Cum dederit dilectis suis somnum; et Dominus in Evangelio, Lazarus *a* amicus noster dormit) verumtamen nobis imperare non possumus, quin doleamus: quando Dominum Odonem, Cameracensem Episcopum, qui nuper apud nos de hoc mundo recessit, ad mentem revocamus. Gravi etenim detentus valetudine, dimisso Episcopatu, Aquiscinctum se deferri fecit; et quantum nostram ecclesiam in vita dilexisset, in fine demonstravit. Hic dum viveret, nobis pater erat consilio, mater pietate, amicus beneficio. Nec mirum si desiderium absentiæ ejus nequimus sustinere, quibus contigit præsentis vitæ solatium amisisse. Nostram quippe, non illius vicem dolemus; quia nos, adhuc inter laqueos hujus seculi incedentes, eum ad meliora evasisse credimus. Credimus, inquam, quia cum justis modo lætus decantat; Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini; et cum Moyse admiratur dicens; Transiens videbo visionem hanc magnam. Magnam certe nunc Dei habet videre visionem, quia cum esset in corpore, non suam sed illius dilexit voluntatem.

Psal. 49,

Exodi 3,

Quis autem virtutes, quas possederat, digne valeat enumerare? quid potius in eo laudare? Si patientiam, si benignitatem, si humilitatem ejus prædices, quidquid dixeris minus erit. Ita in singulis eminebat, quasi ceteras non haberet. Et, ut quotidianam ejus vitam, tristis et communibus verbis breviter edisseram; mitis erat affatu, dulcis alloquio; nihil illius severitate lætius, nihil lætitia severius: gravitatem morum, vultus hilaritas; hilaritatem vero vultus, mox gravitas temperabat. Mentiri et jurare aut nesciebat aut nolebat: linguas quoque adulantium seu detrahentium prudenter cavebat, et utrumque genus hominum velut pestes animæ fugiebat. Contra illos sepiebat aures suas spinis, ne audiret linguam nequam: contra istos scriptum esse sciebat, Verba adulatorum mollia, feriunt interiora ventris. Nulli malum pro malo reddebat, vel maledictum pro maledicto; et quasi agnus inter lupos missus, morsum malitiæ non habebat. Providebat bona, non solum coram Deo, sed et coram hominibus, ut sine offensione præesset Ecclesiæ quam regebat. Apostolicæ etiam doctrinæ gratia refulgebat; et quantum in se erat, omnes tam verbo prædicationis, quam optima morum institutione a seculo revocabat.

Prov. 18.

et Apostolica doctrina:

4 Inter harum virtutum insignia, castitatem in eo laudare superfluum puto: cujus vita, etiam ante conversionem, pro continentia quam habebat, cunctis fuit in exemplo. Et quod in primis dicendum fuit (sed nec omnia dicere institui) eo quoque tempore, hoc est ante conversionem, ut ad priora redeam, ita in libris totus erat, quasi nullam crederet se habere requiem, nisi eum quem in exercitio scripturarum arripuisset laborem. Erat quippe fundatus grammatica, rhetorica ornatus, armatus dialectica, et his studiis eum indesinenter occupatum multa discipulorum turba sequebatur: qui ad famam tanti viri undique congregati ejus disciplina sitiebant informari, magisterio erudiri. Hic forsitan remoraretur aliquis et diceret, quam ardentis fuisset ingenii, quam tenacis memoriæ, quam temperatus jam tunc in moribus, in verbis sobrius, in doctrina sollicitus, in disputationibus cautus, in solvendis quæstionibus promptus. Tanta denique in scholis ejus quies, tanta pax inter discipulos et vitæ compositio, per ejus diligentiam habebatur, ut non tam magister litterarum quam Episcopus animarum merito posse dici videretur. *b*

castitatem amabat:

studiis eruditus,

alios docuit:

5 Postquam vero libri B. Augustini, de libero arbitrio et vera religione, in manus ejus venerunt; statim mutatus in alium virum, cœpit odire quæ ante dilexerat, et diligere quæ prius oderat. Jesu bone, quanta hominis mutatio! Fit in pauperes Christi rerum distractio, cibi et potus abstinentia, carnis maceratio; et omne studium, quod in secularibus disciplinis prius insumpserat, in veram convertens philosophiam, de discipulis suis socios fecit exemplo sui, et doctrina multos convertit: et postmodum, relicto foris Clerico, Monachus effectus, monasterium quod dicitur ad S. Martinum, Tornaci extruxit. Ab omnibus qui per eum, vel cum eo mundum reliquerant, in Abbatem eligitur, consecratur. Multa prætereo quia ad alia festino. Tunc vero quasi novum lumen in regione illa visum est oriri: populus enim ad ejus prædicationem convertebatur; inter conjugia, consensu utriusque partis, fiebant sancta divortia; patres a filiis, filii a parentibus gladio verbi Dei dividebantur. Omnes, sicut in tempore Apostolorum, in commune afferebant pretia eorum quæ possederant. Juvenes ac virgines, senes cum junioribus, certatim hujus seculi sarcinam projiciebant: quasi jam de hoc mundo non essent, nudi ac leves ad cœlum volare gestiebant. Civitas eorum, quasi carcer eis esse videbatur; monasterium, paradisus: ipse autem omnibus omnia factus, infirmis infirmus, sanis robustus apparebat: et, quasi omnium pater esset, sic omnium ex animo curam gerebat. Heu humanarum rerum incerta provisio! Lætis principiis adfuit tentatio: et Sathan, qui etiam inter filios Dei adfuit, expetivit eos ut cribraret sicut triticum. In hoc loco quiescat ater scorpius arcuato vulnere venena detractionis infundere; et ad calumniam tanti viri non referat, quod quidam eorum, dimisso sancto proposito, ad seculum redierunt. Si Christum non audet reprehendere quod multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam cum illo non ambulabant; parcat unusquisque linguæ, parcat animæ suæ; et nequissimum detractionis vitium, quasi novissimum diaboli jaculum, nitatur evadere. Nam pauci sunt, ut etiam de Religiosis non sileam, qui ita irreprehensibilem exhibeant vitam suam, ut non libenter reprehendant alienam.

monasterii S. Martini a se constructi Abbas factus,

plurimos ad monasticam vitam adducit:

Act. 4.

6 Quid multa? Tantam lucernam sub modio Christus latere non patitur, sed per Dei gratiam, ut omnibus qui in domo ejus sunt luceret, ad Episcopatum Cameracensis Ecclesiæ assumitur. Tunc vero quanta qualisque ejus vita fuerit, quam pristinæ humilitatis, vel et paupertatis memor permanserit, tot producimus testes, quot in civitate illa habentur homines. Verum, quia longius ab incepto digressi sumus, jam ad ægrotum nostrum depositis omnibus redeamus.

creatur Episcopus Cameracensis,

7 Aquiscinctum, sicut diximus, se deferri fecit: ubi omnibus quæ Christiano morienti conveniunt, rite expletis, tam alacer, tam securus novissimam horam expectare videbatur, quasi non ipse qui infirmabatur, sed alius pro eo esset moriturus. Unde quidam Frater in stuporem adductus, remotis omnibus arbitris, solus ad solum accessit, et utrum timeret, supposita ori ejus auricula, diligenter investigavit; Tunc ille, ut verbis ejus loquar, cum diceret, Ad quid timerem? et iste opponeret, Et periculum mortis, et, quia judicia Domini abyssus multa, et quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, et cetera hujusmodi; ille paululum reticens, et, quasi aliquid in se prius deliberans, respondit; Non timeo. Admiratus Frater conticuit; et magnam apud Deum eum habere fiduciam persensit. Obiit autem tertio decimo Kalendas Julii Beatus iste: animam reddidit Christo, nos corpus sepulturæ. Omnes Igitur, Fratres et Domini nostri, ad quos hæc legenda pervenerint, oramus et vos pro eo, quod

Aquiscincti æger

non timet mori.

Psal 47
Psal. 142.

et obit 19 Junii.

A quod pro se nos oravit. Secretius enim loci nostri Abbate ad se evocato, ut verba ipsius ponam; Rogate, ait Carissime, conventum Fratrum, ut pro me apud Deum dignetur intercedere; cujus judicium, sine ejus misericordia non potero sustinere.

8 Pro merito viri pauca diximus, et debita laude inferiora : sed qui ad hoc vacant ut aliis detrahant voluntatem in nobis, non vires considerent. Materia hæc communis est, dicat unusquisque quod volet. Illi offerant in tabernaculo Dei argentum et aurum, et lapides pretiosos, mihi sufficit si offerre valeamus, et ferrum, et pilos caprarum. Malui certe multorum subire judicium, et a malis ferre confusionem; quam Abbatis mei non parere imperio, vel non sequi voluntatem. Hic vero quem loquimur, laudibus nostris non indiget, cujus memoria in benedictione : exegit enim ipse sibi monumentum ære perennius quod nulla possit delere vetustas. Extant namque apud nos quædam opuscula, quæ digna habentur memoria : scilicet de Canone Evangeliorum, et de Canone Missæ *c* libelli duo, ut disputatio contra Judæum, et homelia de Villico. Et liber *d* unus de originali peccato, et alius de blasphemia in Spiritum sanctum, et quem interrogatione mea dignatus est cudere meoque nomini consecrare. Valete.

B

ANNOTATA G. H.

a *Apud Raissium, omissa hac de Lazaro sententia, citatur istud Lucæ* 8. Non est mortua puella sed dormit.

b *Hic lubet attexere, quod Joannes Buzelinus Cameracensis lib.* 4 *Annalium Gallo-Flandriæ, citato ad marginem* Herimanno in Chronico Martiniano, *asserit his verbis pag.* 189. Publice docebat Dialecticam Insulæ Lambertus : idem Tornaci Magister Odo faciebat. Utrumque plurimi Clericorum sectabantur, et passim fama celebrabat. Sed, ut assolet propter locorum vicinitatem inter discipulos, invidia stimulante, gravis exorta est disceptatio, utri palma doctrinæ deberetur; his Lambertum, illis Odonem præferentibus, ut quemque amor rapiebat. Igitur ut finem disputationi faceret Guilbertus Insulensis Canonicus, de quodam viro, quem surdum et mutum python insederat, quæsivit curiosius, quam utriusque doctoris scientiam majori nixam soliditate crederet. Is ita nutibus respondit, ut manum dexteram per sinistræ palmam instar aratri terram scindentis pertrahens, et digito in Odonis scholam intendens, hujus doctrinam esse certissimam significaverit. Contra de Lamberto innuens, digitum ad Insulense oppidum verterit, dein manu ori admota exsufflaverit, quasi assereret, plurimum inesse lectionibus ejus vanitatis. Quæ ut nullam sane fidem mereantur, saltem idonea fuere comprimendæ tum Lamberti tum sectatorum ejus arrogantiæ, cum nimis Odonem sannis et probris incesserent...... Quid Lamberto factum non invenio. Quam prius Odonem morum gravitas et doctrinæ splendor carum et mirabilem omnibus fecerant, tam postea novum vitæ genus et majoribus illustre virtutibus longe magis commendabat. *Ac tum describit Buzelinus monasterium S. Martini erectum, atque Episcopatum Cameracensem Odoni delatum ait.*

c *Extat expositio in Canonem Missæ, in* 4 *distinctiones divisa, cum aliis in Bibliotheca Patrum.*

d *Quis hic sit non constat. Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica allegat* Dialogum de Mysterio Divinæ Incarnationis, Librum Collationum et Parabolas. *Sed hos tractatus nescimus hactenus excusos esse.*

D

ALIA VITA

Ex variis collecta.

CAPUT I.

Acta ejus ante Episcopatum.

Ex collectione Francisci de la Barre.

Prima institutio monasterii S. Martini apud Tornacenses est hujusmodi. Jactis fundamentis et prima institutione monasterii S. Martini Tornacensis, per B. Eligium, Tornacensem et Noviomensem Episcopum, anno videlicet Domini sexcentesimo quinquagesimo, postquam perstitisset et celebre habitum fuisset annis ducentis triginta duobus, justo Dei judicio eversum fuit, et Monachi hinc inde dispersi in persecutione Normannorum, quæ sævissima fuit; siquidem non solum monasterium eversum, sed et ipsa civitas Tornacensis prorsus diruta et solo æquata fuit, adeo ut cives etiam Tornacenses, illa deserta egerint spatio triginta duorum annorum Noviomi apud suum Episcopum.

Monasterium S. Martini a S. Eligio erectum,

et a Normannis destructum;

E

2 Tandem Deo miserante, qui non continet in ira miserationes suas; anno millesimo nonagesimo secundo, Apostolicæ Sedi præsidente Urbano, Tornacensium et Noviomensium Episcopo Radbodo, Francorum sceptra tenente Philippo, Romanorum Imperatore Henrico, denuo restaurari cœptum est hoc monasterium, occasione Odonis, qui quondam fuerat Clericus Aurelianensis civitatis, patre Gerardo, matre Cæcilia oriundus; et propter suam insignem eruditionem *a* evocatus a Dominis Canonicis Tornacensibus, ad moderandam scholam ecclesiæ suæ : qui adeo præclare functus illo est munere, ut in tota provincia illi non esset secundus. Cum vero tam laudabili exercitio vacasset annis quinque, occasione tertii libri Augustini de libero arbitrio, Deo id operante, serio cogitare cœpit de alio vitæ instituto, ac de mundo relinquendo ac ei valedicendo : cujus propositi quinque habuit ex discipulis suis æmulos, qui parati fuerant eum quocumque vellet, sequi. Cum vero indies magis ac magis exardescerent, ut ad optatum finem propositum suum perducerent; solum de loco eligendo restabat deliberatio. Interim non potuit cives Tornacenses Odonis latere propositum, adeo ut omnibus constaret, eum relicta schola, arctioris vitæ velle sequi disciplinam. Hi adeunt Episcopum Radbodum apud quem serio agunt, ut persuadere vellet Domino Odoni ejusque sociis, quatenus in proposito firmiter velint perseverare, et sedem capere in monticulo, extra urbis portam meridiem versus, ubi erat prima ecclesiola constructa in honorem Divi Martini Confessoris, in quo loco sepulturæ tradebantur corpora civium, maxime eorum, qui peste tacti moriebantur : Radbodus autem instituerat supplicationes, in festo sanctæ Crucis annuatim celebrandas, ad sacellum S. Martini. Hic ergo votis sanctissimis civium pia ratione satisfacere cupiens, multis rationibus apud Dominos de Capitulo egit, quatenus tam pio operi etiam consentire vellent : quod ægre tandem et difficulter impetrare potuit, illis reclamantibus, et sua jura opponentibus. Verum Episcopus acrius cum illis agere cœpit, ut eorum consensum impetrare posset; præsertim cum locus ille ad jurisdictionem Episcopalem spectaret, et nullum jus in illo Canonici haberent. Tandem annuerunt certis conditionibus, ut decimas et oblationes retinerent. Atque ita factum est, ut locus supradictus Domino Odoni cum quinque sociis datus si

an. 1092 *restaurari cœptum*

a

a B. Odone Gymnasiarcha,

F

incitantibus civibus

volente Episcopo

et consentientibus Canonicis,

EX VARIIS

A sit inhabitandus, in *b* Dominica Maji, in crastino Apostolorum Philippi et Jacobi. Cum maxima igitur Cleri et omnium exultatione, in processione solenni deducti sunt ad Ecclesiam, in honorem S. Martini dedicatam: eamque illis liberam, et Episcopali privilegio confirmatam, Episcopus Radbodus coram omnibus tradidit: eosque ibidem sub Regula S. Augustini Canonica, in habitu Clericali Deo servituros dimisit.

b *is eo ductus cum 5 sociis,*

3 Odo igitur, reverendus Abbas, S. Martini cœnobium cum omni tranquillitate gubernabat, Fratresque suos singulari amicitia regularique observantia regebat. Attamen in principio non exiguam patiebantur inopiam: quam ut sublevarent nonnulli homines pii laici, totam urbem oberrabant, nomine Clericorum S. Martini mendicantes. Donec tandem plebs Tornacensis, pietatis et devotionis studio instigata, ac multis statum Monachatus ibidem amplectentibus, eis ultro legavit reditus ac possessiones ad victum et vestitum necessarios: successuque temporis factum est, ut ipsi Tornacensis urbis cives longe ampliora, quam necessarium esset, largirentur. Nec tamen idcirco quid erat superfluum: nam ipse Odo, ut erat erga pauperes maxime liberalis, B non solum superflua distribuebat, sed et necessaria effundebat. Quamobrem forte fortuna, urbem ipsam et vicinum territorium fame vehementer urgente, ipse cunctis pæne cibariis in usus pauperum distributis, Religiosos gravia pati permisit. Quod et alias sæpius contigit. Quamobrem parum ad rem domesticam attentum eum esse existimantes Monachi, Præpositum elegerunt Radulphum, in Administratorem seu Œconomum monasterii; qui brevi tempore ipsam ecclesiam multis dotibus opimisque agris auxit atque ditavit: insuper etiam non paucas domos, villas, ceteraque rusticana ædificia construxit, quæ etiam nunc in magnum commodum subsistunt ecclesiæ S. Martini. Porro Magistro Odoni remansit sola solicitudo et auctoritas suos in bonis moribus, juxta veterum Patrum statuta, continere: quod etiam studiose perfecit sub Divi Augustini Institutis.

initio magnam passus inopiam,

paulatimque ditatus,

assumit œconomum

4 Interim inter alios quidam juvenis Clericus, nomine Adolphus, filius Sohieri, Cantoris ecclesiæ B. Mariæ Tornacensis, abjectis omnibus divitiis atque secularis vitæ contemptis voluptatibus, adiit consortium Fratrum Divi Martini. Quia de re C certior factus pater, accitis secum amicis, properavit ad ecclesiam S. Martini inventum filium crinibus arripuit, multisque ictibus humi prostratum verberavit, verberatumque secum attraxit domum. Altero die filius inscio patre rediit ad ecclesiam S. Martini, parentibus putantibus eum adiisse basilicam beatæ Virginis Mariæ. Sed postquam habuisset compertum pater, eum ad Martinienses rediisse; cum furore eo se contulit, atque filium ut prius verberatum, domum reduxit, et cippo constrictum in custodia detinuit ad tempus. Sed inde relaxatus filius statim concupitum monasterium repetiit: unde cum sæpe eum extraxisset pater, toties ipse filius repetebat Martiniense Fratrum cœnobium. Interim dum hanc inhumani patris verberationem pateretur hic pius Adolphus, et in proposito capessendæ religionis nihilominus constans permaneret; et quid agendum in hoc negotio, reverendo Domino Odoni nihil occurreret; supervenit reverendus Aymericus Antistes Aquiscinctinus, director consiliorum reverendi Odonis, in rebus præsertim monasticis, et consolator gratissimus in omnibus anxietatibus, quibus ejus premebantur Fratres. Apud hunc Abbatem conquestus etiam fuerat ipse Odo, suos Clericos quotidie, nescio qua ex consuetudine, discurrere ad Cathedralem ecclesiam Divæ

Occasione juvenis Clerici, invito patre habitum petentis

et frequentis discipulorum ad urbem recursus,

D Virginis, ut preces horarias ibidem funderent ac decantarent, nec posse eos inde avertere, prætexentes pietatis studium ac inveteratam consuetudinem. Tum Aymericus Abbas, Novi, inquit, rationem eos cohibendi et domi retinendi, si meæ assentiaris sententiæ. Annuente Odone consultus respondit: Ingenue dicam quod sentio: quia meum expetis consilium. Mi bone Magister, noveris eamdem difficultatem et te et tuos sæpe deinceps subituros, nisi mature occurratis. Cum urbi Tornacensi sitis vicini (neque enim tum temporis hic mons S. Martini in urbe includebatur) et Fratrum horum sit eadem vestis et similis agendi ratio cum aliis Clericis commilitonibus, qui in urbe degunt; hi qui in seculo versantur, facile suos religiosos Fratres ad se deliciis mundi delibutos allicient, et ad vitam educent liberiorem. Quamobrem, si vestro statui ac constantiæ religiosæ consultum esse velitis, necesse est, ut Reverentia tua, Domine Odo, et Fratres tui Regulares, Habitum S. Benedicti induatis, atque ejusdem Regulam profiteamini. Sic enim a natura comparatum est, ut horum temporum Clerici, vestibus albis induti, ita a veste nigra abhorreant Monachorum, ut cum his versari omnino dedignentur. Itaque, reverende atque peramande mi Domine Odo, licet optime passim audias, E et de virtutibus tuis omnino mira prædicent; decet omnino, ut vivendi institutum strictius ac perfectius prosequaris, relicto hoc molliori vitæ genere Clericorum, in quo tu et Fratres tui nimis delicate versamini, licet jam mundo et pompis ejus valedixeritis. Nunc igitur, si illecebris hujus mundi et secularium Clericorum cupitis expediri ritibus; strictius atque sanctius Divi Benedicti jugum subite.

suadet ei Abbas Aquiscinctinus regulam S. Benedicti.

5 His auditis suasionibus, Reverendus Dominus Odo optime animatus, Fratres suos accersiri jubet, in consilium vocat, eorum rationes et consensum expetit. Illi verbis sui reverendi Præsulis Domini Odonis accensi, quod hujusmodi esset consilium reverendi Abbati Aquiscinctini Domini Aymerici; suppliciter eum rogarunt, ne grave ei esset ea nocte apud eum quiescere; et quod crastina die quam lubenti animo et regulam et vestem S. Benedicti accepturi omnes essent, sicque fierent nigri Monachi. Mane itaque cum Matutinas horas atque Primam, juxta Ordinem et usum S. Augustini, in choro cecinissent; capitulo celebrato, cui præerat Aymericus Abbas Aquiscinctinus, ejus sermone et oratione persuasi omnes S. Martini Antistitis Regulares, numero F duodecim, sese ad summum altare templi contulerunt: ubi ipsius Aymerici manu vestibus Clericalibus exuti, servato per tres dies silentio, ab eodem reverendo Aymerico Abbate vestes, benedictas juxta institutum Benedictinorum, susceperunt. Deinde Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas et Completorium, horarias preces totius diei juxta usum Divi Benedicti compleverunt, atque deinceps quotidie sunt prosecuti secundum statuta Divi Benedicti. Quantum autem profuerit, ex consilio reverendi Antistitis Domini Aymerici, ista permutatio vestimentorum Ordinis Regularium S. Augustini in Ordinem et Habitum monachalem Benedictinorum, successus ipse comprobavit. Neque enim deinceps ille Sohierus cantor, aliquid molestiæ intulit filio suo Adolpho, ut ad seculum reverteretur; sed potius indies hortabatur eum, ut in novo statu electo constans permaneret, quotidieque proficeret in ea solitudine sancta. Quin et ipse, facti sui pœnitens, atque a pristina vita resipiscens, pœnitentia ductus, ac divino instinctu ad meliora adspirans, cum suo germano fratre Hermanno, Præposito ejusdem ecclesiæ beatæ Virginis Mariæ, vestem Benedictinam cum vivendi instituto suscipiens, vitam monasticam est

Acquiescunt Religiosi 12

et habitum accipiunt,

felici successu:

est professus. Insuper quinque Capellanias, quas in gratiam alterius filii sui, nomine Adam, etiam ejusdem Episcopalis Ecclesiæ Canonici, comparaverat, curavit ecclesiæ S. Martini incorporandas atque uniendas.

B. Odo Abbas eligitur

6 Tum vero trium dierum completo silentio, et ceremoniis ad professionem Benedictinam consuetis, ipsi Domino Odoni et Fratribus ejus dedit consilium reverendus Dominus Abbas Aquiscinctensis Aymericus, ut novum Abbatem sibi præficiendum eligerent. Itaque imprimis Odo, cum in aliquem suorum suffragium suum ferre conaretur; ecce divino instinctu omnes alii, unanimi consensu et voce, eumdem elegerunt Odonem in Antistitem: quem ita electum Reverendissimo Episcopo Noviomensi et Tornacensi confirmandum obtulerunt, Domino Radbodo; qui eum munere benedictionis honestavit, sequenti Dominica post factam electionem in ecclesia B. Mariæ Virginis Tornacensis, quarto c Nonas Martii, qui erat tertius annus ab ejusdem Domini Odonis conversione.

4 Martii Dominica an. 1095

alio migraturus cum suis

7 Verum cum Dominus Odo cum Fratribus suis serio exercitaretur in lectione sacrorum voluminum, maxime Collationum seu Vitarum Patrum, cœperunt cogitare de loco relinquendo, in quo jam tribus annis egerant: ut quem minus suo proposito judicarent provenire, maxime quod cantu vicinorum, et tumultu transeuntium impedirentur. Itaque deliberarunt locum aliquem abditum et ab omni conversatione remotum expetere, ubi liberius vacare possent rebus cœlestibus meditandis. Tali consilio habito, Horis matutinis absolutis, summo mane compositis libris et supellectili, egrediuntur. Quod cum cives Tornacenses rescivissent, tristitia atque mœrore confecti, omnem adhibuerunt operam ad eos revocandos. Quod non prius facere potuerunt, quam Noviomum illi ad Episcopum pervenissent: qui comperta itineris suscepti causa, postquam eos triduo apud se defatigatos refocillasset, domum remisit in locum pristinum; et ut ibi manerent sedulo admonuit, et ne quid tale amplius tentarent benigne persuasit. Præterea eis consuluit ut ad reverendum Dominum Aymericum Abbatem Aquiscinctinum se conferrent, aut illum ad se vocarent: quatenus eo instituente et docente, secundum instituta regulæ S. Benedicti, mores et vitam componerent. Quod ut commodius fieri posset, idem Aymericus statim de suis religiosis in cœnobio Domini Odonis Priores instituit, ac vicissim aliquos ex monasterio Domini Odonis secum Aquiscinctum abduxit. Hac ratione factum est, ut maxima incrementa acceperit vita monastica in hoc monasterio: siquidem ita ei divina gratia adfuit, ut cum ante ejus adventum per trecentos fere annos nullus in hoc loco Monachus fuisset; non solum terras et mansiones et officinas, et quæcumque usibus servorum Dei sunt necessaria; verum etiam plus quam septuaginta d Monachos, omnipotenti Deo regulariter servituros, hoc loco aggregarit infra annos fere tredecim, quibus dicto monasterio præfuit usque ad annum millesimum centesimum quintum, quo ad Episcopatum Cameracensem promotus fuit.

ab Episcopo remittitur,

et usque ad 70 Monachos colligit

ANNOTATA G. H.

a *Evocatus anno* 1087 *sed* Urbanus *tantum factus Pontifex anno sequenti* 1088 *die* 12 *Martii.*

b *Annus hic erat* 1092, *litteris Dominicalibus* BC.

c *Annus hic erat* 1095 *littera Dominicali* G.

d *Inter hos fuisse aliquos illustres viros asserit Joannes Cousin libro* 3 *Historiæ Tornacensis cap.* 31.

EX VARIIS

CAPUT II.

Gesta in Episcopatu. Morbus, obitus, sepultura.

Fuerant usque ad annum MXCII, *quo mortuus Gerardus II, sub uno eodemque Episcopo Sedes Cathedrales Cameracensis et Atrebatensis; sed enim ob dissidium subortum divisæ sunt; et Atrebatensis quidem creatur Lambertus, Cameracensium vero tumultus crevit, electo a civibus Manasse, a Canonicis Gualtero; quorum Manasses anno* MXCV *consecratus fuit. Verum ut lites sopirentur, post sesquiannum, auctoritati Paschalis II Pontificis, renuntiatus est Manasses Episcopus Suessionensis, Gualterus vero Tornaci Episcopus constituitur: sed gravibus jactatus difficultatibus, dicitur relicto Episcopatu, monasticum Institutum arripuisse, eique subrogatum B. Odonem. Res hæc controversa in Chronico cœnobii S. Martini ita narratur:* Henricus Imperator ab Urbano II et Paschale II Pontificibus vinculis excommunicationis fuit constrictus, eo quod se ab obedientia Sedis Apostolicæ subtrahens, dignitates Ecclesiasticas quibuscumque vellet largiretur. Hinc et invito summo Pontifice in Episcopum Cameracensem constituerat Gualterum. Quapropter Paschalis Pontifex Manassi Archiepiscopo Remensi sub litteris serio præceperat, in virtute obedientiæ ex Apostolica auctoritate; ut congregatis, tam Archiepiscopis quam Episcopis comprovincialibus, eligerent idoneum Episcopum, qui Ecclesiam Cameracensem cum fructu animarum rerumque temporalium augmento regeret. Itaque hisce adhibitis comitiis, in Episcopum Cameracensem electus fuit et cooptatus Magister Odo, sanctimonia et doctrina præclarus, tum Abbas S. Martini: qui a Pontifice Paschali confirmatus, munus consecrationis accepit anno Dominicæ Incarnationis MCV, ab eodem Manasse Archiepiscopo Remensi; et septem comprovincialibus Episcopis VI Nonas Julii Dominica die: sed contranitente Henrico Imperatore, (quod nollet ab eo investituram accipere, ne in censuras canonum incideret. Gualterus urbem Cameracensem occupans, ei introitum et redditus Episcopii denegabat. Interim Reverendus Odo vicinas Ecclesias visitabat, et munus Episcopale exequebatur, sedem ac domicilium habens in cœnobio Aquiscinctino apud Aymericum Abbatem; et Amando Priori admodum familiaris. Donec tandem Henricus junior, Imperatori patri succedens, ad litteras Paschalis Papæ Odonem restituit Sedi Cameracensi; civibus per litteras præcipiens, ut ejecto Gualtero, germanum Episcopum suum admitterent Odonem; qui deinceps ab anno salutis humanæ millesimo centesimo sexto in Sede Cameracensi residens, ipsis civibus et toti diœcesi suæ tam vitæ sanctioris exemplo, quam doctrina et concionibus, vehementer profuit; frequenter oves sibi commissas visitans, aliisque necessitatibus subveniens atque sustentans. *Hæc ibi.*

Ob difficultates in sede Cameracensi

deposito Gualtero,

Odo consecratur Episcopus:

degit Aquiscincti

accipit Sedem Cameraci

9 *Idem* Odo, *sed* Odonus *scriptus, confirmat Teneramundanum Canonicorum collegium, a Remigio seu Ringoto Calvo, hujus oppidi Domino, ejusque conjuge Adelwide fundatum: cujus diploma ediderunt David Lindanus libro* 2 *Teneræmundæ cap.* 2, *et Aubertus Miræus in Codice Donationum cap.* 73, *ejusque compendium in Notitia Ecclesiarum Belgii cap.* 121 *ubi* Odardus, *inquit*, per gratiam Dei Episcopus Cameracensis.... Pro magna Dominæ Adelwidis, uxoris Remigii de Tenremonda et omnimoda supplicatione Canonicorum Tenremondensinm, eos ab omni persona, omnique laica vexatione emancipamus, et Canonicis ejus Ecclesiæ canonicam libertatem assignamus; concedentes, ut Decanus, qui Canonicorum ibidem curam habuerit sic ecclesiæ malefactores excommunicandi

confirmat fundationem Teneramundensium Canonicorum an. 1108:

altare Valencenis an. 1109

A excommunicandi potestatem habeat. Duo ecclesiæ altaria de Opwyck et Lebbeke Ecclesiæ Tenremondensis, sanctæ videlicet Trinitatis et S. Christianæ, solummodo ad ædificia sive ornamenta ecclesiæ retinenda, libera Canonicis tradidi : in quibus Presbyteri per Decanum et Canonicos statuantur, et ipsi nobis vel ministris nostris ad curam suscipiendam præsententur. Præfatæ quoque ecclesiæ alodia de Winsia, de Morsele, de Geverghem, in campis, in silvis, in pratis, cum omni justitia terræ et silvæ, libere et integre confirmamus, solis Canonicis profutura. Peractum est hoc anno MCVIII; Indictione I, prædicti Episcopi anno III. *Idem anno sequente*, Præsulatus quarto, Indictione secunda, petitioni Canonicorum ecclesiæ S. Joannis Baptistæ in Valentinianis acquievit, qua altare de Estruem liberum a Persona Ecclesiæ traditur, *uti ibidem apud Miræum legitur. Addunt Sammarthani, ab eodem concessam* Roberto Comiti et Clementiæ uxori anno MCX licentiam construendæ capellæ Beatæ Virginis, quæ nunc est in novo-Burgo apud Aldenardam. *Apud la Barre legitur* eumdem etiam donasse altare Ecclesiæ Tornacensi.

EX VARIIS

capellam prope Aldenardam an. 1110 donat

et altare Tornaci;

10 Tandem Odo ,*uti apud la Barre legitur, ex ejus* B *Monasterii monumentis.* cum suis laboribus non parceret, totam diœcesim latissimam circumiens, senio confectus incidit in morbum ; quo vehementer pressus atque afflictus, lectica se deduci præcepit, ad monasterium Aquiscinctinum : in quo et ante Episcopatum, et exul , cum a Cameracensibus non admitteretur, et quamdiu provinciam Episcopalem D administravit, familiarissime semper vixerat, cum reverendo Haymerico ejusque successore Alviso Abbatibus Aquiscinctinis, ac Priore ejusdem loci Domno Amando de Castello. Porro reverendus Abbas Martinianus, successor ipsius Odonis, et Domnus Segardus , audientes apud Aquiscinctinos in extremis agere Odonem, cum alio religioso venit Aquiscinctum ; rogans et petens ipsius Beati corpus ad proprium monasterium S. Martini quod restauraverat deferri : ut ubi primus omnium monachalem vitam fuerat amplexatus, Abbatialemque dignitatem primus omnium gesserat, atque tot virtutibus in vita claruerat, post mortem illic quoque quiesceret. Ad hæc respondit reverendus Abbas Alvisus, Aquiscinctinenses non passuros eum virum Sanctum alio ablegari, quem Dominus Deus ad se transmiserat ; sed in sua ecclesia propriam sepulturam habiturum. Igitur octiduo post hanc petitionem, plenus virtutum, anno MCXIII, XIII Kalendas Julii vita fungens Odo, cum magno honore conditus est in medio basilicæ Aquiscinctensis apud Crucifixi imaginem, coram altari S. Andreæ, sub insigni candido et perlucido marmore cavato, effigiem dicti Odonis, baculum pastoralem cum infula et vestimentis Pontifi- E calibus gestantis, referente. Verum altari nunc destructo jacet in vestiario ejusdem Ecclesiæ, coram tabula insigni, referente miraculum S. Andreæ, naufragos in mari liberantis.

æger defertur Aquiscinctum,

et frustra opponente se Abbate S. Martini,

ibidem a morte sepelitur.

DE B. JULIANA FALCONERIA

VIRG. TERTIARIA ORD. SERVORUM B. M.

FLORENTIÆ IN HETRURIA.

Vita ex Ms. Italico Fr. Archangeli Gianii Florentini.

ANNO CICLI.

Serenissimæ Dominæ, Annæ Julianæ, Austriæ Archiduci, Sorori devotissimæ Ordinis Servorum Beatæ Mariæ et Patronæ Colendissimæ Fr. Archangelus Florentinus Servita.

1 Quamquam corresponsurus desiderio Sereniss. C Celsitudinis tuæ, simul et pariturus mandato Reverendiss. Patris nostri Generalis, quæ pluribus ab hinc mensibus mihi injunxit compilare vitam nostræ B. Julianæ, tardior aliquanto visus sim ; excusandus tamen venio, per continuas occupationes quibus implicor, aggressus per omnes nostræ Religionis Conventus, conquirere materiam pro scribenda a principio, quantum Deus concesserit, Ordinis historia, annos quadringentos, a quibus ille cœpit complexura, usque in præsentem diem. Huic curæ variæ accesserunt operis injuncti expediendi difficultates, dum non nisi certo comperto intendo producere, et prædicationum consuetarum quibus vacare jubeor impedimenta : unde futurum spero ut excusabilior quoque appaream in conspectu Sereniss. Celsitudinis Tuæ, quæ potius respectura sit animi promptitudinem, quo hanc opellam qualemcumque tandem absolutam affero, cognita Tua voluntate fidentior.

Dedicatoria ad Sereniss. Annam Austriacam,

excusat tarditatem operæ

2 Et vero Serenitati Tuæ imprimis debebatur hic labor, non tam qui ea Tibi recens accessit gloria, ut regnantis in terra nunc Imperatricis mater diceretis (licet hoc quoque sit aliquid) sed quia nuper sancto tuo ac generoso proposito assecuta id es, ut Patronam et Advocatam haberes in cœlis Reginam Angelorum, cui in terris tam viriliter professa es velle militare, sub vexillo et habitu Servorum ejus, ad imitationem ipsius B. Julianæ. Equidem persuadere mihi non possum, casu factum esse, ut cum superiori anno in festo Visitantis Elizabetham Deiparæ, cum pluribus tuo obsequio addictis matronis puellisque lectissimis, assumens Habitum Ordinis F nostri, eligeres lustrico nomini tuo adjungere nomen Julianæ. Idem mihi totique Ordini persuadet, signum dolorosæ Matris, et plus quam septemplici gladio transfixæ, quod, velut mundanæ omnis sublimitatis oblita, ex tunc voluisti usurpare pro sigillo. Sane præconcipio animo, ut et alii mecum, isto tuo novo nomine, habitu atque sigillo renovandam in hisce Germaniæ partibus imaginem vivam vetustæ illius associationis, exemplumque veteris nostræ Julianæ, quæ omnium eamdem Mariæ servitutem professarum dux et primipila vocari potest. Divina majestas aspiret sanctis ac nobilibus cogitationibus vestris, Tuamque Serenitatem dignam efficiat, quam posteritas nostra aliquando annumeret Beatis suis; deque ipsa velut altera Juliana scribere talia possit, qualia nunc de prima narramus : id quod ego imprimis opto, licet spiritualium tuorum nunc Fratrum, in sacri istius habitus communione, minimus atque undequaque indignus. Vincentiæ die XX Aprilis, anno Domini MDCXIII.

ipsi debitæ ut Sorori Tertiariæ,

et in Julianæ nomen transgressæ

an. 1612 2 Julii.

LECTORI INTERPRES D. P.

Ex *Eleonora, Ferdinandi I Imperatoris filia, Caroli V nepte, et Willelmo Mantuæ Duce nata* Anna; *nupserat ejusdem Ferdinandi secundo genito Ferdinando*

Fuit Ann uxor Ferdinandi Tyrolen.

nando, Tyrolis Duci atque Burgoviæ Marchioni, anno MDXC; *eique alteram Annam pepererat quæ* MDCXI *nupta patrueli suo Matthiæ, altero patrueli Rudolpho II paulo post moriente, facta erat et coronata Imperatrix, Francofurti* XXIV *Junii* MDCXII. *Filiæ igitur exaltationem præcesserat religiosa humiliatio matris, hebdomadem unam : quæ etiam pia Mater, annum jam* XVIII *vidua apud Rittershusium in tabulis Genealogicis dicitur* Anna Catharina, *scilicet a Baptismo; et secundum illud nomen commutasse in nomen* Julianæ *hinc discitur; hoc vero nomen gessit usque ad* 14 *Decembris anni* MDCXVIII, *quo obiit, Oeniponte in Tiroli sepulta.*

socrus Matthiæ Imper.

4 *Ipse porro Gianius, qui hanc illi Vitam inscripsit, ejus Historiæ, cujus compilandæ susceptam a se curam profitetur, priores duas Centurias, usque ad annum* MCCCCXXXIII *deductas, vulgare cœpit Florentiæ anno* MDCXVIII; *in quibus cum semel iterumque honorabilem mentionem* B. Julianæ *fecisset; tandem Cent.* 2 *lib.* 1 *cap.* VIII *hoc titulo inscripsit;* De gestis et obitu B. Julianæ Florentinæ de Falconeriis : *quod Caput profitetur se potissimum collegisse* tum ex Pocciantii Chronico, tum ex Mag. Paulo Florentino in suo Quadragesimali, quod Paulina inscribitur, Feria 2 post 1 Dominicam Quadragesimæ, ubi præcipue habebatur de Eucharistia pectore morientis recepta, et carni impresso Crucifixi sigillo. *Simili modo ante diffusiorem hanc Italicam Vitam, idem Gianius in Præfatiuncula ad Lectorem, eosdem duos fontes nominat, et addit,* Paulinam prædicabilem *Senis fuisse impressam anno* 1596; *insuperque allegat* antiquum Julianæ Epitaphium, relatum in quadam lucubratiuncula R. P. Mag. Cosmi Florentini servitæ, necnon Ephemerides quasdam quotidianarum expensarum, quarum etiam nunc fragmenta aliqua restant in archivio Annuntiatæ, ubi servantur scripturæ spectantes ad fabricam; Adeo, *inquit,* ut auctoris hic nihil sit præter ordinem aptamque collationem rerum ac temporum, prout singula accesserunt, cum discreto quodam ac congruo illis verborum ornatu.

et hanc Vitam accepit quinquennio ante editos Annales;

indicatis unde sumpta est scripturis,

5 *Epitaphium in fine Vitæ, tam Latinæ quam Italicæ, itemque in præfato Chronico, iisdem ubique verbis recitatur, ut infra num.* 18. Michaelis Florentini Chronicon servorum *habeo, vulgat in Florentiæ anno* 1567 : *cui novennium supervivens Auctor, prælo paraverat Catalogum Florentinorum scriptorum : qui Catalogus, curante et multis nominibus ipsum agente Luca Ferrineo, in lucem prodiit an.* 1589 *cum insigni ipsius Michaelis elogio: unde et* Pocciantium *gentilitio nomine dictum novimus et pluribus aliis libris claruisse. Ejus in Chronico ad annum* MCCCXLI *verba hæc sunt :* Iisdem diebus quibus Religionis onus imponitur R. P. M. Matthæo de Castro plebis, *(ad cujus electionem, pro defuncto Petro Fudertino, Patres convenerant)* XX *Junii* onus mortalitatis deposuit prudentissima Juliana Florentina *(in margine præposito* B. *nominata)* quæ non tantum inter nobiles mulieres Florentiæ primatum tenuit, cum originem ducat ex nobili gente Falconeria ; sed etiam inter Religionis Servorum Sorores principatum consecuta est. Virum namque non cognovit, sed castissime toto vitæ suæ tempore beatæ Virgini in virginitate servivit, sic a B. Alexio, Ordinis institutore ac ejus patruo edocta. Bis in hebdomade jejunans, die Mercurii et Veneris, nihil nutrimenti sumebat : sed ejus epulæ erant (expiatæ prius aqua pœnitentiæ) corpus ac sanguis Domini; die vero Sabbati sola aqua paucaque panis buccella contenta existebat. Si deinde disciplinis vacaverit, si divitias contempserit, si proximorum salutem procuraverit, si Deo grata Virginique cara extiterit, si denique Christi passionem ac ejus Matris dolores fuerit meditata; ipsius pretiosa mors, ac signa subsecuta post ejus gloriosum obitum, satis superque demonstrant. Plurimis namque infirmis, dum migraret ad Christum, et dum sacri cineres ad ecclesiam deferuntur, corpus gloriosum tangentibus, fuit sanitas restituta, velut Divæ Annuntiatæ *(hoc nomen Conventui Florentino est)* Annalia testantur : ex quibus etiam desumitur, quod huic immaculatæ Virgini adeo cordi extiterit Jesu Christi passio, quod post ipsius obitum tamquam a sigillo impressa, imago Christi cruci affixi in pectore ejus adinventa : quod confirmant adhuc antiquæ effigies, quæ his etiam diebus, in altaribus Divæ Annuntiatæ ab omnibus intuentur. Apud hanc ecclesiam in quadam arca lignea venerabilia ossa sunt recondita; usque ad tempus illud a Patre præfinitum, in quo singuli audient, Surgite mortui : cum quibus ut perpetuo æterna potiatur gloria, surget castissima mulier ista. *Sed de promoto paulatim cultu, ac præsenti Reliquiarum ipsarum statu dabitur Appendix post vitam : de qua ad extremum significo, eam fuisse ex manuscripto Italice excusam, anno* MDCLXXII, *et dedicatam D. Francisco Falconerio, utriusque Signaturæ Referendario Romæ, et sacræ Congregationis super bono Regimine institutæ.*

unde insigne elogium Julianæ sumitur,

EX ITAL. GIANII

et testimonium aliquod cultus.

CAPUT I.

Natales et puellaris ætas Julianæ voto castitatis obsignata.

CAP. I

Familia Falconeria divinitus benedicta apparuit,

Quoties divina providentia oculum copiosæ misericordiæ suæ defigit in piam familiam aliquam, non cessat eam successive ornare favoribus quibusdam particularibus; unde gratulari sibi illa possit, non tam quod memorabilis facta apud homines sit, quam quod amabilis reddita Sanctis, et æstimabilis Angelis paradisi. Divina erga Abrahamum propensio, postquam ei benedixerat Deus, ipsius causa extendit sese, non tantum usque ad familiam fratris, sed per filios nepotesque traducta descendit in duodecim Patriarchas, Reges, atque Principes Israel usque ad sanctissimum illius germen Jesum Christum, Salvatorem mundi. Simile quid accidit in domo Elcanæ, cui per Samuelem, precibus matris impetratum, multiplex benedicto superinfusa est a Deo. Sic in Joanne Baptista divinitus beatificata fuit familia Zachariæ; ut alias infinitas taceam, quibus idem succcedere videmus quotidie. Etenim istiusmodi gratiæ, extraordinariæ et speciales, a sola Dei munificentia proficiscuntur prout apparuit Florentiæ, Tuscani Dominii principe civitate, inter duos fratres, Carissimum et Alexium Falconerios.

in duobus fratribus, Carissimo et Alexio,

quorum junior e septem Fundatoribus Servorum unus.

2 Vivebant illi in seculo commode, si qui alii conditionis suæ nobiles, quibus decori in ea civitate tunc non erat exercere mercatorium quæstum, felici negotiorum successu locupletes : sed unus post alterum, benignam erga se Dei manum certius sunt experti, cum sese divinitus tractos senserunt, ad ingentem morum vitæque in melius conversionem. Primus in recipienda gratia Alexius fuit, fratrum junior; qui magis magisque proficiens quotidie in in fervore divini obsequii, mentem cogitationesque paulatim omnes a negotiis seculi traduxit ad amorem Dei, et fratri temporalium curam relinquens, solebat inter alia devotionis exercitia frequentare nobilissimam ac devotissimam istius temporis sodalitatem, cui ex speciali erga beatissimam Virginem Deiparam affectu solitæ ejus Laudes decantare, nomen factum est Laudensium S. Mariæ majoris. Hic inter ferventiores numerabatur; dumque divino cultui, observantiæ sui, et aliorum spirituali auxilio intendit pro viribus; dignus est inventus, qui aggregaretur numero illorum septem, quos ex illo Sodalitio delegit Deus, ad miraculosum principium Ordinis Servorum B. Mariæ auspicandum, quemadmodum illius Ordinis historiæ narrant.

alter in senectute sua conversus

3 Interim Carissimus, fratrum major, prægravare jam eum incipientibus annis, cœpit etiam seculum fastidire, exhortationibus et exemplis fraternis stimulatus. Cumque in seipsum conversus præteritæ vitæ acta atque negotia omnia introspiceret et recognosceret diligentius; conscientiæ stimulis perquam acribus urgeri sese sensit, quasi multa ex alieno injustus possessor retineret. Itaque primum ad divinæ misericordiæ fontem recurrit, ut ejus gratia aspirante certius decerneret, quid sui, quid alieni juris esset: deinde anno MCCLXIII, ne quid scrupuli resideret in animo, Urbano IV Pontifici tunc maximo supplicavit, ut absolutionem sibi generalem impertiretur omnium quæ forte deliquerat in negotio: quam etiam sub congruis quibusdam ac salutaribus conditionibus obtinuit. Cœpit ergo instar alterius Zachæi intendere restitutioni eorum faciendæ quæ aliena esse existimabat, eleemosynis in pauperes large distribuendis, et promovendo operi Annuntiatæ Florentinæ, quæ cito facta est publicum refugium, Deiparæ opem implorantium. Neque hic steterunt favores divini, in familiam istam profusi; sed ipsam hominis illius conversionem secuta est gratia tanto singularior, quanto eam minus videbatur expectare posse in adeo provecta ætate; nativitas, inquam, ejus filiæ, cujus vitam scribere instituimus, Superiorum obedientia, et mandato Serenissimæ Archiducis Annæ Julianæ adstricti: quæ sicut illius nomen adoptavit cum habitu Œniponte, anno MDCXII; ita ejusdem conatur vestigia sequi et exempla.

CAP. II. An. 1270 nata Juliana;

4 Nata est Juliana, sub extremam patris Carissimi Falconerii ætatem, circa annum MCCLXX, in urbe Florentina; cum maxima honoratissimæ istius familiæ lætitia. Et licet ægre meminerit patrem se novisse, cito ex hac vita substractum (quamquam aliud ante hac visum sit nobis, necdum ita accurate subductas habentibus temporum rationes) diu tamen superstitem habuit patruum Alexium, cum quodam suo patrueli Fr. Albizio, pariter Ordinem Servorum professo, qui non parum contulerunt ad eos, quos mox illa facere cœpit, spirituales progressus. Ita a prima pueritia potuit principia facere omnis Christianæ virtutis; maxime cum eo plurimum etiam conferret mater, singularis prudentiæ matrona, quæ cum omni solicitudine imbuebat parvulam Dei timore, moribus gradui suo congruis, pro more istorum temporum, quando nobiles puellæ educabantur cum præcipuo honestatis solitudinisque rigore, procul a famulitii virilis externorumque conspectu. Vix autem infantula pia cœperat linguam in verba solvere, cum frequens audiebatur pronuntiare dulcissima Jesu ac Mariæ nomina, magna cum admiratione nutricis et delectatione piæ matris; cui levir Alexius sæpe dicebat, quod pro filia Angelum videbatur peperisse: omninoque futurum, ut progredienti ætate, mirabilia magna in illa et per illam operaretur Deus.

quæ sub patrui matrisque cura vidua cura probe educata.

et ab infantia pietati addicta,

5 Inter hæc paulatim provecta ad discretionis ætatem, longe libentius attendebat Juliana exercitiis devotionis, quæ suus ipsam patruus docebat; quam consuetis mulierum laboribus ad quos ipsam assuefacere conabatur mater. Etenim pro acu et fuso tractandis, instruebat altariolo, et ante ea vacabat legendis libris spiritualibus, cantandis Deiparæ laudibus, precibusque fundendis. Eapropter cum increpans eam mater subinde moneret, quod si ita porro negligenter ageret, in iis quæ ad regendam familiam attinent condiscendis, ægre ei esset inventura maritum; aliud illa non respondebat, quam confidere se, quod suo tempore necessitate tali provisura Deipara esset. Porro quantum illa accidebat ad annos, tanto magis elucere incipiebat morum ac formæ gratia specialis; sic ut mater magnas majoresque indies spes conciperet honoratissimarum nuptiarum; jamque ea de re sermones nascerentur intra domesticos.

recusatis nuptiis, castitatem vovet.

6 Etenim, ut familia Falconeria erat opibus et affinitatibus clara, non deerant quorum conjugiis appeteretur: præ omnibus tamen, mortuo jam patre, in ejusmodi spem intendebat Falco, familiæ caput. Cum enim ætate illa, post Guelforum Gibellinorumque factiones extinctas, aliæ aliæque resurgerent, inter Cerchios atque Donatos, Nigros et Albos; magna cum solicitudine attendebat unusquisque, ut deligenda uxore potentiam augeret factionis suæ, contra adversarios. Verum alia prorsus omnia cogitabat Juliana, pridem animo fixum gerens, id quod suggerente patruo Alexio conceperat, propositum servandæ in perpetuum castitatis, seque virginem Virginis Mariæ obsequiis consecrandi. Quapropter, spretis adhortationibus maternis, consanguineorum illiciis, ac seculi blandimentis; nuncupato continentiæ voto sese ultro obstrinxit, prompta parentelæ omni totique mundo renuntiare, ac nuda nudum Christum sequi, quandocumque id sibi permitteretur.

CAPUT II.

Susceptio Habitus, in eoque professio et sancta exercitia B. Julianæ.

CAP. III. Anno 1284 Habitum Ordinis petit

Ea res cum ad patrui Alexii notitiam pervenisset, et per eum ad B. Philippum: ambo ut flagrabant desiderio ingenti pertrahendi quoscumque possent ad famulatum matris Dei, vehementer gavisi sunt: et proximo Generali Capitulo anni MCCLXXXIV, rogatus Generalis Philippus est, ut tertii Ordinis Habitum donaret Julianæ. Ea enim licet ætate juvenis admodum, gravitatem tamen præferebat matronæ quantumvis grandævæ, et a patruo Alexio satis instructa erat in omni professionis talis exercitio. Ipso ergo testimonium illi reddente, et accedentibus mulierum devotarum precibus, quæ in primam istam societatem a votis religiosis liberam convenerant, pallio Servitico distinctam a secularibus, consensit ad Habitum illi conferendum. Factum id est in ecclesia Annuntiatæ, cum iis ceremoniis quibus Ordo noster a principio assuevit; gaudente Alexio, quod negotium neptis suæ eo usque perduxisset, et nihil curante quoscumque respectus mundus et caro in contrarium suggerebant. Ipse vero Generalis magnam jam tum concipiebat fiduciam, multiplicis fructus per eam faciendi in illa pia Congregatione.

et suscipit Juliana, de manibus B. Philippi:

8 Quanta autem cum præparatione animi Virgo ad eum actum accesserit, quantoque cum jubilo inde recesserit, non est facile verbis explicare. Quæcumque de manu Generalis acceperat, pallium nigrum, tunica, cingulum, vela, ipsaque corona, libellus, et cereus, magna ac mira ei repræsentabant mysteria, quibus contemplandis impenderet annum probationis. Tunica atrata, repræsentabat ei mœstitiam Mariæ in monte Calvario, prolixitatemque martyrii inter filii tormenta tolerati: Zona pellicea, cutem Christi, flagellis, clavis, lanceaque discissam; Vela candida, puritatem Virginis; Corona, laudes ei datas ab Angelo; Libellus, meditationes de passione Christi suggerebat; Pallium, protectionem Deiparæ, cui se suppositam gratulabatur; cereus denique, accensam lampadem, quam instar prudentis virginis monebatur semper habere paratam, in occursum sponsi Domini sui Jesu Christi. His ita considerandis toto anno intenta, magnæ ædificationi erat matri, consanguineis et familiæ universæ, necnon omnibus ejusdem Habitus sociabus. Etenim, licet

actoque probationis anno,

consanguinei

A consanguinei ægrius initio ferrent ejusmodi mutationem, eam tamen paulatim magis magisque probabant; imprimis mater, quæ filiæ exemplo et admonitionibus leviri, ipsa quoque assuefiebat exercitiis devotionis; id quod Julianæ magno erat solatio commodoque.

9 Jam circumvolutus erat probationis annus, et sequenti MCCLXXXV congregabatur alterum Florentiæ Capitulum generale, in quo ad faciendam professionem, suscepto vitæ instituto congruam, recipienda erat Juliana, ex suo ipsiusque Generalis et Sororum voto. Necdum quidem ea res ordinata erat in hunc quo nunc utimur modum, quemque XXII articulis comprehensum postea Martinus Papa IV confirmavit per Bullam anni MCCCXXIV sub data XVI Martii; verosimile tamen est, id quod tunc Apostolica fuit auctoritate stabilitum, majori ex parte etiam primis istis temporibus usitatum fuisse; ut scilicet coram altari in ecclesia sanctissimæ Annuntiatæ voverent, ad hoc receptæ, perpetuam Deiparæ servitutem sub nigro Habitu, cum observantia castitatis, præsentibus ad omnia testibus vocatis, Notarioque actum publicum consignante, et Fratribus atque Sororibus aliquammultis; quemadmodum tunc Julianum fecisse, in manibus B. Philippi Generalis, mihi persuadeo. Is vero Tudertum, finito Capitulo abiturus, unde rediturus esset numquam, instante jam vitæ ejus fine; optimis haud dubie monitis instructam Julianam reliquit, commendans ei, licet adhuc juvenculæ, et solos quindecim annos natæ, Ordinem totum in maximis tunc angustiis constitutum; devotamque Congregationem Sororum, cujus eam prævidebat caput magistramque futuram aliquando; necnon suum proximum transitum; cujus denuntiatio valde consternavit Julianam, quæ adeo cito privari se dolebat optimo animæ Pastore.

sub illo professionem facit:

B

qui salubriter instructæ extremum valedicit.

10 Ultima hæc Generalis sui monita tam alte animo impressit Juliana, et tam frequenter recolebat mente; ut quæ a prima pueritia fervebat ad Dei famulatum, exinde etiam æstuaret magis; fieretque non sibi tantum, sed etiam aliis magistra virtutis. Imprimis autem sibi præfixit quamdam vitæ regulam, inviolabiliter observandam; jejunandi scilicet omni quarta et sexta feria, quibus solo pane cœlesti reficiebatur. Et quoniam æquum judicabat, ut Marianam professa servitutem, unum quoque diem illi addictum haberet; addidit jejunii sui diebus Sabbatum, cum modico pane et aqua transigendum: quod etiam impendebat contemplatis septem doloribus Virginis ante ipsius imaginem, acsi illis ipsis præsens adfuisset : quemadmodum etiam Feriam sextam habebat occupatam meditandis Dominicæ passionis mysteriis coram Crucifixi simulacro. Hinc vero ut similiorem se redderet, asperis etiam disciplinis diverberabat sibi carnes usque ad sanguinem; nec raro abripiebatur in extasim, præ desiderio se cum patiente Jesu crucifigendi: ut mirum nihil sit, si postea inventa fuit impressum carni suæ habens Crucifixi sigillum.

CAP. V. Hinc ipsa sibi quamdam formam præscribit jejuniorum,

C

orationum, pœnitentiarum,

11 Horas Canonicas noctu diuque persolvebat suo quamque tempore, nec prius ab una transisset ad aliam, quam mysterium ei respondens meditando expendisset; cuique insuper applicans passum aliquem condolentis filio matris. Hoc vero exercitium etiam alias docuit, quemadmodum dicetur in vita discipulæ ejus Joannæ Florentinæ, pio etiam fine defunctæ circa annum MCCCLXVIII. Numquam illa inchoasset vel finisset horam aliquam absque salutatione Angelica: in fine autem, pro Servorum pia consuetudine, addebat Salve Regina, sic a B. Alexio edocta. Quamquam autem ut plurimum sacris Officiis Fratrum suorum interesse conabatur in ecclesia Annuntiatæ, istic se recipere solita ad proprium

Horarum Canonicarum,

Falconeriorum Sacellum, ubi præ oculis haberet defunctorum suorum majorum memorias; non credidisset bene transactum diem, quo non salutavisset adorassetque Annuntiatæ imaginem ante suum altare, ibique commendavisset Servorum Ordinem, uti a Philippo mandatum acceperat. Qualibet etiam feria secunda, liberandis fidelium e purgatorio animabus, multa impendebat suffragia; recitabatque Vigilias defunctorum, nocturna eas flagellatione concludens.

D

EX ITAL. GIANII aliarumque devotionum.

12 Admirationi autem Sororibus præcipue fuit cingulum ferreum, asperum valde et carni immersum, quo reperta fuit accincta post mortem, sic ut absque ipsius venerandi corporis læsione auferri nequiret; unde faciebant conjecturam, quod eo fuerit accincta a juventute, implere volens, ad litteram Evangelicum istud, Sint lumbi vestri præcincti; simulque reprimere stimulos carnis, et quamcumque delectationem sensualis tentationis, immitti solitæ ab omnis boni humani adversario. Præcipue autem conabatur proficere in virtute humilitatis, quemadmodum a sancto patruo suo didicerat, tanto sanctæ paupertatis et vilitatis amatore, ut noluerit ad sacros Ordines promoveri, sed in gradu laicali remanere elegerit; vilissimis quibusque vacando exercitiis et quotidianum victum emendicando Fratribus: sic et ipsa, cum posset nobiliter vivere de facultatibus suis, malebat manibus operari unde victum lucraretur; eoque in medium allato, communi cum Sororibus portiuncula manebat contenta.

Cingulo ferreo ad carnem constricta,

Luc. 12

E

imitatur humilitatem patrui.

13 Audito, post non multos ab emissa professione dies, obitu B. Philippi, Tudertina in urbe, die XXII Augusti, publica ac privata causa indoluit; quamquam multum solatii acciperet ex iis quæ de illius transitus circumstantiis narrabat Fr. Ubaldus Florentinus, atque ex ore ejus nepti suæ referebat Alexius. Imprimis autem movebat illam, per eumdem ante mortem curata, duarum peccatricum Helenæ ac Floræ conversio, a quibus exordium habuit Aquispartanum Servorum cœnobium. Etenim hujusmodi spiritualis misericordiæ operibus ipsa toto corde afficiebatur: quorum licet expressa nulla supersit relatio, specimina tamen quædam fervoris, ad promovendam animarum salutem, hinc inde tralucent per tenebras oblivionis; dum constat, quantum salubres ejus exhortationes profuerint matri, ad tenendum castæ viduitatis propositum, misericordiæ ac pietatis operibus unice intendendo. Eadem Franciscam Falconeriam, mortuo fratre suo Nicolao, induxit, ut omnes facultates suas dispartiretur in usus pauperum; et D. Guiduccæ auctor fuit de Servorum Ordine merendi tam bene, ut privilegio singulari mereretur communione meritorum Ordinis a Generali donari. Multos etiam persuasit, dimissa peccandi consuetudine, accedere ad sodalitatem Pœnitentium, quæ sub directione Servorum tum vel maxime florebat; et, quantum possumus conjectando assequi, plurimum contulit ad Dianæ cujusdam conversionem, quæ una cum marito totam se mancipavit servituti Marianæ.

CAP. VI

Mortuo B. Philippo,

ejus exemplo intendit conversioni animarum.

F

CAPUT III.

Contubernio Tertiariarum præfecta Juliana, sancte illud instituit : miraculosisque favoribus cumulata in morte, ut Beata colitur in suis Reliquiis.

Defuncta matre, continuo se contulit Juliana ad Sororum sui Habitus contubernium : cœpitque ad se allicere plures boni spiritus puellas, ad Dei obsequium virtutemque formandas : quas inter fuit Joanna Florentina, cui talis Magistræ disciplina per

Juncta contubernio Tertiariarum,

A duodecim annos suscepta, maximo adminiculo fuit, ut ipsi mortuæ tamquam heres succedere posset in magisterio quo plurimum Congregationi novellæ postea profuit. Ea interim, et vivente et mortuo Philippo, iisdem jactata tempestatibus, quibus ipse Servorum Ordo tantum non dissolutus extinctusque fuit; ferebatur instar cymbulæ, majori navigio adhærentis; neque prius assequi firmum statum potuit, quam eum assequeretur Ordo ipse; receptus sub Apostolica protectione ab Honorio et Nicolao sui nominis Quartis, Octavo item Bonifacio; ac denique a Benedicto XI, per Bullam expressam anno MCCCIV declaratus vere religiosus Ordo. Tum vero Venerabilis Pater Andreas, sancti Patris Philippi successor sextus in Generalatu, etiam de ordinando ad perpetuam stabilitatem Sororum Tertiariarum instituto cœpit serio cogitare, ipsisque exponere necessitatem unius capitis inter se constituendi, cujus electionem ipsarum arbitrio relictam volebat.

EX ITAL. GIANII CAP. VII

eidem stabilito tandem Ordine

15 Erat tunc Juliana annorum circiter triginta sex: quam cum omnes, absque mora et citra ullam discrepantiam sententiarum, nominarent; illa humiliter ad pedes Generalis abjecta, deprecari onus, seque indignam excusare cœpit; nec unquam induxisset in animum munus delatum suscipere, nisi in mentem venissent Philippi verba, jam olim sibi valedicentis Congregationemque commendantis, ut futuræ illius aliquando Magistræ. Fuit ergo prima illa, quod quidem sciatur, quæ cum Priorissæ titulo Sorores Tertiarias cœpit regere. Sicut autem B. Philippus, in Romano Martyrologio, appellatur a Baronio institutor Ordinis Servorum B. Mariæ; non quia eum ipse fundavit, sed quia Regulis Constitutionibusque instituit; sic et Tertiariarum Institutrix appellari posse Juliana videtur: quia quod Philippus facere non potuerat circa illas, ipsa effectui mancipavit. Neque enim existimandum, tum primum cum earum Regulam approbavit Martinus IV, ipsam conceptam scriptamque fuisse; sed potius longo usu firmatam, ut fuerat a Juliana concepta, extremam denique perfectionem ab auctoritate Apostolica suscepisse. Sub hac multis annis officium illa sibi injunctum gerens, verbis et exemplo præibat omnibus, ad exactam statutorum observantiam, donec annis gravis et laboribus fessa, pœnitentiis insuper, jejuniisque exhausta, lecto decumbere infirma cœpit, unde assurrexit numquam.

Priorissa eligitur 1304,

B

CAP. VIII

earumque dicitur Institutrix

ob Regulas conceptas.

C

16 Hereditarium quodammodo Falconeriæ familiæ bonum fuit, longævam vitam ducere. Nam de patre quidem Julianæ Carissimo, etsi non satis constet quo anno obierit, certum est tamen annosum fuisse: matrem vero, quæ supervixit marito, deprehendimus ex scripturis idoneis ad nonagesimum quintum ætatis annum pertigisse. Patruus Alexius, non obstantibus vitæ ejus severæ austeritatibus, annum decimum supra centesimum numerabat cum obiit; anno MCCCX, XVII Februarii. Quare nec mirum fuisset si etiam Julianam contigisset ad centesimum pervenire et quod septuagesimum supragressa non est imputandum venit ejus assiduis pœnitentiis, et debilitato per multam abstinentiam stomacho; cui debilitando plurimum contulit usus vini, aut nullius, aut diluti adeo, ut potius dici deberet aqua. Huic malo cum nullum inveniretur remedium; et stomacho nihil prorsus recipiente, etiam privatam se videret Juliana divinissimo eo Sacramento, quo solebat triduo per hebdomadam sustentari; pascebatur deliciarum in Eucharistia alias perceptarum recordatione suavi: quamquam hoc quoque solatium ei ablatum fuit, subeunte gravi melancolia, ex Viatici desperatione orto incommodo. Tandem tamen, suadente Confessario patrueli suo, piisque Virginibus ægræ assistentibus, acquievit, ut vellet spirituali Communione contenta decedere, seque ea ratione ad extremam Unctionem suscipiendam præparare.

CAP. IX *Longævitate familiæ suæ propria,*

annos 70 nata, infirmatur extremum,

atque ob stomachi impotentiam

D

17 Hac suscepta, et redeunte priori desiderio, Patrem suum Confessarium et Virginum Correctorem rogavit obnixe, ut saltem sibi deferretur sacratissimæ Eucharistiæ hostia, quam posset adorare. Id postquam obtinuit, rogavit iterum sibi pectus ablui, atque candidissimum superextendi velum, super quo sacrum Corporale explicaretur. Dein e ad lævam supra cor, ubi sentiebat majorem veluti fornacis ardentis æstum, poni Eucharistiam petiit. Sed, o novum et inauditum miraculum, perpetuoque memorandum! Ipsa enim quasi conversa in Angeli speciem, pulcherrima apparuit; et præ dulcedinis excessu quodammodo liquefacta, dum suavissime ex hac vita migrare contendit, Hostia quoque illa nullibi visa aut reperta fuit. Sive enim, præ dulcedine amoris, Julianæ animam secum attraxit benedictus Jesus; sive illa in cœlum cum ipsomet suo sponso Christo ad sempiternas nuptias evolavit; illud tamen compertum, quod Virgines consortes, dum ejus corpus curarent et de more abluerent; una ei carissima discipula et morum imitatrix, Joanna Florentina; cum extrema erga hanc piam Matrem officia, supra pectus ejus procumbens, persolveret, doleretque vehementer se talem Magistram amisisse; supra ipsius carnem circa cor vidit Jesu Christi crucifixi imaginem, infra rotundum circulum, veluti sigillo impressam et obsignatam; ut inde agnoscerent posteri, quam B. Julianæ semper cordi extitisset Jesu Christi passio.

absque Viatico moritura

sacram Hostiam cordi suo superponi petit,

CAP. X

E

et mortua invenitur cruce signata,

18 Prædictorum duorum prodigiorum tanta fuit apud omnes æstimatio, ut alterius rei memoriter retinendæ curam omnem Fratribus Sororibusque exemerit: unde nec sigillatim descriptæ fuerunt multorum infirmorum miraculosæ curationes, ad contactum sacri corporis, dum illud a Sororibus modesta, sed pia pompa defertur in ecclesiam Annuntiatæ, eique consuetæ exequiæ fiunt. Solam scimus, quod istis exemplis provocatus populus Florentinus, perrexerit frequens ad visitandam illius arcam concurrere, indeque quamplurima suis malis doloribusve remedia auferre. Reposita autem fuit arca illa sub altare Falconeriorum, titulo Immaculatæ Conceptionis Mariæ Virginis, quo Sodales Habitus nostri utuntur. In ejus laudem sacro tumulo hæc verba fuerunt affixa. Juliana, miraculis illustris, Virginalis gloriæ, Falconeriæ, Florentiæ, ac Religionis Servorum grande decus, sanctum patrui Alexii animum imitata, qui unus ex septem sui Ordinis conditoribus fuit, e cœlo unde venerat, in ortu duplicis solis, sol ipsa ridere visa est, anno Domini MCCCXLI, Florentiæ in æde Divæ Annuntiatæ, decima nona Junii.

claretque miraculis.

Corpus ponitur sub altari

F

cum Epitaphio,

19 Mansit venerabile illud corpus in lignea arca, sub prædicto altari, annis ducentis viginti octo; ubi recordamur noctu diuque solitam fuisse ardere lampadem, quæ, per craticulatam in fronte altaris fenestellam, nutriebatur et accendebatur. Sed cum anno MDLXIX renovandum altare istud esset, inventa est arca illa adeo cariosa ac marcida, ut necesse fuerit sacra ossa inde exempta reponere in Sacrario, una cum aliis reliquiis: ubi usque modo servantur intra capsulam deauratam et interpositis crystallis perlucidam; uti etiam caput, compositum intra grande caput, quod Virginis vultum repræsentat. In sacra Montis-Sanarii eremo, inter alias Reliquias habetur pars brachii dextri B. Julianæ: et in civitate Oenipontana in Germania, ubi est monasterium Præsentationis B. Mariæ, Sororibus claustralibus Servorum fundatum, servatur os majus unius coccendicis. Quæ quidem Reliquia, sub publico Instrumento D. Sebastiani Cenni Archiepiscopalis Notarii, facto

et lampade jugiter ardente

Inde an. 1569 transfertur in novam arcam,

et an. 1612 Reliquia Oenipontem.

A facto in sacristia Annuntiatæ Florentinæ XI Augusti, missa fuit anno MDCXII Serenissimæ Annæ Julianæ, Archiducissæ et Sorori nostræ Tertiariæ, quæ hujusmodi beneficium instanter a Patribus istius Conventus requisiverat.

Qumodo pingenda effigies.

20 Atque hic sit modo finis eorum, quæ scire atque colligere potui per hanc Quadragesimam, horis subcisivis, et a quotidianarum concionum cura minus impeditis, pro tenui mea ac debili facultate, in honorem B. Julianæ, et ad satisfactionem Serenissimæ istius Archiducissæ; in primis vero ad Dei gloriam, quæ illi semper cum honore ac laude debetur. Amen. *Hactenus Lucubratiuncula illa MS. divisa quidem in Capita* X, *sed quorum aliqua, quatenus vel Servorum Ordinem vel Regulam Tertiariarum spectabant, vel ex solo Auctoris ingenio diffusius deducta videbantur, in epitomen contraxi; omnibus, quæ proprie* Julianam *concernebant servatis. Pro iis autem quæ resecare placuit, accipe hoc loco ex Annalibus, quomodo Imago ejus pingenda sit.* Si quis, inquit Gianius, effigiem B. Julianæ repræsentare cupiat, poterit cujusdam nobilis matronæ, quæ sit ætatis grandævæ et proceræ staturæ, ut ejus B veneranda indicant ossa, compingere imaginem quæ manu dextra super pectus demonstret impressionem illam sanctissimi Crucifixi, sinistra vero Coronam calculorum cum libro retineat; ceterum Monialium habitu cum velaminibus pro consuetudine tertii Ordinis Servorum, induta sit.

CAPUT IV.

Miracula per intercessionem B. Julianæ Falconeriæ post ejusdem mortem obtenta ex scripto Italico Monasterii Annuntiatæ Florentiæ.

Florentiæ curantur gravis infirmitas pedis,

Anno MDCLXXVIII, XXIII Decembris, cum esset Maria filia Joannis Rossi in horto suburbano Serenissimi Magni Ducis, Boboli dicto, immedicabili infirmitate in uno pedum laborans qua cum gravissimis et continuis doloribus duodecim annorum spatio afflicta fuerat absque ulla adjutorii spe, ideoque a medicis et chirurgis destituta, sese ex animo intercessioni B. Julianæ commendans, eodem momento pristinam perfectamque sanitatem recuperavit.

febris,

21 Maria Elizabetha, Pauli Ricci filia quinquennis, gravi febre oppressa, sumpto pulvere ex rosis C quæ B. Julianæ Reliquias tetigerant, subito miraculo ab omni febre libera et perfecte sana remansit.

partus difficilis,

23 Cum sibi hujusmodi rosas applicuisset confectumque ex eis pulverem hausisset Catharina, uxor rhedarii D. Leonis Strozzi, eo tempore, quo jam per duas dies noctesque continuas accutissimis partus doloribus conflictata fuerat ideoque non tantum de partu sed etiam de vita desperatum erat, mox felicissime filium peperit ab omni infirmitate libera.

diuturna febris,

24 Catharina Angela, filia Pauli Ricci rhedarii D. Ducis de Verlich, octo mensibus uterum ferens et longa febri debilitata; cum frustra per multas variasque medelas pluresque venarum incisiones, etiam eadem die sæpius iteratas sanitatem quæsisset; tandem applicitis sibi iisdem rosis haustoque earumdem pulvere sese dictæ Beatæ commendans, subito sanitatem recepit.

tumor et cæcitas oculi,

25 Maria Magdalena, Tartini filia duodennis circiter, anno MDCLXXII gravi fluxione afflicta erat in uno ex oculis; qui ad pomi aurei magnitudinem intumuerat, cum tanto dolore, ut nec die nec nocte quietem permitteret, unde et visum in eodem oculo omnino amiserat; ita ut D. Medicus Cheluzzi immedicabilem atque incurabilem declaraverit. Hujus mater cum eam B. Julianæ obtulisset atque ex animo commendasset; eo ipso tempore, quo facto voto domum revertebatur, filiam suam omnino sanam maximo D suo cum stupore invenit; unde postea ad altare prædictæ Beatæ votum suum obtulit, sanatam secum adducens filiam, ut debitas gratias eidem referret.

EX ITAL. GIANII

pedis dolor.

26 Anno MDCLXXXI, XXVIII Maji Catharina, filia Mariani Cavalini, cum longo tempore passa esset, et etiamnum pateretur maximum et intolerabilem dolorem in dextro pede ita ut movere se non posset; ex animo sese commendavit intercessioni B. Julianæ, mane aliquo quo desiderabat interesse devotioni septem Dolorum, hanc ab ea postulans gratiam ut eo se hoc mane conferre posset. Postea magna cum fiducia viæ se dedit, trahens se quam melius poterat, manibus pedibusque reptando ad templum sanctissimæ Annuntiatæ. Cumque ad altare prædictæ Beatæ pervenisset, vix ægrum pedem Sacello intulerat, moxque omnem dolorem cessare sensit seque cum tanto suo, quanto circumstantium stupore sanam plane invenit; ita ut postea nullum unquam dolorem senserit: pro qua gratia argenteum deinde pedem obtulit.

In Quistello sub ditione Mantuana

rheda per illæsos agitur,

27 Anno MDCLXXXII cum D. Aurelia Pirrachera ex S. Felicis oppido rediret ad ditionem Quistellensem, rhedaque quæ duobus pullis equinis trahebatur veheretur; hi manum rhedarii fallentes, inversam E fractamque rhedam tum supra ejusdem Dominæ ac duarum ejus famularum, tum ipsius rhedarii corpus egerunt. Prædicta vero Domina illo instanti invocante nomen atque adjutorium B. Julianæ, omnes miraculose ab omni offensa atque injuria liberi evasere, id manifesto ejusdem Beatæ attribuentes miraculo.

moribundus subito convalescit,

28 Cum quidam N. in eodem loco S. Felicis ex acuta febre moribundus atque ab omnibus medicis destitutus decumberet; et eo jam esset in statu, ut consuetæ commendationes animæ recitarentur; prædicta D. Aurelia ipsi in aurem insinuavit, ut sese commendaret votum faciens B. Julianæ; quod ut fecit, subito ita convaluit, ut post biduum lectum deseruerit, quod sine miraculo fieri non potuit.

distortum collum curatur,

29 Annibal Orsi, Quistellensis, gravi malo circa collum vexatus, acerbissimum patiebatur dolorem, unde omni quiete et solatio destitutus collum etiam habebat distortum; adhibitisque frustra variis medelis et unctionibus, tandem mater ejus vespere aliquo partem affectum oleo ex lampade dictæ Beatæ inungere eum jussit cum magna erga Sanctam fiducia. qui cubitum concedens sequenti mane improviso miraculo liberum plane sese F ac sanum reperit, acsi nullo unquam malo vexatus fuisset.

periculosus sanguinis fluxus sistitur,

30 Alio quodam tempore idem Annibal, cum periculosum sanguinis fluxum ex naribus pateretur, qui duarum horarum spatio cum magna cruoris abundantia perduravit, absque eo quod variæ constrictiones et ligaturæ, brachiis, coxis, ac capiti adhibitæ aliaque plura medicamina quidquam juvarent; nares eodem oleo ex lampade B. Julianæ inunxit, ac subito sanguis fluere desiit; nec amplius eo malo laboravit.

pustulæ pestilentes.

31 Cum Domina Victoria Mazzachera, uxor Domini Capitanei Bartholomæi Tenente, Commissarii Quistellensis, pro nepote suo, a medicis desperato atque ad extrema reducto per pustulas pestiferas, dici curasset Sacrum ad honorem B. Julianæ; subito infirmus melius habere cœpit et intra breve tempus plane sibi restitutus est.

hectica inveterata,

32 Soror Dominæ Isabellæ Malherbæ Mantuanæ, inveterato febris hecticæ malo per duorum annorum spatium vexata atque ad extremum vitæ deducta, ab eadem Domina Isabella commendata B. Julianæ, intra octiduum lectum deseruit et sana plane ac libera remansit.

33 Eadem Domina Isabella, vice quadam acutissimis

EX ITAL. MS. intestinorum dolores sanantur.

tissimis intestinorum doloribus ex improviso oppressa, oleo ex lampade B. Julianæ sese inunxit : moxque dolor eam deseruit.

Romæ

34 Josephus, Francisci Fornici filius, annorum tredecim, anno MDCXCII, VI Augusti, tam vehementi febre impetitus fuit, ut intra paucos dies in manifestissimum mortis periculum inciderit : ita ut collatis ipsi sacro Viatico atque extrema unctione, loquelæ, cognitionis, sensuumque reliquorum expers, deficientibus arteriæ pulsibus extrema corporis parte jam frigida, continuis epilepticis motibus ac convulsionibus proximæ mortis indicium daret. Tunc ipsius Mater aliique domestici, ex consilio duorum Religiosorum Servorum B. V. qui ægro aderant, ad intercessionem B. Julianæ recurrerunt ; vixque recitatæ erant aliquot preces in honorem ejusdem Beatæ, cum moribundus adolescens subito aperuit oculos ; conversusque ad orantes pro se Religiosos, tanta eos allocutus est libertate acsi nullo unquam malo laborasset. Die XIV supradicti mensis recidit idem adolescens eo modo, ut ad agonem redactus, omnium medicaminum impatiens, cognitionem perdiderit ; allatis vero ad se reliquiis B. Julianæ renovatisque precibus, subito sibi restitutus est. Tandem cum tertia vice, XVIII supradicti mensis, recidisset, maloque accessissent geminæ in gutture monstrosæ magnitudinis parotides, quæ et respirationem omnemque alimentorum sumptionem intercludebant, unde desperato omnino infirmi vita credebatur ; rursum ad intercessionem B. Julianæ recursum fuit, ac subito tumores suppurare cœperunt infirmusque feliciter ab omni malo convaluit : quod legitimo scripto attestatus est Dominus Angelus Modius medicus Romæ qui ægrum prædictum curavit.

ter in agonem relapsus ter sibi restituitur

ac tandem plane convalescit.

APPENDIX D. P.

De Cultu B. Julianæ, successive promoto.

Manentibus in sacristia Reliquiis,

Cum anno MDCLX *Florentiæ essemus, et P. Godefridus Henschenius, a rerum nostrarum studiosissimo D. Antonio Magliabechio deducti fuimus* XXII *Octobris, ad aram appositam miraculosæ Annuntiatæ Virginis imagini, in templo Servorum B. Mariæ : ac primo salutavimus Ordinis istius Generalem, Callixtum Puccinelli, qui postea Urbinatium Episcopus factus obiit. Hoc jubente exhibitus nobis ibidem thesaurus sacrarii, sane spectabilis ; interque alia, inaurata ex ligno capsa, continens sacra* B. Julianæ *ossa, et similis materiæ statua pectoralis, cui ejusdem Divæ caput includebatur. Ibidem etiam intelleximus, a D. Francisco Augustini Falconerii, sub fide testamenti, conditi anno* MDCXXXII, *die* VIII *Maji, legata fuisse viginti scutorum millia per annos viginti legitimis usuris augenda, ad curandam B. Julianæ patruique ejus Alexii canonizationem. Intra id tempus si nihil effectum fuisset, capitalis illa summa cum fructibus converti debebat, juxta testantis voluntatem, in marmoreum altare sive sacellum, quo dictæ Reliquiæ honestius collocarentur. Sed ut terminus iste indulgente Pontifice prolongatus tunc erat, ad supplicationem heredum ; ita etiam postea aliquoties, ac ne quidem anno* MDCXCI *impleta erat obligatio præscripta, cum super his et aliis consequenter ponendis me informaret P. Mag. Antonius Fabri istic Bibliothecarius.*

legantur an. 1632 secuta 20000

ad fabricam sacelli.

Interim receptis Romæ processibus

36 *Dilationis causa, sicuti idem P. Bibliothecarius me docuit, fuit et est expectatio propinquæ canonizationis, fabricatis jam duobus Processibus, circa cultum ab immemorabili, uno Florentiæ* MDCLXXII, *altero Tiferni anno* LXXVI : *vi quorum a sacra Congregatione Rituum anno* LXXVIII *emanavit favorabile Decretum, Pontificio annutu firmatum. Interim, anno jam dicto* LXXII, *die* XIII *Augusti, prædictæ Reliquiæ ex antiquis ligneis capsis translatæ sunt in duas urnas seu capsulas argenteas, a Patribus ipsius conventus Florentini curatas, et collocandas eo ubi illæ steterant loco, id est in Oratorio Passinianorum, sub altari Reliquiarum dicto, ad ostium sacristiæ, quemadmodum constat per Instrumentum tunc rogatum a Joanne Antonio Cosmi Vinealis, Notario publico Florentino et Cancellario Archiepiscopali. Inde vero translatæ eædem Reliquiæ sunt anno* LXXVI *a sacristia, sub altare Immaculatæ Conceptionis, cujus capella ad jus Patronatus DD. Falconeriorum pertinet, die* XI *Septembris. Tunc Patres nostri, quidquid de sacro corpore supererat, compaginandum decenter curarunt, et capiti uniendum ; sic ut aliud ferme nihil desit integritati, quam cruris sinistræ os, Oeniponti remanens. Ita redintegratum corpus indutum fuit habitu Tertiariarum Sororum, sericeo tamen, culcitræque et cervicali candidi holoserici impositum, intra ligneam arcam, in modum candidi marmoris coloratam, limbisque inauratis decoram : cujus operculum habet in fronte scriptum vetus Epitaphium, dependentibus circum anathematis argenteis et chartaceis, sicut antea circum caput pependerant. Quibus omnibus sic comparatis, clauso arca, reposita fuit subtus altare prædictum, coram testibus ad id rogatis publicoque Notario, videlicet Gerardo Salvini Florentino ; idque sub noctem, et valvis clausis, nostrisque Patribus omnibus assistentibus.*

transferuntur Reliquiæ an. 1672 in novas capsas,

et an. 1676 sub altari ponuntur,

et ordinatur festum :

37 *Exinde numquam amplius aperta fuit arca publiceque exposita, nisi ad instantiam quandoque illustriorum personarum, quibus specialis honor iste defertur. Festo tamen B. Julianæ die, capella et altare prædictum quamspeciosissimis paramentis, floribus, cereisque ornantur ; quatuor ex his die noctuque ardentibus, a primis Vesperis usque ad finem diei sequentis ; et supra altare ponitur tabula, Beatam repræsentans, in actu decumbentis extremum, sibique apportari facientis sacrum Viaticum. Pulsantur, ut in maximis solennitatibus, campanæ : sed Officium et Missæ fiunt de festo tunc currente SS. Martyrum. Annuit etiam Sanctitas sua, ut, si nihil obstet, liceat Votivam facere de Deipara. Postquam autem anno (sicut supra dictum est)* MDCLXXVIII *allatum fuit Breve, cultum ab immemorabili confirmans ; pulsatis campanis omnibus, die* XVIII *Junii, exposita imago Beatæ fuit supra portam ecclesiæ, et quam solennissime decantatus hymnus Ambrosianus.*

solennius idque instauratur an. 1678

23 Julii

38 *Sed eo non contenti Patres, majori cum otio apparandum novam festivitatem censuerunt, lecto ad id die* XXIII *Julii, quando apparatus tam musicorum concentuum, quam artificialium ignium excellentissimus noctem præcedentem totam occupatam habuit : et Reliquiæ, suis crystallis inclusæ ; omnibus fuerunt conspicuæ, non tamen supra, sed subtus altare Conceptionis. Mane autem panegyricam orationem dixit Provincialis Scholarum piarum. Secuta orationem est Missa solennis, et reliquum diei istius Officium ; vesperi autem iteratæ illuminationes priores cum alio quocumque festivo ornatu ; quando etiam gentis Falconeriæ insignia inter faculas volantes luxere. Accurrit ad spectaculum, non solum populi, sed etiam nobilium multitudo, tum ipsa Dominica, tum biduo subsequenti, quo patuerunt videre cupientibus Reliquiæ sanctæ. Tunc etiam illuc accessit Regis Poloniæ Thesaurarius, cum sua uxore. Festum autem sua honorabili præsentia concluserunt Serenissimi Principes, imprimis Magnus Hetruriæ Dux Cosmus III : qua etiam occasione impressa fuit epitome Vitæ, ad instructionem et solatium populi.*

Antiquæ imagines,

39 *Quod ad Beatæ imagines attinet quæ in nostra ecclesia sunt, una in Processibus sic memoratur* Super altare, in capella *S. Annæ*, extat antiqua tabula depicta ; ubi effigiata est S. Anna cum Maria Virgine ejus filia super brachiis, et in sinistra S. Laurentius Martyr, et B. Juliana de Falconeriis, in Habitu Monialis,

Monialis, cum radiis aureis super capite, corona globorum in manu, et circa pedes cranio humano ac lilio, necnon foramine ad pectus cum particula Hostiæ rotundæ, *quomodo hic in ectypo vides.*



B. IVLIANA FALCONERIA
Ord. Servorum B M Florentiæ

una picta circa 1540.

Interrogavit Illustriss. Judex *etc. testes deponentes* an recognoscerent dictam picturam. Ambo concorditer dixerunt, non dubitare, quin sit manu Antonii Bonini de Mazzeriis, qui fuit de Schola Franci-Bigii, pictoris celebris circa annum MDXL, de quo Antonio pictore fit mentio a Georgio Vasario in Vitis Pictorum, circa finem vitæ d. Franci-Bigii.

Aliæ recentiores in altari et ante Vitam editam 1681

40 *Habetur etiam recens sculptum ectypum tabulæ præmemoratæ quam altari impositam dixi supra, alterius autem supra portam tunc expositæ ectypon fortassis reperitur ante* Historiam Panegyricam B. Julianæ *Falconeriæ a Fr. Prospero Bernardi Florentino dedicata Decio S. R. E. Cardinali Azzolino anno* MDCLXXXI ; *quarum utpote minus antiquarum hic meminisse satis est. Satis etiam meminisse ipsius Historiæ, nihil ultra aliunde nota continentis, præter Academicorum duodecim Parthenicorum Epigrammata, Registrum alphabeticum Sanctorum ac Beatorum Ordinis, tum plausum poeticum in festis prædictis expositum cum gemina constitutione Pontificia, altera Martini V approbantis* quamdam Regulam seu religiose vivendi formam, in qua nonnulla honesta et rationabilia, ac regulari disciplinæ congruentia statuta et ordinamenta fore noscuntur, *eatenus laudabiliter observata per eos qui* Fratres et Sorores de consortio Servorum S. Mariæ nuncupantur *sub die* XVII *Kal. Aprilis, anno Pontificatus* VII, *qui fuit Christi* MCCCCXXIV. *Altera Constitutio librum finiens, est* Pauli V *ad instantiam Annæ Julianæ Austriæ Archiducissæ*, Constitutiones *quas ipsa fieri procuraverat pro felici* directione atque guberino, Domus *ab eadem fundatæ* in oppido Oeniponti Brixiensis diœcesis, prope Monasterium Monialium Ordinis Servorum B. M. V. ; *scilicet* Mulierum quæ sub titulo Servorum B. M. V. Altissimo famulentur, votaque castitatis et obedientiæ tantum emittant, sub habitu et constitutionibus *ibidem expressis*, ac Monialibus dicti Monasterii inserviant, vitæque necessaria ministrent. *Inter dies Confessioni et Communioni dictarum mulierum deputatos notantur festa* S. Annæ Prophetissæ, S. Philippi, et B. Julianæ Patronorum atque S. Annæ, matris D. V. M. *et signatur Constitutio* die VIII Julii MDCXVII Pontificatus anno VI.

AUCTORE D. P. cum Constitutionibus Tertiariarum Florentinarum

et Oeniponti 1617 approbatis.

41 *Commentarium hunc claudat novissimum decretum super ejusdem B. Julianæ cultu hoc tenore emanatum anno* MDCXCIII : Obtenta a Sanctissimo Domino Nostro D. Innocentio Papa XII per Postulatores Causæ sub die V Decembris 1692, proxime præteriti, nova audientia super instantiis ab eisdem alias Sacrorum Rituum Congregatione porrectis pro concessione Missæ, et Officii B. Julianæ de Falconeriis Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis. Iterumque propositis in Sacrorum Rituum Congregatione ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinale Coloredo instantiis prædictis. Eadem Sacra Congregatio, audito tam in voce, quam in scriptis Reverendissimo Archiepiscopo Myrensi Fidei Promotore, censuit; standum esse in primo loco decisis sub die 5 Augusti 1690. Nempe, casum, de quo agitur, stantibus variis circumstantiis, quæ concurrunt, non comprehendi in Decreto generali anni 1628. Ideoque concedi posse Officium et Missam sub ritu Semiduplici de Communi Virginis pro Religione Servorum B. V. Mariæ et pro Urbe Florentina. Et insuper decrevit, in posterum servandum esse Decretum generale in forma præcisa, ita ut non suffragetur immemorabilis, nisi probata in eadem specie Officii et Missæ; si Sanctissimo Domino Nostro placuerit. Die 10 Januarii 1693.

Et Sanctissimus Dominus Noster ad pias ac humillimas preces Serenissimæ Eleonoræ de Austria, Poloniæ Reginæ, ab Excellentissimo Principe de Lichtenstein Cæsareo Oratore, eidem Sanctitati Suæ porrectas, prout in precibus prædictis ad Sac. Congreg. remissis ad formam prædictorum Decretorum, perbenigne annuit. Die 17 Octobris ejusdem anni 1693.

A. Episc. Ostien. Card. Cybo.

Loco † Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Cong. Secr.

Hæc dum imprimuntur, Roma intelligo quædam addenda parari, quæ ad calcem hujus diei Lector poterit invenire, si mature adferantur.

DE B. MICHELINA VIDUA

TERTII ORDINIS S. FRANCISCI

PISAURI IN MARCHIA ANCONITANA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

D. P.

De variis Vitæ scriptoribus, Miraculis et cultu veteri atque hodierno.

ANNO MCCCLVI

Tertius S. Francisci Ordo, uno cum primario Minorum Fratrum Instituto, per omnes Christianismi provincias propagatus, plures utriusque sexus Sanctos ac Beatos Ecclesiæ protulit. Apud Pisaurenses iis initium B. Michelina *dedit, extremam sectata paupertatem ; idque non in cœnobio aliquo, quod minus arduum, sed in sua privatim domo ; distributis in egens omnibus, quæ vel viro suo in dotem*

Defunctæ Pisauri in festo S. Trinitatis

AUCTORE D. P.

dotem attulerat, vel ab eo fuerant sibi relicta, vivens mendicato. Talem autem vitam tenuit, annis ferme viginti, defuncta MCCCLVI, *in Dominica Trinitatis tunc in* XIX *Junii cadente, quo die festum ejus annue agitur in ecclesia Conventualium S. Francisci, ubi tumulum magnifice elevatum habet. Annus et dies obitus concorditer notantur ab omnibus qui Vitam scripsere.*

Vita Latina 9 Lectionum datur,

2 *Extat Pisauri MS. Vita Latina, cui simile ecgraphum, manu Salvatoris Salvatorii descriptum, pridem Bollandus noster accepit, et quidem in novem Lectiones digestum : quæ distinctio in Pisaurensi MS. non reperitur sed huic ad calcem additur, quod abest a nostro, testimonium veterum miraculorum his verbis :* Ego vidi librum, in quo erant annotata 96 Miracula, cum signis Notariorum, quæ fecerat B. Michelina, ab anno 1359 usque ad annum 1378 et non ultra : *quæ fere verba usurpat, in suo item prima persona Thomas Diplovetatius Pisaurensis, ante librum Additionum ad Consilia et Quæstiones Bartholi, excusum Venetiis, in Dedicatoria ad D. Jacobum Pisaurium, Episcopum Paphi, sub data anni* MDXXIX, XVIII *Januarii, sic loquens :* Ego vidi et legi librum in quo erant scripta 96 Miracula, cum subscriptionibus Notariorum. *Hinc intelligas, eum qui Pisaurensi codici adscripsit præfatum testimonium, fuisse eumdem illum Thomam Diplovetatium; non tamen Auctorem illius Vitæ. Nam hanc compositam fuisse crediderim statim a finito prædicto de Miraculis processu, cum illis rite cognitis, Episcopali ac forte etiam Pontificia auctoritate, decretus esse* B. Michelinæ *cultus, cum Officio, cui Lectiones istæ debebant subservire. Erat, cum moreretur Beata, Pisaurensis Episcopus Blasius ; qui anno* MCCCLVIII *Asculum translatus est, eique successit Nicolaus ; sub quo cœpta sit miraculorum descriptio, et continuata usque ad* CCCLXX, *quo etiam ipse Firmum transiit ; et Processum promovendum reliquit Leali Malatestæ, qui nonnullo consanguinitatis vel amicitiæ paternæ vinculo adstrictus fuit defuncto* Michelinæ *marito. Sed tertio post anno ipse quoque ad aliam sedem transiens, scilicet ad Ariminensem, locum fecit Angelo Feduccio, ex Ordine Minorum : quem omnino verosimile est absolvisse negotium, et scriptam mox Vitam approbavisse. Damus ergo eam primo loco.*

scripta post Processum de miraculis an. 1378 finitum,

sub Episc. Angelo ex Ord. Min.

3 *Secundo vellemus dare Italico rythmo luculentius digestam per* Fr. Franciscum a Lucignano, in argumentum devotionis erga Beatam, cujus intercessione sanitatem divinitus fuerat assecutus, *addita e regione paraphrasi Latina. Sed ea, ut mihi Pisauro scribitur, nusquam nunc invenitur; putatur tamen eorumdem Rhythmorum paraphrasis prosaica esse ea Vita, quæ manuscripta extat absque nomine paraphrastæ apud Monachas S. Catharinæ Martyris Ordinis S. Dominici, sub themate sumpto ex Cap.* XXXI *Proverbiorum,* Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. *Optavi igitur et petii paraphrasis istius ecgraphum accipere, collaturus ipsam cum Vita Latina secunda, de qua mox.*

Alia prolixiori Italico rhythmo edita, quæ desideratur,

4 *Eosdem rythmos simili Italica paraphrasi reddidit, sub titulo* Semitæ spiritualis, Fr. Raphael de Pardis, Pisaurensis, *et (sicut ad primæ partis calcem scribit)* Baccalaureus in Ordine Minorum ; *ex ipsiusmet Beatæ familia Metella descendens per aviam, cuidam de Pardis nuptam, uti præfatur : quamquam non tunc primum ex familiæ conjunctæ inter se videantur fuisse, sed a tempore ipsiusmet* Michelinæ *quippe quæ filium unicum,* Pardinum *nuncupaverit, juxta Tussinianum. Hæc vita descripta fuit in gratiam Matrum ac Sororum tertii Ordinis, uti ex frequenti ad eas apostrophe apparet ; et Pisauri quidem non reperitur, sed extat ejus ecgraphum apud me quoad primam partem ; secunda pars quæ continere debebat miracula post mortem, frustra requiritur, forte nec scripta unquam fuit. Ne tamen Latine versam hic darem primam istam partem, fecit* Marianus Florentinus, qui *antiquis ut dixi Lectionibus plurimum usus, et verosimiliter etiam utraque Italica jam laudata, pleniorem ac Latinam inseruit lib. 2 Fasciculi Chronicarum Seraphici Ordinis Minorum fol. 287, sicut illæ, in quinque grandia volumina digestæ et ipsius auctoris manu verosimiliter exaratæ, servantur Romæ ad S. Isidorum, apud successores Lucæ Waddingi : quorum unus Michael Tonerus, Lector Jubilatus, fidele ecgraphum ad me misit anno* 1691 *Desinunt autem Chronicæ illæ in anno* MCCCCLXXXVI, *licet ipse Marianus vitam produxerit usque ad* MDXXIII. *Igitur secundo loco Mariani contextum accipe, in Annotatis conferendum cum Italicis Manuscriptis ac prælo excusis, et augendum miraculis a mox laudando Tussiniano collectis : quem novissime secutus est Legendarii Franciscani recentissimus Auctor Benedictus Mazzara, nec alia nec plura habens quam ille.*

qua usus Raphael de Pardis

et utraque Marianus Florentinus.

5 *Interim ex Codice Pisaurensis hic lege, et eo quod ibi ad calcem additum invenitur (nisi diversa manu additum sit) demonstratur illius codicis antiquitas non magna, præ eo ex quo primam vitam dabimus. Invenitur autem ibi sic :* Fertur dictam S. Michelinam fuisse ex illa domo de Metellis ; et domus sua erat ubi est ad præsens ecclesia Annuntiationis S. Mariæ, ubi et schola Excorizatorum, ubi et Tunica et Cilicium et aliæ Reliquiæ. *Sed an ea domus, quam ante conversionem suam Beata incoluit? an vero pauperculæ hospitæ, apud quam extremos annos ac denique animam egit? Hoc potius existimo ; nam ad S. Francisci, ubi corpus est, anno* MDCLX *legi in pariete scripta hæc verba :* B. Michelinæ Cilicium et olei vasculum, non sine miraculo repleti, ceteræque Reliquiæ miræ sanctitatis refertæ, templi hujus sacrario servantur, atque hoc Sacellum restauratum exornatumque est A. . . . . *Atqui vasculum illud, credibilius est, ex domo dictæ pauperculæ, apud quam patratum fuit miraculum, relatum infra num.* 12, *ad Virginis Annuntiatæ remansisse : hinc vero cum ceteris translatum ad S. Francisci, ipso restaurationis prænotatæ anno, quem injuria parietem dealbantium subtraxit oculis, sed servavit diligentia Petri Rodulfii Tussiniani, in Historia Seraphica fol.* 140 *brevem ejus mentionem faciendo, ubi docet, quod ad* sepulcrum [*non ita*] pridem innovatum hæc verba sunt affixa Divæ Michelinæ ossa MCCCLVI [defunctæ], ex tumulo vetustate exoleto exempta, Zoroastes Barignanus et Hippolyta Leonarda uxor, novo hoc monumento locanda curarunt anno MDLXXX ; *utique solum sexennio citius, quam Historia Seraphica ederetur : quod noto, ut appareat suppletorum in ea hic verborum necessitas, et quam negligentes typothetas nactus sit diligentissimus alias Scriptor Tussinianus.*

Memoria domus


in ecclesiam versæ,

an. 1580

6 *Porro cur hic tam brevis ille sit, alia nulla esse causa videtur, quam quod (sicut ibi ait)* Vitam et miracula diffuse est *idemmet* prosecutus sermone vernaculo *imprimendaque dedit Arimini, anno quidem* MDLXXXV, *sed ex notitiis (ut præfatur) Pisauri acceptis, dum ibi concionaretur anno* MDLXXII, *octennio citius quam ista innovatio fieret, cujus propterea ibi non meminit : sed istic omissam notitiam supplevit in Historia, sicut dixi. Ipsum monumentum, sicut hodiedum spectatur hic propono : sed ostiolum nunc firmiter clau-*

post collectas a Tussiniano pro nova Vita notitias,

monumentum, Epitaphium.



sum, intelligo olim aperiri solitum, ut per craticulam ferream conspici interius posita ossa possent. Epitaphium, tumbæ præfixum, quod per tabellæ angustiam exprimere non licuit, tale est :

et effigies

ANNO MCCCLVI POST CHRISTUM NATUM,
SANCTO AB HOC CORPORE,
FELIX ANIMA BEATÆ MICHELINÆ PISAUREN.
DIVI FRANCISCI TERTIARIÆ,
IN CŒLUM EVOLAVIT.

Ardet perpetuo lampas ante sepulcrum : cui superincumbens Michelinæ *mortuæ simulacrum, arbitrio sculptoris est factum, sicut etiam elegans ejusdem velut in extasim raptæ effigies, a Frederico Baroccio Urbinate claro tunc pictore elaborata : quam quoniam Pisaurenses optant æri insculptam videre, eoque delineationem mittendam curarunt, etiam hic accipe.*



Festum apud Franciscanos duplex

7 Festum in ecclesia Franciscanorum agitur sub ritu Duplicis, sed omnia fiunt de communi nec Virginis nec Martyris, idque ex tempore immemorabili. *Idem, sed nescitur quo ritu, fiebat olim tota Diœcesi : nam in fine libelli Officii proprii S. Terentii Martyris, Patroni Principalis antiquioris, ab anno* MDXCII *adnotata erat rubrica particularis, pro speciali recitatione Officii aliorum Sanctorum ; et signanter de* B. Michelina, *sub hac forma :* die XIX Junii fit Officium B. Michelinæ, Pisaurensis Tutricis, et omnia dicuntur de communi non Virginis. Capitulum Mulierem fortem, cum reliquis pro nec Virgine nec Martyre. Oratio. Exaudi nos Deus. *Ast hodie nemo est qui meminerit talis Officii a se recitati. Nedum Officii proprii seu Lectionum novem de Vita recitandarum : quas tamen ante hos ultimos quinquaginta annos ex tunc adhuc superstite MS. accepit Bollandus. Sed si hæc notitia Pisauri periit manet liber Statutorum editus anno* MDXXXI *ubi lib.* 1 *Rubrica 4 est* de Honore faciendo B. Mariæ et S. Terentio in eorum festivitatibus et bravio currendo : *extenditur autem Statutum, et jubetur ut* idem intelligatur de oblationibus, debitis et consuetis in festivitatibus, Corporis Christi, S. Mariæ II *Julii ;* S. Petri Martyris *ex Ordine Prædicatorum,* XXIX *Aprilis,* et S. Michelinæ : *rursum autem de aliis quibusdam spectantibus proprie ad Festivitatem* S. Terentii XXIV *Septembris, concluditur tota Rubrica his verbis; et* idem observetur in Festo S. Michelinæ. *Quare operæ pretium fuerit ipsum Decretum exhibere ad finem Miraculorum.*

D

AUCTORE D. P. per diœcesim obliteratum,

licet in statutis an. 1531

decernantur oblationes et ludi

E

B. Cecchus non fuit frater B. Michelinæ.

8 *Plura his suggerere non potuit, qui de mandato Illustriss. Arii, Episcopi Pisaurensis, anno* MDCXCI *informandum me de plerisque supranotatis curavit ; rogatus ab Eminentiss. Leandro S. R. E. Card. Coloredo, ex ipsomet Pontificiæ electionis Conclavi non indignum reputante, tanti momenti circumstrepentes tunc curas interpolare litteris, super ea re ad prædictum Antistitem dandis : præter illa vero nihil est quod ultra addere huic Commentario possim. Addenda est tamen grata memoria alterius beneficii, quo simul accepi informationem de veteri cultu* B. Francisci, *similiter* Pisaurensis, *vulgo* B. Cicchi *aut* Cecchi, Ordinis Fratrum Minorum, *quem quidam volunt* B. Michelinæ *fratrem fuisse ; sed ut patet ex antiqua ejus Legenda, nobiscum benigne communicata, et ad diem* IV *Augusti danda, nihil habetur, unde ejusmodi consanguinitas confirmari possit; sed contrarium omnino : siquidem uno seculo prius quam illa obiit, defunctus anno* MCCL.

VITA

Pro Officio proprio olim distributa in Lectiones ex MS. communicata a Salvatore Salvatorio.

F

LECT. I

Viro viduata Michelina

Michelina Italica, de Pensauri, civitate maritima, locupletibus parentibus exorta, nobiliter Dei gratia micuit in orbe dum vixit, post mortem miraculis plurimis ipsa coruscans. In gradu nempe primo exorta virgineo, ad annum perveniens duodecimum, a parentibus traditur secundo statui conjugali, in eodem demorans annis octonis, remanens postea orbata marito. Existens itaque vicennis ætatis, in gradu tertio viduali, Spiritu sancto præventa, decrevit gloriosi S. Francisci tertiam Regulam adipisci, mundi et carnis illecebris vilipensis. Divino igitur Spiritu supra seipsam altius elevata, eligere optimam partem desiderans, seipsam alloquitur his verbis. Quid speras in seculo Michelina? Age quod sit tuæ animæ optimum ; et spreta pompa bonorum præsentium, ac divitias quas possides ex successione primorum tuorum parentum, pro Dei amore pauperibus condonans, utilissimum thesaurum acquiras in cœlo.

et vult Christi exemplo

LECT. II abdicare omnia :

2 Exemplo Christi pauperis te conformes et verbo Evangelico consultius, ut caritatem Dei ac proximi perfecte custodias; et luctans nuda cum nudo negotio,

A tio, id est diabolo, qui est Negans otium, semper in malis reportans victoriam, fructum centesimum cumules in excelso. Brevitate pensata insuper temporis, pondus cogita terrenorum ; simul et quæ supra se impediunt contemplari, spinas fugias eorumdem : ac seculari labore fugato et servitio terrenorum, quæ Deo plerumque obsistunt, eorum fallaciam præcaveas in futurum. Cuncta pro Christi amore dispenses, ut Deo totis viribus serviens, secura pervenias ad bravium retributionis æternæ. Accepta igitur Regula tertia, quæ de Pœnitentibus nuncupatur, incipit Dei famula Michelina cuncta pauperibus erogare : micas panum, denariorum et eleemosynarum subsidia ; linum ac lanam veluti vestimenta lanea ac linea, secum portans, distribuit pauperibus et mendicis ; et prout videbat cæcos et claudos, et cujuscumque generis inopes et mendicos, leprosos etiam et infirmos necessitatem habere, ita ut opus erat, singulis ministrabat. Nam et graviter infirmatis altilia, aviculas, atque pullos, pro diversitate infirmitatum, porrigebat : et ægrotis, doloribus conquassatis compatiens ; velut mater infirmabatur et ipsa.

EX MSS.

factaque Tertiaria distribuit egenis,

B 3 Dixit igitur Christus suæ famulæ Michelinæ : Vere Michelina vocaris, quia dum minimis meis pauperibus, lina et linea ac lanea et cuncta altilia et nutribilia erogasti ; mihi capiti membrorum fecisti : et dum membra fœtida leprosorum linxisti, oleo pietatis et gratiæ, subventionis et misericordiæ, mei amore unxisti ; mihi unguenta et linimenta talia porrexisti. Cum enim pauperum debilium membra roborasti, per caritatem cordis intrinsecus visceratam, et operis extrinsecus virtuosam, caput meum et me Christum filium Dei vivi, qui sum caput omnium Christianorum fidelium, veluti prædilecta mihi famula Magdalena, unxisti. Insuper totum boni operis quod fecisti, mihi, non tibi principaliter appropries Michelina : mihi namque et pro me tu linita et uncta, et velut linea recta et casta, in recta linea mandatorum meorum incedens, non declinans ad dexteram vel sinistram, ponens pedes in arcto et recto tramite lineato, diligens justitiam et odiens iniquitatem, omnia mihi placita perpetrasti, ultra consortes tuæ civitatis ac provinciæ Marchianæ. Jesu Christi finito sermone, humilis Dei famula Michelina suo Domino correspondet : Confiteor tibi, Pater et Domine, tibi referens semper laudes, qui mandatorum tuorum semitam revelasti mihi famulæ tuæ C Michelinæ. Omnia mihi namque tradita sunt a te, Domino Patre meo. Ego enim veluti Nichelina, et ad nihilum, ac nihilum, et ad nihil prævalens ; velut mica minutissima panis, quæ ad terram emittitur canibus manducanda ; tamquam modici fructus, et quasi nullius pretii, ab omnibus vilipensa, nihil sine Te præpotens facere ; merito Mica parvulina, in omnibus diminuta, mei fragilitate pensata, secundum vim diminutivi nominis, valeo nuncupari.

LECT. III de quo cum commendasset apparens Christus,

ipsa se profunde humiliat :

4 Omnibus autem rebus distractis et pauperibus erogatis, ambulabat per civitatem Pensauri paupercula Michelina, tamquam mica humilis, parvula ; discalceata in pedibus, unica tantum contenta tunicula honesti coloris et pretii; humilique mantello sive pallio cooperta, vilibus de lino coopertoriis capitis ac pectoris tecta et velata. Et ut se humilem conservaret, lecti vilibus et aridis straminibus utebatur ; ac spiritu Dei fervens, seipsam alloquens, carnem edomans fastuosam, vilissimam asinam appellabat.

LECT. IV et mendicato victitans,

5 Ut autem perfectam paupertatem servaret, cum nihil jam prorsus haberet, in quadam domuncula cujusdam mulieris Deo devotæ, velut hospita paupercula, morabatur. Cujus mulieris inopiæ pauperis compatiens Michelina, dum olera coquinasset hospita prælibata ; et ut oleum infunderet coctis herbis, D lecythum acciperet oleo vacuum, nihilque olei esset in domo ; subito Dei famula, cordiali caritate commota, dolorem adhibens compassivum in suæ necessitate consortis, recurrens ad Dominum toto corde, confidens in eo, nihil hæsitans, de cœlo oleum postulavit. Vade, inquiens ad consortem, lecythum recipias ; quia ibi oleum invenies tibi, a Domino misericorditer propinatum. Accipiensque hospita vas plenum oleo, quod deposuerat vacuum, Deum in viso miraculo, oratione et meritis Dei famulæ celebrato, fixis in terra poplitibus, et ad cœlum manibus elevatis, mirabiliter collaudavit : quinimo Christi famula, nihil cibi, sed Deo totum attribuens, se magis humilians tam corde quam corpore, divinæ pietati, quæ suis pauperibus in necessitate succurrit, laudes devotissimas pariter referebat.

LECT. V alienno utitur hospitio,

ubi vacuum olei lecythum miraculo replet,

6 Nec verebatur micas et frusta panis per civitatem aliquando mendicare, cum alimenta, quæ ut plurimum ex manuum suarum labore sumebat, propter studium continuæ orationis cessantia, ei nullatenus subvenirent. Dum autem semel pro petenda eleemosyna mendicaret, contigit ad domum cujusdam nobilis Dominæ applicare, quæ noviter E erat leprosa effecta. Quam ut vidit Dei famula Michelina lepræ morbo pessime putrefactam, ex cujus carne, et maxime ejus ore, ita fœtor intolerabiliter emanabat, quod omnes se ab ejus aspectu præ horrore terribiliter fœtidæ evitabant, et modis omnibus se absentabant; ipsa, cum infirma simul infirmata, ejus visceribus pietatis et compassionis interius, exteriusque lacrymosis gemitibus jam confossis, ac precibus compassivis pro eadem per eamdem ibidem emissis; Deus omnipotens, meritis et orationibus ipsius Beatæ, perfectæ sanitati pristinæque illico restituit sospitati. Alia vice similiter ad unam domum alterius nobilis Dominæ, adjutorium eleemosynæ invocans, ab existentibus intra domum vocata, et ad cubile mulieris infirmæ, quæ dolore capitis fortiter patiens quasi spiritum exhalabat, confidenter deducta, et ut pro infirma Dominum exoraret ; statim pietate commota, ac manum super ejus caput imponens, corpore existens in terris, sed spiritu ad Dei solium elevata, piissimis precibus cordialiter emanatis, ad sanandam infirmam Deum quantocius invitavit.

LECT. VI leprosam sanat,

et tactu capitis dolorem sedat.

7 Castitatem niveam, quæ est candor lucis æternæ, et speculum sine macula ante Deum, ut F Dei famula custodiret, cingulo ferreo continuo nudam carnem accinxit : tandemque quinque ferreis rubricata catenis, cum ejus ferventi in Domino animo chordularum non sufficerent disciplinæ [usa est.] Cilicium insuper nuda carne portavit, exterorum contuitum toto ejus posse occultans. Patientia vero, in tanta Dei famulæ lætissima paupertate, ita eamdem ditaverat, et fecerat firmissima stabilitate securam, ut eamdem ineffabili lætitiæ arrha desponsaverit stabilitam. Abstinentia quoque ita Dei famulæ erat amica, ut vinum vel siceram numquam biberit : et crebra jejunia cumulans, macilentis cibariis utebatur.

LECT. VII Pœnitentialis vitæ rigor ab ea servatur.

8 Caritatem insuper proximis compassivam, [sed] prius illam fervidam et rubicundam, qua Deo se dederat subjectivam, ad ipsum totis visceribus et operibus diligendum, summopere studuit observare. Micas namque panum et eleemosynarum fragmenta, et quæcumque sibi Dei amore oblata, sibi modico reservato, versa vice pro ejusdem affectu, indigentibus tribuebat : et quibus nequibat effectum, ostendebat affectum viscerosius compassivum. Quinimo hospitalia infirmorum pauperum visitans, eorum servitiis se sæpius mancipabat. Assiduitas operandi ita Dei famulam effecerat virtuosam, ut nunc filans et texens

LECT. VIII Exercitia caritatis,

et jugis labor,

A texens, nunc orans secretius, quandoque se verberans disciplinis, semper ecclesias visitans, ubique morosa, maxime in horis Missarum; et pro tempore angustias et miserias visitans afflictorum, numquam panem comedit otiosa.

LECT. IX mors beata

9 Perseverante itaque in Dei servitio Christi famula Michelina, usque ad annum suæ vitæ finalem, qui fuit anno Domini MCCCLVI, micans virtutibus, [miraculis] circumfulsa, in Ecclesia militanti diem complevit extremum, decimo nono Junii, certaminis receptura coronam, resplendens cumulis præmiorum, in Ecclesia triumphanti: quam sibi Deus fecit hic primitus gratiosam, consequenter perfecit in superis gloriosam, subsequentibus signis et miraculis patefactis, sacramentorum robore confirmatis, attestantibus testibus fide dignis. Quin etiam quotidie omnipotens Deus non cessat suam famulam Michelinam coruscare miraculis, quibus impenditur laus et gloria ipsi Trinitati Deificæ, qui Deus vivit et regnat, per infinita secula seculorum. Amen.

miraculis honorata.

Hactenus Lectiones, congruo talibus fine terminatæ, neque Auctoris nomen præfixum habentes, sicut nec aliæ ullæ Vitæ talem ad usum compositæ: quod hodiedum observat in Breviariis suis Ecclesia, neminem nominans, nisi forte ex aliquo Sanctorum Patrum historia B *sumpta sit.*

ALIA VITA

Ex MS. Chronica Minorum.

Auctore Fr. Mariano Florentino.

CAPUT I.

B. Michelinæ conversio ad Habitum tertii Ordinis et rerum omnium mundanarum abdicatio.

Nobiliter nata,

In solennitate [Octavæ] sacratissimæ Pentecostes de mane, anno Domini MCCCLVI, *a* et ab inceptione Ordinis CXLIX die XIX Junii, feliciter obdormivit in Domino, B. Michelina, de tertio Ordine, in vita et post mortem miraculis non paucis coruscans. Hæc mulier beatissima, locupletibus parentibus orta, Nobilibus de domo de Metellis *b* civibus *c* Pensauriensibus, civitate Marchiæ Anchonitanæ. Nomenque ei Michelina in sacro Baptismatis fonte mater C ejus imposuit, quasi prænosceret, eam cum diabolis dimicatricem; licet pater eam Nicoluccíam *d* appellare vellet. Quæ nempe, [post] annos pueriles incogitate transactos, ad annum perveniens duodenum, a parentibus cuidam nobili et magno civi *e* traditur conjugio: cum quo demorans annis octonis, filium tantum *f* percepit; remanens postea orbata viro, annis vigenis *g* ætatis suæ.

et duodennis viro tradita

eoque viduata vicennis,

2 Venerat tunc de remotis partibus Mulier quædam peregrina ad civitatem Pensauriensem, quæ se Syrianam *h* vocabat; mulier quippe honesta et sancta, sub regula tertia Seraphici Francisci colligata. Hæc nempe operibus pietatis vacans, quærebat panem ostiatim per civitatem; deinceps in domum alicujus honestæ personæ se colligens, orationibus et contemplationibus insistebat. Surgebat enim in nocte, et cum magno fervore orans sursum vecta, cœlestia contemplans, a terra mirifice elevabatur: reliquum vero temporis quod supererat, totum operibus spiritualibus consumebat. Igitur Syriana, ex suo excellentissimo spiritu facta famosa, quodam die dum panem mendicabat, a juvencula Michelina jam viduata domum recipitur, ac ut cum ipsa demorari vellet a Michelina deprecatur, in testimonio suæ floridæ juventutis. Cui assensum præbens Sy-

peregrinam ex Syria domi suscipit.

riana, cum hospita sua sanctissime degens, Deum D pro ea crebris precibus deprecabatur, ut animum suum suspenderet a terrenis. Vidit eam pluries Michelinam ab terra in aerem suspensam, et orantem: ex quo majorem fidem jam conceptam septuplum auxit et devotionem.

EX CHRON. MARIANI

3 Superveniente denique festo sacratissimæ Pentecostes, irreverberatis oculis cœlum respicientibus orans Syriana, oblita cibum capere; Michelina inquit, Quare non comedis in hac die Syriana? hodie Pascha est, abstinere non licet: vis ut columna defixa in terra permanere? Tempus est lugendi, et tempus ridendi: hodie namque tempus est lætitiæ. Cui Syriana respondens ait, O si paulisper gustasses dona Dei, Michelina! res hujus mundi nempe amaræ tibi viderentur, ac ipsas procul dubio despiceres, et magis quomodo Deo placeres studebis, ut coronam in Paradiso ex hoc reciperes gloriosam. At tunc Michelina, ad hæc verba respondit, Omnia ista videntur tuffæ *i* et canciæ, et a personis desperatis et rudibus: et ostendens ei sua scrinia, in quibus sua bona et divitiæ tegebantur, addidit; In istis est Paradisus: neminem enim vidi de mortuis ad hanc vitam reversum, qui talia persuaderet. Respondit Syriana, O infelix mulier! omnia ista E sunt velut pulveres ante ventum, et omnia cum tua pulchritudine decident, sicut flos agri, et stuppa quæ igne consumitur. Hæc enim numquam asserunt veritatem: promittunt enim requiem et quietem simul et lætitiam, et condonant postmodum inquietem, laborem et mœstitiam: spondent pacem, et dant turbationes et rixas.

cujus exemplo et monitis compuncta,

Deo se tradere totam proponit,

4 Quid signant hæc tua verba? respondit Michelina: vellesne mundum despicerem? Numquam respuam, quousque hic supervixerit filius. Sed si mihi unquam concedet Deus, me a terrenis istis esse expeditam; polliceor tibi omnino mutare meam vitam. Cui respondit Syriana: De hoc ergo Deum supplicamus; ut si melius est, filius tuus vivat; si non, ad ipsum illum trahat. Annuit Michelina verbis Syrianæ, Spiritu sancto præventa: et sequenti mane simul serotino tempore ad ecclesiam almi Francisci perrexerunt, et ante imaginem Crucifixi de hoc ambo *k* orantes, Michelina dixit: O Domine, si me liberaveris ab amore mei filii, tibi perpetuo famulabor. Et cum prolixius lacrymans orasset, vocem de Cruce delapsam audivit cum stupore, dicentem; Filium tuum volo mecum esse in Paradiso; itaque ab ejus amore liberam te *l* esse dispono; vade in pace. His auditis, Michelina territa, et in animo F penitus mutata, ad domum cum Syriana revertitur. Cumque thalamum vellet ingredi, ut quid filius suus ageret prospiceret, quem in lecto reliquerat; duos fulgentes Angelos vidit, animam sui nati ad cœlum deferentes. Suscepit inter brachia cadaverculum illius, ac tenerrime ipsum lugens, tradidit tandem ecclesiasticæ sepulturæ.

cum fuerit cura filii soluta:

Eum mox moriturum intelligit,

5 Viduata igitur Michelina remanens de viro atque proprio filio, totaliter Christo adhæsit; mundum et divitias vilipendens, secum in hæc verba locuta est, dicens; Quid speras in seculo, Michelina? Age quod sit tuæ animæ optimum et spreta pompa bonorum præsentium; ac divitias, quas possides ex successione præmortuorum parentum, pro Dei amore pauperibus condonandis, utilissimum thesaurum acquiras in cœlo: exemplo Christi pauperis te conformes; cuncta pro ejus amore dispensa; ut Deo totis viribus adhærens, secura pervenias ad bravium retributionis æternæ. Et his dictis ad Syrianam magistram suam se convertens, ait, Ecce me libero et totam substantiam meam in manibus tuis: de omnibus fac sicut vis quia nuda nudum volo sequi Crucifixum. Cui Syriana: Ergo omnia

seque ac sua omnia Syrianæ tradit:

EX CHRON. MARIANI

assumit Habitum tertii Ordinis,

pauperibus tribue, et Habitum, in quo et ego Domino servio, Seraphici Francisci tu similiter assumens, perpetuo te mancipes [Dei servitio] *m*. Induta igitur ll datum tertii Ordinis, summa cum devotione et lacrymarum effusione, Beata Michelina incepit cuncta pauperibus erogare et mendicis micas panum, denariorum, et eleemosynarum subsidia, vestimenta linea et lanea secum portans, cuncta distribuebat : et prout videbat cæcos, claudos, et cujuscumque gradus inopes, leprosos et infirmos necessitatem habere, ita ut opus erat, ministrabat : aviculas atque pallos pro diversitate infirmantium *n* porrigebat; et ægrotis, doloribus conquassatis compatiens velut mater infirmabatur et ipsa : veniebant ad domum ejus pauperes turmatim qui omnes manibus non vacuis semper recedebant, aut cum vestibus aut comestibilibus, et præcipue puellæ quæ nubere debebant.

o consanguineis fatua creditur

6 Quod cum perpendissent consanguinei sui, in furorem versi, uno animo concordes properant ad domum ancillæ Christi; et ei improperia minasque *o* multas inferentes, ipsam infatuatam asserebant. Ipsa vero, jam a Spiritu sancto peruncta, constantior effecta, humiliter omnia ferebat et virili animo eis viam cœli prædicabat; asserens inquit, Cœlum ipsum, pro reputari fatua, acquiritur *p*. Omnibus igitur distributis Christus Salvator apparuit famulæ suæ Michelinæ, dicens : Bene, Michelina, fecisti, ceu vocaris : quia dum meis pauperibus membris tua bona erogasti, mihi fecisti : et dum membra leprosorum linxisti, te linivisti oleo pietatis, gratiæ et devotionis, et misericordiæ mei amore unxisti, mihi unguenta et linimenta talia porrexisti cum pauperum infirmorum membra debilia roborasti, per caritatem cordis intrinsecus viscerosam, et operis extrinsecus fructuosam. Caput meum et me Christum filium Dei vivi, veluti prædilecta mihi famula Magdalena, unxisti. Insuper totum boni operis quod fecisti, mihi, non tibi principaliter appropries. O Michelina! Mihi namque pro amore linita et uncta, et veluti linea recta causata in recta linea meorum mandatorum incedens, non declinans ad dexteram vel sinistram, ponens pedes in nervo et recto tramite lineato, diligens justitiam et odiens iniquitatem, omnia mihi placita perpetrasti, ultra consortes tuæ civitatis et provinciæ Marchisanæ.

sed Christus eum animat;

ipsa coram eo se humiliat.

7 Jesu Christi finito sermone, humilis Dei famula suo Domino respondit : Confitebor tibi, Pater et Domine, tibi referens semper laudes, qui mandatorum tuorum semitam revelasti mihi tuæ famulæ; omnia namque mihi tradita sunt abs te Domino Patre meo. Ego enim, veluti Nichelina, ad nihil et nihilum, et ad nihil prævalens, velut mica minutissimi panis, quæ ad terram emittitur canibus manducanda, tamquam modici fructus et quasi nullius, ab omnibus vilipensa; nihil sine te præpotens facere, merito mica parvula pargulina, in omnibus diminuta, mei fragilitate pensata, secundum diminutivam [mei significationem] nominis, valeo nuncupari. Omnibus autem rebus distractis, ut dixi, et pauperibus erogatis, ambulabat per civitatem Pensauri paupercula Michelina, tamquam humilis, parvula, discalceata pedibus, una tantum contecta tunicula honesti coloris et pretii, humilique mantello cooperta, vilibus de lino velis caput tecta, ac per totam ipsa velata : et ut se humilem comprobaret, lecti vilibus *q* et aridis straminibus utebatur, ac Spiritu Dei fervens seipsam alloquens, fastuosam asinam appellabat.

Ejus habitus ac stratum,

paupertatis et orationis studium,

8 Ut autem perfectam probaret paupertatem, cum nihil jam prorsus haberet, in quadam domuncula cujusdam mulieris Deo devotæ, velut hospita paupercula morabatur. Et mendicare pergens, ostiatim mendicando victum necessarium, sicut ceteri pauperes et egeni, quærebat; cum alimenta, quæ ut plurimum sumebat ex labore manuum suarum propter studium continuæ orationis cessantium, ei nullatenus subvenirent. Expellebatur nempe a multis, injuriosis cum verbis, tamquam prodiga et dissipatrix omnium bonorum. Sed ipsa sui Patris Francisci [exemplo] edocta, patiens ut surda, recedebat. Et cum semel a quodam consanguineo eleemosynam quæreret; ipse iratus perticam *r* rapiens, graviter eam percussit, ac injuriosis verbis lacessivit. Sed Christi famula inter verbera læta effecta, verberum memor quæ pertulit Salvator noster ad columnam, dicebat percussori, Percute istam asinam, percute bene bestiolam istam; ita et taliter, quod pars aliqua in ea sana non sit, quæ olim per Pensaurum tam vera et pomposa incessit. Itaque tonsionibus multis polita, maximum de se omnibus ostendit exemplum patientiæ.

tolerantia verberum,

maceratio carnis,

9 Castitatem niveam quæ est candor lucis æternæ, et speculum sine macula ante Deum, ut Dei famula custodiret, substricta tunicula, circulo ferreo corpus et brachia continue ad nudam carnem præcinxit, eamdemque quandoque ferreis rubricabat catenis, cum ejus ferventi in Domino animo condularum non sufficerent disciplinæ. Cilicium insuper asperum et longum ad nudam carnem portavit, exterorum contuitum fugiens pro toto ejus posse; quæ adhuc omnia reservantur pro Reliquiis in ecclesia Nuntiatæ, quæ erat domus sua. Lectus quoque erat plana terra, interdum tabula quadam interposita, vel aliquibus semiaciis, *s* cippo utens ligneo pro cervicale : in tantumque flexis poplitibus orabat, ut tenera genua in putredinem scaturientem, graviter pateretur in ipsis. Abstinentia quippe ita Dei famulæ erat amica, quod vinum vel siceram vidua numquam bibit : et crebra jejunia cumulans, macilentis cibariis utebatur.

liberalitas erga pauperes

10 Caritatem insuper proximis compassivam, post illam fervidam rubicundam quam de se dederat subjectivam, ad ipsum totis visceribus et operibus diligendum, summo opere studuit observare. Micas namque panis et eleemosynarum fragmenta, et quæcumque sibi Dei amore oblata, sibi modico reservato, versa vice pro ejusdem affectu indigentibus tribuebat : in quibus nequibat effectum, ostendebat affectum viscerosius compassivum. Quin imo Hospitalia infirmorum pauperum visitans, eorum servitiis se sæpius mancipabat *t*. Assiduitas operandi ita Dei famulam effecerat virtuosam, ut nunc filans et texens nunc orans ferventius, quandoque se verberans ferreis disciplinis, semper ecclesias visitans [et domos] afflictorum, numquam panem comedit otiosa.

ANNOTATA D. P.

a *Habebat is annus* 1356 *litteram Dominicalem* B, *Pascha* 13 *Aprilis, atque adeo Pentecosten* 12 *Junii; ut necessario hic debeat addi vox* Octavæ, *librario prætermissa : et haberi Dominica Trinitatis et Ordo Minorum censetur cœpisse an.* 1208, *unde et Waddingus orditur.*

b *Raphael de Pardis hinc auspicatur Vitam, hoc modo;* Nata est Michelina in Italia, parentibus divitibus ac nobilibus, ex familia Metella. Probatur hoc ex eo, quod mater nostri Magnifici patris D. Antonii de Pardis, fuit ex eadem familia, et per rectam lineam ipsius Michelinæ consanguinea, quemadmodum prædictus pater noster sæpius declaravit : et etiamnum Pisauri supersunt familiæ dignæ, nobiscum ex eadem linea descendentes. *Erravit tamen Tussinianus, hæc describens, dum Antonium facit patrem*

A *patrem ipsius* Michelinæ, *qui forte per ætatem filius esse potuisset, aut etiam nepos vel pronepos : de quo statuent Pisaurenses, cum invenerint ætatem, qua vel ipse vel filius ejus Raphael vixit.*

c Pensaurum *pro* Pisauro *placuit medii ævi sciolis scribere, fabulantibus quod Galli Senones, ab obsessa Roma revertentes, ibi appenderint aurum inde relatum, atque ex eo facto nomen loco fecerint ; verosimilior sententia ab* Isauro *præterfluente* (hodie Foliam dicunt) *onomato pœiam accersit. Usus tamen habet ut vulgo penultima brevi dicatur* Pésaro.

d Nicoluccia, *diminutivum pro* Nicolaa ; *et forte patri vel avo nomen* Nicolaus *fuit. Tussinianus putat, quod in ea voluerit pater renovari nomen matronæ alicujus ex sua familia.*

e *Raphael ait,* Amicum Malatestarum, tunc Pisauri dominantium, fuisse ; *Tussinianus, ex ipsamet illorum familia ipsum facit.*

f Pardino *non fuisse ait Tussinianus, sed unde id habuerit non indicat.*

g *Obiit ergo quadragenaria, nata anno* 1316, *conjugio juncta* 1328, *viduata* 1396.

h *Credo quia ex Syria veniebat, neque sciri volebat quæ esset. Fuerunt postea viri dicti, testibus Raphaele* B *et Tussiniano, qui crederent, Angelum sub specie peregrinæ fuisse. Certe, post bene instructam* Michelinam, *amplius non comparuit, sicut nec antea uspiam visa Pisauri fuerat iisdem testibus. Interim Arturus in suo Franciscano martyrologio assignat ei ut Beatæ diem* 31 *Decembris ; ac deinde Gynæceo sacro, suum ipsius Martyrologium allegat, quasi ex jure possessionis inde acquisito.*

i *Crediderim legendum* Truffæ et Canciæ. *Nam* Truffa *Italice ludum, jocum, fraudem sonat :* Cancia *quid sit necdum comperi : nisi forte a* Canto *sit, idemque valeat quod* nænia.

k *Addit Tussinianus, oranti pro* Michelina *Surianæ, caput inclinasse Crucifixum, inspectante et admirante illa. Raphael totum hunc articulum et sequentem paucis perstringens,* Insistente, *inquit* Suriana, conversa ad Dominum Michelina, decrevit toti mundo renuntiare, et Deo Sancte vivendo servire. Sed quia de illius conversione deque Sorore Suriana diffuse agitur in Legenda rhytmo scripta, nihil ultra de ea re hic addam.

l *Tacet de hac voce Tussinianus, solumque ait, visum Crucifixum inclinare caput : unde dubites an hanc a Mari no scriptam vitam ille viderit.*

C m *Addit Raphael,* Postquam autem Habitum Michelina sumpsit, solicita fuit Suriana, ut ei daretur Pater spiritualis, qui ipsam instrueret dirigeretque : et hoc obtento, reversæ simul domum sunt, cum benedictione illius. Ad hanc novitatem cœperunt, quotquot eis occurrebant, mirari ; circumspicere euntes ; conferre capita, ac murmurando dicere : Hactenus hujusmodi una duntaxat erat, nunc duas videmus. An forte hæc altera, est Michelina ? O mulierem miseram ! o infortunatam familiam ! quæ tota pessum ibit per istam amentem peregrinam. Hæc opprobria domum usque prosecuta illas sunt, at omnia surdas ac mutas, quia corda earum intendebant vocibus plane diversis.

n *Addit idem,* viros et feminas, Presbyteros et Monachos, hospitalia et monasteria.

o *Etiam* fustibus *usos ait Raphael.*

p Erat autem *inquit idem,* sub initium animo tristi, et vultu afflicto : nam et magistra sua Suriana dereliquerat illam.

q *Gabriel legit* viridibus, *quod minus probo.*

r *Titionem de foco raptum, putat Tussinianus.*

s *Forte legendum* Stamineis *vel* Semicinctiis.

t *Raphael ait sic distributum tempus habuisse :* Noctem quieti et orationi ac disciplinæ dabat, primo mane Missis et Officiis in ecclesia audiendis : inde D mendicatum circuibat, ac postea ad hospitale se conferebat, et denique domum. Post cibum sumptum filando vel texendo occupabatur.

EX CHRON. MARIANI.

CAPUT II.

Peregrinatio in terram sanctam, oleum multiplicatum, lepra osculo abstersa, rigor abstinentiæ, mors pie obita.

Peregrinatio Hierosolymam

Quia vero a suæ conversionis primordio amor Crucis subcreverat in corde suo ; ubi ipse amor fuit crucifixus, omnino esse decrevit. Ideo opportunitate temporis et ætatis adveniente, navem ascendens cum honesta societate peregrinorum, mare transfretavit, visitans omnia illa loca cum lacrymarum profluvio maximaque devotione, ubi Redemptor noster aliquod mirum pro salute nostra operatus est, sed in loco, qui dicitur Calvariæ, in quo ipse Jesus pro Salute nostra pependit, in tantum præfixe immobiliter oravit extra se facta, ut omnes eam ab vita sublatam crederent et extinctam. In quo quidem raptu ei dulcis amor Jesus apparens, mirabili consolatione replevit famulam suam ; adeo quod in se re- E versa, tam dulciter et ferventer de ipso loquebatur, ut omnes audientes in stuporem versi non valerent a lacrymis abstinere. Et quia ancilla Christi Michelina, in tantum, pro amore Dei cuncta contemnens, se humiliaverat coram hominibus ; ideo eam plurimum exaltavit Deus apud omnes, reddens illam venerandam et honorandam, ex multiplicibus signis atque miraculis, quæ per eam dignatus est mundo ostendere. Ex quibus plurimis aliqua subscribuntur.

a inde redeunti sedata tempestas,

12 Ipsa namque de Hierosolymis rediens ad Italicas partes, facta tempestas *a* valida in mari, ita ut periclitarentur : filia Crucis Michelina, flexis genibus brachiisque protensis in modum Crucis, ferventer desuper auxilium postulavit. Mirum quidem ! Oratione nondum expleta pacati venti, et mari facto tranquillo cum salute Italiam applicarunt. Ex cujus reversione tota civitas Pensaurina gavisa est, et præ devotione indumenta omnia decerpta, alia sibi largiuntur. Cum cuncta sua bona famula hæc Altissimi, pauperibus erogare cœpisset tanta largitate, ut nihil pro se reservaret ; adveniente paupere quodam, parum olei postulante amore divino, injunxit puellæ afferre lecythum, et oleum pauperi F petenti condonare. Cui puella, quomodo oleum in domo non remanserat, respondit ; et ut omnia vasa purgaverat, dixit ; addens cum indignatione non modica, Vos adeo omnia pauperibus erogatis, quod tota aqua vobis non sufficeret de Folia, quod est flumen juxta Pensaurum transiens. Cui ipsa respondit ; Vade, bona puella ; vade : quod jubeo cito adimple, et ter adhuc lecythum velis effundere. Quæ cum querulosis verbis porrexisset, vas olei plenum invenit, adeo quod effundere videbatur. Quæ cum egeno tribuisset, præcepit ei humillima famula Christi, ut miraculum quod Deus propter paupertatem suam patrarat, nemini panderet, dum viveret *b*.

multiplicatum pauperibus oleum,

13 Alia vice, dum nobilis Michelina in domo pauperculæ supradictæ hospitaretur, cujus mulieris pauperis inopiæ compatiens, dum olus coquinasset hospita prædicta, et ut oleum affunderet coctis herbis lecythum acciperet oleo vacuum ; nihilque olei esse in domo comperiret *c* ; subito Dei famula, cordiali pietate mota, dolorem adhibens compassivum in suæ necessitate consortis, recurrens ad Dominum, toto corde confidens, de cœlo oleum postulavit. Vade, inquiens, et consuetum lecythum recipias : quia ibi oleum invenies, tibi a Domino misericorditer

EX CHRON. MARIANI.

ricorditer propinatum. Accipiens hospita vas plenum oleo, quod deposuerat vacuum, Deum in viso miraculo, oratione et meritis Dei famulæ celebrato, fixis in terra poplitibus et ad cœlum manibus elevatis, mirabiliter collaudavit. Quinimo Dei famula nihil sibi sed Deo totum attribuens, se magis humilians tam corde quam corpore, divinæ pietati, quæ suis pauperibus in necessitate sua succurrerat, laudes devotissimas pariter referebat.

Velo ejus cephalga curata.

14 Cum cuncta sua bona pauperibus distribuisset (ut præmisimus) amica paupertatis tantum velum unum retinuerat, quo caput cooperiret; quædam persona maximum dolorem capitis patiens, velum ipsum postulavit amore divino. Quæ mox illud tribuens, aliud sibi oblatum, parvum strictum et grossum recepit, quo texit caput suum. Ille vero qui ab ipsa velum postulaverat: super languidum caput cum imposuisset, statim ab omni dolore capitis liberatus *d* est, referens gratias immensas omnipotenti Creatori. Alia vice, dum semel pro petenda eleemosyna mendicaret, contigit ad domum cujusdam Nobilis Dominæ applicare. [Ibi ab] assistentibus intra domum vocata et ad cubile mulieris infirmæ, quæ dolorem capitis similiter fortiter patiens quasi spiritum exhalabat, confidenter deducta est, et ut pro infirma Dominum exoraret, supplicarunt. Statim pietate commota, manum super ejus caput imponens, corpore existens in terris, sed spiritu ad Dei solium elevata, piissimis precibus cordialibus emanatis, adsanandum infirmam, Deum quamcitius incitavit: qui de celso solio famulam suam exaudiens, statim omnem dolorem a capite mulieris patientis effugavit.

leprosus osculo mundatus:

15 Obviavit semel per civitatem quemdam horribilem leprosum discipula Christi Michelina, qui tum ex horrore, tum ex fœtore ab omnibus expellebatur. Quod cernens Dei famula, illius qui pro nobis apparuit leprosus, cordiali compassione commota, doloreque affecta, nimia cum pietate cucurrit ad ipsum; eum tenerrime et fortiter amplexata est, incipiens ejus ulcera osculari: quæ ab ore tacta famulæ Christi, statim desiccatæ decidebant crustæ .... *e* quod ipsa videns, ex caritate ebria, et in fervore spiritus, totum fere osculavit, totusque mundatus est. Dum quadam vice ad unam domum cujusdam Nobilis Dominæ, adjutorium eleemosynæ invocans, accederet, quæ noviter erat leprosa effecta; eam ut vidit Dei famula Michelina lepræ morbo pessime putrefactam, ex cujus carne et maxime ejus ore ita fœtor intolerabilis emanabat, quod omnes se ab ejus aspectibus præ horrore terribiliter fœtidæ evitabant. Cujus visceribus pietatis et compassionis interius exteriusque lacrymosis gemitibus jam confossis, ac precibus compassivis pro eadem ibidem emissis, Deus Omnipotens, meritis et orationibus ipsius beatæ, perfecte pristinæ illico restituit sospitati. Alia multa operatus est Deus altissimus per servam suam mirabilia: nam de diversis infirmitatibus languentes, se ei dum viveret committentes, statim sanabantur; quæ brevitatis gratia omitto.

Suillæ appetitus refrenatus,

16 Cum Christi paupercula Michelina, in primordio conversionis suæ, de carne assa porcina appetisset comedere, eo quod assueta erat delicatis cibariis; petiit eam a quadam nobili vicina, quam sibi libenter emit, cum ipsa ex inopia emere nequiret. Carnes tandem assæ cum paratæ fuissent, vocavit eam Servitrix, ut comederet: quæ non cœnatum ivit, sed ad cubile: et clauso ostio nudataque, ferreis catenis acriter se verberavit, dicens; Caro carnem comede porci assam, comede nunc; satia te, corpus meum sensuale; Vis amplius de carnibus comedere? Itaque aspere se percutiens, sanguis fluere cœpit usque ad terram: ex quo appetitus sensualis repressus, numquam sensualia deinceps requisivit *f*. Unde extitit gloriosa victrix Michelina, de mundo, carne, spiritu victoriosa atque de omnibus sensualibus delectamentis.

mors pie obita.

17 Perseverante itaque in Dei servitio Christi famula Michelina, usque ad annum suæ vitæ finalem, micans virtutibus (ut dixi) circumfulta miraculis in Ecclesia militante, diem complevit extremum, certaminis receptura coronam, resplendens cumulis præmiorum, in Ecclesia triumphanti *g*. Cujus Corpus cum honore, toto populo concurrente, cum omnibus Presbyteris et Religiosis, ad Ecclesiam beati Francisci deportaverunt, ac honorifice tradiderunt sepulturæ. Quam sicut Deus fecit hic primitus generosam, subsequenter perfecit in superis gloriosam, sequentibus signis, et miraculis patefactis *h*; ex quibus nonaginta sex, notariorum *i* robore confirmata, attestantibus fide dignis conscripta, signata et approbata fuere: quinetiam quotidie Omnipotens Deus non cessat suam famulam coruscare miraculis, quibus impenditur laus et gloria ipsi Trinitati Deificæ, qui Deus est unus et trinus, per infinita secula seculorum. Amen.

Sepulta apud Minores,

miraculis claret.

ANNOTATA D. P.

a *Nihil de miraculo sedatæ tempestatis Raphael: ipsam vero peregrinationem paucis perstringens, post narrata viventis miracula, de quibus infra, hoc solum ait:* Insuper sumpsit sibi grande istud exercitium eundi in Jerusalem, et salva Pisaurum rediit: sed quia hoc sufficienter explicatur in historia, quæ rhythmo circumfertur, aliud hic non dicam.

b *Nihil etiam de hac olei multiplicatione Raphael, sed solum de sequenti.*

c *Idem hæc paulo plenius:* Videns, *inquit*, lecythum vacuum, exclamavit dicens, Hei mihi! Deest oleum, et ego paupercula sum: quod suspirium eo expressum credo, quia Michelina omne suum oleum expenderat in egenos, dubitabatque paupercula hospita, an idem non fecisset de suo. Erat autem tunc orationi intenta Michelina: auditoque planctu illo mota etc.

d *Tussinianus rem prorsus aliter narrat, quasi Michelina, dolorem capitis ipsamet sentiens, rataque eum sibi divinitus infligi, ad castigandam qualitatem veli, ex usu Sanctimonialium paulo honestioris; ipsum primum obvio mendico dederit, et sic dolore illo caruerit.*

e *Ecgraphum nostrum* Cocles et perfecta mutabat: *ego* crustas *substitui.*

f *Hic generosus actus non legitur in MS. Gabrielis, sed bene, quod* Aliquando utebatur catena ferrea, loco disciplinæ ex funiculis textæ, iisque carnes suas rubricabat: *unde Tussianus colligit easdem fuisse aculeis asperas: Cilicio autem, inquit Raphael,* utebatur ad carnem nudam; sed ipsum cooperiebat pannis, ut non videretur: quinetiam curabat eo semper vultu apparere, qui tam austeram pœnitentiam minime indicaret.

Prolixior descriptio obitus,

g *Idem Raphael scriptam a se vitam sic concludit:* Cognoscens vera Dei famula Michelina, soli perseverantiæ dari coronam, perseverare studuit in omni virtute et sanctitate, qua cœperat. Plena autem omni beatitudine, et sentiens appropinquare tempus, quo spiritum Deo redderet; instituit continuæ orationi contemplationique insistere. Interim pœnitentiis emaciatum corpus infirmabatur: quod cum devotæ quædam personæ inaudissent, cœpit undique concursus fieri ad juvandam tam piam Matrem, quæ vitam ipsis procurabat, tantaque cum caritate cunctis serviebat, sanans orationibus suis quascumque infirmitates. O felix Pisaurum, quod tam fidelem Deo famulam

A famulam protulisti! Miseranda vero hospitalia! Quis tanto cum zelo vos vestrosque infirmos curabit, sicut curabat Soror vestra Michelina? O Dominæ et Sorores tertii Ordinis, quomodo manebitis desolatæ ac mœstæ, si amittatis dilectam vestram ac dignam Magistram; quæ vobis principium bene vivendi fuit, et viam ostendit ad vitam æternam eundi post se. Cum autem infirmitas aggravaretur, intelligens ipsa, instare sibi finem ultimum, quo per tam asperam pœnitentiam semper tetenderat; multa cum præparatione disposuit sese ad obeundam mortem, recipiendo extrema Ecclesiæ Sacramenta; et coram religiosis devotisque personis pluribus, intra cubicellum ubi infirma jacebat collectis, cum psalmis et hymnis ipsa Soror Michelina clausit dies suos, plangente tota civitate Pisaurensi dum illa ab hac misera vita ad immortalem transiit et æternam, anno Domini MCCCLVI, die XIX *Junii*, in Dominica. *Apud Tussinianum* 18 *legitur, errore verosimiliter typographico, nam et ipse* Dominicam Trinitatis *nominat, quæ anno* 1356 *currente littera Dominicali* B, *cadebat in diem* 19, *ut initio dictum.*

miracula Fr. Raphaeli visa,

h *Raphael sic progreditur.* Quæ fuerunt relata a personis fide dignis, et roborata earumdem juramento: B quotidie autem non cessat B. Michelina coruscare miraculis: quibus ego frater Raphael de Pardis Pisaurensis his nostris temporibus præsens interfui *(cum scilicet referuntur)* eo loco ubi corpus ejusdem B. Michelinæ invenitur in sublimi saxo, intra murum suæ capellæ, ex altera parte sacristiæ S. Francisci Pisaurensis: in qua etiam sacristia est capsula, in qua omni requirenti videre licet circulos ferreos, disciplinam et cilicium suprascriptum: quæ Reliquiæ multa efficacia valent circa infirmos, quemadmodum ipsemet variis casibus expertus sum; atque imprimis circa civem Pisaurensem, qui visum amiserat, per varia quæ sibi advenerant symptomata, ego autem ipse propriis manibus illas ad virum detuli: qui omni cum devotione B. Michelinæ se commendans pristinæ redditus est sanitati. Quam quam autem multa etiam alia miracula viderim, ea hic non curo annotare; quia intendo hic receptare quædam miracula antiquiora pro quibus detur laus et gloria sanctissimæ Trinitati, Deo vero, qui vivit et regnat in secula seculorum.

et descripta supra 30

i *Waddingus ad an.* 1356 *num.* 30 Miracula, *inquit*, ultra nonaginta, suis Actis exceperunt C Ceculus et Barnabuccius Pisaurenses Notarii. *Igitur ex Tussiniano, illis uso, accipe Latine reddita sequentia.*

CAPUT III.

Miracula post mortem, ex Italico Petri Rudolfii Tussiniani.

Apparens Beata tempestatem sedat:

Magister Pandolfus, nobilis Pisaurensis, cum sibi peregre revertenti in mari narrarentur miracula, quotidie fieri solita ad sepulcrum B. Michelinæ, neque iis fidem adhiberet; ecce tibi tempestas gravissima, a qua cum salvari se posse diffiderent omnes, recurrerunt ad vota B. Michelinæ facienda; nec solum promittebant prædicaturos se factam sibi gratiam, sed etiam curaturos ut per alios quoque toti mundo innotescerent ejus prodigia. Eo facto apparuit supra mare Michelina, et subito cessavit tempestas. Quapropter dictus M. Pandolfus, non

corpus elevatur;

solum fecit quod cum ceteris voverat; sed considerans quod ejus corpus erat in loco satis vili, fecit construi sepulcrum marmoreum pulcherrimum et elevatum in ecclesia S. Francisci retro chorum ad partem dexteram, intra quod positum est corpus sicut omnibus in promptu est videre. Unde etiam tota ejus vita mirabiliter depicta est Arimini in D primo claustro et parte veteris sacristiæ, per quam alias (ut ego quidem censeo) ingressus erat in conventum, quia Domini Malatestæ, tam propter maritum quem Beata habuit ex sua familia, fecerint vitam ejus pulcherrime pingi, manu Giotti Florentini.

EX TUSSINIANO

convalescit moribundus,

18 Anno MCCCLVI, Joannes Gianni de Ancona, videns filium suum trimum graviter infirmari, propter copiam verminum in ejus corpore multiplicatorum; et malo febrem accessisse, unde moriturum asseverabant medici, eum jam tunc pro mortuo habentes; votum fecit B. Michelinæ, et ad stuporem omnium subito puer convaluit. *Puero nomen* Petrellus *fuit, expressum in titulo.*

submersus in mari

19 Anno MCCCLIX Fr. Angelus Appulus, Ordinis S. Francisci, Pisauro ubi commorabatur, in comitatu plurium aliorum Patrum proficiscebatur Fanum. Cum autem perventum esset ad fluvium Arzillam, propter vehementem tunc æstum, pariter consederunt in littore maris; et videntes sudum cœlum ac mare tranquillum, lubido omnes subiit istic se lavandi. Fr. Angelus erat imperitus natandi, et maris impetus eum paulatim abstrahebat a fundo, sic ut mergi inciperet. Hoc videntes alii qui E stabant in littore, addebant ei animos, hortabanturque ut B. Michelinam invocaret. Interim ille jam tertio fundum petierat, ac porro supra aquam velut truncus ligneus ferebatur. Itaque socii, magno cum dolore et lacrymis, commendarunt ipsum Deo et B. Michelinæ: et statim aqua corpus illud ad littus paulatim deferebat. Dum hoc fieret, supervenit Fano Fr. Jacobus quidam ejusdem Ordinis, refocillaturus adventantes hospites: videns autem tale infortunium, ipse qui natare sciebat vestes exuit, mare intravit; et corpus, jam mortuum lividumque totum, et hausta introrsum aqua turgidum, explicuit in littore. Omnes vero pariter in genua prostrati per horam unam et dimidiam perseverarunt in oratione, commendantes ipsum B. Michelinæ. Angelus autem cœpit subito recipere spiritum, atque melius habere, imo totus restitutus fuit pristinæ sanitati; quemadmodum testati sunt prædicti Patres, coram suo reverendo Superiore: idque deinde constitit per Rogitum Ser-Ceccoli, Notarii publici Pisaurensis.

et extractus mortuus,

resuscitatur

Sanatur febris continua.

20 Anno MCCCLIX, tempore Innocentii Papæ VI, die IX Septembris, D. Luminata, uxor Riccii de Sascorbaro, in ecclesia S. Francisci, dixit; quod F Bartolus, filius Agnetis filiæ suæ, annorum septem, continua febri hebdomadis quinque laboravit: devotus autem B. Michelinæ, sub promissione ferendi ad sepulcrum cereum, ad pueri mensuram longum, subito sanatus sit. Iisdem temporibus, die XV Septembris, D. Honesta de Monte-Barocio, sub juramento confessa est, in ecclesia S. Francisci, coram quodam D. Francisco Petri Bellacii, et Fr. Antonio de Melita Ordinis Minorum, atque aliorum plurium testium; quomodo quemdam filium suum bimulum, ex gravi infirmitate proximum morti, sanum recepit, mox ac B. Michelinæ ipsum devovit.

extremu infirmitas,

21 Iisdem temporibus, VI Octobris, Antonius Simonetti Anconitanus, in ecclesia S. Francisci ante capellam B. Michelinæ, cum juramento dixit, coram Fr. Andreolo ab Insula et Fr. Nicolao Guardiano atque aliis testibus; quod ab acutissimis febribus, quas pluribus diebus passus erat, relictus sibi sit dolor cordis et stomachi intolerabilis, ita ut nec comedere nec bibere posset. Non inveniens autem in medicis ac medicinis auxilium, commendavit se B. Michelinæ, sub voto quod si recuperaret sanitatem, iturus esset ad ejus sepulcrum, ibique stomachum cereum oblaturus: quo facto dolor omnis cessarit, et ipse liber manserit ab infirmitate. Eaque de re amplum

dolor cordis et stomachi,

EX TUSSIGNANO *mulier energumena,*

amplum instrumentum fecit, adhoc rogatus Ser-Ceccolus Nicolai, Notarius publicus supradictus. Item XXVIII Novembris, Antoniola, uxor Ciaffonis Bonanni de Corinaldo, in ecclesia S. Francisci jurata, deposuit coram Petro Bolognini, et Joanne Victorio Cecci Bonæ curtis, aliisque testibus, quod a malignis spiritibus per hebdomadas quinque vexatam se parentes sui voverint deferre ad sepulcrum hujus B. Michelinæ: ad quod ubi accessit et genuflexit, cum magno omnium stupore liberata fuit ab illis crudelissimis inimicis. In cujus rei fidem Ceccus Nicolai, Notarius publicus, instrumentum rogatus scripsit.

leprosa,

22 Anno MCCCLX, mense Martio, D. Mitis Ariminensis, cum juramento coram testibus affirmavit; quod cum mense Junio pateretur infirmitatem, simillimam lepræ, ita ut carnes sibi frustatim deciderent in terram et intolerabilem de se fœtorem darent; nec posset tantum suum malum curari a medicis, commendavit se B. Michelinæ; et cessante mox fœtore, caro etiam resolidari cœperit, sitque reddita pristinæ sanitati. Iisdem temporibus Ceccolinus de Monte luco, sive ex comitatu Senogalliæ, asseruit coram multis testibus, quod Berta filia sua a dæmonibus gravissime vexata, vovit se huic Beatæ; et Pisaurum adducta, atque ante ejus capellam constituta est. Ibi cum spiritus illi inciperent maximos clamores edere, Pater quidam attulit cilicium Beatæ, et energumenæ ipsi imposuit; quæ ad ejus contactum liberata continuo fuit.

puella obsessa.

Avertitur naufragii periculum

23 Anno MCCCLXII M. Jacobus Venetus et M. Nicolaus Ragusinus cum aliis sociis in mari passi gravem tempestatem sunt: quæ cum continuo augeretur, seque submersioni proximos viderent; toto corde et devotione conversi ad B. Michelinam, votum ei fecerunt, et naviculam suam mox in portum delatam viderunt. Iisdem temporibus Ugolinus Saludeciensis, habitans ad Concham Ariminensem fluvium, juratus coram testibus dixit; quod Gaudiosa filia sua, graviter infirma et morti vicina, cum jam quatuor diebus loquela destituta nihil comederet, biberetque; commendata B. Michelinæ continuo sibi fuerit restituta, potumque ac cibum postulaverit. Eodem tempore, D. Joannes Rector ecclesiæ S. Martini Ravennatis, dixit juratusque asseruit, coram pluribus testibus, quod pestilentia gravi laborans, multa cum devotione et lacrymis commendaverit se B. Michelinæ, et mox voti compos redditus sit.

morbus ultimus,

pestilentia,

ab equo lapsus et contritus.

24 Anno MCCCLXIII D. Petrosella, Fani commorans in via S. Christophori, coram testibus confessa est, quod filius suus Petrus annorum duodecim, ab equo quem ad cursum incitabat lapsus, totusque contritus sit: nam idem equus, maxillæ ejus calcem impingens, eum in pectus prostraverat, adeo ut mortuo similis jaceret, triduumque sine cibo ac potu, loquelæ etiam et sensus omnis expers maneret: stupentibus tamen vehementer omnibus ad se rediit, mox atque pro eo votum B. Michelinæ est factum; cœpitque comedere ac bibere, nec diu post consolidatæ sunt plagæ ejus.

Captivus solvitur:

25 Anno MCCCLXIV, Boccaccinus Guilonini de Boccaccia, Imolensis, Cerviæ habitans; cum bellum in Romaniola gereretur, captus ab Hungaris est, manibusque ac pedibus ligatis, ne fugere posset, metuebat etiam inferendam sibi ab eis mortem. Sed ut B. Michelinam invocavit, soluta ei vincula omnia sunt, et liber effugit de manibus inimicorum suorum, sicut testificatus est in æde S. Francisci coram multis testibus. Iisdem temporibus Antonius filius Blasii Foro-Semproniensis in valle Gongi comitatus prædicti, peste gravi contactus et remedii ac spei expers, a patre suo Blasio commendatus Beatæ huic est, et sine mora redditus sibi, sicut juratus palam fecit in prædicta ecclesia.

sanatur peste afflatus,

puella paralytica,

26 Anno MCCCLXV, D. Mansueta Iscoli Caraduccii Recinetensis, ibidem jurata coram multis præsentibus, asseveravit, quod filiam suam Nicolettam toto anno uno paralyticam, lectoque sic cubantem ut nullatenus movere se posset; commendavit B. Michelinæ cum voto, et subito sanam recepit. Anno MCCCLXI D. Ceccola, uxor Panci ex districtu Urbinatensi, adeo horribili lepra laborabat, ut præter fœtorem gravissimum, etiam carnes de corpore ejus deciderent, manuum item ac pedum ungues. Quia autem extra spem omnem posita haberetur, cum omnium admiratione fuit redintegrata, ad votum quod B. Michelinæ fecit; ejusque rei testimonium coram pluribus adstantibus dixit, Pisauri in ecclesia sæpe dicta. Anno MCCCLXXII Ugolinuccius Mintonelli de Monte paganuccio districtus Calliensis, neptem habebat Catharinam, morbo caduco laborantem, sic ut per unius anni spatium quotidie quatuor aut quinquies sterneretur humi. Hanc cum devote commendasset et vovisset B. Michelinæ, desiit similia pati; prout juratus affirmavit, Pisauri in ecclesia S. Francisci.

leprosa,

elephantiaca,

peste laborans.

27 Anno MCCCLXXIV D. Flos, filia Fusci de Monte gaudii, comitatus Pisaurensis, morti propinqua propter pestilentiam, quæ ipsam corripuerat et extra spem vitæ omnem posuerat; recordata B. Michelinæ, ipsi se commendavit, et in momento sanata fuit, ac fidem rei totius jurata fecit coram testibus et Notario ad S. Franciscum. Prædicto tempore Angela Andreæ Righettini, cum Nicolao et Cecchino Bartholi fratribus, ac sedecim sociis, spatiatum egressa est in parvula cymba extra portum Anconitanum. Subito autem et quasi momento temporis exorta horribilis tempestas, plus quam ad sedecim millia provexit in mare cymbulam, jam semiplenam aqua, adeo ut mortem omnes haberent præ oculis. Invocantibus tamen illis devote B. Michelinam, cessavit ventus, et conquievit mare, eosque portui salvos reddidit cum grandi omnium admiratione.

Juvantur periclitantes in mari,

surda ac muta,

28 Anno MCCCLXXV D. Lella Foroliviensis, triennium surda, post multa remedia frustra tentata, devote recurrit ad B. Michelinam; restitutusque ipsi illico auditus est, sicut jurata affirmavit, coram testibus multis in ecclesia S. Francisci. Iisdem temporibus, Bartolus, filius D. Bonæ Foroliviensis, graviter infirmus appropinquabat morti, nec enim jam amplius vel loquebatur vel movebat se. Mater ergo cum tota familia, spem collocarunt in B. Michelina, eique commendarunt ægrotum: qui instantanee sibi suisque redditus, omnes gaudio cumulavit, resque coram Notario probata fuit. Anno MCCCLXXVII D. Elisabetha Ravennatensis, filium peperit monstrosum, cui manus clausæ, crus autem unum cum genu, brevius altero erat ad palmum integrum. Vixit in hunc modum infans hebdomadis septem, quando in mentem venit matri ad B. Michelinam recurrere facto voto, ad quod apertæ infanti manus sunt, et crus cum genu productum ad mensuram naturæ congruam; sicut apparet ex instrumento, desuper a Notarius confecto: unde istud accepi sicut et alia multa miracula, ibidem descripta, hic vero omissa; cum mihi jam producta videantur sufficere, ad manifestandam B. Michelinæ sanctitatem.

puer moribundus,

infans contractus.

COROLLARIUM

Ex libro statutorum Pisauriensium 1531 de festis in honorem Patronorum Civitatis agendis, ac nominatim etiam B. Michelinæ.

Item statutum est, ut festivitates Mariæ Virginis de

Decernitur quid Artes singulæ offerre debeant in ipsis festis,

de Mense Augusti, et S. Terentii Martyris, debita reverentia ab omnibus habeantur; et in quolibet anno, in festivitatibus prædictis, ante per xv dies *a* Potestas qui pro tempore fuerit, requiri faciat omnes homines quarumlibet Artium coram eo: et eis vel aliquibus eorum sic convocatis, quos viderit convenire, mandet sub certa pœna quod quælibet Ars unum faciat Capitaneum seu Superstitem, *b* qui possit et debeat omnes de sua Arte scribere et scribi facere et in scriptis retinere: et quod quælibet Ars ordinet habere unum novum Pallium, *c* pro qualibet Arte, secundum conditionem et qualitatem Artis. Et in festivitatibus prædictis, dum solemnia Missarum celebrantur, omnes de Collegio seu Arte qualibet convenire debeant in unum, ad palatium Communis *d* cum uno cereo sive cereis et pallio, secundum consuetudinem et qualitatem Artis. Et omnes de qualibet Arte debeant habere unum candellottum *e* pro quolibet, ad modum tubæ *f* confectum, ita quod papyrum *g* non habeant: et sono tubæ debeant accedere ordinate ad honorandum festivitates prædictas, ad ecclesiam majorem civitatis Pisauri. Et de prædictis palliis et cereis et candellottis oblationem facere reverenter, prout decet.

et quo ordine procedere ad ecclesiam;

30 Et ad prædicta teneantur Potestas, qui pro tempore fuerit cum suis Officialibus et sapientibus judicibus, et Nobilibus civitatis Pisauri habere unum pallium novum, cum candelis modo prædicto; et primo accedere debeant ad honorandum festivitates prædictas. Secundo accedere debeant Notarii omnes de civitate et comitatu Pisauri, qui in Collegio adscripti fuerint, cum eorum pallio novo et candellottis, modo prædicto. Tertio accedere debeant omnes mercatores, sartores, cimatores, *h* Merciarii *i* simul qui in eorum Collegio ascripti fuerint cum pallio novo et candellottis modo prædicto. Quarto accedere debeant Calzolarii cum *k* eorum pallio et candellottis modo prædicto. Quinto accedere debeant Patroni navigiorum, Marinarii, Piscatores, cum eorum pallio novo et candellottis modo prædicto: sexto Tabernarii, Spiocarii, *l* et Triceoli, accedere debeant cum pallio novo, simul et cum candelis modo prædicto. Septimo accedere debeant *m* Beccarii, *n* Barberii, Muratores, Fabri-magistri lignaminum, molendinarii, Merescalchi, *o* Sellarii, cum eorum pallio et candellottis modo prædicto. Octavo Comitatini *p* citra Foleam, cum eorum pallio novo et candellottis modo prædicto, scilicet unus homo pro qualibet decina *q* Fumantium cujuslibet Universitatis, de melioribus et ditioribus hominibus dictæ Universitatis, quod pallium ad minus debeat esse pretii decem librarum. Nono Comitatini ultra Foleam, modo prædicto cum eorum pallio et candellotis accedant. Et omnes alii, tam Cives quam Comitatini, volentes honorare dictas festivitates, possint cum prædictis adesse.

quo pretio redimenda oblata:

31 Quæ pallia debeant renovari per prædictas Artes et Universitates de quinquennio in quinquennium: et quod Domini Canonici teneantur et debeant prædictis Artibus et Universitatibus sive eorum Capitularibus et Superstitibus, dare et restituere eorum pallia pro uno *r* floreno, pro qualibet Arte et Collegio Universitatum, in quolibet festo dictarum festivitatum: et prædicti Capitulares seu Superstites debeant dicta eorum pallia tenere et *s* salvare, et non Canonici. Et quicumque in prædictis vel aliquo prædictorum contra fecerit, ille qui fuerit in civitate, et non fuerit cum Arte sua ad honorandum dictas festivitates, condemnetur vice qualibet in xx *t* solidos Romanos. Et quælibet Universitas castrorum prædictorum, quæ cessaret facere in L libras Communi condemnetur: et quælibet singularis persona, cui mandatum fuerit quod adesse

quæ mulcta solvenda absentibus.

debeat, et non erit in xx solidos Romanos communi, condemnetur vice qualibet. Et in his excipiuntur infirmi et absentes. Et quod in dictis festivitatibus nullum fiat laborerium, *u* nec aliqua *x* statio debeat aperiri: sed omnes in Domino debeant lætari. Et Potestas teneatur vinculo Sacramenti hoc statutum præcise facere observari. Et quod semper in prædictis oblationibus colligendis et observandis eligantur duo boni homines per Potestatem et Concilium qui prædictas oblationes conservent, donec in aptatione ecclesiæ prædictæ possunt converti: quæ citius quam poterit fiant per eos, et de prædictis habitis et expensis teneantur Communi reddere rationem. Et quod dicti boni homines electi recipere debeant universam pecuniam, sive alias res relictas ecclesiæ prædictæ, expendendas in cunctis *y* ecclesiæ prædictæ. Et dictæ oblationes fieri debeant omnino temporibus, supradictis, sub pœna, ipso facere [solvenda] Referendario et Depositario Communis, centum ducatorum auri, pro quolibet et vice qualibet, et stando uno mense in carceribus Communis.

Ex Cassiano

quæ bravia equorum cursu curanda

32 Et idem intelligatur de oblationibus, debitis et consuetis in festivitatibus corporis Christi, S. Mustiæ, * S. Petri Martyris, et S. Michelinæ. Et quod Potestas, qui pro tempore fuerit, teneatur ante festum S. Terentii per xv dies emi facere septem brachia de scarlatto fino, et fieri facere unum bravium valoris et pretii xxv lib. respective ad minus et in dicto termino teneatur, litteras destinare ad terras omnes convicinas per litteras de dicto bravio currendo, et de valore ejus, et die festi et teneatur emi facere unum gallum et unam libram piperis, et unam porchettam pellitam plenam alio, et cum cepibus ad collum in quodam speto: et in die festivitatis S. Terentii, et post prandium, facere currere equos omnium volentium currere ad dictum bravium seu pallium; et qui primo venerit, pallium supradictum habeat: et qui secundo venerit, porchettam prædictam habeat: et qui ultimo venerit, habeat gallum qui ante pallium teneatur, et cursus equorum incipiatur et remaneat arbitrio Potestatis, et sapientium quos eligere voluerit. Et hoc statutum præcise inviolabiliter observari debeat, et expensis Communis fieri; et idem observetur in festo B. Michelinæ.

* *an* Mariæ

ANNOTATA D. P.

a Potestas, *id est, summus Prætor*

b Superstes, *substantive, sicut* Antistes: *in eademque significatione hic ponitur.*

c Pallium *hic intelligitur, pannus ad ornatum altaris, vel statuæ ejus Sancti cujus festum fit, offerendus ecclesiæ, ut infra apparebit.*

d Commune, *id est,* Communitas *phrasi Italis usitata.*

e Candellottus *major cereus, augmentativum a* Candela.

f *Puta inferius valde latus, ut sunt tubæ.*

g *Intelligo orbiculum papyraceum, qui ad excipiendas defluentis ceræ guttas adhiberi alias solet, et adstringi summitati ardentis cerei dum manu gestatur; qui scilicet grandiores, utraque manu ante pectus gestantium elevati, gestari debent.*

h Cimatores, *tonsores pannorum. Nam a* Cima *summitas est hinc* Cimare *summum in pannis lanam attondere: quod autem tondendo abscinditur* Cimatura *dicitur, sicut Latine* Rasura, ramentum.

i Merciarii, *omnes qui ulna ad metiendum quascumque texturas utuntur: quorum nomenclatura licet a Latino* Merx *duci possit: quia tamen Latinis ignota est vox* Merciarii, *malim opinari, Longobardicam esse derivatam a Teutonico* Meersch; *quod corbem vimineum*

significa

significat minutis mercibus circumferendis aptum ; et quo non solum intelligitur corbis vimineus, *quo ad collum pensili minutarum mercium propolæ circumforanei utuntur; sed etiam totum Collegium eorum qui hic notantur.*

k Calzolarii, *quasi* Calceolarii.

l Spioccarii, *id est pannorum pectores ab Italico* Spioccare : *hoc vero radicem suam habet a Teutonico* Plok *floccus; sicuti a Latine* Floccus *etiam Italice dicitur* Sfioccare *præposita scilicet privativa* s , *quæ in compositione æquivalet Latinæ præpositioni* dis *vel* de; *et* l *mutato in* i; *sicuti fieri eadem in lingua solet præcedente* p *vel* f; *ut* flos, *fiore;* planus , *piano. Hinc porro intelligas* Tabernarios *hic dictos ad lanæ aut lini negotium spectare.* Triccoli *quoque eodem spectant : nam Cangius in Glossario antiquo* Tricolam *reperit, pro* Volsella, *qua ab iis pannis qui tonsore non egent excerpuntur pili, hinc inde reliqui ex stamine innodato.*

m Beccarii, *id est Laniones, a* Becco *id est ore, Teutonice* Bek, *cui pascendo professio illa subservit.*

n Barberii, *Barbitonsores;* Muratores, *fabri murarii a verbo* murare : *lignarios autem fabros Itali una voce appellant* Fa-legname.

o *Qui equis soleas ferreas aptant :* Mareschalkus *autem, ex vi vocis, equorum seu rei equestris peritum significat, ex* Mar *et* Schalk, *Teutonicis vocibus: in militia etiam vox ea significat supremum Equitum Magistrum. Mirum interim est, quomodo tam disparatæ Artes seu opificia in unum coaluerint Collegium.*

p Comitatini, *id est Rustici, Accolæ, ad unum* Comitatum *id est territorium seu districtum spectantes , Lombardorum enim institutum in Italia fuit singulis civitatibus* Comitem *dare, easque cum circumjacenti jurisdictione* Comitatus *vocare.*

q Decina fumantium, *id est, decas familiarum; nam familiæ in Italia censentur per focos, maxime in pagis, ubi unicus uni domui focus, seu foci locus est, toti familiæ communis.*

r *Ita cavetur, ut ex oblatis ecclesiæ constet certus proventus; nec restinguatur honesta æmulatio, opulentius exornandi offerenda, dum redimere oblata licet, iterumque alia occasione iis uti : prudenter tamen mox infra statuitur quinquennium, quo nova emi debeant, ne veterata vilescant congruo splendore amisso.*

s Salvare *et custodire, conservare.*

t *Ita extendo quod scriptum compendio erat* sol ℟.

v Laborerium, *opus servile. Sumitur etiam pro quovis opere seu manufactura.*

x Statio *id est Officina, in qua vulgo venales merces prostant, et opifices opus faciunt.*

y Contium *seu potius* Concium, *restauratio, reparatio, unde* conciare *et* racconciare; *videntur tracta a Latino* concinnus concinnare.

DE S. BONMERCATO

CLERICO MARTYRE FERRARIÆ IN ITALIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De Martyrii titulo, cultu, actis.

An. MCCLXXVIII. *Ecclesiæ more Martyres dicendi, quotquot violenta morte defuncti coluntur Sancti.*

Priusquam pia fidelium Christianorum simplicitas cœpisset, ex placitis Theologorum Scholasticorum, scrupulosius discernere Sanctorum titulos aureolasque; mox plurium seculorum usu formatus erat, omnes eos Martyres nominare, et ut tales colere, qui vitam morte cruenta sancte finierant ; non discutiendo causam mortis vel intentionem ipsam inferentis; an scilicet ad scelus is impulsus fuerit odio Religionis aut Christianæ alicujus virtutis. Nempe quemadmodum titulus* Confessoris, *primitus iis solis dari solebat, qui fidem coram judice confessi erant, post carceres et tormenta vivere permissi, vel divinitus e persequentium manibus liberati; deinde vero talem titulum usus, hodiedum perseverans, communicavit , omnibus quorum vita jugis fuit Christianæ religionis perfectionisque confessio; sic idem usus* Martyrum *nomen, a prima sua significatione abstractum , commune fecerat universis, quorum mortem per vim, undecumque et quacumque ex causa illatam, testem Deus esse voluit, suæ erga Sanctos providentiæ, eam mortem sibi pretiosam fuisse ostendens, per miracula ipsam consecuta. Nec eum usum, siquidem antiqui temporis possessione nitatur, abrogatum voluerunt posteriores Pontifices Romani hoc tempore, quo alias cavetur Martyrii titulum cuiquam tribuere , quem Apostolica Sedes non definierit ex odio fidei virtutisque necatum esse.*

Sanctus Martyr dictus Bonmercatus,

2 *Ergo hunc* S. Bon-Mercatum, *appellamus sine scrupulo* Martyrem, *propter eam necem, quam anno* MCCLXXVIII *innocens Ferrariæ sustinuit ab hominibus, præcipiti justitiæ zelo actis ad Innocentis cædem, dum illatam innocenti ulcisci se credunt. Hoc Innocentius VIII probavit, cum anno* MCCCCXCII III *Nonas Martii , sub excommunicationis pœna mandaret, intra sextum a publicatione diem, restitui sanctum corpus, quod furto ablatum fuerat. Tenor ipsius Brevis, nuper nobis Ferraria transmissus, hic est.*

ab Innocentio VIII

3 Innocentius Episcopus, servus servorum Dei. Universis præsentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum , sicut accepimus , corpus S. Bonmercati , olim in ecclesia S. Barnabæ in suburbiis Ferrariensibus Monasterio Monialium S. Augustini Ferrariensis, Ordinis ejusdem S. Augustini subjecta, cum debitis reverentia et honore reconditum , multis decursis in annis, per nonnullos iniquitatis filios , qui prorsus ignorantur, furto subtractum fuerit , nec unquam intelligi potuerit ubi corpus prædictum repositum extiterit, nos,ad quos spectat hujusmodi temerariis ausibus, quantum cum Deo possumus providere; omnes et singulas utriusque sexus personas , quæ in præmissis quomodolibet interfuerunt, aut consilium auxilium, vel favorem præstiterunt, et scientes illas non revelarunt, auctoritate Apostolica tenore præsentium, in virtute sanctæ obedientiæ , et sub excommunicationis pœna, eis districte præcipiendo, monemus, ut infra terminum sex dierum, post intimationem præsentium videlicet, habeant d. corpus eidem Ecclesiæ restituere ; scientes vero illum, et personas corpus sic retinentes, revelare omnino debeant. Alioquin, elapsis dictis sex diebus, eos ex nunc, prout ex tunc , et ex tunc excommunicatos esse declaramus. A qua quidem excommunicationis sententia non nisi a Nobis , et successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus præterquam in mortis articulo constituti , et debita satisfactione præmissa absolvi possint. Mandantes omnibus et singulis personis Ecclesiasticis, ut post præsentationem præsentium eis factam, illas in earum Ecclesiis,

corpus ex S. Barnabæ ablatum restitui jubente

sub pœna excommunicationis

an 1492 8 Maji

A Ecclesiis, Dominicis et aliis festivis diebus, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit, publicent et faciant ab aliis nuntiari; non obstantibus constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCII tertio Non. Maji. Pontificatus nostri anno octavo.

delatum in urbem est 19 Sept.

4 *Exorsus est* Innocentius *hic (ut alibi docui) Pontificatus sui annos a die electionis, id est a* XXIX *Augusti* MCCCCLXXXIV, *et obiit* XXV, *prædicto Pontificatus anno* VIII *adhuc currente. Fallitur ergo Marcus Antonius Guarini, in compendio Historico ecclesiarum Ferrariensium, ubi scribit, quod sacrum corpus ab ecclesia S. Barnabæ translatum fuerit ad urbanam S. Augustini anno* MCCCCXCI. *Erroris occasionem infra producemus: hic dico, Sanctimoniales Barnabitas ad S. Augustinum transiisse anno* MCCCCLXXXVI, *ut ait Guarinius pag.* 68, *sed absque corpore* S. Bonmercati : *quod corpus istic* cum debita reverentia et honore reconditum *habebatur* multis decursis annis.... *jamque incustoditum* fuerit furto subtractum; *redditum autem priori loco, passum sit subtractionem unius dentis. Hic cum ipse* B *quoque receptus per miraculum fuisset, consultius judicaverint Religiosi ac Religiosæ, quos ea res spectabat, sacrum corpus ad se recipere, ipso dati Brevis anno; idque fecerint solenni cum pompa die* XIX *Septembris. Diutius certe non possumus ibi relictum credere si verum est quod eædem Religiosæ eodem ipso anno ad instantiam Ducis Herculis I renuntiaverint juri Patronatus in ecclesiam* S. Barnabæ, *tradendam Fratribus minimis S. Francisci de Paula, hoc adhuc vivente qui anno* MDVII *obiit.*

5 *Fuit autem prædictum corpus, ut infra dicetur,* collocatum in exteriori ecclesia, *quo scilicet promiscui sexus fidelibus liceret ipsum venerari. Non tamen id factum tanto cum decore, quin anno* MDLXXIV *superveniens* Joannes Baptista Marimonti Episcopus Uticensis et Apostolicus Ferrariæ Visitator, *decretum relinquere, in archivio Episcopali congruum putaverit sub rogitu Pauli Castellini inveniendum, quo jubet,* Reliquias S. Bonmercati Martyris, in loco indecenti repositas et visibiles, recondi in aliquo reliquiario vel stipite alicujus ex altaribus d. ecclesiæ, crate ferrea et clavibus opportune adhibitis. *Ita verba decreti Latina citat prælaudatus Guarinius, addito in margine anni numero prænotato. Scribitur autem nobis, idem* C *corpus jacere (utique a tempore decreti conditi)* sub altari ecclesiæ interioris, cujus ostiolis appensa plura habeantur anathemata, gratiarum receptarum indicia : nec enim desinit frequens ad illud, licet oculis subductum, accurrere populus, præsertim hoc XIX Junii. *Quæ omnia cum moraliter certam reddant veritatem et identitatem ejus corporis, quod olim in ecclesia* S. Barnabæ *fuerat honoratum; mirum mihi accidit, quod tali saltem die ipsum non producatur, nolentibus id fieri superioribus, eo quod deficiant authentica probandæ identitatis instrumenta : scrupulo certe nec opportuno, nec rationabili.*

translatum vero ad altare interioris ecclesiæ an. 1574.

6 *Idem Guarinus quia nullam Martyrii vel Miraculorum memoriam apud ipsas Monachas inveniebat, ex monumentis in archivio Episcopali servatis quamdam Epitomen profert. Sed quod is frustra requisivisse se apud ipsas dolet, anno* XX *hujus seculi scribens; id quadraginta post annos, in veteri dictarum Monacharum Codice MS. repertum transcripsit nobis P. Andreas Lazarus; atque non sine ratione censuit, ab Anonyma Sanctimoniali Augustiniana compilatum prius quam fieret secunda translatio ad interioris ecclesiæ altare. Narrat autem miracula velut a tunc adhuc viventibus expertisque certificata; interque illa num.* 6 *meminit Neapolitanæ Reginæ, quæ Ferrariæ caput Sancti videns, ejusque pulchritudinem demirata ipsum* D *comparaverit capiti S. Joannis Baptistæ, ei scilicet quod Ambianis monstratur quod ibi vidisse potuit, virum Fridericum regno privatum comitata in Franciam* Isabella Regina; *eoque sub annum* MDIV *defuncto, transgressa ad viri nepotem Alfonsum Ferrariæ Ducem, ubi in monasterio S. Catharinæ obiit anno* MDXXXIII. *Igitur a sesquiseculo vel paulo amplius scripta hæc Acta dixerim, ejusdemque temporis esse miracula, quæ narrantur : prout ea hic Latine reddo.*

Acta scripta a Sanctimoniali.

AUCTORE D. P. circa medium sec. ex Italico MS. dantur.

7 *Eadem miracula, nobis denuo descripta ab aliqua Sanctimonialium, una cum responso ad quæsita mea, anno* MDCXCI *obtinuit noster Joannes Paulus Scaratus, unde primum confirmatur, quod Prologus Actorum indicat, non solum festum aliquod celebrari Sancto solitum, sed etiam Missam haberi, qualem indico in Notis litt.* a, *cum hac propria Oratione :* Propitiare nobis, quæsumus Domine famulis tuis, per hujus sancti Martyris tui Bonmercati merita qui in præsenti requiescit ecclesia, ut ejus pia intercessione et meritis ab omnibus protegamur adversis.

Missa propria ex veteri MS.

8 *Eadem occasione didici, non solum, in novi refectorii abside, depictum haberi Sanctum, in habitu Clericali, cum pileo quadrato et diademate in capite, gladioque in manu; sed longe vetustiorem tabellam ligneam, in uno curritoriorum monasterii, appensam cerni quæ* E *pedem unum larga, alta sesquipedem sit, limbo ex parte jam consumpto; ubi videre est pictum eumdem Sanctum in habitu similiter Clericali, qui genibus flexis ac manibus junctis inclinat cervicem acinaci, supra se stricto a retrostante, brachiumque elevatum tenente lictore; sed ita ut gladius manu excidere videatur : et hinc fortassis factum est ut miraculo territus carnifex nequiverit caput sic amputare; et vel idem vel alius cultrum strinxerit jugulumque secuerit sicuti factum narrat scriptrix actorum : nulla tamen facta mentione elapsi dexteræ acinacis, deperdita jam distinctiore notitia facti. In aere pictus adest Angelus, excepturus animam Martyris; intra cujus caput et ipsum Angelum, notantur hæ litteræ* EG. BONMERCATO : *quæ mihi suspicionem ingerunt cognomen hoc esse; istud vero* EG. *initium nominis proprii, puta* Egberti, Egidii *vel alterius similis. Cum autem absit littera* B *vel* S, *datur ansa conjectandi ejusmodi tabellam pictam fuisse intra paucos a morte annos, ponendam vel appendendam supra sepulcrum, priusquam absolute* Sanctus *aut* Beatus *appellaretur. Quapropter operæ pretium censui, ex loco ipso delineationem petere. Accepi autem picturæ perquam rudis expressionem accuratissimam a manu pictoris peritissimi; qui indecorum sibi non putavit quantumcumque rudia et informia lineamenta ad amussim* F *exprimere, ne auctoritati detraheret quam induceret elegantiam majorem cum detrimento similitudinis. Hoc ut ipsi, monasterium ea causa ingresso, per Apostolicum Ferrariæ legatum liceret obtinuit R. P. Ludovicus Gonzaga Beati nostri consanguineus, cui hanc gratiam libenter acceptam refero, ectypon æri incidendum curans, quale pagina sequenti videbis.*

Antiqua tabella martyrium exprimens,

forte et prænomen Sancti sine S. vel B.


ACTA

Ex MS. Italico Anonymæ Augustinianæ.

Hodie, Reverendæ Matres atque Sorores, celebramus festum nostri gloriosi S. Bonmercati Ferrariensis : quapropter si ad *a* Introitum Missæ sancta Ecclesia unumquemque invitat ad eum laudandum; nos potissimum, quæ ejus corpus in nostra habemus ecclesia, obligamur maximum festum agere, et exultare in Domino, propter exaltationem ejus hodierno die, in honore beati Martyris, qui proprium sanguinem et vitam dedit pro amore D. N. Jesu Christi. Ut autem cognoscatis aliquid de martyrio ejus; scitote illud contigisse sub initium principatus *b* Atestinæ

Gaudendum in ejus festo. *a*

b



Atestinæ familiæ. Dicitur autem quod prænominatus Martyr filius fuerit parentum, Dei timore instructorum : a quibus sæpe monebatur cavere ne unquam peccatum aliquod mortale committeret. O desiderium veris genitoribus dignum! Hæc profecto est dilectio filii sincera, et parentibus omnibus imitanda. O te beatum, tali nascendi conditionum, Bonmercate! Sed prosequamur narrationem.

qui sub Dei timore educatus,

2 Ille, quamvis puer deditus erat orationi : de modo autem vivendi quem tenuit, nihil dico; nisi quod existimem, modestiam sobrietatemque illius, ipsis ejus præceptoribus admirationi fuisse : quamquam enim facultas aliqua ludendi dabatur, ut pueris solet : ludo tamen abstinere malebat, ne quid in eo Deum offenderet. Sed neque mirum adeo est, quod juvenis iste Clericus tanta virtute fuerit præditus; cum instructorem habuerit Presbyterum exempli optimi ac laudatissimi; cujusdam beneficii, quod *c* S. Mariæ de Pino dicebatur. Accidit autem ut dictus Presbyter occideretur, sublatis quas habebat libris signatæ pecuniæ quadringentis eadem ipsa nocte : quod cum innotuisset, multus populus ac ecclesiam accurrit; cœpitque Bonmercatum, qui Presbytero ministrabat, interrogare auctorem cædis : quibus ille aliud nihil respondit quam, Novit *d* Deus. Hoc audito responso in furias actus populus cœpit illum percutere pugnis calcibusque, indicium rei extorquere sperans. O crudelitatem enormem, adversus innocentem et humilem adolescentem, qui nihil ad sui excusationem adferebat, solumque iterabat, Deus novit.

c cum nollet indicare homicidam,

d

3 Ergo magno cum impetu adducitur Bonmercatus in forum Ferrariense : ubi adventum Prætoris non præstolata multitudo, morti eum deposcere cœpit; et lictorum quidam, arrepto cultro, guttur ei præcidit; mortuum in loco relinquens gloriosum istum Martyrem; qui sponte sese in sacrificium offerens, patienter sustinuit feralem ictum persecutoris; commendabatque animam suam Deo, dicens. In manus tuas Domine, etc. et continuo spiritum reddidit Creatori. Post talis martyrii gloriosum triumphum, ipso in loco multa miracula fecit Deus, in quibus præcipue memorabile unum istiusmet diei : quod cum illac ad sepulturam portaretur defunctus puerulus, coram omnibus assurrexit; dixitque, S. Bonmercatum sacrilegæ istius cædis reum non esse : unde circumstantes omnes in lacrymas devotionis effusi, cœperunt plangere mortem innocentis; talemque eo certius credere, quod viderent corpus, licet mortuum, adinstar viventis, manere flexis in terram

ipse reus creditur et jugulatur,

sed declaratus est innocens a mortuo suscitato

A erram genibus manibusque junctis, acsi oraret.

e
et a Regina Cypri visus in cœlum ferri

4 Erat tunc Ferrariæ, et in palatio hospitabatur, Regina *e* Cypri, ad maritum tendens : quæ cum orationi intenderet, vidit descendere Angelos, et animam Bonmercati assumptam deducere in cœlos : unde (ut dicitur) admirabunda, et veluti in extasim rapta, constringi sese sensit ad visionem ejusmodi manifestandam : quam oculis suis corporeis vere objectam, et nequaquam phantasticam fuisse, persuadebat dulcedinis internæ extraordinarius sensus, menti suæ ab ea relictus. Cognovit autem, Bonmercatum vere sanctum esse, et citra culpam ullam suam occisum. Quapropter nulla interposita mora, accessisse dicitur ad eum qui tunc erat Ferrariæ Dominum, orans ut sanctum istud corpus sibi donaretur. Eo impetrato curavit faciendam capsam, intra quam ipsum composuit, super injecto virgati panni *f* stragulo, ex auro et cerico rubio.

ea cum corpus impetrasset.

f
g

5 Cum autem ipsum vellet in suam transferre *g* civitatem, imposuit carro a bobus trahendo : verum cum directa perrexissent illi ad quoddam monasterium Sanctimonialium, extra civitatem positum, cui a S. Barnaba *h* nomen, in vestigio hæserunt immobiles, nullis neque stimulis neque fustibus porro agendi. Accurrit ad spectaculum illico multitudo hominum : sed et hi frustra conabantur porro trahere carrum ; donec accedens quidam in vicino arans, buculas duas ab aratro sumptas applicuit carro, quæ ipsum traxerunt in atrium, ante portam ecclesiæ prædictæ patens. Tunc Regina, viæ prosequendæ cupida, consultis Baronibus suis decrevit, eo in loco gloriosum istud corpus dimittere. Considerans autem eam esse Dei voluntatem, reliquit unde fabricaretur decentior arca, sacro corpori recipiendo, quod admirabilem de se fundebat odorem; voluitque arcam illam construi cum ferrea craticula, per quam *i* videri ipsum posset.

h
B
non potuit asportare,

sed reliquit ecclesiæ S. Barnabæ

i

6 Illud quoque mirabile accidit, quod, cum bubulcus deponere a carro sarcophagum vellet, elapsus ei de manibus in terram stimulus, continuo germinarit, produxeritque gemmas, folia, fructus, nucibus pineis similes : secutaque sunt miracula plurima circa infirmos varios, illuc adductos. Horum licet nullum in particulari velim attingere, nolim tamen reticere, quod de ossibus colorem corallinum referentibus ac præsertim de cranio dixit Regina *k* Neapolitana, quæ manebat hic Ferrariæ, pulchrum esse sicut caput *l* S. Joannis Baptistæ. Denique de Bonmercati sanctitate, non tam multum scribere ac narrare possim, quin plura retro dimissura sim. Oremus igitur divinam suam majestatem ut misereatur nostri in terra, propter merita nostri hujus devoti Sancti, qui vivit in æterno gaudio cum D. N. Jesu Christo.

ubi miraculis claruit ;

k
C
l

7 Eo porro in loco mansit sanctum corpus aliquammultis annis, cum beatæ Matris *m* nostræ voluntati sedit redire ad nostrum suumque monasterium, quia ibi professa fuerat, et vitam ducere usque ad mortem cupiebat. Impetravit ergo a Sanctissimo Domino nostro amplissimum Breve, *n* quo potestas illi fiebat, non solum eo traducendi Sorores omnes, sed etiam earumdem dotes, facultates ac reditus ad monasterium S. Augustini, intra civitatem Ferrariensem. Et hoc quidem, ut volebant factum est; sed corpus sancti Martyris mansit in ecclesia S. Barnabæ. Contigit deinde ut mulier quædam visitatum iret sanctum corpus, atque ex capite dentem unum auferret domum : quem reposuit pro sua devotione in capsulam firmiter clausam : ubi cum post dies plures eumdem requireret, non invenit : quare ad ecclesiam properans, et rursus sacrum caput inspiciens, reperit dentem suo loco repositum, unde abstulerat.

m
deinde in urbem translatis monialibus,
n

post miraculose restitutum dentem,

8 Tum vero Patribus nostris Eremitis consilium D incidit, ut, re cum Matribus nostris collata, huc transferretur sanctum corpus majori in veneratione quam ibi habendum : id quod factum est die xix Septembris anni MCCCCXCI, corpore in exteriori ecclesia collocato, cum hymnis et canticis ac melodia spirituali, sic ut visu audituque jucundissima fuerit tam pulchra processio religiosarum ac secularium personarum : quarum multæ proposuerunt cum jejunio agere Vigiliam festi, die XVIII Junii. Fuit autem et civis quidam longo tempore paralyticus, cui in lecto, unde se movere non poterat apparuit Sanctus ; dixitque, si sanus vis fieri, vove Missam in honorem S. Bonmercati curandam.

EX MS. ITAL.

ipsum quoque an. 1491 eo transfertur :

9 Sorores Clara et Theodora referunt, quod cum accessissent ad Reliquias Sancti, tam suavis odoris fragrantiam inde emanantem senserint, ut ab ecclesia recedere nequirent, propter magnas delicias, quas ibi earum spiritus percipiebat. Mater Sor. Laura Boni Francisci Ariminensis visum amiserat, malo (ut credebatur) incurabili per humana media. Votum nuncupavit curandi cantandam de sancto, Missam, faciendumque inauratum tabernaculum, intra quod sanctum caput collocaretur ; et continuo lumen recepit.

ubi varii impetrant sanitatem

E

Sor Agatha, multis diebus mensibusque infirma, dolores patiebatur acutissimos, qui nullam ei requiem diu noctuque indulgebant : igitur alterius omnis consilii impos, vovit cantandam Missam, Vigiliamque Sancti jejune agendam : et sanitatem obtinuit.

10 Domina Margarita Diaroti, periculose infirma, cum esset in extremis constituta, propter quamdam capitis *o* infirmitatem ; quædam ejus filia, nomine Sor. Lucretia, vovit huic beato Martyri Missam curandam, cum oblatione capitis cerei, annuoque in vigilia ejus jejunio ; et matri continuo salutem impetravit. Sor. Aurelia de Bagnacavallo, votum Missæ dicendæ fecit pro quodam suo nepote ; et statim audivit liberatum. Domina Magdalena Libanoria pleuresim cum acuta febri patiebatur : cujus filiæ duæ voverunt tres Missas curandas, totiesque dicendum Pater et Ave in honorem Sancti : cumque egrederentur ab ecclesia, visuræ quomodo valeret mater ; occurrit qui nuntiaret, eam melius habere, sicuti revera fuit intra paucos dies sana. Domina Diamante Muzzarelli, ætate septuagenaria, diu pertulerat febrim quartanam ; ideoque vovit Missam, in Sancti honorem cantandam curare ; et voti compos facta est.

sibi vel aliis,
o

F

11 Dominus Antonius, magister Clericorum Episcopatus Ferrariensis, anginam cum febre magnoque cruciatu sustinebat : voto autem facto curandæ Missæ et capitis cerei offerendi, sanitatem recuperavit. Domina Veronica, uxor qu. Dominici de Ambrosiis, maximum patiens cruciatum, cum febri valde intensa, credebat se non posse sanari : quare obligavit se ad curandam Missam, cereumque trium librarum offerendum, arsurum toto Missæ illius tempore ceterarumque eo die dicendarum : et sanam continuo mirata sese est.

vovendo Missas vel jejunium in ejus Vigilia

Quidam honestorum parentum filius, illis insciis in longinquam regionem abierat : quapropter dolentes pater ac mater ejus, aliquot Missas curandas voverunt : et continuo filius, sanus atque incolumis domum revertit. Quidam Antonius de Verdis, hortulanus, propter cruciatum quo diu noctuque afflictus instar paralytici decumbebat, præter Missam vovit etiam coxam ceream cum tibia : statimque liberum sese sensit.

12 Mater sororis Juliæ Coccapani de Carpis, majori parte anni cephalalgia laborabat, cui nullum a medicis vel medicinis inveniebatur remedium. Igitur

ter Pater et Ave,

A Igitur Sor. Polyxena pro ea vovit curandas Missas aliquot ad honorem S. Bonmercati, et quotidie dicendum ter Pater et Ave: illa autem sine mora liberata fuit. Sor. Antonia de Argenta voto sese obstrinxit, pro quadam sua sorore, quæ toto uno anno, catarrho salso, per omne corpus diffuso, sic laborabat, ut judicaretur humanis mediis incurabilis: obtinuit vero illi sanitatem curando Missam, et recitando quotidie ter Pater et Ave. Sor. Laurentia Bailardi, pro quodam Mag. Bartholomæo de Ambrosiis, longo tempore et incurabiliter infirmo, votum unius Missæ curandæ nuncupavit; et beneficium desideratum infirmo obtinuit.

EX MS. ITAL. *aut cereum anathema.*

ANNOTATA D. P.

a *Habetur etiamnum in monasterio liber ad Missas notatus musice* pro Sanctis Augustino, Nicolao aliisque nonnullis *Ordini propriis ac nominatim S. Bonmercato, pro quo Introitus et Offertorium sunt ex Romano pro communi unius Martyris.* In virtute tua Domine lætabitur justus *etc.* Gloria et honore coronati eum *etc. Postcommunio autem peculiaris.* Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

B b *Guarinus notat annum* 1378. *Quamvis autem ante annos centum Ferraria venisset in potestatem Atestinorum, investituram tamen Pontificiam primus accepit* Opizo III; *et anno* 1352 *moriens reliquit liberis, quorum secundo genitus* Nicolaus, *a morte fratris* Aldobrandini, *an* 1361 *Principatum tenuit usque ad* 1386: *sub quo cædes Beati patrata fuit.*

c Rectorem *appellat Guarinus, ut videatur ecclesia illa* in Burgo S. Blasii *olim sita, parochialis fuisse.*

d *Fortassis credidit, notum licet, a se non posse revelari adeoque ex caritate erga proximum mortem pertulerit.*

e Valentina, *filia Barnabonis Ducis Mediolanensis, desponsata Cypri Regi:* Petrum Juniorem *vocat Albizius Florentinus in Stemmatis Principum, qui a morte Petri Senioris patris sui, divisum cum Jacobo* D *patruo, apud Genuenses captivo, titulum Regni tenuerit, ab anno* 1372 *ad* 1383. *Jovius vero in Vita Barnabonis nominat* Fredericum. *Quid si Petro-Friderico nomen sponso fuit?*

f *Notat in Margine P. Lazarus,* pannum *istum* ex holoserico etiamnum apud Augustinianas servari, cum capsa in qua tunc repositum corpus fuit: *quod idem an.* 1691 *confirmatum inde nobis est.*

g *Regiæ civitates Cypri tunc erant* Famagusta *et* Nicosia.

h *Hæc ecclesia suburbana an.* 1549 *a fundamentis destructa, locum fecit novæ sub titulo Sanctæ Crucis anno* 1531 *erectæ ab Alfonso Duce ab incolis tamen vulgo dicitur S. Francisci de Paula.*

i *Hoc est quod postea Visitatorem offendit, et subripiendi dentem, de quo infra, occasionem præbuit mulieri devotæ.*

k *Epitaphium hujus Reginæ (quam Summontius hist. Neapolit. tom.* 3 *pag* 537 *ait fuisse filiam Pini) del Balzo, Principis Altamuræ ac Venusiæ Ducis. Guarinius sic recitat pag.* 143 D. O. M. Isabellæ Reginæ, innocentissimæ sanctissimæque, Frederici Aragoniæ, Neapolis Siciliæque Regis relictæ, quæ in hoc sacro D. Catharinæ Mart. cœnobio Ferra- E riæ, annum agens LXV, vivens volensque se tumulari jussit, funus hic conditum est, anno MDXXXIII die XXII Maji. *Fuit Fredericus iste regno privatus anno* 1500, *et* 1504 *Turonibus obiit.*

l *Addit Guarinus,* quod sæpe viderat.

m *Quænam fuerit hæc* Beata Mater, *necdum potui rescire. Guarinus, agens de supradicta S. Crucis ecclesia pag.* 68 *translatas Monachas ait opera Ducis Herculis I, anno* 1486: *quod approbante Innocentio factum, per Breve, quo eis permittebatur facultates a reditus pariter transferre, notat P. Lazarus.*

n *Optarem ipsum Breve videre, propter annum et Pontificis nomen.*

o *Italice* un male di Mazzucco; *et in Cruscano Vocabulario* Mazzucchio *explicatur* plexus capillorum.

APPENDIX

APPENDIX

ADDENDORUM ET MUTANDORUM

AD ACTA SANCTORUM

MENSIS JUNII

TOMO IV, DIE XVI.

Not. 1

Pag. 1 *post* S. Cechardum episcopum Lugdunensem, — *interponatur* — S. Gebehardus, archiepiscopus Salisburgensis in Bavaria. *Tum deleantur quæ pag.* 3 *inter Prætermissos, de eodem* Gebehardo *dicta sunt.*

Not. 2

Pag. 2 *col.* 1, *ubi de* Rolando ℣ *ultimo post* — *Tulpinus* — adde — *seu Turpinus, ex quo Petrus de Natalibus, quæ habet de* Rolando, *vel, uti ipse vocat,* Rothlando, *desumpsit Acta, nihilo meliora, quam est historia ipsa hac de re Turpini, aut potius Pseudoturpini (absit enim ut credamus, Archiepiscopum illum Remensem, virum religiosissimum, talia scripsisse, quæ ne quidem scribere omnia, toto vitæ suæ tempore potuit, utpote nondum gesta, cujus historia undequaque ex fabulis consuta cognoscitur. Saussayus eumdem Rolandum cum Sociis retulit ad diem* XXXI *Maji, quo die in Actis nostris, quæ vera de Rolando credi possunt, explicata leges inter Prætermissos.*

Not. 3

Pag. 3 *col.* 2 *post* Joannem Alburquercium Goanum episcopum, *oppone hæc de* Fr. Petro Farde, *licet recentiora sint, ex relatione obituali, ne memoria eorum intereat.*

Fr. Petrus Farde, Ordinis FF. Minorum Recollectorum laicus, *obiit Aquisgrani* XIV *Junii* MDCXCII, *annos natus* XLI. *Is, provinciæ comitatus Flandriæ sancti Josephi alumnus, postquam totam Terram sanctam peragrasset, vestigia Christi Salvatoris devote meditatus: iterato, ex obedientia eo appellendi voluntate, mari se commisit; sed post acerbam cum piratis Algeriensibus pugnam ab illis superatus, Agades in servitutem deducitur. Ubi cum Domino suo Africano familiariter de rebus fidei agere cœpit cum tanto spiritu et effectu, ut illum, totamque familiam ac bene ducenta variæ fidei mancipia Ecclesiæ Christi adscripserit, qua re ad judices delata, in carcerem detrusus est, post examinatus, cum cuncta libera voce coram confessus esset, nudus ducitur per civitatem, ad singulos platearum angulos flagellatur, ac tandem in ordinario loco justitiæ ad palum per brachia distenta in altum suspenditur, habens ad utrumque pedem singillatim pondus appensum quadraginta librarum, ut corpus magis extenderetur, ubi iterum per omnem corporis partem sic cædebatur, acsi in sanguineo balneo immersus fuisset; ex quibus in carcere emortuus fuisset, vel judices alio modo ipsum occidi curassent, nisi Dominus ejus ipsum redemisset. Dein alteram provinciam matrem suam cogitavit, naufragium fecit, tribus diebus, ac quatuor noctibus jejunus in maris undis fluctuans, ad rupem inter aquas eminentem appulit, quam ascendens per omnia nudus, aqua e cælo cadente, et pisciculis quibusdam crudis, qui recedente mari rupis concavitatibus inhærebant, undecim menses vitam protraxit. Inde mirabiliter a piratis prætemavigantibus in Sale delatus, et in provinciam redux, obsequio R. Adm. Patris Ministri sui Provincialis in thermis Aquisgranensibus incumbens, continuo ingravescente febre obrutus, in affectuosa gratiarum actione Deo et B. Mariæ Virgini pro omnibus beneficiis, in tot ac tantis necessitatibus acceptis, placide expiravit. De quo merito in Domino confidimus, quod in expiratione Deo creatori suo cum Apostolo acclamare potuerit, bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Ita Relatio, quam dixi.

Pag. 116 *ante* Annotata, *subnecte Processum de* SS. Cunegunde, Mechtunde, Wibrande et Christiana, virginibus, *anno* MDIV *per legatum Apostolicum solenniter facto; quæ de iisdem Virginibus et earum miraculis Trithemius, tunc provectæ ætatis, commemorat in Annalibus Hirsaugiensibus suis auctioribus anno* 1690 *impressis in typographia monasterii S. Galli. Ibi ad annum* MDIII *ita scribit.*

Trithemius de processu prædicto.

93 His temporibus facta sunt plura miracula et virtutes sanitatum in ecclesia parochiali villæ cujusdam, Eichel dictæ, Constantiensis diœcesis, non procul ab oppido Reinfelden, quod est Basileensis diœcesis, ad memoriam et invocationem trium sanctarum Virginum, in eadem ecclesia corporaliter quiescentium, videlicet Kunegundis, Wiberadis et Mechtildis, quæ licet ab Ecclesia Romana canonizatæ non sint, ut Sanctæ tamen habentur ab incolis terræ, et miraculis quotidie coruscant ingentibus. Audiens hunc miraculorum rumorem Legatus Apostolicæ sedis Raymundus, cum esset apud Basileam, misit ad prædictum villagium Eichel unum e secretis anno prænotato, Jacobum videlicet Merboldum, clericum Bambergensem, pro inquisitione veritatis eorum, quæ fama sparserat. Qui veniens ad locum Feria IV post octavas Pentecostes, quæ fuit vigilia festi Corporis Christi, vidit mulierem, uno oculo cæcam per XVI annos, ad memoriam et tumbas prædictarum Sanctarum illuminari, et defectum oculi penitus auferri, sicque veteris deinde in ea nullum apparuit morbi vestigium.

ref. et alia miracula

94 In sabbato sequenti venit mulier, quæ biennio contracta fuit, adeo quod continuo lecto decumbens, nusquam progredi potuerit neque ambulare neque de strato se movere. Hæc audiens, quod miracula in Eichel fierent ad memoriam et invocationem prædictarum Sanctarum, se vovit cum oblationibus ad easdem. Et ecce voto hujusmodi facto, subito convaluit surgensque de grabato, in quo jacebat, per se sana votum promissum adimplevit. Adolescens annorum XVIII, cum esset adhuc puer in

AUCTORE C. J.

A tertio anno constitutus, incipiens jam loqui; ex tonitru et coruscatione loquelam amisit, et per annos XV loqui non potuit. Ejus parentes et amici, cum audissent, quod tanta miracula fierint in Eichel, votum pro salute ipsius ad sanctas Virgines emiserunt: quod mox ut cum eo perfecerunt, locutus est D sine impedimento, acsi mutus numquam extitisset. Multa et facta sunt et quotidie fiunt ad memoriam sæpe dictarum Virginum, miracula, quæ brevitatis causa omittimus.

DE S. GEBEHARDO

NOT. 5

ARCHIEPISCOPO SALISBURGENSI IN BAVARIA

C. J.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Sanctitas. Vita duplex, quando scripta; et Epistola S. Gebehardi.

ANNO MLXXXVIII.

Virtus et Sanctitas Gebehardi probatur

Tomo quarto Junii, die XVI, actum est inter prætermissos de Gebehardo Archiepiscopo Salisburgensi, aliis Gebhardo, et varie laudatur. Acta tamen suo loco non fuerunt data. Ratio inter alias et quidem præcipua videtur ibi visa fuisse, quia nomen ejus non invenitur in Kalendario ecclesiæ Salisburgensis, cum officiis ei propriis impresso sub B annum MDXLVII. Sit ita. Post concilium Tridentinum et correctionem Breviarii Romani, per Sedem Apostolicam diligenter factam, multa in Officiis Sanctorum reformata sunt: atque exinde multorum Officia in propriis ecclesiis illorum præcipue qui albo Sanctorum solenniter adscripti non erant, legi desierunt. Nihilominus eadem Sedes Apostolica subinde declaravit, illos pro Sanctis hodiedum haberi posse, qui a tempore immemorabili pro talibus habiti fuerunt. Fuisse autem pro sancto olim habitum Gebehardum Salisburgensem archiepiscopum, monumenta istius ecclesiæ antiqua commonstrant. Inter illa est Catalogus antiquus (de quo supra, ad Acta S. Hartwici plura dixi) primorum ecclesiæ Salisburgensis episcoporum, conscriptus sub annum MCLXX, qui aliquot episcopos, quorum sanctimonia nota, et præclare gesta litteris posteritati commendata fuerunt præfixo Sancti titulo, ab aliis non sanctis accurate distinguit: Sanctos autem appellat, post Rutpertum atque Vitalem duos primos episcopos; Virgilium, Hartwicum, Gebehardum, Thiemonem, et Eberhardum. De S. Rutperto nos quoque jam egimus ad diem XXVII Martii; de S. Eberhardo ad XXII Junii; de S. Hartwico supra in hoc Supplemento ad XIV ejusdem mensis; hic de S. Gebehardo (prout tomo VI Maii, in commentario de S. Gregorio PP. VII, § I, num. 2, promissum fuit) agimus; acturi de S. Thiemone, XXVIII Septembris; de S. Vitale, XX Octobris; de S. Virgilio, XXVII Novembris. Similem Catalogum edidit tomo 6 Antiquarum lectionum pag. 1224 Canisius, in quo prædicti omnes inter reliquos episcopos appellatione Sancti similiter condecorantur.

ex antiquis catalogis,

ex Hugone, Flaviniacensi coævo,

2 Contemporaneus Gebehardo scriptor Hugo abbas Flaviniacensis in Chronico suo apud Labbeum tomo I Novæ Bibliothecæ librorum MSS, pag. 226 et sequenti, Gebehardum Salzeburgensem episcopum, cujus vita speculum erat bonorum, vocat virum doctissimum et authenticum ejusque scripta veridica, quibus utique nullus cum justitia obviare prævalet. Extant et alia ejus scripta, auctoritate et veritate subnixa, quæ pro viri merito reverenter fidelium honorat et amplexatur ecclesia. Loquitur ibi Hugo manifeste de epistola Gebehardi, Hermanno Mettensi episcopo inscripta, cujus partem adducit, quatenus invehitur Gebehardus in Guibertum archiepiscopum Ravennatensem, in Sedem Apostolicam, vivente legitimo Papa Gregorio VII, a schismaticis intrusum, ejusque sacrilegam ordinationem describit. Integram hic dabimus post Acta vitæ. Alia ibidem dabimus ex Brunone, de Bello Saxonico, atque ex Bertholdi Constantiensis Chronico, ab eruditissimo celeberrimoque vero Sebastiano Tengnagelio, J. U. Doctore et Cæsareo Viennæ bibliothecario collecta, et in Præfatione ad Lectorem, supradictæ Epistolæ præmissa. Interim audiamus iterum Hugonem abbatem. Queritur, pag. 228, episcopos passim antipapam secutos esse, exceptis perpaucis (quos inter utique intellerit Gebehardum paulo ante a se lauda- E tum) qui magisterio Petri seu legitimi Pontificis Gregorii, adhærebant; quorum, inquit, vita, cum esset sancta, pia, casta et catholica, publica notabatur infamia, insana dicebatur et hæretica, nempe a schismaticis: quorum opprobria, bene Catholicis et recte agentibus magna encomia sunt.

ex Scriptore Vitæ,

3 Anonymus scriptor, S. Eberhardi archiepiscopi Salisburgensis, anno MCLXIV defuncti, discipulus, qui sanctorum tantummodo ejusdem ecclesiæ episcoporum gesta, non aliorum, collegisse dignoscitur apud Canisium tomo 2, inter Sanctos utique connumeravit etiam Gebehardum, dum ejusdem pariter vitam conscripsit: quæ et præclarissima sanctitatis ejus argumenta et sanctissimo quovis præsule digna complectitur. Fuit namque ut ibi legitur; puer docilis, in studiis assiduus, scientia eximius, divinis obsequiis et lectionibus addictus, sacerdotalem ordinem per se meritus, in archiepiscopum electus concordi et alacri totius cleri aliorumque votis, utpote virtutum omnium gratia adornatus. Erat in honoribus, animo demissus; in affluentia divitiarum, sibi parcus, pauperibus vero templisque Dei liberalis, fundator episcopatuum, constructor monasteriorum, observator propagatorque ecclesiasticæ et regularis disciplinæ; in prosperis modestus in adversis magnanimus, in persecutionibus multimodis constans, F in schismate Henrici IV imperatoris, Ecclesiæ Romanæ fidelis, jurisque pontificii propugnator acerrimus; eaque propter, ab ecclesia sua vi ejectus, novennale exsilium pro libertate ecclesiastica fortiter sustinuit, ac tandem ad suam ecclesiam gloriose reductus, beato fine quievit in Domino, et vix mortuus patravit miracula.

ex Baronio

4 Hinc Baronius quoque titulo Sancti eum donat, tomo 12 Annalium ad calcem Addendorum sub anno Christi MLXXXVIII, sic scribens pag. 942: Hoc eodem anno ex hac vita, miraculis clarus, migravit in cœlum sanctus Gebehardus, archiepiscopus Salisburgensis, insignis propugnator fidei Catholicæ, et Ecclesiæ Romanæ jurium defensor adversus Henricum regem, exactis in exsilio annis novem. Tum ex Actis, ut ait, ejusdem ecclesiæ, nonnulla subjungit; quæ in vita leguntur a num. 22 Item Ferrarius Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, ad diem XVI Junii, sic habet; Salisburgi Norico, sancti Gebehardi episcopi ejusdem urbis. In Annotatione autem ait, apud alios notatur die XXX Julii. Quod unde hauserit, nec ipse indicat, nec ego assequor, qui hactenus nihil tale invenire potuerim uspiam, Beatum etiam vocat Gebehardum Brunnerus tomo 2 Annalium

Brunnero et Radero;

lium Boicorum in indice : et in marginalibus ad textum pag. 940, vocat Sanctum ; paucisque egregie ipsum commendat a sanctitate : uti et Raderus, vitam describens inter Bavariæ Sancto tom. 2 pag. 213.

item ex Vita S. Adalberonis Ep.

5 *In vita S. Adalberonis, episcopi Herbipolensis, qui Gebehardo nostro, æque ac S. Altmanno, Passaviensi episcopo, in studiis juvenilibus ac deinceps per quam familiaris fuit, ab anonymo monacho Lambacensi sub initium seculi* XIII *conscripta, et a Joanne abbate ejusdem monasterii anno* 1619 *Augustæ Vindelicorum e codice MS. vulgata, extat elogium S. Gebehardi, quod huc meretur transcribi ex cap.* 2. Erat Alberoni, *inquit Auctor, Parisiis, ubi studiis operam dederat, Herbipolim redeunti,* comes et socius itineris Gebhardus, vir venerandus, vir dilectus Deo et hominibus; qui providentia Dei electus et ordinatus Salisburgensis archiepiscopus, monasterium in honorem beati Blasii episcopi et Martyris, quem sibi speciali prærogativa elegit et prece continua adoptavit patronum, inter montana (unde et ei Admont vocabulum indidit) fundavit : illud etiam sufficientibus Fratribus cumulavit ; quibus necessaria tam large administravit, ut terrenis divitiis cœlestes adipisci, largitate eleemosynarum, possint : ubi insuper, in pulvere mortis feliciter obdormiens, novissimam expectat tubam ad resurgendum. *Edidit camdem Adalberonis vitam Mabilio in Actis Sanctorum Ordinis sui, seculi* VI *parte* 2 *pag.* 661 *; et in citatum locum annotat, Gebehardum in Admontensi monasterio* miraculis clarere.

Vita satis antiqua duplex, apud Canisium.

6 *Vita porro Gebehardi duplex apud Canisium legitur, altera brevior, tomo* 2 *pag.* 319; *altera prolixior, tom* 6 *pag.* 227. *Prior autem tota continetur in posteriore. Utraque illic adscribitur anonymo discipulo S. Eberhardi anno* MCLXIV, *ut jam dictum est, mortui, qui alias quoque vitas sanctorum ecclesiæ Salisburgensis episcoporum conscripsisse ibidem traditur. Ut autem verum sit priorem hujus vitam a discipulo isto S. Eberhardi scriptam fuisse ; posterior certe, ut edita est, ab illo scripta non fuit ; sed a monacho item anonymo monasterii Admontensis, qui historiam sui monasterii illic verius conscripsit, quam alicujus seorsim vitam incipiens a prima fundatione usque ad annum circiter* MCLXXVIII. *An vero auctor ille sub eumdem annum in quo desinit, etiam vixerit, quod præsumi potest ; an tempore posteriore, ut videtur Canisius notasse, compertum non habeo. Unde autem sua sumpserit, in prologo declarat his verbis :* Nos, quæ vel ex membranis, vel ex veracium seniorum dictis potuimus colligere, in unum compilavimus ; *nihil indicans, unde colligas, quidquam illorum, quæ scribit, aut a se visum, aut suo tempore factum esse. Unde iterum colligas, posse diu post, non nisi ex membranis et seniorum dictis, sua compilasse. Membranæ, quas habuit, fuerint vita brevior S. Gebehardi, et vita S. Thiemonis, quæ extat apud Canisium tom.* 4 *a pag.* 659. *Primam certe initio operis sui totam descripsit ; et quæ illi interserit de fundatione et situ Admontis a nostro num.* 9 *ad* 11, *desumpsit ex vita Thiemonis, ubi eadem habentur pag.* 671. *Indidem et alia decerpsit, atque in suam, cum de Thiemone agit, historiam transtulit, et imprimis ipsum vitæ principium.*

[illegible]

7 *Edidit quoque anno* MDCXIX *Gebehardi vitam prolixiorem Canisianam, quam hic damus ex Historia Admontensi, Joannes abbas Lambacensis, una cum vitis familiarium ejus sanctorum Adalberonis Herbipolensis atque Altmanni Passaviensis episcoporum ex codice MS. monasterii sui ; tam similem Canisianæ longiori, ut inde recusa videri possit. Habet tamen proprium Prologum, qui an pariter habeatur in editione Canisiana (quod puto) certo tamen dicere nequeo : quia in codice nostro folium, quod vitam proxime præcedit, desideratur. Ut ut est, jacturam illam, si qua est, codex abbatis Lambacensis compensabit, ex quo prologum desumemus, non tamen inde impressuri vitam, sed juxta editionem Canisianam, quia animadverto, Abbatem varia, quæ obscuriora aut minus eleganter dicta ipsi visa fuerint, aliis verbis subtilitatis, mutasse ac interpolasse. Neque ipse id plane dissimulat, dum præfatur,* se paucos admodum, qui nimiam corpori deformitatem parere videbantur, nævos abstersisse. *Nec tamen admodum pauci sunt nævi isti ; sed frequentes, ut textum ejus cum Canisiano conferenti patebit. Improbant viri eruditi, id Surium in vitis Sanctorum sæpius fecisse : neque hic probabunt, factum esse. Testatiorem quippe veritatem faciunt verba propria, tametsi inconcinna, antiquitatis ; quam exquisita eloquentissimi cujusvis novatoris. Veritas in historia præcipue quærenda est, quæ ex mutatione textus antiqui plerumque obscuratur : et lectoris animus, aliqua scientis innovata esse, in omnibus hæret, anceps, sintne primævi auctoris, an interpolatoris, quæ legit.*

AUCTORE C. S.

utriusque Auctor

8 *Cœpi jam dicere in superioribus num.* 6, *de Auctore vitæ, et breviorem cum Canisio adscribo Anonymo discipulo S. Eberhardi, qui videtur clericus fuisse ecclesiæ Salisburgensis : alteram vitam prolixiorem non item illi adscribo, nisi quatenus breviorem continet ; quantumvis eidem Anonymo apud Canisium tribuatur tota : quod omnino non oportuit factum esse monstrante totius collectionis Auctore, se monachum esse Admontensem, uti supra insinuavi : et alia ejus rei probatione opus non est, quam ut, qui dubitaverit legat Prologum vitæ isti prolixiori seu Historiæ Admontensi præmissum ; et si tunc nondum acquiescit, narrationem totam. Prologus ille pariter indicat, non tantum tractari de S. Gebehardo, monasterii Admontensis et episcopatus Gurcensis fundatore ; verum etiam de sequentibus aliquot archiepiscopis,* Thiemone, Conrado, Eberhardo, itemque Conrado *altero, qui monasterio Admontensi fuere benefici : eorumque gesta aliqua proferuntur. Sed hæc ad Gebehardum nihil attinent. Dabimus igitur hic tantum, quæ Gebehardus gessit prout descripta sunt in historia ista, distincturi quæ antiquior auctor, Discipulus S. Eberhardi de S. Gebehardo collegerat, ab illis, quæ Monachus Admontensis superaddidit ex aliis monumentis : inter quæ fuerit chronicon quoddam Salisburgense.*

quo tempore scripserit.

9 *Notat enim Canisius ad marginem editionis suæ, ubi caput* 2 *apud nos incipit, quod* quæ inde sequuntur, habeantur in chronico monasterii S. Petri Salisburgi, ante annos CCCXX conscripto. *Illa nempe quæ ibi sequuntur, atque attinent ad institutionem episcopatus Gurcensis, de qua illic agere incipit Auctor Historiæ, et deducuntur prædicto cap. nostro* 2 *usque ad num.* 17 ; *cujus numeri initio declarat, epistolas, quas de institutione episcopatus præmiserat ,* destinatas fuisse servari in ecclesia Juvavensi *seu Salisburgensi : et mox transit ad* aliquem veterum notitiarum codicem, *unde quæ porro sequuntur in eodem capite, extraxit. Sed attentioris considerationis est, quod Canisius notat, chronicon illud S. Petri conscriptum fuisse ante annos* CCCXX. *Edidit ille suas Lectiones antiquas initio seculi* XVII : *ex quo detractis* CCCXX *annis, deberet chronicon illud conscriptum fuisse versus finem seculi* XIII ; *atque adeo collectio Historiæ Admontensis, inde partim facta, adhuc tardius. Quod mihi minus verisimile est, opinanti potius in fine seculi* XII *totam Historiam collectam fuisse, quia desinit in anno* MCLXXVIII. *Fuit autem atque etiamnum superest in monasterio S. Petri Salisburgi chronicon, quod frequenter citat in suo Catalogo Abbatum, anno* 1646 *Salisburgi impresso, Albertus abbas ejusdem monasterii, identidem inculcans, illud conscriptum fuisse anno* MCLXXXVI ; *in eoque etiam descriptas legi, in fine pag.* 3, Vitas sanctorum Ruperti, Virgilii aliorumque beatorum

AUCTORE C. J.

beatorum episcoporum Salisburgensium. *Et hoc ego existimo chronicon esse, quod collector historiæ Admontensis præ oculis habuit, annos centum antiquius, quam opinatur Canisius.*

Epistola Gebehardi pro defensione Ecclesiæ scripta,

10 *Putabam hic concludere Commentarium de gestis S. Gebehardi, sed tantisper me moratur Epistola ejusdem* ad Hermannum Ep. Metensem, *quæ quam rara est publice, tam luculenter explicat statum ecclesiasticum et secularem illorum temporum, declarans quid Pontificios debuerit retinere ac retinuerit in obsequio Gregorii VII Papæ Sedisque Apostolicæ: quid item schismaticos eodem tempore moverit ad adhærendum imperatori Henrico IV et ad subrogandum Gregorio vero Papæ Pontificem, multis nominibus abominandum. Epistolam ipsam, quæ mea non indiget commendatione, subjungam post Acta vitæ, eo præcipue, ut inde palam fiat doctrina et docilitas Sancti nostri, moderatio item animi ejus, mansuetudo in hostes, acumen ingenii in defendendis bene cœptis, magnanimitas in persecutionibus, perseverantia in fidelitate, Sedi Apostolicæ debita; aliaque multa, quæ commonstrant, ipsum vix paulo minorem fuisse in docendo, in agendo, in tolerando, quam fuerit Papa ipse Gregorius, cujus causam defendebat. Nolim meminisse, quid obganniant hic, qui Gebehardum cane pejus se odisse testantur, auctor apologiæ pro Henrico IV, Aventinus et alii plurimi; quia omnes aut schismatici aut hæretici sunt, quibus hac in causa, qua de auctoritate summi Pontificis et Ecclesiæ Romanæ agitur, tamquam ejus inimicis, fides perexigua haberi potest. Ecce enim, Aventinus lib. 5. Annal. laudat quidem Gebehardum ab ætate, eloquentia, et scientia; sed continuo eumdem calumniatur, quod electus a ceteris episcopis, ut pro omnium sententia ipse peroraret,* omnino obmutuit *et* ne hiscere quidem potuit. *Injuriose hæc dici, convincet Præfatio Tengnagelii ad memoratam Gebehardi Epistolam, quam simul hoc edemus, num. 2.*

datur post vitam

Notat Lector, hæc S. Gebehardi *Acta cum præmisso Commentario nostro, inseri debere tomo* IV *Junii, post* S. Cechardum, *pag.* 141, *eique præmitti* S. Domnolum, *ut ordo temporum servetur.*

VITA

Auctore anonymo, S. Eberhardi archiep. Salisburg. discipulo, aucta ab alio anonymo, Admontensis monasterii Monacho

Ex tomis II *et* VI *Antiquarum Lectionum Canisii.*

PROLOGUS

Uti præmittitur Historiæ Admontensi universæ.

Prologus in Vitam Gebehardi

Studiis quorumlibet, tam prisci quam moderni temporis, scriptorum inducti; qui, vel prout excellentia gestorum, vel privata ipsorum erga personas affectio suggerebat, diversa scripsisse, et posteris notitiam clarorum, sive etiam sanctorum virorum, reliquisse dignoscuntur; indignum duximus unici Patris et Domini nostri *a* sanctæ recordationis Gebehardi Salzburgensis archiepiscopi, piam memoriam scriptis non innotescere; cujus præclara monumenta, et in nostræ Admontensis ecclesiæ fundatione, et in Gurcensis sedis institutione, nunc et deinceps perspicua sunt cernere, licet ex priorum nostrorum incuria, multa sint illius gesta silentio præterita. Nos tamen quæ vel ex membranis, *b* vel ex veracium seniorum dictis potuimus colligere, in unum compilavimus; dilectione magis tanti pastoris, quam scientiæ merito animati; illud quoque poeticum præsumentes, scilicet:

——cupidus studiorum est quisque suorum *c*.

et reliquam Historiam Admontensem.

2 Præterea quatuor successorum ejus Thyemonis, Conradi, Eberhardi, itemque Conradi, gesta quæque præclariora, et specialiter erga nostrum Admontense monasterium larga et multiplicia illorum beneficia, huic opusculo inseruimus: ut non solum qui plantavit; sed et qui rigaverunt, simul in scripto præsentis paginæ resplendeant. Ad hæc ordinem seu successionem et laudabilem conversationem abbatum ejusdem cœnobii nostri, a prædictis archipræsulibus institutorum; copiosam quoque eorumdem exemplo et opere in cœtu spiritualium et religiosorum virorum ac feminarum fructificationem superaddidimus, ut in tot egregiis patribus Deus, qui dignis eorum laboribus incrementum dedit, merito debeat honorificari.

ANNOTATA.

a *Hinc colligitur, Auctorem Admontensis ecclesiæ monachum fuisse, dum Gebehardum* unicum Patrem et Dominum nostrum, *et nostræ* Admontensis ecclesiæ fundatorem *nominat. Similibus per totam narrationis textum locutionibus se prodit Auctor talem esse, qualem dixi. Quod semel hic notasse sufficiat.*

b *Ex membranis sumpserit vitam breviorem, tunc recenter compositam; alia sumpsit ex Chronico S. Petri Salisburgi, ut notat Canisius; sed quod centum facile annis antiquius fuerit, quam ipse existimat.*

c *Hactenus solum Gebehardum respicit hic Prologus, ac talis est, ut etiam vitæ ejus breviori, quæ apud Canisium tomo* 2, *Prologo caret, accommodari possit, non item quæ sequuntur.*

CAPUT I.

Complectens vitam Gebehardi breviorem, ut legitur tomo II Canisii: admixtis nonnullis, a num. VII usque ad XI, ex Monacho Admontensi de monasterii sui fundatione, apud eumdem Canisium tomo VI.

Gebehardi stemma et studia,

Gloriosus igitur Gebehardus, alto Suevorum stemmate *a*, patre Chadoldo, matre Azala *b* progenitus, in primæva ætate sua liberalibus studiis traditur imbuendus. Ubi cum docilis puer, non tam ætatis incremento, quam litteralis scientiæ succresceret fastigio, emensa demum pueritia partimque adolescentia, ingenuitatem generis morum nobilitate ac sapientiæ jubare *c* transcendit. Evacuatis igitur quæ erant parvuli; divinis se mancipabat obsequiis et lectionibus, quamvis in seculari pomposo schemate forinsecus splenderet ornatus. Per singulos itaque gradus sacris ordidibus insignitus, ad sacerdotii deinde gradum, quia dignus est inventus, quarto nonas Martii, anno incarnationis Domini MLV a venerabilibus Baldwino *d* sanctæ Salisburgensis ecclesiæ archiepiscopo, sub sancto Leone Papa, *e* est promotus; prædicti Deo digni archiepiscopi, futurus episcopus successor, ac Christi et Ecclesiæ indefessus propugnator.

ordinatio in Sacerdotem,

honores in aula imperatorum,

4 Hujus ergo celebri fama illectus imperator Heinricus III, cognomento Pius, Heinrici Babinbergensis successor *f*, eum ad se adscitum regiæ aulæ summum præfecit capellanum. Quo post paucos annos rebus humanis exempto *g*, et Heinrico IV filio prioris in sceptra regni succedente, Gebehardus item primus inter primos palatii habebatur. Et quamvis in terreno conversaretur palatio, cœlestis tamen regis famulatui summopere inhærebat. Anno deinde incarnationis

tionis Domini MLX *h*, qui sextus sacerdotii ipsius Gebehardi fuerat annus, post dormitionem præscripti venerabilis Baldwini archiepiscopi, concordi et alacri totius cleri, ac ministerialium electione, in Salzburgensem metropolitanum divino nutu est sublimatus, utpote virtutum omnium gratia *i* adornatus.

consecratio in Episcopum,

5 Igitur Deo dignus metropolita Gebehardus, tertio Idus Junii in loco Elchinwanch dicto, accepta a rege Heinrico, et castæ desponsationis sacrosanctæ matris ecclesiæ annulo, et reverendæ pastoralitatis baculo, sanctæ Juvavensis ecclesiæ sedi, ab Adalberone Wirzburgensi episcopo, XII Kal Augusti, juxta sancita canonum, inthronizatur. Nec longo post, convenientibus Ratisponæ Gebehardo ejusdem urbis episcopo, Engelberto Pataviensi præsule, Ellinhardo Frisingensi pontifice, Altwino Sabionensi antistite, Adalberone Wirzburgensi præside, Ganzone Eihstetensi episcopo, in gradu episcopalis honoris per læta popularium suffragia III Kal. Augusti feliciter est provectus *k*. Abhinc uno et semis anno, pallii insignibus et privilegio singularis præ ceteris coepiscopis principatus ab Alexandro *l* Romanæ sedis episcopo, per Wezilinum præpositum VIII Kalendas Martii, gloriosissime persplenduit honoratus *m*.

usus divitiarum,

6 His ille honoribus nesciebat superbire, sed magis humilia de se ipso noverat sentire. Divitiis etiam affluentibus cor non apposuit: his *n* tripliciter usus, aut in augmentum et proficuum ecclesiæ suæ expendit; aut monasteria et basilicas ex eis construxit; vel pauperibus erogavit. Præterea tam regno quam Romanæ sedi accommodatissimus existens, dilatavit gloriam populo suo et ecclesiæ, quousque inimicus superveniens, zizania discordiæ inter regnum et sacerdotium *o*, proh dolor! seminavit. Præsul ergo

dignitas legati Apostolici.

et regni, cum instar lucernæ, candelabro superpositæ, omnibus qui in domo Dei erant, scientiæ et vitæ merito luceret; eum sancta Romana ecclesia, quasi specialem filium suum, quasi verum Catholicum, judicavit esse dignum, cui legationem suam super omnes Teutonici regni ecclesias committeret. Sic itaque ex archicapellano regni, archiepiscopus Juvavensis et legatus Apostolicæ sedis provectus est et immobilis Ecclesiæ columna enituit. *Hactenus vita brevior.*

Sequitur in Historia Admontensi de fundatione monasterii.

Fundatio monasterii Admontensis,

Anno igitur Incarnationis Domini MLXXIV ordinationis suæ XV, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Blasii episcopi et martyris, monasterium in valle Admuntensi construxit, quod et ipso anno, tertio Kalend. Octobris, Indictione XIII *p*, tempore Gregorii Papæ VII, anno secundo ordinationis suæ; imperii vero Heinrici imperatoris quarti hujus nominis, anno XVII. In quo nimirum monasterio duodecim monachos sacerdotes ad serviendum Deo ordinavit, ad quorum stipendia et vestes, nec non et hospitum et pauperum sustentationes, prædia tradidit; imprimis, quæ matrona quædam nobilis Hemma *q*, comitissa de Friesaca et de Truchsen, post mortem mariti sui Wilhelmi comitis et filiorum suorum Hartwici et Wilhelmi, tempore Baldwini archiepiscopi, sancto Rudberto dedit in valle Admuntina, cum aliis prædiis, ad cœnobium ibidem fundandum. Et præterea maxime illa, quæ ipsi sui episcopatus tempore, in jus ecclesiæ Juvavensis, cui auctore Deo præfuit, ex diversis commutationibus et complacitationibus conquisivit. Dominicalia namque episcopi attingere noluit, sed ut diximus, prædiis, quæ fidelium donatione, vel pro banni absolutione [et] emptionis comparatione, conquirere potuit; monasterium ipsum dotavit.

itque redditus attributi

8 Fideles quoque suos, tam nobiles quam ministeriales rogavit, ut prædia sua vel beneficia ipsi monasterio contraderent. E quibus specialiter tres nobiles, Leupoldus, Maganus et Anzo, plurima quæ possederant beneficia resignantes, monasterio tradi impetrarunt. Otaherus *r* quoque marchio, proavus marchionis O *s* de Styre; intuitu dilectionis ipsius Deo digni archiepiscopi, et pro salute animæ suæ tradidit villam Eychdorff eidem Admuntensi monasterio. Adilbero *t* etiam germanus ejus marchionis, qui diuturnam cum fratre guerram habuit, pro absolutione banni et multimodis injuriis, cœnobio in persecutione Heinrici IV imperatoris, illatis, tradidit per manus itidem Archipræsulis, super altare S. Blasii, villas duas ab Arnich, cum omnibus suis pertinentiis, et prædium Huzenpuhele. Adhæc complures decimas, suis exactionibus conquisitas, dedit; quia gens Sclavonica, in ejus episcopi terminis posita, ante ipsius tempora, aut nullas aut paucissimas reddere consuevit. Dedit etiam ornamenta complura auro, argento et serico valde pretiosa; vestimenta scilicet sacerdotalia, libros, calices, et quæque divinis ministeriis necessaria. Inter cetera denique bona Sanctorum egregiis pignoribus locum nobilitavit, inter quæ brachium sancti confessoris Paterniani *u*, cum cohærente sibi manu: sed et sancti Chrisanti martyris calvariam et commilitonis ejus sanctæ Dariæ virginis *x*; necnon et sancti Vincentii *y*, cum multis aliis Sanctorum reliquiis eidem donavit ecclesiæ.

AUCTORE ANONYMO aliisque dona

etiam de reliquiis Sanctorum.

Descriptio vallis Admontensis,

9 Locus hic inter montana Bavariæ, juxta Anasum fluvium in valle situs est. Aditum difficilem viantibus præbet, adeo ipsa natura munitus per gyrum, ut altissimorum montium ambitu cœlo proxime dicas circummuratum. Prospectus, nisi in montes aut sursum, non est. Hic, monasticæ conclusioni, præstruente natura, idoneum, hoc, unum de ceteris, quare locus hic a strenuis longe lateque amatus, expetitur, ab aliis horretur, [et] fugitur. Necesse est, fortia diversas mentes aut provocare aut revocare. In hoc igitur loco monasterium beatus Præsul fundare desiderans, dum esset ibi constitutus quia fiscus episcopalis erat, triduum continuum perstitit non mediocriter æstuans, neque habens, adeo æstuans discerpebatur cogitationibus suis, dum quod definiret, eligere [non] poterat. Mulcebat partim facies loci, quod invius convictui hominum, tamen nullius idoneæ rei materiam in venis montium negaret. Angebat e contra non carpento neque trahea, verum solis saumariis *z* necessaria posse inferri.

ubi monasterium nutu divino extructum.

10 His animum distrahentibus, postridie etiam tunc cunctanti, subito surdus et mutus quidam in medio exsurgens, divino nutu coram omnibus hæc verba in Teutonico eleganter concinnavit, episcopo inquiens: Tu debes inchoare; Deus debet consummare. Qui homo nec postea nec antea ullas edidit voces, donec post multos annos in depositione ipsius episcopi ad sepulcrum ejus pleniter auditum et linguæ est restitutus officio *aa*. Mirantur itaque universi, stupor et gaudium replent episcopum. Mox quasi divinitus accepto oraculo, intrepida mente, promissimo studio, monasterium cœpit construere, sacris vestibus et marmore copioso ornare, redditibus ditare. Arnoldo monacho de monasterio S. Petri, ad provisionem ipsius loci ascito, favente Domino Reginwardo venerabile abbate S. Petri. Sed prædicto Arnoldo, propter paupertatem loci, non diu hic durante, Isingrinus ab eodem est archiepiscopo substitutus.

Reliqua Vitæ brevioris, usque ad num. 13.

Operæ pretium est hic inserere, qualiter præfatus

tus et sæpe nominandus pater et dominus *bb* Gebehardus archiepiscopus ab ineunte ætate in proposito habuerit, ut si ex voluntate Dei facultas sibi post hac suppeteret, monasterium aliquod, ubi divinæ laudes jugiter hymnizarentur, construere, quod ex subsequenti relatione potest perpendi. Dum enim aliquando in pueritiæ flore constitutus, cum collegis suis Altmanno, postea Pataviensi episcopo, et Adilberone, postea Wirzburgensi episcopo, studiis liberalibus imbueretur, contigit, ut cum his, quos prædiximus, fidissimis sodalibus, timore puerili fugam iniret. In via igitur ad quemdam fontem diverterunt et ibi de sistarciolis *cc* suis panem quantulumcumque proferentes, corpuscula recreabant. Et licet puerili affectione, Dei tamen magis, ut post patuit, inspiratione, præsago virtutis suæ spiritu inter cetera quæ confabulabantur, episcopos se futuros prædixerunt et monasteria se ad Dei servitium fundaturos voverunt, quod postea efficaciter compleverunt.

Auctore anonymo. Pueril a Gebehardi et Sociorum vaticinia bb

cc

12 Primus igitur Altmannus subintulit, se Pataviensis ecclesiæ præsulatum velle conscendere, quo adepto monasterium se constructurum, ibique novissimam tubam ad resurgendum expectaturum. Tum Adilbero: Ego vero Wirzburgensis ecclesiæ pontificatum suscipiam, et cœnobium Christi servorum instituam, ubi et ego recondar, communem omnium præstolaturus resurrectionem. At tunc Gebehardus: Ego vestrum ambarum magister futurus ero, quia volente Deo Salzburgensi ecclesiæ metropolita sublimabor; [ac in] monasterio, quod regulari institutioni ordinavero, ultimum examinis diem præstolabor. Hæc ideo hic inserere dignum duximus, ut ostenderemus, quam grata Deo simplicitas istorum fuerit et cordis mundicia, quorum [dicta] puerili quodammodo joco prolata, tam mirabiliter ad effectum perduxit. Nam Gebehardus in Salzburgensi metropoli postea sublimatus, Admuntense cœnobium construxit, in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ virginis, sanctique Blasii episcopi et martyris *dd*. Altmannus Pataviensis episcopus factus, Gotthwisense *ee* monasterium instituit, Adilbero similiter ante ambos Wirzburgensem sedem adeptus, Lambacense *ff* cœnobium construxit *gg*. etc.

de suis episcopatibus, re ipsa completa

dd ee ff gg

ANNOTATA. C. J.

a *Videlicet Comitum* de Helffenstein; *quorum genealogiam Bucelinus a sæculo 9 deducit.*

b *Ita parentes appellantur in utraque Canisii editione. Hundius quoque fatetur, illos ab aliquibus sic vocari: se tamen* vidisse genealogiam istorum Comitum; *ubi Gebehardus* habet Patrem Wernherum, matrem Attalam de Styra. *Chronicon Salisburgense Francisci Duckher, anno* 1666 *lingua Germanis vernacula editum, facit matrem ejus Azalam,* natam Comitem Cattimelibocensem. *Unde id hauserit, non indicat.*

c *Parisiis operam dedisse studiis gravioribus, discimus ex vita S. Adalberonis episcopi Herbipolensis: qui, cum, assumptis* sodalibus, Parisios *studiorum gratia perrexisset; inde revertens Herbipolim,* comitem et socium itineris *habuit* Gebehardum, *postea* Salisburgensem archiepiscopum.

d *Hunc* Saltwinum *atque iterum* Badwinum *vocat editio 1 Canisii;* Waldwinum *Hunatius;* Baldingum et Baldovinum *Aventinus. Verbum præcedens a* venerabilibus, *nisi ad Balduinum et Leonem simul referri posse alicui videatur, ponatur numero singulari.*

e *Est is* Leo IX, *ordinatus anno* 1049, *mortuus* 1054, 19 *Aprilis, quo et colitur ut sanctus. Aberravit igitur anno saltem uno sive auctor, sive librarius: et ordinatio Gebehardi in sacerdotem anticipari debet ad annum* 1054, *in quo facta fuerit tempore Quadragesimæ vivente adhuc Leone, post Pascha illius anni defuncto. Et vero ex mente Auctoris annum* 1054, *non* 1055, *scribi debuisse, colligas ex num. seq. ubi annus Domini* 1060, *vocatur* sextus sacerdotii ipsius Gebehardi.

f *Successor mediatus: Henricum quippe Babenbergensem sive sanctum imperatorem excepit Conradus II, hunc, anno* 1039 *Henricus III, Conradi filius, qui hic* Pius, *vulgo autem* Niger *cognominatur.*

g *Exemptus est rebus humanis an* 1056, *die* 5 *Octobris, qui tertius fuit annus a Gebehardi ordinatione sacerdotali; succedente mox filio ejus Henrico quarto, tunc septenni aut octenni.*

h *Hundius scribit, anno* 1061 *factum fuisse Archiepiscopum, cui contra auctorem vitæ non consentio.*

i *Canisii prima editio habet,* virtutum omnium genere.

k *Huc usque dicta, facta sint anno* 1060.

l *Nempe secundo sui nominis, qui post brevem pontificatum Nicolai, creatus fuit* 1061, 30 *Sept. et submisit anno sequenti,* VIII *Kal. Mart. per Wezilinum, nescio cujus Ecclesiæ præpositum, Gebehardo archiepiscopo pallium; quando jam annus circiter unus ac dimidius post consecrationem ejusdem Gebehardi in episcopum, elapsus erat.*

m *Editio* 2, *in Historia monachi Admontensis, scribitur:* perspenduit; sed hic tripliciter honoratus. *Quod additamentum sit istius scriptoris.*

n *Historia ejusdem monachi legit,* Sed his. *Utraque Lectio bona est.*

o *Nempe inter Henricum IV imperatorem, et Gregorium VII Papam.*

p *Abbas Lambacensis in sua hujus vitæ editione ponit pro Indictione* XIII, *duodecimam, non recte: quia tertio Kal. Octobris jam desierat Indictio* XII, *et cœperat currere* XIII.

q *Eadem hæc est Hemma, quæ Gurcensem ecclesiam cum duobus adjunctis monasteriis fundavit, quam deinde Gebehardus noster in sedem episcopalem sublimavit. Qua de re infra. Ipsa obiit an.* 1045, *tempore archiepiscopi Salisburgensis Baldwini, decessoris Gebehardi, anno ejus tertio aut quarto; dedituque S. Rudberto, ut hic dicitur, seu ejus ecclesiæ prædia quædam in valle Admontina, ut ibi quoque monasterium conderetur; quod Gebehardus, adjectis aliis dotibus, tandem executioni mandavit. Acta hujus Hemmæ inter alia Sanctorum, tomo* 4 *Junii a pag.* 375 *illustravimus; ubi tamen num.* 2 *Commentarii nonnulla hinc emendanda sunt.*

r Otanerus *iste in vita S. Bertholdi, primi abbatis monasterii Garstensis,* Otocher *dictus, alibi vero* Ottocarus; *cujus nominis plures Stiriæ Marchiones seu comites recenset Lazius de Gentium migrationibus pag.* 177. *Et primum quidem Ottocarum ait,* Conrado II imperante, Styræ comitem in litteris annalibusque commemorari. *Subdit Ottocarum II ac III, primi filium et nepotem: quorum ultimus duxit uxorem* Elisabetham, sancti Leopoldi Austriæ marchionis sororem; *et* canonicos regulares Garstenses, quos ipse instituerat, convertit in Benedictinos; subscripsitque fundationi Admontensi de anno 1072, et obiit Romæ anno salutis 1122. *Iste igitur Ottocarus III, seu Otaherus, est qui hic memoratur, intuitu Gebehardi archiepiscopi, tradidisse Admontensi monasterio villam Eychdorff; potestque etiam, intuitu ejusdem Archiepiscopi,* de anno 1072 *subscripsisse fundationi Admontensi; quando nempe episcopatus Gurcensis in Styria ditione ipsius erectus fuit. Tunc enim convenerit Marchionem Archiepiscopus, ut ejus consensum in erectionem episcopatus obtineret*

neret; simulque potuerit consensum ejus petiisse ad monasterium Admontense in eadem Styria fundandum; cujus rei et tabulas scribendas subscribendasque tunc potuit curasse, quamvis ædificatio monasterii non nisi triennio post completa fuerit. Nunc porro an Ottocarus ille III marchio proavus marchionis O de Styre *fuerit, inquirendum est.*

s *Nullus dubito, quin hic per litteram* O, *itidem designetur* Ottocarus, *marchio Styriæ: quia nomen illud in ista familia frequens fuit; nec invenio ullum alind apud Lazium, quod ab* O *initium ducat. Scribit Cuspinianus in Austria sua pag.* 598, *Ottocarum, quem jam dixi, tertium*, Suevorum et Stiriæ Marchionem, ex Elisabetha, *S. Leopoldi Austriæ Marchionis sorore, procreasse* Leopoldum et juniorem Ottocarum, *sive* IV *istius nominis* marchionem Styriæ. *Ex his Leopoldus asserente Lazio*, ab Henrico V imperatore Carinthiæ marchio creatus est anno 1120. *Ottocarus autem, eodem teste*, institutus fuit a Friderico I Cæsare Frisingensis episcopi advocatus, *atque anno* 1163 *subscripsisse quibusdam litteris reperitur. Hujus nepos, filius Leopoldi prædicti, Ottocarus V, a Frederico I imperatore primus* ducalem *Styriæ* investituram accepit; *atque* in matrimonio habuit Agnetem *(Cuspinianus* Cunegundem *vocat)* Leopoldi Austriæ ducis secundi filiam: *qua absque prole mortua, cum conjux ejus Ottocarus lepra infectus esset incurabili, cessit socero suo Leopoldo Austriæ duci ditiones suas omnes: atque ita desiit in illo linea ista marchionum, et recenter ducum Styriæ, translata ad Austriæ duces in Leopoldo, sub annum* 1193 *mortuo. Hinc colligo, si recte procedunt, quæ Lazius, et ante ipsum Cuspinianus, scripserunt, hujus Ottocari V proavum non fuisse Ottocarum III, sed avum. Proavus fuit Ottocarus II Styriæ marchio. At hic non donavit Admontensibus villam Eychdorf; nec subscripsit fundationi eorum, uti patet ex dictis. Vel igitur Auctor noster hic non recte computavit; vel per* O marchionem de Styre *intellexit alium ex patruele aliquo Ottocari V progenitum; qui partem ditionis paternæ in Styria cum titulo marchionis, post obitum Ottocari* V *adhuc servaverit.*

t Adilbero *seu Adalbero*, germanus ejus Marchionis, *qui villam Eychdorff tradidit Admontensibus, nullus comparet apud Lazium. Habet is quidem* Alberonem, *quem paulo post vocat* Adalberonem, Ottocari primi marchionis germanum, *sed primi inquit, qui huc spectare non potest. Deleamus igitur Adilberonem Ottocari III fratrem Auctori nostro.*

u Paternianus, *episcopus Bononiensis, successor S. Petronii, colitur* XII *Julii.*

x *Festum SS. Chrysanti et Dariæ Martyrum celebratur* XXV *Octobris.*

y *Reliquias hujus S. Vincentii vocat Historia novissima Salisburgensis*, Sacra ossa magni martyris Vincentii Levitæ, qui S. Laurentio suppar, Valentiæ in Hispania sub Daciano impiissimo præside celebre martyrium exantlavit. *Eo allata dicuntur fuisse anno* 880: *unde allata sint, non dicitur. Novi plures SS. Vincentios; et novi Valentinum Levitam ac martyrem, qui seculo* IX *ex Hispaniis in Galliam translatus fuisse scribitur. An inde, aut ex Hispania Salisburgum pervenerint aliqua ejusdem ossa, scire cupio certius.*

z *Dixi in Commentario, satis frequenter mutasse aut addidisse quædam verba, in sua vitæ S. Gebehardi editione, Joannem abbatem. Lubet hic specimen ejus rei dare in paucis qui præcedunt versibus, quos ille extulit hoc modo:* In hoc igitur loco monasterium beatus Præsul fundare desiderans, dum esset ibi constitutus (quia locus hic fiscus episcopalis erat) triduum continuum perstitit, non manducans; verum summe æstuans discerpebatur cogitationibus suis, dum quid definiret eligere non poterat. Mulcebat partim facies loci; quod, licet invius, convictui hominum tamen nullius idoneæ rei materiam in venis montium negaret: angebat e contra; non carpento, neque traha, verum solum equis clitellariis necessaria inferri posse. *Confer hæc cum textu nostro ex editione Canisiana, et intelliges, verum esse quod dixi. Inter alia τὸ* saumariis *mutavit in τὸ* equis clitellariis. *Quæ quidem interpretatio dici potest non mala; sed non est loquela Auctoris.* Saumarius *corrupte a* Sagmarius, *et hoc a* Sagma, *quod est* Onus, Sarcina, *proprie sonat jumentum quodvis sarcinarium. Hinc et Itali suum* Somaro *passim pro asino sumunt. In vita S. Thiemonis legitur* Sagmentarius. Trahea *æque Latina vox est ac* traha, *utpote Virgiliana lib.* 1 *Georg. Negatio, inter* eligere *et* poterat *inserta, clariorem reddit sensum et videtur requiri: imo in citata S. Thiemonis vita etiam legitur: quapropter et ego illam appono sed his* [ ] *signis inclusam, ut sciat lector, nostri Auctoris non esse. Ceteras mutationes non annoto.*

aa *Hac de re vide infra num.* 23.

bb *Ita editio Canisiana. Admontensis Monachus hoc loco interserit* noster. *Ex quo colligi potest, Auctorem vitæ brevioris monachum Admontensem non fuisse: fuisse autem, vitæ longioris; dum τὸ* noster *suæ Historiæ Admontensi immiscet.*

cc *De* Sistarciolis *recte apud Canisium in vita breviore: minus recte per* c, Cistarciolis *apud monachum Admontensem. Est diminutivum a* Sistarcia; *alias melius* Sitarcia, *a Græco σῖτος*, frumentum; *aut σῖτον*; cibus. *Sumitur autem passim pro cistella vel pera, qua iter agentes panem aliaque cibaria conferunt. Inde item est σιταρχία et σίταρχος*, rei frumentariæ præfectura et præfectus. *Quid si* Sitarcia *compositum Latinogræcum facias, ex σῖτος et* arca*? Quidquid sit, maluit Joannes abbas pro* Sistarciolis, *supponere* Capsulis.

dd *Hæc incipiendo a* construxit *apud Monachum Admont. desiderantur; ubi tantum legitur*, ut prædiximus, fundavit. *Quæ respiciunt ipsiusmet dicta, supra initio numeri* 7 *relata.*

ee *Monachus Admont. habet* Chotwisense; *Bucelinus* Kostweig *et* Cotvicum *et* Gotwig, *quod communius nunc est. De origine nominis multa fabulose referuntur in vita S. Altmanni, a Joanne abbate Lambacensi cum aliis edita. Situm est in monte versus limites Austriæ inferioris, qua superiorem respicit, tribus circiter leucis a Cremsa in meridiem. Vide plura in citata vita S. Altmanni, qui illic conditus, uti prædixerat, novissimam tubam ad resurgendum expectat.*

ff *Situm est in Austria superiore, ex bonis paternis fundatum ab Adalberone episcopo Herbipolensi, ut dictum est, qui ibidem etiam post mortem recorditus fuit, communem omnium præstolatoris resurrectionem. Plura dabit ejus vita apud sæpe dictum Joannem ejusdem monasterii Abbatem.*

gg *Ita finit vita brevior apud Canisium tomo* 2, *qui ibidem et notat, quod videantur quædam deesse*, quia in MS. est, etc. *Idem existimo et ego, quia hactenus ibi nihil memoratum est de institutione tam episcopatus Gurcensis, quam monasterii Admontensis: nihil item de fidelitate Gebehardi erga sedem Apostolicam; nihil de persecutionibus et exilio novennali propterea toleratis; nihil denique de restitutione ejus in episcopatum, et sancta morte. Adeo ut vita illa brevis, ut modo extat apud Canisium, non tam vita, quam initium vitæ ejus, ac ad archiepiscopatum, dici debeat. Gravis jactura est, si reliqua omnino perierint: quamvis illam quodammodo resarciat Monachus Admontensis in sequentibus; prolata jam supra ejus historia de fundatione monasterii Admontensis.*

CAPUT

A

AUCTORE ANONYMO.

CAPUT II.

Fundat Gebehardus episcopatum Gurcensem in Carinthia.

a Fundatio Episcopatus Gurcensis,

Præfatus *a* quoque archiepiscopus, priusquam Admontense fundaret monasterium; anno Incarnationis Domini MLXXII instituit sedem episcopalem inter Carinthiam, in loco Gurca dicto, ubi prius fuerat cœnobium sanctimonialium *b*, cui præfecit et consecravit episcopum Guntherum *c*, II nonas Martii, præsentibus et benedicentibus episcopis, Altwino Brixinensi *d*, Ellenhardo *e* Frisingensi, Candiano de Hystria, ceteris comprovincialibus episcopis Ottone *f*, scilicet Ratisponensi, Altmanno *g* Pataviensi, per epistolas suum in hanc ipsam ordinationem præbentibus assensum. Prolata est ibi tunc et epistola Domini Alexandri Papæ, et ad confirmationem hujus constitutionis in auribus populi lecta et interpretata, sed et litteræ regis Heinrici, suum in hanc consensum pronuntiantes, similiter sunt recitatæ, quarum tenorem infra posuimus.

probantibus illam per litteras suas

14 Alexander Episcopus, servus servorum Dei, Gebehardo Salzburgensi Archiepiscopo, suisque successoribus in perpetuum. Quotiens ea a nobis petuntur, quæ religioni conveniunt, prompta debemus concessione annuere et favoris nostri gratanter præbere assensum, quoniam ex consideratione nostri officii cogimur ecclesiarum utilitatibus, etiamsi minime exigantur, sollicite invigilare et animarum saluti solerti studio providere. Quapropter dilectissime Frater, quia postulasti a nobis, quatenus Apostolica auctoritate concederemus tibi unum episcopatum in tua parochia constituere, quia ecclesia tua tam ample diffusa est, quod per te solum non possis eam in chrismate aliisque pluribus, quibus episcopali officio indiget, decenter ac rationabiliter regere, piis precibus tuis inclinati, libenter annuimus, et ut etiam impleatur, satagimus.

Alexandro PP. 2,

15 Apostolica igitur auctoritate, venerande Frater, religioni tuæ concedimus, volumus, et firmamus: atque auctoritate B. Petri, Apostolorum principis, in quocumque loco tibi melius visum fuerit, episcopatum in tua parochia construe et ad procurandum salutem animarum, adjutorem tibi tua consideratione ibi præpone. Ita tamen, ut episcopatus ille ecclesiæ tuæ, tibique vel tuis successoribus numquam subtrahatur, et nullus ibi episcopus quandoque, sive per investituram, ut dici assolet, vel quocumque pacto inibi constituatur, nisi quem tu vel tui successores prompta voluntate elegerint, ordinaverint et consecraverint. Indignum enim atque detestabile est, ut hoc, quod studio pietatis a nobis quæsitum, Apostolica auctoritate firmatum, ad detrimentum ecclesiæ tuæ quolibet modo vertatur. Si quis autem temerario ausu hujus nostræ sanctionis privilegium infregerit, noverit se Apostolicæ excommunicationis atque anathematis vinculo innodatum. At vero qui pio intuitu custos et observator extiterit, perpetuæ benedictionis abundantia repleatur. Data Lateranis XII Cal. April. per manus Petri Clerici, fungentis vice Petri, sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalis ac Bibliothecarii, anno ab Incarnatione Domini MLXX. Pontificatus vero domini Alexandri Papæ II nono, Indict. VIII.

C

et Henrico Imp. 4,

16 In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Rex. Quoties ea a nobis petuntur, quæ religioni conveniunt, prompta debemus concessione annuere et favoris nostri gratanter præbere assensum. Ergo fidelis noster Gebehardus Juvavensis archiepiscopus, de commissarum sibi animarum periculis dolens, conquestus est, quod episcopatum suum in montanis situm, præ nimia Parochiæ amplitudine et viarum difficultate, per se solum regere non sufficeret, consultu fidelium nostrorum pro necessitate ecclesiæ decrevimus et annuimus, ut intra parochiam suam, adjutorem sui operis episcopum et sedem episcopalem constitueret.

D

eodem anno 1072.

17 Igitur in loco, qui dicitur Gurca apud ecclesiam sanctæ Mariæ, ubi prius erat congregatio sanctimonialium, placuit nobis ut cathedram episcopalem faceret, et eidem novæ sedi partem parochiæ suæ, et de prædiis et decimis, quantum sibi conveniens videretur, attribueret, et ad eamdem sedem episcopum ex sua consideratione ordinaret, ea videlicet ratione, ut episcopatus ille ecclesiæ Juvavensi et prædicto archiepiscopo suisque successoribus numquam subtrahatur, et nullus ibi episcopus quandoque, sive per investituram, sive quocumque modo constituatur, nisi quem prædictus archiepiscopus, suique successores elegerint, ordinaverint, consecraverint. Et ut hoc nostrum regale præceptum stabile et inconvulsum omni permaneat ævo, hanc cartam inde conscribi, manuque propria corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Ego Albero Cancellarius vice Sigefridi archicancellarii recognovi. Data II Nonas Februarii anno Dominicæ incarnationis MLXXII. Anno Ordinationis domini Heinrici regis XVIII, regni vero XVI. Indictione X. Actum est Ratisponæ, in Dei nomine. Amen.

E

Antiquiores Episcopi, qui per Carinthiam fidem prædicarunt.

18 Hæ igitur utræque epistolæ destinatæ sunt servari in ecclesia Juvavensi. Juvit ad hanc novam constitutionem et quidam veterum notitiarum codex Repertus enim erat talis in camera librorum Salzburgensi, et in eo repertum, qui episcopi, sub quibus archiepiscopis Salzburgensibus, ecclesiæ vices et ante gessissent in prænominata regione. Beatus enim Virgilius, episcopus octavus a beato Rudberto, gentem Karentanam tempore Thassilonis ducis Bavariæ, quibusdam occasionibus ad fidem Christi convertit et episcopum illic, Modestum dictum, in loco, Liburnia dicto, constituit, per quem et per cujus successorum instantiam eadem gens Sclavonica a ritibus idololatriæ revocaretur. Item ab Arnone, primo archiepiscopo, Theodoricus episcopus; ab Adalramo, secundo archiepiscopo, Otto episcopus; a Liupramo, tertio archiepiscopo, Oswaldus episcopus; prælati sunt Karentanis. Repertæ sunt in eodem libello crebræ discordiarum causæ inter ipsos archiepiscopos et subepiscopos illos, propter quas conjicitur et æstimatur, vicem illam tum cessavisse, et morientibus aliis, alios non fuisse substitutos: quia hujusmodi stabilitatis anchoras non habebant, sedem videlicet episcopalem et clerum ac plebem in separatis sibi Parochiæ terminis, cum quælibet supra dicta restauratio renovata est et stabilita.

F

ANNOTATA C. J.

a *Notat Canisius ad hunc locum tomo* 6 *in margine:* Quæ hic sequuntur, habentur in chronico monasterii S. Petri Salisburgi, ante annos 320 conscripto, digna profecto quæ hic subjiciantur: *Monuimus etiam nos lectorem hac de re in Comment. num.* 8.

b *Fundatum a beata Hemma, Wilhelmi comitis in Friesach etc. vidua, cujus Acta tomo* IV *Junii dedimus, ubi et de fundatione hac agitur, ad diem* XXIX.

c *Male hunc* Guntherum *confundunt aliqui cum Gunthero archiepiscopo Salisburgensi, qui dimidio seculo antiquior illo fuit.*

A

d *Civitas est in comitatu Tirolensi ad radices altissimi montis, vulgo* Brenner *dicti, nunc passim vocata* Brixinum, *in libris conciliorum* Brixinia, *nonnullis etiam* Brixia, *minus recte : ob confusionem, quæ inde generatur, cum civitate celebriore* Brixia *in Gallia Cisalpina Venetorum. Fuit ibi episcopus* Altwinus, *alio nomine etiam* Adowinus *Hundio dictus, successor Popponis, qui ad Romanum Pontificatum elatus fuit sub appellatione* Damasi II; *præfuitque ab anno* 1048 *usque ad* 1090 *et ultra. Cardinalem quoque a Damaso creatum fuisse, scribit idem Hundius. In quo assentiri ei non possum, tum quia Damasus tantum* 23 *dierum Pontifex fuit, tum quia apud Ciacconium et Oldoinum non invenitur, ullum creasse Cardinalem.*

e Ellenhardus *creatus episcopus an.* 1053, *præfuit annos* 25, *mortuus sub annum* 1077, *postquam interfuerat conventui Wormatiensi anno præcedenti coacto sub Henrico IV imp. contra Gregorium* PP. VII.

f Otto *ex canonico Babenbergensi episcopus Ratisponensis ab imperatore Henrico IV anno* 1060 *factus, triennio aut quadriennio post cum aliis episcopis Germaniæ, numerosaque ad septem millia, tam summæ quam infimæ conditionis hominum, multitudine peregrinatum ivit in Terram sanctam, sacra illic loca veneraturus, tam infelici successu, ut vix duo millia domum reversi sint anno, ut videtur,* 1065. *Supervixit usque ad annum* 1088 *aut sequentem, quo ei successisse legitur Gebehardus IV.*

g Altmannus, *olim Gebehardo Salisburgensi familiaris atque in studiis Lutetiæ Parisiorum condiscipulus, dum ex modo dicta peregrinatione Hierosolymitana sub annum* 1065 *incolumis revertitur, episcopus Passaviensis renuntiatus ab eodemque Gebehardo inauguratus fuit. Obiit autem, uti in vita ejus legitur,* anno 1091 sexto Idus Augusti, *sanctimonia et miraculis clarus. Quod ultimum etiam Bruschius non dissimulat, quamvis ei in multis parum æquus. Plura de nominatis hic episcopis legi possunt apud Hundium in Metropoli Salisburgensi*

h *Hunc sensum per se obscurum, ita transtulit Abbas Lambacensis :* Et quia hujusce stabilitatis anchoras non habebant, sedem videlicet episcopalem : clerum ac plebem, in separatis sibi parochiæ terminis interim rexerunt ; quo usque supradicta restauratio renovata est et stabilita. *Delevi ego in textu solam conjunctionem et ante* quia ; *et* qualibet *versu penultimo, mutari in* quælibet. *Unde videtur sensus intelligibilior reddi. Nota autem, hanc annotationem* h *spectare finem capitis* 2, *ubi littera* h *prætermissa est.*

C

CAPUT III.

Constantia in persecutionibus. Exilium et restitutio. Mors et epitaphium.

a Excommunicatio Henrici

Deinde post aliquot annos *a* excommunicatur rex Heinricus in synodo Romana, et episcopi singuli, missis a Papa Gregorio epistolis, præmoniti sunt, etiam obsecrati pro observanda S. Petro et ejus Vicario obedientia ; inbanniti *b* quoque et sub obtentu sui officii sunt astricti, ne Regi anathematizato et ejus consiliariis nominatim communicarent. Hæc novam sive rarum in Regem anathema, utrum ex venditione episcopiorum et abbatiarum ; an ex alia infamia, causas sumpserit, penes earum conscios sit et judices ; nobis sententia pastoris timenda est, sive justa sive injusta. Prædictus enim piæ memoriæ Papa Gregorius, velut alter Helias, spiritu Dei plenus, et zelo justitiæ et veritatis accensus, sacerdotes Baal non quadringentos, sed infinita millia trucidaverat, quia vel eos, qui per simoniam episcopatus, abbatias, præposituras, præbendas vel ecclesias obtinuerant ; vel qui in sacerdotio aut diaconatu uxores habuerant, vel qui a simoniacis vel schismaticis ordinati fuerant, gladio Petri omnes simul truncaverat.

D

AUCTORE ANONYMO

19 Proinde istorum instinctu Heinricus imperator Wichpertum *c* Ravennatem hæresiarcham, expulso præfato Papa Gregorio, Romæ inthronizavit, quem una cum Rege et suis complicibus et fautoribus jam dictus Papa anathematizavit. Videres nunc naviculam beati Petri, quasi dormiente interim Jesu propemodum mergi et tempestatum procella vexari, dum omnes veritatem et fidem beato Petro et ejus Vicario servantes, aut in undas mortis dirum fremens ac fervens salum trahebat, aut in longum exilium, patria, honoribus, rebus exsortes jactabat. Tempora nimirum tunc valde periculosa instabant, cum præter Christi athletam nostrum dominum Gebehardum archiepiscopum Salzburgensem, Altmannum Pataviensem, Adilberonem Wirzburgensem *d*, Herrmannum Metensem *e* Megginwardum Frisingensem *f*, præter hos solos quinque, in toto regno Teutonico episcopus Catholicus inveniri non poterat.

c ejusque machinationes in Papam.

20 Ea igitur tempestate iste noster Dominus sæpefatus Archiepiscopus, fidelis Romanæ ecclesiæ et veritatis Catholicæ propugnator eminebat, qui velut alter Machabæus lorica fidei se succinxerat et gladio verbi sui castra Ecclesiæ in toto regno Teutonico protegebat. Proinde aure cordis audiens illam Domini vocem in Evangelio clamantis : Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit. Quia Christum, pro redemptione Ecclesiæ ad crucis brachia pendentem, sincera fide sequi studuit, multa tunc personæ et ordini indigna nimis, a fautoribus Regis excepit. Qui mox et ecclesiæ suæ bona diripiebant, unusquisque vicina sibi, quasi ex permissione Regis vendicans, et bannos *g* Domini Papæ ipsiusque nostri, ob hanc direptionem illi factos, parvi pendens. Tunc etiam magna pars Ungaricæ terræ, quondam ecclesiæ S. Rudberti traditæ, ab episcopo defecisse dicitur. Hac etiam necessitate; ob munimen ecclesiæ suæ imposterum, castella duo munitissima Christi Archimandrita ædificavit, scilicet in monte Salzburg et Werfen, sed et unum castellum apud Frisacum.

E *Gebehardi inter hæc constantia*

21 Sub publica tandem fide, etiam dato a Rege ducatu, Ratisponam veniens expurgare se, in quibus a Rege culpabatur, recusavit, nisi prius omnia, quæ ei ablata fuerunt, juxta statuta emendarentur. Inde prolixo inter ipsum et inter prolocutores Regis coram Rege agitata est quæstio. Postremo infecta re utrimque et indefinita, exivit ab urbe Ratispona ad urbem suæ sedis, eo comitatu, quo venerat, reducente : sed a media via divertit et ad partes secum facientes secessit. Quia denique inimicis Christi et Ecclesiæ resistere non potuit, relicta synodo nudus ab eis profugit, prius relicta sede sua in exilium secundo Idus Octobris recessit ; anno incarnationis Domini MLXXVIII, et novem annos, nunc in Sueviam, nunc in Saxoniam transmigrando cum suis similibus Catholicæ veritatis confessoribus in exilio transegit.

et exilium novennale F

21 Rex Heinricus Perchtoldum *h* quemdam sui erroris consentaneum in cubile Salzburgensis ecclesiæ ingessit, qui et ejusdem ecclesiæ thesaurum ditissimum dissipavit, et multa nostræ Admuntensis ecclesiæ ornamenta cum nonnullis Sanctorum pigneribus diripuit. Ipsum vero locum nostrum ad solitudinem fere redegit. Inter cetera pretiosa, quæ tunc temporis idem intrusus seu exepiscopus nobis abstulit, Rationale *i* unum, ex auro et gemmis pretiosissimis intextum, aureis catenulis dependens, pene mille marcarum pretio æstimatum, quod Impertor *k* Græciæ fundatori nostro Gebehardo archie-

h Intruditur in sedem ejus pseudo Bertholdus.

piscopo

AUCTORE ANONYMO.

A piscopo, dum legatione Cæsaris illo functus, filium ejus baptizasset, pro munere donaverat : jussit præfatus Perchtoldus exponi, militibus suis hæc largiturus. Duodecim igitur milites, ceteris præstantiores avaritiæ siti furentes, pro rapiendo illo in litem versi, ante atrium basilicæ certamen ineunt, et mutuis se concidentes vulneribus, octo ex his ibi ceciderunt. Quidam vero ex fratribus, Nordwinus presbyter, sacristæ seu custodis functus officio, ad tantum facinus perhorrescens et aliorum quatuor, qui adhuc supererant, simili cæde jam perituris vitæ consulens, arreptum Rationale in quatuor frusta confregit, cuique illorum suam partem tribuens. Qui monachus eodem anno diem clausit extremum. Prædictus quoque Perchtoldus duas patellas salis ad Paierhalle nobis abstulit, et Comiti Gebehardo de Purchusen has in beneficio tradidit.

l *Restituitur Gebehardus*

22 Tandem miseratione divina, inardescente zelo fidelium, anno exulationis suæ nono *l*, præfatus dominus noster Gebehardus, ab Engelberto comite et aliis quibusdam ecclesiæ ministerialibus, et compluribus militibus reductus est in episcopium suum, comitantibus se suffraganeis suis episcopis, Altmanno B scilicet Pataviensi et Meginwardo Frisingensi, et a clero et toto pene populo, in sedem suam est receptus : ubi confestim tam eum, qui suam sedem invaserat, quam et eos, qui loca prædictorum suorum suffraganeorum occupaverant, anathematizavit, ipse et coepiscopi sui ; sicque duobus fere annis curam exercens episcopalem, supervixit.

et moritur post biennium an 1088, 16 Junii

23 Anno igitur incarnationis Domini MLXXXVIII, transactis ab ordinatione sua annis XXVII, mensibes X, hebdomadibus duabus, diebus duobus *m*, exacto felicis agonis cursu ad palmam supernam vocatus, XVI Calend. Julii in castro suo, quod Weruen *n* dicitur, hujus vitæ terminum beato fine sortitur, et deinde *o* translatus in nostro monasterio debita veneratione sepelitur. Ipso die depositionis, surdum et mutum, quem prædiximus *p*, ad sepulcrum proprium curavit : quo primo, aliisque deinceps miraculis vivere se in cœlestibus regnis testatur.

Ejusdem breve elogium

24 Hic a S. Rudberto, primo Juvavensis sedis episcopo, vicesimus sextus fuit : ab Arnone, primo ejusdem sedis archiepiscopo, sextus decimus. Vir hic erat ingeniosus satis et litteratus, orationibus studens et lectionibus, canonum maxime scrutator, eleemosynarum largus, in contemptores et contu- C maces ultor irrevocabilis erat, sive banno sive alterius potestatis exercitiis uti in illis voluit. Dictavit idem de illa dissensione, quæ suo tempore in ecclesia fuit ; libellum ad Hermannum Metensem episcopum, quo et semet excusaret et quantos ex contraria parte posset, huic, cui ille favebat, parti sociaret *q*. Erat eidem domino et patri nostro Gebehardo germana uterina, nomine Diepurch, quæ cuidam nobili et libero baroni Bavariæ Werenhero *r* in matrimonio erat sociata. Qui ambo post mortem filii sui Gebehardo pari devotione monasterium canonicorum Richerspergæ *s* fundaverunt, et Christum sibi inibi heredem instituerunt *t*.

atque epitaphium

25 Quid fles *u*, Admuntis, Gebehardi funere tristis?
Restet post fletus quod tibi, cerne, decus.
Est tibi Pontificis corpus, non gloria villis :
Cui locus hic tumuli, præ tot episcopii.
In te divinos, qui fecit jugiter ymnos,
Et decantari cantica Psalmographi.
Fecit et hoc, in te sint ut solatia cuique ;
Plurima contribuit, de quibus hæc statuit.
Esuriens victum petat ultro, nudus amictum,
Et vagus hospitium ; vallis es ænivium *x*.
Propter justitiam toleravit et ipse rapinam :
Regis ob hanc odium fugit in exilium : D
Malens ille miser quam schismatis esse minister,
Transiit ad partes, lite sibi similes *y*.
Complicibus banni *z* studuit se dissociari,
Servans, Roma, tuo debita judicio.
Post in episcopium, plebs hunc nonnulla receptum
Gaudebat cura post, ut et ante, sua.
Hic pro lege Dei, nescivit cedere regi,
Vel cuiquam forti, vel quoque dedecori.

Expulso Bertholdo succedit Thiemo.

26 Pastore igitur tali subtracto de præsentibus, quo dignus non erat mundus, scriptura illa impletur propheticæ veritatis : Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis. (Matth. 26. 31.) Mox enim Perchtoldus, invasor præfatus, favore regis Heinrici metropolitanam sedem occupat, et more lupi, caulas ovesque Christi et Ecclesiæ atrociter laniat, locum nostrum fortiter devastat. Sed Christus Dominus recolens promissionem suam, Petro et Ecclesiæ suæ a se factam, Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, (Matth. 16. 18) contra eumdem Perchtoldum, suum et Ecclesiæ inimicum, per Spiritus sui gratiam suorum fidelium excitavit constantiam. Qui in unum E convenientes, electione canonica venerabilem Thiemonem sancti Petri abbatem in archiepiscopum constituerunt, eique ad defensionem ecclesiæ, castra et munitiones episcopii tradentes, præfatum invasorem de finibus Salzburgensis parochiæ expulerunt *aa*.

ANNOTATA.

a *Anno videlicet* 1076 *in concilio Romano, initio Quadragesimæ collecto, postquam Imperator multa machinatus fuerat contra Romanum Pontificem eodem anno Wormatiæ die Dominico in Septuagesima.*

b Inbanniti *seu* imbanniti *dicuntur, quibus interdictum est sacris ; ut clare patet ex epistola* 252 *S. Bernardi, post medium.*

c *Alio nomine Guibertus, pseudopontifex Romanus sub nomine* Clementis.

d *Præmissi tres episcopi, ut in juventute inter se familiares litterisque etiam divinis probe instructi, et zelo religionis eximii fuerunt ; ita quoque in persecutione ecclesiæ ejusque Pontificis summi, ei fideles manserunt ; volentes potius suos sibi episcopatus injuste eripi, quam suum totiusque Ecclesiæ Caput Gregorium, similia patientem, deserere ; quamobrem et cum ipso meruerunt coronari a Deo in gloria.*

e *Ab anno* 1073 *ad* 1090 ; *cui Gebehardus noster epistolam suam, tam nervosam, quam prolixam, de præsenti schismate inscripsit ; quam paulo post dabimus.*

f Meginwardus *hic successit Ellenhardo, de quo supra, electus anno* 1078, *præfuitque ecclesiæ illi plerumque absens in Bohemia, annos circiter* 21.

g Bannus *hic interdictum ecclesiasticum.*

h Perchtoldus *ille, alias* Berchtoldus et *communius* Bertholdus, *expulso Gebehardo*, alius episcopus, ipso indignior, quo indignis habitus dignior, regia auctoritate et investitura *Henrici IV*, intruditur verius, quam intitulatur ; executione pro benedictione potitus ; cujus conventu venerandus et circumspectus abbas *S. Petri Salisburgi* Tyemo, impiari formidans, ne communicaret peccatis alienis, concessit in Sueviam. *Ita legitur in vita S. Thiemonis, qui Gebehardo legitime electus episcopus successit anno* 1090.

i Rationale, *ornamentum episcopale, quod ad pectus pendebat duobus uncinis alligatum superhumerali seu pluviali, quasi vice pallii pontificii.*

k *Fuerit is Constantinus Ducas, qui post imperium septem annorum mortuus anno* 1067, *reliquit ex Eudoxia*

doxia uxore sua tres liberos, quorum aliquem potest Gebehardus baptizasse, si Constantinopolim missus fuerit legatus; quod mihi aliunde nondum constat.

l *Christi millesimo octogesimo sexto.*

m *Dixit Auctor initio vitæ, ordinatum fuisse Gebehardum anno* 1060 tertio Kalendas Augusti, *id est die* 30 *Julii, ex quo sequitur,* diebus tribus *hic scribi debuisse. Sed ipse intellexerit dies integros, non computato die ipsius ordinationis.*

n *Rectius aliis scribitur* Werffen. *Arx erat probe munita, ab ipso Gebehardo constructa ad Salzam fluvium, sex fere milliaribus Germanicis supra Salisburgum versus meridiem.*

o *Videlicet anno* 1091, *qui secundus fuit ab inauguratione Thiemonis archiepiscopi.*

p *Nempe in hac ipsa vita num.* 9.

q *Inveniet lector libellum istum seu epistolam Gebehardi ad Hermannum Metensem, infra.*

r Werenhero. *Ita plane scribendum existimo, quamvis Hundius et Bucelinus ipsum nominent* Bernardum.

s *Est canonicorum regularium S. Augustini, ad dextram OEni ripam, ab ejus ostio ad milliaria circiter quatuor Germanica. Hundius in sua Metropoli part.* 3 *pag.* 245 (*ubi fundatorem* Wernherum *vocat, ut debuit*) *fundatum scribit anno* 1052 ; *Bucelinus, sub annum* 1090; *quod similius vero esse opinor, tum ex ætate Gebehardi, anno* 1088 *mortui, cujus soror jam filium habuerat, eumque ante se mortuum vidit ; quando monasterium fundavit ; tum quod apud Hundium citata pag.* 245, primus *loci* Præpositus Berbinus *dicatur* anno 1110 a Conrado archiepiscopo Salisburgensi *institutus fuisse.*

t *Ubi et Werenherus fundator, post obitum uxoris suæ Diepurgæ, reliquam vitam religiose transegit, mortuusque ac tumulatus fuit.*

u *Hocce epitaphium Gebehardi extat quoque apud Baronium tom.* 12 *Annalium ad calcem Addendorum pag.* 942, *estque simile huic nostro : extat item, in vita Gebehardi, edita per abbatem Lambacensem, sed ibi dignoscitur interpolatum esse. Videtur autem positum fuisse in translatione corporis ex Werffen in Admontem seu Admontense monasterium (quod hic* Admontis *vocatur) facta tertio post obitum Sancti anno ; Christi videlicet* 1091. *ut jam notavi. Id enim insinuant quatuor primi versus.*

x Anivium. *Quid si legatur?* et nivium. *Vallis enim est inter altissimos circum montes, majori parte anni nivibus opertos.*

y *Quæ nempe in lite ac discordia, inter Sacerdotium atque imperium suborta, stabant a Pontifice Romano contra Imperatorem.*

z *Sive excommunicatis.*

aa *Hinc ab Auctore nostro Historiæ Admontensis fit transitus ad gesta Thiemonis archiepiscopi quorum illa præcipue producit, quibus ille benevolum sese beneficumque monasterio et monachis monstravit, desumpta fere ex ejusdem Thiemonis vita, a coevo itidem Admontensi monacho conscripta; quæ etiam extat apud Canisium tom.* 4 *a pag.* 659.

DE EPISTOLA S. GEBEHARDI

SEBASTIANUS TENGNAGELIUS

LECTORI

Gebehardi in publico conventu

A*mice Lector, si nosse cupis, quis quantusque Epistolæ hujus auctor fuerit, lege vitam ejus editam a C. V. D. Henrico Canisio, Tom.* 2 *Antiquæ lectionis et tom.* 6, *ubi res ab eo gestas longe copiosius explicatas invenies. Adi etiam Brunonem, a Frehero editum tom.* 1 *scriptorum Germanicorum ; ad calcem Commentarii de bello Saxonico, ubi memorat, Gebhardo nostro, in conventu quodam utriusque partis episcoporum et principum, partes perorandi demandatas esse.* Nostri, *inquit Bruno,* rumpentes silentium, ut omnium faceret verbum, Gebehardum petierunt Salzburgensem Archiepiscopum. Qui surgens (ut erat vir per omnia prudens, et honestus, et honori, quem gerebat, non minimum conferens honoris) vultu modesto, voce mediocri, sensum profudit sapientis et pii pectoris. *Quia vero oratio S. Gebhardi ad calamitates illorum temporum melius perspiciendas, et ad hujus epistolæ, quam publicamus, clariorem intelligentiam plurimum facit : haud gravabor eam lectoribus hoc loco repræsentare ; cum Brunonis de bello Saxonico historia paucis sit nota. Ita ergo Gebhardus ad episcopos et principes, qui a schismaticorum partibus stabant.*

oratio ad schismaticos

2 Episcopi venerabiles, ceterique, quos videtis adesse, Principes Saxonici, hanc operam mihi dignati sunt imponere, quatenus animos omnium, mei sermonis officio debeam vobis exponere. Unde vos omnes, sacerdotes sancti, ceterisque primates eximii, rogatos esse volo, ut me dignemini patienter audire, et causæ communi, quam sum jussus agere, animum tranquillum, quo verum examinare possitis, adhibere, quod non plus nostra, quam vestra (si vultis) interest, quæ sum dicturus, agnoscere : vestro ipsorum testimonio fidenter inde nitimur, quia vos, quamvis a nostra societate discessistis, a veritatis amore non discedere, confidimus. Vestro, inquam, testimonio probare volumus, quantis injuriis, quantis contumeliis simus affecti, dum toto animo, tota voluntate, sicut decebat, Regis eramus servitio subjecti. Vos ipsi scitis, quoties sigillatim vel communiter vestrum petimus auxilium, quo pro benevola servitute nostra, vel hoc, ex intercessione vestra, redderet nobis præmium, ut a multarum, quæ nos importabiles premebant, levaret fasce calamitatum. Hoc, quod sæpe postulavimus, optime scitis ; et, quid postulando profecimus, similiter optime scitis.

3 Inde vos non incusamus, quod vos pro nostra causa, quamvis parum nobis profuisset, sæpe laborasse cognovimus. Quale vero præmium nostræ devotioni dederit ultimum ; quid opus est dicere ? cum manifestum est oculis omnium, quod hoc, quod habuit maximum, nobis expendit extremum. Sacerdotes namque, non solum de nullo crimine convictos, sed nec legaliter accusatos ; aut in vincula, sicut latrones, conjecit ; aut a sedibus suis, quos capere non poterat, omnium rerum suarum nudos effugavit : ecclesiarum bona, quibus episcopi, vel ipsi vivere, vel pauperes Dei sustentare deberent, scelerum suorum fautoribus dissipanda concessit. Terram nostram multis jam vicibus igni ferroque vastavit : cognatos sive milites nostros, in nostris finibus innocentes, occidit, cum nulla ei fuisset causa bellorum ; nisi quod servos habere volebat filios hominum liberorum

EX EDIT. TENGNAG.

rum, sæpe ipsum, sæpe vos singulos et universos suppliciter oravimus, ut gladio deposito, causam nobiscum judiciis ageret, et nos vestrum per omnia judicium secuturos animo libenti spopondimus. Quid his omnibus profecerimus, vos ipsos in testimonium vocamus.

supplicat pro obtinenda concordia,

4 Ergo nos, qui nunc adsumus, cum omnibus, quos tenet Saxonica tellus; o sanctissimi sacerdotes, et vobis, o nobilissimi principes, et fortissimi milites, humiliter supplicamus, ut memores omnipotentis Dei, vestrique officii, vos, quod estis, animarum pastores, non perditores vocati; vos vero, quod gladium ad defensionem, non ad internecionem accepistis innocentum; cogitetis, et nos vestros fratres in Christo, vestros cognatos in carne, ferro et flamma amplius persequi ne velitis. Quod hactenus molestiarum a vobis perpessi sumus, vobis donantes, peccatis nostris imputabimus, et correptionem divinæ pietatis appellabimus: dum posthac injuriarum de vobis securi esse possimus. Gladium et ignem deponite, et sicut decet homines Christianos cum Christianis) causam rationibus, non cædibus agite, et quod ante cruoris effusionem postulavimus, nunc saltem vel cruore nostro satiati, præstate. Multas quidem nobis ærumnas dominus vester Heinricus crudeliter intulit, multis calamitatibus nos ultra modum fatigavit, et tamen ecce parati sumus ei fidelitatem et subjectionem jurare, et juratam fideliter et libenter servare. Tantum, vos, hoc veris assertionibus adstruite, ut nos, salvo nostro ordine, et laici possint facere hoc sine fidei sacræ detrimento; nec nos ab isto campo recedemus, donec omnia, quæ dixi, compleverimus.

conditiones ponit quibus abstineri debeat.

5 Si vero nostras sententias dignati fueritis attendere veris et manifestis, et ex Scripturarum testimonio firmis rationibus ostendemus, quod dominum Heinricum, nec clerici, nec laici regem habere possumus cum animarum nostrarum salute. Nunc ergo, vel vos nobis, quod juste possit regnare, probabiliter ostendite, et nos sub ejus regnum socios fideles accipite; vel nobis, quod rex esse ille non possit, veraciter probare permittite; et nos contra rationem, ut hostes, persequi desinite. Quod si objicitis, sacramento, quod ei jurastis, vos esse constrictos; simili modo confirmabimus, nullo sacramento jure vos ad nostram persecutionem posse compelli. Hæc igitur est summa nostræ petitionis, ut dominum Heinricum, vel vos posse jure regnare, nobis, probabiliter ostendatis; vel nos vobis, eum non posse, veraciter ostendere sinatis; et cum res alterutra fuerit demonstrata, nos igni ferroque persequi cessetis.

Elogium Gebehardi

6 *Hæc S. Gebhardus anno* MLXXXI: *cui Bertholdus Constantiensis suo in chronico ejusmodi monumentum posuit anno* MLXXXVIII. Gebehardus venerandæ memoriæ Juvavensis archiepiscopus, in causa S. Petri præcipuus, qui schismaticos publice dictis et scriptis confutare consuevit, de hac luce subtractus XVII Kalend. [Jul.], magnum mœrorem Catholicis reliquit. *In vita tom.* 6 *Antiquæ lectionis obiisse dicitur* XVI Kal. Julii *in castro suo, quod Weruen dicitur.*

et Hermanni ep. Metensis.

7 *Porro Hermannus episcopus Metensis, ad quem S. Gebhardus hanc epistolam dedit, hoc elogio ab eodem Bertholdo cohonestatur anno* MXC. Heremannus piæ memoriæ Metensis episcopus, et Bertoldus dux Alemanniæ, filius Rudolphi regis, in fidelitate S. Petri, Majo mense diem extremum clausere, magnumque mœrorem Catholicis, et exultationem schismaticis reliquere.

Sed jam ipsum S. Gebhardum loquentem audiamus, in quem schismaticus apologista in apologia pro Henrico IV, quam hæretici nostri non semel excuderunt; acriter dentes stringit; quod tanti viri auctoritate et auspiciis, plurimi a schismaticorum castris abstinerentur et revocarentur. At citius anonymus iste dentes suos fregit; quam S. Gebhardi famam, et existimationem infringere potuerit.

Crescet extento Gebehardus ævo,
Illum aget, penna metuente solvi,
Fama superstes.

EPISTOLA

S. Gebehardi archiepiscopi Salisburgensis ad Hermannum episcopum Metensem.

CAPUT I.

Catholicorum episcoporum per schismaticos persecutiones.

Venerando in Christo patri et domino, Herimanno sanctæ Metensis ecclesiæ episcopo, Gebhardus frater et coepiscopus, quidquid potest in Christo melius.

Exordium epistolæ

Mandavit jam secundo Caritas tua mihi meisque in persecutione sociis, indicare tuæ paternitati, quid in hac Ecclesiæ dissensione tenendum, sentiendumque censeamus, ut respondere valeas his, qui contraria sentiunt et loquuntur. Nos autem moduli nostri non ignari, ad instruendam prudentiam tuam nequaquam prorumpimus; quod non minus ridiculum foret, quam si quis solem facibus adjuvare vellet. Huc accedit, quod sicut facultas hoc non ministrat, sic nec voluntas suggerit. Tædiosum namque et supervacaneum videtur, illos præparandis responsionibus operam dare, quos nemo dignatur audire. Rarum infortunii genus est, quod patimur, qui et in multis accusamur et tamen nullum excusandi locum habere possumus. Seniores namque nostri, scilicet contrariæ partis episcopi, eam cum suis sacerdotibus humanitatem in agendis causis exhibere dedignantur, quam nec propriis mancipiis quemquam oportet denegare, non utentes in nobis exemplo beati Job dicentis: *si contempsi subire judicium cum servo et ancilla mea.*

Queritur, episcopos Catholicos

Job. 31.

non tantum non audiri a schismaticis

2 Ex quo enim hæc inter nos dissensionum scandala oriri cœperunt, numquid illos, licet frequenter et devote orando, exorare potuimus, quatenus ad reformandam ecclesiæ formam et nos illos audire, et audiri ab illis concederent, promittentes, si parti illorum justitiam favere constaret, nos sine dubio sententiam illorum secuturos. Sed fortasse ignorantibus incredibile videtur, quod dicimus, tantæ dignitatis et reverentiæ viros afflictis fratribus non solum compassionem non exhibere, sed et justitiam denegare. Ad faciendam verbis nostris fidem, propter legationes quibusdam illorum privatim directas, ipsas personas exprimimus, cum quibus in publico colloquio vivis vocibus hæc tractata sunt; scilicet archiepiscopum Coloniensem; episcopos Babinbergensem, Spirensem, electos [electum] Treverensem, electos [electum] Trajectensem. Istis pene omnibus Saxoniæ et Turingiæ majores, ubi condictum est, obviam venerunt, et in ea, quam prædiximus, sententia concordantes, ultro se discutiendos obtulerunt, ea conditione, ut si causam suam juxta leges et consuetudines ecclesiasticas defendere non possent, sanioribus illorum consiliis acquiescerent, non confusionem hoc reputantes, si meliora et viciniora saluti ab illis discentes, errorem suum relinquerent.

sed etiam calumniis ubique denigrari

3 Hæc in auribus omnium qui aderant non contentiose, sed humiliter proponentes, nihil profecimus. Et nunc super hæc omnia, fratres et Domini nostri, nihil fraternis calumniis [calamitatibus] et supplicationibus

supplicationibus moti, ea, qua cœperunt erga nos induratione perdurant, nobis quidem audientiam denegantes; aliis, quibus valent, et quantum valent, sinistra de nobis insinuant, nos seductos, et seductores, nos perfidos, nos imminentium malorum caput et causam esse, testantur. Quod sicut incessanter, ita nec efficaciter [inefficaciter] docent. Adjuvat enim sacerdotalem doctrinam regalis munificentia, quæ uno eodemque incitamenti genere et doctores facundos et auditores dociles reddit et capaces. Tantum persuadendi studium, tanta plurimorum credulitas subsecuta est, ut etiam oves nostræ vocem nostram non audiant, sed alienos sequantur. In locis siquidem, de quibus nostræ partis Pontifices expulsi sunt, doctrinæ sibi locum vendicant, ibique in ecclesiis non suis, oves, ad se non pertinentes, usurpatæ prædicationis pabulo ad hoc usque informaverunt, ut pastores pios non solum despicere, sed etiam persequi dignum arbitrentur.

et in exitium præcipitant immerentes

4 Ergo si eo usque prodiit iniquitas nostra, ut nullum de aberratione nostra dubietas locum habeat, et magis plectendi simus, quam audiendi; oportuit tamen viros, qui ejusdem nobiscum sunt nominis et officii, convertendis fratribus potius, quam perdendis studere, errantibus viam veritatis ostendere, et salutaribus monitis divisa membra ad unitatem lucrari. Hoc bonum esset et acceptum coram Salvatore nostro, ut qui de plenitudine ejus abundantius acceperunt, acceptam præ aliis gratiam in alterutrum administrarent, sicut scriptum est, qui audit, dicat, veni. Bonum quidem esset et fraternitatis amatoribus competens, in tali, ut aiunt, præcipitio positos, etiam nolentes retinere, quanto magis eos, qui sanandi desiderio expetunt, et rectiora docentibus obedire in promptu habent; non gravantes inhonestum arbitrantes, sic ab aliis vinci, ut et ipsi suum errorem vincerent.

Apoc.

ac meliora doceri cupientes.

5 Postremo, si tantæ obstinationis essemus, ut veritatis sermo in nobis non caperet; ipsi tamen impiis iniquitatem suam annuntiando, animas suas liberarent. Nobis autem, quorum calamitatis adeo cupidi sunt, carbones ignis congererent, quia tunc nobis major confusionis cumulus accresceret, quando, agnita veritate ab eis, de ignorantia excusationem non haberemus.

Instruit Hermannum,

6 Age nunc, carissime Pater et Domine, quandoquidem nos indigni judicamur, quos verbum veritatis erudiat, cum domus exasperans simus; tu tamen, cui pro commorandi vicinitate, colloquendi cum eis facilior aditus patet; quem etiam tam pro vitæ, quam dignitatis honestate, repulsam pati non oportet. Tu, inquam, pro nobis verbum fac, tu tibi inter nos mediatoris vicem assume. Audi ab eis, quod audiamus; ex te disce, quod doceas; inquire, quibus ecclesiasticis sanctionibus causam suam probent, nostram vero improbent; quatenus per te illos audiamus, quos per se ipsos audire non contingit, et quod proprii oris officio impetrare non potuimus, per allegantis reverentiam consequamur.

quid agere debeat cum schismaticis.

7 Quod si tuæ charitati acquiescentes, hanc a te vicissitudinem exigunt, ut sicut suam nobis; ita nostram illis sententiam insinues; dic quod nostri: dic, quod nihil novum, nihil inusitatum colimus, nihil a nobis, quasi ex nobis; sed quod audivimus et vidimus, quod patres nostri narraverunt nobis, nihil de nobis præsumentes; sed potius contenti stare et tenere traditiones, quas didicimus, nihil per contentionem, nihil per argumentationum versutiam, quæ inimica est fidei. Quod nec propositi nostri est, nec ætatis; quin potius ea, quæ hujusmodi sunt, ætati decentius lascivæ relinquimus; his quidem, qui ad hoc exercitatos sensus habent, non juxta Apostolum, ad discretionem boni et mali, sed ut ingenii sui subtilitate, et linguæ volubilitate, id, quod justum est, quasi recte pervertant; nostri autem nec officii est, nec studii esse debet, ut dicamus, bonum malum; et malum bonum; sed ut Domini nostri æmulatores, quantum ipse concesserit, studeamus reprobare malum, et eligere bonum.

EX EDIT. TENGNAG. Hebr. 5

CAPUT II.

Doctrina Catholicorum de non communicando cum excommunicatis. Rationes in contrarium subdolæ.

Hac itaque puritate contenti, [in] eo, quod præsenti versatur negotio, hoc solum tenemus, quod ecclesia Catholica semper tenuit, quod ab initio cœptæ Christianitatis, usque ad monstruosa hæc tempora, stabile et inconvulsum perstitit; scilicet, quod excommunicatis non est communicandum. Hæc namque dissensionum causa est et seditionum; quod illi ab excommunicatis non abstinent et non abstinendum docent. Nos vero et abstinemus et abstinendum persuademus, præcipue ab illis, qui a præcipua et prima sede excommunicantur. Quæ diversitas contraria docentium sacerdotum, vere facta est ruina populi; vere multorum radix malorum. Ex qua tot male fœcundi rami pullulantes, in universa Ecclesia varios fructus protulerunt et quotidie proferunt. Quorum fructuum amaritudo amarissima non tam ramis, quam radici adscribenda est. Quidquid enim studia partium delirant, quidquid in hac rerum turbulentia a subditis perverse agitur, juste in capita perversa docentium [redit.]

Sententia Catholicorum,

9 Vere nunc impletur, quod scriptum est: *Egressa est iniquitas a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.* Hi namque, qui veritatis præcones dicuntur, quibus credita sunt eloquia Dei, ad evangelizandum populo Dei, si ad ipsum hærerent omnes, et non essent schismata in eis, si more speculatorum providerent, quatenus contentio inter eos, aut non oriretur, aut orta, collatis ex more fraternitatis tractatibus, sedaretur, dubium non est, quin in illorum assertione veri unitatem, unitas etiam populi sequeretur, et adhuc in suo statu permanens, antiquam pacem obtineret Ecclesia, quæ nunc inimicorum suorum pedibus exposita, inaudita contritione conteritur, et incomparabili tam corporum quam animarum strage cruentatur. Cujus sanguis non incongrue de manibus illorum requiritur, qui eam in sui procuratione suscipientes, contra eam dogmatizando, transgredi fecerunt populum Dei.

Dan 13. 5 non licere communicare excommunicatis;

10 Nos igitur et qui nostræ partis sunt, quibus etiam Ecclesiæ disciplina commissa est, ipsi Ecclesiæ in hoc satisfacimus; quia nihil docuimus vel docemus, præter id, quod didicimus. Si inquirimur, unde, a quibus didicerimus; certe multos et nequaquam obscuri nominis doctrinæ nostræ astipulatores habemus. Apostoli nos docuerunt. Apostolorum successores, Apostolicæ sedis Pontifices; præter illos, immo secundum illos, aliorum Patrum copiosa multitudo, qui notæ sanctitatis et auctoritatis sunt, quorum doctrina fulget Ecclesia, et qui cum Domino regnant in cœlis; et in terris miraculis coruscant, quorum sanctionibus non ignorantia vel negligentia, sed studio reluctari, quid aliud est, quam spiritum, qui per eos locutus est, blasphemare?

quæ et perpetua

11 Istis sine dubio, et nobis adversantur, quicumque ab excommunicatis ante canonicam examinationem non abstinent, et non abstinendum docent. Talia enim prædictos Patres concordi et assidua prohibitione vetuisse, non solum hi sciunt, qui ex scriptis illorum acceperunt, verum etiam rudes et illiterati, qui, etsi legem ignorent, tamen ea, quæ legis

Ecclesiæ doctrina fuit

legis sunt, ex inveterata et numquam mutata consuetudine didicerunt. Hæc itaque, quæ legislatorum talium unanimitate statuta, usu antiquissimo hucusque stabilita sunt, quandoquidem apertis oppositisque impulsionibus quassari nequeunt, quasi ex latere machinationes parantur ad decipiendas illorum opiniones, [animas] qui minoris intelligentiæ æstimantur.

Rationes in contrarium ineptæ

12 Et quia apud tales etiam non leviter agitur, ut in adeo triti, lateque patentis itineris ductu exorbitent, juxta iter scandalum ponitur, dum quædam vitia veritati, ad subversionem veritatis, illis proponuntur. Audivimus enim quosdam contrariæ partis clericos, de sua scientia gloriantes, id studii habere, ut de sacris undique codicibus illas sententias colligant, quas sancti Patres ad cohibendum illorum sacerdotum intemperantiam condiderunt, qui in proferendis sententiis præcipites sunt, indiscrete ligando vel solvendo. Vere in his, ut in omnibus, laudabiles atque amplectendæ illorum sententiæ, qui omnium sic curam gerebant, ut et prælatos a præcipitatione compescerent, et subjectorum innocentiæ defensionem necessariam providerent.

et subdolæ

13 Verum illi, qui ad hoc, quod persuadendum susceperunt, ista introducunt, bono, at non bene utuntur. Nam quod sancti doctores ad communem profectum, tam eorum, qui præsunt, quam qui subjacent, constituerunt; hoc isti procul dubio ad contemptum episcopalis ministerii, et ad suscitandam inter pastores et oves discordiam assumunt. Quod in hoc profecto patet, quia illas solummodo sententias, quas suæ persuasioni commodas existimant, auditoribus suis inculcant; aliis prorsus silentio oppressis, quas nihilominus Patres Catholici de eadem re statuerunt, quæque ad hanc litem dirimendam ita necessariæ sunt, ut nullo modo sine illis juste diffiniri valeat. Quæ vero illæ sint, nequaquam a nobis docendi sunt. Ipsi enim melius nobis sciunt, multos Ecclesiæ Doctores multis modis et verbis hoc instituisse, ut si quando de sententia excommunicationis contradictio oboriretur, canonicis discussionibus utriusque partis diligens examinatio fieret, et sic excommunicatoris sententia aut probaretur aut emendaretur.

14 Hæc et his similia prædicti fratres, quasi incognita nec aliquid ad rem pertinentia, dissimulantes ; ad hoc suos sequaces instruunt, ut temere et absque omni probatione legitima, prælatam in se sententiam contemnentes ; jugum disciplinæ penitus excutiant : cumque ignorent minime, hoc etiam antiquitus scitum esse, quod pastoris sententia, sive justa, sive injusta, timenda tamen sit ; illi homines, sub anathemate positos, securos, et de timenda illa a nobis diversione, nihil sollicitos reddunt ; illa scripturarum testimonia frequenter replicando, in quibus hoc adstruitur, quod, qui innocentem maledicit, sibi plus nocet, quam cui nocere appetit, aliaque in hunc modum.

abutentium sacris Scripturis

15 A quibus Sanctorum verbis nequaquam nos dissentimus, quin potius cum amore et reverentia recipimus, studentes, quantum divina largiente gratia possumus, de illa pastoralis officii abusione et nobis cavere, et aliis ut caveant, persuadere. Illis autem, qui hæc ad suæ partis adjumentum plus æquo intorquent, cum tali moderamine assensum præbemus, ut nequaquam ultra terminos constitutos, illorum vestigia prosequamur : non adjicientes, ut hoc ex illorum documentis subintelligamus, quod jam suos auditores subaudire fecerunt ; hoc scilicet, ut si quis excommunicatus, injuste se excommunicatum nudis tantum verbis asserit; excommunicatoris sententia protinus irrita judicetur. Si stabit hæc consequentia jam a nullo excommunicato abstinet; quia nullus eorum se juste judicatum esse fatetur : sed non est æqua partitio, ut subjecti ita audiantur, quatenus prælati inauditi præjudicium patiantur, sicut dicitur ; *non esse justum mediatorem, qui sic unam partem audit, ut nihil alteri reservet.*

easque perverse explicantium.

CAPUT III.

Catholicorum dogma ex Patribus comprobatum. Schismaticorum iniquus procedendi modus

Confutantur schismatici

Quod si hæc noviter emergens doctrina in ecclesia fructificare cœperit, antiqui patres in vanum laboraverunt, qui id modis omnibus satagebant, id conati sunt, quatenus in uno Christi corpore, quod est Ecclesia, nec ab excellentioribus membris minora gravarentur, nec inferiora superioribus resultarent. Multæ illorum constitutiones, causæ quæ inter nos ventilatur, congruentes, hoc novo dogmate frustrantur et in irritum cadunt. Quorum synodicas et decretales sententias si hic inserimus, fortasse fastidium legentibus ingerent; eo quod tritæ sunt et tam usu quam auctoritate notissimæ. Quandoquidem autem illi, qui contraria agunt, tam serenæ luci caliginem inferre conantur, necessarium ducimus, contra ingruentes novitatis hujus obscuritates, antiquam et notam Ecclesiæ lucernam super candelabrum ponere, ut, quod illi tanto conatu oblivioni tradere conantur, nos ad memoriam revocemus, satius æstimantes ad defensionem nostram nota replicare, quam ut nova introduxisse videamur.

ex concilii Nicæni canonibus,

17 Sancti patres in Nicæa congregati, cum juxta institutionem Apostolorum, et eorum Apostolicorum, qui ante synodum Nicænam fuerunt, decernerent de his, qui communione privantur, seu ex clero seu ex laico ordine, ab episcopis, ut hi qui abjiciunt, et qui abjiciuntur [in Synodo provinciali rationes suas afferre possint,] ita subjunxerunt : *Requiratur ne pusillanimitate, aut contentione vel alio quolibet episcopi vitio, videatur a congregatione seclusus.* Qualiter autem quibusve modis inquirendum sit, nihilo minus addiderunt his verbis : *Ut ergo decentius inquiratur, bene placuit, annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrare,* et cætera quæ subsequuntur.

18 Igitur qui ad decentem rei hujus inquisitionem concilia celebranda esse decreverunt, nequaquam, ut nunc moris est, arbitrati sunt, ad probandam eorum, qui abjecti sunt, innocentiam, hoc posse sufficere, si passim vageque in suos excommunicatores absentes convitia et obtrectationes eructent. Ergo qui contra sacros canones Nicænos nulla condicta synodo, nulla præcedente inquisitione, canonica communione privatos, in communionem recipiunt ; audiant, si ejusdem concilii statuta tam leviter violanda sint et contemnenda. Audiant quid S. Gregorius de auctoritate quatuor conciliorum principalium, quorum istud præcipuum est, sentiat ; siquidem in Epistola, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano patriarchis directa, sic ait : *sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor, quia in his velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit, et cujuslibet vitæ atque actionis norma consistit. Quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse videatur tamen extra ædificium jacet.* Item post pauca de iisdem conciliis. *Quia dum universali consensu sunt constituta, se et non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere, quos ligant ; aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.*

a Gregorio Magno lib. 1 Ep. 24. laudatis,

19 Audiant etiam qui tanto annisu sancti ac magni

item a Leone Magno, epist 53,

magni concilii Nicæni statuta annulare satagunt, specialem de illo B. Leonis sententiam. *Leo episcopus Anatholio episcopo. Non trecentis*, inquit, *decem atque octo episcopis, quantumlibet copiosior sit numerus sacerdotum, vel comparare se audeat, vel præferre; cum tanto divinitus privilegio Nicæna Synodus sit consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures, ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum.* Item de eadem re; *Sancti et Venerabiles Patres in urbe Nicæna, sacrilego Arrio cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, et apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt, et siquid usquam aliter, quam illi statuerint, præsumitur, sine cunctatione cassatur.* Ecce nos sumus, in quos *fines seculorum devenerunt*, in quorum temporibus illæ penitus leges destruuntur, quas sancti doctores usque in finem mundi mansuras prædixerunt.

et a synodo Sardicensi

20 Quandoquidem igitur synodo, cujus hic testimonia inserta sunt, omnes synodi quæ authenticæ sunt, quasque ecclesia recipit, principatum concedunt, singulas aliarum sententias annectere non tam necessarium est, quam prolixum. Unum tamen e pluribus de Sardicensi concilio excerpere, non ab re ducimus. In hujus namque concilii præfatione, cum de diversis diversorum conciliorum regulis tractaretur, ita tandem subjunctum est: *Sed in his omnibus illa sequi debemus, quæcumque a Nicæno concilio et a sancta atque Apostolica Romana [Ecclesia] non discrepare videmus.*

Etiam non juste excommunicatis

21 Quod autem in ejusdem concilii capitulo XVII invenitur, illos velimus attendere, qui tam facile etiam quorumbilet episcoporum, nedum Romani Pontificis sententiam sine legali examinatione rescindunt. Quasi discussione non indigeat, quidquid illorum verbis, sive justum sive injustum asseritur. Continetur autem sic in præfinito capitulo. *Si episcopus quis forte iracundus, quod esse non debet, cito et aspere commoveatur adversus presbyterum sive diaconum suum et exterminare eum de ecclesia voluerit, providendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem.* Et paucis intermissis sic demum concluditur: *Tamen priusquam omnia diligenter et fideliter examinentur, eum, qui fuerat a communione separatus, ante cognitionem nullus debet præsumere, ut eum communioni societ.* Ecce in hoc loco specialiter de illo excommunicationis genere agitur, quod iracundia grassante committitur, quod propero et aspero motu acceleratur; et tamen summopere cavetur, ne vel sic excommunicatum ante diligentem examinationem aliquis recipiat.

communicandum non est.

22 Hæc et his similia in conciliis et in Romanorum Præsulum decretis, quasi usque ad fastidium inculcantur. Nec hoc quidem intermittitur, qualis utrosque vindicta sequatur; istos, si excommunicatis scienter et ante utriusque partis justam examinationem communicant, latebrasque defensionum, quo minus ad satisfactionem perducantur, prætendunt; excommunicatos autem, si ante audientiam communicare præsumpserint; si causæ suæ adesse neglexerint; si infra constitutum terminum coram suis excommunicatoribus, causam suam non peregerint; si interdictum sibi ministerium usurpaverint; quæ quia nulli incognita sunt, latius hic enumerare nec necessitas exigit, nec brevitas epistolaris admittit.

Adversarii non petierunt

23 Sed quia adversus ista excusatio locum non habet, fortasse ex ipsis quiddam nobis objicitur, quod in prædicto capitulo statutum est, quod nos quidem, sicut alia quædam, compendii causa reticuimus; illud videlicet, ubi dicitur. *Quia oportet ei, qui abjectus est, non negare audientiam roganti; et ille episcopus, qui eum juste vel injuste abjecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur.* Hinc, ut putamus, ad excusandas excusationes sumunt, quasi propter hoc examinatio, sicut debuit, fieri non debuisset, quod excommunicator ad probandam vel improbandam sententiam, eis patientiam non exhibuerit.

EX EDIT. TENGN.

causam suæ excommunicationis examinari,

24 Ad quod refutandum non scripturarum testimonia, non canonum auctoritas, sed ipse rerum gestarum ordo respondeat. Notum enim omnibus circumquaque est, anathema illud, de quo agitur, in synodo Romana, quæ prima Quadragesimæ hebdomade] nempe anno MLXXX ex more celebrata est, prolatum fuisse. Quod cum in partes Teutonicas insonuisset, in proximo Pascha episcopi, qui in civitate Babinperga, festum illud celebrarunt, in die sancto, inter missarum solennia, multa et inhonesta in Dominum Papam [Gregorium VII] vitia jaculantes; omnibus qui congregati sunt, denuntiaverunt, ex tunc in reliquum, nequaquam pro Apostolico habendum esse; ibique incipientes, pertransierunt per universum regnum, eadem prædicando, adjunctis sibi et aliis ejusdem verbi ministris.

sed statim rebellarunt

25 Quod si talia se, ea necessitate aggressos esse, obtendunt, quod audientia eis denegata fuisset, judicent omnes, qui sanum sapiunt, si in tali temporis intervallo, hoc ullo modo fieri potuerit, quatenus post agnitionem prolatæ in se sententiæ, sedem Apostolicam pro discutienda causa interpellassent, eaque hoc denegante, in prædicto loco et tempore, hanc seditionem commovissent. Liquet profecto, quod, et si voluntas hoc illis suggereret, sicut nec fecit, tamen temporis augustia non pateretur. Unde totum illud pariter comprobatur, quod nec discussio facta est, nec ut fieret, quæsitum est, vel denegatum.

nullo juris ordine servato.

26 Constat ergo temeritatis potius impulsu, quam necessitatis, id actum esse, ut excommunicati ante probationem legitimam, in communionem reciperentur. Quod quemadmodum præfatis concilio et decretis invenitur adversum, ita etiam non nostro, sed virorum apostolicorum Gregorii atque Leonis [judicio,] omni auctoritate vacuum et sine cunctatione cassandum. Et quia non minus ecclesiasticis consuetudinibus, quam legibus refragatur; prædictis duobus testibus, tertium, B. Augustinum, conjungendo, triplicem funiculum faciamus: qui ad Casulanum presbyterum scribens, inter alia, sic ait: *Sicut prævaricatores legum divinarum, ita et contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt.* Item ad Januarium: *Omnia talia, quæ nec sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec episcoporum conciliis statuta reperiuntur, nec consuetudine universalis Ecclesiæ roborata sunt, resecanda existimo.*

CAPUT IV.

Subditorum non esse, damnare superiorem, neque supremum Pontificem.

Verum Papam Subditi damnarunt

Matth. 10

Verum de militibus dominicis interim tacendo, ad ipsius Domini illorum verba veniamus, dicentis in Evangelio: *Non est discipulus super magistrum.* Vere evangelicam et apostolicam doctrinam ante tempus judicaverint, qui tam inordinate, non solum sententiam summi Pontificis, sed et ipsum condemnantes; judicaverunt, sententia indiscussa, auctorem sententiæ, inauditum, inconvictum nec confessum, sed neque conventum vel commonitum: sententiam quidem, quæ tali tempore a synodo Romana promulgata est, quando nulla de præsidente contra dictio fuit; ipsum præsidentem, cui tunc temporis, non solum ea, quæ in istis partibus est ecclesia, sed illa

EX EDIT. TENGNAG.

illa, quæ in toto orbe diffusa est, debitam subjectionem exhibuit. Illum, inquam, suo et non synodali judicio refutaverunt, et alium, qui paulo ante a sede Apostolica damnatus est, eidem sedi, quæ illum damnaverat, pontificem designaverunt, Romana Ecclesia nec conscia nec consentiente.

contra Dei Patrumque scita.

28 Quid igitur canonum testimoniis ad improbanda hæc judicia indigemus, quæ nec similitudinem sensatorum judiciorum tenent, sed quasi prima fronte plena blasphemiæ apparent? Nam, ut verum fateamur, nihil in sanctorum Patrum scriptis contra hujusmodi præsumptiones specialiter edictum, nos invenisse meminimus; quia insaniæ non erat lex ponenda. Ex abundanti autem ab antiquis doctoribus statutum est, contra illas imperitorum episcoporum infestationes, quæ etsi ab adversantium insidiis procedant, nonnullam tamen æquitatis imaginem prætendunt, scilicet induciis, evocationibus, discussionibus, aliisque juxta tenorem judiciorum. Ad istorum cautionem distinguendam, si auctoritas a nobis requiritur, non scripturarum excerpta, sed volumina opponimus, sicut est liber Decretorum Pontificalium, qui pene totus in talium discussione cuditur.

Ordinem in talibus tenenendum, tradit Gregorius Magnus,

29 Sed ne nihil horum ad præsens induxisse videamur, illud saltem B. Gregorii inseramus, quod ad Joannem defensorem euntem in Hispanias scribit de Stephano episcopo, qui, injuste esse se depositum, conquestus est. *Primum*, inquit, *diligenter quærendum est, si judicium ordinabiliter est habitum, si alii accusatores, alii testes fuerunt; deinde causarum qualitas, si accusato præsente, sub jurejurando contra eum testimonium dictum est; si respondendi locum habuit, si examinatio personarum accusantium ac testificantium regulariter facta est. Quod si forte hæc solenniter acta non sunt, in ecclesia sua omnibus modis revocetur. Hi vero, qui eum contra Dei timorem et statuta canonum condemnaverunt, ad agendam pœnitentiam mittendi sunt sex mensibus, ita sane, ut si, alicui eorum mortis contigerit imminere discrimen, viatici benedictio non negetur.*

in causa cujusvis episcopi,

30 Videant ergo prædictorum judiciorum mediatores, si in Romani Præsulis refutatione vel unum de illis sancti viri præceptis observaverint, quæ ille in unius cujuslibet episcopi discussione observanda esse decrevit. Huc accedit, quod multis Sanctorum statutis diffinitum est, ut nullus episcopus, nisi in legitima synodo, et suo tempore Apostolica auctoritate, convocata, judicari aut damnari possit, et quod sine primæ sedis auctoritate concilia rata esse non possint. Hæc, qui quærit, invenire poterit in scriptis Apostolicorum, Julii, Damasi, Marcelli, Gelasii aliorumque, beato Isidoro id ipsum attestante.

nedum an summi Pontificis.

31 Mirandum igitur est, viros prudentes adeo nota oblivioni tradidisse, qui nulla existente synodo, illum episcopum judicantes reprobaverunt, sine cujus auctoritate, nec episcopum aliquem damnare, nec generale concilium licet congregare. Ecce novus ordo judiciarius, ecce matura Domini sacerdotum judicia. Isti judices si eo quo judicaverunt *, judicarentur, ita ut a subditis suis eamdem prædamnationis vicem reciperent, quam Prælato suo impendent, nequaquam hoc ecclesiasticum judicium, sed vere furorem tyrannicum nominarent. Nec id mirum, nam ut de episcopis taceamus, certe nulli hominum cujuscumque professionis vel conditionis sit, tale judicium jure competit, quale in illum processit, qui a nullo homine judicandus est. Sicut ille Apostolicæ doctrinæ adhuc nescius, canonum ignarus, Nicodemus dixit: *Numquid lex nostra judicat quemquam, nisi audierit ab ipso prius et cognoverit, quid faciat?*

* judicio

Joa. 7

Gulbertus intrusus, non potuit esse episcopus

32 De illo autem quid dicamus, qui ad supplendum hujus depositi locum, tam provide deligentium dispositione erectus est? Vere de illo hoc dicimus, verisque testibus approbamus, quod, etsi jam pro suis erratibus nec damnatus esset, nec damnandus sed et sedem illam vacantem invenisset, cui nunc, superstite Pontifice, adulterinus invasor deputatus est, tamen, teste B. Leone, nulla ratio sineret, ut inter episcopos haberetur, quem nec clerus elegit, nec populus expetivit. Cumque ejusdem Leonis atque Cœlestini sententiis diffinitum sit, ut nullis invitis episcopus detur, quanto minus illi ecclesiæ nolenti episcopus aliunde superponendus erat, quæ sui incolumitate Pontificis et concordia potita est.

et ei adhærentes anathema sunt.

33 Ergo quia cum hujusmodi portionem ponere non acquievimus, maledicimur et persecutionem patimur, et velut tantæ discordiæ auctores, traditi sumus nos et nostra in direptionem omnibus, qui in circuitu nostro sunt. Vere, ut aiunt, ab illis, qui hæc faciunt, discordamus, sed non amore discordiæ, immo timore perpetuæ damnationis; certi, quod anathema nobis esset sine fine, si in talibus nos contingeret vitam finire.

Summa rationum, cur Catholici a schismaticis recedunt,

34 Ecce ut jussisti, o dilectissime Præsul, quid in hac re mediocritati nostræ videatur, charitati tuæ expositum est. Si autem a prudentioribus potiora audiemus, obaudire parati sumus, ea tamen inter nos, et eos, qui a nobis diversa sentiunt, vicissitudine servata, ut non per ambages, vel extrinsecus detortas verisimilitudines res agatur. Nec bonæ quidem æstimationis est, ibi exquisitis circumquaque argumentis inniti, ubi de ipsa re tot speciales atque diffinitivæ sententiæ, quæ nulla possunt ratione convelli, a sanctis Patribus promulgatæ sunt, ita ut nullum dubietatis scrupulum reliquerint. Ecce omni tergiversationi remota causæ a nobis expositæ sunt de hoc, quod excommunicatis, quibus illi communicant, non communicamus, quod Apostolicæ sedis Pontifici et B. Petri Vicario abrenuntiare non præsumimus; quod eodem vivente, et cum Romana ecclesia concorditer agente, alium ad eamdem sedem eligere, aut eligentibus consentire non acquiescimus. Ergo si illi qui contraria gerunt, verioribus et præpollentioribus documentis ea licere approbant, quæ nos illicita esse demonstravimus æquum est ut rectiora docentibus, et auditum et assensum accommodemus.

* convitia adhærentes viro Pontifici, qui Pontifex est.

35 Sed his, quæ ad rem pertinent omissis, vitia * et vituperationes, ut dicitur, in Dominum Apostolicum dictitant: quid hoc nostra interest? Si de vita illius agitur, nos non pro vitæ suæ consideratione illi obedimus, sed pro ministerio collatæ in illum dignitatis. Nam meritorum suorum qualitas sacerdotali officio non præjudicat. Quapropter quantumlibet docte, quantumlibet artificiose in reprehensiones illius invehantur, tamen convitia pro accusatione recipienda non sunt. Ipsi enim, ut sapientes, norunt probe, hunc vere confusum et præposterum ordinem esse, si illum quem sine accusatione vel discussione prædamnaverunt, nunc tandem post factum judicium, accusent et discutiant.

Objecta schismaticorum de juramento, ad decipiendum populum

36 Sed et in hoc, ut audimus, studium exhibent, quatenus ex multis Scripturarum collectionibus, suis sequacibus ostendant, quanti sit reatus, perjurium incurrere, et nomen Domini in vanum assumere. Et de episcopis, sicut paulo ante prædiximus, quia insontes damnando, sibi plus nocent, quam quibus nocere cupiunt, quæ quidem sunt rationem veritatis habentia, si quando suo vel loco vel tempore proferuntur; quiddam enim aliud, quam quod sonant, suggerere putantur, ad percutiendam simpliciorum fratrum infirmam conscientiam, quatenus eis sub specie pietatis laqueum injiciant, et quasi vera

vera dicendo, fallant. Diligentius autem intuentibus, ad nostræ controversiam causæ nihil pertinere videntur.

male ab illis explicata,

37 Quomodo enim ad litem inter nos agitatam hoc pertineat, in quo prorsus nihil discordamus, sed ex utraque parte unum idemque fatemur? Nam quis sanæ mentis, perjurium grave peccatum esse, dubitet? Similiter, quod de illa præcipiti sententiarum prolatione dicunt, dicimus; sed ad quod dicendo tendunt, non prosequimur. Verba illorum aliud sonant, aliud sapiunt. Quod contra inordinatas episcoporum promulgationes ab antiquis patribus generaliter disputatur, ita laudamus, ut nullatenus, sicut modo * nolunt, speciatim alicujus episcopi sententiam temere et absque probatione refutemus. Item de perjurio id ipsum, quod et illi, immo quod omnes dicunt, dicimus; quia ingens animæ periculum est et modis omnibus cavendum.

* modum

prudenter examinanda sunt.

38 Illa autem divinæ legis præcepta, quibus innituntur, licet omni veneratione dignissima sint, non tamen, ut illi intelligi volunt, intelligimus; videlicet, ut quidquid quisque juret, indifferenter et sine retractatione servandum sit: quin potius hoc, quod scriptum est, non *pollues nomen Dei tui in vanum; non perjurabis in meo nomine*. cautione * omnibus observandum esse credimus, ut aut nihil jurent, quæ juranda non sunt; et quæ jurata servari nec debent, nec possunt; vel servata in aliud majus aut æque magnum periculum inducunt. Si qui Doctores, subditos suos aut omnino non jurare, aut aliis juramentis, si qua necessitate fiunt, diligentiam adhibere non docent, sed quolibet modo fiant, vel facta sint, exsolvenda prædicant; talis doctrina nullo unquam tempore sana extitit; minime autem in isto, in quo pene omne, quod loquitur populus, conjuratio est.

Levit. 18 et 19.

* caute

CAPUT V.

Schismatici, sacris Scripturis abutentes, docent nullo casu hominem juramento fidelitatis præstito absolvi posse.

Ut Casari faveant,

Quorsum autem hæc prædicamenta tendant, omissis ambagibus; quasi ad vivum tangendo edisseramus. Hoc sine dubio suis machinationibus moliuntur ad hoc sequaces suos perducere satagunt: quatinus quod summum nefas est; fas esse putent, ita quidem, ut, qui propriis gravantur, alienis communicare non timeant peccatis, communicando excommunicatis; ut nulla suadente ratione, sed pro libitu secularis potentiæ; illius potestatis a se jugum projiciant, in qua Dominus et salvator noster totius Ecclesiæ posuit principatum, ut in sedem, adeo specialiter constitutam, violenter irruentibus consensum et auxilium præbeant.

contra summum Pontificem insurgunt,

veteris aeque ac novi Testamenti contemptores,

40 Ad persuadendas autem tales blasphemias quia convenientia testimonia non inveniunt, ratione et auctoritate deficientes, ad juramenta confugium faciunt, quasi jurationum suarum necessitate, necessario illa perpetranda sint, quæ Propheticis, Evangelicis et Apostolicis institutis aperta fronte refragantur. Propheticis quidem, sicut in Deuteronomio legislatorem et prophetam dixisse novimus. *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, et decreto judicis morietur homo ille, et auferes malum de Israel.* Evangelica autem tuba intonat: *Non est discipulus super magistrum.* Apostolorum autem et Apostolicorum quantæ in illos animadversiones procedant, qui contra sedem B. Petri ejusque successores se erigant, per singula evolvere, supersedimus, quia tritum et prolixum est.

Deut. 17.

Mat. 10.

41 Illud tamen S. Gregorii quarti, quo expresse sacerdotes sedi Apostolicæ adversantes denotantur, non reticendum putamus. *Sit*, inquit, *ruinæ suæ dolore prostratus, quicumque Apostolicis voluerit contraire decretis, nec locum deinceps inter sacerdotes habeat; sed extorris sancto fiat a ministerio.* Et post pauca. *Quia majoris excommunicationis dejectione est exigendus, cui sanctæ Ecclesiæ commissa fuerat disciplina, qui non solum præfatæ sanctæ Ecclesiæ jussionibus parere debuit, sed etiam aliis, ne præterirent, insinuare.* Communiter autem omnibus timendum est, quod ipse primus Apostolorum de primo suo successore loquitur. *Si quis*, ait, *nunc contristaverit Christum, qui ei cathedram credidit, non recipiet; et ideo nec ipse recipietur in regnum cœlorum.*

EX EDIT. TENG. SAG. in quos valet sententia S. Gregorii 4,

42 Dicam ergo, qui verba legis ad destruendam legem assumunt, si propter aliqua juramenta in illas prævaricationes recidendum sit, quæ in veteri Testamento morte multantur; in novo autem sicut discipulus veritatis docet, a Christo et a regno cœlorum separant. Quicumque in istis se transgressuros jure jurando spoponderunt, nunc sero de juramenti cautela provident. Certissime enim constat, quia ipsa hora, qua jurabant, quod non jurandum esse, [non] ignorabant, polluerunt nomen Dei sui, et assumpserunt nomen Dei sui in vanum.

dum assumunt verba Legis legem destruendam,

43 Igitur cum apostolis a Domino dictum sit: *Nolite omnino jurare;* nonne contra Dominum fuit, ut episcopi, apostolorum vicem tenentes, illum episcopum, qui Principis apostolorum vicem tenet, abjurarent et proscriberent? Audire ergo velimus e duobus contrariis, quorum alterutrum infirmari necesse sit, utrum tamen ecclesiæ magis eligendum sit; an quod prophetæ, quod apostoli, quod ipse denique prophetarum et apostolorum Magister instituit; seu quod contra hæc omnia moderni pontifices, immo ex Pontificibus palatini conjuratores effecti, noviter conflaverunt?

Matth. 5.

et sua sensa opponunt sacris Scripturis,

44 Sed ut de sublimioribus Ecclesiæ documentis taceamus, utrum major reverentia debetur illis CCCX et VIII, qui in urbe Nicæa, in nomine Domini congregati sunt; an istis, qui præterito anno Brixinæ convenerunt adversus Dominum et adversus Christum ejus? Nam quod illi Spiritu sancto, ut credendum est, dictante in sancta illa et nominatissima synodo condiderunt; hoc ipsi, absque synodali conventu in curiæ tribunalibus adjuraverunt. Siquidem Nicæni canones communione privatos nullatenus absque legitima examinatione recipiendos docent. Isti autem a sancta et apostolica sede excommunicatos non solum sine discussione receperunt, verum et ad ignominiam et confusionem totius ecclesiasticæ regionis ex ipsis anathematizatis Apostolicum sibi elegerunt, vel, ut verius fateamur, *Apostolicum* illum nominantes apostatæ angelo configuraverunt, quem etiam eidem sedi, a qua damnatus est, esse impositturos, jure jurando polliciti sunt; et nunc quidem, ut quod inique promiserunt, crudeliter adimpleant, in ore gladii, in sanguinis effusione non modica, in sacrilega bonorum B. Petri vastatione grassantur.

sacrisque sanctionibus conciliorum,

45 Sed nec regni profligationibus, nec ecclesiarum destructionibus parcitur, dum illorum conjuratio effectu non careat. Illi vero, quorum ad hæc perpetranda flagitia, cruento ministerio utuntur, homines quidem litterarum expertes, ideoque ad seductionem suam creduli, ita novis illis de cavendo perjurio dogmatibus infecti sunt, ut levius atque venalius putent, quorumlibet scelerum mensuram implere, quam stultæ ac prævaricatoriæ promissionis suæ vota infringere; non attendentes, quod et illa juramenta, quæ ex more fiunt et legitima dicuntur, interdum propter varios rerum interciden-

persuadentes simplicioribus

ex edit. Tengnag.

tium eventus, gravioris reatus timore rescinduntur; sicut sæpe milites a suis sæpe famulis, sive satellitium sibi professis, juramenta more usitato exigunt, et accipiunt. Qui si versa vice promissores fidei, ad exercenda latrocinia invitantur, vel ad tractandam principis aut virorum ecclesiasticorum necem, seu ad infringendas ac spoliandas ecclesias, seu ad raptum sacratarum Deo virginum; numquid non jam stultum esset, eos, qui invitantur ad utrorumque perniciem, expetitam opem ferre, et sub nomine fidelitatis, perfidiæ et crudelitatis opera implere?

mutatis rerum circumstantiis.

licite solvi posse aut debere

46 Sic etiam episcopis, ducibus, aliisque in sublimitate positis, ab ecclesia vel fisci hominibus sacramenta exhiberi solent: qui si juxta legum constitutiones, ut aliquando fit, a suis honoribus destituuntur, juratores sui, cum alios sortiuntur dominos, ab anteriorum jurata fide et subjectione se subtrahunt. Isti quandoquidem non voluntarie, sed compulsi juratoriam promissionem irritam faciunt; quid mirum si ab aliquibus, ligandi atque solvendi potestate præditis, illius culpæ indulgentiam consequantur, quam ex inopinata necessitate magis, quam mala voluntate inciderunt? Sed novi dogmatistæ longe aliter judicantes, talium absolutionum ministros, *subversores atque perjuriorum persuasores* nominant, ideoque eos super cathedram Moysi, jam non sedere astruunt, quia Moyses dixit: *Non perjurabis.* Quod si hæc litteræ vetustas absque nova spiritus discretione, immutabiliter tenenda est, possunt quidem dicere, et ipsum Moysen, Moysi cathedra descendisse. Ipse enim qui dixit, *non perjurabis:* dixit etiam: *non occides;* et tamen post frequenter intulit; *qui hoc vel illud fecerit, occidatur.*

Levit. 19.

Exod. 20.

At solvi posse, suadent multa.

47 Propter quas sententiarum varietates, neque prædictarum culparum remissores Moysi, nec Moyses ipse sibi contrarius est: sed dispensatoria sacrarum institutionum edicta, ad aliud et aliud relata, utrobique tamen veritati et justitiæ consona sunt, et causarum ordini congrua. Ecce legislator propter hoc legalem sententiam immutat, ut a legis transgressione coerceat. E contrario novi legislatores, propter hoc legum transgressores facti sunt, ut conjurationis suæ sententia non immutetur. Sunt autem ex ipsis episcopis, qui non se cum aliis juramento obligatos fatentur, et tamen in eamdem sententiam votum vovisse non negant: * cui illorum facto non aliud, quam conspirationis culpam parvi faciunt novimus. Si qui autem conspirationis culpam parvi faciunt, Chalcedonensis concilii statuta relegant, ubi inter juratores et conspiratores, nullo discrimine habito, utrique pari censura plectuntur.

** locus mendosus: sensus est: quos suo facto non aliud, quam conspirationis culpam parvi facere novimus. Concil. Chalc. Can. 18.*

Quod jurarunt episcopi in sui ordinatione Pontifici Rom.

præferendum juramento, tumultuarie facto Cæsari,

48 Quandoquidem igitur hanc promissionem suam, cujuscumque vocabuli sit, tanta cautela custodiunt, cum pace illorum inquirimus, quo ordine, qua ratione, novum illud votum antiquiori præferant, quod in die ordinationis suæ voverunt, cum ad summum Sacerdotium promovendi, de fide et obedientia interrogarentur. Credimus enim memoriæ illorum non excidisse, quod in sacro illo episcoporum et cleri conventu ad promerendam promotionem suam B. Petro, suisque Vicariis et successoribus fidem et subjectionem se servaturos promiserunt: qui tamen nuper ad injuriam ejusdem Principis apostolorum, successori ejus promissam fidem et subjectionem publica professione abnegaverunt. Illud ex antiquorum sanctorum Patrum auctoritate edocti fecerunt; in isto autem solam mundanæ potestatis voluntatem exsecuti sunt. Quomodo ergo hoc pluris faciunt, quod in cubiculo sive in aula regis inter palatinos strepitus conspiraverunt; quam illud, quod coram sacro altari, sanctisque Sanctorum reliquiis, sub testimonio Christi et Ecclesiæ professi sunt?

quod teneri non potest sine crimine,

49 At fortasse ad suam defensionem, nostram vero exprobrationem, illius juramenti, quod nobiscum commune habent, necessitatem prætendent, dicentes; se juratam fidelitatem infringere veritos, nisi regiæ voluntati morem gererent. Ad quod respondendo, de illis inhonestum aliquid eloqui non præsumimus: de nobis autem, quotquot principi fidem juravimus, hoc vere et irrefragabiliter attestamur; quod si nostro consilio animatus, nostraque ope fretus, illud aggressus esset, unde tantum animæ periculum, tantum regni et regii honoris defectum incidisset, sine dubio et sacramenti violatores et fidei existeremus, et non tantum ecclesiasticæ regionis, sed et rei publicæ publici hostes adjudicaremur. Quamvis enim senior dignitate, ætate tamen juvenis fuit, cui hæc fidelis sponsio facta est.

uti docet S. Ambrosius

50 Quapropter id potius fidei erat, quatenus provectiorum ætas juvenilis animi irrationabiles motiones magis mitigaret, quam noxia assentatione incitaret; hoc, inquam, fidei esset et officii; sed sub fidei specie, nocitura persolvere; contra fidem et officium est, sicut S. Ambrosius testatur in libro de Officiis, ubi de Herodiani sacramenti nefanda adimpletione tractat. *Quod æstimatum est*, inquit, *fidei esse, amentiæ fuit.* Item in eodem libro de exhibendi officii discretione. *Officium est*, ait, *depositum servare et reddere. Sed interdum commutatio fit aut tempore aut necessitate, ut non sit officium, reddere, quod acceperis; velut si quis contra patriam opem ferens barbaris, pecuniam apertus hostis reposcat: vel insanienti gladium depositum non neges, quo ipse se interimat; nonne solvisse contra officium est?* Item. *Est etiam nonnumquam contra officium, promissum solvere, sacramentum custodire, ut Herodes qui juravit, et necem Joannis præstitit, ne promissum negaret.*

non uno loco,

51 Item post aliqua: *Unusquisque simplicem sermonem proferat, ne fratrem circumscriptione verborum inducat, nihil promittat inhonestum. Ac si promiserit, tolerabilius est, promissum non facere, quam facere quod turpe est. Sæpe*, inquit, *plerique se constringunt jurisjurandi sacramento, et cum ipsi cognoverint, promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt, quod spoponderunt.* Et paulo post: *Melius est votum non solvere, quod sibi is, cui promittitur, nolit exsolvi. Non semper promissa solvenda sunt omnia. Denique ipse Dominus, sicut Scriptura indicat, frequenter suam mutat sententiam.*

item S. Isidorus,

52 S. Isidorus in libro sententiarum. *Non est*, inquit, *servandum sacramentum, quod male et incaute promittitur, veluti si quispiam adulteræ cum ea permanendi fidem polliceatur; tolerabilius enim est, non implere sacramentum, quam permanere in stupri flagitio.* Similiter in libro Soliloquiorum. *In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quod incaute vovisti, ne facias; insipiens est promissio, quæ scelere adimpletur.*

et S. Beda

53 Sed et venerabilis Beda in explanatione evangelica, quæ publice quotannis in Ecclesia pronuntiatur in decollatione S. Joannis Baptistæ: *Si forte*, inquit, *aliquid nos incaute jurasse contigerit, quod observatum pejorem vergat in exitum, consilio illud salubriore mutandum noverimus.* Et paulo post. *Non solum in jurando, sed in omni, quod agimus, hæc est moderatio solertius observanda, ut si talem forte in lapsum, versuti hostis insidiis, incidimus, ex quo sine contagio surgere non possimus, illum potius evadendi aditum petamus, in quo minimum periculi nos perpessuros esse cernimus.*

CAPUT

A

CAPUT VI.

Docent Catholici boni, male jurata rescindi debere.

Qui male jurat, mutare sententiam debet,

Jurandum igitur non est, seniores Scripturarum peritos, cum de juramentis verbum facerent, nihil de prædicta jurandi cautione attigisse; sed hoc solummodo ad probandum suscepisse, de quo numquam quæstio mota fuit. Nullus enim negat, sed omnes æque fatentur, perjurium malum esse. Ergo si malum est, immo quia malum est, caveant prudentes ne sic jurent, quatinus pejerare compellantur, hoc pro certo scientes, quia se ipsos male et incaute jurando destruere possunt: legem autem Domini et legem Patrum nostrorum jurando destruere, Deo propitio, non possunt. Ecce in prælibatis Catholicorum Patrum sententiis, satis demontratum est, quod juramenta injuste promissa, et in majus periculum vergentia [mutare] cogimur, quia nihil iniquum juravimus.

55 Sed dicitur nobis, fideli principi jurastis, cui, si fideles esse vultis, fidem Domino Apostolico et obedientiam abnegate et abnegationem illam juramento vel scripto firmate et ab excommunicatis a Sede Apostolica non abstinete, et non abstinendum docete: quod si non feceritis, velut infideles, regiæ sententiæ subjacebitis. Dura propositio, et antiquæ illi quodammodo conformis, qua dicitur: *Si vis amicus esse Cæsaris, sacrifica diis; quod si non feceris, punieris.* Si eam, quam jubemur fidelitatem regi impendimus, non tantum coram isto rege, sed coram omnium regum Rege perfidiæ reatum incurrimus: nam omnes divinarum legum sponte violatores, sicut Scriptura docet, apostatæ efficiuntur. Quomodo ergo ad apostasiam et perfidiam, quasi pro juris jurandi religione, constringimur; quia nihil nisi fidem jurasse dicimur? Mira res, fidem juravimus, et nisi perfidiam faciamus, perjuri dicimur et infideles. Nihil unquam juravimus, nisi quod salvo ordine nostro fieri posset.

B

nulla gratiæ Cæsareæ habita ratione;

56 Videamus igitur si Sacerdotalis, vel ordinis, vel officii sit, ad hoc consilium vel opem ministrare, ut Christianus princeps a Christiana lege homines cogat discedere, et discedere nolentes publica animadversione persequatur, ut fugatis Sacerdotibus *Sanctuaria Dei*, quasi *hereditate possideat*, ut oblationes fidelium et patrimonia pauperum suis suorumque usibus * incomparabiliter usurpet; ut Neronis exemplo Petrum et Paulum iterum in membris suis pati faciat; ut Simonem magum rursus contra Simonem Petrum excitet; ut intret in sanctificationem cum superbia, ubi usque modo fideles, in corde contrito et humiliato, pro remissione peccatorum suorum nudis pedibus in ecclesiam [introire] consueverunt; ut loca sanctorum sanguine consecrata, famulorum sancti Petri cruenta strage polluant. Numquid pastoralis officii est, talibus actu vel consilio participare? Numquid fidelitati competit, regibus persuadere, ut Christi tunicam, et Sacerdotum ejus vestimenta scindentes, scindi a se regnum mereantur?

idque exigit officium sacerdotale

Psalm. 82.

C

* irrecuperabiliter

57 Sed hæc omnia novi doctores fidelitati attribuunt, dicentes, se quidem B. Petro atque Sedi Apostolicæ devotos existere, sedenti autem super sedem illam insolitas injurias merito irrogari, qui in homines immeritos, regem scilicet et episcopos, tam insolitam damnationis sententiam promulgavit. Quibus respondendum est, quod etsi in illis synodalibus judiciis districtio mansuetudinem excessisset, ita ut domnus Apostolicus plus solito et non pro materia super eos manum congravarit; decuerat tamen orthodoxos episcopos, Catholico Principi [suadere,] quatinus sic injuriam suam ulcisceretur, ne divinam ultionem in se provocaret, ne Ecclesiæ regulas penitus confunderet, ne cædibus, incendiis, vastationibus id ageret, quod ecclesiasticis discussionibus agendum erat.

etiam ab illis, qui adversentur.

D

EX EDIT. TENG...

58 Aliud quod attendendum est, velimus attendere tam illos, quam qui ab illis edocti sunt; ut credant, hæc omnia licite et impune committenda, propter urgentem præcedentis injuriæ necessitatem, omnemque hujus dissidii culpam ad inchoationis primordia referri. Audiant, inquam, quod, etiamsi christianæ vel ecclesiasticæ religionis esset, talibus injuriis tales vicissitudines rependere, certe nec hoc modo inexcusabiles fieri possent. Nam apostolicæ animadversionis, qua se injuriatos causantur, ipsi potius causa extiterunt, et unde se accensos conqueruntur, hoc ipsi prius incenderant; ideoque injurias non tam retulerunt, quam intulerunt.

Ipsi schismatici prima causa malorum fuerunt

59 Cum enim primum ad initiandam hanc rem Wormatiæ confluxissent, ubi omnis, quam patimur, calamitas exordium sumpsit, nullam adhuc dominus Papa excommunicationis vel anathematis sententiam destinavit; sed ipsi primitiæ discordiarum, ipso ignorante et nihil minus putante, prælationi suæ superba et repentina temeritate abrenuntiaverunt. Initia dolorum hæc primum. Hoc fermentum totam Ecclesiæ massam corrupit.

in Wormatiensi conciliabulo anno 1076

E

60 Quod si quis negat, facile probari potest, si gestæ rei et temporis series recenseatur. Conventus enim ille, de quo dicimus, inter Nativitatem Dominicam et sequentem Quadragesimam constitutus est, ita distantibus spaciis, ut quæcumque gererentur, Romam synodi tempore deferri possent. Sed ante eamdem Nativitatis Dominicæ testivitatem, cum rex natalitium diem Andreæ apostoli Bapinperg celebrasset, tanta adhuc inter regnum et summum sacerdotium concordia viguit, ut omne quod * ibi in destituto ejusdem loci episcopo, alioque substituto, actum est, totum jussioni et obedientiæ Romani imputaretur Pontificis. Et ipse quidem princeps hoc verbis, hoc litteris, a Sede Apostolica charitative directis, injunctum sibi fuisse testatus est. Ecce manifesta indicia hucusque permanentis concordiæ. Quid ergo tam cito intercedere potuit, ut ille, qui in proximo ante Nativitatem Domini tantæ in Ecclesia magnificentiæ fuit, ut ad nutum illius, dignitatum mutationes fierent; idem paucis post Nativitatem diebus, inconventus, inauditus, totius etiam ignarus dissensionis, proscriberetur? Ab illa enim die, qui tanti habitus est ab eis, immo ab omnibus, nullam eorum legationem accepit, usque dum illa veniret, qua dictum est: *Descende, descende, interdicimus tibi omne jus papatus;* aliaque hujusmodi.

ubi papam Gregorium

* loquitur de Hermanno episcopo Bambergensi, ob simoniam deposito et in locum ejus Ruperto substituto

per summam injuriam deposuerunt,

F

61 Dicant ergo hujus legationis compositores, qui conventui Wormatiæ habito intererant: ubi gratis a se jugum disciplinæ projecerunt, ubi sanctæ obedientiæ libellum repudii conscripserunt, ubi novam hanc mundo legem condiderunt: ut servus principis summo Pontifici cathedram episcopalem interdicendi jus habeat. Dicant ergo, dicant, et, si non nobis, tamen Ecclesiæ, juste adversus eos proclamanti, respondeant; quibus præcedentibus causis talia ex debito recompensarint. Si autem competentem rationem reddere non possunt, fateantur necesse est; immo quia non possunt, novæ se confusionis auctores, antiquæ pacis autem et quietis perturbatores, legum divinarum et humanarum destructores; sed utinam fateri mallent, quam tueri, quod perperam admissum est, et fatendo potius corrigere, quam defendendo multiplicare. Hæc faciat Deus et hæc addat, ut quandoquidem

[illegible]

cœptis

EX EDIT. TENGNAG.

cœptis suis omnia confusa respondere conspiciunt, tandem ad cor redeuntes, non adjiciant, ut similem principio finem faciant.

ANNOTATIO TENGNAGELII

Ad prædictam Epistolam.

Perjuria, Orthodoxis objecta,

Schismatici olim, præsertim Guibertini sub Henrico IV, valde insultabant orthodoxis, quasi perjuris, quod se ab Henrici regis, per sedem Apostolicam non tantum excommunicati, sed etiam a regno, omnique regia potestate depositi, obedientia subtraherent ac sejungerent; ut videre est, cum apud alios schismaticos scriptores, tum in decreto quodam Guiberti pseudopapæ, ad universam schismaticorum colluviem misso, ex conciliabulo quodam, Romæ in ecclesia S. Petri abominabiliter coacto (cum Guibertus Romana in urbe omnia sacrilegiis suis profanaret et incestaret:) ubi terque quaterque perjurus Guibertus ita scribit, prout in codice calamo exarato reperimus.

a schismaticis exaggerata,

2 Ibi namque de perjuriis, quæ ipsi ad periculum imperialis dignitatis fieri hortantur, non parvus clamor exoritur. Et quia negotium illud radix et origo ceterorum flagitiorum videbatur, placuit de eo primum tractari debere, et quam pessima et periculosa sit hujusmodi adhortatio, ostendi. Unde in imperatorem excommunicationem promulgatam necessariis documentis improbavimus, quia illius ex occasione perjuriorum et omnium assertionum suarum vires contraxisse videbantur. *Hæc et plura hujus farinæ execrandus Guibertus in illo suo decreto.*

a Gebehardo difflata sunt.

3 *Quam criminationem S. Gebhardus sua in epistola eo fusius et accuratius confutat et profligat, quo a schismaticis frequentius ingerebatur et inculcabatur. Quæ et hodie in recentium Guibertinorum, hoc est Lutheristarum et Calvinistarum animis renovata est; qui receptissimam in Ecclesia Catholica doctrinam de potestate summi Pontificis in perniciosos reges ac principes, omnium perjuriorum originem appellitant, homines fœdifragis perjuriis (quod præcipue de Calvinicolis dictum sit) a planta pedis usque ad verticem capitis immersi. Quos proinde Gebhardus æque ac priscos illos perjuros Guibertinos refellit.* Hæc Tengnagelius; quæ ipsius sunto, non mea.

Pag. 223 subnecte Actis Sanctorum Nicandri *et* Marciani Martyrum, *quæ sequuntur.*

NOT. 6.

DISQUISITIO

De SS. Nicandro et Marciano in Ægypto passis. Item de illorum Synonymis, Venafri et Atinæ in Latio dudum cultis.

An SS. Nicander et Marcianus martyres,

Ut hoc loco de præmissis martyribus dicam aliquid, quodammodo me compellit collega noster Jo-Bapt. Sollerius in suo Usuardo, cujus Martyrologium conatus est primævæ puritati restituere ex varia supellectile litteraria, quam illa de re habemus. Remittit enim ille in Observationibus suis die v Junii (ubi textus Usuardi sic habet: Apud Ægyptum. Natalis Sanctorum Martyrum Marciani, Nicandri et Appolonii, quorum gesta habentur,) *mittit illa, inquam, lectorem ad Supplementum Junii ejusque diem* XVII, *tamquam majorem in quæstione difficili, de qua illic agendum indicat, lucem a me accepturum. Vereor ego, ut id meorum partium sit exequi pro merito, ubi jam viri plures eruditi operam suam collocarunt, alii alia censentes. Scripsit Henschenius in Prætermissis ad diem v Aprilis:* S. Martianus seu Marciana, S. Nicander seu Nicanor, S. Appolonius, martyres apud Ægyptum, referuntur in martyrologiis S. Hieronymi, Adonis, Usuardi, Notkeri et aliis. Iterum v Junii cum aliis sociis referuntur a Græcis et plerisque Latinis. Nacti sumus Romæ aliqua eorum Acta et Græca et Latina, quæ ob Martyrologii etiam Romani auctoritatem, judicamus danda esse dicto die v Junii. *Eosdem nominat idem Henschenius ad diem* IV *Aprilis ex Martyrologio Galesinii, atque iterum ad* VI *ejusdem mensis ex Martyrologio MS. Bruxellensi, utrobique inter Prætermissos, et eosdem statuit esse cum præmissis ex die* V *ejusdem Aprilis, quia ubique dicuntur* apud Ægyptum *passi. Tum omnes remittit ad* V *Junii, quo tam a Græcis quam Latinis coluntur.*

die 5 Aprilis

atque iterum 5 Junii in Ægypto culti,

2 *Deinde ad notatum diem* V *Junii, stans promissis Henschenius, profert sanctos Ægyptios,* Marcianum, Nicandrum, Apollonium *et septem alios nominatim expressos martyres; Actaque martyrii subjicit Græcolatina; præfatus,* celebrem eorum memoriam esse apud Græcos, et trium priorum apud Latinos; *constatque in sententia dum illos, quos die* IV, V *et* VI *Aprilis dixerat ad* V *Junii referendos esse, reipsa ibi refert atque illustrat. Quæritur an recte; et an vere idem sint. Ita opinatur citatus Henschenius; ita Baronius, dum ad diem* V *Junii notat, prædictos tres Martyres* hoc die V Junii, et ad Nonas Aprilis *celebrari* ab Usuardo, Adone et aliis recentioribus: *ideoque et prætermissi sunt in Martyrologio Romano ad Nonas Aprilis, ac tantummodo memorantur ad Nonas Junii; quibus et coluntur a Græcis. Ita etiam suadet palæstra martyrii, quam omnes agnoscunt Ægyptum fuisse* In Ægypto; Apud Ægyptum. *Quod codices nomina martyrum aliter atque aliter subinde forment, mirum nulli videbitur, qui vel modice versatus est in scripturis antiquis, præsertim Martyrologiorum ac nominum propriorum: neque tamen hic tanta diversitas nominum est, ut ex collatione plurium codicum non possint facile ad unam formam singula reduci. Neque hoc diversos facere tres priores, utrobique nominatos, debet, quod die* V *Junii addantur alii nominatim socii septem, ad diem* V *Aprilis non additi. Id factum sit vel brevitatis causa, vel quia illi, primo loco nominati, celebriores ac passim notiores fuerint; vel quia alio eorum corpora cum celebritate fuerint translata.*

et diversi a Nicandro et Marciano Venafranis.

3 *Aliam quoque quæstionem ad* V *Junii præcis tangit Sollerius, de* SS. Nicandro et Marciano, *qui Venafri die* XVII *coluntur; augeantne illi difficultatem quæstionis præmissæ de* SS. Nicandro et Marciano Ægyptiis. *Existimo ego Venafranos non pertinere ad Ægyptios. Id suadent primo utrorumque Acta propria, quæ de Venafranis extant perantiqua et maximæ auctoritatis, suntque ab Ægyptiorum Actis diversissima. Deinde diversissimus quoque est martyrii modus, atque palæstra. Quod si Venafrani alibi quam in Italia subiisse martyrium dici possint (Acta quippe nullum certaminis locum notant) ad Dorostorum in Mœsia ad ripam Danubii, referri potius debebunt, quam ad Ægyptum. Acta Ægyptiorum apud nos leguntur die* V *Junii; Venafranorum die* XVII *ejusdem mensis, utrobique Græcolatina: ex quibus quilibet per se cognoscere possit diversitatem, quam dixi, tum Actorum, tum martyrii, tum palæstræ.*

Horum Acta videntur simul conscripta fuisse

A 4 *Quid igitur de sanctis martyribus* Nicandro *et* Marciano, *qui Venafri atque Atinæ civitatum Italiæ, in finibus regni Neapolitani versus Latium, celebres dudum fuerunt hodieque sunt? Habemus nos Acta illorum Græca et Latina, ambo perantiqua et summæ auctoritatis, ut dixi; sed quæ locum aut tempus martyrii per se non indicant; quod cum in primis præstare* **debuisset auctor, et in Actis Nicandri et Marciani** *seorsim non præstitit; suspicari quis possit, Acta illa cum aliorum martyrum Actis sub idem tempus uno in* **loco passorum,.uno in libello simul collecta fuisse, in** *quo et tempus et locus initio annotata sine dubio fue-* **runt; sed quod posteri, quibus singula seorsim corpora** *martyrum obtigerunt, non observantes, aut non curantes, contenti fuerint, sua singulorum Acta ex communi omnibus libello descripsisse in usum popularium suorum. Eadem opinatus dudum fuit Henschenius, dum illustravit Acta* S. Julii, *item militis ac martyris, Dorostori in Mœsia passi, ad diem* XXVII *Maji, de quo mox plura.*

uno in libello

cum Actis martyrum Dorostorensium,

4 *Ut res tota clarius innotescat, operæ pretium fue-* ***rit allegare, quæ in aliorum martyrum Actis, Dorostori*** *circiter idem tempus, ut mihi quidem passorum, scripta*

B *sunt. Egimus ad diem* XXV *Maji de* SS. Pasicrate *et* Valentione ***ex Menæis et Menologiis Græcorum (Acta namque primæva videntur intercidisse) ubi di-*** *cuntur* ex Rodostolo, *seu Dorostolo*, Mysiæ oriundi, *et* legionarii milites *fuisse. Dicitur item*, ad Pasicratem, *pro tribunali præsidis constitutum*, accessisse Pappianus, germanus illius frater, et lacrymabundus suasisse fratri, uti diis idolo adderet, ac cederet ad tempus necessitati, quemadmodum et ipse fecerat, (Frater enim Pappianus ex meliorum et futurorum contemptu, ac præsentium bonorum desiderio metuque suppliciorum, a Christi fide apostata defecerat.) Quem Pasicrates execratus, suo sanguine et genere indignum proclamavit, nec idoneum esse, cujus consilium, cum a fide Christi nefarie desciverit, audiatur. *Deinde* interrogatus Valentio, an cum Pasicrate sentiret, idque constanter affirmaret; in utrumque sententia capitis pronuntiatur.

Pasicratis,

Valentionis,

6 *Egimus ad diem* XXVII *ejusdem Maji, de* S. Julio, *item milite et martyre Dorostori, qui biduo post S. Pasicratem ac Valentionem passus est sub Maximo præside. Ejus Acta ad dictum diem exhibuimus, et mox integra edidit postea Ruinartius inter sincera. (Quæ tamen per me non video judicare, magis sincera esse, quamvis ampliora sint, quam quæ nos edidimus.*

Jul

C *Ad Acta illa nostra præfatur Henschenius in commentario, ea videri aliunde abstracta*, et forsan ex Actis S. Pasicratis, quæ latent. *Nec incuriose id Henschenius observavit ex ipsis Actis, quæ edidit hoc principio:* Ecce sanctissimus Julius,.... propter regnum Dei similia passus eis, quæ ergo B. Pasicratem [*facta sunt, vel facta vidimus*] Erat quidem hic Julius secundum seculi hujus militiam, præmemoratis viris commilitans, deinde æmulatione religiosus, imitator effectus eorum, qui ante eum martyrizaverunt. ***Quinam, quæso, hi*** præmorati viri, *quibus* commilitarat *Julius; nisi illi, quorum martyrium in eodem libello jam descriptum erat, puta Pasicratis, Valentionis et aliorum militum, cum ipsis biduo ante passorum eadem de causa, quod cum militiæ adscripti essent, no-* ***luerint tamen secundum imperatorum præcepta, sacrificare idolis.***

7 *Sequitur in iisdem Actis, quod postquam præses Maximus sententiam hanc pronuntiaverat*; Julius, nolens præceptis regum acquiescere, capitalem dabit sententiam; ***deductusque is esset ad locum supplicii***, *accesserunt ad eum multi et osculati sunt.* Esychius autem quidam Christianus, cum esset miles, et ipse custodiretur, dicebat Martyri: obsecro Juli; cum gaudio comple pollicitationem, et accipe coronam. D Etenim ego subsequor te: plurimum autem saluta Pasicratem et Valentionem Julius autem osculans Esychium, dixit: Frater, festina: sicut enim te, video circumstantes me, *nempe Pasicratem et Valentionem martyres, quos salutari a me cupis.*

biduo post Pasicratem passi

A CT. BR. C. I.

8 *Quid porro de hoc* Esychio? *Colitur* XV *Junii, ubi de ipso sic scribit Usuardus in Martyrologio suo expurgato*: Apud Mesiam, civitate Dorostoro; S. Esichii militaris, qui cum beato Julio comprehensus, sub præside Maximo postea coronatus est. *Quanto tempore postea? A die* XXVII *Maji usque ad* XV *Junii. Quo die et Henschenius de ipso egit, adducitque textum, quem modo citavimus ex Actis S. Julii, ubi dicebat*: Ego subsequor te. *Quod ita factum est.*

et Esychii cum Julio comprehensi.

9 *Pergamus ad* SS. Nicandrum *et* Marcianum. *Duobus illi post Esychium diebus passi notantur. Acta* ***eorum tam similia sunt Actis S. Julii, quod ad stylum, ad brevitatem, ad genium præsidis Maximi, qui utro-*** *bique nominatur; quod ad interrogandi et respondendi* ***modum, ad antiquitatem quoque attinet, ut ab eodem*** *auctore conscripta, eodemque ex libello desumpta esse plane dici possint. Inter alia continent, Græca quidem num.* 6: Καὶ τῷ μὲν Νικάνδρῳ ἠκολούθει ἡ γυνὴ αὐτοῦ, καὶ Παπίας, ὁ ἀδελφὸς Πασικράτους τοῦ μάρτυρος, τὸ παιδίον βαστάζων τοῦ ἁγίου Νικάνδρου. *Quæ eodem plane sensu sic latine leguntur apud Ruinartium*: Et Nicandrum quidem sequebatur uxor ejus, ac Papianus frater martyris Pasicratis, filium Nicandri portans infantem. *Papebrochius ad hunc locum in editione nostra Latina observat Annot.* i, *ordinem nostri textus Latini hoc loco aliquatenus aliter transpositum esse atque aliquot verbis carere: quod verum est. Sed jactura hæc ex editione Ruinartii satis compensatur, quæ cum Græca nostra concordat.*

E

Acta Nicandri et Marciani

10 ***Ex allegatis textibus existimo certissime con-*** *cludi posse, martyres illos eodem tempore vixisse, atque intra bimestre aut trimestre, omnes martyrium sustinuisse in uno eodemque loco, nempe Dorostori in Mœ-* ***sia, et sub eodem præside Maximo; Galerio Maxi-*** *miano Cæsare, qui in Illyrico, Mœsiam complectente,* ***dominabatur, solos Christianos, militiæ adscriptos,*** *tunc persequente. Plerique videntur ex Actis omnium et singulorum inter se collatis. In sacris quoque Pasicrate et Valentione memoratur* Papianus frater Pasicratis. *In S. Julio memoratur* S. Pasicrates *plus vice* ***simplici, cujus et*** commillito *dicitur fuisse Julius*: *commemoratur item* S. Esychius miles Christianus, ***qui Julium, instante martyrio ejus, animavit, jussitque*** *salutare* Pasicratem et Valentionem, *ante biduum martyrio coronatos, et se subsequi eum promittit. In S.* ***Esychio, dicitur ipse etiam*** militaris, *et* cum beato Julio comprehensus, *et* sub præside *eodem* Maximo coronatus postea fuisse. *Denique in Actis SS. Nicandri et Marciani legitur* Papianus frater martyris Pasicratis, *venisse ad Nicandrum, ... gladio subm... surum, portans filium ...*

sunt prædictis similia;

11 *Confer præterea inter se Acta S. Julii ... Nicandri atque Marciani, tum apud nos, tum apud Ruinartium, quæ primæva et sincera ab eruditis ... cantur; comperies, unius scriptoris utramque ...* ***ac ejusdem temporis. Stylus orationis utrobique succin-*** *ctus, clarus, simplex, uti proconsularium Actorum esse solet. Ingenium Præsidis utrobique idem, non sanguinarium, sed mite, humanum, mansuetum; qui ne non odio in personas aut religionem Christianam agebatur,* ***sed tantum causabatur præcepta Imperatorum, cur mi-*** *lites, qui sacrificare diis nollent, necare deberet: tum etiam mitissimam utrobique sententiam dedit, ut capitis abscissione tollerentur. Quo mortis genere et* Pasicrates *et* Vincentio, *et* Esychius, *commilitones illorum subiati fuerunt; ut eadem mortis sententia ex ejusdem quoque judicis ingenio et mansuetudine profecta fuisse,* *dignosci*

et cum Actis eam congrua

eumdem ... cant auctorem.

AUCTORE C. J.

dignosci possit. Observari quoque potest, in Actis S. Julii signari diem passionis ejus VI Kal. Junii, seu XXVII Maji; in actis vero SS. Nicandri et Marciani notari diem passionis eorum XV Kal. Julii, seu XVII Junii; ibidemque signate scribi in utraque editione citata, hos a Præside missos in carcerem fuisse, atque post XX dies iterum ad Præsidem adductos, capitalem sententiam accepisse. Ex quo consequi videtur, ipsos cum S. Julio, aut sub idem tempus, comprehensos fuisse, quemadmodum tunc etiam comprehensus custodiebatur S. Esychius, quia Christianus et miles erat, uti legitur in Actis S. Julii: postridie vero martyrii S. Julii primum examinatos et carceri mandatos, vigesimo post die, qui fuit XXVII Junii, inde reductos capitalem sententiam subiisse.

eumdem passionis locum Dorostorum,

12 Ex dictis facilius patebat, quo loco et tempore SS. Nicander et Marcianus ac proinde reliqui omnes, passi fuerint. Acta ipsorum indicant, quod martyrizati sunt XV Kal. Julii idque sub præside Maximo; quod ipsi milites fuerunt; quodque ad Nicandrum jam decollandum venit Papianus, frater martyris Pasicratis. Ex his Papianus memoratus in Actis S. Pasicratis, Maximus præses in S. Julii. Julius porro et Pasicrates ambo passi sunt Dorostori in Mœsia. Igitur et Nicander ac Marcianus. Præses quoque Maximus S. Julium Dorostori adjudicavit morti, ergo etiam SS. Nicandrum atque Marcianum. Dorostori namque residebat Maximus; ibi convenit Papianus fratrem suum Pasicratem et Nicandrum; ibidem Pasicatres et Julius martyrium consummarunt: igitur et Dorostori consummarunt Nicander et Marcianus. Et hæc de loco martyrii.

idem quoque tempus,

13 Inquiramus nunc in tempus. Eo juvabit notasse, omnes quos dixi, martyres Dorostori passos, Pasicratem, Valentionem, Julium, Esychium, Nicandrum atque Marcianum, fuisse milites, uti Acta singulorum produnt; ac propterea, quod milites essent, nollentque ex præcepto Imperatorum sacrificare idolis, fuisse comprehensos et capite damnatos. Quamvis sub imperio Diocletiani atque Maximiani et Galerio Maximiano Cæsare, alii atque alii diversis temporibus pro Christi nomine martyrium subierint, duæ tamen persecutiones maxime atroces inciderant, altera adversus milites Christianos, quæ cœpta sub annum CCXCVIII, tenuit quadriennio, altera universalis in omnes omnino Christum colentes, quæ cœpit anno CCCIII. Primæ classis fuerunt Martyres nostri, qui omnes militiæ nomen dederant, et quia Christiani erant, jussi sacrificare diis, renuerunt, malueruntque renuntiare militiæ quam Christo, et vitam per martyrium perdere temporalem, quam diutius vivendo perdere æternam. Quoto autem anno persecutionis militaris passi sint, eruitur ex Actis nostris S. Julii, ubi præses Maximus Julio promittit fore ut, si sacrificaverit, mox accipiat decennaliorum pecuniam; ex quo intelligitur decennalia tunc acta, aut mox agenda fuisse. Nulla autem decennalia per illud quadriennium agi potuerunt nisi imperii Cæsarei, a Constantio Chloro et Galerio Maximiano, quæ in annum CCCII incidebant; utpote qui anno CCXCII Cæsares nominati fuerant, ut recte statuit Pagius, et anno CCXCVII quinquennalia celebraverant. Illo igitur anno decennali, æræ communis CCCII, passi sunt: nisi forte præcedenti.

quod fuit annus 302.

14 Ex dictis hactenus videtur consequens, Nicandrum et Marcianum, quorum corpora Venafri et Atinæ dudum in veneratione fuerunt, aut illic martyrium non subiisse, aut si qui alii synonymi illic passi sunt, aliorum Acta illis perperam fuisse applicata. Malim ego credere, suam cuique opinionem condonans, corpora illorum una cum Actis Græcis ex Mœsia in Italiam translata et apud Venafrum et Atinam collocata fuisse primo aut secundo post martyrium seculo, et fortassis primo, quando jam Gothi barbari et infideles, e Dacia in Mœsiam frequenter irrumpentes, civitates Danubio proximas maxime infestabant: quorum metu possunt reliquiæ Sanctorum Dorostoro in loca tutiora delatæ, usque in Italiam pervenisse. Uti scimus, similes Cælitum reliquias in Galliis et alibi, seculo IX metu Normannorum infidelium sæpius in terras longinquas fuisse deportatas. Interea depositis apud Venafranos et Atinenses corporibus cum Actis Græce scriptis, digno quidem honore illa habuerint semper incolæ, sed paulatim obliterata, uti fit, memoria, cujates essent Sancti sui; verterit aliquis Acta Græca in linguam Latinam (id enim factum esse, constabit conferenti utraque a nobis edita ex antiquis MSS. cumque in illis nihil de loco aut tempore martyris, nedum de translatione, notatum reperiret; persuaserit sibi, Sanctos in loco, ubi corpora dudum honorabantur, etiam passos fuisse: imo ne quidem id sibi persuasit primus interpres. Antiquiora quippe Acta Latina cum Græcis ita conveniunt, ut nihil superadditum habeant; qualia sunt, quæ edidit ex MS. Capuano Antonius Caraccioli in sacris ecclesiæ Neapolitanæ monumentis pag. 339; quorum exemplo Theodoricus quoque Ruinart in Actis primorum Martyrum sinceris, sua eodem modo finit, citatque quæ ita desinunt, Vaticana MSS. duo, alterum Græcum alterum Latinum.

Illorum igitur nullus passus est in Italia,

ubi Acta Græca latine versa sunt,

15 Post primam igitur versionem, et fortasse diu post, alii addiderunt alias atque alias lacinias, prout cuique suus genius suggessit. Et quidem ipse codex Vallicellanus, ex quo Mabilio horum Sanctorum Acta in suo Museo Italico impressit, indeque Ruinartius sua recudit, isthoc additamentum habet: Et sic eodem genere martyrii in hoc mundo interempti, ambo victores et triumphatores martyres Christi ad æterna gaudia migraverunt in cœlis, qui pro amore Dei, minas hominum et verbera contemnentes, Christi amici effecti sunt in regno cœlorum. Dignis itaque honoribus sunt venerandi sæpissime, ut eorum precibus mereamur consequi cœlorum regna ac præmia largissime: qui in pluribus locis, Christo operante, multa beneficia præstant. Susceperunt martyrium sexto decimo Kalendas Julias, regnante etc.

adscriptis subinde uno

16 Item in aliis tribus MSS. Vaticanis hæc addita esse, idem Ruinartius dicit: Requieverunt autem Christi martyres Nicander et Marcianus, et Daria uxor Nicandri cum filio suo, in civitate Venafro. Tunc Christiani abstulerunt corpora eorum, et sepelierunt ea prope locum, in quo decollati fuerant: in quo loco fabricata est basilica ad honorem nominum ipsorum. Sub altare ejusdem basilicæ quædam stilla manat, de qua infirmi multotiens sanitate recepta, usque in hodiernum diem potant. Qui in singulis locis suis, Christo operante, multa beneficia præstant. Susceperunt autem Martyrium XV Kalend. Julii, regnante etc.

altero

17 Accipe etiam hic additamentum (ut omnia simul habeas et prudentius judicium ferre possis) prout in nostra vita Latina impressum est. Post amputavit capita eorum, sic habet: Tollentes igitur sub silentio noctis corpus S. Nicandri cives Venefrani pretiosis aromatibus illud condiverunt et posuerunt in prædio, quod appellatur Paonis, ubi adhuc quiescit. Sanctum vero Marcianum cives Atinates tulerunt, et posuerunt in basilica, ubi nunc requiescit, et præstat multa beneficia usque in præsentem diem omnibus, qui ibidem suffragia ejus fideli corde requirunt. Passi sunt sancti martyres Christi Nicander et Marcianus die decima quinta Kal. Juliarum regnante etc.

ac tertio additamentis.

18 Agnoscit per se lector, magis sincera et magis antiqua esse Acta Latina, quæ cum textu Græco, ex quo translata sunt, magis concordant atque omni additamento carent. Illa autem nullum martyrii locum, nedum Italiam, aut Venafrum, aut Atinam exprimunt.

Quæ nulla habent, sinceriora sunt

Inde

Inde igitur nihil habere possunt incolæ dictorum locorum, unde sibi Martyrum suorum palæstram vindicent. Sed neque id habent ex Actis Latinis, quæ postea cum additamentis prodierunt. Illa quippe additamenta, tum diversissima sunt inter se; tum nescitur, a quibus, ubi, quando adscripta sint; atque legenti suspicionem continuo movent, a describentibus Acta vetera pro affectu cujusque suo superaddita esse nullo cum fundamento historiæ. Neque vero quæ videntur fundamentum historicum habere, ut sunt additamenta num. 16 *et* 17 *producta, ullum reipsa habent. Quippe quæ neque in Actis primævis ac sinceris, in quibus talia exprimi debuissent, si vere fuissent facta; neque in auctoritate antiqua fundantur.*

19 *Talia sunt, quod* Nicander et Marcianus, *capite truncati,* et Daria uxor Nicandri cum filio suo, in civitate Venafri requieverunt. *Quod* Christiani abstulerunt corpora eorum et sepelierunt ea prope locum, in quo decollati fuerant; *uti habet additamentum num.* 16; *ut vero aliud num.* 17 *habet* : Tulerunt corpus S. Nicandri cives Venáfrani et posuerunt in prædio, quod appellatur Paonis, ubi adhuc quiescit. Et S. Marcianum cives Atinates tulerunt et posuerunt in basilica, ubi nunc requiescit. *Quæ uti inter se non conveniunt, ita neque in Actis primævis, quæ Venafrani ac Atinates suis Martyribus propria faciunt, fundamentum habent. Sed nec in illis verbum legitur de martyrio aut felici morte aut sepulturæ loco Dariæ aut filii ejus.*

Auctore C. J.

Pag. 300 *post Acta S. Hervæi Abbatis adjice quæ hic sequuntur.*

Not. 7

DE S. HERBAUDO SEU HERIBALDO

SOLITARIO IN BRITANNIA ARMORICA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

C. J.

Acta qualia et quando scripta; locus exercitationis; ecclesia propria.

Acta qualia,

Habuimus dudum Acta quædam sancti Herbaudi, *ut ibi scriptum est, seu* Heribaldi, *qui e Britannia majore, relictis parentibus, adhuc juvenis, Deo serviendi desiderio, trajecit in Minorem; ubi sanctitate vitæ et gloria miraculorum eximius fuit. Vitam egit fere solitariam in nemoribus, habitum indutus monachalem. Acta Bollandus submissa fuerunt e collegio Societatis nostræ Corisopitensi in eadem minori Britannia. Sunt autem scripta stylo simplici; narrant credibilia; non excedunt in prodigia, quæ sunt supra captum humanum, uti sæpe earumdem nationum acta Sanctorum alia. Attamen catenus deficiunt, quod tempus nullum designent, quo aut Sanctus vixerit aut vitæ Auctor scripserit. Illum ego quidem credidero antiquis temporibus vixisse : hunc vero longe recentiorem esse, ac tribus quatuorve abhinc seculis scripsisse, videtur ex Actis conjici posse; dum num.* 9 *sacrosancta Eucharistia vocatur* hostia consecrata, *et Sanctus dicitur, accepto corpore Dominico,* extremis Sacramentis munitus *fuisse. Quæ loquendi formulæ videntur recentiorum usum sapere. Adde, quod num.* 10 *dicuntur tempore belli venisse* Angli, qui caput Sancti, argento et auro adornatum rapientes, una cum ipsius legenda, in Angliam transmiserunt. *Quod factum fuerit seculo* XIV *aut sequenti; quando et vox* legenda *cœpit frequentiori esse in usu quam antea.*

et quo tempore scripta.

Ultima Viri sancti palæstra

2 *Locum, quem ultimum incoluit* Heribaldus, *ubi et mortuus et sepultus sit, ponit Auctor in parochia, quæ suo tempore ab incolis nominabatur* Berien an Halgouet. *Utrumque nomen reperio in hodiernis Armoricæ tabulis geographicis, exiguo inter se spatio disjuncta, et proxime appingitur silva, in qua potuerit Vir Sanctus vitam solitariam egisse. Sunt autem in mediterraneis Britanniæ inferioris sub diœcesi Corisopitana, pari fere spatio leucarum* XIII *a Corisopito in Septemtrionem et a Bresta in ortum solis. Codex beneficiorum dictæ diœcesis gallice impressus, alteram parochiam vocat* Cure de Berien, *alteram* Cure de Huelgos.

obscura ejus memoria,

3 *Nihilominus memoria Sancti nostri, uti et multorum aliorum in Armorica, apud scriptores istiusmet gentis obscura est; nullam ejus (quod reperire potuerim) mentionem facientibus aut Alberto le Grand, in Sanctis Britanniæ; aut Bertrando d'Argentre in sua Historia. Imo novissimus Historiæ Britannicæ compilator Dom. Lobineau in Indicibus suis ne quidem meminit* Herbaudi *seu* Heribaldi *nostri. Id tamen morari nos non debet magnopere. Quia videtur ille potius intendisse historiam scribere civilem, quam ecclesiasticam sanctorum, quorum nomina, saltem præcipuorum (nostro interim Heribaldo prætermisso) sic conglobat ad calcem libri secundi, ut dici quidem possit illorum meminisse; quam eis paucorum gesta per decursum historiæ attingat; seu quod illorum Acta, quæ citat in multis, eatenus putaverit fidei esse; seu quod temporum ratio in plerisque ita turbata sit; ut ordinatam chronologiam inde non potuerit formare.*

Ecclesia ejus nomine appellata

4 *Interea sive Auctor istius Historiæ nominet Sanctum nostrum, sive non nominet; ut pro Sancto haberi, atque huic operi nostro ejus Acta inseri possint, sufficiens argumentum est, quod a tempore immemorabili habitus sit pro tali, quodque publicæ ecclesiæ sint, quæ ab ipsius nomine,* S. Heribaldi *appellantur. Una saltem talis memoratur in Actis, in qua et corpus ejus depositum et conservatum quievit, et conservabatur illo ipso tempore, quo Auctor noster Acta scripsit sua, postquam Acta antiquiora cum capite ablata fuerunt ab Anglis. Præterea confirmat Claudius Castellanus in Indice Martyrologii sui universalis, esse in eadem Britannia ecclesiam* S. Heribaldi, *ipsumque ibi Patronum seu Protectorem coli. Nesciverit tamen etiam ipse, æque ac nos, diem proprium, quo celebratur : quia nullum notat.*

Cur Acta hic dentur

5 *Quamobrem ne* S. Heribaldi *memoria semper lateat, Acta quæ habemus, publica facimus hoc potissimum die* XVII *Junii, subnectenda Actis* S. Hervæi; *qui etiam ipse e Britannia majore oriundus, in Britannia minore palæstram exercendi virtutes suas invenit, in loque in cælum sanctus evolavit : ut qui communem originis suæ patriam, et commune sanctorum certaminum suorum theatrum habuerunt, habeant quoque conjuncta actionum suarum exempla; dum alterius dies natalis proprius ignoratur. Quemadmodum propter similem aliquam connexionem Acta S. Petri Athonitæ, cujus certus natalis pariter ignotus est, subjunximus S. Onuphrio eremitæ notissimo, die* XII *hujus ipsius mensis Junii. Fortassis excitabitur hinc aliquis Britonum*

Britonum, Sanctorum suorum gloriæ studiosus, ut quæ nos studio et labore nostro assequi e longinquo loco nondum potuimus, ipse propius indaget ac nota faciat.

ACTA

AUCTORE ANONYMO

Ex codice MS. ad Bollandum olim missa e collegio Societatis Jesu Corisopitensi.

Natus in Britannia Majore Heribaldus trajicit in Minorem: ejus ibi exercitationes, miracula, obitus et ecclesia.

Natus in Britannia majore

Herbaudus ex majori Britannia oriundus, nobilibus natalibus ortus, mundum respuens, ut Christi Patrumque sanctorum imitatione æternaque gloria frueretur. Cujus parentes more Abrahæ patriarchæ et Saræ uxoris ejus, cum prole carerent, humiliter a Deo petierunt, ut hujusmodi opprobrium Dominus Deus romovere dignaretur. Cum igitur quadam die sic omnipotentem Deum, a quo cuncta procedunt bona, orantibus et deprecantibus angelus Domini apparuit dicens; Exaudivit Dominus deprecationes vestras, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum : quod quidem oraculum [esse] non dubitabant. Tandem Dei favore concepit mulier generosa puerum, qui natus mundo, sacro baptismate Deo dedicatus, et Herbaudus appellatus est. Her enim interpretatur vigilans sive consurgens, et baudus, quod idem est quod donum Dei, vel gratificatio. Secundum enim nomen ejus, sic et laus sua in generatione singulorum vigilans vigilavit, præcepta Dei observando, consurgens ab hoc seculo sicut lux auroræ oriri visus est. Cum enim quadam die mater ejus prospexisset circa puerum lumen, universum mundum vidit; quod admirans, cum visionem marito retulisset, ait, gratias Deo omnipotenti agere debemus, qui nobis hoc donum concedere dignatus est : nam hic puer aliquid magni erit.

ex sterili matre,

resplendet lumine.

Adolescens,

2 Perveniens puer bonæ indolis ad adultam ætatem orationibus vacabat, terræ nudus accubabat, paucis cibis grossioribus contentus, vigiliis et obsecrationibus ac jejuniis dies noctesque persolvebat, non lasciviens, ut illa ætas solet, alios suosque coætaneos verbis salutiferis instruebat, nec aliquod verbum superfluum eos loqui sinebat; dicebatque prophetæ dictum, Prohibe linguam tuam a malo et labia tua ne loquantur dolum. Hic enim loca deserta et aspera petebat ut obsecrationes Domino Deo effundere libero animo potuisset. Tandem puer contemptis divitiis ac honoribus hujus mundi, pervenit ad quoddam nemus, ibidem inveniens in quadam spelunca solitaria quemdam virum sanctum et ejusdem monita salutifera suscipiens (quibus monitis docebat Christi verba, Qui non reliquerit semetipsum, patrem, matrem, fratres, sorores aut agros non potest meus esse discipulus; qui autem hæc reliquerit propter me vitam æternam possidebit) susceptis viri Dei monitis, domum paternam rediens, talia voce lugubri parentibus protulit.

juxta evangelicam doctrinam

relictis parentibus,

3 Pater, inquit, te relinquere cupio, ut patrem, qui in cœlis est, invenire possim; quoniam qui dilexerit patrem aut matrem plusquam Christum Dominum salvatorem mundi, terrasve, possessiones, uxores aut sorores, non poterit ejus esse discipulus. Idcirco pater mi venerande, tibi, matrique vale pro posse refero. Nam ad salutis portum mentis gressus et corporis dirigere dispono, ut animæ quietem perenniter cum beatis una vobiscum percipere merear. Cum hujusmodi verba parentes ejus dolore cordis pertacti, audissent, lacrimantes in osculum pacis irruerunt, vale inquiunt, fili, percipe regnum, quod paratum est justis ab origine mundi. O! cor humanum, non cogitare posses, quanta in hujusmodi discessu lacrimosa verba protulerunt, lingua exprimere nequiret mensque cogitare : solus maternus affectus sentire potuit.

trajicit mare in Armoricam

4 Recedens puer prudens ad loca amica mœroribus, in Armoricam transvolavit, maris periculis transactis, in quibus multa ob ejus preces miracula multi nautæ senserunt et a multis periculis liberati fuerunt. In qua Armorica moram trahens Deo caste et juste serviens,, multis claruit miraculis, ita ut angelico uteretur colloquio. In hujusmodi Armoricæ littore existens vir Dei, multi infirmi, paralytici, surdi, claudi, ejus precibus sanitati restituti sunt. Deus dedit illi donum virtutum magnum, cæcos illuminare, dæmones effugare, qui intercedat ad Dominum pro peccatis omnium populorum. In Armoricæ partibus existens, multi pro sanitate recuperanda confluebant, sed beatus vir, mundi honores contemnens, loca solitaria requirebat; in quibus ab hominis inimico tanta passus est, quanta lingua exprimere non posset : carnem et mundum vicit, dæmonesque fugavit, ab ipsis, nonnumquam verberibus plagisque impositis semivivus relictus est. Ejus oratione et passione patientiaque dæmones victi abscedunt.

ac varie exercetur.

Expellitur ex tugurio suo,

5 Quadam die in nemore quodam Deum deprecans, inter rupes ædificare volens domunculam, quidam, maligno spiritu instigati, eumdem canibus minisque expellere conati sunt. Vir Dei humiliter persecutionem ferens, ad alia loca circumvicina fugiens, secundum Christi documentum, ad aliam terram, ad faciendam pœnitentiam, cum benedictione Dei tandem invenit in quodam nemore, ut fertur, mulierem ligna colligentem. Herbaudus Spiritus sancti gratia illuminatus, saxum magnum mulieris capiti apposuit, ut ad locum ubi sua ædificanda erat ecclesia portaret; quod et factum est, illud vero saxum a quampluribus hominibus moveri non poterat : quod quidem in ecclesiæ fundamento usque in hodiernam diem omnibus notum est : ejus pondus mulier non sentiebat, virtute angelica conducta. Ille vero viri Dei persecutor in magnam pervenit paupertatem una cum sua progenie in ejus peccati punitione; quoniam servum Dei molestiis et injuriis expellere non verebatur.

Deo injuriam ulciscente

Obediunt ei feræ

6 Inter serpentes scorpionesque habitabat et lupos rabidos, qui illi nocere non potuerunt, quoniam fide fundatus erat supra firmam petram. Ibidem commoranti, die nocteque Deo corde puro servienti, oves, boves, serpentes, lupi rapaces ad nutum obediebant, aves quoque et volucres cœli; quia mandata Dei cum omni cordis puritate religiose observabat; cujus precibus animalia muta ab infirmitatibus et bestiis crudelissimis liberavit Dominus. Cum enim quadam die mulier quædam ad eum accessisset, humiliter deprecans, ut pecora sua a bestiis erepta, quæ in naturæ humanæ sustentationem concesserat Dominus, et ut suæ auxiliaretur inopiæ; vir Dei misericordia motus et pietate orationi se dedit. Protinus adfuit bestiarum multitudo, reddentium illi pecora sua, quæ faucibus suis tenebantur, ipsius orationis virtute : ecce in viro Dei orationis virtus ostenditur, qua bestiæ furibundæ obediebant.

et furta restituunt.

Curationes morborum

7 Tandem fama viri Dei crevit et candela supra candelabrum, non sub modio posita est, quoniam lucet lumen ejus coram hominibus, ut glorificent patrem, qui in cœlis est. Advenientes ad speluncam viri Dei, quæ in parochia, quæ nunc ab incolis nominatur

a et zelus animarum.

minatur Berien au halgovet *a*, multitudo languentium, tam hominum quam animalium, capita et alia membra dolentium curabat. Iste Sanctus meruit infirmos curare et Deus dedit illi claritatem æternam, quia abstinuit ab omni malo et permansit in innocentia sua usque in finem vitæ suæ. Hic peccatores ad pœnitentiam clamore prædicationis vocabat: sicut enim cervus desiderat ad fontes aquarum, ita salutem animarum cupiebat.

Doctus ab Angelo vitæ finem

8 Finaliter Deo volente angelus Domini astitit, et sanctum Domini alloquebatur: Herbaude serve Dei, suscipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum: et qui post tempestatem; tranquillum facit, et post quamplurima jejunia, abstinentias, tribulationes hujusmodi, angustias et labores propter Deum sustinere voluisti, veni et percipe coronam a patre tuo, qui in cœlis est, tibi præparatam; pro cujus amore mundi divitias et parentes reliquisti. Hæc tam dulciter vir Dei audiens, acsi a somno exsurgeret; respondit, paratum Domine cor meum et ne me repellas in finem: quid enim retribuam pro omnibus, quæ retribuis mihi? animam quippe tibi commendo, corpus vero terræ quod in die judicii resurrecturum spero. Hoc suum condidit testamentum vir Dei. Sic disparente angelo, ac viro Dei languescente, corpore humi prostrato in habitu suo monachali *b* in modum crucis, adfuit inimicus diabolus, qui eum rabido morsu tentationum invadere conatur; cum sic eo tamen orante omnes inimici suggestiones fugatæ sunt Dei adjutorio, qui non deserit sperantes in se.

et munitus Sacramentis extremis, moritur.

9 Disparente illa terribili visione, adfuit quidam monachus cum hostia consecrata, et dixit. Herbaude vir Dei, sume panem cœlestem, tuum creatorem (grandis enim restat via) quem tibi monitus ab angelo adduxi. Sumpsit vir Dei cum lacrimis dicens; Deus propitius esto mihi peccatori. Accepto corpore dominico extremis sacramentis munitus *c* animam Domino Deo reddidit, dicens, Domine Deus accipe spiritum meum. Et ecce vox angelorum dicentium [amen] et deducentium animam in cœlum. Sic fit Deo servienti et facta est tanta serenitas aeris ut crederetur quod alius sol cœli carmine condescenderet. Ecce confestim thesaurum illum corpus ejus sacerdotes, clerici et alii religiosi viri collegerunt, sepelientes in ecclesia, quæ nunc sancti Herbaudi a convicinis nominatur, ubi corpus ejus in pace quievit.

Angli rapiunt caput ejus.

10 Adveniente bello *d* venerunt et Angli, qui caput ipsius argento et auro adornatum rapientes una cum ipsius legenda *e*, in Angliam transmiserunt. Attamen in ecclesia ubi corpus quiescit, Deus qui in sanctis suis laudari vult, innumerabilia in dies facit miracula, quæ quamvis longum enarrare esset, relatu tamen fide dignorum percepi, quod cum quodam tempore quidam nobilis cuidam pauperi jurasset ob aliquam causam super corpus ejus, injuste tamen, protinus rediens ad stabulum, equum suum magni pretii mortuum invenit. Insuper quodam tempore quidam proponens semel in anno ecclesiam sancti Herbaudi visitare et oblationem pro animalibus suis offerre, adveniente cupiditate motus neglexit: quo redeunte animalia sua cuncta super stabularia prostrata et morti propinquiora perspexit. Ipse protinus culpam suam cognovit, et iter suum arripuit versus ecclesiam prædictam, et circa horam ingressus sui in ecclesiam, omnia animalia illa sana surrexerunt, acsi nullum habuissent infirmitatem. Ipse vero quoad vixit votum suum devotissime adimplevit, et in futurum cuncta ei advenerunt prospera.

Patrantur miracula.

11 Ecce mirabilis Deus in sanctis suis, faciens prodigia in cœlo et in terra. Nam vult sanctorum hominum inopiæ subvenire. O igitur sanctissime Herbaude, digneris pro nostris necessitatibus et peccatis Dominum exorare, qui te tam care dilexit, ut per te tot et tanta operaretur miracula, ut cum venerit dies exitus nostri ab caliginoso seculo, in superna felicitate inter sanctos ab origine mundi electos collocare dignetur, qui cum Deo Patre et Filio et Spiritu sancto vivit per infinita seculorum secula.

A ANONYMO EX MS.

ANNOTATA C. J.

a *De his locis dictum est in commentario prævio num. 2.*

b *Hinc patet quidem, habitum monachalem gestasse Heribaldum: non tamen fuerit ille certi ordinis religiosi; sed qualem solent induere solitarii ac eremitæ, ut se distinguant a profanis hominibus.*

c *Jam dixi in commentario, ex his et aliis de sacrosancta Eucharistia loquendi modis, videri posse scriptorem non valde antiquum esse.*

d *Pluries bella gesserunt Angli in Galliis varia fortuna. Quid si hæc facta sint ingrediente aut aliquo usque progresso seculo* 15? *quando illic res Anglorum in summo fuerunt; et anno seculi istius* 29 *declinaverunt, ac paulatim ipsi in proprias sedes recesserunt: atque tunc caput Sancti secum abstulerint. Certe Acta hæc possunt posterius scripta fuisse. Ego nihil affirmo.*

e *Ergo Legenda seu Acta S. Heribaldi extiterunt prius alia: et videtur innuere Auctor noster, non extitisse alibi, quam ubi quiescebat corpus. Unde ergo sua hausit? Possunt suo tempore ablata, et ab ipso prius lecta fuisse. Quod damnum ad Sancti sui honorem reparare volens, ex confusa gestorum ejus memoria libellum suum formaverit, caute prætermittens singularia, quæ ad chronologiam, geographiam, nomina personarum propria spectant; in quibus facile erratur, quando scriptura præ manibus non habetur.*

NOT 8 Cultus S. Botulfi in Dania

Pag. 327 *ad finem Commentarii de S.* Botulfo abbate; *ne ordinem ejus turbem, adjunge quæ de cultu sancti istius invenimus anno* MDCLXXXVIII *Pragæ in Bohemia, in duobus antiquis codicibus MSS. membraneis; quorum alter continens Martyrologium Usuardi in Dania auctum, servabatur in nostra Professorum domo, atque ex dono tunc illam regentis Præpositi, R. P. Cristelii, ipsum contulimus nobiscum Antuerpiam, et usi eo sumus tum alibi, tum nuper in expurgando Martyrologio dicti Usuardi ab additamentis alienis, quod cum hoc supplemento prodit et in præfatione plura de hoc Martyrologio Danico docet. Alter codex servabatur in ecclesia metropolitana S. Viti, complectens Psalterium, litteris capitalibus belli scriptum, quod patriam suam et auctorem indicat sub finem operis, characteribus rubeis sic notans:* Ego Brigitta, filia Sichfusi, soror conventualis in monasterio Munkalyff prope Bergis, scripsi hunc Psalterium cum litteris capitalibus: licet minus bene quam debui. Orate pro me peccatrice. *Bergæ hic sunt Norvegiæ. Errata grammaticalia quivis condonabit virgini moniali. Martyrologium habet,* XV Kalend. Julii. Botulfi abbatis. *Psalterium in suo Kalendario eodem die,* Botulfi (*videbatur* Rodulfi *scriptum esse*) abbatis semiduplex.

ex monumentis istius regionis

NOT 9 Restituuntur abbates proprii

Pag. 337 *Ad calcem Commentarii de S. Ramuoldo addi potest—*

5 *Anno* MDCLXXXVIII *existenti mihi C. J. in monasterio S. Emmerammi Ratisponæ exhibitus fuit codex MS. non vetustus, in quo sic legebatur:* B. Ramvoldus, ex monacho S. Maximini Treviris, octavus abbas S. Emerammi. *Et continuo subnectebatur hoc distichon,*

Consecrat ædiculam mandrita rupambulus istam
Abbas Ramvoldus, quam tibi, Christe, struit.

Tum sequebatur pars postrema citati in Commentario epitaphii, incipiendo a, Tandem cum XXVI annos *etc. usdem*

A dem verbis, quibus num. 2 expressum est. Nominatur hic Ramvoldus, abbas octavus S. Emmerammi, ut intelliguntur septem alii præfuisse, antequam Abbatia in potestatem episcoporum veniret; fuitque usque ad episcopatum S. Wolfgangi, qui abbates proprios restituit, ac primum post longam vacationem instituit Ramvoldum. Qua de re sic scribit Stengelius in sua Monasteriologia: Huic cœnobio S. Emmerammi primus abbas præfectus est Apollonius, anno post Christum natum DCXCVII et præsederunt abbates annis CXXXIII, usque ad annum DCCCXXX. Postea vacavit abbatia annis CLV, alias CXLV. Nam episcopi Ratisponenses se intromiserunt de ordinatione et regimine dicti monasterii, consentientibus imperatoribus, usque ad tempora S. Ramvoldi, patruelis S. Wolfgangi, quem idem pius Pontifex a Trevirensi urbe vocatum, constituit abbatem.

AUCTORE C. J. in monasterio S. Emmerammi,

post annorum 145 intermissionem

6 *Absolute dicere poterat Stengelius, vacasse monasterium abbate proprio annis* CXLV, *si epitaphium allegatum recte signavit annum* DCCCCLXXV, *quo* Ramvoldus *institutus fuit abbas. Ab anno enim* DCCCXXX, *quo defecisse proprios abbates ait; usque ad annum* DCCCCLXXV, *non intercesserunt anni plures, quam* CXLV. *Quod in citato hic Disticho* Ramvoldus *vocatur* Mandrita, *satis notum est. Quia Græci ac orientales passim termino illo utuntur pro* monacho, *uti* μάνδρα *per translationem pro* monasterio, Ἀρχιμανδρίτα *pro* monasterii Præfecto *seu* Abbate. *Significat igitur Distichon,* Ramvoldum *monachum fuisse. Sed quod sequitur* Rupambulus, *quo sensu eidem tribuatur, non æque clarum est. Nomen ipsum per se satis indicat significationem suam, quod nempe per rupes ac montes frequenter ambulaverit. Quod si fecit in regimine monasterii sui, secutus fuerit exemplum institutoris sui S. Wolfgangi, qui episcopus existens, sæpe inter rupes ac montes solitudinem quærebat, ut liberius Deo vacaret.*

B

Unde Ramvoldus vocetur Rupambulus.

7 *Verum ulterius indagans, comperio in Actis ejusdem S. Wolfgangi apud Surium et in nostris MSS. ipsum præmissi distichi versum primum composuisse atque inscripsisse superliminari cujusdam sacelli a se constructi, hunc in modum,*

Struxerat ædiculam mandrita Lupambulus istam.

Qui terminus, qualitercumque Latinus, explicat nomen Wolfgangi *Germanicum,* Wolf *quippe* lupum *significat etiam nostris Belgis; et* Gang *notat* ambulationem, *indeque* Wolfgang *vernacule, latine interpretatum est,* lupi-ambulus. *Quod nomen familiæ ejus proprium fuerit. Verum in* Lupambulus et Rupambulus, *primæ litteræ mutatio, aliam plane rem induxit, non a* Lupo, *sed a* Rupe *sumptam: quasi* Ramvoldus *frequens inter rupes in locis montanis versatus sit, quod exemplo S. Wolfgangi potest fecisse, ut supra dixi. Atque hinc quisquis Distichon scripserit, potest primum versum, una littera mutata, per alteram applicasse* S. Ramvoldo, *qui et ipse* cryptam ad Sanctorum et posterorum memoriam a fundamentis excitasse *dicitur in epitaphio sæpe citato.*

C

Quomodo nomen ejus scribendum sit.

8 *Superest dubium grammaticale. Utrum* Ramuoldus *ita scribi recte debeat per* u *vocalem in syllaba secunda; an vero* Ramvoldus, *per* v *consonantem. Testari possum, in codicibus MSS. quos vidi Ratisponæ, me legisse* v *consonantem, atque inde etiam sic descripsisse. Confirmat hanc lectionem distichon citatum, cujus versus secundus incipit,* Abbas Ramvoldus, *ubi* ŭ *vocalis admitti non potest: et quamvis in alio versu,* Signis clarescit pius hic Ramualdus humatus, *utraque littera, seu* u *vocalis, seu* v *consonans, locum possint habere; videtur tamen præferenda lectio prima, quæ solam consonantem notat. Qui* u *vocalem adhibuerunt, possunt id fecisse exemplo nominis* S. Romualdi *abbatis monachorum Camaldulensium institutoris; quod Italis,* v *consonantem non amantibus, et aliis nunc ex illorum usu, passim per* u *vocalem et per syllabas quatuor pronuntiatur. Attamen si in Germania natus fuisset* Romualdus, *fortassis prævaluisset pronuntiatio per tres tantum syllabas et consonantem* v, Romvaldus. *Et, si porro pronuntiationem Germanorum inspiciamus, qui frequenter* v *consonantem pronuntiant ut* b, *dicerent illi pro* Romualdus *seu* Romvaldus, Rombaldus *et pro* Ramvoldus, Ramboldus. *Sed Grammaticis grammaticalia relinquamus.*

D

Pag. 385, *ubi* de sanctis Reginis et sororibus Tarasia vidua et Sancia virgine, Sancii regis filiabus, ordinis Cisterciensis Lorvanii in Lusitania. *Commentarius prævius uno absolvitur paragrapho; nunc alterum subnecto.*

NOT 10

§. II Cultus immemorabilis sanctarum Reginarum a Clemente PP. XI confirmatus. Item correctiones nonnullæ.

Anno MDCXCVII *pro defensione aliquot tomorum nostrorum de Actis Sanctorum, a quibus minime decebat accusatorum, Romam missus, ibidemque fere triennio utiliter commoratus, notitiam et amicitiam contraxi cum reverendissimo et doctissimo viro, Bernardo de Castelbranco, Ordinis Cisterciensis in Lusitania, et congregationis S. Mariæ de Alcobatia procuratore generali in causa beatificationis et canonizationis sanctarum Reginarum* Tarasiæ, *seu, uti ipse scribere mavult,* Theresiæ *atque* Sanciæ. *Sciebam, Acta earumdem Reginarum pro die* XVII *Junii a Papebrochio illustrari cœpta fuisse juxta vitam earumdem, a Francisco Macedo editam, et alia nonnulla instrumenta aliunde accepta, antequam ego Antuerpia proficiscerer Romam. Quapropter ibi existens, ratus, illustriora et maxime authentica pro Actis sanctarum Reginarum colligi posse ex processibus, in Lusitania legitime fabricatis, aliisque monumentis antiquis, quæ penes dictum Procuratorem erant, ipsum accessi petiique, illorum mihi copiam faceret. Quod et fecit perhumaniter atque gratanter. Ego vero omnia per otium scrutatus, collegi inde commentarium amplum, misique Antuerpiam suo loco imprimendum: prout mox etiam impressus est a pag.* 505; *et aliquanto post tempore ad me, Romæ adhuc degentem, una cum reliquis sanctarum Reginarum Actis pariter impressis remissus fuit, seorsim a reliquo tomo, tunc dimidia sui parte absoluto. Obtuli mox prædicto Procuratori generali gratum munus, ut dispiceret, num quid inde in rem suam desumere ad expediendam felicius causam sanctarum Reginarum posset.*

Procurator in causa Reginarum Romæ

E

communicat instrumenta sua;

11 *Fecit ille id sedulo, atque inter legendum, uti præsentem totius causæ, processuum, et antiquorum monumentorum notitiam habebat, varia quoque annotavit, quæ corrigi aut verius dici possent in Actis nostris: omnia tamen sua submittens arbitrio Auctorum, ut quæ ipsis probarentur aut non probarentur, mutarent aut non mutarent, prout ipsis vera aut minus vera judicarentur. Quamobrem ex Annotatis ejus quædam censuimus in Commentario prævio mutanda; quæ et mutavimus recuso Commentario isto antequam tomus prodiret in lucem, prout nunc legitur. Alia quoque ex ejusdem Annotatis mutata sunt pag.* 429 *sub titulo,* Elenchus erratorum in vita præmissa correctorum, *quæ irrepserant vitæ, a Fr. Francisco Macedo, tunc ordinis Minorum Observantium religioso, editæ fuerat Romæ anno* MDCLVII. *Denique submisit idem amicus Procurator alia quædam sua Annotata, edita jam tomo isto, quæ huc inferemus, præmisso Brevi Apostolico quo confirmatur antiquus cultus Reginarum, decerniturque casum esse exceptum a Decretis Urbani PP. VIII.*

F

notat quædam in impressis emendanda,

12 *Ipsum Breve Apostolicum, quod idem quoque Procurator nobis submisit Roma anno* MDCCVI, *tum electus in abbatem collegii sui Conimbricensis, hic ad gloriam Dei et sanctarum Reginarum, subjicio prout sonat.*

submittit Breve Apostolicum,

Breve

A Breve sanctissimi Domini nostri Clementis PP. XI, quo confirmatur decretum sacræ Rituum congregationis, ubi decernitur constare de casu excepto a decretis Urbani PP. VIII; et cultu immemorabili, præstito sanctis Reginis beatæ Theresiæ, quondam reginæ Legionis et Gallecıæ, ac ejus sorori beatæ Sanciæ; Sancii primi Portugalliæ regis filiabus, congregationis Alcobacensis Ordinis Cisterciensis regnorum Lusitaniæ monialibus, sanctis Reginis de Lorvano vulgo nuncupatis.

quo confirmatur illorum cultus.

Causa Reginarum sub Clemente 9 cœpta,

13 Clemens PP. XI ad futuram memoriam. Solicitudo pastoralis officii, quo Catholicæ Ecclesiæ per universum orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, Nos urget atque compellit, ut beatarum Christi ancillarum in cœlis cum eo regnantium cultum et venerationem in terris promovere studeamus, sicut pia regum et principum orthodoxorum studia postulant, et Nos ad omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiæ decus et præsidium, ac ad spiritualem Christi fidelium ædificationem et consolationem expedire in Domino arbitramur. Cum itaque alias, videlicet die IV Octobris MDCLXVII a fel. rec. Clemente PP. IX prædecessore nostro commissiones pro introductione causæ, seu causarum beatificationis B et canonizationis beatarum reginarum Theresiæ et Sanciæ monialium Cisterciensium clar. mem. Sancii primi, dum vixit, Portugalliæ illustris natarum, signatæ, ac in illarum executionem die x Decembris ejusdem anni, dicto Clemente prædecessore annuente, litteræ remissoriales, attento, quod sedes episcopalis Colymbrien. tunc vacabat, tunc existenti episcopo Targen. in civitate Ulyxbonen. commoranti, dirigendæ pro constructione processus particularis super cultu immemorabili, prædictis Theresiæ et Sanciæ præstito, et casu excepto a decretis, jussu fel. mem. Urbani PP. VIII pariter prædecessoris nostri editis, decretæ fuerint, cum facultate, quod in una remissoria ambæ commissiones includerentur.

ex multorum voto resumpta,

14 Litteræ vero hujusmodi, prout assertum fuerat, numquam expeditæ fuerint, ideoque ad effectum conficiendi præfatum processum ad pias enixasque preces carissimi in Christo filii nostri Petri Portugalliæ et Algarbiorum regis illustris, ac tunc in humanis agentis clar. mem. Mariæ, dum vixit, reginæ ejus uxoris; necnon dilecti filii nobilis viri Cosmi Etruriæ sibi subjectæ magni Ducis, accedentibus etiam in id ipsum supplicationibus nonnullorum C prælatorum, religiosorum, tribunalium, senatuum, magistratuum, et academiarum regni Portugalliæ, ac ad iteratas humillimas instantias dilecti filii Bernardi de Castelbranco monachi expresse professi, ac procuratoris generalis congregationis S. Mariæ de Alcobatia Ordinis præfati, in sacra theologia Magistri, causæ, seu causarum beatificationis et canonizationis hujusmodi postulatoris, Nobis referentibus qui tunc in minoribus constituti, cardinalatus honore fungebamur, ac in locum bonæ mem. Sigismundi Chisii, dum vixit, S. R. E. cardinalis Sigismundi nuncupati, causæ seu causarum hujusmodi relatoris subrogati fueramus, exhibitis prius per dictum Bernardum postulatorem binis processibus in Colymbrien. seu Ulyxbonen. civitatibus, postquam sedes Apostolica in causa seu causis præfatis manus apposuerat, nulliter constructis, die XVII Septembris MDCXCV a congregatione tunc existentium itidem S. R. E. cardinalium Sac. Ritibus præpositorum, novæ remissoriales seu compulsoriales litteræ tunc pariter existentibus archiepiscopo Ulyxbonen. et episcopo Colymbrien. eorumque Vicariis in spiritualibus generalibus dirigendæ, annuente etiam die XXV ejusdem mensis Septembris piæ mem. Innocentio PP. XII itidem Prædecessore nostro, concessæ fuerint, illarumque vigore processus prædictus constru- D ctus, ac in actis memoratæ congregationis cardinalium exhibitus, servatisque servandis apertus.

ac denuo diligenter discussa

15 Demum vero, eodem Bernardo postulatore instante, proposito dubio in prædicta congregatione cardinalium per dilectum filium nostrum Carolum, dictæ S. R. E. diaconum cardinalem Bichium nuncupatum, qui in relatorem causæ, seu causarum prædictarum in locum nostrum a nobis subrogatus fuerat; An constaret de cultu immemorabili, beatis Theresiæ et Sanciæ supradictis præstito, et causæ a dictis decretis Urbani prædecessoris, et an sententia desuper lata a memorato Episcopo Colymbrien. judice delegato, esset confirmanda in casu, et ad effectum, de quo agebatur; dicta congregatio cardinalium, audito tam scriptis, quam in voce, vener. fratre Prospero archiepiscopo Mirensi, promotore fidei de ejusmodi cultu immemorabili, et casu excepto, constare censuerit.

a Clemente 11 confirmatur anno 1705

16 Hinc est, quod Nos piis ac devotis ejusdem Petri regis, ac totius congregationis de Alcobatia hujusmodi, nec non dilectarum in Christo filiarum abbatissæ et monialium monasterii Lorvaniensis supplicationibus, Nobis super hoc humiliter porrectis, E favorabiliter annuere cupientes, ac præfatarum abbatissæ, et monialium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, decretum a præfata Cardinalium congregatione editum, ut præfertur, quod scilicet de cultu immemorabili, eisdem beatis Theresiæ et Sanciæ præstito, et casu excepto a decretis ejusdem Urbani prædecessoris, constet, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ congregationis Cardinalium: Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, judicari et definiri debere; ac irritum et F inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris XXIII Decembris MDCCV pontificatus nostri anno sexto. *Subscriptum erat* F. Oliverius.

17 *Venio nunc ad alia [illegible] [illegible] censuit mutanda aut mutari posse in Actis nostris. Videlicet*

Pag 390 *num.* 14 [illegible] X. [illegible] X. [illegible] *Lusitanos* [illegible] decem, [illegible] M; 40 millia. Not. [illegible]

Pag 391 *num.* 15 *vers.* 16 — sed [illegible] — [illegible] sed post secundas patris nuptias vixisse, *et [illegible]* xii, 12

cetera

AUCTORE C. S.

cetera usque ad finem constructionis. Porro ibidem turbata sunt nonnulla ex male expresso apud Brandonum anno MCCXVII, *qui apud alios legi debet per* ⋈ *vinculatum, quod significet quadraginta, et addenda unitas, ut sit æra* MCCXLVIII. *Quæ si vera sunt, signabitur annus Christi* MCCX, *quo conditum fuerit testamentum, atque adeo ad eam normam restituenda erit supposita ibi annorum ratio, et corrigenda quæ ab ea pendent.*

NOT 13

Pag. 406 *num.* 63 § 8 *a fine*, post — *Tarasia Lusitana* — insere hæc — *Neque tamen hanc nostram opinionem, aliorum æque probabili prælatam cupimus, donec ad citatum diem* XXV *Julii plenius omnia licebit discutere.*

NOT. 14 B Petri Pisani cultus approbatus.

Pag. 451 *ubi finiuntur Acta* B. Petri Pisani de Gambacurta, fundatoris pauperum eremitarum S. Hieronymi, *addi possunt quæ post editum anno* MDCCI *in lucem tomum nostrum Junii quartum, ad nos missa fuerunt. Inter illa recenseri potest decretum sacræ Rituum congregationis anno* MDCXCIII, *die quinta Decembris signatum, atque eodem anno, die nona ejusdem mensis ab Innocentio PP. XII confirmatum, quod ita sonat* : Relato ab Eminentiss. et Reverendiss. D. Cardinali Casanatta ponente hujusmodi causæ dicti servi Dei Petri de Pisis, beati nuncupati. Ac discusso in sacra Rituum congregatione dubio; An constet de casu, excepto per Indulta Apostolica in casu, et ad effectum de quo agitur. Eadem sacra congregatio, audito tam in scriptis, quam in voce, Reverendiss. archiepiscopo Myrensi, fidei promotore; censuit constare de casu excepta; non autem ad effectum concessionis Officii et Missæ.

Officium et Missa non concessa

Quod ita decrevit Congregatio et probavit summus Pontifex anno, mense et diebus supra notatis. Cum deinde eadem Congregatio Pauperum eremitarum libellum supplicem pro obtinendis officio et missa ejusdem B. Petri institutoris sui, saltem pro sola congregatione eorumdem *denuo porrexisset, eadem sacra Rituum congregatio respondit die* XIV *Decembris anno* MDCXCVII, Negative, et gaudeant impetratis, *nempe de casu excepto per Indulta Apostolica, de quo supra. Neque hactenus aliud accepimus, ex quo de concessione aut non concessione Officii ac Missæ, aliud statuere possimus.*

NOT 15.

Pag. 568 *n.* 46 *vers.* 2 *post*, solennem professionem, *fige asteriscum* *, *eumdemque iterum fige inter Annotata post litteram* g; *atque ibi hæc annota* — * Professionem solennem *intellige hoc loco, non ea solennitate factam, qua Religiosus constituitur, tribus votis obstrictus et dominii incapax; sed ex eo* solennis *dicitur, quod publice fiat; uti moris est in Ordinibus sanctorum Dominici et Francisci, cum Tertiariæ, in domibus suis mansuræ, acceptantur ad vota simplicia castitatis et obedientiæ, eaque emittunt in loco publico coram Priore aut Præfecto talis sodalitii.*

NOT 16

Pag. 666 *col.* 2 *litt. E* : Odo presbyter. *Reforma ibi totum textum, hoc modo* —

Odo presbyter, prædicator Brabantinorum, *ut* venerabilis *memoratur ab Arnoldo Raissio, in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani; occasione* B. Odonis episcopi Cameracensis, *de quo et nos agimus hoc die* XIX *Junii suo loco. Vitam* Odonis presbyteri *habemus ex parte* 2 *Hagiologii Brabantinorum, quod extat in monasterio Rubeæ vallis, non admodum longe a Bruxellis, ubi scribitur obiisse anno* MCCXIII, *nullo die aut loco expresso. Vita dignoscitur non valde longo tempore ab obitu venerabilis viri conscripta fuisse. Indicat autem, Brabantinum esse, ulterioribus studiis cum fratre juniore Henrico Parisiis operam dedisse. Inde in patriam reversum (fratre monachum induente et post unum circiter annum* feliciter ad Dominum migrante) scholarum regendarum curam suscepisse *atque* divites et pauperes sine acceptione personarum indifferenter instruxisse. *Deinde* ad sacerdotii gradum pervenisse, et semen verbi Dei longe lateque dispersisse, *quodque* docuit verbis, adimplevisse operibus. *Legitur denuo, alia multarum virtutum exempla edidisse, ac virum Deo et hominibus dilectum fuisse. Sed quia de cultu ejus ac die natali nihil constat; hæc e vita delibasse, sufficiat.*

Odo Prædicatorii Ordinis Religiosus, *ut* Beatus *memoratur ab eodem Arnoldo Raissio eodem loco; et occasione ejusdem* B. Odonis episcopi Cameracensis, *ex Choquetio, de Sanctis Belgii ordinis Prædicatorum. Ex quo etiam textum Cantipratani producit, qui libro* 2 *de Apibus, cap.* 1 *num.* 17 *sic legitur* : Alium etiam vidi fratrem ordinis Prædicatorum, Odonem nomine, in jure regentem, virum sanctum et bonum; qui raro volebat comedere quod seminali fluxu ab animali descenderat; sed olere vel piso corpus sobrium reparabat. Huic in ingressu Ordinis vitæ suæ terminus revelatus est; et hunc fratribus certo die ante obitum revelavit. *Obiit igitur* Odo Ordinis Prædicatorum, *ante Cantipratanum, qui ultra dimidium seculi* 13, *ad duodecim aut amplius annos vitam protraxit: nec potest idem esse cum* Odone *præmisso* Prædicatore Brabantinorum, *utpote ante institutum ordinem Prædicatorum mortuo. Interim tamen aliqui e duobus istis Odonibus unum videntur constare et Ordini Prædicatorum utrumque per modum unius adscribere; seducti, opinor, quia priorem illum Odonem, qui a Raissio* Prædicator *ut vere fuit verbi Dei, apud Brabantinos appellatur; illi, pro Prædicatore Ordinis sui acceperunt. Odo enim Ordinis Prædicatorum, qui conventum Gandensem, sub annum* 1220 *ædificatum, traditur incoluisse, non potest anno* 1213 *obiisse. Obiit autem eodem seculo, utpote memoratus et tamquam de visu cognitus a Cantipratensi, ejusdem Ordinis scriptore, qui sub annum* 1263 *obiisse censetur, et Odonem antequam illa scribebat, mortuum fuisse in citato suo textu indicat, fortassis circa annum* 1240, *uti scriptores aliqui ejusdem Ordinis dicuntur notasse.*

NOT 17

Pag. 698 *num.* 100 § 2 — *cum nec annus rei gestæ nec nomen episcopi, Fridericum comitem, conveniat* — adde — *Annus enim excidii Mediolanensis fuit, non* MCLI, *sed* MCLXII. *Et episcopus Coloniensis tunc erat, non Rudolfus (qualem nullum sedes illa habuit) sed Raynaldus seu Reynoldus, ab anno* MCLIX *usque ad* MCLXVII. *Comitum autem Angleriæ dominatus in urbe, ibi assertus, nunc passim rejicitur a Mediolanensibus* —

NOT 18

Pag. 693 *His notatis secundum Commentarium Papebrochii de* Sanctis Gervasio et Protasio, *ad diem* XIX *Junii pridem impressum, venio ad recentiorem ejusdemmet reformationem prædicti Commentarii, quam concepit ex lectione Dissertationis apologeticæ Doctoris Josephi Antonii Saxii, ab amico auctore nobis dono missæ. Concepit autem reformationem suam et propria manu, quoad licuit in tam gravi senecta et caligine oculorum, disposuit, mandans nobis, ut in Supplemento Junii illam ederemus in lucem et gratularemur Auctori Apologiæ de opera sua et opere. Accipe igitur, lector, hic denuo commentarium nostrum, qua parte reformatus est, cui ultimam manum admovit Sollerius noster; et pridem dicta secundum hæc præsentia benevolus intellige.*

DE SS. GERVASIO ET PROTASIO

FRATRIBUS MARTYRIBUS

MEDIOLANI IN INSUBRIA.

D. P.

Commentarium de illustribus hisce Martyribus, ineunte præsenti seculo editum in IV tomo Junii, relicturus collegis et successoribus meis partim auctum partim reformatum, facem præferente V. C. Josepho Antonio Saxio, SS. Ambrosii et Caroli Oblato, S. Th. et Collegii Ambrosiani doctore *(neque enim profiteri pudet unde profecerim, etiam hac* LXXXV *annorum ætate præmonito, quod in primis sex ejusdem commentarii paragraphis nihil magnopere mutatum velim; in ceteris judico convenientius, ea quæ Mediolanum ipsum atque Italiam spectant ordinare, ut sequitur. Fiat itaque*

B

§. VII, (qui fuerat X) Sanctorum apud Mediolanenses in sacris et civilibus veneratio.

Sit numerus 71. *hoc exordio :*

In missali Ambrosiano

71 *Si cura S. Ambrosio fuit, reperti a se thesauri æstimationem vicinis regionibus amicisque episcopis communicare, fuit etiam, ut clerum populumque suum instrueret ad eumdem quam festivissime in ecclesia, ipsorum corporibus sanctificata, celebrandum, ordinatis officiis propriis. Hoc in genere quam fuerit excellenter pius, demonstrant ecclesiæ istius Ritualia sacra, licet successu, procul dubio, mutata et aucta. Interim credo ipsius adhuc et contextus esse unam saltem duarum Missarum, quarum ex missali anni* MDXXII *prima in vigiliis SS. Gervasii et Protasii, altera in festo dicenda proponitur : et primæ quidem,* Ingressa de *Martyribus etc... vide pag.* 691 *num.* 109 *lit.* 10 *et [illegible] usque ad pag.* 692 *num.* 115... ubi [illegible] autem Protasius primum locum tenet.

propria de Sanctis missæ,

72 *Nihil in his est* .... alias 110

73 *De orationibus porro* .... alias 111

74 *Hæc ita utique.* .... alias 112

75 *Gervasianus codex* .... alias 113

76 *Transeo ad Breviarium* ...... alias 114

77 *Hymnum hunc* .... alias 115 Et adde

C

hymnus in breviario

78 *Redeo ad S. Ambrosium, cujus esse supra laudatam primo loco missam de vigiliis, probat etiam Saxius, multa de hujusmodi ritu erudite pertractans a num.* 12, *ubi in omnibus antiquissimis sacr. ecclesiæ Calendariis ad diem decimam nonam Junii legi testatur;* Vigilia per S. Ambrosium, *quasi diceret* per S. Ambrosium instituta. *Refert deinde vigilias Mediolanensibus proprias [illegible], a Paricelli citatis.* Hæ sunt vigiliæ a S. Ambrosio observatæ et commendatæ. Vigilia S. Martini episcopi; Epiphaniæ, Purificationis, Nativitatis B. V. Mariæ; Ascensionis Domini, SS. Gervasii et Protasii; SS. Naboris et Felicis; SS. Nazarii et Celsi. *Quæ hic controversiis multis obnoxia sunt, explicare conatur laudatus Saxius : ad rem nostram propius pertinet, quod habet num.* 17.

cum vigilia

79 Hanc vero annuam memoriam nostrorum Martyrum, non modo integro constantique subsequentium ætatum cultu servatam, sed auctam identidem novisque sanctionibus amplificatam deprehendimus, tum ex privatis authographis, tum ex publicis tabulis monumentisque, quorum primum sit lapis, adhuc eminens in parastade majoris arcus, qui januam tegit exteriorem atrii præjacentis templo Ambrosiano, et a dextra ingredientium est, insculptaque refert hæc verba : [In nomine sanctæ Trinitatis ad ejus honorem et SS. Gervasii et Protasii martyrum, statutum est ab archiepiscopo Anselmo, et ejus postea successoribus, sub nomine excommunicationis et communi consilio totius civitatis, ut non liceat alicui homini in eorum festivitate, et per tres dies ante et per tres postea curtadiam tollere et in jus sibi proprium usurpare. Iterum confirmaverunt per octo dies ante festum, et per octo post festum, firmam pacem omnibus hominibus, ad solennitatem venientibus et redeuntibus; Adam et Pagano huic bono opem dantibus anno Domini MIIC.]

Magna libertas data ad festum venientibus

E

80 Curtadiam, *quæ vectigal quoddam erat a mercatoribus persolvendum, et alia, quæ dubia videri possent, fusius exponit. Saxius, aliud solemnitatis et constantis cultus testimonium adducens ex Beroldo, qui ritus omnes et ceremonias, in ecclesia Ambrosiana receptas, in unum librum congessit, sub titulo,* Manuale et Pontificale Ambrosianum, *ubi expositis accurate rubricis vigiliarum et festi SS. Gervasii et Protasii, hæc adjungit :* Finita missa, omnes presbyteri et diaconi cardinales, et subdiaconi, et quatuor magistri scholarum, et primicerius lectorum, et primicerius notariorum, et omnes notarii, et sexdecim lectores, et sex lecticæ custodes, et duo pueri, qui cantant psalmos, omnes debent prandere in domo archiepiscopi. *Ex quo colligitur, inquit rursus Saxius, fuisse in [illegible] Mediolanensibus solennitates hanc unam fuisse.*

Prandium ab Archiep. præbendum Officiantibus

81 *Nec minus idem colligitur ex aliis vetustis monumentis ibidem adductis a num.* 20 *ad [illegible] SS.* Gervasii et Protasii *ageretur, dum divina officia et sacra alte et submisse faciebant tum canonici, tum monachi; quo tempore etiam [illegible] oblationes in arca [illegible] distribuentur : et archiepiscopus, qui* XXIV *libras ceræ et duas thuris ad hanc basilicam quotannis mittere consueverat, duas partes [illegible] S. Ambrosii, tertiam ad [illegible] hujusmodi BB. Martyrum exhibebat.* Hujus autem consuetudinis, cui omnem suæ originis memoriam longa et obscura antiquitas abripuit, adhuc superstes vestigium habemus. *Saxii verba sunt* in cereo illo majoris ponderis, quod mensa archiepiscopalis quotannis tribuit Ambrosianæ basilicæ. *Mitto cetera, quæ hic non erat describere, publica Mediolanensium in Sanctos suos venerationis argumenta, quæ apud laudatum Saxium cumulata invenient, quibus jam dicta non sufficerint. Quid vero eo contulerit secularis etiam potestas, habes in nostro Commentario pag.* 692 *num.* 116 *versu* 5 *usque ad finem paginæ.*

Alia venerationis argumenta

F

82 *Non diffitetur Saxius, in communi illo deplorandi seculi templorum sacrorumque neglectu, collapsum nonnihil sanctorum Martyrum cultum, cui instaurando egregie allaboravit S. Carolus, populum præcepto alligans ad annuam eorum festivitatem celebrandam. Narrat subinde exortas ea de causa cum magistratu difficultates, eo demum pacto aut compositas aut sedatas, ut perseverante in præsens consuetudine, inter festos dies ex devotione, quales per Italiam plures recepti sunt, hic quoque numeretur ac solenniter colatur : nimirum annis singulis redeunte festo, in basilica Ambrosiana*

Restauratum a S. Carolo festum,

A *siana triduo ante celebritas inchoatur, canente primas* ALLT. DE D. P. *Vesperas Præposito ac capitulo, sequenti die monachis, pridie vero clero metropolitano, eo ritu quo ibi describitur.* Dies *autem* eodem ordine colitur, facientibus solenne ac pontificale sacrum, prius capitulo Ambrosiano, postmodum monachis, demum Archiepiscopo cum clero metropolitano. Ac eunt insuper supplicabundo agmine præfectus urbis, ac præsidens publico civitatis commodi magistratus, omnesque artium classes cum suis quæque vexillis, et publicam solvunt oblationem.

solennius celebratur.

§ *VIII* (*alias XI, pag.* 692 *num.* 117) *Obscuriores quædam Sanctorum memoriæ. Nomina aliorum, simul cum ipsis, in vetustissimo Martyrologio.*

83 *Legitur in pseudo-Philippi libello.* alias 117
84 *Domus etiam hodie* .... alias 118
85 *Post ita descriptam* .... alias 119
86 *Capite deinde* .... alias 120

Locus martyrii ubi nunc columna,

87 *Adde ex Saxio, eamdem æram, licet fuerit seculo* XI *exsculpta a Dionysio Ettique, primum tamen fuisse usu receptam seculo* IX; *idque erudite ostensum ait, a* B *D. Joanne Gaspare Beretta in Universitate Ticinensi Metaphysico primario, in suo Lychno chronologico-juridico* § 1. At quid mirum, *subdit num.* 2, si incertis contusa ejusdem annalibus latet prima hujus columnæ extructio, quæ oculos testes non habet, si idipsum quod oculis subest, syllabæ nempe lapidi insculptæ, et annus in hoc titulo notatus, varie a tribus scriptoribus Tristano Calcho, Levita Ripamonti a Ferraria, et Innocentio ab Ecclesia referuntur. Ego, etsi multum Puricello tribuerem, qui rem de fonte hausit diligentissime, solicitus nihilominus fui, ut oculis meis explorarem, an præsentis belli occasione in hoc tanto martyrii monumento quid novi accidisset.

a Saxio inspecta,

88 *Tum num.* 3, *postquam ultimi Insubrici belli finem paucis descripsit, sic memorat :* Itaque sub Idus Martii hujus anni MDCCVII reddita urbi quies est, et me justa curiositas impulit, ut prædictam columnam inviserem. Vix que notavi recentia quædam vestigia attriti lapidis ex plumbeis forte glandibus illac explosis, cum sit in vicinia taciti exitus, quem sibi aperuerat miles præsidiarius, ut in adjacentem plateam posset excurrere. Decussa quidem fuit jam a sexennio pars lapidei globi, cui infixa erat crux ferrea, apicem claudens : ceterum stat adhuc incolumis, C et quamvis nonnullas, ut dixi, in cavo marmore litteras jam vetustas abraserit, adhuc tamen diligenti cum peritis viris examine, deprehendi titulum plum sincere esse, ut a Puricello describitur.

89 *Donatus Bosius in Chronico* ... alias 121
90 *Porro cancellis præfatæ* .... alias 122

91 *Hæc ego : subjungit Saxius, quod columna sic sub Philippo III restituta, non diu stetit, sed anno ejusdem seculi* LVI, *cum nova extrinsecus propugnacula castro dederent, translatam esse in locum,* XXV *cubitis a priori distantem, ut testatur Puricellus, qui eodem anno dissertationem suam Nazarianam edebat, cap.* 179. *Rem totam docebit sequens inscriptio, quæ alteri, num. proxime præcedenti recitatæ suffecta est :* D. O. M. Philippo III Hispaniarum rege, ac Mediolani duce, D. Joseph Vasques de Acunha, hujus arcis præfectus, hanc columnam et subjectum ipsi lapidem, in quo S. martyr Protasius, hujus civitatis et arcis defensor securi percussus creditur, e tenebris, in quibus diu jacuerat, in lucem revocavit anno Domini MDCII, XIV Kal. Julii. Regnante postea Philippo IV, cum nova eidem arci propugnacula extrinsecus adstruerentur, cumque proximi fossa huc observa primævum ejusdem lapidis et columnæ situm arreptura sibi esset, D. Joannes Vasquez Coronado, intimus ejusdem Regis consiliarius et e regii in D hac provincia exercitus magistro generali, præfectus hujus arcis probatissimus, alterique illi pietate non impar, eamdem columnam et lapidem anno MDCLVI, XVII Kal. Julii huc transferri jussit, ut perpetuum hic essent tanti Martyris et patroni monumentum.

sub Philippo III restituta,

postea loco mota

92 *Forte novum et insolens cuiquam videbitur, quod inscriptionibus istis nulla inseratur mentio S. Gervasii. Verum id notum videtur ex epistola ad episcopos Italiæ, S. Ambrosio supposita et tunc passim recepta, ut genuina, ubi dicitur Gervasius* tamdiu plumbatis contusus, quamdiu exhalaret spiritum; *unde factum, ut passim pingerentur Sancti, unus gladium, alter flagellum plumbatum manu tenens, prout etiam exprimuntur ante vitam Argentinæ impressam, aliis asserentibus decollatum utrumque : et sic in archivo Ambrosiani capituli, inquit Saxius num.* 7, *inter sacras reliquias ibidem conditas, lapis numeratur, de quo in duabus visitationibus S. Caroli, et peculiariter in visitatione facta a Friderico Card. Borromæo,* MDCIX, *titulo de SS reliquiis, sic legitur :* In eodem quoque altari *scilicet majori* erat, prout nunc etiam videtur, E lapis marmoreus, super quo, ut dicitur etiam ab omnibus, ita pie creditur, obtruncatum fuit caput BB. martyribus Gervasio et Protasio. *Sed quidquid de his sit ;*

Utrum Gervasius fuerit decollatus

93 *Satis hactenus de columna* .... alias 123
94 *Iterum et rus* .... alias 124
95 *Quod si obscura* .... alias 125
96 *Posito autem, quod* .... alias 126
97 *Antiquissimam occidentalis* ..... alias 127
98 *Diceam ergo* .... alias 128
99 *Dico tamen* .... alias 129

§ *IX* (*alias VII et VIII*) *Reliquiæ et cultus Sanctorum in Hispania et Gallia, præsertim apud Cenomanos etc.*

100 *Ex Italia transiturum* .... alias 71
101 *Demus tamen* .... alias 72
102 *Non equidem negaverim* .... alias 73
103 *Ego servus Christi* .... alias 74
104 *Idem de Gallicanis* .... alias 75
105 *Pradutus Saussayus* .... alias 76
106 *Hæc porro, ut clara* .... alias 77
107 *Belfortii, vel apud Gallos* .... alias 78 F
108 *Itaque consilio inito* .... alias 79
109 *Jam vero anni orbita* .... alias 81
110 *Inter supra nominatas* .... alias 82
111 *In vita autem Domini* .... alias 83
112 *Dum autem supradicto* .... alias 84
113 *Crastina autem die* .... alias 85
114 *Hoc autem facto* .... alias 86
115 *Tribus post hæc* .... alias 87
116 *Hic porro ex ipso* .... alias 88
117 *Hæc audiens gloriosus* .... alias 89

118 *Ex Gallia, oculo saltem leviadeatur Britannia, Belgiumque et Septemtrionis partes* .... alias 90 linea 3, *illa ut Roma, usque ad, in Diario reliquiarum.*

§ *X Sanctorum in Germania cultus et miracula ex fama reliquiarum Mediolano Brisacum translatarum.*

B*risacum nobile ad Rhenum oppidum gloriatur patrocinio duorum fratrum Martyrum et miraculis in eorum invocationem a seculo* XV *notis, de cujus devotionis initio et fundamento priusquam agam, placet divinos favores præmittere, quibus, si aliud nihil, saltem eorum*

apud

A *apud Brisacenses sanctitatem testari dignatus est Dominus. Prædictorum miraculorum præcipua tria daturus noster Hermannus Crombachius, in sua sanctorum trium Magorum regum Evangelicorum historia, tomo 3, lib. 2 cap. 36 orditur a lipsanotheca anno* MCCCCXCVIII *litteris majoribus sic inscripta :*

En geminos fratres Christi testesque beatos
Protasium hic cernis Gervasiumque simul :
Corpora ter felix quorum sacrata Brisacum
Servat miraclis vivida continuis.

Sanatur dolor pedum.

120 Servantur, *inquit Crombachius,* miracula quam plurima in libro MS., e quibus tria seligo, notis temporibus et adjunctis certiora et firmiora. Anno MCCCCXXXIX Brisacum venit Joannes Augustanus, opificio pistor : is narravit ingentem se cruciatum doloremque perpessum in tibia, sed unde manarit, hactenus ignorasse. Multis etiam remediis frustra tentatis, Dei sæpius opem Sanctorumque patrocinia crebro, sed votis irritis implorasse : suasum postea sibi ab aliis, ut SS. Gervasium et Protasium fratres (quorum meritis exoratus Deus multa passim opera miranda patrat Brisaci) cerei votivi dono promisso supplex invocaret. Ideo libram B ceræ spopondit, si certum ei definitum intra temporis spatium dolor remitteret : quo jam evoluto, cum solitis torqueretur cruciatibus, confectus mœrore et tristitia, somno cœpit consopiri, et mentis oculis adversatur ei cautio peccati commissi, quod Deo præfinire certum curationis tempus ausus esset : jubetur autem in viam se dare, et semilibrem cereum pedem reliquiis SS. Gervasii et Protasii Brisaci appendere, mox voti compotem fore. Paret ille salutari monito, cujus executionem sanitas protinus est consecuta.

Ex ponte in præceps cum curru lapsi

121 Anno MCCCCXLVIII, vir nobilis Waltherus a Bolsenheim in festo SS. Gervasii et Protasii, more suo Brisacum sacros cineres deveneraturus equo contendit, simul cognatæ suæ D. Susannæ a Wilzenheim reliquit in mandatis, ut quatuor liberos Joannem et Margaretam, item Waltherum et Christophorum curru cum famula impositos, eodem curaret devehendos. Fecit imperata, jussitque canistrum cum ovis una devehi. Jam ex arce currus egrediebatur et pontem excesserat, cum equi derepente tanta celeritate regrediuntur, ut auriga nulla vi posset eos cohibere, quin omnes, cum equis et curru præcipites, e ponte et rupe præalta deorsum volverentur. Attonitos illud triste spectaculum tam C arcis inquilinos, quam quotquot eminus spectabant

illæsi manent an. 1448

casus ita perterrefecit, ut nemo non crederet, omnes ad unum periisse. Sed cum magna cura diligentique currus eversus tolleretur, nemo unus hominum, sed nec equorum ullus læsus, sospites et integri reperti sunt, adeo ut nec ovorum ullum allisum aut fractum fuerit.. Ita repetito itinere pergunt Brisacum hilares et rei narrati ne populi frequentissimam ibi concionem vehementer exhilararunt.

Contractus sanatur an 1465

122 Norsingensis quidam longo tempore difficili molestoque morbo conflictabatur ; accessit ad incrementum mali nervorum contractio, ut manibus pedibusque captus, nec dexteram valeret admovere ori, continuoque grallis duabus nixus ægre gressum tamen promoveret. Is ubi prœbonum usus amicorum consilio, a quibus edoctus erat crebra miracula, quæ meritis SS. Gervasii Protasiique passim ederentur, votivam spopondit cum peregrinatione donativum, mox sanus iter ingressus, Brisaci se voti solvit religione, fulcris ibi ligneis, ut perennaret prodigii memoria suspensis ad aram Martyrum feria tertia Pentecostes anno MCCCCLXV. *Addit Crombachius recentia alia: ego interponam, Chronologiæ causa, duo ex impresso Argentinensi, de quo infra, hoc tenore.*

D 123 Quidam nobilis Miles, nomine Petrus de Hagenbach, ad Carolum Ducem Burgundionum confugit, et ab eo perbenigne receptus est : erat enim

Auctor P. de Hagenbach civibus molestus, castigatur

ipse vir magni consilii et pretii apud eumdem Principem : missusque in Alsatiam et Suntgaviam, Balivus ejus factus est : quas ob res non modo per Germaniam, verum etiam per exteras nationes nominatissimus et formidabilis esse cœpit..,.. Ipse, quadam pestifera machinatione composita, cum Burgundionum militum multitudine, oppidum Brisach intravit. Cives multi, perterriti propter ejus tyrannidem, fugam inierunt ; quorum bona in direptionem dedit. Quamvis autem super astra cœlorum se evectum existimaret, nec ullum in mundo amplius subvereri videretur; nihilominus, velut alter Nabuchodonosor, peccatis suis exigentibus, in die sancto Paschæ, tumultu in populo excitato, anno Dom. MCCCCLXXIV, sine sanguinis effusione vinculatus, et IX die Maji capite truncatus est. Hæc mutatio dexteræ Excelsi, intercessione et meritis, (ut pie ab omnibus ibidem habitantibus asseritur) sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, quorum ossa honorifice ibi recondita sunt, liberantur a tyrannide hujus viri.

an. 1474,

E

et 1480 pons, Rheno exundante periclitans, servatur

124 Cives autem oppidi Brisach cum Salomone dicere possunt : Et venerunt nobis omnia bona pariter cum illa, videlicet venerabilium Reliquiarum allatione : quia quamdiu apud eos fuerunt, multis periculis liberati sunt. Et maxime anno Domini MCCCCLXXX, Rhenus fluvius, circa festum S. Jacobi Apostoli, in immensum adeo excrevit, ut per totum suburbium, vulgariter der Werd, tanquam in plano constitutum, inundaverit ; monasterium Monialium extra muros, vulgariter Mergenow, usque ad majus altare impleverit ; et per vias ac vicos navigaretur ; sicut per ejus alveum facere consuetum erat. Pontes in Waltzhut, Sachinghen, Basilea, Argentina destructi, negabant transitum. Quibus cives oppidi Brisach nostri, sanctis Gervasio et Protasio votum fecerunt, qui quam naturali via impossibile erat sucurrere. Sed, ut multa paucis concludam, pons remansit, licet in parte destructus aliquibus parvis lignis sustentabatur intercessione sanctorum Martyrum, quorum ope adjutus transitum ambulantibus præstabat. Sic nos per præfatos gloriosos Martyres, eorum meritis et intercessione, hic in mundo transire per gratiam valeamus, et in futuro per gloriam, in qua ipsi sunt : quod omnibus F nobis præstare dignetur, pro quo passi sunt, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

eleganter fabricata Lipsanotheca anno 1498

125 *Ob hæc aliaque Brisacenses, ut in eodem impresso dicitur,* Sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii corpora, ad ecclesiam protomartyris Stephani translata, omni cultu et religione venerantur. Novissime vero his diebus circa annos Domini MCCCCXCVIII locellum seu arcam argento circumdatam, mille quadringentorum Florenorum Rhenensium construxerunt, et ossa eorum magna cum solemnitate posuerunt, prout singulis annis, in eorum festivitatibus, oculis corporeis a fidelibus cernitur. Cursus vicinarum villarum, solemni cum processione et veneratione populi, frequentantur, ubi Deus operatur mirabilia in sanctis suis, et per eos multa præstantur beneficia. *Utinam MS. prædictum haberi hic posset, ut judicium de ejus authenticitate certius ferretur. Nunc ultero recentiora quædam, quibus Caput 36 libri sui 2, tomo 3 finit Crombachius, est que ut ait.* Vera narratio miraculi, quod anno MDCXVII, XXX Novembris, in festo S. Andreæ Brisaci circa nobilem virginem, divina virtute et meritis SS. Gervasii et Protasii, illic quiescentium patratum est.

anno 1617

126 Reverenda et prænobilis, Deo devota virgo, Scholastica ab Ampringen, Canonica insignis et

pervetusti

AUCTORE D. P.

pervetusti nobilis collegii S. Leodegarii in Masmunster, XIII vel XIV annos multis mirabilibus et inauditis morbis, Deo sic permittente cruciata, tandem pedibus omnino capta, gressum nullum omnino potuit promovere; ut alienis manibus elevanda, portanda et deponenda fuerit, quo necessitas urgebat. Desperata jam salus erat in medicis et humanis viribus. Ergo cum ex arce Bingensi (ad quam se ob medicorum et pharmacorum opportunitatem receperat) ad collegium suum, comitibus Domina matre, affine et sorore, lectica veheretur, deposita a medicis Brisacum transiit; et ex voto, magno licet cum dolore, deferri petit in templum, et abjici ad SS. Gervasii et Protasii lipsanothecam: ubi cum Deum pie, magna cum fiducia fuisset deprecata, peracta re divina, surrexit ipsa, nullo adminiculante, salva et incolumis. Quod nos, una cum loci Consule, Mag. Joanne Buchner, ipsius conjuge et magna hominum frequentia, summa cum admiratione vidimus. Extemplo, sola, sine comite et scipione, pedes ad Wassenburgensem domum divertit, post prandium sola inscendit lecticam, vesperi apud cognatum Dominum de Stadion in Ensisheim, et postridie ad collegiatam suam ecclesiam Masmunster, cum gaudio et stupore omnium pervenit incolumis; nec hactenus, Deo favente, dolorem ullum persensit amplius.

Monacha paralytica convalescit,

127 Quocirca cum ad Dei et Sanctorum gloriam auctionem, diaboli et hostium veritatis Catholicæ confusionem, non debeant divina celari miracula: me confessarium suum et oculatum testem horum omnium, dicta Domina rogavi, idipsum publicitus attestari. Testor itaque ego Fr. Michael Buchner, Conventualis monasterii Teutperti et Sickingensis, Parochus in Riengen, fide sacerdotali, rem ita, nec aliter quam paucis narratum est, contigisse. Hujus præter dictos aderant tunc etiam testes oculati, prænobilis et strenuus Dominus Joannes Christophorus ab Ampringen, serenissimi Archiducis Maximiliani Austriaci consiliarius, et satrapa civitatis et dominii in Staufen, virginis dictæ germanus; et expertissimus Dominus Joannes Jacobus, medicinæ doctor subjungit his complures virgines nobiles et totum Magistratum Brisacensem hujus prodigii testes. Similis affixa tabella cum prolixiore narratione Protasii Witligs; qui cum quinquennio corporis insanabili morbo, medicorum consensu vexatus esset, voto concepto et sacro audito in templo, precibus SS. Gervasii et Protasii statim sanari cœpit: jam totus incolumis valet optime, anno MDCXXV, XII Januarii.

quod multi testes probant.

Aliud miraculum anno 1625.

128 Denique loci Curio scribit ad me *(inquit Crombachius* recens admodum miraculum his verbis. Vivit adhuc et moratur modo Basileæ, propter bellorum tumultus, prænobilis et devota femina Eva a Baden, origine Truchsesia a Walthaus, uxor nobilis et strenui viri Friderici a Baden, qui tempore pacis in pago Liel prope Neoburgum ad Rhenum habitare solet. Ea morbo quodam valde gravi laboravit per integrum fere annum (qualis autem fuerit morbus ignoro.) Sed hoc ex illa audivi, quod, cum nullo medicorum auxilio juvari posset, et cum antea corporis valde obesi esset, de die in diem contabuerit, velut umbra macilenta. Hæc die eorum festo, se nostris sanctis Martyribus tota mente commendavit; et mox ubi tumbam sacrarum reliquiarum e fenestra vidit per plateas (uti mos est quotannis) circumferri, procumbens in genua, ardentiori oratione eorum subsidium imploravit; impetravit etiam, et subito sana surrexit; et adhuc est incolumis, tamque obesa, quam ante morbum fuerat. Hæc illo ipso die mihi, quo contigit, in vesperis retulit, præsente alia nobili femina, et sanctos Martyres, oblato Rosario argenteo, in grati animi significationem donavit. Sacrumque a me ad sanctorum Martyrum honorem legi petiit. Appendit ipsa suo tempore, Deo volente, tabellam ad rei perennem memoriam. Hæc ad me XXII Maji MDCXL loci Parœcus exaravit litteris, quæ cura Joannis Homphæi Rectoris Schletstadiensis Societatis Jesu obtinui.

Matrona anno ægrota

ante tumbam surgit sana anno 1640.

§ XI *Possessio Sacrorum corporum controversa inter Brisacenses et Mediolanenses: horum certior.*

Concludit *ex miraculis præmissis Crombachius*, liquere, quod a tempore translationis opera miranda sanctorum istorum Martyrum continuentur. *At rei cardo in hoc vertitur, ut idoneis auctoribus edoceant Brisacenses, quando, per quem et quomodo translatio vere facta fuerit, cum scriptores a Crombachio citati, eodem ferme omnes testimonio seu fabulosa narratione utantur, quæ, licet fortes citius adornata, non ante principium seculi* XVI, *publicam lucem aspexit, edita Argentinæ* MDV, *superstite verosimiliter ipso auctore, aut saltem vulgatore F. Joanne Berken, sacræ Theologiæ licentiato, lectore FF. Eremitarum S. Augustini. Repertus dicitur codex impressusque eo modo, quem habes pag.* 688 *num.* 98, *unde brevem totius historiæ seu sermonis ideam huc transfero. Incipit:* Justorum animæ in manu Dei sunt. Sap. III. Anima humana variatur in suis motibus secundum quatuor affectiones, scilicet gaudium, spem, amorem et timorem... *Et in hoc Sermone* quatuor, *inquit Auctor*, per ordinem sunt dicenda. Primum est verborum illorum *in thema assumptorum* declaratio; *quæ concionatoria tota, ad historiam non spectat.* Secundum, Sanctorum inventio, *ex epistola Pseudo-Ambrosiana.* Tertium, eorum martyrizatio, *ex libello Pseudo-Philippi.* Quartum, eorum translatio.

Legenda translationis anno 1505 impressa

130 *Hujus ultimi membri, unice huc nunc spectantis, principium sumitur ab anno* MCLI; *quo Fridericus Barbarossa, cum exercitu contra Pontificem Alexandrum veniens in Italiam, Mediolanum, diu frustra defensum a quodam Galvaneo, Angleriæ Comite et civitatis Principe, vi obtinuerit, expilarit, everterit. Galvaneum porro, ne occideretur, servaverit soror,* corpora trium Magorum, sanctorumque martyrum Gervasii et Protasii, Naboris et Felicis, *promittens* Rodulpho, vel ut aliis placet, Ottoni archiepiscopo Coloniensi: *qui ab Imperatore urbem ingressuro petierit, condonari sibi, quod humeris ferret primo occursura mulier; occurrisse autem ex conducto sororem Galvanei, ipsomet fratre suo onustam: parcitum ergo vitæ ejus fuisse, sic tamen ut flagris cæsus abduceretur captivus in Germaniam; unde reversus urbem restaurarit, usque ad annum* MCLXXXII *superstes. Comœdiam legere te existimas credo, nec aliter accipi eam velim; maxime cum nec annus rei gestæ, nec nomen episcopi Fredericum comitati conveniat; et Angleriæ Comitum prætensus in urbe dominatus explodatur a Mediolanensibus, præsertim a novissimo et strenuissimo eorum vindice Saxio a num.* 104.

est fabulosa

131 *Specimen exhibeo ex num.* 108 *pag.* 175, *ubi Galvaneum Flammam acriter perstringit, quod secutus, ut ait,* fabulosa illa Comitum Angleriæ a Daniele compacta chronica, inauditum coævis scriptoribus commentum de Galvaneo principe ediderit, *nullos nactus* sectatores, nisi quos stimulabat libido adulandi nobilissimam Vicecomitum gentem glorioso regiæ stirpis mendacio, quod et ipsi postea suo e stipite præciderunt, teste Bosello in Austria Anicia, indignati purissimam sanguinis sui originem, fabularum, quamvis illustrium, cæno vitiari. Referre placet verba ipsa marchionis Thebaldi Vice-Comitis

quoad comites Angleriæ

AUCTORE D. P.

comitis, qui in præfatione ad suum gentilitium stemma sic scribit: In origine trahenda illud temperamentum adhibebimus, ut quæ ab antiquis scriptoribus in regnantium gratiam ambitiose conquisita sunt, et poetica vanitate in majus aucta, ea ne digna quidem existimemus, quæ refutentur. Sicut quæ Petrus Castellus Augustinianus, et Gabriel Simeonius, et plerique alii de Trojana origine, atque Anglo Ascanii filio, longaque Angleriæ et Mediolani regum serie, per barbara et peregrina nomina, mendacio furori proximo comminiscuntur: quasi gens, diu Italiæ princeps ac patriæ regnatrix, et postquam imperio excidit, per titulos ac memores fastos semper clarissima, otiosorum hominum deliramentis egeret, quibus posteritati fucus fieret, atque inanium narratione, fides etiam veris abrogaretur.

qui ab ipsis Mediolan. exploditur:

a quibus tamen nata videntur figmenta.

132 *Petri Castelli Augustiniani ætatem scriptaque non novi, sed si ipsa id ferant, non mirabor, ab eo ejusque magistro Daniele, aut simili alio vetustiori fabulatore deceptos Brisacenses credidisse, quæ translationi SS. Gervasii et Protasii immixta sunt: cumque scriptores illi præsumi possint Mediolanenses fuisse, non video cur Saxius indignetur, quod ejusmodi figmenta, saltem quod Anglerios spectat, maluerim opinari Mediolani potius quam Brisaci nata; eademque ratione excusare non verebor Germanos alios præfatæ translationis assertores, atque imprimis Felicem Fabrum Dominicanum Ulmensem, qui quemadmodum Bernardinus Corius, ut ait Saxius num. 153, eisdem fabellis deceptus, lib. 1 historiæ Suevicæ, agens de Frederico I imperatore ejusque gestis, in rem Brisacensium, nonnulla male connectens, scripsit:* In destructione civitatis Mediolanensis donavit Imperator principibus et episcopis corpora Sanctorum et reliquias inventas per ecclesias, inter quos Reginaldus archiepiscopus Coloniensis accepit corpora sanctorum trium Regum de loco, ubi nunc est conventus noster, eaque Coloniam transportavit, ubi hodie clarent: corpora autem sanctorum Gervasii et Protasii accepit et in civitatem Brisacum transtulit.

Nec magis constat reliqua historia

133 *Sed juvat audire Berkeniani sermonis sequelam, ut de tota re certius statuatur. Sic pergit:* Contigit autem eumdem Archipræsulem ad Rhenum flumen, per Basileam civitatem insignem venire usque ad oppidum Brisach Constantiensis diœcesis, sub ditione Ducatus Austriæ. Est autem nobile regionis Brisgaviæ oppidum, juxta Rheni flumen in monte constitutum, jam diu ædificatum: habet enim castrum cum celebri turri, constructum tempore Henrici Regis anno Domini MLXXXVIII, nunc autem invictissimo Regi semper Augusto Maximiliano paret. Audientes autem cives prænominati oppidi adventum reliquiarum trium Magorum, sanctorumque Martyrum Gervasii et Protasii, gaudio repleti non modico, confluxerunt et concurrerunt cum vexillis, crucibus, cereis, ac processione, ad corpora illa contemplanda oculis, et labiis osculanda, ubi Deus operatus est mirabilia ob civium devotionem. Præfati autem cives obnixe rogaverunt Archiepiscopum, ut dignaretur intuitu Dei, ipsis saltem corpus S. Gervasii dare, ut in monte, in quo oppidum ædificatum cernitur, et in eorum ecclesia collocaretur. Illustrissimus Archiepiscopus et Princeps Elector, cernens civium confluentium devotionem; licet aliqualiter denegasset, propter importunam et rationi nixam petitionem concessit, et dedit quod postularunt: ingentique gaudio cives repleti; illud cum magna veneratione et jubilo, Archiepiscopo præsente, ad ecclesiam parochialem S. protomartyris Stephani deduxerunt cum hymnis et canticis, laudes Deo agentes.

134 Altera die devotus Antistes, cum suo comitatu, iis quæ in navi erant necessaria emptis et dispositis, navim ingressi, solutis anchoris et funibus, quibus navis ligabatur, (stupendum miraculum!) navis immobilis permansit. Nautis frustra laborantibus, Archipræsul et sui expavescunt et mirantur. *Conjectans autem, nolle Sanctos ab invicem separari, qui junctim vixerant, junctimque passi, sepulti, inventi et eatenus culti fuerant;* rogavit sibi redonari corpus, majora pollicitus, ut cum tribus Regibus Coloniam transferret.... cives autem obnixe rogarunt, ut et ipsis Protasium fratrem ejus daret, ut in uno loculo simul collocarentur. Quod considerans Archiepiscopus mœstus et tristis eis donavit. Tunc remoto omni impedimento, per Rheni fluenta usque Coloniam navigavit.... cives autem Brisacenses, majori gaudio repleti, omni cum veneratione et jubilo, etiam Protasium ad prænominatam ecclesiam protomartyris Stephani transtulerunt quarta die Julii, ubi omni cultu et religione venerantur.

aut miraculum, quo corpora Brisaci remanserint,

contrarium evincente Saxio.

135 *Hactenus Berkeni relatio, apud Crombachium et Saxium ex ipso Brisacensium instrumento fusius deducta; in qua ut ut vere dicatur, trium SS. Regum corpora, fatentibus ipsis Mediolanensibus, Coloniam transvecta, in ceteris fidem invenire nequaquam posse videtur. Patens est quoad utramque translationem disparitas: nam de suburbana ecclesia S. Eustorgii, qui corpora regia Constantinopoli attulerat, testantur multi, eadem in urbem recepta et ibi reperta, adeoque facilius a Germanis auferri potuisse, et fingi per Galvanei sororem tradita, si in ipsius parthenone illa tunc quievissent, verum ab Ambrosiana basilica, ipsa vel alius quisquam non potuit sanctos fratres auferendos præbere: siquidem hanc constat, jubente Imperatore, una cum aliis duabus S. Mariæ et Mauritii inviolatam mansisse, id quod solidis rationibus et coævorum auctoritatibus toto suo opere sic probat Saxius, ut loco mota fuisse Sanctorum corpora, cum Ambrosio quiescentia, nullo modo credibile maneat. Argumenta colligere, quibus perennem, constantem et perseverantem Mediolanensium possessionem evincit, non aliud esset, quam integram ejus dissertationem transcribere. Satis sit nos hic candide fateri, rationum ejus momenta, plane elidere partem oppositam, in quam duce Crombachio non tam facile inclinassemus, si Saxiana documenta omnia ad manum fuissent.*

Non probant Sanctorum præsentiam miracula.

136 *Supervacaneum igitur est pluribus hoc Supplementum augere; ad ultimam, quam hic amplectimur, sententiam revocanda et corrigenda sunt, quæ § IX commentarii nostri olim a nobis disputata sunt. Nec iis scrupulis movemur qui fortasse ab imperitis objici possent, quod nempe ex adductis supra miraculis confirmari videatur Brisacensium possessio, cum juxta regium Psaltem* testimonium Domini fidele *sit, nec* in confirmationem falsi, *teste S. Thoma*, miracula fieri possint: *nam ut verissimum fateamur, Deum prodigus loquentem non posse suffragari erroribus, sic diversissima cum Saxio dicimus, alterum* quod miracula fiant ad invocationem Sanctorum, quorum reliquias præsentes esse putamus; alterum quod fiant in attestationem earumdem reliquiarum, ac quasi divinum signum, ut constet, eas esse vere ejusdem Sancti, quem affusis precibus imploramus. Ut plurimum mirabilis in Sanctis suis, scrutatorque cordium Deus, servorum suorum gloriæ, et ingenuæ supplicantium fidei beneficia immensæ liberalitatis largitur, nec dona, quæ ultra omne naturæ meritum effundit, præsentibus reliquiis alligat; unde optime S. Gregorius, lib. 2 Dial. cap. ultimo notat, quod Sancti ad majus nostræ fidei meritum sæpe ILLIC MAJORA SIGNA FACIUNT, UBI MINIME PER SEMETIPSOS JACENT. *Obvia exempla sunt in corporibus SS. Benedicti, Monicæ, Udalrici et aliorum, de quibus laudatum auctorem consule a num. 136.*

A

AUCTORE D. P. nec inutiles de his rebus contentiones.

137 *Neque vero Sanctorum ipsorum gloriæ ex hujusmodi concertationibus quidquam decedere, neque inde offendiculum aut scandalam gigni posse existimo*, cum enim, *ut recte idem Saxius num.* 124, unus sit Deus, quem primo colimus in Sanctis suis, Sanctos vero ipsos felicissima æternæ vitæ societas ita nectat, ut nulla invidiæ aut æmulationis pateat rima; quid mali si ignoto, vel sub alieno nomine affundamus obsequium nostrum cœlestibus animis, dummodo quæ præsentia colimus depositæ mortalitatis spolia, vere sint alicujus Sancti? Etenim nec vocibus nec syllabis affigimus superstitiosum cultum, neque intra venerabiles lipsanothecas concludimus sistimusque preces ac vota, ut falso blaterant nostræ fidei hostes, sed mente animoque provolamus ad cœlum, opemque et patrocinium imploramus adstantium divino throno Sanctorum, ejusdemque regni indissolubili consortio gaudentium. Nihil igitur aut eorum gloriam, aut religionem nostram lædit innocens nominis lapsus: imo si intime rem spectemus, tum Sanctorum cultus, tum pietas populorum ex his opinionum conflictibus quoddam recipit incrementum; dum enim plures de eodem corpore ecclesiæ disputant, unaquæque interim vires omnes impendit, ut

B eximiis religionis officiis testari studeat venerationem suam erga Sanctos, quorum sacras exuvias custodire se existimat; atque in hoc uno concors discordia est, quod sancta æmulatione omnes succensæ, multiplicata veluti obsequii materie, ad gloriam ipsorum amplificandam, augendamque in nobis fiduciam ac virtutum imitationem conspirant. *Quemadmodum hoc ipso loco opportune memorem reddit idem Saxius, me recte olim monuisse de S. Adalberto, ad* XXIII *Aprilis pag.* 177 *num.* 17.

§. XII *Sanctorum in Polonia patrocinium.*

Romanus in Regem suum rebellis

138 *Missis de sacrorum pignorum possessione concertationibus, liceat coronidis loco, in Sanctorum gloriam subnectere bina miracula, quæ ex illustribus scriptoribus Polonicis nobis suggessit sæpe laudatus Saxius, dissertationis suæ num.* 48 *et* 49, *ubi sic narrat:* Declinante in finem seculo XII, id est sub annum MCXCIV, viduata Principe suo Casimiro Polonia minor, communibus procerum votis substituerat Leskonem, mortui Casimiri filium, a nivea cæsarie Albi cognomine appellatum. Sed cum ætate minor, minor etiam regni curis videretur, commissaque ideo fuisset Fulconi episcopo Cracoviensi et Nicolao Palatino

C germanis reipublicæ cura tutelaque Principis adolescentis (quidquid referat P. Foresti in suo Mappamundo historico tomo 4 parte 2 lib. 10, qui Helenæ matri creditam hanc Regis filii curam affirmat) irritatus Myeslaus dux majoris Poloniæ, quod in partem hujus tutelæ, quam sibi tamquam unico patruo competere arbitrabatur, se minime adscitum videret, infesta vexilla movit, infelici tamen exitu; nam cæso tandem exercitu, ipse quoque vitæ periculum subiit, cecidissetque haud dubie gregarii militis ictu percussus, nisi se Ducem Myeslaum inclamans, cassidemque detrahens, venerabili vultu militem terruisset. Interim Romanus, Dux Wladimiriensium, qui in tam strenuo conflictu præcipua pars fuerat victoriæ, acceptis etiam vulneribus et fuso sanguine, veluti in præmium præstiti auxilii, partim precibus, partim minis institit, ut, repugnantibus licet populis, Haliciensi Ducatui, nuper in Leskonis potestatem redacto, præficeretur, obtinuitque: sed fortunæ suæ insolentia elatus, nec sibi temperans, primo subditos fœda crudelitate vexavit, alios terræ vivos infodiendo, alios excoriando, ac incidendo membratim; solitus barbaro illo adagio genii sui ferociam obvelare; non posse videlicet melle vesci secure, nisi examen apum opprimeretur.

D

festo Sanctorum die cæditur:

139 Deinde in manifestam contra Principem suum rebellionem desciscens, collectis ex universa Russia ingentibus copiis, Poloniam invasit, jamque urbium ac gentium illarum excidio imminebat, nisi SS. Gervasii et Protasii patrocinium a concepta cæde impium repulisset; eo enim die, quo anniversaria ipsorum memoria celebratur, XIX Junii, commisso utrimque prælio tanta strage Romani exercitus percussus est, ut totus fere ad internecionem deciderit, ipso etiam Duce infeliciter trucidato. Nec immemor accepti beneficii Lesko fuit, perpendens enim, quam parva militum manu, iisque etiam consternatis metu, tam ferocem copiosumque hostem fudisset, ac totam in sanctos Martyres gratiam referens, eosdem victoriæ auctores Patronosque publice agnosci voluit, altare ipsis erigens in ecclesia Cracoviensi, illudque in perenne grati animi monumentum, amplissimis donariis fundisque opulentis dotavit, quemadmodum referunt Mathias de Michovia et Martinus Cromerus ad annum MCCV in eo volumine, quod Basileæ editum anno MDLXXXII, *Polonicæ historiæ Corpus* inscribitur.

E

sic etiam ingens Russorum exercitus deletur.

140 Non absimile est, quod anno MCCLXVI in ejusdem nationis favorem divinitus peractum esse, ex Longino et Cromero, Polonicæ historiæ scriptoribus, tradit Odoricus Raynaldus. Suarno Dux Ruthenorum, instructissimo exercitu succinctus, ita ut e quatuor partibus, tribus Polonos numero superaret, castra contra ipsos moverat, nec jam spes ulla evadendi periculosam aleam micabat, urgente hoste feroci, et virium suarum magnitudine, victoriam priusquam pugnam meditante. Quocirca etiam Boleslaus, castris absens, ratus precibus potius confligendum quam armis, una cum religiosissima uxore Kinga, exercitus sui curam enixe Superis commendabat; nec voti inops fuit. Cum enim, usque ad undevigesimum Junii diem, Martyribus sacrum, dilata fuisset prudenti cunctatione pugna; tantum animi ac virium inexspectato Polonis accessit, ut impetu in hostes facto confertas acies perruperint, nec prius ab arena pedem retraxerint, quam cæsis aliis, aliis in servitutem abductis, onusti spoliis integraque potiti victoria, in patriam reverterentur. Fertur, attritos fractosque ea clade Ruthenos, tanta animi consternatione fuisse perculsos; ut, cum alias furibundi insultantesque continuis pene irruptionibus Poloniam vexarent, exinde ad longum tempus ferro abstinuerint, suæque veluti indolis obliti, ac odio furorique

F parcentes, religioso quodam metu hostium confinia venerarentur. Tam insignis victoriæ eventus SS. Gervasii et Protasii felicissimo patrocinio attributus est: nec ullus dubio locus; oranti enim ante pugnam Kingæ, duo in candida veste splendidissimi juvenes adstitisse memorantur, qui secuturi mox prælii felicem exitum spopondere, eosque fuisse Gervasium et Protasium, quorum triumpho illustris erat certaminis dies, communis persuasio constanter doclaravit.

Hæc de SS. hisce M. M. satis dicta sint.

Nov. 19

Pag. 727 *hæc addenda notavit Papebrochius.*

11 *Cum hic de* S. Deodato *prævius Commentarius simul et vita sequens, cum nostris Annotatis, jam esset excusus; accepi a sæpe dicto Riqueto perquam eruditum Commentarium, cui titulus,* Systema ordinis Chronologici episcoporum Tullensium: *ubi cum solide refutasset prætensam* S. Mansueti *antiquitatem, qua is vulgo creditur a S. Petro ordinatus missusque episcopus; sic agit de ipso* Mansueto. Ammone, Alcasio, *et* Celsino *quatuor primis episcopis ut primum certamque epocham istorum et subsequentium episcoporum ponat*

in

A *in episcopo quinto,* Auspicio, *quem constat S. Sidonii Apollinaris familiaritatem per litteras reciprocas coluisse, intra annos* CCCCLXXII *et* CCCCLXXXII, *quo medio tempore Sidonius Claromontanam in Arvernia Sedem tenuit. Deinde veniens ad episcopum* XXIII Garibaldum, *sub quod stabilitum in Vosago* S. Deodatum *censent aliqui, hunc errorem refellit; multaque huc et ad fundationem monasterii Mediani spectantia discutit. De quibus successores mei in hoc opere poterunt plura dicere ad diem* VIII *Julii, quo natalem S. Auspicii consignat Saussayus, fortassis occasione alterius Auspicii Trevirensis; Breviarium saltem Tullense, anno* MCXXXV *Parisiis excusum, illo die nihil de suo Auspicio habet*

NOT. 19 *Pag.* 729 *post Annot.* e, mutata voce ultima, *scriptus,* in *subscriptus,* sic porro lege — *Nec obest quidquam, quo minus* Rauracus *etiam fuerit episcopus anno* 630, *aut etiam alius, post abdicationem* Deodati, *quia inter* Agricolam *episcopum Nivernensem, cujus postrema memoria invenitur apud Sammarthanos anno* 585, *et* Rauracum, *possunt plures alii intercessisse, atque inter illos* Deodatus *noster, quamvis hunc consignent iidem Sammarthani loco non suo, post* Rauracum *et* Gilbertum. *Sed talia condonari debent scriptoribus, qui profi-* B *tentur, se historiam universalem, seu episcoporum seu aliarum rerum integri alicujus regni colligere; quando ex historia singulari alicujus loci particularis veriora* D *proferuntur.*

Pag. 744 *ad finem Commentarii hæc appone.* NOT. 20

9 *De eodem sic scribit in sua Germania sacroprofana Bucelinus parte* 2 *pag.* 308, *ubi texuit catalogum abbatum Werthinensium.* — Præfuit huic monasterio B. Hildegrimus annis fere XVIII: obiit anno DCCCXXVII, XIX Junii, in episcopatu suo Halberstadensi. Corpus ejus Werthinam delatum, apud S. Ludgerum honorifice sepultum est ad dextram. Ejus epitaphium in crypta Werthinensi, marmoreo inscriptum monumento, tale est.

Jull tredecimis resolutus carne Kalendis
Hildgrimus tumulo clauditur apposito,
Frater Liudgeri, coepiscopus, atque beato
Compar huic meritis, sicut in officiis.

Dum annis fere XVIII *præfuisse monasterio Hildegrimum, dicit Bucelinus; ejus præfecturam orditur ab obitu S. Ludgeri, qui accidit anno* DCCCIX. *In versu tertio epitaphii vox ultima scribebatur* beati, *quam putavi mutandam, ut sensus sit,* beato huic *Liudgero* comparem *fuisse Hildegrimum.*

Pag. 760 *post Acta* S. Bonifacii archiepiscopi apostolici, circa Russiam ex Ordine Camaldulensi martyris, *adjunge commentarium sequentem.* NOT. 21. E

DE EODEM S. BONIFACIO MARTYRE

COMMENTARIUS NOVUS

Super quæstione, Utrum ille et S. Bruno, archiepiscopi apostolici, Prussorum Russorumve Apostoli ac martyres, unus idemque sint, an diversi. C. J.

§. I Quid de S. Brunone Historici Germanici scripserint.

Qua occasione novus hic commentarius edatur

Egit pridem Bollandus ad diem XIV Februarii de sanctis martyribus, Brunone archiepiscopo et XVIII sociis in Prussia; *eorumque Acta brevia descripsit ex Dietmaro Merseburgensi episcopo,* S. Brunonis *consanguineo, et olim Magdeburgensi in studiorum palæstra condiscipulo. Commentarius ille Bollandi accuratus est, sed de* Bonifacio *in Prussia martyre, idemne esset cum* Brunone, *an secus, nihil ei in mentem venit. Sed neque* C *Verorum nostrum qui* Acta S. Bonifacii archiepiscopi apostolici, ordinis Camaldulensis, circa Russiam martyris, *illustravit ad diem* XIX *Junii, illa de re cogitatio subiit. Est iste* Verovius, Franciscus, *qui, ut erat studiorum amans et capax, ac robustæ, uti videbatur, valetudinis; socius nobis a Moderatoribus datus, post breve tempus præpropera morte anno* MDCCI *vivere desiit, impressa quidem tunc lucubratione ejus de* S. Bonifacio *prædicto, sed nondum evulgata. Viri elogium condidimus, in capite tomi istius quarti invenendum, si plura de illo scire quis velit.*

Quid de S. Brunone Scriptores Germani

2 *Ego interea, antequam tomus ille ederetur, Roma reversus Antuerpiam, atque anno sequenti subrogatus in locum defuncti, socius Joannes Baptista Sollerius, collatis inter se hujus* S. Bonifacii *et istius* S. Brunonis *martyrum Actis, dubitare cœpimus, an vere diversi essent Sancti isti; communique consensu statuimus animadvertere inter legendum alia, numquid ad diversitatem personarum aut identitatem da veniam verbo philosophico) probandam occurreret: sicque collegimus utrque varia, quæ, volente Sollerio, conabor hic digesta proponere. Atque ut res tota clarius intelligatur, adducam hoc paragrapho, quæ scriptores Germani de suo* Brunone *martyre reliquerunt posteritati: quos inter primo loco meretur citari Dietmarus, tamquam coævus et condiscipulus et consanguineus, et qui martyrio Brunonis annos* X *supervixit, atque gesta ejus per compendium descripsit in laudatissimo chronico suo, quod habemus MS. libro* 6 *versus finem.*

Dietmarus,

3 Fuit quidam, Brun nomine, contemporalis et conscholaris meus, ex genere clarissimo editus, sed divina miseratione præ ceteris, parentibus suis inter filios Dei dilectus. Hic ab Ida venerabili matre sua unice dilectus, magisterio Geddonis philosophi traditur; et omne, quod habere debuit, cum F abundantia præbebatur. Hujus pater Brun dicebatur, senior clarus et per omnia laudabilis; amicus mihi consanguinitate, et omnibus familiaritate erat proximus. Filius autem ejus et æquivocus, cum mane ad scholam ire debuisset, antequam ab hospitio exiret, veniam petiit, et, ludentibus nobis, in oratione ipse fuit. Otio negotium præposuit, et sic fructificans ad maturitatem pervenit. A tertio Ottone igitur desideratus suscipitur: quem non longe post deserens, solitariam vitam quæsivit, et de opere manuum suarum vivebat.

4 Regnante vero, Dei gratia, secundo Henrico post mortem gloriosissimi imperatoris *Ottonis III,* Marseburg veniens, benedictionem episcopalem cum licentia Domini Papæ ab eo petiit, et ejus jussione ab archiepiscopo Taginone consecrationem, et quod ipse detulit pallium, ibidem suscepit. Dehinc ob lucrum animarum, laborem grandis et diversæ viæ subiit, castigans et crucians corpus suum inedia et vigiliis. Multa a Bolislavo, *qui tunc erat Polonorum dux,* ceterisque divitibus bona suscepit, quæ mox ecclesiis et familiaribus suis et pauperibus, nil sibi retinendo, divisit.

5 Duodecimo anno suæ inclitæ conversionis (*illa incidit*

AUCTORE C. J.

incidit in annum DCCCCXCVI, *quando cum Imperatore in Italiam veniens, adhæsit S. Romualdo)* ad Pruciam pergens, steriles ejus agros semine divino fœcundare studebat : sed spinis pullulantibus, horrida non poterat facile emollire. Cum itaque in prædictæ regionis confinio et Rusciæ [prædicaret] primo ab incolis prohibetur et plus evangelizans capitur, et amore Christi, qui Ecclesiæ caput est, XVI Kalend. Martii mitis ut agnus decollatur cum decem et octo suis sociis : quorum corpora insepulta jacuerunt, quoad usque Bolislavus id comperiens, ipsa mercatus est, et domui suæ futurum solatium acquisivit. Facta sunt autem hæc tempore serenissimi regis Heinrici, quem omnipotens Deus triumpho tanti Præsulis honorificavit, et ut spero multum, salvavit. Pater autem prædicti Antistitis, longe post infirmatus, et ut ipse mihi narravit, præcepto filii monachicum habitum suscepit et quarto decimo Kalendas Novembris in pace quievit.

6 *Hæc Dietmarus de* S. Brunone, *quæ compendio continent fere omnia, quæ Petrus Damiani scribit de suo* S. Bonifacio; *et collata inter se suadere possunt, utrobique agi de una eademque persona, quamvis nomina sint diversa : idque etiam fortius suadebitur et fortassis persuadebitur consideranti, quæ alii Scriptores Germani veteres de eodem* S. Brunone *meminerunt quia eorum aliqui ipsum etiam appellant* Bonifacium. *Accipe igitur, quæ collegi ex variorum scriptorum monumentis, tum pridem, tum non ita pridem editis, præcipue a Meibomiis atque Leibnitiis. Apud illos inter Scriptores rerum Germanicarum extat chronicon Magdeburgense, quod pag.* 275 *sic habet :*

Chronicon Magdeburgense,

7 Inter *præclaros sub Adalberto, primo ecclesiæ Magdeburgensis archiepiscopo juvenes, operam studiis dantes,* emicuit regiæ stirpis Wogieteth, sed ab ipso Archiepiscopo, æquivoco nomine dictus, Adalbertus ; qui postea Pragensis episcopus, glorioso martyrio coronari meruit : cujus consodalis sanctus Bruno, qui et Bonifacius, nobilitate et meritis illi per omnia simillimus, dum passionem et actus ipsius scribendo miratus est ; ipse nihilominus archiepiscopus gentium, pari agonis triumpho, subsequenter in confinio Russiæ et Lituæ regionum martyrizatus est, sicut indicat liber gestorum ejus. *Habes hic* Brunonis *aliud nomen*, Bonifacius ; *habes quoque (quod notare juvat) ipsum scripsisse Actus et passionem S. Adalberti Pragensis episcopi et martyris; de quo postea.*

Quidlingburgense,

8 *Chronicon Quidlingburgense, tomo* 3 *Rerum Brunswicensium a doctissimo viro Godefrido Guilielmo Leibnitio editum, pag.* 287 *utrumque pariter nomen conjungit :* S. Bruno qui cognominatur Bonifacius, XI suæ conversionis anno in confinio Russiæ et Lithuæ a paganis capite plexus cum suis octodecim, VII Idus Martii petiit cœlos. *Idem Leibnitius edidit anno* MDCIIC Accessiones Historicas *(ita inscribit librum) in iisque præter alia e codice nostro MS. Chronicon, cujus auctorem appellat* Chronographum Saxonem, *tum quia is alioquin anonymus est, tum quia in rebus Saxonicis multum versatur; pertingens a Christo nato usque ad annum* MCLXXXVIII. *Chronographus ille ad annum Domini item* MIX, *Henrici Imperatoris secundi septimum, hæc scribit* : Sanctus Bruno archiepiscopus, qui et Bonifacius, primum canonicus S. Mauritii in Magdeburch; deinde monachicum habitum suscipiens; tempore illius Cæsaris, *Henrici prædicti,* Merseburch venit, ejusque jussione ab archiepiscopo Taginone, *aliis Tagmone et Daginone,* consecrationem, et, quod ipse detulit Pallium, ibidem suscepit. Dehinc duodecimo conversionis ac conversationis suæ anno in Pruciam pergens, steriles agros semine divino studuit fœcundare ; sed spinis pullulantibus horrida non potuit facile mollire. Tunc in confinio prædictæ regionis, Rusciæ et Lituæ cum prædicaret, primo ab incolis prohibetur ; sed plus evangelizans, capitur ; deinde a paganis, primo manibus ac pedibus præcisis, tandem capite plexus cum sociis suis, numero octodecim, VII Idus Martii martyr inclitus cœlos petiit. Pater præfati episcopi, Bruno dicebatur; mater, Ida; frater, Gevehardus. Gevehardus genuit Burchardum et Idam. Burchardus genuit Gevehardum, patrem Conradi Magdeburgensis archiepiscopi : Ida vero genuit Gevehardum Comitem, patrem Lotharii Imperatoris.

Saxonicum,

Magdeburgense iterum,

9 *Similia de S. Brunone seu Bonifacio habet citatum Chronicon Magdeburgense sub Tagmone archiepiscopo suo tertio, pag.* 284. *Posteaquam enim ibi narravit, quos Archiepiscopus ille consecraverat aliis ecclesiis episcopos, addit, consecrasse* quoque Brunonem, cognomento Bonifacium ; prius quidem S. Mauritii Magdeburgi Canonicum ; postea vero in palatio regio assumptum, sed fugientem cum deliciis suis seculum, ut sibi lucrifaceret Christum ; sicque apud Italiæ eremum, cum beatis sociis Benedicto atque Joanne, in monachica religione perfectissime conversatum : deinde a Romano Pontifice ad regem Henricum, et eumdem archiepiscopum *Taginonem* directum. *Hunc vero,* consecrasse ipsum archipræsulem gentium, eique quod ab Apostolico detulit, circumposuisse Pallium : qui *(Bruno Bonifacius)* post hæc signis clarus, pro Deo ab ipsis gentibus est martyrizatus, sicut indicat liber gestorum ejus, veraci relatione conscriptus ; *is utique liber, quem Dietmarus scriptum reliquit.*

Halberstadense.

10 *Adde Chronicon Halberstadense apud prædictum Leibnitium tomo* 2, *ubi pag.* 119 *de* Brunone *sic scribitur :* Hic etiam imperator *Otto III* S. Brunonem Magdeburgensis ecclesiæ canonicum, de castro Quernefurde, nobilis viri Domini Brunonis filium, spiritualiter dilexit, et imperialis aulæ capellanum fecit. Qui tandem secularis conversationis tumultuationem non sustinens, in Italiam proficiscens, habitum religionis induit, et monachum se fecit. Exinde cum duobus fratribus sui cœnobii Benedicto et Joanne eremi solitudinem inhabitavit ; tandemque eosdem confratres suos de consilio Domini Ottonis imperatoris in Poloniam misit, ipseque Romam proficiscitur, a Domino Papa licentiam accepturus, cum iisdem suis confratribus in augmentum coronæ suæ paganis gentibus Christi Evangelium prædicare.

11 Præsedit tunc temporis Romanæ Ecclesiæ Silvester Papa,...... qui B Brunonis agnoscens causam adventus, licentiam ei cum sociis suis tribuit prædicandi : pallio quoque sibi dato, remisit eum ad Magdeburgensem ecclesiam, per Tagmonem in gentis præsulem consecrandum. Compos igitur voti sui factus, in terram nativitatis suæ rediit : in qua aliquamdiu moram faciens, post consecrationem suam mira perfectione claruit, ita quod pedester super aquas incessit. Illo quoque egrediente de Saxonia, sub pedibus aselli ejus in saxo molliebantur vestigia, quæ apparent usque in hodiernum diem. Tandem de patrimonio suo, aucto et ditato satis decenter monachorum collegio, ipse cum octodecim sociis profectus est in Pruziam sive Borussiam, et pro fide Christi, quam prædicabat, in eadem provincia a gentibus Pruziæ belluinæ feritatis, multis suppliciis afflictus, manibus pedibusque abscissis, postremo capite plexus, stipante illum collegio octodecim sociorum, illic cum ipso pariter decollatorum, palmam Martyris est adeptus, anno videlicet Domini MVIII, XVI Kal. Martii.

Langius et Trithemius.

12 *Prætermitto recentiores, Paulum Langium et Joannem Trithemium scriptores Benedictinos, qui similia de* S. Brunone *tradunt, sed et Ordinis sui monachum*

chum faciunt : quod intelligi aliter non debet, quam quatenus Regulam S. Benedicti, quæ a Camaldulensibus quoque observatur, secutus sit. Neque adscribi potest Benedictinis, quia educatus fuit in monasterio Magdeburgensi sub Adalberti cura et magisterio archiepiscopi, *quæ verba Langii sunt. Illud enim monasterium, quod Otto primus Benedictinis fundaverat, tunc translatis inde ab eodem Ottone monachis in vicinum montem S. Joannis, incolebatur a clericis sub cura primi archiepiscopi Magdeburgensis Adalberti, anno* DCCCCLXVIII *ordinati, ut supra ad diem* VI *hujus Junii ostendimus ; Bruno autem in Italia primum amplexus est institutum S. Romualdi cum* Themmo, Benedicto, Joanne *aliisque Teutonibus qui Imperatorem anno* DCCCCXCVI *in Italiam secuti, visis Romualdi exemplo et sancta conversatione, ei se tradiderunt similiter exercendos, facti ex non Monachis Monachi eremitæ.*

§ II S. Bruno etiam Bonifacius vocatur, et utriusque Acta uni personæ conveniunt.

Scriptores diversa notant

Citati, Dietmarus ceterique, scripsere omnes in Germania et fere in Saxonia, S. Brunonis *patria. Hinc quæ in Saxonia ab ipso a puero gesta sunt, illi præcipue celebrant ; quæ in Italia, vix attingunt, contenti dicere, quod eo profectus sit, et clericalem vitam mutaverit in religiosam. Contra Petrus Damiani, qui natione Italus et ex monacho Cardinalis, anno* MLXXII *obiit, vix natus, quando martyrium* Bruno *subiit; non attingit, quæ suus* sanctus Bonifacius, *ante suum in Italiam cum Ottone III imperatore adventum gessit ; tantum indicans, ipsum* Teutonem *fuisse et cum aliis sociis Teutonibus Romualdo adhæsisse.*

de S. Brunone et S. Bonifacio,

14 *Hinc porro, qui scripta Germanorum, et præcipue Dietmari, qui omnium vetustissimus est, de* Brunone; *et scripta Damiani de* Bonifacio, *alia atque alia narrantium, seorsim legerunt, non dubitaverint, quin sub diversis nominibus diversæ etiam personæ designarentur. Attamen si consideratius utraque expendantur atque inter se conferantur ; erit fortasse, qui nobiscum opinetur, uni eidemque personæ convenire posse. Imprimis enim nomina diversa, Dietmari* Bruno, *et Damiani* Bonifacius, *diversitatem amplius inducere non debent, postquam superiori paragrapho monstravimus, eumdem* Brunonem *Germanis scriptoribus etiam* Bonifacium *appellari ; et sic appellatum fuisse, antequam in Italiam veniret e Saxonia, ex ipsa Damiani dignoscitur narratione. Ait enim, quod,* cum *adhuc Romæ anno nempe* DCCCCXCVI, in capella regia moraretur, videns ecclesiam antiqui martyris Bonifacii, mox exemplo sui æquivoci ad martyrii desiderium provocatus, dixerit. Et ego Bonifacius vocor. Cur ergo ipse etiam Christi martyr esse non debeo? Morabatur *tum adhuc in* capella regia *Bruno, recenter e Germania adductus ; quando se* Bonifacium vocari *ait, utique prius quam in Italiam venit.*

quæ tamen nomina uni conveniunt,

15 *Ex dictis videtur sufficienter sublata esse difficultas primaria et ratio distinguendi personas præcipua, nempe diversitas nominum : quæ sæpe alias viros etiam eruditos in errorem similem induxit. Memini me notare ad Acta B. Aloysii Gonzagæ tomo* IV *Junii unum eumdemque Philippi II Hispaniarum monarchæ a docto viro Nicolao Rittershusio in tabulis genealogicis, sub duobus nominibus distrahi in duos, atque inde numerum filiorum regiorum amplius, quam par est, ab ipso augeri. Legerat, opinor, in diversis scriptoribus, altero fortassis Hispano, altero Latino, Rittershusius, inter filios Regis censeri* Didacum *et* Jacobum, *quarum illud Hispanis, hoc Latinis usitatius est, ejusdem tamen notionis. Cujus rei ignoratione putaverit ille, duobus diversis nominibus duas quoque personas subesse diversas. Quod pronius etiam fuit putasse illos, qui per admodum diversa nomina* Bruno et Bonifacius, *martyres diversos intellexerunt ; sed nunc errorem dedocti, hac parte aliter fortasse sentient.*

AUCTORE C. J. ut et præcipua utriusque gesta,

16 *Nunc ad Acta utriusque auctoris Dietmari atque Damiani, in speciem diversa, sed quæ unum eumdem sanctum martyrem designare probabuntur, si diligenter inter se comparantur. Fuit Damiano* Bonifacius *suus natione* Teuto, vir clarissimus regis *Ottonis III* consanguineus, et ita carus, ut Rex illum non alio vocaret nomine, nisi, Anima mea. *Venit cum illo in Italiam et ad Romualdum, cui, Regem paulo post deferens, adhæsit* et factus est monachus *cum aliis aliquot sociis suis Teutonibus, vixitque in multa austeritate,* faciens opera manuum. Post diuturnam vero eremiticæ conversationis vitam, prædicare *gentibus Evangelium cupiens,* Romam primum perrexit et ab Apostolica sede consecrationem archiepiscopatus accepit. *Tum Alpes transcendens in Russiam iturus, duris modis in itinere carnem suam afflixit, ac tandem fidem prædicans decollatus est. Hæc summa Actorum* Bonifacii *apud Damianum. Eadem fere scribit de suo* Brunone *Dietmarus, paucioribus tamen verbis. Quod nempe fuit contemporalis et conscholaris suus,* ex genere clarissimo editus, *Ottoni III carus ac* desideratus, *qui* cum ad maturitatem pervenit, ab eodem Ottone desideratus suscipitur ; *eumque in Italiam comitatus est ; sed* quem non longe post deserens, solitariam vitam quæsivit, et de opere manuum suarum vivebat.

inter se comparata

17 *Explicatius loquitur Chronicon Magdeburgense.* Brunonem, cognomento Bonifacium, *e palatio Imperatoris confugisse ad* Italiæ eremum cum beatis sociis Benedicto atque Joanne, *ibique* in monachica religione perfectissime conversatum esse. *Eosdem socios dat quoque suo* Bonifacio *Damianus, eorumque gesta gestis ejusdem* Bonifacii *subnectit in vita S. Romualdi. Reliqua porro* Brunonis *gesta, apud Dietmarum et Germanos, quod adiit Papam, quod facultatem prædicandi gentibus Evangelium ab ipso petiit, quod ordinationem archiepiscopalem accepit, quod Roma in Germaniam rediit, quod in Russiam profectus est, quod se per viam mirifice cruciavit, quod Evangelium gentibus strenue prædicavit, quod martyrio per diminutionem capitis coronatus est in Prussiæ Russiæque confinus. Hæc in quam, confer cum Actis a Damiano scriptis, et comperies, utrobique paria esse re ipsa. Adde, quod ut locus martyrii idem designatur, ita tempus quoque idem est, videlicet annus* MVIII. *Id certe de* Brunone *compertissimum est, quamvis nonnulli chronologi notent annum sequentem cum Sigeberto. Martyrium* Bonifacii *ad eumdem quoque annum* MVIII *refert Vererius in suo Commentario num. 4 et 5 et satis probat, non potuisse citius accidisse ; nec est, cur diutius differatur ; eoque minus, quod Germani, qui* Brunonem *etiam* Bonifacium *appellant,* Brunonis *obitum ad annum* MVIII *referant, aut referre debuerint.*

§ III Quæ diversitatem personarum suadere possent, refelluntur.

Quæ dissuadent, utrumque unum esse,

Jam vero eosdem Sanctos Brunonem, et Bonifacium *non eumdem esse, sed diversos, suadere ex alia parte hæc possunt. Primum, quia ipsa nomina diversa sunt. Deinde, quia* Bonifacius *consecrationem archiepiscopalem accepit a summo Pontifice Romæ ;* Bruno *autem Merseburgi a Tagimone, archiepiscopo Magdeburgensi. Tertium, quia alter in Prussiam ; alter vero in Russiam dicitur profectus fuisse ad prædicandum Evangelium. Quartum, quia modus martyrii amborum diversimode narratur. Et* Brunoni *quidem adjunguntur socii* XVIII *in martyrio,* Bonifacio *nullus. Quintum, quia multa de* Bonifacio *habet Damiani relatio, eaque notabilia ; quæ non habent Germani. Sextum denique, quia natales eorum diversis diebus Ecclesia celebrat a*

que

A *que Martyrologio suo inscripsit*, Bonifacium xix *Junii*, Brunonem *vero* xv *Octobris*.

AUCTORE J.

Responsio ad dicta, de nomine,

19 *Ad pleraque horum apte responderi potest ex supradictis. Ad primum, quod per diversa nomina non semper denotantur diversæ personæ, sed una sæpe eademque binominis. Sic in casu nostro, qui ab Italis vocatur uno nomine* Bonifacius, *a Germanis vocatur duobus;* Bruno Bonifacius.

de consecratione,

20 *Ad secundum. Dicit quidem Damianus*, Bonifacium ab Apostolica Sede consecrationem archiepiscopatus accepisse; *vero id non ita intelligendum est, ut ipse summus Pontifex ei censeatur illam re ipsa contulisse per se, sed facultatem dedisse, illam accipiendi, simulque ei tradidisse Pallium, et misisse ad Imperatorem in Germaniam, cujus jussu ab archiepiscopo Magdeburgensi, qui proprius erat* Brunonis *episcopus et tunc forte Merseburgi cum Imperatore morabatur, consecratus fuit.*

modo martyrii,

21 *Ad tertium. Quamvis* Bruno *scribatur a Germanis, in* Prussiam; Bonifacius *vero ab Italis, in* Russiam *missus fuisse apostolus: non tanti id esse debet, ut propterea personarum diversitas inducatur.* Bruno, *teste Dietmaro*, ad Prussiam pergens, *camque nequidquam prædicando pertransiens*, in prædictæ B regionis confinio et Russiæ, *martyr factus est. Quid si de eodem scripserit Italus, longius a loco martyrii remotus quam Saxones, missum fuisse in Russiam, et Russorum apostolum vocet; nonne id facile conciliari possit cum Dietmari sententia, et explicari? Imo utrique nationi, Prussis, inquam, et Russis, recte adscribi Brunonem, paucis verbis declarat Martyrologium Romanum, ita habens* xv *Octobris:* In Prussia. S. Brunonis Ruthenorum, *seu Russorum*, episcopi et martyris. *Ex his enim adscribi potest* Prussis, *quia apud illos indicatur mortuus esse et coli;* Russis *vero, quia eorum episcopus nominatur. Et quidni Prussia proprie dicta; uti ab Helmoldo annumeratur* Sclavorum nationibus, *inde occidentem versus juxta mare Balticum porrectis; ita ab aliis annumerari non potuerit Russorum nationibus; inde orientem versus late dominantibus, seu quod rebellata aliquando a Russis, aut vectigalis fuerit Prussia, seu alia quacumque de causa. Neque necessum habemus ad interiora Russiæ aut metropolim ejus adducere* S. Bonifacium, *quia regem Russorum (silentibus ea de re Germanis) convertisse dicitur ab Italis, ignorantibus tamen Regis nomen. Potest namque sub Regis vocabulo illic commode intelligi Regulus quidam Prussiæ vicinus, aut provin-* C *ciæ alicujus Præfectus: imo sic debere intelligi, suadet, quod supremus Russiæ Monarcha pridem ante, ad fidem conversus fuerat a Græcis, quam eo perrexerunt aut Bruno aut Bonifacius aut Adalbertus.*

de diversitate rerum narratarum,

22 *Ad quartum et quintum facilis responsio est. Ex eo, quod duorum Actorum, unius Sancti vitam et martyrium scribentium, alter vitæ ejus plures circumstantias, plura martyrio tormenta adjungat; alter pauciora; inferri quidem potest, hunc aut plura ignorasse, aut compendii amantem plura noluisse scribere: non vero potest inferri distinctio personæ de qua scribunt; nisi forte afferant pugnantia: qualia hic non sunt. Scriptores quidem Germani atque etiam Dietmarus socios* xviii Brunoni *in martyrio adjungunt, qui et credi debent cum ipso passi fuisse; quamvis de illis taceat Damianus, quod mirum non est. Hic enim gesta* Bonifacii *sui in Italia, quæ ipse nulla vidit, ex relatione seniorum prosecutus; non habuit, qui gesta ejus in Germania suggereret, ubi tamen post acceptam benedictionem Papalem vivente adhuc Ottone III, aliquot annos commoratus est, antequam in Prussiam proficisceretur, fortassis anno* MVI *aut sequenti, atque interea sibi socios comparaverat, qui et comitati sunt euntem.*

23 *Ad ultimum denique respondebitur, diem quo* D *quis Sanctus memoratur in Martyrologio aut colitur, non semper natalem ejus esse; uti multis probari potest. Exemplum sit in ipso* S. Brunone, *quo de agimus. Notatur is in Martyrologio Romano die* xv *Octobris, hisce verbis:* In Prussia. S. Brunonis episcopi Ruthenorum et Martyris, qui Evangelium in ea regione prædicans, ab impiis tentus, manibus pedibusque præcisis, capite truncatus est. *Si iste dies Natalis* Brunoni *est; uti Baronius quidem in Notationibus suis, dum tacet aliam, cur hoc die relatus sit aut colatur, causam innuere videtur; et similiter, si dies* xix *Junii, quo memoratur in eodem Martyrologio* Bonifacius, *ejus Natalis foret; jam* Bruno *non solum alius foret a* Bonifacio, *verum etiam alius a se ipso: quia verus natalis* S. Brunonis, *quo per martyrium cælo natus est, certo scitur ex Dietmaro incidisse in* xvi Kalendas Martii, *qui est,* xiv *Februarii dies. Cur igitur* S. Bruno xv *Octobris; et* S. Bonifacius *(cujus diem obitus nec Damianus, nec ullus, quod sciam, alius antiquus scriptor indicat)* xix *Junii Martyrologio inscripti sint, malim nescire, quam operose indagare. Certum est, id nihil officere, quo minus uterque idem sint aut esse possint cum* Brunone *nostro,* xiv *Februarii martyrium passo.*

de die natali.

24 *Atque hæc modo satis sunto super dubitatione* E *mota, unusne an duo sint, prædicti archiepiscopi gentium, et martyres* Bruno *ac* Bonifacius. *Quod denique unus memoretur, aliqua ingenii sui monumenta posteritati scripto reliquisse, quod de altero non memoratur; nihilo majorem inducit differentiam personarum. Multum hactenus laboratum est inter eruditos de scriptis, quæ sub nomine* Brunonis *extant, certo auctori assignandis; atque etiam ab ipsis erratum est, dum alii alia* Brunoni, *Cartusianorum institutori; alia* Brunoni *Astensi, episcopo Signiensi, alia* Brunoni *martyri nostro adscribunt. Quæ Brunoni Cartusiano propria sunt dicent scriptores Ordinis ejus atque alii. Quæ propria sunt Brunoni Astensi, discutiet Sollerius noster accuratius, ad ejus Acta* xviii *Julii. Quæ nostri* Brunonis *esse dicunt Trithemius et pauci alii, recenset Bollandus in Commentario ejus* xiv. *Februarii num.* 5, *sed et rejicit illorum sententiam. Quæ porro scripta a* Brunone *nostro vere sunt, indicat chronicon Magdeburgense supra citatum; ex quo manifeste constat,* Brunonem *martyrem nostrum conscripsisse vitam S. Adalberti Pragensis episcopi et in Prussia Martyris, sui antea consodalis Magdeburgi.*

Scripsit quidem Bruno

25 *Quænam vero illa et ubi? Edidit Henschenius* F *ad* xxiii *Aprilis duas S. Adalberti vitas, a contemporaneis scriptas, ignotis auctorum nominibus. Primam tribuit Italo monacho, secundam Germano. Et secundæ quidem hoc principium est:* Nascitur purpureus flos Bohemicis terris. *Eamdem edidit etiam Surius, æque anonymam. Nec inventus est hactenus qui auctorem ejus notaverit. Nunc autem illam* S. Brunonis, *nostri martyris opus esse, videor mihi luce clarius demonstrare posse ex citato chronico Magdeburgensi. Testatur illud pag.* 275, *ut diximus,* S. Brunonem consodalis *sui S. Adalberti* Passionem et Actus scripsisse: *pag. vero* 279, *paulo post medium, profert ex eodem* sancto episcopo et martyre Brunone *visionem, cuidam episcopo divinitus factam, in qua S. Laurentius martyr multa minatur Ottoni II imperatori; quod ab ecclesia cathedrali Merseburgensi, cui Laurentius tutelaris Sanctus præsidebat, passus esset cathedram episcopalem cum reditibus suis auferri, et transferri ad archiepiscopatum Magdeburgensem ob avaritiam archiepiscopi ejus. Cum igitur hæc eadem visio legatur in prædicta S. Adalberti vita, apud nos pag.* 191; *debet hæc ipsa esse, quam* S. Bruno *conscripsit. Redeo igitur unde digressus sum, et dico, hoc scriptum* Brunonis *nihil officere, quo minus ipse atque* Bonifacius *idem sint quia scriptor Germanus, qui* Brunonem *ac* Bonifacium

vitam S. Adalberti ep. Pragensis

sed ideo non distinguitur a Bonifacio

A faciuni *pro eodem habet, illud a* Brunone *suo publicatum dicit.*

Pagii objectio ex Ademaro

26 *Neque ad rem faciunt, quæ Pagius in Critica sua Baroniana ad annum* MXVIII, *agens de* Brunone *hoc martyre, sic scribit num.* 2 : Bollando in mentem non venit legere, quæ Ademarus, qui hoc tempore floruit, in chronico, de S. Brunone scripsit; quæ ideo, resectis non necessariis, hic referam. *Mirum non est id Bollando in mentem non venisse, qui suos Februarii tomos (primum quidem ac secundum, in quo de* S. Brunone) *totos; tertium vero propemodum totum impressos habuit, qando Chronicon Ademari primum prodiit in lucem, erutum e tenebris et impressum anno* MDCLVII *in Galliis a Labbeo nostro. Quod si vidisset etiam Chronicon illud Bollandus, pepercisset (credo) ut erat modestissimus, honori auctoris Ademari, non citando narrationem ejus de* S. Brunone, *quia plane absona est. Magis miror, Pagio in mentem venisse, visum lectumque a se locum istum Ademari, ad suam Criticam transferre. Tanti profecto esse locus iste non debebat, qui longius aberrat a veritate, quam absitus fuit a Prussia Russiaque scriptor ejus, in Aquitania monachus, qui ut de rebus Gallicis, quodammodo ei domesticis, certiora habeat, hic fidem obtinere non potest.*

contra Bollandum in Brunone,

B 27 *Scribit enim pag.* 168, Brunum *seu Brunonem,* episcopum *fuisse* de civitate Osburg *(Ausburg sive Augustæ Vindelicorum)* quæ est in provincia Bojoariæ, *cum tamen in Saxonia prænobili familia Quernfurtensi natus sit et numquam certæ alicujus sedis episcopus fuerit. Neque vero toto tempore, quo Sanctus noster vixit, aut antea, episcopum Augusta ullum habuit,* Brunum *aut* Brunonem *nomine. Consequitur hinc, pariter falsum esse, quod ait Ademarus,* Brunonem *episcopum petisse ab Imperatore,* ut pro eo juberet consecrari in sede sua *Augustana* episcopum, quem elegerat, nomine Odolricum, *sive Udalricum, uti nunc passim vocamus; virum sanctissimum, qui post quinquaginta annorum episcopatus sui obiit anno* DCCCCLXXIII; *et post se successores quinque habuit, quando tandem secutus est* Bruno, *istius nominis primus; Henrici Imperatoris sancti frater, et postquam annos* XXII *episcopatum administraverat, mortuus anno* MXXXI.

...nima.

28 *Quis, amabo te, legit hactenus, apud idoneum auctorem, Hungariam distingui in* Albam *et* Nigram, pro eo quod populus est colore fusco, velut Æthyopes? *Quis;* S. Brunonem convertisse ad fidem Hungariam? et regem ejus Geitz, *sive Geisam,* baptizasse? *Quis?* Ottonem imperatorem in natali protomartyris Stephani a baptismate illum excepisse? C *quin et* regnum ei liberrime habere permisisse, et licentiam dedisse ferre lanceam sanctam ubique, sicut ipsi Imperatori mos est; et reliquias ex clavis Domini et lancea S. Mauritii ei concessisse in propria lancea? *imo etiam* filio ejus Stephano sororem Henrici, postea Imperatoris, in conjugio dedisse; *quam ei teste Bruschio in episcopis Passaviensibus pag.* 123 *Henricus ipse jam imperator; anno* MIX *conjugem tradidit, septem post obitum Ottonis III annis, ejusque rei occasione, ut ait idem Bruschius, Stephanus rex baptizatus, et totum regnum Hungariæ ad Christi fidem plene conversum est, atque Henricus inde Hungarorum Apostolus dictus fuit? Adde, ut alia prætermittam, eumdem Ademarum de martyrio S. Brunonis scribere, Pruthenos* viscera ei omnia ventris per exiguum foramen lateris extraxisse et fortissimum Dei martyrem fecisse. *Hæc scilicet omnia ab homine Aquitano discere debent Germani, Hungari, Poloni, Prussi Russique apud se gesta, ignorantibus talia et affirmantibus longe alia scriptoribus suis, etiam antiquis et contemporaneis. Quæ de S. Adalberto, Pragensi episcopo, annis undecim ante* S. Brunonem *in Prussia martyre, idem Ademarus ibidem narrat, a Pagio ad annum* DCCCCXCVII *num.* 3 *et* 4 *relata, nihilo melioris notæ sunt.*

D

AUCTORE C. J.

§ IV Chronologia vitæ S. Brunonis Bonifacii.

Natus sub annum 976

Ex *jam memoratis videmur chronologia vitæ* S. Brunonis, *atque adeo* S. Bonifacii, *hunc in modum deduci posse. Natus fuit sub annum* DCCCCLXXVI, *quia illo anno natum fuisse Dietmarum,* Brunonis *propinquum et Magdeburgi sub magistro Geddone iisdem in studiis condiscipulum; testatur ipse de se Dietmarus, et probari etiam potest ex duplici vita ejusdem Dietmari, tum illa, quam Reineccius ex codice antiquo, ipsius chronico subjunxit; tum ex altera, quem ipse suo marte compositum eidem chronico præfixit. Nam vita antiqua scribit, Dietmarum* anno nativitatis suæ quadragesimo secundo, cum ecclesiam sibi commissam *Merseburgensem administrasset* annis X, mensibus VII et diebus totidem, *vivere desiisse* Kalendis Decembribus, *anno videlicet* MXVIII; *atque adeo secundum hunc computum, episcopus Merseburgensis institutus fuit post mortem Wigeberti anno* MVIII, *et quidem* XXIII *Aprilis. Quod ad annum ac diem obitus, atque etiam ad annos ætatis spectat, tenet eadem Reineccius in sua Dietmari vita. Inde autem consequitur, retro gradiendo ab anno* E MXVIII *per annos* XLII, *nativitatem ejus incidisse in annum* DCCCCLXXVI. *Sed loquatur nobis certior testis, Dietmarus ipse libro tertio chronici sui,* temporibus his ego natus sum VIII Kal. Augusti, mense Julio, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXVI. *Atque inde iterum consequitur, condiscipulum ejus in iisdem studiis* Brunonem *sub eumdem annum* DCCCCLXXVI *in lucem venisse: anno autem* DCCCCLXXXI, *quo primus archiepiscopus Magdeburgensis S. Adalbertus obiit, et Geddo scholas regebat; potest uterque huic magistro in disciplinam traditus fuisse. Solebant enim illis temporibus pueri quinquennes et sexennes frequenter commendari episcopis aut abbatibus, ut in illorum collegiis aut monasteriis educarentur ac probis moribus litterarumque studiis imbuerentur.*

proficiscitur an. 996 cum Rege in Italiam,

30 *Finitis studiis, quibus novennium (uti ante ipsum ibidem ab anno* DCCCCLXXII *vacaverat S. Adalbertus, postea episcopus secundus Pragensis et in Prussia martyr, cujus et vitam Bruno conscripsit) aut decennium impenderit; canonicus Magdeburgensis factus, monachus enim tunc non fuit) Ottoni III desideratus, ab eoque in sacellanum seu regiæ capellæ præfectum assumptus ipsum anno* DCCCCXCVI *comitatus est in Italiam; ac Ravennæ, ubi Otto aliquamdiu substitit ac familiariter* F *cum S. Romualdo egisse scitur, in ejusdem sancti Viri notitiam venit* Bruno *aliique e comitatu Imperatoris; eidemque adhæserunt ad meliorem vitam conversi. Qui tamen eodem adhuc anno Ottonem comitati sunt Romam quam is pacifice ingressus, Pontificem, post obitum Joannis XV Papæ, constituit ibidem Gregorium V, a quo et ipse coronam imperialem accepit. Quando et* Bruno, *seu* Bonifacius *Damiani, deinde ingressus fuerit ecclesiam antiqui martyris Bonifacii (quæ hodie non superest in monte Aventino) dixeritque;* Et ego Bonifacius vocor. Cur ergo ipse etiam Christi martyr esse non debeo? *uti habet Damianus; atque mox addit:* Deinde quoque jam monachus factus, tanta se abstinentiæ frugalitate constrinxit *etc. quasi dicat, ipsum quidem, ex quo Ravennam venit, adhæsisse Romualdo, sed nondum plane monachum fuisse, quod factus est anno sequenti.*

F Ravennam

et Romam,

31 *Anno namque* DCCCCXCVII, *cum Crescentius tyrannus Gregorium Papam Roma expulerat, rediit eo cum exercitu Otto, Urbem expugnavit, et rebelles Tiburtinos obsidione vallavit; quando eodem venit Romualdus, pro civibus deprecaturus, et iram Imperatoris mollivit: inde autem ad montem Casinum profectus ægrotavit, sanatusque, discipulos suos* Bonifacium *seu* Brunonem *atque alios Germanos Ravennam reduxit et in*

a... cum S. Romualdo in ...

AUCTORE C. J.

in Pereo vicina insula exercere vitam eremiticam docuit : in qua quantum profecerit Bruno Bonifacius, *multis narrat Damianus.* Cum vero post diuturnam eremiticæ conversationis vitam *(verba ejusdem sunt)* ad prædicandum jam ire disponeret, Romam primum pergere studuit *more majorum, ut facultatem prædicandi gentibus peteret; quam et accepit.*

1001 tendit denuo Romam,

32 *Iter illud Romanum debet incidisse in annum* MII *quando Imperator tertium Romam cogitans, iterum convenit Romualdum Ravennæ, eaque occasione* Bruno *suos in eremo confratres Benedictum et Joannem* de consilio Domini Ottonis imperatoris in Poloniam misit, ipseque Romam proficiscitur, a Domino Papa Silvestro licentiam accepturus, cum iisdem suis confratribus in augmentum coronæ suæ paganis gentibus Christi Evangelium prædicare. *Verba sunt Chronologi Halberstadensis. Mansit Romæ, aut saltem in Italia, illo anno et sequenti* MII *fere toto, mortuo interea Ottone sub finem Januarii, eique subrogato, mense Junio in imperium Henrico Pio : ad quem Papa* Brunonem, *non a se consecratum, sed pallio donatum, et in Germania consecrandum, misit. Ex quo etiam conficitur, ipsum superatis Alpibus non recta in Hungariam, Prussiam aut Russiam tetendisse, uti scriptores Itali indicant, rerum ab ipso posthac gestarum in Germania ignari : sed* in terram suæ nativitatis rediisse, *ut loquitur Chronologus Halberstadensis ; ut vero Dietmarus, quod* regnante secundo Henrico post mortem gloriosissimi imperatoris *Ottonis*, Merseburgum venit.

1002 redit in patriam suam

33 *Imo aliquot annos commoratus in Germania fuit, antequam iter in Prussiam instituerit. Missus enim fuit a Papa Silvestro, qui obiit anno* MIII *mense Majo. Susceptus fuit ab Henrico imperatore, electo anno* MIII *mense Junio. Ordinatus fuit a Tagínone archiepiscopo Magdeburgensi anno* MIV, *paulo post obitum Giselarii, qui* VIII Kalend. Februarii animam reddidit, *ut habet Chronicon Magdeburgense, electo. Ab hoc igitur ordinari archiepiscopus non potuit* Bruno, *nisi hoc ipso* MIV *: potest tamen ordinatio aliquamdiu dilata fuisse : de qua re nihil habeo quod affirmem. Disco autem ex Chronico Halberstadensi, quod posteaquam in terram nativitatis suæ rediisset*, in ea aliquamdiu moram faciens post consecrationem suam mira perfectione claruit, *ac* tandem de patrimonio suo, aucto et ditato satis decenter monachorum collegio, ipse cum octodecim sociis profectus est in Prussiam.

ibique moratus forte quinquennium,

34 *In his locutionibus ista, quod in patria* aliquamdiu moram fecit ; *quod post consecrationem suam* mira perfectione claruit *(hoc utique notabilis temporis experientia debet innotuisse) quod* tandem, *postquam de patrimonio suo recte disposuerat, sociosque* XVIII *collegerat*, profectus est ; *hæ, inquam, locutiones innuere videntur, aliquot annorum spatium intercessisse a reditu* Brunonis *in patriam, usque ad profectionem ejus in Prussiam. Hæc autem debet facta esse, juxta Dietmari computum, anno Christi* MVII. *Ait enim ille, quod* anno duodecimo suæ conversionis Bruno perrexit in Prussiam, *Annus autem ille duodecimus, cum conversus sit Vir sanctus anno* DCCCCXCVI, *initium habuit in dicto Christi anno* MVII.

radit an. 1007 in Prussiam

35 *Ex dictis concluditur, Apostolatum* Brunonis *in Prussia brevem fuisse, cum intra eumdem annum* XII. *anno Christi* MVIII, *secundum meliores chronologos; et* XVI *Kalendas Martias, secundum Dietmarum, martyrio coronatus sit. Neque mirabitur tam brevem ejus apostolatum fuisse, quisque consideraverit immanem ferociam barbaræ gentis, taliter addictæ idolis suis, ut prædicatores evangelicos, imo et alios Christi fideles propositis pœnis arcerent a finibus suis. Hinc et brevis ibi Apostolatus fuit S. Adalberti, utpote qui post medium anni* DCCCCXCVI *a Gregorio PP. V. Roma eodem missus, atque ex itinere ad celebriores Sanctorum ædes usque in Gallias ac Turones, illorum preces Apostolatui suo implorans peregrinatus, tandem ad primum in Prussiam ingressum male habitus a barbaris, die* XXIII *Aprilis anni sequentis* DCCCCXCVII, *ab iisdem occisus fuit. Martyrium subiit* Bruno *anno ætatis circiter* XXXII; *quandoquidem Dietmarus, qui decem annos ei supervixit atque olim condiscipulus fuerat, scitur mortuus fuisse ætatis suæ anno* XLII.

et paucos intra menses cadit ur,

anno ætatis suæ 32,

36 *Acta* Brunonis *Dietmarum scripsisse lib.* VI *Chronici sui ;* sancti *vero* Bonifacii *Petrum Damiani in vita S. Romualdi : jam diximus. Diximus item, priora legi tomo 2 Februarii die ejus* XIV, *a Bollando illustrata : posteriora tomo 4 Junii die* XIX, *illustrata a Verorio. Nihilominus, uti Dietmariana initio hujus tractatus recudimus, ita operæ pretium videtur Damianiana hic denuo proferre, ut scripta hæc nostra curiosius pernoscere volentibus ad manum sint, et annotationes nonnullas ad majorem claritatem adjicere commodius possimus. Præmittam quoque Actis Damianianis quæ sine capite sunt, quia nihil de parentibus, patria, pueritia, studiis aliisque Viri sancti in Germania gestis memorant, priorem partem ex Actis, a Dietmaro scriptis.*

ACTA
S. BRUNONIS BONIFACII M.

Ex Chronico Dietmari et Vita S. Romualdi.

Brunonis Natales, pueritia, studia,

Incipit Dietmarus. Fuit quidam, Brun nomine, contemporalis et conscholaris meus, ex genere clarissimo *a* editus, sed divina miseratione præ ceteris, parentibus suis inter filios Dei dilectus. Hic ab Ida venerabili matre sua unice dilectus, magisterio Geddonis *b* philosophi traditur; et omne, quod habere debuit, cum abundantia ei præbebatur. Hujus pater Brun dicebatur, senior clarus et per omnia laudabilis; amicus, mihi consanguinitate, et omnibus familiaritate, erat proximus. Filius autem ejus et æquivocus, cum mane ad scholam ire debuisset, antequam ab hospitio exiret, veniam petiit, et, ludentibus nobis, in oratione ipse fuit. Otio negotium præposuit; et sic fructificans ad maturitatem pervenit. A tertio Ottone igitur desideratus suscipitur *c*: quem non longe post deserens, solitariam vitam quæsivit, et de opere manuum suarum vivebat.

iter cum Ottone 3 in Italiam

2 *Sequitur Damianus.* Romualdus cum... Thammo *d* et cum Bonifacio viro clarissimo, quem nunc felicissimum martyrem se habere Russiana gloriatur ecclesia et cum aliis conversis Theutonibus *e*, a Tiburis *f* oppido ad monasterium S. Benedicti, quod in Cassino constitutum est monte, devenit.... Cum his igitur omnibus superius nominatis Romualdus ad Pereum, ubi dudum habitaverat, rediit ; ibidemque his et multis fratribus aggregatis et per cellas singulas constitutis, tanto fervore eremiticæ conversationis rigorem et in se et in aliis tenuit, ut illorum vita omnibus, ad quos fama eorumdem pervenire poterat, mirabilis haberetur. Quis enim non obstupesceret? Quis non immutationem Divinæ dexteræ prædicaret, cum vidisset prius homines, sericis, imo deauratis vestibus indutos, crebris obsequentium cuneis constipatos, omnium deliciarum affluentiis assuetos, nunc eos cerneret unico birro *g* contentos, inclusos, discalceatos, incultos et tanta abstinentiæ ariditate contritos? Faciebant autem omnes opera manuum, alii scilicet cochlearia, alii nebant, alii retia texebant, alii cilicia. Quorum tamen omnium vitam B. Bonifacii conversatio longius transcendebat.

adhæret ibi S. Romualdo,

exercetur in eremo,

3 Hic denique Regis *h* fuerat consanguineus, et ita

A ita carus, ut Rex illum non alio vocaret nomine, nisi, Anima mea. Erat autem apprime liberalium artium doctrinis instructus, maximeque in modulationis musicæ studiis approbatus. Hic itaque cum in capella regia *i* moraretur, videns ecclesiam antiqui martyris Bonifacii, mox exemplo sui æquivoci ad martyrii desiderium provocatus, ait : Et ego Bonifacius vocor. Cur ergo ipse etiam Christi martyr esse non debeo? Deinde quoque jam monachus factus, tanta se abstinentiæ frugalitate constrinxit, ut sæpe dominicis diebus et quinta tantum feria per hebdomadam manducaret : nonnumquam vero si urticarum vel etiam veprium cerneret densitatem, illuc se projiciens volutabat. Ex quo cum quidam frater aliquando eum corriperet, dicens ; Hypocrita, quare hoc, ad captandos popularis auræ rumores, coram omnibus facis? Nihil aliud respondit : Tui sint confessores, mei martyres.

Concipit desiderium martyrii,

i

in spinis se volutat ;

4 Cum vero post diuturnam eremiticæ conversationis vitam ad prædicandum jam ire disponeret, Romam primum pergere studuit, et ab Apostolica sede consecrationem archiepiscopatus accepit. Retulit mihi quidam senex monachus, qui eum illuc B comitatus de Ravennæ finibus fuerat, quia in toto illo itinere vir venerabilis, cum omnibus quidem, qui eum sequebantur, pedester ibat, sed ipse jugiter psallens, et ceteros longe præcedens, nudis semper pedibus incedebat. Pro labore quidem itineris quotidie comedebat, sed per singulos dies de medio pane et aqua vivens ; in diebus festis, ignoto videlicet omni liquamine, quotidiano victui poma quælibet vel herbarum radices addebat.

prædicaturus fidem gentibus

fit archiepiscopus,

5 Postquam autem consecratus est, quotidie observabat et monasticum pariter et canonicum in celebrandis Horarum officiis ordinem. Cum vero jam Ultramontanos peteret fines, equo quidem vehebatur, sed venerabilis pontifex, sicut dicitur, nudis cruribus semper et plantis adeo intolerabilem frigidissimæ regionis tolerabat algorem, ut volens descendere, vix pedem ab subhærente ferro disjungeret, nisi aqua prius calida subveniret. Ad gentiles autem postremo perveniens, cum tanta cœpit fervidi pectoris constantia prædicare, ut jam nullus ambigeret, quia vir Sanctus martyrium flagitaret. Illi vero timentes, ne, sicut post martyrium B. Adalberti, coruscantibus miraculorum signis, Sclavonicæ gentis plerique conversi sunt, ipsis quoque similiter eveniret, longo tempore a beato viro ma- C nus artificiosa malitia reprimunt; et cupidissimo mori, nolentes occcidere, crudeliter ei parcunt.

atque iter nudis pedibus facit

usque in Russiam :

ibi fidem prædicans, accedit Regem,

6 Cumque ad regem Russorum vir venerabilis pervenisset, et constanti animo prædicationi vehementer insisteret; videns eum rex squalidis vestimentis indutum, nudis pedibus incedentem, opinatus est, quia vir Sanctus talia non religionis causa perferret; sed idcirco potius, ut pecunias congregaret. Promisit ergo sibi, quia si ab hujusmodi vanitate recederet, ipse paupertatem ejus largissima divitiarum liberalitate ditaret. Bonifacius itaque mox ad hospitium sine mora revertitur, pretiosissimis Pontificalibus ornamentis decenter induitur, et sic ad regis palatium denuo præsentatur. Rex vero videns eum tam decoris vestibus adornatum, ait : Nunc scimus, quia te ad vanam doctrinam ; non paupertatis inopia, sed veritatis impulit ignorantia. Verumtamen si vis vera credi quæ asseris, eligantur duæ excelsæ lignorum catastæ, brevissimo inter se interstitio separatæ ; et igne supposito, cum vaporatæ fuerint, ita ut utriusque struis unus ignis esse videatur, tu transi per medium. Quod si læsus ab aliqua parte fueris, ipsis te penitus consumendum ignibus trademus. Sin autem (quod credi non potest) sanus evaseris, omnes nos Deo tuo absque difficultate credemus. Cumque hoc fœdus non solum D Bonifacio, sed et cunctis quæ aderant gentibus placuisset ; Bonifacius ita vestitus velut Missarum solennia celebraturus, prius cum sanctificata aqua et incenso thure undique perlustrans ignem, dein stridentes flammarum globos ingressus, ita exivit illæsus, ut nec minimus capitis ejus capillus videretur exustus. Tunc rex et ceteri qui huic spectaculo interfuerant, catervatim se ad pedes Beati viri projiciunt, indulgentiam lacrimabiliter petunt, et baptizari se instantissima supplicatione deposcunt.

a quo contemnitur ob vilem habitum,

quo mutato, auditur

AUCTORE C. J. et illæsus per ignem transiens,

7 Cœpit itaque tanta gentium multitudo ad baptisma confluere, ut vir Sanctus ad spatiosum quemdam lacum pergeret, et in ipsa aquarum abundantia populum baptizaret. Decrevit autem rex, ut regnum relinquens filio, ipse quamdiu viveret, se a Bonifacio nullatenus separaret. Frater autem regis, cum ipso pariter habitans, dum nollet credere, absente Bonifacio, ab ipso rege peremptus est. Alius vero frater qui jam a Regis erat cohabitatione divisus, mox ut ad eum vir venerabilis venit, audire verbum ejus noluit ; sed de conversione fratris nimia adversus eum ira succensus, continuo comprehendit : deinde timens, ne, si vivum teneret, rex E eum de manibus ejus eriperet ; in sua præsentia, circumstante non parva hominum multitudine, decollari præcipit. Statim vero et ipse cæcatus est, et tantus eum cum omnibus qui adstabant, stupor oppressit, ut nec sentire, nec aliquod humanitus officium agere aliquatenus possent, sed cuncti velut lapides rigidi et immobiles permanerent.

multos convertit cum Rege,

a cujus impio fratre ideo occiditur;

8 Rex autem hoc audiens, nimio dolore perculsus, omnino deliberat non solum fratrem occidere, sed et cunctos, qui sibi tanti reatus fautores extiterant, gladiis trucidare. Sed cum illuc protinus advenisset, et corpore Martyris adhuc in medio posito, fratrem simul cum reliquis hominibus sine sensu et motu stupefactos adstare conspiceret ; hoc sibi cum omnibus placuit, ut prius pro eis oratio fieret, si forsitan illis divina misericordia sensum, quem amiserant, reformaret : deinde si acquiescerent credere, indulto crimine, viverent; sin autem, omnes ultoribus gladiis interirent. Cum igitur et ab ipso rege et a ceteris Christianis diutius fuisset oratum, non solum prior sensus stupefactis hominibus redditur, sed insuper consilium flagitandæ veræ salutis immittitur. Nam continuo pœnitentiam sui criminis flebiliter expetunt, baptismi Sacramenta cum magna alacritate suscipiunt, super corpus quoque beatissimi Martyris ecclesiam construunt. Verumtamen E ego, si de hoc mirabili viro cuncta, quæ dici veraciter possunt, virtutum dona referre tentarem, deficeret forsan lingua, non deficiente materia. Dum igitur Bonifacii virtus proprio indigeat stylo, idcirco tamen illum cum aliis Romualdi discipulis summotenus hic memorare curamus, ut ex eorum laude, quam magnus vir gloriosus magister eorum fuerit, demonstremus : quatenus dum celsitudo clientium auribus fidelium insonat, quam excelsus doctor eorum fuerit, ex schola quam tenuit, enotescat.

Auctores necis obrigescunt,

orantibus autem Christianis

sibi restituuntur et baptizantur.

ANNOTATA.

a *Vere clarissima, juxtaque antiquissima familia fuit* Brunonis *nostri Querfortensis, quam auspicatur Reusnerus, in suo Operis genealogici Auctario, a* Brunone I nobili Domino Querfortensi, anno 850 *mortuo ; quæ diu post Brunonem nostrum transiit in Mansfeldensem. Pater nostri, Mater, Frater, Nepotes, Pronepotes, Abnepotes, quorum unus fuit Conradus Archiepiscopus Magdeburgensis, alter Lotharius imperator Romanus, memorantur a nobis in Commentario præmisso num.* 8 *ex chronico Quidlingburgensi.*

b *Successit Geddo, aliis Giddo, in Schola Magdeburgensi magister Ottrico sub annum* 980.

c *Susceptus fuit in Capellanum, seu, ut ego puto, in Præfectum Capellæ regiæ, et Ottonem anno* 996 *in Italiam secutus, adhæsit ibi S. Romualdo, cum eoque dein, Tibure Casinum profectus, anno sequenti rediit in insulam Pereum et vitam eremiticam serio auspicatus est; uti mox narrabit Damianus.*

d *Fuit hic Thammus, æque ac* Bruno Bonifacius, *in comitatu Ottonis imperatoris, eique longe carissimus; de cujus conversione plura scribit Damianus in vita S. Romualdi, apud nos die* 7 *Februarii num.* 37.

e *Inter illos nominatim fuerunt* Benedictus *et* Joannes, *deinde in Polonia martyres facti. Illorum gesta describit idem Damianus in eadem Romualdi vita cap.* 9. *Et nos in Commentario hic præmisso eorumdem meminimus num.* 9 *ex chronico Magdeburgensi.*

f *Notum* Tibur, *antiqua et nobilis olim civitas,* XVIII *circiter* M. P. *Roma orientem versus dissita in colle ad Anienem fluvium. Venerat eo Romualdus, ut iratum civibus animum imperatoris, tunc locum cum exercitu obsidentis et extrema minantis, placaret. Quo facto adiit cum suis tironibus orationis causa Casinum, ubi aliquamdiu æger decubuit, ac postliminio cum iisdem rediit ad eremum suam in Pereo insula.*

g *Variæ scriptionis est hæc vox,* Byrrus, Birrum, Burrus, Byræ, Βίρρος, Βίρριον, Βυρρός : *et non unius significationis. Hic patet sumi pro veste monachali grossa, quæ veluti tunica talaris totum corpus tegebat.*

h *Ottonis tertii, cui etiam carum ac* desideratum *fuisse* Brunonem, *et* ex genere clarissimo editum; *æque scribit Dietmarus.*

i Capella regia *illis temporibus passim vocabantur sacræ Reliquiæ Sanctorum et sacer apparatus ad divina officia peragenda, quæ reges atque imperatores, tum domi servabant, tum etiam, cum in bellum procederent, aut aliter iter facerent, conferre solebant; et qui illis præerant, frequenter sacellani aut archisacellani Capellæ regiæ dicebantur, erantque passim clerici magni nominis ac dignitatis.*

k Et ego Bonifacius vocor, *utique vel in baptismate vel in confirmatione accepto nomine, dum adhuc in Germania agebat, ex qua recentissime venerat in Italiam cum aula Ottonis : potestque ibi illo solo nomine præcipue vocatus fuisse, atque ipse illud amasse, ex quo statuit S. Bonifacium martyrem ad martyrium sequi.*

l Diuturna *eremiticæ conversationis vita, debet quadriennii computari. Anno quippe* DCCCCXCVI *ex primo cum Romualdo congressu, melioris vitæ propositum concipiens, animo ei adhæsit, anno autem sequenti in itinere montis Casini ac reditu in Pereum etiam adhæsit, corpore, ac serio eremiticæ conversationis vitam vixit usque ad annum* MI, *quo putamus ipsum prædicandi gentibus facultatem a Papa petiturum, Romam profectum fuisse.*

m *Jam diximus, Sanctum nostrum* ab Apostolica sede consecrationem archiepiscopatus *proprie loquendo non accepisse; accepit illam cum facultate Apostolicæ Sedis ab Archiepiscopo Magdeburgensi Taginone, Merseburgi in Saxonia. Ex his et aliis alibi dictis, intelligitur etiam, non fuisse consecratum Archiepiscopum* Bosnensem, *ut recentiores quidam scribunt. Non item fuit consecratus in certam sedem, sed in Apostolum gentium, prout petierat a Papa.*

n *Huc usque narrat Damianus, quæ a* Brunone *seu* Bonifacio *suo in Italia fuerunt gesta; inde ipsum, transcensis Alpibus, recta mittit in Russiam; cum tamen tunc redierit in Saxoniam patriam suam, ibique consecratus archiepiscopus sit, et aliquot annos manserit, priusquam in Prussiam aut Russiam proficisceretur. Sed hæc extra Italiam gesta sunt, quæ Damianus ignoravit.*

o *Martyrium S. Adalberti contigit anno* 997 *in Prussia gente Schlavonica. Ex quo intelligi potest, gentem, cui prædicavit* Bruno, *non admodum remotam inde fuisse quia* timebant, *ne si mori cogeretur, sui post mortem ejus pronius converterentur, sicut alia gens post martyrium Adalberti pronius fidem Christianam complexi fuerant. Timor iste gentis illius prodit, ipsam non admodum longe ab alia dissitam fuisse, cum tam singularis rei notitia ad ipsam pervenerit.*

p *Rex Russorum cis Borysthenem (ultra certe non processit* Bruno Bonifacius) *tunc adhuc vivebat* Wladomirus, *qui cum* Anna, *Basilii et Constantini Augustorum sorore, uxore sua, fidem Catholicam amplexus dudum fuerat cum suis. Nominant regem Russorum, quem adiverit* Bruno, *recentiores aliqui cum Maurolico,* Busianum; *sed is non aliter debet intelligi, quam Regulus aut Dominus regionis alicujus sitæ in vicinia Prussiæ : si tamen illis tale nomen historica fide innotuerit.*

q *Quæ hactenus de gestis* Bonifacii *sui in Prussia aut Russia narravit Damianus, ex aliorum relatione audita in Italia, in fide scriptoris accepto : fateri tamen debeo, quod scriptores Germani, qui plures sunt et loco martyrii viciniores, de circumstantiis illis admodum notabilibus et memoria dignis, nihil prodiderint.*

Aliæ Annotationes, quas Bollandus ad hæc Acta observavit in vita S. Romualdi, die 7 *Februarii; et quas Verovius,* 19 *Junii, videri possunt suis locis.*

INDEX

INDEX
HISTORICUS

Continens nomina illustriorum personarum, quarum in hujus Tomi Actis vel Commentariis mentio fit paulo specialior et notatu dignior ; præposita iis † *qui Sancti vel Beati habentur.*

A

Anselmus

B

Brizani

Drogo

Gillebertus

H

I

J

K

Puccius

Sonderoldus

INDEX

INDEX
TOPOGRAPHICUS

IN QUARTUM TOMUM JUNII.

A

B

C

Castrum

Methrona

INDEX
ONOMASTICUS

Ac primo ad Tractatum præliminarem.

Cum fieri possit, ut Tractatus hic aliquando seorsim expetatur et imprimatur; placuit vocabula Latino-barbara, ut crebrius in eo occurrentia, abjungere a communi talium indice, hic autem prœnotare, quod, sicuti curialis Belgarum lingua subducimus Burgundis erat Francica, hodieque in supremo Regio Senatu perseverat, ita Arragonibus et Cattalanis Nobilibus familiarior erat Dialectus Gallica Lemovicensis, nescio qua occasione ad eos derivata, quemadmodum me docuit is qui Legum a Rege Petro IV editarum, notitiam mihi dedit, Supremus Arragoniæ Justitiarius Petrus Valerius Diaz laudatus in Commentario prævio num. 12. *Quod ideo hic noto ut intelligat Lector unde tam frequens Gallicismus toti operi inspersus.*

Tortium

AD DIEM

XVI, XVII, XVIII, ET XIX.

Cuppa.

Subtellares,

INDEX MORALIS

A

B

C

D

Deum

J

L

N

O

P

Q

R

Exemplo

S

FINIS.

MONTE ALBANO EXCUDEBAT VICTOR BERTUOT, DD. EPISCOPI TYPOGRAPHUS. MDCCCLXVII.